10
1-g
1
6
4 0
23

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI

USSERII

ANNALES.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI,

A PRIMA MUNDI ORIGINE DEDUCTI.

UNA CUM

RERUM ASIATICARUM ET ÆGYPTIACARUM

CHRONICO.

A TEMPORIS HISTORICI PRINCIPIO

USQUE AD EXTREMUM TEMPLI ET REIPUBLICÆ JUDAICÆ EXCIDIUM

PRODUCTO.

JACOBO USSERIO,

ARCHIEP. ARMACHANO ET HIBERNIÆ PRIMATE;

Digestore.

Accedunt TRIA *Ejusdem* OPUSCULA,

I. DE CHRONOLOGIA VETERIS TESTAMENTI.
II. DE MACEDONUM ET ASIANORUM ANNO SOLARI.
III. DE SYMBOLIS.

Quibus omnibus præfixa est

JACOBI USSERII Vita, à TH. SMITHO S.T.D. conscripta.

EDITIO NOVA, in qua ANNALES nunc primùm manu Auctoris emendatiores & auctiores prodeunt: unà cum INDICIBUS RERUM & LOCORUM; quibus addita est ANNORUM MUNDI cum Annis OLYMPIADUM & URBIS CONDITÆ Collatio.

GENEVÆ,

Apud GABRIELEM DE TOURNES ET FILIOS,

M. DCC. XXII.

È proibito a norma della seconda regola dell'Indice.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

PRÆSULI

GULIELMO,

DIVINA PROVIDENTIA,

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI

ET METROPOLITÆ,

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

MAGNÆ BRITANNIÆ

REGI

A SANCTIORIBUS CONSILIIS.

ILLUSTRISSIME PRÆSUL,

CUM *in manus noſtras perveniſſet Exemplar* Annalium Veteris & Novi Teſtamenti, *egregii fœtûs Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi*

EPISTOLA

HIBERNIÆ Primatis & Archiepiſcopi Armachani, JACOBI USSERII, ſecundis ejus curis emendatum & auctum; de ejus editione quàm primùm curanda conſilium cepimus. Jam pridem enim deerant Editiones Londinenſis & Pariſienſis, *nec manibus hominum eruditorum alia ferè verſabatur, niſi* Bremenſis, *omnium mendoſiſſima; ita ut neceſſe jam eſſet meliorem curari, ut majore cum fructu à litterarum ſtudioſis lectitaretur. Commodùm autem contigit à Viro Nobili* Jacobo Tyrrello *Magni Uſſerii è Filia Nepote, in Hollandiam ad Virum harum litterarum peritum mitti exemplar emendatius atque auctius, ut Typographus ei quæreretur. Qua de re ab eo moniti, operam noſtram ei libenter addiximus, quô factum eſt ut tandem utiliſſimum Opus in lucem prodiret, eâ formâ, quâ nunc Tibi, REVEREN-DISSIME PRÆSUL, offerimus.*

Nec poterat ei dignior Patronus quæri. Quis enim erat, cui potiùs offerri deberet eximium Primatis Hiberniæ Opus, quàm totius M. BRITANNIÆ Primati & Metropolitæ? Vir fuit ſuæ ætatis Doctiſſimus, idémque Humaniſsimus & Modeſtiſsimus; quas dotes non tantùm Populares Tui, qui Te propiùs nôrunt atque intuentur, ſed & Exteri omnes, quà patet PROTESTANTIUM *nomen, mirantur. Idem in Proteſtantium diſſidiis, quamvis Veteri Diſciplinæ addictiſſimus, erga aliter ſentientes æquiſsimum ſeſe*

præbuit; quod non minùs in Te Proteſtantes omnes exoſculamur.

Divina Providentia, quæ Te ad tantum culmen evexit, ſimul his dotibus inſtruxit, quibus tam grave Onus ita ſuſtines, ut omnes Prudentiam Tuam & Manſuetudinem ad cœlum laudibus certatim tollant, non tantùm intra Inſulam veſtram, ſed & per totam Europam. Dum operam das ne quid ECCLESIA ANGLICANA *detrimenti capiat, ad doctrinam æquè ac auctoritatem, veteribus inſtitutis & legibus ei conceſſam, quod attinet; quod iis, quibus vivimus, temporibus nequaquam facile eſſe omnes nôrunt; ad remotiores etiam Proteſtantium Eccleſias cura ac ſollicitudo Tua porrigitur. Gratiâ eas atque auctoritate, quam, apud Sereniſſimum ac Potentiſſimum Magnæ Britanniæ Regem* GEORGIUM, *obtines, commendas ac tueris. Quæ magnanimitas, ſummâ cum pietate conjuncta, nunquam ſatis laudabitur, atque ultimæ Poſteritati Illuſtrem Te, juxtà ac amabilem præſtabit.*

Noſtrum non eſt peritiam Tuam Eccleſiaſticarum Antiquitatum, quæ in antiquiſſimorum Eccleſiæ Chriſtianæ Patrum Epiſtolis convertendis atque illuſtrandis emicat, laudare, reliquiſque laboribus Tuis pretium, quod maximum eſſe à Doctiſſimis quibuſque audimus, ſtatuere. Hoc unum ſupereſt, ut Deum Optimum Maximum precibus adeamus, atque exoremus,

ut

ut Te diu incolumem, Eccleſiámque Anglicanam, cui præes, florentem præſtare velit; ut etiam nos exteri Proteſtantes, ſub veſtra veluti umbra & patrocinio conquieſcamus, nóſque communi ſoſpitatore Jeſu-Chriſto non omnino indignos oſtendamus. Vota hæc ſunt, Tibi, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, eâ, quâ par eſt, reverentiâ addictorum,

Dabamus Genevæ, die 28ª Januarii M. DCC. XXII.

GABRIELIS DE TOURNES
& FILIORUM.

JOANNES CLERICUS
LECTORI
HISTORIARUM STUDIOSO
S. P. D.

I adgrediar hîc ſummum Virum, JACOBUM USSERIUM, meritis laudibus efferre, ſupervacaneum laborem ſuſcipere videar, cùm nemo non eum laudârit, nec quisquam vituperare queat, niſi ludibrium Eruditis omnibus debere velit. Non poſſum tamen non laudare, in hac Præfatiuncula, eruditionem ejus, diligentiam & acumen in rebus Chronologicis, quibus tantam lucem adfudit, ut, poſt *Joſ. Scaligerum* & *Dionys. Petavium*, maximos in Doctrina Temporum Viros, omne punctum tulerit. Is neque acerbè à *Scaligero* diſſenſit, quod fecit *Petavius*; neque *Petavium* ipſum proſcidit, qui *Scaligero* nequaquam pepercerat. Veritatem ſolam ſequutus, operam dedit ut eam inveniret, inventámque ita propoſuit, ut nemini eorum qui ab ea aberraverant conviciatus ſit. Primus omnium oſtendit regna illa Aſiæ, quibus *Cteſias* portentoſam antiquitatem tribuerat, ad eam nequaquam adſurgere; quâ ratione eorum regnorum tempora ita digeſſit, ut ea cum S. Scripturæ Chronologiâ feliciſſimè in concordiam redegerit. Scio Viros Doctos ab eo interdùm diverſos iviſſe, ſed in paucis, nec magni momenti rebus. Itaque plerique omnes in ejus ſententiam conceſſere, ſi obſcura quædam, in quibus diſſentire jus & fas eſt, excipias. Quicunque *Annales* hoſce diligenter legerunt, ſibi & poſteris gratulati ſunt quòd fidum ducem in antiquiſſimorum temporum Chronologicis, ut ita loquar, labyrinthis inveniſſent. Qui præſertim res Aſiaticas & Ægyptiacas cum Hiſtoriâ Scripturæ conferre adgreſſi ſunt, gratiam ei ad unum fermè habuerunt.

Erat cur doleremus eò quòd exemplaria ejus *Annalium* Anglicana cùm deeſſent, utendum eſſet vitioſis Editionibus, quæ alibi negligentiâ ſummâ in lucem protruſæ fuerant. Itaque lætus audivi exemplar ejus emendatum & auctum, ipsâ Auctoris manu, extare, apud virum Nobilem *Jacobum Tyrellum*, ejus ex Filia Nepotem, haud ita pridem fato functum; à quo poſteà acceptum ad *Torneſios*,

honeſtiſſimos Bibliopolas Genevenſes miſi; qui libenter eam Editionem ſuſceperunt, ac tandem ad umbilicum perduxerunt. Non vidimus quidem ipſum Exemplar Uſſerianum, ſed *Tyrrellus*, quem dixi, manu ſuâ emendationes atque additiones omnes exſcripſerat, quas in alio exemplari marginibus adleverat, vel in Charta, locis adnotatis, ſeorſim exſcriptas miſerat; addito hoc teſtimonio: *Hæc Addenda & Corrigenda concordant cum ipſo Auctoris αὐτογράφῳ. Ita teſtor*, J. TYRRELL. Ex quo intelligere licet rem ſummâ fide confectam, quam religiosè ſequuti ſunt Typographi Genevenſes. Itaque hîc habes, LECTOR, Editionem emendatiorem, vel ob hoc ſolum, & auctiorem, quàm antecedentes fuerant.

Primùm ergo, hîc habes exemplaria aliis omnibus meliora; & additiones quidem dignoſcere facilè poteris hoc ſigno, quòd duobus Aſteriſcis, quibus clauduntur, ſint utrimque munitæ. Ne quid etiam minùs emendatum relinqueretur ideò quòd minuta Typographorum σφάλματα omnia non notâſſet Vir ſummus; ab eo, qui Emendationi hujus Editionis præfuit, ſi quid occurreret quod negotium faceſſeret, inſpectæ ſunt aliæ Editiones, quæ hîc illic interdùm emendatiores erant. Quin imò, variantibus editionibus, in locorum ab *Uſſerio* adlatorum lectione, ipſi Scriptores, è quibus deſumpta erant, ſunt conſulti, ut ſi quid peccatum erat, emendaretur.

Secundò, Index Hiſtoricus eſt omnibus iis locis quæ ab *Uſſerio* addita ſunt, nec non aliis plurimis, auctus. Quin & *Lubini* Geographicus Index ſæpe correctus eſt, ubi cum numeris Uſſerianis non conſentiebat. Poterat quidem Index ille abeſſe, ſed quia erat in Editione Pariſienſi, relinquendum cenſuimus.

Tertiò, in Chronologia Sacra quæ ad *Annalium* calcem eſt, & in qua Vir ſummus rationem reddiderat ordinis Temporum, quem ſequutus erat, Partem poſteriorem quæ reverà prior eſſe debuerat, ex admonitione Ornatiſſimi Viri *Jacobi Tyrrelli* priore loco collocari curavimus. Hinc quoque innumeræ mendæ Typographicæ, ſive in verbis, ſive in interpunctione, ſunt ſublatæ, quæ orationem obſcurabant.

Quartò, Libellus *de Symbolis*, quem idem *Tyrrellus* addi hîc poſſe cenſuit, ne tandem parvitate ſuâ intercideret, emendatior prodit.

Quintò, cogitaveramus quidem addendam hîc eſſe Vitam *Uſſerii*, à Ricardo Parro S. Th. D. qui à ſacris Domeſticis ei erat, conſcriptam. Sed monuit *Tyrrellus* ſatius eſſe vitam à Thoma *Smitho* ſcriptam hîc legi; cui obſequuti, ut par erat, fuimus, quamvis aſperiora quædam in Proteſtantium nonnullos, à quibus diſſentit, protulerit. Cæterùm hîc, ut & alibi, non pauca ſphalmata fuerunt ſublata.

Sextò, cùm ſæpe *Uſſerius* Olympiadas & Annos ab Urbe Condi-

tà commemoraret; ut Lector nullo negotio sciret, ad quem annum Mundi res sint referendæ, *Tabulæ* additæ sunt (*à Viro Erudito*) eorum annorum inter se collatorum, unde res sine labore colligitur. Eæ verò *Tabulæ* Annalibus præfixæ sunt.

Hæc erant, Lector, quæ te scire, nostrâ intererat, ut hanc *Usserianorum Annalium* Editionem cæteris omnibus meliorem esse intelligas, nec longiore oratione te morabimur. Nihil hìc à nobis temerè dictum ex ipsa lectione Operis per te facilè intelliges. VALE.

Datum Amstelodami, Idibus Januariis
Anni à Christo nato
M. DCC. XXII.

LECTORI.

ENSORINUS in libello quem ad Q. Cærellium ſcripſit de natali die, intervalla temporum expoſiturus; hanc ſibi Præfatiunculam præmittendam putavit. [a] Si origo Mundi in hominum notitiam veniſſet, inde exordium ſumeremus. *Et paulò pòſt, de hoc tempore verba faciens?* [b] ſive habuit initium, *inquit*, ſive ſemper fuit, certè quot annorum ſit, non poteſt comprehendi. *Itaque hanc Mundi epocham, ut ab hominum notitiâ quàm maximè alienam, ab Aſtronomicis ſuis ſupputationibus ita ablegat Ptolemæus.* [c] Τὰς μὲν ὅλε τε̃ αἰῶνος ἢ χ̣ τε̃ μακρῷ τινι πολλαπλασίε τε̃ κατὰ τὰς τηρήσεις χρόνε, διαβεβαιώσεις, ἀλλοτρίας φιλομαθείας τε καὶ φιλαληθείας ἡγώμεθα. Totius mundi, aut alîus multiplicis temporis obſervationes conſiderare, putamus alienum eſſe ab iis qui diſcendi & veri cognoſcendi ſtudio ducuntur. *Et à genethliacâ ſuâ Matheſi, genituram illam Mundi ab Æſculapio & Anubio acceptam, Julius Firmicus Maternus.* [d] Non fuit iſta genitura Mundi, *inquit.* Nec enim Mundus certum diem habuit ortûs ſui; nec aliquid interfuit eo tempore, quo Mundus divinæ mentis ac providi numinis ratione formatus eſt: nec eóuſque ſe intentio potuit humanæ fragilitatis extendere, ut originem Mundi facili poſſet ratione concipere, aut explicare.

Neque verò mirandum, homines ethnicos, ſacrarum literarum inſcios, de Mundi primordiis aſſequendis ita deſperaſſe: quum inter ipſos Chriſtianos, Chronographus ille celebratiſſimus Dionyſius Petavius, ſuam de conditu Mundi & annorum inde ad nos numero, ſententiam explicaturus, [e] hanc primùm diſceptationi ſummam *fecerit.* Annorum ab orbe condito ad hæc tempora numerum, neque certâ ratione compertum eſſe, neque citra divinam ſignificationem poſſe comperiri. *A cujus ſententiâ longiſſimè profectò abfuit Philaſtrius Brixienſis;* [f] hæreſem *eſſe notans*, quæ dicit incertum numerum eſſe annorum à Mundi origine, & ignorare homines curricula temporum: *& Lactantius Firmianus; cujus, in divinis Inſtitutionibus, paulò audaciùs effatum eſt iſtud.* [g] Nos, quos divinæ literæ ad ſcientiam veritatis erudiunt, principium Mundi, finémque cognovimus. *Quicquid enim fiat de præteritis, futurorum temporum notitiam* [h] *Patrem in ſuâ ipſius poteſtate conſtituiſſe, edocti ſumus: neque ullum omnium exiſtere mortalium, cui totius ſeculi tempora ſint comperta. Quò & illud Sibyllæ* [i] *ſpectare putatur.* [k] Ἄμμον θαλάσσης, καὶ σταγόνας ὑέτε, καὶ ἡμέρας αἰῶνος τίς ἐξαριθμήσει; Arenam maris, & guttas pluviæ, & dies ſeculi, quis enumeret? *quod Lyranus de præteritis temporibus dictum fuiſſe exiſtimans,* (*quum de* diebus æternitatis, *hìc & in cap. XVIII. 11. id interpretentur alii*) *haud ita rectè concluſit annos à principio Mundi non fuiſſe à quoquam numeratos* certitudinaliter (*ut ille loquitur*) & præcisè.

[a] Cenſorin. cap. 20.

[b] Ibid. cap. 21.

[c] Ptolem. μεγάλ. συντάξ. lib. 3.

[d] Jul. Firmic. Matheſ. lib. 3. cap. 2.

[e] Petav. de doctrinâ tempor. lib. 9. cap. 2.

[f] Philaſtr. de hæreſib. c. 63.

[g] Lactant. lib. 7. cap. 14.

[h] Act. 1. 7. Matth. 24. 36.

[i] Eccleſiaſtic. 1. 2. & ibi Nicol. Lyranus.

Qui

LECTORI.

Qui inter Chriſtianos (quorum ad nos pervenerunt ſcripta) primus, ex ſacris literis ætatem Mundi eruere aggreſſus eſt, Theophilus epiſcopus Antiochenus, de totâ hâc ratione generatim quidem ita pronuntiat: [a] Ὁ πᾶς χρόνος καὶ τὰ ἔτη δείκνυται τοῖς βουλομένοις πείθεσθαι τῇ ἀληθείᾳ. Univerſum tempus & anni ndicantur volentibus obtemperare veritati: *de exquiſitâ tamen calculi ἀκριβείᾳ poſteà ſubjicit.* Ἡμεῖς τὸ ἀκριβὲς ἴσως ἀγνοοῦμεν ἁπάντων τῶν ἐτῶν τὸν ἀριθμὸν, διὰ τὸ μὴ ἀναγεγράφθαι ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τὰς ὑπερέχοντας μηνᾶς καὶ ἡμέρας. Nec nos forſitan exactè omnium annorum numerum tenemus; propterea quòd in ſacris libris non annotati ſunt excurrentes menſes atque dies.

[a] Theophil. ad Autolyc. lib. 3.

Nempe quum integros annos Scriptura commemorare ſoleat, omiſſis diebus & menſibus, qui vel explendo anno deſunt, vel ſuperſunt expleto: dubitatio oriri poſſet de accuratâ ſummâ, quæ ex ejuſmodi annis inter ſe additis elicitur. Verùm, hoc conceſſo quod rationi maximè eſt conſentaneum, Scriptores ſacros annorum numeros tantâ diligentiâ ſuis in locis conſignantes, id ſibi habuiſſe propoſitum, ut annorum Mundi ſeriem, quæ aliunde diſci non poterat, nobis patefacerent: hoc (inquam) conceſſo, dubitationi propoſitæ Spiritum Sanctum quantum neceſſe fuit providiſſe dicimus, quum ad ſingularum Periodorum, à quibus ſeries annorum ſeculi dependet, ſingulos nexus atque terminos, tùm menſis, tùm diei, notam appoſuit. Vt quum Iſraëlitæ, verbi gratiâ, [b] *menſis* 1. *die* 15. *ex Ægypto dicantur exiiſſe, &* [c] *anno poſt exitum* 480. [d] *menſis* 2. *die* 2. *Salomon Templum extruere cœpiſſe: menſes & dies, quibus uterque Periodi illius terminus eſt circumſeptus, ex integro illo annorum numero menſes* 11. *& dies* 14. *demendos eſſe oſtendunt; & non integros* 480, *ſed annos tantùm* 479. *cum diebus* 16. *pro dictæ Periodi ſpatio eſſe aſſumendos.*

[b] Num. 33. 3.
[c] 3. Reg. 6. 1.
[d] 2. Chron. 3. 2.

Tempus Aſtronomicum à primo Creationis puncto ad principium æræ Chriſtianæ exactum, qui ſe dare nobis poſſe promittunt, favore mihi digni videntur magis quàm laude; quia majus quid ingenio humano moliuntur: *ait, qui inter noſtrorum noviſſimos tempus ab Orbe condito uſque ad Chriſtum ex Scripturis ſacris numerare aggreſſus eſt, David Pareus. Itaque relicto tempore Aſtronomico, ad politicum Hebræorum, Ægyptiorum & Perſarum tempus, velut ad δεύτερον πλοῦν, hîc recepiſſe ſe dicit. Verùm ſi quid ego hîc video, ad rei ſummam nihil omninò intereſt, quâ menſurâ in Seculi curriculo dimetiendo quis utatur; modò nota ea ſit, & certo dierum numero terminata. Et ſi* per æquabilem aliquam annorum menſuram, *diſtantiam inter Mundi primordia & Chriſti tempora interpoſitam, cum D. Pareo definire quis poterit: abſque ullarum Aſtronomicarum tabularum adminiculo, quot numero æquinoctia in eo intervallo contigerint, eidem facillimum quoque fuerit ſtatuere. Temporis autem ab æquinoctio ad idem æquinoctium in anno quocunque politico notata revolutio, quid aliud eſt quàm annus naturalis & verè Aſtronomicus?*

Quòd ſi quis ad iſta ſtudia, non modò ſacræ & exoticæ Hiſtoriæ cognitione, ſed etiam aliquantâ Aſtronomici calculi & Veteris Kalendarii Hebraici notitiâ inſtructus acceſſerit: ut is non annorum tantùm, ſed etiam dierum numerum ab Orbe condito jam tranſactum poſſit aſſequi, ego quidem inter χαλεπὰ, ſed non inter ἀδύνατα ponendum cenſeo. Per retrogradam certè ſupputationem ad ipſum primum Mundi diem poſſe perveniri, ita nos magnus docuit Baſilius. [e] Ἀφ' ἧς χρόνος ἤρξατο ἢ τοῦ κόσμου τούτου σύστασις δύνασθαί σοι μαθεῖν. ἐάν γε ἐκ τοῦ παρόντος εἰς τὸ κατόπιν ἀναποδίζων

[e] Baſil. in Hexaemer. homil. 1.

LECTORI.

Φιλοτεχνήσεις εὑρεῖν τὴν πρώτην ἡμέραν τῆ τοῦ κόσμου γενέσεως εὑρήσεις γὰρ ἔστως πόθεν τῷ χρόνῳ ἡ πρώτη κίνησις. Discere utique potis quo primùm tempore constiterit Mundi origo: si ex hodierno die ad superiores retrogressus ætates, primum Mundi conditi diem invenire studiosè contenderis. Hoc enim pacto invenies, unde prima motio accesserit tempori.

Cùm autem variis Seculis, & apud varias Gentes, variæ extiterint Temporum Epochæ atque variæ Annorum formæ: communis aliqua & nota mensura necessariò hîc est assumenda, ad quam reliquarum omnium illa diversitas commodissimè reduci possit. Nobis vero nulla mensura notior, neque ad communem temporum collationem accommodatior est, quàm Annorum & Mensium Julianorum formula, à mediâ nocte, Kalendas Januarias anni primi vulgaris æræ Christianæ inchoante, deducta: cum tribus illis cyclis, quibus conjunctis Annus unusquisque ab aliis quicumque fuerunt omnibus distinguitur; Romanâ nimirùm Indictione annorum 15, *Cyclo Lunari sive Aureo numero annorum* 19, *& Cyclo Solari (diei Solis sive Dominicæ indice) annorum* 28. *periodum complectente. Neque enim aut certius quicquam nobis est, aut notius, quàm numerari hodie annum (non dico, veri Natalis Christi, qui inter doctos controversus est, sed) vulgaris æræ Christianæ MDCL, Romanæ Indictionis* 3, *Lunaris Cycli* 17, *& Cycli Solaris* 7, *characteribus insignitum.*

Quandoquidem verò Christiana hæc nostra Epocha primordio Mundi multis seculis est posterior, & retrograda Annorum ante eam numeratio tum molestior est, tum errori etiam (nisi major attentio adhibeatur) admodùm obnoxia: receptissimæ illi hypothesi, quæ annos Julianos cum tribus suis cyclis προλήψει *quâdam Mathematicâ ad ipsa Mundi initia decurrisse ponit, artificialem quoque Epocham, ex tribus istis Cyclis in se multiplicatis constatam, recentioribus nostris Chronographis placuit adjicere. Solari enim Cyclo in Lunarem ducto, sive numero* 28. *per* 19. *multiplicato, magnus Cyclus Paschalis prodit annorum* 532. *eóque rursùs per* 15. *Indictionis numerum multiplicato, emergit annorum* 7980. *Periodus; à Roberto Lotharingo Herefordensi in Britannia nostra Episcopo primùm (ni fallor) notata, & post* 500. *annos à Josepho Scaligero Chronologicis usibus adaptata, &* Periodi Julianæ *nomine, quòd totidem* Julianorum *annorum Cyclum contineret, nuncupata. Quòd si retrorsùm à præsenti anno trium minorum Cyclorum series in tempora anteriora extendatur;* 4713. *ante initium Æræ nostræ Christianæ annus, ille esse deprehendetur, in quem & Indictionis* 1, *& Cycli Lunaris* 1, *& Cycli Solaris* 1, *concursus recidet. In Kalendis igitur Januariis proleptici illius anni capite hujus Periodi constituto; annus vulgaris Æræ Christianæ primus, Periodi Julianæ* 4714. *erit numerandus: qui per* 15. 19. *&* 28. *divisus, Indictionem Romanam* 4, *Cyclum Lunarem* 2, *& Solarem* 10, *notissimos illius anni characteres exhibet.*

***Primorum Patrum**, veterúmque Ægyptiorum & Hebræorum annus, ejusdem cum Juliano quantitatis fuisse reperitur, sed ex Mensibus* 12 *æqualibus Dierum* 30 *constans (Hebræos enim ante Babylonicam captivitatem Lunaribus mensibus fuisse usos, probari non potest) dierum* ἐπαγομένων 5, *& quarto quoque anno* 6, *ad* 12. *mensis finem adjectâ appendiculâ. Ex hujusmodi annorum continuâ serie in Sacris Literis traditâ, in annum Mundi* 3442, *ex Chaldaicæ verò Historiæ & Astronomici Canonis collatione, in annum Nabonasari* 186, *& cum eo cohærentem nexu certissimo annum ante Æram Christianam* 562, *Julianæ Periodi* 4152, *magni Nebuchadnesaris exitum & regni Evilmerodachi filii ejus initium incurrisse, animadverti: indéque sub finem anni Periodi Julianæ* 710. *Mundum conditum*

fuisse

Digitized by Google

fuiſſe collegi; poſito nimirum in Autumno Creationis rerum exordio. Quandoquidem verò cum veſperâ primi diei ſeptimanæ primus ſeculi dies eſt inchoatus: feriam primam, quæ in anno illo 710. ad Autumnale æquinoctium accidit proximè, ex Aſtronomicis Tabulis ([a] non obſtante Solis vel ſtatione in diebus Joſuæ, vel retroceſſione in diebus Ezechiæ) in 23. Octobris Juliani diem incurriſſe, obſervavi; indéque à veſperâ illum Juliani anni diem antecedente, & πρωτοκτίσιων ἡμέραν, & primum temporis motum deducendum fuiſſe, concluſi.

Baſilianâ igitur illâ φιλονεικίᾳ perplexis Chronologorum difficultatibus tandem ſuperatis, in hanc conceſſi ſententiam: à veſperâ primum Mundi diem aperiente ad mediam noctem primum Chriſtianæ æræ diem inchoantem, annos fluxiſſe 4003. dies 70. & horas temporarias 6. verúmque Chriſti Domini natalem, quadriennio toto (quod mortis Herodis tempus demonſtrat) vulgaris æræ Chriſtianæ principio anteriorem extitiſſe. Juxta rationes enim noſtras, & Salomonici Templi ſtructura 3000. Mundi anno eſt abſoluta; & 4000. Mundi anno, [b] impletis diebus quibus Virgo Θεοτόκος erat paritura, Chriſtus in perfectâ carne, cujus Templum fuerat [c] typus, hominibus primùm apparuit & manifeſtatus eſt. Vnde ad annos æræ Chriſtianæ 4. additis, & ab annis ante eandem totidem detractis; pro communi & vulgatâ, vera & germana obtinebitur Nativitatis Chriſti epocha.

Iſta, ad quæ nunc digitum intendo tantùm, pleniùs deinceps, volente Deo, confirmabuntur in Sacrâ Chronologiâ; quam, ſimul cum tractatu de Anno primitivo & veterum Hebræorum Kalendario, edere mihi in animo eſt. Interim Veteris Teſtamenti Annales, fundamentis ibi poſitis ſuperſtructos, in lucem edere viſum fuit; cum rerum exterarum in Aſiâ & Ægypto ab Olympiadum initio geſtarum Chronico; ad ſpecialem Græcorum & Romanorum hiſtoriam eis potiſſimùm ſepoſitis, quæ in Græciâ (ad quam & Rhodum & inſulas inter Europam & Aſiam poſitas refero) atque Occidentis partibus acta memorantur.

In ſacris Hiſtoriis repræſentandis, Tremellii & Junii Latinam verſionem (cum ſuis quoque Hebraiſmis) & capitum Summaria, ſum ſecutus: in exteris exprimendis, ipſorum Authorum veterum vel optimorum eorundem ex Græco interpretum verbis ſum uſus; & nominatim Jacobi Dalechampij in Athenæo, licèt in capitulorum notatione ad Natalis Comitis editionem hîc reſpexerim. Ex hiſce verò hiſtorias aut contraxi ipſe, aut à Codomano, Cappello, Emmio, Pezelio, Ebero, Saliano, vel alio quocunque qui ad manum aderat Chronographo, contractas deſumpſi: ſic tamen, ut ipſi primorum authorum fontes (quorum à me loca ſtudiosè ſunt annotata) ſemper mihi obverſarentur ante oculos. Temporum enim rectæ diſpoſitioni unicè intentus, de verbis aliorum mutandis (quod præſtare fuiſſet facillimum, ſi tanti res eſſe videretur) parùm fui ſollicitus.

Cúmque ex magnâ Hiſtoricorum turbâ qui Julii Cæſaris ætatem anteceſſerunt, quatuor tantùm ævi injuria reliquos nobis fecerit, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium (*eúmque maximâ ſui parte mutilum;*) *horum, ut antiquiſſimorum, potiſſimam rationem habui, eorúmque authoritate fretus, crebros Diodori Siculi anachroniſmos emendavi: in rebus verò Alexandri Magni* [*quas illi non attigerunt*] *non Diodoro ſolùm ſed Curtio etiam & Arriano novam alicunde temporum lucem mutuari conatus ſum. Primæ quatuor Alphabeti literæ, ad annos Mundi appoſitæ, annorum ineuntium, currentium, & deſinentium ſunt indices: autumnali ſeu primo anni quadrante per* a, *brumali per* b, *verno per* c, *æſtivo per* d *deſignato. Reliqua prudens Lector ipſe per ſe intelliget: quem hiſce frui cupio, & valere.*

Lond. 13. Kal. Julias. Julianas: anno vulgaris æræ Chriſtianæ 1650. à vero Domini Natali, 1654.

[a] Vide Annales noſtros; anno Mundi 3153. d. & 3291. c.

[b] Luc. 2. 6.

[c] Johan. 2. 21.

DE

DE

PHILIPPO

PRINCIPE PALATINO AD RHENUM,

PHILIPPI MELANCHTHONIS

Narratio, Annalium usum declarans.

SÆPE audivi narrare *Capnionem*, cùm apud PHILIPPUM, Principem Palatinum Electorem, essent *Dalburgius* Episcopus Vangionum, *Rudolphus Agricola* & ipse, & non solùm in familiaribus colloquiis, sed etiam in deliberationibus de republicâ, sæpe narrarent insignia exempla vel Persica, vel Græca, vel Romana; mirificè accensum esse Principem studiô cognoscendæ Historiæ, sed dixisse, se animadvertere, distinctione Temporum, Gentium & Imperiorum opus esse: eámque ob causam petivisse, ut sibi ex totâ Antiquitate, quantùm nota esset, ex Hebræis fontibus, & ex Græcis ac Latinis scriptoribus, ordine contexerent Monarchias; ut mente complecti Tempora Mundi, & seriem maximarum mutationum posset. Nulli tunc extabant scripti linguâ Germanicâ libri de veteribus Imperiis. Nec Latinâ, præter *Justini* confusaneam epitomen, quæ tamen distinctione temporum caret, habebantur. Erat otium tunc illis doctis Viris, & hôc labore delectabantur. Ordine igitur, ex Hebræis, Græcis & Latinis monumentis, Monarchias recensent, & maximè digna memoriâ suo loco, adhibitâ Temporum & Gentium distinctione, inserunt. Legit avidissimè id scriptum Princeps ingeniosus, séque lætari dicebat, divinitùs conservatam esse Temporum seriem, & Rerum præcipuarum memoriam. Ostenderant enim ei continuatam esse Mundi historiam, ita, ut *Herodotus* inchoet suas narrationes paulò ante finem Propheticæ Historiæ. Nam & ante Regnum Persicum, de quo narrationes luculentæ extant in Daniele, Esdrâ & Nehemiâ, Regum Assyriorum & Ægyptiorum aliquot nomina sunt eadem in Prophetis & Herodoto. *Apryi* prædicit exitium Jeremias, quod describit Herodotus. Postquam Jeremiam interfecit Apryes, posteà *Amasis* captum Regem superbum strangulat. Agnoscere etiam se Princeps Palatinus dicebat testimonia præsentiæ Dei in constitutione Monarchiarum, quia solis humanis viribus constitui & retineri non potuerint, & eò divinitùs constitutæ sint, ut essent custodes humanæ societatis, conjungerent multas gentes, restituerent leges, judicia, pacem, ut docere homines de Deo possent. Sæpe igitur repetebat Danielis verba: *Deus imperia transfert & stabilit.* Mutationibus etiam & Tyrannorum pœnis dicebat conspici Judicium Dei, & moneri totum Genus Humanum illustribus exemplis, ut agnoscat Deum, sciat ordinasse eum & velle justa, & verè irasci violantibus ipsius ordinem. Tales erant ejus Principis sermones, considerantis ordine Imperiorum incrementa & ruinas.

Circa annum Christi 1480.

Dan. 2. 21.

VITA

Digitized by Google

IACOBUS USSERIUS ARCHIEPISCOPUS ARMACHANUS TOTIUS HIBERNIÆ PRIMAS.
J. G. Seuter Sculps.

VITA
JACOBI USSERII
ARCHIEPISCOPI ARMACHANI,
& totius Hibernia Primatis:

Scriptore

THOMA SMITHO, S. THEOLOGIÆ
Doctore & Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

IACOBI USSERII, viri omnium ſeculorum memoriâ digniſſimi, vitam literis mandare aggredior, tum ſummâ erga illum, quem in roſtris peroranrem olim adoleſcente ætate ſæpe audivi, reverentiâ, tum honeſto de Republica literaria, & de Eccleſiis *Anglicana* & *Hibernica*, quarum omnium ingens erat lumen & ornamentum, aliquantillùm, ſaltem pro virili, benè merendi ſtudio & deſiderio incenſus. Animum diu reluctantem planè abſterrebat difficultas operis propoſiti, in quo de rebus maximi momenti, tam ad civile regimen, quàm ad Religionem ſpectantibus, ſubinde pro neceſſitate temporum intermiſcendis, erit agendum. Verebar etiam, ne meritiſſimas illius laudes, ſummâ que excelſæ mentis dotes ineleganti ſtilo, frigidis narrationibus, & tenuitate ingenii deterrem. Sed tandem vicit pietas, vicêre importunæ & crebrò repetitæ Amicorum preces, qui memoriis elogiiſque, de *Uſſerio* Anglicè pridem editis, parum acquieſcentes, ut quicquid alii ſcripſerint, quicquid è ſchedis manuſcriptis, aut aliunde propriâ induſtriâ collectum apud me habuerim, ea omnia in publicos uſus depromere, & ſeræ poſteritati, & Latinè quidem, præcipuè in Exterorum gratiam, commendare vellem, impensè expetierunt. Quod utinam ſatis pro dignitate argumenti exequi, inque effectum dare poſſem! Hoc enim in anteceſſum quaſi præfari dicendum arbitror, non ad captandam Lectoris benevolentiam, neque nimio affectu abreptus, ſed re ſeriò perpensâ, juſtiſque notitiis inſtructus, *Hiberniam* in quâ *Uſſerio* naſci contigerat, ex quo prædicationibus, indefeſſâ vigilantiâ, ſanctiſſimiſque & ſapientiſſimis curis & conſiliis S. *Patricii*, jure merito *Hibernorum Apoſtoli* nuncupati, quinto æræ Chriſtianæ ſeculo, fide & doctrinâ Evangelii imbuta fuerit, licèt innumeros ferè Præſules, aliòſque, tum ſanctitate vitæ, tum literarum cultu & ſtudiis, ab iſthoc tempore, nondum agreſti morum feritate introductâ, & deinceps, tanquam ex fertili gremio produxerit, inque ſuo ſinu refocillaverit, de nemine aut magis aut meliùs gloriari poſſe, quàm de hoc noviſſimo Alumno ſuo, in poſtremis hiſce ad finem vergentis mundi temporibus, feliciſſimè in lucem edito, quem, utpote ſacrum ac cœleſte depoſitum, in commodum univerſæ Gentis *Hibernorum*, ſi ictâ moniſque ſapere ſuiſque bonis uti didiciſſent, terris faventiſſimo Numine commodatum, ſummis quibuſcunque ex Anteceſſoribus illa ſine invidia, vel præſens objicere poteſt. In cujus geſtis enarrandis, omni adulatione & partium ſtudio ſepoſitis, procúlque habitis, ſolo diæ Veritatis, quam ſacram ſemper habui, & habebo, amore ductus, probi Biographi munere & partibus fungi conabor: nec quicquam ſive laudis, ſive cenſuræ, quod ad res, ſive in *Anglia*, ſive in *Hibernia*, ipſius vitæ intervallo peractas, attinet, intertexam aut admiſcebo, niſi quod ipſa fides, aut tabulis publicis, aut unanimi teſtium, omni exceptione majorum, conſenſu firmata, exegerit.

JACOBUS USSERIUS primos vitales ſpiritus hauſit in parochia *S. Nicolai*, *Dublinii*, *Eblana* veterum, *Hiberniæ* Metropoleos, Januarii quarto die A. MDLXXX. Verbi incarnati, juxta computum Eccleſiæ *Anglicanæ*, parentibus ex antiqua & nobili ſtirpe prognatis ortus. Quod ut ut fortuitum videatur, inter præclara divinæ Providentiæ beneficia referri meretur. Licèt enim viri magni è caſis tuguriiſque obſcuris & humilibus prodire poſſint, & frequentes quidem prodierint, quod illorum bonæ indoli, ſublimi inge- *Uſſerii natalis.*

nio, induſtriæque indefeſſæ, omnia obſtacula, quæ res anguſtæ ſolent objicere, viam ad perfectam virtutem contendentibus quaſi præcluſura, perrumpenti, maximè, ſecundùm Deum, debetur: tamen exploratiſſimum eſt apud omnes, benè & auſpicatò natis feliciora ab ingenuâ & accuratâ educatione petita adipiſcendæ eruditionis ſubſidia, frequentioráque otii literatii intervalla facilùs quidem ſuccedere, omni tædio, impedimentis, moleſtiisque amotis, quibuſcum adoleſcentibus tenuioris ac plebeiæ ſortis, ineluctabili quâdam neceſſitate ſæpenumerò conflictandum eſt.

Genus paternum.

Paterni generis origo deducitur à temporibus R. *Henrici II. debellatoris Hibernia*, qui in *Angliam* redux, quò ſecuriùs meliúſque Regulos ac populum ferocientem, in fide, quam ſolenni jurejurando unanimes ſpoponderant, retineret, legibúſque æquiſſimis, cum rigore ſubinde temperandis, quoſdam refractarios, priſtinis inculcis moribus, agreſtique vitæ ferino ritu mordicus adhæreſcentes, ab omni ſeditione, tumultu, manuiſque cædibus coerceret, filium ſuum natu juniorem, *Joannem*, Comitem *Moritonia*, ſummâ omnia diſponendi & pro re nata moderandi poteſtate auctoratum, jure regnandi in illum ſub certis conditionibus tranſcripto, totius Inſulæ *Dominum* A. MCLXXXV. conſtituit. Quâ ſimplici appellatione Reges *Anglia*, longâ ſerie ſuccedentes, contenti erant uſque dum R. *Henricus* VIII. auguſtiori & ſonantiori *Regis* titulo, in Comitiis Parlamentariis *Dublinii*, A. MDXLI. qui erat Regni triceſimus tertius, habitis, commutaverit. *Joannem* ad novam hanc & planè exſortem dignitatem capeſſendam, in *Hiberniam* properantem, inter alios viros nobiles comitatus eſt eximius quidam vir, ex illuſtri gente *Nevillorum*, in ipſius clientelam pridem admiſſus, & mox in Aula admiſſionalis, (*Huiſſier*, ſive pauxillâ mutatione, Anglicè *Usher*) ex favore Principis conſtituendus, cujus muneris nomen, prout uſu antiquo venerat, abjecto altero, in cognomentum familiæ, quam illic relicto natali ſolo, inſtauraturus erat, poſteà tranſibat. Supervacanei foret laboris, & à re noſtra alienum, in iſtius familiæ per varias *Hiberniæ* Provincias ſparſis propaginibus indagandis, æque Heraldorum archivis eruendis, ſolicitè immorari, aut genealogicam ſtirpem, ſive rectâ lineâ, ſive ex matrimoniis initis deſcendentem, curioſiùs ſcrutari. Ad Parentes igitur *Jacobi* noſtri rectà & properanter venio.

Pater *Arnoldus Uſſerius.*

Patrem habuit *Arnoldum Uſſerium*, virum clariſſimum qui opes ſatis amplas jure hereditario nactus, in artibus, quibus imbui ſolent pueri generoſioris proſapiæ, in ſcholis probè educatus, ſe totum, poſtquàm pubertatem exceſſerat, Legum municipalium *Anglicanarum*, quæ illic quoque ex Statutorum Parlamentariorum vi ubivis obtinent, ſtudio addicebat, in quarum cognitione tantos fecerat progreſſus, ut illarum profunda penetranti oculo rimatus, maturâ ætate, unus è ſex Clericis Cancellariæ conſtitueretur.

Mater *Margarita Stanihurſta*, filia *Jacobi Stanihurſti.*

Mater ipſi erat *Margarita*, filia *Jacobi Stanihurſti*: ille verò inſignis Juriſconſultus, in claſſe *Magiſtrorum Cancellaria* recenſitus, & Civitati *Dublinienſi* à *memoriis & actis publicis* conſtitutus, tantâ ſapientiæ famâ & exiſtimatione inclaruit, ut in Comitiis Parlamentariis, regnantibus R R. *Mariâ* & *Eliſabetha*, ab Adſeſſoribus inferioris Cameræ communi ſuffragatione *Orator* ter eligeretur. Mutatâ, pro variâ rerum conditione, Religionis publicâ profeſſione, *Hiberni*, ne à ſuis nunquam abdicarentur, minúſque dominantium *Anglorum* ſuſpicionibus ac cenſuris fierent obnoxii, ſacris cœtibus, ſine ſcrupulo & offenſa Conſcientiæ, ſive rituum Eccleſiaſticorum varietatem nuper introductam, pro nihilo habentes, ſive ex profunda diſſimulatione, ſecularis commodi causâ, intereſſe ſoliti, non aliud præ ſe ferebant, quàm parem cum cæteris concivibus, ſincero pioque animo, Reformatæ Religionis dogmata & cultum amplectentibus, communionem, opinandique rationem; licèt antiquæ, & quantùm per leges fieri potuit, exterminatæ ſuperſtitionis amorem intus in pectore retinerent. In quorum numero, *Stanihurſtum* collocandum eſſe ex literis *Edmundi Campiani* (a), poſteà famoſi Jeſuitæ, tunc ex *Anglia* profugi, quem domi ſuæ aluit, & dein illum, ne à ſatellitibus deprehenderetur, ob violatas regni leges, & præpoſterum præcipitémque incautos ſubditos a fidelitate Reginæ debitâ ſub ſpecioſo Religionis *Catholicæ*, hoc eſt, *Romanæ*, prætextu, abalienandi zelum, in jus vocandus, rure Amico, ubi tutus delitesceret, commendavit, A. Chr. MDLXX. ad eundem ſcriptis, manifeſtè liquet. (b) Interim ille pro verſipelle, quo pollebat, ingenio muneris demandati partes probè impleviſſe viſus eſt: neque Proregi neque Senatoribus ullatenùs ſuſpectus. Quo tempore cùm inter tot tumultus ac rebelliones, quas quidem Magnates, numerotis clientelis *Hiſpanorúmque* ſubſidiariis copiis nimiùm quantùm freti, ſubinde prout frequens occaſio ſeſe obtulerit, ciebant, de bonis literis propagandis conſulere neutiquam vacaret; cúmque ſcholæ publicæ hactenùs deſiterent, in quibus, ſive in amœnioribus, ſive ſeverioribus diſciplinis, juvenes pro dignitate natalium inſtitui poſſent, in exteras Regiones, & potiſſimùm in *Angliam* ad capiendum ingenii cultum non ſine ingenti rei domeſticæ jactura & diſpendio, itum erat: quò meliùs huic incommodo iretur obviam, de reſtituenda quam olim, h. e. A. Chr. MCCCXX.

(a) Epiſt. III. in Opuſculis ejus ſelectis à *Sylveſtro Petra Sancta* S. J. *Antuerpiæ* editis: A. MDCXXXI.

(b) Illius laudes meritò, tum ob egregiam humanitatem & hoſpitalitatem, tum ob eruditionem & *Hibernicarum* Antiquitatum cognitionem celebrat idem *Campianus* in Præfatione ad hiſtoriam *Hiberniæ*, quam ex Bibliotheca D. *Jacobi Uſſerii* quem ibi *reverendiſſimum noſtrum & exquiſitiſſime eruditum Primatem* appellat, imprimendam curavit D. *Jacobus Varæus Dublinii* MDCXXXIII. uti & ex eadem Bibliotheca, *Conſpectum ſtatûs Hiberniæ* ab *Edmundo Spenſero* A. 1596. per modum Dialogi deſcriptum & etiam viri doctiſſimi, D^r. *Meredithi Hanmeri* Chronicon: quod Auctor peſte correptus imperfectum reliquit. *ibid.*

Alexan-

Alexander Bicknorus, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, fundandam curavit, veteri Academiâ penitùs evertâ in Urbe principe, in generalibus Comitiis circa A. Chr. MDLXIX. habitis, initis conſiliis, ſeriâque deliberatione diſceptaretur, *Stanihurſtus* ille, ſive ad captandam Reginæ gratiam, ſive verò erga Patriam amore exardeſcens, primus propoſuit, ut libellis ſupplicibus hac de re ſereniſſimæ Reginæ exhibitis, illius opem & benevolentiam ad ſanctum hoc propoſitum conſummandum, commendantibus Concilii ſanctioris Adſeſſoribus, implorare vellent, quo nihil aut Reginæ benigniſſimæ, bonarum literarum pariter ac Religionis, à ſordibus errorum defæcatæ, fautrici & patronæ, gratius, aut univerſæ *Hibernorum* Genti utilius contingere potuit. Hujus autem monitis ſuaſibúsque, quos omnes boni impendiò & certatim approbârunt, úque in effectum darentur, favente Numine, & auſpice Reginâ, ſummis ingenii & induſtriæ, quiſque pro facultate ſua, nervis contenderunt, ut tanti beneficii & felicitatis, in ultimos Inſulæ receſſus quaquaversùm omnibus futuris ſeculis diffundendæ, fierent compotes, inſtaurationem ſuam debet præſens Academia *Dublinienſis*: tandem poſt aliquot annos, omnibus obſtaculis amotis, ex munificentia Reginæ, reditibus, (quos poſteà auxit ſereniſſimus Rex *Jacobus I.* quibus Præpoſitus, Lectores Theologiæ, & Philoſophiæ, Socii, adoleſcentésque Candidati eſſent in perpetuum alendi) dotata, privilegiiſque ſub Regii diplomatis auctoramento A. MDXCI. ſtabilita. Nobiliſſimum ſanè illud eſt Eccleſiæ *Hibernicæ* ſeminarium, è quo tot venerandi Præſules, aliique, egregiis animi dotibus cumulati, & omnigenæ eruditionis & ſanctitatis vitæ ſtudiis maximè inſignes, ab iſthoc tempore prodierunt &, uti fas eſt augurari, in æternum prodibunt. *Academia Dublinenſis reſtauratio.*

A Patre neutiquam ſejungendus videtur *Richardus Stanihurſtus*, *Jacobi* noſtri Avunculus, vir quidem inſigniter doctus, & in patriis Antiquitatibus, quæ tanto eguerunt illuſtratore, eruendis maximè induſtrius & felix. Hic verò, ut paucis de illo agam, florente juventâ, in Collegio Univerſitatis apud *Ovonienſes* ſtuduit: & non multò pòſt, pro genio ſtius ævi, quod *Ariſtotelicam* doctrinam, inutilibus perplexiſque difficultatibus mirè obſitam, ex ignoratione melioris ſanio iſque Philoſophiæ, non ex otioſorum hominum, quidlibet pro laſciviâ ingenii fingicium cerebellis, ſed ex natura rerum eruendæ, deperibat, *Commentariis* ſive *Catenam Dialecticam* in *Porphyrianas* Conſtitutiones *Londini* MDLXX. edidit. Sed matureſcente cum annis judicio, ex veterno quaſi expergefactus, excuſſis Scholaſticorum nugis, poeticíſque, quibus ſe indulſerat, prætigiis, relictóque etiam, cui à Patre deſtinabatur, Legum municipalium ſtudio, veterum ſeculorum hiſtoriis, (ut hîc omittam *Deſcriptionem*, quam adornavit, *Hiberniæ*, inſcriptam D. *Henrico Sidneio* Proregi, & in Hiſtoricis & Chronicis *Raphaelis Hollenſheds* Collectaneis *Londini* editis A. MDLXXXVI. inſertam) majorum geſta ſtilo inornato & planè barbaro referentibus, legendis, quæ carie, ſitu & tineis exeſæ, in tenebroſis Bibliothecarum receſſibus hactenùs delituerant, intentâ oculorum & mentis acie invigilavit, quatuórque libros, in eodem volumine congeſtos, *de rebus in Hibernia geſtis, cum Hibernicarum rerum appendice*, ex *Sylveſtro Giraldo Cambrenſi* collectâ, cum adnotationibus ad finem ſingulorum capitum additis, Typis *Plantinianis Antuerpiæ* juris publici fecit A. MDLXXXIV. Nam ante paucos annos, larvâ, quam induerat, detractâ, in *Hiberniam* reverſus eſt; deinde in *Belgium* ſe ſubduxerat, & poſt mortem uxoris ſacris ordinibus initiatus, tandem ſereniſſimis Principibus, *Alberto* Archiduci & *Claræ Iſabellæ Eugeniæ*, factus eſt à ſacris, quorum munifica liberalitate nobile otium nactus, vitam jucundè ſuſtentavit; obiitque *Bruxellis* A. MDCXVIII. (a) Interim iſtud ſententiarum de dogmatibus religionis divortium non obſtabat, quominùs cum Avunculo de rebus ad Hiſtorias & Antiquitates *Hibernicas* ſpectantibus literarium exercere commercium ſibi licere, pro æquitate & prudentiâ ſuâ *Uſſerius* noſter judicaverit, uti poſteà videbimus. *Richardus Stanihurſtus Avunculus.*

Non diſſimulandum arbitror, matrem *Jacobi* noſtri, dum ille aberat in *Anglia*, quorundam Emiſſariorum verſutiis captioſiſque technis, quibus retundendis planè impar erat muliebre ingenium, miſerè deluſam ac circumventam, cujus conſcientiam diris votis, ne meliùs docta reſipiſceret, illigaverant, ad Romanæ Eccleſiæ communionem tranſiiſſe: quod nati pientiſſimi animo non mediocrem luctum dolorémque incuſſit; eô quidem acriorem redditum, cùm pòſt reperiſſet illam, utpote feminam pervicacem & obſtinatam, nullis ſuaſionibus, argumentis nullis ad ſanam mentem revocari potuiſſe. Hi quidem zelotæ de victoriâ, fraudulentis maliſque artibus reportatâ, triumphos egêre, & *Uſſerio* hanc matris obſtinationem, quam conſtantiam inflexilémque mentis firmitatem interpretari ſunt, editis libellis exprobrarunt: ſed quàm iniquè, quàm abſurdè, judicent omnes æqui bonique amantes & ſtudioſi. Non parum ipſi doluit, quòd ſacris Eccleſiæ negotiis in Urbe detentus, matri dilectiſſimæ in agone mortis *Droghedæ* ex improviſo fatiſcenti non adeſſet, quo abituri entem animam, priùs ſpiritualibus conſiliis adjutam, precibus ſuis Deo commendaret: hoc tamen commodi ex malo domeſtico Eccleſiæ accrevit, quòd ille novo quaſi zelo animatus contra Pontificiorum inſidias, ne alii, ſive ſanguinis, ſive amicitiæ, ſive communi Chriſtianæ charitatis nexu conjuncti, quorum ſaluti maximè conſuluit, ab integra fide abducti, iſtâ labe contabeſcerent, ſolicitiore animo ſatageret. *Uſſerii mater delusa religionem Romanam amplexitur.*

Unicum habuit *Jacobus* fratrem, nomine *Ambroſium*, qui aliquanto tempore ſtudiorum causâ apud *Cantabrigienſes* commoratus eſt. Vir ſanè Linguæ Hebraïcæ & Arabicæ quoque, admodùm peritus, quod teſtatur, qui, ex intima conſuetudine optimè & noverat, & judicare potuit, *Gulielmus Eyrius*, Collegii *Emmanuelis* in iſta Academia ſocius, *Ambroſius Uſſerius frater.*

(a) De reliquis illius ſcriptis vide D. *Jacobum Wharæum* de Scriptoribus *Hiberniæ* pag. 66. & *Uſſerii Armachani* ad *Stanihurſtum* Epiſtolam primam in *Sylloge Londini* editâ M. DC. LXXXVI.

in literis (a) ad *Jacobum* circa annum MDCVIII. ſcriptis; teſtatiſſimum verò faciunt magna V. Inſtrumenti pars ex Hebraico codice in Linguam Anglicanam verſa, Surata *Caverna* ex Alcorano Latinè reddita, Collectanea Arabica & Hebraica, & Lexicon Arabicum (ut hîc quosdam tractatus & diſputationes de variis capitibus Theologicis omittam) quæ in Archivis Bibliothecæ Collegii S. Trinitatis *Dublin.* hodie ſuperſunt: à quo, ex editis hiſce reconditæ eruditionis ſpeciminibus, uti ex bonis primitiis lætam amplámque ſegetem, ſumma quæque, & excelſo, quo præditus erat, ingenio perquàm digna, exſpectarunt amici, niſi illum annis juvenilibus mors peracerba præripuiſſet.

Henricus Uſſerius Patruus Archiepiſcopus *Armachanus.*

Quod ad propinquos *Jacobi* noſtri ex paterno genere ortos ſpectat, patruum habuit *Henricum Uſſerium*, Theologicis diſciplinis *Cantabrigiæ* innutritum, & aliquanto tempore ſtudiorum cauſâ *Pariſiis* morantem, Deo & Eccleſiæ ex ordinatione ſacra devotum, qui tandem cùm multos annos Archidiaconatum Eccleſiæ *Dublinienſis* adminiſtraſſet, ut quod rarum & inſolitum erat, Reginæ *Elizabetha* auſpiciis & indulgentiâ, ob ſapientiam, ſanctitatem morum, eruditionem, reliquáſque dotes, tam excelſæ dignitati pares congruáſque, ad primatialem ſedem *Armachanam*, menſe Auguſto A. C. MDXCV. promovebatur; obiit verò Aprilis II. MDCXIII. Crimen piaculare non immeritò videbitur, ſi hîc penitùs tacerem, quantùm de univerſa Gente & Eccleſia *Hibernica* meruerit vir ille reverendiſſimus.

Henrici Uſſerii Londo-

Non defuere quidem in *Hibernia*, qui in ſummis dignitatibus conſtituti, ad fortunas ſive augendas, ſive reparandas, latifundiis patrimoniiſque ſacris avidiſſimâ mente inhiaverint. De Eccleſia Cathedrali S. *Patricii* penè actum fuerat, cujus reditus, ſub plauſibili & ſpecioſo coſdem fiſco regio addicendi prætextu ſibi in proprios uſus *Peretius Deputatus*, uti appellatur, convertere ſtudebat; niſi interceſſiſſet Reginæ pietas, & *Henrici Uſſerii*, tunc temporis Archidiaconi *Dublinienſis*, prudentia & ſedulitas, qui miſſus à Decano aliiſque, quorum maximè intererat, in *Angliam*, iſtius Eccleſiæ jura adeò dilucidè & tantâ argumentorum vi tutatus eſt, ut dirum illud omen, malis, in pleraſque omnes redundaturis, gravidum, penitùs averteretur. Sed non multò pòſt ſanctior cura, (ſi quidem ſanctior dari potuit) longéque majoris momenti, illum occupavit. In condenda enim Academia *Dublinienſi* lentè admodùm per plures annos proceſſum erat, etiamſi optima Regina id in documentis duobus Proregibus, alteri poſt alterum, in *Hiberniam* ituris, dediſſet; ex difficultatibus, quæ ſubindè intervenerunt, haud facilè ſuperandis, longæ nectebantur moræ; quarum tandem pertæſum eſt omnes, quibus hoc ſanctum propoſitum, è quo *Hiberniæ* felicitas pendebat, curæ & cordi erat, & qui aſſiduis poſtulationibus rem iſtam urſêre. Ideò Conſiliarius *Hibernis*, quicquid hac de re, crebris ſeriiſque conſultationibus habitis, hactenùs inter ipſos conveniſſet, Reginæ cum debita commendatione, ut dixi, referre viſum eſt, ut ipſâ conſentiente ratúmque habiturâ, hiſce optimis conatibus, quibus omnes boni benè cupiebant, ingratâ cunctatione hucuſque productis, felix imponeretur coronis, nec quenquam alium, qui cauſam iſtam coram Reginâ, Conſiliariſque *Anglis* ageret, *Henrico Uſſerio* tunc temporis, cujus fides & ſapientia ipſis erant exploratiſſimæ, aut digniorem, aut magis idoneum reperiri poſſe, hi Summates cenſuerunt. Ille verò itinere in *Angliam* maxima animi cum lætitia, A. MDXC. ſuſcepto, nullis parcens ſumptibus, nullósque labores ſubterfugiens, ita ſtrenuè & præclarè iſthoc munere functus eſt, ut (b) chartam fundationis tricesimo die Martii A. MDXCII. datam, & Regio ſigillo munitam, tandem auſpicatiſſimè impetraverit, cujus certiſſimâ ſpe fretus, in patriam redux, immortali hoc beneficio jam donandam, ſummis omnium gratulationibus excipitur. Reliquit *Henricum* filium *Robertum*, paternæ eruditionis & pietatis ex aſſe hæredem, qui in iſthoc Collegio educatus, inque ſociorum numerum adſcriptus, poſteà ex commendatione Conſobrini ſui, *Jacobi* noſtri, & inſigni elogio illius virtuti debito, & quod ipſa veritas, nullo reſpectu ad cognationem habito, exegerat, quod dederat (c) in literis ad D. *Laudum*, qui multum in rebus ad Eccleſiam Academiarúmque diſciplinam apud Sereniſſimum Regem, *Carolum I.* potuit, & unanimi ſociorum conſenſu, præfecturâ iſtius, A. MDCXXIX. donatus eſt. Hic verò, quinquennio elapſo, ad Epiſcopatum *Kildarenſem* merito ſuo evectus, ſe ſacrâ infulâ fideli paſtoralis curæ adminiſtratione omninò dignum præſtitit. Tandem ex crudeliſſima & quàm maximè execranda *Hibernorum* Pontificiorum rebellione & laniena eluctatus, in *Angliam*, inſanis motibus tunc agitari incipientem, aufugit, ubi ſummis ob patriam, horrendum in modum deſolatam, mœroribus confectus, vergente ad finem anno MDCXLII. *Pontabirſteia* in provincia *Salopienſi* diem ſuum obiit.

Robertus Uſſerius, Epiſcopus *Kildarienſis*, *Jacobi* conſobrinus.

Non hic prætereundum eſt ſilentio, quod *Jacobus* noſter familiari apud amicos ſermone, tanquam ſingulare & rari exempli, commemorare ſolebat, nempe ſibi duas Materteras, an vitio naturæ, an morbo, incertum, ab ipſis cunabulis omni oculorum lumine, & uſu carentes, obtigiſſe, quarum inſtitutione & curâ, dum puer erat,

Materteræ.

(a) Exſtant in *Sylloge* epiſt. III. *Interea verò lusi, agnoſco me valdè oberatum eſſe, & tibi, & doctiſſimo fratri tuo*, Ambroſio, *qui peritiſſimâ manu ſuâ quædam in meum uſum ex Alcorano Arabicè exſcripſit.* pag. 3.

(b) Vide epiſtolam CXLV. *Jacobi Uſſerii Armachani* ad D. *Gulielmum Laudum*, tunc temporis Epiſcopum *Londinenſem*, in *Sylloge.*

(c) *Ibid.*

legere

legêre edoceretur. Quod quidem intellectu haud facile videtur, niſi dixerimus, illum, nominibus figuriſque literarum, non prorsùs incognitis, quomodo in ſyllabas & verba connecti debeant, ab iiſdem, aut vocem moderantibus, aut malam lapſantis linguæ pronunciationem corrigentibus, didiciſſe. Illæ verò, quod aliis quoque cæcis frequenti uſu venit, adeò felici tenacique pollebant memoriâ, ut aliquammulta integra ſacrarum Scripturarum capita abſque aliquo errore & cæſpitatione, rogatæ experiundi causâ, repetere valerent. Hiſce præloquiis defunctus, ad preſſiorem vitæ *Uſſerii* noſtri hiſtoriam venio.

Prima fuit cura parentibus, quibus exploratum erat, ſemina pietatis ac reverentiæ erga ſanctiſſimum Numen exhibendæ, in ipſis primæ pueritiæ temporibus, jacta, in bonam frugem maturioribus annis adoleſcere, characteréſque in animo, vanis falſisque præjudiciis & opinationibus vacuo, tanquam in raſa tabula, impreſſos ſignatóſque, vix, aut ægrè quidem, obduci & obliterari, aut poſſe, aut ſolere; ut illius mens ſenſu religionis, ab omni ſuperſtitionis labe purgatæ, quantum tenella ætas ferret, imbueretur: proxima verò, ut doctrinæ, quæ puerilibus annis convenit, rudimentis eruditetur. Cujus exquiſitæ educationis fructus poſtea per univerſam vitam maximè erat conſpicuus. Nemo enim ſacræ religionis inſtituta ſanctiori zelo excoluit: nemo bonarum literarum ſtudia impenſiori diligentiâ proſecutus eſt.

Educatio in ſtudiis pietatis.

& literarum.

Octennis, quali jam domeſticis inſtitutionibus ſuperior, ad ſcholam Grammaticalem, quæ tùm in Urbe natali, ſub cura & diſciplina duorum nobilium *Scotorum*, *Jacobi Fullertoni* & *Jacobi Hamiltoni*, inclareſcere cœperat, miſſus eſt, linguâ Latinâ erudiendus.

Octo annorum puer ad ſcholam Grammaticalem, ſub cura & inſtitutione *Fullertoni* & *Hamiltoni*.

Commodum enim accidebat, ut quo tempore Urbs iſta ingenti Ludimagiſtrorum inopiâ laboraret, hi Advenæ humaniori literaturâ perpoliti, quô rem illam maximi momenti, cujus causâ ex patria huc migraſſent, melius celarent, laborioſum iſtud docendi pueros & adoleſcentes munus in ſe ſuſceperunt; hoc modo, tum induſtriâ ſuâ laudabili, tum ſuaviſſimis moribus, blandiſque artibus, in gratiam *Anglorum* & *Hibernorum*, cujuscunque ſortis & conditionis, ſeſe inſinuaturi. Vera enim itineris ſuſcepti ratio hæc fuit. Sereniſſimus *Scotorum* Rex, *Jacobus*, iſtius nominis ſextus, de ſucceſſione ad *Angliæ & Hiberniæ* regna ineunda, quæ poſt obitum *R. Eliſabethæ*, omni jure, tam divino, quàm humano, illi competebat, impendiò ſolicitus, veritúſque, ne aut maleſanis technis aut apertâ vi & armis Pontificiorum, aliorumve, qui novis rebus ſtuderent, moræ & difficultates, haud facilè ſuperandæ interponerentur, ſecundùm gratiam benevolúmque affectum Reginæ, à nominando ſucceſſore, ut illum magis redderet obnoxium, præfractè quidem abhorrentis, (neque enim, ut ſæpe ſolebat, ſuo more, h. e. perquàm elegantii dicere, *ſepulchrale linteamen ſibi coram oculis perpetuò objici* ſuſtinuerit) non ſolùm *Anglorum*, præſertim Aulicorum, animos quoquo modo conciliare, ſed *Hibernos* tum veteris tum novæ proſapiæ, à quibus non leve ob diverſos mores & ſimultates inter *Scotos* & *Hibernos* olim à longo tempore ortas, & usque productas, & ob duriſſimum in patriis ritibus retinendis obſtinationem, impendebat periculum, in ſuas partes trahere omni niſu contendebat. Sub hac larva, *Fullertonus* & *Hamiltonus* in *Dublinium* tanquam tutelares genii, qui liberis probè & feliciter educandis præeſſent, recepti, clàm Regis ſui cauſam egêre & tueri ſunt, initâ cum nobiliſſimis viris, ſive Romanæ, ſive Reformatæ Communionis, qui aut propè & in vicinis Regionibus ampla poſſederant latifundia, aut negotiorum forenſium causâ, illuc ſubinde convenerant, amicitiâ. Non parum ſapientiſſimis R. *Jacobi* conſiliis in iſta Inſula promovendis conducebat; illorum explorata fides, ſolers prudentia, & ſagax ingenium: quod benè noverat, & expertus eſt Rex ipſe, illos, prout meruere, longè ſplendidioribus dignitatibus, quibus ſuſtinendis erant pares, admoturus. D. *Fullertonus* mox à Rege *Jacobo*, jam primo *Magnæ Britanniæ* Monarchâ, dignitate Equeſtri ornatus: deinde primus è cubicularibus ſecundi Ordinis ſereniſſimi *Caroli*, tum Principis *Walliæ*, tum Regis conſtitutus: inter *Aulicæ* vitæ pompas & delicias conſummatæ virtutis exemplum ubivis dedit, famæ ſatur, licèt non annorum, (non enim ſenilem ætatem attingebat) magnum ſui deſiderium reliquit, in ſacello *Paulino* in Abbatiali Eccleſia *Weſtmonaſterienſi* honorificè ſepultus, cujus penè invidendas laudes in eleganti Marmore ad borealem murum affixo incidi curarunt ſuperſtites Amici. Alter verò D. *Hamiltonus*, primò ad parem Equeſtrem dignitatem, deinde verò ad titulum, gradum, & honorem Vice-Comitis de *Clandeboys* in *Hibernia* evehebatur.

Fullertonus & Hamiltonus à Rege *Jacobo*, de quo bene meruerant, ad dignitates promoti.

Sub hisce Magiſtris Diſcipulus, tam bonæ indolis tantæque induſtriæ, in bonis literis non potuit non proficere quotidiè: nec opus erat ſtimulis, quibus ad penſum illud diurnum, quod imperatum fuerit, abſolvendum incitaretur. Illorum præceptionibus avidâ aure & mente aliquatenus capaci imbibitis, poſt comprehenſas digeſtásque Artis Grammaticæ & Rhetoricæ regulas, expeditúmque Linguæ Latinæ uſum, claſſicis Auctoribus, Poetis, Oratoribus, & Hiſtoricis aſſuefieri jam incipiens, hisce fundamentis jactis, planam facilémque fore ad eruditionem viam ſentiebat: ſempérque hanc felicitatem ſibi gratulatus, illud inter benignioris Providentiæ munera recenſere ſolitus erat, quòd in tales Præceptores felicissimo auspicio incidiſſet, quos, dum vixerint, omni cum debito honore proſecutus eſt, quorumque memoriam charam habuit, meritiſſimiſque elogiis ex grati animi teneriſſimique affectus ſenſu exornavit.

Uſſerii in bonis literis felix progreſſus.

Cùm verò integrum quinquennium, in ſchola, ſub ſapientiſſimorum Præceptorum diſciplina, acquiſitâ præcocis ingenii laude, expleviſſet *Uſſerius*, inde ad novum, illúdque nobilius, altioris doctrinæ ſeminarium ex conſilio eorundem transplantatur.

Collegii *Dublinienſis* ſtatus.

Anno MDXCIII. Fabrica Collegii *Dublinienſis*, de quo ſuprà egi, ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis honori & gloriæ dicati, abſoluta, cujus præfecturâ pro tempore primo fungi dignatus eſt reverendiſſimus Vir, *Adamus Loftus*, Archiepiſcopus *Dublinenſis*. Primus autem Cancellarius *Gulielmus Cecilius*, Baro *Burgheleius*, *Anglus* Theſaurarius, ob ſummam in rebus maximi momenti adminiſtrandis prudentiam, optimè de Reginâ *Eliſabethâ* & patriâ meritus, æternis elogiis memorandus. De ſociis alumniſque, qui in juſtam ſocietatem, juxta chartam fundationis, coaleſcerent, eligendis admittendiſque erat deliberatum. Non amplum ſtudioſorum numerum primò illic recipi paſſus eſt novellus iſte & incompoſitus Collegii ſtatus, qui ſubinde auctis reditibus, erat augendus. Non plures enim ſocii, quàm quatuor in ipſis initiis admittebantur, qui Philoſophiam, aliáſque liberales Scientias docerent; viz. clariſſimi & doctiſſimi viri, *Lucas Challonerus*, *Gulielmus Daniel*, *Jacobus Fullertonus*, & *Jacobus Hamiltonus*, quorum duo poſteriores nuper, ut paulò antè memini, ſcholæ fuerant meritiſſimi Rectores. Cùm verò ad Alumnos ſubſtituendos deventum fuerit, Commiſſarii, penes quos erat harum rerum cura & arbitrium, *Uſſerium* noſtrum admittendum eſſe, illiúsque nomen in matricula, certa & fideli rerum geſtarum cuſtode ad ſeram poſteritatem continuanda (a) inter primos inſcribendum maxima cum animorum conſpiratione ſtatuere: quod quidem ab iisdem conſulto factum fuit, tum ut ſe erga Avi materni, qui hoc Collegium exſtrui oportere olim in Comitiis Parlamentariis propoſuit, memoriam, tum erga Patruum, ex cujus indefeſſa diligentia ad auſpicatiſſimam hujus ſancti propoſiti conſummationem non leve acceſſerat momentum, gratos præſtarent, tum ut naſcenti Academiæ novus exſurgeret ſplendor ex tali Alumno, ingenii dotibus longè ſupra ætatem cumulatiſſimo, de quo lætam, eámque firmam ſpem optimæ frugis inde proventuræ ex ejuſmodi primitiis primordiiſque concepiſſent, quod Deo Opt. Max. vitam prorogante, non ſolius *Hiberniæ*, ſed totius etiam *Europæ*, lumen & ornamentum eſſet evaſurus.

Inter primos alumnos admiſſus *Uſſerius*.

Uſſerius jam ex anguſtiis ludi literarii parietibus ad liberiora Collegii ſpatia ſubductus, dum Logices & Philoſophiæ *Ariſtotelicæ* inſtitutionibus, prout ratio diſciplinæ exigebat, ſub regimine D. *Hamiltoni*, cujus filii & curæ à Parentibus peculiarem in modum erat concreditus, ſedulam navaverit operam, lectioni hiſtoriarum, ad quam potenti naturæ genio, mirè propendebat, horas ſubcelivas impendit. Interim celari neutiquam debet, huic pertinaci ſtudio tum poeſeos, tum chartarum luſoriarum amorem, ſive ex æmulatione ſive ex ſodalium lenociniis ſenſim irrepentem, frigidam ſuffudiſſe: ſed mox recollectis animi viribus, prætigiatricem iſtam artem, omnemque luſum, quibus utriſque ab utiliſſimis maximíque momenti rebus ſeriò proſequendis mens planè avertitur, adjutrice divinâ gratiâ, penitùs exculſit, nunquam ad ejuſmodi ſtudiorum oblectamenta, vel potiùs impedimenta, poſteà reverſurus. Dum verò præclariſſimam iſtam *Ciceronis* ſententiam, *Neſcire, quid antequam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum*, animo ſæpè ſæpiùs volviſſet, illiúſque veritate perceptâ, aureum illum *Sleidani*, *de quatuor ſummis imperiis*, libellum ingenti cum delectatione legiſſet, ab iſthoc tempore, vitæ ſecuturæ, ſi Deus dederit, curſu, reliquis ſtudiis non inſuper habitis, omnium ſeculorum hiſtorias, tandem aliquando complecti apud ſe conſtituit. Prodigio ſimile videbitur, adoleſcentem præter propter quatuordecim annorum res maximè memorabiles juxta ſeriem temporum ex libris hiſtorici argumenti, quos nanciſci licuit, in facilem ſynopſin contrahere potuiſſe; quæ, licèt vix quicquam accurati & penſi continere rigidis cenſoribus habeatur, & cujus fortaſſe ipſum poſtea puduit, ipſius tamen ſolers & acre ingenium, induſtriam igneámque mentis vigorem, luculento iſthoc documento, quod in iſta ætate neutiquam erat exſpectandum, oſtendit.

In primis literarum tyrocinüs lectioni hiſtoriarum addictus.

Summâ reverentiâ erga S. Scripturas accenſus.

Creſcentibus annis, vitæ piè juxta S. Scripturarum, quas ſummâ reverentiâ erga iſtum *Librum Librorum*, uti appellare ſolebat, impulſus, aſſidiâ manu verſavit, normam agendæ, ſtudium quoque pariter crevit: quod ex piorum librorum, & præſertim *Meditationum S. Auguſtini*, frequenti lectione aluit; inde occaſione de rebus divinis ſacriſque Religionis Chriſtianæ officiis, quod præcipuum erat, recolendi captatâ, ut dum cæteri, aut luſibus, aut deambulando ſimul ſe ſe recreaverint, ille ſolus, ſive in avia, ſive juxta ripam fluminis non raro ſeceſſit, cœleſtium rerum contemplationi intentus, præcipuè verò, pro more ſolenni, nec intermittendo, pridie, antequàm ad ſacram ſynaxin accedens, ſacroſancta Euchariſtiæ ſymbola eſſet percepturus.

Artium Bacçalaureus XVII. ætatis anno in controverſias de dogmatibus Theologicis agitatas inquirere cœperat.

Anno ætatis decimo ſeptimo gradum Baccalaureatûs in Artibus juxta formam ſtatutorum capeſſivit; circa quod tempus & deinceps, haud modicâ linguarum Græcæ & Hebraicæ cognitione, priùs acquiſitâ, de ſententiarum & opinionum, quibus variæ Chriſtianorum ſectæ, in ſacris inter ſe commiſſæ erant, divortiis & diſſidiis mœſtus & ſolicitus, quò meliùs quale quale judicium, quatenùs Veritatis amantem & ſtudioſum in iſta juvenili ætate deçuſt; libratis rerum momentis, informaret, controverſiarum, quæ tum acerrima cum mentis contentione alterutrinque agitarentur, præcipuæ notæ libros ſtudioſè pervolutavit. Vix quippiam laudis in ſe continere videbatur, communionis Reformatæ, quam amplexus eſt, profeſſionem ſolis natalibus, caſui, primæ educationi, aut præceptis & exemplo aliorum, ſine aliqua exploratione, deberi. Veritas quippe, quò ſeverius examen ſubit, eò magis diligitur, mordicúſque retinebitur, cùm nihil tam certum ſit, quod omnes experiundo fatentur, quàm quod ex dubio certum & teſtatiſſimum eſt. Quod quidem *Uſſerio* opportunè & feliciter admo-

(a) V. Epiſtolam D. *Uſſerii* ad *J. Hevelium Londini* Kalend. Novembr. 1650. datam: Epiſt. CCXL. Hoc autem ordine tres alumni primùm ſoli admiſſi erant, ut D. *Wararus* in Annalibus ſuis refert, viz. *Abel Walsh*, *Jacobus Uſſerius*, & *Jacobus Lee*.

dùm

dùm ceſſit. Ne verò partium ſtudio admiſsiſque præjudiciis ſibi illuſiſſe, aut nimiùm facilè credere, quicquid animo allubuerit, videretur, Romanarum partium maximi nominis Theologos, & præcipuè *Stapletonum* noſtratem, (cujus librum Anglicè editum, inſcriptúmque, *Fortalitium fidei inter Anglos primum plantata*, plusquàm ſemel legebat) conſulere non recuſavit, imò potiùs prompto animo geſtiebat. Non diu animi dubius hærebat, ſed indies confirmatior factus, veritatis Evangelicæ dogmata contra eorundem ſtrophas certâ ſcientiâ doctóque zelo ex ſacris ſcripturis ſeriáque meditatione inſtructus, pro re nata tueri non ſegniter detrectavit. Cùm verò *Stapletonus* iſte veteris Eccleſiæ Chriſtianæ cum hodiernæ Eccleſiæ Romanæ placitis concordiam & conſenſum in Patrum ſcriptis ubivis comparere venditaſſet, intentato noſtris graviſſimo novaturiendi in rebus fidei & doctrinæ reatu, ille ex cauta & ſapienti ſuſpicione veritus, ne jactabundus iſte Patrum, quos ubivis crepat, teſtimonia, aut falſa pro veris ſupponendo, malè citaret, aut in alienum ſenſum detorquendo pejùs interpretaretur, omnium *Patrum*, quotquot exſtabant, ſcripta, tandem aliquando accuratè perlegere obſtirmato animo ſtatuebat, tam in Doctrinæ Chriſtianæ puritate per continuam ab Apoſtolorum temporibus ſucceſſionem ad Concilium *Tridentinum*, cùm nondum typhus ſecularis & ſuperſtitio in Eccleſiam Occidentalem fraudibus & tyrannide *Romanorum* Pontificum irrepſiſſent, exploranda, quàm in Hiſtoriis ſacris & profanis, Antiquitatibúſque *Britannicis* inveſtigandis, futuræ vitæ labores & ſtudia per Dei gratiam impenſurus: quod illum optimè feciſſe, ex libris in lucem editis, univerſo orbe Chriſtiano conſentiente, abundè liquet. Sed nolo argumentum hoc intempeſtivè præoccupare, quod commodiori loco tractabitur.

A. MDXCVII. illuſtriſſimus vir, *Robertus*, Comes *Eſſexia*, à Regina *Eliſabetha* ad regendam *Hiberniam* ſummâ cum poteſtate miſſus, *Dublinium* appulit. Non multò pòſt, à primoribus novellæ Academiæ, cujus erat Cancellarius, ſolennibus Comitiis, honoris causâ, indictis, invitatus, facilis annuebat, orationibus utpote gratulatoriis, diſputationibus, reliquiſque exercitiis Scholaſticis, prout par erat, excipiendus. Inter cæteros *Uſſerio* provincia quasdam theſes ex interiori Philoſophia peritas defendendi erat demandata, quam multa cum Proregis & illuſtrium Auditorum coronæ laude & applauſu ſuſtinuit & ornavit, inde ob volubilitatem linguæ, ob diſputandi ſubtilitatem, & denique ob ingenii in profunda ſenſuum penetrantis acumen, in majore exiſtimatione habitus.

Ad theſes quasdam Philoſophicas, coram Prorege defendendas ſelectus.

In hoc laudatiſſimo ſtadio haud intermiſſis greſſibus procurrentem ſtitit ex improviſo caſus, qui illum à compoſito mentis ſtatu penè dejecit, pectúſque graviſſimâ ægritudine opplevit. Cùm enim ille clam & ſecretò, non voto quidem ſolenni, ſed firmâ deſtinatione, quantùm ipſi, nondum à Parentis tutelâ & poteſtate emancipato licuit, ſe Deo & Eccleſiæ addixiſſet, Pater ingenii & induſtriæ illius famâ excitus, déque futuris bonis fortunis augendis non parum ſolicitus, de illo in *Angliam* mittendo cogitat, ut ibi legum municipalium, quarum accuratior ſeveriórque cultura opes, honores, & adpromiſtere & largiri ſolet, ſtudiis, praxique Curiarum incumbens, earúmque profunda myſteria ſubtiliſſimóſque apices ſeptennali morâ edoctus, in Patriam redux, Patroni & Advocati in Cauſis forenſibus agendis partes majori tum commodo tum famâ ſuſtineret. In hoc conflictu, quid agi oportuerit, non adeò proclive erat ſtatuere. Propoſitum ſanè iſtud reluctante animo & averſiſſimâ aure primò excepit *Uſſerius*: ſed pietas juſſit, ut paternis conſiliis monitiſque, quibus neutiquam erat obſiſtendum, obſequeretur. Ideò ſe itineri *Anglicano*, prout commodum videbitur, accinctum promptúmque fore ſpondet, divinâ bonitate confiſus, aut Patrem mutaturum eſſe iſtud conſilium, aut res novas, quæ deſtinatum *iſtud iter* præcludere poſſent, inde emerſuras. Interim Pater hoc anno viz. MDXCVIII. ultimum diem ſuum obiit, non ſine magno piiſſimi filii luctu, qui jam invitus licèt, ex hoc peracerbo fato, ſui juris factus, poſt funus elatum, de inſtituto & profeſſione vitæ non longâ aut perplexâ deliberatione opus habuit. Jam enim omnibus remotis obſtaculis, in numerum ſociorum Collegii adſcitus eſt: quâ quidem in eruditam iſtam ſocietatem admiſſione, in perpetuum, ſub æquis conditionibus, duraturâ, nihil ſibi gratius accidere potuit; eò quòd jam inde Theologiæ operam navandi, & ſacerdotale miniſterium præfinito tempore ſuſcipiendum obeundi, quod diu animo infixum habuerat, deſiderabilis quædam neceſſitas illi, ni jure ſuo ceſſurus eſſet, fuerit impoſita. Obtigerat paulò antè ipſi jure primogenituræ lauta hæreditas: in qua erciscenda & adminiſtranda, cùm ſentiſſet graviſſimam iſtam negotiorum civilium, quibus erat penè obruendus, molem, cum vitæ contemplativæ otio & tranquillitate conſiſtere neutiquam potuiſſe, litéſque de quapiam parte peculii intricatas, & in foro decidendas, à quibus, ſi quis unquam, maximè abhorrebat, ſubinde naſcituras, re ſeriò perpensâ & cum Amicis communicatâ, jus ſuum tranſcribit in Patrum reliquóſque fideicommiſſarios, ut juxta ultimas Teſtatoris tabellas matri, fratri, ſeptémque ſororibus meliùs commodiúſque provideretur. Ne verò quippiam hac ex parte temerè, imprudenter, & inconſultò feciſſe, rigidis cenſoribus, quaſi omnem ſui ipſius curam abjeciſſet, videretur, certam annui reditus in proprios uſus, tum ad emendos libros, tum ad alia vitæ commoda, proportionem reſervavit.

Sed Patre mortuo, aliud vitæ inſtitutum eligit. In ſocium Collegii electus & admiſſus.

Hæreditatem relictam inter matrem, fratrem & ſorores dividit.

Hactenùs magnam de ſe inter amicos & familiares excitavit exſpectationem *Uſſerius*: quæ mox apud omnes cives *Dublinenſes* magis magiſque crevit, & latè propagata eſt, ex ſuperveniente hoc, qui ſequitur, caſu.

Diſputationem cum quodam Jeſuita init.

A. MDIC. *Henricus Fitz-Simon*, Jeſuita *Hibernus* ob ſpretas violatáſque regni leges in pervertendis ſubditorum mentibus à religione publicâ auctoritate ſtabilitâ, occupatiſſimus, in

arce regia tunc temporis detinebatur. Ille verò utpote vir profuſæ loquentiæ & projectæ audaciæ, atroci & immani Eccleſiæ Romanæ placita propugnandi zelo agitatus, inconditis clamoribus & perfrictâ jactantiâ quoſcunque Reformatæ Communionis Myſtas ad diſputandum provocavit: ſe ipſe *Urſo* aſſimilans, qui *palo depactus, à canibus exagitari geſtiebat.* Iſtorum temporum hiſtoriam retexere aut narrationem iſtam de hiſce velitationibus, in Epiſtola dedicatoria ad *Claudium Aquavivam*, aut in præfatione ante Librum, qui, *Britannomachia Miniſtrorum in plerisque & fidei fundamentis & fidei articulis diſſidentium*, poſt quatuordecim annos * editus inſcribitur, ab ipſo conſcriptam, inepculis cavillationibus, calidis mendaciis, putidisque convitiis in viros clariſſimos, quos Antagoniſtas habuit, effuſis, in examen revocare, utpote omninò præter hujuſce commentationis, quam aggreſſus ſum, inſtitutum, neque libet, neque convenit. Ea ſola, quæ de *Uſſerio* noſtro, nomine licèt celato, promit, hîc integra, appoſitis quidem brevibus ſtricturis cenſuriſque exhibebo.

* Dantiſci in 4° 1624.

Prodiit quidem ſemel in ſummâ vecis vultúſque trepidatione, octo-denarius precocis ſapientiæ (non tamen mala, ut videbatur, indolis) juvenis, neſcio, an aurę popularis cupidior, ſaltem de abſtruſiſſimis rebus Theologicis, cùm adhuc Philoſophica ſtudia non eſſet emenſus, nec ephebis egreſſus, diſputandi avidus. Hunc autem juſſi ſuorum calculos adferre, quibus pugil ſuæ agoniſtæ idoneus renunciaretur, & vel cum ipſo diſputaturum me initurum. Sed ſicut ipſi cum minimè tanto honore dignati ſunt, ita me viciſſim ſuâ deinceps præſentiâ dignatus ipſe non fuit. Ita ille, qui in multis corrigendus eſt. Sic enim res iſta ſe habet.

Cùm duo treſve è noſtris Theologi, & ætate & dignitatibus Eccleſiaſticis venerabiles, quos ille pro modeſtia ſua *Pſeudo-decanos* nuncupat, experti primo congreſſu, ex iſthusmodi tumultuariis altercationibus cum loquaciſſimo Sophiſta habitis aut habendis, non quaſi illi certamen hoc inire, quod ille perabſurdè fingit, præ metu detrectaſſent, vix quicquam commodi fructusve percipi potuiſſe, illius inſaniam caſtigare, calumniásque refellere apologiis publici juris factis, maluiſſent, in arenam deſcendit *Uſſerius*, juvenis novemdecim annorum, non ſibi fidens placensve, non *ſuos calculos* aut vanæ apud Populares ſuos captandæ gloriæ cupidus, ſed ſolo Veritatis amore, quo totus ardebat, exſtimulatus, cum iſthoc *Thraſone* manum conſerturus. Quo conſpecto, faſtu excandeſcens, præ indignatione infrenduit *Simonides*, exprobratáque illi recenti juventâ, contemptim *Puerum* appellavit: licèt illo non pluribus quàm undecim aut duodecim annis natu prior fuerit. Sic eadem impotenti irâ contumelioſisque dicteriis puſillum *Davidem*, fortaſſis non majoris ætatis, lacceſſivit *Philiſthæorum*, qui, *Iſraelis* agminibus exprobravit, pugil. Sed hunc *Puerum* in hac pugna non terga vertentem, non ſegnem, aut meticuloſum invenit Adverſarius, ſed acrem, ictibúsque repetitis inſiſtentem, ſed intrepidum bellatorem, cauſam religionis, pari tamen modeſtiâ & vocis moderatione ac lenitate, propugnantem, quam ille *ſummam vocis vultúſque trepidationem, inverecundè & perverſiſſimè* interpretatus eſt. Illius autem arbitrio reliquit, de quibuscunque controverſis Theologiæ articulis, prout à *Bellarmino* erant diſpoſiti, vel qualicunque methodo, ad omnem confuſionem, quæ aliter eſſet oritura, amoliendam, diſputationes futuras inſtituere, ut de veritate illorum, in quam partem ſe inclinaverit, Auditoribus, qui intercrant, aut intereſſe diſcuperent, melius & dilucidiùs conſtaret. Inter utroſque primò concordatum fuerat, ut concertationes iſtæ à dogmate de *Antichriſto* inchoarentur, ſemel ſingulis ſeptimanis ex pacto repetendæ. Sed finitâ primâ, Jeſuita, qui exindè triumphos ſibi ab Agonothetis decerni animo priùs concepiſſet, metuens, ut conjecturam facere videtur, de illo potiùs triumphandum eſſe, longas moras nectit. Ideò *Uſſerius* literis, (utpote quarum apographum apud ſe reſervaverat) quæ miram prorſúsque ingenuam pietatem totæ ſpirant, ad illum ſcriptis, improperium de ipſius *pueritia* impactum diluit, ſe nullam juſtam inde occaſionem, cur hac de cauſa tantopere faſtidiretur, dediſſe, exemplo *Davidis* cum *Goliatho* pugnaturi, non ſuis viribus fretum, *veniſſe in nomine Domini, qui ex ore infantium & lactentium propter inimicos ipſius perficere laudem interdum ſolet*: cùm nullas ab illo, prout diſcedenti ſpoponderat, literas hactenùs accepiſſet, jam cupere certiorem fieri, an collationem promiſſam ſuſceptámque renovare vellet: ſin minùs, quicquid hucusque alterutrinque geſtum fuerit, publici juris fieri oportere. *Simonides* verò jam conſcius, quod audaciſſimis, iiſque crebrò repetitis, provocationibus, ſibi nodos haud facilè explicabiles innexuiſſet, à reſpondendo prorſus abſtinuit, & quaſi ſanctus à vulnere, nuper inflicto, ab omni futuro certamine ſe ſubducens, non ampliùs in ſcenam prodire voluit: ne verò à cauſa cadere, aut propriæ exiſtimationi apud ſuos defuiſſe videretur, *ſe*, propoſitâ, quam ſuprà retuli, conditione, *& cum illo*, h. e. puero, *diſputaturum initurum*, & quidem falsò, obtendit. Quod planè merum erat *ἀπροφύσητον*, non enim opus erat alienis calculis, quod ſubdolè poſtulavit, ut cum minori infamia ex naſſa, in quam temerariis ſuis auſibus, incidiſſet, elaberetur, quibus *Agoniſta idoneus renunciaretur.* Ipſe enim vires illius expertus fuerat, & ſi huic congreſſui omninò impar eſſet faciliorem de *Puero* reportaſſet victoriam. Sententiam de *Uſſerio* hactenùs in pectore ſuppreſſam diſſimulatámque, ſequentibus annis, vi Veritatis victus, clarè protulit, & *Acatholicorum doctiſſimum* fatus eſt. Hinc de iſtius elogii ipſi à *Philippo Alegambe*, nimis hac ex parte credulo, *in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu* adſcripti falſitate cuivis candido Lectori judicari licebit, *quòd ad certamen provocatus à quopiam inter ipſos doctiſſimo, cùm condixiſſet diem, obtinere non potuit, ut tandem prodiret, ad pugnam glorioſus provocator.*

A. MDC.

A. MDC. Lauream Magiſtri in Artibus adipiſcitur, & poſt aliquot annos, benè auctо ſtudioſorum, ex omnibus regni provinciis *Dublinium* ad capiendos ingenii fructus confluentium, numero, ſit, juxta diſciplinam regiménque in *Anglia* inſtitutum, primus Academiæ Procreator. Cujus muneris adminiſtrati, (a) ipſe ad ſupremum dignitatis Eccleſiaſticæ in *Hibernia* culmen evectus, non ſine ingenti lætitiæ & voluptatis ſenſu meminiſſe viſus eſt.

Laureâ magiſtrali inſigniturus. Primus iſtius Academiæ Procurator.

Ineunte novo ſeculo, priuſquàm viceſimum ætatis annum exceſſiſſet, à Primoribus Collegii, è quorum arbitrio totius diſciplinæ & regiminis diſpoſitio & ratio pendebat, *Uſſerio* catechiſandi ſive juniores Academicos in doctrina & fide Chriſtiana inſtituendi munus, quod aliter præ humili de ſe opinione recuſaviſſet, erat impoſitum: quo, ut majori cum Auditorum utilitate defungi poſſet, præcipuos ſacræ Theologiæ articulos, juxta communes locos, pro more iſtorum temporum, ſingulis ſeptimanis in ſacello explicavit. Ita olim (b) *Origenes* ob exquiſitam in ſacris ſcripturis peritiam mirabilémque judicii in ipſa viridi juventa ſagacitatem, utpotè planè octodenarius in ſchola *Alexandrinâ*, eidem ſacro Catechumenos inſtruendi officio ex mandato *Demetrii*, iſtius ſedis Epiſcopi, admovebatur. Ex hiſce Theologicis prælectionibus, uti ex privatis colloquiis, liquidò conſtabat, *Uſſerio*, præter ſolidam rerum ſacrarum divinarúmque intelligentiam & ſenſum, tantam copiam ordinatámque verborum ſtructuram, & facilem expedítúmque dicendi uſum ſuppetiiſſe, ut aliqui ex amicis judicaverint, illum valdè idoneum eſſe, qui conſcenſis roſtris, in ſacris cœtibus verba haberet: quorum tamen ſuaſibus neutiquam cedens, in publicum pertrahi nolebat. Sed novis argumentis, quibus erat expugnandus, propoſitis, ſuperiorum voluntati & juſſibus non amplius obſiſtere auſus eſt. Illis enim quantum utilitatis in univerſam Eccleſiam *Hibernicam*, imò in rem Chriſtianam, in omne ævum, ex novæ Academiæ fundatione redundaturum eſſet, hoc tempeſtivo, ne dicam, præmaturo ſpecimine, quaſi in anteceſſum demonſtrare, è re ſua fore viſum eſt. Tres igitur Juvenes, magiſtrali laureâ inſigniti, iique pietatis, ingenii, & doctrinæ famâ inſignes, ſelecti erant, qui coram Protege, aut, illo abſente coram Juſtitiariis Conſiliariiſque Regiis, (quos Anglicè vocant *the ſtate*) ſubinde concionarentur, viz. *Uſſerius* noſter, *Abel Walshius*, (*Valeſius*) & *Joannes Richardſonus*: quorum ſingulis diſtinctæ partes fuerant demandatæ. *Richardſoni* erat die Mercurii, quaſdam pericopas Prophetiæ *Iſaiæ*, juxta ſeriem capitum, quoad literalem ſpiritualémque ſenſum, interpretari, & corollaria inde deducta ad vitæ praxin applicare: de quo pauca hæc referre oportet; quòd inter inſigniſſimos ſacræ Theologiæ Academiæ *Dublinienſis* Doctores non mediocrem obtinuerit locum, & tandem ſanctitatis, eruditionis, & ſapientiæ merito ad Epiſcopatum *Ardachenſem* fuerit promotus. Flagrante impiâ & cruentâ *Hibernorum* rebellione, perfugium in *Anglia* quæſivit, & invenit, ibique A. MDCLIV. ſenio confectus, naturæ conceſſit. Vir ſanè longè doctiſſimus, & in abditis ſcripturarum ſenſibus eruendis, inque ſacra (c) Chronologia verſatiſſimus: quod præclariſſimæ illius ſelectæ obſervationes & explanationes in V. Teſtamentum, & præſertim in librum *Geneſeos* Annotationes, paulò poſt ipſius mortem, *Londini*, MDCLV. *Folio*, inſcriptæ D. *Uſſerio*: cujus literas ad edendum iſtud opus hortatorias, quaſi in auctoramentum præmiſerat vir modeſtiſſimus, faciunt teſtatiſſimum. *Valeſius*, qui poſteà doctoratu in facultate Theologica auctus erat, ſumma quæque Theologiæ capita, è ſcripturis ſacris & ex divinæ illius ſcientiæ fontibus diebus Dominicis tempore antemeridiano expoſuit & explicavit. *Uſſerius* verò, poſt confirmatam dogmatum religionis in articulis doctrinæ & fidei Eccleſiæ *Anglicanæ*, legibus ſtabilitæ, veritatem, & errores ſuperſtitionésque *Romanenſium*, ſequioribus ſeculis introductas, redarguebat, ſalutaribus veréque Chriſtianis monitis, quibus omnes, quotquot intereſſent, non ſolùm in ſancta fide magis magisque inſtructi, ſed meliores, & vitâ & moribus ſanctiores redderentur, in coronide additis. Sed non multò pòſt, mentem valdè dubiam perplexámque habuit, an ipſe hanc neceſſariam ſacri Miniſterii partem diutiùs obire ſalvâ conſcientiâ poſſet nec ne: utpote cùm nondum ob defectum legitimæ ætatis ex rigore canonum fuiſſet ſacris ordinibus initiatus. Parum conducebat dixiſſe illud per modum *probationis & exercitationis*, ſive experiendi tum mentis tum corporis vires causâ, factu licitum reddi. Ut ergo ſcrupulus iſte, quo diſtinebatur, animo penitùs eximeretur, diſpenſatione, quam iidem canones caſibus extraordinariis, quando nimirùm defectus iſte reliquis omnibus dotibus requiſitis abundè ſuppletur, indulgere ſolent, facilè in ipſius gratiam impetratâ, à Patruo, reverendiſſimo *Henrico* Archiepiſcopo *Armachano*, eodem tempore & ad Diaconarum & Presbyteratus, Dominicâ ante feſtum Natalis *Chriſti* *, tunc ſolenni juxta inſtitutum Eccleſiæ ordinatione factâ promovetur.

Anno MDCL. catechiſandi munus in Collegio obit ſuſtinetque.

Uſſerius Diaconus & Presbyter ordinatus.

* Anno MDCL. Ab iſthoc tempore frequens & diligentiſſimus Concionator.

Hoc Apoſtolico auctoramento munitus, & quaſi cœleſti vigore animatus, ad ſacrum iſtud opus, paulò intermiſſum, ſe alacriùs fortiúſque accingit, lucrandis *Chriſto* animabus, & Veritati Evangelicæ inter gentiles ſuos, avitæ ſuperſtitionis præjudiciis miſerè de-

Ille duóque alii, ut publico munere concionatorio fungerentur ſelecti. Hi autem erant *Walshius* & *Richardſonus*.

(a) Vide Epiſtolam ad Archiep. *Laudum* in *Sylloge*. pag. 459.

(b) Ἔτος δ' ἦγεν ἐλάττονα τῶν τῆς ἀκμαζούσης ἡλικίας διδασκάλων, *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. lib. VI. cap. 3.

(c) D. *Uſſerius* in altera *Annalium* parte, editionis *Pariſienſis* 1673 pag. 620. *Publici Chriſti miniſterii Acta per quatuor Paſchata diſtincta ex quatuor Evangeliorum harmonia hic exhibemus, à Viro eruditiſſimo & in Sacrarum literarum ſtudiis longè exercitatiſſimo*, Joanne Richardſono, S. *Theologiæ Doctore*, & Ardachadenſis *in provincia noſtra* Armachana, *Eccleſiæ Epiſcopo dignitſſimo concinnata.*

luſos

luſos & occæcatos, propagandæ, ſi quis unquam, impendiò intentus. Ab hoc tempore, & deinceps, per univerſum vitæ curriculum, ut illud, licèt loco & tempore non ſuo, aſſumptâ prolepſi, referam, quamlibet concionandi occaſionem, ſæpe non rogatus, captavit: quo frequenti & aſſiduo uſu poſthac ingentem argumentorum vim, quæ, tum ad ſuadendum morigeris, tum ad revincendos refractarios ab Oratoribus adhiberi ſolent, prout inſtituendorum intellectus lumine, ut vitæ Chriſtianæ officia clarè percipiat, aut conſcientia ſtimulis, ut ea præſtet, indigere videatur, venuſtatémque & facilitatem pronunciandi, vehementi ardore commixtam, ſibi comparavit. Hac autem facultate prædicandi, ſive *Chariſmate*, ut quibusdam placet, ſi tamen hoc ævo ita appellandum ſit, quod, divinâ gratiâ adjuvante, induſtriâ, ſtudio, ſolertiâ mentis, arte, methodo, tenacique memoriâ acquiritur, utendi, illúdque in commune bonum impendendi mox juſtiſſima dabatur opportunitas.

Quorundam Procerum *Hibernorum*, opitulantibus *Hiſpanis* rebellio.

Vergente ad finem hoc anno, exardeſcebat in *Hibernia* fœda rebellio, quam quidam Dynaſtæ Romanæ Religionis, clientelis & opibus præpotentes, arctiſſimo fœdere coeuntes; numeroſo milite conſcripto, conciverant, qui, militaribus copiis ex *Hiſpania* ſubmiſſis, *Kinſaliam*, aliáque finitima munimenta, ope & proditione civium, occupantibus elati, *Hiberniam* ex *Anglorum* imperio eripiendi altas ſpes in pectoribus aluêre, & de univerſâ ſuorum defectione, rebus tunc in præcipiti ſtantibus, mox ſecuturâ, mirificè ſibi complacuêre, & blanditi ſunt. Sed aliquanto pòſt tempore, prudentiâ & fortitudine D. *Caroli Blunti*, Baronis *de Montjoy*, Proregis, rebellium vires erant proſtratæ, ac *Hiſpani* profligati, qui ad deditionem adacti, non minori militum cæde ac ignominiâ, pactis conditionibus, *Anglicis* navibus revecti ex inſula diſceſſerunt. Fortaſſe memoratu non indignum videbitur, eo ipſo die, viz. XXIV. Decembris, quo prælium iſtud commiſſum erat, *Uſſerium*, quintiduo, poſtquàm ritè ordinatus fuiſſet Presbyter, coram illuſtriſſimis Conſiliariis tunc ad ſupplicandum Deo pro felici iſtius expeditionis exitu ſolennem in modum congregatis, in prima verba Epiſtolæ ad Angelum Eccleſiæ *Sardenſis Apocal. III.* 1. directæ: *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es*, peroraſſe.

Conſiliarii Regis de erudiendis *Hibernis* in articulis religionis ſolliciti, jubent, ut precibus publicis & concionibus interſint.

Ex hâc inſigni victoriâ opportunè reportatâ, poſt pauculas concuſſiones, quæ citò evanuêre, tranquillitas *Hiberniæ*, utpotè Ductoribus & Anteſignanis rebellium, aut ſolum verentibus, aut ſe ad ſylvas, paludes, aliáque latibula præcipiti fugâ recipientibus, aut depoſitis armis, agnito ſcelere, miſericordiam implorantibus, tota pendere videbatur: ſed ne exitiale hoc malum ex inſano Romanæ ſuperſtitionis, quam gens obſtinatiſſima, & hâc de cauſâ, ad ſeditiones & tumultus nimiùm proclivis, ſuis licèt juribus & poſſeſſionibus ſub æquiſſimarum legum moderatione & patrocinio ſecurè gaudens, & ab omni injuria & exactione, pariter ac *Angli*, ſive indigenæ, ſive advenæ libera & communis, mordicùs amplexa eſt, retinuítque, ortum, denuò recandeſceret, maximè erat providendum. Cui penitùs exſcindendo non aliam aut aptiorem aut commodiorem methodum, excogitari potuiſſe, ſeriò rem perpendenti facilè liquebat, quàm ut *Hiberni*, ſacrarum Scripturarum penitùs rudes, in doctrinæ Chriſtianæ capitibus articuliſque, quatenùs in Eccleſia Reformata *Anglicana* & *Hibernica*, à quâ ex ſola ignoratione tantoperè aufugiſſent, exhibetur aſſeritúrque, accuratiùs quidem erudirentur. Proinde ſtatutum, quo ſinguli ſuas parochiales Eccleſias adire, & publicis precibus & concionibus, diebus Dominicis feſtiſque intereſſe, ſub pœna pecuniaria, quotieſcunque abfuerint, exigendâ, tenentur, quod in deſuetudinem abiiſſet, in uſum revocatur: Deputantur Eccleſiis, per varias Urbis regiones ſparſis, idonei viri, quisque in propriâ ſtatione defixus, qui hiſce ſacris muniis obeundis incumberent; rémque iſtam peculiarem in modum urgerent. Eccleſia S. *Catharinæ* dicata *Uſſerio* quaſi ſortitò obtigebat, qui methodum priùs inchoatam, quam ſuprà memoravi, repetiit, quam cæteri ſymmyſtæ pro virili proſequi deberent. Præcipua uniuſcujuſque concionis capita & argumenta mox brevi verborum ſummâ, ut memoriæ tenaciùs infigerentur, in quæſtiones & reſponſiones digeſſit, in quorum exploranda fide & veritate quosdam adultioris ætatis ſe ſiſti ſequente Dominicâ examinandos, non ſine maximo adſtantium fructu, neutiquam pudebat.

Methodus qua in hoc ſacro concionandi ad populum munere obeundo uſus eſt *Uſſerius*.

Ab hiſce autem rudimentis origo prolixi, ínque magnam molem excreſcentis, Catechiſmi uſibus familiæ ſuæ primò deſtinati, qui poſteà alienis, ne dicam heterodoxis, additamentis ſuffertus, ſub illius nomine, ipſo prorſùs invito & reclamante, comparuit, arceſſenda videtur; de quo deinceps erit opportunior dicendi locus. *Hiberni* plerique omnes, ſive ſincerâ, ſive ſubdolâ mente conciones iſtas frequentabant, quorum aliqui, argumentis convicti, relictâ *Romanâ*, in communionem Eccleſiæ *Anglicanæ* tandem tranſibant, & ab hiſce operariis larga bonæ frugis meſſis foret exſpectanda, niſi zizania inimicus homo clàm ſuperſeminaſſet. Nulla certè gens in Chriſtiano Orbe magis, quàm *Hiberna*, pendet ab ore & arbitrio Sacerdotum, qui in illorum conſcientias planè deſpoticum exercent dominium. Horum enim technis & Optimatum, qui politicis rationibus inducti, in legibus exequendis, ſegnes & remiſſi erant, lenitati meritò adſcribendum eſt, quòd poſt hanc illuminationem, mentibus illorum ex aſſiduis prædicationibus documentiſque inditam, in priſtinam pertinaciam & ſuperſtitionem prolapſi ſint: unde audaciores facti, cùm id ſibi impunè licere viderint, A. MDCII. conniventibus magiſtratibus, & mulctæ ſubeundæ metu, ex poteſtate *Curiæ excelſæ Commiſſionis*, ſi non ſopitâ, ſaltem pro tempore ſuſpenſâ, adempto, à ſacris cœtibus publicis prorsùs abſtinuêre. Hoc maximè doluit diſplicuítque viris Eccle-

Hiberni ad priſtinam ſuperſtitionem relabuntur technis Sacerdotum retracti, & ex nimia magiſtratuum indulgentia.

In quam acerrimè invehitur *Uſſerius*.

ſiaſtici

ſiaſtici ordinis, & præſertim *Uſſerio*, qui in illuſtriſſimo regni Auditorio de hac indulgentia coram publicè queri auſus eſt: ſi quippiam ex juvenili impetu, ut ut ſanctiſſimo prolatum proposito, ipſi temerè excidiſſet, non illud haberem excuſatum. Sanè non illi ætati conveniebat, (quod poſtea infulâ ſactâ ornatus auctoratúsque, ſimili in caſu, ſuo aliorúmque Præſulum nomine meliore jure fecit) ea mala, quæ inde oritura eſſe metuerat, coram iis, penes quos erat ſumma rerum adminiſtratio, & de quorum fide & diligentia Religionem ab omni ſive labe ſive periculo integram conſervandi vel leviuſculè ſuſpicari nefas foret, exagitare, aut verba, quæ in viſione *Ezechielis* de *Hieroſolymorum* Gentiſque *Judaorum* excidio occurrunt, viz. cap. IV. 6. *Et cùm compleveris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundò, & aſſumes iniquitatem domus Juda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi*, ad iſtorum temporum ſtatum referre: addito hoc epiphonemate: *Ab hoc anno peccatum* Hiberniæ *numerando deducam: ita ut ii, quos jam amplectimini, in vos perniciem illaturi ſint; Vos hanc iniquitatem portabitis*: quaſi, quod quibuſdam credulæ parúmque attentæ mentis olim viſum fuit, horrendam iſtam ſtragem, quæ univerſam *Hiberniam* inundaverat, poſt quadraginta annorum ab iſta epocha numerandorum terminum expletum, obventuram eſſe, ſpiritu Prophetico impulſus, prædixiſſet. Ita aliqui, quorum temerariam ineptámque credulitatem hîc jam non exagitabo, ſenſiſſe videntur. Non hic ſenſum verborum divini Vatis, aut literalem aut myſticum, rimari, multò minùs temporum minutias excutere ínque examen revocare libet. Judicent alii prout libet. Ipſe autem *Uſſerium* ex hiſce calculis, ſive rectè, ſive perperàm collectis, *Prophetam* non cenſebo: nec credo unquam illi in mentem veniſſe, ſe, quaſi divino ſpiritu afflatus hæc Dei nomine prænuntiaſſet, hoc ſacro titulo futuris temporibus dignandum eſſe. Non poſſum, quin hîc addam, ſapientes, regnante R. *Carolo* I. ex irrequietis populorum tum *Angliæ* tum *Scotiæ* mentibus, quas fraudum Architecti ſubdolis maligníſque artibus agitárunt, ſparſis ubique in optimum Principem piiſſimóſque Epiſcopos, tanquam legum religioníſque everſores, calumniis, de *Scoticana* & *Anglicana* rebellionibus, longè antequàm erupiſſent, quæ cladem iſtam *Hibernicam* paulò antè præceſſerant, penè certò ominari potuiſſe: neque tamen quiſpiam prudens ejuſmodi ominationes & conjecturas in cenſum *Prophetiarum* referri debere audaciter præſtabit. Neſcio, annon paucis annis elapſis, vafri & ſeditioſi homines, qui rebus novis tunc maximè ſtuderent, credulæ plebi fucum faciendi anſam hanc arripuerint, ſuppoſito altero *Uſſeris*, cùm ex hac vita eſſet emigraturus, de noſtrorum temporum calamitatibus vaticiniò: quod per univerſam *Angliam*, ſchedâ typis expreſſâ, ſpargi iidem curabant, ut mentes hominum, impendentium malorum metu diſtractas, ſibi fortiùs addicere poſſent: ſed ulcus hoc tangere jam non licet.

Hibernia pacata à funeſti belli, quo diu exercita fuiſſet, cladibus feliciter admodùm emerſis, & novo cum ſeculo novus ordo naturæ renaſci, novâque rerum facies ſplendeſcere cœperat. Jus enim per provincias erat æquiſſimè adminiſtratum; Vice-comites publicæ paci conſervandæ ubilibet admoti; latrocinia repreſſa, concordia inter *Anglos*, novos veteréſque, & *Hibernos* mitioris ingenii (ſylveſtres enim in ſaltibus paludibúsque, tanquam in latibulis vix inveſtigabilibus abditi, ferino ritu victitantes, ab omni humanitatis cultu adhuc dum abhorruerant) inſtaurata, &, ſi per ingratiſſimorum hominum perfidiam licuiſſet, æternùm duratura; ingens rerum venalium ad neceſſarios vitæ uſus & delectationem copia aliunde advecta; artes mechanicæ in uſu & pretio habitæ; agricolationéſque in locis neglectis, alitérque incolarum ignaviâ ad perpetuam ſterilitatem damnatis, novis, iſſque induſtriis colonis introductis, adauctæ. Rebus ita auſpicatò geſtis ſtabilitíſque, Ductores exercitus *Anglicani*, quorum fide & vigilantiâ atrox iſtud bellum ſopitum fuerit, prædiis pentionibúsque, gregarios etiam milites ſtipendiis ſolutis ac donativis ſapientiſſima Regina, & optima meritorum remuneratrix, cumulavit. Illi verò, tum ut ſe divinæ benignitatis, ſub cujus tutela, per tot incertos periculoſósque bellorum caſus, tandem victores evaſerint, memores oſtenderent, tum ut perennem amoris ſui erga bonas literas, fœdæ ſuperſtitionis, quæ ex ignorantia & barbarie oriri ſolet, expugnatrices, apud omnem poſteritatem memoriam relinquerent, incertum, quorum conſilio inducti, ex pecuniis ſibi debitis partem quiſque nimirùm pro rata proportione deducendam eſſe unanimi conſenſu certatim voluêre, ſummámque, ad mille octingentas libras ſterlingicas excreſcentem, Academiæ *Dublinienſi* dono dederunt, ut ig augenda Bibliotheca publica, vix ſatis tunc temporis iſthoc nomine dignâ, ínque libris omne genus in perpetuum Studioſorum uſum coëmendis impenderentur. Ad haſce verò pretioſas merces comparandas, V. Cl. *Lucas Chaloneras* S. T. D. & *Uſſerius* A. M. DCIII. in *Angliam* literarum ſtudiis, & magnorum Theologorum copiâ tunc maximè florentem, mittuntur. Hic verò negotium iſtud, à Superioribus injunctum commiſſúmque, tanquam ſacrum, læto & prompto animo ſuſcepit: quod juſtis de cauſis credidit., tam ſibi ex familiari cum viris doctis converſatione, inſpectiſque MSS. codicibus, tum in Bibliothecis publicis, tum apud quosdam Nobiles ejuſmodi cimeliorum poſſeſſores, quàm patriæ, invectis melioris notæ & perpetui uſus omnium facultatum omniúmque linguarum libris, fore utiliſſimum. Quo tempore *Londinum* appulêre, D. *Thomas Bodleius*, Eques Auratus, in coëmendis quoque libris, quotquot ab ipſis typographiæ incunabulis aut domi, aut in exteris Regionibus ab inſtauratâ, poſt depulſam Scholaſticorum barbariem, humaniori literaturâ, typis exſcriberentur, erat occupatiſſimus. Ille enim Vir optimus & omni, qualicunque aut quantocunque elogio ſuperior majórque, magna animo molitus, & quæ vires hominis privatæ ſortis ac conditionis longè ſuper-

Pacificus *Hiberniæ* ſtatus incunte ſuperioris ſeculo.

Prima Bibliotheca in Academia *Dublinienſi* occaſione *Uſſerii* primum in *Angliam* iter.

Bodleius Bibliothecæ Publicæ *Oxonienſis* fundator.

gredi viderentur, Bibliothecam publicam *Oxonienſem* miſerè collapſam reficere, vel potiùs denuò condere dudùm apud ſe conſtituerat longâ maximéque ſeriâ deliberatione edoctus, opes, quibus clementiſſimus Deus illum cumulaſſet, ſive jure hæreditario à majoribus derivatas, ſive ex muneribus publicis legationibúsque acquiſitas, in commune totius Gentis commodum, non meliùs, quàm in bonis literis in omne ævum propagandis impendi potuiſſe. Hoc verò erat multorum annorum opus & indefeſſam exigebat induſtriam, pariter ac munificentiam, quæ pari paſſu ſimul incedentes, nunquam ſe deſtituêre. Nullis enim laboribus, ſumptibus nullis parcens, ſupellectilem librariam undíque per omnes cultioris *Europæ* plagas ſapienti delectu conquiſivit, ut in ſuo gazophylacio reponeretur, fundis quoque relictis, quibus, præter penſiones annuas, Cuſtodi illiúſque Aſſiſtentibus aſſignatas, novorum librorum acceſſione augeretur in perpetuum. Huic Heroi (ſic enim jure merito appellandus eſt *Bodleius*) innotuiſſe non parùm cedebat *Uſſerio*, tùm viginti trium annorum juveni, cujus monitis conſiliíſque res iſta, ut credi par eſt, pro qua conſummanda huc veniſſet, ad feliciorem, maturioremque promoveretur exitum.

Rediit in *Hiberniam Uſſerius*, multiplici, eáque accuratâ, librorum cognitione inſtructus, quibus legendis perpendendíſque ita invigilavit, ut ne horas quidem ſubſecivas inertî otio evaneſcere & elabi paſſus fuerit. Deinde, quod priùs, ut ſuprà dixi, propoſuerat, ad lectionem ſanctorum Patrum juxta ſeculorum, quibus floruere, ſeriem, h. e. ab primis naſcentis Eccleſiæ initiis ad uſque mediæ ætatis, imò & ſequioris, ſi quícquam bonæ frugis in ſe haberent, Scriptores, putà *Petrum Lombardum*, *Thomam Aquinatem*, aliósque iſtius rixoſæ Theologiæ Anteſignanos, qui in *Sententias Summáſque* Commentarios & diſputationes edidêre, piâ ſeriáque mente ſe accinxit: interpoſitis tamen, quaſi laxamenti remiſſioníſque animi vice, Hiſtoriæ & Antiquitatis omnigenæ ſtudiis: quod penſum, laborioſum quidem & planè *Herculeum*, tandem octodecim annorum curriculo abſolvit.

Uſſerii alterum in *Angliam* iter: ubi arctam cum *Cottono*, *Camdeno* & *Alleno* init amicitiam.

Triennio propemodùm elapſo, (ut conjecturâ verò perquàm ſimili inducor, ut credam) *Angliam* repetiit *Uſſerius*, ſtudiorum causâ, & ardentiſſimo *Britannicæ* Hiſtoriæ, tam Civilis quàm Eccleſiaſticæ, è manu exaratis codicibus membraníſque, illic ſolummodò reperiendis, eruendæ amore incitatus. Hîc verò cum celeberrimis Antiquariis, D. *Roberto Cottono*, *Gulielmo Camdeno*, & *Thoma Alleno Oxonienſi*, arctam, quam ſola mors diſſolvere poterat, inibat amicitiam, cui theſauros ſuos literarios apertos voluere: Bibliothecam item Academiæ *Oxonienſis* & *Cantabrigienſis* forulos tantâ ſedulitate, quantam breviculæ moræ intervalla fore paterentur, excuſſit, ut nihil penè illius induſtriæ ac ſagacitati impervium, illiúſve oculis penetrantibus & curioſis quaſi inexploratum haberetur. Diſceſſurus autem in patriam apud iſtos tres viros præſtantiſſimos, alióſque acerrimos Judices magnum ſuî deſiderium bonámque exiſtimationem reliquit: utpote de quo certiſſimam maximorum in *Britannicis* Antiquitatibus indagandis progreſſuum ſpem conceperint. *Camdenus* ſanè illo tempore de nova *Britanniæ* ſuæ editione adornandâ admodùm ſollicitus, illum de *Ninio*, veteri Scriptore *Britannico*, edendo, de S. *Patricio*, & *Congallo*, aliíſque rebus ad veterem *Hiberniæ* ſtatum & civitatem *Dublinienſem* ſpectantibus conſuluit, cui literas eruditiſſimas non minori judicio, quàm accuratione, compoſitas, quas ipſe (a) olim in *Epiſtolarum Camdeniarum Sylloge* publici juris feci, Octobris die tricesimo reſcripſit. Hæ verò iſti ſummo viro ita mirè placuerunt, ut earundem non modicam partem (b) in ſuum immortale opus, in deſcriptione *Dublinii* transferri curaverit: præclaro hoc magnificóque elogio inſuper adjecto: *Hæc de* Dublinio, *quorum plurima diligentia & doctrina* Jacobi Usheri, *Cancellarii Eccleſiæ* S. Patricii, *qui annos variâ doctrinâ & judicio longè ſuperat, me debere agnoſco.*

Uſſerius S. Theologiæ Baccalaureus.

Cùm gradus Academici, qui ſtudioſorum mentibus honeſtam æmulationem ſolent infundere, in ſtimulos induſtriæ præmiúmque doctrinæ à ſapientiſſimis Fundatoribus inſtituantur, ne ſtatutis Collegii, ne ſibi, famæque ſuæ, deeſſe videretur *Uſſerius* A. C. MDCVII. primam in Theologia lauream ambibat, quam, præſtitis pro more ſuo perquàm laudabili exercitiis, facilè adeptus eſt. *Uſſerius* ſorte ſuâ privatâ abundè contentus, otióque non ignobili, quô fruebatur in Collegio felix, ab omni ambitione opúmque cupiditate vacuus, in Muſeo totus quaſi defigebatur; non opima ſacerdotia prenſavit, neque Magnatum atria frequenti itatione trivit, illorum gratiam & favorem aucupaturus, ut in alta ſede collocaretur. Hoc ſolùm egit; hoc illi maximè curæ fuit, ut, ſi quando aliquâ dignitate Eccleſiaſticâ dignandus eſſet, ſe iſti ſuſtinendæ & ornandæ non imparem, aut inidoneum reipſâ oſtenderet redderétque. Sed inſignem iſtam eruditionem, tanta cum pietate & modeſtia conditam, non diutiùs inhonoratam fore, aut à publico conſpectu celatum iri ſinens reverendiſſimus Vir, D. *Adamus Loftuſius*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, ſub cujus auſpiciis oculíſque *Uſſerii* fama magis magisque jam ferè per quatuordecim annos ſurrexerat, illum Cathedralis Eccleſiæ S. *Patricii* in ſua civitate metropolitica Cancellariatu hoc anno donavit. Hæc verò dignitas, cui opulenti reditus annectuntur, ita *Uſſerio* complacuit, ut, quaſi ſummis votis reſpondiſſet, nihil haberet ultrà aut optandum aut expetendum: cujúſque erat per plures annos, uſquedum ad Epiſcopatum *Midenſem* promoveretur, retinentiſſimus, non alio excelſiori, ſive Archidiaconi, ſive Decani titulo affectato aut captato. Veruntamen cùm maxima pars iſtorum reditnum ex prædiis decimisque *Finglaſſiæ*, quod

Et Eccleſiæ S. *Patricii* Cancellarius.

(a) *Londini*, A. 1691. *Epiſt.* LXI. pag. 76.
(b) *Camdeni Britannia*, Londini 1607. *folio.* pag. 752.

oppidum

oppidum eſt à *Dublinio* unico milliari diſſitum, accreverit, ſe vicariâ operâ, legibus indultâ, quam poſteà annuâ penſione in omne ævum continuandâ honeſtavit auxitque, utentem, vix à debito munere coram Deo facilè abſolvi poſſe, ex ſcrupuloſæ conſcientiæ dictaminibus credens, ſingulis diebus Dominicis, ſæpiúsve, quoties per valetudinem majoríſque momenti Eccleſiæ negotia liceret, ſe illuc contulit, ut omnia ſacerdotalis functionis officia coràm ipſe exequeretur. Interim amicos lautè & ſplendidè, egenos verò congruâ & decorâ hospitalitate ſolebat excipere: parùm ſolicitus, an quippiam pecuniæ è reditibus provenientis, demptâ aliquâ parte libris emendis deſtinatâ, in loculis relinqueretur necne.

Hoc anno Profeſſorium Theologiæ munus in Collegio illi demandatum erat: quò per tredecim quatuordecimve annos ſummâ diligentiâ functus eſt. Habitâ enim maturâ deliberatione, operam non poſſe meliùs aut fructuoſiùs, quàm in dogmatibus Theologicis inter Reformatos & Pontificios controverſis diſcutiendis impendi, primò bis, deinde, ut durus iſte labor, cui ferendo vix ſuffecerint vires, aliquatenùs minueretur, ſemel ſingulis per totum annum ſeptimanis, ſolennes contra *Bellarminum* aliósque inſignes Romanæ Eccleſiæ ſcriptores, prælectiones habuit, duobus voluminibus propriâ manu deſcriptis comprehenſas: quæ in Academiæ *Dublinienſis* archivis exſtant, & quæ fortaſſè in publicam lucem produci merentur. Profeſſor Theologiæ in Collegio conſtitutus.

Denique hoc quoque anno Canonas, prout in prima veteri Collectione olim exſtabant, ordine debito diſponere & ad Canonas primi generalis Concilii *Nicæni*, & quinque Provincialium *Ancyræ*, *Neocæſareæ*, *Gangræ*, *Antiochiæ*, & *Laodiceæ* habitorum, è quibus illi deſumpti erant, reducere uſque ad primum *Conſtantinopolitanum*, (prout ex *Dionyſii Exigui* epiſtolâ, ante ſuam Græcorum iſtorum Canonum Latinam verſionem, ad *Stephanum* Epiſcopum *Salonitanum* præmiſſâ, conſtat) hujus cæterorúmque generalium, quæ ſecuta ſunt, Conciliorum, canonibus poſteà additis, inſtituit. Collectio hæc *Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ* meritò nuncupatur. Sed D. *Leſchaſſerii* induſtria laudabile hoc propoſitum, illo neutiquàm conſcio, edito mox opuſculo, priùs occupaverat. *Uſſerius* verò, licèt eandem eosdem digerendi cui alter inſtabat, ex proprio ingenio ſecutus fuerit, longè fortiori fundamento innixus, calculum & ordinem ſtabilivit. Sed obſervationes ſuas, ſive argumentum iſtud in Bibliotheca Theologica fusè tractaturus, ſive neſcio quâ aliâ ratione inductus, in publicam lucem producere prorsùs tunc temporis deſiſtebat, eas doctiſſimo viro, *Samuheli Wardo Cantabrigienſi*, in eodem ſtadio decurrenti, in epiſtola eruditiſſima, in qua de variis Canonum collectionibus, earúmque Auctoribus, uti & de codice Romano, præclarè admodùm diſſerit, communicare contentus. *Uſſerii* Epiſtola & *Wardi* reſponſoria exſtant in *Sylloge* Epiſt. X. & XI. utraque ſanè, quæ ab omnibus Eccleſiaſticarum Antiquitatum ſtudioſis legantur, perquàm dignæ. Sed hoc ulteriùs proſequi, à noſtro inſtituto, qui non longas commentationes, ſed compendiariam vitæ & ſtudiorum *Uſſerii* hiſtoriam ſcribimus, omninò alienum eſt. Canonum veteris Eccleſiæ digeſtio.

A. MDCIX. lites forenſes agitari cœperant de quibusdam prædiis olim vel ad Chorepiſcopos, vel ad Eccleſias illarúmque Rectores, pertinentibus, vulgò vocatis *Termon-lands*: ſive quia, ut aliqui volunt, eſſent *terra Monachorum* (*terre-moine*) ſive potiùs à *Termino* Latinè, quaſi *terra limitibus diſtincta & ſeparata à terris Laicorum*: quas tamen temporis decurſu, homines merè Laici, *Corbæ* ſive *Corbani* & *Herenachi* nuncupati, ex indulgentia Epiſcoporum poſſidebant, conceſsâ ipſis illas quaſi hæreditarias, filiis & nepotibus (uxorati enim erant) tranſmittendi poteſtate: quorum illi videntur primò fuiſſe *Chorepiſcopi*, ex quo nomen iſtud contrahitur, aut Eccleſiarum Rectores, aut earundem Patroni & Defenſores, & ex iisdem prognati, qui poſteà longâ Uſucapione in eas ſibi familiíſque ſuis vendicârunt. Hi verò miniſtri Laici ſeu Oeconomi Epiſcoporum, cenſúſque illis debiti Collectores, quorum munus quoque erat, ut agri à colonis benè colerentur, proſpicerent deinde ex conventione ſacrilegâ cum Epiſcopis ictâ, earundem poſſeſſio & jus ſimul tranſibant, inque eos transferebantur. Terræ hæ ab omni taxatione fiſci & jurisdictione ſeculari erant liberæ: interim tamen ſervitiis & penſionibus, quas ſibi & ſucceſſoribus ſolvendas reſervaverint Epiſcopi, obnoxiæ; quibus non præſtitis, inſtar temporalium feudatoriorum, ab iſto jure, ſive acquiſito, ſive uſurpato, ceſſere. Iſtorum autem ſervitiorum ingens ubique varietas continuam litigandi materiam ſuppeditavit. Hinc *Uſſerius* juſtâ occaſione arreptâ oſtendendi, quàm feliciter admodùm & accuratè veruſtas chartas in Eccleſiarum Cathedralium archivis latentes, & ſitu & marcore perituras, exploraſſet: de hisce obſcuriſſimis rebus & nomenclationibus eruditiſſimum conſcripſit tractatulum à reverendiſſimo viro D. *Richardo Bancrofto* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, tanto in honore & pretio habitum, ut planè honorarium munus, quod ſereniſſimo Regi *Jacobo I.* exhiberetur, omninò dignum, pro ſapientia ſua judicaverit. Cujus præcipua capita nobiliſſimus Antiquarius, D. *Henricus Spelmannus*, Eques Auratus, in *Gloſſario* ſuo legenda ſelegit, honorificâ D. *Uſſerii* factâ mentione ad calcem diſſertatiunculæ *de Corbis* &c. *Hæc fuſius, ut obſcuritati lucem adferam, quod accendit mihi literarum inſignis Pharus*, D. Jacobus Medienſis *Epiſcopus*. Tantùm addo, quæ vir præclariſſimus D. *Jacobus Wareus*, Eques quoque Auratus, de eodem argumento diſſerens, habet in *Antiquitatum Hibernicarum* libro cap. XVII. (a) *De hiſce plurium cupidus conſulat V. C.* Henricum Spelmannum *Equitem Auratum* Diſſertatio *de Corbis, Herenachis, & Termelands* ab *Uſſerio* compoſita.

(a) *Londini.* 1655. in 8°. pag. 80. & in annotationibus ad *Eglerti* dialogum de Eccleſiaſtica Inſtitutione p. 134. *Dublinii* 1664.

in Archæologo *ſuo*, *ubi multa ſcitu digna*, *beneficio inſignis hujus ſeculi ornamenti*, D. Jacobi Uſſerii Armachani, *communicantur*.

Tertium in Angliam itur.

Hoc anno *Uſſerius* tertiùm acceſſit in *Angliam*: non voluptatis, non otii, non animi relaxandi, ſed ſtudiorum gratiâ: non ut tempus inepeis blandiſque, nihilque ad veros vitæ uſus pertinentibus colloquiis, aut otio indulgeret, aut deliciis, ut ut honeſtis licitiſque, mentem paſceret. Longè diverſa erat & ſanctior itineris ſæpè repetiti, & poſt exactum triennium quadrienniúmve repetendi, ratio. Non aliter illa ſcientiarum divinarum & humanarum, quæ exardeſcebat, ſitis & cupido erat ſedanda, niſi ad ipſos accedendo fontes: Bibliothecas nimirùm noſtras libris omne genus Hiſtoricis, & potiſſimùm codicibus MSS. de re Antiquaria, maximè abundantes. Hiſce ſubſidiis literariis, quæ univerſæ ſtudiorum, quam propoſuit, rationi & methodo ſatis feliciter reſponderent, ad votum uſque, gaudentem, nulla inceſſit exteras regiones inviſendi cupido: omni cogitatione extrà peregrinandi amotâ; nec opus habuit, cùm Antiquitates *Britannicæ* non niſi intra fines *Britanniæ* eſſent inveſtigandæ. Interim licèt in Bibliothecis totus abditus videretur, ab Amicis rogatus ſubinde concionandi munus non detrectavit, ſemélque in ſacello Regio coram *Familiâ*, ſive domeſticis Aulicis ſummo mane, quo tempore ſacris intereſſe illis ſolùm vacat, iisdem gratum facturus, perorare voluit: neque enim coram Regiâ Majeſtate, conſcenſis ſacris roſtris, comparuit: ſive defuit opportunitas, ſive potiùs à propria modeſtia inhibitus retractúſque. Quicquid verò habuit ſubceſivi temporis, totum illud virorum, eruditione & literis maximè inſignium, commercio dedit impenditque: quorum amicitiam, ut ſtudioſè quæſivit, ita meruit, & amantiſſimè amplexus eſt ſempérque percoluit. Inter hoſce novos Amicos recenſeo *Henricum Bourchierum*, poſteà Comitem *Barbonia*, *D. Henricum Savilium*, *viv ωρὸ*, *Henricum Briggium*, tunc temporis Geometriæ in Collegio *Greshamenſi*, poſteà in Academia *Oxonienſi* Prælectorem *Savilianum*, *Joannem Seldenum* ex interioti Templo J. C. tunc quoque rei Antiquariæ peritiam, inclareſcere incipientem; inſignes Theologos, *Joannem Davenantium*, poſteà Epiſcopum *Sarisberienſem*, & *Samuelem Wardum*, poſteà Collegii *Sidneiani* apud *Cantabrigienſes*, Præfectum, & denique *Thomam Lydiatum*, ſcriptis variis, & præſertim Chronologicis, contrà *Joſephum Scaligerum* editis, clarum, ſiniſtrâ, ne dicam, iniquiſſimâ ſorte colluctantem oppreſſumque, quem ſecum duxit in *Hiberniam Uſſerius*, ut lautis, ſaltem honeſtis, conditionibus, quæ illius meritis aliquatenùs convenirent, procuratis, illîc, donec auſpicatior in *Anglia* affulſerit hora, commodè moraretur.

Novos amicitias contrahit.

Oblatum Collegii præfecturam reſpuit.

A. MDCX. ineunte, aut paulò antè: vacante Collegii præfecturâ, cùm ſociis, maturis inter ſe habitis conſultationibus, de eligendo *Uſſerio* convenìſſet, ille oblatam dignitatem obfirmato animo planè averſatus eſt, utpotè nullis ſuaſibus precibúsque, ut ut blandiſſimis, argumentis nullis, licèt fortiſſimis, inducendus, ut in unanimem omnium conſenſum & ſuffragationem concederet. Facilè enim gnarus prævidénſque, occupationes iſtas, quas hæc nova dignitas poſt ſe tractura eſſet, forè moleſtiſſimas, inque gravillimum ſtudiorum, quibus totus incubuit, damnum ceſſuras; ſe proſequendis litibus, quæ tunc imminerent, de prædiis juribúſque Collegio integris ſervandis; ſi non minús habilem, ſaltem minimè pronum; illîc perpetuò pro ratione muneris adminiſtrandi manendum eſſe, nec in *Angliam* excurſiones ſubindè facere, ibíque per ſex menſes aut plures, prout codicum manuſcriptorum in Bibliothecis ubi ubi exſtantium inquiſitiones exegerint, morari licere; denique univerſas vitæ ſecuturæ rationes, quas ſibi propoſuit, indè maximè turbari, hiſce importunis poſtulationibus ſurdas aures præbere pergebat. Ut verò quispiam idoneus, qui omnes boni vigilantiſſimíque *Præpoſiti* partes impleret, ſubſtitueretur, nemo ardentiori affectu, quàm ille, optabat, nemo fideliorem operam impendebat: cujus commendationi conſiliiſque maximè acceptum referri debet, quod V. CL. *Gulielmus Tempel*, in Collegio Regali *Cantabrigiæ* olim educatus, ſapientiæ & doctrinæ laude inſignis, poſteáque Equeſtri dignitate ornatus, Collegio, quod per ſeptemdecim annos providâ induſtriâque curâ rexit, præficeretur.

Prælectiones pro doctoratu in Theologia quem adeptus eſt habitæ.

Anno MDCXII. *Uſſerius* ſupremum in Theologia gradum conſecuturus, duas pro more ſolennes Prælectiones, quarum ſchedæ levi celerique manu primò delineatæ, adhuc ſuperſunt; unam de *Septuaginta hebdomadibus Danielis*; *de Millennio Apocalyptico* alteram habuit: quarum illam in magno opere Hiſtorico & Chronologico, hanc verò in libro, quem anno ſequente edidit, & de quo mox dicam, abſorberi puto veriſimillimum. Inſignia Doctoratûs doctiſſimo huic Candidato reverendiſſimus vir, D. *Hamptonus*, Archiepiſcopus *Armachanus*, tunc temporis Academiæ *Dublinienſis* Vice-Cancellarius, conferre dignatus eſt.

Quarum in Anglia hus.

Nondùm quicquam ſcripti præ modeſtia in lucem emiſerat *Uſſerius*, utpotè munus, quod ſuſcepiſſet, profeſſorium perquàm diligenter & induſtriè impleviſſe ſibi animo placens. At jam tandem, ſive propriâ ſponte, ardentíque contra Evangelicæ Veritatis hoſtes zelo, ſive Amicorum hortatibus conſiliiſque exſtimulatus, ne ſibi, ne famæ ſuæ, aut aliorum exſpectationi, aut Religionis cauſæ, quod maximè in votis erat, vindicandæ deeſſe videretur, in publicum prodire apud ſe conſtituens ut quantum ex pertinaci, omne genus librorum lectione profeciſſet, luculento documento demonſtraret, ineunte anno MDCXIII. in *Angliam* navigavit: *Hibernià* tunc temporis idoneis typis ad abſolvendum juſtum largúmque, quod molitus eſt, opus, quo decuit nitore, deſtitutâ, ibíque Regio Typographo in conſilium operámque adſcito, librum magni nixûs fœtum, partibus ſuis decore & affabrè compoſitum & elaboratum, evulgavit ſub hoc titulô:

Edit librum *de Chriſtianarum Eccleſiarum in Occidente variarum ſucceſſione*.

Graviſſima

Graviſſimæ Quæſtionis de Chriſtianarum Eccleſiarum, in Occidentis præſertim partibus, ab Apoſtolicis temporibus ad noſtram uſque ætatem, continuâ ſucceſſione & ſtatu, Hiſtorica Explicatio:

Auctore Jacobo Uſſerio, *S. Theologiæ in* Dublinienſi *Academia, apud* Hibernos, *Profeſſore.*

Liber iſte ſereniſſimo Regi *Jacobo I.* Regum doctiſſimo, cui inſcribitur, longè erat acceptiſſimus, tum ob argumenti, in quo illum non parùm ſolicitè verſatum fuiſſe ex ſcriptis editis, ſublimi Regiæ Majeſtatis faſtigio perquàm dignis, cuivis intelligenti ſatis liquet, gravitatem: tum ob methodum diſſerendi ex fide rerum ſententiarúmque authenticis Hiſtoricorum teſtimoniis comprobatâ. Hìc enim luculenter & eruditè agit *de Millennio Apocalyptico, & de ligatione Satanæ*, à quo tempore inceperit, & quando celebris iſta Epocha eſſet deſitura; & de iis rerum momentis & mutationibus, quæ in iſthoc intervallo occurrerent, aut indè conſequerentur: oſtenditque poſt ſex ſeculorum decurſum in hiſce Occiduis Mundi plagis Religionem Chriſtianam à ſua primæva puritate & integritate, illìc, ex *Romanorum* Pontificum ambitione, typho, & inſatiabili ſecularis Pompæ amore, ſenſim declinaſſe: corruptelas ſuperſtitioſóſque ritus fraudibus Sacerdotum credulæ & ignaræ plebi ſtrophis plauſibilíque ornandæ Religionis prætextu illudentium introductos, paſſim invaluiſſe, & malè ſana dogmata, quæ neque cum ſacris Scripturis, neque cum veterum Chriſtianorum fide ullatenùs convenirent, pro articulis fidei, ad ſalutem creditu neceſſariis, pro arbitrio obtruſa fuiſſe; donec ſub temporibus *Sylveſtri II. Benedicti IX. & Gregorii VII.* ſive famoſiſſimi *Hildebrandi, myſterium illud iniquitatis*, in immenſum accreſcens, ad ἀκμὴν pervenerit, & *Romana* ſedes, conculcatis ſacris Canonibus, juribúſque Epiſcoporum abolitis, tyrannidem & imperium, verè *Antichriſtianum* in omnes totius Orbis Eccleſias uſurpaſſet, & actu in Occidente exercuiſſet. Hanc rem eſſe facti, teſtibus, omni exceptione majoribus, productis demonſtrat: quovis tamen ſeculo bonos viros, veritatis Evangelicæ amantes ac zelo armatos ſurrexiſſe, qui contra hoſce intolerandos abuſus invecti, novorum dogmatum portenta, quibus nova Religionis forma priſtinæ ſuperinduceretur, acerrimè rejecerint, cultúque idololatrico animas pollui nolucrint: in hiſce verò *Waldenſes, Albigenſes*, plurésque alios, qui in mediis flammis & lanienis imperterriti, hiſce innovationibus ſtrenuè ſeſe oppoſuerint, recenſens, iſtorum temporum, in quibus major rerum obſcuritas & perplexitas, ex defectu aut malâ fide Auctorum inerat, Hiſtoriam: item quorundam Paparum ambitum, faſtum, ſecularis pompæ affectationem, ſimoniam, luxum, ſcelera, prodigioſámque impietatem graphicè depingit; eo fine, ut Adverſantium, præſertim ex noſtratibus, obturarentur ora, qui effronti audaciâ calumniati fuerint, Reformatores, quos infandi ſchiſmatis & peſſimæ hæreſeos pro modeſtia ſua poſtulant, novam planéque ſeculis antiquioribus inauditam introduxiſſe doctrinam: illorum verò dogmata à Concilio *Tridentino* ſub diro anathematis fulmine ſancita, à prima & remotiſſima antiquitate derivari, eadémque & invariata per omne ævum manſiſſe, ſibíque omnes per univerſum Orbem, ubi viguit nomen Chriſtianum, eccleſias in omnibus conſenſiſſe, nihílque in rebus & articulis fidei unquam fuiſſe immutatum. Non ſibi propoſuit, neque ſuarum eſſe partium duxit *Uſſerius*, de veteris Eccleſiæ, in ſex prioribus annorum centuriis, iſtâ labe vacuæ, aut Chriſtianorum in Eccleſiis *Græcâ, Hieroſolymitanâ, Antiochenâ, Alexandrinâ, Habeſſinicâ, Carthaginienſi*, aut alibi locorum, ad extremos *Indos* uſque, continuâ ſucceſſione & ſtatu differere: ſed, ſi non unicum, ſaltem præcipuum ſuæ diſquiſitionis ſcopum intra Occidentis limites conſtrictum fore volebat: quod quidem animoſiùs præſtitit, ut veteratores iſti, qui nobis falsò exprobrant novitatem, meliùs ſaniúſque ſapere, ſeſéque modeſtiùs gerere edocerentur.

Horum verò temporum ſeriem laboriosè & accuratè quidem pertexuit *Uſſerius* uſque ad initium Pontificatûs *Gregorii* XI. h. e. ad annum MCCCLXX. indè eandem ad *Leonem X.* quando Evangelicæ veritatis lux, è ſpiſſis horrendæ ſuperſtitionis tenebris eluctata, emicare inceperat, deinceps deducturus. Sed an tertiam hanc partem, quam propoſuit edendam, & cujus præcipuorum capitum ſumma in elencho habetur, ſive ex inamœni operis tædio, ſive nobilioris argumenti ſtudiis impeditus, unquam abſolviſſet, non poſſum quicquam certi ſtatuere: ſaltem, ſi (a) quando ab ipſo conſcripta exſtitiſſet, omninò periiſſe videtur. Quod hìc adnotandum cenſeo ad detegendam Bibliopolæ fraudem, qui in nupera editione *Londinenſi* A. MDCLXXVII. quò fucum emptoribus faceret, in fronte librum ſpecioſo *operis integri ab Auctore aucti & recogniti* titulo adornat. Fortaſsè hìc Lectores moroſi me parùm è dignitate illius feciſſe cenſebunt, ſi meminero, viros clariſſimos & doctiſſimos, D. D. *Iſaacum Caſaubonum*, & *Abrahamum Scultetum*, quibuscum tunc *Londini* agentibus familiarem inibat amicitiam, quanti Auctorem ejúſque elaboratum opus æſtimaverint, verſibus encomiaſticis præfixis, teſtari voluiſſe. Ille verò tertius Laudator, *Antonius Martinus*, tunc temporis Collegii ſanctæ & individuæ Trinitatis apud *Dublinienſes* ſocius, poſteà D. *Uſſerio* in ſede *Midenſi* datus erat in ſucceſſorem.

(a) Vide *Uſſer.* Epiſt. *Syllogen*, Ep. XXXVIII. pag. 69.

Contra Ussherium insurgit R. Staniburstus, illius avunculus.

Hac clarigatione bellum «ἔσπασε» indixit *Usserius* Pontificiis, ex quibus tamen nemo ad pugnam descendit, cum hoc pugile æquis legibus & conditionibus decertaturus. Neque enim dicteria apud sapientes arbitros pro argumentis habentur: neque leviculæ cavillationes justæ responsionis vicem supplere aut possunt, aut debent. Prodiit equidem *Duaci* A. MDCXV. *Richardi Staniburſti*, illius Avunculi, libellus, sive Epistola ipsi *Usserio* inscripta, duabus tribúsve schedis comprehensa, sub hoc titulo:

Richardi Stanihurſti, Hiberni Dublinienſis, *brevis Præmonitio pro futura concertatione cum* Jacobo Uſſerio, Hiberno Dublinienſi:

Qui in suâ Historicâ explicatione conatur probare Pontificem Romanum (legitimum in terris Christi Vicarium) verum & germanum esse Antichristum.

Veruntamen *Staniburstus* in hoc epistolari scripto, quò *Usserium* nepotem (uti parùm Latinè appellat, pro more tamen vulgatissimo) frigidâ laudatione fatetur esse *Historiarum belluonem, & plurimorum Scriptorum ætates & tempora haud quaquàm sanè indiligenter fuisse persecutum*, non Historicum, non Dialecticum, non probum Advocatum in testimoniis adversæ partis explorandis, inque justum examen revocandis, occupatum, sed Declamatorem, sed Vitilitigatorem, sed Sophistam agit. Cùm enim quosdam Romanos Pontifices longâ serie sequioribus seculis invicem succedentes sceleratissimis moribus fuisse conspurcatos, ex certissima Historiarum fide constaret, nec id quidem à quoquam absque aut stuporis aut læsæ modestiæ notâ negari potuerit, ulcus hoc vel levi manu tangere penè metuit, criminando, Scriptores, ut maledicos, ut mendaces, ut Principibus, odium capitale aut sanguinolentas cum *Romanâ* sede lites exercentibus obsequiosos, horúmque gratiam turpi assentatione captantes, impacta crimina indebitis exaggerationibus in immensum auxisse: quasi illis corruptelas doctrinæ pariter ac morum non exprobrasset *Usserius*. Sed ad stigma Antichristi hisce præclarissimis Christi Vicariis inustum, quasi spectro territus, maximè exanduit tetricus senex, nec S. *Petri* successores in ista sancta sede, licèt depravatâ veterum Christianorum fide, novam doctrinam horrendásque superstitiones, carceribus, exilio, ferro, igni, immanibus lanienis & cædibus, & crudelissimâ Inquisitione tueri & propagare perrexerint, hoc infami titulo deboneſtari æquo animo patitur. Sed istiusmodi reliquis rhetoricationibus & cavillis, nihil solidi tinnientibus, nec quiquam vel mentis paulò attentioris persuasuris sibi respondendum non esse duxit *Usserius*, multò minùs atrocissimæ isti calumniæ, quâ illum in altera libelli parte infectatus est *Staniburstus*, ac si in Epistola dedicatoria serenissimum Regem *Jacobum* in subditos *Hibernos*, in Religionis rebus dissidentes, sævire, Religionémque Pontificiorum apertâ vi ac severissimis edictis legibúsque exterminare incitasset. Sed quàm prorsùs leve, prorsùs debile, imò prorsùs nullum, cui hæc dica superstruitur, fundamentum! Solùm in fine Epistolæ dixerat *Usserius*: *Unum adhuc superest, quod votis omnibus à Majestate tuâ reperunt omnes boni, ut populo nostro perenti, properè succurrere, & peste Pontificiâ miserè laboranti facere velis medicinam.*

Quis verò aut mentis candidæ, aut paulò attentæ, non hîc potiùs perinsigne optimi veréque Christiani erga patriam gentiléſque suos affectus indicium & demonstrationem eluxisse penè præceps crederet? Horum enim infelicissimam sortem miseratus, flagrantissimis votis hoc unum, idque maximum, à clementissimo Rege petebat *Usserius*, ut de methodis congruis suavibúsque modis, quibus gens ista, si qua unquam, obstinatissima, teterrimâ ignorantiæ & superstitionis caligine oppressa & occæcata, infusâ novâ luce, ad sobriam mentem agnitionémque veritatis revocaretur, præ sapientia sua vellet statuere. Sed fortasse quibusdam me huic controversiæ nimiùm & omninò præter rem immiscuisse videbor: ideò ad historicam de *Usserio* narrationem redeo.

Solicitando ejus de Collegii statutis abolitionis.

Dum verò *Londini* manserit *Usserius*, curis typographicis intentus, frequens adibat ædes *Lambethanas*, cum reverendissimo viro, D. *Georgio Abbotto*, Archiepiscopo *Cantuariensi*, & Academiæ *Dublinienſis* Cancellario, de statutis aut novis condendis, aut veteribus pridem conditis corrigendis, inque meliùs reformandis, consultationem, quantùm licuit, initurus. Ab ipsis enim primæ fundationis initiis, Præpositus Sociique Collegii, cui multa adhuc deerant ad perfectam instaurationem, pro sapientia sua quempiam summæ dignitatis, sive in Ecclesia, sive in Aula, virum, & apud Regem gratiâ pollentem, hoc magnifico titulo dignandum continuâ successione elegerunt, quò ipsis & consilio & munificentiâ & favore patrocinaretur. Hisce verò rebus in *Anglia* feliciter peractis, *Usserum Hiberniam* patriósque lares revisit, ibique non multò pòst fit maritus, ductâ in uxorem lectissimâ Virgine, cui dos opima obtigerat, utpotè unicâ filiâ & hærede reverendi vici, D. *D. Challoneri*, suprà laudati, de novella Academia opeimè meriti, qui (a) ultimis tabellis præcaverat, illam non alii, præterquàm *Usserio*, quem ille illius bonæ indolis, candoris, doctrinæ, & pietatis amore & admiratione raptus, à multis annis paterno & summo

Usserius magistro initiatur.

(a) Obiit *Dublinii* 27. Aprilis. Anno 1612.

proiecutus

proſecutus fuerat affectu, nubere oportere, modò ſe matrimonii nexu illigare voluerit. Quo admiſſo, *Uſſerius* non quicquam otio & deſidiæ indulgens, nactúſque curarum domeſticarum ſociam & participem, ad priſtina ſtudia alacriori induſtriâ quoque reverſus eſt.

Convocatio Cleri *Hiberni* A. 1615. *Dublinii* habita.

Ordinibus regni *Hiberniæ* in Parlamento *Dublinii* A. MDCXV. habito coactis, pro more indicta erat nationalis Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, reliquíque Cleri *Hiberniæ* Synodus, ut de rebus ad Religionem ſpectantibus junctis operis conſiliíſque deliberatio fieret ſolennior. Liquet autem, Eccleſiam *Hibernicam* à primis Reformationis ſub Rege *Edwardo* VI. temporibus, & potiſſimùm regnante Reginâ *Eliſabethâ*, ab Eccleſia *Anglicana*, ſi non totam, ſaltem aliqua ex parte pependiſſe, & eidem in omnibus conſenſiſſe. Epiſcopi pleríque omnes aut puri puti *Angli*, & ex *Anglia* miſſi, aut *Anglis* parentibus ibi nati: eadem Liturgia, eædem ordinationum formulæ, iidémque ſacrorum ritus. Univerſus Clerus articulis & conſtitutionibus Eccleſiæ *Anglicanæ* ſe conformem ex vi legum ex integro reddidit, à quibus, quantùm diverſæ utriusque regni conſuetudines paterentur, neutiquàm variare licuit. At jam hanc ſive dependentiam ſive reverentiam excuſſuri, altiores ſpiritus alere, articulósque religionis ſuo nomine & auctoritate, quibus tanquam proprio ac peculiari charactere ab illa diſtinguerentur, condendi jus & facultatem ſecundùm vindicias libertatis ſibi ſucceſſoribúsque ſuis aſſerere cœperant. Cujus incepti hæc videtur fuiſſe vera origo & cauſa. Cùm aliqui zelotæ hîc apud nos, ad finem vergente ſeculo decimo ſexto, immodico zelo abrepti, articulos Religionis, ſynodali auctoritate *Londini* A. MDLXII. ſtabilitos, in quibus conſtituendis moderatam *P. Melanchthonis* aliorúmque Reformatorum ſententiam ſecuti ſunt Adſeſſores, relictâ in quamplurimis abſtruſioris Theologiæ capitibus opinandi libertate, aut malè interpretando perverterint, aut dogmata nova, è *Calvini* ſcriptis hauſta, iiſdem addenda, aut ſub explicationis ſpecie & prætextu, aut ſupplementi vice, tanquam veram Eccleſiæ *Anglicanæ* doctrinam obtrudere attentaverint, in varias partes & factiones itum eſt, propugnantibus his, oppugnantibus aliis. Diſſidium verò iſtud apud *Cantabrigienſes* inter D. *Whitakerum*, Regium Theologiæ Profeſſorem & D. *Petrum Baronem*, Dominæ *Margaritæ* alterum Profeſſorem, maximè incaluit: nec lites iſtæ erant de facili ſopiendæ. Ideò *Whitakerus Londinum* properat, non ratione ſed auctoritate Adverſarium debellaturus, ſeptem theſes, crudas quidem, & ad proprias opiniones maximè accomodatas, quibus controverſias iſtas, quarum accerrimus erat fautor, præciſè determinari & decidi voluit, reverendiſſimo viro, D. *Joanni Whitgifto*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, exhibuit. Hic verò ab illo perſuaſus, ad hoc incendium, quo flagravit iſta Academia, extinguendum, & ne pax Eccleſiæ in ſummum adduceretur diſcrimen, ad ſe quoſdam Præſules & Theologos, de iſtis Theſibus cum iisdem conſulturus.

Articuli *Lambethani.*

Poſt crebras diſceptationes, emollitis quibuſdam in Theſibus *Whitakerianis* duriuſculis phraſibus, à pleriſque (aliqui enim pacatioris ingenii ſaniorísque judicii viri ſeſe ab iſto conceſſu ſubduxerant) in novem Articulos conſenſum eſt, indè nuncupatos *Lambethanos*, utpotè in Palatio Archiepiſcopali Novembri MDXCV. formatos digeſtóſque, ut controverſiis iſtis inauſpicatis feliciùs faciliúſque, uti putabant, obviàm iretur. Cùm verò Regina rei nupertimè geſtæ hiſtoriam ex ore ſapientiſſimi & fideliſſimi Conſiliarii, *Gulielmi Cecilii*, Baronis *Burghleii*, Academiæ *Cantabrigienſis* Cancellarii, didiciſſet, ſatis gnara, quantùm vulnus Eccleſiæ, tranquillitati publicæ, & Regiæ poteſtati, ex iſtis deciſionibus infligeretur, graviter commota, cum Archiepiſcopo, in Aulam comparere juſſo de hoc auſu temerario, illâ planè inſciâ & inconſultâ, expoſtulavit, in memoriam illius revocans, illum, cui ex hac parte nulla legitima poteſtas competebat, contra leges deliquiſſe, & pœnis ex ſeveriſſima lege, quæ à noſtratibus *Præmunire* appellatur, infligendis eſſe obnoxium. Quâ objurgatione quaſi è veterno expergefactus Archi-Præſul, vir in reliquis omnibus muneris ſui partibus inculpati & laudatiſſimi exempli, veniam humillimè deprecatus, factum, ex piâ tumultus Academicorum, quorum mentes diverſarum ſententiarum æſtu agitarentur, componendi & compeſcendi intentione ortum, excuſavit, interpoſitâ cautione, ſe de iis articulis, ne in lucem exirent, ſupprimendis diligenter curaturum. Sed res iſta, ſchedâ, in *Whitakeri*, paulò pòſt è vivis excedentis, muſeo, iſtos articulos complectente, repertâ, diu celari non potuit: indéque *Calviniani* Magiſtri ſui κυρίαν ἀρχὴν effatíſque quoddam præſidium & firmamentum quæſivêre, eóque audaciæ proceſſere, ut in collatione coram ſereniſſimo Rege, *Jacobo* primo, in *Hamptonienſi* Curia inter ſelectos quoſdam venerabiles Epiſcopos & *Puritanæ* factionis Anteſignanos, A. MDCIII. initâ, illorum nomine poſtulaverit D. *Joannes Rainoldus*, ut hi novi Articuli, corpori Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ inſerti, pro orthodoxis haberentur: cui Rex, aliter ingenio miti, nec ad iram proclivi, animo & linguâ indignante, illius propoſitione tanquam injuſtâ & abſurdâ, nec illius loci aut temporis, penitùs rejectâ, reſpondit (a) *in Academiis, ſubtilitates ejuſmodi ſcholaſticas alterutrinque agitari poſſe, quibus religionis articuli neutiquam ſuffarciri debent.* Quis autem crederet dogmata illa *de abſoluto prædeſtinationis & reprobationis decreto, & de gratiâ ſufficienti ad ſalutem univerſis hominibus non conceſsâ*, cum appendicibus heterodoxis *de inamiſſibilitate gratiæ, & de certitudine ſalutis*, quæ tum divinis perfectionibus, tum naturæ humanæ repugnant, in iſtis articulis comprehenſa, tot fautores repetire potuiſſe, aut tantoperè valuiſſe *Calvini* auctoritatem, ut quicquid ille dictaverit, pro infallibili haberetur, veritatíſque Theologicæ norma

(a) Vide ſummam iſtius Collationis à D. *Barlovio* editam p. 41.

ex illius *Institutionibus* esset petenda? Sed melius rectiusque tapuere doctissimi viri, DD. *Overallus*, *Andraas*, aliique magni Theologi, qui licèt numero pauciores, præsertim post istiusmodi concertationes in *Belgio* acerrimè agitatas, diligenter excussas, & mente æquâ & à præjudiciis liberâ, tanquam bilance justâ, perpensas, sese strenuè tum concionibus, tum scriptis, opposuerunt. Identidem in *Hibernia* Præsules reliquúsque Clerus, *Calvini* effatis addictiores, quam extra se eorundem tuendorum zelo quasi abriperentur, tunc inaudito & in omne ævum obstupescendo, in hac Synodo, cujus non minima pars erat *Usserius*, congregati, palàm ostenderunt. Jubetur inter alios *Usserius*, articulorum, de quibus in Synodo ista deliberandum erat, seriem contexere, in quibus novem famosi Articuli *Lamberhani*, omnes penè ad verbum inseruntur. Quod hîc brevi & in genere referre omninò necessarium duxi, ut inde qua de causa *Usserius*, qui in istius Ecclesiæ articulis condendis & stabiliendis præcipuum impenderat studium ac laborem, apud famæ illius æmulos, adversariúmque partium sequaces, *Calvinianus* & *Puritanus* audiret, aliquo modo constaret.

Usserius Puritanismi suspectus.

Hinc gravissimæ censuræ impactæ, malæque de *Usserio* indè conceptæ suspiciones magis magisque glisebant, quasi ex isthoc immodico horumce Theologicorum dogmatum studio & amore in aliis longè majoris momenti rebus Puritanorum partibus favisset. Nec defuere, qui privatis delationibus id parùm candidè, imò prorsùs iniquè serenissimo Regi, qui tetricum istud irrequietúmque genus hominum, à quo multa passus est, utpotè Regiæ Potestati pariter ac Ordini Episcoporum ritibúsque Ecclesiasticis adversum, maximè aversatus est, persuasum vellent. Sed opprobria hæc, magno, ut videtur, animo sulit despexitque. Veruntamen cùm A. MDCXIX. versùs finem, in *Angliam* transiturus esset, ad amoliendam istius calumniæ invidiam, ne præjudiciis gravatus succumberet, literas à Regiis Consiliariis, qui in isthoc regno præfuerunt, ad *Anglos* Consiliarios in illius favorem & vindicias perscribi procurárunt Amici, in quibus, perinsigni illius innocentiæ attestatione adhibitâ, illum, utpotè virum omninò dignum, qui Regio favore cuiquam in Ecclesiâ dignitati præficiatur, magnificis elogiis exornant. Deindè *Westmonasterii* mox ad colloquium cum Rege admissus, seipsum à fictis criminationibus purgavit, & ut omnem ex Regis animo scrupulum penitùs auferret, sententiam suam de doctrina & disciplina Ecclesiæ *Anglicanæ* declaravit, quibus & Regi & aliis abundè satisfactum est.

Ab hac labe purgatur.

Ad Episcopalem sedem *Midensem* destinatur.

Exeunte A. MDCXX. serenissimus Rex, sive quantùm Consiliariorum *Dublinensium* commendationi detulerit, ostensurus, sive ex proprio motu & certâ scientiâ sapientiæ, pietatis, & exquisitæ eruditionis *Usserii*, ad sedem *Midensem*, tunc vacantem, frustrà interponentibus quibusdam malevolis, evexit, quem *suum Episcopum* appellare posteà solitus erat.

Coram Senatoribus Parlamenti ante Sacram Synaxim celebrandam concionatur.

Hoc anno, indicto *Westmonasterii* Parlamento, cùm rumores à Puritanis ad perterrefaciendum populum (ab illo enim tempore factio ista caput exeruit, subdolisque Demagogorum artibus, sequentibus annis acquisitam, in Comitiis vim planè indomitam, juribus Majestatis Regiæ prorsùs inimicam circumtulit) spargerentur, quosdam in Aulæ Regiæ inferioris Cameræ, qui Religionis Romanæ professionem clam & intùs in pectore retinuissent, adscitos fuisse, communi consultatione & decreto ordinatum erat, ut, quò melius quisque ab hisce suspicionibus se purgaret, omnes simul constituto die in templo S. *Margaritæ* prope senaculum sacræ synaxi interesse tenerentur: hoc enim criterio censuere, neminem Romanis superstitionibus addictum hæc tremenda mysteria impiâ mente sacrilegáque manu attingere aufurum. Interim *Usserius*, nominatione illius factâ ex suffragatione prævia, rogatur ut in isthoc sacro solennique Conventu concionari vellet. Quod non honoris indè reportandi causâ, sed exacerbatas multorum mentes honestis piisque suasibus & documentis leniendi ansam captaturus, tandem non sine invidia aliorum, nescio an non planè invitus, admisit. Præbendarii enim Ecclesiæ Abbatialis S. *Petri*, ex quâ Parochialis ista vicina, utpotè ab omni jurisdictione Episcopali libera, tota pendet, muneris illius sacerdotalis ibi administrandi facultatem, tanquam sibi propriam & peculiarem, vendicabant. Nolebant Senatores à proposito abstrahere, aliter in Ecclesia *Templi* (ita pro more nostro appellatur celeberrimum Jurisperitorum Collegium, olim Templariorum sedes) conventuri. Rex, cui hac de re, licèt penè frivolâ & nullius momenti, supplicatum erat, electionem *Usserii* iteratò factam confirmavit. At ille hujuscemodi ordinationis novitate commotus & offensus, veritúsque, ne quid mali in se suósque indè derivaretur, quasi ille, nunc temporis de nuptiis unici filii, *Caroli* Principis, cum *Hispanâ* contrahendis non parùm solicitus, Pontificiorum partibus favisset, (ut cæteras criminationes, à quibus erat alienissimus, malo animo impactas, omittam) *Usserium* XIII. Februarii accersendum, ut videtur, curavit: cui inter alia dixit, illum nimirùm proximè sequente Dominicâ, *gregis immorigeri*, & vix facilè in ordinem cogendi, *curam alturum*: se benè intelligere non posse, quomodo tot centeni ex subita ista denuntiatione, cui omninò parendum erat, ante paucos dies latâ, cum debita mentis præparatione sacris illis mysteriis participandis aliquo modo digni reddi potuerint, præcipuè post istas gravissimas lites nuper agitatas: se quidem ab omnibus domesticis suis, ut sacrosanctis hisce Christiani cultûs ritibus frequentes interessent, non tamen simul, nisi solenni Paschatis festo, exigere: hoc Concionatori ex officio incumbere, ut Auditores ad pacem & concordiam inter sese incundam & redintegrandam, ad Dei, deinde Regis & Patriæ, amorem hortaretur, coràmque oculis deplorandum rerum publicarum domi & orbis Christiani foris statum proponeret. Hisce regiis consiliis monitisque præmunitus *Usserius*, primâ Quadragesimæ Dominicâ XVIII. Februarii, in hæc verba S. *Pauli* in prima Epistola ad *Corinthios* cap.

X. v. 17.

X. v. 17. *Quoniam unus panis, & unum corpus, multi ſumus: nam omnes de iſto uno pane participamus*, perorans, ſacrum illud argumentum, pari pietate & eruditione, utrâque verò ſummâ, in iſto magnifico nobilium virorum conſeſſu explicavit. Dum verò in primo articulo de communione Sanctorum, & de myſtico Eccleſiæ corpore, *Chriſto* capiti unito, agit, ad pacem, tum civilem, tum Eccleſiaſticam, tam domi ſervandam & redintegrandam, quàm ad concordiam inter noſmet exteróſque, eodem fidei & communionis nexu copulatos, fovendam nervosè ſuadet, & præſertim, ut alienæ calamitatis ſenſu affecti, illis opes ſuppetiáſque ferrent, hortatur: dum verò in altero articulo de communicatione corporis & ſanguinis *Chriſti* copioſiùs diſſerit, Eccleſiæ *Anglicanæ* doctrinam de vera & reali præſentia *Chriſti* in Sacramento Euchariſtiæ ſolidè explanat, *Romanenſium* tum dogmate de ſubſtantiali elementorum mutatione, tum idololatrico cultu everſis & damnatis. In utriſque ſanè omnes piiſſimi & ſapientiſſimi Concionatoris partes impleviſſe mihi videtur. Sacra hæc oratio auditoribus, judicio pollentibus, mirè placuit, illorúmque gratulationes, & aliorum, poſtquàm illis jubentibus in lucem edita fuerat, maximo jure merita eſt, & ſanè in perpetuum merebitur.

Conſecratur Drogheda.

A. MDCXXI. in *Hiberniam* redux D. *Uſſerius* Eccleſiæ & diœceſeos *Midenſis*, cui regendæ illum Rex *Jacobus* anno ſuperiori, ut dixi, deſtinaſſet, Epiſcopus, *Pontana*, quæ vulgò *Drogheda* appellatur, ſolenni conſecratione à reverendiſſimo viro, D. *Hamptono Armachano*, duobus ejuſdem Provinciæ juxta antiquorum Canonum normam aſſiſtentibus, ordinatur. Verùm in illâ ſublimi Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigio poſitus, tantùm aberat ab otio & remiſſiore vitæ genere, ut potiùs diligentiæ in gregem ipſi commiſſum impenſæ ardentiùs, ſacras Scripturas publicè interpretandi & Evangelium *Jeſu-Chriſti* prædicandi novas quidem & majores curas ſuperaddere ſui officii eſſe duxerit: cujus ut memoriam ſemper in mente & oculis haberet, tremendam iſtam S. *Pauli* ſententiam, *væ mihi, ſi non evangelizavero*, in Epiſcopali ſigillo, quam retinuit, ad ſummos in Eccleſia *Hibernica* honores evectus, incidi voluit. Adeò autem erat in concionibus frequens, ne dicam ſingulis diebus Dominicis, ſolenniotibúſque anni feſtis, aſſiduus, quando nimirùm aut valetudo, aut opportunitas vel quæſita, vel majora Eccleſiæ negotia permiſerint, ut inter celeberrimos maximique nominis *concionantes Epiſcopos* jure numerari mereatur. Dum verò triſtis viderat, pleroſque omnes ex *Hibernis Romana* communionis in diœceſi ſua, uti & in reliquis Provinciis per univerſam inſulam, horrendæ ſuperſtitionis tenebris oppreſſos, vitiis ſanctorum, abſurdiſſimis fabulis portentoſiſque inſomniis ſcatentibus, legendis addictos, interim tamen omni verâ ſacrarum Scripturarum intelligentiâ vacuos, fatale illud, quo laborant, præjudicium, contra omnem vim argumentorum objicere conſuevиſſe, ſe nimirùm Patrum ſuorum Religionem & inſtituta ſequi, & ab iiſdem iſta de cauſa neutiquàm diſceſſuros; ut errorem hunc ex illorum animis evelleret, librum *de veterum Hibernorum & Britannorum religione* Linguâ Anglicanâ ſcripſit A. MDCXXII. in quo corruptelas in ſacro cultu & nova dogmata, jam pro articulis fidei agnita, ex fraude & ſuperſtitione ſequioribus ſeculis ſenſim irrepſiſſe, (putà officium *Romana* Liturgiæ paulò ante quingentos annos à *Gilleberto*, *Malachia*, & *Chriſtiano*, *Romana* ſedis apud *Hibernos* Legatis, in uſum inductum; uti & baptizandi juxta morem *Romana* Eccleſiæ poſt tempora *Auguſtini* Monachi; ſacramentúmque Euchariſtiæ olim ſub utraque ſpecie adminiſtratum fuiſſe: longè aliter veteres de Chriſmate ſacramentali, de confeſſione, de nuptiis Sacerdotum, de tempore celebrandi Paſchatis ſenſiſſe; Regéſque habere jus nominandi Epiſcopos, nec Papam ſpiritualem jurisdictionem ibi antiquitùs, multò minùs temporale dominium exercuiſſe, (ut alia levioris momenti omittam) ac proindè Nepotes à priſtina majorum fide mirùm quantùm hac ex parte deſciviſſe, prolatis ex antiquorum Gentis ſuæ Scriptorum auctoritate & teſtimonio, luculentis documentis oſtendit. Liber ſanè eruditiſſimus, in quo Patriæ ſuæ antiquitates è codicibus MSS. ſumma cum induſtria & fide illuſtrat, erroribus *Campiani* Jeſuitæ & *O. Sullevani* ſubindè caſtigatis, clariſſimo viro, D. *Chriſtophoro Sibthorpo* Equiti, & uni ex Juſtitiariis communium placitorum in *Hibernia*, amico ſingulari, inſcriptus, & ad calcem libri à D. *Sibthorpo* de eodem argumento conſcripti *Dublinii* MDCXXII. in 4°. editus & poſteà A. MDCXXXI. denuò *Londini* impreſſus.

Liber de veterum Hibernorum & Britannorum religione ab illo editus.

Fit Regius Conſiliarius.

Mox inter Regios Conſiliarios adſcitus *Uſſerius*, quantâ ſapientiâ & quàm ſolido judicio polleret, in re magni momenti, præclaro exemplo demonſtravit. Cùm quidam *Hiberni*, *Romana* communionis muneribus publicis admoti, *Supremaſûs*, uti appellatur, *juramentum*, in quo, agnitâ Regis ſummâ in quosvis ſubditos, & in omnibus cauſis, tam Eccleſiaſticis, quàm Civilibus, auctoritate, dilucidè & circa omnem verborum aut ſenſûs amphiboliam, *nullum exterum, ſive Principem, ſive Prælatum, aut quemcunque alium, habere, aut jure ſibi poſſe vendicare qualemcunque ſpiritualem & Eccleſiaſticam in regnis & ditionibus Regiæ Majeſtatis juriſdictionem* aſſeritur, ſuſcipere recuſaſſent, tum ut legum ſacroſancta auctoritas conſtaret integra, tum ut publicæ tranquillitati proſpectum foret, illuſtriſſimus vir D. Vice-comes *Falcolandiæ*, à Rege ipſius *Deputatus* tunc temporis conſtitutus, aliíque è ſanctiori Concilio Magnates in hoſce pertinaces Magiſtratus animadverti oportere, maturis deliberationibus habitis, ſtatuerunt. Quibus in arce Regiâ, indicto die, viz. XXII. Novembris MDCXXII. comparere juſſis, poſtquàm Judices iſtius juramenti naturam, rationem, & æquitatem, itémque pœnas renuentibus ex vi legum irrogandas, expoſuiſſent, D. *Uſſerius* oratione gravi, tam ad errores ex intellectu malè inſtructo & informato, quàm ad ſcrupulos è mentibus infirmis eximendos, com-

Judicem, uti etiam *Uſſerius* de juramento ſupremaſûs in Concilio ſanctiori diſſeruit.

positâ, de Rege, utpotè unico & supremo in regnis suis gubernatore, de potestate clavium, & potestate gladii, quæ neutiquàm cum priori pugnat, & ex ordinatione Dei ad res sacras, spirituales & Ecclesiasticas moderandas pertinet, denique de jurisdictione *Romani* Pontificis, falsò & injustè in universam Ecclesiam arrogatâ, fundamento, cui innititur, penitùs everso, summatim egit. Aliqui ex reis præsentibus, vi argumentorum persuasi convictique, se se lubenti animo submiserunt. Reliquis verò Auditoribus nervosa ista oratio maximè placuit, & præsertim postea Serenissimo Regi, ad quem brevi, ut videtur, exemplar transmissum erat, qui literis undecimo die sequentis Januarii in Palatio *Westmonasteriensi* exaratis, gratias D. *Usserio*, tanto cum judicio & doctrina pariter ac zelo, legitimum jus Regium strenuè vindicanti, agere dignatus est. Hasce verò literas, tum honoris tum præsidii causâ, ad calcem Orationis in publicam lucem prodeuntis apponere *Usserio* visum est.

A Rege jubetur, ut in eruendis Antiquitatibus *Britannicis*, pergere velit. Hac de causâ *Angliam* repetit.

Serenissimus Rex *Jacobus* tum ex auditu & ex consentiente omnium famâ, tum ex specimínibus à se visis, D. *Usserium* in eruendis Ecclesiarum *Britannicarum* Antiquitatibus gnavam operam impendisse conscius, ut in iis prosequendis continenter, quantùm illius munus Episcopale, studiáque Theologiæ, quibus ex peculiari vitæ instituto solennique voto addicteretur, essent permissura, pergeret, impensè voluit jussítque. Cùm verò desideratissimum istud opus, inconsultis inexploratisque Manuscriptis, qui in Bibliothecis *Angliæ* sparsim latuere, codicibus, perfici nequiverit, optimo Regi literas ad Consiliarios *Hibernos* transmittere placuit, ut D. *Usserio* hâc de causâ abfuturo in *Angliam* divertendi ibíque aliquanto tempore moram faciendi, commeatus sub formulâ juris concederetur. Ille rebus omnibus in Diœcesi, ne quid mali detrimentive ex illius absentiâ inde oriretur, providè ordinatis, exeunte anno MDCXXIII. *Angliam* remeavit, *Londinum* appellens, ad Aulam properavit, humillima & maximè debita augustissimo Patrono, optimè merito, obsequia delaturus. Cùm verò Rex more solito, tum ad Urbis molestias immodicósque calores vitandos, tum ad serenioris cœli amœnitatibus & deliciis fruendum, *Wanstedæ* (oppidum illud, in Agro *Essexiensi* situm, *Londino* sex circiter milliaribus dissitum est) cervorum venationi intentus substiterit, D. *Usserium*, illò accersitus, coram illo Aulicíque, qui Regem pro ratione officii in istis æstivis rusticationibus comitari soliti erant, concionem in hæc verba S. *Pauli* ad *Ephes.* IV. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*: 24°. Junii habuit, in quâ solidè, eruditè, & sapienter quidem de *universalitate Ecclesiæ Christianæ & unitate fidei Catholicæ*, ab omnibus veris Christianis solenni professione agnitâ, prout magnum decebat Theologum, disseruit. Regis jussu edita erat, ut quam ille optimo cum fructu & voluptate animi, audiverit, in publicam omnium utilitatem per universas *Britannias* typis exscripta spargeretur.

Coram Rege concionem habet.

Responsio ad provocationem cujusdam Jesuitæ.

Hoc anno D. *Usserius Londini* edidit librum hoc titulo insignitum, viz.

Responsio ad provocationem, à quodam Jesuita in Hibernia *intentatam, in quâ antiquæ Ecclesiæ judicium in dogmatibus controversis verè traditum habetur, & præsentis Romanæ doctrinæ innovationes clarè & manifestè deteguntur.*

Hujus elaborati Operis, non alium Patronum quærere & adscíscere aut potuit aut debuit, quàm Serenissimum Regem, *Jacobum*, cui hanc *pro fide Sanctis semel traditâ*, cujus erat & re & titulo strenuus defensor, concertationem longè acceptissimam fore habuerat compertum. Origo autem hujus controversiæ paulò altiùs accersenda est. Ante sex annos cùm *Gulielmus Malonius*, *Hibernus* Jesuita, scholedam, in quâ, propositis quæstionibus de invariatâ Religionis Christianæ à primis seculis ad hodiernos *Romanenses* derivatæ ratione, & de quibusdam fidei & doctrinæ articulis, à Reformatis, ut blaterat, penitùs rejectis oppugnatísque, pertinacissimè urget, ut iis satisfieret, ubique spartisset, ad deprimendum hujusce Provocatoris fastum & gloriationem, in arenam descendens *Usserius*, mox breve & generale responsum, doctum herculè, & refellendis criminationibus impactis, si quod unquam, maximè proprium, quod in primo capite hujus novæ editionis continetur, in lucem extrusit: neque enim illius erat de ifiiusmodi articulis in charta provocatoria, quasi per saturam, nudè absque aliqua probatione, sive ex S. Scripturis, aut antiquorum Patrum (quorum unanimem cum ipsis consensum crepuit) scriptis allatâ, recensitis in specie & particulatim agere: cùm solius Respondentis partes susceptisset, cum Adversario, quandocunque ad novam pugnam proritaretur, pressiori pede congressurus. Obmutuit verò Provocator, nec quicquam ultrà hac ex parte per aliquot annos actum fuerat: & fortasse hujus litis memoria penitùs intercidisset, nisi quidam Magnates utriusque regni preces & postulationes suas apud *Usserium* interposuissent, ut Ecclesiæ primitivæ de hisce articulis illic memoratis judicium, testimoniis prolatis, inque longum productis, exhibere vellet, ut inde cuivis Lectori cordato, an *universi Doctores*, *Pastores*, & *Patres Ecclesiæ primitivæ*, quod suave erat arrogantissimi Jesuitæ insomnium, hodiernis *Romanensium* placitis consensissent, certiùs meliúsque constaret.

Hunc Commentarium quispiam cum Auctore jure appellaverit Dogmaticam Historiam, sive Dissertationem, de hisce sequentibus articulis: viz. *de traditionibus*, *de reali præsentia*, *de confessione*, *de Sacerdotali potestate remittendi peccata*, *de purgatorio*, *de oratio-*

nibus

nibus pro mortuis, de limbo Patrum, & de deſcenſu Chriſti ad inferos, de orationibus ad Sanctos, de imaginibus, de libero arbitrio, & de meritis. In hiſce explicandis D. *Uſſerius* ſe, licèt aliorum opiniones & ſententias pro re nata recitaverit, ſolam doctrinam in Eccleſia *Anglicana* publicè agnitam & ſtabilitam, ſinque libro Articulorum, de quibus in Synodo *Londini* MDCXII. habitâ convenerat, comprehenſam, tueri profitetur. Quòd verò aliqui è noſtratibus, ætu diſputationum nimiùm quàm abrepti, illum in paucis à vero Eccleſiæ ſenſu aliquatenùs aberraſſe contenderint, cùm res iſtiusmodi mihi quidem parvi admodùm momenti eſſe videantur, ab iis recenſendis penitùs abſtinebo. Interim verò omnes uno ore conſentiunt, D. *Uſſerium* in lectione Patrum, tam *Græcorum* quàm *Latinorum*, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, item & Scholaſticorum poſt *Lombardum*, & Theologorum adverſæ partis, qui controverſias tractârunt, optimè verſatum eſſe, neque cuiquam in hac peculiari Scientia (non enim ex ſubtilibus ratiociniis Dialecticisque ſtrophis, ſed conſentientibus Antiquorum teſtimoniis agendum erat) aut ingenii aut judicii ſolertiâ ceſſiſſe. Ad calcem libri Auctorum à ſe ſuprà citatorum Catalogum juxta ſeriem temporum, quibus ſinguli vixerint, addendum curavit, quorum tamen omnium ætates accuratiori examine explorare, ac quid de illorum libris, eorundémque argumentis, déque ſcribendi ratione, cenſendum ſit, & quomodo genuini à dubiis & ſuppoſititiis diſtingui debeant, & denique quicquid ad illorum hiſtoriam illuſtrandam quoquo modo neceſſarium videretur, omni, quâ potuit, diligentiâ excutere, in grandi opere, quod ſub *Bibliotheca Theologia* titulo in uſum illorum, qui præclaro hoc doctrinam & ritûs veteris Eccleſiæ cognoſcendi ſtudio tenerentur, dudùm molitus eſt, ſi Deus vitam otiúmque dederit, edendo, apud ſe conſtituit. Sed quominùs id operis, quod impenſiſſimè voluit, omnibus partibus numeriſque integrum abſolvere potuerit, tum ſtudiis diverſi generis, tum turbatiſſimis temporibus, & miſerandâ rerum in *Hibernia* & *Anglia* cataſtrophe, impeditus, vaſtam Collectaneorum molem viro doctiſſimo, & Amico fideliſſimo, D. *Gerardo Langbaino*, Eccleſiæ *Reginenſis Oxon.* Præpoſito, paulò ante mortem commendavit, ut ea omnia limato illius judicio perpolita, ſinque debitum ordinem digeſta, tandem aliquando in publicam lucem ederentur. *Bibliotheca Theologica.*

Dum verò ille ſchedarum *Uſſerianarum*, quas mures arroſerant, lacunis ſupplendis, operíque utiliſſimo, ſingulis partibus ad examen revocatis, additamentiſque ad ſua loca adductis, laborioſiſſimam impenderet operam, morbo correptus, quem ex intenſo frigore contraxerat, curandæ valetudinis, quàm hiemalis rigor permiſerit, negligentior, ineunte Februario A. MDCLVII. juxta Eccleſiæ *Anglicanæ* computum, piam efflavit animam. Autographum poſteà ab hæredibus *Uſſerii* magno pretio redemit vir eruditiſſimus D. *Edwardus Stillingfleetus*, Decanus Eccleſiæ Cathedralis S. *Pauli Londini*, Exemplar duobus craſſis voluminibus, *in folio*, ut loquuntur, conſtans: quod quidem D. *Langbainus*, à me non ſine debito honore & obſervantia commemorandus, utpotè benignus ſtudiorum meorum, quando ad Academiam primùm acceſſi, fautor, eleganti & accuratâ manu deſcribendum curavit, in Bibliothecæ *Bodleianæ* Archivis reponitur. (a) Utinam verò quispiam inter *Oxonienſes*, huic negotio idoneus, deſideratiſſimam illius editionem denuò aggrederetur! Sed forteſſe aliqui, poſt reverendi & eruditiſſimi Viri, D. *Gulielmi Cavei*, Regiæ Capellæ *Windſorienſis* Canonici, *Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoriam Literariam*, hanc minùs neceſſariam fore cenſebunt.

A. MDCXXVIII. librum adversùs D. *Uſſerium* Anglicano idiomate *Duaci* edidit *Malonius* Jeſuita, hoc titulo prænotatum, viz. *Replica contra Reſponſionem* Usherii *pro antiquitate dogmatum fidei Romanæ.* Sed cùm famoſus iſte liber non minùs vernilibus dicacibúsque dicteriis & ſpurcis mendacibúsque calumniis, quæ & Chriſtianum & Religioſum planè dedecebant, quàm ſophiſticis cavillationibus maléque conſutis detortiſque Patrum ſententiis ubivis ſcateret, *Uſſerius* Amicorum, hunc *Therſitem*, qui cum *Achille* congrederetur, prorsùs indignum eſſe judicantium, monitis & conſiliis obſecutus, nolebat bonas horas in hoc impudentiſſimo *Rabulâ* refellendo diſperdere: & eò quidem minùs ægrè, cùm tres Theologi *Dublinienſes*, *Heylan*, *Singe*, & *Pastem*, illi in rebus longè majoris momenti occupatiſſimo vicarias operas addixerint; quod poſtea ſinguli ſeorſim cumulatim præſtitêre. *Replicatio Malonii ad Uſſerii Reſponſionem.*

Dum in *Anglia* ſubſtiterit *Uſſerius*, reverendiſſimus D. *Chriſtopherus Hamptonus*, Archiepiſcopus *Armachanus*, & totius *Hiberniæ* Primas ultimum diem ſuum obiit, nempe Januarii tertio, ſtylo Anglicano, MDCXXIV. De ſubſtituendo Succeſſore in aula Regia multùm ſerióque deliberatum erat. Rex verò ſereniſſimus, poſt remoras amotas, D. *Midenſem*, cùm vix quenquam è Naucleris, qui iſtius Eccleſiæ clavum aut fortiori manu aut intenſiori oculo regeret, reperiri poſſe ſenſiſſet, ad iſtam eminentiſſimam dignitatem paulò ante mortem ipſius promovit, XXI. Martii, eodem ſtylo ejuſdem anni. Centeſimus autem erat *Uſſerius* à S. *Patricio*, ſi calculus ritè ineatur, iſtius ſupremæ ſedis Antiſtes. Nun- *Uſſerius* conſtituitur Archiepiſcopus *Armachanus.*

(a) *Jacobi Uſſerii Collectanea & judicium de 55. Patrum ſcriptis genuinis & ſuppoſititiis.* 2. vol. Vide Catalogum Codicum MSS. *Angliæ & Hiberniæ Oxon.* MDCXCVII. pag. 176. Horum *Collectaneorum* præclarum ſpecimen, viz. de antiquis S. *Chryſoſtomi* Interpretibus, de editionibus variis operum S. *Chryſoſtomi*, & de Scriptoribus vitæ ejusdem, uti & eruditiſſimam præſtantiſſimi viri, D. *Henrici Savilii* de Scriptoribus rerum *Chryſoſtomi* Admonitionem V. Cl. D. *Cavens* in *Hiſtoria Literaria* edidit.

cium

cium hoc, quod velox fama citò in *Hiberniam* pertulit, ibi summa cum lætitia accipiebatur: inde crebræ gratulatoriæ epistolæ, summâ reverentiâ & cordatissimo affectu refertæ, ad D. *Usserium* missæ, quem Ecclesiæ istius bono natum fuisse gratulantur, ipsius celerem in patriam reditum ardentissimis precibus exoptantes. Sed illis tam citò esse felicibus non licebat; quippe mox febri quartanâ per novem menses in *Anglia* moram facere invito planè animo *Usserius* cogebatur.

Disputatio *Usserii* cum quodam Iesuita in Anglia.

Anno hoc ad finem vergente D. *Usserius* solennem cum quodam Jesuita disputationem, (cui, licèt se non ingesserit, illam tamen lubenti suscepit animo,) de quibusdam controversis Religionis capitibus habuit, cujus occasio hæc fuit.

Cùm vir nobilissimus, *Joannes* Baro *Mordantius* Communionis *Romanæ*, posteà tertio R. *Caroli* primi anno, ad titulum, honorem, & dignitatem Comitis *Petroburgensis* evectus, lectissimam feminam, *Elisabetham Howvardam*, uxorem suam, natalibus, quoque nobilissimam, utpotè *Gulielmi Howvardi*, Baronis *de Effinghamia*, filiam & hæredem, & ex illustrissima *Howvardorum*, Ducum *Norfolciæ*, gente oriundam, ad eandem amplectendam diu multúmque allicere pertentasset, illa quò ab istiusmodi crebris molestisque interpellationibus decentiùs liberaretur, professa, se de multis Romanæ fidei articulis dubitare, nec Ecclesiam *Anglicanam*, in qua nata & educata fuerat, relinquere aut posse aut velle, nisi convictam, in illa sibi non manendum esse, nisi cum periculo salutis, petit, ut amicæ inter eruditos utriusque partis viros collationes in illius præsentia haberentur, quò victrix Veritas inclinaret, quantâ potuit animi solertiâ, dijudicatura. Cujus æquissimis postulationibus cùm facilè fuisset assensum, Baronissâ, consentiente marito, ac D. *Usserio* communicatâ, literis blandis illum, ut in Veritatis, pariter ac sui subsidium venire dignaretur, invitavit. D. *Usserius* verò opem ejus aut frustrà implorari, aut diu desiderari, neutiquàm passus, mense Novembre, valetudine vix redintegratâ, ad *Draytonam* in agro *Northamptoniensi* properavit, ibi omni reverentiâ ac cultu, quem ejus summa dignitas merita est, ab utrisque nobilissimis hospitibus exceptus. Illic reperit quendam Societatis Jesuiticæ, *Bellomontium* nuncupatum, potius *Rooſvvoodium* nuncupandum (nomen istud in Historia Proditionis Pulveratiæ satis notum est) Baroni à confessionibus, cum quo certamen hoc religiosum, procul omni fastu, & quasi depositâ dignitate, inibat. Triduo disceptationes iltæ de *transubstantiatione*, de *invocatione Sanctorum*, *de imaginibus*, & *de visibili Ecclesia*, & *in genere*, *an religio*, *ex auctoritate publicâ tum civili tum Ecclesiasticâ in Ecclesia Anglicana stabilita*, *eadem esset cum Primitiva*, *an verò Romana*, *nec ne*: in quibus articulis excutiendis *D. Usserium* partes Opponentis sustinuit, libris antiquorum Patrum ex instructissima Baronis Bibliotheca priùs in medium productis, si qua foret illorum sententias & testimonia explorandi occasio. Quarto die cùm vice versâ articulos Religionis *Anglicanæ* impugnare Jesuitæ ex condicto incubuisset, ille nolebat amplius in arenam prodire, hâc excusatione submissâ, *argumenta*, *quibus inter opponendum usurus erat*, *justo Dei judicio è memoria penitus excidisse*, *eò quòd cum viro tam profundæ & consummatæ eruditionis*, *licèt in tuenda Catholicæ Veritatis causâ*, *injussu Superiorum*, *congredi ausus fuisset*. Quod quidem turpe effugium illi apud suos Symmistas, & potissimùm *seculares*, uti vocant, *Sacerdotes*, maximè in opprobrium & infamiam cedebat. Sed en hujusce disputationis, cujus fama ubilibet percrebuerat, fructum eventúmque! D. *Mordantia* in Ecclesiæ *Anglicanæ* communione magis magisque firmatur: Maritus verò vacillare primò cœperat, dejectisque sentim, quibus intellectus offuscaretur, præjudiciis, admissóque S. Scripturarum lumine, & liberiori Rationis hactenùs oppressæ usu, relictâ Ecclesiâ Romanâ, in *Anglicanam*, ubi purior viget Christianismus, illuminatâ mente tranlibat. Illustrissima Heroina immortalem hujus beneficii memoriam apud se grato animo retinuit, istud quantùm quantùm omni tempore, si daretur occasio, reipsâ repentura. Cujus bonæ voluntatis in effectum dandæ non deerat opportunitas: cùm in calamitosissimis temporibus, flagrante tum in *Anglia* tum in *Hibernia*, impiissimâ rebellione, D. *Usserium*, omnibus fortunis suis penè exutum, per novem decemve annos ad mortem usque illa in suis ædibus, tum *Londinensibus*, tum *Surregiensibus*, summo cum honore & benignitate exceperit.

Usserius redit in *Hiberniam*.

Tandem negotiis in *Anglia* confectis, integrâque valetudine gavisus *Usserius*, ex porta *Leverpoliensi* apud *Lancastrienses* Augusto mense MDCXXVI. solvens in *Hiberniam* prosperè navigavit: cujus longam absentiam quò ægriori animo tulerint, præsens jam & redditus patriæ effusiori gaudio lætioribúsque auguriis à Magnatibus, Episcopis, & universo Clero, sub illius sapientissimo regimine certius Ecclesiæ præsidium majúsque apud indigenas *Hibernos*, quantùm illorum obstinatio pateretur, religionis incrementum, sibi spondentibus, excipiebatur.

Benignè in *Usserii* gratiam providebat ante mortem sereniſſimus Rex *Jacobus I.* literis in *Hiberniam* missis, ne quicquam de temporalibus sive reditibus istius Sedis, prout usu, contra omne jus fásque venire solet, ab iis, qui eorundem *custodiam*, ut verbo municipali utar, & administrationem procurant, in privatum commodum nimiùm quàm intenti, licèt abfuerit, minuendum: rationem accepti & dati ipsi ex debito reddendam, pecuniásque omnes, prout ille ordinaverit, solvendas & disponendas esse, ac si ibi præsens constitisset. Rex verò *Carolus I.* quò nemo Regum Ecclesiæ *Anglicanæ* unquam amantior, meliórve Patronus, pro cujus fide juribúsque tuendis martyrium fortissimè subibat, paterni & verè augusti exempli æmulus, memórque, quanti ille D. *Usserium* ob reconditissimam

eruditio-

eruditionem & fidem in rebus magni momenti præſtitam æſtimaverit, benignitatem munificentiâ auxit, & in verè regii affectûs & bonæ voluntatis arrham, quadringentas libras ſterlingicas illi ſtatim poſt reditum ex fiſco iſtius regni numerari juſſit.

Summa *Uſſerii* in iſthoc munere Eccleſiaſtico adminiſtrando cura.

In hac ſublimi ſpecula poſitus *D. Uſſerius*, dum oculos circum circà per totam Inſulam flectit, ante omnia & primum ſibi ex officio incumbere duxit, ut propriam Diœceſin, utpotè peculiari ſubditam jurisdictioni, luſtraret, ſi qui defectus & errores, & quicquid perperàm factum fuerit, id omne emendaturus, ut illa nimirùm eſſet reliquarum, ſaltem in iſta Provincia, concurrentibus ad idem ſanctum opus promovendum Suffraganeis, regula & menſura. Indictâ igitur ſolenni *Viſitatione*, convocatiſque per partes ad ordinatas ſtationes Presbyteris, in illorum mores & doctrinam ſedulus inquirit, inſtanter monet, obteſtatur, jubétque, ut quiſque omnibus inſtituti ſacerdotalis partibus prudenter & ſtrenuè fungatur, & potiſſimùm, ut in Scripturis ſacris & Liturgiâ juxta canonas publicè legendis, ſint aſſidui, & ut vita profeſſioni reſpondeat: denique cùm pleroſque ex infima plebe ſive in cultioribus oppidis confertos, ſive agricolationi, & pecudibus alendis addictos, ſeorſim per campeſtria, aut prope lacus & ſylvas ſparſos, ſpiſsâ rerum ſacrarum divinarúmque ignoratione laborare, olim & adhuc-dum triſtis comperiſſet, urget quàm accerrimè, ut diligenti S. Scripturarum lectioni, frequentique prædicationi, Auditorum tenuioris tum fortunæ tum intellectûs captui accommodandæ, & mentem & operam intendant. Iſtis enim fundamentis jactis, de illorum profectu in vitæ & civilis & Chriſtianæ officiis meliùs eſſet ſperandum, neque aptior efficaciórque methodus iniri potuerit, quâ mentes plebis intactæ & ab omni vel Pontificiæ ſuperſtitionis vel læſæ pietatis labe immunes ſervarentur.

Abuſus in Curiis Eccleſiaſticis graſſantes reformare & tollere nititur.

Cùm verò nimiùm clarè conſtaret, graves corruptelas in Curiis Eccleſiaſticis, quas vetuſtas malæque conſuetudines ſenſim introductæ firmaverant, irrepſiſſe, ſententiáſque Adſeſſorum interdum ex poteſtate, perperàm arrogatâ, præter jus & æquum, licèt ſub ſpecie & umbra juris, latas, vi penè deſpoticâ executioni mandatas fuiſſe, illos omnes, qui qualicunque nomine & gradu inde pendere, utpotè illius adminiſtros, ac ſolâ poteſtate delegatâ, non arbitrario jure præditos, coram ſe citari & advocari juſſit, regulas, quibus exterius illud regimen, probè & honeſtè, & abſque querela & gravamine adminiſtrari poſſet, præſcripturus. Multa quidem reformavit, inque meliorem redegit ordinem: Sed cùm ex longo annorum decurſu, & praxi roboratæ altas radices egiſſent, vix quidem evellendas, lucroſæ quædam jurisdictiones, quas poſſidentes nolebant relinquere, & objectæ difficultates, ac ſi longus communiſque uſus feciſſet jus, planè inſuperabiles viderentur in præſens, licèt omninò invitus, ceſſit, malis iſtis remedium opportuniori tempore adhibiturus.

Diſceptationes in *Hibernia* de copiis militaribus.

Dum verò in rebus tum Diœceſeos, tum provinciæ ritè ordinandis, inque veteri diſciplinâ revocandâ, lento pede proceſſerit D. *Uſſerius*, negotia difficillima, & maximi quidem momenti, quæ illius & reliquorum *Hiberniæ* Epiſcoporum cogitationes mentéſque occupaverint, in quibus cauſa religionis, quæ in magnum adduci diſcrimen inde viſa eſt, agebatur, ex inopinato interceſſere. *Anglia* hoc anno, bello cum *Hiſpanis Galliſque*, ad quos malè affecti erga Patriam, tanquam Patronos & Protectores, transfugere pridem conſueverant, ſimul ac eodem tempore implicita, copias militares, quæ in arcibus & propugnaculis juxta oras maritimas *Hiberniæ*, aut alibi locorum ſitis, diſpoſitæ erant augere: tum ad arcendos hoſtium inſultus impetúſque, tum ad reprimendas domeſticas tumultuantium & ſeditioſorum machinationes, ſereniſſimo Regi *Carolo* primo & utriuſque regni Conſiliariis opportunum, imò & neceſſarium, videbatur: tantilli autem numeri (non enim peditatus ultra quinquies mille prætidiarios aſſurgebat, equitatus verò ſub decupla proportione minor) ſtipendiis exſolvendis, demptis nimirùm oneribus penſionibúſque, quas civile regimen exegerat, annui iſtius Inſulæ reditus, ſive ob vectigalium defectum, ſive ob incolarum, ferax ac pingue ſolum nequicquàm aut ſaltem non debitâ induſtriâ aut labore colentium, aut ignaviam aut paucitatem neutiquàm ſuffecêre. Summa ratio & æquitas poſtulaverunt, ut ſinguli pro facultate ſua, publicæ pacis, in qua omnium felicitas continetur, ſecuritati firmandæ conducerent. Sed ſuſpiciones malæ de auctо exercitu, & de novo cenſu, quô alendus erat, ne perpetuus foret, *Hibernos*, præſertim *Romanæ* communionis, qui maximam Gentis partem conſtituebant, à dandis ſubſidiis averſos ac alienos reddidêre. Ad quorum obſtinationem expugnandam D. *Deputatus* & Conſiliarii, ut omnis juſta querelæ occaſio adimeretur, quaſdam pœnales leges quibus obnoxii erant, pro tempore relaxandas propoſuere: majora, ſi meruerint, indulturi. Illi verò ſuperſtitionis ſuæ *tolerationem* pecuniis mercari, ſpe & animo elati, voluêre. Quòd D. *Armachano* aliiſque Epiſcopis maximè diſplicuit, qui, quàm peſſimi exempli eſſet infame iſtud pactum, & quantùm malorum inde traheretur, ſatis providi, frequentibus hâc de re, in qua Eccleſiæ ſalus vertebatur, conſultationibus apud (a) *Pontanam* in ædibus D. *Uſſerii*, qui illos illuc invitaverat, initis, huic indulgentiæ, ſi quà proponeretur, publicè reclamare unanimo conſenſu apud ſe conſtituerunt, formulámque *Proteſtationis*, opportuno tempore proferendam, XXVI. die Novembris nominibus ſubſcriptis ſignárunt: Solenni Comitum, Baronum, aliorúmque nobilium utriuſque communionis conventu, ut de hoc negotio diſceptaretur in magna aula arcis *Dublinienſis* XXIII. Aprilis A. MDCXXVII. indicto, coram D. *Deputato*, aliiſque primariis viris, in Eccleſia *Chriſti* pro more congregatis. D. *Georgius Dowwnamus*,

Uſſerius reliquique Epiſcopi ſe tolerationi in favore Pontificiorum concedendæ ſtrenuè oppoſuunt.

(a) Vide Epiſtolam CXVI. D. *Uſſerii* ad D. *Georgium Abbottum* Archiepiſc. *Cantuar.* in *Sylloge.* pag. 376.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Epiſ-

Epiſcopus *Derenſis*, concionem habuit, in qua occaſione captatâ de malè ſubjicienda artibus politicis ſecularibúſque commodis Religione & conſcientiâ, & de gravi ſcandalo ex hac animarum, ob pecuniæ inde colligendæ aucupium, licitatione, orituro diſſerendi, dicens *hanc non ſolam ſui ipſius ſententiam & judicium, ſed omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum iſtius regni eſſe*, chartam ſuprà memoratam protulit, & clarâ voce publicavit: quæ ſic ſe habuit:

Judicium quorundam Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiberniæ *de toleratione religionis.*

*Religio Papiſtarum eſt ſuperſtitioſa & idololatrica: illorum fides & doctrina erronea & hæretica: illorum Eccleſia reſpectu utriuſque Apoſtatica. Ideò ejusmodi toleration*em *indulgere & conſentiri, ut facultas iſtam Religionem exercendi, fidémque iſtam profitendi, illis daretur, grave peccatum eſſe hoc duplici nomine liquet:*

I. *Hoc modo nos ipſos neceſſarios præſtamus* (h. e. facinorosè ſi non conſilio, ſaltem ſilentio ſubvenire videbimur) *non ſolùm illorum ſuperſtitionibus, idololatriis, & hæreſibus, & in ſumma, omnibus Papiſmi abominationibus, ſed etiam, quod inde ſequitur, animarum ſeductarum, quæ in Catholica apoſtaſia alluvione peribunt, perditioni.*

II. *Hanc toleration*em *concedere ob pecunias dandas, contributionésque ab illis colligendas, idem eſt, ac religionem, & unà cum illa, animas populi, quas Chriſtus Salvator noſter pretioſiſſimo ſuo ſanguine redemit, venum exponere. Ut verò hoc ingens flagitium eſt, ita multa mala inde conſecutura eſſe non minus periculum. Hæc ſapientibus & judicio pollentibus perpendenda commendamus: obſecrantes Deum Veritatis, ut omnes, qui publicis muneribus admoventur, ſanctiſſimi Numinis gloria & augmenti veræ Religionis ſtudioſiſſimos reddat: item pariter zelantes, firmos, & fortes adverſus omnem Papiſmum, ſuperſtitionem, & idololatriam: Amen.*

Ceſſante Auditorum Amen concinentium acclamatione, extemplò ſubdidit Concionator, *hoc ab ipſis non malo animo aut in Reipublicæ detrimentum & incommodum dictum aut factum fuiſſe, ſed ex amore Patriæ & Religionis, quarum utramque in omne ævum ſalvam fore impendiò cuperent, ſe quidem velle, ut numeroſior exercitus ſtabiliretur: interim tamen multiplicis iſtius* GRATIÆ, *Pontificiis nuper ea de cauſa oblata, cujus plurimam partem non ſine divini numinis, etiam & regii, contumeliâ & Eccleſiæ* Hibernicæ *incommodo indulgeri poſſe pro certo credebant, diſtributionem ſoli Regi, reſervandam eſſe, atque hoc publicæ neceſſitatis tempore unumquemque, ſi bonis civis & Chriſtiani famam integram ſervare velit, laboranti patriæ ſuccurrere oportere.*

Sequente Dominica coram iiſdem Magnatibus idem argumentum pari zelo pertractavit D. *Uſſerius*, in illos, ſi qui fuerint, *qui ex ſecularis commodi intuitu, inſtar proditoris Judæ Chriſtum pro triginta denariis argenteis vendere* in animo habuerint, potiſſimùm invectus. Verùm tam flagranti zelo efferbuere Præſules, ut nobilibus Reformatæ communionis in eandem ſententiam facilè pertractis, conditionibus in gratiam Pontificiorum propoſitis nullatenùs aſſenſum fuerit: hi verò, niſi iiſdem conceſſis ſanciſque, onus iſtud ſubſidiorum ſibi impoſitum iri obſtinatò recuſarunt.

Uſſerius de pecuniis pro defenſione regni ſuo pendi-tandis in cauſam ejus Regiæ petentibus.

Dum autem haſce lites acerrimâ animorum & vocis contentione alterutrinque agitatas, pro ſapientia ſua D. Deputatus & Conſiliarii ſuavibus modis, h. e. ſuaſibus & argumentorum è rationibus politicis petitorum vi componere ſtuderent, D. *Uſſerius* ab utriſque partibus contendentibus magno honore habitus, illorum juſſu in Camera arcis Regiæ, uti appellatur, triceſimo die Aprilis A. MDCXXVII. gravem habuit orationem, in qua debilem regni ſtatum, quam repellendis hoſtibus publicæque paci conſervandæ omninò impares eſſent, ſtragéſque belli, omnes abſque aliquo diſcrimine inexplicabilibus malis obruturi, quod exercitus ſub ſeveris diſciplinæ militaris regulis aut prævertere aut ſopire ſolus potuit, ſub oculos ponens, oſtendit neceſſitatem quaſi inevitabilem urgere, ſi ſuæ, ſi ſuorum ſaluti conſulerent vellent, ut citra omnem moram, ſubſidia in commune bonum patriæ expetita promptiſſimè abſque omni prævia ſtipulatione darentur: nubes atras ingruere & cogi incipientes, ni diſſiparentur, in fulmina & tonitrua erupturas eſſe: de exterorum hoſtium inſultibus, uti etiam de domeſtica rebellione metuendum eſſe: intertextis tamen Pontificiorum fidei qui ex ſtirpe *Anglica* prognati, aut prædia à Rege, ſupremo Domino, ſub certis annexis ſervitiis ſibi & hæredibus derivata poſſident, laudibus: (cujus inſigne ſpecimen in nupera rebellione Comitis *Tironiæ*, regnante Reginâ *Eliſabethâ*, dederant, utpotè nullis Regis *Hiſpaniæ* blandatiis & promiſſionibus allecti, nullis Papalibus Brevibus & Bullis, nulliſque Academiarum *Salmanticenſis* & *Valliſoletanæ* declarationibus territi aut convicti) ſimul de communi ſalute providendum eſſe: exceptiones ex mutuo ſibi contradicendi ſtudio arreptas, neutiquàm valere: nullámque juſtam metuendi cauſam, quaſi illorum aut poſterorum libertas inde læderetur, aut voluntarium iſtud ſubſidium in jus coronæ deinceps tranſiret: tandem obnixiſſimè monet, ex principiis religionis & conſcientiæ, quibus omnes boni ſubditi tenentur, ut præſtare, quod fas & æquum exegerint hoc in articulo præſtandum; nullâque conditionum mentione factâ, totum illud, de quo controverſum fuerat, ſereniſſimi Regis ſapientiæ & prudentiæ relinquere vellent. Sed mentes altercantium, qui ſuis freti

opinionibus,

opinionibus, ad varios fines collimârunt, nullâ eloquentiâ, rationibus nullis, ſive ex Theologiæ, ſive ex ſanioris Politicæ adytis ab *Uſſerio* depromptis conciliari potuere.

Sereniſſimus Rex orationem hanc, in qua pii admodùm Epiſcopi & fideliſſimi Conſiliarii officio & munere pari laude, & præclariſſimè quidem, functus eſt D. *Uſſerium*, ſibi in *Angliam* à Conſiliariis *Hibernis* tranſmiſſam gratioſo affectu excepit & approbavit.

Inter iſtas multiplices curas, quibus diſtinebatur *Uſſerius*, ex quò ſacrum Epiſcopale munus ſibi concreditum fuerit, ſtudium literarum, quò ab ipſa juventute incaluerat, novo fomite ſuperaddito redaccenſum, latiùs ſe diffudit. Non enim libros omne genus, ubi ubi typis exſcriptos, in Bibliothecam congeſſiſſe contentus, abditos *Syriæ*, *Paleſtinæ*, & *Meſopotamiæ* receſſus, nullis parcens ſumptibus, inveſtigari curavit, ut codices manuſcripti melioris notæ, & quantivis pretii, inde eruerentur, in Chriſtianum orbem invehendi: ubi linguarum Orientalium cultura florere, inque non mediocri honore haberi, nuper incepiſſet. Hac de cauſa ope & diligentiâ reverendi viri, *Thomæ Daviſii*, qui rùm Mercatoribus *Anglis*, *Halebi* degentibus, erat à ſacris, per quadriennium uſus eſt, & quidem feliciſſimè. Non hic omnium librorum manu exaratorum, procurante induſtrio iſto proxenetâ, indicem, ſi daretur, proferre libet; cùm ii, quoad maximam partem in Bibliothecis *Oxonienſi* & *Dublinienſi* dudùm repoſiti, ex magno opere Catalogorum *Oxonii* A. MDCXCVII. publicato peti poſſint. Horum de præcipuis pauciſſimos, qui veteſtiſſimas S. Scripturarum verſiones complectuntur, pauculis adnotationibus interſis, memorabo. Libros Mſſ. ex Oriente magno impendio procurat ædvehi.

Imprimis verò recenſendus venit Pentateuchus Samaritanus, quem licèt Hebraïcæ veritati millies poſtponendum cenſuerit, tamen tum ob ſingularem raritatem, cùm (a) vix aliud exemplar, ſi fortè illud, quod *Petrus a Valle*, Patricius *Romanus*, ex Oriente attulerat, excipiamus, in *Europa* antèà comparuiſſet, tum ob uberrimum fructum ſacróſque uſus, in explicando Hebraïco textu & Græca verſione, inde depromendos, ingentis theſauri loco habuit. Ille verò primus omnium, Hebraico & Samaritano textibus ſimul accuratè collatis, variantes lectiones collegit, quas Reip. literariæ communicaſſet, ſi quiſpiam ex noſtratibus Typographis, certiori lucro inhiantibus, id operis, cujus beneficium & momentum pauci aut intellexerint, aut ritè & ſatis pro dignitate æſtimaverint, edendum ſuſcepiſſet. Quâ opportunitate neglectâ, V. Cl. *Joannes Morinus*, è Congregatione Oratorii Presbyter, poſt paucos annos, primæ editionis gloriam ſibi ſoli aſſeruit. Sed vir ampliſſimus & doctiſſimus, *Joannes Seldenus* noſter, de apparatu Chronologico ad Epochas veterum Græcorum, in veteriſſimo marmore, nuper maximis illuſtriſſimi Viri, *Thomæ* Comitis *Arundellii*, ſumptibus, unà cum multis aliis ex *Græcia* in *Angliam* invecto, in quo, ut hoc obiter addam, Hiſtoriæ mille trecentorum annorum per intervalla, h. e. à *Cecrope*, primo *Athenienſium* Rege, ad tempora paulò ante *Alexandrum* magnum, compendium continetur, repræſentatas; item de Chronologia ſacra, & præſertim de iſta, quæ in *Samaritanorum* Pentateucho hodiè exſtat, maximè ſolicitus, D. *Uſſerium* literis rogavit, ut integrum quintum caput *Geneſeos*, & partem undecimi, quanta nimirùm ad Patriarcharum Poſt-diluvianorum annos refertur, exſcribi curaret; quod ille integerrimi Amici precibus facilè obſecutus, typis ſumma cum accuratione deſcriptis deline uiſque abundè præſtitit: mantiſſæ loco (b) Epiſtolâ addictâ, in qua *Samaritanorum* computum, à *Joſepho Scaligero* publici juris factum, & quicquid de eodem apud *Julium Africanum*, *Euſebium Cæſarienſem*, & *Georgium Syncellum* occurrit, ad examen revocat, ſummóque cum judicio expendit, Periochas iſtas de Patriarcharum annis ex hoc codice, beneficio reverendiſſimi noſtri Antiſtitis tranſumptas fuiſſe *Seldenus* in Prolegomenis ad Marmorum Arundellianorum Inſcriptiones *Londini* MDCXXVIII. ed tas gratus, adjectiſque magnificis elogiis, agnovit. Hoc ipſum verò Exemplar nobiliſſimi viri, & arctà amicitiâ conjunctiſſimi, D. *Roberti Cottoni*, bibliothecæ, inſcriptione prop iâ manu exaratâ, dedicavit, quam hic paulò correctiorem Lector curioſus, cui iſtius incomparabilis Bibliothecæ catalogus, à me *Oxonii* ante octennium editus, ad manum non eſt, iterùm, & fortaſſe cum nova voluptate perlegere non dedignabitur. Pentateuchus Samaritanus. A. MDCXVII.

Pentateuchum Samaritanum *à decem tribuum reliquiis, poſt regni Iſraelitici excidium, primò acceptum*, à Doſitheo, Samaritarum *Pſeudo-propheta, temporibus Apoſtolorum, poſteà interpolatum, ab Eccleſiaſticis Scriptoribus* (Euſebio, Diodoro, Hieronymo, Cyrillo, Procopio, Aneſpero, Georgio Chronographo) *identidem citatum, atque à* Cuthæis *hodiernis demùm redemptum, Bibliothecæ* Cottonianæ (*qua amiciſſimi Domini ſummâ humanitate ſemper mihi patuit.*)

L. M. D.

JACOBUS USSERIUS
Armachanus, Hibernia Primas.

(a) V. Epiſtolam *D. Uſſerii* ad *Ludovicum Cappellum* in calce ad *Syntagma de Græca LXX. Interpretum verſione*. Londini 1655. 4°. pag. 215. & in *Sylloge* epiſt. CCLXVII. pag. 576.
(b) Edita eſt in *Sylloge* Epiſt. CXXII. pag. 383.

Infrà : (a) *Ex Librarii notatione ad calcem* Geneſeos *colligimus* , *exemplar hoc ſexcentis ſiclis argenteis* (*h. e. libris* Anglicanis 75.) *emptum fuiſſe menſe Rabie anni* 792. *regni* Iſmaelis , *circa Martium viz. menſem anni æræ Chriſtianæ* 1390.

JACOBUS ARMACHANUS.

Hoc monimento ſacro non parùm , ut videtur , delectatus *Uſſerius* plura alia exemplaria ſibi è *Sichemo* comparavit , quorum alterum Viro maximo (b) D. *Gulielmo Laudo* , Archiepiſcopo *Cantuarienſi* , in archivis , illius nomini ſacratis , in Bibliotheca *Bodleiana* repoſitum , alterum verò viro clariſſimo (c) *Ludovico de Dieu* , dono dedit. Hic verò ampliſſimum iſtud munus , *quo beatus erat* , verba ipſius ſunt , longè acceptiſſimum fuiſſe , in epiſtolâ dedicatoriâ ad D. *Uſſerium* animadverſionibus in *Acta Apoſtolorum* , *Lugduni Batavorum* MDCXXXIV. editis , præmiſsâ , ſubmiſſiſſimo affectu & obſequio teſtatur.

Pentateuchus Syriacus, & alii codices.

Accedit (ut à memorandis *S. Ephremi* Opuſculis , (d) & quibuſdam fragmentis Samaritanis prorsùs ſupersedeam) Pentateuchus *Syriacus* ex Ebraico textu verſus , liber venerandæ antiquitatis , majoris æſtimandus , eò quòd vix in Chriſtiano orbe anteà aut viſus aut cognitus fuerit , qui olim reverendiſſimi viri , *Jeſu Jabi* , Patriarchæ *Jacobitarum* , tunc temporis *Amidæ* , urbis , magnæ in *Meſopotamia* celebritatis : ad *Tigrim* ſitæ , reſidentis , erat peculium. Eccleſia enim Chriſtiana *Syrorum* duplici SS. Scripturarum verſione olim uſa eſt, hâc *ſimplici* , ut appellant , *Thaddæi* Apoſtoli , ut volunt , vel , ut alii fingunt & mentiuntur apud (e) *Gregorium Abulpharagium* , *Salomonis & Hiramı* temporibus factam ; & alterâ juxta Græcam τὴν LXX. verſionem , cujus exemplar habuit , uti & Arabicum : Codex item N. Inſtrumenti , qui alia , quæ in editionibus viri præſtantiſſimi , *Alberti Widmanſtadii* , Cancellarii *Auſtriæ* & *Guidonis Fabricii Bodriani* deerant , viz. ſecundam epiſtolam *S. Petri* , & ſecundam & tertiam Epiſtolas *S. Joannis* , Epiſtolam *S. Judæ* , & *Apocalypſin* , hanc pridem à *Ludovico de Dieu* è MS. exemplari *Joſephi Scaligeri* , *Lugduni Batavorum* A. MDCXXVII. illas verò à Cl. V. *Edwardo Pocockio* , è codice Bibliothecæ *Bodleianæ* MDCXXX. ibidem editas , uti etiam hiſtoriam mulieris in adulterio deprehenſæ : quæ ſanè in antiquiſſimis codicibus deſideratæ , aliùs , & quidem longè recentioris Interpretis fuiſſe videntur , continebat : item Pſalterium *Syriacum* , à *Gabriele Sionita* , doctiſſimo *Maronitâ* , *Romæ* priùs quoque editum , uti & *Arabicum*. (f) Vetus Teſtamentum *Syriacum* ipſe edere decreverat : qua de cauſa quendam in *Hollandiam* ad coemendos typos deditâ operâ miſit ; ſed neſcio , an difficultate , an magnis ſumptibus , in magno illo opere impendendis , à propoſito penitùs ceſſâvit. Hos verò omnes ſacros libros , quàm primùm ſanctum iſtud edendi Biblia Polyglotta propoſitum ipſi innoruiſſet , celebertimo viro , D. *Brianо Waltono* , utendos dedit D. *Uſſerius* (g) è quibus non parùm utilitatis & momenti in-

(a) *Franciſcus Taylerus* in Epiſt. ad D. *Uſſerium*. In *Sylloge* CLXXXIII. pag. 475. Peculiarem inſuper Dominationi veſtræ gratiam debet hoc opus , cujus ſumptibus & curâ Exemplar Samaritanum nobis in *Anglia* primò communicatum fuit , & in Bibliotheca *Cottoniana* , in doctorum ſeculis etiam venturis commodum reconditum.

(b) *Pentateuchum hoc* Samaritanum , *in principio & fine mutilatum* , *antiquiſſimis* Phœnicum *literis deſcriptum* , *ab Eccleſiaſticis Scriptoribus* , Euſebio , Diodoro Tarſenſi , Hieronymo , Cyrillo , Procopio , Gazæo , Georgio Syncello , *& aliis ſapius eſſe citatum* , *à* Cuthæis *verò hodiernis* , *unà cum aliis aliquot eorum monumentis* , *redemit*.

JACOBUS USSERIUS *Armachanus* , *Hibernia Primas*.

Paulò infrà propriâ manu ſubſcripſit D. *Laudus* ;

Qui librum hunc mihi dono dedit ,

VV. CANT.

In fine additur : Folia poſtrema hæc ſex , juſſu reverendiſſimi Præſulis , *Gulielmi Laud* , Archiepiſcopi *Cantuarienſis* , deſcripta ſunt ex vetuſto , eóque integro , Bibliothecæ *Cottonianæ* exemplari : quod anno *Iſmaelitarum* , ſive Hegiræ *Mahommedanæ* DCLXIV. id eſt , ſalutis reparatæ. A. MCCCLXII. junctis operis in Oriente exarârunt *Ithamar ben Aharon* atque *Abraham ben Abi Nitzaion* , nomine ſeu auſpiciis *Semobi Tobi Iſaak* , *ben Semobi Selomoh* , *ben Jacob* , ex familia *Ithuriana* , ſummo in agro *Damaſceno* principatu inſigni : Sic *Abraham* ille ad *Numerorum* calcem in memorato exemplari ſubnotavit. Hæc , & alia non pauca , juxta indiculi , quem ſubinde & pro re nata *Oxonium* tranſmiſeram , directionem & normam , elogia & teſtimonia , ex libris impreſſis , olim à me in Bibliotheca *Bodleiana* conſultis inſpectisque , fruſtrà autem in hac Urbe quæſitis , non minùs promptè , quàm benevolè , accuratâ & eleganti manu , nec rogatu exſcripſit vir pereruditus , *Thomas Hearnus* , Artium Magiſter, ex Aula *S. Edmundi* : cujus egregiæ humanitati me multùm debere agnoſco.

(c) V. Epiſtol. CXLVI. D. *Uſſerii* ad *Ludovicum de Dieu* : in *Sylloge* pag. 413.

(d) De hiſce aliisque libris ex Oriente , ipſius curâ & ſumptibus procuratis , vide D. *Uſſerii* Epiſtolam ad *Ludovicum de Dieu* A. 1632. ſcriptam in *Sylloge* Epiſt. CLXXIV. pag. 462. & Epiſt. CLXXV. pag. 464.

(e) In *Hiſtoria Dynaſtiarum*. pag. 100.

(f) V. illius Epiſtolam ad *Ludovicum de Dieu* in *Sylloge* pag. 488.

(g) Ex his ſex poſt mortem utriusque hæredibus reſtitutos pecuniis numeratis redemerunt Bibliothecæ *Bodleianæ* Curatores. Vide Catalogum codicum MSS. *Angliæ & Hiberniæ*. A. MDCXCVII. p. 156. b.

comparabili

comparabili iſti in difficillimis temporibus ſub tyrannide *Cromwelliana* procuratæ, editioni accreviſſe, omnes in hiſce libris tractandis paulò verſati nôrunt, & qui optimè nôvit, doctiſſimus (a) Editor, tum in præfatione, tum in Prolegomenis, & in Apparatu, ſummâ cum *Uſſeriani* nominis reverentiâ & debitiſſimo grati animi ſenſu profitetur. Nemo ſanè theſaurum cujusvis generis literarium aut ardentiori ſtudio & cupiditate inveſtigavit & acquiſivit; nemo liberaliori manu & benigniori animo viris doctis, tam in *Anglia*, quàm extra *Angliam*, in commune Religionis & bonarum literarum bonum, communicavit.

Uſſerius, ætatem cum D. *Laudo* amicitiam contrahit in magnam Eccleſiæ *Hibernicæ* commodum.

Circa A. MDCXXVIII. D. *Uſſerius*, literarium commercium cum reverendiſſimo viro D. *Gulielmo Laudo*, tunc temporis, Epiſcopo *Londinenſi*, ſummâ gratiâ apud Sereniſſimum Regem *Carolum I.* qui illius conſiliis prudentiſſimis in rebus ad Eccleſias *Britannicas* quoquo modo ſpectantibus moderandis uſus eſt, pollente, inſtituere cœperat, quod duravit per duodecennium uſque ad Rebellionem *Scoticanam*, quo tempore in *Angliam* Eccleſiæ & ſtudiorum causâ remeavit. Nec illum deſtituit D. *Laudi* induſtria, maximéque benevolus erga tum Academiam *Dublinienſem* in ſtatutis ad meliorem diſciplinæ adminiſtrationem, fructuoſiſque Collegii, de cujus perpetua felicitate & commodo omni tempore fuit maximè ſollicitus *Uſſerius*, incrementum, tum Eccleſiam *Hibernicam* affectus, ſi quid enim incommodi, ſub quo ingemuit Clerus, præſertim, ut cum honore dicam, *Ruſticanus*, eſſet amovendum, ſi qui abuſus in externo Regimine Eccleſiæ per Commiſſarios, Regiſtrarios, aliósque Spiritualium Curiarum Officiales admiſſi irrepſiſſent; ſi quæ ſacrilegæ prædiorum Eccleſiaſticorum invaſiones (hoc enim infami titulo *impropriationes* iſtæ, uti appellantur, notari debent) ſub magnatum nobiliúmque, ea, aut vi aut fraude ſimoniacâ malisve artibus occupantium, prætidio invaluiſſent; ſi glebæ & decimæ, ſuſtentandis Parochis Presbyteris à piis Benefactoribus deſtinatæ, in Laïcorum tranſiiſſent poſſeſſionem, de hiſce & hujuſmodi rebus maximi momenti conſultus D. *Laudus*, auſpiciis Regis, remedia malis iſtis, aut inveteratis, aut ingruentibus, curandis idonea adhibere annisus eſt. Et adhibuit quidem quantùm in ſe erat. Nec enim duorum triúmve annorum opus erat, utpotè longè majoris molis, ut expilationibus iſtis, quæ longiſſimo temporis tractu corroboratæ, iſtam Eccleſiam penè pellumdediſſent, ſublatis, priſtinus rerum ſtatus, quantùm intricatiſſimæ vices ſinerent, in integrum reſtitueretur. Hanc inſignem gloriam, hoc maximum decus poſt paucos annos ſibi meritiſſimo jure vendicavit illuſtriſſimus Heros, *Thomas Wentworthus*, Comes *Straffordiæ*, qui à Rege *Carolo* ſupremus iſtius Inſulæ Gubernator & Prorex conſtitutus, de Coronâ ſive Monarchiâ *Angliæ*, cui hactenùs fuerat damnoſa *Hibernia*, jam non mediocre ex auctis vectigalibus, proventibúsque annuis, è mercatura & induſtria Advenarum incrementum percepturæ, & de univerſa Eccleſia *Hibernica* præclariſſimè meruit. Ille enim Vir excellentiſſimus, ſacro ingentique zelo percitus, primo in *Hiberniam* acceſſu hoc aggreſſus eſt, quem D. *Uſſerius* in epiſtola (b) A. MDCXXXV. ad D. *Laudum*, tùm factum Archiepiſcopum *Cantuarienſem* ſcriptâ, appellat *novum* Zerobabelem *à Deo ad ruinas iſtius collapſæ Eccleſiæ reparandas ſuſcitatum*, forti animo publicè profeſſus, *ſe iis vel maximi nominis, qui ſanctæ devorantes, diſſipatum Eccleſiæ patrimonium in hæreditates filiis & filiabus tranſmittendas, converterunt, adverſari.* Inter *Laudum* & *Straffordium*, arctiſſima interceſſit neceſſitudo & amicitia: ambo autem, ut hoc, licèt extra locum, interſeram, jurium, tum Regiæ Majeſtatis, tum Eccleſiæ *Anglicanæ* contra Schiſmaticos miniſtellos, factioſósque Proceres, & cives, quorum illi famoſis libellis, concionibus, calumniiſque quaquaversùm ſparſis, hi verò ſubdolis artibus & machinationibus, falliſſimóque publicæ pacis & tranquillitatis tuendæ prætextu, quaſi Religio reformata & libertates populi ſtetiſſent in præcipiti, plebem, miſerrimum in modum deluſam, primò ad obmurmurationes & querelas, deinde ad ſeditioſos tumultus, tandem ad arma incitárunt, ſtudioſiſſimi: ambo cruentâ morte, contra omne jus divinum & humanum, à rebelli Senatu Parlamentario, hic duodecimo Maii A. MDCXLI. ille verò decimo die Januarii A. MDCXLIV. ſtylo *Anglicano*, in colle juxta Turrim *Londinenſem* perempti.

D. Wentworthius de Eccleſia *Hibernica* optimè meritus.

Mortuo D. *Georgio Abbotto*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, menſe Auguſto A. MDCXXXIII. ad primatialem illam dignitatem illicò promovetur D. *Laudus*, quem mox ex commendatione & hortatu D. *Uſſerii* in Cancellarium Univerſitatis *Dublinienſis* elegerunt Præpoſitus, & Socii Collegii S. Trinitatis, penès quos jus & arbitrium eligendi erat; de quorum, uti & Succellorum, in ſeculis venturis, feliciſſimo & proſperrimo ſtatu, ut nemo anteà ſollicitior, ita ut Religio ab omni tum ſuperſtitionis Papiſticæ, tum Puritaniſmi labe & fermento intacta, ſolidæ doctrinæ & diſciplinæ ſeveriores ſtudia ibi perennarent, introductis,

D. Laudus Academiæ Dublinienſi Cancellarius.

(a) In *Prolegomenis* XI. p. 21. de *Samaritanis* & eorum Pentateucho ejúſque verſionibus.
Secunda verſio eſt Arabica, *literis* Samaritanis *exarata, quam ſimul cum textu* Ebraico Samaritano, *inter alia* MSS. *exemplaria, nobis communicavit reverendiſſimus* Armachanus.
Prolegom. XIII. De lingua Syriaca & Scripturæ verſionibus *Syriacis*, pag. 29.
Exemplaria MSS. *quibus uſi ſumus, duo nobis ſuppeditavit reverendiſſimus* Uſſerius, *quorum unum ſolum Pentateuchum complectitur. Liber venerandæ antiquitatis*, & accuratè ſcriptus. Aliud totum continebat V. T. exceptis Pſalmis: (quos anteà evulgaverat *Sionita*) quod magnis ſumptibus ex codice Patriarchæ *Alexandrini* tranſcribi curavit.

(b) In Epiſt. CLXXIII. pag. 460. in *Sylloge*.

cum illorum consensione statutis, sapientissimisque consiliis pro occasione subinde repetitis, indefesso labore omni Cancellariatûs sui tempore animum advertit: nec minorem sedulitatem apud Regem & Proregem adhibuit, ut viri pietate, eruditione, & prudentiâ insignes, sive illic, sive in *Anglia* educati, quantùm humana sagacitas in profunda & secreta hominum penetrare posset, ad Episcopales reliquásque præcipuas Ecclesiasticas dignitates promoverentur. Hîsce verò in rebus D. *Laudus* semper habuit D. *Usserium* fidelem Amicum & Consultorem. Sed è diverticulo ad viam redeo.

D. Vice-comes *Falcolandiæ*, in *Angliam* reversus, vindicatur.

A. MDCXXIX. Vir nobilissimus, D. *Henricus Cary*, Vice-comes *Falcolandiæ*, qui *Hiberniam* summâ cum fide & prudentiâ per septem annos rexerat, à quibusdam Adversariis Pontificiæ Religionis, quasi in multis contra pacem publicam & Regis honorem & commodum iniquè & perperàm egisset, postulatus, abrogatâ potestate, jubetur in *Angliam* reverti. Criminationes verò istæ hinc originem habuere, quòd sacrificulis nimiùm quantùm insolescentibus, concessæque indulgentiæ limites audaci protervià supergressis, tum hi, tum *Hiberni* populares, ex sua levitate ad seditionem proclives, sed longè illorum impulsu procliviores facti, severis edictis, juxta tamen legum normam, editis, in ordinem cogerentur. D. Deputatum ad littus marinum honoris testandi causâ comitari Consiliariis placuit: quos dum egregiâ comitate, jam jam navem conscensurus, promiscuè complexus fuerit, oratione ad D. *Usserium* conversâ, illius benedictionem flexis genibus rogavit, & quidem tenerrimo cum affectu, utpotè illi longâ amicitiâ, mutuis benevoli affectûs officiis alterutrinque cultâ, conjunctissimus. Pauca, cum venia Lectoris ad viri nobilissimi famam & honorem tutandum mihi addere liceat. Hâc lite coram Rege in sanctiori Concilio agitatâ sui ipsius innocentiam à fictis calumniis & criminationibus illæsam præstat, productisque literis ex *Hibernia* transmissis, solidis documentis demonstrat, vix quenquam ex Antecessoribus aut benigniori animo aut clementiori æquitate, salvis Regiâ auctoritate & legum reverentiâ, cum *Hibernis* egisse: neminem pro arbitrio oppressum, aut bonis aut libertate mulctatum: justitiam omnibus pari jure, prout quisque vendicaverit, administratam: nihilque ex auctoritate sua, quod minùs æquum videretur, nisi quod publica regni salus exegerit, ordinatum fuisse: tandémque universis calculis absolvitur.

R. *Caroli* de abusibus in Ecclesiâ *Hibernicâ* regimine tollendis cura.

Serenissimus Rex *Carolus* à Dominis Commissariis sanctioris Concilii, quibus cura rerum *Hibernicarum* in *Anglia* concredita erat, graves & mali exempli abusus in istam Ecclesiam, non solùm apud inferiorem Clerum, in muniis sacris obeundis non satis diligentem, sed etiam apud quosvis Præsules, utpotè sibi inque privatos suos usus dignitates Ecclesiasticas & sacerdotia, quorum collationis arbitrium, quando vacaverint, jure sedium ipsis competebat, minùs rectè & præter decorum aeripientes, irrepsisse, satis edoctus, literas ad D. *Usserium*, uti & ad cæteros Archiepiscopos, sub eodem verborum tenore & formula conscriptas XII. die Aprilis MDCXXX. sexto regni anno transmitti curavit, in quibus, quò majus auctoritati legibus stabilitæ momentum & pondus indè accederet, jussit, ut, sublatis istis corruptelis, singuli, quod sui muneris esset, illis urgentibus inspicientibúsque, gnaviter præstarent. Quod sanè consilium à piissimo Rege duplici nomine institutum erat, tum ut *Romanæ* superstitionis, quam sacerdotes, insano zelo acti, indulgentiâ concessâ, majori protervià an insipientiâ, incertum, abutentes, ubique inter *Hibernos* dilleminârunt, incremento iretur obviàm, tum ut in mediis Puritanorum in *Angliâ* semina seditionis clàm in plebis animis jacientium factionibus, hic & in *Hibernia* publicæ tranquillitati securiùs provideretur. Auctoramento hoc Regio munitus, acerrimisque monitis incitatus D. *Usserius*, (quod de reliquis pariter dicendum est) novis viribus conscientiæ & pastoralis curæ obligationi inde superadditis, ad sanctum opus sese alacriùs accingens, quod in Provincia & Diœcesi sua, perperàm & præter canonas Ecclesiasticos actum fuerit, iterùm reformare, inque integrum restituere solicitè studuit: deinde viros nobiles aliósque, *Romanæ* communionis, quibuscum amicè & familiariter conversatus est, lenissimis colloquiis & argumentis è Scripturis sacris, Patribus, principiisque revelatæ Religionis & sanæ Rationis peritis, à fœda ista superstitione & erroribus, quibus ab incunabulis fuissent inntriti, in viam Evangelicæ Veritatis reducere aggressus est. Nec huic methodo (quam Suffraganeis reliquóque Clero sequendam proposuit) utpotè in Christianæ charitatis & sapientiæ regulis fundatæ, felix defuit successus. Denique cùm numerosis è *Scotia* in *Ulstoniam* coloniis introductis, quamplurimi disciplinæ Presbyteranæ essent addictissimi, quibus non pauci ex advenis *Anglis*, eodem schismate infames, relictisque Ecclesiis in conventiculis coeuntes, mordicùs adhæsêre, hos immorigeros & pertinaces Sectarios, ut oves in deviis errantes ad caulam communem bonus benignúsque Pastor, redigere, tum crebris collationibus cum illorum Ministris habitis, illorum scrupulis & objectiunculis respondendo, tum blanditissimis sermonibus & paterno amore illos omnes ad unitatem Ecclesiæ servandam invitando, omni occasione captatâ, maxima cum industria continenter laboravit. Sed pervicacissimi isti homines, paucissimis exceptis, omnibus argumentis suasibúsque impervii, licèt obmutescentes & planè animo convicti, in sinum Ecclesiæ atque ad publicos sacros cœtus nolebant reverti.

Princeps *Walliæ* nascitur.

Eodem anno cùm Serenissimus Princeps *Walliæ*, magna *Britannorum* spes in palatio *S. Jacobi* XXIX. die Maii naisceretur, Rex optimus & pientissimus ex sensu divinæ bonitatis erga se subditósque suos, hoc clarissimo indicio palam omnibus ostensæ, ut Deo solennes gratiæ ob hoc auspicatissimum futuræ felicitatis in Regia sobole stabiliendæ omen stato die, ex præscriptis precum formulis, ubique per universam *Angliam* agerentur, jussit. Nec

famæ

famæ veloci ; ultra mare citò tranſituræ , nudísque literis fidendum erat , nîſi majoris tum benevolentiæ tum honoris causâ , miniſtri , ejusmodi muneribus obeundis deputati , hoc ipſo nomine , huc illuc , prout expedire vitium erat , ex auctoritate publica legantur. Quidem igitur è Fecialium Collegio, *Preſtonus* nomine, titulo verò *Porteullis*, h. e. *à Cataractâ ſive à porta dimiſſoria* , nuncupatus (ſinguli enim titulis diſtinctis gaudent) literis Regiis munitus , mittitur *Dublinium* , Juſticiarios & Conſiliarios Regios hoc lætiſſimo nuncio de Principe recèns nato impertiturus. Hi maximo gaudio perfuſi , literis Regiis mox è prelo publici juris factis , rem univerſæ Genti communicant , ſpeciatim verò D. *Uſſerio* , qui rure aberat , nondùm integro robori à periculoſa , quâ decubuerat , ægritudine reſtitutus ; ſimul petentes , ut indicto die feſto , quem ubique per univerſam Inſulam magna cum ſolennitate celebrandum juſſerant , *Dublinii* non ſolùm adeſſe , ſed & concionari vellet , ſi per valetudinem liceret. Ita ſuæ , ita D. *Uſſerii* bonæ exiſtimationi conſultum ivêre Magnates iſti. Ille verò onus iſtud perquàm honorificum , cui ſuſtinendo imminutæ quaſſatæque vires vix pares viderentur , maxima cum animi lubentia & alacritate in ſe ſuſcepit & in iſta auguſta panegyri comparens , in illa verba Pſalmographi Regii *Pſalm.* XLV. 16. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii : conſtitues eos Principes ſuper omnem terram* , in Eccleſia Chriſti *Dublinii* præclariſſimè peroravit.

Eâ de causâ indicto die feſto *Uſſerius* ſolennem concionem habet.

Cùm vexatiſſimæ iſtæ *de prædeſtinatione , præſcientia , gratia , libero arbitrio* , reliquiſque connexis articulis , quibus Eccleſia Catholica olim graviſſimè affligebatur , quæſtiones diu ſopitæ , à quibusdam rixoſis Theologis , qui dogmatibus , ſubtilitatibúſque ſcholaſticis, longè extra eſſentiam fidei poſitis , ex intemperanti zelo , mordaci protervià , & nimio diſputandi pruritu , indulgere , quàm ad ſobrietatem ſapere maluiſſent , ante ſeculum , potiſſimùm in *Batavia* , reſuſcitatæ & acerrimâ animorum contentione ab utrisque partibus , quaſi pro ſumma Chriſtianæ Theologiæ pugnantibus agitatæ fuerint , *Uſſerius* , in hiſce mediis digladiationibus non otioſus ſpectator ſtabat , ſed harum eventum communi Religionis cauſæ funeſtum fore , triſti animo præſagiens , de iis placidè componendis non parùm erat ſolicitus. Ideò ſeverâ in harum controverſiarum originem & progreſſum inquiſitione factâ , (a) poſt editos *Joannis Lasci de Pelagianis & Semi-Pelagianis* commentarios , ab anno DCXL. *Joanne* IV. Pontificatum *Romanum* ineunte , quò ille deſiit , eandem telam pertexere aggreſſus , ingentem obſervationum molem in Adverſariis ſuis coacervavit , ut , ſingulis methodo perſpicuâ diſpoſitis , juxtáque temporum ſeriem accuratè digeſtis , quid Majores his in rebus ſenſerint ſtatuerintque , ad oculum quaſi pateret , & repræſentaretur. Sed mox viri doctiſſimi , *Joannis Gerardi Voſſii* , in lucem prodeunte (b) *Hiſtoriâ Pelagianâ* , licèt multa ab iſto diligentiſſimo Auctore occupata fuiſſe , reperiſſet , non tamen ſibi à propoſito ſuperſedendum eſſe duxit ; cùm non modica aut contemnenda controverſiæ Prædeſtinatianæ pars , aut omninò intacta , aut non ſatis diligenter diſcuſſa , relinqueretur , in quâ illuſtrandâ penè infinitæ lectionis , indefeſſæ induſtriæ , ſolidique judicii vires explicaret. Qua de cauſa librum (& primum quidem , ut ille alibi retulit , preli *Hiberniici* partum Latinum) *Gotteſchalci & Prædeſtinariana controverſia Hiſtoriam* continentem , eidem *Voſſio* inſcriptum , *Dublinis* A. MDCXXXI. edidit : in quo , omnes , licèt in hiſce controverſis articulis maximè diverſi , conſentiunt , multa lectu digniſſima è codicibus MSS. & aliundè erута , & quæ vel ocularitſſimos hactenùs latuiſſent , reperiri , novámque inferri lucem diſputationibus , ubique per *Galliam* & *Germaniam* , pro vario partium ſtudio , à viris ſummæ dignitatis , & maximæ ob reconditiſſimam , ut illa ferebant tempora , eruditionem famæ : (quales certè fuere , *Hincmarus Remenſis* , *Remigius Lugdunenſis* , *Rabanus Maurus Moguntinus* Archiepiſcopi ; *Prudentius Trecenſis* Epiſcopus , *Joannes Erigena Scotus* , *Ratramnus*, Monachus *Corbeienſis* , *Florus* , *Lugdunenſis* Diaconus ;) & in multis ſynodis , putà *Moguntinâ* , *Carſiacâ* , *Valentinâ* , *Lingonenſi* , aliiſque , tempeſtatis iſtius ſedandæ causâ habitis , flagrantiſſimo zelo agitatis , quibus originem dederat *Gotteſchalcus* iſte , *Orbacenſis* Monaſterii Monachus , circa A. DCCCXL. utpotè qui ſibi totam vel intricatiſſimam de hiſce dogmatibus (c) S. *Auguſtini* doctrinam imbibiſſe viſus eſt. In calce ejuſdem *Gotteſchalci duas Confeſſiones* , nunquam antèà in lucem editas , adjici curavit D. *Uſſerius* , ipſi ab eruditiſſimo viro , *Jacobo Sirmondo* , S. J. communicatas : breviorem quidem ex MS. codice Abbatiæ *Corbeienſis* , nunc in Bibliotheca Monaſterii S. *Germani* apud *Pariſinos* reperiendam , alteram verò prolixiorem , ex quodam perveteſto codice exſcriptam , quod in grati animi erga D. *Sirmondum* teſtimonium , publicè quoque , (ſicut in privatis literis ad Amicos beneficium illud D. *Sirmondi* benevolentiæ deberi agnovit) agnoviſſet Editor , niſi à modeſtiſſimo viro , ne in illius damnum & præjudicium apud zelotas *Romanenſes* cederet , ut veriſimillimum eſt , omninò fuiſſet inhibitus. Unde cuivis candido Lectori perpendendum relinquo , an cenſura iſta à D. *Gilberto Mauguino* in * *Vindiciis ſuis Prædeſtinationis & Gratiæ*, rectè & probè D. *Uſſerio* impacta ſit necne , quaſi deluſiſſet *Sirmondum* , quem fingit illarum copiam illi , ut ſolâ privatâ lectione gauderet , feciſſe. Quod planè nugatorium eſt, & vix à quoquam , aut ingenioſo, aut prudente , admittendum.

Gotteſchalci & controverſiæ Prædeſtinatianæ Hiſtoria ab Uſſerio edita.

* pag. 90.

(a) *Hardervici.* A. 1619.
(b) *Lugduni Batav.* 1618. 4°.
(c) V. Epiſtolam CXC. *Uſſerii* ad *G. J. Voſſium* , in *Syllege* p. 483.

Digitized by Google

Veteres Epiſtolæ Hibernicæ ab Uſſerio editæ.

A. MDCXXXII. Antiquitatum Patriarum, & præſertim Eccleſiaſticarum, amore & ſtudio incenſus D. *Uſſerius*, *veterum Epiſtolarum Hibernicarum Syllogen*, *quæ partim ab Hibernis*, *partim ad Hibernos*, *partim de Hibernis vel rebus Hibernicis ſunt conſcriptæ*, nimirùm à tempore *Gregorii* I. Pontificis *Romani*, ad finem duodecimi ſeculi, *Dublinii* edidit: quarum quidem aliæ in libris variis ſparſæ, ad fidem codicum MSS. recognitæ, & inde emendatiores redditæ, occurrunt: aliæ verò hactenùs ineditæ, quæ rerum curioſarum veteris ævi notitiam complectuntur, è Bibliotheca *Cottoniana*, & aliundè, erutæ; in quibus multa de *controverſia Paſchali*, quæ *Britonibus* & *Hibernis*, hac de cauſa communionis Eccleſiaſticæ violatæ & Quartadecimanorum hæreſeos poſtulatis, de tempore, quò ſolenne iſtud Paſchale feſtum eſſet celebrandum, cum *Romana* Eccleſia intercеſſerat, habentur: ad cujus conſuetudines ritúſque obſervandos non niſi poſt laborioſiſſimas diſceptationes in longum protractas, ægrè tandem perſuadebantur. Quibus autem ſopiendis non modicum pondus & momentum attuliſſe videtur erudita illa *Cummiani Hiberni ad Segienum*, *Huenſem Abbatem*, (a) *Epiſtola* circa A. C. DCL. ſcripta, è membranis *Cottonianis* exſcripta, & quæ hodiè ibi ſub hoc titulo, *Epiſtola Cummiani directa Segieno Abbati de diſputatione Lunæ*, unà cum aliis venerandæ antiquitatis libellis, in eodem volumine comprehenſis, ſub Vitellio A. XII. exſtant Epiſtolæ ſanè hæ, quæ, ab omnibus veterem ſtatum, regimen, juriſdictionémque iſtius Eccleſiæ penitiùs noſſe cupientibus, legantur perquàm dignæ ſunt: in quarum recenſione doctiſſimus Editor judicium acre & ſolidum cum varia & multiplici lectione conjungit.

Lites inter Archiepiſcopos *Armachanum* & *Dublinenſem* de præcedentia ortæ.

A. MDCXXXIV. non ita pridem renovabatur per duas tréſve annorum centurias propemodùm exſtincta, conteſtatio de *præcedentia inter Archiepiſcopos Armachanum & Dublinenſem*. Dum enim hic honorem primæ ſedis Metropoli regni deberi contendebat, *Uſſerius*, non niſi averſiſſimâ mente in arenam, & quidem juſſu Proregis, protractus erat, ne Primitialis dignitatis jura quæ tempore Anteceſſoris, amore Veritatis & juſtitiæ incenſus, olim vindicaverit, jam deſerere, & ſibi ſucceſſoribúſque deeſſe videretur. Quò Antagoniſtæ ambitioſam & vendicationem meliùs iret everſum, re iſtâ ab antiquitate remotiſſima & ab ipſis Eccleſiæ *Hibernicæ* ſub S. *Patricio*, iſtius Gentis Apoſtolo, ſtabilitæ initiis, ex archivis Eccleſiæ *Armachanæ* & regni Tabulariis, Hiſtoricè deductâ, quicquid documentorum controverſiæ elucidandæ haberetur neceſſarium, in compendium redegit; quod licèt in publicam lucem exire præ modeſtia noluerit, in Magnatum Præſulúmque manibus verſabatur, ut, quod judices integerrimi & ſolent & debent, ex allegatis & probatis ſententiam juxta æqui & juſti regulas pronuntiarent. Sed ne quicquam incommodi in Parlamento & Convocatione mox indicendis ex hac inficeta lite, licèt omni cum decore alterutrinque agitatâ, Eccleſia caperet, Sereniſſimus Rex, illius indulgentiſſimus Patronus Nutritiúſque, intercedens, firmato ſedis *Armachanæ*, quod per tot ſecula obtinuiſſet, jure, controverſiæ, nullo prætextu ſeculis venturis rursùm ſuſcitandæ, literis in *Hiberniam* miſſis, finem impoſuit, ac novo & majori honoris gradu ſuperaddito, ex Regio juſſu, ut Cancellarium Regni publicis congreſſionibus, in futurum antecederet Antiſtes *Armachanus*, ut hac ex parte Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, iſthoc jure in *Anglia* fruenti, par quoque redderetur.

Alterа Epiſcoporum & Cleri *Hiberni* Convocatio *Dublinii* indicta.

Hoc anno ad finem vergente, illuſtriſſimo viro, *Thomâ* Vice-comite *Wentworthio*, ſummis fidei, ſapientiæ, & fortitudinis elogiis *Hiberniam* gubernante, indicto Parlamento, ſimul pro more indicebatur generalis Epiſcoporum & Cleri Synodus, in Eccleſia Cathedrali S. *Patricii Dublini* celebrata, in qua Articuli Eccleſiæ *Anglicanæ* A. MDLXII. *Londini* conditi, facili, placidâ & penè unanimi (paucilſimi enim in alterutra domo diſſidebant) ſuffragatione recepti erant: non quidem diſertim conceptâque verborum formulâ, abrogatis aut ſepoſitis rejectiſque, de quibus in anno MDCXV. convenerat, articulis, ſed tamen ex conſequenti, cùm deinceps nullius eſſent auctoritatis & usûs. Hoc autem ab Adſeſſoribus eô nomine factum erat, ut ſuam concordiam & ὁμόνοιαν cum Eccleſia *Anglicana*, quam ſi non, uti matrem & Magiſtram, ſaltem ut ſororem natu ſeniorem & nutricem, revereri oportuit, omnibus facerent manifeſtum. Ita ſe habet primus Canon, (quem D. *Uſſerius* totidem verbis compoſuit.)

I.

De concordia Eccleſiæ Anglicanæ *&* Hibernicæ *in profeſſione ejuſdem Chriſtianæ religionis.*

Ob manifeſtationem noſtræ concordiæ cum Eccleſia Anglicana *in confeſſione ejuſdem Chriſtianæ fidei, & in doctrina Sacramentorum, nos recipimus & approbamus librum Articulorum Religionis, de quibus convenit inter Archiepiſcopos & Epiſcopos & Clerum univerſum in Synodo,* Londini A. MDLXII. *ad tollendam opinionum diſſenſionem & conſenſum in vera Religione firmandum. Si quis igitur poſthac affirmaverit, ullum ex iſtis articulis in aliqua parte eſſe ſuperſtitioſum aut erroneum, aut ejuſmodi, ut illi bona cum conſcientia ſubſcribere non poſſit, excommunicetur ille, neque abſolvatur, antequàm ſuum errorem publicè revocaverit.*

Ab iſthoc tempore Articuli *Anglicani* priſtinum ſuum robur, quod olim in Eccleſia *Hi-*

(a) Epiſt. XI. pag. 24.

bernica

hernica obtinuerant, repetière. Neque enim dubitandum videtur, quin omnes, quotquot ſacris ordinationibus initiandi, & ad qualescunque dignitates Eccleſiaſticas, aut curam animarum eſſent promovendi, iiſdem, poſt quartum Reginæ *Eliſabethæ* annum, cùm *Hibernia*, tam in ſacris, quàm in civilibus, ſub moderamine Regiæ majeſtatis, ab *Angliâ* tota dependeret, quaſi ex debito officio ſubſcripſerint. D. *Uſſerium* ſubſcripſiſſe, ipſe dilucidè teſtatur in * concione habita coram Senatoribus Parlamentariis ſuprà memoratâ, in qua omnes ad unitatem & pacem Eccleſiaſticam acerrimè urget: ex hac juſta hypotheſi, iſtos nimirùm articulos communionis noſtræ menſuram, regulam, & baſin haberi debere & eſſe. Quibus articulis jam ſubinductis, & cum alteris *Hibernicis* ſimul receptis, horum, ſi qui ſint contrarii, diſcordes, planè novi, duriores, & neutiquàm cum illorum ſenſu conciliandi, vim cadere, alii dixerint. Non enim hanc controverſiam meam facio. Satis tamen conſtat, reverendos viros, dum res hæc ageretur, qui articulos iſtos in antecedente Convocatione ſtabilire ex nimio quorundam *Calvinianorum* dogmatum amore & ſtudio curârunt, hâc ex parte parùm ſibi caviſſe, ſive id ex ſubreptione, & minimè perpenſâ conſequentiarum vi, ſive ex Theologorum diverſæ partis ſagaci induſtriâ & ingenio, qui unicam fidei Confeſſionem in utriſque Eccleſiis ſub eodem Monarcha florentibus, admitti debere, longè conſultiſſimum eſſe duxerunt, accidiſſet. * pag. 6.

Quò famæ & exiſtimationi apud ſuos læſæ aliquo modo conſultum eſſet, D. *Uſſerius*, aliique ejusdem ſententiæ fautores, à ſacri Miniſterii Candidatis, ut utriuſque Eccleſiæ articulis ſubſcriberent, primò exegerunt: ſed mox ceſſatum eſt; cùm id perridiculum, ne dicam, ſcandaloſum, videretur, duas Confeſſiones, in variis dogmatibus Theologicis diſcordantes, in eadem Eccleſia haberi, aut fidem & doctrinam Eccleſiæ *Anglicanæ* magna cum ſolennitate nuperrimè receptam & probatam, iſtis prioribus dogmatibus admiſſis, denuò rejiciendam & improbandam eſſe. Cùm ergo vix quicquam præſidii in hoc effugio reperiendum eſſet, D. Proregem ſupplici oratione rogârunt, ut illius auſpiciis, ope, & curâ, articuli *Hibernici*, ante novendecim annos conditi, lege & ſanctione Parlamentariâ rati haberentur: ille autem huic propoſitioni inconcinnæ aurem aut facilem, aut patientem, præbere nolebat, imò, cùm illam paci publicæ maximè nocituram eſſe pro ſagacitate ſua præſenſiſſet, ſumma cum indignatione averſatus eſt, & denique ſi fides *Scotis* Commiſſariis in acerbiſſimæ criminationis, Parlamento *Anglicano* A. MDCXLI. adverſùs *D. Straffordium* exhibitæ, articulis, ſit adhibenda (a) D. *Uſſerio* aliiſque, ſe, ni ab iſthoc propoſito abſiſterent, ut articuli iſti infami publici Carnificis manu flammis traderentur mandaturum, comminatus eſt.

Certiſſimè conſtat, quod ab illius Eccleſiæ Epiſcopis & Presbyteris ſæpè ſæpiùs accepi, à tempore reſtauratæ Monarchiæ & Eccleſiæ ſub R. *Carolo* II. A. MDCLX. ſolos Eccleſiæ *Anglicanæ* articulos jam apud ipſos agnitos & in uſu eſſe: *Hibernicos* verò dudùm obſoleviſſe, & ab omnium memoria penè excidiſſe, & incognitos latere, ac ſi nunquam exſtitiſſent.

In eadem Synodo, ſive ſuggerente ſive proponente Viro doctiſſimo & præſtantiſſimo, D. *Joanne Bramhallo*, nuper D. Proregi à ſacris domeſticis, Epiſcopo *Derenſi* & poſteà Archiepiſcopo *Armachano*, & de Eccleſia *Hibernica*, ſi quis unquam, uti etiam de *Anglicana*, optimè merito, de integro Canonum & Conſtitutionum in Synodo, *Londini* A. MDCIII. & primo R. *Jacobi* I. anno celebratâ, concluſarum corpore in uſum iſtius Eccleſiæ admittendo, diſceptatum erat: ſed ſtrenuè admodùm interceſſêre D. *Uſſerius* aliique: tandem verò, litibus iſtis ceſſantibus, pacis causâ, omnes in unam hanc ſententiam acceſſêre, multos ex prælaudato libro Canonas ſeligi oportere; reliquis qui politeiæ Eccleſiæ *Hibernicæ*, & Gentis iſtius genio, indoli, moribúſque magis convenirent, communi conſultatione adjectis; è quibus ſimul commiſſis, novus ille *Conſtitutionum & Canonum Eccleſiaſticorum* conflatus liber *Dublinii* prodibat A. MDCXXXV. à Regia Majeſtate approbatus, & ejuſdem auctoritate ſub magno *Hiberniæ* ſigillo munitus & promulgatus, uti ex præfixo Inſtrumento liquet.

Non negandum eſt, D. *Laudum*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, virum ſanè pacis & unitatis Eccleſiaſticæ, inter univerſos Regiæ Majeſtatis ſubditos ineundæ, amantiſſimum & ſtudioſiſſimum, in iſta Synodo cauſam Religionis, conſiliis, ſtudiis, literíſque maximè juviſſe, qui omnia à D. *Uſſerio* edoctus, in literis reſponſoriis decimo die Maii A. MDCXXXV. (b) ſcriptis, ipſi & Eccleſiæ, tùm de meliori Cleri proviſione auctóque reditu, tùm de rerum in Synodo canonicâ & pacificâ determinatione, ſinceriſſimo cum affectu gratulatur: bonâ ſpe inde conceptâ, *Eccleſiam* Hibernicam, *novis hiſce ſubſidiis & intùs & extrà roboratam tandem iterum florere ſuceepturam.* Nolebat interim opinionem ſuam in pectore celare, ſibi longè meliùs & conſultiùs fuiſſe videri, ſi integros canonas, paucis emendationibus additis, cooptaſſent. Sed cùm illis aliter viſum fuiſſet, in illorum placitis acquieſcens, ſanctiſſimum Numen exorat, ut cœleſtem ſuam benedictionem iis impertiri dignaretur.

A. MDCXXXVIII. D. *Uſſerius* libellum ex concionibus, priùs de eodem argumento habitis, digeſtum, mole quidem exiguum, ſed uſu magnum, de *Myſterio incarnationis* Filii Dei, ſermone vernaculo *Dublinii* edidit. In quo ſacro-ſanctum illud Myſterium, neglectis Scholaſticorum argutiis, & abſque omni abſtruſæ ſubtilitatis affectatione, ex puris puris divinarum ſcripturarum fontibus hauſtum dilucidè explicatur, ut pii Lectores, vel mediocris

Opuſculum Uſſerii de Myſterio incarnationis Filii Dei.

(a) apud *Rushworthum* in hiſtoria judicii & ſententiæ feralis in D. *Straffordium* latæ, pag. 775.
(b) V. in *Sylloge* Epiſt. CLXXXIV. pag. 476.

captùs, in doctrina & vita Christiana facili sapientique documentorum, quæ passim suggerit, applicatione, ad praxin uberiùs eruditantur.

Egregius liber de Ecclesiarum *Britannicarum* primordiis ab *Usserio* editus.

Anno MDCXXXIX. post longas moras, partim ex ignavia, partim ex defectu typothetharum ortas, desideratum opus, cui per multos annos, pertinacem operam impenderat *D. Usserius*, felicissimè *Dublinii* in lucem prodiit: viz. de *Britannicarum Ecclesiarum primordiis*. In originibus Christianarum Ecclesiarum, in hisce occiduis mundi à *Palæstina* & *Syria* tantâ intercapedine dissitis regionibus, ab ultima antiquitate repetendis difficilis admodùm ponitur labor, tum ob veterum historiarum defectum (exstincto, enim illo lumine, omnia spissis tenebris sepulta jacent) tum ob subtilestam traditionis fidem, quæ fabulosa vetis miscet, (ne quicquam de mentiendi & ab omni vero alieniissimâ fingendi libidine, à scriptoribus Monachisque sequioris ævi arreptâ, dicam) ut nihil certi, quod mentem priscorum seculorum gesta cognoscendi desiderio anxiam sublevare possit, relinquatur. Quicquid verò Antiqui Scriptores, quicquid Recentiores de fide Christiana in hasce *Britannicas* insulas primò introductâ enarraverint, superstitiosis putidisque fabulis rejectis, utpotè otiosorum hominum commentis, quod speciosiorem similitudinem veri præ se ferat, Lectori dijudicandum relinquit. Sed postquàm difficultates hasce eluctatus, perruptisque dumetis in liberiorem patentioremque campum transiisset, ubi undique prospicere licet, h. e. ubi fides rerum ex historiis constare poterit, reliquias Antiquitatum ex omni librorum, sive typis exscriptorum, sive in membranis latentium, genere, ubicunque & qualitercunque sparsas indefessâ industriâ & defæcato judicio in unum corpus collegit; adeò ut opus istud universæ Ecclesiasticæ Antiquitatis *Britannicæ* gazophylacium meritissimo jure appellari mereatur. Ne illud aliquâ defloratione deturpare videar, meminisse tantùm oportebit, integram *Pelagii Britanni* hæreseos, ab ipso introductæ, sequaciúmque suorum, Historiam illic optimâ fide insertam fuisse: item de *Pictorum* ex *Scythia* & *Scotorum* ex *Hibernia* in *Britanniam* deductis Coloniis, de illorum ad fidem Christianam conversione, déque illorum Doctoribus: tum denique de S. *Patricio*, aliisque *Hibernia* sanctis, quamplurima, hactenùs aut parùm, aut perperàm cognita occurrere, quæ ex tenebris eruta novâ luce illustravit. Quò verò hæc Collectanea, in *Saxonicis*, *Anglicis*, & *Scoticis* ad A. DCCCCXXXVII. in *Hibernicis* ad A. DCLXXVIII. passim producta, Legentibus utiliora fierent, ad calcem Indicem Chronologicum apposuit diligentissimus Auctor, cujus beneficio, quid quovis seculo gestum fuerit, vel leviusculè inspicienti patet. Dum verò ea sequentibus annis sub incudem revocaverit, quod in recensione miscellaneorum frequenti usu venit, multa emendavit, multa quoque ex noviter repertis *propriâ manu* addidit, quæ in editione *Londinensi* A. MDCLXXVII. reperiuntur. Hoc immortale opus Serenissimo Regi *Carolo* I. illius augustissimi Parentis *Jacobi* I. jussu & auspiciis susceptum, inscribit D. *Usserius*, quod in omnem seculorum memoriam illius celeberrimum erga Patriam amoris & observantiæ monimentum perdurabit.

Ultimum Usserii in Angliam reditus.

A. MDCXL. (a) D. *Usserius* cum familia venit in *Angliam*, sed cum animo revertendi, utpotè *Hibernià*, uti ille putavit, *pacatissimo statu*, relictâ: quem non multò pòst facilitatis suæ seriò, & quidem dolentissimè, pœnituit, ibi nimirùm erumpente fœdissimâ rebellione XXIII. die Octobris A. MDCXLI. quâ centena millia hominum reformatæ Religionis, planè inermium & promiscuè cum vicinis Pontificiis securè & tranquillè degentium, crudelissimè & immanissimè interiere. Sed in *Anglia*, quò appulerat, partim *Londini*, partim *Oxonii*, partim *Cantabrigiæ*, studiorum causâ, commoratus, Puritani seditioli res novas moliendi opportunitatem diu expetitam tandem læti arripuerunt, confœderatis *Scotis*, quibuscum clàm inierunt consilia, *Angliam* numeroso exercitu invasuris. Hisce difficultatibus pressus Serenissimus Rex ordines regni iterùm hoc anno *Westmonasterii* Novembris tertio convenire jussit, concepâ spe, illorum ope & subsidio *Scoticanam* rebellionem exstingui, tumultúsque domesticos & exacerbationes populi, à Ministellis Presbyteranis, horrendum in modum delusi, sedari potuisse; sed per horum & per Demagogorum in Senatu nefandas artes, pacificis optimi Principis consiliis in ludibrium versis, omnia in pejus abiêre, & ingruentia mala remediis nullis, aut sisti aut sanari poterant.

Impia & cruenta *Hibernorum* rebellio.

In *Scotia* & *Anglia* seditiones.

Puritanorum de reformanda Ecclesia consilia.

Puritanâ factione in inferiori Camera Parlamenti, dominante, de reformanda Ecclesia sæpè deliberatum erat. Aliqui integrum Episcopalem ordinem, tanquam disciplinæ veteri Apostolicæ adversum, imò Papisticum & Antichristianum, penitùs eradicandum & evertendum esse, fanaticâ rabie perciti contendebant: alii verò, de Puritanis loquor, (nam multi aderant, licèt numero inferiores, qui fidem erga Regem & Ecclesiam intemeratam servavêre) sed longè moderatioris mitiorisque ingenii, jurisdictionem & potestatem Episcoporum, quam gravamen onúsque intolerabile caussati sunt, minuendam, & intra arctiores terminos cogendam esse voluerunt. Et fortasse hac ex parte boni quidem viri & strenui Ordinis Episcopalis assertores, ad malum istud fatale, quod neutiquàm aliter evitari poterat, averruncandum, quippiam concedi posse censuêre: in quorum numero *Usserius* recensendus est.

Usserii de Liturgia & regimine Episcopali sententia.

Cùm verò hac de re, sive à Serenissimo Rege, aut à Senatoribus consultus rogatúsque, sive propriâ sponte sententiam dixisset, malè feriati quidam homines, Presbyteranæ *inscriptiæ* & paritatis introducendæ studiosi, non modicum robur & auctoritatem in se suámque causam derivaturi, libellum ex apographo surreptitio fœdè exscriptum & interpolatum sub illius nomine publicârunt: viz. *Archiepiscopi Armachani Consilia* (*Directions*) *Parliamento*

(a) V. Epist. ad L. *de Dim* CCIII. pag. 499.

exhibita

exhibita de Liturgia & regimine Epiſcopali. Archiepiſcopus verò de hac violatione juris & læsâ famâ apud Adſeſſores inferioris Cameræ acerrimè queſtus eſt, qui de exemplaribus jam exſtantibus, aut exſtituris, ne divulgarentur, ſupprimendis brevi conſulto providerunt, *illos, qui ſecùs fecerint, cenſuræ ejusdem Cameræ obnoxios fore* ſtatuentes. Sed hac ex parte D. *Uſſerium*, ex vehementi ineundæ pacis & concordiæ ſtudio, ſchismaticis nimiùm indulſiſſe, ex genuino exemplari, quod in gratiam Presbyteranorum ex autographo A. MDCLVIII. edidit D. *Bernardus* hoc titulo: *Reductio Epiſcopatûs ad Synodici regiminis in veteri Eccleſia recepti formam A. MDCXLI. à reverendiſſimo & doctiſſimo hujus Eccleſiæ Patre*, D. Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *& totius* Hiberniæ *Primate*, ſatis liquet: in quo, quatuor propoſitiones regimini & diſciplinæ Presbyterali, à *Knoxio* reliquiſque furioſis iſtius Eccleſiæ Reformatoribus introductæ, maximè conformes, niſi quòd ſuffraganeos ſive Chorepiſcopos, Decanatibus ruralibus numero pares, juxta ſtatutum XXVI. annô R. *Henrici* VIII. ſanctum, & poſteà primô R. *Eliſabethæ* renovatum, reſtituendos vellet conciliator, utrumque regimen Eccleſiaſticum in unum conjuncturus, continentur. Sed annon, poteſtate, ſive ordinis, ſive jurisdictionis, ipſis peculiari, exuti Epiſcopi, merum & inane nomen & umbra fiunt? utpotè ſolô ſive Epiſcoporum ſive *ſuperintendentium* (ſic enim illos promiſcuè nuncupare ad libitum licebat) ſive *Præſidum* ſive in Synodis Eccleſiaſticis *Moderatorum* titulô relictô. Ita indebitâ hâc *συγκαταβάσει Uſſerius* ſe in iſtis turbulentiſſimis temporibus Epiſcopalis Ordinis, quæ imminebat, & mox ſecuta eſt, ſubverſioni obviam iturum ſperabat, quem, hoc pio propoſito candidè admiſſo, omnes æqui rerum æſtimatores excuſabunt. Hæc verò tum ſereniſſimi Regis tum illius pacifica conſilia, tunc temporis, uti & poſteà in Collatione in *Veſti* Inſula, cui Regio juſſu, ille cum aliis reverendiſſimis Epiſcopis & Theologis itidem illuc accerſitis, interfuerat, A. MDCXLVIII. ad finem vergente inter Regem & Commiſſarios Parlamentarios habitâ, ſprevit rebellium ſchismaticorum furor, qui eversâ, quantùm in illis erat, Eccleſiâ *Anglicanâ*, triumphatiſque Epiſcopis, ſoli regnare, imò nefariam tyrannidem exercere cupiebant: quod, Deo permittente, triſtiſſimus rerum eventus mox demonſtrabat. Hæ autem, quibus Epiſcoporum dignitas imminuebatur, conceſſiones ex neceſſitate temporum ortæ, *Uſſerio* rigidè imputari non debent. Quàm enim erecto animo, quantâ eruditione, & quàm ſinceriſſimâ mente hoc ipſo tempore Apoſtolicam Epiſcoporum originem & inſtitutionem ille propugnaverit, ex libris editis, mox videbimus.

Uſſerius coram Dominis ſuperioris Cameræ Parlamenti concionatur.

Indicto ſolenni jejunio, die Decembris viceſimo ſecundo A. MDCXLI. coram Dominis ſuperioris Cameræ Parlamenti concionem habuit *Uſſerius*, in qua, quin ille officio ſuo probè functus fuerit, vix dubitandum videtur: quam cùm Bibliopola quidam *Londinenſis*, notis compendiariis ab ipſius ore exceptam lucri causâ publicaverit hoc titulo: *Vox Hiberniæ*: ſed craſsè, imperfectè, & ſine debita aut verborum aut ſenſûs connexione; ille de turpi hac injuria, ipſius famæ inflictâ, querelas, libellis ſupplicibus comprehenſas, apud Magnates, qui interfuerant, interponere, ſua intereſſe duxit; qui brevi ſcito edito, Præfectus ſocietatis Bibliopolarum *Londinenſium* injunxêre, ut ſuppoſititius iſte libellus ſupprimeretur. Hæc duo ſcita in ſui vindicias *Uſſerius* ad calcem *Diſquiſitionis de Lydiana Aſia* A. MDCXLIII. *Oxonii* impreſſæ publici juris fieri curavit.

Quomodo ſe geſſerit Uſſerius in causâ Straffordiana oſtenditur.

In causa verò *Straffordiana* D. *Uſſerium* humanis affectibus nimiùm quantùm, contra quàm virum bonum decuerat, indulſiſſe, dum unus & alter ſcriptis editis malâ fide contenderent, paulò enucleatiùs, & paucis quidem (neque enim rerum geſtarum in *Anglia* commentarios ſcribo) unde hæc calumnia originem duxerit, in gratiam exteri Lectoris hîc referam.

Cùm fatale internecinúmque odium ſibi apud Puritanos factioſóſque *Anglos*, & *Scotos*, illuſtriſſimus D. Comes *Straffordiæ Hibernia* Prorex, Vir excelſi animi, & conſtantiſſimæ & inconcuſſæ erga Regem & Eccleſiam fidei, fortè, ne dicam, rigidâ rerum *Hibernicarum* adminiſtratione, conſciviſſet, partium adverſarum, in Camera inferiori Coryphæi Monarchiæ jura minui, aut Eccleſiæ ſacros ritus, cultum, & diſciplinam peſſundari non facilè poſſe, niſi poſt exſtinctos perdiróſque D. *Straffordium* & D. *Laudem*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, pro comperto habentes, ambos horrendis criminationibus oneratos oppreſsóſque, quaſi inductis arbitrariâ poteſtate & *Romanâ* ſuperſtitione, fundamentales regni conſtitutiones & jura eſſent everſuri, in Comitiis Parlamentariis tertio Novembris A. MDCXL. indictis, læsæ majeſtatis reos peregêre. Comes verò numeroſis articulis coram *Paribus* ſuis, ad quorum tribunal in foro *Weſtmonaſterienſi*, maximo cum apparatu, Rege & Reginâ præſentibus, per multos dies ſiſtebatur, promptis animo & linguâ, prudentiſſimè reſpondens, ſeſe criminibus, ab inferioris Cameræ Commiſſariis objectis intentatiſque, purgat, & ſi quid peccatum fuiſſet, quod vix humana ſapientia præcaveri poterat, dum *Hiberniam* ſummâ poteſtate regeret, totum illud in cenſum læsæ majeſtatis venire neutiquàm per leges aut poſſe aut debere oſtendit. Rejectâ igitur hâc methodo, aliam, ſi non omninò novam, ſaltem per centum annos deſuetam & perniciosiorem, Actores iſti inîêre, viz. per *billam attinctûræ*, ut phraſi noſtrâ municipali utar, ex vi legislationis: quam tandem, poſt acerrimas concertationes, malis artibus, majori ſuffragiorum numero obtinuêre. Hâc quoque ad alteram Dominorum Cameram delatâ, plures ibi, aut odio & invidiâ perciti, aut blanditiis irretiti, aut minis conſternati, ceſsêre. Sed utriuſque Cameræ ſcita abſque Regio aſſenſu, in quo ſumma, propria, imò & unica poteſtatis legislativæ ratio conſiſtit,

nihil

nihil valent : cui procurando interceſſêre difficultates non adeò facilè ſuperandæ. Rex enim fidelisſimum ipſius Adminiſtrum, iſtius criminis, quod nos vernaculâ linguâ nuncupamus *High Treaſon*, non ritè, imò & perperàm inſimulatum fuiſſe, animo & conſcientiâ convictus, *Billa* calculum ſuum adjicere nolebat. Quomodo verò ad id, à quo tantoperè abhorruit, adigi potuerit, explorare Demagogorum erat labor & opus. Primò igitur cives, aliique ex infima fæce populi incitati, inconditis clamoribus *Straffordium* ad cædem adpoſtulârunt, quaſi eſſet hominum ſceleſtiſſimus, & univerſæ Gentis *Britannicæ* piaculum, libellis editis, illo ſuperſtite, publicam pacem periclitari, omnia ad interitum ruere, & de Republica protenùs actum iri, congeſtiſque in piiſſimum & clementiſſimum Regem ſpurcis convitiis, vociferantes, de ipſius, déque Regiæ familiæ ſalute non aliter eſſe proſpiciendum. Quid autem in hac difficillima rerum perplexitate agendum erat? Non enim illius conſcientia verbis minacibus, atroci violentiâ, inſanientiſque plebis ad portas Aulæ & ubique in plateis comminationibus, ſed graviſſimis rectæ Rationis & Theologiæ ſanæ, & ab omni ſeculari politica integræ, principiis ſedari potuit. A *Paribus* igitur ad Regem mittuntur quatuor Episcopi, *Uſſerius* Armachanus, *Mortonus Dunelmenſis*, *Guilielmides Lincolnienſis*, & *Potterus Carliolenſis*, qui ex ipſius animo ſcrupulos eximerent; abluditenim ab omni veriſimilitudine, Regem unum & alterum ex his, præſertim *Guilielmidem*, quem maximè infeſto erga *Straffordium* animo eſſe, auráque populari poſt nuperam ex diuturno carcere liberationem tùm temporis afflatum noverat, inter Conſultores nominari voluiſſe. Nono die Maii, qui Dominicus erat, tres Episcopi convenerant, quibus Rex *Juxonum Londinenſem* adjungi juſſit, abſente *Uſſerio*, quem quidam ex domeſticis Regiis ad accerſendum miſſus, in Eccleſia S. *Pauli Convent-Garden* in media concione perorantem (ibi enim diebus Dominicis ſacro iſto munere fungi conſuevit) reperit: ſed redit incomitatus: *Uſſerio* reſpondente, ſe *jam Dei negotiis occupatum, iis confectis, ad Aulam properaturum.* Potuit ſanè *Uſſerius*, ut ego facilè inducor, ut credam, ſine offenſa Dei & bonorum hominum ſcandalo, imò debuit, relictis roſtris, ſtatiſſe curſum orationis, in re maximi momenti, qualis erat anxiæ mentis pientiſſimi Principis tranquillitas, procuranda. Cùm in argumentis propoſitis, tanquam inanibus Κρυφυλίτης, Rex minimè ſibi acquieſcendum eſſe pro pietate ſua duxerit, res iſta ad diſceptationem alteram veſpere habendam prorogatur. *Uſſerius* tunc aderat, unà cum reliquis, qui, inter ſe conſultationibus priùs habitis, Regi poriſmata hæc, de quibus convenilles, D. *Juxono* ſuam ſententiam non interponente, ut *rem facti & legis eſſe diſtinguendam & ſecernendam: quod ad rem facti ſpectat, de illo Regem poſſe judicare, ſi ipſi conſtet; iſtorum criminum Comitem non eſſe reum, ſententia ferali nullo modo conſentiri jure poſſe: quod verò ad rem legis ſpectat*, h. e. de natura & ratione criminis læſæ majeſtatis, *an hoc aut illud factum in iſto reatu involveretur, illum in ſententiis Judicum*, quorum eſt interpretari legem, & qui jurejurando adſtringuntur, ut juſtos & æquos arbitros erga omnes, nullo diſcrimine habito, ſeſe gerant, *acquieſcere oportere.* Hinc poſteà in infamiam *Uſſeriani* nominis ſpargebatur calumnia iſthæc, quaſi ille ex ſimultate in mente olim contra *Straffordium* ob rejectos ex conſequenti per articulorum Eccleſiæ *Anglicanæ* admiſſionem articulos *Hibernicos*, olim conceptâ, Regi ad conſentiendum cædi *Straffordianæ* perſuaſiſſet. Quod ille præfractiſſimè negavit omni tempore, & præſertim inſtante periculo mortis, dum in *Wallia* circa A. MDCXLV. moratus ſit, à D. *Parro*, ipſi à ſacris domeſticis, an res ita ſe haberet, interrogatus, appellavitque ad Regem, qui illum, ut dixit, ab hoc crimine impacto vindicare poterit, ſi vellet. Et ſanè voluit Rex, quod *Uſſerius* exſpectavit. Cùm enim de morte *Armachani* rumor *Oxonii* brevi percrebuiſſet, dixit Rex, hoc nuncio audito, non ſine debitis pietatis & meritorum illius elogiis ad aſtantes, ſe dolere: cui cùm quidam ex præſentibus Aulicis reſpondiſſet, ſe quoque dolitorum, ſi Majeſtatem veſtram ad *ſignandam* contra D. *Straffordium billam* ſuaſionibus ſuis non induxiſſet, Rex non parùm commotus, *id eſſe falſum* replicavit; addens, Archiepiſcopum, illum mox adeuntem, lachrymis obortis interrogaſſe: *Ah Domine, quid feciſti! vereor, ne ſcitum hoc ingentem conſcientiæ veſtræ moleſtiam deinceps ſit illaturum: Deinque veneror, ne ex hac conſenſu* (extorto planè) *quippiam mali, inde oriturî, Majeſtati veſtræ conflngat.*

Hinc ex parte vindicatur *Uſſerius.*

Non conveniebat ingenuis, placidis, ſanctiſque D. *Uſſerii*, quò nemo erat ab omni diſſimulatione alienior, moribus inimicitiam in imis præcordiis repoſuiſſe, & per tot annos tempus vindictæ opportunum præſtolari: in quo convitio planè ficto & perperàm ſuppoſito, poſt invictum iſtud D. Regis teſtimonium, quod nemo ſanus in quæſtionem vocare poterit, refellendo, non eſt, quòd multis laborem. Ab iſthoc tempore, dum ambo in *Hibernia* manſerint, ſincera inter Proregem & Archiepiſcopum interceſſit amicitia, ſine vel minimâ læſæ bonæ voluntatis ſuſpicione alterutrinque ortâ. Poſteà autem, cùm in ipſis motuum civilium, in cruentam rebellionem citò erumpentium, initiis illuſtriſſimus Comes ſub prætextu auctoritatis Parlamentariæ, & libertatis populi vindicandæ in Turrim *Londinenſem* conjiceretur, illum ibi ſæpè tum ad teſtandum affectum, tum honoris & veteris amicitiæ causâ, pius ſalutaribúſque conſiliis illum ad cruentam mortem Chriſtianè & fortiter oppetendam adjuvans, & in animæ ſolatium cœleſti viatico & ſacerdotali abſolutione muniens, invitare ſolebat, & cùm fatalis hora inſtaret, ad ferale iſtud pegma, illum comitatus eſt, illius mentem adversùs mortis metum, in iſto extremo agone, ſi opus fuiſſet, ſed non opus erat: (nemo enim è veteribus *Romanis* heroibus, nemo è Chriſtianis, aut majori conſtantia & fortitudine, aut meliori pietatis ſenſu triſtiſſimæ iſti ac immeritæ neci ſuccubuit) Chriſtianis documentis firmaturus.

A. MDCXLI. Cùm famoſi libelli, inſulſi, indocti, & ſpurciſſimis mendaciſſimiſque convitiis ſufferti, contra ſacrum Episcopalem ordinem, quem Schiſmatici Miniſtelli radicitùs evellendum eſſe, tanquam Antichriſtianum, fanaticâ rabie efferati, cupiebant, per univerſam *Angliam* volitarent, venerandi Præſules, omnésque benè morati Eccleſiæ *Anglicanæ* filii, libris editis, concionibus, colloquiis, ſuaſibúsque cum omni manſuetudine adhibitis, populum, ad inſaniam uſque miſerè deluſum, ad pacem & unitatem Eccleſiaſticam ſervandam allicere pro virili ſtuduerunt. Sed fruſtrà: peſtis enim immaniſſimè ſæviens nullis remediis erat expugnanda. Inter quam plures alios didacticos, ſuaſorios, & apologeticos libros pro Epiſcopatu editos, quorundam Opuſculorum à viris, tam pietatis & orthodoxæ fidei, quàm eruditionis famâ inſigniſſimis, putà *Richardo Hookero*, *Lancelotto Andreâ*, Epiſcopo *Wintonienſi*, & *Edwardo Breerewoodo*, conſcriptorum Sylloge prodiit *Oxonii*; in qua etiam comparent duo D. *Uſſerii* tractatus, quorum unus inſcribitur: *De Epiſcoporum & Metropolitanorum origine*, præmiſſis quibusdam breviculis ex *Martino Bucero* & *Joanne Rainoldo* de eodem argumento excerptis. Ille enim à reverendiſſimo viro D. *Joſepho Hall*, tunc *Oxonienſi*, mox *Norwicenſi* Episcopo, qui non minùs nervosè & ſtrenuè, quàm argutè & ſcitè ſacram Epiſcoporum cauſam contra tumultuantes ſchismaticos tutatus fuerat, rogatus, in prioti ſeriem & ſucceſſionem Episcoporum à temporibus Apoſtolorum deducendam eſſe, ex veterum Patrum, ſecundi nimirùm & tertii ſeculi, ſcriptis clarè oſtendit: item Angelos ſeptem Eccleſiarum *Aſiæ* fuiſſe viros ſingulares, qui iſtis Eccleſiis præſidebant, & Epiſcopos propriè & diſtinctim à Presbyteris ſecundi ordinis dictos: haſce denique ſeptem urbes, ubi primævi iſti Episcopi ſuas ſedes habuere, fuiſſe metropoles, quibus vicinæ urbeculæ & oppida ſubjacebant, aliásque ſedes metropoliticas per *Romanum* Imperium ſparſas, juxta formam & diſtributionem civilis juris legibus imperatoriis ſtabiliti, olim obtinuiſſe memorat, ut nulla juſta de hac ſupereminenti Archiepiscoporum dignitate & poteſtate, ad canonas Eccleſiaſticos exigenda, in animo oriri poſſit dubitatio. Alter verò, huic connexus, hoc titulo inſignitur, *Geographica & Hiſtorica Diſquiſitio de Lydiana ſive Proconſulari Aſia, & de ſeptem Metropoliticis Urbibus in illa comprehenſis*: & poſtea novis *curis* recognitus & ampliùs reditus, *Oxoni* MDCXLIII. cujus compendium olim à me Anglicè ſcriptum, & in vita ipſius grandi Epiſtolarum collectioni præfixa *σύνταξιν* inſertum, hîc Latinè interpretabor.

Libri in defenſionem ordinis Epiſcopalis à quibus editi.

Ejus & ob *Uſſerio*, vita de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine.

&

Diſquiſitio de Lydiana ſive Proconſulari Aſia.

Poſtquàm reverendiſſimus Auctor, admirandam planè in Geographia veteri & Legibus imperialibus peritiam, ut meliùs iſtorum temporum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & civiles intelligerentur, utpotè ex quibus varias minoris *Aſiæ* provincias, putà *Myſiam*, *Cariam*, & *Lydiam*, (ſub quarum poſtremâ vicinæ *Ioniæ* & *Æolidis* regiones erant comprehenſæ) definivit & determinavit, in initio hujus Opuſculi oſtendiſſet, ille ſtatim demonſtrat:

1. *Aſiam* in Novo Inſtrumento memoratam intra limites *Lydiæ* contineri, unamquamque ex his ſeptem Urbibus fuiſſe Metropolim; & ideò juxta hanc civilis regiminis partitionem, in ſedes eminentiſſimarum *Aſiæ* Eccleſiarum fuiſſe adaptatas.

2. *Romanas* provincias non ſemper fuiſſe easdem, ſed prout ratio politices exigebat, & ut faciliùs & ſecuriùs adminiſtrarentur, ſæpe variaſſe, & varias ſubinde mutationes admiſiſſe: certum eſt enim partitionem imperii ſub *Auguſto* longè aliam eſſe ab illa, quæ ſub *Conſtantino* obtingebat: quo tempore *Aſia* Proconſularis ſoli *Lydiana Aſia* aſtringebatur: grandi iſta jurisdictione, quam olim obtinuerat, jam valdè contractâ, & diſcrimine inter Proconſularem *Aſiam* jurisdictioni Proconſulis ſubditam, & *Aſiæ* Diœceſin, à Vicario ſeu Comite *Aſiæ*, ſive *Aſianæ* Diœceſeos adminiſtratam, invecto: in temporibus etiam ſequentium Imperatorum novas quoque mutationes contigiſſe, in illa verò diſpoſitione ſub *Conſtantino* ordinatum fuiſſe, non niſi unam metropolim in ſingulis diſtinctis provinciis admitti debere: cùm earundem numerus anteà fuiſſet multiplex. Dicendum eſt tamen, legem hanc ſub illius ſucceſſoribus non ſemper invariatam manſiſſe: hi enim interdum, ne quorundam Episcoporum, acriter de titulo iſthoc ob opulentiam & amplitudinem civitatum, quibus præſidebant, contendentium, ambitioni ſatisfieret, duos Metropolitanos in una provincia nuncupari & eſſe permiſere.

3. Reſpectu ad hanc *Conſtantini* conſtitutionem, *Epheſum* (ubi Deputati iſtarum provinciarum, *Aſia τὸ κοινὸν* ſive *Commune Concilium* conſtituentes, ſolennes conventus habuere, & quæ olim præcipua Urbs habita fuiſſet) hujus novæ Proconſularis *Aſiæ* factam fuiſſe ſolam metropolim: cujus Proconſul ab auctoritate & jurisdictione Præfecti Prætorio erat immunis. Ac proinde in Eccleſiaſtica rerum adminiſtratione, ad conciliandum majorem huic inclytæ ſedi ſplendorem, Episcopum *Epheſi* non ſolius Proconſularis *Aſiæ*, ſed etiam omnium Provinciarum in totius *Aſianæ* Diœceſeos (de qua amplum in modum differit) ambitu comprehenſarum Primatem ſive Exarchum habitum fuiſſe, illúmque quandam jurisdictionem Patriarchalem, ipſi ex conſequenti collatam, interdùm exercuiſſe.

Denique non modicam inter civilem & Eccleſiaſticam jurisdictionem harmoniam fuiſſe, & proinde ex juſta illatione cujuſque Provinciæ Episcopos Metropolitano, i. e. Archiepiscopo, ſubditos & ſubordinatos fuiſſe, ſicut reliquarum inferiorum civitatum Magiſtratus Præſidi, ſive ſummo iſtius Provinciæ Rectori, ſubjacebant.

Exeunte hoc anno, frequentes ex *Hibernia* advolarunt nunciî de fœdiſſima illa *Hibernorum* Pontificiorum rebellione nuperrimè exortâ, de lanienis & cædibus Proteſtantium, de rapinis, de incendiis, déque horrendis ſtragibus ubique perpetratis, adeò ut de iſta Inſula, excuſſo *Anglorum* imperio, omninò actum videretur. In illis Patriæ ruinis graviſſima mala perpeſſus

MDCXLI. Rebellio *Hibernorum*.

esit D. *Usserius*. In *Ultonia*, ubi terterrima ista pestis maximè grassata est, prædia ædésque illius ferro & igni vastatæ, frumentum præteritæ messis in horreis repositum, boúmque & ovium ingens copia perductibus in prædam cessêre: reditus, quos ad sumptus in *Anglia* faciendos a Colonis Tenentibúsque ipsius solvendos exspectaverat, intermissi, imò, & perditi, nec deinceps percipiendi; nihilque jam in *Hibernia*, quod sui juris esset, relictum, præter Bibliothecam, de qua posteà dicendum erit, non nisi singulari divinæ bonitatis indicio, integram servatam: nec in *Anglia* quicquam ad alendam familiam in peculio habuit, præter supellectilem argenteam gemmásve, quas aut vendere, aut saltem oppignerare cogebatur. Omnia hæc incommoda forti & verè Christiano animo sustinuit *Usserius*. Sed cùm D. *Potterus* Januario sequente è vivis excessisset, serenissimus Rex, ad damnum illud aliquo modo sublevandum, Episcopatum *Carleolensem* jam vacantem à D. *Usserio* in *Commenda*, uti Jurisperiti loquuntur, *tenendum* concessit. Sed *Scotis* militibus, post nuperam in *Angliam* irruptionem, provincias istas septentrionales insidentibus, quorum continuis deprædationibus erant obnoxiæ, nec longè aberat exercitus Regius, vix quicquam certi aut magni emolumenti percipere potuit. Post, ordine Episcopali penitùs everso Patrimonióque sacro à sacrilegis schismaticis occupato, & suis sequacibus vilissimis conditionibus & longè infra valorem, distracto & vendito, D. *Usserio*, quem ob suam pietatem, eruditionem & moderationem, revereri præ se tulerint, quadringintas libras sterlingicas ex fisco in annuam pensionem assignari curárunt: Sed non diu duravit hæc quasi extorta liberalitas.

Quomodo *Usserio* ad inopiam redacto succurrunt.

Scribit *Bernardus*, circa hoc tempus D. *Usserium*, in tanta rerum perplexitate positum, à Cardinale *Richelio*, qui res istius regni summâ, ne dicam, arbitrariâ, potestate, & penè solus moderaretur, in *Gallias* invitatum fuisse, ut *Anglia* jam motibus intestinis agitata, illic ab omni periculo & molestiâ liber, nullâ vi conscientiæ in sacris illatâ, Regiâ munificentiâ suffultus, animum studiis intenderet. Sed nescio quâ fide hoc ille asseruerit. Non vanus autem suspicor, errorem inde profluxisse, quòd idem amplissimus Cardinalis post acceptum D. *Usserii* de *Ecclesiarum Britannicarum primordiis* librum, ante duos annos editum, honoris & observantiæ causâ, illum nummitate aureo, cui incisum erat ipsius caput, donaverit. *Usserius* verò gratum hoc & insigne munus canibus Leporariis, quales *Hibernia* parit, utpotè ubivis gentium famigeratos, rependendum, foràsse id rogatus, curavit. Constat sanè (a) serenissimam Reginam *Annam Austriacam*, illum ad regnum istud florentissimum post decennium vocasse: sed quibus conditionibus, id mihi planè inexploratum est. Penès eundem Auctorem fides esto, an eodem quoque tempore Curatores Academiæ *Lugduno-Batavæ Usserio* Professoris honorarii munus obtulerint, nec ne: quod licèt summi viri, *Josephus Scaliger* & *Claudius Salmasius* suscipere & amplecti non dedignati fuerint, ille supereminentem illam, quam nactus est in Ecclesia, dignitatem inani isthoc titulo dedecorare nolebat. Quævis gens de tanto hospite excipiendo meritò contenderet: in istis tamen turbulentissimis temporibus apud interioris admissionis amicos domi latere & consenescere, quàm prodire foras, & quasi in Theatro comparens, exterorum plausibus excipi, longè potius & expetibilius duxit.

Usserius fugiente bello *Oxonium* migrat.

MDCXLII. Rege ab Urbe, in qua per seditiosos ferocientésque cives, citra periculum diutiùs morari non licebat, discedente, nullâque spe distidia, inter Regem & Senatum *Westmonasteriensem* ortâ, aut pacandi aut tollendi jam relictâ, *Usserius*, impetratâ veniâ, *Oxonium* properavit, ut ibi mentem publicis malis saucian repetitis literarum studiis leniret & solaretur.

Vergente versùs finem anno, post prælium in campis *Keintonianis* prope *Edgehill* in provincia *Warwicensi* inter Regios & Parlamentarios commissum, Rex, comitante exercitu, rectà *Oxonium* petiit, ibi castra stativa habiturus. Sequente Dominicâ coram Regia Majestate concionatus est D. *Usserius*, qui argumentum sacræ orationis ad res in turbatissimis istis temporibus subinde enatas attemperare nôrat: nec semel tantùm, sed frequenter, Rege jubente, isto sacro munere illhic defungi consuevit.

R. *Caroli* propensionis ad Papismum introducendum falsissimè Postulatum.

MDCXLIII. Iisdem artibus ac strophis, quibus populum, contra ejusmodi insidias præstigiásque non satis cautum, ad arma contra Regem sumenda primò induxerunt rebellionis Architecti, usque & usque uti perrexêre: Regem nimirùm de religione, legibus, & juribus Parlamentorum totiúsque populi *Anglicani* evertendis arcana consilia in pectore suo olim habuisse, adhúcque alere: quo convitio, ut ut mendacissimo, & ab omni specie veri alienissimo, nulla potentior machina ad quassandam subditorum fidem excogitari potuit. Licèt autem innocentiam suam publicis edictis sæpè sæpiùs, invocato Dei nomine, testatus fuerit optimus Rex, eandem tamen dicam toties confossam falsisque convictam, majori impudentiâ, ad denigrandam illius famam impegêre impii, perjuri, & sacrilegi calumniatores. Cui ut magis magisque obviàm iretur, novam innocentiæ suæ asserendæ methodum inire pientissimo Principi placuit.

R. *Caroli* profectio.

Rex sacrosancta corporis & sanguinis Christi in sacello ædis Christi *Oxon.* flexis genibus percepturus, dum D. *Usserius*, ea exhibiturus, accesserit, indicto facto, ut brevem moram faceret, surrexit ex pulvinari, & erecto corpore stans, illum clarâ voce ita affatus est.

(a) V. D. *Usserii* Epistol. CCCVI. ad *Arnoldum Bootium*, *Londini* 29. Novembris 1651. scriptam, in *Syllege* pag. 622.

MYLORD

MYLORD,

I eſpy here many reſolved Proteſtants, who may declare to the world, the reſolution I do now make. I have to the vtmoſt of my power prepared myſelf to become a worthy Receiver: and may I ſo receive comfort by the bleſſed Sacrament; as I do intend the eſtabliſhment of the true Proteſtant religion, as it ſtood in its beauty in the happy dayes of Queen Elizabeth, *without any connivence of Popery. I bleſs God, that in the midſt of the publick diſtractions I have ſtill liberty to communicate; and may this Sacrament be my damnation, if my heart doth not joyn with my lips in this Proteſtation:*

hoc eſt,

MYLORD,

Video hic multos bene firmatos Proteſtantes, qui propoſitum illud, quod jam profero univerſis declarare poſſint. Ipſe, pro viribus meis, quantum poſſem, animam meam preparavi, ut dignè communicem: & ex hoc benedicto Sacramento ſolamen caſuris percipiam, prout apud me ſtatuo veram Proteſtanticam religionem ſicuti in felicibus Reginæ Elizabethæ *temporibus in pulchritudine ſua floruit, ſtabilire, ſine aliqua Papiſmi conniventia. Benedico Deo, quòd in mediis hiſce publicis rerum confuſionibus, adhuc fruar libertate communicandi: & in damnationem meam cedat hoc Sacramentum, ſi cor meum labiis meis in hac profeſſione non conveniat.*

Proteſtatio hæc ſolennis D. *Armachano* coram aliquammultis Proceribus, aliiſque celebrioris notæ viris tunc præſentibus, facta, mox typis exſcripta erat: quam in hoc Commentariolo inſerendam duxi, ne memoria ejus unquam intercidat: & eò quidem lubentiùs, quòd ne milleſimus quidem illorum, qui hodiè vivunt, de illa vel fando audiverit. Et facilè quidem & juſtis de cauſis crediderim, neminem præter rebelles ſchiſmaticos, & impios flagitioſiſſimorum Regicidarum nepotes, R. *Carolo* I. quo nemo fuit ſanctiſſimi Numinis reverentior, ita ſub diris obteſtanti diffidere, reclamare, & refragari poſſe.

Synodus *Weſtmonaſterienſis.*

Hoc anno ſuppreſsâ publico edicto, ſive *ordinatione*, ut appellant, contra omne jus fasque, Liturgiâ, abolitiſque ſacris ritibus in Eccleſia *Anglicana*, ab ipſis Reformationis initiis ſapientiſſimè inſtitutis, ne omnem religionis curam abjeciſſe viderentur Parlamentarii *Weſtmonaſterienſes*, Conventum Anglicè, an *Aſſembly*, Theologorum ibi celebrandum indixerunt, quorum arbitrio, ipſis tamen approbaturis, committum erat, ut novam fidei & doctrinæ confeſſionem, novámque ſacri cultûs formulam. Quales verò fuerint iſtius novæ & hactenùs in *Anglia* inauditæ Synodi, ex Clericis Laïciſque conflatæ, Adſeſſores, non parùm intereſſe puto, ut poſteri norint. Plerique claſſicum ad bellum contra Regem gerendum ejuratâ fide, in pulpitis cecinerant, & in Hierarchiam, ab omni tempore in Eccleſia Catholica ſtabilitam, impudentiſſimis ſpurciſſimiſque libellis, apud vulgus quaquaversùm ſparſis, & procaciſſimis conciunculis furore fanatico perciti, fuerant debacchati. Præclari quidem Myſtæ iſtis egregiis muniis obeundis maximè idonei! Non negandum eſt, verſutos homines ad quandam ſive gratiam ſive auctoritatem ſibi conciliandam, quoſdam ex Epiſcopis, Presbyteriſque, qui nondùm ab illorum bona exiſtimatione excidiſſent, intermiſceri voluiſſe. In quibus, ut alios taceam, D. *Uſſerius* venit nominandus. At ille, quod de cæteris venerandis Præſulibus dicendum eſt, ſatis gnarus, intolerandum ſchiſma inde enaſciturum, multáſque prodigioſas in detrimentum, imò & perniciem, veræ Religionis & Eccleſiæ mutationes ex neceſſitate ſuboriturus eſſe, illos ne præſentiâ ſuâ vel ſemel dignari voluit, & ab iſto *malignantium* cœtu prorsùs abſtinuit. Detractâ enim ſanctimoniæ, quâ ſcelerata conſilia priùs obtexerant larvâ, *Uſſerius Oxonii* ſub caſtrorum Regiorum præſidio tutus, rebellionem jam apertâ facie ubique graſſantem ex animo execratus eſt multóſque concionibus aſſiduis, colloquiis, hortatibus, ſolutionibus dubiorum & caſuum conſcientiæ, ſcriptiſque ad abſentes tranſmiſſis, nutantes in fide erga Regem præſtandâ confirmavit, lapſóſque reſtituit. Nec id diu factioſos rebelléſque *Weſtmonaſterienſes* latere potuit, qui ex communi ſuffragatione latâ illius nomen ex albo Adſeſſorum expungendum juſsêre: quod honori & beneficii loco *Uſſerius* duxit. Sed non hîc ſubſtiterunt Presbyteranorum furor & indignatio; mox enim luebat pœnas, licèt maximè immeritas, conſtantiæ ac probitatis ſuæ. Commiſſarii *Delinquentium* (ita enim quotquot ex ſenſu religionis & conſcientiæ Regias partes in iſtis fatalibus diſſidiis ſecuti fuerint, pro modeſtia ſuâ nuncupârunt) prædiis bonisque mobilibus, ubicunque tyrannis iſta ſub dominante exercitu, illorum juſſu conſcripto, extendi potuerit, diripiendis; ſuque ſuum uſum convertendis, deputati, ingentem, & quidem ſelectam, librorum copiam, aut ſecum ex *Hibernia*, cum reliqua ſupellectile ad domeſticos uſus neceſſariâ, comportatam, aut pecuniis, rebus adhuc proſperis, nuper redemptam, in Collegio *Chelſeiano*, prope Urbem ſito, tanquam in Sanctuario ab omni militum violentia immuni, uti ſacrum depoſitum, relictam, armatâ vi occupârunt: quam publicâ auctione eſſent venundaturi, niſi D. *Featleyus*, vir perdoctus, orthodoxúſque Theologus, nondùm ex iſta Synodo, ob fidem, quam erga Regem & Eccleſiam clàm retinuit, exauctoratus, & D. *Seldenus*, tunc temporis magni nominis Adſeſſor, ſive precibus, ſive pecuniis numeratis, interceſſiſſent: quorum utriuſque junctis operis & curâ, theſaurus ille literarius, licèt non integer, (exſpoliatus enim erat & codicibus quibuſdam impreſſis & ſchedis manuſcriptis mutilatus) conſervabatur, D. *Uſſerio* aliquanto pòſt tempore reſtituendus.

Epiſtolæ S. Ignatii Antiocheni ab Uſſerio editæ.

Ante multos annos *Uſſerius* Epiſtolas S. *Ignatii*, Epiſcopi *Antiocheni*, edere apud ſe conſtituit, quas miſerè corruptas, miriſque interpolationibus, quæ ſanctiſſimi Martyris genio, pietati, moribúſque itidem & veterum Chriſtianorum fidei & doctrinæ, & temporum rationi & calculo repugnant, & novitatem planè ſapiunt fœdatas vidit, triſtíſque agnovit, in quibus defendendis, Scriptorum primæ claſſis *Romanæ* communionis, qui eas, prout in vulgatis codicibus exſtant, pro integris & ab omni alienæ manûs admixtione & adulteratione liberis haberent, judicium deſideramus. De hiſce autem genuinis Epiſtolis, quas à S. *Polycarpo* collectas, & ab *Irenæo*, & *Origene*, & deinde ab *Athanaſio*, *Theodoreto*, aliiſque veteris Eccleſiæ Patribus frequenter citatas, *Euſebius Cæſarienſis* in ſpecie & nominatim memoravit, priſtinæ ſimplicitati reddendis, licèt operæ eſſet difficillimæ, & vix à quoquam, ſolis nudis inanibúſque conjecturis freto, cum aliqua juſta boni ſucceſſûs ſpe tentandum videretur, (neque enim illo tempore Exemplar Græcum ab iſtiuſmodi aſſumentis integrum & purgatum comparuit) non deſperavit *Uſſerius*, qui ſublimi ingenio & admirandâ ſagacitate illud primus aggreſſus eſt. Cùm ergo harum Epiſtolarum veterem Latinámque verſionem, à tribus *Anglis* Theologis olim citatam, in Archivis Bibliothecæ *Caio-Gonvillani* Collegii apud *Cantabrigienſes* latere è catalogo codicum MSS. in utraque Academia repoſitorum *Jameſiano* A. MDC. typis *Londini* edito, didiciſſet, maximè ſolicitus erat, ut in illius uſum integra omni cum accuratione exſcriberetur: illíque etiam geminam in Bibliotheca reverendiſſimi & doctiſſimi viri, D. *Richardi Montacuti*, Epiſcopi *Norvvicenſis*, repertam poſteà feliciſſimè nactus eſt. Quâ perlectâ & diligentiſſimè collatâ, quantum inter hanc & vulgatos Græcos codices ineſſet diſcriminis, plenè edoctus, ſententias iſtas, contra quarum veritatem & *auθεντίας*, exceptiones legitimæ, & quidem inſuperabiles, à Reformatæ Communionis Theologis fuiſſent factæ, penitùs abeſſe, & loca à Patribus inde excerpta, & præſertim teſtimonium illud à *Theodoreto* ex epiſtola ad *Smyrnæos*, quod in omnibus codicibus vulgatis deſideratur, reperiri, lætis oculis vidit animadvertítque. Ut ergo antiquiſſimum iſtud Chriſtianæ pietatis & doctrinæ monimentum à laciniis corruptorum fraude & malâ mente infertis, quantùm fieri potuit, emendatum & integrum in lucem produceretur, ſummis ingenii & induſtriæ viribus collectis contendit: quod illo quidem tempore fecit eò libentiùs, quo Presbyterani ſub rebellis Parlamenti auſpiciis elati, contra ſacrum Epiſcoporum ordinem, in illis Epiſtolis, quatenùs à Presbyteratu diſtinguitur, aſſertum, luculentiſſimisque argumentis demonſtratum, non ſolùm calamo & petulanti linguâ, ſed & gladio tormentíſque bellicis pugnârunt. Tandem poſt longas moras deſideratiſſimum & auro contra non charum opus prodiit *Oxonii* A. MDCXLIV. cum hoc titulo:

Polycarpi & Ignatii *Epiſtolæ: unà cum vetere interpretatione Latinâ, ex trium manuſcriptorum codicum collatione integritati ſuæ reſtitutâ: Accedit &* Ignatianarum *Epiſtolarum verſio antiqua alia, ex duobus manuſcriptis in* Anglia *repertis nunc primùm in lucem edita.*

Quibus præfixa eſt, non de Ignatii *ſolùm &* Polycarpi *ſcriptis ſed etiam de Apoſtolicis Conſtitutionibus & Canonibus* Clementi Romano *tributis*, Jacobi Uſſerii *Archiepiſcopi* Armachani *Diſſertatio.*

Poſt hanc verò Diſſertationem *Uſſerius* adjicit Veterum teſtimonia de *S. Ignatio* & ejus Epiſtolis, & etiam de *Polycarpo*. Ad calcem apponuntur ejuſdem *Uſſerii* in *Polycarpianarum Epiſtolarum Ignatianarum Syllogen*, diffuſiſſimæ eruditionis, *Annotationes*: *in quibus Græcorum* Ignatii *exemplarium, & inter ſe, & cum utráque veteri Latinâ interpretatione, comparatio continetur.*

Hanc *Polycarpianarum Epiſtolarum Syllogen* ſequuntur *Epiſtolæ*, in generali titulo quidem omiſſæ, *B. Ignatio adſcriptæ, à media ætatis Græcis ſex* (in quibus illa ad S. *Polycarpum, Smyrnæ* Epiſcopum, perperàm recenſetur) *ſimul cum veteri vulgata Latina Verſione: item à recentioribus Latinis addita aliæ tres, quibus præmiſſa eſt* Mariæ Caſſobolitæ, *poſterioribus ſubjuncta* S. Mariæ *Deiparæ nomine ad* Ignatium *edita Epiſtolâ; unà cum* Ignatii *elogio, ipſius in ſede* Antiochena *ſucceſſorit*, Heronis *titulum præferente.*

In qua editione laciniæ ab Interpolatore Græco textui inſertæ, quas vetus hic Interpres non agnovit, utpotè longè meliori & ſinceriori uſus exemplari, diſtinctionis causâ minio ſignantur.

Quàm præclariſſimè autem de *S. Ignatio*, de Rep. literaria, de Eccleſia *Anglicana*, imò & de univerſa Chriſtiana, hinc meritus fuerit D. *Uſſerius*, eruditiſſimi illius ævi ſcriptores cumulatiſſimis elogiis certatim teſtati ſunt, & grata poſteritas cum immortali *Uſſeriani* nominis celebratione mirabitur.

Penè nefas hîc reticere puto, eodem anno, quod non ſine ſingulari Dei providentiâ factum videtur, S. *Ignatii* Martyris Epiſtolas genuinas Græcè, ex codice Bibliothecæ *Mediceæ Laurentianæ*, unà cum Epiſtola S. *Barnabæ*, curâ ſummi viri, D. *Iſaaci Voſſii*, *Amſtelodami* prodiiſſe, qui veterem verſionem Latinam *Uſſerianam*, Græco textui conſonam reſpondentémque, ex adverſo curavit apponendam.

De Appendice verò *Ignatianâ*, ab *Uſſerio Londini* A. MDCXLVII. editâ, in qua, inter cætera Antiquitatis maximi pretii monimenta, genuinæ iſtæ Epiſtolæ Græcè quoque continentur, poſtea ſuo loco dicendum erit.

Syriacum

Syriacum Epiſtolarum *Ignatianarum* Exemplar quantovis pretio redemptum voluit *Uſſerius*, qua de cauſa literas ad *Chriſtianum Ravium* (a) tunc *Conſtantinopoli* agentem, cui annuam viginti quatuor librarum Anglicarum penſionem, dum in Oriente moram fecerit perquàm benevolè aſſignavit, Septembre menſe A. MDCXXXIX. datis, ex *Hibernia* tranſmiſit, ut inter alios rariſſimæ notæ codices ibi notatos, exemplar iſtud, ſi repetiri poſſet, à *Maronitis* compararet. Sed conatus iſte perquàm laudabilis planè in irritum cecidit; nec minùs infeliciter poſt quadraginta annos ſuccubuit V. Cl. D. *Roberti Huntingtoni* induſtria, qui eaſdem Epiſtolas Syriacè verſas à Patriarcha *Antiocheno*, aliiſque, tum per *Syriam*, tum per *Paleſtinam*, *Meſopotamiam*, & *Ægyptum* ſparſis, diligentiſſimè quæſivit, & inveſtigavit. Sed omninò fruſtrà; ut in illius vita ſuſè oſtendi. Nec tamen hic ſubſtitit in iis perquirendis anxia *Uſſerii* cura; quin volupe fuiſſet, eaſdem quovis idiomate, ſive *Arabico*, ſive *Perſico*, ſive *Armeno*, conſcriptas, acquiſiviſſe: ex quibus non parùm emolumenti ad perficiendam, quam adornaturus eſſet, Græcam editionem ſe conſecuturum ſperabat. Ita intimis medullis fixus inhæſerat *Ignatii* ſui amor.

Dum hoc Opus ſub prelo adhuc ſudaret, mox tamen in dias luminis auras ex iſtis tenebris anguſtiiſque exiturum, de quo præclariſſimè & optimè ſentiebant Primores Academiæ *Oxonienſis*, utpotè quibus *Uſſerii* pietas, ſumma eruditio & candidiſſimi mores, à multis annis, & jam longo apud illos incolatu, familiari converſatione, & convictu coràm erant perſpectiſſimi, in ſolenni Doctorum & Magiſtrorum convocatione, decimo Martii A. MDCXLIV. juxta computum *Anglicanum* celebratâ, decretum erat, ut publico Academiæ *Oxonienſis* ſumptu & nomine, *Uſſerii effigies* Ignatianis Epiſtolis, ab illo illuſtratis, præfigenda, unà cum elogio, *illius, quàm fieri poteſt, meritis pari, nec non hâc Academiâ digno* incideretur. Sed ii quorum intererat, ut liber ille, ab operis Typographicis conſummatus, citra omnem diuturniorem moram, quàm citiſſimè publicaretur, de iſta effigie parùm ſoliciti erant, perito chalcographo deſtituti: quam poſteà ſeorſim excudendam curárunt. Elogium verò illud, quo inter quosdam inſignes viros, huic rei procurandæ deputatos, convenerat, ita ſe habet: Elogium Academiæ *Oxonienſis* de *Uſſerio* publicè exhibitum.

Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *totius* Hiberniæ *Primas*, *Antiquitatis primævæ peritiſſimus, orthodoxæ Religionis vindex ἀκριβέστατος, errorum malleus, in concionando frequens, facundus, properus, vitæ inculpatæ exemplar ſpectabile.*

ROB. PINK, *Vice-Cancell.*

Ita nimirùm illuſtre hoc reverentiæ, honoris, & obſervantiæ ſuæ erga *Uſſerium* monimentum ad poſteros tranſmittere, inque omne ævum propagare Academici *Oxonienſes* voluere.

Hoc anno etiam primùm prodiiſſet S. *Barnabæ* Epiſtola, quam prelo paratam *S. Ignatii* Epiſtolis annexuiſſe deſtinaverat *Uſſerius*, niſi caſus maximè deplorandus interveniſſet. Exemplari enim manuſcripto, cum reliquo apparatu, apud Typographum depoſito, ferali incendio in civitate *Oxonienſi* de ſubito & rapidiſſimè erumpente, ipſius ædes & officina, cum omni ſupellectile libraria, flammis abſumptæ erant: nec quicquam ereptum ſervatúmque relinquebatur, præter pauculas ſchedas, typis nuperrimè excluſas, in quarum primâ *Uſſerii Præmonitio* de illius Epiſtolæ ratione, argumento, contexturâ, antiquitate, auctoritate, & vero Auctore continetur. Hanc in præfatione editionis ejuſdem Epiſtolæ *Oxonii* è *Theatro Sheldoniano* MDCLXXXV. vir præſtantiſſimus, D. *Joannes Fellus*, Epiſcopus *Oxonienſis*, de Rep. literaria, & de illa Academia optimè meritus, inſerendam curavit: ſed in hinc mutilatam. Quem defectum cùm ex iisdem ſchedis in oculum manúmque fortè incurrentibus ſuppleviſſem, deſideratam iſtam clauſulam illi mox communicavi, ut in nova editione *Præmonitio* iſta integra legeretur. Cùm verò ſupplementum illud è paucis lineis conſtet, ne penitùs intercidat, cum venia eruditi & curioſi Lectoris, hìc apponendum duxi. S. Barnabæ Epiſtola.

Poſt Δίκα Βαρνάβᾶ ἀνεφώνησεν καὶ ἑαυτῷ, adde αὐτῷ ἀνεφώνησεν ἴσως, ἐκ ὑπολοίπου κακῶς πάντως τὸν ἰμπεζοδὼν, καὶ τρὶς Βαρνάβᾶ τοποθέτει. Quod & ipſum non leve eſt antiquitatis argumentum.

Quare quod de duobus locis, altero (b) *ex Evangelio juxta Hebræos de Servatore à* Joanne *baptizando, de nequitia Apoſtolorum altero* (c) *ex ipſo* Barnaba (*licèt* Ignatii, *ut dictum eſt, ſubſtituto nomine*) *à ſe producto uſurpavit olim* Hieronymus, *quibus teſtimoniis, ſi non ineris ad auctoritatem, inere ſaltem ad antiquitatem, id in univerſam hanc epiſtolam accommodandum cenſemus: ejus antiquitatem ita ſuſpicientes, ut auctoritatem tamen* (d) *ſententiæ illi Apoſtolicæ ſubjiciendam eſſe non abnuamus: omnia probate, quod bonum eſt, retinete.*

(a) V. Epiſt. CCCV. in *Sylloge*, pag. 623.
(b) V. Cl. *Salmaſium* de fœnore trapezitico p. 327.
(c) *Hieron.* l. 3. adv. *Pelag.* cap. 1.
(d) 1. *Theſſ.* V. 21.

Relicto Oxonio Usserius Walliam petit.

A. MDCXLV. Appetente vere, cùm Sereniſſimus Rex, ipſius rebus jam inclinatis, inque pejus quotid è labentibus, Principem *Walliæ*, primogenitum ſuum, ſapientiſſimis Conſiliariis & numeroſo equitatu ſtipatum, verſùs occidentales *Angliæ* plagas, tum illius ſaluti, ne in manus Rebellium, qui de obſidendo *Oxonio* conſilia inière, incideret, conſulturus, tum nobiles viros in iſtis Provinciis fide integ os, præſentiâ illius copiiſque ſubſidiariis roboraturus, dimittere ſtatuiſſet, *Uſſerius*, quem in caſtris *Oxonienſibus* commorantem, perpetuis ferocientium Militum clamoribus intereſſe magis magisque tædebat, felici hac opportunitate arreptâ, relicto *Oxonio*, heu! muſis depulſis, in ſedem *Bellonæ* converſo, ſereniſſimum Principem *Briſtoliam* uſque comitatus eſt. Inde in *Walliam* poſteà ſe recepit, aſylum apud Amicos, ubi Deo & ſibi vacaret, in mediis montibus quæſiturus.

Superato freto *Sabriniano*, appulit *Cardiffam*, oppidum in Comitatu *Glamorganienſi*, in Auſtrali *Wallia* prope mare, tum ſitu, tum propugnaculis, contra quosvis ſubitaneos hoſtium impetus, munitum ſatis: quò confugerant etiam multi Nobiles ex propinquis vicis, qui Regiis partibus adhæſerant, Parlamentariorum deprædationibus inſultibuſque expoſiti & obnoxii: cujus erat Præfectus, vir antiquæ fidei & excelſi animi, D. *Timotheus Tyrrillus* Eques auratus, qui illius unicam filiam, virginem lectiſſimam, D. *Eliſabetham Uſſeriam*, in uxorem duxerat: Hic incredibili cum lætitia à dignisſimo genero & filiâ exceptus, ad deſoeta ſtudia (ciſtulas enim librorum, pro more, quócunque iverit, arrulerat) lætus rediit, condendis *Annalibus* maximè intentus. Dum in hoc ſeceſſu per dimidium anni ſecurus delituerit, Sereniſſimus Rex, poſt prælium *Naſebeienſe* inauſpicatiſſimè initum, ex iſta clade tandem ad arcem *Raglandianam*, antiquam illuſtriſſimi viri, Marchionis *Wigorniæ*, ſedem ſalvus evaſit: deinde rebus ſuis, quoquo modo compoſitis, *Cardiffam* venit, ædibus Gubernatoris excipiendus. *Uſſerius* verò eodem, quo anteà, benigniſſimo vultu & ſermone à Rege excipitur, ad frequens colloquium, jam ſub eodem tecto hoſpes, admiſſus: & concionem coram illo, iſtorum temporum circumſtantiis, ut credi oportet, maximè accommodatam, die Dominico habuit. Poſt paucos dies diſcedens Rex, annonâ, armis, pulvere pyrio, reliquiſque bellicis proviſionibus exinde ſublatis, milites præſidiarios ſecum duxit, ut oppidum illud, jam planè incuſtoditum, non ampliùs defendi potuiſſet. Poſtquàm autem Regi valediciſſet *Uſſerius*, redux triſtiſſimum Eccleſiæ *Anglicanæ* fatum, & periculoſiſſimam, ad quam pientiſſimus Princeps impiâ rebellium ſubditorum rabie, hactenùs fuiſſet redactus, & deinceps videretur redigendus, conditionem non ſine horrore & ſumma animi triſtitia deploravit.

Dubius animi, quò ſe verteret, planè neſcivit. Omnis enim ſpes redeundi *Oxonium*, adhuc, invictâ præſidiariorum virtute ſervatum, quò Rex per ambages tandem incolumis perveniſſet, præcludebatur. Facilis equidem erat ex iſthoc portu in *Galliam* aut *Hollandiam* navigatio: ſed credo multa interveniſſe, quæ cogitationem iſtam, ſi in animo ſuborta fuiſſet, omninò averterent. In hac verò rerum, quâ diſtinebatur, perplexitate, ſenſu reverentiæ erga D. *Uſſerium* tacta, illuſtris fœmina, Domina *Stradlinga*, dotaria, illum cum filiâ, pauculiſque famulis, ad ædes ſuas, *Caſtrum S. Donati* nuncupatas, humaniſſimis literis invitavit. Sed ad proſiſcendum promptis paratiſque nova remora injecta eſt. Certiſſima enim fama percrebuit, ruſticos ad multa millia, correptis, uti præ ſe ferebant, pro Rege armis, ubique per globos coeuntes, viis publicis inſediſſe, ita ut iter iſtud ingredi temerarium videretur. Utcunque ductores, qui per vias invias à nemine calcatas, aut ſaltem minùs frequentatas, in lateribus montium illos abſque periculo pertrantire poſſe, fide datâ, ſpopondiſſent, ab inſtituto itinere, Amicorum conſiliis ad id perſuaſi, abſiſtere noluerunt: quos citò temeritatis ſuæ pœnituit. Nam quidam palabundi illac fortè tranſeuntes, illos, immanium latronum ritu, equis, pecuniis, & pretiosâ ſupellectile abreptis, ſpoliare nequaquàm contenti, ciſtis effractis, libros omne genus, mox per multorum manus diſtractos, prout quiſque in prædam incidiſſet, abſtulêre. Opportunè quidem intervenerunt duo trèſve, qui militibus hisce, potiùs confuſè, licèt ingenti numero congregatis, quàm in juſtum exercitum, ſub diſciplinæ militaris regulis aptè conſcriptis, præiêre, quorum juſſu & auctoritate, equis & ſupellectile reſtitutis, ab omni alia barbarie ceſſatum eſt. In ædibus cujuſdam viri nobilis, non procul diſtitis, quò ſe receperat *Uſſerius* pernoctaturus, diriſſimo mœrore penè confectus, de miſeranda iſta ſorte, permittente Deo, cujus divinæ voluntati ſe morem gerere æquo animo debere agnovit, maximè dolebat, eò quòd ingens iſta Collectaneorum, viginti annorum labore & induſtriâ congeſtorum, moles, quæ tandem aliquando in publicum Eccleſiæ & literarum commodum eſſet producturus, jam coram oculis pauculis momentis periiſſet. Nec videtur bonorum jactura, quam à rebellibus *Hibernis* ante paucos annos paſſus fuerit, ipſius animum acriùs pupugiſſe. Sequenti die, vicini Nobiles & Parochi illum adeuntes, ſe de hoc damno, quantùm in illis erat, reparando, ſolicitè curaturos, interpoſitâ fide pollicici ſunt, quod & abundè præſtiterunt, publicis enim denuntiationibus, tum in vicis oppidiſque, tum in eccleſiis paſſim factis, ita cum colonis, ſibi jure clientelari, aut qualitercunque obnoxiis egêre, ut ſpolium illud literarium non integrum quidem (ſolebat enim dolens inter deperditos, duos codices manuſcriptos de *Waldenſibus*, catalogum Regum *Perſiæ*, Perſicè, ipſi ab *Elichmanno* communicatum, & denique (a) volumen de variis novi Teſtamenti lectionibus, recentere) poſt duos trèſve menſes reſtituendum curarent.

(a) Epiſt. CCXLVI. D. *Uſſerii* ad D. *Hammondum* in *Sylloge* p. 543.

Mox

Mox ventum eſt ad *caſtrum S. Donati*, in quo, tanquam in centro quietis, ab omni militum injuria immunis & illæſus, ſuaviſſimiſque vitæ delinimentis beniguiſſimæ Hoſpitæ munificentiâ perfuſus, hanc novam & inſperatam felicitatem ſibi gratulatus eſt, quòd ingentis copiæ librorum optimæ notæ uſus jam ſuppeteret. Olim enim Viri ſplendore natalium & titulis illuſtres, D. *Edwardus Stradlingus*, regnante *Eliſabethâ*, Eques auratus, & filius D. *Joannes*, poſteà ſub Regę *Jacobo* I. ex ordine Baronetrorum, ſed omnigenæ antiquitatis, præſertim *Britannicæ*, ſtudio longè illuſtriores, quorum utriuſque V. Cl. *Gulielmus Camdenus* in *Britannia* ſua, in deſcriptione *Glamorganiæ*, non ſine debitis meminit elogiis, Bibliothecam inſtructiſſimam ad ſeros nepotes transmittendam magnis ſumptibus illic condidêre. In iſtud ſacrarium illicò admiſſus *Uſſerius*, membranas chartáſque antiquas, Hiſtorias, Annales, & quicquid veteris ævi monimentorum ibi exſtabat, frequenti & diligenti manu verſavit; ex quibus non mediocre acceſſit auctarium, illuſtrandis Eccleſiarum *Britannicarum* Antiquitatibus non ita pridem editis deſtinatum. Sed poſt menſem, ſive id ex immodicis laboribus, ſive ex inveteratis ſupervenientis ſenectæ malis, eveniſſet, acutiſſimis tum ſtranguriæ, tum iſchuriæ doloribus correptus jacuit, quos poſteà ſanguinis ex naribus fluxus, neutiquàm per multas horas ſiſtendus, excepit, ut jam de illo, viribus exhauſtis, in extremis mortis agonibus laborante, ipſis medicis quoque deſpondentibus, penè conclamatum fuerit. Undique percrebeſcebat rumor, illum morti ſuccubuiſſe, quem Regis adhuc *Oxonii* moram facientis aures arrigiſſe ſuprà retuli: & quaſi extra omne dubium poſitum fuiſſet, Vir doctiſſimus & *Uſſerio* perquàm charus, *Joannes Gravius*, Aſtronomiæ apud *Oxonienſes* Profeſſor *Savilianus*, ad teſtandum tum luctum, tum reverentiam & amorem ſuum erga reverendiſſimum Antiſtitem, Inſcriptionem ſepulchrali marmori incidendam, quam inter illius ſchedas manu exaratas, reperi, paravit. Sed Deo Opt. Max. miſericorditer ordinante, poſt diuturnos langnores, & lentè admodùm, non ſine gaudio omnium bonorum, tandem convaluit, quod reliquum erat vitæ, Deo, Eccleſiæ, Patriæ, & Reip. literariæ conſecraturus.

A periculoſo morbo, quo correptus liberatur.

Seſquianno propemodùm in *Wallia* expleto, incertus adhuc, ubi pedem & lares figeret, an in *Anglia*, an aut alibi terrarum, tandem viatico, pecuniiſque, quas vicini Nobiles benevolè ſuppeditárunt, inſtructus, & ſalvo conductu à Parlamentariis, qui devicto Regio exercitu, rerum potiti ſunt, ægrè impetrato, *Loudinum* contendit, in ampliſſimis ædibus illuſtriſſimæ Dominæ, Comitiſſæ *Petroburgenſis*, de qua olim optimè meruerat, recipiendus. Illa enim ſpondebat & fidejubebat, ex gratia cum quibusdam Magnatibus adverſarum partium jam dominantibus, quos cognatione attigit, initâ, ut nihil mali ille, futurus domeſticus, ex Presbyteranorum aliorúmque Sectariorum malevolentiâ, odio, & invidiâ pateretur.

Loudinum reperit, à Comitiſſa Petroburgenſi invitatus.

Utcunque, conſultum, imò neceſſarium videbatur, id Commiſſariis, ad explorandum omnes, qui Regias partes ſecuti, urbem acceſſerint, Deputatis protenùs repræſentare. Coram hiſce Inquiſitoribus comparere juſſus *Uſſerius*, tortuoſis quæſtionibus pro ſapientia ſua ingenuè reſpondit, fide adlubitâ, ſe, præſentibus tunc *Oxonii* Agentibus, à Conſœderatis Rebellibus de toleratione Pontificiæ religionis in iſta Inſula poſt inducias procurandâ miſſis, Regiam Majeſtatem humillimè interpellaſſe, ut nihil in rebus ad Religionem ſpectantibus, illo inſcio, ageretur: quod & Rex benigniſſimè pollicitus eſt: nec apud Regem aliud conſilium ſe interpoſuiſſe, neque eidem tolerationi propoſitæ Regem ipſum vel minimùm faviſſe; ſed è contrario, eandem, cùm res iſta in Concilio ſanctiori diſceptaretur, ſtrenuè impugnaſſe. Poſtquàm verò Præſidem *juramentum*, uti appellabant, *negativum* obtrudentem, ut de re tanti momenti apud ſe paucis diebus interpoſitus, deliberaret, rogaſſet, abiit impunis, nec, utpotè D. *Seldeno* aliiſque ex inferioris Cameræ Adſeſſoribus, quos habuit amicos, ſeſe in illius gratiam interponentibus, iterùm comparebat, ab ejuſmodi impiis poſtulationibus, quas execratus eſt, omninò liberatus.

Ab iſthoc tempore, rariſſimè, niſi juſtis de cauſis, ab illuſtriſſima femina reliquo vitæ tempore avellebatur, ad mortem uſque; ædibus illius, ſive in urbe, ſive rure, in Provincia *Surreienſi* adhæſus, & incredibili iſtius comitate, quaſi vi placidiſſimâ detentus, tanquam in propriis & ſui juris ædibus, ibi manſit.

Ineunte A. MDCXLVII. veniâ à Parlamentariis ægrè admodùm impetratâ, in ſacello Jurisperitorum Collegii, quod *Hoſpitium Lincolnienſe* nuncupatur, in ſuburbiis *Weſtmonaſterienſibus*, juxta illorum deſiderium munere concionatorio fungi cœperat, quaſi id, ſi non unicum, ſaltem præcipuum vitæ Eccleſiaſticæ habendum eſſet propoſitum & finis: in quo quidem longo uſu exercitatiſſimus, ingenio & memoriâ expeditè per omnes poſitivæ ac practicæ Theologiæ articulos communéſque locos percurrentibus, quicquid in mente abſque aliquo laborioſo cerebri nixu concepiſſet, id facili oratione, nec tamen incomptâ, parturivit: nec penſum iſtud hebdomadarium, durantibus terminis h. e. quando nimirùm lites cauſæque forenſes aguntur, ferè per octo annos continuatum, obſtabat, quominùs libris, quos dudùm compoſuit aut compoſiturus erat, edendis ſtrenuam navaret operam. Quò autem commodiùs apud ipſos, quotieſcunque ad lubitum fuerit, diverſaretur *Uſſerius*, hujus ſocietatis Primores, (inter quos vir inſigniſſimus & juriſconſultiſſimus, D. *Matthæus Haleſius*, poſt inſtauratam Monarchiam, primarius *Angliæ* Juſtitiarius à R. *Carolo* II. conſtitutus, maximè memorari debet) amplas cameras, omni cum decora & utili ſupellectile inſtructas, illi aſſignárunt, eò ſanè expetibiliores, quòd jam commodiſſimum penu, quo reponerentur libri, non niſi propitio Numine ſervati, quibus uti frui pridem negatum fuit, ibi eſſet reperturus.

In Sacello Hoſpitii Lincolnienſis ordinarius Concionator.

Bibliotheca ipſi reſtituta.

Bibliothecam enim ſelectiſſimam & omne genus libris refertiſſimam in ædibus ſuis *Drogheda* reliquit, ex *Hibernia* egreſſus. Hanc verò Urbeculam Rebelles arctiſſimâ cinxerunt obſidione, tumidâ ſpe elati, imò ſecuri, opimam iſtam prædam ab illorum manibus eripi non potuiſſe. Sacrificuli de Bibliotheca iſta ditiſſima inter ſe propriâ & peculiari ſorte partiendâ, vel ſaltem igni devovendâ, frequentes ſermones conſeruere. Sed impia illorum conſilia cruentáſque machinationes evertit juſtiſſimus ſcelerum vindex, Deus. Immiſſi enim milites, civéſque, quò majoribus cladibus preſſi, eò obſtinatiores redditi, licèt fame penè enecti, nullis blanditiis pellicendi, nullis minis vel crudeliſſimæ mortis ad deditionem perterrefaciendi, hoſtes cum ingenti ſtrage & dedecore ſeſe turpi fugâ ſubducere coegerunt.

Mox *Nicolaus Bernardus*, S. Theologiæ Doctor, & Eccleſiæ *Ardachenſis* Decanus, Bibliothecam iſtam, cui concredita fuerat, primò *Ceſtriam* in *Angliâ* avehendam, & inde, deſæviente bello, viiſque publicis à militum rapinis & concuſſionibus, liberatis, tandem *Londinum* vero poſſeſſori, qui de hoc pretioſo peculio triumphos egit, reddendam curavit.

In hoc ſacro munere obeundo alacri, prompto, inconcuſóque animo perrexit, uſque dum affecta ætas permiſerit. Caligantibus enim oculis & voce præ defectu dentium ita deficiente, ut illa vix in tanto Auditorum conſeſſu percipi potuerit, non longè ante mortem, admodùm triſtis & invitus cedere cogebatur.

Appendix Ignatiana ab Uſſerio edita.

A. MDCXLVII. *Londini* edita eſt ab *Uſſerio* *Appendix Ignatiana*, in qua continentur.

I. Ignatii *Epiſtola genuina, à poſteriorioris Interpolatoris aſſumentis libera, ex Græco Mediceo exemplari expreſſa, & novâ verſione Latinâ explicata.*
II. Ignatii *Martyrium*, à Philone, Agathopode, *& aliis, qui paſſioni illius interfuerant, deſcriptum, ex duabus antiquis Latinis ejuſdem verſionibus, nunc primùm in lucem editum.*
III. Tiberiani, Plinii Secundi & Trajani *Imperatoris, de conſtantia Martyrum illius temporis Epiſtola.*
IV. Smyrnenſis *Eccleſiæ de* Polycarpi *Martyrio Epiſtola, cum antiqua Latina ejuſdem Metaphraſi, integrè nunc primùm edita.*
V. *In* Ignatii *&* Polycarpi *Acta, atque in Epiſtolas, etiam* Ignatio *perperàm adſcripta, Annotationes.*

Acta Martyriorum *S. Ignatii* & *S. Polycarpi*, præclara Antiquitatis maximi pretii monumenta, (unà cum *Actis* Barnabæ, *conſobrini ipſius*, Joanni Marco *inepte affixis*) ante tres annos in publicam lucem *Oxonii* protuliſſe deſtinârat *Uſſerius*, ut ex ſynopſi totius operis, ſuperſtitibus Epiſtolæ *S. Barnabæ* ſchedis præmiſsâ, liquet, niſi grave illud incendium ſuprà memoratum fataliter obſtitiſſet. Licèt verò aut illius in *Wallia* abſentiâ, aut publica mala longiorem moram, quàm ſperaverit, indulſiſſent, tamen bonas inceptum illud abſolvendi in animo ſpes alebat, quod jam tandem factum fuiſſe orbis literatus gratulatur. Interea temporis, omni malâ *Voſſiana* induſtriæ & fidei ſuſpicione poſthabitâ, ex ſummâ ſereniſſimi Principis *Ferdinandi*, Magni Ducis *Hetruriæ*, benevolentiâ & gratiâ, V. Cl. D. *Americo Salvetio*, ipſius apud Regem *Carolum I.* Ablegato, operam & commendationem interponente, exemplar iſtud *Mediceum*, quod ad Epiſtolas genuinas ſpectat, exſcribi, & denuò hic etiam imprimi curavit: criticis tum ipſius, tum D. D. *Patricii Junii* & *Iſaaci Voſſii* conjecturis & emendationibus margini appoſitis, doctiſſimâque præfatione, in qua *Claudii Salmaſii* & *Davidis Blondelli* exceptiones *de verbo ex ſige producto* ſumptæ, quaſi poſt *Valentini* hæretici tempora à quodam impoſtore ſub S. *Ignatii* nomine excogitatæ fuiſſent, contra illarum *audaciam* intentatæ, refelluntur, præfixâ.

De Symbolo Apoſtolico, aliiſque fidei formulis Diatriba.

Prodiit etiam hoc anno *Uſſerii* de *Romana Eccleſia Symbolo Apoſtolico vetere, aliiſque fidei formulis, tum ab Occidentalibus, tum ab Orientalibus, in prima catecheſi, & baptiſmo propoſi ſolitis*, Diatriba.

Acceſſerunt.

I. Athanaſii *Symbolum, à Græcis interpolatum.*
II. *Symbolum aliud, eidem etiam à quibuſdam tributum.*
III. *Hymnus Matutinus & Veſpertinus veteris Eccleſiæ.*
IV. Hildeberti Cenomanenſis *de confeſſione Trinitatis Hymnus, & Oratio ad Dominum.*

Hoc opuſculum inſcribit *Uſſerius* clariſſimo & doctiſſimo viro, *Gerardo Joanni Voſſio*, qui, uti olim in Hiſtoriæ Pelagianæ elucidatione, ita nuper, Diſſertatione de tribus Symbolis editâ, in hoc argumento illuſtrando, abſque communicatis ſibi invicem conſiliis, illum antevertiſſet. Multa verò hîc occurrunt à *Voſſio* aliiſque ſynchronis Scriptoribus, intacta, aut ſaltem leviter tacta, & multa nova ex obſcuriſſimis Bibliothecarum adytis in lucem eruta, doctiſque ſcholiis & obſervationibus illuſtrata. Novum verò illud, amplas nimirùm de Spiritu Sancto explicationes, cum ſequentibus articulis, quas communis opinio à Patribus Concilii *Conſtantinopolitani* contra *Eunomii* & *Macedonii* τῶν πνευματομάχων hæretico ad-

Digitized by Google

ditas aſſerit, à primariis quibusdam Synodi *Nicænæ* Adſeſſoribus, poſt ſolutum Concilium eidem Symbolo adjunctas fuiſſe, vix admittendum aut probandum videtur. Rationes autem, quibus hanc ſententiam ſuam tuetur, hîc in examen non revocabo: diſpiciant alii.

De *Macedonum* & *Aſianorum* anno Solari Diſſertatio.

Cùm omnis hiſtoria planè manca ſit, & confusâ obſcuritate laboret, abſque explicita & accurata temporum deſignatione, *Uſſerius* ideò quò faciliori operâ res omnium ſeculorum aptiori ordine connecterentur, ab intima antiquitate replicandæ, Chronologiæ ſtudium ſibi gnaviter eſſe excolendum pro prudentia ſua duxit: quali autem ſucceſſu, breviculum quidem, ſed tamen perinſigne ſpecimen (inter alia poſthac memoranda) anno MDCXLVIII. *Londini* editum, in omne ævum teſtabitur, ſub hoc titulo: Jacobi Uſſerii Armachani *de* Macedonum *&* Aſianorum *anno Solari Diſſertatio*: *cum* Græcorum *Aſtronomorum Parapegmate*, *ad* Macedonici *&* Juliani, *anni rationes accommodata.*

In hoc libello eruditiſſimus Auctor de menſibus Solaribus à *Macedonibus* in communem *Græcorum*, qui Lunaribus hactenùs aſſueverint, uſum, utrorumque collatione cum *Julianis*, uti & aliarum Gentium menſibus, factâ, & de tempore, quo Martyrium ſubiit S. *Polycarpus*, diſſerit: & deinde poſtquàm de integra *Macedonici* & *Aſiani* anni diſpoſitione & methodo egiſſet, canonas certos fixóſque ad inveniendum Cyclos Solis & Lunæ, tempúſque celebrandi Paſchalis modo didactico ſubſtituit; curioſis quibusdam adnotationibus de cœleſtibus motibus juxta veterum *Græcorum* Aſtronomorum, putà, *Metonis*, *Calippi*, *Eudoxi*, & aliorum obſervata, ſubindè intermiſſis. Ad calcem apponitur pulcherrima & utiliſſima *Ephemeris* totius anni, in qua, utpotè ex diverſis eorundem Aſtronomorum Parapegmatibus ſummo cum labore collecta, ſtellarum ortus & occaſus, & tempeſtatum præſagia, quæ in iſtis climatibus accidere ſolebant, κατὰ φάσεις indicantur. In iſta perplexa parùmque tunc temporis exploratâ Chronologiæ parte, ut *Uſſerii* conjecturæ ſcopum ſemper attingerent, id quidem humani ingenii vires ſupergredi videtur. Atque hanc laudem apud omnes ingenuos ſaltem meretur, quòd viris doctiſſimis & præſtantiſſimis, in eodem ſtadio poſteà ſecundiori pede decurrentibus, tanquam dux & monſtrator viæ, vel invidiâ teſte, præivit.

Collationi inter Regem & Parlamentarios Deputatos in inſula Vecta inſtitutæ interfuit *Uſſerius*.

In ſolenni iſta collatione inter Regem captivum & Parlamentarios Deputatos de revocanda pace, ſopiendiſque illis cruentis, ſub quibus *Anglia* magis magiſque fatiſcebat, propemodùm expiratura, diſſidiis in Inſula *Vecta* menſe Septembre hujus anni haberi cœptâ, inter alias iniquiſſimas conditiones, poſtularunt Presbyterani, ut Epiſcopatus ex Eccleſia *Anglicana*, ipſo conſentiente, & ſcitum illud, priùs ab illis latum, ratum habituro, exterminaretur in perpetuum. Hoc pientiſſimi Regis animum acerrimè urebat, qui ordinem illum ſacrum, ab ipſis Apoſtolis in primis naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ initiis fundatum, armis licèt infelicibus, adhuc tamen invicto calamo & linguâ, propugnavit. Si in moderando Epiſcoporum, ſalvo ordine, poteſtate, adhibitis in graviſſimis cauſis Eccleſiaſticis Presbyterorum conſiliis & ſuffragiis, Schiſmaticorum furor ſete ſitiſſet, haud invitus conſenſiſſet. Sed omnes indebitas *conceſſiones* omniáque pacifica conſilia cum ritu & contumelia rejecerunt hi Demagogi & Miniſtelli, qui in Eccleſia dominari cupiebant, nullius jurisdictioni & juſſibus obnoxii. Inter Theologos magni nominis, quos bonis, dignitatibus, reditibúſque exutos, Regiis partibus fideliſſimè adhærentes, Rex accerſiverat, ibi præſentes, aderat quoque *Uſſerius*, qui ad Presbyteranorum contumaciam expugnandam, ſciagraphiam novi regiminis Eccleſiaſtici, maximè in juris Epiſcopalis diminutionem ceſſuri, exhibuiſſe fertur, ejuſdem planè cum illâ ſuprà memoratâ, ad diſciplinam Eccleſiæ *Scoticanæ*, primò à *Knoxio* & *Melvino* introductam & ante paucos annos ſub *Carolo* I. rebellibus Conſœderatorum armis ſtabilitam, nimiùm quàm adaptatâ, formæ: hoc ſolo nomine excuſandus, ut hoc iterùm repetam, quòd illorum exacerbatas mentes non aliud malorum impendentium remedium admiſſuras eſſe credidiſſet. Sed omnis ſpes ineundæ concordiæ citò evanuit, ceſſantibus poſt duos menſes, fraudibus & perfidiâ *Cromwelli*, *Iretoni*, aliorúmque è factione & ſecta Independentium, qui in Senatu pariter, ac in exercitu, ſuperiores partes tulerint, colloquiis. Inde, expulſis Presbyteranis, tragica optimi Principis cædes mox ſecuta eſt, quod nôrunt omnes: neque iſtorum temporum Annales replico.

[illegible] *Uſſerii* dolor ob immaniſſimum R. Caroli parricidium à Petroburgenſibus perpetratum.

Cùm inauſpicatiſſimus iſte dies, triceſimus Januarii, inſtaret, quando innocentiſſimæ vitæ & afflictiſſimæ virtutis Princeps, *Carolus* primus, quô nemo aut ſancti Numinis reverentior, aut legum obſervantior, aut populi illius curæ commiſſi amantior fuerat, nefando & poſt homines natos inaudito impiiſſimorum Perduellium ſcelere morti adjudicatus, cruentum pro Eccleſia & pro legibus martyrium ſubibat, ædium Comitiſſæ *Petroburgenſis*, in quibus hoſpitabatur *Uſſerius*, tectum, unde facilis vertùs fatale pegma in ſpatioſa area juxta Palatium Regale, quod *Whitehall* nuncupatur, erectum, pateret proſpectus, invitus & reluctante animo, aliorúmque repetitis poſtulationibus potiùs, quàm ſibi indulgens, tandem aſcendit, ut longum vale clementiſſimo Domino ſuo diceret, illo ipſo tempore, quô Rex ad circumſtantes orationem habuit: interim precibus intùs conceptis, quas lachrymæ ab oculis ubertim manantes, ſuſpiria & gemitus excepere, apud Deum fuſis, ut illius animum Spiritûs S. gratia in iſtis ultimis agonibus firmaret, & ſolaretur. At cùm finitâ oratione vidiſſet Regem ſibi exuiſſe diploidem, ut ſecuri cervicem commodiùs ſubmitteret, totus contremuit, ingentíque oppletus horrore, deliquium pati coeperat: inde citra vel minimam moram à famulo in cubiculum ductus, lecto decubuit, ibi aut extremùm exſpiraturus, aut ſaltem applicitis corroborantibus remediis refocillandus. Nemo ſanè immaniſſimum illud & maximè execrandum flagitium aut acriori doloris ſenſu luxit, aut parricidas majori odio inſectatus eſt, aut pientiſſimi Martyris memoriam grandioribus elogiis celebravit, cujus natali

die, quô victima cecidit, recurrente, per reliquos vitæ annos, se precibus, sacris meditationibus, jejuniis, & mœrori totum devovere, irámque provocati Numinis, ne in universam Gentem communi clade inardesceret, importunis intercessionibus deprecari solitus est.

Annales Mundi ab Usserio editi.

Cùm *Usserius* diligentissimam Historiæ universali omnium seculorum ab Orbe condito ad ultimum *Hierosolymorum* excidium, quantum ex sactis Scripturis, libríque Ebræis, Græcis, & Latinis, quotquot hodie extant, aut in bibliothecis manu exarati reperiuntur, exhauriri potuit, sive longè ante, sive post religionem Christianam in universum orbem terrarum prædicatione Evangelii introductam, juxta veros calculos justâ & concinnâ serie conscribendæ operam diu adhibuisset, de edendis istis Annalibus, incredibili industriâ, sudore, vigiliisque elaboratis, præcipua illi jam septuagenario cura fuit: & meritò quidem: quicquid ille senserit, non tam ipsius, quàm posterorum plurimùm interesse, ut hi accuratissimi omnigenæ Antiquitatis Commentarii, manu propriâ elimati, & absque alienis admixtionibus integri, ipso adhuc vivente, legerentur. Feliciſſimè ergo *Londini* A. MDCL. prodiit *Annalium pars prior, à temporis Historici principio, usque ad* Maccabaicorum *initia producta: una cum rerum* Asiaticarum *&* Ægyptiacarum *Chronico*: quam posteà A. MDCLIV. secuta est *Pars posterior, in qua, præter* Maccabaicam *&* *Novi Testamenti historiam*, *Imperii* Romanorum *Cæsarum sub* C. Julio *&* Octaviano *ortus*, *rerúmque in* Asia *&* Ægypto *gestarum continetur Chronicon*, *ab* Antiochi Epiphanis *regni exordio*, *usque ad Imperii* Vespasiani *initia atque extremum Templi & Reip. Judaica excidium deductum.* Hisce verò Annalibus posterioribus addendum primò instituit, *Ecclesiastici Chronici Breviarium*, *usque ad quarti post Christum natum seculi exordium.* Quod utinam absolvisset! Posteà Annales hi Veteris & Novi Testamenti simul editi erant *Parisiis* A. MDCLXXIII.

Quantis plausibus exceptum fuerit hoc desideratissimum opus & maximi in omni historia usûs, cùm id omnibus in harumce literarum studiis paulò versantibus sit compertissimum, non opus est, ut hîc multis ostendam. Quidni tamen dixero, Chronologiam, tam sacram, quàm civilem, quæ hactenùs spissâ obscuritate & incertitudine laboraverit, jam ad certam facilémque methodum redactam; Epochas celebriores tum *Judæorum*, putà Orbis conditi, Diluvii, Exitûs *Israelitarum* ex *Ægypto*, eorumdémque ex captivitate *Babylonica* reditûs, tum aliarum Gentium, uti Olympiadum, *Nabonassari*, *Romæ* conditæ, quarum anni jam ordine imperturbato decurrunt: (ex harum enim originibus evolutis monstratisque pendet luculenta rerum ubique gestarum cognitio, ut nullo negotio in communi periodi *Julianæ* mensurâ simul conjungi, comparari, & conciliari possint, fixas & determinatas, denique temporum rationes, successionesque Regum *Judæorum*, *Ægyptiorum*, *Assyriorum*, & *Persicorum* ritè compositas: item *Romanorum* peragrationes, itinera, victorias, triumphos, reliquáque in *Asiâ*, *Syriâ*, *Palæstinâ*, *Ægypto*, & alibi, sive foris, sive domi præclarè acta, cum N. Testamenti historia suis locis & tempore inserta esse? Inter præcipua & celebratissima stupendæ eruditionis monimenta, quæ superior ætas produxerit, *Annales* hosce jure meritissimo recenseri oportere, non vanus auguror, omnes probâ mente & judicio præditi promptè fatebuntur.

Usserii ad *Cappellum* Epistola de variis Ebraici textûs lectionibus.

Cùm acerrimæ litet, verbosâ protervitate gravidæ, inter *Ludovicum Cappellum*, doctissimum *Critica sacra* Auctorem, & *Arnoldum Boetium*, Ebraicè peritissimum, de variantibus Ebraici textûs lectionibus, an nimirùm ex Græca τῶν LXX. versione, aut aliunde, colligi aut possint, aut debeant, agitarentur, ambo suarum opinionum invicem repugnantium vi nimiùm consili, Epistolis ad *Usserium*, tanquam ad æquum idoneúmque Arbitrum scriptis editisque publicè appellárunt. Ille verò silentio sibi indicto, ejusmodi concertationibus, à quibus mentem habuit aversissimam, interminiscerí diu nolens, tandem *Cappelli* repetitis, iisdémque importunis, epistolis provocatus, sententiam, non præcipitem quidem & temerariam, aut ex studio partium dictatam, sed gravem, modestam, & ex sano judicio, libratis rerum momentis, prout sibi videbatur, derivatam, epistolâ ad eundem A. MDCLII. editâ, dixit. Verumtamen an ille omnibus *Cappelli* argumentis probè & ad plenum satisfecerit, & an conjecturæ illius scopum semper attigerint, ego, non inquiro: alii judicent: qui facilè interim dabunt, multa tum ad Græcam versionem, tum ad *Samaritanum* Pentateuchum, quem à *Dositheo*, ortu & genere *Samaritano*, & supparis cum *Simone* Mago ætatis, interpolatum, correptum, & depravatum fuisse ex decreto Synodico *Eulogii Alexandrini* apud *Photium* statuit, pertinentia, curiosâ indagine eruta, & lectu dignissima, illic reperiri.

Usserius ad se vocat *Cromwellius*, cum illo consilia varia ini turus.

Usserii famâ per universam *Angliam*, & potissimùm in Urbe, tum ob concionum in sacello *Lincolniensis Hospitii* habitarum frequentiam, tum ob libros recèns editos, magis magísque inclarescente, sceleſtissimus Latro, *Oliverus Cromwellus*, qui infamibus rebellis Parlamenti reliquiis (quæ vulgatissimo scommate *Uropygium*, Anglicè *The Rump-Parliament*, erant nuncupata) mense Aprili expulsis, summam rerum potestatem, imperio planè despotico sibi arripuisset, ut majorem populi plausum captaret, *Usserium* accersitum obviâ comitate excepit, & inter alia colloquii argumenta, sub falsa fictáque pietatis specie *de augendo & stabiliendo tum in* Anglia, *tum alibi terrarum*, *communi Protestantium commodo*, (sic ad fallendam incautam plebem sceleribus suis meliùs securiúsque obtegendis *religionis Protestantica* causam prætexere solent Invasores) disseruit: sed quicquid tani consilii dictaverit prudentissimus & pissimus Archi-Præsul, enthusiasticus ille, quo exagitatus erat, furor, id planè irritum reddebat. Utcunque benignè dimissus erat *Usserius*, quem, licèt fanatico æstro percitus, Ordinem Episcopalem, Liturgiam, sacrósque Ecclesiæ *Anglicanæ* ritus, Clerúmque Orthodoxum, fortunis & dignitatibus suis ob fidem in Regem Martyrio coronatum,

Filiúmque

Filiúmque exulantem præſtitam, exutum capitaliter odiſſet, nondùm retectâ hypocriteos larvâ, revereri & diligere præ ſe tulit: & ut id luculentiori documento conſtaret, ſuggerente, quod vero non abſimile videtur, *Bernardo*, olim *Uſſerio* à ſacris, jam verò *Cromwello* ab eleemoſynis . . . . libras ex pecuniis à *Deo dandis*, h. e. ex animalibus aliisve rebus divenditis, quæ aliquo modo ad mortem cujuspiam inferendam conduxerint, crescentibus, utpotè ex veteri lege Regio Eleemoſynario cessuris, piúſque in uſus erogandis, illi numerandas permiſit. Nemo ſanè *Uſſerio* puſillanimitatem exprobrare debet, quòd penſionem iſtam non optanti, nec renuncium quidem exſpectanti oblatam, ne dicam, obtruſam invito animo acceperit: cùm præcipitis conſilii damnoſæque imprudentiæ fuiſſet redarguendus, ſi ſecùs feciſſet. Hâc autem prudentiâ faciliorem ſibi parabat viam intercedendi apud Tyrannum aliàs infeſtum, pro fratribus oppreſſis afflictiſque, ſi quando nova perſecutio oriretur, quæ mox ſecuta eſt, ut ſtatim videbimus.

Uſſerius ſolemnem in funere *Seldeni* concionem habet.

D. *Joanne Seldeno*, viro ſummo, cujus fama, ob excelſiſſimas animi dotes conſummatámque eruditionem, nunquam interibit, neque ex hominum memoria delebitur, quamdiu literis conſtabit honos, tricesimo Novembris A. MDCLIV. è vivis excedente, clariſſimi viri, D. D. *Matthæus Haleſius & Joannes Vaughanus*, hic poſteà regnante *Carolo* II. ſummus Communium placitorum, ille ſummus totius *Angliæ* Juſtitiarius, aliſque, ultimarum rabellarum Executores, impensè rogârunt *Uſſerium*, ut amico jam fatis functo concione funebri parentaretur; utpotè ſatis gnari, neminem, qui laudaret, quàm *Uſſerium*, digniorem habitum iri. Ut ſuum erga Virum arctiſſimâ per quadraginta annos & ultrà neceſſitudine ipſi conjunctiſſimum teſtatum faceret affectum & amorem, facilè adſenſus eſt, & die decimo quarto Decembris, quò corpus in Societatis, cujus *Seldenus* erat ingens lumen & decus, Juriſperitorum Templariorum ædes occupantium, Eccleſiâ terræ mandabatur, conſcenſis ſacris roſtris, perorans, non ſibi, non ampliſſimo illuſtrium virorum, qui ſplendidiſſimis maximèque ſolennibus interfuere exequiis, cœtui, non *Seldeno* defuit. Inter elogia, quibus dilectiſſimum ſuum *Seldenum* cumulavit, hoc maximum meritò videbitur, quòd *ſe vix dignum, qui*, phraſi apud nos uſitatiſſimâ, *illius libros portaret*. h. e. nullo in pretio, ſi cum illo conferatur, habendum eſſe putaverit. Ita præ modeſtia propriæ dignitatis obliviſci viſus eſt *Uſſerius*, dum ſummam *Seldeni* doctrinam, quaſi in altiſſimo humanæ induſtriæ faſtigio collocatam, præconiis penè fidem exſuperantibus, extollere ſtuduerit.

Uſſerii de Græca LXX. Interpretum verſione Syntagma.

Quò, ſenectâ jam indies ingraveſcente, & propemodùm confectâ, ſe propiùs ad ultimam vitæ metam accedere ſenſit *Uſſerius*, eò impenſiori ſtudio, quod prelo habuit paratum, in publicam lucem protrudere cupiebat. Sui ipſius ergo juſſu & curâ prodiit *Londini* MDCLV. *De Græca Septuaginta Interpretum verſione Syntagma: cum libri Eſthera editione Origenicâ, & vetere Græcâ alterâ, ex Arundelliana Bibliotheca, nunc primùm in lucem productâ.* Fatendum eſt, *Uſſerium* quasdam *ἰδιοσυγκρασίας* & ſibi peculiares, de quibus meritò dubitari poteſt, in hoc Syntagmate protuliſſe, quas tamen mirâ ingenii ſubtilitate adſtruere conatus eſt. Prætermiſſo enim, quòd ſolos quinque libros *Moſis* ab illis Interpretibus Græcè, & quidem accuratiſſimè, converſos fuiſſe dixerit, quæ erat *Ariſtea*, *Joſephi*, *Hieronymi*, totiúſque Scholæ *Judæorum* ſententia, ſtatuit, veterem iſtam interpretationem, in Bibliotheca *Ptolemæi Alexandria* repoſitam, incendio periiſſe: illam verò, quæ non multò pòſt loco illius ſubſtituta, omnium tum Græciſſantium *Judæorum*, deinde ab hiſce Helleniſtis ad Apoſtolos & primitivæ Eccleſiæ Doctores derivata, quam Chriſtianorum in manus & ſub oculis veniebat, reliquos veteris Teſtamenti libros complectentem, ab aliquo *Judæo* poſt quartum *Ptolemæi Philometoris* annum factam fuiſſe: hunc obſcurum hominuncionem textum ſacrum, aut addendo, aut detrahendo, aut mutando, aut pro laſcivia ingenii & deditâ operâ perperàm interpretando, adulteraſſe; illiúſque fraudibus & perfidiæ miram iſtam, quæ inter Ebraicos & Græcos codices intercedit, diſcrepantiam adſcribendum eſſe. *Judæos* Sacerdotes & Levitas, tunc in *Ægypto* commorantes, qui, deſertis *Hieroſolymis*, in novo *Onia* templo, in agro *Heliopolitano* condito, ſacris operari conſueverint, ex oſcitantia, turpíque ignaviâ hanc novam verſionem corruptam fœdatámque, temerario auſu, abſque aliqua exploratione admiſſam, in publicos uſus adhibuiſſe, aliáque gratis dicta, à quibus recenſendis abſtineo: quæ ad rigidum examen vir doctiſſimus, *Henricus Valeſius*, in Epiſtola *Lutetiæ Pariſiorum* idibus Novembris anno MDCLXV. ſcriptâ, & in calce illius adnotationum in *Euſebium* editâ revocavit. Longè tamen plura, mirâ curioſitatis, quæ ſacrum textum, iſtius Græcæ verſionis varias editiones, illorúmque temporum hiſtoriam illuſtravit, illic reperiri, omnes, qui de hiſce literis rectè judicare nôrunt, facilè concedunt, & inter illos ipſe animadverſor *Valeſius*; qui in limine Epiſtolæ memoratæ ita *Uſſerium* alloquitur. *Volo hic Tibi laudes tuas ingerere. Neque enim id modeſtia tua, nec amicitia noſtra patitur: Dicam tamen ingenuè, quod ſenſeo, in pleriſque quidem, quæ illic à te ſcripta ſunt, aſſentior tibi: tuámque eximiam eruditionem & acumen ingenii magnoperè demiror. Sunt tamen nonnulla, in quibus abs te diſſentire cogor invitus.*

De *Cainan* ſecundo Diſſertatio.

Huic Syntagmati *acceſſerunt ob argumenti cognationem*, *de* Cainaane, *in vulgata LXX. editione ſuperaddito, ex illius Chronologia ſacra nondùm edita*, *Diſſertatio*: *una cum ejuſdem edita ad* Ludovicum Cappellum *de variantibus textûs Hebraici lectionibus*, *anno* 1652. *& altera à* Gulielmo Eyrio *ad ipſum A.* 1607. *data Epiſtola.*

Sed de hac Chronologia ſacra, aliiſque libris, quos *Uſſerius* reliquit ineditos, quorum tamen aliqui poſt mortem prodiere, uti & de ingenti ſchedarum illius & Collectaneorum mole, poſteà opportuniùs dicam.

Cromwellius

Cromwellus in Presbyteros Episcopales furiosè grassatur, quem, pro illis intercessurus adit Usserius.

Cromwellus malâ & terrîcâ conscientiâ, quæ illum suspiciosum & irrequietum reddiderat, exagitatus, & de summâ potestate, quam cædibus pessimisque artibus usurpaverat, retinendâ valdè anxius, jam retectâ simulatæ misericordiæ larvâ, in nobiles aliósque, qui Regias partes flagrante rebellione & funestissimo bello secuti sunt, præsertim verò in Ecclesiæ *Anglicanæ* Presbyteros (nam Præsules despectui habuisse videtur propter paucitatem) qui omnium bonorum jacturam jurisjurandi reverentiæ & conscientiæ tranquillitati firmissimâ mente postposuerint, ferocire, imò & sævire cœperat. Horum plerique omnes ex utriusque Academiæ Collegiis, & Ecclesiis Parochialibus, quas sacrilegè invaserant Ministelli Presbyterani & Independentes, crudeliter ejecti, aut in ædibus conductis, aut in Nobilium familiis, aut in privatis sacellis sacrum juxta Ecclesiæ Anglicanæ constitutionem Ministerium obibant, aut pueros & adolescentes in rudimentis doctrinæ, & erga legitimum Principem fidei, inque sanæ Theologiæ articulis instituendi munus suscipiebant: alii aliter, prout quisque animo propendebat, in mediis hisce angustiis amicorum benevolentiâ & liberalitate adjuti, vitam tolerârunt. *Londinum* autem erat reliquorum Confessorum asylum, ubi in tanta civium multitudine tutiùs securiúsque delituerunt, & majori libertate gavisi sunt. Hoc limis, imò indignabundis furentibúsque, oculis videns *Cromwellus*, & animo ferens iniquissimo, *Declarationem*, uti appellant, (nam conculcatis legibus, omnia pro arbitrio administrari voluit) primo die Januarii A. MDCLV. juxta stylum & computationem nostram, publicavit, in qua sub severis pœnis jubetur, ne quisquam ex illis in privatis scholis pueros doceret, aut in ædibus Nobilium exceptus, aut in Oratoriis, in quibus sacri conventus haberi solebant, aliquam sacræ functionis partem administraret, rapiendis in carcerem, qui contrà fecerint. Ut ab hisce molestiis periculisque meliùs & honestiùs sese eriperent Episcopales Theologi, multi ex his celebrioris notæ *Londini* commorantes, dira hactenùs passi, diriora jam passuri, ut par est credere, (licèt sibi soli gratiam hanc deberi asseruerit *Bernardus*, quem justâ laude hac ex parte, si rem ita se habuisse certò mihi constaret, neutiquàm fraudandum censerem) ab *Usserio*, tunc rure agente, literis petiêre, ut *Cromwello* pro gratia & bona existimatione, quâ apud illum valere ferebatur, interpositâ suâ operâ, iret supplicatum, ut libertas conscientiæ, omnibus sectis tum effusè concessa, ipsis quoque concederetur: & cùm in publicis Ecclesiis, è quibus detrusi fuissent, sacri cultûs causâ convenire non liceret, id saltem illis impunè conveniendi in Oratoriis privatisque ædibus daretur facultas. Ut afflictissimis viris, ejusdem sacræ communionis Mystis, in summo periculo constitutis, quoquomodo, quantùm in illo erat, opitularetur *Usserius*, relictâ *Rigatâ* in provincia *Surreiensi*, ab urbe quindecim circiter millaribus distitâ, animo penè despondente, de itineris successu malè ominatus, *Londinum* repetit, bonâque causâ fretus, sacràque hâc quasi fungens legatione, ad *Cromwelli* præsentiam admissus, rem propositam piè & tenerrimo cum affectu ursit, tàmque justis ac solidis rationibus & argumentis corroboravit, ut victor evaserit, *Cromwelli* pertinaciâ, licèt ægrè quidem expugnatâ, qui pollicitus est, nullam iis molestiam facessendam esse, *modò rebus civilibus & ad præsentem morum spectantibus sese non ingesserint.* Sed nudis verbis absque aliquo fortiori auctoramento licèt mille testes adfuissent, neutiquàm fidendum erat. Ideò *Usserius* alterâ vice illum adibat, periturus, ut priori *Declarationi*, si non penitùs revocatâ, saltem pro tempore suppressâ, promissum istud scripto publico firmaretur. Facilè in cubiculum introductus, & sedem capellere justus, ibi Chirurgum ulcerolo tuberculo in *Cromwelli* pectore excrescenti emplastrum apponentem reperit. Aliquantillo pòst tempore, ad novum colloquium ventum est. *Cromwellus* autem auditis, quæ proponerentur, replicavit, *se de re ista melius & exploratius cum Consiliariis suis deliberasse, qui illius quàm maximè interesse judicârunt, neutiquàm ejusmodi hominibus, novis motibus quotidie intentis, qui erant ipsius, præsentisque rerum administrationis infestissimi hostes, libertatem petitam concedi oportere.* Quo brevi colloquio finito, urbanè quidem dimissus est *Usserius.* Tristis admodùm rediit domum, & clàm apud suos de *Cromwelli*, qui promissis non steterit, perfidiâ gravissimè questus, ultrà addidit inter alia, quòd *Cromwelli* potentiam vix stabilem fore, aut permansuram, aut saltem illius vitam ad multos annos prolongari non posse, illud nimirùm ex turbatissimo rerum statu, hoc verò ex ægritudinibus perpetuâque illius mentis agitatione, quæ est miserrima sors Tyrannorum, ut puto, pro sagacitate sua præsentiisset, *exterrem Regem tandem in* Angliam, *reversurum esse.*

Usserius Chronologiam sacram edere gestiens, eam primo aggreditur. Deinde morbo intercipitur.

Circa medium Februarii, Urbe relictâ, rus repetens, licèt acerrimus dolor menti, ob persecutionem, quam intercessione suâ apud flagitiosissimum Tyrannum avertere non poterat, jam adversùs Episcopalem Clerum passim grassantem, altùm insederit, quantillum erat vitæ, quod supererat, pro more quasi in naturam verso, dum solus esset, nullisque innexus negotiis inter studia doctrinæ ac pietatis officia partitus est. Relectis inque novum adductis examen schedis, quas de *Chronologia sacra* priùs apparaverat, quicquid ad opus istud absolvendum defuisse videretur, addidit & supplevit: quod non modicum erat mentis solamen. Præsagire enim visus, sive ex viribus in istâ confectâ ætate penè absumptis, sive aliundè, ultimum vitæ suæ terminum non procul distare, nec longè prorogandum: ad diem natalem in Ephemeride istius anni adnotans, quotum ætatis suæ annum tunc attigisset, subjunxit, *dies meos completos esse*, & deinde literis majusculis scripsit, RESIGNATIO. Properabat quidem ultima hora, illo quidem exspectante, Amicis non item. Vicesimo enim die Martii, ad vesperam, fataliter ægrorare cœperat, ischiade primò laborans, quam proximo mane secuta est pleuritis. Inde dolor magis magisque augebatur, remediis nullis à Medico, qui,

ſive ex ignorantia, ſive errore, non benè, ut ex dilecto corpore liquebat, partes ſuas impleverit, præſcriptis expugnandus. Interim per quatuordecim plus minùs horas, ingenti, licèt non æquali, intentione & violentiâ, cruciatu diſtineretur, cui ferendo, vires immanutas vix aliquandiu ſuppetere poſſe, facilè ſentiens, Deo ſe totum effuſis precibus commendavit, aſſiſtente Comitiſſæ Sacellano. Circa lectum adſtantibus pia ſuggeſſit conſilia de præparatione ad benè ſanctéque moriendum, etiam dum robur, dum valetudo adeſſet: illuſtriſſimæ verò Comitiſſæ, ob inſignem illius benignitatem, quam per multos annos ſumma cum animi lætitia & voluptate expertus eſt, ſolennes egit gratias. Tunc paulò ante mortem petens, ut jam ſibi privatiſque ſuis orationibus & meditationibus vacaret, in hoc unicè intentus, Deum, ut propter *Jeſu-Chriſti* paſſionem & mortem illius miſereri pro infinita ſua miſericordia dignaretur: *Condona mihi*, inquiebat, *ô Domine, peccata mea omiſſionis*. Hæc erant illius ultima verba, nec quicquam aliud poſteà ab illo prolatum fuiſſe, qui aderant, audivere. * Mox enim piam efflavit animam *Uſſerius*, Vir ſummus, & propter pietatem, eruditionem, & dignitatem eminentiſſimus: poſtquàm ſeptuaginta quinque annos, tréſque, demptâ unâ ſeptimanâ, menſes vixiſſet.

* XXI. Martii MDCLV.

Convenerat inter V. C. D. *Timotheum Tyrrillum*, *Uſſerii* genetum, & illuſtriſſimam Comitiſſam *Petroburgenſem*, de illo ſepeliendo, cum omni debito decore, ſed ſine ſumptuoſa pompa & ſtrepitu, in Eccleſiæ Parochialis cryptâ, ad familiam iſtius propaginis *Howardorum*, è qua erat oriunda, pertinente. Sed quod veriſimillimum eſt, procurante *Bernardo*, qui ſe ſe in gratiam & favorem *Cromwelli*, utpotè cui vitam debuit in iſta horrenda ſtrage, poſt expugnatam ferro ignique *Droghedam*, in qua, paucis admodùm, ne mulieribus quidem exceptis, parcitum fuerit, inſinuaverat, *Cromwellus* artis diſſimulandi peritiſſimus, literis transmiſſis interceſſit, non ex amore pietatis aut reverentiâ canitiei ſacrarúmque infularum venerandi Archipræſulis, ſed vafris artibus politicíſque rationibus inductus, voluit, ut ſacræ iſtæ exuviæ in Abbatiali Eccleſia *Weſtmonaſterienſi* publicè illius ſumptibus conderentur. Ille enim ſatis gnarus, quantùm decoris, quámque inſignem gloriam, non tantùm domi, ſed per univerſum orbem Chriſtianum, & potiſſimùm apud Eccleſias Reformatas in *Gallia*, *Belgio*, *Germania*, & alibi gentium, ſibi pepetiſſet *Uſſerius*, id pro veriſpelli ſuo ingenio dedità operâ & ſedulò egit, non modicam laudis partem in ſe ex hoc magnifico funere derivaturus. Cui igitur apparando ducentas libras Anglicanas è fortuitis *Deo dandorum* pecuniis eximendas ſolvi juſſit. Non enim majori pretio egregiam iſtam, quam ab Exteris capraturus eſſet, laudem, cenſuit redimendam Parricida ſceleratiſſimus, & in omne ævum execrandus. Exequiis ex improviſo dilatis, corpus condiri oportuit: quod tandem indicto die, viz. XVII. Aprilis A. MDCLVI. currui, pullatis pannis lugubrem in modum, cum reliquis appendicibus, ornato, impoſitum, magno Nobilium numero comitante, prout in Magnatum funeribus fieri ſolet, *Londinum* defertur. Cùm ventum eſſet ad ædes *Sommerſettanas*, ſereniſſimæ Reginæ *Henrici Mariæ*, auguſtiſſimi Regis *Caroli* I. viduæ, palatium, *ſequeſtrati* (ut verbo forenſi utar) Presbyteri Eccleſiæ *Anglicanæ*, qui teſtandæ reverentiæ & obſequii erga *Uſſerium* causâ, illic ex pacto convenerant, ſeſe immiſcentibus, ni malè, poſt quadraginta octo annos, memini, paucis ex Miniſtris Presbyteranis *Londinenſibus*, inde egreſſi, bini longo tectóque ordine *Weſtmonaſterium* proceſſerunt, ut de confertiſſima aliorum, qui aderant, multitudine ſileam. Depoſitâ aliquanto tempore in Eccleſiæ choro ſandapilâ, *Bernardus* conſcenſis roſtris concionem, cui interfui, habuit in hæc verba 1. Sam. XXV. 1. *Mortuus eſt autem Samuel, & congregatus eſt univerſus Iſrael, & planxerunt eum nimis, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha*; quâ ad finem perductâ, proceditur ad ſepulchrum, in S. *Eraſmi* ſacello à latere magnificæ Capellæ R. *Henrici* VII. effoſſum, in quo, *Bernardo* officium iſtud in Liturgia præſcripturo, juxta ritus Eccleſiæ *Anglicanæ* iſthic peragente, recondebatur, uſquedùm reſurrectionis aurora illuxerit, cuſtodiendum.

Sepultus in Eccleſia Abbatiali *Weſtmonaſterienſi*.

Hâc compendiariâ vitæ *Uſſerii* hiſtoriâ defunctus, ea, prout in contexendis deſcribendiſque magnorum virorum vitis uſu venit, quæ ad formam habitúmque corporis, *ἰδιοσυγκρασίαν*, mores, ingentéſque animi dotes, aliáque mixti generis propiùs ſpectant, paucis ex induſtria (neque enim Panegyriſten in celebrandis illius laudibus fuſiori ſtylo ſuperfluè excurrentem ago) referre, & quaſi coarctatâ tabellâ repræſentare, & demùm Scripta, quæ reliquit, ſive perfecta, poſt mortem in lucem edita, ſive affecta tantùm, à quibus abſolvendis, aliis ſtudiis impeditus, manum abſtinuit, recenſere jam, ut Lectorum curioſitati pariter ac profectui & commodo hac ex parte ſimul proſpiciam, aggredior.

Forma habitúſque corporis.

Staturâ erat aliquantulùm procerâ, & corpore benè compoſito, cæſarie, præſertim in juvenilibus annis, ſubnigrâ, temperie paulò ad ſanguinem inclinante, vultu gravi & ſerio, bonæ indolis ſedatæque mentis indice, incelſu, etiam in ſenecta, erectus, robuſtâ valetudine, licèt ſemel febre quartanâ, iterúmque ſtranguriâ immodicóque ſanguinis effluxu quaſſatâ: rarò admodùm capitis dolori obnoxius, nunquam verò aut calculo, aut podagrâ vexatus: parcus vini, in cibo abſque condimentis reliquiſque gulæ irritamentis cocto paratóque moderatus, ita ut, ſive id ipſius temperantiæ ſive facili bonæque concoctioni adſcribendum ſit, nihil inde mali ſentiente aut ſtomacho aut cerebro, è menſa repente, quamprimùm per hoſpites licuit, in muſeum ſtudiorum gratiâ valuerit reverti.

Mores dotéſque animi.

Deín genio ſublimi, omniúmque ſcientiarum, tam divinarum, quàm humanarum capaci, & de indefeſſâ, quæ illum, exporrecto totius vitæ ſpatio, nunquam deſtituit, induſtriâ, non eſt, quòd hic quicquam denuò repetam, quod apud omnes notiſſimum eſt, quibus

Uſſerii nomen non ignotum, & quod etiam libri, in omne ævum victuri, luculentiſſimis documentis teſtabuntur.

Pietas ſincera & abſque omni fuco & oſtentatione, quam ab ineunte adoleſcentia à corde, amore Dei cœlitùs accenſo, fluentem, à turpitudine & opprobrio per gratiam *Chriſti* integram ſervavit, in omnibus vitæ actionibus officiiſque religionis, ſive clàm, ſive publicè peractis, illuxit. Non pecuniarum avidus, non opum corraſor, effuſæ in pauperes, præſertim in juvenes Academicos anguſtioris fortunæ, aſſignatis annuis penſionibus, ut ſtudiis animum alacriùs intenderent, liberalitatis: orphanorum aliorúmque, quos impenſis ſuis in ſcholis educandos curavit, fautor & patronus. Sed inter Chriſtianas, quas exercuit, virtutes, mira humilitas potiſſimùm eminuit, quæ illum ſupra omnes titulos reddidit maximè venerabilem: non ſui amans, non aliorum contemptor. In tam alto dignitatis & famæ faſtigio poſitus, cunctos, etiam mediocris fortunæ & ingenii, obviâ comitate excepit, amicos verò perquàm benignè & familiariter, ſemper tamen ſub juſto veræ prudentiæ moderamine: ſibi minimè placens, relictâ cuiquam opinandi libertate; non rigidus alieni operis cenſor: in Adverſarios, licèt laceſſitus, non contumelioſus: in congreſſu facilis, & ab omni moroſitate vacuus, à quo neminem aut elato ſupercilio aut faſtuoſo ſermone repellebat, ne Presbyteranos quidem Miniſtros, qui, licèt implacabili in ſacrum Epiſcoporum ordinem, illorum technis furoribúſque hìc everſum, odio adhuc ferrentur, illum tamen revereri, & non mediocri obſervantiâ & obſequio proſequi præ ſe tulerunt.

Cenſorâ à quibusdam ob nimiam Presbyterianis præſtitam gratiam notatus.

Sed celari non oportet, illum inde ſibi apud ſuos non parùm invidiæ conflaviſſe, quaſi illorum ſchismati pariter ac ſententiis in quibusdam dogmatibus Theologicis controverſis nimiùm quantùm indulſiſſet, ne dicam, in præjudicium Epiſcopalis Eccleſiæ, oppreſſæ licet & oppugnatæ, nondùm tamen per horum fidem, conſtantiam in duriſſimis rebus patientiam & zelum ab hoſtibus triumphatæ, faviſſet. Multi enim *Uſſerium* lenitatis & benignitatis erga iſtiusmodi homunciones, qui indicto contra Regem & Eccleſiam *Anglicanam* bello, res ſacras civiléſque perjuriis, rebellione & cædibus ſub læva *reformationis* commiſcuiſſent, oſtenſæ, exceſſu peccaſſe cenſuerunt.

Strenuè olim *Calviniorum* dogmatum aſſertor.

Quisquis in memoriam revocat, ut Catechiſmum, conciones (quandoque enim cùm de *Armnianorum* dogmatibus coram Rege aut ad populum peroravit, non abſtinuit ab acribus cenſuris) Epiſtolas editas, & *Gutteſchalci* Hiſtoriam omittam, quàm magnam in condendis Eccleſiæ *Hibernicæ* articulis partem olim ſuſtinuerit *Uſſerius*; illum quibusdam *Calvini* placitis addictiſſimum fuiſſe facilè ſibi perſuadebit; de quo, cùm diſputationes ejusmodi iterùm paulò poſt mortem ipſius incaleſcerent, Presbyterani, quibus nimirùm diſciplina *Genevenſis*, pariter ac doctrina, cordi erat & in deliciis, ſpondentes, non parùm præſidii ex tanti nominis auctoramento in cauſam *Calvinianam* derivandum eſſe, tanquam de magno earundem opinionum Patrono & Fautore, ſeriò gloriati ſunt. Eſto. Quid ergo? Num cuipiam vitio verti debet, ſi in iſtis perplexis dogmatibus (†) Theologicis, neutiquàm ad doctrinam fidei ſpectantibus, quæ meræ ſunt argutiæ, & de quibus, pro varia laſcivientium ingeniorum inclinatione & indole, rixæ litéſque nunquam ceſſaturæ movebuntur, aut amplectendis aut rejiciendis, judicium ſuum, unitate Eccleſiæ ſalvâ & integrâ manente, ſecuturus fuerit? Abſit: Nemo enim aut pius, aut prudens, aut modeſtus id dixerit. De qua re utique prorsùs ſiluiſſem, ſi in eadem ſententia, quam pridem amplexus fuerat *Uſſerius*, tuendâ perſeveraſſet. Illum verò ante mortem, quod ad hoſce articulos *de Electione & Reprobatione, de Gratia, de libero arbitrio, de Redemptione humani generis per mortem Chriſti Salvatoris*, reliquóſque omnes ſpectat, aliam à priori, mutatâ mente, ſuſcepiſſe, & in gratiam cum Epiſcopo *Overallo*, conſummatiſſimo Theologo, rediiſſe, ex trium magnorum Virorum, omnique fide digniſſimorum, D. D. D. *Briani Waltoni*, *Petri Gunningi*, & *Herberti Thorndikii* teſtimoniis, propriâ ſingulorum manu ſignatis, adversùs quorum veritatem nulla legitima exceptio admitti poteſt, luculentiſſimè, quicquid contra dixerit *Bernardus*, liquet. Hæc verò, quod ex inſtituto noſtratium, qui haſce ſchedas legerint, addo, in præclara de hoc argumento appendice, ad librum, cui titulus, *Εικων τετραμορφος*, ab eruditiſſimo Viro, & invicto Eccleſiæ *Anglicanæ* contra illius temporis ſchismaticos vindice, D. *Thomâ Piercio*, poſteà digniſſimo & integerrimo Collegii B. *Mariæ Magdalenæ Oxonii* Præſide, & Eccleſiæ Cathedralis *Sariſburienſis* Decano, contra quendam famoſum Presbyteranum Miniſtrum *Londini* A. MDCLVIII. Anglicè editum, exſtant.

Sed mutavit ſententiam ante mortem.

In *Uſſerium* inſurgit *Heylinus*.

Hæc multis forſaſſe levia quidem videntur, ac ne hili æſtimanda. Sed longè ſeveriori dicâ intentatâ, *Uſſerium* aculeato ſcripto perſtringit D. *Petrus Heylinus*, jurium, doctrinæ, diſciplinæ, rituúmque ſacrorum in peſſimis & difficillimis temporibus, Eccleſiæ *Anglicanæ*, ringentibus indignantibúſque Puritanis, ſtrenuus admodùm Aſſertor, quaſi ille in multis religionis capitibus explicandis à vero Articulorum, quibus omnes ſacris ordinibus initiandi ſubſcribere tenentur, ſenſu, & ab Eccleſiæ mente abiiſſet, imò & contraria dogmata invexiſſet. Adversùs has exceptiones breves Avi ſui, longo pòſt tempore Actoris convitiis, ut putabat, irritatus V. Cl. D. *Jacobus Tyrrillus*, ex filia nepos, vindicias edidit. Sed nolo hiſce controverſiis dudùm ſopitis me ingerere, nec ſingillatim iis recenſendis immorari: (utpotè quod ſcopo & inſtituto Hiſtoricæ narrationis, quam ſuſcepi illuſtrandam,

A nepote defenditur.

(†) De hiſce articulis, jam dudùm in Eccleſia Genevenſi nihil quicquam diſputatur.

neutiquàm

neutiquàm convenit) unum aut alterum ex articulis objectis, qui præ cæteris cenſuræ ob noxii ſunt, quaſi in tranſitu memorare contentus.

Ab ingenti iſto, ne dicam, immodico, quò ferebatur erga Eccleſias Reformatas, ſive in *Gallia*, *Belgio*, aut alibi gentium in transmarinis Regionibus, quæ Episcopis carent, affectu, ne ordinationes, à quibus Sacramentorum totiusque muneris Eccleſiaſtici adminiſtratio unicè pendet, apud illos factæ, irritæ & nullæ haberentur, *Uſſerius* juxta quorundam Scholaſticorum, qui otio & ingenio ad deprimendam legitimam Epiſcoporum auctoritatem, hac in re à primis ætæ Chriſtianæ ſeculis derivatam, & optimo jure vindicatam, abuſi ſunt, effatum, heterodoxæ novitatis arguendum, rotundo ore & expreſſiſſimis quidem verbis aſſeruit, *Epiſcopum & Presbyterum gradu tantùm, non ordine differre*: in qua ſententia (uti in multis aliis dogmatibus Theologicis controverſis) habuit ſibi conſentientem & ὁμόψηφον (a) D. *Davenantium* Episcopum *Sariſburienſem*, cujus de Prædeſtinatione & reprobatione Prælectiones Academicas edendas procuravit. Hâc decretoriâ ſententiâ, nequaquàm admittendâ, acerbiſſimas Pontificiorum cenſuras & opprobria, quaſi nulli eſſent Sacrorum Miniſtri in illis Eccleſiis ritè conſtituti, retundi & elidi poſſe putabant. Alii autem viri doctiſſimi, ex Præſulibus & Sacerdotibus, eſſentiali inter Episcopos, quibus ſolis ordinandi jus ab ipſis Apoſtolis, quorum ſunt ſucceſſores, per omne ævum ad illos transmiſſum & demandatum competit, & Presbyteros, quoad diſtinctos ordines, diſcrimine ſtudiosè retento, de iſthoc gravi defectu, quò laborant Eccleſiæ Proteſtanticæ extra *Angliam*, mitiùs & benigniùs ſentientes illas, præſertim *Gallicam*, ubi *Romana* Religio ſub civilis poteſtatis præſidio dominata eſt, adhúcque dominatur, (nam diverſa Belgicæ, introductâ poſt abdicatum R. *Philippum* II. liberâ Republicâ, videtur eſſe ratio, quæ inde, *Uſſerio* cenſente, *minus excuſabilis*, quàm altera redditur) ex *neceſſitate ſola*, quam induxit temporum, quibus illorum Majores ab Eccleſia *Romana* ſeceſſionem fecerint, iniquitas, ſi non defendi, ſaltem excuſari, & inter membra myſtici corporis *Chriſti*, recenſeri poſſe longè meliùs ſtatuunt. Quâ egregiâ animi moderatione jura Catholicæ Eccleſiæ integra & intemerata, & Chriſtianam charitatem & benevolentiam illæſam, ſimul ſervant: licèt cum illis in ſanctiori Euchariſtiæ myſterio participando vix communicaverint: quod tamen *Uſſerium*, ſi in *Gallia*, ac etiam in *Belgio* ſedem fixam habere contigerit, ſe facturum, omni diſſimulatione & metu ſepoſitis, profeſſus eſt. Ne verò de hâc *Uſſerii* indulgentiâ & candore triumphos agant Presbyterani, ſive *Angli*, ſive *Scoti*, memminiſſe oportet, *Uſſerium* illorum aut ordinationes calculo ſuo nunquam approbaſſe, aut ſacris interfuiſſe, utpotè qui perjurii & rebellionis adversùs Epiſcopos, quibus fidem canonicámque obedientiam ſolemni juramento addixerant, ſuſcitatæ manifeſti, nullâ neceſſitate, ſive reali & inſuperabili, ſive fictâ prætenſâque, adacti, flagitioſo ſchiſmate conſpurcati, quod alieni eſſet juris, longéque ſuperioris auctoritatis, ſacrilegè invaſerunt. Ne verò quiſpiam ſuſpiciones aleret, quaſi *Uſſerius*, ſententiâ *de Epiſcoporum & Metropolitanorum origine*, quam olim ſcriptis eruditiſſimis tuatus eſt, mutatâ, jura ſui ordinis violare aut imminuere in poſterioribus vitæ annis hâc *συγκαταβάσει* propoſuiſſet, ſciendum eſt, illum ſimul eodémque tempore aſſeruiſſe, *eminentem illum ſpiritualis poteſtatis*, *quâ Epiſcopi antiſtant Presbyteris*, gradum, neutiquàm, ex Principum & Synodorum arbitrio pendere, aut à conſuetudine Eccleſiaſtica ex communi conſenſu introductâ derivari, ſed ab ipſis Apoſtolis, à primis nascentis Chriſtianiſmi initiis fuiſſe inſtitutam & ſtabilitam, *Presbyteros ſubeſſe Epiſcopis*, & Presbyteranorum, qui ab Episcopis *Anglicana* Eccleſia ſe ſeparantes, illud novum regimen, novámque diſciplinam impiâ vi rebellibúsque armis introduxiſſent, ordinationes *à ſchiſmatis vitio excuſari non poſſe*: ita molliter loqui amavit vir placidiſſimi ingenii: quas tamen prorsùs irritas, inanes, invalidas, & nullas eſſe ex ipſius principiis, dicendum foret: nec quidem ipſo invito & repugnante: cùm in iſtiusmodi ſacrilegis ordinationibus, formula, in Ordinali *Anglicano* penitùs omiſſâ, nulla poteſtas munus iſtud ſacrum adminiſtrandi ordinatis in ipſo impoſitionis manuum actu conceditur: quod ille idem eſſe *ac ſi quiſpiam chartæ nudæ & raſæ ſigillum appoſuerit*, dicere conſuevit. Ille autem à prælaudato Ordinali, quod tanquam omnibus numeris abſolutum maximi æſtimavit, ſe nunquam abduci paſſus eſt.

Epiſcopos & Presbyteros ſolo gradu non ordine differe.

Cùm ſparſi rumores per ora multorum volitarent, quaſi ille, declinatâ ætate, ſi non malè, ſaltem minùs honorificè de Liturgia ſenſiſſet, atrocem iſtam criminationem indignabundâ mente & ore repulit *Uſſerius*, & epiſtolâ ad quendam nobiliſſimum virum tranſmiſſâ, de iſthoc convitio ſeſe purgavit; nec id feciſſe contentus, ad famam apud poſteros hac ex parte vindicandam, duobus circiter ante obitum menſibus, in pugillaribus, in quibus memorabilia, præſertim ad ſe ſpectantia, adnotare ſolitus erat, ſignaris J. A. literis ſcriptum reliquit, *ſe Liturgiam magno in pretio & honore ſemper habuiſſe*, inque convitium iſtud, ac ſi illam *Idolum* aliquando appellaſſet, tanquam impudentiſſimum ac mendaciſſimum, ab inſita lenitate penè abreptus, ſeverè animadvertit: quod praxi ſuâ, poſtquàm illius publicus uſus in Eccleſiis Parlamentario decreto interdictus fuiſſet, abundè refutavit, utpotè in ædibus Dominæ *Petroburgenſis*, uti & alibi, ſacris religionis officiis à Capellano quotidie perlectis, ſemper præſens.

Quid de Liturgia Eccleſiæ *Anglicanæ* ſenſerit *Uſſerius* oſtendimus.

Sed hiſce omiſſis, proximo in loco de poſthumis *Uſſerii* libris breviſſimè diſſerendum eſt, quos ſequens indiculus exhibebit.

Uſſerii Opera poſthuma.

(a) Determinat. Q. 42.

Chronologia Sacra.

Chronologia ſacra, ſeu annorum & mandatorum Patriarcharum, regnique Iſraelitarum in Ægypto, annorum etiam Judicum, Regum Juda & Iſraelis emendata Chronologica, Oxonii 1660. Edidit V. CL. D. *Thomas Barlovius*, Collegii *Regienſis* in illa Academia Præpoſitus, & poſteà Epiſcopus *Lincolnienſis*. Liber ſanè quantivis pretii, & maximi ad intelligendam penitiúſque perſcrutandam V. I. hiſtoriam usûs, quem tanquam baſin & firmamentum Annalium ſuorum, tum ut certior firmatórque ſacræ Hiſtoriæ in rebus geſtis enarrandis, illic continuâ annorum ſerie diſpoſitis collectiſque, conſtet fides, tum ut quando inceperint celebriores ſacræ Epochæ, è quibus ſubſequentium temporum cognitio pendet, ritè, ſubſtratis demonſtrationibus, ſingularúmque ratione reddità, calculis accuratè ſubductis, ſtatuatur, ſe editurum, ſi vitam Deus & vires dediſſet, in præfatione ad ſecundam Annalium partem, pollicitus fuerat. Huic ſacro operi maximè intentum ex inopinato mors occupavit, quod maximè dolendum eſt, antequàm ad finem perduxiſſet: ſed illius tamen maximam partem (ab initio enim liber ille mutilus eſt) in quâ perplexas difficultates, dubiáque Problemata, quæ vel in hiſce ſtudiis verſatiſſimorum ingenia hactenùs torſerint, admirandâ ſagacitate ſolvit & explicavit, tanquam pretioſiſſimas reliquias ex incendio aut naufragio ereptas, ſupereſſe & ſervari literatus orbis ſibi gratulatur. Huic operi annectendum propoſuit tractatum *de anno primitivo & veterum Hebræorum Kalendario*, ni mors interceſſiſſet. *Hiſtoria Dogmatica Controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios, de Scripturis & ſacris vernaculis. Acceſſere Ejuſdem Diſſertationes duæ, de Pſeudo-Dionyſii ſcriptis, & de Epiſtola ad Laodicenos.* Londini MDCXC.

Hiſtoria dogmatica de Scripturis & ſacris vernaculis.

In iſta Hiſtoria doctiſſimus Auctor, tam veterum *Ebræorum* ante Chriſtum incarnatum, quàm Patrum *Græcorum & Latinorum*, aliorúmque Scriptorum cujuſque ſeculi, uſque ad A. MDXX. quo tempore lumen veritatis Evangelicæ ſpiſſis ignorantiæ ſuperſtitioniſque tenebris in Eccleſiis Occidentalibus per multa ſecula obvolutæ, emergens, orbi Chriſtiano illuceſcere & emicare inceperit, uti & Conciliorum teſtimonia, ſententiis prolatis, aliáſque probationes ex jure Civili & Canonico ductas, item Imperatorum, Regum, *Romanorumque* Pontificum decreta fusè recenſet: deinde de Scripturis in varias linguas in uſum populi Chriſtiani, tum ad ingenerandam fovendámque pietatem, tum ad illorum mentes clariori rerum divinarum, prout ſummè miſericors Numen per Prophetas, Evangeliſtas, & Apoſtolos Spiritu Sancto afflatos eas revelaverit, intelligentiâ illuminandum, converſis, multis variæ eruditionis argumentis ſubminiſtratis, agit: infertis ſubinde perſecutionibus, præſertim in *Anglia*, in quibus ſequioribus ſeculis, ithiuſmodi verſionibus, ne in vulgus ſpargerentur, obviàm ire, illáſque penitùs ſupprimere, omnibus viribus, imò ingenti cum furore & ſævitia, peſſimis rationibus inducti, maleſani homines annixi ſunt: item, de origine erroris Pontificii, amplà narratione, ut de aliis cognati argumenti capitibus in præſens ſileam.

Quòd verò doctiſſimæ tres iſtæ Diſſertationes luce publicâ donarentur, id pietati & curæ viri reverendiſſimi D. *Gulielmi Sandcroſti*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, maximè debetur. Ille enim Autographum, inter innumeras ferè illuſtrium & eruditorum virorum ſchedas, quas maximâ induſtriâ collectas, in Bibliotheca ſua inſtructiſſima reponendas curavit, ab *Uſſerii* hæredibus, procurante reverendo viro D. *Parro*, nactus, ſapienti ac pio benè de Eccleſia *Anglicana*, cui ſumma cum laude præfuit, & de religione Chriſtiana merendi zelo incenſus, & maximè ſolicitus, ut iſtud in communem utilitatem ederetur, penſum verè ſacrum & honorificum eruditiſſimo Viro D. *Henrico Whartono*, Sacellano ſuo, quô harum rerum nemo erat intelligentior, ut varia illius ſcripta teſtantur, ſed non niſi ſumma cum lenitate, blandiſſimiſque verbis impoſuit. *Whartonus*, ſive juſſibus, ſive precibus benigniſſimi Patroni promptiſſimo animo obſecutus, laborioſum iſtud Opus maxima cum laude tandem abſolvit, ſchedas *Uſſerianas*, propriâ manu exſcriptas, ſcrupuloſo examine expendit, defectus & lacunas ſupplevit, loca luxata, nondúmque probè digeſta, reſtituit & redintegravit, & ſi quid minùs elaboratum & accuratum inibi reperiendum eſſet (neque enim librum hunc poſthumum repetitis curis eliminaſſet *Uſſerius*, in Annalibus digerendis, ínque Chronologiâ ſacrâ, cui immortuus eſt, elucidandâ, per multos annos totus occupatus) ad incudem revocavit, & præclariſſimo locupletavit Auctario. Suis partibus optimè defunctus, alium non potuit nec debuit quærere aut adſciſcere Patronum, cujus nomini lucubrationes iſtæ, tot egregiis acceſſionibus adornatæ, inſcriberentur, quàm *τῷ σοφῷ* & *μεγαλοπρεπεῖ Sandcroſtro.*

Opuſcula quædam Theologica Anglicè edita.

A. MDCLVIII. *Bernardus* librum edidit ſub hoc titulo: *Judicium Archiepiſcopi Armachani, nuper defuncti: in quo continentur ſequentes tractatuli:*

I. *De vera intentione ſeu propoſito, & de extenſione mortis Chriſti & ſatisfactionis in cruce factæ.*

Scripſit autem hunc, rogatu cujuſdam Amici, ut ipſe notavit, menſe Martio A. MDCXVII. h. e. paulò ante Synodum *Dordrechti* habitam.

II. *Reſponſio ad quaſdam exceptiones contra hunc tractatulum factas.* Quidam enim ex iſtiusmodi Adſeſſoribus, ex *Anglia* miſſis, exemplar, quod ſecum, illo planè inſcio, tulerat, aliis ibi communicavit, quorum aliqui, quibus moderata *Uſſerii*, mediâ viâ, ne alterutrinque devius, in præceps feratur, incedentis, ſententia, ac ſi Pontificiorum, Remonſtrantium, & cujuſdam Heterodoxi *Culvertelli*, errores ſtabilitum iviſſet, non parùm diſplicuit, in illam acriter animadverterunt. Hinc, juſtâ ſententiam propoſitam latiùs

Digitized by Google

& clariùs explicandi occaſione ſumptâ, illorum criminationes refellere innocentiámque ſuam tueri neceſſe habuit.

III. *Epiſtola ad D. Gulielmum Twiſſum de Sabbato, & diei Dominici obſervatione ſive cultu : ſcripta circa* A. MDCXL.

IV. *Fragmentum Epiſtolæ ad D. Legum de Sabbato.*

V. *Fragmentum aliud Epiſtolæ ad quendam nobilem Virum, non longè poſt Hiſtoriam Sabbati à D. Heylino editam, ſcriptæ*, in qua etiam eiuſdem errores de Articulis Eccleſiæ *Hibernicæ*: A. MDCXV. ſtabilitis admiſſos acerrimè vellicat impugnátque *Uſſerius*. Sed cùm in hiſce Epiſtolis multa exſtent, quæ Puritanis Sabbatizantibus nimiùm favere D. *Heylino*, expreſſo nomine reprehenſo, & jam palàm in partes vocato viderentur, ille irâ excandeſcens, & hâc lite de Sabbato per multos annos ſopitâ, jam reviviſcente, hâc novâ provocatione irritatus, in ſui defenſionem, *Uſſerii* epiſtolam ad *Twiſſum*, variâ eruditione refertam, amplo commentario refutare aggreſſus eſt.

VI. *Epiſtola ad D. Bernardum de Miniſtrorum in Reformatis Gallia & Hollandia Eccleſiis ordinatione.*

VII. *Epiſcopatûs ad Synodici regiminis formam in veteri Eccleſia receptam Reductio.* A. MDCXLI. *propoſita.*

Longè meliùs D. *Uſſerii* famæ conſuluiſſet *Bernardus*, ſi ab hac *Sylloge*, uti & à ſequente, edendâ prorsùs abſtinuiſſet. Nemo ſanè illius ſacros cineres nupertimè conditos tunc temporis temeraſſet : nemo illi acerbum de aberrationibus iſtis intentaſſet litem. Sed cùm *Bernardus*, adjectis quoque Apologiis & ſententiæ *Uſſerianæ* de dogmatibus controverſis, de diſciplina Eccleſiaſtica, aliiſque argumentis, ex proprio ingenio explicationibus, multa in favorem Presbyteranorum, quos nimis officiosè, ne dicam, turpiter palpare ſolebat, immiſcuerit, ipſius imprudenti zelo imputandum eſt, quòd D. *Uſſerius* Epiſcopalium Theologorum cenſuris & cavillis objiceretur.

A. MDCLIX. idem *Bernardus* alium ſub eodem titulo librum edidit, continentem D. *Uſſerii judicium de Babylone* Apoc. XVIII. quam de hodierna Romana Eccleſia interpretatur, uti & D. *Bedellus*, Epiſcopus *Kilmorenſis*, in concione annexa, in Eccleſia Chriſti *Dublinienſi* coram D. Deputato & Parlamento *Hiberniæ* A. MDCXXXIV. habitâ, & de *beſtia Apocalyptica* : Capp. XVII. & XVIII. Hæc brevia fragmenta parùm digeſta videntur, nec digna, quæ ſub illius nomine in publicam exirent lucem, quod verſutiâ Bibliopolæ factum videtur, ut liber magnifico titulo, tanquam τελαυγὲ προσώπῳ munitus ornatúſque plures alliceret emptores.

Quæ ſequuntur, viz. de *impoſitione manuum*, de *forma verborum in Presbyterorum ordinatione ſenſu & uſu*, & *de præſtituta precum formulæ uſu*, *Bernardum* habent Auctorem ; in quibus ſe *Uſſerii* judicium & ſententiam fuſiùs explicare & firmare neſcio quam verè affirmat. Sed viderint alii. Non autem tam imbelli in hiſce Articulis, qualis erat, *Bernardus*, defenſore egebat Eccleſia *Anglicana*.

A. MDCLXI. prodiit D. *Uſſerii* de *poteſtate Regum, & obedientia ſubditorum* liber, auguſtiſſimo Regi, *Carolo* II. à Nepote dedicatus, & doctiſſimâ plurimùm reverendi & ob penitiſſimam & exploratiſſimam Caſuiſticæ Theologiæ cognitionem, & ob merita laboréſque Eccleſiæ *Anglicanæ* contra ſchiſmaticorum inſultationes tuendæ per univerſam vitam impenſos, nunquam ſatis laudandi viri, D. *Roberti Sanderſoni*, Epiſcopi *Lincolnienſis*, præfatione, in qua, poſtquàm illius, utpotè ex originalis autographo deſcripti, *αὐθεντίας* oſtendiſſet, Democraticorum, qui omnigenæ poteſtatis originem à populo pendere inſulsè contendunt, principia, ſolidiſſimis, quibus nihil ritè opponi poſſit, argumentis convellit, munitus. De poteſtate Regum & obedientia ſubditorum libri.

Partus ſanè *Uſſeriano* ingenio, pietate, & ſolertiâ perquàm dignus, & qui parentem probè refert. Anſam ſcribendi dedêre *Scotorum*, qui impio fœdere ſociati ſub reformandæ Eccleſiæ & libertatis vindicandæ ſpecie & prætextu adversùs Regem *Carolum* I. arma ſumpſiſſent, motus : de quibus *Uſſerius*, ut ſententiam judiciúmque ſuum è ſacris roſtris proferre vellet, ab illuſtriſſimo Comite *Straffordiæ*, Prorege, ſi quis unquam, meritiſſimo, rogatus, duas conciones apud auguſtum Proregis Regiorúmque Conſiliariorum conſeſſum in Eccleſia Chriſti *Dublinienſi* in verba hæc *Eccleſiaſtis* cap. VIII. 2. *Præſtitutum meum, præſtitutum Regis obſerva ; ſed pro ratione juramenti Dei*, non ſine ſumma Auditorum approbatione & applauſu habuit. Porrò iterùm rogatus ut aut conciones iſtas in publicam lucem edere, aut ſaltem librum de eodem argumento, h. e. *à quo auctoritatem ſuam derivent legitimi Reges, & quomodo Regibus ſubditos obedire oporteat*, majori apparatu & ampliori rerum enarratione è ſacris Scripturis, è veteris ævi Chriſtianorum exemplis & praxi, è Patrum teſtimoniis, è ſanioris Philoſophiæ, juxta rectæ Rationis dictamina, placitis, & ex Ethnicorum Scriptorum conſenſu, quàm temporum anguſtiæ paterentur, inſtructum evulgare vellet, poſterius, re benè penſitatâ, malebat. Hiſce conſiliis facilè inductus, ad præſens opus ſcribendum ſe accinxit, tandémque abſolvit, rem hoc pacto, tum ſereniſſimo Regi gratam, tum ſuis civibus, ne illorum animi Demagogorum, rebus novis ſtudentium technis irretiti, à fide erga Regem præſtandâ abalienarentur, maximè utilem facturus. Poſtquàm autem in *Angliam* veniſſet, librum iſtum, eleganter & accuratè exſcriptum, Epiſtolâ dedicatoriâ præfixâ, Regi, qui illius uſu & lectione delectabatur, curavit exhibendum. Exemplar verò *Londinum*, ab *Uſſerio*, ut typis ibi mandaretur, prout Rex juſſerat, tranſmiſſum,

ſive ex negligentiâ, ſive ex perfidiâ illius, cui ſacrum iſtud depoſitum fuerit concreditum, non ampliùs comparuit, ex oculis omnium ſublatum. Archetypum verò, ad jacturam iſtam reſarciendam inter ſarcinas ingentémque librariæ ſuppellectilis ſtruem inveſtigavit: ſed omninò fruſtrà, veritus, iſtud quoque in crebris iſtis migrationibus, quas obibat, deperditum fuiſſe. Doluit verò & ingemuit, tot tantóſque labores & vigilias in iſto elaborando impenſos periiſſe. Sed dum, poſt animam ejus in cœlos receptam, ciſtas, ſchedas, codices manuſcriptos, faſciculóſque literarum diligenti admodùm & curioſo examine explorant hæredes, ut quicque ad D. *Uſſerium* pertinebat, in inventarium, ſi ita loqui liceat, referretur, archetypum iſtud ex tenebris poſt tot annos ſepultum, emicabat: de quo, tanquam de theſauro, ex crypta effoſſo, omnes, qui illius pretium uſúmque noverint, ſibi invicem gratulati ſunt.

Duo denique ſchediola, quæ ſanè abſque piaculo prætermitti non poſſunt neque debent, utpotè planè aurea & magni uſûs, à D. *Parro* edita, quorum alterum pias eruditáſque admonitiones & conſilia ad juvenes Theologos ſacris Ordinibus initiatos, alterum reſponſiones ad varia quæſita, an quovis prætextu arma contra Regem ſumere liceat, & ejuſmodi, tempore flagrantis rebellionis Parlamentariæ ſcriptas, complectitur.

Conciones. Poſt mortem, *Londini* ſemel, iterúmque editæ erant viginti Conciones, quas *Uſſerius Oxonii*, dum illic ſtudiorum causâ degeret, A. MDCXL. habuit, à quodam Academico ab ore notis tachygraphicis excepæ: inelaboratæ quidem, & omni quæſito orationis fuco & artificiali compoſitione nudæ & vacuæ: in quibus tamen perſpicuitas cum pietate certat. Non enim elegantiam ſermonis, non Rhetoricæ colores, non minimam quidem eruditionis ſpeciem in concionibus ad populum habitis affectavit oſtentavitque; nentiquam ſibi indulgens placénſve; in ſubtilibus perplexiſque Theologiæ ſpecularivæ articulis excutiendis, aut in ſententijs S. S. Patrum aliorúmque minorum gentium citandis, orationis curſu abſque omni linguarum Græcæ & Latinæ admixtione, ne Auditorum mentes, obſtaculis hiſce impeditæ, labaſcerent, continuato. Si quod Sacrum argumentum tractandum eſſet, ſelecto *Textu*, uti appellamus, congruo, de quo erat dicendum, ſola futuræ concionis præcipua capita, quaſi compendiariam illius ſummam, perquàm ſeriâ meditatione præmiſſa, chartæ illevit, explicationibus, quas tenax memoria, ſagax judicium, facilitáſque & copia fandi, ex ſacris ſcripturis communibúſque Theologiæ locis, utriſque ipſi maximè familiaribus, pro re natâ ſuppeditaverint, inter ſcribendum omiſſis. Cujus methodi ope & ſubſidio, aſſiduum iſtud manus concionatorium, parùm intermiſſis reconditioris literaturæ ſtudiis, facilè quidem & abſque tædio & anxietate ſuſtinuit: ad quod obeundum nunquàm ſi aliquot horarum daretur interſtitium, acceſſit imparatus. Si quod ſpiritualis commodi, quod aliquomodo animarum ſaluti conducere poſſet, Auditor perceperit, ſi qui inter præſentes illius documentis monitiſque, concitato affectu raptim effuſis, meliores ſanctioréſque redderentur, hoc ſanè magno ſolatio fuit; nec quicquam mentem, dum in vitæ mortiſque confiniis ſteterit, ad cœlites avolaturam, cumulatiori voluptate perfudit. Sed cùm ab ejuſmodi concionibus edendis ſemper animum habuerit *Uſſerius* averſiſſimum, ab avaris iſtis mangonibus, qui lucro intenti, ex malâ Notariorum, multa pro libitu aut interpolantium, aut omittentium fide pendentes, illas contra mentem Auctoris in publicam lucem protruſerint, magnam injuriam *Uſſeriano* nomini & famæ illatam fuiſſe declaramus, & cum juſta indignatione querimur.

Corpus Theologiæ. Quod pari jure cenſendum eſt de libro, qui *Corpus Theologiæ, ſive ſumma & ſubſtantia Chriſtianæ Religionis*, inſcribitur, quem pro ſuo, quo tempore *R. V. D. Barlovio*, à quo ante triginta annos id accepi, exemplar dono dederit, non agnovit. Sed non opus eſt, ut alios teſtes ad fidem faciendam hoc advocem: ipſum *Uſſerium* in Epiſtola ad D. *Joannem Downamum* editorem, Maio menſe A. MDCXLV. ſcriptâ, id aſſerentem habemus, quædam nimirùm, quæ, adhuc juvenis nondúmque ſtudiis Theologicis imbutus, in *Adverſariis* congeſſiſſet, illic *reperiri, eandémque methodum, quam olim iniit, ſervari, multa autem alia ex* Cartvvrighti *&* Crokii *Catechiſmis, aliorúmque noſtratium Theologorum inſtitutionibus, ad verbum deſumpta; multa quoque ipſius menti & judicio prorsùs contraria & diſſona*, & quæ ſanam doctrinam haud ſapiunt, quaſi per ſaturam *inſerta fuiſſe*, de cujus editione, illo in *Wallia* tùm commorante, procuratâ, cùm primùm audiviſſet, non parùm angebatur.

Brevis Catechiſmus. Cùm verò non multò pòſt *brevis Catechiſmus de principiis Chriſtianæ religionis*, majoris operis tumultuariò congeſti ſumma & epitome, in ſuorum, aliorúmque neophytorum, gratiam & uſum, in ſtudiorum Theologicorum tyrociniis conſcriptus, & mox in *Hibernicam* linguam verſus, ex ſurreptitio apographo, multíſque in locis deformato, ſub ipſius nomine editus fuerit, ſua intereſſe duxit, ut interpolationibus expunctis deletíſque, in commune bonum priſtinæ integritati reſtitueretur, cui, in iterata editione, diſtinctionis causâ, ne incautis emptoribus deinceps fraudi fieret, præfationem, ſubſcripto nomine, A. MDCLIV. præfigendam curavit.

Alii libri ab *Uſſero* elaborati ſed inediti. Delitescunt adhuc in privatorum manibus ſequentes libri, quos à D. *Uſſerio* florentibus annis compoſitos fuiſſe mihi certò conſtat.

I. *De Corbis, Herenachis, & Termon-lands*, de quo vide, quæ ſuprà memoravi, qui non ita pridem erat penès reverendiſſimum D. *Gulielmum Sandcroftum*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, quò nemo iſtiusmodi cimeliis juſtum pretium ſtatuere meliùs nôrat. Collectanea autem in Adverſariis raptim & feſtinante calamo ingeſta, ex quibus tanquam

ex rudi indigeſtáque materiâ, pulchrum hoc ſurrexit opuſculum, artifici manu concinnatum, in Bibliothecæ *Dublinienſis* archivis hodie proſtans.

2. *De primis fidei Chriſtianæ in Hibernia propagatoribus*, h. e. de *S. Palladio*, *S. Patricio*, ejúſque in Sede *Armachana* ſucceſſoribus, quem, ut ipſe in epiſtola ad V. Cl. (a) *Gulielmum Camdenum*, A. MDCXVIII. datâ, refert, rogatu D. *Hamptoni*, Archiepiſcopi *Armachani*, ſcripſit. Sed de hoc opuſculo non adeò ſolicitè laborandum videbitur; cùm quicquid inibi exſtat, procul omni dubio in ampliſſimo de *Eccleſiarum Britannicarum primordiis* opere longè majori apparatu & accuratiori examine reperiendum ſit.

3. *De jure primitialis dignitatis, ſedi Armachanæ à S. Patricii temporibus annexæ*, quem ex lite de præcedentia inter illum & Archiepiſcopum *Dublinienſem* ortâ, animo prorsùs invito A. MDCXXXV. compoſuit. Variæ ſchedæ de hoc argumento, ex Eccleſiarum regiſtris regnique tabulariis propriâ ipſius manu conſcriptæ, è quibus multa de Eccleſiaſticis *Hiberniæ* antiquitatibus, in iſto libello omiſſa, & prorsùs à quoquam intacta, erui poſſint, in iisdem archivis *Dublinienſibus* etiamnum ſuperſunt.

Memini me ejusdem *brevem Joannis Harriſoni*, ultimum Mundi excidium A. MDCXXX. fore, ſcripto, prout fanatici Enthuſiaſtæ ſolent, mirâ quâdam audaciâ aſſerentis, *Elenchum* olim vidiſſe: in quo non ſolùm hujus delirі calculatoris ineptiæ, ridiculis abſurdiſque hypotheſibus fundatæ, æque perversâ annorum ab Orbe condito è Scripturis ſacris diſpoſitione, & peſſimâ & inſulſiſſimâ interpretatione loci *Apocalypſeos* cap. XIV. 20. *de mille ſexcentis ſtadiis*, (juxta illum pro periodo durationis mundi habendis, quæ pro totidem annis, à baptiſmo S. *Joannis*, cùm Chriſtus quaſi triginta annorum eſſe incepiſſet, inchoandis, & ſuperioris ſeculi triceſimo anno terminandis ſumit) exſulptæ; ſed etiam craſſi *Matthæi Beroaldi*, in *Chronico*, *quod S. Scriptura auctoritate ſe conſtituiſſe* ſomniavit, errores ſolidis demonſtrationibus refelluntur.

Elenchus illorum operum, quæ aggreſſus eſt Uſſerius.

Multa alia, & magna quidem, animo agitabat D. *Uſſerius*, vir omni literarum genere excultiſſimus, & ſublimi ingenio, ad omnia apto & compoſito, pollens: cujus igneo vigori, vires corporis, ſi non profligatæ, ſaltem aſſiduis laboribus imminutæ, haud reſponderunt, & apud ſe ſeriò conſtituebat, præter (b) *Inſtitutionum Chronologicarum* libros tres, in publicam lucem edere.

1. Canonem regnorum *Ptolemæi*, ab ipſo è codice MS. in Muſeo *Savilium Oxonii* exſcriptum, variis notis Hiſtoricis & Chronologicis illuſtrandum, nudè quidem à V. Cl. *Joanne Bainbridgio*, Saviliano in iſta Academia Aſtronomiæ Profeſſore, ad calcem *Procli de Sphæra*, *& de hypotheſibus Planetarum* Londini MDCXX. editum.

2. Commentariolum *de annis magnis Romanorum, in quo de luſtris, agonibus Capitolinis, indictionibus, fremitis, & ludis eorum ſecularibus differitur.*

3. *Obſervationes in faſtos Magiſtratuum & triumphorum Romanorum, ab Urbe condita uſque ad exceſſum Cæſaris Auguſti, ex fragmentis marmoreis è foro Romano effoſſis, & à doctiſſimis noſtri temporis Chronographis ſuppletis.*

4. *Mariani Scoti Chronicon*: Exemplar autem ſuum ex codice *Cottoniano* tranſumptum, & illius defloratione ſeu Epitomen *Roberti Lotharingi*, Epiſcopi *Herefordenſis*, cum alio apparatu ad (c) V. Cl. *Gerardum Joannem Voſſium*, ejuſdem Chronici editionem eodem tempore molientem, literis interpellatus, admodùm generoſo & benevolo affectu tranſmiſit.

5. Novum Teſtamentum Græcè (d) cum Scholiis variiſque lectionibus, è multis MSS. codicibus, & præſertim codice Alexandrino in Bibliotheca Regia, accuratè collectis, quas poſteà (e) viro præſtantiſſimo & eruditiſſimo, D *Henrico Hammondo*, tùm Paraphraſin & amplos in N. T. commentarios, adornanti, uti etiam poſteà (f) D. *Briano Waltono* benignè communicavit.

(g) 6. Libri *Jobi* Latinam verſionem S. *Hieronymi*, ex Græca *Origenis* editione factam, obeliſcis & aſteriſcis diſtinctam.

7. Veteres Epiſtolas Paſchales, ut ex ſequenti titulo, olim è ſchedis autographis à me exſcripto, liquebit:

Paſchaſii Lilybetani, Proterii Alexandrini, Dionyſii Exigui, & Bonifacii, primicerii Notariorum, Paſchales Epiſtolæ, quibus computi Eccleſiaſtici, ex præſcripto Concilii Nicæni, à Patriarchis Alexandrinis promulgati, & in univerſo orbe Chriſtiano ante Gregorianam reformationem fontes aperiuntur, ex vetuſtiſſimis MSS. codicibus in lucem editæ, & notis illuſtratæ à J. U. D.

(a) *Camd.* Epiſt. CLXXXVIII. p. 233. & in Epiſt. *Uſſer.* Sylloge Ep. XXXIII. p. 64.
(b) Vide Epiſt. *Uſſ.* ad *S. Wardum* anno 1630. ſcriptam, Ep. CLIX. p. 435.
(c) Ibid. p. 435. & epiſt. 193. ad *Voſſium* A. 1632. ſcriptam, p. 483. vide etiam de *Mariano Scoto* D. *Langbainii* Epiſt. ad *Uſſer.* 225. p. 523.
(d) V. Epiſt. 235. p. 535.
(e) V. Epiſt. 246. p. 543.
(f) In præfatione ad Biblia Polyglotta. *Quod ad textum Græcum N. Teſtamenti attinet collegerat etiam reverendiſſimus* Uſſerius *ex aliis libris XVI. MSS. antiquiſſimis, ex Academiis utriſque & aliis conquiſitis, loca variantia, quæ nobis benignè communicavit.*
(g) V. D. *Uſſer.* Epiſt. ad *Cappell.* p. 206.

Hiſce Epiſtolis *quinque cyclos Dionyſianos*, *cum quinque aliis ſequentibus A. DCXVII. à Continuatore quodam Dionyſii adjectis*, *& argumenta titulorum Paſchalium*, *Ægyptiorum inveſtigata ſolertia*, addere propoſuit. Epiſtolam iſtam *Dionyſii Exigui* cum duobus aliis MSS. codicibus, quorum alter in Bibliotheca *Bodleiana*, alter olim ad Monaſterium *Whitbeienſe* pertinens, in muſeo doctiſſimi viri D. *Thomæ Alleni*, exſtat, variis lectionibus margini appoſitis, ſummâ accuratione contulit: quod de cæteris quoque dicendum eſt.

8. Epiſtolas *Alcuini*, ſive *Albini*, *Magiſtri*, uti appellatur, *Caroli magni Imperatoris*, hactenùs ineditas, quas ex variis codicibus MSS. in Bibliotheca *Cottoniana* repoſitis, exſcribi curavit.

9. Epiſtolas *Lanfranci*, Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, ad diverſos miſſas, quas etiam è codicibus Cottonianis accuratè collegit.

10. *Anaſtaſii* Bibliothecarii librum de vitis Romanorum Pontificum, olim, viz. MDCII. *Moguntiæ* excuſum, cum additionibus & emendationibus.

Collectanea. Præter hæc ingentem quoque, imò & planè obſtupeſcendam Collectaneorum, partim propriâ ipſius manu, partim Amanuenſium, quos in ædibus ſuis aut alibi lauto ſtipendio aluit retinuitque diligentiâ exſcriptorum, ex quibus duo grandia volumina, præſertim de rebus Chronologicis, jam in Archivis Bibliothecæ Juriſperitorum Hoſpitii *Lincolnienſis* ſervata exſcribi curavit D. *Matthæus Haleſius* ſuprà memoratus, molem reliquit *Uſſerius*, quorum pars magna, quam olim celeri manu verſâvi, penès hæredes manet, reliquæ in Bibliothecarum tum *Oxonienſis* tum *Dublinienſis* archivis reponuntur.

Amici familiares. Jam per ſuperioris ſeculi dimidium, ex quo nomen ipſius inclareſcere cœpiſſet, arctam cum plurimis viris, dignitate & eruditione inſigniſſimis, amicitiam habuit, ſanctéque, præſtitis omnibus officiis, coluit: quales erant, præter illos, quos in hoc commentariolo vitæ & ſtudiorum ejus paſſim pro re nata memoravi, *Thomas Mortonus*, Epiſcopus *Dunelmenſis*, *Joannes Prideauxius*, Epiſcopus *Wigornienſis*, D. *Henricus Spelmannus*, cujus præclarum de *Conciliis Britannicis* opus, antequàm ederetur Auctoris rogatu ad accuratum examen revocaverat, multiſque paralipomenis ſuppleverat, *Joannes Bainbridgius*; ad quem inter alia, exemplar Synodi à S. *Patricio* olim indictæ & poſteà à D. *Jacobo Waræo* publicatam miſit: *Joannes Bainbridgius*, Aſtronomiæ in Academia *Oxonienſi* Profeſſor *Savilianus*, *Joannes Gravius*, ejusdem in cathedra Aſtronomica Succeſſor, *Thomas Jameſius*, *Gulielmus Gilbertus*, *Abrahamus Whelocus* & *Arnoldus Bootius* inter noſtrates: inter verò exteros *Gerardus Joannes Voſſius*, hîc iterùm nominandus, quem juxta ſecum in *Hibernia* habere voluit, & Eccleſiæ *Armachanæ* decanatu donandum, licèt irrito conatu, maximè cupiebat: *Chriſtophorus Juſtellus*, *Iſaacus Voſſius*, τῷ παλῷ τὸ παιδίον, *Claudius Sarravius*, *David Blondellus*, *Fredericus Spanhemius*, *Jacobus Goarus*, aliique, quibuscum commercium verè literarium & eruditum inſtituit, ut abundè ex ingenti Epiſtolarum Sylloge, *Londini* MDCLXXXVI. publici juris factâ, conſtat. Diſſiteri non oportet, multas ex iis deperditas, multas ab Editore pro prudentia ſua ſubductas & ſuppreſſas fuiſſe: nihilo ſeciùs theſaurum doctrinæ multi generis, magni æſtimandum, jure appellaverim: in quo variæ rerum curioſarum in Theologia, Hiſtoria, & Chronologia notitiæ & documenta occurrunt. Ex his Lector *Uſſerii* tam in ſuis quæſitis, quàm in reſponſis, ingenium, ſolertiam, judicium, ſapientiam, & promptiſſimam aliorum, quos hîc nominare omninò ſuperfluum videbitur, ſtudia adjuvandi & promovendi, conſilio, commendatione apud Magnates & Præſules, liberalibus largitionibus, codicibúſque MSS. commodatis, voluntatem magis magiſque mirabitur. Sed in hiſce communibus elogiis, quæ tamen magno in pretio haberi debent, referendis longiorem moram facere tædio foret.

Epiſtolarum Sylloge.

Uſſerii Bibliotheca inſtruſtiſſima. Pauca de Bibliotheca illius, non ſine magna induſtria ſumptibúſque magnis per quinquaginta annos & ultra collecta, reſtant dicenda, quæ uti à ſuſcepti operis ratione neutiquàm aliena & diſſona, ita ingenuo, & candido Lectori non ingrata, uti ſpero, cenſebuntur.

Olim, dum florente Eccleſiâ, res domeſticæ integræ ſtarent, *Uſſerius* ſelectiſſimam hanc Bibliothecam, è decem millibus libris, tam impreſſis, quàm (a) manu exaratis, conflatam, Collegio *Dublinienſi*, in quo educatus fuerat, in perpetuum obſervantiæ & grati animi teſtimonium & monimentum, poſt mortem dono dare apud ſe conſtituerat: ſed mutatis temporibus, novâque rerum facie ubique per univerſas *Britannias* inductâ, de filiâ, cujus virtus, pulcherrima forma, ingenium, modeſtia, reliquáque muliebris ſexûs decora, quando nupſerat, ampliſſimæ dotis vicem ſupplebant, ejúſque numeroſâ prole, aliquo modo providendum eſſe juſſit potentior paternæ curæ & pietatis ratio. Dum enim poſt exortam *Hibernorum* execrandam rebellionem & lanienam, omnibus reditibus, fundis, fortuníſque exſpoliatus, anguſtiis rei familiaris opprimeretur, vix aliud quicquam, quò erat donanda, illi ſuppetebat. Omnes verò, quibus harum rerum erant aliquis uſus, cura amórque, ne in multorum manibus diſtraheretur, in publicos literarum, & literatorum uſus alicubi integram ſervari cupiebant: quam ex certa fide conſtat, tum ſereniſſimum Regem *Daniæ*, tum Cardinalem *Mazarinum*, ſingulos nimirùm in ſuum peculium, redimere voluiſſe. Sed interceſſit

(a) *Vide Catalogum librorum MSS. apud* Dublinium *qui præter alia*, *Viri optimi & famæ ſempiternæ*, Jacobi Uſſerii, *totius* Hiberniæ *illuſtriſſimi Primatis*, *Bibliothecam ſelectam explicat*: in magno opere Catalogorum *Oxon. 1697.* in voluminis ſecundi parte altera pag. 16.

Cromwellus,

Cromwellius. Quis autem crederet hominem, enthuſiaſmi furoribus ſubindè correptum, & humaniorìs literaturæ oſorem, caviſſe, ne theſaurus iſte extra *Angliam*, non ſine ſumma injuria genti inurendâ, exportaretur? Interim commodum accidebat, ut Ductores copiarum, quæ duce *Cromwello Hiberniam* expugnaverant, perquàm laudabili æmulatione incitati, pecuniis ad bis mille & ducentas libras ſterlingicas exſcreſcentibus, tum ex ſuis, tum ex gregariorum in exercitu militum ſtipendiis ſimul collectis, ut in Bibliotheca *Dublinienſi* primùm condendâ factum fuerat, de libris *Uſſerianis*, ut nobilis eidem Bibliothecæ fieret acceſſio, redimendis convenerunt. Sed poſtquàm in *Hiberniam* advecti fuiſſent, rejecto iſthoc propoſito, ne tali admixtione quippiam exinde gloriæ, quam captabant, decederet, de novis conclavibus alibi exſtruendis, in quibus ad majorem munificentiæ oſtentationem ſeorſim reconderentur, deliberârunt. Nondùm conſtitutâ iſtâ re, in quaſdam arcis *Dublinienſis* cameras, quibus propemodùm incuſtoditis, nimiùm facilis patebat aditus, detrudantur: malorum hominum, qui multos, uti fertur, tam excuſos, quàm manuſcriptos optimæ notæ, codices clàm ſurripuerant, fraudibus obnoxii. Poſt inſtauratam Monarchiam, viz. anno MDCLXI. quo tempore excellentiſſimus & illuſtriſſimus Princeps, *Jacobus*, Dux *Ormondiæ*, ſummâ prudentiâ & fortitudine *Hiberniam* gubernabat, ſereniſſimus Rex *Carolus* II. ad quem omne illud jus devolutum erat, Prorege & Ordinibus regni petentibus, communi Bibliothecæ, quotquot ſupererant, inferri pro benignitate ſua juſſit.

In Baſilica *Weſtmonaſterienſi*, quod mortale erat D. *Uſſerii*, reconditum jacere ſupradixi, ſed ibi inter tot Regum Magnatúmque Mauſolea, tumulum illius, utpotè nullis notis inſignitum, quiſpiam curioſus fruſtrà quæret, quem hæredes, ſive quia ille vetuit, ſive potiùs ad declinandam invidiam, in iſtis calamitoſis temporibus condidiſſe neglexerunt. Sed iſthoc adſcititio, licèt maximè debito, honore non eget ille, qui monimentum, omnibus ſepulchralibus titulis glorioſius, & quovis marmore & ære perennius, ſcriptis immortalibus ſibi vivus poſuerat, quorum perpetuâ utilitate & beneficio fama per omnium ſeculorum memoriam uſque ad ultimam perituri mundi ætatem propagabitur. Quantis verò elogiis præconiiſque condecorari meruerit, vir præſtantiſſimus, *Joannes Gravius*, quicum illi magnus amicitiæ uſus & neceſſitudo interceſſerat, pro ſummo erga illum affectu, ingenti reverentiâ, & juſtiſſimâ illius virtutum & conſummatiſſimæ eruditionis admiratione (a) olim hâc ſequenti epigraphe, dignâ, quæ tabellæ deauratæ, ad murum Sacelli, juxta quem ſitus eſt, appendendæ, inſcribatur, poſteris teſtatum voluit.

(a) A. MDCLV.

M. S.

JACOBUS USSERIUS,

Archiepiſcopus Armachanus,

Hîc ſitus eſt.

Ob
Rerum eruditionem,
Ingenii acumen,
Dicendi & ſcribendi facilitatem;
Morum graviratem ſuavitate co.itam;
Vitæ candorem & integrita·m,
Æquabilem in utraque fortuna animi conſtantiam,
Orbi Chriſtiano & piis omnibus charus;
Omniúmque judicio, præterquàm ſuo,
Prælul verè magnus:
Qui Eccleſiam veterem inſtitutis,
Clerum ſuo exemplo,
Populum concionibus,
Aſſiduè inſtruxit:
Qui ſcripturas Veteris ac Novi Fœderis
Commentariis ex ultima
Et recondita antiquitate illuſtravit,
Chronologiam ſacram priſtino nitori reſtituit,
Bonarum artium Profeſſores, inopiâ afflictos,
Munificentiâ ſublevavit.
Denique qui hæreſes repullulantes calamo erudito contudit.
His ingenii dotibus, his animi virtutibus ornatus,
Antiſtes optimus, piiſſimus, meritiſſimus,
Inter bella civilia, & patriæ ſuæ & Eccleſiæ funeſta,
Sibique luctuoſa,
Cùm nec Patriæ nec Eccleſiæ diutiùs prodeſſe poterat,
In Chriſto pacis auctore placidè obdormivit.
Anno Chriſti . . . XXI. Martii MDCLV.
Ætatis ſuæ . . . LXXVI.

Digitized by Google

ELOGIA
ET
TESTIMONIA
ILLUSTRIUM ET DOCTISSIMORUM VIRORUM,
DE
D. JACOBO USSERIO,
ARCHIEPISCOPO ARMACHANO.

JOANNES BRAMHALLUS, Archiepiſcopus *Armachanus* in fine Diſſertationis de Sabbato & die Dominico, illum appellat *eruditum ſuámque reverendiſſimum Metropolitanum, ſub cujus pio & moderato regimine per aliquot annos Epiſcopus in provincia* Ultoniæ *vixit*: pag. 934. & denique in extrema concluſione, addit *that he was an honour to his native country, an ornament to the Reformed Church, a conſcionable Preacher, and an exemplary pattern of piety.* pag. 938. in editione operum illius, *Dublinii.* MDCLXXVII.

BRIANUS VVALTONUS, Epiſcopus *Ceſtrienſis*, in præfatione ad Biblia Polyglotta, *Londini. Inter quos primas merito tenet Primas ille reverendiſſimus* Hiberniæ, Jacobus Uſſerius Armachanus, *ὁ μακαρίτης cui inter alias virtutes, hæc propria laus erat, nil proprium habere, ſed ex effuſa bonitate omnia in Reip. literariæ bonum communicare, qui ex inſtructiſſima ſua Bibliotheca libros plurimos MSS. & impreſſos variorum idiomatum nobis libenter commodavit, conſiliúmque ſuum, quando ipſum convenirem, impertivit: quô in multis me adjutum profiteor: haud iniquè tamen tulit, quo erat animi candore, ſi in quibusdam diſſenſum liberè profiterer.*

JOANNES PEARSONUS, Epiſcopus *Ceſtrienſis*, in epiſtola dedicatoria ad *Gilbertum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem Vindiciis Ignatianis* præfixâ, *Cantabrigiæ* 1672.

Quid feliciſſimos eruditiſſimi Primatis Armachani *conatus, quid conſpirantem originalis Græci codicis à doctiſſimo* Voſſio *peropportunè procuratam editionem, quid* Hammondi *viri optimi conſummatiſſimique Theologi, lucubrationes commemorem?*

In procœmio:

Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus Hiberniæ *Primas, Vir miræ in his rebus perſpicaciæ fideique.*

JOHANNES DAVENANTIUS, Epiſcopus *Sarisburienſis*, in adhortatione ad fraternam communionem inter Evangelicas Eccleſias reſtaurandam, *Cantabrigiæ* 1640. pag. 84.

Rectè obſervavit reverendiſſimus Archiepiſcopus Armachanus, *Vir ſingularis pietatis & omnigenæ eruditionis laude cumulatus. Quod ſi quis &c. in concione coram Rege pag.* 28.

JOHANNES PRIDEAUXIUS, Epiſcopus *Wigornienſis*, in Lectione XIII. quæ eſt *de mille annis Apocalypticis*, pag. 209. *Oxonii* 1648.

Infinita hîc congeri poſſent ad hoc firmandum teſtimonium, ſed iſta non capit mei inſtituti compendium: peti poſſunt à locupletiſſimo ſolidæ eruditionis & totius Antiquitatis gazophylacio, Archiepiſcopo Armachano, *de Chriſtianarum Eccleſiarum ſucceſſione & ſtatu*: cap. 3. 4. 5. 6.

JOSEPHUS HALLUS, Epiſcopus *Norwicenſis*, in epiſt. ad D. *Uſſerium*, Maio 1647. in *Sylloge*, pag. 516.

Gratulor vero ex animo, te, Antiſtitum decus, S. Ignatio *tuo: gratulor tibi, imò univerſo orbi Chriſtiano*, Ignatium, *meritiſſimò tuum, ſed quidem & tuo beneficio noſtrum. Gratiorem profectò operam navare Dei Eccleſiæ nullus unquam potuiſſet, quàm tantum, tam antiquum pietatis exemplar ab injuria temporis vindicando.*

In epiſtola ad eundem, Julio 1650. p. 554.

Accepi à te pridem, honorandiſſime Præſul, munus egregium, téque uno dignum, Annales ſacros veteris Teſtamenti accuratiſſimè digeſtos.

D. JOANNES FELLUS, Epiſcopus *Oxonienſis*, in præfatione ad Epiſtolam S. *Barnabæ*: Oxonii 1685.

Hæc poſtquàm per plurima ſecula in Bibliothecarum pluteis delituiſſet, reverendiſſimi Uſſerii Armachani *Primatis ſtudio & auſpiciis prelo hoc in loco ſubjiciebatur anno* 1643.

Deinde —— *quæ de opere ipſo dicenda ſuperſunt, ut viri magni memoriæ litem, verba illuſtriſſimi Primatis prædicti, quæ flammas evaſerant, exhibebo.* —— *Quid autem eruditiſſimus*

Hiberniæ,

Hiberniæ, *juxta & melioris literaturæ Primas de Epiſtola hujus auctore ſenſerit, quamquàm non ex dictis liquidò appareat; indicia tamen ſunt ſatis clara, quæ fidem faciant, propendiſſe eum in hanc ſententiam, ut crederet, opus hoc Scriptori ignoto deberi.*

HENRICUS HAMMONDUS in epiſtola ante Diſſertationes quatuor de juribus Epiſcopatûs *Londini* 1651. editas.

Alii interim, nec pauci nec contemnendi Theologi ad tuendam Epiſcoporum auctoritatem operas & Symbolas ſuas contulerunt, ſinguli ſingulis & juſtis voluminibus rem integram exerſi: quibus ut fas erat, reverendiſſimus Archiepiſcopus Armachanus, Hiberniæ *Primas, ſuis de origine Epiſcoporum & Metropolitarum, & de* Aſia *Proconſulari eruditiſſimis Diatribis, facem præluit.*

In Diſſertatione ſecunda de *S. Ignatio* cap. 2. pag. 57.

Taceo lubens, quid in hac re reverendiſſimus Primas Armachanus *præſtiterit, & quàm feliciter ille (nec ſine peculiari Dei providentia ſic diſponente) Latinam, licèt barbaram, verſionem,* Voſſiano *Græco exemplari per omnia reſpondentem, eodem fere tempore (ipſóque ſanguinarii ſeculi, Epiſcopis adeò infenſi, articulo) ex vetuſtiſſimis* Angliæ *codicibus erutam* Oxoniæ *lucem videre jufſerit.*

ABRAHAMUS VVHELOCUS in epiſt. dedicatoria, *Bedæ* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis *Anglorum* præfixâ, *Cantabrigiæ* 1644.

Ea (hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Britanno-Saxonum* profeſſio) *mihi deſtinata à viro nobili, nunc non ſine detrimento literarum hâc in terris vitâ defuncto, antiquiſſimæ, dùm vixerat, litteraturæ & fidei,* D. Henrico Spelmanno, *& (quod me aliàs huic oneri planè imparem plurimùm confirmavit) ſub auſpiciis reverendiſſimi* Armachani, *totius* Hiberniæ *Primatis, qui* Londino *huc ad majora Comitia* Cantabrigiam 1640. *veniens, voluntatem pii & inclyti Senis—— explicuit, mihique ipſe Præſul ampliſſimus* Saxonica *Evangelia Auditoribus, ex idiomate* Saxonum *antiqua aperienda tunc quidem propoſuit.*

In epiſt. ad Lectorem.

Hiſtoricum opus commentationes hiſtoricas deſiderat has, ſi reverendiſſimi Armachani Britannicarum *Eccleſiarum primordia, (quibus quid addere cunari, eſſet* Iliadas, *poſt* Homerum *ſcribere) ad manus habeas, ex illis pete.*

Idem in præfat. in Evangelia *Perſica* cap. VI. *S. Matthæi* verſ. 13. *Londini* 1652. qui operi immortuus ſola priora XVIII. capita excuderat.

Quin & cùm patriam Gothicam Perſæ *ex parte pro ſua agnoſcant, clauſulam hanc è* Gothicis *à Cl.* Grutero, *ut vir ſummus in Eccleſia, reverendiſſimus* Armachanus, Jacobus Uſſerius, *mihi indicavit, eruram, à grege Chriſti ſub* Ulphila *Epiſcopo circa annum Chriſti plus minus CCC. recitari ſolitam, hic deſcribere non ſupervacaneum duxi.*

GULIELMUS CAVEUS in Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoria literaria: in *S. Chryſoſtomo.* Lond. 1688. pag. 269. *Præter ea, quæ ad ſcripta* Chryſoſtomi *enucleanda haſtenùs obſervavimus, cùm plurima incredibili planè diligentiâ undique collegerit notaveritque à primo* Uſſerius *in Bibliotheca Theologica MS. placet in Lectoris gratiam pauca inde ſeligere, & in certa capita diſtribuere.*

HENRICUS VVHARTONUS in præfat. ad *Jacobi Uſſerii* Hiſtoriam dogmaticam controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios de ſcripturis & ſacris vernaculis *Londini* 1690. *Norunt quotquot literas meliores colunt; norunt & ſemidocti, quanta fuerit* Uſſerii, *& quàm diffuſa eruditio, quàm infinita lectio, quanta judicii gravitas. Inter tot certè literaturæ inſtauratores & orthodoxæ religionis pugiles, quos ſeculo poſtremo tulit orbis* Britannicus, *illum præ aliis habemus, quem nobiſmet ipſis gratulemur, & in re literaria ducem ſtatuamus.*

DRAXUS apud *Eyrium* in epiſt. ad *Uſſerium* in Sylloge, Epiſt. XXVIII. pag. 59.

Lumen illud Irlandiæ *& in Academia* Dublinienſi *Profeſſor Regius, Theologus tam πανοπλοτάτος, ut ſive ſcripta ſive diſputationem requiras idoneus ſit, qui cum tota Papiſtarum natione concertet.*

D. JOANNES MARSHAMUS in προσλαλιᾷ ad Monaſticon Anglicanum, *Londini.* Anno 1655. & recuſum Anno 1682.

Sed quid ego ſpicilegium poſt uberrimam meſſem? De Britannicarum *Eccleſiarum primordiis uſque ad* Auguſtini *miſſionem, non ita pridem, ſumma cum laude, ſcripſit* Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *vir ob eruditionis immenſitatem, morúmque ſanctitatem toti orbi venerandiſſimus, ob benevolentiam mihi colendiſſimus.*

JOANNES SELDENUS in Prolegomenis ad Marmorum Arundellianorum Inſcriptiones. *Londini* 1628.

Codicem, qui hæc nobis ſuppeditavit, Samaritanum, *magnis impenſis ante quadriennium aut circiter ex Oriente ſibi comparavit reverendiſſimus Antiſtes,* Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *vir ſummâ pietate, judicio ſingulari, uſque ad miraculum doctus, & literis ſeverioribus promovendis natus. Mecum exemplar, quod vetuſtius eſt, & charactere* Samaritano, *ſcilicet vetuſtiſſimo, &* Ebræis *in uſu ante* Eſdræ *tempora, deſcriptum, pro humanitate ſua, cui plurimùm me debere ſemper agnoſco, in* Anglia *circa id tempus communicavit. In* Hiberniam *ſecum peſtmodum tranſvexit, priuſquàm iis, qua voluit inde exſcribere, adverſaria mea diteſſem. Literis igitur nuper rogatus, ea capitum V. & X.* Geneſeos *partes, qua Patriarcharum tempora deſignant, ex eodem ad me ex* Hibernia *tranſmiſit exſcripras, ſeu potiùs accuratiſſimè depictas.*

JOANNES

JOANNES GRAVIUS, Aſtronomiæ in Academia *Oxonienſi* Profeſſor *Savilianus* Londini MDCL. 4°. *reverendiſſimo Præſuli*, Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *pietate, doctrinâ, cæteriſque animi virtutibus maximè conſpicuo, binas* Abulfedæ *tabulas, unam* Choraſmi, *alteram* Mawaralnahræ, *ſummâ obſervantiâ D. D.*

In Epiſtola ad D. *Georgium Entum* ante D. *Joannis Bainbridgii* Canicularia, ab illo edita. *Oxoniæ* 1648. 8°.

Eruditos hos, vir doctiſſime, de anno Caniculari commentarios ſcripſit non ita pridem Joannes Bainbridgius, *ſuaſu ac impulſu reverendiſſimi Archiepiſcopi* Armachani.—— *Ne autem viri eruditi fœtus unà cum Parente exſpiraret, idem reverendiſſimus Antiſtes me convenit, rogans efflagitánſque, ut id negotii ſuſciperem, Parui non invitus, tum, Præſulis undiquaque doctiſſimi auctoritate commotus, tum ſtudio memoriam Viri mihi, dum vixit, amiciſſimi, conſervandi adductus.*

D. HENRICUS SPELMANNUS in præf. ad Concilia Britannica. *Londini.* 1639.

Claros multos Epiſcopos (fautores hujus operis) *intelligo me dicere: reverendiſſimos in primis tres Metropolitas,* (*liceat eos omni cum honore & humilitate nominaſſe*) *D. D.* Georgium & Gulielmum Cantuarienſes, *atque D.* Jacobum Armachanum.

In notis ad Synodum aliam S. *Patricii*, pag. 59.

Secundam hanc S. Patricii *Synodum ex* Andegavenſi *Bibliotheca tranſcriptam, ad reverendiſſimum Patrem, D.* Jacobum Armachanum *Archiepiſcopum, Primatem* Hiberniæ, *miſit aliquando* Jacobus Sirmondus: *& eandem mihi Præſul idem, eruditione & pietate ſpectatiſſimus*, 1. Aprilis 1628.

D. ROGERUS TWISDEN in præf. ad Hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptores antiquos: *Londini* 1652. de *Ailredi* Scriptis—— *quod & digniſſimo* Armachano *debemus, in quo cum incredibili doctrina & rara purioris antiquitatis cognitione, quam*

norunt

Et Tagus & Ganges, forſan & Antipodes,

morum eximius candor, & in inſtruendo imperitiores mira ſuavitas, ſeriâ quâdam & Epiſcopali mixta gravitate, certare dignoſcuntur: à quo non parum me in hoc opere provehendo adjutum profiteor, utpotè qui tuto hærentem ſæpius extraxit, & deviantem in viam reduxit.

GULIELMUS SOMNERUS in præfatione ad Dictionarium Saxonicum *Oxonii* 1659. ſect. 6.

Hujus autem generis liber ille Medicus in Bibliotheca quondàm Regia, Paraphraſis etiam Saxonica, *cujus uſum reverendiſſimo totius* Hiberniæ *Primati*, Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *viro quidem incomparabili & ſeculorum omnium memoriâ digniſſimo, me debere gratus fateor.*

D. JACOBUS VVARÆUS, Eques Auratus in Antiquitatibus *Hibernicis: Londini* 1654. cap. XV. pag. 67.

De hac re (i. e. de Academiis ſive ſcholis inſignioribus Hiberniæ) *qui plura ſcire avet, conſulat profundæ eruditionis virum, D.* Jacobum Uſſerium Armachanum *in opere ſuo eximio, de* Britannicarum *Eccleſiarum primordiis.*

In præfatione ad S. *Patricii* opuſcula, *Londini* 1656.

Librum ejus (i. e. de tribus Habitaculis) *hactenus ineditum mihi communicavit D.* Jacobus Uſſerius, *nuper Archiepiſcopus* Armachanus, *vir ob eruditionem cum moribus ſuaviſſimis conjunctam celeberrimus. Ejus ſuaſu, & ex illius bibliotheca inſtructiſſima, nec non è nobili codicum MSS. theſauro* Cottoniano, *& aliis; in annotationibus noſtris paſſim citatis, Bibliothecis, conquiſitis ſubſidiis, hoc penſum aggreſſus ſum, eo fine, ut bono publico inſerviat, cui quidem noſtram in ea parte induſtriam prodeſſe is olim exiſtimabat.*

In annotationibus p. 137.

Atque hæc hactenus —— quorum plurima è Britannicarum *Eccleſiarum Antiquitatibus à D.* Jacobo Uſſerio, *nuper Archiepiſcopo* Armachano *editis Anno* 1639. *me hauſiſſe libens agnoſco.*

In notis ad Synodum S. *Patricii*, pag. 116.

Canones hujuſmodi debemus apographo ex antiquo codice MS. Andegavenſi *deſcripto, quod jam olim ad D.* Jacobum Uſſerium, *nuper* Armachanum *Archiepiſcopum*, è Gallia *miſit doctiſſimus* Jacobus Sirmondus.

In notis ad alios novem canones S. *Patricio* adſcriptos. pag. 121.

Quintum & ſextum edidit jam pridem doctiſſimus Jacobus Uſſerius, *nuper Archiepiſcopus* Armachanus.

In præfat. ad librum de Scriptoribus *Hiberniæ. Dublinii.* 1639.

Ex his, ut de MSS. muſei mei taceam, plurimos ſuppeditavit mihi illuſtriſſimus Præſul, Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus.

Idem in libro de Præſulibus Hiberniæ, pag. 29.

Jacobus Uſſerius &c. *vir propter exquiſitam eruditionem, facundiam, vitæ ſanctimoniam, moréſque humaniſſimos, merito celeberrimus.*

ARTHURUS DUCKIUS, LL. D. de uſu & auctoritate juris civilis *Romanorum, Londini* 1679. lib. 2. cap. 8.

Conſtantinum *magnum fuiſſe in* Britannia *ex* Helena *matre* Britannâ *natum, conſtanter aſſerunt, non ſoli Hiſtoriæ noſtræ Scriptores, ſed & exteri*; *idemque contra* Julium Firmicum *&* Juſtum Lipſium *ſtrenuè defendit reverendiſſimus* Jacobus Uſſerius Armachanus, *qui*

ſuo merito ob inſignem literarum omnium ſcientiam inter Britanniæ *noſtra ornamenta annumerandus.*

FRANCISCUS TAYLERUS in Epiſtola dedicatoria ad D. *Uſſerium* ante Capitula Patrum, Hebraicè & Latinè edita, *Londini.* 1651. 4°. *Libellum hunc ut claritatis tuæ patrocinio committerem, multa perſuaſerunt. Inſignis tua eruditio per totum orbem Chriſtianum divulgata, pietas egregia, ubique terrarum celebrata, benevolentia in me eximia, per plurimos annos continuata. In libro hoc transferendo, ſi opera mea tibi placeat, aliis profit, mercedem me ſatis amplam recepiſſe libens lubènſque profitebor. Interim Deus optimus maximus te, literaturæ ornamentum peculiare, in Eccleſiæ emolumentum ſingulare diutiſſimè ſervet incolumem.*

ARNOLDUS BOOTIUS in calce Epiſtolæ ad D. *Uſſerium Armachanum*, *Pariſiis* editæ 1650.

Ut ſcias, Amice Lector, quàm vera ſint, quæ paragrapho hujus Epiſtolæ duodecimo memoravi, de D. Armachani *mente ſuper veritate Hebraica, & ne ibi conſtet, quàm diverſa ille ſentiat à* Cappello *in ea controverſia, quam hìc contra ejus Criticam egitavi, ac quantoperè illi diſpliceat improbus iſtius viri conatus, varias Hebraici textûs lectiones ex LXX. Interpretum diſcrepantiis atque ex codice Samaritano procudentis: viſum eſt hìc attexere literas, quibus venerabilis ille Præſul, non magis eximiâ pietate morúmque ſanctitate & Epiſcopalis muneris ſedulâ executione, verbique Divini annuntiatione indefeſſâ, quàm omnigena ac recondita eruditionis laude, linguarúmque Orientalium peritiâ planè ſingulari inclytus, ad iſtam meam contra* Cappellum *epiſtolam reſpondit, ac quibus eam publico donandi auctor mihi ac impulſor fuit.*

In appendice ad *Buxtorfium.* ib. p. 97.

Et quomodo in me ſibi temperaſſet, quum in ipſum Præſulem Armachanum, *illud venerabile toti* Europæ *caput, & tot támque eximiis dotibus ac virtutibus conſpicuum, haud obſcurè incurrat.*

p. 98. *Quum* Cappellum, *medullitus moveret, profanam ipſius innovationem damnari à tanto talique viro, utì omni virtutum genere, ac verâ ſapientiâ præfulgenti, ita in cunctis tum Theologiæ, tum reconditioris literaturæ partibus, inque linguis Orientalibus conſummatiſſimo.*

HUGO GROTIUS in prolegomenis p. 60. ad Hiſtoriam *Gothorum* &c. *Amſtelod.* 1655.

——— *Archiepiſcopus* Hiberniæ, Uſſcherius, *magnæ diligentiæ judicíique vir.*

HENRICUS NORISIUS Cardinalis, in *Cenotaph. Piſan.* Diſſert. II. cap. 5. p. 131. *Venetiis* 1681.

Uſſerius *in rebus Chronologicis ſummâ cum laude verſatus.*

——— De *Epochis Syro-Macedonum.* Diſſertatione primâ cap. 2. editionis *Lipſienſis* 1696. p. 21.

Præmittendum eſt diagramma anni Macedonum Aſianorum, *quod omnium primus*, Jacobus Uſſerius, *præformavit, à quo* Langius Ricciolius, *aliique idem exſcripſerunt.*

HENRICUS VALESIUS in Epiſtola ad D. *Uſſerium* Decembre 1654. *Pariſiis* datâ in *Sylloge* epiſt. 294. pag. 613.

——— *Ac primùm ago gratias, quantas poſſum maximas, ob illud literarium munus* (Annales Veteris Teſtamenti) *quo me honorandum eſſe cenſuiſti. Sunt quidem omnes libri tui eruditiſſimi & accuratiſſimi: Sed hic præ cæteris abunde teſtatur, quantus ſis in omni genere doctrinæ. Atque ut ejus lectione multùm me profeciſſe ingenuè fatear, ita etiam ex ſecunda parte ejuſdem operis, quam à te editam eſſe nuper accepi, ſpero non mediocrem fructum me eſſe capturum.*

In præfatione ad *Euſebii* Hiſtoriam Eccleſiaſticam. *Paris.* 1659.

Tertius codex fuit Henrici Savilii, *viri doctiſſimi, ad me miſſus ex* Anglia, *à* Jacobo Uſſerio Armachano. *Nam cùm in* Uſſerii *notis ad martyrium B.* Polycarpi *manuſcriptum* Euſebianæ *Hiſtoriæ codicem ex Bibliotheca* Saviliana *laudari animadvertiſſem, eumque codicem optimæ notæ eſſe, ex aliquot locis, ab* Uſſerio *prolatis, deprehendiſſem, poſtulavi ab eo per literas, ut varias ejus codicis lectiones (integrum enim ab eo collatum eſſe exiſtimabam) ad me transmitteret. Ille verò codicem quidem ipſum, in charta ſcriptum bombycinâ, Bibliothecæ* Oxonienſi, *à* Savilio *donatum fuiſſe mihi reſcripſit. Cæterùm editionem* Roberti Stephani *ſtatim ad me miſit, in cujus margine* Savilius *emendationes ex ſuo illo manuſcripto codice depromptas adnotaverat. Quantùm tamen conjicere potui, non omnes ſcripti codicis lectiones ad latus editionis illius appoſuit* Savilius, *ſed eas tantùm, quas bonas certáque eſſe exiſtimabat. Quædam enim lectiones ab* Uſſerio *e ſcripto illo codice proferuntur, quas à* Savilio *prætermiſſas eſſe poſtea deprehendi. Præterea idem* Savilius *ad oram illius editionis multas adſcripſit emendationes ex codice* Joannis Chriſtophorſoni, *quem ſcilicèt* Chriſtophorſonus *cum aliquot manuſcriptis exemplaribus contulerat.*

GERARDUS JOANNES VOSSIUS, de Scientiis Mathematicis cap. 66. ſect. 16. p. 391. 392.

A. 1648. Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *& totius* Hiberniæ *Primas, de* Macedonum *&* Aſianorum *anno Solari diſſertationem edebat, cum* Græcorum *Aſtronomorum parapegmate, ad* Macedonici *&* Juliani *anni rationes accommodato. Quo de viro rerum*

divina-

divinarum humanarúmque peritiſſimo, nihil poſſim dicere tam ſublime, quin ejus id virtus ſuperet.

P. 446. in addendis.

Priuſquàm verò abeam à Ptolemæo, *aliquid addam de tot parapegmatis, quæ tribuunt* Ptolemæo. *Faciam vero id verbis* Jacobi Uſſerii, *Archiepiſcopi* Armachani, & Hiberniæ *Primatis, viri vaſtæ eruditionis, nec ſine laude nominandi.*

Idem in libro *de vitiis Sermonis* lib. VI. cap. 10. pag. 44. loquens de *Thoma Dempſtero*, qui pro *Scythici* apud *Martialem*, legit Scotici, antepenultimâ ſyllabâ productâ:

Atque hoc etiam obſervatum reverendiſſimo Jacobo Uſſerio, Armachano *Archiepiſcopo, & univerſæ* Hiberniæ *Primati, in laudatiſſimo opere* Antiquitatum Britannicarum, *cujus ego in re majori meminiſſe malim, quàm iis, quæ ad pulverem pertinent Grammaticalem: ſed enim & iſthoc occaſione melioris non eo minus fiet: ſumma enim ſummi Viri, & undecunque doctiſſimi, merita de Eccleſia & tota Rep. literaria, nunquam ſinent, ut non æternum ab omnibus literarum amantibus memoriæ grata celebretur.*

In epiſtola ad D. *Uſſerium* p. 529.

Accepi Diſſertationem tuam de vetere Romana Eccleſia Symbolo, ſanè eruditam: quam cum iis, quæ ſummo bono publico adnexuiſti, vocare poſſumus ἀγαθὸν ἀγαθίδιον. Quòd verò illa nomini meo inſcripſeris, nimium quantum obſtrinxiſti: Nam quantulus ego ſum, qui tanto à viro eximium hoc beneficium accipio? Equidem gaudeo, gratiáſque ago immortales.

ISAACUS VOSSIUS, in epiſtola ad D. *Uſſerium*, *Holmiæ* ſcriptâ Octobre 1650. in Sylloge pag. 556.

Si non planè ignores eruditionem & magnitudinem Chriſtinæ, *dubitare non poſſis, vir reverendiſſime, opus tuum Chronologicum longè ei fuiſſe gratiſſimum. Bidui tantum effluxit ſpatium, quòd ad manus ejus pervenerit: plurimum verò temporis effluxit ſpatium, ut exiſtimo, ex quo nullum ei tam charum contigit munus. Placuit ei ſupra modum, cum ipſius operis ordo & œconomia, tum etiam illud, quòd res Ægyptiacas & Aſiaticas, à nemine hactenus in unum redactas, diligenter adeò & copiosè tradideris. ——— Legit illa non ſine maxima voluptate Acta illa de* Polycarpo, *quæ* Ignatianis *tuis adfixiſti. Nunc verò, quòd alia ejus generis plura à te exſpectet, facit Bibliotheca tua recepta, quam flammis eſſe abſumptam conſtans jam olim ad nos detulerat rumor. Multùm itaque & ſibi & literis gratulatur, quòd tam inſignis theſaurus ſalvus ad te ſit reverſus.*

——— In notis ad *Barnabæ* Apoſtoli Epiſtolam Catholicam *Londini* 1680. p. 307.

Dum Angliam *luſtro, alia ſeſe obtulit occaſio, quâ ſcriptum illud, quod jam diu lucem mercabatur, tandem aliquando divulgaretur. Parabat tum novam* Ignatii *editionem reverendiſſimus* Hiberniæ *Primas*, Uſſerius Armachanus. *Illi itaque poſtulanti, & offerenti, ut unà cum* Ignatianis *hæc quoque* Barnabæ *excuderetur Epiſtola, non tantùm libenter id conceſſi, ſed etiam maximoperè gaviſus ſum, in illas manus incidere antiquiſſimum iſtud monumentum, à quibus immenſum quantum ſplendoris mutuare ſibi poſſet. Et niſi ingens iſthoc incendium, quod non exiguam partem Urbis* Oxonienſis *vaſtavit, omnia quoque exemplaria abſumpſiſſet, pulcherrimam ejus Auctoris editionem jam diu habuiſſemus.*

FRANCISCUS JUNIUS in obſervationibus ad *Willerami* Abbatis Francicam paraphraſin *Cantici Canticorum* Amſtelod. 1655. pag. 248.

——— *Initium, item origo, h. e. illud ex quo alia res ortum trahunt. Priore modo accipitur in illa* Geneſeos *ac præcipuarum V. Teſtamenti hiſtoriarum paraphraſi poeticâ, cujus mihi copiam benignè prorſus fecit vir maximus*, Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *& totius* Hiberniæ *Primas.*

Idem in Gothico, Runico, Anglo-Saxonico, aliiſque Alphabetis, quæ Gothico Gloſſario præmiſit. pag. 14.

Injectâ interim Commentariolo hujus (i. e. de literis & lingua *Getarum* ſive *Gothorum*, quem edidit *Bonaventura Vulcanius* Lugduni Batavorum 1597.) *mentione, opportunè quoque venit in mentem ejus epiſtola, quam ſuper Auctore præfati opuſculi, pluribuſque aliis rebus huc ſpectantibus, olim ad me dedit magnus ille ac multæ lectionis Antiſtes*, Jacobus Uſſerius, *Archiepiſcopus* Armachanus, *totiúſque* Hiberniæ *Primas.*

Idem in præfatione ad paraphraſin *Geneſeos* Saxonicè *Amſtel.* 1655.

Supervacaneum eſſet, Lector benevole, pluribus verbis hoc in loco repetere, quæ non ita pridem de Paraphraſeos hujus Auctore attigi pag. 248. *obſervationum noſtrarum in* VVilleramum, *ubiquoque præclarum hunc reconditæ antiquitatis theſaurum acceptum ſero ſummo Præſuli, & nunquam non ſupra merita ſua laudato*, Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *& totius* Hiberniæ *Primati.*

CLAUDIUS SARRAVIUS in epiſtola ad D. *Uſſerium* Octobre 1647. pag. 521.

Dudum tibi obſtrictum pro honorifica in Ignatio *nominis mei mentione, novo rursùs beneficio devincire voluiſti. Domi enim tuæ accepi eximiam tuam Diatribam de Symbolis veteris Eccleſiæ. Pro tuis iſtis erga me meritis debitam rependo gratiarum actionem. Magna cum voluptate, nec ſine fructu legi, poſtrema hæc tua opuſcula, in quibus ingenuum ingenii vigorem*

Digitized by Google

& eruditionem recondizam, abſtruſiſſima quæque rimantem, & bono publico eruentem, ex animi ſententia dico, ſum admiratus.

FRIDERICUS SPANHEMIUS in epiſtola ad 3. partem *Dubiorum Evangelicorum* Genevæ 1639.

——— *Ingentes tuæ virtutes, ſumme* Uſſeri, *non veſtro tantùm orbi notæ ſunt, ſed & noſtro, & ubicunque pietatis ſuum decus, eruditioni ſuum pretium conſtat. Sacrum ſanè munus illud, ad quod divina bonitas te evexit, per ſe magnum eſt & ſplendidum, ſed cui major à te dignitas, accedit. Nec cum ſede* Armachana *unquam felicius actum, quàm ex quo te illam omnium applauſu occupaſ, & Eccleſiaſtica rei in amplißimo regno præs. Non* Hibernorum *hoc tantum &* Britannorum *veſtrorum judicium eſt, ſed bonorum omnium, qui eximias illas virtutes tuas in te ſuſpiciunt. Victura eruditionis tuæ monumenta haud quaquam intra* Hiberniæ *veſtra littora coercentur, ſed magnâ cum nominis tui gloriâ, ubique terrarum feruntur. Quàm eruditè & ſolidè Orthodoxæ veritatis antiquitatem, &* Romæ *ſequioris novitatem contra perſonatum quendam Emiſſarium aſſeruerit, ne illa quidem Societas non ſentit, quæ te, omnia alia cogitantem, in eriſticam illam arenam temerè pertraxit. Theſaurum antiquitatis & penum uberem eruditionis priſca vident, qui opus tuum vident. Nec ignorare voluiſti orbem Chriſtianum, quàm parum priſci* Hiberni *& Britones veſtri ſe abjecerint coram* Vaticana *ſede, immò quam alieni fuerint à novitia illa Theologia, quam pro veteri obtrudunt ſcrutorum* Gibeoniticorum *inſtitores & propola. Quod tam apertis documentis à te probatum conſtabilitúmque, immò iis etiam teſtibus, quibus ne* Romæ *quidem fides derogari poteſt, ut contra niti, non niſi illorum ſit, qui prorſus depudnere. Quantam inſuper magno tuo merito laudem conſequutus ſis in juramenti fidelitatis æquitate* Hibernis *perſuadendâ, ne ſereniſſimus quidem Rex* Jacobus, *cujus regii ſpiritus & erudita ſapientia orbi nota, ignorari voluit, quem ipſum fidei & prudentiæ tuæ præconem habuiſti.*

Et quamvis publica illa cura, quæ ampliſſimo muneri tuo annexa ſunt, totum ſibi hominem vindicent, & vaſtiſſimum etiam pectus implere poſſint; ingens ille tamen & ſublimis animus tuus ſibi inter negotia ipſa otium facit, ſed otium eruditum, & cujus fructus ultra Oceanum veſtrum porrigitur. Teſtes hujus rei ſatis illi tui eximii, Goteſchalci *& Prædeſtinatiana controverſia Hiſtoria, ut & veterum Epiſtolarum* Hibernicarum *Sylloge, & alia id genus ſcripta tua, quæ ſummâ cum curâ ex antiquitate eruta, multa etiam ædubra prius, à blattarum & tinearum, quo pulverabantur, imperio, orbi Chriſtiano per te vindicata paſſim legantur, nec eruditionis tantùm tuæ monumenta ſunt, ſed & judicii & pietatis. Et ſanè eo ipſo laudi tuæ non exigua fit acceſſio, quòd illa demùm tibi eruditio probetur, quæ cum pietate conjuncta eſt, & cujus fructus ad illius gloriam pertinet, cui omnes noſtra debetur, Bibliothecam tuam Theologicam, & veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum Criticum, omnes antiquitatis genuinæ ſtudioſi à ſubactiſſimo judicio tuo, ſummo cum deſiderio exſpectant.*

Quâ verò in integritate ſublime illud munus tuum ſuſtineas, quo zelo, quâ vigilantiâ, in ampliſſimi gregis tui fidei commiſſi ſalutem incumbas, quâ aſſiduitate omnes fidi Epiſcopi partes exequaris, non Armachana *tantùm Diœceſis novit, & reliqua tuis curis obnoxia, ſed & tota* Britannia *veſtra, immò & illi, qui toto Oceano à vobis disjunguntur. Ea certè pietatis tuæ, ea eruditionis apud nos eſt exiſtimatio, ut* Uſſerii *nomen pietatis nobis & virtutis nomen ſit, quibus fama cuſtans frequenter ingeris tot ingentes illas dotes, quibus te Deus ad tantum munus inſtruxit. Et quamvis ſummâ cum laude, voce doctas & calamo, plus tamen exemplo doces inter illos, qui in vitam tuam & integerrimos illos mores tuos quotidie inruentur. Vident illi in te non anxiam, non affectatam pietatem, ſed gravem & ſeriam, & quæ in illum ſolum fertur, cui ſoli debetur. Videns raram humilitatem, per quam è faſtigio tuo deſcendis, nec quicquam infra dignitatem tuam eſſe exiſtimas, quod ad promovendum Dei regnum facit. Videns charitatem & ſummam in egenos & exteros liberalitatem, quâ in ſacros uſus confers, quæ ſacris uſibus jam olim deſtinata fuere. Ædes tuæ eruditorum collegium ſunt, vita ſancta, mores inculpati, oculi vigiles, cura publica, animus cæleſtis, & qui unum Deum ſpirat, unum Deum loquitur. Bibliotheca tua non tam tua, quàm orbis literati Bibliotheca eſt, quæ à te ingenti ære inſtructa, omnibus in publica commoda patet, & eruditorum hominum uſibus proſtat, à quorum candore tuus candor publicam commendationem jam pridem impetravit. Spirans iſta veri Epiſcopi imago te meritò* Hibernis *tuis pretioſum,* Britannis *venerabilem, cæteris omnibus admirabilem facit.*

Non mirum itaque foret, vel hæ cauſæ ſolæ ſatis mihi fiducia addere, ut ad te accedam, & publicè profitear, quanta Genevæ *noſtra nominis tui ſit claritudo, quantus apud noſtrates honor, quanta apud me privatim veneratio. Sed novum mihi argumentum tui compellandi humaniſſima tua littera fecere, quibus ex ima* Hibernia *mihi teſtari voluiſti,* Dubiorum Evangelicorum *partem primam, non viſam tibi duntaxat, ſed & accuratiſſimo judicio tuo probatam, cœptique operis continuationem à te avidè exſpectari. Laudationes, quas in primum iſtum conatum pro tua comitate congeſſiſti, tua benignitati in ſolidum debentur. Quàm impenſè verò honorifico tuo ſuffragio, quàm ſingulari candore, quàm affectu*

delectatus fuerim, quàm excitatus in inſtituto meo perſequendo, publico documento conſtare voluì.

LUDOVICUS DE DIEU in præfatione ad Commentarium in IV. Evangelia *Lugd. Bat.* 1631. loquens de edendo in IV. Evangelia, præſertim Syriacè verſa Commentario:

Quo in inſtituto paucis poſt ſeptimanis factus ſui confirmatior, quum earundem illarum, quas dixi, Epiſtolarum, *ſimul &* Apocalypſeos *exemplar aliud MS. elegantiſſimo charactere Syro exaratum, addito etiam divino Beati* Ephremi *tractatu de amore ſapientiæ, ab ornatiſſimo, doctiſſimo, & æternâ memoriâ digno Præſule,* Jacobo Uſſerio, *Archiepiſcopo* Armachano, *qui & ante biennium me* Pentateucho Samaritano *beaverat, ex* Hibernia *allatum fuit.*

—— Ad S. *Matthæi* cap. XIX. v. 5.

Neque hîc tantùm, ſed & in aliis plurimis Pentateuchi *locis τῶν LXX. interpretationem ad* Samaritanum *magis, quàm* Hebræum, *exemplar accedere, aliàs fortaſſe, ſi vitam Deus ætiámque conceſſerit, beneficio reverendiſſimi, ampliſſimi, ingenio, virtute, eruditione cultiſſimi Præſulis,* Jacobi Uſſerii, *Archiepiſcopi* Armachani, *à cujus liberalitate exemplar* Samaritanum *penès me habeo, oſtendere dabitur.*

BERTIUS in Geographicis Tabulis, *Amſtelodami* 1616.

—— *Quam quum iſta ſcriberemus, ornabat* Jacobus Uſſerius, *Theologus, eruditione & pietate & ſcriptis in primis clarus: ei patria* Dublinum.

MORANEZIUS, in Anti-Janſenio ſuo:

Non ipſe primus excogitavit, ſed à Calviniſtis *accepit, præcipuéque à* Jacobo Uſſerio, *inſigni* Calviniſtâ, Hiberno, *qui anno* 1631. *librum edidit, inſcriptum,* Gotteſchalci *&c. neque ſenſum duntaxat, ſed verba etiam ferè ipſa tranſcripſit* Janſenius; *neque tamen, ut æquum erat, ullam ejus mentionem facere dignatus eſt. Diſp.* XI. §. 2.

ALEXANDER MORUS, dedicat D. *Uſſerio* Orationem ſuam, cui titulus *Calvinus, Genevæ* habitam 1648. Epiſtolam in Lectoris *Uſſeriani* nominis ſtudioſiſſimi gratiam hic exſcribo.

Diu quæſitum inveni tandem Patronum Calvino *dignum, Reverendiſſime Vir Dei, nec diu quæſitum inveni tamen* ΑΝΤΙΆΞΙΟΝ *te non indignum, ſi materiam ſpectas, non induſtriam. Nec tam inveni, quàm reperi. Quod enim abſque divina quadam virgula contigiſſe non equidem putaverim, quo die proditura erat in lucem publicam hæc mea, quâ* Calvini *laudes ac vindicias complexus ſum, Oratio, illo ipſo die tuis me literis beâſti ſummâ humanitate conditis, &* Ignatiana *à te edita, niſi libri moles obſtitiſſet, eodem tempore miſſurum te fuiſſe ſignificaſti, ac leviculam, quæ tua eſt modeſtia, æſtimatione meâ prorſus auream, de veteris Eccleſiæ Symbolis, ne prorſùs* ΑΣΥΜΒΟΛΟΣ, *ut tu ſcitè loqueris, ad nos ſcilicet accederes, Diatribam literis tuis, Diatribæ Iconem tuam comitem adjunxiſti. Nempe nos* Epirotæ, *qui nec faciem tuam nec te loquentem (nam ſic quoque meliùs te videndum præbes) vidimus unquam, ne deſideremus expreſſiſſimam effigiem animi tui, calamus tuus effecit, ne digniſſimam ideam oris tui & inſtar, effecit celum. Ego certè, qui te ſeculi noſtri* Athanaſium *vocare ſoleo,* ΠΕΖΟΝ ΤΟΙΣ ΤΑΠΕΙΝΟΤΕΡΟΙΣ, ΥΨΗΛΟΤΕΡΟΝ ΤΟΙΣ ΜΕΤΕΩΡΟΤΕΡΟΙΣ, ΦΙΛΟΞΕΝΟΝ, ΙΚΕΣΙΟΝ, ΑΠΟΤΡΟΠΑΙΟΝ, *ſic de illo veteres, nos de te loquimur, qui juxta cum illo duorum admirabilium lapidum naturam imitaris, & parcentibus Adamas, diſſidentibus Magnes occurris:* ΤΟΙΣ ΠΑΙΟΥΣΙΝ ΑΔΑΜΑΣ, ΤΟΙΣ ΔΕ ΣΤΑΣΙΑΖΟΥΣΙ ΜΑΓΝΗΤΙΣ; *faciam id ipſum paulò libentiùs, poſteaquàm te novi* ΥΨΗΛΟΝ ΜΕΝ ΤΟΙΣ ΕΡΓΟΙΣ, ΤΑΠΕΙΝΟΝ ΔΕ ΤΩ ΦΡΟΝΗΜΑΤΙ, ΚΑΙ ΤΗΝ ΜΕΝ ΑΡΕΤΗΝ ΑΠΡΟΣΙΤΟΝ, ΤΗΝ ΕΥΤΥΧΙΑΝ ΔΕ ΚΑΙ ΑΙΔΑΝ ΕΥΠΡΟΣΙΤΟΝ: *ac denique (liceat hoc enim cum cæteris encomium, quod* Nazianzenus *tribuit* Athanaſio, *tibi reddere,* ΑΤΕΛΙΚΟΝ ΤΟ ΕΙΔΟΣ, ΑΤΕΛΙΚΩΤΕΡΩΝ ΤΗΝ ΔΙΑΝΟΙΑΝ. *Sed quid rependam? Etſi nec tua fors deſiderat redhoſtiendi vicem, nec mea ſuppeditat remunerandi facultatem. Accipe tamen obſervantiæ in te meæ Symbolum, ſed benigno & qualem tua præfert vultu à me delineatam imaginem* Calvini, *quæ, niſi fallor, identidem oſtendet tibi te. Quas enim laudes ille meruit, cùm apicibus veſtris propè major libenter carendo exſtitit, pariter ii merentur, qui quò celſiori honoris faſtigio ſupra cæteros mortales eminent, eò majori virtutum beneficio Eccleſia commodant, & Solis inſtar, lucent ut proſint. Neque verò ſummis dignitatibus ad privatas utilitates aut ſeculi typhum abutuntur, nec dominationem in Chriſti gregem uſurpant, quod* Petrus *interdixit,* Petrus *ille, cujus interèa Succeſſores profitentur, qui doctrinam reſpuunt.* Uſſerius *profectò adeò nihil tale molitur, ut aurea Eccleſia tempora nobis referat, nec infra ſe quicquam putet, quod ad ædificationem fidelium, quibus Angeli miniſtrant & Archangeli, pertineat. Sic eſt, Vir maxime: Quàcunque viâ nobis occurris ingens, nunquam tamen ingentior, quàm cùm ex illa, in qua te Deus collocavit, ſublimi ſpeculâ deſcendis ad Paſtoritia cura laboriosa munia, ut propiùs afflictis opem feras, & commodius innaſcentem agro Domini horrendam filicem ac infelix lolium avellas. Non te majorem unquam ipſa ſedes* Armachana *vidit rebus florentibus, quàm nunc* Londinum *in mediis erumnis, quas inſularum loco habes. Tanti penè fuit ſua Præſulibus decora & opes adimi, ut nobis hoc æquabilis in utraque ſorte animi ſpecimen præderes. Multò munùs debes*

dignitatis

Digitized by Google

dignitatis tuæ culmini, quàm tua dignitas virtutum tuarum cœleſtium ſplendori. Sed inter omnes virtutes tuas iſta præcipuè micat animi moderatio, dicam, an magnitudo, quâ dùm te nimio plus demittis, longè altius aſſurgis, quàm faſtu & pompâ tot alii toto paſſim orbe.

Ques tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru.

Multùm profectò Eccleſiæ dederas, quamvis nihil ei dediſſes præter exemplum. Quamvis nec viro Apoſtolico dignarum concionum frequentiâ, nec ſcriptorum non æſtimandâ utilitate cis & ultra Oceanum nobis & Poſteris profuiſſes; quamvis nec errorum novitatem, ac veritatis antiquitatem fortiter aſſeruiſſes, nec tot veteris Eccleſiæ theſauros feliciſſimâ eruiſſes induſtriâ; quamvis nec opus illud idiomate patrio dediſſes, nuper à nobis avidè luſtratum, quô Theologiæ Summam, ſed quàm illuſtri brevitate, quàm nervosâ ſimplicitate! complexus es; quamvis nec tuum pectus foret Bibliotheca ſpirans, nec Bibliotheca tua Muſeum obambulans, ut vetus dictum detorqueam: quidni enim obambulat, cujus pretioſa ſupellex tam ſæpè mare tranat, & Eruditis totius orbis Europæi *veteris ævi memorias, & Orientis opes tam effusè dilargitur, ut œcumenica ſuo quodam jure dici mereatur? Mirari tamen oporteret, ut nihil eſſet in te aliud, extremam in ſupremo dignitatis & eruditionis faſtigio modeſtiam. Nam cùm hæ duæ res, licèt ſingulæ, licèt modicæ, ſui plenos & veſanos homines reddere ſoleant, dignitas & eruditio, meritò ſtupemus in te felici nexu copulatas atque ad ſummum perductas nihil ex illa divina tua virtute delibare: humilitatem dico, quæ, tametſi repugnante apud Latinos vocabulo, virtutum omnium apud Chriſtianos altiſſima eſt; ſed cum hæc ipſa virtus plura dicere nos vetat: laudes enim ſpernit, quibus non eſt ullum aliis acroama jucundius: tum epiſtolæ modus tuas non capit. Voto finienda præfatio eſt. Deus immortalis Pater Domini noſtri* Jeſu Chriſti *Eccleſiæ ſuæ laboranti velut è cœli machinâ opportuno tempore ſuccurrat. Inſulis veſtris Fortunatarum elogium & Alcyonia reddat, adeóque te perdiù rebus afflictis grande ſolatium intereſſe patiatur. Sera ſit, & noſtris demùm nota nepotibus, dies, quæ cœlo tradat, quô mundus non eſt dignus,* Uſſerium. *Hic ſemper ſit* Britanniæ, *quod* Auguſtinus Hipponi, *nec illa unquam, ſicut hæc olim, Præſulem ademptum ſentiat. Vale, maximum* Britanniæ *Decus, & à nobis oblatum non illibenter ſuſcipe* Genevæ *Decus maximum. E muſeo meo. III. Non. Jul. An. vulgaris Æræ Chriſtianæ* MDCXLVIII.

Auctor Vindiciarum *Hiberniæ* adversùs *Dempſterum Scotum*:

Quòd ſi adverſæ religionis homines inferere voluiſſem, verè affirmare poſſem, quòd Uſſerium *alterum nunquam viderit* Scotia: *cujus utinam ſublime ingenium atque humaniſſimos mores infauſta inter Sectarios educatio novercata non fuiſſet.*

TABULA

In quâ, ANNI MUNDI cum ANNIS OLYMPICIS, & ANNIS ab URBE CONDITA componuntur, juxta computum USSERIANUM.

UT ſequentis Tabulæ ratio pateat, quædam hîc monere non erit inutile.

1°. Cùm Uſſerius non ab eodem Anni Solaris puncto ordiatur Annos Mundi, Olympiadum, & Urbis Conditæ, fieri non potuit ut illi, hâc in Tabulâ, integri ſecum invicem componerentur. Quicquid peragi poterat præſtitum eſt, ut ſcilicet varii illi Anni, maximâ ſui parte, quantùm fieri licuit, ſibi invicem reſponderent.

2°. Uſſerius, quæ erat ejus *διαθεσις*, initium Annorum Mundi ſemper ſumit ab Autumno, die nempe 22°. Octobris. Annos verò Olympicos orditur à Solſtitio Æſtivo circa finem Junii. Urbis Conditæ annos quod attinet, Uſſerius rariùs quidem, aliúdque agens, ad eos digitum intendit, Conſulum nomina referens; Verùm nulli dubitamus, quin juxta ejus Methodum, initium annorum ab Urbe Condita ſumi debeat ab XI. Calendas Maii, ſeu die Aprilis 21°. quâ inter omnes convenit jacta fuiſſe Romæ fundamenta.

3°. Cùm Annus primus Olympicus inceperit Anno Mundi 3228. ad finem vergente, cúmque Roma fundata fuerit deſinente anno Olympico 28°. neceſſe fuit, ut anni ab Urbe Condita cum reliquis componi poſſent, annum primum Olympicum detrahere ad Annum Mundi 3229. cum quo reverà magnâ ex parte decurrit, à menſe ſcilicet Octobri deſinente, uſque ad finem Junii ſequentis. Hæcque fuit cauſa, cur Annos Mundi 3228. & 3229. unco jungeremus, ad quorum utrumque pertinet.

4°. Exemplum clariùs docebit quouſque ſibi invicem reſpondeant Anni in hâc Tabulâ diſpoſiti. Annus ſecundus Olympiadis X. qui conjungitur cum Anno Mundi 3266, & anno V. C. undecimo, quaſi tres illi ſimul decurrerint, reſpondet quatuor ultimis menſibus, vel circiter, Anni Mundi anteacti 3265. Julio ſcilicet, Auguſto, Septembri & Octobri; reſpondet etiam octo primis menſibus anni 3266. è cujus regione ponitur, Novembri nempe, Decembri, Januario &c. Idem ille annus Olympicus concurrit cum duobus, vel circiter, primis menſibus, Maio & Junio, anni undecimi ab Urbe Condita, & cum decem ultimis anni ſequentis duodecimi.

Annus verò V. C. undecimus reſpondet ſex ultimis menſibus Anni Mundi 3266. ab Aprili deſinente uſque ad 22^dum. diem Octobris, & deinde ſex primis menſibus anni ſequentis 3267. a 22°. Octobris uſque ad 21^mum. Aprilis. Eadem eſt reliquorum omnium ratio.

5°. Cæterùm ſi quis Annos Urbis Conditæ Varronianos componere velit cum Annis Mundi & Olympicis, id facillimè ope hujus Tabulæ exequetur, modò meminerit, Uſſerium initium Romæ ponere quinque annis tardiùs quàm fecerat Varro. Qui enim ſumet annum V. C. quintum ſuperiorem ab Uſſeriano, habebit annum Varronianum. Sic, verbi gratiâ, annus qui Conſules habuit P. Cornelium Scipionem & T. Sempronium Longum, Uſſerio eſt Annus V. C. 531. Mundi 3786. At Varroni idem ille Annus numeratur V. C. 536. Mundi 3791. & ſic de cæteris.

Anni Mundi.	Anni Olympiad		Anni ab V. C.
3228	Ol. I. incipit circa Solstitium	1	
3229		2	
3230		3	
3231		4	
3232	Ol. II.	1	
3233		2	
3234		3	
3235		4	
3236	Ol. III.	1	
3237		2	
3238		3	
3239		4	
3240	Ol. IV.	1	
3241		2	
3242		3	
3243		4	
3244	Ol. V.	1	
3245		2	
3246		3	
3247		4	
3248	Ol. VI.	1	
3249		2	
3250		3	*
3251		4	
3252	Ol. VII.	1	
3253		2	
3254		3	
3255		4	1
3256	Ol. VIII.	1	2
3257		2	3
3258		3	4
3259		4	5
3260	Ol. IX.	1	6
3261		2	7
3262		3	8
3263		4	9
3264	Ol. X.	1	10
3265		2	11
3266		3	12
3267		4	13
3268	Ol. XI.	1	14
3269		2	15
3270		3	16
3271		4	17
3272	Ol. XII.	1	18
3273		2	19
3274		3	20
3275		4	21
3276	Ol. XIII.	1	22
3277		2	23
3278		3	24
3279		4	25
3280	Ol. XIV.	1	26
3281		2	27
3282		3	28
3283		4	29
3284	Ol. XV.	1	30
3285		2	31
3286		3	32
3287		4	33
3288	Ol. XVI.	1	34
3289		2	35
3290		3	36
3291		4	37
3292	Ol. XVII.	1	38
3293		2	39
3294		3	40
3295		4	41
3296	Ol. XVIII.	1	42
3297		2	43
3298		3	44
3299		4	45
3300	Ol. XIX.	1	46
3301		2	47
3302		3	48
3303		4	49
3304	Ol. XX.	1	50
3305		2	51
3306		3	52
3307		4	53
3308	Ol. XXI.	1	54
3309		2	55
3310		3	56
3311		4	57
3312	Ol. XXII.	1	58
3313		2	59
3314		3	60
3315		4	61
3316	Ol. XXIII.	1	62
3317		2	63
3318		3	64
3319		4	65
3320	Ol. XXIV.	1	66
3321		2	67
3322		3	68
3323		4	69
3324	Ol. XXV.	1	70
3325		2	71
3326		3	72
3327		4	73
3328	Ol. XXVI.	1	74
3329		2	75
3330		3	76
3331		4	77
3332	Ol. XXVII.	1	78
3333		2	79
3334		3	80
3335		4	81
3336	Ol. XXVIII.	1	82
3337		2	83
3338		3	84
3339		4	85
3340	Ol. XXIX.	1	86
3341		2	87
3342		3	88
3343		4	89
3344	Ol. XXX.	1	90
3345		2	91
3346		3	92
3347		4	93
3348	Ol. XXXI.	1	94
3349		2	95
3350		3	96
3351		4	97
3352	Ol. XXXII.	1	98
3353		2	99
3354		3	100
3355		4	101
3356	Ol. XXXIII.	1	102
3357		2	103
3358		3	104
3359		4	105
3360	Ol. XXXIV.	1	106
3361		2	107
3362		3	108
3363		4	109
3364	Ol. XXXV.	1	110
3365		2	111
3366		3	112
3367		4	113
3368	Ol. XXXVI.	1	114
3369		2	115
3370		3	116
3371		4	117
3372	Ol. XXXVII.	1	118
3373		2	119
3374		3	120
3375		4	121
3376	Ol. XXXVIII.	1	122
3377		2	123
3378		3	124
3379		4	125
3380	Ol. XXXIX.	1	126
3381		2	127
3382		3	128
3383		4	129
3384	Ol. XL.	1	130
3385		2	131
3386		3	132
3387		4	133
3388	Ol. XLI.	1	134
3389		2	135
3390		3	136
3391		4	137
3392	Ol. XLII.	1	138
3393		2	139
3394		3	140
3395		4	141
3396	Ol. XLIII.	1	142
3397		2	143
3398		3	144
3399		4	145
3400	Ol. XLIV.	1	146
3401		2	147
3402		3	148
3403		4	149
3404	Ol. XLV.	1	150
3405		2	151
3406		3	152
3407		4	153
3408	Ol. XLVI.	1	154
3409		2	155
3410		3	156
3411		4	157
3412	Ol. XLVII.	1	158
3413		2	159
3414		3	160
3415		4	161
3416	Ol. XLVIII.	1	162
3417		2	163
3418		3	164
3419		4	165
3420	Ol. XLIX.	1	166
3421		2	167
3422		3	168
3423		4	169
3424	Ol. L.	1	170
3425			

Roma fundata juxta *Varronem anno 3°. Olymp. VI. et juxta Ussherum, ex Fabio Pictore, anno 4°. desinente Olymp. VII.

Anni Mundi.	Anni Olympici		Anni ab V. C.
3426		2	17
3427		3	172
3428		4	173
3429	Ol. LI.	1	174
3430		2	175
3431		3	176
3432		4	177
3433	Ol. LII.	1	178
3434		1	179
3435		3	180
3436		4	181
3437	Ol. LIII.	1	182
3438		2	183
3439		3	184
3440		4	185
3441	Ol. LIV.	1	186
3442		2	187
3443		3	188
3444		4	189
3445	Ol. LV.	1	190
3446		2	191
3447		3	192
3448		4	193
3449	Ol. LVI.	1	194
3450		2	195
3451		3	196
3452		4	197
3453	Ol. LVII.	1	198
3454		2	199
3455		3	200
3456		4	201
3457	Ol. LVIII.	1	202
3458		2	203
3459		3	204
3460		4	205
3461	Ol. LIX.	1	206
3462		2	207
3463		3	208
3464		4	209
3465	Ol. LX.	1	210
3466		2	211
3467		3	212
3468		4	213
3469	Ol. LXI.	1	214
3470		2	215
3471		3	216
3472		4	217
3473	Ol. LXII.	1	218
3474		2	219
3475		3	220
3476		4	221
3477	Ol. LXIII.	1	222
3478		2	223
3479		3	224
3480		4	225
3481	Ol. LXIV.	1	226
3482		2	227
3483		3	228
3484		4	229
3485	Ol. LXV.	1	230
3486		2	231
3487		3	232
3488		4	233
3489	Ol. LXVI.	1	234
3490		2	235
3491		3	236
3492		4	237
3493	Ol. LXVII.	1	238
3494		2	239
3495		3	240
3496		4	241
3497	Ol. LXVIII.	1	242
3498		2	243
3499		3	244
3500		4	245
3501	Ol. LXIX.	1	246
3502		2	247
3503		3	248
3504		4	249
3505	Ol. LXX.	1	250
3506		2	251
3507		2	252
3508		4	253
3509	Ol. LXXI.	1	254
3510		2	255
3511		3	256
3512		4	257
3513	Ol. LXXII.	1	258
3514		2	259
3515		3	260
3516		4	261
3517	Ol. LXXIII.	1	262
3518		2	263
3519		3	264
3520		4	265
3521	Ol. LXXIV.	1	266
3522		2	267
3523		3	268
3524		4	269
3525	Ol. LXXV.	1	270
3526		2	271
3527		3	272
3528		4	273
3529	Ol. LXXVI.	1	274
3530		2	275
3531		3	276
3532		4	277
3533	Ol. LXXVII.	1	278
3534		2	279
3535		3	280
3536		4	281
3537	Ol. LXXVIII.	1	282
3538		2	283
3539		3	284
3540		4	285
3541	Ol. LXXIX.	1	286
3542		2	287
3543		3	288
3544		4	289
3545	Ol. LXXX.	1	290
3546		2	291
3547		3	292
3548		4	293
3549	Ol. LXXXI.	1	294
3550		2	295
3551		3	296
3552		4	297
3553	Ol. LXXXII.	1	298
3554		2	299
3555		3	300
3556		4	301
3557	Ol. LXXXIII.	1	302
3558		2	303
3559		3	304
3560		4	305
3561	Ol. LXXXIV.	1	306
3562		2	307
3563		3	308
3564		4	309
3565	Ol. LXXXV.	1	310
3566		2	311
3567		3	312
3568		4	313
3569	Ol. LXXXVI.	1	314
3570		2	315
3571		3	316
3572		4	317
3573	Ol. LXXXVII.	1	318
3574		2	319
3575		3	320
3576		4	321
3577	Ol. LXXXVIII.	1	322
3578		2	323
3579		3	324
3580		4	325
3581	Ol. LXXXIX.	1	326
3582		2	327
3583		3	328
3584		4	329
3585	Ol. XC.	1	330
3586		2	331
3587		3	332
3588		4	333
3589	Ol. XCI.	1	334
3590		2	335
3591		3	336
3592		4	337
3593	Ol. XCII.	1	338
3594		2	339
3595		3	340
3596		4	341
3597	Ol. XCIII.	1	342
3598		2	343
3599		3	344
3600		4	345
3601	Ol. XCIV.	1	346
3602		2	347
3603		3	348
3604		4	349
3605	Ol. XCV.	1	350
3606		2	351
3607		3	352
3608		4	353
3609	Ol. XCVI.	1	354
3610		2	355
3611		3	356
3612		4	357
3613	Ol. XCVII.	1	358
3614		2	359
3615		3	360
3616		4	361
3617	Ol. XCVIII.	1	362
3618		2	363
3619		3	364
3620		4	365
3621	Ol. XCIX.	1	366
3622		2	367
3623		3	368
3624		4	369
3625	Ol. C.	1	370
3626		2	371
3627		3	372
3628		4	373
3629	Ol. CI.	1	374
3630		2	375
3631		3	376
3632		4	377

3633

Digitized by Google

Anni Mundi.	Anni Olympici		Anni ab V. C.
3633	Ol. CII.	1	378
3634		2	379
3635		3	380
3636		4	381
3637	Ol. CIII.	1	382
3638		2	383
3639		3	384
3640		4	385
3641	Ol. CIV.	1	386
3642		2	387
3643		3	388
3644		4	389
3645	Ol. CV.	1	390
3646		2	391
3647		3	392
3648		4	393
3649	Ol. CVI.	1	394
3650		2	395
3651		3	396
3652		4	397
3653	Ol. CVII.	1	398
3654		2	399
3655		3	400
3656		4	401
3657	Ol. CVIII.	1	402
3658		2	403
3659		3	404
3660		4	405
3661	Ol. CIX.	1	406
3662		2	407
3663		3	408
3664		4	409
3665	Ol. CX.	1	410
3666		2	411
3667		3	412
3668		4	413
3669	Ol. CXI.	1	414
3670		2	415
3671		3	416
3672		4	417
3673	Ol. CXII.	1	418
3674		2	419
3675		3	420
3676		4	421
3677	Ol. CXIII.	1	422
3678		2	423
3679		3	424
3680		4	425
3681	Ol. CXIV.	1	426
3682		2	427
3683		3	428
3684		4	429
3685	Ol. CXV.	1	430
3686		2	431
3687		3	432
3688		4	433
3689	Ol. CXVI.	1	434
3690		2	435
3691		3	436
3692		4	437
3693	Ol. CXVII.	1	438
3694		2	439
3695		3	440
3696		4	441
3697	Ol. CXVIII.	1	442
3698		2	443
3699		3	444
3700		4	445
3701	Ol. CXIX.	1	446
3702		2	447
3703		3	448
3704		4	449
3705	Ol. CXX.	1	450
3706		2	451
3707		3	452
3708		4	453
3709	Ol. CXXI.	1	454
3710		2	455
3711		3	456
3712		4	457
3713	Ol. CXXII.	1	458
3714		2	459
3715		3	460
3716		4	461
3717	Ol. CXXIII.	1	462
3718		2	463
3719		3	464
3720		4	465
3721	Ol. CXXIV.	1	466
3722		2	467
3723		3	468
3724		4	469
3725	Ol. CXXV.	1	470
3726		2	471
3727		3	472
3728		4	473
3729	Ol. CXXVI.	1	474
3730		2	475
3731		3	476
3732		4	477
3733	Ol. CXXVII.	1	478
3734		2	479
3735		3	480
3736		4	481
3737	Ol. CXXVIII.	1	482
3738		2	483
3739		3	484
3740		4	485
3741	Ol. CXXIX.	1	486
3742		2	487
3743		3	488
3744		4	489
3745	Ol. CXXX.	1	490
3746		2	491
3747		3	492
3748		4	493
3749	Ol. CXXXI.	1	494
3750		2	495
3751		3	496
3752		4	497
3753	Ol. CXXXII.	1	498
3754		2	499
3755		3	500
3756		4	501
3757	Ol. CXXXIII.	1	502
3758		2	503
3759		3	504
3760		4	505
3761	Ol. CXXXIV.	1	506
3762		2	507
3763		3	508
3764		4	509
3765	Ol. CXXXV.	1	510
3766		2	511
3767		3	512
3768		4	513
3769	Ol. CXXXVI.	1	514
3770		2	515
3771		3	516
3772		4	517
3773	Ol. CXXXVII.	1	518
3774		2	519
3775		3	520
3776		4	521
3777	Ol. CXXXVIII.	1	522
3778		2	523
3779		3	524
3780		4	525
3781	Ol. CXXXIX.	1	526
3782		2	527
3783		3	528
3784		4	529
3785	Ol. CXL.	1	530
3786		2	531
3787		3	532
3788		4	533
3789	Ol. CXLI.	1	534
3790		2	535
3791		3	536
3792		4	537
3793	Ol. CXLII.	1	538
3794		2	539
3795		3	540
3796		4	541
3797	Ol. CXLIII.	1	542
3798		2	543
3799		3	544
3800		4	545
3801	Ol. CXLIV.	1	546
3802		2	547
3803		3	548
3804		4	549
3805	Ol. CXLV.	1	550
3806		2	551
3807		3	552
3808		4	553
3809	Ol. CXLVI.	1	554
3810		2	555
3811		3	556
3812		4	557
3813	Ol. CXLVII.	1	558
3814		2	559
3815		3	560
3816		4	561
3817	Ol. CXLVIII.	1	562
3818		2	563
3819		3	564
3820		4	565
3821	Ol. CXLIX.	1	566
3822		2	567
3823		3	568
3824		4	569
3825	Ol. CL.	1	570
3826		2	571
3827		3	572
3828		4	573
3829	Ol. CLI.	1	574
3830		2	575
3831		3	576
3832		4	577
3833	Ol. CLII.	1	578
3834		2	579
3835		3	580
3836		4	581
3837	Ol. CLIII.	1	582
3838		2	583
3839		3	584
3840			

Anni Mundi.	Anni Olympici	Anni ab V. C.
3840		4 585
3841	Ol. CLIV.	1 586
3842		2 587
3843		3 588
3844		4 589
3845	Ol. CLV.	1 590
3846		2 591
3847		3 592
3848		4 593
3849	Ol. CLVI.	1 594
3850		2 595
3851		3 596
3852		4 597
3853	Ol. CLVII.	1 598
3854		2 599
3855		3 600
3856		4 601
3857	Ol. CLVIII.	1 602
3858		2 603
3859		3 604
3860		4 605
3861	Ol. CLIX.	1 606
3862		2 607
3863		3 608
3864		4 609
3865	Ol. CLX.	1 610
3866		2 611
3867		3 612
3868		4 613
3869	Ol. CLXI.	1 614
3870		2 615
3871		3 616
3872		4 617
3873	Ol. CLXII.	1 618
3874		2 619
3875		3 620
3876		4 621
3877	Ol. CLXIII.	1 622
3878		2 623
3879		3 624
3880		4 625
3881	Ol. CLXIV.	1 626
3882		2 627
3883		3 628
3884		4 629
3885	Ol. CLXV.	1 630
3886		2 631
3887		3 632
3888		4 633
3889	Ol. CLXVI.	1 634
3890		2 635
3891		3 636
3892		4 637
3893	Ol. CLXVII.	1 638
3894		2 639
3895		3 640
3896		4 641
3897	Ol. CLXVIII.	1 642
3898		2 643
3899		3 644
3900		4 645
3901	Ol. CLXIX.	1 646
3902		2 647
3903		3 648
3904		4 649
3905	Ol. CLXX.	1 650
3906		2 651
3907		3 652
3908		4 653
3909	Ol. CLXXI.	1 654
3910		2 655
3911		3 656
3912		4 657
3913	Ol. CLXXII.	1 658
3914		2 659
3915		3 660
3916		4 661
3917	Ol. CLXXIII.	1 662
3918		2 663
3919		3 664
3920		4 665
3921	Ol. CLXXIV.	1 666
3922		2 667
3923		3 668
3924		4 669
3925	Ol. CLXXV.	1 670
3926		2 671
3927		3 672
3928		4 673
3929	Ol. CLXXVI.	1 674
3930		2 675
3931		3 676
3932		4 677
3933	Ol. CLXXVII.	1 678
3934		2 679
3935		3 680
3936		4 681
3937	Ol. CLXXVIII.	1 682
3938		2 683
3939		3 684
3940		4 685
3941	Ol. CLXXIX.	1 686
3942		2 687
3943		3 688
3944		4 689
3945	Ol. CLXXX.	1 690
3946		2 691
3947		3 692
3948		4 693
3949	Ol. CLXXXI.	1 694
3950		2 695
3951		3 696
3952		4 697
3953	Ol. CLXXXII.	1 698
3954		2 699
3955		3 700
3956		4 701
3957	Ol. CLXXXIII.	1 702
3958		2 703
3959		3 704
3960		4 705
3961	Ol. CLXXXIV.	1 706
3962		2 707
3963		3 708
3964		4 709
3965	Ol. CLXXXV.	1 710
3966		2 711
3967		3 712
3968		4 713
3969	Ol. CLXXXVI.	1 714
3970		2 715
3971		3 716
3972		4 717
3973	Ol. CLXXXVII.	1 718
3974		2 719
3975		3 720
3976		4 721
3977	Ol. CLXXXVIII.	1 722
3978		2 723
3979		3 724
3980		4 725
3981	Ol. CLXXXIX.	1 726
3982		2 727
3983		3 728
3984		4 729
3985	Ol. CXC.	1 730
3986		2 731
3987		3 732
3988		4 733
3989	Ol. CXCI.	1 734
3990		2 735
3991		3 736
3992		4 737
3993	Ol. CXCII.	1 738
3994		2 739
3995		3 740
3996		4 741
3997	Ol. CXCIII.	1 742
3998		2 743
3999		3 744
4000		4 745
4001	Ol. CXCIV.	1 746
4002		2 747
4003		3 748
4004		4 749
4005	Ol. CXCV.	1 750
4006		2 751
4007		3 752
4008		4 753
4009	Ol. CXCVI.	1 754
4010		2 755
4011		3 756
4012		4 757
4013	Ol. CXCVII.	1 758
4014		2 759
4015		3 760
4016		4 761
4017	Ol. CXCVIII.	1 762
4018		2 763
4019		3 764
4020		4 765
4021	Ol. CXCIX.	1 766
4022		2 767
4023		3 768
4024		4 769
4025	Ol. CC.	1 770
4026		2 771
4027		3 772
4028		4 773
4029	Ol. CCI.	1 774
4030		2 775
4031		3 776
4032		4 777
4033	Ol. CCII.	1 778
4034		2 779
4035		3 780
4036		4 781
4037	Ol. CCIII.	1 782
4038		2 783
4039		3 784
4040		4 785
4041	Ol. CCIV.	1 786
4042		2 787
4043		3 788
4044		4 789
4045	Ol. CCV.	1 790
4046		2 791
4047		3 792
4048		4 753
4049	Ol. CCVI.	1 794
4050		2 795
4051		3 796
4052		4 797
4053	Ol. CCVII.	1 798
4054		2 799
4055		3 800
4056		4 801
4057	Ol. CCVIII.	1 802
4058		2 803
4059		3 804
4060		4 805
4061	Ol. CCIX.	1 806
4062		2 807
4063		3 808
4064		4 809
4065	Ol. CCX.	1 810
4066		2 811
4067		3 812
4068		4 813
4069	Ol. CCXI.	1 814
4070		2 815
4071		3 816
4072		4 817
4073	Ol. CCXII.	1 818
4074		2 819
4075		3 820
4076		4 821

Finis Tabulæ.

JACOBI USSERII
ARMACHANI

ANNALIUM
PARS PRIOR.

A

TEMPORIS HISTORICI PRINCIPIO
USQUE AD MACCABAICORUM
INITIA PRODUCTA.

UNA CUM RERUM ASIATICARUM
ET ÆGYPTIACARUM

CHRONICO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES
VETERIS TESTAMENTI,
A PRIMA MUNDI ORIGINE DEDUCTI.

I. a. IN principio creavit DEUS Cœlum & Terram. [*Genes. I.* 1.] quod temporis principium (juxta noſtram Chronologiam) incidit in noctis illius initium, quæ XXIII diem Octobris præceſſit, in anno periodi Julianæ 710. 710 4004

Primo igitur ſæculi die, (*Octob.* 23. *feriâ* 1.) cum ſupremo Cœlo creavit Deus Angelos: deinde ſummo operis faſtigio primùm perfecto, ad ima Mundanæ hujus fabricæ fundamenta progreſſus mirandus artifex, infimum hunc globum ex Abyſſo & Terrâ conflatum conſtituit: concinentibus & collaudantibus eum ſimul omnibus ipſius Angelis. [*Job. XXXVIII.* 7.] Cúmque Terra eſſet inanis & vacua, & tenebræ eſſent in ſuperficie Abyſſi: in ipſo primi diei medio creata eſt Lux; quam à Tenebris diſtinguens Deus, illam appellavit Diem, has Noctem.

Secundo die, (*Octob.* 24. *fer.* 2.) creato expanſo (quod Cœlum eſt appellatum) diſtinctio eſt facta inter aquas ſuperiores, & inferiores Terræ circumfuſas.

Tertio die, (*Octob.* 25. *fer.* 3.) Aquis inferioribus in locum unum confluentibus, emerſit Terra arida. Aquas in Mare congregavit Creator: emiſſis interim fluviis, qui in Mare refluerent. [*Eccleſiaſt. I.* 7.] Terram, omne genus Herbæ & Plantæ, cum ſeminibus & fructibus, germinare fecit. Præ aliis autem locis, Paradiſum in Edene plantis ornavit: in quibus, Arbor Vitæ & Arbor ſcientiæ boni ac mali. (*Gen.* II. 8, 9.)

Quarto die, (*Octob.* 26. *fer.* 4.) Sol, Luna, & reliqua Sidera creata ſunt.

Quinto die, (*Octob.* 27. *fer.* 5.) Aquatilia & volatilia animantia producta ſunt; & fœcunditate donata.

Sexto die, (*Octob.* 28. *fer.* 6.) Terreſtria animalia creata ſunt; tùm Gradientia, tùm Repentia. Demùm verò Homo, ad imaginem Dei in divinâ Mentis ſcientiâ [*Coloſſ. III.* 10.] & genuinâ Voluntatis ſanctitate [*Epheſ. IV.* 24.] præcipuè conſiſtentem, conditus eſt. Ille ſtatim reliquis animalibus, divinitùs ad ſe adductis, ut Dominus eorum deſignatus, nomina impoſuit. In quibus cùm adjutricem ſibi ſimilem non inveniret; ne ſociâ neceſſariâ careret, Deus, coſtâ ex dormientis latere deſumptâ, Mulierem formavit, atque in uxorem illi tradidit, Conjugii lege inſtitutâ. Tùm conjugibus benedicens, fœcunditatem eis tribuit, & dominium in animantia: eisque omnibus de cibo liberaliter providit. Denique, peccato in Mundum hucuſque non ingreſſo, *inſpexit Deus quicquid fecerat, erat autem* BONUM *erat valdè. Sic fuit veſpera & fuit mane dies ſexta.* [*Gen. I.* 31.]

Septimo die, (*Octob.* 29. *fer.* 7.) cùm perfeciſſet Deus opus ſuum quod fecerat, quievit ab omni opere; & diei ſeptimo benedicens, Sabbatum inſtituit & conſecravit. [*Gen. II.* 2, 3.] quippe in quo *reſpiravit* (ut humano more ipſe de ſe loquitur, *Exod. XXXI.* 17.) *& recreavit ſe:* nec dum (ut videtur) peccato admiſſo, aut pœnâ ſontibus (vel Angelis, vel Hominibus) à Deo inflictâ. Unde dies hic poſteà conſtitutus eſt ſignum tùm ſanctificationis noſtræ in hoc ſæculo, [*Exod. XXXI.* 13.] tùm æterni illius ſabbatiſmi, quo in futuro ab omnibus peccati & reliquiis & pœnis plenam liberationem expectamus. [*Heb. IV.* 4, 9, 10.]

Poſt primam mundi ſeptimanam, videtur Deus conjuges in hortum Edenis introduxiſſe, atque eſu Arboris ſcientiæ boni ac mali eis interdixiſſe; reliquarum omnium arborum uſu liberè conceſſo.

Diabolus, Deo gloriam, Homini felicitatem invidens, Mulierem per ſerpentem ad peccandum ſollicitat: unde & ipſe *Serpentis antiqui* nomen obtinuit. [*Apocal. XII.* 9. *& XX.* 2.] Mulier per ſerpentem, Vir per mulierem ſeductus, Dei præceptum de abſtinentiâ à fructu vetito transgreditur. Citaris & convictis pœnæ imponuntur: additâ tamen promiſſione de ſemine mulieris caput ſerpentis contriturо, id eſt, Chriſto Diaboli opera diſſoluturo. [1. *Joh. III.* 8. *Rom. XVI.* 20.] Unde tunc primùm mulieri *Evæ* nomen à marito eſt impoſitum: [*Gen. III.* 20.] quòd mater futura eſſet omnium viventium non naturalem tantùm vitam, ſed illam quoque, quæ eſt per

fidem in ſemen ipſius, Meſſiam promiſſum, quomodo & poſt eam *Sara* fidelium mater eſt habita. [1. *Pet. III.* 6. *Galat. IV.* 31.]

Primi parentes, veſtibus pelliceis à Deo amicti, ex horto Edenis pelluntur: flammeo gladio poſito ad cuſtodiendam viam quæ ferebat ad Arborem vitæ; ne de fructu ejus, quem hactenùs non attigerant, deinceps veſcerentur. [*Gen. III.* 21, 22, *&c.*] Unde plus quàm veriſimile fit, eodem ejectum Adamum fuiſſe die, quo inductus in Paradiſum fuerat. Qui quidem dies Mundi *decimus* fuiſſe videatur (Kalendis Novembribus anni Juliani proleptici reſpondens) quo deinceps, ad memorabilis hujus casûs memoriam conſervandam (ut rationi conſentaneum eſt) inſtituta eſt EXPIATIONIS ſolennitas, & ſtatum JEJUNIUM (τετράδος nomine, *Act. XXVII.* 9.) κατ' ἐξοχὴν denotatum) in quo univerſi, tam inquilini quàm peregrini, animas ſuas affligere jubebantur; adjunctâ ſanctione ſeveriſſimâ. *Omnis anima, quæ non fuerit afflicta eo ipſo die, omninò exſcindetur è populis ſuis.* [*Levit. XVI.* 29. & *XXIII.* 29.]

d. Poſt lapſum, Cain primus mortalium omnium è muliere naſcitur. [*Gen. IV.* 1.] — 711 — 4003

130 *d.* Abele occiſo a fratre Caino, omnium hominum primogenito, Deus alium pro illo filium Evæ reposuit: unde & *Sethi* nomen illi inditum. [*c. IV.* 25.] poſtquàm pater Adamus 130. vixiſſet annos. [*c. V.* 3.] Inter cædem verò Abelis & conceptionem Sethi nullum alium filium Evæ obtigiſſe, (ille enim aliàs dicendus fuiſſet pro Abele datus, potiùs quàm Sethus) idcóque non longum inter utrumque tempus interceſſiſſe, hinc colligitur. Unde, quum annos ad 128. propagatum fuerit humanum genus: ita creviſſe intra id ſpatium mortalium numerum vero fuerit conſentaneum, ut non ſine causâ conſcius ſceleris metuerit Cain, *ne caderet* eum quilibet qui erat inventurus eum. [*c. IV.* 14, 15.] — 840 — 3874

235 *d.* Sethus, annos 105 natus, filium genuit, cui *Enoshi* nomen impoſuit: quo conditionis humanæ deplorandam denotat miſeriam. Tunc enim a Cainitis cultus divinus miſerè corruptus fuit. Unde ea inter homines diſtinctio facta; ut qui in vero Dei cultu permanſerunt, *Filii Dei*; qui autem ab eo deſciverunt, *Filii hominum* ſint appellati. [*Gen. IV.* 26. *cum VI.* 1, 2.] — 945 — 3769

325 *d.* Cainan natus eſt; quum Enosh ejus pater 90 annos vixiſſet. [*c. V.* 9.] — 1035 — 3679

395 *d.* Mahalaleel natus eſt; quum pater Cainan 70. vixiſſet annos. [*c. V.* 12.] — 1105 — 3609

460 *d.* Jared natus eſt; quum pater Mahalaleel 65 vixiſſet annos. [*c. V.* 15.] — 1170 — 3544

622 *d.* Enoch natus eſt; quum pater Jared 162 vixiſſet annos. [*c. V.* 18.] — 1332 — 3382

687 *d.* Mathuſala natus eſt; quum pater Enoch 65 vixiſſet annos. [*c. V.* 21.] — 1397 — 3317

874 *d.* Lamech natus eſt; quum pater Mathuſala 187 vixiſſet annos. [*c. V.* 25.] — 1584 — 3130

930 *d.* Adamus primus generis humani parens, mortuus eſt; cùm 930 vixiſſet annos. [*c. V.* 5.] — 1640 — 3074

987 *d.* Enochum, ab Adamo ſeptimum, Deus incontinenter cum ipſo ambulantem tranſtulit, ne videret mortem; poſtquàm 365 vixiſſet annos. [*c. V.* 23, 24. *Hebr.* 11. 5.] — 1697 — 3017

1042 *d.* Sethus, Adami filius, mortuus eſt; cùm 912 vixiſſet annos. [*c. V.* 8.] — 1752 — 2962

1056 *d.* Noachus, ab Adamo decimus, natus eſt; quum pater Lamech 182 vixiſſet annos. [*c. V.* 29.] — 1766 — 2948

1140 *d.* Enosh, tertius ab Adamo, mortuus eſt; cùm 905 vixiſſet annos. [*c. V.* 11.] — 1850 — 2864

1235 *d.* Cainan, quartus ab Adamo, mortuus eſt; cùm 910. vixiſſet annos. [*c. V.* 14.] — 1945 — 2769

1290 *d.* Mahalaleel, quintus ab Adamo, mortuus eſt; cùm 895 vixiſſet annos. [*c. V.* 17.] — 2000 — 2714

1422 *d.* Jared, ſextus ab Adamo, mortuus eſt, cùm 962 vixiſſet annos. [*c. V.* 20.] — 2132 — 2582

1536 *a.* Deus, priuſquàm diluvium in mundum impiorum induceret, Noachum juſtitiæ ſuæ præconem ad illos miſit: 120 annorum termino ad reſipiſcendum eis conſtituto. [1. *Pet. III.* 20. 2. *Pet. II.* 5. *Geneſ. VI.* 3.] — 2245 — 2469

1556 *d.* Noacho, nunc primùm liberis operam dare incipienti, quum 500 eſſet annorum, natus eſt primogenitus Japhetus. [*Gen. V.* 32. *cum X.* 21.] — 2266 — 2448

1558 *d.* Noacho natus eſt ſecundo-genitus Semus: quippe qui biennio poſt diluvium 100 annorum fuiſſe dicitur. [*Gen. XI.* 10.] — 2268 — 2446

1651 *d.* Lamechus, nonus ab Adamo, mortuus eſt; cùm 777 vixiſſet annos. [*c. V.* 31.] — 2361 — 2353

1656 *a.* Mathuſala, octavus ab Adamo, 969 ætatis anno mortuus eſt; omnium maximè longævus. [*c. V.* 27.] — 2365 — 2349

Menſe hujus anni 2. die 10. (*Novemb.* 30. *feriâ* 1.) Deus edicit Noacho, ut ſeptimanâ illâ pararet ſe ad ingreſſum in Arcam: dum ſecurus Mundus edebat, bibebat, uxores ducebat, & nuptum dabat. [*c. VII.* 1, 4, 10. *Matth. XXIV.* 38.]

Anno ſexcenteſimo vitæ Noachi, menſis 2. die 17. (*Decembr.* 7. *feriâ* 1.) eo cum ſuis & animalibus omnibus in Arcam ingreſſo; plaviam demiſit Deus ſuper terram 40 dies & 40 noctes: & prævaluerunt aquæ ſuper terram 150 diebus. [*Gen. VII.* 4, 6, 11, 12, 13, 17, 24.]

Aquis deficientibus, menſis 7. die 17. (*Maj.* 6. *feriâ* 4.) Arca requievit in uno montium Ararati. [*c. VIII.* 3, 4.] — 2366 — 2348

Pergentibus verò adhuc aquis deficere, menſis 10. die 1. (*Jul.* 19. *feriâ* 1.) conſpecti ſunt vertices montium. [*c. VIII.* 5.]

Poſt 40 dies, hoc eſt, 11 die menſis 11. (*Auguſt.* 28. *fer.* 6.) Noachus, apertâ feneſtrâ Arcæ, emiſit corvum. [*c. VIII.* 6, 7.]

Poſt *ſeptem dies* (ut videtur colligi poſſe ex *ſeptem diebus ALIIS*, in 10 verſu nominatis) emiſit Noach columbam: & reverſam iterum, poſt alteros *ſeptem dies* emiſit; quæ circa tempus veſpertinum rediit, folium olivæ decerptum in ore gerens. Deinde expectatis & aliis ſeptem diebus, eandem emiſit; quæ non eſt reverſa ultrà ad eum. [*c. VIII.* 8,—12.]

ÆTAS MUNDI II.

1657 *a.* ANno sexcentesimo primo vitæ Noachi, mensis primi die primo, (*Octob.* 23. *feriâ* 6. ut *novi anni* ita & novi *Mundi* die primo) cùm siccata esset superficies terræ, removit Noachus operculum Arcæ. (*Genes. VIII.* 13.)

Mensis 2. die 27. (*Decemb.* 18. *feriâ* 6.) cùm exaruisset terra, Dei mandato exivit Noachus, cum omnibus qui cum ipso fuerant in Arcâ. [*c. VIII.* 14,---19.]

Noachus egressus Soteria Deo immolavit. Deus rerum naturam, diluvio corruptam, restauravit: carnis esum hominibus concessit; atque Iridem dedit signum fœderis. [*c. VIII. & IX.*]

Anni vitæ humanæ quasi dimidio breviores fiunt.

1658	*d.* Arphaxad natus est Semo centenario, biennio post diluvium, [*c. XI.* 10.] finitum sc.	2368	2346
1693	*d.* Salah natus est; quum Arphaxad pater ejus 35. vixisset annos. [*c. XI.* 12.]	2403	2311
1723	*d.* Heberus natus est; quum Salah pater ejus 30. vixisset annos. [*c. XI.* 14.]	2433	2281
1757	*d.* Quum Heberus 34 vixisset annos, natus est ei filius, cui nomen dedit *Phaleg.* [*c. XI.* 16.] *quia in diebus ejus divisa fuit terra* [*c. X.* 25. & 1. *Chron. I.* 19] * Urbis enim & Turris exstructione per linguarum confusionem * (quæ *Babeli*, *c. XI.* 9. nomen dedit) tùm interruptâ; gentium dispersio est secuta, in varias orbis partes *secundum linguas suas* variis deductis coloniis. * de quibus vide Chronologiæ nostræ Sacræ Partem I. Cap. 5. *	2467	2247.

Anni vitæ humanæ iterum quasi dimidio breviores efficiuntur.

1771	*a.* Hinc ad captam ab Alexandro Babylonem anni 1903. intercesserunt: quot annorum observationes cœlestes inde in Græciam, Aristotele procurante, à Callisthene fuisse missas, testis est Porphyrius. (apud Simplicium, in lib. 2. de Cœlo.) Unde apparet, siderum contemplationi vacare cœpisse Babylonios ipsius *Nimrodi* temporibus: à quo tota eorum regio *terra Nimrodi* accepit cognomentum. [*Mic. V.* 6.) quum & illius suasu condi primùm Babylon cœpta (ut in Lib. 1. Antiqu. cap. 5. habet Josephus;) ibidémque prima regni ipsius sedes collocata, (quemadmodum in *Gen. X.* 10. confirmat Moses) indéque gens ipsa Babylonica *antiquitatis* nomine celebrata unprimis fuerit. [*Jerem. V.* 15.]	2480	2234
1787	*d.* Rehu sive Ragau natus est; quum Phaleg pater 30 vixisse annos. [*Gen. XI.* 18.]	2497	2217
1816	Ægyptiorum in subjectos potestatem ac Regium Imperium usque ad integros 1663. annos duravisse, refert in Annalibus suis Constantinus Manasses. Qui à tempore quo Ægyptus à Cambyse rege Persarum subjugata est retrò numerati, ad hoc nos perducunt: circa quod, Misraim Chami filius colonias in Ægyptum duxit; quæ inde *Misraimi* & terræ *Chami* nomen adepta est. [*Psal. CV.* 23, 27. *CVI.* 21, 22.] Unde posteriores Pharaones, filios regum *antiquorum* se fuisse jactitabant. [*Esai. XIX.* 11.]	2526	2188
1819	*d.* Serug sive Saruch natus est; quum Ragavus pater 32 vixisset annos. *Gen. XI.* 20.]	2529	2185
1849	*d.* Nachor natus est; quum Saruchus pater 30 vixisset annos. [*XI.* 22.]	2559	2155
1878	*d.* Terach sive Thara natus est; quum Nachor pater 29 vixisset annos. [*c. XI.* 24.]	2588	2126
1915	*c.* Ægialeus Sicyoniorum in Peloponeso regnum incepit, 1313. annis ante primam Olympiadem. [*Euseb. Chron.*]	2625	2079
1920	*c.* Ex vicinâ Arabiâ irrumpens gens eorum quos *Hyc-sos*, id est, *Reges Pastores* Ægyptii vocabant, Memphim ceperunt; & totâ Ægypto inferiori (quæ mari Mediterraneo est exposita) potiti sunt: quam primus eorum Rex Salatis per annos 19 obtinuit. [*Manetho*, in Ægyptiaticorum lib. 2. apud Josephum, lib. 1. contra Apionem.]	2630	2084
1939	*c.* Baeon, 2. Rex, ann. 44. [*Manetho*]	2649	2065
1948	*d.* Postquàm Thara 70 vixisset annos, natus est ætate primus trium ipsius filiorum. [*Gen. XI.* 26] non Abram quidem (quem post 60 demùm annos natum infrà videbimus) sed Haran, tertii fratris Nachoris socer. Hic enim, priùs quàm pater Thara Ure Chaldæorum discederet, vitâ ibidem functus, filiam reliquit Milcam, patruo Nachori nuptam. [*c. XI.* 28. 29.]	2658	2056
1983	*c.* Apachnas in Ægypto regnat, ann. 36. mens. 7. [*Manetho.*]	2693	2021
1996	*d.* Phaleg sextus à Noacho, mortuus est; 209 post natum Ragavum annis. [*c. XI.* 19.]	2706	2008
1997	*d.* Nachor, nonus à Noacho, mortuus est; 119 post natum filium Tharam annis. (*c XI.* 25.)	2707	2007
2006	*d.* Noachus mortuus est, quum vixisset 950 annos; post finitum Diluvium, 350 annis. [*c. IX.* 28, 29.]	2716	1998
2008	*c.* Abram natus est: quippe 75 annorum existens, quum pater Thara moreretur, annum agens ætatis 205. (*c.* XI. 32. & XII. 1, 4. *cum Act.* VII. 4.)	2718	1996
2018	*c.* Sarai (quæ & Iscah, Haranis fratris Abrami filia; *Gen. XI.* 29, 30.) nata est: utpote decennio, marito suo Abramo ætate minor. [*Gen.* XVII. 17.]	2728	1986
2020	*b.* Apophis in Ægypto regnat ann. 61. [*Manetho*]	2730	1984
2026	*d.* Rehu sive Ragau, septimus à Noacho, mortuus est: 207 post natum Saruchum annis. [*c.* XI. 21.]	2736	1978
2049	*d.* Serug sive Saruch, octavus à Noacho, mortuus est: 200 post natum Nachorem annis. [*c.* XI. 23.]	2059	1955
2079	Hoc ferè tempore, Chedorlaomer rex Elami sive Elymaïdis (inter Persiam & Babyloniam positæ) subegit reges Pentapoleos, Sodomæ videlicèt, Gomorrhæ, Admæ, Seboim, & Belæ sive Zoaris: qui duodecim annis illi serviverunt. [*c.* XIV. 1, 2, 4.]	2089	1925
2081	*b.* Janias in Ægypto regnat, ann. 50 mens. 1. [*Manetho*]	2791	1913

2083.	*a.* Deus Abramum vocat Ure Chaldæorum, ad proficiscendum in eam regionem, quam obtenturus esset illi. [*Gen.* XV. 7. *Josu.* XXIV. 2,3. *Nehem* IX. 7. *Act.* VII. 2,3,4.] Ur verò ista, quam in *Mesopotamiâ* cum Stephano protomartyre (*Act.* VII. 2.) etiam Abarbinel (in *Gen.cap.*11.) collocat, à Sacerdotibus & Mathematicis ex artis vocabulo *Chaldæorum* appellationem sortitis (quo nomine, in ipsâ etiam Chaldæâ, Genethliaci à reliquis Magis distincti reperiuntur, (*Daniel.* II. 2, 10. IV. 7. & V. 11.) habitata fuit. Ex quorum consortio & Terach & filii ejus idolorum cultum didicerunt. [*Josu.* XXIV. 2.] * Sed à filio demum Abramo de divinâ vocatione certior factus, ab Idololatria resipiscens, assumpsit ut familiæ pater Abramum. *	2792	1922
	Assumpsit igitur Terach Abramum filium suum, & Lotum filium Haranis nepotem suum, & Sarai nurum suam uxorem Abrami filii sui: & egressi unà Ure Chaldæorum, ad proficiscendum in regionem Canaanis, pervenerunt Charanem, (in eâdem cum Ure Mesopotamiâ sitam;) & consederunt illic, gravi Terachi imbecillitate detenti.		
	c. Quúmque fuissent dies Terachi 205 annorum, mortuus est Terach Charane. [*Gen.* XI. 31,32.]	2793	1921

ÆTAS MUNDI III.

ABramum, quum mortuus esset pater ejus, denuò vocavit Deus à terrâ suâ, & à cognatione suâ, atque à domo paternâ suâ: additâ fœderis Evangelici promissione, de benedicendis in ipso (id est, in semine ipsius benedicto, D. N. Jesu Christo) omnibus familiis terræ. [*Gen.* XII. 1, 2, 3. *cum Act.* VII. 4.] à quâ promissione, & migratione Abrami eam incunctanter subsecutâ, deducendi sunt 430 anni peregrinationis Abrami & posterorum ipsius in terrâ non suâ. [*Exod.* XII. 40, 41. *cum Galat.* III. 17.] & initio & fine eorum in 15 die mensis Abib constituto; qui hoc anno in Maii Juliani diem 4 & feriam 4 hebdomadicam (juxta nostras rationes) incidit.

Hoc igitur die Abram, quum Charanem attigit, & esset annorum septuaginta quinque, Deum vocantem secutus, assumsit Saram uxorem suam & Lotum filium Haranis fratris sui, cum universis facultatibus suis quas comparaverant & animabus quas acquisiverant Charane; & profecti, ut abirent in regionem Canaanis, tandem pervenerunt in eam. Et transivit Abram per regionem illam ad locum usque Shecemi, ad Quercum Moræ. [*Gen.* XII. 4,5,6.] de qua etiam in [*Gen.*XXXV. 4. *Josu.* XXIV. 25, 26. & *Jud.* IX. 6.] posteà occurrit mentio.

Apparens Dominus Abramo, promisit se semini ipsius daturum regionem illam; qui ibidem altare extruxit Domino qui apparuerat ipsi. Posteà refugens tentorium, inde ad montana profectus est, versùs Orientalem tractum Luzi, posteà Bethelis dicti; [*c.* XXVIII. 19.] ubi ædificato altari, invocavit nomen Domini. Deinde profectus est, indesinenter pergendo, in meridianum regionis tractum; qui Ægyptum spectat. [*c.* XII. 7, 8, 9.]

2084	*a.* Abram, fame cogente, in Ægyptum descendit, ut peregrinaretur illic: ubi Sarai uxor, quam periculi vitandi causâ sororis nomine compellaverat, regi Pharaoni (*Apophi*) tradita, posteà cum muneribus intacta restituitur: & fide publicâ incolumes ex Ægypto dimittuntur. [*c.* XII. 10,-20.] * Abramum verò eodem anno, quo ex Charane est egressus, in Ægyptum concessisse, ibique tres menses exegisse, tradunt Hæbræi, *in Seder Olam rabba cap.* 1. *		
	Abram & Lot unà in Cananæam revertuntur: ubi quum eadem regio pecori utriusque alendo non sufficeret, separantur alter ab altero; Loto ad Sodomitas migrante. Post quam secessionem, Abramo terræ & posteritatis numerosæ promissio à Deo renovatur: qui à loco inter Bethelem & Haium, ubi priùs Altare fecerat, tentoria movens; habitavit in planitie Mamræ, quæ est ad Hebronem, ibique extruxit altare Domino. [*c.* XIII.]	2794	1920
2091	Bera rex Sodomæ, cum reliquis Pentapoleos regulis, adversùs Chedorlaomerem regem Elami rebellárunt; anno 13. ex quo illi servire cœperant. [*c.* XIV. 4.]	2801	1913
2092	*c.* Anno 14, Chedorlaomer cum confœderatis Principibus, Amraphelo Shinaris, Arioco Ellasaris & Tidale Gentium, junctis copiis adversùs rebelles regulos expeditione susceptâ, Raphæos, Zuzæos, Emæos, Choræos, incolas regionis quæ posteà fuit Amalekitarum, & Emoræos primùm percussérunt: deinde regulis Pentapolitanis in valle Siddimorum profligatis, Lotum captivum, simul cum omnibus facultatibus Sodomæ & Gomorrhæ, secum abduxerunt. Quod audiens Abram, armatis servis suis 318, unà cum Hanere, Eshcole & Mamre fœderatis suis, victores ad Danem assecutus, cæcidit eos: & persecutus est Hobam usque, quæ ad lævam est Damasci. Ita Lotum & reliquum captivum populum liberavit: eósque cum omnibus facultatibus illis reduxit. Redeunti autem Abramo à cæde Chedorlaomeris & Regum qui cum eo fuerunt, benedixit Melchisedeck Rex Salemi, summi Dei Sacerdos: cui ille vicissim decimas spoliorum obtulit. Sibi verò nihil de prædâ retinuit, sed unicuique res suas restituit; sociis belli quod ex jure erat relinquens. [*c.* XIV.]	2802	1912
	Deus Abramo, quòd careret liberis mœrenti, posteritatem numero comparandam stellis cœli promittit: quam, post 400 annorum peregrinationem & afflictionem in terrâ non suâ, se in promissæ terræ possessionem missurum pollicetur, & pacto fœdere confirmat. [*c.* XV.]		
2093	*c.* Sarai, deliderio seminis benedicti, Abramo viro suo exactis decem annis, ex quo habitavit in terra Canaanis, ancillam suam Hagaram Ægyptiam pro uxore tradidit. Quæ ex hero gravida, & ab herâ, quòd erga illam insolentiùs se gessisset, repressa fugit: sed promissionibus Dei per Angelum revocata, ad officium rediit. [XVI. 1,3,-14.]	2803	1911
2094	*b.* Hagar Abramo, 86 annos nato, filium Ismaëlem peperit. [*c.* XVI. 15. 16. & XVII. 24. 25.]	2804	1910
2096	*d.* Arphaxad, tertius à Noacho, mortuus est; 403 post natum Salem annis. [*c.* XI. 13.]	2806	1908
2107	*c.* Deus cum Abramo, 99 annos nato, fœdus in semine Isaaki (hac ipsâ sequentis anni tempestate	2817	1897

ex Sarai naſcituri) iniens, ſignum Circumciſionis inſtituit, utriuſque conjugis nomen (*Abram* in *Abraham*, & *Sarai* in *Sarah*) ad promiſſionis monimentum mutat, & Iſmaëli priori filio in gratiam Patris ſe fauturum pollicetur. Quod fœdus Abrahamus fide & obedientiâ amplexus, eodem ipſo die ſe 99 & filium Iſmaëlem 13 annos natum, & domeſticos ſuos omnes, circumcidendos curavit. [*c.* XVII. 1, 21, 23, 24, 25, 26.]

Abraham Angelos humanâ formâ iter facientes ad ſe invitat, & convivio excipit: qui promiſſione de naſcituro Iſaako in gratiam Saræ repetitâ, conſilium Dei de Pentapolcos everſione retegunt. Abraham, de ſalute Loti & familiæ ejus ſollicitus, pro ſervandâ Sodoma Deum interpellat. [*c.* XVIII. cum XIX. 29.]

Sodoma, Gomorrha, Adama & Seboim, ob horrenda ſcelera, igne & ſulphure cœlitùs demiſſo conflagrârunt: [*c.* XIX.] ut eſſent exemplar impiè victuris pœnæ ignis æterni eis infligendæ in ſtagno ignis & ſulphuris; quæ eſt mors ſecunda. [2. *Pet.* II. 6. *Jude*, *v.* 7. *Apocal.* XIX. 20. XX. 10. XXI. 8.] Ejuſque durans adhuc monimentum ſupereſt *Mare mortuum*: valle *Siddimorum*, harum civitatum antiquâ ſede, quæ priùs puteis bituminis & ſalis referta fuerat, in immenſum lacum converſâ: qui à bitumine, *Lacus Aſphaltitis*; à ſale, *Maris ſalſi* nomen obtinuit. [*Geneſ.* XIV. 3. 10. *Deuter.* III. 17. & XXIX. 23. *Sephan.* II. 9. *Sapient.* X. 6, 7.] de quo & Solinus, Polyhiſtor. cap. 35. *Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cœlo tactum reſtatur humus nigra & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum: apud quæ pomum quod gignitur, habeat licet ſpecimen maturitatis, mandi tamen non poteſt; nam fuliginem intrinſecùs favillaceam ambitio tantum extima cutis cohibet; quæ vel levi preſſa tactu fumum exhalat, & fariſcit in vagum pulverem.*

Lot ab Angelis Sodomâ eductus, excidium evaſit; ad *exiguam* Belæ civitatem fugâ ſe recipiens, quæ inde *Zoar* poſteà eſt dicta. Uxor ejus in ſtatuam ſalis converſa eſt. Ipſe, metuens Zoare commorari, è planitie in montem, quò juſſus fuerat fugere, duabus filiabus ſuis comitatus migravit. [*Gen. XIX.*]

Abrahamus ex planitie Mamræ ad regionem meridianam profectus, ut habitaret in loco qui poſteà Beer-sheba dictus; apud Abimelecum regem Philiſtæorum Gerari hoſpitatus eſt. Ubi, uxore (ſororis nomine iterum velatâ) ei ademptâ, Rex divinitùs objurgatus & punitus, eam inviolatam marito cum amplis muneribus reſtituit: cujus precibus ipſe cum ſuis ſanitatem recuperat. [*c.* XX.]

2108 *c.* Abrahamo centenario, & Saræ nonagenariæ, Beer-shebæ natus eſt filius promiſſionis Iſaak. [*c.* XVII. 17, 21. XXI. 1,—7. *Rom.* IV. 19.] Neque diu pòſt nati ſunt Moab & Ammon ex eodem patre & avo tuo Loto. [*Gen.* XIX. 36, 37, 38.] — 2818 — 1896

2113 *c.* Ablactato Iſaako, fecit Abraham convivium magnum. Et videns Sarah filium Hagaræ Ægyptiæ ludentem, vel potiùs deludentem & contumeliosè tractantem, (ſicut *Gen.* XXXIX. 14. vox ea accipitur) imò perſequentem (ut *Gal.* IV. 29. explicat Apoſtolus) Iſaakum; ut qui ſibi, primogenituræ ratione, hæreditatem deberi jactitaret; dixit Abrahamo. *Ejice ancillam iſtam & filium ejus: non enim futurus eſt hæres filius ancillæ iſtius cum filio meo, cum Iſaako.* Quod licèt ægerrimè primùm ille ferret: perfecit tamen, accedente juſſu Dei, illi edicentis; *In Iſaako vocabitur tibi ſemen.* (*Gen.* XXI. 8,—12. *cum Rom.* IX. 7, 8. & *Hebr.* XI. 17, 18. ubi obſerva Iſaakum hac ratione *unigenitum* illius filium appellatum.) *inter Hebræos autem varia opinio eſt, aſſerentibus aliis quinto anno ablactationis tempus ſtatutum, aliis duodecimum annum vendicantibus. Nos igitur, ut breviorem eligamus ætatem, poſt decem & octo annos Iſmael ſupputavimus ejectum eſſe cum matre:* inquit Hieronymus, Traditionibus Hebraicis in Geneſim. Unde ab hac electi ſeminis deſignatione, & perſecutione (ut appellat Apoſtolus) quam à filio Ægyptiæ juſtinuit, 400 annorum initium complures deducunt: quibus Abrahami ſemen peregrinum futurum in terrâ non ſuâ & affligendum Deus prædixerat. [*Gen.* XV. 13. *Act.* VII. 6.] In exitu enim Iſraëlitarum ex Ægypto eos terminandos eſſe, ex [*Gen.* XV. 14. & *Exod.* XII. 35, 36.] inter ſe collatis liquet. Quanquàm Gloſſa ordinaria, ex Auguſtino, initium horum annorum ad ipſam nativitatem Iſaaki referat: ac ſi 405 annos, ſummâ ſolidâ & numero rotundo 400 Scriptura dixerit. — 2823 — 1891

2116 *d.* Salah, quartus à Noacho, mortuus eſt: 403 poſt natum Heberum annis. [*Gen.* XI. 15.] — 2836 — 1878

2131 *b.* Aſſis in Ægypto regnat, ann. 49. menſ. 2. [*Manetho.*] — 2841 — 1873

2133 Per fidem Abrahamus, quum tentaretur, obtulit Iſaakum: ratiocinatus Deum potentiâ præditum eſſe ſuſcitandi eum ex mortuis; unde etiam in typo illum recepit. [*Gen.* XXII. *Hebr.* XI. 17, 19.] Iſaakum verò vigeſimum quintum annum tunc egiſſe, tradit Joſephus, lib. 1. Antiquitat. cap. 14. (al. 12.) & adultiorem fuiſſe, ex eo colligitur; quòd tantam ſtruem lignorum tulerit, quanta requirebatur ad eum quaſi holocauſtum comburendum. [*Gen.* XXII. 6.] — 2843 — 1871

2145 *c.* Sarah, 127 annos nata, Hebrone mortua eſt: ad cujus ſepulturam Abrahamus ſpeluncam agri Macpelæ, primam in terra Cananæa poſſeſſionem, ab Ephrone Hittæo pretio acquiſivit. [*Gen.* XXIII. 1, 2, 19, 20.] ut verò Abrahamus pro fidelium patre, [*Rom.* IV. 11, 12.] ita & Sarah pro piarum mulierum matre, [1. *Pet. III.* 6.] nobis commendatur: eáque fœminei ſexûs unica eſt, cujus integra ætas in ſacris literis habetur commemorata. — 2855 — 1859

2148 *b.* Abrahamus filio Iſaako de uxore proſpiciens, famulum ſuum primarium (Eliezerem Damaſcenum; (*Gen.* XV. 2.) jurejurando obſtrictum ad eam quærendam amandat: qui in Meſopotâmiam Deo duce profectus, Rebekkam filiam Bethuelis & ſororem Labanis Syri ei uxorem obtinet. Quam Iſaak in uxorem accipiens, introduxit in tentorium Saræ matris ſuæ; ejúſque amore dolorem quem ex morte matris, ante triennium defunctæ, conceperat necdum depoſuerat, temperavit. [*Gen.* XXIV. 1,—67.] Erat autem ille 40 annorum, quum uxorem Rebekkam acciperet. [*c.* XXV. 20.] — 2858 — 1856

Argivorum eo tempore regnum in Peloponeſo cœptum eſt, annis 1080. ante primam Olym-

piadem ; ut ex Castore in suo Chronico refert Eusebius. Primus apud eos regnavit Inachus, annos 50. de quo videndus Erasmus in proverbio : *Inacho antiquior.* Atque huc omninò doctissimi Varronis, in XVII Rerum Humanarum libro, verba illa (*ab A. Gellio, lib. 1. noct. attic. cap. 16. & Macrobio, lib. 1. Saturnal. citata*) refero. *Ad Romuli initium plus mille & centum annorum est.* Ab Inachi enim initio juxta Castoris rationes hùc constituto, usque ad Palilia Varroniana anni 1102 numerantur.

2158 *d.* Semus, Noachi filius, mortuus est; 500 annis post natum Arphaxad. [*Gen.* XI. 11.] — 1868 — 1846

2167 *d.* Quum undeviginti post nuptias annis Rebekka permansisset sterilis, supplex pro eâ oravit Dominum Isaakus : cujus precibus exauditis, gemellos illa concepit. [*c.* XXV. 21.] — 2877 — 1837

2168 *c.* Colluctantibus in utero pueulis, affecta mater Deum consuluit : à quo responsum accepit, duarum dissidentium gentium auctores ex eâ prodituros ; quarum una robustior futura esset alterâ, & major serviturus minori. Tempore verò partûs, prodiit prior rufus totus similis togæ villosæ, vocatúmque est nomen ejus *Esau :* deinde prodiit alter, manu calcaneum fratris tenens ; cujus idcirco nomen vocarunt *Jacob.* Erátque pater eorum Isaak sexagenarius, quum nascerentur illi. [*c. XXV.* 22.—26. *Hosé. XII.* 3.] — 2878 — 1836

2179 Thethmosin Thebaidis, sive Ægypti superioris regem, Hycsos vel Pastores, à patre intra Avarim (locum habentem mensuram jugerum decem millium) inclusos, cum 480 armatorum millibus obsedisse, refert Manetho : de expugnatione verò desperantem, pacta cum eis fecisse, ut Ægyptum relinquentes, quò vellent innoxii omnes abirent. Illos autem, cum omni domo & possessionibus, non minùs 240000. numero, ex Ægypto per desertum in Syriam iter egisse ; & metuentes Assyriorum potentiam (qui tunc Asiam obtinebant) in terrâ quæ nunc Judæa vocitatur, civitatem ædificasse, quæ tot millibus hominum sufficere posset, & Hierosolymam appellavisse. Ita *Manetho* ; apud Josephum, lib. 1. contra Apionem Grammaticum, qui idem Apion, in 4 historiarum Ægyptiacarum libro, Amosin regem hunc appellat, & ex Ptolemæi Mendesii (Sacerdotis Ægyptiaci) Annalibus fuisse temporibus Argivorum regis Inachi confirmat : Tatiano Assyrio (in oratione contra Græcos) Justino Martyre (in Parænetico ad eosdem) Clemente Alexandrino (libro 1. Stromatum) & aliis, referentibus. Qui omnes, post Josephum & Justum Tiberiensem, de Israëlitis vitam pastoritiam exercentibus, [*Gen.* XLVI. 33. 34. & XLVII. 3.] & ex Ægypto in Cananæam migrantibus, ista accipientes ; ducem eorum Mosem Inacho æqualem fuisse crediderunt, quum ad *Phœnices* potiùs ea spectare videantur, quos *à mari rubro* profectos, in *Palæstina* sedes fixisse, tùm in ipso Historiæ suæ initio, tùm in lib. VII. c. 89. testatur Herodotus, *cum Stephano Byzant.* in Ἄζωτος. * Sed de *Philistæis* ista Herodoti potiùs accipienda ex (*Gen.* 10. 13. 14. nisi ex *Deut.* 2. 23.) hunc locum de Caphtoræis intelligas, exemplo Philistæorum jam à Mari rubro proficiscentibus. * Nam Israëlitarum exodum Inachi regno longè posteriorem fuisse recta temporum ratio dubitare nos non patitur. — 2889 — 1825

2180 *c.* Thethmosis, sive Amosis, Pastoribus expulsis, in Ægypto inferiore regnavit annis 25. & mensibus 4. [*Manetho.*] — 2890 — 1824

2183 *c.* Abraham 175 annos natus, post adventum in Cananæam 100, mortuus est ; & à filiis Isaako & Ismaële in spelunca Macpelæ, cum Sara uxore sua, sepultus. [*Gen.* XXV. 7.—10.] Vixit annis 15 post natum Jacobum : cum quo habitavisse etiam dicitur in tentoriis. [*Heb. XI.* 9.] — 2893 — 1821

2187 *d.* Heberus, quintus à Noacho, mortuus est ; 430 post natum Phaleg annis. [*Gen. XI.* 17.] Hic omnium post Diluvium natorum diutissimè vixit, ipsi Abrahamo superstes : à quo Hebræi cognomentum accepit ille primùm [*Gen. XIV.* 13.] deinde nepotes ejus Jacobi posteri omnes, [*Gen. XL.* 15.] ubi observa, *Cananæam*, dictam fuisse *terram Hebræorum*, etiam quum adhuc Cananæus esset in terrâ. — 2897 — 1817

2200 Circa hoc tempus, promissiones Abrahamo priùs factæ, filio ejus Isaako datæ à Deo fuisse videntur. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas ; dabóque posteris tuis universas regiones has : & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* [*c.* XXVI. 4.] — 2910 — 1804

2205 *d.* Chebron in Ægypto regnat ann. 13. [*Manetho.*] — 2915 — 1799

2208 *c.* Esau 40 annos natus, duas uxores Hittæas duxit ; Judithum filiam Beeri, & Basemathum filiam Elonis : quæ Isaako & Rebekkæ molestissimæ erant & acerbissimæ. [*Genes. XXVI.* 34, 35. *cum XXVII.* 46. *& XXVIII.* 8.] — 2918 — 1796

Ogygium in Attica factum est Diluvium, annis 1010 ante primam Olympiadem : ut ex Hellanico, Castore, Thallo, Diodoro Siculo, & Alexandro Polyhistore confirmat, in 3. Chronographiæ suæ libro, Julius Africanus. (*apud Eusebium, lib.* 10. *Præparat. Evangel.*) quod Varronis tamen rationes 300 fere annis faciunt antiquius.

2218 *d.* Amenophis in Ægypto regnat, ann. 20. mens. 7. [*Manetho.*] — 2918 — 1786

2231 *b.* Ismael Abrahami filius, quum 137 vixisset annos, mortuus est. [*Gen.* XXV. 17.] — 2941 — 1773

2239 *b.* Am-essis, soror Amenophis, in Ægypto regnat, ann. 21. mens. 9. [*Manetho*] — 2949 — 1765

2242 Euechous apud Chaldæos imperare cœpit, 214. annis ante Arabes. [*Jul. African.*] Qui videtur esse Belus Babylonius, sive Jupiter Belus ; à Chaldæis posteà Deus habitus. [*Esai. XLVI.* 1. *Jerem. L.* 2. *& LI.* 44.] * Et ex *Chesedi* filii Nachoris (fratris Abrahami) posteris fuisse ; (*Gen. XXII.* 22.) à quo *Chasdim* sive Chaldæos nomen accepisse tradunt Hebræi, ut in Hieronymi quæstionibus Hebraicis in Genesin videre licet. * — 2952 — 1762

2245 *a.* Isaakus senex & oculis captus (44°. ante obitum anno) seniorem filium Esavum venatum mittit, benedicturus ei post allatam prædam : sed Jacob filius junior, astu matris cum vestitu fratris & edulio suppositus, benedictionem imprudente patre surripit, & Deo auctore obtinet. Quem cùm eam ob causam Esavus odio capitali prosequeretur ; tùm ut insidias illius declinaret, tùm ut ex sua cognatione uxorem duceret ; benedictione patris acceptâ, Jacob in Mesopotamiam ad avunculum suum Labanem proficiscitur. In itinere verò, Scalæ visione illi exhibitâ, Deus paternas benedi- — 2954 — 1760

ctiones

ctiones ipsi confirmat, favorémque suum promittit: ad cujus testimonium erecto lapide Jacob loci nomen à Luzo in Bethelem mutat, & votum Deo nuncupat.

c. Tandémque Charanem perveniens, & cum Labane per *menses* spatium commoratus, Rachelis filiæ ipsius amore correptus, septennii servitutem pro eâ paciscitur. [*Gen. XXVII.* 1. *ad XXIX.* 20. *cum Hose. XII.* 12.] Hæc autem ad annum ætatis Jacobi 77 pertinere, constabit ex iis quæ ad annum Mundi 2259. erunt dicenda. | 2955 | 1759

Esau, videns Isaakum benedixisse Jacobo, & dimisisse eum in Mesopotamiam ad accipiendum inde sibi uxorem, & filias Chananæorum ipsi displicuisse; patris animum prioribus nuptiis ipsi infensum reconciliaturus, Mahalatham filiam Ismaëlis filii Abrahami prioribus uxoribus superinduxit. [*c. XXVIII.* 6,—9.]

Per annos jam 37 maritus ille fuerat, & vitæ 77 exegerat: quo toto tempore cùm frater Jacob, ætate ipsi æqualis, vixisset cœlebs: paterni mandati memor, Rachelem uxorem sibi dandam eo nunc argumento postulat: quòd *completis essent dies* ipsius. [*Gen. XXIX.* 21.] id est, *uxori maturus esset plus satis*: ut interpretatur Tremellius; quod tamen de *mense* illo intelligendum Lidyatus mavult, *quo Laban voluit experiri Jacobi diligentiam ac strenuitatem ac peritiam in rebus agendis; antequàm filiam suam, quâ de (cùm ea pulchra esset causa adventûs ejus) statim habitus erat sermo, ei collocaret.*

Verùm pro Rachele in nuptiis senior illius soror Lea, fraude patris supponitur: cum quâ, completâ nuptialis convivii septimanâ, (ut in *Judic.* XIV. 12, 17.) traditur ei uxor quoque Rachel; pacto pro ea altero servitutis septennio. Dedítque Laban Leæ Zilpam, Racheli Bilham ancillam. Et quum minùs à marito amata esset Lea quàm Rachel: hæc sterilis divinitùs, illa quatuor filiorum mater, continuâ per suos annos serie, reddita est. [*c. XXIX.* 21, 22. *&c.*] Indéque Jacobo, ex Leâ,

2246 Reuben, primogenitus filius natus est: [*c. XXIX.* 32.] qui, ob incestum cum Bilhâ patris concubinâ commissum, primogenituræ jure postea excidit. [*c. XXXV.* 22. *& XLIX.* 3, 4. *cum* I. *Chron. V.* 1.] | 2956 | 1758

2247 Simeon natus est. | 2957 | 1757

2248 Levi natus est. [*vers.* 34.] | 2958 | 1756

2249 Judah natus est: [*vers.* 35.] à quo Judæi denominationem acceperunt. | 2959 | 1755

2250 * Rachel ancillam suam Bilham Jacobo tradidit: ex quâ Dan natus est. (*Gen.* XXX. 5, 6.) | 2960 | 1754

2251 Ex eâdem natus est Naphtali (*vers.* 7, 8.) | 2961 | 1753

2252 Lea ancillam suam Zilpam Jacobo tradidit: ex qua natus est Gad. (*vers.* 9, 10, 11.) | 2962 | 1752

2253 Ex eâdem natus est Asher. (*vers.* 12, 13.) | 2963 | 1751

2254 *c.* Lea consuetudinem viri redimit à sorore datis mandragoris, quas filius Reuben ex agro attulerat tempore messis triticeæ. (*vers.* 14. 15.) | 2964 | 1750

2255 *b* Lea Issacharem peperit. (*vers.* 17, 18.) | 2965 | 1749

2256 Zabulon ex Lea natus est. (*vers.* 19. 20.) | 2966 | 1748

2257 Lea Dinam filiam Jacobo peperit. (*vers.* 21.) * | 2967 | 1747

2259 *c.* Rachel, sterilitate Dei beneficio sublatâ, Josephum Jacobo peperit; finito 14 anno servitutis suæ. Unde dimissione in patriam à Labane petitâ, novâ pactione detentus est; sex aliis annis pro certâ gregis parte socero serviens. [*c. XXX.* 22, 25, 31. *cum XXXI.* 41.] Jacobum autem fuisse 91 annorum quum nasceretur Joseph, (ac proinde 77 quum primùm Labani servire cœpit) ex eo constat: quòd Jacobo 130 annos nato, quum steriisset coram Pharaone, exactis septem annis copiæ & duobus famis, [*c. XLV.* 6. *cum XLVII.* 9.] Joseph 39 annos natus fuerit: utpote 30 annorum, quum ipse stetit coram Pharaone, statim ante copiæ annos septem. [*c. XLI.* 32, 46.] | 2969 | 1745

2261 *a.* Mephres in Ægypto regnat, ann. 12. mens. 9. [*Manetho.*] | 2971 | 1743

2265 *c.* Jacob, animadversâ Labanis & filiorum invidiâ anxius, divinitùs in patriam redire jubetur. Unde re totâ cum uxoribus communicatâ, dum oves suas tonderet Laban, (sub veris extremum; ut infrà, ad ann. Mund. 2274.) postquàm 20 annis illi serviviisset, clam eo cum facultatibus suis omnibus & totâ familiâ discedens, Euphratem trajecit. [*c. XXXI.* 1, 3, 19, 21, 38, 41.] Quum verò 12 filii nati illi fuisse dicuntur in Mesopotamiâ: [*c. XXXV.* 22, 26.] ex eo numero Benjamin est excipiendus; quem in Chananæa, non procul Bethlehemo, posteà natum constat. [*ibid. vers.* 18, 19.) quomodo & 12 Apostolos appellatos invenimus, quum numero tamen complendo deesset Judas. [*Johan. XX.* 24. & I. *Corinth. XV.* 1.] de quo videndus Augustinus, in *Genes. quæst.* 117. | 2975 | 1739

Laban, die tertio (quot dierum itinere greges ipsius à generi statione aberant) Jacobum fugisse audiens, cognatis suis secum assumptis, persecutus est eum itinere septem dierum, tandémque assecutus est in monte Gileadis, ab hujus congressûs eventu nomen illud adepto. Post multas enim ultrò citróque expostulationes, fœdere pacis inito, in ejus testimonium cumulus lapidum aggestus est: quem Laban Syrus suo sermone *Jegar-sahadutha*, Jacob Hebræus suo גלעד *Galaadem*, id est, *Cumulum testimonii* appellavit. [*c. XXXI.* 22. *ad fin.*]

A Labane dimissus Jacob, novo fratris Esavi cum copiis adventantis nuncio territus, suos in duas acies distribuit, Dei auxilium implorat, fratri munera præmittit, fortíque cum Angelo luctâ & novi *Israëlis* nominis impositione de divino præsidio confirmatur. [*c. XXXII. cum Hose. XII.* 3, 4.]

Esau, Jacobo fratre benignè excepto, munera precibus victus accipit, se cum suis itineris comitem offert, eóque renuente discedit. Jacob profectus est Succothas; ita tùm ab eo appellatas. Ibi enim, extructâ sibi domo, pecori suo fecit tuguria; à quibus loco illi *Succoth* nomen imposuit. Jacob, superato Jordane, Chananæam repetiit: & tentoria sua fixit juxta Salemum urbem Sichemitanam, in portione agri quam emit à filiis Hamoris patris Sichemi centum numis; ubi & altare statuit, quod appellavit *El-Elohe-Israel*, sive, *Dei fortis, Dei Israelis*. [*c. XXXIII.*] eodem videlicèt loco, in quo Abraham primum suum altare extruxerat: [*c.* XII. 6, 7.] & fons Jacobi

erat, in conſpectu montis Garizim; de quo mulier Samaritana ad Chriſtum, *Patres noſtri adorárunt in monte hoc.* [*Joh. IV.* 5,6,12,20.] Eum enim in agro Sichemitano poſitum fuiſſe, ex (*Judic. IX.* 7.) liquet.

2266 * *a.* Judah Adullamum deſcendens filiam Shuæ Chananæi uxorem duxit. (*Gen. XXXVIII.* 12.) vid. Chronolog. part. 1. cap. 10. fin.

d. Er primogenitus Judæ natus eſt. (*ver.* 3.) 2976 1738

2267 *e.* Onan ſecundus Judæ filius natus eſt. (*ver.* 4.) 2977 1737

2268 *e.* Sela tertius filius natus eſt; cùm eſſet ille Chezibi (*ver.* 5.) 2978 1736

2270 Circa hoc tempus, Jacobo Sichemi commorante, filia ejus Dina à Sichemo filio Hamori principis regionis illius rapta & vitiata eſt. Quod flagitium Simeon & Levi, puellæ fratres, ſæviſſimè ſunt ulti in miſeros Sichemitas dolo circumventos, irruentes & mares eorum omnes, ſimul cum Hamoro ipſo & filio raptore, occidione delentes. (*Gen.* XXXIV.) Vid. Chronolog. part. 1. cap. 10. 2980 1734

2271 Jacobus à Deo monitus ut Bethelem proficiſceretur, familiâ ab idolis priùs purgatâ, eò contendit; ibique altare Domino extruxit. Debora Rebeccæ nutrix defuncta ſub quercu Allon-bachuth deinceps dictâ ſepulta eſt. Deus novâ apparitione Jacobo priores promiſſiones confirmat, & fœcunditatis benedictionem Soboli ejus impertit. (*Gen.* XXXV.)

Jacobo Bethele profecto, dilecta ejus uxor Rachel in itinere Benjaminem enixa ex partu moritur, & juxta Ephratham ſive Bethlehemum ſepelitur. Inde pergens Jacobus, tetendit tentorium ſuum ultra turrim Ederis. Cum ejus uxore Bilhâ filius Reuben inceſtam conſuetudinem habuit. Tandem pervenit Jacobus ad Iſaacum Patrem ſuum, Mamrem, in urbem Hebronem. (*Ibid.*) * 2981 1733

2273 *d.* Mephramuthoſis in Ægypto regnat, ann. 25. menſ. 10. [*Manetho.*] 2983 1731

2276 *e.* Joſephus 17 annos natus, fratrum vitia patri retegens, divinitùs paternæ familiæ princeps futurus præmonſtratur: ſed fratrum odium invidiámque tantam ſuſcipit, ut occaſione oblatâ, primùm in necem, deinde in venditionem ejus conſpirent. Unde ex puteo, in quem eum conjecerant, extractus Iſmaelitis & Midianitis mercatoribus (utriſque proavi ſui Abrahami poſteris) 20 argenteis venditur: à quibus in Ægyptum abductus Potipheris præfecti ſatellitum Pharaonis mancipium efficitur. [*Gen.* XXXVII. 2,---36.] Ejus *Excellens ingenium veriti fratres, clàm interceptum peregrinis mercatoribus vendidiſſe*, & ab iis *deportatum in Ægyptum* fuiſſe, etiam ex Trogo Pompeio lib. 36. cap. 2. refert (*Juſtinus.*) 2986 1728

2280 * *d.* Judah filio ſuo primogenito Eri uxorem dedit Thamaram. (*Gen.* XXXVIII. 6.) 2990 1724

2281 *e.* Poſt occiſum à Deo Erem, Judah filium ſecundum ſuum Onanem Thamaræ tradidit, ut exſuſcitaret ſemen fratri ſuo. Quo item ob infandum ſcelus à Deo interempto, veritus Judah ſimilem tertii ſui filii caſum, nurui ſuæ perſuaſit ut vidua tantiſper in patris domo habitaret, donec Sela filius adoleſceret. (*Gen.* XXXVIII.) 2991 1723

2282 *e.* Uxor Judæ filia Shuæ Cananæi mortua eſt. Judah ſeſe conſolaturus, Thimnam ad tondendum gregem ſuum (ſub veris exitum) cum amico ſuo Hirâ Adullamitâ proficiſcitur. Thamar, animadvertens Judæ non fuiſſe in animo filium ſuum Selam (puberem jam factum) ipſi maritum tradere, ſumpto habitu meretricio, in viâ Thimnam versùs cum ſocero ſcortum eam fuiſſe exiſtimant congreſſa, ex eo concepit; *d.* Cúmque mense quaſi tertio gravida deprehenſa, & à Judâ mortis rea adjudicata, productis ſignis ex ipſo Judâ gravidam fuiſſe oſtendit. (*Ibid.*) 2992 1722

2283 *b.* Thamar (ſub hyemis exitum) gemellos eſt enixa, Phares & Zaram. (Ibid. cum I. Chronic. II. 4. & Matth. I. 3.) * 2993 1721

2287 *e.* Joſephus, carcere concluſus, duobus aulicis Pharaonis ſomnia ipſorum, convenienter eventui interpretatus eſt; juſto biennio antequàm accerſeretur ad Pharaonem. (*Gen. XL. cum* XLI. 1.] 2997 1717

2288 *e.* Iſaak moritur, 180 annos natus; & à filiis, Eſavo & Jacobo, ſepelitur. [*e.* XXXV. 28, 29.] 2998 1716

2289 *b.* Pharao ſomniorum ſuorum interpretationem à ſuis ſapientibus minimè conſequutus, Joſephum auditâ peritiâ ejus accerſit; annos 30 tùm natum. Qui ſomniis ipſius, de ſeptem annis ſaturitatis primùm, ac totidem deinde famis, expoſitis; conſilium ſuum de procurandâ annonâ contra famem venturam inſuper adjicit. Indéque Pharao, ex omnium procerum conſenſu, in ſummam regni præfecturam illum evexit: datâ ei in uxorem Aſenathâ filia Potipheris Oniorum (ſive Heliopolitanorum) Præſidis. [*e.* XLI. 1,--46.] Juſtinus quoque ex Trogo, Joſephum Ægypti *reges percharum* fuiſſe narrat. *Nam & prodigiorum* (inquit) *ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit: nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur; Adeò, ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos providerit; periiſſéque omnis Ægyptus fame, niſi monitu ejus Rex edicto ſervari per multos annos fruges juſſiſſet: tantáque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine ſed à Deo reſponſa dari viderentur.* Hæc ille; lib. 36. cap. 2. 2999 1715

e. Ab hujus anni meſſe ſeptem ubertatis anni numerantur: quibus Joſephus ingentem annonæ copiam comparavit; & ex Aſenathâ duos filios, Manaſſem & Ephraimum, ſuſcepit. (*Gen.* XLI. 47,--53.)

2296 *e.* Anni 7 famis cœperunt: quibus Joſephi providentia non totam Ægyptum ſolùm ſublevavit, ſed etiam aliis regionibus alimentum ſuppeditavit. [*e.* XLI. 54,--57.] 3006 1708

2297 * *b.* Phareſo Judæ filio decimum quintum ætatis annum ingreſſo natus eſt Hesron. * 3007 1707

d. Jacobus decem filios ſuos pro annonâ in Ægyptum mittit: qui à fratre Joſepho diſſimulante agniti, callidè explorationis inſimulantur; & in carcerem conjecti, non priùs dimittuntur quàm vincto Simeone (maximo natu ex iis qui in ipſius venditionem conſenſerant) & ut obſide relicto, Benjamine.n fratrem ſuum minimum (ex Joſephi matre Rachelâ natum) adducturos ſe promitterent. Dimiſſi, unà cum annonâ illius pretium manticis ipſorum juſſu Joſephi inditum domum referunt; patri quicquid acciderat narrant, & minimi fratris ſiſtendi neceſſitatem perſuadere conantur fruſtrà. [*e.* XLII.]

2298 *b.* Jacobus, fame coactus, Benjaminem & reliquos filios, priore pecuniâ & duplice alterâ muneribúſque inſtructos, ad Joſephum pro annonâ remittit: à quo humaniter lauto convivio, reſtituto obſide, excipiuntur. [*e.* XLIII.] 3008 1706

Joſephus

Joſephus poculum mandato ſuo in mantica Benjaminis clam fratribus abditum, ut ſublatum furto ab ipſis abeuntibus reperit: qui furti crimen ex anteactis diluentes ſe inquiſitioni ſubmittunt, mortémque in ſe & ſervitutem decernunt, ſi comperiantur. Itaque invento penès Benjaminem poculo, ad Joſephum reducti ſe in ſervitutem dedunt: quod recuſante illo, & ſolius deprehenſi ſervitute contento, Judas ſe in illius vicem mancipari ſupplex petit. [*c.* XLIV.]

Joſephus oratione Judæ permotus, ſe fratribus patefacit; eóſque ſceletis in ſe recordatione conſternatos, propoſitâ divinâ providentiâ, erigit. Deinde juſſu Regis eos curribus, commeatu, muneribúſque inſtructos remittit ad patrem familiámque celeriter adducendam: quibus nuncium hunc referentibus pater, non niſi multis verbis & viſis curribus, fidem habet. (*c.* XLV.)

c. Jacobus oblatis victimis divinitùs confirmatus, cum totâ familiâ * hominum 66 ex ipſo ortorum,* ineunte tertio anno famis in Ægyptum deſcendit; annos natus 130. (*c.* XLV. 6. XLVI. 1,—27. XLVII. 9. *Deuter.* XXVI. 5.)

Joſephus, ſuorum adventu Regi ſignificato, patrem cum quinque è fratribus in conſpectum illius adduxit: qui ſermone cum illis habito terram commodam in regione Goſhenis concedit; ubi quietè à Joſepho ſuſtentantur. (*c.* XLVII. 1,—12.)

2299 | *d.* Mephramuthoſi mortuo, Thmoſis in Ægypto regnat, ann. 9. menſ. 8. (*Manetho.*) | 3009 | 1705

2300 | Joſephus totam pecuniam quæ inveniebatur in terrâ Ægypti & in regione Canaanis pro annonâ illis venditâ collegit; & in ærarium Pharaonis eam intulit. [*Gen.* XLVII. 14.] | 3010 | 1704

2301 | Pecuniâ utriuſque regionis abſumptâ, Ægyptii greges & armenta ſua Joſepho vendiderunt; ut cibo ſuſtentarentur anno illo. [*c.* XLVII. 15, 16, 17.] | 3011 | 1703

2302 | Quum abſolutus eſſet annus ille, pecuniâ & poſſeſſo pecore jam deficientibus, & agros & libertatem ſuam Joſepho Ægyptii vendiderunt: qui cibum illis ſuppeditavit, & ſementem quo agros, ſeptimo & poſtremo hoc famis anno, ſererent in ſequentem annum fertilitatis redituræ. Et ut proprietatis jus omne ab illis Pharaoni plenè acquireretur; tranſtulit eos Joſephus, pro arbitrio ſuo, ab unâ extremitate Ægypti ad alteram: agróſque illis colendos eâ conditione aſſignavit, ut quintam proventuum partem Regi, lege perpetuâ, quotannis ſolverent. Tantummodò Præſidum & Sacerdotum agri Pharaoni non ceſſerunt: quia Regis ſumptibus ſuſtentati, terras ſuas vendere non cogebantur. (*c.* XLVII. 18,—26.) | 3012 | 1702

2309 | *b.* Amenophis in Ægypto regnat, ann. 30 menſ. 10. (*Manetho.*) | 3019 | 1695

2315 | *c.* Jacobus moriturus Manaſſem & Ephraïmum, Joſephi filios, adoptat: eíſque benedicens, minorem majori divino inſtinctu præponit. (*Gen.* XLVIII. *Hebr.* XI. 21.) Convocatis deinde omnibus filiis benedicit, ſingulis eventura prædicit, de adventu Meſſiæ inſigne vaticinium edit; & de loco ſepulturæ mandato eis dato, moritur, annos natus 147. poſtquàm in terra Ægypti 17 vixiſſet annis. (*Gen.* XLIX *cum* XLVII. 28.) | 3025 | 1689

d. Jacobi cadaver, Joſephi juſſu, aromatibus conditum 40 diebus aſſervatur: ab Ægyptiis 70 diebus defletur & Regis permiſſu à Joſepho & fratribus, aulicorum Pharaonis & primorum Ægypti magnâ catervâ comitante, in Cananæam defertur; ubi 7 diebus plangitur, & in ſpeluncâ Macpelæ (uti ipſe edixerat) ſimul cum ſuis ſepelitur. (*c.* L. 1,—13.)

Joſeph in Ægyptum reverſus, fratres de commiſſo in ſe facinore ſollicitos benignè conſolatur, eíſque neceſſaria omnia promittit. (*c.* L. 15,—21.)

2340 | *b.* Orus in Ægypto regnat, ann. 36. menſ. 5. (*Manetho.*) | 3050 | 1664

2357 | *b.* * Heſron, Judæ Patriarchæ ex filio Phareſo nepos, annos 60 natus, uxorem duxit Abiam filiam Maciris filii Manaſſis, quæ Segubum illi peperit. (I. *Chronic.* II. 21, 24.)* | 3067 | 1647

2369 | *c.* Per fidem Joſephus moriturus de egreſſione filiorum Iſraëlis meminit, & de transferendis ſuis oſſibus præcepit: ac deinde annos 110 natus, obiit; viſis nepotibus ſuis ad tertiam generationem. (*Gen.* L. 22,—26. *Hebr.* XI. 22.) Shutelacho nimirùm & Tachane Ephraimi filiis, & Hadane (ſive Harane, *Num.* XXVI. 36.) Shutelachi filio: itémque Macire Manaſſis filio, & Gileade nepote. Unde Græci Interpretes familiæ Jacobi & Joſephi, quæ 70 capitibus conſtare dicebatur, (*Gen.* XLVI. 27. & *Deuter.* X. 22.) hos quinque poſt adventum Jacobi in Ægyptum natos, in I. *Chronicor.* VII. adjicientes; 75 animarum numerum effecerunt. | 3079 | 1635

Ex dictis patet, ſub pluribus Regibus, Joſephum Ægypti præfecturam ipſis annis 80 geſſiſſe: ut rectè annorum ſeriem in Chronico ſuo ita digeſſerit Euſebius. *Joſeph Dux Ægypti fit, anno ætatis* XXX, *Jacobi patris* CXXII. *quem principatum tenuit annis* LXXX. *Poſt cujus interitum Hebræi Ægyptiis ſervierunt annis* CXLIV. *Fiunt autem omnes anni, quos Hebræi in Ægypto fecerunt,* CCXV. *qui ab eodem tempore computantur, quo Jacob cum filiis ſuis deſcendit in Ægyptum.*

In morte verò Joſephi deſinit liber Geneſeos, 2369 annorum res geſtas continens. Eum temporis ordine liber Jobi conſequi videtur: quem etiam à Moſe conſcriptum fuiſſe, Talmudicorum (in *Baba batra*, cap. 1.) & communis Hebræorum eſt ſententia. Ejus ſumma à Severo Sulpicio in Hiſtoriæ ſacræ libro 1. ita proponitur. *Hoc tractu temporum Job fuit, legem naturæ & cognitionem Dei & omnem juſtitiam complexus: prædives opibus; atque eò illuſtrior, quòd his neque integris corruptus, neque amiſſis depravatus eſt. Nam cùm per Diabolum exutus bonis, filiis etiam eſſet orbatus, ad extremum diris ulceribus affectus: non potuit vinci, ut pra doloris impatientiâ aliquâ in parte peccaret. Mercedem denique divini teſtimonii conſecutus, ſanitati redditus, omnia qua amiſerat in duplum recepit.*

2376 | *c.* Acenchres, Ori filia, in Ægypto regnat ann. 12. menſ. 1. (*Manetho.*) | 1086 | 1618

2385 | Levi in Ægypto mortuus eſt, annos 137 natus: (*Exod.* VI. 16.) Moſis & Aaronis maternus quidem avus, ſed proavus paternus. Cùm enim Levi in Cananæa filium genuiſſet Kohathum (qui 133 annorum exiſtens mortuus eſt) & filiam in Ægypto Jocebedam: Kohathi filius Amram, ductâ in uxorem amitâ ſuâ Jocebedâ filiâ Levi, ex eo (*Levit.* XVIII. 12. & XX. 19. expreſſè poſtea vetito) conjugio Aaronem & Moſem & ſororem illorum Miriam ſuſcepit: & ad ætatem

avi, ejuſdémque ſoceri ſui, annorum 137 vitâ productâ, paulò ante exitum Iſraëlitarum ex Ægypto eandem finiit. [*Exod.* II. 1. VI. 18, 20. *Num.* 26. 59.] Quanquàm alii Jocebedam immediatam Levi filiam fuiſſe negent; & Amrami non amitam, ſed patruelem (ſive fratris patris ſui filiam, ut in [*Exod.* VI. 20.] Græci interpretes expreſſerunt) fuiſſe affirment. *Vid. Perer. in cap.* 2. *Exod. diſput.* 1. * Verùm ab expreſſo textu non eſt recedendum, qui à Levi in Ægypto Jocebedam ſuſceptam fuiſſe indicat. (*Num.* XXVI. 59.) *

2388 *d.* Rathotis, Aceochris frater, regnat ann. 9. [*Manetho.*] — 3098 — 1616

2389 Æthiopes, ab Indo flumine conſurgentes, juxta Ægyptum conſederunt. (*Euſeb. Chronic.*) Quò ſpectat locus ille Panegyriſtæ: *Dent veniam trophæa Niliaca, ſub quibus Æthiops & Indus intremuit*, & quod Æthiopiam, quæ ſub Ægypto eſt, nunc majorem Indiam appellari ſcribit Johannes Potken, in Pſalterio Æthiopico Romæ anno 1513 à ſe edito. — 3099 — 1615

2397 *d.* Acencheres, Rathotis filius, in Ægypto regnat ann. 12. menſ. 5. [*Manetho.*] — 3107 — 1607

2410 *a.* Acencheres alius, poſt eum regnat ann. 12. menſ. 3. [*Id.*] — 3120 — 1594

2422 *b.* Armais, regnat ann. 4. menſ. 1. [*Id.*] — 3132 — 1582

2426 *c.* Rameſſes, regnat ann. 1. menſ. 4. [*Id.*] — 3136 — 1578

2427 *d.* Rameſſes Miamún, regnat ann. 66. menſ. 2. [*Id.*] Ejus cognomenci pars poſterior à priore nominis *Amen-ophis*, (quo & filius & è majoribus duo gavili ſunt) prior à *Moy* vocabulo deſumta videri poſſet; quod *aquam* Ægyptiis denotare, Joſephus lib. 1. contra Apion. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & Suidas (in Μωϋ) affirmant; unde & Neptuni, aquarum Deaſtri, nomen à Mythologis illi fuiſſe impoſitum; infrà (ad annum Mundi 2533) indicabitur. Hic eſt Rex ille novus, qui non agnoſcebat Joſephum: poſt mortem illius natus, & memoriam beneficiorum ejus libenter abjiciens. Hujúſque conſilio Ægyptii ſibi ab Iſraëlitis numero & viribus auctis metuentes, durâ eos ſervitute opprimebant: præter domeſticas & ruſticas operas, etiam regiorum armamentariorum exſtructione illis impoſitâ, urbium nempe Pithomi & Raamſis vel Rameſſis, (*Exod.* I. 8, 14. *Act.* VII. 18, 19.) quarum unam Regis conditoris nomen prætuliſſe Mercator exiſtimat, alteram fortè Reginæ. — 3137 — 1577

2430 *b.* Aaron natus eſt, triennio ante fratrem Moſem, 83 annis ante exitum Iſraëlitarum ex Ægypto. [*Exod.* VII. 7.] — 3140 — 1574

2431 Impius Rex, quum Shiphræ & Puæ Hebræarum obſtetricibus de maſculis infantibus clàm tollendis fruſtrà præcepiſſet; immane de pueris Iſraëliticis ſubmergendis edictum promulgavit. [*Exod.* I. 15,—22. *Act.* VII. 19, 20.] tempore inter Aaronis & Moſis nativitatem interjecto. — 3141 — 1573

2433 *b.* Jocebeda, annis 48 poſt mortem patris ſui Levi, Amramo nepoti & marito ſuo Moſem peperit. Erat enim 80 annorum Moſes, quum alloqueretur Pharaonem de dimittendis Iſraëlitis ex Ægypto: [*Exod.* VII. 7.] & 40 poſt exitum eorum annis, quum menſe 12°. moreretur, annorum erat 120 (*Deut.* XXXI. 2. & XXXIV. 7.] — 3143 — 1571

Quum Moſem *forma pulchritudo commendaret*, (quam etiam ex Trogo libro 36. capite 2. Juſtinus commemorat) utpotè divinitùs venuſtum; parentes ejus occultaverunt eum domi menſibus tribus, & non metuerunt edictum Regis. [*Exod.* II. 2. *Act.* VII. 20. *Hebr.* XI. 23.]

c. Cùm propter diligentem inquiſitionem à Rege inſtituram, & vicinos Ægyptios, celari ampliùs puerulus non poſſet; in arcâ ſcirpeâ, bitumine & pice oblitâ, eum poſitum mater in carecto ripæ fluminis expoſuit: ſtante procul ſorore ejus (Miriamâ ſive Mariâ; *Num.* XXVI. 59. I. *Chron.* VI. 3.) & conſiderante eventum rei. Ibi eum repertum filia Pharaonis, (quam *Thermutin* Joſephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. al. 9. Epiphanius in Panario, & alii nominant) matri Jocebedæ lactandum tradidit: poſteáque adoptatum filii loco habuit, & omni ſapientiâ Ægyptiorum erudiendum curavit. (*Exod.* II. 5,—10. *cum Act.* VII. 21, 22.)

2448 Cecrops Ægyptius, Saitarum coloniâ in Atticam traductâ, (ut ex Diodori Siculi Bibliothecæ libro 1. intelligimus) Athenienſium regnum condidit; ante primam Olympiadem annis 780, ut ex Caſtore habet, in Chronico ſuo, Euſebius. Ab ejus temporibus Græcorum antiquitates deducit Chronographus Parius, à doctiſſimo Seldeno noſtro inter Arundelliana marmora editus: utpote poſt quem, & parem illi ætate Moſem, *quæ apud Græcos mirabilia narrantur, contigerunt; Deucalionis diluvium, Phaëtontis incendium, ortus Erichthonii, Proſerpinæ raptus, Cereris myſteria, Eleuſiniorum inſtitutio, Triptolemi agricultura, Europæ ab Jove raptus, Apollinis nativitas, Cadmi ad Thebanos adventus; atque iis juniores, Bacchus, Minos, Perſeus, Æſculapius, Dioſcuri, Hercules*; quemadmodum in Præparationis Evangelicæ libro 10. cap. 9. ab Euſebio eſt obſervatum. — 3158 — 1556

2465 Anno Cecropis 18 Chaldæi contra Phœnices dimicârunt. (*Euſeb. Chronic.*) — 3175 — 1539

2466 Victis Chaldæis, Arabes in Babylonia regnaverunt; annis 216 ante Belum Aſſyrium. Eorum primus Mardocentes, per annos 45 regnum obtinuit. (*Jul. African.*) Qui videtur eſſe *Merodach*; à Babyloniis poſteà Deus habitus: [*Jerem.* L. 2.] à quo & Reges eorum, Merodach-Baladan & Evil-Merodach nomina ſua mutuati ſunt. — 3176 — 1538

2473 *b.* Moſes, Vitæ annis 40 completis, inviſens fratres ſuos Iſraëlitas, & aſpiciens onera eorum; quum videret quendam Ægyptium percutientem virum Hebræum, occidit illum & abſcondit in arenâ. Quod quum innotuiſſe videret Moſes, non fratribus ſuis ſolùm, ſed ipſi etiam Pharaoni, qui eam ob rem ultimo ſupplicio ipſum plectendum quærebat: in terram Madianitidem fugit; ubi ductâ in uxorem Zipporâ, Hobabi ſive Jethronis filiâ, alios vitæ ſuæ annos 40 exegit. [*Act.* VII. 23,—30. *Exod.* II. 11,—22. *cum* III. 1. XVIII. 1, 2. *Num.* X. 29. *& Jud.* IV. 11.] * quot annis paviſſe illum gregem Jethronis, etiam in Pirke Eliezer cap. 40. legimus. * — 3183 — 1531

2474 *d.* Caleb filius Jephunnæ natus eſt; 40 annis antequam à Moſe mitteretur ad explorandum terram Cananæam. [Joſu. XIV. 7, 10.] — 3184 — 1530

2494 *a.* Rameſſes Miamún mortuus eſt, anno regni ſui 67, cujus tyrannidis diuturnitas notata etiam — 3203 — 1511

ſuiſſe

tuitle videtur verbis illis, [*Exod.* II. 23.] *post multum verò temporis mortuus est Rex Ægypti: & ingemiscentes filii Israël, propter opera vociferati sunt*; propter servitutem scilicèt, quæ etiam illo Rege mortuo durabat. Sub filio enim & successore illius Amenophi continuata ea est, annorum 19 & mensium 6 spatio: quod regni tempus à Manethone tributum ipsi legitur. Ex cujus totâ narratione, utcunque anilibus figmentis contaminatâ, (quæ fusè à Josepho, libro 1. contra Apionem, habentur refutata) duæ veritates historicæ clarissimè colliguntur. I. Sub hoc Amenophe, patre Sethosis sive Rameſſis, (sequentis Dynastiæ, quæ Manethoni 19 est, Regis primi) non sub Amenophe altero (tertio hujus 18ᵉ. Dynastiæ Rege) uti Josephus hariolatus est, Israëlitas ducente Mose, juxta Manethonis quidem sententiam, ex Ægypto decessisse. II. Quem Ægyptii Amenophim, patrem Sethosis (sive Rameſſis) & Armais, appellant; eundem à Græcis Belum, Ægypti & Danai genitorem, nuncupari. Et Beli certè tempus à Thallo Chronographo assignatum, 322 annis ante Trojanam cladem, (Theophilo Antiocheno & Lactantio referentibus) cum Amenophis nostri ætate exactè congruit. Licèt Mythologi, Belum Ægyptium & Belum Assyrium Nini patrem confundentes, à Belo hoc (qui in Erythræo mari submersus est) colonias ex Ægypto in Babyloniam traductas fuisse fabulentur.

2513 *b.* Mosi, pascenti gregem Jethronis soceri sui ad montem Horebum, in rubo ardente & incombusto Deus apparet; & ad populum suum à servitute Ægyptiaca liberandum vocat. Ille, munus sibi impositum diversis subterfugiis detrectans, tandem miraculis, opis divinæ promissione, adjunctione fratris Aaronis, illud suscipit. [*Act.* VII. 30,—35. *Exod.* III. & IV. 1,—18.] 3223 1491

Moses, impetratâ à Jethero sive Jethrone socero, suâ venià, cum familia sua in Ægyptum pergit: sed in itinere, propter neglectam filii Eliezeris circumcisionem, à Deo sistitur; nec nisi illo circumciso dimittitur. Unde, remissis ad socerum Zipporâ uxore & duobus filiis Gershomo & Eliezere, jam liber Horebum usque regressus, fratri Aaroni ibidem occurrit: eóque comite, legationem prodigiis apud Israëlitas confirmatam obiit. [*Exod.* IV. 18,—31. *cum*, XVIII. 1,—6.]

Moses & Aaron, legatione suâ Regi expositâ, ut seditionis capita, cum objurgatione repelluntur: graviores labores Israëlitis, præter diurnum pensum, imponuntur. Cujus causâ operum curatores cæsi, quum frustra apud Pharaonem quæsti essent, cum Mose & Aarone expostulant, & Moses cum Deo: à quo placidè exauditur & confirmatur Moses. [*c.* V.]

Moses cum amplioribus mandatis ad Israëlitas remittus, duriore servitute pressos, nihil efficit: quamobrem Pharaonem iterùm convenire jussus, metu ejusdem eventûs detrectat. [*c.* VI.]

Moses 80, & Aaron 83. annos natus, Deo urgente, cum Pharaone congreditur; ubi miraculum virgæ in colubrum conversæ præstigiis suis imitati Magi, obstinatiorem Regis animum effecerunt. [*c.* VII. 1,—13.] Magorum istorum qui Mosi restiterunt, principes fuerunt Jannes & Jambres, sive Mambres, ab Apostolo nominati, [2. *Tim.* III. 8.] celebres non solùm apud Hebræos, in tractatu Talmudico מנחות de Oblationib. cap. 9. (ubi יחני וממרא *Jochanne & Mamre* vocantur) & Chaldaicâ paraphrasi quæ Jonathani tribuitur, in [*Exod.* I. 15. & VII. 11.] sed etiam apud ethnicos. Sic enim Numenius Apamæus, philosophus Pythagoricus, in 3 libro περὶ τ' ἀγαθοῦ (ab Eusebio, lib. 9. Præparationis Evangelicæ cap. 8. citatus) historiam hanc refert. *Jannes & Jambres, Scriba rerum sacrarum Ægypti, quo tempore Ægypti finibus ejecti Judæi sunt, clarnêre: viri omnium judicio rerum magicarum scientiâ nemini concedentes. Quippe ambo quidem communi Ægyptiorum consensu delecti sunt, qui Musæo Duci Judæorum, cujus apud Deum potentissima preces erant, sesè opponerent; adeóque gravissimas quasque calamitates à Musæo in Ægyptum invectas omnium in oculis dissolvere ac dissipare potuerunt.* Quò & illud Plinii referendum, (lib. XXX. cap. 1.) *Est & alia Magices factio à Moyse & Jamne & Jotape Judæis pendens*; qui falsus est tamen, tùm Mosem inter Magos, tùm Jannem & Jotapem inter Judæos recensens.

Magis Pharaonis frustra sese opponentibus, Deus Mosis ministerio decem plagas Ægyptiis inflixit: quarum memoria in [*Psalmo* LXXVIII. & CV.] (secund. Hebr.) celebratur. Eas duodecim mensium spatio, per intervalla, fuisse inductas Hebræi autumant: quum intra unicum mensem, hac ferè temporum serie, peractæ fuerint.

Circa mensis 6, (qui anno sequente, & deinceps, 12. numeratus est) diem 18. prima plaga contigit; aquarum in sanguinem versarum. Completo deinde septiduo, [*c.* VII. 25.] circa 25 diem, secunda plaga, Ranarum, secuta est: quæ die proximo ablata est. Circa diem 27, tertia plaga, ciniphum vel pediculorum, est inducta. Circa 28 diem Moses minatus quartam plagam, muscarum & aliorum insectorum colluviei: quæ circa 29 immissa, & 30 amota est.

c. Circa mensis 7 (qui, paulò pòst, primi nomen accepit) diem 1, plagam quintam minatus Moses, sequente die eam induxit: pestis videlicèt & interitus pecorum. Circa diem 3, plaga sexta eam excepit; ulcerum & pustularum, erumpentium in hominibus & jumentis; quâ & ipsi Magi affecti sunt, non minùs quàm reliqui Ægyptii. (*c.* IX. 11.) Unde natum illud Justini, ex Trogo, lib. 36. *Ægyptii, quum scabiem & vitiligines paterentur, responso moniti, Mosem cum agris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt.* Confer Excerpta ex Diodori Siculi libro 40, in Photii Bibliotheca: (pag. 620.)

Circa 4 diem, plagam denuncians Moses, circa 5. induxit, & 6 eam amovit. Erat autem hæc, tonitruum & pluviarum & gravis grandinis cum igni commixtæ: quibus *linum & hordeum læsum est, quia hordeo jam spica erat & lino culmus; triticum verò & zea non sunt læsa, eò quòd latentia erant* sub terrâ. Unde rectè colligit Nicolaus Fullerus, libro 3 Miscellan. (pag. 389.) mense Abib, hanc plagam contigisse.

Circa 7 diem, plagam octavam denunciavit Moses, & sequente die immisit; locustarum videlicèt omnia depascentium: quam circa 9 diem removit. [*c.* X. 4, 13, 19.]

Mensis Abib, qui hactenùs septimus, deinceps primus mensis totius anni est constitutus: [*c.* XII. 2. *cum* XIII. 4.] in memoriam exitûs Israëlitarum ex Ægypto; à cujus initio illius epocha idcircò

deducitur, [*Num.* IX. 1, 2. *cum Exod.* XL. 17.] licet ipse exitus in medium mensem inciderit.

Hujus primi mensis die 10, [qui fuit *Aprilis* Juliani 30, feria hebdomadica 5] Paschatis & azymorum ritu instituto; Agnus Paschalis seligitur, mactandus post 4 dies. [*Exod.* XII. 3, 6.]

Moses nonam plagam, triduanarum tenebrarum, in Ægyptum inducit: quæ tantæ fuerunt, ut Ægyptiorum nullus toto eo tempore moverit se de loco in quo erat; licèt Israëlitis omnibus lux esset in habitationibus ipsorum. [*c.* X. 22, 23.]

Die 14, (*Maij* 4, *fer.* 2.) Moses cum Pharaone postremò locutus, decimam plagam cædis primogenitorum, medio noctis sequentis infligendam, denunciat; & vehementi irâ commotus, ab eo discedit. [*c.* X. 24,--29. XI. 1, 4,--8.]

Vesperâ hujus diei, primum Pascha celebratum est. [*c.* XII. 11, 12.]

ÆTAS MUNDI IV.

PRIMI mensis die 15 (*Maii* 5, *feriâ* 3) sub mediam noctem primogenitis in Ægypto cæsis, Pharao & servi ejus Israëlitas omnes, cum suis facultatibus & ipsorum spoliis, quàm citissimè dimittunt: qui, eodem die, quo absoluti sunt 430 anni à primâ peregrinatione majorum suorum, (Abrahamo Charane discedente,) postridie Paschatis, ad sexcenta millia peditum (virorum, præter parvulos) ordine militari Rameſſe profecti sunt. [*Exod.* XII. 29, 30, 31, 37, 41, 51. *Num.* XXXIII. 3.]

Hinc stationes eorum à Moſe describuntur; *Numeror.* cap. XXXIII. quas, ex Hebraicis nominum significationibus, mysticè explicat Hieronymus in tractatu de 42 mansionibus ad Fabiolam, à quo ne in numeris stationum designandis deinceps dissentiremus, *Rameſſem* primam appellare libuit: licèt itineris statio nulla ea fuerit, sed terminus à quo profectionum initium erat deducendum. Sit igitur.

I. *Rameſſes*: ubi Israëlitæ à Joſepho collocati fuerant; [*Gen.* XLVII. 11.] & simul convenerunt omnes, qui vel cum Ægyptiis mixti habitabant, [*Exod.* III. 22.] vel qui ad conquirendum stipulam dispersi fuerant per totam terram. [*c.* V. 12.]

II. *Succoth*, ubi Moses mandata Dei de annuo Paschatis ritu, & primogenitorum consecratione, populo proposuit. [*Exod.* XIII.]

III. *Etham*, in extremitate deserti: quò perducti sunt, Domino antecedente eos interdiu in columnâ nubis, & noctu in columnâ ignis. [*Exod.* XIII. 20, 21.]

IV. *Pi-hahiroth*, inter Migdolum & mare, è regione Baal-zephonis.

Hic Pharao cum exercitu suo Hebræos assecutus est. Moſe suâ virgâ aquas dividente, per medium maris Rubri sive Erythræi in desertum Etami pervenerunt: quos Pharao & Ægyptii insecuti, ab aquis recurrentibus primo diluculo obruti sunt. Unde Israëlitæ, eo die prorsus liberati è manu Ægyptiorum, quorum cadavera fluitantia viderunt in litore maris, (*Exod.* XIV. 30) Deum victoriæ auctorem cantico celebrarunt [*Exod.* XV. 1,--21.] quod *Apocal. c.* XV. 3. *Canticum Moſis servi Dei appellatur*, omniúmque, quorum uspiam memoria extat, primum est & antiquissimum. Factum verò hoc esse mensis 1, die 21, postremo videlicèt azymorum, quo convocatio sancta ex Dei instituto [*Exod.* XII. 16.] erat habenda; constans Hebræorum, eáque veritati maximè consentanea, est sententia.

Hinc continuo tridui itinere [die videlicèt 22, 23, 24, *feriâ* 3, 4, & 5.) Israëlitæ per desertum Ethami processerunt, aquam non invenientes. [*Exod. XV.* 22. *Num. XXXIII.* 8.]

V. *Marah*; ab aquarum amaritudine nomen sortita, ob quam, quum populus, qui aquarum defectum jam totum triduum sustinuerat, murmurare cœpisset; Moses, ligno in aquas amaras injecto, eas dulces effecit, populúmque in futurum erudit. [*Exod. XV.* 23,--26.]

VI. *Elim*: ubi erant 12 fontes aquarum & 70 palmæ; & castrametati sunt ibi ad aquas illas. [*Exod. XV.* 27. *Num.* XXXIII. 9.]

VII. *Mare rubrum*, [*Num. XXXIII.* 10.]

SECUNDI mensis,

Die 15 (*Junii* 4. *feriâ* 5) pervenerunt Israëlitæ ad stationem.

VIII. *Sinin* desertum; quod est inter Elima & Sinai. Ubi quum ob victûs penuriam murmurâssent in Deum & Duces; circa vesperam misit ad eos Deus coturnices, & tempore matutino Manna de cœlo pluit: [*Exod. XVI.* 1,--35] quo pane deinceps 40 annis vescebantur, donec pervenissent ad extremitatem terræ promissæ. [*Exod.* ibid. compar. cum *Deut.* VIII. 2, 3, & Josh. V. 12.]

IX. *Dophka.*

X. *Alush.*

XI. *Rephidim*, ubi populo, ob defectum aquæ murmuranti; (unde loco *Meriba* & *Maſſa* nomen inditum,) Moses percussâ petrâ aquam suppeditat: [*Exod.* XVII. 1,--7.] quæ & populum per desertum secuta est. [*Psalm.* LXXVIII. 16. 20. CV. 41. 1. *Corinth.* X. 4. & *Deut.* IX. 21.]

Amalekitæ, lassò & fatigato Israëlitarum exercitui in itinere occurrentes, in postremo agmine debilitate affectos cæciderunt: contra quos Moses pugnare jussit Jehosuam sive Josuam, [filium Nunis, ministrum suum; [*Exod. XXXIII.* 11.] cujus nomen *Hoseam* mutavit ille in *Jehoſuam*, [*Num. XIII.* 16.] sive *Jesum*; [*Nehem. VIII.* 17. *Act. VII.* 45. & *Hebr. IV.* 8.] Ille Rephidimis cum Amalekitis dimicans, Moſe in vertice collis orante, victoriam consecutus est. De eâ gente perdendâ Israëlitæ mandatum accipiunt; & altare in perpetuam hujus rei memoriam extruunt. [*Deut. XXV.* 17, 18, 19. *Exod. XVII.* 8,--16.]

Tertio menſe.

XII. *Sinai* deſertum; ubi caſtrametati ſunt Iſraëlitæ è regione montis Horebi: in eo deſerto per integrum ferè annum poſteà commorati. Anno enim ab exitu 2^9 menſis 2^i die 20 inde moverunt: [*Num. X.* 11, 12.] anni verò primi *menſe tertio, in die hâc*, eò pervenerunt: [*Exod. XIX.* 1.] die nimirum eâdem, ſive ejuſdem numeri cum menſe 3°, (ut in libro V. de Templo cap. 7. pluribus confirmat Fr. Ribera) h. e. menſis 3. die 3. (*Jun. 22. fer. 2.*)

Moſe in montem aſcendente, Deus ſignificat ſe fœdus cum Iſraëlitis renovare, eos ſibi legibus obſtringere, obſervantéſque amore proſequi velle. Quibus annuentibus biduum, quo ad legem Dei reverenter excipiendam præparatentur, indicit; omnibus (excepto Moſe & Aarone) montis acceſſu interdicit: poſteáque ſummâ cum majeſtate in montem, cernentibus omnibus ac trepidantibus, deſcendit. [*Exod. XIX.*]

Legem, Decalogo comprehenſam, Deus terribili voce promulgavit: [*Exod. XX. Deut. V.*] quæ tamen promiſſionem gratiæ, Abrahamo ab eodem ante 430 annos factam, irritam non facit. [*Galat. III.* 17.]

Territo populo Deus per Moſem varias leges tradidit: [*Exod. XX. XXI. XXII. & XXIII. cum Deut. IV.* 13, 14.] quas ille in libro Fœderis ſcriptas populo propoſuit. Deinde manè conſurgens, exſtruxit altare ſub monte; & 12 ſtatuas pro 12 tribubus Iſraëlis: miſitque juvenes Iſraëlitarum (primogenitos, ut habet Chaldæus paraphraſtes; quos ſibi Dominus conſecraverat, [*Exod. XIII.* 2. *Num. III.* 13. *VIII.* 16, 17.] ſacrorum adminiſtros, [*Exod. XIX.* 22.] ante Leviticum ſacerdotium inſtitutum) qui ſacrificia, primùm expiatoria, deinde euchariſtica, Domino obtulerunt. Quúmque librum illum Fœderis (mandata, quæ [*Exod. XX.*] & tribus ſequentibus capitibus habentur, continentem) audiente populo Moſes legiſſet; accipiens ſanguinem oblatorum illorum vitulorum & hircorum, cum aquâ & lanâ coccineâ & hyſſopo, ipſum quoque librum & totum populum (ſive 12 illas ſtatuas, 12 tribus Iſraëlis repræſentantes) aſperſit: atque ita fœdus inter Deum populúmque ſolenniter ſanxit. [*Exod. XXIV.* 3,--8. *cum Hebr. IX.* 19, 20.]

Moſes & Aaron, Nadab & Abihu, & 70 è Senioribus Iſraëlis, aſcenderunt in montem; ibíque gloriam Dei aſpexerunt. Quibus inde deſcendentibus, Moſes cum Joſua miniſtro ſuo propiùs accedens, expectavit diebus ſex, donec ſeptimo die eum Deus alloqueretur: fuítque in monte 40 dies & 40 noctes, [*Exod.* 24. 9,--18.] ſex illis expectationis diebus eo in numero comprehenſis; cibum non comedens, nec aquam bibens. [*Deut. IX.* 9.] ubi de ſtructura Tabernaculi, Sacerdotum ornamentis, conſecratione, ſacrificiis, &c. mandata accepit; *Exodi XXV. & 6.* capitib. ſequentibus propoſita.

Quarto menſe.

d. Finitis 40 illis diebus & 40 noctibus, dedit Deus Moſi duas Legis tabulas lapideas, ſuâ manu fabrefactas & ſuo digito ſcriptas: [*Exod. XXXI.* 18. *Deut. IX.* 10, 11.] celeriter illum deſcendere jubens, quòd populus vitulum aureum ſibi conflaſſet, & adoraret eum. Moſes oratione ſuâ Dei iram mitigat, è monte deſcendit, vidénſque populum vituli feſtum in caſtris celebrantem tabulas Legis confringit ſub ipſo monte. [*Exod. XXXII.* 1,-19.] Ob quarum confractionem annuum adhuc à Judæis obſervatur Jejunium, menſis 4 die 17 quod nonnullos in eum induxit errorem, ut à die promulgationem Decalogi proximè ſequente 40 dies moræ Moſis in monte numerandos exiſtimaverint; tempore intermedio, ad ſcribendum & recitandum librum fœderis, ipſúmque fœdus inter Deum & populum ritibus ſolennibus pangendum requiſito, [*Exod. XXIV.*] penitùs neglecto.

Moſes, combuſto & comminuto vitulo, tria idololatrarum millia, Levitarum miniſterio, è medio ſuſtulit. [*Exod. XXXII.* 20,--29. *Deut. IX.* 21. XXXIII. 9.]

Poſtridie, Moſes iterùm in montem aſcendens, Deum iteratò pro populo deprecatur. [*Exod.* XXXII. 30, 31, 32.] Jubet eos ornatum deponere, Tentorium conventus (quod tum ſupplebat locum Tabernaculi à Bezaleele poſteà extructi) extra caſtra tendit: populóque iræ divinæ ſenſu ad reſipiſcentiam permoto, precibus ſuis tandem impetrat, ut non Angelus, ſed Deus ipſe ſit viæ dux. [*c.* XXXIII.]

Deus Moſem novas tabulas, prioribus ſimiles, dolare & ſequente die in montem ad ſe afferre jubet. Cui manè cum eis aſcendenti, in rupe poſito Deus, quaſi per tranſitum, gloriæ ſuæ imaginem aliquam manifeſtat. [*c.* XXXIV.]

Moſes in monte denuò 40 dies & 40 noctes ſine cibo ac potu commoratus, pro populo intercecedit. [*Deut. IX.* 18. *X.* 10.] Deus placatus, fœdus cum populo certis conditionibus renovat, leges ſuas iterat & à Moſe ſcripto mandari jubet; Tabuliſque à Moſe allatis Decalogum ipſe inſcribit. [*Exod.* XXXIV. 10,--28.]

Sexto menſe.

Moſes poſt 40. dies cum Tabulis de monte redit: & faciei ſplendeſcenti velamine impoſito, populo mandata Dei proponit, Sabbati obſervationem urget, & oblationem à Deo imperatam ad opus Tabernaculi indicit. (*Exod.* XXXIV. & XXXV.)

Ut contributio rectiùs procederet; numerati omnes à nato 20 annos & deinceps, 603550 ſunt inventi: quorum unoquoque, juxta legem à Deo præſcriptam, [*Exod.* XXX. 12, 13.] dimidium ſicli pendente; ſumma ad 100 argenti talenta, & 1775 ſiclos pervenit. [*c.* XXXVIII. 25, 26.] Unde colligitur, Hebraicum talentum argenti continuiſſe tria ſiclorum millia; ſive minas 50 unâquáque minâ habente ſiclos 60. [*Ezek. XLV.* 12.]

Præter capitationem hanc, ex ſpontaneis donariis conflata eſt ſumma auri talentorum 29 & ſiclorum 730, æris talentorum 70, & ſiclorum 2400. [*Exod.* XXXVIII. 24, 29.] Ex alia verò materia ad opus Tabernaculi requiſitâ, oblatum eſt plùs ſatis: ut vetare populum eſſet opus, ne quid ampliùs offerret. [*c.* XXXVI. 5, 6, 7.]

Bezaleel & Aholiab artifices Tabernaculi à Deo deſignati. [*Exod.* XXXI. 2,--6. & XXXV. 30,--35.]

2514 *a.* Primo hujus anni ſemeſtri Tabernaculum, Arca fœderis, Altare, Menſa propoſitionis, veſtes ſacerdotales, ſacra unguenta, candelabrum, & reliqua inſtrumenta & vaſa quæ ſacrificia ſpectabant, in deſerto ad montem Sinai fabricantur; *b.* & ad Moſem adducuntur. [*Exod.* XXXVI. *cum* 5 *capitibus ſequentibus.*] 3224 1490

Mandatum à Deo Moſes accipit: I. Ut menſis 2. die 1 Tabernaculum & omnia ad illud ſpectantia erigat. [*Exod.* XL. 2,--8.] II. Ut oleo ſacro eadem ungeret, & Aaronem cum filiis ſuis ad Sacerdotium conſecraret. [*ibid.* 9,--15.] Quod & Moſes feciſſe dicitur: (*v.* 16.) ſed non eodem utrumque tempore. Nam die quidem præſcripto Tabernaculum, cum omnibus ad ipſum pertinentibus, erexit: [*Exod.* XL. 17,--33.] alteram verò mandati partem, tempore à Deo poſteà conſtituto, peregit; (*Levit.* VIII. 1,--13.) in quâ exequendâ, Sacerdotum & altaris conſecrationi non unus ſufficiebat dies, ſed integrum ſeptiduum requirebatur. [*Exod.* XXIX. 35, 36, 37.] Itaque.

c. Anno 2 Exodi,

PRIMI menſis

Die 1 (*Aprilis* Juliani 21 *feriâ* 4) Tabernaculum fœderis erigitur, & glorià Dei impletur: [*Exod.* XL. 2, 17, 34.] è quo leges illas Deus Moſi per intervalla tradidit, quæ in ſeptem primis Levitici capitibus continentur.

Eodem anno 2 & menſe 1 Iſraëlitæ, à Deo moniti, ſecundum Paſcha celebraverunt ad veſperam diei 14 (*Maii* 4 *feriâ* 3) quo die, Moſi & Aaroni conquerentibus quibuſdam, qui ex cadavere hominis immunditiam contraxerant, quòd cum fratribus ſuis ſtatuto tempore Paſcha obſervare non poterant; lex à Deo lata eſt de Paſchate die 14 menſis 2 ab iis celebrando, qui vel immunditiâ vel profectione aliquâ neceſſariâ impediti, ſtatâ tempeſtate illud celebrare non poterant. [*Num.* IX. 1,--14.]

SECUNDI menſis

Die 1 (*Maii* Juliani 21 *feriâ* 6.) Deus jubet Moſem Iſraëlitarum omnium, exceptis Levitis, mares à 20 anno ad 60 per ſuas tribus recenſere; Levitas verò miniſterio Tabernaculi præficere & circa illud collocare, ut ipſum, quum opus eſſet, deponant, portent, & erigant. [*Num.* I. 1. XXVI. 64.]

Summa numeratorum erat, 603550. [*Num.* I. 46.] eadem quæ ante menſes 7 in capitatione ad Tabernaculi extructionem imperatâ, inventa fuerat. [*Exod.* XXXVIII. 26.]

Moſes [prout Deus mandaverat, *Exod.* XXIX. 1,--37. XXX. 22,--30. & XL. 9,--15.] oleo ſacro Tabernaculum & Altare, cum omnibus ad ea pertinentibus, unxit & conſecravit. Aaronem quoque & 4 filios ejus, eodem oleo unctos, præſcriptis ritibus & ſacrificiis ad munus Sacerdotale obeundum conſecravit: &, ut per ſeptem dies à portâ Tabernaculi non diſcederent, præſcripſit. [*Levit.* VIII.] Tot enim diebus, tùm ipſorum, tùm Altaris, durabat conſecratio. [*Exod.* XXIX. 35, 36, 37. *Levit.* VIII. 33.]

Ordo à tribubus in caſtrametationibus & profectionibus ſuis ſervandus præſcribitur. [*Num. II.*]

Levitarum, menſem unum egreſſorum, 22300 numerus invenitur, [*Num.* III. 15,--35.] vel, demptis eorum primogenitis, * (Atqui ita inter 73 circiter quoſque mares unus tantùm fuiſſet primogenitus,) (qui 300 erant) * 22000; qui loco primogenitorum ex reliquis tribubus ad Dei miniſterium aſſumuntur. Et quia ſupra numerum 22000 Levitarum primogeniti Iſraëlitarum 273 ſunt reperti; quini in ſingulos redemptionis ſicli ſtatuuntur. [*Num.* III. 39,--51.]

Levitæ, ita ſelecti, ſolenni ritu Deo ejúſque cultui conſecrantur: incipientis & deſinentis illorum miniſterii tempore definito. [*Num.* VIII. 5,--26.]

Levitæ ab anno 30 ad 50 inveniuntur 8580, & pro familiarum ratione ſua eis munera & onera diſtribuuntur. [*Num. IV.*]

Leproſi & immundi omnes è caſtris ejiciuntur. Leges de reſtitutione damni & zelotypiâ feruntur. [*Num.* V.]

Votum, conſecratio, & ritus Nazaræorum deſcribitur. Formula benedicendi populo Sacerdotibus præſcribitur. [*Num.* VI.]

Die *octavo*, à finitâ verò conſecratione primo, Aaron primùm pro ſe, deinde pro toto populo ſacrificia & munera offert: quibus igne è cœlo abſumptis, miniſterium Sacerdotum populo divinitùs comprobatur. [*Levit.* IX.]

Quum plenè jam erectum eſſet Tabernaculum, & cum inſtrumentis ſuis omnibus ſacro oleo unctum; atque Altare toto ſeptiduo conſecratum, & primis ab Aarone victimis in eo oblatis dedicatum [ſeptem enim præcedentes dies expiatorii erant, ad illud ſanctificandum ordinati: *Exod.* XXIX. 36, 37.] Principes numeratarum tribuum ſex plauſtra camerata & 12 boves ante Tabernaculum ſimul obtulerunt: quæ Levitis filiis Gershoni & Merari, pro ratione miniſterii eorum, ſunt tradita. Deinde ſeorſim ſinguli ſingulis diebus ſacrificia ſua, cum inſtrumentis ſacro miniſterio dicatis, ad Altaris dedicationem obtulerunt: quæ idcircò ad 12 dies continuata eſt. [*Num.* VII. 1,--10, 11, 84, 88.]

Itaque primo hoc die Naaſſon (à quo David & ſecundùm carnem D. N. Jeſus Chriſtus ortus eſt) pro tribu Judæ munus obtulit: deinde reliqui, pro ſuâ quiſque tribu, eo ordine qui in caſtrametationibus (*cap.* II.) inſtitutus fuerat. [*Num.* VII. 11, 12,--83.]

Nadab & Abihu, primogeniti Aaronis filii, (qui unà cum patre in montem Sinai aſcendentes, gloriam Dei viderant; *Exod.* XXIV. 1, 9, 10.) cum igne alieno (non illo cœlitùs demiſſo, *Levit.* IX. 24. qui in altari ad res ſacras ſemper alendus erat; c. VI. 12, 13.) Sanctuarium ingreſſuri, igne divinitùs immiſſo pereunt. [*Levit.* X. 1, 2. *Num.* III. 2, 3, 4. XXVI. 60, 61.] Luctu eorum

Sacerdo-

Sacerdotibus vetito, occaſione neglecti ab aliis officii, vino & ſacrâ Tabernaculum ingreſſuris interdicitur: de reliquiis ſacrificii à Sacerdotibus comedendis lex fertur, & Aaronis eâ in re excuſatio à Moſe approbatur. [*Levit.* X. 6,-20.]

Eâ occâſione lex lata eſt [circa 10, ut videtur, menſis hujus diem] de ingreſſu ſummi Sacerdotis ſolius ſemel tantùm quotannis in Sanctuarium; die videlicèt expiationis & univerſalis jejunii, 10 die menſis 7^i. celebrando. [*Levit.* XVI. 1,-34.]

Die hujus menſis 14 (*Junii* 3, *feriâ* 5) ad veſperam, Paſcha ab iis celebratum eſt, qui ſuperiori menſe immundi fuerant. [*Num. IX.*]

Blaſphemus extra caſtra eductus, juſſu Dei, lapidibus obruitur. [*Levit. XXIV.* 10, 11, 12, 13.]

Leges, quæ 17 poſtremis Levitici capitibus continentur, hoc menſe latæ fuiſſe videntur.

Duas argenteas tubas fieri Deus imperat: quibus cœtus convocetur, ſigna profectionum expeditionúmque dentur, & ſacrificiorum tempore clangatur. [*Num. X.* 1,-18.]

Jethro, qui & Hobabus, Zipporam cum duobus liberis Gershomo & Eliezere apud ſe relictam ad generum ſuum Moſem reducit: ipſique & populo Iſraelitico liberationem à ſervitute Ægyptiaca gratulatus, ſuam in Deum fidem & pietatem verbis factiſque proteſtatur. Ejus monitu Moſes, cum aliis regimen populi partitus, magiſtratus qui res minores dijudicarent inſtituit. [*Exod.* XVIII. *cum Deuter.* I. 9,-18. *& Num. X.* 29.]

Dies hujus menſis 19 poſtremus fuiſſe videtur oblationum 12 Principum in dedicatione Altaris: Ahirâ pro tribu Naphthali munus offerente, [*Num.* VII. 78, 88.]

Die 20 menſis 2 (*Junii* Juliani 91. *feriâ* 4) Deus Iſraelitas caſtra movere jubet, & terram promiſſam hæreditariò poſſidendam adire. [*Num. X.* 11, 12. *Deut.* I. 6, 7.] quò invitatus à Moſe Jethro, in regionem ſuam reverſus eſt. [*Num.* X. 29. 30. cum *Exod.* XVIII. 27.]

Nube, quæ Tabernaculo imminebat, elevatâ; in quatuor exercitus diſtributi, à deſerto Sinai (ubi per integrum ferè annum hæſerant) continuo *tridui* itinere pervenerunt in deſertum Paranis. [*Num.* X. 12, 33.] ubi die 23 hujus menſis conſederunt in ſtatione. Vide *Seder Olam Rabbah.*

XIII. *Kibroth-Hattaavah*, [*Num.* XXXIII. 16.] ubi murmurantes divino igne percuſſi (unde & loco nomen Taberæ inditum) precibus Moſis liberantur: ſed rurſùs carnis deſiderio & faſtidio Mannæ Deum provocant. [*Num.* XI. 1,-10. *Pſal.* LXXVIII. 19, 20, 21.]

Moſi apud Deum conquerenti, & excuſationem à munere petenti, Synedrium LXX ſeniorum adjungitur: è quibus Eldad & Medad in caſtris manentes prophetârunt. [*Num.* XI. 10,-17, & 24,-30.]

Deus populo coturnices (non, ut præcedente anno, ad unum diem; *Exod.* XVI. 12. 13. ſed) ad *integrum menſem* ſuppeditat: graviſſimâ plagâ adjunctâ: unde à ſepulchris *concupiſcentium* loco datum eſt nomen *Kibroth-Hattaavah.* [*Num.* XI. 31,-34. *Pſal.* LXXVIII. 26,-31. & CVI. 15.]

XIV. *Hazeroth.* [*Num.* XI. 35. XXXIII. 17.]

Miriam & Aaron contra fratrem Moſem obloquuti, propter uxorem Æthiopiſſam, (Zipporam videlicèt Midianitidem; ex Æthiopiâ orientali, ſive Arabiâ, ab eo ductam) illi ſe æquabant. Sed à Deo præfertur Moſes: & Miriam leprâ percuſſa, è caſtris ejicitur. Verùm orante pro eâ Moſe, poſt *ſeptem* dies ſanatur. [*Num.* XII. 1,-15. *Deut.* XXIV. 9.]

d. Miriamâ mundatâ & in caſtra revocatâ (4^i. menſis, ut ex præcedentibus intelligitur, die aliquo) moventes Iſraëlitæ, caſtrametati ſunt in ſtatione.

XV. *Rithma*, in deſerto Paranis. [*Num.* XII. 16. XXXIII. 18.] juxta Kadeshum Barneæ. [*Num.* XIII. 26.]

QUINTO menſe.

A deſerto Paranis (*Num.* XIII. 3.) vel Kadesho Barneæ (*Num.* XXXII. 8. *Deut.* I. 19, 22. IX. 23. *& Joſu.* XIV. 7.) perente populo, & approbante Moſe, (*Deut.* I. 22, 23) Deo verò jubente, (*Num.* XIII. 1, 2.) quando erat tempus primarum uvarum, (*ibid.* 20.) duodecim exploratores, vir unus pro unaquaque tribu (in quibus, pro tribu Judæ fuit Caleb filius Jephunnæ, annos 40 tùm natus; *Joſu.* XIV. 7. pro Ephraim, Hoshea filius Nunis, quem Moſes Jehoſuam appellaverat) ad terram Canaanis perluſtrandam præmiſſi ſunt: qui eam ingreſſi à deſerto Sinis & parte meridianâ, ad aquilonares ejuſdem terminos Rechobum uſque proceſſerunt. [*Num.* XIII. 2,-20, 21, 22. *Deut. I.* 23.]

SEXTO menſe.

Exactis *quadraginta diebus*, ab exploratione terræ reverſi ſunt Kadeshum in deſerto Paranis: ingentem palmitem cum botro uvarum, ex valle Eshcolis (inde nomen adeptâ) exciſum, cum malogranatis & ficubus terræ, ſecum deferentes. [*Num.* XIII. 23,-27. *Deut.* I. 24, 25.] Ex quâ fructuum maturitate apparet, propinquum fuiſſe menſem *ſeptimum*: quandoquidem paulò ante Tabernaculorum feſtum, quod 15 illius menſis die celebrabatur, fructus ex area & torculari colligebantur. [*Exod.* XXIII. 16. *Levit.* XXIII. 39. *Deut.* XVI. 13.]

Decem ex eorum numero qui ad explorandam Cananæam miſſi fuerant, famam malam de terra illa inducentes, urbiúmque & incolarum robur prædicantes, populum ab aditu illius abſterrent; Calebo fruſtra renitente. (*Num.* XIII. 28,-33. XXXII. 9.)

Populus territus reditum in Ægyptum molitur: Joſuam & Calebum diſſuadentes lapidibus obruere paratus. Deus ſubitum exitium eis minatus, deprecatione Moſis flectitur: ita tamen ut omnibus (præter Joſuam & Calebum) à nato viginti annos & deinceps ab ingreſſu promiſſæ terræ excluſis mortem in deſerto decernat; ubi 40 annis eos erraturos eſſe denunciat. (*Num.* XIV. 1, 35. XXVI. 64, 65. XXXII. 10,-13. *Deut.* I. 26,-36. IX. 23. *Joſu.* V. 6. *Pſal.* XCV. 8,-11. CVI. 14, 25, 26.] numero videlicèt rotundo: quum anno 39. filios eorum in terram promiſſam ingreſſos eſſe conſtet. Confer *Num.* XXXII. 13. *cum Deut.* II. 14.

Decem exploratores, qui ſeditionem hanc excitaverunt, à Deo ſubitâ morte ſublati ſunt. [*Num.* XIV. 36, 37.] cujus rei memoriam, ad hunc uſque diem, Judæi jejunio 7^i. diei menſis 6^i. (Elul) celebrant.

Deus Iſraëlitas caſtrâ movere jubet, & in deſertum retrocedere mare Rubrum versùs. Hi tamen contra juſſum Domini conſcendentes in montem, ab Amalekitis & Cananæis percuſſi ſunt Hormam uſque. Reverſi itaque fleverunt coram Domino: ſed non exauditi ſunt. [*Num.* XIV. 40-45. *Deut.* I. 40,—45.]

Hujus calamitatis, atque eam inſecutæ continuæ Iſraëlitarum mortis quotidie cadentium in deſerto, compoſitus eſt à Moſe Pſalmus XC. *Domine refugium factus es nobis*; in quo & dies hominum ordinarios ad 70. vel 80. annos redactos eſſe ſignificat. Itaque

Ætas vitæ humanæ tertiò jam quaſi dimidiatâ parte brevior efficitur.

2515 *a.* Iſraëlitæ Kadeshi conſederunt dies multos; * ſecundùm dies, quibus ibi conſederant (*Deut. I.* 46.) Quot enim dies ante reditum exploratorum ibi tranſegerant, totidem etiam moræ dies indulſiſſe videtur illis ibi Deus, ut accepta curarent vulnera. Quibus diebus exactis, relinquentes Kadeshum, profecti ſunt rurſùs in deſertum, mare Rubrum versùs, ſicut præceperat Dominus: & circumiverunt montana Seiris diebus multis. [*Deut.* II. 1. *Judic.* XI. 16.] * A diceſſu enim ex Kadesho Barneæ uſque ad tranſmiſſum torrentem ſive vallem Zeredi (circa medium anni 40. exodi) anni interceſſerunt 38: intra quos tota illa rebellium bellatorum multitudo eſt extincta. (*Deuteron. II.* 14, 15, 16.) quamvis alioqui ſpatium inter duo illa loca interjectum quinque dierum iter non excellerit: quemadmodum ex propriâ experientiâ confirmat Georgius Syncellus, in Chronico. (pag. 142) Neque toto eo 38 annorum tempore plures quàm 17 Stationes in *Numerorum* XXXIII capite habentur enumeratæ. Unde apparet in earum aliquibus per aliquot annos Iſraëlitas conſediſſe; Sive enim biduo, ſive menſe, ſive anno, prout continuabat nubes reſidere ſuper Tabernaculo, caſtra habebant in eodem loco, & non proficiſcebantur. (Num. IX. 22.) *a.* Ex 17. verò illis Stationibus fuit ordine,

XVI. Rimmon-Parez. XVII. Libna. XVIII. Riſſa. XIX. Kehelatha. XX. Mons Shepheris. XXI. Harada. XXII. *Makheloth. XXIII. Thahath. XXIV. Thara. XXV. Mithka. XXVI. Hashmona.* XXVII. *Moſeroth.* XXVIII. *Bene-Jaakan*, ſive *Beeroth bene Jaakan*, *Putei filiorum Jaakanis.* [*Deut.* X. 6.] XXIX. *Hor-hagidgad*, ſive *Gudgada.* [*Deut.* X. 7.] XXX. *Jotbatha*: regio fluminibus aquarum irrigua. [*Deut.* X. 7.] XXXI. *Hebrona.* XXXII. *Eziongaber.* (quæ eſt prope Elothas, ad litus maris Rubri, in terra Edomæorum; 1. *Reg.* IX. 26.)

* Præter Stationum hunc Catalogum in *Numerorum* etiam capite XV & 4 ſequentibus, alia, habentur tradita; tùm ad Leges tùm ad Hiſtoriam ſpectantia; quomodo colligens ligna in Sabbato (quod in deſerto, licèt ſacrificiis intermiſſis, ſtudioſè ſervatum eſt) à toto cœtu, juſſu Dei, lapidibus obrutus eſt. [*c.* XV.] Kora, Dathan & Abiram, ſeditionem contra Moſem & Aaronem moventes, hiatu terræ; 250 verò conjurationis ſocii ſuffitum offerentes, igne divinitùs immiſſo, perierunt. Deus ſeditioſorum thuribula ad tegendum altare adhiberi juſſit, in monimentum filiis Iſraëlis. Populo ob ſuperiorem cladem in Moſem & Aaronem murmurante, 14700. à Deo percuſſi interierunt. (*c.* XVI.) Duodecim virgis à 12 principibus tribuum acceptis, & in Sanctuario poſitis; ſola virga Aaronis floruit & amygdalæ protulit, atque ante Arcam, in ſignum contra deditos rebellioni, ſervata eſt. [*c.* XVII.] Quæ omnia poſteriore ſemeſtri anni ſecundi ab egreſſu ex Ægypto contigiſſe exiſtimantur: * licèt anno 40 exodi, filiæ Zelopheadi ſeditionis Korah ut rei non ita longè antè actæ meminiſſe videantur. (*Num.* XXVII. 3.). 3225 1489

Annis verò 9 primis, quibus in deſerto verſabuntur Iſraëlitæ, regnum Ægyptiorum adminiſtravit Armais, Orientem verò invaſit Sethoſis: quos Amenophis (in mari rubro ſubmerſi) filios fuiſſe, ſuprà (ad annum mundi 2494) annotavimus. De quibus, in Ægyptiacis ſuis, Manethon (apud Joſephum, libro 1. contra Apionem) ita ſcribit. *Sethoſis equeſtres & navales copias habens, fratrem quidem Armain procuratorem Ægypti conſtituit, & omnem ei aliam regalem contulit poteſtatem: tantummodo autem diademate uti prohibuit, & ne reginam matrem liberorum opprimeret imperavit, & ut abſtineret etiam ab aliis regalibus concubinis. Ipſe verò ad Cyprum & Phœniceam, & rurſus contra Aſſyrios atque Medos caſtrametatus; univerſos quidem, alios ferro, alios ſine bello virium ſuarum terrore ſibimet ſubjugavit: eòque ſucceſſu elatus, confidentiùs incedebat, Orientales provincias ac urbes ſubvertendo. Aliquanto verò tempore procedente Armais, qui in Ægypto fuerat derelictus, omnia contrà quàm frater agere monuerat, ſine timore faciebat. Nam & Reginam violenter tractavit, & aliis concubinis jugiter miſcebatur; perſuaſuſque ab amicis, & diademate utebatur, & fratri rebellabat.* Ita Manetho Ægyptius: ſimul etiam addens, Armain quidem *Danaum*, Sethoſim verò, & *Ægyptum* (unde & regioni nomen datum fuiſſe ait) & *Rameſſem* avi nomine fuiſſe nuncupatum. Ex quâ appellationum & rerum geſtarum ſimilitudine, eum Taciti *Rhamſen* & Herodoti *Seſoſtrim* fuiſſe apparet. Regem enim *Rhamſen Libyâ, Æthiopiâ, Mediſque & Perſis, & Bactrianis, ac Scythiâ potitum, quáſque terras Syri Armeniique & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio teniſſe*; in libro II Annalium refert Cornelius Tacitus, & de Seſoſtri, libro II. Herodotus. *Iſtum dicebant Sacerdotes primum omnium Regum longis navibus Arabicum ſinum prætervectum, & populos Rubri maris accolas in poteſtatem ſuam redegiſſe; indéque retrò iisdem veſtigiis reverſum, & copiis ingentibus copiis transgreſſum in continentem, infeſto exercitu obvias ubique gentes ſubegiſſe; deinde ex Aſia in Europam tranſgreſſum, Scythas ſubjugâſſe & Thraces: ad quos uſque* (inquit ille) *& non ulterius mihi videtur Ægyptius exercitus perveniſſe; quamvis in iſtorum terra tituli, non ultrà, poſiti apparent; ex quibus titulis à Seſoſtri erectis, quosdam ſe in Paleſtinâ Syriâ vidiſſe*, ipſe alterit; *certa Ioniam item duos, unum quâ ex Epheſo in Phocæam itur, alterum quâ è Sardibus Smyrnam versùs.* Eadem de Seſoôſi refert Diodorus Siculus, libro 2. ſed ad longè anteriora tempora refert: quum ad Moſis tempora (uti à Manethone factum) eſſe eum retrahendum, fratris Danai ætas evincat; à qua nec multùm ipſe Diodorus aberravit, in libro 40 referens: *expulſis ex Ægypto alienigenis,*

Danaum

Danaum & Cadmum eorum Duces in Græciam, Moſem in Judæam conceſſiſſe, (ut in Photii ecloגis videre licet.) Quod ut rectiùs intelligatur, ſimúlque * temporis inter 2, & 39 Exodi annum * (à Moſe prætermiſſi) hiatus aliquo modo ſuppleatur; exoticarum iſtarum rerum tempora, ex Euſebianis Tabulis deſcripta, hîc exhibere, abs re fortaſſe non fuerit.

2520 *Ægyptus, quæ priùs Aëria dicebatur, ab Ægypto tunc ibi regnante nomen accepit; cui datum eſt regnum, ejecto Danao.* Ubi noſtræ rationes ab Euſebianis biennio tantùm diſcrepant. Nam — 3230 — 1484

2522 Ægyptus, qui & Rameſſes & Seſoſtris & Seſooſis, poſt 9 annos in exteris expeditionibus inſumptos, (teſtante Diodoro Siculo, lib. 1.) Peluſium rediit: unde *Armais, qui & Danaus, quum Ægyptiorum regno novem annis præfuiſſet, fratrem ſuum Rameſſem ſive Ægyptum fugiens, Ægyptiaco ſuo regno excidit, & in Græciam devenit.* (ut habet Georgius Syncellus; in Græcis Euſebianis Scaligeri, pag. 26, 27.) quum priùs fratrem, Peluſii convivio exceptum, inſidiis fruſtrà appetiviſſet: ut & Herodotus lib. 2. (cap. 107.) & in lib. 1. (pag. 53. edit. Græcolatin.) refert Diodorus Siculus. — 3232 — 1482

2530 *Argos ſibi Danaus vindicavit, expulſus Ægypto, & eandem aquis abundare fecit. Danaus per filias 50 filios Ægypti interfecit; evadente ſolo Lynceo, qui poſt eum regnavit*, apud Argivos ſc. — 3240 — 1474

2533 *Buſiris Neptuni & Libyæ, Epaphi filiæ, filius apud vicina Nilo loca tyrannidem exercet, transeuntes hoſpites crudeli ſcelere interficiens.* Unde illud Ovidii, lib. 3. Triſt. *Sævior ex triſti Buſiride.* Et Virgilii, lib. 3. Georgicôn; (& apud A. Gellium, lib. 2. cap. 6.)— *Quis aut Euryſthea durum, Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?* hoc eſt, indigni qui à quoquam laudaretur, ut ab Iſocrate eſt factum, cujus adhuc ſupereſt *Buſiridis Encomium*; in quo eum etiam (ut Euſebius,) *filiæ Epaphi Libyæ, & Neptuni, filium* facit. Ubi obſerva, *Neptunum* à Mythologis dictum fuiſſe *Rameſſem* illum (de quo, ad annum Mundi 2427 dictum) *Miamûn* cognominatum, qui Hebræorum infantes aquis ſubmergendos imperavit; filiósque, Amenophim (ſive Belum, Ægypti & Danai patrem) Θεόμαχον illum aquis maris Rubri obrutum, & Buſiridem propter ξενοκτονίαν ita infamem, tali patre dignam prolem, poſt ſe reliquit: & adde, ſi libet, ex A. Gellio, lib. XV. cap. XXI. *Poëtas, ferociſſimos & immanes & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixiſſe.* — 3243 — 1471

2543 *His temporibus Tat, filius Hermetis Triſmegiſti, fuiſſe dignoſcitur*: inquit Euſebius. Cum quo convenit, quod dicunt Ægyptii, *Seſoſtridem* ab *Hermete* ſolertiam & conſilia didiciſſe: ut eſt apud Ælianum, lib. 12. Var. Hiſtor. cap. 4. — 3253 — 1461

2549 *Phœnix & Cadmus, de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnaverunt.* [*Euſeb. Chronic.*] — 3259 — 1455

2552 *b.* Poſtquàm Iſraëlitæ circumiviſſent montana Seirîs & Idumæam per annos 37 à Kades-barneâ uſq; ad Ezion-gaber, ab Aquilone ad Meridiem & ipſum maris Rubri littus profecti; regredi eos inde Aquilonem versùs Deus jubet, & in terram promiſſam rectà contendere. Et quia imminebat tranſitus per fines Idumææ, mandat ut cum Edomæis fratribus ſuis bellum non miſceant: commemoratâ inſigni ſuâ providentiâ, quâ illorum curam in deſerto per 40 annos habuerat. [*Deut.* II. 1,—7.] integro numero, pro 39 imperfecto, poſito. *c.* Ineunte enim — 3262 — 1452

Anno 40 exodi, menſe PRIMO,

Venientes Iſraëlitæ in deſertum *Tzinis*, conſederunt in ſtatione.

XXXIII. *Kadeshi.* [*Num.* XX. 1. *collat. cum* XXXIII. 36, 37, 38. *& Jud.* XI. 17.] Kadeshi videlicèt Tzinis, in extremis Idumææ finibus (*c.* XX. 14, 15.) versùs Ezion-gaber & mare Rubrum: (*c.* XXXIII. 36. *Deut.* II. 8.) non Kadeshi Barneæ; quæ XV. fuit ſtatio, in confinio auſtrali Cananææ poſita. (*Num.* XXXIV. 4. *Joſu.* XV. 3.) * & ab Abulenſi, cum Kadesho Tzinis perperàm confunditur. *

Hîc mortua eſt Miriam, ſive Maria: [*Num.* XX. 1.] 4 menſibus ante fratrem Aaronem, & 11 ante fratrem Moſem. Utroque verò ſeniorem fuiſſe, & 130 ætatis annum attigiſſe, ex *Exod.* II. 4, 7. colligitur; unde, quum naſceretur Moſes, puellam grandiuſculam eam fuiſſe apparet. (*ſupr. ad ann. Mundi* 2433.) Die primi hujus menſis 10, obitûs illius memoriam Judæi adhuc celebrant.

Populus, deficiente aquâ, cum Moſe & Aarone contendit: quibus quum mandaſſet Deus, ut Petram tantùm alloquentes aquam elicerent; irritatus Moſes, impatientiæ & diffidentiæ vocibus quibuſdam editis, petram florente Aaronis virgâ bis percuſſit, & aquas inde eduxit: quæ, ut alteræ illæ ex petrâ aliâ ante annos 39 ſimiliter eductæ, [*Exod.* XVII. 7.] *Meriba* ſive contentionis, à re, appellatæ ſunt. [*Num.* XX. 2,—13.] In præcedente enim ſtatione, *aquam comitem*, ut eam appellat Tertullianus, (de quâ ad XI ſtationem, eſt dictum) mari Rubro immerſam fuiſſe, veriſimillimum eſt. Ut jam in novo aquarum defectu, eadem ipſa in filiis denuò eruperit pervicacia, quæ in parentibus tam diu anteà ſeſe prodiderat.

Moſes & Aaron, ob diffidentiam in Mandato Dei exequendo hîc expreſſam, ab ingreſſu in terram promiſſam ſunt excluſi. [*Num.* XX. 23, 24. XXVII. 14. *& Pſalm. CVI.* 32, 33.]

d. Iſraëlitæ, miſſis nunciis ad reges Idumæorum & Moabitarum, ut per terras ipſorum tranſirent, rogârunt: qui per medias ipſorum regiones tranſitum negârunt, [*Num.* XX. 14,-21. *Judic.* XI. 17.] ſed per extrema ditionis ſuæ conceſſerunt. [*Deut.* II. 4, 6, 29.] * Idumæorum rex eo tempore Hadar ſivè Hadad fuit: quo, hoc eodem anno vitâ functo, Reipublicæ forma apud eos mutata eſt; pro uno Rege, multis ſimul Ducibus, in ſuis quiſque provinciis, ſummam rerum obtinentibus. Quorum undecim primos, ex Eſavi ſtirpe ortos, Moſes in libro Geneſeos [quem hoc ipſo anno, vitæ ſuæ ultimo, vel ſcripſit vel ſaltem interpolavit] nominatim recenſuit. (*Gen.* XXXVI. 39-43. cum *I. Chronic. I.* 51-54) vid. Chronolog. noſtr. ſacr. cap. XI. * Iſraelitæ Kadeshi aliquandiu morati, [*Jud.* XI. 17.] progreſſi ſunt ad ſtationem.

XXXIV. *Horem* montem, juxta fines terræ Edomæorum: [*Num.* XX. 22, 23. & XXXIII.

37.] sive *Moseram*, *Deut.* X. 6. ubi Israëlitæ ex *Beeroth bene Jaakan*, sive *puteis filiorum Jaakanis* (statione XXVIII.) huc perveniſſe dicuntur; ſed priùs peragratâ *Gudgodâ* sive *Hor-hagidgad*, *Jotbathâ*, & reliquis interjectis ſtationibus. Nam quòd verſu 7 *inde* Gudgodam, & Gudgoda Jotbatham veniſſe dicuntur: τὸ *inde*, non ad *Moseram* ſed ad *Beeroth* referendum eſt: ut à viris doctis jam pridem hic eſt annotatum.

QUINTI menſis

Die 1. (*Auguſt.* 18. fer. 3.) anno 40. ab exitu Iſraëlitarum è terra Ægypti; Aaron *Moſera* in vertice montis *Horis* moritur, anno ætatis 123, filio Eleazare in ſummo Sacerdotio ſucceſſore relicto. [*Num.* XX. 23,–28. XXXIII. 38. 39. *Deut.* X. 6.]

Aaronis mortem defleverunt Iſraëlitæ 30 diebus: [*Num.* XX. 29.] toto videlicèt quinto illo menſe.

SEXTO menſe.

Audiens rex Aradi, auſtralem partem Cananææ inhabitans, adventare *Iſraëlitas*; pugnavit contra eos, multoſque captivos abduxit. Unde Iſraëlitæ votum Deo nuncupârunt: & victoriam conſecuti, Cananæos devotos effecerunt & civitates eorum, ex quo & ipſi loco *Horma*, id eſt, devotionis vel anathematis nomen datum. [*Num.* XXI. 1, 2, 3. & XXXIII. 40.]

Deinde profecti ex monte Hore, & deflectentes à viâ campeſtrium, quæ ab Elathâ & Ezion-gaber & mari Rubro rectà ad Idumæam ducit; ad latus orientale circumiverunt terram Edomæorum: [*Num.* XXI. 4. *Deut. II.* 8.] caſtrametati primùm in ſtatione.

XXXV. *Tſalmonâ*: *Num.* [XXXIII. 41.] à צלמים ſive *imagine* nomen adeptâ. Cùm enim populus murmurans à ſerpentibus igneis (non dracunculis in ipſo corpore natis, ut in libro 3. de ſpontaneo viventium ortu cap. 31. Fortunius Licetus autumat, ſed preſteribus extrà à Deo immiſſis) interimeretur; intuitu imaginis ſerpentis ænei, juſſu Dei ſuper perticam erecti, ſanatus eſt. [*Num.* XXI. 5,–9. *Joban.* III. 14. 1. *Cor.* X. 9.]

XXXVI. *Punon*. [*Num.* XXXIII. 42.]

XXXVII. *Obath*. [*Num.* XXI. 10. XXXIII. 43.]

XXXVIII. *Ije-Abarim*, ad terminum Moabitarum: [*e. XXXIII.* 44.] in illo videlicèt deſerto, quod eſt ante conſpectum Moabitarum ab ortu Solis: (*e. XXI.* 11.) & deſertum Moab appellatur. (*Deut.* II. 8.) Pergentes enim in deſerto illo, versùs ortum Solis terræ Moabitarum iter fecerunt. [*Jud. XI.* 18.]

1553 *a.* Inde diſcedentibus, ut tranſirent vallem vel torrentem Zeredi, vetat Deus ne bellum cum Moabitis miſceant. [*Num. XXI.* 12. *Deut.* II. 8,–13.]

Zeredum verò tranſierunt, annis 38, poſtquam exploratores Kadesho Barneæ miſſi fuerant; extinctâ jam totâ ætate illâ, à natis 20 annos & deinceps, quæ contra Deum tum rebellaverat. [*Deut.* II. 13.–16.]

XXXIX. *Diben-Gad*. [*Num. XXXIII.* 5.]

XL. *Almon-Diblathaim*: [*Num.* XXXIII. 46.] quæ & *Beth-Diblathaim*; in Moabi deſerto. [*Jer.* XLVIII. 22. *Ezek.* VI. 14.]

Iſraëlitis tranſituris terminum Moabitarum Arem, & appropinquaturis è regione Ammonitarum, vetuit Deus ne cum Ammonitis hoſtiliter agerent. [*Deut.* II. 18, 19, 37.] Deinde juſſit, ut tranſirent fluvium Arnonis, qui eo tempore Moabitas & Amoræos diſterminabat. [*Deut.* II. 24. *Num.* XXI. 13.] Unde caſtrametati illi ſunt trans Arnonem; terminum tamen Moabitarum non ſunt ingreſſi. [*Deut. II.* 24. *Num. XXI.* 13. *Judic. XI.* 18.]

Indè enim profecti Beerum (ubi puteus quem foderunt principes & ingenui è populo, cum Legislatore Moſe, ſcipionibus ſuis) Matthanam, Nahalielem, Bamothas & vallem illam, quæ eſt in agro Moabitarum, ad initium collium quod reſpicit versùs ſolitudinem [*Num. XXI.* 16,–20.] Kedemotharum ſc. (*Deut. II.* 26.) ibi tandem conſederunt, in ſtatione.

XLI. Montibus videlicèt *Abarimorum* ante Nebontem. [*Num.* XXXIII. 47.] Priores enim illas non ſtationes Iſraëlitarum fuiſſe ait Tremellius, [in *Num. XXI.* 12.] ſed loca per quæ tranſiverunt, antequàm Moſes legatos ad Amoræum mitteret. Quanquàm Chaldæi paraphraſtæ, non ut nomina propria, ſed ut appellativa accipientes, de aquis putei (ut petræ, 1. *Cor.* X. 4.) Iſraëlitas ad torrentes ſequentibus interpretentur, & à torrentibus ad montes, & à montibus ad vallem Moabitarum.

E deſerto Kedemotharum miſerunt Iſraëlitæ nuncios ad Sihonem Emoræum, regem Hesbonis, ut pacificè eos tranſire permitteret per extrema regionis ſuæ (quemadmodum Edomæi & Moabitæ fecerunt) quæ brevi itinere ad vada Jordanis eos deducebant. Illo verò renuente, & prælio cum eis ad Jahatam congrediente; Iſraëlitæ, eo percuſſo, occupaverunt omnes civitates illius & in eis habitaverunt. [*Deut. II.* 24,–36. *Num.* XXI. 21,–31. *Judic.* XI. 19,–22.]

Deinde miſit Moſes ad explorandum Jazerem: quam ceperunt cum oppidis ejus, Amoræo inde expulſo. [*Num.* XXI. 32.] Atque ita univerſum Sihonis regnum Iſraëlitæ occupaverunt; ab Arnone fluvio, *Moabitarum* termino, [*Num.* XXI. 13. XXII. 36.] uſque ad torrentem Jabboki, *Ammonitarum* limitem: [*Deut.* III. 16. *Joſu.* XII. 2. & XIII. 10.] toto tamen tractu ipſius Jabboki, omnibuſque ad Ammonitas & Moabitas eo tempore ſpectantibus, prout Deus juſſerat, intactis relictis. [*Deut.* II. 9, 19, 37.] Unde quum poſt annos 264 conquererentur Ammonitæ, Iſraëlitas cepiſſe terram ſuam, ab Arnone ad Jabbokum & Jordanem uſque: à Jephthaco rectè illis eſt reſponſum, non attigiſſe eos terram vel Moabitarum vel Ammonitarum; ſed Sihone devicto, totum terminum Amoræorum, ab Arnone uſque ad Jabbokum, hæreditario jure poſſediſſe. [*Judic.* XI. 13, 15, 22, 23.] quanquàm verum etiam fuerit, Sihonem Amoræum priùs, ut à Vahebo rege Moabitarum Hesbonem & totam regionem ejus Arnonem usque, [*Num.* XXI. 14, 16, 28.] ita etiam ab Ammonitis dimidiam eorum terram ademiſſe Aroërem uſque, quæ eſt

ante

ante conſpectum Rabbæ (Ammonitarum. *Deut.* III. 11.) Eum enim Ammonitarum primùm fuiſſe, deinde ab Amoræis ablatam tribui Gadis fuiſſe aſſignatam, ex *Joſu.* XIII. 25. intelligimus.

Aſcendentibus Iſraëlitis viâ ad Baſanem, Og rex Baſanus, ex reliquo Gigantum, prælio cum eis congreſſus ad Edrein, ſimul cum toto ſuo populo deletus eſt: Iſraëlitis regionem illius occupantibus, 60 nimirum civitates cum toto tractu Argobi. (*Deut.* III. 1,–11. *Num.* XXI. 33, 34, 35. *Amos* II. 9.) Totum verò tractum illum Argobi uſque ad terminum Geshuritarum & Mahacathitarum cepiſſe dicitur Jair filius Manaſſis, & vocaviſſe villas Baſanis à ſe captas, de nomine ſuo, *Havoth Jair.* [*Num.* XXXII. 41. *Deut. III.* 14.] Qui quidem Segubi è tribu Juda filius fuit; ſed Manaſſitis accenſus, tùm hæreditatis ratione, tùm etiam aviæ. Filia enim Machiris Manaſſitæ, patris Gileadis, Hezroni e tribu Judæ Segubum peperit, patrem Jairis hujus: ut in I. *Chron. II.* 21, 22. legimus, ubi porrò etiam additur; Jairem poſſediſſe 23 civitates in terrâ Gileadis, cepiſſéque Geshurem & Aramum (ſecundùm meliores interpretes) cum villis Jairis, Kenatham quoque cum villis ejus, 60 civitates. Licèt ſub eo Kenatham cum villis ejus Nobachus ceperit, & de nomine ſuo Nobachum appellaverit. (*Num.* XXXII. 42.)

Poſt has victorias protecti Iſraëlitæ à montibus Abarimorum, caſtrametati ſunt in campeſtribus Moabitarum cis vadum Jerichuntinum Jordanis, à Beth-jeshimoth uſque ad Abel-shittim. (*Num.* XXII. 1. & XXXIII. 48, 49.) Unde ſtatio eorum. 3163 1451

XLII. *Shittim*, (*Num.* XXV. 1.) vel *Abel-Shittim.* (*c.* XXXIII. 49.) ubi permanſerunt, donec ſub Joſuâ inde profecti, ad Jordanem pervenerunt. [*Joſu.* III. 1.]

Balak filius Zipporæ, rex Moabitarum, omnia quæ Emoræis fecerant Iſraëlitæ conſiderans, ne ſpecie tranſitûs regnum ejus occuparent vereri cœpit. Itaque conſilio cum vicinorum Midianitarum Senatoribus communicato, Balaamum filium Beoris hariolum, ut Iſraëlitis malediceret, magnâ mercede propoſitâ, ex Meſopotamiâ accerſit: de re bello cum eis exp. iundâ poſteà cogitans. [*Num.* XXI. 1,–6. *Deut.* XXIII. 4. *Joſu.* XXIV. 9.]

Balaamus venire primùm recuſat, de voluntate Dei admonitus: iterum vocatus, veniam abeundi extorquet; & cum animo maledicendi Iſraëlitis proficiſcitur. Unde offenſus Deus, ut ſubjugis aſina muta, humanâ voce locuta, inhiberet Prophetæ demenciam effecit. [*Num.* XXII. 7,–35. 2. *Pet. II.* 15, 16.]

Balaamus, præmiſſis ſacrificiis, bis conatur Iſraëlitis maledicere, morem Balako gerens: ſed ſpiritu Dei adactus, eisdem benedicit; & felicia eis, infelicia verò eorum hoſtibus coram Balako prænunciat. [*Num.* XXIII. & XXIV. *Deut.* XXIII. 5. *Joſu.* XXIV. 10.]

Balaami conſilio ſubornatæ Moabiticæ & Midianiticæ fœminæ, Iſraëlitas in Idololatriam & ſcortationem induxerunt. [*Num.* XXV. 1, 2, 3. XXXI. 16. *Deut.* IV. 3. *Pſal. CVI.* 28. *Apocal. II.* 14.] Quamobrem edixit primùm Deus Moſi, ut duces omnes maleficiorum coram Sole ſuſpenderentur: deinde Moſes judicibus, ut reliquos occiderent qui copulârunt ſe idolo Peoris. Et irrumpente in illos plagâ Dei, ceciderunt ex eis uno die 2300. (1. *Cor.* X. 8.) quibus addito ſuſpenſorum & gladio confoſſorum numero, ſumma fit 24000. (*Num.* XXV. 4, 5, 9.)

Phineas, Eleazari filius, occidens Zimri filium Salu principem paternæ familiæ ex Simeonitis & Cozbi filiam Suris principis Midianitarum, iram Dei avertit, & plagam illam coërcuit. (*Num.* XXV. *Pſal. CVI.* 30.) Deus, Phineaſo propter zelum ſuum ſacerdotio perpetuo adjudicato, bellum in Midianitas imperat. (*Num.* XXV. 11, 13, 17, 18.) Moſes & Eleazarus, Deo jubente, in campeſtribus Moabitarum ſecundùm Jordanem ex adverſo Jerichuntis, populum à nato 20 annos & deinceps numerantes, 601730 invenerunt: Præter Levitas; quorum cenſus à nato uno menſe & deinceps erat, 23000. Terræ promiſſæ inter eos diſtribuendæ Moſes mandatum accepit. (*Num.* XXVI. 1,–63.)

Filiabus Zelopheadi hæreditas paterna, maſculâ prole deficiente, decernitur: eáque occaſione, de jure ſucceſſionum Lex fertur. (*Num.* XXVII. 1,–11.)

Moſi mors denunciatur, & ſucceſſor Joſua deſignatur: cui manus ille imponit, mandatíſque eum inſtruit. (*Num.* XXVII. 12,–23. *Deut. III.* 26, 27, 28.) Variæ leges feruntur. (*c.* XXVIII. XXIX. & XXX.)

Duodecim Iſraëlitarum millia, cum Phineaſo, bello contra Midianitas geſto omnes eorum mares occiderunt: ſimul cum quinque eorum Principibus (& inter eos Sure patre Cozbi) qui Sihoni regi Amoræorum dum viveret,) ſubjecti fuerant: & Balaamo divino, qui in patriam ſuam rediturus (*Num.* XXIV. 25.) apud Midianitas ſubſtiterat. (*Num.* XXXI. 1,–8. *Joſu.* XIII. 21, 22.) Ex fœminis, ſolæ virgines ſervantur. Præda inter milites qui conflixerant & reliquum populum dividitur. Deus ex illorum pro Sacerdotibus, ex hujus prædâ pro Levitis portionem aſſumit: præter res à Ducibus oblatas, quæ in Tabernaculo ad monimentum aſſervatæ ſunt. (*Num.* XXXI. 9,–54.)

b. Terræ, quæ fuerant Sihonis & Ogi, trans Jordanem duabus tribubus Reubenis & Gadis ac dimidiæ Manaſſis à Moſe diſtribuuntur: (*Num.* XXXII. *Deut. III.* 12,–20. XXIX. 8. *Joſu.* XIII. 8,–12. XXII. 4.) ab Arnone fluvio uſque ad montem Hermonem (qui & Shenir & Sirion & Sion eſt dictus) Anti-Libano contiguum. (*Deut. III.* 8, 9. *IV.* 48. *Joſu.* XII. 1. XIII. 9, 11.)

Deus Iſraëlitis terram ingreſſuris mandata dat; de Cananæis eorúmque idolis exterminandis. (*Num.* XXXIII. 50,–56.) de terræ cis Jordanem terminis, ejúſque inter tribus novem & dimidiatam Manaſſis diſtribuendi ratione. (*c.* XXXIV.) 48 civitatibus Levitarum, & 6 refugii; (*c.* XXXV.) quarum tres trans Jordanem ab ipſo Moſe deſignatæ ſunt. (*Deut. IV.* 41, 42, 43.) * de filiâ denique hærede intra paternam tribum nubere juſſâ, occaſione hæreditatis filiarum Zelopheadi: quæ, juxtà hujus legis præſcriptum, filiis patruorum ſuorum nupſerunt. (*Num.* XXXVI.) *

UNDECIMI menſis

Die 1. (*Februarii* 20, *die Sabbati*) ab exitu ex Ægypto anno 40 in campeſtribus Moabitarum,

BIBLIOTECA MAZ VITERBO

d by Google

Moſes concionem ad populum Iſraëliticum habuit, quæ ab initio Deuteronomii (*c. I.* 3,6.) uſque ad cap. *IV. verſ.* 40. continetur: eámque poſtcà, uſque ad cap. XXVII. continuavit.

Moſes cum Senioribus Iſraëlis, præcipit populo, ut trajecto Jordane lapides oblitos calce inſcripto Decalogo erigant: ritúmque benedictionis in monte Garizim & maledictionis in monte Ebal præſcribit. (*Deut.* XXVII.) deinde ipſe, propoſitis præmiis ad legis Dei obſervationem hortatur, & comminationibus ab ejus violatione abſterret. (*c.* XXVIII.)

Moſes, juſſu Dei, fœdus in Horebo pactum cum Iſraëlitis Jordanem trajecturis & eorum poſteris renovat: ejúſque obſervationem, partim beneficiis & promiſſis, partim terroribus & minis, urget. (*c.* XXIX.) Veniam tamen & liberationem proponit ex animo reſipiſcentibus: & divinam voluntatem populo ita parefactam fuiſſe docet, ut nullus ſit futurus in poſterum prætextui ignorationis locus. (*c.* XXX.)

Moſes ſcriptam hanc legem Sacerdotibus filiis Levi & omnibus Senioribus Iſraëlis tradit: eámque ſeptimo quoque anno in feſto Tabernaculorum, publicè legi jubet. Scripſit quoque Canticum ſuum die illo, & Iſraëlitas illud docuit. Quúmque abſolviſſet ſcribere verba Legis hujus in libro: à latere Arcæ fœderis eum reponendum curavit. [*c. XXXI.*] Canticum verò illud excellentiſſimum in *XXXII* Deuteronomii capite habetur.

Moſes, paulò pòſt moriturus, ſingulis tribubus (Simeonis excepeâ) propheticè benedicit: quod extremum ipſius Teſtamentum in *XXXIII* Deuteronomii capite continetur.

DUODECIMO menſe.

Aſcendens Moſes à campeſtribus Moabitarum in montem Nebuntis, quæ pars fuit Abarimorum, è vertice illius collis, qui eſt in conſpectu Jerichuntis totam terram circumquaque proſpexit: atque deinde mortem obiit: [*Num. XXVII.* 12, 13. *Deut. III.* 23,–29. *XXXII.* 49, 50. *XXXIV.* 1,–5.] annos 120 natus. [*c. XXXI.* 2. *XXXIV.* 7.] cujus temporis tertiam partem in imperio eum exegiſſe, *uno menſe minùs*, non malè in fine 4 libri Antiquitatum ſcripſit Joſephus: quippe mortuum ultimo anni menſe; *primâ* videlicèt menſis illius die, qui à Macedonibus *Dyſtrus*, ab Hebræis *Adar* appellatur; quod cum ſequentium hiſtoriarum ſerie magis convenit, quàm poſteriorum Hebræorum traditio; qui ad ſeptimum diem menſis Adar obitum illius referunt: ut in Seder Olam Rabba cap. 10. libro משירת ſive Exceſſus Moſis, Proœmio Maimonidæ in librum Miſnaioth, & hodiernorum Judæorum Kalendariis videre licet; qui memoriam mortis ejus hoc die ſolenni Jejunio adhuc celebrant.

A monte in vallem translatum Moſis corpus, in terram Moabitarum è regione Beth-Peoris, ſepelivit Dominus: neque novit quisquam ſepulchrum ejus uſque in diem hunc. [*Deut. XXXIV.* 6.] Hanc verò vallem in terrâ Sihonis regis Amoræorum, ab Iſraëlitis acquiſitâ, poſitam fuiſſe, ex [*Deut. IV.* 46,] & Beth-Peorem ipſam tribui Reubenis aſſignatam fuiſſe, ex [*Joſu.* XIII. 20.] apparet. Unde, quum hîc in terra Moabitarum ſepultus fuiſſe dicatur Moſes (ſicut & *Deut. XXIX.* 1. in eadem fœdus fuiſſe renovatum:) terra quæ Moabitarum fuerat, ſed cum aliis (ut ex *Num. XXI.* 26. oſtenſum eſt] à Sihone illis fuit erepta, & nunc ab Iſraëlitis poſſeſſa, intelligenda eſt.

Michaël Archangelus (ut in Judæ epiſtolâ legitur) adverſùs Diabolum de Moſis corpore diſceptavit: quod Diabolus patefacere voluit, ut Judæis occaſionem idololatriæ miniſtraret; quemadmodum *Chryſoſtomus Homil. 1. in Matth. Theodoretus in Deuteronom. quæſt.* 43. *Procopius Gazæus in Deuteron.* & alii opinantur: licèt Judæos hujuſmodi λειψανολατρείᾳ déditos unquam fuiſſe, nuſpiam reperiamus. Hujuſmodi Michaëlis cum Diabolo diſceptatio, in libro apocrypho Ἀναλήψεως Μωσέως olim ferebatur: ut apud Originem, περὶ ἀρχῶν lib. 3. cap. 2. & Gelaſium Cyzicenum, in Act. Concil. Nicæn. part. 2. cap. 20. videre licet.

* Defleverunt Iſraëlitæ Moſem in campis Moabitarum 30 diebus: (*Deut.* XXXIV. 8.) toto videlicèt menſe duodecimo *

Atque hîc finitur Pentateuchus, hiſtoriam annorum 2552 cum dimidio, ab initio mundi complectens: & liber Joſuæ, cum anno 41 exitûs ex Ægypto incipit.

PRIMO menſe.

c. Joſua in vocatione ſua à Deo confirmatus, [*Joſ. I.* 1,–9.] Shittimis duos exploratores ad urbem Jerichuntinam præmiſit: qui à Rahaba in diverſorio excepti, & clàm dimiſſi; triduo in montibus ſe abſcondentes, demùm ad Joſuam reverſi ſunt. [*cap. II.*]

Jubetur populus ut viaticum (ſi quod præter Manna, quod nondum ceſſaverat, eſſet neceſſarium) ſibi pararent: quandoquidem poſt tres dies trajecturi eſſent Jordanem. [*c. I.* 10, 11.]

Manè profecti Shittimis, pervenerunt uſque ad Jordanem, & pernoctárunt ibi. [*c. III.* 1.]

Tertio die (à mandato illo, ut videtur, de parando viatico) juſſus eſt populus ſanctificare ſe ad tranſitum Jordanis in ſequentem diem. (*c. III.* 2,–5.)

Die 10 menſis primi (*April.* 30. *feriâ* 6,) eodem videlicèt die quo agnus Paſchalis erat ſeligendus; Iſraëlitæ, duce Joſuâ typo Jeſu Chriſti, ex Jordane aſcenderunt in promiſſam terram Cananæam, cœleſtis patriæ typum, pedibus emenſi fluvium, diviſis ejus undis quâ tempeſtate omnes ſuas ripas ſuperare ſolitus eſt. In cujus miraculoſi tranſitûs memoriam, 12 lapides in medio Jordane erexit Joſua; totidémque è medio Jordane ſublatos in proxima Gilgalis ſtatione collocavit. [*c. III. & IV.*]

Die [ut videtur] ſequente, Joſua circumciſionis uſum, per 40 annos interruptum, reſtauravit Gilgale: ubi circumciſi conſederunt, donec ſanitatem recepiſſent. [*c. V.* 2,–9.]

Die 14 menſis I (*Maii* 4, *feriâ* 3.) veſpere, Iſraëlitæ Paſcha primum in terra Cananæa celebrárunt. (*c. V.* 10.)

Poſtridie Paſchatis (*Maii* 5, *feriâ* 4) comederunt ex annona ipſius terræ, panes azymos & toſtum igne frumentum. Ceſſavitque Manna poſtridie quàm comederent de annona terræ: neque fuit deinceps filiis Iſraëlis Manna, ſed comederunt de proventu terræ Cananæ anno illo. [*c. V.* 11, 12.]

Jeſus

Jeſus Dominus noſter, princeps militiæ Patris ſui, Jeſu typico ad Jerichuntem ſtricto gladio apparens, promittit ſe populum defenſurum. [*c. V.* 13, 14, 15.]

Jericho, circa ipſam Arcâ Domini circumductâ, ſeptimo die, mœnibus Sacerdotalium tubarum clangore ſponte collapſis, expugnata, internecioni devota eſt; ſolâ Rachabâ, cum ſuis, ſervatâ. [*c. VI.*] quæ Salmoni è tribu Judâ poſteà nupta, Boazum peperit. [*Matth. I.* 5.]

Iſraëlitæ oppugnantes Aium, propter ſacrilegium Achanis ope Dei deſtituti, cæduntur. Sceleris auctor ſorte deprehenſus, lapidibus obruitur, & unà cum liberis ac pecudibus comburitur. [*c. VII.*] Deo ita reconciliato, Ai per inſidias capta & funditùs everſa eſt; cæſis hoſtium 12 millibus. [*c. VIII.* 1,—29.]

Altare, ex Legis præſcripto, in monte Ebalis ad ſacrificandum erigitur, Decalogus lapidibus inſculpitur, Benedictiones & maledictiones in montibus Ebalis & Garizimorum recitantur, Liber legis coram univerſo populo legitur. [*c. VIII.* 30,—35.]

d. Famâ ſucceſſus Iſraëlitarum commoti, Chananæi reges, in eos conſpirant: Gibeonitæ contrà ſalva vitam ab eis fœdere obtinent; ſed ad ſervilia officia pro domo Dei obeunda deputantur. [*c. IX.*]

Adoni-ſedek rex Hieroſolymorum, cum regibus Hebronis, Jarmuthi, Lachiſi & Eglonis, audità defectione Gibeonitarum, civitatem eorum conjunctis viribus oppugnaverunt. Joſua, ſolutâ obſidione, quinque illos reges perſequutus, percuſſit eos Azekam & Makkedam uſque. Quo tempore, Sol ſupra Gibeonem & Luna ſupra convallem Ajalonis in medio cœlo quaſi diem integrum ſubſtitit; donec vindictam ſumpſiſſet Iſraël de hoſtibus ſuis. [*c. X.* 1,—14.] Ubi, duo Lanr. Codomanus obſervat. I. *Cùm Ajalon vix uno milliari Germanico diſtet à Gibeone versùs occaſum; verisimile eſſe, Lunam tum fuiſſe decreſcentem & falcatam. II. Cùm ambo luminaria ſimul ſtare experiri ac deſiſtere; moram illam calculum Aſtronomicum non impedire; quemadmodum in concentibus Muſicis ſalva manet harmonia nec ſoni diſcrepant, ſi voces in ſigno convenientia conquieſcant, & poſteà ſimul, juxta ſuas cujuſque notas, cantum pergunt abſolvere.*

Joſuâ victoriam perſequente, quinque reges fugientes abſconderunt ſe in quadam ſpelunca Makkedæ: cujus ori lapidibus magnis obvolutis, juſſu Joſuæ, cuſtodia eſt appoſita; donec, hoſtibus Iſraëlis maximâ cæde percuſſis, qui ex eis ſupererant in civitates munitas etſent ingreſſi. Tum verò, toto populo incolumi in caſtra ad Joſuam Makkedam reverſo, è ſpelunca educti, & à Ducibus exercitûs calcati, & è quinque lignis uſque ad veſperam ſuſpenſi, in eadem ſpelunca magnis lapidibus denùò obſtructâ ſepulti ſunt. [*c. X.* 16—27.]

* Cepit deinde Joſua *Makkedam* eodem [quo eam oppugnavit] die, & *Libnam* ſimiliter: Regibus & incolis utriuſque internecioni devotis. (*Joſ. X.* 28, 29, 30.]

Inde cum exercitu progreſſus Joſua, *Lachiſhum* die [ab obſidione] ſecundo cepit, & percuſſit acie gladii. Cúmque aſcenderet Horamus rex Gezeris ad ſuppetias illi ferendas; percuſſit cum Joſua & populum ejus, adeò ut non faceret ei reliquum ſuperſtitem. Atque inde *Eglonem* pergens, eodem (quo obſedit) die eam cepit, & ſimiliter percuſſit acie gladii. (*c. X.* 31,—35.)

Aſcendens deinde Joſua & totus Iſrael cum eo, Eglone *Hebronem*, expugnaverunt eam: novúmque ejuſdem Regem (illius qui ante ſexennium ſuſpenſus fuerat ſucceſſorem) & omnes civitates ejus percuſſerunt gladio. (*c. X.* 36,37.)

Deinde, meridianâ parte relictâ, Gilgalem versùs tendens Joſua cum Iſraëlitico exercitu, *Debirum* oppugnavit, (*c. X.* 38.) cujus nomen anteà fuerat *Kiriath-ſepher*. Captâ verò Urbe, novum illius Regem (in ſuſpenſi alterius locum, urgente præſente rerum neceſſitate, ſtatim ſuffectum) & omnes Civitates ejus percuſſerunt Iſraëlitæ acie gladii. (*Joſ. X.* 39.)

Denique percuſſit Joſua totam regionem, montanam, & auſtralem, & planam, & decurſibus irriguam, & omnes Reges earum: inde à Kadesho Barneæ, Gazam uſque: totámque terram Goſhenis (in ſorte tribus Judæ *c.* XV. 51) Gibeonem uſque. Omnéſque iſtos Reges & terram eorum cepit Joſua vice unâ, hoc eſt, unâ expeditione & uno quaſi impetu: Deo pugnante pro Iſraële. Atque tum demùm, cum toto Iſraëlitico exercitu, ad caſtra Gilgalem reverſus eſt. (*c. X.* 40,—43.) *

Atque ita negotioſiſſimus annus ille Mundi 2553 finem accipit: in cujus priore ſemeſtri per Moſem tota terra trans, in poſteriore per Joſuam magna pars terræ cis Jordanem eſt occupata; in ipſo verò anni medio, ceſſante Mannâ, de proventu Cananææ populus Iſraëliticus cœpit vivere.

2554 *a.* Ab autumno hujus anni, quo poſt ceſſationem Mannæ terram primùm ſerere Iſraëlitis contigit, numerandus eſt 1 annus τῆς γεωργίας, & radix annorum Sabbaticorum hic figenda. [*Exod. XXIII.* 10,11. *Levit. XXV.* 2,—7. *Deut.* XV. 1,—9. & XXXI. 10.]

Devictis quinque regibus, omnes reliqui conjunctis copiis ſeſe Iſraëlitis oppoſuerunt; contra quos diebus multis Joſua bellum geſſit. [*Joſu.* XI. 1,—18.] toto videlicèt ſexennio; ut mox videbimus. 3264 1450

2559 *c.* * Terrâ *quieſcente* à bello (*c.* XI. 23. & XIV. 15.) & reliquos hoſtes qui nondum ſubacti fuerant ſuo tempore ſe expulſurum Deo promittente (*c.* XIII. 2,—6.) * Joſua, jam ſenex, terram cis Jordanem novem tribubus & dimidiatæ Manaſſis dividere jubetur. [*c.* XIII. 1,—7.] Unde is, Gilgale primùm (ubi Dei Tabernaculum & Iſraëlitarum caſtra eo tempore commorabantur) tribubus Judæ & Ephraimi & dimidiæ illi Manaſſis hæreditates diſtribuit. [*c.* XIV. 6. XV. XVI. XVII.] *d.* Quo tempore Caleb Jephunnæ filius, annis 45 poſtquàm ad explorandam terram à Moſe miſſus fuerat, Hebronem, cum montanis Judææ, pro hæreditate petiit; ad Anakæos gigantes inde expellendos operam ſuam offerens. [*c.* XIV. 6, 10, 13.] * Pars enim illorum, quæ Joſuæ manus evaſerat, & ad vicinas Philiſtæorum urbes Gazam, Gath, & Azotum ſe receperant (*c.* XI. 21, 22.) denùò Majorum ſuorum ſedes occupaſſe videntur, donec tandem à Calebo, poſt Joſuæ obitum, inde ſunt exterminati (*Judic. I.* 10. *collat. cum Numer.* XIII. 22, 33. & *Joſ.* XV. 14.) quemadmodum in Commentariis ad Joſuæ caput XI. admonuit *Andreas Maſius*, & ad *c.* XIV. (*Jacobus Bonfrerius.*) *

3269 1445

* Hebronem

* Hebronem vero (agros nimirum & villas illius: urbe ipsâ, unà cum suburbiis, pro civitate refugii sepositâ, & Sacerdotibus assignatâ. [*Jos.* XXI. 11, 12, 13. I. *Chronic.* VI. 55, 56, 57.] Calebo Hæreditario jure possidendam Josua tradidit; ut ex [*Jos.* XIV. 13, 14. & XV. 13] constat. Ubi quæ in posteriori loco de expulsis à Calebo Anakæis, & filiâ ejus Acshâ Othonieli darâ subjiciuntur, ob historiæ cognationem eodem modo sunt addita, quo in Daniticæ tribus sortitione, (*c.* XIX. 47) urbis Leshemi sive Laishi ab eâ occupatæ & *Danis* nomine appellatæ, facta est mentio; quod posteà tamen contigisse constat, quum Rex, sive Magistratus, non esset in Israële. (*Judic.* XVIII. 1. 29.) *

2560 *a.* Annus septimus à Terrâ primùm ab Israëlitis coli cœptâ, idémque primus Sabbaticus in ea ab illis actus: quum à Jesu typico in *requiem* fuissent adducti; quæ Sabbatismi populo Dei per verum Jesum acquirendi umbra erat & figura. [*Hebr. IV.* 8, 9.] Atque hinc annorum *Jubilæorum*, sive quinquagesimorum, epocha est deducenda. [*Levit. XXV.* 8,--13.]

Mensis VII. die 15. (*Novemb.* 5. *die Sabbati*) Israëlitæ festum Tabernaculorum, in Tabernaculis ex ramis arborum confectis, (juxta legem, *Levit.* XXIII. 39, 40.) majore celebrâsse videntur studio, quàm temporibus Judicum & Regum postea est factum. [*Nehem. VIII.* 17.]

Quum Dominus Israëlitis esset daturus quietem ab omnibus inimicis suis circumquaque, ita ut habitarent securè; statuendus erat locus quem ipse eligeret ad collocandum nomen suum ibi. [*Deut. XII.* 10, 11.] Congregati igitur universi *Shiluntem*, Tabernaculum conventûs ibi collocaverunt; postquàm *terra domita fuisset coram eis.* [*Jos. XVIII.* 1.] *Shilo* verò (ubi Tabernaculum deinceps, simul cum Arca fœderis, per annos 328. quievit) tùm ex nominis significatione, tùm ex loci situ, eadem videtur esse & *Salem.* Ut enim שָׁלֵם pacificum denotat & tranquillum: [*Gen.* XXXIV. 21. *Nahum.* I. 12.] ita & שָׁלוֹם [*Dan. IV.* 1.] unde & Messias *Shiloh* [*Gen.* XLIX. 10.] appellatus existimatur; quòd non ipse modò pacificus esset & tranquillus, sed etiam æternæ pacis & tranquillitatis nobis auctor: cum typo ipsius Melchisedeko, existens *Rex Salem*, quod est; *Rex pacis.* [*Hebr. VII.* 2.] cujus quidem Melchisedeki palatium suo tempore ostensum fuisse in urbe *Salem*, prope quam Johannes baptizabat, [*Joh. III.* 23.] in Epist. 126. ad Evagrium refert Hieronymus: quæ, *Gen.* XXXIII. 18. [juxta ipsius & LXX interpretationem] *urbs Sichimorum* appellatur; quòd in agro Sichemitano, ut Shilo, [*Jos.* XXIV. 25, 26. *cum* XVIII. 1. *Gen.* XXXV. 4. *Jud.* IX. 6. & XXI. 19. *collat.*] esset posita.

Reliquis septem tribubus, terræ quæ supererat descriptione in libro factâ, hæreditates assignatæ sunt: [*Jos. c.* XVIII. & XIX.] atque ita, post deletas 7 gentes in terra Canaan, distributioni terræ finis est impositus: annis post electionem Patrum *circiter* 450. [*Act.* XIII. 17, 19, 20.] A nato enim semine promisso Isaako hucusque anni 452, à rejecto Ismaele 447 effluxerunt: utrobique, *circiter* 450.

d. Ex universa terra, tam ultra quàm citra Jordanem, urbes 48 à Levitis habitandæ secernuntur: asylis, ad quæ cædis minùs voluntariæ rei confugerent, in sex earum constitutis. [*Jos.* XX. XXI.] Atque ita terram promissam possederunt Israelitæ: dante illis Deo *requiem* circumquaque, secundùm omnia quæ patribus eorum juramento promiserat. [*c.* XXI. 43, 44.] Unde copiæ auxiliares, è Reubeniticâ, Gaditicâ, & dimidiâ Manassis tribu accitæ, *requie* hâc fratribus à Deo jam præstitâ, cum benedictione Josuæ, ad possessiones suas, quas à Mose trans Jordanem acceperant, redierunt. [*c.* XXII. 4. *cum c.* I. 13, 15. & *Num.* XXXII. 21, 22.] 3270 1444

Quum illi verò, ad suos in Peræam revertentes, ad transitum Jordanis in Cananææ terminis magnum altare extruxissent: reliquæ Tribus, à Deo defecturos suspicatæ, de bello eis inferendo cogitabant. Verùm, misso ad eos Phineaso Eleazari summi Sacerdotis filio, cum decem aliis principibus, ubi non ad sacrificandi usum, sed ad testandam suam cum reliquo populo Israëlitico communionem, erectum fuisse Altare resciviſſent, mutatis animis, à proposito destiterunt. [*Jos.* XXII.]

2561 * Sheera Ephraimi Patriarchæ filia (annos circiter 40 nata) ædificavit Beth-horonem inferiorem & superiorem & Uzzen-Sheram (*I. Chron.* VII. 24.) *. Josua quoque ejusdem contribulis civitatem Timnath-Seræ, in monte Ephraimi, ædificavit: in qua &, longo post *quietem* Israëli à Deo datam tempore, habitavit; &, 110 annorum senex (quæ eadem & Josephi, in fine Geneseos, ætas fuerat) demùm moriens, sepultus est. (*c.* XXIII. 1. XXIV. 29, 30.) 3271 1443

2591 *d.* Quum tempore *ἀναχλας*, Josuæ & superstitum illi seniorum (qui, jam adulti cùm exirent ex Ægypto, observare poterant mirabilia quæ Deus fecerat Israëli) mortem insecutæ, faciente unoquoque quod rectum videbatur in oculis suis, ea contigissent quæ in quinque postremis capitibus libri Judicum (de Michæ & Danitarum idololatria, belloque Benjaminitico & ejus causis) commemorantur; & successisset ætas Dei immemor, quæ cum Canaaniticis gentibus conjugia misceret, & idola earum coleret: irritatus Deus, in manus Cushanis Risathaim Mesoporamiæ regis Israelitas tradidit. Quæ *prima* oppressio, octo tantùm annorum fuit. [*Judic. II.* 7, 10. & *III.* 6, 7, 8.] 3301 1413

2599 *d.* Othoniel Kenasi filius, (Calebi gener; *Jos. XV.* 17. *Jud. I.* 31.) è tribu Judæ, judex, & vindex à Deo suscitatus, Cushane debellato, libertatem Israelitis restituit. *Et quievit terra anno quadragesimo*; post *quietem* à Josua in eâ primùm constitutam. [*Judic. III.* 9, 10, 11.] 3309 1405

2609 *a.* Jubilæus *primus* in terrâ actus. 3318 1396

2658 *a.* Jubilæus *secundus.* 3367 1347

2661 *d.* Post mortem Othonielis, iterùm peccantes Israelitæ, traditi sunt in manus Eglonis regis 3371 1343

Moabitarum:

Anno Mundi.		Anno Periodi Julianæ.	Annoante æram Christ.
	Moabitarum: qui adjunctis sibi Ammonitis & Amalekitis, Israelem percussit, & civitatem Jerichuntis occupavit. Fuitque hæc *secunda* oppressio, annorum octodecim. [*Jud. III.* 12, 13, 14.]		
2679	*d.* Ehud Geræ filius, è tribu Benjaminiticâ (non diu antè ad internecionem penè deletâ) vindex populi à Deo suscitatus, simulata legatione, Eglonem (pugione in ventrem adacto) in cœnaculo interemit; deinde prudenti fugâ elapsus, Israelitarum copiis in monte Ephraimi coactis, decem robustiorum Moabitarum millia percussit. *Et quievit terra anno octogesimo*; post *quietem* priorem, ab Othoniele restitutam. [*Jud. III.* 15,-30.]	3389	1325
2682	Belus Assyrius in Babylonia, post Arabas, regnavit annis 55. [*Jul. African.*]	3392	1322
2699	*d.* * Ehude mortuo, ad peccata Israelitæ redierunt (*Jud. IV.* 1.) quos variis modis ad officium revocare tentavit Deus. 1. Philistæorum in eos immissione. 2. Samgaris vindicis excitatione; qui eorum sexcentos occidit stimulo bovis. (*cap. III.* 31.) 3. Prædonum latrociniis; quæ iter facientes à viâ regiâ ad diverticula & privatas semitas deflectere coëgêre: Samgare eorum grassationes reprimere non valente. [*cap. V.* 6.] 4 Decennali fame; quæ Elimelechum Bethlehemitam cum uxore & duobus filiis in terram Moabitidem (quam Israelitis eo tempore subjectam fuisse, ex *Judic. III.* 30 nonnulli colligunt) secedere compulit. (*Ruth. I.* 1-6.) 5 Vicennali sub Chananæis servitute. Nam Jabin Rex Chanaanis, qui regnavit Hazore, & habuit 900 currus ferreos, Israelitas in potestatem suam redactos sævissimè tractavit. Duravitque hæc *tertia* oppressio annos viginti. [*Jud. IV.* 1, 2, 3.]	3409	1305
2707	*a.* Jubilæus *tertius.*	3416	1298
2719	*d.* Debora Lapidothana prophetissa (quæ eo tempore Israelem judicabat in monte Ephraimi) & Barak Nephthalita Abinoami filius, Israeliticarum copiarum Dux constitutus, conflictu ad aquas Megidduntinas inito, Siseram principem militiæ regis Jabinis profligavit: eóque à Jaele, uxore Heberi Kenitæ, paxillo in tentorio occiso; Debora carmine epinicio victoriam celebravit. Et *quievit terra anno quadragesimo*; post *quietem* priorem, ab Ehude restitutam. [*Judic. IV. & V.* 31.]	3429	1285
2737	Ninus Beli filius, Assyriorum fundavit Imperium: qui 520 annis superiorem Asiam obtinuerunt, ut in libro 2. cap. 95. Herodotus author est; quem & in Operis sui initio Appianus Alexandrinus est secutus. Exiguam quandam Asiæ partem sub illorum ditione fuisse, in 1° Romanarum Antiquitatum libro, confirmat diligentissimus hujusmodi rerum investigator Dionysius Halicarnassensis: Ninum tamen, cum Ariæo Arabum rege societate initâ, annis 17 Asiam totam, præter Indos ac Bactrianos, in potestatem suam redegisse, & Bactrianos demùm cum rege suo Zoroastre superavisse, in 2 Bibliothecæ suæ libro, ex Ctesiâ Cnidio refert Diodorus Siculus, de quo Justinus quoque, ex Trogi Pompeii historiarum libro 1. *Domitis proximis, cùm accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quaque victoria instrumentum sequentis esset; totius Orientis populos subegit. Postremum illi bellum cum Zoroastre rege Bactrianorum fuit; qui primus dicitur artes magicas invenisse, & mundi principia siderumque motus diligentissimè spectâsse. Hoc occiso & ipse decessit.* Annos regni 52 illi tribuunt Julius Africanus & Eusebius.	3447	1267
2752	*d.* Israelitæ, denùo peccantes, in manus Midianitarum deduntur. Quæ *quarta* oppressio, annorum septem fuit. [*Jud. VI.* 1.]	3461	1252
2756	*a.* Jubilæus *quartus.*	3465	1249
2759	*d.* Oppressi Israëlitæ; ad Dominum clamantes, à Propheta redarguuntur. Gideon Manassites, Joashi Abiezritæ filius, ab Angelo Domini ad eos liberandos excitatur. Idem, Dei jussu, Baalis altare diruit, & lucum succendit: unde popularium suorum contentione adversùs ipsum ortâ, nomen *Jerub-baal* (&) *Jerub-besheth*, [2. *Sam. XI.* 21.] adeptus est. Ex 32 millibus, ita Deo volente, selectis tantùm trecentis viris; tubis, hydriis & facibus Midianitas territans, exercitum eorum fudit; quos insecuti deinde Ephraimitæ, principes eorum Orebum & Zeebum interemerunt. Gideon verò, placatis Ephraimitis, quòd ad expeditionem primùm vocati non fuissent ægrè ferentibus, Jordanem trantiens, reliquas Midianitarum copias profligavit; Succothanos & Penuelitas, qui commeatum illi denegârant, castigavit; duósque reges Midianiticos, Zebam & Zalmunnam, interfecit. Partâ demùm victoriâ tam insigni, regnum sibi & posteris suis ab Israëlitis oblatum respuit: sed ex inauribus eorum aureis Ephodem conflavit, quæ idololatriæ *illis* postèa causa extitit. Atque ita, subjugatis Midianitis, *quievit terra anno quadragesimo*; post *quietem* priorem, à Debora & Barako restitutam. [*Jud. VI. VII. & VIII.* 28.]	3469	1245
2768	*d.* Quamprimùm vitâ excessit Gideon, Israëlitæ ad idololatriam conversi, Baal-berith pro Deo coluerunt. [*Jud. VIII.* 33.] Abimelech, Gideonis è concubinâ Shecemitanâ filius; regnum quod pater recusaverat affectans; septuaginta fratres suos super unum lapidem interemit. [*c.* IX. 5, 18, 24, 56.]	3478	1236
2769	*a.* Abimelecho, Shecemitarum operâ, Rege constituto; Jothanus, filiorum Gideonis natu minimus, qui solus fratris manus evaserat, è vertice montis Garizimi de injuriâ domui paternæ illatâ cum eis expostulat, & parabolâ propositâ ruinam eorum prædicit: deinde oratione peractâ, fugâ se proripiens, Beeri tutus habitat. [*Jud. IX.*]		
2771	*d.* Quum triennio super Israëlem regnasset Abimelech, Gaal cum Sichemitis conjurationem adversùs eum iniit: quâ per Zebulem detectâ, diruta est urbs Sichemitana & sale seminata, incolæ omnes deleti, & domus Dei ipsorum Berith succensa igni. Inde verò ad obsidionem Thebezi progressus Abimelech, fragmento lapidis molaris à muliere projecto primùm vulneratus, deinde ab armigero suo confossus, interiit. [*Jud. IX.* 22. *ad finem*, cum 2. *Sam. XI.* 21.]	3481	1233

Anno Mundi.		Anno Periodi Julianæ.	Annus ante æram Christi.
2772	*a.* Post Abimelechum, Tolah Puæ filius Issacharita judicavit Israelem annos 23. [*Jud.* X. 1, 2.]		
2781	Argon Nini filius, post Atyadas primus Sardibus regnavit: cujus posteri per 505 annos, 22 virorum ætates, Lydorum Imperium tenuerunt, filius patri, deinceps succedens; usque ad Candaulem Myrsi filium. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 7.]	3491	1223
2789	Semiramis, Dercetidis filia, Menonis primùm, deinde Nini uxor, universæ Asiæ præter Indos imperitavit: vixitque annos 62, cùm 42 regnâsset: ut ex Ctesia Cnidio, refert in libro 2 Bibliothecæ suæ Diodorus Siculus; ubi fusiùs res ab ea gestas, maximè cum Strabrobate Indorum rege, ex eodem explicat; quanquàm rerum Indicarum scriptor Megasthenes (apud Strabonem libro 15 & Arrianum in Indicis) mortuam Semiramidem fuisse dicat, priusquàm Indum fuerit aggressa. Aggeres circa Babylonem extruxisse eam spectatu dignos, narrat Herodotus. (*lib.* 1. *cap.* 184.) quum antea flumen planitiem eam omnem restagnare solitum esset. De eadem etiam, ex Trogo Pompejo in libro 1. cap. 2. Justinus. *Hæc Babylonium condidit, muroque urbi cocto latere circumdedit, arena vice, bitumine interstrato: quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat. Multa alia præclara hujus reginæ fuere. Siquidem non contenta acquisitos à viro regni terminos tueri, Æthiopiam quoque imperio adjecit. Sed & India bellum intulit; quò, præter illam & Alexandrum Magnum, nemo intravit.* Ubi his, quos Indiam intravisse dicit, Dionysius etiam sive Bacchus ab aliis omnibus additur: de Babylonico muro fabella illi cum aliis multis est communis, Semiramidi opus illud tribuentibus, quod à Nebucadnesare & nuru ejus Nitocride longo post illam tempore est peractum. De Babylonia autem ab illa primùm conditâ commentum, à Diodoro simul & Trogo (uti & à Strabone, libro 2 & 16 Geographiæ suæ) venditatum, non solùm ex sacra historia [*Genes.* XI.] refellitur, sed etiam ex *Eupolemo*, qui (in libro περὶ Ἰουδαίων Ἀσσυρίας, apud Eusebium lib. 9. Præparat. Evangel.) ab his conditam primùm fuisse retulit, qui à Diluvio evaserunt: & *Erranio* (apud Stephanum Byzantinum de Urbibus in Βαβυλὼν & Eustathium in Dionys. Perieg. p. 126.) qui Babylonem annis 1002 Semiramide antiquiorem fuisse innuit. Qui si 1022 scripsisset (sicut fortasse, & scripsit) ab epocha Calisthenis Babylonica; quam suprà (ad annum Mundi 1770) ex Porphyrio proposuimus, non multùm discessisset. Idem quoque Porphyrius, in 4 contra Christianos libro, (ab Eusebio, lib. 1. & 10. Præparat. Evangelic. citato) de *Sanchuniathone* Berutio, Originum Phœniciacarum antiquissimo scriptore, verba faciens; ab *Hierombalo* (cujus nomen ab illo *Jerubbaalis*, de quo paulò superiùs, ad 2759 Mundi annum, non multùm abludit) sacerdote Dei Ieuô (sive Jehovæ, Judæorum Dei) sua illum hausisse narrat; qui *Abibalo* Berutiorum regi historiam suam inscripsit, deinde Sanchuniathonem hunc reginæ Assyriorum *Semiramidis* temporibus fuisse subjicit; ἢ πρὸ τῶν Ἰλιακῶν, ἢ κατ' αὐτούς γε τοὺς χρόνους ἡμῖν ἀναγέγραπται, *quæ ante Iliaca vel circa ea tempora fuisse scribitur*, quod cum nostris rationibus probè convenit; quæ undecim annis Ilio Semiramidem superstitem fuisse statuentes, & ante bellum illud & sub eo floruisse illam indicant.		
2790	*a.* Eli Sacerdos nascitur. Cùm vixisset enim annos 98, mortuus est, [*I. Sam. IV.* 15.] anno Mundi 2888.		
2795	*a.* Tolæ defuncto, & Shamire (ubi habitaverat) in monte Ephraimi sepulto, successit Jair Gileadita, (è tribu Manassis ultra Jordanem) qui Israëlem judicavit 22 annos. [*Jud.* X. 1, 2, 3.] E posteris Jairis illius hic fuit, qui villas Argobi à se capras de suo nomine *Havoth-Jair* appellavit: [*Num. XXXII.* 41. *Deuteron.* III. 14.] quo exemplo & filii 30 junioris hujus Jairis, 30 illas quas ipsi obtinebant urbes *Havoth-Jair* pariter denominabant. [*Jud. X.* 4.]	3504	1210
2799	*a.* * Israëlitæ jam inde à Gideonis morte (*Jud.* VIII. 33.) variarum gentium idola colentes, in manus Philistæorum ab occidente, & Ammonitarum ab oriente incursantium traditi sunt. [*Jud.* X. 6, 7.] Quorum quidem violentia ipsius Jairis operâ repressâ fuisse videtur: si quidem *Bedan* ille fuerit qui in I. *Samuel.* XII. 11. inter Jerubbaalem (sive Gideonem) & Jephtam medius (eodem quo Jair loco) collocatus, *eripuisse* dicitur Israëlitas è manu hostium circuitu ut habitarent secure. Undè & sub eo *	3508	1206
2805	*a.* Jubilæus *quintus* celebratus est.	3514	1200
2816	*d.* * Hoc anno nempe quintæ hujus oppressionis 18ª & ultimo, morbo (ut videtur) lethali Jaire laborante, hostes animos resumentes confregerunt omnes Israëlitas qui erant ultra Jordanem *: & trajecerunt etiam Ammonitæ, ut pugnarent contra Judam, Benjaminem & Ephraimum (quos & Philistæi priùs oppresserant:) Israëlitæ Deum inclamantes, primùm graviter increpantur; deinde respiscentes, & idola rejicientes, gratiam impetrant. [*Jud. X.* 8. 17.]	3526	1188
2817	*a.* Mortuus Jair, Camone sepultus est. [*Jud. X.* 5.] Ammonitis in Gileade, Israëlitis Mizpæ (in Gileade quoque) castrametantibus, [*X.* 17. *XI.* 11.] Jephthacus Gileadita à senioribus Gileadis accersitus, populi & exercitûs Israëlitici Dux constituitur est. Is Ammonitas, rationibus priùs frustra tentatos, armis subjugavit. Rediens à prælio, Deo filiam devovit; & 42000 Ephraimitas, adversûs ipsum insolentiùs se gerentes, trucidavit; atque Israëlem sex annos judicavit. [*Jud. XI. & XII.* 6, 7.]		
2820	*c.* Troja à Græcis expugnata est: annis 408 ante primam Olympiadem.	3540	1184
2823	*a.* Mortuo Jephthâ, & in Gileade sepulto; Ibzan Bethlehemita judicavit Israëlem septem annos. [*Jud. XII.* 7, 8, 9.]	3532	1182
2830	*a.* Ibzani defuncto, & Bethlehemi sepulto, successit Elon Zabulonita: qui judicavit Israëlem decem annos. [*Jud.* XII. 10, 11.]	3539	1175
2831	Semiramis, cùm concubitum filii petiisset, ab eodem interfecta est, duos & XL annos post Ninum regno potita. [*Justinus histor. lib.* 1. *c.* 2.] & quanquàm 62 annorum anum de	3541	1173

ejusmodi

ejusmodi incestu cogitavisse, vix videatur esse credibile: apud B. Augustinum tamen, lib 18. de Civit. Dei cap. 2. fidem invenisse videtur. Verùm de Semiramidis exitu, videnda quæ in 2° Bibliothecæ suæ libro retulit Diodorus Siculus.

Ejus filius & successor, *Ninus* sive *Nynias* dictus, contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit; & veluti sexum cum matre mutâsset, rarò à viris visus, in fœminarum & eunuchorum turbâ consenuit. [*Justin. lib. 1. cap. 2. ex Trogo. Diodor. Sic. lib. 2. & Athenæus lib. 12. ex Ctesia Persicorum libro 3.*]

2840 *a.* Eloni defuncto, & Ajalone in terra Zabulonis sepulto, successit Abdon Ephraimita, Hillelis Pirathonitæ filius: qui octo annis Israëlem judicavit. [*Jud. XII.* 12, 13, 14.] — 3549 — 1165

2848 *a.* Mortuus est Abdon, & Pirathone in monte Ephraimi sepultus. [*Jud.* XII. 15.] Post eum, Eli summus sacerdos (in quo, ab Eleazari ad Ithamaris familiam translatum est summum Sacerdotium) judicavit Israëlem annos *quadraginta*. [1. *Sam. IV.* 18.] Peccantes verò iterùm Israëlitæ, in manus Philistæorum à Deo traditi sunt. Quæ *sexta* oppressio, annorum itidem *quadraginta* fuit: [*Jud.* XIII. 1.] quos, sicut cum reductâ Arcâ mensibus post mortem Eli septem terminamus, ita, pari ratione, totidem post initium principatûs ipsius mensibus inchoamus; circa tertii videlicèt mensis exordium, qui Sivan postèà dictus est. — 3557 — 1157

c. — 3558 — 1156

d. Uxori Manoæ Danitæ Zoræ apparens Angelus, eam, licèt hucusque sterilem, filium paritu-ram edocet; qui perpetuus Nazaræus esset futurus, & Israëlem è *Philistæorum* manu liberare cœpturus. [*Jud.* XIII. 5.]

2849 *b.* Samson, Nazaræus, uti Angelus prædixerat, Zoræ natus est. [*Jud.* XIII. 24.) Cùm enim post cœptos annos 40 oppressionis Philistæorum [ex ejusd. cap. V. 1. & 5.] conceptum illum fuisse constet; & ipsum viginti annis vindicâsse Israëlem in diebus Philistæorum, cap. XV. 20. expressè doceamur: ultra hoc tempus nativitatem ejus non esse differendam apparet; nisi ante 18 ætatis suæ annum, Vindicis eum officium suscepisse statuerimus. — 3559 — 1155

2854 *a.* Jubilæus *sextus*. — 3563 — 1151

2867 *d.* Eli Sacerdote summo Judicis officium in rebus forensibus, sub Philistæorum dominatu, exequente; è nuptiis cum fœmina Timnathana contractis quæsitâ occasione, Vindicis quoque partes agere Samson cœpit, quasi duodeviginti annorum tunc existens. [*Jud.* XIV. 4.] Cùm enim die sponsalium leonem inermis occidisset, indéque ænigmatis argumentum arripuisset; in nuptiali convivio invitatis illud proposuit, sponsione interpositâ. Cujus mentem cùm ab uxore retectam videret; irâ accensus, triginta Ascalonitis interemptis, spolia eorum expositoribus ænigmatis tradidit, & ad domum patris rediit. — 3577 — 1137

2868 *e.* Samson, tempore messis triticeæ, cum hædo visitaturus uxorem ad domum soceri venit: sed eam sibi ademptam, & alteri traditam comperit. Unde vindictæ occasione arreptâ, trecentas cepit vulpes: & tirionibus ad caudas earum alligatis, Philistæorum segetes, vineas & oliveta succendit. Quo irritati Philistæi, uxorem ipsius, simul cum socero, combusserunt. Quos ultus Samson, inimicos magnâ affecit cæde: & in Etami petrâ consedit. Unde à tribus Judæorum millibus abductus, & Philistæis traditus, eorum mille maxilla asini percussos è medio sustulit. In quo loco, à maxilla illa *Lechi* nomen adepto, à Samsone invocatus Deus, fisso cavo quodam terræ, fontem produxit, (*Enhakkore*, sive *Fontem invocantis*, appellatum) qui è labore sitientem & fatiscentem refocillaret. [*Jud. XV.*] — 3578 — 1136

2887 *e.* Samson à Dalila concubina proditus, abraso Nazaræatûs sui capillitio, Philistæis deditur: qui, erutis oculis, Gazam eum abduxerunt, & carceri compedibus æneis vinctum mancipârunt. Crescentibus deinde capillis, & viribus recuperatis, Dagonis ædem, in qua Philistæorum primores omnes & maxima populi turba convenerant, dejecit: pluribus eo casu secum oppressis, quàm in tota vita priùs interemerat. Sepultúsque est cum patre inter Zoram & Eshtaolem: quum Israëlem vindicâsset 20 annis. [*Jud.* XVI. 30, 31.] — 3597 — 1117

d. — — —

2888 *a.* Tantâ inimicorum clade animati (ut videtur) Israëlitæ, ad bellum cum Philistæis gerendum progressi, juxta Eben-Ezer (ita postèà à Samuele nominatam; quando anno abhinc 21 Philistæi eodem ipso in loco ab eo devicti sunt. (I. *Sam.* VII. 12.) castra posuerunt: (I. *Sam.* IV. 1.) ubi infeliciter pugnantes, quatuor suorum millia amiserunt. Shilunte deinde Arcâ fœderis Dei accersitâ, tanquam de summa rerum jam decertaturi Philistæi, se invicem ut viriliter agerent sunt cohortati: *ne servi Hebræis fiamus*, inquientes, *sicut nobis fuerant illi.* (vers. 9.) Unde in prælio illo altero, ex parte Israëlitarum 30 peditum millia ceciderunt, Arca Dei capta est, Hophni & Phineas sacerdotes filii Eli sunt occisi. Quarum rerum nuntio perculsus Eli, fractâ cervice, mortuus est: nurus quoque ejus, uxor Phineasi, Ichabodem enixa expiravit. [I. *Sam.* IV.] Philistæi verò Arcam captivam abducentes, Azori in Templo Dagonis collocârunt. Sed bis coram eâ idolo eorum concidente, & civibus partim morte, partim pudendo hæmorrhoidum morbo percussis: (*Ps.* LXXVIII. 66.) hinc ad Gittæos, atque inde ad Ekronitas eam transtulerunt. Verùm & illis eodem modo afflictis; post *septem* tandem mensium moram, ex Sacerdotum suorum consilio, cum munere honorario Arcam in terram Israëlitarum remiserunt. Ubi Bethshemeshitis, tempore messis triticeæ (ingruente videlicèt Pentecoste, circa initium mensis tertii,) in Arcam Dei curiosiùs introspicientibus, 50070 è populo morte mulctati sunt. (I. *Sam.* V. & VI. 1, 13, 19.) Inde verò deducta Arca, collocata est in domo Abinadabi in Gibeâ sive colle urbis Kiriath-jearim (I. *Sam.* VII. 1. II. *Sam.* VI. 3, 4.) quæ in tribu Judæ posita, Baalæ etiam & Kiriath-baal nomen obtinuit. (I. *Chron.* XIII. 6. *Josu.* XV. 9, 60.) Adhuc tamen domus Dei, id est Tabernaculum, cum cultu in eo peragi solito, Shilone in tribu Ephraimitica permansit. (*Jud.* XVIII. 31. *cum* I. *Sam.* XIV. 3.) — — —

2894 *e.* Barzillai Gileadita natus est: quippe octogenarius, tempore conjurationis Absalomicæ. (II. *Sam.* XIX. 35.) — 3604 — 1110

Anno Mundi.		Anno Periodi Julianæ.	Annus ante Christ.
	a. Jubilæus *septimus.*	3682	1102
1903			
1908	c. Annis 20 postquàm Arca fœderis Kiriath-jearimis collocata est, [I. *Sam.* VII. 2.] Israelitæ à Philistæis graviter oppressi, & Samuelis operâ ad Dominum conversi, abjectis omnibus idolis suis, Mizpæ convenerunt: ubi aquam hausisse, id est, lachrymarum rivos ex intimo fonte cordis eduxisse, & Domino dicuntur affudisse; (vers. 6.) adhibito etiam fortasse, hujus resipiscentiæ significandæ, externo effusionis aquæ symbolo, ex [II. *Sam.* XIV. 14.] exponendo: quod de ipsorum tamen resipiscentium baptismo, ex [*Genes.* XXXV. 2. *& Exod.* XIX. 14.] alii malunt accipere. Hinc Deus ipse, è cœlo tonitru edito, Israelitas ab invadentibus Philistæis immediatè servavit. [I. *Sam.* VII. 10, 12. *collat. cum Josu.* X. 10, 11.] Quo divino terrore perculsi Philistæi, deseruerunt civitates Israëlitarum priùs occupatas: [I. *Sam.* VII. 14.] quibusdam stationariis militibus alicubi tantùm relictis. [c. X. 5.] neque perrexerunt deinceps invadere terminum Israelitarum: quandoquidem manus DOMINI contra eos erat omnibus diebus Samuelis. [c. VII. 12.] antequàm regnum obtineret Saul, scilicèt: sub quo Israëlitas denuò (ut videbimus) miserrimâ servitute oppressêrunt. Interim verò Samuel, jam senex, ad pacis & quietis studia conversus, in partem sollicitudinis duos filios ascivit: ut populum Beershebæ judicarent: qui tamen non ambulârunt in viis patris sui; sed munera accipientes, perverterunt judicium. [c. VIII. 1, 2, 3.] Sed integrum officii onus in filios suos nequaquàm Samuelem rejecisse, ex cap. VII. 15, 16, 17. manifestum est: ubi mos judicandi populum ab eo, ad mortis usque tempus, observatus, declaratur; postquàm regimini admoti fuissent non filii solùm illius, sed etiam rex ipse Saul.		
1909	c. Israëlitæ, sanctissimi senis labore insuper habito, (quod malè & illum, & Deum ipsum habuit; c. VIII. 6, 8.) occasione ex pravis moribus filiorum ipsius (qui in præfecturæ ipso exordio, quo maxima à magistratibus etiam minimè bonis præstari solet moderatio, maturè eruperunt) avidè arreptâ, novum & reliquis gentibus conforme regimen expetierunt. [c. VIII. 4, 5.] Cujus rei altera, & verior, causa fuit; quòd cùm nondum à stationariis Philistæorum militibus regio eorum plenè fuisset liberata, nova accessit fama apparatûs bellici Nahashi Ammonitarum regis adversùs eos facti: quâ territi, neque Samuelis prudentiæ, neque Dei virtuti, per se Regis & Vindicis illis officium præstantis (cujus recens in debellatis Philistæis jam habuerant experimentum) confisi; utrumque rejecerunt, Regem novum postulantes. (c. XII. 12, 17, 19.) Unde Deus Regem illis in ira sua dedit: (*Hos.* XIII. 10, 11.) Saulem filium Kis, è tribu Benjamin, per spatium annorum *quadraginta.* (*Act.* XIII. 21.) quot annorum quum filius quoque ipsius Isboseth fuisse dicatur, in regno illi succedens: (II. *Sam.* II. 10.) eodem tempore & illum in lucem fuisse editum intelligimus. Saul verò à Samuele (qui à morte Eli hucusque annos 21 cum dimidio judicaverat) privatim primùm unctus, deinde publicè coram toto populo Mizpæ Rex declaratus est. (I. *Sam.* X. 1, 24, 25.) Nec longo post tempore (ut ex c. XII. 12. apparet) quasi post mensem sc. (ut expressè habetur apud LXX interpretes, & Josephum lib. 6. Antiq. cap. 5.) Jabesh Gilead à Nahasho obsessa est: & à Saule, profligatis Ammonitis, liberata. Unde totius populi convenu Gilgale habito, regnum Sauli renovatum est: (c. XI. 14, 15.) Samuele integritatem suam in munere suo exequendo confirmante, de injuria sibi illata conquerente, pluviâ & tonitru *messis triticea* tempore populum terrente, atque Dei misericordiâ deinde propositâ eundem consolante. (c. XII. 17.) unde apparet, circa festum Pentecostes & initium tertii mensis gesta hæc fuisse: annis 21 post Arcam à Philistæis, ejusdem *messis* tempestate, reductam. (I. *Sam.* VI. 13.) è quibus ut 20 inter reductam Arcam & subactos Philistæos effluxisse, ex cap. VII. 2, 13. ita & unum inter terram a Philistæis liberatam & Saulem regem declaratum intercessisse, ex verbis illis cap. XIII. 1. colligimus. *Filius anni erat Saul cum regnare ipse; & duobus annis regnavit super Israelem:* quorum commodior sensus reddi non potest, quàm iste: post Philistæos à Samuele subactos, unum actum esse annum, quum Saul regnare inciperet: & duobus deinde annis regnavisse illum, à jugo Philistæorum liberum. Temporibus enim insecutis,	3621	1093
1911	c. Saul imperio suo a Philistæis est exutus: populo Israëlitico gravi & diuturnâ servitute ab eis oppresso. Quâ tandem amotâ, Saul *regnum super Israelem accepisse*, id est, denuò recuperâsse dicitur. (I. *Sam.* XIV. 47.] Per multos verò annos duravisse oppressionem illam, argumento est, quòd cùm octo ante natum Davidem annis ea cœperit: ante illam tamen finitam, de eodem in regno Sauli successuro pronunciaverit Samuel. *Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum: & præcepit ei Dominus, ut esset princeps super populum suum.* (I. *Sam.* XIII. 14.) Ut enim libertatis recuperandæ Israëlitis spem omnem præciderent, ne arma illis suppeterent, fabros omnes ferrarios Philistæi illis abstulerunt: adeò ut, quum ad prælium esset perventum, soli ex toto populo Saul & filius Jonathan ensé & hastâ armati deprehenderentur. (I. *Sam.* XIII. 19, 22.)		
1919	c. Jessæo Ephrathitæ, in senectute sua, (I. *Sam.* XVII. 12.) minimus filiorum David Bethlehemi Judææ, quæ inde civitas Davidis dicta est, (I. *Sam.* XX. 6. *& Luc. II.* 4.) nascitur: annis 30, antequàm Sauli in regno succederet. (II. *Sam.* V. 4. *cum* I. *Sam.* XVI. 1.)	3629	1085
1941	c. Rejecto Saule, & familiâ ejus à regni successione exclusâ, Samuel post diutinum luctum, Bethlehemum à Deo mittitur ut Davidem post eum regnaturum ungeret: annis 40 ante conjurationem Absalomicam. (I. *Sam.* XVI. 1. *cum* II. *Sam.* XV. 7.) Qui quidem,	1651	1065
	Formosi pecoris custos formosior ipse,		
	à pascendo grege vocatus, (I. *Sam. XVI.* 11, 12, 18. *cum* II. *Sam.* VII. 3. *& Psal.* LXXVIII. 70, 71.) septem senioribus fratribus prælatus, & in medio eorum unctus, (I. *Sam.* XVI. 13.) invidiam		

eorum,

eorum, (*c.* XVII. 28.) ut suorum Joseph, sustinuit : & demùm eadem ætate qua Joseph Ægypto, (*Gen.* XLI. 46.) ipse tribui Judæ præfectus est. Interim verò, ab ipso unctionis die, spiritus Domini super eum venit : spiritus nimirùm & fortitudinis, & sapientiæ ; (I. *Sam.* XVI. 13, 18, XVIII. 13, 14, 30.) cujus utriusque respectu, etiam regnantis Saulis temporibus, totius Israëlis Dux est constitutus. (I. *Sam. XVIII.* 5, 13. & II. *Sam.* V. 2.) Unde & fortissimus bellator evasit, qui Domini pugnaret prælia ; (I. *Sam. XXV.* 28.) idémque Prophera & suavissimus Psaltes Israëlis, qui divinis suis Hymnis populum Dei ad finem usque seculi erudiret. (*Act.* II. 30. *II. Sam.* XXIII. 1, 2.)

Mephibosheth (qui & Meribbaal, I. *Chron.* VIII. 34. & IX. 40.) Jonathanis filius, quinquennio ante patris mortem nascitur. (II. *Sam. IV.* 4.) — 3654 — 1060

1944 *c.* David, ne in Saulis manus tandem aliquando incideret metuens, Gathum (quò & antèa confugerat, *I. Sam.* XXI. 10.) ad Achishum regem, sexcentis viris comitatus, recurrit : à quo

1948 Ziclago oppido ad habitandum impetrato, anno uno & mensibus quatuor in terra Philistæorum permansit. *a.* Unde irruptione in Geshuritas, Gerzitas, & Amalekitas factâ, ad unum omnes tam fœminas quàm mares interfecit, ne quis cladis nuncius ad regem Achishum perveniret. (*I. Sam.* XXVII. 1, 2, 6, 7, 8, &c.) — 3658 — 1056

c. Ad Davidem Ziclagi agentem secessérunt ex agnatis Saulis bellatores robustissimi Benjaminitæ ; nec non ex Gaditis viri militares præstantissimi, qui trajecerunt Jordanem mense primo, quum exundaret supra omnes ripas suas : cum ducibus aliis è tribu Benjaminis & Judæ. (*I. Chron. XII.* 1, 15, 18.)

1949 *c.* Rex Achish cum Philistæis suis Israëlitas invasurus, Davidem ad prælium secum adduxit ; (*I. Sam. XXVIII.* 1, 2.) cui cum sexcentis suis eò proficiscenti adjunxerunt se Manassitarum nonnulli : (*I. Chron. XII.* 19.) & castrametati sunt Philistæi Shunemi, Israëlitæ verò Gilboæ. (*I. Sam. XXVIII.* 4.) — 3659 — 1055

Saul conspecto Philistæorum exercitu territus, consuluit Dominum. Cùm verò is illi non responderet, neque per somnia, neque per Urim, neque per Prophetas ; relicto Deo, Endoræ ad consulendam Pythonissam nocte concessit : ubi à spectro Samuelis evocato tristem illam accepit sententiam. *Traditurus est Dominus Israelem tecum in manum Philistæorum : & eras tu atque filii tui eritis mecum.* (*I. Sam. XXVIII.* 5, 6, 19. &c. *I. Chron. X.* 13, 14.)

Davide absente, Amalekitæ Ziklagum diripuerunt & combusserunt : abductis secum tùm reliquorum conjugibus & liberis, tùm Davidis etiam uxoribus duabus, Ahinoamâ Jezreelitide & Abigaile Nabalis viduâ. (*I. Sam.* XXX.)

Reverso eadem nocte Saule à pythonissâ, Israëlitæ castra ad fontem Jezreelis moverunt : Philistæorum copiis omnibus Aphekum congregatis. Ubi, Philistæorum principibus Davidem suspectum habentibus, ille sequente manè cum suis, castris eorum relictis, Ziclagum versùs iter suum cœpit : Philistæis Jezreelem, ut cum Israelitis manus conferrent, ascendentibus. (*I. Sam.* XXVIII. 25, XXIX. 1, 3, 10, 11.) Unde apparet, non proximo post habitum cum Samuelis spectro colloquium die, quo David adhuc in castris Philistæorum fuerat, sed aliquanto post discessum illius tempore, Saulem cum filiis occubuisse.

Davidi Ziclagum redeunti adjunxerunt se septem Manassitarum chiliarchi. (*I. Chron.* XII. 20, 21.) Quum eò *tertio* advenisset die, atque urbem spoliatam & combustam reperisset ; ducentis suorum, qui defecti erant viribus, ad torrentem Besoris relictis, cum aliis quadringentis Amalekitas allecutus, percussit eos à crepusculo usque ad sequentis diei vesperam : prædâque omni recuperatâ, ovans domum rediit. (*I. Sam.* XXX.)

Fugato Israëlitarum exercitu, tres Saulis filii, Jonathan, Abinadab & Malchisua occubuerunt. Saul, & armiger ipsius in monte Gilboa propriis se interemerunt gladiis. Sequente die, Philistæi capite Saulis amputato, arma ejus in æde idoli sui Ashtaroth deposuerunt, ipsiúsque & filiorum cadavera mœnibus Bethshanis affixerunt. Jabeshi Gileadis cives, memores beneficii à Saule in regni initio ipsis præstiti, cadavera noctu surrepta combusserunt, & ossa sub nemore ad Jabeshum sepeliverunt : jejunantes septem diebus. (*I. Sam. XXXI. I. Chron. X.*)

Mephibosheth, Jonathanis occisi filius, cladis nuncio Jezreele perlato, è nutricis terrore & fugam festinantis sinu lapsus, claudus efficitur. (*II. Sam.* IV. 4.)

Quum ab Amalekitarum cæde revertisset David biduo Ziclagi consedisset, die demum *tertio* de exercitûs Israëlitici interitu primùm audiit : puero quodam Amalekitâ, qui prælio interfuit, coronam capiti & armillam brachio Saulis detractam ad illum deferente. (II. *Sam.* I. 1.) Ex quo tam sero per festinantem è prælio ad Davidem perlato nuncio colligitur ; aliquot etiam post Davidis è castris Philistæorum discessum diebus, Gilboitanam illam cladem contigisse : quum non sit credibile, *sex* elapsos fuisse dies, priusquàm David factam cladem resciviset. Neque est quòd quisquam miretur, tam diu dilatam fuisse pugnam : quum ad *Aphekum* quoque Syros posteà castra è regione Israëlitarum per *septem* dies habuisse, & septimo demum die acies conflixisse legamus. (I. *Reg. XX.* 26, 29.)

David, Amalekitâ illo, qui se Saulis interfectorem professus est, occiso, Saulis & Jonathanis & populi Dei cladem funebri carmine deplorat. (*II. Sam. I.*) Confluentibus deinde ad eum quotidie Israëlitarum copiis auxiliaribus, (*I. Chron. XII.* 22.) Deo primùm consulto, *Hebronem* cum sociis suis & eorum familiis commigravit : ubi à tribulibus suis, quum 30 esset annorum, Rex unctus, super domum Judæ per annos septem & menses sex regnavit. (II. *Sam.* II. 1, 3, 4, 11. & V. 4, 5.)

Abner, princeps militiæ Saulis, Isbosethum illius filium *Mahanaima* traductum, reliquo Israëli præfecit : qui filius 40 annorum, biennio super Israëlem regnavisse dicitur. (II. *Sam.* II. 8, 9, 10.)

8, 9, 10.] pacificè ſcilicèt, & à domo Davidis bello non petitus, quomodo & patris ejus biennium, de regno ipſius libero & à Philiſtæis minimè interturbato, intellectum fuiſſe vidimus. [I. *Sam. XIII.* 1.)

David, legatis ad cives Jabeshi Gileadis miſſis, de humanitate Domino ſuo Sauli præſtitâ gratias illis agit, & regnum Judæ ſibi delatum eſſe ſignificat. [II. *Sam. II.* 5, 6, 7.] In quo ut magis ſe corroboraret, affinitate cum Talmaio rege Geshuris initâ, filiam ejus Maacham in uxorem duxit: quæ Abſalomum & ſororem ipſius Thamaram illi peperit. [II. *Sam. III.* 3. *&* *XIII.* 1.]

2951 *c.* Exacto biennio, quo pacificè regno Iſraëlitico potiebatur Isboſethus, diutinum inter ipſius & Davidis partes bellum eſt exortum: pro his à Joabo (Zerviæ ſororis Davidis filio,) pro illis ab Abnero, continuò iteratis prœliis; ita tamen ut hæ quotidie invaleſcerent, attenuarentur illæ. [II. *Sam. II.* 26. *III.* 1.] 3661 1053

2952 *a.* Jubilæus *octavus.*

2956 *d.* Abner, contumeliâ ab Isboſetho affectus, ad Davidem defecit: de transferendo ad eum regno Seniores Iſraëlis ſollicitans, Benjaminitis audientibus. [II. *Sam. III.*] 3666 1048

Michal uxor Davidis, quam poſt illius fugam pater Saul Phaltieli dederat, eam requirenti Davidi ab Isboſetho transmittitur. [I. *Sam. XXV.* 44. *II. Sam. III.* 14, 15.]

Abner cum 20 virorum comitatu ad Davidem veniens, convivio ab eo excipitur: & pacificè recedens, per dolum à Joabo perfidè occiditur, atque à lugente Davide Hebrone ſepelitur. [II. *Sam. III.*]

Conturbatis Iſraëlitis ob cædem Abneris, Bahana & Recab Benjaminitæ dominum ſuum Isboſethum, æſtu diei in cubiculo ſuo dormientem, obtruncant: caput verò occiſi ad Davidem deferentes, morte mulctantur. [*c. IV.*]

Duces & Seniores omnium tribuum Hebronem venientes Davidem, tertiò inunctum, ſuper totum Iſraëlem regem conſtituunt. (I. *Chron. XII. à verſu* 23. *ad fin. cum cap.* XI. 1, 2, 3, *&* II. *Sam. V.* 1, 2, 3.]

2957 *a.* David cum toto Iſraële Hieroſolymam adversùs Jebuſæos profectus, arcem Sionis [quæ inde Urbs Davidis non minùs quàm Bethlehem, in qua natus ille fuerat, eſt appellata] Joabi præcipuè operâ, occupavit: regnique ſede in Hieroſolymitana civitate conſtitutâ, annos ibi 33 universo Iſraëli imperavit. (II. *Sam. V.* 5, 6, 7, 9. *I. Chron. XI.* 4, 5, 6, 7.)

c. Philiſtæi, audientes Davidem communi tribuum conſenſu unctum fuiſſe regem ſuper Iſraëlem, adverſus eum bis aſcenderunt in convallem Raphæorum: & duplici clade ab eo affecti ſunt. [II. *Sam. V. &* I. *Chron.* XIV.] Ubi, meſſis tempore, Davide aquam è ciſterna Bethlehemi deſiderante; quum tres potentiſſimi ipſius duces, per Philiſtæorum caſtra perrumpentes, eam attuliſſent, bibere recuſavit. [II. *Sam.* XXIII. 13. I. *Chron.* XI. 15.] 3667 1047

2958 *b.* David ædificavit civitatem Sionis circumquaque, tam munitionem, quàm circuitum ejus: Joab verò inſtauravit reliquum civitatis. [II. *Sam. V.* 9. I. *Chron.* XI. 8.] 3668 1046

Hiramus legatos ad Davidem miſit, lignáque cedrina, & fabros lignarios & latomos; qui Regiam ipſius extruxerunt. [II. *Sam. V.* 11. I. *Chron.* XIV. 1.]

2959 Arca fœderis, quæ primo anno Sabbatico Gilgale inducta eſt Shiluntem, hoc etiam anno Sabbatico Kiriath-jearimis [quò Shilunte ante annos 70 translata fuerat) è domo Abinadabi, comitantibus illam 30000 delectis ex Iſraële, cum Pſalmi LXVIII cantu, [ut ex ejus principio probabiliter colligitur, quod ex formulâ precationis à Moſe uſurpatâ, cùm profectura eſſet Arca, *Num.* X. 35. eſt deſumptum] domum Obedis-edomi primùm, deinde poſt tres menſes in urbem Davidis, ſive arcem Sionis, deducta fuiſſe videtur; exultante Davide, & illud Pſalmi CXXXII. 8. (à filio Salomone, Arcam inde proximè ſequente Jubilæo in Templi adytum inferente, repetitum) accinente. *Surge, Domine, in requiem tuam; tu & Arca roboris tui;* cum illis quæ de eadem Arca in eodem habentur Pſalmo; verſiculo 6. *Ecce nos* [vicini Bethlehemitæ] *audivimus de ea in Ephratâ* (patriâ noſtrâ:) *invenimus eam in campis ſylvæ,* h. e. in colle Kiriath-jearimorum. (illud enim nomen urbem in confinio ſylvarum poſitam denotat.) & *verſ.* 13, 14. *Elegit Dominus Sionem, expetiit pro habitatione ſua,* dicens: *Hæc eſt requies mea uſque in ſempiternum; hic habitaturus ſum, quia hoc expetiveram.* Unde tunc *quieviſſe Arca* dicitur; [I. *Chron.* VI. 31.] intra novum Tentorium recepta, quod David ei tetenderat Hieroſolymis. [II. *Sam.* VI. 17. I. *Chron.* XVI. 1. II. *Chron.* I. 4.] Nam Tabernaculum conventûs Moſaicum, cum Altari æneo in quo juge offerebatur ſacrificium, Gibeone [in tribu item Judæ, non ampliùs in Ephraimitica Shilunte] remanſit, uſque ad conditum Templum Salomonicum. [I. *Chron.* VI. 32, 48, 49. XVI. 39, 40. *XXI.* 29. *II. Chron.* I. 3, 5, 6. I. *Reg.* III. 2, 4.] Atque ita ab Ephraimitica Joſephi tribu ad tribum Judæ domo Dei translatâ, *Shiloh* deinceps neglecta jacuit. [*Pſal.* LXXVIII. 67, 68. *Jerem.* VII. 12, 14. XXVI. 6.] 3669 1045

2960 *d.* David in nova ſua domo cedrina reſidens, & altâ jam pace fruens, Nathani prophetæ conſilium ſuum de Æde Deo conſtruendâ aperuit. Verùm à Deo reſponſum accepit; non ab ipſo, bellis jamdiu aſſueto, ſed à filio pacifico *Salomone*, ipſi naſcituro, hoc perficiendum eſſe. (II. *Sam. VII.* 1, 2, 11, 13. *I. Chron. XVII. & XXII.* 8, 9, 10. & XXVIII. 3, 6. II. *Chron.* VI. 8, 9. I. *Reg.* VIII. 18, 19.] Quod verò hinc uſque ad natum Salomonem interceſſit temporis ſpatium, expeditionibus bellicis eſt impenſum; quibus Philiſtæi, Idumæi, Amalekitæ, Moabitæ, Ammonitæ, & Syri domiti ſunt; [II. *Sam.* VIII. I. *Chron.* XVIII.] & Iſraëlitici imperii termini, non ſolùm à Shichore Ægypti uſque ad Hamatham, [I. *Chron.* XIII. 5.] ſed etiam inde uſque ad Euphratem, Syriæ Zobæ limitem, propagati. [II. *Sam.* VIII. 3.] qui extremi erant terræ, ſemini Abrahami à Deo promiſſæ, termini; [*Gen. XV.* 3670 1044

18. *cum*

18. *cum Deut. XI. 24. & Josu. I. 3, 4.*] & à solo Davide, & filio ejus Salomone, [*I. Reg. IV. 21, 24, II. Chron. IX. 28.*] possessi.

Syriæ verò Zobæ rex Hadad-ezer sive Hadar-ezer (ד enim & ר apud Hebræos facilè inter se commutantur) tum fuit, Rehobi filius: cui versùs Euphratem contra Davidem pugnaturo Rezon filius Eliodæ, cum auxiliaribus è Syria Damascena copiis, se adjunxit. Verùm, Hadad-ezeris exercitu profligato, David 22 Syrorum Damascenorum millia interemit, & stationarios regioni eorum imposuit. Quum autem victoriam in partem Davidis inclinare videret Rezon, ab Hadad-ezero domino suo fugit, & congregatis ad se hominibus principem turmæ se effecit: & Damascum cum eis profectus, regnum ibi pro se & posteris constituit; quod Salomoni & regibus Israëliticis posteà tam infestum fuisse legimus. [II. *Sam. VIII. 5, 6. I. Chron. XVIII. 5, 6. I. Reg. XI. 23, 24, 25.*] Pugnæ hujus cum Davide ad Euphratem commissæ meminit Nicolaus Damascenus, apud Josephum lib. 7. Antiq. cap. 6. (al. 5.) ubi Rezonem hunc non solùm *Adadum* appellat, sed etiam posteris regibus omnibus ad decimam usque generationem nomen hoc, sicut *Ptolemæi* Ægyptiacis, commune fuisse subjicit.

2967 *a.* Nahasho Ammonitarum regi defuncto successit filius Hanun: qui legatos ad ipsum de patris morte consolandum humaniter à Davide missos indignis excepit modis. *c.* Adversùs quem missus Joabus, Ammonitarum & Syrorum ab eis conductorum numerosissimo fugato exercitu, Hierosolymam rediit. [II. *Sam. X. I. Chron. XIX.*] — 3676 — 1038; 3677 — 1037

2968 *b.* David cum copiis suis Jordanem trajiciens, Syrorum exercitum sub Shobacho, principe militiæ Hadar-ezeris Syriæ Zobæ regis, coactum ingenti clade perculit. Unde pacem cum Davide ineuntes Syrorum reguli, servierunt ei; Ammonitis auxilio ampliùs esse metuentes. [II. *Sam. X. I. Chron. XIX.*] — 3678 — 1036

2969 *b.* Vertente anno, quo tempore reges ad bellandum prodeunt, Joab copias militares in regionem Ammonitarum ducens, Rabbam illius metropolim obsedit: delidente interim Davide Hierosolymis. (II. *Sam.* XI. 1. *I. Chron. XX. 1.*] qui absentis in exercitu Uriæ Hittæi conjugem Bathshebam adulterio polluit, ipsúmque maritum ab Ammonitis interficiendum procuravit. [II. *Sam. XI.*] — 3679 — 1035

2970 *b.* Post natum filium in adulterio conceptum, David à Nathane Propheta peccati sui convictus resipuit, & Psalmum 51 pœnitentiæ suæ testem edidit. Infans nihilominùs, recèns natus, morte sublatus est. [*II. Sam. XII.*] — 3680 — 1034

2971 *a.* Bathsheba Davidi, jam marito suo, filium peperit: cui Deus, ut pacifico futuro, *Salomonis*, [*I. Chron. XXII. 9.*] & ut à se dilecto, *Jedidiæ* nomen imposuit. [II. *Sam. XII. 25.*] — 3681 — 1033

2972 *c.* Amnon, primogenitus Davidis filius, Thamarem sororem vitiavit. II. [. *Sam.* XIII.] — 3682 — 1032

2974 *c.* Amnon, biennio post nefarium suum incestum, fratris Absalomi jussu interficitur, quo oves tondebantur tempore. [II. *Sam.* XIII. 23.] sub veris videlicèt extremum; regerminante gramine, quod demetebatur ante messem frugum paulò post medium primi mensis factam: ut ex (*Amos VII. 1.* collat. cum *Josu.* III. 15. IV. 19. & V. 10, 11, 12.) Codomanus hìc annotat. Absalomus verò, fratricidio peracto, Geshurem fugit in Syriâ: ubi cum rege Talmaio [avo suo materno] per triennium mansit. [II. *Sam.* XIII. 37, 38. XV. 8.] — 3684 — 1030

2977 *c.* Absalom, post triennale exilium, rediit Hierosolymam; patre oratione Tekoitanæ viduæ (Joabo procurante) placato. [II. *Sam.* XIII. 38. XIV. 1, 23.] — 3687 — 1027

2979 *b.* Absalom, succensâ Joabi segete hordeaceâ, paulò ante messem hujus anni, (sequente enim, utpote Sabbatico, nulla in Judæâ messis fuerat) ejus operâ in conspectum patris admittitur; quo post reditum ab exilio caruerat biennium. [II. *Sam.* XIV. 28, 30, 33.] — 3689 — 1025

2980 Annus Sabbaticus, inter successionem segetis Joabi & conjurationem Absalomi interpositus: in quo rebellis filius, comparatis sibi curribus, equis & satellitibus, auram captare popularem & civium animos à patre Davide cœpit abalienare. [II. *Sam.* XV. 1.] — 3690 — 1024

2981 *c.* Exactis post unctum à Samuele Davidem annis 40 Absalomus, consiliario usus Achitophele, regnum paternum invasit; [II. *Sam.* XV. 7.] inter Paschatis & Pentecostes festum: ut ex novis frugibus & spicis tostis, quas Barzillai Davidi fugienti præbuit, [II. *Sam.* XVII. 28.] Codomanus colligit. — 3691 — 1023

Contra Absalomi & Achitophelis molitiones, David Psalmum III. & LV. oravit. Simei Benjaminita fugientem Davidem conviciis prosequitur. [II. *Sam.* XVI.]

Achitophel, neglectum videns suum consilium, suspendio vitam finivit. [II. *Sam.* XVII.]

Cæsis viginti rebellium millibus, fugit Absalom; & perplexæ quercui hærente capite, inter cœlum & terram pendulus, telis à Joabo confossus interiit. [II. *Sam.* XVIII.]

Post victoriam, David à tribulibus suis & dimidio populo Israelitico domum reducitur. Tumultuantibus Israëlitis, quòd in rege reducendo priores non fuissent eorum partes, nova exorta est seditio, quæ, abscisso à civibus Abelis capite Shebæ filii Bicri, conjurationis primarii authoris, sedata est. [II. *Sam.* XIX. XX.]

2983 *c.* Messe hujus anni deficiente, cœpit fames, quâ tribus annis continuis afflicti sunt Israëlitæ, ob Gibeonitarum sanguinem à Saule & domo ejus effusum. (II. *Sam.* XXI. 1, 2.) — 3693 — 1021

2986 *c.* Fame adhuc durante, in principio messis hordeaceæ Gibeonitæ duos filios & quinque nepotes Saulis suspenderunt: quos Rizpa Saulis concubina à volucrium & bestiarum injuriis immunes conservavit, donec effunderetur aqua super eos è cœlis. (II. *Sam.* XXI. 8, 9, 10.) — 3696 — 1018

David ossa Saulis & Jonathanis filii ejus Jabesho Gileadis translata, simul cum septem suspensorum ossibus, Zelæ in sepulchro Kishi patris Saulis condenda curavit. (*Ibid. ver.* 12, 13, 14.)

Varia cum Philistæis & eorum gigantibus prælia sunt inita: in quorum uno fatiscens

David jam senex, mortis periculum ab Ishi-benob gigante illi intentatum ægrè evasit. Quæ pugna omnium ultima fuit, cui ipse præsens interfuit. [II. *Sam.* XXI. 1. *Chron.* XX.]

2987 *d.* David, tentatione Satanæ & ambitione suâ incitatus, universi populi censu instituto, iram Dei in Israëlitas accendit. Unde ex omnibus tribubus, Leviticâ & Benjaminiticâ exceptâ, [I. *Chron.* XXI. 6. *cum* XXVII. 24.] virorum omnium annum ætatis 20 excedentium, [I. *Chron.* XXVII. 23.] spatio mensium 9, & dierum 20, numeratione peractâ; [II. *Sam.* XXIV. 8.] famis, vel gladii, vel pestis optio per Gadem prophetam illi est proposita: & quidem famis, vel *trium* annorum, deinceps futurorum, [I. *Chron.* XXI. 12.] vel *septem*, [II. *Sam.* XXIV. 13.] continuatis videlicèt annis tribus prioris famis, & quarto, præsente hoc Sabbatico qui, novâ messe destitutus, priora damna resarcire non poterat, ac si dictum fuisset. Tres jam anni famis propter Gibeonitas elapsi sunt: quos messis quidem excepit, sed propter sementis penuriam tenuis, & ad duorum annorum annonam [quam Sabbatici anni interventus postulat] suppeditandam impar; ut adhuc etiam inediæ miserias sustineat, pauperiorum saltem turbâ longè maximas. Ad hosce præteritos annos adjiciendum nunc proponit tibi Deus triennium famis alterum. Atque hæc reconciliandi illa ratio, ut ad annum hunc Sabbaticum Davidici censûs historiam referremus, potissimùm nos permovit.

Peste, quam è tribus propositis David elegerat, Israëlitarum unâ die 70 millia perierunt. Angelus Hierosolymam perdere aggressus, desistere jubetur: Deo miserente; & Davide ejus jussu, holocausta & eucharistica in areâ Araunæ sive Ornanis Jebusæi offerente. [II. *Sam.* XXIV. I. *Chron.* XXI.]

1988 *a.* David, cognoscens Dei domum in area illa Ornanis fore ædificandam, [I. *Chron.* XXII. 1. *cum* II. *Chron.* III. 1.] materiam omnem ad structuram illius necessariam præparavit: Salomonem filium & omnes principes Israëlis cohortatus, ut operi perficiendo strenuè incumberent. [I. *Chron.* XXII. 1, 2, 3,--17, 18, 19.]

c. Idem, numeratis Levitis, primùm quidem à nato triginta, posteà verò à nato viginti annos & suprà, distributionem eorum fecit, & quibúsque officia sua assignavit: ordine tùm Ecclesiasticæ tùm civilis politiæ constituto, anno regni sui *quadragesimo*. [I. *Chron.* XXIII. 3, 27. XXIV. XXV. XXVI. 31.] ineunte sc. ante mortem anno uno & dimidio. 3698 1016

Rehoboam Salomoni ex Naamâ Ammonitilla nascitur: utpotè 41 annorum existens, quum regnare inciperet. [I. *Reg.* XIV. 21. I. *Chron.* XII. 13.] Licèt enim ipse Salomon *puerum parvum* se appellet, [I. *Reg.* III. 7.] & David pater *puerum & tenellum* fuisse agnoscat: [I. *Chr.* XXII. 5. & XXIX. 1.] *virum sapientem* tamen idem pater eum nominat, [I. *Reg.* II. 9.] etiam antequàm superadditæ illius sapientiæ cumulo à Deo donaretur. Quæ tria (ætas tenera, filius genitus, & sapientia perfecta) de Salomone duodevicenario dici potuisse nemo mirabitur, qui eadem posteà in Joliâ, annum ætatis 16 agente, simul concurrisse consideraverit. [II. *Chron.* XXXIV. 1, 2, 3. *cum* XXXVI. 5.]

1989 *b.* David septuagenarius, belli & fugæ continuatis laboribus attritus, adeò effœto fuit corpore, ut pannorum adjectione haudquaquam calesceret. Unde ad eum fovendum, Abisaga puella Sunamitis est delecta. *c.* Adonias, occasione ex patris infirmitate arreptâ, Joabi & Abiathuris consilio atque auxilio usus, regnum occupat. De eo David per Bathsebam & Nathanem certior factus Salomonem, à Zadoko sacerdote, Nathane propheta, & Benajâ filio Jehojadæ Gihonem perductum, Regem ungi curat. Quod audiens Adonias, ad Asylum confugit: &, prehensis cornibus altaris, benignitate Salomonis liber dimissus est. [I. *Reg.* I.] 3699 1015

David, congregatis omnibus præfectis, chiliarchis, & centurionibus Israelis, unà cum filiis & aulicis suis, tùm illos ad timendum Deum, tùm Salomonem ad extruendum Templum cohortatus est: cujusque partis structuræ formâ, atque distributionibus Sacerdotum & Levitarum ad unumquodque ministerium, scripto; auróque & argento, ad singula instrumenta cujusque ministerii, certo pondere, Salomoni traditis. [I. *Chron.* XXVIII.] Deinde suo exemplo, & hortatu, ut reliqui etiam omnes aurum & argentum & æs & ferrum & lapides ad opus domûs Dei liberalissimè conferrent, effecit. Tunc, gratiis Deo actis, postridie diei illius, sacrificaverunt illi juvencos mille, arietes mille, & agnos mille, cum libaminibus eorum: denique regem *secundò* instituerunt Salomonem; ungentes eum in summum Principem, & Zadokum in summum Sacerdotem. [I. *Chron.* XXIX. 1,--22.]

1990 *a.* David, Salomonem filium præceptis instruens, moritur: [I. *Reg.* II. 1,--10.] postquàm Hebrone super Judam annis 7, & ment. 6, atque Hierosolymis 33 annis super totum Israëlem & Judam regnavisset. [II. *Sam.* V. 5.] ex quibus 40. annos, quos Scriptura illi tribuere solet, ante constitutum regem Salomonem exegisse eum, existimare par est; sex verò ampliùs menses, regnante Salomone superstitem fuisse: ita ut anni Salomonis, in Scriptura commemorati, à mense primo deducendi sint, semestri ante mortem Davidis integro.

b. Adonias, intercedente Bathsebâ, Abisagam Sunamitidem in uxorem à Salomone expetit: indéque, ut affectati regni reus, illius jussu occiditur. Abiathar, è posteris Eli, Sacerdotio amovetur; substituto Zadoko, ex Phineasi posteris: uti prædictum à Deo fuerat, [I. *Sam.* II. 33, 35.] atque ita summum Sacerdotium à familia Ithamaris ad familiam Eleazari rediit, atque in eâ deinceps confirmatum est. Joab, sibi metuens, ad Dei tentorium confugit: ubi, prehensis cornibus altaris, à Benaja filio Jehojadæ interficitur; qui illi, in præfectura militiæ, à Rege suffectus est. Simei verò, qui conviciis Davidem laceraverat, à Salomone domum ædificare jussus est; unde, ultra torrentem Kidronis, capitis periculo egredi illi non liceret. [I. *Reg.* II.] 3700 1014

Hadad Idumæus, auditâ Joabi morte; ex Ægypto in patriam reversus est: quem Salomoni posteà ad vanitates converso, adversarium suscitavit Deus. [I. *Reg.* XI. 14, 21.]

2991 *a.* Pharaoh Rex Ægypti filiam suam Salomoni matrimonio conjunxit: & Gezerum, tribus

Ephraimiticæ

Ephraimiticæ civitatem, [*Josu. XXI.* 21.] quam, incolis Cananæis ejus ceperat, huic suæ donavit. [*I. Reg.* IX. 16.] Eam verò Salomon Sionem, in regiam Davidis, deduxit. [I. *Reg.* III. 1. *II. Chron. VIII.* 11.]

c. Salomon Gibeone, ubi tabernaculum tum fuerat, mille holocausta obtulit. Ibi optione ei in somnis à Deo datâ petendi quod vellet, sapientiam elegit. Unde sapientiâ divinitùs donatus est, aliis donis suprà quàm petierat cumulatâ: quæ, in judicio litigantium inter se mulierum apparere incipiens, auctoritatem ei & reverentiam magnam apud subditos conciliavit. [I. *Reg. III.*] — 3701 — 1013

2992 *a.* Salomon ab Hiramo rege Tyri per nuncios salutatus, juvari ab ipso petit, in materia pro structura Templi suppeditandâ: quod Hiramus certis conditionibus mercedis accipiens, cum eo paciscitur, & præstat. Salomon verò operarios suppeditat, adjunctis præfectis & curatoribus. [I. *Reg.* V.]

ÆTAS MUNDI V.

c. ANNO 480, ab egressu Israëlitarum ex Ægypto, anno 4 regni Salomonis, mensis secundi, qui Ziv tunc dictus est, die secundo, (*Maii* 21, *feriâ* 2.) Templi fundamenta à Salomone jacta sunt. [*I. Reg. VI.* 1, 37. *II. Chron.* III. 2.] — 3702 — 1012

2993 *b.* Simei, exactis tribus annis postquàm ut sedem Hierosolymis figeret mandatum acceperat, rediens Gatho, (unde duos fugitivos servos reduxerat) jussu Salomonis occisus est. (*I. Reg. II.* 39.) — 3703 — 1011

3020 *a.* Anno undecimo regni Salomonis, mense octavo, qui Bul dictus est, Templi structura absoluta est, cum omnibus rebus ejus: spatio annorum septem, ac dimidii. [*I. Reg. VI.* 38.] Ejus verò dedicatio in sequentem annum est dilata, propter celebritatem Jubilæi. — 3709 — 1005

3001 *a.* Jubilæus *nonus*, Millenarium vel Chiliadem quartam Mundi aperiens; in quo, Templi Encænia magnificè à Salomone celebrata sunt. Congregatis enim ad eum omnibus Israëlitis, mense septimo, qui Ethanim dictus est, Arca Sione in Adytum, Tabernaculum ac vasa sacra Gibeone in thesaurum Templi deducta sunt. Ubi, quum Deus præsentiæ suæ signum aspectabile edidisset; Salomon in suggesto æneo flexis genibus conceptas ad Deum preces effudit. Populo deinde benedicens, boum 22 millia, ovium 120 sacrificavit. Atque ita festo Dedicationis altaris septem diebus, & festo Tabernaculorum aliis diebus septem, & Octavo Tabernaculorum die celebrato: die demùm mensis septimi 23 populus in tentoria sua dimissus est. [I. *Reg.* VIII. 1, 2, --65, 66. II. *Chron. V.* 3, 4, 5. VI. VII. 8, 9, 10.] — 3710 — 1004

Mensis septimi dies 8. (*Octob.* 30, *feria* 6.) septem dierum Dedicationis primus fuit. Dies 10, (*Novemb.* 1, *feria* 1.) Jejunium expiationis: in quo, (juxta legem, *Levit.* XXV. 9.) clangore tubæ Jubilæus erat indicendus. Dies 15 (*Novemb.* 6, *feriâ* 6.) festi Tabernaculorum primus. Dies 22. (*Novemb.* 13, *feria item* 6.) Tabernaculorum octavus; cujus magna erat observatio. [II. *Chron.* VII. 9. *cum Levit.* XXIII. 36. *& Joan.* VII. 37.] Sub finem verò sequentis diei (*Novemb.* 14, *feriâ* 7.) peracto Sabbato, concessit populus ad tentoria sua.

3012 *c.* Salomon, 13° post extructum templum anno, totius suæ regiæ structuram absolvit: 20 annis in utrumque opus impensis; 7 (cum dimidio) in Dei, 13. (vel 12 cum dimidio) in suæ domûs ædificatione peractis. (I. *Reg.* VII. 1. IX. 10. & II. *Chron.* VIII. 1.) — 3712 — 992

Exactis annis illis 20 quibus ædificatæ sunt domus Dei & Regia, Salomon viginti civitates Cabulis regionis (tribui Asheris conterminæ) à se acquisitæ Hiramo regi Tyri, in compensationem officiorum quibus adjutus ab eo fuerat, obtulit: quas ab eo repudiatas ille ædificavit, & Israëlitarum colonias eò deduxit. (1. *Reg. IX.* 10, --13. II. *Chron.* VIII. 1, 2.)

Cùm absolvisset Salomon utramque domum, & murum Hierosolymorum circumquaque; filiam Pharaonis uxorem suam, ex civitate & domo Davidis in domum deduxit quam illi ædificaverat: [I. *Reg.* III. 1. VII. 8. IX. 24. II. *Chron.* VIII. 11.] ædificato etiam Gezero, quam Pharao pater Cananæis ereptam illi donaverat in tribu Ephraimiticâ. [I. *Reg.* IX. 15, 16, 17.)

3026 *c.* Sesak, aliis Sesonchis dictus, in Ægypto (juxta Chronologiam nostram Ægyptiacam) regnum iniit: ad quem Jeroboam Nebati filius fugit; usque ad mortem Salomonis cum eo commoratus. (I. *Reg.* XI. 40. XII. 2.) — 3736 — 978

3029 *c.* Salomon, postquàm relictis vanitatibus, quibus in senectute sua indulserat, ad saniorem mentem rediisset, testatâ in libro Ecclesiastæ tori Ecclesiæ resipiscentiâ suâ, reconciliatus Deo, [II. *Chron.* XI. 17.] mortem demùm obiit, quum 40 regnâsset annos. [I. *Reg.* XI. 42. II. *Chron.* IX. 30.] — 3739 — 975

Rehoboam, Salomonis filius, Sichemum convenientе toto Israële ad constituendum eum regem, duro responso decem tribus à se alienat: quæ, accersitum ex Ægypto, Jeroboam Ephraimitam Nebati filium regem sibi præficiunt; eóque duce, & à domo Davidis (Adoramo Rehoboami legato interfecto) & à vero Dei cultu pariter deficiunt. [I. *Reg.* XII.] In cujus casûs tristem memoriam, Judæi posteà die 23 tertii mensis, sive Sivan, anniversarium Jejunium instituerunt.

Hinc, regno ita distracto, Rehoboam tribui Judæ & Benjaminis, annis 17. [I. *Reg.* XIV. 21. II. *Chron.* XII. 1, 2.] Jeroboam Israëli, id est, reliquis 10 tribubus, usque ad annum 22 præfuit. [I. *Reg.* XIV. 20.]

Rehoboam, Hierosolymam reversus, ex tribu Judæ & Benjaminis 180000 militibus delectis, bellum adversùs eas gerere instituit; sed à Deo per Semaiam prophetam monitus, à

cæpto destitit: (*I. Reg.* XII.) licèt continuum bellum inter utrumque regem fuerit, omnibus diebus eorum. (*I. Reg.* XIV. 30.)

Jeroboam in regni sui principio Sichemum, ubi rex electus fuerat, à rege Abimelecho ante annos 258. dirutam, (*Jud.* IX. 45.) in monte Ephraimi ædificavit, ibique habitavit, donec inde procedens trans Jordanem Penuelem ædificavit, (*I. Reg.* XII. 25.) & Tirzæ demum regiam suam collocavit. (*c.* XIV. 17.) Ne novi verò subditi ab ipso deficerent, nova religionis specie eos ab Hierosolymis adeundis avertit; duobus aureis vitulis Bethele & Dane, ut à stulto populo colerentur, propositis. (*I. Reg. XII.*)

			Anni Regum Juda.	Anni Regum Israelis			
3030	*a.*	REHOBOAMI	1	1	JEROBOAMI. Jeroboam die 15 mensis 8, (*Decemb. 6, feriâ* 2) festo quod ipse commentus erat, simile festo Tabernaculorum Judaico, in altari idololatrico, Bethele extructo, vitulo suo sacrificavit. (*I. Reg. XII.* 32, 33.) Quo tempore, Propheta quidam, ex Judæa à Deo missus, judicium quod olim executurus esset unus è posteris Davidis, Josias nomine, in altare illud & sacerdotes ejus denunciavit: quod & præsentibus prodigiis in altare atque Regem ipsum confirmavit. (I. *Reg.* XIII. *cum II. Reg.* XXIII. 16, 17.) A quo Idololatriæ hujus primo exercitio, & divini in eam judicii denunciatione publicâ, arcessendum est initium 390 annorum iniquitatis Israëlis. (*Ezek.* IV. 5.) Propheta ille, ab alio Prophetâ Bethelitâ oraculi prætextu deceptus, contra Dei mandatum cibum Bethele sumpsit: eámque ob rem in itinere à leone interfectus est; quo cognito, Bethelita honorificè eum sepeliit, & filios de vaticinii illius fide informavit. (I. *Reg.* XIII. *cum II. Reg.* XXIII. 17, 18.)		
	b. Sacerdotes & Levitæ, & alii Israëlitæ qui timebant Deum, à Jeroboamo idololatrâ ad Rehoboamum transeuntes, regnum Judæ confirmârunt per triennium: tot enim annis in viâ Davidis & Salomonis ambulaverunt. (*II. Chron. XI.* 17.)				Jeroboam in defectione persistens, rejectis Sacerdotibus filiis Aaronis & Levitis, fecit è populo sacerdotes excelsorum. [*I. Reg. XIII.* 33, 34. *II. Chron. XI.* 14, 15. & *XIII.* 9.) Unde Dei Sacerdotes & Levitæ, prædiis suburbanis & possessionibus suis derelictis, in Judæam abierunt: quos & secuti ex omnibus tribubus Israëlis, qui dedebant animum suum ad requirendum Deum Israëlis, Hierosolymam venerunt ad sacrificandum Deo majorum suorum. (*II. Chron.* XI. 13, 14, 16.)	3740	974
			2	2			
			3	3			
3032	*d.* Rehoboam in regno confirmatus, reliquit legem Domini, & totus Israël cum eo. [*II. Chron.* XII. 1.] Judæi enim, qui lapsos Israelitas exemplo suo ad pœnitentiam provocare debuissent, provocarunt Deum peccatis suis, quibus peccarunt suprà quam omnia quæ fecerant majores eorum. Nam extruxerunt etiam sibi excelsa, & statuas, ac lucos, super omnem collem altum, & sub omni arbore virente: facientes secundùm omnes abominationes gentium, quas ejecerat Dominus		4	4		3742	972

à facie NADAB,

Anno Mundi	ÆTAS	Anni Regum Judæ.	Anni Regum Iſraelis.		Anno Periodi Julianæ	Annoante æram Chriſt.
	à facie eorum. [I. *Reg.* XIV. 22, 23, 24.]					
3033	*c.* Anno 5 Rehoboami, Seſak rex Ægypti (à Jeroboamo fortaſſe invitatus, qui cum illo vixerat; ut ad ann. M. 3026, eſt annotatum) 1200 currus, 60000 equites, innumerúmque populum ex Ægypto, Lubæis, Succæis, & Cuſitis, in Judæam eduxit; & munitis ejusdem civitatibus captis, Hieroſolymam uſque pervenit. Ubi Rex & principes prædicatione Semajæ prophetæ ad reſipiſcentiam perducti, liberationis quidem promiſſionem à Deo acceperunt, ſed ejuſmodi quæ magno ab ipſis pretio eſſet redimenda. Theſauros enim domûs Dei accepit Ægyptius, & theſauros domûs Regis, & omnia ſcuta aurea quæ fecerat Salomon, pro quibus ænea Rehoboam ſubſtituit. [*I. Reg.* XIV. 25. II. *Chron.* XII. 2,-12.]	5	5		3743	971
		6	6			
		7	7			
		8	8			
		9	9			
		10	10			
		11	11			
		12	12			
		13	13			
		14	14			
		15	15			
		16	16			
		17	17			
3046	*c.* ABIAH, anno Jeroboami 18, (ineunte) patri Rehoboamo defuncto in regno ſuccedit: & regnat triennio. [I. *Reg.* XV. 1, 2. II. *Chron. XIII.* 1, 2.	1	18		3756	958
3047	*c.* Abiâ cum ſuorum 400, & Jeroboamo cum ſuorum 800 millibus, pugnam incuntibus; Abiah Deo confiſus, inſignem reportavit victoriam, cæſis 500 Iſraelitarum millibus: quanta hominum cædes uno in prælio nunquam facta fuiſſe legitur. Deinde victoriam perſecutus, Bethelem cepit (ubi alter vitulorum erat) & Jeſanam & Hephravin, cum villis earum, (*II. Chron.* XIII.)	2	19		3757	957
		3	20			
3049	*c.* ASA, anno Jeroboami 20, (completo) patri Abiæ defuncto in regno ſuccedit: quod annis 41 tenuit. (*I. Reg.* XV. 8, 9, 10.)	1	21		3759	955
3050	*c.* Jubilæus *decimus.*					
	d.	2	22. 1	NADAB, anno 2 Aſæ, patri Jeroboamo defuncto in regno ſuccedit: quod ad ſecundum tantùm annum produxit. (I. *Reg.* XV. 25.)	3760	954
3051	*d.*	3	2. 2	Nadab, Gibbethonem Philiſtæorum obſidens, à Baasâ Iſſacaritâ occiditur, anno 3 Aſæ: eodémque anno BAASA illi in regno ſuccedens, totam Jeroboami ſtirpem perdidit; & ad annum uſque 24 regnum tenuit. (I. *Reg. XV.* 27, 28, 29, 33.]	3761	953
		4	2			
3053	*c.* Decennium pacis continuum terræ largitus eſt Deus: (II. *Chron.* XIV. 1, 6.) uſque ad annum regni Aſæ 15 ſive 35. regni ipſius ab Iſraelitico diviſi. (*cap.* XV. 10, 19.) quo tempore pius rex Aſa publicam idololatriam ſuſtulit, &, regno	5	3		3763	951

reformato, civitates Judæ contra hostes munivit. [*c.* XIV.]

		6	4		
3055	*d.* Asæ natus est Jehosaphatus, ex matre Azuba, qui posteà annorum 35, ipso in regno successit. [*I. Reg.* XXII. 42. *II. Chron.* XX. 31.]	7	5	3765	949
		8	6		
		9	7		
		10	8		
		11	9		
		12	10		
		13	11		
		14	12		
3063	*e.* Anno 15 Asæ ineunte, Zerach Æthiops cum innumero exercitu Cushæorum suorum (Arabiam Petræam & Desertam, ut videtur, incolentium) atque Lubæorum numero 1000000, (præter eos qui è curribus pugnabant) Judæam invadit. Quibus occurrens Asa, cum 300000 è Juda & 280000 è Benjamine Dei nomine invocato, eos fusos cæsosque spoliat. Deinde ab Azaria propheta incitatus, subditos suos & Israëlitarum qui ad eum defecerant plurimos Hierosolymam congregavit mense tertio, (in quem festum Pentecostes incidit:) ubi sacrificârunt Domino de præda, boves 700, & pecudum septem millia, fœdúsque cum Deo solenniter renovarunt. Asa quoque inceptam regni reformationem persecutus, Mahacam aviam suam idololatriæ patronam amovit ne esset Augusta: & res à se & patre suo consecratas in domum Dei intulit. (II. *Chron.* XIV. 9. XV. 1, 10, 11, 12, 16. XVI. 8.)	15	13	3773	941
3064	*e.*	16	14	3774	940

Baasa, cùm videret Asam religionem instaurâsse, & multos in regno suo ad eum defecisse, ut in fœdus Dei convenirent: [*II. Chron. XV.* 9.] bellum cum eo habuit omnibus diebus suis. [*I Reg. XV.* 16, 32.] indéque hoc anno, qui 36 regni Asæ (id est, regni Judæ ab Israële diviti, quod tum obtinebat Asa) numeratur, ascendens contra Judam, ædificavit Ramam: ne sineret egredi aut regredi quemquam ad Asam regem Judæ. [*II. Chron. XVI.* 1.]

Ben-hadad rex Syriæ, missis copiis suis contra civitates Israëlis, percussit Ijonem Asheritarum, Danem Danitarum, Abel-bethmaacam Manassitarum, & tractum Cinnereth cum totâ terrâ Naphthali. Unde destitit Baasa ab ædificanda Rama, & Thirzæ resedit. [*I. Reg. XVI.* 20, 21. *II. Chron. XVI.* 4, 5. *cum Esai. IX.* 1.] Fuit autem Benhadad iste filius Tabrimmonis, filii Hezjonis, (I. *Reg. XV.* 18.) sive Rezonis, primi Syrorum Damascenorum regis; à quo *Hadadi* nomen ad posteros traductum fuisse scripsit Nicolaus Damascenus, apud Josephum lib. 7. Antiquit. cap. 6. (al. 5.) ubi quod Nicolaus ait, eorum *tertium, eladem avi temporibus acceptam redimere volentem, expeditione contra Judæos factâ Samariam vastavisse*; de invasâ à Benhadado, Achabi temporibus, Samariâ Josephus interpretatur. *Vid sup. an. Mundi* 2960. *& infrà, an.* 3101.

d. Asa mercede conduxit Ben-hadadum regem Syriæ ad impediendum Baasam: atque ex lapidibus & lignis ab eo Ramam comportatis Gebam & Mizpam ædificavit. Idem Hananem prophetam, ob imploratum regis Syriæ auxilium ipsum reprehendentem, in carcerem conjecit: & quosdam etiam è populo oppressit tempore illo. [*II. Chron. XVI.*]

d. Jeho-

		17	15			
		18	16			
		19	17			
		20	18			
		21	19			
		22	20			
		23	21			
		24	22			
		25	23			
3074	*d.*	26	24.1	Baaſæ defuncto, & Tirzæ ſepulto, filius ELA ſucceſſit anno 26 Aſæ. [1. *Reg.* XVI. 8, 9, 10.]	3784	930
3075	*d.*	27	2	Anno 2 Elæ, 27 Aſæ, Ela cum tota familia Baaſæ, è medio tollitur à ZIMRI: qui Tirzæ diebus 7 regnum occupavit. Sed populus caſtra habens contra Gibbethonem Philiſtæorum, regem conſtituit Omrin principem militiæ: quo Tirzam obſidente, Zimri ſe cum domo regiâ combuſſit. (I. *Reg.* XVI. 15, 16, 17, 18.)	3785	929
	d.		1	Schiſmate in populo Iſraëlitico orto; pars una Thibnin Ginathi filium conſtituit regem, pars altera ſecuta eſt OMRIN: ſed firmior erat populus qui ſequebatur Omrin. [*I. Reg.* XVI. 21, 22.]		
		28	2			
3077	*d.*	29	3	Achabo filio Omri nata fuiſſe videtur Athalia; annis 42 antequàm regnaret in Judâ filius ipſius Ahaziah. [II. *Chron.* XXII. 2. *cum XXI. 6.*]	3787	927
		30	4			
3079	*d.*	31	5	Omri, mortuo æmulo Thibni, ſolus regnare incipit, anno 31 Aſæ. [*I. Reg.* XVI. 23.]	3789	925
3080	*d.* Jehoſaphato filius Jehoramus naſcitur; annis 32 antequàm illum regni conſortem faceret. (II. *Reg.* VIII. 17. II. *Chron.* XXI. 20.)	32	6	Quum Tirzæ ſex annis regnâſſet Omri, regni ſedem inde tranſtulit Samariam, in monte Somronis à ſe ædificatam, quem à Semero quodam emerat. [*I. Reg. XVI.* 23, 24.]	3790	924
		33	7			
		34	8			
		35	9			
		36	10			
		37	11			
3086	*d.*	38	12. 1.	Omri moritur, & Samariæ ſepelitur. Malo patri ſucceſſit pejor filius ACHAB: qui ad annum uſque 22 regno præfuit. [*I. Reg. XVI.* 28, 29.]	3796	918
3087	*d.* Aſa anno regni 39 ex pedum doloribus ægrotans, ad medicos, non ad Deum recurrit. [II. *Chron.* XVI. 12.]	39	2		3797	917
		40	3			
		41	4			
3090	*c.* Aſa anno regni 41 (deſinente) mortuus, in cubili ſpeciebus aromaticis impleto, quod ſibi in civitate Davidis paraverat, ſepultus eſt. [II. *Chron.* XVI. 13, 14.] Bono patri melior ſucceſſit filius JEHOSAPHAT: qui anno Achabi 4 (deſinente) regnum ſuſcipiens, annis 25 illud tenuit. (*I. Reg.* XXII. 41, 42. II. *Chron. XX.* 31.)	1	5		3800	914
		2	6			
3092	*c.* Jehoſaphat, regno confirmato, atque exceſſis & lucis amotis, anno regni ſui 3 Levitas cum Principibus ad populum inſtituendum per civitates mittendos curat: dum Deus hoſtium alios cohibet, alios ei ſubjicit. [II. *Chron. XVII.* 7.]	3	7		3802	912

Anno Mundi.		Anni Regum Iudæ	Anni Regum Israëlis		Anno Periodi Iulianæ.	Annus ante æram Christi.
		4	8			
		5	9			
		6	10			
		7	11			
3097	*d.* Athalia filia Achabi regis Israëlis, nupta Jehoramo filio Jehosaphati regis Judæ, (quæ affinitas illa est, quâ Jehosaphatum Achabo se junxisse, Scriptura memorat: *II. Chron. XVIII.* 1.) Ahaziam illi peperit; qui annos 22 natus, illi in regno posteà successit. [*II. Reg.* VIII. 18, 26, 27. *II. Chron.* XXII, 2. *cum* XXI. 6.]	8	12		3807	907
		9	13			
3099	*i.* Jubilæus *undecimus.*	10	14		3808	906
		11	15			
		12	16			
		13	17			
3103	*c.*	14	18	Ben-hadad rex Syriæ, congregatis omnibus copiis suis, & 32 regulis secum, Samariam obsidet: unde magnâ acceptâ plagâ, fugatus recessit. [*I. Reg. XX.*]	3813	901
3104	*d.*	15	19	Vertente anno, ascendit iterùm Ben-hadad Aphekum in bellum contra Israëlitas: ubi, maximâ clade affectus, Achabo se dedidit. Quem Achab honorificè accepit, & fœdere icto dimisit: ob quod pœna *illi* à Deo per prophetam est denunciata. [I. *Reg.* XX.] Unde per *triennium* inter Syriam & Israëlem belli cessatio fuit. [I. *Reg.* XXII. 1.]	3814	900
3105		16	20	Achab, recusatâ sibi à Nabotho vineâ, æger decumbit. Jezebel, ejus uxor, Nabothum falsis testibus oppressum lapidari curat; & Achabum in vineæ possessionem mittit. Quam ob rem Elias propheta Achabo cum totâ ejus posteritate & ipsi Jezebelæ excidium denunciat. Achab exterrefactus, temporariâ pœnitentiâ sententiæ executionem prorogat. [I. *Reg.* XXI.]	3815	899
3106	*d.* Jehosaphatus, Achabi exemplo, Jehoramum filium suum Proregem instituit. Unde Jehoram Achabi filius, qui fratri Achaziæ in regno Israëlitico anno 18 Jehosaphati successit, [*II. Reg.* III. 1.] anno 2 Jehoram filii Jehosaphati regnare cœpisse dicitur. [*II. Reg. I.* 17.]	17	21. 1	Achab, anno 17 Jehosaphati, filium suum ACHAZIAM Regem, vel potiùs Proregem, constituit. [I. *Reg.* XXII. 51.]	3816	898
3107	*d.* Jehosaphatus ad invisendum Achabum, anno tertio post pacem ab eo cum Syris initam exacto, descendens ad oppugnationem Ramotharum Gileadis ab eo invitatur: cui obsecundans, non sine magno vitæ discrimine inde elabitur. [*I. Reg.* XXII. 2. *II. Chron.* XVIII.] Domum reversus, quòd regi improbo auxiliatus fuisset, à Prophetâ Jehu filio Hanani reprehenditur. [*I. Chron.* XIX. 1, 2.]	18	22. 1	Achab, adjuncto sibi Jehosaphato, ad oppugnationem Ramotharum Gileadis profecturus, & 400 suos Pseudoprophetas & Michaiam verum Dei prophetam de eventu consulit: illis omnia fausta, hoc certam illi cladem prædicente. Juxta cujus verbum, is in prælio, licèt dissimulato habitu pugnans, occiditur, & Samariæ sepelitur. [I. *Reg.* XXII. II. *Chron.* XVIII.]	3817	897
3108	*a.* Cùm pararet classem Jehosaphatus quæ Ophirum proficisceretur auri causa, & Achazia impius Achabi filius expeditionis vellet esse socius: primùm quidem non acquievit; [*I. Reg.* XXII. 49.] sed tandem persuasus est. Ideò Deus, per prophetam Eliezer, filium			Eo mortuo, Moab ab Israële defecit: [II. *Reg.* I. 1. & III. 5.] quæ inde a Davidis temporibus eidem subjecta fuerat. [II. *Sam.* VIII. 2.]		

Achazia,

filium Dodavæ, illum reprehendit, & naves ejus confregit. [II. *Chron.* XX. 35, 36, 37.]

b. — — — — Achazia, rex Iſraëlis, per quendam clathrum in cœnaculo ſuo Samariæ cadens, ægrotavit: & de ſanitate recuperandâ Baal-zebubum Deum Ekronitarum conſuluit. Elias propheta duos præfectos quinquagenis, cum quinquagenis eorum, ab Achaziâ ad ipſum adducendum miſſos, igne cœleſti conſumpſit. Deinde cum tertio ad Achazium profectus, mortem illi denunciavit. [II. *Reg.* I.] Quam ille obiit; poſtquàm biennium, partim cum patre, partim ſolus, in regni adminiſtratione exegiſſet. [I. *Reg.* XXII. 51.] — — — 3818 — 896

Achaziæ defuncto ſucceſſit in regno frater ipſius JEHORAMUS Achabi filius, anno Jehoſaphati 18. (deſinente:) & regnavit 12 annis. [II. *Reg.* III. 1.]

— — 19 1 Elias curru igneo in cœlum ſublatus eſt: in munere prophetico ſucceſſore Eliſæo relicto. [*II. Reg. II.*]

3109 *c.* — — 20 2 Tres reges, Iſraëlis, Judæ atque Edomi [adhuc regi Judæ ſubjecti] conjunctis copiis rebelles Moabitas oppugnant: Eliſæo prophetâ exercitui aquam miraculosè ſubminiſtrante, & victoriam promittente. Meſah rex Moabitarum, Kir-hareſethæ ſe cum ſuorum reliquiis includere coactus, eruptione inde factâ filium regis Edomæorum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo [eâque de causâ, *Amoſi c.* II. 1. rex Edomæorum appellatur] cepit, & cum in holocauſtum ſuper murum obtulit. [II. *Reg. III.*] — — 3819 — 895

— — 21 3

— — 22 4

3112 *c.* Jehoſaphat, jam ſenior, regni & familiæ ſuæ rebus componendis intentus, reliquis quidem filiis dona multa, cum civitatibus munitis in Judâ, diſtribuit: maximum verò natu JEHORAMUM (cui anteà vicariam poteſtatem communicaverat) regni ſecum conſtituit conſortem, Jehorami Iſraëlitici regis anno 5, quo per 8 annos ille potitus eſt. (II. *Chron.* XXI. 2, 3, 5, 20. II. *Reg.* VIII. 16, 17.) 23. 1 5 — — 3822 — 892

— — 24. 2 6 — — — —

— — 25. 3 7 — — — —

3115 *c.* Jehoſaphato mortuo, & in civitate Davidis ſepulto, (I. *Reg.* XXII. 50. II. *Chron.* XXI. 1.) optimi regis peſſimus filius Jehoramus, ſolus per quadriennium regnavit: qui in regno ita confirmatus, omnes fratres ſuos, & aliquos etiam è principibus Iſraëlis interfecit. (II. *Chron.* XXI.) Edomæi, qui à diebus Davidis (*II. Sam.* VIII. 14.) Judæ ſuberant, jam defecerunt: & licèt à Jehoramo percuſſi, à jugo tamen ipſius (juxta Iſaaci vaticinium, *Geneſ.* XXVII. 40.) deinceps penitùs ſeſe liberarunt. Libna quoque Sacerdotum in tribu Judæ civitas, [*Joſu.* XXI. 13.] eodem tempore defecit. [*II. Reg. VIII.* 20, 21, 22. *II. Chron. XXI.* 8, 9, 10.] 4 — 8 — — 3825 — 889

a Jeho-

Anno Mundi.		Anni Regum Judæ.	Anni Regum Iſraël.		Anno Periodi Julianæ.	Ante æram Chriſtianam
3116	*a.* Jehoramus, improbæ uxoris ſuæ Athaliæ conſiliis ſecutus, in Judâ ipſiſque Hieroſolymis Baaliticam familiæ ſoceri ſui Achabi idololatriam ſtatuit; & ad eam ſubditos ſuos compulit. Inde ſcripto ab Elia propheta [antequàm aſſumeretur] relicto, objurgatus eſt: pœnarum, quæ inſecutæ ſunt, denunciatione additâ.					
	c. Primùm enim excitavit adversùs eum Philiſtæorum & Arabum turmas: qui in Judæam irrumpentes, abduxerunt omnes facultates quæ inventæ ſunt in domo regis, unà cum filiis & uxoribus ejus; ita ut reliquis omnibus filiis interfectis ſolus illi relictus fuerit eorum minimus, Jehoachaz. [II. *Chron.* XXI.] qui & Achazia & Azaria, ipſius in regno ſucceſſor. (*c.* XXII. 1, 6.)	5	9		3826	888
3117	*c.* Poſt hæc percuſſit Jehoramum Deus inteſtinorum morbo incurabili: quo per biennium cruciatus eſt. (*II. Chron.* XXI. 15, 18, 19.)	6	10		3827	887
3118	*d.* A patre morbo graviter laborante Prorex conſtitutus eſt Achaziæ, anno 11 Jorami filii Achabi. (II. *Reg.* IX. 29.)	7	11		3828	886
3119	*c.* Jehoram, exeuntibus inteſtinis, miſerè moritur; & in civitate Davidis, ſed non in ſepulchris Regum, ingloriè ſepelitur. (II. *Chron.* XXI. 19, 20.) Succeſſit ACHAZIAH, filius ejus, anno 12 Jorami filii Achabi; & anno 1 regnavit Hieroſolymis. Hic etiam conſiliis improbæ matris Athaliæ & domûs Achabi, poſt mortem patris, auſcultans, cultûs Baalitici patronus extitit. (II. *Reg.* VIII. 25, 27. II. *Chron.* XXII. 1, 2, 3, 4.) Achaziæ natus eſt, ex matre Zibiâ è Beersheba, filiorum minimus Joash; qui 7 annorum puer Rex poſteà declaratus eſt. (*II. Reg. XI.* 21. II. *Chron. XXIV.* 1.)	8. 1	12		3829	885
3120	*b.*			Adversùs Haſaëlem, Benhadado (utì prædixerat Eliſæus) in regno Syriæ nuper ſuccedentem, Jehoramus rex Iſraëlis & Achazia Judæ conjunctas copias Ramothas Gileadis eduxerunt: ubi à Syris percuſſus Jehoramus, ad curanda vulnera Jezreelem ſe ſubduxit. [*II. Reg. VIII.*] Unus è filiis prophetarum ab Eliſæo Ramothas miſſus, JEHU filium Jehoſaphati filii Nimshi in regem Iſraëlitarum unxit: & Dei mandatum de exſcindendâ domo Achabi illi aperit. Qui in caſtris rex à Ducibus confirmatus, Jezreelem properavit: ibíque Jehoramum & Jezebelam occidit. [*cap. IX.*] Inde literis Samariam miſſis, Achabi 70 filios jugulandos curavit: factum ſuum populo ex Eliæ prophetiâ probans. Tum, aſſumpto ſecum Jehonadabo filio Rechabi, Samariam ipſe veniens, reliquum totum genus Achabi & omnes Sacerdotes Baalis è medio ſuſtulit. Cultu tamen Baalis abolito, à Jeroboami vitulis aureis non receſſit: ſed illius jam inveteratæ apud Iſraëlitas idololatriæ, annis quibus regnavit *octo & viginti*, patronus extitit. [*cap. X.* 28, 29, 39.]	3830	884
	c. Achazia, ab expeditione adversùs Hazaëlem Ramothis Gileadis reverſus; ad inviſendum Jehoramum Iſraëliticum, ex acceptis vulneribus malè ſe habentem, Jezreelem deſcendit. Ubi Jehu filios cognatorum ipſius miniſtrantes ei & principes Judæ inveniens, interfecit eos: deinde ipſum Achaziam quærens, qui Megidduntem fugerat, in aſcenſu Guris qui eſt ad Jiblehamum (in tribu Manaſſis) deprehenſum, in curru percuti mandavit. Qui inde à ſervis ſuis deportatus, cum patribus ſuis ſepultus eſt in					

civitate Davidis. [II. *Reg.* IX. *II. Chron.* XXII.] Samariam quoque pergens Jehu, & 42 aguatis Achaziæ occurrens, qui Jezreelem descensuri erant ad salutandum filios regis, eos ad unum omnes jugulandos curavit. [*II. Reg.* X. 13, 14.]

ATHALIA, filia Achabi, videns mortuum esse filium suum Achaziam, occupato regno, totum semen regium domûs Judæ perdidit. Verùm Jehosheba Jorami regis filia, & Jehoiadæ Sacerdotis primarii uxor, Joashum infantem, Achaziæ fratris sui filium, cædi cum nutrice sua subductum, per *sex* annos quibus Athalia dominata est in domo Dei abscondit. [II. *Reg.* XI. 1, 2, 3. *II. Chron.* XXII. 10, 11, 12.]

		2	2
		3	3
		4	4
		5	5
		6	6
3126	*c.* Jehoiada Sacerdos JOASUM septennem populo producit, regem ungit, Athaliam occidit, & cultum Dei instaurat: æde Baalis eversâ, & Matthane sacerdote illius ante ipsa altaria trucidato. [*II. Reg.* XI. 4,—21. *II. Chron.* XXIII. 1,—21.] Joas verò, anno 7 Jehu incipiens, annis 40 regnavit Hierosolymis: (*II. Reg.* XII. 1. *II. Chron.* XXIV. 1.) quadragesimi tamen anni diebus tantùm paucis delibatis.	1	7	3836	878
		2	8
		3	9
		4	10
		5	11
		6	12
		7	13
		8	14
		9	15
		10	16
		11	17
		12	18
		13	19
		14	20
3140	*c.* Amasias, ex Joaso rege & Jehoadanâ Hierosolymitanâ nascitur. Erat enim 25 annorum, cùm regnare inciperet. (*II. Reg.* XIV. 2. *II. Chron.* XXV. 1.)	15	21	3850	864
		16	22		
		17	23		
		18	24		
		19	25		
		20	26		
		21	27		
3147	*d.* Joas Sacerdotes, ex collectâ viritim pecuniâ, Templum Dei resarcire jubet. (*II. Reg.* XII. *II. Chron.* XXIV.)	22	28	3857	857
3148	*a.* Jubilæus *duodecimus.*				
	c. Joas, lentè in Templo restaurando procedentibus Sacerdotibus, anno regni 23 à Jehoiadâ Sacerdote primario, & aliis opus perficiendum curat. (II. *Reg.* XII. 6, 7. II. *Chron.* XXIV. 5, 6.)	23	1	JEHOACHAZ patri Jehu defuncto succedit, anno 15 Joasi filii Achaziæ; & annis 17 regnat. (II. *Reg.* XIII. 1.) Cujus diebus omnibus Hazaël rex Syriæ Israëlitas oppressit: (*c.* XIII. 3, 7, 22.) crudelitatem in illos exercens, quam Elisæus propheta prædixerat. (*c.* VIII. 12.)	3858	856

Anno Mundi		Anni Regum Iudæ.	Anni Regum Israëlis.		Anno Periodi Iulianæ.	Ante æram Christi.
		24	2			
		25	3			
		26	4			
		27	5			
		28	6			
		29	7			
		30	8			
		31	9			
		32	10			
		33	11			
		34	12			
		35	13			
		36	14			
		37	15			
3163	c.	38	16. 1	JOAS filius Jehoachazi à patre regni particeps factus est, anno 37 [desinente] Joasi regis Judæ: & 16 regnavit annis. [II. *Reg.* XIII. 10.]	3873	841
3164	c. Zacharias Sacerdos, filius Jehoiadæ, Israëlitas ad idololatriam post mortem patris sui lapsos reprehendens, lapidibus ex præcepto Regis obrutus ab eis est in atrio domûs Domini. [II. *Chron.* XXIV.]	39	17. 2		3874	840
3165	c. Vertente anno, copiæ Hazaëlis regis Syriæ, quamlibet exiguæ, Judam & Hierosolymam invadentes, perdiderunt omnes principes populi, & omnem prædam eorum ad regem suum miserunt. Cùm autem discessissent illæ à Joaso, quem morbis gravissimis laborantem reliquerunt; conjuratione factâ servi ipsius, Zachariæ cædem ulti, in lecto decumbentem trucidârunt, incunte regni sui anno quadragesimo. [II. *Chron.* XXIV. 1, 23, *indèque ad fin. cum II. Reg. XII.* 1, 17. *ad fin.*] Cui succedens filius Amasias anno Joasi Israëlitici 2 (desinente) regnavit 29 annos. [II. *Reg.* XIV. 1, 2.] qui in regno confirmatus, servos suos interfecit, qui percussérant regem patrem suum: parcens tamen ipsorum liberis, juxta legem à Deo per Mosem præscriptam. [*ibid.* 5, 6. *II. Chron. XXV.* 3, 4.]	40. 1	3	Jehoachaz filius Jehu mortuus est, & Samariæ sepultus; quum annis 17 regnâsset. [II. *Reg.* XIII. 1, 9.] Joas verò rex, non longè post patris exequias, Elisæum prophetam jamjam moriturum invisisse videtur: quem lachrymabundus de misero regni statu consulens, tribus vicibus percutiendos ab ipso fuisse Syros, responsum accepit. [*Ibid. à vers.* 14. *ad* 20.]	3875	839
		2	4			
		3	5			
3168	c.	4	6	Jeroboamus II. à patre Joaso, ad bellum Syriacum profecturo, (in quo gerendo Benhadadum, qui patri Hazaëli in regno Syriæ successerat, tribus prœliis vicit; & civitates, à patre Jehoachazo amissas, è manu illius recuperavit. [II. *Reg. XIII.* 25.] in regni consortium assumptus fuisse videtur: ut eâ ratione, Jeroboami hujus anno 27 Azarias rex Judæ regnare cœpisse intelligatur. [II. *Reg. XV.* 1.]	3878	81[illegible]
		5	7			
		6	8			
		7	9			
		8	10			
		9	11			
		10	12			
		11	13			
		12	14			
		13	15			
3178	c. Amasiæ regi uxor Jecholia Hierosolymitana filium Uzziam sive Azariam peperit: utpote 16 ætatis annos agentem,	14	16		3888	816

Digitized by Google

Anno Mundi.	ÆTAS	Anni Regum Iudæ.	Anni Regum Iſraël.	MUNDI V. 43	Anno Periodi Iulian.	Anno ante æram Chriſtia.
	quum poſt patrem regnare inciperet. [II. *Reg. XV.* 2. II. *Chron.* XXVI. 2.] Amalias, victoriâ adversùs Edomæos nuper partâ inſolescens, anno hoc regni ſui 14, (ut eſt apud Joſephum, libro *IX.* Antiquit. cap. X.) Joaſum regem Iſraëliticum provocans, inito apud Bethshemeshum prælio, ſuperatur & capitur: ſed gravi mulctâ affectus, datis obſidibus, dimittitur. [*II. Reg. XIV.* 11. *Chron. XXV.*]			Joas rex, victo & capto Amaſiâ rege Judæ, perrupit in muro Hieroſolymorum, à porta Ephraimi uſque ad portam angularem, quadringentos cubitos: deinde, acceptis domûs Domini & regiæ theſauris omnibus, Samariam reverſus eſt. [*II. Reg. XIV.* 13, 14. *II. Chron. XXV.* 23. 24.]		
3179	*c.*	15	1	Annis verò 15 ante mortem Amaſiæ defuncto Joaſo, ſuccedens filius JEROBOAMUS, ab anno ejuſdem 15 per annos 41 regnum Samaritanum obtinuit. [II. *Reg.* XIV. 23.] Per hunc ſervavit Deus Iſraëlem: recuperatâ illi Damaſco & Hamathâ (quæ jure ad tribum Judæ pertinuerant: II. *Sam.* VIII. 6. II. *Chron.* VIII. 3.) & antiquo illius termino (*Num. XIII.* 21.) ab aditu Hamathæ uſque ad mare campeſtrium: ſecundùm verbum Domini, quod locutus fuerat per Jonam filium Ammitthai prophetam. (II. *Reg. XIV.* 25, 27, 28.)	3889	825
		16	2			
		17	3			
		18	4			
		19	5			
		20	6			
		21	7			
		22	8			
		23	9			
		24	10			
		25	11			
		26	12			
		27	13			
		28	14			
3194	*c.* Amaſias, factâ Hieroſolymis adversùs eum conjuratione, Lacishum fugit: ubi interfectus eſt, & inde deportatus ad ſepulturam in civitatem Davidis. [II. *Reg. XIV.* 19, 20. II. *Chron. XXV.* 27, 28.] Cui ſuccedens filius UZZIAS ſive AZARIAS anno 27 Jeroboami Iſraëlitici (ex quo regni paterni particeps ille factus eſt; ut ſuprà, anno Mundi 3168.) annis 52 regnavit Hieroſolymis. [II. *Reg. XV.* 1, 2.] Sub hoc non minùs floruit regnum Judæ, quàm ſub æquali ejus Jeroboamo II regnum Iſraëlis. Quamdiu enim Zachariæ conſilia ſecutus, pietati ſtuduit; Dei præſidio fultus, Philiſtæos & alios vicinos hoſtes ſubjecit & regnum confirmavit: ut fuſiùs in *II. Chron.* XXVI. *à verſu* 2. *ad* 16. exponitur.	29	15		3904	810
		1	16			
		2	17			
		3	18			
3197	*a.* Jubilæus *decimus tertius*, duorum florentiſſimorum Regum tempore actus: ſub quibus etiam inſignes Prophetæ in utroque regno claruerunt, ut in Judâ, Evangelicus ille prophetа *Eſaias* filius Amotzi: (*Eſai.* I. 1.) & *Joël* filius Pethuelis; quem ante *Amoſum* docuiſſe ex eo colligit Codomanus, quòd in fine primi capitis prædicat ſicciratem, quam	4	19	In regno Iſraëlis prophetârunt, *Jonas* filius Ammitthai, & *Hoſea* filius Beeri. Jonas è Gatho-Chepheris fuit, (II. *Reg.* XIV. 25.) oppido tribûs Zabulonis, (*Joſ.* XIX. 13.) *in Galilæâ* gentium. (*Eſai.* IX. 1.) quod obiter notandum, adversùs Phariſæorum illud ad Nicodemum. (*Joh.* VII. 52.) *Scrutare,*	3906	808

Anno Mundi	Anni Regum Jud.	Anni Regum Israël.		Anno Periodi Julianæ.	Annotatæ æræ Christ.
			in 4 capite Amos frustra evenisse conqueritur. *Amosus* autem, qui in Judæâ inter pecuarios Tekoanos fuit, ad propheticum munus in regno Israëlitico obeundum missus est, biennio ante terræ motum, qui horum ipsorum regum, Uzziæ & Jeroboami, diebus contigit. [*Amos* I. 1, *Zachar.* XI. 5.]		
	5	20			
	6	21			
	7	22			
	8	23			
		24			
	10	25			
	11	26			
	12	27			
	13	28			
3207	14	29	In Lydiâ, ex Heraclidarum genere, Ardysius regnavit, ann. 56. [*Euseb. Chron.*]	3917	797
	15	30			
	16	31			
3210	17	32	Regnum Macedonicum, à Caræno Heraclidâ cœptum est.	3910	794
	18	33			
	19	34			
3813	20	35	c. Eclipsis Solis facta est, digitorum circiter 10, anno Periodi Julianæ 3923, Junii 24, in festivitate *Pentecostes*; altera, digitorum 12 ferè, vicesimo pòst anno, Periodi Julianæ 3943, Novembris 8, in diebus festi *Tabernaculorum*: & tertia, plus quàm 11. digitorum, anno sequente, Periodi Julianæ 3944, Maii 5, in festo *Azymorum*. Quò videndum an non spectet prophetia illa *Amos* VIII. 8, 9, 10. *Erit die illo, dictum Domini Jehova, efficiam ut sol occidat in meridie; & obtenebrabo terram die lucido: & commutabo dies festos vestros in luctum, omniáque cantica vestra in lamentationem.* Quam ut sensu allegorico ad tenebras, quæ in festo Paschatis tempore passionis Dominicæ contigerunt, Christiani Patres accommodârunt: ita & in tribus hisce ingentibus	3923	791

Anno Mundi.	ÆTAS	Anni Regum Jude.	Anni Regum Iſraelis.		Anno Periodi Julianæ.	Anno ante vulg. Chriſtia.
	Eclipſibus trium feſtivitatum, in quibus omnes maſculi Hieroſolymis comparere tenebantur coram Domino, dies obſcurantibus, ſenſu literali completam fuiſſe nihil vetat. Ut quemadmodum apud Græcos primus *Thales* ex ſcientiâ aſtronomicâ (*infrà ad ann. M.* 3403.) ita apud Hebræos primus *Amos*, ex revelatione Spiritûs ſancti, Solares Eclipſes prædixiſſe videatur.					
		21	36			
		22	37			
		23	38			
		24	39			
		25	40			
3220	*c.*	26	41	Mortuo Jeroboamo, ſub quo ad ſummum culmen perductum eſt regnum Iſraëliticum, in præcipitium cœperunt ruere omnia: motibus illis exortis, qui ruinæ, domûs Jeroboami primùm, deinde regni totius, fuerunt prævii; prout in VII. & VIII. Amoſi capite prædictum fuerat. Quo turbulento rerum ſtatu, ad ἀναρχίαν res eſt perducta; undecim annorum & dimidii continuatam ſpatio. Ejuſmodi enim INTERREGNUM Synchroniſmus Regum hìc poſtulat: ut Zachariæ filii Jeroboami menſes ſex 38°, & interfectoris ipſius Shallumi menſis unicus 39° Azariæ ſive Uzziæ regis Judæ anno reſpondeant. [II. *Reg.* XV. 8, 13.]	3930	784
		27	1			
3221	*c.* Uzziæ regi uxor Jerusha, Zadoki filia, Jothamum peperit. Qui, patre leprâ percuſſo & ab hominum conſortio excluſo, præerat domui regis & judicavit populum terræ: atque ei defuncto in regno ſucceſſit, annos 25. tantùm ætatis agens. [*II.* Reg. *XV.* 5, 33. II. *Chron. XXVI.* 21. & *XXVII.* 1, 8.] Unde colligi poterit; Menachemo demùm Iſraëliticum regnum obtinente, Uzziam ſenem in Judæâ Sacerdotium invadentem plagâ illâ affectum fuiſſe: contra Judæos (& eos ſecutum Procopium Gazæum, in *Eſai. cap. VII.*) qui circa 25 annum regis Uzziæ factum hoc exiſtimant; ipſo tempore terræ motûs, qui diebus Uzziæ & Jeroboami contigit. [*Amos I.* 1. *Zachar. XI.* 5.] quum Jeroboamo vivente Jothamum nondum natum fuiſſe appareat.	28	2		3931	783
		29	3			
		30	4			
		31	5			
		32	6			
		33	7			
		34	8			
3228	*c.* Ab æſtate hujus anni, prima Græcorum Chronologorum numeratur OLYMPIAS, quâ Coræbus Eleus vicit ſtadio; Iphitea verò 28, ut ex Ariſtodemi Elei & Polybii ſcriptis oſtendit Julius Africanus. (in Græcis Euſebianis Scaligeri, pag. 57, & 216.) Atque hìc apud Ethnicos temporis illud intervallum deſinit, quod à doctiſſimo Varrone (in Cenſorini de die natali libello) *quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν* nominatur: incipit illud, quod	35	9	ZACHA-	3938	776

Digitized by Google

Anno mundi.		Anni Regum Judæ.	Anni Regum Israelis		Anno Periodi Julianæ	Annus ante natum Christum.
	quod dicitur ἱστορικὸν, *quia res in eo gestæ veris historiis continentur.*					
		36	10			
		37	11			
3232	*a.*	38	11. 1	ZACHARIAS, filius Jeroboami, quartus & postremus ex stirpe Jehu, prout à Deo prædictum fuerat, regnavit anno 38 Azariæ sive Uzziæ regis Judæ, sex mensium spatio. [II. *Reg. XV.* 8; 12. *cum X.* 30.]	3941	773
	c.	39		Post tempus verò illud semestre, à Shallumo filio Jabeshi interfectus est coram populo: (*II. Reg. XV.* 10.) cujus mortem diræ illæ calamitates subsecutæ sunt, *Amos* VII. 9. prænunciatæ. *Desolabuntur excelsa Isaaci, & sanctuaria Israelis in solitudinem redigentur: quum insurrexero contra domum Jeroboami gladio.*	3942	772
	d.			SHALLUM Jabeshi filius, anno 39. Uzziæ, regnavit mense unico. (II. *Reg. XV.* 12.)		
				MENACHEM filius Gadi, è Thirzâ Samariam profectus, Shallumum occidit, Tiphsachum cum finibus suis percussit, & omnes prægnantes ejus dissidit. (II. *Reg. XV.* 14, 16.) A Severo Sulpicio, libro I. Historiæ sacræ, *Manes* hic appellatur; eodem quo *Manes* vel *Manichæus* hæresiarcha nomine. Utriusque verò nomen paracletum sive consolatorem significat.		
3233	*e.* Bocchoris Saïtes in Ægypto regnat annos 44. (*African.*)	40	1	Dum autem per undecim ferè menses, turbato rerum statu, de regni possessione Menachemus contenderet: suscitavit Deus spiritum Pulis regis Assyriæ ad invadendam terram Israëlis. (*I. Chron.* V. 26. *II. Reg.* XV. 19.) Hic Sardanapali videtur fuisse pater (ab eo *Sardan-pul* dicti; ut *Merodach* Babylonius à *Baladane* patre cognomentum *Merodach-Baladan* accepisse legitur, *Esai. XXXIX.* 1.) Julio Africano *Acraeacames*, Eusebio *Ocrazapes*, Stephano Byzantino *Cyndaraxes*, Straboni, Arriano & Suidæ *Anacyndaraxes*, ab aliis verò (apud Athenæum, lib. 12. Dipnosophist.) *Anabaxares* appellatus; consideratisque annis ab Africano & Eusebio hujus & filii imperio assignatis, atque ab initio Nabonasari (& quem cum eo conjunctum fuisse existimamus) Sardanapali exitu eisdem retrò numeratis; hic ille ipse quoque fuisse videri posset, qui prædicatione Jonæ prophetæ ad resipiscentiam perductus fuerat. Ut hic etiam viri Ninivitæ surrexerint in judicio cum gente istâ: & pœnitentem ethnicum excitaverit justus Deus, ad pœnam de impœnitente Israële reposcendam.	3943	771
				Dedit autem ei Menachem mille talenta argenti: ut esset adjumento sibi ad confirmandum regnum in manu ipsius (II. *Reg.* XV. 19, 20.) quò à nonnullis refertur illud, *Hos.* V. 13. *Cum videret Ephraim morbum suum, & Juda ulcus suum: abiit Ephraim ad Assyrium, misitque ad regem Jareb*, sive regem, qui eum esset *propugnaturus.*		
				Menachemus in regno quod occupa-		

Achaz

vera

				verat ita confirmatus, regnare pacificè cœpit anno 39 (deſinente) Azariæ ſive Uzziæ regis Judæ: & per 10 annos regnum obtinuit. (II. *Reg.* XV. 17.)		
		41	2			
		42	3			
		43	4			
3237		44	5	Sardanapalus Aſſyriorum imperium annis 20 obtinet. [*Jul. African. & Euſeb.*] qui in Epitaphio, quod ex Clitarcho apud Athenæum, [lib. XII.] Strabonem (lib. XIV.) & Arrianum (de reb. Alexandri lib. II.) legitur, duas Ciliciæ urbes, *Anchialum & Tarſum*, uno die condidiſſe dicitur.	3947	767
		45	6			
		46	7			
		47	8			
		48	9			
3242	*c.* Achaz Jothami filius naſcitur: ſiquidem 20 annorum fuit quum regnare inciperet. [*II. Reg. XVI.* 2. II. *Chron. XXVIII.* 1.] Quia verò 16 tantùm annis regnavit, & ipſo moriente filius Ezechias dicitur fuiſſe 25 annorum; unde ſequeretur filium habuiſſe Achazum, cùm undecim tantùm annos eſſet natus: ideò Tremellius Achazum 20 annos natum fuiſſe interpretatur, non cùm ipſe, ſed cùm pater Jotham regnare inciperet.	49	10		3952	762
3243	*c.*	50	1	PEKAHJA patri Menachemo defuncto ſuccedit, anno 50 Azariæ ſive Uzziæ regis Judæ: & regnavit biennio. (II. *Reg.* XV. 23.)	3953	761
	Halyattes ſenior, in Lydiâ regnavit annos 14. [*Euſeb. Chronic.*]	51	2			
3245	*c.*	52	1	PEKAH Remaliæ filius, interempto Samariæ Pekahjâ in palatio regio, regnavit pro eo annis 20, ab anno 52 Azariæ regis Judæ. [II. *Reg.* XV. 25, 27.]	3955	759
3246	*a.* Jubilæus *decimus quartus*: quo vidit Eſaias gloriam Domini, ſedentis in ſolio & ſtipati ſatellitio Angelorum σεραφίων accinentium; obdurato deinceps & occæcato magis ac magis populo Judaico, ne intelligeret verba Prophetarum & converteretur & ſanitas obveniret ei. [*Eſai. VI. Joh. XII.* 40, 41.] Contigit hæc viſio anno quo mortuus eſt rex Uzzia: [*Eſai. VI.* 1.] cui in civitate Davidis & agro ſepulchrali regum condito (ſed ſeorſim ab aliis, quia leproſus erat) ſucceſſit filius JOTHAMUS anno 2° Pekæ regis Iſraëlis; & 16 annis regnavit Hieroſolymis. [II. *Reg.* XV. 7. 32, 33. *II. Chron.* XXVI. 23. & XXVII. 1, 8.] Hic pugnans contra regem Ammonitarum prævaluit: ita ut per triennium tributum illi penderent. [II. *Chron.* XXVII. 5.] Sub eo, & duobus ejus ſucceſſoribus, Mica Moraſthites (ſimul cum Eſaiâ & Hoſeâ) Propheticum ſuum munus obiit. [*Mich. I.* 1.] Sub eo etiam à Nahumo prophetâ ſubverſionem Aſſyriorum & Ninives prædictam, & poſt 115 annos completam fuiſſe, Joſephus (libro 9. Antiquit. cap. 11. al. 12.) affirmat: quum* & complemento tempus aſſignatum	1	2		3956	758

minimè

Aradus

minimè reſpondeat, & poſt decem tributim deportationem Nahumum prophetaviſſe rectiùs ſentiant alii; ſive ſub Hezekiâ, ut Hieronymo, ſive ſub finem regni Joſiæ, ut Tremellio viſum eſt. *

		2	3			
		3	4			
		4	5			
		5	6			
		6	7			
3252	6. Ezekias Achazi filius naſcitur, ex matre Abiâ Zachariæ filiâ: ſiquidem 25 annorum fuit, quum regnare inciperet. [II.*Reg.*XVIII.2.*II.Chron.*XXIX.1.]	7	8		3962	752
		8	9			
3254		9	10	Aradus (quæ in Phœnicià parva inſula eſt, ut notat Mela, & *quantum patet, tota oppidum*) & Cyzicus (in Propontidis intulâ, condita. (*Euſeb. Chron.*) Arbaces Mediæ præfectus, muliebrem Sardanapali mollitiem indigniſſimè ferens, conjuratione cum Beleſo Babylonio initâ, Medorum, Perſarum, Babyloniorum & Arabum quadringenta millia adversùs eum eduxit. Qui tribus prœliis victus, in quarto, Bactrianorum copiis ad eum deficientibus, hoſtes noctu ex improviſo oppreſſit, & caſtris exuit; cúmque Sardanapalus uxoris fratri Salæmeni imperium caſtrenſe tradidiſſet; is à conjuratis bis prœlio victus, cum toto penè exercitu deletus eſt. Ninive obſidione cinctâ, Sardanapalus filios tres & filias duas magnâ cum gazâ in Paphlagoniam ad Cottam præfectum mittit: & tabellariis per omnes regni provincias dimiſſis, militum delectus agit, & ad tolerandam obſidionem neceſſaria comparat. (*Diodor. Sicul. lib.* 2.]	3964	750
		10	11			
3256	6. ROMA, juxta Fabii Pictoris (Romanorum ſcriptorum antiquiſſimi) & ludorum Secularium à veteribus Romanis obſervatorum rationes, paulò ante initium Olympiadis 8, in feſto Palilitio, XII Kalend. Maii, à Romulo condi cœpta eſt: licèt Palilia Varroniana toto quinquennio Fabianis anteriora ſint. *Urbs oritur (quis tunc hoc ulli credere poſſet?)* *Villorem terris impoſitura pedem.* [Ovid. Faſt. lib. 4.]	11	12		3966	748
3257		12	13	Anno obſidionis tertio, fluvius continuis imbribus excreſcens Niniven partem inundavit, & murum ad ſtadia XX dejecit. Sardanapalus, rogo in regiâ ingenti extructo, & ſe & regiam, cum concubinis, eunuchis & divitiis omnibus, incendio abtumpſit. Conjurati per collapſam muri partem ingreſſi, urbem ceperunt, & Arbacem Regem appellarunt. (*Diodor. lib.* 2. *& Athenæus lib.* 12. *ex Cteſiâ.*) Atque ita ASSYRIORUM Imperium deſtructum eſt: poſtquàm à Nini initio ſuperiorem Aſiam annis 520, [ut in libro 1. cap. 95. docet Herodotus) obtinuiſſent. Diviſo igitur imperio:	3966	748

Arbaces, Straboni *Orbacus*, Velleio Paterculo *Pharnaces* dictus, Medis ſuis ab Aſſyriorum jugo liberatis *αὐτονομίαν* reddidit: ut (in libro jam citato) confirmat Herodotus.

Beleſis; in ſacris literis, [*Eſai. XXXIX. 1. & II. Reg. XX. 12.*] *Baladan*, Agathiæ (lib. 2. hiſt. ex Bione & Alexandro Polyhiſtore) *Beleſſus* vel *Beleuſſus*, Nicolao Damaſceno (in eclogis ab Henr. Valeſio editis) *Nanybrus*, Hipparcho, Ptolemæo & Cenſorino *Nabonaſarus* dictus, regnum Babyloniæ per annos 14 obtinuit. A meridie verò primi diei Thoth menſis Ægyptiaci, die videlicèt Februarii 26, feriâ 4, labente ante vulgarem noſtram æram Chriſtianam anno 747, *Nabonaſari* epocham ſummo conſenſu deducunt omnes Aſtronomi. | 3967 | 747

Meles in Lydiâ regnavit annos 12. [*Euſeb. Chron.*] de quo videndus Herodotus, lib. 1. cap. 84.

Ninus junior Aſſyriorum regnum, ad proprios terminos reductum, (monarchiâ in Sardanapalo jam extinctâ) annis 19 obtinuit: ut ex Caſtore Rhodio (qui amplis voluminibus τὰ χρονικὰ ἀνηνέγκατο enarravit) in Græco ſuo Chronico refert Euſebius. Qui melioris auſpicii cauſâ primi Aſſyriaci imperii conditoris nomen aſſumpſiſſe ſibi videtur: propriâ appellatione in Ælliano (lib. 12. hiſt. animal. cap. 21.) *Thilgamus*, in ſacris literis *Thilgath-Pilneſer* [I *Chron. V. 6, 26. II. Chron. XXVIII. 20.*] & *Tiglath-Pileſer* [II *Reg. XV. 29. XVI. 7, 10.*] nuncupatus.

13 | 14
14 | 15
15 | 16
16 | 17

3262 | *c.* ACHAZ patri Jotham ſuccedens anno 17 (deſinente) Pekæ filii Remaliæ, 16 annis regnavit Hieroſolymis. [II *Reg. XVI.* 1, 2. II *Chr.* XXVIII. 1.] | 1 | 18 | 3972 | 742

Quum ſub finem regni Jothami compiſſet Deus immittere in Judam Rezinem regem Syriæ & Pekam Remaliæ filium: (II *Reg. XV.* 37.) audito jam adventûs eorum rumore, domus David cum populo contremuit; præſentiſſimum ſibi excidium imminere metuens. Regi Achazo conſternato Deus, per Eſaiam prophetam, ipſius liberationem & hoſtium interitum denunciat. Liberationis ſignum (optionem illud eligendi ſibi ultrò oblatam Rege incredulo repudiante) promiſſionem dat de Virgine *Immanuelem* pariturâ: qui & perſonæ ratione futurus eſſet Θεάνθρωπος, *Deus Nobiſcum* ſive in carne noſtra habitans; & officii quoque, quo, ut unicus mediator Dei & hominum [I *Tim. II* 5.) effecturus erat ut eſſet *nobiſcum Deus* [*Eſai. VIII.* 10.) placatus & propitius, adeóque auxilium in angustiis præſentiſſimum. (*Pſalm. XLVI.* 1, 2, 7. *cum Rom. VIII.* 31, 32.] Quod quidem documentum præſenti negotio erat accommodatiſſimum: tum quia in Chriſto omnes promiſſiones Dei ſunt *Etiam* & *Amen*. [II *Cor.* 1. 20.] in ipſo & propter ipſum communiter implendæ; tum

tum quòd Judæa ſpeciali quodam privilegio terra eſſet Immanuelis, [*Eſai. VIII.* 8.] in qua, quod ad carnem attinet, non ſolùm ex Judæis eſſet ille oriturus, [*Rom. IX.* 5.] ſed etiam ex domo Davidis, & quidem (juxta Jacobi vaticinium, [*Geneſ.* XLIX. 10. priùs quàm ſceptrum recederet à Juda, id eſt, Judæa Reſpublica eſſe deſineret regio gubernata imperio. Unde metuendus non eſſet hoc tempore vel domûs Davidicæ vel gentis Judaicæ interitus; qualem poſt annos 65 gentem Ephraimiticam paſſuram fuiſſe paulò antè Propheta prædixerat. [*Eſai. VII.* 8.]

Adverſariorum verò Regum jamjam imminentem occaſum præmonſtrare juſſus eſt Propheta, producto in medium *Shear-jaſhubo* filio; quem (poſt prolatum de Virgine θεοπέσιον grande illud oraculum, digito vel geſtu aliquo alio demonſtratum) butyro & melle in tenella ſua ætate nutriendum fore diceret, donec ad eam adoleſceret quâ diſcrimen poſſet dignoſcere inter bonum & malum: ante illud enim tempus, utrumque regem tollendum eſſe è terra ſua. [*Eſai.* VII. 3, 15, 16.] Cúmque eodem tempore accideret, ut Eſaiæ alium filiolum pareret uxor prophetiſſa; mandato Dei, nomen illi eſt impoſitum, *Maher-ſhalal-hash-baz*: quòd *accelerando prædam feſtinaret diripiens* Aſſyrius; Syros & Iſraëlitas deprædaturus, antequàm proferre noſceret puer ille, *Pater mi* aut *Mater mea*. Atque ita Prophetæ quoque filii *in ſigna & oſtenta* apud Iſraëlitas à Deo conſtituti ſunt. [*Eſai.* VIII. 3, 4, 18.]

Poſt editas has prophetias, Rezin & Peka junctis viribus aſcenderunt ad oppugnanda Hieroſolyma: ubi obſederunt Achazum, ſed (uti prædictum fuerat) non potuerunt debellare. (*Eſai.* VII. 1, 7. *II Reg.* XVI. 5.)

Impius Achaz, à præſenti ereptus periculo, Deum liberatorem deſeruit. Ambulavit enim in viis regum Iſraëlis, Baaliticam idololatriam amplexatus eſt, adolevit in valle filii Hinnomi & filium ſuum transmiſit per ignem; ſacrificavítque in excelſis, & in collibus, & ſub omni arbore virente. [II. *Chron.* XXVIII. 2, 3, 4. II *Reg.* XVI. 3, 4.]

3263 *c.* Deſerens Deum Achazus, à Deo deſertus eſt. Unde reverſi ad eum Rezin & Peka, ſeparatis copiis eum debellarunt, quod conjunctis priùs efficere non valuerunt. Tradidit enim Deus in manum tum regis Syrorum, qui percutientes eum captivam in Damaſcum abduxerunt ab eo multitudinem magnam; tum regis Iſraëlis, qui percuſſit eum percuſſione magnâ. (II *Chron.* XXVIII. 5.)

Eodem tempore Rezin Elatham (quam Judæ recuperaverat & ædificaverat rex Azarias ſive Uzzias; [II *Reg.* XIV. 22.

2. 19. Interfecit Peka ex Judæis 120 millia die uno, omnes robuſtos. Interfecit quoque Zicri potens Ephraimita Maaſeiam regis filium, & Azrikamum antecefforem domûs ejus, atque Elkanam ſecundum à rege. Et captivos ducebant Iſraëlitæ ex Juda & Hieroſolymis ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, multámque prædam diripiebant ex eis: deducebántque iſta ſpolia in Samariam. Verùm, interponente ſe Dei prophetâ Odedo, dereliquerunt multitudinem illam captivam & prædam ſuam ante principes & totam

5973 741

II. *Chron.*

congrega-

II. Chron. XXVI. 2.] avertit ad Syros: qui ibi deinceps habitaverunt. [*II. Reg. XVI.* 6.]

congregationem: qui captivos illos, humanissimè tractatos, deduxerunt Jerichuntem ad fratres ipsorum. (*II. Chron. XXVIII.*)

3264 *c.* Edomæi percussêrunt Judam, & abduxerunt captivos: Philistæi quoque (quos, Dei auxilio fretus, rex Uzzias priùs domuerat; *II. Chron. XXVI.* 6, 7.) irruerunt in civitates depressi agri & meridianas Judæ, & habitaverunt in eis. Deprimebat enim Dominus Judam propter Achazum: quia abstraxerat Judam, ut omninò prævaricaretur contra Dominum. [*II. Chr. XXVIII.* 17, 18, 19.] — 3 — 20 — 3974 — 740

Accipiens Achaz aurum & argentum, quod inveniebatur in Domo Domini & in thesauris domûs regiæ, misit ad Tiglath-pileserum regem Assyriæ munus: orans, ut è manu regis Syriæ & Israëlis ipsum servaret. Cui ille auscultans, Damascum cepit & incolas ejus in Kirum deportavit, Syriæ verò regem Rezinem morte affecit. [II. *Reg. XVI.* 7, 8, 9.] completâ prophetiâ, tum Esaiæ, [*c. VII.* 16. *& VIII.* 4. *& IX.* 11.] tum Amosi; qui Damascêni regni excidium hoc longè antè ita prædixerat. *Immittam ignem in domum Hazaëlis, qui consumet palatia Ben-hadadi: & confringam vectem Damasci, excindámque habitatorem è convalle Avenis, & tenentem sceptrum è domo Edenis; migrabúntque populus Syriæ in Kirum, ait Dominus.* [*Amos I.* 4, 5.] Atque ita regnum Damascenum, & cum eo *Hamatha* (cujus ut tùm maximè florentis, mentio fit *Amos VI.* 2.) & *Arpadi*, (*Jerem. XLIX.* 23. *Esai. X.* 9. XXXVI. 19. & XXXVII. 12, 13.) in *Rezone* cœptum, (I. *Reg.* XI. 23, 24.) in *Rezine* finitum est: quod per decem generationes continuarum fuisse, Nicolaus Damascenus (apud Josephum, lib. 7. Antiquit. cap. 6.) affirmat. *Vid. supr. ad annum Mundi* 2960.

Achazo implorante auxilium regum Assyriæ (sic enim in I. *Chron.* XXVIII. 16. pluraliter nominantur: numeri enallage usitatâ, *Psal. CV.* 30. *Jerem.* XIX. 3. XXV. 22. 3. *Esd.* I. 52.) adversùs Pekam ascendens Tiglath-pileser, populum Gileadis sive Perææ, Reubenitas videlicèt, Gaditas & dimidiatam tribum Manassis, abduxit in Chalachum, Chaborem, Haram & Nehar-gozanem: deinde, transmisso Jordane, Galilæam occupavit; ejúsque incolas, cum Naphthalitis omnibus (quos clades à Benhadado priùs accepta reliquos fecerat) deportavit in Assyriam. I. *Chron. V.* 26. & II. *Reg. XV.* 29. (ex quo, cum I. *Reg. XV.* 20. comparato, exponendus videtur locus *Esai.* IX. 1.)

Profectus verò Achaz obviam Tiglath-pilesero Damascum, ut congratularetur ei de victoria; formam magni altaris, quod ibi viderat, ad Uriam sacerdotem misit, ut illi consimile extrueret sibi Hierosolymis. In quo, domum reversus, sacrificavit ipse; omniáque holocausta populi offerri mandavit: altari æneo longiùs amoto ab anteriore parte domûs, ne esset inter suum altare & domum Domini. (II. *Reg.* XVI.)

3265 *c.* Postquàm Achaz servum se effecisset regis Assyrii, (II. *Reg.* XVI. 7. *cum* XVIII. 7.) & regnum suum tributarium illi reddidisset: plus tamen detrimenti quàm adjumenti ab eo accepit. (II. *Chron.* XXVIII. 20, 21.] id quod allegoriâ illâ Propheta Achazo paulò antè significaverat. *Abradet Dominus novaculâ mercenariâ, transfluviali, Rege Assyriæ, pilum capitis & pedum; etiámque barbam ipsam consumet.* [*Esai.* VII. 20.] Quare & accessum extimum, quo à domo regis ad Templum Domini ibatur, amovit Achaz, *metu regis* — 4 — 1

HOSEA filius Elæ, interfecto Pekâ Remaliæ filio, regnum invasit, anno 20, ex quo Jotham in Judâ regnare cœpit, (II. *Reg. XV.* 30.) id est, quarto regni Achazi. Turbis tamen & seditionibus intervenientibus regno statim potiri non poterat. Republicâ ad Anarchiam quandam, per 9 annorum spatium recidente. — 3975 — 739

Anno Mundi.		Anni Regum Iuda.	Anni Regum Israëlis		Anno Periodi Iulianæ	Annus ante æram Christ.
	Assyriæ: [*II. Reg. XVI.* 18.] à vi nimirùm illius [ut interpretatur Tremellius] sibi metuens; ne fortè per illum accessum in regiam irrumperet. Et tamen angustiæ suæ tempore, magis ac magis pergebat ille prævaricari adversùs Dominum. [*II. Chr. XXVIII.* 22.]					
		5	2			
		6	3			
		7	4			
3269	Candaules [Græcis, teste Herodoto, Myrsilus dictus; Myrsi filius, Heraclidarum postremus] in Lydiâ regnavit annos 17. [*Euseb. Chron.*]	8	5		3979	733
		9	6			
3271	Nadius, sive Nabius (נבי) apud Babylonios regnat, ann. 2. [*Ptolem. in Reg. Canone.*]	10	7		3981	731
		11	8			
3273	Chinzirus & Porus, apud Babylonios regnant, ann. 5. [*id. Ibid.*]	12	9		3983	731
3274	*c.*	13	1	HOSEA, turbis domesticis compositis, regno tandem potitus est, anno (desinente) 12° Achazi regis Judæ. [*II. Reg. XVII.* 1.]	3984	730
3276	*d.*	14	2	Tiglath-pilesero, sive Nino juniori, postquàm 19 annis (ut ex Castore notatum est) regnavisset, successit in regno Assyriaco Salmanasar; *Enemassarus* in Græco Tobiâ dictus; *Shalman* is esse videtur, qui *Hosea X.* 14. *domum Arbeli* (Darii clade posteà nobilis) *vastavisse* dicitur *die belli*; Arbelitida videlicèt, regionem Assyriæ infra Arpadum. Contra Hoseam quoque regem Israëlis ascendit Salmanasar; fecitque eum servum sibi & tributarium. (*II. Reg. XVII.* 3.)	3986	728
		15	3			
3277	*e.* Achaz, postremo regni sui anno filium EZEKIAM principatûs fecit consortem: qui inde, à 3 anno (desinente) Hoseæ regis Israëlis, 29 annis regnavit Hierololymis. [*II. Reg. XVIII.* 1, 2.]	1. 16	4	Sabacon Æthiops captum in bello Bocchorim vivum cremavit, ejúsque loco in Ægypto regnavit ann. 8. (*African.*)	3987	727
3278	*a.* Jugæus, sive Ilulæus, apud Babylonios regnat, ann. 5. [*Ptol. Reg. Canon.*] *b.* Quo anno mortuus est rex Achaz, Esaias Philistæis, partem Judææ iniquè possidentibus, (ut suprà, ad annum M. 3264 dictum) excidium denunciavit. [*Esai. XIV. à vers.* 28. *ad fin.*] similemque calamitatem Moabitis intra tres annos obventuram prædixit. [*Esai. XV.* 1. *ad XVI.* 14.] de quorum vaticiniorum complemento, videnda quæ ad annum M. 3280. & 3284. deinceps annotabuntur. Mortuus Achaz, sepultus est in civitate Davidis: [*II. Reg. XVI.* 20.] sed non in sepulchris regum. [*II. Chron. XXVIII.* 27.] *c.* Patre mortuo, Ezekias jam liber, anno primo regni sui, (ad finem vergente) mense primo (Abib scil.) aperuit fores Domini [quas impius pater occluserat: *II. Chron. XXVIII.* 24.] & Sacerdotibus ac Levitis ipsorum sanctificationem, Templique purgationem imperavit. [*II. Chron. XXIX.* 3, 4.] Illi, hoc mandato animati, mensis				3988	716

primi die primo, (*April.* 21. in ipſo Sabbato) ſanctificaverunt ſe, venerúntque ſecundùm præceptum regis ad purgandum domum Domini ; & die octavo ejuſdem menſis (*April.* 28. die item Sabbati) ingreſſi porticum Templi, ſanctificaverunt domum Domini diebus octo : ita ut die ſextodecimo menſis primi (*Maii* 6, *feriâ* 1.) abſolverint. (II. *Chron.* XXIX. 15, 17.)

Manè igitur ſurgens rex Ezekias, (*Maii* 7, *feriâ ſecundâ*) congregavit præfectos civitati, & aſcendit in domum Domini : in qua, cum populo, per Sacerdotes & Levitas multa ſacrificia in altari Domini magna cum lætitia obtulit. (II. *Chron.* XXIX. 20, --36.)

Quia verò Paſcha celebrari non poterat tempore eodem quo conventus fuerat habitus & purgatio inſtituta ; (quum Sacerdotes non ſanctificâſſent ſe ad ſufficientem numerum, & populus non congregâſſet ſe Hieroſolymam) ex lege *Numer.* IX. 10, 11. indictum eſt Paſcha in menſem ſecundum. Edicto igitur promulgato per totum Iſraëlem à Beerſhebâ Danem uſque, non Judæi ſolùm ſed etiam ex tribubus Aſheris, Manaſſis & Zebulunis nonnulli (reliquis Iſraëlitis invitationem deridentibus) Hieroſolymam congregati ſunt. Ubi, idololatricis altaribus & aris thurariis priùs amotis atque in Kidronis torrentem projectis, jugulârunt Paſcha 14 die menſis 2, (*Junii* 3, *feriâ* 1.) deinde feſtum azymorum celebrabant ſeptem diebus, offerentes ſacrificia euchariſtica & confitentes Deo majorum ſuorum : quibus (ad teſtandum gratum erga Deum animum) & alios ſeptem dies addixerunt ; quos celebrârunt cum lætitia. (II. *Chron.* XXX. 23.)

Quum autem abſolviſſent omnia iſta, egreſſi ſunt omnes Iſraëlitæ qui præſentes fuerant (ſub finem menſis 2,) per civitates Judæ : & fregerunt ſtatuas, & ſuccidérunt lucos, deſtruxerúntque excelſa ac altaria è toto Judâ & Benjamine, etiam per Ephraimum & Manaſſem, usque dum abſolviſſent. Deinde reverſi ſunt omnes Iſraëlitæ, quiſque in poſſeſſionem ſuam per civitates ſuas. (II. *Chron.* XXXI. 1.)

Ezekias verò contudit etiam ſerpentem æneum quem fecerat Moſes (*Num.* XXI. 9.) eò quòd uſque ad dies illos Iſraëlitæ adolerent ei ; & per diminutionem ac contemptum *Nechuſhtan*, quaſi *æneum*, vocavit. (II. *Reg.* XVIII. 4.) Idémque Sacerdotes ac Levitas in ſuis muneribus & diſtributionibus reſtituens, de cibario eorum proſpexit ; revocatâ primitiarum decimarúmque lege. (II. *Chron.* XXXI.) Unde,

Menſe *tertio* primitiæ & decimæ deferri, & apud Sacerdotes acervatim depoſiti, cœptæ ſunt. (II. *Chron.* XXXI. 5, 6, 7.) — 2 — 5

3279 4. Menſe *ſeptimo* (quo collecta fructuum totius anni abſolvitur ; *Exod.* XXIII. 16.) oblatio primitiarum & decima-

Anno Mundi.		Anni Regum Juda.	Anni Regum Iſrael.		Anno Periodi Julianæ.	Annus ante æram Chriſtia.
	decimarum abſoluta eſt. (*Ibid.*) iiſque diſtribuendis curatores ab Ezekia præfecti ſunt. (II. *Chron.* XXXI.)					
	b.	3	6	Hoſea, communicato cum *Seo* rege Ægypti conſilio, annuum quod mittere ſolebat tributum Salmanaſaro recuſavit. (II. *Reg.* XVII. 4.) qui *Seus* vel *Sua* (ut eum appellat Hieronymus) non alius eſſe videtur quàm *Sabacon* Æthiops, 25. Ægyptiorum dynaſtiæ, quem Æthiopum fuiſſe retulit Manetho, primus. (de quo ſuprà, ad ann. Per. Jul. 3987.) Unde, *Æthiopibus* conſœderatum Hoſeam Chryſoſtomus, (in Johann. homil. 30.) & *regem Æthiopum, qui tum Ægyptum obtinebat, in auxilium* eum *accerſiviſſe*, libro 1 ſacræ Hiſtoriæ narrat Severus Sulpicius.	3989	725
3280	*b.*	4	7	Salmanaſar, compertâ Hoſeæ conſpiratione, primùm quidem Moabitarum agrum occupavit, (ne quid à tergo relinqueret quod ſibi damnoſum eſſet aut copiis ſuis:) duabus ſummis illius civitatibus, Are & Kir-hareſeth, exciſis; juxta Eſaiæ vaticinium, anno ante eventum tertio prædictum. (*Eſai.* XVI. *verſ.* 1. *& alt. cum notis Tremellii.*) Deinde totum regnum Iſraëliticum pervaſit: & aſcendens contra Samariam, anno 4 Ezekiæ & 7 Hoſeæ, (utroque ineunte) obſedit eam tribus annis. (*II. Reg. XVII.* 4, 5. *& XVIII.* 9.)	3990	724
		5	8			
3283	Mardocempadus in Babyloniâ regnare cœpit, poſt initium Nabonaſari annis 26, poſt exitum 12; ut ex Ptolemæi Regum Canone intelligimus. Ab Eſaiâ prophetâ *Merodac Baladan* filius *Baladan* nominatur: (*Eſai. XXXIX.* 1.) utpotè *Beleſis*, ſive *Nabonaſari*, vel filius vel (notiſſimo Hebraismo) nepos. Anno ejus primo Lunam Babylone defeciſſe notat idem Ptolemæus (libro 4 magnæ Syntaxeos, cap. 6.) anno 17 Nabonaſari, die 29 Thoth menſis Ægyptiaci; ſub finem videlicèt diei 19. noſtri Martii, horis duabus cum dimidio ante mediam noctem.	6	9	Sub finem anni tertii obſidionis, regnique Ezekiæ ſexti & Hoſeæ noni, Samariam cepit Salmanaſar: & deportavit Iſraëlitas in ditionem ſuam; collocavitque in Chalaeo, Chabore, Nehar-gozane, (quò Perææ incolas, ſive duas tribus & dimidiam trans Jordanem, priùs tranſtulerat Tiglath-pileſer; (I. *Chron. V.* 26.) & in civitatibus Mediæ. (II. *Reg. XVII.* 6. *& XVIII.* 9, 11.) Ἀρχὴ enim, quæ ante regiam poteſtatem Dejoci traditam apud Medos obtinuit, opportunitatem Aſſyrio miniſtraverat ad civitates eorum occupandas. Unde Tobit, ſive Tobias ſenior, qui ſe hoc tempore, cum Annâ uxore & Tobiâ filio & contribulibus ſuis Naphthalitis in regionem Aſſyriorum abductum, & Salmanaſaris obſonatorem ſive annonæ curatorem conſtitutum ibi fuiſſe dicit, in Mediam profectum ſe fuiſſe addit, & in primaria ejus civitate Rages apud Gabelum (agnatum ſuum, & è deportatis unum) decem argenti talenta depoſuiſſe. (*Tob. I.*) Atque hic finis fuit regni Iſraëlitici: poſtquàm 254 annis ſtetiſſet, à regno Judæ ſejunctum.	3993	721
3284	*b.* Anno 2 Mardocempadi, ſive Merodaci, altera Lunaris Eclipſis Babylone conſpecta eſt anno Nabonaſari 28 menſis Thoth die 18, mediâ nocte; incunte videlicèt Martii Juliani die 9,				3994	720
	d. feriâ 7, & poſt dies 176, cum horis 20 & dimidiâ, Eclipſis Lunæ tertiæ 15 die menſis Phamenoth, ſub finem 1 diei Septembris, fer. 1. tribus horis & dimidiâ ante mediam noctem. (*Ptolem. lib. 4. magnæ Syntax. cap. 6. & 7.*)					
3285	Sevechus Æthiops, Sabaconis filius, in Ægypto regnat ann. 14. (*African.*) Videtur Sethos eſſe Vulcani ſacerdos: de quo Herodotus, libro 2. cap. 141.				3995	719
3286	Candaules, uxorem ſatelliti ſuo Gygi Daſcyli filio immodeſtè ſpectandam exhibens, ab eo (ipsâ uxore ad id incitante) obtruncatus eſt: qui ejus non uxore ſolùm, ſed ſimul etiam cum eâ regno Lydiaco deinde potitus eſt. Cujus rei meminit Archilochus Parius, qui per idem tempus fuit, in iambo trimetro. Ita ab Heraclidis Lydorum regnum ad Mermnadas eſt translatum: in quorum familiâ per annos 170 manſit; ex quibus 38 in regno exegit ipſe Gyges. (*Herodot. lib. 1.*) Servilis eum conditionis fuiſſe, illa Cræſi abnepotis ipſius verba apud Xenophontem (Inſtitut. Cyri lib. 7.) arguunt. Τῶν ἐμῶν προγόνων ἀπὸ τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος ἄρχω τὴν βασιλείαν				3996	718

(d)

ἐγὼ ἀπὸ Γύγου. *Ex majoribus meis cum qui primus regno potitus est, annos fanal & regnum & libertatem esse consecutum.* Et regiarum pecudum pastorem fuisse, in libro 2. de Republica, affirmat Plato. Ejus nomen in Orientalium dialecto גוג, *Gog* vel *Goz*, dictum fuisse videtur.

3287 Gyges, regnum adeptus, Delphos donaria non pauca misit, urbem Mileto & Smyrnæ intulit, urbemque Colophonem vi cepit. [*Herodot. lib. 1. cap. 14.*] 3997 717

Elulæus Tyriorum rex deficientes Gittæos, cum classe eò profectus, sub imperium suum retraxit. Contra hos misso exercitu, Salmanasar Assyriorum rex Phœnicen totam invasit: factâ deinde pace, cum copiis domum reversus est. Paulò pòst, Sidon & Ace (Ptolemais posteà appellata) & Palætyrus, cum multis urbibus aliis, à Tyriis ad Assyriorum regem defecerunt. Et cùm soli Tyrii facere ejus imperata detrectarent, reversus est contra eos; Phœnicibus naves 60 (vel 70: ut apud Rufinum legitur) illi exhibentibus & remiges octingentos. Quibus occurrentes Tyrii cum duodecim navibus, disjectâ hostili classe, quingentos ex ea captivos abduxerunt: quo facinore non mediocrem rei navalis gloriam sibi comparaverunt. Revertens autem rex Assyrius, custodes ad fluvium & aquæ ductus disposuit, qui aquari Tyrios prohiberent: quod cùm per continuos *quinque* annos fieret, coacti sunt effossis puteis inde se sustentare. Hæc Menander Ephesius in suis Chronicis, ex Tyriorum annalibus in Græcam linguam translatis; à Josepho lib. IX. Antiq. cap. ult. citatus; ubi, pro *Elulæo*, in Rufino vetere Latino interprete *Hylysæus* legitur: unde Scaligero rex ille Tyriorum *Elisæus* dictus fuisse videtur; cui tamen in eo non assentior, quòd Cyprios à Menandro Κιτιαῖους hic vocari asserit: cùm Κιτιαῖων nomine *Gittæ* sive *Gathi* incolas, ille potiùs intellexerit; eâ appellatione in sacris literis satis notos. [II *Sam. XV.* 18. & XXI. 19. *collat. cum* I *Sam. XVII.* 4.] Quos etiam, ipsius hujus Elulæi sive Elisæi tempore, ab Ezekia rege Judæ subactos posteà fuisse, ex Josepho colligi posse videtur: qui cum Palæstinæ bellum intulisse, & partâ victoriâ omnes eorum urbes à Gitta usque Gazam suæ ditioni adjecisse scribit. (libri Antiquit. *IX.* cap. penultimo.) Sicut percussos ab eo fuisse Philistæos, usque Gazam & terminos ejus; ex (II. *Reg. XVIII.* 8.) extra omnem positum est controversiam. Adversus Tyrios verò, opibus & successibus suis hoc tempore insolescentes, edita est prophetia Esaiæ XXIII. 1.

Postquàm verò mortuus est Salmanasar, regnavit filius ejus Senacheribus pro eo. [*Tobi. I.* 18.] quem Herodotus, libro 2. & *Arabum* & *Assyriorum* regem appellat: fortè quòd Assyrii, cum Pereâ sive terrâ Gileadis, & Hamathâ sive Itureâ, contiguam etiam Arabiam vel Petræam vel Desertam tunc possiderent. *Iwvam* certè sive *Avam*, quam vel à se vel à majoribus suis subactam fuisse Senacheribus jactitat, [II. *Reg.* XVIII. 34. XIX. 13. & *Esai.* XXXVII. 13.] regionem Arabiæ Desertæ fuisse, Fr. Junius asserit. [in II. *Reg. XVII.* 24.] Et Esaias propheta, calamitatem quam sub Salmanasare Moabitæ passuri essent (de qua suprà, ad ann. M. 3278. & 3280.) prædicens; quæcunque illi recondidissent, ea *in vallem Arabum* Assyrios exportaturos fuisse denunciat. Berosus in Chaldaica sua historia [apud Josephum, lib. X. c. 1.) & apud *Assyrios* regnavisse, Senacheribum scripsit, & totam *Asiam* atque *Ægyptum* bello infestavisse. Toto verò *triennio* gestum ab eo fuisse bellum Ægyptiacum, & cum eo conjunctum Palæstinum, ex *Esaiæ cap.* XX. colligimus: in quo Propheta, deposito cilicio (i. vestimento suo Prophetico villoso, ut *Zachar.* XIII. 4.) à lumbis suis, & calceamento de pede suo, ita nudatus & discalceatus *triennio* incedere jussus est; in *signum & ostentum contra Ægyptios & contra Æthiopas:* quòd eo temporis spatio confecto, similem in modum superiore vestimento nudati & discalceati in captivitatem abducerentur à rege Assyriæ. Quod quidem mandatum Esaias accepisse dicitur, *anno quo Tartham, mittente eum Sargone rege Assyriæ, oppugnavit Asbodum & cepit eam.* [*Esai. XX.* 1.] Ubi per *Sargonem* intelligendus est ipse *Senacheribus*; inter cujus etiam duces, *Tartanem*, [II. *Reg.* XVIII. 17.] numeratum legimus: per *Asbodum* celebris illa *Azotus*, urbs Philistæorum; quos ab Ezekia subjugatos fuisse, ex [II. *Reg.* XVIII. 8.] & Josepho suprà audivimus.

3291 6. 4001 713

Quum autem jugum regis Assyriæ excussisset Ezekias, quod pater Achaz receperat, & servire illi recusâsset; (II. *Reg.* XVII. 7.) anno ejusdem 14, (ad finem vergente) Senacheribus regnum Judæ invadens, contra civitates ejus munitas castra posuit, & earum non paucas occupavit. [*Esai.* XXXVI. 1. II *Reg.* XVIII. 13. II *Chron.* XXXII. 1.] Et cùm de Hierosolymâ quoque oppugnandâ cogitare eum Ezekias animadverteret, inito cum dynastis suis consilio, obturandos curavit omnes fontes qui erant extra civitatem, & alveum aquæ Gichonis superiorem inundantem per medium regionis: deinde totum murum illum sub Amasiâ à Joaso rege Israëlis perruptum, & foris murum alterum extruxit, & confirmavit munitionem domûs Davidis; paravitque missilia copiosè & scuta. Et imposuit præfectos militares populo: congregatisque eis ad se in plateam portæ civitatis, gravissimâ oratione, adversùs metum regis Assyriæ & exercitus ejus illos confirmavit: [II. *Chron.* XXXII. 2,--8, 30.]

Diebus illis, Ezekias ex lethali ulcere decumbens, post mortem priùs per Esaiam prophetam illi denunciatam, fusis ad Deum precibus sanitatem & prorogationem regni in *quindecim* annos obtinuit. (*Esai.* XXXVIII. 1,--5, 21. II *Reg.* XX. 1,--7. II *Chron. XXXII.* 24.) Unde scriptam à se oden ille edidit: in qua primùm ægritudinem & perturbationem animi sui in morbo orationemque ad Deum exponit; deinde beneficium acceptum narrat, postremò fidem in Deum profitetur & gratias ei immortales spondet. [*Esai. XXXVIII.* 9,--20.] In sacrâ quidem Scripturâ post Senacheribi cædem historia hæc proponitur: sed generali tantùm temporis notatione adjectâ; *In illis diebus*; nam ante mortem illius eam contigisse, verba illa evincunt: *Addam diebus tuis quindecim annos; & è manu regis Assyriæ eripiam te & civitatem hanc, protegámque civitatem hanc.* [*Esai. XXXVIII.* 5,6. *II Reg. XX.* 6.] Quòd si ex 29 annis, quibus regnavit

Ezekias,

Ezekias, subducamus illos 15: in fine anni regni ejus 14 factum hoc fuisse comperiemus.

Signum verò salutis recuperandæ Ezekiæ postulanti à Deo indultum, fuit mirabilis illa umbræ Solaris in gradibus Achazi reductio: de qua in *Esai.* XXXVIII. 8. legimus. *Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quam descenderat in horologio Achaz in Sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est Sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Ita enim vertit Hieronymus: Hebræam vocem מעלות, quam Jonathan Chaldæus paraphrastes אבני-טעמי *lapidem horarum* interpretatus est, per *lineas* & *horologium* reddens. In commentario tamen ad hunc locum, Hebraicè *gradus* haberi notat: quod etiam in [II *Reg. XX.* 9.] sic expressit. *Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* Neque negligenda est, hisce longè antiquior, interpretatio Græca, quæ βαθμῶν & ἀναβαθμῶν vocibus hic usurpatis, non alios quàm scalarum ab Achazo extructarum gradus in historiâ hâc accipiendos esse innuit; quum ante captivitatem Babylonicam horarum usum apud Hebræos receptum fuisse, ostendi non possit: & Gnomonis horarii inventionem posterioribus Græcis, Anaximandro vel Anaximeni, (ut ad annum Mundi 3457. posteà videbitur) attribuant alii; quod tamen à Babyloniis illos accepisse, confirmat Herodoti ille locus, libro 2. cap. 109. Πόλον, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης, παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. *Polum, & gnomonem, & duodecim diei partes, à Babyloniis Græci didicerunt.*

Ad Solis autem regressum quod attinet: [*Esai.* XXXVIII. 8. *Ecclesiastic.* XLVIII. 26.] quemadmodum ad preces Josuæ Sole stante, simul etiam Luna stetisse dicitur: [*Josu.* X. 12, 13.] ita hic & Lunam & reliquam cœlestem machinam unà cum Sole retroactam esse apparet, tantúmque nocti detractum, quantum diei fuit additum. Licèt enim in partibus τῦ νυχθημέρου sive diei civilis anomalia exiterit admiranda: ita tamen divinâ providentiâ eam fuisse temperatam, ut constans & sibi perpetuò similis cœlestium corporum motus nullum inde detrimentum caperet, tres illæ Lunares Eclipses ex Ptolemæo à nobis paulò superiùs propositæ fidem faciunt; quarum calculus, à nostris temporibus retrò supputatus, idem nobis tempus exhibet quod a Chaldæis fuerat annotatum, perinde ac si nullus ejusmodi retrogradus Solis motus omninò interveniisset.

Incunte Ezekiæ anno regni (jam cum vita redintegrati) 15°, Merodac sive Berodac Baladan, filius Baladanis, rex Babyloniæ legatos ad eum cum muneribus misit, ut de prodigio illo (Solis regressu) inquirerent, quod fuerat in terrâ. Quibus cùm superbè thesauros suos ostentaret Ezekias: de futura deportatione Babylonica ita eum Deus per Esaiam præmonuit. *Ecce dies venturi sunt, quibus deportabitur quicquid est domi tuæ, & quod recondiderunt majores tui usque in diem hunc, in Babyloniam: non relinquetur quicquam, ait Dominus.* De filiorum quoque, quum nondum filium natum ille haberet, captivitate similiter adjiciens. *De filiis etiam tuis qui prodibunt ex te, quos genueris es, assument; ut sint eunuchi* (vel *aulici*) *in palatio regis Babyloniæ.* [*Esai.* XXXIX. II *Reg. XX.* 12,–19.] Sed quum se depressisset Ezekias pro elatione animi sui, ipse & habitatores Hierosolymorum; non obvenit eis fervens ira Domini diebus Ezekiæ. [II *Chron.* XXXII. 25, 26, 31.]

Mica quoque Morasthites temporibus Ezekiæ populo prophetabat; *Sionem ut agrum arandam, & Hierosolyma in acervos abitura, & montem ipsius domûs* Domini *in excelsa silvosa.* Sed rex Ezechias & totus populus Judæ, reveritus Dominum, faciem ejus deprecatus est: pœnituítque Dominum illius mali quod locutus fuerat contra eos. (*Mica. III.* 12. *Jer.* XXVI. 18, 19.)

3292 Attacum in Bythiniâ à Megarensibus fuisse conditam, incunte Olympiade XVII. refert Memnon, (*in Bibliotheca Photii, pag.* 374.) — 4 02 — 712

Senacheribum cum magnis copiis invasisse Ægyptum, & cum rege Serhone Vulcani Sacerdote (homine ignavissimo, & ob pietatem vel impiam superstitionem potiùs erga Deastrum suum tantùm celebri) bellum ibi gessisse; libro 2. historiarum suarum, cap. 141. narrat Herodotus: ubi & imaginem illius lapideam in templo Vulcani suo adhuc tempore conspectam fuisse addit, manu murem tenentem, atque hæc per literas dicentem; *In me quis intuens, pius esto.* Quod hieroglyphicum in gentis & in ordinis quoque sui honorem Ægyptii hierophantæ ita sunt interpretati: ac si pietate sua & precibus ad Deum suum fusis Setho, Rex idem & Sacerdos, hoc consecutus fuisset; ut Pelusii, in ipso Ægypti ingressu, habenas & scutorum lora inimici exercitus muribus nocte exedentibus, posterâ die arma exuti fugere omnes coacti fuerint, pluribus suorum amissis. Quicquid verò Pelusii contigerit; ad partes Ægypti interiores perrexisse Assyrios, & captivam inde multitudinem secum abduxisse, firmior sermo Propheticus nos edocet.

In hac expeditione peractum fuisse existimamus, quod de *Nô*, potentissimâ & munitissimâ Ægypti civitate, *Nahum c.* III 10 legimus. *Etiam hæc deportationi fuit, abiit in captivitatem, etiam parvuli ejus allisi sunt in capite omnium viarum; & super honoratos ejus projecerunt sortem; denique omnes magnates ejus vincti fuerunt compedibus.*

3294 *c.* In reliquâ quoque Ægypto similiter completum est, quod signo ante triennium dato *Esaiæ cap.* XX. 4. denunciatum fuerat. *Abducet rex Assyria captivam multitudinem Ægyptiorum, & deportandam turbam Æthiopum puerorum & senum, nudam & discalceatam.* Neque videmus, quare ad Judæos non sit referendum, quod in duobus sequentibus versibus subjicitur. *Et perterrefacti erubescent, ab Æthiopibus expectatione sua, & ab Ægyptiis gloriatione sua. Et dicet incola regionis hujus tempore illo: Ecce, ita habes expectatio nostra quo confugiebamus ad auxilium, ut erueremur à conspectu regis Assyriæ; & quomodo evaderemus nos?* Neque enim omninò sine causâ eâ de re ita eos commonefaciendos fuisse putavit legatus Assyrius. *Nunc, ecce fiduciam tuam habueris in scipione arundinis istius quassata, in Ægypto; quo si quis innixus fuerit, intrans volam ejus perforabit eam: ita est Pharao rex Ægypti omnibus fiduciam habentibus in* — 4004 — 710

ipso.

ipso. [II *Reg. XVIII.* 22.] Nam & eandem similitudinem de Ægyptiis & domo Israëlis ab ipso Deo usurpatam, in Ezechiele; [*c.* XXIX. 6, 7.] & multa adversùs vanam Judæorum in Ægyptiacis auxiliis confidentiam, in Esaiâ [*cap.* XXX. & XXXI.] prolata legimus; atque inter alia, hoc quoque. *Erit vobis robur Pharaonis pudori, & receptus iste in umbram Ægypti ignominiæ. Nam Ægyptii in vanum & inaniter adjuvabunt: idcirco proclamo de hoc: Robur eorum est, ut maneant domi.* [*Esai. XXX.* 3, 7.]

Senacheribus (ex Ægypto in Palæstinam reversus) Lacishum obsedit, & totus dominatus ejus cum ipso. [II *Chron. XXXII.* 9.] Ezechias Lacishum ad eum mittens, redimendæ pacis gratiâ, pretio cum illo paciscitur. Unde, excussis thesauris tum suis (quibus priùs tantoperè se exeluerat) tum domûs Domini, 300 talenta argenti & 30 auri pendit regi Assyriæ. Qui, acceptâ pecuniâ, non stans promissis, Tartanem, (qui Azotum cepit) Rabsaridum & Rabshakem, cum numerosis copiis, Lacisho mittit Hierosolymam. [II *Reg.* XVIII. 14,—17.]

Venientes illi Hierosolymam, substiterunt ad aquæductum piscinæ superioris, qui est in aggere agri fullonis: quumque inclamassent Regem, egressus est ad eos Eliakim filius Hilkiæ, qui præerat domui, & Shebna scriba, & Joach filius Asaphi à memoriâ. Quibus Urbem tradere renuentibus, Rabshakes, Ezekiam frustrà Deo confidere, se verò non sine Dei nutu arma sumpsisse, clamitat: multisque Deum Israëlis & Ezekiam servum ejus contumeliis afficiens, populum ad defectionem sollicitat. Quæ & proclamabant voce magnâ Judaicè populo Hierosolymitano qui erat super murum, ad metum incutiendum eis & ad turbandum eos: ut caperent civitatem. [*Esai.* XXXVI. II *Reg.* XVIII. *à vers.* 17. *ad fin. II Chron. XXXII.* 9,—18.]

Ezekias, hæc resciscens, laceratis vestimentis & induto cilicio domum Dei ingreditur: simúlque cum Eliakimo & Shebnâ seniores Sacerdotum tectos ciliciis ad Esaiam mittit, ut Deum hac de re consuleret & precibus sollicitaret. Qui illum consolatus; Assyriæ regem, audito rumore, reversurum in terram suam prædixit, ibique gladio occubiturum. Quod & rei eventus mox comprobavit. [*Esai.* XXXVII. 1,—7. II *Reg.* XIX, 1,—7.]

Rabshakes, re infectâ, ad Senacheribum reversus, eum relictâ Lacisho Libnam oppugnantem invenit. [*Esai. XXXVII.* 8. II *Reg. XIX.* 8.]

Tirhaka rex Æthiopiæ, non quidem Ægyptum & Syriam infestavit, (ut sine omni fundamento Scaliger pronuntiavit; in notis Eusebianis, pag. 72. & Canonib. Isagogicis, pag. 311.) sed Ægyptus potiùs & Judæis auxiliares copias mittit. Processisse enim eum, ut pugnaret contra Senacheribum, Scriptura indicat. [*Esai.* XXXVII. 9. II *Reg.* XIX. 9.] Hunc Strabo (libro I. & XV.) *Tearkonem Æthiopem* vocat: atque in Europam progressum, ad columnas Herculis accessisse, ex Megasthene rerum Indicarum scriptore, refert.

Senacheribus, rumore de adventu Tirhakæ audito, Libnâ moturus, minatorias & blasphemas literas ad Ezekiam mittit: de Deo Hierosolymorum locutus, ut de diis populorum terræ, opere manuum hominis. Quas in templo coram Domino explicans Ezekias, auxilium ejus contra Assyrium fusis precibus implorat. Responsum deinde per Esaiam accipit: Deum civitatem esse protecturum, neque obsessurum eam esse regem Assyriæ, sed viâ quâ venerat, eâdem reversurum. [*Esai.* XXXVII. 9,—35. II *Reg.* XIX. 9,—34. II *Chron.* XXXII. 17, 19, 20.]

Eadem verò nocte sub quam hæc Hierosolymis acta sunt (paucis verò diebus post partam contra Æthiopes victoriam; quam nunc contigisse ex Esaiæ XVIII. & XX. capite nonnulli colligunt:) mittens Deus angelum, excidit omnem valentem robore & antecessorem ac principem in castris regis Assyriæ: & quum surrexissent manè, inventa sunt centies octogies quinquies mille cadavera mortuorum. Unde, cum pudore vultûs, reversus Senacheribus in terram suam, consedit Nineves. Ubi fuit, ipso se incurvante in æde Nisroci Dei sui, Adramelech & Sharezer percusserunt eum gladio. Ipsi verò propipuerunt se in terram Ararati vel Armeniæ: & regnavit Esar-chaddon filius ejus pro eo. [*Esai.* XXXVII. 36, 37, 38. II *Reg.* XIX. 35, 36, 37. II *Chron.* XXXII. 21.] Quæ ab Esaia prænunciata fuerunt omnia, cap. XXXVII. & XXXI. 8, 9. etiam; ut quibusdam placet.

In primo capite libri Tobiæ, ad hanc historiæ partem pertinentia leguntur ista. Senacheribum, cùm reversus fuisset fugiens ex Judæa, odio habentem Israëlitas, multos eorum occidisse. Tobitum, sive Tobiam seniorem, corpora cæsorum furtim abrepta sepeliviss: & ob hoc à Ninevitarum quodam Regi delatum, alio se recepisse & abditum aliquandiu latuisse. Raptas interim omnes illius facultates fuisse: nihil illi relicto, præter Annam uxorem & Tobiam filium suum. Post dies 45 (vel, ante dies 55. ut habetur in Græco) occisum fuisse Senacheribum à filiis suis: illosque in montes Ararati fugientibus, in regno successisse filium ejus Esarchaddonem: perperam ibi in exemplaribus *Achirdon* vel *Sarchedon* nominatum. Novum denique regem omnibus rationibus patris sui, & toti procurationi, Achiacharum præfecisse, filium Hananeelis fratris Tobiti: ita ut non procurator solùm ille esset & rationarius, sed etiam à poculis, & ab annulo, & secundus à rege.

Ezechias ex Hephzibâ filium Manassem suscepit: post vitam propagatam tribus, ante mortem duodecim annis. [II *Reg.* XXI. 1. II *Chron.* XXXIII. 1.]

Quum Medi hucusque sine rege fuissent, & (Dejoce litigantium controversias judicare amplius recusante) rapinæ & scelera passim invaluissent: ἀναρχίας incommoda tandem sentientes (inter quæ non minimum illud fuit, quòd hac occasione arreptâ non paucas ipsorum urbes recuperavissent Assyrii: ut pag. 54. ad annum Mundi 3283 jam monuimus) Dejocis imperio se subjecerunt; annis ante Cyri initium 150, ut in lib. 1 author est Herodotus: quem (relicto Ctesiâ) secuti etiam hîc sunt Dionysius Halicarnassæus & Appianus Alexandrinus, in Romanarum suarum Historiarum exordio. Apud Diodorum Siculum in libro Bibliothecæ 2^m^ lapsu vel μεταπτώσει vel γραφικῶς *Cyaxaris* pro *Dejocis* nomine posito; à Medis electus Rex ille fuisse dicitur *circa annum* 2 *Olympiadis*

XVII, *juxta Herodotum*. A Cyri nimirùm exordio, quod ex illius ſententia in Olympiadis LV. initium, indéque in anni Periodi Julianæ 4154. medium, incidit, ſubductis annis 150, primus primi Medorum regis annus ab anni 3, Olympiadis XVII initio, & anni periodi Julianæ 4004 medio, deducendus relinquitur; deliberatione totâ, eámque ſubſecutâ electione, ſub finem anni 21, ejuſdem Olympiadis peractâ. Quam Medici imperii epocham rectè eſſe conſtitutam, ſingulorum Regum tempora, ab Herodoto aſſignata, cum Solari Eclipſi quæ Cyaxaris tempore contigit (ad annum Mundi 3403 deinceps commemorandâ) comparata, demonſtrabunt.

3295 *a*. Jubilæus *decimus quintus*: reliquorum omnium medius, & eorum qui poſt acta Salomonici Templi encænia celebrati ſunt lætiſſimus; tum ob tantæ liberationis tam recentem memoriam, tum ob omnimodam & Regis & populi proſperitatem, quæ eam ſtatim eſt ſubſecuta; adeò ut multi afferrent munera Domino Hieroſolymam; & res pretioſas Ezekiæ regi Judæ: nam elatus erat ante oculos omnium gentium poſteà; & ſecundatus in toto opere ſuo. [*II Chron. XXXII.* 23, 27, 30.] Populum denique Judæ liberatum ita agebat & moderabatur Deus undequaque; ut (ſecundùm ipſius promiſſionem) rurſus radicaretur infernè, & fructum proferret ſupernè. (*II. Chron. XXXII.* 22. *Eſai. XXXVII.* 31, 32.) Eſtque hujus Jubilæi conſideratio neceſſaria ad intellectum ſigni miſericordiæ divinæ ſuperiori anno Ezekiæ dati. *Comedetis hoc anno* ספיח *ſponte natum, & anno ſecundo* סחיש *ſponte renatum: anno verò tertio ſerite & metite, ac plantate vineas & comedite fructum earum.* [*Eſai. XXXVII.* 30. *II Reg. XIX.* 29.] Superioris enim anni meſſe ab hoſtibus in regione graſſantibus vel occupatâ [juxta comminationem, *Levit. XXVI.* 16. *Deuteron. XXVIII.* 33. *Jerem. V.* 17.] vel conculcatâ & devaſtatâ; è ſponte germinantibus victum ſibi comparare populum erat neceſſe. Hoc deinde anno, Jubilæi lege impediente, neque ſerere illi permiſſum erat neque metere: cùm aliàs, nullo interveniente anno Sabbatico, quò minùs hoc fieret nihil obſtaret; quum, Aſſyriorum ſtrage per Angelum editâ, bellum jam finitum eſſet. Anno verò ſequente, & ab hoſtibus metu omni liberatis & à Jubilæi religione ſolutis, ſecurè & impunè agriculturam exercere licuit.

b. Mardocempado, ſive Merodaco Baladani, poſtquàm 12 annos in Babyloniâ regnaſſet, ſuccedens Arkianus, (anno Nabonaſari 39) regnavit annis 5. [*Ptolem. in Regum Canone.*] — 4005 — 709

Parion (in orâ Helleſponti juxta *Lampſacum*) conditur. [*Euſeb. Chron.*] vel potiùs coloniâ eò deductâ, à Mileſiis & Erythræis, inſtauratur.

3296 Dejoces rex Medorum, anno 1 Olympiadis XVIII (quæ hoc anno acta eſt) Ecbatana condidit: ut in Græco Euſebii Chronico legimus. Ea, Ezræ VI. 2, *Achmetha*, à Creſiâ in Perſicis (Stephano Byzantino referente) *Agbatana* appellatur. Hujus ſtructuræ plenior deſcriptio in cap. 1. libri Judithæ habetur: ubi ab *Arphaxado* Medorum rege condita fuiſſe dicitur; ſicut à *Dejoce*, in Herodoto & ſcriptoribus aliis. Quod argumento eſt, utroque illo nomine unum & eundem regem deſignari: de quo plura, ad annum Mundi 3448. erunt dicenda. — 4006 — 708

3299 Taracus Æthiops (ſuprà ad annum M. 3294. Tirhaka dictus) in Ægypto regnat ann. 18. [*African.*] — 4009 — 705

3300 Poſt Arkianum, apud Babylonios biennii Interregnum fuit. [*Ptol. Reg. Canon.*] — 4010 — 704

3302 Belibus [al. Belithus, & Belelus] Babyloniorum regnum obtinuit, ann. 3. [*Ibid.*] — 4011 — 703

3305 Apronadius apud eoſdem regnat, ann. 6. [*Ibid.*] — 4014 — 700

3306 *c*. Ezekiam ſepelientes in ſuperiore parte ſepulcrorum poſterorum Davidis, honore affecerunt eum in morte ejus totus Juda & habitatores Hieroſolymorum. [*II Chron. XXXII.* 33.] Cui ſuccedens filius Manaſſes, 55 annis regnavit. [*II Reg. XXI.* 1. *II Chron. XXXIII.* 1.] Hic rursùs ædificavit excelſa quæ demolitus fuerat Ezekias pater ipſius, extruxit altaria toti exercitui cœlorum in duobus atriis domûs Domini, tradoxit filium ſuum per ignem in valle filii Hinnomi, divinationibus & conjectationibus & præſtigiis uſus eſt, collocavit ſculptile ſimulacrum in templo Dei: fecitque ut aberrarent Juda & habitatores Hieroſolymorum, faciendo malum ampliùs quàm gentes quas perdiderat Dominus à conſpectu Iſraëlitarum. [II *Reg.* XXI. 2,-11. II *Chron.* XXXIII. 2,-9.] Inſuper etiam ſanguinem innoxium fudit quamplurimum, uſque adeò ut impleret Hieroſolyma confertim: præter peccatum ſuum quo ad peccandum induxit Judam, ut faceret quod malum videtur in oculis Domini. [II *Reg.* XXI. 16. & XXIV. 4.] In qua ſanguinis innoxii effuſione, illa prophetæ Eſaiæ præcipuè memoratur: quem ſerrâ ligneâ medium ab eo fuiſſe diſſectum, Talmud Babylonicum in tract. יבמות, Juſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone, Hieronymus in Eſai. cap. 20. & 57. & noſtrorum alii, illud ἐπρίσθησαν Apoſtoli, *Heb.* XI. 37. ad Eſaiæ martyrium accommodantes. Propter quæ omnia comminatus eſt Deus, ſe *extenſurum ſuper Hieroſolyma regulam Samariæ & perpendiculum domûs Achabi; atque abſterſurum ſe Hieroſolyma, ut qui abſtergere ſolet gabatam, abſtergit, deinde ſubvertit eam in os.* [*II Reg. XXI.* 13.]

3311 Rigebelus apud Babylonios regnat, ann. 1. [*Ptol. Reg. Canon.*] — 4020 — 694

3312 Meſeſſimordakus apud eoſdem regnat, ann. 4. [*Ibid.*] — 4021 — 693

3316 Interregnum apud Babylonios fuit, annorum. 8. [*Ibid.*] — 4025 — 689

Dejoces Medorum imperium uſque ad Halym fluvium propagavit, annis ante finem Aſtyagis 128. ut ex Herodoto colligitur. (*Lib. 1. cap. 130.*) — 4026 — 688

Olympiade XXIII. Heroſtratus Naucratites ex Ægypto mercator, ad Paphon Cypri nave appulsâ, Veneris imagunculam, magnitudine palmi, operis vetuſti, emiſſe dicitur; ejúſque virtute à ſubita tempeſtate magno miraculo liberatus, Naucratin devectam in æde Veneris apparatu ſolenni eandem conſecraviſſe: ut Apud Athenæum, & ipſum Naucratitem, in libro XV. Dipnoſophiſt. legitur. Verùm, ſi Strabonem in libro XVII. audimus, nulla eo tempore in Ægypto erat Naucratis: quippe non ante Cyaxaris Medi & ejus æqualis Pſammitichi Ægyptii regis tempora à Mileſiis conſtructa.

Rebus

3317 Rebus turbatis, duorum annorum in Ægypto ἀναρχία fuit. [*Diodor. Sicul. lib.* 1.] 4027 687

3319 Δωδεκαρχία, poſt eam, in Ægyptum eſt introducta, ſive Duodecim virorum principatus, communi conſilio regnum adminiſtrantium: de quo Herodotus, lib. 2. cap. 147. & Diodor. lib. 1. qui 15 annis ariſtocratiam hanc duraviſſe notat. Ad eam verò ſpectare exiſtimat Tremellius prophetiam oneroſam Ægypti, in Eſaiæ capite XIX. propoſitam: in cujus verſiculo 5 & 6, de Nilo exſiccando hæc etiam legitur prædictio. *Deperdent aquas ne influant in mare, adeò ut fluvius ſiccetur & areſcat: & retrò abjicientes flumina, exhaurient & ſiccabunt rivos ductos aggeribus*; quod, ex Herodoto, ſic exponit Tremellius. Duodecim illi reguli *omnia opera naturæ, miſeri ſui populi operâ, oppugnabunt, & aquas Nili avertent vel ad ſiccitatem uſque; ut ſtagnum Mœris cum ſuis Pyramidibus & Labyrintho perficiant*; *adducti ſolâ libidine animi ſui*. Scaliger verò [in Canonib. Iſagogic. pag. 311.] de *ſiccitate* intelligit *tantâ futurâ, ut Nilus diebus æſtivis nulla incrementa caperet, neque Ægyptum irrigaret*: & ad ſuperiora *Soi* ſive *Sabaconis* tempora prophetiam refert. 4029 685

3323 *c.* Deficiente Babyloniorum ſtirpe regiâ, poſt octo annorum interregnum, Eſarchaddon rex Aſſyriæ ſub antiquum eos jugum reduxit; & occupato Babyloniæ regno, per 13 annos illud obtinuit: quemadmodum ex Canone Regum Ptolemaico didicimus. Illius enim *Aſſaradinum* noſtrum eſſe *Eſarchaddonem*, non ipſum nomen modò, ſed etiam ſacræ hiſtoriæ demonſtrat conſenſus; quæ eum *Aſſyriæ* ſimul & *Babyloniæ* regem fuiſſe, non obſcurè indicat; ut paulò pòſt, ad annum M. 3327 videbimus. 4033 681

3324 Ardys, Gygis filius, apud Lydos regnavit ann. 49. Hic Prienenſes expugnavit, & Miletum invaſit. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 15.] 4034 680

3327 In Siciliâ Gela, in Pamphyliâ Phaſelis conditæ. [*Euſeb. Chron.*] à duobus fratribus, Antiphemo & Lacio: quibus de habitationis loco Delphicum oraculum conſulentibus reſponſum fuiſſe, ut hic orientem, ille occidentem versùs navigaret, ex Ariſtæneti Commentario primo de Phaſelide refert Stephanus Byzantinus, in Γέλα. Heropythus in libro de Colophoniorum finibus, de Phaſelidis ædificatione agens, tradit *Lacium*, qui eò colonſam deduxit, Cylabræ paſtori ad pabula tum illic oves agenti, ſoli in quo urbem ædificavit pretium dediſſe ſalſamenta, quæ ille poposcerat. Pleniùs verò Philoſtephanus in libro primo de civitatibus Aſiæ narrat, *Lacium* Argivum, unum ex iis qui cum Mopſo (Colophonis conditore) profecti fuerant, & quem Lindium fuiſſe quidam aiunt, fratrem *Antiphemi* Gelæ conditoris (quem etiam Lindium è Rhodo fuiſſe, libro 7 Herodotus, & in libro 6 Thucydides confirmant) à Mopſo cum vitis quibusdam miſſum, oraculo & juſſu Mantus, Mopſi matris, quia navium ipſius puppes ad Chelidonias inſulas diffractæ colliſu fuiſſent, cum ſociis retardatum ſeriùs noctu appuliſſe; emiſſeque terram ubi extructum oppidum eſt, ut Manto prædixerat, à Cylabrâ quodam, dato ſalſamento, quod ex omni commeatu nautico is habere maluit. (*Athenæ. Dipnoſophiſt. lib.* 7.) 4037 677

Completa eſt prophetia, initio regni Achazi, ab Eſaiâ promulgata: *Intra ſexaginta quinque annos atteretur Ephraim, ut non ſit populus.* [*Eſai. VII.* 8.] Etſi enim à Salmanaſare maxima pars populi ante annos 44. deportata fuerat, & regnum planè abolitum: inter reliquias tamen, quæ in terra ſua remanſerant, Reipublicæ aliqua facies adhuc retenta eſt. Tùm verò deſiit eſſe populus, quum tenues illæ Ephraimitarum reliquiæ peregrinorum adventantium multitudine penè ſunt obrutæ: [ex avitis enim ſedibus ejectas planè non fuiſſe, ex Joſiæ hiſtoriâ liquet, II *Chron.* XXXIV. 6, 7, 33. & XXXV. 18. *cum* II *Reg.* XXIII. 19, 20.] novis colonis è *Babele*, *Cuthâ*, *Havâ*, *Hamathâ* & *Sepharvaimis*, in Samariâ collocatis; qui ex hæreditario deinceps jure poſſidentes Samariam, habitabant in civitatibus ejus. [II *Reg.* XVII. 24.] quod ab *Eſarchaddone* rege *Aſſyriæ*, qui & *Aſnappar magnus & glorioſus* dictus eſt, jam factum, ex ipſorum Cuthæorum confeſſione, (*Ezræ* IV. 2, 10.) intelligimus.

Eodem (ut videtur) tempore & eâdem operâ quâ in tertâ Iſraeliticâ iſta ſunt geſta, ex Samaria in vicinam Judæam progreſſi principes exercitûs regis *Aſſyriæ*, Manaſſem regem in vepretis quibuſdam latitantem ceperunt; & chalybeis compedibus vinctum *Babylonem* deduxerunt. [II *Chron.* XXXIII. 11.] Quam Judææ etiam illatam cladem, ex eâdem illâ ipſa Eſaiæ prophetiâ nonnulli ita eliciunt. *Intra* LXV. *annum conteretur Ephraim, ne ſit amplius populus. Et caput Ephraimi Samaria, & caput Samariæ filius Remaliæ: & vos ipſi, niſi credideritis, non confirmabimini*, id eſt, conteremini vos quoque; ut Jacobus Cappellus notavit in ſuo Chronico. Ubi Hebræos etiam addit, in Seder Olam Rabba, & Thalmudicos Doctores, (à D. Kimchi in Ezechielis cap. IV. citatos) ſimiliter tradere; Manaſſem anno regni XXII. abductum eſſe captivum Babylonem, & XXXIII. annis ante ſuum obitum egiſſe pœnitentiam; quâ actâ, Deum in libertatem atque regnum ipſum reſtituiſſe Scriptura confirmat. [II *Chron.* XXXIII. 12, 13.] Brevem enim fuiſſe captivitatem illam, ex eo colligitur, quòd (nullâ illius ratione habitâ) 55 nihilominùs annis regnaviſſe legatur Hieroſolymis. (II *Reg.* XXI. 1. II *Chron.* XXXIII. 1.)

Novi coloni Samaritani, quum in habitationis ſuæ principio Deum Iſraëlis non colerent, à leonibus infeſtati ſunt. Quod reſciſcens rex Aſſyriæ, unum ex deportatis è Samaria Sacerdotibus ad illos remittendum curavit: qui, Bethele reſidens, docebat eos quomodo Deum colerent; ſecundùm Jeroboami ritum ſcilicèt. Illi verò, cum novo ſuo vitulo, vetera etiam idola ſua adorantes, & reveriti fuiſſe Dominum dicuntur & non reveriti: quum inter πολυθεότητα & ἀθεότητα non multum admodùm intereſſe deprehendatur. [II *Reg.* XVII. 25, 33, 41.] Atque hæc perpetuarum illarum litium inter Judæos & Samaritanos prima origo fuit. [*Ezra IV.* 1. *Nehem. IV.* 2. *Johann. IV.* 9.]

3329 Chalcedon (ſive Calchedon, ut in antiquis nummis nominatur) condita eſt; [*Euſeb. Chron.*] à Megarenſibus, in oſtio Ponti, inter Bithynos Thracas Aſiam incolentes. (*Thucyd. lib.* 4. *Strabo lib.* 12.) 4039 675

3334 Pſammitichus Saites, Neconis (à Sabbaco Æthiope interempti) filius, duodecim illorum 4044 670

Ægypti tyrannorum unus, regnum tandem solus adeptus, per annos 54 illud obtinuit. [*Herodot. lib.* 2. *cap.* 152. & 157.] Quò spectare putatur vaticinium illud, [*Esaiæ* XIX. 4. *Concludam Ægyptios in manum Dominorum durè dominantium; donec Rex rigidus dominetur in eos.* Psammitichus enim ab undecim reliquis in paludes mari vicinas relegatus, conductis ex Arabia militibus, atque Ionum ac Carum piratis, qui mare infestum habuerant, Ægyptiis illis qui secum sentiebant adjunctis; collatâ apud urbem Momemphim acie, adversæ partis reges superavit: aliis eorum in pugnâ cæsis, in Libyam fugâ dilapsis aliis. Auxiliares Iones & Cares locum, à castris suis Στρατόπεδα dictum, aliquantulùm suprà urbem Bubastim & ostium Nili Pelusiacum, incolendum acceperunt: Græcisque deinceps, & aliis peregrinis, in Ægyptum aditus est patefactus. [*Herodot. lib.* 2. *Diodor. lib.* 1.] Psammitichum etiam magnam urbem Syriæ Azotum, post 29 annorum obsidionem, tandem expugnavisse, idem narrat Herodotus: [*Ibid. cap.* 157.] Ashdodum nimirùm illam, quam intra unius anni spatium à Tarthane regis Assyriæ satrapâ captam fuisse, superiùs (ad annum M. 3291) dictum est; quæque à Psammitichо tantoperè est imminuta, ut *residuum Ashdodi* tantùm suo tempore superfuisse Jeremias innuat. [*Jerem. XXV.* 20.] * In expeditione verò Syriacâ, cùm externos in acie præferens Psammitichus in dextrâ collocaret parte, popularibus autem neglectiùs habitis sinistrum attribueret locum: Ægyptii hac indignitate permoti plures quàm 200000. ab eo deficientes, in optimo Æthiopiæ tractu novas ad incolendum sedes sibi vendicarunt. [*Diodor. lib.* 1.] Multos quoque Judæos auxiliarios missos esse ad Psammitichum, bellum cum Æthiopum Rege gerentem; apud Aristeam in libello de LXX Interpretib. legimus. *

3336 Post Assaradinum sive Esarchaddonem, imperium Assyriacum simul & Babylonicum administravit Saosduchinus, annis 20. [*Ptolem. Can. Regum.*] Hic in libro Judithæ (à *Babylonensi* aliquo Judæo Chaldaicè scripto) quasi communi regum *Babylonicorum* nomine, Nabuchadonosor appellatur: qui tamen & rex *Assyriorum* ibi dicitur, & in civitate magnâ *Ninives* regnavisse traditur. [*Judith.* I. 1.] Ubi vir clarissimus Fr. Junius illum potiùs intelligendum existimat, *quem Scriptura vocat Merodac Baladanem, avum Nebucadnetzaris illius qui fuit magni Nebucadnetzaris pater; per quem Manasses rex Judæa captus, in Babyloniam deportatus, ac postremò vinculis solutus est. Is enim* (inquit) *rex Babyloniæ primùm, posteà verò Assyriæ quoque effectus est; succedens in regnum Esarchaddoni magno, quum fratres ultimi parricidâ regno indigni haberentur: unde tota Asia mutuis bellis exarsit diutissime.* Ex Anniano nimirùm Pseudo-Metasthene primùm hausta est illa *Asar-Adonis, Merodachi, Ben-Merodachi, Nabuchodonosori* primi & alterius, continuata successio. Reverâ enim Merodachus, neque Nebucadnetzaris (sive Nabopollassari potiùs) patris Nebucadnetzaris magni avus fuit, neque Manassem in captivitatem abduxit, neque priùs fiduciarius Assyrii (ut ad II *Reg.* XX. 12. annotat Junius) tandem Assyriorum & Babyloniorum monarcha effectus; neque in ullo omninò regno Esarchaddoni magno successit; quam Mardocempadum sive Merodachum hunc ante initium Manassis annis undecim regnare desiisse, & anno demùm post exitum illius 42 Assaradinum sive Esarchaddonem in regno (Assyriaco æquè ac Babylonico) Saosduchinum successorem reliquisse; ex Canone Regum Ptolemaico jam docuerimus. Quem si vidisset vir tot eruditionis ita etiam & modestiæ singularis; sententiam suam mutaturum illum fuisse, non est quod dubitemus. Monendum de hoc nihilominùs Lectorem censuimus: ne, ex re nunquam gestâ, propheriæ Ezekielis c. XXXI. vers. 11. vel 18 (ut ille distinguit) interpretationem illam adaptari potuisse putaret. *Esarchaddon Assyrius per Berodac-baladanem Babylonium oppressus est & ejectus; quamobrem defecerunt ab eo omnes, plurimique ad Babylonium transfugerunt,* sequenti versu. *adeò ut jam regio Assyriæ ignominiosissimè tereretur pedibus omnium, & in contemptum venisset,* vers. 20. 4046 668

3339 *c.* Meshullemeth, filia Haruzi è Jotbâ, Manassi peperit Amonem filium: qui 22. annorum fuit, quum regnare inciperet. [II *Reg. XXI.* 19.] 4049 665

3344 *a.* Jubilæus *decimus sextus.* 4053 661

3347 *c.* Nabuchodonosor rex Assyriorum, anno regni sui *duodecimo*, Arphaxadum Medorum regem, Ecbatanorum conditorem, prælio superavisse dicitur, in magno campo Ragau, circa Euphratem, & Tigrim & Jadason in campo Erioch regis Eliciorum. Sic enim in capite primo libri Judith legitur: quem Paulæ & Eustochii rogatu ex Chaldæo in Latinum transtulit Hieronymus. Qui verò Græcè, multis mutatis & additis, librum illum nobis dedit, primùm quidem Nabuchodonosorem anno regni sui *duodecimo*, contra regem Arphaxadum bellum gessisse narrat in planitie magnâ, quæ est in finibus Ragau: convenientibus ad prælium omnibus qui incolebant montana, & omnibus accolentibus Euphratem, & Tigrim & Hydaspen, & planitiem Arioch regis Elymæorum. Sed posteà quasi sui oblitus, aciem cum copiarum suarum contra Arphaxadum instruxisse tradit anno *decimo septimo*: & in prælio superiorem factum, spoliatis Ecbatanis, ipsum Arphaxadum in montanis Ragau captum confixisse jaculis suis; ac demùm, rebus omnibus ex animi sententiâ confectis, Niniven rediisse, ibique cum copiis suis per 120 dies convivarum fuisse scribit. Ubi notandum, Dejocis exitum juxta Herodotum, circa initium quoque *duodecimi* Saosduchini anni contigisse: quod magno argumento est, non alios esse Saosduchinum & Dejocem, quàm Nabuchodonosorem & Arphaxadum libri Judithæ. Nullo enim fundamento Fr. Junii nititur sententia: qui, Medicorum regum successionem commentitiam Ctesiæ fabulatoris & larvati Metasthenis cum germanâ Herodoti historiæ patris frustrà conciliare conatus, Mediâ divisâ, unam artem *Dejocem* obtinuisse affirmat, *Arjocum* hìc dictum: (*notat. in Judith. I. 6. & Jerem.* XLIX. 34.) alteram *Artecarmin* [Ctesiæ *Artycam*] hìc *Arphaxadum* appellatum, quem regnum suum Ecbatanis confirmavisse dicit, ut eo propugnaculo fretus, tum Dejoci regi, tum irrumpentibus aliis hostibus obsisteret: quum, si talis divisio instituta fuisset (quæ nunquàm fuit:) non Arjoco vel Artecarmi sed Dejoci, & nomen Arphaxadi, & regnum Ecbatanorum

fuisset 4057 657

fuiſſet tribuendum. Ecbatanorum enim Arphaxadum liber Judithæ, Dejocem Herodotus & alii, Arjocum vel Artecarmin conditorem fuiſſe nullus omninò prodidit.

Poſt Dejocem, Phraortes ejus filius annis 22 regnavit. [*Herodot. lib. 1. cap.* 102.]

3348 *c.* Nabuchodonoſorus (ſive Saoſduchinus) Aſſyriorum rex, proximo poſt Arphaxadi ſive Dejocis cladem anno (qui *Judithæ II.* 1. in Chaldaico quidem regni illius 13 in Græco 18 numeratur) die 22 menſis primi, de gentibus debellandis & imperio ſuo ſubjiciendis conſilium iniiſſe dicitur: Holopherne magni ſui exercitûs Duce conſtituto; Qui Bethuliam (ſive Bethhoglam) urbem Judææ arctâ obſidione cingens, à Judithâ Simeonitide, poſt mortem Manaſſis viri ſui (tempore meſſis hordeaceæ defuncti) annis tribus & menſibus ſex (vel quatuor, ut Græca habet editio) in viduitate ibidem vitam peragente, capite truncatus occubuit. [*Judith. II. VIII. & XIII.*] 4058 656

3349 Iſtrus & Boryſthenes in Ponto, Lampſacus in Helleſponto, & Abdera in Thraciâ conditæ, [*Euſeb. Chron.*] Ex Ioniâ nempe, Mileſii Boryſthenem, Phocæenſes Lampſacum, Clazomenii Abderam condiderunt. Solinus cap. 10. Abderam primùm à *Diomedis ſorore* conditam fuiſſe refert, deinde *ſenio collapſam*, *Olympiade* LI. (quæ præcedente anno eſt acta) à *Clazomeniis ad majorem faciem reſtitutam*; cujus coloniæ ductorem *Timeſium Clazomenium*, ex Herodoto (*lib. 1. cap.* 168.) fuiſſe diximus: qui addit tamen, eum à Thracibus expulſum, opus perficere non potuiſſe. 4059 655

3355 *c.* Amoni, ex Fedidâ filiâ Hadaiæ Boſcathæâ, natus eſt filius Joſias; qui 8. annorum fuit, quum regnare inciperet. [II. *Reg.* XXII. 1.] 4065 649

3356 *c.* Saoſduchino, in regno Babylonico ſimul & Aſſyrio, ſuccedens Chynaladanus, annis 22 imperat. [*Canon. Reg. Ptolem.*] Alexander Polyhiſtor *Saracum* eum appellat: quod nomen, ut & Saracenicæ gentis, *latronem* denotat. 4066 648

Grinus Æſanii filius, Theræ inſulæ rex, oraculo Delphico urbem in Libyâ condere juſſus eſt. Quo neglecto, [quòd ubi terrarum Lybia eſſet ignoraretur] per ſeptem annos in Therâ non pluiſſe dicitur, omnéſque arbores, præter unam, exaruiſſe. [*Herodot. lib. 4. cap.* 150, 151.]

3361 *c.* Manaſſes, ex captivitate redux, cultu Dei [quem labefactaverat] ex parte inſtaurato, mortuus eſt: & in horto domûs ſuæ ſepultus. [II. *Chron.* XXXIII. II. *Reg.* XXI. 18.] ex teſtamento (ut credibile eſt) aut voluntate ultimâ ipſius: tanquàm ſi reſipiſcens tum demùm agnoviſſet ac profeſſus eſſet indignum eſſe ſe, qui cum majoribus in ſepulchro Regum reponeretur. [*Tremell.*] 4071 643

Poſt eum, filius Amon biennio regnavit: qui, derelicto Deo majorum ſuorum, omnibus ſculptilibus, quæ fecerat pater ipſius, ſacrificabat & colebat ea. Verùm non depreſſit ſe coram Domino, ſicut pater ipſius: ſed auxit reatum. [II. *Reg. XXI.* 19, 20, 21. II *Chron. XXXIII.* 21, 22, 23.]

3363 *c.* Impius Amon, proditione domeſticorum ſuorum, in domo ſuâ occiſus eſt; & in horto Uzzæ [cum patre Manaſſe] ſepultus eſt. Perculſitque populus omnes qui conſpiraverant contra eum. [II. *Reg. XXI.* 23, 24, 26. II *Chron. XXXIII.* 24, 25.] 4073 641

Poſt eum filius Joſias, puer octo annorum, rex conſtituitur, annos 31. regnavit. [II *Reg. XXII.* 1. II *Chron.* XXXIV. 1.]

Thærei, ſeptennali ſiccitate fatigati, Corobium purpurarium quendam, qui ad Plataeam inſulam Libyæ ventis aliquando abreptus fuerat, ex Itano urbe Cretæ mercede conductum, cum ſuorum aliquibus ad eam inſulam explorandam iterùm miſerunt: qui, eo cum aliquot menſium cibariis ibi relicto, quàm celerrimè redierunt, ut ſuis quæ invenerant renunciarent. Sed his ultra præſtitutum tempus redire differentibus, appulſa eò ex Ægypto veniens navis Sami (cujus gubernator erat Colæus) cibaria in annum Corobio reliquit: quæ deinde vento abrepta, & Herculeas columnas tranſvecta, Tartelſum pervenit. *Herodot. lib.* 4. *cap.* 151, 152.

3364 Theræi, è ſeptem ſuis oppidis colonis ſorte delectis, cum duabus eos biremibus, duce Batto, (alio nomine Ariſtotele vel Ariſteâ nominato) in Plataeam miſerunt. [*Idem. ibid. cap.* 153. & 156.] 4074 640

Thales, Examii filius, Mileti in Ioniâ naſcitur, Olympiadis XXXV. anno primo ut ex Apollodori Chronico refert in ejus Vitâ [*Laertius.*]

Cimmerii, à Scythis Nomadibus ejecti è ſedibus ſuis, ex Europa in Aſiam tranſierunt, ita ſemper ſecundùm mare tenentes: Sardéſque Lydiæ, præter arcem ceperunt; Ardye Gygis filio ibidem tùm regnante. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 15. & 103. & *lib.* 4. *cap.* 1. & 12.]

3366 Theræi, quum per biennium Plataeam incoluiſſent, uno è ſuis ibi relicto, Delphos navigaverunt, oraculum ſciſcitaturi, quid ita ſecum in Lybiam profectis nihilo tamen melius ageretur. Acceptóque reſponſo, ad urbem Lybiæ (ſicut eis injunctum fuerat) nondum illos conceſſiſſe: in Plataeam reverſi, recepto quem ibi reliquerant, incoluerunt locum in Libyâ è regione inſulæ, nomine Aziriſtum; amoeniſſimis collibus utrinque concluſum, & utrinque flumine prætereunte. [*Herodot. lib.* 4. *cap.* 157.] Ibi, circa Heſperidum hortos Syrtimque majorem, imbre piceo madefactâ tellure, ſilphii ſive laſeris plantam repentè natam Cyrenæi referunt, ſeptem ante urbem ſuam conditam annis. *Theophraſt. Plantar. hiſtor. lib.* 6. *Plin. natur. hiſtor. lib.* 19. *cap.* 3.] 4076 638

3369 Phraortes Medorum rex, in obſidione Ninives, cum magnâ exercitûs parte periit. Cui Cyaxares filius ſuccedens, annis 40. regnum obtinuit: in cujus initio, necem paternam ulturus, totâ ſupra Halyn fluvium Aſiâ ſibi conciliatâ, bellum contra Aſſyrios inſtauravit. [*Herodot. lib.* 1.] 4079 635

3370 *a.* Joſias anno ætatis 16, ex Zebudda Pedaiæ è Ruma, filium ſuſcepit Eliakimum: qui 25. annorum fuit, quum regnare inciperet. [II. *Reg.* XXIII. 36.]

Anno Mundi.		Anno Periodi Julianæ.	Annus ante æram Christi.
	c. Idem octavo regni sui anno, quum esset adhuc puer, (& puer tamen) cœpit quærere Deum Davidis patris sui. [II *Chron. XXXIV.* 3.]	4080	634
	Cyaxares prælio superavit Assyrios. Cui Niniven deinde obsidenti ingruit ingens Scytharum exercitus; qui Cimmerios ex Europâ ejectos prosecuti, à Mæotide palude profecti, Caucaso monte ad dextram relicto, in Mediam penetrarunt: rege Madye, Protothyæ filio, duce. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 104. *lib.* 2. *cap.* 1. *& lib.* 7. *cap.* 20.] Qui *Indathyrsus* ille Scytha est; quem, ex Scythia cumpentem, Asiam ad Ægyptum usque invasisse, ex Megasthene Strabo, sub initium libri Geographiæ suæ 15, & Arrianus, in rerum Indicarum libro, referunt: *Indathyrso* illi Scytharum regi cognominis; adversùs quem Darium Hystaspis filium expeditionem infeliciter posteà instituisse legimus. [*Herodot. lib.* 4. *cap.* 76. 126, 127.] Hìc verò Medi, cum Scythis congressi prælioque fusi, superioris Asiæ imperium amiserunt: quod deinde Scythæ 28 annis obtinuerunt. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 104. *& lib.* 4. *cap.* 1.] Quò prophetiam illam referunt Tremellius & Junius, [*Nahum* II. 5.] *Recensebit* [Cyaxares, Niniven obsidens] *magnificos suos*; sed illi *corruent in ambulatione illorum*, Scytharum sc. quorum expeditio, ambulatio potiùs & velitaris cursus; quàm dominatio & administratio dicenda erat: [quippe qui Mediam, Assyriam, Asiamque spatio annorum 28 percurrerunt, occuparunt atque amiserunt:] *festinabunt ad murum illius, quasi paratus fuisset protector.* i. festinanter volabunt in oppidum, quasi ipsum à Cyaxaris violentia liberaturi & porrò protecturi essent.		
3371	c. Shallum, sive Jehoachaz, patrem habens Josiam, matrem Hamitalem filiam Jeremiæ è Libnâ, natus est. Eum enim 23 annos natum, senioribus fratribus posthabitis, populus regem patris loco constituit. [II. *Reg.* XXIII. 30, 31.] *Shallumi* nomine, ut videtur, melioris ominis causâ, in aliud mutato: quòd commune illud ei fuisset cum *Shallumo* Jabeshi filio; qui unico tantùm mense regno potitus, à Manahemo est occisus. [II *Reg. XV.* 13, 14.] Ex quatuor verò Josiæ filiis, [I. *Chron.* III. 15.] commemoratis, *Shallumum* hunc esse, postremo loco nominatum, ex [*Jerem.* XXII. 11, 12. *cum* II. *Reg.* XXIII. 33, 34. & II. *Chron.* XXXVI. 3, 4.] collato, appareat; non *Johananem primogenitum*, ut nonnulli existimant. Nam *primogenitum* non fuisse Jehoachazum, tum ex eo colligitur, quòd à populo *unctus* fuisse dicatur, [II *Reg.* XXIII. 30.] quum ungi non solerent filii regum primogeniti, ad quos jure ordinario regni hæreditas spectabat: tum ex ætate illa 23 annorum, quam unctionis suæ tempore egisse dicitur; quum post trimestre spatium substitutus illi frater Eliakim, 25 annorum fuisse legatur. Unde eum Jehoachazo seniorem fuisse liquet: quod & in libro X. Antiquit. cap. 6. (al. 7.) Josephus confirmat.	4081	633
3373	Sadyattes, Ardyis filius, apud Lydos annis 12 regnavit. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 16.]	4083	631
	Scythæ universâ Asiâ superiore potiti, hinc rectâ in Ægyptum contendunt. Quibus jam Syriam Palæstinam ingressis Psammitichus Ægypti rex occurrens, muneribus precibúsque effecit ne ulteriùs progrederentur. Scythæ verò regredientes, quum in urbem Syriæ Ascalonem pervenissent, plerisque nullo illato damno prætergressis, pauci aliquot relicti Veneris Uraniæ fanum spoliarunt: qui, simul cum posteris, hæmorrhoidibus percussi sunt. [*Id. ibid. cap.* 105.] Hoc verò anno, qui 2. Olympiadis XXXVII. fuit, Scythas Palæstinam pervasisse, in Eusebii Chronico notatum est: uti & *Sinopen* fuisse conditam, quam Ponti urbem nobilissimam à Milesiis Strabo, (*libro* 12.) à Macritio Coo conditam refert Phlegon (apud Stephanum, in Σινώπη.) Constat autem Cimmerios in Asiam venientes, quum fugerent Scythas, Chersonesum condidisse, ubi nunc Sinope Græca urbs sita est: inquit Herodotus, *lib.* 4. *cap.* 12.		
	Thærei, septimo postquàm *Aziritum* incolere cœperunt anno, admonitu Lybium, ad locum *Irasa* dictum inde commigrarunt: & ad fontem, qui *Apollinis* esse ferebatur, consederunt. [*Herodot. lib.* 4. *cap.* 158.] Ibi Battus, Cyrene conditâ, anno 2. Olympiadis XXXVII, (ut in Eusebii Chronico legitur) regnavit 40 annis, & post eum filius ejus Arcesilaus 16 cum primis hisce colonis: ad quos sub tertio rege, Batto Arcesilai filio, magna Græcorum multitudo, *Apollinis* Delphici oraculo invitata, posteà accessit; Apriâ apud Ægyptios imperante. [*Herodot. ibid. cap.* 159.] Qui regis Ægypti synchronissimus jam positum conditæ Cyrenes tempus verius esse confirmat, quàm quod ab aliis variè habetur assignatum.		
3374	c. Josias, anno regni sui 12 cœpit mundare Judam & Hierosolyma ab idololatriæ sordibus: excelsis, & lucis, & altaribus Bahalimorum, cum subdialibus statuis quæ impositæ erant eis, sculptilibúsque & fusilibus destructis; & ossibus Sacerdotum combustis super altaria illorum. Deinde progressus ad civitates Manassis, & Ephraimi, ac Simeonis, usque ad Naphthali; altaria, & lucos, & sculptilia, omnésque subdiales statuas, similiter demolitus est per totam terram Israëlis. [II *Chron. XXXIV.* 3,—7.]	4084	630
3375	c. Jeremias, anno 13 regis Josiæ, ad propheticum munus à Deo vocatus, se excusat: sed repetito Dei mandato, cum promissionibus & signis ad prophetiæ argumentum pertinentibus, confirmatus; de calamitate à Babylonio Judæis superventurâ habitatores illius terræ præmonere jubetur. [*Jerem. I.* 2,—17. *cum XXV.* 3.] Cui adjunctus Zephanias, & alii prophetæ, populum rebellem ad pœnitentiam revocare frustrà conantur. [*Zephan. I.* 1. *Jerem. XXV.* 3, 4, 5.]	4085	629
	Prusias (vel Prusa, in Bithyniâ) condita. [*Euseb. Chronic.*]		
3378	Nabopollasarus Babylonius à Saraco (sive Chynaladano) Assyriorum & Chaldæorum rege, qui eum exercitui suo præfecerat, deficiens, Niniven copias adversùs eum eduxit. Cujus impetum ille formidans, se ipsum cum regiis concremavit: & Chaldæorum suorum principatum Nabopollasarus obtinuit. (*Alexander Polyhistor*; *in Græcis Eusebianis Scaligeri*, *pag.* 38. & 39) Quibus per annos 21. illum præfuisse, & in 3°. rerum Chaldaicarum libro tradit *Berosus*, & Regum Canone *Ptolemæus*.	4088	626
	Quis verò Saraco in regno Assyriaco successerit, ignoratur. Nondum enim illud dissolutum fuisse (quod *Josephus lib.* 9. *Antiq. cap.* 11. & *lib.* 10. *cap.* 6. & *Hieronymus præfat. in Jonam*,		

sensisse

Anno Mundi.		Anno Periodi Julianæ.	Annoante æram Christ.
	sentisse videntur) tum ex sacra Historia constat, (II *Reg. XXIII.* 29) tum ex *Herodoto*, qui non ante expulsos ex Asiâ Scythas Niniven expugnatam, & Assyriam à Medis subactam fuisse confirmat. (*vid. infrà ann. Mundi* 3398 & 3403).		
3379	Sadyattes Lydorum rex cum exercitu terram Milesiorum invasit: & per sex annos bellum illud gessit. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 18.]	4089	625
3380	*d.* Josias, anno regni 18, Hilkiæ summo Sacerdoti mandat, ut ex collectis pecuniis domus Dei restauraretur. Ille operi intentus, librum Legis (authenticum, à latere Arcæ fœderis repositum [*Deut.* XXXI. 26.] qui ab initio regni Manassis amissus fuisse videtur) reperiens, per Shaphanem Scribam ad regem mittit. Josias, libri lectione perculsus, Huldam prophetissam consulit; à qua, de regni excidio, sententiam accipit: ejus executione tamen, dum ipse viveret, dilatâ. [II *Reg.* XXII. 3,--20. II *Chron. XXXIV.* 8,--28.] Hinc Rex, congregatis ad se omnibus senioribus Judæ & Hierosolymorum, cum Sacerdotibus & Prophetis, librum illum Legis coram toto populo legendum curat; fœdus inter Deum & populum redintegrat, Templum & regnum ab idololatria repurgat, & Dei cultum fidelissimè restituit. [II *Reg.* XXIII. 1,--14. II *Chron.* XXXIV. 29, 33.] Altare etiam & excelsum, quod Jeroboamus filius Nebati extruxerat, diruit; combustis priùs super eodem altari mortuorum ossibus: sicut ante annos 350 de eo nominatim prædictum fuerat. [1. *Reg.* XIII. 2.] Cúmque similiter omnes domos excelsorum, quas fecerant reges Israëlis, in civitatibus Samariæ amovisset; & mactavisset omnes Sacerdotes super ipsa altaria, combussisséque ossa hominum in eis: demùm reversus est Hierosolyma. [II *Reg.* XXIII. 15,--20.] Atque ab hac solenni fœderis renovatione & reformatione publicâ, cum desolationis tamen propter peccata populi inducendæ sententiâ inevitabili conjunctâ; tùm *tricesimi* anni in ipso initio prophetiæ Ezechielis, tùm *quadragesimi* annorum peccati Judæ, in ejusdem *cap.* IV. 6. epocha deducitur.	4090	624
3381	*e.* Josias, eodem anno regni sui 18 [ad finem tendente] mensis primi die 14, [*Maii* 4 *feriâ* 2.) toto Judâ & Israële præsente & habitatoribus Hierosolymorum, festum Paschatis observavit majori celebritate, quàm quisquam regum Israëliticorum aut Judaicorum ante ipsum. [II *Reg.* XXIII. 21, 22, 23. II *Chron.* XXXV. 1,--19.] Denique pythones, & ariolos, & imagines, ac stercoreos deos, & omnes abominationes quæ conspiciebantur in terrâ Judæ & Hierosolymis, sustulit: ut præstaret verba Legis scripta in libro quem invenerat Hilkia sacerdos in domo Domini. [II *Reg. XXIII.* 24. *cum Deut. XVIII.* 9, 10, 11.]	4091	623
3383	*c.* Anno Nabopollasari 5 (desinente) qui est 127. à Nabonasaro, Athyr secundùm Ægyptios die 27 (εἰς τλὴ νυ) cœpit Luna in Babylone deficere; post mediam noctem 5 horis temporalibus. [*Ptolem. Syntax. lib.* 5. *pag.* 125. *edit. Græc.*] Aprilis videlicèt Juliani die 22. (*feriâ* 7) *incipiente* à media nocte: vel Athyr Ægyptiaci die 27 (*feriâ* 6) *desinente*: hoc enim Ptolemæi illud indicat, νζ εἰς τλὴ νυ, quia post mediam noctem 6 horis temporalibus exactis, Sole exoriente, dies 28 erat inchoaturus.	4093	621
3384	*d.* Hamutala peperit Josiæ, post Shallumum sive Jehoachazum, etiam Mattaniam, qui Sedekias postèà dictus est. Erat enim is annorum 21, quum regnare inciperet. [*Jerem.* LII. 1. II *Reg.* XXIV. 17, 18.] Xenophanes Colophonius, Eleaticæ disciplinæ princeps, ὀλυμπιάδι (ut apud Sextum Empiricum legitur, lib. I. adversùs Mathematicos, cap. 12.) vel ὀλυμπιάδι (ut ex Apollodoro rectiùs habetur, apud Clementem Alexandrinum, libro primo Stromatum) natus est Olympiade XL.	4094	620
3385	Post Sadiattem in Lydiâ regnavit filius ejus Halyattes junior annis 57. quorum quinque prioribus bellum contra Milesios à patre susceptum continuavit. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 17, 18, 25.)	4095	619
3387	*c.* Jehojakimus Josiæ filius, ex Nehushtâ filiâ Elnathanis Hierosolymitanâ, filium sustulit Jehojacinem sive Jechoniam: qui 18 annos natus erat, quum regnare inciperet. [II *Reg. XXIV.* 8.]	4097	617
3388	Necos, Psammitichi filius, in Ægypto regnat annis 16. [*Herodot. lib.* 2. *cap.* 159.] qui in Scripturâ Neco & Pharaoh Neco appellatur. [II *Chron.* XXXV. 20. II *Reg.* XXIII. 29. *Jerem.* XLVI. 2.] Hic à Nilo ad Arabicum sinum fossam ducere aggressus est: in quâ fodiendâ 120 millia Ægyptiorum perierunt. Sed postquàm in medio opere destitisset; Phœnices quosdam ad Africam circumnavigandam misit: qui cum navibus è sinu Arabico sive mari Erythræo solventes, in mare australe abierunt, ac tandem per columnas Herculis transvecti, tertio anno in Ægyptum redierunt. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 158. & *lib.* 4. *cap.* 42.]	4098	616
3390	Anno duodecimo belli inter Lydos & Milesios gesti, quum Halyattis exercitus Milesiorum segetes (ut singulis annis facere solebat) incendisset: flammæ vi venti adactæ templum Minervæ apud Assesum incendio absumpserunt. Et quum post exercitûs reditum Sardibus Halyattes decubuisset, diuturniúsque ægrotaret: consulta eà de re apud Delphos Pythia, prinsquàm repararetur templum illud, se redditurum responsum negavit. Thrasybulus oraculi sententiâ per Periandrum Cypseli filium Corynthiorum Tyrannum, cui admodùm familiaris fuerat, intellectâ, caduceatorem ab Halyatte hac de causa missum ita excipiendum curavit, ut Milesios commessationibus & oblectationibus vacantes inveniret. Unde eos rebus omnibus Halyattes abundare arbitratus, societatem cum iis iniit: atque pro uno, duo delubra apud Assesum Minervæ ædificavit; & valetudine recuperatâ, Delphos misit donaria. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 19, 21, 22, 25. *cum Polyæno, Stratagem. lib.* 6.]	4100	614
3393	*a.* Jubilæus *decimus septimus.*	4102	612
	c. Anaximander Milesius, Praxidami filius, in Ioniâ natus est. *Vid. infrà, ann. Mundi* 3457.	4103	611
3394	*c.* Neco rex Ægypti, Deo jubente, ascendit contra regem Assyriæ, qui adversùs ipsum belligerabat: ut Carcemishum ad flumen Euphratis oppugnaret. [II *Reg. XXIII.* 29. II *Chron. XXXV.* 20, 21, 22.] Josias, bello contra Neconem temerè susceptо, in convalle Megiddonis (ad Manassis tribum spectante,	4104	610

(pectante, *Josu.* XVII. 11. *Jud.* I. 27.) illi occurrens, occisus est. [II *Reg.* XXIII. 29, 30. II *Chron.* XXXV. 22, 23.] Quò spectat & illa Herodoti narratio, libro secundo: Σύρους περὶ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδώλῳ ἐνίκησε· μετὰ δὲ τὴν μάχην, Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἶλε. *Necos, pedestri acie congressus cum Syris in Magdalo, victoriâ potitus est. Post pugnam verò, Kadytin urbem Syriæ magnam cepit*: ubi doctissimus Scaliger *Kadytin* illam *Kadesh* fuisse notat, cujus [*Numeror.* XX. 16.] & *Magdolum* urbem in finibus Ægypti, cujus [*Jeremiæ* XLVI. 14.] fit mentio: creditque vicina fuisse, Magdolum & Mageddo; sed quia Magdolum celebrius, ob id pugnam ibi commissam dici, ut ea, quæ ad Gaugamela pugnata est, referetur ad Arbela, propter obscuritatem Gaugamelorum. Quid verò si synonima ea fuisse dicamus, & locum illum denotare, à quo Maria *Magdalena* accepit cognomentum? *Matthæi* certè XV. 39. ubi nos *Magdalam* legimus, Syrus *Magedu* & vetus Latinus interpres *Magedan* reddidit, vocabulo à *Magedduntis* nomine non multùm discedente.

Mortuo principe optimo, cujus vita tutum reddebat populum à captivitate Babylonicâ, [II *Reg.* XXII. 20.] malorum Iliade jam ingruente, superioris anni jubilum versum est in threnodiam: ita ut penè in proverbium abierit *planctus Hadadrimmonis in convalle Megiddunis*. [*Zachar.* XII. 11.] Neque enim universus solùm qui tùm præsens fuit Judææ populus insigni lamentatione Josiæ mortem prosecutus est; sed etiam in futurum luctus publicus, quasi pro statuto in Israële receptus est: deflente eum quoque Jeremiâ prophetâ in Lamentationibus suis. [II *Chron.* XXXV. 24, 25.] Nova quoque lamentatio de flebili regni Judæorum statu, inde à morte Josiæ, ab Ezekiele proferenda posteà præscribitur. [*Ezek.* XIX. 1, 14.]

Post eædem Josiæ, populus, ne rex Ægypti regnum rege vacuum occuparet, Shallumum sive Jehoachazum juniorem Josiæ filium regem unxit: qui fecit quod malum videtur in oculis Domini, omninò prout fecerant majores ejus. [II *Reg.* XXIII. 30, 31, 32. II *Chron.* XXXVI. 1.] Vid. supr. ann. Mund. 3371.

d. Ab Assyriaca expeditione reversus Neco, Jehoachazum, quum tribus tantùm mensibus regnavisset, amovit; & seniorem ejus fratrem *Eliakimum* regem constituit pro Josiâ patre ejus, immutans nomen ejus *Jehojakimum*. [*II Reg. XXIII.* 31, 32, 34. *II Chron. XXXVI.* 2, 3, 4.] ut *Jehova* vero Israëlitarum Deo victoriam de Assyrio partam acceptam se referre eo modo testaretur: à quo ad bellum hoc gerendum se incitatum profectus fuerat. [II *Chron.* XXXV. 21, 22.] Deinde, tributo centum talentorum argenti & talenti auri terræ Judææ imposito, Jehoachazum sive Shallumum, Riblæ in regione Hamathæ conjectum in vincula, secum abduxit in Ægyptum: ubi & mortuus est. [II *Reg.* XXIII. 33, 34, 35. II *Chron.* XXXVI. 3, 4. *Ezekiel.* XIX. 3, 4.]

Jeremias, Dei mandato, in domum novi Regis descendens, tum ipsum tum servos & populum ejus promissionibus & minis ad resipiscentiam hortatus est: de Shallumo sive Jehoachazo, in Ægyptum deportato, vaticinium subnectens. *Ne fleatis pro mortuo* (Josiâ) *neque condoleatis ei: omninò flete pro abeunte* (Shallumo) *quia non revertetur amplius ut videat solum natalo suum, &c.* (*Jerem.* XXII. 1, 2, 10, 11, 12.)

3395 *a.* In principio regni Jehojakimi Jeremias, Deo jubente, stans in Templi atrio, populum venientem ex omnibus civitatibus Judæ ad incurvandum se in domo Domini (in festo Tabernaculorum; quando omnes mares ex omnibus civitatibus tenebantur comparere Hierosolymis: *Deut.* XVI. 16.) ad resipiscentiam hortatus est: recusantibus judicium Dei denuncians: *domum illam similem futuram Shilonti, & civitatem tradendam maledictioni apud omnes gentes terræ.* Unde comprehensus à Sacerdotibus & Prophetis, totoque populo qui tùm in atrio erat, capitalis criminis accusatur: sed publico Principum & Seniorum populi judicio absolvitur. (*Jerem. XXVI.* 1, 2,—19.)

Uria quoque filius Shemaiæ ex Kiriath-jearîmis prophetavit contra civitatem Hierosolymorum & terram Judæ, omninò secundùm verba Jeremiæ. Et quum Jehojakimus rex morte eum afficere quæsivisset: fugiens ille venit in Ægyptum. Sed misit Rex Elnathanem filium Achoris & alios cum eo in Ægyptum: qui reduxerunt eum ad Jehojakimum. Is verò Prophetam percussit gladio; abjecitque cadaver ejus in populi sepulchra contemptissima. Veruntamen manus Ahikami filii Shaphanis (qui apud Regis patrem Josiam authoritate valuit: II *Reg.* XXII. 12. II *Chron. XXXIV.* 20.) adfuit Jeremiæ; ut non traderent eum in manum populi, ad morte afficiendum ipsum. (*Jerem. XXVI.* 20,—24.) 4105 609

His adjungi poterit, & Habbakuk propheta: cui de Judæorum improbitate & contumaciâ conquerenti, responsum Deus dedit, se iis ipsis diebus Chaldæos in Judæam immissurum; consilium eâ de re suum rebelli populo ita patefaciens. *Opus operor diebus vestris, quod non creditури estis cùm narrabitur. Nam ecce ego excitaturus sum Chaldæos, gentem acerbissimam & festinam; ambulaturam per latitudinem terræ, ad possidendum habitacula non sua jure hereditario, &c.* (*Habbak.* I. 5, 6.)

In principio etiam regni Jehojakimi, Jeremias prædixisse dicitur, Sedekiam regem Judæ futurum, & Nebucadnesarem regem Babyloniæ, eúmque gentes finitimas dominatui suo subjecturum. (*Jerem.* XXVII. 1,—11.)

3397 *d.* Quum ad Ægyptium, Carcemishum possidentem, Cœlosyriæ & Phœniciæ Satrapa à Nabopollasaro rege Babyloniæ defecisset, hic adversùs illos filium suum Nebuchadnesarem, in societatem regni assumptum, cum magno misit exercitu. Quod desinente tertio, & ineunte quarto Jehojakimi anno factum; ex *Danielis cap.* I. 1. collato cum *Jerem. c.* XXV. 1. intelligimus. 4107 607

Nebuchadnesare regnum capessente, prophetiæ rerum ab illo gerendarum Jeremiæ statim revelatæ sunt: quarum prima de Ægyptiorum clade fuit; tum illâ ad Euphratem, tum illâ quam

domi

domi posteà essent percepturi, ipsâ Ægypto à Nebuchadnesare occupatâ. (*Jerem.* XLVI.) Earum prior, nullâ penè morâ interpositâ, effectum e t fortita: Pharaonis Neconis copiis, quæ ad Carcemishum fuerunt, à Nebuchadnesare rege Babyloniæ, anno Jehojakimi 4° percussis. [*Jerem.* XLVI. 2.] Posterior, post captam Tyrum anno captivitatis Jechoniæ 27 eventu comprobata est. [*Ezech.* XXIX. 17, 18, 19.]

Eodem anno quarto Jehojakimi, qui primus fuit Nebuchadnesaris regis Babyloniæ; Jeremias Judæos contestatus, quòd non auscultaverint verbo Domini quod continenter elocutus fuerat illis à 13. anno Josiæ usque ad hunc Jehojakimi 4, (*hic vicesimus tertius annus est*; inquit) & reliquorum omnium Prophetarum, à Deo ad ipsos missorum, cohortationibus immorigeros se præbuerint: de adventante Nebuchadnesare eos commonet, & servitute Babylonicâ annorum 70 ab eis subeundâ; intra quod spatium, Judæam quidem primùm, deinde & reliquas quas commemorat gentes (suo quamque ordine) regi Babyloniæ servituras; ipsúmque demùm Babylonium excindendum, & terram Chaldæorum desolationi exponendam; prædicit. [*Jerem.* XXV. 1, 3, 11, 12.] quorum 70 annorum ab Esaia quoque in prophetiâ de Tyriis, obscurior longè anteà facta fuit mentio. [*Esai.* XXIII. 15, 17.]

3398 *a.* Anno 4 Jehojakimi, Baruc filius Neriæ scripsit ex ore Jeremiæ in volumine libri omnia verba Domini, quæ locutus illi fuerat, de Israële & Judâ ac de omnibus gentibus, à diebus Josiæ usque in diem hunc: legítque ea in domo Domini, audiente populo Hierosolymitano & omnibus Judæis qui venerunt ex civitatibus suis, in die Jejunii. [*Jerem.* XXXVI. 1,--8.] solennis videlicèt illius, mensis 7 die 10, quotannis celebrati: [*Levit.* XVI. 29; XXIII. 27. *Num.* XXIX. 7.] quinque diebus ante festum Tabernaculorum, in quo omnes mares ex omnibus civitatibus Judæ comparebant Hierosolymis. (*ut suprà, ann. Mundi* 3395.) Ipsum verò Barucum, severissimis istis minis quas scripserat consternatum & frustrà *ἐυαντίον τιμωρούμενον*, verbo Dei de clade à Babylonio superventurâ omni carni & vitâ ipsius inter medias hasce turbas conservandâ, Jeremias confirmat. [*Jerem.* XLV. 1,--5.] quò fortasse referenda fuerint & capita illa duo consolatoria, [*Jerem.* XXX. & XXXI.] promissiones de instaurandâ Ecclesiâ continentia.

Rechabitæ (è posteris Jonadabi filii Rechabi, [II. *Reg.* X. 15.] Nebuchadnesare rege Babyloniæ in Judæam adveniente, metu copiarum Chaldæorum & Syrorum, relictis tentoriis suis (in quibus, ex præscripto Jonadabi progenitoris sui, habitare solebant) ingressi sunt Hierosolyma, [*Jerem.* XXXV. 11.] ubi, quum de tempore præsente dicant: *Ita confidemus Hierosolymis*: colligimus capitis hujus historiam, de vino à Rechabitis recusato, eo tempore fuisse gestam, quo Urbs à Nebuchadnesare fuit obsessa. [*Dan.* I. 1.]

In manum Nebuchadnesaris tradidit Dominus Jehojakimum regem Judæ, cum parte instrumentorum domûs Dei. [*Dan.* I. 2.] mense videlicèt 9 sive Cisleu: ut colligitur ex anniversario jejunio, quod in memoriam, ut videtur, hujus calamitatis, (more apud Judæos recepto;) [*Zachar.* VII. 3, 5. & VIII. 19.] eo mense observatum est. * Illum locum Chronicorum referendum potiùs putant ad finem Jehojakimi, ann. Mundi 3405. c. Sed versus proximus (7ma) de vasis Templi tùm asportatis (quod hic prætereundum non fuerat) cum Dan. I. 2. collatus, ad hunc annum referendum esse docet. *

Jehojakimum catenis vinxit Nebuchadnesar, ut abduceret eum Babyloniam: [II *Chron.* XXXVI. 6.] sed pactis posteà conditionibus servitutis, domi eum reliquit; ubi servus illi permansit tribus annis. [II *Reg.* XXIV. 1.] A quâ primâ omnium Regis & populi Judaici sub Nebuchadnesare factâ servitute, numerandi sunt anni 70 captivitatis Babylonicæ, à Jeremiâ propheta prædicti. [*Jerem.* XXV. 11. & XXIX. 10.] 4108 606

Nebuchadnesar Ashpenazo præfecto eunuchorum sive aulicorum suorum præcepit, ut exportaret è filiis Israëlis, tum ex semine regio, (ut Ezekiæ ab Esaia prædictum fuerat; *Esai.* XXXIX. 7.) tum ex proceribus, pueros formæ elegantiâ & intelligentiæ facultate præstantes; qui in literis & linguâ Chaldæorum per triennium ab eo instituti, Regi posteà in palatio essent ministraturi. Inter quos, è filiis Judæ, præcipui fuerunt; Daniel qui Beltshar, Hananiah qui Shadrach Mishaël qui Meshach, & Azariah qui Abednego, mutato nomine, à præfecto est appellatus [*Dan.* I. 3,--7.]

Postquàm 28 annis superioris Asiæ imperium Scythæ jam obtinuissent; eorum potiorem partem Cyaxares atque Medi hospitio acceptam inebriatámque interemerunt. [*Herodot. lib.* I. *cap.* 106.] Præter istos, & alii aliquot Scytharum Nomadum, per seditionem finibus suis pulsi, à Cyaxare suscepti fuerant: tum venationibus faciendis, tum pueris instituendis ab eo deputati. Qui asperè admodùm & indignè ab eo tractati (simul etiam, ut videtur, recentis in gentiles suos injuriæ memores) uno puerorum quos docebant trucidato, & pro ferinâ apparato, atque Cyaxari convivísque suis appósito: Sardes ad Halyattem regem supplices confugerunt. Quos reposcenti Cyaxari quum ille reddere abnuisset: bellum inter Lydos Medósque quinquennale conflatum est. [*Id. ibid. cap.* 73, 74] Cimmerios verò (*de quib. suprà, ad ann. Mundi* 3368.) ipse Halyattes ex Asiâ exegit. [*Id. ibid. cap.* 16.]

3399 *a.* Anno 5 Jehojakimi, mense 9, indictum est jejunium coram Domino toti populo Hierosolymis: in memoriam, ut videtur, Urbis eodem superioris anni mense à Chaldæis captæ. Ubi Baruc, ad ostium portæ domûs Domini, legit è libro omnia verba Domini quæ ex ore dictantis Jeremiæ scripto exceperat; audiente toto populo, qui Hierosolyma ex civitatibus Judæ venerat. De quo Principes per Micam Gemariæ filium certiores facti, Barucum advocant, legentem audiunt, & metu Regis, ut Jeremias & ipse delitescant, admonent. Jehojakim rex, auditâ parte voluminis, illud scalpello priùs laceratum in ignem projecit, qui erat in foco. [*Jerem. XXXVI.* 9,--23.] in cujus horrendi facti detestationem, Jejunium ad hunc usque diem

Jejunium die 7 (* vel 28 potiùs : ut *in suo Kalendario habet Scaliger* : *) mentis hujus noni, sive Cisleu, observant.

Jehojakimus rex, divino volumine combusto, præcepit Jerachmeeli filio suo, & Seraiæ filiò Azrielis, & Shelemiæ filio Abdielis, ut caperent Barucum scribam & Jeremiam Prophetam. Sed abscondens eos Dominus, in impium Regem & regnum ipsius sententiam hanc denunciavit. *Tu exussisti volumen illud, dicens : Quare scripsisti in eo, dicendo ; Omninò venturus est Rex Babyloniæ, & perditurus terram hanc, facturúsque ut cessent ex eâ homines & jumenta ? Idcirco sic ait Dominus de Jehojakimo rege Juda : Non erit ei sedens in solio Davidis ; & cadaver ejus erit projectum æstui diurno & gelu nocturno. Et animadvertam in eum, & in semen ejus, & in servos ejus, iniquitatem ipsorum : & adducam contra eos, & contra habitatores Hierosolymorum, ac contra viros Juda, totum illud malum quod proloquebar eis* ; in eo volumine sc. quod ab illis exustum est. Deinde, Domino præcipiente, Baruc in altero volumine scripsit ex ore Jeremiæ omnia verba quæ erant in volumine illo priore, quod Jehojakimus combusserat ; multis etiam consimilibus adhuc additis. [*Jerem. XXXVI.* 26,—32.]

b. 4109 605

Nebuchadnesar, victorias suas prosecutus, à flumine Ægypti usquè ad fluvium Euphratis cepit quicquid fuerat regis Ægypti : ita ut deinceps Neco concluderetur intra terminos regionis suæ. [II *Reg.* XXIV. 7.] Interea verò patet illius Nabopollasarus, morbo laborans, in civitate Babyloniâ vitam terminavit ; quum per annos 21 regno fuisset potitus. Cujus mortem is non multò pòst cognoscens, demandatâ amicis curâ captivorum Judæorum, Syrorum, Phœnicum & Ægyptiorum traducendorum in Babyloniam cum exercitu & impedimentis ; ipse cum paucis, breviori itinere, per desertum Babylonem properavit. Ubi factus totius paterni imperii dominus, captivos advenientes per opportuna Babyloniæ loca in colonias distribuit. [*Berosus, rerum Chaldaicarum libro* 3.]

Ex instrumentis etiam domûs Dei quæcunque visum est deportavit Nebuchadnesar Babylonem : ubi ea reposuit in templo & thesauro Dei sui. [*Dan.* I. 2. II *Chron.* XXXVI. 7.] Beli nimirùm : quem ipse πάππον sive progenitorem suum appellat, in Abydeni Assyriacis ; & cujus templum ex belli hujus manubiis magnificè illum exornavisse, Berosus author est.

Scytharum reliquiæ, quæ Medorum gladios evaserunt, domum reversæ, non exiguum exercitum juventutis (quam ex servis suis uxores, ipsis absentibus, peperernnt) sibi occurrentem offenderunt. Cum quibus sæpè pugnâ commissâ, quum nihil Scythæ proficerent : tandem sumptis flagellis servos fugaverunt. [*Herodot. initio lib.* 4.]

3401 *a.* Jehojakimus, postquàm triennio in fide quam Nebuchadnesari dederat permansisset, aversus rebellavit contra eum. [II *Reg.* XXIV. 1.] 4111 603

Daniel & tres socii ejus, quum recusato cibo & vino regio leguminibus tantùm vescerentur & aquam biberent, vultu tamen magis vivido & carne magis vegetâ inventi sunt, quàm reliqui omnes pueri qui Regis cibario pascebantur. Quúmque triennio institutionis jam completo, ministerio aulico essent admoti : in omnibus rebus ad peritiam intelligendi pertinentibus, quas requirebat ab eis Rex, inveniebat eos decuplo superiores omnibus Magis & Astrologis qui in toto regno ipsius erant. [*Dan.* I. 5,—20.]

Anno secundo regni, sive monarchiæ Babylonicæ à morte patris inceptæ ; Nebuchadnesar somnium de statuâ ex diversis metallis conflatâ somniavit. Cujus ille oblitus, à Chaldæis somnium suum cum interpretatione sibi proferri ; & quum illi non possent, eos trucidari jubet. Daniel verò, quum judicatum cœpisset fieri, causam rei cognoscens, dilationem à rege impetrat : Deúmque cum sociis orans, somnium interpretationemque cognoscit. Is deinde somnium Regi aperit, & quatuor Imperia ordine sibi succedentia eo significata fuisse declarat. Quibus auditis, Rex Danielem, amplissimis muneribus donatum, dominatorem constituit in totâ provinciâ Babyloniæ, & præfectum antistitum super omnes sapientes Babyloniæ : cóque petente, tres etiam illius socios præfecit negotio provinciæ Babyloniæ. [*Dan.* II. 1,—49.]

3403 *d.* Sexto anno belli inter Medos & Lydos gesti ineunte, quum utrinque æquo Marte certarent, Eclipsis Solis facta est, quam futuram Thales Milesius Ionibus prædixerat. Uterque exercitus, diem noctescere videns, à pugnando destitit : indéque Syennesis Cilicis & Labyniti (id est, Nebuchadnesaris) Babylonii interventu, pax conclusa est : Halyatte Arienam filiam Astyagi Cyaxaris filio nuptum dante. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 74.] Hanc eandem Eclipsin, à Thalete prædictam, eo quoque tempore contigisse quo rex Medorum Cyaxares pater Astyagis & Lydorum Halyattes Crœsi pater, signis collaris inter se præliarentur, in Astronomicâ suâ Historiâ Eudemus confirmat : de qua & Plinius, lib. 1. cap. 12. defectus utriusque sideris rationem exponens. *Apud Græcos investigavit primus omnium Thales Milesius, Olympiadis* XLVIII. *anno* 4. *prædicto Solis defectu, qui Alyatte rege* (ita enim habet vetus lectio ; non, ut vulgata, *sub Astyage rege*) *factus est, Urbis conditæ anno* CLXX. Clemens Alexandrinus, libro 1. Stromatum, circa *quinquagesimam* Olympiadem, Cyaxaris pugnam, & Solis defectionem hanc factam fuisse retulit : ab Eudemi, quem citat, multùm aberrans sententiâ. Nam & tempus, tum ab eo, tum à Plinio designatum, non *Cyaxaris*, sed *Astyagis* regno convenit : & ex tabulis Lunæ-solaribus Ptolemæi (quæ eædem sunt & Hypparchi) Cyaxare regnante, anno 4. *Olympiadis* XLIV, Solem defecisse apparet ; anno videlicet Nabonasari 147, mensis Ægyptiaci Pachon die 4, sive Septembris Juliani 20, feriâ 1 horis 3 minut. 25 ante meridiem. Fuitque eclipsis hæc digitorum 9, & duabus ferè horis duravit.

4113 601

* Pace inter Medos & Lydos factâ, Astyages Mediæ Satrapes à patre Cyaxare constitutus, & Labynitus sive Nebuchadnesar illius gener (duxisse enim hunc Amyitem filiam Astyagis Mediæ Satrapæ, docet Alexander Polyhistor, in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag. 38) adversus Assyrios

copias

copias suas inde traduxisse videntur, & Niniven expugnasse. Ut enim in Herodoto (*lib.* I. *cap.* 106.) post 28. imperii Scytharum annos, Cyaxare regnante, captam Nini urbem & subactam à Medis Assyriam; ita in fine Græci Tobiti legitimus, cepisse Niniven *Nebuchodonosorum* & *Assuerum* (quo nomine Danielis IX. 1. *Astyagem* appellatum invenimus) superstite adhuc Tobiâ juniore qui, captâ Samariâ, à Salmanasare in Assyriam puer cum patre deportatus, annos 127 vixerit, quum 120 ab Israëlitică captivitate hucusque decurrerint.

3404 *c.* Psammis, Neconis filius, annis 6 in Ægypto regnat. [*Herodot. lib.* 2. *cap.* 161.] 4114 620

Phocæenses, ex Ionia navigantes, Massiliam in mari Ligustico condiderunt, ante pugnam Salaminiam annis CXX. ut ex Timæo refert Marcianus in Periegesi suâ: Olympiadis videlicèt XLV. anno primo, ut & in Chronico tradit Eusebius, & in Polyhistore Solinus; licèt hic priorem hanc Phocæensium coloniam sub Tarquinio Prisco, cum posteriore eorum profectione sub Servio Tullio factâ, (de qua infrà, ad annum Mundi 3461.) confundat. Nuptiarum verò historia, quæ urbi condendæ viam fecerunt, apud Athenæum libro 13. ex Aristotele ἐν τῇ Μασσαλιητῶν πολιτείᾳ & Justinum libro 43, ex Trogo Pompeio, in eandem ferè sententiam sed variantibus personarum nominibus, plenius habetur expositа.

Nebuchadnesaris exercitus, ex turmis Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum & Ammonitarum constans, contra rebellem Jehojakimum missus, Judæam vastavit: [II *Reg.* XXIV. 2.] deportatis in captivitatem 3023 Judæis anno 7 Nebuchadnesaris. [*Jerem.* LII. 28.]

Astyagi sive *Ahasuero* (*Daniel IX.* 1.) ex Arienâ (quam superiore anno in uxorem duxerat) natus est filius Cyaxares, qui & *Darius* Medus: annorum 62 circiter existens, quum Belshasari interfecto in regno Chaldæorum succederet. [*Dan.* V. 30, 31.] Astyages verò, patre adhuc superstite, Mandanem filiam (ex priore uxore natam) matrimonio locavit Cambysæ Achæmenis filio, Persarum Regi, (ut Xenophonti placet, libro primo Κύρου παιδείας) qui à Perseo generis sui duxit originem: ex quibus (sequente anno) Cyrus natus est. ut nullo modo Ctesias sit audiendus: qui, contra & Herodotum & Xenophontem & reliquos authores cum illis consentientes, *Astyigan* (sic enim eum appellat) genere Cyro junctum fuisse negat.

3405 *c.* Jehojakimus, à Chaldæis captus, abjectus fuit insepultus: nempè sepulturâ asini sepultus, tractus & projectus ultra portas Hierosolymorum; juxta prophetiam *Jeremiæ* XXII. 18, 19. & XXXVI. 30. licèt, ad communem naturæ legem respectu habito, dormivisse dicatur ille cum patribus suis. [II *Reg.* XXIV. 6.] 4115 599

Succedens illi filius Jehoachin (qui & Conias & Jechonias dictus est) tribus mensibus & decem diebus regnavit Hierosolymis: & fecit quod malum videtur in oculis Domini, omninò prout fecerat pater ejus. [II *Reg.* XXIV. 8, 9. II *Chron.* XXXVI. 8, 9.] Contra hunc severissimum Dei judicium denunciatum extat in fine capitis XXII. Jeremiæ; sententiâ hâc, quasi in acta referendâ, demùm conclusum. *Scribite virum istum liberis carentem, virum non prosperaturum in diebus suis: nam non prosperabitur de semine ejus quisquam sessurus in solio Davidis, & dominaturus amplius in Judâ.* [*Jerem. XXII.* 30.] de quo consulendus Christophorus Helvicus, in libro de genealogia Christi. Hoc tempore sequentis quoque capitis XXIII. Jeremiæ prophetia edita fuisse videtur.

Vertente anno, (ex quo prior missus fuerat exercitus) ascenderunt servi Nebuchadnezaris regis Babyloniæ Hierosolyma; ut veniret civitas in obsidionem. Quùmque venisset Nebuchad-
d. nesar ad ipsam civitatem, servis ejus obsidentibus eam: prodiit Jehojachin rex Judæ ad regem Babyloniæ, ipse cum matre suâ (Nehushtâ Hierosolymitanâ,) servi quoque ejus, & præfecti ejus cum aulicis ejus; quem cepit rex Babyloniæ anno octavo regni sui (propè completo.) Et depromptis inde omnibus tum Templi tum Regiæ Thesauris, confregit omnia instrumenta aurea quæ fecerat Salomon pro templo Domini: quemadmodum (*Esaiæ* XXXIX. 6.) Dominus prædixerat. Et deportavit rex in Babyloniam Jehojachinem regem, cum matre & uxoribus (vel fœminis) & aulicis ejus, & è totis Hierosolymis tum omnes præfectos, tum omnes valentes robore, decies mille captivos; omnesque fabros lignarios ac ferrarios: nihil [Hierosolymis] relicto præter tenuem populum terræ. Ex reliqua verò regione viros strenuos 7000. & fabros lignarios ac ferrarios 1000 omnes robustos bellatores deduxit rex Babyloniæ captivos in Babyloniam. [II *Reg. XXIV.* 8,—16. *II Chron. XXXVI.* 10. *Jerem. XXIV.* 1. *XXIX.* 1, 2. *Ezek. XVII.* 12.] Inter quos captivos erat & Mordecaius Benjaminita, Jairis filius, [*Esther* II. 5, 6.] & Ezekiel Sacerdos, filius Buzi: qui idcircò in prophetiis suis ab hac deportatione epocham suam deducit; (*Ezek.* I. 2, 3.) quam & deportationem suam nominat. [*c.* XL. 1.]

Jeremiæ inscripta ad deportandos fertur Epistola; adversùs idololatriam Babylonicam eos confirmans. [*Baruc. VI.*]

Dum Babylonius ita in Judæam grassaretur, vermem paravit Deus qui luxuriantem istam arborem suo tempore esset perditurus: oppressi sui populi clamore illo exaudito. *Filia Babylonis vastanda; beatus sit qui rependet tibi maleficium tuum quo affecisti nos: beatus, qui prehendet & dissipabit parvulos tuos*, allidens *ad petram.* [*Psal. CXXXVII.* 8, 9.] Hoc enim anno in lucem editus est *Cyrus* Perso-medes, patre Persâ, matre Medâ [ut ad superiorem annum est notatum) genitus: de quo hic ipse Nebuchadnesar, jam jam moriturus, apud Abydenum, ad suos vaticinatus fuisse legitur. *Venet Persis mulus, vestris damonibus ac commilitonibus usurus, & servitutem inducet.* quomodo & oraculum illud Cræso datum,

Ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλὺς Μήδων ἐφίκηται,

de Cyro, ex duobus diversarum gentium parentibus orto, Pythia (apud Herodotum, *lib.* 1. *cap.* 55. & 91.) interpretata est. Sed omnium & certissimè & clarissimè, noster Esaias, servitutem servituros Babylonios, (*c.* XLVII. 1, 2.) & parvulos illorum allidendos ante oculos eorum, (*c. XIII.* 16.) & vindiciis secundùm libertatem captivos hosce Judæos tandem potituros,

prædixit: ipso vindice, ante tot annos, etiam suâ propriâ *Cyri* appellatione compellato; (*e.* XLIV. 28. XLV. 1.) Deo quoque tam inusitatæ revelationis rationem ita reddente. *Propter servum meum Jacobum, & Israelem electum meum, vocavi te de nomine tuo: cognominavi te, quamvis ignores me.* [*e.* XLV. 4.]

Ætatis autem Cyri annos nobis conservavit Cicero, libro primo de Divinatione, ex Dionysio, Persicæ gentis scriptore, ista referens. Quum *dormienti* Cyro *Sol ad pedes visus esset; ter eum scribit* Dionysius *frustrà appetiviſſe manibus, eum se convolvens Sol elaberetur & abiret; ei Magos dixisse (quod genus sapientum & doctorum habebatur in Persis) ex tripliei appetitione Solis treginta annos Cyrum regnaturum esse portendi; quod ita contigit, nam ad septuagesimum pervenit, quum quadraginta annos natus regnare cepisset.* A quo fortasse somnio, sic à Magis exposito, *Cyrus* nomen accepit: quod *Solem* significare, rectè scripsit Cresias, & eum secutus Plutarchus in Artaxerxe; quum *Chur* & *Chursbid* apud Persicos poëtas, etiam ad hunc usque diem, idem denotare dicatur. Atque ex hoc Ciceronis loco, cum altero *Danielis* V. 31. comparato, ante Cyrum, avunculum ipsius Darium Medum, sive Cyaxarem Astyagis filium, natum fuisse apparet: qui idcircò apud Xenophontem, libro sexto Cyri παιδείας, ita loquens introducitur. *Ἐγωὶ παρὸν τυγχάνω, ἐγὼ πρεσβύτερός εἰμι Κύρου, εἰκὸς με ἄρχειν λόγου.* Quum ipse *præsens adsim, & Cyro senior existam; æquum est, ut sermonem ego incipiam*; & in libro quarto, ipse Cyrus, ad eum scribens. *Συμβουλεύω δή σοι, καίπερ νεώτερος ὤν. Consilium autem tibi do, quanquam ipse junior.*

Nebuchadnesar, Jechoniæ loco, regem substituit patruum ipsius *Mattaniam*, Josiæ filium; nomine ejus in *Tsidki-jah* sive Sedekiam immutato: (*Jer.* XXXVII. 1. II *Reg.* XXIV. 17.) quod *Justitiam Domini* significat. Cùm enim pepigisset cum eo fœdus; & Dei nomine interposito fidelitatis juramentum ab eo exegisset: (II *Chron.* XXXVI. 13. *Ezek.* XVII. 13, 14, 18.) hujus nominis impositione, de justa Dei vindicta, si pactum violaret, commonefaciendum eum fuisse censuit.

Sedekias undecim (plenis) annis regnavit Hierosolymis; & fecit quod malum videbatur in oculis Domini Dei sui; neque depressit se à facie Jeremiæ Prophetæ loquentis illi ex ore Domini, sed obdurans cervicem suam, obfirmavit cor suum, ne converteretur ad Dominum Deum Israëlis. [*Jerem.* I, 3. XXXII. 1, 2. II *Reg.* XXIV. 18, 19. II *Chron.* XXXVI. 11, 12, 13.] Etiam omnes principes Sacerdotum & populus terræ multiplici transgressione prævaricati sunt, polluentes domum Domini quam sanctificaverat Hierosolymis; neque auscultârunt verbis Domini quæ loquebatur per Jeremiam & reliquos Prophetas, sed spreverunt ea, & subsannaverunt nuncios Dei: donec accensus est æstus iræ Domini in populum suum, adeò ut non esset curatio. [*Jerem. XXXVII.* 2. II *Chron. XXXVI.* 14, 15, 16.]

Postquàm deportatus esset Jechonias, Deus, ostensâ Jeremiæ visione duorum calathorum ficuum, novi Regis populique deportationem futuram prænunciat. (*Jerem. XXIV.* 1, 2, 8, 9.]

In principio regni Sedekiæ, prophetia de Elamitis tum subigendis tum restaurandis à Jeremiâ prolata est. [*Jerem. XLIX.* 34, 39.] Elymaidem enim provinciam, cum Susane ejus metropoli ad Ulaium sive Eulæum fluvium positâ, Astyagi Nebuchadnesar ademit, & Chaldæorum imperio adjecit. [*Jerem. XXV.* 25. *cum Daniel.* VIII. 1, 2.] Elamitis verò posteà simul cum Medis copias suas adversùs Babylonios conjungentibus, (*Esai XXI.* 2.) sublato rege eorum Belshasare, sub Cyro uncto suo Deus in Elamo solium suum reposuit: ejúsque metropolis Susan ab eodem Cyro Persarum facta est regia; ut in libro 15, nos docet Strabo.

Regum Edomæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Tyri & Sidonis legatis Hierosolyma ad visitandum novum regem Sedekiam venientibus, Deus Jeremiam vincula & lora tradere jubet, ad Dominos suos perferenda: mandato addito, ut Nebuchadnesaris dominatui se subjiciant, neque prophetis & planetariis suis aliud suadentibus aurem præbeant. Sedekiam quoque similiter admonet, ut se dedat Babylonio, & à Pseudo-prophetis caveat: & omnes ordines ad Babylonii obsequium minis & promissionibus provocat. [*Jerem.* XXVII.]

Post abductum Jechoniam & captivos reliquos, Sedekias ad Nebuchadnesarem in Babyloniam misit Elhasam filium Shaphanis & Gemariam filium Hilkiæ: per quos & Jeremias Epistolam ad Seniores, Sacerdotes, Prophetas, atque ad totum populum à Nebuchadnesare deportatum, Hierosolymis deferendam curavit. In eâ Judæos de officio in captivitate admonet, gratiolæ liberationis, completo præstituto 70 annorum termino, promissione consolatur; & calamitates reliquorum, qui in Judæâ post deportationem relicti fuerant, simúlque Ahabi filii Kolaiæ, & Sedekiæ filii Maaseliæ Pseudoprophetarum funestum exitium, prænunciat. *Jerem.* XXIX. 1, 2, --23.]

3406	Shemaja, (cum Sedekiæ legatis, ut videtur, Babylone redeuntibus) ad Zephaniam (secundum Sacerdotem; II *Reg.* XXV. 18.) & reliquos Sacerdotes Hierosolymitanos literas increpatorias adversùs superiorem Jeremiæ epistolam scripsit: quibus, audiente Jeremiâ, perlectis severam contra eum Dei sententiam Propheta pronunciat. (*Jerem.* XXIX 24.--32.) Quo etiam tempore videntur editæ duorum sequentium capitum XXX & XXXI. de regno Christi & restauratione Ecclesiæ insignes prophetiæ.	4116	598
3407	Halyatti Lydorum regi, ex uxore Caricâ, natus est Cræsus filius: quippe qui 35 annorum fuit, quum regnare inciperet. (*Herodot. lib.* I. *cap.* 26. *&* 92.)	4117	597
3408	*a.* Anno Sedekiæ 4°, mense 5°, Hananias Pseudo-propheta post biennium & omnia instrumenta domûs Domini, & Jechoniam & omnes deportatos è Babylonia reducendos prædixit. Cui opponente se Jeremiâ, lorum collo ejus detractum ille fregit: addens, ita fracturum esse Deum jugum Nebuchadnesaris, intra biennium justum, è collo omnium gentium. Unde Jeremias, loco ligneorum lororum, jugum ferreum impositurum esse Deum collo omnium gentium istarum pronunciat, ut serviant Regi Babyloniæ. [*Jerem.* XXVIII. 1,--14.]	4118	596

a. Hananias

3409 *a.* Hanania pseudopropheta, mense septimo, mortem obiit à Jeremia prædictam. [*Jerem.* XXVIII. 16, 17.] 4219 595

Astyages, post patrem Cyaxarem, annis 35 Medis imperat. [*Herodot. lib.* 1. *cap.* 130.] Danielis IX. 1. & Tobit. XIV. 17. Ahasuerus vel Assuerus dictus.

c. Deus per Jeremiam, Babylonem & terram Chaldæorum à Medis & Persis vastandam prædicit: populúmque suum recuperandæ liberationis promissionibus confirmat. [*Jerem.* L. & LI.]

Sedekias, anno regni sui quarto, vel ipse profectus est, vel ipsius potiùs loco in Babyloniam misit Seraiam filium Neriæ filii Maaseiæ, Principem Menuchæ: cui Jeremias præcedentia vaticinia de excidio Babylonico in libro descripta tradidit, prælegenda primùm & in Euphratem deinde projicienda. [*Jerem. LI.* 59,–64.] Cum quo & frater ejus Baruc (filius item Neriæ filii Maaseiæ; *Jerem.* XXXII. 12. *Baruc.* I. 1.) scriba Jeremiæ Babylonem simul profectus fuisse putatur.

d. Baruc verba libri sui coram Jechoniâ filio Jehojakimi, & captivis omnibus qui habitabant in Babyloniâ, legisse dicitur, *anno quinto* (à deportatione Jechoniæ scilicèt) *septimo die mensis, eo tempore quo ceperant Chaldæi Hierosolyma, eáque incenderant igne.* (*Baruc. I.* 2, 3, 4.) eodem, ut existimatur, mense quo (dedente se Jechoniâ) capta fuerant Hierosolyma, & à Chaldæis fortassè incendi cœpta: Nam Severo Sulpicio assentiri non possumus, qui (hujus ipsius fortassè loci authoritate fretus) Nebuchadnesarem hoc tempore *Hierosolymam cum exercitu ingressum, urbem murósque ac templum solo stravisse,* in primo sacræ suæ Historiæ libro retulit. Prior tamen doctissimi Junii de restincto igne & oppido conservato conjectura, Anglo-Duacensium expositione aliquantò est tolerabilior; *qui totum tempus captionis Hierosolymorum undecim annis duravisse prinsquàm ea essent combusta,* (à tempore videlicèt quo sub Jechoniâ, usque ad tempus quo sub Sedekiâ capta sunt,) *& in quinto spatii illius anno librum hunc conscriptum fuisse,* asserunt. Grotius verò, primum quidem scriptorem annum quintum post deportatum Jechoniam, hîc intellexisse putat; sed illud de Hierosolymâ succensâ igni, ab alio aliquo fuisse additum, qui existimavit Baruchum nunquam iviſse in Babyloniam ante deportationem quæ Sedekiâ regnante contigit.

Anno tricesimo (incunte; à solenni sc. fœderis redintegratione & cultûs Dei instauratione, celebertimo illo anno 18 regis Josiæ factâ) qui fuit *à deportatione Joiachinis* sive Jechoniæ *anno quintus* (item iniens;) *quarti mensis quinto die,* (*Julii* 24 *feriâ sextâ*) Ezekieli inter deportatam multitudinem ad fluvium *Chebaris* (Straboni & Ptolemæo *Chaborra* dicti) versanti, prima visio à Deo est oblata. [*Ezek.* I. 1, 2, –28] Hinc, ad propheticum munus inter Judæos deportatos exsequendum missus est: ad quos Thel-abibi juxta fluvium Chebaris habitantes, ille perveniens, quasi in stuporem abreptus *septem dies* desedit. Quibus exactis, Deus illum iterùm de vocatione admonet, officiúmque explicat, adhibitis promissionibus & minis: deinde repetito signo eum confirmans, verbo suo metum ipsius amovet, & mandato novo ejus vocationem sancit. [*Ezek.* II. & III.]

Propheta tabulæ latericiæ figuram obsidionis Hierosolymorum insculpere jubetur, & diebus 390 lateri suo incumbere: qui & totidem dierum quibus arctissima Urbis obsidio esset duratura, & totidem annorum iniquitatis domûs Israëlis, typum essent exhibituri. [*Ezek.* IV.)

3410 Psammis Ægypti rex, factâ in Æthiopiam expeditione, mox vitâ defunctus est. Cui succedens filius Apries 25 regnavit annos: [*Herodot. lib.* 2. *cap.* 161.] in Scripturâ Pharaoh Hophra nominatus. [*Jerem.* XLIV. 30.] Hic cum instructissimis terrâ marique copiis in Cyprum & Phœniciam impressione factâ, Sidonem vi cepit, aliásque Phœniciæ urbes terrore subegit. Et ingenti pugnâ navali Phœnicibus & Cypriis devictis, cum magnâ spoliorum vi in Ægyptum reversus est. [*Diodor. Sicul. lib.* 1.] Fertúrque eâ fuisse persuasione, ut ne Deum quidem ullum sibi putaret posse regnum adimere: adeò videbatur sibi illud stabiliviſse. [*Herodot. lib.* 2. *cap.* 169.] quod *Ezekielis* XXIX. 3. (ut ad eum locum Tremellius annotat) allegoricâ illâ prosopopœiâ elegantissimè exprimitur. *Mihi est rivus meus, nam ego feci mihi.* q. d. Nemo est qui rivum meum mihi possit adimere, & vindicare sibi. 4180 594

c. Ezekiel, postquàm lateri sinistro per dies 350 incubuisset, ad latus dextrum conversus per dies 40 illi incubuit, totidem annorum iniquitatis domûs Judæ typum gerentes. [*Ezek. IV.* 6.] Quò referendum & caput V. ejusdem prophetiæ, cum duobus sequentibus.

d. Anno deportati Jechoniæ sexto, die quinto, (*Septemb.* 22. *feriâ* 4) Deus Ezekieli, per spiritum Hierosolymam abducto, visione indicat confertissimam Judæorum idololatriam, & supplicia propter illam eventura. [*Ezek. VIII.* 1. IX. X. XI.]

Eo prophetante, Pelatia filius Benaiæ moritur. Deus pios in Babyloniam deportatos præsentiæ suæ sanctificatione, & Evangelicis in futurum promissionibus consolatur. Visione disparente, Propheta per spiritum ad suos in Chaldæam reductus, enarravit illis omnia quæ Dominus ipsi ostenderat. [*c.* XI. 13,–25.]

3411 *a.* Deus, typis & verbis, Sedekiæ regis nocturnam fugam, excæcationem, captivitatem, & mortem in Babyloniâ; itémque Judæorum deportationem, & calamitates ante eam ipsis eventuras, prædicit: *Ezekielis* cap. XII. Ad quem annum etiam 7 sequentia capita sunt referenda: ex quibus intelligimus, eo tempore & Danielis, ob preces pro salute aliorum effusas, nomen fuisse celebre; [*cap.* XIV. 14, 20.] & Sedekiam fœderis & juramenti religione contemptâ, contra Nebuchadnesarem rebellaviſse. [*c.* XVII. 15, 17.] 4121 593

d. Anno deportati Jechoniæ 7, mensis 5 die 10. (*Augusti* 27. *feriâ* 1.) Ezekiel Seniores ad Deum consulendum accedentes redarguit hypocriseos: deinde calamitates eventuras omnibus, minas contra idololatras, & promissiones erga bonos pronunciat. (*Ezek.* XX. 1.) Quò & tria sequentia capita videntur referenda.

Digitized by Google

3413 Buto Cyrenensis regni conditori, quum 40 regnavisset annos, succedens filius Arcesilaus, 16 annis regnavit. [*Herodot. lib. 4. cap. 159.*] 4123 591

3414 *a.* Annus Sabbatarius: in quo Hierosolymitani, adventante adversùs eos cum copiis Nebuchadnesare, servorum libertatem (juxta Legem, *Exod. XXI. 2. & Deuter. XV. 1, 2, 12.*) promulgarunt. (*Jerem.* XXXIV. 8, 9, 10.) Nam Babylonius adversùs rebellem Sedekiam ducens exercitum, vastatâ regione & occupatis arcibus, ad ipsam Hierosolymam oppugnandam demùm accessit. [*Joseph. Antiquit. lib. 10. cap. 10.*] Omnes enim civitates Judæ jam occupaverat; Hierosolymâ, Lacisho & Azekâ exceptis; quas oppugnavit ille, cum omnibus copiis suis, omnibúsque regnis terræ in dominio suo. [*Jerem.* XXXIV. 1, 7.]

b. Ante mediam verò hyemem non est cœpta obsidio Hierosolymitana. Anno enim regni Sedekiæ 9, mense 10, die 10, (*Januar.* 30. *feriâ* 5.) Nebuchadnesar & omnes ejus copiæ castra juxta Hierosolymam posuerunt; extruentes contra eam propugnacula circumquaque. [II *Reg.* XXV. 1. *Jerem.* XXXIX. 1. & LII. 4.] In cujus memoriam, non solùm captivitatis tempore, (*Zachar.* VIII. 19.) sed etiam ad hodiernum usque diem Jejunium annuum à Judæis est observatum. 4124 590

Eodem ipso die, obsidio Urbis Ezekieli in Chaldæâ à Deo revelatur; ejúsque determinatum excidium per bullientis ollæ typum significatur. Uxor Prophetæ vespere moritur, quam ille luctu prosequi vetatur: gravissimæ Judæorum calamitatis eâ in re typum exhibens, quæ planctum omnem sit superatura. [*Ezek.* XXIV. 1, 2. *&c.*]

d. Jeremias, Deo jubente, Sedekiæ regi prænunciat: Hierosolymam à rege Babyloniæ capiendam & comburendam, Regem verò ipsum in Babyloniam abducendum, ibidémque morientem honorificè esse sepeliendum. [*Jerem. XXXIV. 1,-7.*]

Propheta, ob hoc vaticinium, à Sedekia inclusus est atrio custodiæ quæ erat in domo regiâ: ubi, anno ejusdem Sedekiæ 10, Nebuchadnesaris verò 18 (incunte) promissione restitutionis à Deo acceptâ, Hanameelis filii patrui sui agrum jure redemturæ sibi comparavit. [*Jer.* XXXII. 1,--16.] cæteráque contigerunt, quæ in [*Jeremiæ c. XXXII. & XXXIII.*] continentur.

Pharaonis (Hophræ, sive Vaphris) copiis ex Ægypto egressis, ut Sedekiæ ferrent suppetias; Chaldæi, eis occursuri, Hierosolymis discessérunt. Sedekias ad Jeremiam prophetam, (solutâ obsidione jam liberum, & in aretam & tetram, quæ posteà secuta est, custodiam nondum datum) legatos misit; qui preces ipsius pro salute populi expeterent. Propheta auxiliares illas Pharaonis copias in Ægyptum reversuras, atque Chaldæos iterùm civitatem oppugnaturos captámque combusturos, pronunciat. [*Jerem. XXXVII. 3,--10.*]

Hierosolymitani, præsenti obsidionis metu liberati, servos & ancillas, quos ex Legis præscripto manumiserant, contra fœdus suum in servitutem retraxerunt: quos impii & inhumani facti Jeremias reprehendens, vicissim contra ipsos libertatem gladio, pesti & fami promulgavit: Babylonios interimittùm obsidionem redintegraturos, & civitatem captam combusturos, prænuncians. [*Jerem.* XXXIV. 11,--22.]

Interea, dum abessent copiæ Chaldæorum Hierosolymis propter exercitum Pharaonis, Jeremias fugam meditans, à Principibus cæsis in foveam carceris qui erat in domo Jonathanis conjicitur; multísque diebus ibi detinetur. [*Jerem.* XXXVII. 11,--16.]

Nebuchadnesar, (Ægyptiaco exercitui occursurus) anno regni sui 18 ex iis qui, ante solutam obsidionem, Hierosolymis ad ipsum defecerant, 832 Babylonem deportandos curavit. [*Jerem.* LII. 29.]

Pittacus Mitylenæus, septem Sapientum unus, cum classe missus à suis est in Troadem adversùs Atheniensium ducem Phrynonem Pancratiastem & Olympionicem; qui Sigeum & Achilleum pagum Lesbiis ibi eripuerat. In prælio victores effecti Athenienses, Alcæi Mitylenæi poëtæ, qui abjectis armis fugerat, clypeum apud templum Minervæ in Sigeo suspenderunt. Phrynoni deinde ad singulare certamen provocanti siquis congredi vellet, occurrit Pittacus; & retejaculo, quod sub clypeo occultaverat, involutum tridente ac pugione confodit. Unde, ob agrum ita servatum, Mitylenæis magna ei dona offerentibus, conjectâ hastâ id duntaxat agri petiit, quò cuspis pertigisset: qui locus, ab illo sacratus, *Pittacii* nomen posteà obtinuit. Historiam mutilatam tradidit Herodotus, *lib. 5. cap. 95.* cujus defectum supplevit Plutarchus libro de malignitate Herodoti; cum Strabone, *lib. 13.* Polyæno, *lib. 1.* Festo in *Retiario*, & Diogene Laertio, *lib. 1.* qui Pittaco tunc principatum à Mitylenæis ultrò delatum esse indicat, 10 annis ante mortem: quam anno 3. Olympiadis LII. obiisse illum narrat. Unde rationibus subductis, ad annum 3. Olympiadis XLVII. referre maluimus, quàm cum Eusebio ad XLIII. Olympiadis 2. licèt illud magis ei faveat; quòd in Stadionicarum Catalogo, Olympiade XXXVI. *Phrynon* victor fuisse annotatur.

Neque tamen per duellum hoc planè finitum est bellum. Arbiter verò ab utrâque parte delectus Periander Corinthius, & ipse è septem Sapientum numero unus, ita litem diremit, ut utrique ea colerent quæ haberent; Athenienses Sigeo, Mitylenæis Achilleo pago relicto. [*Herodot. lib. 5. cap. 94, 95. & Strabo, lib. 13.*] quem ipsum Periandrum sexto abhinc anno, ante Olympiadem XLIX. decessisse, ex Sosicrate ostendit in ejus vitâ Laërtius. Quod Herodoti detegit anachronismum; qui pacem hanc inter Athenienses & Mitylenæos à Periandro factam ad posteriora Pisistratidarum tempora retulit.

3415 *b.* Anno deportati Jechoniæ 10, mense 10, die 12 (*Februarii* 1. *feriâ* 1.) Ezekiel vaticinatur contra Pharaonem & Ægyptum; quòd esset baculus arundineus domui Israëlis (frustrà enim suppetias obsessis Hierosolymitanis jam tulerat:) primùm Pharaoni (Hophræ, sive Apriæ) cladem in Libycis solitudinibus à Cyrenæis (ut ad ann. Mundi 3430. videbimus) deinde desolationem totius Ægypti, à Babylonio inferendam, & 40 annorum spatio continuandam, prædicit. [*Ezek. XXIX. 1.-16.*] 4125 589

Fugato

c. Frustrato Pharaonis exercitu, Hierosolymitanam obsidionem redintegravit Nebuchadnesar circa 15 diem tertii mensis; diebus videlicèt 390. ante captam urbem: ut ex typo Ezekielis IV. 5, 8. colligimus. Tum verò Jeremias, à Sedekia consultus, de eo in manum Nebuchadnesaris tradendo responsum dat: qui & ejus precibus motus, ex fovea carceris qui erat in domo Jonathanis ad atrium custodiæ transferri eum jubet; tractâ panis in diem ex vico pistorum illi concessâ, donec consumptus est omnis panis ex civitate. [*Jerem. XXXVII.* 17,–21.]

d. Continuatâ obsidione, Jeremias iterùm à Sedekia per legatos consultus, simile reddit responsum: & Regem & cives in manum Nebuchadnesaris tradendos: eos qui in civitate mansuri sunt, gladio, aut fame, aut peste morituros, eos autem qui ad Chaldæos egressuri sunt, vitâ suâ loco spolii potituros. [*Jerem.* XXI.]

Ob hoc responsum Jeremias à Principibus in foveam Malchiæ, quæ erat in atrio carceris, conjicitur. Unde operâ Ebed-melechi Eunuchi eductus, à Rege denuò consulitur: & repetito judicio contra Judæam, in atrio carceris usque ad Urbem captam servatur. [*Jer.* XXXVIII.] ubi Ebed-melecho, Dei nomine, liberationem ab omnibus periculis pronunciat. [*Jer.* XXXIX. 15,–18.]

3416 c. Anno deportati Jechoniæ 11, mensis *primi*, ut videtur, (non, ut Tremellio & Prado placuit, *quinti*: is enim in annum 12 incidit) die *primo*, Deus per Ezekielem Tyro, de miserando jamjam à Nebuchadnezare capiendæ Hierosolymæ statu exsultanti, ab eodem Nebuchadnesare excidium venturum pronunciat, tam admirabile, ut omnes exteri aspicientes & recordantes præteritam illius gloriam subitúmque casum perhorrescant. Idémque finitimis Sidoniis eventurum Propheta vaticinatur, ad gloriam Dei & Ecclesiæ bonum: cujus promissione prophetia hæc terminatur. [*Ezek.* XXVI. 1. *ad finem capitis* XXVIII.] In quâ & illud notandum; tantam eo tempore apud exteros omnes sapientiæ Danielis fuisse famam, ut in proverbium abierit. Inde enim Deus Tyriorum Regi (Ithobalo) insolentiam animi exprobrans; *Ecce*, inquit, *sapientior es Daniele, quicquam occultum non abscondetur tibi.* [*Ezek.* XXVIII. 3.] 4126 588

Eodem anno, mense 1, die 7, (*April.* 26. *feriâ* 3.) Deus Ezekieli revelat, se Regem Babyloniæ contra Pharaonem armaturum, & Ægyptios subversurum. [*Ezek.* XXX. 20,–26.]

Eodémque anno, mensis 3, die 1, (*Junii* 19. *feriâ* 1.) ostendit Deus, Ægyptium non magis posse judicium ipsius effugere, quàm Assyrius ante eum poterat. [*Ezek.* XXXI.]

d. Anno Sedekiæ undecimo, definente, (*Jerem.* I. 3.) mense 4, die 9, (*Julii* 27. *feriâ* 4.) quum invaluisset fames Hierosolymis, perrupta est civitas, & à Chaldæis occupata. [II *Reg.* XXV. 2, 3, 4. *Jerem.* XXXIX. 2, 3. & LII. 5, 6, 7.]

Captâ Urbe, Sedekias rex & omnes bellatores noctu aufugerunt. Verùm Sedekiam assecutæ copiæ Chaldæorum in campestribus Jerichuntis, Riblam cum ad Nebuchadnesarem deduxerunt: ubi, occisis priùs ejus liberis in conspectu ipsius, excæcatus ac deinde numellis chalybeis vinctus in Babyloniam deportatus est. [II *Reg.* XXV. 4,–7. *Jerem.* XXXIX. 4,–7. & LII. 7,–11.] completis eo modo Prophetarum vaticiniis: quòd oculis suis oculos Regis Babyloniæ videret, [*Jerem.* XXXII. 4. & XXXIV. 3,] sed Babyloniam non videret, quamvis ibi moriturus esset. [*Ezek.* XII. 13.]

Mense 5, die 7, (*August.* 24. *feriâ* 4.) Nebuzaradan præfectus satellitum, à Nebuchadnesare missus, Hierosolymam ingressus est: [II *Reg.* XXV. 8.] &, comparatis per biduum rebus, *decimo* die (*August.* 27. ipso Sabbati die; in quem forsitàn mandati executionem is consultò distulerat) Templum Dei, ac palatium Regis, cum reliquis ædificiis Hierosolymorum, concremavit. [*Jerem.* LII. 13. *cum* XXXIX. 8.] Die 7 ignem iis subjectum fuisse, die autem 10 eadem deflagrasse, Lidyatus noster existimat. In cujus calamitatis memoriam, mensis quinti Jejunium est institutum: [*Zachar. VII.* 3, 5. *VIII.* 19.] quod & ad hunc usque diem à Judæis retinetur; sed 9, non 10 die mensis 5 (*Ab*) observatum. Destructum verò est Templum, anno Nebuchadnesaris 19 (*Jerem.* LII. 12. II *Reg. XXV.* 8.) definente: Olympiadis λ *LVIII.* anno 1. ineunte, Nabonassari 160 currente; postquàm à Salomone condi cœptum est, annis 424. mensib. 3. & diebus 8.

Eodem mense 5. [*Jerem.* I. 3.] omnibus muris Hierosolymorum circumquaque dejectis, eos qui relicti fuerant in civitate, & eos qui defecerant ad regem Babyloniæ, & reliquum vulgi, unà cum thesauris Regis atque Principum, & instrumentis domûs Dei, deportavit Nebuzaradan in Babyloniam. [*Jerem.* XXXIX. 8, 9. LII. 14,–23. II *Reg.* XXV. 10,–17. II *Chron.* XXXVI. 18, 19, 20.] Sic migravit Juda è terra sua: [*Jerem.* LII. 27. II *Reg. XXV.* 21.] ab initio regni Davidis anno 468, à decem tribuum distractione 388, ab Israelitici regni excidio 134.

ÆTAS

ÆTAS MUNDI VI.

DE populo tenuissimos, quibus nihil erat quicquam, reliquit Nebuzaradan in terrâ Judæ; ut essent vinitores & agricolæ: quibus Rex Babyloniæ Gedaliam Ahikami filium, ejusdem gentis præposuit. (*Jerem.* XXXIX. 10. XL. 5, 7. LII. 16. II *Reg.* XXV. 11, 22, 23.) sed absque ullo insigni regio, aut imperii nomine; quia præesse paucis & calamitosis, nulla dignitas erat: inquit, in fine lib. 1. sacræ suæ Historiæ, *Severus Sulpicius.*

Seraja primarius & Sephania secundanus sacerdos, ac tres custodes liminis, primoresque alii à Nebuzaradane Riblam ad Nebuchadnesarem adducti, occisi ibi sunt. [*Jerem.* LII. 24,–27. II *Reg.* XXV. 18,–21.] Serajæ verò filius, & post eum summus Sacerdos, Jchosadakus captivus est abductus. [I *Chron.* VI. 15.]

Jeremias vinctus catenis cum deportandâ multitudine Ramam usque perductus, ibi à Nebuzaradane liberatur: optione ei datâ, ut vel in Babyloniam honorificè tractandus cum eo proficisceretur, vel cum reliquiis populi in desertâ patriâ remaneret. Quam posteriorem conditionem ille eligens, ad Gedaliam præfectum, qui Mispæ Benjaminitarum sedem suam fixerat, cum muneribus missus est. (*Jerem.* XXXIX. 11,–14. XL. 1,–6.]

Duces & milites (qui cum Sedekiâ Hierosolymis noctu aufugerant; [II *Reg.* XXV. 4. *Jerem.* LII. 7.] in agris passim palantes, omnesque Judæi qui ad Moabitas, Ammonitas, & gentes finitimas se receperant, ad Gedaliam in patriam suam sunt reversi: ubi vini & olei & æstivorum fructuum copiosum proventum collegerunt. [*Jerem.* XL. 7,–12. II *Reg.* XXV. 23, 24.]

Ismaël Nethaniæ filius, Judæus è semine regio, à Baalisa Ammonitarum rege ad occidendum Gedaliam submissus, cum 10 viris primariis, Mispæ familiariter ab eo sunt excepti; proditionis hujus detectoribus, malo suo, nullam fidem adhibente. [*Jerem.* XL. 13,–16.]

3417 *a.* Mense septimo Ismaël, cum 10 suis sociis, Gedaliam, & Chaldæos, & viros militares Mispæ repertos, nefariè trucidavit. [*Jerem.* XLI. 1, 2, 3. II *Reg.* XXV. 25.] In cujus cædis memoriam annuum Judæi observant jejunium mense hujus 7 (Tisri) die 3.

Altero post clàm occisum Gedaliam die, 80 ex illis, qui lugubri habitu Shecemo, Shilunte & Samariâ munera & suffitum ad domum Dei in ruinis suis jam jacentem ferebant, Mispam per dolum ductos in urbis medio interemit Ismaël; eorúmque cadavera in Asæ regis puteum conjecit. [*Jerem.* XLI. 4,–9.]

Ismaëli regis filias & reliquum populum Mispæ relictum in captivitatem ad Ammonitas abducenti, ad aquas Gibeonis cum exercitu occurrens Johanan filius Kareæ, captivos omnes liberavit: Ismaële, non ampliùs quàm octo comitantibus, ad Ammonitas confugiente. [*Jerem.* XLI. 10,–15.]

Johanan, & omnes copiarum præfecti, totúsque populus juxta Bethlehemum considentes, Chaldæorum metu fugam in Ægyptum meditantur. [*Jerem.* XLI. 16, 17, 18.] Sed priùs Jeremiam frequentes adeunt, scitantes divinum responsum: quod ille post decem dies retulit; verbis Dei universos hortatus, in solo patrio manerent. Si id fecissent, Dei præsidio tuendos nullúm que à Babyloniis periculum fore: sin Ægyptum peterent, omnes ibi ferro ac fame diversóque mortis genere perituros. Sed plebis assiteto malo insolens parendi salubribus consiliis, & divino imperio, profecta est in Ægyptum: ipso etiam Jeremia & Baruco filio Neriæ concomitante. Quibus Tahpanhesum usque pervenientibus, typo proposito, Jeremias excidium Ægypto à Nebuchadnesare (quem fugerant) inferendum prænunciat. [*Jer.* XLII. & XLIII. *cum Sever. Sulpic. histor. sacr. lib.* 2.]

b. Anno deportationis Jechoniæ 12, mensis 10 die 5 (*Januar.* 25. feriâ 4) nuncio ad Ezechielem perlato de percussis Hierosolymis; extremam desolationem ultimis Israelitarum reliquiis (post profectionem illam Ægyptiacam) in vastitatibus patriæ commorantibus eventuram Propheta prædicit. [*Ezek.* XXXIII. 21,–29.] 4127 58

Anno eodem 12, mense item 12, die 1 (*Mart.* 22. *feriâ* 4.) contra Pharaonem, & de gravissimâ plagâ per Nebuchadnesarem Ægyptiis infligendâ, prophetat Ezekiel. (*Ezek.* XXXII. 1,–16.)

Die mensis 15, De Pharaone & universâ ejus multitudine ad inferos, inter gentes omnes incircumcisas, deducendâ prophetat idem. [*Ezek.* XXXII. 17,–32.]

De clade Israelitis Migdoli, (non procul à mari rubro; [*Exod.* XIV. 2.] Tahpanhesi, (sive Daphnis Pelusiis) Nophi, (sive Memphide) & in Pathrosi provinciâ apud Ægyptios habitantibus superventurâ vaticinatur Jeremias: ipsius Ægypti regis Pharaonis Hophræ (sive Apriæ) casu pro signo dato. [*Jerem.* XLIV. 1,–30.]

Obadias propheta contra Idumæos, qui Judæorum calamitati, eversis Hierosolymis, insolentissimè insultaverant, vaticinatur: quod & Jeremias, [c. XLIX. 7] Ezechiel, [c. XXV. 12] & Psalm. LXXIX. & CXXXVII. scriptores eodem ferè tempore fecerunt.

3418 Cyrus, quum per annos 12 aut paulò amplius in Persiâ cum patre vixisset, cum matre Mandane ab avo Astyage accersitus, in Mediam venit. [*Xenoph. Institut. Cyri, lib.* 1.] 4128 586

3419 *b.* Tyrus, Ithobalo ibi regnante, per annos 13 à Nebuchadnesare est obsessa: quemadmodum, ex Philostrato & aliis rerum Phœniciarum scriptoribus, refert Josephus. [*Antiquit. lib.* 10. *cap.* 11. *& lib.* 1. *contra Apion.*] intra quod temporis spatium finitimi quoque Sidoniorum, Moabitarum, Ammonitarum, & Edomæorum populi à Babylonio videntur esse subacti; juxta prophetias. [*Jerem.* XXVII. XLVIII. XLIX. & *Ezek.* XXV.] 4129 585

a. Nabu

3420 *a.* Nebuchadnesare Tyrum obsidente, in termino terræ Israeliticæ positam, [*Josh.* XIX. 29.] anno regni 23 Nebuzaradan, satellitio ipsius præfectus, Judæorum & Israëlitarum cum eis mixtorum reliquias deportavit; ad capita hominum 745. [*Jerem.* LII. 30.] In quâ extremâ desolatione, quæ Terram penitùs incultam reliquit, iniquitatis Israelis (à Juda sejuncti) 390, & Judæ 40 terminantur anni; [*Ezek.* IV. 5, 6.] præmonstrati. 4150 584

3421 Quùm Cyrus 16 ferè esset annorum, regis Assyriorum filius (Evilmerodachus) uxorem ducturus (Nitocrim) venandi & prædandi causâ, cum magno equitum & peditum numero, in fines Mediæ excurrit. Quibus Astyages Medorum rex, cum filio Cyaxare & nepote Cyro (qui tunc primùm arma induit) occurrit: & equestri potitus victoriâ, Assyrios repulit. [*Xenoph. Institut. Cyri, lib.* 1.] 4151 583

Cyrus deinde à patre Cambyse domum revocatus est; cùm annus adhuc illi unus in puerili institutione peragendus supereset. [*Id. Ibid.*] Quò referendum, quod ex Dione narrat Athenæus (*Deipnosophist. lib.* 14.) Cyrum, quum primùm Astyagis *μαζοφάγων* ac deinde *ἀκολοφάγων* unus fuisset, in Persiam rediisse: eóque tempore Angarem Musicum, Astyage cum amicis convivante, cecinisse; in paludstria dimissam esse belluam immanem, apro truculentiorem, imperaturam illis provinciis, & prosperè cum paucis adversùs multos præliaturam; indéque Astyagem revocare Cyrum, sed frustrà, tentavisse.

3422 Cyrus, cùm annos ferè 17 inter pueros egisset; 10 annos inter ephebos exegit. [*Xenoph. Institut. Cyri, lib.* 1.] 4152 581

3424 Olympiade quinquagesimâ, quâ Epitelides Lacedæmonius stadium vicit, Cnidiorum & Rhodiorum nonnulli, asperitate regum Asiaticorum offensi, coloniæ deducendæ consilia inierunt. Creato igitur ad hoc duce Pentathlo Cnidio (qui generis ortum ad Hippotam Herculis filium referebat) in Siciliam appulerunt, tempore quo Ægestani ac Selinuntii bellum inter se gerebant. Ubi Pentathlo, opem Selinuntiis ferente, occiso; reliqui, Gorgo ac Thestore & Epitherside ex illius familia Ducibus delectis, in Lipara deinde insulâ consederunt. [*Diodor. Sicul. lib.* 5.] 4154 580

3429 Arcesilao, quum per annos 16 regno Cyrenaico præfuisset, successit filius Battus, Eudæmon cognominatus. Ad quem ingens Græcorum multitudo, Delphici oraculi monitu, confluens finitimorum Libyum agros vastabat, atque inter se partiebatur: quum priùs Cyrenaica colonia per annos 56 ex Theræis solis coaluerat, qui cum primo Batto illuc missi fuerant. [*Herodot. lib.* 4. *cap.* 159.] 4159 575

3430 *c.* Anno captivitatis Jechoniæ 25 principio anni, (id est, mense primo: ut Jonathan paraphrastes Chaldæus exponit) 10 die mensis, (*April.* 30. *feriâ* 3.) anno 14 postquàm Urbs percussa est, de Templi, Urbis, & Regni Israëlitarum constitutione vilio Ezekieli est exhibita: instaurationem Ecclesiæ per Christum, ejusque amplitudinem, dignitatem & præstantiam significans. [*Ezek.* XL. 1. *usque ad libri finem.*] 4140 574

Libyci, cum rege eorum Adricano, agris à Cyrenæis exuti, Apriæ Ægyptiorum regi sese dediderunt. Ille comparatum grandem Ægyptiorum exercitum adversùs Cyrenas misit. Cyrenæi, instructâ apud Irasa & ad fontem Thestin acie, hostes ita profligarunt, ut pauci ex eis in Ægyptum redirent. Qua de re Ægyptii succensentes Apriæ, ab eo defeciverunt: opinati se ab illo in apertam perniciem fuisse dimissos; ut his internecione deletis, ipse cæteris Ægyptiis imperitaret securiùs. [*Herodot. lib.* 4. *cap.* 159. *& lib.* 2. *cap.* 161. *Diodor. Sic. lib.* 1.]

3431 Amasis (Saïtes ille, à Platone in Timæo celebratus) ab Aprie ad pacandos rebelles missus, rex ab eis efficitur. Patarbemi viro spectabili, ad Amasim revocandum misso, quòd eum secum non adduxisset, Apriæ jussu aures & nasus præciduntur. Cujus facti indignitate mori alii, ad Amasis partes transierunt. [*Herodot. lib.* 2. *cap.* 162.] 4141 573

3432 *b.* Tyrus se in Nebuchadnesaris potestatem tradidit. Non enim vi fuisse à Chaldæis captam, & prædæ expositam, ex *Ezek.* XXIX. 18, 19. colligitur; sed certis potiùs conditionibus interpositis deditione receptam. Unde pro rege Ithobalo (יתבעל) ex eâdem suâ gente Baal (בעל) Regulus constitutus, per 10 annos Tyriis præfuit: ut ex Phœnicum Annalibus, in libro primo contra Apionem, Josephus confirmat. 4142 572

c. Anno deportati Jechoniæ 27 mensis 1 die 1 (*April.* 20. *feriâ* 3.) Deus Nebuchadnesari, ob diuturnam in Tyriis debellandis navatam sibi operam, Ægyptum mercedis loco se daturum pollicetur. [*Ezek.* XXIX. 17,—20.]

Cyrus, quum 27 ferè annorum esset, ex ephebis excedens, juxta Persarum instituta, virorum censui adscriptus est. [*Xenoph. Institut. Cyri, lib.* 1.]

Nebuchadnesar, Ægyptiacæ seditionis occasione captatâ, & ab Amasi etiam forsasse ad subigendum Apriem invitatus, in Ægyptum cum exercitu invasit.

3433 Nebuchadnesar Ægypto potitus, à Syene usque in terminum, tum Ægyptiorum tum Judæorum inter illos habitantium, alios gladio cæcidit, alios abduxit captivos: juxta prophetias [*Jerem. c.* XLIII. XLIV. XLVI. *&* *Ezek.* XXIX. XXX. XXXI.] 4143 571

In Thebaïdem pulso Pharaone Hophrâ sive Apriâ, reliquæ Ægypto Amasim Nebuchadnesar Proregem præfecisse videtur: licèt Herodotus ista ignoraverit. *Sacerdotes* enim *Ægyptii, qui ei sciscitanti de rebus Ægyptiacis respondebant, ea, quæ ad laudem gentis faciebant, tantùm docuerunt; cætera, quæ ad illorum ignaviam, servitutem, & tributa, quæ Chaldæis pendebant, tacuerunt:* ut, in notis ad fragmenta, rectè observavit Jos. Scaliger.

3434 Nebuchadnesar, finitis expeditionibus bellicis, Babylonem revertus; dum quietus esset in domo & florens in palatio suo, somnium illud de arbore mirabili excindendâ habuit: cujus interpretationem, à Chaldæis suis frustrà quæsitam, Daniel illi aperuit. [*Dan.* IV.] 4144 570

Babylonem magnificè instauravit Nebuchadnesar; extra urbem veterem, novam aliam con-

ſtruens, triplicique muro lateritio & hanc & illam circumdans: addito quoque, in gratiam Medicæ ſuæ conjugis (Amyitis filiæ Aſtyagis; de quâ ad ann. Mundi 3404) penſili illo Horto celebratiſſimo; de quo Beroſus. Κατασκεύασεν τὸν καλούμενον κρεμαστὸν παράδεισον, διὰ τὸ τὴν γυναῖκα ἐκ Περσίδος ὀρεινὴν διαθέσεως, ὡς τρεφομένην ἐν τοῖς τῆς Μηδίας τόποις; & Q. Curtius: *Syria Regem Babylone regnantem hoc opus eſſe molitum memoriæ proditum eſt, amore conjugis victum; quæ deſiderio nemorum ſilvarumque in campeſtribus locis, virum compulit Naturæ genium amœnitate hujus operis imitari.* Sed de hiſce magnificentiſſimis ſtructuris, Beroſi & Abydeni fragmenta conſulenda ſunt: quorum prior Græcos quoque, miranda iſta Nebuchadneſaris opera Semiramidi tribuentes, coarguit, (Joſepho, lib. 1. contra Apionem, referente:) poſterior mœnia illa, quæ ad Macedonum imperium duraverunt, portis æneis inſtructa, (& inter Orbis miracula connumerata) Nebuchadneſaris opus fuiſſe aſſerit. (ut apud Euſebium, lib. 9. Præparat. Evangelic. capite ultimo, legitur.) Clitarchus verò, & qui cum Alexandro in Aſiam trajecerunt, mœnium ambitum CCCLXV. ſtadiorum, juxta dierum anni numerum, fuiſſe ſcripſerunt. (*Diodor. Sic. lib.* 1.) ſingulorumque ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfectam fuiſſe, memoriæ proditum eſt. (*Q. Curt. lib.* 5. *cap.* 4.) quanquàm *quindecim* dierum ſpatio tantum opus confectum fuiſſe, Beroſus & Abydenus tradiderint.

3435 Exactis à viſo ſomnio menſibus 12. Nebuchadneſar, ſtructurarum ſuarum magnificentiam jactitans, mente alienatus & à ſuis depulſus, per ſeptennium ferinam cum beſtiis vitam egit. [*Daniel.* IV. 32, 33.] 4145 569

Apries, qui & Pharao Hophra, conductis auxiliariorum ex Ionibus & Caribus triginta millibus, ad urbem Memphim cum Amaſi congreſſus eſt. Sed prælio fugarus & captus, aſſervatuſque in urbe Saitanâ, demùm ſtrangulatus eſt; juxta prophetiam Jeremiæ XLIV. 30. (*Herodot. lib.* 2. *cap.* 163. & 169. *Diodor. Sicul. lib.* 1.)

Poſt ejus mortem 44 annos regnavit Amaſis; ut in libro III. cap. 10. refert Horodotus: ſed (quod Sacerdotes Ægyptii illum celârunt) Babylonio vectigalis.

3442 *a.* Jubilæus XVIII. 4151 563

Nebuchadneſar poſt 7 annos, agnitâ demùm Dei potentiâ, ſanitati & regno ſuo reſtitutus, beneficium erga ſe & gloriam Dei apud omnes gentes, edito programmate, promulgat (*Dan.* 4.)

b. Idem, de clade Babyloniis à Cyro inferendâ, vaticinatus, ut ex Chaldæorum relatione narrat Abydenus, (apud Euſebium, libro 9. Præparat. Evangelic. cap. ult.) ſtatim obiit: poſtquàm annis 43. ſolus, & ad viceſimum circiter menſem ſimul cum patre regnaviſſet. 4152 562

Succeſſit illi Evilmerodachus filius, anno à deportatione Jehojacinis, ſive Jechoniæ, regis Judæ 37°, circa menſis 12 diem 25 (*April.* 15. *fer.* 3.) quo de eodem Jechoniâ è carcere liberando mandatum dedit. (*Jerem.* LII. 31.) Unde, poſt biduum, ejuſdem videlicèt menſis die 27 (*Aprilis* 17) mutatis veſtimentis carceris ſui, cæteris Principibus in aulâ Babylonicâ degentibus prælatus, & in amicis Imperatoris habitus, coram illo jugiter eſitabat, omnibus diebus vitæ ſuæ. (II. *Reg. XXV.* 27, 28, 29.)

In Lydiâ Cræſus, mortuo patre Halyatte, regnavit annis 14. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 86.)

Poſt regem Baalem, Tyro à Babylonio præfecti ſunt Judices: quorum primus, Eenibalus Baslachi filius (עכנבעל בן מעלח Scaligero) menſibus 3. deinde Chelbes Abdæi filius (כלבס בן אבדי) 10. præfuit menſibus: ut, ex Phœnicum Annalibus, in primo contra Apionem libro, prodit Joſephus.

3443 Abbarus (אב-בר) ſummus Pontifex Tyrios menſibus 3 judicavit; atque poſt eum Myrgonus & Gereſtratus Abdelini FF. (וגר-עשתרת בני עבר-אלים מגת-נאוז) annis 6. (*Ibid.*) 4153 561

Ad Cræſum tum cæteri omnes e Græcia ſophiſtæ Sardes confluxerunt, tum Athenienſium legislator Solon; qui celebre illud de vitæ hujus incertitudine & hominis felicitate cum eo colloquium habuit. (*Herodot. lib.* 1. *à cap.* 28. *ad* 33.) Fertur ad Cræſum epiſtolium Solonis (in fine Vitæ illius, apud Diogenem Laërtium) in quo accerſitum ab illo ſe ſignificat, Athenis jam rerum potito Piſiſtrato.

Æſopus Phryx, nominatiſſimus ille fabularum conditor, quem eodem tempore Sardes accitum Cræſus in honore habebat, Solonis illiberaliter ab illo propter παῤῥησίαν dimiſſi vicem dolens, & cum Regibus agendum monens ὡς ἥκιστα ἀ ὡς ἥδιστα, *aut nequaquàm aut quàm jucundiſſimè*; ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα, *aut nequaquàm aut quàm optimè* cum eis agendum, à Solone reſponſum accepit. (*Plutarch. in Solone.*)

Æſopus Sardibus Delphos profectus, injuſtè ibi damnatus è rupe Phœdriade præcipitatur, circa Olympiadem LIV, ut apud Suidam legitur: ſub finem videlicèt Olympicæ illius Tetraëteridis; ſi ſuperiora rectè conſtituta ſunt tempora. Cujus cædis pœnas, ab oraculo Delphico ſæpiùs indictas Iadmon poſteà ſumpſit; Iadmonis illius Samii ex filio nepos, cui Æſopus, unà cum Rhodope Thraciâ meretrice illâ famoſiſſimâ, priùs ſervierat. (*Herodot. lib.* 2. *cap.* 134.)

Solon à Cræſo in Ciliciam profectus, urbem condidit, atque ex ſuo nomine Solos appellavit: in quâ Athenienſium aliquot ſtatuit, qui tractu temporis, quum patriam linguam corrupiſſent, σολοικίζειν dicti ſunt. Hæc, in Solonis Vita, Diogenes Laërtius: quæ tamen ad *Solios* Cypri, non ad *Solenſes* Ciliciæ ſpectare, ex ipſius Solonis ad Philocyprum regem elegis apparet, à Plutarcho in ejuſdem Vitâ recitatis; ubi & ille docet, Cyprium hunc regulum, Solonis ope & conſilio hîc uſum, exiguum oppidum *Æpeam* priùs dictum, in ſubjectum campum habitationi longè commodiorem tranſtuliſſe, & in Solonis honorem *Solos* denominaſſe.

Poſt abitum Solonis Cræſus, qui ſeipſum omnium hominum beatiſſimum arbitratus fuerat, quæ de rerum humanarum incertitudine moleſtè atque iracundè ab illo audierat, nimis vera fuiſſe, propriâ edoctus experientiâ, didicit. Statim enim ei quieſcenti ſomnium eſt oblatum,

Atym

Atym filium, ferreâ trajectum cuſpide, interimendum fore ſignificans. Quem caſum dum ille omni curâ prævertere conaretur, & nuptias filii in manibus haberet: Phryx regii generis Adraſtus, ob fratrem à ſe imprudenter interfectum, à patre Midâ Gordii filio (qui alius fuit ab antiquo illo Midâ Gordii filio, Phrygum rege; cujus tumulo ab Homero inſcriptum carmen Herodotus in Poëtæ vitâ recitat) ejectus, ut à Crœſo expiaretur, Sardes venit. Cui expiato filii ille tutelam commiſit, à Myſis ad opprimendum ingentis magnitudinis aprum acciti, qui Olympi montis culta, crebrâ cum agreſtium ſtrage, pervaſtabat. Adraſtus, vibratâ in feram lanceâ, cuſpide illius Atym imprudens percuſſit: & fortuitæ cædis veniâ à patre obtentâ, ſuper interempti tumulum ſe transfodit. Crœſus, filio orbatus, ingenti in luctu duos annos egit: quem de Cyri (qui ipſum regnum illi poſteà eripuit) oriente potentiâ ſollicitudo demùm terminavit. (*Herodot. lib.* 1. *à cap.* 34. *ad* 46.) De quo videnda etiam Excerpta ex Diodoro Siculo, ab Henr. Valeſio edita, (pag. 238.) & Valer. Maxim. lib. 1. cap. 7.

3444 *c.* Evilmerodachus rex Babyloniæ, propter iniquitates & libidines paſſus inſidias, à marito ſororis ſuæ Nerigliſſoro peremptus eſt; quum plus quàm duobus regnaſſet annis: ut docet Beroſus, in tertio rerum Chaldaicarum libro, à Joſepho citatus, lib. 1. contra Apion. Cúmque ab eo ſtipendium diarium accepiſſe legatur Jechonias rex Judæ, *uſque ad diem mortis ſuæ, omnibus diebus vitæ ſuæ:* (Jerem. LII. 34. II. *Reg.* XXV. 30.) circa hoc idem tempus Jechoniam quoque 57 annos natum, vitâ fuiſſe functum, veriſimili admodum conjecturâ colligitur. 4154 560

Evilmerodacho ſuccedens interfector ejus Nerigliſſorus, (נרגל-לאצר) 4 regnavit annis. (*Beroſ. ibid.*)

In regno quoque Mediæ, defuncto *Aſtyagi*, (Tobit. XIV. 17. *Aſſuero* dicto, filius ejus *Cyaxares* ſucceſſit, matris Cyri frater: ut in libro 1. Inſtitut. Cyri habet Xenophon, ſub initium videlicèt anni 1. Olympiadis LV; ante mortem Cyri annis 31. Danieli *Darius* Medus, *Aſſueri* filius, dictus.

3445 Rex Babylonius, non ſubditos ſolùm ſuos, ſed etiam Crœſum Lydorum regem, unà cum Cappadocibus, Phrygibus utriſque, Caribus, Paphlagonibus, Cilicibus, atque Indis, ad ſocietatem belli contra Medos & Perſas ineundam ſollicitat: magnas eos gentes eſſe dictitans, & adfinitatibus mutuis devinctos; ac, niſi maturè illis occurreretur, ordine ſingulas nationes oppreſſuros. Quâ occaſione, Cyrus à patre Cambyſe & regni Senatoribus exercitûs Perſici Imperator conſtitutus, cum 30000 militibus & ὁμοτίμοις ducibus mille, in Mediam mittitur: ut in primo Inſtitutionis Cyri libro refert Xenophon. Ibi ab avunculo Cyaxare, qui eum accerſiverat, Medicarum etiam copiarum præfectura, & belli adversùs Babylonium gerendi adminiſtratio illi committitur. A quo tempore, anni 30. principatûs Cyri dinumerantur: ad finem tendente anno 1 Olympiadis LV. ad quem, ex Diodori, Thalli, Caſtoris, Polybii, Phlegontis & cæterorum Chronographorum conſenſu, in tertio Annalium ſuorum libro, refert initium illius Julius Africanus, ab Euſebio in Evangelicæ Præparat. libro 10. laudatus. 4155 559

c.

Eodem tempore (vere nimirùm, eundem ejuſdem Olympiadis annum claudente) Solon Philocypro & Soliis ſuis valedicens, reditum in patriam meditabatur: ut ex illius elegis, à Plutarcho productis, intelligitur. Verùm morbo correptus, in Cypro octogenarius mortem obiit: ut ſcribit Laërtius. Athenis tùm Archonte Hegeſtrato, ſecundo Piſiſtrati dominationis anno; ut ex Phaniâ Epheſio Plutarchus refert.

3446 *b.* Anno à dirutâ urbe Hieroſolymitanâ triceſimo, IV^i. libri Eſdræ ſcriptor apocryphus colloquia cum angelo Uriele à ſe habita fuiſſe fingit. (IV. *Eſdr.* III. 1. IV. 1.) quum Dux populi eſſet Salathiel. (cap. V. 16.) utpote Jechoniâ rege jam defuncto. 4156 558

Crœſus adversùs Cyrum ſeſe comparans, magnis miſſis donariis, de eventu Delphicum conſulit oracului; ante Sardium expugnationem tribus annis. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 53, 54, 55, 91.) 0

3447 Armenius, poſtquàm ſenſit hoſtes in Cyaxarem parare, neque auxilium illi miſit, neque tributum ſolvit: contra pacta conventa quæ, ab Aſtyage bello ſuperatus, cum Medis hac de re ille inierat. Hinc Cyrus, ſimulatâ venatione, Armenium invaſit: eúmque cum filio Tigrane ſuperans, ſub Medorum poteſtatem iterùm redegit. Montes quoque inter Armenios & Chaldæos interjectos cepit: ibíque arce extructâ, certis conditionibus pacem inter utramque gentem conſtituit. (*Xenoph. Inſtitut. Cyri, lib.* 3.) 4157 557

3448 *c.* Cyaxares & Cyrus adversùs Babylonium, Crœſum & reliquos fœderatos, exercituin ducunt; eóſque proſternunt. In prælio rex Babylonius occiditur: Crœſus, cum reliquis, deſertis caſtris, noctu fugiunt. Cyrus cum Hyrcaniis, qui à Babylonio ad eum defecerant, fœdere inito, eis ductoribus & adjutoribus uſus, hoſtes perſequitur & denuò vincit. Crœſus mulieribus, quòd æſtas eſſet, noctu præmiſſis, ut in frigore faciliùs iter facerent, cum equitatu è caſtris ſe ſubducit. Cappadocum regem, & Arabum, Hyrcanii trucidant. Cyrus dedititiis & captivis parcens, prædam dividit. (*Id. lib.* 3. & 4.) 4158 556

Nerigliſſoro in imperio Babylonico filius ejus Laboroſoarchodus, לבו-דאך-בל (improbitate quàm ætate longè maturior) ſuccedens, menſibus 9 regnavit. (*Beroſ.*)

Balatorus (בעל-טור Tyri, inter Judices, regnavit anno uno. (*Phœnic. Annal.*)

Gobrias, cujus unicum filium novus ille Babyloniorum rex (tempore regnantis patris) inter venandum nefariè interemerat, ad Cyrum cum ſuis deficit. (*Xenoph. lib.* 4.)

Cyrus Babyloniorum fines invadit: & ad ipſam urbem Babyloniam progreſſus, novo Regi duellum offert. Gadatas vir primarius, quem Rex iſte zelotypiâ motus caſtraverat, ad Cyrum deficit. Babylonii, Gadatæ agrum invadentes, à Cyro proſligantur. Caduſii verò, quibus extremi agminis cuſtodia à Cyro fuerat commiſſa, eo inſcio in regionem versùs Babylonem ſitam temerè excurrentes, à Rege Babylonio, ex urbe ſuâ quò confugerat egreſſo, cæduntur. Eorum

cædem ultus Cyrus, ut ex utraque parte deinceps cum agricolis pax esset, cum armatis bellum, pactum cum Rege init. Deinde Babylonem prætervectus, & tribus hostium castellis receptis, ad Assyriorum Medorúmque confinia, unde initium expeditionis fecerat, exercitum reduxit. Quò accersitus ab eo avunculus Cyaxares, in tabernaculo regis Assyrii (Neriglissori occisi) honorificè excipitur: &, hyeme jam adventante, de rebus ad continuandum bellum comparandis communi deliberatur consilio. (*Id. lib. 5. & 6. initio.*)

3449 *b.* Laborosoarchodum, Nebuchadnesaris ex filiâ nepotem, ab amicis, eo quòd morum ipsius improbitas nimis sese exsereret, interemptum excepit ejusdem Nebuchadnesaris ex filio Evilmerodacho nepos; Berosо *Nabonidus* (נבו-נים) Herodoto *Labynitus* (לבו-נדש) Abydeno *Nabannidochus*, Danieli Prophetæ *Belshasar* sive Baltatar dictus: cui 17 imperii annos tribuit in libro 3 Chaldaicæ historiæ Berosus, & in Regum Canone Ptolemæus. — 4159 — 555

Hujus anno 1, de quatuor bestiis totidem regna significantibus, & Deo imperium omne filio hominis tradente, Danieli somnium est oblatum. (*Dan.* VII. 1.)

Mortuo Tyri regulo Balatoro, Babylone accitus Merbalus (מר-בעל) regnavit annos 4. (*Phœnic. Annal.*)

3451 Belshasaris anno tertio, Arietis & Hirci visum, cladem imperio Persico ab Alexandro & populo Dei ab Antiocho inferendam præsignificans, Danieli, quum esset *Shushane* in Provinciâ *Elami* ad fluentum *Ulai*, est exhibitum. (*Dan.* VIII. 1, 2.) Circuit autem amnis *Eulæus* arcem *Susorum*, & *Susianam* ab *Elymaide* (id est, *Shushancheos* ab *Elamitis*, ut Ezræ IV. 9. utriusque provinciæ incolæ distinguuntur) disterminat: quemadmodum in lib. 6. cap. 27. nos docet Plinius. Unde liquet, hoc tempore *Susianam*, non Medis aut Persis sed Babyloniis (sub quibus tùm vixit Daniel) subditam fuisse: ut suprà ad ann. Mundi 3405. est annotatum. — 4161 — 553

Sub postremo verò hoc Babyloniorum rege, muros circa fluvium Babyloniæ civitatis (à Nabuchadnesare tantùm inchoatos) ex latere cocto & bitumine fuisse constructos, in libro 3 Chaldaicæ suæ historiæ narrat Berosus. (apud Josephum, lib. 1. contra Apion.) Hujus enim uxor Nitocris, mulier solertissima, Medorum Babyloniæ jam imminentium potentiam & insidias verita, ut per anfractus fluvii remora fieret navigantibus, Euphratem qui rectus & celer erat depressis fossis flexuosum lentúmque effecit. Aggerem deinde miræ magnitudinis ad utramque fluminis ripam excitavit; & supra urbem paludem ingentem effodit, in quam averso flumine siccatus est ejus alveus. Tum verò ripas intra urbem, ac descensus qui ex portulis ad flumen ferebant muris lateritiis munivit, juxta mœnium quæ urbem ambiebant rationem. Extruxit item circa mediam ferè urbem pontem lapideo opere: atque his omnibus demùm perfectis, Euphratem ex palude in pristinum alveum revocavit. (*Herodot. lib. 1. cap. 185, 186, 188.*) Pontis hujus, qui domos regias in utràque fluminis ripâ positas junxit, mirandam fabricam describens Philostratus, (*in Vitâ Apollonii, lib. 1. cap. 18.*) à reginâ ex *Medorum* gente natâ extructum illum fuisse asserit. Unde, ut Nebuchadnetzarem *Amytim*, ita & filium ejus Evilmerodachum *Nitocridem*, Medici generis uxorem habuisse colligimus.

3453 Merbalo mortuo, Tyriis a Babylonio præfectus est Hiromus (חירום) frater ejus: qui 20 regnavit annis. (*Phœnic. Annal.*) — 4163 — 551

3455 Darius Hystaspis filius natus est: paulò ante mortem Cyri annum ferè 20 ætatis agens; testante *Herodoto, lib. 1. cap. 209.* — 4165 — 549

3456 *c.* Cræsus, Babyloni & confœderatorum exercitûs Imperator delectus, Halym fluvium qui Medorum & Lydorum ditionem disterminabat, Thaletis Milesii industriâ, sine ponte traiciens, in Cappadociam pervenit: ibique urbem Pteriam expugnavit, cunctásque circà urbes cepit, Syros nihil commeritos exterminans. Cappadoces enim à Græcis Syros nominatos, confirmat Herodotus. (*lib. 1. cap. 72.*) Cyrus, caduceatoribus priùs ad Ionas tentandos ut ad se à Cræso deficerent frustrà missis, æquo marte cum Cræsi copiis conflixit. Postero die Cræsus, quum Cyrus ipsum supersederet invadere, Sardes regressus est: ubi per hyemem quiescere decreverat, & initio statim veris tendere adversùs Persas. Auxiliarios igitur qui aderant dimittit, & ad absentes socios (inter quos erant & Lacedæmonii) caduceatores ablegavit: utrisque edicens, ut ad quintum mensem Sardibus convenirent. Ita dissipato Cræsi exercitu, subitò supervenit Cyrus cum suis. Quorum inopinato adventu territus Cræsus, Lydos tamen educit in prælium, equitatu maximè confisus. Ejus ut vim Cyrus eluderet, camelos equis ejus objecit: quorum odorem cùm equi ferre non possent, aversi equites abducebant à prælio. At Lydi ex equis deliliunt, & pedites cum Persis confligunt; multísque aliquandiu utrinque cadentibus, tandem vertuntur in fugam: quos insecuti Persæ Sardes, post 14 dierum obsidionem, expugnarunt. Cræsus incendio damnatus, Solonis nomine ter inclamato, (cujus de rerum humanarum inconstantiâ sermonem priùs contempserat) à Cyro liberatus est, & à consiliis deinceps habitus. Cyrus Abradatæ Susorum regis, qui à Babylonio ad ipsum deficiens in pugnâ interemptus est, & Pantheæ quæ super mariti cadaver se jugulavit, funus curat, & ingenti apposito monumento decorat. *Herodot. lib. 1. à cap. 75. ad 90. cum Xenoph. Institut. lib. 7. Diodori Excerptis ab Hen. Valesio edit. pag. 241. Plutarch. in Solone, Polyæn. Stratagem. lib. 7. in Cyro & Cræso, & Solino in Polyhistor. cap. 1. ubi*, Olympiade octavâ & quinquagesimâ victorem Cyrum intrasse Sardes, scribit; anno nimirùm illius primo ut habet etiam Eusebius in Chronico. — 4166 — 548

Cræsus, vinculis suis Delphos missis, per oracula se delusum frustrà conqueritur. (*Herodot. lib. 1. cap. 90. 91.*)

Ionas & Æolas, volentes iisdem conditionibus stare quibus Cræso fuerant subjecti, Cyrus repulit: solis Milesiis hoc concesso, qui sibi meruentes priùs cum eo fœdus pepigerant. (*Id. ibid. cap. 142, 143, 169.*) Reliqui, mœnibus suis communitis, Pythermonem Phocensem cum aliis

legatis

legatis ad Lacedæmonios mittunt, ut auxilium ab illis rogarent. Quod licèt illi recusassent, per Lacrinem tamen Cyro denunciarunt, ne ulli Græciæ civitati damnum inferret; utpotè se id minimè toleraturis. Qui se deinceps operam daturum respondit, ut Græcis, non Ionum, sed propria sua incommoda essent deploranda. (*Ibid. cap.* 141, 152, 153.)

Thales Milesius Ionibus consulit, ut unam communem Curiam in Teo haberent; quæ in mediâ erat Ioniâ. (*Ibid. cap.* 170.)

3457 Cyro Sardibus manente, machinásque fabricante & arietes, ut eorum qui parere nollent mœnia solo æquaret: ejus opem Cares implorant, ut civile inter eos bellum ortum componeret. Is Adusium Persam cum exercitu ad eos mittit: perlibenter in eâ expeditione Cilicibus & Cypriis ejus signa sequentibus. Adulius Carum controversiam ita componit; ut in utriusque tamen partis arcibus milites præsidiarios relinqueret. (*Xenoph. Institut. lib.* 7.) 4167 547

Olympiade LVIII. (ad finem primo illius anno tendente) *Thales Milesius* defunctus est; quemadmodum ex Sosicrate refert Laërtius: & *Anaximander Milesius* obliquitatem Signiferi primus observavit; ut ex aliis à Plinio habetur traditum, libro 1. cap. 8. licèt præceptori ipsius Thaleti eam non fuisse incognitam, rectiùs Plutarchus nos docuerit, libro secundo de placitis Philosophorum, cap. 12. Ipsum verò Anaximandrum, ejusdem hujus Olympiadis anno secundo, ætatis annum 64 egisse, ac paulò pòst obiisse diem; ex Apollodori Athenienſis Chronicis refert Laërtius: de inventis ejus Mathematicis, ex Phavorini historia, præterea addens. Εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ. τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα καὶ ὡροσκόπια κατεσκεύασεν. *Primus gnomonem invenit, eumque Lacedæmone in loco capiendæ umbræ idoneo constituit; quemadmodum Phavorinus ait in Variâ historiâ. Horoscopia quoque fabricatus est, quæ solstitia & æquinoctia ostenderent.* Ita enim distinguendus videtur Gnomon, sive umbilicus horarius, ab Horoscopiis quibus æquinoctia & tropæ indicabantur. Quanquam gnomonis & horologii inventionem non illi, sed Anaximeni ejus discipulo & municipi attribuit Plinius, libro 2. cap. 76. ita scribens. *Umbrarum hanc rationem, & quam vocant Gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri discipulus: primusque Horologium quod appellant sciothericum Lacedæmone ostendit.* Vid. suprà, ann. Mund. 3291.

Anaximandro igitur in schola successit Anaximenes Milesius, Eurystrati filius: ut in primo Stromatum libro docet Alexandrinus Clemens. Pythagoras verò (præceptoribus suis, Thalete & Anaximandro, jam defunctis) in Ægyptum, uti Thales illi suaserat, commigravit: per epistolam (ut refert in vitâ illius Laërtius) à Polycrate Samiorum tyranno commendatus *Amasidi*; quem *Semnesertum* appellasse videntur Ægyptii. eo enim regnante, Pythagoram in Ægypto fuisse, in libri 36. cap. 9. notat Plinius. Ibi verò annos omninò XXII. cum Sacerdotibus versatus, Astronomiæ & Geometriæ operam dedit, cunctísque eorum sacris initiatus est. (*Jamblich. Vit. Pithagor. cap.* 3, & 4.) Eâ enim de causâ & circumcisus est, ut ad adyta admissus, mysticam Ægyptiorum addisceret philosophiam: in quo studio Sonchedis Ægyptii archiprophetæ operâ precipuè usus est. (*Clem. Alex. lib.* 1. *Strom.*) Sonchidis Sacræ, ni fallor, cujus & Solonem consuetudine priùs fuisse usum, narrat in ejus Vitâ Plutarchus. Ab Ægyptiis quoque μετεμψύχωσιν, sive animarum in quodvis animal transmigrationem, illum didicisse, sub libri primi finem Siculus refert Diodorus. Et *literis gentis ejus assuefactus, prateriti ævi sacerdotum commentarios scrutatus, innumerabilium seculorum observationes cognovit:* inquit Valerius Maximus, lib. 8. cap. 7.

3458 Hystaspes & Adusius, conjunctis exercitibus, Phrygiam Hellesponto finitimam, capto illius rege, in Cyri potestatem redigunt. (*Xenoph. Institut. lib.* 7.) 4168 546

Cyrus, Sardes Tabalo Persæ committens, & Crœsi cæterorúmque Lydorum thesaurum Pactyæ Lydo deferendum tradens, versùs Ecbatana contendit, Crœsum unà secum ducens: Ionum interim non magnà ratione habitâ. Verùm simul-atque Cyrus Sardibus est profectus, Pactyas Lydos ad desciscendum à Tabalo & Cyro impulit; & thesauro quem habebat auxiliariis conductis, Tabalum in arce undique conclusum obsedit. Cyrus hæc ex itinere intelligens, consilio cum Crœso habito, Mazarem Medum cum parte exercitûs remisit: qui Lydis arma ademit, & ad molliorem vitæ rationem traduxit. (*Herodot. lib.* 1. *à cap.* 153. *ad* 157.) Et sic gens industria quondam, potens, & manu strenua; effeminata mollicie luxuriáque, virtutem pristinam perdidit. (*Justin. ex Trogo, lib.* 1. *cap.* 7.)

3459 Mazares Pactyam à Cumæis, ad quos ille territus confugerat, reposcit. Hi, ex oraculo apud Branchidas responsum acceperunt, supplicem esse dedendum. Sed quum neque Persis illum tradere vellent interimendum, (* constanter id dissuadente Aristodico Heraclidis filio, viro inter illos clarissimo,) neque eundem penès se detinendo Cyrum ad civitatis suæ expugnationem excitarent hominem in Mitylenam ablegant. Mitylenæis deinde eum tradere volentibus, Cumæi misso ad Lesbum navigio deportandum in Chium curarunt. Inde verò ex Minervæ templo violenter raptus, à Chiis redditur: Atarneo, Mysiæ loco è regione Lesbi sito, pro mercede accepto. (*Herodot. lib.* 1. *à cap.* 157. *ad* 160.) quanquàm Mitylenæos & Chios eo argumento excusare conetur Plutarchus, in libro de malignitate Herodoti, quòd eo antiquior historicus Charo Lampsacenus, simpliciter ita rem factam narret. *Pactyes, audito exercitum Persicum appropinquare, profugit primò Mitylenam, deinde in Chium: eúmque cepit Cyrus.* 4169 545

Recepto Pactyâ, Mazares mox in illos castra promovit, qui unà cum Pactyâ Tabalum oppugnassent: & partim Prienenses subegit, partim Mæandri campum incursavit, eúmque cum Magnesiâ in prædam suis militibus exposuit. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 161.)

3461 Harpagus, qui apud Cyrum primi loci habebatur, adversùs Ioniam dimicat: ut in Eusebii Chronico, ad annum 2. Olympiadis LIX. notatum habetur. Mazare enim ex morbo vitâ functo, *Harpagus* Medus (quem *Harpalum* alii per errorem nominant) Dux à Cyro constitutus 4171 543

est : qui simul-atque in Ioniam venit, urbes, ductis circa mœnia aggeribus, expugnavit; sicque Phocæâ primâ Ionum civitate potitus est. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 162.)

Phocæenses urbe suâ Persis relictâ, cum conjugibus & liberis in Chium trajecerunt: unde Phocæam iterùm divertentes, prætidiis Persarum quæ Harpagus ibi reliquerat trucidatis, ex Oenusis insulis in Cyrnum sive Corsicam, ubi ante annos 20. civitatem Alaliam condiderant, navigarunt. Hic per quinquennium commorati, cùm omnem viciniam armis infestarent, Tyrrheni & Carthaginienses 60. navibus instructi contra totidem Phocæensium depugnarunt. Ibi Phocæenses cruentâ potiti victoriâ, 40 navibus amissis, Rhegium demigrarunt, & civitatem Hyelam sive Veliam in agro Oenotriæ condiderunt. (*Id ibid. cap.* 164,--167.) Phocæenses, qui Massiliam condiderunt, mari Carthaginienses devicisse, in libro primo Historiæ suæ confirmat Thucidides. Partem enim eorum Veliam, partem Massiliam condidisse, Romæ regnante Servio Tullio, post annum ampliùs sexcentesimum quàm Æneas in Italiam venit; Hyginus testatur, ab A. Gellio citatus, lib. 10. Noct. Attic. cap. 6. Ejusdémque Massilienses coloniæ meminit Isocrates in Archidamo. *Vid. suprà, ann. Mund.* 3404.

Similiter & Teii, simul-atque aggerum beneficio eos cepisset Harpagus, omnes conscensis navibus trajecerunt in Thraciam: ibidémque urbem condiderunt Abderam, cujus fundamenta priùs Timesius Clazomenius jecerat. (ut suprà ad ann. Mund. 3349. est notatum.) Reliqui verò Iones omnes, præter Milesios qui jam Cyro fœdere astricti fuerant, superati tandem accesserunt Harpago: & in patriâ remanentes, ea quæ imperabantur subibant. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 168, 169.) Iisdem tamen, etiamsi afflictis, nihilominùs sese ad Panionium recipientibus Bias Prienæus (inter septem Sapientes præcipuus) consuluisse dicitur, sed frustrà; ut communi classe solventes, Sardiniam peterent, & ibi unam civitatem omnium Ionum constituerent. Hoc enim pacto eos servitute liberatos feliciter esse victuros. (*Ibid. cap.* 170.) * De Xanthiis verò Lyciæ, Harpago dedere se recusantibus; vid. *Appian.* lib. 4. bell. civil. pag. 635. c. cum *Plutarcho*, in *M. Bruto* (pag. 999. init. *)

3464 *c.* Cyrus, quum continentem universam subegisset, Assyriis bellum intulit; adversùs Labynitum (sive Nabonidum) eorum regem ducens exercitum. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 178. & 188.) rumore eâ de re ad Babylonios perveniente, altero ante obsessam Urbem anno. (*Jerem.* L I. 46.) Cyrus enim Babylonem jam tendens ubi venit ad Gyndem amnem, qui influit in Tigrim, navigiis destitutus, trajicere eum non poterat. Interim equorum candidorum unus, qui sacri illis erant, fluvium ingressus, vorticibus ejus absorptus est. Quod ægerrimè ferens Cyrus, expeditione in Babylonem intermissâ, fluvium in 360. alveos diduxit: ut vel à mulieribus (quod comminatus fuerat) transiri posset, ne genua quidem tingentibus. Atque in eo opere perficiendo, tota æstas est absumpta. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 189, 190. & 202. *cum lib.* 5. *cap.* 52.) 4174 540

3465 *b.* Sequente vere Cyrus, conjunctis Medorum & Persarum gentiúmque fœderatarum copiis, Babylonem perrexit: ubi prælio inter duos dominatores (Cyrum & Belshazarem sive Nabonidum) commisso, Chaldæi prælio fusi ad Urbem confugerunt, & obsidionem passi sunt. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 190. *cum Jerem.* L I. 27, 28, 30.) quam illi tamen contempserunt: tum quòd eis commeatus esset copiosior quàm in annos 20, tum quòd de Cyri exercitu plurimos animis erga se magis esse benevolis arbitrarentur quàm erga Persas. (*Herodot. ibid. Xenoph. Institut. lib.* 7.) 4175 539

Cyrus à suis fossam latissimam profundissimamque circa Urbis murum undique agendam curavit, terrâ versùs sepiios adgestâ; & multas turres exstruendas, ut quamplurima essent excubiarum loca: divisoque in partes duodecim exercitu, ut pars quælibet unum anni mensem in excubiis esset, mandavit. (*Xenoph. ibid.*)

3466 *b.* Cyrus quum jam longo tempore nihil admodum res ipsius proficerent, à flumine ad ingentem illam paludem, quam (latitudine quoquo-versùs 320. vel 420. stadiorum) regis hujus Babylonii mater Nitocris nuper defoderat, fossam duxit: deinde & hujus & alterius circa Urbis murum ab eo ductæ fossæ ostia aperiens, aquâ fluminis eò derivatâ, pristinum ejus alveum (duorum stadiorum latitudine per urbem tendentem) hominibus pervium reddidit. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 190, 191. *Xenoph. Instit. lib.* 7. *cum Jerem.* L. 38. & LI. 32, 36.) 4176 538

Per fluvium jam vadosum Cyrus cum exercitu transiens, obseratis omnibus quæ ad flumen ferebant portulis conscensisque sepiis, Urbem invasit, quum die festo agitarentur convivia. (*Id ibid. cum Jerem.* L I. 39, 57.) Tantáque urbis erat magnitudo, ut (quemadmodum narrabant accolæ) quum capti jam essent qui extremas urbis partes incolebant, ii qui mediam habitabant urbem id non animadverterent. (*Herodot. lib.* 1. *cap.* 191.) Quò spectant & illa Prophetæ, (*Jerem.* L I. 31.) *Cursor obviam cursori curret, & nuncius obviam nuncio; ad indicandum Regi Babylonis, captam esse civitatem ejus ab extremitate.*

Eo tempore Belshasar (qui & Nabonidus & Labynitus) epulo magnificentissimo proceres excepturus, vasa domûs Dei, quæ Nebuchadnesar ipsius pater (sive avus: fuisse enim filium filii ejus, ex *Jerem.* XXVII. 7. colligitur) Hierosolymis exportaverat, ad idolorum suorum gloriam verique Dei contumeliam, producit. Deus, immissâ manu, de annorum imperio Babylonico præfinitorum numeratione ejusdémque appensi & justo longè levioris inventi ad Medos ac Persas translatione, impendens judicium in tectorio parietis ante oculos omnium describit. Chaldæis scriptionem legere nescientibus, Reginæ monitu accersitus Daniel eam legit & interpretatur: qui propositum à rege præmium accipiens, tertius in regno futurus proclamatus. (*Dan.* V.) Cùm autem uxores Belshasaris convivio adfuisse, (*vers.* 2. & 3.) Regina verò posteà superveniisse (*vers.* 10.) dicatur; Regina mater hæc fuisse intelligitur, illa videlicèt Nitocris; quam postremi hujus Assyriorum sive Chaldæorum regis matrem fuisse, ex Herodoto jam audivimus.

Eàdem

Eâdem quâ convivium celebratum est nocte, interfectus est Belshazar Rex Chaldæorum: (*Dan.* 5. 30.) à Gobryæ & Gadaræ militibus. (*Xenoph. Instit. lib.* 7.) Atque ita Babylonicum imperium est destructum (prout ab *Esaia*, *cap.* XIII. XIV. XXI. XLIII. XLVI. XLVII. *Habbakuko*, *cap. II. & Jeremiâ*, *cap.* XXV. L. LI. fuerat prædictum) atque ad victores Medos & Persas translatum. (*Dan. V.* 11, *cum VI.* 8, 12, 15.)

Darius Medus Assueri, sive Cyaxares Astyagis filius, Chaldæorum imperium à victore Cyro Persâ sibi traditum accepit. (*Dan. V.* 31. *& IX.* 1.) Cui & domum & palatia Babylone Cyrus sepositerat; ut si eò veniret, tanquàm in sua posset divertere. [*Xenoph. Institut. lib.* 8.] Eúmque, primo hoc imperii sui anno, Angelus confirmasse & roborasse dicitur; [*Dan. XI.* 1.] Imperavit autem annis duobus.

Cyrus, rebus Babylone compositis, per Medorum regionem in Persidem ad patrem Cambysem & matrem, adhuc viventes, profectus est: indéque in Mediam reversus, unicam filiam & hæredem Cyaxaris in matrimonium duxit, dotis nomine universæ Mediæ hæreditate acceptâ; nuptiisque celebratis, mox cum eâ discessit. Quúmque esset Babylone, ad nationes in ditionem redactas misit Satrapas: in Arabiam, Megabyzum; in Phrygiam majorem, Artacamam; in Lydiam & Ioniam, Chrysantam; in Cariam, Adusium; in Phrygiam Hellespontiacam & Æolidem, Pharnuchum. Ciliciæ verò, & Cypro, & Paphlagonibus Satrapas Persicos nullos misit; quòd ultrò visi essent adversùs Babylonem illius signa sequuti. Sed tamen his etiam tributa indixit adferenda. (*Xenoph. Institut. lib.* 8.)

Regiones, Medicarum quibus præfectus fuerat copiarum operâ subactas, ad Cyaxaris ditionem se adjecisse, professus est Cyrus: [*apud Xenophont. lib.* 5.] ideóque ejus consilio in superiori illo congressu adhibito, Satrapiarum eam distributionem, illum instituisse, ut credamus par est. Ut enim de Cyro Xenophon; (*lib.* 8.) Ἔδοκει αὐτῷ σατράπας ἤδη πέμπειν ἐπὶ τὰ ὑποχείρια ἤδη, *Visum est ei Satrapas jam mittere ad subactas nationes*: ita propheta Daniel (Babylone, ut videtur, hoc tempore cum Cyro in Mediam profectus) de Cyaxare. *Visum est Dario præficere regno Satrapas centum viginti, qui essent in toto regno.* [*Dan.* VI. 1.] Super illos autem Satrapas Eparchos tres constituit, quorum summus erat ipse Daniel. Unde stimulati invidiâ cæteri, edictum à Rege obtinuerunt, ut illi soli per dies 30. supplicaretur. Cui quum non paruisset Daniel, in foveam leonum conjectus incolumis inde eductus est. Darius verò accusatores leonibus objiciens, decretum de reverentiâ Deo Danielis præstandâ in universo regno suo promulgavit. [*Dan. VI.*]

3467 *a.* Sub finem primi anni imperii Darii Medi (ab eversâ Babylonicâ monarchiâ deducti) initi annus 70 servituris Babylonicæ, sub Jehojakimo, anno 1. Nebuchadnesaris cœptæ: illorum postremus, qui calamitati huic præfiniti fuerant, in prophetiâ illâ [*Jeremiæ* XXIX. 10.] *Sic dicit Dominus. Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos & præstabo erga vos verbum illud meum optimum, reducendo vos in locum hunc, &c. Quum invocaveritis me ut abeatis, & oraveritis me; tum exaudiam vos.* Quâ temporis jam imminentis consideratione incitatus Daniel, remissionem peccatorum, & suorum & popularium, promissámque captivitatis solutionem ardentissimis precibus à Deo flagitat. Cui angelus Gabriel non de hoc solùm responsum affert, sed etiam de spirituali Ecclesiæ liberatione, Messiæ morte demùm procurandâ: nobilissimo illo LXX. septimanarum edito vaticinio. [*Dan.* IX. 1, 2. *&c.*] 4177 537

Cyrus, anno postquàm Babylonem cum conjuge venit exacto, exercitum Babylonem coëgit: in quo, ad centum viginti equitum millia, currus falcatos bis mille, peditum millia sexcenta, habuisse proditur. Quo adparatu facto, expeditionem illam suscepit, quâ nationes universas sibi subjecisse dicitur, quæ à Syriâ ad mare rubrum usque sedes suas habent. [*Xenoph. Institut. lib.* 8.]

3468 *a.* Cyrus, Cambyse patre in Persiâ & Cyaxare socero in Mediâ vitâ functis, Orientis monarchiâ potitus est: à qua & ἀρχῇ illius annos septem in 8°. *malitiæ* ipsius dinumerat Xenophon; & primum illius annum, ex ipsis Medorum & Persarum archivis, sacra deducit Scriptura. Hoc enim anno promulgatum esse docet Edictum illud celebre, cujus initium. *Sic ait Cyrus rex Persidis: Omnia regna terræ tradidit mihi Jehova Deus cœli:* quo, exactis jam LXX. annis servituris Babylonicæ à Jeremia prædictis, juxta vaticinium ab Esaia de eo nominatim editum, [*cap.* XLIV. 28. *&* XLV. 13.] Judæis in universo regno suo versantibus in patriam revertendi potestatem concessit, & reduces Templum Deo Hierosolymis rædificare jussit; structuræ etiam modulo præscripto, vel concesso potiùs, (si enim observatus ille fuisset, longè amplior futura fuisset hæc domus, quàm prior illa Salomonis; contra Hagg. II. 3.) (* nisi cubiti in *Cyri* Edicto minoris mensuræ fuerint quàm priores illi Salomonici. *) impensis è domo regiâ subministratis, & instrumentis domûs Dei quæ Nebuchadnesar abstulerat restitutis. [II. *Chron.* XXXVI. 22, 23. *Ezr.* I. 1, 2, 7. V. 13, 14. *&* VI. 2,—5.] 4178 536

Judæorum reducum principem, sive legatum regium, Cyrus constituit Sesbasarem: cui & ejus jussu Mithridates præfectus ærario vasa sacra tradidit; Hierosolymam perferenda, & in Templo collocanda. [*Ezr.* I. 7,—11. *&* V. 14, 15.] Chaldaico verò sive aulico nomine *Sesbasar* dictus fuisse putatur, qui Hebraico *Zerubbabel*: (ex *Ezra* III. 8, 10. collat. *cum* V. 16.)

c. Judæi in patriam reditum instituunt. Pauperiores imperatis subsidiis juvantur. [*Ezr.* I. 5, 6.] Numerus filiorum provinciæ [sive extorrium Hebræorum, in Chaldæâ genitorum] cum præside Zerubbabele Shealtielis sive Salathielis filio, & summo sacerdote Jesu sive Josuâ Josadaki filio, redeuntium fuit 42360. præter proselytos servos & ancillas, numero 7337. [*Ezr.* II. 1,—65. *Nehem.* VII. 6,—67. *&* XII. 1,—9.] Numeri quidem singulares, in Ezræ catalogo summam tantùm conficiunt 29818, in Nehemiæ, 31031. quarum utraque minor est summâ illâ universali 42360,

quæ

quæ in utroque pariter catalogo *universa congregationis* fuisse dicitur. [*Ezr.* II. 64. *Nehem.* VII. 66.] Eos verò qui ad complendam illam summam desiderantur, quærendos esse *in iis qui ascenderunt de reliquis tribubus*, in Chronici sui majoris cap. 29. Hebræi significant. Superfuerunt enim usque ad extremum Reipublicæ Judaicæ excidium, cæterarum etiam decem tribuum reliquiæ; [*Act.* XXVI. 7.] non solùm in *διασπορᾷ*, [*Jacob.* I. 1.] & Hierosolymis [I *Chron.* IX. 3. *Luc.* II. 36.] & reliquis civitatibus Judæ, [II *Chron.* XI. 16. *cum* XXXI. 6.] sed in propriis etiam sedibus. Neque enim integras regni Israelitici tribus Salmanasar abduxerat [ut ad annum Mund. 3327. ex Josiæ historiâ ostendimus:] sed aliquantam earum partem in terrâ suâ reliquit, à Nebuchadnesare posteà simul cum Judæis, Benjaminitis & Levitis in Babyloniam deportatam, & à Cyro inde dimissam. Indéque captivitate solutâ, ut primo anno Cyri *omnes Israëlitæ* habitavisse dicuntur in civitatibus suis: [*Ezr.* II. 70.] ita & sexto Darii iidem Templi encænia celebravisse memorantur, oblatis *pro peccato totius Israelis hircis duodecim, juxta numerum tribuum Israelis.* [*Ezr.* VI. 16, 17.] & Christo Evangelium in Galilæâ prædicante, [*Matth.* IV. 14.] impleta fuisse dicitur Esaiæ prophetia, de populo terræ *Zabulons* & *Nephthali* vidente lucem magnam.

Primores paternarum familiarum Hierosolymam pervenientes, pro facultate suâ, ad Templi instaurationem obtulerunt auri drachmas 61000, argenti pondo 5000, & tunicas Sacerdotum 100. Habitaverúntque Sacerdotes ac Levitæ, similitérque omnes Israelitæ, in civitatibus suis. [*Ezr.* II. 68, 69, 70.]

3469 *a.* Mensis 7^i^ die 1°. [in Tubarum festo] Israelitæ ex civitatibus suis Hierosolymam unanimiter pervenientes, extructo Altari, sacrificia ordinaria unoquoque mane & vespere Deo obtulerunt: ejusdémque mensis die 15, festum Tabernaculorum celebrarunt. Materiam quoque & opifices ad Templum extruendum pararunt; secundùm facultatem à Cyro ipsis datam. [*Ezr.* III. 1,-7.]

c. Anno ab adventu eorum 1°, mense 2°. [sive Ijar] Levitas operi domûs Dei præfecerunt: & Templi secundi fundamenta, cum seniorum qui prius illud [ante annos 53] viderant planctu, & juniorum lætitiâ, posuerunt. [*Ezr.* III. 8,--13.] 4179 535

Hostes Judæorum Cuthæi, ab Esar-haddone in Samariam traducti, operam suam ad Templi structuram fraudulenter offerunt: sed repulsam ferentes, opus interturbant, & manus ædificantium debilitant. [*Ezr.* IV. 1,-4.]

3470 *a.* Primus annus Sabbaticus, post reditum à captivitate Babylonicâ, à Judæis actus est.

c. Samaritani per Cyri aulicos, largitione sibi conciliatos, cœptum à Judæis opus impedinnt. [*Ezr.* IV. 5.] Unde Danieli trium septimanarum luctus obortus fuisse videtur: in quibus jejunium circa tertium mensis primi diem, anno imperii Cyri 3. cœptum, ipsis etiam festi Paschalis diebus continuatum est. [*Dan.* X. 1,--4.] Quo finito, die 24. mensis primi illa de regum Persicorum, Alexandri Magni & successorum ejus imperiis visio Danieli, ad Hiddekel sive Tigrim fluvium constitenti, est exhibita, quæ tribus ultimis prophetiæ capitibus continetur: quam & omnium postremam illum habuisse, paulò ante vitæ terminum, ex ejusdem epilogo colligitur. 4180 534

3473 Amasis à Cyro defecisse videtur, & captiva multitudo Ægyptiorum in terram suam rediisse, exactis 40. annis post eorum dispertionem sub Nebuchadnesare factam: vetere quidem regno, sed præ reliquis humili parúmque diuturno, postremis Amasis diebus eisdem restituto. [*Ezek.* XXIX. 11,--16. *Jerem.* XLVI. 26.] Cyrum enim Ægyptum sub imperio suo habuisse, tum in octavo Institutionis Cyri libro tum in totius operis Prologo, confirmat Xenophon: & à Cambyse ejus filio posteà fuisse subactam agnoscunt omnes. Unde tempore intermedio in libertatem se vindicavisse colligimus. 4183 531

Hujus defectionis occasione, fortasse etiam apud Tyrios, Hiromi (in quo ipsorum Judicum & Proregum catalogus apud Josephum terminatur) 20. annis jam completis, pro indigenis (cujusmodi apud eos, ut Amalim apud Ægyptios, hactenùs fuisse collocatos, vel ipsa Punica eorum nomina fidem fecerint) alienæ gentis Præsides sint substituti.

3475 *b.* Cyrus septuagenarius vitâ functus est; postquàm Persici & Medici exercitûs Imperator declaratus est 30. annis, post captam Babylonem 9, post initam monarchiam 7. cum mense uno aut altero. De mortis genere, magna inter authores est dissensio. Herodotus, (*lib.* 1. *cap.* 214.) Justinus ex Trogo, (*lib.* 1. *cap.* 8.) & Valerius Maximus (*lib.* 9. *cap.* 10.) in prælio contra Massagetas vel Scythas occisum; cæsique caput amputatum à Tomyri reginâ, insatiabilem cruoris sitim illi exprobrante, in utrem humano sanguine repletum conjectum fuisse narrant. Diodorus Siculus (*lib.* 2.) eam Cyrum in acie captum cruci affixisse affirmat. Ctesias (*lib.* 11.) in prælio contra Derbicas (populum Hyrcanis vicinum) Cyrum jaculo ab Indo quodam sub coxâ in femore vulneratum, Derbicum regem Amoræum cum duobus filiis interfectum, & tertio à vulnere accepto die Cyrum mortem obiisse, scribit. Johannes Malela Antiochenus, ex commentitio quodam scripto Pythagoræ Samii, in pugnâ navali à Samiis interemptum esse Cyrum refert. Sed Xenophon [in *Institut.* *lib.* 8.] in Persida inter suos placidâ morte defunctum fuisse memorat: quum, inter alia multa, filiis præcepisset ut cadaver suum nec in auro nec in argento nec ullâ in re aliâ sed in terrâ quamprimùm conderent; Persas tamen omnes ac socios ad monumentum ejus evocarent, atque illis exhibitis quæcumque in hominis fortunati funere solenne est exhiberi dimitterent. Conditorium verò illius Pasargadis in Persida positum, rerum Alexandri Magni scriptores memoriæ commendarunt, Curtius, Plutarchus, Arrianus, & qui præsens Alexandri jussu illud inspexerat Aristobulus, à Strabone in libro 15°. Geographiæ productus; ubi ex eo & inscriptionem hanc monumenti refert. *O homo, Cyrus ego sum, qui Persis imperium constitui, & Rex Asiæ fui. Ne igitur monumentum mihi invideas.* Nam 4185 529

Græca

Græca illa, (ſed Perſicis, ſi credere libeat, literis exarata) quæ apud Geographum ex Oneſicrito ſubjicitur,

Ἐθάῤῥ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλῆσι,

Cyrus ego, Rex olim Regum, conditus hic ſum;

ejuſdem eſt fidei, cujus commentum illud quod ex eodem repetit Lucianus (in libro de Longævis) alterum: Cyrum, quum deſideraret amicos, à Cambyſe filio ſublatos, centeſimum ætatis annum agentem, præ mœrore vitam finiviſſe.

Cyrus ſeniori filio Cambyſæ imperium; juniori verò Tanoxaræ vel Tanyoxarcæ (quem Herodotus Smerdim, Juſtinus ex Trogo Mergim appellat) ut Creſiæ quidem placet, Bactriorum, Choramnæorum, Parthorum & Carmaniorum, ut verò Xenophonti (*lib. 8. Inſtitut.*) Medorum, Armeniorum, & Caduſiorum, ſatrapias reliquit.

In principio regni Ahaſueri (ſic enim Scriptura Cambyſem nominat) Samaritani, qui vivente Cyro cuniculis hactenùs egerant, accuſationem ſcriptis comprehenſam contra habitatores Judæ & Hieroſolymorum ad hunc deferre non ſunt veriti. [*Ezr. IV. 6.*] quàm immane inter patris & filii mores diſcrimen eſſet, non ignari, quippe quum Cyrus eſſet φρὸς τὺς ὑποτεταγμένους ἱσχνόμυθος ἢ φιλάνθρωπος, Cambyſes verò φύσει μανικὸς ἢ παρανοϊκὸς τοῖς λογισμοῖς: ut à Diodoro Siculo rectè eſt obſervatum. [*In Excerptis ab Henr. Valeſio editis, pag. 238. & 249. cum Herodoto, lib. 3. cap. 89.*]

3477 *a.* Secundus annus. Sabbaticus à reducibus Judæis actus eſt. 4186 528

3478 Cambapheus eunuchus, qui plurimùm apud Ægyptiorum regem poterat, patruelis ſui Izabatis eunuchi, qui non minùs apud Cambyſem authoritate valebat, interventu, pontes & alias Ægyptiorum res Perſæ prodidit: pactione interpoſitâ, ut ipſe Ægypti præfecturam conſequeretur. [*Cteſ. Perſicor. lib. 12.*] 4188 526

Inde exercitum ſibi Cambyſes, terreſtrem quidem tum ex aliis quibus imperabat, tum ex Græcis Ionibus Æolibúſque, navalem verò ex Phœnicibus præcipuè & Cypriis (qui ſeipſos Perſis dediderant) comparavit. Polycrates quoque Samiorum tyrannus quadraginta triremes, impoſitis in eas ſuſpectis ſibi civibus, auxilio miſit; rogans Cambyſem, ne eos domum remitteret. [*Herodot. lib. 3. cap. 2. 19. & 44.*]

Phanes genere Halicarnaſſeus, inter auxiliarios Ægypti non minimus, & rerum Ægypti ſatis gnarus, Amaſi infenſus, ad Cambyſem molientem adversùs Ægyptum expeditionem transfugit: eique cùm alias Amaſis res expoſuit, & quo pacto carentia aquis loca tranſmitteret ambigentem, ut miſſis ad regem Arabum nunciis tutum tranſitum obtineret, cum edocuit. [*Id. ibid. cap. 4. & 7.*] Eo enim invito, aditus illi in Ægyptum patere non poterat. [*Ibid. cap. 88.*]

3479 *b.* Arabs, fœdere cum nunciis inito, camelos omnes utribus aquâ completis oneratos egit ad loca humore carentia, ibique Cambyſis exercitum præſtolabatur. [*Id. ibid. cap. 9.*] 4189 525

Cambyſes cum exercitu in Ægyptum progreſſus, Amaſim non vivum nactus eſt; ſed defunctum, quum 44. annos regnaſſet. [*Id. ibid. cap. 9. & 10.*] Vitam illum cum morte commutaſſe, quando Cambyſes Ægyptum bello adortus eſt, Olympiadis LXIII. anno 3 (deſinente ſc.) in libro 1. Bibliothecæ refert Diodorus Siculus. Poſt eum filius Pſammenitus, Creſiæ Amyrtæus dictus, menſibus 6. regnavit. [*Herodot. lib. 3. cap. 14.*] Sub quo, apud Thebas Ægyptias pluit: quod in ſuperiori Ægypto magnum habitum eſt portentum. [*Ibid. cap. 10.*]

Perſæ, ubi ficcanea peragraverunt, ſubſedere vicini Ægyptiis. [*Ibid. cap. 11.*] Cambyſes verò Peluſium oppugnans, canes, oves, feles, ibides, & quotquot animalia Ægyptii deorum honore colunt, ante ſuum exercitum collocavit: quo territi obſeſſi Ægyptii, jaculari deſiterunt; metuentes ne ſacrum aliquod animal læderent. Atque ita Cambyſes, Peluſio capto, aditum in Ægyptum ſibi fecit. [*Polyæn. Stratagem. lib. 7.*]

Ægyptiorum auxiliarii Græci & Cares, Phani, quòd externum exercitum in Ægyptum adduxiſſet, infenſi filios ab eo in Ægypto relictos in ejus conſpectu obtruncaverunt; epotóque eorum ſanguine, conflixerunt. [*Herodot. lib. 3. cap. 11.*]

Acti prælio commiſſo, plurimiſque utrinque cadentibus, in fugam vertuntur Ægyptii. [*Id. ibid.*]

Ad Ægyptios, qui nullo ordine ſervato Memphim confugerant, Cambyſes adverſo flumine navim Mitylenæam mittit cum caduceatore viro Perſâ, qui illos ad deditionem hortaretur. Illi frequentes urbe effuſi, navim corrumpunt, viroſque fruſtatim dilaniatos in oppidum afferunt. Deinde obſidionem aliquamdiu tolerant. [*Id. lib. 3. cap. 13.*]

Arceſilaus (Batti claudi & Pheretimæ filius) Cyrenen Cambyſi tradidit, & tributariam fecit. [*Id. lib. 4. cap. 165.*] Cyrenæi enim & Barcæi, & Libyes Ægypto contermini, vicinorum caſu territi, ſeſe citra pugnam dediderunt; tributúmque inter ſe partiti, dona miſerunt. Cambyſes munera quæ à Libybus venêre, perbenignè accepit; quæ à Cyrenæis, quòd exigua eſſent, aſpernatus; quingentas enim argenti minas miſerant: quas ſuâ manu prehenſas, diſperſit in milites. [*Id. lib. 3. cap. 13. & 91.*]

Decimo die quàm muros Memphis cepiſſet Cambyſes, regis Pſammenitî in ſuburbanâ cuſtodiâ cum aliis Ægyptiis ignominiæ gratiâ poſiti patientiam expertus eſt: in conſpectu ejus filiâ, cum aliis primæ nobilitatis virginibus, ſervili habitu, ad aquam in hydriâ comportandam miſſâ; & filio, unà cum duobus Ægyptiorum millibus, æqualis ætatis, vinctas fune cervices & frenata ora habentibus, ad mortem rapto. Luebant autem hi pœnas Mitylenæis, qui cum navi miſſi fuerant ad Memphim obtruncati: regiis judicibus ſtatuentibus, pro ſingulis ſuorum interemptis denos primariorum Ægyptiorum interficiendos. Atque inter hos primo loco ſublatus

eit Psammeniti filius: cui serò nimis Cambyses parcendum voluerat. Ipse verò pater apud Cambysem vixit, nihil violentum passus: donec Ægyptios ad defectionem sollicitasse convictus, epoto cruore taurino vitam finiit. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 14, 15.] quanquàm in Susa illum relegatum affirmet Ctesias.

Memphi profectus Cambyses, Sain abiit: ubi in ædes Amasis ingressus, cadaver ejus è conditorio afferri, verberibusque priùs atque omni contumeliâ affectum tandem cremari jussit. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 16. *&* *Diodor. Sicul. in Excerptis Henr. Valesii, pag.* 249.

Ita Ægypto potitus Cambyses anno imperii sui quinto per triennium in eâ regnavit. [*Jul. Afric. & Euseb. Chronic. Græc. pag.* 17.] Ægyptiorum quinquaginta millibus in pugnâ cæsis, & sex millibus Susam translatis. [*Ctes.*]

Pythagoram quoque ab ipsius militibus captum, Babylonem fuisse abductum, ibique cum Magis conversatum, narrat in illius Vitâ Iamblichus. Addit alius Vitæ Pythagoræ scriptor, Malchus sive Porphyrius; eum Babylone & cum aliis Chaldæis versatum fuisse, & *Zabratum* etiam adiisse, ab cóque pristinæ vitæ sordibus fuisse expurgatum. Is *Nazaratus* ille Assyrius fuisse putatur, quem Alexander (Polyhistor, ni fallor) ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων, Pythagoræ fecit magistrum, aliique nonnulli *Ezechielem* fuisse perperàm sunt opinati: ut in primo Stromatum libro Clemens Alexandrinus retulit. Cum Babylonensibus tamen Judæis eum conversatum fuisse, illud argumento fuerit; quòd eorum dogmata complura in suam philosophiam traduxerit: ut Hermippus ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ Πυθαγόρου βιβλίων à Josepho (lib. 1. contra Apionem) & ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ab Origene (lib. 1. contra Celsum) citatus, indicat. Quod ipsum etiam Aristobulus Judæus, disciplinæ Peripateticæ philosophus, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς τὸν Φιλομήτορα (apud Clementem lib. 1. Stromat. & Eusebium lib. 13. Præparat. Evangelic.) confirmat; eâ, ut videtur, ratione etiam inductus, ut ante Persarum imperium libros Mosaicos Græcè conversos fuisse crederet: quum ex consuetudine, quam cum Hebræis habuit, eam sapientiæ suæ partem adeptum fuisse Pythagoram, multò fuerit credibilius. Nam & cum illis quoque congressum fuisse Pythagoram, in illius Vitâ (ex Diogene, ἐν τοῖς ἐπὶ θούλῃ ἀπίσω) nos docet Porphyrius.

3480 Cambyses navales copias adversùs Carthaginienses frustrà parat: Phœnicibus, ex quibus nauticus præcipuè constabat exercitus, adversùs colonos suos militare recusantibus. Interea ab urbe Elephantinâ accersit ex Ichthyophagis Æthiopicæ linguæ maximè gnaros, cósque ad Æthiopes Macrobios (sive longævos, qui Africam ad australe mare incolunt) exploratores mittit, per speciem dona ferendi illorum Regi, & mensam Solis spectandi. Rex Æthiopum, tenso coram exploratoribus arcu, eum laxatum Cambysi per eos misit: monens, ut quum Persæ tam facilè tantæ magnitudinis arcus tenderent, tunc copiis supramodum magnis instructus macrobiis Æthiopibus bellum inferret. [*Herodot. lib.* 3. *à cap.* 17. *ad* 25.] 4190 524

Smerdis sive Tanyoxarces, Cambysis ex eisdem parentibus frater, arcum hunc ad duos digitos intendit: quod nemo alius è Persis poterat. Unde invidiâ commotus Cambyses, in Persidem eum remisit. [*Id. ibid. cap.* 30.]

Cambyses irâ percitus, adversùs Æthiopes exiit in expeditionem, neque rei frumentariæ apparatu indicto, neque secum ipso ratione initâ quòd in extrema terrarum faceret expeditionem: sed veluti vesanus, nec mentis compos, simul-atque Ichthyophagos audiit, profectus est cum omni peditatu; Græcis, qui aderant, manere imperatis. [*Id. ibid. cap.* 24.]

Ubi Thebas pervenit Cambyses, delegit de exercitu 50 circiter millia; quorum præfectis mandavit, ut oraculum Jovis Ammonis spoliatum incenderent, & universos accolas in servitutem redigerent: ipse cum reliquis copiis adversùs Æthiopes contendit. [*Id. ibid. Diodor. Sicul. in Excerptis ab Hen. Valesio edit. pag.* 249.]

In eâ expeditione, Æthiopas Cambyses subegit Ægypto conterminos, qui Nisam incolunt & Baccho dies festos agunt. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 97.] Ibique *Sabæ* Æthiopum regiæ, atque insulæ in qua ea sita erat, in honorem sororis suæ germanæ, ejusdémque & uxoris, *Meroës* nomen dedit. [*Strabo, Geograp. lib.* 17. *Joseph. Antiquit. lib.* 2. *cap.* 4. *al. cap.* 10.] Hanc enim, in Ægyptum cum comitatam, ibidémque postea vitâ functam, in uxorem, novo apud Persas exemplo, duxit: aliquantóque pòst & seniorem alteram [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 31.] *Atossam* scilicèt, quæ deinde & Mago & Dario Hystaspis filio nupta fuit. [*Ibid. cap.* 68. *&* 88.]

Copiæ adversùs Ammonios missæ, Thebis moventes, septem dierum per arenas itinere confecto, ad urbem Oasin (quam incolebant Samii ii qui ferebantur è tribu Æschrioniâ esse) & regionem quæ *Beatorum insula* vocabatur, pervenerunt. Quúmque inde per arenam iter facerent, jámque medio ferè spatio inter Oasin & Ammonios pranderent; magnum ac validum austrum ingruisse ferunt, & ingestis arenæ cumulis eos obruisse. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 26. *Justin. lib.* 1. *c.* 9.] Plutarchus, in Vitâ Alexandri, quinquaginta hominum millia arenis oppressa fuisse notat, id est, universum exercitum.

Exercitum adversùs Æthiopes profectum, antequàm quintam itineris partem confecisset, commeatus omnis defecit, mox & jumenta ad vescendum defecerunt: cúmque ulteriùs etiam progrederentur & ad arenas devenissent, ex seipsis sortiti, decimum quemque comederunt. Id audiens Cambyses, retrò rediit, Thebásque pervenit, multis de exercitu amissis. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 25. *Senec. natural. quæst. lib.* 2. *cap.* 30.] De quo Lucanus, lib. 10.

——Vesanus in ortus
Cambyses longi populos devenit ad ævi;
Defectúsque epulis, & pastum cade suorum,
Ignoto te, Nile, redit.

Cambyses regressus Memphim, Græcos missos fecit, ut illinc enavigarent. [*Herodot. lib.* 3.

cap. 25.] Ibi cùm reperisset Ægyptios diem festum agere, quòd Apis eis apparuisset; ipse contrà ratus lætari eos de clade sui exercitûs, adductum ad se Apim mucrone percussit: imperavitque suis, ut sacerdotes quidem flagris cæderent, cæteros autem Ægyptios, ut quemque feriantem adipiscerentur, occiderent. Apis verò sauciatus in templo jacens extabuit: quem è vulnere extinctum tumulavere sacerdotes clam Cambyse. [*Ibid. cap.* 27, 28, 29.]

Ob hoc, insaniâ correptum fuisse Cambysem dicunt Ægyptii, quum ne anteà quidem mentis compos ille fuisset. Post hoc verò, primum furoris indicium in cæde fratris procurandâ erupit. Eo enim in Persidem profecto, Cambysæ per quietem videbatur nuncius quidam inde advenions significare, Smerdim in regio sedentem solio cœlum capite contingere. Quo somnio exterritus, ad fratrem interimendum misit Prexaspem, sibi ex omnibus Persis virum fidelissimum. Hic ubi Susa conscendit, Smerdim necandum curavit, ut quidam aiunt, quum eum eduxisset venatum: dicunt verò alii, quum ad mare rubrum produxisset, ibi eum demersisse. [*Ibid. cap.* 30. & 65.] Justinus ex Trogo, *lib.* 1. *cap.* 9. Cometæ mago id negotii datum, neque ante Cambysæ mortem Mergim (sic enim Smerdim vocat) ab eo interfectum fuisse, refert. Ctesias, deditâ (ut illi mos est) operâ, ab Herodoto dissentiens, longè aliam historiam hic nobis exhibet. Sphendadatem Magum à Tanyoxarce (sive Smerdi) flagris cæsum, in suspicionem regni appetendi eum apud Cambysem vocavisse: & de ejusdem Magi consilio, Tanyoxarcem (è Bactriana in Ægyptum accersitum) Magi loco, qui illi simillimus erat, taurini sanguinis haustu sublatum fuisse; ipsum verò Magum ad Bactrios remissum, omnia, non secùs ac si verus Tanyoxarces esset; administravisse.

3481 Orœtes Persa, (post Harpagum) Sardibus, totiúsque Lydiæ, Ioniæ & Phrygiæ provinciis, à Cyro præfectus, caduceatorem in Samum ad Polycratem, cujusdam rei rogandæ causâ, misisse fertur: Polycrates verò tunc fortè in conclavi cubans, assistente ei Anacreonte Teio, (insigni illo, ex Ionia, poëtâ Lyrico; quem amatoriorum carminum inventorem facit, in primo Stromatum libro, Clemens) nec aspectu nec responso præconem dignatus fuisse dicitur. Quem contemptum ulcisci statuens Orœtes, misso ad eum Myrso quodam Lydo Gygis filio, fingit se Cambysis metu cum thesauris suis ad illius domum velle perfugere. Polycrates nimis credulus, cùm alios secum ducens tum Democedem Calliphontis filium Crotoniensem medicum, Magnesiam ad Meandrum pervenit: ubi captum Orœtes cruci suffixit; Samiis qui illum comitati fuerant dimissis, peregrinis verò (& in his Democede) atque servis jure captivitatis sibi vindicatis. [*Herodot. lib.* 3. *à cap.* 120. *ad* 127.] *Valerius Maximus, lib.* 6. *cap. ult. ab Oronte Darii regis præfecto* (ita enim cum Cicerone, libro tertio de Finibus, eum appellat) *in excelsissimo Mycalensis montis vertice cruci affixum* fuisse Polycratem narrat: in eo videlicèt Ioniæ promontorio, quod Samum spectat. quum Darius tamen eo tempore non rex, sed Cambysis satelles & nullius adhuc admodum magnæ authoritatis fuerit: ut ex Herodoto liquet, *lib.* 3, *cap.* 139. & 140. ubi in expeditione Cambysis Ægyptiacâ amiculum à Polycratis fratre Sylosonte in foro Mempheos ei donatum fuisse narrat; à quo ortum proverbium, ἡ Συλόσωντος χλαμύς. Eo verò tempore quo in Ægypto dubiæ sanitatis fuit Cambyses, suspensum esse Polycratem, in cap. 120. docet idem: à quo non dissentit Plinius, *lib.* 33. *cap.* 1. hoc factum referens sub annum Romæ conditæ CCXXX. quo juxta Varronianas (quas ille sequi solet) rationes, LXIV. acta est Olympias. 4191 513

Cambyses sororem (de qua dictum est, Meroën) eandémque & conjugem, fratris cædem ægrè ferentem, è medio sustulit. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 31, 32.]

Anno septimo Cambysis, Nabonasari 225, mensis Phamenoth secundùm Ægyptios die 17 (*Julii* 16) ante mediam noctem horâ 1. Babylone Eclipsis Lunæ observata est. [*Ptolem. magn. Syntax. lib.* 5. *cap.* 14.]

Cambyses Prexaspis filium, qui illi à poculis erat, adactâ per cor ejus sagittâ transfixit. Altero die 12 primarios Persas, nullo crimine mortem commeritos, vivos in caput defodit. Cœsum, Lydorum quondàm regem, de rebus hisce amicè illum monentem, occidi jussit. Sed postèa pœnitens, servatum quidem illum fuisse gavisus est, conservatores verò illius interfecit. Multa quoque hujusmodi alia tam in Persas quàm in socios, dum Memphi moraretur, per insaniam faciebat. Vetusta recludens sepulchra, mortuos inspiciebat. Vulcani templum adiens, multo derisu simulacrum illius cavillatus est. In templum etiam Cabyrorum, inaccessum alteri quàm sacerdoti, ingressus; quæ illic erant simulacra, multis in ea jocatus verbis, concremavit. [*Herodot. lib.* 3. *à cap.* 34. *ad* 38.] Templa partim igni, partim ferro devastavit, mutilans, exscindens, comburens; quemadmodum & obeliscos. [*Strabo, lib.* 17.]

3482 Patizithes magus, quem Cambyses rerum suarum familiarium curatorem domi reliquerat, cognitâ Smerdis nece, quæ occultabatur paucisque Persarum erat cognita, fratrem suum magum, Smerdi & cognominem, & corporis specie simillimum, in regio solio collocavit: caduceatoribus cùm alia in loca, tum verò Ægyptum ad exercitum dimissis; qui edicerent, ut Smerdi Cyri filio deinceps obedirent, non Cambysi. Ita Herodotus, *lib.* 3. *cap.* 61. Ex Trogo enim Justinus, (*lib.* 1. *cap.* 9.) statim post mortem Cambysis Cometem magum, prostrato Mergide (sive Smerdi) cui regnum debebatur, fratrem suum Oropasten subjecisse refert, & otis & corporis lineamentis illi persimilem. Ctesias verò Bagabatem eunuchum, & Artasyram Hyrcanium (qui in Ægypto cum Cambyse erant, & plurimùm authoritate apud eum valebant) Sphendadati mago, qui occiso Cyri filio erat simillimus, regni tradendi consilium, antequàm Cambyses moreretur, iniisse, & post illius mortem ei detulisse regnum narrat. 4192 514

Cambysi ex urbe Buti redditum fuerat oraculum, eum in Ecbatanis decessurum: quod ille de Ecbatanis Mediæ (ubi res ejus omnis erat) intellexerat. In Ecbatanis verò Syriæ cum exercitu agenti caduceator præcepta Magi exposuit. Qui conjuratione intellectâ, in equum insiliit;

habens in animo quamprimùm Susa versùs exercitum ducere in Magum. Inilienti in equum gladius vaginâ excidit; à quo in femore vulnus accepit. Vicesimo dehinc die, accitis Persarum primoribus, & fratris sui cædem & Magorum fraudem detexit: útque iis pulsis, imperium ad Medos (Magus enim erat Medus; ut ex Herodoto, *lib.* 3. *cap.* 73. *&* 126. colligere licet) rursus rediret non sinerent obtestatus; femore celerrimè contabescente interiit, cùm regnasset septem omninò annos & menses quinque. [*Herodot. lib.* 3. *à cap.* 62. *ad* 66.] Revertentem ab expeditione Ægyptiacâ, apud Damascum esse mortuum, narrat Josephus, *lib.* 11. *Antiq. cap.* 3. pro *Ecbatanis* Herodoti *Damascum* substituens. Ctesias *Babylonem* usque pervenisse ait, ibique vulneratum occubuisse: de morte ejus, & portentis quæ eam antecesserunt, ita scribens.

Sacrificante Cambyse, quum victimæ jugularentur, sanguis non effluxit: quâ ex re animo concidere cœpit. Et Roxane puerum capite carentem ei peperit: & magis dejecto erat animo. Magique renunciarunt, hanc prodigiorum esse significationem; nullum regni successorem ab eo relictum iri. Mater etiam noctu illi in somnis apparens, ob fraternam cædem interminari illi est visa: ideóque magis etiam angebatur. Quúmque Babylonem accessisset, & ibi parvum lignum cultro poliens, tempus ut falleret, femoris musculum feriisset; undecimo die mortem obiit. [*Ctes.*] Ex Ægypto verò discedens, præfectum ibi Aryandem reliquerat. [*Herodot. lib.* 4. *cap.* 166.]

Cambyse mortuo, nequaquam persuasum est Persis rerum potiri Magum, sed reverà fratrem illius regnare: Prexaspe præsertim pernegante eum à se fuisse interfectum; quum illi tutum jam non esset, ipsius manu filium Cyri interemptum fuisse confiteri. (*Herodot. lib.* 3. *cap.* 66.) Quæ res eò occultior etiam fuit, quòd apud Persas persona regis sub specie majestatis occultur. [*Justin. lib.* 1. *cap.* 9.] Indéque Magus, simulando se Smerdin esse Cyri filium, qui ipsi fuerat cognominis & specie simillimus, securus regnavit menses 7, qui reliqui erant ad implendum octavum annum regni Cambysis: per quos menses omne genus liberalitatis in subditos munificentiæque exhibuit; adeò ut ejus defuncti magnum ceperit desiderium omnes Asiam incolentes, ipsis Persis exceptis. Nam missis ad singulas quibus imperabat nationes edictis, immunitatem tributorum ac vacationem militiæ in triennium tribuit, atque hoc statim adeptus imperium edixit. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 67.] Atossam quoque Cyri filiam; & reliquas omnes Cambysis uxores, sibi accepit. *Ibid. cap.* 68. *&* 88.]

* Ex septem Magis (tot enim fuisse in lib. 9. cap. 2. *Valerius Maximus* indicat. *) principes *duo* fuerunt; ab Herodoto (*lib.* 3. *cap.* 61. *&* 78.) memorati: *Patizites* (Trogo *Cometes* dictus) & ejus frater, qui solus, filii Cyri personâ assumptâ, regium nomen obtinebat; Herodoto *Smerdis*, Æschylo *Mardus*, Ctesiæ *Sphendadates*, Trogo *Oropastes*, in sacrâ Scripturâ *Artachshashta* nominatus.

Ad *Artachshashtam* hunc Samaritanorum perlatæ sunt literæ, de prohibendâ ædificatione Hierosolymæ; utpote civitatis (ut illi criminabantur) rebellis ac pessimæ, & quæ, ubi ædificata foret, tributa Persico Imperio negatura esset. [*Ezr.* IV. 7,–16.]

3483 *a. Artachshashta* Rescripto suo Hierosolymam ædificari vetat, donec à se aliter constitueretur. Cujus interdicti authoritate fulti Samaritani, Hierosolymam advolantes, armatâ manu Judæos ab ædificando prohibent. Unde illi, non ab Urbis tantùm, sed etiam à Templi ædificatione (quæ Cyri edicto expressè mandata fuerat) cessarunt; cujus opus, hactenùs interturbatum, deinceps planè intermissum est usque ad annum secundum regni Darii. (*Ezr.* IV. 17,–24.)

Dum Magus imperium obtineret, Orœtes Persa Sardibus agens, Mitrobatem Dascylii satrapam (qui illi, dum viveret adhuc Polycrates, quòd insulam Samum provinciæ suæ adjacentem Regi non acquireret, exprobraverat) & filium ejus Cranapem, spectatos in Persis viros, interemit: & cùm alia quoque omnifaria flagitia commisit, tùm quendam è nunciis qui ad ipsum à Dario venerat, quòd parùm jucunda nunciasset, trucidandum curavit. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 126.]

b. Izabatem eunuchum, qui Cambysis corpus in Persidem sepeliendum portaverat, Magi fraudem universo exercitui patefecisse, confugientique ad templum caput esse abscissum, narrat Ctesias. Herodotus, octavo post mortem Cambysis mense, Otanis filii Pharnaspis sagacitate rem primùm compertam, deinde à Prexaspe palàm contestatam fuisse, dicit. Hunc enim ad convocatos Persas è turri oratione habitâ, se à Cambyse adactum Smerdim Cyri occidisse professum, & Magos esse qui tunc regnarent; sese inde in caput præcipitem dedisse, refert. [*Herodot. lib.* 3. *cap.* 68. *&* 75.] Otanis verò industriam, & Magorum casum, ex Herodoto & Trogo Pompeio, Justinus sic exponit. 4193 511

Ostanes (sive *Otanes* ille) per internuncios quærit de filiâ (nomine *Phadymâ*) quæ inter regias pellices erat, an Cyri regis filius rex esset. Illa nec seipsam scire ait, nec ex aliâ posse cognoscere; quia singulæ separatim recludantur. Tum pertrectare dormienti caput jubet; nam Mago Cambyses (vel *Cyrus*, ut vult Herodotus) aures utrasque præciderat. Factus deinde per filiam certior, sine auribus esse regem, optimatibus Persarum rem indicat; & in cædem falsi regis impulsos, sacramenti religione obstringit. Septem tantùm conscii fuere hujus conjurationis, qui ex continenti (ne, dato in pœnitentiam spatio, res per quenquam narraretur) occultato sub veste ferro, ad regiam pergunt. Ibi obviis interfectis, ad magos perveniunt: quibus ne ipsis quidem animus ad auxilium sui defuit; siquidem stricto ferro duos de conjuratis interficiunt (vel *fauciant* potiùs; ut ab Herodoto est traditum.) Ipsi tamen corripiuntur à pluribus: quorum alterum Gobryas medium amplexus, cunctantibus sociis ne ipsum pro mago transfoderent, quia res obscuro loco gerebatur, vel per suum corpus adigi mago ferrum jussit: fortunâ tamen ita regente, illo incolumi Magus interficitur. (*Justin. lib.* 1. *cap.* 9.]

Horum septem Persarum, apud Ctesiam, nomina sunt: *Onophas*, *Idernes*, *Neradobates*, *Mardonius*, *Barises*, *Artaphernes*, & *Darius Hystaspis* filius; apud Herodotum: *Otanes*, *Hydarnes*,

Mega-

Megabyzus, *Gobryas*, *Aſpathines*, *Intaphernes*, & *Darius*; qui Suſis (quibus pater ipſius *Hyſtaſpes* præerat) tunc advenerat. Utrique verò, in liberationis ab his partæ perpetuam memoriam, annuum *Magophonia* feſtum à Perſis celebratum fuiſſe indicat.

Sexto poſt cædem Magorum die, ſeptem Perſæ de formâ Reipublicæ conſtituendâ deliberant: Otane Democraticum, Megabyzo Oligarchicum, & Dario Monarchicum ſtatum commendante. Quæ poſtrema ſententia, de principatu uni deferendo, cùm viciſſet: Otanes cæteris ſex hac lege jus ſuum imperii ceſſit, ut nulli ipſorum aut ipſe aut ullus unquam poſterorum illius ſubeſſet. Unde factum, ut deinceps ſola hæc familia inter Perſas libertatem retineret: nec Regis imperio, niſi quantum ei viſum fuerit, pareret, leges Perſarum non tranſgrediens. Et quia primus Otanes fuit, qui rem agitaverat, & reliquos in cœtum coëgerat: ipſum cum poſteris ſuis, tum omni alio magnificentiæ genere apud Perſas honorificentiſſimo, tum Medicâ quotannis veſte, donandum cenſuerunt. De regni autem negocio ita inter eos convenit: ut ſub ortum Solis conſcenſis equis, cujus equus hinnitum primus ediditſet, is regnum Cambyſis obtineret. Quod auſpicium quum Dario Hyſtaſpis filio, Oebaris equiſonis ſui arte, obtigiſſet; cæteri ex equis deſilientes, Darium adoraverunt & Regem ſalutaverunt. [*Herodot. lib.* 3. *à cap.* 80. *ad* 88.]

Neque privilegiorum ſuorum tamen, magis quàm Otanes, interim ſunt obliti. Hoc enim in commune obtinuerunt, ut & illi & cæterorum unicuique in regiam aditus pateret; & ad Regem ſine internuncio introire liceret, niſi fortè cum uxore cubantem. [*Id. ibid. cap.* 84. *&* 118.] Deinde, ut tiaræ ſuæ ſitu à reliquis omnibus Perſis diſtinguerentur. Cùm enim Regi ſoli & regni hæredi deſignato datum eſſet, ut rectam capite Tiaram geſtarent; (ut apud Senecam, lib. 6. de Benefic. cap. 31. & Plutarchum, in *Themiſtocle* & *Artaxerxe* videre licet:) magnatum verò alii in poſteriorem capitis partem eam obverterent: his & poſteris eorum eſt conceſſum, ut in anteriorem partem prominentem eam ferrent; quòd, cùm Magorum aggrederentur cædem, hàc uſi fuiſſent teſſerâ. [*Plutarch. in Præceptis gerendæ Reipubl.*] Hoc enim pro ſigno, ut in tenebris mutuò ſe poſſent agnoſcere, tum Darius dederat: ut vinculum, quod à poſteriore capitis parte tiaram connectebat, in frontem reducerent. [*Polyæn. Stratagem. lib.* 7.]

* Darium, quum unus ex ſeptem illis eſſet, principatum adeptum, in ſeptem partes totum regnum diviſiſſe, ejuſque partitionis ad ſua uſque tempora parva quædam quaſi ſemina perſtiiſſe, in lib. 3°. de legibus refert *Plato*. Et quum ſeptem Magorum nomine à B. Hieronymo [in *Daniel.* XI. 2.] nuncupari iſti reperiantur: videndum & an non ad eos quoque Ammiani Marcellini illud ſpectet, in libro 23 ſcribentis; *Ex hoc Magorum ſemine ſeptem poſt mortem Cambyſis regnum iniſſe Perſidos, antiqui memorant libri; docentes Darii ſatione oppreſſos, imperitandi initium equino hinnitu ſortiti.* Ante eos enim oppreſſos, licèt Darius dictaturâ quaſi perpetuâ potiretur; ipſi tamen per vices annis ſingulis veluti Tribunitiæ cujuſdam poteſtatis conſortes adſciti fuiſſe videntur. *

Cujus quidem rei triplex hæc conſideratio ſuſpicionem mihi injecit. Primùm, quòd conjurati iſti, *oneroſos* [quâ verò ratione magis quàm iſtâ?] Dario futuros ſe prævidentes, *ſanctiſſimo Perſis jurejurando illum obſtrinxerint*, ne quem eorum, *aut veneno*, *aut ferro*, *aut ullâ vi*, *aut inopiâ alimentorum necaret*: quemadmodum *lib.* 9. *cap.* 2. confirmat Valerius Maximus. Deinde, quòd Æſchylus (qui adverſùs Darii copias in pugnâ Marathoniâ dimicavit) inter Magi cædem & Darii imperium duos ordine reges nominet, *Maraphim* & *Artaphrenem*: quorum alter *Mardonius*, alter *Artaphernes* Cteſiæ omninò eſſe videtur. Denique, quòd in ſacris literis edicto, anno 2°. Darii de ædificando Templo promulgato, etiam *Artachſhaſhtam*, regem Perſiæ dictum, ex Ezræ VI. 14. conſenſum præbuiſſe appareat: per quem, alium quàm *Artaphernem* illum, difficiliter poſſumus ſtatuere. * (Refer hæc ad annum, in quo Darii (*μοναρχεμεῖν*) *Initium* in Marmore Arundelliano collocatur.) *

Principio regni, Darius Cyri filiam Atoſſam [quæ fratri Cambyſæ primùm, deinde Mago, nupſerat) in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum firmaturus: ut non tam in extraneum translatum, quàm in familiam Cyri reverſum videretur. (*Herodot. lib.* 3. *cap.* 88. *& lib.* 7. *cap.* 2. *Juſtin. ex Trogo*, *lib.* 1. *cap.* 10.) Et ut ipſe, priùs *Ochus* (ut ex Valerio Maximo, *lib.* 9. *cap.* 2. liquet) id eſt, יוכוס appellatus, regio שרי poſteà recepto additamento, cum Cambyſæ regno, ejuſdem etiam cognomentum obtinuiſſe videtur; ita & *Achaſh-verosh* ſive *Aſſuerus* ille fuiſſe, qui in hiſtoriæ Eſtheræ initio *regnum* dicitur *obtinuiſſe*, *ab Indiâ uſque ad Æthiopiam*, *centum viginti ſeptem provinciarum*; & hanc primariam illius uxorem non aliam quàm *Vaſhtin* eſſe habendam opinamur, cujus eodem in loco celebris habetur memoria.

Darius Orœtem Sardium præfectum, mille Perſarum ſatellitibus ſtipatum, miſſis ad eos per Bagæum Artontis filium regiis literis, interimendum curavit. Cum cujus bonis Suſa deinde traductis, etiam Democedes Crotonienſis medicus eſt deportatus. (*Herodot. lib.* 3. *cap.* 127, 128, 129.]

Contigit non diu pòſt, ut in venatu ferarum Darius, dum ab equo deſilit, pedem intorſerit vehementérque luxaverit. Quem retorquendo ac violenter tractando, quum Ægyptii medici per integrum ſeptidium Dario ſomnum abſtuliſſent: octavo die adductus eſt ad eum Democedes, ſicut erat pannoſus ac compedes trahens. Qui Græcis medicamentis uſus, compotem eum ſomni fecit, & brevi tempore incolumem reddidit. Ita Suſis ſanato Dario, Democedes multo auro ab eo & uxoribus ejus donatus maximas ædes obtinebat, & cum rege ad menſam ſedebat; omnibus rebus affluens, præter hanc unam quòd ad Græcos redire non poterat. Quinetiam Ægyptios medicos, quum eſſent patibulis ſuffigendi, quòd à Græco medico ſuperati forent, impetratâ ab rege veniâ liberavit. Vaticinum quoque quendam Eleum, qui Polycratem cum eo Magneſiam fuerat ſecutus, & Suſis inter captivos pro neglecto habitus, relaxavit. [*Ibid. cap.* 129, 130, 132.]

Interjecto brevi tempore, contigit ut Atoſſæ Cyri filiæ & Darii uxori in mamillâ ulcus exoriretur, deinde reſciſſum porrò graſſaretur. Eam quum curaſſet Democedes, ab eâ obtinuit, ut maritum ad ſubigendam Græciam ſollicitaret. A quâ perſuaſus Darius, accitis quindecim viris Perſarum ſpectatis, præcepit ut ſequentes Democedem omnia Græciæ maritima loca colluſtrarent & rursùs cum ſecum reducerent. Iìti, quum in Phœnicem deſcendiſſent, & ex Phœnice in urbem Sidonem: comparatis omnibus, in Græciam trajiciebant, atque maritima ejus loca intuebantur & deſcribebant; primi Perſarum qui explorandi gratiâ in Græciam advenerunt. Tum pleraque ac celeberrima Græciæ loca contemplati, in Italiam Tarentum transmiſerunt: unde Crotonem ad domum ſuam profectus Democedes, ibique Milonis Croton. nobilis illius athletæ filiâ in uxorem ductâ, ad Darium redire recuſavit. [*Ibid. à cap.* 133. *ad* 138. *cum Athenæo Dipnoſophiſt. lib.* 12. *& Æliani Var. hiſtor. lib.* 8. *cap.* 17.]

3484 *a.* Tertius annus Sabbaticus à reducibus Judæis actus eſt.

c. Somnium Mardochæus Judæus habuiſſe dicitur, in Græcis Eſtheræ additionib. [*cap.* XI.] regni Artaxerxis Magni [ſic enim ibi appellatur Aſſuerus, ſive Darius Hyſtaſpides] anno 2°, menſis Niſanis die 1°, de fluvio Eſtheram, & duobus draconibus ſeipſum & Hamanem ſignificantibus. [*cap.* X.] 4194 520

d. Anno 2°. Darii regis (quo Olympias LXV. acta eſt) menſis 6ti. die 1. Haggæus Propheta negligentiam Judæorum in extruendo Templo reprehendit: continuam agrorum ſterilitatem cæteraſque quas hucuſque perpeſſi fuerant plagas, ob opus Dei neglectum (inter primum & tertium annum Sabbaticum) accidiſſe declarans, & erroris emendationem ſeriò urgens. Unde excitati Zorobabel Judæorum Præſes, Joſua ſummus Sacerdos, populúſque reliquus, intermiſſum opus repetunt, & rerum ad ædificationem neceſſariarum apparatum faciunt, menſis ejuſdem 6. die 24. [*Hagg.* I. 1,–15.]

3485 *a.* Menſis ſequentis 7ti. die 21, Deus per Haggæum promiſſione præſentiæ ſuæ Judæos in opere confirmat: & licèt, in oculis eorum qui prius Templum (anno ante hunc 69°.) conſpexerant, initia iſta admodùm deſpicabilia viderentur; deſideratiſſimi tamen Meſſiæ poſt breve tempus (anno poſt hunc 516.) hic primùm ſiſtendi, pacíſque hinc ab eo in omnes Gentes propagandæ ratione habitâ, hujus Templi gloriam prioris illius longè excellentiorem futuram prænunciat. [*Hagg.* II. 1,–9.]

Menſe 8°, anno eodem Darii 2°, Zacharias propheta, Barachiæ filius, populum ad reſipiſcentiam hortatur. [*Zachar.* I. 1,–6.]

Menſis 9i, die 24, anno eodem ſecundo, tempore inter ſementem (qui peractum annum Sabbaticum ſtatim ſecutus eſt) & meſſem quaſi medio, à Zorobabele & Joſuâ Sacerdote, cum Haggæi & Zachariæ prophetantium auxilio, Templum ſuper jactis pridem fundamentis extrui cœptum eſt. [*Ezr. V.* 1, 2. *Hagg. II.* 10, 18, 19.]

Eodem die 24, duæ poſtremæ Haggæo revelatæ ſunt prophetiæ: de plagarum hucuſque maledicto populo inflictarum ceſſatione, una; de regnorum everſione & Zorobabelis exaltatione, altera. [*Hagg.* II. 10,–23.]

b. Tatnaius Præfectus regionis eis flumen, Setharboznaius & ſocii ejus Apharſakitæ, Hieroſolymam advenientes, Templi ſtructuram impedire conantur: cujuſnam mandato fuiſſent opus hoc aggreſſi, à Judæorum Senioribus inquirentes. Qui Cyri edicto ſeſe hoc feciſſe reſpondentes, in ædificando ſtrenuè perrexerunt. [*Ezr. V.* 3, 4, 5, 13, 16.] Quum enim, ex Medorum & Perſarum lege, Regum edicta eſſent perpetua, nec mutari poſſent: [*Dan.* VI. 8, 12. *Eſther. I.* 19. *&* VIII. 8.] ſine novæ alicujus authoritatis expectatione, licitum fuerat Judæis cœptum opus perficere. 4195 519

Judæorum reſponſum hoſtes Dario per epiſtolam indicant; num ejuſmodi Cyri edictum in archivis Babylonicis extaret inquiri petunt, & quid hac in re fieri Regi placeat ſignificari ſibi poſtulant. [*Ezr. V.* 5,–17.]

Opere eum in modum ab inimicis interturbato, & fame adhuc [frugibus ad meſſem nondum maturis] in Judæâ invaleſcente; menſis 11. Sebat die 24, anno Darii 2°, equitum totum terrarum Orbem quietum jam & tranquillum obeuntium viſio Zachariæ eſt exhibita. Unde, Prophetâ audiente, reſpondit Dominus verba bona & conſolatoria Angelo deprecanti iram ejus atque indignationem, quæ efferbuerat contra populum Judaicum atque Urbem Hieroſolymorum & civitates Judæ jam 70. annis. [*Zachar. I.* 7,–12, 13,] quorum initium à cœptâ extremâ Hieroſolymorum obſidione (de qua ſuprà, ad annum Mundi 3415.) eſt deducendum. [*Jerem.* XXXIV. 1. *cum Ezek. V.* 12, 13.] Eodem quoque referenda, quæ in poſteriore parte capitis I. Zachariæ, & tribus proximis, ſubſequuntur; ubi, quæ cap. II. 6, 7. ad Judæos in Babyloniâ commorantes legitur hortatio, ut inde fugâ properè ſe ſubducant, ad calamitatem illam referenda videtur, quæ paulò poſt à Dario Babylone captâ contigit.

Edictum Cyri, de Templo reædificando, Achmethæ ſive Ecbatanis in provinciâ Medorum repertum, cum novo pro Judæis Reſcripto à Dario ad Tatnaium & ſocios miſſum eſt: quo mandatum illis eſt, ut opus domûs Dei cœptum non modò non impedirent, ſed etiam collatis ex tributo Regio expenſis promoverent; ſumptibus quoque ad quotidiana ſacrificia à Sacerdotibus Hieroſolymitanis offerenda neceſſariis in diem ſuppeditandis. Quibus decretum Imperatorium ſine morâ exequentibus; Judæi, Haggæi & Zachariæ prophetiis confirmati, in ædificio perficiendo proſperè proceſſerunt. [*Ezr. VI.* 1,–14.]

Artachsbashtam verò, [*Ezra* VI. 14.] cum *Dario* hîc conjunctum, conſortem cum eo imperii hoc tempore fuiſſe opinati ſumus: è ſeptem videlicèt Perſis qui Magum oppreſſerunt unum; Æſchylo in Perſis *Artaphrenem*, Hellanico [ut habet illius Scholiaſtes] *Dapherneum*, Cteſiæ *Artaphernem*, Herodoto *Intaphernem* appellatum. Hic, ex privilegio Principibus illis conceſſo,

ad Darium

ad Darium ſine internuncio introire volens à janitore & ab admiſſionali eſt prohibitus : quòd regem rei uxoriæ operam dare dicerent. Is verò, mentiri eos ratus, educto acinace, aures utrique naréſque præcidit : & freni equini loris ad cervices ipſorum alligatis, dimiſit. Qui quum ſeſe Regi exhibuiſſent & cur id paſſi fuerant expoſuiſſent : Darius ſigillatim quemque Perſarum accerſivit, veritus ne id communi ſex illorum conſilio factum eſſet. Cúmque compe riſſet, ſine horum conſenſu id actum fuiſſe : Intraphernem, cum filiis ſuis [maximo tantùm natu matri donato] interimendum curavit. Ita Herodotus rem narrat, *lib.* 3. *cap.* 118. & 119. velut ſtatim poſt Magorum interitum peractam. Verùm alios ſecutus authores Valerius Maximus, *lib.* 9. *cap.* 2. non hunc ſolum, ſed & cæteros omnes, *oneroſos ſibi* jam factos, novo excogitato mortis genere, à Dario ſublatos fuiſſe refert. *Septum enim altis parietibus locum* [inquit ille] *cinere complevit, ſuppoſitóque tigno prominente, benigne cibo & potione excepros in eo collocabat : è quo, ſomno ſopiti, in illum inſidioſam congeriem decidebant.* Quâ crudeli mortis ratione licèt eos peremptos fuiſſe non ſit veriſimile : adempto tamen illis deinceps regni omni conſortio, onere illo Darium ſe levâſſe maximè eſt credibile.

c. Indéque ſolus abſolutâ jam monarchiâ potitus *Darius*, qui nobis *Aſſuerus* eſt, à primo principatûs ſui initio anno tertio, cùm ſederet in ſolio regni ſui Suſis ; ad oſtentandam gloriam regni ſui & decorem magnitudinis ſuæ, Satrapis & magnatibus provinciarum ſuarum per dies 180. magnificum exhibuit convivium. [*Eſther.* I. 2, 3, 4.] Urbem verò Suſanam ab ipſo Dario *conditam* aſſirmat Plinius, lib. 6. cap. 27. vel potiùs regiarum ædium magnificentiâ amplificatam; ut in lib. 13. de Animalib. cap. 59. Ælianus explicat : ibíque & domicilium, & pecuniarum ſuarum theſauros eum habuiſſe, in lib. 5. cap. 49. docet Herodotus.

3486 *a.* Semeſtre magnatum convivium excepit ſeptiduanum aliud, tori populo qui præſtò erant Suſis, à maximo uſque ad minimum, præparatum : viris in atrio horti palatii regii cum Aſſuero, fœminis intùs in domo regiâ cum *Vashti* Auguſtâ, quæ nobis *Atoſſa* eſt Cyri filia, accumbentibus. [*Eſth.* I. 5, 9.]

Poſtremo hujus convivii die Rex, vino aliquantulùm incaleſcens, ut uxoris pulchritudinem viris oſtentaret, Vashtin evocat; & venire recuſantem, conſilio Memucanis, unius è ſeptem Perſidis & Mediæ primariis jus & judicia noſcentibus, (*Regi* enim erant hi *Judices*, qui apud Perſas jus dicebant, & legum patriarum erant interpretes; quorum apud Herodotum, *lib.* 3. *cap.* 14. & 31. ac Plutarchum, in *Artaxerxe*, fit mentio) repudiatam regno abdicat : promulgatâ lege, ut eſſet quiſque vir dominator domi ſuæ. [*Eſther.* I. 10,--22.]

Delectus puellarum formâ præſtantium ex omnibus provinciis regni Aſſueri inſtituitur, ut ei apta inveniatur uxor, quæ regnet loco *Vashti* repudiatæ : in quarum numerum *Hadaſſa* Hebræa, quæ & *Eſther*, Abichajilis Benjaminitæ filia, adſcita eſt. [*Eſth.* II. 1,--8.] 4196 518

3487 *a.* Anno 4°. Darii, menſis 9^i. Chiſleu die 4, Judæis per Shareſerem & Regem-melechum de jejunio quinti menſis, ob Urbis & Templi excidium inſtituto, Sacerdotes ac Propheras conſulentibus; Deus jejunia illa 5^i & 7^i menſis, per LXX. annos ab illis obſervata, ſibi minùs grata fuiſſe reſpondet, & de obſtinatione in peccatis, quæ deſolationem terræ induxit, eos admonet. [*Zachar.* VII. 1,--14.] A dicto verò excidio, & cæde Gedaliæ (quæ 7^i menſis jejunio occaſionem præbuit) poſt bimeſtre ſpatium illud ſubſecutâ, uſque ad præſens tempus, 70. annos Chronologia noſtra exhibet.

Reſtauraturum deinde ſe Hieroſolymam, finem prioribus ærumnis impoſiturum, Jejunia menſis *quarti*, [cujus die 9°. Urbs capta fuit] *quinti*, (cujus die 10°. Templum combuſtum fuit) *ſeptimi*, (quo populi reliquiæ, cæſo Gedaliâ, diſperſæ ſunt) & *decimi*, (cujus die 10°. Urbs ſub Sedekiâ à Nebuchadneſare primùm obſideri cœpta eſt) in Hilaria commutaturum, & gaudium atque dilationem populo ſuo conceſſurum, promittit Deus. (*Zachar. c.* VIII.)

3489 *b.* Anno Darii 6° (deſinente,) menſis (12^i) Adar die 3°, ſtructura Templi finita eſt. Cujus dedicationem Iſraelitæ, ex captivitate reduces, cum gaudio & ampliſſimâ ſacrificiorum oblatione celebrârunt : Sacerdotibus & Levitis in miniſterio Templi ſecundùm ordines ſuos conſtitutis. [*Ezr.* VI. 15,--18.] 4199 515

Iidem die 14. menſis 1^i Paſcha primum in ſecundo Templo celebrârunt : feſtum deinde Azimorum ſeptem diebus cum lætitiâ peragentes; quòd cor regis Aſſyriorum convertiſſet ad eos Dominus. (*Ezr.* VI. 19,--22.) *Darii* videlicèt : qui Babylone, quæ ab eo defecerat, Zopyri operâ menſe à cœptâ obſidione vigeſimo recuperatâ, non minùs Aſſyrii quàm Perſici Imperatoris titulum jam jure obtinebat. [*Herodot. fin. lib.* 3. & *Juſtin. fin. lib.* 1.]

3490 *a.* Cùm perveniſſet terminus Eſtheræ, ut ſuo ordine ingrederetur ad regem Aſſuerum ; ab Hegaio eunucho è gynæceo in regium cubiculum eſt perducta. [*Eſth.* II. 12,--15.] *Ἐν περιόδοις γὰρ δὴ γυναῖκες φοιτῶσιν πρὸς Πέρσας. Perſarum enim femina per vices in orbem ad illos pergunt :* ut in *lib.* 3. *cap.* 69. notat etiam Herodotus.

Anno verò regni Aſſueri 7°, menſe 10°. Tebeth, aſſumpta ad eum *Eſthera*, obtinuit benignitatem & gratiam coram eo, præ omnibus aliis virginibus : adeò ut imponeret coronam regiam capiti ejus, & reginam conſtitueret loco *Vashti*. [*Eſth.* II. 16, 17.] Unde, ut Vashtim eſſe *Atoſſam*, ita Eſtheram *Artyſtonam virginem* eſſe arbitramur; quam *Darium ex uxoribus maximè adamâſſe, ejúſque imaginem ex auro ſolido compactam habuiſſe*, narrat Herodotus. [*lib.* 3. *cap.* 88. *cum lib.* 7. *cap.* 69.] utcunque *Hadaſſa* alterum Eſtheræ nomen ad *Atoſſa* appellationem multò propiùs accedere, & *Artyſtonam* ſororem Atoſſæ ac Cyri filiam ab Herodoto ſtatui, non ignoremus : ſive Perſicas genealogias minùs illum percepiſſe putandum fuerit, ſive ipſos Perſas per invidiam genus Eſtheræ diſſimulaviſſe.

b. In novarum nuptiarum honorem, Aſſuerus convivium magnificum, *Eſthera* dictum, omnibus principibus & ſervis ſuis exhibuit; levamenta onerum provinciis conceſſit, ac dona largitus eſt ſecundùm facultatem regiam. [*Eſth.* II. 18.] 4200 514

a. Jubi-

a. Jubilæus XIX.

3491 Hippias Athenienſium tyrannus, quarto ante exilium ſuum anno, ſibi metuens, externa cœpit circumſpicere præſidia. Indéque Æantidæ filio Hippoclis Lampſaceni tyranni filiam ſuam Archedicen in matrimonium dedit; quòd eos in magnâ apud regem Darium authoritate eſſe videret. [*Thucydid. lib.* 6.] 4201 513

3494 *b.* Haman Amedathæ filius Agagæus (ex regiâ Amalekitarum ſtirpe ortus) Mordecaio Judæo adorare eum nolenti infenſus, de totâ gente illius (genti originis ſuæ inimiciſſimâ, *Deuteron.* XXV. 19.) perdendâ cogitat. Cui propoſito exequendo tempus proſperum indagaturus, ad ἀπορομαντίαν converſus, menſe 1° Niſan, anno 12° regis Aſſueri, *pur*, id eſt ſortem, coram ſe conjici juſſit; * ut quo die & menſe tollendi è medio eſſent Judæi cognoſceret: cecidítque ſors in menſem 12um Adar, totius anni extremum. (*Eſther.* III. 1,--7.) 4204 520

Deinde ſpecioſas quaſdam rationes immani ſuo cœpto prætendens, oblatis Aſſuero decem talentorum argenti millibus (quæ illi à Rege ſunt remiſſa) mandatum de toto Judæorum genere delendo ab eo impetravit. (*Eſther.* III. 7--11.) *

Menſis primi die 13°. Sulis propoſita, & in provincias omnes regi Aſſuero ſubjectas per curſores miſſa ſunt Edicta, ut omnes Judæi, nullâ aut ætatis aut ſexûs ratione habitâ, die 13°. menſis 12^i^ Adar occiderentur. [*Ibid.* 12,--15.] Quo intellecto; Mardochæus, Eſther, & univerſi Judæi, pro ſalute ſuâ cum fletibus & jejuniis Deo ſummiſsè ſupplicaverunt. (*cap.* IV.] In cujus rei memoriam hodiéque eorum poſteri 13°. die menſis Adar ſolenne obſervant jejunium, quod *Eſthera jejunium* nominant.

Eſther regem adit magnifico apparatu, ab eo benignè accipitur, Regem & Hamanem invitat ad convivium ſemel iterúmque. Haman Mardochæo crucem parat. (*cap.* V.)

Aſſuerus fugiente per noctem ſomno annales recognoſcens, inſidias à Bigthane & Teresho, aulicis duobus ex cuſtodibus liminis, in necem ipſius paratas, per Mordecaium patefactas fuiſſe invenit: eúmque, ob acceptum hoc ab eo beneficium, publicè regiis honoribus affici jubet, idque per Hamanem capitalem illius hoſtem. (*cap.* VI.)

Haman ab Eſtherâ reginâ accuſatus, in crucem Mardochæo præparatam agitur. [*cap.* VII.] Hamanis domus Reginæ traditur: & Mardochæus, illius patruelis & nutritius, novis dignitatibus honoratur. [*c.* VIII. 1, 2, 15.]

Menſis 3^i^ Sivan die 23, Sulis propoſita, & in provincias 127. per curſores miſſa ſunt edicta regis Aſſueri; ut Judæis die 13° menſis Adar, ad cædem eorum ab Hamane priùs conſtituto, ubique liceret armis ſe defendere, omnéſque inimicos vim tentantes occidere, & ſpolia eorum diripere. Unde Sulis & in omnibus provinciis ingens oborta eſt lætitia: multíque ex populis terræ eis ſe adjungentes, proſelyti facti ſunt. (*c.* VIII. 9,--17.)

d. Hippias, ante pugnam Marathoniam (in quâ ipſe ſenex cum Medorum copiis militavit) annis 20, Athenis à Lacædemoniis & Alcmæonidis exulibus pulſus, Sigeum primò, fide ab Athenienſibus acceptâ, inde Lampſacum ad Æantidem generum ſuum, atque ab eo ad regem Darium profectus eſt. [*Thucyd. lib.* 6.] Sigeum verò, in Troade, Piſiſtratus Hippiæ parer, Hegeliſtrato hilio ſuo notho gubernandum tradiderat: quæ Hippiæ poſteà, & Piſiſtratidarum eò confugientium, poſteà tedes fuit. [*Herodot. lib.* 5. *cap.* 65, 91. & 94.]

3495 *b.* Menſis 12^i^ Adar die 13°, adveniente, Judæi eos impunè ſuſtulerunt, qui in ipſos ex Hamanis decreto eodem die fuerant inſurrecturi; in Suſano palatio hominibus 500. cum 10. filiis Hamanis, in provinciis verò hominibus 75000. interemptis: ſed conſultò ſibi a prædâ temperárunt. [*c.* IX. 1,--16.] 4205 509

Die 14, Provinciales Judæi, ab hoſtium cæde deſiſtentes, epulis & hilaritatibus ſeſe dederunt: qui verò Suſis commorabantur, alio vindictæ die à Rege conceſſo, 300. homines trucidárunt, & 10. filiorum Hamanis cadavera è patibulo ſuſpenderunt. [*c.* IX. 13,--19.]

Die 15, Judæi Suſis habitantes, ad epulas ac convivia converſi ſunt. [*c.* IX. 18.]

A Mordecaio inſtituta eſt conſuetudo celebrandi feſtum *Purim* ſive *Sortium* quotannis die 14° & 15° menſis Adar, & ab Eſtherâ reginâ confirmata. [*c.* IX. 20,--32.] Súntque hæc hodie Judæorum Bacchanalia: in quibus hiſtoriam Eſtheræ legentes, quoties mentio fit Hamanis, pugnis & malleis pulſant ſcamna in Synagogis.

3500 Ex Naxo inſulâ quidam locupletes a plebe in exilium miſſi, ad Ariſtagoram confugiunt Molpagoræ filium, eundemque generum ac conſobrinum Hiſtiæi Mileti tyranni; quem loco ſuo civitatis gubernatorem ille reliquerat, quum eum Darius per honoris ſpeciem Suſa ſecum abduceret. Ariſtagoras re cum Artaphernе, Hyſtaſpis filio, Darii fratre, Ioniæ præfecto, Sardibus communicatâ, ſuadet illi, ut Naxum & quæ ex eâ penderent, Parum & Andrum, cæteráſque Cycladas inſulas Regi acquireret. Quo conſilio à Dario Suſis approbato; ad expeditionem ſequente vere ſuſcipiendam, ducentas naves inſtruxit. [*Herodot. lib.* 5. *cap.* 30, 31, 32.] 4210 504

3501 *c.* Artaphernes Megabatem Achæmenidem, ſuum ac Darii conſanguineum, Perſici exercitûs ducem conſtitutum, cum 200. navibus Miletum mittit: qui aſſumpto ibi Ariſtagorâ cum Ionico exercitu Chium pervenit. Ubi rixâ inter Megabatem & Ariſtagoram ortâ, in obſidione Naxi fruſtrà quatuor conſumptis menſibus, uterque re infectâ domum redit. [*Id. ibid. cap.* 32, 33, 34.] 4211 503

3502 *b.* Anni 70. à captâ per Nebuchadneſarem Tyro hîc terminantur: quot depreſſæ urbis illius conditioni ab Eſaiâ prophetâ aſſignati leguntur. [*Eſai.* XXIII. 15, 17.] * in quem ſcribens [*Hieronymus lib.* 6. in Eſai. *cap.* 23] *Hæc omnia*, inquit, *juxta hiſtoriam expleta eſſe, conſonis Græcorum & Phœnicum literis indicatur: quòd poſt* LXX *annos inſtaurata, ad potentiam priſtinam ſit reverſa:* * Unde ea nunc ſui juris facta, uſque ad Alexandri Magni tempora, ab externo dominio libera permanſiſſe videtur. 4212 502

Ariſta-

Ariſtagoras Mileſius ſibi metuens, quia quod Artapherni de ſubigendâ Naxo receperat præſtare non poterat, nec exercitui ſtipendium exigenti dare; de defectione cogitare cœpit. Interim commodè contigit, ut Suſis ab Hiſtiæo ſervus quidam veniret compuncto noris capite, quibus Ariſtagoras monebatur, ut & ipſe à Dario deficeret, & Ioniam ad parem defectionem ſollicitaret. [*Herodot. lib.* 5. *cap.* 35. *Polyæn. Strategem. lib.* 1.]

Ariſtagoras, re cum ſuæ factionis hominibus communicatâ, eos in ſententiam ſuam perduxit: Hecatæo hiſtorico bellum adversùs regem Perſarum ſumendum ſuſtrà diſſuadente. Inde Iatrogaras Myuntem ab eis miſſus ad exercitum qui è Naxo reverſus agebat, præcipuos claſſiariorum duces dolo cepit. Ariſtagoras, palàm à Dario deficiens, Mileſiis libertatis quandam ſpeciem reſtituit, & ex reliquis civitatibus Ioniæ tyrannos ſuſtulit: deinde Lacedæmonem ad opem implorandam profectus, à Cleomene Spartanorum rege repulſam paſſus eſt. [*Herodot. lib.* 5. *cap.* 36, 37, 38, 49, 50, 51.]

3503 *a.* Anno Darii 20, Nabonaſari 146, menſis Epiphi ſecundùm Ægyptios die 28, (*Novemb.* 19, deſinente) circa mediam noctem Eclypſis Lunæ Babylone obſervata eſt. [*Ptolem. magn. Syntax. lib.* 4. *cap.* 9.]

Hippias Piſiſtrati filius, Sigeo in Græciam falsâ reſtitutionis ſpe à Spartanis revocatus, Lacedæmone in Aſiam rediit: atque accuſatis apud Artaphernem Athenienſibus, ut Athenæ in Darii poteſtatem venirent, omnem operam dedit. [*Herodot. lib.* 5. *cap.* 91, 96.] 4213 501

Athenienſes, audientes ſe ab Hippiâ apud Artaphernem eſſe inſimulatos, mittunt Sardes nuncios ad diſſuadendum Perſis fidem habere exulibus Athenienſium. Sed jubet eos Artaphernes, ſi ſalvi eſſe vellent, rursùs Hippiam recipere. Dum verò illi eam conditionem recuſarent, è Spartâ Athenas veniens Mileſius Ariſtagoras ab eis 20 naves, Ionibus auxilio mittendas obtinuit; Melanthio illis præfecto, viro inter Athenienſes ſpectatiſſimo. [*Herodot. lib.* 5. *cap.* 96, 97.] Quas naves initium malorum Græcis pariter & Barbaris extitiſſe, rectè notavit Herodotus. [*Ibid. cap.* 98.] Hæc etenim omnium deinceps inter Perſas & Græcos bellorum, in Perſici Imperii excidio tandem terminatorum, origo prima fuit.

Ariſtagoras, Miletum revectus, Pæonibus, quos à flumine Strymone Megabazus Thraciæ præfectus in Phrygiam Darii juſſu tranſtulerat, reditum ad patriam perſuaſit. Qui ſumptis liberis atque uxoribus, ad mare fugâ ſe proripuerunt: nonnullis eorum præ metu illic remanentibus. Reliqui in Chium tranſmittentes, à Chiis in Lesbum, à Lesbiis in Doriſcum ſunt tranſportati; unde terreſtri itinere ſe in Pæoniam receperunt. [*Herodot. lib.* 5. *cap.* 98.]

3504 Claſſis Athenienſium Miletum appulit: cui & in Mileſiorum gratiam quinque triremes Eretriorum ſe adjunxerunt. Ariſtagoras, ipſe Mileti remanens, Mileſiorum Charopino fratre ſuo & aliorum Ionum Hermophanto duce conſtituto, adversùs Sardes expeditionem fecit. Iones, cum Athenienſibus & Eretriis, claſſe Epheſum advecti, relictis navibus apud Coreſum [quod eſt agri Epheſii] Sardes advenerunt: omniáque ejus urbis loca, præter arcem, quam Artaphernes ipſe tutabatur, ceperunt & incenderunt; templo quoque Cybeles ſimul deflagrante. Lydis & Perſis ex urbe in forum (cujus medium amnis Pactolus interfluebat) confluentibus, & ſeſe defendentibus; Iones metu perculſi, ad Tmolum montem, atque illinc nocti ad naves ſe receperunt. Perſæ qui intra Halyn domicilia habebant, Epheſi eos aſſecuti, in fugam verterunt: cùm aliis multis occiſis, tum Eualcide Eretriorum duce, qui donatus laureâ in certaminibus fuerat, & à Simonide Ceo majorem in modum celebratus. Ex eâ pugnâ qui evaſere, per urbes fuere diſſipati. Athenienſes verò deſertis prorsùs Ionibus, etſi per nuncios Ariſtagoræ magnoperè rogati, negaverunt ſe auxilio deinceps futuros. [*Ibid. à cap.* 99. *ad* 103.] 4214 500

Oneſilus, ſeniore fratre ſuo Gorgo Salaminiorum rege urbe excluſo & ad Medos fugere coacto, Cypriis omnibus ut à Medis deficerent perſuaſit; ſolis exceptis Amathuſiis. Quos dum ille obſideret, de captis incenſiſque Sardibus ad Darium perlatus eſt nuncius: quo audito, in Athenienſes excandeſcens, cuidam famulorum præcepit, ut ſibi ſemper appoſitâ cenâ ter diceret; *Here, memento Athenienſium.* Deinde, admodum improvidè, Hiſtiæum è Suſis Miletum emiſit; Ionici deinceps belli ducem contra ſe futurum. [*Ibid. cap.* 104, 105, 106.]

Iones Helleſpontum invecti, Byzantium ac cæteras circà urbes in ſuam poteſtatem redegerunt. Inde evecti, magnam Cariæ partem in belli ſocietatem adſciverunt; nam Caunus, quæ priùs ſocietatem facere recuſaverat, ubi Sardes conflagrârunt, & ipſa Ionibus acceſſit. [*Ibid. cap.* 103.]

Clazomenis (quæ primùm inſula, ut in libro primo docet Strabo, deinde per Iſthmum Ioniæ continenti juncta eſt) Anaxagoras philoſophus Hegeſibuli filius Olympiade LXX natus eſt: ut, ex Apollodori Chronicis, notavit in Vitâ ejus Diogenes Laërtius.

Oneſilo Salaminio Amathuſios obſidenti nuncius affertur, Artybium Perſam cum numeroſo exercitu Cyprum petere. Ille Iones in auxilium advocat: qui cum magnâ ſtatim claſſe ad eum ſe contulerunt. Perſæ verò navibus è Cilicià trajicientes, terreſtri itinere Salaminem contenderunt, Phœnicibus claſſe circumeuntibus promontorium quæ *Claves Cypri* vocantur. Mox exercitus conflixêre terreſtres navaléſque: & claſſe quidem Iones eo die ſtrenuè pugnantes ſuperavêre Phœnices; Samiorum tamen præcipua virtus extitit. In terrâ autem, cæteris pugnando occupatis, Steſenor Curii tyrannus ſocios Curienſes prodidit: ſtatimque Salaminii, qui curribus vehebantur, idem fecerunt. Unde Cypriorum acie in fugam verſâ, cùm alii multi occubuere, tum verò Oneſilus qui Cyprios ad defectionem induxerat, & Soliorum rex Ariſtocyprus illius Philocypri filius quem Solon Cyprum profectus inter tyrannos maximè verſibus celebravit. Iones, ubi didicêre res Oneſili perditas, & cæteras Cypriorum urbes obſeſſas præter Salaminem, eam autem Gorgo priſtino regi Salaminios reſtituiſſe, in Ioniam redire maturaverunt,

runt. Civitatum autem Cypriarum diutissime obsidionem *Soli* pertulit: quam Persæ, quinto mense quàm obsidere cœperunt, circùm fossoso muro expugnaverunt. Atque ita Cyprii, quum annum liberi fuissent, denuò in servitutem sunt redacti. [*Herodot. lib. 5. à cap. 108. ad 116.*]

3505 Persarum Satrapæ, qui Darii filias in uxores duxerunt, *Daurises*, *Hymees* & *Oranes*, persecuti eos Iones qui adversùs Sardes expeditionem fecerant, postquàm in naves repulerunt prælio victos, dehinc inter se partiti sunt urbes quas expugnarent. [*Ibid. cap. 116.*] *Daurises* quidem ad urbes in Hellesponto sitas conversus, cepit Dardanum, Abydum, Percotem, Lampsacum & Pæson, singulis diebus singulis. Cui à Pæso ad urbem Parion contendenti nuncius affertur, Cares cum Ionibus sentientes, à Persis defecisse: indéque converso itinere ex Hellesponto adversùs Cariam copias duxit. [*cap. 117.*] *Hymees* ad Propontidem conversus, cepit Cion Mysiæ. Quâ expugnata audiens *Dauriseum* relicto Hellesponto tendere adversùs Cariam, omissâ Propontide, in Hellespontum duxit exercitum. [*cap. 122.*] *Artaphernes* autem Sardium præfectus, & *Oranes* tertius dux, adversùs Ioniam confinémque Æolidem delecti imperatores, cepêre ex Ionià quidem Clazomenas, ex Æoliâ verò Cumam. [*c. 123.*] Quibus captis, Aristagoras Milesius cum suæ factionis hominibus de fugiendo deliberavit: Hecatæo historico consulente, mœnia in Lero insulâ ædificanda, atque illic quiescendum, deinde illinc Miletum esse remeandum. Sed Aristagoræ erat sententia Myrcinum, urbem inter Edones (ad Strymonem fluvium) ab Histiæo priùs conditam, esse abeundum. Mileti igitur procuratione Pythagoræ, viro inter populares probato, demandatâ; ipse sumptis sectum omnibus voluntariis in Thraciam navigavit, regionémque obtinuit ad quam concesserat. [*cap. 124, 125, 126.*] 4215 499

Histiæus Mileti tyrannus, à Dario dimissus, Sardes venit: ubi ab Artapherne præfecto excitatæ Ionicæ rebellionis insimulatus, primâ statim nocte fugâ se ad mare protripuit, & in Chium transmisit. Ubi à Chiis, existimantibus illum à Dario ad res novandas fuisse missum, in vincula conjectus, & cognoscentibus deinde hostem fuisse Darii liberatus; literas Sardes per Hermippum Atarniteum de defectione procurandâ ad Persas misit. Sed negotio per nuncium Artaphernis patefacto, de Persis illis sumptum est supplicium. Histiæus itaque hac spe lapsus, exoratis Chiis, Miletum reductus est. Sed Milesii, libenter etiam Aristagorâ liberati, nullo pacto animum inducebant ad alium tyrannum illuc recipiendum, libertate jam gustatâ. Atque adeò Histiæus sub noctem conatus introire Miletum, à quodam Milesio in femore vulneratus est. Unde, rejectus à patriâ, rursùs se recepit in Chium. [*Id. lib. 6. initio.*]

3506 Dauriseæ Persâ adversùs Cares exercitum ducente, convenerunt illi ad columnas quæ *Alba* dicuntur, juxta amnem Marsyam. Ubi Pixodarus Mausoli filius, vir Cindyensis, qui Syennesis Cilicum regis filiam in matrimonio habebat, illis consuluit, ut transmisso Mæandro flumen à tergo habentes, ita demùm cum hoste congrederentur. Sed vicit altera sententia, quæ suasit, ut Persis potiùs à tergo Mæander esset; ut si Persæ fugerent, tamen in flumen incidentes, abire non possent. Ad amnem igitur Marsyam Cares prælium conseruêre cum Persis acre & diuturnum: in quo Persarum duo, Carum decem cecidêrunt millia. Caribus verò ad Labranda in Jovis militaris templum fugâ se recipientibus, & utrum cedere Persis deberent an Asiam penitùs relinquerent consultantibus, subsidio venêre Milesii cum sociis. Unde animati, cum invadentibus Persis concurrerunt: & quum diutiùs quàm priùs dimicatum esset, fugati sunt; multis cæsis, Milesiorum præcipuè. Post acceptam calamitatem hanc Cares copiis reparatis denuò pugnaverunt. Audientes enim urbes suas invasum iri à Persis, insidias illis in via quæ in Mylasa fert collocaverunt; authore Heraclide Ibanolio, viro Mylassensi. In eas insidias Persæ nocte incidentes, obtruncati sunt cum ducibus suis Dauriseæ & Amorge & Sisamace, nec non Myrsæ Gygis filio. [*Herodot. lib. 5. à cap. 118. ad 122.*] 4216 498

Hymees Persa, in Hellespontum ducto exercitu, cepit Æoles omnes qui oram Iliadem incolunt, & Gergithas qui ex priscis Teucris remanserant. Et quum has gentes cepisset, morbo decessit Troade. [*Ibid. cap. 122.*]

Histiæus Milesius, quum Chios ad tradendas sibi naves inducere non posset, trajecit Mitylenen: ubi Lesbii, ab eo persuasi, octo triremes armârunt; quibus cum illo Byzantium navigârunt. Ibique subsidentes, Ionum onerarias naves, quæ è Ponto cursum tenebant, intercipiebant; præterquàm eorum qui se Histiæo paratos obsequi dicebant. [*Id. lib. 6. cap. 5. & 26.*]

Aristagorâ Milesio Myrcinum Edonum urbem obsidente, tam ipse quàm ejus exercitus à Thracibus, tametsi illinc acceptâ fide excedere volentibus, interemptus est: ut in ipso fine libri 5i tradit *Herodotus*. *Thucydides* verò libro quarto hinc annos 61 numerat; ad Athenienſum coloniam cum Agnone Niciæ filio Amphipolim deductam: quam anno quarto Olympiadis LXXXV. factam, in 12°. Bibliothecæ suæ libro docet Diodorus Siculus. Ad quam temporis normam sexennii defectionis Ionicæ historia (in anno sequente terminata) à nobis hîc digesta est.

3507 Adversùs Miletum ingens hostium exercitus terrâ marique imminebat. Duces enim Persarum coactis in unum copiis cuncti in eam contendebant; minoris cætera oppida facientes. Inter classiarios promptissimi erant Phœnices: cum quibus militabant & Cyptii recèns subacti, & Cilices, & Ægyptii. [*Herodot. lib. 6. cap. 6.*] Hujus impendentis discriminis mentio videtur facta in literis quæ tribuuntur Anaximeni Milesio (apud Diog. Laërtium in ejus Vitâ) ad Pythagoram, *Crotona* tunc agentem; ubi is, *cum annos* XX. *egisset*, *Metapontum migravit*, *ibique decessit*: ut ex Trogo, in lib. 20. cap. 4. refert Justinus. Olympiadis videlicet LXX. anno 4° (ut in *Eusebii* legitur Chronico) qui partem hujus, partem sequentis anni, occupat. 4217 497

Ionum classis 353 navium fuit, Barbarorum 600. Æaces filius Syloſontis Sami tyrannus, aliique similiter Ioniæ tyranni, qui ab Aristagorâ Milesio exuti principatu ad Medos perfugerant, suos quique populares à reliquis sociis abducere conati sunt. Navali pugnâ ad Ladam (quæ parva est insula urbi Milesiorum obtrecens) inter Phœnices & Iones inita, ex 60. Samiorum

navi-

navibus, 50 ex acie excedentes domum redierunt: quod idem & 70. Lesbiorum naves, & Ionum pleræque aliæ fecerunt. Chii 100 navibus instructi, fortiter dimicaverunt; donec compluribus captis hostium navibus, pluribus suarum amissis, cum cæteris in terram suam perfugerunt. Quidam verò eorum insequente hoste ad Mycalem fugientes, impactis terræ navibus, pedestri itinere noctu Ephesum pervenerunt, quum illic à mulieribus Thesmophoria agerentur. Unde accurrentes Ephesii Chios, fures fuisse suspicati, ex improviso occiderunt. Trium verò Phocensium navium dux Dionysius, captis tribus hostium navibus, abiit non in agrum Phocensem (probè sciens eum cum cæterâ Ioniâ direptum iri) sed ut erat, rectâ contendit in Phœnicem: ubi navibus onerariis spoliatis raptáque ingenti pecuniâ, in Siciliam navigavit. [*Herodot. lib. 6. à cap. 7. ad 17.*]

Persæ, victis pugnâ navali Ionibus, Miletum à terrâ atque mari obsederunt: suffossisque muris, & omni tormentorum genere admoto, funditùs everterunt; *sexto* quàm rebellaverat Aristagoras anno. [*Id. ibid. cap.* 18.] Milesiorum à cæde conservatorum quidam, unà cum Samiis, in Siciliam coloniam duxerunt: [*cap.* 22.] reliqui Susa perducti sunt; quos rex Darius nullâ aliâ pœnâ afficiens, collocavit in urbe Ampâ ad mare quod rubrum vocatur sitâ, ubi fluvius Tigris eam præterfluens exit in mare. Agrum Milesium urbi circumjectum atque planitiem ipsi Persæ obtinuere, montana Caribus Pedaiensibus possidenda dederunt. [*cap.* 20.]

Statim expugnatâ Mileto Persæ Cariam cepêre; civitatibus partim se ultrò dedentibus, partim vi adactis. [*Ibid. cap.* 25.]

Histiæus Milesius, auditâ urbis suæ clade, cum Lesbiis quos habebat, Chium navigavit; & Chios, superioris pugnæ navalis damno jam confectos, facilè subegit. Illinc cum multâ Ionum & Æolum copiâ adversùs Thasum contendit. Cui Thasum obsidenti quum esset nunciatum Phœnices à Mileto in reliquam Ioniam profectos esse, Thasum inexpugnatam relinquens, cum omnibus copiis in Lesbum transmisit. Inde verò, quòd ejus copiæ sibi metuerent, in provinciam Atarnis trajecit, tanquam frumentandi gratiâ tam illinc quàm ex agro Caico qui erat Mysorum. Erat tùm in illis locis Harpagus Persa, non parvi exercitûs dux: qui cum Histiæo egresso in terram pugnâ apud Malenam commissâ, & ipsum vivum cepit, & majorem exercitûs ejus partem delevit. Histiæum Sardes perductum Artaphernes in crucem sustulit; capite Susa ad regem Darium delato. Darius objurgatis qui id fecerant quòd hominem vivum in conspectum sum non adduxissent, illius caput sepeliri jussit tanquam viri de ipso ac de Persis bene meriti. [*Ibid. cap.* 26, 28, 29.]

3508 Persarum nauticæ copiæ, circa Miletum hybernantes, altero à profectione anno insulas continenti adjacentes ceperunt; Chium, Lesbum, Tenedum. [*Herodot. lib. 6. cap.* 31.] * In Lesbo etiam natus hoc tempore, est Hellanicus Mitylenæus historicus; utpotè 65 annos natus initio belli Peloponnesiaci; quemadmodum ex Pamphylâ refert (A. Gellius, lib. 15. cap. 23.)*. 4218 496

Post insulas, etiam urbes Ioniæ in continente Persarum duces ceperunt: iisque potiti, formosissimos quosque puerorum eunuchos factos, virginesque formâ præstantissimas ad Darium transmiserunt; urbes, cum ipsis templis incendentes. Atque ita tertiò Iones sunt in servitutem redacti; primùm à Lydis, bis deinceps à Persis. [*Ibid. cap.* 31, 32.]

Byzantii, & qui in oppositio illis litore sunt Chalcedonenses, ante adventum Phœniciæ classis, relictis suis urbibus, in interiora Euxini ponti recesserunt: ubi urbem Mesambriam condiderunt. [*Ibid. cap.* 33.]

3509 Profectus ab Ioniâ navalis Phœnicum exercitus, omnia quæ ad lævam sunt in Hellespontum navigantibus, subegit; nam quæ sunt ad dexteram, jam subacta erant à Persis per continentem. Chersonesi deinde urbes (præter Cardiam) Phœnices subegerunt: quarum usque ad id tempus tyrannus erat Miltiades Cimonis filius [*Ibid. cap.* 33, 34.] Miltiadem verò Cardiâ solventem, & cum quinque triremibus Athenas navigantem, Phœnices insecuti, navem eam ceperunt cui præerat filiorum ejus natu maximus Metiochus. Quem Darius ad se missum donavit domo, facultatibus, & uxore Persîde, ex quâ liberos suscepit. [*Ibid.* cap. 41.] 4219 495

Artaphernes Sardium præses, accitis hostium nunciis, adegit Ionas ad pactiones inter se faciendas, ut injurias mutuò persequi ex jure possent, atque à mutuis direptionibus abstinerent. [*Ibid. cap.* 42.]

Ad hoc adactis Ionibus, per parasangas (ita enim Persæ triginta stadia appellant) regiones Artaphernes divisit; regionatimque vectigal instituit quod Regi penderent, eâdem penè quâ priùs conditione institutum: inquit Herodotus, [*lib. 6. cap.* 42.] ad eam tributorum ordinationem respiciens, quam initio principatûs sui in toto Imperio Persico Darium constituisse scripserat, (*lib. 3. cap.* 89, 90.) ante subactas ab eo Insulas (*cap.* 96.) In cujus narratione, illud observare liceat: utcunque, ad commodiorem tributorum exactionem, 127 Imperii Persici provincias, in Estheræ historiâ commemoratas ad 20 Satrapias Darius reduxisse dicatur, utrobique tamen eosdem retineri totius Imperii terminos, *Indiam* & *Æthiopiam*: hanc à Cambyse, illam ab ipso Dario acquisitam; de cujus censu, Herodotus: *Indi, ut sunt multitudine multo numerosissimi inter omnes quos novimus mortales, ita tributum super cæteros omnes afferebant 360 talenta aureorum ramentorum. Vicesima portio* (sive Satrapia) *hæc est.* Cùm verò in regni principio Darium *Indiâ* nequaquàm fuisse potitum, vel ex iis quæ in libro quarto cap. 44. ipse narrat Herodotus, satis apparet: eodem potiùs tempore quo ab Artapherne in Ioniâ, in reliquis quoque provinciis ab aliis præfectis similiter tributorum descriptionem fuisse factam, multò videri posset esse credibilius.

Videndum itaque an non ad hoc tempus, quo Darius, ab Atheniensibus irritatus, vires suas omnes in debellandâ Græciâ experiri statuerat, referendum fuerit, quod in principio X. capitis Estheræ legitur: *Posteà imposuit rex Assuerus tributum terræ, & insulis mari*; vel, ut in editione

vulgatâ Latinâ habetur: *Rex vero Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias.* Ut enim Darium *Insulas* (in Ægæo mari positas) Phœnicum classe subegisse, in primo Historiæ libro Thucydides, atque *Insulis* dominarum esse, in Menexeno suo confirmat Plato: ita à filio ejus Xerxe, (cui Insulas, quæ intra Cyaneas sunt & Triopium Cnidiæ Suniúmque Atticæ terræ promontorium, triremes subministrasse, in undecimo Bibliothecæ suæ libro testatur Diodorus Siculus) statim post bellum Græcanicum, & ante annum regni 12, (post quem tributum hoc *insulis* ab Assuero impositum Scriptura significat) amissas fuisse constat; neque præter Clazomenas (quam eo tempore parvam insulam fuisse, in libro octavo nos docet Thucidides) & Cyprum, sub successorum illius potestate alias fuisse, ex Antalcidææ pacis formulâ (apud Xenophontem, libro quinto Hellenicôn) intelligimus. Quod magno sanè argumento fuerit, non alium esse habendum Assuerum quàm Darium hunc; quem ob tributi ordinationem, & huic alia consimilia, κάπηλον, id est, cauponem, vel institorem, à Persis dictum fuisse notat Herodotus: quum sub Cyro & Cambyse nihil dum fuisset circa tributa institutum, sed munera tantùm afferri solerent. [*Herodot. lib. 3. cap.* 89.] de quo & in epitome libri 15. Strabonis legimus. *Primus Darius Longimanus* (Artaxerxis cognomento avo Dario per errorem dato) *tributa ferre statuit. Ante illum enim, ex iis quæ regio unaquæque ferebat, solvebatur: veluti frumentum, equi, &c.* & in Polyæni Stratagem. lib. 7. *Darius primus tributa gentibus imposuit. Verùm ne molestè ferrent, non ipse exegit, sed Satrapas constituere jussit. Quibus ingentia tributa describentibus, ipse dimidiam partem subditis remisit. Qui libentibus animis dimidium pependerunt; quasi magno jam beneficio à Rege affecti.* Quam historiam attingit etiam Plutarchus in Apophthegmatib. Regum & Imperatorum.

3510 Ineunte vere, aliis ducibus à Rege abdicatis, Mardonius Gobriæ filius adhuc adolescens, recèns in matrimonium acceptâ Darii filiâ Artozostrâ, ad mare descendit, permagnas ducens peditum & classiariorum copias. Quo cum exercitu postquàm pervenit in Ciliciam, aliis ducibus pedestres copias in Hellespontum ducentibus, ipse classe in Ioniam pervenit: & Ionum tyrannis abrogato imperio, statum popularem in civitatibus constituit. Classe deinde Thasios, peditatu Macedones subegit. Classis è Thaso Acanthum usque procedens, indéque solvens, dum montem Athon circumvertit, tempestate jactata, ad trecentas naves & hominum supra viginti millia amisit. Mardonium autem cum pedestribus copiis in Macedoniâ stativa habentem Thraces Brygi sub noctem invaserunt, & cùm alios multos ex eis occiderunt, tùm ipsum Mardonium vulnerârunt. Qui, hisce demùm subactis, reduxit exercitum & in Asiam rediit. [*Herodot. lib. 6. cap.* 43, 44, 45.] — 4210 — 494

3511 Insequenti anno Darius Thasios, à vicinis insimulatos tanquàm defectionem molientes, muros suos diruere & naves omnes in Abdera transportare coëgit. Deinde quid in animo Græci haberent, pugnaréne secum an sese dedere tentandum ratus, legatos per Græciam misit, Regi terram & aquam petere jussos: tributariis sibi maritimis civitatibus interim imperans, ut naves longas, & hippagogas quibus equi ferrentur, præpararent. Terram & aquam multi tum in continente tum in insulis Persæ dediderunt: & inter primos Æginetæ. [*Ibid. cap.* 46, 48, 49.] — 4211 — 493

3512 Æginetæ, ut Græciæ proditores, à Cleomene Lacedæmoniorum rege bello petuntur. Ortâ inter eum & collegam Demaratum contentione, Demaratus regno exutus, in Asiam ad Darium profugit: à quo magnificè exceptus, territorióque ac urbibus donatus est. [*Ibid. cap.* 49, 50, 61, 67, 70.] — 4212 — 492

3513 Anno Darii 31° Nabonasari 257°, mensis Tybi die 3° (nostri Aprilis 25°) dimidiâ ante mediam noctem horâ, Lunare deliquium Babylone est observatum. [*Ptolem. magn. Synax. lib. 4. cap.* 9.] — 4213 — 491

Darius Mardonium, qui malè rem navalem gesserat, præfecturâ amovit, aliósque designatos duces adversùs Eretriam & Athenas misit; Darin genere Medum, & Artaphernem (Artabazum Equitum Aristophanis Scholiastes eum nominat) Artaphernis fratris sui filium. His in maritimâ Ciliciæ planitie castra ponentibus, advenerunt nauticæ copiæ omnes, cum hippagogis navibus quas tributarii præparaverant: in quas introductis equis atque terrestri peditatu, sexcentis cum triremibus in Ioniam contenderunt. [*Herodot. lib. 6. cap.* 94, 95.] Plato in Menexeno trecentas tantùm naves, hominum quingenta millia memorat: quem militum numerum etiam Lysias retinet in Corinthiacorum auxiliariorum Epitaphio. Æmilius Probus in Miltiade, classem quingentarum navium, peditum ducenta millia, equitum decem fuisse scribit.

3514 *c.* Persæ, ex Samo solventes, ad Naxum appulerunt; urbémque & delubra incenderunt. Delo verò parcentes, ad alias insulas inde profecti, sumebant illic tum copias tum liberos insulanorum obsides. Quod cùm facere renuerent Carystii; tamdiu obsessi sunt, donec in deditionem Persarum venerunt. [*Herodot. lib. 6. cap.* 95, 96, 99.] — 4214 — 490

d. Persæ Eretriâ septimo obsidionis die potiti, & aliquot illic dies morati, in Atticam navigaverunt, ejúsque magnam partem vastaverunt; ab Hippiâ Pisistrati filio demùm deducti in campos Marathonios: ubi ab Athenensibus & Plataensibus, Miltiadis (qui in Thraciâ Chersoneso dominatum obtinuerat) auspiciis profligati sunt; ex eorum parte 192 tantùm, ex Persarum verò circiter 6400 occumbentibus. [*Herodot. lib. 6. cap.* 107, 102, 112, 117.] Victi Persæ in naves confugerunt: ex quibus multæ suppressæ, multæ captæ sunt. Ducenta millia Persæ eo prælio, sive naufragio amisêre. Cecidit & Hippias, tyrannus Athenensis, auctor & concitor ejus belli. [*Justinus ex Trogo lib. 2. cap.* 9.] Universum verò Persarum exercitum trecentorum millium fuisse, Valerius Maximus lib. 5. cap. 3. & sub initium Parallelorum suorum Plutarchus significat; sexcentorum millium Justinus & eum secutus Orosius; peditum centum, equitum decem millium, Æmilius Probus in Miltiade. Athenensium decem fuisse millia, & Plataensium auxiliarium mille, ait Justinus, cum Orosio: mille Plataensium adventu, decem totius exercitus millia completa

fuisse

fuisse, Probus affirmat. Parta autem est celeberrima hac victoria, Boëdromionis (tertii a solstitio æstivo mensis Attici) die sexto, ut in Camillo refert Plutarchus; Phanippo Athenis archonte, ut in Aristide habet idem: LXXII. videlicet Olympiadis anno tertio, quadriennio ante mortem Darii, ut in libro secundo sacræ Historiæ Severus Sulpicius indicat; anno ante Xerxis in Græciam transitum 10°, ut in 1° Historiæ suæ habet Thucydides, & in Corinthiacorum auxiliariorum Epitaphio Lysias: & ante pugnam Salaminiam, eodem mense Boëdromione factam, 10 annis completis, ut apud Platonem libro tertio de Legibus invenimus.

Datis & Artaphernes in Asiam redeuntes, captivos Eretrienses Susa perduxerunt. [*Herodot. lib. 6. cap.* 119.] quanquàm à Ctesiâ sit proditum, in prælio Marathonio Datim occubuisse, ejúsque cadaver petentibus Persis denegatum fuisse.

3515 Darius Eretrienses in conspectum suum adductos in Cissiæ regionis stathmo collocavit, cui nomen est Anderica; 210 stadiis procul à Susis. [*Herodot. lib. 6. cap.* 119.] De quibus videndus Philostratus, in vitâ Apollonii lib. 1. cap. 17. — 4215 — 489

3517 *d.* Cùm per triennium majorem contra Græcos apparatum Darius in Asiâ instruxisset; quarto anno Ægyptii à Persis defecerunt. [*Herodot. lib. 7. cap.* 1.] — 4217 — 487

3519 Darium expeditionem in Ægyptios & Athenienses susceptorum, ex instituto Persarum, priùs regni successorem declarare oportebat. Artobazanes (Artemenes vel Ariamenes aliis dictus) quem ex Gobriæ filiâ ante principatum Darius susceperat, primogenituræ jure sibi deferri regnum asserebat. Sed Xerxes, à patre regnum jam obtinente, ex Atossâ filiâ Cyri (Persici imperii conditoris) genitus, Rex declaratus est. [*Herodot.* lib. 7. *cap.* 2, 3.] De quâ amicâ fratrum concertatione videndus Justinus, ex Trogo (*lib.* 2. *cap.* 10.) & Plutarchus in Artaxerxe, & Apophthegmatib. & lib. περὶ φιλαδελφίας. — 4219 — 485

c. Darius, declarato Xerxe rege, quum conaretur rebus apparatis exire in expeditionem, (jam jam scilicèt in Græciam transiturus, ut sub initium libri 11ⁱ Bibliothecæ suæ refert *Diodorus Siculus*) proximo à defectione Ægyptiorum anno (ad finem tendente) supremum diem obiit, 36. annis regni expletis. [*Herodot. lib.* 7. *cap.* 4.]

Ei successit Xerxes, post Cyrum quartus rex Persidis: qui, maximis suis divitiis confisus, subditos sociósque omnes concitavit adversùs regnum Græciæ; secundùm prophetiam, Danielis XI. 2. Quanquàm non suâ voluntate, sed Mardonii consobrini sui, (Gobriæ & Dariî sororis filii) Aleuadarum Thessaliæ regum, Pisistratidarum & Onomacriti Athenientis sortilegi suasionibus, initio ad hoc bellum inductus est. [*Herodot. lib.* 7. *cap.* 5, 6.]

3520 Xerxes, secundo post mortem Darii anno (ineunte) adversùs rebelles Ægyptios expeditionem fecit: quos subactos, & in arctiorem quàm sub Dario fuerant servitutem redactos, Achæmeni fratri suo, Darii filio, gubernandos tradidit. [*Herodot. lib.* 7. *cap.* 7.] — 4230 — 484

Halicarnassi in Cariâ Herodotus historicus, Lyxi & Dryonis filius, in lucem est editus. Initio enim belli Peloponnesiaci, annos 53 natum illum fuisse, ex Pamphilâ confirmat A. Gellius, lib. 15. cap. 23. Eo verò tempore, Artemisia Lygdamis Halicarnassei filia, defuncto viro, pupilli filii (quem Pisindelim dictum fuisse, ex Suidâ colligitur in Ἡρόδοτος) tyrannidem obtinens, Halicarnassèis, Cois, Nisyriis & Calydniis imperabat: quæ cum quinque navibus Xerxem paulò pòst in Græciam est secuta. [*Herodot. lib.* 7. *cap.* 99.]

3523 Xerxes, cùm triennii spatio per omnes ubique oras imperio suo subditas, Ægyptum, Phœniciam, Cyprum, Ciliciam, Pamphyliam, Pisidiam, Lycyam, Cariam, Mysiam, Troadem, Hellespontum, Bithyniámque & Ponticum, naves longas supra 1200 comparasset; dato mandato, ut ad Cumam & Phocæam ex cogerentur, ipse, ex omnibus undique provinciis peditatu & equitatu contracto, è Susis tandem movit; sub initium videlicèt anni quarti Olympiadis LXXIV, licèt Diodorus Siculus in libri XI. initio, duorum annorum res gestas in unum compingens, sub sequentis Olympiadis anno primo ista referat. Herodotus, libri VII. cap. 21 apparatum hunc superiori triennio factum esse confirmat: sed in præcedente capite præmissa notatione alii, quæ cum exactà temporis ratione non potest consistere. Ἀπὸ γὰρ Κυρίου ἁλώσιος, ἐπὶ μὲν τριάκοντα ἔτεα πλήρεα παρῆγετο στρατιὴ τοῦ τὰ πρόσφορα τῷ στρατῷ πέμψων ὁ ἐπὶ ἀνομβρίῃ, vel ut rectiùs (cum Vallâ interprete) legendum, ἀφικομένου ἐστρατεύετο χρόνοι μεγάλῃ πλήθεϊ. *Si quidem à debellatâ Ægypto per totum quadriennium Xerxes comparaverat exercitum, atque ejus apparatum; quinto autem anno ineunte, movit cum ingenti copiarum manu.* Reverà enim, ineunte quinto non debellatæ Ægypti sed Imperii sui anno, Susis exercitum ille cœpit ducere: ut minùs accuratè Trogi epitomator Justinus (*lib.* 2. *cap.* 10.) cúmque secutus Orosius (*lib.* 2. *cap.* 9.) *quinquennium*, imprudentissimè verò Julianus (oratione priori de laudibus Constantii) non minùs quam *decennium*, in belli Græcanici apparatum insumptisse Xerxem dixerit. Multò quidem verecundiùs, sed non exquisitè tamen, junctis Darii & Xerxis operis *decennale* hoc spatium in Βασιλικῷ tribuit Libanius: cùm à pugnâ Marathoniâ ad Salaminiam (quæ primo Olympiadis LXXV, anno ferè in tegro post Xerxis discessum è Susis pugnata est) 10 tantùm decurrisse, ex Platone suprà docuerimus. — 4233 — 481

Critalis in Cappadociâ coactæ sunt omnes terrestres Xerxis copiæ. Cum quibus ille inde profectus, transmisso Haly flumine, Celænas Phrygiæ urbem pervenit; ubi Pythius Lydus (qui Plinio, lib. 33. cap. 10. *Bathyrus* est) Atys filius eum totúmque ejus exercitum magnificentissimo excepit hospitio. Hinc, Anava Phrygiam urbem prætergressus, & stagnum ex quo conficitur sal, Colossis Phrygiæ oppidum pervenit, ubi Lycus amnis hiatum terræ subiens occultatur: indéque ad oppidum Cydra, quod est in Phrygum ac Lydorum confinio. Dein Mæandrum fluvium transiens, urbémque Callatebum præteriens, Sardes demùm ingressus est; unde præcones in Græciam dimisit, qui terram & aquam (in signum deditionis) exposcerent. [*Herodot. lib.* 7. *à cap.* 26. *ad* 32.]

Ad Eleuntem Chersonesi classis habebat stationem: unde omnes copiæ sub verberibus ad per-

fodiendum iſthmum montis Athos, qui 12 ſtadiorum erat, adigebantur, adjuvantibus etiam in effodiendo accolis: præpoſitis operi, Bubare Megabyzi, & Artachæo Artæi filio, viris Perſis. Quorum operâ intercilis eſt iſthmus, ad mare recipiendum in foſſam tantæ latitudinis ut duæ triremes pariter illàc agitari poſſent. [*Id. ibid. cap.* 22, 23, 24.] Alia verò exercitûs pars in jungendo pontibus Helleſponto occupata eſt. Eſt autem ex Abydo ad ulteriorem continentem ſeptem ſtadiorum trajectus: quem pontibus junctum ingens adorta tempeſtas ea omnia dirupit atque diſſolvit. Quod indignè ferens Xerxes, trecenta Helleſponto verbera inſligi, & in ejus pelagus par compedum demitti, atque eis qui præpoſiti operi erant capita præcidi juſſit. Deinde ab aliis architectis firmiores pontes perfici curavit. [*Ibid. à cap.* 33. *ad* 36.]

3524 *b.* Primo vere, Xerxes Sardibus, ubi hibernaverat, inſtructo cum exercitu profectus eſt Abydum versùs. Cui moventi Sol in cœlo apparere deſiit, quum nullæ nubes, verùm ſereniſſimus aër eſſet, & pro die nox extitit. Quo ſtupendo portento (naturale enim Solis deliquium hoc tempore Tabulæ Aſtronomicæ nullum nobis exhibent) Pythius Lydus perterritus, rogavit Regem, ut ex quinque ſuis liberis copiis ipſius adſcriptis unum ſibi natu maximum ſolatium ſenectutis relinqueret. Is verò indignatus, illum ipſum medium diſcindi juſſit, mediáſque inter partes traduci exercitum. [*Ibid. cap.* 37, 38, 39.] 4334 480

Hermotimus, qui ex Pedaſenſibus ſuper Halicarnaſſum genus ducebat, & apud Xerxem ex omnibus eunuchis plurimùm poterat, in Artaneum Myſiæ agrum veniens, Panionium Chium mangonem, qui ipſum execuerat, cum uxore & liberis ad ſe accerſit: patreque ut quatuor filiorum, & filiis ut patris ſui genitalia abſcinderent adactis, mutilati corporis injuriam ultus eſt. [*Id. lib.* 8. *cap.* 105, 106.]

Xerxis exercitus è Lydia ad flumen Caïcum & regionem Myſiam pergens; inde ad terram Ilienſem pervenit: ubi ſub Idâ noctem agenti tonitrua & fulgura ingruerunt, & complures ex eo exercitu occiderunt. Deinde ad Scamandrum fluvium eſt ventum: quem aqua ſua deſtituit, nec hominibus jumentiſque potantibus ſuffecit. Eò Xerxes poſtquàm pervenit, Priami Pergamum aſcendit, loci viſendi cupidus: ubi Minervæ Iliadi mille boves immolavit, & libamine Magi heroibus parentaverunt. His actis terror per noctem exercitum invaſit: qui ſimul atque illuxit illinc movens, Abydon tandem pervenit. [*Id. lib.* 7. *cap.* 42, 43.]

Hic Xerxem inceſſit cupido omnem exercitum oculis ſubjiciendi; itaque in prætorio quodam, quod ei Abydeni priùs ab eo juſti è candido lapide in tumulo pro dignitate extruxerant, reſidens proſpiciebat litus, & illic terreſtres copias atque claſſem. Quam dum intuetur, ſubiit eum cupiditas ſpectandi navale certamen. Id poſtquàm eſt commiſſum, in quo Sidonii vicere, voluptatem Xerxes cepit, cùm certaminis tum copiarum ſpectaculo. Et quum intueretur omnem Helleſpontum navibus obductum, omnia litora atque Abydenorum plana hominibus referta; humanæ vitæ brevitatem reputans, quòd ex tantâ multitudine ad centeſimum annum nullus eſſet ſuperſiturus, lacrymas profudit. [*Id. cap.* 44, 45. *cum Valer. Maxim. lib.* 9. *cap.* 13.]

Xerxes, Artabano patruo ſuo ad tutandam domum & regnum Suſa prorege dimiſſo, ad tranſitum in Europam ſe paravit. Ubi exortus igitur ſol eſt, ex aureâ phialâ libans in mare, apud Solem vota concepit, ne quid ſibi adverſi contingeret, quo priùs deſiſteret Europam ſubigere quàm ad illius terminos perveniſſet. Hæc precatus phialam in Helleſpontum abjecit, aureumque crateram, & Perſicum acinacem. His actis, per alterum pontium, qui vergebat in Pontum, peditatus omnis equitatúſque tranſivit: per alterum, qui vergebat in Ægeum, jumenta atque ſervitia: continuo ſeptem dierum totidemque noctium ſpatio in tranſitu conſumpto. Claſſis deinde extra Helleſpontum occidentem versùs ad promontorium Sarpedonis navigavit. Terreſtres copiæ per Cherſoneſum Agoram profectæ, ad ſinum Melana deflexerunt: ubi fluvius illis cui idem eſt nomen non ſuffecit, ſed alveum ſuum deſeruit. Hoc fluvio tranſmiſſo, occidentem versùs iter facientes, ad Doriſcum Thraciæ litus pariter & campum ingentem, quem grande flumen Hebrus interfluit, caſtra poſuerunt. [*Ibid. à fin. cap.* 52. *ad init.* 59.]

c. In hoc litus appulsâ claſſe ac ſubductâ, terreſtrem primùm, deinde nauticum Xerxes luſtravit exercitum. In priore, peditum Herodotus 170 myriades, ſive 1700000 [*cap.* 60.] equitum, præter camelos & currus, 8 myriades, ſive 80000 [*cap.* 87.] fuiſſe refert: inter pedeſtrium copiarum duces, duos etiam Darii filios ex *Artyſtonâ* (quam nos *Eſtheram* fuiſſe opinati ſumus) ſuſceptos commemorans; *Arſamem* Arabum & Æthiopum qui trans Ægyptum incolunt, [*cap.* 69.] & *Gobryam* Maryandenorum & Ligyum & Syrorum ductorem. [*cap.* 72.] Diodorus Siculus pedeſtris exercitus ſupra 80 myriades, ſive 800000 recenſet: numeri ab Herodoto poſiti ne dimidiam quidem partem exprimens. Eum verò numerum quem pedeſtribus copiis Diodorus, univerſo Perſico exercitui aſſignat Cteſias: 80 videlicèt myriadum, præter currus. Iſocrates in Panathenaico, in pedeſtri exercitu 70 militum myriadas, ſive 700000 fuiſſe ait: quem totius ſimiliter exercitûs numerum fuiſſe, in Var. Hiſtor. lib. 13. cap. 3. affirmat *Ælianus*. Plinius 788000 numerat, libro 33. cap. 10. ubi tamen pro Xerxis, *Darii* nominatus reperitur exercitus. *Trogi* abbreviator *Juſtinus*, & eum ſecutus *Oroſius*, (*lib.* 2. *cap.* 10.) Xerxem ſeptingenta millia de regno armaviſſe, & trecenta millia de auxiliis. Æmilius Probus (in *Themiſtocle.*) terreſtres ejus exercitus ſeptingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuiſſe ſcribit.

Triremes inito numero 1207 fuerunt: quarum 300 Phœnices præbuerunt, cum Syris qui Paläſtinam incolunt: ut ait Herodotus, [*lib.* 7. *cap.* 89. *Paläſtina* nomine, maritimum Syriæ tractum, & quicquid Ægypto tenus eſt, ſe intelligere ſubjiciens; quam & *Syriam Paläſtinam* vocatam eſſe alibi dicit: *lib.* 3. *cap.* 91.] & incolas habere circumciſos. [*lib.* 2. *cap.* 104.] Inter reliquas enim gentes Perſico Imperio ſubditas, erant & Judæi: quos cum Xerxe contra Græcos militaviſſe, etiam ex illis Chœrili poëtæ confirmare conatur Joſephus, lib. 1. contra Apion.

Tp

Τὴν δ' ὀπίσω διδάσκει ἦμος Σαυμαχὸν Ἰθιέζ,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφέντες.
Οὖλον τ' ὀν Σολύμοις ἦσαν πλατὺν * παρὰ λίμνῃ, * ὀνὺ.
Λυχμαλέοι κορυφὰς προχαιτεάλλοντ' ἀυτὰρ ὑπερθεν
Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἰφθίμων ἰσχναίνετα κεφαλῆσιν.
Hujus mirandâ ſpecie gens caſtra ſecuta,
Phœniſſam ſonoro linguam mittebat ab ore.
Sedes huic Solymi montes, ſtagnum prope vaſtum.
Tonſa caput circum, ſqualenti vertice, equini
Exuvias capitis duratas igne gerebat.

quæ de Judæis intelligenda, ſentit etiam clariſſimus Salmaſius, (*in linguâ Helleniſticâ Oſſilegio:*) licèt Scaliger, (*in Notis ſuis ad fragmenta*) Cunæus, (*libro 2. de Republ. Hebræor. cap.* 18.) & eruditiſſimus Bochartus, [*in Geographiâ ſuâ ſacrâ parte* 2. *lib.* 1. *cap.* 6.] de Piſidiæ Solymis accipienda eſſe contendant.

Præter triremes verò iſtàs 1207. lembos 30 aut 50 remorum, & actuaria navigia, & alia minuta, atque hippagogas equis vehendis accommodatas, ad trium millium numerum perveniſſe, addit Herodotus. [*lib.* 7. *cap.* 97.] Diodorus Siculus, triremes plures quàm 1200. fuiſſe ait, hippagogas 850, & onerarias triginta remis inſtructas 3000. Apud Æſchylum in Perſis, navium numerum Nuncius ita enarrat:

Κἀξῆν δὴ (καὶ γὰρ εἶδον) χιλιὰς μὲν ἦεν
Ἀνὴρ ἥγε πλῆθος· αἱ δ' ὑπέρκομποι τάχει
Ἑκατὸν δὶς ἦσαν, ἄλλα θ' ὧδ' ἔχει λόγος.
Xerxi, ſcio, naves erant certè quidem mille.
Verùm ducenta & ſeptem erant celeres
Supra modum: ſic obtinet rumor volans.

* Ἦσαν τὸ πλ. apud Plutarch. in Themiſtocl.

ſive naves univerſas mille tantùm fuiſſe voluerit; ex quibus 207, ut celeritate præſtantes, præcipuè celebrarentur: ſive, utroque numero conjuncto, 1207. omninò fuiſſe; quod & cum ſingulari navium ab unaquâque gente ſuppeditatarum enumeratione ab Herodoto factâ, & cum generali ſummâ ab eodem propoſitâ, exactè convenit. Ad priorem ſententiam accedit Cteſias & in primâ Verrinâ Cicero: ad poſteriorem Iſocrates in Panegyrico & Panathenaico, & Lyſias in Epitaphio, numero rotundo, 1200. naves fuiſſe referentes. Oroſius præter *roſtratas naves* 1200, *onerarias* etiam 3000. fuiſſe narrat. Nam navium *decies centum millium* numerum, qui in libris Juſtini legitur, vitioſum eſſe, non eſt quod quiſquam dubitet.

In navibus 1207. ex Aſiâ profectis, viros fuiſſe 241400. conjecturam facit Herodotus, 200. viros ſingulis navibus aſſignans: præter 30. in unaquâque Perſarum Medorúmque ac Sacarum epibatas; qui 36210. numerum efficiunt. Reliquis verò illis 3000. navigiis viros aſcribit 240000: ſingulis 80. ſic attribuens, ut in quibus plures erant compenſarent ea in quibus erant pauciores. Ità claſſis univerſa hominibus conſtaret 517610. Quibus addito terreſtrium copiarum numero, peditum 1700000, equitum 80000, Arabúmque qui camelos & Libyum qui currus agitabant quaſi 20000, univerſus nauticus ſimul & terreſtris ex Aſiâ contractus exercitus numerum efficeret 2317610, præter ſervitia quæ ſequebantur, & eos qui in frumentariis vehebantur. [*Herodot. lib.* 7. *cap.* 184.]

Xerxes è Doriſco in Græciam tendens, ut quoſque populos adibat, ſecum militare cogebat. [*Id. ibid. c.* 108.] Unde ad claſſem illius navium 120. facta eſt acceſſio: in quibus virorum [ſingulis 200, ut ſuperiùs, tribuendo] 24000. numerus fuiſſe exiſtimatur. Terreſtris exercitûs incrementum triginta myriadum, ſive 300000, fuiſſe opinatur Herodotus [licèt Diodorus Siculus paulò minùs 20. myriadibus fuiſſe dicat:] indéque Europæarum ſimul & Aſiaticarum Xerxis copiarum ſummam ad 2641610. militum numerum perveniſſe. Quo etiam non minorem ſed majorem fuiſſe exiſtimat famulitii numerum, eorúmque qui frumentariis in navigiis erant, & qui in aliis navibus unà cum militibus vehebantur: ut ſi vel duplicaretur prior illa ſumma, fieret numerus eorum, quos per mare ad Sepiadem & per terram ad Thermopylas Xerxes duxit, 5283220. Nam mulierum pinſentium & concubinarum & eunuchorum numerum nemo pro comperto queat dicere: ac ne impedimentorum quidem, aliorúmque jumentorum ſarcinariorum, neque canum Indicorum exercitum comitantium, præ multitudine quiſquam inire numerum poſſit. Ut mirum non videatur, quorundam amnium fluenta tot hominum myriades defeciſſe. [*Id. ibid. cap.* 185, 186, 187.] juxta Juvenalis illud, Satyr. 10:

——— *Credimus altos*
Defeciſſe amnes, epotâque flumina Medo
Prandente. ———

neque etiam mirum, Iſocratem in Panathenaico & Plutarchum in Parallelis, 5000600, Xerxem in Græciam ſecutos tradidiſſe.

Neque verò in tanto numero ullus erat, qui aut ſpecie aut magnitudine corporis cum ipſo Xerxe poſſet contendere, tanquam dignior qui illud imperium obtineret: ſi Herodoto credimus. [*l.* 7. *c.* 187.] ut quemadmodum Saul in populo Iſraëlitico, [I. *Sam.* X. 23, 24.] ita & hic ὦδε ἄξιον εὐφανέσθαι habuiſſe viſus fuerit. Et tamen *ſi regem ſpectes*, (inquit ex Trogo Juſtinus) *divitias*, [*Daniel.* XI. 2. prædictas] *non ducem laudes: quarum tanta copia in regno ejus fuit, ut cum flumina multitudine conſumerentur, opes tamen regiæ ſupereſſent. Ipſe autem primus in fugâ, poſtremus in prælio viſus eſt: in periculis timidus, ſicubi metus abeſſet, inflatus.*

Leonides Lacedæmoniorum rex, cum quatuor Græcorum millibus, in anguſtis Theſſaliæ

fau-

3524 faucibus quæ ab aquis calidis Thermopylæ ſunt dictæ, 300. Xerxianorum myriadibus ſe oppoſuit: ut ex Epitaphio eorum liquet, quod ab Herodoto [*lib.* 7. *c.* 228.] memoriæ habetur traditum.

Μυριάσιν ποτὶ τῇδε τριακοσίαις ἐμάχοντο
Ἐκ Πελοπηϊάων χιλιάδες τέτορες.
Myriades quondam repulêre hîc Marte trecentas
Mille quater Pelopis de regione viri.

Myriades 300. efficiunt 3000000, quot universo Xerxis exercitui in 10°. Θρηνητικῶς Theodoretus attribuit. Apud Diodorum Siculum lib. 11. in hoc epigrammate, [*pag.* 26. *edit. Græcolat.*] pro τριακοσίαις, leguntur δισχιλίαις, id est, 2000000. quum idem tamen [*pag.* 5.] in toto exercitu paulò minùs 100. myriadibus sive 1000000. fuisse priùs dixerit; & de hac ipsâ pugnâ Thermopolytanâ speciatim agens, [*pag.* 9.] quingentos viros in centum myriadas impetum fecisse significaverit. Eandem tamen historiam ex Trogo narrans Justinus, [*lib.* 2. *cap.* 11.] *sexcentos viros castra quingentorum* [vel, ut apud Orosium legitur, *sexcentorum*] *millium irrupisse*: & Isocrates in Archidamo, illorum *mille* barbarorum *septingentis millibus* obviam iisse scripsit. Quos verò 1000. Isocrates (*in Archidamo & Panegyrico*,) 600. Justinus & Orosius, 500. Diodorus numerat, illi Græcorum sunt intelligendi quos, cæteris sociis dimissis, ad extremum conflictum secum retinuit: in quo & omnes simul cum eo fortiter occubuerunt; ex Spartanis quidem 300, ex Thespiensibus & Thebanis reliqui. [*Herodot. lib.* 7. *cap.* 222, 224.] Quorum vicem rependerunt viginti hostium millia hîc occisa. [*Id. lib.* 8. *cap.* 24.]

Per eosdem dies quibus terrestria ad Thermopylas, etiam navalia prælia ad Artemisium Euboææ promontorium sunt gesta. [*Id. ibid. cap.* 15.] Eurybiades Lacedæmonius communi Græcorum classi hic præfuit, ex navibus 271. [præter 9. quinquagenûm remorum navigia] constanti; quarum 127. ab Athenienſibus & Platæensibus suppeditatas refert Herodotus, [*ibid. cap.* 1.] quum ipsorum Athenienſium proprias 60. tantùm fuisse, dicat Isocrates (*in Panegyrico & Areopagitico.*) Communem tamen classem 300. navium, & earum 200. Athenienſium fuisse, narrat Æmilius Probus in *Themistocle.* Ancipiti marte utrinque decertatum fuisse, produnt Herodotus, Diodorus & Probus: licèt Persas clade hîc affectos, & Isocrates in Panegyrico & Ælianus in Variæ hist. lib. 2. cap. 25. retulerit. Tempus tamen, diei *sexti Targelionis* [secundi vernalis mensis Athenienſium] rei gestæ ab Æliano hîc assignatum, cum narratione Herodoti non satis convenit: qui *mediâ æstate* [à vere videlicèt inchoatâ] hæc acta fuisse docet; [*lib.* 8. *cap.* 12.] quo Olympiacus agon inter medios bellorum strepitus, à Græcis actus est. [*Ibid. cap.* 26.] Olympias nimirùm LXXV, quâ bellum Græciæ Xerxem intulisse, præter alios, etiam in libri 9^i^ Romanarum Antiquitatum initio testis est Dionysius Halicarnasseus.

d. Quatuor post trajectum Hellespontî mensibus, Xerxis exercitus in Atticam perveniens, Athenas desertas cepit, Calliade tùm archonte, [*Herodot. lib.* 8. *cap.* 51.] quo etiam magistratum illum gerente, Anaxagoram Clazomenium, Anaximenis Milesii auditorem, quum annos tantùm viginti natus fuisset, Athenis philosophari cœpisse, ex Demetrii Phalerei Archontum descriptione, refert in illius Vitâ Laërtius: ex Ioniâ, ut in libro 1°. Stromatum notat Clemens Alexandrinus, philosophiâ Athenas translatâ; eo videlicèt tempore, quo à Pisistrato & Athenienſibus congestam *librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, urbe ipsâ præter arcem incensâ, abstulisse, asportavisséque in Persas*; in lib. 6. Noct. Attic. c. 17. refert A. Gellius; cui *arcem* tamen ab incendio hîc excipienti non facilè assentiendum: quum totam illam *acropolim* incensam Herodotus, [*lib.* 8. *cap.* 53.] & Ctesias; atque quod in eâ fuerat *templum Minervæ* diruptum fuisse Diodorus confirmet. * Delo verò ob religionem parcunt Persæ. (*Cicero, lib.* 1. *in Verrem.*) *.

Quò magis penetrabat in Græciam Xerxes, eò plures eum nationes sequebantur: *Melienſes, Dorienſes, Locri, Beoti, Caryſtii, Andrii, Tenii, &c.* Quibus supplementis priores jacturæ ita resarcitæ fuisse existimantur: ut non minori numero vel pedestres copiæ vel nauticæ ad Salaminem & Athenas promotæ fuerint, quàm ad Sepiadem atque Thermopylas. [*Herodot. lib.* 8. *cap.* 66.] Quò spectant & superiùs citati versus illi Æschyli, in pugnâ Salaminiâ, naves 1000. vel 1207. Xerxi tribuentes: & quod refert Ctesias, Persas plusquàm mille naves in eâ habuisse, ut Plutarchi, in libello de gloriâ Athenienſium, locum taceam; de Salaminiâ Themistoclis victoriâ, mille navigiorum naufragiis constante. A Græcis verò multò plures ad Salaminem contractæ sunt naves, quàm ad Artemisium: triremes videlicèt 380. quarum 16. tantùm Lacedæmonii, 180. Athenienſes præbuerunt. [*Idem ibid. cap.* 42, 43, 44, 48, 82.] De Atticarum navium numero convenit Plutarchus, in *Themistocle:* ut locum ex Herodoti lib. 8. [*cap.* 61.] Diodori Siculi lib. 15. huc non advocem, de Athenienſibus in bello Xerxico 200. naves πενηκοντόρους possidentibus: Æschylus universum Græcarum navium numerum in pugnâ Salaminiâ 300. fuisse ait, cum 10. eximiæ notæ aliis: licèt 700. Ctesias illis tribuat. Ex horum navibus, inter dimicandum XL; Xerxianorum verò supra CC periisse, præter naves unà cum viris captas, scribit: quum Persicas naves 500. amissas affirmet Ctesias. [*Diodor. Sic. lib.* 11.] Artemisia autem regina Halicarnassi, quæ in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrimè ciebat: quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres. [*Justin. lib.* 2. *cap.* 12.] adeò quidem, ut & ipse Xerxes hac occasione dixisse feratur: Viros extitisse sibi feminas, feminas autem viros. [*Herod. lib.* 8. *cap.* 88.]

Ita, ductu quidem Eurybiadis Lacedæmonii sed Themistoclis Athenienſis consilio & prudentiâ, parta est ipsâ Marathoniâ non inferior victoria Salaminia. In cujus tempore

designan-

deſignando, admodùm inconſtans Plutarchus deprehenditur: quippe quam in Vitâ Lyſandri & in libello de gloriâ Athenienſium, ad *Munychionis* [primi menſis vernalis Attici] diem 16, in vitâ verò Camilli, ad *Boëdromionis* [tertii menſis æſtivi] diem 20, ille retulerit. Nempe in ſinu Saronico, quem Salaminiacum ab aliis dictum in libro 8. teſtatur Strabo, inter Æginam & Salaminem inſulam, Artaxerxe Memore apud Perſas regnante, inter 10. Lacedæmoniorum triremes quibus Gorgopas, & 13. Athenienſium quibus Eunomus præfuit, ad Zoſterem Atticæ iſthmi promontorium nocturnam pugnam factam fuiſſe legimus. Ναυμαχίας ἦν περὶ τὸν σκιλλοῦν ἡμιβόλιος, τέτταρας τριήρεις λαμβάνει ὁ Γοργοπᾶς καὶ ἀναδησάμενος ᾤχετο ἄγων εἰς Αἴγιναν· αἱ δὲ ἄλλαι νῆες αἱ τῶν Ἀθηναίων εἰς τὸν Πειραιᾶ κατέφυγον· *Commiſſo navali ad lunam prælio, quatuor triremes Gorgopas capit, iiſque religatis ad ſuas, in Æginam revertitur. Cæteræ naves Athenienſium fugâ ſe in Piræeum recepérunt:* ut in 5°. Græcar. Hiſtoriar. lib. refert Xenophon. Quum verò 16°. menſis illius Lunaris Attici die, quo ex improviſo claſſiculam Atticam adortus eſt Gorgopas, plenilunium factum fuerit; cujus beneficio ex imminente periculo, cum quatuor tantùm navium jacturâ, illa evaſerit: eum diem deinceps Lunæ, quam Artemidis ſive Dianæ nomine colebant, Athenienſes conſecraviſſe videntur; indéque Plutarchus, poſteriorem hanc naumachiam Salaminiam cum Xerxianâ confundens, in libro illo de gloriâ Athenienſium per errorem ita ſcripſiſſe. Τῷ δὲ ἑκτῷ ἐπὶ δέκα τοῦ Μουνιχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος. *Decimam ſextam Munychionis Dianæ conſecraverunt, quòd eâ die vincentibus ad Salamina Græcis Dea pleno orbe affulſit.* Circa 20. enim Boëdromionis diem Salaminiam victoriam à Xerxe fuiſſe reportatam, & ab ipſo Plutarcho, ἐν τῷ περὶ ἡμερῶν, in tractatu de Diebus, ab ipſo in *Camillo* citato] demonſtratum eſt: & ex Herodoti hiſtoriâ manifeſtè apparet. Eo enim tempore Eleuſinia Myſteria ab Athenienſibus celebrata fuiſſe, in libri 8. cap. 65. ille clarè indicat: quorum diem maximè ſolennem 20. Boëdromionis, quo myſtica *Iacchi* pompa educebatur, [ex eodem Plutarchi *Camillo*] fuiſſe conſtat. Unde, quum ab inſequendo fugientem hoſtem Athenienſes ſuos averſere vellet Themiſtocles, hac oratione ad eos uſum idem narrat Herodotus. [*lib. 8. cap. 109.*] *Nunc quidem in Græciâ manentes, & noſtri ipſorum & domeſticorum noſtrorum curam geramus; & uniuſquiſque domum ſuam reficiat, & ſementi ſedulò det operam, Barbaro prorſus ejecto: quum autem Ver appetet, in Helleſpontum & Ioniam navigemus.* [*Herodot. lib. 8. cap. 109.*] Quod ſanè argumento eſt, non in Veris principio, ſed in Æſtatis fine, Perſas ad Salaminem fuiſſe debellatos.

Poſt pugnam Xerxes Phœnicum, qui primi fugerant, maximè ſontes vitâ mulctat; cæteríque dignam meritis pœnam interminatur. Quarum minarum metu perterriti Phœnices, tum quidem in Atticam contendunt, ſed nocte poſterâ in Aſiam tranſmittunt. [*Diodor. Sicul. lib. 11. ad ann. 1. Olymp. 75.*] pluréſque naves, non minùs ſævitiam Regis quàm hoſtem timentes, domum dilabuntur. [*Juſtin. lib. 2. cap. 12.*]

Xerxes, clade Salaminiâ territus, filios ſuos cum cuſtode eorum Hermotimo Epheſum ducendos Artemiſiæ Halicarnaſſi reginæ committit. [*Herodot. lib. 8. cap. 103, 107.*]

Cleombrotus Lacedæmonius [Leonidæ, qui Thermopylis occubuit, frater] ut Perſis aditum in Peloponneſum intercluderet, Iſthmum muro munierdum curavit. [*Id. ibid. c. 71.*] Sacrificanti verò adverſùs Perſam quum Sol in cœlo obſcuratus eſſet, copias quæ murum extruebant reduxit, non diu pòſt vitâ functus. Cui ſucceſſit filius ejus Pauſanias, Pliſtarchi pueri Leonidâ geniti patruelis & tutor. [*Idem, lib. 9. cap. 10.*] Solarem verò eclipſim digitorum 8, & minutorum 32, Octobris Juliani die 2°. horâ 1, minut. 39. poſt meridiem, calculus Prutenicus exhibet.

Themiſtocles, ut Xerxem quamprimùm ex Græcia amoliretur, ex Salaminè fictum illi nuntium miſit, decreviſſe Græcos Helleſpontum claſſe petere, & pontes ejus interſcindere. Quo accepto, perculſus ille, quamprimùm ex Europa in Aſiam trajicere ſtatuit. [*Herodot. lib. 8. cap. 110. Diodor. Sic. lib. 11. ad ann. 1. Olymp. 75. Plutarch. in Themiſtocle.*]

Xerxes è Græcia fugiturus, claſſem ſuam è Phalero Helleſpontum verſùs præmittit, ad cuſtodiendas rates quibus pertranſiret; & Mardonio cum terreſtribus copiis eum comitante in Theſſaliam ipſe properat. [*Herodot. lib. 8. cap. 107, 113, 115.*]

Mardonius cum Xerxe in Theſſaliam veniens, ex univerſis copiis peditum & equitum 30. myriadas, ſive 300000, delegit, quos ad ſubigendam Græciam ſecum retinuit: cum quibus, quia intempeſtivum anni tempus erat belligerari, in Theſſaliâ hyemavit. [*Ibid. cap. 113, 114.*] Eundem numerum militum cum Mardonio relictorum ex Trogo etiam habet Juſtinus, [*lib. 2. cap. 13.*] & Plutarchus in *Ariſtide*: licèt eum Diodorus non minorem 40. myriadibus fuiſſe ſcribat.

Hoc interim tempore Lacedæmonii, jubente Delphico oraculo, caduceatorem ad Xerxem mittunt, qui eorum nomine pœnas necis regis ſui Leonidæ ab eo repoſceret. Quibus ille dedit reſponſum; Mardonium tales eis pœnas redditurum, quales illos decerent. Deinde, Mardonio in Theſſaliâ relicto, ipſe ad Helleſpontum ire maturavit; nullam propémodum copiarum partem ſecum ducens, ſed Hydarni ad Helleſpontum poſt ſe deducendam committens. [*Herodot. lib. 8. cap. 114, 115, 118.*]

Pedeſtres verò illas copias fames primùm, deinde & peſtis excepit: tantáque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur; aliteſque & beſtiæ, illecebris ſolicitatæ, exercitum ſequerentur. [*Ibid. cap. 115. Juſtin. lib. 2. cap. 13.*]

In Aſiâ, Boſphori Cimmerii regnum per annos 42. Archæanactidæ, qui vocantur, obtinuerunt. [*Diodor. Sic. lib. 12. ad ann. 3. Olymp. 85.*] ab Archæanacte Mitylenæo originem ducentes; quem ex veteris Ilii lapidibus Sigæum ſubſtruxiſſe ferunt. [*Strabo, lib. 13.*]

3525 *a.* Intra 45. dies ad Helleſponti trajectum Xerxes pervenit: ut refert Herodotus. [*lib. 8.*

cap. 115.] Tertiam temporis illius partem demit Æmilius Probus, in vitâ Themistoclis: *quâ sex mensibus iter fecerat*, [tantam enim moram in Europâ Xerxes fecerat] *eâdem minùs diebus triginta in Asiam reversum* fuisse scribens.

Xerxes, solutum pontem hybernis tempestatibus offendens, piscatoriâ scaphâ trepidus trajecit. Erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ, rerum varietate mirandа, in exiguo latentem videre navigio, quem paulò antè vix æquor omne capiebat; carentem etiam omni servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terris graves erant. [*Justin. ex Trogo, lib.* 2. *cap.* 13.]

Pedestres copiæ, Xerxem secutæ, pontem similitèr tempestate dissolutum invenientes, Hellespontum navibus trajecêre ad Abydum. Ibi copiosiorem quàm in itinere commeatum adepti, nullâ moderatione sese reficientes, ac mutatis aquis, permulti interierunt ex iis qui de exercitu superfuerant: cæteri cum Xerxe Sardes pervenerunt. [*Herodot. lib.* 8. *cap.* 117.]

Xerxes, quum Sardes proficisceretur, misit Megabyzum ut templum Delphicum diriperet: illóque id recusante, Matacas eunuchus mittitur; qui, re confectâ, ad Xerxem reversus est. [*Ctesias.*]

Nuncius per angaros Susa perlatus Xerxem Athenis potitum esse, tantâ Persas voluptate affecit; ut omnes vias myrto consternerent, & per eas odores incenderent, & ipsi in sacrificiis ac gaudiis versarentur. Secundus autem de clade Salaminiâ ita eos consternavit; ut universi vestes dilaniarent, vociferationéque & ejulatu irrequieto uterentur. [*Herodot. lib.* 8. *cap.* 99.] Quem luctum graphicè in *Persis* suis expressit Æschylus.

Classiarius Xerxis exercitus qui superfuerat, ubi à Salamine fugiens attigit Asiam, Rege cum aliis copiis è Chersoneso Abydum traducto, apud Cumas Æoliæ hyemavit. [*Herodot. lib.* 8. *cap.* 130.]

Artabazus Pharnabazi filius, cum 60. militum millibus à Mardonio acceptis Xerxem ad Hellesponti trajectum comitatus, quum jam ille in Asiâ esset, regressus circa Pallenen agebat; ut-potè Mardonio per Thessaliam Macedoniámque hybernante, nec alias copias obire curante. Cúmque Potidæatas, cum Pallenensium aliis, à Xerxe defecisse comperisset, & Olynthios mox defecturos suspicaretur: & Potidæam & Olynthon obsedit. Captâ verò Olyntho, Bottiæisque habitatoribus trucidatis, urbem Critobulo Toronæo origine Chalcidensi regendam tradidit. [*Id. ibid. cap.* 126, 127.]

Persas tres jam menses Potidæam obsidentes ingens æstus maris excepit; qui in Pallenen coëgit eos recedere: plurimis tamen eluvie illâ absorptis, multis etiam nando servare se conantibus per Potidæatas adnavigantes interemptis. Eos autem qui superstites fuerant Artabazus in Thessaliam ad Mardonium duxit. [*Ibid. cap.* 129.] 4235 479

b. Primo vere, Xerxianæ classis reliquiæ, quæ Cumis in hybernis fuerant, ad Samum transierunt, ubi nonnullæ naves hyemaverant. Ejus classis plerique epibatæ erant ex Persis & Medis; ducésque supervenerant, Mardontes Bargæi, & Artayntes Artachæi filius: qui ibi substitentes, Ioniam à defectione cohibebant, trecentas naves cum Ioniis habentes. [*Ibid. cap.* 130.] Diodorus verò naves, quæ è Samo Ioniam observabant, plures quàm 400. fuisse affirmat. [*ad ann.* 2. *Olymp.* 75.]

Græcorum classis, navium 110, Leotychide rege Spartano & Xanthippo Atheniense ducibus, Æginam profecta est. Quò advenientes Ionum nuncii, oraturi Græcos ut ad ipsos liberandos in Ioniam navigarent, ægrè exoratos Delon usque perduxerunt. [*Herodot. lib.* 8. *cap.* 131, 132.] Idem verò Diodorus eos, in Æginâ dies aliquot commoratos, in Delum inde cum 250 triremibus navigavisse scribit.

c. Xerxes Celænis in Phrygiâ regiam & arcem extruxisse dicitur. [*Xenophon. Κύρου ἀναβάσ. lib.* 1.]

Mardonius Athenas adhuc desertas petiit, decimo mense postquàm fuerant à Xerxe captæ: iisque incensis, & ædificiis quæ supererant dirutis, ad regionem Megarensem exercitum duxit; occidentalissimum Europæ terminum, ad quem Persica hæc processit expeditio. [*Herodot. lib.* 9. *cap.* 3, 13, 14.]

d. Ad Græcorum classem in Delo permanentem venerunt è Samo legati, orantes, uti Græci & ipsos & Græcos Asiæ incolas à Persarum servitute liberarent. Leotychides Spartæ rex, habito super hoc Ducum consessu, cum illis decernit, urbes Græcorum liberandas esse: & initâ cum Samiis societate, Samum applicantes, classem ad templum Junonis locavêre, sese ad prælium navale apparantes. [*Id. ibid. cap.* 89, 91, 95. *cum Diodor. Sic. lib.* 11.]

Persicæ classis duces in Samo hærentes, auditâ Græcorum in se expeditione, cùm se ad pugnam navalem impares esse viderent, Phœnissas quidem naves abire permiserunt, cum cæteris verò ad Mycalen Ioniæ promontorium navigarunt: ubi peditatus agebat, præcepto Xerxis ad tutandam Ioniam relictus, numero 60000, duce Tigrane, omnium Persarum & specie & staturâ eminentissimo. Ibi juxta Cereris Eleusiniæ templum subductas naves munimento circumdederunt: & saxis stipitibúsque & circum munitiones depactis sudibus se intruxerunt. [*Herodot. lib.* 9. *cap.* 95, 96.] Nihilóque segniùs interim ex Sardibus & locis finitimis copias terrestres accersiverunt: ita ut ad 100000. cogerentur. Res quoque aliæ, quas belli usus efflagitat, ut in promptu essent, providerunt; Iones etiam ad hostem defecturos suspicati. [*Diodor. lib.* 11.]

Equestri pugnâ ad Erythras Bœotiæ inter Græcos & Persas commissâ, occubuit Persarum dux Masistius, à Græcis Macisius dictus, summo cum suorum luctu. [*Herodot. lib.* 9. *cap.* 20, 22, 24. *& Plutarch. in Aristide.*]

Græci, duce Pausaniâ Lacedæmonio Cleombroti filio, ad Plateas in Bœotiâ Persarum copias dissipárunt. Eas 12. myriadum, sive 120000. fuisse scribit Ctesias; 22. myriadum, id est, ducentorum millium peditum & viginti millium equitum, Æmilius Probus in *Pausaniâ*; 30.

myria-

3525 myriadum circiter, sive 300000, Plutarchus in *Aristide*. Quibus 30. myriadibus, & Græcos Mardonii auxiliarios addit Herodotus: quos ad quinque myriadas fuisse, ille conjectat. [*lib. 9. cap. 31.*] Diodorus Siculus [*ad ann. 2. Olymp. 75.*] Mardonium ait, præter eos quos à Xerxe acceperat, ex Thraciâ & Macedoniâ & sociis urbibus supra viginti myriadas contraxisse, & in universo exercitu quasi 50. myriadas, sive 500000, numeravisse. In Græcorum castris 7300. tantùm Ctesias nominat: quum solorum Athenienſium octo in eo fuisse millia Herodotus & Plutarchus confirment; & universus Græcorum exercitus vel 10. myriadum sive centum millium fuerit, ut Diodorus Siculus, Trogus Pompeius & Orosius, vel 11. myriadum sive 110000, ut Herodotus [*lib. 9. cap. 29.*] tradidit. Ex his verò 1360. tantùm in pugnâ cæsos fuisse refert [*in Aristide*] Plutarchus: licèt plures quàm 10000. Diodorus numeret.

Perſicarum copiarum summus Præfectus Mardonius, regis [non *Xerxis*, ut in Pausaniâ innuit Æmilius Probus, sed patris ipsius *Darii*, ut ad annum M. 3510. suprà est ostensum] gener, in prælio cecidit; ab Aimnesto vel Arimnesto nobili Spartano lapide percussus. [*Herodot. lib. 1. cap. 63. Plutarch. in Aristide. Pausan. lib. 1.*] Neque enim audiendus Ctesias, qui eum vulneratum aufugisse, & quum à Xerxe ad diripiendam Apollinis ædem missus esset, ingruente ingenti grandine oppressum interiisse narrat; quanquàm & ex Trogo Justinus, & ex Justino Orosius, victum Mardonium veluti ex naufragio cum paucis profugisse referat.

Sublato duce, Persæ cæteráque multitudo ad ligneum castrorum suorum murum effugiunt: eóque demùm expugnato, plusquàm decem eorum myriades, sive centena millia, frustrà hostium implorată misericordiâ, trucidantur. [*Diodor. Sic.*] Unde, ex 30 eorum myriadibus, exceptis quatuor cum quibus Artabazus aufugit, ne tria quidem hominum millia cædem evaserunt. [*Herodot. lib. 9. cap. 69.*]

Leotychides Græcorum Dux ad Mycalen perveniens Ionibus qui in exercitu Persarum erant ad defectionem sollicitatis, & illorum & suorum operâ memorabilem obtinuit victoriam; simul cum Mardonte classiarii & Tigrane pedestris exercitûs duce, plus 30. Persarum millibus interemptis. Duo verò alii classiarii exercitûs duces, Artayntes & Ithramitres, effugerunt: qui evaserant aliis ad cacumina Mycalæ se recipientibus. [*Id. ibid. à cap. 97, ad 104. cum Diodoro, lib. 11.*]

Et juxta Cereris Eleusiniæ templa, & eodem ejusdem mensis die, pugna ad Platæas in Europâ diluculo diei gesta est, & vesperi apud Mycalem in Asiâ. Tantámque famæ velocitatem fuisse ferunt, ut per tantum spatii, tam brevi horarum momento, de Platæensi victoriâ rumor ad Græcos in Mycale pugnaturos accesserit. [*Id. ibid. cap. 99, 130. cum Justino, lib. 2. cap. 14.*] quanquàm Diodorus rectiùs Leotychidem nihil tùm de Platæensi victoriâ audivisse, sed ex industriâ commentum hoc ad animandos suos milites, stratagematis loco, adhibuisse censuerit. Diem verò illum *sextum* fuisse *Thargelionis* (secundi mensis vernalis Attici) refert Ælianus: [*Var. histor. lib. 2. cap. 25.*] quem meliùs Plutarchus, *Boedromionis* (tertii æstivi mensis) diem vel *tertium*, [ut in *Camillo*, & *lib. de gloria Atheniensium*,] vel *quartum*, [ut in *Aristide*,] fuisse tradidit. Ita anno à Xerxis transitu, *secundo*, pugna ad Mycalen gesta est. [*Herodot. lib. 7. cap. 80.*]

Ionia à Persis defecit. [*Herodot. lib. 9. cap. 103.*] unà cum Æolensibus & Insulanis. [*Diodor. Sic. lib. 11.*]

Græci, Persarum navibus & castris ad Mycalen crematis, in Samum reversi, de gente Ionicâ (& Æolicâ etiam, ut Diodorus addit) ex Asiâ (in quâ Persarum violentiæ nimis videbantur futuri obnoxii) in Græciam transferendâ consultárunt. Athenienses autem veriti, ne Iones sui coloni ad universos Græcos jus coloniæ transferrent, ut in Asiâ manerent persuaserunt: promittentes se, ut jure cognationis devinctos, ipsorum auxilio nunquam defuturos. [*Herodot. ibid. cap. 105. Diodor. ibid. ad ann. 2. Olymp. 75.*]

Græci cum Samiis, Chiis, Lesbiis ac cæteris insulanis qui secum militabant societatis fœdere inito, datáque & acceptâ fide cum jurejurando, se permansuros in societate nec ab eâ deciturос; è Samo Hellespontum versùs navigantes, primùm circa Lectum promontorium stationem habuerunt, à ventis intercepti. Inde solventes, Abydum tenuerunt: & quum pontes, quorum præcipuè causâ illuc ierant, credentes se adhuc eos intentos esse inventuros, reperirent solutos, Leotychides Lacedæmonius cum sociis suis Peloponnesiis domum rediit; Athenienses verò & dux eorum Xanthippus (cum sociis, ut addit Thucydides, ex Ioniâ & Hellesponto qui jam à Rege desciverant) in Chersonesum trajicientes, Sestum obsidebant. Præfuit autem illi provinciæ Xerxis præfectus Artayctes Persa, homo nefarius: & in urbem, validissimo muro munitam, contulerunt se cùm alii ex aliis circà oppidis, tum ex Cardiâ Oebazus, vir Persa, qui arma è pontibus illuc camportaverat. [*Herodot. ibid. cap. 105, 113, 114, 115.*]

Artabazus Pharnacis filius, qui cum militum quibus præfuit quatuor myriadibus (40000.) è pugnâ Platæensi se subduxerat, per Phocidem, Thessaliam & Macedoniam, properavit ad Thraciam: ac regionem mediterraneam præcidens, pervenit Byzantium; multis sociorum in itinere relictis, qui vel à Thracibus obtruncati, vel fame atque labore fuerant enecti. Ex Byzantio verò navigiis transmisit in Asiam. [*Id. ibid. cap. 65, 69, 76, 88.*]

Pauci verò illi qui ad Mycales montis cacumina profugerant, Sardes se receperunt, ubi Xerxes adhuc agebat. In eo itinere, cùm Masistes Darii Hystaspis filius Artayntem, (classiarii exercitûs ducem, superiùs commemoratum) inter alia probra, muliere ignaviorem in bello illo gerendo se exhibuisse dixisset: stricto acinace ob id ab illo petitus, interponente se Xenagorâ Halicarnassæo, à præsente periculo liberatus est; Xenagorâ à Xerxe, ob fratrem servatum, totius Ciliciæ præfecturâ donato. [*Ibid. cap. 106.*]

Sardibus autem tunc agens Xerxes, uxorem fratris Masistis, quæ illic erat, deperibat: quam

cùm de adulterio frustra sollicitasset, hujus & fratris sui filiam Artayntam Dario filio suo despondit; speratis hac ratione commodiùs se illâ potiturum. Contractóque matrimonio, aliisque ex consuetudine celebratis, domum reversus est: [*Ibid. cap.* 107.] parte exercitûs ad bellum cum Græcis continuandum Sardibus relictâ. [*Diodor. Sicul. ann.* 2. *Olymp.* 75.]

3526 Xerxes in fugâ suâ Oraculum Didymei Apollinis in Branchidis (ut & alia templa Asiæ omnia, præter Ephesium) incendit. Branchidæ, quòd Dei sui thesauros tradidissent, unà abiverunt; ne sacrilegii & proditionis pœnas dare cogerentur. [*Strabo. lib.* 14. *cum* * *Curtio lib.* 7. *cap.* 5. (*Edit. Raderi & alior.* *) *& Solino, cap.* 40.]

Xerxem *Susa* profectum esse Herodotus, *Ecbatana* concessisse Diodorus significat. Ex *Babylone* ad *Persas* abiisse scribit Ctesias. In urbe Babylone templum Beli & cætera Babyloniorum loca sacra eum è Græciâ reversum subvertisse, in libro septimo expedirionis Alexandri Arrianus author est. Beli quoque ibi sepulcrum ab eo fuisse eversum, apud Strabonem [*libro* 16.] & statuam ex auro solido 12 cubitorum ex illius templo ab eo fuisse sublatam, Sacerdote qui eam loco dimovendam prohibuerat interempto, apud Herodotum [*libro* 1. *cap.* 183.] legimus.

Athenientibus Sestum obsidentibus, quum advenisset autumnus, & murus expugnari non posset: de obsidione solvendâ consultatum est.

Verùm obsessis tantâ fame laborantibus, ut funibus lectorum elixis vescerentur; sub noctem, cùm alii Persæ, tum Artayctes & Oebazus, à muris delapsi fugam capesserunt. Postquàm illuxit, Chersonitani è turribus rem Athenientibus indicaverunt, portásque patefecerunt. [*Herodot. lib.* 9. *cap.* 116, 117.]

Quum magnum numerum Barbarorum, qui capti Sesti & Byzantii fuerant, socii Cimoni Atheniensi dividendum commisissent: ille unam partem nuda corpora constituit, alteram quæ illi gerebant corporibus ornamenta posuit; quam socii reliquissent, eâ Athenienses fore contentos dictitans. Socii, Herophyto Samio suadente, ornamenta ut longè majoris pretii delegerunt; Atheniensibus captivorum reliquerunt corpora, malè ad laborem comparata. Verùm brevi pòst amici & propinqui eorum qui capti erant, ex Phrygiâ & Lydiâ venientes, singulos grandi pretio redemerunt. Unde classem quatuor mensis Cimon aluit: insuperque non parum Reipublicæ ex redemptione illorum auri superfuit. Ibi tum Cimonis solertia admirationi cœpit esse: Athenienses autem longè pluribus acceptis pecuniis, socios quibus ipsi priùs ridiculi visi fuerant derisêrunt. [*Plutarch. in Cimone. Polyæn. Stratagem. lib.* 1.]

Oebazum in Thraciam fugâ elapsum Thraces Abdanthii Plestoro Deo suo immolaverunt: comitibus ejus aliter interfectis. Artayctem cum suis ad Ægos fluenta captum duxerunt Sestum: & in littore in quo Xerxes trajectum junxerat, (vel, ut alii aiunt, in tumulo urbi Madyto imminente) depactis humi asseribus suspenderunt; filio ejus ante patris oculos lapidibus obruto. His actis, Athenienses in Græciam remeaverunt, portantes tum alias pecunias, tum verò arma pontium, tanquàm apud templa reposituri. Nec aliud præterea quippiam gestum est per eum annum. [*Herodot. lib.* 9. *cap.* 118, 119, 120.] Xanthippus, præsidio urbi imposito, socios dimisit & cum civibus ipse Athenas rediit. Atque ita bellum Medicum, quod vocatur, cùm per biennium duravisset, hoc eventu terminatum est. [*Diodor. Sic. lib.* 11. *ad ann.* 2. *Olymp.* 75.]

Bagapates eunuchus, cùm septem annos sepulchro Darii assedisset, mortuus est. [*Ctesias.*] 4236 478

Megabyzus uxorem suam Amytin, Xerxis & Amestris filiam, adulterii insimulat: quæ idcircò acriter à patre reprehenditur. [*Idem.*] quum ipse interim pater in incesto adulterio voluptatibus totus jaceret. Ab uxore enim fratris sui Masistis ad eorum filiam, eandémque nurum suam, Artayntam amore conversus; nefariâ illius consuetudine Susis quotidie fruebatur. [*Herodot. l.b.* 9. *cap.* 107, 108.]

3527 Pausanias, Cleombroti filius, dux Græcis à Lacedæmone missus ut Græcas urbes Barbaricis adhuc præsidiis occupatas liberaret, navibus 20 (50 habet Diodorus) è Peloponneso ductis, & sociorum Atheniensium 30 aliis (quæ Aristidis imperio regebantur) adjunctis, in Cyprum expeditionem fecit; multásque ibi civitates, quæ à Persicis adhuc præsidiis tenebantur, servitute exemit. [*Thucydid. lib.* 1. *Diodor. Sicul. ad ann.* 4. *Olymp.* 75.] 4237 477

Xerxes Natalis regni sui festum celebrans, fratris sui Masistis uxorem petenti Amestri conjugi suæ donavit: quæ eam mamillis, naribus, auribus, labris, linguâ mutilatam remisit domum. Unde Masistes, confestim inito cum liberis consilio, ad Bactrianam provinciam, cujus ipse erat præses, profecturus, eámque cum Sacis ad defectionem inducturus, in itinere à copiis Xerxis cum liberis & toto comitatu trucidatus fuit. [*Herodot. lib.* 9. *à cap.* 108. *ad* 113.] Bactrianam verò illam satrapiam Hystaspi filio suo Xerxes concessit. [*Diodor. Sicul. ad ann.* 4. *Olymp.* 78.]

3528 Pausanias, capto post discessum ex Cypro Byzantio, Persas urbem tenentes, & inter eos Xerxis quosdam necessarios & propinquos ibi captos (profugisse eos sparso rumore) omnes Regi sine aliorum sociorum conscientiâ remisit. Hæc omnia per Gongylum quendam Eretriensem agebat: quem etiam cum literis ad Xerxem misit, in quibus ipsius filiam sibi conjugem dari petiit, & vicissim se Spartam & reliquam Græciam ipsi subjectarum esse pollicitus est. Lætus ad eam confestim rescripsit Xerxes per Artabazum Pharnacis filium: quem in maritimam regionem ideircò misit, ut consilia sua cum eo commodiùs posset communicare Pausanias. Atque eum in finem Dascylitidis provinciæ præfecturam illi demandavit; Megabate, qui præfuerat, revocato. Cúmque hinc insolentior factus Pausanias, more Persico vitam institueret, & sociis acerbè ac tyrannicè imperaret: major eorum pars, maximè Ions & quicunque regia nuper servitute liberati erant, ad Atheniensium ductum se receperunt. [*Thucyd. lib.* 1.] 4238 476

3529 Pausanias à sociis accusatus, Byzantio à Lacedæmoniis Spartam revocatus est: ubi de privatis quibusdam criminibus condemnatus, à crimine proditionis absolutus est. Hellesponti verò 4239 475

præfe-

præfecturâ exutus, ipſe privatim acceptâ triremi Hermionica, injuſu Lacedæmoniorum, eò profectus eſt, ut ſub ſpecie Græci belli ſua cum Xerxe conſilia agitaret. Ab Athenienſibus verò Byzantio vi ejectus Spartam non rediit. Colonis autem in Troade ſubſiſtens, iterùm ad eos delatus eſt; quòd & cum Barbaris conſilia agitaret, & non optimâ de causâ moram faceret. Quare ſecundò Spartam ab ephoris revocatus, in carcerem conjicitur. Sed cùm ſe juri ſiſteret, rursùm dimiſſus eſt. [*Id. ibid.*]

3530 Translato à Lacedæmoniis, ob odium Pauſaniæ, ad Athenienſes, voluntate ſociorum, principatu Græciæ; ſub titulo ulciſcendarum regionum ſtatuerunt illi, quas civitates pecunias conferre adversùs Perſam, quas naves, oporteret: Græciæ & Aſiæ civitatibus tributum cupidè ad præſidium ſalutis ſuæ conferentibus. Pecuniarum verò ſumma primùm conſtituta fuit 460 (non, ut apud Diodorum legitur, 560) talentorum: in Delo inſulâ, ut communi ærario, quotannis deponenda. [*Thucyd. lib.* 1. *Diodor. lib.* 11. *Juſtin. lib.* 16. *cap.* 3. *Plutarch. & Æmil. Prob. in Vitâ Ariſtidis.*] 4140 474

Pauſanias, proditus ab Argilio amaſio ſuo, cui literas ad Xerxem ultimas Artabazo deferendas tradiderat, fame necatus eſt. [*Thucyd. lib.* 1. *Diodor. lib.* 11. *Æmil. Prob. in Pauſaniâ.*]

3531 Artabanus, natione Hyrcanus, ſatellitum regiorum princeps, (qui apud Xerxem maximam obtinebat authoritatem, quemadmodum ejus pater Artaſyras apud Darium obtinuerat) communicato conſilio cum regis cubiculario Mithridate eunucho (Spamitrem vel Aſpamitrem appellat Cteſias) amicitiæ & cognationis neceſſitudine ſibi obſtricto, in Regis cubiculum cum ſeptem robuſtiſſimis filiis ab eo introductus, Xerxem noctu jacentem in lecto jugulavit. Deinde profundâ adhuc nocte ad Artaxerxem properans, à Dario (qui trium Xerxis filiorum natu erat maximus) quò maturiùs regno potiretur, patrem occiſum fuiſſe finxit, (quod & Ælianus, *lib.* 13. *cap.* 3. credidiſſe videtur:) impulitque illum ut fratrem regiis ſatellitibus obtruncandum traderet. [*Cteſias. Diodor. Suc. Juſtin. lib.* 3. *cap.* 1.]

Ita Artabani operâ regno potitus eſt Artaxerxes. [*Cteſ.*] qui lenitate atque animi celſitudine præcelluit; Μακρόχειρ ſive *Longimanus* nominatus, quòd manum dexteram haberet alterâ longiorem. [*Plutarch. initio Artaxerxis ſui.*] *Septem* verò primi imperii illius *menſes* in Euſebii Chronico, ipſi *Artabano* attribuuntur: quòd tanto tempore procuratoris, ut videtur, nomine ſub Artaxerxe regnum ille adminiſtraſſet. Etſi enim mox poſt Xerxis & Darii filii cædem Artabanum interfectum Diodorus innuat: aliquantum tamen temporis interceſſiſſe, & Cteſiæ & Juſtini pleniores hujus hiſtoriæ narrationes ſatis indicant.

Themiſtocles Athenienſis, ut conſiliorum Pauſaniæ de prodendâ Perſis Græciâ ad necem quæſitus, & ob id è Græciâ fugere coactus, Pydnæ (in Thermaico Macedoniæ ſinu) navem onerariam in Ioniam iter facientem conſcendit: quæ tempeſtate in Athenienſium exercitum Naxum obſidentem delata eſt. Nauclero igitur pecuniarum pollicitatione Themiſtocli conciliato, nocte ac die ſupra exercitum in ſalo ad anchoras navis conſtitit; indèque Epheſum ſalva appulit. [*Thucyd. lib.* 1. *Æmil. Prob. in Themiſtocle. Polyæn. Stratagem. lib.* 1.] Plutarchus refert, Themiſtoclem Cumam delatum, multos ſenſiſſe rei maritimæ præfectos inſidias ad ſe capiendum tendere, (præcipuè Ergoteles & Theodorum) quòd præmium Rex in caput ejus ducenta talenta pronunciaſſet: ideoque Ægas Æolicum oppidulum confugiſſe, ibique paucos dies apud Nicogenem delituiſſe; qui Æolum erat locupletiſſimus, & principibus qui circa Regem erant familiaris. Lyſitheiden hunc Diodorus nominat; tantarúmque opum fuiſſe addit, ut omnem in tranſitu Xerxis exercitum convivio exceptum lautè tractaverit. Hoſpitis verò hujus operâ, Themiſtoclem, in curru undique obtecto, (ut pellices Regis & magnatum vehendi apud Perſas mos erat) tutum in Perſiam iter habuiſſe, uterque narrat: licèt cum Persâ quodam ex maritima regione eum aſcendiſſe tantùm dicat Thucydides. Ex Epheſo verò Sardes trium dierum, ex Sardibus Suſa trium mensium iter eſſe, oſtendit Herodotus. [*lib.* 5. *cap.* 50, 53, 54.] 4241 473

Artabanus vitæ Artaxerxis inſidias ſtruens, conſilium ſuum cum Megabyzo (qui jam ob ſuſpectam adulterii uxorem ſuam Amytin, Artaxerxis ſororem, mœrore affectus erat) communicat: fidémque mutuò datam jurejurando firmant. Sed re totâ Megabyzi indicio proditâ, Artabanus eâ morte quâ Artaxerxes erat afficiendus afficitur: atque adeò quæcunque in Xerxem Dariúmque perpetrata fuerant patefiunt. Aſpamitres quoque (vel Spamitres eunuchus) qui cædis Xerxis ac Darii conſcius fuerat, acerbiſſimo genere mortis, adhibitis videlicèt per ſcaphas tormentis (quæ à Plutarcho in Artaxerxis vitâ deſcribuntur) plectitur. [*Cteſias.*] Pro *Megabyzo* Juſtinus *Bacabaſum*, in ſocietatem conſilii aſſumptum hic nominat: & modum cædis Artabani ita enarrat. *Artaxerxes, verens Artabani numerum filiorum, in poſterum diem paratum eſſe armatum exercitum jubet, recogniturus & numerum militum, & in armis induſtriam ſingulorum. Itaque cùm inter cæteros ipſe Artabanus armatus aſſiſteret, Rex ſimulat ſe breviorem loricam habere: jubet Artabanum ſecum commutare: exuentem ſe, ac nudatum, gladio trajecit.* Ex quo loricæ modulo obiter notandum, Artaxerxem, non modò *adoleſcentem* ſed etiam *puerum admodum* à Juſtino dictum, ita adultâ tùm fuiſſe ætate, ut deinde ſeptimo imperii anno filiorum pater eſſe potuerit: quod Scriptura ſacra [*Ezra* VII. 25.] confirmat.

Poſt Artabani mortem, eorum qui cum illo conjuràrunt, & Perſarum aliorum pugna oritur; in quâ cadunt tres Artabani filii, & graviter Megabyzus vulneratur. Quem caſum Artaxerxes, ejúſque ſorores Amytis (Megabyzi uxor) & Rhodogune, ac mater Ameſtris ingenti luctu proſecuti ſunt: atque adeò vix tandem hæc Apollonidis medici Coi operâ, ſummam adhibentis diligentiam, mortis periculo liberatur. Deſciſcunt ab Artaxerxe Bactra, aliúſque item præfectus Artabanus: & æquo marte pugnatur. Ita *Cteſias*: cujus illud, ἡ δ' εὐγένεια ἄλλος Ἀρτάπατος vel Ἀρτάβατος, ambiguè ſcriptum eſt. Vel enim quod ex Henr. Stephani interpretatione

à nobis hîc est politum significare potest; alium à Bactrianorum Satrapa fuisse præfectum Artabanum hunc: vel Bactrianum Satrapam fuisse ipsum Artabanum, sed alium ab Artabano illo, cujus mortis proximè facta fuerat mentio. Si posterior admittatur sensus, ad posteriora tempora referenda fuerit hæc de Bactrorum defectione historia: si prior, ad præsentia. Hac enim tempestate Hystaspem Xerxis filium Bactrianorum Satrapiam administrasse, ex Diodoro Siculo; eúmque medium inter Darium & Artaxerxem fuisse genitum, ex Ctesiâ didicimus. Et quum juniorem fratrem in imperio sibi prælatum ille cerneret; ut Bactrianorum & aliorum sociorum auxiliares copias ad suum jus recuperandum ille cogeret, rationi nemini videbitur non esse consentaneum.

Olympiadis LXXVI, anno quarto (eodem de quo nunc agimus) *Themistoclem in Persas fugisse*, in Chronico suo notat Eusebius: traditioni Thucydidis satis convenienter, qui inter Naxiorum obsidionem & nobilem illam Cimonis de Persis ad Eurymedontem partam victoriam Themistoclis ad Artaxerxem adventum statuit; simúlque ipsius Artaxerxis imperii initium intra eosdem terminos collocat. Ait enim Themistoclem literas tùm dedisse ad Artaxerxem *nuperè fuisse*, *nuper regnare incipientem*; quibus & amicitiam illius experierit, & operam suam adversùs Græcos obtulerit. Unde verum initium imperii Artaxerxis eruitur; eo quod vulgò est receptum toto ferè novennio anterius. Plutarchus refert, ex *Phaniâ*, Themistoclem ab Artabano Chiliarcho ad Regem introductum fuisse; & ex *Eratosthene*, Chiliarchi gratiam pellicis ipsius operâ, quæ mulier erat Eretrica, obtinuisse. Sed quis Artabanus ille fuerit, non explicat: utrùm is qui imperium affectans ab Artaxerxe est occisus, an alter ille ejusdem nominis Satrapa ex Ctesiâ jam commemoratus, an verò Artabanus, cui regni tutelam à Xerxe in Europam transituro commissam fuisse ante septennium annotavimus. Si enim primus ille accipiendus, intra septem primos Artaxerxis menses Themistoclis adventus, juxta Eusebianas rationes, esset includendus: si verò alius, ad aliquam aliam anni primi imperii ipsius partem ille referri posset; quod etiam Thucydidis loco, de *Artaxerxis regno nuper incepto*, abundè satisfecerit. Chiliarchi verò, qui secundum gradum imperii tenebat, munus fuisse, admittendos ad Regem introducere; ex Æmilio Probo in Conone, & Ælian. lib. 1. Var. histor. cap. 21. notum est.

Themistocli à Rege humaniter accepto novum à Mandane Darii Hystaspidis filiâ creatum fuisse dicitur periculum. Hæc liberis suis in pugnâ Salaminiâ orbata, Rege primùm frustrà sollicitato, optimos quosque Persarum multis precibus ambit, & multitudinem tandem ad irrogandum Themistocli supplicium concitat. Inde, concursu in regiam facto, Rex sententiæ Senatus se rem totam permissurum promittit: & tempore sat longo ad præparationem judicii concesso, Themistoclem à præsente discrimine liberat. [*Diodor. Sic. lib.* 11.]

3532 Secundâ inter Persas & Bactrianos commissâ pugnâ, quum in Bactrianorum faciem ventus spiraret, vincit Artaxerxes, & in ejus ditionem universa Bactria concedit. [*Ctesias.*] 4242 472

Themistocles, cùm per anni spatium linguam Persicam, quantum fieri poterat, perdidicisset, * (*unum intra annum optimè locutum esse Persicè*, *constare* dicit *Quintilianus*, lib. II. cap. 2. *) & instituta morésque regionis percepisset; non solùm objecta crimina diluit, sed etiam tantam apud Regem gratiam consecutus est, quantam non alius unquam Græcorum. Adhibuit enim eum etiam venationibus & domesticis oblectationibus: ita ut ad matrem quoque Regis Amestrin admitteretur, eâque uteretur familiariter. Uxorem quoque Persicam ei dedit, nobilitate, formâ & morum honestate præditam: servorum præterea numerum ad ministeria, & poculorum omnis generis copiam, cæteráque ad usus quotidianos, imò ad voluptates etiam & delicias accommoda, largitus est. [*Thucyd. lib.* 1. *Diodor. Sic. lib.* 11. *Plutarch. in Themistocle.*]

Quum Demaratus Lacedæmonius (qui cum Xerxe è Græciâ reversus est) magnâ in offensâ apud Regem fuisset; quòd ut more regum, directam capite Tiaram gestans, curru vectus Sardes intraret, stultè postulasset: Themistocle intercedente, reconciliatus illi est. [*Plutarch. in Themist. cum Senecâ, lib. 6. de Benefic. cap.* 31.]

Magnesiæ provinciæ præfectûs Themistocles, in minorem Asiam rediit. [*Thucyd. lib.* 1.] Insidias in itinere ab Epixye Persâ superioris Phrygiæ satrapâ & Pisidis ipsi positas, monente Dindymenâ Deorum matre (ut ipse per meridiem dormiens somniavit) effugit: cui idcircò Magnetiæ templum condidit, ejúsque filiam suam Mnesiptolemam creavit sacerdotem. [*Plutarch. in Themist.*] vel uxorem suam, ut alii volunt. [*apud Strabonem, libro* 14°.] Ut splendidiùs verò Themistocles in Asiâ viveret, donavit illi Rex Magnesiam ad Mæandrum, quinquaginta quotannis talenta pendentem, ad panes ipsi suggerendos: Lampsacum ad Hellespontum, unde vinum sumeret; & Myuntem juxta Mæandri ostia positam, ex qua obsonium haberet. Duas adjiciunt ex Troade alias Neanthes Cyzicenus, Phanias & Athenæus, (*lib.* 1. *cap.* 22.) Percoten & Palæscepsin, ad strata & vestimenta suppeditanda. [*Thucyd. lib.* 1. *Diodor. lib.* 11. *Plutarch. & Æmil. Prob. in Themistocle.*]

3533 Cimon, Miltiadis (quo duce apud Marathonem pugnatum est) filius, Græcorum contra Persas Dux ab Atheniensibus constitutus, cum 200. triremium classe è Piræeo egreditur. Postea Ionum & quotquot erant sociorum navibus adscitis, trecentarum numerum explevit. Cum tota igitur classe Cariam petit: ubi quicquid maritimarum erat urbium, à Græcis illuc deductarum, à Persis subitò defecit: cæteras ab indigenis possessas, & præsidiis adhuc Persicis obnoxias, vi summâ Cimon oppugnavit. Subactis urbibus Cariæ, quæcunque in Lyciâ erant eodem victoriæ cursu in fidem recepit. Cúmque subinde illis, qui ad societatem Atheniensium se adjunxerant, naves imperaret; factum est, ut magno classis numero augeretur. [*Diodor. lib.* 11.] 4243 471

Persæ copias terrestres ex gentibus suis conscribebant: nauticarum verò è Phœniciâ, Cypro

& Cili-

& Cilicià, delectus agebant. Summus Perſici exercitus imperator erat Tithrauſtes, Xerxis filius nothus. [*Id. ibid.*] Eum claſſi regiæ præfuiſſe tradit Ephorus, terreſtribus verò copiis Pherendatem. Sed Calliſthenes Ariomandis Gobryæ filii ſummum in exercitu imperium fuiſſe ſcribit. [*Plutarch. in Cimone.*]

3534 Poſt ſubactos ab Athenienſibus Naxios, [ut in libro 1°. docet Thucydides] Athenienſes ſociiſque Cimone duce, eâdem die Perſas & navali prælio juxta littus Cypri & terreſtri ad Eurymedontem fluvium in orâ Pamphyliæ profligaverunt: Olympiadis LXXVII. anno 3°, ut in libro XI. narrat Diodorus Siculus; qui tamen (ut in fine libri II. Juſtinus) Xerxem adhuc regnaviſſe ſenſit; contra mentem Thucydidis, qui rei geſtæ tempore proximus fuit. Rectiùs Euſebius ad annum Artaxerxis quartum victoriam hanc retulit: hanc ad eum notationem apponens. *Cimon juxta Eurymedontem Perſas navali pedeſtrique certamine ſuperat: & Medicum bellum conquieſcit.* Ab Artaxerxis enim initio, juxta Thucydidis rationes à nobis conſtituto, quartus illius annus in tertium Olympiadis LXXVII. (à Diodoro hîc poſitum) incidit: licèt Euſebio, primum illius annum cum primo Olympiadis LXXIX. vitiosè comparante, quartus illius in quartum ejuſdem Olympiadis neceſſariò conjiciendus fuerit. Sed totam rei geſtæ ſeriem ex Diodoro & Plutarcho, præſtat hic repetere. 4244 470

Quum audiiſſet Cimon regios duces cum magno exercitu & ingenti claſſe circa Pamphyliam ſtativa habere; quò iis mare, quod inter inſulas Chelidonias eſt, redderet inacceſſum, à Cnido & Triopio cum 200. triremibus provectus, ad Phaſelitarum (qui Græci erant) urbem decurrit: & quia claſſem ipſius non recipiebant, neque deſciſcere volebant à Rege, agrum eorum uſſit & muros oppugnavit. Sed Chiis qui ſimul cum eo navigabant intercedentibus, pax inter eos conciliata eſt; eâ lege, ut talenta decem numerarent, Cimonem ſequerentur, unáque arma ferrent in barbaros. [*Plutarch. in Cimone.*]

Inde Cimon, exploratum habens Perſarum claſſem juxta Cyprum verſari, directo illuc curſu cum 250. navibus adversùs 340. progreditur. [*Diodor.*] Perſarum naves 350. fuiſſe ſcribit Ephorus, 600. Phanodemus. Verùm nihil hi pro tantâ claſſe ediderunt memorabile: ſed qui terræ proximi erant, relictis navibus, ad exercitum pedeſtrem, qui erat in propinquo inſtructus, refugêre; cæteri oppreſſi unà cum navibus periêre. Athenienſes verò ducentas naves captivas abduxêre. [*Plutarch.*] Thucydides triremes Phœnicum cepiſſe eos ait, & demerſiſſe omnes numero ad ducentas. Æmilius Probus in *Cimone*, eum *Cyprierum & Phœnicum ducentarum navium claſſem devictam cepiſſe* ſcribit. Diodorus Athenienſes, multis hoſtium navibus extinctis, plures quàm centum cum ipſis claſſiariis in poteſtatem ſuam redegiſſe; reliquas verò, à militibus fugâ ad Cyprum dilapſis deſertas, vacuas in eorum manus veniſſe narrat. Quas militibus refertas naves ex Phœnicum claſſe fuiſſe, verſus illi Donario quod à populo Athenienſi Deo eſt oblatum inſcripti, (apud eundem Diodorum & Ariſtidem in Oratione Platonicâ ſecundâ) indicant:

Οἵη γὰρ ὁ * γαῖαν Μήδων πολλὰς ὀλέσσας, Diodor. Κύπρ.
Φοινίσσας ἑκατὸν ναῦς ἄλοχ᾽ ὃν πλάγεα
Ἀνδρῶν πλησθείσας. ——————
Namque hi per terram Medorum examine fuſo,
Centum Phœnicum roſtra tulere mari
Plena viris. ——————

Plutarchus quoque in commentariolo de gloria Athenienſium, Cimonem ab Eurymedonte *centum triremes Phœniſſas* tuliſſe, memorat. Diodorus verò, non modò triremes plures quàm centum, ſed etiam ipſas CCCXL. (id eſt, integram Perſarum claſſem) & ſupra 20. virorum millia, eum cepiſſe affirmat.

Navali victoriâ non contentus Cimon, continuò totam claſſem ad exercitum pedeſtrem Perſarum appulit, ad Eurymedontem fluvium in Pamphyliâ tùm ſtativa habentem. In naves autem barbaricas quas ceperat ſuos milites impoſuit, tiaris & cætero ornatu Perſico amictos. Unde illi, ſuas triremes eſſe exiſtimantes, eas ut amicas receperunt. Cimon igitur nocte jam obortâ, quæ illunis erat denſiſſimiſque tenebris involuta, milites ſuos expoſuit: qui in hoſtium caſtra irrumpentes, omnes qui occurrebant occiderunt, & alterum barbarorum ducem Pherendatem, Regis fratris filium, in tabernaculo oppreſſum trucidârunt; omnéſque tandem, non opinatâ irruptione conſternatos, terga dare coëgerunt. [*Diodor.*] Hujus etiam ſtratagematis meminit Polyænus, lib. 1. (qui, pro Pamphiliâ, ad Cyprum milites ſuos Cimonem eduxiſſe malè tradidit) & Julium Frontinum, libro quarto extremo; apud quem *Cononis*, pro *Cimonis*, nomen perperàm legitur.

Cimon naves Phœniſſas 80, quæ prælio non interfuerant nec adhuc rem geſtam certò intellexerant, ad Hydrum ſtantes cepit. [*Plutarch.*]

3535 Cimon, cum quatuor triremibus Athenis ſolvens, 25. Perſarum naves in Cherſoneſo Thraciæ cepit; ejectiſque Perſis & Thracibus domitis, totam Cherſoneſum in ditionem Athenienſium redegit: effecitque ut in Aſiâ, ab Ioniâ uſque ad Pamphyliam, nuſquàm Perſica arma apparerent. [*Plutarch. in Cimone.*] Indéque factum, ut Pericles (qui hoc anno principatum apud Athenienſes obtinere cœpit) cum 50. navibus & Ephialtes cum 30, Chelidonias inſulas (in Pamphylio mari) ſupervectus, nihil claſſis barbaricæ viderit; (ut ex Calliſthene Plutarchus ibidem retulit:) & Perſas nec longis navibus intra Phaſelidem navigare auſos fuiſſe, nec intra Halym fluvium pedeſtres copias ducere, in Areopagitico & Panathenaico dixerit Iſocrates. Eos tamen, augeſcentem Athenienſium potentiam veritos, triremibus ampliori numero conſtruendis operam dediſſe, Diodorus ſcribit. 4245 469

3537 6. Ezra Sacerdos, Scriba (ſive legis-peritus) promptus in lege Moſis, ab Artaxerxe rege & 4247 467

ſeptem

ſeptem conſiliariis ejus ad Rempublicam Judaicam conſtituendam & Eccleſiam reformandam Hieroſolymam miſſus, ampliſſimum diploma obtinuit: quo, Judæis in patriam redeundi iterùm ſit poteſtas, eóque aurum omne & argentum deferendi, tam quod Rex cum ſuis, quàm quod ipſi Judæi Deo offerre vellent; inſtrumenta in miniſterium domûs Dei donantur, & quicquid præterea eſſet neceſſarium è fiſco regio ſuppeditandum quæſtoribus trans flumen præſcribitur; Templi quoque miniſtris omnibus immunitas à tributis, totíque populo ἀυτονομία & ſuarum legum exercendarum jus conceditur. [*Ezr.* VII. 11,--26.]

c. Anno Artaxerxis ſeptimo, menſis 1 die 1, Ezra cum magnâ Judæorum multitudine è Babylonia profectus eſt. [*Ezr.* VII. 6, 7, 9. VIII. 1,--14.]

Ezra & itineris ſocii ad flumen Ahavæ triduo in tentoriis manſerunt; dum Levitæ, qui deerant, congregarentur. Omnibus congregatis indixit Ezra jejunium & preces, ad propitiandum numen pro itinere proſpero: omníque auri & argenti Deo dicati curam 12 delectis Sacerdotibus totidémque Levitis commiſit. [*Ezr.* VIII. 15,--30.]

d. Menſis 1 die 12, à flumine Ahavæ profecti, menſis 5 die 1°, Artaxerxis anno 7°, Hieroſolymam pervenerunt; ibíque triduo quieti conſederunt. [*Ezr.* VII. 8, 9. & VIII. 31, 32.]

Menſis 5 die 4, appenſum eſt aurum & argentum, & cum inſtrumentis ſacris in domo Dei repoſitum. Sacrificia quoque à reducibus Deo ſunt oblata: iiſque peractis, edicta Regis tradita ſunt Satrapis & principibus trans flumen; qui & populum & domum Dei favore proſecuti ſunt. [*Ezr.* VIII. 33,--36.]

3538 *e.* Ezra de affinitate Iſraëlitarum cum exteris certior factus, luget, jejuniat, & Dei iram ſedulò pro omnibus publicè deprecatur. [*Ezr.* IX.] Magnâ quoque quæ ad eum confluxerat populi multitudine in fletus ſolutâ, Shecanias author fuit Ezræ, ut populus voto ſe obligaret Deo, ad alienigenas uxores unà cum ipſarum liberis dimittendas. Quod & factum eſt. [*e.* X. 1.]

Omnibus reducibus deportationis denunciatum eſt, ut intra triduum ſiſterent ſe Hieroſolymis; gravi pœnâ abſentibus propoſitâ. Unde convenientibus in Templi atrio hominibus omnibus Judæ & Benjaminis menſis 9 die 20, & trementibus tum propter hanc rem tum ob pluvias, edixit Ezra, ut ſepararent ſe ab uxoribus alienigenis. Quibus conſentientibus, & ut Judices expediendo negotio conſtituerentur rogantibus: ex Sacerdotum ordine duo cognitioni huic præfecti fuerunt; Levitis, qui eos adjuvarent, duobus etiam adjunctis. [*e.* X. 7,--15.]

b. Quæſtio hujus rei, à menſis 10 die 1 uſque ad diem 1 menſis 1, eſt habita; atque ita trimeſtri ſpatio totum negotium uxorum alienigenarum eſt abſolutum. [*e.* X. 16, 17.] 4248 486

d. Themiſtocles Magneſiæ morbo extinctus eſt; aut, ut alii volunt, venenum ſuâ ſponte ipſe ſumpſit, cùm ſe quæ Regi de Græciâ opprimendâ pollicitus eſſet, præſtare poſſe deſperaret. [*Thucyd. lib.* 1.] Viginti poſt excellum Coriolani annis eum mortem ſibi conciviſſe, in Lælio ſuo Cicero ſignificat: qui, juxta Dionyſii Halycarnaſſei rationes, cum initio anni 3^i. Olympiadis LXXVIII. terminantur; ad quem in Euſebiano Chronico annotatum legitur. *Themiſtocles hauſto tauri ſanguine moritur*; quod plenius & elegantius à Valerio Maximo [*lib.* 5. *cap.* 6.] ita habetur expreſſum. *Themiſtocles, quem virtus ſua victorem, injuria patria imperatorem Perſarum fecerat; ut ſe ab eâ oppugnandâ abſtineret, inſtituto ſacrificio, exceptum paterâ tauri ſanguinem hauſit: & ante ipſam aram, quaſi quadam Pietatis clara victima, concidit. Quo quidem tam memorabili ejus exceſſu, ne Gracia altero Themiſtocle opus eſſet, effectum eſt:* de quo tamen mortis genere ſic contrà diſſerentem Cicero in Bruto inducit Atticum. *Ut enim tu nunc de Coriolano, ſic Clitarchus, ſic Stratocles, de Themiſtocle finxit. Nam quem Thucydides, qui & Athenienſis erat, & ſummo loco natus, ſummúſque vir, & paulo ætate poſterior, tantùm mortuum ſcripſit, & in Attica clàm humatum, addidit fuiſſe ſuſpicionem veneno ſibi conſciviſſe mortem: hunc iſti aiunt, cùm taurum immolaviſſet, excepiſſe ſanguinem paterâ, & eo epoto mortuum concidiſſe:* quanquam ante ſcriptam à Thucydide hiſtoriam, ipſi Athenienſes ab Ariſtophane in *Equitibus* (quam ille Comœdiam anno 7°. belli Peloponneſiaci Athenis Stratocle archonte docuit) poto ſanguine taurino mortuum fuiſſe Themiſtoclem audiverint.

3540 Jubilæus XX. 4249 465

3544 Inaros Pſammetichi filius, rex Libyæ, (non Lydius, ut apud Creſiam legitur) à Mareâ urbe ſuper Pharum ſitâ egreſſus, majorem Ægypti partem à rege Artaxerxe abalienavit: & princeps ab eis creatus, Athenienſes, qui tùm fortè in Cypro 200 partim ſuis, partim ſociorum navibus bellum gerebant, accerſit. [*Thucyd. lib.* 1.] 4254 460

Artaxerxes auditâ Ægyptiorum defectione, conſeſtim ex omnibus regni præfecturis militum delectus egit, claſſemque ἐξόπλισε; nullius apparatûs curam prætermittens. [*Diodor. Sic. ad ann.* 2. *Olymp.* 79. biennii ἀκριβεστερον accuratiorem Thucydidææ narrationis ſeriem antevertens.]

Ipſemet Artaxerxes exercitum in Ægyptum educere cogitat: ſed, non ita conſulentibus amicis, *Achæmenidem* fratrem cum 400 millibus peditum & 80 navibus miſit. [*Creſias.*] Diodorus Ægyptiaci belli ducem *Achæmenem* conſtituiſſe eum narrat; Darii filium magnúmque ſuum patruum; traditis ei pluſquàm 300 equitum peditúmque millibus: *Achæmenem* intelligens Darii Hiſtaſpidæ & Atoſſæ filium; cui antèà Xerxes Ægyptum à ſe ſubactam gubernandam tradiderat. [*Herodot. lib.* 7. *cap.* 7. & 97.]

3545 Achæmenes ſive Achæmenides in Ægyptum profectus, prope Nilum caſtra poſuit; & refectis ab itineris labore militibus, ad pugnam ſeſe comparavit. Ægyptii verò copiis ex Libya & Ægypto accitis, ſubſidia Athenienſium expectabant. [*Diodor. Sic.*] 4255 459

Athenienſes è mari adverſo Nilo ſubvecti, flumine potiuntur. [*Thucyd.*] Inaros cum Charitimide, qui 40 navium Athenis miſſarum navarchus erat, mari victor evadit. Ex 50 Perſarum navibus, 20 cum ipſis hominibus captæ, 30 ſubmerſæ ſunt. [*Creſias.*] *Diodorus* verò totam

Cypriam

Cypriam Athenienſium claſſem, quæ 200 navium fuit, in Ægyptum adductam fuiſſe narrat; non 40 tantùm naves, ut *Cteſias*.

Inaros cum Ægyptiis & Athenienſibus, terreſtrem pugnam adverſùs Perſas init. Et ad tempus quidem Perſæ multitudine ſuâ præpollebant. At cùm strenuè in illos Athenienſes inferrentur, & adverſum ſibi cornu pellerent; plurimis in acie trucidatis, reliqua etiam Barbarorum multitudo fugam arripit. Magna cùm ſtrages inter fugiendum editur. [*Diodor.*] Et 400 quæ duxerat Achæmenides millibus, 100 hominum millia unà cum ipſo cæſa ſunt. Ille enim, vulnere ab Inaro accepto, interiit; ejúſque cadaver ad Artaxerxem miſſum eſt. [*Cteſias.*] Achæmenis filii Darii & Perſarum cum eo in Papremi ab Inaro Libye Pſammetichi filio interemptorum, meminit Herodotus. [*lib. 3. cap. 12. & lib. 7. cap. 7.*]

Athenienſes Perſas fugientes inſecuti, duabus Memphidis partibus potiti ſunt: & tertiam, *Album murum* dictam, in quam Perſæ & Medi confugerant, oppugnarunt. [*Thucyd. Diodor.*]

3546 Artaxerxes rex, ſuorum clade intellectâ, Megabazum Perſam cum multis pecuniis Lacedæmonem mittit; ut Peloponneſios ad bellum Athenienſibus inferendum ſollicitaret: reverſuros hoc pacto ex Ægypto, ad ſuccurrendum patriæ, Athenienſes victores ratus. At Lacedæmonii neque pecunias accipiunt, neque aliàs poſtularis Perſarum aures præbent. Nihil igitur ſuccedente; pecuniis etiam fruſtrà effuſis, Megabazum cum reliquâ pecuniâ Rex evocat: & Megabyzum Zopyri novam in Ægyptios expeditionem parare jubet. [*Ibid.*] Megabyzum videlicèt, quem in Xerxis exercitu Imperatoris munere functum fuiſſe Herodotus, [*lib. 7. cap. 82.*] & Xerxis filiam Amytin uxorem duxiſſe refert Cteſias: Zopyri illius filium, qui Babylonem Dario Hyſtaſpidæ recuperavit; ut in ipſo libri tertii fine idem confirmat Herodotus. | 4256 | 458

3547 Artabazus & Megabyzus, ad bellum Ægyptiacum Imperatores deſignati, ex patriâ equeſtres & pedeſtres copias; ultra 300 hominum millia educunt. [*Diodor.*] Sed 200 tantùm millia habet Cteſias. | 4257 | 457

Ubi in Ciliciam & Phœniciam ventum eſt, ab itineris moleſtiâ exercitum Duces recreant: atque Cyprios, Phœnices & Cilices claſſem inſtruere jubent. Trecentis ergo triremibus ædificatis claſſiarios imponunt fortiſſimos, armis teliſque & cunctis rebus ad certamen navale idoneis inſtructos. [*Diodor.*] quibus Oriſcus præfuit. [*Cteſias.*]

In hoc belli apparatu, dum aſſiduè milites exercent, & ad rei militaris induſtriam & artes unumquemque aſſuefaciunt; totum propè annum conſumunt. Athenienſes interea obſidionem illorum, qui in *Album murum* refugerant, urgent. Sed cùm Perſa fortiter ſe tutarentur, nec capi locus ille poſſet; obſidio per totum hunc annum continuatur. [*Diodor.*]

3548 Perſarum in Aſiâ duces, cum terreſtri exercitu per Syriam & Phœniciam iter fecerunt; præternavigante ad latus 300 navium claſſe in Ciliciâ comparatâ: & Memphim tandem pervenerunt. [*Diodor.*] ubi 200000 illis quos ſecum adduxerant, adjunxerunt ſe 300000 quos in Ægypto reliquerat Achæmenides. Ab his cum Ægyptiis eorúmque ſociis acriter pugnatum eſt: utrinque multis, ſed pluribus ex Ægyptiis, cadentibus. Tandem Megabyzus Inarum in femore vulnerat, fugátque: & Perſæ victores evadunt. Inarus verò fugiens, ad munitiſſimam Byblı urbem (in Proſopitide Nili inſulâ poſitam) ſe recepit; & cum eo Græci, & quicunque in prælio & cum Charitimide cæſi non fuerant. Ægyptus, præter Byblum, partes Megabyzi ſequitur. [*Cteſias.*] | 4258 | 456

Megabyzus Ægyptios & Græcos, acie devictos, Memphide ejectos, & in Proſopitidem inſulam compulſos, annum & ſex menſes ibi obſedit. [*Thucyd. lib. 1.*]

3550 *a.* Anno Artaxerxis 20, menſe (nono) Cislevo, Nehemias Suſæ (ubi reges Perſarum hyemare ſolitos, libro 12 Dipnoſophiſt. Athenæus confirmat) accepto nuncio de adverſis rebus in Judæâ (quòd *muros Hieroſolymæ diſſipatos eſſet, & portæ combuſtæ igne*) luget, & adhibito jejunio Deum orat, ut populo ignoſcat & Regem ſibi propitium reddat. [*Nehem.* I. 1,—11.] | 4259 | 455

c. Anno eodem 20, menſe Niſane, quum tempus advenitſet ut ſuo ordine in aulâ Nehemias Regi (cui erat à poculis) miniſtraret; ille, triſtitiæ ſuæ causâ Artaxerxi & conjugi aſſidenti (quam Cteſiæ *Damaſpiam* fuiſſe putamus) expoſitâ, unà cum præfecturâ Judææ, ædificandæ Hieroſolymæ poteſtatem obtinet. [*Nehem.* II. 1,—6.] Indèque Septimanarum Danielis arceſſitur initium. [*Dan.* IX. 24, 25.] | 4260 | 454

Nehemias literis & comitatu à Rege inſtructus, Sanballato Horonitâ Moabitidis & Tobiâ Ammonitidis Toparchâ fremente, Hieroſolymam pervenit, opus aggreditur, & inimicis illis cœptum irridentibus reſpondet. (*Nehem.* II. 7,—20.)

Perſarum duces in Ægypto, fluvii qui Proſopitidem inſulam cingebat alveo exſiccato, & aquâ per foſſas aliò aversâ, naves Athenienſium quæ ibi ſtationem habebant in arido ſtatuerunt, & inſulæ majorem partem continentem reddiderunt. Quamprimùm ergo claſſis in ſiccâ terrâ ſubſedit, Ægyptii timore perculſi, poſthabitis Athenienſibus, cum Perſis in gratiam redierunt. Athenienſes verò à ſociis deſtituti, ubi naves deinceps ad uſum incommodas viderunt, ſubjecto igne omnes concremarunt: ne in hoſtium poteſtatem venirent. Perſæ inde tranſgreſſi, Inſulam terreſtri prælio ceperunt: ſed Græcorum egregiâ audaciâ conſpectâ, & præteritis ſuorum cladibus æſtimatis, cum illis, quorum erant ſex millia & ampliùs, datâ fide ſunt pacti, ut abſque periculo incolumes Ægypto excederent, & domum quum liberet redirent. [*Thucyd. Diodor. Cteſias.*]

Hoc modo res Græcorum in Ægypto, cùm in ſextum annum extraxiſſent bellum, everſæ ſunt: & in poteſtatem Artaxerxis tota Ægyptus rediit, præter Amyrtæum, regem eorum qui in paludibus degunt. Hunc enim, & propter magnitudinem paludis, & quia gens illa bellicoſiſſima eſt Ægyptiorum, expugnare non potuerunt. [*Thucyd. lib. 1.*]

d. Eliashibus (filius Joiakimi, filii Jeſu ſive Jehoshuæ) ſummus Sacerdos, & reliqui Judæi ſuo ordine, mœnibus Hieroſolymitanis conſtruendis ſtrenuè incumbunt. [*Nehem.* III.] à menſis quinti Ab ille quarto incipientes: ut ex cap. VI. 15. colligitur.

Sanballatus & Tobias, unà cum Samaritis & aliis hostibus vicinis, cœptam urbis instauration-nem primùm ludificantur: deinde, quum dimidiam muri partem extructam esse intelligunt, conspirant & in ædificatores insidias moliuntur. Quibus auditis, Nehemias Deum precatus disciplinam militarem instituit, & inimicorum conatus eludit. [*cap.* IV.]

Nehemias expostulantem populum, servitutis, æris alieni, & bonorum oppignerationis onere liberari curat: & ipse exemplo suo præiens de suo remittit, populum publicis oneribus sublevat, & sua cum ipsis communicat. [*cap.* V.]

Nehemias non solùm à Sanballato & aliis vicinis hostibus insidiis appetitur, sed etiam à pseudoprophetis & falsis fratribus objecta impedimenta sustinet. Quibus omnibus superatis, 52 dierum spatio murus tandem perfectus est, mensis (sexti) Elulis die 25; adversariis tum exteris tum domesticis frustrà sese opponentibus. [*cap.* VI.]

Muri dedicatio, maximâ cum celebritate & lætitiâ, peragitur. [*cap.* XII. 27,—43.]

Nehemias officia domûs Dei recognoscit, Urbi præfides instituit custodiasque ordinat; & conventu habito, Israëlitas reduces recenset, ad Urbem incolis muniendam: qui omnes pro suis facultatibus Deo offerunt. [*cap.* VII.]

Quum Græcorum 50 triremes, in priorum sociorum vicem successuræ, in Ægyptum navigassent; ignaræ omnium quæ acta essent, ad Mendesium Nili ostium stationem habuerunt. Ho adorti ab terrâ Persarum pedites, & in mari classis Phœnicum, majorem navium partem submerserunt: paucæ fugâ elapsæ sunt. Ex priorum etiam illorum magno numero pauci per Libyam Cyrenem profugientes, incolumes, majore parte amissâ, evaserunt. Hunc exitum habuit magna Athenienſium sociorúmque in Ægyptum expeditio. [*Thucyd. lib.* 1.]

3551 *a.* In festo Tubarum, mensis septimi die primo, universo Judæorum populo Hierosolymis congregato Lex Dei ab Ezrâ Sacerdote legitur & exponitur. Quâ auditâ, universi perculsi & in lachrymas soluti à Nehemiâ, Ezrâ, & Levitis qui eos docebant, eriguntur & ad festivam hilaritatem invitantur. [*Nehem.* VIII. 1, 2,—12.]

Die secundo, de dubiorum quorundam in lectione Legis occurrentium intellectu, à primoribus paternarum familiarum, Sacerdotibus ac Levitis, Ezra consulitur. Festum tabernaculorum in tuguriis & scenis frondeis sub dio, juxta Legem (*Levitic.* XXIII. 40.) observandum indicitur. [*Ibid.* 13, 14, 15.]

Die 15°. & sex sequentibus, Festum Tabernaculorum summo studio & religione celebratur; & quotidiana libri Legis lectio per septem dies habetur; octavo quoque interdicti die, pro ritu, (*Levitic.* XXIII. 36) observato. *Neque fecerant à diebus Josuæ filii Nun tam celebriter filii Israël usque ad diem illum: & fuit lætitia magna valde.* [*Ibid.* 17, 18.] de quo Hebræi, in majoris sui Chronici cap. 30. *Dici potest, quòd comparat ingressum Israëlitarum in terram diebus Ezræ, cum eorundem in eandem ingressu diebus Josuæ. Quemadmodum diebus Josuæ obligati sunt ad decimas, annos Shemitæ sive remissionis & jubilæi, & sanctificârunt muratas urbes: sic in suo ingressu Ezræ tempore, astricti fuerunt legibus de decimis, de annis Shemitæ, de jubilæis; sanctificârunt urbes muribus cinctas, & vehementer lætati sunt coram Domino.*

Die 24, Israëlitæ reduces, separantes se ab omnibus alienigenis, resipiscentiam suam publicè profitentur: (*Nehem.* IX.) fœderéque cum Deo renovato, ad legis & cultûs ipsius observationem se obstringunt; (*cap.* X.) atque illius præcepti speciatim, (*Levit.* XXV. 4. *Deut.* XV. 1, 2.) de agrorum culturâ & debitorum exactione anno quoque septimo intermittendâ. [*Nehem.* X. 31.]

Principes populi confederunt Hierosolymis: plebs verò reliqua sortes conjecit, ut decima pars urbem sanctam incoleret; præter eos, qui sponte se obtulerunt ad habitandum in eâ. [*Nehem.* XI. *cum* I *Chronic.* IX.]

c. Megabyzus, Sartamâ Ægypti præfecto constituto, unà cum Inaro & Græcorum nonnullis ad Artaxerxem proficiscitur: post datam fidem, nihil eos ab illo detrimenti passuros. Quod etiam à Rege, licèt Inaro ob Achæmenidem interemptum vehementer irato, ita obtinuit: ut mater illius *Amestris* (pro quâ *Amytis* nomen in Ctesiam hic irrepsit) Inarum & Græcos, ipsúmque Megabyzum generum suum, ad pœnas exposcens, repulsam pateretur. [*Ctesias.*] 4261 451

3554 Athenienses Cimonem imperatorem cum ducentis suis sociorúmque navibus in Cyprum miserunt. Ex his sexaginta naves in Ægyptum, accersitæ ab Amyrtæo rege in paludibus degentium, navigarunt: reliquæ Citium in Cypro oppugnârunt. [*Thucyd. lib.* 1.] Persicis tum copiis præerant Artabazus & Megabyzus: quorum prior, classis prætor cum 300 triremibus ad Cyprum stationem habebat; posterior terrestribus copiis (quæ ad 300 hominum millia erant) præfectus, in Ciliciâ stativa habebat. [*Diodor. Sic. lib.* 12. *ad ann.* 3. *Olymp.* 82.] 4264 450

Cimon legatos ad Templum Ammonis misit, de re quâdam occultâ oraculum consulturos. [*Plutarch. in Cimone.*]

3555 In Citii obsidione (ut author est Thucydides) decessit Cimon; vel ex morbo (ut Æmilius Probus) vel (ut alii volunt) ex vulnere quod confligens cum barbaris accepit. Moriens monuit suos ut extemplò discederent; & mortem suam tegerent. Contigitque ut, nemine sentiente neque hostium neque sociorum, illi reverterentur incolumes ductu auspiciisque Cimonis (ut Phanedemus ait) dies jam triginta defuncti. Qui verò ad consulendum oraculum missi fuerant, accepto ab Ammone responso, quòd jam ipse Cimon apud se esset; ad socios in Ægypto reversi, ab eis didicerunt, eodem tempore Cimonem mortem obiisse. [*Plutarch. in Cimone.*] 4265 449

Ex Ægypto redeunte Græcorum exercitu, qui Citium oppugnabant fame pressi, obsidione solutâ, ad Salaminem Cypriam cursum tenuerunt: ubi cum Phœnicibus, Cypriisque & Cilicibus, terrâ & mari congressi sunt. In navali pugnâ, plurimas triremium demerserunt, centum cum ipsis militibus ceperunt, cæteras ad Phœniciam usque insecuti sunt. Persæ verò cum parte

navium

navium adhuc reliqua in Ciliciam, ubi Megabyzus in castris exercitum continebat, refugerunt. Sed Athenienses citato illuc itinere profecti, expolito in littus milite, prælio hostes adorti sunt: in quo Anaxicrates classis præfectus egregiè decertans, heroico mortis genere occubuit. Cæteri prælio victores, magnâ strage editâ, in naves se receperunt: & simul cum iis quæ in Ægyptum ierant navibus, domum sunt reversi. [*Diodor. Sic. ad ann. 3. & 4. Olymp. 82. ex Thucydide correctus.*] Athenienses verò in Ægypto triremes 200 unà cum supplementis, in Cypro 150 amisisse, scribit Ælianus. [*Var. histor. lib. 5. cap. 10.*]

Rex Artaxerxes suorum in Cypro clade auditâ, de bello consilium cum amicis init. Ibi pax ut ineatur cum Græcis ex usu Reipublicæ esse decernitur. Per litteras ergo Ducibus & Satrapis bello Cyprico præfectis edicit, ut quibuscunque possint conditionibus bellum cum Græcis componant. Artabazus itaque & Megabyzus legatos Athenas de pace verba facturos mittunt: in quorum conditiones cùm consentirent Athenienses; legatos & ipli plenâ cum potestate mittunt, quorum princeps erat Callias Hipponici filius. [*Diodor. ann. 4. Olymp. 82.*] Quo etiam tempore Argivi legatos Susa miserunt, qui Artaxerxem interrogarent, an amicitiam quam cum patre ejus Xerxe contraxissent putaret adhuc durare, an ab illo pro hostibus haberentur. Quibus Artaxerxes, imò verò maximè perdurare respondit; nullámque sibi civitatem amiciorem putare quàm Argos. [*Herodot. lib. 7. cap. 151.*]

Pacis fœdus inter Athenienses horúmque socios & Persas his legibus est sanctum. Ut Græcis per Asiam civitatibus universis libertate ac suo jure uti permittatur. Ne Satrapæ Persarum trium dierum itinere inferiùs ad mare descendant. Ne longâ navi intra Phaselidem & Cyaneas excurratur; vel (ut apud Plutarchum habetur expressius) ne intra insulas Cyaneas & Chelidonias longam navem vel rostratam Rex haberet. Hæc ubi Rex & militiæ præfecti rata habuerunt; Athenienses contrà jurârunt se in provincias Artaxerxis arma non expedituros. [*Diodor. ut supr.*] Aram quoque pacis hâc de causâ perhibentur erexisse, ac Calliam qui eam legationem obierat summis honoribus decorâsse. [*Plutarch. in Cimone.*]

3556 Artaxerxes, importunæ matris precibus per quinquennium fatigatus, Inarum & Græcos tandem illi tradidit. Et Inari quidem corpus transversum tribus crucibus suffixit Amestris: Græcis verò quinquaginta (nam plures capere non potuerat) capita amputavit. [*Ctesias.*] Inarum Libyæ regem, proditione captum, in crucem actum fuisse, refert Thucydides. Filium tamen illius Thannyram, Persarum beneficiò, recepisse quem pater obtinuerat principatum, docet Herodotus. [*lib. 3. cap. 15.*] 4266 448

Megabyzus, magno dolore ob Inari & Græcorum cædem affectus, ut sibi in Syriam provinciam suam proficisci liceret petiit. Huc etiam clàm præmisit Græcos alios; ipséque eò profectus à Rege defecit: maximásque copias coëgit, ex centum & quinquaginta millibus constantes. [*Ctesias.*]

3557 Adversus Megabyzum Osiris cum ducentis millibus mittitur. Pugnâ consertâ Osiris jaculo Megabyzum in femore percutit, & vulnus duos digitos altum infligit: ille verò similiter jaculo Osirin in femore, deinde & in humero vulnerat. Unde Osirin ex equo cadere contigit: sed cum complexus Megabyzus, sublatum servari jussit. Multi autem Persæ ceciderunt, Zopyro Artiphióque Megabyzi filiis fortiter pugnantibus. Itaque tandem viribus longè superior evadit Megabyzus: & victoriâ potitus, magnam Osiris curam gerit; cúmque ad Artaxerxem mittit, ipsum repetentem. [*Idem.*] 4267 447

3558 Adversùs Megabyzum alter mittitur exercitus: duce Menostane (vel Menostate) filio Artarii satrapæ Babylonis & regis Artaxerxis fratris. Quibus inter se confligentibus, Menostanes in humero à Megabyzo percutitur, & præterea in capite, sed non lethali vulnere, feritur. Fugam deinde unà cum omnibus suis capit: & Megabyzus splendidâ potitur victoriâ. [*Idem.*] 4268 446

Artarius primùm per legatos, deinde Artoxares Paphlagon eunuchus & Amestris Megabyzo studiosè consilium dant, ut cum Rege paciscatur. Missique ad eum, & ipse Artarius, & Amytis uxor, & Artoxares jam 20 annos natus, & Osiris filius Petisas, vix ut ad Regem proficiscatur persuadent. Cui tandem reverso Rex per nuncios veniam se illi eorum quæ admisisset dare significavit. Sed quum egresso ad venationem Rege, & eum adorto leone, Megabyzus belluam in pedes se erigentem jaculo percutiens interfecisset; succensens ei Rex quòd eam percussisset antequàm ipse eam ullo ictu attigisset, caput abscindi imperavit. Verùm Amestris & Amytis aliotúmque precibus remissâ ei mortis pœnâ, ad urbem Cyrtæ circa mare Rubrum relegatur. Artoxares quoque eunuchus in Armeniam relegatur, quòd sæpè pro Megabyzo liberiùs apud Regem loquutus esset. [*Idem.*]

3559 Herodotus, quum Athenis libros suos in Concilio legisset, honoratus est: ut in Eusebii Chronico legitur. Ubi annotat Scaliger; scripsisse libros suos Herodotum ante profectionem in magnam Græciam, non in magnâ Græciâ, ut quidam putant. (Plinium hîc secuti; ut in anno sequente videbimus.) Verùm nos belli Peloponnesiaci in hisce libris mentionem factam animadvertimus; tum in lib. 7. cap. 137. tum in lib. 9. cap. 72. in quorum priore res gesta anno belli illius secundo, in posteriore quod anno 19°. Decelea est factum (post tempus in Eusebiano Chronico consignatum 33°.) habetur commemorata. *Vid. infrà, ad ann. Mundi 3596. & 3597.* 4269 445

3560 Olympiadis LXXXIV anno primo, Praxitele Athenis archonte, annis 12 ante bellum Peloponnesiacum, Athenienſibus colonos in magnam Græciam ad urbem Thurium instaurandam mittentibus, cum eis profectus est *Lysias*, annum 15 ætatis tùm agens: [*Plutarch. & Dionys. Halicarnass. in vitâ Lysiæ oratoris.*] & Herodotus, 41. qui licèt Halicarnassi in Cariâ natus fuerit, *Thurii* tamen obtinuit postea cognomentum; *διὰ τὴν κοινωνίαν τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας, quòd socium se deducendæ in Thurios colonia præbuisset:* ut in libro 14. habet Strabo. Acta verò est jam dicta Olympias LXXXIV anno Romæ conditæ, juxta Varronis rationes. CCCX. quo, 4270 444

Anno Mundi		Anno Periodi Julianæ.	Annus ante æram Christi.
	Herodotum *Thurii in Italia condidisse historiam* ierupit Plinius, lib. 12. cap. 4. (ut superiore anno notatum est.)		
3562	Per Asiam, Græciam, Siciliam, Italiam, Galliam, Hispaniam, & totum ferè terrarum orbem, alta pax erat. [*Diodor. Sic. ann.* 1. *Olymp.* 84.]	4272	442
	Nehemias, quum 12 annis Judææ præfuisset, ab anno 20 usque ad 32 Artaxerxis, rediit ad Regem. [*Nehem.* V. 14. & XIII. 6.]		
	Eo absente, Eliashib Sacerdos præpositus cubiculo domûs Dei, affinitate cum Tobia contractâ, paravit ei in atriis Templi cubiculum magnum, in quo recondi solebant sacra munera atque decimæ. Filius quoque Joiadæ, filii Eliashibi Sacerdotis summi (qui à jam dicto Eliashibo fuit diversus) Sanballati Horonitæ gener est factus. Quæ cum aliis corruptelis, quæ occasione absentiæ illius irrepserant, Nehemias cum novâ potestate Hierosolymam reversus posteà severè correxit. [*Nehem.* XIII.]		
3563	Megabyzus, quum in exilio quinque annos esset commoratus, aufugit, se pisagan esse simulando (pisagas autem à Persis dicitur leprosus, ad quem nemini accedere licet) & ad uxorem Amytin domúmque proficiscitur; & vix agnitus, per Amestrin & Amytin cum Rege reconciliatur: qui eum, quemadmodum anteà, suæ mensæ participem facit. Et quum 76 vixisset annos, mortuus est: propter quod magno Rex est mœrore affectus. [*Ctesias.*]	4273	441
3564	Bellum inter Samios & Milesios, ob Prienen, ortum est: anno post tricennalia Atheniensium & Lacedæmoniorum fœdera, ut ait Thucydides sexto, (ineunte sc.) Olympiadis verò LXXXIV, ut notat Diodorus, anno quarto (quasi medio.) Priene urbs Cariæ est: quam & Samii & Milesii sibi vindicabant. Milesii, bello inferiores, assumptis ex ipsis Samiis privatis quibusdam qui novari statum Reipublicæ cupiebant, Athenas profecti, de Samiorum injuriis conqueruntur. Quibus mandârunt illi, ut à bello quiescerent, & apud se de controversiâ disceptarent. Quod cùm Samii facere recusarent: bellum adversùs eos pro Milesiis decernendum procuravit Pericles, in gratiam amasiæ suæ Aspasiæ (nobilis illius meretricis, quam non tam ob summam formæ præstantiam quàm ob singulares animi dotes mirè ille diligebat) quæ patre Axiocho quodam Mileti nata fuerat. Athenienses igitur in Samum 40 missis navibus, duce Pericle, non magno negotio urbem in potestatem suam redegerunt, & optimatum gubernationem in popularem ibi converterunt.	4274	440
	Statim verò post Periclis discessum, gravis in Samo seditio orta est: aliis popularem statum tuentibus, aliis optimatum administrationem magis probantibus. Qui ergo Democratiæ (noviter inductæ) adversabantur, consilio cum primoribus civitatis inito, in Asiam ad Pissuthnem Hystaspis filium regis Persarum Satrapam, qui Sardibus tùm imperitabat, profecti; societate cum eo contractâ, & 700 circiter militum manu ab eo acceptâ, cum eis furtim noctu in Samum trajiciunt. Ubi à complicum suorum factione adjuti, urbe potiti sunt: & apertos sese hostes Atheniensium professi, præsidium eorum & præfectos Pissuthni donârunt. Quibus peractis, extemplò adversùs Miletum, Byzantiis quoque ad defectionem pertractis, expeditionem adornârunt.		
	Athenienses, cognitâ Samiorum defectione, naves in Samum 60 trajiciunt: quarum 16 partim in Cariam Phœnicum navibus obviam sunt missæ, partim in Chium ac Lesbum, ut auxilia inde evocarent; reliquæ 44 cum Pericle militiæ duce & novem collegis mansérunt. Samii, revocatis 20 navibus militem portantibus, quas ad Miletum oppugnandam miserant, & 50 aliis adjunctis, cum 44 Atheniensium navibus ad Tragiam insulam congressi, superati sunt. Inde, quum Athenis 40 naves & Chiorum Lesbiorúmque 25 auxilio venissent, Athenienses egressi in terram, & ibi quoque superiores facti, portum occupârunt, triplicique urbem muro cingentes, à mari navibus clausérunt.		
	Paucis interjectis diebus, Pericles, acceptis ab Cauno Cariáque nunciis, quòd Phœnicum contra se naves venirent, quas Persæ auxilio Samiis mittebant, parte copiarum ad obsidionem relictâ, 60 ex statione naves assumpsit, maturatóque illuc itinere contendit. Stesagoras quoque ex Samo cum quinque navibus, & alii in Phœnicum occursum tendebant.		
	Samii, discessum Periclis idoneum sibi tempus attulisse considerantes, quo reliquas ejus naves invaderent, hortatu & ductu Melissi Ithogenis filii, summi Philosophi, eruptione subitò factâ, castra Atheniensium intuta neglectáque invadunt; præsidiariisque navibus demersis, cum reliquis acie congressi, eas superant. Hinc mari vicino 14 dies potiti, exportabant & importabant quæcunque volebant.		
	Pericles, suorum clade auditâ, sine mora regressus, classem numerosam ac validam contrahit. Cúmque subitò 40 naves Thucydides Agnónque & Phormio, 20 Tlepolemus & Anticles ab Athenis adduxissent, 50 quoque Chii & Mitylenæi misissent; jam magnis instructus copiis, Melisso acie fuso, obsidionem terrâ marique intentat, assiduisque urbem oppugnationibus fatigat. Obsidionales machinæ, arietes videlicèt & testudines, ab Artemone Clazomenio primùm ibi inventæ fuisse dicuntur: quem Artemonem Mechanicum cum Artemone Periphoreto, cujus in versibus suis (apud Athenæum, libro 12) meminit Anacreon, perperàm confudit Ephorus historicus. [*Thucyd. lib.* 1. *Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 84. & *Plutarch. in Pericle.*]		
3565	Nono mense Samii sese dediderunt; dejectis muris, datis obsidibus, traditis navibus, impensas belli præfinito temporis spatio soluturi. Convenerunt & Byzantini, ut, sicut priùs, Atheniensibus subjecti essent. [*Thucyd. lib.* 1.]	4275	439
3566	Archæanactidis in regno Bosphori Cimmerii successit Spartacus. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 85.]	4276	438
3571	Spartacus mortem obiit: quem regnasse annos XVII, apud Diodorum Siculum ad annum 4 Olympiadis 86, VII verò, apud eundem, ad annum 3 Olymp. 85, legimus; quum interstitium inter utrumque annum Olympiacum, initio & fini ejus assignatum, quinque vel (utroque incluso	4281	433

incluſo termino) ad ſummum ſex regni annos nobis exhibeat. Spartaco verò in regno Boſphori ſucceſſit Seleucus.

3572 Athenis, anno præturæ Apſeudis & 4° Olympiadis LXXXVI propè completo, Meton Solſtitium æſtivum obſervavit die 21 Ægyptii menſis Phamenoth, (ſive Junii Juliani 27) tempore matutino. [*Ptolem. magn. Syntax. lib. 3. cap. 2.*] Deinde Ennea-decaeteridem ſuam, ſive Cyclum lunarem 19 annorum inſtituit. [*Diodor. Sic. ann. 4. Olymp. 86.*] à Novilunio ſolſtitium illud proximè ſecuto, ſive Julii Juliani die 15°, initium illius deducens. 4282 432

3573 A Cyrenæis occiſus eſt Arceſilaus, octavus eorum rex: ille qui 31 Pythiadem (anno 3 Olympiadis LXXIX) curru vicit; à Pindaro in Odâ IV & V celebratus. Cui ſuccedere conatus filius, à Cyrenæis repulſus eſt: & in Heſperidas inſulas ſe conferens, ibi defunctus eſt. Atque ita Cyrenaicum regnum, quod 200 annis duraverat, quatuor Battis ac totidem Arceſilais (juxta Delphicum oraculum, ab Herodoto commemoratum, *lib. 4. cap. 163.*) alternatim ſibi ſuccedentibus, finitum eſt. [*Scholiaſt. Pindari, in Od. 4. Pythion.*] 4283 431

Ad finem decurrente anno primo Olympiadis LXXXVII, cùm duo tantùm menſes magiſtratus Pythodori Athenienſis archontis ſupereſſent; ineunte vere, cœptum eſt geri inter Lacedæmonios & Athenienſes bellum Peloponneſiacum: in quo, Athenienſium partibus ſe adjunxerunt Aſiatici maris accolæ, Cares, Dorienſes, Iones, Helleſpontii & omnes Inſulani, exceptis qui Melum & Theram inhabitabant. Legationes verò utrique ad Artaxerxem Regem Perſiæ deſtinabant; ſubſidium ab eo expetentes. [*Thucyd. lib. 2.*]

Initio hujus belli, tres nobiles hiſtorici vixerunt: Hellanicus 65, Herodotus 53, & Thucydides 40 annos natus: ut ex Pamphilæ libro XI refert A. Gellius. [*lib. 15. cap. 23.*] quorum poſtremus belli hujus hiſtoriam, uſque ad annum 21, per æſtates & hyemes diligenter pertexuit; ab initio veris æſtatem, ab initio autumni hyemem inchoans.

Primâ hujus belli æſtate, tanta poſt meridiem Solis eclipſis contigit, ut ſtellæ conſpectæ fuerint. [*Thucyd. lib. 2.*] Unde terror, ut prodigio oblato magno, inceſſit omnes. Pericles verò navis ſuæ gubernatorem trepidum & ſtupentem cernens, chlamydem objecit oculis ejus; tectúmque interrogavit nunquid horrendi id eſſet, aut portenderet gravius? Abnuente eo: Quid autem, inſit, inter hoc & illud intereſt; niſi quatenus illud quod caliginem invexit, chlamyde eſt grandius? [*Plutarch. in Pericle.*] & quæ à præceptore ſuo Anaxagorâ pertinentia ad Solis & Lunæ curſum acceperat, diſſeruit: nec ulteriùs trepidare cives ſuos vano metu paſſus eſt. [*Valer. Maxim. lib. 8. cap. 11.*] Hoc autem anno, tertio die Auguſti, horâ poſt meridiem quintâ, ad 10 circiter digitos Solem Athenis fuiſſe obſcuratum, Aſtronomicus etiam calculus demonſtrat.

3574 Peſtis horrenda, in Æthiopiâ primùm orta, inde Ægyptum Libyámque & maximè regis Perſarum regiones pervagata, Athenas ſecundâ belli æſtate graviſſimè afflixit. [*Thucyd. lib. 2.*] Genus morbi hiſtoricè deſcripſit (qui & ipſe eo morbo laboravit & alios laborantes vidit) Thucydides; medicè (qui ei curando tùm præſens operam præſtitit) explicavit Hippocrates, (*libro 3. Epidem. ſect. 3.*) poëticè verò (qui longo poſt tempore vixit) depinxit Lucretius. 4284 430

In Colophoniorum oppido Notio domeſticâ ſeditione ortâ, Itamanes & Medi ab altera factione acciſiti ſuperiorem partem urbis occuparunt. [*Thucyd. lib. 3.*]

Extremâ æſtate, Ariſteas Adimanti filius Corinthius, & Lacedæmoniorum legati, Aneriſtus, & Nicolaus, & Pratodemus, ac Tegeates Timagoras, ſuóque nomine Polis Argivus, in Aſiam ad Artaxerxem euntes, ut ab eo pecuniam ad bellum auxiliáque compararent; in Thraciam uſque ad Sitalcem regem Terei filium pervenerunt. Sed cùm inde trajicere Helleſpontum cogitarent ad Pharnacem Pharnataci filium, per quem ad Artaxerxem deducerentur; à Sadoco Sitalcis regis & Nymphodoro Abderitâ Pythei filio proditi, Athenas deportati ſunt. Quo poſtquam venerunt, indemnatos & dicere etiam quædam conantes, Athenienſes eâdem die omnes necaverunt, & necatos in foſſas conjecerunt. [*Thucyd. lib. 2. cum Herodoto, lib. 7. cap. 137.*]

3575 a. Sequente hyeme, Athenienſes ſex naves in Cariam, duce Meleſandro, ablegârunt: ut & pecunias in illis regionibus exigerent, & prædones tollerent, qui ex Peloponneſo exeuntes infeſtare ſolebant naves onerarias, ex Phaſelide Phœnicéque & illâ continente navigantes. Meleſander verò cum Athenienſium navalibus copiis & ſociis egreſſus in Lyciam, acie victus, ipſe cum parte exercitûs interfectus eſt. [*Thucyd. lib. 2.*]

Seleucus in Boſphoro Cimmerio regnare deſiit; quum annis quatuor principatum illum obtinuiſſet. [*Diodor. ad. ann. 4. Olymp. 86.*] Poſt quem regnâſſe videtur Spartacus II. annis 12. 4285 429

3576 Pericles mortuus eſt, anno 4. Olympiadis LXXXVII. [*Diodor. lib. 12.*] poſt inchoatum bellum Peloponneſiacum (cujus ipſe præcipuus author fuerat) annis 2 & menſibus 6. [*Thucyd. lib. 2. " Ariſtid. Orat. Platon. 2. "*] quum 40 annis Reipublicæ Athenienſium præfuiſſet. [*Cicero, lib. 3. de Oratore; & Plutarch. in Pericle.*] 4286 428

Anaxagoras Clazomenius, Periclis præceptor, mortem obiit; cùm annos 72 vixiſſet: Olympiade LXX natus, & anno primo Olympiadis LXXVIII (lege, LXXXVIII) mortuus; ut ex Apollodori Chronicis refert, in illius Vitâ, Laërtius; ubi etiam addit; Lampſacenos eum honorificè ſepeliviſſe, hoc etiam (quod apud Ælianum quoque legitur, *lib. 8. Var. hiſtor. cap. ult.*) appoſito Epitaphio. 4286 428

Ἐνθάδ' ὁ πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας
Οὐρανίου κόσμου πάντα Ἀναξαγόρας.
Hic jacet ille, cui rerum patuere receſſus
Atque arcana poli, magnus Anaxagoras.

3577 Hyeme quarti anni belli Peloponneſiaci, Athenienſes naves duodecim, quæ ab ſociis tributum exigerent, ablegârunt, duce Lyſicle cum quatuor collegis. Is cùm hinc inde obeundo pecunias exigeret, dum Cariam ex Myunte per Mæandrium campum uſque ad Sandium collem

transgrediuntur: Cares Anæitæque ex insidiis coorti, cum cum magna parte exercitus delevêrunt. [*Thucyd. lib.* 3.]

Alcidas classis Lacedæmoniorum præfectus, ad Myonesum Teiorum promontorium appellens, Græcorum Asiaticorum captivos plerosque quos in navigando interceperat, peremit. Quum verò Ephesum attigisset, Samiorum qui ex Anæis erant legati supervenientes, non ritè eum Græciam liberare dixerunt, si eos interficiat, qui neque arma contra ipsum tulissent, neque hostes essent, sed tantùm Athenienſium necessariò socii fuissent. Quibus ille persuasus, reliquos dimisit. [*Id. ibid.*] 4287 427

Seditione iterùm inter veteres cives, qui in inferiore parte urbis Notii habitabant, & eos qui illuc fugerant, ortâ: alteri à Pissuthne (Lydiæ Satrapâ) auxiliis Arcadum & barbarorum acciti, muro se interseperunt; atque iis qui Colophoniorum superiorem urbem tenentes Medorum partis erant sese adjungentes, unam Rempublicam fecerunt. Alteri verò, cùm se clam istis subduxissent, & exularent, Pachetem Athenienſium ducem accersierunt. Is vocato ad colloquium Hippiâ, Arcadum qui in munitione erant Duce à Pissuthne constituto, datâque fide ut, si inter eos non conveniret, salvum & incolumem intra muros restitueret: postquàm exivit, extemplò in custodiam eum, sine vinculis tamen, tradidit. Inde munitionem repentè capit, & ex inopinato Arcadas barbarósque qui intus erant interimit: ipsúmque postremò Hippiam, ut spoponderat, introduxit, introductum verò comprehendit, sagittisque configit. Notium Colophoniis, præterquàm qui Medorum partis fuerant, restituit. Posteà colonos illuc Athenienses miserunt, & suis legibus urbem administrárunt; undique per omnes civitates Colophoniis civibus conquisitis. [*Thucyd. lib.* 3. *Polyæn. Stratagem. lib.* 3.]

3579 *c.* Artaxerxes Artaphernem Persam ad Lacedæmonios legatum misit, cum Epistolâ literis Assyriis scriptâ: in quâ, inter alia multa, quænam ipsorum voluntas, quive animus esset, non potuisse se assequi significavit. Nam & legatos venire multos, & nullius tamen cum cæteris verba consentire: quòd si suam aperire mentem velint, cum hoc Persâ mitterent aliquos. [*Thucyd. lib.* 4.] 4289 425

d. Artaxerxes vitâ excessit: eique filius Xerxes in imperio ad unum duntaxat annum successit. [*Diodor. Sicul. ann.* 4. *Olymp.* 88.] Cujus mater Damaspia, eodem ipso die quo Xerxes, (vel Artaxerxes maritus potiùs; ut sequentia indicant) è vitâ discessit. Bagorazus verò eunuchus cadaver patris & matris in Persiam tulit. [*Ctesias.*]

3580 *a.* Hyeme anni 7 belli Peloponnesiaci, Aristides, Archippi filius, unus ex præfectis navium quæ tributi ab sociis colligendi causâ Athenis missæ fuerant, Artaphernem Persam legatum ab Artaxerxe ad Lacedæmonios euntem, Eione ad Strymonem fluvium comprehensum, Athenas advexit. Athenienses verò Artaphernem triremi miserunt Ephesum, & suos una legatos. Qui cùm illic audissent Artaxerxem mortem nuper obiisse, domum redierunt. [*Thucyd. lib.* 4.]

b. Principio insequentis æstatis, Solem ex parte defecisse, libro 4. narrat Thucydides; à Veris principio, ut solet, Æstatem inchoans. Martii enim Juliani die 21, ad finem tendente anno 4. Olympiadis LXXXVIII, ante meridiem Solem ultra dimidiam diametri partem obscuratum fuisse, calculus Prutenicus ostendit. 4290 424

Exules Mitylenæorum (post captam ab Athenienſibus Mytilenen) aliorúmque Lesbiorum magno numero coacti, & auxiliis ex Peloponnesò mercede conductis, Rhœtium ceperunt: acceptíque duobus millibus staterum Phocaicorum, urbem inviolatam suis restituerunt. Inde Antandrum motis copiis, urbem proditione occupárunt. Constituerant enim cùm reliquas, quæ Actææ appellantur, urbes (quas Mitylenæi prius coluerant, tunc verò Athenienses tenebant) tum maximè Antandrum, liberare: quâ firmatâ, cùm naves ibi ædificare, ob lignorum copiam & Idam propinquam, possent: his aliísque apparatu, se Lesbum inde propinquam infestare, inde Æolica quæ in continente essent oppida, in potestatem redigere posse sperabant. [*Thucyd. lib.* 4.]

c. Erant tunc in Hellesponto *Aristides & Demodocus* (*Symmachum* appellat Diodorus) præfecti navium Athenienſium stipendium ab sociis exigentium; *Lamacho*, qui tertius erat, in Pontum cum navibus 10 provecto. Illi, ubi Mitylenæos Antandrum communire velle accepissent; ex sociis exercitu coacto, illò navigant, hostes ab Antandro egressos acie fundunt, & oppido iterùm potiuntur. Lamachus verò qui in Pontum ierat, quum in Heracleotide fluvium Calecem (Cachetem Diodoro dictum) subiisset; relictis in eâ statione navibus, agros Heracliensium (qui, ob amicitiam regis Persici, collarionem tributi abnuerant) populatus est. Sed cùm magna vis imbrium effusa esset, & amnis violento aquarum impetu se præcipitaret; navibus ad confragosa littorum loca illisis classem cum majore parte exercitûs amisit. Itaque cùm neque mari posset amissis navibus, neque terrâ auderet cum parvâ manu inter tot ferocissimas gentes reverti; Heraclienses honestiorem beneficii quàm ultionis occasionem rati, instructos commeatibus auxiliisque dimiserunt: bene agrorum suorum populationem impensam existimantes, si quos hostes habuerant, amicos reddidissent. Lamachus autem, cum reliquis quos habebat militibus, terrâ per vicinos Thraces, qui trans mare in Asiâ sunt, Chalcedonem pervenit. [*Thucyd. lib.* 4. *Diodor. lib.* 12. *Justin. lib.* 16. *cap.* 3.]

d. Quum Xerxes in quodam festo ebrius esset, atque in regia suâ dormiret; frater ejus Secundianus (ex Alogunâ Babyloniâ susceptus) & Pharnacyas eunuchus ingressi, eum interfecerunt. [*Ctesias.*]

Secundianus, Sogdianus aliis dictus, imperio potitus est mensibus 7, ut habet *Diodorus* (ad annum 1 Olymp. 89.) vel mensibus 6 & diebus 15, ut *Ctesias*.

Secundianus jampridem cum Bagorazo eunucho simultatem exercens, ex eo quod circa patris

cadaver absque consilio suo egerat crimnis prætextu arrepto, lapidibus obrui imperavit. Quod factum ægerrimè exercitus tulit: qui quamvis ab eo muneribus donaretur, eum nihilominùs ob Bagorazi & fratris Xerxis cædem odio prosequebatur. [*Cresias.*]

3581 *a.* Ochus (quem pater Artaxerxes Hyrcanorum præfectum constituerat) à fratre suo Secundiano accersitus, venturum se promittit; sed minimè venit: & hoc ab eo sæpiùs fit. Tandem Ochus multo se munit exercitu, & regnum occupaturus speratur. Arbarius equitum Secundiani præfectus ab eo ad Ochum defecit, deinde Arxanes Ægypti satrapa, Artoxares quoque ex Armeniâ ad eum venit; ipsique invito cidarim imposuerunt. [*Idem.*] 4291 423

b. Regnat Ochus, & nomine mutato Darius appellatur: qui dolis juramentisque, monitu Parysatidis (sororis suæ simul & uxoris) Secundianum tentat. Secundianum verò Menostanes (qui præcipuum inter eunuchos apud eum locum tenebat) diligenter hortabatur ne crederet ejus juramentis, neque cum fallacibus hominibus pacisceretur: sed nihilominùs Secundianus persuadetur & capitur, & in cinerem conjectus moritur. [*Idem.*] De quo supplicii genere, vid. suprà ann. Mund. 3485. b. & [II. *Maccab.* XIII. 5, 6.]

Interfecto Secundiano sive Sogdiano, solus regnat Ochus, Darius Nothus appellatus: ad finem decurrente anno 1. Olympiadis LXXXIX; ut ex Thucydidis libro 8°, & Diodori Siculi 12°, intelligitur.

3582 Deliis ab Athenienſibus patrio solo expulsis, Pharnaces Adramytium in Asiâ incolendam dedit. [*Thucyd. init. lib.* 5. *Diodor. ann.* 3. *Olym.* 89.] 4292 422

3583 Athenienses, Delphico oraculo moniti, Deliis insulam suam restituerunt. [*Thucyd. lib.* 5.] 4293 421

3588 Byzantini & Chalchedonii, adjunctis etiam Thracibus, magno cum exercitu in Bithyniam trajiciunt: agrisque pervastatis, multisque oppidulis per vim expugnatis, facinora supra modum crudelia perpetrârunt. Magno enim captivorum agmine ex viris, mulieribus & pueris collecto; ad unum omnes promiscuè jugulârunt. [*Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 91.] 4298 416

3589 *a.* Jubilæus XXI. quem postremum Veteris Testamenti Prophetæ viderunt. Neque enim locus [*Nehem.* XII. 22.] de Dario ultimo accipiendus est, sed de Dario Notho: cujus tempore summum Pontificatum post patrem *Joiadam* (*Judam* Josepho dictum) obtinuisse *Johananem*, (qui & *Johannes* & *Jonathan* appellatus est) & *Jadduam* ejusdem filium Pontificatûs hæredem fuisse natum, Nehemias innuit. [*c.* XII. 22, 23.] Verùm istorum obiter tantùm ille meminit: cùm justam historiam intra imperii Artaxerxis Longimani (patris hujus Darii) terminos contineat: de quo Josephus, libro primo contra Apion. *A morte Mosis usque ad Artaxerxem Persarum regem, qui fuit post Xerxem, Prophetæ suorum temporum res gestas in tredecim libris conscripserunt. Ab Artaxerxe verò usque ad nostrum tempus, singula quidem conscripta, non tamen prioribus simili fide sunt habita, eo quòd non fuerit certa successio Prophetarum.* Et Eusebius, in Chronico: ad annum Artaxerxis hujus 32; in quo Nehemiæ continua historia desinit. *Hucusque Hebræorum divina scriptura annales temporum continent. Ea verò, quæ post hæc apud eos gesta sunt, exhibemus de libro Maccabæorum, & Josephi & Africani scriptis; qui deinceps universam historiam usque ad Romana tempora prosecuti sunt.*

Ultimum verò Prophetarum Malachiam Nehemiæ fuisse *σύγχρονον*, ex eo colligunt: quòd non hortetur populum ad ædificationem Templi, ut *Haggæus* & *Zacharias* fecerunt; sed extructo jam Templo, eos reprehendat corruptelas, quas tempore secundæ suæ præfecturæ apud Judæos se deprehendisse, in postremo libri sui capitulo Nehemias indicat; conjugia nimirùm cum alienigenis inita, [*cap.* II. 11.] decimarum detentionem, [*c.* III. 8.] & divini cultûs depravationem. [*c.* I. 13. II. 8.] Et quia deinceps solita Prophetarum successio non erat expectanda, extremis prophetiæ suæ verbis populum Malachias hortatur, ut Legi Mosis constanter adhæreat, usque dum exhiberetur summus Ecclesiæ Propheta *Christus*; cujus præcursor *Johannes* Baptista venturus esset *in spiritu & virtute Eliæ, ut converteret corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam justorum.* [*Malach.* IV. 4. *collat. cum Luc.* I. 17. *Matth.* XI. 14. & XVII. 12.] Quò spectat & illa Ecclesiæ vox, apud Hieronymum. [lib. 13. Commentar. in *Esai. cap.* XLIX.] *Post Aggæum & Zachariam & Malachiam, nullos alios Prophetas usque ad Johannem Baptistam viderat.* Vid. I. Maccab. IV. 46. & IX. 27. & Augustin. de Civ. Dei, lib. 17. cap. 24.

Prophetis successisse Viros Synagogæ magnæ, initio libri *Pirke Aboth* legimus: licèt Judæi posteriores in horum numerum ipsos etiam Prophetas, *Haggæum*, *Zachariam* & *Malachiam* referant; & *Exræum* caput Synedrii hujus constituant.

3590 Pissuthnes Lydiæ Satrapa à Dario rege defecit; & adversùs eum Tissaphernes, Spitradates & Parmises missi sunt. Pissuthnes verò adversùs eos tendit; secum habens Lyconem Athenienſem, cum Græcis quorum ille dux erat. Sed Regis duces pecuniis Lyconem Græcósque captârunt; & ut à Pissuthne desciscerent, persuaserunt. Deinde Pissuthni fide datâ, & ab eo acceptâ, eum ad Regem duxerunt: qui eum in cinerem conjecit, ejúsque Satrapiam Tissapherni tradidit. Lycon autem & urbes & regiones mercedem proditionis accepit. [*Cresias.*] 4300 414

Ægyptum à Persis recessisse, & regnavisse ibi *Amyrtæum* Saitem annis 6. notat Eusebius in Chronico: qui *Amyrtæus* ille fuisse videtur, cujus meminit Herodotus lib. 2. cap. 140. & lib. 3. cap. 15. ubi plurimis malis Persas eum affecisse significat.

3591 Ætate 19. belli Peloponnesiaci, cùm Nicias noctu Athenienſium exercitum Syracusis clàm esset abducturus; Lunæ defectio in medio mensis Metagitnionis (*Augusti* Juliani die 27, horâ post meridiem circiter 10) oborta est: cujus conspectu ille territus, dilato abnavigationis tempore, & se & exercitum perdidit. [*Thucyd. lib.* 7. *Polyb. lib.* 9. *Diodor. Sic. ann.* 4. *Olymp.* 91. *Plin. lib.* 2. *cap.* 12. *Plutarch. in Nicîâ, & in lib. de Superstitione.*] 4301 413

Insequente hyeme, duo Darii in orâ maritimâ minoris Asiæ præfecti, Tissaphernes Lydiæ & Pharna-

Pharnabazus Pharnabaci filius Helleſponti Satrapa, quò ex Græcis provinciarum ſuarum urbibus tributum Regi pendi ſolitum, quod Athenienſes ſolvi prohibuerant, recuperarent; ut ab Athenienſibus deficerent, eas ſolicitárunt: ſimúlque Peloponneſios ad bellum contra eos gerendum inſtigantes; ut ſocietatem cum Rege quamprimùm Lacedæmonii inirent laborârunt. Debilitatis etiam hoc modo in Aſiâ viribus Athenienſium, quorum auxilio fretus Piſſuthnes à Rege defecerat, Amorgen filium illius ſpurium, qui circa Cariam arma ceperat, ſperabat Tiſſaphernes, ut ei ab Rege præceptum erat, aut vivum adducturum aut interfecturum. Cùm Chios igitur & Erythræos paratos ad rebellandum cerneret, unà cum illorum legatis ſuum etiam, ad negotium communi conſilio promovendum Lacedæmonem miſit. [*Thucyd. lib.* 8.]

Sub idem tempus Calligetus Laophontis & Timagoras Athenagoræ filius (Megarenſis ille, hic Cyzicenus, ſuâ uterque patriâ extortis) Cyzicenorum nomine à Pharnabazo, cujus hoſpites erant, Lacædemonem venerunt; ut naves ab eis, quas in Helleſpontum deducerent, impetrarent. Hæc ſeorſim utriſque, Pharnabazi & Tiſſaphernis legatis, agentibus; magnum inter Lacedæmonios ſtudiorum certamen exarſit: his ut in Ioniam & Chium, illis ut in Helleſpontum claſſis priùs mitteretur, perſiladere nitentibus. Sed tandem Chiorum & Tiſſaphernis apud Lacædemonios maximè valuit petitio. Alcibiade quoque Cliniæ filio cauſam eorum adjuvante; qui, capitis ab Athenienſibus ſuis damnatus, apud Endium ephorum paternum hoſpitem tùm degebat. Erythræis igitur & Chiis in ſocietatem receptis; quadraginta, quæ eis mitterentur, naves decretæ ſunt. Calligetus autem & Timagoras, Pharnabazi & Cyzicenorum nomine, ad claſſem quæ in Chium mitteretur inſtruendam nihil contulerunt; 25 talenta, quæ ſecum ad naves conducendas attulerant, dare nolentes: quia propriâ poſteà claſſe navigare ipſis in animo erat. [*Id. ibid.*]

3592 *b.* Æſtate 20 belli Peloponneſiaci, ab Endio cæteríſque Ephoris Alcibiades Athenienſis & Chalcideus Lacedæmonius cum quinque navibus in Ioniam miſſi, ut urbes ibi Græcas ab Athenienſium ſocietate averterent, Corycum approperato itinere attigerunt. Eorúmque ſuaſu, Chii primùm, deinde & Erythræi, ab Athenienſibus apertè defecerunt. Exin tribus navibus Clazomenas provecti, eas quoque ad defectionem pertraxerunt. Clazomenii protinùs in continentem tranſgreſſi, caſtellum condiderunt; quò perfugium ſibi eſſet, ſi quâ ex parvâ inſulâ, quam tenebant, cedere cogerentur. Sic omnes quicunque defectionis participes erant, ſummo ſtudio ſe communire bellúmque apparare cœperunt. [*Thucyd. lib.* 8.] 4302 412

Strombichides Athenienſium dux Samum cum octo navibus adveniens, illinc ſumptâ unâ Samiâ, Teum trajecit; ejúſque incolis ne quid moliri vellent perſuaſit. Eòdem & Chalcideus cum 13 navibus advenit: aderátque ei Clazomeniorum atque Erythræorum peditatus. Teii peditatum illum quum à principio excipere noluiſſent, poſt Athenienſium fugam introduxerunt: qui expectato aliquandiu Chalcideo ab inſecutione Athenienſium necdum revertente, murum quem mediterranea versùs ad urbem Athenienſes extruxerant demolitus eſt, adjuvantibus eum aliquot qui ſupervenere barbaris, duce Tage Tiſſaphernis prætore. Chalcideus Alcibiadéſque ad Samum uſque Strombichidem perſecuti, aſſumptis navibus Chiis 20, Miletum navigârunt: eámque Alcibiadis præcipuè operâ, quòd ei familiaritas cum primoribus Mileſiorum intercederet, ad defectionem induxerunt. Eos inſecuti cum 18 navibus Athenienſes, quum à Mileſiis non reciperentur, in Ladam inſulam è regione ſitam appulerunt. [*Ibid.*]

Statim poſt Mileſiorum defectionem, primi Lacedæmoniorum cum rege Perſarum ſocietas per Tiſſaphernem & Chalcideum facta eſt: eâ conditione, ut quæſcunque regiones aut urbes Rex jam poſſideret, ejúſque majores poſſederunt, in Regis ditione manerent. [*Ibid.*]

Confeſtim inde Chii cum decem navibus, ut quid Mileti ageretur cognoſcerent & ſimul ad defectionem civitates ſolicitarent, Anæam (in Cariâ) vela dederunt. A Chalcideo autem nuntio ut redirent accepto, quoniam Amorges (Piſſuthnis filius) terrâ militem adduceret, ad Dioshieron (Ioniæ oppidulum) navigârunt. Ibi conſpectis ſexdecim navibus, quibus poſt Thraſyclem Diomedon ab Athenis exierat; Chii cum unâ navi Epheſum, cum reliquis Teum diffugerunt. Sed earum quatuor ab Athenienſibus interceptæ ſunt, vacuæ tamen, hominibus priùs in terram elapſis: reliquæ urbem Teiam tenuerunt. Poſthæc cùm in Samum Athenienſes abiiſſent; Chii cum reliquis navibus & pedeſtribus ſimul copiis digreſſi, Lebedum & Eras (in Ioniâ) ad defectionem pertraxerunt. [*Ibid.*]

Poſteaquàm ab Teo pedeſtres Chiorum copiæ abſceſſerunt, Tiſſaphernes cum exercitu adveniens, diruto Tei, ſi quid reliquum erat, muro, abiit. Digreſſo eo, paulò pòſt Diomedon cum decem navibus Athenienſium advenit; cúmque Teiis, ut ſe quoque reciperent, paciſcitur. Et illinc profectus Eras, quum urbem adortus expugnare non poſſet, abſceſſit. [*Ibid.*]

Athenienſes, capto Clazomeniorum in continente caſtello, ipſos in urbem ſuam, quæ in inſulâ erat, remigrare coëgerunt; præter defectionis authores, qui Daphnuntem conceſſerant. Sic in fidem Athenienſium Clazomenæ reverterunt. [*Ibid.*]

c. Eâdem æſtate naves 20 Athenienſium, quæ in Ladâ inſulâ adversùs Miletum in ſtatione fuerant, ad Panormum Mileſii agri excenſione factâ, Chalcideum Lacedæmonium præfectum cum paucis occurrentem obtruncárunt. Hinc tertiâ diſcedentes die trophæum erexerunt: quod Mileſii, tanquam ab iis poſitum qui regione haud quaquàm potiti fuiſſent, dejecerunt. [*Ibid.*]

Extremâ æſtate, 1500 Athenienſes gravis armaturæ, & 1000 Argivi, totidémque ex ſociis, navibus 48, Phrynicho & Onomacle & Scironidâ ducibus, Athenis tranſmiſerunt in Samum; indéque ad Miletum tranſgreſſi, caſtra poſuerunt. Adversùs eos egreſſi, Mileſiorum 800 gravis armaturæ milites, Alcibiades cum iis quos Chalcideus adduxerat Peloponneſiis, auxilia item Tiſſaphernis peregrina quædam, ipſéque Tiſſaphernes cum ſuo equitatu; prælium cum Athenienſibus & eorum ſociis committunt. Argivi qui primam aciem in ſuo cornu tenebant,

nimiùm

nimiùm viribus ſuis fiſi, à Mileſiis (quos ut Ionas, contempſerant) fugati, paulò minùs trecentos ex ſuis deſiderârunt. Sed victoria præcipua penès Athenienſes fuit: qui trophæo poſito, Miletum in peninſulâ ſitam obſidere parabant. Sed adventantis claſſis Siculæ & Peloponneſiæ nuncio turbati, ſuaſore Phrynicho, in Samum ſe receperunt. (*Ibid.*)

Claſſis adveniens, aucta navibus Chiis quæ priùs cum Chalcideo ab hoſtibus pulſæ fuerant, petente Tiſſaphernе, Iaſum invaſit: ubi Amorges Piſſuthnæ filius ſpurius, qui à Dario defecerat, ſe tenebat. Peloponneſii, ſub Aſtyocho, rei maritimæ præfecto, (ad quem Theramenes Lacedæmonius claſſem illam adduxerat) & Syracuſani (quorum in hoc negotio, ſub duce Hermocrate, præ cæteris maximè virtus enituit) Iaſios, non hoſtiles ſed Atticas illas naves fuiſſe opinantes, improviſò adorti oppreſſerunt. Amorgen vivum captum Peloponneſii Tiſſaphernі tradiderunt; ut eum ad Regem (ſicut ille imperaverat) ſi ei liberet, perduceret. Iaſum ipſam, antiquâ fortunâ divitiiſque opulentum oppidum, milites direpuerunt, ingentem indè prædam conſecuti. Auxiliarios quos Amorges habuerat, inviolatos ad ſe Peloponneſii receperunt; intérque milites ſuos, quòd plerique eorum eſſent ex Peloponneſo, conſcripſerunt. Oppidum Tiſſaphernі tradiderunt, cum omnibus captivis tam liberis quàm ſervis; pro ſingulis ſtaterem Daricum pacti. Inde Miletum reverſi, Pædaritum Leontis filium præfectum à Lacedæmoniis in Chium miſſum, terreſtri itinere cum Amorgæ auxiliaribus Erythras uſque deduxerunt; & Mileto Philippum præfecerunt. [*Ibid.*]

d. Hyeme inſequente, Tiſſaphernes, cùm præſidium Iaſo impoſuiſſet, Miletum veniens, pecuniam (ut erat Lacedæmone promiſſum) Spartanis & ſociis ſolvit; drachmam Atticam menſtruam in ſingula capita: & in futurum tempus de certo ſtipendii modo convenit. [*Ibid.*]

Aſtyochus Lacedæmonius navarchus, cum decem Peloponneſiis navibus, & totidem Chiis, Pteleum nequicquam expugnare adortus tranſmiſit Clazomenas, ibique eos qui Athenienſium partis eſſent deditionem facere, & in Daphnuntem migrare juſſit: quod idem jubebat & Tamos Ioniæ proprætor. Illis facere imperata recuſantibus, adortus urbem muris carentem, tamen expugnare quum non poſſet, abiit. Acri autem coorto vento, ipſe quidem Phocæam & Cumam tenuit: cæteræ naves in inſulas Clazomenis objacentes (Marathuſam, Pelam & Drimyſſam) ejectæ ſunt. Ibi per octo dies tempeſtatibus retenti, omnibus rebus, quæ à Clazomeniis cò metu belli occultè exportatæ fuerant, partim direptis & abſumptis, partim in naves congeſtis, Phocæam Cumámque ad Aſtyochum navigârunt. [*Ibid.*]

Eâdem hyeme Hippocrates Lacedæmonius à Peloponneſo profectus cum Thurinis decem navibus (quarum præfectus Dorieus Diagoræ filius cum aliis duobus erat) & unâ Laconicâ unâque Syracuſanâ, in Cnidum trajecit, quæ jam à Tiſſaphernе deſciverat. Horum adventu cognito, qui Mileti erant eis negotium dant, ut parte dimidiâ navium in præſidio Cnidi relictâ, cæteris juxta Triopium (Cnidiæ promontorium) onerarias ab Ægypto tranſmittentes comprehendant. Eâ re auditâ, Athenienſes à Samo profecti, ſex naves ad Triopium præſidiarias interceperunt; claſſiariis in terram elapſis. Inde Cnidum provecti, urbem mœnibus nudatam adorti, parùm abfuit quin caperent. Sequenti die iterùm aggreſſi, cùm ipſi per noctem ſe communiſſent, & qui à Triopio ex navibus profugerant urbem intraſſent, difficilior jam expugnatio erat. Itaque agris vaſtatis, in Samum redierunt. (*Ibid.*)

3593 *t.* Quum à Peloponneſiis fœdus inter Chalcideum & Tiſſaphernem ictum, non omninò integram, & ſibi parùm æquum, viſum eſſet: aliud inter Lacedæmonios ſociósque, & Regem Darium ejúſque filios & Tiſſaphernem, percuſſum eſt ſcriptúmque clariùs, Theramene Spartano præſente. Poſt quod, Theramenes, claſſe Aſtyocho traditâ, in celoce abnavigans è conſpectu abiit. [*Ibid.*]

Cum Pharnabazo altero Perſico præfecto, qui circa Helleſpontum regis ſui res curabat, & legatos Calligetum Megarenſem atque Timagoram Cyzicenum Spartam miſerat, negotium ob quod illi venerant confectum eſt: navéſque 27, quas illi à Lacedæmoniis Pharnabazo procuraverant, duce Antiſthene Spartano, circa brumale ſolſtitium ex Peloponneſo in Ioniam moverunt. Miſerunt unà Lacedæmonii undecim legatos Spartanos (quorum unus fuit Lichas Arceſilai filius) ut eorum conſilio Aſtyochus uteretur. Eis imperatum, ut ubi Miletum perveniſſent, tum cætera quàm rectiſſimè adminiſtrarent, tum naves iſtas, aut omnes aut plures pauciorèſve, in Helleſpontum, ſi ipſis videretur, ad Pharnabazum mitterent; Clearcho Ramphii, qui ſimul navigabat, præfecto conſtituto: útque Aſtyocho (quem Pædariti literæ ſuſpectum fecerant) à claſſis præfecturâ, ſi ipſis ſic videretur, amoto Antiſthenem ſurrogarent. Hi verò à Malea (in ſinu Laconico) ſolventes, Melum inſulam primò tenuerunt: deinde longiore circuitu, quo ab hoſtibus tutiores eſſent, ad Caunum in Aſiâ appulerunt. [*Ibid.*]

Aſtyochus Cnidum appellens, inde feſtinavit ad occurrendum navibus Atticis, quæ Peloponneſias Caunum appulſas obſervabant. Ad quas cùm perveniſſet: Athenienſes illatâ primùm, non magnâ, deinde acceptâ majore clade, Halicarnaſſum ſe receperunt; victores Peloponneſii Cnidum redierunt. Athenienſes deinde in Symam inſulam (ad quam victi fuerant) ab Samo cum univerſis navibus contenderunt; nec tamen adversùs claſſem ad Cnidum ſtantem quidquam tentârunt: ſed receptis ex Syma navium armamentis, & Lorymis in continente oppugnatis, Samum redierunt. [*Ibid.*] 4303 411

Coactâ ad Cnidum universâ Peloponneſiorum claſſe (quæ 94 navium erat) undecim legati Lacedæmoniorum cum Tiſſaphernе, qui huc advenerat, de rebus jam tranſactis agitabant, ſi qua illarum eis diſpliceret; déque bello futuro, quemadmodum id quàm rectiſſimè è re utriuſque partis gereretur. Et ante omnes Lichas, quæ tranſacta eſſent conſiderans, utrumque fœdus, etiam quod cum Theramene ictum erat, rectè factum fuiſſe negavit. Nullo enim modo tolerandum, ut Rex omnes eas teneret regiones, quibus aliquando ipſe majoréſve ipſius

3593 imperitaſſent. Ita enim oportere rurſus & Inſulas omnes, & Theſſaliam, & Locros & deinceps Bœotiâ tenus, in ſervitutem redigere; ac Lacedæmonios, pro libertate, imperio Medorum Græcos ſubigere: quare aliud de integro fœdus faciendum, aut hocce non utendum, nec ex eo ſtipendium petendum. Hac de re ſtomachatus Tiſſaphernes, infecto negotio, inde abſceſſit. [*Ibid.*]

Cùm à Peloponneſiis literæ Aſtyocho veniſſent, ut Alcibiadem (qui & illis ſuſpectus, & regi Lacedæmoniorum Agidi erat inimicus) interficeret; ille clàm ad Tiſſaphernem ſe ſubduxit: eique perſuaſit, ne ſtipendia tanta claſſi Peloponneſiorum præberet; ſed hoc potiùs ageret, ut neque hi Athenienſes evertere omninò poſſent, & bello eo utrique attriti & confecti, tandem Regi obtemperare cogerentur. [*Ibidem.*]

Piſander & decem alii Athenienſium legati, decreto populi, miſſi ſunt, ut cum Tiſſapherne & Alcibiade agerent, prout è Republica eſſe putarent. A quibus Alcibiades, Tiſſaphernis nomine, adeò ingentia poſtulavit; ut quamvis multa concedentes, tamen ad ultimum pactionem aſpernarentur. Poſtulabat enim, ut Athenienſes Ioniam traderent univerſam cum Inſulis circumjacentibus. Quod cùm illi non negarent; tandem in tertio congreſſu petiit, ut Regi liceret naves facere, & ipſorum præternavigare terram, quacunque & quantâ cum claſſe vellet. Tum verò non ampliùs toleranda iſta rati Athenienſes, & ſe deceptos ab Alcibiade credentes; irâ ſuccenſi abierunt inde, & in Samum ſe receperunt. (*Ibid.*)

b. Secundùm hæc, nondum confectâ hyeme, Tiſſaphernes protinùs Caunum ſe contulit, animo Peloponneſios iterùm revocandi Miletum, initiſque aliis quibuſcunque poſſet pactionibus, ſtipendium ſolvendi; ne prorſus ſibi hoſtes redderet. Convocatis igitur Peloponneſiis, ſtipendium eis numeravit, fœdúſque cum eis tertium iniit; cujus hoc erat principium. *Tertiodecimo anno regni Darii, epharo Lacedæmone Alexippidâ, pactiones initæ ſunt in campo Mæandri inter Lacedæmonios ſociósque, ac Tiſſaphernem & Hieramenem & Pharnaci liberos, de Regis déque Lacedæmoniorum & ſociorum rebus. Quæcunque regio in Aſiâ Regis eſt, Rex teneto; & de regionibus ſuis, ut volet, ſtatuito. &c.* De ſtipendii verò ſolutione pactum eſt; ut præſenti claſſi Tiſſaphernes illud præbeat, donec naves regiæ venerint: poſt quarum adventum, Lacedæmonii & ſocii ſuam claſſem ipſi alant, ſi velint; ſin à Tiſſapherne ſtipendium accipere malint, ipſum præbiturum eſſe, ſed eâ lege, ut finito bello pecuniam ei reddant quam acceperint. (*Ibid.*) Unde petenda explicatio illius, quod apud Juſtinum (*lib. 5. cap. 1.*) breviùs habetur propoſitum. *Darius rex Perſarum, factâ cum Lacedæmoniis per Tiſſaphernem præfectum Lydiæ ſocietate, omnem ſumptum belli pollicetur.*

Ineunte ſtatim proximæ æſtatis vere (quod anno belli Peloponneſiaci 21 initium dedit) Dercyllidas Spartanus Miletо cum parvâ manu in Helleſpontum terreſtri itinere, ut Abydum Mileſiorum coloniam ad rebellionem ſollicitaret, mittitur: quæ ad eum & Pharnabazum, ut & biduo pòſt Lampſacus, ab Athenienſibus deficit. Quo audito, Strombichides cum 24 Athenienſium navibus ex Chio properè accurrens, Lampſacenos obviam egreſſos acie vincit, urbémque mœnibus carentem primo impetu capit: rebúſque ibi conſtitutis, Abydum aggreſſus, ſed ab Abydenis fortiter ſe tuentibus repulſus, Seſtum è regione ſuam in Europâ trajecit, ibíque præſidium ad tutelam totius Helleſponti collocavit. (*Thucyd. lib. 8.*)

Univerſa Athenienſium claſſis ad Samum coacta, pacto cum Samiis inito, ad reſtituendum popularem Athenis & tollendum Quadringentorum noviter ibi erectum dominatum, communi juramento ſe obſtringunt: Thraſybulo & Thraſyllo ducibus conſtitutis. De Alcibiade ab exilio reducendo deliberant: ejus operâ ad ſe Tiſſaphernem à Peloponneſiis avertendum, & Regis amicitiam ſibi conciliandam, ſperantes. (*Id. ibid.*)

Inter claſſicos Peloponneſiorum milites qui Mileti erant, contra Aſtyochum & Tiſſaphernem murmur ortum. Illum namque priùs, quando ipſorum vires validæ & Athenienſium claſſis exigua fuiſſet, dimicare noluiſſe: nec adhuc velle, cùm & ſeditiones inter ipſos eſſe audiret, & naves nunquam in uno loco congregatas haberet. Ab hoc verò, Phœnicum naves (uti promiſerat) non accerſente, & ſtipendium militibus neque continenter neque integrum præbente, magno claſſem incommodo afflici. Quum igitur quamprimùm prælio rem committendam flagitarent: Aſtyochus ſociíque Mileſios cum terreſtribus copiis Mycalen procedere jubent; ipſi cum univerſâ claſſe, quæ 112 navium erat, eódem circumvehuntur. Athenienſium naves 82, quæ in Glaucâ Mycales ſtationem habebant, horum claſſe conſpectâ, ſe in Samum recipiunt: Strombichide verò cum navibus ab Helleſponto ad eorum auxilium advenante, Peloponneſii Miletum revertuntur. Quos ſecuti Athenienſes, armatas naves 103 jam habentes, acie ad Miletum explicatâ, quum hoſtem prodire non cernerent, in Samum ſine pugnâ redeunt. Poſt quæ Peloponneſii animadvertentes, ne cum univerſâ quidem claſſe ſuſtinere ſe robur claſſis Atticæ poſſe, nec habere ſe unde tot claſſiariis ſtipendia ſolverent; præſertim Tiſſapherne malignè promiſſa præſtante; Clearchum Ramphii filium cum navibus 40 ad Pharnabazum in Helleſpontum, ultrò invitantem & ſtipendia prompta pollicentem aliáque ſtudia offerentem, mittunt. [*Ibid.*]

c. Thraſybulus, ad Tiſſaphernem profectus, Alcibiadem in Samum ſecum perduxit: ubi ab exercitu in Imperatorum numerum allectus eſt, omniúmque rerum ſumma ei permiſſa. Ille, Athenienſis exercitûs Imperator creatus, ad Tiſſaphernem protinùs navigavit; ut omnia conſilia cum ipſo communia habere videretur: ita in rem ſuam callidè tractato negotio, ut & Athenienſes per Tiſſaphernem, & Tiſſaphernem per Athenienſes poſſet terrefacere. [*Ibid.*]

Hoc præterea aſtu illud quoque apud Peloponneſios qui Mileti erant obtinuit; ut ad prius erga Tiſſaphernem odium magnus hinc cumulus acceſſerit: ita ut non contra illum ſolum tumultuarentur, ſed etiam contra Aſtyochum; quem privati emolumenti gratiâ cum Tiſſapherne colluſe-

dere

3593 dere criminabantur. Inter hæc verò accidit, ut Syracusanorum Thurinorumque nautica turba stipendium ab Astyocho procaciùs flagitarent. Cúmque ille tanto protervius responderet minaretúrque, & *Dories* (Thurinarum navium præfecto: quanquàm τῷ γε Δωριεῖ, de Syracusanarum navium duce *Hermocrate*, Græcus accipiat Thucydidis Scholiastes) nautis suis astipulanti fustem intentaret; nautæ cum clamore in eum irruerunt: periissetque omninò, nisi ad aram quandam repentè confugisset. Milesii quoque facto clàm impetu, castellum à Tissapherne in suâ urbe ædificatum, ejectis qui custodiæ causâ inerant militibus, occupàrunt. Quæ res à reliquis etiam sociis probata est, maximè à Syracusanis: solo improbante Lichâ Lacedæmonio, qui Milesios, aliósque qui in Regis ditione essent, Tissapherni moderatè imperanti obtemperare debere aiebat, donec bello felix finis imponeretur. [*Ibid.*]

Hâc contentione illis occuparis, Pindarus successor Astyocho in præfecturâ maritimâ ab Lacedæmone venit, & imperium ab ipso traditum accepit. Cum Astyocho inde Lacedæmonem discedente, Tissaphernes legatum è suis Gauletem quendam Carem misit, linguæ utriusque (Persicæ & Græcæ) gnarum: qui & Milesios de castello accusaret, & simul pro ipso Milesiorum & Hermocratis Syracusani delationibus responderet; quos eò simul profecturos noverat, ipsúmque, quòd cum Alcibiade rebus Peloponnesiis noceret fideique ambiguæ esset, criminaturos. [*Ibid.*]

Tissaphernes, infensis ei tum ob alia tum ob Alcibiadis reditum Peloponnesiis, ut qui jam apertè Athenienſium rebus faveret; sui, ut visus est, purgandi causâ Aspendum, quò Phœnicum naves 147 pervenerant, profectus est, Lichâ Lacedæmonio unà ire jusso: Tamo legato suo relicto, qui absente se stipendium Peloponnesiis militibus exsolveret; quod ab illo tamen satis indiligenter fuit præstitum. Philippum quoque Lacedæmonium cum duabus triremibus ad Phœnicum naves visendas, Tissapherne jubente, Peloponnesii miserunt. Sed & Alcibiades, quum Aspendi Tissaphernem fuisse cognovisset, cum 14 navibus Caunum Phaselidémque navigavit, ingentia omnia certissimáque auxilia suis pollicitus: quibus & in Samum demùm reversus nunciavit, se ne Phœnicum naves Peloponnesiis mitterentur confeciſſe, & Tissaphernem amiciorem quàm antea Athenienſibus reddidisse. Nam ille quidem Aspendi cum Phœnicibus congressus est, sed nullas eorum naves Peloponnesiis tradidit; illud nugatoriè prætexens, quòd pauciores quàm jussisset Rex essent contractæ: quum illi constitutum fuisset, suspensos tenere Græcorum animos; & neutris accedendo, utrosque paribus viribus inter se commissos atterere. [*Ibid.*]

Quadringentorum dominatus Athenis abrogatus est, Quinque millibus eorum loco substitutis: qui de Alcibiadis, & aliorum qui cum ipso erant in patriam reditu legem tulerunt. [*Ibid.*] parique ille absens imperio præficitur simul cum Trasybulo & Theramene: quorum virtute magna statim in melius Athenienſium rerum facta est commutatio. [*Æmil. Prob. in Alcibiade.*]

Dum Peloponnesii cum classe Mileti hærent, nemo eorum quibus id à Tissapherne Aspendum eunte mandatum fuerat stipendium classiariis solvebat; nec promissa classis, nec ipse Tissaphernes illuc veniebat: scripsitque Mindaro maritimæ rei præfecto Philippus qui cum Tissapherne missus fuerat, & Hippocrates Spartanus Phaselide nunc agens, neque venturam classem Phœniciam, neque justi quicquam à Tissapherne esse expectandum. Contrà verò Pharnabazus, qui ad Hellespontum res Persicas curabat, omnem benevolentiam iisdem ostentabat. Nam ultrò eas sollicitabat, & acceptâ ab iis classe cupidum se declarabat reliquas præfecturæ suæ civitates ab Athenienſibus avertere (quod ipsum quoque Tissaphernes præ se ferebat) sperans hoc modo res suas sese auctarum. Hisce commotus Mindarus, summâ curâ instructis navibus LXXIII, proposito subitaneo edicto, ut magis hostem in Samo lateret, cum iis Milero solvens in Hellespontum cursum direxit: quem Thrasyllus dux Athenienſium è Samo cum navibus LV. est insecutus. [*Thucyd. lib. 8.*]

Mindari & Syracusanorum classis cum Thrasylli & Thrasybuli classe ad Cynos-sema (promontorium Hecubæ tumulo notum) confligit: ubi post ancipitem pugnam Athenienses victoriam obtinuerunt; amissis navibus 15, hostium verò captis 21. Quod prælium navale à Thucydide plenius descriptum habetur in libro octavo, & Diodoro Sic. anno 2. Olymp. 92.

Quartâ post pugnam die, refectis magno studio Sesti navibus, Athenienses Cyzicum quæ ab ipsis defecerat navigárunt; conspicatique ad Harpagium & Priapum octo naves profectas è Byzantio, aggressi sunt; ac superatis prælio qui in terrâ erant, eas in potestatem redegerunt. Mox Cyzicum progressi, eam quoque mœnibus tum carentem receperunt, illincque pecunias exegerunt. [*Thucyd. ibid.*]

d. Alcibiades cum navibus XXII. è Samo profectus, ab Halicarnassensibus vim magnam pecuniæ exegit: deinde Meropidem populatus, Con muro munivit; & jam autumno propinquo, magnâ cum prædâ in Samum rediit. [*Id. ibid. Diodor. ann. 2. Olymp. 92.*]

Astacus Persa Tissaphernis legatus, concepto contra Delios, qui patriâ suâ ab Athenienſibus pulsi Atramyttium incolebant, occulto odio; sub amicitiæ ac societatis specie optimos eorum quosque in expeditionem evocatos, cùm prandentes observasset, militibus suis circumdedit & jaculis confixit. [*Thucyd. ibid.*]

Antandrii, in Æolide, ne in se simili scelere sæviret Astacus veriti, & onerum impatientes ab eodem sibi impositorum, Peloponnesiorum milites (qui in Hellesponto tum versabantur) ex Abydo per montem Idam in urbem suam deductos acceperunt, & Astaci præsidium ex arce ejecerunt. [*Id. ibid.*]

Tissaphernes ab Aspendo in Ioniam reversus, & hâc re, & aliis quæ Mileti Cnidique (nam & illinc præsidia ejus pulsa fuerant) acciderunt commotus, magnâ se à Peloponnesiis contumeliâ affectum fuisse existimavit. Plura igitur ab iisdem mala sibi metuens, simúlque anxius, ne

Pharnabazus qui minore tempore sumptúque eos aluisset, feliciùs res contra Athenienses gereret: ipse ad eos in Hellespontum ire constituit; ut & de Antandrio facto eos argueret, & de Phœnicum navibus aliisque objectis criminibus ielè quàm posset commodissimè purgaret. Cúmque Ephesum primùm venisset, sacrificium Dianæ fecit. (*Id. lib. 8. fin.*)

Hic Thucydidis terminatur historia: quam deinceps per annos 17. Theopompus, per annos verò 48. continuavit Xenophon. (*Diodor. ann. 2. Olymp. 92.*) Prioris opus historicum interiit: posterioris extat; sed ἀνίσως. Præter Proœmium enim, duorum in eo annorum historia desideratur: à fine æstatis anni XXI. belli Peloponnesiaci (in quo Thucydides desiit,) usque ad exitum æstatis anni XXIII.

3594 De 300. navibus in Phœniciam remissis, Tissaphernes eà ratione Lacedæmoniis se purgavit; id fuisse factum, quòd & ab Arabum & ab Ægyptiorum rege (Amyrtæo) Phœniciæ insidias parari cognovisset: ut ad annum 3. Olympiadis 93. habet Diodorus Siculus; quum 147. tantùm Phœnicum naves Aspendum pervenisse & à Tissaphierne, contra promissi fidem, dimissas fuisse, Thucydides docuerit. 4304 410

3595 *c.* Alterum ad Cynos-sema inter Lacedæmonios & Athenienses navale prælium est factum, * in quo Athenienstbus erat Victoria, * quod à *Theopompo* est descriptum; ut refert Vitæ Thucydidis Græcus scriptor anonymus. 4305 409

d. Thymochare Athenis cum paucis navibus veniente, statim Lacedæmonii & Athenienses prælio navali rursùm congressi sunt; in quo Lacedæmonii ductu Hegesandridæ victores evaserunt. (*Xenophon, initio lib. 1. Hellenicôn.*)

Paulò pòst Dorieus Rhodius Diagoræ filius, triremium Thurinarum ex Italiâ præfectus, hyemis initio cum 14. navibus Rhodo profectus, ad Hellespontum transmisit; ut cum Mindaro se conjungeret, qui ad Abydum subsistens, naves Peloponnesiaci nominis socias undique cogebat. Jámque ad Sigeum Troadis provectus erat Dorieus, quum Athenienses juxta Sestum commorantes, explorato ejus cursu, cum 20. navibus in eum feruntur. Dorieus, arreptâ fugâ, in litus Rhœteum triremes suas subduxit: expositísque militibus, & urbis Dardaniæ præsidio adsumpto, è terrâ pariter ac navibus pugnam contra Athenienses sustinuit; donec illi tandem nihil se proficere cernentes, Madytum redière ad reliquum exercitum. Hàc pugnâ conspectâ Mindarus, qui apud Ilium Minervæ sacrificabat, ut subsidium suis ferret navésque Doriei reciperet, ad Dardanium promontorium cum navibus 84. contendit: Quibus & terrestres Pharnabazi copiæ aderant, ad classem Lacedæmoniorum sublevandam. Quibus obviam procedens Atheniensis navium 74. classis, ad litus juxta Abydum cum eis prælium iniit. Mindarus 97. suas & Doriei naves sub imperio habens, in lævo cornu Syracusanos statuit; dextrum ipse rexit. Dextrum Athenienstum cornu Thrasybulus, sinistrum Thrasyllus duxit. A matutino tempore ad vesperam anceps trahebatur pugna: quum repentè Alcibiades, cum 18. navibus ex Samo in Hellespontum navigans, se conspiciendum præbuit. Ex eo Peloponnesii versùs Abydum fugerunt: quos ocyùs Athenienses insecuti, decem eorum navibus confestim sunt potiti. Exortâ dehinc magnâ ventorum procellâ, indeque multis circa persecutionem objectis impedimentis; Peloponnesii ad litus incolumes elapsi ad terrestres Pharnabazi copias se receperunt. Qui quidem ipse ingressus equo mare, quousque poterat, dimicabat: idémque ut facerent, equites peditesque suos hortabatur. Peloponnesii quoque navibus constipatis, & oppositâ hostibus acie, non procul à litore pugnabant. Nocte igitur jam appetente, Athenienses cum 30. vacuis hostium navibus quas ceperant, ac suis in prælio corruptis, Sestum discesserunt: & quam primùm illuxit, collectis naufragiorum reliquiis, trophæum excitaverunt. Deinde 40. navibus ibi relictis, cum cæteris alii alió extra Hellespontum ad exigenda tributa sunt profecti. Unus è ducibus Thrasyllus Athenas navigavit, ea quæ acciderant nunciaturus, militémque & naves in supplementum classis petiturus. (*Xenoph. Hellen. lib. 1. Diodor. lib. 13. Plutarch. in Alcibiade.*)

Mindarus circa primam noctis vigiliam Abydum revectus, naves prælio concussas refarcit, & ad Lacedæmonios tam pedestres copias quàm supplementa nautica postulatum mittit. Dúmque ad instruendam classem necessaria pararentur, terrestribus suis copiis cum Pharnabazo socias Athenienstum in Asiâ urbes oppugnare constituit. (*Diodor. ibid.*)

3596 *a.* Interea venit in Hellespontum Tissaphernes: cui quum Alcibiades, tam nobili potitus victoriâ, ostentare se affectaret; cum muneribus donisque hospitalibus, & comitatu imperatorio, triremi ad eum profectus est. Verùm Tissaphernes, apud Lacedæmonios jampridem malè audiens & ne apud Darium crimen sibi pararetur metuens, comprehensum eum Sardibus conjecit in vincula: præ se ferens, mandatum sibi fuisse à Rege, ut Athenienses hostium loco haberentur. Post dies verò 30. Alcibiades, cum Mantitheo quodam in Cariâ capto, equos nactus nocturnâ fugâ Clazomenas se contulit; Tissaphernem insuper calumniatus, dimissum se ab illo fuisse. (*Xenoph. Hellen. lib. 1. Plutarch. in Alcibiade.*) 4306 408

b. Mindarus, hyeme jam exeunte, cum 60. navibus Cyzicum petiit, castrisque suis cum Pharnabazi exercitu conjunctis, oppugnatam urbem vi cepit. Contra eum, cum 86. navium classe profecti Alcibiades, Thrasybulus & Theramenes, navali cum primùm, deinde terrestri prælio (in quo heroicè pugnans ipse cecidit) superaverunt. Syracusani, cùm effugere non possent, suas ipsi naves cremarunt: reliquâ classe universâ potiti Athenienses, ad Præconnesum captivas naves abduxerunt. Rem gestam plenius describerunt, Xenophon libro 1. Hellenic. Diodorus lib. 13. Plutarchus in *Alcibiade*, & in 1. Stratagematum libro Polyænus.

Postridie Athenienses è Præconneso Cyzicum navigant: ubi in urbem, à Peloponnesiis & Pharnabazo desertam, à Cyzicenis recepti sunt. (*Xenoph.*) Duóque ex utráque victoriâ trophæa excitárunt: unum pugnæ navalis, in Polydori insulâ; alterum pedestris conflictûs, ubi primùm hostes in fugam conjecerunt. (*Diodor.*)

Cyzici

Cyzici per 20. dies commoratus Alcibiades, grandi à Cyzicenis acceptâ pecuniâ, nullo præterea damno eis illato, in Præconneſum revertitur. (*Xenoph.*)

Ductores Athenienſium qui ad Cyzicum hærebant, Chalcedonem devecti, Chryſopolim muris cingunt: locúmque in eo ad colligendas decimas, de venientibus è Ponto navibus, conſtituunt. (*Xenoph. Hellen. lib.* 1. *Polyb. lib.* 4. *pag.* 312. *& Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 92.) Relictum hic 30. navium præſidium cum duobus ducibus, Theramene ac Eubulo; qui & oppidum & naves è Ponto venientes obſervarent, aliſque damnis hoſtes quibuſcunque poſſent afficerent, [*Xenoph.*]

Interceptæ ſunt ab Athenienſibus & iſtæ Laconicè ſcriptæ literæ, ab Hippocrate Mindari legato Lacedæmonem ad ephoros de clade Cyzicenâ miſſæ. Ἔφθιται τὰ κατὰ Μίνδαρον· ἀπολώλασι τοὺς τ' ἄνδρας ἀπορίᾳ τοῦ σίτου καὶ δρῶν. *Effluxerunt res præclarè; Mindarus interiit: eſuriunt milites; quid facto opus ſit, neſcimus*, (*Xenoph. & Plutarch.*)

His malis fracti Lacedæmonii, pacem petierunt: quam ne acciperent, operâ eorum effectum eſt, quibus ea res quæſtum præſtabat. (*Juſtin. lib.* 5. *cap.* 4.) Etſi enim Athenienſium modeſtiſſimi ad pacem animis inclinabant: qui tamen bellis ſerendis & ducendis adſueti erant, & ex publicis tumultibus compendium faciebant, bellum prætulerunt. Quam ſententiam promovit Cleophon, Demagogorum illius temporis maximus: qui cùm multa ad rem propoſitam accommodatè dixiſſet; ἐμπιπράναι τὸν δῆμον, τὸ μέγεθος τῶν εὐπραγιῶν ἀποφηνάμενος, ἅπερ τῇ τύχῃ ἐν ἀκαλλεῖ διατριβῇ βραδέως τὰ κατὰ πόλεμον περιῄρηται, ut elegantèr rem expreſſit Diodorus Siculus. Cleophon autem iſte, qui turbulentis ſuis concionibus populum ad ſuam perniciem (ut rerum mox ſecuta viciſſitudo declaravit) à pace avertit, lyrarum faber fuit, quem multi compedibus vinctum meminerant; per fraudem tamen ac turpiter in civium album inſcriptus, populo largitionibus corrupto, ſe gladio collum ei præciſurum minitabatur, qui pacis mentionem feciſſet: ut in Oratione de falſâ legatione habet Æſchines.

Peloponneſii & ſocii eorum Syracuſani, quotquot ad urbis Cyzicenæ præſidium relicti & è prælio fugâ ſervati fuerant, ad Pharnabazi caſtra ſe receperunt. (*Diodor. lib.* 13.) Eos conſolatus Pharnabazus, non eſſe ob naves ligneas amiſſas animos abjiciendos dixit, cùm lignorum abundans copia ſit in ditione Regis, dummodò ſalvi ſint homines: ſimul veſtem ſingulis & bimeſtre ſtipendium dedit. Ad hæc armatis nautis, præſidia conſtituit per univerſam oram maritimam curæ ſuæ commiſſam: & civitatum triremiſumque præfectis convocatis naves novas apud Antandrum extruere juſſit totidem quot erant amiſſæ; largitúſque eſt in hunc uſum pecunias, materiámque ex Idâ monte, quantâ eſſet opus, ſumere permiſit. Iiſque ita conſtitutis, Chalcedoni ſuppetias tulit. (*Xenoph. Hellen. lib.* 1.)

c. Dum claſſis ædificatur, Syracuſani cum ipſis Antandriis muro Antandrum circumdederunt, locúmque illum munitiſſimum reddiderunt: cujus beneficii gratiâ Syracuſani ab Antandriis civitate ſunt donati. [*Xenoph. ibid.*]

Ducibus Syracuſanis domi à populo exilio damnatis, eorum primarius Hermocrates quum Tiſſapherneni Lacedæmone accuſaſſet, ac non ſolùm Aſtyochi teſtimonio ſublevaretur, ſed etiam ipſe verum dicere viſus eſſet; ad Pharnabazum ſe conferens, priuſquàm quicquam pereret, magnam pecuniæ ſummam ab eo accepit: peregriniſque militibus & triremibus comparatis, in patriam revertit. [*Id. ibid. cum Diodoro, ann.* 4. *Olymp.* 92.]

Pariſippidâ Spartæ exilio mulctato quòd, conjunctâ cum Tiſſapherne operâ, ut omnes qui à Lacædemoniorum partibus ſtabant ex Thaſo inſulâ per ſeditionem ejicerentur, procuraſſe crederetur; ejus loco miſſus Crateſippidas, navales illius copias in Chio accepit. (*Xenoph. ibid.*) Hic cum 15. navibus, nihil memorabile gereret, tempus aliquod circa Ioniam contrivit. Poſteà verò, ejectorum è Chio pecuniâ inſtructus, illos domum reduxit, & exilii auctores numero 600, urbe expulit: qui Atarneum, locum in oppoſitâ continente naturâ munitiſſimum, occupantes, aſſiduis eos excurſionibus inde infeſtabant. (*Diodor. ibid.*)

d. Olympiade XCIII, quâ ſtadio Eubotas Cyrenæus vicit, Euarchippo apud Spartanos ephoro, Euctemone Athenis archonte, bigarum mularium curſus, ξυνωρὶς ſive συνωρὶς dictus, ludis Olympiacis adjectus eſt: ut in 1. Hellenicorum Xenophon indicat. Cujus inſtituti, præter Diodorum Siculum libro 13. & Pauſaniam libro Eliacorum priore, meminit etiam in Stadionicarum Catalogo Julius Africanus: addens etiam, eâdem Olympiade pancratio viciſſe Polydamantem Scotuſſæum; illum videlicèt, quem Darius Nothus per legatos donis & promiſſis invitatum Suſa ad ſe evocavit; ubi tres de cohorte regiâ quæ Immortalium eſt dicta (de quâ Herodotus videndus, lib. 7. cap. 83.) ſimul in ſe irruentes occidit: ut in poſteriore Eliacorum libro refert Pauſanias; qui etiam, in eodem libro, de Eubotâ ſtadionicâ narrat; cùm ei Ammonis in Lybyâ oraculum victoriam è curſu prædixiſſet, ſtatuam antè faciendam ſibi curaviſſe, eodémque die & victorem renuntiatum fuiſſe & victoriæ teſtem ſtatuam dedicaviſſe.

Hoc anno Medos, qui à Dario Perſarum rege defecerant, rurſus ei ſe dedidiſſe, in primo Hellenicorum ſuorum teſtatur Xenophon. Medos quoque à Dario defeciſſe, & prælio victos iterùm ſubactos fuiſſe, in libro primo Hiſtoriæ ſuæ cap. 150. refert Herodotus. Qui cùm & Decelеani belli, libri 9. cap. 72, ante quinquennium geſti meminerit, & libri 3. cap. 15. filii Amyrtæi poſt patrem in Ægypto regnantis (de quo, ad annum ſequentem erit dicendum:) extremis belli Peloponneſiaci temporibus Hiſtoriam illam ſuam vel ſcripſiſſe vel ſaltem recognoviſſe colligimus.

Anni hujus æſtate ineunte, Athenis Thraſyllus acceptis navibus ſibi decretis, & nautis 5000 cetratorum inſtar armatis, quos cæteris cetratis adjungeret, ad Samum trajicit. Ubi triduum moratus, ad Pygelenſem (in Ioniâ) oram navigat: evaſtatóque illo agro, ad oppidi murum copias admovet. Cúmque è Mileto quidam ſubſidio Pygelenſibus veniſſent, & palantes Athe-

nientium leviter armatos premerent; reliqui Athenienses suis succurrentes, Milesios omnes (paucis exceptis) occidunt, ducentisque scutis cæsorum potiti trophæum statuunt. Postridie Notium navigant: indéque paratis ad iter rebus omnibus, Colophonem pergunt; quæ statim iis cessit. Nocte proximâ Lydiam ingrediuntur, adulto jam frumento, multósque vicos exurunt: pecuniam, mancipia, prædam aliam ingentem capiunt. Cùmque hinc inde sparti, ac prædæ separatim intenti essent: Stages Persa (Tages ille, ut videtur, cujus ad annum M. 3592. ex Thucydide facta est mentio) equitum suorum operâ vivum unum capit, & septem interficit. [*Xenoph. Hellen. lib.* 1.]

Tissaphernes Thrasyllum ad Ephesum oppugnandam navigaturum animadvertens, magnas cogit copias; equitibúsque dimissis, imperat omnibus ut Dianæ latum opem Ephesum accurrerent. Thrasyllus, XVII. postquàm Lydiam invasisset die, Ephesum navigat: gravem armaturàm ad Coressum exponit, equites, cetratos, epibatas, cæteros omnes propter paludem ex oppidi parte alterâ: quúmque jam illuxisset, bipertitum exercitum admovet. Contrà oppidani & auxiliares à Tissaphernе adducti, gravis primum armaturæ pedites, qui erant Coressi, aggrediuntur. Quos posteaquàm in fugam vertissent, & interfectis plus minùs 100, reliquos usque ad mare persecuti fuissent; ad eos, qui propter paludem erant, se convertunt. Ubi & Atheniensibus in fugam conversis, & 300 eorum interfectis; statuerunt hoc loco trophæum; & alterum apud Coressum. Ex auxiliaribus verò Syracusani præcipuè & Selinuntii ob strenuam hîc navatam operam, præmiis ab Ephesiis sunt affecti: concessa & immunitate perpetuâ, si quis esse civis cuperet. [*Id. ibid.*] Ærei trophæi ab Ephesiis in opprobrium Atheniensium erecti, meminit etiam Plutarchus in *Alcibiade*.

Athenienses, receptis per inducias cæsorum suorum corporibus, & Notii sepultis, Lesbum versùs & Hellespontum navigant. Cùmque in portu Methymnæ urbis Lesbiæ hærentes, 25 naves Syracusanorum, qui ad Ephesum cum ipsis conflixerant, prætervehi conspexissent: impetu in eas facto, quatuor earum cum vectoribus in potestatem redegerunt; cæteras in fugam datas Ephesum usque sunt persecuti. Captivos omnes Thrasyllus Athenas misit; præter Alcibiadem Atheniensem, Alcibiadis consobrinum & exilii socium, quem interemit. Inde Sestum ad exercitum navigat, & è Sesto copiæ universæ Lampsacum trajiciunt: simúlque hyems (ab autumno cœpta) aderat. Lampsaci verò quum vellet Alcibiades universas copias in eosdem ordines redigere, milites illius cum Thrasyllianis commisceri recusabant; invicti scilicet hactenùs, cum iis qui victi fugatique venirent. [*Xenoph. Hellen.* 1.]

3597 *a.* Quum *Lampsacum* (*Labdacum* vitiosè hîc habent Diodori codices) Alcibiadis & Thrasylli ibidem hyemantes copiæ militari communivissent opere, adversùs Abydenos expeditionem suscepereunt: quibus cum magnâ manu suppetias veniens Pharnabazus, prælio superatus & fugatus est. Eum Alcibiades cum equitatu suo & 120 gravis armaturæ peditibus, quibus Menander præerat, in multam noctem usque persequi non destitit. Hâc victoriâ parta milites inter se conciliari & sponte permisti, simul ovantes in castra redière. [*Id. ibid. & Plutarch. in Alcibiade.*]

Postero die trophæum excitavit Alcibiades, & Pharnabazi provinciam, nemine ire contrà ausо, ferro & igni vastavit. Sacerdotes verò ibi captos sine pretio dimisit. [*Plutarch. ibid.*]

Lacedæmonii, Tissaphernis tergiversatione offensi, Bæotium, & alios legatos ad Darium miserunt: qui à Rege omnia, quæ petebant, impetrârunt. [*Xenoph. Hellen.* 1, 7.]

Eâdem hyeme, Alcibiadis & Thrasylli milites, diversis expeditionibus in Asiæ continentem factis, ditionem Regis populationibus vexabant. [*Id. ibid.*]

b. Darius filium suum Cyrum juniorem (annum 16. ætatis non excedentem; utpote à patre 4307 407
jam regnante susceptum, ut narrat Ctesias, & Plutarchus in *Artoxerxe*) oræ maritimæ, cum Satrapæ titulo, præfecit; eorúmque omnium qui ad Castoli planitiem congregari solebant summum Ducem constituit: daro mandato, ut in bello contra Athenienses gerendo Lacedæmoniis se adjungeret. [*Id. ibid. & in Expedit. Cyri lib.* 1. *initio.*] Justinus, lib. 5. cap. 5. ex Trogo, *in locum Tissaphernis Darium regem Persarum filium suum Cyrum Ioniæ Lydiæque præposuisse*; eúmque *Lacedæmonios auxiliis opibúsque ad spem fortunæ priori erexisse*, narrat. Eum enim in finem, Cyrum à patre fuisse missum, ut in bello contra Athenienses persequendo Lacedæmonios adjuvaret, refert Diodorus. [*ann.* 1. *Olymp.* 91.] à quo etiam Cyrus ἀρχὴν ἐπὶ θαλάττης σατραπῶν, (ad ann. 2. Olymp. 94.) & τῶν ἐπὶ θαλάττης σατραπειῶν ἡγούμενος, (ad ann. 4. ejusd. Olymp.) *Satraparum* sive *Satrapiarum ora maritima Princeps* constitutus fuisse, rectè dicitur. Sub ejus enim ducatu & Pharnabazum & Tissaphernem etiam Satrapiis suis illic præfuisse certum est.

Amyrtæo Saitæ in regno Ægyptiaco successisse *Nepheritem*, novæ Dynastiæ regem, in Chronico Eusebiano legimus: quum ante Nephereum sive Nepheritem illum proximè regnavisse Psammitichum, à veteris Psammitichi (qui in 26 Manethonis Dynastiâ, quæ *Saitarum* etiam fuit) posteris oriundum, ex Diodoro Siculo (ad Olympiadis 95 annum 1.) didicerimus. Ut quæri etiam meritò hîc possit, an non *Pausiris* iste fuerit *Amyrtæi* filius; quem, Persarum beneficio, paternum recuperavisse imperium, Herodotus author est. [*lib.* 3. *cap.* 15.] De hujus autem & subsequentium Regum annis, in Ægyptiacâ nostra egimus Chronologiâ.

c. Anno quo Spartæ ephorus erat Pantacles, archon Athenis Antigenes, ineunte vere (quod illorum magistratum proximè antecessit) Athenienses cum universis copiis Proconnesum navigârunt, indéque profecti, castra Chalcedoni admoverunt. [*Xenoph. Hellenic.* 1.] Ad Theramenem, qui tunc Chalcedonem oppugnabat, 70 naves & 5000 milites sub imperio habens, eos navigasse scribit Diodorus. [*ad ann.* 4. *Olymp.* 92.]

Chalcedonenses, cognito Atheniensis exercitus adventu, bona sua omnia apud Thraces

Bithy-

5597 Bithynos, oppido ipſorum finitimos, depoſuere. Alcibiades autem aſſumpta militum parte cum equitatu illuc profectus, & navibus eodem quoque ſequi juſſis, res omnes eorum depoſcens, & arma minitans niſi pareretur, à Bithynis recepit: atque ita conſtitutâ cum illis pace, jam ſpoliis auctus, ad caſtra reverſus eſt; & Chalcedonem, univerſi exercitûs operâ, à mari ad mare muro ligneo cinxit. Tum præfectus Lacedæmonius Hippocrates, eductis ex oppido copiis ſuis, cum parte Athenienſium quos ducebat Thraſyllus conflixit, fortunâ diu ambiguâ, donec tandem Alcibiade cum peditum equitúmque ſubſidiis accurrente cæſus eſt Hippocrates, copiæque victæ in oppidum refugere ſunt coactæ. Pugnâ verò hâc durante Pharnabazus parte aliâ extra munitionem Atticam cum pedeſtribus & equeſtribus copiis validis ſe inferens, perrumpere ad opem ferendam Hippocrati cùm fruſtrà conatus fuiſſet; in Heracleum (ſive Fanum Herculis) quod erat in agro Chalcedonenſium, ubi caſtra munita habebat, ſe recepit. [*Xenoph. Hellenic.* 1. *Plutarch. in Alcibiade.*]

d. Poſt hæc Alcibiades in Helleſpontum & Cherroneſum ad conficiendam pecuniam contendit: reliqui verò copiarum duces (Theramenem ſolum Diodorus memorat) de Chalcedone convenêre cum Pharnabazo, ut daret Athenienſibus talenta 20, & legatos Atticos ad Regem deduceret. Mutuóque juramento ſe obſtrinxêre duces & Pharnabazus in hanc ſententiam; ut Chalcedonenſes tributum non minus quàm ſolebant Athenienſibus penderent, quæque jam debebant, ea quoque ſolverent: intereà Athenienſes arma non inferrent Chalcedonenſibus, donec legati à Rege rediiſſent. Reverſus quoque Alcibiades duobus à Pharnabazo miſſis Chryſopoli, Pharnabazus totidem ab Alcibiade deputatis Chalcedone, non ſolùm jusjurandum publicum præſtiterunt, ſed privatim etiam ipſi fœderibus ſe devinxerunt. [*Xenoph.*]

His ita factis, ſtatim Pharnabazus diſceſſit, ac legatos ad Regem proficiſcentes occurrere ſibi ad Cyzicum juſſit. Miſſi verò ad hanc legationem ab Athenienſibus fuêre, Dorotheus, Philodices, Theogenes, Euryptolemus, Mantitheus; & his adjuncti ab Argivis Cleoſtratus & Pyrtholochus. Etiam Lacedæmoniorum legati, Paſippidas & alii, ad Regem perrexêre: quibus ſe conjunxit Hermocrates, qui jam Syracuſis exulabat, ejúſque frater Proxenus. [*Id.*]

Dum horum deducendorum cura Pharnabazum teneret, ex oppoſito littore trajecit ad eum Clearchus Lacedæmonius præfectus, partim ut ab eo ſtipendium pro milite ſumeret, partim ut naves, quæ in Helleſponto & apud Antandrum & alibi erant, in unum cogerent. Eâ enim claſſe ſperabat ſe Athenienſium ſocios clade aliquâ affecturum; eâque ratione à Byzantii obſidione copias ipſorum abſtracturum. Verùm dum abeſſet ille, Byzantium Athenienſibus proditum eſt. [*Idem.*]

Pergentibus ad Regem legatis Athenienſium occurrerunt Bœotius & cæteri Lacedæmoniorum legati à Rege redeuntes, ipſéque Cyrus maritimis omnibus cum imperio præfuturus: quo viſo, maximè quidem illi cupiebant ad Regem proficiſci; ſin id non liceret, domum reverti, Cyrus verò Pharnabazo præcepit, ut aut ſibi legatos traderet, aut domum eos remitteret: nolens ſcilicèt ſcire Athenienſes, quæ agebantur. Verùm Pharnabazus detinens intereà legatos, jam ad Regem ſe eos deducturum, jam domum dimiſſurum profitebatur: atque ita ſuſpenſos per tres *annos* (an *menſes* potiùs?) ſecum detinuit; tandémque veniâ à Cyro impetratâ, ad ſuos remiſit. [*Id.*]

Alcibiades, ſumptis è Samo 20 navibus, in Ceramicum ſinum Cariæ navigat; & collectis illic talentis centum, captivarum & oppreſſarum à ſe navium non minùs ducentarum ſpolia ſecum ducens, Athenas venit: ubi generalis Dux belli cum ſummâ poteſtate creatus, pluſquàm ducentis talentis (ut in oratione contra filium ejus Alcibiadem Lyſias indicat) à civitate acceptis, exercitum 1500 gravis armaturæ peditum & 150 equitum, cum 100 navium claſſe, ibi conſcripſit. [*Xenoph. Hellen.* 1. *Diodor. lib.* 13. *Juſtin. lib.* 5. *cap.* 4, 5. *Plutarch. & Æmil. Prob. in Alcibiade.*]

Satyrus Spartaci filius Boſphori Cimmerii regnum per annos 14 obtinet. [*Diodor. ad ann.* 4. *Olymp.* 96.]

Lacedæmonii, quum Crateſippidæ navarcho magiſtratûs ſui tempus exiiſſet, Lyſandrum ejus loco mittunt. Is cùm ad Rhodum appuliſſet, coactis navibus, in Con inſulam Miletúmque navigat: inde Epheſum; ubi cum 70 navibus ſubſtitit, dum Sardes Cyrus accederet. [*Xenoph. Hellenic.* 1.] Et quum Epheſum offendiſſet ſui cupidam & enixè facientem cum Lacedæmoniis, afflictam autem & moribus Perſicis & Perſarum commerciis (ob Lydiæ viciniam & crebram præfectorum regiorum hîc præſentiam) propè barbaram factam: communivit ibidem caſtra, naves onerarias imperavit illuc omnes decurrere, ac navalia ædificandarum triremium extruxit. Ita portus eorum frequentavit mercatoribus, negotiationibus forum, quæſtu ædes atque officinas complevit. [*Plutarch. in Lyſandro.*]

Certior factus Lyſander Cyrum applicuiſſe Sardes, cum legatis Laconicis illuc ad eum profectus eſt: incuſato multùm Tiſſapherne; cui quum imperatum eſſet Lacedæmoniis opem ferre & mari exigere Athenienſes, videbatur factus per Alcibiadem remiſſior pigreſcere, ac præbendo malignè ſtipendia navalem manum perdere. Cupiebat autem deferri & malè audire Cyrus quoque Tiſſaphernem: improbum hominem & privatim ſibi infenſum. Lyſandro verò adoleſcentem ad bellum acriùs capeſſendum incitanti, ille ampliſſima quæque promptiſſimè promiſit; affirmans ſic ſibi à patre fuiſſe mandatum: nec ſtudium, nec pecuniam defore oſtendit. Stipendium diurnum claſſiarii exercitûs ex tribus obolis quatuor obolorum reddidit, quod jam antè debebatur id totum militi exſolvit, & ſtipendium menſtruum ante tempus dependit (decem Daricorum millibus Lyſandro numeratis:) atque ita exercitum univerſum multò quàm antè erat alacriorem reddidit; hoſtium verò claſſem brevi exinanivit. Complures enim ad eos, ubi ſtipendium eſſet uberius, tranſibant: qui verò remanebant, ſegnes reddiri ſunt & ſeditioſi,

ac

ac negotia ducibus quotidie exhibuerunt. [*Xenoph. Hellen. lib. 1. Diodor. lib. 13. & Plutarch. in Lysandro.*]

Hæc quum Athenienſes magno cum animi mœrore audiiſſent, Tiſſaphernis operâ legatos ad Cyrum mittunt. Eos ille non admittebat; quanquàm rogaret Cyrum Tiſſaphernes, ac ſe diceret Alcibiadis conſilio facere, quæ faceret: quòd is eſſet auctor, ut hoc unum ſpectaret, ne ulli Græcorum potentes eſſent: ſed imbecilli potiùs omnes, ſuis ipſi diſſidiis attriti. [*Id. ibid.*] Tres tamen adhuc annos reſtiterunt Athenienſes; cùm à Cyro pecuniis ad claſſem Peloponneſii juvarentur. [*Thucyd. lib. 2.*] Et quis miretur, tam floreutes Athenienſium opes ruiſſe; cùm ad opprimendam unam urbem, totius Orientis vires concurrerent? [*Juſtin. lib. 5. cap. 1.*]

Lyſander Epheſum reverſus, ibique quietem agens, naves 90 quas illic habebat in ſecum ſubductas refecit. [*Xenoph. Hellen. 1.*] Ex urbibus quoque vicinis potentiſſimos accerſiit; initóque cum illis fœdere ſocietatis, re bene geſtâ, ſuæ quemque urbis principem ſe effecturum pollicebatur. Hinc evenit, ut illi ſtudiis inter ſe certantes plura imperatis ſubminiſtrarent: & opinione celeriùs Lyſander omnibus ad bellum conducentibus abundaret. [*Diodor. lib. 13.*]

Quum accepiſſet Alcibiades, Thraſybulum extra Helleſpontum progreſſum munire Phocæam; ad eum navigat, relicto apud claſſem gubernatore ſuo Antiocho; cum mandatis, ne adversùs Lyſandri claſſem proveheretur. Antiochus verò cum navi ſuâ, & aliâ Notianâ, (ut apud Xenophontem habetur & Plutarchum: Diodorus enim decem naves lectiſſimas illum eduxiſſe refert) in portum Epheſiorum invectus ad ipſas Lyſandri navium proras prætervehi auſus eſt. Tum Lyſander, primò paucis navibus deductis, eum inſequitur. Sed quum Antiocho pluribus cum navibus ſocii opem ferrent; universâ claſſe inſtructâ in eos pergit. Itaque & Athenienſes reliquis triremibus è Notio deductis in hoſtes provecti ſunt. Verùm quum naves eorum, nullo ſervato ordine, ſparſæ vagarentur, amiſſis 15 triremibus, terga tandem dederunt: ipſo etiam duce Antiocho interfecto. His navibus Lyſander ſecum ſumptis, & erecto ad Notium trophæo, Epheſum; Athenienſes verò Samum trajecerunt. Quò cùm Alcibiades rediiſſet, universâ cum claſſe ad Epheſiorum portum provectus, aciem ante oſtium ejus inſtruxit. At quum Lyſander claſſem ſuam non educeret, quòd navium numero longè inferior eſſet, Samum reverſus eſt. [*Xenoph. Hellenic. 1. Diodor. lib. 13. Plutarch. in Alcibiade & Lyſandro.*]

Alcibiades ex Samo cum universâ claſſe Cumam navigans, falſis in oppidanos objectis criminibus, multos eorum captivos in naves abduxit. At ubi conjunctis totius civitatis viribus Cumæi ex improviſo ad defenſionem ſuorum hoſtem invaderent; eorum impetum aliquamdiù Alcibiades ſuſtinuit: cùm verò ſubinde plures ex oppido & agro accurrerent, relictis captivis, ad naves confugere coactus eſt. Victum igitur ſe ægrè ferens, armatorum cohortes ex Mitylene accerſit, & inſtructâ ante urbem acie Cumæos ad conflictum provocat. Sed nemine prodeunte, vaſtatis illorum agris, Mitylenen repetiit. Cumæi verò legatis Athenas miſſis, actionem contra eum inſtituunt; quòd ſocii nominis urbem, quæ ipſos nullâ injuriâ affecerit, populando vexaſſet. Multæ quoque aliæ de improbitate hominis querelæ tum afferebantur. Nonnulli enim præſidiariorum in Samo, illi infenſi, Athenas trajecerant; & in publica illum concione criminabantur, quòd cum Lacedæmoniis colluderet, & familiarem cum Pharnabazo amicitiam contraxiſſet, in eam maximè ſpem ut, bello confecto, civibus ipſe dominaretur. [*Diodor. lib. 13.*]

3598 *a.* Cumanis igitur ſuo, & Thraſybulo Thraſonis filio exercitûs nomine, Athenis Alcibiadem ob imperium malè adminiſtratum accuſantibus: ejus loco Conon & alii novem Duces ſubſtituuntur. Id ille ut audivit, relicto exercitu, in Thraciæ Cherſoneſum unâ triremi ad caſtella ſua ſe recepit. [*Diodor. ibid. Xenoph. Hellenic. 1. Plutarch. in Alcibiade.*]

b. Lyſander, Epheſum ex urbibus accerſens eos quos maximè præſtare cæteris audaciâ & prudentiâ videbat, ut coitiones facerent arripiendiſque Rebus publicis adjicerent animum eos incitavit: fiduciâ illis injectâ, ſimul-atque oppreſſi Athenienſes eſſent, ſolutos ipſos fore populari imperio & principatum in patriis ſuis habituros. [*Plutarch. in Lyſandro.*] 4308 406

c. Luna veſpere defecit. [*Xenoph. Hellen. 1.*] Aprilis Juliani die 15 circa tertiam poſt occaſum Solis horam: ut Aſtronomicus oſtendit calculus.

Pityâ apud Lacedæmonios ephoro, Callià Athenis archonte, quum Lyſandri præfecturæ annus exiiſſet, ſucceſſor illi à Lacedæmoniis ad claſſem miſſus eſt Callicratidas. Cui infenſus Lyſander, naves quidem Epheſi illi tradidit, ſed datæ ſibi à Cyro pecuniæ ad ſtipendium nauticum remiſit reſiduum Sardes: jubens Callicratidam petere, ſi ei viſum eſſet, & videre quâ ratione ſuſtentaret milites. Unde neceſſitate ille compulſus, ad Cyrum in Lydiam perrexit, & nautis ſtipendium ab eo popoſcit. Ubi, homo minimè aulicus, dilationem graviter ferens, & Græcos mortalium miſerrimos eſſe affirmans, qui pecuniæ causâ barbaris adularentur; re infectâ, rediit. [*Xenoph. Hellen. 1. Plutarch. in Lyſandro.*]

Callicratidas Miletum navigans, pecuniam à Mileſiis impetrat; indéque Chium petens, Delphinium ibi caſtellum, quod Athenienſium præſidiarii circiter 500 tenebant, traditum ſibi diruit. E Chio deinde quinque drachmarum viatico in nautas ſingulos coacto, adversùs Teios pergens, & noctu mœnibus illapſus, urbem diripit. Inde ad Lesbum profectus, Methymnam expugnat. Ad ejus auxilium Cononem Athenienſium Ducem, cum 70 navibus, ſerò advenientem, cum 170 navibus perſequens, pugnâ navali vincit; & 30 navibus amiſſis, cum reliquis 40 in portum Mitylenes fugere coactum, terrâ marique obſidet. Quo tempore, à Cyro etiam pecunia illi eſt allata. [*Xenoph. ibid. Diodor. lib. 13.*]

Athenienſium claſſis, quæ univerſa plurium quàm 150 navium fuit, ad Mitilynæam obſidionem ſolvendam prodiit. Callicratidas, Etenico cum 50 navibus ad continuandam obſidionem relicto, cum cæteris 120 provectus, ad Arginuſas inſulas (inter Maleam Lesbi & Cauanidem Aliæ promontorium poſitas) fortiter pugnans occubuit. Victores Athenienſes naves 25 amiſe-

runt

runt, unà cum hominibus; paucis exceptis, qui ad litus evaſerunt. Peloponneſii, 77 ſuorum navibus deſideratis, fugà in Chium, maximáque ex parte in Cumæorum & Phocæenſium regionem, ſe receperunt. [*Id. ibid.*] Calliâ vero Athenis archonte (hoc eſt, anno tertio Olympiadis XCIII) navale hoc ad Arginuſas prælium commiſſum fuiſſe, cum Xenophonte & Diodoro Athenæus etiam (in libro quinto Dipnoſophiſt.) confirmat.

3599 Cyrus conſobrinos ſuos Autoboëſacem & Mitræum, ſororis patris ſui Darii filios, interemit; quòd quum occurriſſent ei, manus intra manicam non continuiſſent obvolutas; qui honor ſoli Regi deferri erat ſolitus. Id quum Hieramenes & uxor ejus (occiſorum, ut videtur, parentes) reſciviſſent: Darium monuerunt, iniquiſſimum eſſe, ad tantam filii injuriam ipſum connivere. Quapropter eum Darius miſſis nuntiis ad ſe arceſſit, ægritudinem prætexens: quum apud Thamneria Medorum in caſtris ageret; contra finitimos Caduſios, qui ab eo defecerant, expeditione ſuſceptâ. [*Xenoph. Hellenic. lib.* 2.] 4309 405

Lacedæmonii in Æolide, & Ioniâ, inſuliſque hîc illic diſperſi, conventu Epheſi habito, legatos Lacedæmonem miſerunt, qui præſentem rerum ſtatum exponerent, & Lyſandrum remitti ad caſtra cum imperio peterent, prioribus experimentis probè ipſis cognitum. Miſit cum iiſdem poſtulatis & Cyrus. Sed quia bis eundem claſſi vetabat lex præfici, nec horum voluntati deeſſe Lacedæmonii volebant: nomen præfecturæ accommodaverunt Araco cuidam; Lyſandrum verbo legatum, re cum ſummâ poteſtate miſerunt. Lyſander igitur Epheſum veniens, Eteonicum è Chio cum navibus arceſſit: coactis etiam è Peloponneſo & aliunde navibus univerſis, ubicúmque eſſent. Atque non has ſolùm reficiebat, ſed etiam alias apud Aptandrum ædificabat. [*Xenoph. ibid. Diodor.* initio 3. & 4. *Olymp.* 93. *Plutarch. in Lyſandro.*]

Lyſander ad Cyrum profectus, pecuniam ab eo petit. Qua ægrè ab eo impetratâ (demonſtrabat enim Cyrus prioribus penſionibus liberalibus ſe exhauſtum) trierarchus conſtituit, & nautis ſtipendium debitum perſolvit. [*Xenoph. Hellenic. lib.* 2.]

Carthaginienſes, captâ Gelâ in Siciliâ, Apollinis extra urbem miræ magnitudinis æneam ſtatuam inde abreptam Tyrum tranſmiſerunt. [*Diodor. Sicul. ann.* 4. *Olymp.* 93.]

Cyrus, nuncio à patre accepto, Lyſandrum Sardes ad ſe accerſens, ne cum Athenienſibus prælio navali decerneret; vetuit; niſi multò majorem navium numerum haberet: magnam ſe in reditu ex Phœniciâ & Ciliciâ adducturum claſſem promittens. Suæ deinde præfecturæ urbes fidei Lyſandri commendavit, & quæ ex illis tributa ipſi peculiariter pendebantur aſſignavit ei omnia; & quod pecuniarum reliquum erat ei donavit. [*Xenoph. Hellen. lib.* 2. *Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 93. *Plutarch. in Lyſandro.*]

Ad patrem deinde aſcendit Cyrus, Tiſſapherne tanquàm amico ſibi adjuncto, cum trecentis gravis armaturæ militibus Græcis; quibus Xenias Parrhaſius præerat. [*Xenoph. Expedit. Cyri, lib.* 1. *pag.* 245. & 254.]

Cyro ad patrem profecto; Lyſander, ſoluto militibus ſtipendio, in Ceramicum Cariæ ſinum cum claſſe pergit: & caſtris ad *Cedreas* Athenienſibus confœderatum oppidum admotis, poſtridie expugnatas diripit, & habitatores, qui erant ſemibarbari, ſervituti mancipat. Ita in ſecundo Hellenicorum rem narrat Xenophon. Diodorus verò, ad annum 4. Olymp. 93. ita. Lyſander cum magno triremium numero, *Thaſum* Cariæ urbem Athenienſibus ſocietatis jure obnoxiam adortus, vi expugnat; pubémque omnem ad 800 jugulat, puerſque ac mulieribus ſub haſtâ venditis, urbem ſolo æquat. Ubi pro *Cedreneſibus*, nomen *Thaſiorum* perperàm habetur poſitum: qui non Cariæ ſed Thaſi inſulæ, longè ab eâ disjunctæ, erant incolæ; & poſt victoriam ad Ægos-potamos, everſo Athenienſium ſtatu, à Lyſandro non vi ſed dolo ſunt oppreſſi; ut ex mutilatâ apud Æmilium Probum in *Lyſandro*, & integrâ rei geſtæ hiſtoriâ apud Polyænum in primo Stratagematum libro, intelligitur.

d. Mileti quidam paucorum dominatûs ſtudioſi populare imperium, Lacedæmoniorum auxilio, ſuſtulerunt. Ac initio quum Dionyſia celebrarentur, factioni ſuæ maximè adverſantes in ædibus ſuis comprehenſos, ad 40. trucidârunt. Pòſt obſervato tempore, quo forum hominibus refertum erat, delectos è populo 300. omnium locupletiſſimos capite mulctant. Interim cives aliquot ornatiſſimi, qui populi cauſæ favebant, mille numero non minores, metu circumſtantis periculi, ad Pharnabazum ſatrapam confugiunt. Is perquàm humaniter illos excepit, aureóque ſtatere ſingulis donato Claudæ, quod Claudiæ [an *Claudæ* inſulæ? *Act.* XXVII. 16. caſtellum eſt, inhabitanda profugis conceſſit. *Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 93.]

Athenienſes, Samo profecti & Regis fines depopulati, Chium & Epheſum versùs navigabant, ad navale prælium ſeſe parantes. Interim Lyſander Rhodo ſolvens, relictâ à dextris Ioniâ, in Helleſpontum cum claſſe contendit; prohibiturus illic navium exitus, & civitates quæ defecerant invaſurus. [*Xenoph. Hellenic.* 2.]

Lyſander, Abydo profectus, cum claſſe Lampſacum petiit Athenienſium ſociam: ſimul pedeſtri itinere Abydenis & aliis eò ſe conferentibus; quibus Thorax Lacedæmonius præfuit. Adorti civitatem, vi eam capiunt; divitemque & frumento, vino, rebus aliis plenam diripiunt. Atticum in eâ præſidium fide datâ Lyſander incolume dimiſit, ingenuis omnibus hominibus libertatem donavit, direptámque à militibus urbem Lampſacenis reſtituit. [*Xenoph. ibid. Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 93. & *Plutarch. in Lyſandro.*]

Athenienſium claſſis, quæ 180. navium fuit, ad *Ægos-potamos* (ſive *Capræ fluenta*) in angustiis Helleſponti, à Lyſandro capta eſt, (ex toto numero vix decem triremibus evadentibus;) ſimúlque cum Ducibus, tria hominum millia. [*Id. ibid.*]

Conon, perditas jam res eſſe Athenienſium animadvertens, & crudelitatem civium metuens; cum navibus novem ad Abarindem Lampſaci promontorium appulit: ablatiſque inde majoribus navium Lyſandri malis, cum octo navibus ad regem Cyprium Euagoram, cum quo

amicitia ipſi interceſſerat, navigavit; Paralo, ſive triremi publica, Athenas remiſſâ, ut ea quæ acciderant renunciaret. [*Id. ibid. cum Iſocrate in Euagorâ & ad Philippum, Ariſtotele lib. 2. Rhetoric. Juſtino lib. 5. cap. 6. & Ariſtide in orat. Rhodiacâ.*]

Lyſander, caſtris direptis, naves, captivos & ſpolia, ad tibias & cantus triumphales ducens, Lampſacum ſe recepit: eódemque die Theopompum Mileſium prædonem victoriæ nuncium Lacedæmonem mittit, cum lectiſſimâ triremi, armis cæteriſque ſpoliis magnificentiſſimè exornatâ; qui triduo iter illud confecit. Philocles dux & captivi Athenienſes omnes (3000. numero; ut habet Plutarchus in *Alcibiade* & *Lyſandro*) duce Adimanto ſolo excepto trucidati ſunt. [*Xenoph. Diodor. Plutarch.*]

Rebus Lampſaci conſtitutis, Lyſander Byzantium & Chalcedonem navigans ab utrâque civitate receptus eſt: Athenienſium præſidiariis fide datâ dimiſſis. Qui Byzantium Alcibiadi prodiderant, in Pontum tunc fugâ elapſi, dein Athenas profecti, ibi civitati adſcripti ſunt. Lyſander verò, Byzantii & Chalcedone relicto Sthenelao Lacedæmonio præfecto, Lampſacum ad reficiendas naves rediit. [*Xenoph. Hellen. 2.*]

Lyſander ex omnibus urbibus qui Athenienſium rebus ſtudebant ejectis, deletóque paſſim populi jure & aliis Reipublicæ formis, Harmoſtas Lacedæmonios ſingulis reliquit: denis ex conflatis ab ſe per oppida ſodalitiis rectoribus delectis, quibus ſummum imperium poteſtatémque omnium rerum commiſit. In horum enim numerum nemo admittebatur, niſi qui aut ejus hoſpitio contineretur, aut ſe illius fore proprium fide confirmârat. Atque ita δεκαρχίαι ſive decemvirali poteſtate in omnibus urbibus conſtitutâ, ipſius nutu omnia gerebantur. [*Plutarch. & Æmil. Prob. in Lyſandro.*]

Haud longo in his conſumpto ſpatio, Lyſander, præmiſſis Lacedæmonem nuntiis adeſſe ſe cum ducentis navibus, unà cum Agide & Pauſaniâ regibus Spartanis Athenas obſedit: brevi ſperans urbem ſe capturum. Sed, quum defenderent ſe fortiter Athenienſes, rediit in Aſiam: ubi civitatum reſpublicas demolitus eſt æquè omnium, & δεκαρχίαι ſive Decemviratus conſtituit; multis in unaquâque occiſis; multis fugientibus. Et quum Mileti amici & hoſpites ejus, quibus operam ſuam ad opprimendum populum & adverſarios pellendos fuerat pollicitus, mutato conſilio rediiſſent cum æmulis ſuis in gratiam: mirâ ſimulatione & inſigni uſus perfidiâ, eorum qui partes populi tuebantur numero non minùs 800. Oligarchicis necandos tradidit. [*Plutarch. ibid.*]

3600 *c.* Athenienſes, terrâ marique à Lacedæmoniis obſeſſi, pacem certis conditionibus conſequuntur. Die 16. Munychionis Attici (Aprilis Juliani 24.) Athenienſibus à Lyſandro conditiones pacis violatas objectum eſſe narrat in ejus Vitâ Plutarchus: quòd decem dies elapſi eſſent intra quos, juxta pacta conventa, urbis mœnia diruere tenebantur. Unde circa Munychionis 6. [Aprilis 14.] pacem illam factum eſſe colligitur, quæ bello Peloponneſiaco, poſt annos 27. [ut in libro 5°. docet Thucydides] finem dedit. 4310 404

Brevi poſt hanc pacem, Darius Aſiæ rex, cùm per annos 19. imperium tenuiſſet, mortem obiit. Cui ſuccedens filiorum natu maximus Artaxerxes, 43. annos regnavit. [*Diodor. Sicul. ann. 4. Olymp. 93.*] *Ocho Dario* Babylone mortuo ſucceſſitle *Arſicam* ſive *Arſacem*, ex Paryſatide antequàm regnum adipiſceretur genitum, & mutato nomine *Artaxerxem* fuiſſe appellatum; ſcribit hujus ipſius Artaxerxis, qui à memoriæ felicitate *Mnemonis* cognomentum obtinuit, medicus Creſias Cnidius. Neque aliò referendam exiſtimaverim hiſtoriam illam, apud Athenæum libro 12. Dipnoſophiſt. *Ochum* jam moriturum, à filio natu maximo interrogatum, quâ induſtriâ regnum per tot annos conſervaſſet, id edoctus ut imitaretur: juſta erga Deos omnéſque homines faciendo illud ſe conſecutum, reſpondiſſe. Etſi enim Ochus Darius ab uxore Paryſatide, juniorem filium Cyrum majore affectu complexa, Darii Hyſtaſpidis exemplo urgeretur, ut juniorem ſibi regnanti natum ſeniori ante regnum genito anteponendum ſtatueret: id tamen ille facere noluit, ſed regnum Artaxerxi, Cyro civitates quarum præfectus erat, teſtamento legavit. [*Plutarch. in Artaxerxe, Juſtin. lib. 5. cap. 11.*]

Artaxerxe regnum adepto, uxoris ſuæ Statiræ Idernis filiæ impulſu, Udiaſtæ (qui Terituchmem ſatrapam Statiræ fratrem & Amiſtris ſororis Artaxerxis maritum, interfecerat) extracta retro per cervicem lingua exſecatur: & ejus mortui loco, filius Mitradates vel Mithridates (qui urbem Zarim filio Terituchmis conſervaverat) ſatrapa conſtituitur. [*Creſias.*]

Quum Paſargadas profectus eſſet Artaxerxes ut, pro more, ſtolâ ſuâ poſitâ eam indueret quam Cyrus priſcus, priuſquàm regno potiretur, geſſerat; ſacriſque regiis à ſacerdotibus Perſicis inauguraretur: adducit ad eum Tiſſaphernes ſacerdotem illum, qui in pueritiâ Cyri magiſter patriæ inſtitutionis fuerat, atque artem magicam eum docuerat. Cui ideirco fides eſt habita, Cyrum deferenti; quòd in templo circumvenire inſidiis Regem, atque cùm veſtem exueret adoriri & obtruncare ſtatuiſſet. [*Plutarch. in Artaxerxe.*]

Artaxerxes fratrem Cyrum, interficiendi conſilio, comprehendit; & compedibus aureis (regiæ familiæ honore habito) vinxit. Sed morituram jam mater ulnis complexa, ac capillo ſuo circumjiciens colligánſque illius collum cum ſuo, multis lamentis & obſecrationibus obtinuit ei veniam: effecitque ut ad ſuam in Lydiâ & maritimis civitatibus præfecturam remitteretur. [*Id. ibid. cum Xenoph. Expedit. Cyri lib. 1. Juſtin. lib. 5. cap. ult. & Creſiâ.*]

Alcibiades, formidine imperantium terrâ jam marique Lacedæmoniorum, in eam Bithyniæ partem quæ à Thracibus incolebatur ſeceſſit: eóque magnam vim pecuniæ tulit ſecum, majorem etiam in quâ degebat arce relinquens. Sed Thraces illi Bithyni, poſtquàm eum cum magnâ pecuniâ veniſſe ſenſerunt, inſidias ei fecerunt, & ea quæ apportavit abſtulerunt: ipſum tamen capere non potuerunt. Inde igitur in Phrygiam ad Pharnabazum tranſiit: quem adeò ſuâ cepit humanitate, ut eum nemo in amicitiâ antecederet. Unde ei Grynium dedit in

Phrygiâ

Phrygiâ castrum, ex quo quinquaginta talenta vectigalis habebat. [*Plutarch. & Æmil. Prob. in Alcibiade.*]

Lysandria, in honorem Lysandri, sunt instituta: in quibus quum Antimachus Colophonius & Niceratus Heracleotes carminibus certarent, Niceratum Lysander coronâ donavit. Antimachum, id molestè ferentem & poëma suum abolentem, tum juvenis Plato consolatus est: ignorantiam dicens iis quibus inesset tantùm nocere, sicut cæcitatem iis solùm qui ipsi capti luminibus essent. [*Plutarch. in Lysandro, cum Diodoro, ann. 4. Olymp. 93. ex Apollodoro.*]

d. Proximâ post receptas à Lysandro Athenas Olympiade, quâ stadium vicit Crocinas Thessalus, (quæ XCIV. est numerata) Solis esse factum deliquium, in Hellenicorum libro 2. testatur Xenophon. Quod quidem hoc anno, 3. Septembris die, tempore matutino contigisse, calculus astronomicus demonstrat.

3601 *a.* Cyrus in Lydiam reversus, vinculorum memor, consiliâ init, quo pacto se deinceps è potestate fratris eximeret, atque etiam, si fieri posset, ejus loco regno potiretur. Itaque Græcas copias quàm poterat occultissimè cogebat, & prætextibus variis externum militem undique conquirebat, ut Regem imparatissimum offenderet. [*Xenoph. Expedit. Cyri, lib. 1. Plutarch. in Artaxerxe.*] Lysandro quoque triremem bicubitalem ex auro & ebore factam, victoriæ causâ gratulatoriam misit: quam ille in Brasidæ & Acanthiorum thesauro reposuit. [*Plutarch. in Lysandro.*] Et quum ad eum Lysander à sociis dona gerens venisset; (inter quæ monile fortasse illud fuerit, quod ex Thessaliâ à Scopâ juniore illi missum *Ælianus* memorat, in *Var. Histor. lib. 12. cap. 1.*) hortum Sardibus à se dispositum & consitum Cyrus illi ostendit, eósque de rusticæ rei exercitiis sermones cum eo habuit, quos recenset Socrates in Xenophontis Oeconomico.

Apud Persas Satibarzanes Orontem criminatur: cum Parysatide Artaxerxis matre consuetudinem eum habere dicens; quum alioqui castè illa viveret. Morte igitur mulctatur Orontes: & mater Regi indignatur, venenóque Terituchmis filium (Mithradatem) necat. [*Ctesias.*]

Alcibiades, quum Cyrum fratri bellum clàm parare, Lacedæmoniis adjuvantibus, intellexisset; ad Artaxerxem ire statuit, ut primus ipse de insidiosis hisce molitionibus eum edoceret; hâc ratione & suis se rebus (Themistoclis exemplo) consulere potuisse sperans, & patriam Regis auxilio, à Lacedæmoniorum servitute liberare. Interim Critias, & XXX. Tyrannorum Athenis à Lacedæmoniis impositorum alii, certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset. Neque priùs tamen hæc Lysandrum moverunt, quàm à magistratibus urbanis est scytala allata, quæ juberet ut Alcibiadem tolleret. Pharnabazo igitur satrapæ renunciat, societatem quæ Regi cum Lacedæmoniis esset stare non posse, fœderáque irrita futura, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum tradidisset. Itaque Pharnabazus *Susamithren* patruum & *Magæum* (*Bagæum*, Æmilio Probo) fratrem ad Alcibiadem interficiendum mittit; cùm ille esset in quodam Phrygiæ pago *Melissa* dicto, & in monte Elaphoente posito, itérque ad Regem pararet. Barbari ad illum opprimendum ab eis submissi, cùm ferro eum aggredi non auderent; noctu ligna contulerunt circa domum in quâ quiescebat, eámque succenderunt: deinde ex incendio evadentem Alcibiadem telis & sagittis eminùs missis interemerunt, capútque ejus ad Pharnabazum retulerunt. Reliquum corpus amica, quæ cum eo vivere consuevetat, muliebri suâ veste (quâ paulò ante interitum amictum se fuisse somniaverat) contectum, ædificii incendio cremavit; pro eâ quæ suppetebat copiâ, funus ei faciens splendidum atque honorificum. [*Ephorus, lib. 17. apud Diodor. Sic. ann. 1. Olymp. 94. Aristotel. hist. animal. lib. 6. cap. 29. Cicer. lib. 2. de Divinat. Valer. Maxim. lib. 1. cap. 7. Justin. lib. 5. cap. 8. Athen. Dipnosophist. lib. 13. Plutarch. & Æmil. Prob. in Alcibiade.*]

b. Clearchus Lacedæmonius, Byzantii tyrannidem exercens, & à suis duce Panthoidâ profligatus, fugâ per noctem arreptâ, in Iohiam trajecit. Ubi familiaritate cum Cyro, bellum adversùs fratrem Artaxerxem moliente, contractâ, Dux copiarum factus est. Videns enim in eo robur animi esse & confidentiam ad quidvis promptam; decem millia Daricorum nummorum ei dedit: quibus ille instructus, copias coëgit, ac progressus è Chersoneso, Thracibus iis quibus supra Hellespontum sedes sunt bellum intulit. Quæ res quia Græcis commodo erat, etiam sponte suâ civitates Hellesponticæ pecunias ad alendum hunc militem conferebant. Quapropter & hæ copiæ Cyro clàm alebantur. [*Xenoph. Expedit. Cyri, lib. 1. Diodor. ann. 2. Olymp. 94.*] 4311 403

c. Quum Pharnabazi provinciam Lysander vastaret, misit ille Spartam qui eum ob hoc accusarent. A Lacedæmoniis autem Pharnabazus, quòd inter regios præfectus in bello gerendo promptissimum se illis approbasset, diligebatur. Unde infensi ephori, unum ex amicis & collegis Lysandri Thoracem, quòd habere eum domi argentum comperissent, necaverunt: ipsum verò Lysandrum missâ scytalâ domum ab Asiâ revocaverunt. Pharnabazum igitur Lysander oravit, ut alias scriberet literas, quibus priores querelæ tollerentur. Ille pollicitus, apertè quidem ejusmodi scripsit quales Lysander petebat; alias verò scriptas clàm habebat, quas inter signandum priotibus illis substituit. Eas Lysander Lacedæmonem reversus ephoris tradens; imprudens suus ipse accusator factus est. [*Plutarch. & Æmil. Prob. in Lysandro. Polyæn. Stratagem. lib. 7.*]

Paucis diebus interpositis, ægrè & non sine labore, ab ephoris peregrinationis ad Jovis Hammonis delubrum Lysander veniam impetravit: sacrificia quæ ante prælia voverat solvenda prætendens, sed nihil aliud interim agens, quàm ut oraculi istius antistites largitione corrumperet. Eum in finem magnâ pecuniæ vi secum transvectâ, in Libyam ille perrexit: cùm circa illa loca rex Libys paternus ipsius hospes esset; ad quam amicitiam restificandam, fratri Lysandri nomen Libys fierat inditum. Verùm præsides oraculi non

ſolùm corrumpi non potuerunt, ſed etiam legatos Lacedæmona miſerunt, qui Lyſandrum accuſarent, quòd ſacerdotes fani corrumpere conatus eſſet. Hic ergo Lacedæmonem reverſus, ad cauſſam dicendam arceſſitus, judicum eſt abſolutus ſententiis. [*Diodor. ann. 2. Olymp. 94. Plutarch. & Æmil. Prob. in Lyſandro.*]

3602 Urbes Ionicæ, quæ prius Tiſſapherni à Rege fuerant traditæ, hoc tempore omnes, exceptâ Mileto, ad Cyrum defecerunt. Cùm enim Tiſſiphernes Mileti præſentiſſet, Miletios eandem ad Cyrum defectionem moliri; partim eos occiderat, partim ejecerat. Hos Cyrus in exilium actos quum excepiſſet: exercitu comparato, terrâ marique Miletum obſidebat, & ejectos reducere conabatur. [*Xenoph. Exped. Cyri, lib. 1. pag. 244. edit. Paris. Græco-latin.*] In terreſtri exercitu, ex Græcis, Socrates Achæus fuit cum gravis armaturæ circiter quingentis; & Paſio Megarenſis cum ſeptingentis ferè. [*Ibid. pag. 245.*] Mari verò Tamos Ægyptius, Cyri navarchus, 25 navibus inſtructus urbem obſidebat. [*Ibid. pag. 252.*] 4312 402

Cyrus ad Artaxerxem mittens, eum orabat, ut fratri potiùs quàm Tiſſapherni concedere in eas urbes imperium vellet: quâ in re matris etiam ſtudio adjuvabatur. Itaque accidit, ut Rex inſidias ſibi ſtrui non animadverteret; ſed exiſtimaret Cyrum iccircò copias alere, quia Tiſſapherni bellum faceret: adeóque moleſtè non ferret, bellum inter ipſos geri. Nam mittebat Cyrus tributum Artaxerxi debitum iis ex urbibus quas Tiſſaphernes habuerat. [*Ibid. pag. 244.*]

Hunc Cyrum, qui neque Perſico neque Babylonico unquam potitus eſt imperio, illum fuiſſe ſuaviter ſomniavit Georgius Hervartus, qui ſolutâ captivitate Babylonicâ Judæis, cum præſide Zorobabele & Joſuâ ſive Jeſu Jozadaki filio ſummo Sacerdote, in patriam redeundi poteſtatem dedit: quum Artaxerxes Mnemon hiſce temporibus Imperator fuerit, ſummus Sacerdos Johannes (Nehemiæ XII. 11, 22, 23. Johanan & Jonathan dictus) populi verò præſes Perſicus Satrapa à Joſepho, Antiquitat. lib. XI. cap. 7. nominatus Βαγώσης ὁ στρατηγὸς τοῦ ἄλλου (λαοῦ ineptè legunt vulgata exemplaria) Ἀρταξέρξου, *Vagoſes dux alterius Artaxerxis* (ut Rufinus quoque vertit:) alterius nimirùm à Longimano Artaxerxe, de quo in præcedente capite Joſephus egerat. Hiſtoria verò quam de hiſce ille narrat, eſt ejuſmodi.

Johanni ſummo Pontifici frater erat Jeſus: cui Vagoſes amicus exiſtens, Pontificatum ſe daturum eſt pollicitus. Hâc fiduciâ Jeſus quum liberiùs cum fratre in Templo altercaretur, re ad rixam uſque progreſsâ, tantam fratri bilem movit, ut ab eo per iram interficeretur. Quo cognito, Vagoſes ſuperveniens Templum ingreſſus polluit; illud jam antè à Sacerdote ſummo fratris ſanguine prophanarum dictitans: ac per ſeptennium ejus cædis pœnas à Judæis exegit, gravi mulctâ impoſitâ; ut priuſquàm quotidianas hoſtias offerrent, pro unoquoque (non *anno*, ut habent editæ Joſephi verſiones eaſque ſecutus Salianus, ſed) *agno*, ex publico quinquaginta drachmas penderent. Ea verò pœna terminata videtur fuiſſe cum ejus, à quo facinus perpetratum eſt, Pontificis Johannis obitu: quem ad hujus Artaxerxis (non Ochi) principatum & quidem illius annos primos, idcircò referimus; quòd Johananis ſive Johannis hujus (nondum tamen Pontificis) mentionem in Ezræ libro factam invenerimus. [*Ezr. X. 6. cum Nehem. XII. 23.*] Inter ſeptimum enim annum Artaxerxis Longimani (ad quem illa Ezræ hiſtoria pertinet) & finem ſeptimi anni Artaxerxis Mnemonis (ante quem vitâ non exceſſiſſe Johannem ſupponimus) 70. annorum intervallum rationes noſtræ conſtituunt. Ita Johanni poſt nonageſimum ætatis annum defuncto, ſucceſſiſſet Jaddus filius: qui ad Alexandri uſque imperium Pontificatum obtinuit; & circa 83. ætatis annum (ſi ſub finem regni Darii Nothi natum illum fuiſſe ponamus) ex hominum vitâ demigravit. Sed hæc extra cattem. Ad inſtitutam Chronici ſeriem, & minoris Cyri (intra 22. annum ætatis) interitum, jam recurrimus.

3603 *b.* Cyrus Lacedæmonem legatos mittit, rogans, ut quemadmodum ipſe Lacedæmoniis contra Athenienſes opem tuliſſet, ita & illi auxilia & milites ſibi mittant: in literis ſuis jactitans, ſe largiturum, ſi pedeſtres veniſſent, equos, ſi equeſtres, bigas; ſi prædia haberent vicos, ſi vicos, urbes; ſtipendiúmque militibus non annumeraturum, ſed admenſurum. Lacedæmonii, juſta eum poſtulare cenſentes & ex re ſuâ bellum iſtud fore arbitrati, velut ignorantes contra quem bellum pararetur, decernunt auxilia Cyro mittenda: quærentes apud Cyrum gratiam; & apud Artaxerxem, ſi viciſſet, veniæ patrocinia, cùm nihil adverſùs eum apertè decreviſſent. Ephori igitur confeſtim ad Samium ſuum navarchum miſerunt, ut quicquid Cyrus imperaret exſequeretur. (*Xenophon. lib. 3. Hellenic. init. Diodor. Olymp. 94. ann. 4. Juſtin. lib. 5. cap. ult. Plutarch. in Artoxerxe.*) 4313 401

Lacedæmoniorum navarchus cum triremibus ſuis Epheſum ad Tamon Ægyptium Cyri navarchum trajiciens, ad omnia prompeam illi operam exhibuit. Claſſem enim ſuam cum illius conjungens, & ſimul cum illo ex Ioniâ in Ciliciam circumvectus, effecit ut Syennefis qui ibi rerum potitus eſt Cyrum adverſùs fratrem pergentem terrâ impedire non poſſet. [*Xenoph. & Diodor. ibid. cum Cyri Expedit. lib. 1. pag. 248. & 252.*] Diodorus Samio Lacedæmoniorum navarcho, cui *Sami* nomen fuiſſe putat, 25. triremes aſſignat, & Tamo 50. quum ex certiore Expeditionis Cyri hiſtoriâ appareat, Tamo 25. fuiſſe naves, Pythagoræ verò Lacedæmonio (ſic enim alterum nominat navarchum 35.)

Cyrus, quum in ſuperiorem Aſiam movere ſtatuiſſet, cauſam belli eam præ ſe ferebat, quaſi vellet adverſùs Piſidas, regionem ipſius infeſtantes, exercitum ducere: indéque Clearchum Lacedæmonium, Ariſtippum Theſſalum, Xeniam Arcadem, exules Mileſios cum iis qui Miletum obſidebant, Proxenum Bœotium, copiáſque quas habebat omnes, tum Græcas tum Barbaricas, Sardes accerſivit. (*Xenoph. Expedit. Cyri, lib. 1.*)

Tiſſaphernes, cùm animadverteret apparatum belli majorem eſſe, quàm ut adverſùs Piſidas comparari videretur; cum quingentorum equitum comitatu ad Artaxerxem quàm potuit maximis itineribus contendit: qui re ex eo cognitâ, omnia ad bellum neceſſaria comparare cœpit. [*Ibid.*]

Cyrus

Cyrus, quum curatores Lydiæ Perſas conſtituiſſet ſibi propinquos, Ioniæ autem & Æolidi viciniſque locis Tamon (navarchum) fidum ſibi amicum, natione verò Memphitem, præeſſe juſſiſſet: mox ipſe cum exercitu Ciliciam & Piſidiam versùs movit; rumore paſſim diſſeminato, quòd nonnulli gentium iſtarum ab officio receſſiſſent. [*Diodor.*]

Quo pacto autem Cyrus, πράτιμά τε σωίλεξι, καὶ ταῦτ' ἔχων ἀπίεν ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν, καὶ ὡς ἡ μάχη ἐγένετο, καὶ ὡς ἀπέθανε, καὶ ὡς ἐκ τούτου ἀπεσώθησαν οἱ Ἕλληνες ἐπὶ θάλατταν, Θεμιστογένης τῷ Συρακουσίῳ γέγραπται. *Quomodo & copias collegerit, & cum eis adversùs fratrem aſcenderit; tùm qui pugna commiſſa fuerit, perierit ipſe; Græci deinde ſalvi ad mare pervenerint: Themiſtogenes Syracuſanus memoriæ prodidit:* in tertii Hellenicorum initio, inquit Xenophon. Cum quo conferendus locus ille Plutarchi (in lib. de gloriâ Atheniensium) de *Xenophonte*. Ξενοφῶν αὐτὸς ἑαυτῷ γέγονεν ἱστορία, γράψας ἃ ἐστρατήγησε καὶ κατώρθωσε, καὶ Θεμιστογένη δεῖ τούτων συντάξαι τὸν Συρακούσιον ἵνα πιστότερος ᾖ διηγούμενος ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἵππῳ δὲ τῶν λόγων δόξαν χαριζόμενος. *Ipſe Xenophon ſua ſibi hiſtoriæ fuit argumentum; ſcribens quomodo exercitum duxerit, & quid præclarè geſſerit rei, ac de iis compoſitam Hiſtoriam eſſe à Themiſtogene Syracuſano: gloriam hanc aliis deferens ſcriptionis, ut de ſeipſo tanquam alio ſcribens facilius fidem inveniret.* Et Suidæ alius de *Themiſtogene* illo *Syracuſano hiſtorico*: quo, Κύρου ἀνάβασιν ἣν ἐν τοῖς Ξενοφῶντος Ἑλληνικοῖς φέρεται, καὶ ἄλλα τινὰ περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος, *Cyri expeditionem, quæ extat in Xenophontis Hellenicis, & alia quædam de ſuâ patriâ*, eum ſcripſiſſe ſignificat. Cum Græcanicâ nimirum Xenophontis hiſtoriâ conjungi ſolebant hujus Ἀναβάσεως libri, in quorum fine toti huic expeditioni ſcriptor ipſe interfuiſſe ſe indicat: indéque Xenophonti, cujus res in eâ geſtæ utramque operis paginam implent, non à *Plutarcho* ſolùm ſunt tributi, ſed etiam à *Cicerone*, *Dionyſio Halicarnaſſæo*, *Hermogene*, *Diogene Laërtio*, *Athenæo*, *Æliano* (*var. Hiſtor. lib.* 7. *cap.* 14.) & (ut ex noſtris Euſebium & Hieronymum non commemorem) *Arriano Nicomediensi*; cui & *Novi Xenophontis* cognomentum attributum fuiſſe, apud *Photium* & *Suidam* legitur: tum quòd libris quatuor præceptoris ſui Epicteti, ſicut libris quatuor Xenophon magiſtri ſui Socratis, ſermones fuerit complexus; tum quòd ad exemplum ſeptem librorum Ἀναβάσεως Κύρου, Xenophonti & ab aliis & ab ipſo adſcriptorum, totidem Ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου libros & ille ſcripſerit. Quanquàm nec ipſe prioris Ἀναβάσεως authorem in eo eſt imitatus; quòd illius κατ' βιβλίον μὲν ἑκάστου προοίμιον, ὅλως δὲ οὐ, (quemadmodum à *Laërtio* eſt obſervatum) *in ſingulis libris proœmium fecit, totius autem operis nullum.* In ſingulorum enim librorum (præter ſextum) initiis tranſitiones habentur, quæ brevem præcedentium complectuntur epilogum. Qui cùm Xenophontis mos non fuerit, aliàque nonnulla in his libris occurrant, quæ alibi à Xenophonte traditis minùs ſunt conſentanea: eò inclinat animus, ut à *Themiſtogene* commentarios hoſce ſcriptos fuiſſe arbitremur; utcumque ob Veterum illorum authoritatem, *Xenophontis* eos titulo citare haudquaquam nobis diſplicuerit.

Ex quinque verò capitibus Themiſtogenicæ Hiſtoriæ à Xenophonte ſuprà propoſitis, quatuor priores in *primo* Ἀναβάσεως libro habentur explicatæ. I. Copiarum Cyri collectio. II. Earundem in ſuperiorem Aſiam & locum pugnæ deductio. III. Pugnæ commiſſio. IV. Cyri interitus.

Sardibus enim movens Cyrus (ubi occurriſſe ei Xenophontem, à Proxeno Bœotio Athenis accerſitum, & militiæ huic nomen dediſſe, in libro tertio legimus) Celænas in Phrygiâ pervenit, ibíque 30 dies moratus eſt: intra quos Clearcho Lacedæmonio exule & aliis Græcorum Ducibus ad eum diverſis itineribus acceſſerunt; ceuſúque Græcorum ibi inſtituto, inventa ſunt armaturæ gravis militum undecim millia, cetratorum circiter duo.

c. Celænis Cyrus ad Cayſtri campum proceſſit, ubi acceptâ ab Epyaxâ, Syenneſis Cilicum regis uxore, (quâ nimis familiariter uſus fuiſſe Cyrus dicebatur) pecuniâ, exercitui non ſolutum trimeſtre ſtipendium ægrè ferenti ſalarium quatuor menſium perſolvit. Epyaxa quinque ante Cyrum diebus Tarſum in Ciliciâ venit: ejúſque ſuaſu maritus Syenneſis eò perductus, Cyro magnam pecuniæ vim ad alendum exercitum donavit. Syenneſem verò vafri ingenii virum, ad incertum fortunæ eventum ſeſe præparantem, ambos & Cyrum & Artaxerxem in hoc bello adjuviſſe, addunt Cteſias & Diodorus. Alterum enim ex filiis, mediocri commilitantium manu inſtructum, Cyro adjunxit: alterum clàm ad Artaxerxem præmiſit; qui tot in eum copias duci, ſeque invitum ad arma cum Cyro ſociandà pertractum, ſincerâ tamen interim fide Regi addictum, redire ad vexilla ipſius velle, renunciaret. Dies 20 Cyrus cum exercitu Tarſi ſubſtitit: Græcis militibus negantibus ſe ulteriùs perrecturos. Sed eo motu prudentiâ Clearchi ſedato, ad extremam Ciliciæ urbem Iſſum demùm perductus eſt: quò & Cyri claſſis appulit, cum 700 (800 habet Diodorus) gravis armaturæ militibus, quos ad eum Lacedæmonii ſub Chiroſophi ductu miſerant. Quo etiam loco ſtipendiarii Græci 400 gravis armaturæ, qui Artaxerxi ſub Abrocomâ militaverant, caſtris Cyri ſe adjunxerunt. Ipſe verò Abrocomas, relictâ Phœniciâ, cum trecentis hominum millibus ad Regem perrexit: licèt non ante quintum à pugnâ diem ad eum pervenerit. Unde per Syriæ portas, ab eo deſertas, traducto exercitu Cyrus ad locum pugnæ tandem devenit: ab Epheſo eóuſque ſtathmis 93, paraſangis autem 535 (ſive ſtadiis 16050) confectis.

Locum pugnæ *Cunaxa* appellatum fuiſſe, refert Plutarchus; à Babylone ſtadiis 500 diſtantem. Unde, quum in ſecundo Ἀναβάσεως libro (pag. 276.) ſtadiorum 3060 commemoratur diſtantia; pro, εἰς Βαβυλῶνα, Jacobus Cappellus εἰς Σοῦσα legendum eſſe putat. In Cyri exercitu cenſa ſunt Græcorum 13 ferè millia; (licèt 10 tantùm millia Juſtinus habeat, libro 5. cap. ult.) è quibus 10400 ſcutati erant, 2400 vel 2500 cetrati: Barbarorum 10 myriades (100000) & currus falcati ferè 20. Ex partibus Artaxerxis, 90 myriades (900000) prælio interfuiſſe dicuntur, & currus falcati 150. Sed apud Plutarchum, Cteſias Cnidius (qui prælio interfuit) &

3603 apud Diodorum Ephorus, 40 myriades (400000) tantùm commemorant. In pugnâ, ex hujus copiis interfectos fuisse suprà 15000 refert Diodorus: ex Cyri verò 3000. Apud Plutarchum Ctesias, 9000 cæsorum numerum ad Artaxerxem relatum fuisse perhibet; sibi verò non minùs 20000 visos qui ceciderant. Commissa verò pugna est, sub initium anni 4. Olympiadis XCIV, archonte Athenis Xenæneto, ante mortem Socratis anno uno: ut in Vitâ Xenophóntis indicat Diogenes Laërtius.

Hic utroque fratre in prælio concurrente, prior Artaxerxes à Cyro per ipsam loricam in pectore vulneratus est: quod vulnus Ctesias se curasse commemorat. Cyrus verò dum pugnæ successu elatus incautiùs in hostes fertur, à quodam percussus occubuit. Victor Artaxerxes contumeliosis modis in fratris cadaver sæviit: caput & dextram quâ percussus ab eo fuerat abscindens, & quasi per triumphum circumferens. Quæ tristis mater Parysatis, Babylonem profecta, vix tandem recuperavit, Susa misit, ibique sepeliit. Hunc amborum fratrum conflictum, ex Dinone & Ctesiâ, plenius Plutarchus explicat.

Rex castra diripiens, Phocaicam Cyri concubinam, sapientiæ & elegantiæ nomine celebratam cepit [Ἀναβάσεως lib. 1. pag. 270.] Phocæensis genere ex Ioniâ hæc fuit, Hermotimi filia, à suis primùm *Mitro* vocata, posteà à Cyro, quòd Aspasiæ Milesiæ Axiochi filiæ & Periclis amicæ (de quâ suprà, ad annum Mundi 3564) formâ & prudentiâ non impar videretur, *Aspasia* est appellata. Hanc singulari studio rex Artaxerxes requisivit: quúmque ad ipsum vinctam eam ducerent, exanduit, & qui hoc fecerant in vincula conjecit. Aspasiam verò inter omnes pellices (quas 360 alebat formâ præstantissimas) primam habuit, & præcipuè adamavit. [*Plutarch. in Pericle & Artoxerxe. Ælian. Vari histor. lib.* 12. *cap.* 1. *Justin. lib.* 10. *cap.* 2.]

Græci cladis hujus & Cyri interitûs ignari, fortiter ex aliâ parte pugnârunt, & Tissaphernem ejúsque copias vicerunt. Sex tantùm millia Græcorum hîc fuisse, affirmat Isocrates in Panegyrico: quos neque ex optimis delectos fuisse addit, sed homines ita perditos, ut in suis civitatibus vivere non possent: ignaros regionis, destitutos à sociis, à comitibus proditos, duce quem secuti fuerant amisso. Castra verò ipsorum Rex cum suis, qui Tissapherni in auxilium venerat, diripuit: ad quæ, copiis regiis iterùm fugatis, Græci reversi, maximâ ex parte incœnati pernoctârunt; cùm omnes etiam impransi essent. Atque hîc *primus* Ἀναβάσεως Cyri liber terminatur.

Secundus liber narrat, quo modo Græci, duce Clearcho Lacedæmonio, in patriam redire constituerint: & ut Tissaphernes, comitem se cum copiis suis & ducem itineris fore promittens, Clearchum cum tribus Ducibus (Proxeno Bœotio, Agiâ Arcade & Socrate Achæo) 20 præfectis cohortium, & 200 circiter militibus; fœdere ac jurejurando violato, tollendos è medio procuraverit. Narraverat & anteà in Persicâ suâ historiâ (quam author hujus libri legerat) Ctesias Cnidius: quo pacto Tissaphernes per Menonem Thessalum dolo juramentíque Clearchum ducésque cæteros in potestatem suam redegerit, eósque compedibus vinctos Babylonem ad Regem miserit: & quomodo Ctesias ipse, quum medicus esset Parysatidis, Clearcho dum in carcere esset multa humanitatis officia per eam præstiterit; ut Rex Parysatidi matri deprecanti pro Clearchi incolumitate jurejurando annuerit, verùm impulsu Statiræ uxoris cunctos Duces, præter Menonem, deinde trucidaverit; ut cæterorum Ducum cadavera à canibus & alitibus laniata fuerint, tertæ verò cumulus magnæ altitudinis, venti procellâ excitatus, Clearchi corpus contexerit. [*Ctes. in Photii Excerptis, & Plutarchi Artoxerxe.*]

d. Libro *tertio*, & quatuor sequentibus, reliquorum Græcorum, qui Tissaphernis insidias evaserant, reditus in patriam explicatur. ut milites à Xenophonte persuasi alios sibi Duces elegerint, (quorum unus Xenophon ipse fuit, in Proxeni locum suffectus) & per medias hostium regiones, longæ hyemis inclementiam & infinita passi discrimina, domum reversi fuerint. Eorum summa apud Diodorum Siculum habetur, in anni 4 Olympiadis 94 historiâ: cui adjungi & ea possunt, quæ hac de re habet Isocrates in Panegyrico.

Tissaphernem Artaxerxes, ob operam ipsi in bello contra fratrem strenuè navatam, non solùm ejus quam ipse priùs obtinuerat, sed etiam Satrapiarum, quibus Cyrus præfuerat, imperium concessit. [*Xenoph. Hellenic. lib.* 3, *Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 94.] Magnificis etiam muneribus donato, suam ipsi filiam matrimonio adjunxit: & de reliquo fidissimum eum amicum fuit expertus. [*Diodor. ibid.*]

Carem, à quo in poplite Cyrus vulneratus occubuit, post decem dierum tormenta, effossis oculis & ære fervente in aures infuso, Parysatis necandum curavit. Mithridates qui primus Cyrum sauciaverat, atque eum interfecisse in mensâ gloriatus fuerat, binis scaphis 17 dies inclusus, à vermibus absumptus est. Bagabatem sive Mesabatem Artaxerxis eunuchum, qui illius jussu caput & manum Cyri à cadavere abscideràt, Parysatis, victo in talorum lusu Rege filio, obtinuit: quem vivum excoriari jussit, deinde corpus transversum in tres sustolli cruces & pellem scorsùm palo suffigi. Quo tempore Parysatis, propter multam Artaxerxis obsecrationem, flere Cyrum cessavit. [*Ctesias: & Plutarch. in Artoxerxe.*]

Parysatis Statiram reginam nurum suam veneno hunc in modum sustulit. Ancillam habebat fidam, quæ plurimùm apud ipsam poterat, Gingen vel Gigin dictam: quam administram veneni Dinon tradit fuisse, consciam modò invitam Ctesias. Illum qui venenum dedit, hic Belitaram appellat, Dinon Melantam. Nascitur apud Persas exigua avis, rhynitaces (vel rhyndaces) dicta; quæ omni caret excremento, habétque intestina omnia adipe differta. Hanc autumat Ctesias cultello, quem altero latere illeverat toxico, dissecuisse Parysatidem; partémque sinceram mandisse ipsam, Statiræ verò dedisse veneno infectam alteram. Dinon non Parysatidem, sed Melantam, medicatas carnes secuisse cultro & Statiræ apposuisse. Quum animam

igitur ea magnis cum cruciatibus ageret, ſuſpicionem Regi adversùs matrem attulit, feritatem illius & animum implacabilem cognoſcenti. Unde quæſtioni extemplo intentus, miniſtros matris & ſtructores corripuit ac tormentis laceravit. At Gigin diu Paryſatis in cubiculo ſuo tenuit, depoſcentique denegavit Regi. Verùm poſteà orante illâ ut domum nocte dimitteretur, certior factus locatis inſidiis comprehendit Gigin, & veneficii reis debito affecit ſupplicio. Paryſatidem verò Artaxerxes nullo nec verbo nec facto læſit, niſi quòd petentem relegaverit Babylonem; adjiciens, quoad ſupereſſet illa, non viſurum ſe Babylonem. [*Plutarch. ibid.*]

Ariſto cum quibuſdam aliis Cyrenen occupavit; à quibus 500 civium omnium potentiſſimi ſubito incurſu trucidati ſunt: de cæteris ornatiſſimus quiſque profugit. Exſules itaque Cyrenæi, aſſumptâ Meſſenſiorum circiter 3000 (ex Græciâ à Lacedæmoniis hoc tempore expulſorum) manu, in aciem contra urbis occupatores deſcendunt: prælióque commiſſo, utrinque magna Cyrenæorum ſtrages editur, & Meſſenii propè omnes ibi cadunt. A pugnâ verò miſſis ultrò citróque legatis, Cyrenæi rem componunt; & ſub fide, per juramentum datâ & acceptâ, injuriarum memores ſe nunquam fore, communi deinceps jure civitatem adminiſtrârunt. [*Diodor. ann. 4. Olymp. 94.*]

3604 *a. Tiſſaphernes* (pro quo, *Pharnabazi* nomen apud Diodorum per errorem hîc irrepſit) ad omnes oræ maritimæ ſatrapias in fidem accipiendas ab Artaxerxe miſſus, mox civitates Ionicas omnes imperio ſuo parere volebat. [*Xenoph. Hellenic. lib. 3. Diodor. ad ann. 1. Olymp. 95.*]

Cùm præfecti & urbes, qui Cyro adhæſerant, in anxio pavore eſſent, ne pœnas luerent eorum quæ in Regem deliquiſſent: cæteri quidem ſatrapæ per legatos Tiſſaphernis gratiam reconciliare ſibi ſtuduerunt. At qui plurimum inter eos poterat Tamos (Memphites; de quo ſuprà, ad ann. Mundi 3593. *c.* & 3603. *b.*) Ioniæ præfectus, opes filióſque omnes, præter unum Gaum qui regiarum poſteà copiarum Dux fuit, triremibus imponens; in Ægyptum ad Pſammitichum regem, quem beneficiis ſibi devinctum habuerat, cum claſſe diſceſſit. Pſammitichus verò, tum benefactorum neceſſitudinem tum jus ſupplicum pro nihilo habens, ſupplicem & amicum unà cum liberis jugulavit, ut pecuniis & claſſe potiretur. [*Diodor. ibid.*]

Græci Trapezunte (quæ prima urbs Græca fuit ad quam venerant, in littore Ponti Euxini & regione Colchorum poſita) profecti, tridui pedeſtri itinere Cerauntem (aliud Græcum oppidum, in Colchide quoque ad mare ſitum) pervenerunt: ibíque 10 dies ſubſtitere, quibus inſtitutâ luſtratione, cenſi ſunt milites 8600, qui ex 10000 circitèr ſalvi evaſerant; quum reliqui partim per hoſtiles incurſiones, partim à nivibus, partim etiam morbo conſumpti periiſſent. Inde per Moſynæcorum, Chalybum & Tibarenorum regiones progreſſi, Græcorum ad oppi- b. dum Cotyora venerunt, Sinopenſium coloniam: *octo* videlicèt (vel *quinque* potiùs, ut ſeries hiſtoriæ poſtulare videtur) poſt pugnam in regione Babylonicâ commiſſam menſibus; ſtathmis 122, paraſangis verò 620 ſive ſtadiis 18600 confectis. Hic verò 45 dierum ſtativa habuerunt. [*Expedit. Cyri, lib. 5.*] 4314 400

Dum iſtic hæreretur, partim ex Cotyorenſium foro, partim ex prædâ, quam ex Paphlagonum finibus agebant, Græci ſibi victum quæſiverunt. Paphlagones viciſſim Græcos aut diſſipatos ſpoliabant, aut paulò longiùs à caſtris tabernacula habentes noctu oppugnabant: donec inter eos pax Coylæ, qui tum Paphlagonibus cum imperio præerat, interventu conſtituta eſt. Naves deinde Græci ab Heracleenſibus & Sinopenſibus nacti, ad Harmenen Sinopæ portum navigârunt; ibíque dies quinque ſunt commorati. Inde Heracleam, Megarenſium coloniam in Maryandenorum finibus ſitam, navigârunt; & ad Acheruſiam peninſulam appulerunt. In tres deinde partes diviſo exercitu, Arcades & Achæi qui ſupra 4500 erant omnes gravis armaturæ pedites, navibus ab Heracleenſibus impetratis primi navigârunt; ut ſubitò Bithynos adorti, quamplurima auferrent: & ad portum Calpæ, qui in mediâ ferè Bithynicâ eſt Thraciâ, noctu deſcendentes, ad vicos proximos ſtadiis plus minùs 50 à mari perrexerunt. Laceſſiti verò ab eis Thraces, maximâ eos clade affecerunt. Una enim coliors, cum duce Sniicrete, in conflictu tota deleta eſt; ex aliâ, octo tantùm cum duce Hegeſandro ſervati ſunt: reliqui autem duces & milites omnes, in colle quò convenerant, arctâ obſidione à Thracibus ſunt circumſeſſi. Chiroſophus, cum gravis armaturæ 1400 & cetratis 700 (qui Thraces erant, & Clearchum ſecuti fuerant) inde ab Heracleâ per regionem pedibus iter fecit; deinde cùm Bithynicam Thraciam attigiſſet, ac jam valetudine infirmiore uteretur, navem conſcendit, & ad Calpæ portum tutò pervenit. Xenophon, cum gravis armaturæ peditibus 1700, cetratis 700, & 40 plus minùs equitibus, maritimo itinere in eos fines venit, qui Bithynicæ Thraciæ & Heracleoticis agros terminant: deinde per mediterranea progreſſus, ſocios ſuos à Thracum obſidione liberavit. Simúlque tandem ad Calpæ portum omnes coierunt. [*Ibid. lib. 6.*]

Mortuo ibi Chiroſopho, in ejus locum Neo Aſinenſis eſt ſurrogatus: qui, quum exercitum miſerè premi commeatûs inopiâ videret, coactis plus minùs duobus hominum millibus ad prædam faciendam per Bithynorum vicos diſcurrit. Eos primi Pharnabazi equites invadunt: qui Bithynis opem laturi advenerant, & eorundem viciſſim adjuti copiis, avertere volebant Græcos, ne Phrygiam ingrederentur. Trucidant hi equites ex Græcis non pauciores 500. Cæteri quemdam in montem fugâ ſe recipientes, ſuppetias illis Xenophonte veniente, ſalvi ad caſtra ante Solis occaſum ſunt reducti. Spithridate deinde & Rhathine cum novis copiis ad auxilium Bithynis ferendum adventantibus, Græci inſigni adversùs eos potiti victoriâ, erecto trophæo ubi primùm conflixerant, ad caſtra ſua juxta mare plus minùs 60 ſtadiis ab eo loco poſita redierunt. Poſt eam pugnam hoſtes, ſuis rebus providentes, domeſticos & facultates ſuas quò poterant longiſſimè abduxerunt. Græci verò poſteà, cùm recta incedentes per Bithynos viâ nihil uſquam offenderent, unius diei ac noctis itinere in Bithyniam reverſi, amplam & mancipiorum & ovium copiam ſecum abduxerunt. Indéque ſexto die Chryſopolim Chal-

cedoniæ

3604 cedoniæ urbem pervenerunt: ubi dies septem commorati, prædam vendiderunt. [*Ibid.*]

Pharnabazus, metuens ne Græcorum illæ copiæ ditionem suam bello peterent, Anaxibii Lacedæmonii navarchi operâ, qui tùm fortè Byzantii erat, effecit ut milites universi ex Asiâ Byzantium traducerentur. Anaxibius cum Xenophonte in Asiam reversus, Cyzici ex Aristarcho novo Byzantii præfecto intellexit, successorem sibi datum ad Hellespontum adventare Polum: indéque Parium navigans, ad Pharnabazum misit, qui eum moneret, ut quæ ob Græcorum traductionem promiserat ipsi præstaret. A quo ipse sibi frustratus, Xenophonti negotium dat, ut Græcorum copias in Asiam summâ celeritate iterùm reduceret. Verùm à Pharnabazo persuasus Aristarchus conatum illum impediit. Unde sub Scuthe Thraciæ rege militare coactus est Xenophon: sævientе adhuc hyeme, & vi frigoris ita intensâ, ut nares & aures ab eo adustas multi Græcorum amiserint. [*Ibid. lib.* 7.] Partem quidem Græcorum in patriam rediisse, partem verò maximam, ad 5000 ferè, ducem Xenophontem secutam in Thraciam fuisse, refert Diodorus. [*ad ann.* 1. *Olymp.* 95.] Unde liquet, vitiatum apud eum esse numerum, ubi Chrysopolim 3800 tantùm superstites pervenisse legimus. [*ann.* 4. *Olymp.* 94.]

c. Ionicæ & aliæ Græcæ per Asiam urbes, quòd partim in libertatem se vindicare cuperent, partim Tissaphernem metuerent, (quia Cyrum, dum is adhuc esset in vivis, Tissapherni prætulerant) recipere eum recusabant: missisque ad Lacedæmonios legatis petebant ut, quando totius ipsi Græciæ præsides ac duces essent, se natione Græcos habitantes in Asiâ non negligerent; sed darent operam, ut ipsorum ager à populationibus immunis esset, atque ipsi libertate fruerentur. [*Xenoph. Hellen. lib.* 3. *Diodor. ad ann.* 1. *Olymp.* 95.] Hanc legationem libenter Lacedæmonii audierunt: qui, more ingenii humani, quò plura habent eò ampliora cupientes, non contenti accessione Atheniensium opum vires sibi duplicatas, totius Asiæ imperium affectare cœperunt. [*Justin. lib.* 6. *cap.* 1.]

Lacedæmonii igitur, promissis statim auxiliis, per legationem à Tissapherne contendunt, ne hostica Græcis oppidis arma inferre velit. At ille Cumæorum urbem cum exercitu primùm adortus, omnem circumquaque regionem vastat, magnóque captivorum numero potitur. Pòst urbem ipsam obsidione cingit: sed cùm propter hyemis interventum capere illam nequiret, captivis pro magnâ pecuniæ summâ redditis, ab obsidione discessit. [*Diodor. ut suprà.*]

Thimbron à Lacedæmoniis in Asiam missus est cum exercitu: in quo erant mille novitiorum civium Laconicorum, 4000 Peloponnesii, equitésque Atheniensium 300, quibus XXX tyranni fuerant usi; quos civitas Attica peregrè perire, quàm domi cum periculo manere volebat. Atque his Thimbron, cùm in Asiam venisset, ex Græcis illius regionis urbibus plures addidit. [*Xenoph.*] Ephesi enim, tum ex urbibus confœderatis tum aliunde, 2000 conscripsit. Inde verò, sub signis suis plures 7000 habens, 120 stadia progressus, Magnesiam Tissaphernis ditioni subjectam primo statim impetu cepit. Mox etiam Tralles Ioniæ oppidum adortus, oppugnationem ejus instituit: verùm ubi nihil per loci firmitatem proficere licuit, Magnesiam retrò flexit. Hæc nullo tùm muro cincta fuit. Idcirco veritus ne denuò post discessum suum Tissaphernes illam subigeret; ad proximum montem, nomine Thoracem, eam transtulit. Hostium deinde agros incursans, variâ militem prædâ locupletavit. Verùm ubi magno cum equitatu Tissaphernem imminere accepit, Ephesum se recepit. [*Diodor.*] Illius enim equitatui sustinendo impar, in planitiem descendere noluit: satis esse sibi ducens, si populationes iis in regionibus prohibere posset, in quibus ipse degeret. [*Xenoph.*]

Quum duobus jam propè mensibus Græci sub Scuthe in Thraciâ Europæâ militassent, Charminus Laco & Polynicus à Thimbrone missi in castra venientes, eum hujus exercitûs operâ in bello contra Tissaphernem egere declararunt: pollicitúmque esse, se cuivis militi singulos in menses Daricum nummum daturum in stipendium, præfectis cohortium binos, ducibus quaternos. Xenophonte verò ad iter in patriam se comparante, orârunt eum homines è toto exercitu lectissimi, ne priùs discederet, quàm copias abduxisset ac Thimbroni tradidisset. Inde igitur Lampsacum cum eis navigio trajecit: ubi cum Euclide Phliasio vate congressus est. Hinc per Troadem profecti, Pergamum pervenerunt: ubi ab Hellade Gongyli Eretrientis uxore, & ejus filiis Gorgione & Gongylo, Xenophon hospitio est exceptus. Horum consilio & operâ, cùm ille Asidaten Persam capere frustrà (& non sine suo & sociorum magno periculo) fuisset conatus: casu demùm in eum Xenophontis milites incidentes, ipsum cum uxore, liberis, equis, & fortunis omnibus (quæ magnæ erant) ceperunt. His ita gestis Thimbron supervenit: acceptúmque à Xenophonte exercitum cum reliquo agmine Græco commiscens, bellum Tissapherni & Pharnabazo intulit. [*Expedit. Cyri, lib.* 7.]

Atque hic terminantur septem libri Ἀναβάσεως: quos scriptor, qui toti expeditioni ipse interfuit, hoc concludit epilogo. *Præerant his ditionis Regis, quam nos ingressi peragravimus: Lydiæ, Artimas; Phrygiæ, Artacamas; Lycaoniæ & Cappadociæ, Mithradates; Ciliciæ, Syennesis; Phœniciæ & Arabiæ, Dernes; Syriæ & Assyriæ, Belesis; Babyloni, Rhoparas; Mediæ, Arbacas; Phasianis & Hesperitis, Teribazus. Carduchi, Chalybes, Macrones, Colchi, Mosynœci, Cæti, Tibareni, sui juris erant. Paphlagoniæ cum imperio præerat Corylas; Bithyniæ, Pharnabazus; Thracibus, qui in Europâ sedes habent, Seuthes. Totum iter, tum ascensus tum descensus, (τῆς ἀναβάσεως ἁπάσης καὶ καταβάσεως ἅπασι) stathmis 215 confectum est, parasangis 1150, stadiis verò 34455.* (vel 34500 potiùs; singulis parasangis 30 tribuendo stadia.) *Temporis ascensus & descensus spatium, annus unus, ac tres menses.*

d. Novis Xenophontis copiis auctus Thimbron, in campis contra Tissaphernem castra locare ausus est: & Pergamum sponte deditam in suam potestatem accepit, itémque Teuthraniam & Halisarniam; quibus Eurysthenes ac Procles, orti à Demarato Lacedæmonio, cum potestate præerant. Gorgio etiam & Gongylus, jam dicti fratres, ad ipsius partes transierunt: quorum alter

Gambrium

Gambrium & Palægambrium, alter Myrinam & Grinium poſſidebat. Urbes quoque aliquas non ſatis munitas vi Thimbron cepit. [*Xenoph. Hellenic. lib.* 3.]

3605 Thimbron Lariſſam, Ægyptiam vocatam, imperata facere detrectantem, caſtris circum eam locatis, obſedit. Quam cùm per vim fruſtrà aliquandiu oppugnaſſet, ab Ephoris mandatum accepit, ut relictâ Lariſſâ in Cariam militem transferret. Et erat jam Epheſi, profecturus in Cariam, quum Dercyllidas (vir machinarum peritiâ clarus, & ob ingenii ſolertiam Siſyphi cognomentum adeptus) ad exercitum venit, in imperio ſucceſſor illi datus. Thimbron verò domum reverſus, atque à ſociis accuſatus, quòd exercitui licentiam ſpoliandi ſoederatos conceſſiſſet, exilio mulctatus eſt. [*Id. ibid. Diodor. ad ann.* 2. *Olymp.* 95.] 4315 399

Mania Dardanenſis, virilis animi mulier, quæ poſt mariti ſui Zenis Dardanenſis obitum Æolidis ſatrapiam ſub Pharnabazo feliciter adminiſtraverat, & maritimas urbes Lariſſam, Hamaxitum & Colonas imperio ſuo adjecerat, à genero ſuo Midiâ, quum annos jam 40 exceſſiſſet, unà cum filio 17. plus minùs annos nato, perfidè interimitur. Cæde perpetratâ Scepſim & Gergithem munita oppida, in quibus imprimis opes ſuas Mania recondiderat, Midias occupat: reliqua oppida præſidiariis militibus, Pharnabazo integra ſervantibus. Ille miſſis ad Pharnabazum muneribus, ut regionem eam legibus illis quibus habuerat Mania ſibi obtinere liceret, fruſtrà poſtulat: vitam ſibi acerbam fore, non vindicatâ Maniæ morte, Pharnabazo reſpondente. [*Xenoph. ibid. cum Polyæno, lib.* 8. in *Taniâ* vel *Phaniâ*: ita enim ibi *Maniæ* nomen perperàm habetur exaratum.]

Dercyllidas, cùm videret ſibi adversùs duos præfectos Artaxerxis regis, Pharnabazum & Tiſſaphernem, maximarum gentium viribus inſtructos, dimicandum; atque illos invicem ſibi ſuſpectos eſſe non ignoraret: ne cum utroque ſimul decertare neceſſum haberet, cum Tiſſapherne, ſtatutis conditionibus, pacem fecit. [*Id. ibid. cum Juſtino, lib.* 6. *cap.* 1. *Hercyllidâ* pro *Dercyllidâ* nominato.]

Poſt habitum cum Tiſſapherne colloquium, Dercyllidas in Æolidem Pharnabazo [cui ob ignominiam ab eo dudum, cùm Abydo ſub Lyſandro navarcho præfuit, acceptam, infenſior erat] parentem, exercitum ſuum, nullo ſociorum in itinere læſo, abduxit: ac ſtatim eo die *Lariſſam*, [pro quâ *Ariſbam* ponit Diodorus] *Hamaxitum* & *Colonas*, oppida maritima, per deditionem ſponteneam cepit. Paulò pòſt eodem modo *Neandrenſes*, *Ilienſes* & *Cocyliten* ſine vi admotâ in poteſtatem ſuam redegit: Cebrenen etiam munitiſſimam urbem, oſtentatâ oppugnatione territam, ad deditionem compulit. Cui cùm præſidium impoſuiſſet; rectâ Scepſim ac Gergithen versùs contendit; ubi Midiam, qui & Pharnabazum & cives metuebat, colloquii causâ acceptis obſidibus ſibi occurrentem, ac de ſocietate verba facientem, ſecum retinuit: eique oſtendit nullam aliam eſſe rationem ſocietatis ineundæ, quàm ſi cives liberos ſuis legibus vivere permitteret. Simúlque cum eo Scepſim ingreſſus, [*de quo legendus Polyænus, in Strategem. lib.* 2.] facto ibi Minervæ ſacrificio, & Midiæ præſidio educto, cives ad reſtituram libertatem conſervandam eſt cohortatus. Deinde Gergithen cum exercitu profectus, nequicquam petente Midiâ ſibi eam relinqui, juſſu ejuſdem Midiæ portis apertis urbem illam quoque intravit: & repertis ibi Maniæ theſauris, qui octo militum millibus in integrum prope annum ſtipendio ſufficerent, Midiam exulem malè partis Scepſim ad privatam vitam ibi degendam habitarum dimiſit. Atque ita ſpatio dierum octo, novem urbibus eum potitum eſſe refert Xenophon; omnéſque Troadis urbes, partim dolo eum occupaviſſe, partim etiam vi ſubegiſſe, ſcribit Diodorus. [*ann.* 2. *Olymp.* 95.]

Inter Artaxerxem & Euagoram regem Salaminis [qui urbis illius dynaſtam regis Perſici amicum, ut *ad ann.* 2. *Olymp.* 97. idem Diodorus memorat, *Abdemonem Thyrſium* vel, ut Theopompus in Excerptis Photii num. 176. appellat, *Abdymonem Citiensem* inde ejecerat] diſſentio orta, Cononis Athenienſis qui apud hunc in Cypro & Teſiæ Cnidii qui apud illum in aulâ Perſicâ agebat interventu, ſopita eſt: ab Euagorâ tributo Artaxerxi dato, & muneribus ad Satibarzanem miſſis. Ad Euagoram quoque, de reconciliatione cum Anaxagorâ Cypriorum rege, à Teſiâ datæ ſunt literæ: quas, unà cum aliis ejuſdem generis Euagoræ & Cononis epiſtolis, Perſicæ ſuæ Hiſtoriæ inſeruit ipſe Teſias.

Dercyllidâ ad Pharnabazum mittente percunctatum, utrum pacem an bellum malle; is Phrygiæ [in quâ ſedem domicilii habebat] metuens, Æolidi [quam Dercyllidas obtinebat] finitimæ, inducias delegit. [*Xenoph. Hellenic.* 3.]

3606 *a.* Factis induciis, Dercyllidas Bithynicam in Thraciam profectus, ibidem hybernavit, non admodum hoc graviter ferente Pharnabazo; quòd Bithyni ſæpiùs illi bellum facerent. Dercyllidas verò res Bithynorum ſecurè rapiens, commeatûs copiâ abundabat. [*Id. ibid.*]

b. Odryſæ equites plus minùs 200. & cetrati plus minùs 300, è Thraciâ à Seuthe auxilio Dercyllidæ miſſi, prædatum exeuntes, magnâ clade à Bithynis affecti ſunt: poſteáque caſtra ſua cum Græcorum caſtris conjungentes, Bithynorum agros populationibus ac flammis vaſtaverunt. [*Ibid.*] 4316 398

Ineunte vere Dercyllidas è Bithynorum finibus excedens, Lampſacum venit: ubi ex tribus patriæ legatis intelligit, imperium ſibi in annum proximum eſſe prorogatum. Iiſdem legatis ephororum mandato milites quòd antehac ſociis injurii fuiſſent redarguentibus, & quòd hoc anno neminem læſiſſent collaudantibus, à præfecto copiarum quæ Cyrum ſecutæ fuerant eſt reſponſum; milites quidem unos eoſdémque eſſe, ſed diverſos duces diverſos militum mores feciſſe. Legatos deinde Dercyllidas Epheſo per Græci nominis civitates dimiſit; quòd eas tranquillo in ſtatu viſuri eſſent, ſibi gratulatus. [*Ibid.*]

c. Dimiſſis ex Aſiâ legatis, Dercyllidas rursùm per nuncios Pharnabazum percunctatus eſt, induciáſne quæ per hyemem fuerant continuatæ, an bellum habere malle. Quo inducias bello

rurſum præſente, ſtatim tranſmiſſo Helleſponto, iſthmum Cherſoneſi Thraciæ, qui 37. ſtadiis patebat, muro interclusit; quem vetere tempore inchoatum, ante autumnum abſolvit. [*Idem ibid. cum Diodoro, ann. 2. Olymp. 95. ubi duorum annorum res geſtas in unum compingit.*]

Conon Athenienſis è Cypro ad Artaxerxem de rebus ſuis miſit epiſtolam: quam communicari illi voluit, vel per Zenonem Cretenſem (ſaltatorem,) vel per Polycritum Mendæum (medicum,) vel, ſi illi abeſſent, per Cteſiam medicum. Fama eſt Cteſiam, acceptâ Cononis epiſtolâ, de ſuo illi appoſuiſſe, ut ipſum quoque ad ſe Rex mitteret: ut ad negotia maritima tractanda perutilem. Ipſe autem Cteſias ait, Regem ſuâ ſponte hoc ſibi muneris injunxiſſe. [*Plutarch. in Artaxerxe.*] Cononis verò litteras, tum ad Regem tum ad ſeipſum, ut & Orationem quam ad Regem de Cononе ipſe habuit, Hiſtoriæ ſuæ Cteſias inſeruit: ubi & de nunciis, quos Lacedæmonii hoc tempore ad Regem miſerunt, adhibitâ cuſtodiâ retentis, narrationem exponit.

Pharnabazus, poſt inducias cum Dercyllidâ factas, ad Regem adſcendens, Tiſſaphernem apud eum criminatus eſt, ut Lacedæmonios Aſiam ingreſſos non repulerit armis, ſed impenſis regiis aluerit: indignum eſſe dicens, bella non perfici ſed redimi, hoſtem pretio non armis ſummoveri. Hortatuſque Regem eſt, ut adornatâ claſſe, Cononem Athenienſium Navarchum ei præficiat. A quo & Cyprio rege Euagoræ perſuaſus ille, 500. talentis ad apparandam claſſem Pharnabazo numeratis, Phœniſſas triremes Cononi tradere, eúmque navalis belli Ducem conſtituere juſſit. (*Dioder. ad ann. 2. Olymp. 95. cum Iſocrate in Evagorâ & orat. ad Philippum, Pauſaniâ in Atticis, & Juſtin. lib. 6. cap. 1.*)

Pharnabazus ex aulâ Perſicâ reverſus Cononem, poſt habitum de præturâ navali colloquium, imperio maris præficit; multa Regis nomine præclara illi pollicitus. Conon, munere illo ſuſcepto ſed claſſe nondum ſatis inſtructâ, cum 40. quas paratas tum habebat navibus in Ciliciam devehitur; & ad bellum ibi gerendum ſeſe accingit. (*Dioder. ibid.*)

d. Cteſias ab Artaxerxe ad mare miſſus, in patriam ſuam Cnidum primùm, deinde Lacedæmonem profectus eſt: ut ſub Perſicæ ſuæ Hiſtoriæ finem ipſe narrat; quam cum hoc Olympiadis 95. anno 3. illum terminaſſe, Diodorus author eſt.

Dercyllidas ex Cherſoneſo in Aſiam regreſſus, viſitatis urbibus, Chiorum exules Atarnæ occupaſſe comperit; indéque excurſionibus in Ioniam factis, ex vicinorum prædis victum ſibi comparaſſe. Et quamvis munitum eſſet oppidum, & magnâ tum frumenti copiâ inſtructum; caſtris tamen circumdatum, per octo menſium ſpatium obſidere non ceſſavit. (*Xenoph. Hellenic. lib. 3.*)

3607 | 4317 | 397

Compulſis tandem ad deditionem faciendam obſeſſis, Dercyllidas loci curam Draconti Pellenenſi commiſit: ipſe largiſſimâ commeatûs copiâ in eum convectâ, ut illuc veniens diverſorium haberet, Epheſum adiit. (*Ibid.*)

Cùm Ionicarum civitatum legati Lacedæmonem profecti ſignificaſſent, ſi Caria, in qua Tiſſaphernis ſedes erat, infeſtaretur, exiſtimare ſe, ſtatim ipſum *ἀπροσμάχους* eis conceſſurum, & ut arbitratu ſuo rempublicam adminiſtrarent permiſſurum: Dercyllidæ mandârunt Ephori, ut cum terreſtribus copiis in Cariam ſe transferret; & Pharaci claſſis ſuæ præfecto, ut in oram Cariæ naves ſuas duceret. (*Ibid.*)

Eodem tempore Pharnabazus etiam ad Tiſſaphernem venit: partim quòd is imperator omnium deſignatus eſſet, partim ut ad bellum in Græcos communi operâ gerendum ſe paratum teſtaretur. Atque hunc primùm Tiſſaphernes ſecum in Cariam ad rem ibi conſtituendam duxit; deinde impoſitis ibi in munitiones præſidiis, cum eodem in Ioniam rediit. Dercyllidas autem, ubi rurſùs eos Mæandrum tranſmiſiſſe accepiſſet; habito cum Pharace colloquio, quo vereri ſe oſtendebat, ne Tiſſaphernes ac Pharnabazus Ioniam à præſidiis nudam percurrendo popularentur: & ipſe Mæandrum tranſiit. (*Ibid.*)

In Perſarum exercitu 20000. pedites, & 10000. equites erant: Dercyllidas non plures 7000 ſub ſignis ſuis habuit. (*Dioder. ad ann. 2. Olymp. 95.*) Et quotquot quidem erant è Peloponneſo milites, tranquilli ſubſiſtentes ad prælium ſe parabant: quotquot verò è Priene & Achillio, itémque de Inſulis & oppidis Ionicis, Dercyllidæ ſe adjunxerant, partim, armis in ſegete (quæ tunc denſa in Mæandri planitie erat) relictis, fugâ ſibi conſulebant; partim, cùm ad pugnam veniendum eſſet, minimè manſuros ſe eſſe ſatis declarabant. Tiſſaphernes tamen, cùm ſecum cogitaret, quo pacto Cyri milites cum ipſis pugnaviſſent, eſſque Græcos omnes ſimiles eſſe arbitraretur; ut prælium (quod Pharnabazus ſuadebat) iniret, adduci non poterat: ſed miſſis ad Dercyllidam nunciis, cupere ſe cum ipſo in colloquium venire ſignificabat. Datis igitur priùs acceptiſque utrinque obſidibus, de pacis conditionibus actum eſt: poſtulante Dercyllidâ, ut Rex urbes Græcas liberas & ſui juris eſſe ſineret; Tiſſapherne verò & Pharnabazo, ut Græcæ copiæ Regis è finibus, & Lacedæmoniorum præfecti ex civitatibus abirent. Placuitque inducias eſſe tantiſper, donec de his Dercyllidas ad Lacedæmonios, Tiſſaphernes ad Regem retuliſſet. Utroque verò dimiſſo exercitu; Perſarum copiæ Tralles, Græcorum Leucophryn diſceſſere. (*Xenoph. & Dioder. ut ſuprà.*)

3608 | 4318 | 396

Herodas quidam Syracuſanus, cum nauclero quodam in Phœniciâ tum vivens, cùm triremes Phœniſſas partim aliunde iſtuc adpellere, partim ibidem inſtrui, partim adhuc ædificari videret, audiretque trecentas numero futuras: primâ nave quæ in Græciam tenderet conſcenſâ, Lacedæmonis indicat, hanc claſſem tum à Tiſſapherne tum à Rege parari; ſed quò ea mittenda eſſet, dicens ſe ignorare. Eo nuncio commotis Lacedæmoniis, ex Regibus eorum alter Ageſilaus, à Lyſandro perſuaſus, ad Aſiaticam contra Perſas expeditionem ſeſe obtulit: adjunctis ſibi triginta Spartanis, quorum conſilio uteretur. Eorum primus ipſe Lyſander fuit: qui Decemviratus abs ſe in urbibus Aſiaticis inſtitutos (quos Ephori ſuſtulerant, juſſis omnibus

more patrio rempublicam gerere) Ageſilai operâ reſtituturum ſe iterùm ſperabat. Ita Ageſilaus, acceptis copiis bis millium è novis Spartæ civibus conſcriptorum ac ſex millibus ſociorum; cum annonæ tanto quantum in ſex menſes ſufficeret, Geræſto (Eubœæ portu) cum ampliſſimis quas ibi coegerat copiis ſolvens, Epheſum navigavit: tantâ celeritate hic uſus, ut priùs in Aſiam cum copiis perveneriť, quàm regii ſatrapæ eum ſcirent profectum; quo factum eſt, ut omnes imperatores imparatos offenderet. [*Xenoph. Hellenic. lib. 3. & orat. de Ageſilao; cum Plutarcho, & Æmil. Probo, in vitâ ejuſd. Ageſilai, & Pauſaniâ in Laconicis; qui tamen* Sardes *primùm appuliſſe Ageſilaum ſcribit.*]

Novo delectu Epheſi quatuor militum millibus conſcriptis, exercitum 10000. peditum & 400 (vel 4000, ut in Latinâ verſione legitur) equitum in campum eduxit. Quos circumforanea quædam colluvies prædæ gratiâ ſequebatur, numero non inferior. [*Diodor. ann. 4. Olymp. 95.*]

Per internuncios verò à Tiſſapherne interrogatus, quam veniendi cauſam haberet; reſpondit, ut Græcas in Aſiâ civitates in libertatem vindicaret. Petiit deinde Tiſſaphernes, ut tantiſper Ageſilaus à rebus gerendis abſtineret, quoad ipſe ad Regem mitteret; ſpem faciens omnia illi ex ſententiâ ſe confecturum. Hinc, tribus menſibus ad eam rem conficiendam definitis, Tiſſaphernes Heriippidæ, Dercyllidæ & Migialio miſſis ad ſe ſacramentum præſtitit, omninò ſine dolo malo ſe pacem procuraturum: illis Ageſilai nomine jurantibus, ſi hoc Tiſſaphernes faceret, ſe ſine fraude ſervaturos induciás. Verùm Tiſſaphernes, jurejurando mox violato, magnas à Rege copias accerſebat, quas cum iis quibus jam antè utebatur conjungeret. Et quanquàm hæc Ageſilaus animadverteret, nihilominùs in ſervandis induciis perſtitit. [*Xenoph. Hellenic. 3. & in Ageſilao: cum Plutarcho & Æmil. Probo, in Ageſilao.*]

Quum in hoc otio apud Epheſum Ageſilaus commoraretur, quòd rerumpublicarum ſtatus in urbibus perturbati eſſent, neque populariter ampliùs eæ adminiſtrarentur (ut ſub Athenienſium dominatu factum fuerat) neque Decemviratus in eis eſſent, qui Lyſandro rerum potito inſtituti erant: urgebant Lyſandrum omnes, hominem ſibi notum, uti quæ cuperent ipſi ab Ageſilao impetraret. Eam ob cauſam factum, ut magna hominum turba eum ſemper ſectaretur; ita ut privatus quidam Ageſilaus, Lyſander rex eſſe videretur. Quod Ageſilaus ægrè ferens, authoritatem illius primùm minuebat & ſenſim labefactabat; deinde legatum in Helleſpontum mittebat. Ibi cùm comperiſſet Lyſander, *Spithridatem* Perſam (*Mithridatem* Plutarchus appellat) à Pharnabazo nonnihil opprimi, ad colloquium invitato perſuaſit, ut cum liberis, pecuniis, & 200 equitibus deficeret; ſtatímque rebus ejus cæteris apud Cyzicum relictis, cum filio ad Ageſilaum eum adduxit: id quod gratum Ageſilao fuit, ſtudioſè ex illo de Pharnabazi rebus percunctanti. [*Xenoph. Hellen. 3. Plutarch. in Lyſandro & Ageſilao.*]

Tiſſaphernes ob miſſas ſibi à Rege copias animo elatus, Ageſilao bellum denunciavit, ni ſtatim Aſiâ excederet. Quam denunciationem hilari animo ille accipiens, ut ad expeditionem ſe pararent, militibus præcepit; ſimúlque Ionibus, Æolibus & Helleſpontiis ſignificavit, ut copias ſuas auxiliares Epheſum ad ſe mitterent. Cúmque Cariam eum petiturum exiſtimaret Tiſſaphernes, Phrygiam ille petiit: ſubactíſque inopinâ irruptione civitatibus, magnam opum vim cepit; tutúſque ac ſine periculo ad vicina Daſcylii pervenit. Ibi equites ejus reliquum agmen præcedentes ab equitibus Pharnabazi excepti & in fugam compulſi, homines 12 & equos 2 amiſerunt: ſed opem cum peditatu ferente Ageſilao, barbari uno ex ſuis amiſſo ceſſerunt. [*Xenoph. Hellenic. 3. & in Ageſilao; cum Plutarcho & Æmil. Probo, in Ageſilao.*]

Ageſilaus, maximâ ætatis parte in populatione Phrygiæ finitimæque regionis conſumptâ, locupletatum commodis exercitum ſub autumnum Epheſum reduxit. [*Diodor. anno 1. Olymp. 96.*] Ibique hyemavit. [*Æmil. Prob. in Ageſilao.*]

3609 Nephereus, ſive Nepherites, in Ægypto regnat. ann. 6. 4319 395

Lacedæmonii per legatos Nephereum Ægypti regem de ſocietate armorum ſolicitant: qui auxiliorum loco Spartanis ad centum triremes apparatum, & quingenta tritici millia donat. [*Diodor. ann. 1. Olymp. 96.*] *Hercinionem* hunc appellat Juſtinus & eum ſecutus Oroſius: ita rem narrans. *Lacedæmonii à rege Ægypti Hercinione auxilia navalis belli per legatos petunt: à quo centum inſtructas triremes, & ſexcenta millia modiorum frumenti miſſa* acceperunt. [*Juſtin. lib. 6. cap. 2. Oroſ. lib. 3. cap. 1.*]

Pharax Lacedæmoniorum navarchus, cum 120 navium claſſe ex Rhodo provectus, Saſanda Cariæ caſtellum, 150 ſtadiis à Cauno diſtans appellit. Hinc ſolvens, Caunum & Cononem Regiæ claſſis Imperatorem, cum navibus 40 ſtativa ibi habentem, oppugnat. At cùm Artaphernes & Pharnabazus ingenti exercitu Cauniis ſubvenirent, Pharax obſidionem ſolvit, totámque claſſem in Rhodum abducit. Poſthæc Conon triremes 80 cogit, & cum his in Cherſoneſum tranſmittit. Rhodii intereà, claſſe Peloponneſiorum ejectâ, Lacedæmoniorum ſocietatem deſerunt; & Cononem cum totâ claſſe in urbem ſuam recipiunt. Tum qui donatum ex Ægypto frumentum advehebant, quòd Rhodios deſciviſſe ignorarent, confidenter Inſulæ naves advertunt: Conon verò cum Rhodiis onerarias in portum deducens annonâ urbem replevit. Ad Cononem præterea aliæ 90 triremes tum advenêre: è Ciliciâ nimirùm 10, & ex Phœniciâ 80, quarum Sidoniorum Regulus præturam geſſit. [*Diodor. ann. 1. Olymp. 96.*] Sed Cononem ſeditio militum invaſit, quos præfecti Regis ſtipendio fraudabant; eò inſtantiùs debita poſcentes, quò graviorem ſub magno duce militiam præſumebant. [*Juſtin. lib. 6. cap. 2.*]

Ageſilaus cognoſcens ſine equitatu ſufficiente locis planis bellum ſe rectè gerere non poſſe, huic conficiendo ſe dedit: permiſſâ divitibus in ſingulis civitatibus poteſtate, ut qui militare ipſi nollent, ſuo loco equum atque equitem ſubſtituerent. Deinde appetente jam vere, exer-

citum universum apud Ephesum cogit: ibique tum equites tum pedites omnis generis armaturæ exercuit diligenter & ad munera militaria paratiores reddidit; fecitque ut durante hoc exercitio urbs Ephesina supra modum solitum spectatu digna videretur, velut belli quædam officina. Adjecit & alia, ad animos militum spe bonâ erigendos & alacriores reddendos comparata. [*Xenoph. Hellen.* 3. *& in Agesilao: cum Plutarch. & Æmilio Probo in Agesilao.*]

Jamque annus exierat, à discessu Agesilai è patriâ, regressique domum sunt Triginta viri, quorum princeps erat Lysander; & alii totidem in decedentium locum, principe Herippidâ, submissi. Ex his Agesilaus Xenoclem, cum quodam alio, copiis equestribus præfecit; novis civibus, qui armaturâ gravi utebantur, Scythen; Cyri militibus, Herippidam; Migdonem, missis ab oppidis militibus. Denuntiavit etiam, confestim se ducturum rectissimâ viâ in munitissima regionis; ut tum corpora, tum animi militum ad pugnam præpararentur. Tissaphernes autem hæc ab Agesilao pactui ad se rursum fallendum arbitratus, in Cariam, quò reverâ ipsum irrupturum credebat, iterùm cum peditatu ivit; equitatúmque in Mæandri campo subsistere jussit. Sed non aliter fecit quàm dixerat Agesilaus; rectâque Sardianam in regionem impetum fecit. Quúmque triduum hoste nullo conspecto, progrederetur; magnam rerum necessariarum copiam pro exercitu habebat. Die quarto equites hostium aderant: qui Græcos hinc inde palaros prædam agere conspicati, complures ex eis trucidârunt. Quibus auxilium ferens Agesilaus, cùm considerasset, necdum hostibus peditatum adesse, sibi verò nihil eorum quæ ad bellum paraverat deesse; prope Pactolum fluvium pugnâ commissâ, insignem victoriam consecutus est. Tum castris Persarum potitus, atque universa tum amica tum hostilia copiis suis circumplexus, inter alias opes, quas talenta 70 excedere comperit, camelos etiam cepit; quos postea secum in Græciam abduxit. Tissaphernes verò pugnæ hujus tempore Sardibus erat: eámque ob causam à Persis est insimulatus, quasi ab eo deleri proditique fuissent.

Ita rem gestam narrat Xenophon. Sed Diodorus Tissaphernem cum equitum 10 & peditum 50 millibus adfuisse refert. Agesilaum, declives ad Sipylum tractus capessentem; ac totam Sardes usque provinciam incursantem, hortos ipsúmque Tissaphernis paradisum (sive viridarium, arbotibus & aliis ad oblectationem facientibus magno sumptu & artificio excultum) pervastasse. Inde sese convertentem, Xenoclem Spartanum cum 1400. militibus; medio inter Sardes & Thybarnas spatio; ad insidiis hostes excipiendum collocasse: posteáque pugnâ confertâ, Persas fugâsse, ultra sex eorum millia occidisse, captivorum multitudinem magnam collegisse, & castra multis emolumentis referta diripuisse. His autem peractis Tissaphernem Sardes se recepisse, Agesilaum ad mare exercitum reduxisse. Pausanias in Laconicis; Agesilaum ait congressum cum Tissapherne in Hermi campis, vicisse Persarum non modò equitatum, sed etiam peditatum; qui tanto tunc numero erat collectus, ut post eum exercitum quem Xerxes adversùs Athenas duxit, & ante illum Darius contra Scythas, esset maximus. Verùm Xenophonti magis hic fidendum: qui non Agesilaum solùm instituit (ut in tertio de Oratore habet Cicero) vel eo saltem usus est familiarissimè (ut in Vitâ *Agesilai* Æmilius Probus & in Vitâ *Xenophontis* refert Diogenes Laërtius) sed etiam hoc tempore in Asiâ cum Agesilao præsens adfuit, & sequente anno cum eodem in Græciam inde rediit.

Conon, Persicæ classis præfectus, ob militaris stipendii solutionem diu Rege per epistolas frustrà fatigato, ad postremum ad eum pergere statuit: Pharnabazo quoque ipsum mittente, ut Tissaphernem apud Regem proditionis accusaret. Hieronymo igitur & Nicodemo Athenienſibus navale imperium committens, in Ciliciam navigat, atque inde Thapsacum Syriæ delatus, secundo Euphratis amne Babylonem delabitur. Ibi primùm ex more Persarum ad Chiliarchum, qui secundum gradum imperii tenebat, Tithrausten accessit; seque ostendit cum Rege colloqui velle. Sed cùm ad aspectum & colloquium, nisi Rege priùs adorato, admitti non posset: per literas & internuntios res est acta. Rex verò tantùm auctoritate ejus motus est, ut Tissaphernem hostem judicârit, & Lacedæmonios bello prosequi jusserit, & ei permiserit, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. Hinc magnis muneribus donatus ad mare est missus, ut *Cypriis* & *Phœnicibus* cæterisque civitatibus maritimis naves longas imperaret, classemque quâ proximâ æstate mare tueri posset; dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. [*Diodor. ad Olymp.* 96. *ann.* 1. *Justin. lib.* 6. *cap.* 2. *Æmil. Prob. in Cone.*]

Ad *Cyprios* verò quod attinet: ex Isocratis Evagorâ est observandum, Artaxerxem etiam inter accipiendum beneficia, bellum adversùs eos molitum fuisse; decem ante illud finitum annis; quorum ferè *octo* in apparatum fuisse insumptos, ex iis quæ de belli Cyprii exitu ad ann. 4. Olymp. 98. habet Diodorus, infrà videbimus. Ex *octo* verò illis annis, *sex* effluxisse significare videtur Isocrates, quum habitus ab eo fuit Panegyricus: in quo de irritis hac in re Artaxerxis conatibus ita ille scribit. *Επ' Ευαγόραν στρατεύσας, ὃς ἄρχει μὲν μιᾶς πόλεως τῆς ἐν Κύπρῳ, ἐκ δ' ὑπαρχῆς εὐδαίμων ἦν ἐκ τοῦ ἔχειν ἱκανὴν χώραν ἢ πόρον, καὶ μὴν θαλάτταν προσλαβὼν ἐκτήσατο, ὑπὲρ ἣν τῆς χώρας τειχιεῖ ἔχει μόνον πλήθους· ἀλλ' ὅμως ὕστερον τοσούτῳ δυνάμεως ἐπιβὰς ἐπολιόρκησε πολὺν χρόνον, ἀλλ' οὐδὲν μᾶλλον ἐξέβη τῆς διανοίας. Bello contra Evagoram moto, unius urbis Cypriæ dominum, & in fœdere desixum: qui cum insulam incolat, & mari priùs cladem acceperit, & pro suæ regionis defensione tria millia cetratorum duntaxat habeat; tamen copias adeò tenues Rex bello superare nequit, sed & jam in eo sex annos contrivit.*

Delatas adversùs Tissaphernem criminationes exacuente Paryſatide (ob Cyri filii mortem illi infensissimâ) Tithrausten, cum mandato illum interimendi, summum belli Ducem facit; & datis huc illuc ad civitates & satrapas literis, ut omnes dicto audientes ipsi sint, edicit. [*Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 96.]

Proficiscenti Tithraustæ duas alias epistolas Artaxerxes tradidit: unam ad ipsum Tissaphernem, de bello contra Græcos, summam omnium rerum ei permittens; alteram ad Ariæum satrapam Lariſsæum ut in illo comprehendendo Tithraustæ operam tribueret. Eas reddidit

Tithrauſtes,

Tithrauſtes, quamprimùm Coloſſas Phrygiæ devenit. Eò Tiſſaphernem Ariæus, lectis ſuis literis, vocavit ad communicanda conſilia, cùm de rebus aliis, tum imprimis de Græcis. Ille nihil ſuſpicatus mali, copias Sardibus reliquit: ipſe verò cùm trecentis delectis Arcadibus & Mileſiis profectus, apud Ariæum divertit; jámque balneis operam dans, acinacem depoſuerat. Ariæus cum famulis eum in balneo comprehendit, concluſúmque in vehiculo Tithrauſtæ tradidit. Qui Celænas uſque eum ducens, reſectum ejus caput inde ad Artaxerxem perferendum curavit. Rex matri Paryſatidi illud miſit: quæ ob filii Cyri mortem illius ſupplicio maximè eſt lætata; ut & Græcorum omnium matres & uxores, qui Cyrum ſecuti Tiſſaphernis fraude circumventi fuerant. [*Diodor. ibid. Polyæn. Stratagem. lib.* 7. *Xenoph. Hellen.* 3. *& in Ageſilao. Plutarch. in Artoxerxe & Ageſilao.*]

Tithrauſtes legatos ad Ageſilaum nunciatum mittit, belli hujus authorem Tiſſaphernem meritas jam luiſſe pœnas: Regem verò æquum cenſere, ut ille domum reperat, & Aſiæ civitates, ſuis utendi legibus impetratâ facultate, priſtinum Regi tributum pendant. Negante verò Ageſilao ſe id abſque magiſtratuum in patriâ conſenſu facturum: tandem conventum eſt ut, acceptis in commeatum exercitûs ſui 30 talentis, in Pharnabazi ditionem ille diſcederet, donec voluntatem ſuorum de totâ re cognoſceret. Ita, in tertio Hellenicorum, Xenophon. Diodorus tantùm ſcribit, Tithrauſtem, Ageſilao in colloquium pellecto, ſemeſtres cum eo feciſſe inducias. Addit, in oratione de laudibus Ageſilai, Xenophon; Tithrauſtæ dona ei complura offerenti, ſi ſuis finibus excederet, Ageſilaum reſpondiſſe. *Exiſtimatur apud nos honeſtius Imperatori eſſe, Tithraufta, exercitum ſuum ditare quàm ſeipſum; & ab hoſtibus ſpolia potiùs quàm dona referre.*

Dum Phrygiam verſùs, quæ Pharnabazo parebat, Ageſilaus pergeret; accepit à magiſtratibus urbanis ſcytalam, quâ claſſis non minùs quàm terreſtris exercitûs illi delatum eſt imperium, poteſtate etiam ei conceſſâ, ut claſſi navarchum daret quem vellet. Ille celeriter, tum publico civitatum tum privato eorum qui gratificari ipſi volebant ſtudio, claſſem 120 navium confecit; eique Piſandrum uxoris ſuæ fratrem præpoſuit; virum quidem laudis cupidum, & promptæ audaciæ, ſed agendarum rerum minùs peritum. [*Xenoph. Hellenic.* 3. *Plutarch. in Ageſilao. Pauſan. in Laconicis.*]

Piſandro ad claſſem digreſſo, & Ageſilao in Phrygiam porrò eunte; Tithrauſtes animadvertens Ageſilao nequaquam eſſe in animo Aſiâ excedere, ſed potiùs magnas ipſum de Rege ſuperando ſpes concepiſſe, Rhodium *Timocratem* (quomodo & à Plutarcho in Apophthegmatib. Laconicis appellatur, licèt apud eundem in Artoxerxe nomen *Hermocratis* irrepſerit) cum auro, quod argenti talenta 50 æquaret, in Græciam miſit. Quo corrupti civitatum principes, hoc effecerunt; ut maximæ civitatum inter ſe conſpirarent; & cum Athenienſibus commune contra Lacedæmonios bellum gererent. [*Xenophon ibid. Plutarch. in Artoxerxe. Pauſan. in Laconicis & Meſſenicis.*]

3610 4. Ageſilaus ſub autumnum Pharnabazi Phrygiam ingreſſus, regionem incendiis ac populationibus infeſtavit, urbes verò partim vi, partim ſpontaneâ deditione cepit. Deinde à Spithridate monitus Paphlagoniam petiit, ut eam ad defectionem à Perſis alienaret. Rex illius Corys, qui à rege Perſico accerſitus ad eum profectus non fuerat, cum Ageſilao fœdus iniit; & Spithridatis ſuaſu mille equites & cetratorum duo millia illi reliquit. Atque ut gratiam Spithridati referret, ut illius filiam Corys in uxorem acciperet, Ageſilaus antequàm Paphlagonia diſcederet effecit. [*Xenoph. Hellenic. lib.* 4. *Id. & Plutarch. in Ageſilao.*] Erat enim amicis gratificandi valdè ſtudioſus: cujus affectûs teſtis etiam profertur Laconica iſta ad Idrieum Carem illi adſcripta epiſtola. Νικίαν εἰ μὲν μὴ ἀδικεῖ, ἄφες· εἰ δ' ἀδικεῖ, ἡμῖν ἄφες· πάντως δ' ἄφες. *Niciam, ſi nihil admiſit, abſolve; ſin quid admiſit, nobis abſolve: omninò verò abſolve.* [Plutarchi in Ageſilao, & Apophthegm. Laconicis.]

Relictâ Paphlagoniâ, Daſcylium profectus eſt Ageſilaus: quo in loco regia Pharnabazi erat, & circum eam vici frequentes, ampli, copiâ commeatûs abundantes. Atque hic in hybernis manſit; & partim indidem, partim aliunde prædas agendo, commeatum exercitui paravit. [*Xenoph. ibid.*]

5. Quum milites aliquando, contemptis hoſtibus, incautè commeatum quærerent, quòd ante id temporis adverſi nihil eis accidiſſet: fortè Pharnabazus in eos per planitiem palatos, cum duobus falcatis curribus & 400 equitibus, incidit. Eum Græci adequitantem conſpicati, ad ſeptingentos celeriter in unum globum coëunt. Ille nihil cunctatus, conſtitutis in fronte curribus, quos ipſe à tergo cum equitatu ſubſequebatur, agi eos in hoſtem jubet. Poſteaquàm immiſſi currus globum Græcorum disjeciſſent, mox equites ad 100 homines proſternunt: cæteris fugâ ſe ad Ageſilaum recipientibus, qui cum gravi armaturâ non procul aberat. [*Id. ibid.*] 4320 394

Secundùm hæc tertio vel quarto die Spithridates caſtra Pharnabazum habentem amplo in vico, cui nomen Caue, plus minùs 160 ſtadiis abeſſe comperit: ac mox eâ de re certiorem Herippidam facit, Triginta conſiliariorum primarium. Ille gravis armaturæ pedites 2000 totidémque cetratos, & equitum quotquot ſuadendo permovere poterat, ab Ageſilao petiit & impetravit: licèt ne dimidia quidem ſingulorum pars eum ſecuta fuerit. Cùm illis verò quos habebat ſub primas tenebras iter ingreſſus, oriente jam die caſtra Pharnabazi invaſit; Myſis, qui ante ea cuſtodes collocati fuerant, magnâ ex parte trucidatis. Fugientibus deinde Perſis, caſtra diripiens, divite prædâ cum pretioſâ Pharnabazi ſupellectile potitus eſt. Ille enim obſidionem Græcorum metuens, Nomadum inſtar caſtra identidem huc illuc transferebat, eáque quàm maximè occulta habere cupiebat. Hîc verò acerbus interverſæ prædæ Herippidas ſcrutator, diſpoſitis militaribus præfectis, Spithridatæ ac Paphlagonibus omnia quæ avehebant ademit. Quâ contumeliâ illi adfecti, rebus ſuis noctu collectis, Sardes abiere ad Ariæum: qui & ipſe aliquando

 defecerat,

3610 defecerat, ac bellum cum Rege gesserat. Hâc abitione Spithridatis & Megabatis filii ejus (cujus amore mirificè flagrabat Agesilaus) & copiarum Paphlagonicarum, nihil in totâ hac Asiaticâ expeditione Agesilao accidit molestius. (*Id. ib.d. & Plutarch. in Agesilao.*)

Colloquio inter Agesilaum & Pharnabazum de ineundâ amicitiâ, Apollophanis Cyziceni, qui hospes utriusque erat, operâ conciliato, Pharnabazus (ut in oratione de Agesilao habet Xenophon) apertè professus est, se, ni totius exercitûs fieret Imperator, defecturum à Rege; sin Imperator crearetur, fortissimè bellum adversùs Agesilaum gesturum, quàm quidem diu posset. Agesilaus verò pollicitus est, se, quantâ celeritate posset, è Pharnabazi finibus exiturum; ac deinceps, quamdiu superesset alius quem bello peteret, ab illo rebúsque illius abstenturum. Et jam consenso equo Pharnabazus abibat, quum ejus ex Parapitâ filius ad Agesilaum accurrens, hospitii jus datis & acceptis muneribus cum eo sanciit. (*Id. ibid.*)

Et jam ver appropinquabat, cùm Agesilaus in campestria Thebes deveniens castra illic ad fanum Dianæ Astyrinæ posuit; ibidemque, præter eas quas habebat, permagnas copias undequaque collegit. Parabat enim sese ad iter in regiones superiores; confidens gentes omnes, quas esset à tergo relicturus, à Rege se aversurum. [*Xenoph. Hellenic.* 4.] Et eò ingens de Agesilao fama pervenerat; circumacto jam altero imperii ipsius anno. [*Plutarch. in Agesilao.*]

c. Lacedæmonii, cùm jam certò cognovissent pecuniam Persicam in Græciam esse missam, maximúsque civitates in bellum contra se conspirasse; Epicydidam ad Agesilaum miserunt, qui eum ad opem patriæ ferendam domum revocaret. Hoc mandato accepto Agesilaus, quanquàm animo turbatus quòd magnâ spe rei bene gerendæ dejiceretur, tamen parendum censuit. [*Ibid.*] Et hanc, quam Apophthegmatibus suis Laconicis Plutarchus inseruit, ad Ephoros rescripsit epistolam.

Ἀγησίλαος τοῖς ἐφόροις χαίρειν. Τὸν πολλὰν τῆς Ἀσίας κατεστρεψάμην, καὶ τοὺς βαρβάρους ἐλάσαμι, καὶ ἐν τῇ Ἰωνίᾳ ὅπλα ἱκανὰ παρεσκευάσαμαι πολλά. Ἐπεὶ δὲ μέλλοντά με κατὰ τὰν προθεσμίαν παραγενέσθαι, ἵνα μοι τὰ ἐπιστολᾶ, σχεδὸν δὲ αὐτᾶς καὶ φθάσω. ἄρχω γὰρ οὐ ἐμαυτοῦ ἀρχὰν, ἀλλὰ τᾶ πόλει καὶ τοῖς συμμάχοις. καὶ τότε ἄρχων ἄρχει ἀληθέως κἀ δίκαν, ὅταν καὶ ἄρχηται ὑπό τε νόμων, καὶ ἐφόρων ἃ εἶσι ἂν ἄλλοι ἐν πόλει ἄρχοντες ὦσιν.
Agesilaus Ephoris Salutem. Magnam Asiæ partem subegimus; barbaros profligavimus, & in Ioniâ multum armorum paravimus. Sed quoniam me ad definitum venire diem jubetis, sequor epistolam; ferè autem & antevertam. Imperium enim gero non mihi, sed civitati & sociis. ac tum Imperator verè justéque imperat, quando regitur à legibus & ephoris, aut si qui sunt alii in civitate magistratus.

Ferunt etiam ad amicos eum dixisse, triginta sagittariorum millibus ex Asiâ se à Rege expulsum: quòd tot aureis Daricis, Sagittarii notâ signatis, à Timocrate inter populi ductores distributis, Græcorum civitates ad bellum Lacedæmoniis inferendum inductæ fuerint. [*Plutarch. in Apophthegm. Lacon. & Artoxerxe.*]

Agesilaus Euxenum præfectum post se in Asiâ constituit; præsidiariis non paucioribus 4000 cum eo relictis, ut civitatibus re ita exigente succurreret. Et ut quàm maximè validas copias in patriam secum adduceret, propositis præmiis & honoribus civitates & militum præfectos, de optimis peditum equitúmque cohortibus instruendis, in æmulationem conciravit. [*Xenoph. Hellen.* 4.]

Xenophon, cum Agesilao ex Asia in Bœotiam ad bellum contra Thebanos profecturus, dimidium auri quod in reditu ab expeditione Cyri secum tulerat, Ephesi apud Megabyzum æditimum Dianæ reliquit. Videbatur enim illo itinere aleam prælii cum Agesilao apud Coroneam subiturus. Itaque mandatum dedit, si salvus ipse evasisset è prælio, restituendam sibi esse pecuniam sacram; sin aliquid humanitùs ei accideret, à Megabyzo illam Dianæ esse dedicandam. Ex dimidio reliquo Apollini donaria Delphos misit. [*Expedit. Cyri, lib.* 5. *Diogen. Laërt. in Xenophonte.*] Agesilaus verò ex manubiis in Asiâ intra biennium receptis, decumam Delphico Apollini consecravit, 100 talentis ampliorem. [*Xenoph. & Plutarch. in Agesilao.*]

Agesilaus, trajecto Hellesponto, apud Amphipolim de Lacedæmoniorum circa Corinthum partâ victoriâ nuncium accepit: atque ab eo in Asiam quàm celerrimè Dercyllidas missus est, ut socias civitates hac de re certiores reddens, majorem hinc animis fiduciam illæ conciperent. [*Xenoph. Hellen.* 4. *Plutarch. in Agesilao.*]

d. Celebris illa navalis pugna ad Cnidum (& Dorium montem, ut in 2°. Eliacorum habet Pausanias) commissa est, archonte Athenis *Eubulo* (vel *Eubulide*, cujus prætura cum 3°. Olympiadis XCVI. anno cœpit) ut in oratione de rebus Aristophanis testis locupletissimus est Lysias. Circa Doryma Chersonesi classis regiæ Prætores cum pluribus quàm 90 triremibus agebant: Phœnissis Pharnabazo, Græcis navibus Conone Athenienſi imperante. Pisander autem (pro quo, Periarchus apud Diodorum perperàm legitur) Lacedæmoniorum navarchus cum 80 triremibus è Cnido profectus ad Physcum Chersonesi appulit: atque inde vela tendens, in classem regiam incidit, primisque navibus congressus superior fuit. At ubi Persicæ triremes ad ferendam suis opem confertim imminerent, sociique fugâ ad terram sibi caverent; Pisander navem suam in hostes convertens, multis eorum occisis, in conflictu fortiter occubuit. Tum Cononiani Lacedæmonios ad continentem persecuti, 50 triremibus potiuntur. At virorum major pars natando ad terram evaserat, quingentis circiter captis: triremes reliquæ Cnidum incolumes effugerunt. (*Xenoph. Hellen.* 4. *Diodor. ad ann.* 2. *Olymp.* 96. *Justin. lib.* 6. *cap.* 3. *Æmil. Prob. in Cimone.*)

Ad Agesilaum, in Bœotorum fines jam irrumpentem, de Lacedæmoniorum clade istâ & Pisandri (*fratris uxoris suæ*) morte tristis allatus est nuncius: quo tempore Sol deficiens instar

Lunæ

Lunæ falcatus conſpiciebatur. [*Xenoph. Hellen.* 4. *Plutarch. in Ageſilao.*] Eam eclipſim die 14. Auguſti, anno ante æram Chriſtianam 394 contigiſſe, calculus oſtendit Aſtronomicus.

Pharnabazus & Conon, poſt navalem ad Cnidum victoriam circumnavigantes, præſidia & præfectos Lacedæmoniorum ex inſulis & urbibus maritimis ejecerunt: ſpe eis factâ, nullas ſe in eis arces exſtructuros, ac proprii juris ſe eas eſſe permilluros. [*Xenoph. Hellen.* 4.] Hinc Coi primùm, deinde Niſiæi, Tii & Chii à Lacedæmoniis deſecerunt; quorum exemplum Mitylenæi, Epheſii & Erythræi ſecuti ſunt: ſimiléque defectionis ſtudium reliquas civitates repentè invaſit; quarum aliæ præſidiis Lacedæmoniorum ejectis libertatem retinuerunt, aliæ Cononi adhæſerunt. Atque ex hoc tempore maris imperium Lacedæmonii amiſerunt. [*Diodor. ad ann.* 2. *Olymp.* 96.]

Dercyllidas Lacedæmonius, Pharnabazo jam olim infeſtus, navalis ad Cnidum prælii tempore Abydi exiſtens, nequaquàm cæterorum præfectorum exemplo civitate exceſſit, ſed gravi oratione ad Abydenos habitâ, eos in fide Lacedæmoniorum continuit. Qui ſimul etiam venientes ad ſe præfectos amanter in urbem admittebant, & qui ſponte non veniebant ultrò accerſebant. Et quum complures Abydum confluxiſſent, Dercyllidas inde Seſtum è regione ſitam trajecit: ibíque eos qui urbibus Europæ exciderant ſuſcepit, & ad ſimilem conſtantiam excitavit; cogitandum eis proponens, ipsâ in Aſiâ, quæ ab initio Regis fuerat, & Temnum, oppidum haud amplum, & Ægienſes, & alia quædam oppida rempublicam ſuam adminiſtrare, Regis imperio minimè ſubjecta. [*Xenoph. Hellen.* 4.]

3611 *a.* Pharnabazus Epheſum deſcenſurus, triremibus 40 Cononi traditis, ut ad Seſtum ſibi accurreret juſſit. Seſto verò & Abydo minaciter denunciavit, ni Lacedæmonios ejicerent, ſe bellum adversùs ipſos moturum. Quibus non obtemperantibus, Cononi mandavit, ut ab uſu maris eos arceret; ipſe verò Abydenorum agrum vaſtavit. Eâ re quum nihil efficere ſe in ſubjiciendis eis videret, domum profectus eſt: Cononi verò in mandatis dedit, ageret cum civitatibus Helleſponto proximis de claſſe quàm poſſet fieri maximâ ad ver proximum conficiendâ. Et his agendis rebus hyems exacta eſt. [*Id. ibid.*]

b. Ineunte vere, magno navium numero inſtructo, præterea̋que conducto externo milite, Pharnabazus & cum eo Conon per medias inſulas in Melum navigavit, ut Laconicam oram inde invaderet. 4311 393

c. Poſt populationem locorum maritimorum Pharnabazo in Aſiam rediturо perſuaſit Conon, ut claſſem ſibi attribueret. Se enim Athenas profecturum, ac longos muros inſtauraturum, & Piræum municurum: quo nihil gravius Lacedæmoniis accidere poſſe affirmabat. Perlibenter eò à Pharnabazo dimiſſus Conon, datis etiam pecuniis ad murorum inſtaurationem, cum 80 triremibus Piræum appulit, muros utroſque & Piræei & Athenarum reficiendos curavit, pecuniæque 50 talenta, quæ à Pharnabazo acceperat, civibus ſuis donavit. [*Id. ibid. Diodor. ad ann.* 2. *& 3. Olymp.* 96. *Plutarch. in Ageſilao & Laconicis Apophthegmatib. Juſtin. lib.* 6. *cap.* 5. *Æmil. Prob. in Cotone.*]

d. Lacedæmonii hæc audientes, Antalcidam Spartiatam Leontis filium ad Tiribazum ducem Regis alterum (Sardibus præfectum) mittunt, ut eum, ſi poſſet, in partes ſuas traduceret, pacémque inter eos ac regem faceret. Quibus intellectis, Athenienſes quoque Cononem cum aliis pluribus in Aſiam ad eundem mittunt: ſuos etiam legatos Bœotis, Corinthiis & Argivis ſimul mittentibus. Poſtexquàm ad Tiribazum perventum eſſet, Antalcidas adeſſe ſe dixit, ut à Rege pacem Reipublicæ ſuæ peteret; eámque talem, cujuſmodi Rex cuperet. Nam Lacedæmonios nec de ſitis in Aſiâ Græci nominis urbibus adversùs Regem contendere; & ſatis eſſe ducere, ſi omnes inſulæ ac reliquæ extra Aſiam civitates libertate legibúſque ſuis fruantur. Cui quum reliqui legati nullo modo aſſentirentur: pace hâc non admiſsâ, domum ſinguli redierunt. Tiribazus autem, quanquàm abſque Regis auctoritate ſe Lacedæmoniis adjungere non tutum exiſtimabat; nihilominùs clàm pecunias Antalcidæ dedit, ut claſſe à Lacedæmoniis inſtauratâ, Athenienſes & eorum ſocii ad pacem propenſiores redderentur. Cononem etiam velut injurioſum in Regem, ac verè reum eorum quæ de ipſo Lacedæmonii detulerant, (quaſi copiis regiis urbes Athenienſibus compararet, atque ut Ioniam & Æoliam eis reſtitueret, clàm operam daret) Sardibus vinctum in cuſtodiâ detinuit. Tum ſtatim ad Regem profectus eſt; expoſiturus ei à Lacedæmoniis propoſita, & quid ac quare de Cononè à ſe ſit actum, déque his omnibus ſententiam Regis quæſiturus. [*Xenoph. Hellen.* 4. *cum Plutarcho in Apophthegmatibus Laconicis & Ageſilao, Diodoro ad ann.* 3. *Olymp.* 96. *& Æmil. Probo, in Cotone.*]

Mortuo Saryco ſucceſſit in Boſphori Cimmerii regno Leuco filius, per annos 40. [*Diodor. anno* 4. *Olymp.* 96.]

Ex palmis, quas Paryſatis per inſervientes ſibi eunuchos in Clearchi Lacedæmonii aggere ſepulchrali clàm defoderat, poſt octo annos mirandum nemus excreviſſe & locum eum inumbraſſe, in Perſicis ſuis retulit Cteſias: addens, magnâ inde pœnitentiâ ductum fuiſſe regem Artaxerxem, quòd virum Diis charum peremiſſet. [*Cteſ. in Photii Excerptis, & Plutarchi Artaxerxe.*]

Cononem Athenienſem ad Regem abductum & mortis ſupplicio fuiſſe affectum, nonnulli ſcripſerunt: (inter quos & *Iſocrates* eſt, in *Panegyrico.*) Dinon autem hiſtoricus, cui in Perſicis rebus multum tribuitur, effugiſſe eum narrat: illud addubitans, utrum Tiribazo ſciente an imprudente fuerit factum. [*Æmil. Prob. in Cotone.*]

3612 Rex, dum Tiribazus apud eum eſſet, Struthan in Aſiam minorem miſit, rem maritimam curaturum. Quem cùm Lacedæmonii, propter memoriam eorum malorum quæ provinciæ regiæ ab Ageſilao perpeſſæ fuerant, ſibi inimicum comperiſſent, Athenienſibus verò & eorum ſociis amiciſſimum; Thimbronem ad bellum ei faciendum miſerunt. Is trajecto mari, ex urbe Epheſo & cæteris urbibus in campeſtribus Mæandri ſitis, itémque ex Priene, Leucophrye, Achilleo excurrens, Regis agrum populando vexabat. [*Xenoph. Hellen.* 4.] Ionda enim & Coreſſum (præalti verticis montem, 40 ſtadiis ab Epheſo diſtantem) occupans, & octo milium

habens

habens millia, quibus in Asiâ adscripti accesserunt; Regis provincias populabundus invadebat. [*Diodor. ad ann.* 3. *Olymp.* 97.]

Progressu temporis Struthas, cum magnâ equitatûs Barbarici copiâ, gravis armaturæ quinque millibus & levis supra 20, non procul à Lacedæmoniis castrametatus, & Thimbronem nullo ordine aut curâ suos educere animadvertens; mittit in planitiem equites, quos excursione factâ quidquid facere prædæ poterant abigere jubet. Deinde ubi primos nec multos numero, & inconditè suis opem ferentes vidit; cum magnis equitum instructisque copiis ipse in eos irruit. Ceciderunt inter primos Thimbron & Thersander ipsi charus; qui non solùm tibicen egregius, sed & belli peritus erat. Græci reliqui his cadentibus in fugam versi sunt: quos Persæ insecuti, partim interemerunt, partim vivos ceperunt. Pauci tamen in castellum Cnidum & amica oppida delati sospites evaserunt. [*Id. Ibid.*] 4322 392

3613 Ecdicus cum octo navibus ad opem exulibus Rhodiis ferendam à Lacedæmoniis missus, Cnidum appulit: ubi cùm populum Rhodium terrâ marique rerum potiri & classem duplo suâ majorem habere cognovisset; quietè Cnidi se continuit. [*Xenoph. Hellen.* 4. *cum Diodor. ann.* 2. *Olymp.* 97.] 4323 391

Iisdem in navibus miserunt & Diphridam cum mandato, ut in Asiam trajiceret, & urbes quæ Thimbronem receperant tueretur; utque collectis copiis è clade incolumibus, atque aliis quantas posset conscriptis, bellum contra Strutham gereret. Paruit hic, & inter alia à se prosperè gesta, Tigranem Struthæ generum cum uxore Sardes euntem in itinere intercepit, magnáque pecuniæ vi acceptâ dimisit; eâ occasione statim nactus, unde militi stipendium numeraret. [*Xenoph. ibid.*]

Euagoras rex Salaminius, Protagoræ filii suî operâ usus, totam ferè Cyprum in suam ditionem redegit. [*Isocrat. in Euagorâ.*] Et cæteras quidem civitates partim vi, partim verborum illecebris statim imperio suo subjecit: sed Amathusii cum Soliis & Citiensibus bellum armis depulsuri, per legatos Artaxerxem de missitandis auxiliis sollicitant. Euagoræ præterea interfecti Agyris, qui confœderatus Persis fuisset, crimen impingunt; séque in occupatione Insulæ probam Regi operam navaturos pollicentur. Rex igitur tum quòd majus Euagoræ incrementum accedere nollet, tum quòd Cyprum ad suppeditandum navales copias, quibus Asia defendi posset, sitam peridoneum habere consideraret, auxilia decrevit. Dimissisque Cypriorum legatis, omnibus maritimis urbibus ut triremes compingerent, & ad classis usum pertinentia sedulò ac maturè appararent, edixit: ipse verò per superiorum provinciarum urbes transiens, magnas terrestres copias coëgit. [*Diodor. ann.* 2. *Olymp.* 97.] Imperatore creato Antophradate Lydiæ Satrapâ, Navarcho verò Hecatomno Cariæ Dynastâ. [*Theopomp. in Bibliothecâ Photii, num.* 176.] quorum posterior tamen, contra Euagoram bellum gerere jussus, clàm illi pecunias in peregrini militis stipendia subministrabat. [*Diodor. ut supr. & ad ann.* 3. *Olymp.* 98.]

3614 *c.* Quum intellexissent Lacedæmonii Ecdicum non satis habere virium ad commodandum amicorum rebus; Teleutiam cum navibus 12 è sinu Corinthiaco evocatum ad illum se conferre, eóque dimisso imperium sibi sumere, & Rhodiis partium Laconicarum studiosis auxilio esse ac inimicos premere præceperunt. Qui cùm in Samum venisset, aliquot ibi navibus auctus Cnidum pervenit: dimissóque domum Ecdico ipse Rhodum contendit, navibus instructus XXVII. [*Xenoph. Hellen.* 4. *cum Diodoro, ann.* 2. *Olymp.* 97.] 4324 390

In Rhodum navigans Teleutias, incidit in Philocratem Ephialtæ filium, qui Athenis cum navibus decem in Cyprum, ad ferendum Euagoræ subsidium, proficiscebatur. Has omnes intercepit Teleutias: & manubiis potitus, ad eas dividendas Cnidum repetiit. Atque ita accidit, ut qui Persarum regis hostis esset, clade afficeret eos, qui ad bellum gerendum contra eundem regem proficiscebantur. [*Xenoph. ibid.*]

d. Athenienses videntes Lacedæmonios mari rursùm invalescere, Thrasybulum Styrensem cum classe navium 40 contra eos emittunt. Is in Ioniam excurrens, pecunias à sociis accepit. Et quum Asiaticis urbibus amicis uteretur, ob eam quâ rex & Athenienses conjuncti erant amicitiam; Byzantium navigans, decumam è Ponto navigantibus impositam publicanis vendidit. Deinde pellectis in amicitiam Chalcedonensibus, extra Hellespontum discessit. [*Id. ibid. cum Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 97.]

Post hæc Thrasybulus cum suâ classe in Asiam rediens, tum ab aliis, tum etiam ab Aspendiis, ad Eurymedontem fluvium navibus adductis, pecuniam exegit. Verùm quum solutâ jam pecuniâ, militum ejus nonnulli per injuriam aliquid ex agris abigerent; irati Aspendii, compositis per noctem insidiis Athenienses adorti, & alios quosdam necârunt & ipsum Thrasybulum suo in tentorio obtruncârunt. Quo trierarchi Athenienſium in pavorem conjecti, navibus illicò impletis, in Rhodum abnavigârunt. In Thrasybuli verò locum Athenienses Argyrium Ducem surrogatum ad classem miserunt. [*Xenoph. Hellen.* 4. *Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 97.]

3615 Acoris in Ægypto regnat ann. 13. 4325 389

Hic, cum Barcæis & Euagorâ Cyprio fœdere inito, hostiles cum Persis inimicitias gessit. [*Theopomp. in Excerptis Photii. Diodor. ad ann.* 3. *Olymp.* 98.]

Lacedæmonii, quanquàm de Dercyllidâ quod quererentur non haberent, in Abydi tamen præfecturâ successorem illi miserunt Anaxibium; gratiâ Ephororum potissimè nixum, & amplissima de seipso pollicitum, si modò classe & pecuniâ juvaretur. Datæ ei triremes tres, & pro mille conductitiis militibus stipendium. Qui cùm Abydum venisset, primùm terrâ coactis conductitiis copiis, civitates nonnullas Æolicas à Pharnabazi fide avellebat, & agrum hostilem vastabat. Deinde tribus navibus ad priores quas secum adduxerat additis, Athenienses eorúmque socios eo mari utentes infestabat; navigia eorum (si qua oblata essent) capta Abydum secum abducens. [*Xenoph. Hellenic.* 4.]

Athenienses de his certiores facti, ad tuenda ea quæ à Thrasybulo erant constituta & acquisita,

Iphicra-

Iphicratem cum navibus 8 & militibus cetratis 1200 domum ex bello Corinthio reversum adversùs Anaxibium miserunt. Quo in Chersonesum perveniente, submissis hinc inde prædonibus, per eos bellum inter se Anaxibius & Iphicrates gerebant. [*Id. ibid.*]

3616 Anaxibius cum copiis conductitiis & Laconicis suis & 200 Abydenis gravis armaturæ peditibus, Antandrum profectus, à civibus amicè susceptus est. Interim illi Abydum inde reversuro Iphicrates insidias in montibus locat: triremes, quæ noctu ipsum transvexerant, secundùm Chersonesum litus sursum versus legere jubens; ut pro more suo pecuniæ colligendæ causâ eò navigasse videretur. Ubi verò Abydeni, qui erant primâ in fronte, ad eum campum pervenerant qui est juxta Cremastem (ubi & fodinas auri habebant) reliquæ verò copiæ per declivia sequerentur, ac jam Anaxibius ipse cum Laconicis militibus descenderet: tum Iphicrates suos ex insidiis prorumpere jubens, Anaxibium desperatâ salute fortiter pugnantem occidit, & cum eo præfectos urbium Lacedæmonios qui ad eum se contulerant ad 12. Cæteros in fugam actos ad urbem usque persecutus est: cæsis ex aliorum quidem numero 200, Abydenis verò gravis armaturæ peditibus ferè 50. Deinde in Chersonesum se retulit. [*Id. in lib. 4. fine.*] 4326 388

Hieraee à Lacedæmoniis navarcho constituto; Teleutias, incredibili sui desiderio militibus relicto, in patriam rediit. [*Xenoph. Hellen. lib. 5.*]

3617 Hieraci in classis præfecturâ successorem Lacedæmonii dederunt Antalcidam, quòd in eo rem Tiribazo maximè gratam facturos existimarent. Ille Ephesum veniens, Nicolocho legato relicto, cum Tiribazo ad Artaxerxem pro pace constituendâ profectus est. [*Xenoph. Hellenic. lib. 5. Diodor. ad ann. 2. Olymp. 98.*] 4327 387

Nicolochus, ut Abydenis præsidio esset, Epheso profectus, vastato in itinere Tenediorum agro, & acceptâ pecuniâ, Abydum inde concessit. Interim duces Athenienssium è Samothrace, Thaso, & vicinis locis, opem Tenediis laturi properabant. Verùm ubi certiores facti essent, Nicolochum se Abydum recepisse: profecti ex Chersoneso cum 32. navibus, ipsum 25 naves habentem obsidebant. [*Xenoph. Hellen. 5.*]

Chabrias publicè ab Athenienssibus Evagoræ adjutor datus, cum octingentis cetratis & decem triremibus in Cyprum navigavit; neque priùs indè discessit, quàm totam insulam bello devinceret: quâ ex re magnam Athenienses gloriam sunt adepti. [*Id. ibid. & Æmil. Prob. in Chabriâ.*] Legationis Cypriæ pro auxilio ad Athenienses missæ meminit, in oratione de rebus Aristophanis, Lysias.

Artaxerxes, qui à cæteris Spartiatis semper fuit aversus, homines esse eos æstimans, ut ait Dinon, omnium impudentissimos; profectum in Persidem (atque inter Persas Leonidam & Callicratidam saltantem) impensè complexus est Antalcidam: coronámque ex rosis & croco confertam, quam in convivio capite gerebat, in pretiosissimum intingens unguentum, ex cænâ illi mittit. Ad quem Antalcidas. Suscipio quidem, inquit, donum & benevolentiam: sed rosarum odorem naturæque fragrantiam artis adulteratione perdidisti. [*Plutarch. in Artaxerxe, & Pelopidâ, & Symposiac. lib. 7. quæst. 8. Athena. Dipnosophist. lib. 2. Ælian. Var. histor. lib. 14. cap. 39.*]

Cum Tiribazo à Rege rediit Antalcidas; fœdus & societatem armorum cum eo pactus, si Athenienses & eorum socii pace uti nollent, quam ipse proponebat. Pharnabazus à rege vocatus, in superiorem Asiam perrexit: ubi & filiam Regis uxorem duxit. [*Xenoph. Hellen. 5.*]

Quum Nicolochum, unà cum navibus, ab Iphicrate & Diotimo Abydi obsideri Antalcidas accepisset; pedestri itinere istuc profectus, acceptâ inde classe, noctu in mare provectus rumorem sparsit, à Chalcedonensibus se accersiri, sed Percopes portum ingressus ibi conquievit. Hàc de re certiores facti quatuor navarchi partium Atticarum, persequi eum quâ Præconnesium itur constituerant. At ille, cùm jam hi prætervecti essent, conversò cursu Abydum repetiit: & in insidiis 12. navibus expeditissimis collocatis, octo naves, quas Thrasybulus Athenienssis tribu Cotalytensis ex Thracia adductas cum reliquâ classe Atticâ conjungere cogitabat, imperatorio usus stratagemate, in potestatem suam redegit. [*Id. ibid.*] Vid. Polyæn. Stratagem. lib. 2. in Antalcidâ.

Antalcidas, acceptis navibus 20 Syracusanis & Italicis quas adduxit Polyxenus, & aliis tum ab Ionia quæ Tribazo, tum ab ea regione quæ Ariobarzani veteri ipsius hospiti parebat, classem navium ampliùs quàm 80 jam habens, totius maris imperio potiebatur: atque ita naves è Ponto Athenas petituras aversò cursu ad socios suos deflectere cogebat. [*Xenoph. ibid.*]

Cùm adesse eos Tiribazus jussisset, qui pacis formulæ ab Artaxerxe missæ obedire vellent: omnes urbium Græcarum legati celeriter ad eum convenerunt. Quibus ille, Regiis sigillis commonstratis, hæc quæ perscripta erant recitavit. *Rex Artaxerxes æquum esse censet, urbes quæ in Asiâ sunt, ut & insulas Clazomenas & Cyprum, sui imperii esse: alias verò urbes Græcas, tum parvas tum magnas, liberas & sui juris relinqui, præter Lemnum, & Imbrum, & Scirum; quas ut olim, ita nunc etiam, Athenienses obtineant. Hanc verò pacem qui non recipient, eis ego cum cæteris, qui eandem amplectentur, terrâ marique navibus ac pecuniis bellum inferam.* Quæ cùm legati, ad suas quique civitates, retulissent: licèt Asiaticas Græcorum civitates, pro quibus bellum gesserat Agesilaus, ita fœdè Regi proditas esse molestè ferrent; necessitate tamen coactæ, leges illas pacis receperunt. [*Xenoph. Ibid. Isocrat. in Panathenaico. Diodor. ann. 2. Olymp. 98. Plutarch. in Agesilao & Artaxerxe. & Lacenicis Apophthegmatib. Aristid. in Leuctricâ 1. & 4.*] Promulgatam verò esse pacem hanc anno post navalem pugnam ad Ægos-potamos 19°, ante Leuctricam 16°, in libro primo notat Polybius.

Pace compositâ, ad Agesilaum (quem strenuum illius exsequutorem fuisse docet Xenophon, Lacedæmoniis ejus custodibus & tutoribus in Græciâ constitutis) Artaxerxes epistolam per Persam quendam cum Callià Lacedæmonio misit; in quâ hospitium & amicitiam illi obtulit.

Quam ille non accipiens, Regi renunciari juſſit; nihil eum opus habere mittendis ad ſe epiſtolis. nam ſi amicum ſe Rex Lacedæmoni & Græciæ gerat, ipſum ſummopere ei fore amicum: ſin verò inſidiari deprehendatur, non eſſe quòd ſe credat ipſi amicum fore, etiamſi plurimas acciperet epiſtolas. [*Plutarch. in Laconicis Apophtegmatib.*]

In formulâ pacis Antalcideæ, ex Xenophonte (qui eam ignorare non potuit) ſuperiùs propoſitâ, non omnes quidem (ut in *Artoxerxe* credidiſſe videtur Plutarchus) quæ Aſiæ contribuuntur inſulas, Artaxerxi traditas, fuiſſe vidimus, ſed duas tantùm: *Clazomenas* (quam eo tempore inſulam fuiſſe, ad annum mundi 3504 & 3509, indicavimus) & *Cyprum*, è quâ, pax hæc Chabriam nunc evocabat; quem adjutorem Euagoræ ab Athenienſibus datum, totam illi inſulam debellaſſe nuperrimè diximus. Indéque Euagoras, totâ propè Cypro evocatâ, adverſùs Artaxerxem bello Græcorum diſtentum numeroſiſſimum coëgerat exercitum. Qui à longâ cum Græcis controverſiâ jam liberatus, copias ſuas in bellum Cypricum paratas eſſe juſſit. [*Diodor. ann. 2. Olymp. 98.*]

3618 Artaxerxes copias ſuas tum terreſtres 300000 militum, tum navales triremium plurium quàm 300, contra Euagoram Cypri regem eduxit. Pedeſtribus generum ſuum Orontem, navalibus Tiribazum, Duces præfecit. Qui aſſumptis in Phocæâ Cumâque exercitibus, in Ciliciam deſcenderunt: unde in Cyprum tranſvecti, ſtrenuâ in bellum adminiſtrandum operâ incubuerunt. Euagoras, Ægyptios, Tyrios, Arabas, alióſque Perſarum inimicos ſibi adjungens; triremes 90 (quarum 20 erant Tyriæ, reliquæ Cypriæ) & militum, propriorum ſex millia, auxiliarium multò plures habebat. Cúmque pecuniæ affatim illi ſuppeterent; numeroſam peregrinorum manum ſtipendio conduxit. [*Diodor. lib. 15. ann. 3. Olymp. 98.*] 4328 386

Euagoras navibus prædatoriis, quarum ſat multas ad manum habebat, onerarias hoſtium, quibus commeatus adferebatur, inſidiis exceptas vel intercepit, vel demerſit, vel acceſſu prohibuit. Unde ingente ſtatim annonæ caritate in caſtris Perſarum ortâ, conductitii eorum milites nonnullos Duces occiderunt, tumultúque tota caſtra impleverunt: ut non niſi magnâ cum difficultate Tribuni militares & navalis exercitûs Prætor Gaos ſeditionem illam comprimere potuerint. Cum totâ igitur claſſe avecti, magnam frumenti copiam è Cilicîâ tranſportabant: unde caſtris deinceps alimenta ſuppeterebant. At Euagoræ rex Acoris ex Ægypto frumenti & pecuniæ cæteríque apparatus, quantum ſat eſſet, tranſmittebat. [*Id. ibid.*]

Evagoras claſſe hoſtili ſuam longè inferiorem eſſe cernens, 60 præteteà naves implevit, & ab Acori 50 præter has accerſivit: ut triremes in univerſum 200 haberet. Ac pedeſtri primùm ſuo agmine partem terreſtris hoſtium exercitûs aggreſſus, victoriam obtinuit. Deinde claſſem eorum, Citium verſùs præternavigantem, nec opinatò adortus, diſperſarum triremium partem ſubmerſit, partem in poteſtatem ſuam redegit. At cùm Navarchus Perſarum aliíque Duces fortiter vim hoſtis exciperent, acris incruduit pugna, quâ primùm Euagoras ſuperior erat: ſed poſt, ubi Gaos omni virium ſuarum mole infertur & animosè decertat; Euagorani cum magnâ triremium jacturâ fugam capeſſunt. Perſæ itaque, prælio hoc victoriam adepti, utrumque exercitum congregant ad Citium: unde armis in hoſtem expeditis, Salaminem obſidione cingunt, urbémque à terrâ ſimul & mari oppugnant, (*Ibid.*)

Tiribazus à prælio navali in Ciliciam trajiciens, atque inde ad Artaxerxem profectus, victoriæ nuncium pertulit: & duo talentûm millia ad belli uſus reportavit. Euagoras, relicto ad defenſionem urbis filio *Pythagorâ* (*Protagorâ* fortaſſe, de quo ſuprà, ad annum M. 3615. ex Iſocrate mentio eſt facta) & ſummâ rerum in Cypro adminiſtratione illi commiſſâ, cum decem triremibus clam hoſtibus noctu è Salamine ſolvit, & in Ægyptum devehitur: ubi regi Acori perſuadet, ut totis ſecum viribus in hoc bellum incumbat. (*Ibid.*)

3619 Euagoras ab Ægypto in Cyprum redit; pecunias quidem ſecum adferens, ſed expectatione ſuâ longè pauciores. Cúmque Salaminem vehemente obſidione preſſam inveniret, ſéque ſociorum auxilio deſtitutum; de pacificatione legationem mittere cogitur. Tiribazus igitur, penès quem ſumma tùm poteſtas erat, ſe tranſactionem admiſſurum, ſi Euagoras omnibus per Cyprum urbibus cedens, & unius Salaminis dominio contentus, annuum Regi tributum dependat, & ad imperata, ut ſervus Domino, ſit præſtò, reſpondit. His conditionibus, licèt duris, annuit Euagoras; poſtremâ tantùm exceptâ. Dicebat enim ſe ut regem Regi, non ut ſervum Domino, ſubjectum fore. Quod admittere tamen recuſavit Tiribazus. [*Diod. ann. 4. Olymp. 98.*] 4329 385

Alter copiarum præfectus Orontes, Tiribazi gloriæ invidens, miſſis clàm ad ſocerum ſuum Artaxerxem literis, tum de aliis illum criminatus eſt, tum quòd rerum novarum ſtudioſus, privatam belli ſocietatem cum Lacedæmoniis contraheret, & copiarum Duces ſibi ad benevolentiam & obſequia obnoxios redderet. Quas calumnias veras eſſe credens Artaxerxes, Orontæ reſcribit, ut Tiribazum comprehenſum illicò ad ſe tranſmittat. [*Id. ibid.*]

Orontes, Tiribazum metuens, per inſidias ita eum cepit. Domus erat quæ ſpecum profundam habebat. Super ſpecu lectum collocavit, non intenſum, ſed variis tapetibus ornatum. Vocat Tiribazum, quaſi colloquium cum eo habiturus. Tiribazus clàm ingreſſus, conſedit; & per lectum in foſſam defertur, atque comprehenſus ad Artaxerxem vinctus mittitur. [*Polyæn. Stratagem. lib. 7.*]

Orontes copiis in Cypro cum ſummo imperio præfectus, dum magno Euagoram animo rurſùs obſidionem tolerare, & milites captivitatem Tiribazi moleſtè ferentes imperium detrectare & obſidionem relinquere videt; Euagoram ad pacis conditiones, quibus ille cum Tiribazo conſenſerat, admittit: ut certum quotannis tributum Regi perſolvens, Salaminis ipſe regnum retineat, & ut rex Regis imperio auſcultet. Atque ita bellum Cyprium, ad decennii ferè tempus (parte tamen maximâ in apparatibus conſumptâ) protractum, cùm duos tantummodò per totum hoc ſpatium annos bellum eſſet, finem ſuum accepit. [*Diodor. ann. 4. Olymp. 98.*]

In

In quam expeditionem quum Rex Perſarum ampliùs quinquaginta millia talentûm inſumpſiſſet, & bellum in decimum uſque annum prorogaſſet ; dominum earundem rerum reliquit Euagoram , quas ante illatum bellum habuerat. [*Iſocrat. in Euagorâ. Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 98.]

Gaos navalis exercitûs prætor, cui filia Tiribazi nupta erat, metuens ne ob communicati cum ſocero conſilii ſuſpicionem ab Artaxerxe ad ſupplicium raperetur , defectionis à rege conſilium cepit. Et quum opum militúmque copiâ inſtructus eſſet , & trierarchos inſuper favore ſibi præcipuo addictos haberet : cum Acori Ægyptiorum rege & Lacedæmoniis contra Artaxerxem ſocietatem iniit. [*Diodor. ibid.*]

Artaxerxes (Cambyſem imitatus ; *apud Herodot. lib.* 5. *cap.* 25. *& Valer. Maxim. lib.* 6. *cap.* 3.) judices quoſdam vivos excoriari , eorúmque pelles circum tribunalia expandi juſſit : ut judices alii his inſidentes ſemper ante oculos ſupplicii , quod judiciorum pravitas mereretur, exemplum ſibi propoſitum haberent. [*Diodor. ibid.*]

3620 Artaxerxes , exercitum trecentorum millium peditum & decem millium equitum ducens, Caduſiis bellum intulit : (*Diodor. Olymp.* 98. *ann.* 4. *Plutarch. in Artoxerxe.*) In eo, multis utrinque millibus interfectis , inter alios cecidit & Camiſſares , natione Car, vir manu fortis & bello ſtrenuus : quem parti Ciliciæ , juxta Cappadociam quam incolunt Leucoſyri , Artaxerxes præfecerat. Cui & ſucceſſorem Datamem filium dedit ; cujus in hoc Caduſiano bello magna fuit opera. (*Æmil. Prob. in Datame.*) 4330 384

Artaxerxes , cum exercitu ſuo , ob commeatuum defectum ad magnas redactus anguſtias (ita ut caput aſini 60. drachmis vix emi poſſet) à Tiribazo , qui tunc in caſtris abjectus & contemptus erat , hunc in modum eſt ſervatus. Duo erant Caduſiis Reges , iique caſtra ſeorſim habebant. Re igitur cum Artaxerxe communicatâ , Tiribazus ad alterum Regem profectus eſt miſſo occultè ad alterum filio ſuo. Uterque autem utrumque decipiebat : regum utrique ſeorſim ſignificatione factâ , alterum legatis ad Artaxerxem miſſis , ſibi tantùm , omiſſo collegâ , amicitiam & ſocietatem cum eo quærere. His ambo fidem habuere : & quia invidiam mutuam habebant ſuſpectam , alter cum Tiribazo , alter cum Tiribazi filio , ad Artaxerxem legatos miſit. Atque ita pax cum utroque eſt compoſita & fœdus initum. (*Plutarch. in Artoxerxe.*)

Caduſiano bello finito , Artaxerxes Tiribazi cauſam tribus judicibus eximiæ inter Perſas auctoritatis commiſit : quibus ita ille ſuam probavit innocentiam , atque in Regem merita , ut ab omnibus abſolutus fuerit , & à Rege deinceps maximis honoribus exornatus. At Orontem falſæ accuſationis damnatum , ex amicorum catalogo expunxit , extremáque ignominiâ notavit. (*Diodor. Olymp.* 98. *ann.* 4.)

Cùm Gaos in Cypro eſſet , Græcíque quos apud ſe habebat iis qui in Ioniâ degebant literas contra ipſum ſcriberent : ut nocentes deprehenderet , triremem adduxit , remigibúſque viaticum præbuit , atque in Ioniam navigare juſſit. Cùm gubernator navigationem datâ operâ protraheret , multi multas epiſtolas remigibus dederunt : qui ſolventes , non procul ſupra urbem appulerunt. Gaos pedes in eum locum profectus , ubi triremis ſtabat , præcepit remigibus , ut omnes ſibi epiſtolas adferrent. In quibus cùm inveniſſet eos qui contra ſe ſcripſerant ; non ſubitò , ſed in quæſtionibus examinatos interfecit. (*Polyæn. Stratagem. lib.* 7. *in Gao : pro quo* , Αλως *&* Γλως *ibi perperàm ſcriptum habetur.*)

3621 Gaos , quum Lacedæmonios & Ægyptiorum regem ad bellum Perſis inferendum concitaſſet , dolo quorundam necatus , id quod moliebatur non peregit. Poſt mortem autem ejus Tachos , ejuſdem negotii adminiſtratione ſuſceptâ , exercitum ſibi collegit , urbémque juxta mare loco quodam ſublimi ædificavit , Leucam nomine ; in quâ & Apollini fanum extruxit. Sed cùm paulò pòſt is vitâ eſſet defunctus , Clazomenii , & Cumæi de ejus urbis poſſeſſione contenderunt ; & Clazomenii dolo Cumæos antevertentes , eâ ſunt potiti. Atque his ita geſtis , rebelliones per Aſiam ſponte ſuâ finem habuerunt ; & Lacedæmonii , poſt Gai Tachíque mortem , res Aſiæ omiſerunt. (*Diodor. ann.* 2. *Olymp.* 99.) 4331 383

3622 *Pharoſtrato* Athenis archonte , menſe Poſideone , annò Nabonaſari 366 , menſis Ægyptiaci Thoth die 26, (Decembris Juliani die 23. ineunte) poſt mediam noctem horis 5. cum ſemiſſe ; Eclipſis Lunæ parva Babylone eſt obſervata. (*Hipparch. apud Ptolemæum , magn. Syntax. lib.* 4. *cap. ult.*)

Eodem archonte , menſe Scirrhophorione , eodémque anno Nabonaſari , Phamenoth die 24, (Junii 18. ad finem tendente) ante mediam noctem horis 5. cum ſemiſſe ; altera Lunæ Eclipſis ibidem eſt obſervata. (*Id. ibid.*) 4332 382

3623 Archonte Athenis *Euandro* , menſe Poſideone priore , anno Nabonaſari 367, Thoth die 16, (Decembris 12. deſinente) horis 2. cum ſemiſſe ante mediam noctem ; tertia Lunæ Eclipſis , eáque totalis , ibidem obſervata eſt. (*Id. ibid.*)

3627 Acoris Ægyptiorum rex , inimicitias jampridem cum rege Perſarum exercens , magnas tum aliorum peregrinorum copias undique contrahebat , tum præcipuè Græcorum ; quibus Chabriam Athenienſem Ducem præfecit. Hic , licèt abſque populi conſenſu id fieret , Imperatoris munere ſuſcepto , copiis in Ægypto præerat ; magnóque ad bellum gerendum cum Perſis ſtudio ſe præparabat. Pharnabazus autem ſummus militiæ Dux ab Artaxerxe declaratus , cùm ingentes ex Perſicis opibus in bellum apparatus & ipſe feciſſet ; nunciis Athenas miſſis , Chabriam criminabatur , quòd Ægyptiis ducem ſe proſtituendo , benevolentiam Regis à populo alienaret : ſimúlque rogabat , ut Iphicratem ſibi Ducem tribuerent. Athenienſes igitur , quibus hoc inprimis curæ erat , ut regis Perſarum benevolentiam ſibi conciliarent , & Pharnabazum ſuis commodis addictum haberent , ſine morâ Chabriam ex Ægypto revocant , & Iphicrati Perſis auxiliandi negotium imponunt. (*Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 100.) 4337 377

Iphicrates ab Artaxerxe conducto adversùs Ægyptium regem exercitui præfectus, cujus numerus duodecim millium fuit, sic illum omni disciplinâ militari erudivit: ut, quemadmodum quondàm *Fabiani* milites Romani appellati sunt, sic *Iphicratenses* apud Græcos in summâ laude fuerint. [*Æmil. Prob. in Iphicrate.*] Plures autem annos in belli hujus apparatibus consumpsit Pharnabazus. Cujus expeditam in sermone facultatem & in rebus peragendis tarditatem animadvertens Iphicrates, mirari se dixit, quate ille oratione quidem celer esset, factis verò tardus & cunctabundus. Id verò hâc ratione fieri abs se Pharnabazus respondit; quòd verborum ipse, operum Rex fuisset dominus. [*Diodor. ad ann. 3. Olymp.* 101.]

Hecatomno filius Mausolus in principatu Cariæ successit: quem annis 24. obtinuit. [*Diodor. ad ann. 4. Olymp.* 106.] duarum sororum natu majore Artemisiâ matrimonio sibi sociatâ. [*Strabo, lib.* 14.]

3628 Post Acorim, apud Ægyptios regnavit Psammuthis, annum 1. 4338 376

3629 Post hunc, Nepherites, postremus Mendesiorum dynastiæ rex, menses 4. Quem excepit, primus Sebennytarum dynastiæ rex Nectanabis, annis 12. 4339 375

Artaxerxes Ægyptiis bellum illaturus, quò faciliùs auxiliares è Græciâ copias haberet, legatos misit, qui Græcos ad communem pacem inter se faciendam eâ lege induceret, ut omnibus urbibus suo deinceps jure & absque præsidiis liceret vivere. Eam soli Thebani repudiârunt: reliqui Græci concordi sententiâ admiserunt. [*Diodor. ann. 2. Olymp.* 101.]

3630 Artaxerxis copiis ad Acen Syriæ urbem (* Ptolemaidem postea dictam: quâ Persas receptaculo adversùs Ægyptum usos fuisse notavit *Strabo*; *lib. 16. pag.* 758. *) congregatis, lustratione initâ, Barbarorum ducenta milia sub Pharnabazi, Græcorum conductitiorum viginti millia sub Iphicratis imperio recensita fuere. Classis verò (præter navigia, quæ commeatum & cætera ad præsentes usus necessaria advehebant) numerus erat, triremes trecentæ, triginteremes (τριακόντοροι) ducentæ. Ineunte æstate (sive primo vere) regii ductores in Ægyptum procedentes, Pelusium (quod è Syriâ tendentibus primum objectum erat) à Nectanabi rege mirificè præmunitum offenderunt. Quapropter in altum revecti, ne scilicet ab hoste conspicerentur, Mendesio Nili ostio longè porrectum litus habenti classem adverterunt. Ibi tribus armatorum millibus expositis, Pharnabazus & Iphicrates castellum super ostio extructum aggrediuntur. Sed cùm tria equitum peditúmque simul millia ad defensionem loci educerent Ægyptii, pugna vehemens committitur; in quâ Ægyptii tandem à Persarum multitudine (nam subinde plures è navibus accurrebant) concluli magnâ strage cæduntur; non paucis etiam captis, & reliquis in oppidulum refugere coactis. Iphicratis verò milites simul cum præsidiariis castelli intra muros illapsi, propugnaculum hoc impetu captum funditùs everunt, locíque incolas captivos abducunt. [*Diodor. ann. 3. Olymp.* 101.] 4340 374

Inde Iphicrates ipsam metropolim Memphim, præsidio tunc vacuam, cum classe statim aggrediendam esse consulebat; priùs quàm reliquæ Ægyptiorum copiæ sese aggregarent: Pharnabazus contrà, cum suis, omnes Persarum copias exspectandas esse, quòd hoc modo expeditio Memphitica minùs periculosa foret, existimabat. Interim Ægyptii sufficiens nacti otium, idoneo Memphim præsidio muniunt, & ad oppidulum illud eversum cum universo exercitu profecti, assiduis Persas conflictibus lacessunt, & magnam eorum cædem faciunt. Cúmque jam flatu Etesiarum Nilus insurgens omnem circa locum excursu inundaret, & Ægyptum subinde munitiorem efficeret: Persarum duces, quòd ipsa naturæ conditio obluctari viderentur, discessum ex Ægypto maturandum esse censuerunt. Atque ita tam magni apparatûs expeditio in nihilum recidit. [*Id. Ibid.*]

Quamprimùm in Asiam redière, Pharnabazo cum Iphicrate dissidium recruduit. Ex quo timens sibi Iphicrates, ne quod Cononi pridem acciderat, in vincula compingeretur: subornato navigio noctu se subducit, Athenásque revehitur. Eum missis illuc legatis Pharnabazus Ægypti non recuperati reum agit. Cui responsum Athenienses reddunt; illum pro merito, si noxium cognoverint, à se punitum iri: post breve tamen temporis intervallum, totius suæ classis imperium ei tradunt. [*Id. Ibid.*]

Nicocles eunuchus in Cypro, obtruncato per insidias rege Evagorâ, Salaminiorum regnum sibi rapuit: ut habet hoc anno Diodorus. Et ab eunucho quidem interfectum fuisse Evagoram, etiam Aristoteles libro 5. Politic. cap. 10. indicat: sed *Thrasydæi* fuisse illi nomen, ex Theopompo (in Bibliothecâ Photii, num. 176.) didicimus; qui eunucho hoc genere Eleo procurante, Evagoram & cum Nicocreontis (Cyprii illius tyranni, à quo ad epulas invitatum Isocratem, in hujus Vitâ Plutarchus narrat) filiâ concubuisse, & ob hoc ipsum mortem occubuisse significat. *Nicoclem* enim ipsius Evagoræ fuisse filium, & patri in regno successisse & liberis operam dedisse, constat ex Isocrate: quem 20 talentis, ob scriptam ad eum orationem, donatum ab illo fuisse scribit in Isocratis vitâ Plutarchus. Extat verò ejus Oratio, *ad Nicoclem* de regno sive Regis munere; & alia, *Nicocles* inscripta, in quâ, sub ipsius Nicoclis personâ, civium erga Regem officium describitur. Tertia item, *Evagoræ* titulo: quæ funebris in eum est oratio. Cùm enim hoc anno occisi Evagoræ funus, non magnifico tantùm & splendido apparatu, sed & choris, & musicâ, & ludis gymnicis, equorúmque & triremium certaminibus, ornaret Nicocles: hanc de patris laudibus orationem illi dicavit, existimans & Nicocli ipsi, & liberis ejus, & cæteris ab Evagorâ oriundis longè pulcherrimam fore adhortationem. (ἡγούμην καί σοι καὶ τοῖς ἐκ τούτων παισὶ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἀπ' Εὐαγόρου γεγονόσι, πολὺ καλλίω λόγον ἢ περὶ τούτου ποιήσασθαι παράκλησιν. *Isocrat. in Evagorâ.*] Hinc igitur Diodori emendandus est error, & dicendum; interemptum per Thrasydæum eunuchum regem Evagoram, filium Nicoclem in regno Salaminio illi successisse

Alcithene

3633 Alcisthene Athenis archonte, Artaxerxes Græciam denuò turbulentis motibus conquassari videns, per legatos iterùm ad pacem inter se, juxta leges nuper conditas, stabiliendam adhortatus est. Indéque singulæ Græcorum civitates communem inter se pacem renovantes, jurejurando se fœderi obstrinxerunt: solis Thebanis exceptis. Pace verò ab Athenienſibus, Lacedæmoniis & Artaxerxe juratâ, Iphicrates cum classe ab Athenienſibus domum revocatus est. [*Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 102. *cum Xenophon. Hellen. lib.* 6. *& Dionyſ. Halicarnaſſ. in vitâ Lyſiæ.*] 4343 371

Die verò 14°. Scirrhophorionis (anni Attici & magistratûs Alcisthenis mensis extremi) Junii Juliani 16°, fœdus hoc pacis Lacedæmone I Græcis pactum fuisse, docet Plutarchus in Agesilao.

3634 Lacedæmonii à Thebanis duce Epaminondâ in pugnâ Leuctricâ profligati, Agesilaum in Ægyptum, & Antalcidam ad Artaxerxem, ad pecuniam sibi comparandam miserunt. Antalcidæ verò petitio ita ab Artaxerxe rejecta est atque despecta: ut regressus ille, quòd videret se hostibus esse ludibrio, & metueret insuper ephoros, vitam inediâ finierit. [*Plutarch. in Artaxerxe.*] 4344 370

3635 Philiscus Abydenus ab Ariobarzane Artaxerxis satrapâ in Græciam missus, Thebanos eorúmque socios & Lacedæmonios, pacis componendæ gratiâ Delphos evocavit. Ubi, Thebanis non permittentibus ut Messene Lacedæmoniorum esset in potestate, offensus ille, milites bis mille selectissimos stipendio conductos Lacædemoniis relinquens, in Asiam rediit. [*Xenoph. Hellen. lib.* 7. *Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 102.] 4345 369

3636 Thebani, Græciæ principatum ambientes, legatos ad regem Persarum mittendos censuerunt. Convocatis igitur sociis, quòd Euthycles Lacedæmonius apud Regem jam esset prætextentes; ad eundem, ex Thebanis Pelopidam, ex Arcadibus Antiochum pancratiastem, ex Eleis Archidamum, simul cum Argivo quodam, ire jusserunt. Quo cognito, Athenienses quoque ex civitate suâ Timagoram & Leontem miserunt. Inter quos omnes, apud Regem Pelopidas primum, secundum authoritatis & honoris locum Timagoras obtinuit. [*Xenoph. Hellen. libro* 7.] 4346 368

Ismenias Thebanus, Pelopidæ in hac legatione collega, quum à Tithraustæ chiliarcho ad Regem adductus adorare eum juberetur; annulum quem gestabat è digito detractum clam abjecit ad pedes, confestimque procumbens sustulit eum iterum: indeque existimatus Regem adorasse, quicquid ab eo petiit, impetravit. [*Plutarch. in Artaxerxe. Ælian. Var. hiſtor. lib.* 1. *cap.* 21.]

Timagoras Athenienſis epistolam eo tempore de rebus arcanis per Beburim scribam ad Regem mittens, mille Daricis donatus est: cœnâ quoque lautissimâ ei missâ. Unde frater Regis Oltanes: *Meminiſti*, inquit, *hujus Timagoræ menſæ. Neque enim levi de causâ ita tibi inſtructa apponitur.* Quæ improperatio proditionis potiùs quàm beneficii erat suggestio. [*Plutarch. Ibid.*] Dedisse præterea Rex ei dicitur 80. vaccas, quæ illum valetudinis causa lactis bovini indigentem comitarentur; lectum quoque pretiosum cum veste stragulâ & stratoribus, quasi rudibus ad sternendum Græcis, ad eum misisse: atque lecticâ demum ad mare infirmâ valetudine affectum deferendum curavisse, quatuor talentorum mercede bajulis præbitâ. [*Id. ibid. & in Pelopidâ.*] Sed Athenæus lib. 2. Timagoram Athenienſem, cùm Regem adorasset, magno honore acceptum fuisse scribens; illi tantùm ex appositis Regi ferculis missam quandam fuisse portionem affirmat: quod verò de pretioso lecto & stragulis cum stratore (quasi Græci quomodo substerni oporteret ignorarent) ab Artaxerxe missis narratur, ad Timagoram Cretensem refert, vel Entimum Gortynium, ut Phanias Peripateticus eum nominat.

Pelopidas, eâ quâ apud Artaxerxem pollebat gratiâ, literas obtinuit, quibus à Lacedæmoniorum potestate Messene immunis esse jubebatur, & Athenienses navigia sua subducere: ni parerent utrique, bellum eis indicendum; & si qua civitas sequi recusaret, eam primùm bello petendam esse. Leonte verò contrà liberè pronunciante; tempus jam poscere, ut Athenienses alium sibi amicum loco Regis quærerent: adscribi Artaxerxes mandavit; quòd, si quid æquius Athenienses scirent, hoc Regem adeuntes eum docerent. [*Xenoph. Hellenic. lib.* 7.]

Domum legatis reversis, Athenienses Timagoram, inter officium salutationis Regem more gentis illius adulatum, capitali supplicio affecerunt: unius civis humilibus blanditiis, totius urbis suæ decus Persicæ dominationi summissum graviter ferentes. Ita *Valerius Maximus lib.* 6. *cap.* 3. [in cujus textum, *Darii* nomen, pro *Artaxerxis*, nescio quo pacto irrepsit.] Alii ob sordidam Persicorum donorum acceptionem necatum eum volunt: de quo videndus Plutarchus, in *Artaxerxe & Pelopidâ.* Sed à Leonte collegâ accusatum memorat Xenophon; quòd ne quidem uti secum eodem contubernio voluisset, & omnia consilia cum Pelopida communicasset: quam præcipuam damnationis illius causam fuisse non est dubium.

Thebani, convocatis ad audiendum Regis literas reliquis urbibus Græcis, & literis regiis à Persâ earum latore, ostenso priùs Regis sigillo, recitatis, jubebant omnes qui amici Regis & Thebanorum esse vellent, in ista quæ literis continerentur jurare. Sed urbium legatis primùm, & ipsis civitatibus deinde jurare recusantibus; tota illa Persica legatio, & per eam à Pelopidâ & Thebanis affectata dominatio, in nihilum recidit. [*Xenoph. Hellenic. lib.* 7.]

3638 *a.* Jubilæus XXII. 4347 367

d. Artaxerxes, novâ legatione ad Græcos missâ, ut bellicis controversiis finem statuerent, & communem inter se pacem sancirent, tandem persuasit. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 103.] 4348 366

Eudoxus Cnidius, ob famæ celebritatem Ἔνδοξος dictus, hoc tempore maximè claruit. Qui in Ægyptum cum Chrysippo medico profectus, commendatitias ab Agesilao literas ad Nectanabin attulit: qui eum Sacerdotibus commendavit. Ubi cum *Ichanuphy* Heliopolitano (qui *Conuphis* Clementi Alexandrino est, in 1°. libro Stromatum) eo agente, pallium illius circumlambit Apis. Unde celebrem illum quidem futurum, sed non longævum, Sacerdotes dixe-

runt: ut refert Phavorinus in Commentariis. In Ægypto annum unum & menſes quatuor moratus, pube ſupercilioſque raſis, Octaëteridem ſecundùm quoſdam conſcripſit. [*de quâ, in noſtræ de Macedonum & Aſianorum anno Diſſertationis capite extremo, aliquid eſt dictum.*] Inde Cyzicum atque ad Propontidem acceſſiſſe philoſophantem, atque ad Mauſolum perveniſſe dicitur. [*Diog. Laërt. in Eudoxo.*] Alii Eudoxum cum Platone in Ægyptum profectum, & ambos cum Sacerdotibus annos tredecim fuiſſe verſatos, tradiderunt: ut apud Strabonem libro 17. legimus.

3639 Heracleæ in Ponto, cùm plebs novas tabulas (quibus debitores ære alieno liberarentur) & agrorum ex æquo diviſionem impotenter flagitaret: optimates adversùs eam auxiliis à Timotheo Athenienſium & Epaminondâ Thebanorum duce fruſtrà petitis, Clearchum civem ſuum, quem ipſi in exilium egerant, ad tutelam ſuam revocârunt. [*Juſtin. lib. 16. cap. 4.*] 4349 365

3640 Clearchus, diſſenſionem populi occaſionem invadendæ tyrannidis exiſtimans, primò tacitus cum Mithradate (rege Ponti) civium ſuorum hoſte colloquitur; & initâ ſocietate paciſcitur, ut revocatus in patriam, proditâ ei urbe, præfectus ejus conſtitueretur. Statuto verò tempore, quo urbem Mithradati traderet, ipſum cum amicis ſuis cepit; captúmque, acceptâ ingenti pecuniâ, dimiſit. Atque ut in illo ſubitum ſe ex ſocio fecit hoſtem: ſic ex defenſore ſenatoriæ cauſæ, repentè patronus plebis evaſit; & adversùs auctores potentiæ ſuæ non ſolùm plebem accendit, verùm etiam nefandiſſima quæque tyrannicæ crudelitatis exercuit. Summo enim à plebe ad eum imperio delato, 60. Senatores comprehenſos (nam cæteri in fugam dilapſi erant) in vincula compegit: eóſque primùm fortunis, deinde vitâ ſpoliavit. [*Id. ibid.*] Séque totum ad imitationem Dionyſii Syracuſanorum tyranni componens, principatum Heracleenſium per 12. annos geſſit. [*Diodor. Olymp. 104. ann. 1. cum Excerptis ex Memnonis hiſtoriâ Heraclienſi, in Photii Bibliothecâ, num. 224.*] 4350 364

3641 Tachos, Polyæno (lib. 7. Stratagem.) Thamus, Ariſtoteli (lib. 2. Oeconomic.) *Taos*, Julio Africano *Teos* dictus, in Ægypto regnat ann. 2. 4351 363

Cum hoc anno & Hellenicorum ſuorum libros 7. Xenophon Athenienſis, & primam Hellenicorum ſuorum partem concluſit Anaximenes Lampſacenus: qui à Δευκαλίωνος & generis humani primordiis exorſus, ad prælium apud Mantineam commiſſum & Epaminondæ mortem hiſtoriam deduxit; univerſas propè Græcorum & Barbarorum res geſtas 12. voluminibus complexus. [*Diod. ann. 2. Olymp. 104.*] in alterâ deinde parte res omnes ſuo tempore à Philippo Macedone & filio ejus Alexandro peractas adjiciens. [*Pauſan. Eliac. 2.*]

Mithradate rege Ponti mortuo, Ariobarzanes Phrygiæ Satrapa ab Artaxerxe conſtitutus regnum illius occupavit; & per annos 26. illud obtinuit. [*Diodor. ad ann. 3. Olymp. 104. & ann. 4. Olymp. 110.*]

Clearchus Heracleæ tyrannus, quum Senatores qui profugerant civitates finitimas adversùs ſe concitare & bellum moliri didiciſſet, ſervos eorum manumittit: uxoréſque eorum & filias eis nubere, propoſitâ recuſantibus morte, compellit; ut eos ſibi fideliores, & dominis infeſtiores redderet. Sed cùm matronis tam lugubres nuptiæ repentinis funeribus eſſent graviores: multæ ſe ante nuptias, multæ in ipſis nuptiis, occiſis priùs novis maritis, interimunt. Prælium deinde committitur: quo victor tyrannus captivos Senatores in triumphi modum per ora civium trahit. Reverſus in urbem, alios vincit, torquet alios, alios occidit: nullus locus urbis à crudelitate tyranni vacat. [*Juſtin. lib. 16. cap. 5.*]

3642 Lacedæmonii cum Artaxerxe, quòd ſocium ſe eorum profeſſus, Meſſenen tamen eos dimittere & Meſſenios communi Græcorum fœdere comprehendi mandaſſet, ſimultates exercebant. [*Xenoph. in Ageſilao. Diodor. ad ann. 3. Olymp. 104.*] His ſe conjunxit Ariobarzanes Phrygiæ ſatrapa, qui Mithradatis demortui regnum poteſtati ſuæ nuper vindicaverat. [*Diodor. Ibid.*] 4352 362

Autophradates (Lydiæ præfectus) Ariobarzanem ſocium Lacedæmoniorum ad Aſſum obſidens, Ageſilaum (qui tùm ſenex, ut pecunias patriæ ſuæ obtineret, in Aſiâ legationem obibat) veritus, fugâ inde diſceſſit: Cotys item Seſtum obſidens, quæ etiam tunc Ariobarzanis erat, & ipſe ſolutâ obſidione ſe ſubduxit. Mauſolus etiam, qui utrumque illum locum mari centum navibus obſidebat, non metu ſed perſuaſione adductus, domum cum claſſe abiit: & pecuniis in uſum Lacedæmoniorum collatis, Ageſilaum in patriam remiſit. [*Xenoph. in Ageſilao.*] De Ariobarzane etiam Adramytii ab Autophradate terrâ marique obſeſſo, in 7°. Stratagematum libro Polyænus meminit.

Mauſolus, amicis convocatis, fingit ſe à rege Perſarum patrio principatu ſpoliatum iri, niſi ingenti pecuniæ ſummâ eum vellet redimere. Cui illi fidem adhibentes, eodem die infinitam pecuniæ vim ultrò illi mittendam curârunt. [*Polian. lib. 7. collat. cum Ariſtotele, in Oeconom. lib. 2.*] Quam tantum aberat ut ille Regi tribueret, ut etiam Satrapis & Ducibus illis qui Regi bellum tunc intulerunt ſeſe adjungeret. Defecerunt enim hoc tempore ab Artaxerxe, de Ionum gente Lycii, Piſidæ, Pamphylii & Cilices: & præter hos Syri ac Phœnices cunctique ferè maris Aſiani accolæ. Tachos quoque Ægyptiorum rex, decreto in Perſas bello, & navibus extruendis & pedeſtribus conſcribendis copiis operam dedit: plurimiſque hinc inde è civitatibus Græciæ conductis, Lacedæmonios etiam in partes ſuas adduxit. [*Diodor. ann. 3. Olymp. 104.*]

Tantâ in Perſas undique conſpiratione excitatâ, pars vectigalium dimidia Artaxerxi deceſſerat; reliqua verò neceſſariis belli uſibus haud ſatis erat: quum eodem tempore cum Ægyptiorum rege, & Græcis in Aſiâ urbibus, & Lacedæmoniis, horúmque adjutoribus Satrapis & Ducibus qui maritimas ſub imperio oras tenebant, ſimul fuerit belligerandum. [*Id. ibid.*]

Ageſilaum Lacedæmoniorum regem accerſiit ad ſe Rex Ægyptiorum; Imperatoris in exercitu munus illi promittens. [*Xenoph. in Ageſilao.*] Ad cujus auxilium à patriâ ille allegatus,

eo ſtipendio quod ſibi miſerat Tachos mercenarium militem conſcripſit : compleriſque navibus, atque adjunctis conſiliariis Spartiatis triginta, in Ægyptum cum mille gravis armaturæ militibus eſt delatus. [*Plutarch. in Ageſilao. Diodor. ut ſuprà.*] Hujus de adventu fama cùm ad regios eſſet perlata, celeriter munera eò cujuſque generis ſunt allata. Ut verò apparatum circa eum nullum conſpexere, tantùm ſenem in herbâ ad littus decumbentem, incomptum & corpore puſillum, horrido & obſoleto amictum pallio ; deſpicatui eum duxerunt. Multòque magis inſulſitatem ejus ſunt mirati, quum hoſpitalibus muneribus adductis, farinam, vitulos & anſeres accepiſſet ; bellaria, cupedias & unguenta, ſervis diſpertienda reliquiſſet. [*Plutarch. & Æmil. Prob. in Ageſilao.*] Rex quoque Ægyptius, qui illum arceſſiverat, promiſſum Imperatoris munus illi non detulit : [*Xenoph. in Ageſil.*] ob brevitatem corporis eum deridens, & fabulam in eo impletam eſſe dicens : *Parturire monſtem, & murem naſci.* Quo audito, iratus Ageſilaus retuliſſe illi fertur : *Videbor aliquando tibi leo.* (*Athenæus, lib. 14. cum Plutarcho.*)

Chabrias Athenienſis, non publico quidem juſſu patriæ miſſus (ut Ageſilaus) ſed à Tacho rege perſuaſus, privato officio in hâc militiâ operam navabat. [*Diodor. & Plutarch.*] Qui Regi pecuniis indigenti conſilium dedit, ut ditiores regionis incolas juberet confeſtim quantum unuſquiſque poſſet auri vel argenti contribuere : & ex annuis tributis id poſteà eis reponderet. Atque hoc pacto multas pecunias ille collegit : neque injuriam cuiquam fecit. [*Polyæn. Stratagem. lib.* 3.] cujuſmodi technas quoque alias, ad pecuniam undique corradendam ab eo adhibitas, in 2°. Oeconomicorum libro recenſet *Ariſtoteles.*

Qui in Aſiâ ab Artaxerxe defecerant, totius belli adminiſtrationem Oronti Myſiæ ſatrapæ commiſerunt : qui, accepto ſtipendio viginti millibus conductitiorum in annum ſolvendo, eos primùm qui pecunias attulerant comprehenſos ad Artaxerxem tranſmiſit ; multáſque deinde urbes, & conductitiam peregrinorum manum, legatis ab eo miſſis prodidit. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 104.] Belli ab Oronte cum Autophradate & aliis Regis ducibus geſti meminit, in 7°. Stratagematum libro, Polyænus. Sed cùm in poſtremo Artaxerxis Mnemonis anno ipſum Autophradatem ſimul cum Oronte & reliquis Satrapis ab illo defeciſſe confirmet Diodorus : pro filio ejus Ocho Artaxerxe Autophradatem, & adversùs eum belligeraſſe Orontem, dicendum omninò eſt.

Artabazo, copiarum Artaxerxis Mnemonis ductore, in Cappadociam invadente ; Datames provinciæ illius ſatrapa, cum multis equitum turmis & conductorum peditum viginti millibus, caſtra illi oppoſuit. Tum Mithribarzanes illius ſocer, equitatui præfectus, noctu cum equitibus ad Artabazum tranſiit. Qui utrinque ab utroque exercitu cæti, defectionis ſuæ pœnas dederunt. Addit Diodorus Artaxerxem, de Datamis in hoc procurando Imperatoriâ ſolertia certiorem factum, eum è medio tollere maturaviſſe, ac per inſidias brevi pòſt interfeciſſe. Verùm diutiùs eum fuiſſe ſuperſtitem, ex *Æmilio Probo* conſtat : qui, ut obſcuriora fuiſſe Datamis geſta pleraque libenter agnovit, ita eo diligentiùs res ejus ſibi diſquirendas & deſcribendas propoſuit. Ut quæ plenius hic ab eo & à Polyæno (in libro 7°. Stratagem.) habentur explicata, ad Ochi Artaxerxis tempora eſſe referenda minimè dubitemus.

Rheomithres, à deficientibus Satrapis in Ægyptum miſſus, quingentis ibi talentis & quinquaginta longis navibus acceptis, Lesbos Aſiæ urbem cum claſſe petiit ; & multos defectorum duces illuc accerſitos comprehendit, vinctóſque ad Artaxerxem tranſmiſit. Atque hoc proditionis munere in gratiam apud Regem offenſum eſt repoſitus. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 104.]

Tachos, comparatis jam in Ægypto rebus ad bellum neceſſariis, mercenariorum è Græciâ militum decem millibus Ageſilaum, claſſi Chabriam ex 200. triremibus conſtanti (quas quâ ille arte intra paucos dies remigibus idoneis inſtruxerit, in 7°. Stratagem. libro docuit Polyænus) peditum Ægyptiorum octoginta millibus Nectanebum ſuum vel potiùs fratris aut ſororis ſuæ (ἀνεψιὸν enim vocat Plutarchus) filium, præfecit : ſummo exercitûs imperio ſibi ipſi reſervato. Et quanquàm ſuaderet Ageſilaus, ut ipſe in Ægypto ſubſiſtens legatorum operâ bellum adminiſtraret : obtemperare tamen noluit. [*Diodor. ibid.*] Navigantem tamen in Phœniciam comitatus Ageſilaus eſt ; præter dignitatem ſuam & ingenium, obſecundans illi. [*Plutarch. in Ageſilao.*]

Ægyptiaco exercitu in Phœniciâ ſtativa habente, miſſus inde Nectanebus eſt ad expugnandas urbes Syriæ : ubi, conjuratione cum eo qui Ægypti præſes fuerat relictus initâ, Ægypti regem ſe declaravit : exercitûs præfectos largitionibus, & milites pollicitationibus, ad ſocietatem belli contra Tachon pelliciens. [*Diodor. ut ſupr.*]

3643 4. Tachos, & ab Ægyptiis ſuis & ab Ageſilao (quem incivili ſcommate offenderat) deſertus, ſibi metuens, Sidonem Phœniciæ, indéque ad regem Perſarum fugâ ſe recepit : ut cum Xenophonte & Plutarcho in *Ageſilao*, habent etiam Theopompus & Lyceas Naucratites in Ægyptiacis, ab Athenæo in libri 14. cap. 1. citati. A Rege verò humaniter eum fuiſſe exceptum, Diodorus & Ælianus indicant ; licèt illud Diodoro non aſſentiamur : ſummum belli contra Ægyptios moti Imperatorem declaratum, in patriam eum rediiſſe, & Ageſilai operâ regnum ſuum recuperaviſſe ; ſicut nec illud Æliano : (lib. 5. Var. hiſtor. cap. 1.) frugaliter illum in patriâ vixiſſe, Perſico verò luxu poſtea corruptum vitam amiſiſſe ; quum Ægyptiacas illius cœnas Perſicis longè fuiſſe lautiores, ex *Lynceo* (vel *Lyceâ* fortaſſe jam dicto) confirmet Athenæus, libri 4. capite 10.

Inde ex Mendete alius Rex declaratus, contractis centum hominum millibus, in Nectanebum inſurrexit. [*Plutarch. in Ageſil.*] Ita duobus ab Ægyptiis creatis regibus, Ageſilaus illius qui Græcorum magis ſtudioſus eſſe videbatur militiam eſt ſecutus. [*Xenoph. in Ageſil.*] Is erat Nectanebus : cum quo in caſtellum quoddam incluſus Ageſilaus, ab hoſtibus circumvallabatur. Ægyptio circumvallationem non ferenti, & pugnæ aleam experiri volenti, non obtempe-

ravit

ravit Ageſilaus: ſed in caſtello manſit, donec totum exercitu & muro circumdatum eſſet; excepto admodum exiguo ſpatio, per quod oſtium & tranſitus muri fuit. Tum verò per oſtium erupit: non paucos hoſtes in angustiâ cædens; & circumdatum murum quaſi munimentum habens, ut circumdari ab hoſtibus non poſſet. [*Plutarch. in Ageſil. Polyæn. Stratagem. lib. 2. cum Diodoro, ann. 3. Olymp. 104. ubi tamen pro rege Mendeſio Tachon ille non rectè ſubſtituit.*]

b. Regem illum alterum, nationem Græcorum odio proſequentem, Ageſilaus victum prælio cepit; alterum in regno conſtituit, & Lacedæmonii amicum fecit. [*Xenoph. in Ageſil.*] Chabriam quidem Nectanebo regnum conſtituiſſe, ſcribit Æmilius Probus: quia conjunctâ Atheniensis Chabriæ & Lacedæmonii Ageſilai operâ id factum eſt. Hinc autem ad Nectanebum regno exutum 12. anni in Diodoro numerantur: quos etiam regno illius tribuendi ſunt; non 18. ut in Africano & Euſebio. 4353 361

Contendit ab Ageſilao amicè Nectanebus, ut ſecum hybernaret: Verùm feſtinavit ille ad bellum domeſticum, certus reſpublicam ſuam ærarii inopiâ laborare, & externum militem alere. Itaque honorificè & munificè illum proſecutus, præter alios honores & munera, ad bellum domeſticum 230. (vel, ut Æmilius Probus habet, 220.) talenta ei donavit. [*Plutarch. in Ageſilao.*]

Pecuniis acceptis, Ageſilaus, domum verſùs navigavit, quanquàm mediâ hyeme; idcirco feſtinans, ne ſequenti æſtate civitas adverſùs hoſtes otioſa foret. [*Xenophon, in Ageſilao.*] Tempeſtate verò in locum deſertum delatus, quem Menelai portum nuncupant, jacentem inter Cyrenas & Ægyptum; in morbum implicitus, è vita deceſſit. Ibi eum amici quòd mel non haberent, cera circumfuderunt: atque ita Lacedæmonem deportaverunt. [*Plutarch. & Æmil. Prob. in Ageſilao.*] Corpus ejus melle conditum Spartam relatum, & regio ibi cultu ac honore ſepultum, affirmat Diodorus. [*ann. 3. Olymp. 104.*]

c. Ochus legitimus Artaxerxis filius, fratrem Arſamem ex concubinâ ſuſceptum, quòd magnâ apud patrem gratiâ valeret, ſubmiſſo percuſſore Harpate Tiribazi filio, è medio tollendum curavit. Artaxerxes, allato ei de dilecti filii interitu nuncio, ne pauliſper quidem duravit; verùm illicò luctu & mœrore extinctus eſt. [*Plutarch. in Artaxerxe.*]

Ochus, cùm ſciret patrem ſuperſtitem adhuc formidabilem ſubditis extitiſſe, ſe verò poſt ejus obitum pro nihilo habitum iri; cum eunuchis, cubiculariis & Chiliarcho pactum iniens, mortem illius ad decem menſes celavit. Interea temporis regium ſigillum circummittens, nomine parentis edixit, ut Ochum regem promulgarent. [*Polyæn. Stratagem. lib. 7.*]

3644 Clearcho Heracleæ Ponti tyranno natus eſt filius Dionyſius; qui 55. annos vivendo exegit: teſte Athenæo, lib. 12. & Memnone in Excerptis Photii, cap. 5. 4354 360

Ochus, cùm omnes eum regem ſalutarent obedientiámque ei præſtarent, patris mortem confeſſus, regium luctum ſecundùm leges Perſarum imperavit. [*Polyæn. lib. 7.*] & paterno nomine *Artaxerxes* cognominatus eſt. [*Diodor. Sic Valer. Maxim.*] Deinde regiam cognatorum cæde & ſtrage principum replevit; nullâ non ſanguinis, non ſexûs, non ætatis miſericordiâ permotus. [*Juſtin. lib. 10. cap. 3.*] In quibus, *Ochum* ſororem, atque eandem ſocrum, vivam capite defodit; & patruum cum centum ampliùs filiis ac nepotibus vacuâ aream deſtitutum, jaculis confixit. [*Valer. Maxim. lib. 9. cap. 2.*] qui pater fuiſſe videtur *Siſigambis* (Darii regis ultimi Perſarum matris:) cujus 80 fratres eodem die Ochum trucidaviſſe, adjecto etiam ſtragi tot filiorum patre, confirmat Q. Curtius. [*lib. 10. cap. 8.*]

3646 Chiis, Rhodiis, Byzantiis & Cois deficientibus ab Athenienſibus, bellum Sociale exortum eſt. Chio ab Athenienſibus obſeſſæ, præter ſocios, etiam Mauſolus Cariæ dynaſtes auxilia miſit. [*Demoſthen. in Orat. de pace, & de Rhodiorum libertate. Diod. ann. 3. Olymp. 105.*] * Thracum, Pæonum, & Illyriorum Reges contrà ſe conſpiratos Philippus ſubegit. (*Idem in Olymp. 106. ann. 1.*) * 4356 358

3648 Olympiadis CVI. anno 1. (ut in Euſebii Chronico, ex Fuxenſi codice ab Arnaldo Pontaco emendato, rectè legitur) *Alexander*, qui Aſiâ debellatâ *Magni* cognomentum poſteà obtinuit, Pellæ in Macedoniâ natus eſt. Cùm enim annos 32. & menſes 8. ille vixerit, ut ex Ariſtobulo retulit Arrianus; & ad finem tendente anno 1. Olympiadis CXIV, Thargelione videlicèt penultimo Attici anni menſe vitâ deceſſerit, uti ſuo loco videbimus: eo quo dictum eſt anno, & quidem menſe anni Attici tertio *Boëdromione*, in lucem eum prodiiſſe conſectarium eſt. Ut & illi (apud Ælianum, lib. 2. Var. hiſtor. cap. 25.) magnopere erraverint, qui eodem ſexto *Thargelionis* die & in vitam eum introiiſſe, & è vitâ egreſſum eſſe, tradiderunt; & Plutarchus quoque, qui in Vitâ Alexandri *ἑξαμήνου μὲν οὖν ἐκεκυοφόρησε ἡ Μακεδόνων Λῶος καλοῦσιν ἕκτῃ, incipientis menſis Hecatombæonis quem Macedones Lœum appellant ſextâ*, die natum eum fuiſſe aſſerit. Et *Loi* quidem menſis die ſextâ natum fuiſſe, ut illi dicerent qui tùm viventes primi litteris hoc mandârunt, rationi erat conſentaneum: quum eo tempore *Lous* Macedonicus Metonico *Boëdromioni* reipsâ reſponderet; quemadmodum ex ipſius Philippi patris Alexandri epiſtolâ ad Peloponneſios, in Diſſertationis de anno Macedonum & Aſianorum capitulo primo declaravimus. Quod poſteriorum temporum ſcriptores ignorantes, & Calippicum Syro-macedonum *Loum* cum Attico *Hecatombæone* congruere cernentes; ſexto *Hecatombæonis* die natum fuiſſe Alexandrum crediderunt. 4358 356

Atque ex hac origine Plutarchi ille error ortus fuiſſe videtur: quem & novo, in hac quam ſubjicit narratione, errato auxit. *Philippo, quum jam cepiſſet Potidæam, tres eodem tempore advenerunt nuntii. Unus quidem à Parmenione magnâ cladè affectos fuiſſe Illyrios. Alter, equo celoce in certamine Olympico ſe viciſſe. De Alexandri verò nativitate tertius.* Atqui non anno hoc, ſed ante biennium, Potidææ expugnationem contigiſſe, ex Demoſthene in oratione contra Leptinem & Diodoro Siculo ad annum 3. Olympiadis 105, didicimus. Et ut in ipſam

Olym-

Olympiadem CVI. ea incidiſſet, & *ſexto Hecatombæonis die* lucem Alexander aſpexiſſet; mirum profectò eſſet, illud non multò priùs patrem reſciviſſe, quàm de Olympicâ victoriâ nuntius ad eum perveniſſet. In plenilunio enim agonem Olympicum actum fuiſſe, & Lunæ (ſive menſis) die decimo ſexto judicium eſſe factum, verus Pindari (in Od. 5. Olymp.) nos docuit Scholiaſtes. Simpliciùs ex Trogo rem retulit Juſtinus, lib. 12. cap. 16. *eâdem* quâ Alexander natus eſt *die, nuntium patrem ejus duarum victoriarum accepiſſe: alterius, belli Illyrici; alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miſerat.* Ex quibus non planè inter ſe conſentientibus narrationibus, licèt Alexandri nativitatem in æſtatem incidiſſe illius anni quo apud Eleos Olympias eſt acta, rectè colligi poſſe non abnuam: Ariſtobuli tamen, cui tantoperè notus ipſe Alexander fuit, de menſe ejus natalitio tanti apud me ponderis eſt teſtimonium; ut Philippum, priùs quàm naſceretur ipſi filius, de Olympicâ ſuâ victoriâ certiorem fuiſſe redditum, ne dubitandum quidem eſſe cenſeam.

Eodem die quo natus eſt Alexander, Epheſi Dianæ templum conflagravit. Unde ortus eſt ille ſive Timæi (ut Cicero) ſive Hegeſiæ Magneſii (ut Plutarchus vult) jocus, ſanè frigidus: quòd Diana, quum eâ nocte in partu Olympiadis occupata, domo abeſſet, Templo ſuo ſuccurrere non potuerit. [*Cicero, lib. 2. de naturâ Deor. & lib. 1. de Divinat. Plutarch. in Vitâ Alexandri.*] Qui templum incendit, eculeo impoſitus, id ſe feciſſe faſſus eſt, ut opere pulcherrimo conſumpto, nomen ejus per totum terrarum orbem diffunderetur. Unde à communi Concilio Aſiæ decretum eſt, ne quis nomen ejus ullo tempore nominaret. [*Valer. Maxim. lib. 8. c. 14. A. Gell. lib. 2. cap. 6.*] Quod Theopompus tamen hiſtoriis ſuis inſeruit: ſive *Heroſtratus* illud fuerit, ut apud Strabonem legimus libro 14. & Solinum, cap. 40: ſive *Ligdamis*, ut apud Heſychium. (in Λύγδαμις.)

Magi, quotquot eo tempore agebant Epheſi, Templi inflammationem exiſtimantes alterius eſſe prodigium cladis, diſcurrerunt, & facies cæciderunt: clamaverúntque, grandem peſtem & perniciem Aſiæ illo die editam. [*Plutarch. in Alexandro.*]

3648 Artabazus, ab Ocho deficiens, ſuis & Charetis Athenienſis copiis conjunctis, Regis Satrapas, 70. armatorum millibus inſtructos, in pugnâ ſuperat: tantáque pecuniæ ſummâ Charetem remunerat, ut in totum ſuum exercitum ſtipendia inde erogare poſſet. Eâ de re Rex cum Athenienſibus expoſtulat: qui, rumore diſſeminato eum cum trecentis navibus ſubſidio venturum illorum hoſtibus, contra quos Sociale bellum Charete duce tum gerebant; pace compoſitâ, bellum illud finierunt. [*Diodor. Olymp. 106. ann. 2. & 4.*] 4358 356

3650 Leuco, Boſphori Cimmerii rex, moritur. Ei Spartacus filius ſuccedens, regnum quinque annos tenuit. [*Diodor. ann. 3. Olymp. 106.*] 4360 354

3651 Artabazus, A Charete & Athenienſibus deſertus, ad Thebanos confugit: qui Pammenem, cum quinque armatorum millibus, ei tradiderunt. Pammenes in Aſiam trajiciens, junctis cum Artabazo copiis, duobus magnis præliis regios Satrapas ſuperavit. [*Diodor. ann. 4. Olymp. 106.*] 4361 353

Clearchus Heracleæ in Ponto tyrannus, cùm in Dionyſiis ſive Bacchanalibus ludos ſpectatum iret, duodecimo principatûs ſui anno trucidatus eſt. [*Id. ibid.*] Cædis author præcipuus Chion Heracleotes fuit, Matridis filius, Platonis diſcipulus, & neceſſitudine ſanguinis tyranno devinctus. Huic ſe adjunxerunt Leonides & Antitheus (& ipſi philoſophi) & Eurenon, cum cognatis circiter quinquaginta; quos in inſidiis locarunt. Opportunam igitur occaſionem ſe adeptos rati, quum commune populi ſacrum tyrannus ageret; manu Chionis enſem trans ilia ipſius adegerunt. Qui inter multos & ſæviſſimos cruciatus magis magiſque ingraveſcentes, & pavores à ſpectris incuſſos (erant autem ſimulacra eorum quos crudelem in modum necaverat) altero die pòſt vitam cum morte commutavit. Conjurati verò propè omnes, partim à ſatellitibus in ipſo aggreſſionis articulo (ubi tamen ſtrenuos ſe viros gerebant) conciſi; partim aliquantò pòſt capti, & atrocibus ſuppliciis (quæ fortiter tolerârunt) adfecti, occubuerunt. [*Memnon, in Excerpt. cap. 2. Juſtin. lib. 16. cap. ult. Suid. in* Πλάτων.] Vide ipſi Chioni adſcriptas epiſtolas ad Matridem.

Satyrus, Clearchi frater, in tyrannide ei ſucceſſit. [*Juſtin. ibid.*] eámque per ſeptem annos obtinuit. Ille non de inſidiatoribus fratris tantùm vindictam ſumpſit; ſed & in liberos eorum, qui rei perpetratæ conſcii non erant, ſæviit. Timothei verò & Dionyſii filiorum fratris curator relictus, adeò eorum rationem habuit; ut licèt conjugali uxoris, quam unicè amabat, conſuetudine uteretur, liberos tamen ex eâ procreare nollet: ne quem omninò inſidiatorem fratris filiis relinqueret. [*Memnon. Excerpt. cap. 3.*]

Olympiadis CVI. anno 4. (non C. anno 2. ut apud Plinium, libro 36. cap. 5. & 6. perperàm legitur) Mauſolus Cariæ regulus obiit. Cui Artemiſia ſoror & conjux ad biennium ſucceſſit. [*Diodor.*] marito ſine prole decedente. [*Strabo, lib. 14.*] Ea verò luctu atque deſiderio mariti flagrans, oſſa cinerémque ejus, mixta odoribus contuſáque in faciem pulveris, aquæ indidit ebibítque: ipſa vivum ac ſpirans viri ſepulchrum fieri cupiens. [*A Gellius, lib. 10. cap. 18. Valer. Maxim. lib. 4. cap. 6.*]

3652 Olympiade CVII. (non CIII, ut apud Suidam habetur in Θεόδωρος) Artemiſia agonem, præmiis ampliſſimis propoſitis, Mauſoli laudibus dicendis fecit. Ad eas laudes decertandas veniſſe dicuntur viri nobiles ingenio atque linguâ præſtabili; Theopompus Chius omnium Iſocratis diſcipulorum (ut eum in epiſtolâ ad Pompeium Dionyſius Halicarnaſſæus celebrat) clariſſimus, Theodectes Phaſelites è Lyciâ poëta Tragicus, Iſocratis item auditor, & Naucrates Erythræus Naucratites. (quorum omnium in Bibliothecâ meminit Photius, num. 176. & 260.) Sunt etiam qui Iſocratem ipſum cum iis certaviſſe memoriæ mandaverint: inter quos & Plutarchus eſt, in ejus Vitâ. Verùm non Athenienſis Iſocrates ille fuit, ſed ejuſdem nominis alter, 4362 352

ipsius discipulus, & successor; ut ex Callistrato oratore docet Suidas. In eo certamine, Theopompum quidam; alii Theodectem, editâ tragœdiâ quæ *Mausolus* inscribitur, vicisse memorant. [*A. Gell. lib.* 10. *cap.* 18. *Suidas, in* Θεόδεκτος *&* Θεόπομπος.] licèt Theopompo ex animi sententiâ rem hîc non successisse, vel illud arguat; quòd qui hîc ad laudes Mausoli dicendas conductus erat, spe suâ (ut videtur) fraudatus, in Historiâ posteà scriptâ à nullo illum facinore, pecuniæ causâ, sibi temperasse scripserit. [*Suid. in* Μαύσωλος.]

De Theopompo verò hoc (aliquoties à nobis antehac citato) Historico & Theodecte Tragico, non prætermittenda hîc est Demetrii Phalerei apud Aristeam (indèque apud Josephum, lib. 12. Antiquit. cap. 2. atque Eusebium, lib. 8. Præparat. Evangelic. cap. 3. & 5.) in LXX. Interpretum historiâ, narratio. *Theopompum* quidem, quòd ex libris Mosaicis vellet quædam historiæ suæ inserere; mentis perturbatione dies amplius triginta laborasse; & in morbi intermissione cùm exorasset Deum votis, ut indicaret sibi quâ de causâ hoc accidisset; in somno ei fuisse indicatum, eò evenisse illud, quia divina studio suo voluisset diffundere in vulgus: atque ita mutato consilio, pristinæ sanitati restitutum fuisse. *Theodectem* verò, cùm è sacris illis libris in tragœdiam quandam suam aliquid transferre statuisset, in oculorum glaucoma incidisse; donec perpendisset, propter hoc suum factum evenisse illud, & per multos dies Deum sibi reconciliasset.

3653 Artemisia, molita ingenti impetu operis, conservandæ mariti memoriæ, sepulchrum illud Halicarnassi memoratissimum, dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula; luctu demum confecta contabuit. [*Cicero, Tusc. quæst. lib.* 3. *Strabo, lib.* 14. *A. Gell. lib.* 10. *cap.* 18.] Opus id ut esset inter septem miracula, summi ætatis illius artifices maximè fecere: *Scopas* qui ab Oriente, *Bryaxis* qui à Septentrione, *Timotheus* qui à Meridie, & *Leochares* qui ob occasu exlavit. Et licèt priùs quàm opus peregissent Artemisia obierit: non recesserunt tamen, nisi eo jam absoluto; id gloriæ ipsorum artisque monumentum judicantes. [*Plin. lib.* 36. *cap.* 5. *cum Vitruvio, in lib.* 7. *Proœmio.*] Unde & ab eo, Romani magnificentissima quæque apud se monumenta *Mausolea* appellârunt. [*Pausan. in Arcadicis.*] 4363 351

Post Artemisiam, frater ejus Idrieus vel Hidrieus principatum Cariæ per annos septem tenuit. [*Diodor. ann.* 2. *Olymp.* 107.] Qui secundus Hecatomni filius existens, secundam illius filiam Adam, sororem suam juxta Carum legem uxorem sibi conjunxit. [*Strabo, lib.* 14. *Arrian. de reb. Alexandri, lib.* 1.]

Thebani bello Phocico ad summam rei nummariæ inopiam redacti, missis ad Artaxerxem Ochum legatis 300 argenti talenta ab eo obtinuerunt. [*Diodor. ann.* 2. *Olymp.* 107.]

Phœnices, Sidonii præsertim, ab Ochi præfectis contumeliosè tractati, defecerunt: & legatis ad Nectanebum Ægyptiorum regem missis, societatem belli adversùs Persas cum eo inierunt. Magno deinde triremium & mercenariorum militum numero, atque aliis ad belli usum necessariis comparatis: Regium Persarum hortum excisis arboribus devastârunt; ferum ad regiorum equorum usum collectum incenderunt, & Persas à quibus malè habiti fuerant ad supplicia rapuerunt. Eos Syriæ satrapa & Mazæus Ciliciæ præfectus conjunctis viribus oppugnabant. Tennes verò Sidonis rex, quum quatuor millia stipendiariorum Græcorum, quibus Mentor Rhodius præerat, ab Ægyptiis in subsidium accepisset, horum & civium suorum conjunctis copiis, Satrapas illos profligavit, hostesque Phœnicià expulit. [*Id. ibid.*]

Novem civitatum Cypri reguli, Persarum Regi subjecti, factâ inter se conspiratione, Phœnicum exemplo defeciverunt; & necessariis ad bellum præparatis, merum regnis suis imperium arrogabant. Adversùs hos, Artaxerxis Ochi jussu, Idrieus nuper Carum principatum adeptus (ex instituto majorum amicus Persarum bellique socius) 40 triremes, cum octo mercenariorum millibus, ductu Phocionis Atheniensis & Evagoræ, qui superioribus annis in illâ insulâ regnum obtinuerat, in Cyprum misit. Hi amplissimam inter cæteras urbes Salaminem terrâ marique oppugnaverunt: ad quos plurimi ex oppositâ Syriæ & Ciliciæ continente, spe prædæ, ultrò confluxêre; ita ut ad duplum jam Phocionis & Evagoræ excresceret exercitus. [*Ibid.*]

Artaxerxes Ochus, 300000 peditum & 30000 equitum coacto exercitu, cum 300 triremibus & 500 onerariis res venales importantibus; promotis à Babylone castris, Phœniciam petiit. Mentor verò, quem Sidonii conductitiorum ex Ægypto militum ducem acceperant, adventu regio territus, Thessalionem quendam ad Regem mittit: promittitque se illi proditurum Sidonios, insuperque bello Ægyptio utilissimam operam navaturum. Thessalio fide à Rege acceptâ, & dextræ datione confirmatâ, rediens Regis promissa clam Sidoniis Mentori renunciavit. [*Ibid.*]

Interea Ochus, missis ad Græcos legatis auxiliares ad bellum Ægyptiacum copias ab eis deposcit. Athenienses igitur & Lacedæmonii, amicitiam se quidem cum Persis tueri velle, sed auxilia jam mitti integrum non esse, responderunt. Thebani verò Lacratem designatum ad hanc militum ducem, cum mille gravis armaturæ militibus, suppetias Regi ferre jusserunt. Tria etiam millia suppeditârunt Argivi: quibus tamen ipsi ducem non præfecerunt; propterea quòd Regi Nicostratum [qui heroico quodam furore adflatus, Herculis exemplo, & leoninam in pugnis & clavam solebat gestare] pro duce nominatim expetenti refragandum non esse censuerunt. Græci quoque maritimas Asiæ urbes incolentes, 6000 milites miserunt: ut totus auxiliarium Græcorum numerus esset 10000. Sed jam ante horum adventum Rex Syriam emensus in Phœniciam devenerat, & castra non procul Sidone locârat. [*Ibid.*]

Tennes Sidoniorum rex, cum Mentore proditionis societate initâ, eum ad custodiam partis cujusdam in urbe obeundam, & negotium proditionis promovendum, reliquit: ipse verò cum 500 militibus ex urbe egrediens, ad publicum Phœnicum conventum se perge[illegible] simulavit.

Habebat

Habebat autem in comitatu 100 primariæ nobilitatis cives, quasi consiliarios: quos, tanquam defectionis authores, Artaxerxi jaculis configendos tradidit. Quingentos deinde Sidoniorum primores, habitu supplicum cum oleæ ramis ad se venientes, Artaxerxes similiter jaculis trajecit: quum ex Tenne intellexisset, sine certis conditionibus urbem illi esse tradendam; Postea Tennes, persuasis mercenariis Ægyptiis ut se cum Rege intra mœnia reciperent, urbem Artaxerxi prodidit. Qui videns Tennis operam sibi ultrà minimè necessariam, eum interfici jussit. [*Ibid.*]

Sidonii, qui ante Regis advenrum naves suas universas incenderant; ne quis privatim sibi fugâ consuleret, quum mœnibus occupatis urbem captam viderent; se cum liberis & uxoribus intra ædes conclusos admotis flammis combusserunt. Numerum hoc incendio consumpeorum (domesticis simul ministris connumeratis) 40 millia excessisse ferunt. Urbis combustæ cineres, auro argentóque liquefacto commixtos, multis talentis Rex vendebat. Aliæ verò urbes terrore perculsæ, Persis deditionem statim fecerunt. [*Ibid.*]

Inde progressus Ochus, Jerichuntem bello subegit; ut ex Solino (*cap.* 35.) & ad expeditionem Ægyptiacam multos secum Judæos adduxit, ut ex Aristea colligitur, in libello de LXX. Interpretibus; ubi & in epistolâ Ptolemæi Philadelphi ad Eleazarum, Hierosolymis multi ex Judæis in Ægyptum à Persis abducti fuisse dicuntur, cùm illi rerum potirentur. Quod ad Artaxerxis Ochi tempora referendum videtur: sicut & illud Justini, (*lib.* 36. *cap.* 3.) si quid in utrovis veri fuerit; *primum Xerxem regem Persarum Judæos domuisse.*

3654 Salamine ab Evagorâ & Phocione circumsessâ, urbes Cypri cæteræ omnes se Persis subministrarunt: solo Protagorâ Salaminis rege obsidionem tolerante. Interim Evagoras paternum sibi regnum asserebat, & regis Persarum auxilio restitutionem sui in pristinum moliebatur. Sed criminosè posteà delatus apud Artaxerxem, cùm rex Protagoram adjuvaret; abjectâ spe restitutionis, de objectis se criminibus purgavit, aliámque istâ majorem in Asiâ provinciam sortitus est. Protagoras verò, ultrò Persarum se imperio subjiciens, regnum Salaminis deinceps quietè retinuit. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 107.] Videtur autem Evagoras iste alterius Evagoræ, ante annos 14. mortui, ex filio Nicocle fuisse nepos. Seniorem enim Evagoram filios habuisse Nicoclem, qui illi in regno Salaminio successerit, & Protagoram: docet Isocrates. Nicocli verò succedens junior Evagoras, paterno regno à patruo Protagorâ exutus fuisse videtur. Majore verò in Asiâ principatu ab Ocho donatus, cùm provinciam illam malè administrasset, in Cyprum denuò profugit; ibique comprehensus, supplicio affectus est: ut *Diodorus* indicat. 4364 350

Ochum Ægyptum hoc Olympiadis CVII. anno 3°. obtinuisse, Nectanebo in Æthiopiam pulso; atque in eo Ægyptiorum regnum destructum fuisse, & Manethonem rerum Ægyptiacarum commentarios terminavisse; notat Eusebius in Chronico. Expugnatæ Ægypti historiam ad eundem annum fusè Diodorus Siculus enarrat: cujus summa hæc est.

Ochus, cùm post excidium Sidonis auxiliares copiæ ex Argis & Thebis Græcisque Asiæ urbibus ad ipsum venissent, conjunctis in unum exercitibus, ad Sirbonidem paludem pervenit: ubi ad voragines illas, quæ Barathra nominantur, per imperitiam locorum exercitûs partem amisit. Inde Pelusium, ad primum Nili ostium, venit: quod quinquies mille præsidarii tutabantur, in quos Philophron imperium habebat. Hic Græci prope urbem, Persæ 40 stadiorum inde intervallo castrametati sunt. Copias Græcorum in tria agmina ita Ochus divisit, ut unumquodque duos haberet duces, Græcum unum, Persam alterum. Primum ordinem tenebant Bœoti: quorum duces fuerunt Lacrates Thebanus, & Rosaces Persa Ioniæ Lydiæque satrapes. Secundum Argivi: quorum duces Nicostratus & Aristazanes Persa. Tertium Mentor, qui Sidonem prodiderat, & Bagoas eunuchus Persa. Singulis autem agminibus multæ peditum equitúmque barbarorum & triremium copiæ sunt adjunctæ. Ex altera parte Nectanebus, ex Græcia mercenariorum militum viginti millia, ex Libya totidem, & Ægyptiorum qui Bellatores nominantur sexaginta millia sub vexillis habebat: cum navium fluviatilium, ad conflictus in Nilo accommodatarum, incredibili propè numero. Postquàm igitur oppida præsidiis non invalidis firmasset; ipse cum triginta millibus Ægyptiorum, & quinque millibus Græcorum, Libyúmque dimidio, aditus irruptionibus maximè opportunos insedit.

Ad hunc modum rebus utrobique instructis, Nicostratus Argivorum ductor duces nactus Ægyptios, quorum liberi & uxores à Persis obsides tenebantur, cum classe per fossam quandam in locum à conspectu remotiorem transmisit. Vicini Ægyptiarum munitionum præsidiarii; adventu hostium cognito, milites numero 7000 non minores, Clinio ex insulâ Co ductore; ad eos propulsandum emittunt. Prælio inito, Græci Persarum socii eorum plus quàm quinque millia, unà cum duce Clinio, trucidant. Quâ suorum cæde Nectanebus auditâ, ad regiam urbem Memphim tuendam, cum manu quam circum se habebat, regreditur. Interea primi agminis ductor Lacrates Thebanus ad obsidionem Pelusii festinat; alveóque fossæ aliorsum derivato, eductóque per siccum aggere, machinamenta urbi admovet. Græci, qui per dies aliquot obsidentibus fortiter restiterunt, de regis discessu famâ ad ipsos allatâ, de compositione legatos mittunt. Quibus cùm Lacrates sub juramenti religione fidem dedisset, fore, ut Pelusii deditione factâ, cum rebus quas tum efferrent in Græciam reveherentur; propugnaculum tradiderunt.

Mentor tertii agminis ductor, cùm urbes omnes duarum gentium, Græcorum videlicèt & Ægyptiorum, præsidiis defendi considerasset; rumorem per castra spargi curavit, constituisse Artaxerxem quàm humanissimè accipere eos qui se sponte dedissent, iis autem quos vi expugnasset parem cum Sidoniis exitum expectandum esse. Atque hinc inter Græcos & Ægyptios ortum est certamen, uti alios in deditione faciendâ anteverterent. Hac fraude Bubastus primùm, deinde & cæteræ urbes certis conditionibus in Persarum fidem se dediderunt.

Interim Memphi subsistens Nectanebus, ubi hostium exercitus progressus vidit, spe regni

abjectâ, congregatis quas licuit opibus fugit in Æthiopiam. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 107.] Alii eum, rasâ comâ & mutato habitu, per Pelusium ad Philippum Macedonum regem Pellam transfugisse ferunt. [*Vide Excerpta Barbaro latina à Scaligero edita, pag.* 58. *Chronicon Alexandrinum* (*sive Fastos Siculos*) *à Radero edit. pag.* 396. *Cedrenum, edit. Basil. pag.* 124. *& Glycam, pag.* 195. *ex Pseudo Callisthenis de Alexandro fabulosâ historiâ.*]

Artaxerxes Ochus, totâ Ægypto occupatâ, urbium maximè nobilium mœnia destruxit; fanisque expoliatis, ingentem vim auri argentique coacervavit. Commentarios etiam ex templis antiquis secum asportavit: quos tamen Bagoas aliquanto pòst grandi pecuniæ summâ redemptos Sacerdotibus restituit. [*Diodor. ut suprà*] Sacra quoque eorum, & Apim in Deum receptum, Ochus irrisisse traditur. [*Sever. Sulpic. histor. sacr. lib.* 2.] Cúmque eum Ægyptii, ob inertem ejus animum, Asinum appellassent: ille Apim, vi abstractum, immolavit asino. [*Ælian. Var. histor. lib.* 4. *cap.* 8.] Neque id solùm, sed & à coquis carnes ejus dissecari, & ad cœnam præparari voluit. [*Suidas, in* Ὦχος.]

Græcos deinde Ochus, quorum operâ militiam confecerat, pro merito cujusque muneribus amplissimis honoratos in patriam dimisit: & Pherendate Ægypti Satrapâ constituto, ipse gloriâ clarus spoliisque onustus, Babylonem cum exercitu rediit. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 107.] Eò verò partem quandam Judæorum captivam secum abduxit; pluribus in Hyrcaniam ad mare Caspium deportatis. Sic enim, ex Julio Africano, Georgius Syncellus retulit. Ὦχος Ἀρταξέρξου παῖς, εἰς Αἴγυπτον στρατεύσας, μεγάλῃ ἀϊχμαλωσίᾳ τῶν Ἰουδαίων ὧν τὰς μὲν ἐν Ὑρκανίᾳ κατῴκισε πρὸς τῇ Κασπίᾳ θαλάσσῃ, τὰς δ' ἐν Βαβυλῶνι, ὡς ἐμοὶ μέχρι νῦν εἶναι αὐτόθι ὑπὸ πολλῶν τῶν Ἑλλήνων ἱστορεῖται. *Ochus Artaxerxis filius, in Ægyptum expeditione susceptâ, partem Judæorum captivam duxit; quorum alios quidem in Hyrcania collocavit ad mare Caspium, alios verò in Babylone ipsâ: qui & hucusque ibi sunt, ut Græcorum multi narrant.*

Et *multarum quidem myriadum à Persis in Babyloniam traductarum*, in libro de Judæis, Hecatæus Abderita meminit, à Josepho citatus in priore contra Apionem libro: de migratione verò in Hyrcaniam, ita in libri 31. cap. 7. scripsit Paulus Orosius. *Ochus, qui & Artaxerxes, post transactum in Ægypto maximum diuturnumque bellum, plurimos Judæorum in transmigrationem egit, atque in Hyrcaniâ ad Caspium mare habitare præcepit: quos ibi usque in hodiernum diem, amplissimis generis sui incrementis consistere, atque exinde quandoque eruptores, opinio est.* quæ tamen opinio ex apocrypho *Esdræ libro* IV. *cap.* XIII. 40, —46. de decem tribubus à Salmanasare deportatis & Judæorum de Hebræis clausis & fluvio Sabbatione fabulis originem traxisse videtur. Nam quod Petrus Trecensis (in Histor. Scholastic. Esther cap. 5. indéque apud Vincent. Bellovacens. Specul. Historial. lib. 30. cap. 89.) istos 10 tribuum captivos intra montes Caspios arctiori posteà custodiâ ab Alexandro conclusos narrat: Josephi (quem ille authorem hìc laudat) historiæ nullo modo, sed Pseudo-Gorionidis & Pseudo-Methodii ipsiúsque Alkorani Muhammedici de Alexandro figmentis multò magis reperitur consentaneum.

3655 Ochus Mentorem Rhodium, centum argenti talentis & magni pretii suppellectile donatum, Asiaticæ oræ præfecit, bellíque contra defectores administrationem ei cum summâ potestate commisit. Quâ gratia ille usus, Artabazum & Memnonem qui Persis bellum non ita pridem intulerant (*vid. supr. ann. Mund.* 3648. *&* 3651.) jámque ex Asia profugi apud Philippum in Macedoniâ commorabantur, Regi reconciliavit: & statim utrumque cum omni familia ad se accersiit. Erant enim Artabazo ex Mentoris & Memnonis sorore undecim filii & decem filiæ: qua liberorum multitudine delectatus Mentor, filios adolescentes ad nobilissimas militiæ præfecturas paulatim evexit. (*Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 107.) 4365 349

Mentor Hermiam Atarnensium tyrannum Artaxerxi rebellem, cujus in potestate munitiones urbésque complures erant, promissione veniæ à Rege impetrandæ ad colloquium pellexit: sed fraude circumventum in vincula conjecit, & annulo potitus, literas ad urbes passim dedit, ipsius nomine significans, ut iis qui literas attulissent arces & oppida traderentur. Quod & factum est. (*Id. ibid. Polyæn. Stratagem. lib.* 6.) Nec minùs alios etiam duces à Persis alienatos, partim vi subactos, partim imperatoriâ arte circumventos omnes brevi Mentor debellavit: conductos ære milites è Græciâ identidem Regi mittens, & res summâ fide ac strenuitate administrans. [*Diodor. ann.* 3. *&* 4. *Olymp.* 107. *Demosthen. Orat. in Aristocratem.*]

Mortuo Spartaco in Bosphori Cimmerii regno frater Parysades succedens, per annos 38 illud obtinuit. (*Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 107.)

3656 Olympiadis CVIII. anno 1. Theophilo Atheniis archonte, Plato philosophus, Veteris Academiæ Princeps, mortem obiit: ut Hermippus (apud Laërtium) Dionysius Halicarnassæus (in epistolâ ad Ammæum, de Demosthene) & Athenæus [lib. 5. cap. 13.) tradunt. De quo nota est illa Numenii Pythagorici censura, ab Hesychio Milesio (in *Numenio*) commemorata: quòd ex *Mosaicis* libris, quæ de Deo & Mundo tradidit, subripuerit. Unde illud dictum ipsius celebre (non ab Hesychio solùm & eum secuto Suidâ, sed ante illos etiam à Clemente Alexandrino in primo Stromate laudatum:) Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων; *Quid enim aliud est Plato, quàm Moses Atticâ linguâ loquens?* Ex Mosaicis quoque libris pleraque in suos eum derivâsse, asserit (in libro, ad annum Mundi 3479. superiùs allegaro) Aristobulus Judæus: ut Justini martyris, Clementis Alexandrini, Ambrosii, Theodoreti, Johannis Philoponi in Hexaëmeron scribentis, & aliorum Christianorum testimonia huc advocare non sit necesse. 4366 348

Mortuo Platone, discipulus ejus Aristoteles, Peripateticæ philosophiæ conditor, ad Hermiam eunuchum Atarni tyrannum (de quo in anno præcedente dictum) profectus est: cum quo per triennium est commoratus; ut ex Apollodori Chronicis Laertius, & in jam citatâ ad Ammæum

epistolâ

epistolâ docet Dionysius. Asii, quæ Hermiæ ditioni subserat [& cujus in *Act. XX.* 13. facta habetur mentio] propter affinitatem cum eo initam commorarum eum fuisse, in libro 13. Strabo indicat. Pythiadem enim Hermiæ adoptivam filiam (sive soror ipsius, sive fratris filia exstiterit) uxorem duxit Aristoteles: licèt post mortem Hermiæ, ob benevolentiam quam erga eum habuit, Aristotelem eam matrimonio sibi sociavisse, ex ipsius ad Antipatrum epistolis, in libro 7°. de Philosophiâ, confirmet Aristocles Peripateticus. [*apud Euseb. de Præparat. Evangelic. lib.* 15.] Dum in Asiâ verò maneret, cum Judæo quodam, miræ prudentiæ & temperantiæ homine, qui de locis superioribus ad maritima descenderat, versatum fuisse Aristotelem, eúmque cum multis sapientiæ studiosis ibi congregatis Græcè disserentem audivisse; in primo libro de Somno, primarius ipsius discipulus Clearchus Solensis (à Josepho, libro 1. contra Apionem, citatus) retulit. Ut huic acceptum fortasse fuerit referendum, quòd Peripatetica philosophia legi Mosaicæ & Prophetarum scriptis tam multum debeat: ut ex jam dicto Aristobulo, ejusdem Peripateticæ disciplinæ alumno, in libro 5. Stromatum, confirmat Alexandrinus noster Clemens.

3658 Satyrus, Heracleæ in Ponto tyrannus, Timotheo fratris Clearchi seniori filio summâ rerum traditâ, non multo tempore pòst difficillimo corripitur morbo & immedicabili. Cancer enim inter inguen & scrotum enatus, ad interiora pascendo subinde acerbiùs proserpens, eum absumpsit; postquàm 65 in vitâ, in tyrannide 7 annos compleviſſet. [*Memnon, in Excerpt. cap.* 3.] Timotheus verò fratrem suum Dionysium statim imperii consortem adscivit, & successorem sibi destinavit. [*Ibid. cap.* 4.] 4368 346

3659 Memnon Rhodius Persarum dux, simulatâ amicitiâ Hermiam eunuchum Atarni tyrannum ad se vocavit, sub nomine hospitii & simulatorum negotiorum: comprehensúmque ad Regem misit; à quo suspensus periit. Sed philosophi quos Hermias ad se acciverat, Aristoteles & Xenocrates (Chalcedonius è Bithyniâ) evaserunt; fugientes è locis quæ Persæ obtinebant. [*Strabo, lib.* 13.] Aristoteles verò, quum per triennium apud eum mansisset, Mitylenen secessit, Eubulo Athenis archonte; quarto hoc Olympiadis CVIII. anno: ut ex Apollodori Chronicis refert Laërtius, & in epistolâ ad Ammæum Dionysius Halicarnasseus. Erat verò apud Laërtium epigramma hoc in Delphicam Hermiæ statuam ab Aristotele scriptum. 4369 345

Τόνδε ποτ' ἐχ ὀίκου παρεδὰς μεμάφιμι Θέμιν ἀγνὴν,
Ἕστασεν Περσῶν τοξοδάμων βασιλεὺς.
Οὐ φαύλῃς λόγχῃ φονίου ὑπ' ἀγῶνι κρατήσας,
Ἀλλ' ἀνδρὸς πίστιν χρησάμενος δολίου.
Impius hunc quondam Persarum morte tyrannus
Mulctavit, violans jusque nefasque, virum.
Nam neque callato oppressit certamine, verùm
Insidiosè hominis usus amicitiâ.

Quod idcò adscribendum putavi; ne quis cædis Hermiæ conscium fuisse philosophum, ex illo Tertulliani concluderet, in cap. 46. Apologetici. *Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco excedere fecit.*

3660 Idrieus Cariæ dynasta (cujus opulentiam in oratione ad Philippum celebrat Isocrates) morbo extinctus est: cui succedens soror & conjux Ada, per annos 4 principatum obtinuit. [*Strabo, lib.* 14. *Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 109.] cùm usitatum esset in Asiâ, jam inde à Semiramide, ut & virorum uxores regnarent. [*Arrian. in Expedit. Alexandri, lib.* 1. *pag.* 14.] 4370 344

3664 Pexodarus, filiorum Hecatomni ætate minimus, sorore Adâ è principatu Cariæ ejectâ, per annos quinque eum obtinuit. [*Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 109.] Adæ unicâ, sed munitissimâ urbe, Alinda nomine relictâ. Pexodarus autem Orontobatem Persicum Satrapam accersit ad societatem regni: eique filiam suam Adam ex Aphneide muliere Cappadocicâ susceptam matrimonio copulavit. [*Arrian. lib.* 1. *Strabo, lib.* 14.] 4374 340

Philippus Macedonum rex Perinthum, Thraciæ urbem ad Propontidem, cum 30 armatorum millibus & telorum ac machinarum infinitâ copiâ tanto studio obsedit, nullam ut obsessis requiem præberet. Unde rex Persarum, nimia illius incrementa suspecta jam habens, regionum maritimarum Satrapis per literas mandavit, ut Perinthiis, quanto possent robore, subvenirent. Quod & sedulò ab illis factum est. [*Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 109.] Unde & hanc unam ex præcipuis causis cur in Asiam contra Persas exercitum duxerit, in epistolâ ad Darium assignat Alexander. [*apud. Arrian. lib.* 1. *pag.* 41.

3666 *c.* Artaxerxem Ochum, quum 23 regnasset annis, ægrotantem Bagoas eunuchus militum tribunus veneno sustulit; medici ad hoc operâ usus. [*Diodor. ad ann.* 3. *Olymp.* 104. *& ad ann.* 2. *Olymp.* 111. *Sever. Sulpic. histor. sacr. lib.* 2.] Cùm enim natione esset ille Ægyptius, Ochum ob cæsum Apim tanto odio est prosecutus, ut non solùm *contumeliam gentis* (ut loquitur Severus Sulpicius) *morte regis ultus* fuerit: sed etiam ejus interempti cadaver in minutas partes concisum felibus projecerit, & ejus loco aliud sepulchro regio condiderit; atque ex ejus femoribus gladiorum manubria fecerit, ut ipsius animum ad cædes propensum repræsentaret. [*Ælian. Var. histor. lib.* 6. *cap.* 8.] Cùm autem in regno posset omnia, interfecto patre, filium ejus Arsen natu minimum regem constituit, sumúlque omnibus ejus fratribus necem intulit: ut desertus hoc modo Rex tanto plus obsequii illi præstaret. [*Diodor. ad ann.* 3. *Olymp.* 107. *&* 2. *Olymp.* 111.] 4376 338

Timotheus, Heracleæ in Ponto tyrannus, annis 15 post patris Clearchi obitum vitâ defungitur. (*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 110.) Hic ob præclarè merita non ultrà tyrannus, sed Εὐεργέτης & Σωτὴρ, *Benefactor & Servator* nuncupatus est. Ejus cadaver frater & successor Dionysius magnificis sumptibus rogo tradidit: ludos etiam equestres, & præter hos, gymnicos & thyme-

licos & scenicos, alios statim, alios postea, qui magnificentiores essent, peregit. [*Memnon, in Excerpt. cap. 4.*]

* Olympiadis CX anno 2°, Xenocrates Chalcedonius Speusippi scholam suscipiens, docere cœpit. (*Laërt. in Xenocrate.*) *

3667 Conventu publico apud Corinthum indicto, Philippus Macedo Græciæ totius cum summâ potestate, in bello Persico gerendo, creatus Imperator magnificos in expeditionem illam apparatus facit; certóque militum auxiliariorum numero singulis urbibus indicto, in Macedoniam redit. [*Diodor. ann. 4. Olymp. 110. Justin. lib. 9. cap. 5.*] 4377 337

Ariobarzanes quum in Ponto annos 26 regnavisset, diem suum obiit. Cui succedens Mithradates, 35 annos regnavit. [*Id. ibid.*]

3668 c. Philippus, initio veris, tres duces in Asiam Persarum juris cum parte copiarum præmittit; Parmenionem, Amyntam & Attalum: ut Græcas in eâ urbes in libertatem ass. erent. [*Justinus, lib. 9. cap. 5. Diodor. ann. 1. Olymp. 111.*] 4378 336

Bagoas eunuchus, cùm certis deprehenderet argumentis, Arsen scelerum pœnas ab eo repetiturum; ipsum, cum liberis, tertio Imperii anno è vitâ sustulit. Regiâ verò domo sic ad solitudinem redactâ, cùm nemo ex ea gente supereset, qui successionem in regno sibi vindicaret; Darium, ex amicis quendam, Arsanis (qui Artaxerxis Persarum regis frater erat) filium, in regno collocat. Sic in libro 17 (*ad annum 2. Olymp. 111*) historiam refert Diodorus Siculus. Justinus verò (*libro 10. cap. 3.*) Codomanum, *ob memoriam pristinæ virtutis, Regem à populo constitutum, & Darii nomine, ne quid regiæ majestati deesset, honoratum* fuisse narrat, *Ne Darius quidem hereditarium Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus:* inquit Alexander apud Curtium, lib. 6. cap. 4. Idémque in epistolâ ad Darium, apud Arrianum libro 2. (pag. 41.) eumdem insimulat, ut Ἀρσῆ ἀποσφαγέντα μὴ Βαγώου, ἀλλ' ἐμοὶ αἰχμὴ κατασχόντα ἢ δικαίως, ἀλλ' οὐχὶ τὸν Περσῶν νόμον, ἀλλὰ δόλοισιν Πέρσας. *quòd Arsen cum Bagoâ interficiendum curasset, & imperium neque justè neque secundùm Persarum legem occupavisset, summâ Persis injuriâ illatâ.* Ita & Strabo, libro 15. Νάρσην ἀποκτείνας Βαγώας ὁ εὐνοῦχος, κατέστησε Δαρεῖον ἐκ τῶν ὑπάρχων τῆς βασιλείας. *Narsem occidens Bagoas eunuchus, Darium substituit qui ex Regum genere non fuerat.* Plutarchus denique, in libro priore de fortunâ Alexandri, ita eum Fortunam alloquentem inducit. Δαρεῖος ἐκεῖνον τὸν ἄγαν, ὃν ἐκ δούλου (quæ vox hinc apud Ælianum, lib. 12. Var. histor. cap. 43. pro δούλου restituenda est) ἐξ ἀσήνδου (quæ vox item apud ipsum Plutarchum in Vitâ Alexandri, pro ἀσγάνδου, est reponenda) βασιλέα, κύριον Περσῶν ἐποίησας. *Tuum erat opus Darium quem, ex servo & astandâ Regis, Dominum Persarum fecisti.* Hesychio autem Ἀσάνδης, ἱππεσκόλαμος est: & Suidæ *Astanda & Angari*, Persicâ appellatione, οἱ ἐν διαδοχῇ γραμματοφόροι, *tabellarii qui literas ferunt, alii alii succedentes.* Ut ex Regiorum cursorum ordine Darius fuerit, qui אחשׁדרפנים Estheræ VIII. 10, 14. nominantur.

Bagoas eunuchus, sanguinariâ crudelitate cui hactenus assuetus fuerat inductus, medicatâ potione Darium necare instituit. Sed insidiis per indicium patefactis, rex Bagoæ comiter advocato poculum tradidit, & ad ebibendum illud vi hominem adegit. [*Diodor. ad ann. 2. Olymp. 111.*] hac excusatione popularibus satisfaciens: quòd insidiantem interemisset. [*Q. Curtius lib. 6. cap. 6.*]

d. Darius, ante Philippi mortem, futurum bellum in Macedoniam transferre studuit. [*Diodor. lib. 17.*]

A Dario in Samariam satrapa missus est Sanabelletes Cuthæus genere, unde & Samaritis origo est: qui Nicaso filiam suam Manassæ fratri Jaddi Sacerdotis summi nuptam dedit; ratus connubium hoc ceu vadem futuræ cum Judæorum gente amicitiæ. [*Joseph. Antiquit. lib. 11. cap. 7.*]

Philippus Macedonum rex, dum nuptias Alexandri Epirotarum regis cum filiâ suâ Cleopatrâ celebraret, apud Ægeas Macedoniæ oppidum à Pausaniâ Cerastæ filio ex Orestarum gente occisus est. [*Diodor. ann. 1. Olymp. 111. Justin. lib. 9. cap. 6. Joseph. lib. 11. cap. 8.*] Alexander verò in epistolâ ad Darium, per insidiatores, quos ingentis pecuniæ spe Persæ solicitaverant, parentem suum interfectum fuisse affirmat. [*apud Q. Curtium, lib. 4. cap. 1. & Arrian. lib. 2. pag. 41.*]

Paulò antequàm cæderetur Philippus, Neoptolemum Tragœdum ominosum carmen coram illo cecinisse, in libro 16, refert Diodorus: quod & coram Caligulâ repetitum, eodem quo trucidatus est die, narrat in ejus vitâ Suetonius. *Pantomimus Mnester* (inquit) *tragœdiam saltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat.* Eam Latinæ historiæ partem non rectè (ut videtur) assecutus Josephus, libro 19. Antiquit. cap. 1. postquàm de illâ à Mnestere saltatâ tragœdiâ dixisset; ὁ ἰσχυρὸς ἆθλα ἀείσας Κύρου, ὃν ἐν αὐτῇ τις ἀνῄρητο, καὶ ἡ θυγάτηρ Μύρρα. [quod Rufinus reddidit: *Pantomimus fabulam saltavit Cyri, in quâ & ipse occisus & ejus filia Myrrha videbatur:*] idem omen, quod eodem quo Philippus & Caligula ceciderant die contigisse fuit traditum, ad eumdem cædis utriusque diem ita deinde pertrahit. Ὁμολογεῖται δὴ καὶ τῶν ἡμέραν ἐκείνην ἡμῖν ἐν ᾗ Φίλιππον τὸν Ἀμύντου Μακεδόνων βασιλέα ἀνεῖλε Παυσανίας, ἐκ τῶν ἑταίρων, ὡς τὸ δίκαιον ἐνοίκτα. *Receptum autem est, eumdem diem fuisse, quo Philippum Amyntæ filium, Macedonum Regem, in theatrum ingredientem, Pausanias sociorum unus è medio sustulit.* Atque hinc nonnulli neci Philippi eumdem ipsum quem cædi Caligulæ, Januarii diem 24, assignant. Sed tempus excessûs Philippi, ex initio successoris Alexandri, rectiùs intelligetur.

Sublato Philippo, archonte Athenis sive *Pythodemo* ut Arrianus eum nominat, sive *Pythodoro* ut Diodorus (anno primo Olympiadis CXI) successit Alexander, annos 20 tùm natus; ut Plutarchus, & ex Trogo Justinus scribunt. Et licèt apud Arrianum in Historiæ Alexandri initio, περὶ τὰ εἴκοσιν ἔτη, *viginti circitèr annorum* fuisse legatur, quum accepto post mortem patris

regno

regno in Peloponnesum profectus ille fuit; quod de vicenarii anni ratione præcisâ nonnihil detrahere videamur: tamen, ut de spatio inter eædem Philippi & iter Alexandri Peloponnesiacum interposito nihil dicamus; plenitudinem numeri illius exactam satis adstruit, quod in fine ejusdem Historiæ haberur annotatum, vixisse Alexandrum annos 32 cum mensibus octo, atque regnavisse annos 12 ac menses illos octo. Subductis enim annis 12 & mensibus 8 ab annis 32 & mensibus 8, relinquuntur anni 20 pleni, * (non 19, ut apud *Curtium*, *lib. 9. cap. 12.* innuitur) + & ab alicujus mensis vel adjectione vel detractione planè liberi. Et quum in fine Macedonici mensis *Dasii* eum decessisse, ex ipsius Ephemeridibus (suo loco producendis) appareat: circa principium mensis ante illum octavi, id est *Dii*, regnum eum iniisse; & quod inde est consequens, circa 14. diem *Septembris* (à quo *Dium* mensem cœpisse, in Dissertatione de Macedonum & Asianorum anno Solari demonstravimus) potiùs quàm 24 *Januarii*, occisum fuisse Philippum, concludimus.

3669 *a.* In Peloponnesum profectus Alexander, exemplo patris, Corinthum evocatis civitatibus, communibus Græcorum (præter Lacedæmonios) suffragiis, in locum ejus Imperator & Dux eorum contra Persas substituitur. (*Justin. lib. 11. cap. 2. Diodor. lib. 17. Arrian. lib. 1. pag. 1.*)

c. Inde in Macedoniam reversus, ineunte vere per Thraciam in Triballos & Illyrios excurrit. [*Arrian. lib. 1.*] ubi magno prælio ad Danubium fluvium inito, Syrmum Triballorum regem superavit. [*Plutarch. in Alexandro.*] Interim nunciatur, Athenienses, Thebanos, & Lacedæmonios ab eo ad Persas defecisse; auroremque ejus defectionis magno auri pondere à Persis corruptum Demosthenem oratorem extitisse, qui Macedonum delectas omnes cum rege copias à Triballis affirmaverit. [*Justin. lib. 11. cap. 2. cum Æschinis orat. in Ctesiphontem.*] Athenienses quoque Attalum, ex Macedonum in Asiâ ducibus unum, per legatos cum Demosthenis epistolâ sollicitárunt ut ab Alexandro deficerer; Græcarum civitatum exemplo, quæ decretum de abrogando illi imperio fecerunt. [*Diodor. ad ann. 2. Olymp. 111. cum Demosthenis orat. pro Ctesiphonte.*] 4379 335

d. Memnon Rhodius dux, cum quinque conductitiorum millibus à Dario in Phrygiam missus, Idâ monte transcensâ, Cyzicenorum urbem subitâ impressione invadit. Conatu tamen frustratus, agrum eorum populatur, & ingenti prædâ onustus redit. [*Diodor. ibid.*]

Mortuo Pexodaro gener illius Orontobates, Regis Persarum authoritate fultus, Cariæ principatum obtinuit. [*Strabo, lib. 14. Arrian. lib. 1. pag. 24.*]

Alexander, devictis barbaris, exercitum in Græciam tumultuantem traducens, in transitu Thessalos sibi adjunxit, Thermopylásque trajecit, & Ambracionas humanitate sibi devinxit. Tum traductis celeriter in Bœotiam copiis, & castris ad Cadmæam, quæ præsidio Macedonico tenebatur, positis; Athenienses per legatos peremtibus veniam concessit, Thebanos eam contemnentes acriter oppugnavit. [*Diodor. ann. 2. Olymp. 111. Plutarch. in Alexandro.*]

Idem Hecatæum, cum manu armatorum non exiguâ, in Asiam ad Attalum comprehendendum misit. Attalus interea, mutato consilio, epistolam sibi à Demosthene scriptam, ad Alexandrum, cum amicâ sui defensione transmisit. Sed Hecatæus illum per dolum circumventum obtruncavit: atque ita Asiaticus Macedonum exercitus ad defectionem propendere desiit. [*Diodor. ibid.*]

Parmenio (qui erga Alexandrum optimè affectus erat) Grynium vi capit, ac cives sub coronâ vendit. Hinc Pitanem oppugnat: sed Memnon superveniens, incusso Macedonibus terrore, obsidionem solvit: [*Id. ibid.*]

Callas cum Macedonum & conductitiorum agmine in Troade cum Persis, numero longè superioribus, confligit: sed victus in Rhœteum sese recipit. [*ibid.*]

3670 *a.* Alexander Thebas Bœotias solo æquavit. [*Diodor. ann. 2. Olymp. 111.*] mense Octobri Juliano: utpote circa Mysteria. [*Plutarch. in Camillo, * pag. 138.* ubi & *eodem* die Lucullum Armenios & Tigranem fudisse *innuit.* quod pridie Non. *Octobr.* factum, idem indicat in Lucullo, *pag. 510.* (ut annus viz. Romanus tunc agebatur:) nam juxta Julianas rationes, posterius hoc circa Julii 28. accidit.] + Unde Mysteriorum magnorum solennitatem, quæ in manibus tunc erant, ob luctum Athenienses intermiserunt. [*Idem in Alexandro, & Arrian. lib. 1.*] Cæsa Thebanorum 90, in servitutem abducta 30 millia: Sacerdotibus, & patris Philippi antiquis hospitibus, cum Pindari poëtæ domo atque posteris, conservatis. [*Ælian. Var. histor. lib. 13. cap. 7.*]

Alexander à communi Græcorum Concilio, in Isthmo Peloponnesi habito, Imperator contra Persas denuò electus, Corinthi Diogenem Cynicum invisit. [*Plutarch. in Alexandro.*]

b. In Macedoniam deinde rediit. [*Arrian. lib. 1. pag. 11.* ubi in oppido Dio de ratione subigendæ Asiæ cogitanti, per quietem summi Sacerdotis Hierosolymitani species illi est objecta; qui eum forti esse animo hortatus est, & sine morâ exercitum trajicere, utpote suo ductu potiturum Persarum imperio. (ut ipse narrat, apud Josephum, lib. 11. Antiquit. cap. ult.) 4380 334

c. Ineunte igitur vere, Alexander domo egressus, 20 dierum spatio Sestum pervenit: indéque cum exercitu trajecit in Asiam. [*Arrian. lib. 1.*] archonte Athenis *Euæneto*, ante obitum suum annis undecim: ut ex antiquioribus Chronologis, in primo Stromarum libro, refert Alexandrinus Clemens. tertio videlicèt mense ante initium præturæ *Cteſiclis:* sub quâ Diodorus Siculus hanc *Anſam* collocat. quem simpliciter (ut videtur) secutus Zosimus in primo Historiarum suarum libro, ad *tertium* regni Alexandri annum eam retulit: quum *secundo* reverà facta fuerit: Olympiadis CXI. anno secundo currente.

In Europâ sub Antipatri administratione peditibus 12000 & equitibus 1500 relictis, ipse Alexander cum 60 navibus longis in Troadem trajecit. [*Diodor. ut supr.*] Parmenioni peditatûs maximam partem & equitatum ex Sesto in Abydum trajiciendi negotium dedit: qui triremibus 160 aliísque navibus onerariis quamplurimis transvecti sunt. [*Arrian. lib. 1.*]

De

De copiarum tranſvectarum numero, etiam inter ipſos qui expeditioni huic interfuerant, non ſatis convenit. Apud Polybium (*lib.* 12. *pag.* 663. *fin.*) *Calliſthenes* equites 4500. pedites 30000: apud Plutarchum (in priore de fortunâ Alexandri libello) *Ariſtobulus* pedites quidem 30000, ſed equites tantùm 4000. *Ptolemæus* Lagi filius Ægypti rex, pedites item 30000, ſed equites 5000. *Anaximenes* verò Lampſacenus, aucto numero, 40000 pedites, 5500 equites, fuiſſe tradidit. In equitum 4000 numero, Livius (*libro* 9.) conſentit cum Ariſtobulo: in 4500, Diodorus (*libro* 17.) Juſtinus (*lib.* 11. *cap.* 6.) & Oroſius (*lib.* 3. *cap.* 16.) cum Calliſthene: licèt ſupra 5000 fuiſſe, in libro primo Arrianus aſſerat; & apud ipſum Diodorum, particularis enumerationis numeri 5100 conficiant. In peditum 30000. numero, cum Calliſthene, Ariſtobulo & Ptolemæo Diodori congruens eſt ſententia. Non plus quàm 30, Livius; non multò plus quàm 30 peditum millia fuiſſe, Arrianus aſſerit. His 2 præterea millia Juſtinus & Oroſius adjiciunt. Illum verò 40000 numerum, peditibus à Calliſthene & Anaximene tributum, univerſis copiis Julius Frontinus ſic aſſignat. *Alexander Macedo* 40. *millibus hominum, jam inde à Philippo patre diſciplinâ aſſuefactis, orbem terrarum aggreſſus, innumeras hoſtium copias vicit.* [Frontin. Stratagem. *lib.* 4. *cap.* 2.] * *Vid.* & Panegyricum Conſtantino dictum.

Stipendium his non amplius quàm 70. talenta habuiſſe Alexandrum Ariſtobulus; Duris 30 tantùm dierum commeatus: Oneſicritus inſuper talenta 200 eum debuiſſe, memoriæ prodidit. (*Plutarch. in vitâ, & lib.* 1. *de fortunâ Alexandri.*)

Cùm delati in continentem eſſent, Macedonum primus haſtam Alexander è puppi in littus conjectam, quaſi Aſiæ poſſeſſionem occupaturus defixit: armatúſque de navi tripudianti ſimilis proſiluit; & cæſis hoſtiis precatus eſt, ne ſe regem illæ terræ invitæ acciperent. Deinde ad tumulos Achillis (à quo per matrem genus ducebat) & Ajacis aliorúmque ducum qui in Trojano bello ceciderant, parentavit. (*Diodor. Juſtin. Arrian.*) beatum prædicans Achillem, quòd & dum viveret fidelem amicum nactus eſſet Patroclum, & poſt mortem magnum præconem nactus eſſet Homerum. (*Plutarch. in Alexand. cum Cicer. orat. pro Archiâ poetâ, & lib.* 5. *epiſt.* 12. *ad familiar. & Arrian. lib.* 1. *de Homero.*)

Quum in Ilium veniſſet, Palladi Trojanæ ſacrificavit: ſuiſque armis in templo ejus fixis, ſacra quædam alia ex adytis illius deſumpſit, quæ ex Trojano bello adhuc ſupererant. (*Diodor. Arrian.*) Et quum Alexandri ſive Paridis lyra monſtranda afferretur: Achillis eam ſe videre malle dixit, quâ fortium virorum laudes ille cecinilſet. (*Plutarch. in Alexand. Ælian. Var. hiſtor. lib.* 9. *cap.* 38.)

Ex Ilio deinde ad Arisben eſt progreſſus, ubi exercitus ejus univerſus trajecto Helleſponto caſtra fixerat. Poſtridiè Percotam, deinde Lampſacum prætergreſſus, ad Proſactium flumen conſedit. (*Arrian. lib.* 1.) Lampſacenos quidem, quòd ad Perſarum regem vel jam defeciſſent vel defectionis eſſent ſuſpecti, Alexander exciodere conſtituerat. Atque accedenti ad illum Anaximeni hiſtorico Lampſaceno (tum ipſi tum patri Philippo antè probè cognito) conceptis verbis juravit, quod petiturus eſſet id ſe non facturum. Cui ille: Pero, inquit, ut Lampſacum diruas. Quâ viri ſagacitate circumventus Alexander, Lampſacenis invitus pepercit. [*Valer. Maxim. lib.* 7. *cap.* 3. *Pauſan. Eliac. lib.* 2. *Suid. in Ἀναξιμένης.*]

Granico (Phrygiæ amne) magno cum periculo & labore ſuperato, cum Perſarum exercitu in Adraſtiis campis Alexander conflixit. In acie Perſarum ſexcenta millia militum fuiſſe, Juſtinus & Oroſius; Perſarum equitatum fuiſſe 20 millium, externorum verò qui mercede conducti erant peditum paulò minùs 20 millium fuiſſe, Arrianus parùm probabiliter affirmat. Magis cautè Diodorus, equitum ſupra 10, peditum non infra 100 millia, fuiſſe ſcribit. Ex his, 20000 peditis, & 2500 equites in prælio ceciditſe, Plutarchus; pedites plures quàm 10000, equites non minùs 2000 fuiſſe cæſos, vivos verò in hoſtis manus ultra 20000 veniſſe, Diodorus refert. Equitum Perſarum mille circiter in fugâ occiſos, exteros mercede conductos penè omnes delectos, vivos circiter 2000 captos fuiſſe narrat Arrianus: ut de Oroſio taceam, qui *quadringentos ferè millia interfecta* memorat, libro 4. cap. 2. immani nimis errore.

In hâc pugnâ Alexandro, armaturâ ex Palladis Ilienſis adytis deſumptâ induto, galea capillo tenus diſſecta eſt. De ejus exercitu deſiderati, ut ex Ariſtobulo (qui expeditioni Alexandri interfuit) refert Plutarchus, equites 25. pedites novem. Præter pedites illos novem, equites 120 cecidiſſe, Juſtinus & Oroſius narrat. Juxta Arrianum verò, Macedonum ex turmâ quidem regiâ circiter 25. in primo conflictu ceciderunt; quorum æneæ ſtatuæ à Lyſippo fuſæ ſunt: ex reliquo equitatu ſupra 60, ex peditatu circiter 30 ſunt deſiderati; quos Alexander poſtridie cum armis & reliquo cultu ſepeliri juſſit. Parta autem eſt inſignis hæc victoria, quæ viam Alexandro in univerſam Aſiam patefecit, menſe Macedonico *Daſio*, Attici *Thargelionis* die ſexto & *Maii* Juliani die 20, (Olympiadis CXI anno ſecundo adhuc currente:) ut in Diſſertationis noſtræ de Macedonum & Aſianorum anno Solari capitulo primo (pag. 4, 5, & 11.) declaravimus.

Refectis inde copiis per Lydiam Alexander proceſſit, urbémque Sardianorum cum theſauris inibi conditis, Mithrinoe (ſive Mithrene) præfecto voluntariam deditionem faciente, occupavit. [*Diodor. Arrian.*]

d. Epheſum deinde profectus, oligarchiâ abrogatâ democratiam in civitate conſtituit, & tributa barbaris antè penſa Dianæ aſſignavit. Epheſii eos qui templum Dianæ ſpoliaverant, & Philippi ſtatuam in eâdem æde ſubverterant, ad eædem poſcunt: Syrphacémque ejúſque filium Pelagontem, & fratrum Syrphacis liberos, è Templo protractos lapidibus obruunt. (*Arrian. lib.* 1.) Templum enim nocte Alexandri natali ab Heroſtraro incenſum, poſtmodum ad cultum auguſtiorem Epheſii reformárunt; fabro operi eodem Dinocrate præfecto, qui Alexandri juſſu Alexandriam in Ægypto præmeratus eſt: ut in 40 capite tradit Julius Solinus. De quo videndus

Artemi-

Artemidorus, apud Strabonem lib. 14. ubi & ipsum Alexandrum narrat promisisse Ephesiis, & factos sumptus se compensaturum, & facturum de suo reliquos, eâ lege ut ipsum operi inscriberent: sed Ephesios id renuisse.

Dum Ephesi versatur Alexander, legati ex Magnesiâ & Trallibus adveniunt, atque urbes illi dedunt. Ipse Parmenionem cum 2500 peditibus exteris, & Macedonibus totidem, atque equitibus, ex auxiliariis, 200 mittit. Alcimalum quoque Agathoclis filium ad Æolicas & Ionicas urbes, quæ adhuc in Persarum erant potestate, cum non minoribus copiis emittit. Oligarchias ubique tolli jubet, & Democratias earum loco constitui, patriasque leges cunctis restitui; atque tributa, quæ Persis pendebant, rescindi. [*Arrian. lib.* 1.]

Ipse Ephesi commoratus, Dianæ sacrificavit: eique, cum universo exercitu armato ac veluti ad pugnam instructo, pompam misit. Postridie verò cum reliquo peditatu, sagittariis & Agrianis, Thracum equitatu, & sociorum copiis, ac cohorte regiâ, aliisque insuper tribus, Miletum profectus est. [*Id. ibid.*] Eò Persæ ex pugnâ ad Granicum elapsi, cum imperatore suo Memnone se receperunt. [*Diodor.*] Sed triduo ante eorum adventum Alexander, Nicanore cum 160 navibus misso, Laden proximam Mileto insulam occupaverat; Thracúmque & aliorum exterorum militum ad quatuor millia in ipsam transmiserat: ita ut Persarum classis, quæ navium circitèr 400 erat, seriùs appellens, sub Mycalem montem se recipere coacta fuerit. [*Arrian.*]

Alexandro Miletum terrâ marique continenter oppugnante; & adhibitis machinis mœnia disjiciente; Milesii supplices sese & urbem in ejus fidem tradiderunt. Græcos mercenarios 300, qui inde in parvam insulam urbi proximam se receperunt, Alexander in exercitum suum transcripsit: Milesiis vitam & libertatem dedit; Barbaros captos vel trucidavit, vel mancipiorum loco distraxit. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 111. *Arrian. lib.* 1.]

3671 *a.* Alexander classem illam suam 160 navium (totam 182 fuisse, in lib. 11. cap. 6. Justinus refert) dissolvit: 20 auxiliaribus Athenienſium & pauculis aliis navibus exceptis, quibus ad obsidionalia instrumenta vehendum uteretur. [*Id. Ibid.*]

Memnon Rhodius, uxore & liberis ad Darium veluti obsidibus missis, summus belli totius imperator ab eo declaratus est. [*Diodor. ibid.*]

Alexander cum toto exercitu in Cariam contendit: quáque iter faciebat, Græcas urbes suis uti legibus & à vectigalibus immunes esse jussit; se pro liberatione Græcorum bellum in Persas suscepisse, identidem profitens. [*Id. ibid.*]

Dum iter adhuc faceret, Ada illi occurrit, cui Pexodarus frater principatum Cariæ ademerat. Ea ad avitum regnum recuperandum Alexandri auxilium implorat, Alinda munitissimam Cariæ urbem, ubi ipsa degebat, ei tradit; operam suam in recipiendis oppidis quæ defecerant pollicetur, quòd ea à suis necessariis teneri ostenderet; ipsúmque Regem sibi in filium adoptat. Alexander Alinda ei custodienda relinquit, Cariæ eam reginam declarat, regnum vindicare sibi illam jubet, & filii nomen non aspernatur. Indéque Cariæ civitates, missis ad eum legatis, aureis illum coronis honorant, promptámque ad cuncta operam illi deferunt. [*Id. ibid. Strabo, lib.* 14. *Arrian. lib.* 1. *Plutarch. in Alexandro.*]

Halicarnassum Cariæ metropolim, jam inde à soceri Pexodari morte, tenebat Orontobates Persa: cui se cum copiis suis adjunxit Persici exercitûs Imperator, Memnon Rhodius. Alexander positis ad urbem castris, oppugnationem acrem & terribilem instituit: in cujus defensione Ephialtæ Atheniensis virtus præcipuè emicuit. Eo verò cum plurimis aliis cadente, Memnon cæteríque duces ac Satrapæ, optimorum militum præsidio in arcem imposito, reliquam hominum turbam & opes in Côn insulam secum transportarunt. Alexander, arce muro fossáque ligni cinctâ, urbem ipsam solo adæquavit: eique & reliquæ Cariæ præsidio imposito, exterorum peditum trium millium, equitum ducentorum, ac Ptolemæo iis præfecto; totius provinciæ principatum matri suæ adoptivæ Adæ detulit. [*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 111. *Arrian. lib.* 1.]

Alexander militibus suis Macedonicis, qui paulò ante expeditionem uxores duxerant, ex Cariâ dimissis, hybernandi cum uxoribus potestatem fecit: Ptolemæo Seleuci filio, uno ex regiis corporis custodibus, iis præfecto; ex ducibus verò copiarum, Cœno Polemocratis & Meleagro Neoptolemi filio (quòd etiam hi recèns uxores duxissent) adjunctis. Imperavitque ut, quum ipsi reverterentur & eos qui unà dimissi erant reducerent, equitatum ac peditatum quàm maximum possent ex eâ regione conscriberent. [*Arrian. ibid.*] Cleandrum quoque Polemocratis filium ad conducendum ex Peloponneso militem cum pecuniâ misit. [*Id. ibid. & Quint. Curtius, in ipso lib.* 3. *initio.*]

Alexander Parmenionem Sardes mittit, datâ ei sociorum equitum præfecturâ: úrque Thessalos equites aliósque auxiliarios & plaustra ducat, atque Sardibus in Phrygiam procedat, juber. Ipse in Lyciam & Pamphyliam tendit; ut oris maritimis in potestatem redactis, classem hostium inutilem ipsis efficeret. Ac primò quidem ex itinere Hyparna oppidum munitum, extero milite mercenario qui arcem tenebat fide datâ exeunte, primo accessu cepit. Deinde Lyciam cum exercitu ingressus, Telmissèos pactis sibi conciliavit. Transmisso inde Xantho flumine, Pinara & Xanthum urbem & Patara deditione accepit, aliáque minora oppida circiter 30. [*Arrian. ibid.*]

b. His rebus gestis, mediâ hyeme in Myliada, magnæ Phrygiæ regionem, movit. Ibi cum legatis è Phaselide & inferiori Lycià ad eum missis fœdus iniit: urbibus omnibus ipsi traditis. Ipse paulò pòst in Phaselidem profectus, castellum quoddam munitum, quod ibi Pisidæ ad Phaselitas infestandos extruxerant, expugnat. [*Id. ibid.*] 4381 333

Dum circa Phaselidem esset, nuntium accepit de insidiis vitæ ipsius structis ab Alexandro Aëropo, quem Thessalico equitatui ille præfecerat: licèt suspectum, quòd simul cum fratribus suis, Heromene & Arrabæo, necis Philippi regis conscius fuisset. Darius enim acceptis

3671 per Amyntam transfugam ab hoc Alexandro literis, Aſiſinem Perſam ad maritimam oram miſerat, prætextu quidem legationis ad Atyziem Phrygiæ ſatrapam, reverà autem, ut Alexandro huic fidem faceret, ſi regem Alexandrum interficeret, Macedoniæ regnum & mille inſuper auri talenta ſe illi daturum. Sed Aſiſines à Parmenione comprehenſus, quum rem totam prodere fuiſſet coactus, cum cuſtodiâ ad regem Alexandrum miſſus eſt. Rex totâ re perſpectâ, Amphotero ad Parmenionem cum mandatis clàm miſſo, Aëropum capiendum & cuſtodiæ tradendum curat. [*Id. ibid.*] Quò referenda regit Alexandri illa, in literis ad Darium; apud Q. Curtium, lib. 4. cap. 1. *Cùm habeatis arma, licemini hoſtium capita: ſicut tu proximè talentis mille, tanti exercitûs rex, percuſſorem in me emere voluſti.* Vid. Juſtin. lib. 11. cap. 7. init.

Alexander ex Phaſelide movens, per littus Pamphylii maris exercitum Pergas uſque deducit. * Hic Pamphiliæ percurſus, inquit (*Plutarchus*,) compluribus ſuppeditavit hiſtoricis elegans ad miraculum excitandum & pompam argumentum: quaſi divinâ quàdam ſorte cederet Alexandro mare; quò & Menander in comœdiâ 1. alluſit.

Ὡς Ἀλεξανδρῶδες ἦν τοῦτο; κἂν ζητῇ τινα	*Quantum Alexandrina ſunt iſta: quæro quòd ſi ſortè quem*
Λυτόματος ἥκει παρέξει· κἂν θαλάττῃ θαλαττῃ	*Ultrò currens aderit hìc coram*
Διὰ θαλάσσης δεῖν τόπον τιν', ὥστε μοι βατὸς.	*Sin meandum per maris fluctus profundi, Permeabilis mihi mox fit.*

Et de Alexandro agens Appianus, in libro 2. Εμφυλίων (pag. 522.) Intimum, ait, Pamphylium ſinum vadis vento nudatis tranſcurrit feliciter, fortunâ interim marinâ undas colùbente. Alexander verò ipſe in epiſtolis ſuis nihil portenti ejuſcemodi jactans, iter narrat feciſſe ſe per Climaca appellatam, atque ex Phaſe prægreſſum eam peragraſſe. (Plutarch:) ſed re hac totâ audiendus (*Strabo, libro* 14. *pag.* 666, 667) „ Termeſſus Piſidicæ urbs anguſtiis montium imminet per „ quas in Milyadem tranſitur: atque Alexander propterea eam diruit, ut fauces iſtas „ aperiret. Apud Phaſelidem ſunt ad mare anguſtiæ, per quas exercitum traduxit Alexander. Eſt „ enim ibi mons Climax, Pamphylio incumbens mari, & propter littus arctum relinquens „ tranſitum: qui tranquillo mari nudatur, & à viatoribus perambulari poteſt; mari exundante, „ fluctibus admodùm obtegitur. Alexander autem *hybernam* incidit in tempeſtatem, (καιρὸν,) „ cúmque fortunæ maximam eventûs partem crederet, antequàm defluerent undæ profectus eſt: „ itaque contigit, ut totum diem milites per aquam iter facerent uſque ad umbilicum in eam „ demerſi. Vid. *Diodor. Arrian. & Curt.* (ibique *Raderum* in Prolegom. & *Perer.* de tranſitu maris rubri.) * Inde progreſſus Aſpendum uſque contendit, urbémque in editâ aſperâque rupe ſitam circumſedit, & ad deditionem compulit. In Piſidiam deinde tendens, Telmiſſo urbe fruſtrà tentatâ, & cum Selgeis Telmiſſeorum hoſtibus fœdere inito, Salagaſſum urbem vi cepit: ex Piſidis circiter 500 cæſis, ex Alexandri verò parte Cleandro duce cum militibus circiter 20 deſideratis. Inde in alios Piſidas movit: & nonnulla eorum caſtella vi cepit, nonnulla pactionibus ad deditionem adduxit. Poſthæc in Phrygiam ad Aſcaniæ paludem, & quintis caſtris Celænas pervenit. (*Arrian. lib.* 1.)

Arcem Celænarum, quam Phrygiæ ſatrapa præſidio Carum mille & Græcorum mercenariorum centum tenebat, poſt 60 dierum inducias (quibus auxilium à Dario expectaretur) Alexander per deditionem recepit. [*Id ibid. & Curt. lib.* 3. *cap.* 1.]

Alexander Celænis 1500 milites præſidio relinquit: & dies decem ibi commoratus, Antigonum Philippi filium Phrygiæ ſatrapam declarat; & Balacrum Amyntæ filium ejus loco auxiliaribus copiis præficit. Ipſe Gordium proficiſcitur: litteris ad Parmenionem miſſis, ut illuc ſibi cum exercitu obviam veniat. [*Arrian. ibid.*]

Parmenio cum exercitu, & Macedones qui uxores noviter nuptas viſum ierant, Gordium veniunt, & cum iis exercitus recèns conſcriptus: quem Ptolemæus Seleuci, & Cœnus Polemocratis, atque Meleager Neoptolemi filius ducebant. Erat is exercitus, peditum quidem Macedonum mille & equitum 300; Theſſalorum equitum 200, & Eleorum (quibus Alcias Eleus præerat) 150. (*Id. ibid.*)

Memnon, quem Darius univerſæ claſſi oræque maritimæ præfecerat, bellum ex Aſiâ in Macedoniam & Græciam transferre cogitans; trecentarum navium claſſe inſtructâ, Chium inſulam proditione capit; & præter Mitylenem, reliquas omnes Lesbi urbes in poteſtatem ſuam redigit. [*Diodor. ann.* 4. *Olymp.* 111. *cum Arriano, in libri* 2. *initio.*]

Hieroſolymorum ſeniores ægrè ferentes Manaſſem, Jaddi ſummi Pontificis fratrem, contra legem duxiſſe externi generis fœminam; poſtulârunt, ut aut uxorem ille dimitteret, aut ad altare ampliùs non accederet. Cúmque ob id frater Pontifex à miniſterio ſacerdotali eum repellere cogeretur; ad ſocerum Sanaballatem ille profectus, ſe quidem amare filiam ejus dixit, nolle tamen propter eam privari ſacerdotio: qui honor & gentilitius ipſi, & apud Judæos ſemper in maximâ exiſtimatione fuerit. Sanaballetes contrà recepit, ſe illi non Sacerdotium tantùm ſervaturum, ſed & Pontificatum paraturum, & totius ſuæ provinciæ Principem eum facturum, modò ejus filiam retineret uxorem; ædificaturum quoque Templum in monte qui imminet Samariæ, Hieroſolymitano ſimile: idque ſe Darii regis auctoritate facturum eſt pollicitus. His ille captus promiſſis, manſit apud ſocerum: putans ſe Pontificatum, dante Dario, conſecuturum. Omnes quoque Sacerdotes & Iſraëlitæ, qui alienigenarum ſimiliter implicati erant conjugiis, ad Manaſſem defecerunt: Sanaballete præbente eis & pecuniam & agros ad colendum, ac modis omnibus ambitionem generi promovente. [*Joſeph. Antiquit. lib.* 11. *cap. ult.*]

Alexander nexum Gordium, vel exempto temonis paxillo (ut Ariſtobulus author eſt) explicuit, vel gladio (ut alii malunt) abrupit. (*Plutarch. in Alexandro. Arrian. lib.* 2. *Curt. lib.* 3. *cap.* 2. *edit. Rader. Juſtin. lib.* 11. *cap.* 7.)

Gordio deinde Phrygiæ discedens Alexander, Ancyram Galatiæ urbem profectus est. Eò Paphlagonum legati ad eum venerunt; & fœdere cum eo inito, regionem suam dediderunt: cui Calas Phrygiæ satrapa ab eo est præpositus. Ipse, assumptis qui ex Macedoniâ nuper advenerant, Cappadociam petiit: omnemque quæ cis Halym fluvium est regionem, & partem aliquam ejus quæ trans Halym est, subegit. [*Arrian. lib.* 1. *cum Curtio, lib.* 3. *cap.* 3.]

Mortuo in Mitylenes obsidione Memnone, Autophradates & Pharnabazus Artabazi filius (cui Memnon moriens præfecturam tuam commendârat, donec Darius aliquid de eâ statueret) certis conditionibus eam receperunt. Deinde Pharnabazus, Autophradate apud classem relicto, in Lyciam navigat, exteros mercenarios ducens. [*Arrian. lib.* 2. *init.*]

Darius, post mortem Memnonis, ex omnibus locis milites evocat, & Babylonem convenire jubet. [*Diodor. Olymp.* 111. *ann.* 4.] Castris ibi positis, universas vires in conspectum dedit: & circumdato vallo quod decies millium armatorum numerum caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniit. *Persarum* erant centum millia; in queis eques triginta millia implebat. *Medi* decem equitum, quinquaginta millia peditum habebant. *Barcanorum* (quam gentem Hyrcanis conterminam fuisse docet Stephanus) equitum duo, peditum decem millia fuere. *Armenii* quadraginta millia miserant peditum, additis septem millibus equitum. *Hyrcani* sex millia expleverant, equis militatura. *Derbices* quadraginta peditum, duo millia equitum armaverant. A *Caspio* mari octo millium pedester exercitus venerat, ducenti equites. Cum his erant ignobiles *alia gentes*; quæ duo millia peditum, equitum duplicem paraverant numerum. His copiis triginta millia *Græcorum*, mercede conducta, accesserunt. Ita numerum copiarum recenset Curtius, [*libro* 3. *cap.* 4.] qui summam 311200 tantùm efficit. Diodorus verò peditum 400 millia, equitum millia centum circiter, fuisse refert; quem numerum nuperæ etiam Justini editiones ex MSS. emendatæ retinent: licèt priores editiones, unà cum Justini sequace Orosio 300 peditum & 100 equitum millia exhibeant; & apud Arrianum lib. 2. & Plutarchum in *Alexandro*, 600 in universum millia nominata reperiantur.

Charidemus Athenienſis, belli peritus, (quem Athenis Alexander expulerat) Dario consulit, ut non ipse per se bellum gereret, sed per legatum, qui virtutis imperatoriæ experimenta dedisset: centum armatorum millia, quorum tertia pars è Græciâ mercede esset conducenda, ad expeditionem istam sufficere confirmans. Quo sano dato consilio, in Satraparum invidiam & Regis iram ita incurrit, ut ad capitale supplicium statim abstractus fuerit. [*Diodor. ut supr. Curt. lib.* 3. *cap.* 5.]

Darius Thymondam sive Thymodem Mentoris filium, impigrum juvenem, ad Pharnabazum misit; ut omnes peregrinos milites, quibus Memnon præfuerat, ab eo acciperet, operâ eorum usurus in bello: ipsique Pharnabazo tradidit imperium, quod antè Memnoni dederat. [*Curt. lib.* 3. *cap.* 6. *& Arrian. circa lib.* 2. *initium.*]

d. Alexander, *Abistamene* (ut Curtius) vel *Sabictâ* (ut Arrianus) Cappadociæ præposito, cum omnibus copiis ad Pylas sive angustias aditus qui Ciliciam aperit contendit: quúmque ad castra Cyri, (sive à majore, ut Curtius, sive à minore potiùs, ut Arrianus vult, denominata) quæ 50 stadia ab aditu illo aberant, pervenisset: ut Pylas valido præsidio infestas comperit, Parmenionem ibi cum cohortibus peditum, qui gravioris armaturæ erant, reliquit; ipse sub primam noctis vigiliam, sumptis secum scutatis & sagittariis atque Agrianis, ad Pylas movit, ut ex improviso præsidium invaderet. Præsidiarii verò in fugam se conjecerunt: & Arsames, qui Ciliciæ præerat, igne ferróque Ciliciâ vastatâ, ut hosti solitudinem faceret, ex Tarso ad Darium fugit. [*Arrian. lib.* 2. *Curt. lib.* 3. *cap.* 8.]

Cùm Tarsum magnâ festinatione venisset Alexander, captus Cydni fluminis amœnitate, per mediam urbem influentis, projectis armis, plenus pulveris ac sudoris, in præfrigidam undam se projecit. Tùm repentè tantus nervos ejus occupavit rigor, ut interclusâ voce non spes modò remedii, sed nec dilatio periculi inveniretur. [*Justin. lib.* 11. *cap.* 8.] Æstatem tunc fuisse, ejúsque calorem non aliam magis quàm Ciliciæ oram vapore Solis accendere; addit Curtius. [*lib.* 3. *cap.* 10.] Et præ nimio labore in morbum hunc incidisse Alexandrum, refert Aristobulus. [*apud Arrian. lib.* 2.] Philippus Acarnan medicus regem salutari potione, quamvis suspectus à Parmenione factus, curat. [*Justin. Curt. Arrian. Plutarch. Valer. Maxim. lib.* 3. *cap.* 8.]

Orontobates Persa (qui Halicarnassi arcem, & Myndum & Caunum ac Theram & Callipolim tenebat) à Ptolemæo & Asandro prælio victus est; cæsis peditum circiter 700, equitum 50, vivis non infra mille captis: indéque Myndii & Caunii, & pleraque tractûs ejus, ad Alexandri ditionem accesserunt. [*Arrian. lib.* 2. *Curt. lib.* 3. *cap.* 12.]

Darius, Euphrate pontibus juncto, quinque diebus trajecit exercitum. [*Curt. ibid.*]

Parmenionem Alexander ad præoccupandas alias Pylas sive angustias mittit, quæ Ciliciam ab Assyriâ (sive Syriâ) dividunt. Ipse ex Tarso subsecutus, primo die Anchialon pervenit. [*Arrian. lib.* 2.] Inde Solos profectus; arci præsidium militum, & civibus ducentorum argenti talentorum mulctam imposuit, quòd propensiore erga Persas animo fuissent. [*Id. ibid. Curt. lib.* 3. *cap.* 12.] Inde cum tribus Macedonum agminibus, sagittariis omnibus, atque Agrianis, Cilicas qui montes occupaverant adortus, iisque intra septem in universum dies partim vi partim pactionibus in potestatem suam redactis, Solos rediit. Ubi quum Æsculapio sacrificasset, ipséque pariter ac totus exercitus pompam facibus circumgestatis peregisset, ludis etiam gymnicis ac musicis editis; Solensibus democratiam concessit. [*Arrian. ibid.*]

Græci milites, quos Thymodes à Pharnabazo acceperat, præcipua spes & propemodum unica, ad Darium pervenientes, magnoperè illi suadebant, ut retrò abiret, spatiosósque Mesopotamiæ campos repeteret; vel divideret saltem copias innumerabiles, neu sub unum fortunæ ictum totas vires regni cadere pateretur. Sed Dario consilium eorum displicuit: qui minimè

cunctandum hîc esse ratus, quum jam hyems (ab autumno inchoata) instaret; pecuniâ rerúmque pretiosissimis Damascum Syriæ (per Cophenem Artabazi filium, ut in libro 2°. Arrianus indicat) cum modico præsidio militum missis, reliquas copias in Ciliciam duxit: insequentibus more patrio agmen conjuge & matre, cum filiabus & parvo filio. (*Curt. lib. 3. cap. 13.*) cæteris impedimentis turbâque bellis inutili Damasci relictis. (*Diodor. Olymp. 111. ann. 4.*

Sanaballares lætus descensu Dari, aiebat se mox præstiturum quæ Manassi genero suo de Pontificatu fuerat pollicitus, quamprimùm reverteretur Darius post victoriam; quam illum sine dubio obtenturum, omnes Asiatici sibi persuaserant. [*Joseph. Antiquit. lib. 11. cap. ult.*]

3672 *a.* Alexander, negotio Philotæ dato ut equitatum per Aleïum campum ad Pyramum amnem duceret, cum peditatu & turmâ regiâ Magarsum venit, & Minervæ Magarsidi sacrificavit. (*Arrian. lib. 2.*)

Inde Pyramo amne ponte junctо, ad urbem Mallon pervenit, [*Curt. lib. 3. cap. 11.*] ubi Amphilocho (urbis conditori) ut heroi parentavit: quúmque cives seditione laborantes invenisset, eâ sedatâ, tributa quæ Dario pendere solita erant iis remisit. (*Id. ibid.*)

Quum adhuc apud Mallon esset, nuntii ad eum veniunt, Darium cum universo exercitu ad Sochos castra fixisse: locum à Pylis quæ Assyriam [sive Syriam] aperiunt duorum stathmorum intervallo dissitum. [*Id. ibid.*]

Mallo deinde ad oppidum Castabalum pervenit. Ibi Parmenio illi occurrit, quem præmiserat ad explorandum iter saltûs per quem ad urbem Issum penetrandum erat. Atque ille angustiis ejus occupatis, & præsidio modico relicto, Issum quoque desertam à Barbaris ceperat. Inde progressus, deturbatis qui interiora montium obsidebant, præsidiis cuncta firmavit: occupatóque itinere, idem & author & nuncius venit. [*Curt. lib. 3. cap. 11.*]

Issum deinde Alexander copias admovit: ubi consilio habito, utrum ultra progrediendum foret, an ibi opperiendi essent novi milites, quos ex Macedoniâ adventare constabat: Parmenio non alium locum prælio aptiorem esse ostendit; quòd illic utriusque regis copiæ numero futuræ essent pares, quum angustiæ multitudinem non caperent. [*id. ibid.*] Alexandro verò, in Ciliciam intraturo, supplementum advenisse è Macedonia 5000 peditum & 800 equitum, retulit Callisthenes, apud Polybium. [*lib. 12. pag. 664.*]

Darius, superato monte qui prope Pylas Amanicas est, Issum versùs movit, Alexandrum imprudens à tergo relinquens. Captâ Isso, quotquot Macedones ibi propter invaletudinem relictos comprehendit, crudeliter excruciatos interficit. Postero die ad Pinarum amnem processit. [*Arrian. lib. 2.*]

Postquàm verò ei nuntiatum est Alexandrum instructâ acie adventare, triginta millibus equitum & expeditorum sive levis armaturæ viginti millibus Pinarum flumen transiit; ut reliquum exercitum securiùs instruat. Ac primò quidem ex armigeris Græcos mercede conductos, numero triginta millium, adversùs Macedonum phalangem constituit. Ab utroque horum latere Cardacas, qui & ipsi armigeri erant, ad sexaginta millia collocat. Neque enim plures in simplice phalange constitui, locus in quo exercitus instruebatur, patiebatur. Reliqua expeditorum atque armigerorum multitudo, pro gentium varietate, in confertos immiléque ordines redacta, post Græcos mercenarios & Cardacas illos stabat. Sic, in libro 2°. Arrianus: Curtius verò, in lib. 3. cap. 17. ita. *Nabarzanes* [Darii prætor] *equitatu dextrum cornu tuebatur; additis funditorum sagittariorumque 20. fermè millibus. In eodem Thymodes erat, Græcis peditibus mercede conductis 30. millibus præpositus. Hoc erat haud dubiè robur exercitûs, par Macedonica phalangi acies. In læva cornu Aristomedes Thessalus 20. millia Barbarorum peditum habebat. In subsidiis pugnacissimas locaverat gentes. Ipsum Regem in eodem cornu dimicaturum tria millia delectorum equitum assueta corporis custodia, & pedestris acies 40. millia sequebantur. Hyrcani deinde Medique equites: his proximi cæterarum gentium ultra eos dextrà lævâque dispositi. Hoc agmen, sicut dictum est instructum, sex millia jaculatorum funditorumque antecedebant. Quidquid in illis angustiis adiri poterat, impleverant copiæ; cornuáque hinc ab jugo, illinc a mari stabant: uxorem matrémque Regis, & alium feminarum gregem, in medium agmen acceperant.* Callisthenes, qui prælio ipse interfuit, equites 30000. & auxiliares totidem in phalangem compositos fuisse significat: quem Polybius libro 12°, in Alexandri exercitu pedites 42000. & equites 5000. ponens, multa absurda præ rei militaris & artis Tacticæ imperitiâ in hujus prælii descriptione temerè effutiisse demonstrat.

Cùm de educendo in aciem exercitu Alexandrum Hephæstio moniturus, per imprudentiam ἰσχὰν βασιλεῦ, pro χαῖρε, dixisset, conturbatis qui aderant, atque ipso Hephæstione contremiscente, [ac si Regem ut dubiæ sanitatis hominem notavisset;] *Accipio omen*, respondit Alexander; *nam nos salvos è pugnâ reversuros esse, hoc verbum mihi nunc polliceatur.* Refert hoc in epistolâ ad Antipatrum Eumenes Cardianus; qui præsens tùm adfuit, & in eundem errorem ipse quoque est lapsus. [*apud. Lucian. ὁ τῷ περὶ τῦ ὸν τῷ προσαγορεύσει πλαίσματος.*]

Pugnam hanc commissam fuisse, archonte Athenis *Nicostrato* (vel *Nicocrate*, ut apud Diodorum est, anno 4. Olympiadis CXL) mense *Munichione*, (cujus neomenia in 28. Octobris Juliam incidit:) atque in eâ, inter Persas, 10. equitum millia & peditum ad 90. millia cecidisse, scribit Arrianus. Cum quo in equitum cæsorum numero reliqui consentiunt: in peditum, & ab illo & inter se, maximoperè dissentientes. Nam 61. eorum millia numerat Justinus, 80. Orosius, 100. Curtius, plus 120. Diodorus Siculus. Plutarchus universè 110. militum millia cecidisse significat: 40. millia fuisse capta, Justinus & Orosius. At ex parte Alexandri quatuor & quingenti saucii fuere; triginta omninò & duo ex peditibus desiderati sunt; equitum centum quinquaginta interfecti: ut apud Curtium legitur. Cum quo de equitum numero similiter consen-

tiunt

tiunt Plutarchus, Justinus & Orosius: licèt ex pedestribus, ad 300 Diodorus, 130 tantùm cecidisse duo reliqui retulerint.

Ptolemæus Lagi filius, qui tum temporis Alexandrum cum suis Darium insequentem comitatus erat, author est, quum instructâ phalange insequerentur, super strata hostium cadavera phalangem transisse. (*apud Arrian. lib.* 2.) Alexandrum autem haud amplius quàm mille equites sequebantur; cùm ingens multitudo hostium caderet. [*Curt. lib.* 3. *cap.* 12.] Sed equa, cui ex curru excussus insedit Darius, relicti domi pulli recordata, tantam celeritatem adhibuit, ut ab insequentium periculo eum liberaret. (*Ælian. Histor. Animal. lib.* 6. *cap.* 48.)

Alexander, diu Darium persequendo fatigatus, postquàm & nox appetebat, & consequendi spes non erat, 200 stadia emensus, circa mediam noctem in castra, paulò antè à suis capta, pervenit. [*Diodor. & Curt.*] In iis capta est Darii mater (Diodoro *Sisygambris*, Curtio *Syssigambis* dicta) uxor (eademque soror, ut Justinus ait) cum filio (Ocho, nondum sexrum ætatis annum egresso, ut Curtius notat) & filiabus duabus (adultis virginibus: circum quas aliæ principum virorum uxores erant non multæ. Alii enim Persæ uxores suas cum impedimentis Damascum miserant. siquidem & Darius majorem pecuniarum partem, & quæcunque ad magnificum apparatum pertinentia reges etiam militantes comitari solent, Damascum miserat: adeò ut in exercitu ultra tria millia talentorum inventa non fuerint. [*Arrian.*]

Reginas Alexander Hephæstione comite cum primâ luce adivit: & Darii matri Hephæstionem pro Rege salutanti atque errorem deprecanti, *Etiam hunc Alexandrum esse*, comiter respondit. [*Diodor. Curt. Arrian.*] tam paucis verbis (ut est apud Valerium Maximum, lib. 4. cap. 7.) se cum comite suo partitus. Mulieribus verò regiis omnem cultum & ornatum, quem cum Dario habuerant, restituit auxitque: neque eas dedecus ullum à quoquam pati passus est. [*Iid. cum Plutarcho, lib.* 2. *de fortun. Alexand.*]

Darius fugiendo *Vsches* pervenit (*Sochos*, ut videtur, quas à pylis Amanicis duorum stathmorum intervallo dissitas fuisse, ex Arriano suprà audivimus:) ubi Persas exterósque qui ex prælio evaserant recolligens, cum quatuor eorum millibus Thapsacum contendit; ut quàm citissimè posset Euphratem inter se atque Alexandrum medium relinqueret. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 1. *Arrian. lib.* 2.]

Amyntas Antiochi & Thymodes Mentoris filius, & Aristomedes Pheræus & Bianor Acarnan, omnes transfugæ, fugientes Tripolim Phœniciæ pervenerunt, octo circiter militum millia habentes. Ibi sumptis navibus recèns in navale subductis, quibus anteà è Lesbo transvecti fuerant (tot ac sibi ad vecturam sufficere viderentur in mare protractis, reliquisque in navali succensis, ne celeriter eos insequendi facultatem suppeditarent) in Cyprum fugerunt, atque inde in Ægyptum. [*Arrian. ibid. cum Diodoro, ad ann.* 1. *Olymp.* 112. *& Curtio, lib.* 4. *cap.* 1.]

Alexander Balacrum Nicanoris filium, unum ex regiis corporis custodibus, Ciliciæ satrapam designans; custodiæ corporis in ejus locum Menetem Dionysii filium suffecit. Polyperchonti Simæi filio agmen Ptolemæi Seleuci filii (qui in prælio ceciderat) ducendum dedit. Solensibus 50 talenta, quæ adhuc reliqua erant ex summâ quam iis imperârat, remisit, & obsides reddidit. (*Id. ibid.*) Tribus aris in ripâ Pinari amnis Jovi atque Herculi Minervæque sacratis, Syriam petiit; Damascum, ubi Darii gaza erat, Parmenione præmisso. [*Curt. lib.* 3. *cap.* 25.] cum quo illuc Thessalos equites, quòd eorum fortissimâ operâ usus in prælio fuisset, ex composito quò diteścerent, misit. (*Plutarch. in Alexand.*)

Parmenioni cò proficiscenti traditæ sunt literæ à præfecto Damasci ad Alexandrum, de urbe ipsi prodendâ, scriptæ. Quarto die ad urbem pervenit: quando proditor, quasi parum munimentis opidi fidens, ante Solis ortum pecuniam regiam (gazam Persæ vocant) cum pretiosissimis rerum efferri jubet, fugam simulans, reverà ut prædam hosti offerret. quo tempore procella subitò nivem effuderat, & humus rigebat gelu. Inter fœminas tum fugientes & captas, erant tres virgines Ochi (qui ante Darium regnaverat) filiæ, uxor quoque ejusdem Ochi, Oxatrisque (frater hic erat Darii) filia; & conjunx Artabani principis purpuratorum, & filius, cui Ilioneo fuit nomen. Pharnabazi quoque, cui summum imperium maritimæ oræ Rex dederat, uxor cum filio excepta est. Mentoris filiæ tres, ac nobilissimi ducis Memnonis conjunx & filius: vixque ulla domus purpurari fuit tantæ cladis expers. [*Id. ibid.*] Ipse Parmenio in Epistolâ ad Alexandrum, captas hìc, à se narrat pellices regias quæ callerent musicam 329. coronarum textores 46. obsonii parandi artifices 277. qui in illis coquerent 29. lactarios 13. qui pocula conficerent 17. apothecis vini præfectos cellarios 70. unguentarios 40. (*Athen. Dipnosoph. lib.* 13. *cap.* 9.)

Summa signatæ pecuniæ ibi repertæ fuit talentorum 2600, facti argenti pondus 500 æquabat. Præterea triginta millia hominum, cum septem millibus jumentorum dorso onera portantium capta sunt. [*Curt. lib.* 3. *cap.* 25.]

Proditorem (qui Cophenes ille fuisse videtur, per quem pecuniam suam Damascum misisse Darium Arrianus memorat) unus è conscìis ejus interfecit; & caput ad Darium tulit. [*Curt. ibid.*]

Syriæ quam Cœlen vocant Parmenionem (ut Curtius) vel Menonem Cerdiman (ut Arrianus vult) satrapam constituit: equitatu auxiliariorum ipsi in præsidium provinciæ commisso. Novum imperium Syri, nondum belli cladibus satis domiti, aspernabantur: sed celeriter subacti, obedienter imperata fecerunt. [*Arrian. lib.* 2. *Curt. lib.* 4. *cap.* 1.]

Parmenionem Alexander ad occupandam Persicam classem, aliósque amicos ad recipiendas Asiæ civitates misit: quæ statim auditâ famâ victoriæ (ad Issum partæ,) ipsis Darii præfectis, cum auri magno pondere tradentibus se, in potestatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiscitur: ubi obvios cum insulis multos Orientis reges habuit. Ex his pro meritis singulorum alios in societatem recepit: aliis regnum ademit, suffectis in loca eorum novis regibus. [*Justin. lib.* 11. *cap.* 10.]

Aradi insulæ, oræque maritimæ & plerorumque longius etiam à mari recedentium, rex tùm erat Gerostratus: qui, ut & alii Phœnicum ac Cypriorum reges, naves suas cum Autophradate classis Darii præfecto conjunxerat. Hujus filius (Aradiorum, absente patre, Prorex) Strato, in Phœniciam proficiscenti Alexandro factus obvius, auream coronam capiti ejus imposuit, Aradum & Marathum (ex adverso insulæ in continente sitam, urbem magnam atque opulentam) & Mariammen urbem, cæteráque omnia quæ ad ipsorum ditionem pertinebant, ei tradidit. [*Arrian. lib.* 2. *cum Curtio, lib.* 4. *cap.* 1.]

Eo in fidem accepto, Alexander ad urbem Marathon castra movit. Ibi illi literæ à Dario redduntur, ut redimendarum sibi captivarum potestatem faceret. Quibus aliâ epistolâ Alexander respondit: ad quam perferendam Thersippus missus. [*Justin. lib.* 11. *cap.* 12. *Curt. lib.* 4. *cap.* 1. *Arrian. lib.* 2. *Diodor. Olymp.* 111. *ann.* 4.] Legatos autem Græcorum qui ad Darium ante prælium advenerant, quum Damasci captos audiret Alexander, ad se mitti jussit. Ex quibus Thebanos Thessalicum Himenii filium & Dionysodorum olympionicem, atque Atheniensem Iphicratem, celebris illius ducis Iphicratis filium, statim dimisit: Euthyclem verò Lacedæmonium, primùm quidem in custodiam (citra vincula tamen) tradidit; sed posteà, ubi res magnæ prosperè successerunt, dimisit. [*Arrian. ibid.*]

Marathe movens Alexander, Byblum pactionibus traditam cepit. Sidonem etiam, (ab Ocho non ita pridem tam malè habitam) Sidoniis ipsis odio Persarum & Darii eum accersentibus. [*Id. ibid. Curt. lib.* 4. *cap.* 1. Regnabat in eâ Strato: cui, quòd deditionem magis popularium quàm suâ sponte fecerat, Alexander regnum ademit. ejus loco Abdalonymum quendam, suburbanum hortum exiguâ colentem stipe, regem constituit: eique non Stratonis modò regiam supellectilem, sed pleraque etiam ex Persicâ prædâ tribuit; regionem quoque urbi appositam ditioni ejus adjiciens. [*Curt. ibid. Justin. lib.* 11. *cap.* 10.] *Alynomum* hunc Plutarchus (lib. 2. de fortunâ Alexandri) appellat, & regem *Paphi*; *Ballonymum* Diodorus, & *Tyri* regem ab Alexandro factum narrat.

Jam tota Syria, jam Phœnicia quoque exceptâ Tyro, Macedonum erant: habebátque rex castra in continenti, à quo urbem angustum fretum dirimit. Tirii coronam auream magni ponderis per legatos, in titulum gratulationis, Alexandro miserunt; commeatúsque large & hospitaliter ex oppido adduxerunt. Ille dona, ut ab amicis, accipi jussit: benignéque legatos allocutus, Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda dixit. Cùm legati responderent, esse templum Herculis extra urbem, in eâ sede quam Palætyron sive veterem Tyrum ipsi vocant; ibique in antiquiore templo rectiùs id eum esse facturum: in deprecantes ejus introitum ita exarsit, ut urbi excidium minaretur. Eò Carthaginensium legati ad celebrandum sacrum anniversarium more patrio tunc venerant: quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti. Hortati ergo Pœni cœperunt, ut obsidionem forti animo paterentur, brevi Carthagine auxilia venturæ: namque eâ tempestate magnâ ex parte Punicis classibus maria obsidebantur. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 5. *&* 6. *Justin. lib.* 11. *cap.* 10.]

Ita bello decreto, Tyrus septem mensium continuam obsidionem pertulit. [*Diodor. ad Olymp.* 112. *ann.* 1. *Joseph lib.* 11. *Antiquit. cap. ult. Curt. lib.* 4. *cap.* 15. *Plutarch. in Alexandro.*] 4382 332
rege eorum Azelmico tùm absente, & (filio in urbe relicto) cum Autophradate navigante. [*Arrian. lib.* 2.]

Palætyrum sive antiquam Tyrum confestim demolitur Alexander: magnáque vi saxorum per fossas, & universos urbium vicinarum quos acciverat incolas, inde abducta atque in mare injecta, molem jacere aggreditur, quæ insulam in quâ nova Tyrus sita erat cum continente, à quo stadiorum quatuor (ut cum Diodoro agnoscit Curtius libro 4. cap. 5. vel 700 etiam passuum, ut libro 5. cap. 19. Plinius vult) intervallo erat dissita conjungeret. [*Diodor. ut supr. Curt. lib.* 4. *cap.* 8.]

Amyntas Antiochi filius, cum quatuor millibus Græcorum conductitiorum qui cum ipso ex prælio Issico (in quo Sabaces Perticus Ægypti prætor cecidit) anfugerant, è Cypro ad Pelusii ostium navigat: urbéque potitur, à Dario missum eò se præfectum esse simulans; quòd Satrapes, Ægypti provinciam administrans, in Cilicià Persis militans occubuisset. Inde Memphin copias ille promovit: ad cujus famam Ægyptii ex vicis urbibúsque suis undique concurrentes, adversùs Persas illi se conjunxerunt. Persas Memphis præsidiarios prælio superatos in urbem compulit: qui non multò pòst Mazacis præfecti consilio ex urbe iterùm erumpentes, solutis ordinibus ad prædam delapsos & victoriæ fiduciâ incautos adorti, ad unum omnes cum ipso duce Amyntâ occiderunt. [*Curt. lib.* 3. *cap.* 22. *& lib.* 4. *cap.* 3.]

Darii prætores qui prælio apud Issum superfuerant, cum omni manu quæ fugientes secuta erat, assumptâ etiam Cappadocum & Paphlagonum juventute, Lydiam recuperare tentabant. Sed Antigonus prætor Alexandri, tribus prœliis aliâ atque aliâ regione commissis, eos fudit. Eodem quoque tempore classis Macedonum ex Græciâ accita, Aristomenem, qui ad Hellesponti oram recuperandum à Dario erat missus, captis ejus aut demersis navibus, superavit. [*Diodor. ad ann.* 1. *Olymp.* 111. *Curt. lib.* 4. *cap.* 4.]

Tyrum obsidens Alexander, scriptis ad Jaddum Judæorum Pontificem literis, auxilium & commeatum & tributum, quod priùs Dario pendere solebat, ab eo postulavit. Pontifice verò nuntiis respondente, juramento se obligatum Dario, idque transgredi se non posse quamdiu ille vixerit: iratus Alexander, se Tyro captâ contra Pontificem esse venturum minatus est. [*Joseph. lib.* 11. *Antiq. cap. ult.*]

Ad eundem, Tyri oppugnationem jam incipientem, Sanaballates Cuthæus, à Dario defi-
ciens, cum octo suorum millibus se contulit. A quo libenter acceptus, petiit ut per eum liceret Templum in suâ provincia excitare, cui generum suum Manassem Jaddi fratrem Pontificem præ-
ficeret.

3672 ficeret. Quod ubi impetratum est, omni ope adnitens, (utpote jam senior, & morti propinquus) Templum ædificavit, & Manassem ejus Sacerdotem constituit; amplissimum hunc honorem filiæ suæ posteris relicturum se existimans. [*Id. ibid. & lib.* 13. *cap.* 17.]

Alexander latiorem in continente aggerem ad oppugnandam Tyrum moliri orsus, novas machinas fabricari jubet. Quibus jam confectis, ipse cum scutatis & Agrianis Sidonem movit, triremes quotquot ibi habebat contracturus: quòd difficilis admodum urbis expugnatio videretur, Tyriis mare obtinentibus. [*Arrian. lib.* 2.]

Inter hæc Gerostratus Aradi, & Enulus Byblioram rex, certiores facti urbes suas ab Alexandro captas, deserto Autophradate & quas ille ducebat navibus, ad Alexandrum cum suâ classe venerunt, unáque cum iis etiam Sidoniorum triremes: ita ut ad 80 Phœnicum naves Alexander jam haberet. Per eosdem dies etiam ex Rhodo triremes appulere; in quibus una peripolus dicta, & cum hac aliæ novem: ex Solis etiam & Mallo tres; ex Lyciâ decem. Ex Macedoniâ quoque navis una 50 remorum; cui præfectus erat Proteas Andronici filius. Neque multò pòst etiam Cypri reges 120 navibus Sidonem venerunt; clade quam Darius apud Issum acceperat auditâ, eâ etiam re territi quòd tota Phœnicia in Alexandri potestatem venisset. Iis omnibus Alexander præterita errata ignovit; quòd necessitate potiùs quàm suâ ipsorum voluntate classem cum Persis junxissent. [*Id. ibid.*] Autophradate quoque relicto, Azelmicus Tyri rex ad urbem suam jam obsessam rediit: in quâ & captum eum posteà fuisse, Arrianus indicat.

In Libano monte, unde materies ratibus & turribus faciendis Alexandro vehebatur, Arabum agrestes, incompositos Macedonas adorti, triginta ferè interficiunt, paucioribus captis. Alexander, Perdiccâ Craterôque (vel Parmenione, ut Polyænus innuit) ad obsidionem Tyri relictis, expeditâ manu Arabiam petiit. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 8.] In *Arabiam* eum excurrisse, notat etiam in quarto Strategematum libro Polyænus. quod Arrianus clariùs explicat: quando illum cum aliquot equitum turmis atque scutariis, Agrianis, & sagittariis in *Arabiam* contendisse scribit, *ad montem cui Antilibano nomen est*: & Plutarchus, ἐπὶ τὰς ἄρκτους τὰς προσοικούσας τῷ Ἀντιλιβάνῳ, *in Arabas qui Antilibanum accolunt*, eum movisse narrans.

Postquàm jam ad montana pervenit, ac relictis equis iter pedibus fecit, aliis longiùs progressis, ipse nocte ingruente atque non longè ab hostibus sessum & fatiscentem Lysimachum pædagogum deserere non sustinens; dum excitat eum & trahit, ab exercitu imprudens cum paucis est divulsus, noctémque in tenebris & acri gelu loco iniquo agere coactus est. Cernens autem procul multos ignes ab hostibus accensos, fretus agilitate corporis, ut Macedonum suorum incommodo mederetur, ad proximum accurrit ignem, & duobus barbaris assidentibus ense cæsis, torrem abreptum ad suos illos paucos pertulit: qui magno statim igne accenso, tantum terrorem barbaris injecerunt, ut noctem illam tutò transegerint. Hæc ex Charete (Mitylenæo, rerum Alexandri scriptore) Plutarchus retulit.

Eâ regione partim vi subactâ, partim pactionibus in suam potestatem redactâ, undecim dierum spatio Alexander Sidonem est reversus: ubi Alexandrum Polemocratis filium ex Peloponneso cum Græcorum mercenariorum quatuor millibus venientem reperit. [*Arrian. lib.* 2.]

Paratâ jam classe (navium 190 ut Curtius, vel 200 ut Diodorus numerat,) Alexander ex Sidone solvens, Tyrum instructâ acie navigat. In dextro cornu ipse erat, regiâ quinqueremi vectus: simúlque Cypriorum reges, reliquíque Phœnices, excepto Pnytagorâ sive Pythagorâ Cypriorum rege. Nam hic & Craterus lævum totius aciei cornu tenebat. [*Arrian. ibid. Curt. lib.* 4. *cap.* 10.]

c. Carthaginiensium legati 30. Tyrum venientes, domestico bello Pœnos impediri declarabant, quo minùs obsessis auxilium præstare possent. Non tamen defecêre animis Tyrii, quanquàm ab ingenti spe destituti erant: sed conjuges liberósque devehendos Carthaginem tradiderunt; fortiùs quicquid accideret laturi, si charissimum sui partem extra communis periculi sortem habuissent. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 11. *cum Diodoro, ad ann.* 2. *Olymp.* 112. *& Justino, lib.* 11. *cap.* 10.]

Cùm Apollo per insomnia urbe se excessurum significâsse diceretur: Tyrii superstitione inducti, catenis aureis simulacrum ejus, quod Syracusis (ut Curtius) vel Gelâ potiùs (ut ad annum Mundi 3599 ex Diodoro suprà notavimus) eò devexerant Pœni, in basi devinxêre; atque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo deo Apollinem retenturi, ejúsque ex urbe migrationem impediturí. [*Curt. & Diodor. ibid. Plutarch. in Alexandro.*]

Dum adhuc in obsidione Tyri versaretur Alexander, legati ad eum à Dario venerunt; *decem millia* (*decies centum millia*, in Valerio Maximo perperàm leguntur) talentûm pro matris, uxoris ac liberorum dimissione, omnémque regionem inter Hellespontum & Halyn amnem, unà cum filiæ matrimonio, illi offerentes. Quâ legatione in amicorum conventu explicatâ, Parmenionem dixisse ferunt; se quidem, si Alexander esset, eas conditiones accepturum: Alexandrum verò respondisse; & se, si Parmenio esset, ita facturum. Sed Dario, sua sibi dari, rescripsit; jussitque supplicem venire, & regni arbitria victori permittere. (*Arrian. lib.* 2. *cum Justino, lib.* 11. *cap.* 12. *Curtio, lib.* 4. *cap.* 26. *Plutarcho, in Apophthegmatib. & Alexandro, ac Valer. Maxim. lib.* 6. *cap.* 4.)

Tyrus capta est, archonte Athenis *Anicete* (vel *Niceratâ* potiùs, ut eum appellat Dionysius Halicarnassæus in Dinarcho) mense Hecatombæone: [*Arrian. lib.* 2. *pag.* 49.] in cujus medio Olympias CXII acta est. Ex Plutarcho verò, Loi Macedonici mensis die 30, Attici Hecatombæonis diei 5 & Julii Romani 24 respondente, in fine capitis quinti Dissertationis nostræ de Macedonum & Asianorum anno Solari, docuimus.

Urbem per proditionem fuisse captam Justinus, (*lib.* 11. *cap.* 10.) per stratagema Polyænus,

(*Stratagem.*

3672 (*Stratagem. lib.* 4.) per apertam vim Diodorus, Curtius & Arrianus narrant. Poſt captam autem urbem, oppidanos pugnam eò uſque continuaſſe, dum numero plures quàm 7000 conciderentur, Diodorus ſcribit.

Tyriorum octo millia interfecta, prodit Arrianus. Intra munimenta urbis ſex millia armatorum trucidata eſſe; & duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, per ingens littoris ſpatium pependiſſe, Curtius refert. Et juvenes quidem omnes, numero non infra 2000, Alexandrum ſuſpendiſſe Diodorus memorat. Omnes qui prælio ſuperfuerant, ob memoriam veteris cædis, crucibus eum affixiſſe Juſtinus affirmat: ſervili nimirùm crucis hoc ſupplicio idcirco eos afficientem, quòd Tyrii olim ſervi conſpiratione factâ, omnem liberum populum cum dominis interfeciſſent, ipſique rempublicam invaſiſſent; uni Stratoni ſeni filióque veniâ datâ, atque regno ipſi & poſteris ejus tradito.

De Alexandro verò Juſtinus addit. *Genus Stratonis inviolatum ſervavit, regnúmque ſtirpi ejus reſtituit*: (Ballonymo fortaſſe illo rege conſtituto, quem cum Abdalonymo Sidoniorum regulo Diodorus confudit:) *ingenuis & innoxiis incolis inſula attributis, ut, exſtirpato ſervili germine, genus urbis ex integro conderetur.* Atque *hoc modo Tyrios Alexandri auſpicus conditos* fuiſſe, ex Trogo Juſtinus aſſerit. [*lib.* 18. *cap.* 34.] Sed alii omnes everſorem, non conditorem Tyri eum faciunt: Eſaiæ quoque vaticinio conſentiente, c. XXIII. 1. [*collat. cum* I. *Maccab.* I. 1.] Si Curtio enim credimus: Alexander, exceptis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignémque tectis injici juſſit. Si Diodoro: imbellem ætatem fœmineúmque ſexum ſervituti addixit: tantâ ejuſmodi captivorum turbâ inventâ, ut quamvis maxima pars Carthaginem deportata eſſet, reliquorum tamen ultra 15 millia numerarentur. Si Arriano: iis quidem omnibus qui in templum Herculis confugerant (inter quos, præcipuos Tyriorum principes fuiſſe dicit, & regem Azelmicum, & Carthaginienſium legatos qui ex veteri conſuetudine in honorem Herculis ad Metropolim conveniebant) veniam conceſſit, reliquos verò in ſervitutem redegit; Tyriorum & exterorum qui ſupererant venditis 30 circiter millibus.

Sidonios tamen qui urbem inter victores intraverant, cognationis cum Tyriis memores, (quippe utramque urbem Agenorem condidiſſe credebant) 15 eorum millia furto ſubducta & in navigiis ſuis occultata Sidonem perduxiſſe; Tyrúmque *poſt excidium* renatam fuiſſe, ſcribit Curtius. [*lib.* 4. *cap.* 15.] Poſt cladem ab Alexandro acceptam, calamitates omnes ſuperaviſſe, & cùm navigationibus tum purpurarum capturâ ſe recollegiſſe, Strabo. [*lib.* 16. *pag.* 757.] *Parcimoniâ & labore quærendi citò convaluiſſe*; Juſtinus. [*lib.* 18. *cap.* 4.] & tam citò quidem; ut 18°. poſt plagam ab Alexandro acceptam anno, ut Antigono Aſiæ Domino eam denuò obſidenti non per 7 ſolùm (ut ſub Alexandro) ſed per ipſos 15 menſes reſtiterit. [*Diodor. lib.* 19. *ad Olymp.* 116. *ann.* 2.] Neque priore ſuâ inſulâ contenta, nunc Alexandri oppugnantis operibus continens effecta, ita terminos ſuos dilatavit: ut Plinii ætate oppidum ipſum 22 ſtadia obtinuerit, circuitus 19 paſſuum millia, intrà Palætyro inclusâ. [*Plin. lib.* 5. *cap.* 19.]

Admetus, qui primus murum ceperat, & cum eo ſcutari viginti, in ipſo occupatæ urbis impetu: in universâ verò obſidione, ex Macedonibus 400 ad ſummum ceciderunt. [*Arrian. lib.* 2.]

Alexander Herculi ſacrificium fecit, & pompam cum exercitu armato & navibus illi peregit: ludos quoque gymnicos in æde illius multis collucentibus facibus edidit. Navem etiam Tyriam illi ſacratam, quam navali incurſione ceperat, eidem cum inſcriptione dicavit. [*Id. Ibid.*] Apollinis verò ſimulacro aureas catenas & vincula detraxit; & Φιλαλέξανδρον, ſive Alexandri amicum, appellari juſſit. [*Diodor. Olymp.* 112. *ann.* 1.] Ejuſdémque nominis die, eadémque horâ (ut Timæus refert) quâ Carthaginienſes ſimulacrum illud Gelois abripuerunt, Græci magnifico ſacrificiorum munerúmque apparatu illi litârunt, quaſi ejus beneficio Tyrum expugnaſſent. [*Id. ad Olymp.* 93. *ann.* 4.]

Alexander captâ Tyro Judæam invadit. [*Euſeb. Chronic. cum Plin. lib.* 12. *cap.* 25.] & Syriam quæ Palæſtina vocatur in ſuam poteſtatem adduxit. [*Arrian. lib.* 2. *pag.* 50.] urbes, imperii jugum adhuc recuſantes, ipſe obiens. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 17.] Cùm verò Hieroſolymam, ſicut comminatus fuerat, peteret, Jaddus Pontifex, ejus iram timens, ad Deum pro ſalute publicâ ſupplicationibus ſacrificiiſque confugit: à quo per ſomnium eſt monitus, ut coronatâ urbe portas aperiret, ipſe cum ſacerdotibus ſolenni ſui ordinis ornatu ſumpto, populus autem obviam procederet candidatus. Id agmen è longinquo conſpicatus Alexander, ad Pontificem acceſſit ſolus; & adorato Deo, cujus nomen aureæ tiaræ laminæ cernebatur inſcriptum, prior ipſum ſalutavit. Ejúſque rei cauſam à Parmenione rogatus, reſpondit; in Macedoniâ adhuc, cogitanti ſibi de Aſiæ imperio, tali ſpecie & habitu qualem hîc cerneret viſum virum, authorem fuiſſe hujus expeditionis ſuſcipiendæ, & ſpem ſucceſſumque feciſſe. Inde ſacerdotibus deducentibus ingreſſus in urbem eſt, & aſcendens in Templum immolavit Deo ex Sacerdotis præſcripto: oſtenſóque ſibi Danielis libro, in quo Græcum quendam Perſas debellaturum ſignificat, (Dan. VIII. 7, 20, 21. & XI. 13.) hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, lætus dimiſit multitudinem. [*Joſeph. lib.* 11. *cap. ult.*]

Sequenti verò die vocatis eis juſſit ut quicquid vellent peterent. Petentibúſque ut patriis legibus vivere ſibi liceret, útque ſeptimo quoque anno (quo agri non conſerebantur) tributorum eis daretur immunitas; conceſſit omnia. Rogantibus deinde ut eos quoque Judæos qui Babyloniam ac Mediam colerent, ſineret legibus uti propriis; hîc etiam poſtulatis eorum ſatisfacturum ſe eſt pollicitus. (quum illorum ſc. locorum futurus eſſet Dominus.) Et cùm feciſſet eis poteſtatem, ſi qui vellent, ſalvis ſuis ritibus ſequi ejus militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina. Atque his apud Hieroſolymam actis, inde in alias propinquas urbes movens exercitum, ab omnibus amicè exceptus eſt. [*Id. ibid.*]

Samaritæ

Samaritæ quorum tunc metropolis erat Sicima, ſita ad montem Garizin & habitata à deſertoribus gentis Judaicæ, Alexandro penè in Hieroſolymitano agro, unà cum militibus quos ad eum Sanaballates miſerat, occurrunt: rogantes ut ipſiorum urbem inviſat, & quod apud eos erat Templum præſentiâ ſuâ honoret. quod ille pollicitus eſt, poſt reditum ſe facturum. Cúmque poſtularent ut ſeptimi anni tributum ſibi remitteretur; quòd in eo nec ipſi quoque ſererent: Hebræos ſe eſſe dicentibus, (utpote à Joſepho ejúſque filiis Manaſſe & Ephraimo oriundos) Judæos verò eſſe negantibus, rem ad ſuum reditum ille diſtulit. (*Id. ibid.*)

Ex prætoribus Alexandri, Callas Paphlagoniam (quæ poſt Iſſicum prælium defecerat,) Antigonus Lycaoniam, Balacrus Idarne præfecto Darii ſuperato Miletum recepit. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 17.]

Alexander Ciliciam Socrati tradiderat; Philotâ (Parmenionis filio) regioni circa Tyrum ji ſſo præſidere. Syriam quæ Cœle appellatur Andromacho Parmenio tradiderat, bello quod ſupererat interfuturus. Rex, Hephæſtione Phœnicis oram claſſe prætervehi juſſo, ad urbem Gazam cum omnibus copiis venit. [*Id. ibid.*] atque in eâ, Perſarum præſidiis defensâ, oppugnandâ duos menſes abſumpſit. (*Diodor. Olymp.* 112. *ann.* 1. *Joſeph. lib.* 11. *cap. ult.*)

Perſici præſidii ibi præfectus erat *Babemeſes* (ut Joſephus) vel *Batis* (ut Curtius & Arrianus eum appellant) eunuchus eximiæ in regem ſuum fidei: qui mercenariis Arabibus conductis, multóque antè frumento collecto, modico præſidio muros ingentis operis tuebatur.

Alexander duo in obſidione urbis vulnera accepit. Batis, ab eo captus, loro crudeliter per talos trajecto religatus ad currum & equis circa urbem rapearus eſt. Cecidere Perſarum Arabúmque circa decem millia: nec Macedonibus incruenta victoria fuit. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 10.] Alexander Gazenſium uxoribus & liberis in ſervitutem redactis, coloniáque ex finitimis in urbem deductâ, eo tanquàm præſidio ad bellum eſt uſus. (*Arrian. fin. lib.* 2.) Unde non ſimpliciter, ſed ratione prioris urbis ſtatûs habitâ, Strabonis illa de Gazâ verba ſunt accipienda. [*lib.* 16. *pag.* 759.] ἐνδόξως ποτὲ ᾠκησθη, κατεσκάφη δ' ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ μένουσα ἔρημος. *olim illuſtris fuit; ſed ab Alexandro diſſoluta, manet deſerta.* niſi poſteriorem Gazam alio in loco poſitam fuiſſe dicamus: quod, in libro de locis Hebraicis, ita affirmat Hieronymus. *Quæritur, quomodo in quodam Prophetâ dicatur Gaza futura in tumulum ſempiternum. Quod ſolvitur ita: antiqua civitatis locum vix fundamentorum præbere veſtigia; hanc autem quæ nunc cernitur, in alio loco pro illâ quæ corruit ædificatam.*

Alexander res ad Gazam exſecutus, Amyntam (Andromenis filium) cum decem triremibus in Macedoniam miſit; ut eximios quoſque juvenes ad militiam delectos inde ſecum adduceret. [*Diodor. ad Olymp.* 112. *ann.* 2. *Curt. lib.* 4. *cap.* 19.]

3673 *a.* Alexander inde in Ægyptum, quò primùm iter inſtituerat, contendens, ſeptimo poſtquàm Gazâ moverat die, in regionem Ægypti *caſtra Alexandri* poſteà vocatam & urbem Peluſium pervenit. [*Arrian. init. lib.* 3. *Curt. lib.* 4. *cap.* 20.] non, retro converſo itinere, Hieroſolymam (uti minùs conſideratè à Joſepho eſt traditum) Gazâ expugnatâ petiit.

Ægyptiorum ingens multitudo, Alexandri adventum expectans, Peluſium convenerat: qui Perſarum inſolentiâ, avaritiâ & ſacrilegio offenſi, animo lubente Macedones receperunt. [*Curt. ibid. Diodor. ad Olymp.* 112. *ann.* 2.]

Præſidio Peluſio impoſito, navibúſque adverſo flumine Memphim petere juſſis Alexander Heliopolim contendit, Nilum à dextrâ habens: oppidiſque quotquot in itinere erant deditione receptis, Heliopolim per deſerta pervenit. Inde, trajecto flumine, Memphim profectus eſt. [*Arrian. lib.* 3.] nec ſuſtinuerunt adventum ejus Perſæ, defectione Ægyptiorum perterriti. Jámque haud procul Memphi erat: cùm in ejus præſidio *Aſiaces* prætor Darii relictus octingenta talenta Alexandro omnémque regiam ſupellectilem tradidit: ut apud Curtium, lib. 4. cap. 20. legitur. in quem tamen *Aſiacis* nomen irrepſiſſe videtur, pro *Mazaeis*: quomodo & ipſe in quarto ejuſdem libri capite eum appellat; & Arrianus in lib. 3. initio. ubi *Mazaeum* Perſam, Ægypti ſatrapam à Dario conſtitutum, Alexandrum in provinciam atque urbes amicè recepiſſe narrat.

Memphi ſacrificiis, ludíſque gymnicis ac muſicis (ad quos præſtantiſſimi quique è Græciâ artifices convenêre) peractis, inde ſecundo flumine Alexander ad mare devectus eſt: ſcutatos & ſagittarios atque Agrianos, & regiam turmam equitum ſociorum navibus imponens. quúmque Canopum veniſſet; elegit urbi locum inter mare (Ægyptium) & Mariam (ſive Marcotidem) paludem, quam nomine ſuo Alexandriam appellari voluit. [*Arrian. lib.* 3.] in cujus parte eâ quæ mari & navalibus imminebat, poſitus erat vicus, cui *Rhacotis* nomen fuit. [*Strabo, lib.* 17. *pag.* 792. *Pauſan. in Eliac.* 1. *pag.* 169. *Tacit. Hiſtor. lib.* 4. *cap.* 84.]

Alexandriam condidit Alexander anno regni ſui, non 7°. (ut Euſebius in Chronico, & ex eo Cyrillus Alexandrinus in libro primo contra Julianum & Cedrenus referunt) ſed 5°, Olympiade CXII. (ut eſt apud Solinum, cap. 32.) & quidem anno ejus *primo*; non, ut apud Diodorum eſt, *ſecundo*, multóque minùs, ut apud Euſebium, *tertio*. Verum enim tempus Alexandriæ condi cœptæ, rerum inter Tyri expugnationem & pugnam ad Gaugamela geſtarum ſeries ignorare nos non ſinit. Unde & à 5°. anno Darii, & Thoth Nabonaſari 417 (qui in 14. Novembris Juliani incidit, currente Olympiadis CXII. anno 1°.) Ptolemæus Alexandrinus in Regum Canone annos *Alexandri*, quem (in Præfatione ἀρχηγὸν καλοῦσι, quorum pars eſt Canon ille) Alexandrinorum more τὸν Κτίσην ſive *Conditorem* ſuum nominat, deducit.

Urbem metatus eſt *Dinocrates* (quem Plutarchus tum in Vitâ tum in libro 2°. de fortunâ Alexandri *Staſicratem*, alii libri aliter nominant) nobilis ille architectus, cujus in Dianæ incenſo Templo reſtaurando Epheſii operâ ſunt uſi: alterum idcirco à conditore in memoriâ locum detinens. [*Strabo, lib.* 14. *pag.* 641. *Valer. Maxim. lib.* 1. *cap.* 4. *Vitruv. proem. lib.* 2. *Plin. lib.* 5. *cap.* 10. *& lib.* 7. *cap.* 37. *Solin. cap.* 32. *&* 40. *Ammian. Marcellin. lib.* 22.]

b. Tunc instare operi quibus id demandaverat jussis, ad Jovis Hammonis oraculum Alexander profectus est. [*Plutarch. in Alexandro, cum Arrian. lib.* 3.] ambitione quâdam inductus, quòd Perseum & Herculem priùs eò adscendisse intelligeret: ut in ejus historiâ narrat Callisthenes. [*apud Strabon. lib.* 17. *pag.* 814.]

Parætonium igitur usque secus mare per solitudinem profectus, sed non omninò inaquosam, per 1600. stadia iter fecit: ut tradit Aristobulus. [*apud Arrian. lib.* 3. *pag.* 53.] | 4383 | 331

Circa itineris medium, legati Cyrenensium illi occurrerunt, coronam afferentes cum donis magnificis: inter quæ 300. equi erant ad bella condocefacti, & 5. quadrigæ de præstantissimis. Quibus acceptis, amicitiam & societatem cum illis junxit. [*Diodor. ad Olymp.* 111. *ann.* 2.]

Dum Parætonio Mesogæam, ubi Hammonis templum est, per siticulosas arenas pertenderet, & austrinis incidentibus flatibus per pulverem vagaretur; imbrium superventu, & duorum corvorum ductu, servatum esse narrat Callisthenes. (*apud Strabon. ut supr.*) illâ quoque additâ fabellâ: corvos illos vocibus & crocitu, si qui nocte aberrarent, revocasse atque ad vestigium viæ reduxisse. (*Id. apud Plutarch. in Alexandro.*) Ptolemæus Lagi filius dicit dracones duos, clamore edito, agmen præcessisse, eósque in oraculi sedem & duxisse & reduxisse. Sed Aristobulus (cui plures assentiuntur) duos corvos ante exercitum volitasse scribit, eósque Alexandro itineris duces extitisse. (*Arrian. lib.* 3.)

Ad amaram (ut nominant) paludem deveniens, atque inde stadiis 100. superatis, urbes Hammonis nomine celebres præteriens, hinc unius diei itinere peracto ad Hammonis lucum & templum pervenit. [*Diodor. ut supr.*]

Ibi, quum subornasset antistites, quid sibi responderi vellet; hi templum ingredientem statim Hammonis filium salutant. (*Justin. lib.* 11. *cap.* 11.) Ita certus Alexander fuit, nobisque prodidit, diis ipsis mutis & surdis, vel in potestate esse antistitis quid velit fingere; vel in voluntate consulentis, quid malit audire. (*Oros. lib.* 3. *cap.* 16.)

Soli Regi Sacerdotem concessisse, ut in Templum ingrederetur habitu consueto, (cæteris omnibus vestem mutare & foris oraculum adire jussis:) atque alia quidem magnâ ex parte nutu & signis, hoc verò expressis verbis cum Regi dixisse, esse ipsum Jovis filium; scripsit Callisthenes. (*apud Strabon. ut supr.*) Ipse verò in epistolâ ad matrem Alexander oracula quædam sibi ait arcana reddita, quæ reversus soli ei relaturus esset. (*Plutarch. in Alexandro.*)

Idem, vel in eâdem vel in aliâ ad matrem epistolâ (quam & à Tertulliano, in lib. de Pallio cap. 3. citatam fuisse non dubito) à magno antistite sacrorum Ægyptiorum quodam Leone secretum sibi proditum retulit; quòd Dii homines quondam fuerint; & in eorum cultu majorum & regum suorum memoriam gentes servaverint. (*Augustin. de Civit. Dei, lib.* 8. *cap.* 5. *&* 27. *& de consens. Evangelist. lib.* 1. *cap.* 23. *Minutius Felix in Octavio; cum Cypriano, de idolor. vanitate.*) Et quum in fronte epistolæ suæ ita is scripsisset: *Rex Alexander, Jovis Hammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit:* scitè rescripsit illa ad hanc sententiam. *Amabo mi fili ne quæsas, neque deferas me, neque criminere adversùm Junonem. Malum mihi profectò illa magnum dabit, quum tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris.* (M. Varro, in libro cui titulus *Orestes vel de insaniâ*; apud *A. Gell. lib.* 13. *cap.* 4.)

Alexander accepto responso sibi (ut dicebat) grato, in Ægyptum rediit: eodem, ut Aristobulus author est, quo venerat itinere, ut verò Ptolemæus scribit, rectiore viâ Memphim versùs. (*Arrian. lib.* 3.)

Quum Memphim pervenisset, novæ ad eum accessêrunt copiæ: ab Antipatro mercenarii Græci 400, quibus præerat Menœtas Hegesandri filius; ex Thraciâ equites circiter 500, quibus præfectus erat Asclepiodorus Eunici filius. Eo loci Jovi regi sacrificavit, donáque cum exercitu armato misit: ludos etiam gymnicos & musicos exhibuit. (*Id ibid.*)

Finitimis urbibus commigrare Alexandriam jussis, novam urbem magnâ multitudine implevit, & caput Ægypti esse jussit. (*Curt. lib.* 4. *cap.* 21. *Justin. lib.* 11. *cap.* 11.] Ad quam coloniam Judæos etiam devocavit: quorum virtutem approbans, & fide dignos inveniens, *χάριν τῆς συμμαχίας ἴσον τὸ μετοικεῖν ἐξ ἴσου τοῖς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρὸς Ἕλληνας*, *societatis præmium eis dedit jus civitatis æquale cum Græcis*; ità ut eorum ibi tribus, non *Alexandrinorum* solùm, sed etiam *Macedonum* appellationem sortita fuerit. (*Joseph. lib.* 2. *de Bello, καλ.* *pag.* 816. *& lib.* 2. *contr. Apion. pag.* 1063. *edit. Græco-latin.*) * Huc referatur Philonis locus de Bruchio Alexandriæ parte Judæis assignatâ &c. (ut in meis de Alexandria condita Collectaneis.)

Alexander quoque Sanaballatis Cuthæi militibus, quos secum in Ægyptum jusserat, agros in Thebaide divisit: custodiâ regionis illius eis relictâ. [*Joseph. Antiquit. lib.* 11. *cap. ult.*]

Cupiditate tenebatur ipse non interiora modò Ægypti, sed etiam Æthiopiam invisendi: sed immanem à Dario bellum otiosæ peregrinationi tempora exemit. Itaque Ægypto præfecit Æschylum Rhodium & Peucesten Macedonem, quatuor millibus militum in præsidium regionis ejus datis: Claustra Nili fluminis Polemonem tueri jussit; 30. ad hoc triremibus datis. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 21.] Et terrestribus quidem copiis quas in Ægypto reliquerat, duces illum præfecisse Peucestem Macartati & Balacrum Amyntæ filium, classi (quæ Nili ostia & Ægyptium pelagus tueretur) Polemonem Theramenis filium, Arrianus affirmat. Civilem verò universæ Ægypti administrationem Doloaspi Ægyptio commisisse eum significat.

Africæ, quæ Ægypto juncta est, præpositum fuisse Apollonium, vectigalibus ejusdem Africæ Ægyptique Cleomenem, scribit Curtius: atque in eandem sententiam Arrianus, Lybyæ finitimæ (Ægypto ad Occidentem) Alexandrum præfecisse Apollonium Charini filium, Arabiæ verò quæ est ad urbem Heroum (ad Orientem, quâ Petrææ Arabiæ Ægyptus est contermina) Cleomenem; mandato dato, ut huic tributa penderentur, legum autem imperium juxtà veterem consuetudinem penès præfides esset. Apud Aristotelem in 2°. Oeconomicorum libro,

... Κλεομένης

3673 Κλεομένης Ἀλεξανδρείας Λιγύπτου ἐπαρχιῶν, apud Arrianum in 3°. historiæ Alexandri, Ἐπαυπάρητος ille fuisse legitur. Sed in hoc, τὸν ἐκ Ναυκράτιος sive Ναυκρατῖτον, in illo, Ἀλεξανδρείας Λιγύπτου ἐπαρχιῶν, restituendum censet sagacissimus Freinshemius: ut Naucratis (Milesiorum in Ægypto coloniæ) civis ille fuerit, Alexandriæ satrapa. Hujus enim porrò ædificandæ & colonis complendæ curam illi fuisse commissam, partim ex Aristotele intelligitur, qui ab Alexandro illi injunctum narrat, ut *urbem juxta Pharum* (7. stadiorum freto ab Alexandriâ dirempta ea est) *incolis frequentaret, & emporium quod priùs Canopi fuerat eò transferret*; partim ex Justino, qui Cleomenem *Alexandriam ædificavisse*, in lib. 13. cap. 4. disertè asserit. Quò spectat & Alexandri anno post hunc octavo ad ipsum scripta epistola: quâ Hephæstioni mortuo templum cùm in urbe Alexandrinâ tum in Pharo insulâ exædificari mandabat; & tabulis contractuum quoscunque negotiatores inter se conficerent nomen illius inscribi. Refert Arrianus, in libro historiæ suæ 7°: ubi Cleomenem hunc improbum hominem fuisse refert; & multis Ægyptios injuriis affecisse.

Alexandrum, cùm secundo Nilo deflueret, assequi cupiens Hector Parmenionis filius, eximio ætatis flore, in paucis Regi charus, parvum navigium conscendit, pluribus quàm capere posset impositis: indeque mersâ nave perlit. Rex amissi ejus desiderio vehementer afflictus est, repertúmque corpus magnifico extulit funere. (*Curt. lib. 4. cap. 22.*)

Oneravit hunc dolorem nuncius mortis Andromachi, quem præfecerat Syriæ. Eum vivum Samaritæ cremaverant. Atque ad ejus interitum vindicandum, quantâ maximè celeritate potuit, Alexander contendit. (*Id. ibid.*)

6. Alexander igitur, Nilo flumine ejúsque anfractibus omnibus circa Memphim ponte stratis, ineunte vere Memphi in Phœniciam movit. [*Arrian. lib. 3. pag. 55.*] In itinere, traditis illi qui prætorem intercemerant & supplicio affectis, in Andromachi locum Memnona substituit. [*Curt. lib. 4. cap. 22.*] Samariam urbem captam Macedonibus ad inhabitandum tradidit; ut habet Eusebius (& ex eo Cedrenus) in Chronico: regionem verò Samaritidem Judæis, ob fidem ab eis illi præstitam, à tributi pensione immunem adjecit; ut ex Hecatæo Abderitâ refert Josephus. [*lib. 2. contr. Apion. pag. 1063.*] Templum tamen in Garizin monte situm mansit incolume: & si quis apud Hierosolymitas aut illiciti cibi sumpti, aut violati Sabbati, aut similis criminis reus ageretur: ad Sicimitas confugiebat, calumniam se pallium dictitans. [*Joseph. Antiquit. lib. 11. cap. ult.*] cujusmodi non hîc solùm, sed in Ægypto etiam inter Alexandrinos Judæos & Samaritas, ob diversum utriusque Templi cultum, simultates deinceps exiterunt. [*ut apud eundem libro 12. cap. 1. & lib. 13. cap. 6. videre licet.*]

Alexander Tyrum perveniens classem, quam præmiserat, ibi reperit: & Herculi rursùs sacrificavit, ludósque gymnicos & musicos edidit. [*Arrian. lib. 3.*] In eis Cypriorum reges erant choragi: ex quibus, ad histriones maximè conspicuos exhibendos, sorte delecti; Nicocreon Salaminius Thessalum protulit, cui ipse favebat Alexander, Pasicrates verò Solius Athenodorum, qui victor suffragiis est renunciatus. [*Plutarch. in Alexandro.*] Cypriorum autem reges, à Dario ad Alexandrum deficientes, jam antèa Tyrum oppugnanti classem miserant: indéque jam illis pro merito honor ab eo est habitus. [*Curt. lib. 4. cap. 22.*] De Nicocreonte tamen in cœnâ ad Alexandrum dixisse ferunt Anaxarchum Abderitam philosophum, (ut in Vitâ ejus habet Laërtius) oportuisse etiam caput satrapæ cujusdam illic apponi: quod dictum crudelissimæ mortis causa illi posteà extitit.

Tributis colligendis in Phœniciâ Cæranum Berrhœum Alexander quæstorem constituit; in Asiâ Philoxenum, qui trans Taurum vectigalia cogeret. Pecuniarum autem quas penès se habebat Harpalo, in horum locum suffecto, curam dedit. In Lydiam Menandrum unum ex sociis satrapam misit; Clearcho exteris, quorum dux erat Menander, suffecto. In Arimmæ locum Asclepiodorum Eunici filium Syriæ satrapam constituit. [*Arrian. lib. 3.*]

His compositis, Alexander Herculi Tyrio ex auro craterem cum triginta pateris dicavit: imminénsque Dario, iter ad Euphratem pronunciari jussit. [*Curt. lib. 4. cap. 22.*]

Ut ad Darium fama pervenit, Alexandrum eum, quamcunque adisset regionem, esse petiturum; omnia longinquarum gentium auxilia Babylonem contrahi jussit. Cúmque dimidio fermè major esset exercitus, quàm qui in Ciliciâ (ad Issum) fuerat; multis arma deerant: quæ summâ curâ comparabantur. [*Curt. lib. 4. cap. 22.*] Unde mendosos apud Curtium numeros esse liquet, [*ibid. cap. 27.*] ubi summa totius exercitûs, equitum 45. millium & peditum 100. millium fuisse legitur: quum longè plures Dario in Issicâ pugnâ adfuisse constet. Minórque etiam justo numerus est ille, qui apud Justinum [*lib. 11. cap. 12.*] & Orosium [*lib. 3. cap. 17.*] cernitur: 400. (vel 404, ut est apud Orosium) millium peditum, & 100. millium equitum. Plutarchus, in *Alexandro*, 10. myriadas (100. myriades, in *Apophthegmatibus* quidem, vitiosè omninò, habentur) sive millena millia numerat: cum quo & Diodorus facit, [*libro 17.*] 80. peditum myriadas, & haud minùs 10. equitum, fuisse dicens. Arrianus verò eundem aciei terrestri millium millenorum numerum tribuit, quem Plutarchus toti exercitui: 40. præterea equitum millia adjiciens (licèt pro τετρακισμυρίους; alii τετρακοσιομυρίους, sive 400 millia, hic reponi malint: tum ut æquior aliquanto inter equitum & peditum numerum servaretur proportio; tum ne tanto minor quàm in Issico prælio compareret equitatus, quem in hoc *majorem prisino* fuisse, in lib. 4. cap. 22. confirmat Curtius:) cum curribus falcatis 100. (in quem numerum Diodorus etiam & Curtius consentiunt) & elephantis circiter 15, quos Indi adduxerant; quum totus Alexandri exercitus, equites ad 7. millia, pedites circiter 40 millia tantùm haberet. [*Arrian. lib. 2.*]

Darius cum ingenti suo exercitu Babylone Ninum versùs movens, à dextrâ parte Tigrim fluvium, à lævâ habebat Euphratem: agmen Mesopotamiæ campos impleverat. [*Diodor. ad*

ann. 2. *Olymp.* 112. *Curt. lib.* 4. *cap.* 12.] Tigri deinde superato, cùm audiſſet haud procul abeſſe hoſtem; Satropacem equitum præfectum cum mille delectis præmiſit. Mazæo prætori ſex millia data, (tria ferè millia equitum Arrianus hic habet; in quibus duo Græcorum mercenariorum mille fuiſſe ait) quibus hoſtem tranſitu amnis arceret. Eidem mandatum, ut regionem, quam Alexander eſſet aditurus, popularetur aut ureret: quippe credebat inopiâ debellari poſſe nihil habentem, niſi quod rapiendo occupaſſet. Ipſe Arbela profectus eſt: ibique commeatuum ſarcinarúmque majore parte depoſitâ, ad Lycum amnem pervenit; quem ponte junxit, & per dies quinque trajecit exercitum. Inde verò 80. ſtadia progreſſus, ad Bumellum amnem caſtra poſuit. [*Curt. ibid.*] Arrianus caſtra eum Gaugamelis ad flumen Bumélum (ita enim in lib. 6. pag. 131. non, ut in lib. 3. cap. 57. Bumadum, appellat) poſuiſſe dicit, plano undique & patenti campo. Quicquid enim inæqualis ſoli erat, æquari Darius juſſit; ut commodus ad equitandum fieret, libérque oculorum undique pateret proſpectus. [*Arrian. Curt.*]

d. Thapſacum pervenit Alexander, menſe Hecatombæone, archonte Athenis Ariſtophane. (in anni videlicèt 2^i. Olympiadis CXII. ipſo initio.) Hîc Euphratis erat vadum: quod duobus pontibus junctum Alexander reperit; ſed qui imperfecti ad alteram uſque ripam non pertingerent. Mazæus, cui Darius amnis tutelam mandaverat, ſtatim atque Alexandrum appropinquare cognovit, cum omnibus copiis inde aufugit. Poſt ejus fugam, pontibus in ulteriorem ripam jactis Alexander univerſum exercitum traduxit. Inde ulteriùs per Meſoporamiam, ad lævam Euphratem & Armeniæ montes habens, Babylonem contendit, ſed non rectâ viâ; quòd alia via commodior exercitui propter pabuli copiam futura eſſet, neque æſtus tantoperè gradientes torreret. In itinere exploratores nonnulli longiùs ab exercitu Darii ſpeculatum digreſſi, capti ſignificârunt Darium ad Tigrim fluvium conſediſſe, & Alexandrum tranſitu prohibiturum; multóque majores copias habere, quàm quibuſcum in Cilicià pugnaverat. Verùm Alexander eò profectus, neque Darium ipſum, neque ullum ab eo præſidium ibi relictum invenit. [*Arrian. lib.* 3.]

Alexander per Tigrim, non labore ſolùm maximo, ſed etiam extremo cum periculo ob fluminis rapiditatem, copias ſuas nemine prohibente traduxit: nec quidquam præter paucas ſarcinas deſideratum eſt. [*Id. ibid. Diodor. Olymp.* 112. *ann.* 2. *Curt. lib.* 4. *cap.* 13.] Ab Euphratis autem trajectu apud Thapſacum, uſque ad hunc Tigris tranſitum, ſtadia 1400. (al. 2400.) Eratoſthenes numerat. [*Strabo, lib.* 2. *pag.* 79. *& lib.* 16. *pag.* 746.]

Motis caſtris, à Tigri per Aſſyriam Alexander exercitum duxit; à ſiniſtrâ habens Sogdianorum montes, à dextrâ Tigrim. Quarto deinde poſt tranſitum die, Mazæus adversùs eum mille præmiſit equites: in quos Alexander præfectum Pæonum equitum Ariſtonem ferri juſſit. Ille præfectum equitatûs Perſarum Satropacem directâ in gutture haſtâ tranſfixit, fugientemque per medios hoſtes conſecutus, ex equo præcipitavit, & obluctanti caput gladio abſcidit: quod relatum ante Alexandri pedes poſuit, dicens; Hoc donum, Rex, apud nos poculo aureo penſatur. Arridens Alexander, Nempe vacuo, inquit; ego verò plenum mero tibi propino. [*Arrian. lib.* 3. *Curt. lib.* 4. *cap.* 13. *Plutarch. in Alexandro.*]

Biduo ibi ſtativa Alexander habuit: in proximum deinde diem iter pronunciari juſſit. Sed primâ ferè vigiliâ Luna deficiens, primùm nitorem ſideris ſui condidit, deinde ſanguinis colore ſuffuſo lumen omne fœdavit: ſolicitiſque ſub ipſum tanti diſcriminis caſum ingens religio, & ex eâ formido quædam militibus inculcà eſt. [*Curt. ibid. cap.* 13. *&* 14.] *Apud Arbela, Lunam defeciſſe noctis ſecundâ horâ, eandémque in Siciliâ exorientem*, rectè retulit Plinius, lib. 2. cap. 79. non *horâ quintâ in Arbelis, Carthagini horâ ſecundâ*; ut in Ptolemæi Geographia (lib. 1. cap. 4.) legitur. Rectè etiam Plutarchus in *Alexandro*, eam menſe *Boëdromione* defeciſſe affirmat, περὶ τὴν Μυστηρίων τῶν Ἀθηναίων ἀρχὴν, in medii videlicèt Boëdromionis plenilunio, quo magna Athenienſium *Myſteria*, per dies aliquot continuata, peragi primùm cœperunt. Hoc autem anno, in primâ parte noctis quæ Septembris Juliani diem 20. terminabat, Eclipſim hanc contigiſſe, Aſtronomicus oſtendit calculus.

Ut conſternati militum Alexandri animi erigerentur, conſulti ab Alexandro Ægyptii vates reſpondebant; Solem Græcorum, Lunam eſſe Perſarum: quoties illa deficiat, ruinam ſtragémque illis gentibus portendi. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 14.] Alexander Lunæ, Soli, ac Terræ, à quibus eclipſes fieri dicuntur, ſacrificium fecit. Ariſtander, vates ipſius, felicem ac fauſtum ineceſſum Alexandro & Macedonibus per Lunæ defectum portendi pronunciabat; prælióque eo ipſo menſe committendum eſſe, & ſacrificia ipſa victoriam Alexandro portendere. [*Arrian. lib.* 3.]

Erectis jam ad ſpem & fiduciam militibus, Alexander impetu animorum utendum ratus, ſecundâ vigiliâ caſtra movit. Dextra Tigrim, læva montes Gordyæos habebat. Proximâ luce, cum paucis ſuorum mille fermè Perſarum exploratores aſſecutus, alios cæcidit, alios cepit; equitéſque præmiſit ſimul ſpeculatum, ſimul ut ignem quo Barbari cremaverant vicos extinguerent: quippe fugientes raptim tectis acerviſque frumenti injecerant flammas: quæ cùm in ſummo hæſiſſent, ad inferiora nondum penetraverant. Extincto igitur igne, plurimum frumenti repertum eſt: & Mazæus, qui antecà per otium vicos incenderat, jam fugere contentus, pleraque inviolata hoſti reliquit. [*Curt lib.* 4. *cap.* 14.]

Alexander haud longiùs 150. ſtadiis Darium abeſſe compererat. Itaque ad ſatietatem quoque copiâ commeatuum inſtructus, quatriduo in eodem loco ſubſtitit. [*Id. Ibid.*]

3674 4. Interceptis deinde Darii literis, quibus Græci milites ſolicitabantur ut regem interficerent, aut proderent; caſtra movit. (*Id. lib.* 4. *cap.* 15.)

Statira, Darii ſoror & uxor, itineris continui labore animíque ægritudine fatigata, ex colliſione abjecti parrûs deceſſit: cujus morti illacrymatus Alexander, exequias ejus, nulli parcens

ſumptui,

sumptui, benignè est prosecutus. (*Id. ibid. Justin. lib.* 11. *cap.* 12. *Plutarch. in Vitâ, & lib.* 2. *de fortunâ Alexandri.*)

Tirem vel Tyriotes spado, inter trepidationem lugentium elapsus, Dario mortem conjugis nunciavit: qui primùm vehementissimè perturbatus, deinde intellectâ Alexandri clementiâ & continentiâ, ad cœlum manus tendens precatus est ut, si de se jam transactum esset, ne quis alius in Cyri solio sederet quàm iste tam justus hostis, tam misericors victor. [*Curt. & Plutarch. ibid.* * *Athen. lib.* 13. *cap.* 27.] *Arrianus* libro 4°. paulò post Issicam pugnam hoc factum dicit. *

Darius humanitate & continentiâ Alexandri victus, ad novas pacis conditiones ferendas decem legatos cognatorum principes misit: pro matre & duabus virginibus filiabus triginta millia talentûm (*auri* additamentum, quod in *Curtio* bis hîc occurrit, tollendum esse, ex collatione cum *Justino* liquet, & cum *Diodoro* etiam; si τάλαντα ἀργυρίου προσανεπλήρουν, pro ἀργύριον, uti res postulat, apud eum reponamus) & alteram filiam (*Saprinam*, *Statiram*, *Sarsinen*, & *Statyram*, in variis editionibus Curtii, lib. 4. cap. 16. dictam) uxorem, & quidquid inter Hellespontum & Euphratem est, in dotem ejus offerens. Quibus ab Alexandro responsum est datum: modò milites suos literis ad proditionem, modò amicos ad perniciem ipsius, à Dario pecuniâ fuisse solicitatos; ideóque ad internecionem eum persequendum esse, non ut justum hostem sed ut percussorem veneficum; & quæ ille amisit, & quæ adhuc habet, præmia esse belli: hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum quod proximæ lucis assignatura fortuna est. (*Curt. lib.* 4. *cap.* 26. *Justin. lib.* 11. *cap.* 12. *Diodor. Olymp.* 112. *ann.* 2.]

Dimissi legati, Dario nunciant adesse certamen. Ille confestim Mazæum cum tribus equitum millibus, ad itinera quæ hostis petiturus erat occupanda, præmisit. Reliqui, acie dispositâ, decem stadia procedebant; jussique subsistere armati, hostem expectabant. Alexander, omni graviore comitatu intra munimenta cum modico præsidio relicto, ad hostem contendit. [*Curt. ibid. cap.* 26. & 27.]

Panicus timor Alexandri exercitum invasit. Cœli enim fulgor tempore æstivo ardenti similis internitens, ignis præbuit speciem; flammásque ex Darii castris splendere, velut illati temere præsidiis Illius, credebant. Alexander per tubicinem signo securitatis dato, peditum antesignanis mandavit, ut ante pedes arma ponerent, atque idem sequentibus se dicerent. Omnibus ex ordine id facientibus, nullam subiti causam esse terroris, sed procul abesse hostem, Alexander indicavit. Tandem compotes sui, pariter arma & animos recepere: nec quidquam ex præsentibus tutius visum est, quàm in eodem loco castra munire. [*Id. cap.* 28. *Polyan. Strategem. lib.* 4.]

Noctu Alexander copiis eductis, circiter secundam vigiliam movit, ut primâ statim luce manus cum barbaris consereret. [*Arrian. lib.* 3.]

Postero die Mazæus, qui cum delectis equitum in edito colle ex quo Macedonum prospiciebantur castra consederat, ad Darium rediit. Macedones cum ipsum collem occupaverunt: quòd & tutior planitie esset, & inde acies hostium quæ in campo explicabatur conspici posset. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 29.]

Mercenarium deinde ex Provinciâ militem præcedere Alexander jubet. Ipse peditum phalangem in duo cornua extenderat: quorum utrumque regebant equites. [*Id. ibid.*] Distabant castra à castris 60. fermè stadiis. Jámque ad ipsos propè tumulos exercitus Alexandri processerat: quum, conspectis barbaris, cum suis ille consultavit; an ex eo loco phalanx in hostem agenda esset, an positis tum ibi castris, omnis ille locus in quo prælium erat committendum, accuratiùs esset perlustrandus. Prior plurium erat sententia: Parmenionis posterior, quam & Alexander probavit. [*Arrian. lib.* 3.] Melius igitur ille ratus in eodem tumulo castra munire, vallum jaci jussit: strenuéque opere perfecto in tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit. [*Curt. ut supr.*]

Servitia, quæ Alexandri castra sequebantur, per ludum inter se velitabantur; unius partis duce Alexandro, alterius Dario ab ipsis nuncupato. Quod ubi accepit Alexander; ipsos jussit solos congredi duces. Alexandrum ipse armavit, Philotas Darium. Spectavit exercitus pugnam, omen ex eventu capturus. Aceri confertâ pugnâ, ille qui Alexander dicebatur vicit; donóque duodecim vicos & jus stolâ Persicâ utendi accepit. [*Eratosthenes: apud Plutarch. in Alexandro.*]

Accedentes ad Alexandrum amici, de militibus sunt conquesti; quòd in tentoriis colloquia agitantes componerent inter se, totam se in suum lucrum versuros prædam, nihilque inde in ærarium regis illaturos. Tum subridens Alexander: *Bona*, inquit, *nunciatis; audio enim colloquia hominum, non fugere sed vincere parantium.* Multique tum ad eum accesserunt milites, bono esse animo jubentes, neque multitudine hostium terreri: quòd ne ipsorum quidem vociferationem (barritum enim militarem γρόμον hîc denotat, non *axillarum fætorem*, uti Xylander reddidit) essent toleraturi. [*Plutarch. in Apophthegmatibus.*]

Nocte, quæ à defectione Lunæ erat undecima, quum exercitus utrinque in conspectu essent; continuit Darius copias suas in armis ad faces ordines suos lustrans: toto campo inter Niphatem & Gordyæos montes interpolito barbaricis luminibus undique collucente. Alexander, quiescentibus Macedonibus, cum vate Aristandro pro tabernaculo suo sacris quibusdam arcanis operabatur, atque Apollini immolabat. [*Id. in Alexandro.*] vel, ut res à *Curtio* est expressa: Aristander in candidâ veste verbenas manu præferens capite velato, precabat preces regis, Jovem, Minervam, Victoriámque propitiantis.

Parmenioni & aliis amicorum pluribus suadentibus, ut intempestâ nocte hostes adoriretur, & contegeret tenebris summum instantis terrorem certaminis, Alexander respondit; se non furaturum victoriam. (*Plutarch. Curt. Arrian.*) Darius verò metuens ne ejusmodi quid accide-

ter, & castra accuratè munita non haberet; cum exercitu, quemadmodum initio aciem instruxerat, ita totam noctem stetit. Quæ longa in armis mora, si quid aliud, Persarum rebus sequente die damno fuit. [*Arrian.*]

Alexander, de summâ rerum antè sollicitus, noctem illam insomnem duxit. Circa excubias verò matutinas somno tam profundo correptus quievit, ut nec ortâ jam luce expergefieri potuerit. Amicisque causam tam alti somni quærentibus respondit, omni se metu ac solicitudine à Dario exoneratum, qui copias in unum locum congregassset: quòd uno jam die diuturnorum laborum & periculorum se finem facturum speraret. [*Diodor. Olymp.* 112. *ann.* 2. *Justin. lib.* 11. *cap.* 13. *Curt. lib.* 4. *cap.* 30, 31. *Plutarch. in Alexandro.*]

Prælium hoc commissse Alexandrum refert Justinus, [*lib.* 11. *cap.* 14.] *quinto post acceptum regnum anno*; exacto nimirùm *quinto*, & ineunte *sexto*: licèt eum *septimo imperii sui anno superavisse & occidisse Darium*, minùs considerate ad Danielis cap. XI. Hieronymus scripserit. Arrianus pugnam hanc *archonte Athenis Aristophane*, *mense Pyanepsione*, factam fuisse narrat: atque ita Aristandri vaticinium completum fuisse; eodem illo mense quo Lunæ defectus visus erat, Alexandrum & prælium commissurum, & victoriâ potiturum. [*lib.* 3. *pag.* 63.] Et quidem ad *Aristophanis* præturam, cum Diodoro Siculo rectè victoriam istam ille retulit: quæ sub sequentis anni archonte, appellationis non dissimilis, *Aristophonte*, in Dionysii Halicarnassei epistolâ ad Ammæum perperàm locata legitur: Neque in eo fallax fuit Aristandri vaticinium, eodem quo Luna defecit mense insignem hanc ab Alexandro reportatam fuisse victoriam: sed in ipso mense designando Arrianus lapsus est; *Pyanepsionem* fuisse dicens, quem *Boëdromionem* fuisse astronomicus eclipseos illius demonstrat calculus. Eóque mense & eclipsim, & die ab eâ undecimo pugnam fuisse factam, Plutarchus in *Alexandro*; victoriámque Alexandro obtigisse, μηνὶ Ψ φθίνοντος Βοηδρομιῶνος, idem nos docuit in *Camillo*; qui quidem Boëdromionis (undetriginta diebus constantis) dies XXV. Kalendis Octobribus anni Juliani respondebat.

Gaugamelis ad Bumélum fluvium pugnam fuisse commissam, Ptolemæus Lagi filius, & Aristobulus (qui eidem interfuerunt) confirmant: quos & Strabo (lib. 16. pag. 737.) Plutarchus in *Alexandro*, (apud quem tamen, in quibusdam exemplaribus, ut & Zonaram, Γαυγαρίλαν vitiatum nomen legitur) Arrianus (lib. 6. pag. 131.) & Ammianus Marcellinus (lib. 23.) meritò hîc secuti sunt. Quia verò *Gaugamela* non civitas est, sed vicus non magnus, neque locus celebris, aut gratum auribus nomen (quod quidem *Domum cameli* apud Strabonem & Plutarchum denotare dicitur, vel *Corpus cameli* potiùs: id enim propriè גוגמל Chaldæis & Syris sonat) præ se ferens; inde factum Arrianus putat, ut *Arbelis*, utpote urbi celebri, gloria pugnæ apud illam commissæ adscripta fuerit. Similiter & Strabo, quòd tenuis esset ille pagus, Arbela verò habitatio memorabilis (quam & ab Hoseâ prophetâ celebratam, ad annum Mundi 3276. suprà indicavimus) circa Arbela & prælium & victoriam fuisse, Macedonas famam sparsisse refert, eámque scriptoribus tradidisse. Neque admodum tamen vicina loca fuerunt ista. Nam inter Bumelum amnem ad quem Gaugamela sunt posita & Lycum fluvium 80 ferè stadia fuisse, confirmat Curtius. [*lib.* 4. *cap.* 12.] Inter Lycum verò, *Aturia* sive *Assyria* (quomodo *Assyriam* ab indigenis fuisse appellatam, Dio in *Trajano* indicat) & Babyloniæ regionis, in quâ Ninus & Gaugamela erant) terminum, atque Caprum fluvium, in æquali inter utrumque distantiâ, Arbela & Nicatorium montem (à victoriâ hâc sic ab Alexandro nominatum) fuisse sita, sub libri 16 initium nos docuit Strabo. Quâ ratione, eo in loco constitui debebant *Arbela*, quo in Ptolemæi 5ª. Asiæ tabulâ posita sunt *Gaugamela*; quæ non eis, sed trans Lycum locata ibi cernuntur, contra non Strabonis solùm, sed etiam Eratosthenis (apud eund. lib. 2. pag. 79.) Curtii & Arriani fidem. Quibus omnibus diligenter inter se collatis, Gaugamela ab Arbelis, non quidem 500 vel 600 (quæ aliorum, apud Arrian. lib. 3. pag. 57. & 63. & lib. 6. pag. 130. fuit sententia) sed paulò tamen pluribus quam 100 stadiis, remota fuisse colligimus.

Aciei Darii dispositionem, scripto comprehensam, post pugnam fuisse repertam, tradit Aristobulus; ut refert Arrianus: *lib.* 3. *pag.* 52.] apud quem, ut etiam apud Curtium; [*lib.* 4. *cap.* 27. & 32.] utriusque exercitûs ordinatio plenius habetur descripta.

Darius curru armisque relictis, equum (ut ferunt) recèns enixam conscendens, effudit se in fugam. [*Plutarch. in Alexandro.*] quod & in Illicâ pugnâ eum fecisse, ex Æliano jam antè audivimus: qui & in eodem loco monuit, Darium consuevisse in aciem secum ad hunc usum equas deducere, domique frequentes alere. Ita cum paucis fugæ comitibus ad Lycum amnem contendit. Quo trajecto, quibusdam suadentibus ut pontem, ad iter hostium impediendum, solveret; quam tot millia suorum, quæ nondum ad amnem pervenerant, ponte reciso prædam hostis futuram videret, malle se dixit insequentibus iter dare, quàm auferre fugientibus. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 36. 37. *Just. lib.* 11. *cap.* 14.] Ubi, cùm pro *Lyco*, apud Justinum *Cydnus* habeatur politus; cujus nominis fluvium per mediam *Tarsum* influere, suprà (ad ann. M. 3671.) dictum est: inde Orosio data erroris videtur occasio: ut apud *Tarsum* postremum hoc inter Darium & Alexandrum prælium pugnatum fuisse scriberet. [*lib.* 3. *cap.* 17.]

Mazæo lævum Macedonum cornu vehementer urgente, Parmenio Alexandrum, qui in persequendo Dario usque Lycum amnem processerat, ad suis auxilium ferendum revocavit. Interim Mazæus, Darii fugâ intellectâ, & ipse fugiens, non recto itinere sed majore & ob id tutiore circuitu Tigrim superat, & Babylonem cum reliquiis devicti exercitûs intrat. [*Curt. lib.* 4. *cap.* 37.]

Darius mediâ ferè nocte Arbela pervenit: quò & magna pars amicorum ejus ac militum fugerat. Quibus convocatis, consilium suum exposuit: urbibus & gazâ Alexandro relictis, se ultima regni cum expeditâ manu petiturum, indeque bello vires reparaturum. [*Id. lib.* 5. *cap.* 1.] Nullâ

igitur

3674 igitur morâ ibi factâ, trans montes Armeniæ in Mediam fugit; Persis nonnullis consanguineis, pauciſque eorum qui melophori appellantur, comitatus. Acceſſerunt etiam ad eum poſt fugam mercenariorum exterorum duo millia; quorum duces erant Paron Phocæus & Glaucus Æolus. [*Arrian. lib.* 3.]

Alexander à Lyco flumine rediens, acriùs quàm uſquam antèà equeſtre prælium cum Parthis & Indorum nonnullis ac Perſarum plurimis fortiſſimiſque commiſit: in quo, ex ſociis ejus circiter 60. cæſi ſunt, Hephæſtione & Cœno ac Menidâ vulneratis. Sed & his Alexander ſuperior evaſit. [*Id. ibid.*]

Ab Alexandri partibus in toto prælio centum ſummùm capita ſunt deſiderata: equi, partim vulneribus acceptis partim ex nimiâ in perſequendo fatigatione, mille; ex quibus prope dimidia pars ſociorum erat. Ex barbaris verò circiter trecenta millia cæſa ferebantur: multoque major numerus captorum quàm cæſorum fuit. Elephanti etiam omnes, & currus quotquot in prælio confracti non fuerant, in poteſtatem venerunt. Ita Arrianus. Sed Diodorus, de Barbaris in hâc pugnâ ampliùs 90 millia equitum peditúmque interiiſſe, Macedonum verò ad quingentos interemptos, & vulneratos quamplurimos fuiſſe affirmat. Curtius verò, [*lib.* 4. *cap. ult.*] cecidiſſe Perſarum, quorum numerum victores inire potuerunt, millia quadraginta; Macedonum minùs quàm 300 delideratos fuiſſe dicit. De numero cæſorum tum in hoc tum in duobus præcedentibus ad Iſſum & Granicum prœliis, ita ſcribit Oroſius; libro 3. cap. 17. præteriti triennii (4 tantùm menſibus & diebus aliquot adjectis) calamitates ſimul recenſens. *In tantâ malorum multitudine; difficillima dictis fides, tribus prœliis totidémque annis quinquies decies centena millia peditum equitúmque conſumpta ſunt; & hæc quidem ex eo regno illiſque populis, unde jam ante annos non multo plures decies novies centena millia profligata referuntur. Quamquam extra has clades per eoſdem tres annos & Aſiæ civitates plurimæ oppreſſæ ſint, & Syria tota vaſtata, Tyrus exciſa, Cilicia exinanita, Cappadocia ſubacta, Ægyptus addicta ſit: Rhodus quoque inſula ultrò ad ſervitutem ſtrenuè facta ſucceſſerit; plurimæque ſubjecta Tauro provincia, atque ipſe mons Taurus diu detrectatum jugum domitus & victus acceperit.*

Alexander, equitibus qui circa ipſum erant quietè dua, ad mediam noctem Arbela contendit: quòd Darium, & pecuniam, omnémque regium apparatum ſe ibi capturum ſperaret. Poſtero itaque die eò perveniens, Darium quidem ibi non invenit; pecuniam verò nactus eſt, & ſcutum Darii atque arcum cepit. [*Arrian. lib.* 3.] Tria millia talentûm argenti ibi fuiſſe, ſcribit Diodorus; quatuor Curtius: totius exercitûs opibus in illam ſedem congeſtis. [*Curt. lib.* 5. *cap.* 2.]

Quum hunc pugna illa nacta fuiſſet exitum; Perſarum quidem planè diſſolutum videbatur Imperium, Rex verò Aſiæ declaratus Alexander magnificè diis ſuis ſacrificavit; atque amicis opes, domos & provincias eſt largitus. [*Plutarch. in Alexand.*]

Cùm vicinum aëris tractum, ex odore cadaverum totis jacentium campis, infectum iri facilè colligeret; maturiùs Arbelis caſtra movit. [*Diodor. inst. part.* 2. *libri* 17. *Curt. lib.* 5. *cap.* 2.] Quartis verò hinc caſtris ad Mennin urbem pervenit; ubi caverna eſt, ex quâ fons ingentem vim bituminis effundit. [*Curt. ibid.*]

Babylonem inde procedenti Alexandro Mazæus, qui ex acie in urbem eam confugerat, cum adultis liberis ſupplex occurrit, urbem ſeque dedens: eúmque ille benignè cum liberis excepit. Bagophanes arcis & regiæ pecuniæ cuſtos, ne ſtudio à Mazæo vinceretur, totum iter floribus coronisque conſtravit; argenteis altaribus utroque latere diſpoſitis, quæ non thure modò, ſed omnibus odoribus cumulavit. Rex armatis ſtipatus, oppidanorum turbam obviam egreſſam poſt ultimos pedites ire juſſit. Ipſe cum curru urbem, ac deinde regiam intrans; poſtero die ſupellectilem Darii recognovit. [*Curt. lib.* 5. *cap.* 3.]. Juſtinus [*lib.* 11. *cap.* 14.] Alexandrum, *donatis refectiſque militibus*, 34. (cum enim numerum meliores libri habent; altipulante quoque Oroſio, lib. 3, cap. 17.) *diebus recognoviſſe* ſcribit: per quot etiam dies illius *exercitum ſtagnatum* in hac urbe fuiſſe, in lib. 5. cap. 5. agnoſcit Curtius; pluribúſque quàm 30, commodorum abundantiâ & civium hoſpitalitate detentum, ibidem hæſiſſe, in libri 17. partis poſterioris initio confirmat Diodorus.

Iter alios qui Alexandrum hîc exceperunt, Chaldæi fuerunt; qui ſiderum motus & ſtatas temporum vices oſtendêre. [*Curt. lib.* 5. *cap.* 3.] A quibus acceptas 1903 annorum obſervationes cœleſtes hinc in Græciam ad Ariſtotelem miſit Alexandri comes Calliſthenes: ut ſuprà, ad annum Mundi 1771, ex Porphyrio eſt annotatum.

Chaldæos quoque huc Alexander conſuluit: atque ex eorum conſilio Belo ſacrificavit; & quæcunque circa templorum inſtaurationem facienda monuerunt, peregit. Babylonis enim, ut templa quæ ibi Xerxes ſubverterat reſtaurarent, imperavit: Beli præcipuè, in mediâ urbe ſitum; cujus idcirco rudera exportari juſſit. [*Arrian. lib.* 3. *pag.* 63. *& lib.* 7. *pag.* 259.] quod ipſum tanti erat operis; ut ad expurgandam duntaxat terram, decem millium hominum labor bimeſtris requireretur. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 738.] Alexandro verò cunctis militibus ſuis ut terram exportarent præcipiente, ſoli Judæi id facere recuſârunt: quos multas ob id plagas & detrimenta pertuliſſe non modica, donec eis ignoſcente rege ſecuritas præberetur, qui tum cum eo vixit Hecatæus Abderita, in libro de Judæis, prodidit. [*Joſephus contra Apionem lib.* 1. *pag.* 1049.]

Maximè miratus eſt Alexander hiatum ignis ἐν Ἐκβατάνοις, vel ἐν Βαγάνοις [ut alia habent exemplaria: *Bagana* enim juxta Euphratem à Stephano Byzantino collocata, non *Ecbatana* Mediæ metropolis hîc intelligenda] perpetuò ſicut ex fonte ſubvecti, & ſcaturiginem naphthæ ex abundantiâ non longè ab illo hiatu ſtagnantis: de cujus igneæ naturæ experimentis Alexandro hic oſtenſis, in ejus Vitâ pluribus agit Plutarchus.

Alexan-

Alexander, Bagophane qui arcem Babyloniæ tradiderat ſequi ſe juſſo, Agathonem Pydnæum cum 700 Macedonum & 300 ære conductorum præſidio arcis illius cuſtodiæ præfecit. Babyloniæ ſatrapam Mazæum transfugam conſtituit. Apollodorum Amphipolitam & Menetem Pellæum prætores, qui Babyloniæ & ſatrapiarum ad Ciliciam uſque militiæ præeſſent, reliquit: duobúſque millibus peditum cum mille talentis argenti traditis, ut quantas poſſent militum copias conducerent, eis mandavit. Aſclepiodorum Philonis filium tributis cogendis præfecit. Mithrinem, qui Sardium arcem ipſi prodiderat, ſatrapam in Armeniam miſit. (*Diodor. Arrian. & Curt.*]

Ex pecuniâ Babyloniæ inventâ, Macedonico cuique equiti minas ſenas & peregrino quinas; pediti Macedonico binas, & peregrino bimeſtre ſtipendium, honoris causâ donavit. [*Diodor.*] Mina Attica 100 drachmis conſtabat: quas cum Romanis denariis confundens Curtius, Macedonicis equitibus 600 denarios, peregrinis 500, & pedeſtribus 200 tributos fuiſſe ſcripſit. [*lib. 5. cap. 6.*]

Jámque promotis Babylone caſtris in itinere rex erat: quum Amyntas Andromenis filius, cum exercitus ſupplemento ab Antipatro prætore Macedoniæ miſſo, ad eum venit. Erant autem ex Macedoniâ, 500 equites & 6000 pedites; ex Thraciâ 600 equites, cum 3500 peditibus; & ex Peloponneſo, 4000 pedites, equites verò vel 380 ut Curtio, vel, ut Diodoro placet, paulò minùs 1000. Quos quinquaginta principum Macedoniæ liberi adulti, ad cuſtodiam regii corporis deſtinati, comitabantur. (*Diodor. & Curt.*)

His receptis, in profectione inſtitutâ perrexit Alexander, ſextiſque caſtris in regionem quæ Sitacine (Curtio, Satrapene) vocatur, pervenit. Et quia hæc regio quicquid ad uſum vitæ neceſſarium eſſet largè ſuppeditabat, complures in eâ dies ſubſtitit: quibus, de virtute militari inter ſuos egregio inſtituto certamine, octo qui fortiſſimi judicati eſſent, ſingulis militum millibus præfecit; tum primùm in hunc numerum copiis diſtributis. Namque anteà quingenariæ cohortes erant, nec fortitudinis præmia geſſerant. Cúmque anteà equites in ſuam quiſque gentem deſcriberentur, ſeorsùm à cæteris; exempto nationum diſcrimine, præfectos non utique ſuarum gentium, ſed delectos attribuit. Quum militari denique diſciplinâ in multis reformatâ effeciſſet, ut exercitus totus benevolentiâ eximiâ imperatorem complecteretur, & imperiis quàm obſequentiſſimum ſe præberet: ad quæ reſtabant certamina deinceps contendit. (*Diodor. & Curt. lib. 5. cap. 6.*)

Jámque Suſa aditurus, in itinere obvium habuit filium ſatrapæ Suſiorum, & tabellarium cum literis à Philoxeno, quem Alexander ſtatim ex prælio Suſa miſerat. Literarum ſententia erat: Suſios urbem tradidiſſe, omnémque pecuniam Alexandro ſalvam eſſe. [*Arrian. lib. 3.*] Quod & per filium ſuum Abulites Suſiorum ille ſatrapa ſignificavit, ſive ſuâ ſponte, ſive (ut nonnulli ſcribunt) Darii juſſu; ut prædâ Alexandrum retinente, ipſe interim ad inſtaurandum bellum ſat temporis haberet. [*Diodor. & Curt. lib. 5. cap. 7.*]

Benignè juvenem excepit rex, & eo duce ad Idaſpam (ſive Choaſpen) amnem venit, delicatam vehentem aquam. Hic Abulites cum donis regalis opulentiæ occurrit: inter quæ dromades cameli erant velocitatis eximiæ, & duodecim elephanti à Dario ex Indiâ acciti. [*Curtius, ibid.*]

Vicesimo poſt diſceſſum è Babylone die, Alexander Suſa pervenit; urbémque ingreſſus, millia quinquaginta argenti talenta, reliquúmque apparatum regium accepit. [*Arrian. lib. 3.*] Totidem talenta argenti, non ſignati formâ ſed rudi pondere, commemorat etiam Curtius. Diodorus auri & argenti formâ non ſignati plus quadraginta millia talentùm, & novem millia talentorum auri ſub Daricâ formâ excuſi, inventa fuiſſe refert: Plutarchus, numiſmatis quadraginta talentùm millia, & quinque millia talentùm purpuræ Hermioniæ; quæ 190 annos ibi ſervata, florem recentem adhuc & novitium retineret.

Eo loco Alexander patrio more collucentibus facibus ſacrificavit, ludóſque gymnicos edidit. [*Arrian.*] Conſedit deinde in regiâ ſellâ, multo excelſiore quàm pro habitu corporis. Itaque pedes cùm imum gradum non contingerent, unus ex regiis pueris menſam ſubdidit pedibus, in quâ Darius veſci erat ſolitus. Quod ut pro dextro omine acciperet, Philotas illi perſuaſit. [*Diodor. & Curt. lib. 5. cap. 7.*]

Macedonicas veſtes multámque purpuram dono ex Macedoniâ ſibi miſſam, cum iis qui conſecerant, Alexander matri Darii Syſigambi, quam omni honore & filii quoque pietate proſequebatur, tradi juſſit. Mœſtam verò ex monito ſimul addito, ut ſi cordi veſtis eſſet, conficere eam neptes ſuas aſſuefaceret, ipſe præſens, dicto ob ignorationem Perſicorum morum excuſato, ſolatus eſt. [*Curt. ibid. cap. 8.*] Atque eam, cum Darii filiabus & filio Ocho, Suſis reliquit: magiſtris, qui Græcam eos linguam edocerent, adhibitis. [*Diodor.*]

Perſidis fines hinc aditurus, Suſa urbem Archelao cum præſidio trium millium tradidit, Xenophilo arcis curam mandavit, theſaurorum Callicrati tutelam permiſit, ſatrapiam regionis Suſianæ Abuliti Perſæ reſtituit. [*Curt. ibid. cap. 8.*] Ad mare Menetem miſit, Syriæ, Phœniciæ & Ciliciæ præſidem. [*Arrian. lib. 3.*]

Alexander quartis caſtris ad fluvium Paſitigrim pervenit: eóque ſuperato, cum novem millibus peditum & equitum tribus aut quatuor millibus, regionem Uxiorum adiit. Finitima Suſis ea eſt, & in primam Perſidem excurrit, arctum inter ſe & Suſianos aditum relinquens. Madates erat hujus regionis præfectus, qui Syſigambis ſororis filiam ſecum matrimonio junxerat. Ab Alexandro 1500 mercede conducti & Agriani ferè 1000 Tauroni præfecto dati, ac poſt Solis occaſum iter ingredi juſſi; ducibus peritis locorum per calles & occultas vias ad urbem à rege obſidendam deducebantur. Ipſe, ſumptis ſecum corporis cuſtodibus regiis & ſcutatis atque ex reliquo exercitu octo circiter millibus, tertiâ vigiliâ movens, circa locis ortum ſuperavit angustias;

poſteáque

3674 posteaque urbem obtidere cœpit. Auxiam undique circumfelli, ex arce 30 oratoribus ad Alexandrum missis, veniam frustrà precantur. Syssigambis deinde literis ille flexus, non Madati modò propinquo ipsius ignovit, sed omnes & deditos & captivos libertate atque immunitate donavit; urbem reliquit intactam, agros sine tributo colere permisit: ut scribit Curtius. [*lib. 5. cap. 9.*] Nam Arrianus, ex Ptolemæo Lagidâ quidem refert, Darii matris rogatu agrum illis incolendum esse datum: sed addit tamen, annuum tributum eis fuisse impositum; equorum 100, jumentorum 500, & ovium 50000. Diversimodè enim à Diodoro, Curtio & Arriano, hæc narratur historia.

Uxiorum gentem subactam Alexander Susianorum satrapiæ contribuit: divisisque cum Parmenione copiis; sarcinas & impedimenta, Thessalósque equites, ac socios, & mercenarios exteros, reliquúmque exercitum gravioris armaturæ, campestri itinere procedere cum illo jussit. Ipse, peditatu Macedonum secum sumpto, equitatúque sociorum, atque equitibus antecursoribus, simúlque Agrianis & sagittariis; iter per juga montium cepit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. [*Curt. lib. 5. cap. 10. Arrian. lib. 3.*]

Quinto die, Alexandrum angustias Persidis, quas Susidas Pylas vocant, intravisse, Diodorus & Curtius confirmant. Has Ariobarzanes Persarum satrapa, cum peditum 25. millibus & equitibus 300. (ut Diodoro) vel peditibus propè 4000 & equitibus circiter 700 (ut Arriano placet) occupaverat: à quo Alexander cum damno ac pudore repulsus, ad 30 stadia ex angustiis illis retrocedere coactus est. Tandem à captivo pastore, patre Lycio Persidè matre orto, per angustos, abruptos, & nivibus obsitos colles deductus, hostis fugatisque hostibus, liberum transitum obtinuit. Ariobarzanes tamen 40 fermè equitibus & quinque millibus peditum stipatus, per mediam aciem Macedonum cum multo suorum atque hostium sanguine erupit, Persepolim urbem, caput regionis occupare festinans. Sed à custodibus urbis exclusus, consectatis utrinquè hostibus, cum omnibus fugæ comitibus renovato prælio cecidit. [*Vid. Diodor. Curt. Plutarch. Arrian. & Polyæn. lib. 4. Stratagem.*]

Persepolim procedenti Alexandro literæ redduntur à Tiridate custode regiæ pecuniæ, indicantes, eos qui in urbe essent, audito ejus adventu, diripere velle thesauros: ideóque properato opus esse. Ille igitur, pedestribus copiis relictis, totâ nocte cum equitibus itineris tanto spatio fatigatis ad Araxem amnem primâ luce pervenit: eóque ponte juncto, milites transmisit. (*Diodor. & Curt. lib. 5. cap. 11.*]

Jámque duobus ab urbe stadiis aberat, cùm 800 circiter (tot enim Diodorus, Justinus, & Suidas in Ἀλέξανδρος, numerant; non, ut Curtius, *ad quatuor ferè millia*) captivi Græci, Eudæmone Cyneæ ductore, supplicantium ritu obviam illi processerunt. Eos superiores Persarum reges in servitutem abstraxerant: pœnámque captivitatis, pedibus aut manibus aut auribus aut naribus amputatis, inustisque barbaratum literarum notis, in longum sui ludibrium retinuerant. Rogabant hi Alexandrum, ut sicuti Græciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaret: utrúque ab eo redeundi potestate, agros accipere maluerunt; ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum reportarent. Rex, consilio eorum comprobato, ter mille nas unicuique *drachmas* (quas *denarios* hic quoque Curtius reddidit) quinàtque stolas viriles & totidem femineas, bina insuper juga boum, 50 oves, & 50 tritici medimnos dat; ut coli serique attributus iis ager posset. Immunes etiam ab omnibus tributis Regi persolvendis facit; ac curatoribus mandat, ut ne à quoquam injuriâ afficiantur, diligenter provideant. [*Diodor. & Curt. ibid. cap. 12. cum Justino, lib. 12. cap. 14.*]

Postero die convocatos duces copiarum docuit: nullam infestiorem urbem Græcis fuisse, quàm Persepolim, regni Persarum metropolim: ideóque diripiendam militibus eam, regiâ tantùm exceptâ, concessit. Indéque strages ingens captivorum illic edita. Scribit enim ipse, ratum id è re suâ esse, imperasse ut hostes contrucidarentur. Argenti reperisse eum ibi parem ac Susis summam, Plutarchus scribit. Diodorus, arcem ingressum Alexandrum, centum & viginti talentorum millia illic invenisse ait, auro ad argenti rationem reducto: quam eandem summam habet & Curtius. [*lib. 5. cap. 13.*]

Cùm Persepoli Alexander sub aureâ testudine in solio regio primùm consideret; Demaratus Corinthius (Alexandri familiaris & amicus paternus) senili more illacrymasse fertur, ac dixisse, fraudatos magnâ voluptate Græcos, qui antequàm in Darii solio Alexandrum spectassent sedentem vitâ essent functi. (*Plutarch. in Alexandro.*)

Alexander arcem Persepolis, tribus millibus Macedonum præsidio relictis, Nicarthidem tueri jubet. Tiridati quoque, qui gazam tradiderat, servatus est honos, quem apud Darium habuerat: magnáque exercitûs parte & impedimentis ibi relictis, urbi Parmenionem Craterúmque præfecit. Ipse cum mille equitibus peditúmque expeditâ manu interiorem Persidis regionem sub ipsum Vergiliarum sidus petiit: multísque imbribus, & propè intolerabili tempestate vexatus, procedere tamen quò intenderat perseveravit. Ventum erat ad iter perpetuis obsitum nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxerat: quum, territis militibus, Rex equo desilit, pedétque per nivem & concretam glaciem ingredi cœpit. Incolæ, qui sparsis tuguriis habitabant, ut conspexere hostium agmen, interfectis qui fugientes comitari non poterant, devios montes & obsitos nivibus petiverunt. Inde per colloquia captivorum paulatim feritate mitigatâ, trádidere se regi; nec in deditos graviùs consulrum. (*Curt. lib. 5. cap. 14.*)

b. Vastatis deinde agris Persidis, victísque compluribus redactis in potestatem, ventum est in 4384 330
Mardorum gentem bellicosam, & multùm à cæteris Persis cultu vitæ abhorrentem: quam ipsam quoque Alexander domuit. Itaque trigesimo die, postequàm à Persepoli profectus erat, eòdem redit. Dona deinde amicis cæterísque pro cujusque merito dedit: propemodum omnibus, quæ in eâ urbe ceperat, distributis. (*Id. ibid.*)

Istam Persicæ expeditionis, *sub ipsum Vergiliarum sidus* (ut dicitur) susceptæ, historiam solus Curtius memorat: quum Plutarchus Alexandrum, quòd esset hyemis tempestas, ut exercitum reficeret, quatuor menses in Perside transegisse scribat. *Idibus Novembr. Atrica Vergiliæ occasu suo hyemem inchoare*, notat Plinius. [*lib.* 18. *cap.* 31.] Sed ante Decembrem Alexandrum Persepolim non pervenisse, temporum series à prælio ad Gaugamela eòusque deducta demonstrat. De Mardis quoque dubium movent alii; quos post Darii demum mortem ab Alexandro domitos, refert ipse Curtius. [*lib.* 6. *cap.* 9.] nisi Mardos Persidis (de quibus Herodotus, lib. 1. cap. 125. Nearchus, apud Strabon. lib. 11. pag. 524. & Arrian. in Indicis, pag. 196.) à Mardis Hyrcaniæ confinibus placeat hic distinguere. Neque quod *propemodum omnia distributa* ab Alexandro fuisse dicit Curtius, quæ in urbe Persepolitanâ (de eâ enim apertè ille loquitur, non de Pasargadis, ut ad ann. M. 3669. persuadere nobis voluit Jacobus Cappellus) fuerant capta, cum eo satis consonat, quod in fine præcedentis capitis ab eodem fuerat dictum: Alexandrum, ad vehenda 120000 talenta in hujus urbis gazâ reperta, quæ ad usus belli secum portare decreverat, jumenta & camelos & à Susis & à Babylone contrahi jussisse. Quod cum Strabonis illis conferri poterit. [*lib.* 15. *pag.* 732.] *Pecunia quicquid in Persidâ erat, Susa exportavit, & ipsa quoque thesauris & supellectile plena: Traditum est, præter ea quæ Babylone & in castris erant & in hanc summam non venere, in Persidâ & Susis inventa fuisse talentorum quadraginta millia; sunt qui dicunt quinquaginta.* & illis Diodori. *Cùm pecuniæ illius partem ad necessarios belli usus auferre, partem Susis deponere, ut ibi custodiretur, constituisset: mulos tum dossuarios tum jugales magno numero, & cum his 3000 camelos clitellarios, è Babyloniâ & Mesopotamiâ contrahi jussit; quibus omnia ad loca destinata transvexit.* Reliquum quoque instrumentum regium & opes decem millibus jugorum mularium & quinque millibus camelorum tectæ fuisse, Plutarchus in *Alexandro*, refert.

Ecbatanis in Mediâ subsistens Darius, relictos à fugâ milites ad se recepit, armisque nudatos tursùm instruxit. A finitimis etiam gentibus militem evocavit; Satrapásque ac duces in Bactris & præfecturis superioribus, per nuncios eò missos, ut in benevolentiâ ac fide erga ipsum persisterent, admonuit. [*Diodor. in partis* 2. *libri* 17. *ipso initio.*] Statuit verò apud se, si Susis & Babylone hæreret Alexander, ipse apud Medos opperiretur an qui circa eum erant novi aliquid molirentur: si verò in se exercitum duceret, in Parthiam & Hyrcaniam usque ad Bactra se recipere, rotáque regione vastatâ, omnem illi progrediendi potestatem præripere. Itaque mulieres, reliquúmque apparatum universum quem penès se habebat, vehiculáque omnia ad pylas Caspias misit: ipse, cum copiis quas pro tempore collegerat, in Ecbatanis expectavit. [*Arrian. lib.* 3.]

c. Alexander epinicia Persepoli celebrans, magnifica Diis suis sacrificia obtulit, amicósque splendidissimo epulo excepit; cui & meretrices interfuerunt, quæ commessatum venerant ad amatores suos. Ex his una Thais fuit, Ptolemæi Lagi filii amica, genere Attica: cujus jam temulentæ hortatu, temulentus & ipse Alexander, licèt Parmenione multùm dissuadente, cum cantu tibiisque & fistulis arcem & urbem incendit. Sed sobrius postea factum doluit: majores pœnas Græcis Persas daturos fuisse dicens, si ipsum in solio regiâque Xerxis conspicere coacti essent. [*Diodor. Plutarch. Arrian. Curt. lib.* 5. *cap.* 15.]

Postero die Alexander viro Lycio, itineris quo Persidem intraverat duci, 30. talenta dono dedit. [*Curt. ibid.*]

Pasargadas, urbem à Cyro conditam, præfecto ejus Gobare tradente, & in eâ sex millia talentorum, Alexander cepit. [*Id. cap.* 13.] ubi & Cyri sepulchrum vidit: ut ex Aristobulo, qui præsens adfuit, refert Strabo. [*lib.* 15. *pag.* 730.]

Reliquas deinde Persiæ urbes adortus, partim vi partim benevolentiâ, sub potestatem suam eas redegit. [*Diodor.*] quod sub exortum matutinum Vergiliarum factum fuisse videtur, à quo æstatis initium ducebant veteres: non sub matutinum earum occasum & initium hyemis; quâ tempestate *interiorem Persidis regionem* ab Alexandro subactam fuisse subindicavit Curtius.

Persis Alexander satrapam constituit Phrasaortem Rheomithris filium. [*Arrian. lib.* 3.] Deinde in regionem Mediæ transiit: ubi supplementum novorum militum è Ciliciâ occurrit. Peditum erant quinque millia, equites mille: utrisque Plato Atheniensis præerat. His copiis auctus, Darium persequi statuit. [*Curt. lib.* 5, *cap.* 16.]

Darius, relictis Ecbatanis, adire Bactra decreverat: sed veritus ne celeritate Alexandri occuparetur, consilium itérque mutavit. Aberat ab eo Alexander stadia 1500. sed jam nullum intervallum adversùs celeritatem ejus satis longum videbatur. Itaque prælio magis quàm fugæ se præparabat. Triginta millia peditum eum sequebantur, in quibus Græcorum erant quatuor millia (ducente Patrone) fide erga Regem ad ultimum invictâ: funditorum quoque & sagittariorum manus quatuor millia expleverat. Præter hos, 3500 equites erant, maximè Bactrianorum: quibus Bessus, Bactrianæ regionis præfectus, præerat. [*Curt. ibid.*] Triginta millia Persarum & conductitiorum Græcorum, Diodorus: tria tantùm equitum & peditum sex millia Arrianus hîc commemorat. Pecuniæ quoque ex Mediâ ad septem millia talentûm Darium secum tulisse, apud Arrianum legimus. Strabo verò [*lib.* 15. *cap.* 731.] octo millia cum Dario è Mediâ fugiente exportata, ab iis qui eum necavérunt direpta fuisse; & Diodorus [*ad ann.* 4. *Olymp.* 112.] eundem talentorum numerum Alexandrum Darium persequentem à gazarum custodibus accepisse, scribit. Apud Persarum etiam reges in more fuisse positum, ex Charetis Mitylenæi libro quinto historiæ Alexandri, refert Athenæus, [*lib.* 11. *pag.* 514. *edit. Græcolat.*] ut ad verticem regii cubilis supernè esset cœnaculum cum quinque loculis, in quo auri talenta quinquies mille semper asservabantur, quod cervical regium appellabant; cubilis verò pedibus

vicinum

vicinum alterum eum tribus locatis, ubi talentorum argenti tria millia reponebantur, quod subsellium regium nuncupabant.

Bessus Bactrianorum satrapa, & Nabarzanes mille equitum qui cum Dario fugerant præfectus, regem suum, per milites quibus præerant comprehensum, vinciri jusserunt: eâ mente, ut si Alexander ipsos insecutus foret, tradito rege vivo iniret gratiam victoris; sin autem eum effugere potuissent, interfecto Dario, regnum sibi occuparent, bellúmque renovarent. [*Curt. lib. 5. cap. 18, 22, & 23. Arrian. lib. 3. pag. 67, 68. & 76. init.*] In vico Parthorum *Thará* (vel *Dará* potiùs, ita ab Arsace primo Parthorum rege, in Darii ibi capti memoriam, posteà appellatâ) fato quodam factum hoc fuisse, ex Trogo notat Justinus: [*lib. 12. cap. 15.*] ut in terrâ eorum, qui successuri imperio erant, Persarum regnum finiretur.

Pecunia regis (de quâ dictum est) & supellex quasi jure belli diripitur. Bessus & Nabarzanes, cum Brazâ (sive Barzaënte) Arachotorum & Drangorum satrapâ, Darium captivum in curru abducunt. Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus eum vinciunt. Et ne fortè cultu regio posset agnosci, sordidis pellibus vehiculum intexerant. Ignoti jumenta agebant, ne percunctantibus in agmine monstrari posset: custodes procul sequebantur. Persæ promissis Bessi onerati, maximè quia nemo alius erat quem sequerentur, conjunxere se Bactrianis; agmen eorum tertio assecuti die. Bessus loco Darii, à Bactrianis equitibus aliisque barbaris qui cum Dario fugerant, dux assignatus est. Artabazus verò & ejus filii, cum iis qui imperio ejus parebant, Græcique milites (quorum dux Patron erat) secessione à Besso factâ, à publicâ viâ ad montes deflectentes, Parthienem petierunt. [*Curt. lib. 5. cap. 23. Arrian. lib. 4. pag. 68.*]

Alexander in Mediam pergens, Paritacas, impetu in eorum regionem facto, subegit: satrapámque iis dedit Oxoathren Abuleti filium, qui anteà apud Susas satrapatum gesserat. [*Arrian. pag. 66.*]

Tabas oppidum est in Paritacene ultimâ: ibi transfugæ nunciant, præcipitem fugâ Bactra petere Darium. [*Curt. lib. 5. cap. 24.*] Certiora deinde, quum ab Ecbatanis trium dierum itinere abesset, ex Bithane Ochi (qui ante Darium in Perside regnârat) filio cognoscit: quintum jam diem esse, ex quo Darius fugisset. [*Arrian. lib. 3.*]

Alexander, ubi in Ecbatana venit, Thessalos equites aliósque socios in patriam remisit: * Quòd alacritatem ad perferendos labores immunitam sentiret: (*Arrian. lib. 5. pag. 121.*) ac præter integrum stipendium duo millia talentûm illis donavit. [*Arrian. lib. 3. Plutarch. in Alexand.*] Diodorus & Curtius (historiam hanc post Darii mortem de Græcis militibus generatim, singulari Thessalorum mentione nullâ factâ, referentes) equitibus singulis *talentum*, sive *denariorum sena millia*, (ut in *lib. 6. cap. 3.* expressit Curtius; *denario*, suo more, pro *drachmâ* sumpto) regem dono dedisse narrant. Addit Diodorus, pediti cuique denas minas (sive mille drachmas) illum donavisse: & regressuris in patriam quantum sufficeret viatici adjecto, eos quibus deinceps cum ipso militiam obire lubitum esset trinis talentis muneravisse. Remanentibus verò cum eo non paucis; reliquos per Epocillum Polyidis filium ad mare deduci jussit alio equitum præsidio adjuncto. Thessali enim equos ibi reddiderunt. Meneti etiam per literas mandavit, ut quum eò pervenissent, navibus in Eubœam transvehendos curaret. [*Arrian. lib. 3.*]

Hujus in milites munificentiæ occasione, Alexandrum in persequendo Dario maximam pecuniarum vim in potestatem suam redegisse, Diodorus refert. *A gazarum enim custodibus ecto millia talentûm acceperat. Extra quorum numerum, in milites distributa, cum ornamentis & poculis*, XIII. *millia talentûm efficiebant. Summa autem furto sublatorum & per vim abstractorum longè amplior censebatur.* Hæc Diodorus: [*pag. 547. edit. Græco-latin.*] cum quibus illa Curtii [*lib. 6. cap. 2.*] sunt conferenda. *Viginti sex millia talentûm proximâ prædâ redacta erant: è quibus* XII. (XIII. habet Justinus, *lib. 12. cap. 1.*) *millia in congiarium militum absumpta sunt. Par huic pecuniæ summa custodum fraude subtracta est.* Nunc verò Parmenioni negotium dedisse Alexandrum, ut pecuniam omnem ex Persis allatam in Ecbatanis Harpalo custodiendam traderet, cum præsidio sex millium Macedonum, & equitum amicorúmque nonnullis relicto, apud Arrianum [*pag. 67.*] legimus. Eam pecuniam, undique Ecbatana comportatam, nonnulli CLXXX. millia talentorum fuisse dicunt: [*Strabo, lib. 15. pag. 732.*] inter quos Diodorus est; qui & Parmenionis fidei thesauros illos concreditos fuisse affirmat. [*pag. 552.*] Pecuniam omnem CXC. millia talentûm Ecbatanis congestam, eique Parmenionem fuisse præpositum, Justinus narrat. [*lib. 12. cap. 1.*] Ubi ab utroque thesauri hujus custodia Parmenioni rectiùs tribuitur quàm, ab Arriano, Harpalo; quem Babylone relictum, atque pecuniis & vectigalibus ibi præpositum fuisse constat.

Parmenionem verò, assumptis exteris, & Thracibus, reliquóque equitatu, præterquàm amicorum, per Caduiorum fines in Hircaniam hoc tempore Alexandrum misisse, Arrianus ibidem refert. Clito quoque regiæ turmæ duci scripsisse; ut quum è Susis in Ecbatana venisset (ibi enim valetudinis causâ relictus erat) receptis Macedonibus qui pecuniarum præsidio positi fuerant, in Parthos moveret, quò & ipse venturus erat.

Alexander, assumpto equitatu amicorum, & antecursoribus, equitibúsque mercede conductis quos Erigyius ducebat, ex phalange Macedonicâ (iis exceptis qui pecuniarum præsidio relicti fuerant) Agrianis etiam & sagittariis sibi conjunctis, in Darium movit. Quúmque summâ festinatione contenderet, multi in itinere milites præ lassitudine relicti, multi etiam equi extincti sunt. Alexander nihilo seciùs institutum iter urgebat, & undecimis castris Ragas pervenit. [*Arrian. lib. 3.*] undecim illis diebus, 5300 stadiis confectis. In quo prolixo itinere equites, licèt aquæ inopiâ summè laborantes, magnâ alacritate Alexandrum sunt

ſecuti: ſic tamen, ut 60 ſoli ad finem itineris comitati eum fuiſſe perhibeantur. *Plutarch. in Alexand.*]

Ragarum locus iſte (cujus in *Tobiæ* I. 14. & IV. 1. facta habetur mentio) unius diei itinere à Caſpiis pylis diſtabat, equitanti ita ut Alexander ducebat. Darius verò jam Caſpias portas prætergreſſus erat: & eorum qui fugientem comitabantur, plerique in domos ſuas ſe recipiebant, non pauci etiam Alexandro ſeſe dedebant. [*Arrian. ut ſupr.*]

Alexander, depoſitâ ſpe Darium ullâ celeritate abs ſe comprehendi poſſe, quinque diebus ibi ſubſtitit: recreatóque exercitu, Oxydatem nobilem Perſam Mediæ ſatrapam conſtituit; qui à Dario capitali ſupplicio deſtinatus, Suſis in vinculis cohibebatur. [*Id. ibid. cum Curt. lib. 6. cap. 2.*]

Hinc in Parthos exercitum Alexander duxit. Ac primo quidem die juxta Caſpias pylas caſtra poſuit: poſtridie ipſas pylas ingreſſus eſt, ad loca cultoribus frequentia. Quúmque inde commeatum in exercitum inuliſſet, quòd interiorem regionem incultam eſſe audiſſet, Cœnum cum equitatu exiguóque peditatu frumentatum miſit. [*Arrian. ibid.*]

Inter hæc Bagiſtanes Babylonius vir illuſtris è Darii exercitu ad Alexandrum venit: ex quo cognovit, non quidem vinctum regem, ſed in periculo eſſe aut mortis aut vinculorum. [*Id. ibid. Curt. lib. 5. cap. 24.*]

Alexander majore adhuc celeritate ſibi utendum putans, non expectato Cœni qui frumentatum iverat reditu, amicos tantùm, equitéſque antecurſores, ac peditum fortiſſimos ſimul atque expeditiſſimos, qui ſecum irent delegit: arma ſolùm & duorum dierum cibaria gerentes. Reliquo exercitui Craterum præficiens, ut itinera moderatiùs faceret mandavit. Totâ deinde nocte, & poſtero die ad meridiem uſque continuato itinere, aliquantulum temporis militi ad quietem dedit. Inde rursùs totâ nocte progreſſus, diluculo in ea caſtra pervenit, unde Bagiſtanes diſceſſerat: atque inde iterùm magno itinere per noctem & inſequentem diem ad meridiem uſque confecto, in pagum quendam pervenit, ubi qui Darium ducebant pridie conſederant, ut eſt apud Arrianum; vel in vicum, in quo Darium Beſſus comprehenderat, ut apud Curtium.

Ibi (decurſis 500. ſtadiis à loco in quo Bagiſtanem convenerat) Alexander Melonem Darii interpretem excepit. Is, quum corpore æger non potuiſſet agmen ſequi, deprehenſus celeritate regis, transfugam ſe eſſe ſimulabat, ne pro hoſte haberetur. Ex hoc Alexander acta cognoſcit: ſed fatigatis neceſſaria quies erat. Itaque delectis equitum ſex millibus, trecentos, quos dimachas appellant (*de quibus videndi Julius Pollux & Heſychius*) adjungit. Dorſo hi graviora arma portabant, cæterùm equis vehebantur: cùm res & locus poſceret, pedeſtris acies erat. Ita rem narrat Curtius: [*lib. 5. cap. 24.*] Arrianus verò [*lib. 3. pag. 68.*] ita. Quum intelligeret non poſſe pedites ſe feſtinanter equitantem ſequi: equites circiter quingentos equis deſilire jubet, & duces peditum alióſque præſtantiſſimos quoſque, ita ut pedites armati erant, equos conſcendere. Nicanori verò ſcutatorum præfecto, & Attalo Agrianorum duci, per viam quâ Beſſus cum ſuis proceſſerat reliquos (qui quidem leviſſimè armati eſſent) ut ducant injungit; cæteri pedites ut quadrato agmine ſequantur.

Hæc agentem Alexandrum adeunt Orſillos & Mithracenes, qui Beſſi parricidium exoſi tranſfugerant: nunciabántque, ſtadia 500 abeſſe Perſas; ipſos brevius iter monſtraturos. His itaque ducibus rex primâ veſperâ cum expeditâ equitum manu monſtratam viam ingreditur; phalange, quantum feſtinare poſſet, ſequi juſsâ. Jámque 300 ſtadia proceſſerant, cùm occurrit *Brocubelus* (*Antibelus* Arriano, *pag. 67.* dictus) Mazæi filius, Syriæ quondam (ſub Dario) prætor. Is quoque transfuga, nunciabat Beſſum haud ampliùs quàm 200 ſtadia abeſſe: exercitum, utpote qui nihil præcaveret, incompoſitum inordinatúmque procedere: Hyrcaniam videri petituros; ſi feſtinaret ſequi, palantibus ſuperventurum. [*Curt. lib. 5. cap. 24.*]

Beſſus & cæteri facinoris ejus participes, quum Alexander eis immineret, vehiculum Darii aſſecuti, cœperunt hortari eum, ut conſcenderet equum & ſe hoſti fugâ eriperet. Quod cùm ille facere recuſaſſet: Satibarzanes & Barzaëntes tela in eum conjecerunt, multiſque confoſſum vulneribus reliquerunt. Jumenta quoque, ne longiùs proſequi poſſent, convulnerârunt; duobus ſervis, qui regem comitabantur, occiſis. [*Curt. lib. 5. cap. 25. cum Arriano, lib. 3. pag. 69. & 72.*] ſolo fideli cane, quem educaverat, cum eo permanente. [*Ælian. hiſtor. animal. lib. 6. cap. 25.*]

Hoc edito facinore, Satibarzanes & Barzaëntes cum 600. equitibus ſeſe in præcipitem fugam dederunt. [*Arrian. pag. 69.*] Et, ut veſtigia fugæ ſpargerentur, Nabarzanes Hyrcaniam, Beſſus Bactra paucis equitum comitantibus petierunt. Reliqui ducibus deſtituti, quâ quemque aut ſpes ducebat aut pavor, diſſipabantur: quingenti tantùm equites congregaverant ſe, incerti adhuc reſiſteréne melius eſſet, an fugere. [*Curt. ut ſupr.*]

Alexander hoſtium trepidatione compertâ, Nicanorem cum equitum parte ad inhibendam fugam præmittit: ipſe cum cæteris ſequitur. Tria fermè millia reſiſtentium occiſa ſunt: reliquum agmen more pecudum intactum agebatur; jubente rege ut cædibus abſtineretur. Feſtinantem Alexandrum vix tria millia equitum perſecuta ſunt. At in eos, qui lentiùs ſequebantur, incidebant univerſa fugientium agmina. Vix credibile dictu, plures captivi quàm qui caperent erant: adeò omnem ſenſum territis fortuna penitùs excuſſerat, ut nec hoſtium paucitatem, nec multitudinem ſuam ſatis cernerent. [*Id. ibid.*]

d. Interim jumenta, quæ Darium vehebant, nullo regente deceſſerant militari viâ; & errore delata per quatuor ſtadia, in quâdam valle conſtiterant, æſtu ſimul & vulneribus fatigata. Haud procul erat fons, ad quem monſtratum à peritis Polyſtratus Macedo ſiti maceratus acceſſit. Ac dum galeâ hauſtam aquam ſorbet, tela jumentorum deficientium corporibus infixa

conſpexit.

conſpexit. [*Id. ibid.*] cúmque propiùs acceſſiſſet, in vehiculo Darium, multis quidem vulneribus confoſſum, ſed ſpirantem adhuc invenit. Darius verò aquâ, quam poſtulaverat, hauſtâ; gratias illum ad Alexandrum, ob humanitatem matri & uxori & liberis exhibitam, perferre jubet. Pro ſe, juſtam magis quàm gravem ſepulturæ veniam orare. Quod ad ultionem pertinear: jam non ſuam, ſed exempli, commenerenque omnium regum eſſe cauſam, quam negligere, illi & indecorum & periculoſum eſſe; quippe cùm in altero juſtitiæ ejus, in altero etiam utilitatis cauſa verſetur. In quam rem unicum pignus fidei regiæ, dexteram ſe ferendam Alexandro dare. Poſt hæc, porrectâ Polyſtrato manu, exſpiravit. [*Juſtin. lib. 11. cap. 15. cum Plutarcho, in Alexandro.*]

Atque hic Dario vitæ exitus fuit, archonte Athenis *Ariſtophonte*, menſe Hecatombæone; quum annos circiter 50 natus ille fuiſſet, [*Arrian. lib. 3. pag. 69.*] & 6 annos regnaviſſet, anno à morte Cyri, imperii Perſici conditoris, 200, in ipſo tertii anni Olympiadis CXII. initio: à quo & Calippum Cyzicenum (ab Ariſtotele, qui tum in Lycæo claruit, in 12° Metaphyſicorum libro laudatum Mathematicum) ἑξακοσιοδωδεκαετηρίδα ſuam, ſive 76 annorum Periodum, deduxiſſe; ex Aſtronomicis obſervationibus variis, in magnâ Ptolemæi Syntaxi ad eam accommodatis, intelligimus. Etſi enim prælio ad Gaugamela, ante 9 menſes pugnato, & exitum principatu Darium, in libro 16° Strabo, & *Aſia imperium rapuiſſe* Alexandrum, in libro 11° ſcribat Juſtinus: quum hic tamen Darium *à cognatis occiſum, vitam pariter cum Perſarum regno finiviſſe* (ut in fine libri 10 idem Juſtinus loquitur) apertè liqueat; in monarchiæ Alexandri Aſiaticæ memoriam, Calippum hanc Periodi ſuæ epocham conſtituiſſe, dubitare non poſſumus.

Huic verò Alexandri monarchiæ *quinque* tantùm annos, ex Euſebii Chronico, Iſidorus & Beda tribuunt: *ſex* Julius Africanus, *ſeptem* qui ſub Alexandro Severo ſcripſit Chronographus, (tomo 2. antiqu. lect. Henr. Canifii, pag. 600.) *decem* vel *undecim* in fine libri 15 Strabo, *duodecim* Nicephorus Conſtantinopolitanus in Chronico, & *octodecim*, omnium longiſſimè à ſcopo aberrans, in libro primo Stromatum Alexandrinus Clemens. quum à menſe *Hecatombæone*, quo extinctus eſt Darius in Ariſtophontis præturâ, uſque ad menſem *Thargelionem*, quo Alexandrum mortuum eſſe docebimus archonte Hegeſiâ, anni *ſex* & menſes *decem* decurriſſe conſtet. Quo tantulo temporis ſpatio tot ac tanta in Oriente ille geſſit; ut pervolaſſe illum potiùs, quàm peragraſſe meritò dici poſſe videatur. Unde in prophetiâ Danielis VIII. 5. ſub typo deſcribitur *Hirci venientis ab occaſu in ſuperficiem totius terræ, & terram non tangentis*; & VII. 6. Pardo alato comparatur, beſtiæ (ut ad eum locum annotat Hieronymus) velociſſimæ & ἰσοπτοῦ. *Nihil enim* (ut ſubdit idem) *Alexandri victoriâ velocius fuit; qui ab Illyrico & Hadriatico mari uſque ad Indicum Oceanum & Gangem fluvium non tam præliis quàm victoriis percurrit.* Quæ autem poſt Darii exceſſum ab illo ſunt geſta, in Diodori libri 17. parte alterâ, Juſtino libro 12°. Curtii libris 5. poſterioribus, Plutarchi *Alexandro*, Arriani *libro* 3°. & quatuor ſequentibus, habentur explicata: è quibus omnibus, ſuis diſpoſitam temporibus, rerum ſeriem hic exhibendam curavimus.

Vix jam ſpiritum exhalârat Darius, cùm Alexander equitatu ſecum rapto illum aſſequitur, & viſo corpore defuncti, tam indignam illo faſtigio mortem lacrymis proſecutus eſt: chlamydéque ſuâ infectâ corpus involvit, illúdque ad matrem miſſum regio more ſepeliri, & majorum tumulis inferri juſſit. Fratrem quoque ejus Oxathren recepit in cohortem amicorum, omni vetuſtæ claritatis honore ſervato. Beſſo etiam perſequendo ſtatim operam dedit. Sed cùm longiſſimis ille ſpatiis anticipatis in Bactrianam fugâ evaſiſſet; aſſequi ſe hominem non poſſe animadvertens, retrò ſe convertit.

Dum Hecatompyli, quæ urbs in Parthiene à Græcis erat condita, ſtativa haberet Alexander, commeatibus undique advectis: rumor otioſi militis viritim ſine authore percrebuit, Macedonibus in patriam redeundi datam eſſe poteſtatem. Alexander, pacato exercitu patriam cogitante, & jubentibus militibus quocunque vellet duceret, tertio per Parthienem die ad fines Hyrcaniæ (quam Nabarzanes occupaverat) penetrat. Cratero relicto cum iis quibus præerat, & ex manu quam Amyntas ducebat additis ſexcentis equitibus & totidem ſagittariis, ut ab incurſione barbarorum Parthienem tueretur. Erigyium impedimenta, modico præſidio dato, campeſtri itinere ducere jubet. Ipſe, ſumptis ſcutatis & Macedonicæ phalangis expeditiſſimis quibuſque & ſagittariorum nonnullis, centum & quinquaginta ſtadia emenſus, in planitie juxta amnem non magnum caſtra poſuit.

Quartum jam diem eo in loco quietem militi dederat, quum literas Nabarzanis, qui Darium cum Beſſo interceperat, accepit: quibus illi ſe dedidit. Hinc rex 20 ſtadia proceſſit, ſemitâ propemodum inviâ; nullo tamen hoſte obvio penetravit, tandémque ad ulteriora perventum eſt. Triginta hinc ſtadia proceſſerat, cùm Phradapharnes Hyrcanorum ac Parthorum ſatrapa occurrit, ſe & eos qui poſt Darii mortem profugerant dedens: quibus benignè exceptis ad oppidum Arvas pervenit. Hic ei Craterus occurrit: qui omnem regionem per quam iter fecerat, partim vi partim deditione incolarum receperat. Erigyius quoque cum impedimentis & curribus eódem pervenit. Hi ſecum Phradatem ſive Autophradatem Tapurorum gentis præfectum adduxerunt: quem in ſatrapiam ſuam Alexander reſtituit.

Quum in ultima Hyrcaniæ Alexander intravilſet, Artabazus Perſa (qui hoſpes Philippi fuerat, quum Ocho regnante exularet; & Dario fidiſſimus permanſit) 95 annum agens, unà cum Cophene & octo aliis filiis eâdem matre (Mentoris & Memnonis ſorore) genitis, ab Alexandro humaniſſimè ſunt excepti. Aribarzanes quoque & Arſames, Darii præfecti, in poteſtatem ejus ſe dederunt.

Alexander Mardorum gentem Hyrcaniæ confinem invaſit: qui, occupatis montium faucibus, cum 8000. armatorum manu illi occurrerunt. Eos rex adortus, multos eorum interfecit,

pleroſque vivos cepit, reliquos in montium anguſtias fugere coëgit. (*Diodor.*) Reddito denique equo Bucephalo, quem ceperant, per 50. legatos veniam ſibi dari petierunt. Alexander verò, acceptis obſidibus, Autophradatem eis, ut & Tapuris, ſatrapam præfecit.

Inde quinto die in caſtra reverſus rex eſt unde in Mardos moverat. Eò Andronicus Agerri filius & Artabazus, ipſius juſſu, Græcos milites 1500 qui auxiliarem Dario operam navaverant, & legatos 90 ad Darium miſſos, adduxerunt. Quatuor Lacedæmoniorum legatos, ac Dropidem Athenienſium, Alexander in cuſtodiam tradidit. Nam Democrates Athenienſis, qui maximè Macedonum opibus ſemper obſtiterat, deſperatâ veniâ, gladio ſe transfixit. Sinopeorum legatos, & legatum Carthaginienſium Heraclidem, reliquoſque Græcorum legatos Alexander liberos dimiſit. Militibus ſecum retentis Andronicum præfecit, qui illos adduxerat. Artabazum verò, geminato honore quem Darius habuerat ei, remiſit domum.

His rebus peractis, ad maximam Hyrcaniæ urbem Zeudracarta vel Zadracarta exercitum duxit: atque ibidem dies quindecim commoratus eſt. Hîc Nabarzanes ad eum venit, dona ingentia ferens: inter quæ Bagoas erat ſpecie ſingulari ſpado; qui plurimùm apud eum poſteà poterat.

Thaleſtris ſive Minithæa Amazonum regina, terris inter Phaſim & Thermodontem fluvium imperitans, cum 300 mulieribus (reliquis copiis ad fines Hyrcaniæ relictis) ad Alexandrum, liberos ex eo quæſitura, acceſſiſſe, & 13 cum eo diebus commorata fuiſſe dicitur. Amazonum gentem hanc Hyrcaniæ finitimam fuiſſe, contra omnium Geographorum authoritatem, affirmat Curtius. [*lib. 6. cap. 10.*] Albanis vicinas Amazones has fuiſſe, Juſtinus aſſerit; [*lib. 42. cap. 3.*] & 25 (al. 35) dierum inter confertiſſimas gentes itinere confecto, Alexandro occurriſſe. [*lib. 12. cap. 3.*] Clitarchus ait Thaleſtrin à Caſpiis portis & Thermodonte profectam ad Alexandrum veniſſe: quod iter ſtadiorum ampliùs 6000 eſt. [*Strabo, lib. 11.*] Congreſſûs hujus, præter Clitarchum, meminerunt Polycritus, Oneſicritus, Antigenes, Hiſter, & alii multi. Sed Ariſtobulus, Chares ὁ ἱππαρχικὸς, Ptolemæus Lagides, Anticlides, Philo Thebanus, Philippus ὁ ἱππικὸς, Hecatæus Eretrienſis, Philippus Chalcidenſis, & Duris Samius, commentum hoc eſſe dicunt. Quibus adſtipulari apparet & ipſum Alexandrum: qui Antipatro omnia exactè ſcribens, Scytham quidem ait filiæ ſibi nuptias obtuliſſe, Amazonis verò, nuſquàm meminit. Fama quoque eſt, multis annis pòſt Lyſimacho jam regnanti Oneſicritum quartum librum ſuum recitaviſſe, in quo meminit Amazonis; ac Lyſimachum ſubridentem dixiſſe: *Et ubi tunc ego eram?* [Plutarch. in Alexand.] Vid. Strabon. lib. 11. pag. 505. & Arrian. lib. 7. pag. 155, 156.

Alexander in Parthienem rediens, faſtui & luxui Perſico ſe totum tradidit. Amicos quoque ſuos longam veſtem auratam purpureámque ſumere juſſit: & militibus ſuis, ſi quarum captivarum conjuetudine tenerentur, uxores ducere permiſit.

Beſſus tiarâ erectâ & veſte regiâ ſumptâ, Artaxerxem ſe & Aſiæ regem appellari juſſit. Perſas qui in Bactra profugerant, & ex Bactrianis complures, conſœderatóſque Scythas & cæteros Tanais accolas contraxit; hoſtili animo Alexandro occurſurus.

Satrapam Parthorum & Hyrcanorum Alexander *Amminapem* Parthum conſtituit; qui ſibi unà cum *Mazæo* (vel *Mazaco* potiùs) Ægyptum tradiderat. Adjunxit autem illi *Tlepolemum* Pythophanis filium, unum ex amicis; qui rerum Parthicarum & Hyrcanicarum ſimul curam gereret. [*Arrian. lib. 3. pag. 69.*] Curtius ait ſatrapam Hyrcaniæ datum eſſe *Menapim* (ita enim contractè *Amminapem* appellat;) qui exul, regnante Ocho, ad Philippum pervenerat. [*lib. 6. cap. 8.*] Juſtinus, Parthis domitis præfectum fuiſſe ex nobilibus Perſarum *Arſacem*: unde poſteà originem Parthorum reges habuere. [*lib. 12. cap. 4.*] quum præfecto, quem Parthici regni conditor Arſaces oppreſſit, id nominis fuiſſe confirmet idem. [*lib. 42. cap. 4.*]

Suſiam, urbem Ariorum, Alexander pervenit: quò Satibarzanes Ariorum ſatrapes ad eum acceſſit. Huic ſatrapatum ille reddidit: unáque cum eo Anaxippum unum ex amicis miſit, 40 equeſtribus jaculatoribus ei adjunctis; quos cuſtodes locorum diſponeret, ne Arii ab exercitu illàc tranſeunte damni aliquid acciperent.

Alexander adversùs Beſſum profecturus, cùm grave ſpoliis apparatúque luxuriæ agmen vix moveri animadverteret, ſuas primùm, deinde totius exercitûs ſarcinas, exceptis admodum neceſſariis, incendi præcepit.

Nicanor Parmenionis filius, argyraſpidum præfectus, ſubitâ morte correptus, magno deſiderio ſui affecit cunctos. Rex ante omnes mœſtus cupiebat quidem ſubſiſtere, funeri affuturus: ſed penuria commeatuum feſtinare cogebat. Itaque Philotâ cum 2600 relicto, ut juſta fratri perſolveret, ipſe contendit ad Beſſum.

Satibarzanes, cui Ariorum Satrapiam Alexander reſtituerat, Anaxippo & equitibus jaculatoribus qui cum eo relicti fuerant interfectis, ad urbem Ariæ primariam Chortacana ſive Artacoana copias congregavit. Inde verò (quòd Alexandrum ulteriùs progreſſum audiſſet) cum exercitu ad Beſſum ire conſtituit; ut commune cum illo bellum Macedonibus inferret.

Iſta reſciſcens Alexander, intermiſſo itinere in Bactra, ſtadiiſque ſexcentis biduo emenſis, ad Artacoana pervenit. Cujus cognito adventu, Satibarzanes cum duobus millibus equitum (nec plures ſubitò contrahi poterant) Bactra ad Beſſum perfugit: cæteri proximos montes occupaverunt. Rex Satibarzanem longiùs jam progreſſum fruſtrà inſecutus, præruptâ rupe ad quam Ariorum tredecim millia armata ſe receperant expugnatâ, ad Craterum qui Artacoana obſidebat rediit. Ille omnibus præparatis, regis expectabat adventum, captæ urbis titulo (ſicut par erat) cedens. [*ut in* II. *Sam.* XII. 27, 28.] Rex verò ſupplicibus ſemet dedentibus veniâ datâ, non obſidionem modò ſolvit, ſed omnia ſua etiam incolis reddidit. Omnibúſque

provinciæ

provinciæ hujus urbibus, 30. dierum ſpatio in ditionem ſuam redactis, Ariorum ſatrapam Arſacem Perſam conſtituit.

Alexandro ſupplementum novorum militum occurrit. Zoïlus quingentos equites ex Græcia adduxerat: tria millia ex Illyrico Antipater miſerat. Philippus Menelai filius ex Media (ubi Theſſalos equites, qui ſub ejus præfecturâ fuerant, militiæ hujus ſacramento abſolutos Ecbatanis Alexander domum remiſerat) equites mercenarios, cum 130. equitibus Theſſalis qui voluntarii remanſerant, ſecum tulerat. Ex Lydia 2600. pedites advenerant: quos 300. equites gentis ejuſdem ſequebantur. Eorum dux (ex Arriano) videtur fuiſſe Andromachus.

Hâc manu adjectâ, ad Drangas (Zarangæos ab Arriano appellatos) venit: quorum ſatrapes Barzaëntes, unus ex iis qui Darium in fugâ oppreſſerat, ſupplicii quæ meruerat metu, ad Indos qui cis Indum flumen incolunt ſtatim profugit.

Jam nonum diem in Drangianæ gentis urbe regiâ Alexander ſtativa habebat, cùm domeſticis inſidiis eſt petitus. Dimnus quidam, ex Chalæſtra urbe Macedoniæ oriundus, Nicomacho amatio ſuo aperit, in tertium diem inſidias regi comparatas; ſéque ejus conſilii fortibus viris & illuſtribus eſſe participem. Nicomachus licèt fidem ſilentii jurejurando pollicitus, tamen fratri Ceballino negotium dat, ut rem totam regi ſignificet. Sed Ceballinus, cùm regis adeundi poteſtas non fieret, Philotæ primùm, deinde ob cunctationem ſuſpectum illum habens Metroni (nobili juveni, armamentarii præfecto) rem parefacit; & ut quamprimùm eam ad regem perferat, illum admonet. Alexander, eo audito, omnes comprehendi & interrogari jubet. Dimnus, haud ignarus quam ob cauſam accerſeretur, gladio quo cinctus erat ſe interemit. Ceballinus clamitat, eodem temporis momento quo audierat, ſe Philotæ ut rem regi nunciaret mandaviſſe. Philotas id non negat: verùm non prævaricatione, ſed per incuriam ſe id omiſiſſe affirmat, & quòd res nihili videretur. Tormentis autem poſtèà adhibitis conjurationem confeſſus, cum aliis inſidiarum conſciis capitale ſubivit ſupplicium.

Tum quoque ad judicium Senatûs Macedonum Lynceſtes Alexander eductus eſt: quem, ob veterem in regem conſpirationem, jam *triennium* in cuſtodiâ detentum fuiſſe Diodorus & Curtius memorant. Hic Alexander Aëropus ille eſt, quem ante pugnam Iſſicam, hoc eſt, ante *quadriennium* integrum, ob inſidias Alexandro ſtructas cuſtodiæ fuiſſe traditum, ex Diodoro, Juſtino & Arriano conſtat. [*Vid. ann. Mund.* 3671. *b.*] Et non ſemel intentati hujus parricidii reum illum fuiſſe compertum illa Alexandri ad Macedonicum Senatum verba, (apud Curtium, *lib.* 8. *cap.* 16.) oſtendunt. *Lynceſtem Alexandrum bis inſidiatum capiti meo à duobus judiciis liberavi: rursùs convictum, per triennium tamen* [ſic enim & hîc in Palatino MS. legebatur; non, ut in editis, *per biennium*] *diſtuli; donec vos poſtularetis, ut tandem debito ſupplicio ſcelus lueret.* Hoc enim tempore, cùm hæſitans & trepidus cauſam diceret; ab iis qui proximè adſtabant lanceis confoſſus occubuit.

Lynceſtæ corpore ablato, rex amiciſſimos Philotæ Amyntam Andromenis filium, cum Attalo Simmiâque fratribus ſuis, introduci juſſit: nam Polemon minimus ex fratribus, cùm Philotam torqueri comperiſſet, profugit; ſed captus ad judicium reductus eſt. Tandem verò, cunctis deprecantibus, Amyntam & fratres ejus Alexander ſuâ ſententiâ abſolvit.

Ad Philotæ patrem Parmenionem Mediæ præfectum & dignitate regi proximum, è medio tollendum, Polydamantem longè illi acceptiſſimum & duos Arabas camelis dromadibus impoſitos, ut citatis itineribus famam de Philotæ ſupplicio anteverterent, cum literis ad Cleandrum, Sitalcem & Menidam (Medici exercitûs duces ſub Parmenione conſtitutos) Alexander miſit. Quorum operâ 70. jam annorum ſenex, dum poſt Alexandri ad ſe epiſtolam, filii nomine ſcriptam alteram ſecurus legeret, confoſſus periit. Cleander, capite ejus ad regem miſſo, ut truncus humaretur ægrè permiſit. Triginta aut quadraginta dierum itinere diebus undecim peracto, rem confectam fuiſſe Strabo indicat. [*lib.* 15. *pag.* 724.]

Alexander, verens ne victoriarum ſuarum gloria ſævitiæ maculâ in Macedoniâ infuſcaretur, eâdem techná quâ Gaos (ſuprà, anno Mundi 3620.) uſus, ſimulat ſe ex amicis quoſdam in patriam miſſurum. Hortatur milites ſuis ſcribere, rariorem habituros occaſionem, propter militiam remotiorem. Datos faſces epiſtolarum tacitè ad ſe deferri jubet; ex quibus cognito de ſe ſingulorum judicio, eos qui tædium laboris queſti aut de rege durius opinati fuerant in unam cohortem, quam ἀτάκτων τάγμα nominabat, contribuit: duce illis Leonidâ dato, qui Parmenioni quondàm intimâ familiaritate erat conjunctus. Amicorum verò equitatui, in duas partes diviſo, Hephæſtionem Amyntoris & Clitum Dropidis filium præfecit.

Rebus in Drangianâ conſtitutis, ad eos qui olim Agriaſpæ vel Arimaſpi à Cyro verò majore, ob beneficium ab eis acceptum, Euergetæ dicti ſunt, duxit exercitum: atque amicè ab eis eſt exceptus.

Quinto poſtquàm in eorum regionem pervenerat die, cognoſcit Satibarzanem cum duobus millibus equitum quos à Beſſo acceperat, in Ariorum agros rursùs ingreſſum, eos à fide ipſius abduxiſſe. Adversùs quem ſex millia Græcorum peditum & 600. equites, Erigyii & Carani (vel Straſanoris, ut habet Diodorus) ductu, cum Artabazo Persâ, Andronico & Pharnabazo Parthorum ſatrapâ, Alexander miſit.

Ipſe apud Euergetas Apollini ſacrificavit: & Demetrium, unum ex corporis cuſtodibus, quem Philotæ conſiliorum participem fuiſſe ſuſpicabatur, comprehendit & Ptolemæum Lagi filium in ejus locum ſuffecit. Euergetas magnâ pecuniâ donavit: tantúmque ex finitimis locis agri quantum petiere (exiguum autem petiere) dedit. A finitimis quoque Gedroſiis amicè receptus, meritam eis gratiam retulit.

3675 *a.* Diebus 60. apud Euergetas actis, Amenidem (qui Darii ſcriba fuerat) Alexandrum eis præfectum reliquiſſe ſcribit Curtius. Liberos eos dimiſiſſe, affirmat Arrianus. Illorum ſimul & Gedroſiorum prætorem Teridatem conſtitutum Diodorus narrat.

In

In Bactra deinde & Bessum Alexander movit, Drangis Dragogitque in ipso itinere subactis. Subegit etiam Arachosiam: ibique exercitum, qui sub Parmenione fuerat, occupavit. Sex millia Macedonum erant, & 200. nobiles, & quinque millia Græcorum, cum equitibus 200. (al. 600. rectiùs:) haud dubiè robur omnium virium regis. Arachosiis datus Menon prætor: quatuor millibus peditum & sexcentis equitibus in præsidium relictis.

Tum Alexander in Paropamisadas exercitum duxit: quod sub occasum Vergiliarum & initium hyemis factum, ex Strabone colligimus. (*lib.* 15. *pag.* 724. *fin.*) Regio nivibus tota oppleta est: & obscura cœli verius umbra, quàm lux, nocti similis pressit terram, vix ut quæ prope sunt conspici possent. In hac tamen solitudine, quidquid malorum tolerari potest, inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem, Alexandri pertulit exercitus. Multos exanimavit rigor insolitus nivis, multorum adussit pedes. Tandem ad cultiora perventum est, commeatúque largo recreatus exercitus, simul & qui consequi non poterant in illa castra venerunt. Et brevi, quicquid hominum ibi fuit, in ditionem Regis concessit.

Hinc ad Caucasum montem, qui à quibusdam Paropamisus nuncupatur, Alexander progressus, eum 16. aut 17. dierum spatio superavit: urbémque sub ejus radicibus condidit ad portam quà in Mediam via aperitur, quam Alexandriam nominavit. Alias etiam urbes condidit, per unius ab Alexandriâ iter dici remotas. In has Barbarorum septem & extra ordines sequentium tria millia, & militum quorum operâ uti desiisset quotquot vellent, collocavit. Satrapam illi regioni constituit Proëxem Persam: ex amicis verò Niloxenum Satyri filium *Imbrasum* sive speculatorem cum exercitu ibi reliquit.

Commisso inter Macedones & Arios prælio; Satibarzanes qui Barbaris præerat, galeâ è capite detractâ, si quis viritim dimicare vellet, provocavit ad pugnam. Huic Erigyius occurrit, & hasta transfossum interemit. Barbari duce amisso, quem magis necessitate quàm sponte secuti erant, fide acceptâ, se cum armis Erigyio tradiderunt.

b. Bessus Persis, qui participes consiliorum in capiendo Dario fuerant, comitatus, Bactrianisque circiter septem millibus, & Dahis ultra Tanaim fluvium habitantibus, regionem Cauc. so adjacentem depopulatus est; ut præ vastitate regionis inter se & Alexandrum interjectæ, rerúmque necessariarum penuriâ, Alexandrum quo minùs progrederetur impediret. Is verò nihilominùs processit, difficulter quidem ob nivium altitudinem & commeatûs inopiam: processit tamen. 4385 329

Evectâ enim hyeme habens Indiam supernè ad dextram, per summa montium transivit in Bactrianam. Via erat nuda arborum, nisi quòd rari aderant terebinthi frutices. (*Strabo*, *lib.* 15. *pag.* 725.) Succo ex sesamâ expresso haud secùs quàm oleo (ad mitigandum frigus) milites artus perungebant. At hujus succi 240. denariis amphoræ singulæ, mellis 390. denariis, 300. vini æstimabantur: tritici nihil, aut admodum exiguum, reperiebatur. In frugum penuriâ milites fluviatili pisce & herbis sustinebantur. Jámque hæc ipsa alimenta defecerant, cùm jumenta quibus onera portabant cædere jussi sunt: quorum carne, dum in Bactrianos perventum, traxere vitam. (*Curt. lib.* 7. *cap.* 7.) Addit Strabo, etiam crudis jumentorum carnibus propter lignorum penuriam vesci fuisse coactos: sed ad eam cruditatem concoquendam silphii copiam præsentem auxilio fuisse.

Bessus Alexandri celeritate perterritus, diis patriis facto sacrificio, sicut illis gentibus mos est, cum amicis ducibúsque copiarum inter epulas de bello consultabat. Ubi ferox ille verbis, & parto per scelus regno superbus, ac vix potens mentis dicebat, socordiâ Darii crevisse hostium famam: sibi placere in Sogdianos recedere; atque Oxum amnem velut murum hosti objicere, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent. Temulentis verò convivis salubrem esse hanc sententiam conclamantibus; *Cobares* (ut Curtius, vel *Bagodaras*, ut eum Diodorus appellat) natione Medus, professione Magus, ut validioris potiùs occuparet gratiam, & Alexandro se dederet, consuluit. Quod Bessum commovit, ut, stricto acinace, quo minùs eum occideret vix ab amicis contineretur. Cobares autem inter tumultum elapsus, noctu ad Alexandrum transfugit.

Quintodecimo die Alexander ab urbe à se conditâ (Alexandriâ) & hybernaculis, *Adrapsa* pervenit, Bactrianæ urbem; ut refert Strabo. (*lib.* 15. *pag.* 725.) *Drapsaca* profectus, (inquit Arrianus) recreato exercitu, in Aornos & Bactra, maximas Bactrianæ urbes, movit: quibus primo impetu captis, præsidium in arce Aorni constituit; cui Archelaum Androclis filium, unum ex amicis, præfecit.

Septem vel octo millia Bactrianorum habebat armata Bessus: quæ, quamdiu propter cœli intemperiem Indiam potiùs Macedonas petituros crediderant, obedienter imperata fecerunt. Postquàm autem adventare Alexandrum compertum est; in suos quisque vicos dilapsi, Bessum reliquerunt. Ille, cum clientum manu qui non mutaverant fidem, Oxo amne superato, exustisque navigiis quibus copias transvexerat, ne iisdem hostis uteretur, in Nautaca Sogdianæ regionis se recepit; novas copias in Sogdianis contracturus. Sequebantur eum Spitamenes & Oxyartes, Sogdianos equites habentes, & Dahæ à Tanai profecti.

c. Alexander, Artabazo Persâ Bactrianorum regioni Satrapâ dato, sarcinas & impedimenta ibi cum præsidio relinquit. Ipse cum expedito agmine loca deserta Sogdianorum intrat, nocturno itinere exercitum ducens. Ubi cùm per 400 stadia ne modicus quidem humor existeret: æstu itaque die sequente ab ejus exercitu vehementer laboratum est. Et qui aquam postea intemperantiùs hauserunt, intercluso spiritu extincti sunt: qui multo major hominum numerus fuit, quàm ullo amisserat prælio.

Ad fluvium Oxum Alexander pervenit primâ ferè vesperâ: totámque eam noctem perpetuis vigiliis agens, exercitûs partem magnam quæ consequi non potuerat expectavit.

3675 Antequam vero flumen trajiceret, ex Macedonibus qui aut præ ætate aut vulneribus inepti ad pugnam erant, & ex Theſſalis qui voluntarii remanſerant, 900 ferè ſeligens; equiti bina talenta dedit, pediti terna denarium (ſive drachmarum) millia; monitóſque ut liberos generarent, remiſit domum. Cæteris gratiæ actæ, quòd ad reliqua belli navaturos operam pollicebantur.

Staſanorem quoque, unum ex amicis, ad Arios miſit, qui Arſacem eorum ſatrapam comprehenderet, quòd mali aliquid moliri videretur: ſuque ejus loco ſatraparum obtineret juſſit.

Cúmque materia navigiis aut pontibus ſtruendis deeſſet: moræ impatiens Alexander pelles ſub quibus milites in tentoriis degebant, aut utres ſtramentis refertos quamplurimos colligari & quàm accuratiſſimè commutri juſſit: atque ita quinque dierum ſpatio exercitum per amnem traduxit.

Spitamenes, inter omnes amicos præcipuo honore cultus à Beſſo, ut Alexandrum flumen Oxum ſuperaſſe cognovit, conſilio cum Datapherne & Catene (quibus à Beſſo maxima fides habebatur) communicato, Beſſum comprehendit; direpto ex capite regni inſigni, laceratáque veſte quàm ſpolium occiſi regis induerat.

Alexander trajecto Oxo, celeriter eò exercitum duxit, ubi Beſſum cum copiis eſſe acceperat. Intereà nuntii ad eum à Spitamene & Datapherne veniunt, pollicentes, ſi aliquem ex ducibus ſuis cum aliquantis copiis mitteret, ſeſe Beſſum eſſe tradituros. Ad quos ille Ptolemæum Lagi filium miſit, cum tribus amicorum equitum cohortibus, & haſtatis equitibus omnibus; ex peditibus verò, Philotæ agmine, & argyraſpidibus mille, Agrianíſque omnibus ac ſagittariorum parte dimidiâ. Cum his Ptolemæus, decem ſtadiorum iter quatriduo emenſus, eò pervenit ubi pridie barbari cum Spitamene caſtra habuerant.

Dum Beſſus perducitur, in parvulum Branchidarum oppidum Alexander pervenit. Hi Mileto quondam juſſu Xerxis tranſierant; & in eâ ſede conſtiterant; quia in illius gratiam templum Didymei Apollinis violaverant. (ut ſuprà, ad annum Mundi 3526, eſt notatum.) Urbs, ut proditorum receptaculum, tota direpta & ſubverſa eſt; incolis ad unum, ſine omni miſericordiâ, trucidatis. Quæ ſi in ipſos proditionis authores excogitata eſſent, juſta ultio eſſe, non crudelitas videretur: nunc culpam majorum poſſent luere, qui ne viderant quidem Miletum, adeò Xerxi non potuerant prodere. [*Curt. lib. 7. cap. 12. cum Strabone, lib. 11. pag. 517, 518.*]

Ad Alexandrum cum exercitu tranſeuntem perductus eſt Beſſus, non capiſtro modò vinctus, ſed etiam omni velamento corporis ſpoliatus; tam Barbaris quàm Macedonibus gratum ſpectaculum. Dona omnibus qui eum adduxerant data ſunt. Ipſum Alexander Oxatræ Darii fratri, quem inter corporis cuſtodes habebat, tradi juſſit: ut cruci affixum, mutilatis auribus naribúſque, ſagittis configerent Barbari; aſſervaréntque corpus, ut ne aves quidem contingerent. Deinde flagellis cæſum in Bactra remiſit: ſed ſupplicium ejus diſtulit; ut eo loco, in quo Darium ipſe occiderat, necaretur.

Alexander, ſupplemento equorum ſumpto, (quorum multos tam in tranſitu Caucaſi montis, quàm in itinere ad Oxum amnem & diſceſſu ab Oxo amiſerat) ad Tanaim fluvium proſectus eſt: non illum qui Europam ab Aſiâ diſterminans in paludem Mæotidem delabitur, ſed *Jaxartem*; quem Plinius [*lib. 6. cap. 16.*] à Scythis *Silym*, à finitimis *Orxantem* appellari Ariſtobulus dicit.

Hic nonnulli ex Macedonibus ad petendum pabulum incompoſito agmine egreſſi, à Barbaris qui de proximis montibus decurrerunt opprimuntur: plureſque capti ſunt quàm occiſi. Hi ad 30 (vel, ut *Curtius*, 20) millia erant: adverſùs quos Alexander aſſumptis expeditioribus totius exercitûs celeriter proſectus, ſagittâ ictus eſt, quæ in medio crure fixa reliquerat ſpiculum. Collem nihilominùs captum fuiſſe, atque ex 40 millibus non plures 8 millibus evaſiſſe, refert *Arrianus*. Sed proximo quàm ex acie ſubductus eſt rex die, Barbaros ultrò deditione factâ & captivis redditis pacem ab Alexandro impetraviſſe, *Curtius* narrat.

Caſtris inde motis, rex lecticâ militari vehebatur; quam pro ſe quiſque eques pedeſque ſubire certabant. Hinc quarto die ad urbem Maracanda, Sogdianorum regiam, cujus murus 70 ſtadia amplectebatur, perventum eſt: ubi, præſidio urbi relicto, proximos vicos Alexander depopulatus eſt atque uſſit.

Paucis poſt diebus legati venerunt à Scythis Abiis; qui liberi à morte Cyri, tum ſe Alexandro permiſerunt.

Barbari fluvio finitimi Macedonum Milites, qui in Scythicis urbibus præſidio conſtituti erant, comprehenſos interficiunt; urbéſque ſuas majoris ſecuritatis causâ muniunt. Conjunxerunt ſe illorum defectioni Sogdianorum plerique, ſollicitati ab iis qui Beſſum ceperant: qui & Bactrianorum nonnullos ad ſe pertraxerunt. Suſianorum, & Bactrianorum ſeptem millia equitum erant; quorum authoritatem cæteri ſequebantur. Ad quos coercendos miſſi ab Alexandro Spitamenes & Catenes, à quibus traditus ei fuerat Beſſus, primarii defectionis authores extiterunt: ſparſâ famâ, Bactrianos equites à rege omnes ut occiderentur fuiſſe accerſitos.

Hiſce cognitis, Alexander Gazam, Craterus Cyropolim aggreditur. Gazâ captâ, puberes omnes interfecti, mulieres & pueri mancipati, urbs diruta eſt: ut cæteri cladis exemplo continerentur. Hâc & aliis quatuor urbibus biduo captis & direptis; Cyropolim ille contendit: in quam ut omnium maximam & munitiſſimam octodecim armatorum millia ſe receperant. In ejus obſidione & promptiſſimi quique militum cecidêre, & ipſe Rex ad ultimum periculum venit. Námque cervix ejus ſaxo ita ictus eſt, ut oculis caligine offuſis collaberetur, ne mentis quidem compos. Sed invictum adverſùs ea quæ cæteros terrent, nondum percurato vulnere actiùs obſidioni inſtitit, naturalem celeritatem irâ concitante. Et primo quidem tumultu captæ urbis cæſi ſunt ex hoſtibus 8000, reliqui in arcem confugerunt. Quos quum Alexander uno die obſeſſos tenuiſſet; aquarum inopia præſidii deditionem fecerunt.

Cyropoli, jussu Alexandri, diruta; ex septem urbibus, in quas barbari ejus regionis confugerant, una sola jam supererat. Eam primo insultu ille cepit: & quidem deditione, ut Ptolemæus scribit. Aristobulus verò etiam hanc vi captam tradit; omnésque in eâ comprehensos, interfectos fuisse. Ptolemæus captivos in exercitum distributos narrat, vinctósque custodiri jussos, donec ipse ex eâ regione discederet: nequis eorum qui defectionem fecerant relinqueretur.

Dum hæc geruntur, Scytharum Asiaticorum exercitus ad ripas Tanais fluvii venit, quòd audissent nonnullos barbarorum trans flumen incolentes ab Alexandro defecisse: ut si qua insignis defectio fieret, ipsi quoque in Macedones irruerent.

Interim Spitamenes nuris Maracandæ se includens, Macedonum præsidium ibi arce relictum obsidebat. Adversùs hunc Alexander Menedemum, & Andromachum, ac Caranum misit: cúmque his equites ex amicis 60, ex mercenariis 800, quos ducebat Caranus; pedites autem mercenarios 1500. (vel 3000, ut habet *Curtius.*) His adjunxit Pharnuchem interpretem, qui barbarorum linguam callebat, aptúsque qui cum iis ageret videbatur.

Alexander ad Tanaim amnem rediit, & quantum soli occupaverant castris, muro circumdedit. Sexaginta stadiorum urbis murus fuit. Hanc quoque urbem Alexandriam appellari jussit. Opus tantâ celeritate perfectum est, ut decimo septimo die quàm munimenta excitata erant, recta quoque urbis absolverentur. Ita *Curtius.* [*lib.* 7. *cap.* 17.] Intra diem septimum decimum, murum sex millium passuum consummarum, *Justinus* ait: [*lib.* 12. *cap.* 5.] viginti dierum spatio urbem muro cinctam *Arrianus* retulit. Eam Græcis mercenariis habitandam dedit, & finitimis Barbaris quibus suâ sponte eò commigrandi voluntas fuit, nonnullis etiam Macedonibus qui inepti bello erant. Incolas quoque novæ urbi dedit captivos, quos reddito pretio dominis liberavit: & trium civitatum populos, quas Cyrus condiderat, eò transtulit.

Rex Scytharum, cujus tùm ultra Tanaim imperium erat, ratus eam urbem suis impositam esse cervicibus, fratrem Carthasim nomine cum magnâ equitum manu misit ad diruendam eam, procúlque amne submovendas Macedonum copias. In conspectu Alexandri obequitabat hostis, & cum telis, quæ trans flumen ejaculabatur, etiam probra barbarico more jaciebat. Alexander autem adhuc æger ex vulnere, voce deficiebat; nec insistere in terrâ, nec equo vehi, nec suos docere poterat vel hortari.

Spitamenes, Daharum sive Nomadum Scytharum circiter 600 equitibus suo equitatui adjunctis, eos qui Maracanda auxilio obsessis missi ab Alexandro fuerant, oppressit. Macedonibus in ipso conflictu ex improviso supervenisse Scythas, qui in hortis abditi fuerant, tantáque eorum copias occisione occidisse, ut equites non plures 40 & pedites circiter 300 tantùm evaserint; Aristobulus author est. Cecidisse eo prælio peditum duo millia, cum 300 equestribus, scribit *Curtius*; eámque cladem Alexandrum solerti consilio texisse, morte denunciatâ iis qui ex prælio venerant, si acta vulgassent.

d. Alexander, in præparatas rates exercitu impositio, & levius armatis super utres farmento repletos nare jussis, Tanaim mirâ industriâ trajecit: frustrà obnitentibus qui in adversâ fluminis ripâ stabant Scythis. Quos in fugam datos, quanquam vexationem invalidi corporis pati non poterat, per 80 tamen stadia insequi perseveravit. Jámque linquente animo, suis præcepit, ut donec lucis aliquid supersset, fugientium tergis inhærerent. Quúmque in summo æstu acerrimè eos insequerentur, universus exercitus magna siti laboravit. Ipse etiam Alexander aquâ (qualem ea regio fert) vitiosâ epotâ, vehementi profluvio alvi correptus est. Ex Scythis cæsi circiter mille, capti 150, equique 1800. abacti. Ceciderunt autem Macedonum equites sexaginta, pedites centum ferè; mille saucii fuerunt.

Haud multò pòst legati Scytharum ad Alexandrum venerunt, factum excusatum. Non esse ei illata arma communi totius gentis Scythicæ consilio, sed ab iis qui latronum more ex rapto viverent: se verò imperata facere velle dicentes. Quibus humaniter ille respondens; captivos omnes sine pretio remisit: ut fidem faceret, sibi cum ferocissimis gentium de fortitudine, non de irâ fuisse certamen.

Eâ clementiâ moti Sacæ, legatos quoque ad eum miserunt, qui polliceretur genrem imperata facturam. His etiam benignè exceptis, comitem Excipinum dedit, juvenem sibi gratissimum & Hephæstionem alterum.

Alexander, assumptâ amicorum equitum parte dimidiâ, scutatis omnibus, & sagittariis atque Agrianis, & ex phalange expeditioribus, Maracanda contendit: quò Spitamenem reversum esse acceperat, denuóque eos qui in arce erant obsidere. Ipse tridui spatio 1500. stadia emensus, quarto die sub auroram ad urbem venit. Spitamenes cum suis copiis, ut Alexandrum adventare intellexit, non expectato ejus adventu, relictâ obsidione, fugit. Quem ille acriter insecutus, ad eum locum pervenit, in quo milites ejus à Scythis cæsi fuerant. Horum ossa tumulo contegi jussit, & inferias more patrio dedit. Deinde fugientes hostes ad deserta usque insecutus est.

Jam Craterus, cum majore parte exercitûs modicis itineribus subsequi jussus, ad Regem pervenerat. Itaque ut omnes qui defecerant pariter belli clade premerentur, copias divisit: utrique agros, & interfici puberes jussit. Totam verò eam regionem, quam Polytimetus amnis irrigans transit, percurrit: inde enim, ubi sub terram ille se condit, omnis ulterior regio deserta est.

Sogdianorum pluribus quàm 120000 interfectis (ut lemma Diodori in alteram partem libri 17 indicat) 30 eorum nobilissimi, corporum robore eximio, captivi ad Alexandrum perducti sunt. Quorum invictum adversùs mortem animum ille admirans, eis fide datâ vitam donavit. Neque promissum illi officium fefellerunt. Nam qui remissi domos ierant, in fide continuêre populares. Quatuor inter custodes corporis, nulli Macedonum in Regem charitate cessérunt.

In

In Sogdianis Peucolao cum tribus millibus peditum (neque enim majore præſidio indigebat) relicto, Bactra pervenit. Hic, conventu omnium quotquot aderant habito, Beſſum introducit: accuſatáque ejus in Darium perfidiâ, nares ei ſummáſque aures præſcindi jubet; deinde in Ecbatana mittit, ut ibi in Medorum Perſarúmque concilio morte mulctaretur. *Plutarchus* eum reclinatis duabus arboribus Alexandri juſſu alligatum fuiſſe refert; ut ad naturalem ſtatum valido cum impetu redeunte utrâque, ille in diverſa avelleretur. *Diodorus*, fratrem Darii cæteróſque propinquos omni contumeliæ & cruciatûs genere in hominem graſſatos, corpore tandem minutatim conciſo, particulas hinc illuc fundis disjeciſſe, narrat.

Per idem tempus venerant ad Alexandrum Phrataphernes Parthorum ſatrapa, & Staſanor ad Arios miſſus ut Arſacem comprehenderet: quem quidem vinctum adduxerunt, & Barzanem quem Beſſus Perſis ſatrapam dederat, ac nonnullos alios qui tum unà cum Beſſo defecerant.

E maritimâ quoque orâ acceſſerunt Epocillus, & Melanidas, ac Ptolemæus Thracum dux; qui pecunias cum Menete miſſas & ſocios ad mare deduxerant. Ptolemæus & Menidas peditum tria millia & equites mille adduxerunt mercede militaturos. Alexander quoque ex Lyciâ cum pari numero peditum & quingentis equitibus venit. Totidem è Syriâ Beſſum Syriæ ſatrapam atque Aſclepiodorum mari præfectum ſequebantur. Antipater Græcorum mercenariorum octo millia, in queis quingenti equites erant, miſerat; Aſandro & Nearcho ducentibus.

Exercitu ita auctо, ad ea quæ defectione turbata erant componenda Alexander proceſſit. Plerique enim Sogdianorum in arces ſe receperant, neque ſatrapæ quem iis Alexander conſtituerat morem gerere volebant. Polyſperchonte igitur & Attalo & Gorgiâ atque Meleagro apud Bactrianos relictis, ut regionem illam præſidio tenerent: ne barbari ejus loci novi aliquid molirentur, útque eos qui disjuncti ab ipſis eſſent expugnarent: ipſe quarto die ad Oxum fluvium caſtra poſuit. Hic quia limum vehit, turbidus ſemper & inſalubris eſt potu. Itaque puteos miles cœperat fodere; nec tamen humo egeſtâ exſiſtebat humor; quum in ipſo tabernaculo Regis conſpectus eſt fons: quem quia tardè notaverant, ſubitò extitiſſe finxerunt: Réxque ipſe credi voluit donum Dei id fuiſſe. [*Curt. lib. 7. cap. 25.*] Plutarchus narrat, Proxenum Macedonem, præfectum eorum qui ſtragulis erant appoſiti, dum tabernaculo regio locum foderet, juxta Oxum amnem, fontem detexiſſe pinguis & oleoſi liquoris: ídque Alexandrum, in epiſtolis ad Antipatrum, inter maxima à Deo ſibi oblata oſtenta repoſuiſſe. Arrianus duos ibi fontes, alterum aquam, alterum oleum fundentem, non procul ab ipſius tabernaculo ortos fuiſſe narrat. Quod cùm à Ptolemæo Lagi filio eſſet Alexandro nunciatum: ille ſtatim ex vatum præſcripto ſacrificium fecit. Reſponditque Ariſtander, fontem oleo manantem labores portendere, victoriam tamen ex labore conſecuturam.

Superatis deinde amnibus Ocho & Oxo, ad urbem Marginiam ſive Margianam pervenit. Circa eam ſex oppidis condendis electa ſedes eſt. Duo ad Meridiem verſa, quatuor ſpectantia Orientem, modicis inter ſe ſpatiis diſtabant; ne procul repetendum eſſet mutuum auxilium. [*Curt. ut ſupr.*] *Octo* urbes Alexandrum in Bactrianâ & Sogdianâ condidiſſe, refert Strabo; [*lib. 11. pag. 517.*] *duodecim* Juſtinus; [*lib. 12. cap. 5.*] qui & diſtribuiſſe eas addit his, quoſcunque in exercitu ſeditioſos habebat.

3676 1. Arimazes Sogdianus cum triginta armatorum millibus petram (*Oxi*, ut eam Strabo nominat) occupavit: alimentis antè congeſtis, quæ tantæ multitudini vel per triennium ſuppeterent. Petra in altitudinem 30 eminebat ſtadia, circuitu 150 complectebatur. Juvenes 300, propoſitorum ab Alexandro præmiorum magnitudine incitati, ferreis fulcris, quæ ſubindè defigebant, conniſi in altum paulatim ad montis cacumina pervenerunt: 32 tantùm ex eo numero, quos inſtabilis gradus fefellerat, ex præcipiti devolutis. Barbari inopinato ſpectaculo attoniti, plures eos quàm erant & bene armatos eſſe rati, ultrò ſe dediderunt. Arimazes igitur, deſperatis magis quàm perditis rebus, cum propinquis nobiliſſimiſque gentis ſuæ deſcendit in caſtra: quos omnes verberibus affectos, ſub ipſis radicibus Petræ Alexander crucibus affigi juſſit. Multitudo dedititiorum incolis novarum urbium cum pecuniâ captâ dono data eſt. Artabazus in Petræ regioniſque ei appoſitæ tutelâ relictus eſt. [*Curt. lib. 7. cap. ult. Vid. & Polyæn. Stratagem. lib. 4. in Alexandro, num. 29.*]

Alexander, in ditionem redactâ Sogdianorum Petrâ, cùm propter vagum hoſtem ſpargendæ manus eſſent, in quinque partes diviſit exercitum. Hephæſtionem tribus partibus præeſſe juſſit: quartæ Cœnum & Artabazum præfecit. Ipſe quintâ parte ſecum ſumptâ, regionem ingreditur Maracanda versùs; reliqui, ut quiſque potuit, progreſſi, alios qui in arces confugerant vi expugnârunt, alios deditionem voluntariè facientes receperunt. Poſtquàm verò univerſæ copiæ, majore Sogdianæ provinciæ parte peragratâ, ad Maracanda convenerunt: Hephæſtionem emittit, qui in Sogdianorum urbes colonias deducat; Cœnum autem & Artabazum in Scythas, quòd nuntiatum fuerat Spitamenem ad eos confugiſſe. Ipſe cum reliquo exercitu Sogdianorum ditionem ingreſſus, cætera oppida quæ ab iis qui defecerant occupabantur parvo negotio expugnavit: & iis qui ante certamen imperata fecerunt, eorum qui armis fuerant ſubacti urbes agroſque juſſit attribui.

Dum hæc aguntur, Spitamenes & Bactrianorum exules, cum Sogdianorum profugorum manu qui in Scytharum regionem profugerant, & 600 (vel 800) Maſſagetarum equitibus, ad arcem quandam Bactrianis oppoſitam profecti, & præfectum præſidii nihil hoſtile expectantem adorti, militibus qui in præſidio erant interfectis, præfectum in cuſtodiâ tenuerunt. Ipſi captâ hâc arce, animis elati, paucis pòſt diebus Zariaſpis appropinquantes urbem oppugnare ſtatuerunt, multámque prædam inde abegerunt.

Ad hos coërcendos Attinas regionis ejus præfectus 500 equites, insidiarum quæ parabantur ignarus, eduxit. Cui se adjunxerunt equites ex amicorum regiorum cohorte, qui Zariaspis invaletudinis causâ relicti jam convaluerant armáque ferre & equos conscendere poterant; cum Pithone Soclis filio (iis qui ex regiâ familiâ Zariaspis erant præfecto) & Aristonico citharœdo. Hi enim collectis mercenariis equitibus circiter 80, qui præsidio Zariaspis relicti fuerant, & regiorum puerorum nonnullis cum Attinâ in Massagetas ferebantur. Sed Spitamenes & milites quos in sylvis campo junctis ille condiderat, ex improviso eos adorti, ex amicis quidem septem, ex mercenariis equitibus 60, & Aristonicum citharœdum, (qui in eâ pugnâ se non ut citharœdum sed strenuum militem gesserat) Attinam verò cum suis omnibus interemerunt. Pithon saucius in hostium potestatem vivus venit. Celeriter ad Craterum hujus cladis fama perlata est: qui cum omni equitatu superveniens, fugientes Massagetas usque ad solitudinem est insecutus. Ubi acri pugnâ inter eos initâ, victoria penès Macedones fuit. Et ex Massagetis quidem, 150 equitibus cæsis, reliqui facilè per solitudinem evaserunt. Dahæ autem mille oppressi sunt: quorum clade totius regionis finita defectio est.

Alexander, Sogdianis rursùs subactis, Maracanda repetiit. Ibi à rege Scytharum Europæorum super Bosphorum colentium dona & legationem accepit. Filiæ suæ nuptias illi obtulit: cujus rei & ipsum Alexandrum meminisse in epistolâ ad Antipatrum, ex Plutarcho jam antè notavimus. Quòd si affinitatem hanc ille dedignaretur; ut principes Macedonum cum primoribus suæ gentis connubio coïre pateretur, rogavit: se quoque si juberetur, venturum ad eum pollicitus; ut ab ipso coràm imperata acciperet.

Eodem quoque tempore Phrataphernes, sive Pharnemanes, qui Chorasmiis præerat, Massagetis & Dahis regionum confinio adjunctus, misit qui facturum imperata pollicerentur. Ille utráque legatione benignè auditâ, Hephæstionem & Artabazum opperiens stativa habuit.

Postquàm hi advenerant, in regione *Bazariâ* (vel *Basistis*, ut in lemmatibus libri 17 Diodori legitur) Alexander cum toto exercitu ingressus saltum, qui quatuor continuis ætatibus intactus fuerat, agitari undique feras jussit. Inter quas cùm leo magnitudinis raræ ipsum regem invasurus incurreret: fortè Lysimachus (qui postea in Thraciâ regnavit) venabulum objicere feræ cœperat. Quo rex repulso & abire jusso, feram non excepit modò, sed etiam uno vulnere occidit. Deinde quatuor millibus ferarum dejectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est.

Maracanda reditum est: & Artabazo à satrapatu Bactrianorum propter senectutem absoluto, veteri Philippi militi Clito Dropidæ Macedonis filio provincia ejus destinata est; fratri Hellanicæ (sive Lanicæ) nutricis Alexandri, quæ haud secùs quàm mater à Rege diligebatur. Sed in quiete Clitum pullatum Alexander videre sibi est visus, inter Parmenionis filios, qui mortui erant omnes, considentem.

Tertius à somnio hoc oblato dies erat apud Macedones Baccho sacer: in quo Alexander quotannis Baccho sacrificare solitus, jam eo neglecto Dioscuris sacrificium cum epulo instituit. Quidam tum ab orâ maritimâ poma Græca regi attulerant: quorum viriditatem & speciem ille miratus, accivit Clitum, ut ei ostenderet illa & impertiretur. Clitum, relicto quod tum faciebat sacrificio ad Regem pergentem, tres oves, in quas facta jam fuerat libatio, sunt secutæ. Quo intellecto, Rex rem ad vates retulit Aristandrum & Cleomantem Lacedæmonium. Denunciantibus illis tetrum prodigium esse, Alexander, somnii sui memor, ut properè pro Clito litarent præcepit. Clitus verò ad epulum venit, cùm Rex Dioscuris sacrificaret. Cúmque Alexander in convivio multo incaluisset mero, immodicus æstimator sui, celebrare quæ ipse gesserat cœpit, & res patris Philippi deprimere: majore convivarum parte assentante. Clitus contrà, memoriam Philippi tueri, præterita efferre, præsentia imminuere, est ausus; gravibus etiam additis in Regem contumeliis. Quum jam Alexander irâ percitus eum interfecturus prosiliret; ipse (ut refert Aristobulus) per ostium ultra muros & fossam in arcem ad Ptolemæum Lagi F. corporis custodem subductus, quin reverteretur continere se non potuit; & quum in Alexandrum Cliti nomen inclamantem incidisset, eique respondisset, *En tibi Clitum Alexander*; tum satisfá ictus interiit.

Alexander, facti atrocitate posteà consideratâ, eodem furore in pœnitentiam, quo pridem in iram versus, mori voluit. Itaque triduum totum inclusus, à cibo & potu abstinuit, neque aliam ullam corporis curam habuit.

Cùm jam in quartum diem perseverata inedia esset, armigeri corporisque custodes in tabernaculum irrumpentes, diu precibus ipsorum reluctatum ægrè vicerunt, ut cibum caperet. Vatibúsque nonnullis Liberi patris iram hic causantibus, quòd sacrificium ejus fuisset prætermissum; sacrificium illi reddidit. siquidem non ingratum ei erat, casum illum ad iram numinis potiùs quàm ad suum maleficium referri. Aristander quoque vates visum quod de Clito fuerat ei representatum & prodigium in mentem revocans, jamdudum hæc in fatis fuisse monuit. Multum profuere & Callisthenis philosophi preces, condiscipulatu apud Aristotelem familiaris illi: sed multò magis Anaxarchi Abderitæ sophistæ impudens arrisit adulatio, ex eo quòd veteres sapientes Justitiam Jovi assidentem finxerunt impiè concludentis, quicquid à rege actum fuerit, id justum existimari debere. Quóque minùs cædis puderet, jure interfectum Clitum Macedones decreverunt: sepulturâ quoque prohibituri, ni Rex humari jussisset.

Decem diebus maximè ad confirmandum pudorem apud Maracanda consumptis, cum parte exercitûs Hephæstionem in regionem Bactrianam Alexander misit, commeatus in hyemem paraturum. Satrapatum autem Bactrianorum, quem Clito destinaverat, Amyntæ Nicolai filio dedit. Cœnóque ibidem relicto cum suis ac Meleagri copiis, equitibúsque ex amicis 400, & jaculatoribus equestribus, tum Bactrianis Sogdianíque, quibus Amyntas præerat, eos omnes

Digitized by Google

3676 Cœno parere & in Sogdianis hybernare juſſit: partim ut præſidio regioni eſſent, partim ut Spitamenem, ſi is fortè per hyemem ea loca peragraret, ex inſidiis caperent. [*Arrian. lib.* 4.]

Ipſe Alexander Xenippa pervenit: quæ Scythiæ confinis erat regio; ad quam Bactriani exules qui ab Alexandro defecerant, ſe receperunt. Sed poſtquàm Regem adventare compertum eſt, pulſi ab incolis, 2200 ferè, omnes equites, congregantur. Hi ex improviſo adorti Amyntam prætorem Alexandri, diu anceps prælium fecerunt; Ad ultimum 700 ſuorum amiſſis, quorum 300 hoſtis cepit, dedere terga victoribus, haud ſanè inulti: quippe 80 Macedonum interfecti, prætérque eos 350 ſaucii facti ſunt. Veniam tamen etiam poſt alteram defectionem impetraverunt.

His in fidem acceptis, in regionem quam *Naura* (vel *Nautaca* potiùs) appellant, Rex cum toto exercitu venit. Satrapes erat Siſimithres, duobus ex ſuâ matre filiis genitis. quippe apud eos parentibus ſtupro coïre cum liberis fas eſt. Is armatis popularibus fauces regionis, quâ in arctiſſimum cogitur, valido munimento ſeplerat. Fauces illas à fronte præterfluens rapidiſſimus torrens, à tergo Petra objecta, muniebat. [*Curt. lib.* 8. *cap.* 6.] Arrianus apud *Parataeas* petram hanc fuiſſe ait: altitudinis 20, ambitûs 60 ferè ſtadiorum: eámque, ut & dominum ejus, *Chorienis* appellat nomine. Strabo verò *Siſimithris* petram (ſic enim, cum Curtio & Plutarcho, nominat) in Bactrianâ collocat; eámque altitudine 15, ambitu 80 ſtadiorum, ſupernè autem planam & gleboſam, & 500 viris alendis ſufficientem, fuiſſe refert: atque in eâ (non, ut Arrianus, in Sogdianâ petrâ) Oxyartem filiam Roxanem, quæ Alexandro nupſit, habuiſſe affirmat. [*Strab. lib.* 11. *pag.* 517.]

Alexander, quanquam anguſtias naturali ſitu munitas validâ manu Barbari tuebantur, tamen arietibus admotis munimenta quæ manu adjuncta erant conculſit, fundiſque & ſagittis propugnantium pleroſque dejecit: quos ubi diſperſos fugavit, ruinas munimentorum ſupergreſſus, ad Petram admovit exercitum. Cæterùm interveniebat fluvius coëuntibus aquis ex ſuperiore faſtigio in vallem; magnique operis videbatur tam vaſtam voraginem explere. Cæſis tamen abietibus, quarum magna in ambitu illius montis copia erat, ſcalas ex iis confici juſſit, ut per eas exercitus in voraginem deſcenderet. Et interdiu quidem ipſe opus urgebat, cum dimidiâ exercitûs parte: noctu verò viciſſim corporis cuſtodes Perdiccas & Leonnatus & Ptolemæus Lagi filius, reliquo exercitu in tres partes diſtributo, nocturni operis ipſis commiſſi curam gerebant. Nec per diem plus 20 cubitis, noctu paulò minus efficiebant, quantumvis univerſus exercitus in opere eſſet: tanta erat & ipſius loci aſperitas, & operis difficultas.

Erat tunc cum Alexandro, nationis ejuſdem ſed ditionis ſuæ, Oxyartes (Roxanes pater:) qui ab eo interrogatus, quid animi haberet Siſimithres; omnium hominum cum trepidiſſimum fuiſſe reſpondit. Cui Rex: *Profectò tu petram nobis oſtendis eſſe ſuperabilem, quando ejus non eſt firmum caput.* Et miſſus quidem ad eum trepidum diffidentémque rebus ſuis Oxyartes, ut ſe cum matre liberiſque & totius cognationis grege Regis poteſtati permitteret perſuaſit. Dedità deinde petrâ Alexander, aſſumptis argyraſpidibus circiter quingentis, arcem ſpectandi causâ conſcendit: & victimis Minervæ ac Victoriæ cæſis, præſidem & illius & omnium locorum quorum anteà fuerat Siſimithrem conſtituit; ſpe majoris etiam provinciæ factâ, ſi cum fide amicitiam ipſius coluiſſet. Duos quoque illi juvenes patre tradente ſecum militaturos ſequi juſſit.

Relictâ deinde phalange, ad ſubigendos qui defecerant, cum equite proceſſit. Arduum & impeditum ſaxis iter primò utcunque tolerabant. Mox equorum non ungulis modò attritis, ſed corporibus etiam fatigatis, ſequi plerique non poterant; & rarius ſubinde agmen fiebat. Nobiles quoque juvenes comitari eum ſoliti defecerant; præter Philippum, Lyſimachi fratrem. Ille enim pedes (incredibile dictu) càm loricâ indutus arma geſtaret, Regem tamen ſubinde equos mutantem per 500 ſtadia comitatus eſt: atque in ſaltu, in quo ſe Barbari abdiderant, Regem cominùs cum hoſte dimicantem protexit. Sed poſtquàm Barbari in fugam effuſi deſeruêre ſylvas: animus, qui in ardore pugnæ corpus ſuſtentaverat, liquit; & inter ipſius Regis manus collapſus expiravit. Mœſtum Regem alius haud levis dolor excepit. Erigyius inter claros duces fuerat, quem extinctum eſſe, paulò ante quàm reverteretur in caſtra, cognovit. Utriuſque funus omni apparatu atque honore celebratum eſt.

Spitamenes cum ſuis Gabas perveniens, (munitum Sogdianorum oppidum, medium inter Maſſagetas & Sogdianos ſitum) vagorum Scytharum equitibus circiter 3000, ut ſe illi conjungerent atque in Sogdianos unà irrumperent, facilè perſuaſit. Cœnus, cognito Spitamenis adventu, obviam cum exercitu profectus, ex equitibus eorum ampliùs 800 occidit; ex ſuis, equitibus tantùm 25 & peditibus 12 deſideratis. Unde Sogdiani qui cum Spitamene pugnæ ſuperfuerant & Bactrianorum plerique, Spitamene in fugâ deſerto, Cœno ſeſe dediderunt.

Maſſagetæ Scythæ, re ita malè geſtâ, Bactrianorum & Sogdianorum ſociorum impedimenta diripuerunt; & cum Spitamene in ſolitudinem confugerunt. Sed cùm intellexiſſent Alexandrum animo penetrandi deſerta adventare; interfecti Spitamenis caput ad eum miſerunt, tanquàm illum à ſeſe hoc facto averſuri. [*Arrian. lib.* 4.] Cùm haud procul eſſet Alexander, uxorem Spitamenis caput mariti à ſeipsâ abſciſſum ad eum attuliſſe, ſcribit Curtius: [*lib.* 8. *cap.* 8.] Regémque atrocitatem ſceleris deteſtatum, è caſtris eam abegiſſe; ne licentiæ barbaricæ exemplar in Græcorum mores & mitia ingenia transferret.

Dahæ, Spitamenis cæde compertâ, Dataphernem defectionis ejus participem vinctum Alexandro ſeque dedunt. Cœnus & Craterus, cum Phratapherne Parthorum & Staſanore Ariorum ſatrapâ, omnibus iis rebus quas Alexander imperârat confectis, Nautaca ad illum reverterunt.
b. Alexander quiete exercitui ad Nautaca datâ, quòd vigeret tum bruma, (ἀκμαῖον τῦ χειμῶνος, ut apud Arrianum legitur) convertit animum ad vindicandas injurias eorum, quibus à prætoribus ſuis avarè ac ſuperbè imperabatur. Ergo *Phratapherni* Hyrcaniam & Mardos cum Tapiris tradidit: mandavitque ut Phradatem ſatrapam cui ſuccedebat, qui ſæpiùs accerſitus 4386 328

3676 ab Alexandro non parebat, ad ſe in cuſtodiam mitteret. Arſani Drangarum præfecto ſubſtitutus eſt *Staſanor*. *Arſaces* (Curtio, *Atropates* Arriano) Satrapes in Mediam miſſus eſt: ut Oxidates, quem malè ſibi velle Rex intellexerat, inde diſcederet. Babylonia, mortuo Mazæo, *Deditameni* (*Stameni*, Arriano) ſubjecta eſt. Sopolis verò & Epocillus ac Menœdas in Macedoniam ſunt miſſi, ut exercitum inde ducerent.

His compoſitis, tertio menſe ex hybernis Rex movit exercitum; regionem, quæ Gabaza appellatur, aditurus. Tertio verò itineris die tam immanis orta eſt tempeſtas, ut frigoris vehementiâ penè opprimeretur exercitus. Ejus horrendam ſpeciem, cum Regis conſtantiâ atque in colligendo & ſolando milite humanitate, ob oculos nobis ponit Curtius: [*lib.* 8. *cap.* 9.] mille militum atque lixarum calonúmque peſtem illam conſumpſiſſe narrans. Ubi etiam illud, à Valerio Maximo quoque (*lib.* 5. *cap.* 1.) & Julio Frontino (*lib.* 4. *Stratagem. cap.* 6.) commemoratum, adjicit. ut Alexander quum ipſe admoto igne refoveret artus, Macedonem gregarium militem nimio frigore obſtupefactum in ſuam ſedem impoſuerit: id ei ſalutare fuiſſe dicens, quod apud Perſas capitale extitiſſet, in ſellâ regiâ conſediſſe.

Poſtero die convocatis amicis copiarúmque ducibus, pronunciari Alexander juſſit: ipſum omnia, quæ amiſſa eſſent, redditurum: quod & præſtitit. Nam Siſimithres multa jumenta, & camelorum duo millia adduxit, pecoráque & armenta; quæ diſtributa pariter militem & damno & fame liberaverunt. Rex, gratiam ſibi relatam à Siſimithre præfatus, ſex dierum coacta cibaria ferre milites juſſit, Sacas (qui defecerant) petens: totámque eorum regionem depopulatus, triginta millia pecorum ex prædâ Siſimithri dono dedit.

Roxanem virginem Oxyartis filiam Alexander connubio ſibi jungens, (quod in Siſimithris Petrâ factum, in libro 15° Strabo indicat) multos ſimul ex ſuis amicis ad filias illuſtrium barbarorum accipiendas in matrimonium impulit: quemadmodum in capitulis libri 17. Diodori annotatum legimus.

c. Cogitationibus in bellum Indicum verſis, ne quid à tergo quod impedire poſſet moveretur, ex omnibus provinciis triginta millia juniorum Alexander legi juſſit, & ad ſe armata perduci; obſides ſimul habiturus & milites. Deinde in Bactra movens, Craterum cum 600 amicorum equitibus, ſuóque & Polyſperchontis atque Attali & Alcetæ peditatu, ad perſequendum Auſtanem & Catanem, qui ſoli ex defectoribus in Paratacene ſupererant, miſit. Acri inter hos pugnâ commiſſâ, Craterus ſuperior evaſit: Catanes in prælio occiſus, Auſtanes captus ad Alexandrum adductus eſt. Ex barbaris equites 120 cæſi; pedites circiter 1500. Quo facto Craterus in Bactra eſt profectus. Polyſperchon quoque regionem, quæ Bubacene appellatur, in ditionem redegit.

Alexander, quod olim pravâ mente conceperat nunc eſſe maturum ratus, quonam modo cœleſtes honores uſurparet cœpit agitare. Jovis filium non dici tantùm ſe, ſed etiam credi volebat; tanquàm perinde animis imperare poſſet, ac linguis. Itaque more Perſarum Macedonas venerabundos, ipſum ſalutare proſternentes humi corpora juſſit. Non deerat talia concupiſcenti pernicioſa adulatio, perpetuum malum regum; quorum opes ſæpiùs aſſentatio quàm hoſtis evertit. [*Curt. lib.* 8. *cap.* 12.] Horum adulatorum, ad Regis voluntatem omnia loquentium, primarii tunc erant; Agis Argivus peſſimorum carminum poſt Chœrilum conditor, Cleo Siculus, & Anaxarchus ſophiſta. Acerrimus inter recuſantes Calliſthenes Olynthius, Ariſtotelis diſcipulus, fuit: quæ res illi exitio fuit; ejúſque maturandi iſta obvenit occaſio.

Hermolaus Sopolidis filius, puer nobilis ex regia cohorte, qui ſub Calliſthene Philoſophiæ operam dabat, quum aprum inter venandum telo occupaſſet quem Rex ferire deſtinaverat, juſſu ejus verberibus affectus eſt. Quam ignominiam ægrè ferens, cum Soſtrato primùm Amyntæ filio, æquali atque amico ſuo, deinde cum Antipatro Aſclepiodori (qui ſatrapatum Syriæ gerebat) filio, & aliis ex eadem cohorte pueris regiis de interficiendo Alexandro conjuravit. Quâ proditione per Epimenem Arſei filium, ex conſciis unum, detectâ; de ſontibus ſumptum eſt ſupplicium. Alexander Cratero prôtinùs & Attalo & Alcetæ ſcribens, pueros in quæſtione confeſſos ait ſe hoc conſilium per ſe iniſſe, neque fuiſſe alium conſcium quenquam: poſteà verò in epiſtolâ ad Antipatrum idem crimen impingit Calliſtheni; Ariſtotelem quoque (ex cujus conſobrinâ Herone natus ille fuit) ita tacitè perſtringens. Οἱ μὲν παῖδες, ὑπὸ τ Μακεδόνων κατελιθώθησαν· τὸν δ σοφισὴν ἐγὼ κολάσω, καὶ τὺς ἐκπέμψαντας αὐτὸν, καὶ τὺς ὑποδεχομένους ταῖς πόλεσι τὺς ἐμοὶ ἐπιβουλεύοντας. *Ac pueri quidem* (inquit) *lapidibus ſunt à Macedonibus cooperti: in ſophiſtam ego animadvertam, & in illos qui eum miſerunt, & oppidis ſuis inſidiantes mihi recipiunt.*

Calliſthenem poſtquàm comprehenſus fuit, ſeptem menſes in vinculis cuſtoditum, ut in concilio præſente Ariſtotele judicaretur; ac quo tempore apud Mallos & Oxydracas in Indiâ ſauciatus Alexander fuit, (inter quod & puerorum regiorum conjurationem ampliùs quàm 17 menſium interjectum eſt ſpatium) ex corpore ſupra modum pingui & morbo pediculari exceſſiſſe, Chares Mitylenæus author eſt. Regios pueros, quæſtione adhibitâ, ſe à Calliſthene ad facinus illud incitatos dixiſſe, Ariſtobulus & Ptolemæus Lagi filius affirmant. Sed illum tortum ac deinde ſuſpenſum vitam finiiſſe, Ptolemæus; compedibus vinctum in exercitu ductum fuiſſe, ac poſtea morbo interiiſſe, ſcribit Ariſtobulus. Adeò ne ipſi quidem ſcriptores quorum magna eſt fides, quíque tum temporis Alexandro aderant, de rebus manifeſtis inter ſe conſentiunt.

Amyntâ apud Bactrianos cum equitibus 3500 & peditibus 10000 relicto, adulto jam vere (ἐξάκοντος ἤδη τῦ ἔτους, ut apud Arrianum habetur) Alexander ex Bactris in Indos movit: ut Oceano ultimóque Oriente finiret Imperium. Cui gloriæ ut etiam exercitûs ornamenta convenirent, ſcutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit, loricas quoque, alias auro, alias argento adornavit. CXX millia armatorum erant qui eum ad id bellum ſequebantur.

Rex decem diebus ſuperato Caucaſo Alexandriam pervenit, quam ipſe apud Paropamiſadas exſtruxerat: præſidémque illius urbis amovit, quòd non bene officio ſuo functus fuiſſe videretur.

Pluribus

3676 Pluribus deinde colonis in Alexandriam, ex finitimis & Macedonibus qui inutiles bello erant, deductis; Nicanorem unum ex sociis illius urbis gubernationi præfecit: Tyriaspen verò totius regionis Paropamisadarum, & reliquæ provinciæ ad Cophenem fluvium usque, satrapam constituit.

Inde ad urbem Niceam profectus, sacrificio Minervæ facto, ad Cophenem amnem processit: & caduceatore præmisso, Taxilem ac cæteros præsides qui trans Cophenem & eis Indum [impropriè dictam Indiam] incolebant, obviam sibi progredi jussit.

d. Taxiles, & alii gentium suarum reguli, Alexandro occurrerunt, imperata facturi: illum tertium Jove genitum ad ipsos pervenisse memorantes. Patrem Liberum, atque Herculem, famâ cognitos esse: ipsum coràm adesse, cernique. Ampla illi offerebant munera: elephantos etiam 25. se missuros polliciti. Alexander benignè exceptos sequi jussit, iisdem itinerum ducibus usurus.

Cæterùm cùm amplius nemo occurreret, Alexander diviso exercitu Hephæstionem ac Perdiccam in Peucelaotidem regionem misit, Indum fluvium versùs, unà cum Gorgiæ & Cliti & Meleagri copiis, atque equitum amicorum dimidiâ parte, & mercenariis equitibus omnibus: mandatis traditis, ut oppida omnia quæ in itinere essent aut deditione reciperent aut vi expugnarent; quúmque ad Indum fluvium pervenissent, navigia facerent, queis in ulteriora transportari posset exercitus. Cum his etiam Taxiles reliquique ejus regionis præsides sunt missi.

Astes Peucelaotidis regionis præses, defectione tentatâ, & se & urbem in quam confugit perdidit. Hephæstion enim eam 30 dies obsessam expugnavit, Astéque in eâ interfecto, ejus gubernationem Sangæo tradidit; qui paulò ante Astem fugiens, ad Taxilem se contulerat. quod quidem illi fidem apud Alexandrum auxerat.

Alexander cum argyraspidum manu, & equitatu amicorum qui Hephæstionem secuti non erant, & eorum qui Assetæri vocantur agmine, cúmque sagittariis atque Agrianis & hastatis equitibus, in Aspios, Thyræos & Arasocos movit: itineréque ad Choen fluvium facto, montano magnâ ex parte atque aspero, eóque amne difficulter transmisso, Craterum cum peditatu post se sentim sequi jussit. Ipse sumpto secum equitatu universo, & Macedonum peditibus 800, scuta pedestria gestantibus in equos impositis, summâ celeritate contendit: quòd barbari ejus regionis in montes confugisse nunciarentur, & in urbes munitiores ad repugnandum sese recepisse.

Eos qui occurrerunt, levi prælio in urbem proximam (in ipso itinere sitam) Alexander compulit: & oppidanos pro mœnibus instructâ acie stantes, primo impetu ut potuit repressit, & intra portas rejecit. Jam supervenerat Craterus. Itaque ut principio territorem incuteret genti nondum arma Macedonum expertæ, præcepit, ne cui parceretur: munimentis urbis, quam obsidebat, incensis. Cæterùm dum obequitabat mœnibus, sagittâ per thoracem ictus, vulnus in humero accepit; sed thorax, quo minùs ea altiùs in humerum penetraret, obstitit. Ptolemæus etiam Lagi filius & Leonnatus vulnerati. Tum Alexander quâ parte commodior ad oppugnandum murus videbatur, castra ad urbem locavit: posteróque die sub lucem exteriorem murum, qui minùs firmus erat, Macedones parvo negotio superârunt. Ad interiorem Barbari aliquandiu restitere: sed quum admotis scalis omni ex parte telis peterentur, neque diutiùs sustinere possent; protinùs eruptione per portas factâ, in montes non procul ab urbe dissitos sese propipuerunt. Et eò quidem multi evaserunt: sed Macedones eos insecuti non paucos in fugâ ceciderunt. Urbs verò ipsa, omnibus qui in eâ relicti fuerant trucidatis, solo æquata est.

Inde domitâ ignobili gente, ad urbem Nysam sub radicibus Meri montis, à Dionysio sive Baccho (ut ferebatur) conditam, cum exercitu Alexander pervenit. Sed ab Acuphi civitatis principe, cum legatis 30 ex primoribus ad eum misso, exoratus, Nysæis civibus, 300 equites mittere ad ipsum jussis, libertatem & αὐτονομίαν concessit; atque Acuphim (filio & nepote obsidum loco ab eo acceptis) Nysææ provinciæ præsidem constituit. Dionysio quoque sacrificium fecit, & cum amicis epulatus est; Macedonibus hederâ redimitis Dionysio hymnos cantantibus, & variis appellationibus eum invocantibus.

——Bacchúmque vocant, Bromiúmque, Lyæúmque,
Ignigenámque, satúmque iterum, solúmque bimatrem.

[*Ovid. Metamorph. lib.* 4.] Vide Philostratum, in Vitâ Apollonii, lib. 2. cap. 4.

Hinc ad regionem, quæ Dædala vocatur, pervenitum est. Deseruerant incolæ sedes, & in avios sylvestrésque montes confugerant. Ergo Acadera transit, æquè vasta & destituta incolentium fugâ.

Urbe Andacenâ deditione receptâ, Craterum ibi cum aliis peditum ducibus reliquit: ut reliquas ejus regionis urbes, quæ se sponte non dederent, vi expugnaret; & provinciam, prout commodissimum præsenti rerum statui videretur, administraret.

Ipse cum argyraspidibus, & sagittariis, atque Agrianis, Cœnique & Attali copiis, & equitum agmine, atque amicorum equitum quatuor summùm turmis & equestrium sagittariorum dimidiâ parte, ad flumen Euaspla contendit, ubi Aspiorum præfectus erat: magnóque itinere confecto secundis castris ad urbem, cui Arigæum nomen erat, pervenit. Barbari simulac Alexandrum appropinquare senserunt, incensâ urbe in montes confugerunt: quos eò usque Macedones insecuti, multam eorum cædem fecerunt. Ducem etiam Ptolemæus Lagi filius prostravit, armisque exuit.

Jam verò & Alexander advenerat cum peditibus qui ex equis descenderant: qui quidem in Barbaros irruentes, difficulter eos in montes repulerunt. Advenit & Craterus cum exercitu; peractis iis rebus quas Alexander imperârat. Ei delatæ ab incolis urbis Arigæi instaurandæ

negotium

negotium Alexander dedit: útque colonos ex finitimis qui sua sponte accedere vellent, & ex iis qui bello inutiles essent deduceret, jussit. Ipse eò contendit, quò barbarorum pleroſque confugisse audierat: quúmque ad montem quendam perveniſſet, ad ejus radicem castra posuit.

Interea Ptolemæus pabulatum ab Alexandro missus, longiùs cum exiguâ manu speculandi causâ progressus, Alexandro nuntiat plures in barbarorum quàm in ipsius castris ignes videri. Alexander, parte exercitûs ad montem ubi fuerat relictâ, quum ad ignium conspectum veniſſet, quas secum adduxit copias in tres partes divisit. Uni Leonnatum corporis custodem præfecit: adjuncto ei Attali & Balacri agmine. Alteram Ptolemæo Lagi filio ducendam dedit: eique argyraſpidum regiorum partem tertiam, Philippi & Philotæ agmen, ſagittariorum duo millia, Agrianos & totius equitatûs dimidium, assignavit. Tertiam partem ipse duxit quà confertiſſimam barbarorum aciem vidit. Illi enim multitudine suâ confisi, & Macedonibus quòd pauci viderentur contemptis, in planitiem descenderunt. Ubi atroci pugnâ factâ, victoria penès Macedones fuit. Ptolemæus (tertiæ illius Macedonicarum copiarum ductor) author est, hominum ultra quadraginta millia tum capta fuisse, boum ultra 230 millia: è quibus Alexandrum præstantiſſimas quaſque delectas, quòd eximiâ pulchritudine atque magnitudine excellere viderentur, in Macedoniam, regionis colendæ causâ, mittere voluisse.

3677 4. Exinde Alexander in Assacenos movit: qui quidem equitum duo millia, peditum 30 millia, elephantos triginta, ad pugnam instruxisse nuntiabantur. Mortuóque nuper eorum rege Assaceno (quod gentilitium & commune principum istorum nomen fuisse videtur) mater ejus Cleophis regioni tùm præerat.

Craterus instauratis mœnibus urbis, ad cujus exædificationem relictus fuerat, milites gravioris armaturæ ad Alexandrum adduxit; machinis etiam tormentiſque advectis, ſicubi obsidione opus esset. Alexander cum equitatu amicorum & equestribus jaculatoribus, Comi ac Polysperchontis agmine, Agrianis mille & sagittariis, in Assacenos pergit; per Guræos iter faciens, & Guræum regionis illius fluvium difficulter transiens. Barbari ut adventare eum senserunt, confertâ acie subsistere non ausi, dissolutis ordinibus, prout cuique integrum erat, in urbes sese recipiunt; iis sese tueri statuentes.

Alexander Massaga cum exercitu petit, regionis Assacenorum urbem maximam, & 35. stadiorum muro cinctam. Triginta millia peditum eam tuebantur: è quibus ex Indiâ interiore conducti fuerant ad septem millia. Ad collem quendam septem circiter stadiis à flumine Guræo distitum pugnâ initâ, in urbem sese recipere coacti sunt; ducentis in fugâ cæsis. Alexander confestim phalangem muris admovet: indéque telo in suram incidente percussus, dixisse fertur; se quidem Jovis filium dici, sed corporis saucii dolores persentiscere: adjiciens etiam (ut in libro 2. de fortunâ illius Plutarchus refert) ex Homeri Iliad. 5. quòd *sanguis* è vulnere effluxerit, non verò

ἰχωρ, οἷόν τε ῥέει περ ἐπ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
Ille cruor, divis qualis solet esse beatis.

Intra nonum diem, ingenti militum ardore, immanibus cavernarum spatiis completis & mobilibus turribus erectis, obsessi territi; postquàm loci præfectus telo ex machinis ictus occubuit, desperatâ urbis tutelâ, concessere in arcem: indéque legatos ad Alexandrum miserunt, veniam petituros. Cleophis quoque regina cum magno nobilium fœminarum grege aureis pateris vina libantium processit. Ipsa, genibus Regis parvo filio admoto, non veniam modò, sed etiam pristinæ fortunæ impetravit decus: quod credidêre tamen amplius formæ quam miserationi datum. Concubitu enim redemptum regnum ab Alexandro recepisse putabatur; illecebris consecuta, quod virtute non potuerat. Unde & ab Indis, propter prostratam pudicitiam, *scortum regium* posteà appellata est. Ab Alexandri verò partibus 25. tantùm in universâ obsidione desiderati sunt.

Indi mercede conducti, qui in urbis defensione multùm Alexandrum infestaverant, cum armis juxta pacta conventa discedentes, 800 ab urbe stadiis castra posuerunt. Eos Alexander implacabili odio prosequens, instructo agmine adortus est: se, ut ex urbe excederent, permisisse dicens; non uti perpetuò deinceps Macedonum forent amici. Illi periculorum magnitudine haud perterrefacti, conjunctis ordinibus sese munierunt, totáque acie in orbem coactâ, liberos & fœminas in medium receperunt. Validissimâ deinde hostem pugnâ excipiunt; fœminæque indutis cæsorum armis, operam suam in conflictu viris adjungunt: sed ad extremum multitudine superati occubuêre. Inutilem verò inermémque turbam Alexander inde abductam cum fœminis adhuc reliquis equitibus concessit. Quæ res gloriæ ipsius notam inussit, & rebus bello præclarè ab illo gestis quasi labes adhæsit.

Alexander Cœnum ad urbem opulentam & munitam, Bazira dictam, mittit; ratus oppidanos, Assacenorum expugnatione auditâ, deditionem facturos: quam illi tamen facere noluerunt. Attalum verò & Alcetam & Demetrium equitatûs præfectum ad urbem Oram mittit; & ut eam muro in orbem ducto intercludant, tantisper dum ipse advenerit, jubet. Oppidani in Alcetam excursionem faciunt: quos Macedones facilè repulsos atque in urbem rejectos muris clausêrunt. Cúmque in eam barbarorum finitimorum nonnullos, ab Abissaro missos, clam se immissuros Alexander accepisset: Cœnum apud Bazira munitam arcem extruere, præsidióque quod oppidanis agri usum impedire posset in eâ relicto, reliquum exercitum ad se ducere jussit.

Bazirenses Cœnum cum maximâ copiarum parte discessisse conspicati, contemptâ Macedonum qui relicti erant paucitate, in planitiem excurrunt: ubi quingentis eorum in pugnâ cæsis, & vivis supra 70. captis; reliqui in urbem repulsi, acriùs deinceps ab excursione in agrum, ab iis qui in arce ex adverso murorum extructâ erant, arcebantur.

Oreorum

Oreorum urbem primo impetu Alexander expugnavit, & elephantos ibi repertos cepit. Quod Bazirenſes audientes, viribus ſuis diffiſi, ſub mediam noctem deſertâ urbe in petram Aornum nomine confugerunt. Quorum exemplo & reliqui, ſuis oppidis relictis, eódem armati ſe receperunt. Alexander verò Oris & Maſſagis præſidio firmatis, Baziræ muros extruxit; & oppida illa ab incolis ſuis deſerta occupavit.

b. Taxile mortuo, filius ejus Omphis ſive Mophis, qui patri fuerat author dedendi regnum Alexandro, per legatos jam illum conſuluit; regnare ſe interim vellet, an privatum opperiri ejus adventum? Permiſsóque ut regnaret, non tamen jus datum uſurpare ſuſtinuit. Interim Hephæſtionem (ad Indum flumen ponte jungendum, cum Perdiccâ miſſum) benignè quidem excepit, gratuitum frumentum copiis ejus admenſis: non tamen ei occurrit, ne fidem ullius niſi Regis experiretur. 4387 317

Alexander Embolima veniens, quæ urbs non procul à petrâ Aorno ſita eſt, Craterum cum parte exercitûs ibi reliquit: útque frumentum quantum poſſet, aliáque neceſſaria ad longi temporis moram ibi faciendam in urbem convehat juſſit; ut inde progreſſi Macedones, diuturnâ obſidione eos qui petram tenebant conficerent, ſi primo impetu capi non poſſet. Ipſe aſſumptis ſagittariis atque Agrianis, Cœnique agmine, & ex reliquâ phalange delectis iis qui & expeditiores & melius armati eſſent, præterea ex equitatu amicorum 200, ac ſagittariis equeſtribus 100, exercitum ad petram admovit.

Petram hanc ab Hercule fruſtrà obſeſſam fuiſſe, terræque motu coactum abſiſtere, fama vulgaverat. Quo majore illius expugnandæ deſiderio Alexander exarſit; acta Herculis ſuperare gestiens. Ambitus petræ ſtadiorum fuit centum, altitudo 16. ſi Diodoro credimus. Ab Arriano enim ambitus 200. ſtadiorum fuiſſe fertur: altitudo, quâ humillima erat, ſtadiorum undecim. Radices ejus ad meridiem Indus fluvius (non procul à fontibus, ut in libro 15. Strabo indicat) alluebat: partes alias præaltæ voragines & inviæ rupes cinxerant. Senex quidam pauperculus cum duobus filiis domicilium hic in quodam ſpecu habuit, ubi tres lectuli erant, petræ inciſi. Hic Alexandro, 80. talenta illi promittenti, aditum qui unicus in petræ ducebat verticem monſtravit. Quo occupato; quia nuſquàm exitus alibi patebat, Barbaros obſidione Rex conclusit, ut auxilii nihil ſupereſſet. Hinc infinitâ aggerentium operâ effecit, ut intra ſeptimum diem vallis & radix petræ explerentur: & de propinquo cum hoſte rem gerens, oppugnationem acerrimam inſtituit; quæ aſſiduis nec interruptis per ſeptem dies totidémque noctes conflictibus duravit. Alexander, multis ſuorum partim ſcandendo partim pugnando amiſſis, (inter quos primarii erant, Charus & Alexander, ipſi cognominis) licèt nulla ſpes potiundæ petræ offerretur, ſpecimen tamen oſtendit in obſidione perſeverantis: præſidio, quod in aditu fuerat, amoto; ut liberum quicunque vellent abeundi ſpatium haberent. Barbari, illius conſtantiâ, perterriti, noctu Petrâ excesſerunt.

Rex, Balacro qui ſpecularetur præmiſſo, cognoſcit Petram fugâ Indorum eſſe deſertam. Tum aſſumptis ex cuſtodibus corporis & argyraſpidibus 700, primus in eam conſcendit: Macedones, ſeſe mutuò ſubtrahentes, illum ſecuti ſunt. Exinde in recedentes barbaros ſigno dato converſi, multos in fugâ interfecerunt: plerique etiam eorum trepidè fugientes, per præcipitia delapſi perierunt. Alexander locorum magis quàm hoſtium victor, magnis tamen factis ſacrificiis, Minervæ Victoriæque aras in Petrâ locavit: præſidióque in eâ poſito, & illi & regioni adjunctæ Siſicoptum vel Siſocoſtum præfecit; qui ex Indis Bactra ad Beſſum transfugerat, & poſtquàm Alexander Bactrianorum regionem ſubjugavit, conjunctis cum eo copiis fidelem imprimis ei operam navaverat.

Alexander è petrâ in Aſſacanorum regionem movit. Aſſacani enim fratrem, cum elephantis & finitimorum barbarorum non exiguâ manu, in illius regionis montes confugiſſe acceperat; quúmque ad urbem Dyrtam perveniſſet; neminem incolarum aut in eâ aut in vicinâ regione reperit.

Poſtero die Nearchum & Antiochum, qui ſinguli mille argyraſpidibus præfecti erant, emittit. Ac Nearcho quidem Agrianos levis armaturæ dat; Antiocho ad mille argyraſpides quos ducebat, alia duo millia adjungit. Hos ſpeculatum in illa loca mittit; & an fortè nonnullos ex barbaris comprehendere poſſent, è quibus cùm alia ad regionis notitiam pertinentia, tum de elephantis cognoſcerent.

Ipſe ad Indum flumen pergit; exercitu qui viam faceret præmiſſo: neque enim aliter ea loca tranſiri poſſunt. Cùm verò anguſtias itineris obſideri ab *Eryce* quodam comperiſſet; gravius agmen exercitûs Cœno ducendum modicis itineribus tradidit. Ipſe prægreſſus cum funditore ac ſagittario, deturbatis qui obſederant ſaltum, ſequentibus ſe copiis viam fecit. Indum hunc *Aphricem* appellat Diodorus; & milites 20000. cum elephantis 15. habuiſſe ſcribit. Indi verò, ſive odio ducis, ſive gratiam victoris regis inituri, ſive Erycem ſive Aphricem hunc fugientem adorti interemerunt; capitque ejus atque arma ad Alexandrum detulerunt. Ille facto impunitatem dedit, honorem denegavit exemplo.

Hinc ad flumen Indum ſextis decimis caſtris (ſive die decimo ſexto) Alexander pervenit: urbémque Peuceliotim haud procul à flumine ſitam deditione recepit; præſidióque Macedonum impoſito, Philippum ei præfecit. Multa præterea minora oppida ad Indum amnem ſita ſubegit; comitantibus eum Cophæo & Aſſagete præſidibus provinciæ. Barbaris etiam nonnullis captis, certior factus eſt Indos ejus regionis ad Bariſadem (Abiſarum fortaſſe) confugiſſe; & elephantos in paſcuis apud Indum fluvium relictos eſſe. Quo cognito, ad eum locum in quo elephanti erant duci ſe juſſit. Ubi, inter venandum, duo è præcipitiis lapſi perierunt; reliqui capti, admiſſis ſeſſoribus, exercitui admoti ſunt. Sylvam quoque cæduam apud flumen nactus, eam ab exercitu cædi navéſque ædificari juſſit, quibus in Indum flumen

3671

ſubductis, ad pontem quem jam multò antè Hephæſtion & Perdicca conſtruxerant, vectus eſt. Illi, quia plura flumina ſuperanda erant, ſic junxêre naves, ut ſolutæ plauſtris veli poſſent, rurſuſque conjungi. Præter eas autem quibus pons junctus fuerat, etiam duas naves triginta remorum multáque minora navigia illi paraverant.

Alexander ibi ſtativis per 30. dies ad recreandum exercitum habitis, magnifica diis ſuis ſacra peregit; ludóſque gymnicos & equeſtres ad flumen edidit. Regioni cis Indum ſitæ ex amicis Nicanorem ſatrapam conſtituit. Per pontem deinde (quem juxta civitatem Peucolaitidem poſitum fuiſſe, in libro 15. Strabo affirmat) traductis copiis, iterum patrio more ſacrum fecit. Vere autem incipiente, in campos inter Indum & Hydaſpem poſitos Alexandrum eſſe ingreſſum confirmat apud Strabonem (lib. 15. pag. 691.) Ariſtobulus.

c. Jam 30. ſtadia Alexander aberat, quum Omphis cum armato exercitu & elephantis per modica intervalla militum agmini immixtis, amicos ſimul adducens, illi occurrit. Ac primò Alexander, non ſocium ſed hoſtem adventare credens, ad pugnam ſe parabat. At Indus cognito Macedonum errore, juſſis ſubſiſtere cæteris, concitato equo ad Alexandrum excurrit: ſeque cum regno ſuo (quod magnitudine Ægypto non cedebat) illi tradidit. Quærenti Alexandro, plures agricultores haberet an milites; cum duobus regibus bellanti ſibi, majore militum quàm agreſtium manu opus eſſe, reſpondit. Abiſarus & Porus illi erant: ultra Hydaſpem amnem regnantes. Omphis, permittente Alexandro, & regium inſigne ſumpſit, & more gentis ſuæ Taxiles eſt appellatus; eo nomine ſequente imperium, in quemcumque tranſiret.

Taxila urbs (à quâ commune illud nomen regibus eſt inditum) omnium quæ inter Indum & Hydaſpen ſunt maxima eſt. Ejus cives cum novo ſuo rege perhumaniter Alexandrum exceperunt: qui & eis tantum finitimæ regionis quantum petierunt adjecit. Cúmque per triduum Taxiles hoſpitaliter Alexandrum accepiſſet: quarto die, & quantum frumenti copiis, quas Hephæſtion duxerat, præbitum à ſe eſſet oſtendit; & aureas coronas ipſi amicíſque omnibus dono dedit. Elephantos etiam 30. (ut Arriano, vel 56, ut Curtio placet) multáque pecora eximiæ magnitudinis, tauros ad tria millia, oves ultra decem millia, Alexandro tradidit. Equites præterea 700. Indos auxilio ab eo miſſos refert *Arrianus*, & 200. talenta argenti data: cùm ſignati argenti 80. tantùm talenta *Curtius* commemoret.

Hac ejus benignitate Alexander mirè lætus, argenti talenta quæ is dederat remiſit, & mille talenta ex prædâ quam vehebat adjecit; multáque convivalia ex auro & argento vaſa, plurimum Perſicæ veſtis, 30. equos ex ſuis, cum iiſdem inſignibus queis aſſueverant cùm ipſum vehierent. Quæ liberalitas ſicut Barbarum obſtrinxerat, ita amicos ipſius vehementer offendit: è quibus Meleager ſuper cœnam largiore vino uſus, gratulari ſe Alexandro dixit, quòd ſaltem in India reperiſſet dignum talentis mille. Rex haud oblitus quàm ægrè tuliſſet quòd Clitum ob linguæ temeritatem occidiſſet, iram quidem tenuit, ſed dixit; *Invidos homines nihil aliud quam ipſorum eſſe tormenta.*

Poſtero die, ab Abiſaro montanorum Indorum rege frater ipſius aliique legati cum pecuniis & elephantis miſſi ad Alexandrum venerunt; omnia ditioni ejus, ita ut mandatum erat, permittentes: datáque invicem fide, ad regem ſuum remiſſi ſunt. Nonnulli etiam à Doxareo præſide ad Alexandrum venerunt, dona adferentes.

In Taxilis Alexander rurſùs ſacrificia conſueta peragit, ludóſque gymnicos & equeſtres facit. Et Philippo Machatæ præſide illius regionis conſtituto, præſidióque Taxilis impoſito, milites invalidudinis cauſâ bello inutiles ibi reliquit. Ipſe Hydaſpem amnem verſùs movit.

Porum Alexander nominis ſui famâ ratus ad deditionem poſſe compelli, miſit ad eum Cleocharem; qui denuntiaret ei, ut ſtipendium penderet, & in primo finium ſuorum aditu ipſi occurreret, Porus, alterum ex his facturum ſeſe reſpondit; ut intranti regnum ſuum præſto eſſet, ſed armatus.

Huic finitimorum Indorum rex alter Porus fuit, hujus ex fratre nepos: qui, patrui odio, legatione ad Alexandrum miſſâ, ſe pariter & regionem cui imperabat Alexandro dedidit.

Alexander Cœnum Polemonis filium retrò ad Indum amnem miſit; útque navigiis quæ ad trajiciendum Indum præparârat diſſectis, ad Hydaſpem fluvium ea transferret, juſſit. Navigia itaque breviora quidem in duas, quæ verò triginta remis inſtructa erant in tres partes diſſecta, & curribus in ripam Hydaſpis tranſvecta ſunt.

Navigiis ibi rurſùs compactis atque in amnem ſubductis, Alexander aſſumptis copiis Taxila redit; & quinque Indorum millia nactus, quos Taxiles ejúſque regionis præſides ducebant, ad Hydaſpem fluvium contendit. Ubi in itinere, Barſaëntes (Drangarum quondàm ſatrapa, & defectionis Arachoſiis author) vinctus, trigintáque elephanti ſimul capti ad Alexandrum ſunt adducti: opportunum adversùs Indos auxilium; quibus plus in belluis, quàm in exercitu ſpei ac virium erat. Gamaxus quoque exiguæ partis Indorum regulus, qui Barſaëntì ſe conjunxerat, vinctus adductus eſt. Utroque in cuſtodiam, elephantis autem Taxili traditis, ad amnem Hydaſpem Alexander tunc pervenit: Barſaënte poſteà, ob perfidiam quâ in Dario opprimendo uſus fuerat, interfici juſſo. (ut ex Arriano, lib. 3. pag. 72. intelligitur.)

In ulteriore Hydaſpis ripâ Porus confederat, tranſitu Alexandrum prohibiturus: viribus corporis, & animi magnitudine pariter inſignis. Quinque enim cubitis proceriorem fuiſſe ferunt (licèt quatuor tantùm cubitorum & unius palmi menſura apud Plutarchum legatur:) craſſitudine autem tantâ, ut lorica ejus duplo excederet loricas aliorum qui robore excellerent. Ipſum vehebat elephantus ſuper cæteras belluas eminens: cui proportione equitis ille inſidebat. Elephantos 85, eximio corporum robore, hoſti illum objeciſſe ſcribit *Curtius*: quum 130. *Diodorus*; plures quàm 200. eum habuiſſe dicat *Arrianus*. Currus 300, cum 30. peditum millibus, *Arrianus* & *Curtius* illi tribuunt: plures quàm mille currus, & peditum millia 50.

Diodorus

Diodorus; licèt 20. tantùm peditum millia *Plutarchus* memoret. Equites verò 2000. *Plutarchus* idem, 3000. *Diodorus*, 4000. *Arrianus*, in aciem ab illo adductos fuiſſe refert.

Interlabente utraque caſtra Hydaſpe, elephantis ſemper objectis Porus obſervabat tranſitum: Alexander verò ſtrepitum in caſtris & tumultum quotidie ingentem excitavit, quò aſſuefaceret ſuos non formidare barbaros. Hinc nocte procelloſâ & illuni cum parte peditum & lectiſſimis equitibus procul ab hoſtibus progreſſus, in inſulam non magnam tranſmittit. Ibi imbre ingentibus procellis fuſo, crebriſque in exercitum preſteribus & fulguribus cadentibus, quamvis interire nonnullos & perſtringi fulmine videret, ex inſulâ tamen ſolvens ad ulteriorem ripam contendit. Hydaſpes, quum ex illâ tempeſtate torrens & tumidus ferretur, grandi eluvie perrupit ripam, magnáque pars illac undæ decurrit. Terram intermediam Alexander cepit non ſtabili pede; utpote lubricam & undique ab undâ laceratam. Cæteri quoque Macedones cum armis eluviem illam ſuperarunt, ad pectus undâ pertingente. Amne trajecto, 20. ſtadia ante peditarum ſuum cum equitibus provectus Alexander, mille equites & 60. currus, qui ſecum fuerant congreſſi, fudit: curribus captis omnibus, & ex equitibus 400. occiſis. Porus Alexandrum tranſmiſiſſe videns, cum omnibus copiis ſe intulit: non pluribus relictis, quàm qui Macedonum in alterâ ripâ adhuc relictorum tranſitum impedirent. Belluas & hoſtium multitudinem metuens Alexander, in alterum cornu ipſe invectus eſt, cæteros immiſit in dexterum. Barbaris autem qui premebantur globo facto ad beſtias ſemper ſe recipientibus, promiſcua pugna facta eſt: & vix octavâ horâ hoſtes terga dederunt. Ita rem geſtam in epiſtolis ipſe Alexander retulit.

Priorem illum conflictum, in quo cæſi 400. equites & 60. currus capti ſunt, cum Pori filio fuiſſe habitum narrat Ariſtobulus: ipſum quoque in eo interfectum fuiſſe addens. Ptolemæus, verò copias cum Pori filio miſſas majores duplo illis facit, quas jam ex Alexandro recenſuimus. Duo enim millia equitum ſecum duxiſſe illum ſcribit, & currus 120. Poſteriorem conflictum, cum univerſis Pori copiis factum, quem leviter perſtrinxit Alexander, fuſiùs deſcripſit Arrianus: de numero demùm in utrâque pugnâ occiſorum iſta ſubjiciens. Cæſi ſunt ex Indis pedites paulò minùs 20000, equites 3000. currus omnes diſſipati; duo Pori filii interfecti. Spitarches etiam Indorum illius regionis præſes, omneſque elephantorum & curruum præfecti, & equitatûs ac peditatûs Pori duces, occiſi ſunt: & elephanti qui in pugnâ cæſi non erant, capti. Ex peditatu Alexandri, qui 6000. numero primum conflictum adierunt, 80. ſummùm deſiderati: ex ſagittariis equeſtribus, qui quidem primi pugnam aggreſſi ſunt, 10. ex amicorum equitatu 20. ex reliquo omni equitatu 200. Cum quibus illa Diodori conferri poterit recenſio. Occubuerunt Indorum plures quàm 12000. inter quos duo Pori filii, ſummique exercitûs præfecti, & ducum clariſſimi fuêre. Vivi autem in victoris manus plus quàm 9000, & elephantes 80, venerunt. Ex Macedonibus equites 280. peditesque ultra 700. cecidêre.

Caprum Porum rogante Alexandro, quomodo tractaturus eum eſſet; *Regiè* reſpondit. Adjiciente Alexandro nihilne aliud vellet; Omnia, inquit, verbum *Regiè* complectitur. Unde regiè hominem generoſum Alexander tractans, in amicorum numerum eum recepit, & in regnum reſtituit: quod, inter Hydaſpem & Aceſinem poſitum, 300 ferè urbium fuiſſe, Strabo confirmat. [*lib.* 15. *pag.* 698.]

Facta fuiſſe hæc Arrianus ſignificat ὡρᾳ ἔτους ᾗ μετὰ τροπὰς μάλιϛα ὁ Θῆρ ὀρίνεται ὁ ὄμβρος, *tempeſtate anni, quâ poſt æſtivum cardinem Sol convertitur*: quo tempore, creberrimos imbres à cœlo in Indorum regionem ruere, indéque Hydaſpem fluvium, qui hyeme vado tranſiri poterat, aquis ſummopere auctum fuiſſe, narrat. [*lib.* 5. *pag.* 107.] Cum quo Jacobus Cappellus alium ejuſdem locum confert, [*lib.* 7. *pag.* 163.] in quo de Euphrate ſimiliter ſcribit; hyeme quidem eſſe vadoſum, præaltum verò ac exundantem ἦρι ἐπιφαίνοντος, ἢ πολὺ δὴ μάλιϛα ἀπὸ τροπὰς αἱ νύκτες τοῦ Θῆρος ὁ ὄμβρος ἐπιγίνοιτο, *vere appropinquante, multóque magis ſub ipſum æſtivum quem ſol convertit cardinem.* Cùm enim quatuor anni cardines communi nomine Græci τροπὰς appellent: qui in duas tantùm partes annum partiuntur, Æſtatem & Hyemem, æſtivam τροπὴν à vere, brumalem ab autumnali æquinoctio inchoant. Quâ ratione Arrianus apud Orientales illos *appropinquante vere*, multóque magis poſt ipſum æquinoctium, quæ ipſi æſtiva τροπὴ eſt ſive ſemeſtris æſtivi initium, imbres cadere & flumina ſentir creſcere. De Indicis certè regionibus, teſtis *αὐτόπτης* eſt Ariſtobulus (qui hoc tempore ad Hydaſpem fluv. cum ipſo Alexandro fuit) τοῦ ἔαρος ἀρχομένου ἢ τὰς ὄμβρους ἐπάρχεσθαι, καὶ ἀεὶ καὶ μᾶλλον αὐξάνεσθαι τὸν ῥοῦν, *vere incipiente imbres ibi incipere, ac deinde ſemper magis augeri*: ut apud Strabonem [*lib.* 15. *pag.* 691.] legimus. Et tempore inter vernum æquinoctium & ſolſtitium æſtivum interjecto pugnam cum Poro fuiſſe commiſſam, hiſce verbis ipſe Arrianus clariſſimè confirmat. [*lib.* 5. *pag.* 114.] Τοῦτο τὸ τέλος τῇ μάχῃ τῇ πρὸς Πῶρον τε καὶ τοὺς ἐπὶνοτα τοῦ Ὑδάσπου ποταμοῦ Ἰνδοὺς Ἀλεξάνδρῳ ἐγένετο, ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡγεμόνος, μηνὸς Μουνυχιῶνος. *Hujuſmodi exitum habuit pugna Alexandri adverſus Porum & Indos trans Hydaſpem amnem colentes, Archonte Athenis Hegemone, menſe Munychione*; qui eo anno *Maio* Juliano totus ferè reſpondebat. Ipſum verò ſolſtitium æſtivum, ſive θερινὰς τροπὰς propriè dictas, circa adventum Alexandri ad fluvium Aceſinem demum contiguiſſe; ex Nearcho poſteà declarabitur.

Alexander tam memorabili victoriâ lætus, quâ ſibi Orientis fines apertos eſſe cenſebat, iis qui in pugnâ ceciderant juſta peragenda curavit, Soli pro victoriâ victimas immolavit, ludóſque gymnicos atque equeſtres ad Hydaſpis ripam, eo loco quo primùm cum exercitu trajecit, celebravit. Et quia ſumma illic erat commeatûs abundantia, exercitui 30. dierum quietem ad reficienda corpora indulſit. Milites verò, quò promptioribus animis reliqua belli obirent, pro concione laudatos docuit, quidquid Indis virium fuiſſet, illâ dimicatione proſtratum: cæteram opimam prædam fore, celebratáſque opes in eâ regione eminere, quam peterent. Copiarum du-

3677 ces coronis, & mille aureis singulos donavit. Ceteris quoque proportione aut gradus quem in amicitiâ obtinebant, aut navatæ operæ, honos habitus est. De trophæo verò ab Alexandro hîc erecto, videndus Philostratus est, libro 2. Vitæ Apollonii cap. ult.

Cùm in animo Alexander haberet, simul ac terminos Indiæ attigisset, Oceanum invisere: navigia hîc ædificari jussit. In proximis enim Emodis montibus abietis proceræ copia, nec parum cedri & pini, ac multa materia navalis erat. Quam cædere aggressi, magnitudinis insuetæ reperere serpentes, ad 16. cubitorum longitudinem porrectos. Rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant: & simiarum genera tum numero, tum magnitudine corporum insolenti; quarum cùm multas Macedones aliquando in collibus quibusdam vidissent ordinibus stare instructis, exercitum esse putantes, in eas tanquàm hostes contendere cepere: sed à Taxile qui tum cum Alexandro erat, re cognitâ cessaverunt. [*Vid. Strabon. lib. 15. pag. 698, 699.*]

Duas Alexander hîc urbes, in utrâque Hydaspis ripâ condidit: in ulteriore fluminis ripâ, unde transmiserat, unam; in loco quo pugna commissa fuerat, alteram. Hanc, à victoriâ adversùs Indos partâ, *Nicæam*; illam *Bucephalen* vel *Bucephaliam* appellavit, in equi sui Bucephali memoriam. Ille enim eo loci interiit: non quidem ex vulnere in prælio accepto, (ut, inter alios, in lib. 5. cap. 2. A. Gellius voluit) sed laboribus pariter atque ætate fractus. Triginta enim annorum eum tùm fuisse, præter Arrianum, confirmat etiam à Plutarcho citatus Onesicritus. *Rex defuncto duxit exequias; urbémque tumulo circumdedit nomine ejus.* [*Plin. lib. 8. cap. 42.*] Juxta has urbes Alexandrum classem suam extruxisse, notat Strabo: [*lib. 15. pag. 698.*] Hydaspe interfluente, inter Pori & Taxilæ fines medio; cujus utriusque summo in classe hâc ædificandâ studio usum fuisse Alexandrum, *Curtius* etiam memorat. [*lib. 9. cap. 7.*]

Alexander, Cratero cum parte copiarum relicto, qui urbes has quas condere cœperat exædificaret muróque cingeret, in Indos Pori regno finitimos movit; qui *Glaucanice* Aristobulo, Ptolemæo Lagidæ *Glausæ* appellantur: equitatûs amicorum alteram partem apud se habens, & ex singulis peditum phalangibus selectissimos quosque, equestres sagittarios omnes, Agrianos præterea & sagittarios. Hic urbes 37. deditione recepit: quarum quæ minima erat, non minùs quam quinque incolarum millia habebat; multæ verò etiam decem. Pagorum quoque magnum numerum cepit; atque eos quidem non minùs quàm urbes ipsas incolarum frequentiâ celebres. Totius verò hujusce regionis imperium Poro dedit. Taxilem etiam Poro conciliatum in sua remisit.

Per id tempus legati ab Abisaro ad Alexandrum venerunt; pollicentes omnia facturum quæ imperasset, modò ne cogeret corpus suum dedere. Neque enim aut sine regio imperio victurum; aut regnaturum esse captivum. Cui Alexander nunciari jussit, si gravaretur ad se venire, ipsum ad eum cum exercitu magno ejus malo esse venturum. Venerunt etiam legati ad Alexandrum ab Indis qui liberè suis legibus utentes vivunt, & à Poro alio Indorum præfecto.

Phrataphernes Parthorum atque Hyrcaniæ satrapa cum Thracibus sibi commissis ad Alexandrum venit. Venerunt & nuntii à Silico Assacenorum satrapâ, Assacenos interfecto præside ab Alexandro defecisse nuntiantes. Adversùs hos Philippum & Tyriespem cum exercitu misit; qui Assacenorum motus compescerent & provinciam regerent. Quo tempore & Cleophis Assacenorum regina Alexandro filium peperit: qui *Alexander* ab eâ nominatus, regno postea potitus est. [*Justin. lib. 12. cap. 7. cum Curt. lib. 8. cap. 10. fin.*]

Porus ille alter Pori nuper debellati ex fratre nepos, non tam Alexandri, quàm patrui metu deserto regno suo, ad Gangaridarum se nationem proripuit: omnibus iis qui bello apti erant, quibus quidem persuadere potuit, fugæ comitibus secum sumptis.

Alexander rapidum Acesinis amnem, 15. stadiorum latitudinis, cum exercitu transmisit. Qui pellibus usi sunt, trajecerunt sine periculo. Eorum verò qui navibus transvecti sunt, quum pleræque cautibus illisæ rumperentur, non pauci in amne perierunt: ut ex Ptolemæo Lagi filio refert Arrianus. [*lib. 5. pag. 115.*] Cornum verò cum suis copiis ad ripam Alexander reliquit: ut reliqui exercitûs, frumentum & alia necessaria ex regione Indorum quæ ei parebat allaturi, transitum curaret.

Posita prope Acesinem castra, ob fluminis exundationem, in arduum magis locum subducere se coactos fuisse, idque circa æstivum solstitium contigisse, Nearchus tradidit, qui tùm inter milites Alexandri præsens adfuit. [*apud Strabon. lib. 15. pag. 691.*] quod & Arrianus confirmat in Indicis: [*pag. 172.*] ubi Alexandri exercitum ab Acesine fluvio fugisse scribit, quum mediâ æstate ejus aqua campos obrueret.

Sylvæ hîc erant propè in immensum spatium diffusæ, procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosæ. Nonnullæ ad 70. cubitos erectæ, crassitie erant tantâ, ut difficulter quatuor illas viri complecterentur; & umbram ad tria plethra vel pedes 300. de se projectabant. Plerique rami instar ingentium stipitum flexi in humum, rursùs, qua se curvaverant, erigebantur; adeò ut species esset non rami resurgentis, sed arboris ex suâ radice generatæ. De quibus videndus Plinius, *lib. 12. cap. 5.* & Strabo, *lib. 15. pag. 694.* ubi sub unâ harum arborum 50. equites meridiari potuisse, authorem Aristobulum profert.

In hoc etiam tractu magna vis serpentum erat, qui specie quidem exiles, sed varietate corporis insignes erant: & tantâ morsûs efficacitate, ut cum mors extemplò sequeretur. Macedones igitur, ut à pestiferis eorum morsibus sese tutarentur, lectos ex arboribus suspendebant, & maximam noctis partem insomnem ducebant: donec ab incolis de remedio veneni, radice quâdam, edocti à malo isto liberati sunt.

Porum hinc Alexander in regnum suum remisit; mandatis additis, ut lectissimis Indorum qui bellicosissimi haberentur copiis, & elephantis (si quos haberet) collectis, ad se rediret. Ipse per deserta ad Hydrotim vel Hydraotem alium Indiæ fluvium, (latitudine quidem Acesine

nihilo

3677 nihilo minorem, cursûs verò rapiditate inferiorem) pervenit: & per omnem regionem præsidia idoneis locis posuit; ut Craterus & Cœnus mox ad se pervenirent, frumento per maximam regionis partem direpto.

Deinde Hephæstioni partem exercitûs committens, (peditum scilicèt phalanges duas, equitum tum suum cum Demetrii agmen, & sagittariorum partem dimidiam) in Pori illius qui aufugerat regionem mittit, eámque ut alteri Poro amico suo traderet, jussit; & si quæ aliæ ad ripam Hyarotis gentes Indorum essent liberè suis legibus viventes, earum omnium gubernationem eidem Poro daret.

Ipse Hyarotim fluvium, non ita difficulter atque Acesinem trajecit. Junctum erat flumini nemus opacum arboribus alibi inusitatis, agrestiumque pavorum multitudine frequens. Rex verò ulteriùs progressus, plerosque deditione recepit; nonnullos etiam cum armis occurrentes, alios verò fugientes captos vi subegit.

Inter hæc Alexandro nunciatur, & alios quosdam Indos liberos & eos qui appellantur Cathæi pugnâ eum excipere paratos, si eò exercitum duceret, reliquos finitimos etiam liberè viventes ad societatem solicitare. Cum his quoque conspirasse Oxydracas aliam Indorum gentem, & Mallos aliam ab his diversam: adversùs quos paulò antè & Abisarus & Porus conjunctis copiis ac multis Indorum in societatem adscitis profecti, quum nihil tanto belli apparatu dignum gessissent, recesserunt. Locus verò ad quem confligere statuissent, Sangala esse dicebatur: urbs Cathæorum magna (ut in eâ regione) & non muro solùm sed etiam palude munita. Cathæi verò hi, *Calchai* apud Polyænum (libro 4. Stratagem.) appellantur, *Cathari* apud Diodorum: qui communi gentis hujus decreto sancitum fuisse ait, ut cum viris defunctis uxores concremarentur: quod ipsum de *Cathæis* à Strabone est notatum. [*lib.* 15. *pag.* 699.]

In Catharos istos confestim contendens Alexander, secundis castris ab Hyarote fluvio ad urbem pervenit cui Pimprama nomen est. Ea Indorum gens Adraistæ (Andreitæ Diodoro) vocabantur: qui statim pactionibus deditionem fecerunt.

Alexander postero die militibus ad quietem dato, tertio die Sangala profectus est: ubi Cathæi aliique his finitimi, qui sese iis conjunxerant, ante urbem in colle non omninò arduo, quem triplici currium inter se junctorum ordine munierant, instructâ acie stantes illum expectabant. Sed, curribus dissipatis & octingentis suorum amissis, in urbem refugere sunt coacti. Quos eâ conclusos Rex obsidens, duplici vallo oppidum cinxit, præterquàm quà stagnum obstabat. Eo verò loco Ptolemæum Lagi filium statuit: argyraspidum tria millia, Agrianos omnes, unúmque sagittariorum agmen illi adjungens. Ille currus priore pugna captos, ad obsessorum fugam impediendam, transversos collocavit. Barbari sub quartam noctis vigiliam eò effusi, in currus impingentes à Ptolemæo repulsi, 500. in fugâ cæsis, rursùs in urbem se receperunt. Interea Porus advenit, reliquos elephantos adduxit, & Indorum quinque millia. Jámque & machinæ Alexandro confectæ erant & muris admovebantur. Macedones, mœnibus nondum quassatis sed lateritio muro suffosso scalisque omni ex parte admotis, urbem vi ceperunt. In ejus expugnatione 17. millia Indorum trucidata sunt: capti supra 70000, currus 300, equites 500. De Alexandri exercitu circiter centum in universa obsidione desiderati sunt: sed 1500. circiter vulnerati; in quibus, cùm alii duces, tum Lysimachus corporis custos fuit.

Alexander, cæsis patrio more sepultis, ad vastandam eam regionem Perdiccam cum expedita manu misit. Eumenem etiam scribam (Cardianum videlicèt illum, Philippi scribam; cujus vitam à Plutarcho & Æmilio Probo habemus descriptam) cum 300. equitibus ad duas urbes, quæ cum Sangalis conspiraverant, misit; ut, venia oblatâ, deditione eas reciperet. Sed oppidani, de Sangalorum expugnatione certiores jam antea facti, urbibus desertis fugerant. Quotquot verò è fugâ ob invaletudinem relicti fuerunt, 500. circiter, comprehensi cæsique sunt. Reliquos verò aliequendi ipse depositâ, rediens Alexander Sangalam solo æquavit.

Aliam deinde urbem validam, in quam aliarum quoque confugerant incolæ oppugnare aggressus, civibus eum deprecantibus & portas aperientibus veniam dedit: & obsidibus acceptis, ad proximam urbem, magnam & frequentem, castra movit. Obsides ducebantur ante agmen: quos cùm è muris agnovissent, utpote gentis ejusdem, in colloquium vocaverunt. Illi clementiam regis, simúlque vim commemorando, ad deditionem eos perduxerunt. Mutatáque inde famâ quæ de Alexandro sparsa fuerat, ac si latronum ac barbarorum more belligeraret; cæteræ urbes, simili modo deditæ, suâ illum sponte receperunt. [*Curt. lib.* 9. *cap.* 2. *Polyæn. Stratagem. lib.* 4. *in Alexandro, sect.* 30.]

Hinc in regnum Sophithis perventum est. Ille, multum inter omnes Barbaros eminens corporis specie (quatuor enim cubitos excedebat) ex urbe regia cum duobus adultis filiis progressus, baculum quem gestabat aureum beryllis distinctum Alexandro trádidit, eique se, & liberos, & gentem suam dedidit. Cúmque illius beneficio regnum iterùm recepisset; totum exercitum ad dies aliquot epulo magnifico excepit. Et post varia magnique impendii munera Alexandro data, canes etiam 150. obtulit ex commixtione cum tigribus (ut fama erat) ortos, magnitudine & viribus mirificè præstantes. Quorum virtutis præsens experimentum, quatuor ex iis cum eximiæ magnitudinis leone commissis, est exhibitum. *Vid. Strabon. lib.* 15. [*pag.* 700.] & *Ælian. histor. animal. lib.* 8. *cap.* 1.

Interea Hephæstio cum agmine pridem secum misso revertitur: postquàm magnam Indiæ portionem longè lateque subegisset. Cui Rex meritam strenuitatis laudem tribuit.

Relicto Sophithe in suo regno, Alexander ad gentem proximam, cujus rex erat Phegeus, processit: ubi cùm incolis acceptus esset Macedonum adventus, & Phegeus ipse multis cum muneribus obviam Alexandro procederet, nihil quod imperaret detractans; ut beneficio suo regnum obtineret, concessit, & cum exercitu splendidè ab illo tractatus, biduum apud eum substitit.

Tertio die ad Hyphasin fluvium (Hypanim aliis dictum) Alexander promovit: qui septem stadia latus & sex orgyias altus, & saxis præterea impeditus, transitu erat perquàm difficilis. Percontatus igitur Phegeum quæ noscenda erant, 11. vel 12. dierum ultra flumen per vastas solitudines iter esse cognoscit: excipere deinde Gangem maximum totius Indiæ fluminum: Ulteriorem ripam colere gentes Gandaridas (aliis, Gangaridas) & Prasios, (aliis, Præsidas, Prasiæos, Pharrasios & Talvræsios dictos) eorúmque regem esse Agrammen (Diodoro Xandramen appellatum) 20. millibus equitum ducentisque peditum, curribus insuper bis mille, & tribus (vel quatuor, ut apud Diodorum habetur) mille elephantis, ad bellum adornatis instructum.

Cùm incredibilia hæc Alexandro essent visa: Porum ad se accersitum percontatur, an vera essent quæ dicerentur. Ille vires quidem gentis & regni haud falsò jactari respondit: cæterùm qui regnaret, ultimæ sortis tonsoris filium, invisum esse vilémque popularibus. Et Androcottus (qui id temporis adolescens ipsum Alexandrum vidit; & quum procacitate suâ illum offendisset, ut apud Justinum lib. 15. cap. 4. legitur, interfici à rege jussus, salutem pedum celeritate quæsivit) sæpe postea dixisse fertur; Nihil factum fuisse propius quàm ut rerum illic Alexander potiretur, quòd rex ob improbitatem & ignobilitatem invisus atque contemptus esset.

Considerabat hic Alexander, milites suos jam labore defatigatos, fructum illius finito tandem periculo expectare. Continuos enim octo annorum (tot enim à regni Alexandri initio eò usque decurrerant) labores cum summis periculis ærumnosè toleraverant; & tum præterea accidit, ut ad dies 70. horridi ex cœlo imbres, tonitruis & fulminibus continenter admixtis, præcipitarent: quemadmodum apud Diodorum legimus. Unde, ut munificentiâ animos militum sibi obstringeret, liberam eis per hosticos agros (ut addit idem) omni bonorum genere exuberantes, prædandi potestatem concessit. Et dum illi in populatione occupabantur, uxores eorum puerósque ex illis natos, convocavit: atque illis quidem menstruum ut exhiberetur frumentum; his verò ut pro ratione ejus quod patres acciperent, suum etiam stipendium numeraretur, constituit.

Ubi magnam bonorum ubertatem consecuti milites in castra redierunt; omnes in concionem Rex advocavit. Ibi probè meditato sermone ad illos dissernit, ut prompti & alacres Gandaridis secum bellum inferrent. Cui Cœnus Polemocratis filius exercitûs nomine respondens, longiorem militiam deprecatus est. Et quum nullo Macedones pacto ad voluntatem ejus se accommodarent: tum (ut Ptolemæus Lagi filius refert) nihilominùs pro transitu sacrificium fecit. Quúmque extra infaustos eventus portendissent; convocatis amicis qui & ætate grandiores maximéque familiares ei erant, quoniam omnia illum ab ulteriore profectione revocarent, exercitui declaravit, statuisse sibi esse domum reverti.

Exuperato tamen amne, aras illum in adversâ ripâ dicavisse, parum probabiliter à Plinio habetur traditum. [*lib. 6. cap. 17.*] Nam quod ibidem apud eundem sequitur, [*Epistolæ quoque Regis ipsius consentiunt his:*] non ad illud de transitu Hyphasis, sed ad illa quæ de ordine & dittantiis stationum Alexandri, ex Diogneto & Bæton itinerum ejus mensoribus descripta præcesserant, referendum esse existimo. Cui enim credibile est, Alexandrum sine exercitu, & sine ulteriùs progrediendi ullo proposito, tam difficilem transitum aggredi voluisse? aut si maximè voluisset, hostium qui eum opperiebantur exercitum non occursurum illi fuisse & quod moliebatur impediturum? præsertim, cùm in partes Orientales ulteriùs Alexandrum non processisse noter Strabo; (*lib. 15. pag. 700.*) quòd *Hypanim* (sive *Hyphasim*) *transire prohiberetur*: & suâ etiam memoriâ Plutarchus testetur, Præsiorum (sive Prasiorum) reges *trajecto flumine* Deorum aras illas ab Alexandro positas venerarós, hostias ibi Græco ritu immolavisse.

In citeriore igitur Hyphasis ripâ Alexander, diviso per ordines exercitu, ex quadrato saxo XII. aras erigi jussit, monumentum expeditionis suæ; altitudine quidem (50. cubitorum) maximis turribus bellicis pares, latitudine quàm quæ turrium est majore. In quibus sacrificio more patrio peracto; ludos etiam fecit gymnicos & equestres. Hinc castra triplo majore, quàm antea fuerant, ambitu complexus, fossam pedes 50. latam & 10. altam duxit: atque è terrâ intra fossam accumulatâ murum non contemnendum extruxit. Pedites etiam jussit, ut in tabernaculo quisque suo duo cubilia quinûm cubitorum extrueret: equites autem, ut cubilibus etiam præsepia, altero tanto usitatis ampliora, adderent. Arma quoque, & equorum frœna, & ejus generis cætera, eâdem ratione ampliora facta, relinqui jussit: ut speciem omnium augeret posteritati fallax miraculum. [De ararum inscriptione, in fine libri 2. Vitæ Apollonii consulendus Philostratus.]

His perfunctus, cum universis copiis, eodem quo venerat itinere, ad Hydraotem fluvium rediit: quo trajecto, ad Acesinem retrocessit. Ibi urbem exædificatam reperit, ad quam condendam Hephæstion relictus fuerat: atque in eam ex finitimis quicunque in eam commigrare vellent, & mercenariis ad militiam ineptis, colonos induxit.

Arsaces, provinciæ Abisaro finitimæ præses, & frater Abisari, aliique amici ad Alexandrum venerunt, dona adferentes quæ apud Indos censentur maxima; elephantos etiam ab Abisaro missus 30. Abisarum ipsum morbo impeditum venire non potuisse dicentes. Quod quum & legati qui ab Alexandro ad illum missi fuerant confirmarent; facilè persuasus rem ita se habere, Abitarum provinciæ ipsius satrapam constituit, atque Arsacem illius imperio adjunxit: & tributis quæ penderent imperatis, ad Acesinem fluvium rursùs sacrificium fecit.

Acesine transmisso, ad Hydaspem venit: ubi quicquid in Nicæâ & Bucephalâ imbres corruperant, militum operâ instauravit. Præterquàm enim quòd ab eo tempore quo ad Hydaspem primò venit, usque ad hoc quo ad eundem iterùm rediit, continuè pluisse, præsertim fluentibus è cliis, Aristobulus author est: [*apud Strabon. lib. 15. pag. 691.*] etiam ad dies 70. horrenda tonitrua & fulmina imbribus continenter fuisse admixta, ex Diodoro jam audivimus.

4. Alexan-

3678 4. Alexander, quum jam ad Hydaſpis ripas multas triginta remorum naves & biremes paratas haberet, multas etiam tranſmittendis equis aptas, cæteráque omnia ad vehendum exercitum neceſſaria; per Hydaſpem in auſtralem Oceanum navigare ſtatuit: collectiſque omnibus Phœnicibus, Cyprîis, Caribus & Ægyptiis qui exercitum ſecuti fuerant; ex iis navigia implevit.

Per id tempus Cœnus ex intimis fideliſſimiſque Alexandri amicis morbo extinctus eſt; cujus morte ingemuit quidem Rex, & magnificè pro eo ac tempus ferebat ſepeliendum eum curavit; orationis tamen quâ ulteriorem illius in Orientem progreſſum diſſuaſerat non immemor, ſignificatione ſatis acerbâ declaravit; quòd ſi intra tam paucos dies ſe vitâ exceſſurum ille prævidiſſet, tam longam orationem minimè exorſus fuiſſet.

Sub idem tempus nova ex Græciâ ſupplementa, tum auxiliariorum tum ſtipendiis militantium, ductu imperatorum adventârunt: 30. ampliùs peditum millia, & 6. millia fermè equitum. Arma ſimul eleganter fabricata in 25000. pedites, & medicamentorum 100. talenta, tunc advecta. Ita Diodorus. Curtius verò, lib. 9. cap. 7. Memnon ex Thracia in ſupplementum equitum 6. millia; præter eos ab Harpalo, peditum 7. millia adduxerat: armáque 25000. auro & argento cælata pertulerat; queis inter milites diſtributis, vetera cremari Rex juſſit.

Harpalus verò ille à quo ſupplementum peditum ad Alexandrum miſſum fuiſſe Curtius innuit, non alius fuit quàm ille, cujus fidei theſauros Babylonis & vectigalium aſſervationem Alexander commiſerat; & quem regionis illius ἔπαρχον ſive curatorem fuiſſe relictum, ſcribit in *Alexandro* Plutarchus: ſatrapiâ tamen Mazæo, qui Babylonem Alexandro tradiderat, reſervatâ; cui mortuo Deditamenes deinde ſucceſſor eſt datus, quanquàm & ipſe Harpalus provinciæ hujus ſatrapes à Diodoro appelletur, in anni hujus 2^i. Olymp. CXIII. hiſtoriâ: ubi eum narrat, quum ab Indicâ expeditione nunquam reverſurum Regem ſperaret, ita voluptatibus & delitiis ſe dediſſe, ut ad impendiorum exuberantiam nihil faceret reliquum. Ac primùm (inquit) ad fœminarum ſtupra meretriciſque cum Barbaris concubitus ſe convertit: & intemperantiſſimo voluptatum abuſu magnam pecuniæ ſibi creditæ vim prodegit. A mari autem rubro per longiſſimum intervallum magnam piſcium copiam ſibi afferendam curabat: tantóſque in quotidianum victum ſumptus profundebat, ut malè apud omnes audiret. Ex Athenis inſuper famoſiſſimum ſcortum Pythonicen, & poſt ejus mortem Glyceram accerſivit. De quibus in epiſtolâ ad Alexandrum Theopompus eſt conqueſtus: quòd impenſis pluribus quam 200. talentis mortuæ Pythonicæ duo monumenta, alterum Athenis, alterum in Babyloniâ, Harpalus erexerit; auſus etiam lucum & aram & templum ſtatuere, Pythonicæ Veneris nuncupatum. Glyceræ verò æneam ſtatuam in Tario Syriæ poſuerit, eique conceſſerit ut in regio palatio habitaret, atque à populo ſalutaretur & appellaretur Regina. *Vid. Athenæum, lib. 13. cap. 23.*

Similiter & in Mediâ Cleander, Sitalces & Heracon, Alexandrum ſoſpitem ex Indiâ non credentes reverſurum, cùm omnia prophana ſpoliaſſent, templa etiam diripuerunt, virginibus & principibus fœminarum ſtupra intulerunt, multáque alia in ſubditos improbè atque avarè perpetrarunt: ita ut invîſum Macedonum nomen avaritia eorum ac libido Barbaris fecerit. Inter omnes tamen eminebat Cleandri furor, qui nobilem virginem conſtupratam ſervo ſuo pellicem dederat. [*Curt. lib. 10. cap. 1. Arrian. lib. 6. pag. 142.*]

Alexander aditurus Oceanum, diſcordes & vetera odia retractantes Porum & Taxilem Indiæ reges, firmatâ per affinitatem gratiâ, in ſuis regnis reliquit. Porum autem non modò regionis inter Hydaſpem & Aceſinem (ut anteà:) ſed etiam liberorum populorum inter Aceſinem & Hyphaſim ab eo ſubactorum regem conſtituit: gentium quidem omninò 7, urbium autem ſupra 2000. [*Arrian. lib. 6. pag. 124.*] Alii in ea regione gentes 15, urbes non mediocres 5000, & vicos quamplurimos fuiſſe memorant. [*Plutarch. in Alexandro.*] Et regio ſanè inter Hydaſpem & Hyphaſim ſive Hypanim poſita, non quidem 15, ſed 9. gentes habuiſſe dicebatur, urbes verò ad 5000, Co Meropide non minores: ut ex Apollodoro rerum Parthicarum ſcriptore refert, in libri 15. initio, [*pag. 686.*] Strabo. Cui tamen numerus iſte veritatis limites longè exceſſiſſe vitio eſt: quod ipſe poſteà in eodem libro [*pag. 701.*] hiſce verbis eſt profeſſus. Δεικνῦσι δὲ καὶ ὑπερβολὴν τῶν πλήθους. Unde & ad univerſum Indiæ tractum ab Alexandro domitum hoc pertraxiſſe Plinium videmus; libri ſexti capite 17, ita hâc de re ſcribentem. *Alexandri Magni comites in eo tractu India quem ſubegerant, ſcripſerunt quinque millia oppidorum fuiſſe, nullum Co minus, gentium novem.* Philippus, unus è cohorte amicorum, qui regionis ultra Indum poſitæ ſatrapes fuerat, quum hoc tempore in Bactrianorum regione triduo eſſet illi ceſſandum, cum magnis quas ducebat copiis Alexandrum ſequi juſſus eſt. Nyſæi equites Nyſam ſunt remiſſi. Cratero & Hephæſtioni imperatum eſt, ut quàm celerrimè ad Sopithis regiam præirent, claſſemque præſtolarentur. Ad dextram Hydaſpis ripam Craterus, cum peditum atque equitum parte: ad ſiniſtram Hephæſtion, cum majore meliorèque exercitûs parte & 100 elephantis, proceſſit. Copiæ Alexandri 120000 militum erant, cum iis quos ex maritimis oris adduxerat. Venerunt etiam ii quos paſſim ad conſcribendum exercitum miſerat, barbaras omnis generis nationes, variis armis inſtructas, ſecum habentes. [*Arrian. lib. 6. & in Indicis, pag. 181.*] Peditum 120 millia, equitum ad 15 millia, à Ptolæmæo illi tribuuntur.

Claſſem Alexandri mille navium fuiſſe dicit Curtius: quarum 200 apertas, 800 actuarias fuiſſe, Diodorus ſcribit. Arrianus in Indicis 800 tantùm numerat; partim oblongas atque onerarias, partim vehendis equis & frumento aptas. Sed idem alibi Ptolemæum Lagi filium (qui è tricenium ductoribus unus ipſe fuit) hac potiſſimùm ſequendum judicat: ſecundùm quem, naves triginta remorum 80 erant; at in univerſum omnes, tam quæ equos vehebant quam actuariæ & fluviales, quæ aut multò antè aut tum temporis conſtructæ fuerant, non multùm pauciores 2000.

Totius classis præfectus, Nearchus Androtimi filius Cretensis genere; Evagoras verò Euclconis filius Corinthius, scriba fuit. Ipsius Alexandri triremis Oneticritus Astypalæus gubernator fuit. Reliquarum triremium ductores recenset Arrianus in Indicis.

His ita constitutis, Alexander diis patriis, & quibus vates monebant, sacrificavit: Neptuno etiam & Amphitritæ ac Nereidibus, ipsique Oceano. Hydaspi quoque unde solvebat: Acesini præterea, in quem Hydaspes influit; & Indo, in quem uterque fertur. Certamina quoque musica & gymnica proposuit; victimis per singula agmina & turmas distributis.

Sub auroram exercitum naves conscendit: argyraspides videlicèt, & sagittarii omnes, & equites amici appellati; omnes ad 8000. non multis diebus ante Pleiadum occasum, ut in libro 15. *Strabo* ex Aristobulo indicat; nempe sub nostri Octobris exitum. Ipse Alexander conscensâ nave, aureâ phialâ ex prorâ in flumen fusâ libavit, Acesinem simul & Hydaspem & Indum invocans. Deinde quum Herculi progenitori libasset, simúlque Ammoni & aliis diis quibus consueverat, signum educendis navibus tubâ dari jubet: quâ auditâ, statim naves ordine subducuntur. Imperatum enim erat quanto spatio actuarias, quanto hippagines, quanto bellicas naves sejunctas inter se esse oporteret; ne temerè nullóque ordine navigantes colliderentur: neque iis quæ velociores erant interrupto ordine alias prævertere permittebatur.

Alexander hoc pacto navigans tertio die eò loci appulit, quò Craterum & Hephæstionem in utrâque ripâ castra locare jusserat: biduum ibi commoratus, dum Philippus cum reliquo exercitu adveniret. Et Philippum quidem cum iis quos adduxit ad Acesinem fluvium misit, juxta Acesinis ripam iter eum facere jubens. Craterum etiam & Hephæstionem rursùs emisit; itineris quod tenerent ratione præscriptâ.

Ipse per Hydaspem fluvium navigationem persecutus (nusquàm 10 stadiorum spatio angustiorem) expositis militibus, ad Sibarum sive Sobiorum fines processit. Hos ex posteritate illorum fuisse memorant, qui cum Hercule petram Aornon oppugnaverant: & post irritum conatum, in illâ regione ægri ab eo relicti fuerant. Pelles ferarum pro veste, clavæ tela eis erant: multáque, etiam cùm Græci mores exolevissent, stirpis ostendebant vestigia. Alexandro verò castra prope clarissimam eorum urbem collocante, qui præcipuæ in eâ erant auctoritatis exeunt, & in colloquium Regis admissi, necessitudinis antiquæ memoriam renovant; & cupidè omnia ei facturos, quomodo cognatos deceat, pollicentur. Quod & munerum haud vulgarium exhibitione testatum faciunt. Eorum benevolentiam gratè Alexander accipiens, civitates illorum liberas esse jubet.

Hinc excursione factâ, 250 stadia processit: depopulatúsque regionem, oppidum caput ejus coronâ cepit.

Agalassensium gens 40 peditum & 3 equitum millia in ripâ fluminis illi opposuit: quæ, amne superato, in fugam compulit. Plerisque cæsis, superstites in vicina oppida refugerunt: quibus expugnatis, puberes interfecti, cæteri servituti mancipati sunt.

De cæteris etiam incolis qui ad arma concursaverant, 20000 in magnâ quâdam urbe urandi sui causâ congregatos vi expugnavit. Sed cùm obsceptis viarum angustiis fortiter è tectis propugnarent, vi summâ pulsus, Macedonum haud paucos amisit. Oppido igitur per iram incenso, maximam illorum partem simul combussit. Ter mille qui adhuc superfuerant in arcem elapsos, cùm supplices veniam rogarent, impunè dimisit.

Tum demùm cum amicis naves conscendens, magnâ celeritate in Mallos & Oxydracas contendit: quòd & plurimos eos & bellicosissimos illius tractûs esse acceperat; quódque liberis atque uxoribus in munitissima oppida traductis, ipsi prælio cum eo decernere statuisse mancipentur. tantoque magis acceleratidum sibi putabat; ut eos nondum constituros, sed apparandis rebus perturbatos opprimeret.

b. Quinto igitur die ad confluentem Hydaspis & Acesinis pervenit: ubi unus ex duobus isque angustissimus alveus efficitur, rapidúsque ejus ob angustias cursus fit, & ingentes vortices volvit. Multæ itaque naves quassatæ, duæ majores inter se collisæ cum multis qui eis vehebantur perierunt: & ipsâ prætoriâ in vastum abreptâ vorticem, Rex ultimum vitæ periculum adiit. At postquam fluminis alveus sese aperire cœpit, mitiore jam cursu minúsque violentis vorticibus redditis, ad dextram ripam classis appulsa sinu quodam est recepta, quem rupes fluctibus objecta tutum ad subducendas naves faciebat. 4388 326

Rex, aris ibi positis & Diis suis ob insperatò redditam salutem sacrificio facto, triginta stadia processit: & in barbarorum regionem qui deditionem non fecerant incursione factâ, quum iis ne Mallis suppetias ferrent interdixisset, ad classem reversus est; ibíque Hephæstionem, Craterum & Philippum cum suis quemque copiis reperit.

Inter Hydaspis & Acesinis, atque Acesinis & Indi confluentes Oxydracarum Mallorúmque regio est posita; Hydaspe apud Oxydracas in Acesinem incurrente, & Acesine apud Mallos in Indum: uti nos docet Arrianus in Indicis. [*pag.* 171.] Hos aliàs bellare inter se solitos, tunc periculi societas junxerat: datísque & acceptis ultro citróque denis virginum millibus, per affinitatem illam inter se reconciliati erant. Octoginta millia peditum in armis erant, equitum decem millia, cum 700 curribus; pro quibus 900 quadrigas habet Curtius. Equitum 60 millia Justinus [*lib.* 12. *cap.* 9.] & Orosius [*lib.* 3. *cap.* 19.] Mandris vel Ambris, & Sabracis vel Subagris vel Sugambris suis tribuunt: his enim nominibus Malli & Oxydracæ (apud Diodorum quoque *Syracusa* depravatè dicti) in variis eorum codicibus appellati reperiuntur.

Macedones, qui omni discrimine jam defunctos se esse crediderant, postquàm integrum bellum cum ferocissimis Indiæ gentibus superesse cognoverunt, improviso metu territi, rursùs seditiosis vocibus Regem increpare cœperunt: quos ille, oratione ad eos habitâ, pacavit.

Barba-

Barbarorum dux ſpectatæ virtutis, ex natione Oxydracarum electus, ſub radicibus montis caſtra poſuit: latéque ignes, ut ſpeciem multitudinis augeret, oſtendit; clamore quoque ac ſui moris ululatu identidem Macedones fruſtrà terrere conatus. Sed luce appetente, cùm Alexander fiduciâ ac ſpe plenus alacres milites arma capere & exire in aciem juberet: barbari, ſive metu ſive ſeditione inter ipſos obortâ, alii aliò ſubitò diſperſi, avios montes & impeditos occupaverunt. Quorum agmen Rex fruſtrà perſecutus, impedimenta cepit.

Refectis jam navibus, Alexander Nearchum cum claſſe ad Mallorum fines miſit; præcipiens ut trium dierum itinere exercitum præverteret. Et Hydaſpem trajiciens elephantos & Polyſperchontis agmen & ſagittarios equeſtres atque Philippum cum ſuis, Cratero (qui ad dextram Hydaldis ripam fuerat) ducere præcepit. Hephæſtionem cum ſuis quinque dierum iter præcedere, Ptolemæum Lagi filium cum ſuis triduo poſt ſuum diſceſſum ſequi juſſit: ut quicunque eum effugeret in alteras utriuſque copias incideret. Eos verò qui præmiſſi erant, quum ad confluentes Aceſinis & Hydraotis (in quibus Mallorum erant termini, ut Oxydracarum in Aceſinis & Hydaſpis confluentibus) perveniſſent, expectare juſſit, dum & ipſe eò veniat, & Crateri ac Ptolemæi copiæ ei conjunctæ ſint.

Ipſe, ſumptis argyraſpidibus, & ſagittariis atque Agrianis, & Pythonis agmine quod ex iis qui Aſſeteri vocantur conſtabat, ſagittariis etiam equeſtribus omnibus, & ex equitatu amicorum dimidiâ parte; per aridam & ſiticuloſam regionem in Mallos contendit: eos adoriturus, priuſquàm aut illi Oxydracis, aut Oxydracæ illis adjumento eſſe poſſent.

Ac primo quidem die juxta amnem non magnum caſtra locavit, diſtantem ab Aceſine ſtadiis centum. Ibi curato corpore, & exigui temporis quiete militibus datâ, mandat ut quas quiſque lagenas habeat, aquâ repleat. Progreſſúſque per id quod ſupererat dici & per noctem totam ad 400 circiter ſtadia, ſub lucem ex improviſo Mallorum multis ſupervenit, qui, quòd eum nunquam per ſiticuloſa illa loca venturum ad ſeſe putaſſent, extra urbem inermes vagabantur. Eorum pleroſque occidit: aliis in urbem repulſis ac concluſis, equitatu loco valli (peditum enim phalanx eum aſſequuta non erat) muros in orbem cinxit.

Statim verò ac peditatus advenit, Perdiccam quidem cum ſuis & Cliti equeſtribus copiis, cúmque Agrianis, ad aliam Mallorum urbem obſidendam mittit, in quam Indorum non parvam manum confugiſſe acceperat: mandans ut eos urbe incluſos teneant, neque oppugnationem aggrediantur donec ipſe advenerit; tantùm curent, ne qui urbe elapſi alios barbaros de Alexandri adventu certiores faciant. Poſthæc urbem oppugnare cœpit.

Multis in expugnatione cæſis, barbari murum deſerentes in arcem confugerunt: eáque vi captâ omnes, ad 2000 numero, cæſi ſunt.

Perdiccas ad urbem quam obſidere juſſus fuerat profectus, eam ab incolis deſertam reperit: quos quum non multo antè tempore effugiſſe cognoviſſet, curſim fugientium veſtigia ſectatus eſt. In fugâ captos omnes ferè occidit: reliquis paluſtria loca ſaluti fuerunt.

Alexander, curato corpore & quiete ſuis datâ, ad primam noctis vigiliam progreſſus eſt: magnúmque iter eâ nocte emenſus, ſub diluculum ad Hydraotem fluvium pervenit. Ac multos quidem Mallorum jam amnem tranſgreſſos cognovit: alios alveum tranſeuntes adortus, pleroſque interfecit, amnéque pertranſito, eos qui tranſmiſerant conſequutus, multos ex iis cæcidit, multos cepit. Maxima tamen pars in oppidum naturâ atque opere munitum ſe recepit.

Poſtquam peditatus advenit, Alexander Pithonem in eos miſit cum ſuo aliiſque duobus equitum agminibus: qui primo impetu illapſi oppidum ceperunt, omnibus qui eò confugerant (qui quidem in illo impetu interfecti non erant) in ſervitutem redactis. Quo facto, Python in caſtra rediit.

Alexander deinde in quandam Brachmanum urbem exercitum duxit, quò aliam Mallorum manum confugiſſe audierat. Eo ſimulac venit, denſam phalangem omni ex parte muro admovit. Oppidani, deſertis mœnibus, in arcem fugere coacti ſunt: quâ captâ, alii ſuccenſis ſuis ædibus ipſi etiam earum incendio perierunt: plerique pugnantes interfecti. Quinque in univerſum millia perierunt: pauci vivi in poteſtatem venerunt.

Rex unum diem ibi commoratus, quiete exercitui datâ, poſtridie in alios Mallos movit: quos quidem urbes deſeruiſſe & in ſolitudines ſeſe abdidiſſe cognovit. Ibi etiam uno die cum exercitu ſubſiſtit.

Poſtero die Pithonem & Demetrium equeſtris agminis præfectum retrò ad flumen miſit, quibus ad copias quas ducebant expeditorum cohortes aliquot, quæ rei gerendæ ſufficerent, adjunxit: mandatis additis, ut ad ripam fluminis iter facientes, ſi quos eorum qui in ſylvas ripis circumjectas confugerant reperiſſent, niſi ſponte dedicionem facerent, interficerent. Multos itaque in ſylvis nacti occiderunt.

Ipſe in maximam Mallorum urbem exercitum duxit, in quam etiam ex aliis oppidis multi ſeſe recepiſſe nuntiabantur. Sed & hanc Indi, ſimul atque Alexandrum advenire intellexerant, deſeruerant; tranſitóque Hydraote fluvio, in ripis ejus quæ altæ inprimis erant aciem inſtruxerant, tanquàm tranſitu prohibituri. Eò Alexander confeſtim equitatum duxit, peditatu ſequi juſſo. Sed cùm in medio eſſet amne, Indi celeriter, ordinatè tamen, à ripâ receſſerunt: cùm numero circiter 30 eſſent millia. Alexander confertam eorum phalangem videns, quum peditatum ſecum non haberet, excurſiones obequitando faciebat; prælium nequaquam committendum cenſens.

Quum verò Agriani, aliáque expeditorum agmina, quos ſelectiſſimos ſecum ducebat, & ſagittarii adveniſſent; & peditum phalanx haud procul inde appareret: Indi concitato curſu in vicinam urbem munitam confugerunt. Quos inſecutus Alexander, multos interfecit: quúmque jam urbe concluſi eſſent, primo accelſu (ante peditatûs adventum) muros equitatu cinxit.

Demophoon vates Alexandrum conveniens, auguriis quibusdam maximum illi periculum portendi significavit: ideóque, ne committeret, aut certè differret obsidionem, eum monuit. Rex homine jurgiis excepto, quòd strenuè certantibus impedimento esset, divisóque in duas partes exercitu; ipse alteram earum duceas, Perdiccas alteram, impetum in murum fecit: quem cùm Indi sustinere non possent, desertis mœnibus in arcem se receperunt. Alexander, cum iis qui circa ipsum erant, primus perfractâ quâdam portâ in urbem irrupit: & scalas ad arcem admoveri jussit. Cúmque cunctari Macedones viderentur, ipse scalam cuidam ereptam muro applicans in summum muri fastigium evasit. Post hunc Peucestas, (scutum gestans, quod Alexander ex æde Palladis Iliacæ sumptum in omnibus præliis præ se gestari curabat) & post eum Leonnatus corporis custos per eandem scalam subiit: ac per aliam scalam Abreas unus ex δημαρετῶν sive duplariorum ordine. Tum argyraspides de rege soliciti, quum & ipsi scalas celeriter conscenderent, fractis scalis præcipites in terram corruerunt, aliisque simul conscendendi facultatem sustulerunt. [*Vid. Appian. sub fin. lib. 2. bell. Civil.*]

Rex è vicinis circumquaque turribus telis petitus, (neque enim quisquam cominùs eum ferire audebat) è mœnibus in arcem desiliit, atque ad ejus murum obfirmatus, nonnullos cominùs eum lacessentes, atque ipsum Indorum ducem audaciùs irruentem gladio interfecit; sic ut deinceps nemo propiùs auderet accedere, sed eminùs omnes omnis generis tela jacularentur.

Interea Peucestas & Abreas & Leonnatus desiliunt, acritérque pro rege pugnant. Et Abreas quidem faciem sagittâ trajectus cecidit. Alexander etiam ipse (ut Ptolemæus Lagi filius tradit) tam grave in pectore vulnus accepit, ut unà cum sanguine spiritum etiam ex vulnere sufflaret. Peucestas, qui Palladis Iliacæ scuto interjecto regem protegebat, & Leonnatus, qui ictus illi intentatos excipiebat, ipsi quoque graviter vulnerabantur: parúmque aberat quin vita Alexandrum simul cum sanguine deficeret. Et Peucestam quidem in eo periculo regem scuto protexisse, omnes ptofitentur: (unde & *Alexandri Magni servator* à Plinio, lib. 34. cap. 8. dici meruit:) de Leonnato verò non omnes consentiunt, ut nec de Abreâ duplario. Ptolemæum quoque Lagi filium huic pugnæ adfuisse, tradiderunt Clitarchus & Timagenes & in Atticis Pausanias: quum ipse abfuisse se scribat, & eo tempore copiarum ducem adversùs alios barbaros pugnavisse. *Tanta* (inquit Curtius) *componentium vetusta rerum monumenta vel securitas, vel par huic vitium credulitas fuit.*

Macedones vi in arcem irrumpentes, omnes ad unum trucidant; non senibus, non feminis, non infantibus parcentes: regémque scuto efferunt, viveret nec ne incerti. Curatio vulneris gravior ipso vulnere fuit. Sed ea fortiter toleratâ, in spem vitæ Rex rediit: quam ægrè exercitui suo probavit, ad quem rumor perlatus fuerat, eum ex vulnere interiisse. Quamprimùm ergo potuit, ad Hydraotis fluvii ripas se deferri curavit; secundo amne navigaturus ad castra, quæ circa confluentes Hydraotis & Acesinis subsistebant: ubi Hephæstion exercitui, & Nearchus classi præerat. Navi ad ripam appulsâ, dextram multitudini porrexit, & lectică rejectâ equum ascendit: mox etiam pedes in tabernaculum suum transiit, cum incredibili omnium gratulatione atque lætitiâ. * Macedonibus de Rege sollicitis, ipsum in navi se curandum præbuisse ut esset spectaculo omnibus; scribit *Appianus*, in Mithridaticis. (*pag.* 232.).

Rex, septem diebus curato vulnere, nec dum obductâ cicatrice, cùm audiisset convaluisse apud Barbaros famam mortis suæ; duobus navigiis junctis, statui in medium undique conspicuum tabernaculum jussit, ex quo se ostenderet periisse credentibus: conspectúsque ab incolis, ipsem hostium fallo nuncio conceptam inhibuit.

Secundo deinde amne defluxit, aliquantum intervalli à cæterâ classe præcipiens; ne quies corpori invalido adhuc necessaria pulsu remorum impediretur. Quarto postquàm navigare cœperat die, pervenit in regionem desertam quidem ab incolis, sed frumento & pecoribus abundantem. Placuit is locus, & ad suam & ad militum requiem.

Nearchus, Alexandri navarchus, narrat amicos, quòd se tanto discrimini objecisset, ut militis non ducis officio functum reprehendisse; cúmque ægrè Rex id ferret, & indignationem vultu indicaret, senem quemdam Bœoticum placuisse illi versu iambico admonentem, *Qui magnum aliquid faciat, æquum esse & pati.* Et habetur sanè apud Curtium [*lib. 9. cap. 12.*] oratio amicorum nomine à Cratero ad Regem in hunc sententiam habita: unà cum ipsius responsione, in quâ, ubique laudis materiam offerri ostendens: *Post nonum regni mei*, inquit, *post vicesimum atque ottavum ætatis annum, videórne vobis in excolendâ gloriâ cui me uni devovi posse cessare?* Ita enim Curtius loquentem inducit Alexandrum: quum regni quidem *decimum* (quod dicto huic satis convenit) sed ætatis *tricesimum* hunc fuisse annum, ex accuratiore calculo Chronologico liqueat.

Dum per complures dies stativa Rex hic haberet, quibus & vulneri curando & navibus pluribus construendis operam dedit, Græci milites nuper in colonias per Bactrianam & Sogdianam ab eo distributi, numero circiter 3000, quòd & jampridem sedes inter Barbaros assignatas molestè ferrent, & tunc rumore defuncti ex vulnere regis arrigerentur, à Macedonum imperio defecerunt. Occisis enim quibusdam popularium qui validiores erant, arma spectare cœperunt: & Bactrianâ arce, quæ negligentiùs asservata erat, occupatâ, Barbaros quoque in societatem defectionis impulerunt. Athenodorus erat princeps eorum: qui regis quoque nomen assumpsit; non tam imperii cupidine, quam in patriam revertendi cum iis qui authoritatem ipsius sequebantur. Huic Biton vel Bicon quidam nationis ejusdem, sed ob æmulationem infestus, comparavit insidias; invitatúmque ad epulas, per Boxum quendam Macerianum in convivio occidit. Postero die concione advocatâ, Biton ultrò insidiarum sibi Athenodorum plerisque persuaserat. Sed aliis suspecta fraus erat Bitonis, & paulatim in plures cœpit manare suspicio. Itaque Græci milites arma ceperunt, occisuri Bitonem, si daretur occasio. Verùm principes eorum multitudinis iram mitigaverunt.

Præter ipsum suam Bitonem præsenti periculo ereptus, paulò pòst insidiarum auctoribus salutis suæ est: cujus dolo cognito, & ipsum comprehenderunt, & Boxum. Cæterùm Boxum protinùs placuit interfici; Bitonem etiam per cruciatum necari. Jámque corpori tormenta admovebantur, cùm Græci, incertum ob quam causàm, lymphatis similes ad arma discurrunt: quorum fremitu exaudito, qui torqueri Bitonem jusserant, omisêre; veriti ne id facere tumultuantium vociferatione prohiberentur. Ille, sicut nudatus erat, pervenit ad Græcos: & miserabilis facies supplicio destinati in diversum animos repentè mutavit; dimittíque eum jusserunt.

Interim legati à Mallis, qui reliqui erant, ad Alexandrum venerunt, deditionem totius gentis facientes: itemque ab Oxydracis urbium præfecti ac præsides ipsi, & cum his alii 150 principes illius gentis, & ipsi quoque gentem dedentes. Alexander mille ex primoribus gentis (2500 equites habet Curtius) sibi mittere eos jussit; quos vel pro obsidibus, si vellet, teneret, vel ut militibus uteretur, donec reliquos Indos debellasset.

Invitatis deinde ad epulas legatis harum gentium regulíque, exornari convivium jussit. Centum aurei lecti modicis intervallis positi erant: lectos circumdederant aulæa purpurâ auróque fulgentia. Quidquid aut apud Persas vetere luxu, aut apud Macedonas novâ immutatione corruptum erat, confulis utriusque gentis vitiis, in illo convivio ostendit. Intererant epulis Dioxippus Athenienfis (de quo *Plinius* libr. 35. cap. 11. *Athenæus* libr. 6. cap. 6. *Ælianus*, lib. 10. cap. 22. & lib. 12. cap. 58. & *Plutarchus* in lib. de Curiositate) pugil nobilis, & ob eximiam virtutem vitium regi pernotus & gratus; & Corragus Macedo, corporis robore item præstans, & qui non raro in pugnis strenuè rem gesserat. Hic jam temulentus Dioxippum ad singulare certamen provocat. Posteróque die Dioxippus nudus & oleo perfusus, stipite tantùm ac pallio armatus, Macedonem clypeo, sarissâ, lanceâ gladióque instructum prosternit.

Macedonibus & ipso Alexandro dedecus hoc genti suæ coram Barbaris impositum ægrè admodum ferentibus, post paucos dies inter epulas aureum poculum ex compolito subducitur, & furti suspicione Dioxippus infamatur. Quam ignominiam cùm ille ferre non posset; in diversorium regressus, literis conscriptis quæ Regi redderentur, ferro se interimit.

Alexander navibus equites, ex amicis quidem 1700, expeditos verò totidem quot antea, & pedites ad 20000 imponit: & non multum spatii per Hydraotem emensus, ad confluentes Hydraotis & Acesinis pervenit; indéque per Acesinem navigans, ad confluentem Acesinis atque Indi venit. Ibi cum classe substitit, donec Perdiccas cum exercitu advenit, Abastanis, liberâ Indorum gente, in ipso itinere subactis.

Inter hæc aliæ triginta remorum naves, aliæque onerariæ, quæ in Xathris, liberâ etiam Indorum gente, constructæ fuerant, advenerunt. Præterea legati ab Ossadiis, libero quoque Indorum populo, Alexandrum adierunt deditionem facientes.

Oxydracarum quoque & Mallorum legati cum donis sunt reversi. Præter lineæ vestis aliquantum, mille scuta Indica erant, & ferri candidi talenta centum, leonesque raræ magnitudinis, & tigres; utrumque animal ad mansuetudinem domitum. Lacertarum quoque ingentium pelles, & dorsa testudinum. *Trecenti erant* [*equi*, 1030] *currus*, *quos quadrijugi equi ducebant.* Ita apud *Curtium* legitur, [*lib. 9. cap. 15.*] Arrianus illos pro obsidibus mille viros præstantissimos & maximos misisse; 500 etiam curribus eorúmque propugnatoribus, quos Alexander non petierat, adjectis: atque cum, obsidibus remissis, currus accepisse scribit.

Alexander utrique nationi stipendium quod Arachosiis pensitabat imposuit, & Philippum satrapam præfecit; Acesinis & Indi confluentibus satrapatum illius terminans. Ut non facilè huc fides Plutarcho fuerit adhibenda, Philippi satrapiam triplo quàm Pori fuisse majorem: præsertim si tantæ amplitudinis illam Pori fuisse admiserimus, quantam ille nobis eam exhibuit. Philippo verò universum Thracum equitatum Alexander reliquit, aliáque agmina, quæ provinciæ custodiendæ sufficere viderentur. Ad hæc urbem ad confluentem flumınum condi jussit, arbitratus populosam & claram futuram: atque navalia ibi extrui curavit.

Per eosdem dies Oxyartes sive Oxathres prætor Bactrianorum, Roxanes Alexandri uxoris pater, ad generum veniens, criminis Bactrianæ arcis à Græcis defectoribus occupatæ absolutus est.

c. Deinde, Polysperchonte cum exercitu Babyloniam misso, (ut est apud Justinum, lib. 12. cap. 10.) & Cratero cum magnâ relicti exercitûs parte & elephantis ad sinistram Indi fluminis ripam ire jusso (quòd ab eâ parte exercitui gravioris armaturæ commodior via futura videretur, & gentes finitimæ non omnino amicæ essent) cum lectissimâ manu navibus conscensis, navigationem in Oceanum redintegrat. Proditur autem nullo die minùs quàm stadia 600 navigasse in Indo; nec potuisse ante menses quinque enavigare, adjectis paucis diebus. [*Plin. lib. 6. cap. 17.*]

In hac navigatione ad Sabracarum sive Sambestarum regionem Alexander primùm appulit. Hi tum numero tum virtute hominum nulli Indicarum gentium postferendi, urbes quæ populi imperio reguntur incolunt. Et de Macedonum adventu certiores facti, peditum 60 millia, & equitum sex (vel, ut Curtius, octo) millia, cum 500 curribus, coëgerant: quibus & tres duces spectatos virtute bellicâ præfecerant. At classe jam imminente, novâ & inusitatâ accessus facie (de quâ, præter *Curtium*, *lib. 9. cap. 15.* videndus etiam *Plinius*, *lib. 19. cap. 1.*) perterriti, cùm & ubique pervulgata Macedonum gloria metum incuteret, & seniores periculum certaminis dissuaderent, 50 ex præcipua nobilitate legatos ad Alexandrum miserunt gentem dedituros. Cui pacem ille concedens, munera amplissima & honores qui Heroëm deceant ab incolis est consecutus.

Quarto deinde die ad ripæ utriusque accolas, qui Sodræ (vel Sogdæ, ut apud Arrianum) &

Mallani appellantur, pervenit; eóque similiter in fidem accepit. Hic ad Indum flumen urbem Alexandriam dictam condidit, & mille qui eam incolerent delegit: portus etiam & navalia extruxit; navésque quassatas reparari jussit. Totius verò regionis quæ à confluentibus Acesinis atque Indi ad mare usque pertinet Oxyartem socerum suum & Pithonem Agenoris filium satrapas constituit; universâ etiam maritimâ orâ illis adjunctâ: Ipse secundo amne in Musicani regis fines tantâ celeritate venit, ut priùs eò irrumperet quàm ille quicquam de ejus expeditione audivisset. Inopinato itaque ejus adventu perculsus Musicanus, confestim Alexandro obviam processit, dona quæ apud Indos censentur amplissima adferens, universos etiam quos habebat elephantos ducens, gentémque pariter & se dedens; ac culpam suam agnoscens, quod hoc anteà non fecisset, neque per legatos amicitiam illius petiisset. Alexander Musicano venià culpæ datâ, urbem simul & regionem (de quâ videnda quæ ex Aristobulo & Onesicrito refert Strabo, *lib.* 15. *pag.* 694. & 701.) admiratus, pristinum imperium ei reliquit.

Hic de Teriolte vel Tiryeste satrapâ, quem Parapamisadis præfecerat, iisdem arguentibus, cognovit: multáque avarè ac superbè fecisse convictum, interfici jussit. Oxyartem verò sive Oxathrem socerum suum satrapatu illius donavit.

Cratero ut arcem in urbe Musicani extrueret, jussit. Quæ quidem præsente adhuc Alexandro exædificata est, præsidiúmque ei impositum; quòd peridoneus is locus videretur ad finitimas gentes in fide atque officio continendas.

Inde assumptis sagittariis atque Agrianis, omníque equitatu quem in navibus vehebat, ad Præstos aliam Indiæ gentem pervenit: & in eorum regem Porticanum vel Oxycanum nomine, quòd neé is legatos de deditione misisset, movit; duásque urbes maximas quæ illi parebant cepit. Earum alteri ipse Porticanus cum magnâ manu popularium se incluserat; quam Alexander tertio die quàm cœperat obsidere expugnavit. Porticanus verò in arcem probè munitam confugiens, legatos de conditione deditionis ad Alexandrum misit. Sed antequàm adirent eum, duæ turres cum ingenti fragore procideránt, per quarum ruinas Macedones evasêre in arcem: quâ captâ, Porticanus cum paucis repugnans occisus est. Dirutâ arce, omnibus captivis venundatis, & prædâ militi datâ, elephantos Alexander secum ipse abduxit.

Duas illas urbes direptioni militum concessas incendisse Alexandrum, ac deinde reliquas Porticani urbes omnes expugnatas diruisse, eóque magnum finitimis terrorem incussisse, scribit Diodorus. Reliquas urbes adventante Alexandro deditionem fecisse, nullâ earum ad arma conversâ, narrat *Arrianus*.

Posthæc Alexander Brachmanum regis *Sambi* (apud Curtium *Sabi* vel *Sami*, Plutarchum *Sabba*, Justinum *Ambigeri*, Orosium *Ambire* nominati) fines ingressus est, quem fugisse acceperat. Postquàm verò urbi quæ illius imperii caput est (Sindomana vel Sindonalia nomen illi erat) appropinquavit, portæ urbis ei apertæ sunt: quíque Sambo domestici erant, cum numerată pecuniâ & elephantis ei occurrerunt; declarantes Sambum non hostili animo in Alexandrum fugisse, sed Musicani ab eo dimissi metu, cum quo graves ille inimicitias gerebat.

Hoc & aliis multis oppidis in fidem acceptis, Alexander aliam quandam urbem quæ defecerat cepit, & Brachmanum nonnullos quos defectionis authores fuisse constabat interfecit. Horum enim impulsu Sambus, qui nuper se dediderat, & urbes ejus ditioni subjectæ defecerant. Urbem cuniculo ab Alexandro captam Curtius memorat: viros in media fermè urbe è terra emergere barbaris mirantibus. Clitarchus apud eundem, octo (vel octoginta potiùs, ut alii cum Diodoro legunt) Indorum millia in eâ regione cæsa author est, multosque captivos sub corona venditos. Et has quidem clades gens Brachmanum experta fuit. Cæteris autem, quæ supplices veniam exorabant, auctoribus pœnâ affectis, Alexander ignovit. Ipse Sambus rex, fugâ in ulteriores partes cum 30 elephantis arreptâ, periculo se subduxerat.

Ex Gymnosophistis, qui præcipuè illum ad defectionem concitaverant & plurimùm Macedonas fatigaverant, decem Alexander cepit: quibus quæstiones obscuras proposuit, necem denuntians primo qui parum rectè respondisset. Quæstiones illas, cum responsionibus, in Vitâ Alexandri recenset Plutarchus; qui & eos muneribus honoratos dimissos fuisse refert.

Musicano interim deficiente, Pithon satrapa Agenoris filius cum idoneo exercitu in eum missus est: qui urbes illi subditas adortus, alias direptas subvertit, aliis præsidia imposuit, arcésque in iis extruxit. Captum verò ab eo Musicanum ipsum Alexander in regione suâ crucifigi jussit, & Brachmanum quotquot ipsum ad defectionem instigárant.

Alexander Indum, in quo classem expectare se jusserat, rursùm repetens, quarto deinde die secundo amne Harmatelia (Sambi & Brachmanum urbem) pervenit. Cúmque oppidani, suâ fortitudine & difficili locorum aditu confisi, portas clausissent; Alexander quingentos Agrianos cum armis mœnia subire jussit, & hoste ad pugnam lacessito fugam retro capessere. Ter mille igitur ex urbe contra illos erumpentibus, simulato pavore statim terga verterunt: quos Barbari effusè sequentes, in alios, inter quos ipse Alexander erat, inciderunt. Renovato ergo prælio, sexcenti eorum cæsi sunt, mille capti, cæteri mœnibus urbis inclusi. At vulneratorum ex agmine regio non exiguus numerus in extremum venit discrimen. Ferramenta enim armorum lethali veneno oppidani tinxerant. Cùm inter multos vulneratus etiam Ptolemæus Lagi filius esset, morituráque jamjam videretur; per quietem Alexandro monstratam in remedia veneni herbam fuisse dicunt, quâ in potu acceptâ, statim periculo liberatus est. Cæteri quoque salutari herbæ usu cognito, ejusdem curationis ope convaluerunt. Verisimile est, aliquem rei peritum eam Regi indicasse; sed adulationis gratiâ adjuncta fabula est: inquit Strabo, libro 15. [*pag.* 723.] qui tamen apud Oritas (de quibus posteà) hoc contigisse refert.

Cùm Harmateliorum deinde urbem munitam & amplam Alexander oppugnare instituisset; oppidani supplices ei occurrentes, seque ipsos & urbem dedentes, veniam ab eo consecuti sunt.

d. Mœris, proximæ gentis Patalenæ rex, ad Alexandrum veniens, se & regionem suam illius fidei commisit. Quem principatui suo restituturum, omnia quæ ad excipiendum exercitum necessaria essent ille parare jussit.

Alexander Craterum, Attali & Meleagri & Antigenis agmen ducentem, nonnullósque ex sagittariis, ex amicis etiam & Macedonibus quos inutiles bello factos Macedoniam repetere voluerat, in Carmaniam per Arachotos & Zarangos (vel Drangas) proficisci, elephantósque ducere jussit. Ad alteram Indi ripam Hephæstion aliam exercitûs partem, ad alteram ripam Pithon equestres jaculatores & Agrianos ducebat. Huic etiam, ut colonos in urbes à se conditas ducat, Rex imperat; & siquid apud finitimos Indos novarum esset, rebus compositis ad Patala se cum reliquis copiis conjungat.

Quúmque jam triduo Alexander navigasset, nuntiatum ei est, Mœrim, magnâ Patalensium manu coactâ, urbem deseruisse, & in montes profugisse. Quo nuntio accepto, properantiùs classem egit.

Circa Canis exortum in Patalenam pervenisse, cùm jam menses *decem* navigasset, & non multis ante occasum Pleiadum diebus navigationem confecisset; ex Aristobulo nos docuit Strabo. [*lib.* 15. *pag.* 691. 692.] Sub Julii igitur nostri exitum Patala Alexander appulit, à cœptâ per fluvios navigatione mense *decimo* ineunte: quum secundo amne Hydaspe, Acesine & Indo navigans, *novem* menses solidos (ut ex notatorum siderum ortu & occasu liquet) exegisset. Ut minùs hic exacta fuerit Plutarchi in *Alexandro* illa numeratio. ἀπὸ τῆς ναυαρχίδος πρὸς τὸν θαλάττιον ὠκεανὸν μησὶν ἑπτὰ χρόνον ἀνάλωσεν. *Descensus per flumina ad mare septem mensium spatium absumpsit.*

Patalis potitus Alexander, urbem incolis, agrum agricolis vacuum reperit. Magnæ ex agris prædæ actæ sunt pecorum armentorúmque, magna vis reperta frumenti. Missi expeditissimi quique è toto exercitu, qui fugientes incolas insequerentur. Capti eorum nonnulli confestim ad alios adhuc fugientes missi sunt, qui illos ad reditum hortarentur; liberam illis ut antèa & urbis habitationem & agri culturam promittentes: multíque eorum redierunt.

Deinde Hephæstione in Patalis arcem ædificare jusso; alios in eam regionem quæ aquarum inopiâ laborabat Alexander misit qui puteos foderent, regionémque habitabilem facerent. Hos barbarorum finitimorum nonnulli ex improviso adorti, quum aliquot interfecissent, multis etiam suorum desideratis, in solitudinem iere receperunt. Quo audito, alias copias Alexander misit quæ se prioribus adjungerent, quò tutiùs opera jam incepta absolverent.

Cum Nearcho egit Alexander, ut tempestate anni opportunâ classem & exercitum navalem ab Indi ostiis per Oceanum in sinum Persicum atque Euphratis & Tigris ostia deduceret: ut ex ipsius Nearchi historiâ refert Arrianus in Indicis. [*pag.* 182.] ἀγαμένου μὲν Νέαρχον ἀποδείξας, ἀρχιναύαρχον δὲ Ὀνησίκριτον, inquit Plutarchus. *Classis quidem universæ præfectum Nearchum constituens, magistrum verò gubernatorem Onesicritum.* Unde & ipse Onesicritus in historiâ suâ *Navarchum* se (ut est apud *Arrian. lib.* 6. *pag.* 124.) & ipsum secutus *Plinius* (*lib.* 6. *cap.* 22. *classis præfectum*, Strabo verò (*lib.* 15. *pag.* 698. & 721.) ἀρχιναύαρχον rectiùs eum appellavit. *Vide Arrianum*, *lib.* 7. *pag.* 162. *& in Indicis*, *pag.* 191.

Apud Patala Indus in duos ingentes alveos divisus (quorum uterque Indi appellationem ad mare usque retinet) triquetrâ figurâ insulam efficit, Patalenam ab urbe denominatam, Delta Ægyptio majorem. Onesicritus unumquodque latus triangularis hujus insulæ 2000 stadiorum facit. Sed basim, sive distantiam inter duo Indi ostia, (quorum utrumque est palustre) Aristobulus 1000 tantùm, Nearchus, & eum secutus Arrianus, 1800 stadiorum, Plinius 220 milliarium esse dicit. [*Strabo lib.* 15. *pag.* 701. *Plin. lib.* 6. *cap.* 21, *Arrian. lib.* 5. *pag.* 103. *& lib.* 6. *pag.* 135. 137.]

Per dexteriorem fluvii alveum Alexander ad Oceanum navigare instituens, delectis navibus quæ velociores erant, & biremibus omnibus, & 30 remorum navibus, actuariísque nonnullis, & ducibus sumptis amnis peritis, navigationem cœpit: Leonnato cum mille equitibus & peditibus circiter 8000 terrâ juxta classem procedere jusso.

Postridie quàm solverat, orta tempestas ventúsque æstui contrarius cavas undas ciebat, navésque inter se collidebat: adeò ut pleræque quassatæ, nonnullæ verò ex 30 remorum navibus prorsùs dissipatæ fuerint, priusquàm ad insulam medio ferè alveo enatam appulerint.

Ibi diutiùs Alexander subsistere coactus est, tum ut alias naves fabricaret, tum quia itineris duces socordiùs asservati profugerant. Missis igitur qui conquirerent alios, cùm nulli reperirentur, sine ullo duce navigabant; omnium per quæ ferebantur ignari. Jámque 400 stadia processerant, cùm gubernatores agnoscere ipsos auram maris, & haud procul videri sibi Oceanum abesse, indicant Regi. Is paucos navigio emisit in ripam, qui agrestes vagos exciperent; è quibus certiora nosci posse sperabat. Illi, scrutati omnia tuguria, tandem latentes reperêre. Qui interrogati, quàm procul abessent mari, respondérunt nullum ipsos mare ne famâ quidem accepisse: cæterùm tertio die perveniri posse ad aquam amaram, quæ corrumperet dulcem.

Arrianus narrat, à nonnullis levis armaturæ militibus in ulteriorem ripam emissis Indos aliquot captos fuisse, quibus deinceps in eo flumine navigationis ducibus Alexander usus fuerit. Postquàm autem eò perventum est ubi amnis latitudo in 200 stadia extenditur (quâ nimirùm parte amplissimus est) quum ventus à mari vehementior incubuisset; rursùs in sinum quendam à ducibus navigationis prænonstratum eos sese recepisse. Curtius verò, cùm tertio (uti prædictum fuerat) die mixtum flumini subiisset mare, leni adhuc æstu confundente dispares undas ad aliam insulam medio amne sitam paulò lentiùs, quia fluminis cursus æstu reverberabatur, applicuisse eos classem refert.

Ibi quum in statione essent, & ad commeatus petendos discurrerent, in novum metum inci-

3678 derunt. Ingens enim maris æstus (qui & hodie in littore *Cambaia*, ubi Indus in Oceanum influit maximè memorabilis est) totos circa flumen campos subitò inundavit, tumulis duntaxat eminentibus velut insulis parvis; in quos plerique trepidi, omissis navigiis, enare properârunt. Reciprocante deinde mari, redditisque terris quæ paulò antè profundo salo merſæ fuerant, destituta navigia alia præcipitabantur in proras, alia in latera procumbebant. Quúmque stato tempore æstus iterùm recurreret: quæ quidem limo firmiter insederant naves, citra ullum detrimentum sublatæ rursùs navigabant; quæ verò in sicciore terrâ parum firmiter hæserant, earum aliæ æstus impetu raptæ invicem illisæ sunt, aliæ in ripam propulsæ dissiluerunt.

His omnibus pro eo ac tempus ferebat reparatis, Alexander duabus actuariis navibus secundo flumine præmisit qui insulam explorarent in quam indigenæ aiebant ipsi descendendum esse ad Oceanum naviganti. Eam insulam illi *Cilluta*, Alexander *Scillustin*, alii *Psiltucis* appellaverunt. Qui postquàm renuntiârunt ipsam insulam magnam esse, portúsque commodos & aquam habere, reliquam classem eò agi jussit. Ipse cum lectioribus navibus ulteriùs processit, exploraturus an eâ parte quâ flumen in mare exit, facilis classi transitus futurus esset: progressúsque ab insulâ 100 circiter stadia, aliam insulam prospexit jam in mari sitam.

Tum ad priorem fluminis insulam rediit, atque ad ejus promontorium appulsus, diis quibus ab Hammone se sacrificare jussum esse dicebat, sacrum fecit. Postero die ad aliam in Oceano sitam insulam navigans, aliis hostiis, aliis etiam diis, alio quoque modo sacrificavit: id quoque ex Hammonis oraculo facere se prædicans. Et Indi ostia prætergressus, in vasto pelago navigavit: ibique tauros Neptuno cæsos in mare projecit, atque libatione sacrificio superadditâ, phialam auream & crateras aureos gratias agens in undas immisit; precatus ut exercitum navalem in suum Persicum à Nearcho ducendum salvum & incolumem posset transmittere. [*Arrian. lib. 6. pag.* 136.]

Justinus, [*lib.* 12. *cap.* 10.] Alexandrum secundo æstu ostio fluminis Indi invectum, in monumenta rerum à se gestarum, urbem Bareen ibi condidisse, aráisque statuisse scribit. *Curtius*, [*lib.* 9. *cap.* 16.] mediâ nocte, ut æstum occuparet, cum paucis navigiis secundo amne defluxisse, evectúmque os ejus 400 stadia processisse in mare; atque tandem voti sui compotem, præsidibus & maris & locorum diis sacrificio facto, ad classem rediisse. *Diodorus Siculus*, cum familiaribus ad Oceanum provectum, duabus illic insulis repertis, magnifico Deos sacrificio esse veneratum, aureáque pocula numero haud pauca nec pondere exigua unà cum libamentis in mare projecisse; tandemque excitatis in Tethyos & Oceani honorem aris, expeditioni propositæ finem imposuisse ratum, classe per amnem retrò esse subvectum. In reditu verò ad Hyala urbem insignem appulisse eum addit, eandem cum Sparta reipublicæ formam habentem. Bini enim ex duabus familiis in ea Reges, perpetuo successionis ordine, res bellicas administrabant: summæ autem rerum gerendarum Curia seniorum præerat.

Alexander, adverso flumine, Pattala reversus, arcem exædificatam reperit, & Pithonem cum copiis rediisse, omnibus iis rebus ad quas missus fuerat peractis. Cumque partem classis ad urbem Pattala, (quæ & adhuc apud Indos Cambaienses nomen suum retinet) ubi Indus amnis in duos alveos dividitur, relinquere statuisset: portus & navalium ibi extruendorum Hephæstioni negotium dedit.

Ipse per alterum (sinistrum scilicet) Indi alveum rursùs in Oceanum navigavit; ut quâ parte facilior minúsque vehemens ejus in mare irruptio esset, cognosceret. Quúmque jam non procul à faucibus fluminis abesset, ad lacum quendam pervenit, qui aut ab ipso flumine latè diffuso elicitur, aut ab aquis ex circumvicinis locis influentibus flumenque auctius & marino sinui perquam simile reddentibus. Ibi plerosque militum cum Leonnato, actuariásque naves omnes reliquit. Ipse cum aliquot navibus 30 remorum & biremibus superato fluminis ostio, eâ quoque parte in Oceanum excurrit; facilióque ea parte classem in mare subduci posse cognovit. Deinde in litus cum equitibus aliquot egressus, ad maris oram tridui iter fecit: & regionis quam adnavigabat ratione explorată, puteos complures effodi jussit, unde aqua classi supperetere posset. [*Arrian. lib. 6. pag.* 137.]

Altero post relictum Oceanum die, classem adverso flumine haud procul lacu salso appulsam refert Curtius, cujus incognita natura plerosque decepit temerè ingressos aquam. quippe scabies corpora invasit, & contagium morbi etiam in alios vulgatum est; cui tamen oleum remedio fuit. Qui si is ipse lacus fuerit, cujus jam ex *Arriano* facta est mentio: ad posteriorem hunc ab Oceano reditum (cujus aliàs solus *Arrianus* meminit) ista referenda fuerit historia.

Alexander, rursùs Pattala reversus, partem exercitûs ad puteos illos effodiendos in maritimam oram mittit; mandatis additis, ut absoluto opere Pattala redeant. Ipse denuò in lacum navigans, alium portum atque alia navalia ibi extruxit: præsidióque ibidem relicto, frumentum in quatuor menses convexit, aliáque ad navigationem necessaria paravit. [*Arrian. ut suprà.*] Condita verò ab eo ad ipsum lacum fuisse videtur Potana, ut commodam in illâ Oceani orâ navium haberet stationem: quemadmodum ex *Diodoro*, libro 3. (*pag.* 182. *edit. Greco-latin.*) cum Agatharchide (*in Excerptis apud Photium, cod.* 250. *cap.* 51.) & loco isto *Arriani*, collato colligimus.

Alexandrum in Pattalenâ cum copiis substitisse, vernum tempus expectantem, atque interim urbes aliquas condidisse; jamque mitigatâ hyeme, & navibus quæ inutiles videbantur crematis, terrâ duxisse exercitum, affirmat *Curtius*. [*lib.* 9. *cap.* 16. & 17. *init.*] Sub æstivum quoque tempus (a vere inchoatum) ex Indiâ eum discessisse, *Strabo* significat. [*lib.* 15. *pag.* 721.] aliud profectò dicturus, si quod ipse statim subjicit Nearchi (qui maritimæ tum expeditioni non interfuit modo, sed etiam præfuit) testimonium paulò attentiùs considerasset: *Rege iter jam pergente, se in autumno sub vespertinum Pleiadum exortum navigationem incepisse.*

Mense

ed by Google

Menſe igitur Septembri Alexander, Leonnato præmiſſo ut puteos opportunis locis foderet, quà terreſtri itinere ducturus erat exercitum, (cùm ſicca regio eſſe diceretur) & navibus quæ vitium fecerant crematis, Pattalis caſtra movens, cum exercitu ad Arbim vel Arabium amnem proceſſit; qui *Arbitas* ſive *Arabitas* (*Aribas* Dionyſio Periegetæ, *Abritas* aliis dictos) & cum iis *Indos*, ab *Oritis* diſterminat. Arbitæ enim maritimam Indiæ oram inter Indum & Arbim fluvium interjectam incolunt; quam mille ſtadiorum eſſe Nearchus ait. [*apud Strabon. lib.* 15. *pag.* 720. *& Arrian. in Indic. pag.* 185. *fin.*] Et extremi Indorum hi ſunt: (ut ex Arriano, *ibid. pag.* 184. & Plinio, *lib.* 7. *cap.* 2. intelligitur:) proximis Oritis (ut eſt apud eundem Plinium, *lib.* 6. *cap.* 23. & Arrianum in Indicis, *pag.* 185. *fin.*) propriâ, non Indorum, linguâ loquentibus.

Arbies ſive Arabitæ hi, gens *αὐτόνομος* & libera, quum neque ſatis virium haberent ut cum Alexandro confligerent, neque tamen ſeſe ſubjicere ei vellent, ſimul-atque eum cum exercitu adventare ſenſerunt, in ſolitudines aufugerunt.

Alexander, reliquis copiis Hephæſtioni traditis, ſecum dimidiam argyraſpidum & ſagittariorum partem, agminâque eorum qui Aſſeteri vocantur, agmen etiam equitatûs ex amicis, & ex ſingulis præfecturis equitum cohortem unam, equeſtréſque ſagittarios omnes aſſumens, ad Oceanum lævam versùs convertitur: puteóſque fodi juſſit, ut exercitui prætervectaturo aqua abundè ſuppeteret.

Pattaleni, Alexandro abeunte, animos recipientes ac libertatem affectantes, Nearchum & exercitum cum eo relictum adorti expulerunt, & quum adhuc apti venti non ſpirarent diſcedere coëgerunt: ut ex ipſo Nearcho refert Strabo. [*lib.* 15. *pag.* 721.] Ante initium enim hyemis, quæ ſimul cum occaſu Pleiadum (menſe Novembri) incipiebat, iis in locis non erat opportunum navigandi tempus. [*Arrian. lib.* 6. *pag.* 137.]

3679 *a.* Quamprimùm igitur Eteſii venti ceſsârunt (qui totâ ibi æſtate ex mari in terram ſpirantes, omnem navigationem præcludunt) Nearchus, ſacrificio Jovi ſervatori facto ludiſque gymnicis editis, è portu ſolvit, anno regni Alexandri undecimo, Archonte Athenis *Cephiſodoro*, menſis Boëdromionis die 20, ſive Kalendis Octobribus Julianis: ut in Diſſertationis de anno Solari Macedonum cap. 2. ex Arriani Indicis oſtendimus. *Cephiſodori* verò nomen, non ſolùm ante annos 40 (ad Olympiadis CIII. annum 3) ſed etiam poſt triennium, 2°. videlicèt Olympiadis CXIV. anno (qui poſt exceſſum Alexandri proximus fuit) in Archontum tabulâ occurrit. Ut, ſi nomen hoc in Arriano rectè hîc ſeſe habeat, neque ſcrupulum aliquem injiciat duorum Cephiſodororum tam propinqua vicinitas: ejuſmodi futura ſit in Olympiadis CXIII. Tetraëteride, inter Diodorum Siculum, Dionyſium Halicarnaſſeum (in *Dinarcho*) & Arrianum noſtrum, diſpoſitionis archontum differentia.

Olymp. CXIII.	*Diodor.*	*Dionyſ.*	*Arrian.*
Ann. I.	Euthycritus.	Euthycritus.	Hegemon.
II.	Chremes.	Hegemon.	Chremes.
III.	Anicles.	Chremes.	Cephiſodorus.
IV.	Soſicles.	Anicles.	Anicles.

Xylenopolim verò Ab Alexandro conditam, urbem illam fuiſſe, è quâ Nearchus & Oneſicritus navigationis cœperunt exordium, in lib. 6. cap. 23. refert Plinius: de quâ mirum tamen eſt, illum ibidem addere; *juxta quod flumen, aut ubi fuerit, non ſatis explanari.* Ubi enim ea eſſet, niſi in *Pattalenâ*; in quâ Nearchus & Oneſicritus, opportunum navigandi tempus expectaturi, ab Alexandro relicti ſunt? aut juxta quod aliud flumen, quàm *Indum*; in quo claſſis ſtabat? & per quem deductam eam fuiſſe ad Oceanum, ex ipſo Nearcho ita in Indicis ſuis [*pag.* 183.] nos docuit Arrianus.

Primo die, quum è portu ſolviſſent, per fluvium INDUM ad amplum quendam alveum appulerunt, cui *Sturæ* nomen eſt, diſtantem à portu ſtadiis circiter 100. biduóque ibi commorati ſunt.

Tertio die inde moventes, ad alium alveum 30 ſtadiis inde remotum pervenerunt; cujus aqua ſalſédinem maris referebat. Mare enim in eam accedente æſtu ſe ingerit, aquáque flumini permiſta etiam recedente æſtu manet. *Cœmana* is locus dicitur.

Inde 20 ſtadia provecti, ad *Coreatim* ſecundo flumine pervenerunt.

Hinc rurſùm moventes, non procul navigârunt: ſcopulum conſpicati eâ parte quâ Indus in mare fertur, & fluctus littori illidebantur, littúſque ipſum aſperum erat. Cæterùm quà ſcopulus mollior videbatur, foſſâ quinque ſtadiorum perductâ, naves traduxerunt æſtu marino accedente.

Inde ſtadia 150 emenſi, in *Crocala* arenoſam inſulam pervenerunt; ibíque alterum diem commorati ſunt. Vicina huic inſulæ loca incolunt Arabii Indica gens, ab Arabio fluvio ita nominati, qui eorum fines (ut dictum eſt) ab Oritarum finibus dividit.

Reliquam deinde navigationem per Oceanum factam Arrianus fuſiùs proſequitur (& ex eo Joann. Baptiſta Ramuſius, in Navigat. volum. 1. fol. 269.) ipſum *Nearchum* hîc ſecutus: ut in libro 6°. hiſtoriæ Alexandri [*pag.* 143. *fin.*] ipſe confitmat. Cujus Peripli breviarium apud Plinium quoque extat, libro 6. cap. 23. ex *Oneſicrito* à Jubâ rege excerptum: ut verba illa oſtendunt. *Indicare convenit quæ prodit Oneſicritus, claſſe Alexandri circumvectus in mediterranea Perſidis ex Indiâ, narrata proximè à Jubâ.* ex quibus & illud explicandum eſt quod apud Plinium ibidem ſubjungitur. *Oneſicriti & Nearchi navigatio nec nomina habet manſionum, nec ſpatia*: nempe, ut à Jubâ, vel Oneſicrito etiam, ea eſt prodita. A Nearcho enim manſionum notata fuiſſe & nomina & ſpatia, quæ Arrianus ex eo deſcripſit fidem nobis faciunt.

Alexander, (ut ad eum denuò revertamur) Arbi ſive Arabio amne tranſmiſſo, magnam ſolitu-

dinis

dinis partem eâ nocte transgressus, sub auroram cultæ habitatæque regioni appropinquavit. Tum peditibus instructâ acie sequi jussis, ipse sumptis equitibus, iisque per turmas distributis atque expansis ut magnam campi partem occuparent, Oritarum terram invasit. Plerique eorum qui ad arma confugerant ab equitatu cæsi; non pauci etiam vivi in potestatem venerunt. Posthæc modico fluvio reperto, juxta eum castra locavit.

Tripartito facto agmine, maritimos Ptolemæus, mediterraneos Leonnatus, ipse Rex montana & his subjecta loca pervastavit. Unde prædâ milites ingente sunt potiti, & numerus peremptorum ad multas se myriades extendit.

Hephæstioni, cui major pars exercitûs fuerat tradita, adveniente, Alexander Rhambacia, pagum illius gentis maximum, progressus est: ubi cùm portum à fluctibus tutum & commodum inveniisset, Hephæstioni mandavit ut urbem ibi extrueret. Quâ conditâ, & Alexandriâ nominatâ, Arachosiorum in eam deducta est colonia.

Alexander sumptâ rursùs secum argyraspidum atque Agrianorum dimidiâ parte, equitúmque agmine & sagittariis equestribus, ad fines Gedrosiorum atque Oritarum contendit, qua angustus ad eos aditus patere nuntiabatur: ad quem Oritæ Gedrosis conjuncti castra locârant, Alexandrum transitu prohibituri. At simulac adventare illum audierunt, multi quidem deserto præsidio ex angustiis profugerunt: Oritarum verò duces ad eum profecti, & se & gentem in ejus potestatem dederunt. His ille imperat ut convocatâ Oritarum multitudine, domum eos remittant: nihil incommodi, si id faciant, accepturos.

Satrapam Alexander Oritis constituit Apollophanem, Leonnato corporis custode illi adjuncto: quibuscum Agrianos omnes, & sagittariorum equitúmque nonnullos, aliósque pedites & equites Græcos mercenarios, in Oris reliquit; úque classem expectantes dum illa regionem circumnavigârit, novam urbem inhabitandam curarent, & Oritarum res componerent, mandavit.

Ipse cum magnâ exercitûs parte (jam enim Hephæstion advenerat) in Gedrosiorum regionem maximâ ex parte desertam contendit. In quâ eremo (ut refert Aristobulus) Phœnices, qui mercimoniorum causâ exercitum comitabantur, myrrhâ & nardo odoratâ jumenta sua onerârunt. Horum enim aromatum tanta ibi erat copia, ut exercitus eis pro tecto & stratis uteretur; & ex nardi radicum proculcatione suavissimus odor latè diffunderetur. [*Arrian. lib. 6. pag.* 138. *Strabo, lib.* 15. *pag.* 721.]

Craterum cum parte exercitûs per mediterranea Alexander præmisit, ut & Arianam subigeret (quo communi nomine regiones omnes ab occiduis Indiæ finibus ad Carmaniam usque protensæ comprehenduntur) & in eadem loca procederet, in quæ ipse iter erat facturus. Craterus verò, per Arachotos & Drangas in Carmaniam itinere instituto, eos qui in regione Choarinâ parere recusabant subegit. [*Strabo, ut supr. pag.* 721. *&* 725.] Ozinem quoque (Ordonem Arriano dictum) & Tariaspem nobiles Persas defectionem in Perside molientes oppressos à se in vinculis detinuit. [*Curt. lib.* 9. *cap.* 18.]

Ipse Rex cum aliâ exercitûs parte per Gedrosiam 500 à mari stadiis profectus, sæpe etiam mari appropinquavit; per viam difficilem, sterilem, aquarum indigam & penitùs deterram iter faciens. Cupiebat enim regionem mari vicinam obire; ut quinam portus propinqui essent perlustraret, simúlque per transitum quæ classi necessaria essent præpararet, & puteos effodi foràque & portus fluvii curaret. [*Strabo, ut supr. pag.* 721. *Arrian. lib.* 6. *pag.* 139.]

Hunc in finem, Thoantem Mandrodori filium cum modico equitatu ad mare speculatum misit; visurum an ullus uspiàm portus, aut aqua non procul à mari, aut aliud quicquam necessariorum reperiretur. Qui reversus nuntiavit, piscatores quosdam abs se in littore inventos sub anguibis tuguriis degentes. Ea tuguria ex conchis congestis facta esse, tecta ex piscium spinis. Eos verò ipsos piscatores modicâ aqua uti (quam magna cum difficultate è sabulo effodissent) ac ne illâ quidem omninò dulci.

Postquam Alexander in locum quendam Gedrosiorum venisset frumento abundantem, id acceptum & sigillo suo obsignatum jumentisque impositum ad mare vehi jussit. Interea verò dum in portum mari proximum it, milites neglecto sigillo atque ipsi adeò custodes frumento usi sunt; iis qui maximè fame premebantur parciti. Quibus Alexander, cognitâ necessitate quâ adacti id fecissent, ignovit. Ipse quicquid frumenti peragratâ eâ regione conquiri potuit, per Cretheum Callatianum, ad classis cum exercitu adnavigantis usum misit: indigenis etiam imperans, ut ex superioribus locis quantum possent frumenti moliti, cum palmarum fructibus & pecudibus, exercitui ad mercatum adferrent. Telephum quoque, unum ex amicis, in alium locum cum frumento molito non multo misit.

Inter hæc, montanorum Oritarum quidam Leonnati agmen adorti, numerum haud exiguum prostraverunt; & inde ad sua se receperunt. [*Diodor.*] Indéque Oritæ cum vicinis populis se conjungentes, defectione factâ, octo millia peditum & 400 equites eduxerunt: adversùs quos cum copiis suis progressus Leonnatus, magno prælio eos vicit; cæsis sex millibus, ducibúsque eorum omnibus. Ab ipsius verò partibus, equites 15, pedites non multi, & Apollophanes Oritarum satrapes, deciderati sunt. [*Curt. lib.* 9. *cap.* 18. *Arrian. lib.* 7. *pag.* 149. *& in Indicis, pag.* 184.]

Nearchus cum classe huc appellens, frumentum ab Alexandro in commeatum exercitûs ad decem dies procurarum navibus intulit, tempestate quassata navigia refecit, ex nautis, qui segniores in opere esse videbantur, peditatui quem Leonnatus ducebat adjunxit; poditésque in nautarum supplementum ex Leonnati copiis delegit. [*Arrian. Indic. pag.* 185.]

Philippus, Oxydracarum & Mallorum satrapes, mercenariorum fraude interemptus est: ejúsque percussores à Macedonibus, qui illi corporis custodes erant, partim in ipsâ cæde partim post perpetratum facinus capti & interfecti sunt.

In

In Gedrosiâ plura incommoda & damna accepisse Alexander dicitur, quàm in totâ reliquâ per Asiam expeditione; ita ut militarium copiarum quas in Indiam adduxerat, ne quartam quidem partem reduceret: graves morbi, pravus victus, fervores torridi, arenæ profundæ, aquæ inopia & fames tot absumpserant. Alexandrum tamen, non ignorata ejus itineris difficultate, ambitione quâdam incitatum voluisse per Gedrosiam ducere exercitum scribit Nearchus: cùm auditu accepisset Semiramidem quoque & Cyrum hâc in Indiam fecisse expeditionem, sed illam fugâ salutem consecutam evasisse cum 20. hominibus, hunc cum septem. quòd glorioſum sibi fore putaret, si istis tanta passis, ipse victor per eadem loca exercitum incolumem reduxisse jactaretur. Hâc igitur de causâ, simúlque ut classi non procul remotæ necessaria submministraret, Alexandrum hâc viâ rediisse tradit Nearchus. [*Strabo, lib. 15. pag. 686. & 722. Arrian. lib. 6. pag. 140.*]

Cùm itineris duces, deletis in arenâ à vento viæ vestigiis, viam se nescire dicerent; Alexander conjecturâ assecutus ad sinistram deflectendum esse, paucis equitibus assumptis ad quærendum littus properavit: quorum equis nimio æstu defatigatis & in itinere relictis, ipse cum quinque in universum equitibus ad littus pervenit. In quo postquàm effodienti aqua potui idonea inventa est, universum exercitum properè accersiit; ac deinceps usque ad diem septimum per littoream regionem profectus est, aquis abundans. Tum duces itineris viam agnoscentes, ad regionem mediterraneam eos deduxerunt. [*Strabo, ibid. pag. 722. Arrian. pag. 142.*]

Sexagesimo igitur postquàm ex Oris (pro ἐκ enim apud Strabonem, & *finibus* apud ejus interpretem, ex Arriano ὅρων reponendum est) discesserat die, ad Gedrosiorum regiam, *Pura* dictam, Alexander pervenit: ibique militibus quietem dedit, & exercitum tempestivis conviviis relaxavit. [*Strabo, ut supr. pag. 723. Arrian. pag. 140. & 142. Plutarch. in Alexandro.*]

Ad Phrataphernem Parthorum satrapam, & Drangianæ atque Ariæ (juxta Taurum montem) præfectos, viros omnium expeditissimos misit cum mandatis, ut quàm celerrimè camelos, dromedarios & id genus jumenta portandis sarcinis adsueta, cibariis aliisque ad usum commodis rebus onusta, ad Carmaniæ fines adducerent. Qui mandatis ad provinciarum satrapas quàm ocyssimè perlatis, ut magna commeatuum vis ad definitum locum deportaretur, effecerunt.

Menone Arachosiorum præfecto ex morbo nuper defuncto, Sibyrtius Arachosiæ & Gedrosiæ præpositus est.

b. Alexandro Carmaniam versùs procedenti cædes Philippi Oxydracarum & Mallorum satrapæ nuntiata est. Ille, scriptis ad Eudemum & Taxilam literis, regionis Philippo commissæ administrationem eis demandavit; tantisper dum ipse satrapam aliquem eò mitteret. 4389 325

Carmaniam ingresso Aspastes occurrit, gentis illius satrapes; suspectus res novare voluisse, dum in Indiâ Rex esset. Eum Alexander, dissimulatâ irâ, comiter allocutus, dum exploraret quæ delata erant, in eodem honore habuit.

Hic Craterus ad eum venit, reliquum exercitum & elephantos secum ducens: unáque Ordonem sive Ozinem & Zariaspem, quos quòd defectionem apud Persas moliti essent ceperat. Eódem etiam Stasanor Ariorum & Zarangorum (sive Drangarum) satrapes venit, & cum his Pharitinanes Phrataphernis Parthorum & Hyrcanorum satrapæ filius. Venerunt etiam duces copiarum quas cum Parmenione in Mediâ reliquerat, Cleander & Sitalces, & cum Agathone Heracon, quinque millia pedirum cum equitibus mille adducentes.

Indiæ præfecti (sicut imperarum erat) equorum, jumentorum, jugaliúmque (clitellariorum & dorsuariorum) vim ingentem, ex omni quæ sub imperio erat regione, miserunt. Stasanor etiam & Phrataphernes magnam jumentorum & camelorum copiam submministrárunt. Alexander jumenta ad sarcinas vehendas, quibus deerant, restituit: omniáque partim in singulos præfectos, partim per centurias & cohortes partitus est. Arma quoque ad pristinum refecta sunt cultum: quippe haud procul à Persidâ aberant, non pacatâ modò, sed etiam opulentâ.

Hic Alexander, charisteria (ut ex Aristobulo refert Arrianus) sacrificavit ob victoriam de Indis partam, & ob exercitum ex Gedrosiis servatum: ludos etiam musicos & gymnicos edidit. Peucestam prætereà, qui cum apud Mallos scuto suo protexerat, in corporis sui custodem adscripsit. Quem honorem septem tum gesserant; Leonnatus Antei, Hephæstion Amyntoris, Lysimachus Agathocles atque Aristonus Pitari filius, (omnes Pellæi;) Perdiccas Orontis filius, (ex Orestide Macedoniæ) Ptolemæus Lagi & Pithon Cratæ filius (Eordenses:) quibus octavus, ob navatam apud Mallos operam, Peucestas additus est.

Alii (in quibus & Diodorus est, & Curtius, & Plutarchus) Alexandrum cum exercitu, æmulatione quâdam Dionysiacæ bacchationis, septem diebus per Carmaniam processisse ferunt. [*Diodor. Plutarch. in Vitâ, & lib. 1. de fortunâ Alexandri. Curt. lib. 9. cap. 18. cum lib. 3. cap. 24. & lib. 8. cap. 19.*] Quod Arrianus ideò verisimile esse non existimat; quia neque Ptolemæus Lagi, neque Aristobulus Aristobuli filius, neque alius quispiam author cui hac in parte fides haberi possit; illud memoriæ prodidit.

Aspastes Carmaniæ satrapes, Alexandri jussu, interfectus est; & Tlepolemus Pythophanis filius successor illi datus. [*Curt. lib. 9. cap. ult. Arrian. lib. 6. pag. 142. & in Indicis, pag. 193.*]

Cleander & Sitalces, qui Parmenionem jussu Alexandri occiderant, gravium scelerum (quorum antè meminimus) à provinciâ cui præfuerant, atque exercitu ipso accusari sunt: nec tot facinora, quot admiserant, compensare poterant cædis perquàm gratæ regi ministerio. Eos igitur tum vinxit, suo loco necandos: sexcentos autem militum, qui sævitiæ eorum ministri fuerant, statim interfici jussit. Eodem die & Ozine quoque & Zariaspe, quos authores defectionis Persarum Craterus adduxerat, sumptum est supplicium.

Inter hæc Nearchus, Arabiorum, Oritarum, Gedrosiorum atque Ichthyophagorum regione

3679 circumnavigatâ, in sinum Persicum delatus Harmoziam sive Armuziam (quæ *Ormus* hodie dicitur) appulit: subductisque in terram navibus, ad Alexandrum (quem à Græco quodam à castris illius sejuncto quinque dierum itinere abfuisse intellexerat) cum paucis profectus, in maritimâ quâdam urbe Salmunte dictâ scenicos in theatro ludos exhibentem eum invenit.

Alexander ob servatum in Oceano exercitum, Jovi Servatori, Herculi, Apollini Alexicaco, Neptuno aliisque diis marinis sacrificavit. Ludos etiam gymnicos & musicos edidit, pompámque induxit; cujus dux Nearchus erat, sertis ac floribus ab omni exercitu petitus.

Rex, auditis quæ in navigatione contigerant, Nearchum ad classem remisit, exiguo exercitu comitatum; quòd per amicam regionem eundum ei esset: & ut ad Euphratis ostia navigaret, jussit; inde adverso amne Babylonem subiturus.

Tlepolemo in satrapatu suo nondum satis confirmato, collecti undequaque Barbari tuta munitáque Carmaniæ loca occupárant. Isti Nearchum ad mare proficiscentem diversis in locis sunt adorti: ita ut bis ac ter uno atque eodem die pugnare necesse habuerit. Tandem verò magno cum labore ad mare salvus perveniens, Jovi servatori sacrificavit, gymnicósque ludos edidit. Deinde Armuziâ solvens, per sinum Persicum littus legendo (iis itineribus quæ, ex ipsius Nearchi historiâ, ab Arriano referuntur in Indicis) ad Euphratis ostia classem deduxit.

Per Pori & Taxilis literas intelligens Alexander Abisarum morbo interiisse, regnum ipsius filio ejus attribuit. In locum etiam Philippi Oxydracarum & Mallorum satrapæ, ex vulnere mortui, Eudæmonem vel Eudemum potiùs, qui dux erat Thracum, substituit.

Hephæstionem cum majore exercitûs parte, cámque jumentis & elephantis, secus mare ex Carmaniâ in Persidem mittit; quòd per hyemis tempus Persicum mare tranquillum esset, & omnium rerum esset ibi abundantia.

Stasanore in suam provinciam remisso, Alexander cum expeditissimis peditum, cámque amicorum equitatu & aliquâ sagittariorum parte, Pasargadas Persidis profectus est: ubi nummos feminis donavit, ut Persarum regibus moris erat, quoties in Persidem venirent, singulis aureum largiri.

In finibus Persidis Orsines sive Orxines illi occurrit: qui post mortem Phrasaortis satrapæ (Alexandro adhuc apud Indos res gerente, ex morbo vitâ functi) Persas Alexandro in officio continebat; quamdiu nemo esset qui ejus provinciæ curam gereret. Is à septem Persis oriundus, ad Cyrum quoque regem originem suî referens, cùm omnis generis donis non Alexandrum modò, sed etiam amicos ejus omnes super ipsorum vota coluisset; Bagoæ spadoni, regis amasio, nullum honorem habuit: quæ causâ mortis illi brevi post fuit. (*Curt. lib.* 4. *cap.* 27. *& lib.* 10. *cap.* 3. *Arrian. lib.* 6.)

Accessit quoque ad eum in Pasargadas Atropates Mediæ satrapes, Baryaxem Medum captum, quòd erectâ cidari capiti impositâ Persarum ac Medorum regem se appellasset, & cum eo omnes defectionis socios adducens: quos Alexander necari jussit.

Ægerrimè verò ferebat scelus in Cyri sepulchrum admissum: quod perfractum spoliatúmque reperit; pretiosis omnibus quæ priùs ibi viderat, præter lecticam & urnam auream, in quâ Cyri corpus conditum fuerat, inde asportatis. Contractâ quoque lecticâ, & sublato urnæ operculo, corpus prædatores ejecerant: ipsam verò urnam comminuere conati fuerant, ut commodiùs auferri posset, partim præscindentes partim contundentes; quúmque opus ex sententiâ non succederet, relictâ tandem urnâ abierunt. Aristobulo verò datum ab Alexandro negotium est, ut sepulchrum de integro instauraret, corporisque reliquias quæ supererant in urnâ conderet, operculóque tegeret; quæque rupta essent reficeret, præstinóque ornatui restitueret. adhæc ædiculæ portam lapide & calce obstrueret, regio signo illi impresso. Hæc, ex ipsius Aristobuli historiâ, refert Strabo lib. 15. (*pag.* 730.) & Arrianus sub finem lib. 6.

Post hæc Alexander magos sepulchri custodes comprehensos in quæstionem dari jussit, ut authores facinoris indicarent: qui torti, neque de se neque de aliis quicquam confessi sunt. Quapropter, nullius rei sibi conscii deprehensi, ab Alexandro dimissi sunt. Polymachum tamen, quamvis Pellæus esset non ex obscurissimis, ob apertum Cyri conditorium, ab Alexandro interfectum fuisse Plutarchus narrat.

Pasargadis deinde Persepolim Persarum regiam Alexander profectus est, quam ipse priùs concremavit; sed reversus factum improbavit. Ibi multa Orxini crimina sunt objecta: quòd templa & sepulchra regia spoliasset, multósque Persarum injustè peremisset. Speciatim verò de Cyri sepulchro ab eo spoliato suspicio à Bagoâ est injecta: in quo tria talentorum millia condita fuisse, ex Dario se accepisse mentiebatur spado. Cujus operâ effectum est, ut nobilissimus Persarum & eximiæ in regem benignitatis in crucem ageretur.

Eodem tempore Pitradates quoque (qui Hyrcanorum, Mardorum & Tapyrorum aliquando prætor fuerat) regnum affectasse suspectus, occiditur. [*Curt. lib.* 8. *cap.* 8. *& lib.* 10. *cap.* 4. *init.*]

Alexander Peucestem corporis custodem (quòd fidem ejus egregiam cùm aliis in rebus tum apud Mallos expertus esset) Persis satrapam constituit. Qui statim, solus ex omnibus Macedonibus, veste Medicâ sumptâ linguam Persicam didicit; reliquáque omnia ad Persicum modum accommodavit. Quo quidem nomine Alexander eum collaudavit: & Persæ, quòd Persicum cultum patrio prætulisset, gavisi sunt.

Alexandrum cupido cepit navigandi per Euphratem ac Tigrim in Persicum mare, fluminúmque in mare exitus visendi; quemadmodum & Indi ostia, & quod ex-eâ parte est mare viderat. Arabiam quoque & Africam ambire decreverat, atque per columnas Herculis in mare mediterraneum decurrere. [*Arrian. anit. lib.* 7.] Mesopotamiæ igitur prætoribus imperavit, materiâ in Libano monte cæsâ devectâque ad urbem Syriæ Thapsacum, ingentium carinas navium

ponere,

3679 ponere, (non quidem ieptiremes omnes, ut Curtius voluit; ſed variorum ordinum, ut ex Ariſtobulo poſtea intelligemus) deducíque Babylonem. Cypriorum regibus imperatum, ut ea ſtupámque & vela præberent. (*Curt. lib.* 10. *cap.* 2.)

Nearchus & Oneſicritus cum Alexandri claſſe ad Euphratis oſtia provecti, Diridotim pervenerunt, Babylonicæ regionis mercatum: quò thus & alia aromata quæ fert Arabia negotiatores adferunt. Ibi Alexandrum Suſa profecturum intelligentes, retrorſum profecti ad Paſitigris oſtia navigárunt; & adverſo flumine per regionem bene habitatam atque opulentam vecti ſunt: confectiſque ſtadiis 150. ibi conſtiterunt, expectantes reditum eorum quos Nearchus miſerat ſciſcitaturos ubinam locorum Rex eſſet. Ipſe diis ſervatoribus ſacrificium fecit, ludóſque edidit; univerſo exercitu navali in lætitiam effuſo. (*Arrian. in Indicis.*)

Calanus Indus Gymnoſophiſta, cùm ad annum 73. vitam produxiſſet, nec ullam per id temporis ſenſiſſet corporis infirmitatem, apud Paſargadas ægrotare primùm cœpit. Invaletudine igitur tentatus, quæ in dies magis ingraveſcebat, ubi ad Suſianos fines eſt perventum (ibi enim hoc factum affirmat *Diodorus*; non in Babylonis ſuburbio, ut *Ælianus, lib.* 5. *Var. hiſt. cap.* 6.) precibus ab Alexandro contendit, ut ingentem ſibi rogum conſtrui, eique à ſe conſcenſo ignem a miniſtris ſubjici juberet. Rex initio quidem eum ab hoc propoſito avertere conabatur: quum verò à propoſito deduci non poſſe cerneret, ſed aliud genus mortis quæſiturum, niſi iſtud ei concederetur, crederet; rogum ei ut petierat accendi juſſit, ejúſque rei negotium Ptolemæo Lagidæ corporis cuſtodi dedit. [*Diodor. lib.* 17. *Strabo, lib.* 15. *pag.* 686. & 717. *Arrian. lib.* 7.] Cùm autem ad rogum iret, reliquos amicos oſculatus, ad Alexandrum deoſculandum accedere noluit: dicens, Babylone ſe illum repertorum, ibíque oſculum eſſe daturum; eum moriturum ibi eſſe præſignificans. [*Arrian. lib.* 7. *pag.* 160. *Plutarch. in Alexand. Cicero, lib.* 1. *de divinat. Valer. Maxim. lib.* 1. *cap.* 8.]

Simulac verò ii quibus id negotii datum erat ignem rogo immiſerunt, tubas clanxiſſe Nearchus tradit, (ita enim ab Alexandro imperatum erat) univerſúmque exercitum clamores ſuſtuliſſe, perinde atque quum prælium inire conſuevit: elephantos etiam ingentem quendam bellicúmque fremitum edidiſſe, Calanum cohonestantes. [*Arrian.*]

Addit Chares Mitylenæus muſicum certamen & athleticum in ejus honorem Alexandrum edi curaviſſe: atque Indis gratificari volentem, uſitatam etiam ipſis potandi vini concertationem adhibuiſſe; atque primas obtinenti præmium conſtituiſſe talentum, proximo triginta minas, tertio decem. Frequentibus igitur amicis & præfectis ad cœnam invitatis: qui plurimum in eâ hauſit Promachus, ad quatuor congios progreſſus eſt; relatóque pro victoriæ pretio talento, triduum ſuperſtes fuit. Ex cæteris, 35 continuò ob vehemens frigus crapulam inſecutum interierunt: ſex verò pauco intervallo interpoſito mortui ſunt in tentoriis. [*Athenæus, lib.* 10. *cap.* 12. *Plutarch. in Alexandro. Ælian. Var. hiſtor. lib.* 2. *cap.* 41.]

c. Nearchus & Oneſicritus, cum navali exercitu, per Paſitigrim adverſo flumine navigantes, ad pontem quendam recèns factum, per quem Alexander terreſtrem ſuum exercitum in Suſas traducturus erat, conſtiterunt. (*Arrian. in Indicis, pag.* 197.) *Feſtos dies Suſis agentem Alexandrum invenisse* eos ſcribit Plinius, (*lib.* 6. *cap.* 23.) *ſeptimo menſe poſtquàm digreſſus ab iis fuerat Patalis, tertio navigationis.* vel, navigationis potiùs *ſexto*: quum menſe poſt diſceſſum Alexandri proximo eam cœpiſſe docuerimus.

Utroque exercitu jam conjuncto, Alexander pro navibus ſimul & milite ſalvis ſacrificia fecit, ludóſque edidit. Nearchus quoquoverſùs per caſtra ibat, floribus ac ſertis petebatur. (*Arrian. ut ſupr.*)

Atropate in ſatrapatum ſuum miſſo, Alexander Suſa proficiſcitur. Ubi Abuliti, qui nihil præparaverat commeatûs, tantùm argenti ſignati tria millia talentûm attulit, equis objicere juſſit pecuniam: quibus eam non guſtantibus: Quò igitur nobis, inquit, hic paratus? Abulitem in vincula illum conjeciſſe, & filium ejus Oxathrem ſive Oxyartem haſtâ tranſverberaviſſe, Plutarchus: utrumque ob res Suſiorum non rectè adminiſtratas, necaviſſe ſcribit *Arrianus.*

Multæ devictæ gentes præfectus ſuos accuſaverunt; qui, de Alexandri reditu ab Indicâ expeditione omni cogitatione depoſitâ, multa flagitia cùm in templa & ſepulchra tum in ſubditos ipſos admiſerant. Eos, ſine reſpectu amicitiæ, Rex in conſpectu legatorum necari juſſit. De Cleandro quoque & Sitalce, quos in Carmaniâ damnaverat, ſumptum eſt ſupplicium. Et Heracon, qui tum temporis criminationem ſubterfugerat, à Suſiis convictus, quòd eorum templum diripuiſſet, etiam ipſe pœnas dedit. Jámque pronior Alexander ad fidem delationibus adhibendam factus erat, atque atrocibus ſuppliciis leviter etiam delinquentes afficiebat, quippe quos majora delicta animo agitaſſe cogitabat.

Eâ Regis in duces improbè ſe gerentes ſeveritate divulgatâ, multi ex præfectis, injuriarum & ſcelerum ſibi conſcii, timere ſibi cœperunt. Ideò nonnulli, corraſis undique pecuniis, fugam inierunt: alii, qui mercenariis præerant, à Rege defecerunt. Eâ re cognitâ, literæ ad omnes Aſiæ præſides & ſatrapas miſſæ ſunt, quibus inſpectis, extemplò quicquid conductitii militis eſſet exauctorare jubebantur. [*Diodor. ad ann.* 2. *Olymp.* 113.)

Cùm imperata illi exſequerentur, multi peregrini, ſacramentis militaribus exſoluti, per totam Aſiam huc illuc vagabundi diſcurſitabant, & prædando victum ſibi neceſſarium conquirebant; donec ex omnibus paſſim locis ad Tænarum Laconiæ convenerunt. Sic & ſatrapæ ducesque Perſarum, qui fuerant relicti, collecto milite & pecuniis ad Tænarum profecti, vires ibi conjunxerunt. [*Id. ad ann.* 3. *Olymp.* 113. *& ann.* 2. *Olymp.* 114.]

Alexander Statiram, Darii filiam natu majorem, uxorem duxit; & præter hanc aliam (ut Ariſtobulus tradit) Parytatin, ex filiabus Ochi natu minimam. Drypetim, minorem Darii filiam uxoriſque ſuæ ſororem, Herhæſtioni dedit. Cratero, Aneſtrin vel Amaſtrinem Oxyartæ

3679 live Oxathræ Darii fratris filiam. Perdiccæ, Atropatis Medorum ſatrapæ filiam. Nearcho, Spitamenis Bactrii filiam. Ptolemæo Lagidæ corporis cuſtodi atque Eumeni Cardiano, Artabazi duas filias, & Barſines ſorores; ex quâ, licèt matrimonio ſibi non copulatâ, ipſe Alexander filium Herculem ſuſceperat. Ptolemæi uxor Artacama (vel Apama) Eumenis Artonis, dicta eſt. Ubi obiter notandum; *Barſines* nomen, apud Arrianum, quidem (*lib. 7. pag.* 148.) pro *Stateira*, apud Plutarchum verò (ſub initium Vitæ *Eumenis*, ubi uxorem ejus nominat) pro *Artonis*, videri irrepſiſſe.

Reliquis amicis ſimiliter Perſarum ac Medorum illuſtrium filias Alexander matrimonio copulavit: quarum omnium numerus 80 ut *Arrianus*, 90 ut *Ælianus*, 92 ut *Chares*, 100 ut *Plutarchus* (libro 1. de fortunâ Alexandri) ſcriptum reliquit. Alexandri verò & cæterorum omnium nuptiæ eodem & tempore & loco ſimul agebantur; ipſo rege dotes omnibus conferente: & per quinque dies continuos Suſis nuptiales eorum epulæ eâ pompâ ſunt celebratæ, quâ apud Ælianum (*in Var. hiſtor. lib.* 8. *cap.* 7.) Et Athenæum (*Dipnoſophiſt. lib.* 12. *cap.* 18.) ex Charetis Mitylenæi hiſtoriæ Alexandri *libro* 10, deſcriptas habemus. Cuique convivarum, quorum fuerit novem millium numerus, aurea phiala ad libandum data fuiſſe memoratur. Reliquis quoque Macedonibus qui Aſiaticas uxores anteà duxerant, ſupra decies mille numero, ſponſalia munera ab Alexandro donata ſunt.

Adhæc opportunum ei viſum fuit, quidquid æris alieni milites conflaverant propriâ impensâ ſolvere. Quúmque quantum quiſque deberet ad ſe referri juſſiſſet, ut pecuniam acciperent: initio quidem pauci nomina ſua conſcribi paſſi ſunt; veriti ne Alexander id eo conſilii faceret, ut exploraret quibus militibus ob immoderatos ſumptus quos facerent ſtipendium non ſufficeret. Inter eos verò qui nomina dederunt fuit Antigenes luſcus; qui alterum oculum, quem obſideret Philippus Perinthum, teli ictu amiſerat. Ille obæratum ſe ſimulans, adducto tecto ad menſam qui affirmavit ſe ei dediſſe mutuò, pecuniam recepit. Eo poſteà mendacii comperto, exarſit Rex; ſummovitque eum aulâ, atque præfecturam ademit. Quam ignominiam ægrè ille ferens, præ ſe tulit munus ſibi ipſum illaturum. Id timens Alexander, iram depoſuit, & ipſum pecuniam eam habere juſſit.

Poſtquàm ei renuntiatum eſt, pleroſque nomina dare nolle, ſed ſuas unumquemque rationes & contractus occultare; militum diffidentiam reprehendit: dicens, non debere regem ejus ſubditos alium quàm veracem eſſe; neque quenquam ſubditorum aliter affectum eſſe debere, quàm ut regem veracem eſſe credat. Deinde menſis per caſtra diſpoſitis, pecuniâque iis impoſitâ, & conſtitutis qui largitionem illam adminiſtrarent; omnium qui rationes contractúſque ſuos afferrent debita ſolvi juſſit, ne nominibus quidem debitorum conſcriptis. Ac tum demum veracem Alexandrum crediderunt: gratiuſque eis accidit ignorari nomina, quàm debito liberari.

Ea largitio exercitui facta, 20 millium talentorum, apud *Juſtinum & Arrianum* fuiſſe dicitur: cùm paulo minus 10 millibus totum æs alienum fuiſſe diſſolutum, rectiùs *Diodorus* ſcripſerit. Ex decem enim talentorum millibus prolatis, 130 talenta relicta fuiſſe, & *Curtius & Plutarchus* confirmant: à *Curtio* etiam hoc adjecto epiphonemate. *Adeò ille exercitus tot diviſſimarum gentium victor, plus tamen victoria quàm prædâ deportavit ex Aſiâ.*

Alia præterea aliis pro uniuſcujuſque dignitate dona Rex dedit, aut pro virtute quâ quis in periculis eminuiſſet. Eos verò qui præclarum aliquod facinus edidiſſent aureis coronis donavit. 1. *Peuceſtam*, qui ſcuto eum apud Mallos protexerat. 2. *Leonnatum*, qui etiam ibi eum propugnârat, multáque alia apud Oros præclarè geſſerat. 3. *Nearchum*, qui claſſem cum exercitu ex Indorum regione per Oceanum ſalvam deduxerat. 4. *Oneſicritum*, navis regiæ gubernatorem, ob eandem cauſam. 5. *Hepheſtionem*, alióſque corporis cuſtodes.

Inter hæc, ſatrapæ novarum urbium abs ſe conditarum, aliarúmque provinciarum quas debellârat, ad Alexandrum venerunt, 30 millia Perſarum (& aliorum peregrinorum; de quibus ſuprà, anno Mundi 3676. *c.*) Suſa ducentes; qui ejuſdem ætatis adoleſcentes omnes erant, formæ decore viribúſque corporum eximi. Hi, ex regio mandato undique conquiſiti & à magiſtris ad Macedonicum militiæ morem inſtituti, armíſque Macedonicis magnificè inſtructi, ante urbem caſtra poſuerunt. Ubi cùm ſtudii & exercitationis ſuæ in armis ſpecimen Regi exhibuiſſent, præclaris ab eo muneribus cohoneſtati ſunt; & *Epigoni*, id eſt, poſteri vel ſucceſſores appellati.

d. Alexander, pedeſtris exercitûs majorem partem Hephæſtioni in Perſicum mare ducendam committens, ipſe, claſſe in Suſiorum regionem appultâ, conſcenſis navibus cum argyraſpidibus & agemate ac parte equitum amicorum per Eulæum amnem ad mare navigavit. Quúmque jam non procul ab oſtiis fluminis abeſſet, pleriſque navibus atque iis quæ quaſſatæ erant ibi relictis, ipſe cum velocioribus ab Eulæo amne per mare ad Tigris oſtia contendit: reliquæ naves, per Eulæum advectæ in alveum qui ex Tigri in Eulæum ducitur, in Tigrim devectæ ſunt.

Alexander circumvectus mari, quidquid ſpatii inter Eulæum & Tigrim Perſici ſinûs littus continet, per Tigrim ad caſtra navigavit, ubi Hephæſtion cum omnibus copiis conſederat. Inde rurſùs Opim, urbem ad Tigrim ſitam: atque inter navigandum cataractas omnes tolli juſſit; quas Perſæ conſecerant, ne quis è mari navali claſſe in eorum regionem penetraret: hujuſmodi inventa eſſe dicens hominum qui armis parum valerent. [*Arrian. lib.* 7. *cum Strabone, lib.* 16. *p.* 740.]

Opim quum venit, univerſo exercitu convocato pronuntiavit, ſe omnes eos qui vel ætate vel membrorum mutilatione inutiles ad pugnam facti eſſent miſſos facere, & in domos ſuas redeundi poteſtatem dare: qui verò voluntariè manerent, tantum ſe largiturum, ut meritò aliis qui domi deſidcant invidioſi ſint futuri, alióſque Macedones excitaturi ut libenter una cum eis pericula ac labores adeant.

Hæc, ab Alexandro animo gratificandi Macedonibus dicta, ipſi ita interpretati ac ſi ab eo

3679 despicerentur inutilesque ad res bellicas judicarentur, alia simul omnia quæ indignationem eis moverant ad animos revocabant. Quòd stolâ Medicâ Alexandrum indutum cernerent: quódque nuptiæ illæ magnificæ Persico more fuissent celebratæ. Quòd Peucestes Persarum satrapes cultu ipso atque sermone Persizaret; quódque Alexander barbaricâ illa affectatione delectaretur. Quòd Bactriani, Sogdiani, Arachoti, Zarangi, Arii, Parthi, & qui ex Persis Euacæ vocantur equites, amicorum equitatui accensi permistique essent. Quòd quinta equitum præfectura accessisset, non quidem tota solis barbaris constans, sed quòd universo equitatu aucto, agemati accensi fuissent Cophes Artabazi filius, Hydarnes & Artiboles Mazæi filii, Phradasmenes, Phrataphernis Parthorum atque Hyrcaniæ satrapæ filii, Itanes Oxyartis filius & Roxanes Alexandri uxoris frater, Ægobares & ejus frater Mithrobæus: quódque horum dux esset Hydaspes Bactrianus; & quòd his Macedonicæ hastæ loco barbaricorum jaculorum datæ essent. Quòd adolescentes barbaros *Epigonorum* nomine & ornatu Macedonico decorasset. Quòd Macedonica denique instituta ipsósque adeò Macedones despectui haberet. Non igitur jam amplius silentium tenuerunt, sed omnes militiæ sacramento absolvi petierunt: jubentes eum solum cum patre suo Hammone ire bella, quum milites suos fastidiret.

Irritatus Alexander, confestim cum ducibus qui eum circumstabant è tribunali prosiliens, XIII præcipuos eorum qui multitudinem ad seditionem concitabant correptos apparitoribus tradidit; & mergi in amnem vinctos jussit. Tantam vel illis moriendi patientiam metus regis, vel huic exigendi supplicii constantiam disciplina militaris dabat. Deinde, solis amicis & custodibus corporis comitantibus, regiam ingressus; neque corpus curavit, neque amicorum quenquam eo die admisit: sed ne postridie quidem.

Tertio die peregrinorum militum concionem advocari jussit, Macedonibus intra castra cohibitis: & cùm frequentes coissent, adhibito interprete, perpetuam illorum tum in se tum in pristinos reges fidem laudavit, & sua in illos beneficia commemoravit: ut nunquam quasi victos sed veluti victoriæ socios habuerit, & affinitatibus connubiorum victos victoribus miscuerit. *Proinde*, inquit, *genitos esse vos mihi non ascitos milites, credite. Asia & Europa unum atque idem regnum est: Macedonum vobis arma do. Inveteravi peregrinam novitatem: & cives mei estis, & milites.*

Deinde, mille ex his juvenes in numerum satellitum legit, eisque corporis sui custodiam in aulâ tradidit. Ducatus agminum inter Persarum principes partitus est: & militaribus eorum ordinibus Macedonica imposuit nomina. Ex his quoque cognatos effecit: quibus solis ut deosculari ipsum liceret permisit. [Vide Polyæni Stratagem. lib. 4. in *Alexandro*, num. 7.]

Cùm viderent Macedones à Persis Regem stipari, & ex his satellites apparitoresque deligi, atque ad primos honores eos provehi, se verò cum ignominiâ rejici; conciderunt animis, ac collocuti inter se, concursu in regiam facto, interiore duntaxat retentâ tunicâ, arma ante januam projecerunt: & pro foribus stantes, cum clamore ac plangore intromitti se postulárunt; authores tumultûs dedere volentes, & ut suppliciis suis potiùs tauraret se quàm contumeliis Regem orantes. Ille verò, quamvis jam placatior, non admisit eos. Non abscessérunt illi, sed duos dies & noctes ante regiam lamentantes, Dominúmque appellantes perduravere: à januâ se non discessuros professi, niti Alexander eorum commiseratione tangeretur. Tertio die ille prodiit, humilesque ac demissos conspicatus, & communi omnium mœrore atque ejulatu commotus, din quoque collachrymatus est. Quúmque aliquantum veluti aliquid dicturus constitisset, ipsi supplices permansérunt.

Tum Callines quidam, & ætate & præfecturâ in amicorum equitatu non obscurus, ita locutus est. *Hoc est, ô Rex, quod Macedonum animos male habet, quod jam nonnullos Persarum tibi cognatos effecisti, atque hos te deosculari finis: Macedonibus ab hujuscemodi honore exclusis.* Tum Alexander ejus orationem interrumpens; *Omnes vos*, inquit, *cognatos mihi facio, ac deinceps ita vocabo.* His dictis Callines progressus eum deosculatus est, aliique quibus id cordi fuit. Atque ita receptis armis clamantes & pæana canentes ad castra redierunt.

Inde Rex sacrificium diis quibus consueverat fecit, epulúmque publicum curavit: accumbente ipsâ pariter omnibúsque Macedonibus, deinde Persis ac deinceps reliquis, prout quisque aut dignitate aut virtute bellicâ illustris esset. Tum ex eodem cratere & Rex & qui unà accumbebant libárunt; Græcis vatibus & Magis vota nuncupantibus, & cùm alia fausta ac prospera, tum concordiam imperiique societatem inter Macedonas & Persas precantibus. Novem millia convivarum huic epulo adfuisse memorant; eósque omnes eandem libationem fecisse, eundémque pæanem cecinisse.

Alexander, Tigri amne transmisso, ad pagos Caras dictos castra locavit. Inde, quatridui spatio Sittacenem emensus, Sambana pervenit: ubi per septem dies substitit. Tridui deinde itinere Celonas venit: quò Bœotiorum à Xerxe deducta fuit colonia. Inde à recto itinere deflectens, visendi causâ Bagistamen ingressus est; regionem fructiferis arboribus aliisque omnibus ad usum & delectationem hominum pertinentibus abundantem.

Inter hæc, Harpalus Macedo gazæ & vectigalibus regiis Babylone præpositus, malè sibi ex luxu conscius & Alexandri (qui multos ex satrapis ad se delatos capitali supplicio affecerat) severitatem metuens, convasatis quinque millibus talentûm argenti & militum sex millibus stipendio conductis, ex Asiâ profugit. Relictis verò ad Tænarum Laconiæ militibus, (quò & alios peregrinos milites ex Asiâ dimissos confluxisse diximus) ad populum Atheniensem supplex venit. Sed Antipatro & Olympiade eum sibi dedi postulantibus, grandi pecuniæ summâ in Demosthenem & cæteros Oratores qui ejus causam apud populum agerent dispertitâ, evasit, & ad milites in Tænarum remeavit. [*Diodor. ad ann. 2. Olymp. 113. Pausan. in Atticis. Plutarch. in Demosthene, & Phocione.*] Apud Arrianum, libro 7. (pag. 155.) lacuna hic habetur: in quâ

cum Alexandri itinere hoc fugæ etiam Harpali historiam conjunctam fuisse, ex Photii Bibliothecâ (cod. 91.) intelligitur. & licet περὶ δώρων, de donis ab Harpalo acceptis, Dionysius Halicarnassæus, in fine epistolæ ad Ammæum de Demosthene, Anticle archonte (cujus præturam in quartum hunc annum Olympiadis CXIII ab eo comjici suprà ostendimus) Demostheni intentatam fuisse indicat.

Concertatione inter Hephæstionem & Eumenem de donò quopiam exortâ, ac multis ultrò citróque jactis convitiis; Alexander minis deterritum Hephæstionem non libenter Eumeni, ejus rei cupido, reconciliavit. [*Plutarch. in Eumene. Arrian. lib. 7. pag. 155.*]

3680 *a.* Alexander regionem ingressus est, in quâ regiorum equorum armenta maxima pasci solebant. Hic enim in campo Nisæo equorum 150 vel 160 millia olim fuisse dicebantur: licèt tunc Alexander non multò plures 50 millibus (ut *Arriano* placet) vel 60 (ut *Diodoro*) ibi repererit.

Cùm hic per 30 dies Alexander commoratus fuisset, septimis inde castris Ecbatana attigit totius Mediæ regiam; cujus ambitum 250 stadiorum fuisse perhibent. Ibi, ut pro felici successu rerum ei moris erat, sacrificium fecit; ludósque gymnicos & musicos edidit, conviviáque cum amicis curavit. Deinde rebus compositis necessariis, retulit se iterum ad spectacula scenica & thymelica: statis etiam compotationibus & conviviis institutis; quòd tria millia artificum ad eum ex Græcia venissent.

Apollodorus Amphipolites, ex amicis Alexandri, dux exercitûs quem Alexander Mazæo Babyloniorum satrapæ reliquerat, severitate Regis in satrapas qui provinciis præfuerant (ut, qui Babylone unà cum eo vixerat; Harpagus) perterritus; fratrem suum Pithagoram auspicem de salute suâ consuluit. Pithagoras ejus litteris respondens, cujus potissimùm metu vaticinio uti vellet rogavit: qui quum respondisset, se ab Alexandro & Hephæstione sibi metuere; pro Hephæstione primùm exta illè inspexit. Quúmque jecinori fibræ deessent; litteras turpiùm scripsit, eásque obsignatas ad Apollodorum ex Babylone in Ecbatana misit, quibus monebat ne quicquam ab Hephæstione metueret: prope diem enim è vivis sublatum iri. Quam quidem epistolam Aristobulus scribit Apollodorum accepisse pridie quàm Hephæstion exiret è vitâ [*Arrian. lib. 7. cum Appiano, sub fin. lib. 2. de bell. Civili.*]

Hephæstion enim vino nimiùm indulgens, febre correptus est. Atque, ut juvenis & militaris, exactioris impatiens victûs, dum medicus Glaucus (vel Glaucias) ad theatrum abiit, prandium sumpsit; adesóque gallo gallinaceo asso, atque epoto ingenti vini frigefacti cratere, malè habuit: paulóque pòst, septimo ab initio morbi die, decessit.

Habebantur eo die à pueris certamina gymnica: à quibus recedens Alexander, quum magnâ celeritate ad Hephæstionem se contulisset, mortuum reperit. Ille verò totum triduum neque cibum degustavit, neque ullam aliam corporis curam tenuit; sed aut lamentans aut tacitè dolorem premens jacuit: Stolam quoque permutavit, neque seipsum solùm & militares sed equos etiam omnes mulósque tonderi curavit. Ecbatanorum & circumjectorum oppidorum muris pinnas detraxit; ut urbes ipsæ, loco prioris imaginis sordidâ assumptâ & squalidâ specie, lugere viderentur. Miserum medicum egit in crucem. Tibias musicámque in castris compescuit: & per universam barbarorum regionem publicum luctum indixit. (*Diod. ad ann. 3. Olymp. 113. Plutarch. in Alexandro & Pelopidâ. Arrian. lib. 7. & in Epistolam, lib. 2. 22. Ælian. Var. hist. lib. 7. cap. 8.*)

Cadaver Babylonem deportandum Perdiccæ tradidit: quòd ibi magnificentissimas exequias illi peragere statuisset. De sumptuosissimo quoque monumento illic ei extruendo cum artificibus quotidie egit, præsertim cum Staticrate, qui projectam grandiratem & magnificentiam in novis rebus edendis profitebatur.

Eumenes, veritus ne Alexander illum lætitiam ex Hephæstionis obitu percepisse suspicaretur, Alexandro suggessit honores quibus maximè ornare valeret defunctum: atque argentum ad excitandum Hephæstioni tumulum largè & benignè præbuit. Se quoque & arma Hephæstioni devovit: quod & ejus exemplo ex amicis Alexandri alii multi fecerunt. (*Plutarch. in Eumene Arrian lib. 7.*)

Præter hæc Alexander neminem in Hephæstionis locum, qui equitum amicorum Chiliarchiæ præesset, suffecit; ne Hephæstionis nomen ex agmine interiret: sed Hephæstionis Chiliarchiam vocari voluit, signúmque ei præferri in agmine & prælio quod Hephæstion confecerat.

b. Ad luctûs levationem bellum Alexander adhibuit, ac sicut ad venationem hominum cum Ptolemæo Lagidâ (cui partem exercitûs ducendam tradidit) egressus, in Cossæos gentem bellicosam Uxiis finitimam & montanos Mediæ tractus incolentem (quæ per omne dominatûs Persici tempus invicta permanserat, & tunc quoque elatis animis virtutem Macedonum nullo dignam metu judicabat) expeditionem suscepit: atque aditus prior occupans, plerosque Cossæi tractus populatus est. Per omnes verò conflictus victor, multos Barbarorum internecione delevit: eáque Hephæstionis parentatio dicta est. Hyrcæ autem adortum esse eos Alexandrum, quando regionem suam aditi nullâ ratione posse putabant, cum Nearcho [*apud Strabonem, lib. 11. pag. 524.*] *Arrianus* etiam testatur. (*lib. 7. pag. 157. & in Indicis pag. 196.*] Vid. *Polyæn.* Stratagem. lib. 4. in *Alexandro*, num. 5 1.

4390 | 324

Cossæi, quòd & ubique succumberent & multitudinem captivorum suorum ægrè ferrent, salutem popularium qui capti fuerant cum servitute suâ commutare coacti sunt. Cúmque se suáque omnia arbitratui victoris permisissent: eâ conditione pacem impetrárunt, ut ad quævis imperata Regis morigeros se præstarent. Ita Alexander intra dies 40. gente armis perdomitâ, cùm ad difficiliores locorum aditus urbes condidisset, exercitum inde abduxit.

Alexander Heraclidem Argæi filium cum navium architectis, in Hyrcaniam misit; qui excisâ è montibus Hyrcaniæ materiâ naves oblongas conficerent, partim tectas partim apertas, Græcarum navium instar. Cupiebat enim etiam Caspium mare, & cui mare illud committeretur, cognoscere.

c. Quum

c. Quum per Tigrim flumen exercitum trajeciſſet, Babylonem versùs contendit. Transferendis autem caſtris ſubinde quieſcendi moram interpoſuit; & ut recolligere vires agmen poſſet, lento itinere proceſſit. Jamque 300. ſtadia Babylone aberat, cùm Chaldæi vates, miſſo ad eum è ſuis Belephante, ne urbem introiret monuerunt; hunc locum ei fatalem fore teſtati.

Alexander ubi per Nearchi indicium (præ metu enim illum convenire ipſe Belephantes non audebat) quid à Chaldæis denunciaretur accepit; pleriſque à ſe amicis in urbem dimiſſis, ipſe aliam ingreſſus viam Babylonem declinavit, & 200. inde ſtadiis caſtrametatus, ad Burſiam (quæ Ptolemæi fortaſſe Barſita fuerit) urbem trans Euphratem, deſertam olim, quieto agmine ſubiit.

Ibi ab Anaxarcho & aliis Græcis rationibus philoſophicis perſuaſus Magorum prædicta contemnere, ut falſa & incerta; Euripidis illum iambum uſurpavit:

Μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς.
Qui conjicit bene, augur eſt is optimus.

Tum Chaldæi denuò rogabant, ſaltem non Occidentem ſpectans induceret exercitum, ſed potiùs circumactum agmen in Orientem duceret. Quorum conſilio de circumagendo itinere in urbem acquieſcere eum voluiſſe, ſcribit Ariſtobulus. Et primo quidem die ad Euphratem caſtra poſuit: poſtridie verò quum flumen ei ad dextram eſſet, juxta ipſum proceſſit; cupiens prætergredi eam urbis partem quæ occaſum ſpectabat, ut inde Orientem verſus ſe converteret. Sed, quum paludoſis limoſiſque locis impeditus, id commodè præſtare non potuiſſet; poſterioribus quoque vatum monitis neglectis, obverſâ in Occidentem facie cum exercitu urbem ingreſſus eſt. [*Vide Appian. ſub fin. lib. 2. bell. Civil. pag. 525. & Seneca Suaſoriam 4.*]

Cùm ad muros urbis perveniſſet, corvorum examen vidit certantium & ſe mutuò cædentium: quorum aliquot juxta ipſum ſunt delapſi. Cúmque Apollodorus illi indicaſſet, fratrem ſuum Pithagoram (qui tum in urbe auſpicinam exercebat) de ipſo exta conſuluiſſe; accitum Pithagoram rogavit, quid deprehendiſſet in hoſtiâ. Qui cùm reſpondiſſet, quòd hoſtiæ jecinora abſque fibris inventa eſſent: rurſùs interrogavit Rex, quid hoc portenderet. Eo verò magnum malum (vel extremum diem, ut apud Appianum eſt *ſub fin. lib. 2. belli Civil. pag. 525.*) portendi dicente, tantùm abfuit ut Alexander illi ſuccenſuerit, ut eum deinceps chariorem habuerit; quòd citra dolum ſimpliciter ei rem ipſam dixiſſet. Hæc ſe ab ipſo Pithagorâ audiviſſe ſcripſit Ariſtobulus.

Quum Babylonii perquàm humaniter, ut etiam anteà, Alexandri milites excepiſſent; omnes ad otium & voluptates, quòd ingens rerum neceſſariarum copia ſupereret, ſe converterunt. (*Diodor.*)

Babylonem ad Alexandrum ex omnibus ferè orbis terrarum partibus legati venerunt. Nam præter eos quos Aſiæ nationes, civitates & principes miſerant; etiam multi ex Africâ & Europâ legati acceſſerunt. Ex Africâ, ab Hammoniis, Æthiopibus, Carthaginienſibus cæteriſque Pœnis, & cunctis qui mare uſque ad columnas Herculis accolebant. Ex Europâ, à Græcorum civitatibus & Macedonibus, Thracibus, Illyriis & Scythis, Brutiis quoque Lucanis ac Tuſcis Italiam incolentibus, Siciliæ & Sardiniæ inſulis; ab Hiſpanis etiam & Gallis, quorum nomina ac cultum tum primùm Macedones cognoverunt.

Legatorum catalogo accepto, quibus primùm, & quibus deinceps reſponderet, dum ad omnes perveniretur, Alexander conſtituit. Ac primùm eos qui ſacrorum causâ venerant, audire decrevit. Secundum locum his dedit, qui dona attulerant; tertium iis qui cum finitimis controverſias habebant: quartum illis qui de privatis tractaturi venerant. Ultimæ partes illorum erant, qui reſtitutioni Græcorum exulum refragabantur. In hortis igitur aureum ſibi ſolium ſtatui curavit, & lectos argenteis ſultos pedibus; in quibus ſedens cum amicis, legationibus reſponſa dabat: ut ex Ephippo Olynthio refert Athenæus. [*lib. 12. cap. 18.*] Atque ut grata ea eſſent reſponſa, cunctóſque placatos & benevolos à ſe dimitteret, in primis illi, curæ fuit.

Eleis omnium primis operam dedit; & poſt illos Hammoniis, Delphis, Corinthiis, Epidauriis, & cæteris: pro majeſtate templorum audientiæ prærogativam illis tribuens. Et quum Epidauriorum legatis poſtulata conceſſiſſet, donarium per eos miſit Æſculapio: ſed his adjectis verbis. *Æſculapius parum æquus mihi fuit: qui amicum, quem ego tanquam caput meum amabam, non ſervavit.* Quotquot etiam clarorum virorum ſtatuas, aut deorum ſimulachra, aut aliud quidvis diis conſecratum Xerxes Babylonem, vel Suſa, vel in Paſargadas, aut quamvis aliam Aſiæ partem ex Græciâ deportaverat, ea legatis deportanda dedit. Atque ita Harmodii & Ariſtogitonis æneas ſtatuas Athenas remiſiſſe dicitur, ſimúlque Dianæ Cerceæ ſimulachrum.

De reducendis verò Græcarum civitatum exulibus, per Nicanorem Stagiritam epiſtolium hoc miſit in Olympicâ celebritate, quæ tum appetebat, publicè promulgandum. Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος, τοῖς ἐκ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων φυγάσι. Τοῖς μὲν φεύγειν ὑμᾶς οὐκ ἡμεῖς αἴτιοι γεγόναμεν, ἢ δὲ κάθοδός ἐστι τοῖς ἰδίοις πατρίδος ἡμεῖς ἐσόμεθα, πλὴν τῶν ἀνοσίων. Γεγράφαμεν δὲ Ἀντιπάτρῳ περὶ τούτων, ὅπως τοὺς μὴ βουλομένους τῶν πόλεων κατάγειν ἀναγκάσῃ. *Alexander rex, Græcarum civitatum exulibus. Auctores exilii veſtri nos haud fuimus: reditus verò in patriam, ſacrilegis & ſceleratis tantummodo exceptis, nos erimus. Quæ de re Antipatro ſcripſimus, ut civitates reſtitutioni ſuorum refragantes vi cogat.* [*Diod. lib. 17. ad ann. 2. Olymp. 113. & lib. 18. ad ann. 2. Olym. 114.*]

His abſolutis, ad apparatum funeris Hephæſtionis Rex animum convertens, vicinis civitatibus imperavit, ut quicquid poſſent ad ornatum ejus conferrent. Mandatum præterea ad omnes Aſiæ gentes dedit, ut ignem qui ſacer à Perſis vocatur, quouſque exequias peregiſſet, extinguerent: quemadmodum in regum obitu à Perſis factitari ſolebat. Quod pro infelici omine à vulgo acceptum fuit; ut quod ipſius Regis mortem portenderet.

Tunc ergo Ducum & amicorum unuſquiſque ad voluntatem Regis ſe accommodans, ſimulachra

ex ebore

3680 ex ebore auróque & aliâ magnæ exiſtimationis materiâ facienda curaverat. Ipſe accitis undique architectis & ſubtiliſſimorum artificibus magno numero, muri partem ad ſtadia 10. demolitus eſt: lateribúſque collectis, & loco qui rogum excepturus erat complanato, pyram quadrilateram excitavit; cujus unumquodque latus ſtadium obtinebat, altitudo autem 130. ampliùs cubitorum erat. Totius ſtructuræ hujus ornatum pluribus deſcribit Diodorus: de funebrium horum ſumptuum ſummâ deinde ſubjiciens. Quia deductores ſimul & milites, legatíque & homines indigenæ, certatim ad funeris hujus apparatum ſumptus conferebant; pluſquàm 12. millia talentorum impenſam fuiſſe ferunt. Quam talentorum ſummam & *Juſtinus* habet, libro 12. cap. 12. licèt *Plutarchus* & *Arrianus* myriadem, ſive 10. talentorum millia, tantùm numerent.

Alexander injectis in pyram armis, auro & argento, ſimul ea cum mortuo igni tradidit; itémque veſtem magni apud Perſas pretii. [*Ælian. Var. hiſtor. lib.* 7. *cap.* 8.] Ludos præterea gymnicos & muſicos, cùm certantium multitudine, tum ſumptuum præmiorúmque magnitudine longè prioribus omnibus illuſtriores inſtituit. Tria enim agoniſtarum millia ad ipſius tumulum certaviſſe dicuntur. [*Arrian. lib.* 7.]

Tum quoque fortè accidit ut Philippus, ex amicis Regis unus, cum oraculo ab Hammone reverteretur, fas eſſe Hephæſtioni ut Heroi ſacrificare. Quo nuncio lætatus mirificè Alexander, primus ſacrum illi fecit: cæſíſque victimis, ad 10. millia omnis generis, ſplendido totam multitudinem convivio accepit. [*Diodor. ad ann.* 1. *Olymp.* 114. *cum quo conferend. Arrian. lib.* 7. *pag.* 157. *&* 164.] Cleomeni quoque Ægypti ſatrapæ, (ut ſuprà ad annum Mundi 3673. *a.* annotavimus) homini improbo, ut templa illius nomini exædificarentur imperavit; & tabulis contractuum nomen illius inſcriberetur: hoc quoque in epiſtolâ ad illum ſcriptâ adjecto. *Εἰ γὰρ κατελάβον ἐγὼ σοῦ ἐν Αἰγύπτῳ ναοὺς κατεσκευασμένους, ἢ τοῦ ἰσοῦ Ἡφαιστίωνος, οὐκ ἂν σφόδρα ἐμέμφομαι, οὐδέν σε πάνυ, ἢ τὸ λοιπὸν, ὁπόσα ἂν ἁμάρτοις, ἧττον αἰτιάσομαι. Si enim ego templa in Ægypto tibi ab te Hephæſtioni ut Heroi exſtructa invenero: non ſolùm ſiquid antehac commiſiſti, ignoſcam; ſed quamcumque deinceps deliqueris, nihil incommodi tibi à me accidet.* [*Arrian. ibid. pag.* 165.]

Continuò deinde templa Hephæſtioni civitates pleræque dicârunt, delubra condiderunt, aras, ſacra, ferias novo deo ſanxerunt. Jusjurandum omnium religioſiſſimum Hephæſtionis nomine fuit. Capitale erat ſiquis hâc parte vel contaretur, vel neglectim coleret. Narrabantur inſomnia, viſæ Hephæſtionis umbræ, prædicabantur illius reſponſa. Denique aræ & ſacra dicata ſunt familiari & malorum vindici deo. Proinde cùm his Alexander initio mirè oblectaretur, tandem ita captus eſt, ut fidem quoque adhiberet; glotiaretúrque quòd non modò dîis genitus eſſet, ſed deos quoque ipſe faceret. Quo quidem tempore ex copiarum ducibus Agathocles Samius ad extremum periculi venit, quòd Hephæſtionis tumulum præteriens illachrymaſſe viſus eſſet. Ac niſi Perdiccas, venanti ſibi Hephæſtionem apparuiſſe mentitus, per deos omnes ipſúmque Hephæſtionem dejeraſſet, ex ipſo ſe cognoviſſe, Agathoclem non ut mortuum & vanæ divinitatis titulis fruſtra ornatum fleviſſe, verùm ob memoriam priſtinæ ſodalitatis lachrymas non tenuiſſe; vir ſortis & de Rege bene meritus, pietatis in amicum graves pœnas innoxio capite pependiſſet. [*Lucian. lib. Περὶ Δυσβάλης.*]

d. Apud Eleos Olympias CXIV. acta eſt: quo anno Alexandrum mortem obiiſſe *agnoſcunt univerſi*, (ut in lib. 1. contra Apionem habet Joſephus) Hageſiâ ſive Hegeſiâ Athenis archonte, ut in libro 17. Bibliothecæ Diodorus & in 7° de rebus Alexandri confirmat Arrianus. ad finem videlicèt tendente illius magiſtratu & anno hoc Olympiaco: ut ex menſe quo mortuus eſt poſteà conſtabit.

In panegyri Olympiacâ, præſente universâ Græciâ, Alexandri de revocandis Græcarum civitatum exulibus epiſtola, publico victoris præconio promulgata eſt. Cujus tamen mandato Athenienſes & Ætoli minimè parendum cenſuerunt. [*Diodor. ad ann.* 2. *Olymp.* 113. *Juſtin. lib.* 13. *cap.* 5.]

Recepit Alexander apud Babylonios, ut refert Ariſtobulus, claſſem navalem, quæ partim per Euphratem in Perſicum mare ſubvecta erat Nearcho duce, partim in Phœniciâ Cypróque extructa fuerat. Phœnicum quinqueremes 2, quadriremes 3, triremes 12, triginta remorum naves 30, in partes diſſectæ, per ſeptem ſtadia in urbem Thapſacum portatæ ſunt; ibíque rurſus compaginatæ, Babylonem per Euphratem delatæ ſunt. Alias quoque naves Babylone, ex hortorum & lucorum cupreſſis, Alexander conſtruxit: cùm alterius materiei ibi eſſet inopia. Supplementa etiam in naves aliáque miniſteria, & purpuras piſcantium aliorúmque marinorum operariorum multitudo, ex Phœnicià atque univerſâ maritimâ orâ ad eum venerunt. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 741. *Arrian. lib.* 7. *pag.* 161. *ex Ariſtobulo.*]

Portum præterea apud Babylonios Alexander effodi curavit, qui mille naves oblongas caperet: porticus etiam & navalia portui adjunxit. Miſitque Miccalum Clazomenium cum 500. talentis in Phœniciam & Syriam, qui quoſcunque maritimos poſſet mercede alliceret vel conduceret. In maritimam enim Perſici ſinûs oram ejúſque inſulas colonias ducere ſtatuerat: quæ non minùs opulenta quàm Phœnicia fore videbatur. [*Arrian. ibid.*]

Claſſe verò Arabas invadere habebat in animo Alexander, eam prætexens occaſionem, quòd ex omnibus barbaris ſoli illi legatos ad eum non miſiſſent, neque quidquam officii aut honoris detuliſſent: reverâ, omnibus dominandi impulſus cupiditate. Et cùm duos tantùm deos coli ab eis audiviſſet, Jovem ſive Cœlum & Bacchum: non indignum cenſebat ſe, qui pro tertio deo apud eos haberetur; ſi viciſſet, & patriam libertatem illis, ut Indis, reſtituiſſet. [*Strabo, & Arrian. ut ſupr.*]

Cúmque Arabiam maritimam Indiâ minorem non eſſe accepiſſet, multáſque inſulas habere

adjacentes:

adjacentes: Archiam, Androſthenem (Thaſium illum, de quo *Strabo* lib. 16. pag. 766. & *Theophraſtus* lib. 2. de cauſis Plantarum cap. 7.) & Hieronem Soleuſem, cum tribus 30. remorum navibus ex Babylone miſit; ut universâ Arabiæ Cherſoneſo circumnavigatâ, loca illius regionis explorarent. E quibus, Archias duas inſulas in mari ad Euphratis oſtia ſitas fuiſſe Alexandro nuntiabat: minorem alteram, Dianæ ſacratam, 120. ſtadiis à littore fluviique faucibus diſtantem, (Icarum, ut Ariſtobulus ait, ab Alexandro vocari juſſam;) alteram majorem, unius diei ac noctis navigatione ab Euphratis oſtio diſtantem, cui Tylus nomen erat. Omnium verò longiſſimè progreſſus Hieron, ingentem Cherſoneſi magnitudinem fuiſſe nuntiabat, ejúſque promontorium eſſe longè in Oceanum porrectum: quod & ii qui cum Nearcho ex India navigabant, priuſquàm in ſinum Perſicum flecterent, non procul abs ſe remotum viderant. [*Arrian. lib. 7. & in fide Indicorum.*]

Dum triremes parantur, portúſque apud Babylonem effoditur, Alexander per Euphratem ad Pallacopam amnem devectus eſt, 800. fermè ſtadiis à Babylone diſtantem. Ibi ille navigans, ut narrat Ariſtobulus, & ſuam ipſe ſcapham gubernans, foſſas inſpexit, eáſque comitantis multitudinis operâ expurgavit; ora quædam obſtruens, & alia aperiens. Cúmque foſſam quandam ad paludes & lacus, qui ſunt Arabiam versùs, tendere animadverteret habentem os obſtructu difficillimum, propter cedentem & mollem terram: aliud novum os aperuit 30. à priore ſtadiis, capro loco petroſo, atque traducto alveo. Multa etiam Aſſyriorum regum & principum ſepulchra, in his paludibus & lacubus extructa, Alexander vidit. [*Strabo, lib. 16. pag. 741. Arrian. lib. 7.*]

Navigando per lacus in Arabum regionem deſcendens, urbem ibi ædificavit mœnibúſque cinxit: coloniâ eò deductâ ex Græcis mercenariis, voluntariis, & qui aut ſenectute aut caſu aliquo inepti bello facti erant. [*Arrian. ibid.*]

Hic verò Chaldæos ille irridens, quòd ſalvus & intraſſet Babylonem & tunc exiiſſet navigio; fiduciâ plenus per paludes navigabat, Babylonem à ſiniſtrâ habens. [*Id. ibid. cum Appiano, ſub fin. lib. 2. bell. Civil.*] Quúmque in illis anguſtiis pars exercitûs inopiâ ducis erraret; præmiſſo duce qui viam monſtraret, in alveum eos reduxit. Orto deinde ingente vento, & navigio quod ipſe gubernabat à cæteris ſcaphis avulſo, regium capitis velamentum in aquam procidit, diadema verò ei alligatum vento abreptum arundini cuidam, ex iis quæ regum ſepulchris adnatæ erant, hæſit. Quod nauta quidam natando illuc excurrens receptum non manu geſtavit, ne natans madefaceret, ſed capiti impoſitum retulit. Ariſtobulus ex Phœnicibus nautis unum eum fuiſſe ait, atque plagis affectum, quòd diadema regium capiti impoſuiſſet. Conſultos de hoc omine ab Alexandro vates, ut magnifica diis ſacrificia omni adhibitâ diligentiâ perageret, juſſiſſe ſcribit Diodorus. *Vide Appianum in Syriacis, pag. 124. edit. Græcolatin.*

Quum Alexandro deinde nuntiatum eſſet, Athenienſes & Ætolos edicto ipſius de Græcarum civitatum exulibus reducendis parere noluiſſe; mille naves longas ſociis imperari præcepit, quibus in Occidente bellum gereret, cum validâ manu ad Athenas delendas excurſurus. Quod conſilium tamen poſteà omiſſum eſt. [*Juſtin. lib. 13. cap. 5.*] Vid. *Curt. lib. 10. cap. 4. Plin. lib. 9. cap. 8.*

3681 *a.* Babylone Alexander otium & panegyricam vitæ rationem complexus eſt: crapulæ & temulentiæ ita addictus, ut in Diariis ejus ab *Eumene Cardiano* & *Diodoto Erythræo* compoſitis, quos dies & quas noctes ebrius ille dormierit, ſæpiùs annotatum reperiatur. [*Athenæus, lib. 10. cap. 11. cum Philino, apud Plutarch. lib. 1. Sympoſiac. cap. 6.*] Cujus ex *Eumene* ſpecimen exhibet *Ælianus libro 3. Var. hiſtor. cap. 23.* quod, ut Ephemeridis noſtræ anni Macedonici, uſus aliquis apparet, menſium noſtrorum Julianorum diebus additis, ſubjicere hic libuit; pro Δι' ἡ tamen, quod apud *Ælianum* nullo ſenſu legitur, menſi Δίῳ nomine priùs reſtituto.

Dii menſis quinto [Septemb. 28.] *apud Eumenem perpotavit: deinde ſexto* [Septemb. 29.] *crapulam edormit; neque aliud illo die fecit, quàm ut ſurgeret, & ducibus de craſtinâ profectione mandata daret, inquiens eam ſummo mane futuram. Septimo deinde die* [Septemb. 30.] *epulatus eſt apud Perdiccam, atque iterum potavit: & octavo* [Octob. 1.] *dormiit. Decimoquinto verò die ejuſdem menſis* [Octob. 8.] *potavit: & ſequente* [Octob. 9.] *ſolito more crapulam ſomno decoxit. Vigeſimo quarto* [Octob. 17.] *cenavit apud Bagoam; cujus domus ſtadiis 10. à regiâ diſtabat: deinde tertio* (vel *quinto* potiùs) *obdormiit.*

b. Videns Babylonem Alexander & magnitudine & rebus cæteris excellere, eam adornare atque regiam ſuam ibi conſtituere deſtinaverat. [*Strabo, lib. 15. pag. 731.*] Indéque Beli templum inſtaurare atque è veteribus ruderibus exædificare ſtatuerat, atque (ut quidam ſcribunt) auguſtius quàm anteà fuerat efficere. Quúmque ipſo abſente ſegniùs quàm vellet Babylonii operi inſtarent; ipſe cum univerſo exercitu opus aggredi cogitabat. Sed cùm multi res laboris eſſet, & multi temporis; quod inceperat perficere non valuit: morbus enim & mors ſtatim eum oppreſſit. [*Id. lib. 16. pag. 738. cum Arrian. lib. 7. pag. 159.*] 4391 323

Alexander per quietem exiſtimavit à Caſſandro ſe interfici, cùm eum nunquam vidiſſet. Interpoſito deinde tempore, poſtquàm in conſpectum veniſſet, nocturni metûs patefactâ imagine, ut Antipatri filium eſſe cognovit, adjecto verſu Græco qui fidem ſomniorum elevat, præparati jam adversùs caput ſuum veneficii ſuſpicionem animo repulit, (*Valer. Maxim. lib. 1. cap. 7.*)

Quum barbaros Caſſander venerabundos Alexandrum ſalutare conſpexiſſet, hujuſcemodi ſpectaculi hactenùs inſolens, in cachinnum eſt effuſus. Eâ re exarſit ita Alexander, ut arreptum crinibus caput ejus ambabus manibus vehementer contuderit ad parietem. (*Plutarch. in Alexand.*)

c. Quemadmodum fama erat, ab Antipatro per Caſſandrum allatum fuiſſe venenum, tra-

ditúmque fratri Iollæ, & ab eo ſupremæ Regis potioni inditum : ita credebant etiam, Craterum cum veterum militum manu ad Antipatrum interficiendum ab Alexandro fuiſſe miſſum. [*Curt. lib.* 10. *cap. ult.*] De veneno, quo necatum eſſe Alexandrum credidêre plerique, videnda quæ ex variis authoribus collegit *Andreas Schottus* in Vitis comparatis Ariſtotelis ac Demoſthenis, ad ann. 1. Olympiadis 114. & *Matthæus Raderus*, ad Curtii lib. 10. cap. 7. De Cratero verò & militibus veteranis hiſtoria ſeſe ita habet : quam à *Juſtino*, *Plutarcho* & *Arriano* ante Hephæſtionis exceſſum relatam, hoc tempore contigiſſe tum ex aliis tum ex hoc colligimus ; quòd quum moreretur Alexander, Craterus cum militibus nondum in Macedoniam venerit, ſed adhuc fuerit in Ciliciâ.

Macedones voluntarii ab Alexandro in patriam dimiſſi ſunt, qui aut per ætatem aut aliquam membrorum mutilationem inutiles bello erant : ad *decem*, ut [*in lib.* 17. *ad ann.* 2. *Olymp.* 113. *& lib.* 18. *ad ann.* 2. *Olymp.* 114.] *Diodorus*, vel *undecim* millia, ut [*in lib.* 12. *cap.* 12.] *Juſtinus* habet. Quibus quidem non exacti tantùm temporis ſtipendia ille perſolvit, ſed etiam viatico eos quod ad reditum ſufficeret eſt proſecutus. Singulis etiam talentum ultra ſtipendium numeravit. Si quibus autem filii ex Aſiaticis mulieribus eſſent, apud ſe relinqui juſſit : ne ſeditionem aliquam in Macedoniâ excitarent barbararum mulierum liberi, pueris domi relictis matribúſque permiſſi. Eos verò Macedonicis moribus imbutos bellicáque diſciplinâ inſtructos, quum in viros exercuiſſent, parentibus ſe reddituros promiſit. *Juſtinus* ait, in patriam revertentibus ſtipendia, veluti militantibus, data : *Plutarchus*, demortuorum liberis orphanis ſtipendia parentum attributa ; additque, ſcripſiſſe Alexandrum ad Antipatrum, ut reduces veterani in omnibus ludis & ſpectaculis primum locum tenerent, & coronati ibi conſiderent. Tum ſalutatos omnes, lachrymantes Rex ipſe lachrymans dimiſit.

Cum his & ex amicis Regis dimiſſi ſenes, Clytus, Gorgias, Polydamas, Adamas, Antigenes. Dux omnibus adjunctus eſt Craterus, Regi fideliſſimus & chariſſimus, & ſecundus ab eo Polyſperchon : ne, ſiquid humanitùs Cratero accideret, qui tùm corpore erat parum firmo, ducem itineris deſiderarent. Craterum deinde Macedoniæ, Thraciæ, Theſſaliæ ac libertati Græcorum, in Antipatri locum, præeſſe juſſit : atque in ejus locum Antipatrum evocavit ; in veteranorum dimiſſorum locum aliorum Macedonum ætate ac viribus florentium ſupplementum adducere ſecum juſſum.

Cratero milites emeritos in Ciliciam ducenti mandata quædam, ſcripto comprehenſa, perficienda Alexander dedit : quorum capita præcipua, ex commentariis regis, ſub initium libri 18. recenſet *Diodorus Siculus*. Ut mille naves longæ triremibus grandiores in Phœnicia, Syriâ, Ciliciâ, & Cypro, ad expeditionem in Carthaginienſes, & cæteros qui littorales Africæ & Hiſpaniæ vicinaſque ad Siciliam uſque regiones incolebant, compaginarentur. Ut iter per Africæ maritima ad Herculis columnas expeditum redderetur. Ut templa ſex magnifica 1500. talentûm ſumptu fabricarentur. Ut pro tantæ claſſis modo portus & navalia locis opportunis exſtruerentur. Adhæc ut civium in urbes novas commigratio, & hominum ex Aſiâ in Europam & rursùm ex Europâ in Aſiam translatio fieret : ut per connubia & neceſſitudines continentes orbis maximas concordiâ mutuâ & cognationis amicitiâ inter ſe devinciret. Hæ tùm erant illius molitiones : de quibus Lucanus, libro 10.

——Oceano claſſes inferre parabat
Exteriore mari, non illis flamma, nec unda,
Nec ſterilis Libye, nec Syrticus obſtitit Ammon ;
Iſſet in occaſus, mundi devexa ſecutus,
Ambiſſique polos, Nilúmque à fonte bibiſſet.
Occurrit ſuprema dies : naturaque ſolum
Hunc potuit finem veſano ponere regi.

Nec longè ille ab interitu aberat, quum legati è Græciâ, ut eum tanquàm deum colerent, venerunt ; iique ipſi coronati, cum coronis aureis coronaverunt.

Peuceſtas etiam, è Perſide reverſus, cum 20. circiter Perſarum millibus magnam quoque Coſſæorum manum & Tapurorum non paucos Babylonem adduxit ; quòd & hæ gentes Perſidi finitimæ in primis bellicoſæ eſſe dicebantur. Venit item Philoxenus, è Cariâ exercitum ducens, & Menander è Lydia ; Menidas quoque cum equeſtribus copiis. Alexander Perſarum ſtudio collaudato, quòd Peuceſtæ per omnia paruiſſent, ſimúlque Peuceſtâ ipſo qui moderatè ſapienterque gubernaſſet ; & illos, & eos qui ex mari cum Philoxeno & Menandro venerant, Macedonicis ordinibus accenſuit. Claſſem quoque crebrò ad remum exercebat. Cúmque magna eſſet inter triremes & quadriremes quæ in fluvio erant contentio, atque acre remigum & gubernatorum certamen : victoribus coronæ dabantur.

Quum Alexander, copias quæ cum Peuceſtâ, Philoxeno & Menandro venerant in Macedonicos ordines diſtribuens, ſitim ſentiret, (ut ex Ariſtobulo refert Arrianus) nonnihil à ſolio recedens, ſellam vacuam reliquit : amicis etiam cum comitantibus, qui ab utrâque ſolii parte ſectis (argenteis pedibus innixis) inſidebant. Quidam verò obſcurus homo (ſunt qui aliquem qui in cuſtodia ſine vinculis habebatur, fuiſſe dicant) per medios eunuchos utrinque thronum circumſtantes tranſiens in ſella regia conſedit. Eum quum eunuchi è ſolio detrahere non auderent, Perſica quadam lege prohibiti : laceratis veſtibus, pectora faciémque contuderunt ; magnum aliquod malum ominati. Quæ ubi Alexandro nuntiata ſunt, eum qui ſolio inſederat in quæſtionem dari juſſit, num fortè ex compoſitis inſidiis id feciſſet exploraturus. Affirmante verò illo, quòd levitate quâdam animi impulſus id feciſſet : tanto majus malum vates inde portenderunt. Eorundem conſilio, mulierum illum necatum fuiſſe *Diodorus* refert ; ut quicquid miſtri portenderetur, in caput illius derivaretur. Idem narrat & *Plutarchus* : qui in quæſtione

quoque

3681 quoque interrogatum quis esset, Dionysium dici se, esse Messenium genere, & alia quædam confessum illum fuisse addit.

Paucis pòst diebus, quum Rex diis suis consuetas pro felicibus successibus hostias sacrificasset, nonnullásque ex votum monitu adjecisset; cum amicis epulatus est, conviviúmque in multam noctem produxit. Hostias etiam exercitui dedisse, vinúmque per cohortes & centurias distribuisse dicitur. Recedentem è convivio Medius Thessalus, instauratâ comessatione, & ipsum & soldales ejus invitavit. In Symposio apud Medium viginti accubuerunt convivæ; quibus omnibus præbibens Alexander, paria etiam ab iis accepit: quemadmodum ex commentariis Nicobulæ tributis refert Athenæus. [*lib.* 10. *cap.* 11. *& lib.* 12. *cap.* 18.]

Cùm poculum ibi duos continens congios Alexander poposcisset (ut in libro de Alexandri & Hephæstionis obitu & sepulturâ narrat, apud Athenæum lib. 10. cap. 11. Ephippus Olynthius) bibénsque Proteam Macedonem provocasset: ille accepit, atque cùm Regem pluribus verbis laudasset, ita bibit ut ei ab omnibus applauderetur. Postèà verò, exiguo tempore interposito, idem poculum postulavit Proteas; tursúlque bibit, Regem provocans. Quod capiens Alexander, egregiè quidem bibit, non tamen potuit ferre; sed poculo ex manibus demisso, in pulvinar decubuit: ac jam inde morbo correptus interiit. Atque hic fuit *Herculaneus* ille fatalis Alexandro scyphus: cujus, præter *Diodorum & Plutarchum*, in 83. epistolâ meminit etiam Seneca. [*Cum quibus conferendus & Athenæus, lib.* 11. *cap.* 17. *& Macrobius, lib.* 5. *Saturnal. cap.* 21.]

Aristobulus narrat eum, quum delirio ex febre teneretur atque ingenti cruciaretur siti, vinum potasse: hinc in phrenesim incidisse, atque 30. *Dasii* mensis die, sive *Maii* Juliani 24, decessisse. Attici *Thargelionis* die *sexto*, vità eum excessisse, tradunt alii (ut apud *Ælianum*, *lib.* 2. *Var. histor. cap.* 25. videre licet) qui *Maii* 18. vel 19. diei respondebat. In Alexandri Diariis, ad 28. *Dasii* diem, sive *Maii* 22, obitus ejus refertur. Mense igitur *Dasio* Macedonico, & *Maio* Juliano, mortuum illum fuisse intelligimus: utcunque de certo mensis illius die aliquanta fuerit inter scriptores dissensio.

Ex Diariis regiis, quæ circa morbum Alexandri contigerunt, *Arrianus & Plutarchus* diligenter explicant: sed Diariorum quibus illi sunt usi, quis author fuerit, neuter indicat; utrum Cardianus Eumenes, an Diodotus Erythræus, vel Strattis etiam Olynthius; nam & hunc Diaria Alexandri libris quinque, ac de obitu ejus speciatim scripsisse, ex Suidâ didicimus. Verùm, cujuscunque ea fuerint, quandoquidem nihil aut simplicius aut certius hàc de re habere possumus, quæ à Plutarcho inde sunt excerpta placuit hic proponere: dierum *Dasii* & *Maii* collatione, ex nostrâ anni Macedonici Ephemeride simul appositâ.

Ὀγδόῃ καὶ δεκάτῃ Δαισίου φθίνοντος, *Octavo decimo die mensis Dasii*, [Maii die 11.] *in balneo febris causâ dormivit. Postero die*, [Maii 13.] *lotus contulit se in cubiculum: eúmque diem alea ludo cum Medio transegit. Inde vesperi lotus, & sacris operatus, cibum sumpsit avidiùs, atque per noctem febre afflictus est. Die vigesimo* [Maii 14.] *lotus solenne sacrum iterum peregit: decumbénsque in balneo, Nearcho vacavit, navigationem suam & quid vidisset in Oceano exponenti.* Τῇ δευτέρᾳ φθίνοντος, *die vigesimo primo* [Maii 15.] *cùm idem fecisset, aggravavit febris; noctémque egit gravem. Postridie* [Maii 16.] *acri febre tentatus est: translatúsque decubuit juxta magnum natatorium. Eodem tempore cum ducibus egit, quemadmodum ordinibus vacuis præficerent spectatos.* Ἕκτῃ [φθίνοντος,] *Vigesimo quarto die*, [Maii 18.] *ingravescente vi morbi, sacra peregit; ad que est deportatus: ac præcipuos duces in aulâ jussit commorari, centuriones verò & tribunos excubare pro foribus. Delatus in ulteriorem regiam,* τῇ ἑβδόμῃ [φθίνοντος] *vigesimo quinto die* [Maii 19.] *paulisper quievit: sed febris non remisit. Cùm autem adiissent eum Duces, nullam vocem edidit.* Ὡσεὶ δὲ μέσας νύκτας. *Pari modo vigesimo sexto egit.* [Maii 20.] *Unde Macedones, mortuum rati, ad fores magno strepitu accessérunt, minisque amicos Regis coëgerunt ut admitterentur: ac foribus apertis tunicati ad unum omnes præter lectum ejus transierunt. Eodem die Pithon & Seleucus ad templum Serapis missi, ut an eò deportandus esset Alexander consulerent; ne loco ille moveretur, responsum acceperunt.* Τῇ δὲ ὑστέρᾳ φθίνοντος περὶ δείλην ἐτελεύτησεν. *Die autem vigesimo octavo*, [Maii 22.] *sub vesperam, expiravit.*

Qui præter lectum ejus transibant Macedones, aliâ januâ admissi, aliâ egrediebantur. [*Lucian. Pseudomant.*] Et quanquàm violentiâ morbi dilabebatur in cubitum tamen erectus, dextram omnibus, qui eam contingere vellent porrexit. [*Valer. Maxim. lib.* 5. *cap.* 1.] &, quod incredibile dictu auditúque, in eodem habitu corporis, in quem se compotuerat cùm admissurus milites esset, duravit, donec à toto exercitu illo ad ultimum persalutatus est. [*Curt. lib.* 10. *cap.* 7.]

Dimissis militibus, amicos circumstantes percontatur, *videanturne similem sibi reperturi regem.* Tacentibus cunctis, tum ipse, *ut hoc nesciat, ita illud scire vaticinarique se ac penè oculis videre* dixit, *quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia; quantis cadibus, quo cruore, mortuo sibi parentatura.* Ad postremum, corpus suum in Hammonis templo condi jubet. [*Justin. lib.* 12. *cap.* 15.] Cúmque quærerent amici, cui relinqueret regnum; *Fortissimo*, respondit. Exemptum tamen digito annulum Perdiccæ tradidit: ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi ejus in suam tutelam pervenissent. [*Æmil. Prob. in Eumene.*] Rursùs Perdiccâ interrogante, *quando cœlestes honores haberi sibi vellet*; dixit, *tum velle, cùm ipsi felices essent.* Suprema hæc vox fuit Regis, & paulò pòst extinguitur. (*Curt. ut supr.*)

In Eratosthenis Canonibus, (apud Clement. Alexandrin. lib. 1. Stromat.) à Philippi morte ad Alexandri μετάλειψιν, anni *duodecim* numerantur: quot etiam Alexandri regno in I. Mac-

chab. 1. 8. & utroque Hebræorum Chronico, ut etiam à Tertulliano, (in lib. contra Judæos cap. 8.) Porphyrio, (in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag. 124.) Juliano, (in Cæsarib.) Rufino, (in Joseph. antiquit. lib. 12. cap. 2.) Oroſio, (lib. 3. cap. 23.) Hieronymo & Theodoreto (in Danielis cap. XI.) tributos legimus. quanquàm A. Gellius, (lib. 17. cap. 21.) annos tantùm *undecim*; Julius Africanus & ex eo Euſebius in Chronico, annos *duodecim* & menſes *ſex*; Diodorus Siculus, (ſub finem libri 17.) annos totidem & menſes *ſeptem*; Livius, (lib. 9. & 45.) atque Æmilius Probus, (in *Eumene*) *tredecim* annos illius aſſignet principatui.

Neque multò minor, de totius vitæ decurſæ ſpatio, inter authores occurrit differentia: de quo, in V^a. Philippicâ, M. Cicero. *Quid Macedo Alexander? cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet, nonne tertio & trigeſimo anno mortem obiit? quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor, quàm Conſularis.* Deceſſiſſe illum, *menſem unum, annos tres & triginta natum*, in extremo libri 12. capite refert *Juſtinus*. Non plures tamen quàm 32. annos illi tribuunt. *Philoſtratus*, (de vitis Sophiſtar. lib. 2. in Herode) *Euſebius*, (in Chronico, & lib. 1. de vitâ Conſtantini) *Hieronymus*, (in Daniel. cap. VIII. & XI.) & Euſebianum Chronicon hîc ſecuti complures alii. Quæ omnia ad normam illam exigenda ſunt ab *Arriano* [*lib. 7. pag. 167.*] propoſitam. Βέβιω δὲ τὸν πάντα χρόνον ἔτη, τοῦ δὲ τρίτου μηνὸς ἐτέλευτα ἤδη, ὡς λέγει Ἀριστόβουλος. Ἐβασίλευσε δὲ δώδεκα ἔτη, τοῦ δὲ ἑκτοῦ τέτρας μῆνας. *Vixit annos triginta duos, & tertii menſis ultio affecutus eſt: quemadmodum tradidit Ariſtobulus. Regnavit verò duodecim annos, ac menſes illos ſex.*

Poſt Alexandri exceſſum, ortâ inter pedites & equites illius de formando rerum præſentium ſtatu diſcordiâ tantâ, ut ad pugnam utrinque ſe compararent: ita demum ex Ducum conſenſu res conſtitutæ ſunt. *Aridæo* Alexandri fratri, quem Philippus rex ex Philinnâ Larißæâ ſaltatrice (ut, ex Ptolemæo Ageſarchi filio in Philopatoris hiſtoriis refert *Athenæus*, lib. 13. cap. 13.) & ſcorto (ut apud *Juſtinum* eſt, lib. 13. cap. 2. & *Plutarchum* in fine *Alexandri*) ſuſceperat, ſumma vel umbra potiùs imperii eſt commiſſa; regique declarato *Philippi* nomen eſt impoſitum. Huic adjungendus erat & ex Roxane naſciturus filius: quæ exacto menſe *octavo* [ut in loco jam notato habet *Juſtinus*] vel *ſexto* [ut *Curtius*, lib. 10. cap. 10.] jam ex Alexandro prægnans erat. Herculis enim, qui tum Pergami erat, quòd eum Alexander ex Barſine legitimo matrimonio ſibi non conjunctâ ſuſcepiſſet, in ſucceſſione imperii ratio non eſt habita. Et quia Aridæus mentis ſatis compos non erat [ex corporis vitio, non nativo, ut in fine *Alexandri* notat *Plutarchus*, ſed medicamentis ab Olympiade procurato] *Perdiccas* Orontis filius, Macedo ex Oreſtide, cui Alexander moriens annulum tradiderat, regni ἐπιμελητὴς ſive procurator, re ipſâ Rex, eſt delignatus. Caſtrorum, exercitûs & rerum cura *Meleagro* Neoptolemi filio, cum vel ſub Perdiccâ aſſignata eſt. Equitatûs amicorum nobiliſſima præfectura, quam poſt Hephæſtionem Perdiccas habuerat, *Seleuco* Antiochi filio [cum vel ſub Perdiccâ etiam] commiſſa eſt. Cura quoque regni & regiæ pecuniæ cuſtodiæ *Cratero* eſt concredita. Erant autem in theſauris [ut in lib. 13. cap. 2. *Juſtinus* refert] quinquaginta millia talentûm, & in annuo vectigali tributo tricena millia. [*Diodor. initio lib. 18. Juſtin. lib. 13. cap. 1, 2, 3, 4. Curt. lib. 10. cap. 10, 11, 12. Plutarchus in Eumene, & fine Alexandri. Dexippus & Arrianus, in libris rerum poſt Alexandrum geſtarum apud Photium, in Bibliothec. cod. 82. & 92. Appian. in Syriacis, pag. 120. & 124.*]

* Jaddus Judæorum Pontifex hoc anno mortuus eſt, ſucceſſit filius ejus Onias I. [*Joſeph. Antiquit. lib. 12. in fine. Euſeb. Chronic.* edit. Scalig. *pag.* 50.] *

Annos *Philippi ab exceſſu Alexandri Magni numerari, initio ſemper à die primo menſis ejus ſumpto, cui apud Ægyptios nomen eſt Thoth*: in libello de die Natali notat Cenſorinus. Ægyptii enim aſtronomi æram hanc, facilioris calculi gratiâ, ad annos ſuos æquabiliter accommodantes, caput ejus in primo die Thoth ineuntis anni à Nabonaſaro 425. collocant: in 12. videlicet Novembris, anni Periodi Julianæ 4590, menſe ante verum exceſſûs Alexandri tempus ſeptimo. Atque ab illius *Thoth* initio Stellarum omnium epochas in προχείρων κανόνων τῆς ἐφημερίδος libro nondum edito deducit Ptolemæus. de quo ita ille, in Præfatione ad Syrum. Ἐκκειμένων αἱ ἐποχαὶ πάντων ἐντεῦθεν, ἀπὸ τοῦ δὲ Ἀλεξάνδρου τῆς πρὸς Λιγυπτίους μεταβολῆς, τῆς καὶ Λιγυπτίων θεὸν ποιησάσης τὸ πρῶτον ἔτος πολίτευμα τὸ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν πλάσαν. *Conſtituta ſunt hîc epocha ad meridianum Alexandriæ quæ eſt in Ægypto: à Kalendis menſis Ægyptiaci Thoth, primi anni Philippi qui fuit poſt Alexandrum Conditorem.* non *Philippi* patris (utì quidam putârunt) ſed fratris & ſucceſſoris *Alexandri*, cui, ut Urbis ſuæ fundatori honorarium *Conditoris* titulum tribuere ſolebant Alexandrini. Ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ τότε οἱ χρόνοι τῶν προχείρων κανόνων καὶ Πτολεμαίων λαμβάνοντες, ἐφ' ᾧ ἀνομασθέντων Λιγυπτίων ἔτος ἀφίζαντες, ut in Græcis etiam collectaneis, inter Euſebiana à Scaligero editis, (pag. 48.) legimus. *Ab hujus igitur* Philippi Aridæi, *initio tempora expeditorum canonum ſecundum Ptolemæum* (qui anno Ægyptiorum æquabili in illis eſt uſus) *& ſecundum reſtitutionem anni Ægyptiaci* (ad annum fixum Alexandrinorum, quo in ſuis canonibus uſus eſt Theon) *ſumpta, numerantur.* Unde & in epiſtolâ ad Apollophanem Dionyſio Areopagitæ falsò attributâ (apud Hilduinum in Areopagiticis) Tabulæ hujuſmodi aſtronomicæ *Canonis Philippi Aridæi* nomen obtinuerunt.

Septimus dies erat (ut apud *Juſtinum* legitur: *triginta* enim dies habet *Ælianus*, in Var. hiſtor. lib. 12. cap. 64.) ex quo Alexandri corpus exanimum jacebat in ſolio, curis omnium ad formandum publicum ſtatum à tam ſolenni munere averſis: & nullâ illud tabe ac ne minimo quidem livore corruptum, inventum eſt. Vigor quoque qui conſtat ex ſpiritu, non deſtituerat vultum. Itaque Ægyptii Chaldæique juſſi corpus ſuo modo curare, primo non ſunt auſi admovere velut ſpirantî manus. Deinde precati, ut jus faſque eſſet mortalibus attrectare eum, purgavere corpus: repletúmque eſt odoribus aureum ſolium, & capiti adjecta fortunæ ejus inſignia. [*Curt. lib. 10. cap. ult.*]

Funeris,

Funeris, & currus quo regium cadaver in Hammonis templum deducendum erat apparandi negotium Aridæi (sive Regis, ut apud *Justinum*, lib. 13. cap. 4. & *Dexippum*, in Græcis Eusebianis Scaligeri pag. 48. legimus: sive alterius potiùs Aridæi, de quo ex Diodoro posteà videbimus) curæ commissum est. [*Diodor. ad ann. 2. Olymp.* 114.] In quorum magnificentissimum apparatum biennium ab eo est insumptum. [*Diodor. ad anni 3. Olymp.* 114.] Quanto tempore quum sepulturâ ille caruisset; mater ejus Olympias graviter ingemiscens dixisse fertur. *Tu verò, ô fili, quum inter cœlites locari volueris, & id perficere summo studio conatus sis; nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale & par jus est, particeps fieri potes, terræ sepulturâque.* (Ælian. Var. histor. lib. 13. cap. 30.)

Mater regis Darii Sisygambis, auditâ morte Alexandri, dolori succubuit: obvolutóque capite accidentes genibus suis neptem nepotémque (Drypetin & Oxathrem) aversata, cibo pariter abstinuit & luce. Quinto postquàm mori statuerat die, inedià vitam finiit. [*Diodor. fin. lib.* 17. *Justin. lib.* 13. *cap.* 2. *Curt. lib.* 10. *cap.* 8.]

Roxane prægnans, quum à Macedonibus coleretur, & alteram Alexandri conjugem Statiram majorem Darii filiam æmularetur, literis circumventam commentitiis evocavit. Quam, ut venit, cum sorore [Drypeti, Hephæstionis viduâ] necavit; ac cadavera earum in puteum præcipitavit, terrâmque ingessit: conscio & adjutore Perdiccâ. [*Plutarch. in fine Alexandri.*]

Roxane filium peperit, patris nomine Alexandrum dictum: quem mox regem militaris turba renunciavit. [*Arrian. in Biblioth. Photii, cod.* 92. *cum Pausaniâ in Atticis, & Dexippo in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag.* 48.]

Perdicca lustrationem castrorum, propter mortem Regis & discordiam quæ eam secuta est, edixit. Macedonicus autem lustrationis modus erat; ut discissæ canis viscera ultimo in campo, in quem deducerentur exercitus, ab utràque abjicerentur parte. Transeunte exercitu, Perdicca 300. ferè qui Meleagrum erumpentem ex concione, quæ prima habita est post mortem Alexandri, secuti erant, à cæteris discretos, elephantis in conspectu totius exercitùs objecit: omnésque belluarum pedibus obtriti sunt, ipso inspectante Aridæo; quem nihil ab infante differentem [ut in libro 2. de fortunâ Alexandri habet Plutarchus] purpurâ modò infantiliter involutum Meleager in solio constituit. Tum verò Meleager, quia ipsius corpori vis non adesset, in agmine quietus stetit! sed mox, desperatâ salute, in templum confugiens, occisus est. [*Justin. lib.* 13. *cap.* 4. *Curt. lib.* 10. *cap.* 12. *Arrian. apud Photium.*]

Alexandrum de toto regnò testamentum à se confectum in Rhodiorum civitate deposuisse, confirmat Diodorus Siculus [*lib.* 20. *ad ann.* 4. *Olymp.* 118.] Eo *testamento nationem omnem insuccessorii unius jura translatam*, in libro 23. Ammianus Marcellinus innuit. *Credidêre quidam, testamento Alexandri distributas esse provincias. Sed famam ejus rei, quanquam ab authoribus tradita est, vanam fuisse comperimus*; inquit Q. Curtius. [*lib.* 10. *cap.* 13.] Verùm opinionem illam alteram, ab authoribus & traditam & creditam, primi libri Maccabaici scriptor secutus fuisse videtur; qui Alexandrum, *cum adhuc viveret*, ministris suis illustribus regnum suum divisisse asserit. Et Alexandrinus Chronographus (ex quo collectanea Barbaro-latina à Scaligero edita, pag. 58. & 59. desumpta sunt) Alexandri testamento eam provinciarum inter Principes dispositionem factam fuisse significat; quam à Perdiccâ (cui imperii post mortem suam constituendi potestatem annulo tradito ille commisit) peractam, *Diodorus*, sub libri 18. initium) *Justinus*, (lib. 13. cap. 4.) *Curtius*, [lib. 10. cap. 13.] *Arrianus*, in Photii Bibliothecâ, cod. 92.] *Dexippus*, [ibid. col. 82.] & alii scripto prodiderunt. Ea autem, quantum ex eorum omnium inter se collatione intelligere possumus, fuit ejusmodi.

In Europâ, Thraciâ & Chersoneso, gentibúsque Thraciæ finitimis usque ad mare quod Salmydessum Ponti Euxini urbem attingit, Lysimachus Agathoclis filius Pellæus præfectus est. Quæ verò ultra Thraciam ad Illyrios, Triballos & Agrianos pertinent; ipsáque Macedonia, & Epirus ad Ceraunios usque montes pertingens; cum Græciâ universâ, Antipatro & Craterο obvenerunt.

In Africâ, Ægyptus & quicquid Libyæ ac Cyrenaicæ Alexander obtinuerat [cum omni illâ Arabiæ parte quæ Ægypto adjacet] Ptolemæo Lagi filio obtigit; quem *Sceteris* cognomentum à Rhodiis accepisse, indicat in Atticis Pausanias. A Macedonibus Philippi patris Alexandri filius fuisse credebatur. Mater enim Arsinoë, ex Philippo gravida, in uxorem ab eo tradita est Lago obscuro cuidam Macedoni. Undè, quum aliquando Ptolemæus [ut in libro de irâ cohibendâ refert Plutarchus] Grammaticum quendam ob inscitiam subsannans, interrogasset, *quis Pelei fuisset pater? Lagi patrem* à Rege sibi nominari petiit; obscuritatem generis illius eo dicterio perstringens. [*Vid. Curt. lib.* 9. *cap.* 15. *Pausan. in Attic. pag.* 5. *edit. Græc. Francofurt. & Suid. in voce* Λάγος.] Cleomenes verò, ab Alexandro vectigalibus hujus Satrapiæ præpositus, Ptolemæo provinciam tradere eique vicariam præstare operam jussus est. Et quia statim post mortem Alexandri Ptolemæus hanc satrapiam obtinuit, & quadragesimo pòst anno vitam ipse finit: principatûs inde Ægyptiaci annos 40, Lucianus, [*in Macrobiis*] Dexippus, [*in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag.* 49.] Porphyrius [*ibid. pag.* 225.] Clemens Alexandrinus, [*lib.* 1. *Strom.*] Eusebius [*in Chronico*] Epiphanius [*in lib. de ponderibus & mensur.*] & alii, illi attribuunt. Post quem & posteri, ad Cleopatram usque, regnum Ægyptiacum obtinuerunt; commune ab eo *Ptolemæorum* nomen adepti.

In minori Asiâ, Cappadocia & Paphlagonia, & regiones contermineæ Ponto Euxino adjacentes, usque ad Trapezuntem Sinopensium coloniam, (ad quas Alexander tempotis incommoditate, dum bellum cum Dario gereret, excursus non accesserat) Eumeni Cardiano sunt assignatæ: cum mandato, ut bellum cum Ariarathe gereret, qui solus tùm Macedonum detrectabat imperium. Pamphyliæ, Lyciæ, Lycaoniæ, & magnæ Phrygiæ satrapes constitutus est Antigonus:

gonus : minoris Phrygiæ, quæ Helleſponto adjacet, Leonnatus. Lydiæ (non mediterraneæ ſolùm, ſed etiam littoralis, id eſt, Æolidis & Ioniæ) ſatrapia Menandro ab Alexandro priùs conceſſa [teſte *Arriano*, lib. 3. pag. 56.] eidem confirmata eſt : pro quo, Meleagri nomen apud Diodorum irrepſit. Cariæ Caſſandro Antipatri filio, Ciliciæ & Iſauriæ præfectura Philotæ commiſſa eſt.

In majore Aſiâ, Leonnato Mitylenæo Syria cum Phœnice data eſt. Cypri inſulæ reguli poteſtatem ab Alexandro illis conceſſam aliquandiu retinuerunt. Armeniæ Neoptolemus, Meſopotamiæ Arceſilaus, Babyloniæ Archon præfectus eſt. Atropates Perdiccæ ſocer, Mediæ ſatrapes ab Alexandro relictus eſt. In hâc diviſione ; *Media majori Atropatum, minori ſocerum Perdiccæ præpoſitum* fuiſſe, referunt Juſtinus [*lib.* 13. *cap.* 4.] & Oroſius [*lib.* 3. *cap.* 23.] ipſum Atropatem Perdiccæ ſocerum fuiſſe neſcientes. Diodorus hîc, quaſi ſui oblitus, Mediam *Pithoni* primùm, deinde *Atrapæ* vel *Atropatæ* potiùs ; à Perdiccâ traditam fuiſſe ſcribit. [*lib.* 18. *pag.* 587. & 588. *edit. Græcolatin.*] Sed re poſteà rectiùs conſideratâ, in ſecundâ demùm ſatrapiarum partitione ab Antipatro in Triparadiſo factâ Pithoni Mediam obtigiſſe agnoſcit : [*lib.* 19. *pag.* 660.] neque à genero aliquam dignitatis partem Atropatæ fuiſſe ademptam, ullo modo fit veriſimile. Bactrianæ citerioris & Sogdianæ adminiſtratio Philippo conceſſa eſt : Sogdianæ tamen communicato cum Oropio imperio ; quem accepto ab Alexandro illius regno ob perduellionem exutum fuiſſe, *Dexippus* indicat. In Perſidis ſatrapiâ Peuceſtes, in Hyrcaniæ & Parthiæ [quas ſimul cenſas fuiſſe, confirmat etiam Strabo, lib. 11. pag. 514.] Phrataphernes, in Carmaniæ Tlepolemus Pythophani filius ; in Bactrianæ ulterioris & Paropamiſi Oxyartes ſive Oxathres (Roxanes pater & Alexandri ſocer) in Atiæ & Drangianæ (juxta Taurum) Staſanor Solinis, in Suſianæ Scynus, in Arachoſiæ & Gedroſiæ Sibyrtius, ut ab Alexandro conſtituti fuerant, relicti ſunt. Indiæ ora, à Paropamiſo atque ab Aceſinis & Indi confluentibus uſque ad Oceanum, Pithoni Agenoris filio permiſſa eſt : ſicut Mallorum & Oxydracarum ſatrapia Eudemo vel Eudæmoni Thracum duci, reliquâque India Poro, & Taxili, & Abiſari filio ; quos ab ipſo Alexandro iis in locis conſtitutos ſuprà vidimus.

Cùm hæc diviſio veluti fatale munus ſingulis contigiſſet, magna incrementorum materia plurimis fuit. Siquidem non longo pòſt tempore, quaſi regna, non præfecturas diviſiſſent : ſic reges ex præfectis facti, magnas opes non ſibi tantùm paraverunt, verumetiam poſteris reliquerunt. (*Juſtin. lib.* 13. *cap.* 4.) Atque ita maximum in terris Macedonum regnum nomenque inde morte Alexandri diſſractum in multa regna eſt. [*Liv. lib.* 45.] Hujus tamen honoris ornamentis tamdiu omnes abſtinuerunt, quamdiu filii regis ſui ſupereſſe potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit ; ut cùm opes regias haberent, regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro juſtus hæres fuit. [*Juſtin. lib.* 15. *cap.* 2.] Quæ omnia à Spiritu ſancto, Daniel. XI. 4. clarè fuerunt prædicta.

d. De mandatis Cratero ab Alexandro datis, Perdiccas deliberationem ad publica Macedonum comitia retulit. Quæ licèt illi approbarent : tamen cùm ſupra modum ardua perfectuque difficillima viderunt, nihil eorum paragendum ſtatuerunt. [*Diodor. ann.* 2. *Olymp.* 114.]

* Poſt Jaddum filius ejus Onias I. apud Judæos Pontifex maximus fuit [*Joſeph. in fine lib.* 11. *Antiquit.*] annis 21.

Græci veterani ab Alexandro in ſuperiorum ſatrapiarum coloniis collocati redeundi in patriam deſiderio affecti, quòd ad extremos imperii fines eſſent rejecti, à Macedonibus defecerunt ; Philone Æniane duce ſibi electo. Et jam ultra 20 millia peditum, & 3. millia equitum omnes bellorum certamina ſæpiſſimè expertos, & eximiæ fortitudinis viros, contraxerant. Adversùs hos, ex Macedonum agmine 3000 pedites & 800 equites ſorte delectos Pithoni (qui à cuſtodiâ corporis Alexandro fuerat, vir animi celſi & ductandi exercitûs peritus) ducendos Perdiccas tradidit : literis etiam ad præfectos datis, ut his peditum decem & equitum octo millia adderent. Pithon verò Græcos humanitate ſibi conciliare, auctiſque per horum ſocietatem copiis, ſuis providere commodis & provincias ſuperiores in ſuam poteſtatem redigere cogitabat. Quod animadvertens Perdiccas, ut rebelles armis edomitos trucidaret, ſpoliaque militibus diſtribueret, edicto cavit. Cùmque Pithon corrupto per quendam Æmanem Lipodoro, qui trium millium agmini apud rebelles præerat, victoriam obtinuiſſet : præcone ad devictos miſſo, ut arma deponerent edixit, & datâ acceptâque fide, ſuam quiſque domum reverterentur. Sed Macedones mandatorum Perdiccæ memores, poſthabitâ jurisjurandi religione, univerſos confoderunt, opeſque diripuerunt. Ita Pitho, ſpe ſuâ fruſtratus, cum Macedonibus ad Perdiccam eſt reverſus. [*Diodor. ibid. Prolog. Trogi, lib.* 13.]

Ptolemæus Ægyptum citra periculum adeptus, humanum ſe regionis ejus incolis exhibebat : & octo millibus talentûm potitus, conductis, qui æra mererentur, exercitum comparabat. Complures etiam amicè erga illum affecti, propter æquitatem, ad ipſum confluebant. Cúmque certò futurum ſciret, ut Perdiccas Ægypti ſatrapiam ipſi adimere conaretur ; cum Antipatro ſocietatis fœdus inivit. [*Diodor. ut ſupr.*] & reges finitimos beneficiis obſequiſque ſibi devinxit. [*Juſtin. lib.* 13. *cap.* 6.] Cleomenem quoque, vicarium ſibi adjunctum, quòd Perdiccæ ſtuderet, ſibi ſuſpectum occidit, & Ægyptum præſidiis firmavit. [*Pauſan. Attic. pag.* 5. *edit. Græco-latin.*]

3682 Habebant in mandatis Leonnatus & Antigonus, ut magnâ manu Eumenem Cardianum in ſatrapiam Cappadociæ & Paphlagoniæ inducerent. Antigonus, elatus jam animo atque deſpiciens omnes, Perdiccæ litteris non obtemperavit : Leonnatus verò ex ſuperioribus provinciis deſcendens in Phrygiam, recepit Eumeni ſe illam expeditionem ſuſcepturum. Sed quum Cardianorum Hecataeus tyrannus, cum illo congreſſus, oraret ut Antipatro potiùs & obſeſſis Lamiæ Macedonibus ſubſidio veniret, in Græciam trajicere inſtituit : quò etiam invitavit Eumenem,

cúmque

cúmque reconciliare enitus eſt cum Hecataeo. Detrectante verò expeditionem Eumene, & timere ſe Antipatrum dicente; fidem habens ei Leonnatus, nihil cum conſiliorum ſuorum celavit. Sed cùm ad ſocietatem ſuam perducere eum non poſſet, interficere conatus eſt: & feciſſet niſi ille clàm ex præſidiis ejus effugiſſet. Nocte enim cum impedimentis ſuis diſceſſit: habens ſecum equites 500, & ex miniſtris ſuis ſtipatores 200, atque auri ad argenti rationem quinque talentùm millia. Cùm autem ita ad Perdiccam fugiſſet, Leonnatique conſilia enuntiaſſet; ibi-tim apud eum multum valuit, atque adhibitus eſt in concilio. [*Plutarch. & Æmil. Prob. in Eumene.*]

Leonnatus Antipatro opem ferens, à Græcis in prælio occiditur. [*Diodor. ann. 2. Olymp. 114. Juſtin. lib. 13. cap. 5. Plutarch. in Phocione. Arrian. apud Photium.*]

Thimbro, interfecto in Cretâ per dolum Harpalo, (qui direptis Alexandri theſauris ex Aſia profugerat) & quicquid illi pecuniarum reliquum erat, unà cum exercitu & claſſe, potitus; ex Cydonia urbe Cretenſium, cum ſex (vel ſeptem, ut *Diodorus* innuit) militum millibus in Cyrenem trajecit, accerſitus à Cyrenenſium Barcenſiúmque exſulibus. *Diod. & Arrian. ut ſuprà. Strabo, lib. 17. pag. 837.*]

Inito cum Cyrenæis conflictu, Thimbro multos eorum occidit, nec paucos cepit. Inde redacto in poteſtatem ſuam portu, expugnatos & perterritos Cyrenæos ad pacificationem adegit hàc lege; ut quinque millia talentùm argenti perſolverent, dimidiámque curruum partem ad expeditionem inſtructam præberent. Per legatos etiam ab aliis urbibus, ut ſocietatem irent ſecum, contendit; finitimam ſubjugare Libyam præ ſe ferens. Quin & relictas in portu mercatorum opes invaſit, & diripiendas militibus, ut ad promptitudinem in bello invitarentur, conceſſit. [*Diodor.*]

Mnaſicles Cretenſis, Thimbronis ducum unus rerum bellicarum peritus ſed turbulenti homo ingenii, ad Cyrenæos defecit: multíſque crudelitatem Thimbronis & perfidiam criminatus, ad ſolvendum pacta & libertatem aſſerendum illos ſuadendo perpulit. Propterea, cùm 60 tantùm talentis exhibitis reliqua pecuniæ ſumma non exſolveretur: Thimbro quotquot tùm in portu aderant, Cyrenæos, numero 800, comprehendit; & continuò admotis urbi copiis, tum ſuis tum Barcæorum & Heſperitarum, cum eo militantium, Cyrenen oppugnavit. Sed cùm nihil efficere valeret, in portum retroceſſit. [*Id.*]

Cyrenæi parte copiarum in urbe relictâ, cum cæteris finitimorum agros populatum eunt. His ergo Thimbronis opem implorantibus, quicquid tùm præſtò erat militum ad ſuppetias educit. Quo tempore magnam in portu ſolitudinem eſſe conjectans Mnaſicles, relictis intra Cyrenen invadendi portus auctor eſt. Quibus è veſtigio morem gerentibus, impetum ille facit in portum; eóque propter Thimbronis abſentiam facilè potitus, quicquid mercium adhuc reliquum erat negotiatoribus poſtliminio reddit, ac portum omni ſtudio tutatur. Malè hoc primùm habebat Thimbronem, quòd opportuno excidiſſet loco, & impedimentorum jacturam fecilſet: ſed reſumptis pòſt animis, cùm oppidum Taricha expugnaſſet, ſpes iterùm arrexit. [*Id.*] 4392 322

Claſſiarii Thimbronis milites, quum excluſi portu cibarius indigerent, excurſibus in agros quotidie factis alimenta ſibi conquirebant: quos per regionem diſpalantes Afri ex inſidiis adorti, magnum ex iis numerum cædunt, nec minorem capiunt. Superſtites igitur fugâ ad naves elapſi, ad ſocias inde urbes navigárunt. Sed quum vehemens tùm ventus inſurreXiſſet, navium plurimas mare abſorpſit: de cæteris, pars in Cyprum, pars in Ægyptum à fluctibus ejecta eſt. Quo ſucceſſu animoſiores facti Cyrenæi, pugnâ cum Thimbrone commiſsâ, plurimos de militibus ipſius peremerunt. [*Id.*]

Craterus è Ciliciâ profectus, cum ſex millibus qui cum Alexandro in Aſiam trajecerant & quatuor millibus eorum quos in itinere aſſumpſerat, Perſis præterea ſagittariis ac funditoribus mille & 1500 equitibus, ad ferendas Antipatro ſuppetias, in Theſſaliam venit: ubi primas ultrò concedens Antipatro, junctis cum eo caſtris ad Penæum fluvium conſedit. Signis deinde apud Cranona menſe Munychione (ſive Aprili) Græcos ſuperárunt. [*Id. cum Arriano, & Plutarcho in vitâ Phocionis, & Demoſthenis.*]

Thimbro, conductis peregrinis militibus, qui plures quàm 2500 numero ſine ſtipendiis ad Tænarum adhuc oberrabant, bellum cum Cyrenæis redintegravit. Illi, à finitimis Afris & Carthaginiencibus ſuppetias accerſentes, triginta millibus in univerſum cum oppidanis ſimul coactis, de ſummâ rerum cum Thimbrone acie diſceptâunt: magnóque inito conflictu, multis eorum interemptis, Thimbro victoriam eſt conſecutus. Tum Cyrenæi, exſis in acie cunctis ducibus, Mnaſiclem Cretenſem cum aliis quibuſdam exercitui præficiunt. Thimbro victoriâ elatus, portum Cyrenenſem obtinet, & quotidie Cyrenem oppugnat. Bello tandem in longum protracto, Cyrenæi commeatûs inopiâ laborantes, inter ſe diffidere cœperunt: & plebs viribus ſuperior opulentos urbe pepulit. Qui patriâ amiſsâ partim ad Thimbronem, partim in Ægyptum perfugerunt. [*Diodor. ut ſupr.*]

Qui in Ægyptum ſe receperunt, Ptolemæo ad reducendum ſe permoto, cum validis peditum & claſſiariorum militum copiis, duce Ophellâ Macedone reverſi ſunt. Quorum audito reditu, qui cum Thimbrone erant exules noctu ſe illis adjungere feſtinabant: ſed re detectâ, trucidati ſunt omnes. Tum plebis Cyrenaicæ ductores, territi exulum reditu, pace cum Thimbrone initâ, conjunctis viribus cum Ophellâ confligentes, debellati ſunt. [*Id.*]

Thimbro in fugâ ab Afris quibuſdam bigas agentibus comprehenſus, ad Epicydem Olynthium, cui Teuchiram urbem curandam Ophellas commiſerat, adductus eſt. Eum Teucherinæ, Ophella permittente, flagellis cæsum in Cyrenenſium portum de cruce ſuſpendendum miſerunt. Cyrenæis verò adhuc ſeditionem moventibus ipſe Ptolemæus acceſſit; rebúſque omnibus conſtitutis, domum renavigavit. [*Arrian. apud Photium.*]

Perdiccas

Perdiccas regem Philippum regiásque copias secum habens, in Ariarathen Cappadociæ regulum, quòd Eumeni Cardiano ibi imperare jusso non cessisset, expeditionem suscepit. Magnas Ariarathes tum popularium tum exterorum copias sibi comparaverat: 30 peditum, 15 millia equitum sub vexillis habens. Duobus præliis commissis, Perdiccas victor quatuor millia interfecit, & supra sex millia vivos in potestatem accepit, inter quos ipse etiam Ariarathes fuit. Hunc omnesque propinquos excarnificatos in crucem egit. Victis autem incolumitate concessâ, postquàm res in Cappadociâ constituisset, satrapiam Eumeni (prout in partitione destinatum erat) gubernandam tradidit. (*Diodor. cum Arriano, & Plutarcho in Eumene, & Appiano in Mithridaticis, pag.* 175.)

Eumenes urbes commisit amicis suis, iisque præfectos cum præsidiis imposuit. Judices ibidem & procuratores, quos sibi visum fuit, reliquit; nihil in his se ingerente Perdiccâ. Inde unà cum Perdiccâ remeavit: quod tribuit ejus observantiæ, & ne abesset ab aulâ. (*Plutarch.*)

Perdiccas & rex Philippus, relictâ Cappadociâ, in Pisidiam profecti; duas urbes, unam Larandæorum, Isaurensium alteram, evertere decreverunt. Nam hæ, vivente adhuc Alexandro, Balacrum Nicanoris filium, ducem illis ac satrapam designatum, occiderant. Larandæorum itaque urbem primâ incursione subigunt: & trucidatis puberibus, aliisque sub coronâ venditis, urbem solo æquant. Isaurenses obsessi, incensâ urbe, se cum opibus cremant. Milites quibus diripiendam urbem Perdiccas concessit, flammâ restinctâ, multum argenti auríque reperiunt. (*Diodor. ann.* 2. *Olymp.*114.) A Cappadocibus factum incendium hoc, victo Ariarathe, refert *Justinus*, (*lib.*13. *cap.*6.) & eum secutus *Orosius*. (*lib.*3. *cap. ult.*)

Iollas Antipatri filius & Archias è Macedoniâ ad Perdiccam venerunt; adductâ in uxorem illi Nicæâ Antipatri filiâ. Eam Perdiccas, priusquàm res ipsius confirmatæ erant, jam antè desponderat. Sed postea quàm regias copias regnique administrationem & tutelam adeptus erat; Cleopatram Philippi filiam & germanam Alexandri sororem, Eumene Cardiano inprimis suadente, matrimonio sibi jungere constituit. Interim verò, quo faciliùs ab Antipatro supplementum tyronum ex Macedoniâ obtineret, & ne conatibus suis reluctantem illum haberet, Nicæam duxit: Alcetæ fratris præcipuè consilio ad nuptias illas inclinatus. (*Diodor. & Arrian. cum Justino, lib.*13. *cap.*6.)

Cynna quoque Philippi filia & Alexandri soror (sed non ex eâdem matre) filiam suam Adeam, quæ posteà Eurydices cognomen sulit, Philippo Aridæo uxorem adducebat. Cynnam verò Perdiccas & frater ejus Alcetas occiderunt. Unde Macedonum seditione ortâ, ad eam sedandam Perdiccas filiam ipsius Aridæo, matrimonio conjungendam procuravit. [*Arrian. apud Phot.* ubi Cynane *appellatur*; *quæ ab eodem Arriano in lib.* 1. *de rebus Alexandri pag.*5. Cyna, *atque à Diodoro ad ann.* 1. *Olymp.*116. *& Athenæo in lib.*13. *cap.*2. Cynna *est nominata.*]

Perdiccas ex Ciliciâ ablegavit Eumenem, verbo ad suam provinciam, revera ut confinem Armeniam a Neoptolemo commotam in potestate retineret. Quem Eumenes, quamvis animi tumore inflatum, blandis verbis elaboravit in officio continere. (*Plutarch. in Eumene.*)

Eumenes phalangem Macedonum inflatam & ferocem inveniens ex provincialibus manum equestrem collegit; vectigalia eis remittens, & immunitatem dans. Equos etiam emit, quos distribuit iis quibus ex comitatu suo maximè fidebat: largitionibus animos eorum inflammans, corporáque itineribus faciendis ac laboribus exercens. Unde exiguo spatio equites non minùs 6360 ab eo coacti sunt. (*Id. ibid.*)

3683 Antipater & Craterus in Græciâ Ætolis bellum intulerunt. Quos cùm Crateri milites per hyemem in locis nive conspersis perdurare cogerent: commeatûs inopiâ extremum in discrimen venerunt. (*Diodor.*)

Perdiccæ munera Sardes ad Cleopatram Eumenes attulit: cùm jam Perdiccæ esset decretum, Nicæâ Antipatri filiâ repudiatâ, ejus in locum Cleopatram ducere. Id Menander Lydiæ satrapa Antigono, qui amicitiam cum Antipatro colebat, significavit. (*Arrian.*) Cúmque Antigonum Perdiccas calumniis & criminationibus iniquis oppressum occidere statuisset: ille, quasi contra objecta se crimina defensurus esset, præ se ferebat. Interim fugâ clàm adornatâ cum familiaribus Demetrioque filio, naves Atticas noctu ingressus in Europam, ut cum Antipatro se conjungeret, contendit. (*Diodor.*) 4593 321

Cum Aristander Telmissensis vates, à Diis sibi revelatum finxisset, eam terram quæ Alexandri corpus exciperet felicissimam & ab hostium incursionibus in perpetuum futuram liberam: de eo potiundo inter Macedonum duces, Perdiccam inprimis & Ptolemæum, magno studio est certatum. (*Ælian. lib.* 12. *cap.* 64.) A Perdiccâ suis negotium datum erat, ut Ægas illud deportarent. (*Pausan. in Attic. pag.* 5.) Sed Aridæus qui illud apud se servabat, contra Perdiccæ voluntatem cum eo ad Ptolemæum profectus est; à Babylone per Damascum in Ægyptum iter faciens. Qui sæpenumerò licèt a Polemone Perdiccæ familiari impeditus, pervicit tamen, re ex animi tui sententia gesta. (*Arrian. apud Phot.*)

Aridæus igitur, biennio in funeris apparatu insumpto, (cujus magnificentia à Diodoro copiosè describitur) è Babylone corpus Alexandri deportavit: ingente opificum & aliorum qui vias aperirent & pompam deducerent multitudine comitante. Ptolemæus verò cum exercitu ex Ægypto Syriam usque obviam processit. (*Diodor. ann.* 3. *Olymp.* 114.) acceptúmque corpus Macedonico ritu Memphi condidit. (*Pausan. Attic. pag.*5.) & inde paucis post annis Alexandriam transtulit. (*Curt. lib.*10. *cap. ult.*) quam tamen translationem à filio ejus Ptolemæo Philadelpho factam fuisse, (Pausanias significat, (*in Attic. pag.*6.) Vid. Strabon. lib. 17. pag. 794.

Perdiccas in Cappadociâ congregatis amicis & ducibus, utrum in Macedoniam agmen movendum, an prùs in Ptolemæum arma expedienda essent, deliberandum proposuit. Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri: sed magis in rem vitum est ab Ægypto incipere, ne

in

in Macedoniam profectis Asia a Ptolemæo occuparetur. Eumeni igitur, præter provincias quas acceperat, Caria, & Lycia, & Phrygia à Perdiccâ sunt adjectæ: partisque illius Asiæ, quæ inter Taurum montem & Hellespontum jacet, præfectura illi est commissa. Copiarum etiam quæ in Cappadociâ & Armeniâ erant dux cum summo imperio creatus, Craterum & Antipatrum opperiri, locisque ad Hellespontum occupatis, transitum eorum prohibere jussus est. Alcetæ quoque fratri suo, & Neoptolemo Perdiccas præcepit, ut Eumeni in omnibus parerent; Eumenem verò voluit pro suo agere arbitrio. Clito cura classis est tradita: Cilicia Philotæ adempta, Philoxeno data. Ipse verò Perdiccas Damasco profectus, quò speciosiorem causam expeditioni prætexeret, regem Aridæum & Alexandrum puerum Alexandro Magno & Roxane genitum in exercitu habuit, & cum eis Ægyptum versùs, adversùs Ptolemæum dimicaturus, iter instituit. [*Diodor. Justin. lib.* 13. *cap.* 6. *Arrian. Plutarch. & Æmil. Prob. in Eumene. Pausan. in Attic. pag.* 5.]

Cùm Antipater & Craterus ab Antigono audivissent Perdiccam, acceptâ in matrimonium Cleopatrâ, cum exercitu in Macedoniam tanquam regem ad imperium illis adimendum esse venturum: pace cum Ætolis protinùs factâ, Polysperchontem Græciæ & Macedoniæ præposuerunt; ipsi verò è Chersoneso Hellespontum trajecerunt, trajectus custodibus clàm per legatos deceptis. Legatos etiam ad Ptolemæum, Perdiccæ maximè infensum ipsisque amicum & iisdem insidiis appetitum, de societate jungendâ mitti placuit. Missi sunt & ab his ad Eumenem ac Neoptolemum, Perdiccæ obnoxios, legati: quibus Neoptolemus quidem assensus est, Eumenes verò minimè. [*Diodor. Justin. ut supr. Arrian.*]

Alcetas, cum Macedonibus quibus præerat, expeditionem in Antipatrum & Craterum suscipere apertè abnuit: Neoptolemus verò, invidiâ adversùs Eumenem stimulatus, non modò clàm cum illis societatem est pactus, verumetiam insidias Eumeni struxit, & prodere exercitum ejus voluit. Quam rem cùm præsensisset Eumenes, cum proditore decernere prælio necesse habuit: magnâque strage factâ, impedimenta illius cepit, & reliquam multitudinem sibi adjunxit; magno bonorum ex Macedonibus virorum numero copias suas adaugens. Neoptolemus cum 300. equitibus ex acie elapsus, ad Antipatrum & Craterum profugit. Ab illis ad Eumenem legati missi, qui inducerent eum ut transiret ad ipsos; retentis provinciis suis, acceptisque insuper ab ipsis aliis. Quo respondente, priùs vitam se quàm fidem relicturum: in duas partes exercitum divisêre. Cum unâ Ciliciam versùs progressus est Antipater; ut inde in Ægyptum profectus, unà cum Ptolemæo contra Perdiccam decertaret: cum alterâ Craterus est relictus, adversùs Eumenem dimicaturus.

Eumenes, hostium adventu cognito, veritus ne si copiæ suæ cognoscerent adversùs quos ducerentur, non modò non ituras, sed simul cum nuncio in diversa fugituras; deviis itineribus eas duxit, in quibus vera audire non possent: rumore divulgato, Neoptolemum iterùm ingruere & Pigrim cum Cappadocum & Paphlagonum equitatu. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, ut equitatu potiùs dimicaret quo plus valebat, quàm peditatu quo hostibus erat inferior. Peditum 20. millia ex diversis nationibus ille ducebat; equitum verò millia quinque, quorum virtute certaminis periculum decernere constituerat. Equites aliquanto plures quam 2000. Craterus habebat: pedites autem, numero quidem Eumeni pares, sed majore parte Macedones, celebratæ strenuitatis viros, in quibus spem victoriæ collocaverat.

In Cappadociâ instructâ utrinque acie, Craterus dextrum administrabat cornu, sinistro Neoptolemum præfecit. Eumenes Cratero ex adverso neminem locavit Macedonum, sed duas externorum equitum alas, quas Pharnabazus Artabazi filius & Tenedius Phœnix ducebat; jubens, ut nullis editis vocibus in Craterum irrumperent: ipse cum trecentis equitibus fortissimis Neoptolemum adortus est. Tum Craterus cum turma delectorum in hostes impressione factâ, insigniter quidem decertavit; sed equo cespitante, à Thrace quodam (vel Paphlagone, ut *Arrianus* innuit) in latus decurrente hastâ transfossus in terram decidit; quem unus ex Eumenis ducibus cognoscens, custodiam corpori graviter jam affecti animámque agentis adhibuit. Eumenes interea & Neoptolemus inter se complexi in terram ex equis deciderunt; ut facilè intelligi posset inimicâ mente contendisse, animoque magis etiam pugnasse quàm corpore. Tum Eumenes Neoptolemi poplitem feriit: qui mox acceptâ plagâ enervatus jacuit. Animi tamen firmitate corporis imbecillitatem superante, in genua connixus, adversarii brachium & femur tribus ictibus sauciavit. Quorum cùm nullus esset lethalis; Eumenes secundo ictu collum impetens, Neoptolemum obtruncavit: diebus circitèr decem, postquàm eundem priori prælio fugaverat. [*Iid.*]

Eumenes Craterum ex acie semivivum elatum recreare studuit: cúmque id non posset, multis lachrymis & extensâ dextrâ sortem ejus miseratus, pro hominis dignitate atque pristinâ amicitiâ amplo funere extulit; ossáque in Macedoniam uxori ejus ac liberis remisit. [*Plutarch. & Æmil. Prob. in Eumene.*]

Duce utroque interfecto, multis præterea & maximè nobilibus captis, cornúque utroque in fugam acto, profligati equites ad phalangem peditum, tanquàm ad prævalidum quendam murum, se receperunt. Eumenes hâc victoriâ contentus, tubâ militibus revocatis, trophæum excitavit, & eos qui in acie ceciderant funeravit. Pedestris verò Macedonum exercitus, qui in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem ab eo impetravit: datáque per jusjurandum fide, potestatem in pagis vicinis frumentandi accepit. Verùm resumptis viribus, comparatísque alimentis, contra jurejurando obstrictam fidem noctu inde digressus, clàm ad Antipatrum se recepit. (*Diodor. cum Arrian. & Æmil. Prob.*]

Perdiccas cum Regibus (Aridæo & Alexandro puero) & copiis in Ægyptum veniens, non procul ab urbe Pelusio castra posuit: ubi dum fossam quandam antiquam repurgare instituit,

3683 Nilus ſupra modum effuſus opera labefactavit. Et licèt Ptolemæus objecta crimina coram multitudine ita purgaſſet, ut injuſtè accuſatus videretur : bellum tamen, contra voluntatem multitudinis, illi intulit. (*Diodor. & Arrian.*)

Quum Perdiccas videret multos amicorum, caſtris ejus deſertis, ad Ptolemæum tranſire: ductoribus convocatis, alios donis, alios promiſſis magnificis, omnes denique colloquiis humanis ſibi conciliavit. Inde clàm ſub veſperam caſtris motis, juxta Nilum conſedit, non procul à caſtello quodam cui Murus Camelorum erat nomen. Illuceſcente die, tranſmiſſis copiis & elephantis oppugnationem caſtelli aggreſſus, & à Ptolemæo fortiter repulſus, in caſtra ſua retrocedere coactus eſt. Quibus noctu motis itinere tacito in regionem quandam venit Memphi adverſam, ubi Nilus in duas partes ſciſſus inſulam effecit recipiendis caſtris idoneam. Quò dum exercitum trajicere conaretur, plures duobus millibus perierunt : inter quos non pauciores mille, diu hùc illuc jactati, à belluis in fluvio ſunt devorati. Ptolemæus autem ejectorum ad ipſum corpora combuſſit, juſtiſque exequiarum peractis, oſſa defunctorum neceſſariis & amicis tranſmiſit. Unde Macedonum animi in Perdiccam longè magis efferati, benevolentiam ſuam ad Ptolemæum inclinàrunt. (*Diodor.*)

Seditione in caſtris ortâ, ducum primores ad centum numero deſciverunt : inter quos nobiliſſimus erat Pithon nulli amicorum Alexandri virtute & gloriâ ſecundus. Equitum verò nonnulli, conſpiratione factâ, oppreſſum in tentorio Perdiccam trucidárunt : quum per tres annos (vel, tertio jam currente anno) principatum obtinuiſſet. [*Id. cum Arriano, Juſtino lib. 13. cap. 8. Pauſan. in Attic. pag. 5. & Æmilio Probo in Eumene ; qui* Perdiccam apud flumen Nilum interfectum à Seleuco & Antigono *fuiſſe ſcribit.*]

Poſtridie congreſſis ad concionem militibus, Ptolemæus ad Reges, tranſmiſſo Nilo profectus eſt : donisque allatis & variis quoque obſequiis tam eos quàm cæteros Macedonum proceres amanter complexus eſt. Et quum à ſe facta excuſaſſet ; quòd commeatus defecerat ; largam frumenti copiam exercitui ſubminiſtravit, aliiſque neceſſariis caſtra replevit. Quin & ipſorum Perdiccæ amicorum vicem dolere ſe palàm oſtendit : & quibuſcunque Macedonibus periculum aliquod imminere videretur, eoſdem ille omni ope ac ratione metu liberare ſtuduit. Quanquàm vero gratia quâ apud multitudinem valebat Regum tutelam vindicare ſibi facillimè potuiſſet : conſilio tamen huic effecit, ut quum deliberationem Macedones de imperio propoſuiſſent, omnes propenſis animis Pithonem (qui Græcos in ſuperiore Aſiâ à Macedonibus deficientes debellaverat) & Aridæum (qui Alexandri corpus deportaverat) regum Aridæi & Alexandri pueri curatores cum ſupremâ poteſtate crearent ; & copiis univerſis, Perdiccæ loco, præficerent. [*Diodor. & Arrian.*]

Duobus poſt Perdiccæ interitum diebus, de victoriâ Eumenis in Cappadociâ cædéque Neoptolemi & Crateri nuncius pervenit : qui ſi duobus diebus illum antevertiſſet, propter ſucceſſûs magnitudinem nemo Perdiccæ manus inferre fuiſſet auſus. Ob Crateri verò necem infenſi Macedones, Eumenem hoſtem declaràrunt, & de adjunctis ipſi viros nobiliſſimos 50. quorum in numero erant, & Pitho Illyrius (ſic enim conjunctim apud Juſtinum lego ; ut etiam apud Arrianum in Indicis, pag. 181. Πιθῶν Ἐρυτιᾶ Ἀλκομήνιος, quæ Stephano urbs eſt Illyridis) & Perdiccæ frater Alcetas. Dux contra eos Antigonus cum Antipatro delectus eſt : evocatuſque è Cypro eſt Antigonus, & unà cum Antipatro ad Reges feſtinare juſſus. [*Diodor. & Arrian. cum Juſtino, lib. 13. cap. 8. & Plutarcho in Eumene.*]

Interfecti etiam ſunt à Macedonibus in Ægypto amicorum Perdiccæ fideliſſimi, & ſoror ejus Atalanta ; quam Attalus claſſis Imperator, qui tùm ad Peluſium agebat, uxorem duxerat. Ille certior de uxoris & Perdiccæ cæde factus, cum claſſe ſolvens, Tyrum appulit. Ubi Archelaus Macedo, præſidio urbis præfectus, comiter eum excepit ; urbemque, cum 800 talentis à Perdiccâ cuſtodiæ ſuæ commiſſis, ei tradidit. Ita Attalus ad Tyrum ſubſiſtens, quicunque è caſtris ad Memphim Perdiccæ amicorum evaſerant, collectos recreavit. [*Diodor.*]

Eurydice, regis Aridæi conjux, Pithonem & Aridæum Regum curatores nihil ſe inconſultâ volebat agere. Qui primò quidem non repugnàrunt : pòſt tamen, nihil illi commune cum Republicâ eſſe ; ſibi verò illam, dum Antigonus & Antipater veniant, curæ fore reſponderunt. [*Arrian.*]

Pithon & Aridæus à Nilo cum Regibus & copiis profecti, in Triparadiſum ſuperioris Syriæ pervenerunt. Ibi dum Eurydice multa curioſiùs agit, & curatorum ſtudiis adverſatur ; Pithon incommoditate illâ offenſus, quòd & Macedones in mandata ejus magis intentos videret, advocatâ concione, tutelâ ſe abdicavit. Macedones ergo Antipatrum cum ſummâ poteſtate curatorem elegerunt. [*Diodor.*]

Exercitus ab Antipatro quæ Alexander promiſerat militiæ præmia poſcit. Antipater, cùm in præſentiâ nihil haberet, æquum poſtulare reſpondit : ſeque mox theſauros regios, quæque alibi recondita eſſent, exploraturum eſſe pollicitus. Quæ ipſius oratio parùm jucunda fuit exercitui. Quare cùm Eurydice quoque criminationes adverſùs Antipatrum foveret, plebe indignante, ſeditio cooritur. Quo tempore & Eurydice in eum concionatur (Aſclepiodoro ſcribâ ſermonem ejus referente) & præter eam item Attalus : planè ut vix cædi ereptus ſit Antipater. Ejus patrocinium Antigonus & Seleucus apud inconditam plebem ſuſceperunt : qui & ipſi propterea non parùm de vita periclitati ſunt. Morti ergo ereptus Antipater ad ſuum ſe recepit exercitum, & equitum præfecti dein evocati convenerunt : vixque tandem ſeditioni fine dato, Antipatrum rursum, ut antea, ſummæ præeſſe rei jubent. [*Arrian.*]

Dehinc Satrapiarum in Triparadiſo ab Antipatro facta eſt partitio : quâ priorem partim ratam habuit, partim ubi temporum neceſſitas exigeret innovavit. Et Ptolemæo quidem, quam huc uſque tenuerat, aſſignavit. Fieri enim haud poterat, ut is aliò transferretur ; propterea quòd ſuâ ipſius virtute Ægyptum velut armis partam obtinuiſſe videretur. Meſopotamiam & Arbelitidem

Amphi-

Amphimacho regis fratri, Babyloniam Seleuco, Parthiam Philippo, Ariam & Drangianam Stasandro Cyprio, Bactrianam & Sogdianam Stasanori Solio ex eadem insulâ oriundo, attribuit. Mediæ, Atropatæ (mortuo Perdiccâ genero suo) ademptæ, ad Caspias usque portas præfecturam Pithoni Crateæ sive Cratevæ filio assignavit. Unde Atropates minorem Mediam, à se Atropatiam nominatam, à Macedonum potestate avertens, ditionis illius ab aliis separatæ regem se constituit: cujus successionem ad sua usque tempora ibidem duravisse, testatur Strabo. [*lib.* 11. *pag.* 523.] Antigeni (pro quo, *Antigoni* nomen apud *Diodorum* perperam legitur) argyraspidum ductori, quòd primus Perdiccam invasisset, Susianæ præfectura, & pecuniæ Susis colligendæ cura commissa est: eique è Macedonibus, qui maximè tumultuati fuerant, ad tria millia traditi. Reliquæ majoris Asiæ satrapiæ in eodem quo priùs fuerant statu relictæ sunt, nisi quòd *Patala*, urbem Indorum maximam, Poro regi cessisse *Arrianus* referat: quod nos non facilè admittimus.

In minore Asiâ, Cappadocia (& cum eâ conjuncta Paphlagonia; ademptę Eumeni provinciæ) Nicanori, Lydia (non Lycia, ut apud *Diodorum* legitur) Clito, Phrygia minor ad Hellespontum posita Aridæo data est. Cariam Callander; magnam Phrygiam, Lycaoniam, Pamphyliam & Lyciam Antigonus, ut antèa, retinuit. Apud *Diodorum*, pro *Lyciâ*, malè hic posita est *Cilicia*: quam Philoxeno datam ab Antipatro idem ipse priùs dixerat; vel (ut apud *Arrianum* est) confirmatam potiùs. Eam enim provinciam Philotæ ademptam dedisse Perdiccam Philoxeno, ex *Justino* (*lib.* 13. *cap.* 6.) suprà audivimus.

Antigonum hunc (quem, quòd uno careret oculo *Cyclopem* appellatum scribit Ælianus, *lib.* 12. *Var. histor. cap.* 43.) regii exercitûs imperatorem constituit Antipater, iisdemque copiis quibus anteà Perdiccas præfuerat cum præfecit, eique Regum curam custodiámque mandans, bellum cum Eumene conficiendum volenti commisit. Unde ab Antipatro *ἐπίτροπον τῆς ἄνω Ἀσίας* *Appianus*, (*in Syriacis pag.* 121.) & *τῆς Ἀσίας στρατηγὸν ὑπερπόντιον*, *Diodorus* (*lib.* 18. *pag.* 626.) declaratum eum fuisse significat. Filium verò suum Callandrum (Cariæ satrapam) ut equitum Chiliarchum illi adjunxit: ut si quid privatæ rei moliretur Antigonus, clam id habere non posset. [*Diodor. & Arrian.*]

Eodem tempore, corporis Regii custodes ac stipatores, Autolycum Agathoclis filium, Amyntam Alexandri filium atque Peucestæ fratrem, Ptolemæum Ptolemæi filium & Alexandrum Polysperchontis filium, Antipater designavit. [*Arrian.*] Valdeque ab omnibus ob res bene gestas laudatus, cum Regibus & agmine suo Macedoniam versùs iter intendit. [*Id. & Diodor.*]

Eumenes, ut se hostem à Macedonibus judicatum bellúmque Antigono decretum cognovit, ultrò ea militibus suis indicavit: ne fama aut rem in majus extolleret, aut militum animos rerum novitate terreret; simul, ut circa se animati essent, cognosceret, sumpturus consilium ex motu universorum. Constanter tamen præfatus est, si cui hæc terrori essent, habere eum discedendi potestatem. Quâ voce adeò cunctos in studium partium suarum induxit; ut ultrò illum omnes hortarentur, rescissúrosque se ferro decreta Macedonum affirmarent. [*Justinus lib.* 14. *cap.* 1.]

His etiam auditis, Alcetas Perdiccæ frater fugâ salutem sibi quæsivit: & Pisidas sibi conciliavit. Commoda enim ex hostico sic inter illos partiebatur, ut prædæ dimidium acciperent. In colloquiis præterea verborum humanitate utens & in conviviis quotidie eorum nobilissimos mensæ adhibens, multósque donis eximiis honestans; omnium sibi benevolentiam conflavit. [*Diodor. pag.* 623.]

Attalus quoque, totius classis imperio tunc fungens, qui in civili ab Antipatro defectione nemini secundus fuerat, fugiens pariter cæteris sese exulibus mulcet: exercitúmque tandem conflavit peditum 10000, equitum 800. ac cum his Cindum, Caunum & Rhodum invadere conatus, à Rhodiis fortiter, Demarato apud eos classis præfecto, repulsus fuit. [*Arrian.*]

3684 Eumenes ex regiis armentis, quæ ad Idam pascebantur, equos sumpsit quos habebat opus. Cúmque rationem procuratoribus scripturam misisset, risisse dicitur Antipater ac dixisse; mirari se cautionem Eumenis, qui expectaret ipsis sic de rebus regis relaturum rationem, aut repetiturum ab ipsis. [*Plutarch. in Eumene.*]

Hinc exercitu, non in *Ætoliam*, (ut vulgata legunt *Justini* exemplaria, sed, ut codex habet Manuscriptus, in *Ætuliam* (sive Æsulanen, Armeniæ minoris in Cappadociâ portionem; ut ex Ptolemæo hîc observavit juvenis eruditissimus mihíque amicissimus Isaacus Vossius) promoto, pecunias civitatibus Eumenes imperavit; recusantésque dare, hostiliter diripuit. Inde Sardes protectus est ad Cleopatram sororem Alexandri Magni, ut ejus voce centuriones principalesque confirmaret; existimaturos ibi majestatem regiam, unde soror Alexandri staret. [*Justin. lib.* 14. *cap.* 1.] Cúmque Sardes etiam in itinere suo Antipater peteret; Eumenes in Campis Lydiis decertare cum eo voluit, quòd ab equitatu firmus esset, simul etiam quòd Cleopatræ vires suas ostentare gestiret. Sed Cleopatra, verita ne apud Antipatrum & Macedonas quasi belli ipsis emtâ foret in crimen vocaretur, Eumeni ut Sardibus abscederet persuasit. [*Plutarch. & Arrian.*] Antipater tamen eam nihilominùs cùm advenisset, ob societatem cum Eumene atque Perdicca, non sine probris atque convitiis increpavit. Illa verò, supra quàm ab eo sexu expectari poterat, sese defendit, aliáque plurima vicissim objecit: ac tandem pacati discesserunt. [*Arrian.*]

Eumenes, relictâ Lydiâ, superiorem Phrygiam petit, & Celænis hybernavit. [*Plutarch.*] Nuncios ad Alcetam ejúsque socios misit, qui copias omnes in unum adducere, atque ita junctis viribus communem hostem oppugnare rogarent. Aliis verò aliud suadentibus, nihil effectum est. [*Arrian.*] Ubi Alcetâ, Polemone & Docimo de ducatu cum eo contendentibus; Hoc illud, inquit, est quod dici solet, Exitui nulla habetur ratio. [*Plutarch.*]

Eumenes militibus intra triduum solvere stipendium pollicitus, fecit iis villarum illius regio-

nis caſtellorúmque hominibus & pecore refertorum, auctionem. Qui mercatus aliqua fuerat ordinum ductor vel mercenariorum præfectus, tormentis & machinis ab Eumene acceptis, expugnabat ea: prædámque in debitum ſtipendium milites partiebantur. (*Id.*)

Antipater cum Eumene pugnare adhuc non auſus, Caſſandrum miſit, qui cum Atralo atque Alcetâ dimicaret. Certatum hîc eſt æquo propemodum marte: ſic tamen, ut inferior Caſſander diſceſſerit. (*Arrian.*)

Caſſander ab Antigono diſſentiens, animi perturbationem, Antipatro patre inhibente, depoſuit. Apud Phrygiam tamen cum patre congreſſus, ne à Regibus longiùs diſcederet, ſed Antigonum ſuſpectum haberet, hortatus eſt. Antigonus verò cùm temperatâ ſuâ prudentiâ, tum variis obſequiis atque virtutibus, ſuſpicionem pro virili ſuſtulit. Mitigatus itaque Antipater, de illis copiis quas in Aſiam ſecum tranſvexerat, pedites Macedonici generis 8500 & parem equitum externorum numerum, cum elephantorum parte dimidiâ, id eſt, 70 Antigono tradidit; quo faciliùs bellum cum Eumene conficeret. Ita Antigonus bellum hoc adminiſtrare exorſus eſt. Antipater verò, acceptis Regibus cæteriſque copiis, in Macedoniam trajecturus abiit. [*Id.*]

Ibi cùm tumultuantes milites pecuniam poſtularent, promiſit Antipater, ubi Abydum pervenſſet, illam ſeſe curaturum, præbiturúmque fortaſſe donativum univerſum: ſin verò, majorem certè partem accepturos. Hâc ergo ſpe lactatos, abſque ſeditione deinceps Abydum uſque eos perduxit: unde ipſe noctu (deceptis aſtu militibus) unà cum Regibus Helleſpontum ad Lyſimachum trajecit. Poſtridie verò ejus diei, etiam ipſi tranſierunt; de pecuniâ poſcendâ in præſens quieſcentes. Hæc Arrianus: (*in Bibliothecâ Photii, cod. 92.*) qui hîc libros ſuos 10 de Rebus poſt Alexandrum geſtis terminavit.

Antigonus, ad Eumenem bello ſubigendum, ex hybernis copias ad ſe contraxit: & comparatis bello neceſſariis in Eumenem duxit, qui tunc ad Cappadociam ſubſiſtebat. (*Diodor.*) In totis verò Eumenis caſtris abjectæ inventæ ſunt epiſtolæ, centum talenta & honeſtum ordinem proponentes ei qui Eumenis caput ad Antigonum detuliſſet. (*Juſtin. lib. 14. cap. 1. Plutarch. in Eumene.*) His cognitis, Eumenes vocatis ad concionem militibus, primò gratias agit, quòd nemo inventus eſſet, qui ſpem cruenti præmii fidei ſacramento anteponeret: deinde callidè ſubnectit, confictas has à ſe epiſtolas ad experiundos ſuorum animos eſſe. Quo facto, & in præſenti labantium animos deterruit; & in futurum providit, ut ſi quid ſimile acciditſet, non ſe ab hoſte corrumpi, ſed à duce tentari arbitrarentur. Omnes igitur operam ſuam certatim ad cuſtodiam ſalutis ejus obtulerunt. [*Juſtin.*] Decreverunt autem, ut ex præſtantiſſimis mille eſſent aſſiduè corporis ejus cuſtodes, ſtationéſque & excubias viciſſim agerent. Obtemperabant illi, lætique præmia accipiebant ab eo, quæ à regibus amici. Siquidem jus Eumeni erat cauſias purpureas & chlamydes conferendi: quod apud Macedones habebatur inter dona regia præcipuum. (*Plutarch.*) | 4394 | 320

Ab Eumene tamen ex præcipuis ducibus quidam nomine Perdiccas, cum 3000 peditibus & 500 equitibus, deficiens, tridui viâ caſtra habebat. Contra hunc Phœnicem Tenedium cum quatuor millibus ſelectiſſimorum peditum & mille equitibus Eumenes miſit. Is noctu raptim iter faciens ex improviſo rebelles opprimit adhuc dormientes; captóque Perdiccâ, exercitu potitur. Tum præcipuos defectionis authores capite multat Eumenes; & milites cæteris mixtos humaniter tractat, ſibique benevolentiam illorum conciliat. (*Diodor.*)

Poſthæc Antigonus per internuncium cum Apollonide equitum præfecto quodam apud Eumenem agens, ingentibus promiſſis, ut proditorem ſe exhiberet, in pugnâ ad hoſtes tranſeundo, effecit. Caſtra tùm habebat Eumenes in Orcyniis Cappadociæ, equeſtri prælio accommodatis. Antigonus igitur cum toto exercitu illuc profectus, ſuperiores camporum tractus quibus montes imminent occupavit. Habebat tum Antigonus ſupra decem millia peditum (quorum plerique Macedones erant, fortitudine admirabiles) & duo millia equitum, cum elephantis triginta: Eumenes verò non minùs 20 millibus peditum, & 5. millibus equitum. Prælium hinc acerrimum committitur: & propter ſubitum Apollonidis cum equitatu à ſociis receſſum, Antigonus vincit; octo circiter millibus adverſariorum occiſis. Impedimentis quoque omnibus potitur. (*Id.*)

Proditori verò non dedit facultatem Eumenes, ut ex fuga elaberetur ad hoſtes; ſed arreptum ſuſpendit. Ipſe fugiens, contrariâ ac illi tenebant qui eum inſequebantur viâ, inſciis illis convertit iter; atque præteritis hoſtibus, ut ad locum venit ubi fuerat pugnarum, caſtra metatus mortuos coacervatos circumjectorum vicorum diruptis foribus cremavit, ſeorſùm duces, ſeorſùm gregarios milites: excitatiſque tumulis, recepit ſe. ut Antigonus, qui poſt eò pervenit, ſtuperet audaciam atque immotum ejus animum. (*Plutarch.*)

Hinc incidens in Antigoni impedimenta, quum multa libera capita & magnam vim ſervitiorum opúmque facilè capere potuiſſet, veritus ne ſibi ſpoliis prædâque locupletari ad reſiſtendum timidiores, ad fugam ob ſarcinas tardiores, & in ſubeundis periculis inertiores efficerentur; ut corpora primùm curarent & pabulum darent equis, deinde hoſtes adorirentur, præcepit. Interim ad Menandrum ſuper hoſtium impedimenta poſitum clàm ſummittens eum monuit, ut ex locis planis ad proximi montis latus celerrimè ſe reciperet, ne ab equitibus ille ſubitò cingeretur. Quod, periculo animadverſo, cùm ille feciſſet: Eumeni ſe multum debere profitebantur adverſarii, qui eorum liberos à ſervitute, & uxores à militari violentiâ ſervaſſet. Quod tamen non illorum cauſâ factum ab eo dixiſſe fertur Antigonus, ſed ne ſeipſum tot pedicis fugientem intricaret. (*Id.*)

Hinc vagabundus Eumenes & fugitans, magnam militum partem induxit ut faceſſerent: vel quòd eorum gereret ſolicitudinem, vel quod tranere eos ſecum nollet pauciores quam ad ſigna conferenda, & plures quam ad tegendam fugam ſuam. Poſtquam in Nora caſtellum munitum (quod ſuo tempore Neroaſſum dictum, in ſtoro 12° notavit *Strabo*) ad Lycaoniæ & Cappa-

docia

dociæ positum confinia, cum 500 equitibus & 100 pediribus (licèt utriusque tamen ordinis circiter 500 *Diodorus* statuat) refugit; quotquot amici ejus missionem postulaverunt, quòd non ferrent asperitatem loci vel victûs angustias, omnes complexus atque omni comitate prosecutus, missos fecit. Loci enim ambitus duo stadia non excedebat: erátque frumenti ibi & aquæ & salis copia, sed obsoniorum nihil suppetebat. [*Id. cum Diodoro, & Justino, lib. 14. cap. 2.*]

Antigonus admoto exercitu, antequàm obsidere Eumenem cœpisset, evocavit eum ad colloquium: illóque obsides rogante, ad se sicut superiorem ut veniret mandavit. Cui ille: *Neminem*, inquit, *quousque stadii compos ero, me censeo superiorem.* Ubi Antigonus igitur fratris filium Ptolemæum, ut ille postulaverat, in arcem mittit, descendit Eumenes: ac complexi inter se consalutavere amicè ac familiariter. Multa quum essent disputata, neque mentionem Eumenes salutis suæ & veniæ ullam faceret, verùm satrapias quoque ab initio traditas poscceret sibi firmari & præmia reddi: obstupuerunt assistentes, admiratique sunt animum ejus & fortitudinem. Antigonus ergo de his ad Antipatrum se relaturum pollicitus, Eumenem ægrè à turbâ tutum reduxit; atque duplici muro fossisque circumvallatis Noris, relictóque quod oppugnationi sufficeret præsidio, inde movit. (*Id.*)

Post aliquod tempus interjectum Eumenes legatos (inter quos Hieronymus Cardianus historicus, civis suus, fuit) ad Antipatrum, quòd solus par Antigoni viribus videbatur, de pacificatione misit. (*Diodor. & Justin. lib. 14. cap. 2.*] Ipse interim circumsessus victum sociis, licèt tenuem, lætum tamen, paravit: omnes vicissim ad mensam suam invitans conviviúmque lepidis sermonibus & comitate condiens. (*Diodor. & Plutarch.*) Quotiescunque autem voluit, & apparatum & munitiones Antigoni alias incendit, alias disjecit. (*Æmil. Prob.*)

Cùm revereretur ne uno loco manens equos militares perderet, quòd spatium non esset agitandi: certis quotidie horis eos ita suspendebat, ut posterioribus pedibus innixi, prioribus elevati, dum naturalem assistendi appetunt consuetudinem, ad sudorem usque crura jactarent. Hordeum etiam objiciebat eis elixum, ut & perficerent id citiùs & concoquerent meliùs. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, ut jumenta æquè nitida ex castello educeret, ac si in campestribus ac planis ea locis habuisset. (*Diodor. Jul. Frontin. Strateg. lib. 4. cap. 7. Plutarch. & Æmil. Prob. in Eumene.*)

Ptolemæus Lagi filius, advertens Phœniciam & Syriam quæ Cavæ dicitur, maximè sibi accommodam futuram, unde & Ægyptum posset tueri, Cyprum invadere, multum in hoc operæ dedit, ut illis potiretur. Laomedontem igitur Mitylenæum, harum provinciarum satrapam à Perdiccâ & Antipatro constitutum, ut eas sibi traderet, oblato ingenti auri pondere tentavit. Quod quum non impetrasset, Nicanorem unum ex amicis ducem creavit, & cum justis illuc copiis misit. Is expeditione in Syriam factâ, Laomedontem cepit: qui corruptis custodibus, ad Alcetam aufugit in Cariam. Nicanor verò, Syriâ totâ & Phœniciâ intra breve tempus subactâ & præsidiis munitâ, in Ægyptum rediit. [*Diodor. cum Appiano in Syriac. pag. 121. & Pausaniâ in Atticis, pag. 5.*]

Ptolemæus partes cavæ Syriæ & Phœniciæ adortus, Hierosolymis dolo occupatis ad centum hominum millia ex Judæâ in Ægyptum traduxit: ex quibus circiter 30000 selectos, qui ætate & robore præstarent, armis instructos in exercitum & ad militiæ usum stipendiis amplioribus recepit, iisque ut maximè fidis Ægypti præsidia munita commisit. Reliquam verò turbam seniorum & juniorum, ac mulierum etiam, concessit militibus in servitutem; non tam sponte & consilio suo, quàm exoratus ab illis, ad usus & necessaria in belli rebus ministeria. [*Aristeas, in libello de LXX. interpretib. cum epistol. Ptolemæi Philadelphi apud eund. Joseph. Antiquit. lib. 12. cap. 1. & 2. Euseb. in Chronico.*]

De captis ab eo Hierosolymis ita meminit Agatharchides Cnidius, in τῶν Διαδόχων sive Alexandri Magni successorum historiâ. [apud Joseph. lib. 1. contra Apion. pag. 1050. cum lib. 12. Antiquit. cap. 1.] *Qui vocantur Judæi, habitant omnium munitissimam civitatem, quam Hierosolyma vocare solent indigenæ. His septimâ die vacare consueverunt, & neque arma illo die gestare, neque agriculturam attingere, neque alterius cujuspiam ministerii curam habere: sed in locis sacris manus extendentes, orare usque ad vesperam. Ingrediente verò in civitatem Ptolemæo Lagi cum exercitu, & hominibus eorum qui civitatem custodire debebant observantibus insipientiam; patria quidem acerbum suscepit dominum, lex verò convicta est malam habere consuetudinem.* Addit Appianus, Ptolemæum Hierosolymorum mœnia diruisse; relictísque in Syriâ præsidiis, in Ægyptum navigavisse. (*Syriac. pag. 119. & 121.*)

De Ægyptiacâ deportatione, in libro 12. Antiquit. cap. 1. ita scribit Josephus. *Ptolemæus multos captivos ex montano Judææ tractu & Hierosolymorum vicinâ, Samariâque & Garizin monte, in Ægyptum traductos jussit sedes ibi figere. Et cum Hierosolymitas pertinacissimè juriurandi fidem servare compertum haberet ex responso quod Alexandri legatis post Darii cladem dederant; multa ex eis præsidia disposuit per arces: & cum eis apud Alexandriam jus civitatis pars cum Macedonibus conditione dedisset, sacramento omnes devinxit, servaturos fidem posteris ejus qui tam multa ipsis credidissent.* & in libro secundo contra Apionem. (*pag. 1063.*) *Ptolemæus Lagi Judæis Alexandrinis Ægyptiaca castra commisit; arbitratus fide simul eorum & fortitudine conservanda: & in Cyrene credens se tutissimè regnaturum, & in aliis Lybiæ civitatibus, ad ea loca partem Judæorum habitandi causâ direxit.* * Huc spectat & *Philemis* ille locus de Judæorum Ægyptiensium, à Catabathmo &c. & *Strabonis*, ex Historiarum libris citatus à *Josepho*. (lib. 14. Antiquit. cap. 12.) *Quatuor erant genera in Cyrenensium urbe*, &c. *In Cyrenæam verò regionem inde transiit ut conterminam (quemadmodum etiam Judæa est) vel potius partem olim regni Ægypti.* „ Ex horum Cyrenensium Judæorum posteris, fuit Jason ille Cyrenæus, è cujus scriptis secundus liber Maccabæorum fuit excerptus: (II. *Maccab.* II.

14.] & Simon Cyrenæus, qui Christi crucem tulit: [*Matth.* XXVII. 32.] & quorum in Act. II. 10. & VI. 9. facta habetur mentio.

3685 Antigonus, dum Noris muro duplici circumsæptus hæreret Eumenes, in Alcetam & Attalum expeditionem suscepit. Cum toto igitur exercitu è Cappadociâ profectus in Pisidiam contendit, ubi Alcetas cum suis consistebat: & intra septem dies 2500 stadia emensus, ad urbem quæ Cretensium vocatur venit; & jam hostibus ignaris adventus ipsius imminens, colles quosdam & impedita loca prior occupavit. Sub signis verò, præter elephantos, plusquàm 40 peditum, & equitum septem millia habebat. Cum quibus Alcetas tamen congredi est ausus; cum illi pedites 16000 & equites 900 tantùm socii armorum essent. Sed Antigonus ex edito loco pugnans & viribus longè superior, profligato toto illius agmine, Attalum cum Docimo & Polemone multisque ducibus insignibus cepit. Quibus in fidem acceptis, reliquos in ordines suos distribuit; & clementem humanúmque se illis præbens, agmen suum amplificavit haud mediocriter. [*Diodor.*]

Alcetas cum satellitibus & filiis suis Pisidisque illi militantibus, in Pisidiæ urbem Termessum confugit: Pisidis illis, qui sexies mille circiter numero erant & strenuitate excellentes, nullo se eum pacto deleturos promittentibus. Quum igitur Antigonus cum toto agmine ad Termessum castrametatus, Alcetam sibi dedi peteret, cúmque tradendum seniores censerent: juniores initâ conjuratione decretum fecêre, se pro salute ejus quodvis periculum subituros. Seniores verò noctu legatis ad Antigonum missis, se Alcetam sive vivum sive mortuum ipsi tradituros pollicentur: si juvenes modò levioribus velitationibus, & simulatâ fugâ, longiùs extra urbem eliceret. Quod dum ille faceret, captatâ absentiæ juvenum opportunitate, immissis suis Alcetam seniores invasérunt: qui ne in hostium potestatem veniret, ipse manus sibi intulit. Cadaver lectulo impositum & laceruâ vilissimâ obtectum, clam illis qui præliabantur, Antigono est traditum: quod indignis toto triduo affectum contumeliis ille tandem insepultum abjecit. Juniores à pugnâ reversi in suos efferantur: & urbis parte occupatâ, domos primùm incendere decreverunt. Sed mutatâ sententiâ, ad incursiones & latrocinia conversi, magnam hosticæ terræ partem devastárunt. Alcetæ verò cadaver ab Antigono relictum splendidè funerárunt. [*Id.*]

Antipater moriturus Regum curatorem & ducem summâ cum potestate designavit Polysperchontem: qui natu ferè maximus erat inter omnes Alexandri commilitones, & à Macedonibus in honore habebatur. Filius ejus Cassander, Chiliarchi quod obtinebat munere non contentus, & Polysperchontem sibi à patre prælatum indignatus, de summâ rerum potestate cum amicis suis colloquia instituit. Occultè insuper missis ad Ptolemæum legatis, amicitiam renovavit; & ut societatem armorum secum jungeret, classe quamprimùm ex Phœniciâ in Hellespontum expeditâ, rogavit. Similiter & ad cæteros duces & civitates misit, qui de armis cum ipso jungendis solicitarent. [*Id. cum Plutarcho, in Phocione.*] 4393 519

Quum Antigonus, ex Pisidiâ Phrygiam versùs exercitum ducens, ad Cretensium urbem perveniſſet: de his omnibus ab Aristodemo Milesio certior factus est. Quibus cum voluptate auditis, summum spe suâ imperium complexus est. [*Diodor. cum Plutarcho, in Eumene.*] Asiæ enim imperator cum plenariâ authoritate ab Antipatro relictus, & majorem exercitûs vim habens, thesauris in Asiâ potiturum se, dum nemini ad resistendum facultas suppeteret, confidebat. Erant tum in exercitu illius 60 peditum & 10 equitum millia, & 30 elephantes. Prætérque has copias, se alias insuper quando opus foret comparaturum sperabat: quòd peregrinis subinde allectis ubertim Asia stipendia posset sufficere. Senatu igitur amicorum coacto, quòd summam rerum capessat, illis exponit; & præcipuis amicorum, quà satrapias, quà præfecturas, adscribit: omnésque, spes magnas suggerendo, ad capessendum quæ agitabat promptiores facit. Asiam enim pervadere, ejectísque Satrapis qui hactenùs fuerunt, ad amicos suos imperia traducere constituerat. [*Diodor.*]

Aridæus Phrygiæ ad Hellespontum satrapes, cognitâ Antigoni molitione, Satrapiæ suæ res in tuto ponere statuens, Cyzicenorum urbem, quòd maxima esset & præ cunctis opportuna, subitò aggressus est: habens secum plusquàm decem millia peditum mercede conductorum Macedonúmque mille, sagittarios & funditores Persas 500, & equites 800, cum omni telorum & catapultarum apparatu ad oppugnationem necessario. Cyziceni, sub specie tractatûs de conditionibus urbis tradendæ dilatione obsidionis obtentâ, à Byzantiis milites & tela, cæteráque propugnationi urbis convenientia, acciverunt: navibúsque longis oram prætervectantes, suos ex agris receptos in urbem revexerunt. Unde, obsidentium plurimis interfectis, Aridæus infecto negotio in satrapiam suam regredi coactus est. (*Id.*)

Antigonus, Celænis tum subsistens, cum viginti peditum & tribus equitum millibus ex toto agmine delectis, celeriter ad ferendum Cyzicenis suppetias contendit: periclitatam urbem ad futuras molitiones sibi obnoxiam reddere constituens. Sed quum paulò seriùs illuc venisset, ad Aridæum legatos misit, qui hisce de rebus cum eo expostularent: simúlque ut satrapiâ decederet, atque unà ad victum urbe acceptâ privatam inde vitam ageret, imperavit. Id ille se facturum negavit: & distributis per urbes præsidiis, partem exercitûs cum præfecto misit; mandato ei dato, ut se cum Eumene conjungens, Nora castellum obsidione liberaret, Eumenemque periculis exemptum in societatem belli adversùs Antigonum adsciscéret. [*Id.*]

Vere appropinquante Eumenem, simulatâ deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuisse, seque ac suos omnes è castro extraxisse incolumes scribit in ejus Vitâ *Æmilius Probus*. Antigonum verò, quum auxilia Eumeni ab Antipatro missa didicisset, ab obsidione recessisse, *Justinus* refert. [*lib.* 14. *cap.* 2.] At *Diodorus* & *Plutarchus* Eumenem, Hieronymi Cardiani amici & civis sui interventu, fide præstitâ, ab obsidione liberatum fuisse narrant. Ita enim res se habuit.

Anti-

Antigonus de summo principatu consilia animo versans, Hieronymum historicum ad se accersitum, magnisque invitatum muneribus, legationem ad Eumenem obire jubet; quâ hortetur ipsum, ut pugnæ in Cappadociâ gestæ oblitus, amicitiam & societatem belli secum jungat: dona prioribus longè majora, & ampliorem provinciam; atque ut primus sit inter amicos, ac totius instituti particeps, illi promittens. (*Diodor.*) Quúmque præscripta ab eo fuisset jurisjurandi formula, quâ pactio sanciretur: eam Eumenes suo arbitratu correxit; & ad Macedones à quibus circumsidebatur retulit, utra jurisjurandi formula esset æquior. Antigonus enim defunctoriè in capite Regum factâ mentione, reliquum jusjurandum in se noménque suum conceperat. Eumenes verò primo loco Olympiadem cum Regibus posuit, deinde sic jusjurandum composuit, ut juraret sibi eosdem amicos & inimicos fore, non qui essent Antigono tantùm, sed qui essent Olympiadi & Regibus. Quæ cùm essent visa justiora, Eumene illud juramentum suscipiente, obsidionem solverunt; miseruntque ad Antigonum, ut ille quoque Eumeni id sacramentum diceret. Interea Eumenes quoscunque Noris habuerat Cappadocum obsides eis reddidit. Antigonus autem Macedonibus quòd jurisjurandi emendationem comprobassent, acerbè & amarè rescripsit; atque ut Eumenem obsiderent rursùs & circùmvallarent, serò nimis mandavit. (*Plutarch.*)

Eumenes post annuam obsidionem insperatò salutis compos factus, ad tempus in Cappadociâ moram traxit; ibique amicos pristinos, & palantes per regionem militiæ socios, recollegit. (*Diodor.*) A Cappadocibus, qui obsides receperant, equos, jumenta & tentoria accepit: collectisque illis militibus, qui dispersi post fugam in illis locis vagabantur, equites paulò minùs mille contraxit. (*Plutarch.*) Quia enim mirum in modum industrius erat, confestim multos ejusdem spei socios, & ad communem militiam obsequium deferentes, habuit. Denique intra pauxillum dierum, præter quinginos illos amicos qui obsidionem cum ipso in munitione toleraverant, plus quàm bis mille ad imperata promptos milites apud se habuit. [*Diodor.*]

Antigonus, missis ad debellandum Aridæum minoris Phrygiæ satrapam copiis, ipse cum numeroso agmine, versùs Lydiam movit, satrapam ejus Clitum inde ejecturus. Qui præcognito ejus adventu, præcipuas urbes præsidiis munierat: ipseque in Macedoniam, ut Regibus & Polysperchonti audaciam & defectionem Antigoni significaret, & auxilia sibi peteret, transmittebat. [*Diodor.*]

Tum Antigonus Ephesum primo statim adventu in fidem accepit, adjutantibus illum in urbe nonnullis. Post quum appulisset Ephesum Æschylus Rhodius, & in quatuor navibus è Ciliciâ advexisset 600 argenti talenta Regibus missa in Macedoniam: ille pecuniam intercepit, sibi ad peregrinos milites conducendum illâ opus esse dictitans. Quo facto satis declaravit, quòd totus ad sua tractandum negotia conversus, Regibus adversaretur. Post hæc urbes deinceps oppugnatum ibat; alias vi subigens, alias verbis sibi concilians. (*Id.*) Atque ab hâc defectione numerantur anni illi 18, quos Antigoni principatui à Dexippo, Porphyrio & Eusebio tributos invenimus. [*in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag.* 48. 164. *&* 226.]

Cassander transmisso Hellesponto, in Asiam ad Antigonum se contulit; auxilium ut sibi ferret rogitans, & Ptolemæum in belli societatem venturum confirmans. Illum haud invitus suscepit Antigonus, & confestim tum pedestribus tum nauticis se illum copiis instructurum promisit. Hæc simulatione quàdam agebat, quasi propter amicitiam cum Antipatro illi opem ferret: sed reverà magnis hominem bellis distineri volebat: ut ipse, extra periculum, Asiâ perdomitâ, summum imperium ad se pertraheret. (*Diodor.*)

Polysperchon, Regum tutor & imperii Macedonici ἐπιμελητὴς sive procurator, epistolam Regum nomine scriptam ad Eumenem misit, suadens ut operâ suâ Regibus addictâ, inimicitias cum Antigono non deponeret: sive in Macedoniam transgressus communi secum opere tutelam Regum gerere vellet, sive potiùs eligeret in Asiâ remanere, & exercitibus pecuniisque acceptis contra Antigonum, qui jam manifestò à Regibus desciviisset, bellum gerere. Quòd si majoribus indigeret copiis, vel se cum Regibus universas regni vires in Asiam traducturum. Ad quæstores etiam Ciliciæ ab eisdem datæ sunt literæ, ut ex pecuniâ quæ erat Quindis (ubi Macedonum fuisse gazophylacium, docet Strabo, *lib.* 14. *cap.* 672.) Eumeni 500 talenta ad resarciendum damna pridem accepta; ceteræque pecuniæ quantum ad peregrini militis conductionem aliósque belli usus requiverit, exhiberent. Ad Antigenem quoque & Teutamum trium millium argyraspidum duces scripserunt, ut eos Eumeni traderent, eúmque in omnibus alacriter juvarent; utpote totius Asiæ imperatorem plenâ cum potestate designatum. Similes præterea ab Olympiade matre Alexandri Magni missæ sunt literæ: quibus, inter alia, ut cùm ipsi tum Regibus opem ferret solicitè postulabat. [*Diodor. cum Plutarcho & Æmilio Probo, in Eumene.*]

Eumenes confestim è Cappadociâ movit, 500 equites & peditum supra duo millia secum habens. Non enim spatium illi erat ad suscipiendum eos, qui se unà militaturos polliciti, venire tardassent: propterea quòd ingens Antigoni manus duce Menandro adventaret, quæ in Cappadociâ illum degere, hostem Antigoni factum prohiberet. Qui verò relictus fuerat exercitus, triduo seriùs Eumenem secutus, cùm eum assequi non posset, in Cappadociam regressus est. (*Diodorus.*)

Magnis itineribus contendens Eumenes, superato celeriter Tauro, in Ciliciam devenit. Tum duces argyraspidum Antigenes & Teutamus, Regum literis obsecuti, cum amicis per longum intervallum Eumeni occurrerunt: & comiter excepto gratulari, quòd è maximis periculis nec opinatò incolumis evasisset, promptè ad omnia se præstò illi futuros sunt pollicuti. Ipsum etiam Argyraspidum ex Macedoniâ agmen, tria millia circiter, cum benevolentiâ studioque obviam processit. [*Id.*]

Invi-

Invidiam Macedonum veritus Eumenes, quam subiturus erat, si ipse alienigena (ex Thraciæ Chersonesso Cardianus) summo imperio potiretur; primùm 500 talenta ad reficiendum semetipsum à Regibus concessa recepturum se abnuit: tantâ donatione se non indigere dictitans, qui nullum sibi principatum conscisceret laboraret. [*Diodor. & Plutarch.*] Deinde Alexandri nomine tabernaculum statuit, (ab ipso, ut hoc faceret, monitum se per somnium fuisse fingens) in eóque sellam auream cum sceptro ac diademate poni jussit, eóque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur: credens minore se invidiâ fore, si specie imperii, nominisque simulatione Alexandri, bellum videretur administrare. [*Diodor. Plutarch. Æmil. Prob. Polyæn. lib. 4. Strategem.*] Interim ipse per omnes tractationes publicas æqualem se cæteris ducibus exhibendo, & omnes colloquiis humanissimis demulcendo, invidiam à se depulit. Consimiliterque erga Macedones qui Argyraspides nominabantur se gerendo, magnum sibi favorem contraxit, & dignus qui Regum curam gereret habebatur. [*Diodor.*] Blandimentis enim usus, nunc commilitones suos, nunc patronos appellabat, periculorum Orientalium socios. addens, solos fuisse quorum virtute Oriens sit dominus, solos qui militiam Liberi patris, qui Herculis monumenta superârint: per hos Alexandrum, magnum factum, per hos, divinos honores & immortalem gloriam consecutum. orans denique, ut non tam ducem se, quàm commilitonem reciperent, unúmque ex corpore suo esse vellent. [*Justin. lib. 14. cap. 2.*]

Hinc ex amicis delegit Eumenes maximè idoneos, quos pecuniis largissimè instructos ad conducendum liberalissimis stipendiis militem huc illuc misit. Horum alii extemplò in Pisidiam Lyciámque ac finitimam regionem, alii in Ciliciam, Cœle-syriam, Phœniciam & Cyprum profecti, cogendi milites munere sedulò functi sunt. A quibus cùm stipendia offerrentur ampliſſima; multi quoque ex Græciæ urbibus accurrebant, & nomina in hanc militiam profitebantur: adeò ut intra breve tempus colligerentur peditum supra decem millia & equites 2000. præter argyraspides, & qui cum Eumene venerant. (*Diodor.*)

Ptolemæus cum classe ad Zephyrium Ciliciæ delatus, missis quibusdam ducibus Argyraspidas solicitabat, ne Eumenem à Macedonibus jampridem supplicio capitis addictum sequerentur. Ad præfectos itidem præsidii in Quindis misit, ne quicquam illi pecuniarum exhiberent. Huic verò monitui nemo gessit: propterea quòd Reges, & tutor ipsorum Polysperchon, atque etiam Olympias, scripserant, ut ad omnia Eumeni, velut summo regni imperatori, parerent. (*Id.*)

Antigonus deinde ex amicis Philotam cum 50 Macedonibus ad Argyraspidas misit, qui primò ducum & præcipuorum militum animos privatim tentarent, si fortè largitione aut munerum pollicitatione induci possent ad insidias adversùs Eumenem struendas. Et aliorum quidem nemini persuadere valuerunt. Solus Teutamus argyraspidum dux corrumpi se passus, ut collegam etiam suum Antigenem ad ejusdem facinoris societatem illectaret, operam dedit. Sed ad meliora eum consilia Antigenes reduxit: docens certiora sibi ab Eumene, viro fideli ac mediocris fortunæ, speranda esse; quàm ab Antigono nimiùm potenti, qui ad summa provectus, in Satrapias ipsis dehinc ademptas surrogaturus esset amicos suos quos velit. Tum Philotas communes Antigoni ad exercitum litteras ducibus reddidit; quibus mandavit, ut Eumenem sine morâ comprehensum occiderent: additâ comminatione, nisi id facerent, se cum universo exercitu venturum ad bellum eis pœnámque inferendam. Quibus cùm illi essent exterriti, superveniens Eumenes cohortatus eos est, ut Regum decreta exsequerentur, nec homini jam apertè rebellanti auscultarent. Cúmque multa præsenti negotio accommoda dixisset; non imminenti duntaxat periculo exemptus est, sed etiam multitudinem ad benevolentiam pristinâ majorem inflexit. (*Id.*)

Hinc indictâ militibus expeditione, in Phœniciam contendit Eumenes; naves ex omnibus passim urbibus contrahere, validámque comparare classem properans: ut Polysperchon, assumptis ex Phœniciâ navibus, mare in potestate haberet, & copias quandocunque vellet tutò è Macedoniâ in Asiam contra Antigonum transportare posset. Ipse ergo, ad nauticas colligendum vires, in Phœniciâ substitit. (*Id.*)

Polysperchon Clitum (Lydiæ satrapam) navibus præfectum cum totâ classe misit, ad finitima Hellesponti stationem habere jubens, & prohibere copias ex Asiâ in Europam transmeantes. Aridæum quoque (majoris Phrygiæ satrapam) qui cum militibus suis in Cianorum urbem confugerat, Antigono inimicum, adsumere mandavit. (*Id.*)

Postquàm ad Hellespontum trajecisset Clitus, jámque urbes ad Propontidem in fidem accepisset, & Aridæi copiis se confirmasset: præsidii Munychiani dux, à Cassandro cum totâ classe missus, navigavit. Antigoni etiam naves assumpsit: ita ut supra centum numerus se extenderet. Commisso igitur prælio navali haud procul à Byzantiorum urbe, Clitus vicit, & naves hostium 17 demersit; nec infra 40 cum ipsis hominibus cepit. Reliqui in Chalcedonensium se portum receperunt. Quibus tam prosperè gestis Clitus hostes mari non ampliùs contendere ausuros, propter cladis acceptæ magnitudinem, existimabat. (*Id.*) Quo exultasse illum non est mirum; quum priùs ad Amorgum (è Cycladibus insulis unam) tribus aut ad summum quatuor depressis Græcorum navibus, vocari se Neptunum passus est, tridentémque gestavit: ut in libro 2 de fortunâ Alexandri refert *Plutarchus*.

Antigonus, audito classis detrimento, actuariis navibus à Byzantinis noctu accersitis sagittarios, funditores, & alios ex levioris armaturæ ordinibus, quot sufficere videbantur, imponit; eósque in oram ulteriorem transportat. Hi ex hostilibus navibus in terram egressos & castra pedestria metatos adorti, terrorem Clitianis incutiunt. Qui subito metu perturbati, in naves insiliunt: unde ingens existit tumultus, quâ ob impedimenta, quâ etiam ob captivorum multitudinem. Interim Antigonus naves longas adornârat: in quibus peditum strenuissimos mediocri

numero

numero collocatos eò miſit, cum exhortatione ut audacter hoſtes invaderent; victoriâ enim certiſſimè potituros. Hi ergo cum Nicanore noctu ſubvecti, cùm jam illuceſceret, ſubitò in hoſtes tumultuantes impreſſione factâ, primo ſtatim concurſu illos vertunt: naviúmque alias roſtris pulſatas ſurſum jactant, aliis remos detergunt, nonnullas cum viris ſe dedentes citra diſcrimen in poteſtatem accipiunt. Tandem, exceptâ prætoriâ, reliquis omnibus unà cum militibus potiuntur. Clitus autem ad terram fugâ elapſus, deſertâ navi, per Macedoniam ſe recipere inſtituit: ſed in Lyſimachi milites quoſdam delapſus interiit. (*Diodor.*)

Antigonus, clade tantâ hoſtibus affectis, maris poteſtatem ſibi vendicare, Aſiæque imperium citra controverſiam acquirere properabat. Ideò ex omni exercitu 20 peditum millibus & equitum millibus 4. delectis, qui maximè forent expediti, versùs Ciliciam movit; ut Eumenis cohortes diſſiparet, priuſquàm agmen copioſius contraxiſſet. (*Id.*)

3687 Jubilæus XXIII.

Eumenes, cognito Antigoni impetu, Phœniciam (in quâ tùm erat) injuſtè à Ptolemæo occupatam, Regibus iterùm vindicare conabatur. Sed ab opportunitate deſtitutus, motis è Phœniciâ caſtris, agmen per Cavam Syriam duxit; ut Satrapias, quas ſuperiores vocant, attingeret. [*Diodor. lib.* 18.] Et Argyraſpidas, cum duce eorum Antigene, ſecum habens, in pagis Babyloniæ Caris appellatis hyemavit. (*Id. lib.* 19.)

Ad Seleucum Babyloniæ & Pithonem Mediæ ſatrapam legatis miſſis, poſtulavit Eumenes, ut auxilia Regibus ſubminiſtrantes, communi ſecum bello Antigonum impugnarent. Seleucus autem, ſe Regibus quidem neceſſaria exhibiturum reſpondit: Eumeni autem, qui dudum publico Macedonum concilio capite damnatus fuerat, nunquam obtemperaturum. Antigenem etiam & Argyraſpidas, ut abdicarent imperio Eumenem, per legatum ſolicitavit: ſed fruſtrà. [*Id. ibid.*] 4397 317

Eumenes, collaudatâ in ſe militum fide, cum exercitu progreſſus, juxta Tigrim fluvium caſtra poſuit; ut 300 à Babylone ſtadiis abeſſet. Atque ibi, incolarum incurſu, nonnullos ſuorum amiſit. Inde Suſa progredi cogitabat; ut & copias ex ſuperioribus ſatrapiis evocaret, & regiis theſauris ad urgentes neceſſitates uteretur. Sed aggreſſo eum Seleuco apud Euphratem fluvium, parum abfuit, quin univerſum exercitum in ſubitâ inundatione amitteret; cùm veteris cujuſdam foſſæ capite à Seleucianis rupto, univerſa caſtra in aquis ſtagnarent. Illum ergo diem Eumeniani, in tumulum quendam confugientes, quieti permanſerunt, quomodo his rebus conſulendum eſſet ambigentes. Poſtridie verò navigiis 30 quæ contis impellebantur adhibitis, præcipuum exercitûs robur, nemine tranſitum interturbante, tranſportârunt. Seleucus enim equitatum ſolummodò, eúmque longè numero adverſariis inferiorem, penès ſe habebat. Jámque nox appetebat; cùm Eumenes de impedimentis anxius retrò Macedones iterùm tranſmiſit; & docente quodam indigenâ, locum quendam purgavit, quò foſſam divertere, ac meabilem reddere tractum vicinum, facile erat. Quo Seleucus animadverſo, quàm illos è Satrapiâ ſuâ quamprimùm excedere cuperet, de induciis legatos miſit, liberúmque illis tranſitum permiſit. Atque ita Eumenes contra quàm ſperaſſet è Seleuci manibus elapſus, cum agmine in Perſiam (vel Suſianam potiùs) devenit; 16 millibus peditum, & 1300 equitibus tunc inſtructus. Ex recreato ex laboribus & ærumnis milite, ad præfectos ſuperiorum provinciarum miſit, qui milites & pecunias inde accerſerent. [*Id. lib.* 18. & 19.]

Attalus, Polemo, Docimus, Antipater & Philotas, duces qui cum Alcetæ copiis capti in caſtello quodam incredibiliter munito aſſervabantur, auditâ Antigoni in ſuperiores provincias profectione (in Meſopotamiâ verò tùm eum fuiſſe, *Diodorus* indicat) armis correptis, mediam circa noctem, ipſi tantùm octo cuſtodiam 400 militum invadunt. Xenophilem, qui cuſtodiæ præerat, correptum de muro petræ ſtadium altæ præcipitem agunt; aliiſque partim conciſis partim exturbatis, domos incendunt: ex illis verò qui extrinſecùs ſucceſſum rei obſervabant, ad quinquaginta intrò recipiunt. Sed dum inter ſe diſſentientes, conſultarent, utrum manere ac caſtelli munitione uti, ſubſidia Eumenis præſtolantes, an fugâ quamprimùm arreptâ per agros divagari expediret; è vicinis præſidiis pedites 500 & equites 400 plures, & ex indigenis hinc inde ſupra 3000 accurrentes, ductore ex ſeipſis creato, locum illum caſtris ſuis circundant. Docimus, qui ex arce excedendum priùs ſuaſerat, animadverſo quodam deſcenſu ab excubiis immuni, per legatum egit cum Stratonice Antigoni uxore, quæ non procul inde aberat: & cum uno comite illac exſiliit. Verùm, non ſervatâ fide, cuſtodiæ mancipatus eſt. Qui cum eo deſcenderat, ducem ſe hoſtibus præbuit; nec paucis in caſtellum adductis, unum ex ſaxis præcelſis occupavit. Attalus verò cum cæteris, qui in caſtello manendum eſſe ſtatuerant, ex die in diem certamen fortiter continuârunt. (*Id. lib.* 19.)

Pitho Mediæ ſatrapes, Philotâ ſuperiorum Provinciarum duce interempto, fratrem ſuum Eudramum in illius locum ſuffecerat. Quo perpetrato, reliqui Satrapæ omnes concurrêre, ne ſimili modo tractarentur veriti: quòd turbulenti Pithon ingenii eſſet, magniſque ſe conatibus implicaret. Superatum igitur prælio, ubi magnam ejus militum partem concideranr, è Parthiâ profligârunt. Ille quidem principio receptum in Media quærebat: ſed brevi pòſt Babylonem profectus, Seleucum ut ſibi auxilium ferret rogitabat. (*Id. lib.* 19.)

Eumenes in Suſianâ agens, exercitum in tria agmina, propter frumenti penuriam, diviſit. Et ſic tripartitum per regionem iter habens, tritici magnam ſenſit inopiam. Oryzam igitur ſeſamúmque ac fructus palmæ, quibus regio illa abundabat, inter milites diſtribuit. Quanquàm verò jam antea Regum literas ad ſuperiorum præfectos Satrapiarum perferendas curârat: tamen etiam tunc tabellarios miſit, rogatum, ut cum ſuis quiſque copiis in Suſianam occurrerent omnes. Eas in expeditione adversùs Pithonem unum in locum congregatas tabellarii invenerunt. (*Ibid.*)

Nobiliſſimus inter duces erat, & communi omnium ſcito imperium gerebat Peucestes; quem Alexander corporis cuſtodem & Perſidis ſatrapam conſtituerat. Aderant illi tum ſagittarii & fundirotes Perſici decies mille; & ex diverſis gentibus in Macedonicum adoptati ordinem ter mille: equites autem ex Græcis & Thracibus 600. & ex Perſis plures 400. Polemon Macedo, Carmaniæ ſatrapes, in peditatu habebat 1500. in equitatu 700. Sibyrtius Arachoſiæ præſes, 1000 pedites, 610 equites exhibuit. Androbazus ab Oxyartâ Paropamiſadum ſatrapâ cum 1100 peditatu & 400 equitatu miſſus erat. Staſander Ariæ & Drangianæ ſatrapes, adjunctis ſibi Bactrianis, pedites 1500 habebat, equites 1000. Ex Indiâ venerat *Eudamus* (apud Arrianum *Eudemus*, apud Curtium *Eudemon* dictus; Oxydracarum & Mallorum ſatrapes) cum 300 equitibus, 3000 pedinibus, & elephantis 120. Quas belluas nactus erat, quum dolo Porum Indorum regem interfeciſſet. Univerſim cum Satrapis congregata erant ampliùs 18700 peditum (licèt particulares numeri 21200 conficiant) equitum 4600. (*Ibid.*)

Hi cùm in Suſianam ad Eumenem perveniſſent, concionem publicam advocârunt: in quâ ingens, inter Peucestam præcipuè & Antigenem argyraſpidum ducem, de Imperatoris electione exorta eſt contentio. Eam jam antè uſurpato ſtratagemate ſedavit Eumenes: erecto Alexandri tabernaculo & ſolio; ad quod convenientes, communi conſilio de ſingulis negotiis conſulerent. (*Ibid.*)

Poſt hæc cùm ipſi Suſa perveniſſent, à theſaurorum cuſtodibus Eumenes tantam pecuniarum copiam eſt conſecutus, quantam neceſſitas exigebat. huic enim ſoli, quantum poſtularet, exhibendum eſſe, Reges per litteras conſtituerant. Macedonibus ergo ſtipendia in ſex menſes erogavit: & Eudamo qui elephantes ex Indiâ adduxerat, 100 dedit talenta, expenſarum quidem nomine in belluas, ſed reverâ, ut hoc munere hominem ſibi devinciret. Cuicunque enim per obortas factiones hic ſeſe adjunxerat, ei propter uſum belluarum formidabilem ingens momentum afferebat. Aliorum Satraparum unuſquiſque ex regione ſuâ militem ſibi obnoxium alebat. Eumenes itaque in Suſianâ moram trahens, exercitum recreabat. (*Ibid.*)

Philippus Aridæus, cum uxore ſuâ Eurydice, juſſu Olympiadis occiſus eſt, ſex annis poſt Alexandrum potitus regno. (*Juſtin. lib. 14. cap. 5.*) & menſibus præterea quatuor, [*Diodor.*] anno quarto Olympiadis CXV. [*Id. & Porphyr. in Græc. Euſeb. pag.* 218.] circa 22 diem Septembris.

3688 Caſſander Olympiadem, cum nepote Hercule Alexandri Magni filio & matre ejus Barſine, in urbe Macedoniæ Pydnâ concluſam obſedit. Ineunte vere, quum fames indies invaleſceret, milites ſuos Olympias dimittere coacta eſt; ipſáque tandem, pactâ ſalute, (quam ægrè etiam obtinuit) victori ſe tradidit. (*Diodor. & Juſtin. lib. 14. cap. 6.*) 4398 316

Antigonus, motis è Meſopotamiâ caſtris, in Babyloniam venit; ſocietatéque cum Seleuco & Pithone initâ, & militum ab eis manu acceptâ, navigiis Tigrim fluvium junxit; tranſportatíſque copiis, celeriter adversùs hoſtes contendit. De quibus certior factus Eumenes, Xenophilo arcis Suſianæ præfectò mandatis datis, ne quid pecuniarum Antigono traderet, neque ad colloquium ejus deſcenderet, totam Tigris fluminis oram à fontibus ad mare uſque cuſtodiis munivit. Et quia cuſtodiæ illæ propter longitudinem non paucis militibus indigebant, Eumenes & Antigenes à Peucestâ, ut ſagittariorum decem millia ex Perſidâ ad eum mitterent, impetrârunt. [*Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 116.]

Antigonus cum exercitu in Suſæ regiam profectus, Seleucum terræ ſatrapam creavit; datíſque militibus arcem obſidere juſſit. Detrectante verò poſtulata Xenophilo thesaurorum cuſtode, ipſe nocturnis itineribus ſub Caniculæ exortum ad Copratem fluvium in Tigrim decurrentem profectus, ob immodicum æſtum magnam militum jacturam fecit. Cúmque quatuor circiter plethrorum latitudo fluvii illius eſſet, paucas naviculas quæ contis propellebantur nactus, è peditatu aliquot tranſmiſit, reliquum agmen expectare juſſos. De quâ hoſtium molitione per ſpeculatores edoctus Eumenes, qui 80 inde ſtadiis aberat, cum quatuor millibus peditum & 1300 equitibus ſuperato Tigridis ponte, de Antigoni exercitu qui tranſierant offendit plus quàm tria peditum millia, & equites 100. nec pauciores quàm ſex millia eorum, qui ſparſim pabulandi causâ trajicere ſolebant. Hos derepente adortus, dum inter ſe turbantur, cæteros illicò in fugam vertit, Macedones verò, qui reſiſtere audebant, vi numeróque ſuperatos in fluvium omnes depulit: ubi, navigiis præ multitudine ingreſſorum demerſis, pauci evaſerunt. Et qui aquis credere ſe nolebant, quatuor circiter millia, in hoſtis poteſtatem venerunt. Ita *Diodorus. Plutarchus*, Paſitigrim amnem aggreſſum tranſmittere Antigonum, quod cæteri qui in ſtationibus erant ne ſenſerunt quidem, ſolum Eumenem excepiſſe ſcribit; ſigníſque collatis multos occidiſſe de militibus ejus, flumen cadaveribus compleviſſe, & quatuor millia cepiſſe.

Deſperato fluminis tranſitu, Badacam versùs, urbem ad Eulæum fluvium ſitam, caſtra movit Antigonus, ubi per dies aliquot ſubſiſtens, exercitum æſtûs magnitudine confectum recreavit. Inde Ecbatana profecturus, non regiâ viâ, propterea quòd & immodico æſtu & 40 dierum longitudine moleſta erat, ſed per Coſſæos iter inſtituit viâ breviore & frigidiore: ubi plurimis ſuorum deſideratis, cæteríſque in periculum adductis, vix nono tandem die in habitabiles Mediæ tractus evaſit. Ubi tumultuantibus adversùs eum militibus, qui intra 40 dies in tres clades non exiguas inciderant, Pithon totam obire Mediam ab eo juſſus, equites 1000 & equos cum apparatu plus 1000, tantúmque præterea jumentorum numerum, ut totus armari exercitus poſſet, ſecum reduxit: cum 500 inſuper ex regio fiſco talentis. Equites illos in ordines cooptavit Antigonus: equis verò in eos qui amiſerant diſtributis, & jumentis liberaliter huc illuc donatis, priſtinam militum benevolentiam recuperavit. (*Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 116.]

Eumeniani, motis à Paſitigride caſtris Perſiam versùs, ad Perſepolim regni ſedem 24 dierum itinere pervenerunt: ubi à Peucestâ, qui regionis illius erat ſatrapes, totus exercitus, poſt ſacrificia

ficia Diis Alexandróque & Philippo facta (ove etiam, ut Plutarchus narrat, ad sacra faciendo viritim divisa) magnificentissimo epulo est exceptus. Quum verò his & aliis obsequiis eum multitudinem sibi conciliare dignitatemque Imperatoriam ambire videret Eumenes: adulterinam quandam epistolam Syriacis literis ab Oronte Armeniæ satrapâ, qui Peucestæ amicus erat, sciscitari commentus est; quòd Olympias cum Alexandri filiolo, sublato Cassandro, regnum Macedoniæ recuperasset, & Polysperchon in Asiam contra Antigonum cum validissimâ regii exercitûs parte atque elephantis trajecisset. [*Diodor. ibid. Polyæn. Stratagem. lib.* 4.] Fide igitur literis habitâ, quum in Eumenis manu futurum videretur, & proveheret per regem quos vellet, & pœnas à delinquentibus exigere: omnes ab eo expectatione maximæ spei pendendum sibi arbitrabantur. Siqui verò ab ipso alieni erant, eos ille in judicium deferens perterrefaciebat (exemplo in Sibyrtio Arachosiæ satrapâ dato:) Peucestam interim comitate verborum ac promissorum magnitudine deliniens, atque in officio continens. (*Diodor. ibid.*)

Alios etiam Satrapas & duces devincire sibi cupiens Eumenes, pecuniis se indigere simulavit; & unumquemque, ut mutuum Regibus darent, adhortatus est. Quadringentis igitur talentis à quibus expedire visum ducibus acceptis, illos qui priùs insidiarum aut defectionis fuerant suspecti, metu amittendi crediti, fidissimos jam & corporis sui custodes habebat. [*Id. ibid. & Plutarch. in Eumene.*]

3689 4. In minore Asiâ Attalus & alii duces, post obsidionem per annum unum & menses quatuor fortiter toleratam, in hostis tandem potestatem venerunt. [*Diodor. ad ann.* 4. *Olymp.* 115.]

In Asiâ majore Antigono cum exercitu ex Mediâ in Persiam movente, illi occursurus Eumenes, cùm post peractum sacrificium opiparo convivio exercitum excepisset, & bibendo convivis nimis se attemperasset, in morbum incidens, profectionem ad dies aliquot inhibuit. Quo casu fracti animi sunt militum, dicentium, alios convivia splendidè parare, Eumenem unum imperare & belligerare nôsse. Remittente tamen malo, cùm se brevi recollegisset, copias promovit: primum agmen ducente Peucestâ cum Antigene; ipso in lecticâ cum elephantum ductoribus subsequente. Jámque inter unius diei exercitus inter se distabant: cùm per missos utrinque speculatores, cognito hostium numero consilióque, ad pugnæ discrimen se compararent. Cúmque Eumenes extra aciem quietis gratiâ in lecticâ ferretur, auteignaniique vociferarentur gradum se nisi illius ductu non promoturos: ille mox lecticâ ab uno cornu ad alterum circumlatus, in ordines suos digessit exercitum, inspectante & cachinnante Antigono. Et copias quidem in aciem illi producebant: sed propter loci difficultatem confligere non poterant. [*Diodor. ann.* 1. *Olymp.* 116. *Plutarch. in Eumene.*]

Ad tria ergo stadia translatis ab invicem castris, quatriduum in velitationibus & agrorum depopulatione consumebant, rerum omnium egeni. Quintâ inde luce Antigonus rursùm copias Eumenis ab eo avertere promissis conatus est: sed à Macedonibus legati ejus cum minis sunt repulsi. Deinde Gabienem, tridui itinere inde distantem regionem commodam & opulentam, ab Antigono ad capienda castra noctu occupatum iri præsentiens Eumenes, per simulatos perfugas Antigonum moneri curavit, Eumenem noctu ejus castra invasurum: ad quem incursum dum ille se parat, Eumenes Gabienem præoccupare contendit. Sed Antigonus fraude agnitâ, quanquàm duas jam noctis vigilias antevertisset Eumenes, insecutus nihilominùs eum est; & Pithone cum reliquo agmine lentè subsequi jusso, ipse magnâ celeritate cum expeditissimis ultus, in colle præalto se inspiciendum Eumeni præbuit. Is ratus totum cum Antigono exercitum adesse, subsistit, antequàm ad optatum locum perveniret, atque aciem instruxit, cùm interea reliquæ copiæ ad Antigonum confluxerunt: sicque uterque dux sibi mutuis artibus imposuere. [*Diodor. ibid.*]

Hîc verò (in Paræacenorum regione) uterque Imperator egregiè aciem suam instruxit: ut copiosè declarat *Diodorus*. Ducebat secum Eumenes peditum 35 millia, equites 6100, elephantos 114. Antigonus peditum plus quàm 28 millia, equites 8500, elephantos 65. Eventu prælii ancipiti acerrimè pugnatum est, in mediam usque noctem, Lunâ plenâ: quando jam fessi, prælio omisso castrametari cogebantur. Interempti sunt ex parte Antigoni 3700 pedites, & 54 equites, vulnerati plus 4000. Ex peditatu Eumenis ceciderunt 540, equites perpauci; vulnerati plures 900. (*Id. ibid.*)

Eumenes ad eos qui in pugnâ ceciderant accedere studebat, ut eorum corporibus potitus victoriam certò sibi assereret. Verùm infragante turbâ, & ad impedimenta sua quæ longiùs aberant revertendum esse vociferante, obsecundare illis coactus est. Antigonus verò vi turbam compulit, ut prope interfectos castra ponerent: eorúmque sepulturæ dominus factus, de victoriâ contendit, affirmans nihil in præliis potius esse, quàm potiri eorum qui ceciderint. Tum suorum cadaveribus sub diei ortum sepultis, & præcone hostium de recipiendis mortuis apud se detento, exactâ die illum dimisit, recuperationem mortuorum in crastinum permittens. Ipse primâ statim vigiliâ apperente cum toto exercitu movens, contentis itineribus procul ab hoste ad Gamarga usque Mediæ perrexit: quæ regio sub Pithonis imperio affatim omnia magnis exercitibus suppeditare poterat. (*Ibid.*) Atque ita Antigonum in Paræacis malè acceptum Eumenes in Mediam hyematum coëgit redire. [*Æmil. Prob. in Eumene.*] in *Gadamalis* vel *Gadaritis* ut Diodorus, vel *Gadamarsis* ut Polyænus appellat.

Eumenes per exploratores de abitu hostis certior factus, ab insecutione abstitit; quòd & ipse inediâ arumnisque magnis affectum haberet militem: & ad mortuorum exsequias conversus, magnificè sepeliendos curavit. Ibi Cetens, dux eorum qui ex Indiâ venerant, cùm occisus esset; ingens inter duas ejus uxores contentio est exorta, utra earum impetraret, ut cum marito mortuo viva combureretur. Junior magno cum gaudio victoriam adepta, rivalem quæ uterum ferebat, vivere coactam, mœrore confectam reliquit: ut pluribus narrat Diodorus.

Eumenes, negotio funerationis expedito, è Paratacis in Gabienem movit: quæ regio à castris Antigoni dimidiat, si per cuita quis iter faceret, stadiorum 25. per deserta verò & inaquosa, 9. Tantis alter ab altero spatiis remotus hyemavit, & copiam exercitui ad recolligendum vires præbuit. (*Id.*)

Cassander regnum Macedoniæ affectans, Olympiadem regis Philippi viduam & Alexandri M. matrem e medio sustulit, Thessalonicem ejusdem Philippi (non Aridæi, ut apud *Justinum* legitur) filiam & Alexandri sororem duxit uxorem, puerumque Alexandrum Alexandri Magni filium cum matre Rhoxane in arcem Amphipolitanam custodiendos misit. [*Diod. Olymp.* 116. *ann.* 1. *Justin. lib.* 14. *fin.*]

Quum paulisper Eumenis milites respirassent, ducibus insultantes regionem Gabenorum fermè universam hybernis occupárunt; ut poltremorum tabernacula propè mille stadia eilent à primis direpta. [*Plutarch.*] Hyberna enim sumpserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam: indeque longè inter se dissidebant. (*Æmil. Prob.*]

Hoc Antigonus cùm comperisset, intelligerétque se parem non esse paratis adversariis, dispersos eos & non opinantes aggredi statuit. Itaque famam spargens, sese in Armeniam ducturum, repentè sub brumale solstitium (ἔαρος ἄκρα καὶ χειμῶνος ἀρχαί, ut à *Diodoro* est notatum) relictâ via regiâ, per desertam iter contendit; interdiu ignibus per castra accensis, nocte extinctis, ne qui ex editis locis ignem nocte conspicati, hosti adventum suum nunciarent. Sed cùm quinque jam dies laboriosè iter fecissent, milites propter frigus aliósque usus necessarios ignem in castris die noctúque accendebant. Quod conspicati quidam solitudinis accolæ, eodem die per nuncios camelis dromedariis vios (qui non multò minùs 1500 stadiis uno die conficiunt) hosti Eumeni & Peucestæ significarunt. (*Diodor. Plutarch. & Æmil. Prob.*)

b. Peucestes nuntii metu prorsus obstupescens, cùm haud secus reliquos videret affectos, fugæ consilium cepit. Quibus timorem Eumenes & timorem abstersit; promittens se effecturum, ut hostes triduo aut quatriduo (vel, ut apud *Æmilium Probum* est, non minùs quinque dierum spatio) tardiùs venirent quam expectabantur. Itaque primùm nuncios ad suos dispersos misit, ut unum in locum convenirent. Deinde ipse cum expeditis ducibus excurrens, crebros ignes in regione montanâ, qui ab Antigono videri possent, excitari jussit, quales solent in castris per noctes accendi; idque intra 70 stadiorum ambitum, quo procul spectantibus justus esse videretur exercitus. Antigonus itaque ab aliquo proditum se credens, & Eumenem cum toto exercitu adventare existimans, ne fatigatus cum recentibus dimicare cogeretur, flexit iter suum, & anfractum longiorem copiosæ viæ capit, ibique diem unum opperitur ad lassitudinem sedandam militum, ac reficienda jumenta, quo integriore exercitu decertaret. (*Id. & Polyæn. lib.* 4. *Stratagem.*) 4399 315

Interim copiæ ad Eumenem majori ex parte congregatæ sunt: militetique prudentiam ejus mirati, solum ipsum præesse rebus jusserunt. Ex quo Argyraspidum præfecti, Antigenes & Teutamus, invidiâ exstimulati, cum plerisque Satrapis & ducibus de eo tollendo consilium inierunt. Quod cùm Eudamus elephantis præpositus & Phœdimus, duo ex eis qui pecuniam ipsi mutuò dederant, ut amissionem præverterent, Eumeni clam detexissent: ille, in turbâ belluarum versari se dicens, testamentum condidit, literásque omnes confecit; ne ipso mortuo ex arcanis his crearentur illis qui eas scripserant pericula aut calumniæ. (*Plutarch.*)

Ad postremum deinde prælium deventum est, quo inter Antigonum & Eumenem de summâ rerum est pugnatum: quod à *Diodoro* plurimis habetur descriptum. Erant Antigono peditum 22, equitum 9 millia, elephanti 65. Eumeni pedites erant 36700, equites 6050, elephanti 114. Campus erat latissimus, sabulosus & totus incultus: ex quo tantum pulveris ab equitatu est excitatus, ut si quis paululum abesset, quid fieret dispicere non posset. Quo observato Antigonus, Medis & Tarentinis quibusdam equitibus clàm missis, impedimenta hostium, quæ quinque circiter stadia à loco prælii aberant, occupavit. Peucestes etiam Persiæ satrapes, ab Antigono conterritus, cum equitatu suo ex pulvere se subducens, aliorum etiam ad 1500 secum avulsit. Argyraspides verò peditatum Antigoni agmen violentius adorti, nemine suorum amisso, supra quinque millia hostium cæciderunt, peditatumque omnem in fugam conjecerunt. Atque ita superior prælio discessit Eumenes; 300 tantùm suorum interemptis. (*Diodor. Plutarch. Polyæn. lib.* 4.)

Quum Macedones impedimenta sua capta, uxoresque ac liberos, cum multis aliis necessitudine sibi devinctis, in hostis potestate esse comperissent: magnus mœror & luctus in eorum qui vicerunt castris versabatur. Quos furentes pacare conatus Eumenes, ab eis quinque millia hostium cæsa esse dicebat, & si in bello perstent, ultrò hostes pacem petituros. Damna, quibus se victos putent, duo millia mulierum & paucos infantes & servitia esse: quæ meliùs vincendo possint reparare, quàm deserendo victorium. Argyraspides verò neque fugam se tentaturos respondebant, post conjuges amissas, neque bellum gesturos contra liberos suos: ultróque eum convitiis agitabant. Ignaris deinde cæteris ducibus, Teutamus confestim ad Antigonum legatos mittit petentes ut sua reddi jubeat: conventúmque est, ut tradito Eumene restituerentur omnia, & Macedonicæ copiæ se cum Antigonianis conjungerent. Atque ita Macedones, & cum illis decem Persarum millia quibus Peucestes præerat, Satrapæ quoque aliorúmque ducum & militum pars maxima, deserto Eumene, ad Antigoni castra transierunt. [*Id. cum Justino, lib.* 14. *cap.* 3.]

Argyraspides igitur, impetu in Eumenem facto, gladium ei eripuerunt, manúsque in tergum zonâ revinxerunt: atque quarto post peractum prælium die Nicanori, qui ab Antigono ad eum accipiendum fuerat missus, tradiderunt. Petiit ille, ut per medios Macedonas duceretur, & ut postremum sibi alloqui exercitum liceret. Quo facto, custodes suos præcedere ad Antigoni castra cœpit. Sequitur exercitus prodito Imperatore suo, & ipse captivus, triumphúmque de ipso ad victoris sui castra ducit: & ne quid deesset pompæ, elephanti quoque & auxilia Orientalia subsequuntur. Antigonus verò Eumenem, verecundiâ prioris amicitiæ, in conspectum suum ve-

nire

nisi prohibitum, allignari custodibus præcepit. [*Plutarch. in Eumene. Justin. lib.* 14. *cap.* 4.]

Inter lucios tunc etiam Hieronymus Cardianus historiarum scriptor captivus fuit abductus. Qui per integrellum tempus ab Eumene semper in pretio habitus, post interitum ejus Antigoni etiam humanitatem fidemque expertus est. [*Diodor. lib.* 19. *Olymp.* 116. *ann.* 1.] Scripsit autem Hieronymus τὰ Διαδόχων (ut habet Diodorus, lib. 18. pag. 611. & Josephus, lib. 1. contr. Apion. pag. 1050.) vel ἐπιγόνων (ut Dionysius Halicarnassæus, in Romanarum suarum Antiquitatum prooemio) id est, Successorum Alexandri Magni, & temporis sui, historiam.

Antigonus tum Eumene tum omni exercitu hostili potitus, Antigenem argyraspidum ductorem comprehendit, vivumque in loculo conditum exsilit. Eudamum quoque, qui ex Indiâ elephantos adduxerat, & Celbarum, alioslque perpetuò sibi infensos, è medio sustulit. (*Diodor.*).

Cùm quæreret ab Antigono præfectus custodum (cui Onomarcho nomen erat) quemadmodum Eumenem servari vellet; ut acerrimum leonem, respondit, aut ut ferocissimum elephantum. Paulatim verò ad misericordiam flexus, catenas graviores ei præcepit detrahi, & puerum ex familiâ ejus ad eum admitti, ut ungeretur: permisitque amicis qui vellent, ut eum adirent & ferrent necessaria. Et licèt filius quidem illius Demetrius, & Nearchus Cretensis conservare studerent Eumenem; cæteri tamen ferè omnes intercedebant suadebántque de medio tollendum. Antigonus tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. Tum autem, cùm vereretur ne qua seditio exercitus oriretur, venit ad eum quemquam admitti; & quotidianum victum amoveri jussit: nam negabat se ei vim allatorum, qui aliquando fuisset amicus. Cùmque duos vel tres dies fame fuisset fatigatus, & castra essent repentè movenda; missus intrò quidam, inscente Antigono, eum jugulavit. Corpus Antigonus, ob superiorem cum illo necessitudinem, amicis ejus sepeliendum tradidit: qui illud militari honestóque funere, comitante toto exercitu, cremaverunt; ossáque ejus, vasculo recondita argenteo, in Cappadociam ad uxorem & liberos ejus deportanda curaverunt. (*Diodor. Olymp.* 116, *ann.* 1. *Plutarch. & Æmil. Prob. in Eumene.*)

Antigonus reducto in Mediam universo exercitu, reliquam hyemem in pago quodam non procul Ecbatanis transegit; militémque per totam huc illuc Satrapiam distribuit, & maximè in præfecturam quæ Rages (à ῥήγνυμι, quòd terræ motibus hic urbes complures & pagi 2000. corruerint; ut, ex Posidonio, refert Strabo, lib. 11. pag. 514.) nomen obtinuit. Ubi cùm Pithonem Mediæ Satrapam complures militum in hibernis, quà promissis quà etiam donis, sibi devinctos reddere & ad defectionem pellicere cognovisset; dissimulatione usus, rumorem spargi curavit, se Pithonem cum sat valido ad defensionem exercitu superioribus provinciis Satrapam esse relicturum. Literis quoque ad eum scriptis contendit, ut quamprimùm ad se veniat; quò coràm de necessariis inter se collocuti, propediem ad mare descendant. Quibus & consimilibus aliis literis ab amicis datis deceptus Pitho, qui in extremis Mediæ partibus hyberna tunc habebat, ad Antigonum se contulit. Qui eum nactus, in consessu ejusdem consilii participum actionem illi intendit: ac facili negocio condemnatum illicò necavit. [*Diodor. ut supr.*]

6. Antigonus, coacto in unum locum exercitu, Satrapam Mediæ designavit Orontobatem Medum, ducem verò exercitûs Hippostratum, qui 3500. pedites habebat peregrinos. Ipse assumptis copiis Ecbatana progressus est: ubi argenti non signati quinque talentùm millibus receptis, in Persidem contendit. Adicessus autem ille ad regiam usque, quæ Persepolis vocatur, dierum erat 20. circiter. [*Ibid.*]

Interea dum iter facit Antigonus Pithonis amici & molitionis consortes, quorum nobilissimi Meleager & Menoetas erant, dispalantes Eumenis & Pithonis familiares, circiter 800. equites, congregant: initióque Medorum, qui simul desciscere nolebant, agros populantur. Deinde Hippostrati & Orontobatis castra nocti invadunt. Nec multum aberat, quin conatus successum habuisset: sed multitudine superati, cùm militum quosdam ad communem pellexissent defectionem, retrocesserunt. Qui verò expediti erant, omnésque equis utebantur: ex improviso fecerunt incursiones, & magnam in terrâ consternationem excitárunt. Sed aliquantò pòst in locum præcipitiis circumdatum inclusi, partim cæsi, partim capti sunt. Ductores autem, Meleager & Cranes Medus, & de nobilioribus quidam alii, inter resistendum occubuêre. [*Ibid.*]

Quamprimùm in Persiam venit Antigonus, regio ab incolis honore affectus est; ut qui citra controversiam jam Asiæ esset dominus. Ibi convocato amicorum senatu, de Satrapiis consilia tractavit. Carmaniam Tlepolemo, Bactrianam Stasanori, Paropamisum Oxyartæ Rhoxanes patri, unde avelli illos facilè non potuisse putabat, retinendam permisit. In Ariam Euitum: eique brevi pòst mortuo Euagoram suffecit, virum ob fortitudinem & prudentiam admirandum. (*Ibid.*)

Ex Arachosiâ Antigonus Sybertium bene ipsi cupientem accersens, in Satrapiâ suâ confirmavit: eique Argyraspidum, qui Eumenem dediderant, mille turbulentissimos tradidit; verbo quidem ad usus belli, at reipsâ ad interitum. Privatim enim injunxerat, ut paulatim ad co belli usus ipsos amandaret, in quibus periturn essent: ne quis eorum in Macedoniam rediret, vel mare Græcum aspiceret. [*Diodor. ibid. cum Plutarcho, in fine Eumenis, & Polyæno lib.* 4. *Strategem.*]

Videns Antigonus in magnâ apud Persas gratiâ esse Peucestam, Satrapiam ante omnia illi ademit. Hoc indignè ferentibus indigenis, quum Thespias quidam ex illustrissimis unus liberiùs contradiceret, non admissuros imperium alterius Persas; huic vitam ademit. Asclepiodorum verò, mediocri instructum manu, Persidi dedit præfectum; Peucestámque ad spes alias translatum, & vanâ arrectum persuasione, è regione eduxit (*Diodor. ibid.*).

Dum Antigonus iter Susâ versùs habet, Xenophilus opes Susianas in potestate habens ad

Pasitigrim illi occurrit : quem Seleucus ad omne imperatum faciendum miserat. Hunc susceptum inter sumenos se colere amicos simulabat : ne mutato animo rursùs ipsum excluderet, metuens. Ipse, occupatâ Susorum arce, vitem inibi auream, operúmque copiam, ad 15. millium talentûm æstimationem, nactus est. Conflata ipsi etiam alia pecuniarum vis è coronis, cæterísque donis & spoliis, ad quinque talentûm millia ; & totidem per Mediam collecta, præter Susianos thesauros : ità ut in summâ 25. millia talentûm conficerentur. (*Id. ibid.*)

d. Antigonus Susianæ præfectum reliquit ex indigenis quendam Aspisatn. Ipse pecunias omnes ad mare deportare constitutum habens, vehiculis & camelis operam dabat comparandis : eásque secum asportans, Babyloniam versùs cum exercitu perrexit. [*Diodor. Olymp.* 116. *ann.* 2.]

Cùm dietum 22. spatio Babylonem attigisset, Seleucus regionis satrapes regalibus Antigonum donis honoravit ; exercitúmque universum convivio excepit. Ibi quum Seleucus mulctasset quendam è ducibus, non communicato cum Antigono consilio ; indignatus ille, rationes ab eo poposcit proventuum & pecuniæ publicæ. Seleucus se non obstrictum esse ad reddendas de hac regione rationes, quam Macedones ob navatam vivente Alexandro operam sibi dederint, respondit. Diffidio in dies gliscente, Seleucus Antigono imparem se esse videns, veritúsque ne ipsum (ut Pithonem Mediæ satrapam) è medio tolleret ; cum 50. equitum comitatu, ad Ptolemæum in Ægyptum secessit. Hujus enim benignitas, & erga confugientes ad ipsum humanitas, ubique pervulgata erat. [*Id. ibid. & Appian. in Syriac. pag.* 121.]

Lætitiâ exultanti Antigono, quòd non coactus amico vim inferre, sine sanguine & sudore Babyloniam recepisset, Chaldæi responderunt ; si dimitteretur Seleucus, fatorum ut Asia tota in potestatem illius veniret, & Antigonus ipse acie cum illo congressus vitam suam finiret ; unde facti pœnitens, qui persequerentur hominem, misit. Verùm hi aliquo usque progressi, negotio infecto redierunt. [*Diodor. ibid.*] Antigonus verò Blitorem Mesopotamiæ præfectum, quòd Seleucum abeuntem transmisisset, magistratu amovit. [*Appian. ibid.*]

Seleucus in Ægyptum elapsus, omnibus humanitatis officiis à Ptolemæo exceptus est : apud quem acerbè accusato Antigono, Ptolemæum ad bellum cum eo gerendum accendit. [*Diodor. ibid. cum Pausaniâ in Attic. pag.* 5.]

3690 Seleucus amicorum quosdam in Europam misit ; qui Cassandrum in Macedoniâ & Lysimachum in Thraciâ imperantem ad inimicitias cum Antigono suscipiendas incitarent. Cujus propositum ex verisimilibus conjecturis assecutus Antigonus, missis ad Ptolemæum, Lysimachum & Cassandrum legatis, ut pristinam secum amicitiam conservare vellent rogavit. [*Diodor. ut supr.*] Sed Seleuci operâ eò effectum, ut inter ipsum & Ptolemæum, Lysimachúmque & Cassandrum, contra Antigonum fœdus iniretur. [*Appian. ut supr.*]

Antigonus, satrapâ Babylone creato Pithone qui ex Indiâ venerat, promotis castris iter Ciliciam versùs intendit. Ubi Mallon (in Ciliciâ) perventum est ; in hyberna exercitum distribuit, jam post occasum Orionis. (mense Novembri Juliano.) Pecunias etiam in Quindis decem millia talentûm accepit. Ex annuis præterea reditibus undecim millia talentûm ei collecta erant. [*Diodor. ibid.*]

Jámque in superiorem Syriam movebat Antigonus, cùm legati à Ptolemæo, Lysimacho & Cassandro advenêre. Qui introducti ad consessum postulabant, ut Cappadocia Lyciáque Cassandro, Phrygia juxta Hellespontum Lysimacho, Syria tota Ptolemæo, & Babylonia Seleuco traderetur : simúlque pecuniæ publicæ, quas à pugnâ cum Eumene sibi vendicasset, cum ipsis cæterísque Macedonibus qui satrapias suas amiserant dividerentur. Quibus asperiùs ille respondens, se jam in Ptolemaici negotii apparatu esse dicebat ; neque se in ejus belli præmia socios admissurum, in cujus periculum solus descenderat. [*Diodor. & Appian. ut supr. Justin. lib.* 15. *cap.* 1.]

Legatis re infectâ regressis ; Ptolemæus, Lysimachus & Cassander societatem armorum inter se pacti, bellum terrâ marique enixè instruxerunt. *(Id.)* Antigonus quanta belli surgentis moles esset futura perpendens, nationes ac civitates principésque ad societatem invitavit. Ad reges Cypri Agesilaum, in Rhodum Idomenea & Moschionem, in Cappadociam nepotem ex fratre Ptolemæum cum exercitu, in Laconiam Aristodemum Milesium cum mille talentis ad conducendos milites, ablegavit. Ipse per universam Asiam, quam in potestate habebat, faces & tabellarios disposuit : quorum operâ celerirer omnia administraret. [*Diodor.*] 4400 314

His expeditis, in Phœniciam movit Antigonus, copias etiam navales contrahere properans. Castris ergo ad Tyrum Phœniciæ positis, regulos Phœnicum & Syriæ præfectos accersens, ut suam ad naves compaginandas operam cum ipso conjungerent invitavit : quandoquidem totam Phœniciæ classem Ptolemæus haberet in Ægypto. His mandavit, ut 450000. frumenti medimnos (tantus enim sumptus in annum fiebat) ocyssimè præpararent. Ipse congregatis undique qui ligna cæderent & naves compingerent, materiam ex monte Libano ad mare deportandam curavit : cui decidendæ & dividendæ octo virorum millia, devehendæ autem mille jumenta operam locabant. (*Id.*)

His dum fungitur Antigonus, juxta mare castra habens, venit ex Ægypto Seleucus cum navibus centum regaliter instructis ; & contemptim castra illius prætervectus est. Quod cùm præsentes tum è civitatibus socios non parum turbavisset : bono eos animo Antigonus esse jussit, 500. se navibus hâc ipsâ æstate mare ingressurum confirmans. Interim Agesilaus legatione in Cypro functus aderat ; quòd Nicocreon cæterísque regum potentissimi societatem cum Ptolemæo contraxerint, Citticus autem & Lapithius, Marius & Cerynites ad ipsius amicitiam se contulerint, renuncians. Quibus auditis, tria armatorum millia duce Andronico ad Tyri obsidionem reliquit Antigonus : ipse cum exercitu Joppen & Gazam, ad imperata contumaces,

adortus,

adortus, violenta eas manu expugnavit, & redactos in potestatem ibi Ptolemæi milites, in suos ordines distribuit: præsidio quoque in urbes introducto, quod ad imperata faciendum oppidanos cogeret. Tum in pristina ad Tyrum castra reversus, necessaria obsidioni adornavit. (*Id.*)

Per hoc tempus Aristo, cujus fidei Crateri ossa credita fuerant, ad sepulturam illa tradidit Philæ Antipatri filiæ: quæ priùs Cratero, tum verò Demetrio nupserat. Huic enim ut eam duceret pater Antigonus persuasit: aversanti ut ætate sibi non respondentem, sed majorem, Euripideo hoc in aurem insusurrans,

Ὅπου τὸ κέρδος, οὐδὲ φύσιν γαμεῖν χρεών
Ubi lucrum suadet, reluctetur licèt
Natura, ducas conjugem.

γαμεῖν *Ducas*, pro δουλεύειν *Servias*, scitè subjecto. Hæc verò fœmina ingenio & prudentiâ excellere videbatur. Nam turbulentos in exercitu milites erga unumquemque sicuti par esset gerendo se, compescebat; pauperum sorores filiasque suis impensis elocabat: atque è periculis multos calumniis iniquis circumventos eripiebat. [*Id. cum Plutarcho, in Demetrio.*]

Inter duces ab Antigono missos, Aristodemus in Laconiam transvectus, & conducendi militis copiam à Spartanis adeptus, è Peloponneso 8000. coëgit: atque cum Polysperchonte & filio ejus Alexandro congressus, amicitiæ fœdere Antigono illos adstrinxit. Et Polysperchontem quidem Peloponnesi ducem creavit: sed Alexandro, ut ad Antigonum in Asiam trajiceret, persuasit. [*Diodor.*]

Ducum alter Ptolemæus cum exercitu in Cappadociam profectus, cùm obsessam ab Asclepiodoro Cassandri præfecto Amisum offendisset, periculis illam exemit; & dimisso certis pactis Asclepiodoro, Satrapiam recuperavit. Hinc per Bithyniam ducens, Zibyten Bithynorum regem in oppugnatione Astacenorum & Chalcedonensium urbis occupatum inveniens, obsidionem solvere coegit: initâque societate cum urbibus & Zibyte, postquàm obsides accepisset, Ioniam & Lydiam versùs movit. Ut enim oræ isti quàm celerrimè auxilium ferret, quippe Seleuco classe illam petituro, scripserat Antigonus. Ad quæ loca ubi Seleucus appulit, Erythras circumsedit. Sed in propinquo hostem esse certior redditus, absque effectu inde solvit. (*Id.*)

Venerat interea Polysperchontis filius Alexander ad Antigonum. Ubi publicâ militum ac peregrinantium illic advocatâ concione, Cassandro actionem intendit: seque Olympiadis mortem ab illo interfectæ ulcisci velle, & Alexandrum regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitanâ liberare, & Græcos omnes à præsidiis illius immunes suo juri restituere, declaravit. Deinde Alexandrum, ad magnas in posterum spes excitatum, cum 500. talentis in Peloponnesum remisit. (*Id. cum Justino, lib. 15. cap. 2.*]

Antigonus, navibus è Rhodo accersitis & plerisque recèns ædificatis instructus, Tyrum contendit. Cui dum maris imperio jam potius frumenti importationem intercludit, ad gravissimam obsessos egestatem adduxit. (*Diodor.*)

Ptolemæus Lagi filius, auditis quæ Macedones cum Antigono de libertate Græcis reddendâ decrevissent, ejusdem sententiæ decretum etiam ipse scripsit: notum hoc fieri cupiens, se non minùs Antigono libertatis Græcorum curam gerere. Suis etiam partibus adjunxit Cassandrum Cariæ satrapam, virum potentem, & qui non paucas sub imperio urbes tenebat. Et licèt jam antea regibus in Cypro tria militum millia misisset; tamen nunc etiam decem alia militum millia cum Myrmidone Atheniensi, & Polyclitum cum navibus centum eòdem misit; fratre Menelao omnium imperatore constituto. (*Id.*)

Hi transvecti in Cyprum, adjuncto illic cum classe Seleuco, in consessu, quid facto opus sit deliberant. Placet tandem, ut Polyclitus cum 50. navibus in Peloponnesum transgressus, Aristodemo & Alexandro & Polysperchonti bellum faceſſat: Myrmidon cum peregrino milite in Cariam erat suppetias allatum Cassandro satrapæ, quem Ptolemæus Antigoni dux armis impetebat: & Seleucus Menelaúsque in Cypro relicti cum Nicocreonte rege aliisque sociis, adversarios oppugnent. Divisis autem, ad hunc modum copiis, Seleucus Cerynian & Lapithum expugnat: & pellecto in suas partes Stasicœco Malensium rege, Amathusiorum principem obsides dare cogit. Citiorum verò urbem, cùm adjungere illam sibi non posset, omnibus admotis copiis obsidet. [*Id. ibid.*]

Sub id tempus ex Hellesponto Rhodóque naves 40, Themisone navarcho, ad Antigonum venerunt: alias itidem 80. Dioscorides inde adduxit. Sed jam antè instructam habebat Antigonus classem ex compaginatis in Phœnicià 120. navibus; adnumeratis quas ad Tyrum reliquerat. Ita ut in universum congregatas haberet 240. naves longas: inter quas tetteres 90. pentères 10. ennéres 3, decéres 10. (a 4, 5, 9, 10. ordinibus remigum sic appellatæ) & 130. apertæ. Hâc classe divisâ, 50. naves in Peloponnesum misit: cæteris Dioscoridem, suum ex fratre nepotem, præfecit; cum mandato, ut huc illuc navigando socios tutaretur, insulásque nondum societati ipsorum addictas, partibus suis conciliaret. [*Ibid.*]

Polyclitus Seleuci legatus, è Cypro transmittens, Cenchreas (Corinthiorum navale) appulit. Ubi cùm Alexandrum Polysperchontis filium ab Antigono ad Cassandrum defecisse didicisset, nihil copiarum hostilium videns, Pamphyliam versùs navigationem intendit. Inde Aphrodisiadem Ciliciæ devectus, audivit Theodotum Antigoni navarchum ex Patarâ Lyciæ cum classe Rhodiâ, ex Caria remiges habente, præterveli; & Perilaum cum agmine terrestri classem in littore comitari, ad tutum illis iter præbendum. Utrosque igitur valdè decepit. Expositum enim militem opportuno abscondit loco, quà hostes transire necessum erat: ipse cum totâ classe eò delatus, cùm promontorium sibi objecisset, accessum hostis observat. Peditatus ibi primus in insidias incidit: Perilaus capitur; aliique inter dimicandum partim cadunt, par-

tim

tim vivi in hostium manus veniunt. Dúmque classiarii auxilio suis venire conantur, Polyclitus repentè ordinatâ invectus acie, hostem perturbatum facilè in fugam vertit. Idcircò evenit, ut naves universæ, nec exiguus virorum numerus caperetur: inter quos fuit etiam Theodotus ipse, vulneribus confectus, qui post paucos dies obiit. (*Ibid.*)

Polyclitus citra periculum tanto usus successu, in Cyprum, atque inde ad Pelusium renavigavit. Quem laudatum Ptolemæus donis ingentibus honestavit, atque victoriæ insignis authorem longè ampliùs provexit: Perilaum verò ac de cæteris captivis quosdam, cùm Antigoni legatio propter illos venisset, solvit. Ipse dehinc ad Ecregma (quod vocatur) profectus, colloquium cum Antigono habuit: sed non concedente Antigono quæ postulabat, rursùs discessit. [*Ibid.*]

3691 Cassander ex Macedoniâ exercitum in Cariam misit: tum ut urbibus Ptolemæo & Seleuco ibi confœderatis opem ferret; tum ut maturè Antigonum distraheret, ne ocium transmittendi in Europam haberet. Hujus agminis duces, Cassander (Cariæ satrapes) & Prepelaus, audientes Ptolemæum Antigoni præfectum copias in hyberna distribuisse, ipsúmque in sepulturâ patris occupatum; Eupolemum ad Caprima in Cariâ hostibus insidiatum misêre, 8000. peditibus & 2000. equitibus adjunctis. Sed Ptolemæus, hostium consilio per transfugas explorato, ex proximè hyemantibus pedites 8300. & 600. equites evocavit: atque mediam circa noctem insperatò vallum hostis adortus, cùm sine excubiis in somnum effusos obruisset, tum Eupolemum ipsum cepit, tum ad deditionem milites adegit. [*Diodor. Olymp.* 116. *ann.* 3.]

Antigonus Asiam sibi vendicare Cassandrum videns, filium Demetrium in Syriâ cum mandatis reliquit, ut Ptolemæanos, quos cum exercitu in Syriam progressuros suspicio erat, insidiis exciperet. Peditum ex peregrinis 10. millia, ex Macedonibus 2. millia, Lycios insuper & Pamphylios 500, sagittariósque ac funditores ex Persiâ 400, quinque etiam millia equitum, & supra 40. elephantos cum eo remanere jussit. Quatuor consiliarios illi adjunxit; Nearchum Cretensem, Pithonem Agenoris filium, qui paucos ante dies Babylone venerat, Andronicum Olynthium & Philippum: viros ætate provectos, qui militiæ Alexandri per totam expeditionem socii fuerant. Nam juvenis adhuc erat Demetrius, annos tantùm 22. natus. (*Id. ibid.*) 4401 313

Ipse Antigonus, cæteris apud se copiis retentis, dum Taurum superare nititur, in magnam vim nivium incidit, nec parvam militum jacturam fecit. Ideò retrò in Ciliciam reversus, aliámque nactus opportunitatem, minori incommodo montem illum transcendit; & ad Celænas Phrygiæ progressus, in hyberna exercitum distribuit. (*Id. ibid.*)

Tyrus, per annum & tres menses obsidione fortiter toleratâ, sub conditione Antigono dedita est: Ptolemæanis cum rebus suis abire permissis. Præsidii verò ad urbem tuendam introducti dux mansit Andronicus. (*Id. ad Olymp.* 116. *ann.* 2. & 117. 1.)

Medius cum classe cui præerat è Phœnicià ab Antigono accersitus, Pydnæorum naves 36. fortè illi occurrentes prælio subactas unà cum viris in potestatem redegit. [*Id. Olymp.* 116. *ann.* 3.]

Cassander (Cariæ satrapes) mole belli gravatus, cum Antigono hac conditione transegit; ut milites omnes Antigono traderet, & Græcis urbibus juris sui libertatem concederet, ac Satrapiam quam priùs habuerat tanquam donum retineret, firmus Antigono deinceps amicus. Horum causa, obsidem illi fratrem Agathonem dedit. Sed post dies non multos, cùm pactorum illum pœniteret, fratrem è custodiâ surripuit; & legatione ad Ptolemæum & Seleucum missâ, ut quamprimùm sibi auxilia ferrent, contendit. Quod indignissimè ferens Antigonus, terrâ marique copias ad liberationem urbium misit; & classi Medium navarchum, terrestri autem agmini Docimum imperatorem præposuit. Hi ad urbem Milesiorum profecti, cives ad libertatem invitant, arcem præsidio munitam expugnant, legésque suas reipublicæ restituunt. [*Id. Olymp.* 116. *ann.* 4.]

Hic dum illi occupantur, Antigonus Tralles expugnat, & Caunum progressus, accersitâ classe, etiam hanc urbem capit, præter arcem. Quam vallo cinctam, ex quâ parte invadi poterat, continuis assultibus impetit. Missus erat cum sat validâ manu Ptolemæus ad Iasum urbem. Is cum Antigono se conjungere cogitur. Et hæ tum Cariæ urbes in ditionem Antigoni venerunt. [*Id. ibid.*]

3692 Cyrenæi à Ptolemæo deficientes, arcem veluti jamjam præsidium ejecturi obsident. Cúmque legati ex Alexandriâ illuc missi, ut ab obsidione desisterent, hortarentur; capite illos multant; & obsidionem majore contentione urgent. His graviter commotus Ptolemæus, Agim ducem cum terrestri illuc exercitu mittit; classem etiam in subsidium belli, Epæneto prætore, expedit. Agis itaque bellum adversùs defectores strenuè persequens urbem vi subigit; authoresque defectionis in vincula compactos Alexandriam mittit, cæteris verò arma demit. Hinc civitatis rebus prout commodum ei videbatur constitutis, in Ægyptum redit. (*Id. Olymp.* 117. *ann.* 1.) 4402 312

Ptolemæus, ubi Cyrenes negotium ex animi sententiâ successerat, in Cyprum adversùs reges imperium detrectantes ex Ægypto cum exercitu trajecit: & Pygmalionem cum Antigono per legatos agentem nactus, è medio sustulit. Tum Praxippum Lapithiæ regem, & Ceryniæ principem de alienatione suspectum comprehendit. Stasiœcum præterea cepit Mali regulum; eversáque urbe incolas Paphon transtulit. Quibus peractis, Nicocreontem Cypro ducem imposuit; urbeque ac reditus ejectorum regum illi attribuit. Ipse cum exercitu in superiorem Syriam transvectus, Posideum & Potamos Carum expugnatas diripuit: expeditóque cursu in Ciliciam provectus Mallum cepit, & deprehensos in urbe sub hastâ vendidit. Finitimam insuper regionem devastavit: & ditato emolumentis exercitu, in Cyprum renavigavit. (*Id. ibid.*)

Demetrius Antigoni filius in Cœle-Syriâ interim subsistebat, copiis Ægyptiorum imminens. Ubi verò de captis urbibus audivit, Pithonem illis in locis cum imperio reliquit; elephantis &

gravis armaturæ ordinibus ei tradit. Ipse equitatu ordinibúsque ferentariorum assumptis, subitis itineribus Ciliciam versùs perrexit, ut periclitantibus opem ferret. Sed cùm tardiùs quàm opportunum esset, post hostium inde discessum, venisset; citatò in castra rediit equis in itinere plerisque amissis. Intra dies enim sex à Mallo 24. stathmos confecit: ita ut propter immodicos labores, neque cacularum neque equisonum quisquam subsequi posset. [*Ibid.*]

Ptolemæus, quum cum quem volebat progressum res habuissent; tunc quidem in Ægyptum regressus est. Sed non diu pòst à Seleuco infligatus, propter inimicitias cum Antigono, in Cœle-Syriam movere & cum Demetrio confligere decrevit. Quamobrem copiis undique contractis, ab Alexandriâ ad Pelusium movit, 18000. habens in peditatu, in equitatu 4000. quorum alii Macedones, alii conductitii erant. Ægyptiorum multitudo partim tela cæteráque impedimenta gestabat, partim armis ad pugnæ usum instructa erat. A Pelusio deserta emensus, prope hostes ad vetustam Syriæ Gazam castra posuit. Ita etiam Demetrius, ex hybernis undique evocatis in Gazam veterem militibus, hostis adventum præstolabatur. [*Ibid.*]

Olympiade CXVII. Ptolemæus Lagi vicit in Gazâ prælio Demetrium Antigoni, Poliorcetem cognominatum: ut habet Castor chronographus. [*apud Joseph. lib.*1. *contr. Apion. pag.* 1048.] Cujus prælii plenior apud *Diodorum Siculum* extat descriptio, in ejusdem Olympiadis historiâ: ubi ex Demetrianis supra 8000. captos fuisse narrat, occisos verò supra 500. (5000: ex Plutarcho legendum) quorum magna pars equites fuerint, præcipuæ nobilitatis viri. Inter amicos verò qui ceciderant, illustrissimos fuisse notat, Pithonem, æquali cum ipso Demetrio functum imperio; & Bœotum, qui longo tempore cum patre Antigono vixerat, & omnis arcani erat particeps.

Ptolemæus & Seleucus urbe Gazâ potiti sunt; Demetrius contento itinere Azotum pervenit circa medium noctis, 270. stadia emensus. Hinc præconem de recuperandis ad sepulturam cadaveribus misit: quam Ptolemæus & Seleucus non solùm concesserunt, sed tabernaculum insuper & regiam supellectilem cum amicis & toto famulitio absque lytris remiserunt; generoso adjecto dicto, non de prædâ sed de dignitate & imperio initisse se certamen. [*Diodor. Plutarch. in Demetr. Justin. lib.* 15. *cap.* 1.]

Demetrius, quòd justis ad resistendum copiis destitueretur, misso ad patrem (qui tùm in Phrygiâ agebat) tabellario, ut quam celerrimè suppetias ferret, postulavit. Ipse verò Tripolin Phœniciæ ingressus, milites è Ciliciâ, & alios, quicunque vel urbes vel castella ab hoste longiùs remota custodiebant, evocavit. (*Diodor.*) Antigonus pugnâ nuntiatâ, Ptolemæum imberbes ait nunc vicisse, sed iteratò dimicaturum cum viris. Ne animum autem infringeret filii, petenti de integro per se præliari non prohibuit, sed concessit. (*Plutarch. in Demetr.*)

Ptolemæus in Ægyptum captivos milites misit, in classis præfecturas huc illuc distribuendos. Ipse, quum cæsis in pugna omnibus exsequias peregisset magnificas, Phœniciæ urbes cum exercitu invasit; alias obsidendo, alias persuadendo sibi adjungens. Post receptam Sidonem, prope Tyrum castramentatus, Andromenum præsidii ducem de tradenda urbe sollicitavit; præmia cum honoribus ampla illi promittens. Qui nullo se modo fidem, quam Antigonus & Demetrius ipsi haberent; proditurum respondens; gravissimis Ptolemæum convitiis incessit. Sed aliquanto pòst, cùm per seditionem militum in hostis manus venisset; præteritæ injuriæ memoriâ; muneribus affectum Ptolemæus inter amicos cooptavit, & honorificè provexit. [*Diodor.*]

Seleucus, acceptis à Ptolemæo peditibus mille (ut ait *Appianus*; non plures enim quàm 800. habet *Diodor.*) & 200. equitibus; cum tantillo exercitu ad Babyloniæ satrapiam recuperandam properavit. Quum in Mesopotamiam pervenisset, Macedonum qui Carrhis consederant alios suadendo pellexit, alios vi compulit ad ejusdem militiæ societatem. Simulac verò Babyloniam ingressus fuit, complures incolarum ei occurrebant; & adsociati, quicquid ei visum foret communi se operâ facturos pollicebantur. Adjunxit se illi etiam Polyarchus, administrationis quoddam munus gerens, cum amplius mille armatis. Ceterum qui amicitiam cum Antigono ruebantur, ubi multitudinis impetum cohiberi non posse vident, in arcem cui Diphilus custos impositus erat confugiunt. Hujus oppugnationem instituit Seleucus: cáque per vim captâ, pueros & amicos illic asservatos (quos, post discessum illius ex Babylone in Ægyptum, in custodiam tradiderat Antigonus) inde eripuit. His autem confectis, milites conscribit, & equos à se coemptos iis qui uti possent tradidit. Dúmque in congressibus humanum se omnibus præbet, paratos & alacres ad quemvis eventum periculorum socios sibi conciliat. Hoc itaque modo Seleucus Babyloniam recuperavit. (*Diodor. cum Appiano; in Syriac. pag.* 122.)

Contra eum Nicanor, cui Antigonus Mediæ satrapiam commiserat, peditum supra 10. & equitum 7. millia è Mediâ Persidáque & finitimis locis eduxit. Cui occurrit Seleucus, habens in universum aliquanto plus tribus millibus peditum, & equites 400. Transgressus autem Tigrim fluvium, quum paucorum viâ dierum hostes abesse audiret; milites in paludibus propinquis occultavit, nec opinantes opprimere constitutum habens. Nicanor, quum promoris ad Tigrim signis hostes non inveniret; prope stathmum quendam regium castris locum delegit, longiùs illos fugisse opinatus. Nocte insequente dum contemptu hostis Nicanor excubias negligentiùs ageret; Seleucus derepentè illum adortus, tumultum ac pavorem magnum excitavit. Persis enim pugnam conferentibus, accidit, ut tùm Euager satrapes illorum, tùm alii duces caderent. Post quem eventum major pars militum, quòd & periculum extimescerent & administratione Antigoni offenderentur, ad Seleucum transitionem fecerunt. Nicanor autem cum paucis relictus, quum ne hostibus traderetur formidaret, cum amicis per deserta fugit. (*Diodor.*)

Ita valido pontus exercitu Seleucus, dum & humanum se omnibus præbet, facilè Susianam & Mediam & nonnulla de conterminis locis ditioni suæ adjecit. Ac de rebus à se gestis ad Ptolemæum cæterósque amicos perscripsit; jam regiam majestatem & gloriam principatu dignam

consecutus : ut in rerum anni 1. Olympiadis CXVII. enarratione refert *Diodorus Siculus*. Unde ab eo anno & initium principatûs Seleuci deducit *Eusebius*, indidémque & Edessenos sua tempora & Græcorum regnum Maccabæorum notas supputare historiam. Et sanè ab autumno hujus anni, id est, Septembri vel Octobri anni Periodi Julianæ 4402. secundi Maccabæorum libri collector suos *Græcorum* annos, Hebræi *æram Contractuum*, Edesseni & reliqui Syri suam Seleucidarum epocham, atque Arabes *Alexandri Dhilkarnain* quos vocant annos dinumerant. A præcedente tamen vere *Græcorum* annos primi libri Maccabæorum Scriptor, auspicatur.

3693 Ptolemæus Lagides in Cœle-syriâ subsistens, ex amicis quos secum habebat Cillen Macedonem magnis cum copiis adversùs Demetrium in Syriâ superiore castra habentem misit; ut totâ Syriâ eum expelleret, aut velut indagine comprehensum contereret, imperans. Demetrius à speculatoribus certior factus Cillen ad Myuntem negligenter castra metatum; impedimentis relictis, cum militum expeditissimis secum raptis, contentum nocte iter fecit: & repentino insultu circa matutinas excubias non expectantem perculit, atque castra cum ipso cepit duce. Milites 7000. vivos in potestatem redegit, ac permagnâ prædâ potitus est. Quia tamen Ptolemæum cum toto exercitu contra se venturum existimabat; ita castra fecit, ut paludes & lacus pro munimine illorum haberet. [*Diodor. Olymp.* 117. *ann.* 1. *& Plutarch. in Demetr.*]

De felici ejus pugnæ successu ad Antigonum, qui Celænis tùm in Phrygiâ versabatur, scripsit Demetrius; invitans ipsum, ut vel exercitum quam ocyssimè mitteret, aut ipse Syriam adiret. Qui redditis literis gavisus fuit oppidò, quòd filius adhuc juvenis & suo rem ductu prosperè gessisse videretur, & dignum se regno ostenderet. [*Diodor.*] Demetrius verò, patre annuente, Cillen ducem & amicos ejus ad Ptolemæum remisit; parem priori ipsius munificentiæ gratiam rependens. [*Plutarch.*]

Antigonus, copiis assumptis, è Phrygiâ movit; & Tauro intra paucos dies superato; cum Demetrio castra adunavit. Ptolemæus verò cognito Antigoni adventu, ex Ducum consilio excedendum esse è Syriâ judicans; præcipuas urbes à se occupatas, ut Acen Syro-phœniciæ, & Joppen Samariámque & Gazam Syriæ, destruxit. Tum receptis ad se copiis & opibus quæ agi ferrique poterant, in Ægyptum remeavit. [*Diodor. Olymp.* 117. *ann.* 1.]

Multi hominum cognoscentes mansuetudinem & clementiam Ptolemæi, cum eo proficisci in Ægyptum & rebus communicare voluerunt. Quorum unus erat Ezechias ὁ ἀρχιερεὺς (secundarius fortasse Pontifex: nam summus tùm erat Onias I) Judæorum: homo ætate quidem quasi 66. annorum, dignitate verò apud contribules magnus, dicendique facultate & rerum usu pollens. Hæc & alia plura de Ezechiâ, qui cum eo apud Ptolemæum hoc tempore consuetudinem habebat Hecatæus Abderita, in peculiari quem de *Judæis* conscripsit libello: ubi & de altero Judæo sibi cognito, Mosollamo sive Meshullamo nomine, aliam ita narrat historiam.

„ Eunte me ad mare rubrum, unà secutus est quidam cum aliis equestrium Judæorum nos de„ ducentium, nomine Mosollamus, vi animosus; inter omnes sagittarios Græcos & Barbaros „ optimus. Is igitur multis in itinere progredientibus, & quodam vate augurium captante & „ petente ut cuncti starent, interrogavit cur substitissent omnes. Ostendente verò ei vate avem „ quam intuebatur, atque dicente; quòd si quidem expediret eis ut manerent omnes, staret „ avis, si verò surgens anteriùs evolaret, procederent, si verò post tergum iret, recedere cunctos „ oporteret: rursùm tacens, arcúmque trahens, sagittam emisit, & avem percussam interemit. „ Indignantibus verò vate & quibusdam aliis, & maledicentibus ei: Quid furitis, inquit, in„ faustissimam avem sumentes in manum? Hæc enim suam salutem nesciens, de nostro itinere „ nobis prosperitatem potuit indicare? Si enim præscire futura valuisset, in hunc locum nequa„ quam venisset, metuens ne sagittâ à Mosollamo Judæo periret.

Ex eodem etiam libro de Judæis alia complura, in lib. 1. contra Apionem, *Josephus* reperit: Sacerdotum quoque numerum, qui decimas accipiunt & universâ in communi gubernant, circa 1500. tunc fuisse, inde referens. Et Demetrius Phalereus in epistolâ ad Ptolemæum Philadelphum (apud *Aristeam* in libello de LXX. interpretibus & eundem *Josephum* lib. 12. Antiquit. cap. 2.) causam ex eo reddit, cur nullus vel Poeta vel Historicus sacrorum librorum, aut virorum qui juxta eorum præscriptum res suas administraverunt, mentionem fecerit: quia sanctam nimirùm quandam & venerandum contineant in se sententiam; profano ore nequaquàm temerandam.

Antigonus, cùm citra periculum Syriam totam Phœniciámque recuperasset, in regionem Arabum qui Nabatæi vocantur expeditionem suscepit. Hanc enim gentem cùm rebus suis parùm æquam esse judicasset; ex amicis suis Athenæum delignavit, traditis illi armaturæ levioris 4000. peditibus, & equitibus idoneis ad cursum 600. mandato dato, ut subitò Barbaros invadat, & omnem illis prædam adimat. In propinquo tum erat celebris conventus quò finitimi partim merces suas venditum, partim aliquid rerum utilium sibi mercatum, confluere solebant. Ad hunc Nabatæi etiam profecti erant; relictis in rupe quâdam opibus & viris senio confectis, unà cum liberis & uxoribus. Athenæus, tempore hoc observato, celeriter ad Petram cum expeditâ manu contendit; & ab Idumææ provinciâ tridui & trinoctii spatio 2200. stadia emensus, sub noctem intempestam, insciis Arabibus, Petram occupavit. Milites continuò quos ibi deprehenderant partim occidunt, partim capiunt, quosdam sauciatos reliquunt; thurisque & myrrhæ partem maximam cum talentis 500. convalatam auferunt. Nec ultra vigiliæ tempus commorati, quòd persecutionem Barbarorum metuerent, protinùs revertuntur; & 200. itinere stadiorum confecto, defatigati castra faciunt: excubias socorditer administrantes, quòd intra duos aut tres dies hostem illuc pervenire non potuisse existimarent. [*Diodor. Olymp.* 117. *ann.* 1.]

4403 311

Arabes

Arabes ab iis qui exercitum viderant certiores facti, extemplò relictâ Panegyri ad Petram veniunt: ubi à ſauciis de rebus quę contigerant edocti, omni feſtinatione Græcos perſequuntur. Et quia milites Athenæi in tuendis caſtris negligentiùs agebant, & propter laſſitudinem oppreſſi erant ſomno, captivorum quidam clanculum aufugêre: per quos exploratis hoſtium rebus, circiter vigiliam tertiam caſtra invadunt, numero exiſtentes octo millibus haud pauciores; & pleroſque in lectis adhuc jacentes mactant, experrectos autem & arma capeſſentes transfigunt. Ad extremum pedites univerſi occumbunt; & equitum circiter 50. evadunt, majori ex parte ſaucii. Deinde facultatibus ſuis recuperatis Nabatæi in Petram revertuntur: & epiſtolâ ad Antigonum literis Syriacis ſcriptâ, Athenæum criminantur, ſe verò purgant. Quibus reſcribens Antigonus, juſtam eos vindictam exercuiſſe doloſè profeſſus eſt; & incuſato Athenæo, præter mandata incurſionem hanc ab eo factam aſſeveravit. (*Id. ibid.*)

Antigonus, cùm pro amico Barbarorum ad tempus ſe geſſiſſet, ex toto exercitu 4000. pedites; qui & leves armis & ad curſum apti eſſent, cum pluribus quàm 4000. equitibus, delegit; quibus imperavit, ut ad complures ſecum dies cibos ignis haud indigentes ferrent: Demetriúmque filium Ducem eorum conſtitutum ſub primam vigiliam miſit; cum edicto, ut quocunque poſſet modo Arabes ulciſceretur. Is triduum per avia iter faciens, clàm Barbaros opprimere feſtinabat. At ſpeculatores ingreſſu hoſtilis exercitûs animadverſo, facibus Nabatæis rem ſignificant. Feſtinanter itaque Græcos adventare opinati, in Petram (ad quam unus tantùm aditus manu factus tendebat) ſarcinis depoſitis, cuſtodiam illi validam præfecerunt: ipſi verò prędam inter ſe partiti, alii aliò in deſerta greges abegerunt. Demetrius ubi ad Petram pervenit, translatámque prædam animadvertit; continenti oppugnatione caſtellum tentavit. Sed cùm incluſi fortiter repugnarent, & propter altitudinem locorum facilè ſuperiores eſſent, certamine ad veſperam uſque continuato, receptui ſignum datum eſt. Pace deinde cum Nabatæis initâ, Demetrius acceptis obſidibus doniſque de quibus convenerat, à Petrâ diſceſſit; ſtadiáque 300. emenſus, juxta lacum Aſphaltitem caſtra poſuit. [*Id. ibid.*] *Plutarchus*, ingenti captâ prædâ & 700. camelis recepiſſe ſe, ſcribit.

Antigonus, cùm Demetrius ad ipſum reverſus ſingulà quæ geſſerat expoſuiſſet, ob pacificationem cum Nabatæis illum reprehendit; Barbaros impunitos dimiſſos multò confidentiores evaſuros dicens. Quòd autem lacum Aſphaltitem contemplatus regno proventum aliquem reperiſſe videretur, eum laudavit: & procuratorem illius fecit Hieronymum Cardianum hiſtoricum (quem ab Antigono Syriæ præfectum fuiſſe, in lib. 1. contra Apion. notat *Joſephus*; & quòd Judæorum in Hiſtoriâ ſuâ non meminerit, meritò incuſat, quum penè in ipſis locis egerit.) Huic imperatum erat, ut navigia conſtrueret; exceptúmque è lacu bitumen omne in unum congereret locum. Sed Arabes ad 6000. congregati, inque ratibus ſuis aggreſſi eos qui in navigiis verſabantur, miſſilibus propè omnes confixerunt. Quo factum, ut ſpem reditûum illorum Antigonus omitteret. [*Diodor.*]

Antigonus, acceptis à Nicanore Mediæ duce aliiſque ſatrapis de ſucceſſibus proſperis Seleuci literis, Demetrium filium miſit cum peditibus Macedonicis 5000, mercenariis 10000, & equitibus 4000. cum mandato; ut ad Babylonem uſque adſcenderet, & recuperatâ ſatrapiâ, celeriter ad mare deſcenderet. Qui Damaſco Syriæ egreſſus, patris mandatum ſtudioſè executus eſt. At Parrocles, à Seleuco Babyloniæ præſes datus, poſtquàm Meſopotamiæ hoſtes imminere cognovit, adventum illorum, quòd paucos circum ſe haberet, expectare non auſus, cæteros ut urbe excederent juſſit: horúmque alii, Euphrate relicto, in deſerta fugerent; alii ſuperato Tigri, in Suſianam & ad mare Perſicum fugerent. Ipſe cum adjunctâ manu, fluminum & foſſarum objectu loco propugnaculorum ſe tutans, in Satrapiâ verſatus eſt; tum inſidias hoſti moliens, tum ad Seleucum in Mediam de iis quæ ſubinde herent miſſitans, eúmque ad ferendum celerrimè ſuppetias exhortans. [*Id.*]

Demetrius, ubi Babylonem pervenit urbémque reperit deſertam, arcium oppugnationem aggreſſus eſt: captámque alteram militibus diripiendam conceſſit, ejectóque inde Seleuci præſidio, ſuum ibi ſeptem millium militum impoſuit. Altera per dies aliquot obſeſſa, cùm tempore indigeret, Archelaum ex amicis unum ad obſidionem reliquit; 5000. peditibus & 1000. equitibus illi traditis. Ipſe, quum tempus jam excurreret quo ut hanc expeditionem conficeret injunctum erat, quæcunque ex illâ provinciâ rapere poſſent in prędam ſuam vertere militibus juſſis, ad mare deſcendit: firmius Seleuco relinquens imperium; quippe qui cedere videretur, dum vaſtat quaſi jam non ſuum. [*Id. cum Plutarcho, in Demetrio.*]

Ad mare regreſſus Demetrius Halicarnaſſum, quam obſidebat Ptolemæus, celeriter ſuccurrens liberavit. [*Plutarch. in Demetrio.*]

Caſſander, Ptolemæus & Lyſimachus pacem cum Antigono fecerunt; ſcriptâ etiam formulâ pactorum, in hanc ſententiam. Ut Caſſander ſummus Europæ dux eſſet, donec Alexander è Rhoxane ad maturam ætatem perveniſſet. Lyſimachus Thraciam in poteſtate haberet. Ptolemæus Ægypto & conterminis in Lybiâ & Arabiâ urbibus imperaret. Antigonus toti Aſiæ præeſſet. Græcique ſuis legibus viverent. Non tamen diu his pactis ſteterunt: ſed unuſquiſque probabiles captans prætextus, ſubinde plura acquirere nitebatur. (*Diodor. Olymp.* 117. *ann.* 2.)

3694 Caſſander quum Alexandrum Rhoxanes adoleſcere videret, & ſermones per Macedoniam à quibuſdam ſpargerentur, decere ut puero è cuſtodiâ producto regnum paternum traderetur: ſibi ipſi metuens, Glauciæ cuſtodiæ præfecto imperavit, ut Rhoxanen obtruncaret, cum rege; & cadaveribus occultatis, factum nemini enunciaret. (*Id. ibid.*) * Unde ſublatâ jam regiâ ſobole, ab Octobri hujus anni Periodi Julianæ 4403 annos regni Seleucidarum dinumerant Chaldæi apud Ptolemæum Alexandrinum in magnâ Syntaxi. (*lib.* 9. *cap.* 7. & *lib.* 11. *cap.* 8.) Quâ æra & ipſi Syriaci Reges in Reſcriptis ſuis ſunt uſi [II. *Maccab.* XI. 33.] *

Paryſades Boſphori Cimmerii rex, poſt annos 38. defunctus, filio natu maximo Satyro imperium reliquit: quod 9. tantùm menſes ille obtinuit. [*Id. ad Olymp.* 117. *ann.* 3.]

In Peloponneſo dux Antigoni Ptolemæus, ab eo ad Caſſandrum deficiens ad quendam ex fideliſſimis amicis Phœnicem, cui procurationem ſatrapiæ ad Helleſpontum ille reliquerat, milites tranſmiſit: útque caſtella & urbes tueretur, neque Antigoni deinceps authoritatem ſequeretur, monuit. (*Diodor. Olymp.* 117. *ann.* 3.) 4404 310

Ptolemæus Ægyptius Antigonum criminatus, quòd contra commune ducum fœdus urbes Græcorum nonnullas præſidiis muniviſſet, miſſis cum Leonide præfecto copiis, aſperæ Ciliciæ urbes Antigono ſubjectas poteſtatis ſuæ fecit. Ad urbes etiam Caſſandro & Lyſimacho addictas rogatum miſit, ut ſuam amplexæ ſententiam, ne creſceret potentia Antigoni prohiberent. [*Id. ibid.*]

Antigonus natu minorem filium Philippum cum Phœnice & defectoribus belligeratum ad Helleſpontum miſit: ſed in Ciliciam Demetrium. Qui militiæ ſuæ munus ſtrenuè exſequens, & Ptolemæi duces vicit, & urbes recoperavit. [*Ibid.*]

Polyſperchon in Peloponneſo Caſſandrum in crimen vocans, & Macedonum imperium affectans, Herculem Alexandri M. & Barſines filium è Pergamo (ubi educabatur, jam circiter 17. annos natus) accerſiit: & ad Caſſandri inimicos miſſitans, ut adoleſcentem in regnum paternum reducerent, oravit. (*Ibid.*)

Ptolemæus Lagides, jam Cypri urbes ſub ditione habens, quum à Nicocle Paphiorum rege occultam cum Antigono amicitiam fuiſſe initam ex relatu quorundam cognoviſſet, ex amicorum numero Argæum & Callicratem, cum mandatis de tollendo Nicocle, miſit. Illi ergo in Inſulam profecti, à Menelao exercitûs præfecto militibus acceptis, domum Nicoclis circumſiſtunt; & expoſito Ptolemæi decreto, ut vitâ ſe abdicaret, imperant. Qui ad diluendum quæ objiciebantur primùm ſe convertit: ſed ubi nemo attendit, manus ſibi infert. Axiothea Nicoclis uxor, auditâ viri morte, filias ſuas adhuc virgines jugulat; fratrúmque Nicoclis conjuges, ut unà cum ipsâ mortem oppetant, inſtigat: cùm tamen nihil acerbi in eas ſtatuiſſet Ptolemæus; ſed incolumitatem illis conceſſiſſet. Fratres quoque Nicoclis, foribus occluſis domóque ſuccenſâ, ſibi ipſi manus intulerunt. Atque ita familia regum Paphiorum, tragicis oppreſſa calamitatibus, abolita fuit. [*Diodor. ibid. & Polyæn. Stratagem. lib.* 8.]

Agathocle Siciliæ tyranno in Africam navigante, ut contra Carthaginienſes bellum gereret tantum factum eſt Solis deliquium, ut ſtellis ubique apparentibus omninò noctis inſtar eſſet. [*Diodor. Olymp.* 117. *ann.* 3. *Juſtin. lib.* 22. *cap.* 6.] Quam horrendam Solis eclipſim 15°. die menſis Auguſti, calculus aſtronomicus hoc anno nobis exhibet.

Epicurus, annos 32. natus, ſcholas primùm Mitylenis & Lampſaci per quinquennium habuit. [*Diog. Laërt. in Epicuro.*]

In Boſphoro Cimmerio Eumelus, cum Barbaris quibuſdam finitimis amicitiam pactus, fratri natu maximo Satyro de regno controverſiam movit. De quo Satyrus certior factus, cum numerosâ adverſùs illum manu contendit: & ſuperato Thapſi fluvio, ubi caſtris hoſtium approximavit, plauſtris, quibus maximam commeatûs vim advexerat, caſtra circumdedit; inſtructâque acie, ipſe medium, ut Scytharum mos habet, agmen obtinebat. Militabant verò ipſi mercenarii Græci haud plures 2000. (al. 1000.) Thracéſque totidem. Cæteri omnes Scythæ erant auxiliares ſupra 20000, & equites haud pauciores 10000. Eumelum Ariopharnes rex Taracum adjutabat 20000. equites & 22000. pedites habens. Satyrus equeſtri primùm inito prælio cum Ariopharne, in fugam eum convertit, deinde fratrem Eumelum totúmque hoſtium agmen fudit; & utrumque prælio ſuperatum in regiam, fluvio, præcipitiis arduis & ſylvis confertis cinctam, ſe recipere coëgit. (*Diodor.*)

Satyrus initio agros hoſtium vaſtavit, pagóſque incendit: unde captivorum prædæque vim ingentem coëgit. Impreſſione deinde per paludes factâ, ligneis caſtellis potitus eſt. Quibus direptis, trajectóque fluvio, ſylvam etiam, quâ neceſſariò ad regiam tranſeundum erat, triduanâ militum operâ dejecit, ac quarto demùm die ad murum acceſſit. Ibi Meniſcus mercede militantium ductor per aditum illapſus, ad murum licèt ſtrenuè cum ſuis certaret, retrò tamen, longè majore globo in ipſum erumpente, pellitur. Cui dum Satyrus ſuccurreret, brachium ejus haſtâ tranſverberatur. Quo vulnere graviter affectus, in caſtra ſe recipit, & ſubſequente nocte vitâ excedit. Meniſcus, obſidione ſolutâ, in Gargazam urbem exercitum abduxit: atque inde regis corpus Panticapæum ad Prytanim ejus fratrem per amnem deportavit. Is ſepulturâ magnificè paratâ, poſtquam in regia conditoria exuvias repoſuiſſet, Gargazam abſque morâ profectus, exercitûm ſimul & principatum accepit. [*Ibid.*]

Eumeli tum legatio de parte regni ipſum convenit: cui ille obtemperare noluit. Præſidio itaque Gargazæ relicto, Panticapæum rediit, ut regni ſtatum confirmaret. Per id verò tempus Barbarorum auxilio Gargazam occupavit Eumelus, & de cæteris urbibus ac caſtellis non pauca. Prytanim deinde prælio vicit. Iſthmóque paludi Mæoticæ vicino incluſum ad deditionis pacta coëgit; quibus & militem tradidit, & regno ſe exceſſurum eſt pollicitus. Verùm ubi Panticapæum rediit (quæ in Boſphoro regnantium perpetuò erat regia) imperium denuò recuperare conatus eſt. Sed victus, in hortos quos vocant perfugit, atque ibi occiſus eſt. Regnavítque poſt eum frater Eumelus, annos quinque & menſes totidem. (*Ibid.*)

1695 Ut imperium Eumelus ſtabiliret, fratrum ſuorum Satyri & Prytanis amicos, conjuges præterea & liberos, è medio ſuſtulit. Solus tantùm Paryſades Satyri filius, oppidò juvenis adhuc, manus ejus evaſit. Nam equi celeritate uſus, ex urbe ad Agarum Scytharum regem profugit. Cùm autem cives neceſſariorum cædem indignè ferrent; advocatâ in concionem multitudine, Eumelus de perpetratis ſe purgavit, & patriam eis reipublicæ formam reſtituit. Immunitatem 4405 309

etiam,

etiam, quam incolæ Panticapæi habuerant illis conceſſit; omnia inſuper tributa ſe illis remiſſurum pollicitus: multáque ad favorem populi ſibi conciliandum tum diſſeruit. Cunctis igitur brevi ad priſtinam benevolentiam per beneficia reductis, æquum deinceps juxta leges imperium exercuit; nec mediocrem ſibi virtutum admirationem peperit. (*Ibid.*)

Ptolemæus Lagides, ubi duces ſuos urbes in Ciliciâ amiſiſſe cognovit, claſſe Phaſelidem tranſportatâ, urbem illam expugnavit. Hinc in Lyciam tranſvectus, Xanthum Antigoni præſidio infeſſam vi cepit. Inde Caunum appulſus, urbem ſibi deditam accepit: arcéſque præſidiis occupatas violentâ manu ſubegit. Heracleum exſcidit: Perſicum verò deditione militum in manus ejus venit. [*Diodor. Olymp.* 117. *ann.* 4.]

Tum in Côn profectus, accivit Ptolemæum. Is Antigoni ex fratre nepos erat, exercitúmque fidei ſuæ creditum habebat: ſed relicto patruo, cum Ptolemæo rei communiter gerendæ ſocietatem iniverat. Ex Chalcide igitur profectum, & Côn delatum, initio humaniter Ptolemæus excepit. Pòſt quum inſolentiùs illum ſe gerere, & duces muneribus colloquiſque ſibi devincire, animadverteret; veritus ne quid inſidiarum moliretur, præoccupatum cuſtodiæ tradidit, & cicutam bibere coëgit. Milites autem caſtra illius ſecutos promiſſis ad ſe pellexit, & ordinibus ſuorum immiſcuit. (*Id. ibid.*)

Caſſander, metuens ne Macedones ad Herculem Alexandri Magni filium (qui annos 14, ut *Juſtinus*, vel 17 potiùs, ut *Diodorus* indicat, tum exceſſerat) tranſfugerent; fœdere cum Polyſperchonte elanculùm inito, illius operâ occidi eum tacitè cum matre Barſine curavit, corporáque eorum terrâ obrui, ne cædes ſepulturâ proderetur. Itaque ſublato jam utroque Alexandri filio, cùm nullus reſtaret in Imperio ſucceſſor, Satrapæarum quiſque provinciam cui præfectus erat tanquàm regnum armis partum obtinebat. [*Id. ibid. & Juſtin. lib.* 15. *cap.* 2. & *Porphyr. Edit. Scalig. p.* 228.]

3696 Ptolemæus è Myndo magnâ cum claſſe per Inſulas navigans, in tranſitu Andrum reducto præſidio liberavit. [*Diodor. Olymp.* 118. *ann.* 1.] — 4406 — 308

Cleopatra, Philippi filia & Alexandri Magni ſoror, Antigono infenſa, propenſione ſuâ ad Ptolemæum inclinavit: Sardibúſque, ut tranſportaretur ad ipſum, exceſſit. At Sardium præfectus, cui ſervandæ ejus mandatum dederat Antigonus, diſceſſum illius inhibuit: ejúſque deinde juſſu, mulierecularum quarundam operâ doloſè illam necavit. Antigonus verò ſe necis authorem infamari nolens, quaſdam ex mulierculis, quaſi vitæ illius inſidiatas, capite plexit: & funus regiâ magnificentiâ curavit. (*Id. ibid.*)

Ophellas, qui Thimbrone dejecto Cyrenæos Ptolemæi imperio ſubjecerat, cùm Cyrenen ipſe jam cum vicinis urbibus ſibi vendicaſſet, majorem animo principatum complectebatur. Dúmque in his cogitationibus verſatur, Ortho Syracuſanus Cyrenen legatus ab Agathocle ad illum venit; ad belli contra Carthaginienſes ſocietatem illum invitans, illíſque devictis Imperium Africæ ei promittens. Cùm igitur ad conſilium jam olim meditatum nunc ſpes nova accederet, lubens obtemperavit: & Athenas (unde uxorem Eurydicen Miltiadis filiam acceperat) de belli ſocietate legationem miſit. [*Id. ibid.*]

3697 Athenienſium & aliorum Græcorum multis militiæ huic promptis animis ſeſe adjungentibus; quòd florentiſſimam ſe Africæ partem ſorte diviſuros, & Carthaginis opes direpturos ſperarent: Ophellas tandem, ubi cuncta expeditioni neceſſaria affatim comparaverat, copias eduxit; pedites pluſquàm 10000, equites 600 (vel 700,) currus 100, aurigas eſſedariósque milites ſupra 300, ſub ſignis habens. Ad hæc qui extraordinarii appellantur non infrà 10000 comitabantur. Multíque horum liberos & uxores, nec non alia impedimenta ſecum ducebant: ita ut hic exercitus coloniæ ſpeciem haberet. Octodecim ergo dierum itinere confecto, tria ſtadiorum millia ementi, circa Automulas (in occidentali Cyrenaicæ termino) caſtra poſuerunt. Deinde per ſuiculoſam & beſtiis infeſtam regionem magno cum labore pergentes, vix tandem, itinere duorum ampliùs menſium ærumnoſiſſimè confecto, Agathoclis caſtra aſſequuntur: ubi copiis exiguo inter ſe diſtinctis intervallo, caſtra poſuêre. [*Id. ibid.*] — 4407 — 307

Agathocles Ophellæ obviam progreſſus, benignè omnibus ſuppeditatis, ut exercitum ab erumnis reparandum curaret monebat: & cùm ſæpiùs ſimul cœnaſſent, ab Ophellâ filius adoptatus eſt. Majore verò parte Ophellæ militum pabulatum & frumentatum egreſſâ, concionem militum ſuorum advocat: & Ophellam criminatus, quòd qui ad ſocietatem armorum veniſſet, nunc inſidias pararet; exacerbatâ multitudine, confeſtim inſtructum contra Cyrenæos exercitum educit. Inſolentiâ rei perculſus Ophellas, defendere ſe conatur. At celeritate hoſtis oppreſſus, dum & reliquiæ exercitûs ad reſiſtendum non ſufficiunt, inter prœliandum occumbit. Agathocles multitudinem adhuc reliquam ad ponendum arma cogit: omniúmque animis promiſſionum liberalitate conciliatis, toto ſic potitur exercitu. Quos verò bello minùs habiles invenit, Syracuſas deportandos navibus impoſuit: quarum paucæ tamen, gravi exortâ tempeſtate, integræ eò pervenerunt. [*Id. ibid. cum Juſtin. lib.* 22. *cap.* 7.]

Ophellâ ſublato, Cyrene & reliqua Libya ad Ptolemæi obſequium rediit. [*Suid. in* Ἀγαθοκ.]

3698 Demetrius, *Poliorcetes* ſive *Expugnator* (ut Plinius vocem reddidit) cognominatus, validis à patre Antigono copiis terreſtribus ſimul & navalibus, telorum inſuper aliorúmque ad obſidionem utilium convenienti apparatu inſtructus, & ad Græciæ urbes in libertatem vindicandas miſſus; Epheſo ſolvit. [*Diodor. Olymp.* 118. *ann.* 2.] & 5000 argenti talenta ſecum habens, cum 150 navium claſſe Piræeum appulit, die 26 menſis Thargelionis (circa Maii Juliani 31.) ut in Demetrii vitâ refert *Plutarchus*. Receptíſque Athenis, Megarenſium urbem cepit, & Munychiam Athenienſium præſidium (à Dionyſio Caſſandri præfecto occupatum) exſcidit, archonte Athenis Anaxicrate: ut, præter alios habet Philochorus (qui hoc tempore claruit) in Atticarum hiſtoriarum libro octavo. [*apud Dionyſium Halicarnaſſeum, in Dinarcho.*] ad finem — 4408 — 306

nimirùm tendente præturâ Anaxicratis, & cum eâ secundo anno Olympiadis CXVIII.

Eurydicen Opheltæ sive Ophellæ Cyrenæ principis (superiore anno interempti) viduam Athenas remigrantem matrimonio ibi Demetrius sibi junxit. Has nuptias posuerunt in beneficio & honore civitatis suæ Athenienses. Iidémque Demetrium & Antigonum *Reges* primùm appellaverunt, hoc nomen aliàs aversatos: quod quidem ex insignibus regiis unum adhuc Philippi & Alexandri generi illibatum aliis & intactum supererat. [*Plutarch. in Demetr.*]

Ex Græciâ à patre Antigono revocatus Demetrius, ut cum Ptolemæi ducibus in Cypro belligeraret, in Cariam cum copiis transmisit. Inde in Ciliciam devectus, militibúsque & navibus inde acceptis, in Cyprum trajecit: habens secum pedites 15000, equites 400; navium ad cursum expeditarum triremes supra 110, tardatum verò, sed tamen militarium, 53. præter pontones omnis generis, quot tantæ equitum peditúmque multitudini sufficerent. Ac primò in finitimâ Carpasiæ orâ castra posuit; subductísque navibus, vallo & fossâ profundâ castra munivit. Vicinas deinde urbes aggressus, Uraniam & Carpasiam vi cepit. Et relictâ tutandis navibus custodiâ mediocri, Salaminem cum exercitu petiit. [*Diodor. Olymp.* 118. *ann.* 1.]

Menelaus, à Ptolemæo (fratre) Insulæ præfectus, Salamine tùm subsistens, quum stadia 40 hostes inde abessent, eductis è castellis hinc inde militibus, 12000 pedites & 800 equites adversùs illos eduxit prælióque paulisper commisso, ab hoste pressus, cum suis terga vertit. Demetrius verò in urbem usque eos insecutus, non multò pauciores 3000 cepit, & circiter 1000 interemit. Ac captivos quidem primùm in ordines suos distribuit: sed cùm ad Menelaum fugituros illos postea animadverteret, propterea quòd impedimenta sua in Ægypto penès Ptolemæum reliquerant; navigiis impositos ad patrem Antigonum transmisit. [*Id. ibid.*]

Antigonus tum in superiore Syriâ urbem, suo nomine Antigoniam vocatam, juxta Orontem fluvium condebat; magnificos in eam sumptus faciens, ita ut ambitu 70 stadia complecteretur. Locus enim ille ad insidiandum Babyloniæ & superioribus provinciis, inferiori etiam Satrapiæ & præfecturis Ægyptum usque, idoneus erat. [*Ibid.*]

Menelaus Salaminem repetens, ad tolerandam obsidionem sese parat; & ad Ptolemæum in Ægyptum mittens, auxilium ab eo, ut in magno positus discrimine, postulat. Demetrius contrà machinas ad vi capiendam urbem parat; unam præsertim, *Helepolim* (à capiendis urbibus) vocatam: arietésque prægrandes, & duas testudines eis ferendis aptas. Obsessi verò, facibus circa mediam noctem desuper immissis, operum maxima quæque incenderunt; militum qui in eis erant compluribus etiam absumptis. Neque Demetrius tamen ab incepto idcircò destitit; sed terrâ marique oppugnationem urgens, temporis diuturnitate se hostes debellaturum existimavit. (*Ibid.*)

Ptolemæus, clade suorum auditâ, cum exercitu instructissimo terrestri ac navali ex Ægypto solvit; & ad Cypri urbem Paphon delatus, scaphas ex urbibus assumpsit, Citiúmque (quod 200 à Salamine distabat stadiis) appulit. Tota ejus classis 140 (vel 150, ut apud Plutarchum est) longas habebat naves: quarum maxima erat quinqueremis, minima quadriremis. Has Pontones plus quàm 200 sequebantur, peditum vehentes millia decem, haud minùs. Menelao etiam mandavit, ut à Salamine cum 60 navibus, fervente maximè prælio, à tergo in Demetrii classem impressionem faceret, ordinésque disturbaret. At Demetrius animadversio ejus consilio partem exercitûs ad obsidionem relinquens, Antistheni navarcho, ut classis oppidanæ eruptionem ad conflictum intercluderet decem quinqueremes tradidit: tot enim ad angustias portûs tenendas sufficere arbitrabatur. Ipse pedestres copias instructas per prominentia in pelagus promontoria circumfudit; & cum classe navium 108 (vel 180, ut *Plutarchus* habet) quarum maximæ septiremes erant, pars tamen major quinqueremes, in altum provectus est. [*Diodorus & Plutarchus.*]

Ptolemæus oppositos sibi fudit fugavitque; & navium alias demersit, alias cum ipsis militibus cepit. Jámque à victoriâ revertens, etiam cæteras se facilè subacturum sperabat: cùm lævum cornu profligatum, & proximas quasque fugam capessere & Demetrium vi gravissimâ imminere, animadvertit. Ad Citium ergo retrocessit. Victor autem Demetrius, navibus militaribus Neoni & Buricho traditis, ut hostem persequerentur & in mari natantes exciperent, ad castra portúmque suum reversus est. (*Diodor.*)

Interim verò dum prælio navali disceptatur, Menelaus Salamini præfectus naves 60 viris armísque compleras, Menœtio navarcho, in subsidium Ptolemæo misit: & certamine cum 10 navibus, quæ stationem in ostio portûs habebant, commisso; quum oppidani vi sibi exitum parefacerent, Demetriani ad terrestres se copias fugâ receperunt. Menœtiani autem in altum evecti, ubi paulò seriùs quàm commodum esset venerunt, Salaminem regressi sunt. [*Idem.*]

Ptolemæus rebus Cypri desperatis, cum solis octo navibus in Ægyptum refugit. [*Id. cum Justino, lib. 15. cap. 2. & Plutarcho.*] Menelaus Salaminem & naves & pedestres copias Demetrio tradidit; equites 1100, gravis armaturæ milites 12000. [*Plutarch.*] Receptísque deinde urbibus Insulæ cæteris omnibus, Demetrius præsidiarios in ordines suos cooptavit, pedites 16000, equites verò circiter 600. [*Diodor.*]

Pontones (πορθμία) ampliùs 100 cepit Demetrius, in quibus 8000 propè milites erant. De longis navibus unà cum viris captæ sunt 40, corruptæ verò circiter 80, quas salsugine plenas ad castra prope urbem victores subduxerunt. Vitiatæ etiam fuerant ex Demetrianis, 20; quæ debitâ accuratione refectæ, commodos deinceps usus præbuerunt. Sic, *Diodorus, Plutarchus*, ita. Ex navibus Ptolemæi 70, cum propugnatoribus & sociis navalibus, captæ sunt. Ex turbâ, quæ in navibus onerariis circa littus stationem habebant, servitiorum, amicorum Ptolemæi, fœminarúmque, ad hæc armorum, stipendii, machinarum, nihil prorsùs elapsum Demetrio est,

sed

sed omnia cepit, atque in castra deportavit. In his fuit Lamia, non rarum primum modulatione, deinde commercio meretricio celebris. Tunc verò etiam exolescente formâ multò se juniorem pellexit Demetrium: adeóque lepôre devinxit & cepit eum, ut ab aliis mulieribus amaretur, unius illius esset amator. [*Plutarch.*]

Demetrius hostes qui ceciderant magnificè funeravit, atque captivos missos fecit. Atheniensibus cum armorum numerum dono dedit, quibus 1200 milites armare poterant. (*Plutarch. in Demetr.*) Ptolemæi filium Leonticum, & fratrem Menelaum, amicósque ejus cum privati instrumenti ministerio, pari provocatus anteà munere, in *Ægyptum* remisit: & ut appareret eos non odio, se dignitatis gloriâ accensos, donis muneribúsque inter ipsa bella contendebant. Tantò honestiùs tunc bella gerebantur, quàm nunc amicitiæ coluntur. [*Justin. lib.* 15. *cap.* 2.]

Victoriæ nuntium patri Demetrius misit Aristodemum Milesium, inter omnes aulicos adulatorem primum: qui diu suspensum cum teneret, tandem altâ voce exclamavit. *Salve rex Antigone: vicimus prælio navali regem Ptolemæum, Cyprum tenemus, milites* 16800 *captivos habemus.* Cui ille: *Et tu quoque hercle*, inquit, *salve. Quia verò ita nos torsisti, lues pœnam: nam tardiùs præmium læti nuntii accipies.* [Plutarch.]

Hâc victoriâ elatus Antigonus, diademate ab amicis impositio, Regis deinceps nomen usurpavit: Demetrio quoque diadema misit, scriptáque epistolâ Regem appellavit. Ptolemæus etiam, ne ob acceptam cladem animum abjecisse videretur, neve minoris apud suos authoritatis haberetur, diadema etiam ipse assumpsit, & in omnibus exinde literis Regem sese appellavit. Horum exemplo reliqui etiam principes, Seleucus, qui superiores provincias suæ ditioni recèns adjecerat, itémque Lysimachus & Cassander, & ipsi regium sibi majestatem vindicaverunt: fratre, matre & filiis Alexandri Magni jam extinctis. [*Diodor. Justin. lib.* 15. *cap.* 2. *Plutarch. in Demetr. & Appian. in Syriac. pag.* 122.]

3699 Seleucus non Babyloniæ solùm, sed etiam Mediæ rex factus est; *Nicatore*, sive *Nicanore*, suâ manu in pugnâ occiso, cui Antigonus Mediæ satrapiam commiserat. [*Appian. ibid.*] Quem tamen non à cæso illo, sed à victoriarum crebritate, *Nicatoris* sive *Nicanoris* (sic enim etiam in numismatis inscribitur) cognomentum accepisse, Appianus [*ibid. pag.* 124.] & Ammianus Marcellinus [*lib.* 23. *histor.*] confirmant. Expugnatis enim inde Bactrianis, reliquas quoque gentes usque ad Indum fluvium, ab Alexandro priùs devictas, imperio suo adjecit. [*Justin. lib.* 15. *cap.* 4. *Appian. Syriac. pag.* 123.] 4409 305

Rex Antigonus, cùm filius ipsi natu minimus è vivis excessisset; regio funus apparatu deduxit: & Demetrio ex Cypro ad se vocato, copias ad Antigoniam convenire jussit. Nam expeditionem in Ægyptum destinarat. Itaque peditum agmen ducens ipse, per Cœle-syriam signa promovit, habens in exercitu peditum supra 80 & equitum circa 10 millia, cum elephantis 83. Classi Demetrium præfecit: quem juxta copias terrestres oram legere jussit, instructus habens in universum 150 naves longas, & pontones militares 100 quibus ingens telorum copia veheretur. Cúmque navium magistri occasum Pleiadum censerent respiciendum, qui post dies octo futurus videbatur, (sub Aprilis initium;) ut nimis ad pericula timidos increpavit. [*Diodor. Olymp.* 118. *ann.* 3.]

Antigonus ad Gazam castrametatus; quòd Ptolemæi apparatum anteverterit cuperet, militibus ut 10 dierum cibariis se instruerent imperavit. Camelis autem ex Arabiâ coactis medimnûm frumenti 130 millia, & vim magnam fœni cæteris jumentis imposuit, carrísque tela vehens, iter per deserta faciebat, non absque molestiâ: quòd pleraque ibi loca palustria erant & cœnosa, maximè circa Barathra, quæ vocantur. (*Id. ibid.*)

Demetriani, postquàm nocte intempestâ Gazâ solvissent, tranquillo per aliquot dies mari, velocium navium remulco pontones militares post se trahebant. Inde cùm Pleias opprimeret eos, & ventus Borealis insurgeret; multæ quadriremes subitò ad urbem Raphiam, appulsu difficilem & lacustrem, vi tempestatis delatæ sunt. De navigiis autem quibus tela vehebantur, alia undis subversa perierunt, alia cursu reciproco Gazam petierunt. Scapharum tamen armatissimis summâ contentione enixi, Casium usque penetrârunt. Id Nilo haud procul distat: sed importuosum est, & tempestate coortâ nullum præbet accessum. Jactis idcircò anchoris, duodus circiter stadiis à terra in salo multis circundati periculis consistere cogebantur. Ad eam denique penuriam sunt redacti, ut si ad unum tempestas diem adhuc durasset, aquâ potabili jam deficiente, siti enecti omnes periissent. At cùm in extremâ versantes anxietate exitium jam imminens expectant, flatus remisit; & Antigonus cum exercitu illuc delatus, haud procul à classe castra posuit. Navibus itaque egressi vires in castris reficiunt, & avulsas à classe naves præstolantur. In hâc autem maris commotione perierunt quinqueremes tres; unde quidam ad littus enatârunt. (*Ibid.*)

Hinc promotus Antigonus copiis prope Nilum, duûm intervallo stadiorum castrametatur. At Ptolemæus, cùm opportunissima loca firmis præsidiis occupasset, misit quosdam in navigiis quæ contis propellebantur, cum mandatis, ut prope exscensum adnavigantes proclamarent; illum, si qui ab Antigono deficerent, binas gregario minas, præfecturam gerenti talentum, esse daturum. His ita proclamatis, defectionis cupido mercenarios Antigoni invasit. Inter quos etiam plerique duces erant, certas ob causas transitionis cupidi. Cùm igitur multi desciscerent, Antigonus sagittarios & funditores, catapultásque complures in ripa fluminis dispositi; quibus excurrentes in navibus contariis repulit. Nonnullos etiam transfugarum correptos supplicis horrendis mulctavit; ut à simili conatu cæteros deterreret. (*Ibid.*)

Antigonus, assumptis navibus quæ tardiùs venerant, ad Pseudostomon, quod vocatur, contendit; ibi se partem militum expositurum arbitratus. At ubi validum ibi præsidium invenit,

&

& catapultis omnique missilium genere prohiberetur; nocte jam appetente discessit. Hinc magistris navium, ut in faces intenti prætoriam sequerentur, mandavit; & ad Phagneticum Nili ostium est provectus. Ortâque die, ubi multas aberrasse naves cognovit, illas expectare, & omnium suis agebat celerrimas ad quærendum illas emittere, coactus est. Tempore igitur longiùs protracto, Ptolemæus de accessu hostium certior factus, properè suis auxiliatum venit, instructisque copiis in littore constitit. Tum hoc etiam descensu exclusum se cernens Demetrius, orámque contiguam stagnis & paludibus à naturâ munitam esse audiens, cum totâ classe retrocessit. [*Ibid.*]

Vehemens inde Boreas incumbit, sublatisque in altum fluctibus tres quadriremes & militares aliquot, eâdem tempestatis violentiâ in littus ejectæ, in Ptolemæi manus venerunt. Cæteræ, dum summâ ope rem gerunt nautæ, incolumes ad castra Antigoni evaserunt. Ad omnes verò fluminis exitus præsidia Ptolemæus firmissima disposuerat, magnámque fluviatilium navigiorum copiam in promptu habebat, omni missilium genere, & viris qui his uti scirent, instructorum. Quæ res Antigonum haud modicè angebat. Nam ostio Pelusiaco ab hostibus præoccupato, navales copiæ nullum habebant usum; copiæque terrestres, fluminis (quod post solstitium sensim modicèque crescit Sole Cancrum transeunte, abundantissimè autem eodem Leonem ingresso) altitudine inhibitæ, ut maximè vellent, nihil efficiebant. Et quod maximum, elapsis jam bene multis diebus, & milites frumentum, & jumenta pabulum deficiebat. [*Ibid.*]

Submittente igitur animos exercitu, Antigonus concionem advocat: ducibúsque consilium proponit, utrum manere præstet & belligerari, an nunc quidem in Syriam reverti; sed posteà melius instructos redintegrare expeditionem, quo tempore minimæ altitudinis videatur amnis. Ibi cunctis eò inclinatis, ut quàm ocyssimè abirent, vasa milites conclamare jussit; & classe simul totâ oram legente, celeriter Syriam repetivit. [*Ibid.*] Cujus expeditionis inanem exitum Medius Antigoni amicus in somnis prævidisse dicitur. Visus enim ei ipse est Antigonus cum toto exercitu certare diaulo, validè & acriter primùm; deinde vires ejus flaccescere paulatim: denique, ut flexit cursum, languidus & anhelosus ægrè spiritum recipere. [*Plutarch. in Demetr.*]

Ptolemæus discessu hostium majorem in modum lætatus, Diis suis sacro pro beneficiis acceptis instituto, splendidum amicis epulum exhibuit: datísque ad Seleucum, Lysimachum & Cassandrum literis, tum de prospero successu, tum de multitudine transfugarum eos certiores fecit. Ipse jam altero Ægyptum certamine tutatus, jámque regionem hastâ partam jure se tenere existimans, Alexandriam remeavit. [*Diodor.*] Unde & hinc regnum illius, in Regum Canone, *Claudius Ptolemæus* inchoat: à morte Alexandri Magni ad initium Ptolemæi Lagi annos 19. ἀλεγιῶς dinumerans. Cum 6°. enim Novembris præsentis, anni Periodi Julianæ 4409. juxta ipsius rationes, 19us ille à morte Alexandri annus terminatur.

Interea dum illa in Ægypto geruntur, Dionysius Heracleæ Ponticæ tyrannus (ut refert *Diodorus*) vitam cum morte commutavit; quum annos regnavisset 33. ut ab *Athenæo* est traditum: [*lib.* 12. *cap.* 26.] licèt à Memnone 30, à Diodoro 32. tantùm illius principatui assignentur. De mirâ ejus pinguedine, præter Memnonem, meminit etiam Nymphis Heracleota, in libro de Heracleâ 2°. (apud *Athenæum*, in loco jam citato) & *Ælianus*, in Var. Histor. lib. 9. cap. 13. Ex Amastri sive Amestri filiâ Oxathræ, fratris Darii postremi Persarum regis, (quam Cratero priùs Alexander M. uxorem dederat) duos suscepit ille filios; Clearchum & Oxathrem, Zathram *Diodoro* appellatum. Moriens igitur, uxori administrationem cunctam, & filiorum, qui adhuc teneræ admodùm ætatis erant, tutelam (adjunctis quibusdam aliis) reliquit. [*Memnon, in Excerptis Photii, cap.* 5. *cum Diodoro, ad Olymp.* 118. *ann.* 3, & 119. *ann.* 3.]

3700 Menœdemus Patrea Lycæ profectus, & tribus trieremiolcis (quod triremis imperfectæ genus est) à Rhodiis præfectus, quadriremem cepit ex Ciliciâ venientem; in quâ literæ erant à Philâ, simul cum veste regia cæteráque suppellectile impensiùs adornatâ, ad maritum suum Demetrium Poliorcetem missæ. Quæ omnia in Ægyptum ad Ptolemæum regem deportanda ille curavit. Id bellum Demetrio contra Rhodios movit: quorum ille tunc urbem terrâ marique acriter oppugnabat. Verùm post annuam obsidionem, Atheniensium interventu, pax inter eos hac lege est inita; ut Antigono & Demetrio, nisi si Ptolemæo bellum inferrent, societatem armorum Rhodii præstarent. [*Diodor. Olymp.* 119. *ann.* 1. *Plutarch. in Demetr.*] 4410 304

Rhodii, finito bello, in Libyam Theoros miserunt, ex Ammonis oraculo scisciturí, an Ptolemæum uti Deum venerandum conferet. Quo annuente, lucum in urbe illi consecraverunt quadratum, exercitâ ad unumquodque latus porticu ad stadii longitudinem; eámque *Ptolemæum* indigitarunt. [*Diodor. ut supr.*] Ipsi etiam Ptolemæo *Soteris* cognomentum tum primum ab illis tributum est. [*Pausan. in Attic. pag.* 7.] quòd eos videlicèt ab Antigoni & Demetrii violentia salvos præstiterit. neutiquàm verò a militibus Alexandri, quòd eum ab Oxydracarum vel Mallorum potiùs impetu servassent: ut aliis visum fuit. [*apud Arrian. de expedit. Alexand. lib.* 6. *pag.* 131. & *Stephanum Byzantin. in* Ὀξυδρακαι.

Eumelus Bosphori Cimmerii rex, jam tertium annum regnum administrans, inopinato quodam casu oppetivit. Dum enim è Scythiâ domum revertens ad sacrificium quoddam properat, quadrijugóque curru, qui quatuor totis instructus & tentorio contectus erat, ad regiam contendit; equi consternati violenter illum abripiunt. Nam cùm habenis contrahendis auriga non sufficeret, metuens ille ne in præcipita loca deferretur, desilire conatur: sed gladio rotæ implicito, eodem simul impetu abstrahitur, & illicò exanimatur. Cui succedens Spartacus filius, annos 20. regnavit. [*Id. ad Olymp.* 117. *ann.* 3. & *Olymp.* 119. *ann.* 1.]

3701 Seleucus transmisso Indo fluvio, cum Sandrocotto sive Androcotto bellum gerebat. Ille enim eâ tempestate quâ Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta jaciebat, occisis Alexandri præfectis, Indiam possidebat. [*Justin. lib.* 15. *cap.* 4. *Appian. Syriac. pag.* 122, 123.] 4411 303

Huic

Huic molienti bellum adversùs præfectos Alexandri, elephantus ferus ingentis magnitudinis ultrò se obtulit, & veluti domiti mansuetudine, eum tergo excepit; dúxque belli, & prælator insignis fuit. [*Justin. ibid.*] Indéque, cum sexcentis militum millibus Indiam peragrans, universam redegit in potestatem. [*Plutarch. in Alexandro.*] Tum occupato regno, populum quem ab externâ dominatione liberaverat, ipse servitio premebat. [*Justin. ut supr.*]

Ad hunc frequenter se commeasse, quum apud Sibyrtium Arachosiorum satrapam degeret, in Indicis suis scribit Megasthenes. [*Arrian. de expedit. Alexandri, lib.* 5.] ubi & in castris ejus 400 hominum millia se inveniſſe refert. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 709.]

3702 Cassander Macedoniæ rex, missis in Asiam ad Antigonum legatis, ut secum pacem iniret oravit. Ubi verò ille nullam se pacem initurum, nisi Cassander res suas ipsius arbitrio permitteret, respondisset: Cassander & Thraciæ rex Lysimachus, communicato inter se consilio, ad Ptolemæum Ægypti & Seleucum superiorum provinciarum regem legatos mittunt; superbiam Antigoni in responsionibus demonstrantes, bellique hujus periculum omnibus commune esse docentes. [*Diodor. Olymp.* 119. *ann.* 3.] Cùm igitur carpi se singulos ab Antigono considerarent; dum privatum singulorum, non commune universorum bellum ducunt, nec auxilium ferre alter alteri volunt, quasi victoria unius, non omnium foret: per epistolas se invicem confirmantes, tempus & locum coëundi condixerunt, bellúmque communibus viribus instruxerunt. Cui cùm Cassander interesse propter finitimum bellum non posset; Lysimachum cum ingentibus copiis in auxilium sociis misit. [*Justin. lib.* 15. *cap.* 2.] 4412 302

Seleucus, affinitate cum Sandrocotto Indorum rege contractâ, regiones ad Indum sitas, quas Arianis ademptas Alexander Magnus proprias colonias fecerat, dono illi dedit: 500 vicissim elephantis ab eo acceptis. [*Strabo, lib.* 15. *pag.* 724. *Plutarch. in Alexandro, & Appian. in Syriac. pag.* 125.] Atque ita pactione factâ, compositisque in Oriente rebus, Seleucus in bellum Antigoni descendit. [*Justin. lib.* 15. *cap.* 4.]

Lysimachus cum milite ipsius ex Europâ in Asiam ingressus; Lampsacenos & Parianos, cùm sponte in partes ejus concederent, liberos dimisit: expugnatóque Sigeo præsidium induxit. Exinde 6000 peditibus & 1000 equitibus Prepelao traditis, ad Æolidis & Ioniæ urbes sibi adjungendas illum misit. Ipse Abydum primò obsidere aggressus, tela machinásque & alia comparavit. At ubi per mare à Demetrio armatorum multitudo, quæ urbem tutari posset, supervenit, à proposito destitit: Phrygiáque ad Hellespontum subactâ, etiam Synada urbem, in quâ regia erant impedimenta, obsidione cinxit. Quo tempore Docimum Antigoni præfectum adres marte communi gerendas induxit: ejúsque operâ Synada & castella quædam, ubi regiæ opes reconditæ erant, in potestatem accepit. [*Diodor. Olymp.* 119. *ann.* 3.]

Interim Prepelaus dux, in Æolidem Ioniámque missus à Lysimacho, Adramyttio in transitu potitus est, Ephesúmque obsedit. Pavore autem obsessis injecto, urbem deditione accepit; & Rhodiorum obsides illic deprehensos in patriam dimisit. Et Ephesios quidem ipsos missos fecit: sed omnes in portu naves incendit; quòd ma is dominium hostes tenerent, totúsque belli exitus adhuc incertus esset. Hinc Teios etiam atque Colophonios sibi adjunxit. Erythræis autem & Clazomeniis per mare subsidium venerat. Idcircò urbes hasce capere non potuit: sed agrum illorum populatus, Sardes versùs duxit. Ibi præfectum Antigoni Phœnicem & Docimum ad defectionem pellexit; urbémque præter arcem in fidem accepit. Hanc enim custodiens Philippus, de necessariis Antigoni unus, benevolentiam erga eum qui sibi fidem habebat conservavit. [*Id. ibid.*]

3703 Antigonus tunc ingens certamen & festum Panegyricum Antigoniæ instituerat: magnisque ad hoc præmiis & mercedibus undique coëgerat athletas & artifices præstantissimos. Ubi verò de transitu Lysimachi & defectione militum audivit, lusos abrupit; athletisque & artificibus mercedem, non minùs 200 talentis, persolvit. Ipse, copiis assumptis, ex Syriâ citatis itineribus contra hostes perrexit. Ubi Tarsum Ciliciæ pervenit; de pecuniâ, quam è Quindis asportaverat, exercitui ad tres menses stipendia numeravit. Et præter hanc cum exercitu tria talentûm millia advexerat: ut, si quando pecuniâ opus foret, hæc sumptuum facultas in promptu haberetur. Superato hinc Tauro, Cappadociam versùs contendit; & rebelles in superiore Phrygiâ & Lycaoniâ ad priſtinam militiæ societatem reduxit. [*Ibid.*]

Eo tempore Lysimachus, hostis adventu cognito, in Senatu cum suis deliberavit, quid imminentibus his periculis agendum esset. Illi ad pugnam non esse descendendum, quoad Seleucus è provinciis superioribus adventasset; sed occupanda firmiora loca, castrísque tutelo & fossa præmunitis; adventum hostis expectandum, censebant. Hic ergo, quod decretum erat, studiosè peregit. Antigonus verò, ut proximè hostes venerunt, explicatis in aciem copiis, pugnam lacessebat. Ubi nemo ex adverso prodire audet; ipse loca quædam insedit, quâ cibaria hostibus importari necessum erat. Lysimachus igitur veritus, ne intercisso commeatu in hostis potestatem veniret; noctu inde movit, & 400 stadia emensus, circa Dorylæum castra posuit. Locus enim ille frumento alióque commeatu abundabat: amne præterfluente, qui castrametantibus illic munimenti loco esset. Facto igitur vallo, fossa præalta triplicíque fudeto castra firmarunt. Antigonus discessu hostium audito, è vestigio insequitur: & castris illorum propinquans, ubi in aciem nemo descendit, fossâ circumdare castra hostium cepit; eáque obsidendi animo, catapultas ac tela asserenda curavit. Cúmque velitationes circa fossam existerent, quòd Lysimachiani telis in opere versantes arcere conarentur; in omnibus Antigoniani superiores erant. [*Ibid.*]

Post aliquod tempus, Antigonianorum opera perfici, & Lysimachianorum alimenta deficere cœperunt. Lysimachus igitur, tempestuosa captatâ nocte, ex castris illis digressus, per loca editiora in hyberna concessit. Ut verò Antigonus exortâ luce discessum hostium animadvertit, è regione per campestria etiam ipse contendit. Sed cùm magni caderent imbres; & regionis ille tractus profundus & cœnosus esset; jumentorum non pauca hominésque nonnulli

peribant: totus denique exercitus cum difficultate magnâ conflictabatur. Propterea Antigonus, tum ut militem ab ærumnis illis reficeret, tum quòd hybernam anni tempestatem ingruere videret, à persequendo destitit. Convenientissimis itaque locis ad hyemandum delectis, in partes exercitum distribuit. [*Ibid.*]

Similiter etiam Lysimachus in campo Salmoniæ exercitum in hyberna distribuit. Largum verò ex Heracleâ commeatum sibi procuraverat: quòd affinitatem cum Heracleensibus contraxerat. Uxorem enim duxerat Amestrin, Dionysii (ut dictum est) viduam & filiorum ejus tutricem, civitati illi nunc imperantem. [*Id. ibid. cum Memnone in Excerptis Photii cap.* 5.] 4413 301

Demetrius cum exercitu ex Græciâ à patre Antigono accersitus, pace cum Cassandro factâ, directo per insulas cursu, Ephesum transmisit: expositóque milite castrametatus, urbem in pristinum ordinem coëgit, & præsidium à Prepelao duce Lysimachi inibi collocatum datâ fide abire permisit. Suâ verò custodiâ arci impositâ, Hellespontum usque progressus est: ibéque Lampsacenos & Parianos, aliásque mutatæ fidei urbes, recuperavit. Hinc ad Ponti ostium profectus, apud Chalcedoniorum fanum castra muniit, & ad tuendum locum tria peditum millia, & 30 naves longas ibi reliquit: copias reliquas in urbes ad hybernandum hinc illinc dispartitus. [*Diodor. Olymp.* 119. *ann.* 3.]

Sub hæc tempora Mithradates, imperio Antigoni subditus, cùm in Cassandri partes transisse putaretur, ad Cium Mysiæ, cujus, ut & Arrhinæ, 35 annos princeps fuerat, interfectus est. [*Id. ibid.*] Ejus historiam alii longè aliter narrant. Est enim hic Mithradates ille Ariobarzanis filius, vir regii apud Persas generis, (ab uno è septem illis Persis, qui Magum occiderunt, oriundus: ut ex *Polybio*, lib. 5. pag. 388. *Floro*, lib. 3. cap. 5. & *Sexto Aurelio Victore*, de viris illustrib. cap. 76. colligitur:) quem Κτισθὴ sive Conditorem cognominatum fuisse, & principatûs Ponti successionem usque ad Euparorem (sive Mithradatem illum, qui cum Romanis tam diuturnum bellum gessit) reliquisse, confirmat *Strabo*. (lib. 12. pag. 562.) Ex quo & Tertullianus, in lib. de Animâ: *Mithradatem*, inquit, *ex somnio Ponto patrium à Strabone cognosce.* Antigonus enim in somnis visus sibi fuisse dicitur aurum in arvo seminare, & id demessum Mithradatem in Pontum asportare: quem idcircò comprehensum volebat occidere. De quo à Demetrio ille monitus, sex equitibus comitatus aufugit: communito quodam vico in Cappadociâ, multis ad eum deficientibus, & Cappadociam ipsam & finitimas gentes Ponticas obtinuit; regúmque Ponti stirpem, quæ octavâ fermè successione à populo Romano est deleta, edidit. [*Plutarch. in Demetrio, & Appian. in Mithridatic. pag.* 176.] Ad annum usque 84. eum vixisse, *Lucianus* in Μακροβίοις ex Hieronymo Cardiano & aliis scriptoribus refert. Eique in principatu succedens filius, Mithradates & ipse dictus; auctâ ditione paternâ, Cappadociam & Paphlagoniam annos 36 gubernavit. [*Diodor. ut supr.*]

Cassander Pleistarchum in Asiam, cum exercitu 12000 peditum & 500 equitum Lysimacho auxiliatum misit. Pleistarchus verò ad Ponti fauces delatus, infestum ab hoste locum invenit: desperatoque transitu, Odessum adiit; quæ inter Appolloniam & Galatiam ex adverso Heracleæ, quæ copiarum Lysimachi partem habebat, sita est. Ibi quum navigiis ad transportandum militem idoneis destitueretur, trifariam exercitum partitus est. Et prima quidem classis Heracleam incolumis pervenit. Altera à præsidiariis ad ingressum Ponti navibus subacta fuit. Tertiam verò, quâ Pleistarchus ipse transmittebat, tanta oppressit tempestas, ut pars maxima navium & corporum interiret. Nam Hexeris quæ Prætorem vehebat submersa est; & de navigantibus in eâ, qui 500 ut minimum erant, 33 duntaxat evaserunt. Inter quos ipse Pleistarchus, fragmento navis suffultus, ad terram semimortuus ejectus est. Is Heracleam deportatus, refocillato à calamitate istâ corpore, ad Lysimachum in hyberna se contulit: quum majorem exercitûs partem amisisset. [*Id. ibid.*]

Iisdem diebus ex Ægypto profectus cum instructissimo exercitu Ptolemæus, omnes Cœlesyriæ urbes in ditionem redegit. Dum Sidonem verò obsideret, falsus à quibusdam rumor est spar sus; commisso inter Reges prælio, Lysimachum & Seleucum victos Heracleam se recepisse, victorémque Antigonum cum exercitu in Syriam contendere. Hanc famam pro verâ ille accipiens, cum Sidoniis in quinque menses inducias fecit: & præsidio munitis, quæ subegerat urbibus, cum exercitu in Ægyptum remeavit. [*Ibid.*]

Dum hæc geruntur, de militibus Lysimachi quidam ex hybernis ad Antigonum transfugerunt, 2000 videlicèt Autariatæ, Lyciique & Pamphylii circiter 800. Hos perhumaniter excepit Antigonus: & stipendus, quæ sibi à Lysimacho deberi affirmabant, persolutis, honoraria insuper adjunxit. [*Ibid.*]

Per id etiam tempus Seleucus cum numeroso exercitu, ex superioribus præfecturis ducto, in Cappadociam venit; militéque, præparatis tabernaculis, in hyberna collocavit. Habebat autem sub signis in peditatu 20000. in equitatu, sagittariis equestribus adnumeratis, circiter 12000. elephantes 480. currúsque falcatos supra 100. Regum itaque copiæ hunc ad modum coibant; quòd omnes ad futuram ætatem armis disceptare constitutum haberent. [*Diodor. fin. lib.* 20.]

Pithagoras aruspex, ut anteà pro Alexandro Magno & Perdiccâ, ita & nunc pro Antigono exta consulens, fibráisque jecinori deesse repertis, mortem illius eo portendi prædixit. [*Arrian. de expedit. Alexandri, lib.* 7. *pag.* 160.] A Demetrio etiam secundùm quietem Alexander eximiè armatus percontari visus fuisse dicitur, quodnam signum pugnæ daturi essent: illóque respondente, *Jovem & Victoriam*, deinde subjecisse. *Abeo ergo ad hostes tuos: illi enim me accipient.* [Plutarch. in Demetr.]

Antigonus coitionem illam regum jactavit se, ficut avicularum semina legentium concursum, lapidis jactu & strepitu dissipaturum. Hostibus tamen appropinquantibus, præter solitum morem cogitabundus & taciturnus conspiciebatur; filiúmque suum exercitui ostendens, successorem commendabat. Quódque omnes maximè mirabantur, in tabernaculo colloquium cum

eo ſolus habebat : cum antea ne cum ipſo quidem quidquam arcani colloqui agitare conſueviſſet, ſed conſilia ſua tecta ſemper haberet. Inſtructâ verò jam acie progreſſus, in faciem corruit: eóque caſu afflictus, cùm ſurgeret, manus cœlo tendens victoriam à diis, aut antequàm vinceretur, mortem ſenſûs expertem periit. [*Plutarch. ibid.*]

Pugna inter Reges ad Ipſum, Phrygiæ oppidum, eſt commiſſa. [*Arrian. de reb. Alexandr. lib. 7. Plutarch. in Pyrrho. Appian. in Syriac. pag.* 122.] Olympiadis CXIX. anno quarto [*Diodor. & Porphyr.*] ineunte ſc. Habebat Antigonus & Demetrius peditum ſupra 70 millia, decem equitum. elephantos 75. Hoſtibus peditum erant 64 millia, equites 10500. elephantes 400, currus 120. Demetrius, cum præſtantiſſimâ parte equitum, Antiochum Seleuci filium (& in regno poſteà ſucceſſorem) adortus eſt : cúmque illum præclarâ pugnâ fudiſſet, intempeſtivè eum minúſque impensè inſequendo labefecit victoriam. Neque enim regreſſus conjungere ſe peditatui valuit ; elephantis interjectis. [*Plutarch. in Demetr.*] Inter eos verò qui eum ſequebantur, Pyrrhi inprimis virtus emicuit : qui quum 17 tantùm annos eſſet natus, ab Epirotis regno tunc ejectus, Demetrio ſe adjunxit ; qui ſororem ipſius Deidamiam (Alexandro, Alexandri Magni & Rhoxanes filio, uxorem deſtinatam) matrimonio ſibi junxerat. [*Id. in Pyrrho.*]

Seleucus, cùm Antigoni phalangem præſidio equitum nudatam cerneret ; impreſſionem ſe facturum in eam ſimulando perterruit, & ad ſe tranſeundi poteſtatem haud inutili conſilio fecit. Magna enim pars phalangis Antigonianæ ultrò ad eum conceſſit ; reliquâ in fugam verſa eſt. Antigonus autem, multis in eum verbis, cùm quidam ei diceret ; *In te hi, Rex* : rétulit. *At Demetrius nobis ſuccurret.* Quâ ille ſpe ad extremum uſque fretus ; dum filium circumſpectat, grandine in eum telorum conjectâ, occubuit : aliiſque comitibus & amicis eum relinquentibus, ſolus apud cadaver Lariſſæus Thorax remanſit. [*Id. in Demetr.*] quod regio deinde honore eſt ſepultum. [*Diodor. lib.* 21.] In Ægyptiacâ expeditione, annos paulò minùs 80, natum illum fuiſſe, *Plutarchus* ; in hac, ſupra 80, *Appianus* : univerſam vitam 86 annorum fuiſſe, affirmat Porphyrius. [*In Græc. Euſebian. Scalig. pag.* 226. *fin. vid.*] Sed ex Hieronymo Cardiano, qui cum eo militavit, 81 tantùm annos vixiſſe ; docet *Lucianus* in *Macrobiis*.

Demetrius, cum quinque peditum & quatuor equitum millibus, continenti fugâ Epheſum perrexit. Ibi metuentibus omnibus, ne pecuniâ indigens Dianæ templum violaret ; ipſe etiam veritus ne milites ſe ab eo non abſtinerent ; celeriter inde abiit. (*Plutarch. in Demetr.*) matréque Stratonice ex Ciliciâ, & opibus cunctis ſecum aſſumptis, in Salaminem Cypri navigavit : quæ tum in illius poteſtate erat. [*Diodor. lib.* 21.]

Reges victores Antigoni & Demetrii imperium veluti magnum corpus diſcerpium in partes diviſerunt, eáſque inter ſe partiti, priſtinis ſuis provinciis adjecerunt. [*Plutarch. in Demetr. Appian. in Syriac. pag.* 122. *fin. cum Polyb. lib.* 5. *pag.* 410.] Et cùm de prædâ non convenirent, iterùm in duas factiones diducti ſunt. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lyſimacho ſe conjunxit. [*Juſtin. lib.* 15. *cap.* 4.] Omnium enim longè potentiſſimi erant ; *Seleucus & Ptolemæus* : quorum etiam de principatu ſuſcepta contentio ad ſucceſſores (Seleucidas *Regum Aquilonis* ; & Ptolemæos *Regum Auſtri* nomine ; in XI. vaticinii Danielis capitulo deſignatos) deinceps eſt propagata.

Poſt Oniam ; *Simon* ejus filius ſummus Judæorum Pontifex clarus fuit, *juſtus* cognominatus ; quòd & Deum piè coleret, & cives ſuminâ proſequeretur benevolentiâ. [*Euſeb. Chronic. Joſeph. lib.* 12. *cap.* 2.] Cujus in libro Eccleſiaſtici, cap. 50. hoc legitur elogium. *Simon Onæ filius, ſacerdas magnus ; qui in vitâ ſuâ refarcivit Ædem, & in diebus ſuis corroboravit Templum. Sub ipſo ſtructa eſt altitudo* (ſive lorica) *duplex, celſum munimentum Templi in ambitu. Ipſius temporibus cavatum eſt ex are conceptaculum aquarum, triplâ magnitudine ad mare. Qui curam populi ſui geſſit contra caſum, qui firmavit urbem ballóque cinxit.* [Vid. Salian. Annal. Tom. 3. anno Mundi 3675. & *Scalig. Animadverſ. in Euſeb. nova.* MDCCLXXXV.] 4414 300

Seleucus die 23. Xanthici ſive Aprilis menſis in Caſio monte Jovi Caſio ſacrificans, de loco urbis condendæ illum conſuluit. Ubi aquila, raptâ parte carnis ſacrificii, ad mare (infra Palæopolim urbeculam à Syro Agenoris filio in monte conditam) in Pieriæ emporio dejeciſſe eam dicitur. Ibi igitur ſtatim fundamenta urbis poſuit, quam à nomine ſuo Seleuciam appellavit. [*Johan. Malela, in Chronico inedito.*] In quâ tamen condendâ, alii augurium fulminis eum ſecutum fuiſſe ; ideóque fulmen, tanquam numen conſecratum ; hymnis propriis, ibi deinceps cultum fuiſſe referunt. [*Appian. Syriac. pag.* 125.]

Inde progreſſus Seleucus, Iopolim, in Siphio monte poſitam, petiit : & poſt triduum, Jovi Fulminatori, in fano à Perſeo Danaës filio condito, die primo Artemiſii ſive Maji menſis ibi ſacrificavit. Deinde Antigoniam veniens, in aris ab Antigono extructis ſacrificio Jovi oblato, unà cum Amphione ſacerdote cavit, ut ſigno aliquo demonſtraretur, utrum Antigoniam incolere ipſum oporteret alio nuncupandam nomine, an urbem novam alio in loco condere. Et rem quoque aquila ablatam altari partem holocauſti, juxta Silphium montem depoſuiſſe dicitur. Unde è regione montis illius & Iopoleos in eo poſitæ, prope Orontem fluvium, ubi vicus erat cui nomen Botzia, mœnium jecit fundamenta die 22 menſis Artemiſii, Sole exoriente : urbéque Antiochi filii nomine appellatâ, Jovis Botzii templum ſtatim condidit. Hæc, & alia plura, *Johannes Malela Antiochenus* tradidit de origine urbis ſuæ : quam à Seleuco, anno regni ſui 12°. extructam fuiſſe, confirmat *Euſebius* in Chronico. Hæc autem, Syriæ metropolis, tetrapolis poſteà facta eſt, ex quatuor partibus conſtituta ; quæ & ſingulæ ſuo, & omnes communi muro circumdabantur. Quarum prima tantùm Seleuci Nicatoris, ſecunda multitudinis habitatorum, tertia Seleuci Callinici, quarta verò Antiochi Epiphanis opus ſunt. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 750.]

Ex Antiochi filii & ſucceſſoris nomine Seleucum urbem Antiochiam appellaviſſe, præter Malelam ac Cedrenum, tradidit etiam in Miſopogone *Julianus* : quum ex Antiochi patris ſui nomine ita eam nuncupaviſſe *Strabo* dicat, & *Appianus*, & *Trogus Pompeius* ; ex quo Juſti-

nus [*lib.* 15. *cap.* 4.] refert, eum hîc *gemina originis memoriam consecrasse. Nam & urbem Antiochi patris nomine vocavisse; & campos vicinos urbi, Apollini dicavisse.* à quo scilicèt mater ejus Laodicæ genitum eum fuisse, persuadere illi studebat. Antiochiæ enim suburbanum, luco amœnissimo celebratissimum, Daphne erat, Apollini sacrata: * (ab urbe distans 40 stadiis ut *Strabo*, sive quinque millibus passuum ut Vetus Itinerarium Burdigalense habet.) *. Unde ut hæc, Δάφνη ἡ πρὸς Ἀντιόχειαν καμών, in II. Maccab. IV. 33. ita & urbs ipsa, Ἀντιόχεια ἡ ἐπὶ Δάφνῃ, ab aliis appellata reperitur. * De Daphne videndus (*Jo. Malela*) ad finem rerum Seleuc. *.

Seleucus, solo æquatâ Antigoniâ, materiam inde per Orontem fluvium traduxit, atque Athenienses & Macedonas; numero 5300, ab Antigono ibi collocatos, Antiochiam transtulit. [*Jo. Malela.*] Et Antigoniam quidem Seleucum destruxisse, sed incolas in conditam à se Seleuciam deduxisse, Diodorus author est. [*lib.* 20. *ad Olymp.* 118. *ann.* 2.] Verùm habitatorum Antiochiam à Nicatore ex Antigoniâ traductorum, meminit etiam Strabo. [*lib.* 16. *pag.* 750.] qui & ex genere Triptolemi atque Argivorum, qui ad Ionem quærendam cum eo missi fuerant, aliquos eôdem à Nicatore translatos fuisse addit. Qui non alii quàm illi Achivi sunt, quos Antiochiam ἡ ἐπὶ Δάφνῃ incoluisse, Stephanus Byzantinus indicat. Quò spectant & Johannis Malelæ illa. Περιτρέψατο ἡ ἀντὶ Σέλευκος ἐκ τῆς Ἀργείας ταύτης, ἐκ κατάγαιο ἐκ ἀντῆς ἐν τῷ Ἰωνίᾳ, ἐν τῇ ἀντῇ ἐπαρχίᾳ εἶναι. ἐκ τοὺς ἀπὸ Ἀρχαϊκοὺς ἐκ Ἰωνίας, πολιτογραφίας ἐποίησεν. [*Confer Scaligeri notas, ad numerum Eusebianum* MDCCXIII.] * Judæos quoque Antiochiæ Seleucus collocavit, & jus civium eis dedit. (*Joseph. lib.* 2. *contr. Apion. pag.* 1063.) *.

Lysimachus Thraciæ rex Arsinoën, Ptolemæi non Philadelphi (ut apud Memnonem, *cap.* 5. legitur) sed Lagidæ sive Soteris (ut ex Plutarcho in *Demetrio*, & Justino, *lib.* 17. *cap.* 2. & *lib.* 24. *cap.* 2. & ipso quoque Memnone, in *Excerpt. cap.* 9. intelligitur) & Eurydices (ut est apud Pausaniam, in *Atticis pag.* 8. filiam) uxorem duxit. Quo offensa prior illius uxor Amastris, Dionisii Heracleæ tyranni vidua, deserto Lysimacho, Heracleam reversa est: atque ad Pontum Euxinum urbem Amastrin suo nomine appellatam erexit, & colonis ex Sesamo, Cytoro, Cromno ac Teio accersitis frequentavit. [*Memnon. Excerpt. cap.* 5. *cum Strabone, lib.* 12. *pag.* 544.]

3705 Lysimachi exemplum secutus Seleucus, missis legatis, Demetrii Poliorcetæ & Philæ filiam Stratonicen in matrimonium petiit. Assumptâ igitur filiâ Demetrius cum tota classe (quam Athenis receperat) navigavit in Syriam. In itinere verò Ciliciam attigit: quam Cassandri frater Plistarchus cum tenebat, extra ordinem à regibus post conflictum cum Antigono sibi donatam. Qui violatos putans ex Demetrii descensione fines suos; profectus est ad expostulandum cum Seleuco, quòd cum communi hoste sine aliis regibus in gratiam rediisset. De eo factus Demetrius certior, à mari ad Quinda contendit. Ubi quum reliqua adhuc ex thesauris 1200. talenta reperisset: his asportatis maturavit conscendere, & raptim solvit. (*Plutarch. in Demetr.*) — 4415 — 299

Demetrio & uxori ejus Philæ occurrit ad Orollon Seleucus. Prior in tabernaculum suum invitavit in castris Seleucus Demetrium. Inde Demetrius illum in tredecim ordinum navi accepit. Inde per otium colloqui amicè, totóque dies conversati sunt, absque armis & stipatoribus: donec Seleucus, ductâ secum Stratonice, magnâ cum pompâ Antiochiam rediit. [*Id. ibid.*]

Demetrius, Ciliciâ occupatâ, uxorem Phylam ad fratrem Cassandrum, criminum Plistarchi diluendorum gratiâ, misit. Interea uxor illius altera Deidamia Athenis ad eum rediit: quæ quum non diu apud eum fuisset, morbo extincta est. (*Ibid.*)

3706 Seleucus à Demetrio, ut pro certâ pecuniâ traderet sibi Ciliciam, postulavit. Quod cùm ille denegasset, Sidonem & Tyrum ab eo iracundè reposcens, iniquè agere visus est: qui cùm ab Indiâ ad mare Syriacum omnes regiones possideret, adeò tamen parvi animi esse vellet, ut propter duas urbes socerum suum adversâ fortunâ usum exagitaret. Animosè verò respondens Demetrius, ne si millies quidem victus fuisset, Seleucum se generum mercede asciscere dignaturum; urbes illas præsidiis firmavit. (*Ibid.*) — 4416 — 298

3707 Cassander, quum annis 19. res Macedoniæ administrasset, mortuus est; relictis ex Thessalonice (Alexandri M. sorore) tribus filiis, Philippo, Antipatro & Alexandro: qui post patrem, annis tribus & mensibus sex regnaverunt. (*Dexippus, & Porphyrius: in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag.* 48. *& 218.*)

Philippo, filiorum Cassandri natu maximo, brevi post initum regnum tempore tabidi corporis lue sublato; duo superstites fratres, Antipater & Alexander inter se de regno contenderunt. [*Justin. lib.* 16. *cap.* 1. *Pausan. in Bœotic. pag.* 287. *Plutarch. in Pyrrho & Alexandro.*]

Antipatrum hunc Dexippus & Eusebius in Chronico *Antigonum* appellat. Neque alium intelligere potuit Hermippus; quum Demetrium Phalereum scripsit, post Cassandri mortem, *Antigonum* metuentem, ad Ptolemæum Soterem venisse. (*Diog. Laërt. in Demetr. Phaler.*)

Cum eodem quoque Ptolemæo obsès eo tempore in Ægypto Pyrrhus fuit. Ubi Antigonen Berenices reginæ ex priore marito Philippo filiam uxorem duxit. (*Plutarch. in Pyrrho, Pausan. in Attic. pag.* 10.)

Pyrrhus, Antigones uxoris suæ operâ, Ægyptiorum classe cum pecuniâ à Ptolemæo impetrata Epirum repetit: & cum Neoptolemo (qui regnum illius occupaverat) fœdus atque amicitiam communicato iniit regno. (*Id. ibid.*) — 4417 — 297

Ad quintum annum Demetrii ab obitu patris, & duodecimum Ptolemæi ab extinctione sobolis Alexandri M. (de quâ ad fin. anni Mundi 3695.) numeratum, Chronologiam suam ab Adamo & exitu Hebræorum ex Ægypto deduxit Eupolemus historicus, in libro de Judææ Regibus: Apud *Clementem Alexandrinum*, libro 1. Stromatum.

3708 Demetrius Poliorcetes Samaritarum urbem vastavit, quam Perdicca antè construxerat. (*Euseb. Chronic.*) — 4418 — 296

3709 Fabio Maximo V. & Q. Decio Mure V. Consulibus Pyrrhum regnare cœpisse scribit, in 1°. — 4419 — 295

Historiæ

Historiæ suæ libro, *Velleius Paterculus*. Occiso nimirum eo tempore Neoptolemo, integri regni Epirotici possessione potitus est. Quando & Berenices & Ptolemæi memor, quorum beneficio id consecutus est; natum sibi ex Antigone filium appellavit Ptolemæum, & urbem quam in Chersoneso Epiri condidit Berenicem nominavit. [*Plutarch. in Pyrrho.*]

3710 Anno 36. primæ Periodi Calippicæ, die 25. Polideonis, Nabonassari verò 454, Paophi die 26, post mediam noctem horis 3, (Decembris Juliani die 21.) Timocharis observavit Alexandriæ Lunam boreali suâ extremitate contingere borealissimam earum quæ sunt in fronte Scorpii. (*Ptolem. μεγάλ. συντάξ. lib. 7. cap. 3.*)

Eodem quoque anno, Elaphebolionis die 15, Tybi 5, ante mediam noctem horis 4, (Martii Juliani die 9.) observavit idem conjunctionem Lunæ cum Spicâ Virginis. [*Id. ibid.*] 4420 294

Thessalonice regina, Cassandri vidua, Philippi (patris Alexandri M.) ex Nicasipoli filia, ab Antipatro filio, cùm vitam etiam per ubera materna deprecaretur, occisa est: quòd in divisione regni pro natu filiorum minimo Alexandro propentior fuisse videretur. Alexander in ultionem maternæ necis socios evocavit, ex Epiro Pyrrhum, ex Peloponneso Demetrium Poliorcetem. [*Justin. lib. 16. cap. 1. Plutarch. in Pyrrho & Demetrio. Pausan. in Bœotic. pag. 287.*]

Lysimachus Thraciæ rex, *Demetrii* adventum verens, persuadet genero suo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam reverti, quàm paternum hostem in Macedoniam admitti. [*Justin. ibid.*] Et cùm sciret *Pyrrhum* omnia Ptolemæo gratificaturum; adulterinas Ptolemæi nomine literas ad illum mittit, quibus author ei erat, ut 500. talentorum mercede ab Antipatro acceptâ expeditionem illam omitteret. Sed fraudem Pyrrhus agnovit: quòd epistola soluta consuetam salutationem non ostenderet, *Pater filio*; sed, *Rex Ptolemæus regi Pyrrho* S. D. Et consilia ista omnia subitus Demetrii in Macedoniam adventus diremit. (*Plutarch. in Pyrrho.*)

Ptolemæus Soter totam Cypri insulam, quæ Demetrio parebat, cepit: unâ urbe Salaminâ exceptâ, in quâ matrem & liberos ejus rejectos obsedit. Quos deinde, urbe captâ, ad Demetrium, additis muneribus & honoribus, dimisit. [*Plutarch. in Demetr.*]

Demetrius, per insidias interfecto Alexandro, regnum Macedoniæ occupavit, [*Justin. lib. 16. cap. 1. Pausan. Bœotic. pag. 287. Plutarch. in Pyrrho & Demetrio*, & libello περὶ Ἀδελφῶν.] quod per annos septem illum obtinuisse, *Plutarchus* confirmat.

3711 Lysimachus, quum bello Dromichætis Getarum regis premeretur; ne eodem tempore & adversus Demetrium dimicare necesse haberet, traditâ Demetrio alterâ parte Macedoniæ, quæ Antipatro ejus genero obvenerat, pacem cum eo fecit. (*Justin. lib. 16. cap. 1. cum Strabone, lib. 7. pag. 302. & 305.*) 4421 291

Dromichætes captum Lysimachum humaniter excepit. [*Strabo, ut supr. Diodor. in Excerptis H. Valesii, pag. 257, 258.*] Cui Lysimachus filiam despondit, & eâ Thraciæ parte cessit quæ trans Istrum est. [*Pausan. Attic. pag. 8.*]

Clearchus Heracleæ Ponti tyrannus, Lysimacho contra Getas belligeranti operam navans; cum illo captus est: eóque ex captivitate soluto, ipse etiam prudentiâ Lysimachi posteà est dimissus. [*Memnon. Excerpt. cap. 6.*]

3712 Post reditum Lysimachi à bello Getico, Agathocles filius illius ratu maximus (qui in bello primum militiæ initiatus &, ut quidam referunt, ab hoste captus fuerat) Lysandram, Ptolemæi Sotêris & Eurydices filiam, uxorem duxit. [*Pausan. Attic. pag. 8.*] 4422 292

Lysimachus deinde classe in Asiam trajiciens, urbes quæ Antigono & Demetrio parebant occupavit. [*Id. ibid. cum Plutarcho, in Demetrio.*] Ubi cùm Ephesios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mandronem archipiratam, qui plerumque oneratas prædâ naves Ephesum appellebat: corrupto ei ad proditionem junxit fortissimos Macedonum, quos ille restrictis manibus pro captivis Ephesum introduceret; qui posteà, raptis ex arce armis, urbem Lysimacho tradiderunt. [*Jul. Frontin. Stratagem. lib. 3. cap. 3.*] Cúmque urbs in cavo loco posita maris inundatione, cum ingenti civium clade, submersa posteà fuisset (de quâ calamitate, apud *Stephanum Byzantinum*, epigramma Duridis Elaitæ legitur) Lysimachus in alium locum eam transtulit, & novo conjugis *Arsinoës* nomine indigetavit; licèt eo mortuo, priscum *Ephesi* appellatio redierit. (*Strabo, lib. 14. pag. 640. Stephan. in* Ἔφεσ.) In civitatem verò novam Lebedios & Colophonios, urbibus eorum eversis, ille deduxit. Quod urbium illarum excidium Phœnix in Iambis suis deplorat. (*Pausan. ut supr.*)

3713 Seleucus Nicanor in conditas à se per Asiam & inferiorem Syriam urbes, atque in ipsam metropolim Antiochiam, Judæos transtulit: jus eis civium & municipalem ordinem cum Macedonibus ac Græcis æquali honore concedens. (*Euseb. Chronic. Joseph. Antiquit. lib. 12. cap. 3. & lib. 2. contra Apion. pag. 1063.*) Urbium verò à se conditarum 16. à patre denominavit Antiochias, 6. à matre Laodiceas, 9. à se Seleucias, 3. ab uxore Apameas, 1. ab alterâ uxore Stratoniceam. Aliis verò Græca Macedonicáque nomina imposuit: ut Berrhææ, Edessæ, Pellæ, &c. (*Appian. Syriac.*) 4423 291

3715 Agathocles Siciliæ tyrannus, jamjam moriturus, uxorem suam Theoxenam, genitósque ex eâ duos parvulos cum omni pecuniâ, & familiâ, regalique instrumento, quo nemo regum ditior fuit, navibus impositos Ægyptum, unde uxorem acceperat, remisit; timens ne prædonem regni sui, hostem paterentur. Quanquàm uxor diu, ne ab ægro divelleretur, deprecata est: mubendo se dicens non prosperæ tantùm, sed omnis fortunæ iniisse societatem; nec invitam periculo spiritus sui empturam, ut extremos viri spiritus exciperet. Discedentes parvuli, flebili ululatu amplexi patrem tenebant. Sed finem lachrymis necessitas profectionis imposuit; & mors regis proficiscentes filios insecura est. (*Justin. lib. 23. cap. 2.*) 4425 289

Clearchus & Oxathres Heracleæ Ponti tyranni, marrem Amastrim, quum navi se commisisset, insigni commento & flagitio, mari suffocandam curârunt. (*Memnon. Excerpt. cap. 6.*) 4426 288

3716 Lysimachus Amastris, quondam conjugis suæ, necem ulturus, Heracleam ingreditur; & dum intimam patris affectionem Clearcho eique addictis præ se fert; Clearchum primò, dein-

de fratrem ejus Oxathren, è medio tollit. (*Ibid. cap.* 7.) post patris Clearchi mortem (ut ex Diodoro, ad Olymp. 118. ann. 3. intelligitur) annis 17. Hinc, ubi redactâ in clientelam suam civitate, opes tyrannorum dominatu collectas in prædam suam vertisset, & liberam civibus rempublicam restituisset, in proprium se regnum recepit. (*Memnon, ut supr.*)

Theophrasto in scholâ successit Strato Lampsacenus Arcesilai filius, Physicus dictus: Ptolemæi Philadelphi præceptor; à quo talentis 80. donatum aiunt. Scholæ autem, ut ait Apollodorus in Chronico, præesse cœpit Olympiade CXXIII. eique annis 18. præfuit. (*Diog. Laert. in Strabone.*)

Demetrius Poliorcetes, totum imperium paternum recuperare moliens, tantis viribus Asiæ imminebat, quantas secundùm Alexandrum habuit nemo. In exercitu enim peditum erant centum millia duobus millibus minùs, equitum paulò minùs duodecim millia; naves in classe ad quingentarum numerum; quarum aliquot ingentis molis erant, 15. vel 16. ordinum. Fœdus etiam cum Pyrrho fecit: ne is vicinus subinde molestias exhibens graviora ipsius consilia interturbaret. (*Plutarch. in Demetrio & Pyrrho.*)

* Judæorum Pontifex Eleazarus (Oniæ I. filius) frater Simonis, suscipit Templi ministerium; filio Simonis Oniâ parvo admodùm derelicto. (*Euseb. Chronic.* cum *Josepho, lib.* 12. *cap.* 2.).

3717 Seleucus, Ptolemæus & Lysimachus, tantum apparatum meritò habentes suspectum, pactâ societate adunatisque exercitibus, bellum adversùs Demetrium transferunt in Europam. Communi quoque nomine missis ad Pyrrhum legatis, eum hortantur ut Macedoniam invaderet; neque id fœdus putaret, quod Demetrius non pacis dandæ causâ pepigisset, sed ut iis quibus vellet bellum inferre posset accepisset. Quibus Pyrrhus assentiens, exercitu Demetrii corrupto, ipsoque in fugam acto, regnum Macedoniæ occupavit. [*Id. ibid. Justin. lib.* 16. *cap.* 2.] Quo tempore elephantos aliquot eum primùm fuisse nactum, notat Pausanias. [*in Attic. pag.* 11] 4427 287

Superveniente deinde Lysimacho, qui Demetrii oppressionem commune fuisse utriusque opus contendit, & partiri regnum postulavit; haud dubiè satis fidens Pyrrhus Macedonibus, annuit postulatis Lysimachi, regionésque & urbes inter se diviserunt. [*Plutarch. ut supr.*] Dum hæc aguntur, Lysimachus generum suum Antipatrum, regnum Macedoniæ ademptum sibi soceri fraude querentem, interfecit; filiámque suam Eurydicen querelarum sociam in custodiam tradidit. Atque ita universa Cassandri domûs Alexandro Magno, seu necis ipsius, seu stirpis extinctæ pœnas partim cæde, partim supplicio, partim parricidio luit. [*Justin. ut supr.*]

Ita mutatus regno Demetrius quum Cassandriam refugisset, uxor ejus Phila dolore victa, non sustinuit iterùm privatum & exulem videre maritum; sed abjectâ omni spe, veneno vitam finiit. [*Plutarch. in Demetr.*]

Demetrio Athenienses, ad Pyrrhum ab ipso deficientes, obsidente; missus ad illum ab eis Crates philosophus, ut obsidionem solveret persuasit. Coactis igitur navibus suis omnibus ac militum undecim millibus cum equitatu impositis, in Asiam ad Cariam & Lydiam Lysimacho adimendam navigavit. Ibi Eurydice eum, Philæ soror, circa Miletum excepit, adducens suam & Ptolemæi Soteris filiam Ptolemaidem: quam Seleucus gener illius antèà conjugem illi à Ptolemæo impetraverat. Hanc Demetrius, collocante Eurydice, duxit: ex quâ Demetrium filium suscepit, qui Cyrenis postea regnavit. [*Ibid.*]

Multas urbes deditione, multas verò vi subactas Demetrius recepit. Sardes etiam occupavit. Et defecerunt ad eum à Lysimacho quidam; qui & pecuniam & milites adferebant. Cùm autem Agathocles, Lysimachi filius, cum copiis adventaret; in Phrygiam ascendit, eo consilio, ut Armeniâ aditâ Mediam perturbaret, tentarétque superiores Asiæ provincias, quæ pulso possent præbere recessus multos & varia perfugia. Agathoclem verò insequentem aliquoties levibus præliis superavit. [*Ibid.*]

Frumentatione autem & pabulatione exclusus, in magnis difficultatibus fuit. Præterea errore quodam in transitu Lyci amnis admisso, multos homines aquâ abreptos perdidit: ad extremum verò, lue famem comitante, amissis ad octo millia hominum, retrò abductis reliquiis Tarsum venit. Et statuerat ille quidem omnem injuriam ab eâ provinciâ prohibere, quæ Seleuco tùm subierat; quem offendere nullo modo cogitabat. Sed id fieri non poterat: cùm in extremis difficultatibus essent milites: & transitus Tauri montis Agathocles obstruxisset. Literas itaque ad Seleucum dedit: in quibus deploratâ suâ fortunâ, suppliciter ab eo petiit, ut se necessarium suum miseraretur, qui hostibus quoque miserandus esset. [*Ibid.*]

3718 Seleucus Demetrii soceri sui fortem miseratus, præfectis suis scripsit, ut illum sumptibus rege dignis, & exercitum ejus alimentis largè foverent. Sed Procles, Seleuco valdè familiaris, ipsius animum variâ suspicione ita imbuit; ut contra eum Ciliciam versùs ille duxerit exercitum. Mutationem miratus Demetrius, ad loca Tauri munitissima se recepit: missisque ad eum legatis ab eo petiit, ut ipsius bonâ pace liceret sibi aliquam liberorum barbarorum provinciam occupare, in eâque eorum & fugarum fine facto, reliquum vitæ suæ exigere. Sin id nollet, saltem copias per hyemem ibi aleret, neque omnium rerum egenum summoveret & hostibus objiceret. Seleucus omnia hæc sinistrè interpretatus, id modò ei permisit, ut datis obsidum loco primoribus suorum amicorum, per duos menses in Cataoniâ (confine Cappadociæ provinciâ) hyemaret: simúlque fauces, quibus iter in Syriam patebat, obstruxit. [*Ibid.*]

Ibi Demetrius undique septus & instar feræ inclusus (hinc Agathocle Lysimachi, inde objecto illi Seleuco) vertit se necessariò ad vim, finesque Seleuci depopulatus est: ac cum adoriente confligens Seleuco, semper discessit superior. Currus falcatos aliquando in se emissos superavit, atque hostes fugavit: claustráque Syriæ, dejectis præsidiis, in suam redegit potestatem. Jámque planè animo erectus, parabat cum Seleuco de rerum summâ dimicare, quum gravis morbus illum occupavit: qui & corpus ejus vehementer debilitavit, & res evertit; militibus partim ad hostem transeuntibus, partim ex castris aliò dilabentibus. [*Ibid.*]

Dum

Dum ita in Syriâ Seleuci potestati subjaceret Demetrius, Lysimachus (cui diffidens Seleucus, auxilia illius ibi jam rejecerat) in Macedoniâ Pyrrhum bello aggressus est. [*Justin. lib.16.cap.3. Pausan. Attic. pag.9. Plutarch. in Pyrrho & Demetr.*]

Victor Lysimachus, pulso Pyrrho, Macedoniam occupavit. [*Justin. ibid.*] eámque annorum 5. & mensium 6. spatio, obtinuit. [*Dexip. & Porphyr.*] 4428 286

Post dies 40. à morbo recreatus Demetrius, assumpto quod supererat militum, velut in Ciliciam iturus castra movit: inde nocte absque tubâ in diversam partem profectus, superato Amano monte, subjectas regiones populatus est usque ad Cyrrhesticam. Cùm eódem advenisset & castra proximè posuisset Seleucus; de nocte adversùs eum Demetrius cum exercitu contendit, ignorantem quid fieret & dormientem. Ille à transfugis quibusdam de ejus adventu certior factus, lecto exiliens signa jussit canere: ac dum crepidas induit, clamavit ad amicos, cum immani belluâ sibi rem esse. Demetrius ex tumultu hostium proditas insidias sentiens, celeriter suos retrò abduxit. [*Plutarch. in Demetr.*]

Ortâ luce, quum instaret Seleucus, certum de suis in alterum cornu misit Demetrius, ipse oppositum sibi cornu in fugam egit. Tum Seleucus equo dimisso, & depositâ galeâ, & peltâ sumptâ, monstravit se mercenariis: hortatúsque est eos, ad se ut transirent, tandémque intelligerent, se, ut ipsis, non ut Demetrio parceret, tamdiu cunctatum esse. Inde omnes salutantes eum & Regem appellantes, transitionem ad ipsum fecerunt. [*Ibid.*]

Hanc omnium mutationum extremam sibi accidere intelligens Demetrius, ad Amani montis portas confugit; eámque noctem in sylvâ umbrosâ, cum amicis & comitibus perpaucis exegit: inde Caunum pergere cogitans, unde per mare evadere se potuisse sperabat. Et cùm ne in illum quidem diem suos satis habere viatici comperisset: commodùm advenit ejus amicus Sosigenes cum 400. aureis, quibus vitam toleraturos se usque ad mare sperantes, per tenebras contenderunt ad montium juga superanda. Sed quia hostium frequentes ignes in illis lucebant; illo deplorato itinere, retrò se unde digressi erant recipere coacti sunt. Ubi cùm quidam dixisset, debere cum Seleuco se tradere; stricto ense mortem sibi consciscere voluit. Verùm amicorum tandem consiliis persuasus, misit ad Seleucum, se suásque res illi dedens. (*Ibid.*)

Eâ re nuntiatâ, ministris mandavit Seleucus, ut tentorium regium, & alia quæ ad excipiendum Demetrium pertinerent, magnificè appararent: misitque confestim ex comitatu suo Apollonidem Demetrii quondam familiarem, qui eum consolaretur, ostenderetque, citra ullum metum tanquam ad necessarium & generum ipsum esse venturum. Eâ sententiâ Seleuci vulgatâ, panci primùm, mox plurimi amicorum ad Demetrium certatim confluxerunt. Quæ res miserationem Demetrii in invidiam vertit: æmulisque inde data est occasio Seleuci humanitatem divertendi; cùm, simul-atque conspiceretur Demetrius, multas innovationes in castris extituras dicerent. [*Ibid.*]

Pausanias igitur cum mille circiter peditibus simul & equitibus obviam missus, remotis cæteris, subitò Demetrium non in Seleuci conspectum, sed in Syriæ peninsulam abduxit. Eâ in Chersonesо per reliquum tempus, validâ adhibitâ custodiâ, cultus sufficiens Seleuci jussu præbitus ei fuit: neque pecuniæ, cursus, ambulationes regiæ, hortive venationibus commodi, deerant. Licebat & amicis, qui unà fugerant, & cum ipso esse volebant, unà degere. Aliqui etiam quotidie ad eum à Seleuco ventitabant, cum benignis mandatis, bono animo esse hortantes; spémque libertatis, certorum pactorum interventu, facientes, ubi Seleuci filius Antiochus & uxor ejus Stratonice advenissent. [*Ibid.*] Pellæ verò custoditum fuisse Demetrium, in libro 21. Diodorus Siculus author est. [*In Excerptis ab Henr. Valesio edit. pag.262.*]

Demetrius, cùm in eam fortunam devenisset, ad filium suósque apud Athenas & Corinthum duces atque amicos scripsit, ne literis ipsius neque sigillo crederent; sed perinde ac si mortuus esset, urbes & res reliquas Antigono reservarent. [*Plutarch. in Demetr.*] Unde & ab hoc tempore regnum Antigoni filii ejus in Græciâ, anno videlicèt antequàm regnum Macedoniæ illi adjecisset 10°, deducit Porphyrius: qui à *Gonis* in Thessaliâ, ubi vixerat & educatus fuerat, *Gonata* cognomentum illum tulisse monet. [*In Grac. Euseb. Scalig. pag. 226.*] Antigonus verò allatam patris captivitatem graviter ferens, sumptâ veste lugubri, cùm ad alios reges tum ad Seleucum supplex scripsit: quidquid ipsi relictum fuerat, atque adeò seipsum pro parente obsidem offerens. Idem à Seleuco multæ civitates & dynastæ petierunt. [*Plutarch. in Demetr.*]

Solus Lysimachus legatione ad Seleucum missâ monuit, ne hominem summâ flagrantem cupiditate, qui omnibus Regibus insidiatus esset, ullatenus è manibus dimitteret; ac bis mille talenta daturum se promisit, si illum è medio tolleret. Seleucus autem vel aliàs eum execratus, longè impensiùs hinc duxit detestabilem & barbarum: indéque legatos illius acerbè increpuit, quòd se non solùm ad violandam fidem, sed ad tantum scelus contra conjunctissimum hominem suscipiendum impellerent. Cæterùm ad Antiochum filium qui in Mediâ morabatur se ipsis literis, consilium ejus exquisivit, quid Demetrio faciendum esset. Illum enim custodiâ liberare, atque in paternum regnum splendidè reducere constituerat: cujus beneficii gratiam cum Antiocho filio communicatam volebat; quòd is Stratonicem Demetrii filiam in matrimonio haberet, liberósque ex eâ sustulisset. [*Id. ibid. & Diodor. in Excerptis lib.21. à Valesio editis.*]

3719 Demetrius Syriæ Chersonesо incluſus, primùm utcunque venationibus & cursibus corpus exercuit: paulatim verò ad pigritiam & ignaviam delapsus, poculis & aleæ se dedit, atque his tempus ferè traduxit. [*Plutarch. in Demetr.*] 4429 285

Ptolemæus Soter, quum ex Euridice Antipatri filiâ primùm, deinde ex Berenice (quam Eurydicæ comitem in Ægyptum Antipater miserat) liberos suscepisset; ex hujus filiis, Ptolemæum (Philadelphum dictum) quum ei mors esset vicina, reliquit in Egypto regnaturum: ut in Atticis habet Pausanias. Ante infirmitatem, regnum illi tradidisse, ejúsque rei populo rationem tradidisse; scribit Justinus. [*lib.16. cap. 2.*] Quum 38. imperavisset ille annos, regnum

filio

filio communicavisse, & per biennium simul cum eo regnavisse, authores sunt Lucianus in *Macrobiis* & Porphyrius. [*In Græcis Eusebianis, pag.* 225.] Nos ineunte anno illius 39°. (à morte Alexandri numerato) in regni consortium Philadelphum admissum fuisse sentimus: atque in ejus rei memoriam, à Dionysio Astronomo novam Æram esse institutam; quam ab hujus anni æstate deducendam esse, observationes illius cœlestes à Cl. Ptolemæo in magnâ Syntaxi commemoratæ demonstrant. Qui Dionysius non alius ab illo fuisse videtur, quem Plinius lib. 6. cap. 17. à Philadelpho in Indiam missum fuisse refert.

Demetrium Phalereum Ptolemæo Soteri ut filiis quos ex Eurydice non ex Berenice genuerat impartiretur regnum, consuluisse, tradit Hermippus. Et quum ille Philadelpho concedere illud voluisset, ad eum dixisse, *Si alteri dederis, ipse non habebis*; in Epitome successionum Sotionis, Heraclides refert. [*apud. Diog. Laert. in Demetr. Phaler.*] Pater tamen ei regnum non solùm publicè tradidit, sed etiam privatim officium regi inter satellites fecit: omni regno pulchrius Regis esse patrem dicens. [*Justin. lib.* 16. *cap.* 2.]

Ptolomæus, qui *Ceraunus, i. e.* Fulminis (vel à celeritate in rebus agendis, vel διὰ τὸν τυφῶνα, ut est apud Memnonem, propter ferociam & audaciam) cognomentum tulit, Ptolemæi Soteris ex Euridice filius, quum pater juniori filio regnum dare decrevisset, ex Ægypto metu profugus ad Seleucum se recepit. Quem ille ut amici filium miseratus, liberaliter & honorificè tractabat: promissis etiam additis, fore ut defuncto parente in paternum Ægypti regnum ab eo deduceretur. [*Memnon. Excerpt. cap.* 9. *&* 13. *Appian. Syriac. pag.* 128.]

3720 Olympiade CXXIV, ut apud Cyrillum Alexandrinum in libro 1°. contra Julianum legitur, Sarapidis simulachrum Alexandriam è Sinope pervenit, Ptolemæo Philadelpho in Ægypto regnante, quemadmodum nonnulli perhibent: vel sub primo Ptolemæo, (hâc verò ineunte Olympiade simul uterque regnavit) à quo legatos hâc de re ad Scydrothemidem regem, qui tunc Synopensibus in Ponto imperitabat, fuisse missos, sub finem libri Historiarum quarti pluribus narrat *Cornelius Tacitus*. 4430 284

Eâdem Olympiade, in Eusebiano Chronico, Sostratus Cnidius Pharum in Alexandriâ construxisse dicitur, de quâ Plinius, lib. 36. cap. 12. *Magnificatur turris à rege facta in insulâ Pharo portum absimente Alexandriæ, quam constitisse octingentis talentis tradunt: magno animo (ne quid omittamus) Ptolemæi regis; quòd in eâ permiserit Sostrati Cnidii architecti structura ipsius nomen inscribi. Usus ejus, nocturno navium cursui ignes ostendere, ad pronuncianda vada portúsque introitum.* Sostratum φίλον τῶν βασιλέων (*amicum Regum*; Lagidæ utique & Philadelphi; quos ineunte hâc Olympiade simul regnavisse diximus) in libro 17. (*pag.* 791.) appellat Strabo; inscriptionemque hanc structuræ appositam refert. Σώστρατος Κνίδιος Δεξιφάνους, Θεοῖς Σωτῆρσιν ὑπὲρ τῶν πλωιζομένων. *Sostratus Cnidius Dexiphanis F. Diis Servatoribus, Pro navigantibus.* Quam eandem, in fine libelli de rectè conscribendâ historiâ, Lucianus habet: licèt non permissu regio (ut Plinius) sed architecti dolo id factum ita narret. Cùm turrim illam extruxisset, intus quidem in saxis suum ipsius nomen inscripsit; supernè autem calce illitâ, atque ita priore inscriptione occultatâ, nomen ejus qui tum regnavit super inscripsit: ratus quod evenit, parvo admodum tempore futurum esse ut literæ istæ foris inscriptæ unà cum calce illitâ reciderent & evanescerent, interior autem ille titulus appareret.

Ut autem ad Pharon facilis pateret accessus, quæ à continente διὰ μήκους φαύλου (sicut in Oratione Ægyptiacâ ab Aristide est notatum) ducitabat; ingentibus aggeribus in mare jactis & ponte junctis, Heptastadium isthmus factus est, qui Pharon ex insula peninsulam jam redditam cum Rhacoti suburbio Alexandrino conjungeret. De quo, sub finem Commentarii III. de bello civili, Julius Cæsar. *Pharus est in insulâ turris magnâ altitudine mirificis operibus extructa, quæ nomen ab insulâ cepit. Hæc insula objecta Alexandriæ, portum efficit: sed à superioribus regibus* (ita enim cum Brodæo, Scaligero & Salmasio legendum, non *regionibus*; ut in vulgatis habetur codicibus) *in longitudinem passuum nongentorum in mare jactis molibus, angusto itinere & ponte cum oppido conjungitur.* Neque enim Ammiani Marcellini, libro 22.) Johannis Malelæ, (lib. 9. cap. 2.) Fatlorum Siculorum scriptoris, Georgii Cedreni & Johannis Tzetzæ audiendæ sunt fabulæ: qui Cleopatræ postremæ Alexandrinorum reginæ causâ & turrim & aggerem extructa fuisse somniârunt.

Spartacus in Bosphoro Cimmerio regnare desiit, cùm per annos 20. (ut ad annum 1. Olympiadis CXIX. docet *Diodorus Siculus*) imperavisset. Cui successisse videtur Satyri filius Paryzades; de quo ad annum Mundi 3695. est dictum.

Demetrius Poliorceres, tertium jam annum in Chersonesso Syriæ inclusus, ex otio, saginâ & vino in morbum delapsus è vitâ migravit. [*Plutarch. in Demetr.*] post patris Antigoni excessum, annis 17. [*Dexip. Porphyr. & Euseb.*] Malè audivit ob ejus mortem Seleucus: & non mediocriter ipsum pœnituit, quòd adeò suspectum eum habuisset. Antigonus autem filius, ubi reliquias patris cognovit asseri, cum navibus suis omnibus apud insulas obviam eis occurrit, & receptos ad se cineres aureâ urnâ condidit: quam diademate purpuráque ornatam, iis cæremoniis quibus tantum funus honestari decuit, Corinthum primùm, deinde Demetriadem secum detulit; urbem illi cognominem, ex parvis ad Iolcon (in Thessaliâ) oppidulis frequentatam. [*Plutarch. in Demetr.*]

Seleucus, iis omnibus quæ in Syriâ & Asiâ (propriè sic dictâ) Demetrius habebat potitus, ex utroque regno unum fecit imperium. [*Euseb. Chronic.*] Quâ tempestate Judæi annuum stipendium, trecenta argenti talenta ei dabant; nec tamen per externos magistratus, sed per sacerdotes suos regebantur, patrióque ritu vivebant. [*Sever. Sulpic. sacr. histor. lib.* 2.]

3721 Ptolemæus Lagi filius, Soter dictus, mortem obiit; post regnum filio communicatum, sive initium æræ Dionysianæ, anno 1, & mensibus ferè 3, post Alexandri M. excessum annis 39,

&

& mens. 4. circiter (pro quibus alii 40, Ptolemæus in Regum Canone 39. tantùm numerat:) quum annos 84. (ut habet in Μακροβίοις Lucianus) vivendo exegisset. Regiones illi subditæ, à Theocrito in Idyllio 17°. commemorantur: *Ægyptus, Phœnicia, Arabia, Syria, Lybia, Æthiopia, Pamphylia, Cilicia, Lycia, Caria, & Cyclades* insulæ. Et quidem eâ lege arma ille cum Seleuco contra Antigonum consociasse dicitur; ut Asiæ universæ dominatus Seleuco pararetur, Cœlesyriam verò & Phœniciam propriam ut sibi faceret. Seleucidis contrà asserentibus, Ptolemæum cum Antigono bellum gessisse, non ut sibi quicquam pararet, verùm ut Seleucum Cœle-syriæ imperium sibi asserentem adjuvaret; atque Antigono devicto, Cassandrum & Lysimachum Seleuco Syriam universam decreto suo attribuisse. [*Polyb. lib. 5. pag. 410.*] Licèt verò Syriam & Phœniciam (quod Theocritus est testatus) aliquando Ptolemæo paruisse non sit dubium; & post mortem Antigoni, qui eas illi eripuerat, Syros iterùm subegisse, in Atticis [*pag. 6.*] scripserit Pausanias: Tyrum tamen & Sidonem in Demetrii Poliorcetæ potestate fuisse, eoque sublato & hisce & universâ Syriâ potitum fuisse Seleucum, jam antèa ostendimus.

Ptolemæo Philadelpho Josephus [*lib. 12. cap. 2.*] annos 39. tribuit; à communi cum patre regno, ut videtur, dinumeratos: post patris verò mortem, 37 Clemens Alexandrinus, 38 Ptolemæus in Regum Canone, Porphyrius, Eusebius, & alii. Quum juxta nostras rationes, post mortem patris annos 37 & menses ferè 8, universim 39 annos ille regnaverit, uno mense minùs. Minorem autem ille fratrem Argæum, ut insidias sibi comparantem; alterúmque fratrem, ex Euridice natum, quòd ab eo Cyprios ad defectionem solicitaret suspectum, è medio sustulit. [*Pausan. in Attic. pag. 6.*] Ut præter meritum φιλάδελφου cognomentum obtinuisse videatur. Urbes illum 33339. possedisse, Theocritus in Idyllio 17. affirmat. Tantæque potentiæ fuisse narratur, ut Ptolemæum patrem vinceret. Quod ex historiis confirmat Hieronymus, in *Daniel.* cap. 11. & ex regiis tabulis *Appianus Alexandrinus*, suâ in Romanas historias Præfatione. Quibus, de navium magnitudine & numero, *Athenæus* etiam est addendus, in Dipnosophist. lib. 5. cap. 5.

* Ptolemæus Philadelphus, mortuo patre, Demetrium Phalereum (qui illi suaserat ut regnum filiis ex Euridice susceptis relinqueret) in regionem quandam relegatum custodiri mandavit, donec quid de eo statueretur dispiceret: quemadmodum ex Hermippo refert in Demetrii Vitâ [*Diogenes Laertius.*] Quod verò ex aliorum fide Diogenes subdit, illum ex languore degravatum, morsu aspidis ibi periisse, falsum esse convincunt Aristeas in LXX. Interpretum Historiâ, Aristobulus Peripateticus in libro 1. Commentariorum Mosaicorum ad Ptolemæum Philometorem scriptorum, (apud *Eusebium* lib. 13. Præparat. Evangelic.) *Josephus* lib. 12. Antiquit. cap. 2. & contra Apionem lib. 2. *Tertullianus* in Apologetico cap. 18. *Cyrillus Hierosolymitanus* Catechesi 4ª. Φωτιζομένων. *Epiphanius* in libro de mensuris & ponderibus. *Hieronymus* Commentar. Daniel. cap. 11. *Augustinus* lib. 18. de Civitate Dei cap. 42. & alii: & quibus constat Demetrium in honore posteà apud Philadelphum fuisse, & Bibliothecæ Alexandrinæ curam suscepisse. Vide infrà, annum Mundi 3727. *

Anno 47. primæ Calippicæ Periodi, Anthesterionis mensis die 8, Nabonassari 465, mensis Athyr die 29, ante mediam noctem horis 3. (Januarii Juliani die 29. definente) Timocharis Alexandriæ observavit australem mediam Lunæ partem inductam ad tertiam vel mediam succedentem Vergiliarum partem. [*Ptolem. lib. 7. cap. 3.*] — 4431 — 283

Lysimachus Thraciæ & Macedoniæ rex, uxoris suæ Arsinoës (ex quâ alios liberos susceperat) fraude seductus, Agathoclem filium suum natu maximum, quem in successionem regni ordinaverat, & per quem multa bella prosperè gesserat, vel veneno vel Ptolemæi Cerauni (fratris Arsinoës) manu interfecit. [*Strabo, lib. 13. pag. 623. Justin. lib. 17. cap. 1. Pausan. Attic. pag. 9. Memnon. Excerpt. cap. 9.*]

Parricidium secutæ principum cædes sunt; luentium supplicia, quòd occisum juvenem dolebant. Itaque & hi qui cædibus superfuerant, & hi qui exercitibus præerant, certatim ad Seleucum defecerunt, [*Justin. ibid.*] Cùmque ob filii cædem in odio subditorum esset Lysimachus, civitates ab eo ad Seleucum defecerunt. [*Memnon. ibid.*]

Lysandra (Ptolemæi Soteris filia & Arsinoës soror) cum filiis ex Agathocle procreatis, & fratribus, ad Seleucum profugit: quibus & Alexander, Lysimachi ille quidem sed ex Odrysiade uxore filius, comitem se addidit. Qui cùm Babylonem pervenissent; à Seleuco, ut bellum contra Lysimachum susciperet, supplices contenderunt. [*Pausan. ibid. cum Appiano, in Syriac. pag. 130.*]

Eodem tempore & Philetærus Paphlago, eunuchus quidem sed liberaliter educatus & à Lysimacho thesauri sui custodiæ in munitione Pergamenâ præfectus, Agathoclem interfectum dolens, eámque ob rem, Arsinoës criminationibus, periisse, Pergamum supra Caycum occupavit; atque inde per legatum se pecuniámque omnem Seleuco obtulit. Semperque potentiorem ac sibi propiorem pollicendo demedrenóque iactans, castelli ac pecuniæ per annos 20. dominus mansit. [*Pausan. Attic. pag. 7. & 9. Strabo, lib. 13. pag. 623.*] Τὸν Περγάμου ἀναστάτωτα, Appianus eum Appellat: [*Syriac. pag. 129.*] nummi veteres, in Hub. Goltzii Thesauro, *Regem.* Novi enim Pergamenorum principatûs condendi author ille fuit; 60. jam annos natus: ut ex Luciano in Μακροβίοις intelligitur.

3722 Anno 48. primæ Calippicæ Periodi, Pyanepsionis mensis die 25, Nabonassari 466, mensis Thoth die 7, post mediam noctem horis 3. cum semisse, (Novembris Juliani die 9.) Timocharis Alexandriæ observavit Lunam conjunctam Spicæ Virginis, parte suâ boreali. [*Ptolem. lib. 7. cap. 3.*]

Antiochus Soter Seleuci Nicatoris filius, novercæ Stratonices (quæ Seleuco filium peperat) amore correptus, agnoscens tamen cupiditatem nefariam, nec tentavit quicquam nec prodidit: sed languens decubuit, ultrò cupiens emori. Verùm rem deprehendit Leptines mathematicus, vel ut complures tradiderunt Erasistratus medicus Aristotelis filiâ genitus & Chrysippi discipulus (ut in lib. 29. cap. 1. habet Plinius) Chrysippi nimirùm Cnidii medici ut in *Chrysippo* — 4432 — 282

indicat Laërtius, licèt eum alii Theophrasti auditorem fuisse dicant, ut in fine Vitæ Theophrasti idem Laërtius annotat: contra cujus sectatores Erasistratæos, De venæ sectione à Galeno liber scriptus extat. Hic enim juxta Antiochum sedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi & spiritu increbrescere, eáque egrediente pallere & excitatiorem anhelitum subinde recuperare animadvertit: deprehensam morbi causam Seleuco exposuit. Qui charissimâ sibi conjuge filio cedere non dubitavit: & convocato in concionem exercitu eo præsente ambos matrimonio junxit. Cúmque 72. sub se haberet satrapias; majore parte (τὰ ἄνω τόπα, sive Trans-euphratenses regiones, complectente) filio traditâ, tantùm quæ inter Euphratem & mare sita sunt sibi retinuit. [*Appian. in Syriacis; cum Valerio Maximo, lib. 5. cap. 7. Plutarcho in Demetrio, Luciano de Syriâ Deâ, Galeno* περὶ τῶν προγνώσεων, *& Juliano in Misopogone.*]

3723 Lysimachus in Asiam trajiciens, bellum Seleuco intulit. Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit: quorum 34 jam extinctis, hi duo soli erant superstites. In Phrygiâ quæ Hellesponto adjacet prælium est commissum περὶ Κόρου πεδίον, ut apud Porphyrium legitur. [*in Græc. Euseb. Scalig. pag.* 228.] In eo Lysimachus dum fortiter dimicat, magnâ clade acceptâ ab Heraclienſi quodam Seleuci milite Malacone nomine, pilo trajectus est: atque ita, amissis antè variis casibus XV. liberis, non instrenuè moriens, postremus domûs suæ ruinæ cumulus accessit. [*Pausan. Attic. pag. 9. Memnon. Excerpt. cap. 9. Appian. Syriac. pag.* 128. *&* 130. *Justin. lib.* 17. *cap.* 1. *&* 2. *Oros. lib.* 3. *cap. ult.*] Annos 70. natum eum tum fuisse Appianus, 74. Justinus & Orosius, 80. verò, qui tum ipse claruit, Hieronymus Cardianus historicus (apud Lucianum in Μακροβίοις) affirmat. 4433 281

Extincti Lysimachi corpus canis domesticus diu protegens, alites feráſque arcuit; donec Thorax Pharsalius diu quæsitum, & indicio canis maximè agnitum, jam tabidum invenit. Quod à Lysandrâ multis cum precibus impetratum, Alexander Lysimachi ex Odrysiade filius sustulit; & in Thracicam Chersonesum deportatum, sepulturæ mandávit. Ossa in Lysimachensium templo à civibus condita sunt; quod posteà Lysimachium est vocatum. [*Pausan. & Appian.*]

Eo sublato, regnum ad Seleuci ditionem, ut pars, accessit. [*Memnon.*] Qui tantâ victoriâ lætus, & quod majus victoriâ putabat, solum se de cohorte Alexandri remansisse, victorémque victorum extitisse; non humanum fuisse opus, sed divinum munus gloriabatur. [*Justin.*]

Heraclienses Ponti, audito Lysimachi interitu, & quòd à populari suo occisus esset, 84. postquàm Clearchus primus apud eos tyrannidem arripuerat anno, libertatis recuperandæ desiderio, quam post tyrannos domesticos Lysimachus eis eripuerat; fortes se viros declarabant. Lysimachus enim, licèt postremo Clearcho & fratre ejus Oxathre è medio sublatis, Heraclienſibus libertatem aliquamdiu restituisset; posteà tamen uxoris Arsinoës importunitate victus, Heracleæ bellum intulit, (cujus Justinus, lib. 17. cap. 3. meminit) eâque potitus, Heraclitum Cymæum, virum Arsinoës observantissimum, præfectum illius constituit. Quem cives, post Lysimachi mortem, convenientes, non incolumitatem tantùm sed etiam munerum splendidum viaticum, pristinam modò libertatem obtinerent, obtulerunt. Cúmque ille irâ inflammatus, eorum nonnullos ad supplicia rapi juberet; Heraclienses pacto cum præsidii præfectis inito, ut æquali in Republicâ jure uterentur & quibus fraudati essent stipendia reciperent, captum Heraclitum in custodiâ ad tempus detinuerunt. Meta dehinc soluti, mœnia arcis ad fundamenta usque diruerunt, & missâ ad Seleucum legatione, Phocritum civitatis curatorem fecerunt. [*Memnon. Excerpt. cap.* 8. *&* 10.]

Zipœtes Bithyniæ regulus, Lysimachi anteà, tunc etiam Seleuci causâ (nam cum utroque simultates habebat) Heraclienſibus infensus, excursionibus in agros eorum factis, à nullo maleficiorum genere abstinuit. Sed neque illius exercitus cladium expers fuit: haud multo mitiores quam intulit, ipse recipiens. [*Ibid. cap.* 11.]

Interea Seleucus Aphroditium in urbes Phrygiæ & eas quæ adjacent Ponto procuratorem misit. Hic rebus quarum causâ venerat confectis, post reditum in aliarum quidem civitatum laude prolixus erat, Heraclienses autem criminabatur ut Seleuco parum addictos. Seleucus ergo hoc irritatus, legatos ad se profectos fastidivit, & minis increpitans terruit. Quorum unus tamen Chamæleon nihil his perculsus, ita regem compellavit: *Hercules* κάρρων, *Seleuce* (κάρρων autem Dorientibus eum significat qui est fortior.) Quam vocem cùm Rex non intelligeret, conceptâ in irâ persistens, se avertit. Legatis igitur, neque domum redire, neque illic manere, operæ pretium videbatur. Quæ cùm Heraclienſibus renuntiarentur, tum cæteris se munierunt, tum copias auxiliares collegerunt; & per legatos Mithridatem Ponti regem, & Byzantinos & Chalcedonios de ope ferendâ sollicitárunt. [*Ibid. cap.* 12.]

At exules ab Heracleâ qui superecant, ita tandem convenerunt. Nymphidius quidam ex eorum numero reditum eis suadet; nec difficilem hunc esse demonstrat, si nihil eorum quæ majores amisissent molestè viderentur & turbulentè repoſcere: & quàm minimo negotio persuasit. Quare cùm eo quo confluerat modo felicem inveniret successum reditus: tum reducti, tum quæ recepit illos patria in communi & æquâ versabantur lætitiâ. Nam & humanissimè eos cives tractabant, & nihil horum quæ ad mediocrem vitæ sustentationem conducunt, deferi patiebantur. Hoc itaque modo in antiquum nobilitatis & gubernationis decus seſe vindicárunt. [*Ibid.*]

3724 Seleucus, in Macedoniâ patriâ suâ quod reliquum senectutis erat transigere destinans, Hellespontum trajecit. Cúmque inde Lysimachiam peteret, aram obiter vidit in loco sitam conspicuo; & ubi percontatus, *Argos* ei nomen fuisse didicit, (de *Argis* autem cavendum ab oraculo monitus ille fuisse dicitur) ulteriùs causam appellationis scitabatur; num ab Argonautis in Colchos præternavigantibus denominata sit, an ab Argivis qui ad Ilium militárunt nomen ei fecerint accolæ, an quòd Argo navis ibi naufragium passa sit, an ab Atridarum patriâ. Talia quærentem Ptolemæus Ceraunus, Ptolemæi Soteris ex Eurydice filius & Arsinoës uxoris Lysimachi frater, à tergo aggressus confodit: benefactorem scilicèt suum, qui illum aluit & 4434 280

ubique secum circumduxit. Atque ita regnum Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, post menses admodùm septem, cum vitâ pariter Seleucus amisit. [*Justin. lib.* 17. *cap.* 2. *Appian. Syriac. pag.* 128, 129. *Memnon. Excerpt. cap.* 13.]

Seleucum maximum post Alexandrum regem fuisse, animóque maximè regio præditum, maximæque post illum terræ portioni imperasse, in libro de rebus Alexandri 7°. affirmat Arrianus: vitam verò ille finiit, anno ab excessu Alexandri 43, æræ Græcorum sive Seleucidarum 32, quum annos vixisset, juxta Appianum, 73: licèt Justinus 78. ætatis anno periisse illum significet. Corpus ejus cremavit Philetærus Pergami dynastes, pro magno auri pondere à Cerauno sibi traditum, & cineres ad Antiochum ejus filium remisit: qui in maritimâ Seleuciâ conditum honoravit delubro addito, & fano ei sacrato, quod nominatum est Nicatorium. [*Appian. Syriac. pag.* 129.] Et hunc verò, & filios nepotésque ejus, anchoram in femore, veluti notam generis naturalem habuisse refert *Justinus*, lib. 15. cap. 4. & *Ausonius* in Claris Urbibus, de Antiochiâ canens:

------- Illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cujus fuit anchora signum:
Qualis inusta solet generis nota certa, per omnem
Nam soboli seriem nativa cucurrit imago.

Notat verò Polybius, libro 2. [*pag.* 128.] Ptolemæum Lagi filium, Lysimachum, Seleucum & Ptolemæum Ceraunum, circa Olympiadem CXXIV. omnes in vivis esse desiisse. Et Lagides quidem anno illius Tetraëteridis Olympicæ *primo*, Lysimachus & Seleucus *quarto*, vitam cum morte commutavit. Sed Ceraunus ante finem primi anni sequentis Olympiadis non periit. Quem idcirco, eandem obitûum συνοψισμὸν in eodem libro [*pag.* 155.] posteà repetens Polybius, consultò videtur prætermisisse.

Ptolemæus Ceraunus, Seleuco trucidato, equi cursu adjutus Lysimachiam profugit: ubi imposito sibi diademate, cum satellitum manu speciosissimâ ad exercitum tendit. Ibi necessitate compulsi eum receperunt & regem salutârunt, qui paulò antè Seleuco sacramenti religione erant adstricti. [*Memnon. Excerpt. cap.* 13.]

Antigonus Gonatas Demetrii Poliorcetæ filius, cæde Seleuci intellectâ, expeditionem suscepit in Macedoniam; pedestribus & nauticis copiis Ptolemæum Ceraunum antevenire properans. At Ptolemæus expeditas habens Lysimachi naves, instructâ acie occurrit: inter quas erant cùm aliæ, tum ex Ponto ab Heracleâ accersitæ hexeres & penteres & quæ aphractæ appellantur; & una octeris; Leontiferæ nomine insignis, quæ magnitudine & elegantiâ in admirationem veniebat. In eâ enim 100. viri; suæ quique centuriæ ordine, remos ducebant; ita ut ex alterâ parte 800, ex utrâque autem 1600. numero essent: qui verò è foris pugnabant 1200, & duo gubernatores inerant. Postquàm in aciem descensum est, superior evasit Ptolemæus, in fugam versâ Antigoni classe. Ubi fortiùs cæteris pugnârunt naves ex Heracleotide; & palmam inter has tulit octeris Leontifera. Victus itaque Antigonus, in Bœotiam se recepit: & Ptolemæus in Macedoniam transiens, firmiter regnum per annos 2. obtinuit. [*Ibid. cap.* 14, 15.] anno videlicèt 1. & mensibus 5. ut magis distinctè *Dexippus & Porphyrius* rem explicant.

Ptolemæus Ceraunus, cùm & in gratiam memoriæ magni Ptolemæi patris, & in favorem ultionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primò Lysimachi filios conciliare sibi statuit; nuptiásque Arsinoës sororis suæ, matris eorum petiit; puerorum adoptione promissâ: ut cùm in locum patris eorum successissent, nihil illi moliri, vel verecundiâ matris, vel appellatione patris auderent. Fratris quoque (Ptolemæi Philadelphi) regis Ægypti concordiam per epistolas deprecatus est: profectus deponere se offensum erepti paterni regni; neque ampliùs à fratre quæsturum, quod honestiùs à paterno hoste perceperit. [*Justin. lib.* 17. *cap.* 2.] Cum Antiocho quoque Seleuci filio pacem fecit. [*Id. lib.* 24. *cap.* 1.]

Sed nec Pyrrhus rex Epiri otiosus, ingens momentum futurus, utri parti socius accessisset: qui & ipse spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus venditabat. Itaque Tarentinis adversùs Romanos laturus auxilium, ab Antigono (Gonatâ) naves ad exercitum in Italiam deportandum mutuò petiit; ab Antiocho (Seleuci filio), pecuniam; qui opibus quàm militibus instructior erat; à Ptolemæo (Cerauno) Macedonum militum auxilia. Cui ille quinque millia peditum, equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta, non ampliùs quàm in biennii usum dedit. Ob hæc Pyrrhus, filiâ Ptolemæi in matrimonium acceptâ, vindicem eum regni (Epirotici sui) reliquit: ne abductâ in Italiam juventute, prædam hostibus regnum relinqueret. [*Id. lib.* 17. *cap.* 2.]

Relicto igitur custode regni filio Ptolemæo (quem ex Berenices filiâ Antigone susceperat) annos 15. nato, (cujus tamen ipsius custodiam Ptolemæo Cerauno reliquerat) exercitum Pyrrhus in portu Tarentino exposuit; duobus parvulis filiis, Alexandro & Heleno, in solatia longinquæ secum expeditionis abductis. [*Id. lib.* 18. *cap.* 1.] Non expectato autem vere; tempestate anni admodùm incommodâ, eò illum trajecisse, ex Dionysio Halicarnassæo tradit Zonaras: circa Olympiadem CXXIV, ut habet Polybius. [*lib.* 2. *pag.* 129.] Tetraëteridis nimirùm illius Olympicæ anno 4°. & ultimo.

Antiochus Soter, post patris Seleuci mortem, Syriæ regnum annos 19. obtinuit. [*Porphyr. & Euseb. & Sever. Sulpic.*] Qui cùm vix tandem multis prælîis nec universum tamen patris regnum recuperasset; expeditam manum in ulteriora Tauri mittit, Patrocle duce: qui Hermogenem, Aspendium genere, legatum sibi adoptavit. Hic cùm alias urbes, tum Heracleam Ponti, infestare constituerat. Verùm Heraclienlium legatione placatus, è finibus eorum excessit: & percusso cum eis amicitiæ fœdere, per Phrygiæ agros in Bithyniam se convertit. Sed Bithyniorum insidiis exceptus, unà cum exercitu internecione cæsus est; cùm strenui viri facinora, suo loco, in hostes edidisset. [*Memnon. Excerpt. cap.* 16.] Zipœtes verò Bythiniæ rex, Antiochi copiis ita deletis, urbem ad Lyperum montem condidit, nomine suo insignem. [*Id. ibid. cap.* 21.]

Anno 50. primæ periodi Calippicæ desinente, a morte Alexandri 44, æstivum Solstitium observavit Aristarchus Samius; post idem à Metone observatum annis 152, (sive 8. enneadecaëteridibus:) ut ex Hipparchi libro de anni magnitudine refert Ptolemæus. [*lib. 3. Synax. cap. 2.*]

Arsinoë Lysimachi vidua, fratri suo Ptolemæo Ceraunо nupta, in urbem suam Cassandream cum recepit. Qui, occupatâ arce, filios illius ex Lysimacho rege (Lysimachum 16. annos natum, Philippum triennio minorem) in matris gremio trucidari curavit. Ipsa quoque, scissâ veste & crinibus sparsis, cum duobus servulis ex urbe protracta, Samothraciam in exilium abiit. [*Justin. lib. 24. cap. 2. & 3. Memnon. Excerpt. cap. 15.*]

3725 Anno post Pyrrhi in Italiam transitum ineunte altero, Græciam Galli invaserunt. [*Polyb. lib. 1. pag. 6.*] Divitis enim tribus copiis, ac suâ cuique parti provinciâ attributâ; alii Thracas & Triballos duce Cerethrio, Pannonios alii Brenno & Acichorio, Macedonas & Illyrios alii Belgio (ita enim apud *Justinum* lib. 24. cap. 5. & lib. 25. cap. 2. legitur, non ut apud Pausaniam, *Bolgio*) ducente, adierunt. [*Pausan. in Phocicis, pag. 335.*] 4435 279

Belgio & suis, Ptolemæus Ceraunus Macedoniæ rex cum paucis & incompositis, quasi bella non difficiliùs quàm scelerâ patrarentur, parricidiorum furiis agitatus, occurrit. Regis Dardanorum legationem, 20 millia armatorum in auxilium offerentem, sprevit. Et cùm Galli legatos ad eum mitterent, offerentes pacem, si emere vellet: pacem daturum se negavit, nisi principes suos obsides dederint & arma tradiderint. Prælio verò conserto, victi Macedones sunt. Ptolemæum multis vulneribus saucium sauciatus quo vehebatur elephas excussit: quem vivum captum Galli discerpserunt; caput ejus amputatum, & lanceâ fixum, totâ acie ad terrorem hostium circumferentes. Paucos ex Macedonibus fuga servavit: ceteri aut capti, aut occisi sunt. [*Justin. lib. 24. cap. 4. 5. & lib. 25. cap. 2. cum Memnonis Excerpt. cap. 15. & Diodori Sic. lib. 22. §. 3. & Pausaniâ in Phocic. pag. 335.*]

Ptolemæum in regno Macedoniæ frater ejus Meleager excepit: quem post menses duos, ut indignum, ejecerunt Macedones; in ejus locum substituto Antipatro Philippi (cujus in lib. 12. cap. 14. apud *Justinum* mentio) fratris Cassandri filio. Quem illi Etesiam, quòd 45 tantùm diebus, quot circiter Etesiæ ventî apud eos spirare solebant, appellârunt. [*Porphyr. in Græc. Euseb. pag. 228.*]

Brennus (quem natione *Præsum* fuisse quidam dicunt, ut apud *Strabonem*, lib. 4. pag. 187. legitur) auditâ Belgii ducis victoriâ, indignatus opimam prædam & Orientis spoliis onustam tam facilè à se relictam esse; adunatis 150 millibus peditum, & 15 millibus equitum, in Macedoniam properat. [*Justin. lib. 24. cap. 6.*] Sed apud Dardanos Illyriæ seditione inter milites ortâ, ad 20 millia hominum (quem numerum Suidas etiam habet, in voce Γαλάται) cum Leonorio ac Lutario regulis, secessione factâ à Brenno, in Thraciam iter averterunt. Ubi cum resistentibus pugnando, pacem petentibus stipendium imponendo, Byzantium cùm perveniissent; aliquamdiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus urbes obtinuerunt. [*Liv. lib. 38.*]

3726 *a.* Sosthenes unus de Macedonum principibus, contractâ juventute, & Gallos victoriâ exultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili populatione defendit. Ob quæ virtutis beneficia, multis nobilibus regnum Macedoniæ affectantibus, ignobilis ipse (utpote τὸν τῆ ἀφανείαν, ut à Porphyrio notatum, non ex regiâ stirpe ortus) præponitur: & cùm rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in Regis sed Ducis nomen jurare milites compulit. [*Justin. lib. 24. cap. 5.*] Per duos verò annos Macedonibus ille præfuit. [*Porphyr. & Euseb.*]

Cùm Brennus Macedoniam ingressus agros villâsque popularetur, occurrit ei cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes: sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facilè victi sunt. Itaque cùm victi se Macedones intra muros urbium condidissent; victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniæ agros depopulatus est. [*Justin. lib. 24. cap. 6.*]

Leonorius & Lutarius, Lysimachiâ fraude captâ, Chersonesóque omni armis possessâ, ad Hellespontum descenderunt. Ibi verò exiguo divisi freto cernentibus Asiam, animi ad transeundum accensi sunt: nunciósque ad Antipatrum præfectum ejus oræ de transitu miserunt. [*Liv. lib. 38.*]

Zipœtes, quum in Bithynia 48 annos regnasset & 76 vixisset, mortem obiit, 4 filiis relictis: quorum Nicomedes natu maximus patri in regno succedens, fratribus non frater, sed victor factus est. [*Memnon. Excerpt. cap. 21.*] Junior verò Zipœtes, prioris fortasse filius, (in *Livii* libro 38° Zybœtes dictus) maritimam Bithyniæ partem, Thraciam Thyniacam sive Asiaticam dictam, obtinuit. [*Ibid. cap. 18.*]

Antiocho Sotere in Bithynios expeditionem instituente, Rex eorum Nicomedes per legatos auxilium ab Heraclientibus petiit & impetravit: gratiam se relaturum, ubi in simili necessitate tempus flagitaret, pollicitus. Eâ occasione Heraclienses Cierum, & Tium, & Thynidem terram, multis expensis ad se reduxerunt. Cùm verò Amastrin (quæ & ipsa cum aliis adempta eis fuerat) tam bello quàm pretio recuperare conarentur: qui illam tenebat Eumenes, Ariobarzani Mithradatis (in Ponto tùm regnantis) filio gratis eam tradere, quàm Heraclientibus pecuniâ revendere malut; vetustâ iræ subactus. [*Ibid. cap. 17.*]

b. Brennus & Acichorius cum Illyriis (ut in Illyricis suis habet *Appianus*) quos Autarios & Celtis quos Cimbros vocant; è Macedoniâ in Græciam transierunt, exercitum 152000 peditum habentes, & 20400 equitum; quorum equitum singulis duo famuli adjuncti erant, in equis & ipsi, qui dominis auxilio succurrerent, & mortuis succederent. Sed dum templum Delphicum spoliare conantur, fulminibus, terræ motu, montis Olympici ruinâ, acerrimo frigore & nive plurimâ (quum hyemis tempus esset) vehementer afflicti sunt. Qui Phocensium armis perierunt, non multò pauciores quàm sex hominum millia fuerunt; nocturno gelu, & postea panico terrore confecti, amplius decem millia: nec minor numerus fame consumpti. Brennus, dolore vulnerum & acceptæ cladis pudore efferatus, cùm mero affatim se ingurgitasset, 4436 278

semet

ſemet ipſe confodit. Acrchorius, punitis belli auctoribus, cum decem millibus lanciorum citato agmine Græciâ exceſſit. Sed aſſidui imbres & gelu, nix concreta, & fames, & ſuper hæc maximum pervigiliæ malum, miſeras infelicis belli reliquias obterebant. Gentes quoque nationéſque, per quas iter habebant, palantes velut prædam ſectabantur. [*Pauſan. in Phocicis & Atticis. Juſtin. lib.* 24. *cap.* 6, 7, 8. *Eclog. Diodor. lib.* 22. §. 13. *Appian. Illyric. pag.* 758.] Contigiſſe cladem hanc biennio poſt Pyrrhi in Italiam tranſitum, ſignificat Polybius: [*lib.* 2. *pag.* 108.] anno ſecundo Olympiadis CXXV, archonte Athenis Anaxicrate, Pauſanias. [*in Phocic. pag.* 340.]

c. Illyriis illis Autariis qui cladem hanc evaſerant, quum ad propria rediiſſent, infinitam ranarum vim ſubortam fuiſſe ferunt, quæ putreſcentes flumina corrumperent. Vapore deinde ex terrâ exhalante, peſtem Illyrios invaſiſſe, donec profugi à patriâ, & peſtem deferentes, quum nemo ob timorem ſuſcipere auderet, 23 dierum progreſſi iter, ad tellurem paluſtrem inhoſpitámque venere, & juxta Baſternarum gentem urbes condidere. Celtarum quoque tellurem concuſſam fuiſſe aiunt, urbeſque abſorptas: nec priùs finem tantæ cladi impoſitum, quàm & ipſi pari modo è latibus egreſſi ſunt, & in Illyrios qui cum ipſis unà deliquiſſent, pervenere, quos peſte jam confectos, & ob id debiles, quum facilè vicerint; contrectatione earum rerum morbo correpti in fugam abiere, & ad Pyrenen uſque loca mutavere. [*Appian. ut ſupr.*] Et Cordiſtas ſanè, Gallorum illorum reliquias qui oraculum Delphicum armis tentârunt, in agris vicinis Iſtro collocaviſſe Bathanatium quendam eorum ducem, à quo via illa per quam redierunt Bathanarii nomen ſervaverit, Athenæus narrat. [*lib.* 6. *cap.* 4.] Quos Gallos *Strabo* Scordiſcos appellat, ad Iſtrum poſitos; & Autariatas (ſive Autarios illos) potentiâ ſuâ exuiſſe confirmat. [*lib.* 7. *pag.* 293. 296. 313. 317. 318.]

Inter Gallorum illorum regulos qui ad Helleſpontum deſcenderant novâ ſeditione ortâ, Leonorius Byzantium, unde venerat, cum majore hominum parte repetiit: Lutarius, Macedonibus per ſpeciem legationis ab Antipatro ad ſpeculandum miſſis, duas tectas naves & tres lembos ademit; quibus alios atque alios dies noctéſque tranſvehendo, intra paucos dies omnes copias in Aſiam trajecit. [*Liv. lib.* 38.]

Bello inter juniorem Zipœten Bithynum & Heraclienſes orto, victoriâ Zipœtes potitus eſt: ſed ſociorum auxiliis ſupervenientibus, fugâ ſe ſubduxit. Unde cæſorum ſuorum cadavera Heraclienſes aſſecuti, ea cremârunt; oſſáque in urbem relata, magnificè in præclarè de patriâ meritorum monimento condiderunt. [*Athenæn. Excerp. cap.* 18.]

d. Circa eadem tempora, Antiocho Sotere & Antigono Gonatâ in copias militares magnos utrinque apparatus facientibus; Antigono Nicomedes Bithyniæ rex operam navabat, Antiocho complures alii. Antiochus verò priuſquam in Antigonum duceret, adversùs Nicomedem bellum inſtituit. Hic igitur & aliunde auxilia collegit, & de belli ſocietate Heracleam miſſis legatis, 13 in ſubſidium triremes inde accepit: & tum demum claſſem ſuam Antiochi claſſi oppoſuit. Etſi autem adverſas aliquandiu tenebant acies; neutri tamen pugnæ initium fecerunt, ſed abſque effectu tandem abſceſſerunt. [*Ibid. cap.* 19.]

Byzantini Gallorum incurſationibus fatigati, cùm ab aliis ſociis auxilia, tum ab Heraclienſibus aureos mille (al. 4000) per legatos impetrârunt. Haud ita multò pòſt Nicomedes Bithyniæ rex conditionibus hiſce tranſitum Galliis in Aſiam conciliavit. *Ut Nicomedi ejuſque poſteris amicitia fœdere ſemper conjuncti manerent. Abſque Nicomedis ſententiâ & voluntate nemini, à quo per legatos ſolicitarentur, in bellis opem ferrent: ſed amicis hujus amici, & inimicis hoſtes forent. A Byzantinis etiam ſtarent, ſi qua neceſſitas incideret. Societatem præterea colerent cum Tianis & Heraclienſibus, & Chalcedoniis, & Cieranis, & nonnullis qui alias ſub juriſdictione gentes haberent.* [Ibid. cap. 20. 21.] Atque ita Leonorius, adjuvante Nicomede Bithyniæ rege, à Byzantio tranſmiſit, [*Liv. lib.* 38. *Strabo, lib.* 12. *pag.* 566.] Gallorum verò in Aſiam tranſitum, anno 3° Olympiadis CXXV, Democle Athenis archonte, factum fuiſſe confirmat Pauſanias. [*in Phocic. p.g.* 340.]

Neque per hoc tamen à Gallorum inſeſtatione liberati Byzantini ſunt. Nam ex iis qui cum Brenno periculo ad Delphos defuncti ſunt nonnulli ad Helleſpontum duce Comontorio venerunt: qui nequaquam in Aſiam trajecerunt, ſed bonitate agrorum circa Byzantium capti, ſedes ibidem poſuerunt. Deinde Thracibus devictis, ac regni ſui ſede Tylæ inſtitutâ, ultimum Byzantinis periculum creaverunt. [*Polyb. lib.* 4. *pag.* 313.]

3727 Ptolemæus Philadelphus, honeſtarum artium amore ſtudióque flagrans, egregiam Alexandriæ Bibliothecam inſtituit, in eâ urbis regione quam Bruchium vocant. Cúmque librorum ex omnibus terrarum partibus conquirendorum curam Demetrio Phalereo commiſiſſet; illius hortatu libros ſacros ex Hebraicâ linguâ in Græcam à LXXII. interpretibus vertendos curavit, regni ſui anno *ſeptimo*: ut in libro de menſuris & ponderibus habet *Epiphanius*. De quo in Apologetici ſui cap. 18. Tertullianus. *Ptolemæorum eruditiſſimus (quem Philadelphum ſupernominant) & omnis literatura fagaciſſimus, quum ſtudio Bibliothecarum Piſiſtratum (ut opinor) æmularetur; inter cætera memoriarum, quibus aut vetuſtas aut curioſitas aliqua ad famam patrocinabatur, ex ſuggeſtu Demetrii Phalerei grammaticorum tunc probatiſſimi, cui præfecturam mandaverat, libros à Judæis quoque poſtulavit.* 4437 277

Et quidem Ptolemæum hunc, ſi quem alium, humanioribus diſciplinis deditum fuiſſe, in libro 11°. hiſtoriarum confirmat Phylarchus. [*apud Athenæum, lib.* 12. *cap.* 17.] Quod pluribus, in libri de Architecturâ ſeptimi Præfatione demonſtrat Vitruvius: ubi, quum Bibliothecam Alexandrinam ſummâ diligentiâ perfeciſſet, Muſis & Apollini ludis dedicatis, quemadmodum Athletarum ſic communium ſcriptorum victoribus præmia & honores eum conſtituiſſe docet; & quomodo Zoilum Homeromaſtigem à Macedoniâ ad ſe venientem ille exceperit, enarrat.

In conquirendis autem libris exemplo illi præivit Ariſtoteles. Ille moriens bibliothecam ſuam Theophraſto tradidit, qui libros ſuos deinde omnes Teſtamento (quod apud Laër-

tium exrat) Nelco Sceptio reliquit. [*Strabo, lib.* 13. *pag.* 608. *Plutarch. in Sylla.*] Ab eo libros illos omnes mercatum Ptolemæum Philadelphum, cum iis quos Athenis & Rhodi emerat Alexandriam transferri curaviſſe, ſcribit Athenæus. [*lib.* 1. *cap.* 1.] licèt Strabo & Plutarchus, [*in locis notatis*] eum quibus & alibi ipſe *Athenæus* facit, [*lib.* 5. *cap.* 11.] Theophraſti libros, & cum eis Ariſtotelis bibliothecam, ad Nelei hæredes tranſiiſſe & ab eorum poſteris Apellicoui Teio Syllanis demum temporibus magno pretio venditos fuiſſe referant.

Bibliothecæ huic, poſt Demetrium Phalereum (non modò Grammaticorum, quo tantùm nomine à Tertulliano commendatum eum audivimus, probatiſſimum, ſed etiam Philoſophum nobilem & Reipublicæ Athenienſis aliquando principem) Zenodotum Epheſium (primum Homericorum verſuum correctorem) ex *Suidâ*; deinde Ariſtophanem (qui ſummo ſtudio ſummáque diligentiâ quotidie omnes Bibliothecæ libros ex ordine perlegit) a Ptolemæo fuiſſe præfectum, ex jam citatâ *Vitruvii* Præfatione didicimus. Sed hæc poſteà ſunt facta. Quæ ad tempus ſpectant præſens, ex Ariſteæ de LXX. interpretibus libello, & eum ſecuto Joſepho, [*lib.* 12. *Antiquit. cap.* 2.] atque Euſebio, [*lib.* 8. *Præparat. Evang.*] excerpta jam ſubjicimus.

Interrogatus a Rege Demetrius Phalereus, quot librorum myriadas jam comparaſſet, circiter 20 adfuiſſe reſpondit; ſed ſperare ſe brevi ad 50 numerum eſſe perventurum. Qui 200000 librorum numerus, cùm non in noſtro ſolùm Ariſteâ, ſed etiam in eo quo Joſephus & Euſebius ſunt uſi, ſimiliter extet: minor ille 54800 à poſteriore ſcriptore Epiphanio hîc poſitus numerus haudquaquam eſt recipiendus. * Iſidorus Hiſpalenſis, libro 6°. Originum, Ptolemæi Philadelphi temporibus, *Septuaginta millia librorum Alexandriæ inventa* fuiſſe refert. apud quem pro *Septuaginta*, Lipſius *Septingenta* reponenda eſſe affirmat: quot duo illi numeri 20 & 50 myriadum, ab Ariſteâ commemorati, ſimul juncti efficiunt 7 quotque *A. Gellius* & *Ammianus Marcellinus* in eâ Bibliothecâ (ſed quum à poſterioribus Ptolemæis plurimùm aucta, anno abhinc ferè 430, abſumpta fuit incendio) numerata fuiſſe ſcripſerunt.

Demetrius Regi, ut à Judæis divinas eorum leges peteret; Ariſteas regius ſatelles, ad id commodiùs obtinendum, ut Judæorum captivos in Ægypto detentos libertate donaret, perſuaſit. Numerus captivorum ſupra 10 myriadas fuiſſe memoratur. Pro uniuſcujuſque capitis redemptione, 20 drachmæ expenſæ fuiſſe dicuntur in Ariſteâ noſtro: vel 120, ut apud *Joſephum* legitur. Et drachmæ quidem 120, ſiclos ſive ſtateras, aut argenteos tetradrachmos, 30 efficiunt: quod ſervi pretium conſtituitur, [*Exodi* XXI. 32.] pro quo & Servator noſter, quum pro nobis ſervi formam aſſumpſit, à proditore venditus eſt. Drachmæ verò 20, quæ apud Ariſteam leguntur, per 10 myriadas ſive centena millia multiplicatæ drachmas exhibent 2000000, quæ per 6000 divilæ, quot numero drachmas talentum Atticum continet, talenta nobis Attica 333⅓ exhibent. Pretium autem à Ptolemæo pro captivorum Judæorum redemptione perſolutum, 400 talenta exceſſiſſe tum in Joſephi tum in noſtro Ariſteâ legitur: quia ſupra 10 myriades liberatæ fuiſſe memorantur: eodem etiam lytro, Regis juſſu, pro lactentibus pueris qui unà cum matribus redempti ſunt, inſuper erogato. Unde expenſas ultra 460 talenta protractas fuiſſe refert *Joſephus*: pro quibus 660 in vulgatis leguntur Ariſteæ exemplaribus.

Ex Judæis hiſce ætate & viribus valentiores in exercitum recepit Ptolemæus, aliiſque qui idonei ſunt viſi negotiis aulæ commiſit: ut in epiſtolâ ad Eleazarum Pontificem ipſe confirmat. Pro quâ unâ Regis epiſtolâ, duæ aliæ ab Epiphanio ſunt ſuppoſitæ, & ſtylo & ſententiâ ab eâ quæ apud Ariſteam, Joſephum & Euſebium habetur, diverſiſſimæ: quarum poſterior ab hâc inchoatur parœmiâ. *Θησαυρὸς κεκρυμμένος, καὶ πηγὴ ἐσφραγισμένη, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; Theſaurus abſconditus, & fontis obſignati, quæ utilitas in utriſque?* Ubi in epiſtolâ Græco regi affictâ, quis non ſtatim advertat manifeſtum Hebraiſmum? cúmque ex illis, [*Eccleſiaſtici* XX. 30. & XLI. 18.] expreſſum. *Σοφία κεκρυμμένη, καὶ θησαυρὸς ἄδηλος, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?*

Unà cum epiſtolâ, dona etiam magnifica ad Templi Hieroſolymitani uſum, per Andream & Ariſteam ſatellites ſuos, ſummo Pontifici Eleazaro Ptolemæus miſit. Menſam auream, longitudinis duorum cubitorum (& ſemiſis, ut in Joſepho additum reperitur) altitudinis ſeſquicubitalis, & craſſitudinis non minoris ſemicubito: undique ex auro probato ſolidam, & non aureis laminis extrinſecus obductam. Crateres argenteos duos, capientes plus quàm duas metretas; cum ſimilibus argenteis tribus. Phialas aureas 20, & argenteas 30. Ad quorum omnium confectionem exhibuerat ille auri 50 pondo talentorum, argenti 70, & lapides pretioſos non pauciores quinque millibus: adeò ut quintuplo pretium auri ſuperarent lapides collati, & artificum induſtria navata. Miſit inſuper & Rex, ad ſacrificia aliáſque Templi uſus, argenti talenta centum.

Eleazarus Pontifex, hiſce acceptis, ex ſingulis tribubus (ſuperfuiſſe enim poſt reditum ex captivitate Babylonicâ etiam decem Iſraëliticarum tribuum reliquias, ad annum Mundi 3468. *c.* ſuprà oſtendimus) ſex viros ſeniores & genere, & doctrinâ, & rerum uſu præſtantes, elegit; qui Legem divinam, uti Rex poſtulaverat, ex Hebraicâ linguâ in Græcam traducerent. Horum 72 Seniorum apud Ariſteam conſignata habentur nomina: quorum poſtremum *Ezekielum* illum ipſum fuiſſe exiſtimaverim, cujus Ἐξαγωγὴ, ſive de Hebræorum eductione ex Ægypto ſacram tragœdiam, Præparationis ſuæ Evangelicæ libro nono inſeruit *Euſebius*. Judaicæ enim, non (ut Clemens Alexandrinus & Euſebius ſenſiſſe videntur) Græcæ eum fuiſſe originis, vel ipſum *Ezekieli* nomen arguit.

Epiſtolam quoque ad Regem ſcripſit Eleazarus: cujus hoc apud Ariſteam habetur initium. *Αὐτὸς τε ὑγιαίνοις* (vel, ut rectiùs apud Euſebium legitur, Εἰ *αὐτὸς τε ὑγιαίνοις*) *καὶ ἡ βασίλισσα Ἀρσινόη ἡ ἀδελφὴ, καὶ τὰ τέκνα, καλῶς ἂν ἔχοι καὶ ὡς βουλόμεθα. Si & tu, & Arſinoë ſoror tua, & liberi valeant; bene ſe res habet, & ut cupimus.* Ptolemæus enim Philadelphus poſt Arſinoën Lyſimachi regis Thraciæ & Macedoniæ filiam, ex qua Ptolemæum Euergetem & Berenicem (de

quibus

quibus ſuo loco) ſuſceperat, alteram etiam Arſinoëm ſororem ſuam duxit; quæ jam dicto Lyſimacho primo ſuo marito mortuo, fratri quoque ſuo Ptolemæo Cerauno priùs nupſerat. Diem verò illa obiit, antequàm Philadelpho parerat: qui eam ita dilexit, ut Arſinoitidi in Ægypto præfecturæ cognomentum ab eâ dederit. [*Pauſan. Attic. pag.* 7.] factam ei ex topazio ſtatuam quatuor cubitorum in delubro quod aureum cognominabatur ſacraverit, [*Plin. lib.* 37. *cap.* 8.] eique templum ex magnete Dinocrates architectus concamerare inchoaverit, ut in eo ſimulachrum ejus è ferro pendere videretur: [*Idem. lib.* 34. *cap.* 14.]

Juſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris,
Arſinoen Pharii ſuſpendit in aere templi;

ut in Idyllio 9. cecinit Auſonius.

LXXII. Seniores Alexandriam ingreſſi, munera ab Eleazaro miſſa Ptolemæo obtulerunt, cum membranis variis, in quibus Lex aureis litteris lingua Judæorum perſcripta erat: quæ mirâ arte elaboratæ erant, & ita compoſitæ ut earum commiſſuræ oculis diſcerni non poſſent. Contigitque ut eo venirent illi tempore, quo Rex navali adversùs Antigonum prælio victoriâ fuit potitus. Cujus naumachiæ, ob hiſtoriarum hujus temporis defectum, nulla alibi facta reperitur mentio. Neque enim eorum placere nobis poteſt ſententia, qui ad illud tempus eam referendam exiſtimant, quo Antigonus Gonatas bellum Athenienſibus inferens, urbem eorum terreſtribus maritimiſque copiis oppugnavit: quod poſt Pyrrhi mortem ex *Juſtini* libro 26, & ex Pauſaniæ Laconicis ante Aretæ five Arei I. Lacedæmoniorum regis exitum (inter Periodi videlicet Julianæ annum 4442 & 4450) geſtum fuiſſe intelligimus. Etli enim Areus cum terreſtribus Lacedæmoniorum, & Patroclus cum navalibus Ptolemæi copiis ſubſidio Athenienſibus tùm venerit: domum tamen ſine pugnâ recedente Areo, fruſtrà eis opitulatum fuiſſe Patroclum, Pauſanias indicat. [*in Attic. pag.* 7. *& Laconic. pag.* 87.]

Magnifico deinde illos convivio per 7 aut (ut Joſephus habet) 12 dies Ptolemæus excepit: eorum curam gerente Dorotheo, & cibaria pro victûs eorum peculiari ratione miniſtrante. Et Rex per intervalla quædam quæſtiones politicas & ethicas eorum ſingulis propoſuit: quibus illi ex tempore prudenter admodum reſponderunt: ut apud Ariſteam (qui iſta ex Regiis Diariis deſcripſiſſe ſe dicit) videre licet. Hinc mandavit, ſingulis talenta tria donari, & puerum qui ea obtulit.

Poſt tres dies quàm iſta ſunt acta, Demetrius per aggerem maris ſeptem ſtadiorum cum Interpretibus progreſſus, trajecto ponte in Pharon inſulam eos adduxit, & in domo juxta ſeptentrionale littus ſplendidè extructâ, atque ab omni tumultu & ſtrepitu remotâ, eos collocavit. Ibi interpretationem illi aggreſſi, ſingula ex collationibus ad conſonantiam elaborabant: quæ ita elaborata Demetrius exſcribenda curabat. Et quotidie quidem ad horam uſque nonam eo in ſtudio verſabantur, deinde diſcedebant ad curandum corpus: quibus omnia largè ſuppeditabantur quæ cupiebant; & præter hæc quotidie de illis quæ Regi apparabantur, his Dorotheus ex mandato regio ſubminiſtrabat. Atque etiam quotidie bene mane veniebant in aulam, & ſalutato Rege redibant ad ſuum locum: lotiſque ex mari manibus, & precibus ad Deum peractis, pergebant legere & ſingula interpretari. Epiphanius verò, ab Ariſteâ & Joſepho hinc diſcedens, in 36 cellulis, binos ſcilicet in ſingulis, à primo diluculo uſque ad veſperam Interpretes conclusos fuiſſe ſcribit: deinde ſuo veſperam 36 *ſcaphis* ad Ptolemæi palatium advectos, ad ejus epulas fuiſſe adhibitos: in priore narrationis parte neſcio quorum aliorum, in poſteriore (ut videtur) eorum ſecutus fabulas, qui Heptaſtadii aggerem non ante Cleopatræ tempora perfectum fuiſſe ſomniaverunt.

Ac ita quidem cecidit, ut illa eorum interpretatio diebus 72 abſolveretur, perinde ac ſi datâ operâ hoc ab illis factum fuiſſet. Quâ abſolutâ, Demetrius illam Judæis omnibus in locum illum ubi ea perfecta erat congregatis prælegit, præſentibus etiam ipſis Interpretibus: qui ut authores magnorum bonorum, magnâ laude & approbatione ſunt accepti ab ipſa Judæorum multitudine. Similiter & Demetrium proſecuti ſunt ſuâ laude; rogarúntque ut principibus ipſorum totam Legem deſcriptam dare vellet. Quam autem perfecta eſſent iſta; adſtantes & Sacerdotes, & ſeniores Interpretum, & magiſtratus & principes multitudinis, dixerunt. *Quoniam rectè, ſanctè, & per omnia accuratè perfecta eſt iſta interpretatio: par eſt, ut omnia ſicut ſunt permaneant, nec ulla fiat immutatio.* Omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus: juſſit Demetrius ut dira imprecarentur, (ſicut in more illis erat) ſi quis, immutaturus eſſet quid vel addendo vel tranſferendo vel auferendo.

Cùm Regi quoque omnia eſſent perfecta, valde admiratus eſt legislatoris mentem: magnámque curam librorum haberi, eóſque religiosè aſſervari juſſit. Ipſos etiam Interpretes rogavit, ut poſt reditum ſuum in Judæam crebriùs ad ſe venire vellent: deditque cuique tres ſtolas pulcherrimas, duo auri talenta, calicem talenti unius, & cœnaculi ornatum univerſum.

Eleazaro præterea Pontifici miſit per eoſdem, decem lectos argenteis pedibus ſuffultos cum eis competenti apparatu, calicem 30 talentorum, ſtolas decem, purpuram, coronam decore inſignem, & byſſina lintcola circiter centum: ad hæc phialas, & trullas, & duos aureos crateras ad libationes ſacras. Rogavitque eum per literas, ne prohibere vellet, ſi quando qui iſtorum virorum iter ad ſe ſuſceptori eſſent: quandoquidem plurimi faceret cum doctis conſuetudinem, opéſque ſuas in emendandis hominibus largè conferre mallet, quam in res alias non tanti momenti.

Galli à Brenno duce, cùm in Græciam proficiſcerentur, ad Macedoniæ terminos tuendos relicti, ne ſoli deſides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria millia armaverunt: & Getarum Triballorúmque copias fugaverunt. [*Juſtin. lib.* 25. *cap.* 1.]

3718 Antigonus Gonatas, navali prælio (ut dictum eſt) à Ptolemæo Philadelpho ſuperatus, pace cum Antiocho Sotere ſtatutâ, (ut in lib. 25. cap. 1. Juſtinus indicat) in Macedoniam, ubi pater ejus Demetrius Poliorcetes aliquando regnaverat, profectus eſt. Quam decimo poſtquam in

Græciâ

Græciâ regnare cœperat anno obtinens Antigonus, per annos 34 in eâ regnavit. [*Porphyr. in Grac. Euseb. pag.* 229.] Cujus etiam posteri per successiones ibidem regnaverunt, usque ad Persea: quo à Romanis subjugato, regnum expiravit Macedonicum. [*Plutarch. in fine Demetrii.*]

Galli, Getis & Triballis fugatis, legatos ad Antigonum regem Macedoniæ miserunt; qui pacem ei venalem offerrent, simul & regis castra specularentur. Quos Antigonus regali munificentiâ, ingenti apparatu epulorum ad cœnam invitavit. Sed Galli expositum grande auri argentique pondus admirantes, prædæ ubertate solicitati, infestiores quàm venerant reverturntur. Itaque consentientibus omnibus castra Regis aggrediuntur: qui præsentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat, ut omnibus rebus ablatis in proximâ sylvâ taciti se occultarent. Galli, ablatis quæ in vacantibus castris invenerant, ad litus convertuntur. Ibi dum naves incautiùs diripiunt, à remigibus, & ab exercitûs parte quæ eò cum conjugibus & liberis confugerant, nihil tale metuentes trucidantur: tantâque cædes Gallorum fuit, ut Antigono pacem opinio hujus victoriæ, non à Gallis tantùm, verumetiam à finitimorum feritate præstiterit. [*Justin. lib.* 25. *cap.* 1. *&* 2.] 4438 276

Ad eos verò Gallos quod attinet, qui sub 17 ducibus (quorum summi fuerunt Leonorius & Lutarius) diversis trajectibus in Asiam transierunt: in unum illi rursùs coëuntes; auxilia Nicomedi dederunt, adversùs Zybœam (sive Zipœtum juniorem) maritimam partem Bithyniæ tenentem, gerenti bellum. Horum & ex Heracleâ Ponti accersitorum barbarorum operâ devictus Zybœas est, Bithyniâque omnis in ditionem Nicomedis concessit. Galli verò longè latéque terram depopulati, quod erat prædæ inter se dispertiti sunt: regnúmque cum Nicomede dividentes regionem à se possessam Gallogræciam cognominaverunt. [*Liv. lib.* 38. *Justin. lib.* 25. *cap.* 2. *Memnon. Excerpt. cap.* 20.]

Non plus ex viginti millibus hominum quàm decem ex his armata erant: tamen tantum terroris omnibus quæ eis Taurum incolunt gentibus injecerunt; ut quas adissent quásque non adissent, pariter ultimæ propinquis, imperio eorum parerent. Cúmque tres essent gentes, Tolistobogii (al. Tolistoboii, à Gallis Boiis ut putant oriundi) Trocmi & Tectosagi: in tres partes Asiam, quâ cuique populorum suorum vectigalis ea esset, diviserunt. Trocmis Hellesponti ora data: Tolistobogii Æolida atque Ioniam, Tectosagi mediterranea Asiæ sortiti sunt. Atque ita stipendium totâ cis Taurum Asiâ exigebant; sedem autem ipsi circa Halyn flumen ceperunt. [*Liv. lib.* 38. *Suid. in* Γαλάται.]

De horum ex Europâ in Asiam transitu 13 libros scripsit Demetrius Byzantinus. [*Laërt. in Demetr. Phaler.*] De quo & Phœnnis, ætate unâ antequàm res gereretur, Oraculum edidisse dicitur.

Δὴ τότ' ἀμυδρὰ μάχης φανὶς πόρῃ Ἕλλησι νέου
Ἀϑλήσει Γαλάται λιποὺς φατὶς, οἵ ῥ' ἀδμήτας
Ἀσίδα περδήσουσι διὲκ δ' ἔτι κύπτρα δάσει
Πάγχυ μαλ', ὁ ναίων πὰρ λίμνῃσι Δαλάντης·
Hostilis Gallorum acies tunc militis multo
Littora complebit: transmissis fluctibus Helles
Vastabit populans Asiam. Sed dis graviora
Intentans illis, Pelagi prope cærula sedes
Qui posuere suas. [Pausan. Phocic. pag. 330.]

Olympiade CXXVI. Eratosthenes Cyrenæus, Aglai (vel, ut alii tradunt, Ambrosii) filius, natus est: Aristonis Chii Philosophi, Lysaniæ Cyrenæi Grammatici, & Callimachi Cyrenæi Poëtæ discipulus. [*Suid. in* Ἐρατοσθ.]

3730 Curius Dentatus Consul contra Pyrrhum pugnavit; & cæsis hostium 23 millibus, captísque castris, ipsum Tarentum fugavit. [*Eutrop. lib.* 2.]

Cùm legari quos Pyrrhus ad Asiæ reges & Antigonum Gonatam, ut pecuniam & auxilia exposcerent, reversi literas ei reddidissent: Pyrrhus Epirotarum & Tarentinorum principibus convocatis eas non recitavit, sed propediem affutura auxilia affirmavit. Cùm percrebuisset igitur fama in Romanorum etiam exercitu, & è Macedoniâ & ex Asiâ magna Pyrrho auxilia adventare; nihil illi novi moliri ausi sunt. [*Pausan. Attic. pag.* 11.] Pyrrhus verò dissimulatis causis, repentinam fingit profectionem. Socios interim parare bellum jubet: arcis Tarentinæ custodiam Heleno filio & amico Miloni tradit. [*Justin. lib.* 25. *cap.* 3.] Et quum in bello Italico & Siculo sex annos contrivisset, viréque suas imminuisset; abs spe excidens, cum octo millibus peditum & 500 equitibus, in Epirum reversus est. [*Plutarch. in Pyrrho.*]

Curius in Consulatu de rege Pyrrho triumphavit: primúsque Romam elephantos quatuor duxit. [*Eutrop. lib.* 2.] Et in illo triumpho nihil libentiùs populus Romanus aspexit, quàm illas quas timuerat cum turribus suis belluas: quæ non sine sensu captivitatis, summissis cervicibus, victores equos sequebantur. [*Florus, rerum Romanar. lib.* 1. *cap.* 18.] Mense verò Januario vel Februario triumphum hunc actum fuisse, ex Triumphalium fastorum fragmentis marmoreis colligitur. 4440 274

Quum Pyrrho adjunxissent se aliquot Galli, in Macedoniam, ubi regnabat Antigonus Gonatas, ad prædandum & populandum incursionem fecit. Ubi quum multas urbes cepisset, & transissent ad eum duo millia militum; spe affulgente majore, in Antigonum movit, ejúsque copias cùm proprias tum Gallorum mercenarias profligavit. Gallorum enim, qui magno numero agmen Antigoni claudentes pugnabant strenuè, plurimi cæsi sunt. Elephantorum duces circumventi, se & belluas omnes dediderunt. Macedonum peditatus, tumultu & metu ex clade acceptâ consternatus, invitante Pyrrho & ordinum ductores omnes nominatim inclamante, ab Antigono discessérunt. Antigonum fugâ se subducentem, ad maritimas usque urbes persecutus est. [*Plutarch. in Pyrrho. Pausan. in Attic. pag.* 11. 12.]

Post victoriam Pyrrhus pulcherrima & splendidissima spolia Gallis detracta in Itoniæ Palladis templo (quod inter Pheras & Larisam est) sacravit; cum epigrammate quod in Plutarcho &

Paula-

Pauſaniâ habetur. Macedonum verò ſcuta in Dodonæi Jovis templo ſuſpendit, cum epigrammate alio, quod apud Pauſaniam extat. Superioremque Macedoniam & Theſſaliam in ditionem ſuam redegit. [*Iid. ibid.*] Et quaſi damna amiſſæ Siciliæ Italiæque acquiſito Macedoniæ regno jam penſaſſet, relictum Tarenti filium Helenum arceſſivit. [*Juſtin. lib. 25. cap. 3.*]

Cùm Pyrrhus Ægeas diripuiſſet (quæ Macedoniæ regia erat, in quâ & Regum mauſolæa erant) Gallorum qui eum ſecuti fuerant præſidium ibi reliquit. Qui cùm à quibuſdam accepiſſent, in Regum illic humatorum monimentis maximas opes ex more priſco repoſitas eſſe, effoſſis omnibus tumulis, opes quidem inter ſe partiti ſunt; oſſa autem ac cineres defunctorum cum ludibrio diſſipaverunt. At Pyrrhus, cùm ob id facinus malè apud Macedonas audiret, barbaris impunè id eſſe tulit; quòd eorum auxilio in bellicis opus haberet. [*Plutarch. ibid. Diodor. lib. 22. in Excerptis à Valeſio edit. pag. 266.*]

Antigonus cum paucis equitibus, fugæ comitibus, amiſſi regni ſpeculaturus eventus, Theſſalonicam ſe recepit; ut inde cum conductâ Gallorum mercenariorum manu bellum repararet. Sed rursùs à Ptolemæo Pyrrhi filio funditùs victus, cum ſeptem comitibus fugiens; non jam recuperandi regni ſpem, ſed ſalutis latebras ac fugæ ſolitudines captavit. [*Juſtin. lib. 25. cap. 3.*] Quem per ludibrium Pyrrhus impudentem vocavit; quòd non ſumeret pallium, ſed purpuram adhuc geſtaret. [*Plutarch. ut ſupr.*]

3731 Caio Fabio Luſcino & Caio Claudio Caninâ Conſulibus, quum de Romanorum incrementis & re adverſùs eos à Pyrrho malè geſta Ptolemæus Philadelphus inaudiſſet; legatis cum donis Alexandriâ Romam miſſis, ſocietatis fœdus cum eis pepigit. [*Eutrop. lib. 2. Liv. lib. 14. Dio, in Excerptis legationum à Fulvio Urſino Romæ editis, & Jo. Zonara Chronic. tom. 2.*] Romani, lætati quòd ſummæ rex auctoritatis tanti eos faceret, Q. Fabium Gurgitem, Cn. Fabium Pictorem & Q. Ogulinum, legatos ad eum miſerunt. Hi munera, quæ à Rege magnifica privatim acceperant, in ærarium & quidem priùs quàm ad Senatum legationem referrent, detulerunt: de publico ſcilicèt miniſterio nihil cuiquam, præter laudem bene adminiſtrati officii, accedere debere judicantes. Sed reſtituta illis ſunt quæ in ærarium depoſuerant, non ſolùm Patrum conſcriptorum decreto ſed etiam Populi permiſſu: eáque legatis quæſtores promptè unicuique diſtribuerunt. Ita inſildem Ptolemæi liberalitas, legatorum abſtinentia, Senatus ac Populi Romani æquitas, debitam probabilis facti portionem obtinuit. [*Dio, ut ſupr. Valer. Max. lib. 4. cap. 3.*] 4441 273

3732 Anno 13° ſecundùm Dionyſium Ægonis ſive Capricornionis die 25°, anno à morte Alexandri 52 ſive ab initio Nabonaſari 476 Athyr die 20, (Januarii Juliani die 17) ſtella Martis matutina obſervata eſt ſub boreali Scorpii fronte. [*Ptolem. lib. 10. cap. 9.*] 4442 272

Pyrrhus Macedoniæ regno potitus, Græciæ Aſiæque regna meditabatur. [*Juſtin. lib. 25. cap. 4.*] Sed priùs quàm totam Macedoniam ſubegiſſet, a Cleonymo Spartano ad bellum Laconicum accitus eſt. [*Pauſan. Attic. pag. 12.*] abſente Lacedæmoniorum rege Areo, qui Gortyniis in Cretâ bello preſſis ſuppetias tum ferebat. Ducebat autem ſecum Pyrrhus peditum 25 millia, equitum millia duo, elephantos 24. Qui apparatus non Cleonymo Spartam, ſed Peloponnetum ſibi quærere Pyrrhum docuit. [*Plutarch. in Pyrrho.*]

3733 Anno Philadelphi 13° (*cum dimidio*, in quibuſdam codicibus perperàm hîc additur) Nabonaſari 476. Meſori die 17, (Octobris Juliani die 11°) hora (ab occaſu Solis) 12ª, Timocharis obſervavit ſtellam Veneris matutinam exactè obſcuraſſe ſtellam Prævindemiatrici oppoſitam. [*Ptolem. lib. 10. cap. 4.*]

Pyrrho Spartam oppugnante, mulierum multitudo Archidamiâ duce uſque ad Arei regis reditum urbem defendit; & Ptolemæum Pyrrhi filium cum duobus millibus Gallorum & delectis Chaonibus in urbem irruere tentantem Acrotatus Arei filius ſtrenuè repulit. Pyrrhus ſpe ſuâ fruſtratus deſtitit cœpto, agróſque depopulatus eſt; in animo habens ibidem hybernare. [*Plutarch. in Pyrrho.*]

Dum bellum Laconicum trahitur, Antigonus Macedonum urbibus recuperatis, in Peloponneſum copias duxit, Pyrrho occurſurus; quem ſciebat inde in Macedoniam ad perſequendum ibi bellum eſſe reverſurum. [*Pauſan. Attic. pag. 12.*] Pyrrho Argos movente, Areus viis inteſſis Gallos & Moloſſos qui agmen claudebant carpit: & Orœſus quidam Creteníis Ptolemæum Pyrrhi filium ſtrenuè dimicantem interemit. [*Plutarch.*] Cujus corpus ut relatum patri eſt, dixiſſe Pyrrhum ferunt; aliquanto tardiùs eum, quàm timuerit ipſe vel temeritas ejus meruerit, occiſum eſſe. [*Juſtin. lib. 25. cap. 4.*]

Nocte illâ quâ Pyrrhus Argos eſt ingreſſus, ſummæ ipſius haſtæ noctua inſediſſe dicitur. [*Ælian. hiſtor. Animal. lib. 10. cap. 37.*] Sequente die, illisâ capiti tegulâ ab anu quâdam pauperculâ necatus eſt. Ejus caput à Zopyro quodam Antigoni milite abſciſſum Alcyoneus Antigoni filius ad pedes patris cum amicis confidentis abjecit. Antigonus correpto juvene, quòd tanti viri ſubitæ ruinæ, immemor humanorum caſuum, effuſo gaudio inſultaret; humo caput ſublatum cauſâ, quâ velatum caput ſuum more Macedonum habebat, texit: corpúſque Pyrrhi redditum, honoratiſſimè cremandum curavit. Quinetiam filium ejus Helenum captivum ad ſe pertractum, & cultum & animum gerere regium juſſit: oſſáque Pyrrhi ei aureâ urnâ incluſa, Epirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda dedit. Amicos quoque Pyrrhi, caſtris & exercitu toto in poteſtatem ſuam redactis, humaniter tractavit. [*Plutarch. in fine Pyrrho. Juſtin. lib. 25. cap. 5. Valer. Maxim. lib. 5. cap. 1.*]

Tarentini, Pyrrhi morte compertâ, tum adverſùs Romanos tum adverſùs Milonem qui cum præſidio Epirotarum urbem obtinebat, à Carthaginienſibus auxilia acceperunt. Milo in anguſtias redactus, Romanis terrâ Carthaginienſibus mari prementibus, Papirio Curſori conſuli arcem eâ conditione tradidit, ut ſibi cum pecuniis & militibus incolumi diſcedere liceret. Urbs Papirio deditionem fecit, armis & navibus traditis, muriſque dirutis, & tributo impoſito. Atque ita bellum 4443 271

Tarentinum confectum est. [*Zonar. ex Dione. Oros. lib. 4. cap. 3. Frontin. Stratagem. lib. 3.*]

3734 Stratoni Lampsaceno, postquàm per annos 18 scholæ Peripateticorum præfuisset, defuncto successit Lycon Astyanactis filius Troadensis, vir eloquens & instituendis pueris maximè idoneus. (*Laert.*) — 4444 — 270

3735 Attalo jamiori fratri Philetæri natus est Attalus, qui Pergami rex postea fuit, & annos 72. vixit; ut est apud Polybium (*in Excerptis Henr. Valesii, pag.* 102. *& Suid. in* Ἄτταλος) & Livium, libro 33. — 4445 — 269

3736 Jubilæus XXIV.

3739 Mithridati, postquàm in Ponto 36 annos regnavisset, filius Ariobarzanes successit. [*Diodor. lib. 20. ad ann. 3. Olymp. 119. cum Memnonis Excerpt. cap. 17. & 25.*] — 4448 — 266

3740 Anno secundùm Dionysium 21 Scorpionis mensis die 22 & 26, Nabonasari 484 mensis Thoth die 18 & 22, (Novembris Juliani die 14. & 18.) Mercurii matutini observatio facta est. [*Ptolem. lib. 9. cap. 10. & 11.*] — 4449 — 265

3741 Philetærus Teius (Teii in Ponto natus) cùm per annos 20 Pergamenis præfuisset, octogenarius obiit. Cui succedens Eumenes I. illius ex seniore fratre Eumene nepos, per 22 annos principatum illum obtinuit. [*Strabo, lib. 12. pag. 543. & 13. pag. 623. 624. cum Luciano, in Macrobius.*] — 4451 — 263

Bellum Punicum I. sive Siculum, à Romanis (tunc primùm arma extra Italiam moventibus, & navalia prælia ineuntibus) contra Carthaginienses, Siciliam occupantes, per annos 24 continuos gestum est. [*Polyb. lib. 1.*]

Hoc anno, quo Diognetus archon Athenis fuit, Chronographus Parius Canonem suum consignavit; à clarissimo Seldeno inter marmora Arundelliana in lucem productum.

3742 Anno secundùm Dionysium 23 Hydronis sive Aquarionis die 29 (19 vel 20 legendum, ex assignato loco Solis apparet) Nabonasari 486 mensis Chœac die 17 (Februarii Juliani die 11) mane; & Tauronis die 4, sive Phamenoth Ægyptii die 1 (in Ptolemæo enim A pro Δ hic reponendum) sive Aprilis Juliani die 26, vesperi horâ noctis primâ: eodemque anno Nabonasari, sed 24° Dionysiano, Leontionis die 28 sive Payni 30 (Augusti Juliani 23) vesperi, Mercurii observationes à Dionysio astronomo factæ sunt: quas ex Hipparcho refert Ptolemæus, in magni Operis lib. 9. cap. 7. — 4452 — 262

Nicomedes Bithyniæ rex Astacum urbem amplians de nomine suo Nicomediam nuncupavit. *Euseb. Chronic. cum Pausaniâ in Eliac. 1. pag. 159. Treb. Pollione in Gallienis, & Ammian. Marcellin. lib. 22.*] E regione Astaci Nicomediam eum extruxisse scribit Memnon: [*in Excerpt. cap. 21.*] Strabone quoque & Plinio eadem similiter distinguentibus.

Eumenes I. multis circa Pergamum locis potitus, cum Antiocho Seleuci filio apud Sardes prælio congressus, eum superavit. [*Strabo, lib. 13. pag. 624.*]

3743 In Syriâ Antiochus, altero filio occiso, altero rege nuncupato Antiocho, decessit: [*Prolog. in Trogi Pompeii lib. 26.*] qui Gallis ex Europâ in Asiam irrumpentibus profligatis, *Soteris* cognomentum est adeptus. [*Appian. Syriac. pag.* 130.] de quâ victoriâ videndus Lucianus ὑπὲρ τῶν ἐν τῇ προσαγορίᾳ μαίρμηκες, & in Zeuxide vel Antiocho. Successorem verò Antiochum (Soteris & Stratonices filium) Θεὸν sive *Divum* primi cognominaverunt Milesii, quia Timarchum eorum tyrannum sustulit. [*Appian. ut suprà.*] Tatianus Assyrius in oratione adversùs gentes huic Antiocho significat tres Chaldaicæ suæ historiæ libros dicavisse Berosum, Beli apud Babylonios sacerdotem: à quo cœlestium observationum annorum 480 apud Babylonios factarum memoriam fuisse traditam, in lib. 7. cap. 56. refert *Plinius*. Quem annorum numerum si à capite æræ Nabonasari, cum viris doctis, deduxerimus: eorum terminus hujus Antiochi initium sexennio tantùm anteverterit. Regno verò illius annos 15. *Porphyrius, Eusebius, Severus Sulpitius & Johannes Malela Antiochenus* pariter attribuunt. — 4453 — 261

Hic Judæis in Ioniâ civium jus inter ethnicos concedens, suis tamen moribus vivere permisit. [*Joseph. lib. 12. cap. 3.*] Adversùs Ptolemæum Philadelphum gessit bella quamplurima; & totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit. Volens itaque Ptolemæus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam Berenicen Anthiocho uxorem dedit, priore uxore Laodice adhuc vivente; ex quâ duos filios ille susceperat, Seleucum Callinicum & Antiochum Hieracem cognominatum. Deduxitque Ptolemæus filiam suam Pelusium usque; & infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit: unde & φερνοφόρος, id est, Dotalis appellatus est. [*Hieronym. in Daniel. cap. 11.*] Quem & magnis impensis curavisse, ut ad Berenicem Nili aqua deferretur, ut solius hujus fluminis aquam filia sua biberet, ex Polybio refert Athenæus. [*lib. 2. cap. 2.*] Fallitúrque omninò Appianus qui ambas, & Laodicem & Berenicem, ejusdem Philadelphi filias facit. [*in Syriac. pag. 130.*]

3746 Laodice Anthiocho Theo Antiochum filium peperit, qui Hierax est cognominatus. [*Vid. infrà, ann. Mund. 3760.*] — 4456 — 258

3747 Anno secundùm Dionysium 28 Didymonis mensis die 7, Nabonasari 491 mensis Phartmuthi die 5, (Maii Juliani die 28) stella Mercurii vesperi visa est prope caput australe Geminorum. [*Ptolem. lib. 9. cap. 7.*] — 4457 — 257

3749 * Judæorum Pontificatum, post Eleazarum, Manasses ejus avunculus (vel patruus, Jaddi filius) accepit. [*Euseb. Chronic. cum Josepho, lib. 12. cap. 3.*] — 4459 — 255

Eleazarus sacerdos natus est; qui nonagenarius sub Antiocho Epiphane Nobile martyrium subiit. [1 I. *Maccab.* VI. 24.] quem Pseudo Gorionides cum Eleazaro Pontifice, qui ante annos 20 græcæ LXX Interpretum versioni operam dedit, ineptè confundit. *

Periodus Calippica *secunda* incipit; — 4460 — 254

3750 Aratus Sicyonius, 20 annos natus, patriam suam Nicoclis tyranni jugo ereptam Achæorum Reipublicæ adjunxit. [*Polyb. lib. 2. pag. 130.*] Deinde talenta 150 à Ptolemæo Philadelpho ei donata egenis civibus suis, cùm in alia tum ad redimendos captivos, dilargitus est. Quia verò — 4463 — 251

placari

placati non poterant exules, qui prædiorum suorum possessores fatigabant, navigare ad Ptolemæum perrexit, eúmque rogare ut argento sibi ad conciliandam civitatem suam subveniret. Quo in itinere multis jactatus periculis in Cariam, atque inde longo spatio in Ægyptum transvectus est: ubi dono civitati suæ 150 talenta à Rege accepit. Ex quibus 40 secum statim auferens, in Peloponnesum rediit. [*Plutarch. in Arato.*]

3754 Manlio Vulsone & Atilio Regulo Consulib. (in quorum Consulatum belli Punici primi annum 14 incidisse notat Polybius) Parthi, *Arsace* duce, à Macedonibus primùm defecerunt. [*Trog. Pompei. lib.* 41.] Hunc recentiores Persæ *Aski vel Askam* nominant, Mircondus *Chapur*: quem 72 annis post mortem Alexandri regnare cœpisse scribit. Quod tempus uno tantùm anno Vulsonis & Reguli Consulatum antecedit, triennio verò Olympiadem CXXXIII, quâ Arsacis & Parthorum defectionem, sub Antiocho Theo cœptam, in Chronico suo notavit, Eusebius. Quia tamen diem quo cum ejusdem Antiochi filio & successore Seleuco Callinico congressus Arsaces, victor fuit (ipsúmque Seleucum cepit; ut ex Posidonii historiarum 16°. refert Athenæus, lib. 4. cap. 14.); *Parthi exinde solennem, velut initium libertatis, observabant*; quemadmodum ex Trogo narrat Justinus: [*lib.* 41. *cap.* 4.] idcircò & *Justinus* ipse, & *Appianus* in Syriacis. [*pag.* 130.] sub Seleuco Parthos à Macedonum Imperio defeciisse crediderunt. Arsacísque memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos *Arsacis* nomine nuncuparent. [*Justin. lib.* 41. *cap.* 5. *Strabo, lib.* 15. *pag.* 702.]

Parthos autem unà cum Persis (quos unam & eandem gentem faciunt posteriores rerum Persicarum scriptores: de quo *Schikardi* Tarich pag. 101. 102. videri potest, & nota nostra 3. in Acta Ignatii) à Persarum Imperio defecisse, in Parthicis suis *Arrianus* memorat. [*apud Photium, in Bibliothec. cod.* 58.] ubi & hanc defectionis occasionem fuisse narrat. Arsaces & Tiridates ex filio Arsacis Phriapite (vel Priapatio) geniti Phereclem (sive Agathoclem, ut apud Georgium Syncellum legitur) ab Antiocho Theo ejus oræ Satrapam constitutum, quòd altero fratrum (Tiridate) abuti per vim fœdè conaretur, interemerunt; consciis etiam aliis quinque. Gentem deinde Macedonum pellentes, Imperium ipsi arripuerunt; quod ipsius Romani succedente tempore fuit æmulum. [*Vid. Strabonem, lib.* 11. *pag.* 515.]

Eodem etiam tempore Theodotus mille urbium Bactrianarum præfectus defecit: quod exemplum secuti totius Orientis populi, à Macedonibus defecerunt. [*Justin. lib.* 41. *cap.* 4. *ex Trogo.*] Sytiæ & Mediæ regibus dissidentibus, Euthydemum Græcos qui Bactrianam incolebant à Macedonum obedientiâ primùm abalienavisse tradunt alii. Deinde Arsacem Diodoti sive Theodoti Bactriani incrementa fugientem Parthiam ad defectionem pertraxisse. Addit etiam Apollodorus in Parthicis, Bactrianos illos Græcos, viribus auctos, etiam Indiæ manus intulisse, atque Hypanim fluvium versùs ortum transgressos ad Isamum usque pervenisse, majoremque quàm ipsum Alexandrum Indiæ partem subegisse. [*Strabo, lib.* 11. *pag.* 515. 516. *& lib.* 15. *pag.* 686.]

3758 Antiochus Theos, Syriæ rex amore superatus, Laodicen cum liberis suis reduxit in regiam. Quæ mecuens ambiguum viri animum, ne Berenicem reduceret, eum per ministros veneno interfecit. *Hieronym. in Daniel. cap.* 11. *Appian. Syriac. pag.* 130.] Dissimulandi verò sceleris gratiâ, Artemonem quendam Antiocho similimum in lectulo perinde quasi ipsum regem ægrum Laodice collocavit: admissúmque universum populum & sermone ejus & vultu consimili fefellit; ac tamdiu defunctum maritum dissimulavit, quoad ex arbitratu ejus regni successor ordinaretur. [*Valer. Max. lib.* 9. *cap.* 14. *Plin. lib.* 7. *cap.* 12. *Solin. cap.* 1.] Atque ita Syriæ regnum obtinuit Antiochi & Laodices maximus natu filius Seleucus, qui à victoriis (quas nullas tamen habuisse legitur) *Callinicus*, & à barbâ *Pogon* cognomine est dictus: [*apud Polyb. lib.* 2. *pag.* 155.] regnavítque ann. 20. [*Euseb. Chronic.*]

In Ægypto quoque Ptolemæus Philadelphus, qui importuno luxu dementatus semper se victurum, & a te solo repertam fuisse immortalitatem stultè jactitaverat, (ut ex Phylarchi historiarum libro 22°. Athenæus, lib. 11. cap. 17. retulit) anno post patris obitum 38. vitam demum cum morte commutavit. Cui succedens filius ex Arsinoë Lysimachi filiâ illi genitus Ptolemæus *Energetes ann.* 25. regnavit; ut habet Ptolemæus in Canone, Clemens Alexandrinus in lib. 1. Stromat. & Hieronymus in cap. 9. Danielis. Sub eo Phœnicem avem Heliopolim advolavisse ferunt, multo cæterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium. [*Tacit. Annal. lib.* 6.]

Laodice Berenicem, cum filio quem Antiocho pepererat, Icadioni & Genneo (sive Cœneo) Antiochiæ principibus occidendam tradidit. [*Hieronym. in Daniel. cap.* 11. *Appian. in Syriac. pag.* 130.] Berenice cùm ad se interficiendam missos didicisset, Daphnæ se clausit. Ubi quum obsideri eam cum parvulo filio nuntiatum Asiæ civitatibus esset, recordatione paternæ majorúmque ejus dignitatis, casum tam indignæ fortunæ miserantes, auxilia ei omnes misêre. Frater quoque Ptolemæus (Energetes) periculo sororis exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus advolat. [*Justin. lib.* 27. *cap.* 1.] Sed ante adventum auxiliorum, Laodices insidiis interceptus puer est. Quod Berenice graviter ferens, armata currum conscendit, persecutáque satellitem regium Cœneum crudelis imperii ministrum, quem hastâ nequicquàm petierat, taxo ictum prostravit; ac super ejus corpus actis equis, inter infesta contrariæ partis agmina ad domum in quâ interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur pervexit. [*Valer. Maxim. lib.* 9. *cap.* 10.]

Qui interfecerant puerum, alium quendam interfecto simillimum produxerunt in populum, eúmque ut ille esse videretur, regio satellitio stipaverant, Berenicæ verò præsidium stipendiariorum Gallorum dederunt, locúmque ei regiæ firmissimum tradiderunt, & jusjurandum atque fœdus inibant. Aristarcho enim medico quem secum habebat suadente, ut pacem cum eis faceret, Berenice credidit. At illi juramento quasi stratagemate usi, Berenicem statim adorti jugulârunt. Quæ verò circa eam erant mulieres defensionem parabant, plurimæ ceciderunt. Panarîste autem, Mania & Gethosyne corpus Berenices obruentes terrâ, aliam quandam in lectum collocârunt, quasi illam adhuc viventem, & vulnus acceptum sanaturam:

ac tantisper subditis perlustrarent, donec Ptolemæus veniret. [*Polyæn. Stratagem. lib. 8.*]

Universæ civitates quæ defecerant, ingente classe ad defentionem & ultionem Berenices comparatâ, Ptolemæo se tradiderunt. [*Justin. lib. 27. cap. 1.*] Ille verò Laodicen interfecit, & ingressus Syriam, Babylonem usque pervenit. [*Appian. Syriac. pag. 130.*] Cœle-syriam cum Seleuciâ occupans, [*Polyb. lib. 5. pag. 402. 403.*] Syriam quoque & Ciliciam, superiorésque partes trans Euphratem, & propemodum universam Asiam. [*Hieronym. in Daniel. cap. 11.*] & quidem sine bello ac pugnâ à Tauro usque ad Indiam omnia occupans: si Polyæno (in loco jam citato) credimus. Cum quo comparanda & illa sunt, quæ in Euergetæ monumento Adulitano (Romæ, anno 1631 à Leone Allatio edito) habentur. *Ægypti, Libyæ, Syriæ, Phœnicis, Cypri, Lyciæ, Cariæ, & Cycladum insularum imperium à Patre accipiens, exercitum pedestribus equestribusque copiis, ingenti classe, & elephantis Troglodyticis Æthiopicisque (à Patre primùm, & ab se in his regionibus captis, abductisque in Ægyptum, & ad bellicos usus edoctis) instructissimum in Asiam trajecit. Omni verò intra Euphratem tractu, Ciliciâ, Pamphiliâ, Ioniâ, Hellesponto & Thraciâ, cum earum omnium regionum copiis, Indicis elephantis, indigenisque Regibus in potestatem redactis; Euphratem trajecit, & Mesopotamiam, Babyloniam, Susiam, Persidem, Mediam, reliquasque regiones ad Bactrianam usque subegit.*

Syriam universam obtinens Ptolemæus, Hierosolymam venit; ibique multa sacrificia eucharistica Deo obtulit, & donaria dicavit victoriâ digna. [*Joseph. lib. 2. contr. Apion. pag. 1064.*]

3759 Ptolemæus domesticâ seditione (cujus in lib. 27. cap. 1. *Justinus* meminit) in Ægyptum revocatus, Syriam quidem ipse obtinuit; Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit, & Xanthippo alteri duci provincias trans Euphratem. Diripiénsque regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & vasa pretiosa simulachráque deorum 2500. in quibus erant & illa quæ Cambyses captâ Ægypto in Persas portaverat. Indéque Ægyptii, quia post multos annos deos ipsorum retulerat, *Euergetis* cognomentum illi tribuerunt. [*Hieronym. in Daniel. cap. 11.*] De quo & in Adulitano monumento ita legimus. *Sacra, quæ ab Ægypto Persæ abstulerant, recepit, ac cum reliquâ congestâ gazâ in Ægyptum relatis, πανέμους ἀπήγαγε διὰ τῶν ἱππαρχίων πεταμῶν, exercitum ductâ fossâ fluminibúsque convexatis direxit.*

Post discessum Ptolemæi, Seleucus cùm adversùs civitates quæ defecerant ingentem classem comparasset; repentè ortâ tempestate classem amisit. Unde civitates, quæ odio ejus ad Ptolemæum transierant, repentinâ animorum mutatione in naufragii misericordiam versæ, imperio se ejus restituerunt. [*Justin. lib. 27. cap. 2.*] 4469 245

3760 Anno 67 secundùm Chaldæos mensis Apellæi die 5, Nabonassari 504 mensis Thoth die 27 (Novembris Juliani die 18) mane Mercurii stella observata est superior boreali fronte Scorpionis. [*Ptolem. lib. 9. cap. 7.*]

Seleucus Callinicus bellum Ptolemæo Euergetæ inferens, victus prælio, trepidus Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem missis literis, auxilium ejus imploravit; oblatâ ei Asiâ, intra fines Tauri montis, in præmium latæ opis. Antiochus autem cùm esset annos 14 natus, supra ætatem regni avidus, occasionem non tam pio animo quàm offerebatur arripuit: sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, *(Laodice matre auxilium ferente, ut in libro περὶ φιλαδελφίας *Plutarchus* significat.), puer sceleratam virilémque sumpsit audaciam. Unde *Hierax* est cognominatus: quia non hominis sed accipitris ritum in alienis eripiendis sectaretur. [*Justin. lib. 27. cap. 2. cum Strabon. lib. 16. pag. 754.*] 4470 244

3761 Ad majestatem Seleuci conservandam, inter Smyrnæos & Magnesianos mense Lenæone fœdus est initum: quod inter marmora Arundelliana adhuc conservatum est. 4471 243

Ptolemæus, cùm Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem fecit. [*Justin. lib. 27. cap. 2.*] Quo longinquæ pacis tempore Athenis accersitum Eratosthenem Cyrenæum bibliothecæ Alexandrinæ præfecisse videtur. [*Suid. in Ἐρατοσθένης & Ἀπολλώνιος.*] * Eo tempore Onias II. Simonis Justi filius (postquàm post patris mortem Pontificatum primùm Eleazarus suscepisset quòd ætate esset ille parvulus, deinde & Manasses quòd esset ille βραχὺς τὸν θυμὸν, (ut *Josephus* loquitur,) & animi pusilli) apud Judæos principatum & Pontificatum senex illiberaliter gessit; nihil præter pecuniam curans. Sub eo Samaritæ plurimùm Judæos infestabant; agros vastando, & homines in captivitatem abducendo. Cúmque Onias, præ avaritiâ, 20 argenti talentorum tributum, quod pro populo majores ejus de suo Regibus pendere solebant, solvere neglexisset; iratus Ptolemæus Euergetes, legato Hierosolyma misso, minatus Oniæ est, ni tributum redderetur, regionem militibus suis se divisurum, & novas colonias eò deducturum. Josephus autem quidam Tobiæ filius, ætate juvenis, sed honestate, prudentiâ & justitiâ inter Hierosolymitas celebris, quum in Phicolâ natali vico ab urbe absens, à matre (quæ Oniæ Pontificis soror, Simonis Justi filia erat) de adventu legati fuisset edoctus, legationem publicam pro populo ipse suscepit. Qui familiaritatem Regis & Cleopatræ reginæ ob plurima in eos obsequia consecutus, non imminentem solùm Judæis calamitatem depulit; sed etiam acceptis à Rege duobus militum millibus, colligendis vectigalibus Cœlesyriæ, Phœniciæ, Judææ & Samariæ præfectus est. Quo munere per 22 annos ille functus vectigalia annua, quæ 8000 talentorum tantùm fuerant, duplicata reddidit: relictis etiam Regi damnatorum confiscationibus, quæ priùs publicanis solebant accedere. [*Joseph. ibid. cap. 3. & 4.*]

3762 Antigonus Gonatas, quum in Macedoniâ 34. annos, in Græciâ 42. regnavisset, vixissetque annos 80. (ut Medius & alii scriptores testantur) vel 83. (ut Porphyrius) mortem obiit. [*Lucian. in Macrob. ex. Porphyr. in Græcis Eusebian. Scalig. pag. 229.*]

Huic succedens filius Demetrius, annos 10. regnavit. [*Porphyr. ibid. Polyb. lib. 2. pag. 131.*] qui Cyrene & tota Libyâ potitus est. [*Porphyr. ibid.*] Ei habenti uxorem Antiochi regis *Syriæ* sororem, Olympias Pyrrhi Epirotæ regis filia, amisso marito eodémque germano

fratre

fratre Alexandro, filiam suam Phthiam in matrimonium tradidit. Unde prior uxor, velut matrimonio pulsa, sponte suâ ad fratrem Antiochum discessit; eúmque in mariti bellum impulit. [*Justin. lib. 28. cap. 1.*] Toto verò illius regno nullus alius Antiochus rex fuit præter Hieracem, qui fratri Seleuco regnum eripere volebat. nam & ambobus fratribus *regum* nomen ex Trogo tribuit Justinus: [*lib. 41. cap. 4.*] & in Mesopotamiam (in quâ Seleucum Callinicopolin condidisse, ad ann. 1. Olymp. 134. Fasti Siculi indicant) Antiochum se recepisse, idem Trogus, [*lib. 27. Prolog.*] & Polianus [*Stratagem. lib. 4. in Antiocho Hierace.*] indicat: licèt *Syriam* tunc neque Antiochus neque Seleucus, sed Ægypti rex Ptolemæus Euergetes possederit.

Hoc verò tempore Asiam (propriè dictam) fratri Seleuco Callinico extorquere conatus Antiochus Hierax, Gallorum mercenarium exercitum adversùs eum conduxit. Quo in prælio, virtute Gallorum, Seleucus Ancyræ victus est. * (*Justin. lib. 27. cap. 2.* cum Trogi Prologo 27.) Cùm Seleucus in eâ pugnâ victus nusquam appareret, credereturque periisse, toto exercitu à barbaris occidione occiso: Antiochus, hoc nuncio allato, purpuram deposuit, pullàque sumptâ veste, & clausâ regiâ fratrem luxit. Paulò pòst audito eum vivere, & alium exercitum colligere, progressus diis suis sacrificium ob lætum nuncium obtulit; urbibúsque sibi subjectis ut sacrificarent & serta gererent imperavit. (*Plutarch. in Apophthegmatib. & lib. περὶ φιλαδελφίας*) *. Sed Galli arbitrantes Seleucum in prælio cecidisse, in ipsum Antiochum arma verterunt; liberiùs depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam extinxissent. Quod ubi sensit Antiochus; velut à prædonibus, auro se redemit, societatémque cum mercenariis suis junxit. Eumenes verò victorem Antiochum Gallósque, adhuc ex superiore congressione saucios; integer ipse viribus, superans, majorem partem Asiæ occupavit. [*Justin. lib. 27. cap. 2. & 3. cum Trogi Prologo 27.*] | 4472 | 242

3763 Eumenes, filius Eumenis senioris fratris Philetæri, ebrietate periit; ut ex Ctesiclis libro 3. de Temporibus Athenæus refert. [*lib. 10. cap. 16.*] Cui successit Attalus, Attali (qui minor natu frater Philetæri fuit) & Antiochidis Achæo natæ filius. Hic divitiis suis prudenter simul & magnificè utendo effecit, ut primùm sibi, deinde & aliis non indignus regno videretur. Victis deinde prælio imo Gallis, tum primùm regium nomen palam sibi adscivit: regnúmque adeò stabile ac firmum reliquit, ut ad tertiam stirpem possessio ejus descenderit. [*Polyb. lib. 18. in Excerptis ab Henr. Valesio edit. pag. 102. & apud Suid. in Ἄτταλος. Liv. lib. 33. Strabo, lib. 13. pag. 624.*] Quâ de re ipsi Attalo à Pythiâ redditum hoc oraculum memorat Suidas: | 4473 | 241

Θάρσει ταυροκέρως, ἔξεις βασιλῆος τιμήν,
Καὶ παίδων παῖδας, τέκνον γε Διὸς ἐσσὶ παῖδας.
Bono sis animo, Tauricorne: habebis regium honorem,
Et filiorum filii; sed horum non item filii.

A taurinis cornibus imagini illius appictis Ταυροκέρως ille nominatus fuisse existimatur: sicut & *Tauri filium*, in oraculo illo Phænnis de Gallorum strage ab illo faciendâ. [*apud Pausan. in Phocic. pag. 334.*]

——Τάχα γὰρ σφιν ἀεσσιτῆρα Κρονίων
Ὀρσίσει ταύροιο διοτρεφέος φίλτρα υἱέος,
Ὅς πᾶσιν Γαλάτῃσιν ἀλίθριον ἦμαρ ὀρεῖται.
Brevi enim ipsis opitulatorem Jupiter
Excitabit Tauri à Jove nutriti charum filium,
Qui omnibus Galatis lethalem diem immittet.

De hoc Attali & Gallorum conflictu Livius, libro 38. *Primus Asiam incolentium* Gallis stipendium dare *abnuit Attalus, pater regis Eumenis, audacique incepto præter omnium opinionem adfuit fortuna: & signis collatis superior fuit.* Narrat verò Polyænus, [*lib. 4. Stratagem. in Attal.*] quo commento milites timore perculsos ad pugnandum cum eis tunc animaverit Sudines Chaldæus vates: qui non alius esse videtur quàm Sudines ille Babylonius mathematicus, à Strabone commemoratus; [*lib. 16. pag. 739.*] cujus tabulis Astronomicis Vettius Valens Antiochenus in motu Lunæ investigando usum se fuisse profitetur.

Anno secundùm Dionysium 45 mensis Parthenionis sive Virginionis die 10, à morte Alexandri 83 mensis Epiphi die 17, (Septembris Juliani die 3) manè Jupiter observatus est obtexisse australem Aselli stellam. [*Ptolem. lib. 11. cap. 3.*]

3764 Lacydes Cyrenæus, novæ Academiæ princeps, Arcesilao (Pitanæo ex Æolide) succedens, Academiæ scholam habebat in horto quem Attalus rex fieri curaverat: eámque anno 4 Olympiadis CXXXIV. administrare cœpit. [*Laërt. in Lacyd.*] | 4474 | 240

3768 Anno 75 secundùm Chaldæos Dii mensis die 14, Nabonasari 512 mensis Thoth die 9, (Octobris Juliani die 29) Mercurius matutino tempore visus est prope lancem Libræ meridionalem. [*Ptolem. lib. 9. cap. 7.*] | 4477 | 237

3772 In Macedoniâ Demetrius rex, relicto filio Philippo parvulo admodum, decessit. Cui Antigonus tutor datus, (qui a magnificis promissis *Doson* cognominatus est) acceptâ in matrimonium matre pupilli, regem se constituit. [*Justin. lib. 28. cap. 3.*] & ann. 12. regnavit. [*Dexip. Porphyr. Euseb.*]

* Judæorum Pontifex maximus Simon (II) Oniæ (II) filius clarus habetur. [*Euseb. Chronic. cum Josepho*, lib. 12. cap. 4.] *.

3774 Lycon Troadensis moritur: quum Peripateticorum scholæ post Stratonem Lampsacenum annos 40 præfuisset, & annos 74 vixisset. [*Laërt.*] | 4484 | 230

3775 Anno 82 secundùm Chaldæos Xanthici mensis die 5, Nabonasari 519 mensis Tybi die 14, (Martii Juliani die 1) vesperi, observata est Saturni stella sub australi Virginis humero digitis duobus. [*Ptolem. lib. 11. cap. 7.*] | 4485 | 229

3778 Antiochus Hierax à Ptolemæo Euergete, ad quem confugerat, arctissimâ custodiâ servatus, operâ cujusdam meretricis adjutus quam familiarius noverat, deceptis custodibus elabitur; fugiensque à latronibus interficitur. [*Justin. lib. 27. cap. 3.*] | 4487 | 227

Seleucus quoque Callinicus, frater illius, iiſdem fermè diebus equo præcipitatus interiit. [*Id. ibid.*] duobus poſt ſe filiis relictis: quorum major Seleucus, cognomento *Ceraunus*, qui in regno illi ſucceſſit, nec valetudine firmus nec opibus, exercitum in officio continere non potuit; junior Antiochus, ob res geſtas *Magnus* poſteà cognominatus, poſt mortem patris ad ſuperiora Aſiæ loca migravit. [*Polyb. lib. 4. pag. 315. & lib. 5. pag. 386. cum Appiano in Syriac. pag. 86. & 131.*] Regnavit verò Seleucus Ceraunus ann. 3. [*Porphyr. Euſeb. Sever. Sulpit.*] 4488 226

3781 Seleucus Ceraunus expeditionem ſuſcipiens adversùs Attalum, qui omnem jam cis Taurum Aſiam ſuo imperio ſubjecerat, Hermiæ Cari regno commendato, magno cum exercitu Taurum tranſgreſſus eſt. [*Polyb. ut ſupr.*] 4490 224

Seleucus dolo ab amicis Apaturio Galatâ & Nicanore appetitus veneno in Phrygiâ periit. [*Polyb. ibid. Appian. Syriac. pag. 131. Hieronym. in Daniel. cap. 11. Juſtin. lib. 29. cap. 1.*] Erat tum in caſtris Achæus Andromachi (qui Laodicæ conjugis Seleuci frater, Alexandriæ captivus à Ptolemæo detinebatur) filius. Ille, ut Seleuci cognatus, cædem illius è veſtigio ulciſcens, Apaturium & Nicanorem trucidavit: copias verò & res univerſas cùm prudentiâ, tum magnitudine animi ſingulari adminiſtravit. Nam quum diàdematis capiti imponendi occaſionem eſſet nactus, accederet etiam populorum voluntas regnum illi certatim deferentium, ipſe inclinare animum in eam partem noluit: ſed Antiocho juniori Seleuci Callinici filio imperium conſervans, per omnes regiones bellum circumferens, quicquid eis Taurum fuerat amiſſum recepit. [*Polyb. lib. 4. pag. 315. & 317.*] 4491 223

Exercitus qui erat in Syriâ Antiochum, cognomento Magnum, de Babylone vocavit ad regnum. [*Hieronym. in Daniel. cap. 11.*] quod impubis (ut habet Juſtinus, lib. 29. cap. 1.) & κομιδῇ νέος, admodum adhuc puer (ut Polybius, lib. 4. pag. 271.) ille adiens, per annos 36 obtinuit; ut apud Porphyrium eſt & Euſebium.

Antiochus, totius cis Taurum Aſiæ dominatione Achæo concreditâ, Mediæ Molonem & fratrem ejus Alexandrum Perſidis ſatrapam conſtituit. Summæ verò in aulâ Hermias Car præerat: qui naturâ ſævus, in alios propter levia delicta, quæ interpretatione ſuâ graviora faciebat, animadvertebat; alios per calumniam falſis criminationibus appetens, inexorabilem ſe & immitem judicem præbebat. [*Polyb. lib. 5. pag. 386.*]

Cleomenes Lacedæmoniorum rex prælio ad Sellaſiam ab Antigono Doſone Macedoniæ rege victus & regno exutus, ad Gythium navibus conſcenſis, quas multò antè ad incerta caſuum paraverat, cum conjuge & amicorum nonnullis Alexandriam ad Ptolemæum Euergetem Ægypti regem (ad quem liberos ſuos & matrem Crateſicleam, quum auxilium illi promitteret, obſides priùs miſerat) proficiſcitur, atque honorificè ab eo ſuſcipitur. [*Polyb. lib. 2. pag. 154. Juſtin. lib. 28. cap. 4. Pauſan. in Corinthiac. pag. 52. Plutarch. in Cleomene.*]

3782 Duo fratres, Molo Mediæ & Alexander Perſidis ſatrapes, Antiochi regis puritiam aſpernati, ſpe etiam illâ ducti, quaſi Achæus conſilia cum ipſis eſſet conſociaturus, præcipuè autem calumnias & crudelitatem Hermiæ veriti, deficiendi & ſatrapias ſuas à Rege avertendi conſilium inierunt. [*Polyb. lib. 5. pag. 386.*] 4492 222

Magno terræ motu Caria & Rhodus inſula adeò concuſſæ ſunt, ut labentibus vulgò tectis ingens quoque ille Coloſſus ruerit. [*Euſeb. Chronic. Oroſ. lib. 4. cap. 13.*]

Ptolemæus Euergetes Cleomeni (qui propter prudentiam & urbanitatem ingenuam indies charior illi fuit) ſpem fecit, cum navibus & pecuniâ remiſſurum eum ſe in Græciam, atque in regno repoſiturum. Attribuit etiam ei annua 24 talenta: quibus ille ſe & amicos frugaliter ac modicè tolerabat; reliqua in illos impendens, qui Græciâ extorres in Ægyptum ſe contulerant. [*Plutarch. in Cleomene.*]

3783 Ptolemæus, priuſquàm præſtitiſſet Cleomeni quæ ad reſtitutionem pertinebant, mortuus eſt: [*Id. ibid.*] ſive ex morbo, ut vult Polybius, [*lib. 2. pag. 155.*] ſive ſcelere filii *Philopatoris*, per antiphraſin ita dicti, ut Juſtinus; cujus in lib. 29. cap. 1. hac de re verba ſunt iſta. *Ægyptum, patre ac matre* (Strabon. lib. 17. *Agathoclia* dictâ) *interfectis, occupaverat Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator fuit.* 4493 221

Philopatorem hunc etiam *Tryphonem* cognominatum fuiſſe, apud Plinium [*lib. 7. cap. 56.*] legimus: ex vivendi videlicèt ratione, ut habet Ælianus, [*Var. hiſtor. lib. 14. cap. 31.*] molli & deliciatâ. In Faſtis Siculis, Ptolemæus Philopator qui & *Gallus* Ptolemæi Euergetæ qui & *Tryphon* filius fuiſſe dicitur. Ubi ſicut pro eo, in *Tryphonis* cognomine patri malè attributo, faciunt depravatæ lectionis veſtigia in Trogi Prologo 27. & 30. ita in illo filii altero, conſentit magni collector Etymologici; qui Philopatorem *Gallum* dictum notat, quòd foliis hederæ, ut *Galli* (matris Magnæ ſacerdotes) in Bacchi orgiis (Διονυσιακαῖς τελεταῖς) interſtinctus & coronatus incederet. Uſque eò enim rex ille effœminatus luſtris & vino erat, ut ubi ſobrius magis & ſedulus erat ſolito, τελετὰς & ludos celebraret, cum tympano circumcurſitans. [*Plutarch. in Cleomene.*] Ita ille πανηγυρικώτερον διῆγε τὰ κῶλα τὸν οἶκον, (ut inquit *Polybius*) ſic regnum ſuum adminiſtrabat, quaſi continuos ludos agitaret: fœdis amoribus & inſanis continuiſque potationibus indulgens. [*Polyb. lib. 5. pag. 380. 381.*] Addit Strabo, [*lib. 17. pag. 796.*] & hunc, & ſucceſſores deinceps illius Ptolemæos omnes, malè regnum geſſiſſe, luxu perditos. Regnavit autem Philopator poſt mortem patris ann. 17. [*Ptolem. in Reg. Canone. Clem. Alexandr. Porphyr. Euſeb.*]

Philopator fratrem Magan, qui per matrem Beronicen apud milites pollebat, formidans, de utriuſque cæde cum Soſibio (cujus maxima inter ejus amicos tunc erat authoritas) deliberabat. Anxii verò authores illius conſilii, ne propter Beronicæ potiſſimùm audaciam, id inceptum fruſtra eſſet; miniſtros aulicos blanditiis delinire coacti ſunt; magnorum ſpem commodorum omnibus oſtendentes, ſi ex voto res ipſis ſuccederet. Eo igitur tempore animadvertens Soſibius Cleomenem, qui Regis auxilio indigebat, ſingulari prudentiâ & vero uſu rerum quas

geſſerat

gesserat pollere, magna pollicitans, participem consilii eum fecit. Diduatis verò rem Cleomenes: plures aiens, si fieri posset, gignendos Regi fratres esse ad regni securitatem & perpetuitatem. Cúmque Sosibius fidem diceret mercenariorum militum, quamdiu viveret Magas, non fore ipsis firmam: respondit Cleomenes, quod ad id attineret, ut securi essent. Inter mercenarios enim tria propemodum millia Peloponnesiorum esse, & Cretenses ad mille: qui, si annuisset modò, ad omnia quæ vellet exsequenda præsto futuri essent. Quibus verbis animatus Sosibius, Beronicen cum filio Magâ & *illis* qui eos sectabantur, è medio tollendos curabat. [*Polyb. lib. 5. pag. 380. 382. & lib. 15. in Excerptis Valesii, pag. 65. & Plutarch. in Cleomene.*]

Philopator ad necem utriusque parentis cæde etiam fratris adjunctâ, velut rebus feliciter gestis, luxuriæ se tradidit: Regisque mores omnis secuta regia est. Neque amici tantùm præfectique, verumetiam omnis exercitus, depositis militiæ studiis, otio ac delidiâ corrupti marcebant. (*Justin. lib.* 30. *cap.* 1.)

Antiocho cum suis consilium ineunte, quomodo Molonis & Alexandri rebellioni esset occurrendum; Epigenes (qui eas copias reduxerat qui in gratiam Selenci convenerant, & apud legiones præcipuæ erat authoritatis) ut è vestigio Rex ipse adversùs rebelles procederet, suadebat. Hermias contrà, ad repetendam Cœle-syriam Regem adolescentulum incitans, bellum adversùs Molonem ducibus Xenoni & Theodoto Hemiolio gerendum mandavit. (*Polyb. lib.* 5. *pag.* 387.)

Inter hæc, dum Seleuciæ ad Zeugma Antiochus agebat, advenit Diogenetus navarchus è Cappadociâ, Laodicen Mithradatis Regis Ponti filiam ducens: cum quâ statim Antiochus nuptias celebravit. Antiochiam deinde è superioribus regionibus veniens, ibi Laodicen salutari Reginam jubet: totúsque se deinde ad bellum comparat. (*Ibid. pag.* 388.)

Eodem tempore Molo, promptum ad omnia coadjutorem habens fratrem Alexandrum, adversùs regios duces magno cum exercitu profectus est. Xeno & Theodotus ejus adventu perturbati, intra urbes se receperunt. Molo Apolloniatico potitus agro, commeatibus omnis generis supra modum abundabat. [*Ibid.*]

3784 In Macedoniâ Philippus Demetrii filius, mortuo Antigono tutore eodémque vitrico, annos 24 natus, regnum suscepit: (*Justin. lib.* 28. *cap. ult. & lib.* 29. *cap.* 1.) Illúdque per annos 42 administravit. (*Dexip. Porphyr. Euseb.*) Eâdem verò CXXXIX Olympiade Philippum Macedoniæ, Ptolemæum Philopatorem Ægypti, & Antiochum Magnum Syriæ regnum suscepisse, notat Polybius. (*lib.* 2. *pag.* 155.) Ut enim in Tetraeteridis illius Olympiadicæ anno *primo* Antiochus, ita in *tertio* ejusdem Philopator, & in *quarto* Philippus cœpit regnare. Et isdem fermè temporibus prope universi orbis imperia, novâ regum successione mutata fuisse, observat idem *Polybius* libro quarto (*pag.* 272.) & *Justinus* libri 29. capite 1. ubi, inter alios, Ariarathem quoque traditum sibi Cappadociæ regnum accepisse scribit uterque.

Quum mortuo jam Antigono Ætoli Lacedæmoniis junctì, communi odio Achæos & Macedones persequerentur; Ptolemæum Philopatorem rogabat Cleomenes, ut rebus necessariis ac milite instructum se dimitteret: deinde quum negligenter audiretur, precibus etiam atque etiam contendebat, quò abeundi sibi cum suâ duntaxat familiâ veniam daret. Et Rex quidem nulli serio negotio attendens, futurique parùm providus, pro cæterâ fatuitate suâ verborum Cleomenis nullam rationem habebat. Sosibius verò, cujus erat tum in eo regno summa auctoritas, communicato hâc de re cum amicis consilio, dimittendum non esse Cleomenem statuebat. (*Polyb. lib.* 5. *pag.* 381.)

Molo Tigrim trajicere & Seleuciam obsidere conatus est. Deinde quò minus copias transmitteret a Zeuxide, qui fluviatiles omnes naves occupaverat, impeditus, ad Ctesiphontis castra concessit; ibique necessaria exercitui ad hybernandum comparavit. (*Ibid. pag.* 389.)

Antiochus ut Molonem progressu in expeditione susceptâ, suos verò pedem referre cognovit; ducendi adversùs ipsum, omissa in Cœle-syriam contra Ptolemæum expeditione, impetum cepit. At Hermias propositi sui tenax, misso adversùs Molonem Xenetâ Achæo, cui & exercitum & summum liberúmque Imperium attribuerat; juvenem Regem Apameam perduxit, ibique copias coëgit. [*Ibid. pag.* 390.]

Xenetas quum Seleuciam castra movisset, accito Diogene Susianæ & Pythiadâ Rubri maris præfecto, copias eduxit: ac Tigrim amnem pro munimento habens, in conspectu hostium consedit. Castra deinde Molonis, qui noctu discesserat, quum occupasset, & securus genio cum suis indulgeret, intempesta nocte reversus Molo, nec opinantes oppressit, geminis castris exuit, Xenetam ipsum temerè pugnantem interfecit. Inde Seleuciam cum exercitu celeriter advenit, eámque primo impetu cepit: quoniam Zeuxis aufugerat, & unà cum illo Diomedon Seleuciæ ipsius præfectus. Tum subactâ Babyloniæ præfecturâ & eâ quæ ad mare Rubrum est, Sasorum urbem cepit: & relictis qui arcem, ad quam dux Diogenes se receperat, obsidione premerent, Seleuciam ad Tigrim repetens, exercitum ibi refecit. Et in regione quidem ad amnem sitâ, omnia usque ad Europum urbem occupavit: in Mesopotamiâ verò, omnia usque ad Dura. [*Ib. pag.* 391. 392. 393.]

Alexandriæ Cleomenes custodiæ traditus, Ptolemæi Philopatoris profectione Canopum versùs observatâ, rumorem inter custodes distulit, inibi se esse ut a Rege liberaretur: eisque vino sepultis, amicis qui unà erant & famulis comitatus circa meridiem foras erupit, & populum ad seditionem frustrà incitavit. Deinde omni salutis spe abjectâ, conjurati manus sibi intulerunt. [*Ib. pag.* 385.] post Cleomenis fugam annis ferè tribus. (*Id. lib.* 4. *pag.* 304.) Cùm hæc Philopatori renunciarentur, Cleomenis corpus pelle nudari & cruci affigi jussit; matremque Cratesicleam ac filios, cum cæteris mulieribus quæ ibi erant, interfici. [*Plutarch. in Cleomene.*]

Antiochus cum universo exercitu suo Laodicea profectus, & deserum emensus, ad Marsyam convallem venit, inter Libani & Antilibani radices sitam. Per hanc convallem plures dies ducto agmine, & adjacentibus oppidis in potestatem redactis, Gerra demum & Brochos (castella faucibus illis hinc & inde imminentia) pervenit: quæ à Theodoto Ætolo (Cœle-syriæ Præfecto) occupata

cupata invenit. Et Antiochus quidem vim facere primò instituit: sed munitiuma locorum naturâ & Theodoti repugnantiâ avocatus, incepto destitit. (*Polyb. lib. 5. pag. 390.*) Pro quâ tamen operâ Theodotus adeò nullam reportavit gratiam, ut contrà Alexandriam accitus, etiam de vitâ periculum subiret. [*Ibid. pag. 385, & 405.*]

Antiochus, nuntio allato de internecinâ Xenetæ clade, & Molonis victoriâ, qui superiores præfecturas sui jam planè juris fecerat: relictâ expeditione quam inchoaverat, ad subveniendum rebus suis accurrit. (*Polyb. lib. 5. pag. 390.*) Quâ de re consultatione habitâ, quum Hermias communi omnium suffragio hoc ipsum suadentium ultrà resistere non posset; Epigenem per calumniam, fictâ Molonis ad eum epistolâ & cæteris Epigenis insertâ chartis, è medio sustulit. Rex contra Molonem progressus, ut ad Euphratem venit, assumptis quas ibi habebat copiis, Antiochiam in Mygdoniâ circa brumam (οὗ ὥρᾳ χειμῶνος) pervenit; ibique dum desæviret hyems substitit. (*Ib. pag. 393. 394. 395.*)

Inde profectus quadragesimo pòst die, Lybam venit: & Zeuxidis, non Hermiæ, consilium secutus, Tigrim cum universis copiis trajecit. Deinde Dura versùs profecti, eam urbem, quæ à duce quodam Molonis obsidebatur, primo impetu liberârunt. Posteà, quum diebus singulis castra moverent, octavo die Oricum superârunt, & Apolloniam pervenerunt. [*Ibidem pag. 395. 396.*] 4494 220

Molo, licèt à suis deseri formidaret, aciem tamen contra Regem instruxit: & exercitu in duo cornua diducto, sinistrum Neolao fratri commisit, alterum sibi retinuit. Ubi concurrère acies, dextrum cornu in fide perstitit, & acerrimè contra regios conflixit: sed sinistrum ad Regem transitionem fecit. Eâ re animadversâ Molo, cùm prope jam undique cingeretur, manus sibimet ipse intulit: pariterque omnes qui conjurationis participes fuerant, domum suam quisque concesserunt, ibique similem exitum fecerunt. Neolaus quoque ubi pugnâ evasit, & in Peridem ad Alexandrum Molonis fratrem, matremi & Molonis liberos obtruncavit: dein super mortuorum cadaveribus ipse se jugulavit, postquàm Alexandro persuasisset, ut ipse quoque idem faceret. Rex Molonis corpus in crucem tolli edito loco jussit, rebellem autem exercitum duris verbis increpitum, datâ dexterâ recepit in fidem; certòque viros constituit, qui illos in Mediam reducerent, & eam provinciam rectè constituerent. Ipse interim Seleuciam è superiore tractu regni regressus est: ubi Hermias cives duriùs tractans mulctæ etiam nomine mille talenta ab eis exegit; quæ ad 150 Rex reduxit. Drogenem deinde Mediæ Prætorem, Apollodorum Susianæ reliquit: Tychonem verò scribarum principem, qui præfectus erat exercitui, in proxima Rubro mari loca misit. [*Ib. à pag. 396 ad 399.*]

Quo tempore Antiochus adversùs Molonem bellum gerebat, Theodotus Ætolus Cœlesyriæ præfectus Alexandriâ reversus, Ptolemæum Philopatora pro deplorato habens, & illius aulæ proceribus diffisus, occupatâ per se Ptolemaide, per Panætolum Tyro, Antiochum statuit convenire & Cœlesyriæ urbes illi tradere: & brevi tempore ad exitum rem perduxit. [*Ibid. pag. 385. & 405.*]

Attalo regi Pergami, ex Apollonide Cyzicenâ, natus est Attalus Philadelphus; qui annos 82 vixit, ut in *Μακροβίοις* refert Lucianus. Antiocho quoque tum filius (Seleucus, ut videtur, Philopator) natus est.

3785 Jubilæus XXV.

Antiochus filio auctus Artabazanem statuit aggredi, qui Atropatios & vicinas alias gentes dominio obtinebat. Ille Regis adventu perterritus, maximè propter ætatem jam planè decrepitam, pacem cum Antiocho quibus ipse voluit legibus fecit. [*Polyb. lib. 5. pag. 399. 400.*]

Dum bellum hoc cum Artabazane gereretur, Achæus, postquàm Attalum in urbem Pergami conclusisset, omniaque circum loca in potestatem suam redegisset, & cum Ptolemæo Philopatore consiliorum societatem iniisset, facile sibi fore sperans in Syriam priùs irrumpere quàm Antiochus reverteretur, & Cyrrhestis qui a Rege defecerant adjuvantibus regnum illud celeriter obtinere; è Lydiâ cum universo exercitu profectus est. Laodiceam verò Phrygiæ ut ventum, diadema capiti imposuit, nomen regium tunc primùm assumens, & quum legatis cæterisque responsa dabat, & quum ad civitates scribebat: Syniride exule præ cæteris ut id faceret ipsum impellente. Mox itinere aliquamdiu continuato, ubi jam Lycaoniæ appropinquabat, seditio in exercitu est orta; ægrè ferente milite, duci se ad bellum cum eo gerendum, quem sibi regem natura dedisset. Itaque Achæus, qui vertisse in contrarium voluntates eorum sensiret, conatis abstitit: atque ut armatis suis persuaderet de invadenda Syriâ nihil unquam à se fuisse cogitatum, mutato itinere Pisidiam populatus est, atque hâc ratione ditato exercitu, conciliatâ sibi benevolentiâ ac fide militum, domum est reversus. [*Idem lib. 4. pag. 271. 314. 315. & lib. 5. pag. 401. 402.*]

Pace cum Artabazane firmatâ, Apollophanes Seleuciensis medicus ab Hermiâ sibi timens, Antiocho suspectum eum fecit. Quem Rex, invaletudine simulatâ, foràs abductum conjuratis occidendum præbuit. Quo etiam tempore Apamensium uxores uxorem Hermiæ, liberi liberos lapidibus obruerunt. [*Id. lib. 5. pag. 400. 401.*]

Antiochus domum reversus, dimittis ad hybernandum copiis, nuntios ad Achæum cum mandatis minarum plenis mittit. [*Ibid. pag. 402. 402.*]

Antiochus convocato Apameam exercitu, sub ver primum, Apollophane Seleuciensi medico suadente, Seleuciam quæ Pieria dicitur adiit: Diogneto navarcho eò cum classe, & Theodoto Hemiolio cum idoneâ manu ad occupandas Cœlesyriæ fauces, misso. Ipse verò, Seleuciensium pietique pecuniâ promissisque corruptis, captòque suburbio, urbem deditione recepit; civibúsque perhumaniter tractatis portum & arcem præsidiis firmavit. [*Polyb. lib. 5. à pag. 402 ad 405.*] 4495 219

Erat in his Rex occupatus, quum litteræ à Theodoto Ætolo illi afferuntur, quibus rogabatur ut contenderet quamprimùm in Cœle-syriam; quam se ipsi traditurum significabat. Rex igitur ad eum progreditur: sed Theodotum, proditione patefactâ, dux Ptolemæi Nicolaus Ptolemaide inclusum obsedit, & Lagoram Cretensem cum Dorymene Ætolo ad occupandas fauces

prope

prope Berytum miſit. Quibus ab Antiocho fugatis, ſoluta obſidione Theodotus & Panætolus, amicis ſuis comitati, obviam illi proceſſerunt: Tyrúmque & Ptolemaïdem, cum omnibus apparatibus qui in illis erant, ei tradiderunt. Repertæ ibi ſunt naves 40. quæ Diogneto navarcho ſunt traditæ. [*Ibid. pag.* 405. 406. *cum lib.* 4. *pag.* 305.]

Antiochus factus certior Ptolemæum Memphim conceſſiſſe, copias Peluſii eſſe congregatas, Nili aggeres recludi, omnes aquæ dulcis ſcaturigines obrui; mutatâ ſententiâ de exercitu ducendo versùs Peluſium, per Cœle-ſyriam quoquoverſum agmen ductans, urbium alias vi, alias æquitate conditionum ſibi adjungere conabatur. Quæ leviter igitur munitæ erant, hæ adventu illius perterritæ, ad ejus amicitiam ſe applicabant: reliquæ in fide manebant; & his obſidendis plurimum temporis inſumere Rex cogebatur. [*Idem lib.* 5. *pag.* 406.]

Interea nullam quidem rerum ſuarum curam gerebat Philopator: ſed Agathocles & Soſibius, penès quos erat regni adminiſtratio, operam omnem in parando bello collocant; idque inſcio, quantum fieri potuit, Antiocho. Quin & Cyzicenos, Byzantinos, Rhodios, Ætolos ſollicitant ad pacem inter utrumque Regem procurandum: dum, illi interim peritiſſimos quoſque duces & copias quamplurimas conſcribunt, ac rei militaris diſciplinâ imbuendas curant. [*Ibid. pag.* 406. 407. *cum lib.* 4. *pag.* 305.]

Sed inter Byzantinos & Rhodios novum eodem tempore bellum eſt exortum, quòd Byzantini, Gallis tributa coacti perſolvere, portorium à navigantibus in Pontum exigerent. [*Id. lib.* 1. *pag.* 158. *& lib.* 4. *pag.* 305. 306. 314.]

Rhodii igitur, miſſis illicò ad Pruſiam (Bithyniæ regem illum, cui Χωλὸς ſive Claudi cognomentum fuiſſe, in *Memnonis* Excerpt. cap. 29. legimus) legatis, ſocietatem belli cum eo inierunt; Byzantinis tum ob alias cauſas infenſo, tum quòd ad dirimendas inimicitias inter Achæum & Attalum tantum ſtudii adhibuiſſent ut nihil ſupra: quorum mutuam inter ſe amicitiam rebus ſuis inutilem multis modis futuram exiſtimabat. Cum legatis igitur Rhodiorum ita conſtituit, ut rem mari gerere illis ſuaderet; ipſe non minora hoſtibus detrimenta ſe terrâ illaturum polliceretur. Indéque Hieron Byzantinis ille ademit (quem locum, ad mercatores qui in Pontum navigabant pertinentem, paucis antè annis Byzantini magnâ pecuniæ vi emerant) & eam Myſiæ partem, quam in Aſiâ à longo jam tempore obtinuerant. [*Id. lib.* 4. *pag.* 314. 315. 316.]

Rhodiorum exemplum ſecuti Byzantini, & ab Attalo & ab Achæo per legatos auxilium petierunt. Et erat quidem Attalo voluntas prompta: ſed qui ab Achæo intra paterni regni fines erat compulſus, momentum ad victoriam afferre poterat non ſanè magnum. Achæus verò, qui in regionibus Aſiæ cis Taurum latè dominabatur, quíque Regis nomen paulò antè aſſumpſerat, auxilia Byzántinis promiſit. [*Ibid. pag.* 314.] Miſerunt etiam illi ad Tibiten, qui ipſum è Macedoniâ adducerent, ad bellum cum Pruſiâ gerendum. Exiſtimabatur enim Bithynorum regnum pari jure ad Tibiten pertinere atque ad Pruſiam, cujus ipſe patruus erat. [*Ibid. pag.* 316.]

Pruſias rex, Tibitæ patrui ſui adventum metuens, omnia caſtella, in quibus aliqua videbatur eſſe ad res bello gerendas opportunitas, demolitus eſt. [*Ibid. pag.* 318.]

Rhodii ut à Byzantinis Achæum averterent, pattem illius Andromachum, qui Alexandriæ captivus detinebatur, à Ptolemæo obtinuerunt, filio reſtituendum. Quâ re confectâ, nonnulliſque inſuper honoribus Achæo decretis; ſpem Byzantinis cui plurimum innitebantur ademerunt. Tibites etiam, dum in patriam ex Macedoniâ reducitur, fato functus conſilia ipſorum morte ſuâ vehementer conturbavit. Cavaro igitur (Gallorum qui in Thraciâ erant regulo; ut libro octavo docet *Polybius*, in Excerptis Henr. Valeſii pag. 26. & *Athenæo* lib. 6. cap. 6.) qui eo tempore Byzantium venerat intercedente, pacem cum Pruſiâ & Rhodiis, omiſsâ deinceps portorii exactione, inierunt: eâ lege, ut ablatâ omnia Pruſias reſtitueret. [*ibid. pag.* 317, & 318.]

Per idem tempus Mithradates Ponti rex bellum Sinopenſibus indixit: qui à Rhodiorum populo acceptis 140 drachmarum millibus, & urbem ſuam & peninſulam in quâ ea ſita erat adversùs illius inſultus munierunt. [*Ibid. pag.* 323.]

3786 Antiochus Dura (urbem Phœniciæ, Dora *Ptolemæo* dictam) obſedit; ſed conatu irrito: cùm & locus eſſet naturâ munitus, & obſeſſis ſubinde opem ferret Nicolaus. Adpetente verò jam hyeme, miſſis à Ptolemæo legatis demum annuit, ut ad quatuor menſes fierent induciæ: cùm diutiùs à ditione ſuâ abeſſe nollet. Jam enim manifeſtum erat rebus ipſius inſidias ſtruere Achæum; à quo Ptolemæum adjuvari nemo dubitabat. Dimiſſis igitur legatis, ubi præſidia locis opportunis impoſuiſſet, rerum omnium curâ Theodoto mandatâ, Seleuciam rediit; & in hybernа exercitum dimiſit, nullam de cætero exercendi militis curam gerens. Perſuadebat enim ſibi, ad ea quæ reſtabant, nihil dimicatione futurum opus: quòd partem aliquam Cœle-ſyriæ & Phœniciæ jam in poteſtate habens, cætera loca à volentibus ſe accepturum, & omnia colloquiis tranſacturum ſperabat. [*Ibid. pag.* 409.]

Cùm nihil de pace per legatos tranſigeretur, ineunte jam vere copias contrahit ſuas Antiochus, habens in animo terrâ marique hoſtem aggredi, & reliquas Cœle-ſyriæ partes nondum ſubactas in poteſtatem redigere. [*Ibid. pag.* 411.] 4496 218

Ptolemæus ſummam rerum tuendam Nicolao Ætolo tradit; commeatus omnium rerum Gazam adfatim convehit: copias quà pedeſtres, quà maritimas emittit; Perigene claſſi præpoſitò, tectas quidem naves 30 habenti, onerarias verò ampliùs 400. [*Ibid. pag.* 411.]

Antiochus Marathum progreſſus, quum ad eum Aradii venirent de ſocietate acturi, non ſolùm accepit illos in ſocietatem; ſed etiam controverſiam quæ inſulanos Aradios & eos qui continentem habent invicem anteà alienabat, ſedavit, atque ut inter ſe concorditer viverent effecit. Deinde per Theû-proſopon Phœniciam ingreſſus, Berytum venit: & in tranſitu Botrym occupavit, Trierem verò & Calamum incendit. [*Ibid.*]

Quum autem ad pugnam eſſet ventum, diviſo in tres acies exercitu, unam Theodoto, alte-

ram Menedemo tradidit, tertiam ad res mari gerendas reservavit, præpolito Diocle, qui Paraporamiam ad Euphratem Præfecturam obtinebat. Ipse cum prætoriâ suâ cohorte medius inter omnes stetit; spectator quæ gererentur omnium futurus, & ut quisque suorum laboraret, opem eò laturus. Simul & Diognetus classi Antiochi, & Perigenes Philoparoris classi præfectus, navales copias ad pugnam direxerunt; terræ quàm maximè fieri poterat appropinquantes, & ut terrestris navalisque prælii una duntaxat facies appareret connitentes: Mox quum uno omnes dato signo, & uno imperio, hostem simul invaderent, mari quidem pugnæ discrimen æquabatur; terrâ verò Nicolaus Ætolus copiarum Philopatoris dux à Theodoto demum fugatus est: quâ in fugâ, ad duo millia perierunt, nec pauciores vivi capti sunt; qui supererant cunctis ad Sidonem se recipientibus. Perigenes, ut eadem terrâ esse acceptam vidit, retrò ipse quoque concedens eadem petiit loca. Antiochus cum exercitu profectus, ad Sidonem signa constituit: urbis tamen oppugnationem non censuit sibi tentandam; quòd & rerum necessariarum copiâ abundaret, & hominibus esset refertissima. [*Ibid. pag.* 412. & 413.]

P. Cornelio Scipione & T. Sempronio Longo Consulib. Hannibal laborioso per Alpes transitu descendit in Italiam, æstatis tempore. [*Liv. lib.* 21.] Olympiadis CXL. anno 2, delineante sc. Unde principium ducit bellum Punicum II. sive Hannibalicum; à *Polybio*, *Livio*, *Silio Italico*, & *Appiano Alexandrino* in Hannibalicis descriptum. Quo Romanorum & Carthaginiensium nomen adeò inclaruit: ut in Græciâ primùm, deinde & in insulis atque Asiâ (propriè dictâ) ad illos jam in rebus suis omnes, non ad Philippum, Antiochum aut Ptolemæum oculos suos converterent. [*Polyb. lib.* 5. *pag.* 443.]

Eadem æstate quâ in Italiam Hannibal, in Palæstinam Antiochus Magnus irrupit. Hic enim, Diogneto navarcho negotio dato ut classe Tyrum appelleret, ipse assumptis legionibus Philoteriam duxit, ad lacum (Tiberiadis) sitam quem Jordanes amnis influit: qui inde exiens, per Scythopolitanæ urbis campos labitur. Captâ utràque illâ urbe, Philoteriâ & Scythopoli (quæ Josepho Bethsan est in tribu Manassis) & præsidio in utramque inducto, montibus deinde superatis Atabyrium (sive Thabor) ascessit, oppidum in colle situm, ad cujus summum vertricem stadia numerantur quindecim. Antiochus levibus præliis oppidanos lacessens, quum antesignanos suos procedere quàm longissimè jussisset, mox repentè conversis qui fugiebant, & eis coortis qui fuerant in insidiis locati, acre prælium fecit, & multos eorum occidit: ac tandem insecutus ipse, cum cunctis terrorem injecit, ut primo impetu hanc quoque urbem caperet. [*Polyb. ibid. pag.* 413.]

Eo tempore Keræas è numero præfectorum Ptolemæi, ad Antiochum defecit: quo munificè ab illo suscepto, etiam Hippolochus Thessalus non multò pòst abductis de Ptolemaico exercitu 400 equitibus, ad ipsum transfugit. Antiochus verò postquàm præsidio Atabyrium firmasset, castra inde movens, Pellam & Camum & Gephrum deditione accepit. Hic adeò felix rerum successus adjacentis Arabiæ populos movit, ut cohortationibus mutuis incitati, communibus suffragiis se illi omnes adjungerent. Quâ novâ spe auctus Rex, opibúsque Arabum subnixus, in Galaritidem devenit: eáque potitus Abila in potestatem redegit; & simul omnes qui, Nicià duce, præferendâ ope eò occurrerant. Restabat adhuc Gadara, locus opinione hominum præ cæteris omnibus illius tractûs eximiè munitus. Ad hunc Rex admovit exercitum: molitúsque opera oppidanos ita terruit, ut in deditionem extemplò venerint. [*Ibid. pag.* 414.]

Eadem æstate in Pamphyliâ Pednelissenses à Selgensibus obsessi, jamque de salute periclitantes, per legatos opem ab Achæo petunt. Mittit Achæus peditum sex millia, equites 500. duce Garsyere. Is per Milyada ingressurus, comperit aditus à Selgensibus occupatos. Fingit igitur discessum. E vestigio Selgenses, digressos hostes rati, & ipsi discedunt; ad castra alii, alii ad messem, quæ jam maturuerat, faciendam. Garsyeris contestim regreditur, & transmissis nullo obsistente faucibus ad Climacem, eas ipse tuatur, ac totius belli curam Phaylo mandat. Phaylas Pergam profectus, Pamphyliæ Pisidiæque populos ad opem obsessis ferendam invitat. Aspendii quatuor, Etennenses octo hominum millia mittunt. Selgenses temeritate suâ rem prope confectam corrumpunt, ac turpiter profligati, decem circiter hominum millibus amissis, Selgam confugiunt. Fugientibus instat Phaylas. Illi conterriti, Loghasim mittunt de pace acturum. Is pro deprecatore proditorem agit. Induciæ fiunt, quarum beneficio Selgam commeabant milites. Arcessitur Achæus, cujus clementiæ sese committebant Selgenses. In his tempus teritur, dum fraudi commodum tempus expectatur. Cùm jam ad exitum perducenda videretur, res detegitur. Loghasis cum conjuratis &, quos admiserat, hostibus trucidatur. Tum Achæus feriò de pace agit. Nec abnuunt Selgenses: jussi pendere statim 400, & post aliquod tempus 300 talenta; & Pednelissenses captivos gratis dimittere. Achæus, postquàm Milyadem & partem Pamphyliæ maximam sui juris fecisset, Sardes proficiscitur: ubi continuum cum Attalo bellum gerens, etiam Prusiæ minabatur. [*Ibid. à pag.* 415. *ad* 420.]

Quo tempore Achæus in Expeditione contra Selgenses erat occupatus, Attalus Tectosages Gallos (quos propter opinionem fortitudinis ad bellum contra Achæum ex Europâ acciverat) tecum habens, per Æolidis urbes agmen ductabat, & per finitimas istis, quæ priùs metu se Achæo dedideràt. Cuma, Smyrna & Phocæa ultrò se ei adjunxerunt: Ægæenses & Lemnitæ, adventu illius perterriti, deditionem fecerunt. Adierunt illum & à Teiis Colophoniisque legati: quorum urbes, obsidibus acceptis, in easdem fœderis leges recepit atque annè. Continuato deinde itinere, trajectóque amne Lyco, ad quæ Mysi habitant loca venit. Quorum ut emensus est fines, Carsensium attigit: quos, simul cum eis qui Didyma-tiche custodiebant, ita terruit; ut castellum utrumque Themistocles, quem iis locis Achæus discedens præfecerat, ipsi traderet. Profectus inde, Apiæ campum popularus, Pelecantem montem superavit; & ad Megistum amnem castra posuit. Eò loci quum Luna defecisset, Galli molestias itineris ægrè jampridem ferentes (ut quos in expeditione uxores liberique plaustris vecti sequebantur)

bantur) tunc loco ostenti quod acciderat de Lunâ ducentes, ulteriùs se progressuros negârunt. [*Ibid. pag.* 420.] Septembris enim Juliani die primo, initio noctis Luna oriens, ultrà horam obscurata permansit.

Attalus veritus ne Galli inclinatis ad Achæum animis res ipsius invaderent, & quòd fidem ipsius secuti in Asiam trajecissent, contruc.dare eos nolens; ad Hellespontum, quò transmiserant, tuò eos reduxit, ibique agros ad colendum idoneos eis assignavit: de cætero, quoties aliquid deinceps æquum à se postularent, pro suâ virili se ipsos adjuturum promittens. Deinde Lampsacenis, Alexandrensibus atque Iliensibus, quòd in ipsius fide mansissent, benignè appellatis; cum exercitu Pergamum reversus est. [*Polyb. ibid. pag.* 421.]

3787 *a.* Antiochus factus certior magnum hostium numerum in urbem Arabiæ Rabatamana (Rabbath-ben-Ammon) convenisse, & agros eorum Arabum incursionibus infestare; eò castra movit; ac prope illos terræ tumulos tendit, quibus urbs fuit impolita. Deinde quum circuisset collem, eóque omni ex parte perspecto, deprehendisset duos tantùm aditus eum habere; utroque in loco fabricatis machinis muros dejiciendi operam Nicarcho & Theodoto separatim mandavit. Cúmque celeriter & opinione hominum citiùs pars utraque mœnium ruisset; dies pariter ac noctes, sine ullâ intermissione, summâ vi irruptionem tentabant regii: sed, propter hominum multitudinem quæ in urbem se receperat, conatu planè irrito. Tandem captivorum aliquis subterraneum meatum ostendit, per quem obsessi aquatum descendebant: quo obstructo, oppidani aquæ inopiâ adacti deditionem fecerunt. Rex urbe potitus, Nicarchum ibi cum idoneo præsidio reliquit. Hippolocho & Kerææ, qui à Ptolemæo defecerant, cum quinque peditum millibus ad vicina Samariæ loca proficisci jussit; ut provinciæ illi præsiderent, & omnes qui ipsius imperium agnoscerent ab hostium injuriis tutarentur. Ipse verò Ptolemaidem versùs castra movit; illic hybernaturus. [*Ibid. pag.* 414. & 415.]

b. Cn. Servilius Romæ Idibus Martiis Consulatum iniit. Inter prodigia ex plurib.s simul locis tunc nunciata; in Sardiniâ *Solis orbem unum visum*, & Arpis *pugnantem cum Lunâ Solem*, narrabatur. C. Flaminius alter Consul, qui Romæ tum aberat, eodem vere ad lacum Thrasymenum in Hetruriâ adversùs Hannibalem infeliciter pugnans; cum 15. Romanorum millibus in acie cæsus est. [*Liv. lib.* 22.] Eclipsis Solis eo anno, Februarii Juliani die XI, in Sardiniâ visa fuit. Et nobilem illam in Hetruriâ pugnam, simul cum alterâ inter Antiochum & Philoparorem de Cœle-syriæ imperio habitâ, Olympiadis CXL. anno 3°. (ad finem tendente) contigisse, confirmat Polybius. [*lib.* 5. *pag.* 442.] Quæ posterior pugna, in Palæstinâ ad Raphiam gesta, ita ab eo habetur descripta. 4497 217

c. Ineunte vere Antiochus & Ptolemæus, præparatis rebus omnibus, in eo jam erant, ut expeditionem susceptam prælio terminarent. Ptolemæus igitur, peditum septuaginta millia, equitum quinque, elephantos 73. secum trahens, Alexandriâ movit. [*id. ibid. pag.* 421.] & in urbe Pelusii castra primùm posuit. Ibi assumptis qui sequebantur à tergo, postquàm frumentum exercitui esset mensus, per terram carentem aquâ, propter Casium montem & ea quæ vocantur Barathra iter habens, Gazam progressus est. Quintis deinde castris quò destinaverat pervenit, ibique stadia 50. à Raphiâ signa constituit: quæ urbs Cœle-syriam ex Ægypto petenti, post Rhinocorura occurrit prima omnium è Syriacis. [*Ibid. pag.* 422.]

Per eosdem dies etiam Antiochus eódem cum exercitu advenit: in quo peditum 72. erant millia, equitum sex, elephanti 102. Qui urbem Raphiam prætervectus, decem ferme stadia primùm, & post paucos dies non longiore stadiorum quinque intervallo à Ptolemæi exercitu castra collocavit. [*ibid.*]

Eo tempore Theodotus Ætolus, qui in Ptolemæi aulâ antea versatus fuerat, ac propterea mores illius & vitæ quotidianæ consuetudinem notam habebat, duobus tantùm comitatus, sub lucem hostile vallum intravit: & sequente nocte in tentorium Regis se intulit, ut solus eum occideret, atque hoc pacto bellum dissolveret. Sed abducto eo Dositheus Drimyli filius (qui genere quidem erat Judæus, postea verò à majorum religione defecit) fecit ut ignobilis quidam recumberet in tentorio ejus. Theodotus autem in tentorium irrumpens, ex iis qui ibi cubabant duobus vulneratis, & Andreâ archiatro obtruncato, sine discrimine in castra sua se recepit. [*ibid.* & III. *Maccab.* I. 3, 4.]

Postquàm per dies quinque opposita invicem castra Reges habuissent, visum utrique est, prælio jam decernendum. [*Polyb. ibid.*] Deinde quum prælium vehemens committeretur, & partis Antiochi res multò essent valentiores; Ptolemæi soror Arsinoë capillis passis obambulans, milites cum lachrymis est hortata, ut & seipsos & liberos suos uxoresque audacter defenderent: promittens se, si vincerent, cuique duas auri minas daturam. Itaque evenit ut adversarii cominùs pugnando perderentur, & multi quoque captivi comprehenderentur. [III. *Maccab.* I. 5, 6. *cum Polyb. lib.* 5. *pag.* 424. 425.]

Desideravit autem è suis Antiochus non multò pauciores, decem millibus peditum; equites 300 & eo plures. Capti sunt vivi supra 4000. Elephanti in conflictu periêre tres, è vulneribus postea duo. E Ptolemaicis occisi sunt pedites 1500. equites 700. ex elephantis 16. sunt trucidati; reliquorum pars major capta. [*Polyb. ibid. pag.* 427.]

Sepultis suorum cadaveribus, Rex Antiochus cum reliquis copiis domum est reversus. Ptolemæus & Raphiam & reliquas urbes, ut ad quamque accesserat, à civibus sibi traditas recepit: quum omnes civitates in dominatu ipsius instaurando & deficiendo ad illum, de celeritate inter se certarent. Cœle-syriæ enim populi ad Ægypti regum venerationem præ cæteris inclinati, hâc insuper occasione accedente, nullum blandimenti genus prætermittentes, coronis, sacrificiis, altaribus cæteróque ejus generis cultu Ptolemæum honorârunt. [*Ibid. pag.* 427. 428.] Ille verò propinquas civitates adiens, donariâque delubris earum distribuens, ut subditi sui bono essent animo effecit. [III. *Maccab.* I. 7.]

Judæis mittentibus ex Senatu & Senioribus qui salutarent ipsum, & munera apportantes de iis quæ evenerant gratularentur ipsi; accidit ut eo esset paratiore animo ad eos quàm citissimè adeundos. Qui Hierosolymitani templi pulchritudinem admiratus, etiam adyta (in quæ summo Pontifici soli ingredi licebat, idque semel tantùm in anno) penetrare voluit. Quod cùm Judæi contentiosissimè recusarent, & Regi cresceret ex recusatione desiderium; toto templo lachrymis & ejulatu, civitate tumultu & querelis confusâ, Simon Pontifex ex adverso templi (inter templum sc. & altare) flectens genua, elatâ voce orationem ad Deum habuit, opem ab eo præsenti necessitati implorans. Eâ finitâ, Rex corpore animóque ita perturbatus est; ut ne fari quidem posset, & semivivus à suis extra templum abduceretur. [III. *Maccab.* I. & II.]

Simulac Antiochiam ingressus est rex Antiochus, Antipatrum fratris filium & Theodotum Hemiolium legatos de pace ad Ptolemæum misit. Qui victoriâ tam inopinatâ contentus, & omninò Cœle-syriæ imperium recuperatîe præter spem satis habens, minaciter paululùm legatos allocutus & de Antiochi quæstus injuriis, inducias in annum eis concessit; Sosibio ad firmandum fœdus misso. [*Polyb. lib.* 5. *pag.* 428. *cum Justino*, *lib.* 30. *cap.* 1.]

d. Ptolemæus tres in Syriâ ac Phœniciâ menses moratus, ad componendum singularum civitatum statum, omnibus illis locis Prætorem relinquens Andromachum Aspendium, cum sorore Arsinoë & amicis ad repetendam Alexandriam cultra movit: impositio eo fine huic bello, quem subditi, reliquæ ejus vitæ atque institutorum gnari, satis mirari non poterant. Antiochus, ubi fœdus cum Sosibio affirmasset, ad bellum contra Achæum, sicut anteà proposuerat, se comparabat. [*Polyb. ibid.*]

3788 Antiochus bello per hyemem magnâ curâ adornato, ineunte æstate Taurum montem superavit; & factâ cum Attalo societate, Achæum bello est agressus. [*Id. ibid. pag.* 444. & 446.] Quem dum Sardibus inclusum ille obsideret; leves dimicationes & pugnæ sine intermissione ullâ continuè committebantur noctu atque interdiu: quum milites nullum non genus insidiandi aut insidiatores captandi, invadendique sese invicem comminiscerentur. [*Id. lib.* 7. *pag.* 506.] 4498 216

Cùm Galli qui ab Attalo ad Hellespontum fuerant relicti, Ilienses obsiderent, Alexandrenses qui Troadem incolebant, misso Themistâ cum quatuor militum millibus, ex universâ Troade eos ejecit; impediendo commeatus, & eorum conatibus se opponendo. Qui inde pulsi, Arisbâ Abydenæ ditionis urbe occupatâ, cætera ejus tractus oppida ex insidiis conabantur invadere; & assiduum cum illis bellum gerebant. Adversis hos igitur Bithyniæ rex Prusias expeditionem suscepit, & acie dimicavit. Ac viros quidem in ipso prælio, dum manus conseruntur, contrucidavit; sobolem verò propemodum omnem atque conjuges in ipsis castris jugulavit: atque urentilia victori militi diripienda concessit. [*Id. lib.* 5. *pag.* 447.]

Ptolemæus Philopator in Ægyptum reversus, ab omni rerum honestarum studio ad luxuriosum ac perditum vivendi genus se contulit. [*Id. lib.* 14. *in Excerptis Valesii*, *pag.* 62.] Augescens enim malitiâ, non solùm innumeris se libidinibus explevit, sed etiam famosis libellis Judæos Alexandrinos vexare cœpit, & à vero Dei cultu avertere. Qui resisterent, vel occidi jussit, vel omni dignitate ac libertate privatos, stigmaticos fieri, inusto hederæ folio, quod Bacchi erat insigne: qui autem patriâ religione desertâ, obtemperarent, hos voluit æquo cum Macedonibus jure cives Alexandrinos censeri.

Multi igitur Regis voluntati cesserunt; plurimi autem se à vitæ discrimine, & inustione, pecuniæ largitione redemerunt. Qui autem in avitâ religione perstiterunt, in regem quidem benevolentiam fidémque constantem observabant, sed ab apostatarum convictu abstinebant; & ut gentis suæ hostes abominati, communi conversatione & signis amicitiæ omnibus eos privabant. Quod adversarii tamen ita sunt interpretati, ac si neque regi neque potestatibus illi consentirent, sed ab eorum obedientiâ homines averterent. Unde Philopator, non in Alexandrinos solùm sed in reliquos etiam totius Ægypti Judæos iratus, datis literis omnes in unum locum cogi jussit, ultimis supplicîis afficiendos. Descriptio eorum à Regis ministris diebus 40. facta est; à 25°. videlicet die mensis Pachon usque ad 4^tum. Epiphi, hoc est, juxta fixum Alexandrinorum annum, (quem ante pugnam Actiacam in usu apud illos non fuisse, recentiores Chronologi sine ullâ ratione sibi persuaserunt) à Maii Juliani die 20. usque ad Junii 29: constitutâ perditione illorum à 3°. Epiphi ad 7, diebus tribus.

Tempore constituto, Judæi Alexandriæ in Hippodromo constituuntur, ut omnium prætereuntium probris & irrisionibus paterent. Tum Rex Hermonem elephantorum præfectum advocat, jubétque sub insequentem diem, multo thure in vinum immisso, potari elephantos numero 500. eâque potione efferatos in Judæos immitti, ab iis proterendos ac discerpendos. Postero die regem altus sopor detinet usque ad horam prandii; cùm jam tota spectatorum turba diffluxisset. Insequenti die mandatorum eundem capit oblivio; ut furere putaret eos qui ad spectaculum eum invitabant. Tertio die, quum in Judæos immittendæ essent belluæ, viri sunt duo terribiles Angeli de cœlo descendere; qui spectatores ita perturbarunt, ut quasi constricti vinculis immobiles fierent. Rex quoque totus inhorruit, atque animo commutato feritatem deposuit. Quin & elephanti in armatos qui subsequebantur conversi, proculcabant & profligabant illos.

Tum Rex Judæos laudatos vinculis solvi jubet, Deumque ipsorum protectorem agnoscit: & per septem dies (à 7°. usque ad 14. Epiphi, sive à 2°. ad 9um. nostri Julii) publicum epulum eis præbet. Quibus expletis, potestatem interficiendi apostatas Judæi ab illo impetrant: dicentes, eos qui ventris causa præceptiones divinas omiserint, ne in præcepta quidem Regis bono animo futuros unquam. Quorum cùm supra 300. è medio in itinere sustulissent, Ptolemaida (in Arsinoite Nomo ad Nilum positam) quæ à rosarum feracitate Rhodophoros est dicta, pervenerunt; ubi de communi sententia ipsorum clarîs diebus septem eos præstolabatur. Ibi convivium eucharisticum fecerunt: Rege alacriter ipsorum cuique omnia suppeditante quæ erant opus ut se in suas

domos

domos ſinguli reciperent. Unde, terrâ & mari & fluvio, ſummo cum gaudio ad ſua incolumes ſunt reverſi. Quæ omnia fuſiùs in tertio Maccabæorum libro habentur deſcripta: quem in Eccleſiaſticæ ſuæ hiſtoriæ initio Philoſtorgius portentoſum vocat, nihilque ſimile primo explicantem. * quanquam tantam is apud nos obtineat authoritatem; ut inde Joſephum corrigendum exiſtimemus, qui in libro 2°. contra Apionem à temporibus Philopatoris ad regnum Euergetæ II ſive Phyſconis ita traduxit. *

Ægyptii, ſecundâ ad Raphiam pugnâ inflati, dicto audientes eſſe Philopatori non ampliùs dignabantur; ducem & auctorem quærentes, tanquam idoneis ad illi reſiſtendum viribus præditi: quod ad extremum fecerunt; idque haud ita multò pòſt. [*Polyb. lib. 5. pag. 444.*]

3789 Cum Ægyptiis defectoribus bellum geſſit Philopator. [*Id. ibid.*] In quo, ab illius partibus Judæos recenti jam beneficio ab eo affectos ſtetiſſe, non eſt dubium. Hoc certè tempore victos illos, & 60. millia armatorum ex numero eorum exſa fuiſſe, in Euſebii & Jornandis Chronico proditur. Quæ tanta clades *Demetrium*, qui de Judææ regibus librum edidit, forteſſe moverit, ut numeri annorum qui à captivitate Aſſyriacâ & Babylonicâ uſque ad quartum hunc Ptolemæum effluxerunt rationem hic ineundam eſſe cenſeret: quemadmodum apud *Clementem Alexandrinum in* 1°. libro Stromatum legimus. Unde & ipſum hiſtoricum *Demetrium*, ut poſt Philopatorem, ita & ante deſolationem populo Judaico ab Antioeho Epiphane illatam ſcripſiſſe colligimus: ad quam potiſſimùm (ſi illam habuiſſet cognitam) priorum illarum calamitatum epochas accommodaturum eum fuiſſe, non levi ad ſuſpicandum conjecturâ ducimur. 4499 215

Sardium urbs, præter arcem, Lagoræ Cretenſis ſolertiâ, altero obſidionis anno ab Antiocho capta eſt. [*Polyb. lib. 7. à pag. 506. ad 510.*]

Sofibius, qui ſub Philopatore res Ægyptias adminiſtrabat, de liberando Achæo, qui in Sardium arce obſeſſus tenebatur, cum Bolide Cretenſi egit. Ille, conſilio cum Cambylo præfecto Cretenſium qui Antiocho militabant communicato, Achæum ex Arce dolo clàm eductum Antiocho prodidit. Achæo, extremis primùm membris mutilato, caput amputatum atque utri aſinino inſutum, truncus in crucem ſublatus eſt. Eorum qui in arce erant, aliis cum Ariobazo Sardium præfecto, aliis cum Laodice Achæi uxore (Mithradatis regis filiâ) ſentientibus, dum ſibi invicem diffidunt, celeriter utraque factio & ſe & arces fidei Antiochi permiſerunt. [*Id. lib. 8. à pag. 522. ad 529.*]

3790 Lacydes Cyrenæus, novæ Academiæ princeps, annis 26. in ſcholâ contumpſit, ſolus ex omni memoriâ vivens Phocenſibus Telecli & Euandro eam tradidit. [*Laërt. in Lacyd.*] 4500 214

3792 Antiochus Mediam & Parthiam, cæteraſque provincias quæ à progenitoribus ejus defecerant, aggreſſus eſt. [*Appian. in Syriacor. init.*] Expeditionem ejus Parthicam adverſùs Arſacem, qui Parthorum imperium inter primos fundavit, in libro 10. explicavit Polybius. [*à pag. 597. ad 602.*] 4502 212

3793 P. Sulpitio & Cn. Fulvio Conſulibus Lævinus Prætor cum Ætolis & Attalo rege Pergami ſocietatem iniit. [*Liv. lib. 26. Juſtin. lib. 29. cap. 4. Eutrop. lib. 3.*] Quam cum Romanis amicitiam Attalus conſtantiſſimâ fide ad extremum finem vitæ ſervavit. [*Polyb. pag. 820.*] 4503 211

3794 Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatramque reges M. Attilius & Manius Acilius legati, ad commemorandam renovandamque amicitiam a Senatu Romano miſſi, dona tulere: Regi togam & tunicam purpuream, cum ſellâ eburneâ; Reginæ pallam pictam, cum aniculo purpureo. [*Liv. lib. 27.*] 4504 210

* Arſace, primo Parthorum Rege mortuo, ſucceſſit Arſaces II, ejus filius, qui cum Antiocho Magno bellum geſſit, regnavit ann. 36. (*Onuphrius*) *

3795 Ptolemæo Philopatori, ex Eurydice uxore eademque ſorore ſuâ, natus eſt Ptolemæus Epiphanes; qui quinquennis poſteà patri in regno ſucceſſit. [*Juſtin. lib. 30. cap. 1. & 2.*] 4505 209

Hujus natalem Syriæ & ſubjectæ regionis magnates omnes celebrarunt: ac deinde Alexandriam gratulatum magno cum apparatu iunt profecti. Inter reliquos, Joſephus quoque Judæus (Tobiæ & filiæ Simonis Juſti Pontificis filius) Syriæ, Phœniciæ & Palæſtinæ vectigalibus exigendis præpoſitus, filium ſuum natu minimum Hyrcanum (ex fratris ſui Solymii filiâ ſuſceptum) ad Regem ſalutandum miſit: literis ad procuratorem ſuum Arionem (qui omnem ipſius pecuniam tractabat Alexandriæ, tribus talentorum millibus non minorem) conſcriptis; ut nummos ipſi præberet ad emendum Regi id quod inveniret pulcherrimum & pretioſiſſimum. Cúmque alii, & hi munificentiſſimi, obtuliſſent talenta non plus quam viginti: Hyrcanus emptos à ſe centum pueros, totidemque puellas adduxit; juſſos ſingulos talentum offerre, hos quidem Ptolemæo regi, has verò Cleopatræ reginæ. Quam tam inſperatam munificentiam Ptolemæus miratus, adoleſcentem honorificentiſſimè tractatum, & donatum regiè, ſcriptis quoque ad patrem, & fratres, & omnes ſuos duces atque procuratores commendatitiis literis, dimiſit liberaliter. Fratres autem (quos ſeptem habebat, ſed ex alia matre genitos) cùm cognoviſſent tantum honoris ei habitum à Regibus; decreverunt obviam proficiſci, & de medio illum tollere; ne patre quidem inſcio, qui ob profuſam in munera tam immenſam pecuniam iratus, non erat de ſalute ejus ſolicitus. Sed fratribus adortis cum in itinere, duos eorum occidit, & alios ex eorum comitatu non paucos. Sed quum Hieroſolyma veniens, excuperetur à nemine, territus ſeceſſit trans Jordanem fluvium, & illic vitam egit. [*Joſeph. lib. 12. cap. 4.*]

3796 Philippus rex Macedonum cum Ætolis & auxiliis à Romanis & Attalo rege emiſſis bis proſpero eventu pugnavit. Naves auxiliares ex Bithyniâ ab rege Pruſiâ accepit. Attalus rex & P. Sulpitius Romanus Proconſul Æginæ hybernarunt. [*Liv. lib. 27.*] Vid. Polyb. lib. 10. pag. 612. 613. & 851.

Initio veris Sulpitius & Attalus Æginâ Lemnum claſſe junctâ tranſmiſerunt; poſtéaque in Eubœam appulſi, Oreum & Opuntem ceperunt. Attalus audiens Pruſiam Bithyniæ regem in fines regni ſui tranſgreſſum, omiſſis Romanis rebus atque Ætolico bello, in Aſiam trajecit. 4506 208

Philippus rex Elatiam, justis ibi se operiri Ptolemæi Rhodiorúmque legatis, venit. Ubi cùm de finiendo Ætolico bello cum legatis ageretur, nuncius affertur, Machanidam (Lacedæmoniorum tyrannum) Olympiorum solenne ludicrum parantes Eleos aggredi statuisse. [*Id. lib.* 28.] Hâc verò æstate Olympias CXLIII. acta est.

* Judæorum Pontifex maximus Onias (III) filius Simonis (II) insignis habetur. [*Euseb.* Chronic. cum *Joseph. lib.* 12. *cap.* 4. *&* 5.] vir bonus & benignus, verecundus quidem visu, sed moribus mitis, & sermones decenter efferens; qui à puero laborem contumpserat in rebus omnibus quæ virtutis sunt propriæ. (II Maccab. XV. 12.) *.

3797 Arsinoëm reginam Ptolemæi Philopatoris sororem à Sosibio, Philammonis operâ, fuisse interemptam, refert Polybius. [*lib.* 15. *pag.* 719. *& in Excerptis Valesii, pag.* 65.] A Philopatore verò occisam Eurydicen, uxorem eandémque sororem suam, apud Justinum legimus. [*lib.* 30. *cap.* 1.] Ut eadem fuisse videatur, & Polybii *Arsinoë*, & Justini *Eurydice*, & Livii etiam atque Josephi *Cleopatra*. [*suprà, ann. Mundi* 3794. *&* 3795.] 4507 207

Sublatâ uxore & sorore sua Philopator, Agathoclîæ psaltriæ & fratris ejus Agathoclis turpi amore captus, cum admiratione omnium ad regni curam Agathoclem promovit; hominem nullâ aulicâ solertiâ aut rerum administrandarum industriâ præditum. Accedebat & utriusque mater Oenanthe, quæ geminæ sobolis illecebris, devinctum Regem tenebat. Agathocles Regis lateri junctus, civitatem regebat; tribunatus, præfecturas & ducatus mulieres ordinabant: nec quisquam in regno suo minùs, quàm ipse rex poterat. [*Polyb. lib.* 15. *pag.* 720. *& in Excerptis Valesii pag.* 65. *Justin. lib.* 30. *cap.* 1, 2. *Plutarch. in Eroico, & Cleomene. Athen. lib.* 6. *cap.* 6. *& lib.* 13. *cap.* 13. *Hieronym. in Daniel. cap.* 11.]

Cùm populo vir idoneus deesset, cujus ductu iram suam in Agathoclem & Agathocliam effunderent, interim quiescebant; unicam spem adhuc in Ptolemæo habentes, qua se tantisper sustentabant. [*Polyb. pag.* 66. *Excerpt. Valesii.*] Huic juveni, in militari vitâ assidnè cum splendore versato, pecuniæ regiæ cura commissa est: quam cùm ille, non ut curator, sed quasi hæres administraret: in odium offensionémque aulicorum incurrit. Unde cùm Ptolemæus Sosibii (de quo dictum est) filius, à Philippo ex Macedoniâ (cum superioris, ut videtur, anni legatis) Alexandriam reversus, Ptolemæo obtrectare cœpisset; universos aulicos faventes sibi invenit. [*Id. lib.* 16. *pag.* 82. *&* 85. *Excerpt. Valesii.*]

3798 Hâc dissensione brevi in majus auctâ, in concilio publicè habito adversùs Ptolemæum rulici, & adversùs ipsos simul omnes Ptolemæus accusationem instituit. Quâ auditâ, Sosibius (cui regii annuli & corporis custodiæ erat mandata) annulum illi tradidit: eóque accepto, cuncta deinceps Ptolemæus arbitratu suo administravit. [*Ibid. pag.* 85. *&* 86.] 4508 206

3799 P. Cornelio Scipione & P. Licinio Crasso Consulibus, invento à Decemviris carmine in libris Sibyllinis, *quandocunque hostis alienigena terra Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italiâ victumque posse, si mater Idæa Pessinuntia Romam advecta esset*; quinque legati, qui eam deportarent, à Romanis ad Attalum Regem missi sunt. * In illâ enim urbe Phrygiæ ab Attalicis regibus magnificum templum matri illi fuit extructum, quæ Idæa & Dindymene & Cybele est appellata. * Hi singulis quinqueremibus profecti sunt; ut ex dignitate populi Romani adirent eas terras, ad quas concilianda majestas nomini Romano esset. Attalus legatos, comiter Pergami acceptos, Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrúmque iis lapidem, quem Matrem deúm incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportare Romam jussit. * [*Cicero*, de Aruspicum respons. *Diodor. Sicul.* in Excerptis Valesii, pag. 582. *Liv. lib.* 29. *Strabo lib.* 12. *pag.* 567. *Herodian. lib.* 1. de reditu legatorum: addenda hic, tùm ex locis notatis, tùm ex Cicerone in Bruto, *(* & aliis notatis à *Bellendeno*, pag. 139.) *Plutarch.* in Africano. *Solin. cap.* 7. *Plin. lib.* 7. *cap.* 34. *&* 35. *Valer. Max.* lib. 8. cap. 16. *Sil. Italic. lib.* 7. *Aur. Vict.* de vir. illustr. cap. 44. *Ammian. Marcellin. lib.* 22. *pag.* 219.] 4509 205

Ab Antiochò *pacatam superiorem Asiam Bactris tenus*, in Prologo libri 30 *Trogi* notatum invenimus. Ibi verò, quum multo tempore Euthydemum de regno Bactrianorum deturbare frustra ille conatus esset; fœdus tandem cum eo init. Ad quod sanciendum quum Euthydemus filium suum Demetrium misisset; ejus indole ac specie delectatus Antiochus, regno dignum judicavit. Et primò quidem unam è suis filiabus se ei desponsurum promisit: deinde ejus patri regii nominis usurpandi fecit potestatem. Tum fœderis conditiones super cæteris rebus scripto complexus, & societate jurejurando firmatâ, castra movit: ubi primùm militibus commeatum largiter dedisset, & elephantos omnes accepisset quos Euthydemus secum habebat. [*Polyb. lib.* 11. *pag.* 651.]

Mox superato Caucaso, Indorum fines ingressus amicitiam cum Sophagaseno rege renovavit. Ibi quoque elephantos alios accepit; ut jam 150. bestias haberet: deinde exercitui frumentum denuò mensus, copias cœpit reducere; Androsthene Cyziceno relicto ad devehendam gazam sibi à Rege promissam. [*Id. ibid. pag.* 652.]

3800 Arachosiam inde ventum: unde trajecto amni Erymantho, itinere per Drangianam habito, in Carmaniam Antiochus venit. In eâ provincia, quia hyems jam appetebat, in hybernis copias collocavit. [*Ibid.*]

Philippo regi Macedonum pax à Romanis data est. Fœderi, inter alios, Prusias Bithyniæ rex à Philippo, Ilienses & Attalus rex à Romanis adscripti sunt. [*Id. ibid.*] * potiùs *Livius lib.* 29. Omissa enim sunt hic quædam ex Livio supplenda, & Appiani legat. 20. (pag. 357, 358. edit. Fulv. Ursini.) *. 4510 204

Alexandriæ Ptolemæus Philopator mortuus est, relicto successore filio Ptolemæo *Epiphane*. Eum *quatuor* tunc annorum Hieronymus, (in Daniel. cap. 11.) *quinque* Justinus fuisse refert. Regno verò Epiphanis anni 24. tribuuntur à Ptolemæo in Regum Canone, Clemente Alexandrino, Porphyrio, Eusebio & Hieronymo.

Philopatoris mors, dum Agathoclis & mater ejus Oenanthe pecuniam regiam rapiunt, &

imperium initâ cum perditiſſimis ſocietate occupare conantur, diu occultata fuit. [*Juſtin. lib.* 30. *cap.* 2.] Tandem Agathocles, primariorum Macedonum concilio convocato, cum ſorore Agathocliâ & puero rege ad eos prodiit: ſorori puerum à moriente patre in ulnas traditum, & illorum fidei commiſſum narrat: & præſentis Critolaï teſtimonio, in eo jam eſſe Tlepolemum ut ſibi aſſumat diadema, confirmat. Quibus ſimilia cùm in aliis quoque cœtibus concionabundus diceret, ab omnibus contemptus eſt. Tum, ut ſuam cum Tlepolemo diſcordiam faceret palàm, ſoctum ipſius Danaën, ex æde Cereris abreptam & per mediam urbem revelatâ facie tractam, in carcerem conjecit. Mœragenem deinde ſatellitum unum, quòd omnia Tlepolemo indicaret, ejúſque adjuvaret conatus, (propter illam neceſſitudinem quæ ipſi cum Adæo urbis Bubaſti præfecto intercederet) delatum, Nicoſtrato qui illi erat ab epiſtolis torquendum tradidit. Qui cùm à tormentis miro modo nudus evaſiſſet, Macedones adversùs Agathoclem concitavit. [*Polyb. lib.* 15. *pag.* 712, 713, 714.]

Cúmque jam circa regiam tuba omnis generis hominum conflueret, Agathocles ſe cum Rege & cognatis ſuis in Syringe, porticu triplici portarum obice munitâ, abdidit. Sed cum Macedones cogunt ſibi Regem tradere: quem in publicum educunt, & in regio throno collocant, populo lætitiâ geſtiente. Nec multò pòſt Agathocles in vinculis ductus, à primis qui accurrerant confoditur. Poſt hunc ductus eſt Nico, deinde Agathoclia nuda cum ſororibus, ac deinde univerſa cognatio. Noviſſima omnium Oenanthe, ex Theſmophorio avulſa, nuda, equo vecta in Stadium inducta eſt. Quibus ſimul omnibus populo traditis, alii mordere, alii mucronibus configere, alii oculos eruere. Ut quiſque autem illorum ceciderat, jacentis membra diſtrahebant, donec artus omnium detruncaſſent. Eodem quoque tempore puellæ quæ cum Arſinoë fuerant educatæ, cùm audiſſent ante triduum Cyrenis Alexandriam advenisſe Philammonem, cui Reginæ occidendæ negotium commiſſum fuerat; in ejus domum per vim irruperunt, Philammonem ſaxorum fuſtiúmque ictibus occiderunt, filium ætate planè puerum ſtrangulârunt, uxorem nudam traxerunt in plateam, ibique trucidârunt. [*Ibid. pag.* 716, 718, 719.] Seditione verò ſedatâ, Ariſtomeni Acarnani aliquanto pòſt negotiorum regni cura commiſſa eſt. [*Ibid. pag.* 717. *cum lib.* 17. *pag.* 771, 772.] Qui tutor Regis conſtitutus, cuncta negotia prudenter adminiſtravit. [*Diodor. Sicul. in Excerptis, à Valeſio edit. pag.* 294.]

Auditâ morte Philopatoris, Antiochus Syriæ & Philippus Macedoniæ rex de relicti pupilli regno inter ſe dividendo fœdus impium inierunt; mutuis etiam hortatibus ſeſe invicem concitantes, ut ipſum è medio tollerent. [*Id. lib.* 15. *pag.* 707. *cum Liv. lib.* 31. *& Juſtin. lib.* 30. *cap.* 3.] De quo Polybius, libro 5. [*pag.* 159.] Πτολεμαίῳ τῷ βασιλέως μεταλλάξαντος τὸν βίον, συμφρονήσαντες Ἀντίοχος ὁ Φίλιππος ὅτι διαμίσει τὸ καταλελειμμένον παιδὸς ἀρχὴς, ὥρμησαν κακεπραγμονεῖν, ὁ μὲν τὰς χεῖρας ὑπερβάλλειν, Φίλιππος δὲ τοὺς κατ' Αἴγυπτον καὶ Καρίαν, Ἀντιοχὶς δὲ τὰς κοίλου Συρίας καὶ Φοινίκης. *Ptolemæo rege mortuo, Antiochus & Philippus de relicti pueri regno dividendo junctis inter ſe conſiliis, nequiter & doloſè agere cœperunt; Philippus quidem in Ægyptum & Cariam, Antiochus verò in Cœle-ſyriam & Phœniciam manus injiciendo.* * *& Appianus* in legat. 21 à Fulvio Urſido editâ. Λέγει δ' ὅτι Φίλιππος καὶ Ἀντίοχος ὁ Σύρων βασιλεὺς ὑποσχόμενοι ἀλλήλοις· Ἀντίοχος μὲν ὁ Φίλιππος συστρατεύσειν ἐπί τε Αἴγυπτον καὶ ὅτι Κύπρον, ἣν τοτὲ ἦρχεν ἔτι παῖς ὢν Πτολεμαῖος ὁ τέταρτος· ᾧ Φιλοπάτωρ ἐπώνυμον ἦν. Φιλίππῳ δ' Ἀντίοχος ὅτι Κυρήνην καὶ τὰς Κυκλάδας νήσους καὶ Ἰωνίαν. *Fama erat Philippum & Antiochum Syrorum regem ſibi promiſiſſe invicem: Antiocho quidem Philippum ſimul cum eo pugnaturum ſe contra Ægyptum & Cyprum, quibus tum imperabat Ptolemæus quartus qui Philopator vocitatus eſt*, (nam & hic, in Syriacis ſemper Philopatorem patrem cum Epiphane filio Appianus perperam confundit) *puer adhuc exiſtens; Philippo verò Antiochum adverſus Cycladas Inſulas & Ioniam*, cum illo copias ſe conjuncturum. *&* Hieronymus in 11. cap. Danielis. *Philippus rex Macedonum & Magnus Antiochus pace factâ, adversùm Agathoclen* (Ariſtomenem rectiùs dixiſſet) *& Ptolemæum Epiphanem dimicârunt: ſub hâc conditione, ut proximas civitates, regno ſuo ſinguli de regno Ptolemæi jungerent.* Ex quibus ille Joſephi locus eſt exponendus, lib. 10. Antiquit. cap. 3. *Antiocho Magno in Aſiâ regnante, in continuâ vexatione tam Judæa fuit quàm Cœle-ſyria: quòd eo bellum gerente cum Philopatore Ptolemæo, hujuſque filio qui Epiphanes cognominatus eſt, ſive vinceret ſive vinceretur, malè multaretur; non aliter quàm navis fluctibus utrinque oppugnata, inter proſperam & adverſam Antiochi fortunam jactata. Tandem victor Antiochus Judæam ſuæ ditioni adjecit. Defuncto verò Philopatore, filius ejus magnum exercitum duce Scopâ miſit in Cœle-ſyriam: qui & multas ejus urbes & noſtram gentem vi in poteſtatem ejus retraxit, &c.* Hoc enim ille voluit, aut velle certè debuit: Antiochum pro Judæâ cum Ptolemæo Philopatore & Epiphane vario eventu decertantem, ſub Epiphane tandem eam obtinuiſſe; quam deinde Scopas pro Epiphane recuperatam, aliquanto pòſt amiſerit. Quod non percipiens Euſebius, ad annum Philopatoris 10. *Antiochum victo Philopatore Judæam ſibi ſociaviſſe; &* ad Epiphanis annum 1. *Ptolemæum Epiphanem, Scopâ principe militiæ deſtinato, Judæam cepiſſe*, in Chronico ſuo annotat. quum pugnâ ad Raphiam victus Antiochus cum Philopatore bellum poſteà redintegraſſe nullibi legatur: & quod inter illos fœdus erat initum, ipſo illo primo Epiphanis anno (quo nondum huic bello, ut poſteà videbitur, Scopas ſe immiſcuit) ab Antiocho primùm ruptum fuiſſe, in commentariis ad 11. cap. Danielis ita nos doceat Hieronymus. *Ptolemæo Philopatore mortuo, adversùm filium ejus, qui tunc quatuor annorum erat & vocabatur Ptolemæus Epiphanes, rupto fœdere Antiochus movit exercitum.*

3801 Cn. Servilio Cæpione & Cn. Servilio Gemino Conſulib. Fruſinone arcus Solem tenui lineâ amplexus eſt; circulum deinde ipſum major Solis orbis extrinſecùs includit. [*Liv. lib.* 30.] Ea eclipſis Solaris fuiſſe videtur; quam hoc anno, Maii Juliani die 6, contigiſſe calculus Aſtronomicus demonſtrat. 4511 203

Carthaginienſes, multis Scipionis victoriis in deſperationem acti, in auxilium publicæ ſalutis

Han-

Hannibalem domum revocârunt : itque anno 16°. ex Italiâ discedens, in Africam trajecit. [*Id. ibid.*]

Philippus Macedonum rex Heraclidem Tarentinum, hominem improbissimum, Rhodum ad Rhodiorum naves corrumpendas, & legatos in Cretam, qui ad bellum contra Rhodios suscipiendum Cretenses incitarent, misit. [*Polyb. lib.13. pag.672.673.*]

Pugnâ navali inter Philippum & Rhodios ad Laden insulam initâ, duas Rhodiorum quinqueremes cum ipsis hominibus Philippus cepit. Reliquæ Rhodiorum naves in altum refugientes, in Myndiam tempestate ejectæ & postridie ad insulam Co delatæ sunt. Hostes verò quinqueremes captas ad naves suas religantes, ad insulam Laden (è regione Mileti) in ipsis Rhodiorum castris stationem fecerunt. Quod videntes Milesii, non Philippo solùm sed etiam Heraclidi, urbem ingressis, coronas obtulerunt. [*Id. in Excerptis Valesii, pag.70. & 73. ex Zenone & Antisthene, Rhodiis historicis.*]

3802 Philippus annonæ penuriâ oppressus universam Attali ditionem ad ipsas Pergamenæ urbis portas vastare non destitit. Et cùm neque urbem ob locorum munitiones capere, neque ex agris propter Attali diligentiam prædam facere potuisset; in templa & aras sævit, ipsos etiam lapides confringens, ne dissipatæ ædes posthac restitui possent. Ac postquàm Nicephorium lucum (juxta Pergamum) penitùs excidisset, multáque ibidem fana solo æquavisset; principio quidem versùs Thyatira est profectus, mox inde reflexo itinere Campum petiit qui Thebes appellatur, ratus se per eas regiones maximâ prædâ potiturum esse. Quâ spe iterum frustratus, delatúsque ad Hieram Comen, legatos ad Zeuxim (Lydiæ sub Antiocho satrapam) misit; postulans ut commearum subministrare, ac reliqua sibi præstare ex præscripto fœderis vellet. At Zeuxis parere quidem fœderi velle se inprimis simulabat; sed reipsâ nolebat Philippum opibus ac potentiâ augere. [*Polyb. lib. 16. in Excerptis Valesii, pag.66.69. cum Diodor. Siculi ibid. pag.294. & Appian. Legat. pag.22.*] 4582 202

Navale prælium cum Attalo & Rhodiis ad Chium insulam Philippus iniit. In eo cæsi sunt, Rhodii quidem ad 60, de copiis Attali ad 70. è classe verò Philippi, Macedones circiter 3000. socii navales ad 6000. Capti sunt vivi, Macedones cum sociis circiter 2000. Ægyptii ad 700. Philippus tamen, licèt universo prælio victus, victoriam duplici prætextu vendicabat. Unus erat, quòd Attalo Erythras profugere coacto, regiam illius navim ceperat, & suis alligatam in portum deduxerat. Alter, quòd naves quum ejecisset circa Argennum Ioniæ promontorium, videbatur stationem occupasse quæ naufragiis colligendis opportuna erat. [*Polyb. lib.16. à pag.723. ad 730.*]

Prinassum Cariæ urbem obsidens Philippus, quum nihil promoveret, dolo & stratagemate usus oppido potitus est. [*Id. ibid. pag.730.731.*] In Iasso, Bargyliis & Euromensium urbe præsidia collocavit. [*Ibid. pag.731. & lib.17. pag.744.*]

3803 P. Cornelius Scipio Hannibalem in Africâ suprema Carthaginiensibus pugnâ vicit. Defectu Solis integro territos tunc illos fuisse, apud *Zonaram* legimus. Sed minorem fuisse illum defectum, tum *Livii* testimonium libro 30. Cumis Solis orbem *minui* visum referentis, tum calculi astronomici ratio confirmat; quæ hoc anno, Octobris Juliani die 19. exiguam admodum Solis eclipsim nobis exhibet. Sunt qui Hannibalem ex acie ad mare pervenisse, atque inde præparatâ nave ad regem Antiochum extemplò profectum tradant: postulantique ante omnia Scipioni ut Hannibal sibi traderetur, responsum esse, Hannibalem in Africâ non esse. [*Liv. ibid.*] Sed verùs alii, Scipionem neque exposcere eum à civibus voluisse, neque in ejus fortunam insultavisse, memorant. [*Plutarch. in T. Q. Flaminio.*] (al. *Flaminino.*)

Abydum adveniente Philippo rege, Abydeni ne legatis quidem admissis portas illi clauserunt. Eorum oppugnatio diu Philippum tenuit: eripique ex obsidione, ni cessatum ab Attalo & Rhodiis foret, potuerunt. Attalus 300. tantùm milites in præsidium, Rhodii quadriremem unam ex classe, cùm ad Tenedum staret, miserunt. Eodem posteà cùm jam vix sustinerent obsidionem, & ipse Attalus cùm per Ægæum mare ad Tenedum venisset: spem tantùm auxilii ex propinquo ostendit, neque terrâ neque mari adjutis socios. Abydeni primò tormentis per muros dispositis, non terrâ modò adeuntes aditu arcebant, sed navium quoque stationem infestam hosti faciebant. Posteà cùm & muri pars strata ruinis, & ad interiorem raptim oppositum murum cuniculis jam perventum esset: legatos ad Philippum de conditionibus tradendæ urbis miserunt. Pacisecebantur autem, ut Rhodiam quadriremem cum sociis navalibus, Attalique præsidium emitti liceret; atque ipsis urbe excedere cum singulis vestimentis. Quibus cùm Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus respondisset: adeò renunciata hæc legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit, ut delectos 50. è senioribus coram universis jurare coëgerint, se ubi interiorem murum occupatum ab hoste vidissent, liberos & conjuges fore occisuros, & quicquid pretiosum habebant in mare dejecturos: militesque simul omnes juraverint, aut hostem superaturos se, aut pro patria dimicantes mortem oppetituros. [*Liv. lib.31. Polyb. lib.16. pag.736,737,738.*] 4583 203

Sub idem ferè tempus & ab Attalo rege & Rhodiis legati Romam venerunt, injurias Philippi querentes, & Asiæ civitates solicitari nunciantes. Quibus responsum est, curæ Asianam rem Senatui fore. [*Liv. lib.31. cum Justin. lib.30. cap.3.*]

A Romanis ad Reges Ptolemæum & Antiochum, ut controversias illorum dirimerent, tres legati missi sunt; C. Claudius Nero, M. Æmilius Lepidus, & P. Sempronius Tuditanus. Qui quum Rhodum venissent, de Abydi obsidione audientes & cum ipso Philippo colloqui cupientes, sicut in mandatis acceperant, inhibito itinere ad Reges, M. Æmilium, è tribus natu minimum, ad eum miserunt. Ille ad Abydum cum Philippo congressus, ei significavit, decrevisse Senatum ab ipso petere, ne ullâ cum Græcorum gente bellaret, neve Ptolemæi rebus manus injiceret; & ut pro injuriis Attalo atque Rhodiis illatis judicium subiret. Hæc si faceret, quo minùs pace frueretur, nihil vetare: si non obtemperaret, bellum illi à populo Romano esse paratum. Cui Rex: "Ætas, inquit, & forma, & super omnia Romanum nomen te ferociorem facit. Ego autem "primùm velim vos fœderum memores servare mecum pacem: si bello lacessieritis, mihi

quoque

" quoque in animo eſt facere, ut regnum Macedonum nomenque, haud minùs quàm Romanum, " nobile bello ſentiatis. [*Id. ibid. cum Polyb. pag.738,739,787,788. & Appian. legat.* 21.]

M. Æmilium Lepidum hunc à Romanis in Ægyptum etiam miſſum fuiſſe, ut tutorio nomine regnum pupilli (Ptol. Epiphanis) adminiſtraret, refert Juſtinus: [*lib.* 30. *cap.* 3.] ſive legatione Alexandrinorum exorati illi fuerint, *ut tutelam pupilli ſuſciperent, tuerenturque regnum Ægypti, quod jam Philippus & Antiochus factâ inter ſe pactione diviſiſſe* dicebantur; [*ibid. cap.* 2.] ſive pupillus *poſtremus patris precibus* fidei ipſorum fuerit traditus, ut idem alibi ſignificat. [*lib.* 31. *cap.* 1.] De quo Valerius Maximus, lib. 6. cap. 6. *Cùm Ptolemæus rex tutorem populum Romanum filio reliquiſſet, Senatus M. Æmilium Lepidum Pont. Max. bis Conſulem ad pueri tutelam gerendam Alexandriam miſit: Ampliſſimique & integerrimi viri ſanctitatem Reipublicæ uſibus & ſacris operatam externæ procurationi vacare voluit; ne fides civitatis noſtræ fruſtra petita exiſtimaretur.* Putabat nimirùm tutorio munere tunc illum fuiſſe functum, quando Pontifex Maximus eſſet, & ſecundum Conſulatum geſſerat: (quum eo tamen tempore Epiphanes in vivis eſſe deſiiſſet:) quia nummos, ut videtur, viderat, in quibus unà cum illis dignitatibus etiam veteris honoris tutorii memoriam conjunctam reperit. Nam & ad hunc uſque diem denarii extant argentei, quibus in altero latere inſcripta eſt ALEXANDREA. in altero, S. C. M. LEPIDUS. PONT. MAX. TUTOR. REG. qui etiam, in effigie appoſitâ, adoleſcentulo à dextris ſtanti cum ſceptro in manu coronam imponere cernitur.

Athenienſes, agro ipſorum à Philippi copiis pervaſtato, à Romanis, Rhodiis, Attalo & Ptolemæo rege auxilium petierunt. [*Liv. lib.* 31.]

Romanorum & Rhodiorum legati ſimul cum Attalo Athenis convenientes, communi conſenſu bellum adversùs Philippum decreverunt. Honores primùm regi Attalo immodici, deinde & Rhodiis ab Athenienſibus ſunt habiti. Etiam tribum unam de nomine Attali nuncupârunt; ad decem veteres tribus addendam. [*Id. ibid. Polyb. legat.* 3. *pag.*786.787.]

Dum bellum adversùs Philippum à Romanis apparatur, legati à rege Ptolemæo (vel curatoribus ejus potiùs) venerunt, qui nunciârunt, Athenienſes adversùs Philippum petiſſe ab Rege auxilium. cæterùm etſi communes ſocii ſint, tamen niſi ex auctoritate populi Romani, neque claſſem neque exercitum, defendendi aut oppugnandi cujuſquam causâ, Regem in Græciam miſſurum eſſe. vel quieturum eum in regno, ſi populo Romano ſocios defendere libeat: vel Romanos quieſcere, ſi malint, paſſurum; atque ipſum auxilia, quæ facilè adversùs Philippum tueri Athenas poſſent, miſſurum. Gratiæ Regi ab Senatu actæ, reſponſúmque, tutari ſocios populo Romano in animo eſſe: ſi quâ re ad id bellum opus ſit, indicaturos Regi; regníque ejus opes ſcire ſubſidia firma ac fidelia ſuæ Reipublicæ eſſe. Munera deinde legatis, in ſingulos quinûm millium æris, ex Senatus conſulto miſſa. [*Liv. ibid.*]

Anno 54. (ita enim in MS. Græco Lambethano rectè legitur, non 52. ut in vulgato) ſecundæ Periodi Calippicæ, Nabonaſari 547. menſis Meſori die 16. (Septembris Juliani die 22.) horâ poſt meridiem 7ª, Eclipſis Lunæ Alexandriæ eſt obſervata. [*Ptolem. lib.* 4. *cap.* 11.]

3804 Autumno fermè exacto, P. Sulpitius Galba Conſul cum exercitu adversùs Philippum in Macedoniam trajecit. Ibi ei prælò fuere Athenienſium legati, orantes, ut ſe obſidione eximeret. Miſſus extemplò Athenas eſt C. Claudius Cento cum 20 longis navibus & militum copiis. Non enim Philippus ipſe Athenas obſidébat; ſed eo maximè tempore Abydum oppugnabat. [*Liv. lib.* 31.]

Abydeni, juramenti ſui memores, adeò pertinaciter pugnaverunt; ut cùm nox prælium diremptura eſſet, Rex prior, territus rabie eorum, pugnâ abſtiterit. Glaucides & Theognetus cum è ſenioribus illis aliquot, quibus atrociot pars facinoris delegata erat, quum paucos & confectos vulneribus ac laſſitudine ſupereſſe prælio cernerent; luce primâ, Sacerdotes cum infulis ad urbem dedendam Philippo miſerunt. Verùm tanta rabies multitudinem invaſit; ut repentè omnes ad cædem conjugum liberorúmque diſcurrerent, ſeque ipſi per omnes vias lethi interficerent. Obſtupefactus eo furore Rex ſuppreſſit impetum militum, & triduum ſe ad moriendum Abydenis dare dixit: quo ſpatio plura facinora in ſe victi ediderunt, quàm infeſti ediditſent victores; nec niſi quem vincula aut alia neceſſitas mori prohibuit, quiſquam vivus in poteſtatem venit. Rex opibus Abydenorum potitus, quas ut perderentur ipſi ſimul coacervaverant, urbi præſidio impoſito, diſceſſit. [*Liv. ibid. Polyb. lib.* 16. *pag.*738.739.]

Bargyliis ille moratus, de Attali, Rhodiorum & Romanorum bellicis adversùs ipſum apparatibus admodum erat ſollicitus. Et cùm ejus copiæ fame laborarent; alimenta eis modica partim Lydiæ præfectus Zeuxis, partim Mylaſenſes & Alabadenſes & Magnetes ſuppeditabant. Quibus cùm aliquid offerrent, præter ingenium adulabatur; cùm nihil dabant, invidias comparabat. Denique Mylaſenſium urbi ſtructis operâ Philoclis inſidiis, ob imprudentiam fruſtratus receſſit: & Alabadenſium agros quaſi hoſtiles vaſtavit, cauſarus alimenta militi ſuo conquirenda eſſe. [*Polyb. lib.* 16. *in Excerptis Valeſii, pag.*86.89.]

Anno 55. ſecundæ Periodi Calippicæ, Nabonaſari 548, menſis Mechir die 9, ſub mediam noctem, (Martii Juliani die 20. ineunte) Alexandriæ Luna tota defecit. [*Ptolem. lib.* 4. *cap.* 11.] 4514 200

Inſequente æſtate, bellum a Romanis, adjuvantibus rege Attalo & Rhodiis, adversùs Philippum ſocióſque ejus in Macedoniâ geſtum eſt. [*Liv. lib.* 31.]

Scopas, Ætolorum gentis princeps, ab Alexandriâ magno cum pondere auri ab rege Ptolemæo miſſus, ſex millia peditum, & equites mercede conductos Ægyptum avexit. Nec ex juventute Ætolorum quenquam reliquiſſet, ni Damocritus nunc belli quod inſtaret, nunc futuræ ſolitudinis admonens (incertum curâ gentis, an ut adverſaretur Scopæ, parum donis cultus) partem juniorum caſtigando domi continuiſſet. [*Id. ibid.*]

Circa hæc tempora, mortuo Joſepho Tobiæ filio, populus Hieroſolymitanus ſeditionibus agitatus eſt propter ejus filios; dum majores fratres Hyrcano bellum inferunt natu minimo. Plerique

enim favebant senioribus, & in his Simon Pontifex propter cognationem. [*Joseph. lib. 12. cap. 5.*]

Anno 55. secundæ Periodi Calippicæ, Nabonassari 548, mensis Mesori die 5, post mediam noctem horâ 3ª, (Septembris Juliani die 12. incunte) Alexandriæ Luna tota defecit. [*Ptolem. lib. 4. cap. 11.*]

Attalus ante autumnale æquinoctium deditione Oreum recepit, Athenis sacris Eleusiniis interfuit, deinde in Asiam se recepit; Agesimbroto & Rhodiis domum remissis. [*Liv. lib. 31.*]

3806 *a.* Ptolemæus Epiphanes magnum exercitum duce Scopâ misit in Cœle-syriam; qui & multas ejus urbes & Judæam vi in ejus potestatem retraxit: ut in lib. 12. Antiquit. cap. 3. refert *Josephus*; addito etiam *Polybii* hoc, ex libro historiarum 16, testimonio. *ὁ δὲ τοῦ Πτολεμαίου στρατηγὸς Σκόπας ἐφοδεύσας τὰς ἄνω τόπους, κατεστρέψατο ἐν τῷ χειμῶνι τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος. Scopas copiarum Ptolemæi Dux, ad superiores regiones verso impetu, per hyemem Judæorum gentem subegit.* De quo & Hieronymus, in Daniel. cap. 11. *Cum Antiochus teneret Judæam, missus Scopas Ætolus, dux Ptolemæi partium, adversùs Antiochum fortiter dimicavit: cepitque Judæam, & optimates Ptolemæi partium secum abducens, in Ægyptum reversus est.*

Antiochus interim regnum Attali, præsidiis navalibus terrestribúsque vacuum, (quibus ille tum in Macedonico bello Romanam rem juvabat) invasit. [*Liv. lib. 32.*]

b. Senatus Romanus, hâc de re legatorum Attali querelâ auditâ, ad Antiochum legatos misit, qui nunciarent, Attali naviúmque ejus & militum operâ adversùs Philippum communem hostem uti populum Romanum. gratum eum factúrum Senatui, si regno Attali abstineat, bellóque absistat. æquum esse socios & amicos populi Romani reges, inter se quoque ipsos pacem servare. Quorum auctoritate motus Antiochus, finibus Attali exercitum deduxit. Ob quod beneficium legati ab Attalo gratias Senatui egerunt; & coronam auream 246. pondo in Capitolio posuerunt. [*Id. ibid.*] 4516 198

c. Duæ ex Asiâ classes profectæ, una 24. quinqueremium cum Attalo rege, Rhodia altera 20. navium tectarum cui Agesimbrotus præerat classi Romanæ se adjungentes, Philippum persequebantur. [*Ibid.*]

d. Eâ æstate, Antiochum omnes quæ in Cœle-syriâ civitates Ptolemæi erant in suam potestatem redegisse, in lib. 33. *Livius* indicat. Eodémque anno Antiochum, Scopâ superato, Syriæ urbes recepisse & Judæis voluntate conjunctum fuisse, in *Eusebiano Chronico* legimus.

Antiochus enim ad fontes Jordanis (ubi Paneas condita est) cum Scopâ prælio congressus, factus est superior: cúmque recepisset occupatas à Scopâ urbes unà cum Samariâ, Judæi quoque ultrò deditionem fecerunt; receptúmque intra mœnia ejus exercitum & elephantos liberaliter aluerunt, & oppugnantibus præsidium in arce à Scopâ relictum impigrè auxilium tulerunt. Ita *Josephus*, libro 12. Antiquit. cap. 3. ex ipsius Antiochi ad Ptolemæum præfectum epistolâ hoc confirmans. ubi etiam ex *Polybii* libro 16 refert, quomodo victo Scopâ Antiochus Bataneam, Samariam, Abila & Gadara recepit; móxque Judæi qui Hierosolyma & celebre ejus loci templum incolunt, ad eum defecerunt. Quomodo etiam Gazensium urbem (qui in Ptolemæi fide constantissimè permanserunt) Antiochus obsederit & vastaverit, in eodem libro explicavit Polybius. [*Vide Excerpt. Valesii, pag. 77. & 86.*]

Prælium quo ad Panium (juxta fontes Jordanis) cum Scopâ conflixit Antiochus, Zeno Rhodius, in *ἐπιτομῇ* suâ historiâ, (cujus in libro 7ª. meminit Laërtius) copiosè descripsit: ejúsque narrationis capita præcipua, accuratiore Polybii censurâ notata, cum aliis Excerptis Polybianis, legenda nobis exhibuit vir eruditissimus Henricus Valesius. [*pag. 77. 78. & 81.*] Fugavit verò in eo prælio Scopam Antiochus, & cum decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone. Ob quem liberandum misit Ptolemæus duces inclytos, Æropum & Menoclem & Damoxenum. Sed obsidionem solvere non potuit: donec fame superatus Scopas manus dedit, & nudus cum sociis dimissus est. [*Hieronym. in Daniel. cap. 11.*]

3807 *a.* Ita Antiochus Phœnicem, cæteráque Syriæ quidem, sed juris Ægypti civitates cùm invasisset; [*Justin. lib. 31. cap. 1.*] victoriâ illâ ad Panium partâ, Syriæ regibus Cœle-syriam & Phœniciam deinceps possidendam reliquit. [*Polyb. legat. 72. pag. 893.*] Ipse verò Antiochus in hyberna Antiochiam concessit. [*Liv. lib. 33.*]

Anno Nabonassari 551. & tribus annis antecedentibus, 17 dies mensis Athyr vagi, à quo usque ad 21 (teste *Plutarcho* in lib. de Iside & Osiride) Isia ab Ægyptiis celebrabantur, incidebat in diem 28. Decembris Juliani; ubi Eudoxum Brumale solstitium collocavisse, in 7ª. capite libelli nostri de Macedonum & Asianorum anno Solari ostendimus. Hoc quum Dositheus in Octaëteride suâ (quam Eudoxo inscriptam fuisse, Censorinus nos edocet) vel in Parapegmate illi annexo, quod *Colonia* (prope Athenas, vel *Colonis* potiùs in Æolide) ille edidit, hoc tempore notavisset: inde apud Græcos opinio illa invaluit, cujus in sexto capite astronomici sui operis meminit Geminus; secundùm Ægyptios & secundùm Eudoxum in brumale solstitium Isia semper incidere. quem errorem ab Eratosthene quoque in commentario de Octaëteride detectum fuisse, idem ibidem significat.

Hâc hyeme Philippus rex cum Romano Consule Tito Quinctio Flaminino de pacis conditionibus colloquium habuit: inter quas & hæc à Flaminino est proposita; Ptolemæo regi Ægypti urbes omnes à Philippo esse reddendas, quas post Philopatoris Ptolemæi mortem occupasset. [*Polyb. lib. 17. pag. 743. Liv. lib. 32.*]

b. Eodem anno inter insulas Theramenem (sive Theram) & Therasiam, medio utriusque ripæ & maris spatio terræmotus fuit: in quo, repentè ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asiâ quoque eâdem die idem motus terræ Rhodum, multáque alias civitates gravi ruinarum labe concussit, quasdam solidas absorbuit. Quo prodigio territis omnibus, vates cecinere, oriens Romanorum imperium, vetus Græcorum ac Macedonum voraturum. [*Justin. lib. 30. cap. 4.*] 4517 197

c. Initio veris Quinctius Flamininus, Attalo Elatiam accersito, Thebas cum eo profectus est, ut Bœotos cum Romanis societate jungeret. Ubi quum majore quàm ætas ferret impetu orationem ad Bœotos hâc de re haberet Attalus; segnior jam & infirmior quàm ut contentionem di-

cendi sustineret, subitâ vertigine aut rheumate correptus, in concione ipsâ obmutuit, & concidit. Hinc parte membrorum captus, Thebis æger ille decubuit. Quinctius, postquàm non vitæ præsens periculum vis morbi attulisse sed membrorum debilitatem vita esset, relicto eo ad curationem necessariam corporis, Elatiam unde profectus erat rediit. [*Livius, initio libri 33. ex codice Bambergensi Romæ, & Parisiis anno 1616. editi; cum Plutarcho in Q. Flaminio.*]

Principio ejusdem veris Antiochus, præmissis terrâ cum exercitu filiis duobus Ardue ac Mithridate, jussisque Sardibus se opperiri, ipse cum classe centum tectarum navium, ad hoc levioribus navigiis cercurisque ac lembis proficiscitur: simul per omnem oram Ciliciæ & Cariæ tentaturus urbes quæ in ditione Ptolemæi essent; simul Philippum exercitu navibúsque adjuturus. Zephyrio, & Solis, & Aphrodisiade, & (superato Anemurio Ciliciæ promontorio) Selinunte, aliisque ejus oræ castellis omnibus, aut metu aut voluntate sine certamine in deditionem acceptis; Coracesium præter spem portas illi occlusit. [*Liv. lib. 33.*]

Dum Coracesium Antiochus oppugnabat, legati à Rhodiis missi ei denunciârunt; si intra Nephelida promontorium Ciliciæ copias suas non contineret, se obviam ituros: non ab odio ullo, sed ne conjungi cum Philippo paterentur, & impedimento esset Romanis liberantibus Græciam. Quibus auditis, iræ Rex temperavit, & legatos se Rhodum missurum respondit: iisque mandaturum, ut renovarent vetusta jura cum eâ civitate, sua, majorúmque suorum; & verarent eos adventum pertimescere regis, nihil his aut sociis eorum noxæ futurum seu tive. Nam Romanorum amicitiam se non violaturum, argumento & suam recentem ad eos legationem esse, & Senatus honorifica in se decreta respondsáque. [*Id. ibid.*]

Rhodii Peræam (quæ regio est continentis adversùs insulam) à Philippo occupatam, à suis majoribus possessam, armis sibi vendicârunt, Pausistrato prætore; fugatis Macedonibus, cum regio præfecto Dinocrate. Quòd si confestim victores Stratoniceam petissent; potuerant eam quoque urbem sine certamine recipere. At quia in castra receperunt se, Dinocrates cum reliquiis copiarum eam ita firmavit, ut frustrà ea mox à Rhodiis oppugnaretur. Rem gestam pluribus narrat *Livius*, libro 33.

Attalus æger Thebis Pergamum navibus advectus; moritur. [*Id. ibid. Polyb. pag. 820. Plutarch. in Qu. Flamin.*] Vixit annos 72. regnavit 44. [*Liv. ibid. Polyb. in Excerptis Valesii, pag. 102. & apud Suid. in Ἄτταλος.*] licèt 43 tantùm annos illi Strabo tribuat. [*lib. 13. pag. 624.*] Uxorem & liberos quatuor habuit superstites. [*Liv. ibid.*] uxorem Apollonidem Cyzicenam, & filios ex eâ susceptos, Eumenem, Attalum, Philetærum, & Athenæum: quorum natu maximus Eumenes post patrem regnavit. [*Strabo, ut supr. Plutarch. περὶ φιλαδελφίας.*] qui tres minores natu fratres, & ætate & industriâ pollentes, ita in officio continuit, ut custodes regni ac dignitatis suæ eos haberet satellites. [*Polyb. in Excerpt. Valesii, p. 169. & apud Suid. in Ἄτταλος.*] Unde mater eorum prædicabat subinde se beatam, non propter divitias vel imperium, sed quòd tres filios videret natu maximi esse satellites; cúmque in medio ipsorum gladios hastásque ferentium absque metu versari. [*Plutarch. ut supr.*] De Apollonide sive Apolloniade, & liberorum in eam amore, videndus etiam *Polybius*, in Excerptis Valesii [*pag. 113. 114.*] & apud *Suidam*, in Ἀπολλωνίας.

d. Debellato ad Cynoscephalas in Thessalia Philippo (cujus victoriæ in I. Maccab. VIII. facta est mentio) Flamininus conditiones pacis dedit; non aliam magis ob causam, quàm quòd Antiochum è Syriâ cum exercitu esse profectum & Europam versùs iter instituisse intellexerat. Quatuórque mensium induciæ Philippo sunt concessæ, ut legatos hâc de re Romam mitteret, & Senatui arbitrium omne deferret. [*Polyb. legat. 6. pag. 792. Liv. lib. 33. edit. Rom. & Paris.*]

Rhodii, auditâ Philippi clade, curam non omiserunt tuendæ libertatis civitatum; sociarum Ptolemæi, quibus bellum ab Antiocho imminebat. Nam alias auxiliis juverunt, alias providendo ac præmonendo conatus hostis, causáque libertatis fuerunt Cauniis, Myndiis, Halicarnassensibus, Samiisque. [*Liv. lib. 33.*] Ex urbibus tamen quæ à Ptolemæi partibus tenebantur, captæ ab Antiocho sunt post Coracesium, Corycos, Andriace, Limyra, Patara, Xanthus; & ad extremum Ephesus. [*Hieronym. in Daniel. cap. 11.*]

3808 *a.* Antiochus, cùm hybernaret Ephesi, omnes Asiæ civitates in Antiquam imperii formulam redigere est conatus. Et alias quidem videbat facilè jugum accepturas: de Smyrnâ in Æolide, & Lampsaco in Hellespontо cùm dubitaret, monita simul & vim afferebat; ne earum urbium exemplum reliquæ in repugnando sequerentur. Misit ergo ex Epheso qui Smyrnam, & ex Abydo qui Lampsacum obsiderent. [*Liv. lib. 33.*] Adversùs quem Smyrnæi Lampsacenique, & cæteri, qui recusabant imperata facere, missâ ad Flamininum legatione, Romanorum opem auxiliúmque petiere. [*Appian. Syriac. pag. 87.*]

Claudio Marcello Consule, paulò postquàm initus ab illo fuit magistratus, Romam legati venerunt de fœdere iciendo cum Philippo acturi. Et Senatusconsulto tum constitutum est: "Ut Græci omnes, & qui in Asiâ degunt & qui in Europâ, liberi sint, suisque legibus utantur. "Ut qui in Philippi ditione sunt, & si quas ille urbes Græcorum præsidiis tenet, eas ante "celebrationem ludicri Isthmiorum Romanis Philippus tradat. Eas quæ in Asiâ sunt, Euromum, "Pedasa, Bargylia, Iassum, Abydum, Thasum, Myrinam, Perinthum, deductis inde præsidiis, "liberas esse iubet. Ne cum Eumene Attali filio (id enim etiam nominatim adjectum scribit "Valerius Antias) novo rege bellum gerat. De liberatione Cianorum scribat T. Quinctius Fla"mininus ad Prusiam, quid Senatui placeat, *&c.* Atque ad ista exequenda, Senatus decem viros è primoribus lectos in Græciam misit. [*Polyb. legat. 7. pag. 793. & legat. 9. 795. Liv. lib. 33.*]

b. Isthmiorum celebritate peracta, in quâ Græcorum libertas publicâ præconis voce promulgata est, Titus Flamininus & decem viri Româ missi, Hegesianactem & Lysiam, qui ab Antiocho ad Titum legati venerant, audierunt. Jusserunt verò Antiochum liberis in Asiâ civitatibus abstinere, neque ullam earum bello lacessere; iis item excedere quæ Ptolemæi aut Philippi 4518 196

 fuissent,

fuiſſent, priuſquàm illas occupaſſet: denuntiarúntque intuper, ne in Europam aut ipſe tranſiret, aut copias traiceret; addiderúntque, quoſdam è ſuo numero ad Antiochum eſſe venturos. [*Polyb. legat. 9. pag. 798. 799. Liv. lib. 33.*]

Dimiſſo conventu, decem Romanorum legati partiti munia inter ſe, ad liberandas ſuæ quiſque regionis civitates diſceſſerunt. Ac Publius quidem Lentulus in Aſiam Bargylia nave contendit, eámque urbem liberam eſſe juſſit. Lucius Stertinius Hephæſtiam & Thaſum & Thraciæ urbes adiit, atque idem fecit. Publius Villius & Lucius Terentius ad Regem Antiochum eſt profectus: Cn. Cornelius ad Regem Philippum. [*Polyb. legat. 9. pag. 799. Liv. lib. 33. Plutarch. in Flaminio.*]

c. Initio veris Antiochus navibus ab Epheſo profectus, Helleſpontum petiit, & terreſtribus copiis ab Abydo trajectis, & cum navalibus conjunctis, Cherſoneſi urbes deditione accepit. Inde Lyſimachiam venit: quam Thracum impetu paucis antè annis deletam, de integro condere cœpit; ut Seleucus filius eam ſedem regni haberet. [*Liv. lib. 33. Appian. Syriac. pag. 86. 87.*]

Quum ex animi ſententiâ Antiocho inceptum procederet, atque is jam in Thraciâ eſſet, venit Selymbriam L. Cornelius; qui legatus à Senatu miſſus fuerat ad pacem conciliandam inter ipſum Antiochum & Ptolemæum. E decem Romanorum legatis, P. Lentulus à Bargyliis, L. Terentius & P. Villius à Thaſo, Lyſimachiam petierunt. Eódem & à Selymbriâ L. Cornelius, & ex Thraciâ poſt paucos dies Antiochus convenerunt. Hegeſianax quoque & Lyſias, qui ad Titum Flamininum ab Antiocho miſſi fuerant, in tempus illius conventûs inciderunt. Ibi L. Cornelius æquum cenſebat, ut Ptolemæo cederet Antiochus urbes ditionis ejus, quas ipſe recèns occupaverat; iis verò quæ à Philippo (à Romanis jam devicto) erant poſſeſſæ excederet: monebátque, ut à liberis civitatibus abſtineret. Rex ante omnia mirari ſe dixit, quonam jure Romani de Aſiæ urbibus controverſiam ſibi moveant; cùm ille de iis quæ in Italiâ gerantur nihil quicquam inquireret. Græcorum liberas civitates, quæ ſunt in Aſiâ, libertatem nanciſci debere, non ex Romanorum juſſione, ſed ex beneficio ſuo. Sibi denique cum Ptolemæo & amicitiam eſſe, & id agere ſe, ut brevi etiam affinitas jungatur. [*Polyb. pag. 800. 769. & 770. Liv. lib. 33. Appian. Syriac. pag. 87. 88.*]

Quum diſſereret L. Cornelius æquum videri, ut Lampſaceni Smyrnæique vocarentur, & dicendi poteſtas illis fieret; ita eſt factum. Aderant Lampſacenorum quidem legati Parmenion & Pythodorus; Smyrnæorum verò, Cœranus. Quibus liberam orationem habentibus, indignatus Rex, quòd videretur apud judices Romanos eorum quæ feciſſet rationem contendentibus ſecum reddere; loquentem Parmenionem tacere juſſit: non ſub Romanis judicibus, ſed Rhodiis, diſceptare haſce controverſias ſibi placere affirmans. Ita colloquium tunc eſt ſolutum, quum nullo modo inter ipſos convenirent. [*Polyb. lib. 17. pag. 770.*]

Polycrates, cujus fidei Cypri adminiſtratio & omnium redituum qui inde proveniunt fuit commiſſa, tradità provinciâ Ptolemæo Megapolitano, Alexandriam veniens, pecuniæ vim non mediocrem Ptolemæo Epiphani inde advexit. Eam ob cauſam magno omnium applauſu tunc exceptus eſt. [*Id. pag. 773.*]

Sub illius adventum, Ætolorum motus Scopâ duce extitit: qui cùm & numeroſam militum manum haberet, & tempus eſſet nactus opportunum, Rege adhuc puero; dum cunctatur, dum deliberat, præventus eſt. Nam ubi didicit Ariſtomenes amicos illum ſuos domum cogere, & unà cum ipſis conſultare; miſſis ſatellitum nonnullis, ad Regium concilium eum vocavit. Scopæ verò repente adeò externata mens eſt, ut neque eorum quæ moliebatur tentare quicquam auderet; nec Regi parere, cùm ab eo vocaretur, ſuſtineret. Demum Ariſtomenes, cognitâ ipſius inopiâ conſilii, domum ipſius militibus circumdat, & per Ptolemæum Eumenis filium adducendum curat. [*Ibid. pag. 771.*]

Qui ubi concilium eſt ingreſſus, à Rege primùm, deinde à Polycrate & Ariſtomene accuſatus, omnium non Regiorum ſolùm, ſed etiam exterarum gentium legatorum quotquot aderant, ſententiâ damnatus eſt. Ariſtomenes enim, quando ipſum accuſaturus erat, tum alios Græcos viros illuſtres ſecum accepit, tum etiam legatos Ætolorum qui de pace fuerant miſſi: inter quos Dorymachus erat Nicoſtrati filius. Scopas igitur, unà cum amicis qui eum ad Concilium ſequebantur, in carcerem eſt conjectus. Proximâ deinde nocte, Ariſtomenes Scopam quidem & ejus cognatos omnes veneno ſuſtulit: Dicæarchum verò, hominem inſigniter impium, tormentis excruciatum necavit. Hic enim Dicæarchus ille erat qui præfectus navium Philippi, in Cycladibus inſulis bello vexandis, in portu duas excitavit aras, unam *Impietati*, alteram *Inſipientiæ*: iiſque ut Diis ſacrificavit. E cæteris Ætolis ſi qui fuerunt qui redire in patriam vellent, abeundi & omnia ſua auferendi poteſtatem Rex cunctis fecit. [*Ibid. pag. 772.*]

Ætolorum motu compoſito, veſtigio aulici ad conſueta ſolennia quando aliquis Rex ſalutatur, quæ Anaclateria vocant, celebranda ſe comparant: ætate quidem necdum exigente; ſed quòd exiſtimarent, ubi innotuiſſet ſui juris & arbitrii Regem eſſe factum, in aliquo meliore ſtatu ipſius regnum fore quieturum, & ab eo principio aliquid ſemper deinceps incrementi acceperum. Proviſo igitur rerum omnium magnifico apparatu, pro dignitate regni quod deſtinaverant ſunt exſecuti. [*Ibid. pag. 773.*]

Dum diſceptationes per dies aliquot Lyſimachiæ inter Antiochum & Romanorum legatos haberentur, rumor (ex illâ Scopæ, ut videtur, conjuratione ortus) ſine ullo ſatis certo authore de morte Ptolemæi regis, ut nullus exitus imponeretur ſermonibus effecit. nam diſſimulabat pars utraque ſe audiſſe. Et L. Cornelius, cui legatio ad duos reges Antiochum Ptolemæúmque mandata erat, ſpatium modici temporis ad conveniendum Ptolemæum petebat; ut priuſquam moveretur aliquid in novâ poſſeſſione regni, perveniret in Ægyptum. Et Antiochus ſuam fore Ægyptum, ſi tum occaſio eſſet, cenſebat. Itaque dimiſſis Romanis, relictóque Seleuco filio cum terreſtribus copiis ad reſtituendam ut inſtituerat Lyſimachiam; ipſe omni claſſe navigans Epheſum, legatis ad Quinctium Flamininum miſſis qui ad fidem de ſocietate agerent, oram Aſiæ

legens,

legens, pervenit in Lyciam : Patarísque cognito vivere Ptolemæum, navigandi in Ægyptum omíssum consílium est. [*Liv. lib.* 33. *Appian. Syriac. pag.* 88.]

3809 *a.* Antiochus ad Cyprum, quâ se posíturum sperabat, properans, quum Chelidonium promontorium superasset, paulísper seditione remigum est retentus in Pamphylià circa Eurymedontem amnem. Inde profectum eum ad capita (quæ vocant) Sari fluminis, fœda tempestas obortà propè cum omni classe demersit. Multæ naves ejectæ: multæ ita hausíæ mari, ut nemo in terram enaverit. Magna vis hominum ibi interiit, non remigum tantùm, militúmque ignotorum, sed etiam insignium amicorum. Collectis reliquiis naufragii, quum res non in eo esset ut Cyprum tentaret, in Seleuciam Syriæ delatus, classem quassatam reparavit; & ibi celebravit liberorum nuptias, Antiochi & Laodices, quos matrimonio junxerat. Deinde subduci navibus jussis (quia jam hyems instabat) ipse in hyberna Antiochiam processit. [*Id. ibid.*]

b. Decem legati Romam reversi, de rebus Antiochi & ejus in Syriam profectione Senatum edocuerunt. [*Liv. lib.* 33.] Hannibalis æmuli, nuncios literásque ab eo ad Antiochum missas, & ab Rege ad eum clàm legatos venisse, criminabantur. Quæ etsi falsa, apud timentes tamen pro veris habebantur. Itaque legati à Senatu Carthaginem missi sunt, qui apud eorum senatum arguerent Hannibalem cum Antiocho rege consilia belli inire, & eum quoquo modo tollendum curarent. [*Id. ibid. Justin. lib.* 31. *cap.* 1. 2.] 4519 195

Flamininus legatis Antiochi de societate agentibus respondit, nihil se absentibus decem legatis sententiæ habere; Romam eundum ad Senatum iis esse. [*Liv. lib.* 34.]

Hannibal, Carthagine clàm se subducens, prospero cursu Tyrum pervenit: exceptúsque à conditoribus Carthaginis, ut aliâ patriâ est. Ibi paucos moratus dies, Antiochiam navigavit: unde profectum jam regem Antiochum quum audísset, filium ejus solenne ludorum ad Daphnem celebrantem convenit; comitérque ab eo exceptus, nullam moram navigandi fecit. Ephesi regem est consecutus, fluctuantem adhuc animo, incertúmque de Romano bello. Sed haud parvum momentum animo ejus ad moliendum; adventus Hannibalis fecit: tantúsque ex eo ardor illi accessit, ut non tam de bello, quàm de præmiis victoriæ cogitaret. [*Liv. fin. lib.* 33. *cum Justin. lib.* 31. *cap.* 2. 3. *& Æmil. Probo, in Hannibale.*]

Hic, quum Phormio Peripateticus aliquot horas de Imperatoris officio & omni re militari coram Hannibale copiosè disseruisset, dixisse Hannibal fertur; multos se deliros senes sæpe vidisse, sed qui magis quàm Phormio deliraret, vidísse neminem. [*Cicer. de Oratore, lib.* 2.]

c. T. Q. Flamininus, cum Eumene & Rhodiis, adversùs Lacedæmonios & tyrannum eorum Nabidem bellum prosperè gessit. [*Liv. lib.* 34.]

M. Porcio [Catone] Consule, Smyrnæi primi templum urbis Romæ statuerunt. [*Tacit. Annal. lib.* 4.] quorum exemplum Alabandenses postea secuti, & templum ejus fecerunt, & ludos ei anniversarios ut Divæ instituerunt. [*Liv. lib.* 43.]

3810 Eratosthenes Cyrenæus Aglai filius, quem non Grammaticum solùm sed etiam poëtam meritò quis vocârit & philosophum & geometram, quum 82 annos vixisset, mortuus est. [*Lucian. in Macrobiis.*] Cui in Bibliothecæ Alexandrinæ præfecturà successit Apollonius *Alexandrinus* Callimachi discípulus, Argonauticorum scripror: qui, quòd Rhodi diu commoratus esset, *Rhodii* cognomentum est adeptus. [*Suid. in Ἀπολλώνιος.*] 4520 194

Antiochus Judæorum erga se cognita voluntate magnis eos muneribus donat, & per epistolas crebris laudibus prosequitur. [*Euseb. Chronic.*] Extant hæ epistolæ apud *Josephum*, libro 12 Antiquit. cap. 3. in quarum unâ ad Ptolemæum præfectum scriptâ, variæ continentur donationes ac immunitates Urbi & Templo Hierosolymitano concessæ. In aliâ ad Zeuxidem, ex Judæis qui Babyloniam ac Mesopotamiam incolunt duo millia familiarum in Phrygiam & Lydiam traduci jubentur; ad eos qui res novas ibi moliebantur in officio continendos.

3811 Antiochus cogitans Græciam invadere, & inde bellum adversùs Romanos incipere, communicavit cum Hannibale id consilium: qui negabat opprimi Romanos nisi in Italiâ posse. Ad hoc sibi centum rectas naves, 16 millia peditum, mille equites deposcebat. Eâ se classe primùm Africam petiturum: magnopere confidere & Carthaginienses ad rebellandum ab se compelli posse: si illi cunctentur, se aliquâ parte Italiæ bellum excitaturum Romanis. In hanc sententiam cùm adduxisset Regem; non ipse quidem Africam accessit, (quemadmodum in Vitâ Hannibalis retulit *Æmilius Probus*) sed Aristonem quendam Tyrium nactus Ephesi, specie negotiationis Carthaginem misit, qui popularium animos ad bellum præpararet. Hunc Carthagine obversantem inimici Hannibalis comprehenderunt. Dúmque multis diebus in Senatu deliberaretur, an eum Romam ad purgandam publicam conscientiam mitterent, ille conscensâ nave ad Hannibalem profugit. Quo cognito, mitti legatos Romam, qui rem ad Consules & Senatum deferrent, placuit. [*Liv. lib.* 34. *Justin. lib.* 31. *cap.* 3. 4. *Appian. Syriac. pag.* 89. 90.] 4521 193

Interim Antiochus legatos Romam misit Lysiam, Hegesianactem & Menippum, ut Senatûs mentem pertentarent, quamvis aliud simulabat: ac si impliciter ad amicitiam petendam jungendámque societatem eos misisset. Ab eis tamen significari jussit, mirari se, cur jubeatur Æolidis & Ioniæ urbibus abscedere, & quibusdam tributa remittere, & non miscere se negotiis Asiæ, & omittere avitam possessionem Thraciæ: hæc enim jussa non in amicos, sed in victos competere. Legatis respondendi negotium Quinctio Flaminino & decem legatis, qui in Græciam missi fuerant, à Senatu delegatum est. A quibus cùm urgeretur, ut aut Antiochus omni Europâ abstineat, aut Romanis jus sit Asiæ civitatum amicitias & tueri quas habeant & novas complecti: à Regiis est responsum, se nec velle nec posse pacisci quicquam, quo regnum Antiochi minuatur. Ita integra dilata res est. [*Liv. ibid. Diod. Sicul. legat.* 4. (*Edit. Fulvii Ursini.*) *Appian. Syriac. pag.* 89.]

Vixdum legati abierant, cùm à Carthagine legati bellum haud dubiè parare Antiochum,

Hannibale miniſtro, attulerunt: injeceruntque curam, ne bellum & Punicum bellum excitaretur. [*Liv. ibid.*]

3812 *a.* Antiochus rex hyeme Raphiæ in Phœnice (vel Palæſtinâ) Ptolemæo regi Ægypti filiâ in matrimonium datâ, Antiochiam ſe recepit. [*Liv. lib.* 35.] Certus enim jam bellum adversùs Romanos gerere, propinquos reges connubiis ſibi adjungendos putavit. miſitque Ptolemæo in Ægyptum Cleopatram, Syram cognomine; in dotem addens Cœle-ſyriam, quam ei priùs ipſe ademerat: demulcens adoleſcentem, ut bello Romano quieſceret. [*Appian. Syriac. pag.* 88.] Hieronymus, in cap. 11. Danielis, Antiochum ait, in Ægyptum regnum ſuum extendere volentem, filiam ſuam Cleopatram per Euclem Rhodium ſeptimo anno regni adoleſcentis deſpondiſſe Ptolemæo, & tertiodecimo anno (juxta Chronicon Euſebii, quod ille ſequitur; vel, juxta noſtras rationes, duodecimo) tradidiſſe, datâ ei dotis nomine omni Cœle-ſyriâ & Judæâ: neque Ægyptum tamen obtinere potuiſſe; quia Ptolemæus Epiphanes & duces ejus, ſentientes dolum, cautiùs ſe egerunt, & Cleopatra magis viri partes quàm parentis fovit. *Joſephus*, libro 12. Antiquit. cap. 3. Antiochum ſcribit, amicitiâ & fœdere Ptolemæo conjunctum, Cleopatram filiam in matrimonium ei dediſſe, dotis nomine conceſsâ Cœle-ſyriâ, unà cum Phœnice, Judæâ & Samariâ: diviſiſque inter utrumque regem vectigalibus, optimates ſuæ quemque patriæ imperatam pecuniam collegiſſe, & Regibus pependiſſe.

Antiochidem filiam aliam Ariarathi regi Cappadocum connubio jungendam miſit Antiochus: & tertiam Eumeni regi Pergami. Sed hic, quia videbat eum jam bellum contra Romanos inſtituere, & in hunc uſum affinitatem quærere, nuptias renuit. Mirantibúſque fratribus Attalo & Philetæro aſpernari eum affinitatem tanti regis vicini, & ultrò invitantis, oſtendit imminere bellum: in quo ſi Romani (quod omninò credebat) ſuperiores forent, firmiter ſuum regnum eſſet obtenturus; ſin Antiocho victoria contingeret, aut à præpotente vicino ſpoliandus regno ille eſſet, aut majoris regis imperio ſubjiciendus. [*Appian. Syriac. pag.* 88. 89.] quâ de re videnda ipſius Eumenis oratio, apud *Polybium* in legat. 25. & *Livium* libro 37.

b. Antiochus per Ciliciam, Tauro monte ſuperato, extremo jam hyemis Epheſum pervenit. [*Liv. lib.* 35.] 4522 191

Inde principio veris, Antiocho filio miſſo in Syriam ad cuſtodiam ultimarum partium regni (ne quid abſente ſe à tergo moveretur:) ipſe cum omnibus terreſtribus copiis ad Piſidas, qui circa Selgam incolunt, oppugnandos eſt profectus. [*Id. ibid.*]

Eo tempore Elæam venerunt legati à Romanis ad Antiochum miſſi; qui ſub ſpecie legationis, & Regis apparatum ſpecularentur, & Hannibalem aut Romanis mitigarent, aut aſſiduo colloquio ſuſpectum invidiúmque Regi redderent. P. Sulpitius & P. Villius hi erant; qui Lyſimachiæ antè apud Regem fuerant. [*Liv. lib.* 34. & 35. *Juſtin. lib.* 31. *cap.* 4. *Jul. Frontin. Strateg. lib.* 1. *cap.* 8. *Appian. Syriac. pag.* 90. 91.]

Elæâ legati Pergamum adſcenderunt, ubi Eumenis erat regia: quem priùs convenire juſſi fuerant, quàm Antiochum adiiſſent. Ille, quantum authoritate aut conſilio valebat, Romanos ad bellum contra Antiochum incitavit. Sulpitius æger Pergami ſubſtitit. Villius, quum Piſidiæ bello occupatum eſſe Antiochum audiſſet, Epheſum profectus, dum paucos ibi moratur dies, dedit operam ut cum Hannibale, qui tum ibi fortè erat, ſæpe congrederetur: ut animum ejus & tentaret, ſi quâ poſſet, & metum demeret periculi ei quicquam ab Romanis eſſe. [*Liv. lib.* 35.]

Claudius Quadrigarius, ſecutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in eâ fuiſſe legatione tradit: eúmque Epheſi collocutum cum Hannibale. Et ſermonem etiam unum refert, quo quærenti Africano quem fuiſſe maximum Imperatorem crederet, reſpondiſſe, Alexandrum Macedonum regem. Quærenti deinde quem ſecundum poneret, Pyrrhum dixiſſe. Exequenti, quem tertium diceret; ſemetipſum dixiſſe. Tum riſum obortum Scipioni, & ſubjeciſſe. Quidnam tum diceres, ſi me viciſſes? Tum me verò, inquit, & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios Imperatores eſſe. Et perplexum Punico aſtu reſponſum, & aſſentationis genus Scipionem moviſſe: quòd è grege ſe Imperatorum velut inæſtimabilem ſecreviſſet; & Alexandro præſtantiorem viciſſe innuiſſet. [*Id. ibid. cum Plutarcho in T. Q. Flaminino, & Appiano in Syriac. pag.* 91, 92.]

c. Villius ab Epheſo Apameam proceſſit. Eò & Antiochus audito Romanorum legatorum adventu occurrit. Apameæ congreſſis diſceptatio eadem fermè fuit, quæ Romæ inter Quintium & legatos Regis fuerat. Mora nunciata Antiochi filii Regis, paulò antè in Syriam miſſi, diremit colloquium. Legatúſque Romanus, ne alieno tempore incommodus obverſaretur, Pergamum conceſſit. Rex Epheſum, omiſſo quod inchoaverat bello, rediit. [*Liv. lib.* 35.]

Romani legati à Pergamo Epheſum acciſiti, cum Minione quodam, amicorum Antiochi principe, colloquium habuerunt. Romanos accuſabat Minio, quòd prætextu liberandi Græcos, Antiocho bellum pararent: cùm ipſi tam multos populos, clariſque urbes ſibi ſubjectas haberent & vectigales, quæ olim liberæ ac ſui juris erant. Reſpondente Sulpitio, & ad ſuas partes aliarum civitatum legatos (præparatos jam antè ab Eumene & inſtructos) advocante; è diſceptatione altercatio facta eſt. [*Id. ibid.*]

Antiochus, auditâ Rhodiorum legatione, ipſos, & Byzantinos Cyzicenóſque, & quicunque alii Græci Aſiam accolunt, liberos fore pollicitus eſt, ſi Romanis ipſe fœdere jungeretur: Æolas autem & Ionas eodem jure eſſe noluit, aſſuetos jamdudum parere barbaris etiam Aſiæ regibus. Itaque Romani legati nullâ re impetratâ (non enim in hoc, ſed exploratum venerant) in urbem reverti ſunt. [*Appian. Syriac. pag.* 92.]

3813 *a.* Poſt hos Ætolorum legati venerunt ad Regem, Thoante legationis ejus principe: qui offerebant ei totius Ætoliæ copiarum Imperium, hortabantúrque ut in Græciam trajiceret tanquam

ad

ad rem paratam; nec sinebant ut expectaret exercitum descendentem à mediterraneis Asiæ regionibus. Quibus auscultans Antiochus in Græciam statim trajicere constituit. [*Id. ibid. pag. 92. 93. cum Polybio, lib. 3. pag. 159. & Justino, lib. 30. cap. 4. & lib. 31. cap. 1.*]

Priusquàm solveret naves, Ilium à mari ascendit, ut Minervæ sacrificaret. Inde ad classem regressus, proficiscitur 40 tectis navibus, apertis 60. Ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu bellicóque alio apparatu sequebantur. Copiæ universæ, 10 millia peditum fuere, & 500 equites, cum sex elephantis: vix ad Græciam nudam occupandam satis copiarum, nedum ad sustinendum Romanum bellum. [*Liv. lib. 35.*]

Eumenes statim fratrem Attalum Romam misit, qui nunciaret Antiochum Hellespontum cum exercitu transisse; atque Ætolos ita se parare, ut sub adventum ejus in armis essent. Et Eumeni absenti, & præsenti Attalo gratiæ actæ: atque huic ædes liberæ decretæ, & munera data. [*Id. ibid.*]

b. Circa hyemis ferè medium in urbe Demetriade consultatione de bello administrando ab Antiocho habitâ, prudentissimum Hannibalis consilium neglectum est: nisi quòd ad classem copiásque accersendas ex Asiâ Polyxenidas missus est. [*Liv. lib. 36. Justin. lib. 31. cap. 5. 6. Appian. pag. 93, 94.*] 4523 191

Antiochus, amore captus virginis Chalcidensis Cleoptolemi hospitis sui filiæ, quinquagenario major, intermissis tanti belli curis, celebravit nuptias; Euboeæ nomine illi impositò. Reliquum quoque hyemis in conviviis & voluptatibus traduxit: exercitu etiam per totum id tempus soluto in otium ac delicias. [*Polyb. lib. 20. apud Athenæum, lib. 10. cap. 12. Diod. Sicul. & Dio, in Excerptis Valesii, pag. 296. & 609. Liv. lib. 36. Appian. pag. 96. & 98.*]

M. Acilius Glabrio Consul ad quintum nonas Maias (qui eo anno, ut ex anni sequentis eclipsi colligitur, in Januarium Julianum incidit) paludatus Româ adversùs Antiochum egressus est. [*Liv. lib. 36.*]

Sub idem tempus legati ab duobus regibus, Philippo Macedoniæ & Ptolemæo Ægypti rege, Romam venerunt; pollicentes ad bellum auxilia, & pecuniam & frumentum. ab Ptolemæo etiam mille pondo auri, 10 millia pondo argenti allata. Nihil est acceptum, gratiæ Regibus actæ. Et cùm uterque se cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, bellóque interfuturum pollicetur: Ptolemæo id remissum; Philippi legatis responsum, gratum eum Senatui populóque Romano acturum, si M. Acilio consuli non defuisset. [*Id. ibid.*]

c. Antiochus ab Acilio Consule & Catone tribuno militari ad Thermopylas superatus (quod prælium apud *Livium*, libro 36. *Plutarchum in Catone majore*, *Appianum* in Syriacis, & *Frontinum* libro 2. Stratagem. cap. 4. habetur descriptum) & in Asiam fugatus, cum novâ nuptâ Ephesum secessit. [*Liv. Justin. Appian. & Polyb. in Athenæo, lib. 10. cap. 12.*] Apud Tullium de Senectute ait Cato se ad Thermopylas Acilio Glabrione Consule, quarto à suo Consulatu anno, pugnavisse. Ipsúmque Catonem victoriæ nuncium Romam ab Acilio missum fuisse, & in ejus Vitâ *Plutarchus*, & in libro 36. *Livius* confirmat. Quæ de Buplago Syro & Publio duce Romano post hanc pugnam contigisse refert Antisthenes historicus, videnda apud Phlegontem Trallianum, in lib. de Mirabilib. cap. 3.

Antiochus Ephesi securus admodum de bello Romano erat, tanquam non transituris in Asiam Romanis. Quam securitatem quum Hannibal illi excussisset: Rex à mediterraneis satrapiis properè copias convocavit ad mare: classem etiam apparans, cui præerat Polyxenidas exul Rhodius: móxque trajecit in Chersonesum, & rursùs eam muniit; misso in Sestum & Abydum præsidio, per quas in Asiam trajectus erat Romanis legionibus. [*Liv. lib. 36. Appian. pag. 99.*]

3814 *a.* C. Livius Salinator (à Romanis ad classem missus successor Attilio) & rex Eumenes, Asiam classe petentes, obvium circa Phocæam Polyxenidam classis Antiochi præfectum in fugam conjiciunt, decem naves ejus demergunt, 13 capiunt, ipsi unicam cámque Punicam amittunt, fugientes Ephesum usque persequuntur. Rhodiis deinde (qui pugnâ jam peractâ cum 25 tectis navibus supervenerant) & Eumene domos dimissis, Romana classis ad Canas venit; & cùm jam hyems appeteret, fossâ vallóque circumdatis naves subductæ sunt. [*Liv. lib. 36. Appian. pag. 99. 100.*]

Cùm navalis hæc ad Coricum pugna ageretur, Magnesiam quæ ad Sipylum est rex Antiochus concesserat, ad terrestres copias comparandas. Superatum verò se tum quum audivisset, classi maximè reparandæ, ne totâ maris possessione pelleretur, intentus fuit. Itaque & Hannibalem in Syriam misit, ad Phœnicum accersendas naves: & Polyxenidam quassatas reficere & alias parare naves jussit. Ipse in Phrygiâ hybernavit: undique auxilia, etiam è Gallo-Græciâ, accersens; [*Liv. lib. 36. & 37. Appian. pag. 100.*] Galatas enim muneribus & terrore apparatûs in societatem belli pertraxit; ratus idoneos quos Romanis opponeret propter magnitudinem corporum. [*Appian. pag. 89.*]

Legati ab Ptolemæo & Cleopatrâ, gratulantes quòd M. Acilius Consul Antiochum regem expulisset, Romam venerunt: ut in Asiam exercitum trajicerent adhortantes. Omnia enim perculsa metu non in Asiâ modò, sed etiam in Syriâ esse dicebant; séque ad ea quæ censuisset Senatus, paratos fore. Gratiæ ob hoc regibus actæ sunt, & legatis munera dari jussa, in singulos quaternùm, millium æris. [*Liv. lib. 37.*]

Filium Seleucum in Æolide cum exercitu reliquit Antiochus, ad maritimas continendas urbes; quas illinc à Pergamo Eumenes, hinc à Phocæâ Erythrísque Romani solicitabant. Omne verò hybernorum tempus, partim sociis ferendo opem, partim quos in societatem pellicere non poterat depopulandis, Seleucus consumpsit. [*Id. ibid.*]

b. Mediâ fermè hyeme, rex Eumenes cum duobus millibus peditum & 100 equitibus Canas venit, ubi Romana classis hybernabat. Ibi quum magnam ille prædam agi posse dixisset ex hostium agro qui circa Thyatira esset, hortando perpulit Livium ut quinque millia militum secum mitteret. Missi ingentem prædam intra paucos dies averterunt. [*Id. ibid.*] 4524 190

Inter

inter hæc Phocææ seditio orta, quibusdam ad Antiochum multitudinis animos avocantibus. Gravia hyberna navium erant, grave tributum (quòd togæ 500 imperatæ erant cum 500 tunicis) gravis etiam inopia frumenti; propter quam naves quoque, & præsidium Romanum excesserat. Tum verò liberata metu factio erat quæ plebem in concionibus ad Antiochum trahebat. Senatus & Optimates in Romanâ societate perstandum censebant: sed defectionis authores plus apud multitudinem valuerunt. [*Id. ibid.*]

Phocæensium igitur magistratus, suspectam multitudinis voluntatem habentes, legatione ad Seleucum Antiochi filium missâ, rogabant ne urbi suæ appropinquaret: sibi enim propositum esse quiescere, atque expectare quem exitum bellum universum nanciscceretur. Ille verò, cognitâ inclinatione animorum vulgi & frumenti apud eos inopiâ, nullo dato responso urbem versùs duxit. [*Polyb. legat.* 18.]

Romæ cùm ambo Consules, Lucius Cornelius Scipio & C. Lælius Nepos, Græciam provinciam ambirent, P. Scipio Africanus dixit, si provinciam Græciam Lucio fratri decrevissent, legatum se illi in Asiam iturum. Quæ vox magno assensu audita sustulit certamen: quòd Africano nemo aptior videretur, qui Hannibali opponeretur. [*Cicero, Philippic.* 11. *Liv. lib.* 37. *Ascon. Pedian.* in *Cicer.* Orat. contra Verrem, de Prætura urbanâ. *Valer. Maxim. lib.* 5. *cap.* 5. *Justin. lib.* 31. *cap.* 7.]

Per eos dies quibus Lucius Consul ad bellum contra Antiochum est profectus, Idus Apollinaribus, ad quintum Idus Quintiles cœlo sereno interdiu obscurata lux est cùm Luna sub orbem Solis subiisset. [*Liv. lib.* 37.] Et certè horrendam Solis eclipsim Romæ non longè post Solis ortum die 14. Martii Juliani contigisse, calculus astronomicus demonstrat. Cui si quintus Iduum Quintilium tunc respondebat: ut Kalendæ Januariæ sequentis anni in 29 diem Augusti Juliani incurrant, erit consectarium. Tanta tum Romani Kalendarii fuit perturbatio.

c. Sub æquinoctium vernum, Pausistratus cum 36 Rhodiorum navibus, Livius cum 30 Romanorum, & Eumenes rex cum 7 quadriremibus suis Hellespontum petierunt. In portum, quem vocant Achæorum, classem primùm Livius advertit: inde Ilium ascendit, sacrificioque Minervæ facto, legationes finitimas ab Eleunte & Dardano & Rhœteo, tradentes in fidem civitates suas benigne audivit. Inde ad Hellesponti fauces navigavit: & 10 navibus in statione contra Abydum relictis, cæterâ classe in Europam ad Sestum oppugnandam trajecit. Quâ per deditionem receptâ, ad oppugnationem Abydi sese expedivit. [*Liv. lib.* 37. *Appian. pag.* 101.]

Dum hæc in Hellesponto geruntur, Polyxenidas classis Regiæ præfectus, qui Rhodo tum exulabat, Pausistrato Rhodiorum navium Duci regis Antiochi classem, aut totam aut majorem ejus partem, traditurum se simulat. Ille proditori nimiâ credulitate fidem adhibens Samum petiit: ubi custodias negligentiùs adhibens, vitam cum 29 navibus amisit. Nam quinque tantùm Rhodiæ, cum duabus Coïs, effugerunt. [*Id. ibid.*]

Sub idem tempus Seleucus proditam Phocæam, portâ unâ per custodes apertâ, recepit: & Cymæ, aliæque ejusdem oræ urbes ad eum metu defecerunt. [*Liv.*]

Dum hæc in Æolide fiunt, Abydus cùm per aliquot dies obsidionem toleràsset, præsidio regio tutante mœnia, jam omnibus fessis, Philota quoque præfecto præsidii permittente, magistratus eorum cum Livio de conditionibus tradendæ urbis agebant. Sed cùm interveniisset nuncius Rhodiæ cladis, Livius, obsidione Abydi & custodiâ Hellesponti extemplò relictâ, cum omni classe Phocæam petiit. Quam cùm teneri valido præsidio audisset, nec procul Seleuci castra esse; depopulatus maritimam oram, & prædâ maximè hominum raptim in naves impositâ, tantum moratus dum Eumenes cum classe assequeretur, Samum petere intendit. Quò, tempestate jactatus, tandem pervenit: classemque suam cum Rhodiâ navium 20, cui Eudamus præfectus fuerat, ibi conjunxit. [*Liv.*]

Classe ita auctâ, profecti extemplò sunt Ephesum: & contra fauces portûs instructâ in frontem navium acie stetere. Postea quam nemo advectus ibat, classe divisâ, pars in salo in hostium portus in anchoris stetit, pars in terram milites expoluit. In eos jam ingentem prædam latè depopulato agro agentes, Andronicus Macedo (Nicandrum appellat Appianus) qui in præsidio Ephesi erat, eruptionem fecit; exutosque magnâ parte prædæ ad mare ac naves redegit. Qui mox inde Samum reversi sunt: quò & L. Æmilius Regillus Prætor, in Romanæ classis præfecturâ C. Livii succesor, pervenit; cui a Chio eò trajicienti duæ Rhodiæ quadriremes missæ obviam a Livio, & rex Eumenes cum duabus quinqueremibus occurrit. [*Id. cum Appian. pag.* 102.]

Ibi concilio de bello navali habito, L. Æmilius cum tota classe, ad inferendum hostibus terrorem, portum Ephesi; Livius Patararn Lyciæ adiit. Æmilius ab Epheso tempestate repulsus, irrito incepto, Samum rediit. Civitates quas Livius est prætervectus, Miletus, Myndus, Halicarnassus, Cnidus, Cous, imperata cuivis fecerunt. Sed in Lycia malè à tempestate atque ab hoste acceptus, in Græciam transmisit; ut conventis Scipionibus, qui tum circa Thessaliam erant, in Italiam trajiceret. [*Liv.*]

Eumenis a Scipionibus ad L. Æmilium & Eumenem advenêre literæ; quibus de pactis induciis cum Ætolorum gente, & profectione terrestrium copiarum versus Hellespontum certiores fiebant. Antiocho similiter & filio ejus Seleuco eadem ab Ætolis sunt nuntiata. [*Polyb. legat.* 19.]

Legatione ab Eumene, societatis jungendæ causâ, in Achaiam missâ; multitudo Achæorum in concilio congregata societatem firmavit; & juvenum manum suppetias ei misit. [*Id. legat.* 20.]

L. Æmilius cum totâ classe Miletum & cæteram sociorum oram prætervectus, in Bargylletico sinu excensionem ad Iasium fecit. Urbem Antiochi tenebat præsidium, agrum circa Romani hostiliter depopulati sunt. Missis deinde qui per colloquia principum & magistratuum tentarent animos, postea quàm nihil in potestate sua respondere sunt esse, Æmilius ad urbem oppu-

guandam

Digitized by Google

3814 gnandam duxit. Sed Iasensium exulum precibus moti Rhodii, Eumene etiam rege assumpto, pervicerunt, ut oppugnatione abstinererur. [*Liv.*]

Heraclienses Ponti, legatis ad Æmilium missis, literas ab eo humanitatis plenas acceperunt: quibus & amicum fore ipsis Senatum, nec ullâ in re prudentiam Romanorum & curam (si quando his indigeant) eis defuturam pollicebatur. [*Memnon. Excerpt. cap.* 28.]

Dum Eumenes procul à domo cum Romanis & Rhodiis Lyciæ maritima oppugnabat, in fines regni illius Seleucus transiit. Ad Elæam primò infestis signis accessit: deinde omissâ oppugnatione urbis, agros hostiliter depopulatus, ad caput arcémque regni Pergamum oppugnandam duxit. Attalus Eumenis frater stationibus extra urbem positis; primò fatigare hostem excursionibus cœpit: deinde ut se infirmiorem vidit, mœnibus se continuit; & obsideri urbs cœpta est. [*Id.*]

Eodem fermè tempore & Antiochus ab Apameâ profectus, Sardibus primùm, deinde haud procul Seleuci castris ad caput Caici amnis stativa habuit, cum magno exercitu misto variis ex gentibus. Plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quatuor millibus erat. Hos, pancis admistis, ad pervastandum passim Pergamenum agrum misit. [*Id.*]

Hæc cùm Sami Eumenes didicisset, avocatus domestico bello, cum classe Elæam petiit: indéque priusquàm hostes sentirent Pergamum ingressus, levia per excursionem prælia ibi fecit. Post paucos verò dies Romana Rhodiáque classis, ut opem illi ferrent, Elæam ab Samo venerunt. [*Id.*]

Cùm tot classes in unum convenisse portum Antiocho allatum esset; & sub idem tempus audivisset Consulem cum exercitu in Macedoniâ esse, pararique quæ ad transitum Hellespontiacis ad Elæam accessit: & tumulo quodam adversùs urbem occupato, peditum omnes copias ibi constituit; & cum equitatu (erant autem supra sex millia equitum) in campos sub ipsa Elææ mœnia descendit. Missis deinde in urbem qui de pace agerent: L. Æmilius Eumene à Pergamo accito, Rhodiorum etiam navarchis Eudamo & Pamphilidâ adhibitis, eâ de re consilium habuit. Et Rhodii quidem pacem non aspernabantur: sed Eumenes neque honestum esse dicebat de pace agi, neque finem rei eo tempore imponi posse. Atque in eam sententiam Antiocho respondit Æmilius; ante Consulis adventum de pace agi non posse. Quo responso accepto, Elaensium agrum extemplò vastavit. Deinde Seleuco filio ad Pergami obsidionem continuandam relicto, cum infesto exercitu continuis itineribus pergens, in agrum illum opulentum, quem Thebes campum vocant, impressionem fecit; omnisque generis prædâ exercitum suum implevit. [*Polyb. legat.* 21. *Liv. lib.* 37.]

Per eosdem dies Diophanes Megapolitanus cum mille peditibus & centum equitibus ab Achæis in Eumenis auxilium missus, Elæam advenit. [*Liv. ibid. cum Polyb. legat.* 20.] Veterani omnes & periti belli erant; & ipse dux, Philopœmenis (summi tum omnium Græcorum Imperatoris) discipulus. [*Liv. ibid. Appian. pag.* 102. *cum Polybio, legat.* 20. *pag.* 810. *& in Excerptis Valesii, pag.* 110.]

Egressos navibus obviam missi ab Attalo nocte Pergamum deduxerunt. Unde factis excursionibus aliquot, non minùs audacibus quàm felicibus, Seleucum ex agro Pergameno castra movere Achæi coëgerunt. [*Liv. ibid. Appian. pag.* 102. 103.] qui nihilominùs in maritimâ orâ permanens, aliis terrori, aliis præsidio erat. [*Liv.*]

Dum Antiochus Adramytteum hostiliter itinere facto petit; eò Æmilius & Eumenes, ut urbi præsidio essent, navibus circumvecti venerunt. Antiochus igitur urbe abstinens, agros depopulatus est. Peræam inde coloniam Mitylenæorum expugnavit, Cotton, & Corylenum, & Aphrodisiadem, & Crenen, primo impetu cepit: deinde per Thyatira Sardes rediit. [*Liv.*]

Classis Romana cum Eumene Rhodiisque, Mitylenem primò, inde retrò, unde profecta erat, Elæam rediit. Inde Phocæam petentes, ad Bacchium insulam urbi Phocensium imminentem appulerunt; & quibus antè abstinuerant templis signisque hostiliter direptis, ad ipsam urbem transmiserunt. Sed quum missum ab Antiocho præsidium trium millium armatorum urbem intravisset; extemplò oppugnatione omissâ, classis ad insulam se recepit; nihil aliud quàm depopulato circa urbem hostium agro. Inde Eumenes Elæam, Romana & Rhodia classis Samum rediit. [*Id.*]

Æstate mediâ Rhodiorum classis, quæ 32 quadriremium & 4. triremium, cum Antiochi classe ab Hannibale ex Syriâ ductâ, quæ 37 majoris formæ navium erat, ad Sidam in Pamphyliâ promontorium pugnam iniit: in quâ Hannibalem Rhodii fugârunt, sed naves ejus, egris magnâ ex parte remigibus, insequi longiùs non potuerunt. Sed ut ejus ad veterem classem transitum impedirent, Chariclitum cum 20 navibus rostratis ad Patara & Megistem portum miserunt: quò etiam mox Pamphilidas cum 4. navibus rectis missus est. [*Id.*] Atque ita in Pamphyliâ clausus Hannibal est. [*Appian. pag.* 104.] Vid. Æmil. Prob. in *Hannibale*.

Sardes veniens Antiochus, ad Prusiam Bithyniæ regem (cognomento qui Κυνηγὸς sive *Venator* dictus est) legatos & literas misit, quibus eum ad ineundum secum adversùs Romanos societatem hortabatur. Et jam fluctuabat animo Prusias, quum literæ à Lucio & Publio Scipionis fratribus acceptæ animum illius à metu Romanorum aliquantum liberárunt. Maximè autem est confirmatus, postequàm Româ legatio ad eum venit, cujus princeps C. Livius, qui prætor antè classi præfuerat. Cum his enim legatis ille collocutus, spes consiliáque sua ab Antiocho penitùs teparavit. [*Polyb. legat.* 22. *pag.* 811. 812. *Liv. lib.* 37. *Appian. pag.* 101.]

Antiochus postequàm à spe societatis Prusiæ decidit, Ephesum ab Sardibus est profectus ad classem, quæ per aliquot menses instructa ac parata fuerat, visendam. Quum enim nullam aliam rationem esse judicaret impediendi ne pedestres hostium copiæ trajicerent, atque omninò bellum ex Asiâ expellendi, quàm si potentem maris se fiumè stabiliret; navali prælio cum hoste dimicare proposuit. [*Polyb. & Liv. ibid.*]

Notum itaque Colophoniorum oppidum Epheso vicinum oppugnare aggreditur; ut dum Ro-

J. *Usserii Annal. Pars prior.* Nn mani

nani ſociam urbem obſidione liberare parant; occaſio rei bene gerendæ Polyxenidæ daretur. Erant Polyxenidæ naves 89. vel 90. quibus Æmilius & Rhodii ad Myonneſum occurrerunt, Æmilius cum navibus 58 & Rhodii cum 22. ut *Livius*, vel 25 ut *Appianus* refert. In pugnâ victus Polyxenidas, ſecundo vento Epheſum fugâ petiit: amiſſis navibus 42 (non 29 tantùm, ut apud *Appianum* legitur:) ex quibus 13 unà cum vectoribus in poteſtatem hoſtium venerunt. Romanorum naves duæ fractæ ſunt, vulneratæ aliquot. Rhodiam unam captam Polyxenidas ſecum Epheſum abduxit. Menſe Decembri (ut annus tunc Romæ agebatur) pugnam hanc fuiſſe commiſſam, locus ille Macrobii indicat, in primo libro Saturnalium. XI. *Kalend. Januar. feria ſunt Laribus dedicata; quibus eadem bello Antiochi L. Æmilius Regillus prætor in campo Martio curandum vovit.* quod votum poſt annos undecim illum exſolviſſe docet in libro 40 *Livius*: ubi & Tabulæ, victoriæ hujus ſummam continentis, ſuper valvas & novi ſui templi & ædis Jovis Capitolini ab eo fixæ, exemplum (ſed vitioſè admodum exaratum) legendum proponitur.

Hujus cladis nuntio territus Antiochus, præſidium à Lyſimachiâ, ne opprimeretur ibi à Romanis, deduci pravo conſilio juſſit: * (*Liv.*) & Lyſimachienſes relictâ urbe cum omnibus familiis in Aſiam migrare juſſit. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valeſii pag.* 298.], Colophonis etiam obſidione abſcedens, Sardes recepit ſe: atque inde in Cappadociam ad generum ſuum Ariarathen, qui auxilia accerſerent, & quocunque aliò poterat ad copias contrahendas miſit. [*Liv.*] Ipſe verò Sardibus hærens, rei gerendæ tempora conſumebat, & ſummâ lentitudine omnia adminiſtrabat. [*Polyb. legat.* 23.]

3815 4. Æmilius poſt victoriam navalem profectus Epheſum, directis ante portum navibus, quum confeſſionem conceſſi maris ultimam hoſti expreſſiſſet, Chium navigans, naves in prælio quaſſatas quum ibi refeciſſet, Phocæam trajecit, quæ dudum à Romanâ ſocietate defecerat. Eam primùm vi adortus, poſteà deditione recepit: ſed quo minùs diriperetur, à milite impetrare non potuit. Urbem tamen agroſque & ſuas leges iis reſtituit: & quia jam hyems appetebat, gemino eam urbem portu inſtructam ad hybernandum claſſi delegit. [*Liv.*]

Per idem ferè tempus Lyſimachia, referta omnium rerum commeatibus velut in adventum Romani exercitûs præparatis, Scipiones excepit. Unde ingreſſi rursùs iter per Cherſoneſum, Helleſpontum pervenerunt; ubi omnibus curâ regis Eumenis ad trajiciendum præparatis, velut in pacata littora, nullo prohibente, aliis aliò delatis navibus, ſine tumultu trajecere. [*Id.*]

Antiochus metu conſternatus & rebus ſuis diffidens Heraclidem Byzantinum legatum de pace ad Romanos miſit: cum mandatis & publicè concilio, & privatim P. Scipioni Africano communicandis. Cùm verò reſponſum accepiſſet Antiochus, impenſam quæ in bellum facta eſſet omnem præſtare eum oportere, & eis Taurum montem poſſeſſione Aſiæ cedere: ille, nihil gravius ſibi ſi bello eſſet victus imperatum iri ratus, cogitatione pacis abſtinuit, & neceſſaria ad prælium omnia undique apparavit. [*Polyb. legat.* 23. *Diodor. Sicul. legat.* 6. & 7. *à Fulv. Urſino edit. Liv. lib.* 37. *Juſtin. lib.* 31. *cap.* 7. *Appian. pag.* 105.]

Lucius Scipio Conſul ex ſtativis ad Helleſpontum movens, Dardanum primùm, deinde Rhœteum, utrâque civitate obviam effuſâ, venit. Inde Ilium proceſſit, caſtriſque in campo qui eſt ſubjectus mœnibus poſitis, in urbem arcémque quum aſcendiſſet, Minervæ ut arcis præſidi ſacrificavit. Atque hîc mutua gratulatio Ilienſium ac Romanorum fuit: Ilienſibus Æneam cæteróſque cum eo duces à ſe profectos, Romanis ſe ab his procreatos referentibus. Tantáque lætitia omnium fuit, quanta eſſe poſt longum tempus inter parentes & liberos ſolet. [*Liv. & Juſtin. lib.* 31. *cap.* 8.] Demetrius Scepſius puerum ſe ſub id tempus ait Ilium peregrè veniſſe; atque ita neglecta vidiſſe domicilia, ut ne tecta quidem imbricibus coctis integerentur. [*Strabo, lib.* 13. *pag.* 594.]

Inde profecti ſextis caſtris ad caput Caici amnis pervenerunt. Ubi & Eumenes rex, cum auxiliis occurrit. Hîc plurium dierum præparatis cibariis, conſilium erat ire ad hoſtem priuſquàm hyems opprimeret: [*Id.*]

P. Scipio Africanus Elæam æger delatus eſt; relicto apud fratrem legato Cn. Domitio. Antiochus verò circa Thyatirenos campos contrahens copias, non longè ab hoſtibus, Scipioni filium quem captivum habebat ſine pretio ad eum remiſit. Quod non ſolùm animo patrio gratum munus, ſed corpori quoque ſalubre gaudium fuit. [*Vid. Polyb. legat.* 23. *Liv. lib.* 37. *Juſtin. lib.* 31. *cap.* 7. *Appian. pag.* 105. 106. *Aurel. Victor. de vir. illuſtr. cap.* 54. & *Dionem, in Excerptis Valeſii pag.* 609.]

Senatus populúſque Heraclienſium in Ponto, legatione ad Scipiones miſſâ, ut initam priùs cum Æmilio amicitiam confirmarent, impetrárunt. Ut Antiochus etiam in gratiam apud Romanos reponeretur, orabant: & perſcripto ad Regem plebiſcito, ut bellum contra Romanos deponeret, adhortabantur. [*Memnon. Excerpt. cap.* 28.]

Elephantis immenſæ magnitudinis, auro, purpurâ, argento, & ſuo ebore fulgentibus Antiochum aciem ſuam utrimque vallaviſſe, ſcribit Florus. [*Hiſtor. Rom. lib.* 2. *cap.* 8.] Habuiſſe illum elephantos 120, in I. Maccab. VIII. 6. legimus. Et 102 quidem contra Ptolemæum Philopatorem eum eduxiſſe, & 150 elephantos poſteà habuiſſe; ex *Polybio* jam antè audivimus. [*ad ann. Mund.* 3787. & 3799.] ſed 54. tantùm cum Romanis pugnanti illi adfuiſſe, memorat *Livius*. Qui etiam 70 millia peditum & plus 12 millia equitum habuiſſe eum refert: licèt 70 tantùm millia univerſo illius exercitui *Appianus* tribuat. *Trecenta millia peditum, equitum falcatorúmque curruum non minor numerus:* inquit *Florus*; nimis profectò hyperbolicè. In Romano verò exercitu 30 tantùm millia fuiſſe, *Appianus* affirmat: è quibus & duo millia miſtorum Macedonum Thracúmque præſidio caſtris fuiſſe relictos, *Livius* indicat.

Circa Magneſiam ad Sipylum montem poſtam pugna commiſſa eſt. Ab eâ abfuit tum Hannibal, cum Syrâ claſſe in Pamphyliâ clauſus, tum P. Scipio Africanus, ægritudine Elææ detentus. Nebuloſus is dies fuit: qui & caligine Regiis in tam latâ acie conſpectum cornuum ſuo-

rum

rum adimebat, & humore arcus fundâſque & jaculorum amenta emolliebat. Cùm in dexteriore cornu pulſa legio Romana ad caſtra fugeret; M. Æmilius Lepidus tribunus militum ad tutelam caſtrorum relictus, armare ſe milites ſuos & extra vallum progredi juſſit, ſtrictiſque gladiis fugientibus mortem minari, niſi in prælium reverterentur. Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus M. Æmilio & duobus millibus Macedonum Thracúmque qui in caſtris relicti fuerant, in prælium reverſa eſt; magnáque cæde editâ, initium victoriæ fuit. Ex Regiis ad 50 millia peditum cæſa eâ die dicuntur: equitum quatuor millia: ut apud *Livium* & *Eutropium* legitur. Captos fuiſſe 1400 refert *Livius*; undecim millia *Juſtinus*. Ex elephantis nonnulli interfecti ſunt, 15 cum rectoribus capti. Romanorum aliquot vulnerati ſunt: ceciderunt non plus 300 pedites, 24 equites, & de Eumenis exercitu 25.

Antiochus cum paucis fugiens, in ipſo itinere pluribus congregantibus ſe, modicâ manu armatorum, mediâ fermè nocte Sardes pervenit. Inde quum auditiſſet Seleucum filium & quoſdam amicorum Celænas (juxta quas nova urbs condita, cui Apameæ nomen eſt inditum ab Apameâ ſorore Seleuci regis) fugiſſe; & ipſe quartâ vigiliâ cum conjuge ac filiâ eò conceſſit: Zenoni Sardium cuſtodiâ traditâ, & Timone Lydiæ præpoſito. Inſequenti verò die Celænis (relictis ibi ducibus, qui regios è fugâ recolligerent) in Syriam profectus eſt. [*Liv. lib. 37. Appian. pag.* 110. *& ex Dione, Zonaras.*]

Polyxenidas Antiochi navarchus, auditâ pugnâ, Epheſum reliquit; & claſſe uſque ad Patara Lyciæ pervectus, metu ſtationis Rhodiarum navium quæ ad Megiſten erat, in terram egreſſus, cum paucis itinere pedeſtri Syriam petiit. [*Liv. ibid.*]

Legati à Thyatirâ primùm & à Magneſiâ ad Sipylum; deindè à Sardibus; Trallibus, Magneſia quæ ſuper Mæandrum eſt, & Epheſo, ad dedendas urbes venerunt: Aſiæ civitatibus in fidem Conſulis ditionémque populi Romani ſeſe tradentibus. [*Id. ibid.*]

Sardibus receptis, Conſul eò ſe contulit. Eò & frater ejus P. Scipio ab Elæâ, cùm primùm pati laborem viæ potuit, venit. Sub idem fetè tempus Muſæus, caduceator ab Antiocho miſſus, per P. Scipionem à Conſule petiit impetravítque, ut legatos mittere liceret regi de ſummâ rerum acturos. Paucis deinde pòſt diebus, venêre legati ab Antiocho; Zeuxis qui præfectus Lydiæ fuerat, & Antipater fratris Antiochi filius. Hi priùs Eumenè convento, quem propter vetera certamina averſum maximè à pace credebant eſſe, & placatiore eo & tuâ & regis ipſe invento, tum P. Scipionem, & per eum Conſulem adierunt: præbitóque ils petentibus frequenti concilio, eædem conditiones pacis datæ ſunt, quæ anteà ad Helleſpontum, priuſquàm prælium committeretur, fuerant oblatæ; P. Scipione prædicante, Neque Romanis ſi vincantur animos minui, neque ſi vincant, ſecundis rebus inſoleſcere. Oportere igitur Antiochum Europa cedere, & Aſiâ omni cis Taurum. Pro impenſis in bellum factis 15 millia talentum * (quot numerat & Plutarchus in *L. Paulo Æmilio, pag.* 258.), Euboicorum dare: 500 præſentia, 2500 quum Senatus populúſque Romanus pacem comprobaverint, 1000 deinde talenta per 12 annos continuos: Eumeni quoque 400 talenta reddere, & quod frumenti reliquum ex eo, quod patri debitum erat. * *Antiochus omni cis Taurum agro & decem millibus talentorum ſpoliatus eſt*: inquit Mithridates in epiſtolâ ad Arſacem. (libro 4°. Hiſtoriarum Saluſtii.) Hannibalem quoque Carthaginienſem, Thoantem Ætolum, & alios aliquot belli concitatores dedere. Pignoris autem loco obſides 20 dare. Quum acciperent conditiones Antipater & Zeuxis, placuit omnibus legatos Romam mitti; ad pacis comprobationem obtinendam: atque ita tum diſceſſum eſt. [*Polyb. legat.* 24. *Diodor. Sic. legat.* 9. *Liv. lib.* 37. *Juſtin. lib.* 31. *cap.* 8. *Appian. pag.* 111. 112.]

Sequentibus diebus Conſul in hyberna exercitum Magneſiam ad Mæandrum & Tralles Epheſumque diviſit. [*Polyb. & Liv. ibid.*]

Epheſum ad Conſulem paucos poſt dies pars imperatæ pecuniæ advecta eſt, & additi obſides: [*Id. ibid.*] inter quos fuiſſe juniorem regis filium Antiochum narrat *Appianus* [*pag.* 112. 113.] licèt à Scipionis ſucceſſore Cn. Manlio Vulſone hoc primùm exactum fuiſſe, ut inter obſides Antiochus Regis filius daretur, ex Dione referat Zonaras.

b. M. Aurelius Cotta legatus L. Scipionis, cum Antiochi legatis, & Eumenes rex, itémque Rhodiorum, Smyrnenſium, & omnium fermè cis Taurum populorum ac civitatum legati Romam profecti ſunt. [*Polyb. & Liv. ut ſuprà.*] — 4525 — 189

M. Acilius Glabrio de rege Antiocho & Ætolis triumphans, Romam ingreſſus eſt. [*Liv. lib.* 37.]

Cn. Manlius Vulſo Conſul in Aſiam miſſus eſt. Exercitus ei quem L. Scipio habebat eſt decretus: & in ejus ſupplementum quatuor millia peditum Romanorum, 200 equites, & ſociorum
c. ac Latini nominis octo millia peditum & 400 equites. Eodemque ferè tempore & Cn. Manlius conſul in Aſiam, & Q. Fabius Labeo prætor ad claſſem venit. [*Liv. lib.* 37.] Vere autem primo Epheſum Conſul venit; acceptiſque copiis à L. Scipione, & exercitu luſtrato, concionem apud milites habuit, quâ ad novum cum Gallis ſuſcipiendum bellum eos adhortatus eſt. [*Id. lib.* 38.] Fabius verò claſſe ab Epheſo in Cretam profectus eſt; ut Romanos atque Italici generis captivos ibi detentos ſervitute eximeret. A Cretâ Epheſum reverſus; tribus inde navibus in Thraciæ oram miſſis, ab Æno & Maroniâ præſidia Antiochi deduci juſſit, ut in libertate eæ civitates eſſent. [*id. in lib.* 37. *fine.*]

Appetente æſtate, Eumenes rex & legati ab Aſiâ Romam venerunt. Cotta in Senatu primùm, deinde in concione narravit, quæ eſſent geſta in Aſiâ. Eumenes deinde, poſtulante Senatu, ſua merita poſtulatáque modeſtè expoſuit. Cui Rhodii tam pro ſe, quàm pro libertate Græcarum civitatum reſtiterunt. Quibus auditis, à Senatu decretum eſt, ut cis Taurum montem quæ intra regni Antiochi fines fuiſſent, Eumeni attribuerentur: præter Lyciam Cariámque uſque ad Mæandrum amnem; quæ civitatis Rhodiorum eſſent. Cæteræ civitates Aſiæ, quæ Attali

ſtipendiariæ fuiſſent, eædem Eumeni vectigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuiſſent, ea liberæ atque immunes eſſent. [*Polyb. legat.* 25. & 36. *Diodor. Sic. legat.* 10. *Liv. lib.* 37. & 38. *Appian. Syriac. pag.* 116.]

Antiochi regis legati Antipater & Zeuxis auditi à Senatu, ut pacis in Aſiâ à L. Scipione datæ conditiones confirmarentur, impetrârunt. Et quum paucos poſt dies etiam populus eam pacem juſſiſſet eſſe ratam: fœdus in Capitolio cum Antipatro, principe legationis & regis Antiochi fratris filio, eſt ictum, quo pacta illa confirmabantur. [*Polyb. legat.* 25. *Liv. lib.* 37.] Hoc fœdus in æs inciſum, dedicatum eſt in Capitolio, ubi ſolent & alia dedicari fœdera. Exemplar ejus Manlio Vulſoni, ſucceſſori Scipionis, tranſmiſſum eſt. [*Appian. pag.* 113.]

Inter alia verò conſtitutum fuiſſe, ut tam ipſe Antiochus, quàm qui regnaturi eſſent poſt eum, tributum magnum ſolverent, & darent obſides & διαφορὰν ſive diviſi Imperii partem; in I. Maccab. VIII. 7. legimus. Et ex pactis quidem hiſce, intra 12 annos, penſionibus æquis, ſolvere tenebatur Antiochus talenta Euboica (non Attica, ut verba Polybii non rectè videtur accepiſſe Livius, ſed argenti Attici optimi) 12000, quorum unumquodque 80 libras Romanas ponderaret; & tritici 540 millia modiûm: atque obſides 20 dare, unoquoque triennio mutandos. In Imperii verò diviſione relictæ Antiocho ſunt, non ſolùm * Syria, ut in *L. Æmilio Paulo.* (pag. 258.) innuit Plutarchus; neque etiam Comagena & Syria & Judæa, ut voluit Memnon, [*in Excerpt. cap.* 28.] ſed etiam regiones ſuperiores trans Euphratem, Babylonia, Aſſyria, Suſiana, &c. atque in inferioribus Cilicia; licèt in freto Ciliciæ ultra Calycadnium & Sarpedonium promontorium belli causâ illi navigare non fuerit permiſſum. [*Polyb. legat.* 25. & 35. *Liv. lib.* 37. & 38. *Appian. pag.* 112. 113.] * Et antequàm cum Romanis rem haberet, Aſiam ferè (ὅλην ἄνω) iiſdem eum finibus habuiſſe quibus eam tenuit Seleucus Nicanor confirmat Plutarchus in *M. Catone Majore.* (pag. 342.) *.

Smyrnæorum & reliquorum omnium Aſiaticorum legationibus auditis, Senatus more majorum decem legatos miſit ad res Aſiæ componendas, & controverſias inter civitates dirimendas. [*Polyb. legat.* 25. *Diodor. Sic. legat.* 10. *Liv. lib.* 37.]

d. Quo tempore Romæ de pace cum Antiocho agebatur, in Aſiâ Cn. Manlius Conſul ſummâ ope tetendit, ut eam pacem turbaret; & Antiochum, ſi ſui poteſtatem feciſſet, inſidiis exciperet. Verùm ille cognitâ fraude Conſulis, cùm ſæpe colloquiis petitis captatus eſſet, non congreſſum modò ſed conſpectum etiam ejus vitavit. Conſul eum inſequi cupiens, in ipſis propè Tauri jugis ad divortia aquarum caſtra poſuit. Cùm nullam ibi cauſam belli inveniret, quieſcentibus regiis, cum Gallo-græcis bellum geſſit: eo prætextu, quòd & auxiliis Antiochum juviſſent; & adeò indomita haberent ingenia, ut nequicquam Antiochus emotus ultra juga Tauri montis eſſet, niſi horum opes frangerentur. Et quia Eumenes Romæ tunc aberat, accerſitus Pergamo frater ejus Attalus Conſuli, ab Epheſo ad Magneſiam profecto, cum mille peditum & 200 equitum auxiliis occurrit. Quibus deinde ad Harpaſum fluvium progreſſis occurrit Eumenis & Attali frater Athenæus, cum Cretenſi Leuſo & Corrago Macedone: qui mille pedites miſtarum gentium, & 300 equites ſecum adduxerunt. [*Liv. lib.* 38.]

Huc legati ab Alabandis ad Conſulem venerunt: quorum rogatu caſtellum quod ab ipſis nuper deſciverat, vi receptum, Alabandenſibus eſt redditum. Ipſe viâ nihil digreſſus, ad Antiochiam ſuper Mæandrum amnem poſuit caſtra: quò Seleucus Antiochi filius, ex fœdere icto cum Scipione, ad frumentum exercitui dandum venit. Tabenſes in finibus Piſidarum, qui in agmen Romanum eruptionem temerè fecerant, 25. talentis argenti & 10 millibus medimnûm tritici imperatis, in deditionem ſunt accepti: Tertio inde die ad Chaum amnem perventum: inde profecti, Erizam urbem primo impetu, ceperunt. [*Liv. ibid.*]

Moageres tyrannus, cui Cibyra, Syleum, & quæ Alymne (vel Alinda) appellatur, ſuberant, homo crudelis & callidus, ægrè adduci ſe paſſus eſt, ut datis Conſuli 130 talentis & 10 millibus medimnûm frumenti, ſalutem propriam redimeret. [*Id. ibid. Polyb. legat.* 30.]

Quum Colobatum amnem Conſul trajeciſſet, Iſindenſium legati ad eum venerunt; orantes ut opem ipſis ferret. Termeſſenſes namque, accitis Philomelienſibus, agrum eorum vaſtaſſe, urbem diripuiſſe, nunc quoque arcem urbis obſidere, quò cives univerſi cum conjugibus & liberis confugiſſent. Ille, occaſione hâc libenter arreptâ, Pamphyliam versùs agmen duxit: Iſindenſes obſidione exemit, & Termeſſenſibus, 50 talentis argenti acceptis, pacem dedit; uti & Aſpendiis, cæteriſque Pamphyliæ populis, eodem modo. [*Polyb. legat.* 31. *Liv. ut ſupr.*]

3816 *a.* Ex Pamphyliâ ad Galaticam expeditionem reverſus, Cormaſâ urbe captâ, & multâ prædâ, caſtra movit. Progredienti præter paludes, legati à Lyſinoë dedentes civitatem occurrerunt. Quibus ſuſceptis, in Sagalaſſenum Piſidarum agrum venit: ex quo ingente prædâ abactâ, quum legati ab urbe veniſſent, acceptâ coronâ 50 talentorum, cum 20 millibus medimnûm hordei, ac totidem tritici, pacem eis dedit. [*Polyb. legat.* 32. *Liv. ut ſupr.*]

Progreſſus inde ad Obrimæ fontes, ad vicum quem Aporidos κώμην vocant caſtra poſuit. Eò Seleucus ab Apameâ poſtero die venit. Ægros inde & inutilia impedimenta quum Apameam dimiſiſſet, ducibus itinerum à Seleuco acceptis, profectus eo die in Metropolitanum campum, poſtero die Dinias Phrygiæ proceſſit. Inde Synnada venit; meru omnibus circà oppidis deſertis: quorum jam prædis grave agmen trahens, vix quinque millium die toto itinere profecto, ad Beudos quod vetus appellant, & tertio inde die ad Galatarum fines pervenit. [*Liv.*]

Hic plures dies ſtativa habens, legatos ad Epoſſognatum miſit; qui unus ex Galatarum regulis & in Eumenis amicitiâ manſerat, & negaverat Antiocho adversùs Romanos auxilia. Ille ad Galatarum Reges profectus, ut æquis conditionibus ſe Romanis ſubjiceret, perſuadere conatus eſt. [*Id. cum Polyb. legat.* 33.] Trium verò populorum, Toliſtoboiorum, Tectoſagum & Trocmorum Reges tunc erant, Ortiagon, Combolomarus & Gaulotus. [*Liv.*] è quibus

Ortiagon

Ortiagon præ cæteris liberalitate, prudentiâ & fortitudine insignis, consilia de Galatarum principatu in se unum transferendo agitare credebatur. [*Polyb. in Excerp. Valesii, pag.* 214. *& apud Suid. in* Ὀρτιάγων.]

Interea Oroandensium legati ad Consulem in vico quem vocant Tyscon castra habentem venerunt, amicitiam petentes: quam, 200 talentis solutis, postea impetrârunt. [*Liv.*]

Ad Cuballum Gallo-græciæ castellum castra habentibus Romanis, apparuere cum magno tumultu hostium equites, & quosdam occiderunt. Quibus deinde fugatis, & aliquot fugientibus occisis, continentibus itineribus ad Sangarium flumen Consul processit. [*Liv.*]

Ponte ibi facto, quia vado nusquàm transitus erat, transgressis flumen Galli Matris magnæ ab Attide & Battaco sacerdotibus Pessinunte missi occurrêre cum insignibus suis; vaticinantes fanatico carmine, Deam Romanis victoriam & imperium ejus regionis offerre. Accipere se omen quum dixisset Consul; castra eo ipso loco posuit. [*Liv. & Polyb. in Excerptis Valesii, pag.* 209.]

Postero die ad Gordium pervenit, tum desertum fugâ incolarum oppidum; sed copiâ rerum omnium refertum. Ibi stativa illi habenti legati ab Epossognato nunciârunt, collocutum cum cum regibus Gallorum fuisse, sed ad nullam æquam conditionem perducere potuisse. Olympum eos montem cum conjugibus & liberis & reliquâ substantiâ universâ petere; ut inde armis locorúmque situ se tueantur. [*Liv. & Polyb. legat.* 33.] Certiora postea Oroandensium legati attulerunt. Tolisto-boios Olympum montem cepisse; Tectosagos alium montem, qui Magana dicatur, petiisse: Trocmos; conjugibus ac liberis apud Tectosagos depositis, armatorum agmine Tolisto-boiis statuisse auxilium ferre. [*Liv.*]

Galatarum castra in Olympo monte posita à Consule & Attalo sunt expugnata. Claudius Quadrigarius bis pugnatum in Olympo scribit, & ad 40 millia hominum cæsa. Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem millia cæsa refert. Numerus captivorum, haud dubiè millia 40 explevit: quia omnis generis ætatisque turbam secum traxerant; demigrantium magis quàm in bellum euntium modo. Consul armis hostium in uno concrematis cumulo, cæteram prædam conferre omnes jussit: & aut vendidit quod ejus in publicum redigendum erat; aut cum curâ, ut quàm æquissima esset, per milites divisit. [*Liv.*]

Supererat bellum integrum cum Tectosagis. Ad eos progressus Consul, tertiis castris Ancyram, nobilem in illis locis urbem, pervenit: unde hostes paulò plus decem passuum millia aberant. Ibi Chiomara Ortiagontis regis uxor captiva, à centurione stuprum passa, præcisum ejus caput ad maritum suum, qui ab Olympo domum refugerat, retulit. [*Liv. cum Floro, lib.* 2. *hist. Rom. cap.* 11. *& Aurel. Victore de vir. illustr. cap.* 55.] Plenius historiam hanc retulit *Polybius*: qui cum ipsâ Chiomarâ Sardibus se collocutum & ejus prudentiam admiratum fuisse scripsit. [*Plutarch. de Clar. mulierib.*]

Ad Ancyra in stativa oratores Tectosagum ad Consulem venerunt; petentes, ne inde castra moveret, priusquàm de pacis conditionibus cum suis regibus esset collocutus. Illi verò specie colloquii insidias Romanis struxerunt; quorum etiam plurimos, prævalente multitudine, peremerunt: magnáque pars oppressa foret, nisi pabulatorum 600 equites ad clamorem & cædem fugientium occurrissent. [*Polyb. legat.* 34. *Liv. lib.* 38.]

Romani ardentibus irâ animis, postero die cum omnibus copiis ad hostem pervenerunt. Biduo in naturâ montis explorandâ absumpto, die tertio Consul in quatuor partes divisas copias eduxit. Hostium quod roboris erat, Tectosagi & Trocmi mediam tenebant aciem, millia hominum 50: equitatum (quia equorum nullus inter inæquales rupes usus erat) ad pedes deductum, 10 millia hominum, ab dextro locaverunt cornu. Ariarathis Cappadoces, & Morzis auxiliares, in lævo quatuor fermè millium numerum explebant. Prælio conserto Galatæ, post plurimam suorum cædem, quò quemque tulit impetus, fugerunt. Fugatis deinde sine pugnâ duobus Galatarum cornibus, octo millia hominum in fuga cecidêrunt, reliqui flumen Halyn trajecerunt. Postero die Consul captivos prædámque recensuit. Ubi captivi alligati catenas morsibus & ore tentaverunt, atque suffocandas invicem fauces præbuerunt. Præda verò tanta fuit, quantam avidissima rapiendi gens, quum cis montem Taurum omnia armis per multos tenuisset annos, coacervare potuit. Galatæ ex dissipatâ passim fugâ in unum locum congregati, magna pars saucii aut inermes, nudati omnibus rebus, oratores de pace ad Consulem miserunt. Eos Manlius Ephesum venire jussit. Ipse (jam enim medium autumni erat) locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans, victorem exercitum in hyberna maritimæ oræ reduxit. [*Liv. ibid. cum Appiano; in Syriac. pag.* 115. *& Floro, lib.* 7. *cap.* 11.]

Romæ, Kalendis Februariis (quæ, ut annus tum agebatur, in 27 Septembris Juliani diem inciderunt) L. Æmilius Regillus navalem de rege Antiocho triumphum egit. [*Liv. lib.* 37.]

Sub id tempus quo decem Romani legati, & alii qui ex Asiâ missi fuerant, profectionem ab Urbe parabant, Brundusium in Italiam Publius & Lucius Scipio appulerunt: & post aliquot dies triumphantes Romam sunt invecti. [*Polyb. legat.* 25.] Triumphavit verò ex Asiâ de Antiocho L. Scipio mense intercalario pridie Kalendas Martias (circa 16 Novembris Juliani diem) anno ferè posteaquàm consulatu abiit: & ne cognomine fratri Africano cederet, *Asiaticus* est appellatus. [*Liv. lib.* 37.] * Duxítque in triumpho argenti cælati pondo millia 450, & vasorum aureorum pondo 200 millia, anno Urbis conditæ (juxta Varronianas rationes) 565. [*Plin. lib.* 33. *cap.* 11.] de quo pluribus agit *Livius* libro 37°.

C. Manlio Vulsoni, post exactum Consulatum, proconsulare in Asiâ imperium in annum prorogatum est. [*Id. lib.* 38.]

b. Olympiadis CXLVII. anno quarto, ad Cn. Manlium proconsulem Ephesi hybernantem, legationes undique ex omnibus civitatibus gentibúque, quæ cis Taurum montem incolebant, convenerunt: propter victoriam de Galatis partam coronas aureas illi afferentes. Quos omnes | 4526 | 188

landatos comiterque exceptos, lætiores etiam quam venerant, ille dimisit. Venerunt & à Galatis legati, ut scirent quibus legibus pacem à Romanis essent impetraturi. Quibus respondit; postquàm venisset Eumenes, de pace cum iis se acturum. Similiter quoque ab Ariarathe Cappadocum rege missi sunt legati, ad veniam petendam, luendámque pecuniâ noxam, quòd auxiliis Antiochum (socerum suum) juvisset. Ei talenta argenti 600 (licèt 200 tantùm habeant *Livius* & *Appianus*) sunt imperata. Venit & missus ab Antiocho Musæus: cui venturum se ad fines Pamphyliæ Proconsul dixit, & talenta 1500 * suprà constituta (*pag.* 283.) licèt *Diodorus* [legat. 12.] 1000 tantùm commemoret; ut anni illius tributum. * frumentúmque, ex pacto cum L. Scipione fœdere, accepturum. [*Polyb. legat.* 35. *cum Diodoro legat.* 11. & 12. *Liv. lib.* 38.]

c. Principio deinde veris lustrato exercitu; assumptóque Attalo, Proconsul profectus, die octavo Apameam venit. Ibi triduum stativis habitis, tertiis rursùs ab Apameâ castris in Pamphyliam, ad locum constitutum legatis Antiochi, pervenit. Ibi quum triduum consedisset, frumentum à regiis advectum exercitui divisit, pecuniam uni Tribunorum militum traditam Apameam deportari jussit. Inde ad Pergam duxit: quæ una iis locis regio tenebatur præsidio. Apropinquanti præfectus præsidii obvius fuit, 39 dierum tempus petens, ut regem Antiochum de urbe tradendâ consuleret. Dato tempore, ad eam diem præsidio decessum est. [*Iid. ibid.*]

Sub idem tempus, decem legati & rex Eumenes ineunte jam æstate Ephesum appulerunt: ubi cùm è naufragâ biduum se refecissent, Apameam ascenderunt. Proconsul audito eorum adventu, Lucium Manlium fratrem cum quatuor millibus militum ad Oroandenses misit; ad reliquum pecuniæ ex eo quod pepigerant exigendum. Ipse, jussis sequi Antiochi legatis, Apameam exercitum reduxit. Invento ibi Eumene cum decem legatis, de iis quæ agenda essent consultabant. Primum igitur placuit ipsis ictum cum Antiocho fœdus pacémque confirmare: in cujus leges à Senatu scriptas (quarum apud *Polybium* & *Livium* formula extat) Manlius Proconsul legatis Antiochi jusjurandum præstitit; misso confestim in Syriam Q. Minucio Thermo tribuno & Lucio Manlio fratre (qui tum fortè ab Oroandensibus pecunias asportans redierat) qui ab Rege jusjurandum exigerent, & omnes conditiones firmarent. [*Iid. ibid. cum Appiano, pag.* 113.]

* Obsidem verò Antiochus filium suum Antiochum, qui Epiphanes postèa est dictus, Romam misit. [1. Macc. I. 11. *Appian. in Syriac. pag.* 116. *Sever. Sulpic. sacr. histor. lib.* 2.] ubi domum illam ei publicè fuisse ædificatam, quæ postèa dicitur Lucilii poëtæ fuisse, ex Attici annalibus, in Orationem Ciceronis contra L. Pisonem docuit *Asconius Pedianus.*

Q. Fabio Labeoni, qui classi præerat, Proconsul scripsit, ut Patara extemplò proficisceretur; quæque ibi naves regiæ essent, concideret cremaretque. [*Polyb. & Liv. ut suprà. Sulpitius Severus sacr. Hist. lib.* 2.] Profectus ab Epheso Labeo, 50 tectas naves aut concidit, aut incendit. Telmessum eâdem expeditione (territis subito adventu classis oppidanis) recepit. Ex Lyciâ protinùs, jussis ab Epheso sequi qui ibi relicti erant, per insulas in Græciam trajecit. Athenis paucos moratus dies, dum Piræeum ab Epheso naves venirent, totam inde classem in Italiam reduxit. [*Liv.*]

Cn. Manlius, quum inter cætera quæ ab Antiocho accipienda erant elephantos quoque (qui in Apameâ erant, ut apud *Polybium* legitur) accepisset; dono Eumeni omnes dedit. Deinde causas civitatum, multis inter novas res turbatis, cognovit. Et Ariarathes rex, parte dimidiâ pecuniæ imperatæ, Eumenis beneficio cui desponderat per eos dies filiam, remissâ, in amicitiam est acceptus. [*Idem.*]

Apameæ quoque decem legati & Proconsul, auditis omnibus qui eò convenerant, iis qui de agro aut pecunia aut simili re aliâ inter se contendebant, urbes ex communi consensu assignârunt, in quibus suas controversias disceptarent. Colophonios in Notio habitantes, Cymæos & Mylassenses immunes in posterum ab omni pensitatione tributi futuros pronuntiârunt. Clazomenios, præter immunitatem, Drymussam etiam insulam ipsis objectam dono dederunt. Milesiis Sacrum agrum, quo propter hostes priùs cesserant, restituerunt. Chios, Smyrnæos & Erythræos pro singulari fide quam eo bello præstiterunt, & agro quem quique illorum cupiebant donârunt, & in omni præcipuo honore habuerunt. Phocæensibus & priscinæ leges restitutæ, & ager quem ante bellum habuerant redditus. [*Polyb. legat.* 36. *Liv.* 38.]

Iliensibus Rhœteum & Gergithum addiderunt; non tam ob recentia ulla merita, quàm originum memoriâ. Eadem & Dardanum liberandi causa fuit. [*Liv. ibid.*]

Cúmque antè sub Pergami ditione pauca quædam fuissent loca usque ad mare, juxta sinum Elaiticum & Adramyttenum, (ut docet *Strabo*, lib. 13. pag. 624.) regi Eumeni Lysimachiam & Thracicam Chersonesum in Europâ dederunt: in Asiâ Lycaoniam omnem, Myliada, Phrygiam utramque (minorem ad Hellespontum, & majorem alteram) & Lydiæ Ioniæque omnia; exceptis oppidis quæ libera fuerant, quo die cum rege Antiocho pugnatum est. Nominatim verò Tralles, & Ephesum, & in Lyciâ Telmessum, ei donaverunt. Myliam, quam priùs ipse subegerat & Prusias rex ei ademerat, illi restituerunt. De Pamphyliâ, quam Eumenis citra Taurum, legati Antiochi ultra Taurum esse dicebant, integra res ad Senatum est rejecta. [*Polyb. legat.* 36. *Liv. lib.* 37. & 38. *Strabo lib.* 12. *pag.* 577. & *lib.* 14. *pag.* 665.]

Rhodiorum legati Thæetetus & Philophron, ut sibi Lycia & Caria juxta Senatûs decretum darentur, orabant. Ilienſium legati Hipparchus & Satyrus, Romanos decemviros pro mutuâ inter ipsos cognatione rogârunt, ut Lycüs veniam delictorum darent. Utrisque decemviri, quod in ipsis esset, conati sunt satisfacere. Nam in gratiam Ilienſium, nihil asperius in Lycios constituerunt: Rhodiis verò ut gratificarentur, Lyciorum gentem eis contribuerunt; exceptâ Telmesso, & castris Telmessiorum, & agro qui Ptolemæi Telmessii fuerat. Caria quoque trans Mæandrum eis est data: illis oppidis exceptis quæ in libertate fuerant, pridie quàm cum Antiocho pugnatum erat. Verùm Lycii quidvis se potiùs perpessuros dicebant, quàm ut Rhodiis subjicerentur: utpote non pro munere, sed tanquam amici & sociis à decem legatis concessi. [*Polyb. legat.* 36. & 39. & 60. *Liv. lib.* 37. & 38.]

Cùm

Cùm ab Antiocho Romani, inter cæteras conditiones pacis, deditionem Hannibalis depoſcerent; admonitus à rege Hannibal, Cretam ad Gortynios profugit. [*Juſtin. lib. 32. cap. 4. Æmil. Prob. in. Hannibale.*] Fama tamen tenet, devicto à Romanis Antiocho, Hannibalem in Armeniam ad Artaxiam primùm ſe contuliſſe, & tum alia multa utiliter ſuaſiſſe, tum metropolis Armeniæ condendæ authorem illi fuiſſe, quæ à principis nomine Artaxata ſive Artaxiaſata dicta fuerit. [*Plutarch. in Luculle. Strabo, lib. 11. pag. 528.*] Artaxias enim & Thariades ſive Zariadres duces militiæ Antiochi, permiſſu illius Armeniæ (prior majori, alter minori) imperaverunt. Poſteà verò Romanis, qui Antiochum debellaverant, ſeſe adjungentes, Regum titulum aſſumpſerunt. [*Strabo, ibid. & pag. 531. 532.*] Atque eo tempore, quo cum Romanis illi ſocietatem inierunt, Hannibalem relictâ Armeniâ in Cretam ſeceſſiſſe, veri fuerit ſimillimum.

Antiochus, Aſiâ provinciâ amiſsâ, benignè ſibi à populo Romano factum eſſe dicebat, quòd nimis magnâ procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. [*Cicero, pro Dejotaro. Valer. Maxim. lib. 4. cap. 1.*]

3817 Cn. Manlius & decem legati omnibus rebus ordinatis, aut iis ſaltem quæ maximè erant neceſſariæ, cum omni exercitu ad Helleſpontum ſunt profecti; in tranſitu quæ erant cum Galatis firmaturi. [*Polyb. legat. 36. Liv. lib. 38.*]

Eò evocatis Galatarum regulis leges ſunt datæ, quibus pacem cum Eumene ſervarent; denunciatúmque, ut morem vagandi cum armis finirent, agrorúmque ſuorum terminis ſe continerent. [*Liv. ibid.*] in illis nimirùm partibus Phrygiæ, Paphlagoniæ, Myſiæ ad Olympum, & Cappadociæ, quæ ab illis occupatæ nomen *Galatiæ* obtinuerunt. [*Zonar. ex Dione.*] Tributum quoque eis fuiſſe impoſitum, in I. Maccab. VIII. 2. legitur. Atque ita Romani, Galatarum caſtigatâ audaciâ, ſibi quidem citerioris Aſiæ imperium abſque controverſiâ quæſiverunt (finem Imperii ſui Taurum montem ſtatuentes:) incolas verò illius terroribus atque injuriis, quas Barbari inferre eis erant ſoliti, liberârunt. [*Polyb. lib. 3. pag. 159. cum Manlii orat. apud Livium, lib. 38.*]

Contractis ex omni orâ navibus, & Eumenis etiam claſſe per Athenæum fratrem regis ab Elæâ adductâ, copias omnes Manlius in Europam trajecit. [*Liv. lib. 38.*]

Antiochus in *loca ſupera* exercitum ducens, (ſive, *ultimas regni ſui penetrans urbes*, ut ad Daniel. cap. 11. loquitur Hieronymus) ſucceſſorem filium Seleucum Philopatorem declaravit: ut ex II. Maccab. IX. 23. intelligitur.

Cùm Antiochus gravi tributo pacis à Romanis onerarentur, ſeu inopiâ pecuniæ compulſus, ſeu avaritiâ ſollicitatus, quâ ſperabat ſe ſub ſpecie tributariæ neceſſitatis excuſatiùs ſacrilegia commiſſurum; Jovis Beli templum in Elymaide auro & argento ac pretioſiſſimis refertum eſſe donariis audiens, ſpoliare illud conſtituit. In Elymaïdem igitur veniens, cauſatúſque ab incolis bellum ſibi illatum eſſe; adhibito exercitu, nocte templum aggreſſus eſt, grandémque pecuniam inde abſtulit. Quâ re proditâ, finitimi barbari abſque aliorum ope eum adorti, ipſum cum omni militiâ interemerunt. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valeſii, pag. 292. & 298. Strabo, lib. 16. pag. 744. Juſtin. lib. 32. cap. 2.*] Adversùs Elymæos pugnantem, cum omni deletum eſſe exercitu, Hieronymus: [*in Daniel. cap. 11.*] à ſodalibus, quos temulentus in convivio pulſaverat, occiſum fuiſſe ſcribit Aurelius Victor. [*de vir. illuſtr. cap. 54.*] Ejus verò exceſſum ad C. Flaminii & Æmilii Lepidi Conſulatum rectè ex Dione refert *Zonaras.* 4527 187

Poſt patrem, Seleucus *Philopator* (*Soter* Joſepho, lib. 12. cap. 4. filii Demetrii cognomento, dictus) annos 12. regnavit; otioſus nec admodum potens, propter cladem quam pater acceperat. [*Appian. Syriac. pag. 131. cum Porphyrio, Euſebio, & Severo Sulpitio.*] Cui in ipſo regni initio filius natus eſt Demetrius Soter; quem moriente patruo Antiocho Epiphane 23. annorum fuiſſe ſignificat Polybius. [*Legat. 107. cum Appian. in Syriac. pag. 117.*] Ad hunc verò Seleucum ſpectat locus ille, initio capituli tertii libri II. Maccabæorum. *Dum ſancta civitas cum omni pace habitaretur, & leges conſervarentur optimè, propter pietatem Onia ſacerdotis ſummi, & improbitatis odium; accidit ut ipſi quoque reges honorarent hunc locum, & templum miſſis muneribus optimis decorarent: adeò ut Seleucus ipſe rex Aſiæ ſuppeditaret de ſuis reditibus omnes ſumptus ad miniſteria publica ſacrificiorum pertinentes.*

Prætore Achæorum Philopœmene, venit Alexandriâ Demetrius Athenienſis, Ptolemæi legatus, ad renovandam ſocietatem Regis nomine cum gente Achæorum. Qui fœdere libenter renovato, legatos ad Regem miſerunt, Lycortam Polybii hiſtorici patrem, & Theodoridam & Rhoſitelem Sicyonios: ut & præſtarent ipſi jusjurandum, & à Rege exigerent. [*Polyb. legat. 37.*]

3818 Cn. Manlius Vulſo, majore decem legatorum parte reclamante, de Gallis Aſiaticis Romæ ad III. Nonas Martias triumphavit. [*Liv. lib. 38. & 39.*] De cujus in Aſiâ rebus geſtis Hannibal, hoc tempore à belli curâ vacuus, commentarios Græco ſermone, quem à Soſilo Lacedæmonio didicerat, ad Rhodios conſcripſit. [*Æmil. Prob. in Hannibale.*] Solilum verò hunc Ilienſem fuiſſe, & res Hannibalis libris 7 ſcripſiſſe, confirmat Diodorus Siculus. [*lib. 26. eclog. 3.*]

Prætore Achæorum Ariſtæno, redierunt qui ad Ptolemæum miſſi fuerant legati; quum Megalopoli Achæorum conventus celebraretur. Cui Lycortas expoſuit, quonam modo & præſtitiſſent & exegiſſent à Rege jusjurandum: addens deinde, attuliſſe ſe donum communi Achæorum, armâ ænea ad peltaſtas inſtruendos 6000. & pecuniæ ſignatæ æreæ talenta 200. [*Polyb. legat. 41.*] 4528 186

Ad eundem conventum Eumenes legatos miſit, ut ſocietatem quæ patri ipſius fuerat cum Achæis renovaret; 120 etiam talenta ſe eis daturum pollicens, ut honore eâ ſummâ occupatâ, è reditibus alerentur qui in publicis conventibus ad concilium conveniſſent. Quam oblatam

largitionem, etsi propter vim oblatæ pecuniæ supra modum blandientem, cum clamore omnes respuerunt. [*Id. ibid. Diodor. Sic. legat.* 13.]

Eodem & Seleuci legati venerunt, tum renovandæ amicitiæ, tum ut decem naves longas Achæis polliceretur. Quibus placuit, amicitiam quidem cum rege Seleuco renovare; sed navium quas donabat munus in præsentia non accipere. [*Id. ibid.*]

3819 Romam venerunt Eumenis legati, de Thraciæ urbibus Maroneâ atque Æno (quas ut Thraciæ Chersonesi appendices à Romanis sibi donatas ille asserebat) acturi, & de Philippo Macedonum rege conquesturi, quòd oppidis illis per vim occupatis præsidia imposuisset, & Thracum inde multitudinem in Macedoniam traduxisset. Ad quorum causam cognoscendam legati Q. Cæcilius Metellus, M. Bæbius & Tib. Sempronius missi, Thessalonicæ Philippum regem & adversam partem eâ de re disceptantes audiverunt. [*Polyb. legat.* 40. & 42. *Liv. lib.* 39.] 4529 185

3820 Illis Romam reversis, & legatis Philippi & Eumenis qui cum iis venerunt eadem iterantibus quæ Thessalonicæ prius fuerant dicta; aliam legationem novam, cujus princeps Appius Claudius fuit, Senatus decrevit: mandato dato, ut ab Æno & Maronea præsidia deducerentur, maritimáque omnis Thraciæ ora à Philippo & Macedonibus liberaretur. [*Polyb. legat.* 42. & 44. [*Liv. lib.* 39.]

Etiam è Spartâ Areus & Alcibiades, viri apud suos existimatione summâ, legati Romam missi, eodem tempore in Senatu de injuriis quas Lacedæmoniis Achæi intulerant graviter sunt conquesti. Quibus auditis, placuit Patribus, ut de his quoque rebus iisdem legatis darentur mandata. [*Polyb. legat.* 42. *Pausan. in Achaic. pag.* 214.]

Lycortas Megapolitanus (Polybii pater) Achæorum prætor concilium indixit: in quo Areus & Alcibiades, qui legationem Romam adversùs gentem Achæorum susceperant, capitis damnati sunt. [*Liv. lib.* 39. *Pausan. ut supr.*] 4530 184

Paucos post dies Româ legati venerunt: quibus Clitore in Arcadiâ datum est concilium. [*Liv. ibid. Polyb. legat.* 43.] Sed minimè fuit eorum adventus Achæis gratus: quum Areum & Alcibiadem, capitis abs se in concilio proximo damnatos, cum eis viderent Lycortas, pro majestate magistratus, causam Achæorum summâ libertate egit. Legati dicta illius non magni facientes, Areum & Alcibiadem sententiâ suâ nihil grave in Achæos commisisse declarârunt; & ut damnatio eorum nuper facta tolleretur, effecerunt. [*Liv. & Pausan. ut suprà.*]

Cùm Hannibal diu quietam vitam apud Gortynios in Cretâ egisset, invidiosúmque se propter nimias opes videret; amphoras complures plumbo repletas in templo Dianæ, quasi fortunæ suæ præsidia, deposuit: atque ideò nihil de illo sollicitâ civitate, quoniam velut pignus opes ejus tenebat, ad Prusiam (cognomento Venatorem, Bithyniæ regem) contendit, auro suo in statuis æneis quas secum portabat infuso; ne conspectæ opes vitæ nocerent. [*Justin. lib.* 32. *cap.* 4. *Æmil. Prob. in Hannibale.*]

Inter Prusiam & Pergamenum regem Eumenem bellum ortum est; quod Prusias, Hannibalis fiduciâ rupto fœdere, prior intulit. [*Justin. ibid.*] Bellum inter eos gerebatur & mari & terrâ: sed utrobique Eumenes plus valebat, propter Romanorum societatem. Cùmque domesticis rebus minùs esset robustus Prusias; cæteros reges conciliabat illi Hannibal, adjungebátque bellicosas nationes. [*Æmil. Prob.*] Inter reges erat Philippus Macedo: qui Philoclem legatum cum auxiliis ad Prusiam mittit. [*Polyb. legat.* 46.]

3821 Olympiade CXLIX, initio Consulatûs M. Claudii Marcelli & Q. Fabii Labeonis, ab Eumene rege legatio cum fratre ejus Athenæo, coronam 15000 aureorum secum afferente, Romam venit, ad querendum de Philippo: simul quòd non deducerentur ex Thraciæ urbibus præsidia; simul quòd in Bithyniam Prusiæ bellum adversùs Eumenem gerenti auxilia missa forent. [*Polyb. legat.* 46. *Liv. lib.* 39.] Inter Lacedæmoniorum quoque legatos, Areus & Alcibiades ad Senatum eodem tempore venerunt. [*Polyb. ibid.*]

Cùm Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset, & prælium in mare transferens navium multitudine superaretur; dolo pugnandum esse putavit Hannibal, cùm par non esset armis. Omne serpentium genus in fictiles lagenas conjici jussit, medioque prælio in naves hostium mitti: præcepto classiariis dato, omnes ut in unam Eumenis regis concurrerent navem, à cæteris tantùm ictu serpentium commento se defenderent. Et ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset; caduceatorem ad illum mittit cum epistolâ, nihil continente aliud, nisi quod ad irridendum eum pertineret. Bithynis igitur universis navem Eumenis adorientibus, ille fugâ saluti suæ consuluit: quam consecutus non esset, nisi intra sua præsidia se recepisset, quæ in proximo littore erant collocata. Reliquæ Pergamenæ naves cùm adversarios premerent acriùs, repentè in eas vasa fictilia conjici cœpta sunt: quæ jacta, initio ritûm pugnantibus excitârunt; neque quare id fieret, poterat intelligi. Sed ubi serpentibus repleri naves cœpere, ancipiti periculo circumventi, hosti victoriam cessérunt, seque ad sua castra nautica retulerunt. [*Justin. lib.* 32. *cap.* 4. *Æmil. Prob. in Hannibale.*] 4531 183

Ita Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit: neque tum solùm, sed sæpe aliàs pedestribus copiis pari prudentiâ pepulit adversarios. [*Prob. ibid.*] ubi semel, cùm illi pugnare placeret, & negaret Prusias se audere, quòd exta prohiberent: *An tu*, inquit, *carunculæ vitulinæ magis, quàm imperatori veteri credere?* [*Cicero de Divinat. lib.* 2. *Plutarch. de exilio. Valer. Maxim. lib.* 3. *cap.* 7.]

Hæc ubi Romam nuntiata sunt, missi à Senatu legati sunt, qui utrumque regem in pacem cogerent, Hannibalemque deposcerent. [*Justin. ut supr.*] Titum Quintium Flamininum ad Prusiam & Seleucum legatum tunc fuisse missum, Philopœmene adhuc vivente & prætu-

ram

ram Achæorum gerente, Polybius indicat. [*legat.* 47.] In legatione ad Prusiam, adjunctos ei fuisse L. Scipionem Asiaticum & P. Scipionem Nasicam, apud *Livium* in fine libri 39. affirmat Valerius Antias.

Agesipolis, qui in ætate puerili Rex Spartæ fuerat, legatus cum aliis ab iis qui Lacedæmone exulabant Romam missus, in mari à piratis occisus est. [*Polyb. legat.* 49.] Hic post Cleomenis mortem puer ab ephoris Rex ritè & legitimè constitutus (ut in libro 4. pag. 304. docet *Polybius*) ab insequentibus Lacedæmoniorum tyrannis, Lycurgo, Machanidâ & Nabide, regno exclusus est. Eo verò legitimo rege vitâ functo, Areus ille (de quo ex Polybio, Livio & Pausaniâ, jam dictum est) acerrimus patriæ libertatis adversùs Achæos vindex, imminutâ jam per Romanos Achaicæ Reipublicæ potentiâ, Regis saltem titulum obtinuisse videtur. Ad Oniam enim III. Oniæ filium, summum Judæorum Pontificem; Areum Lacedæmoniorum regem legationem cum literis misisse, *Josephus* lib. 12. Antiquit. cap. 4. & *Eusebius* in Chronico confirmant. Habentur eæ litteræ apud *Josephum* cap. 5. in prioris Maccabæorum libri capitulo 12 ex Hebræo (eo enim sermone librum illum primitùs scriptum fuisse ostendit *Hieronymus*) cum brevitate & retentis Hebraismis expressæ. In quibus scriptura illa Spartiatarum & Judæorum cognationem commemorans, ex Græcorum Mythologiis petita fuisse videtur: cujusmodi Claudii Iolai illa est (apud Stephanum Byzantinum, in voce Ἰουδαία) à *Judæo Spartone*, Bacchi commilitone, *Judaicam* gentem referens nomen accepisse. Licèt nomen *Spartonis* sui temporis Spartiatis ignoratum fuisse, significet *Pausanias*. [*in Corinthiac. pag.* 58.]

Eumenes cum Prusiâ Bithyniæ & Ortiogonte Galatarum rege bellum gessit. [*Prolog. Trogi lib.* 32. *cum Polybio, lib.* 3. *pag.* 159.]

3822 Ad initium Consulatûs L. Æmilii Paulî & Cn. Bæbii Tamphili mortem Hannibalis referimus. Hisce enim Consulibus illum interiisse, scripserunt *Polybius* & *Valerius Antias*: non sub præcedentis anni Consulibus, ut *Atticus* atque eum secuto *Livio*; neque sub anni insequentis, ut *Sulpicio* visum fuit. [*apud Æmil. Probum, in Hannibale.*] Mortis autem modus ex *Livio* libro 39. *Val. Maxim.* lib. 9. cap. 2. *Justino* libro 32. capite 4. *Plutarcho* in T. Q. Flaminino, *Dione* apud Zonaram, *Æmilio Probo* in Hannibale, & *Appiano* in Syriacis pag. 92. ejusmodi fuisse memoratur.

Hannibal uno loco se tenebat, in castello quod ei à Prusiâ datum erat muneri: septémque ex ædificio exitus fecerat, & ex iis quosdam occultos, ne custodiâ sepirentur. Cùm nunciatum igitur illi esset, milites regios in vestibulo esse: postico, quod devium maximè atque occultissimi exitus erat, fugere conatus, ut id quoque occursu militum obseptum sensit, & omnia circà clausa custodiis dispositis esse: veneno sumpto, quod multò antè præparatum ad tales habebat casus, septuagenarius vitam finiit. De morte verò ejus ferunt hoc datum fuisse oraculum.

Ἀφρικανὴ κρύπτει βιότου Ἀννίβα κόνις,
Annibalis cineres terra Libyssa tegit.

quod ille de Africâ acceperat: cùm viculus esset ille Bithyniæ maritimus; de quo, in lib. 5. cap. 32. Plinius. *Fuit Libyssa oppidum, ubi nunc Hannibalis tantùm tumulus.*

Pharnaces, rex Ponti Sinopensem urbem de improviso expugnavit: quæ ei ac ejus deinceps successoribus servivit. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 545. & 546.]

Olympiadis CXLIX. anno 2, venerunt Romam legati ab Eumene & Pharnace regibus bellum tum inter se gerentibus, atque à Rhodiis de Sinopentium clade querentibus. Indéque Marcius & alii legati a Senatu sunt missi, ad res Sinopensium visendas & Regum controversias cognoscendas. [*Polyb. legat* 51. & 53. *Liv. lib.* 40.] 4532 182

Hyrcanus (Josephi filius, Tobiæ nepos) Seleuci tempore trans Jordanem fluvium tributis colligendis præpositus, castrum munitissimum è marmore candido extruxit, quod Tyrum vocavit; in finibus Arabiæ & Judææ Trans-Jordanensis, non procul regione Hesebonitide positum: præfuitque illi tractui postremo toto regni Seleuci septennio, assiduum cum Arabibus bellum gerens; eorum multos interficiens, alios in captivitatem abstrahens. [*Joseph. lib.* 12. *cap.* 4. 5.]

Marcius & collegæ, à Senatu ad cognoscendum de bello inter Eumenem & Pharnacem missi, legationem suam renunciaverunt: & moderationem Eumenis in omnibus rebus, Pharnacis verò avaritiam & ingentem superbiam pluribus exposuerunt. [*Polyb. legat.* 53.] Fuit enim ille omnium ex superioci memoriâ Regum iniquissimus. [*Idem in Excerptis Valesii pag.* 130.]

3823 Ariarathe Cappadoce cum Eumene Pergameno contra Pharnacem Ponticum bellum gerentibus; à tribus regibus Romam legati missi sunt. Quibus auditis Senatus respondit; iterùm se legatos missurum, qui de eorum controversiis diligentiùs cognoscerent & statuerent. [*Id. ibid. cum lib.* 3. *pag.* 159. *Liv. lib.* 40.]

Pharnaces aspernatus iterùm nomen Romanum, quum causæ cognitio ad Senatum fuisset delata, Leocritum per hyemis tempus cum decem militum millibus ad devastandam Galatiam misit. [*Polyb. legat.* 55.] 4533 181

Ipse, vere ineunte, copias coëgit; ceu facturus in Cappadociam impressionem. [*Idem ibidem.*]

Eumenes, gravissimè indignatus quòd omnes fidei leges migrasset Pharnaces, simul cum fratre Attalo Româ rùm reverso exercitum duxit in Galatiam. Et Leocritum quidem ibi non offenderunt: sed quum Carsignatus (pro quo Epossognatum reponendum opinatur Fulvius Ursinus) & Gæzotorius legatos subinde mitterent, ne quid sibi noceretur poscentes, & imperata cuicuimodi illa essent facturos se pollicentes; repudiatâ horum petitione, quia fidem priùs

mutassent,

mutatient, cum omni exercitu adversùs Pharnacem profecti sunt. [*Ibid.*]

Quintis castris Calpito (vel Calpiâ Bithyniæ urbe) ad Halym fluvium est ventum; sexto deinde die Amisum pervenerunt: ubi postquàm Ariarathes Cappadocum rex cum suis se illis conjunxisset, agrum Amisenum sunt ingressi. Quum vix metati castra essent, nuntius affertur, adesse legatos populi Romani ad pacem conficiendam. Quo cognito, Eumenes Attalum misit qui illos exciperet: ipse copias duplicabat; & magno studio ornabat. [*Ibid.*]

Hortantibus legatis post suum adventum ut bellandi finem facerent, respondent Eumenes & Ariarathes, paratos se ad omnia quæ vellent suaderéntque. Petentibúsque illis, ut dum de pace tractaretur, exercitus èx hostico deduceretur, assensus est Eumenes; ac sequenti die motis signis in Galatiam ducere exercitum cœpit. [*Ibid.*]

Romani cum Pharnace congressi, cùm persuadere illi non possent ut in colloquium ipse cum Eumene veniret; ægrè tandem ab eo obtinuerunt, ut ad oram maritimam legatos mitteret cum liberâ potestate pacem iis legibus conficiendi, quas ipsi legati dixissent. Postquàm venerunt legati, instituto colloquio, cui ipsi intererant, cum Romanis & Eumene: hic quidem studio pacis ad omnes conditiones paratus erat descendere; contrà verò legati Pharnacis ita se gesserunt, ut facilè intelligerent Romani, non eum fuisse Pharnacem qui consentire paci vellet. [*Ibid.*]

Itaque soluto infectâ pace colloquio, quum Romani Pergamo discessissent, & Pharnacis legati essent dimissi; duravit inter reges bellum; & necessaria in eam rem apparare instituit Eumenes: qui tamen eodem tempore obnixè rogatus à Rhodiis, celeriter ad eos se contulit, ut bellum contra Lycios administraret. [*Ibid.*] * quanquàm in hoc cum Pharnace bello, inter ipsos Rhodios & Eumenem controversia orta fuerit. quum Hellesponti fretum obsidenti Eumeni, ne cui navi in Pontum transitus pateret, Rhodii se opposuerunt, & conatum ipsius impedierunt. [*Id. legat.* 67.] *

Leocritus Pharnacis præfectus, cùm Pium (vel Teium potiùs ad Pontum oppidum) crebris oppugnationibus urgeret, mercenarios milites, qui præsidio urbi erant, dedere eam coëgit; eâ conditione, ut ipsi quoque quocunque libitum esset tutò deducerentur. Sed quum ut universos occideret mandatum accepisset à Pharnace, quòd olim ipsum offendissent; contra fœderis fidem in eos iter agentes impressione factâ, cunctos sagittis confixit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 302.]

Seleucus coactis haud contemnendis copiis ad opem Pharnaci ferendam profectus, Taurum montem superare jam parabat. Sed cùm apud se reputasset per leges fœderis, quod populus Romanus cum patre percussisset, id ei non licere; recessit. [*Id. ibid.*]

3824 Inter Pharnacem, Attalum & cætetos, fœdus posteà ictum est. Eumenes Pergami tùm commorans, è gravi morbo convaluerat. Qui post Attali fratris adventum, ubi omnia quæ gesta fuerant cognovisset approbassetque; fratres omnes suos Romam misit. Ibi privatim pro se quisque eos juvenes, quos in bellis Asiaticis notos habuerant, comiter accepit: Senatus verò & hospitiâ & lautia uberrima iis exhibuit. Attalus in Senatum ingressus, de Pharnacis questus est injuriis; & ut eum pro commeritâ noxâ castigarent, Patres oravit. Cui benignè illi responderunt; missuros se legatos, qui bello huic omninò finem sint imposituri. [*Polyb. legat.* 56. *Diodor. Sic. legat.* 14.] 4534 180

Ptolemæus Epiphanes, cupiens societatem inire cum gente Achæorum, legatos misit, decem naves pollicens 50 remorum, omnibus rebus instructas. Achæi, quòd esset munus dignum cujus haberetur gratia, (utpote ad summam talentorum fermè decem accedens) promissionem ejus cupidè susceperunt. Legatósque ad eum decreverunt Lycortam cum filio suo Polybio (historico) licèt annis minore quàm per leges liceret; unáque cum his Aratum, Arati Sicyonii filium: qui & Regi gratias agerent pro armis & pecuniâ, quæ priùs per Lycortam miserat; simúlque naves ab eo acciperent, & in Peloponnesum devehendas curarent. Verùm patriæ fines legatio ista, interveniente morte Ptolemæi sub idem tempus, non excessit. [*Idem legat.* 57.]

Cùm enim Ptolemæus Seleuco moliretur insidias, & adversùs eum exercitum præpararet; cùm unus è ducibus ab illo quæreret, tantas res moliens, ubi haberet pecuniam: respondit, sibi amicos esse divitias. Quod cùm divulgatum esset in populis: timentes duces ne eorum opes ille auferret, veneno eum sustulerunt. [*Hieronym. in Daniel. cap.* 11.] Apud Priscianum Grammaticum Cato regem optimum & beneficentissimum eum vocat. Et aliquamdiu quidem præclarè se gessit magnámque laudem retulit: postquàm verò ab adulatoribus corruptus Aristomenem, quem instar patris observaverat, epoto cicutæ poculo mori coëgisset, magis ac magis efferatus, & tyrannicâ sævitiâ non regiâ utens potestate, in tantum Ægyptiorum odium venit, ut parum abfuerit quin regno excideret. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 294. 297.]

Mortuus, duos post se reliquit filios impuberes: quorum grandior Philometor, minor Physcon est cognominatus. [*Joseph. lib.* 12. *cap.* 5.] Ptolemæum *Philometorem* (Epiphanio *Philopatorem* perperam dictum) annos 35 post patrem regnavisse, Ptolemæus in Regum Canone, Clemens Alexandrinus, Eusebius, & alii confirmant: è quibus nos, ad temporum exæquationem, menses penè quatuor detrahimus.

3825 Pharnaces subitâ & gravi hostium impressione territus, legatos ad Eumenem & Ariarathem de pace misit: quâ bellum, quod Eumenes & Ariarathes cum Pharnace & Mithradate Armeniæ satrapâ gesserunt, hisce conditionibus finitum est. Ut Pharnaces Galatiam nullo modo ingrederetur; & quæcunque illi anteà cum Gallis fuissent fœdera dirimerentur. Ut Paphlagoniâ pariter excederet; & quos priùs inde eduxit incolas, simul cum armis, restitueret. 4535 179

Ut

Ut Ariarathi loca omnia ei adempta, cum obſidibus, reſtitueret. Ut captivos *transfugáſque* omnes ſine pretio redderet. Ut Morziæ & Ariarathæ regibus 900 talenta, ex eorum gazâ ablata, reſtitueret: atque Eumeni, pro belli impenſis, 300 talenta penderet. Et ut Armeniæ ſatrapes Mithradates 300 ſolveret talenta; quia bellum cum Ariarathe geſſit, contra fœdus quod cum Eumene habuit. Comprehenſi ſunt hoc fœdere, è dynaſtis Aſiæ, Artaxias majoris partis Armeniæ regulus, & Acuſilochus, ex Europæis Gatalus Sarmata; è liberis civitatibus, Heracleotæ, Meſembriani, Cherſoneſitæ, & cum his prætereà Cyziceni. Ad quarum conditionum obſervationem cùm obſides à Pharnace dati advenìſſent, dimiſſi ſunt exercitus. [*Polyb. legat.* 59.]

3826 Teium ad Pontum oppidum, quod ex pacis fœdere Pruſias reddiderat, Eumenes aliquanto pòſt ab eo exoratus illi dedit; in magnam accipientis gratiam. [*Id. ibid.*]

Mortuo rege Macedonum Philippo, filius ejus Perſes vel Perſeus, Q. Fulvio & L. Manlio Conſulibus, regnum accepit: regnavítque undecim annos. [*Liv. lib.* 45.] vel ann. 10. menſ. 8. ut à *Porphyrio* accuratiùs eſt expreſſum. [*in Græc. Euſeb. Scalig. pag.* 229.]

Periodus Calippica *tertia* incipit. 4536 178

Lycii legatos Romam miſerunt, de Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione attributi erant, crudelitate querentes. Servitutem, quam ſub rege Antiocho erant perpeſſi, collatam cum præſenti ſtatu, præclaram libertatem viſam eſſe dicebant: nihilque inter ſe jam & argento parata mancipia intereſſe. Motus his Senatus, literas Lyciis ad Rhodios dedit: quibus monebantur, ita ſub eorum ſimul imperio & tutelâ eſſe Lycios, ut in ditione Populi Romani civitates ſociæ ſint. [*Liv. lib.* 41.]

3827 Pruſias ſororem Perſei, Perſeus filiam Seleuci Laodicen uxorem duxit; Rhodiis cum totâ claſſe ſponſam ad eum deducentibus. [*Liv. lib.* 42. *Polyb. legat.* 60. *Appian. legat.* 25.] 4537 177

Rhodiis Lycios bello petentibus, Xanthii è Lyciâ in Achaiam & Romam legationem miſerunt, cujus princeps erat Nicoſtratus. [*Polyb. legat.* 60.]

Lyciis bello jam devictis, legati eorum Romam venerunt: quibus exeunte jam æſtate, poſtquàm Tiberius & Claudius Conſules in expeditionem contra Iſtros & Agrios fuiſſent miſſi, ad Senatum datus eſt acceſſus. Ibi quum & Rhodiorum crudelitatem, & calamitatem ſuam enarraſſent; eò tandem Senatum adduxerunt, ut legatos Rhodum mitterent, qui ſignificarent, inſpectis commentariis quos decem legati in Aſiâ fecerant repertum eſſe, Lycios Rhodiis à Romanis datos fuiſſe, non loco muneris, ſed ut pro amicis & ſociis eos haberent. Quod quidem multitudini (Rhodiis ob navatam Perſeo in deducendâ ſponſâ operam infenſæ) minus probabatur; qui ad exhauriendos Rhodiorum apparatus & theſauros, Rhodios & Lycios inter ſe committi cupiebant. [*Id. ibid. cum Appian. Mithridat. pag.* 212.]

3828 Poſtquàm Romanorum legatio Rhodum venit; tumultus inter cives & magna perturbatio eſt orta: quòd rebus Lyciorum jam rectè ordinatis, aliud denuò moleſtiarum principium ſibi viderent exoriri. Lycii enim, ſimul ac iſta à Romanis ſunt declarata, ſeditionem iterùm excitárunt; ſéque paratos oſtenderunt omnia pati, quò legibus ſuis & libertati redderentur. Rhodii verò Romanos à Lyciis fuiſſe deceptos rati, legatum ſtatim Lycophronem ad Senatum miſerunt. Cujus legatione auditâ, Senatus reſponſum dare diſtulit. [*Id. legat.* 61. & 62.]

* Anno quarto regnante Ptolemæo & Cleopatrâ, in Ægyptum attulerunt Doſitheus (qui ſe Sacerdotem & Levitici generis eſſe ferebat) & Ptolemæus filius ejus epiſtolam Purim (de die per ſortes ab Hamane ad cædem Judæorum delecto, & ob eorum liberationem feſtivitate anniverſariâ deinceps celebrato;) quam Græcè interpretatum fuiſſe dixerunt Lyſimachum filium Ptolemæi Hieroſolymitam: quemadmodum in fine editionis vulgatæ græcæ libri *Eſthera* indicatur. Cujus Doſithei, in 2°. contra Apionem libro, Ita Joſephus meminit. *Philometor Ptolemæus & ejus uxor Cleopatra totum Regnum Judæorum fidei commiſerunt: & copiarum omnium duces fuerunt Onias & Doſitheus Judæi.* Onias videlicèt, (Oniæ III qui hoc tempore ſummo apud Judæos Pontificatu eſt potitus) filius: quem in ſummâ apud Ptolemæum & Cleopatram fuiſſe gratiâ, poſteà videbimus. *

Simon quidam ex tribu Benjamin, Templi præfectus patrocinio, cum Oniâ III. Pontifice contendens, quum vincere eum non potuiſſet; ad Apollonium Thraſæi filium Cœle-ſyriæ & Phœniciæ præfectum ſe contulit: immenſam opum vim in Templi gazophylacio eſſe indicans, quâ non uterentur Sacerdotes, quæque in Regis poteſtatem poſſet redigi. Quod cùm Apollonius Seleuco regi renuntiaſſet; ille Heliodorum præfectum ærario Hieroſolyma miſit, qui eam pecuniam inde auferret. Ibi Onias Pontifex Heliodorum monuit, pecunias in Templo aſſervatas partim viduarum & orphanorum, partim Hyrcani Tobiæ (nepotis; de quo ad annum Mundi 3822) viri eminentiſſimi, eſſe depoſita; neque talentorum 400 argenti, & 200 auri, ſummam excedere: eámque eſſe & Templi & depoſiti religionem, ut nullo eam modo violari oporteret. Cùm verò Heliodorus neque Oniæ rationibus precibúſve, neque populi tumultuantis dolori acquieſceret; à Dei angelis percuſſus & exanimatus domum à ſuis exportatus eſt. Mox tamen Oniæ precibus ſanitati reſtitutus, ad Seleucum rediit; Templi ſanctimoniam & Dei potentiam prædicans. Habetur hiſtoria in II. Maccabæorum libri capite III. & apud Joſephum in libello περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ: qui pro *Heliodoro* tamen *Apollonium* (ut & Faſtorum Siculorum ſcriptor) hic ſubſtituit, & ſub Seleuci exitum geſta iſta fuiſſe indicat. 4538 176

Quum ex conditionibus pacis Antiocho Magno datæ, obſides Romanorum arbitratu ſubinde permutandi eſſent; pro Antiocho Epiphane prioris Antiochi filio, qui Romæ tum obſes fuit, [I. *Maccab.* I. 11.] Demetrius prætentis regis Seleuci filius obſes ſubſtitutus eſt. [*Appian. Syriac. pag.* 116.]

Simon

Simon Benjaminita, pecuniarum & patriæ illic proditor, Oniam Pontificem de civitate & gentilibus optimè meritum, calumniatus est, tamquàm si ipse Heliodorum compulisset, & malorum artifex extitisset. Cúmque eò usque discordia processisset; ut cædes à Simonis parte fierent; atque ad Simonis malitiam furor etiam Apollonii accederet: ad Seleucum regem Onias est profectus. [II. *Maccab.* IV. 1,-6.] Sed eum jam mortuum fuisse, antequàm ab Oniâ conveniretur, Jasonis Cyrenæi abbreviator subindicat: licèt id ab Oniâ effectum, ut Simon in exilium pelleretur, *Eusebianum* Chronicon significet.

* Arsaci II. Parthorum Regi successit Priapatius, (al. Pampatius,) regnavitque annos 15. (juxtà *Justinum*, *lib.* 41. *cap.* 5.) vel secundùm *Orosium*, ann. 40. *

Finis Partis I.

Digitized by Google

JACOBI USSERII
ARMACHANI
ANNALIUM
PARS POSTERIOR.
IN QUA,
PRÆTER MACCABAICAM
ET
NOVI TESTAMENTI HISTORIAM,
Imperii Romanorum Cæsarum sub C. Julio & Octaviano ortus, rerúmque in Asiâ & Ægypto gestarum continetur

CHRONICON:
A B
Antiochi Epiphanis regni exordio, usque ad Imperii Vespasiani initia atque extremum Templi & Reipublica Judaica excidium, deductum.

Digitized by Google

LECTORI.

HABES hic, Lector, Annalium noſtrorum partem alteram: quam in Rhodi & Inſularum inter Aſiam & Europam poſitarum hiſtoriâ auctiorem priore invenies. Licèt enim eas priùs, laboris minuendi gratiâ, ad Græciam referre ſtatuerim: conſiderato tamen in Orientalis Imperii diviſione Aſianæ diœceſi Inſularum provinciam fuiſſe attributam, in Aſiâ quoque & ipſe collocandas eas eſſe poſtea judicavi. Quæ de oſtentis, præſagiis & oraculis profero, ex authorum, è quibus ea ſunt producta fide refero: quid de iis ſentiendum ſit, doctiſſimorum virorum, quorum de hoc argumento ſcripta accurata extant, judicio relinquens. In Cornelio Tacito citando, Berneggeri & Freinshemii editionem, capitibus diſtinctam, ſum ſecutus. Eorum quæ in Evangelicæ & Apoſtolicæ Hiſtoriæ diſpoſitione ampliorem confirmationem requirere videbuntur, in Chronologiâ ſacrâ, † (ſi vitam Deus & vires ad eam perficiendam dederit) rationem ſum redditurus. Interim errata, quæ vel meâ vel operarum incuriâ ſunt admiſſa, ut emendes rogo.

† Quam in hoc Tomo, ad calcem Annalium, damus juxta Editionem Oxonienſem.

RERUM ASIATICARUM ET ÆGYPTIACARUM CHRONICON:

A Maccabaicorum temporum initiis ad Judaica Reipublica excidium sub Vespasiano productum.

3819 Unus Antiochus, Antiochi Magni filius, Româ (ubi obses fuerat) in patriam rediens, Athenas perveniſſet, frater ejus Seleucus inſidiis Heliodori ſublatus eſt. Heliodorum verò, Syriæ regnum affectantem, Eumenes & Attalus expulerunt, deducto in poſſeſſionem ejus Antiocho, ut hoc beneficio amicum eum ſibi redderent: jam enim ob quaſdam offenſiunculas etiam hi Romanos ſuſpectos habebant. [*Appian. in Syriacis pag.* 116, 117.] 4539 175

Demetrius Seleuci filius, cui jure regnum debebatur, decimum tunc ingreſſus ætatis annum, Romæ obſes eo tempore remanſit. Apollonius verò, qui cum ipſo educatus fuerat, mortuo Seleuco, (apud quem plurimum gratiâ valuerat) Miletum ex aulâ migravit. [*Polyb. legat.* 114.] Novum autem regem Antiochum Syri *Epiphanem* ſive *Illuſtrem* cognominarunt; quòd alienis regnum uſurpantibus, ipſe avitæ ditionis aſſertor exortus ſuis illuxerit. [*Appian. Syriac. pag.* 117.] Quem tamen à fanaticis moribus, *Epimanem* ſive *Inſanum*, rectiùs appellandum cenſuit Polybius. [*apud Athenæum, lib.* 2. *cap.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *& lib.* 10. *cap.* 12.]

Syriæ enim regnum adeptus, novam quandam & cæteris inſolitam Regibus vitæ rationem ſtatim iniit. Primùm clàm è regiâ digreſſus inſciis miniſtris, per urbem temerè vagabatur uno aut altero comite adſcito. Præterea honori ducebat cum plebeiis atque infimæ ſortis peregrinis & advenis verſari ac compotare. Quòd ſi quos fortè juvenes convivium celebrare ſenſerat, ſtatim cum poculo & ſymphoniâ ad comeſſationem accedebat: adeò ut rei novitate perculſi plerique partim ſe in fugam darent, partim metu conticeſcerent. Poſtremò demptâ veſte regiâ, amictus togâ, perinde ac Romæ à candidatis fieri viderat, ſalutabat ac prehenſabat obvium quemque ex plebe; atque interdum Ædilitatem interdum Tribunatum plebis petebat. Magiſtratum demùm populi ſuffragiis adeptus, Romano more poſitâ eburneâ ſellâ jus dicebat, cognoſcebátque de forenſibus cauſis & controverſiis civium, eo ſtudio eâque diligentiâ, ut prudentiſſimus quiſque ambigeret quidnam ſibi vellet. Quidam ſimplicitatem, quidam imprudentiam, nonnulli inſaniam id interpretabantur. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valeſii pag.* 305, 306.] Habet iſta & *Athenæus* (in ſuprà citato lib. 5. cap. 4. & lib. 10. cap. 12.) ex *Polybii* Hiſtoriarum libro 26. quæ & *Livius* in librum ſuum 41 tranſtulit; ut in fragmento illo videre licet, quod de *Perſeo* perperam interpretatus eſt Carolus Sigonius.

Anno regni Græcorum (ſive Macedonum, à Seleuco) 137. regnare Antiochum cœpiſſe, & 149. vitâ exceſſiſſe, primi libri Maccabaici ſcriptor nos edocet. [*cap.* I. 10. & VI. 16.] Unde & annos illi XII. in Chronico ſuo tribuit Johannes Malela Antiochenus, qui à Porphyrio, Euſebio, Hieronymo, Severo Sulpicio & aliis XI. tantùm nominantur. Ad quorum conciliationem dicendum, anno 137. delinente cœpiſſe, & 149. ineunte (à vernâ tempeſtate, ut huic authori numerare mos eſt) deſiiſſe regnare Antiochum; ultra 11 annos, aliquot præterea menſibus exactis.

Huic primùm ab his qui in Syriâ Ptolemæo Philometori favebant non datum fuiſſe honorem regium, ſed poſteà ſimulatione clementiæ illum obtinuiſſe; in commentariis ad XI. caput Danielis affirmat *Hieronymus*. Initâ verò cum Eumene ſocietate, Syriæ & finitimis gentibus potenter imperavit: Babylonis ſatrapiâ Timarcho, ærarii verò curâ Heraclidæ fratri commiſsâ; fratribus ambobus, turpi ſibi conſuetudine conjunctis. [*Appian. Syriac. pag.* 117.]

Hyrcanus Joſephi filius, Tobiæ nepos, videns præpotentem Antiochum, & veritus ne in poteſtatem ejus redactus pœnas daret eorum quæ contra Arabas auſus fuerat, ipſe ſibi manus intulit: poſſeſſionem verò ejus univerſam occupavit Antiochus. [*Joſeph. lib.* 12. *cap.* 5.]

Jaſon, Simonis II. Pontificis filius, diuturni pontificatûs fratris ſui Oniæ III. pertæſus, ut eum ipſe adipiſceretur, 360 argenti talenta, & reditus cujuſdam alterius 80, Antiocho eſt pol-

licitus: additis præterea & 150 aliis, si concederetur ipsi potestas gymnasium & ephebium Hierosolymis constituendi, atque Hierosolymitanos in civium Antiochenorum numerum referendi. Quibus conditionibus ab avaro rege libenter acceptis, Jason amoto fratre Onia Pontificatum invasit: principatúmque obtinens, ad Græcum statim ritum populares suos cœpit traducere, humana regum inducta per Johannem Eupolemi (qui posteà legatione ad Romanos functus est) patrem Judæis obtenta dejecit, & legitimas administrationes dissolvens nova legi repugnantia induxit instituta. [II. *Maccab.* IV. 7,-11.] Oniæ III per hoc tempus vitâ functo fratrem *Jesum*, qui *Jasonem* se vocari maluit, substitutum, & amoto demum (post triennium) a sacerdotio Jasone, novi Pontificis Menelai & Tobiæ filiorum (sive nepotum Hyrcani fratrum) operâ Græcos ritus introductos fuisse, in lib. 12. Antiquit. cap. 6. *Josephus* affirmat. Sed in libello de Maccabæis longè aliter, & ad mentem Maccabaici scriptoris (si immanem illam pensionis annuæ summam exceperis) satis accommodatè, hunc in modum idem rem retulit. Antiochus *abrogato Onia summo sacerdotio, Jasonem fratrem ejus fecit, 3660. talenta singulis annis illi dare pollicitum. Qui factus summus sacerdos & populi dux, gentem ab antiquis moribus & institutis alienatam ad omnem iniquitatem seduxit: ita ut non in arce solum patria nostra gymnasium institueret, sed & templi curam abduceret.*

3830 Anno Philometoris 7, Nabonassari 574, Phamenoth secundùm Ægyptios die 27 (*Maii Juliani die 1 incunte*) horis 2. post mediam noctem, Eclipsis Lunæ Alexandriæ observata est. [*Ptolem. lib. 6. cap. 5.*] 4540 174

Inter Cretenses mutuo furore semetipsos lacerantes, sex mensium induciæ fuerunt: deinde multo gravius bellum exarsit. Verùm adventu Q. Minutii legati, qui cum decem navibus ad sedanda eorum certamina à Romanis missus erat, in spem pacis venerunt. [*Liv. lib. 42.*]

Lycii quoque per idem tempus, incitante Eumene, à Rhodiis deficientes, bello ab eis vexabantur. Castella quædam, & ager in extremis finibus situs oppositæ continentis Rhodiorum, à præsidiariis Eumenis infestabantur. [*Polyb. legat. 61. & 67. Liv. lib. 42. & 42.*]

Judæi nonnulli apostatæ, cum Onia Pseudo-pontifice consentientes, impetratâ à rege Antiocho potestate vivendi secundùm statuta Gentium, sub ipsam arcem Sionis gymnasium extruxerunt, epheborum pulcherrimos sub petaso legibus Ephebei subjecerunt, atque arte reduxerunt sibi præputia; ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles. Sicque invalescebat Hellenismus, & progressus morum alienigenarum; ut non ampliùs alacres Sacerdotes essent ad ministeria altaris; sed templum ipsum contemnentes, & sacrificia negligentes, festinarent participes esse iniquæ exhibitionis quæ in palæstrâ post disci certamen fiebat. [I. *Maccab.* I. 11,-15 & II. *Maccab.* IV. 12.--15. *cum Josepho, lib. 12. cap. 6.*]

Cùm quinquennalis agon Tyri celebraretur, cui rex Antiochus aderat; impius Jason spectatores eò misit Hierosolymitanos jure civitatis Antiochenæ donatos, τριακοσίας vel (ut rectiùs multò in Bibliothecæ Arundellianæ Ms. codice legitur) τριακοσίας τριακοσίας 3300 argenti drachmas ad sacrificium Herculis afferentes: quas illi tamen ad navium trierium fabricam erogandas procurârunt. [II. *Maccab.* IV. 18, 19, 20.]

3831 Ab Antiocho rege missi legati Romam venerunt: quorum princeps Apollonius (quem Romanorum legati qui in Syriâ fuerant in maximo honore apud regem, amicissimúmque populo Romano fuisse renunciârunt) in Senatum introductus, præter stipendium à rege debitum (quod seriùs falsè præstitum, multis justisque causis excusabat) vasa præterea aurea quingentûm pondo donum attulit. Addidit, *petere Regem, ut quæ cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur: imperaréque sibi populus Romanus, quæ bono fidelique socio regi essent imperanda; se nullo usquam cessaturum officio. Ea merita in se Senatus fuisse, quum Roma esset, eam conditionem juventutis; ut pro rege, non pro obside, omnibus ordinibus fuerit.* Legatis benignè responsum: & societatem renovare cum Antiocho, quæ cum patre ejus fuerat, A. Atilius prætor urbanus jussus. Quæstores urbani stipendium, vasa aurea Censores acceperunt: eísque negotium datum est, ut ponerent ea in quibus templis viderentur. Legato centum millium æris munus missum, & aedes liberæ hospitio datæ, sumptúsque decretus, donec in Italiâ esset. [*Liv. lib. 42.*] 4541 175

Antiocho filius natus est Antiochus Eupator; quem ille novennem moriens reliquit. [*Appian. Syriac. pag. 117. & 131.*]

Mortuâ Ptolemæi Philometoris dilectâ matre Cleopatrâ, Antiochi Magni filiâ & Antiochi Epiphanis sorore, cui pater Cœle-Syriam (vel magnam saltem ejus partem) dotis nomine tradiderat; Eulæus eunuchus nutricius Philometoris & Lenæus Ægyptum regentes, Cœle-Syriam ab Antiocho Epiphane, ut fraude occupatam repetebant: quod bello inter avunculum & puerum originem præbuit; ut ex Callinici Sutorii Alexandrinis historiis refert Porphyrius. [*apud Hieronym. in cap. 11. Danielis.*] Pro Philometoris verò jure in repetendâ Cœle-Syriâ allatum est: Antiochum Magnum patrem Epiphanis Ptolemæo Epiphani patri Philometoris in pupillari ætate constituto contra jus & fas Cœle-Syriam primùm eripuisse; eámque postea eidem cum filiâ suâ Cleopatrâ dotis nomine restituisse. Antiocho Epiphane contrà asserente, à tempore quo pater illius patruus Philometoris ad Parium devicit, Syriæ regibus Cœle-Syriam semper paruisse; eámque Cleopatræ Philometoris matri pro dote à patre concessam fuisse pernegante. [*Polyb. legat. 72. & 82.*]

Sedere tum primùm in throno cœpit Philometor, & τὸν στρατηλάτην illius acta est celebritas. [II. *Maccab.* IV. 21.] Túmque Ptolemæi (Dorymenis filii, cognomento qui Macron dictus est) prudentia enituit. Qui cùm Cypri insulæ præfecturam Rege admodùm puero accepisset, neque regiæ pecuniæ dispensatoribus quicquam redderet; posteaquàm adolescentiam jam Rex attigit, collectam satis magnam pecuniæ vim Alexandriam misit: Rege & cæteris omnibus aulicis priorem illius parsimoniam vehementer hîc probantibus. [*Polyb. lib. 27. in Excerptis Valesii, pag. 126.*]

Antio-

Antiochus, missō in Ægyptum Apollonio Menesthei filio ad Philometoris regis [illegible] celebranda, percipiens eum a rebus suis alienum esse factum, curavit ut contra ipsum confirmaretur. Unde Joppen veniens, profectus est Hierosolyma: ubi magnificè à Jasone & civitate acceptus, cum facibus & acclamationibus, introductus est. Inde verò in Phœniciam cum exercitu abiit. [II. *Maccab.* IV. 21,22.]

3832 Jason, post triennium quàm Pontificatum ab Antiocho nundinatus fuerat, Menelaum Simonis Benjaminitæ proditoris fratrem misit; ut promissam Regi afferret pecuniam, & de negotiis eum necessariis commonefaceret. Ille verò legationis opportunitate in rem suam usus, iisdem artibus quibus Jason fratrem suum Oniam, & ipse Jasonem circumvenit: argentique 300. talenta, supra ea omnia quæ à Jasone præstanda erant, Regi pollicitus, ad seipsum summum transtulit Sacerdotium. [II. *Maccab.* IV. 23,24.25. *Sever. Sulpic. Histor. sacr. lib.* 2.] Hunc Menelaum priùs Oniam fuisse dictum; atque Oniæ III. ipsiusque Jasonis fratrem, & Simonis II. Pontificis filium natu minimum excitisse, Josephus asserit. [*Antiquit. lib.* 12. *cap.* 6. *cum lib.* 15. *cap.* 3.] 4542 172

Menelaus regio mandato principatum adeptus, Jasonem in regionem Ammonitidem expulit: sed promissarum Regi pecuniarum nihil curavit. [II. *Maccab.* IV. 25,26,27.]

C. Popilio Lænate & P. Ælio Ligure Consulibus, Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse Romam, *Valerius Antias* scribit; ad deferenda de Perseo Macedonum rege crimina, indicandosque apparatus belli. Plurium annales, & quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur ut Romam venit, cum summo honore exceptus & in Senatum introductus; causam veniendi Romam fuisse dixit, præter cupiditatem videndi Deos hominesque quorum beneficio in eâ fortunâ esset supra quam ne optare quidem auderet, etiam ut coram moneret Senatum, ut Persei conatis obviam iret. [*Liv. lib.* 42. *Appian. legat.* 25. *à Fulv. Ursino edit.*] Tantáque omnium hîc fuit taciturnitas, ut ante bellum perfectum & Perseum captum sciri non potuerit, quid aut ille locutus esset, aut Patres respondissent. [*Liv. ibid. Valer. Maxim. lib.* 2. *cap.* 2.]

Post aliquot deinde dies Rhodiorum legationis princeps Satyrus, coram Senatu intemperantiùs in Eumenem invectus, quòd Lyciorum gentem adversùs Rhodios concitasset, graviórque Asiæ esset quàm Antiochus fuisset; popularem quidem ac gratam populis Asiæ (nam eò quoque jam favor Persei venerat) orationem habuit: quæ Eumeni tamen majorem gratiam apud Romanos conciliavit: ita omnes ei honores habiti, donáque quàm amplissima data, cum sellâ eburneo scipione. [*Liv. ut supr. Diodor. Sicul. legat.* 16. *à Fulv. Ursino edit.*]

Eumene Româ in regnum redeunte, & ut sacrificaret Apollini à Cirrâ ad templum Delphicum ascendente, insidiatores à Perseo submissi * (quorum princeps erat Euander Cretensis dux auxiliorum ejus) saxa duo ingentia devolverunt: quorum altero caput ictum est Regi, altero humerus sopitus; ex semitâ proclivi in declive multis super prolapsum jam saxis congestis. Amici postero die compotem jam sui ad navem deferunt: inde Corinthum, à Corintho per Isthmi jugum navibus traductis Æginam trajiciunt. Ubi adeò secreta ejus curatio fuit, admittentibus neminem, ut de morte ejus fama & in Asiam & Romam perlata fuerit. [*Liv. lib.* 42. *Appian. legat.* 25.]

Attalus, celeriùs quàm dignum concordiâ fraternâ erat obiisse Eumenem credens, non solùm a.ci Pergamenæ præfecto tanquam jam haud dubius regni hæres est locutus, sed etiam sumpto diademate fratris uxorem Stratonicen (Ariarathis Cappadocum regis filiam) sibi despondens, paulò calidiùs in amplexus ejus ruit. Verùm haud multò pòst fratrem vivere & Pergamum venire audiens, posito diademate, cum stipatoribus pro more obviam ivit, hastile gerens. Quem Eumenes & amicè amplexus est, & reginam honorificè ac splendidè salutavit: fratri nihilominùs in aurem insusurrans,

Μὴ γαμῇς γύναι᾽ ἀφὶν τελευτήσαντ᾽ ἴδῃς.
Uxorem haud duc, nisi defunctum videris.

Neque aliud per omnem vitam quod offensæ speciem haberet aut fecit aut dixit: sed eâdem quâ antè benevolentiâ eum prosecutus est. [*Liv. lib.* 42. *Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii pag.* 306. *Plutarch. in Apophthegmat. & lib. περὶ φιλαδελφίας.*]

Eumenes, præter pristinum odium recenti etiam scelere Persei stimulante, summâ vi parabat bellum. Legati ad eum ab Româ, gratulantes quòd è tanto periculo evasisset, venerunt. [*Liv. lib.* 42.]

Postquàm Ariarathes rex Cappadocum ex uxore Antiochide Antiochi Magni filiâ duas filias & unum filium (Mithridatem primùm, deinde Ariarathem dictum) suscepisset: ex duobus filiis quos uxor (sterilem se futuram rata) priùs sibi supposuerat, Ariarathem seniorem cum mediocribus facultatibus Romam, juniorem Olophernem sive Orophernem dictum in Ioniam misit; ne de regno cum germano filio contenderent. [*Diodor. Sic. lib.* 31. *in Photii Bibliothec. cod.* 244.] Hoc igitur anno ille Ariarathem filium suum educandum Romam misit, ut jam inde à puero assuesceret moribus Romanis hominibúsque: petens, ut eum non sub hospitum modo privatorum custodiâ, sed publicæ etiam curæ ac velut tutelæ vellent esse. Ea Regis legatio grata Senatui fuit: decreverúntque, ut Cn. Sicinius prætor ædes instructas locaret, ubi filius Regis comitésque ejus habitare possent. [*Liv. lib.* 42.]

Romani legatos ad Reges socios miserunt, Eumenem, Antiochum, Ariarathem, Masanissam, & regem Ægypti Ptolemæum; alios verò in Græciam, Thessaliam, Epirum, Acarnaniam, & Insulas: ut in bello contra Perseum ipsos se conjungerent. [*Appian. legat.* 25.] Ad Asiam & Insulas explorandas T. Claudius Nero & M. Decimius sunt missi, atque adire

Cretam & Rhodum jussi; simul renovare amicitiam, simul speculari, num solicitati animi sociorum ab rege Perseo essent. [*Liv. lib.* 42.]

3833 Ex Asiâ qui circa socios reges missi erant legati redeuntes renunciârunt, Eumenem in Asiâ, Antiochum in Syriâ, Ptolemæum in Alexandriâ sese convenisse. Omnes solicitatos legationibus Persei, sed egregiè in fide permanere; pollicitósque omnia quæ populus Romanus imperasset præstaturos. Civitates quoque socias adisse: cæteras satis fidas, solos Rhodios fluctuantes & imbutos Persei consiliis invenisse. Venerant legati Rhodii ad purganda ea quæ vulgò jactari de civitate sciebant: cæterùm senatum iis dari, cùm novi Consules magistratum inîssent, placuit. [*Liv. ibid.*]

P. Licinio, C. Cassio Consulibus, omnes reges civitatésque quæ in Europâ quæque in Asiâ erant converterunt animos in curam Macedonici, ac Romani belli. Eumenem cùm vetus odium stimulabat, tum recens ira, quòd Persei scelere propè ut victima mactatus Delphis esset. Prusias Bithyniæ rex statuerat abstinere armis, eventúmque expectare: nam neque pro Romanis se æquum censere adversùs fratrem uxoris arma ferre: & apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes Cappadocum rex, præterquàm quòd Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat, ex quo est junctus Eumeni affinitate; in omnia belli pacisque se consociaverat consilia. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, & puritiam regis & inertiam tutorum spernens; & ambigendo de Cœle-Syriâ, causam belli se habiturum existimabat, gesturúmque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia & per suos legatos Senatui, & ipse legatis eorum eximiè pollicitus erat. Ptolemæus propter ætatem alieni etiam tum arbitrii erat: tutores & bellum adversùs Antiochum parabant, quo vindicarent Cœle-Syriam, & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. [*Liv. lib.* 42.] Atque ita in auxilio Romanorum, Ptolemæus rex Ægypti, Ariarathes Cappadociæ, Eumenes Asiæ, & Masanissa Numidiæ fuerunt. [*Oros. lib.* 4. *cap.* 20.] 4543 171

Tres legati, A. Posthumius Albinus, C. Decius, & A. Licinius Nerva, à Romanis missi sunt ad Cretenses: qui sagittariorum auxilia eis subministrârunt. [*Liv. lib.* 42.]

Tres alii legati, T. Claudius Tiberius, P. Posthumius, & M. Junius, ad Insulas & Asiæ urbes sunt missi. Hi circumeuntes, hortabantur socios ad suscipiendum adversùs Perseum pro Romanis bellum: & quo quæque opulentior civitas erat, eo accuratiùs agebant: quia minores secuturæ majorum authoritatem erant. Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur; quia non favere tantùm, sed adjuvare etiam viribus suis bellum poterant, 40 navibus authore Hegesilocho comparatis; qui in summo tùm magistratu erat, quem Prytanim ipsi vocabant. Hic enim jam anteà, simul ac cognitum erat bellum à Romanis cum Perseo gestum iri, multis rationibus cives suos cohortatus ut spes suas cum Romanis jungerent, desideraturos eos eundem navalem apparatum dicebat, quem nuper Antiochi, quem Philippi antè bello vidissent: trepidaturos tum Rhodios repentè parandâ classe quum mittenda esset, nisi instruere navalibus sociis cœpissent. Ideò magis enixè faciendum esse, ut crimina delata ab Eumene fide rerum refellerent. His illi incitati, 40. navium classem instructam ornatámque legatis Romanis advenientibus, ut non expectatam adhortationem esse appareret, ostenderunt. Et hæc legatio magnum ad conciliandos animos civitatum Asiæ momentum fuit. [*Id. ibid. Polyb. legat.* 64.]

Perseus post colloquium cum Romanis habitum, omnia causæ suæ jura epistolæ unius formâ est complexus, & quæ ab utrâque parte fuerant dicta: ita dispositа, ut superior fuisse in disceptatione videri posset. Et circa alias quidem civitates per tabellarios dumtaxat literas illas formatas misit; Rhodum verò etiam legatos ire jussit, Antenorem & Philippum. Qui ubi eò ventum, literas magistratibus tradunt: deinde post paucos dies in Senatum veniunt, à Rhodiis petunt, ut in præsentia quidem nihil moveant, sed quid geratur velut è speculâ prospiciant; verùm si Romani contra fœderis leges Perseum & Macedonas aggrediantur lacessere, pacem ut conciliare inter ipsos conentur. Id enim fieri, & interesse omnium, & Rhodiis præcipuè convenire. Nam quo plus ipsi quàm cæteri æquabilitati juris & libertati studeant, (ut qui non suæ tantùm libertatis sint custodes ac vindices, sed & reliquorum etiam Græcorum:) eo diligentiùs observare, sibique pro virili cavere ipsos debere ab illis, quorum mens & consilia in contrarium tendant. Hæc & similia his plura quum differuissent legati, etsi placebat omnibus eorum oratio; quia tamen præoccupati benevolentiâ Romanorum animi erant, & partis melioris authoritas vincebat, cæteris quidem comes se erga legatos exhibebant: cæterùm responsi loco Perseum rogabant, nequid hujusmodi à se postularet, unde possint existimari voluntati Romanorum contrarium aliquid facere. Quod responsum Antenor quidem non accepit: verùm reliquâ Rhodiorum civilitate & humanitate usus, in Macedoniam est reversus. [*Polyb. legat.* 65. *Liv. lib.* 42.]

Caius Lucretius Prætor Romanus, dum circa Cephaleniam stabat classis, per literas cum Rhodiis egit, naves sibi mitti petens: eámque epistolam Socrati aliptæ tradidit perferendam. Hæc Rhodum illo tempore est perlata, quo posterioris semestris Stratocles Prytanis erat. Quum eà de re consultatio haberetur, Agathageto quidem & Rhodophonti & Astymedi ac pluribus aliis placebat, ut sine ullâ tergiversatione naves mitterent Rhodii, & ut jam inde à principio belli cum Romanis se jungerent. At Dino & Polyaratus, quibus ne illa quidem probabantur quæ anteà Romanorum ad gratiam fuerant decreta, non à Romanis missam eam epistolam fuisse calumniabantur, sed à Rhodiorum inimico rege Eumene; qui id omni studio ageret, ut ad bellum ipsos traheret, ac populo impensas & molestias non necessarias conciliaret. Eam enim ab aliptа nescio quo allatam Rhodum fuisse: quum Romani ad ejusmodi

miniſterium vel præcipuæ dignationis viros magno ſtudio deligere ſoleant. Adversùs iſtos quum Prytanis Stratocles ſeſe comparaſſet, & multa contra Perſeum diſſeruiſſet, Romanos è contrario multis laudaſſet; Rhodios pervicit, ut decretum de mittendis navibus ſanciretur. Itaque ſex triremibus extemplò inſtructis, Chalcidem quinque miſerunt duce Timagorâ; unam Tenedum, cui præfectus eſt Timagoras alter. Hic inventum in Tenedo Diophanem, qui à Perſeo ad Antiochum fuerat miſſus, ipſum quidem capere non potuit; at navem cum omni inſtrumento cepit. [*Polyb. legat.* 67.]

Romani, legationibus auditis quæ ex Aſiâ venerant, Rhodiorum & reliquarum civitatum ſtatu cognito, legatis Perſei ſenatum præbuerunt. [*Id. legat.* 68.] Tum igitur Solon atque Hippias de univerſis rebus dicere, & Patrum iram deprecari ſunt conati. Præcipuâ tamen curâ, & minimè tamen probabiliter (manifeſta enim res erat) inſidiarum Eumeni factarum crimen eſt defenſum. Poſtquàm peroraſſent, Senatus, qui bellum jam antè decreverat, denuntiavit eis, ut & ipſi, & quicunque è gente Macedonum Romam tum fortè advenisſet, extemplò mœnibus urbis Romæ, Italiâ intra trigeſimum diem excederent. [*Id. ibid. Diodor. Sicul. legat.* 17. *Liv. lib.* 42.]

Quum Eumeni denunciatum eſſet, ut bellum contra Perſeum ſummis viribus juvaret: (ſicut apud *Juſtinum* legitur, lib. 33. cap. 1.) ad Chalcidem in Bœotiâ navibus ille acceſſit, cum Attalo atque Athenæo fratribus; Philetæro fratre relicto Pergami ad tutelam regni. Inde cum Attalo & quatuor millibus peditum, mille equitum, in Theſſaliam ad Licinium Conſulem venit. Athenæus Chalcide relictus eſt cum duobus millibus peditum: quos Marcus Lucretius eò adveniens, cum navali 10. millium exercitu, ad Haliarti obſidionem ſecum deduxit. [*Liv. lib.* 42.]

Ad idem ferè tempus & ab aliis ſociis naves Chalcidem convenerant: duæ Punicæ quinqueremes, duæ ab Heracleâ ex Ponto triremes, quatuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiæ quadriremes. [*Id. ibid.*] Sed eas C. Lucretius Prætor Marci frater tum ſupervenienſ, quia nuſquàm erat maritimum bellum, ſociis remiſit. [*Id. ibid. cum Polyb. legat.* 67. *fin.*] Ipſe verò Prætor unà cum fratre Haliartum oppugnans, deditione tandem captam à fundamentis diruit; & ſine certamine Thebas recepit. [*Liv. ut ſupr.*]

Dum iſta geruntur in Bœotiâ, Licinius conſul, Eumenes & Attalus in Theſſaliâ cum Perſeo conflixerunt. Primum inter eos prælium incertâ victoriâ eſt finitum. In eo Eumenis fermè 30. interfecti: inter quos Caſſignatus dux Gallorum cecidit. In ſecundo verò congreſſu, victoriam Perſeus retulit. [*Id. ibid.*] Qui victor tamen, à Licinio pacem petens, impetrare illam non potuit. [*Id. ibid. Polyb. legat.* 69. *Appian. legat.* 26.]

Victor Perſeus Antenorem Rhodum miſit, ad redimendos captivos qui cum Diophane navigabant. Quâ in re magnopere hæſitatum eſt ab iis qui Rempublicam adminiſtrabant, quid opus eſſet facto. Philophroni enim & Theæteto nullo placebat modo, ut Rhodii Perſei rebus ſe immiſcerent: Dinoni contrà & Polyarato id placebat. Ac tandem facta eſt cum Perſeo ſuper captivorum redemptione conventio. [*Polyb. legat.* 70.]

Antiochus manifeſtò jam videns Alexandrinos ad bellum pro Cœle-ſyriâ ſe parare, Meleagrum miſit Romam legatum; qui mandatu ſuo Senatui nuntiaret & teſtans fœdera diceret, præter omne jus à Ptolemæo ſe invaſi. [*Id. legat.* 71.]

Quum jam eſſet inchoatum ab Antiocho & Ptolemæo bellum pro Cœle-ſyriâ, Romam utriuſque Regis legati venerunt: Antiochi quidem, Meleager, Soſiphanes & Heraclides; Ptolemæi verò, Timotheus & Damon. Venit Meleager, ut Senatui teſtaretur, priorem Ptolemæum contra omne jus Antiochum lacceſſere, & regionis cujus erat dominus poſſeſſione velle privare: Timotheus autem ad renovandam amicitiam, ſed præcipuè ad obſervandos Meleagri cum Romanis congreſſus. Amicitiam igitur ubi renovaſſet, & congruentia poſtulatis ſuis reſponſa accepiſſet, Alexandriam eſt reverſus. Meleagro verò Senatus reſpondit, Quinto Marcio ſe permiſſurum, ut de iis rebus ad Ptolemæum ſcribat, ita ut eſſe è re populi Romani fidéque ſuâ viderit. [*Id. legat.* 72. *Diodor. Sicul. legat.* 18.]

Antiochus, prælio inter Peluſium & montem Caſium cum Ptolemæi ducibus commiſſo, eos vicit. Parcens verò puero regi, & amicitias ſimulans, aſcendit Memphim: atque ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus ſe providere dicens, cum modico populo totam Ægyptum ibi ſubjugavit. [*Porphyrius, ex Callinico Soterse; apud Hieronym. in Daniel. cap.* 11.] Quo tempore & Ptolemæus Macron Dorymenis filius, cui Cypri præfecturam Philometor commiſerat, ad partes Antiochi tranſiiſſe & inſulam illi tradidiſſe videtur: ut in II. *Maccab.* X. 13. legimus. Unde Cypri curâ Cratetî commiſſâ, [II. *Maccab.* IV. 29.] Ptolemæum præfectum Cœle-ſyriæ & Phœniciæ conſtituit. [*ibid.* VIII. 8.] & in præcipuorum amicorum numerum admiſit. [I. *Maccab.* III. 38.]

3834 Jubilæus XXVI.

A Licinio Conſule, Eumene, Attalo, & Miſagene regulo Numidarum fugatus Perſeus, cùm Pellam veniſſet, exercitum in hyberna dimiſit. Conſul Lariſſam rediens, inde Eumene atque Attalo domum remiſſis, Miſagenem cum Numidis ſuis & reliquo exercitu per Theſſaliam in hybernis collocavit. [*Liv. lib.* 42.]

Quum Antiocho promiſſam à Menelao pecuniam Soſtratus Hieroſolymitanæ arci præfectus, ad quem rerum quæ ex vectigalibus colligebantur exactio pertinebat, fruſtrà poſceret & poſtularet: uterque à Rege Antiochiam eſt advocatus. Reliquitque vicarium, Menelaus quidem in ſummi ſacerdotii adminiſtratione fratrem ſuum Lyſimachum; Soſtratus verò in loco ſuo Cratetem, qui Cypriis præfuit. [II. *Maccab.* IV. 27, 28, 29.]

In Ciliciâ Tarſentibus & Mallotis ſeditionem moventibus, quòd civitatum harum reditus

Antiochus pelluci ſuæ Antiochidi donaviſſet: ad eam tedandam feſtinanter Rex profectus eſt; relicto Antiochiæ qui vices ſuas gereret Andronico. [II. *Maccab.* IV. 30, 31.]

Abſentiæ Regis occationem captans Menelaus, vaſa nonnulla aurea (Lyſimachi vicarii ſui operâ) ex templo Hieroſolymitano ſubtraxit: quorum alia donavit Andronico, in Tyrum & circumjacentes civitates alia vendidit. Quod Onias III. legitimus Pontifex bene cognoſcens, ſacrilegii eum arguit: & in Daphnes juxta Antiochiam aſylum ſe ſubduxit. [*Ibid.* 32, 33.] Ibi enim, in luci medio aſylum fuit, & Apollinis fanum. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 750.] quod ampliſſimum Apollinis Daphnæi fanum Epiphanes Antiochus Rex ille condidit iracundus & ſævus, [*Ammian. Marcellin. lib.* 22.]

Andronicus, rogatu Menelai, Oniam per dolum ex aſylo eductum, contra fidem ei datam & juratam, perfidè interemit. [II. *Maccab.* IV. 34.]

Rege Antiocho ex Ciliciâ Antiochiam reverſo, Judæi qui in civitate erant multíque ex aliis gentibus, de indignâ ſanctiſſimi ſenis cæde apud eum conqueſti ſunt. Qui contriſtatus & effuſis lachrymis dolorem ſuum teſtatus, Andronicum purpurâ exutum circumduci juſſit per urbem, & in eodem loco occidi in quo ipſe Oniam occiderat. [*Ibid.* 35,--38.]

Cùm Hieroſolymis multa ſacrilegia fierent à Lyſimacho, conſcio Menelao; congregavit ſe multitudo contra Lyſimachum, vaſis aureis jam multis exportatis. Contra quam tria circiter armatorum millia ille eduxit: Tyranno quodam eorum duce conſtituto, non minùs impotentiâ animi quàm ætate provecto. E turbâ verò, alii lapides, alii faſtes validos arripuerunt: quidam etiam de adjacente cinere manum complentes, in Lyſimachum & ejus milites conjecerunt. In eo tumultu multi vulnerati, nonnulli proſtrati, reliqui in fugam acti; ipſe verò ſacrilegus Lyſimachus prope gazophylacium interfectus eſt. [*Ibid.* 39,--42.] 4544 170

Cùm Antiochus rex Tyrum veniſſet, tres viri ab Hieroſolymitano Senatu miſſi contra Menelaum, ut ſacrilegiorum & facinorum Lyſimachi participem, accuſationem coram eo inſtituerunt. Convictus verò Menelaus, multis pecuniis Ptolemæo Dorymenis filio ad placandum Regem promiſſis, illius operâ effecit, ut non ipſe ſolùm abſolutus in ſummo Sacerdotio permaneret, ſed etiam ut inſontes illi tres qui pro civitate populoque & ſacris vaſis cauſam dixerunt morti adjudicarentur. Quorum vicem miſerati Tyrii ipſi, magnificè eos ſepeliendos curaverunt. [*Ib.* 44,--50.]

Sub idem tempus, *ſecundam* expeditionem in Ægyptum Antiochus inſtruxit. Accidítque Hieroſolymis, ut ad 40. ferè dies continuos in aëre miræ ſpecies conſpectæ fuerint armatorum equitum, & pedeſtrium copiarum conſligentium; futurorum malorum præmunciæ. [II. *Maccab.* V. 1,--4.]

Antiochus, regnum Ægypti ſuo cupiens adjicere, eam ingreſſus eſt cum turbâ numerosâ, curribus, elephantis, equitibus, & magnâ claſſe. Et inſtituit bellum contra Ptolemæum regem Ægypti: qui averſus à conſpectu illius fugit, ceciderúntque confoſſi multi. Poſteà occuparunt civitates munitas in terrâ, acceptíque Antiochus ſpolia Ægypti. [I. *Maccab.* I. 16,--19.]

Falſo rumore de morte Antiochi ſparſo, Jaſon non pauciores mille viros ſecum aſſumens, in civitatem Hieroſolymitanam repentè impreſſionem fecit. Urbe occupatâ, Menelaus in arcem confugit: Jaſon verò faciebat cædes civium ſuorum; non cogitans ſecum adverſùs cognatos proſperitatem infelicitatem eſſe maximam. Nec principatum tamen recuperare ille potuit: ſed cum pudore profugus iterùm in regionem Ammonitidem rediit. Ubi apud Aretam regem Arabum accuſatus, neque ibi conſiſtere auſus, in civitatem unam ex alterâ fugere coactus eſt; ab omnibus exoſus, ut legum deſertor & hoſtis patriæ ſuæ publicus. [II. *Maccab.* V. 5,--8.]

Antiochus in Ægypto audiens, ex vulgatâ de ſuo obitu famâ Hieroſolymitanos maximum gaudium concepiſſe, & ex ſeditione à Jaſone motâ rebellaturam Judæam ſuſpicatus, animo eſt efferatus. [II. *Maccab.* V. 10. *Joſeph. in libello de Maccabais.*] Et revertens, poſtquàm percuſſiſſet Ægyptum anno regni Græcorum ſive Seleuci 143, aſcendit contra Iſraëlem & Hieroſolyma cum turbâ numerosâ. [I. *Maccab.* I. 21, 22.]

Joſephus, 12. *Antiquit. cap.* 7. anno Seleucidarum 143. urbem eum cepiſſe ſcribit. ſed ἀμαχητὶ, *abſque pugnâ*; portas illi aperientibus ſuæ factionis hominibus. Verùm in II. *Maccab.* V. 11. urbem δορυάλωτον, *armis* cepiſſe dicitur. Ipſéque *Joſephus*, in Belli Judaici lib. 1. cap. 1. non ſolùm τὴν πόλιν αἱρῶν κ) κρατῶν, *vi urbem expugnaviſſe* eum refert; ſed etiam κ) μυρίους ἐν αὐτῇ τὴν πολιορκίαν ὑπομείναντας, *eorum qui in obſidione pertulerat memoriâ* efferatum fuiſſe adjicit. Hieroſolymitanos quoque, civitatem obſidente Antiocho, cum armis egreſſos & in pugnâ peremptos fuiſſe, in 6°. ejuſdem Operis libro (pag. 929.) idem ipſe *Joſephus* aſſerit.

Urbe igitur occupatâ, juſſi milites obvios quoſque trucidare, in omnem ætatem & ſexum crudeliter ſævierunt: ita ut 80. millia hominum tridui ſpatio deſiderata fuerint; 40. quidem cæſa, totidémque alia venundata. [II. *Maccab.* V. 11,--14.]

Non contentus his Antiochus, auſus eſt etiam in Templum ingredi, ducem habens proditorem legum & patriæ Menelaum; & ſceleratis manibus ſacra vaſa capere, & quæcunque ab aliis Regibus ad loci gloriam & honorem fuerant poſita. [*Ibid.* 15,16.] altare aureum, & lychnum lucentem cum omnibus inſtrumentis ejus, & menſam propoſitionis, & crateras, & phialas, & thuribula aurea, & velum, & coronas, & ornatum aureum Templi foribus appenſum. Detraxítque aurum omnibus quæ auro obtecta erant, ſimilitérque argentum accepit, & inſtrumenta deſiderabilia, & theſauros abſconditos, quos invenit. [I. *Maccab.* I. 23, 24.]

Polybius Megapolitanus, Strabo Cappadox, Nicolaus Damaſcenus, Timagenes, Caſtor Chronographus & Apollodorus ſcripſerunt, pecuniis indigentem Antiochum violato fœdere, Judæos ſocios ſuos & amicos fuiſſe aggreſſum, & ſpoliaſſe Templum auro argentóque plenum, neque aliquid dignum deriſione illic invenitſe. [*Joſeph. contr. Apion. lib.* 2.] Etenim grave

Romanis

Romanis ſtipendium penſitans, ipſe immenſis ſumptibus penè neceſſariò cogebatur pecunias rapto quærere, neque ullam prædandi occaſionem omittere. (*Sever. Sulpic. ſacr. hiſtor. lib.* 2.) Alia tamen complura in gentis odium & religionis contemptum hîc ab eo fuiſſe patrata referunt Judæorum inimici; in libro 34. Bibliothecæ Diodori, indéque in Photii Bibliothecâ, (*cod.* 244.) ita repetita. *Antiochus Epiphanes, devictis Judæis, in ſacrum Dei adytum eſt ingreſſus, quò ſoli Pontifici intrare licuit. Ibi lapideam invenit ſtatuam viri barbâ promiſſâ, tenentis manibus librum inſidentiſque aſino: quam putabat Moſis eſſe, qui & Hieroſolyma condiderit, & gentem fundârit, & odioſas illas omnibus gentibus leges tulerit. Ipſe verò cupiens obducere odium gentium, leges diſſolvere conatus eſt. Quare ſtatuæ conditoris* (Moſis) *& altari Dei ſubdiali porcam ingentem ſacrificavit, & illa ſanguine perfudit: & carnem coquens, juſſit ſacros eorum libros, qui leges continerent, jure illo corrumpi & obliterari. Lychnum verò immortalem ab illis dictum & ſemper ardentem in Templo extingui juſſit: & carnem ſuillam ſummum ſacerdotem* (Menelaum) *aliòſque Judæos comedere coëgit.* Omnibus verò adverſariorum calumniis luculentum illud Strabonis Cappadocis teſtimonium opponimus, in 16°. Geographiæ ſuæ libro, Judæos ut *juſtos & verè religioſos* commendantis. (Διαφερόντως δὲ θεοσεβῆς ὡς ἀληθῶς ὄντας. *pag.* 761.)

Antiochum verò, captâ urbe, porcos ſuper altari mactaviſſe, & jure carnium illarum Templum aſperſiſſe, refert etiam Joſephus. (*lib.* 13. *cap.* 16.)

Antiochus 1800. talenta exportans è Templo, celeriter Antiochiam repetiit: præfectis relictis ad affligendam gentem; Hieroſolymis quidem Philippo genere Phryge, moribus barbaro, Garizimis verò in Samariâ Andronico. Prætèr quos & Menelaus peſſimè omnium efferebatur in cives; adversùs Judæos animum habens inimiciſſimum. (II. *Maccab.* V. 21, 22, 23.)

Aſianorum legati Romæ in Senatu ſunt auditi. Milèſii nihil ſe præſtitiſſe memorantes, ſi quid imperare ad bellum contra Perſeum Senatus vellet, præſtare ſe paratos eſſe polliciti ſunt. Alabandenſes templum urbis Romæ ſe feciſſe commemoraverunt, ludóſque anniverſarios ei Divæ inſtituiſſe: & coronam auream 50. pondo, quam in Capitolio ponerent, Jovi donum attuliſſe, & ſcuta equeſtria 300. ea cui juſſiſſent tradituros. Donum ut in Capitolio ponere & ſacrificare liceret, petebant. Hoc etiam Lampſaceni, 80. pondo coronam afferentes, petebant: commemorantes, *Diſceſſiſſe ſe à Perſeo, poſtquam Romanus exercitus in Macedoniam veniſſet, quum ſub ditione Perſei & antè Philippi fuiſſent. Pro eo, & quòd imperatoribus Romanis omnia præſtitiſſent, id ſe tantùm orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur; & ſi pax cum Perſeo fieret, exciperentur, ne in regiam poteſtatem reciperentur.* Cæteris legatis comitèr reſponſum. Lampſacenos in ſociorum formulam referre Q. Mœnius prætor juſſus. Munera omnibus in ſingulos binûm millium æris data. Alabandenſes ſcuta reportare ad A. Hoſtilium Conſulem in Macedoniam juſſi. (*Liv. lib.* 43.)

3835 Quum communi Achæorum decreto conſtitutum eſſet, ut omnes Eumenis honores, qui indecori & contra leges eſſent, tollerentur: Soſigenes & Diopithes Rhodii, qui per id tempus judicia exercebant, offenſi privatis ex cauſis Eumeni, omnes illius honores in Peloponneſi civitatibus everterunt. (*Polyb. legat.* 74.)

A. Hoſtilio proconſule hybernâ cum copiis in Theſſaliâ habente, Attalus (qui Elatiæ tum hybernabat) certò intelligens Eumenem fratrem acerbiſſimè ferre, quòd communi decreto illuſtriſſimos ſuos honores ſuſtuliſſent, re cum Archone Achæorum prætore communicatâ, ad commune gentis concilium legatos miſit, qui de reſtituendis Regi honoribus agerent. Ubi, Polybio (hiſtorico) ſuadente, factum eſt decretum; quo jubebantur magiſtratus omnia quæ ad Eumenis honorem ſpectabant inſtaurare: niſi quid fortè in iis eſſet, quod aut Achæorum commune parum deceret, aut legibus repugnaret. Ita igitur Attalus, quæ temerè in Peloponneſo peccata fuerant circa Eumenis fratris honorem, tunc temporis emendavit. (*Id. ibid. & in Excerptis Valeſii, pag.* 130. 133.) 4545 169

Principio veris Q. Marcius Philippus Conſul contra Perſeum miſſus eſt. (*Liv. lib.* 44. *init.*)

Decretum ab Achæis eſt editum de ſubmittendis Marcio Conſuli pro viribus auxiliis: quod ad illum à Polybio perlatum eſt. Miſſus etiam eſt ab eis ad Atralum legatus Theocritus; qui decretum ei afferret, quo reſtituti erant Eumeni omnes honores. Per idem tempus quum fama eſſet allata Achæis, celebrata fuiſſe in honorem Ptolemæi Regis Anacleteria, ſicut eſt moris Ægypti Regibus, ubi ad legitimam regnandi ætatem pervenerunt, officii ſui eſſe exiſtimantes, ut ſuæ ob id quod geſtum erat lætitiæ ſignificationem darent, legatos decreverunt mittere, ad renovandam amicitiam quæ genti Achæorum erat cum Ægypti Regibus. Statim igitur Alcithus & Paſidas ſunt delecti. (*Id. legat.* 78.)

Per id tempus facinus impium, & à Græcorum inſtitutis longè alienum, in Cretâ inſulâ eſt admiſſum. Cùm enim inter Cydoniatas & Apolloniatas non ſocietas ſolùm ſed etiam commune ſocietatis jus intercederet, atque omnia jura quæ hominibus ſacroſancta habentur utriſque eſſent communia; ejúſque fœderis tabulæ ſacramento utrinque firmatæ juxta ſimulacrum Jovis Idæi fixæ extarent: Cydoniatæ tamen, pacis tempore tanquam amici ab Apolloniatis excepti, calcatâ fœderis religione urbem eorum occupârunt; viriſque omnibus trucidatis, ac bonis eorum direptis, uxores ac liberos omnémque agrum inter ſe diviſerunt. (*Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. à Valeſio edit. pag.* 133. & 310.)

Cydoniatæ, metuentes ſibi à Gortyniis, (à quibus jam antè ne caperetur ipſorum urbs in præſentiſſimum periculum venerat, quando eam occupare Nothocrates eſt aggreſſus) legatos ad Eumenem miſerunt, auxilium ex fœdere eum poſcentes. Rex Leonem ducem delegit, quem eò celeriter cum 300. militum manu miſit. Id ubi advenit præſidium, Cydoniatæ portarum claves Leoni tradiderunt, & univerſam civitatem ejus curæ permiſerunt. (*Id. legat.* 79.)

Cùm ad recuperandam Cœlesyriam, Eulaii spadonis fraudu, novum à Ptolemæo bellum institueretur; Antiochus, *tertiâ* in Ægyptum expeditione susceptâ, in potestatem suam eam redegit. (*Polyb. legat.* 80, 81, & 82.) Fusis enim fugatisque Ægyptiis, cùm ad internecionem delere omnes potuisset, equo circumvectus occidi eos vetuit, & vivos capi jussit. Ob quam maximè humanitatem & Pelusio, & paulò pòst universâ Ægypto est potitus. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii. pag.* 310.)

Glisscentibus Rhodi magis magisque in dies contrariis factionibus, quum audivissent Romæ à Senatu decretum fuisse, non quæ ipsorum magistratus sed quæ Senatus imperasset esse deinceps præstanda; Philophrone & Theæteto suadentibus, ineunte æstate Romam ad Senatum missi sunt legati Hegesilochus Hegesiæ filius, & Nicagoras Nicandri filius; ad Consulem verò Q. Marcium Philippum, & ad C. Marcium Figulum classis præfectum, Agesipolis, Ariston, & Pancrates. Mandatum his omnibus erat, ut amicitiam cum populo Romano renovarent, utque criminationibus responderent, quibus nonnulli civitatem onerabant. Hegesilocho verò hoc insuper négotii est impositum, ut exportandi frumenti facultatem peteret. Agesipolis Q. Marcium est assecutus, ad Heracleam in Macedoniâ castra habentem. Cui quum mandata sua exposuisset, Consul non solùm dixit nullam iis se fidem habere qui de Rhodiis detraherent; sed legatos etiam est hortatus, ne quemquam eorum ferrent, qui de Romanis aliquid blaterare auderent: multáque omninò humanitatis officia cumulatè iis præstitit. Scripsit & de iisdem rebus ad populum Romanum. Quum autem Agesipolis comitate Consulis mirificè captus esset; seducens eum Marcius ad familiare colloquium, mirari se dixit, cur Rhodii Reges bellantes pro Cœlesyriâ componere inter se non conarentur: id enim ipsis vel maximè convenire. Ad Caium deinde classi præfectum Agesipolis profectus, benignéque ab eo habitus, ac multò etiam comiùs quàm fuisset à Marcio Consule, brevi Rhodum est reversus. Ubi postquàm legationem renuntiasset, quum viderentur ambo duces Romani in comitate atque humanitate verbis declarandâ, & benevolentiâ in responso significandâ, ex æquo invicem certasse; etigi animis omnes Rhodii cœperunt, ac vanâ spe inflari: at non omnes eodem modo. Nam pars sanior ob Romanorum benignitatem lætitiâ gestiebat: qui verò rerum novarum cupidi erant, & in præsentem statum malè affecti, ii cogitare apud se instituerunt, ingentem hanc supra modum comitatem Romanorum indicio esse, terreri ipsos imminenti periculo, neque ex animi sententiâ res ipsis succedere. Postea verò quàm insuper accidisset; ut inter quosdam effutiret Agesipolis, privatim sibi à Marcio fuisse mandatum, ut in Senatu Rhodiorum de componendâ pace inter Reges mentionem faceret: tum enimverò nihil dubitabat Dino; quin pessimo loco res Romanorum essent. Ergo etiam legati Alexandriam, ad diffidendum bellum quod inter Antiochum & Ptolemæum erat confluturum, missi sunt. (*Polyb. legat.* 80.)

Inclinante æstate Hegesilochus & alii Rhodiorum legati Romam venientes, omni genere humanitatis & comitatis a Senatu sunt accepti. Erat verò notissimum, intestinâ seditione laborare Rhodios: quum Agathagetus, Philophron, Rhodophon & Theæretus spes omnes suas in Romanis defixissent; Dino contrà & Polyaratus, in Perseo & Macedonibus. Ex quo persæpe fiebat, ut rebus quæ ad deliberandum proponebantur in contrarias partes disceptatis, & dissidentibus sententiis, occasionem inde sumerent qui detractum ire civitati cupiebant. Verùm Patres nihil eorum sibi innotuisse simulabant: qui tamen omnia quæ apud illos fuerant gesta probè nôrant. Frumenti verò exportandi è Siciliâ ad centum mille modiûm potestatem fecerunt. (*Id. legat.* 64. 73. & 80.)

Posteaquàm Ægyptus ab Antiocho fuit occupata, Comanio & Cineâ de summâ rerum cum rege Ptolemæo consultantibus, visum est faciendum; ut concilium ex illustrissimis quibusque ducibus conscriberetur, de cujus sententiâ omnia deinceps gererentur. Ei concilio ante omnia placuit, ut advenæ Græci qui fortè ibi reperiebantur, legati ad Antiochum proficiscerentur, de pace cum eo acturi. (*Id. legat.* 81.)

Erant tunc eo loci legationes duæ ab Achæorum gente missæ: una ad renovandam cum Rege amicitiam, quæ mandata fuerat Alcitho Xenophantis filio Ægienti & Pasiadæ; altera de antagonistarum agone. Erat & missa ab Athenientibus de donatione quâdam legatio, cujus princeps Demaratus. Item sacræ legationes ab iisdem duæ: una de festo Panathenæorum, cujus caput fuit Callias pancratiasta; altera de mysteriis, quam obibat Cleostratus, qui super eo ad Regem orationem habuit. Mileto aderant Eudemus & Ieesius: Clazomenis Apollonides & Apollonius. (*Ibid.*)

Cum his Ptolemæus rex Tlepolemum & Ptolemæum rhetorem legatos suos misit. Qui adverso flumine navigantes, ad Antiochum venerunt. Eos ille benignè susceptos primo die ad epulas magnificè structas invitavit: postridie verò sui conveniendi potestatem fecit, & mandata jussit expromere. Primi igitur omnium verba apud eum fecerunt legati Achæorum; deinde ab Athenientibus missus Demaratus, & post hunc Eudemus Milesius. Omnes verò Eulaii spadonis culpâ susceptum bellum dicebant: deinde cognationem atque ætatem Ptolemæi allegantes, Regis iram deprecabantur. Antiochus quum orationibus illorum esset assensus, atque ipse etiam plura in eandem sententiam disseruisset, justa sua commemorare cœpit: magno studio probare contendens, pertinere ad Syriæ reges Cœlesyriæ possessionem; & quæ legati Alexandrini de Cœlesyriâ pro dote cum Cleopatrâ Philometoris tunc regnantis matre concessâ dicebant, vera esse negans. In quam sententiam quum multa disseruisset, nec tantùm sibi sed etiam omnibus qui præsentes erant causam suam probavisset; Naucratim tunc quidem navibus petiit: atque eo etiam loco benignè appellatis tractatisque civibus, in Græcos verò qui ibi commorabantur aureis singulis divitis, Alexandriam iter instituit. Legatis responsum se daturum pollicitus est, postquàm Aristides & Theris essent reverti:

velle enim ſe omnium conſiliorum ſuorum conſcios ac teſtes habere Græcos. (*Ibid. & legat.* 82.)

Philometor, in deliciis ac muliebribus inſtitutis ab Eulæo ſpadone educatus, eam contraxit ignaviam; ut ab omni periculo remotus, longiſque ſpatiis ab hoſte diviſus, regno maximo atque opulentiſſimo ſine certamine ceſſerit. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii*, *pag.* 310. 313.)

Quum Philometori, poſtquàm undecim regnaviſſet annis, diadema ab Antiocho fuiſſet ablatum; Alexandrini juniori ipſius fratri *Energeta* ſummam rerum permiſerunt. (*Porphyr. in Grac. Euſebian. Scalig. pag.* 54. & 225.) quem ipſi tamen poſteà propter maleficia *Cacergetem* appellârunt. (*Athenæ. lib.* 4. *cap.* 24. & *lib.* 12. *cap.* 27.) A corporis autem ſaginâ & diſtento aqualiculo *Phyſconis* ſive Ventrioſi cognomentum obtinuit: quod cum altero in nummis ejus ita conjunctum legitur. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΩΝΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.

Ab Epiphanio, in libello de ponderibus & menſuris, ob literarum ſtudium *Ptolemæus Philologus* hic eſt dictus. Nam & Ariſtarchi diſcipulorum unus ille fuit, & hiſtoricos commentarios conſcripſit, ab Athenæo ſubinde laudatos. [*Athenæ. lib.* 2. *cap.* 35.] * Omnium quoque Alexandriam appellentium ad ſe Libros deferri, & in novas Chartas deſcribi curabat: Et novos quidem illos Dominis dabat, à quibus in Portum invectis, ad ſe allati Libri eſſent: allatos verò in Bibliothecâ reponebat, τῶν ἐκ πλοίων Inſcriptione additâ; ut ex Navibus eos acceptos fuiſſe intelligeretur. Cúmque ab Athenienſibus Sophoclis, Euripidis & Æſchyli Libros, ut eos tantùm deſcriberet, & mox ſartos tectos reſtitueret, quindecim oppigneratis Talentis accepiſſet: in pulcherrimis membranis magnificè eos deſcribi mandavit: retentiſque quos ab Athenienſibus acceperat; illis miſit quos ipſe apparaverat; ut quindecim talenta tenerent, orans, acciperéntque novos pro veteribus, quos ipſi dederant Libros. Refert iſta in *Commentario* 2°. *ad Epidemiarum Hippocratis Librum tertium* [*Claudius Galenus Pergamenus.*] *. Unde, cùm in Aſiâ eo tempore Attali filius Eumenes regnaverit, quem bibliothecis Pergamum inſtruxiſſe confirmat Strabo; [*lib.* 13. *pag.* 624.] ad hunc Ptolemæum ea referenda exiſtimaverim, quæ in Præfatione 7^i. libri leguntur apud Vitruvium. *Reges Attalici, magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cùm egregiam Pergami Bibliothecam ad communem delectationem inſtituiſſent: tunc item Ptolemæus, infinito zelo cupiditatiſque ſtudio incitatus, non minoribus induſtriis ad eundem modum contendebat Alexandriæ comparare.* & apud Plinium, lib. 13. cap. 11. *Æmulatione circa Bibliothecas Regum, Ptolemæi & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemæo, Varro membranas Pergami tradidit reperias.*

Pulſus regno Ptolemæus Philometor, ad fratrem minorem Ptolemæum Euergetem Alexandriam confugit. [*Juſtin. lib.* 34. *cap.* 2.] Quem Alexandrini à poteſtate Antiochi liberantes, cum fratre regni participem effecerunt: cum hujus *duodecimo*, illius *primum* annum connumerantes. [*Porphyr. ut ſupr.*] licèt Philometorem paulò pòſt illi exegerint, & in exilium miſerint. [*Polyb. legat.* 84. & 89.]

Eâ occaſione libenter arreptâ, Antiochus exulis tutelam ſuſcepit: ejúſque reducendi ſpecioſo titulo, in Ægyptiaco ſuo bello defendendo, ad omnes Aſiæ & Græciæ civitates legationibus recipiendis literiſque dimittendis eſt uſus. [*Liv. lib.* 44. & 45.]

3836 4. Antiochus per honeſtam ſpeciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre ejus, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, ad Peluſium navali prælio victor fuit: & tumultuario opere ponte per Nilum facto transgreſſus cum exercitu ipſam Alexandriam obſedit. Unde minor ille Ptolemæus & Cleopatra ſoror, Romam miſerunt legatos, qui orarent Senatum, ut opem regno regibúſque amicis imperio ferrent. Ea enim merita Populi Romani in Antiochum, eam apud omnes Reges gentéſque authoritatem eſſe; ut ſi legatos miſiſſent, qui denunciarent non placere Senatui ſocios regibus bellum fieri, extemplò abſceſſurus à mœnibus Alexandriæ, abducturúſque exercitum in Syriam eſſet. [*Id. lib.* 44.]

Fruſtrà tentatis mœnibus Alexandriæ, Antiochus inde abſceſſit. [*Id. lib.* 45.] priùs tamen legatis, Meleagro, Soſiphane & Heraclide Romam miſſis: qui ex 150. talentis concreditis, 50. in coronam Romanis tradendam impenderent, reliquam ſummam Græcis quibuſdam civitatibus dividerent. (*Polyb. legat.* 83.)

Per eoſdem dies Rhodiorum legati, quorum princeps erat Pratio, ad componendam pacem miſſi, Alexandriam appellentes, mox in caſtra ad Regem venerunt. Hi in colloquium Antiochi admiſſi, patriæ conjunctionem cum utroque regno commemorantes, & mutua inter ambos Reges neceſſitudinis jura, quæque ad utrumque ex pace confectâ reditura ſint commoda, longam orationem ſunt exorſi. At Rex dicentem legatum interpellans; longiore oratione nihil opus eſſe ait. Regnum enim ad majorem Ptolemæum pertinere: cum ipſo verò pacem dudum ſe feciſſe, & amicum eſſe; & ſi ab exilio eum Alexandrini revocare voluerint, per ſe licere. (*Id. legat.* 84.)

Antiochus, relicto Memphi majore Ptolemæo, cui regnum quæri ſuis viribus ſimulabat, cæteràque Ægypto illi traditâ, quum Peluſii validum reliquiſſet præſidium, in Syriam exercitum abduxit. Cùm enim bello inteſtino inter fratres cum exitum fore ſibi polliceretur, ut victor ſeſſus certamine par ipſi non eſſet futurus: clauſtra Ægypti tenenda ſibi putavit, ut quum vellet rurſùs exercitum induceret, & fratrem victorem mox aggrederetur. (*Liv. lib.* 45.)

Eumenes rex 20. tectis navibus Elæâ profectus, Marcio Figulo prætori Romanæ claſſis præfecto, & quinque tectis navibus à Pruſiâ rege miſſis, in Caſſandrenſium finibus occurrit. Ibi cum Prætore, ſimul à mari, ſimul à terrâ, Caſſandream urbem fruſtrà eſt aggreſſus: tentatâ etiam non meliore ſucceſſu Torone & Demetriade. Fama fuit per Cydam Cretenſem & Antimachum qui Demetriadi præerat, tractatas inter Eumenem & Perſeum conditiones amicitiæ. Cydas enim iſte, qui ex intimis Eumenis erat, & priùs ad Amphipolim cum Chimaro

3836 quodam populari suo & nunc ad Demetriadem semel cum Menecrate quodam Persei duce atque iterùm cum Antimacho sub ipsis mœnibus urbis colloquus fuisse observabatur. A Demetriade certè abscedens Eumenes, ad Q. Marcium Consulem navigavit: eique gratulatus quòd prosperè Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abiit. Marcius Figulus Prætor, parte classis in hyberna Sciathum missâ, cum reliquis navibus Oreum Bœotiæ petiit. (*Id. lib.* 44.)

De Eumene rege longè diversa tradunt. Valerius Antias, nec classe adjutum ab eo Prætorem esse, cùm sæpe eum litteris accersiisset, refert: nec cum gratiâ ab Consule profectum in Asiam; (indignatum quòd ut iisdem castris tenderet, permissum non fuerit) ne ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse. Attalum fratrem ejus, & remansisse apud Consulem; & sinceram ejus fidem æquali tenore, egregiámque operam in toto hoc bello fuisse. (*Ibid.*) Regem verò Eumenem in eo bello medium fuisse animo, neque fratris initiis, neque suæ respondisse consuetudini, scribit Velleius Paterculus. (*Histor. lib.* 1. *cap.* 9.)

Romæ, Pamphylii legati coronam auream, ex 20. millibus Philippeorum factam, in Curiam attulerunt: petentibúsque iis, ut id donum in cellâ Jovis ponere & sacrificare in Capitolio liceret, permissum; benignéque amicitiam renovare volentibus legatis responsum, & binûm millium æris singulis missum munus. (*Liv. lib.* 44.)

Tum ab rege Prusiâ legati, de pace reconciliandâ cum rege Perseo, auditi sunt: profitente Prusiâ, & ad id tempus se cum Romanis stetisse, & quoad bellum foret futurum, Cæterùm quum ad se à Perseo legati venissent de finiendo cum Romanis bello, & iis pollicitum deprecatorem apud Senatum futurum; petere, si possent inducere in animum ut finiant iram, se quoque in gratiâ reconciliatæ pacis posse uti. (*Id. ibid.*)

Rhodiorum arrogantior de eâdem re legatio fuit. Superbè enim commemoratis erga populum Romanum beneficiis, & penè victoriæ de Antiocho rege majore parte à se vindicatâ, adjecerunt; cùm pax inter Macedonas Romanósque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo cœptam. Eam se invitos, nullo ejus in se merito, quoniam ita Romanis visum sit in societatem belli trahere, interrupisse. Tertium se annum multa ejus incommoda belli sentire; mari intercluso inopiâ insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus. Cùm id ultra pati non possent, legatos alios ad Persèum in Macedoniam misisse, qui ei denunciarent, Rhodiis placere pacem eum componere cum Romanis: se Romam eadem nunciatum missos. Per quos stetisset quo minùs belli finis fieret, adversùs eos quid sibi faciundum esset, Rhodios consideraturos esse. Quibus nihil responsum, Claudius Quadrigarius auctor est: tantùm Senatusconsultum recitatum, quo Caras & Lycios liberos esse juberet populus Romanus; litterásque extemplò ad utramque gentem ut scirent indicatum mitti. Quâ auditâ re principem legationis, cujus magniloquentiam vix Curia paulò antè ceperat, corruisse. Alii responsum esse tradunt: Populum Romanum & principio hujus belli, haud vanis authoribus compertum habuisse, Rhodios cum Perseo rege adversùs Rempublicam suam occulta consilia iniisse, & si id antè dubium fuisset, legatorum paulò antè verba ad certum redegisse; & plerumque ipsam se fraudem, etiamsi initio cautior fuerit, detegere. Visuros se esse, quid sibi faciendum sit: quid Rhodii visuri sint, ipsos scire. Populum certè Romanum devicto Perseo (quod propediem sperent fore) visurum, ut pro meritis cujusque in eo bello civitatis gratiam dignam referat. Munus tamen legatis in singulos binûm millium æris missum est: quod ii non acceperunt. [*Id. ibid.*]

Ita verò rem narrat *Dio*. Pacem à Romanis petebat rex Perseus: eámque obtinuisset, ni Rhodii, metuentes ne Romani adversarium amitterent, cum Persei legatis suos quoque legatos conjunxissent. Nam nihil ab his moderati, qualia par erat eos dicere qui pacem rogarent, prolatum fuit, adeóque veluti si non tam Perseo pacem peterent quàm darent, cùm alia superbè dixere, tum ad extremum minati sunt: eos se, quorum culpâ pax non coisset, bello cum cæteris adgressuros. Unde factum, ut quum ne priùs quidem extra suspicionem Romanis essent, magis invisos se reddiderint; & quo minùs pacem Perseus impetraret, præpedierint. [*Dio, legat.* 19. *al.* 20.] * (Vide *A. Gellium lib. VII. c.* 3. *initio.*) *

b. Sub initium Consulatûs L. Æmilii Pauli & C. Licinii, Alexandrini legati ab Ptolemæo & Cleopatrâ regibus in Senatum vocati sunt. Sordidati, barbâ & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi Curiam, procubuerunt: & querentes orabant Senatum, ut opem regno regibúsque amicis ferrent. [*Liv. lib.* 44.] 4543 168

Quum ex iis Senatus intelligeret, Antiochum cæterâ Ægypto occupatâ inibi esse ut Alexandriæ etiam fieret dominus: ratus nonnihil ad se pertinere incrementum hujus Regis, legationem decrevit; tum ad pacem faciendam, tum ad visendum quæ in universum rerum isthic facies esset. [*Polyb. legat.* 90.]

Extemplò igitur patres C. Popillium Lænatem, C. Decimium & C. Hostilium, legatos ad finiendum bellum inter reges miserunt. Priùs Antiochum, dein Ptolemæum adire jussi, & nunciare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico nec pro socio habituros esse. [*Liv. lib.* 44.]

His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedoniâ Quinquatribus ultimis venerunt: qui, inter alia, Eumenem classemque ejus, tanquàm vento allatas naves, sine causâ & venisse & abisse referebant, nec animum ejus regis constare satis visum; & sicut omnia de Eumene dubia, ita Attali egregiè constantem fidem nunciabant. [*Id. ibid.*]

Tempus, quo legati in Ægyptum missi Româ discesserunt, in antiquo anni hujus Diario (quod 2°. Annalium suorum tomo, ad annum Urbis 585. inseruit Pighius) ita habetur expressum. III. *Non. April. C. Popillius Lænas, C. Decimius, C. Hostilius, legati mittuntur ad Reges Syriæ & Ægypti, ad bellum inter ipsos componendum. Legati bene mane, cum turbâ clientium & propinquorum, sacrificarunt ad Cæloris Dis Penatibus P. R. Tauro fecer. & perlitârunt.* Dies

autem

autem III. Non. April. ſicut annus Romæ tunc agebatur, diei 23°. Januarii noſtri Juliani reſpondebat: ut ex calculo Lunaris eclipſeos, quæ poſt 5 menſes contigit, colligimus.

Poſtquàm Antiochus cum exercitu in Syriam receſſit, Ptolemæus Philometor periculum quod ab illo impendebat prudenter animadvertens, Alexandriam ad Cleopatram ſororem primùm, deinde ad Euergetem fratrem amicóſque ejus non priùs deſtitit mittere, quàm pacem cum iis confirmaret: ſorore plurimùm adjuvante, non conſilio modò, ſed etiam precibus. Itaque conſentientibus cunctis pace factâ, Memphi reverſus & Alexandriam receptus, unà cum fratre regnavit, ne multitudine quidem adverſante: quæ in bello non per obſidionem modò, ſed etiam poſtquàm à mœnibus abſceſſum eſt, quia nihil ex Ægypto ſubvehebatur, omnium rerum attenuata inopiâ erat. (*Liv. lib. 45. cum Polyb. legat. 89.*)

His cùm lætari Antiochum conveniens eſſet, ſi reducendi ejus causâ exercitum in Ægyptum induxiſſet, adeò eſt offenſus; ut multò acriùs infeſtiúſque adversùs duos, quàm antè adversùs unum, pararet bellum. Indéque Cyprum extemplò claſſem miſit: quæ Ægyptias ibi naves & Ptolemæi duces prælio devicit. (*Liv. lib. 45. Polyb. legat. 92.*)

Ambo Ptolemæi fratres, diadema & regiam poteſtatem tum habentes, quum omnis generis auxiliis indigerent, Eumenem & Dionyſiodorum legatos ad gentem Achæorum miſerunt: qui pedites mille, equites 200. peterent; ducem autem auxiliarium omnium copiarum Lycortam, equitum verò filium ejus Polybium. Ad Theodoridam quoque Sicyonium ſcripſerunt, ut mercenarios conduceret milites ad mille. (*Polyb. legat. 89. & 91.*)

Perſeus Macedonum & Genſius Illyriorum rex, datis utrinque obſidibus, fœdere contra Romanos conjuncti, legatos Rhodum mittendos decreverunt: civitatem, penès quam ultima rei navalis gloria eſſet, duorum ſimul regum nomine ad bellum contra Romanos incitari poſſe ſperantes. Legati Theſſalonicam miſſi ſunt, & ut parati eſſent ad navem conſcendendam juſſi. Ibi Metrodorus erat: qui nuper ab Rhodo venerat, authoribúſque Dinone & Polyarato principibus civitatis ejus affirmabat Rhodios paratos ab bellum eſſe. Ut enim apud Coos Hippocritus & Diomedon fratres, ita apud Rhodios Dino & Polyaratus, pro Macedonibus verba facere, & Romanos accuſare, ac ſocietatem cum Perſeo publicè ſuadere auſi ſunt. Metrodorus verò princeps junctæ hujus cum Illyriis ad Rhodios legationis datus eſt. (*Polyb. legat. 85. & in Excerptis Valeſii, pag. 137. Liv. lib. 44.*)

Perſeus, Telemnaſto Cretenſi legato ad Antiochum miſſo, eum monuit, ne præſentem occaſionem miſſam faceret; neve arbitraretur, ad unum ſe Romanorum ſuperbiam & dura imperia ſpectare: quin potiùs pro certo haberet, ejuſdem ſe quoque fortunæ periculum brevi facturum, niſi nunc ipſum adjuvaret; maximè quidem conciliandâ pace, ſin minùs, opem ferendo. (*Polyb. legat. 85. Liv. lib. 44.*)

Eodem quoque tempore Perſeus *Cryphontem* (ſic enim *Polybii* Excerpta eum nominant, quem edita *Livii* exemplaria *Eropontem* vocant) legatum ad Eumenem miſit; qui & duabus jam antè ad eundem legationibus functus fuerat. [*Iid. ibid.*] Eumenem verò oblatâ pecuniâ ſollicitavit, ut aut ſuas foveret partes, aut pacem ſibi conciliaret cum populo Romano, aut certè neutri faveret parti: ſperans vel ſe horum quidpiam impetraturum, vel ſanè effecturum eâ ſollicitatione (quod & conſecutus eſt) ut Eumenes ſuſpectus Romanis eſſet. Sed Eumenes ſocietatem quidem Perſei aſpernabatur, pacis verò conciliandæ causâ 1500 talenta, ut neutri adeſſet 1000 poſcebat. Perſeus procurandæ pacis causâ daturum ſe eam pecuniam dixit, ſed non in antecellum, verùm Samothraciæ in templo depoſiturum quoad parata pax eſſet. [*Appian. Macedonic. in Excerpt. Valeſii, pag. 562.*] Ea inſula cùm ipſius ditionis eſſet, vidit Eumenes nihil intereſſe an Pellæ pecunia eſſet: idque egit, ut partem aliquam præſentem ferret. Quam cùm obtinere non poſſet, Cryphon ab eo, ignotis quæ occultè acta erant, rediit. De captivis redimendis actum eſſe, & ipſi evulgaverant; & Eumenes Conſulem, vitandæ ſuſpicionis causâ, certiorem fecit. (*Liv. lib. 44.*)

Rhodiis inter ſe diſſidentibus, & prævalente in comitiis eâ parte quæ Perſeo favebat, placuit legatos ad dirimendum bellum inter Perſeum & Romanos mitti. Prytanes igitur legatos extemplò miſerunt: Romam quidem Ageſipolim & Cleombrotum, ad Conſulem verò & Perſeum, Damonem, Nicoſtratum, Agetilochum & Telephum. In Cretam etiam legatos miſerunt, ad renovandam cum univerſis Cretenſibus amicitiam: monendúmque ut temporum conditionem ac periculum imminens attenderent; & cum Rhodiorum populo conſentientes, eundem inimicum atque amicum ducerent. Miſſi item ſunt ad ſingulas civitates, qui de iiſdem rebus cum illis agerent. (*Polyb. legat. 86.*)

Ptolemæorum regum legati, dum adhuc hyems eſſet, in Peloponneſum venientes, quum in Achæorum conventu Corinthi habito veterem amicitiam, quam multis argumentis invicem fuerant teſtati, renovaſſent, & afflictum Regum ſtatum ob oculos poſuiſſent, opem poſcentes: parata erat multitudo non parte aliquâ copiarum, ſed omnibus viribus, ſi opus eſſet, ire ſuppetias. Verùm huic ſententiæ Callicrates & Diophanes & Hyperbatonus adverſabantur. Contra quos Lycortas & Polybius differentes, Achæos hortabantur, ut pactorum & acceptorum beneficiorum, imprimis verò jurisjurandi memores, ſocietatis leges ſervarent. Cúmque iterùm multitudo acclamaſſet, opem ferendam: Callicrates deliberationem illam fregit, metu magiſtratibus injecto, quaſi leges poteſtatem ipſis non concederent in ejuſmodi conventu de auxiliis deliberandi. (*Polyb. legat. 89.*)

Paulò pòſt concilio in urbem Sicyoniorum convocato, cui non magiſtratus ſolummodò intererant, verùm omnes annis triginta majores, poſtquàm multi ſermones habiti eſſent: à Callicrate inductus eſt in theatrum rectà ab itinere tabellarius, ſubditicias literas Q. Marcii (Proconſulis) afferens; quibus Achæos hortari fingebatur ut, Romanorum voluntatem ſecuti, conciliare invicem Reges conarentur. Indéque legati ab Achæis miſſi ſunt Archon Ægirates, Ar-

ceſſiam & Ariſto Megapolitani, ad pacem inter Ptolemæos reges & Antiochum faciendam. Quâ ex re indignatus Polybius, rerum curâ & adminiſtratione ſe abdicavit: & legati Alexandrini, ſpe auxiliorum amiſsâ, domum reverſi ſunt. (*Id. ibid. & legat.* 91.)

Piniæ hyberna agitans Perſeus, in Ioniam copias direxit, quibus annonam quæ inde ſubvehebatur Romanis intercluderet. (*Appian. ut ſupr. pag.* 565.) Antenorem & Callippum præfectos claſſis cum 40 lembis, quibus & quinque priſſes (majores naves) ſunt adjunctæ, Tenedum miſit; ut inde ſparſæ per Cycladas inſulas naves Macedoniam cum frumento petentes tutarentur. Caſſandreæ deductæ naves, in portus primùm qui ſub Atho monte ſunt, inde Tenedum placido mari cùm trajeciſſent; ſtantes in portu Rhodias apertas naves, Eudemúmque præfectum earum, inviolatas, atque etiam benignè appellatos dimiſerunt. Cognito deinde in latere altero naves ſuorum 50 onerarias, à roſtratis Eumenis (quibus Damius præerat) ad montem Athon in oſtio portûs incluſas, diſſipatis hoſtibus eas eduxerunt, & in Macedoniam, 10 lembis eas tutantibus miſerunt. (*Liv. lib.* 44.)

Lembi illi nono pòſt die ad claſſem ad Sigæum ſtantem redierunt: quæ Subota (inſula ea eſt interjecta Elææ & Atho) inde trajecit Pollero verò die quàm eò ventum eſt, naves 35 quas Hippagogos vocant, ab Elæâ profectæ cum equitibus Gallis equiſque (Attalo ab Eumene miſſis) Phanas promontorium Chiorum petebant, unde tranſmittere in Macedoniam poſſent. His Antenor, profectus à Suboris, inter Erythearum promontorium Chiúmque, quâ arctiſſimum fretum eſt, inopinatò occurrit. Cúmque reſiſtendi ſpes nulla eſſet, pars eorum qui propiores continenti littori erant, in Erythræam enatárunt: pars velis datis ad Chium naves ejecere, relictiſque equis effuſâ fugâ urbem petebant. Sed propiùs urbem lembi acceſſúque commodiore cùm expoſuiſſent armatos; partim in viâ fugientes Gallos adepti Macedones cæciderunt, partim ante portam excluſos. Gallorum 800. fermè (aut 700, ut habet *Gruteriana* editio) occiſi, 200 vivi capti: equi, pars in mari fractis navibus, abſumpti; partim nervos ſuccidérunt in littore Macedones. Viginti eximiæ equos formæ cum captivis, eoſdem 10 lembos, quos antè miſerat, Antenor devehere Theſſalonicam juſſit, & primo quoque tempore ad claſſem reverti, Phanis ſe eos expectaturum. Triduum fermè claſſis ad urbem ſtetit. Phanas inde progreſſi ſunt: & ſpe celeriùs reverſis 10. lembis evecti, Ægeo mari Delum trajecerunt. (*Id. ibid.*)

Dum hæc geruntur, legati Romani C. Popillius, C. Decimius & C. Hoſtilius, à Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum quum veniſſent; lembos ibi Macedonum 40, & 5 regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi inſulæque inviolatos præſtabat omnes. Itaque permixti Romanique & Macedones, & Eumenis navales ſocii, in templo, inducias religione loci præbente, verſabantur. (*Id. ibid.*)

Antenor Perſei præfectus, quum aliquas alto præferri onerarias naves ex ſpeculis ſignificarum foret; parte lemborum ipſe inſequens, parte per Cyclades diſpoſitâ, præterquam ſi quæ Macedoniam peterent, omnes aut ſuppremebat aut ſpoliabat naves. Quibus poterant Popillius aut Eumenis naves, ſuccurrebant: & vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant. (*Id. ibid.*)

Per id ferè tempus Gentii regis Illyriorum legati Parmenio & Morcus, & unà cum his Metrodorus Perſei, Rhodum venerunt: quibus auctoritatem addidit, non lemborum modò adventus paſſim per Cycladas atque Ægeum vagantium mare, & occiſorum equitum multitudo; ſed etiam conjunctio ipſa regum Perſei Gentiique, & fama cum magno numero peditum equitúmque venientium Galatarum. Hæc enim animos, Dinoni quidem & Polyarato, qui Perſei partium erant, addiderunt, Theæteto verò contrà dejecerunt. Decretum igitur eſt à Rhodiis, benignum ambobus Regibus reſponſum dare: iiſque ſignificare, ſtatuiſſe bello finem ſe authoritate ſuâ imponere; ipſóſque adeò monere, faciles ſe ad pacem ut præberent. Súntque etiam Gentii legati in Prytaneo magnâ comitate ab iis excepti. (*Id. ibid. Polyb. legat.* 87.)

6. Primo vere Antiochus cum exercitu Ægyptum petens, in Cœleſyriam proceſſit. Circa Rhinocolura Ptolemæi [Philometoris] legatis agentibus gratias quòd per eum regnum patrium recepiſſet, petentibúſque ut ſuum munus tueretur & diceret potiùs quid fieri vellet quàm hoſtis ex ſocio factus vi atque armis ageret, reſpondit; non aliter neque claſſem revocaturum, neque exercitum reducturum, niſi ſibi & totâ Cypro & Peluſio, agróque qui circa Peluſiacum Nili oſtium eſſet, cederet: diémque præſtituit, intra quam de conditionibus peractis reſponſum acciperet. [*Liv. lib.* 45.]

Antiochus Apollonium, tributorum ſuorum collectioni præfectum, [μισθάρχην apud *Joſephum*, lib. 12. Antiquit. cap. 7. μισάρχην in II. *Maccab.* V. 24. dictum] cum viginti duorum millium exercitu, in civitates Judææ miſit; duobus annis integris poſtquàm ipſe Templum Hieroſolymitanum ſpoliaverat: mandans ut puberes omnes jugularet, mulieres verò & juniores venderet. [I. *Maccab.* I. 30. II. *Maccab.* V. 24.]

Quum Hieroſolyma veniſſet Apollonius, nihil hoſtile præ ſe ferens, cohibuit ſe uſque ad diem Sabbathi: quo omnes qui ad ſacra proceſſerant confodit, & per civitatem cum armis diſcurrens magnam peremit multitudinem. Et accipiens ſpolia civitatis, eam incendit; diruítque domos ejus & muros in circuitu. Abduxerúntque captivas mulieres liberóſque & jumenta poſſederunt. [I. *Maccab.* I. 31, — 34. II. *Maccab.* V. 25, 26.] Joſephus, *lib.* 12. Antiquit. *cap.* 7. ipſi Antiocho tribuens quæ à miniſtris ejus ſunt peracta, *direptâ totâ urbe, habitatores partim necaviſſe* cum ſcribit, *partim captivos unà cum liberis & uxoribus abduxiſſe uſque ad decem millium numerum.*

Judas quoque Maccabæus cum novem aliis ſecedens, in montibus ferarum more tranſigebat vitam cum ſuis comitibus; qui gramineo alimento veſci perſeverabant, ne participes eſſent

con-

3836 contaminationis, (II. *Maccab.* V. 27.) ſive ciborum vetitorum; ſive idololatriæ, ſive etiam contaminationis & eam ſecutæ deſolationis ipſius Sanctuarii: (I. *Maccab.* I. 39. 41.) quæ reſtitutionem & purificationem ejuſdem ab eodem Judâ Maccabæo poſteà factam (I. *Maccab.* IV. 43. 54.) trium annorum & ſex menſium ſpatio anteceſſit. quanto tempore civitatem Hieroſolymitanam ab Antiocho fuiſſe oppreſſam, *Joſephus* in librorum de bello Judaico procœmio, & quotidiani ſacrificii religionem ceſſaviſſe, in *lib.* 1. *cap.* 1. & Sanctuarium deſolatum fuiſſe, in *libro* 6. ejuſdem operis (*pag.* 929.) idem *author* ſignificat. poſtremum quoque illud, de Sanctuarii deſolati tempore, aſſerente Hippolyto. (*Caten. Græc. in Daniel. cap.* 8.)

Poſteà ædificaverunt in civitate Davidis ſive Sione murum magnum, & turribus firmis munitum, qui fuit ipſis pro arce: & nefariorum hominum præſidio ei impoſito, Hieroſolymorum ſpolia ibi depoſuerunt. Cúmque inde inſidiæ Templum frequentantibus ſubinde fierent, ſanguiſque innocens effunderetur, & contaminaretur Sanctuarium: fugerunt habitatores Hieroſolymorum: & fuit urbs habitatio exterorum, fuítque extera ſatis ſuis, liberis ſuis derelinquentibus ipſam. [I. *Maccab.* I. 35, -- 40.]

Rhodiorum legati in Romanorum caſtra venerunt, cum iiſdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram Patrum excitavere. Multò iniquioribus animis à caſtrenſi concilio auditi ſunt. Itaque cùm alii præcipites ſine reſponſo agendos caſtris, pronunciavit poſt diem quintumdecimum ſe reſponſum daturum. Interim, ut appareret quantum pacificantium Rhodiorum authoritas valuiſſet, conſultare de ratione belli gerendi cœpit. [*Liv. lib.* 44.]

Pridie quàm Perſeus ſuperatus eſt, C. Sulpicius Gallus tribunus militum ſecundæ legionis, L. Æmilii Pauli Conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis pronunciavit, nocte proximâ, ne quis id pro portento acciperet, ab horâ ſecundâ uſque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe. Id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſciri antè & prædici poſſe; neque in prodigium trahi debere. [*Id ibid.*] Quod mox & compoſito volumine eum docuiſſe narrat *Plinius*, *lib.* 2. *cap.* 12. ubi hunc primum Romani generis rationem defectûs utriuſque ſideris in vulgus extuliſſe refert. De quo apud *Ciceronem* (in libello de Senectute) Cato. *Mori videbamus in ſtudio dimetiendi penè cœli atque terræ Gallum, familiarem patris tui* (Æmili Pauli,) *Scipio. Quoties illum hùc noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit cùm cœpiſſet manè? Quàm delectabatur, cùm defectiones Solis & Lunæ multò nobis antè prædiceret!*

Nocte, quam pridie Nonas Septembris inſecutâ eſt dies, editâ horâ Luna cùm defeciſſet, Romanis militibus Galli ſapientia propè divina videbatur: Macedonas ut triſte prodigium occaſum regni perniciémque gentis portendens movit. [*Liv. lib.* 44. *cum Juſtin. lib.* 33. *cap.* 1. *Valer. Maxim. lib.* 8. *cap.* 11. *Jul. Frontin. Stratagem. lib.* 1. *cap.* 12.] Totalem verò Lunæ obſcurationem Junii Juliani die 21. horâ 8. poſt meridiem, hoc anno in Macedoniâ contigiſſe calculus Aſtronomicus demonſtrat: quum jam nocte corpora ſomno & quieti milites dare vellent; ut in *Paulo Æmilio* habet Plutarchus. Unde colligitur, Idus Martias hujus anni, quibus ſecundum ſuum Conſulatum Paulus iniit, in 4um. Januarii Juliani diem incidiſſe.

Sequente die, victo Perſeo, (I. *Maccab.* VIII. 5.) regnum Macedonicum cecidit: cùm jam indè à Carano per annos 626 ſtetiſſet. Imperii verò Macedonici reliquiæ, Romano jam ſurgente imperio, in Seleucidis Syriæ & Ptolemæis Ægypti adhuc ſuperfuerunt.

Tertio die Perſeus quàm pugnatum erat, Amphipolim in Thraciâ, cum 500 ferè Cretenſibus, fugâ pervenit. Ab Amphipolitanis verò non receptus, pecuniâ & auro argentóque in lembos qui in Strymone ſtabant delatis, & ipſe ad flumen deſcendit. Cretenſibus, ipſem pecuniæ ſecutis, ex theſauro ſuo ſcyphos & crateras aliáque aurea & argentea vaſa, ad 50 talentorum pretium, deprompſit; poſtráque in ripâ, diripienda illis reliquit. Ab hac direptione cùm per tumultum naves conſcenderent, lembum unum in oſtio amnis multitudine gravatum merſerunt. Gelipſum vel Alepſum eo die, poſtero in Samothraciam inſulam cum duobus talentûm millibus pervenit: atque ad templum Caſtoris & Pollucis ſuppiex confugit. (*Liv. lib.* 44. *cum Plutarcho in Paulo Æmilio.*)

Victoriæ Romanæ fama cùm pervaſiſſet in Aſiam, Antenor qui cum claſſe lemborum ad Phanas ſtabat, Caſſandriam inde trajecit. (*Liv. lib.* 45.)

d. C. Popillius qui ad Delum præſidio navibus Macedoniam petentibus erat, poſtquàm debellatum in Macedoniâ & ſtatione ſummotos hoſtium lembos audivit, dimiſſis & ipſe Atticis navibus, ad ſuſceptam legationem peragendam navigare Ægyptum perrexit: ut priùs occurrere Antiocho poſſet, quàm ad Alexandriæ mœnia accederet. Cùm præterveherentur Aſiam legati, & Loryma veniſſent, qui portus 20 ampliùs millia ab Rhodo abeſt, ex adverſo ipſi urbi poſitus: principes Rhodiorum occurrerunt (jam enim eò quoque victoriæ fama perlata erat) orantes ut Rhodum deveherentur. Nam & id ad ſumam ſalutémque civitatis pertinere dicebant, noſcere ipſos omnia quæ acta eſſent agerentúrque Rhodi, & comperta per ſe non vulgata famâ Romam referre. Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro ſalute ſociæ urbis paterentur. Et poſtquàm Rhodum ventum eſt, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. [*Id. ibid.*]

Adventus legatorum auxit potiùs timorem civium quàm minuit. Omnia enim Popillius, quæ ſinguli univerſíque eo bello hoſtiliter dixerant fecerántque, retulit; & vir aſper ingenio augebat atrocitatem eorum quæ dicerentur vultu truci & accuſatoriâ voce: ut quum propriæ ſimultatis nulla cauſa cum civitate eſſet, ex unius ſenatoris Romani acerbitate, qualis in ſe univerſi Senatûs animus eſſet, conjectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit: qui in pleriſque eorum quæ commemorata à Popillio eſſent, culpàm non penès populum, ſed penès paucos concitatores vulgi eſſe dixit. eos vænalem linguam habentes, decreta plena regiæ aſſentationis

tionis fecisse, & eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minùs puderet quàm pœniteret: quæ omnia, si potestas populo foret, in capita noxiorum versura. Cum magno assensu auditus est, non magis eo quòd multitudinis noxam elevabat, quàm quòd culpam in authores verterat. Itaque cùm principes eorum Romanis respondérent, nequaquam tamen tam grata oratio eorum fuit, qui quæ Popillius objecerat diluere utcunque conati sunt, quàm eorum qui Decimio in authoribus ad piaculum noxæ objiciendis assensi sunt. Indéque Rhodii illi, qui priùs tantos gerebant spiritus, quasi tam Philippum quàm Antiochum vicissent ac viribus potiores ipsis Romanis essent, in tantam adacti fuere trepidationem; ut præsentibus legatis decretum extemplò fecerint, ut qui pro Perseo adversùs Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur, capitis condemnarentur. Excesserunt urbe sub adventum Romanorum quidam, alii mortem sibi consciverunt. Legati non ultra quàm quinque dies Rhodi morati, Alexandriam profecti sunt. Nec eo segniùs judicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur: quam perseverantiam in exequendâ re Decimii lenitas afferebat. (*Idem ibid. cum Dione, legat.* 20. *al.* 21.)

Quum de Persei fugâ nuncius Romam perlatus fuisset, placuit Senatui legatos Rhodiorum, qui ad pacem cum Perseo faciendam venerant, in Curiam vocare. Legati, quorum princeps Agesipolis, Senatum ingressi missos se dixerunt ad dirimendum bellum: quod grave atque incommodum Græciæ omni, sumptuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. nunc quando finitum illud esset, ita ut semper optaverant Rhodii; gratulari se illis. Hæc ubi breviter dixisset Agesipolis, Curiâ excessit. Senatus eâ occasione usus, quum Rhodios vellet παραδείγματος & exemplum aliis constituere, responsum dedit. Rhodios neque utilitatum Græciæ neque curâ impensarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam misisse. Nam si ea fuisset cura quæ simularetur; tum mittendos legatos fuisse, cùm Perseus in Thessaliam exercitu inducto per biennium Græcas urbes alias obsideret, alias denunciatione armorum terreret. Tum nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam: postquàm verò superatos saltus transgressósque in Macedoniam Romanos audirent, & inclusum teneri Perseum, tunc Rhodios legationem misisse; non ad ullam aliam rem, quàm ad Perseum ex imminenti periculo eripiendum. Propterea censere Patres, neque lautia aut aliud beneficium, neque ullum benignum responsum legatis dare se debere. (*Polyb. legat.* 88. *Liv. lib.* 45.)

Thoas, qui Rhodo à Dinone ad Perseum internuncius missus sæpè in Macedoniam navigaverat, rebus jam inclinatis, sibi metuens Cnidum confugit. Cúmque eum Cnidii in custodiam compegissent, vindicatus à Rhodiis Rhodum remissus est: ubi habitâ de ipso quæstione cuncta confessus, prorsus cum omnibus interceptarum literarum notis, cúmque epistolis tum à Dinone tum à Perseo ultrò citróque missis consentiebat. Unde convictus Dino ad aliorum exemplum supplicio est affectus. (*Polyb. in Excerpt. Valesii, pag.* 137, 138.)

Cn. Octavius, qui unà cum Paulo Æmilio bellum Macedonicum administrabat, classe Samothraciam appulsâ Perseum Dioscurorum quidem religione motus reliquit inviolatum; mari tamen & effugio præclusit. (*Plutarch. in P. Æmilio.*) Cúmque eum modò minis, modò spe ad deditionem pellicere conaretur; adjuvit in hoc illum res seu casu contracta, seu consilio. L. Attilius illustris adolescens, cùm in concione esse populum Samothrachum animadvertisset; concessu magistratus, questus est, creditam Insulæ sanctitatem violari Euandri Cretensis præsentiâ; qui cùm Eumenis regis cædem Delphis penè perpetrasset, jam se unà cum Perseo Templi asylo tutaretur. Hinc Theondas, qui summus magistratus apud eos erat, (Regem ipsi appellant) se totámque insulam in potestate Romanorum esse videns, ut Euander judicio permitteretur à Perseo postulavit. Id cùm Perseus improbaret, quòd videret patefactum crimen in se devolutum iri, Euandrum interfici curavit: corrupítque pecuniâ Theondam, ut renunciaret populo, sibi ipsum mortem consciviisse. Cæterùm tanto facinore in unum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, omnium qui secum erant alienavit animos: & cùm pro se quisque transiret ad Romanos, solus propè relictus, fugæ consilium capere coactus est. (*Liv. lib.* 45.)

Cum Oroande igitur Cretensi cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in eâ regione fecerat, clàm Perseus egit, ut se sublatum in lembum (qui ad Demetrium promontorium stabat) ad Thracum regem Cotyn deveheret. Sub occasum Solis delata ad lembum pecunia est, quanta clàm deferri poterat: quâ receptâ Oroandes arte Creticâ usus, primis tenebris solutâ nave, per altum Cretam petiit. Mediâ deinde nocte, miserabilis Perseus ex angustâ fenestrâ per murum se puerósque & conjugem demisit, laborum & erroris rudes. Postquam in portu navis non inventa est, vagatus aliquandiu in littore, postremò timens lucem jam appropinquantem, ad obscurum angulum in templi latere se recepit. (*Liv. & Plutarch. ut suprà.*)

Ubi jussu Prætoris Octavii pronunciatum est per præconem, regios pueros (principum liberos ad Regis ministerium electos) Macedonásque alios qui Samothraciæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem libertatémque & sua omnia servaturos, quæ aut secum habebant aut in Macedoniâ reliquissent: transitio omnium facta est, nominâque dabant ad C. Posthumium Tribunum militum. Ion quoque Thessalonicensis liberos parvos regios, fidei suæ à patre commissos, Octavio tradidit: nec quisquam præter Philippum maximum natu è filiis cum rege est relictus. Tum sese filiúmque Octavio tradidit: fortunam, deósque quorum in templo erat, nullâ ope supplicem juvantes, stultè accusans. In prætoriam navem imponi jussus, eódem & pecunia quæ superfuit delata est: extemplóque classis Amphipolim repetiit. (*Ibid.*)

Antiochus ad occupandum Pelusium veniens, ubi Leusinem flumen esset transgressus, (qui locus quatuor millia ab Alexandriâ abest) legatis Romanis occurrit. Quos quum advenientes salutasset, dextrámque Popillio porrigeret; tabellas quas manibus tenebat, Senatusconsultum continentes quo bellum adversùs Ptolemæum extemplò finire ille jubebatur, tradidit, atque

omnium

omnium primùm id legere juſſit. Perlectis tabellis, quum ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, dixiſſet : Popillius virgâ quam in manu gerebat vitigineâ circumſcripſit Regem ; ac priuſquàm circulo deſcripto excederet, tabellis eum reſpondere juſſit. Obſtupefactus Rex iſto adeò inſolito atque imperioſo facto, ubi parumper hæſitaſſet ; *Faciam*, inquit, *quod Romani jubent*. Tum demum Popillius dextram Regi tanquam ſocio & amico porrexit. Paucorum deinde dierum ac numero certo definitorum ſpatio concello, Antiochus copias ſuas in Syriam (pro ἀγρίαν enim in Polybio ευρίαν ex Livio referibendam cenſemus) gravatè ille quidem ac gemens, ſed tamen abduxit, in præſentia tempori cedendum ratus. [*Polyb. legat.* 92. *& Liv. lib.* 45. *cum Ciceronis in Philippicâ octavâ, Velleio Paterculo lib.* 1. *cap.* 10. *Valerio Maximo lib.* 6. *cap.* 4. *Juſtino lib.* 34. *cap.* 3. *Appiano in Syriac. pag.* 131. *Plutarcho in Apophthegmat. cap.* 32, *&c.*]

Samaritani videntes Judæos ab Antiocho miſerrimè oppreſſos, origine Sidonios ſe fuiſſe profitebantur ; indéque literas ab Antiocho ad Apollonium præſidem ſuum & Nicanorem procuratorem regium obtinuerunt, ut in communem cum Judæis cauſam ipſos non involverent ; útque templum Gariziticum, hactenus nullius Dei titulo inſignitum, Διὸς Ἑλληνίου ſive *Jovis Græcanici* nomine deinceps appellaretur. Extat hâc de re apud *Joſephum*, *lib.* 12. *Antiquit. cap.* 7. Epiſtola ſupplex Samaritanorum ; cum Antiochi Reſcripto, *anno* XLVI (ſed neſcio à quâ epochâ deducto) *menſis Hecatombæonis die* XVIII. dato.

Cùm exceſſiſſet Ægypto Antiochus, Romani legati concordiam inter fratres, inter quos vix-dum convenerat, authoritate ſuâ firmárunt. [*Liv. lib.* 45.] C. Popillius liberationem Menalcidæ Lacedæmonii, qui neceſſariis regum temporibus ad rem familiarem augendam ſedulò fuerat abuſus, à Regibus beneficii loco petiit : Polyaratum verò, qui apud Rhodios Perſei partibus maximè faverat, ut Romam mitterent juſſit. Et Menalcidas quidem dimiſſus eſt : de Polyarato verò res dilata. Ptolemæus enim & Polyaratum & patriam reverſus, Romam illum mittere haudquaquàm decrevit, Sed Rhodum potiùs : quod & ipſe Polyaratus poſtulabat. Navigio igitur impoſitum & Demetrii cujuſdam ex amicis cuſtodiæ traditum Rhodum deſtinavit ; literis etiam ad Rhodios de illius tranſvectione datis. At Polyaratus Phaſelidem appulſus, neſcio quid animo cogitans, ſumptis verbenis atque infulis ad communem urbis larem confugit. [*Polyb. legat.* 92. *&* 95. *& in Excerptis Valeſii, pag.* 138.]

Popillius, rebus Alexandriæ compoſitis, Cyprum navigavit : & inde quæ jam Ægyptios ibi vicerat claſſem atque exercitum Antiochi in Syriam dimiſit. [*Polyb. legat.* 92. *Liv. lib.* 45.]

Ægypti Reges liberati bello contra Antiochum, ante omnia legatum Romam miſerunt Numenium ex numero amicorum, gratias pro acceptis beneficiis acturum. [*Polyb. Legat.* 95.]

Cùm Phaſelitæ Rhodum miſiſſent, poſtulantes ut Polyaratum ipſi accipere aſportaréque vellent : Rhodii navem quidem miſerunt, verùm præfecto navis Epichari accipere illum in navem interdixerunt ; quoniam Alexandrinis Rhodi hominem ſiſtere mandatum fuiſſet. Nave igitur Phaſelidem delatâ ; cùm Epichares Polyaratum naviglo excipere abnueret ; contrà Demetrius, cujus cuſtodiæ commendatus ab Rege fuerat, exurgere hominem ac proficiſci juberet, urgeréntque adeò Phaſelitæ, veriti ne id ſibi apud Romanos fraudi eſſet : perculſus casùs gravitate Polyaratus, Demetrii navigium rurſùs conſcendit. Verùm in excenſione opportunitatem nactus, iterùm confugit Caunum contento curſu : ac ſimiliter quæritando Cauniorum auxilium implorabat. A quibus repulſam paſſus, eo quòd Rhodiis contributi eſſent ; clam ad Cibyratas miſit, poſtulans ut in urbem reciperetur, mitterentúrque qui ipſum tutò deducerent. Notus autem Cibyratis ideò erat, quòd liberi Pancratis tyranni educati apud eum fuerant. Cúmque aſſenſiſſent Cibyratæ & poſtulatis paruiſſent : Polyaratus Cibyram delatus eſt. [*Id. in Excerpt. Valeſii, pag.* 138. 141.]

Popillius & ea legatio quæ ad Antiochum miſſa erat Romam rediens, retulit controverſias inter reges ſublatas eſſe, exercitúmque ex Ægypto in Syriam reductum. Pòſt ipſorum Regum legati venerunt. Antiochi legati referebant omni victoriâ potiorem pacem Regi, quæ Senatui placuiſſet, viſam : eúmque haud ſecus quàm Deorum imperio legatorum Romanorum juſſis paruiſſe. Gratulati deinde victoriam de Perſeo ſunt ; ad quam ſummâ ope, ſi quid imperatum foret, adfuturum Regem fuiſſe. Ptolemæi legati communi nomine regis & Cleopatræ gratias egerunt. Plus eos Senatui populóque Romano quàm parentibus ſuis, plus quam Diis immortalibus debere : per quos obſidione miſerrimâ liberati eſſent, regnum patrium propè amiſſum recepiſſent. Reſponſum ab Senatu eſt : Antiochum rectè atque ordine feciſſe quòd legatis paruiſſet ; gratúmque id eſſe Senatui populóque Romano. Regibus Ægypti Ptolemæo Cleopatræque ſi quid per ſe boni commodique eveniſſet, id magnopere Senatum lætari : daturúmque operam, ut regni ſui maximum ſemper præſidium poſitum eſſe in fide populi Romani ducant. Munera legatis ut ex inſtituto mittenda curaret, C. Papirio prætori mandatum. [*Liv. lib.* 45.]

Et ab Eumene & ab Attalo & ab Athenæo fratribus communis legatio de victoriâ contra Perſeum gratulatum Romam venit. [*Id. ibid.*]

3837 Rex Antiochus edicto edito imperavit gentibus omnibus ſibi ſubjectis eoſdem cultus in toto regno ſervare, relictiſque propriis conſuetudinibus eandem cum Græcis religionem profiteri ; mortis pœnâ non obedientibus propoſitâ : & præfecit inſpectores unicuique populo, qui ad hoc faciendum omnes cogerent. [I. *Maccab.* I. 43, 52, 53.]

Ex his, in Judæam & Samariam ſenem quendam Athenæum miſit, ut Judæos à divinæ legis obſervatione diſcedere cogeret, & templum Hieroſolymitanum contaminaret ; illi Διὸς Ὀλυμπίου *Jovis Olympii* nomine impoſito, ſicut Gariziticum Διὸς Ξενίου *Jovis Hoſpitalis* ſive Peregrinorum tutoris. Illud enim cognomentum quàm Ἑλληνίου Samaritanorum conditioni convenientius fuiſſe, re meliùs conſideratâ, cenſuiſſe videtur : quòd in terra Judæorum peregrini illi eſſent & advenæ. [II. *Maccab.* VI. 1, 2.]

Misit etiam Rex libellos per legatos Hierosolymam & ad civitates Judææ, ut sequerentur ritus gentium, sacrificia è Sanctuario tollerent, sabbatha & dies festos prohiberent, Sanctuarium & ministros ejus coinquinarent, aras & lucos & idolorum delubra ædificarent, sues & immundas pecudes alias immolarent, filios ipsorum incircumcisos relinquerent, omnique re immundâ se polluerent; ita ut oblivisceretur Legis, & immutarent omnia statuta Dei sui. [I. *Maccab.* I. 46-51.] eriménque omninò esset, Judaicam religionem profiteri. [II. *Maccab.* VI. 6.]

Decretum quoque prodiit in vicinas civitates Græcas, suggerente Ptolemæo (Dorymenis filio; II. *Maccab.* IV. 45.) ut pari modo adversùs Judæos agerent, & sacrificiorum participes fieri compellerent; eos autem, qui ad ritus Græcos tranire nollent, jugularent. [II. *Maccab.* VI. 8, 9.]

Et cæteræ quidem gentes amplexæ sunt sermonem Regis: & ex Israëlitis quoque multi consenserunt cultui ejus, & sacrificaverunt idolis, & coinquinaverunt sabbathum. [I. *Maccab.* I. 44. *cum* II. 18.] Congregati enim sunt è populo ad eos multi Legis defectores: fecerúntque ut Israëlitæ latitarent in specubus & locis perfugii ipsorum. [I. *Maccab.* I. 55, 56.] Alii autem ducebantur cum acerba necessitate die natali Regis singulis mensibus ad esum idolothytorum: & cùm erat Dionysiorum festum, cogebantur hederam ferentes pompam Baccho ducere. [II. *Maccab.* VI. 7.]

Templum verò luxu & commessationibus implebatur à gentibus, molliter vitam consumentibus cum meretricibus, & in sacro ædis ambitu ad mulieres se adjungentibus, eámque intrò ferentibus quæ non conveniebant: & altare rebus illegitimis, quas lex vetuerat, plenum erat. [II. *Maccab.* VI. 4, 5.]

Die autem 15 mensis Cislevi, (partim Novembri, partim Decembri nostro respondentis) anno 145 regni Græcorum, extruxerunt abominationem desolationis (abominandum Jovis Olympii idolum) super altare: & in civitatibus Judææ circumquaque extruxerunt aras; & in foribus domorum atque plateis fecerunt suffitum. [I. *Maccab.* I. 57, 58.]

Libros legis quos invenerunt, conscindentes combusserunt igne: & ubicunque inveniebatur apud aliquem liber fœderis, aut si quis approbabat Legem; secundùm edictum Regis trucidabant eum. [I. *Maccab.* I. 59, 60.] Ubi librorum Legis nomine, non solum Mosaicum Pentateuchum cum recentioribus Hebræis, qui hinc originem suarum *Perasioth* accersunt, (apud Eliam Levitam in Tischbi, voce פרשה) sed universam veteris Testamenti Scripturam accipimus: ut in Joham. X. 34. XV. 25. & 1. Cor. XIV. 21. Atque ita hic Josephus, lib. 12. cap. 7. ἀφανίζετε δὲ πᾶσαν βίβλον ἱερᾶς ἀγωγῆς ἣν ἂν εὕρωσι, καὶ παρ' οἷς ἐφωράθη, καὶ ὅτου πατὴρ παῖδας ἀνῄλισκετο. *Abolebatur etiam ubicunque repertum esset sacrum aliquod volumen & Lex; & ipsi apud quos inveniretur mali malè peribant.* & Severus Sulpicius, in sacr. Histor. lib. 2. *Sacra etiam Legis & Prophetarum volumina igni cremata.*

Die 25 mensis Cislevi sacrificia sunt oblata in aræ idololatricâ, quæ extructa erat super altare Dei. [I. *Maccab.* I. 62.] anno Seleucidarum 145°, Olympiade 153. [*Joseph. lib.* 12. *cap.* 7. & 11.]

Eodem tempore, duæ mulieres quæ filios circumciderant delatæ sunt: ad quarum ubera suspensis natis, publicè per civitatem traductas deorsùm a muro eas præcipitaverunt; & familias earum & eos qui infantes circumciderant trucidaverunt. [I. *Maccab.* I. 64. II. *Maccab.* VI. 10.]

Galatæ, Adverta duce, ingenti motu regnum Eumenis infestarunt. Inducis verò per hyemem factis, & Gallis domos abierunt, & Rex in hyberna concessit Pergamum; ubi gravi morbo æger fuit. [*Liv. lib.* 45. *cum Polyb. legat.* 93.]

Antiochus, ubi edicta sua contemni videbat à populo, per tormenta unumquemque cogebat gustatis cibis immundis abjurare Judaismum. [*Joseph. libell. de Maccab.*] Sed Israëlitarum multi roborati sunt, & obfirmati in se, ne immunda comederent: & mori elegerunt, ne polluerentur cibis illis, neque sanctum fœdus inquinarent. [I. *Maccab.* I. 65, 66.] 4147 167

Præsidens igitur cum assessoribus tyrannus Antiochus in quodam sublimi loco, astante circumcirca armato exercitu, jussit unumquemque Hebræorum abripi & ad carnes suillas & idolothyta gustanda vi adigi: ii qui verò profanas dapes recusarent, hos trochleis distentos è vita tolli. [*Joseph. ut supr.*]

Multis verò abreptis, unus in primis nomine Eleazarus, ex sacerdotali genere, in legum disciplinâ ut Scriba primarius versatissimus, ætate nonagenarius, & propter eam multis Antiochi assessis notus, coram adductus est. Qui carnes suillas nec manducare nec manducasse simulare consentiens, crudelissima subire tormenta quàm legem violare maluit. [*Id. ibid.* II. *Maccab.* VI. 18.-31.]

Post hunc septem fratres adolescentes, cum matre eorum fortissimâ, coram Antiocho sunt producti: qui carnem suillam gustare recusantes, exquisitis tormentorum modis excruciati, invictas Deo animas reddiderunt. Horum nobilissimum martyrium, in II. Maccab. VII. capitulo habetur descriptum; & in Josephi de Maccabæis libello, Περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, *De imperatrice ratione* inscripto. In cujus Latinâ paraphrasi a Rufino editâ, hi à castello suo *Asfunidæ* Antiochiam ad Regem adducti fuisse dicuntur: eorúmque eduntur nomina, *Machabæus*, *Aber*, *Machir*, *Judas*, *Achas*, *Areth*, *Jacob*; & matris, *Salomona*; quam *Hannam* tamen posteriores Hebræorum historici appellant.

In Judæâ hoc tempore Rhazis Senator Hierosolymitanus aliis exemplo præluxit; corpus animúmque suum pro Judaismo tuendo exponens: pro benevolo in patriam affectu *Pater Judæorum* appellatus. [II. *Maccab.* XIV. 37, 38.]

Ministri Regis qui in Judæâ homines ad Apostasiam impellebant, in oppidum Modin venerunt; ut Israëlitas ibi sacrificare cogerent. [I. *Maccab.* II. 15.] Erat autem Modin *vicus juxta Diospo-*

lin;

lin; ut in libello περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων refert *Euſebius*. Conſedit ibi tum Mattathias filius Johannis, filii Simeonis, Hieroſolymitanus Sacerdos ex familiâ Joaribi (quæ inter 24 ἐφημερίδας I. Chronic. XXIV. 7. prima erat) unà cum quinque ſuis filiis; Johanne qui Caddis vel Gaddis, Simone qui Thaſſi, Judâ qui Maccabæus, Eleazaro qui Abaron vel Avaran, & Jonathane qui Apphus vocabatur. [I. *Maccab.* II. 1,—5.] Utque ſeptem illi martyres, qui Antiochiæ certamen ſuum peregerunt, à maximo natu fratre *Maccabæo*, commune *fratrum Maccabæorum* nomen invenerunt: ita ut à *Judâ Maccabæo* quinque Mattathiæ filiorum, ſi non ætate (uti Joſepho, *libro* 1. *Belli cap.* 1. fuit viſum) certè fortitudinis & ex eâ partæ gloriæ ratione maximo (I. Maccab. II. 66. III. 4, 9, IV. 26.) eandem communem *Maccabæorum* appellationem nanciſcerentur uſus quoque obtinuit. Pater verò eorum Mattathias ſive Matthias à *Joſepho*, lib. 1. Belli cap. 1. (ut & in Chronico *Euſebii* & minore Seder Olam Hebræorum) *Aſamonæi filius* appellatur: ſed in lib. 12. Antiquit. cap. 8. explicatiùs; ἀπὸ Ἰωάννου, τοῦ Συμεῶνος, τοῦ Ἀσαμωναίου, *filius Johannis*, filii *Simeonis*, filii *Aſſamonæi*. Vulgus Hebræorum, ipſum Mattathiam *Haſamonæum* dictum fuiſſe vult; ab eóque ad poſteros cognomentum illud deſcendiſſe. De quo vide ndus R. David Kimchi, ad Pſalm. LXVIII. 32. ubi vox חשמנים Principes denotat.

Antiochi miniſtri Mattathiam ad ſe adductum magnopere hortabantur, ut cùm princeps & illuſtris & magnus in urbe Modinenſi eſſet, monitúſque filiis ac fratribus, exemplo ſuo aliis in obedientiâ mandato Regis præſtandâ præiret. Quod ille non ſolùm conſtanter recuſavit, ſed etiam Judæum quendam in altari ethnico ſacrificantem conſpicatus, ſuper aram ipſam eum jugulavit: eodemque tempore & regium præfectum (Joſepho, lib. 12. cap. 8. *Apellem* dictum) qui cogebat ſacrificare trucidavit, & aram dirui. Deinde hortatus omnes qui zelo Legis ducebantur ut ipſum ſequerentur; unà cum filiis in montes fugit, relictis in urbe omnibus facultatibus ſuis. [I. *Maccab.* II. 16,—28.]

Tunc multi juſtitiæ cultores deſcenderunt in loca occulta deſerti; ibíque cum filiis & uxoribus & jumentis ſuis in ſpeluncis victitabant. Quod cùm indicatum fuiſſet Philippo (Phrygi illi, quem præfectum Hieroſolymis reliquerat Antiochus; II. *Maccab.* V. 22.) duces regii, præſidio Hieroſolymitanæ arcis aſſumpto, eos perſecuti ſunt: & cùm ut Regis dicto eſſent audientes perſuadere non poſſent, die Sabbati igne in ſpecus injecto, ipſos cum uxoribus, liberis & jumentis, ad mille hominum numerum, concremárunt; incluſis, ob Sabbati honorem, non repugnantibus, ac ne aditus quidem ſpelunearum obturantibus. [I. *Maccab.* II. 29,—38. II. *Maccab.* VI. 11. *Joſeph. lib.* 12. *cap.* 8.]

Id quum cognovíſſent Mattathias & amici ejus, caſum eorum valde luxerunt: ſtatuerúntque, ſi die Sabbati ab hoſtibus deinceps oppugnarentur, armis ſe illos eſſe repulſuros. [I. *Maccab.* II. 39, 40, 41. *Joſeph. ut ſupr.*]

His adjunxit ſe congregatio *Aſidæorum*, virorum religioſorum, qui Legi per arma tuendæ ſponte ſe offerebant, & omnes qui à malis fugere ſunt coacti: conſtituróque exercitu, homines impios partim cæciderunt, partim ad nationes fugâ ſe recipere compulerunt. Circumeuntes autem Mattathias & amici ejus, diruerunt aras, circumciderunt pueros quoſcumque incircumciſos invenerunt in finibus Iſraëlis, & perſecuti ſunt filios ſuperbiæ: proſperéque ſucceſſit opus in manibus eorum. [I. *Maccab.* II. 42,—48.]

Cùm Cibyratæ neque retinere Polyaratum Rhodium penès ſe metu populi Romani auderent, neque porrò Romam deportare ob imperitiam rei maritimæ (quippe penitùs mediterranei) poſſent; legationem Rhodum mittere, & in Macedoniam ad L. Æmilium Paulum proconſulem cogebantur, roganres ut accipere hominem vellent. Scripſit verò Proconſul, Cibyratis quidem, ut Polyaratum in arctâ cuſtodiâ haberent, Rhodúmque deducerent; Rhodiis verò, ut eundem maritimo itinere Romam tutò deferri curarent. Atque ita re ab utriſque, ut imperatum erat, perfectâ, Polyaratus tandem Romam perductus eſt. [*Polyb. in Excerptis Valeſii, pag.* 141.]

Ad Galatarum motum compeſcendum Eumenes rex fratrem ſuum Attalum Romam miſit: ſimul etiam de victoriâ adversùs Perſeum partâ Senatui gratulaturum. Quam legationem eo quoque libentiùs ſuſcepit Attalus; ut, quoniam eo in bello Romanos adjuviſſet, & ad omnia pericula hilarem ſe ac promptum ſocium præbuiſſet, quàm gratum id officium Patribus eſſet, aliquo favoris & benevolentiæ teſtimonio experiretur. Quâ ſpe ne ad regnum etiam obtinendum ille ſollicitaretur, poſt fratrem Eumenes Stratium medicum Romam miſit, magnæ apud ſe fidei atque authoritatis virum; ſpeculatorem rerum quæ à fratre agerentur, monitorémque fidum ſi decedi fide vidiſſet. [*Polyb. legat.* 93. *Liv. lib.* 45.]

Attalum Romam venientem quum benignè omnes exciperent, partim ob præcedentem conſuetudinem, quòd ſimul eo bello militaverant, partim quia amicum ſibi illum eſſe credebant; quúmque majore quàm ſperaſſet ipſe comitatu obviam ei eſſet proceſſum: inflari vanâ ſpe cœpit, veræ cauſæ ignarus, cujus gratiâ adeò benignè fuiſſet exceptus. Nam quum plerorumque è Romanis alienati animi ab Eumene eſſent, atque eum obliquè in hoc bello ſe geſſiſſe crederent, colloquia cum Perſeo habentem, & temporibus Romanorum imminentem: quidam è principibus ſeducere ad familiaria colloquia Attalum atque hortari inſtiterunt, ut quam pro fratre ſuſceperat legationem poneret, ac pro ſe loqueretur. Senatum enim à fratre ejus alienatum, proprium ipſi dominatum ac potentiam velle conciliare. Ex quo fiebat, ut Attalo erigerentur animi; ita ut nonnullis è proceribus reciperet, in Senatum ſe venturum, ut de eâ re verba apud Patres faceret. Verùm ab eo propoſito Stratius medicus eum dimovit, vir prudentiæ ſingularis & ad perſuadendum efficax. Poſuerat enim ei ob oculos, & jam in præſentia regnare ipſum, non minùs quàm fratrem; & in poſterum regni non dubium ſucceſſorem relinqui: neque verò eam ſpem abeſſe longè; quum propter infirmitatem corporis in dies atque in horas vitæ finem expectet Eumenes. Acceſſiſſe etiam novam tempeſtatem regno tumultus Gallici, cui vix

consensu & concordiâ regum resisti queat ; quantò minùs si ad externum bellum intestina seditio adjiciatur ? Introductus igitur in Senatum Attalus, gaudium suum de victo Perseo primùm testatus est : deinde de fide atque alacritate animi suâ quam ad id bellum adhibuerat disseruit. Tum de mittendis legatis qui Galatas suâ authoritate ab armis avocarent, & ad statum priorem redigerent, multis verbis egit. Adjecit etiam de Æniorum & Maronitarum urbibus ; quas sibi dari dono postulabat : accusationem verò fratris & petitionem de dividendo regno penitùs omisit. [*Id. ibid.*]

Senatus, existimans Attalum iterùm ad se aditurum & de iis rebus separatim acturum, legatos missurum se promisit ; & in muneribus largiendis, quæ moris est dare, magnificentiâ singulari est usus : nullos etiam illas daturum se est pollicitus. Sed quum post exhibita sibi omnia humanitatis officia urbe exisset Attalus, neque eorum quæ sperabat Senatus quicquam fecisset ; frustrati Patres suâ spe, dum is adhuc esset in Italiâ, Ænum & Maroneam liberas pronuntiârunt, promissione quam Attalo fecerant revocatâ. Legationem verò, cujus Publius Licinius princeps erat, ad Galatas miserunt. [*Polyb. legat.* 93.]

Inter multas Atiæ Græciæque legationes, post Attalicam hanc ; Rhodiorum maximè legati in se omnium oculos animósque converterunt. Eorum duplex hoc tempore erat legatio : quarum priorem obibat Philocrates, posteriorem Philophron & Astymedes. [*Id. ibid. Liv. lib.* 45.] Rhodii enim responso illo accepto, quod statim post pugnatam cum Perseo pugnam Agesipoli datum fuerat, irâ Patrum adversùs se cognitâ & minis auditis, extemplò legationes illas miserunt. [*Polyb. ibid.*] * quibus temeritatem quorundam Populorum suorum deprecarentur, & fidem consiliúmque publicum expurgarent. [*A Gellius, lib. 7. cap. 3. 7.*].

Legati quum primò in veste candidâ visi essent (quod & gratulantes decebat, & si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum præbere speciem poterant :) postquàm consulti ab Marco Junio Consule patres, stantibus in Comitio legatis, an locum, lautia, Senatúmque darent ; nullum hospitale jus in iis servandum censuerunt. Egressus Curiâ Consul, quum Rhodii gratulatum se de victoriâ, purgatúmque civitatis crimina dicentes venisse, petissent ut Senatus sibi daretur, promisit : sociis & amicis & alia comiter atque hospitaliter præstare Romanos & Senatum dare consuêsse ; Rhodios non ita meritos eo bello, ut amicorum sociorum numero habendi sint. His auditis prostraverunt se omnes humi ; Consulem & cunctos qui aderant orantes, ne nova falsáque crimina plus obesse Rhodiis censerent quàm antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Et extemplò veste sordida sumptâ, domos principum cum precibus ac lachrymis circumibant ; orantes ut priùs cognoscerent causam, quàm condemnarentur. [*Liv. lib.* 45.]

Marcus Juventius Talna Prætor, cujus inter cives & peregrinos jurisdictio erat, populum adversùs Rhodios incitabat : novóque & malo exemplo, antè non consulto Senatu, non Consulibus certioribus factis, de suâ unius sententiâ rogationem tulerat, vellent juberéntne bellum Rhodiis indici, & ex ejus anni magistratibus deligi qui ad id bellum cum classe mitteretur ; se eum sperans futurum esse. Huic actioni M. Antonius & Marcus Pomponius tribuni plebis adversabantur : indéque inter prætorem & tribunos omnia intempestivè agendi certamen erat. Tribuni festinationem prætoris ante tempus intercedendo in adventum imperatoris Æmilii differendam persuaserunt. [*Id. ibid.*] Ab Antonio prætor de rostris est detractus : introductíque in Senatum ab eo Rhodiorum legati, verba fecerunt ; priùs quidem Philophron, deinde etiam Astymedes. [*Polyb. legat.* 91. *cum Diodor. Siculo, legat.* 19. *& in Photii Bibliothecâ, cod.* 244.] Cujus posterioris videtur ea esse oratio, quæ ἀπολογία habetur apud *Livium*. Suam enim concionem in litteras relatam Astymedem publicavisse, testatur *Polybius* ; quam tamen à prudentioribus eo nomine improbatam fuisse, addit idem ; quòd (in priore fortasse illius parte, quæ apud *Livium* delideratur) defensionem patriæ suæ ita instituisset, ut cum reliquorum Græcorum criminatione minimè necessariâ esset conjuncta.

Finitâ oratione, universi procidêrunt, ramosque oleæ supplices jactantes, tandem excitati Curiâ excessêrunt. Tunc sententiæ interrogari cœptæ. Infestissimi Rhodus erant, qui consules prætoréve aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimùm causam eorum adjuvit M. Porcius Cato ; qui asper ingenio, tum lenem mitemque Senatorem egit. Ejus oratio pro eis in Senatu tunc habita, quinto Originum libro ab ipso est inclusa. [*Liv.*] * Cùm enim pars Senatorum de Rhodiensibus quererentur, maléque eos animatos fuisse dicerent, bellúmque eò illis faciendum censerent : M. Cato exsurrexit, & optimos, fidissimósque socios (quorum opibus diripiendis, possidendísque non pauci ex Summatibus intenti inimíque erant) defensum conservatúmque pervexit ; Oratione hâc inclytâ dictâ, quæ pro *Rhodiensibus* est inscripta : Ex quâ complura ab *A. Gellio* laudata habentur : [*lib. 7. cap. 3.*] & illud imprimis. Rhodienses superbos esse aiunt : id objectantes quod mihi à liberis meis minimè dici velim. Sint sanè superbi ? quid id ad nos attinet ? Idne trascimini, si quis superbior est quàm nos ? Patres denùm, de injuriis multa sigillatim Rhodiis asperè ac durè exprobrantes ; nisi per paucos populo Romano amicos staret, ac maximè per ipsos legatos, scire probè Senatum dixerunt, quomodo Rhodii essent tractandi. Atque ita redditum eis est responsum ; ut nec hostes fierent, nec socii permanerent. [*Polyb. Diodor. Sicul. & Liv. ut supr.*]

Hoc edito responso, extemplò Rhodum abiit Philocrates : Astymede Romæ subsistente, ut quæ agerentur sciret, certiorésque suos faceret. Rhodii, quia maximo illo metu belli a Romanis inferendi videbantur liberati, cætera etsi erant admodùm tristia æquo animo ferebant. [*Polyb. & Liv.*]

P. Licinius & cæteri legati qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos & regem Eumenem missi erant, Synnada pervenerunt : cùm Eumenes (quem, recuperatâ valetudine, ver pri-

mum

mum ex domo exciverat) ad Sardes undique exercitum contraxiſſet. Symmachis legati Romani Solovettium ducem Gallorum ſunt allocuti, & Attalus cum eis profectus: ſed caſtra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex diſceptatione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum locutus, ferociorem eum deprecando reperit. Ut nirum videri poſſet, inter opulentos reges Antiochum Ptolemæúmque tantum legatorum Romanorum verba valuiſſe, ut extemplò pacem facerent: apud Gallos nullius momenti fuiſſe. [*Liv. lib.* 45.]

Incunte ætate Rhodii legatum *Theæretum* (*Theodotum* Livii habent exemplaria) præfectum claſſis conſtituerunt, cum coronâ è 10. (vel 20, ut apud *Livium* legitur) aureorum millibus; & ſimul cum eo legationem aliam, cujus princeps Rhodophon, Romam miſerunt: ut modis omnibus ſocietatem cum Romanis niterentur contrahere. Societatem autem a Romanis ita volebant peti, ut nullum de ea re ſcitum populi Rhodii fieret, aut litteris mandaretur: ne, ſi eam non impetrarent, præter irritam legationem, major repulſis eſſet ignominia, & facti decreti eos pœniteret. Cùm igitur ex legibus poteſtatem ſanciendæ ſocietatis, ſine rogatione ullâ perlatâ, Præfectus claſſis unus haberet: per ipſum tentare animos decreverunt. Et antehac quidem illi, licèt nobiliſſimas pulcherrimáſque victorias Romanorum adjuviſſent, per annos tamen 40. ita in amicitiâ fuerunt, ut ſocjali fœdere ſe cum eis non illigarent: ne ſacramenti religione adſtricti, regibus & dynaſtis aliis bella cum Romanis gerentibus ſpem auxilii ſui, ſi opus eſſet, prorsùs abſcinderent. Nunc verò ſummâ contentione honorem hunc obtinere ſunt eniſi, non quòd novis ſocietatibus ſtaterent aut quemquam præter ipſos Romanos metuerent; ſed ut minùs ſe Romanis ſuſpectos redderent. [*Polyb. legat.* 93. *Liv. lib.* 45. *Dio, legat.* 21. *vel* 22.]

Vix Romam Theætetus appulerat, cùm Caunii ab eis deſciverunt; & Mylaſſenſes Euromenſium opida occupárunt. Rhodii igitur, Lyco properè miſſo cum exercitu, Caunios, quanquàm Cibyratarum aſciverant auxilia, coëgerunt imperio parére: & Mylaſſenſes Alabandenóſque, qui Euromentium provinciâ ademptâ ad ipſos conjuncto exercitu venerunt, circa Orthoſiam acie vicerunt. [*Polyb. & Liv ibid.*]

Sub idem ferè tempus à Senatu decretum eſt editum, quo Caribus & Lyciis omnibus quos Rhodiis poſt confectum bellum Antiochicum Romani attribuerant libertas concedebatur: juſſíque Rhodii ſunt ante certam diem ex Lyciâ Cariâque præfectos deducere. Quo accepto nuntio, mentes Rhodiis iterùm pavore ſunt concuſſæ: malè metuentibus, ne & coronam fruſtrà donaſſent, & ſocietatem fruſtrà ſperaſſent. Atque ita Rhodii Lyciam Cariámque, poſtquàm magnis expenſis, tria bella ad eas obtinendas ſuſtinere fuiſſent coacti, tandem amiſerunt. [*Polyb. legat.* 93. & 104. *Liv. lib.* 45. *Appian. Syriac. pag.* 116.]

Quum Theæteto ſenatus eſſet datus, de ſocietate cum Rhodiis ineundâ verba fecit. Sed dum Patres moras nectunt, vitâ ille functus eſt, octuagenario jam major. Deinde advenerunt Romam Caunii & Stratonicenſes exules: qui poſtquàm in Senatu eſſent auditi, factum eſt Senatuſconſultum, quo jubebantur Rhodii præſidia Cauno & Stratonicèa educere. Eo reſponſo accepto, Philophron & Aſtymedes feſtinanter in patriam ſunt profecti; ne Rhodii ſi præſidia educere neglexiſſent, aliarum denuò calamitatum principium ſuæ civitati exoriretur. [*Polyb. legat.* 99.]

Per idem tempus Cnoſſii & Gortynii bellum cum Rhaucîis gerebant: ideo fœdere inter ipſos, quod & jurejurando firmaverant; non priùs ſe bellandi finem facturos, quam Rhaucum vi expugnaſſent. [*Id. legat.* 100.]

Rhodii cognitâ Cauniorum legatione, quum animadverterent nihil remittere Romanorum iram, obſecuti per omnia eorum voluntati ſunt. [*Id. ibid.*] Atque ita amiſerunt Caunum, quam à Ptolemæi ducibus talentis 200. redemerant; & Stratonicæam, quam ut magnum beneficium ab Antiocho & Seleuco acceperant: quarum urbium utraque 120. annua talenta civitati ipſorum pendebat. [*Id. legat.* 104.]

Rhodii legationem, cujus princeps erat Ariſtoteles, Romam miſerunt. His mandatum erat, ut ſocietatis iterùm mentionem facerent, inque eam curam incumberent. Sed quum adultâ jam æſtate in urbem legati iſti veniſſent, & dato ipſis ſenatu, poſt expoſitum Rhodiorum obſequium in omnibus quæ imperata fuerant, ad ſocietatem multis variiſque rationibus Patres eſſent hortati; Senatus ejuſmodi reſponſum dedit, in quo nulla amicitiæ mentione factâ, ut ſocietatem Rhodiis indulgerent, Patres ſui officii negárunt eſſe. [*Id. legat.* 100.]

3838 Autumni initio L. Æmilius Paulus, præpoſito caſtris C. Sulpitio Gallo, ad circumeundam Græciam cum haud magno comitatu profectus eſt; tegentibus latera Scipione filio & Athenæo Eumenis regis fratre. Macedoniæ libertatem, & leges ſociis convenientes dedit. Ab ſeriis rebus ludicrum, quod ex multo antè præparato, & in Aſiæ civitates & ad reges miſſis qui denunciarent, & quum circumiret ipſe Græciæ civitates induxerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Notatáque eſt in illo conventu Europæ Aſiæque, undique partim ad gratulationem partim ad ſpectaculum contractâ multitudine, tantis navalibus terreſtribúſque exercitibus, ea copia rerum, ea vilitas annonæ; ut & privatis & civitatibus & gentibus dona data pleraque ejus generis ſint ab Imperatore, non in uſum modò præſentem, ſed etiam quod domos aveherent. [*Liv. lib.* 45.]

A Romanis Labeo ad Antiſſam in Lesbo inſulâ diruendam, & traducendos Methymnam Laryſæos eſt miſſus: quòd Antenorem Perſei præfectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum eſt vagatus, receptum commeatibus juviſſent. [*Id. ibid.*]

Prufias (Venator) Bithyniæ rex, cum filio Nicomede, Romam venit. Illi obviam L. Cornelium Scipionem quæſtorem Capuam Senatus miſit: cenſuítque ut domus ei Romæ quam optima conduceretur, & copiæ non ſolùm ipſi ſed etiam comitibus eius publicè præberentur.

In eoque excipiendo tota urbs unius humani amici vultum habuit. [*Liv. lib.* 45. *Valer. Maxim. lib.* 5. *cap.* 1.]

Magno comitatu urbem ingressus ad forum à portâ tribunálque Q. Cassii prætoris perrexit : concursúque undique facto, Deos qui urbem Romam incolerent, Senatúmque & populum Romanum salutatum se dixit venisse : & gratulatum quòd Persea Gentiúmque regem vicissent ; Macedonibúsque & Illyriis in ditionem redactis, auxissent Imperium. Quum prætor Senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset ; biduum petiit, quo templa Deûm urbémque & hospites amicósque viseret. Datus qui circumduceret cum L. Cornelius Scipio quæstor. Tertio pòst die Senatum adiit, victoriam gratulatus est, merita sua in eo bello commemoravit ; petiit ut votum sibi solvere, Romæ in Capitolio decem majores hostias, & Prænestæ unam Fortunæ liceret : ea vota pro victoriâ populi Romani esse. Et ut societas secum renovaretur : agérque sibi de rege Antiocho captus, quem nulli datum à populo Romano Galli possiderant, daretur. Filium postremò Nicomedem Senatui commendavit. Omnium qui in Macedoniâ imperatores fuerant, favore est adjutus. Itaque cætera quæ petebat concessa : de agro responsum est, legatos se missuros ad inspiciendum, an ager ille populi Romani fuisset nec cuiquam datus. Facilè Nicomedis commendationem se accipere. Quantâ curâ regum amicorum liberos tueatur populus Romanus, documento Ptolemæum Ægypti regem esse (cui nuper regnum ab Antiocho invadente, suâ authoritate conservârat.) Jussum est etiam, ut victimæ aliáque quæ ad sacrificium pertinerent, seu Romæ seu Prænestæ immolare vellet, Regi ex publico, sicut magistratibus Romanis, præberentur ; & ut ex classe quæ Brundusii esset, naves longæ 20 assignarentur, quibus uteretur : donec ad classem domo datam ei Rex pervenisset, L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumptúmque ipsi & comitibus præberet, donec navem conscendissent. Mirè lætum & eâ benignitate in se populi Romani Regem fuisse ferunt : munera sibi data ipsum renuisse, filium jussisse donum populi Romani accipere. Hæc de Prusiâ Romani scriptores retulerunt. [*Liv. ibid.*]

Polybius & alii Græci, quum veniret in Curiam, summisisse se illum scribunt, & oculo limen Curiæ contigisse ; & *Deos Servatores* suos Senatum appellasse, aliámque orationem non tam honorificam audientibus quàm sibi deformem habuisse : atque ob hanc ipsam summam vilitatem responsum à Senatu benignius accepisse. [*Id. ibid. Polyb. legat.* 97. *Diodor. Sicul. legat.* 22. *Dio, legat.* 22. *vel.* 23.] Moratus autem circa urbem 30 haud ampliùs dies, in regnum est profectus. [*Liv. fin.* lib. 45.]

Secundùm hæc fama est allata, Eumenem regem Romam adventare. Qui quia Macedonico bello se medium egerat : ne aut inimicus judicatus videretur si exclusus esset, aut liberatus crimine si admitteretur ; lex in commune lata est, ne cuiquam regi Romam venire liceret. [*Polyb. legat.* 97. *Liv. lib.* 46.] Deinde certiores facti Eumenem Brundusium in Italiam appulisse ; Quæstorem ad eum miserunt, qui decretum hoc ei afferret, & dicere eum juberet, Ecquid ope Senatus in aliquo esset ei opus : quòd si Patres nihil poscerent, denuntiaret ei, ut quàm primùm Italiâ excederet. Rex habito cum Quæstore colloquio, intellectâ Senatûs voluntate, verbum nullum commutavit, nullâ re opus habere se confirmans. Hoc pacto, non solùm ne Eumenes Romam veniret, sed etiam aliud quid quod ad rem eorum faciebat, Romani consecuti sunt. Nam quum ingens regno Pergameno periculum à Galatis immineret : non erat dubium quin propter hanc contumeliosam Eumenis rejectionem, amicis quidem omnibus illius animi concíderent ; Galatæ verò duplo ad persequendum bellum animosiores essent futuri. Atque hæc ineunte hyeme sunt facta. [*Polyb. ibid.*]

Mattathias filios suos ad pietatis studium & fortitudinem in Lege Dei constanter defendendâ cohortatus, Simonem ut consiliarium & patrem eis commendavit, Judam verò Maccabæum ut belli ducem : utpote robore valentem à juventute suâ. Deinde eis benedicens, mortuus est anno regni Græcorum 146. postquàm annum unum miseræ & exulanti turbæ præfuisset. Et sepelíverunt eum filii ejus in sepulchris patrum suorum in Modin : & planxerunt eum omnes Israëlitæ planctu magno. [I. *Maccab.* II. 49, - 70. *Joseph. lib.* 12. *cap.* 8, 9.] 4548 166

Judam Maccabæum, in locum patris succedentem, adjuvabant omnes fratres ipsius, & omnes qui adhæserant patri ipsius. [I. *Maccab.* III. 1, 2.] Qui latenter introeuntes in vicos, adhortabantur cognatos ; & eos qui permanserant in Judaismo assumentes congregaverunt sex virorum millia. Et invocarunt Dominum, ut aspiceret populum ab omnibus afflictum, miseraretur templum ab hominibus impiis profanatum & urbem perditam, & sanguinem ad se clamantem exaudiret : ac recordatus iniquæ perditionis infantium innocentium, & blasphemiarum quæ prolatæ fuerant in nomen ipsius, odium suum in scelestos ostenderet. [II. *Maccab.* VIII. 1, -- 4.]

Interim Antiochus Epimanes, cùm de ludis ab Æmilio Paulo in Macedoniâ peractis audivisset, ac vellet largitionis magnificentiâ Paulum superare ; legatos speculatorésque in civitates misit, qui ludos denunciarent ab ipso ad Daphnem juxta Antiochiam exhibendos : ita ut ex universâ Græciâ (ut *Polybius*) vel ex omnibus orbis partibus (ut *Diodorus* narrat) ad spectaculum illud viri celeberrimi certatim concurrerent. Pompæ verò ordinem, in Historiarum suarum libro 31, ita descripsit *Polybius*.

Præibant hominum ætate florentium millia quinque, Romanorum instar armatorum, cum hamatis loricis. Sequebantur continenter Mysi totidem. Ab his Cilicum tria millia, levis armaturæ, expeditorum, cum aureis coronis. Post hos Thraces totidem, Galatarum quinque millia, & præterea quidam cum argenteis scutis. Post hoc deinceps gladiatorum paria 240. Horum à tergo fuerunt, Pisæis quidem vel Nisæis potiùs (ut doctissimus *Casaubonus* locum emendavit) equis insidentes mille, plebeiis verò ter mille : & horum complures cum pha-

leris

leris ac coronis aureis, cum argenteis alii. His succedebant socii & amici, equites circiter mille: omnes cum aureis phaleris. Conjuncta cum iis fuit amicorum ala, numero illis par, & ornatu. Præter hos delecti 1000 progressi sunt: quos secutum est appellatum *agema*, præstantissimus equitum ordo, circiter 1000. Postremum agmen claudebant equites cataphracti 1500, quòd & viri & equi armis operti essent, ita dicti. Omnes illi prædicti paludamenta purpurea habebant: quidam etiam auro texta, & animantium imaginibus picturata. Post hæc, centum currus sex equis junctis processerunt, quadrigæ verò 40. Erat præterea junctorum elephantum currus, & biga. Sigillatim verò 36 elephanti sine ordine subsequebantur.

Adolescentes puberes circiter 800 coronas aureas habentes processerunt, boves optimi circiter 1000, mensæ sacræ fermè 300, elephantorum dentes 800. Omnium quotquot apud homines vel creduntur vel dicuntur esse dii aut dæmones, atque adeò heroum idola ferebantur; alia inaurata, alia stolis aureis induta, adjectis his omnibus cum ornatu sumptuoso elogiis ac sententiis, traditæ de illis historiæ congruentibus. Additæ sunt his & imagines Noctis, Diei, Terræ, Cœli, Auroræ, & Meridiei. Dionysii, qui regi fuit ab epistolis, pueri mille in eo pompæ ductu incedebant, argenteis vasis onusti, quorum nullum minus pendebat mille drachmis: Regis autem 600 pueri illos consequebantur, aurea vasa sustinentes; & hos mulieres circiter 200, ex aureis urnis spectatores unguentis respergentes. Post quas mulieres 80 in lectiis aureos pedes habentibus vehebantur, atque in argenteos pedes habentibus 500 sedentes; magnâ impensâ cultæ ac exornatæ. In pompa hæc splendidissima fuerunt.

Post eam, ludi & gladiatoria certamina & venationes per dies 30 sunt celebrata: quo toto tempore diversi generis unguentorum facta est omnibus qui in gymnasium certaturi venirent, à Rege copia. Erat in usum quindecim labra aurea erant posita crocino unguento plena; totidemque cinnamomino & nardino. Ea unguenta primis quinque diebus sunt data: pariqué munificentiâ reliquis deinceps diebus, selinum, amaracinum & liliacium. Ad epula sternebantur convivis aliquando mille triclinia, aliquando mille quingenta, apparatu sumptuosissimo. Quæ omnia sic absoluta & exculta sunt partim iis quibus in Ægypto (perfidè violato fœderis pacto) Philometorem regem adhuc puerulum defraudaverat, partim iis quæ ab amicis collata sunt, partim ex spoliis plurimorum templorum quæ expilaverat. [*Polyb. apud Athenæum, lib. 5. cap. 4. & lib. 10. cap. 12.*]

Sed magnitudinem hujus apparatûs, quæ ipse Rex per se obibat vilem atque indecoram reddiderunt. Modico enim vectus cantherio ultro citróque pompæ adequitans, illos progredi, hos subsistere jubebat; alios, prout erat libitum, ordinabat: adeò ut si quis diadema ei detraxisset, nemo Regem esse illum crediturus fuerit, qui ne mediocris quidem atque honestioris ministri speciem præ se ferret. Jam verò in publico epulo, ad cœnaculorum aditus subsistens, alios introducebat, alios in lectis componebat. Ministris qui fercula portabant dux ipse præibat; & circumambulans, modò adiiciebat, modò humi accubabat; nec rarò aut buccam interim aut poculum è mensâ deponens, exiliebat discurrebátque. Cœnaculum etiam circumlustrans, propinatos tibi nunc ab his nunc ab illis calices stans hauriebat: & cum his, qui festivis narrationibus convivas exhilarabant, ludibundus jocabatur. Quin & producto in longum tempus convivio, cùm multi jam excessissent, ipse totus coopertus a mimis allatus est, humique depositus, velut unus quidam ex suis convivibus. Tandem verò velut symphoniâ excitatus surrexit & saltavit, atque cum ridiculis scurris histrionem egit: adeò ut præ pudore cuncti ex convivio diffugerent. [*Polyb. ibid. & eum secutus Diodor. Sic. in Excerptis Valesii, pag. 321.*]

Peracto demùm ludicro, legatus mox venit ad Antiochum Tiberius Gracchus, ad explorandas Regum consilia & rerum earum à Senatu missus: quem eâ dexteritate atque humanitate excepit Rex, ut non solùm moliri eum res novas nihil suspicaretur, aut ullum signum animadverteret animi propter illa quæ Alexandriæ acciderant subalienati; sed etiam omnibus se opponeret, qui ejusmodi aliquid dicerent. Nam & aulâ cessit legatis Romanis Antiochus, & ipso propè diademate: quum tamen ad eos voluntas ejus non inclinaret, sed animo esset à Romanis alienissimo. [*Polyb. legat. 101. & 109. Diodor. Sic. in Excerptis Valesii, pag. 322.*]

Dum ludicris suis Daphnæ vacabat Antiochus, ferìò in Judæa rem gessit Judas Maccabæus. A fratribus enim impigrè adjutus, ejecto hoste & impiis tribunibus necatis, à præteritis piaculis eam terram purgabat. [*Josèph. lib. 12. cap. 9.*] Civitates & vicos ex improviso veniens incendebat, & commoda loca occupans non paucos hostium in fugam vertebat; maximè noctium adjumento ad hujusmodi insidias usus: adeò ut de fortitudine ejus fama ubique personaret. [I. *Maccab.* III. 8, 9. II. *Maccab.* VIII. 6, 7.]

Legatis qui à Galatis ex Asiâ Romam sunt missi concessit Senatus, ut suis legibus uterentur: si modò intra habitationes proprias sese continerent, & extra fines armati non prodirent. [*Polyb. legat.* 102.]

Pytho legatus à Prusiâ Bithyniæ rege Romam missus, de Eumene rege Senatui est conquestus, quòd fines suos depopularetur & quædam loca sibi adimeret: accusans eum insuper, quòd à Galatiâ omninò non abstineret, nec Senatûs decretis morem gereret; sed eos quidem qui ipsius partes sequerentur aleret omnibúsque rebus ornaret, eos verò qui Romanæ partis erant & ex Senatûs decretis administrari Rempublicam cupiebant humiliores redderet. Aderant & è civitatibus Asiaticis nonnulli qui eundem accusabant, & initam ab eo societatem cum Antiocho contra populum Romanum significabant. His auditis Senatus, neque criminationes respuit, neque mentem aperuit suam, sed clam apud se habuit; Eumeni atque Antiocho diffidens. Galatis interim aliquid semper deferebat, & in libertate vindicandâ adjuvabat. [*Id. legat.* 104. *Liv. lib.* 46.]

Astymedes Rhodiorum legatus, patriæ causam Romæ coram Senatu agens, oratione magis

moderatâ

moderatâ quàm in priore legatione eſt uſus. Omiſsâ enim criminatione aliorum, id unum egit, ut ſatis pœnarum ſuos dediſſe oſtenderet & longè ſupra delictum. Ubi inſtitutâ particulari detrimentorum quæ Rhodii paſſi fuerant enumeratione, præcipuam eorum calamitatem illam fuiſſe dixit, quòd portus vectigal amiſiſſent: quum & Delum Romani juſſiſſent eſſe immunem, & populo libertatem ademiſſent ſtatuendi, ſicut antè faciebat, tum de portorio tum de cæteris publicis rebus: ita ut portorium, quod ſuperioribus temporibus decies centenis drachmarum millibus redimebatur, nunc ad centum quinquaginta millia vix pervenerit. Cúmque ipſis liquidò conſtaret, paucorum culpâ id delictum fuiſſe admiſſum, eóſque adeò omnes à populo ſupplicio fuiſſe affectos, ne in ſuſceptâ irâ erga illos qui nihil deliquerunt inexorabiles permanerent; ſed in priſtinam gratiam & benevolentiam illos reciperent, oravit. Hoc enim eſſe quo nunc patriæ eſſet opus, non autem belli & armorum ullam ſocietatem. Viſaque eſt omnibus illius oratio præſenti Rhodiorum ſtatui convenire. Et quum Tiberius Gracchus, nuper ex Aſiaticâ legatione reverſus, primùm quidem omnibus Senatûs decretis à Rhodiis fuiſſe obtemperatum, deinde omnes capitis fuiſſe damnatos quorum operâ alienatus populus fuerat à Romanis; renunciaſſet: dicentibus contrarium os obturavit, & ut ſocietatem Romani cum Rhodiis inirent pervicit. [*Polyb. legat.* 104.]

De Eumenis verò & Antiochi conſiliis nihil certius Senatui renuntiare Tiberius potuit; illis quæ jam antè quàm Româ proficiſceretur, cognoverat. Adeò comitate ſuâ Reges in mutuis congreſſibus eum ſibi adjunxerant. [*Id. legat.* 105.]

Apollonius Samariæ præfectus, ex gentibus & Samaritanis magno collecto exercitu, contra Judæos pugnavit. Quem perculſum Judas Maccabæus occidit: ceciderúntque vulnerati multi, & reliqui fugerunt. Cepitque Judas ſpolia eorum, & inter ea gladium Apollonii, quo deinceps in bello ipſe ſemper eſt uſus. [I. *Maccab.* III. 10, 11, 12. *Joſeph. lib.* 12. *cap.* 10.]

Audiens verò Seron Cœleſyriæ præfectus Judam, multis undique ad eum confluentibus, magnas circa ſe copias habere; contractis quibus præerat militibus, adjunctis etiam impiis Judæorum perfugis, ad aſcenſum Beth-horonis in Judæâ caſtra poſuit. Ubi à Judâ Maccabæo contritus eſt Seron & exercitus ejus; cæſíſque ex eis circiter 800 viris, reliqui in regionem maritimam ad Philiſtæos fugâ ſe receperunt. [I. *Maccab.* III. 13,—24. *Joſeph. ut ſupr.*]

3839 Id ubi compertum eſt Antiocho, irâ ſuccenſus, congregavit copias omnes regni ſui: & dato eis in annum ſtipendio, mandavit ut paratæ eſſent ad omnem uſum. Quo ſtipendio numerato, vidit theſauros ſuos exhauſtos deficere. Nam deficientibus Judæis ab eo, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua penſitaverant, & Græcis præterea urbibus multíſque regionibus perſecutionis malo turbatis, (nam ne Gentibus quidem ille pepercerat, ſed deterere inveteratas ſuperſtitiones & ad unum ritum deducere tentaverat) vectigalia plurimùm imminuta ſunt. Veritúſque ut non haberet quod ſufficeret ad ejuſmodi ſumptus & donaria, quæ dederat anteà liberali manu (ut abundaverat ſupra reges priores largitate donorum:) de profectione in Perſidem cogitare cœpit; ut acciperet tributa regionum illarum, & congregaret pecuniam multam. [I. *Maccab.* III. 27,—31. *Joſeph. lib.* 12. *cap.* 11. *Sever. Sulpic. ſacr. hiſtor. lib.* 2.]

Eò profecturus Antiochus, Lyſiam regii generis hominem regionibus inter fluvium Euphratem & terminos Ægypti poſitis præfectum, & filii ſui Antiochi (Eupatoris) curatorem in Syriâ reliquit: & tradito ei dimidio exercitûs univerſi cum elephantis, Judæorum nomen funditùs delere juſſit, & eorum regionem dare alienigenis incolendam. Cum reliquo exercitu ipſe profectus Antiochiâ (juxta Daphnem) anno regni Græcorum 147. trajecto Euphrate, regiones ſuperiores peragravit. [I. *Maccab.* III. 32,—37.]

Philippus (quem Hieroſolymis Antiochus præfecerat, II. *Maccab.* V. 22.) videns Judam Maccabæum brevi ad incrementum perveniſſe, Ptolemæo (Dorymenis filio) Cœle-ſyriæ & Phœniciæ duci ſcripſit, ut ſuccurreret Regis negotiis. Ipſe verò citò electum Nicanorem Patrocli filium è ſummis amicis miſit, ſubjectis ei militibus è gentibus omnigenis non pauciotibus vicies mille, ut univerſum Judæorum genus tolleret: eique Gorgiam adjunxit ducem, rerum militarium peritiſſimum. [II. *Maccab.* VIII. 8, 9.]

Ipſum quoque Ptolemæum filium Dorymenis, ut his ſuppetias ferret, miſit Lyſias: ita ut ſub tribus ducibus, Ptolemæo, Nicanore & Gorgiâ, numerarentur 40 millia peditum, & 7 millia equitum. Qui profecti cum univerſo exercitu ſuo, caſtra poſuerunt prope Emmauntem in regione campeſtri. [I. *Maccab.* III. 38, 39, 40.]

Cúmque Romanis tributum deberet Antiochus bis mille talentorum: ex venditione mancipiorum Judæorum illud ſolvere, conſtituens Nicanor, mille mercatores è civitatibus maritimis accerſiit, promittens 90 corpora talento ſe diſtracturum. [II. *Maccab.* VIII. 10, 11, 34, 36.] Quorum auditâ famâ, mercatores regionis ſumpto argento & auro multo cum adminiſtris ſuis in caſtra venerunt, ut Iſraëlitas ſervos compararent: & acceſſerunt ad eos copiæ Syriæ, & regionis allophylorum ſive Philiſtæorum. [I. *Maccab.* III. 41.]

Urbe Hieroſolymitanâ à ſuis deſertâ, & Templo profanato, Judas Maccabæus in tanto periculo exercitum ſuum Maſpham ſive Mizpam, è regione Hieroſolymorum, duxit: quia ante Templum conditum locus ille orationis fuerat Iſraëli. [*Judic.* XI. 11. XX. 1. XXI. 5, 8. I. *Sam.* VII. 5, 6. X. 17.] Ibi indicto jejunio, ardentibus votis defenſionem exiguæ manûs (habebat enim ſecum ſex tantùm millia, vel ſeptem, ut in Latinis legitur codicibus) adversùs tantas hoſtium vires à Deo peti juſſit. Deinde iis qui ædificaverant domos, & deſponſaverant uxores, & plantaverant vineas, & formidoloſis, juxta Legem (*Deuteron.* XX. 6, 7, 8.) domum dimiſſis; aciem in quatuor ordines diviſit, & fratres ſuos Duces eis præficiens, eorum cuilibet 1500. milites ducendos tradidit. Et movens ſe exercitus, ad auſtrum Emmauntis caſtrametatus eſt è regione hoſtium. Ubi Judas, omnes ſtudioſè cohortatus ad fortiter pugnandum & mortem pro

patriâ

patriâ divinisque legibus oppetendam, ad prælium in proximum diem paratos esse jussit. [I. *Macc. III.* 42,--60. *II. Macc. VIII.* 12,--22.]

Eâ nocte Gorgias incautos opprimere cogitans, assumptis quinque millibus peditum & mille selectis equitibus, Judæorum castra, ducibus prætidiariis Sionis, adiit. Quo audito Judas, captâ sapienter opportunitate divisum exercitum invadendi, Emmauntem contra Nicanorem profectus est, dum abesset scientissimus belli Gorgias. Qui cùm venisset in castra Judæ noctu, & neminem invenisset, ratus eos fugere, quærebat hostes suos in montibus. Simulac autem illuxit dies, apparuit Judas in campo Emmauntino cum tribus virorum millibus: qui tamen tegumenta & gladios non habebant pro voluntate suâ. (I. *Macc. IV.* 1,--6.)

Judas, animatis ad prælium militibus suis, & tesserâ eis datâ, DEI AUXILIO, ipse primæ aciei dux congressus est cum Nicanore. Facto autem illis adjutore Omnipotente, trucidârunt ex hostibus supra novem millia, vulneratúntque & mutilârunt membris majorem partem exercitûs Nicanoris, & omnes fugere coëgerunt. Fuga verò tam effusa fuit, ut Judæi ab Emmaunte alios usque ad Gazara (quomodo in *Græco* Maccabaico Bibliothecæ Arundellianæ codice legitur) sive Gadara (ut in *Josepho*) alios in campos Idumææ, alios in Palæstinam, Azotum & Jamniam usque, persecuti fuerint: novissimis omnibus in eâ cæsis, usque ad tria circiter virorum millia. (*Ibid.* 8,--15. *II. Macc.* VIII. 23, 24.)

In his fugitivis fuerunt etiam negotiatores illi, qui nihil de victoriâ dubitantes, regium exercitum secuti spe captivos mercandi, ipsi præda fuere. Pecunias enim eorum Hebræi acceperunt, quibus ipsi emendi fuerant: cúmque eos multùm persecuti essent, receperunt se tempore intercluti. Vesperâ enim à quâ Sabbatum incipiebat appropinquante, quum victi exercitûs arma collegissent, & spolia eis detraxissent; sabbatho vacaverunt, Dei misericordiam ob liberationem tam mirandam celebrantes. (II. *Macc. VIII.* 25, 26, 27.)

Judæos ad spolia sese conferentes cohibuit Judas, quòd eis dimicatio immineret contra Gorgiam, ex irritâ expeditione reversum. Cujus copiæ in monte statim apparentes, quum ex inflammatorum castrorum fumo alteram exercitûs sui partem fugatam percepissent, & Judam cum suis in campo paratum ad prælium viderent; fugerunt omnes in terram alienigenarum. Judas igitur ad castrorum spolia reversus, accepit aurum multum, & hyacinthum & purpuram marinam (à Phœnicum mercatoribus relictas) & divitias magnas. (*I. Macc. IV.* 16,--23.) Ex quibus, parte debilibus, viduis & pupillis erogata, reliqua inter se milites partiti sunt. Communi deinde supplicatione factâ, ut servis suis porrò propitius esset Dominum rogaverunt. (*II. Maccab. VIII.* 28, 29.)

Cum Timotheo & Bacchide Judæi postea congressi, supra viginti millia hostium interfecerunt, munitiones altissimas obtinuerunt, & spolia plurima diviserunt; æquis partibus inter ipsos, & debiles, & pupillos, & viduas, & senes, effectis. Quúmque arma eorum collegissent, accuratè omnia comportârunt in opportuna loca: reliqua verò spolia tulerunt Hierosolyma. Philarchen quoque, qui cum Timotheo erat, interfecerunt; virum sceleratissimum, & qui multùm Judæos afflixerat. Similiter & epinicia ob partam victoriam in patriâ celebrantes, Callisthenem qui sacras portas incenderat, in domunculam quandam confugientem, cremaverunt. Ille verò omnium sceleratissimus Nicanor, gloriosâ veste (quo minùs agnosceretur) depositâ, per mediterranea solitarius fugiens, venit Antiochiam; Judæos, propugnatorem habentes Deum, invictos fuisse prædicans. (*II. Maccab. VIII.* 30,--36.)

Lysias, ex iis qui effugerant suorum cladem rescíscens, confusus est; quòd ea non evenissent Israëlitis quæ voluerat, & quæ Rex ipsi mandaverat. (*I. Maccab. IV.* 26, 27.)

Sequente igitur anno (regni Græcorum 145°.) cum sexaginta millibus lectissimorum peditum & quinque millibus equitum per Idumæam in Judæam irruit. Cui habenti castra ad Bethsuram (in Judææ termino) Judas Maccabæus cum decem millibus occurrit; &, invocato priùs publicè auxilio Dei, prælium cum hostibus commisit. Ubi cùm Lysias videret Judæos contemptu mortis quasi furentes hostium globos perrumpere, & suos in fugam jam conversos esse, quinque circitèr millibus amissis; Antiochiam rediit, novam expeditionem majore apparatu molituros. (*I. Maccab. IV.* 28,--35.) 4549 165

Antiochus Epiphanes adversùs Artaxiam regem Armeniorum, qui de Orientis partibus movebatur, expeditione susceptâ, plurimos de ejus exercitu interfecit, ipsúmque Artaxiam cepit. (*Appian. Syriac. pag.* 117. *&* 131. *Porphyr. apud Hieronym. in Daniel. cap.* 11.)

Cùm Prusias Bithyniæ rex Eumenem Pergamenum, Romanis aliâs ob inventas litteras societatis ab eo cum Perseo contra ipsos initæ indices satis suspectum, non solùm ipse omni studio accusâvisset, sed etiam Galatas & Selgenses & multos alios Asiæ populos ad faciendum idem impulisset: Attalus & Athenæus à fratre Eumene Romam missi, non solùm omnia quæ objiciebantur crimina coram Senatu diluerunt; sed etiam honoribus aucti in patriam redierunt. At non propterea suspicionem dudum conceptam adversùs Eumenem & Antiochum remisit Senatus: sed C. Sulpicium Gallum & Marium Sergium legatos misit, qui de consiliis Antiochi atque Eumenis accuratè inquirerent; nunquid bello necessaria appararent, ac societatem adversùs Romanos junxissent. (*Polyb. legat.* 106. *Diodor. Sicul. legat.* 21.)

C. Sulpicius Gallus in Asiam delatus, edicta per celeberrimas civitates imprudenter proposuit, quibus jubebat ut quicumque Eumenem regem accusare vellet, ad diem certum Sardibus præstò esset. Ipse cùm Sardes venisset, positâ in gymnasio sellâ, per decem dies audiendis accusatoribus vacavit, omnis generis probra ac convicia in Regem libentissimè admittens, omnémque criminandi ansam amplectens; quippe qui ingenio esset vano, atque ex dissensione cum Eumene gloriam captaret. (*Polyb. lib.* 31. *in Excerpt. Valesii, pag.* 145.)

Judas Maccabæus & fratres ejus, quum primum se viderunt ab hostibus quiescere, cum castris universis ascendentes Hierosolyma, templum & civitatem (exceptâ arce Sionis) receperunt. Aras autem quæ per forum ab alienigenis fuerant exstructæ & delubra demoliti sunt. Imperavitque Judas certis hominibus ut oppugnarent eos qui erant in arce Sionis, donec Templum emundaret; cujus conspecta desolatio vehementissimum luctum omnibus præsentibus concitaverat. (I. *Maccab.* IV. 36,–41. II *Macc.* X. 1, 2.)

3840 *a.* Sacerdotes legis studiosi, à Judâ delecti, mundaverunt Sanctuarium, lapides contaminatos in locum immundum extulerunt, altare holocausti a gentibus pollutum demoliti sunt, (lapidibus illius in monte domus Dei repositis, donec veniret Propheta qui doceret quid de illis fieri oporteret) ex integris lapidibus & ferro intactis juxta Legem [*Deuteron.* XXVII. 5, 6.] altare novum priori simile extruxerunt, Sanctum & Sanctum Sanctorum instaurârunt, atria sanctificaverunt, factisque novis instrumentis sacris, intulerunt candelabrum & altare suffitruum & mensam in Templum. Ita suffitrum fecerunt in altari, & accendecunt lucernas candelabro impositas, & imposuerunt mensæ panes propositionis, extenderúntque vela: & consummaverunt omnia opera quæ curaverant. (I. *Maccab.* IV. 42,–51. II. *Maccab.* X. 3.)

Tum surgentes manè 25. die mensis 9. (Cisleu vel Chasleu dicti,) anno regni Græcorum 148, quum lapidibus attritis ignem ex eis accepissent, obtulerunt sacrificium ex lege in altari holocaustorum novo, (*I. Maccab.* IV. 52, 53. II. *Maccab.* X. 3.) biennio, postquàm Judas patri Mattathiæ in principatu successerat: justo verò triennio, postquàm à gentibus ibi sacrificari cœptum est. Eodem enim ejusdem mensis die, & ab illis vetus altare contaminatum, & à Judâ novum dedicatum fuit. (I. *Maccab.* IV. 54. II. *Maccab.* X. 3, 5. *Joseph. lib.* 12. *cap.* 11.)

Celebrata autem est Dedicatio illa canticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis, cum lætitiâ magnâ. Et universus populus cecidernnt proni in terram, & adoraverunt, & benedixerunt Deo cœli, qui prosperum successum eis dederat; togantes eum, ne amplius in ejusmodi mala inciderent; sed si quando etiam peccarent, ut ab ipso cum benignitate corriperentur; ac non blasphemis barbarisque gentibus traderentur. Et celebrârunt dedicationem altaris per dies octo: obtulerúntque holocausta cum lætitiâ, & sacrificium salutis (sive pacificum) & laudis. Et ornârunt partem anteriorem templi coronis aureis & scutulis: & instaurârunt portas & pastophoria (sive conclavia ad latera Templi posita,) fecerúntque eis januas. (I. *Macc.* IV. 54,–58. II. *Macc.* X. 4, 6.)

Deinde statuit Judas ejúsque fratres & tota ecclesia Israëlis, ut in totâ Judæorum gente quotannis agerentur dies dedicationis altaris per dies octo, à 25 mensis Chasleu; cum lætitiâ & gaudio. (I. *Maccab.* IV. 59. II. *Maccab.* X. 8.) postquàm ipsi dies illos octo egissent ad formam festi Tabernaculorum; recordantes, quòd non ita pridem solennitatis illius tempore in montibus & speluncis ferarum modo delituissent. Quapropter thyrsos & ramos pulchros & palmas ferentes, hymnos canebant ei qui prosperum illis successum dederat ad purificandum locum suum. (II. *Maccab.* X. 6, 7.) Unde & in litteris Senatûs Hierosolymitani ad Judæos Ægyptienses appellantur illi dies Scenopegiæ sive Tabernaculorum mensis Chasleu. (II. *Maccab.* I. 9, 18.) In Evangelio, Johann. X. 22. *Encænia* nominantur: à Judæis etiam *Luminum* festivitas. vel quòd præter opinionem tanta religionis libertatisque propemodùm extinctæ lux illis affulsisset; (ut in lib. XII. Antiqu. cap. 2. *Josephus* innuit;) vel ἀπὸ τῆς λυχνοκαΐας, quòd & tunc lucernarum lumen Templo restituissent, (I. *Maccab.* IV. 49, 50. & II. *Maccab.* X. 3.) & ad hunc usque diem in Synagogis suis hos dies peculiari lucernarum apparatu celebrare in more illis sit positum.

Eodem quo templum instaurârunt tempore, etiam in monte Sionis circumquaque muros altos & turres munitas ædificaverunt: ut hostes (præsidiarios illos præcipuè in arce positos) cohiberent, ne Templum suâ excursione infestarent. Bethsuram quoque, quinque tantùm stadiis inde distantem, (II. *Maccab.* XI. 5.) muniverunt; ut ex adverso Idumææ populus haberet præsidium. (I. *Maccab.* IV. 60, 61. *cum* VI. 7, 26.)

b. Quum audissent gentes in circuitu ædificatum esse altare dedicatúmque sanctuarium, ægerrimè id tulerunt: ineunteíque consilium de tollendo genere Israelitico, eos qui inter ipsas degebant cœperunt occidere. (I. *Maccab.* V. 1, 2.) 4550 164

Antiochus Epiphanes, superiores (ultra Euphratem) regiones peragrans, audivit in Persidâ Elymaidis urbem (a secundi libri Maccabaici scriptore *Persepolim* nominatam) illustrem fuisse divitiis, & in ea Templum (quod *Elymæa Veneri* dicatum tradit *Appianus*, in Syriacis pag. 131. *Diane* verò in Elymaide, *Polybius* & *Diodorus*; apud *Josephum*, lib. 12. cap. 13. & *Hieronymus* in Daniel. cap. 11. cum Excerptis Valesii, pag. 145.) fuisse opulentissimum; ibique fuisse tegumenta aurea, & thoraces, & arma, ab Alexandro magno Philippi filio relicta. Cúmque ille, prædæ avidus, urbem & fanum diripere vellet; cives, armis correptis, eum fugaverunt & turpiter gradum inde referre coëgerunt. (I. *Maccab.* VI. 1,–4. II. *Maccab.* IX. 1, 2.)

Quum autem esset ad Ecbatana, de re à Nicanore & Timotheo in Judæâ malè gestâ ad eum perlatus est nuncius: indéque Babylonem versùs iter faciens, in finibus Persidis etiam de Lysiæ ingenti exercitu ibidem fugato, de Jovis Olympii idolo ab æde Hierosolymitanâ sublato, de Sanctuario & Bethsurâ munitione firmatis, similiter audiit. Itaque furore percitus arbitrabatur etiam eorum à quibus fugatus fuerat malum in Judæos se retorsurum: ac propterea aurigam jussit indesinenter pergentem profectionem perficere; superbè jactitans, cœmeterium Judæorum se effecturum Hierosolyma, quum illuc veniret. [I. *Maccab.* VI. 4,–7. II. *Maccab.* IX. 3, 4.] Quò referenda & illa *Taciti*, de gente sanctâ improbè sentientis, in libro Historiarum V. *Rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est.*

Vix superbum sermonem finierat Antiochus, cùm apprehendit eum immedicabilis viscerum

dolor,

d by Google

dolor, & acerba intestinorum tormenta. Nec magis tamen animo fanior illâ ægritudine corporis effectus, furorem adhuc in Judæos spirans, accelerari profectionem jussit. Sed dum magno currus ageretur impetu, ex eo ille decidit; gravique casu omnia corporis membra distorta & collisa sunt. Cúmque è terrâ elevatus gestatorio ille portaretur: de corpore ejus vermibus scaturientibus, viventis carnes deciderunt: ita ut ob intolerabilem odoris gravitatem nemo exportare illum posset, eóque putore totus gravaretur exercitus. (II. *Maccab.* IX. 5,—10.) Unde iter Babylonicum intermittere coactus, in Persidis opido Tabis subsitit: ut ex Polybio (*in Excerptis Valesii, pag.* 144.) & Hieronymo (*in cap.* 11. *Danielis,*) intelligitur. ubi lecto affixus, complures dies hæsit. (*I. Macc.* VI. 8, 9.) φθίνων & tabe diffluens. (*Appian. Syriac. pag.* 131.)

6. A vernæ tempestatis exordio iniit annus regni Græcorum CXLIX, in primo Maccabæorum libro usurpatus.

Quum brevi se moriturum arbitraretur Epiphanes, convocatis omnibus amicis suis, agnovit ob injurias Judæis illatas dira illa se pati, & nunc perire dolore magno in terrâ peregrinâ. (I. *Maccab.* VI. 10,—13.) Quúmque ne suum quidem odorem posset perferre, dixit, *Justum esse Deo subjici, cúmque qui mortalis esset non paria Deo arroganter sapere.* Et orans Dominum, vovit se Hierosolymitanis & Judæis omnibus αὐτονομίαν concessurum, (ut suis deinceps legibus propriisque institutis liberè uterentur,) Templum elegantissimis donariis ornaturum, sancta vasa omnia quamplurimùm aucta redditurum, convenientes ad sacrificia sumptus ex reditibus propriis suppeditaturum, Judaicæ religioni ipsum se addicturum, & aditurum omnem locum habitabilem annuncianteм robur Dei. Sed quum nequaquam laborioli dolores delinerent; benevolentissimis ad Judæos scriptis litteris, deprecatus eos est, ut sibi & filio suo Antiocho, quem (patris exemplo) vivens regem jam designaverat, fidem servarent. (II. *Maccab.* IX. 11,—27.)

Tum vocans Philippum amicum, qui cum ipso fuerat educatus, (ὃ συντροφος αὐτῷ, ut in II. *Maccab.* IX. 29. appellatur) constituit eum super totum regnum: & dedit ei diadema, & stolam suam, & annulum; ut adductum filium suum Antiochum (ex Antiochiâ, ubi cum eum Lysiâ reliquerat) enutriret (utpote novennem adhuc, ut ex Appiano anteà notatum) ad regnandum. Ita mortuus est rex Antiochus, anno regni Græcorum 149. (*I. Maccab.* VI. 14, 15, 16.) obitu miserrimo, in terrâ peregrinâ, in montibus. (II. *Maccab.* IX. 28.) Paratacenis sc. circa Babyloniam: ubi *Tabas* opidum fuisse, ex Curtii libro 5. docet hîc Grotius. de quo *Polybius*, libro 31. (*in Excerptis Valesii, pag.* 144.) Ἐν Τάβαις δ' Περσίδος ἐξέλιπεν ἑαυτὸν ὁ βίος ἀπορίᾳ, ὡς ἔνιοί φασι διὰ τὸ ἱερόσυλόν τινας ἐπιπεμφθῆναι καὶ διαφθεῖραι αὐτόν· ὁ δὲ περὶ τὸ προσπεμφθέντα (Ἀρτέμιδος) ἱερὸν παραπολέσθαι. Et ex *Polybio* quidem & *Diodoro* refertq, in Danielis cap. 11. scribens *Hieronymus*, Antiochum *quibusdam phantasiis atque terroribus versum in amentiam, ac postremùm morbo interiisse; quia templum Dianæ violare conatus esset.* quum miles ipse coram amicis omnibus mala ista se passum fuerit profetsus; quòd ex Hierosolymitano templo *omnia vasa aurea & argentea abstulisset, & misisset qui tollerent è medio habitatores Judæa sine causa.* [I. *Maccab.* VI. 12, 13.]

Mortui cadaver exportavit Philippus: qui etiam metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit. [II. *Maccab.* IX. 29.] copias sibi comparaturus contra Lysiam: qui, Epiphanis morte cognitâ, *Antiochum* filium ejus pro eo in regnum suffecit, quem adolescentem educaverat, cúmque *Eupatorem* nominavit. (I. *Maccab.* VI. 17.) Quo cognomento à Syris, propter patris virtutem, fuisse eum compellatum scribit *Appianus*: puerum à Lysiâ educatum fuisse, etiam confirmans. (*in Syriac. pag.* 117.]

Antiochus Eupator, susceptο regno, Lysiam universi regni præfecit negotiis, speciatim verò Cœlesyriæ & Phœniciæ primarium ducem cum constituit. Ptolemæus enim Macron, Dorymenis filius, qui eo munere sub Antiocho Epiphane functus fuerat (II. *Maccab.* VIII. 8. *cum* I. *Maccab.* III. 38.) quum jus Judæis conservare studeret, consideratâ injuriâ quæ ipsis facta fuerat, & res illorum cum pace transigere conaretur; ob hoc apud Eupatorem ab amicis accusatus, & quòd Cyprum fidei suæ à Philometore commissam Antiocho Epiphani tradidisset proditor identidem appellatus, hausto veneno vitam finivit. [II. *Maccab.* X. 11, 12, 13.] Cujus hoc apud Polybium [*in Excerptis Valesii, pag.* 126.] extat elogium. Πτολεμαῖος ὁ στρατηγὸς ὁ κατὰ Κύπρον γενόμενος Αἰγυπτιακὸς μὲν οὐκ ἦν, ἀλλὰ πολιτικὸς καὶ φρονιμώτατος. *Ptolemæus præfectus Cypri nullâ re Ægyptius fuit, sed prudens ac strenuus inprimis.*

Gorgias verò, cùm esset dux locorum circa Judæam milites habebat mercede conductos & quotidie contra Judæos bellum fovebat. Et huic conjuncti etiam Idumæi opportunas munitiones obtinentes exercebant Judæos; & apostatas Hierosolymis profugos excipientes, bellum ducere tentabant. [II. *Maccab.* X. 14, 15.]

Judas igitur Maccabæus in Acrabbatenâ Idumææ regione cum filiis Esau, qui Israëlitas circumsederant, bellum gessit: & impetu in munitiones eorum facto, loca obtinuit, non minùs viginti millibus interemit, & cepit spolia eorum. [I. *Maccab.* V. 3. II. *Maccab.* X. 16, 17.]

Et recordatus est malitiæ filiorum Beanis, qui populo insidiari fuerant per vias. Hi cum novem millibus in duas munitissimas turres confugerunt, quæ habebant omnia ad obsidionem ferendam necessaria. Ipse igitur Maccabæus ad loca quæ magis perurgebant secedens, fratrem suum Simonem cum Josepho & Zacchæo ad obsidionem illorum reliquit. Verùm qui cum Simone aderant, pecuniæ avidi, acceptis ab iis qui in turribus erant 70. drachmarum millibus, permiserunt quosdam elabi. Quod resciscens Maccabæus, proditores illos coram populi principibus convictos interfecit: & confestim duabus turribus occupatis, eas cremavit, & internecione in eis delevit plusquàm viginti millia. (I. *Maccab.* V. 4, 5. II. *Maccab.* X. 16—23.)

Inde ad Ammonitas transivit: ubi reperit manum fortem, & populum multum, cum Timotheo duce ipsorum. Et commisit cum eis prælia multa, & percussit eos: captâque Jazer & pagis ejus, reversus est in Judæam. [I. *Maccab.* V. 6, 7, 8.)

Timotheus, qui priùs à Judæis superatus fuerat, congregatis exteris copiis quamplurimis, & equitibus non paucis ex Asiâ collectis, advenit quasi armis Judæam capturus. Maccabæus verò & qui cum illo erant, post gravem humiliationem & divini nominis invocationem Hierosolymis excedentes, procul ab urbe cum illis congressi sunt: & cœlestibus quorundam equitum pro se pugnantium apparitionibus confirmati, 20500. pedites & 600. equites interfecerunt. Ipse verò Timotheus in munitissimum præsidium, *Gazara* dictum, ubi frater ejus Chæreas dux erat, confugit: eóque demùm expugnato, è foveâ quâdam in quâ se occultaverat eductus, simul cum fratre & Apollophane jugulatus est. (II. *Macab.* X. 24, — 38.)

Trocmi, Galatarum gens, Cappadociam frustrà aggressi, cùm nullam illius partem occupare potuissent, ad Romanos confugientes, regem Ariarathem in odium illorum adducere sunt conati. A quibus ad Regem missa est legatio: cujus princeps erat Marcus Junius. [*Polyb. legat.* 108.]

3841 *a* Ab autumno initi annus æræ Contractuum sive Dhilkarnain, à secundi libri Maccabæorum collectore receptæ, CXLIX. æræ verò Chaldæorum, in Principum Rescriptis. (*Ibid. cap.* 21.) & magnâ Ptolemæi Syntaxi (*lib.* 9. *cap.* 7. *& lib.* 11. *cap.* 8.) usurpatæ, annus CXLVIII. qui & Sabbaticus fuit.

Gentes quæ erant circa regionem Galaaditidem congregatæ sunt adversùs Israëlitas qui erant in finibus ipsorum, ad tollendum eos è medio. Et ex Tubienis Judæis, terram Tobi (*Judic.* XI. 3.) incolentibus, circiter mille viros interfecerunt: & captivas abduxerunt uxores & liberos, cum ipsâ suppellectile eorum. Cúmque illi Galaaditidos Israëlitæ in Dathema munitionem confugissent: Timotheus (alius ab illo quem cum fratre Chæreâ occisum fuisse jam diximus) ad eos obsidendos cum exercitu perrexit. Eodémque tempore & alii ad perdendos Galilæos è Ptolemaide, Tyróque & Sidone, atque universâ Galilæâ alienigenarum, convenerunt. (I. *Macab.* V. 9, — 15.)

Galaaditis & Galilæis tempestivum auxilium à Judâ & fratribus ejus expetentibus, ille, cum populo Hierosolymis deliberatione habitâ, in tres partes copias suas divisit: Simoni fratri ter mille viros ad Galilæos, sibi & Jonathani fratri octies mille ad Galaaditas liberandos, deputavit: residuum exercitum cum Josepho Zachariæ filio & Azariâ ducibus populi ad Judææ custodiam reliquit: mandato dato, ne cum gentibus committerent prælium, donec ipsi reverterentur. (*Ibid.* 16,--20.)

Profectus igitur in Galilæam Simon, cum gentibus multa commisit prælia, persecutúsque est eas usque ad portas Ptolemaidis: & ceciderunt ex illis circiter tria millia virorum, quorum accepit spolia. Et assumens qui erant in Galilæâ, & in Arbattis (ערבות h. e. locis planis & campestribus) cum uxoribus & liberis, & quæcunque illis erant, abduxit in Judæam cum lætitiâ magnâ. (*Ibid.* 21, 22, 23.)

Priusquàm verò Judas ad Galaaditas perveniisset, multi eorum comprehensi sunt in Bossora, Bosor, Alemis, Chasphor, Maced, Carnaïn, & cæteris urbibus Galaaditis. (*Ibid.* 26. 27.)

Cùm Judas & frater ejus, trajecto Jordane, per Arabiam desertam tridui itinere fuissent profecti, Nabatæi pacificè occurrentes narraverunt illis quæ Galaaditis acciderant; ac postridie statuisse hostes, castris locatis contra munitiones, illas capere & omnes qui in iis erant è medio tollere die uno. Unde Judas cum exercitu subitò convertit iter per desertum ad Bosor, captâque urbe masculos omnes occidit, acceptisque omnibus eorum spoliis, ipsam incendit. Et abiens inde nocte, ad munitionem usque profectus est. Cúmque illucescente die machinæ ad eam oppugnandam admoverentur, clamórque civitatis in cœlum tolleretur; qui cum Judâ erant procedentes tribus ordinibus à tergo hostium, clanxerunt tubis & inclamaverunt oratione. Agnoscentia verò castra Timothei Maccabæum esse, fugerunt à conspectu ejus: percussitque eos plagâ magnâ, adeò ut ceciderint ex illis die illo ad octies mille viri. Pòst deflexit ad Masphan: eâque captâ, masculos omnes occidit, acceptisque spoliis eam incendit. Atque inde movens cepit Chasphor, Maced, Bosor, & reliquas civitates Galaaditidis. (*Ibid.* 24, — 36.)

Dum Judas & Jonathan essent in Galaaditide, & Simon in Galilæâ ex adverso Ptolemaidis; Josephus Zachariæ filius & Azarias, ad custodiam Judææ relicti, auditis eorum strenuis factionibus, ut & ipsi tale nomen sibi compararent, contra acceptum mandatum ad pugnandum cum gentibus Jamniam exercitum deduxerunt. Egressus verò cum suis ex urbe Gorgias, usque ad fines Judææ eos fugavit: ceciderúntque eo die ex populo Israëlitico ad duo millia virorum. (*Ibid.* 55,--62.)

b. Lysias regis Eupatoris tutor & cognatus, regnique negotiis præfectus, ægerrimè ferens ea quæ facta fuerant, congregatis quasi 80. millibus, & equitatu universo, atque 80. elephantis, contra Judæos profectus est: statuens se & Hierosolymam Græcorum habitaculum, & Templum vectigale, & summum Sacerdotium vænale quotannis effecturum. Judæam igitur ingressus, Bethsuram in munito agro quasi quinque stadiis ab Hierosolymis positam arctâ cinxit obsidione. Cui occurrens, Angelo ducente, Maccabæi exercitus, hostium undecim millia prostravit, & 1600. equites. Reliqui verò omnes, cum ipso Lysiâ in fugam acti sunt: quorum plurimi vulnerati, armis nudati evaserunt. (II. *Macab.* XI. 1, — 12.) 4552 163

Reputans secum Lysias damnum quod acceperat, & pro Judæis Deum pugnare intelligens, legatos ad eos de pace misit; æquis ejus conditionibus se consensurum pollicitus, & ut Rex eis amicus esset effecturum. Maccabæus publicæ utilitati consulens, assensit; & scripto per Johannem & Absalomum misso, quid pro Judæis postularet significavit: quæ à Rege concessa sunt omnia. (*Ibid.* 13, 14, 15.) Extant eâ de re litteræ, tum Antiochi regis ad Lysiam, (*Ibid.* 22,--26.) tum ad Judæos Lysiæ, datæ anno (æræ Chaldæorum) 148, die 24. mensis qui in Græcis codicibus *Dioscorinthius*, in Latinis *Dioscorus* scriptus est. (*Ibid.* 16,--21.) Is

autem

autem in anno Chaldaico mensis embolimus fuisse videtur, inter Dystrum & Xanthicum (quo sequentes Regis & Romanorum ad Judæos de eâdem pace scriptæ sunt litteræ) interpositus: qui idcircò in editione Græcâ libri Estheræ (in Bibliothecâ nobilissimi Comitis Arundellii conservatâ) mensis *Adar-nisan* & *Dystri-xanthici*, apud posteriores Hebræos *Veadar* sive alterius Adar, nomen obtinet. Quanquàm Syrus noster secundi libri Maccabaici interpres, pro eo, *Tisrin posteriorem* Syrorum hic substituerit.

Anno eodem (æræ Chaldaicæ) 148, mensis Xanthici (item Chaldaici) die 15, ad populum Judæorum datæ habentur litteræ; & ab Antiocho rege, (II. *Maccab.* XI. 27,—35.) & à Quinto Memmio & Tito Manlio (al. Manio, vel Manilio) Romanorum legatis, qui eo tempore Antiochiam ad Regem proficiscebantur. (*Ibid.* 34,—38.) quos & Lysias, pactionibus hisce peractis, eódem secutus est. (II. *Maccab.* XII. 1.)

c. Sub veris initium cœpit annus regni Græcorum CL, quo primi libri Maccabaici scriptor est usus.

Demetrius Selenci Philopatoris filius, quum multos jam annos obses Romæ esset detentus, & jam annum ætatis 23 attigisset; à Senatu postulavit ut per populum Romanum in regnum patrium, à patrui sui Antiochi Epiphanis filio injustè occupatum, restitueretur: Romam patriam sibi & altricem, omnes Senatorum filios instar fratrum, ipsos Senatores loco patrum esse affirmans. Patres tamen, conducibilius rebus suis existimantes regi Syriam à puero quàm à viro, Demetrium esse detinendum, & puero quem Antiochus reliquerat regnum firmandum, communi consensu decreverunt. Statim verò legatos, Cn. Octavium, Spurium Lucretium, & L. Aurelium, ad regnum illud administrandum ex voluntate ipsius Senatûs, miserunt: neminem impedimento fore credentes, Rege puero, & principibus aulæ bene agi secum putantibus, si Romani Demetrio regnum non traderent; quod futurum existimabant. Cumque audissent multos elephantos esse in Syriâ, & naves aliquot supra definitum Antiocho numerum: legatis mandaverunt, ut & naves comburerent, & elephantis nervos inciderent; & uno verbo, regias opes quàm maximè possent imminuerent. (*Polyb. legat.* 107. *Appian. Syriac. pag.* 117. *Zonar. ex Dione. Justin. lib.* 34. *cap.* 3.)

Præterea mandatum illis est, ut Macedones inviserent: qui popularis status insolentes, publici concilii usum nullum habebant, & seditiones inter se agitabant. Jussi etiam fuerunt legati, res Galatarum & Ariarathis regnum diligenter invisere. (*Polyb. ibid.*) Cum Junio verò & prioribus legatis pro tempore locutus Ariarathes, quòd prolixâ humanitate eos accepisset, suas ipsius laudes prædicantes dimisit. (*Id. legat.* 108.)

Inter Euparorem & Judæos inita pax statim rupta est. Ex ducibus enim qui in vicinis locis erant, Timotheus, Apollonius Gennæi filius, Hieronymus, Demophon, & Nicanor Cypriarches, non sinebant Judæos quiescere. Joppenses quoque non minùs quàm ducentos eorum qui secum habitabant in navigia sua pellectos & in altum perductos submersérunt. (*II. Maccab.* XII. 1, 3, 4.)

Judas Maccabæus, crudelitate hâc intellectâ, Joppensium portum nocte incendit, & scaphas concremavit, & confodit eos qui illuc confugerant. Accipiens quoque Jamnienses simile facinus in Judæos secum habitantes patrare voluisse; nocte portum eorum cum classe succendit: adeò ut Hierosolymam usque, 240 stadiis inde distantem, flammæ splendores apparerent. (*Ibid.* 5,—9.)

Inde stadiis novem adversùs Timotheum proficiscentem Judæ exercitum Arabes Nomades aggressi sunt, non pauciores 5000 peditibus & 500 equitibus. Ubi commissâ validâ pugnâ, superati Arabes, promittentes se & pecora daturos & reliquis in rebus fore ipsis adjumento, à Judâ pacem impetraverunt. (*Ibid.* 10, 11, 12.)

Casphin civitatem, ponte munitam & muris circumseptam & promiscuis gentibus habitatam, Judæ milites vi ceperunt: tantâ civium strage editâ, ut adjacens lacus stadiorum duorum latitudinis perfusus sanguine plenus videretur. (*Ibid.* 13,—16.)

Inde profecti stadia 750, Characem pervenerunt ad Judæos qui (Tobi terram incolentes) Tubieni dicebantur. A quibus locis Timotheus re infectâ tum discesserat, præsidio valde firmo ibi relicto. Quod Judæ duces Dositheus & Sosipater aggressi, eorum qui à Timotheo ibi fuerant relicti plures quàm decem mille peremerunt. (*Ibid.* 17, 18, 19.)

Post hæc congregavit Timotheus exercitum alium ex circumjacentibus omnibus gentibus & mercede conductis Arabibus: 120 millium peditum, & 2500 equitum. Dimissisque uxoribus & liberis & apparatu reliquo in locum qui dicebatur Carnion vel Carnaim, (erat enim difficilis obsessu & aditu propter locorum omnium angustiam:) castrametatus est contra Raphon, trans torrentem. Quem prior cum omnibus copiis suis trajiciens Judas, gentes illas omnes fugavit: aliis aliò delatis; adeò ut sæpe læderentur à suis, & gladiorum mucronibus configerentur. Itaque persecutioni instans maximâ contentione Judas, confodit ex eis ad 30. virorum millia. (I. *Maccab.* V. 37,—43. II. *Maccab.* XII. 20,—23.)

Ipse verò Timotheus in agmen Dosithei & Sosipatri incidens, postulavit cum multis veteratoriis artibus, ut se vivum dimitterent: eo quòd multorum & parentes & fratres haberet, quorum nulli parceretur, si ipsum occiderent. Quúmque fidem dedisset ille se eos illæsos restituturum; dimiserunt eum propter salutem fratrum suorum. (II. *Maccab.* XII. 24, 25.)

Progressus inde Judas ad urbem Carnaim & fanum Atargatæ in eâ positum, quò plurimi confugerant; incenso fano cum omnibus qui in eo erant, & eversâ urbe, jugulavit hominum 25. millia. (I. *Maccab.* V. 43, 44. II. *Maccab.* XII. 26, 27.)

Tunc abduxit Judas omnes Israëlitas qui erant in Galaaditide, cum uxoribus liberisque & supellectili eorum, ut venirent in Judæam. Et venerunt Ephronem usque: quæ urbs magna

& munitiſſima erat in ipſo ingreſſu ; in quâ omnium nationum turbæ habitabant, & adoleſcentes robuſti ad muros conſtituti eam fortiter propugnabant, ubi denique machinarum telorúmque multi apparatus erant. Cúmque per medium ejus Judæ & exercitui ejus neceſſariò tranſeundum eſſet, & excluderent eos cives, atque lapidibus portas obſtruerent: oppugnârunt illi urbem totum illum diem totámque noctem, eámque ſubjugatam radicitùs everterunt ; & acceptis ſpoliis ejus, atque omnibus maſculis ad 25. millium numerum gladio interemptis, ſuper occiſos per eam tranſiverunt. [I. *Maccab. V.* 45,--51. *II. Maccab. XII.* 27, 28.]

Inde trajecerunt Jordanem in campum magnum, ex adverſo Bethſanis, [I. *Maccab. V.* 52.] quæ Græcis dicta eſt Scythopolis, [*Joſeph. lib.* 12. *cap.* 12.] ſtadiis 600. diſtans Hieroſolymis. Cúmque in eam irruerent ; teſtantibus Judæis qui illic erant, quâ benevolentiâ Scythopolitæ in eos uſi eſſent, & quàm benignâ converſatione adverſis temporibus, gratias eis agebant, & ut in reliquum tempus erga gentem benigni eſſent hortabantur. [II. *Maccab. XII.* 29, 30, 31.]

Judas verò agens extremam aciem, adhortabatur populum in totâ viâ, donec in Judæam veniſſet. [*I. Maccab.* V. 53.] Venerunt autem Hieroſolyma, quum jam propinqua Pentecoſte eſſet: [*II. Maccab. XII.* 31.] & aſcenderunt in montem Sionis cum lætitiâ & gaudio, obtuleruntque holocauſta; eo quòd non cecidiſſet ex ipſis ullus, donec reverſi eſſent cum pace. [*I. Maccab.* V. 54.]

Poſt Pentecoſten Judas & fratres ejus, cum 3000. peditum & 400. equitum comitatu, proceſſerunt, cum Gorgia Idumææ duce pugnaturi. (II *Maccab. XII.* 32, 33. *cum* I. *Macc.* V. 65.)

In illâ pugnâ pauci ex Judæis ceciderunt : Doſitheus verò quidam eques ex turmâ Baccenoris, vir potens, quum teneret Gorgiam & captum chlamyde fortiter eum abduceret, delatus in eum quidam Thrax eques humerum amputavit ei ; atque ita ſceleſtus Gorgias effugit in Mariſa. Cùm autem illi qui Eſdrin (unum è Judæ ducibus) ſequebantur diuturnâ pugnâ fatigarentur ; invocans Judas Dominum, & incipiens ſermone patrio clamorem hymnis conjunctum, Gorgiæ milites ex improviſo aggreſſus eſt, eóſque in fugam vertit. (II. *Maccab. XII.* 33,--37.)

Tum Judas collecto poſt victoriam exercitu, in proximam civitatem Odollamum venit : ubi ſuperveniente die ſeptimo purificati ſabbathum tranſegerunt. Poſtridie verò quum Judæ milites corpora illorum qui in pugnâ ceciderant ad ſepulturam tollerent, invenerunt ſub tunicis cujuſque eorum donaria Jamnienſium idolis dicata ; quæ Judæis lex [*Deuteron. VII.* 25, 26.] prohibuerat : adeò ut omnibus fieret manifeſtum, iſtos propter hanc cauſam cecidiſſe. Ad ſupplicationem igitur converſi ſunt, *αξιώσαντες τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι*, rogantes ut commiſſum iſtud peccatum, perfectè deleretur, vel (ut codex Arundellianus & Aldina habet editio) *ἐξίουν μὴ διὰ τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλειφθῆναι*, rogabant ut non propter commiſſum iſtud peccatum omninò delerentur : & collatitiâ pecuniâ *duorum* (vel *trium*, ut Græcus Arundellianus & Syriacus meus codex, vel *duodecim*, ut Latina habent exemplaria) millium drachmarum argenti Hieroſolymam miſsâ, ſacrificium pro peccato offerendum curabant. (*Ibid.* 38,--43.)

d. Deinde progreſſus Judas cum fratribus ſuis, debellavit filios Eſau in regione (Judææ) meridianâ, & percuſſit Hebronem cum pagis ejus, & ſublatâ munitione illius turres ejus incendit circumquaque. Inde movit ut proficiſceretur in terram Allophylorum, & tranſivit per Samariam. Quo tempore ceciderunt ſacerdotes aliqui in prælio cùm vellent ſtrenuè agere, & inconſultò prodiiſſent ad pugnam. Tum deflexit Judas Azotum versùs, in terram Allophylorum ſive Philiſtæorum ; & evertit aras eorum, & ſculptiles deos combuſſit : cúmque cepiſſet ſpolia civitatum, in Judæam reverſus eſt. (*I. Maccab. V.* 65,--68.)

Ibi, quum præſidiarii Antiochi milites qui Hieroſolymis in arce erant concluderent Iſraëlitas circa Sanctuarium, ſtudentes illis ſemper malefacere & firmamento eſſe gentibus ; Judas & totus populus ſimul obſederunt eos anno regni Græcorum 150. paratis in eos baliſtis & machinis. Exeuntes verò nonnulli ex eis qui obſidebantur, quibus adhæſerunt quidam impii Iſraëlitæ, Antiocho Eupatori regi, ut Judæorum creſcenti potentiæ celeriter occurreret, perſuaſerunt. [*I. Maccab. VI.* 18,--27.]

Congregavit igitur Rex omnes amicos ſuos ducéſque exercitûs ſui & magiſtros equitum, unà cum copiis ab aliis regnis & inſulis ſive oris maritimis advenientibus : ita ut eſſet numerus copiarum ejus, 100. millia peditum, 20. millia equitum, & elephanti 32 edocti ad prælium. (*Ibid.* 28, 29, 30.) In Maccabæorum verò libro altero legimus, anno 149. [æræ contractarum ſc.] perlatum eſſe ad Judam Maccabæum ; contra Judæam adventare Antiochum Euparorem, cum Lyſiâ regni procuratore, habentem copias Græcas 110000 peditum, equites 5300, elephantos 22, & falcatos currus 300. [*II. Maccab. XIII.* 1, 2.]

His Menelaus Pſeudo-pontifex ſe commiſcuit ; falsâ ipſe ductus, dignitatem, cujus titulum tantùm gerebat, ab Euparore ſe obtenturum. (*II. Maccab. XIII.* 3.)

Rex Eupator mente exſecratus veniebat, pejora quàm ſub patre ejus facta fuerant erga Judæos peracturus. Quibus Judas cognitis, præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent, ut ſolito præſidio ipſis adeſſet. Deinde communicato cum ſuis conſilio, ſtatuit exire obviam Regi ; & circa Modin caſtra poſuit. (*II. Maccab. XIII.* 9,--14.)

Regius interea exercitus per Idumæam profectus, Bethſuram oppugnavit, adhibitis machinis: quas egreſſi Bethſurani incenderunt, & pugnaverunt viriliter. Judas autem caſtra movit ad Bethzachariam contra caſtra Regis. (*I. Maccab. VI.* 31,32.) Deinde datâ ſuis teſſerâ, DEI VICTORIÆ, cum juvenibus optimis delectis invadens nocte caſtra hoſtium, uſque ad ipſum Regis Prætorium ; ad quatuor virorum millia & elephantem primarium cum his qui ſuperpoſiti fuerant, interfecit : caſtriſque metu ac perturbatione repletis, quum jam dies illuxiſſet, proſperè diſceſſit. (*II. Maccab. XIII.* 15, 16, 17.)

Rex

Rex verò summo mane movit castra impetu Bethzachariam versùs: & comparans se ad prælium, elephantis efferandis uvæ & mororum succum ostendi jussit. Singulis verò belluis (per phalanges distributis) tuendis, milleni probè armari pedites & 500. equites sunt tributi: in turribus ligneis quas unaquæque ferebat erant 32. milites, præter Indum qui ducebat eam. Eratque egregius armorum apparatus: ita ut Sole radios in clypeos aureos æreósque vibrante, vicini colles resplenderent. (*I. Maccab. VI.* 33,–41.)

Judâ & exercitu ejus prælium ineunte, ceciderunt ex castris Regis 600. viri. Tum Eleazar cognomento Savaran (vel Avaran potiùs, Judæ frater; I. *Maccab.* II. 5.) conspicatus elephantem thorace regio loricatum & reliquis belluis eminentiorem; indéque Regem illi insidere existimans; illuc cursu, cæsis hinc & inde hostibus, pervenit: & supponens se ei occidit illum; ipseque simul pondere illabentis bestiæ oppressus interiit. Videntes autem Judæi potentiam Regis, & impetum copiarum, deflexerunt ab eis. (I. *Maccab.* VI. 42,–47.)

Rex ad Bethsuræ obsidionem reversus, modò agebatur in fugam, modò collisus abibat cum damno. Judas verò ad obsessos mittebat res necessarias. Quarum rerum arcana hostibus renunciavit Rhodæus è Judæorum exercitu: sed quæstione habitâ prehensus atque in carcerem conjectus est. Tum Rex secundò cum Bethsuranis sermonem habuit, & ad deditionem eos inflexit. (II. *Maccab.* XIII. 19,–22.) Pacéque factâ, egressi illi sunt ex urbe: eo quòd non esset ibi alimentum ad obsidionem tolerandam; terrâ tum, ob annum sabbaticum, vacante à frugibus. Rex verò, Bethsurâ captâ, præsidium ibi constituit ad servandum eam. (I. *Maccab.* VI. 49, 50.)

Inde Hierosolymam Rex ascendens, contra montem Sionem & Sanctuarium castra posuit dies multos: statuitque illic balistas & machinas tormentáque ad ignem & lapides jaculandos, nec non scorpiones ad tela jacienda & fundas. Quorum machinis obsessi alias opposuerunt machinas, & repugnárunt dies multos. Verùm cibaria illis deerant, eo quòd septimus annus esset; & qui manserunt in Judæâ ex gentibus residua repositorum consumpserant. Sed & residui erant in Sanctuario viri pauci; quia prævalebat eis fames, & dispersi erant quisque in locum suum. (I. *Maccab.* VI. 51,–54. *Joseph. lib.* 12. *cap.* 14.)

Interim Philippus, quem Antiochus Epiphanes filio suo Eupatori tutorem testamento reliquerat & regni negotiis sub eo præfecerat, (Ex Ægypto reversus) è Persîde & Mediâ cum copiis quas Epiphanes ibi reliquerat. (*I. Maccab. III.* 37.) ad jus suum; à Lysiâ occupatum, vi recuperandum profectus est. (*I. Maccab. VI.* 55, 56. *II. Maccab. XIII.* 23.)

Quum hoc audisset Lysias, Regi ducibúsque exercitûs persuasit, ut, (quia deficerent indies, & alimenta essent illis pauca, & locus quem obsidebant munitus, & regni negotia illis incumberent) pacem cum universâ Judæorum gente facerent, & ut patriis legibus sicut antèà uti illis liceret statuerent. (*I. Maccab. VI.* 57, 58, 59.)

Rex & principes à Lysiâ persuasi, miserunt ad obsessos qui pacem facerent; atque eórum desideriis sese accommodantes pacta conventa juramento confirmárunt. Illis deinde è munitione exeuntibus, ingressus Rex montem Sionis, sacrificium obtulit, Templum honoravit, & locum humaniter tractavit. Verùm brevi pòst, quum munitionem loci attentiùs considerasset, violato juramento, mandatum dedit ut murus circumquaque dirueretur. (*Ibid.* 60, 61, 62. cum II. *Maccab.* XIII. 23.)

Rex Maccabæum vel (ut Græcus fert contextus, & Syrus meus habet Interpres) Hegemonidem potiùs ducem sui exercitûs reliquit à Ptolemaide ad Gerrenos usque. (II. *Macc.* 13. 24.) sive ad Ægyptum usque; cujus terminus Gerrus mons à Ptolemæo constituitur.

Veniente Rege Ptolemaidem, Ptolemaidenses (quorum infestum in Judæos animum historia *I. Maccab. XII.* 48. satis testatur) graviter ferebant pacta cum Judâ inita: & indignantes, volebant irritum facere fœdus. Sed accedens ad tribunal Lysias, re commodè defensâ, tumultum sedavit & benevolos cives reddidit. (*II. Maccab. XIII.* 25, 26.) *Josephus*, in fine libri 14. Antiquitatum, Hasmonæorum principatum, usque ad capram ab Herode Hierosolymam & occisum Antigonum, annos 126. duravisse ait; vel, ut apud eundem, libro ejusdem operis 17. cap 8. habet Herodes, uno anno minùs. Contigit verò illud anno ab hoc tempore 126°. Ut ab hoc inter Antiochum & Maccabæum inito pacis fœdere Hasmonaici principatûs initium deductum fuisse videatur.

3842 *a.* Ab autumno cœpit annus æræ Contractuum, quâ 2^i. libri Maccabæorum Collector utitur, C L.

Antiochus Eupator, cum tutore Lysiâ, festinans Antiochiam, (*I. Maccab.* VI. 63. II. *Maccab.* XIII. 26.) Menelaum Pontificem captivum secum abduxit: (*Joseph. lib.* 12. *cap.* 15.) quem ut ficem totius belli Judaici & malorum omnium incentorem Lysias ipsi detulerat. Ille, Regis mandato, Berrhœam Syriæ missus, ibique in turrim cinere oppletam conjectus, dignum vitâ suâ exitum sortitus est. (II. *Maccab.* XIII. 4,–8.)

Impio Menelao, Berrhoæ (ut apud *Josephum* pag. 421. rectè est scriptum; non autem, ut pag. 700. perperàm, Beryti) anno post occupatum primùm ab eo Pontificatum 10° necato, alterum non minùs improbum Rex substituit, Alcimum sive Jacimum dictum; Sacerdotem quidem ex Aaronis progenie, sed alienum à Pontificum cognatione: Lysiâ suadente ut transferret eum honorem in aliam familiam. (*Joseph. Antiquit. lib.* 12. *cap.* 15. *& lib.* 20. *cap.* 8.)

Onias, Oniæ III Pontificis filius videns summum Sacerdotium Alcimo datum, in Ægyptum profectus est: ibique in Ptolemæi Philometoris & Cleopatræ ejus conjugis amicitiam se insinuans, ab eis postèà obtinuit, ut in Heliopolitică præfecturâ Deo templum instar Hierosolymitani extruerent, ipsúmque illic Pontificem constituerent. Ita in Operis Antiquitatum Judaicarum locis jam citatis rem narrat *Josephus*: quod in opere de Bello Judaico (*lib.* 1. *cap.* 1.

& lib. 7. cap. 37. al. 10.) priùs ſcripſerat retractans; Oniæ fugam hanc & Templi Ægyptiaci extructionem vivente Antiocho Epiphane contigiſſe.

Hoc verò tempore inter Ptolemæum Philometorem & fratrem ejus juniorem Ptolemæum Euergetem II. ſummæ exarſerunt inimicitiæ: quas ut pro viribus componerent, à Senatu Romano ad legatos ſuos, Cn. Octavium, Sp. Lucretium & L. Aurelium miſſæ ſunt literæ. (*Polyb. legat.* 107.) Poſtquàm enim ſimul pacificè per ſex annos regnavilſent; Philometori minor frater regnum abſtulit. (*Porphyr. in Græc. Euſeb. Scaligeri, pag.* 14. & 225.)

Ille, regno ſpoliatus, petendi auxilii gratiâ cum paucis admodum ſervis, ſqualore obſitus, Romam profectus eſt. (*Valer. Maxim. lib.* 5. *cap.* 1.) Qui pedeſtri itinere ad Urbem pergens, à Demetrio Seleuci filio agnitus eſt. Is inſperato caſu commotus ſtatim paratâ veſte regiâ cum diademate & equo aureis ornato phaleris, ſtipatus ſuis famulis, Ptolemæo obviam proceſſit; eique viceſimo ſexto ab Urbe lapide occurrit. Quem poſtquàm comiter ſalutavit, hortari cœpit, ut ornatus regiis inſignibus eo quo par erat comitatu Romam ingredi vellet; ne fortè deſpectui haberetur. Sed Ptolemæus prolixam quidem in ſe Demetrii voluntatem multùm laudavit: cæterùm tantum abfuit ut quidquam eorum quæ ſibi offerebantur acciperet, quin potiùs cum rogavit, ut in aliquo ex perviis opidis unà cum Archiâ ſubſiſteret. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii, pag.* 322.)

Romam deinde veniens, in hoſpitium Alexandrini pictoris ſe contulit. Id poſtquàm Senatui relatum eſt, accerſito juvene, quàm potuit accuratâ excuſatione uſus eſt, quòd nec Quæſtorem more majorum obviam miſiſſet, nec publico eum hoſpitio excepiſſet: eáque non ſuâ negligentiâ, ſed ipſius ſubito & clandeſtino adventu facta dixit. Et illum è Curiâ protinùs ad publicos penates deduxit; hortatúſque eſt, ut depoſitis ſordibus adeundi ipſius diem peteret. Quinetiam curæ habuit, uti munera ei quotidie per Quæſtorem darentur. His gradibus officiorum jacentem ad regium faſtigium erexit: effecitque ut plus ſpei in auxilio populi Rom. quàm metûs in ſuâ fortunâ reponeret. (*Valer. Max. ut ſupr.*)

Cn. Octavius & Spurius Lucretius Romanorum legati ad Ariarathem Cappadocum regem venientes, de controverſiâ quam cum Galatis habebat eum allocuti ſunt. Quibus ille paucis rem omnem exponens, in eorum judicio facilè ſe acquieturum dixit. Cæterùm de Syriæ rebus pleraque omnis fuit ejus oratio, quòd ſciret eò pergere Octavium. Oſtendit igitur legatis, & regni illius quàm incertus eſſet ſtatus, & quanta ſibi cum illis neceſſitudo intercederet qui rerum ibi potirentur. Pollicitus item eſt illis, cum copiis ſe eos comitaturum, & paratum intentúmque ad omnem occaſionem futurum, donec abſque omni periculo ex Syriâ eſſent reverſi. Legati ubi ſignificaſſent quàm grata ſibi eſſet hæc regis benevolentia & propenſus animus; in præſentia quidem ejus comitatu opus ſibi non eſſe dixerunt: in poſterum verò ſi quâ in re præſidio opus haberent, illi ſe abſque ullâ cunctatione ſignificaturos; quem inter veteres amicos populi Romani numerarent. (*Polyb. legat.* 108.)

Turbas verò illas in Syriâ ortas rex Eupator, Lyſiæ tutoris ſui operâ, brevi compeſcuit. Cùm enim Antiochiam rediens, Philippum ibi dominantem invenilſet; eum oppugnavit, & urbem vi cepit. (1. *Maccab.* VI. 63.) atque Philippum in poteſtatem ſuam redactum interemit. (*Joſeph. lib.* 12. *cap.* 15.)

b. Tres Romanorum legati, Octavius, Lucretius & Aurelius, prout in Syriam venientes, in mandatis à Senatu acceperant, elephantos interficiendos & naves concremandas curârunt, cæteráque ex Romanorum utilitate adminiſtrârunt. Quod non ferens quidam Leptines, Cn. Octavium legationis principem (qui primus in familiam ſuam, è quâ Cæſar Auguſtus poſteà prodiit, Conſulatum attulit) Laodiceæ, dum ungitur in gymnaſio, ſicâ manu interemit: jure cæſum illum, neque ſine numine deûm id eſſe factum, affirmans. Lyſias Eupatoris tutor (qui præcipuus populi contra Romanos concitator credebatur) Octavium ſepeliit: ſtatimque legatos Regis nomine Romam miſit; qui id facinus purgarent; ejúſque conſcium Regem non fuiſſe oſtenderent. (*Polyb. legat.* 114. & 122. *Cicero, Philippic.* 9. *Appian. Syriac. pag.* 117. *Zonar. ex Dione.*) Marcio & Scipione Conſulibus eædem hanc contigiſſe, confirmat *Julius Obſequens* in libro de Prodigiis. 4552 162

Erat tum apud Syros Iſocrates quidam grammaticus, ex eorum numero qui recitationes publicas habere ſolent: loquax oſtentator, & ipſis quoque Græcis exoſus; ut quem Alcæus in commiſſionibus urbanitate dictorum lacerſere atque irridere fuerit ſolitus. Iſte quum in Syriam veniſſet, ingenia Syrorum habens deſpectui, non continens ſe intra profeſſionis fines, etiam de publicis rebus verba facere & ſententiam ſuam pronuntiare cœpit. Non ſolùm enim jure Civium occiſum fuiſſe dicebat, ſed cæteros quoque populi Romani legatos eſſe jugulandos adjiciebat, ut ne unus quidem relinqueretur ſuperſtes qui cladis nuntium Romam adferret: quò tandem illi deſinerent ſuperbè adeò imperare aliis, & hanc impudentem dominandi licentiam uſurpare. (*Polyb. legat.* 122.)

Romani, miſſis legatis Canuleio & Quinto, Ptolemæum Philometorem in regnum reſtituerunt, & cum juniore fratre Euergetâ reconciliârunt: eâ inter eos regni partitione decretâ; ut Philometor Ægypto & Cypro, Euergetes Cyrenis potiretur: idque pactum ſacris ritè peractis, fide datâ invicemque acceptâ firmatum eſt. Quod tamen ut reſcinderet, Euergetes Romam properavit: quò & legatum Philometor miſit Menithyllum Alabandenſem, ut patrocinium ſuæ cauſæ ageret & adverſùs Euergetam certamen pro ſe ſuſciperet. (*Polyb. legat.* 113. & 114. *Liv. lib.* 46. *Zonar. ex Dione.*)

Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius ejus Ariarathes cognomento Philopator hæreditario jure regnum ejus accepit: qui patris exequiis omni magnificentiæ genere celebratis, Romam legatos ad amicitiam cum populo Romano renovandam miſit. Hic primùm Mithradates,

adultus

3842 adultus poſteà paterno nomine Ariarathes dictus eſt. Regnum adeptus, amicos ac duces ſubditóſque omnes debitâ ſollicitudine complexus, omnium ordinum benevolentiam ſibi conciliavit. Cúmque Græcis litteris eſſet imbutus, & philoſophiæ operam navaret; factum inde eſt ut Cappadocia, olim Græcis ignota, tunc eruditis fuerit receptaculum. [*Liv. lib.* 46. *Diodor. Sicul. in Bibliothecâ Photii, cod.* 244. *& Excerptis Valeſii, pag.* 325.]

c. A veris initio cœpit annus regni Græcorum CLI, cujus in primo libro Maccabæorum uſus eſt.

Legati Ariarathis novi Cappadociæ regis Romam venientes, Senatum hortabantur, ut Regem qui publicè privatímque univerſis Romanis cupiebat benevolentiâ ſuâ complecteretur. Senatus verò non ſolùm amicitiam ſocietatémque petitam renovavit, ſed etiam laudato Regis animo comiter legatos excepit: poſtquàm Tiberius (Gratchus, de quo ad annum Mundi 3838. dictum) ab Aſiaticâ legatione reverſus, de hujus Regis & patris ipſius animo erga populum Romanum, atque in univerſum de eorum regno, multa benigna retuliſſet. [*Polyb. legat.* 109.]

Rhodii, legatis ſuis Cleagorâ & Lygdami Romam miſſis, ut Lyciam & Cariam ſibi pari atque anteà jure poſſidere liceret petierunt. [*Id. legat.* 110.]

Quum in Cariâ Calyndenſes à Cauniis defeciſſent, ac poſteà obſidionem eorum aggreſſi eſſent Caunii, illi principio quidem à Cnidiis auxilia popoſcerunt; quorum adventu aliquandiu hoſtibus reſtiterunt: ſed mox de exitu belli anxii, legationem ad Rhodios miſerunt, ſe ſuámque urbem illis dedentes. Rhodii terrâ marique auxilio miſſo, urbem obſidione liberârunt, eámque ſibi traditam acceperunt. Mox & Senatus ejus poſſeſſionis retinèndæ jus & poteſtatem illis conceſſit. [*Id. legat.* 111.]

Rex Cappadociæ Ariarathes, ex legatis Româ reverſis benevolentiam Romanorum ſe nactum intelligens, in tuto jam ſibi regnum eſſe collocatum perſuaſus, diis ſuis Chariſteria ſacrificavit & duces ſuos convivio excepit. Deinde legatos Antiochiam ad Lyſiam miſit, ut ſororis & matris (Antiochidis, filiæ Antiochi Magni) oſſa reciperet. Quâ de re diſcedentibus legatis mandata dedit; cum poſtulatis precibúſque conjuncta: expoſtulatione de cæde Octavii ſuperſedendum ſibi exiſtimans, (quantumvis iniquo animo eam ferret;) ne ſi Lyſiam irritaret, voti ſui compos fieri non poſſet. Quum autem, permittente Lyſiâ, reportatæ reliquiæ ad eum fuiſſent; magnifico apparatu illas ſuſcepit, & ſummo ſtudio juxta patris tumulum poſuit. [*Id. legat.* 112.]

Poſtquàm Ptolemæi fratres regnum ſunt partiti, venit Romam Ptolemæus junior, ut inſtitutam cum fratre partitionem redderet infectam: quòd diceret, non ſponte ſe, ſed difficultatibus temporum neceſſariò cedentem; id feciſſe quod juſſus erat. Petebat igitur à Senatu, ut Cyprum ſibi adjudicaret: nam etiam ſic, longè deteriorem ſuam portionem futuram portione fratris. Contrà verò legatus à Philometore miſſus Menithyllus, dicebat quòd ipſi Romanorum legati Canuleius ac Quintus ſuo teſtimonio confirmabant: Ptolemæum nempè juniorem non ſolùm Cyrenèn ſed etiam vitam fratris operâ retinere; omnium animis ab eo adeò alienatis, ut pro magno beneficio conceſſum ſibi, præter ſpem ſuam & omnium opinionem, Cyrenæ regnum acciperet. Quibus omnibus contradicente Ptolemæo; Senatus, partim quòd partitionem non planè peractam animadverteret, partim quòd diviſum regnum cuperet, (ut ſi res ferret diviſum faciliùs quàm unitum in ſuam poteſtatem redigeret) poſtulata junioris accepit. Et legatos protinùs miſit, Titum Torquatum & Cn. Merulam, cum mandatis; ut pacem inter fratres conciliarent, & juniori Cyprum traderent. [*Id. legat.* 113.]

Quum Romam de Cn. Octavii cæde nuntius eſſet allatus, & Antiochi Eupatoris legati quos Lyſias miſerat Romam veniſſent, & multa diſſeruiſſent quò cædis ejus conſcium Regem non fuiſſe oſtenderent: Senatus legatos remiſit, nullâ prolatâ ſententiâ, quia mentem ſuam prodere omninò nolebat. [*Id. legat.* 114.] Octavio verò ſtatuam in Roſtris poni juſſit. [*Cicero, Philippic.* 9.]

Demetrius Seleuci filius hoc nuntio perculſus, Polybium (hiſtoricum) accerſens, cum eo deliberavit, deberétne iterùm de ſuis rebus cum Senatu agere: qui eum monuit ne bis in eundem lapidem impingeret, ſed auderet ipſe aliquid regno dignum; ad fugam eum hoc modo obſcurè hortatus. Ille tamen Apollonii familiaris ſui, hominis quidem minimè mali ſed admodùm juvenis, conſilium ſecutus in Curiam venit, & ut ſaltem neceſſitate liberaretur manendi Romæ pro obſide oravit, quandoquidem regnum Antiocho Eupatori firmaſſent. Cùm nihilominùs Senatus in ſententiâ permaneret; Demetrius cum Diodoro primùm (homine vafro, qui recens è Syriâ venerat, & ipſum olim educaverat) deinde cum Polybio, de fugâ ſuâ deliberavit. Menithyllus Ptolemæi Philometoris legatus, operâ Polybii (cum quo arcta illi familiaritas intercedebat) particeps conſilii factus, reditum ſuum parare præ ſe ferens, Carthaginienſium navem facram, quæ Tyrum navigatura erat & diis patriis Carthaginienſium primitias de more allatura, ad vecturam palàm conduxit. Paratis omnibus, Demetrius ſuum illum educatorem Diodorum in Syriam præmiſit; qui omnes ibi rumuſculos colligeret, & quis populorum eſſet ſenſus exploraret. Ipſe paucos itineris ſocios futuros aſſumens, apud quendam ex amicis cum eis cœnavit; reliquos Anagniam amandavit, quò poſtridie venationis causâ ſe dicebat eſſe venturum. [*Polyb. legat.* 114.]

Æger tum in lecto decumbens Polybius, veritus ne juvenis Demetrius, extractâ in tempus longius compotatione, occaſionem evadendi amitteret; quum jam tenebreſceret, breve pittacium obſignatum ad eum miſit, in quo gnomæ iſtæ erant deſcriptæ.

Ὁ ἥρως τὰ τῶ μέλλοντος, εἰχέτω φέρων
Εἰ δ' ὁ φέρων πέξ. τοῖς δὶ τολμῶσι τὶ, πλέον.
Τόλμα τὶ, κινδύνευε, φράττ', ἀποτύγχανε,
Ἐπίτυχε. πάντα μᾶλλον ἢ σαυτὸν σῶσα.

Cunctaris? illuc nempe rendis, ô miser,
Ubi atra nox. Fortuna fortes adjuvat.
Aude, periclitare, age quid non feceris,
Aut feceris, priùs omnia quàm te deseras.

addito & Epicharmi dicto illo (à *Polybio*, lib. 3. pag. 768. & *Cicerone*, ad Attic. lib. 1. epist. 16. laudato) Νῆφε, καὶ μέμνησο ἀνεγκεῖν· ἐρρᾳ τοῦτο τῶν φρενῶν. *Sobrius esto; nemini fidem habendam memento: hi sunt nervi prudentiæ.* Quibus lectis ille, cognito & quò præcepta ista spectarent & à quo sibi mitterentur, extemplò nauseabundum se simulans, convivio simul cum amicis excessit: & consilium suum Nicanori comitibúsque ipsius aperiens, noctu ad ostium Tiberis Ostiam progressus est. Menithyllus verò illos præcedens nautis significat, novi aliquid à Rege se accepisse; cujus gratiâ oporteat ut ipse quidem adhuc in urbe hæreret, sed juvenes probatissimæ fidei ad illum mitteret, qui de fratre omnia ei sint renuntiaturi. Exeunte tertiâ noctis vigiliâ Demetrius adest cum octo sociis, quinque famulis & tribus pueris: quos cùm Menithyllus nauclero, qui rem totam ignorabat, diligenter commendasset; cum primâ luce vela faciunt. [*Id. ibid.*]

De ejus discessu nihil Romæ cogitatum ante diem quartum; quo sollicitè quæsitus non comparuit. Die quinto Senatus eâ de re est habitus: cùm quidem Demetrius, sextum jam agens ab exitu ab urbe diem, ad fretum Siculum pervenerat. Abeuntem Patres persequendum non duxerunt: quòd persuasum haberent multum jam itineris ab eo esse confectum. Post paucos deinde dies Tiberium Gracchum, Lucium Lentulum & Servilium Glauciam legatos decreverunt, qui res in Græciâ inspicerent: deinde in Asiam transgressi, quid moliretur Demetrius observarent; animos item aliorum regum exploraret, & controversias eorum cum Galatis discoptarent. [*Ibid.*]

Interea Demetrius defertur in Lyciam: unde ad Senatum scripsit se non contra patruelem Antiochum, sed contra Lysiam proficisci, & Octavii necem ulturum esse. Cúmque Tripolim Syriæ celeriter sibi adjunxisset, tanquam à Senatu ad regnum occupandum missus, (de fugâ enim ejus nemo cogitabat) & Apamcâ potitus, comparatis copiis Antiochiam contendit: ibique puerum & Lysiam amicè obviam egressos (Romanorum enim metu armis abstinuerant) interfecit. [*Zonar. ex Dione.*] excepitúque secundo omnium favore in Syriâ, regnum adeptus est. [*Justin. lib. 34. cap. 3. Appian. Syriac. pag. 117, 118.*]

Anno regni Græcorum 151ᵗᵒ. Demetrium Seleuci filium, egressum Româ, cum viris paucis in urbem maritimam (Tripolim sc. Phœniciæ) venisse, & regnare ibi cœpisse; ingressóque eo regiam majorum suorum (Antiochiam ad Daphnem, regni Syriaci metropolim) comprehensos à militibus Antiochum & Lysiam, illius jussu occisos ab eis fuisse, in I. *Maccab.* VII. 1,—4. legimus. Et in II. *Maccab.* XIV. 1, 2. μετὰ ἔτους τρίτου, sive anno tertio (ab initio Antiochi Eupatoris, vel à Templi repurgatione per Judam Maccabæum factâ; cujus utriusque in X. capitis initio facta fuerat mentio) Judæ innotuisse, ad Tripolis portum appellentem, cum multitudine validâ & classe obtinuisse regionem, occiso Antiocho & tutore ejus Lysiâ. Antiocho verò Eupatori annos regni duos assignat *Josephus* [lib. 12. cap. 16.) & *Eusebius* in Chronico: licèt à Porphyrio [*in Græc. Euseb. Scalig. pag.* 228.] & Severo Sulpicio [*Histor. sacr. lib.* 2.] unus tantùm annus & 6. menses illi adscribantur.

Demetrius Heraclidâ (quem ærario apud Babylonios præfecerat Antiochus Epiphanes) ejecto, & fratre ejus Timarcho (quem idem Babylonis satrapam constituerat) ut rebelle occiso, qui alioquin etiam Babylonis præfecturam malè administraverat, à Babyloniis primùm *Soteris* cognomentum adeptus est. [*Appian. Syriac. pag.* 118.]

d. Alcimus (qui ab Antiocho Eupatore summum sacerdotium obtinuerat, sed à populo non receptus quòd temporibus confusionis sub Antiocho Epiphane sponte se inquinavisset; II. *Maccab.* XIV. 3.) Pontificatum sibi à Demetrio Sotere confirmari desideram, cum Israëlitis impiis & apostatis sui similibus Regem adiit. Quibus populares suos & inprimis Hasmonæos accusantibus, quòd Regis amicos excidissent & ipsos in exilium pepulissent; motus eorum precibus Demetrius, Bacchidem Mesopotamiæ præfectum, virum sibi amicum & fidum, unáque cum eo Alcimum (cui Sacerdotium firmavit) cum multis copiis in Judæam misit. Quò cùm illi venissent, Judam Maccabæum cum fratribus verbis pacificis circumvenire conati sunt: quibus tamen hi nullam fidem adhibuerunt. [I. *Maccab.* VII. 5,—11.]

Tum convenit ad Alcimum & Bacchidem congregatio Scribarum, in quibus primi Hasidæi fuerunt, qui requirebant ab eis pacem. Dicebant enim: *Sacerdos ex semine Aaronis venit cum copiis istis, qui non afficiet nos injuriâ.* Sed postquàm credidissent se ei, impius ille Sacerdos, contra pactum juratum, comprehensos ex eis 60. occidit die uno. Eóque accommodat Historicus effatum illud, Psalm. 79. (al. 78.) 2, 3. *Carnes sanctorum tuorum* בשר *& sanguinem eorum effuderunt circa Hierosolymam, nec fuit eis qui sepeliret.* Quâ perfidiâ territi multi, ex Urbe aufugerunt. [*Ibid.* 12,—19.]

Bacchides Hierosolymâ profectus, castra posuit in Bezeth sive Beth-zetha: & mittens comprehendit multos ex iis qui ab ipso transfugerant, & aliquos è populo; quos mactatos projecit in magnum puteum. Deinde committens regionem Alcimo, reliquit cum eo copias auxiliares, & ad Regem rediit. Ad Alcimum verò, omni studio ut Pontificatum firmum sibi faceret contendentem, congregati sunt omnes qui turbabant populum suum: qui obtinentes terram Juda, fecerunt plagam magnam in Israële. Egressus igitur Judas Maccabæus in omnes fines Judææ per circuitum, ultionem de transfugis illis sumpsit, cósque ita coërcuit, ut intra præsidia se tenentes regionem amplius non invaderent. [*Ibid.* 19,—24.]

Ptolemæus junior ex Italiâ in Græciam veniens, strenuorum adprimè militum manum ibi conduxit: inter quos etiam Darthasippum Macedonem assumpsit; qui post jugulatos in opido

Macedo-

Macedoniæ Phaco cóncilii assessores, cum uxore & liberis è Macedoniâ aufugerat: Ptolemæus in Peræam oppositam Rhodiis continentem inde profectus, ibíque à populo exceptus hospitio, Cyprum navigare constituit. Torquatus verò cæteríque Romanorum legati, ubi viderunt magnam mercenariorum militum vim ab eo coactam; Senatûs mandata in memoriam revocaverunt; quibus sine armis eum reducere jubebantur. Tandémque persuaserunt ei, ut postquàm Sidam usque militem mercenarium adduxisset, missos omnes faceret, & ab adeundâ Cypro abstineret; daréque operam ut in Cyrenaicis finibus cum possent convenire. se interim Alexandriam profecturos, & Regis voluntatem ad ea quæ ab ipso poscebantur inclinaturos, & ad fines illos ei occursuros, Ipsúmque Regem secum adducturos. Flexit hæc oratio juniorem Ptolemæum, effecitque ut de Cypri occupatione desperans, conductitium militem dimitteret; atque ipse in Cretam rectà abiret, mà cum Damasippo, & Cn. Merulâ, qui fuit unus ex numero legatorum. Dein quum milites mille in Cretâ conduxisset, inde profectus Libyæam venit, & ad Apim portum tenuit. [*Polyb. legat.* 115.]

Torquatus interim & Titus Alexandriam delati, persuadere conati sunt seniori Ptolemæo, ut redire in gratiam cum fratre vellet, eique Cyprum concederet. Sed Ptolemæo quædam pollicente, quædam negligenter audiente, atque hoc modo tempus extrahente, junior fratrum castris in Libyâ ad Apim positis, ut convenerat, ægerrimè ferens nihil secum eâ de re fuisse actum; Cn. Merulam Alexandriam misit, tanquam per hunc & Torquatum quod cupiebat esset effecturus. [*Id. ibid.*]

3843 *a.* Hipparchus Bithynus, Plinio nunquam satis laudatus, qui annumerare posteris stellas est ausus ac sidera ad normam expingere, organis excogitatis, per quæ singularum loca atque magnitudines signaret; [*Plin. lib. 2. cap. 26.*] in libro περὶ τῶν ἀστέρων πρὸς τὸν ἥλιον ἐπισυναγωγῆς, anno 17 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiaci mensis Mesori die 30 (Septembris Juliani 27) circa Solis occasum Æquinoctium autumnale à se observatum fuisse scripsit. [*Ptolem. lib. 3. cap. 2.*]

Ab hoc autumno cœpit annus æræ Contractuum CLI, *in* secundo libro Maccabæorum usurpatæ. Quo (ita enim & Græci habent codices & Syrus noster interpres; ubi Latina editio annum legit CL) Alcimus ad regem Demetrium venisse scribitur, afferens ei coronam auream, & palmam, ac præterea ramos, qui Templi esse putabantur. [II. *Maccab.* XIV. 3, 4.] Ille enim videns invaluisse Judam Maccabæum & Hasidæos qui erant cum eo, ac per eos accessum sibi esse occlusum ad sanctum altare; captatâ opportunitate, illos ut authores tumultuum & turbatores communis pacis in Judæâ, apud Regem atrociter accusávit: se summo Sacerdotio, majorum suorum gloriâ, spoliatum esse graviter conquestus, & quamdiu Judas vivat, nunquam quieto regno potiturum Demetrium esse dictitans. Quod cùm & cæteri amici, in Judam infensissimi confirmassent: accensus Demetrius, Nicanorem unum ex principibus suis illustribus, qui elephantorum præfectus fuerat & maximus inimicus Israëlis, ducem in Judæam misit; mandans ut Judam è medio tolleret, comites ejus (Hasidæos) dispergeret, & Alcimum summum Templi sacerdotem constitueret. Gentes verò quæ Judæ metu ex Judæâ fugerant, miscebant se gregatim Nicanori; Judæorum miserias proprias felicitates existimantes. [II. *Maccab.* XIV. 3,—14. *cum* I. *Maccab.* VII. 25, 26.]

Judæi, audito Nicanoris adventu & accessione gentium, conspersi terrâ Deo supplicaverunt. Post congressum verò Simonis fratris Judæ & Nicanoris ad Dessai vicum, Nicanor auditâ Judæ & sociorum ejus in patriâ propugnandâ fortitudine, belli aleam tentare metuit. Misit igitur Posidonium & Theodotum & Matthiam, qui darent fidem atque acciperent: cúmque res diu agitata fuisset, cum populo Judas rem communicavit; qui concorde sententiâ conventionibus annuit. Et præstituto die, quo privatim Judas & Nicanor unà venirent; viros armatos opportunis locis dispositi Judas, ut auxilio essent ipsi, si qua vis contra fidem pararetur. Sed pacifico inter eos sermone habito, fœdus tandem Rege inconsulto est initum. Hierosolymis aliquamdiu moratus Nicanor, turbas gregarias quas antè coëgerat dimisit; ita familiariter cum Judâ vivens, ut etiam uxorem ei ducere persuaserit. [II. *Maccab.* XIV. 15,—25.]

Ut unius in alterum benevolentiam & conventiones factas vidit sceleratissimus Alcimus, tertiò ad Demetrium venit; & Nicanorem ut consilia à regis rebus aliena agitantem, detulit. Cujus calumniis ille accensus, de conventionibus ad Nicanorem graviter se eas ferre scripsit; & ut citò Maccabæum vinctum mitteret Antiochiam jussit. Et licèt iniquè ferret Nicanor, quòd res compositas facturus esset irritas, quum nullam injuriam Maccabæus fecisset; quia tamen non erat unde resisteret Regi, opportunum tempus observabat, ut stratagemate illud perficeret. [*Ibid.* 26,—29.]

Dum Ptolemæus Philometor, legatos Romanorum miris blanditiis sibi concilians, per 40. dies, nullâ re perfectâ, invitos magis quàm volentes Alexandriæ detinet; à fratre juniore Euergetâ Cyrenenses defecerunt, & civitates cum ipsis conspirârunt: Ptolemæo illo Ægypto conscio, quem Euergetes, quum Romam navigationem institueret, universo regno præfecerat. Hæc ubi Euergetæ nuntiata, & mox addito, Cyrenenses sub signis exercitum jam habere, metuens ne dum imperio Cyprum cupit adjicere, etiam Cyrenem amitteret; omnium aliarum rerum curam insuper habens, relictâ Api, ubi portum tenuerat, ad magnum quem vocant Catabathmum navigavit, Cyrenen inde petiturus. Sed cùm in Catabathmo locorum angustias à Libyis & Cyrenensibus reperisset occupatas; dimidiam militum partem navibus impositam loca angusta circumnavigare jussit, daréque operam ut hostes nec opinantes ex improviso invaderent: ipse cum alterâ parte exercitûs fronte eos aggressus, superare moliebatur. Cúmque Libyæ metu perculsi, quòd utrinque peti se viderent, sta-

tiones deſeruiſſent ; Rex non liberè tantùm adſcenſu eſt potitus , ſed etiam ſubjectam quatuor turrium munitionem , ubi magna erat aquarum copia , in poteſtatem redegit. [*Polyb. legat.* 115.]

Inde ſeptem caſtris ſolitudinem emenſus eſt ; militibus qui ſub Mochyrino erant maritimo itinere illum comitantibus. Cyrenenſes , illo appropinquante , aciem eduxerunt ; pedites ad octo millia , equites ad quingentos. Ex iis enim quæ Philometor Alexandriæ geſſerat animadverſâ ejus voluntate ; quum cernerent nihil regii Euergetæ ineſſe , ſed tyrannicè omnia ab eo adminiſtrari : ut ſuâ ſponte ſe illi ſubjicerent , inducere in animum non poterant. Itaque inito cum eo prælio , victoriam reportârunt. [*Id. ibid.*]

b. Judas Maccabæus videns Nicanorem minùs familiariter ſecum agere , & ſolitam converſationem aſperiorem exhibere ; cogitans non ex bono eſſe auſteritatem iſtam , congregatis non paucis ſuorum comitum , ſe ab illo occultavit. [II. *Maccab.* XIV. 30.] 4553 161

Veniens Nicanor Hieroſolymam cum copiis multis , Judam dolotis verbis ad colloquium pellexit. Cúmque ſalutarent alter alterum pacificè , parati erant hoſtes Judam abripere. Quod quum Judæ innotuiſſet ; territus faciem ejus ampliùs noluit videre. Cognoſcens itaque Nicanor detectum eſſe conſilium ſuum ; proceſſit obviam Judæ ad pugnam juxta Capharſalama. Ubi ceciderunt ex parte Nicanoris quaſi quinque millia virorum : reliqui verò fugerunt in civitatem Davidis. [I. *Maccab.* VII. 27.--32.]

His ita geſtis , aſcendit Nicanor in montem Sion : cui obviam proceſſerunt è loco ſancto quidam è Sacerdotibus & è Senioribus populi , ſalutaturi ipſum cum pace , & demonſtraturi ei holocauſtum quod offerebant pro Rege. Sed is ſubſannavit eos ; & tradi ſibi Judam imperavit. Illis autem dicentibus cum juramento ſe neſcire ubi locorum ille eſſet : protendens dexteram in Templum juravit , niſi traderetur Judas ejúſque copiæ in manus ejus , ſe quum rediturus eſſet in pace domum Dei incenſurum & altare ſuffoſſurum , & illuſtre Templum Libero patri ibidem ædificaturum. Sacerdotes verò ingreſſi ſteterunt ante altare & Templum , flentéſque Deum orabant ut Nicanoris minas redderet irritas , ejúſque blaſphemias ulciſceretur. [I. *Maccab.* VIII. 33,--38. II. *Maccab.* XIV. 31,--36.]

Ad Nicanorem delatus eſt Rhazis Senator Hieroſolymitanus , qui ob benevolum in cives ſuos affectum *Pater Judæorum* eſt appellatus. Sublato igitur illo putans ſe maximum malum Judæis illaturum , miſit milites ſupra 500 qui eum comprehenderent. Qui quum turrim in quâ is erat occupaturi in januam aulæ vim facerent , ignémque ad incendendas fores adferri juberent ; gladio ſe petiit , & quum præ feſtinatione vulnus ſibi inflixiſſet non lethale , è muro ſeipſum dedit præcipitem : deinde curſu petram quandam præruptam aſſecutus , jámque planè exanguis effectus , protulit inteſtina , & ambabus manibus ea projiciens in turbas , vitâ eſt defunctus. [II. *Maccab.* XIV. 37.--46.] De quo conſulendus *B. Auguſtinus* , in epiſt. 61. ad Dulcitium , & lib. 1. contra Gaudentium , cap. 23.

Cùm Nicanor intellexiſſet Judam abeſſe Hieroſolymis , & in partibus Samariæ verſari , egreſſus Hieroſolymis caſtra locavit in Beth-horon ; ubi copiarum incrementum ex Syriâ illi occurrit. Judas verò caſtrametatus eſt in Hadasâ (30 ſtadiis ab hoſte diſtante) cum tribus virorum millibus. Cúmque daret operam Nicanor ut pugnaret die Sabbati , & à quibuſdam Judæis qui eum ex neceſſitate ſequebantur amicè moneretur , ut diei illi ejúſque authori Deo debitum honorem deferret ; monitores , cum ſummâ in Deum blaſphemiâ , ſuperbè rejecit. Maccabæus verò ſuos ex Lege & Prophetis conſolabatur : & præterea revocans eis in memoriam certamina quæ perfecerant , & quod ipſe habuerat inſomnium de Oniâ (qui fuerat ſummus Sacerdos , ejus nominis III.) pro populo Judæorum orante & Jeremiâ prophetâ gladium aureum ſibi tradente illis enarrans , animos eorum excitabat. Unde orationibus & firmâ in Deum fiduciâ illi armati , die 13°. menſis 12i. Adar in hoſtes irruerunt. Ubi quum primus ipſe Nicanor ceciditſet in prælio , reliqui abjectis armis ſuis fugerunt. Quos Judæi perſecuti unius diei itinere ab Hadasâ uſque dum venitur Gazeram , clanxerunt poſt eos tubis claſſicum ſonantibus. Et egreſſi ex omnibus vicis Judææ circumvicinis ad fugientium hoſtium cædem convolârunt : ita ut non minùs 35 millibus gladio ceciderint , ne uno quidem ex univerſo exercitu ſuperſtite relicto. Deinde acceperunt ſpolia prædámque : & caput Nicanoris atque manus cum humero amputârunt & detulerunt Hieroſolymam. Ubi capite in ſummâ arce ſuſpenſo , & dextrâ quam ſuperbè in domum Dei extenderat ; linguam etiam impii abſcindi juſſit Judas , & minutatim avibus dari. Statuerúntque omnes decreto communi , ut quotannis celebritas haberetur die illo 13°. menſis 12i, Syrâ linguâ Adar dicti , die uno ante diem feſti Mordecaici. [I. *Maccab.* VII. 39,--49. II. *Maccab.* XV. 1,--37. *Joſeph. lib.* 12. *cap.* 17.]

Hic terminatur ſecundi Maccabæorum libri continua hiſtoria : in quâ quinque librorum Jaſonis , Judæi Cyrenenſis , Breviarium comprehenditur.

Poſt cædem Nicanoris Judæa dies paucos à bello quievit. [I. *Maccab.* VII. 50.] In quibus Judas Maccabæus , quum de Romanorum potentiâ & humanitate erga afflictos omnes audiviſſet , quantúmque ſibi ab eis Demetrius timeret didiciſſet , Eupolemum Johannis & Jaſonem Eleazari filium legatos ſuo fratrúmque & Reipublicæ Judæorum nomine Romam ad Senatum miſit : ut ſocietate & amicitiâ cum populo Romano initâ , à regis Demetrii & imperii Græcorum gravi jugo liberarentur. [*cap.* VIII. 1, 17, 18, 31, 32.]

Cn. Merula ad Euergetem Alexandriâ reverſus , nuntiavit ei nihil eorum quæ à fratre ejus Philometore fuerant poſtulata potuiſſe impetrari : quòd diceret pactis eſſe ſtandum quæ facta eſſent ab initio. Quibus auditis , Euergetes Comanum & fratrem ejuſdem Ptolemæum Romam legatos cum Merulâ proficiſci juſſit ; qui de iniquitate fratris & contemptu erga

populum

populum Romanum cum Senatu agerent. Quibus in itinere etiam Titus Torquatus, Cn. Merulæ in legatione collega, occurrit; & ipſe, re infectâ, Alexandriâ dimiſſus. Eodem quoque tempore à Philometore Menithyllus Alabandenſis legatus ad Senatum miſſus eſt. [*Polyb. legat.* 116. & 117.]

Audiens Demetrius cecidiſſe Nicanorem & copias ejus in prælio, Bacchidem & Alcimum ſecundò in Judæam miſit, & dextrum cornu, ſive præſtantiorem ſui exercitûs partem, cum eis. Qui profecti viâ quæ ducit in Galgala, caſtra poſuerunt in Mæſaloth (al. Maſſadoth) quæ eſt in Arbelis: eâque occupatâ, peremerunt homines multos. [I. *Maccab.* IX. 1, 2.]

c. Menſe primo anni regni Græcorum 152, caſtra moverunt versùs Hieroſolyma (ut Judam Maccabæum ibi quærerent:) indéque Berean (vel Beerzath, ut in Arundelliano habetur codice) profecti ſunt cum 20 millibus peditum & 2 millibus equitum. Judas verò caſtra poſuit in Eleasâ, habens 3000 viros electos ſecum: qui hoſtium multitudine territi eum deſeruerunt, 800 tantùm in caſtris relictis. Cum paucis hiſce ingentem Bacchidis exercitum ille adortus, à mane pugnavit uſque ad veſperam: fugatóque dextro cornu, in quo ipſe erat Bacchides, fugientes perſecuti ſunt ad Azotum montem uſque. Sed qui in ſiniſtro erant cornu Judam & eos qui cum eo erant conſecuti, Judam fortiter dimicantem interemerunt, eóque cadente cæteri fugerunt. Ubi tollentes Jonathan & Simon Judam fratrem ſuum, ſepeliverunt eum in ſepulchro patrum ſuorum in Modin: luxitque eum univerſus Iſraël dies multos. [I. *Maccab.* IX. 3,—22.] Cecidit autem Judas Maccabæus anno poſt exceſſum patris Mattathiæ 6°. * Et Pontificatûs anno 3°. ſecundùm *Joſephum*, quem conſule *Antiq. lib.* 12. *cap.* 19. *

Poſt mortem Judæ emerſerunt iniqui in omnibus terminis Iſraëlis, qui ejus metu priùs latitaverant: & magnâ fame eodem tempore ingruente, tota ferè regio cum ipſis Bacchidi ſe ſubmiſit, ut victu commodiùs frueretur. Bacchides verò impios iſtos præfectos conſtituit regionis; qui Judæ Maccabæi amicos paſſim conquiſitos ad ipſum excruciandos & illudendos adduxerunt. Fuitque afflictio magna in Iſraële, qualis non fuerat ex quo die non eſt viſus Propheta inter eos. [I. *Maccab.* IX. 23,—27.]

Interim legati à Judâ Maccabæo Romam miſſi, cum populo Romano pacem & ſocietatem inierunt: fœdúſque in tabulis æreis inſcriptum eſt; ut Judæi Romanis, & Romani Judæis mutua auxilia contra communes hoſtes exhiberent. Ad Demetrium etiam regem à Senatu miſſæ ſunt litteræ, ne gentem Judæorum ampliùs opprimeret: alioqui ſe à populo amico & fœderato omnem injuriam, bellum terrâ marique gerendo, propulſaturos. [I. *Maccab.* VIII. 19,—32.] Quò ſpectat & illud de Judæis *Juſtini*, lib. 36. cap. 3. *A Demetrio cùm deſciviſſent, amicitiâ Romanorum petitâ, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facilè tunc Romanis de alieno largientibus.*

Hoc primum inter Romanos & Judæos fœdus ſocietatis ac amicitiæ fuiſſe notat *Joſephus*, lib. 12. Antiquit. cap. 17. quod aliis expreſſum verbis ibi habetur; hâc etiam commentitiâ adjectâ ſuperſtitione. *Scriptum eſt hoc Senatuſconſultum ab Eupolemo Johannis filio & Jaſone Eleazari* (Judæorum ſc. legatis) *ſub Pontifice quidem Judâ, duce verò Simone fratre ipſius.* quaſi Judâ ſuperſtite alius imperator fuiſſet quàm ipſe Judas; aut ſi fuiſſet, non Jonathan potiùs futurus ille fuiſſet, quàm Simon, qui poſt illius demum mortem ducatum eſt conſecutus. Nam quod paulò antè à *Joſepho* eſt ſcriptum, Alcimo defuncto populum communibus ſuffragiis Pontificatum Judæ tradidiſſe, manifeſti erroris ex [I. *Maccab.* IX. 54, 55, 56.] convincitur; ubi poſt Judæ exceſſum virâ functum fuiſſe Alcimum clariſſimè oſtenditur. Ipſéque Joſephus, errore poſteà agnito, Jacimo ſive Alcimo nullum omninò ſucceſſiſſe, retulit, ſed per totum ſeptennium Hieroſolymam Pontifice caruiſſe. [*Antiquit. lib.* 20. *cap.* 8. *pag.* 701.]

Longâ inter legatos utriuſque Ptolemæi altercatione in Curiâ habitâ, quum Titus & Cnæus (qui ad eos à Romanis legati miſſi fuerant) ſuo teſtimonio atque favore omni ac ſtudio cauſam Euergetæ ſublevarent; decrevit Senatus, ut intra dies quinque Menethyllus Philometoris legatus Româ exederet, & ut fœdus quod cum Ptolometore erat tolleretur. Legatos etiam Publium Apuſtium & Caium Lentulum ad Euergetam miſerunt: qui extemplò Cyrenam profecti, nuntium eorum quæ geſta fuerant magnâ diligentiâ ad eum pertulerunt. Ille confeſtim
d. novâ ſpe inflatus milites conduxit, & animum atque mentem omnem ad conſilia de Cypro occupandâ tranſtulit. [*Polyb. legat.* 117.]

Amici omnes Judæ Maccabæi convenientes, fratrem ejus Jonathanem (cognomento qui Apphus dictus eſt) ejus loco Ducem elegerunt. Quo cognito, Bacchides quærebat eum occidere. Id quum Jonathani & Simoni fratri ejus, omnibúſque qui cum eo erant innotuiſſet; fugerunt in deſertum Thecoæ, & caſtrametati ſunt ad aquam foſſæ Aſphar. Miſit verò Jonathan fratrem ſuum Johannem (cui Gaddis cognomen fuit) cum militum manu, rogatum Nabatæos Arabas amicos ſuos, ut apud ipſos impedimenta ſua deponerent, quæ multa erant. Quibus in itinere occurrerunt filii Jambri ex Medabâ; & incurſu in eos facto, Johannem cum ſociis occiderunt, prædâque omni collectâ abierunt. Neque tamen diuturna fuit horum prædonum lætitia. Cùm enim didiciſſent Jonathan & Simon filios Jambri ſponſam ducere è Nadabath filiam cujuſdam ex magnatibus Chananæorum, cum pompâ magnâ multóque optimatum comitatu; ſurrexerunt ex inſidiis, factóque in eos impetu, ad 400 occiderunt, & reliquis ad montem fugientibus, ſpolia eorum omnia acceperunt. Sumptâque ultione de ſanguine fratris ſui, ad Jordanis paluſtria redierunt. [I. *Maccab.* IX. 28,—42. *Joſeph. lib.* 13. *cap.* 1.]

Jonathanem inſecutus Bacchides, venit die Sabbathi ad ripas Jordanis cum exercitu multo. Commiſſóque prælio, extendit Jonathan manum ſuam ut feriret Bacchidem; ſed ictum ille cautè declinavit: ceciderunt tamen ex militibus illius eo die circiter 1000 (vel 2000, ut habet *Joſephus*) viri. Jonathan, tantæ multitudini imparem ſe eſſe videns, cum ſuis in Jordanem in-

filiit, & in ulteriorem ripam tranavit: nec eum hostis persequi conatus est. Hierosolymam verò reversus Bacchides, ædificavit urbes munitas in Judæâ, & munitionem quæ est in Jerichunte, & Emmaum, & Beth-horon, & Bethel, & Tamnatha Pharathoni, & Tephon, muris celsis, & portis, & vectibus: posuitque præsidia in eis, ut inde factis excursibus nocerent Israëlitis. Munivit quoque urbem Bethsuram, & Gazaram, & arcem Hierosolymitanam: posuitque in eis milites & commeatum. Acceptósque filios principum regionis obsides, collocavit in arce Hierosolymis in custodiâ. [I. *Maccab.* IX. 43,-53. *Joseph. ut supr.*]

Cùm ex Zadriadis minoris Armeniæ regis filiis Mithrobuzanes ad Ariarathem Cappadociæ regem confugisset: regnó illius imminens Artaxias majoris Armeniæ rex (quem Antiochus Epiphanes devicerat) legatione ad Ariarathem missâ hortatus eum est ut secum consentire vellet, & altero è duobus fratribus, quem penès se habebat, interfecto Sophenem partirentur. Sed Ariarathes, qui multùm ab hujusmodi fraude abhorrebat, legatos graviter objurgavit; litterísque ad Artaxiam datis monuit ut ab ejusmodi scelere abstineret: Mithrobuzanem verò in regnum paternum reduxit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. H. Valesii, pag.* 325.]

3844 *a.* Ariarathes Romanorum legatos Tiberium Gracchum, Lucium Lentulum & Servilium Glauciam, in Cappadociâ regie excipit. [*Polyb. legat.* 119.] Eò Demetrius Soter Menocharem misit, ut de regno suo confirmando cum Romanorum legatis seriò ageret. [*Id. legat.* 120.] Sororis quoque suæ (Persei Macedonum regis viduæ) nuptias Ariarathi regi obtulit: quas ille, Romanorum offensam veritus, respuit. [*Diodor. Sicul. legat.* 24. *Justin. lib.* 35. *cap.* 1.]

b. Postquàm Menocharis ad Demetrium Antiochiam venisset, & sermones quos cum Romanorum legatis habuerat illi exposuisset; existimans Rex supra omnia necessarium suis rebus esse in præsentia, ut legatos illos omnibus modis sibi adjungeret & placaret, relictis rebus, ad eos misit primùm in Pamphyliam, deinde iterùm Rhodum, quidvis se facturum in gratiam Romanorum promittens, donec perfecit ut Rex ab illis salutaretur. Tiberius enim, qui ex animo illi cupiebat, plurimùm illum adjuvit ad impetrandum quod cupiebat, & ad jus regni ei conciliandum. [*Polyb. legat.* 120.] 4554 160

Leptines, qui Cn. Octavium Romanorum legatum Laodiceæ occiderat, Demetrium regem adiens, oravit, ne cæde Cnæi moveretur, néve propterea in Laodicenos gravius quicquam iret consultum: ipsum enim se Romam profecturum, & Senatui probaturum, diis volentibus id à se admissum. Indéque, quia sponte suâ atque alacris ibat, sine vinculis & custodibus Romam ductus est. Isocrates contrà Grammaticus, qui loquacitate suâ hoc sibi infortunium accersivit, simulac nomen ejus fuit delatum, mente captus est atque in totum alienatus: ubi verò etiam collum sibi bobis circumdari vidit & vincula admoveri, cibum rarò sumere cœpit corporísque cultum penitùs aspernari. [*Polyb. legat.* 122.]

c. Anno regni Græcorum 153 mense 2, murum atrii interioris, (atrium Populi ab atrio Gentium secernentem) à Zorobabele & Prophetis extructum, Alcimus dirui jussit. Sed impio Pontifici Deus os occlusit, paralysi eum percutiens; ita ut neque loqui quicquam ampliùs potuerit neque præcepta dare ultima de domo suâ, sed cum magno cruciatu vitam finiverit. [I. *Maccab.* IX. 54,55,56.] anno post occupatum ab eo summum Sacerdotium *tertio*. Josephus libro 12. Antiquitat. cap. 17. *quadriennium* illi assignat: *triennium* verò in capite penultimo libri ejusdem operis 20. ubi etiam post ejus mortem per *septennium* Hierosolymam sine Pontifice mansisse addit. Inter anni autem 153^{i} mensem 2um quo mortuus est Alcimus, atque 160^{i} mensem 7um quo stolam Pontificalem Jonathan induit, [I. *Maccab.* X. 21.] intercesserunt anni 7. & menses præterea 5.

Videns Bacchides mortuum esse Alcimum, ad regem Demetrium est reversus: & quievit Judæa annos duos. [I. *Maccab.* IX. 57.]

Circa CLV Olympiadem, Ariarathis Cappadociæ regis legati Romam venerunt, coronam 3845 aureorum decies mille adferentes: qui Senatui etiam significarent, quomodo Tiberium Gracchum excepissent, & ipsorum causâ oblatas à Demetrio amicitias & sororis nuptias respuissent; & paratum ipsum esse declararent, quicquid imperarent Romani, mandatis eorum obtemperare. Cujus erga populum Romanum propensi affectûs ubi Tiberii Gracchi & reliquorum legatorum consentiens testimonium est auditum; Patres coronam magni beneficii loco acceperunt, & vicissim quæ plurimi apud Romanos æstimari solent dona, scipionem sellámque eburneam, illi miserunt. Atque hos legatos Senatus absque morâ ante hyemis initium dimisit. [*Polyb. legat.* 119. & 121. *Diodor. Sicul. legat.* 24.]

Novis Consulibus (Cn. Cornelio Dolabellâ & M. Fulvio Nobiliore) magistratum ineuntibus legatio communis Prusiæ Bithyniæ regis & Gallogræcorum de Eumene Pergami rege conquerentium in Senatu audita est. Auditus est & Attalus, quem frater Eumenes ad causam suam agendam eódem miserat. Qui non à criminationibus solùm liberatus est, sed etiam honore auctus, & summâ exceptus est ac dimissus benevolentiâ. Quantum enim erant alienati Patrum animi à rege Eumene, quem oderant; tantum benevolentiæ erga Attalum præ se ferebant & studii amplificandæ ejus dignitatis. [*Polyb. legat.* 119. & 121.] 4555 159

e. Menocharis aliique legati à Demetrio Sotere Syriæ rege missi Romam venerunt, coronam aureorum decies mille adferentes, (quam ut gratitudinis signum Rex miserat, quòd obses habitus esset liberaliter) simúlque Leptinem qui Cn. Octavium legatum manu suâ occiderat, & Isocratem grammaticum qui cædem patratam defenderat, adducentes. Ubi Isocrates ille mirum hominibus spectaculum præbuit. Nam & aspectus illius supra modum terribilis atque efferatus erat; ut hominis qui per annuum spatium & eo ampliùs neque sordes, neque ungues, neque pilos purgasset: animi verò habitum oculorum species ac motus eum esse arguebant, ut qui spectaret nullius feræ occursum æquè refugeret atque illius. Leptines contrà sibi semper con-

ſtans, in Senatum venire paratus erat: & quum eadem à ſe patratam apud omnes quibuſcum loquebatur fateretur; illud conſtanter affirmabat, nihil ſibi Romanos eſſe nocituros. Quæ ſpes tandem eum non fefellit. Cùm enim perdiu dubitatum eſſet à Patribus, quid eſſet opus facto: tandem & legatos ſuſcepit Senatus & coronam accepit; homines verò qui fuerant adducti rejecit, quaſi crimen id commune eſſet Syris omnibus. Integra enim omnia ſibi ſervabat, ut quoties vellet vindicandi criminis poteſtatem haberet. Iccircò etiam Demetrio hujuſmodi reſponſum dedit: Senatum ſuam illi benevolentiam impertiturum, ſi idoneâ ratione caverit, ſe in ipſius poteſtate futurum, ſicut eſſet olim. [*Polyb. legat.* 122. *Diodor. Sicul. legat.* 25. *Appian. Syriac. pag.* 118.]

Orophernes, Holophernes aliis appellatus; ad Demetrium Soterem Syriæ regem profectus, ſe à juniore fratre Ariarathe per injuriam regno Cappadociæ pulſum conqueſtus eſt: licèt hunc legitimum non fuiſſe filium, ſed ab Antiochide reginâ ſuppoſitum vel adoptatum, ex *Dione* Zonaras & ex *Diodoro* nos (ad annum Mundi 3832.) anteà retulerimus. Demetrius Ariarathi propter faſtiditas ſororis nuptias infenſus, ſupplicem recepit: & mille talentorum mercedem cum eo pactus, conſilio & viribus ſuis Ariarathem, licèt ab Eumene Pergami rege adjutum, regno expulit. [*Polyb. lib.* 3. *pag.* 161. *Liv. lib.* 47. *Juſtin. lib.* 35. *cap.* 1. *Appian. Syriac. pag.* 118. *Zonar. ex Dione.*]

Eumenes rex Pergami moriens & uxorem Stratonicam (Ariarathis nuper regno pulſi ſororem) & regnum fratri Attalo legavit. [*Plutarch. in Apophthegm. & lib.* περὶ φιλαδελφίας.] quum regnaſſet annos 38. Succedentium enim illi fratris & filii annis (à *Strabone* memoratis) ex intervallo inter ipſius initium & regni Pergameni exitum (in Romanâ hiſtoriâ polito) ſubductis; ſuperſunt 38. ut ſub initia anni 39i. ille deceſſerit: licèt apud *Strabonem* 40 regni anni perperàm illi tributi reperiantur. Reliquit verò Eumenes regni hæredem filium, quem ex Stratonica ſuſceperat Attalum Philometorem: ſed tutorem regni & filii admodùm parvi natu conſtituit fratrem ſuum Attalum Philadelphum; qui regnum per annos 21 deinceps adminiſtravit. [*Strabo, lib.* 13. *pag.* 624.]

3846 *a.* Secunda Æquinoctii autumnalis obſervatio, anno 20 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum ἐπαγομένων die primo, (Septembris Juliani 27°) manè, ſub ortum Solis, ab Hipparcho facta eſt. [*Ptolem. lib.* 3. *cap.* 2.]

Orophernes, pulſo fratre Ariarathe, cùm res ſummâ prudentiâ adminiſtrare, & favorem multitudinis gratiâ ac beneficiis conciliare ſibi debuiſſet, nihil horum præſtitit: ſed cogendæ pecuniæ intentus, multiſque per ſummum ſcelus occiſis, Timotheum quidem (quem legatum poſteà Romam miſit) quinquaginta, Regem Demetrium ſeptuaginta talentis coronavit; reliqua 400 talenta brevi ſe perſoluturum, ac 600 præterea additurum pollicitus. Quâ re quum Cappadocibus ſe inviſum eſſe cerneret; cunctos ſpoliare, atque principum bona in fiſcum ſuum redigere cœpit. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valeſii, pag.* 334.]

Idem, quum in Ioniâ eſſet educatus, (ut ad annum Mundi 3832 ex Diodoro eſt oſtenſum) inſtitutis patriæ neglectis, τὸν Ἰωνικὸν καὶ τετριμμένον δεσποτείαν, *Ionicam & artificioſam intemperantiam* introduxit. [*Polyb. lib.* 32. *apud Athenæum, lib.* 10. *cap.* 12.] Collectâ verò ingenti pecuniæ vi, 400 talenta ad incertos fortunæ caſus apud Prienenſes depoſuit: quæ ei poſtea fideliter ab illis ſunt reddita. [*Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii, pag.* 170, 173. & 334.]

c. Quum Jonathan & ſui per biennium quieti & ſecuri in loco ſuo habitaſſent, Judæi aliquot prævaricatores Bacchidem monuerunt, poſſe eos omnes unâ nocte comprehendi. Qui cum copiis multis profectus, clanculùm epiſtolas omnibus ſociis ſuis in Judæâ miſit, ut Jonathanem eóſque qui cum eo erant comprehenderent. Sed quum innotuiſſet eis conſilium ipſorum; comprehenſos ex hominibus regionis, qui authores erant illius ſceleris, ad quinquaginta viros interfecerunt. [*1. Macchab.* IX. 57,--61.] 4556 158.

Poſteà ſecedens Jonathan & Simon & qui cum eo erant in Bethbaſi (vel Bethalagan, ut apud *Joſephum* eſt) in deſerto, muros diſjectos ejus reſtituit, & firmavit eam. Quod ut cognovit Bacchides, congregavit univerſam multitudinem ſuam, iiſque qui ex Judæâ erant ut ad ſe venirent denunciavit: caſtriſque contra Bethbaſin locatis, oppugnabat eam diebus multis, fecitque machinas. Jonathan verò, relicto Simone fratre in urbe, exiit in circumſitam regionem cum numero aliquo. Et percuſſit Odoarrhen (al. Odomera) & fratres ejus, filióſque Phaſiron in tabernaculo ipſorum. Cúmque cœpiſſet obvios quoſque cædere & penetrare in exercitum hoſtilem: Simon & qui cum eo erant egreſſi ex urbe incenderunt machinas. Ita pugnantibus illis contra Bacchidem, contritus eſt ab illis: qui conatus ſuos in irritum cecidiſſe dolens, iram convertit in viros impios qui expeditionis hujus ipſi authores fuerunt, & occidit ex his multos; deliberavítque abire in terram ſuam. Id ubi cognovit Jonathan; miſit ad eum legatos de pace cum eo componendâ, & de captivis reddendis quos ex Judæâ ille ceperat. Quod libenter accipiens Bacchides, ſpopondit ſe malum Jonathani non procuraturum ullo dierum vitæ ſuæ: reverſúſque eſt in terram ſuam, nec unquam poſthac Judæam cum exercitu repetiit. Ita ſublato ex Iſraële bello, habitavit Jonathan Miemaſhi (in tribu Benjaminiticâ:) cœpítque judicare populum, & delevit impios ex Iſraële. [*Ibid.* 62,--73.]

3847 Tertia Æquinoctii autumnalis obſervatio, anno 21 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum ἐπαγομένων die primo, (Septembris Juliani 27°) in meridie, ab Hipparcho facta eſt. [*Ptolem. lib.* 3. *cap.* 2.]

Ariarathes regno pulſus, Romam ſupplex veniens, Sextum Julium Conſulem adiit; convenientem calamicam in quâ verſabatur ſpeciem præ ſe ferens. Venerat & Demetrii legatio, cujus princeps Miltiades; & ad excuſanda quæ objiceret Ariarathes inſtructus, & ad criminandum illum odioſè. Orophernes quoque legatos miſerat Timotheum & Diogenem; ut coronam Romam 4557 157

afferrent,

afferrent, & amicitiam atque societatem renovarent: præcipuè autem ut in judiciali contentione defenderent facta à suis, & Ariarathem accusarent. Et quidem Diogenes & Miltiades tum in privatis congressibus speciem majorem ostentabant (utpote plures cum uno, atque omnibus rebus florentes cum afflicto & misero compositi) tum etiam ubi ad res exponendas ventum, longè superiores fuerunt. Quum enim quidvis dicere & ad omnia respondere, spretâ veritate auderent; atque adesset nemo qui mendacia eorum confutaret: visi sunt quod volebant efficere. [*Polyb. legat.* 126.] Demum verò à Senatu Ariarathes, quia Populi Romani amicus & socius appellatus erat, una cum Orophernе, ut fratre, regnare jussus est. [*Appian. Syriac. pag.* 118. *Zonar. ex Dione.*]

Cùm Ptolemæus Euergetes Cyprum occupare conaretur, pugnâ ibi cum seniore fratre Philometore commissâ, superatus est. Cumque Philometor illum in urbe Lapitho obsessum ad extremam necessitatem compulisset, capto demum pepercit: tum ob innatam clementiam ac germanitatis vinculum, tum metu Populi Romani. Nec verò veniam duntaxat illi indulsit, sed fœdus quoque cum eo percussit; quo Cyrenarum regnum illi restituit, & pro Cypro urbes quasdam cum certo quotannis frumenti modo concessit: suámque ei filiam collocaturum promisit. Ita bellum inter fratres, cùm ad maximam animorum alienationem atque extrema pericula adductum fuisset, repentè humanissimis conditionibus terminatum est: [*Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 197, 334, 337. *Liv. lib.* 47. *Zonar. ex Dione.*]

Orophernes cùm res suas valdè imminui cerneret, stipendium mercenariis quamprimùm solvere constituit; ne fortè negato stipendio seditionem concitarent. Cæterùm pecuniæ inopiâ tum coactus, templum Jovis sub monte Ariadnes positum, quod ab ultimis temporibus inviolatum fuerat, spoliavit; atque ita stipendia quæ militibus debebat cuncta persolvit. [*Diodor. in Excerptis Valesii, pag.* 337.]

Attalus Eumenis frater & in regno Pergameno successor, Orophernem & Demetrium Sotetem ex Cappadociâ prorsùs expellens, Ariarathem in integrum restituit. [*Polyb. ibid. pag.* 169. *Zonar. ex Dione.*]

Demetrius Soter Archiæ 500 talenta obtulit, ut Cyprum ipsi proderet: aliis quoque emolumentis & honoribus illi promissis, si hanc ipsi operam navaret. Quod Archias quum efficere esset paratus, à Ptolemæo (Philometore) deprehensus & in judicium adductus, funiculo veli quod aliæ prætendebatur se suspendit. [*Polyb. in Excerpt. Valesii, pag.* 170. *& apud Suidam, in voc.* ἀφορίσαι *&* προσαγχόμενος.]

Ariarathes in regnum Cappadociæ restitutus, à Prienensibus 400 talenta, quæ Orophernes apud illos deposuerat, repetit. Cui rectè ab illis est responsum; quamdiu Orophernes in vivis esset, nemini alteri se eam pecuniam reddituros, nisi ipsi qui eam deposuerat. Ariarathes tamen immissis prædatoribus agrum Prienensem vastare cœpit; adjuvante Attalo, & ob suam cum Prienensibus privatam simultatem eum incitante. Et cùm magna cædes hominum simul ac pecorum passim fieret, & ad ipsas civitatis portas quidam trucidarentur; tamen Prienenses succurrere nequaquàm poterant. Cùm igitur legationem ad Rhodios misissent, tandem ad præsidium Romanorum confugerunt. Sed Ariarathes cuncta quæ dicerentur parvi faciebat. Et licèt Prienenses Orophernі depositum fideliter reddidissent; ab Ariarathe tamen ob illud malè multati, gravissimis tamen calamitatibus injustè vexati sunt. [*Polyb. in Excerptis Valesii, pag.* 173.]

3848 Inter Attalum & Prusiam Venatorem Bithyniæ regem inimicitiis ortis; Andronicum Attalus, Nicomedem & Antiphilum Prusiæ legatos ad Senatum; Senatus verò Publium Lentulum ad causam eorum cognoscendam legatum misit. Quum primam verò Prusiæ impressionem narraret Andronicus, dictis illius non movebantur Romani: sed in suspicionem veniebant, Attalum, quòd cuperet ipse Prusiam adoriri, occasiones belli præparare & criminationibus eum antevertere. Dein Prusiæ legatis testantibus, ejusmodi nihil esse factum; multo adhuc minùs fidei habebant iis quæ de Prusiâ nuntiabantur. Mox verò magis magisque re omni exploratâ, Senatus incertus quantum his nuntiis tribuere fidei deberet, L. Apuleium & C. Petronium legatos miserunt, ad invisendum quo loco Regum illorum res essent. [*Polyb. legat.* 128.] 4558 156

3849 Prusias victo Attalo Pergamum ingressus, cum sumptuoso sacrificii apparatu Æsculapii templum adiit: mactatisque victimis cùm perlitasset, tum quidem in castra est reversus. Postridie verò, consilio ac spe capiendi Attali frustratus, copiis ad Nicephorium (sub Pergami mœnibus situm) adductis, templa omnia vastare, delubra ac statuas Deorum spoliare ac diripere cœpit. Postremò & ipsum Æsculapii simulacrum, insigni artificio à Phylomacho (vel Phyromacho) fabricatum, humeris suis impositum abripuit; cui pridie libaverat, hostiásque & vota obtulerat. Inde exercitum Elæam traduxit; & tentatâ urbis obsidione cùm nihil proficeret, (eo quòd Sosander Attali collactaneus cum præsidio militari urbem ingressus, impetum ipsius repellebat) Thyatira navibus contendit. Porrò inter redeundum fanum Dianæ, quod est in Hierâ come, vi illatâ spoliavit: Apollinis quoque Cynii delubrum circa Temnum non spoliavit solùm, sed etiam igni tradidit: atque his peractis, domum rediit. Ex pedestribus verò ejus copiis plerique fame ac sanguinis profluvio perierunt. Nec dissimilis casus navales copias afflixit: quippe ingenti tempestate in Propontide subitò excitatâ, naves pleræque mari absorptæ sunt una cum ipsis militibus ac remigibus; nonnulli in terram ejecti sunt naufragi. [*Polyb. & Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 169. 170. *&* 337. *cum Suida in voc.* Προυσίας.]

Attalus à Prusiâ victus fratrem Athenæum cum Pub. Lentulo proficisci jussit, ad declarandum Senatui quod acciderat. [*Polyb. legat.* 128.]

Quum hi sub exitum hyemis in Senatu ea quæ fecerat Prusias exposuissent; statim cum præfecto Lentulo legatos mittere Patres decreverunt C. Claudium Centonem, L. Hortensium & C. Aurunculeium: datis mandatis, ut Prusiam bellum cum Attalo gerere prohiberent. [*Id. legat.* 129.] 4559 155

P. Sci-

P. Scipione & M. Marcello Conſulib. Athenienſes ad Senatum Populúmque Romanum tres illius ætatis nobiliſſimos Philoſophos legatos miſerunt; Carneadem Academicum patriâ Cyrenæum, Diogenem Stoicum natione Babylonium, & Critolaum Peripateticum: ut mulctam 500 talentorum propter Oropi vaſtationem, judicio Sicyoniorum ſed authoritate Romani Senatûs eis impoſitam, remitti impetrarent. Et in Senatum quidem introducti interprete uſi ſunt Cæcilio (vel C. Acilio potiùs) Senatore: ſed antè ipſi ſeorsùm quoque quiſque oſtentandi gratiâ magno conventu hominum diſſeruerunt. Tum admirationi fuiſſe aiunt Rutilius & Polybius Philoſophorum trium ſui cujuſque generis facundiam. Violenta enim & rapida Carneades dicebat, ſcita & teretia Critolaus, modeſta Diogenes & ſobria. Addit Clitomachus in hiſtoriâ ſuâ Græcè ſcriptâ, cùm Carneades (cujus ipſe Clitomachus auditor fuit) & Stoicus Diogenes ad Senatum in Capitolio ſtarent, A. Albinum qui tum Prætor erat jocantem dixiſſe. *Ego tibi, Carneade, prætor eſſe non videor, quia ſapiens non ſum; nec hæc urbs, nec in eâ civitas.* atque illum reſpondiſſe: *Huic Stoico non videris.* Audito verò Carneade, Cato Cenſorius quàm primùm legatos cenſuit dimittendos: quoniam illo viro argumentante, quid veri eſſet haud facilè diſcerni poſſet. Ut verò in urbe nomen increvit horum Philoſophorum, & Romani adoleſcentes reliquarum voluptatum & oblectamentorum obliti quaſi fanatici raperentur ad Philoſophiam; Cato, veritus ne juventus eò converteret ſtudium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis & diſciplinæ militari anteferret, cenſuit omnes Philoſophos ab urbe honeſtâ ſpecie ablegandos: atque quum veniſſet in Senatum incuſavit Patres quòd legati, qui perſuadere facilè quidvis valerent, diu illic ſine reſponſo ſederent. Quare primo quoque tempore aliquid eſſe cenſuit de legatione ſtatuendum & decernendum: quò hi ad ludos literarios regreſſi, apud Græcorum filios diſſererent; Romana autem pubes conferret ſe, ut antè, ad obtemperandum legibus & magiſtratibus. [*Cicero in Lucullo, & Tuſculan. quæſt. lib. 4. & lib. 2. de Oratore. Plin. lib. 7. cap. 30. Plutarch. in Catone majore. A. Gellius, lib. 7. cap. 14. eúmque ſecutus Macrobius, lib. 1. Saturnal. cap. 5.*]

3850 Quo tempore Senatus Q. Opimium Conſulem ad gerendum bellum adverſùs Oxybios Ligures miſit, (de quo in Legatione 134 *Polybius*) junior Ptolemæus (Euergetes) Romam venit. Qui ut in Senatum ingreſſus eſt, fratrem Philometorem cœpit acculare, authoremque eum dicere inſidiarum quibus fuerat attentatus. Simúlque vulnerum cicatrices oculis ſpectandas exhibens, multis deinceps verbis rei atrocitatem exaggerando, ad miſerationem ſui flectere animos hominum conabatur. Sed & ſenioris Ptolemæi legati aderant, Neolaidas & Andromachus; qui ad criminationes omnes fratris reſponderent. Verùm iſtorum Senatus ne admittere quidem ad aures orationem voluit: adeò mentes omnium acculationibus fratris erant occupatæ. His igitur extemplò Româ juſſis faceſſere, legati quinque ſunt decreti, inter quos erant Cn. Merula & L. Thermus; & ſingulis quinqueremes attributæ. Datum iis negotium fuit, ut cum juniore Ptolemæo profecti, in inſulam Cyprum eum reſtituerent. Scriptum etiam ad ſocios Græcos & Aſiaticos; licere illis Ptolemæum in recuperatione Cypri adjuvare. [*Polyb. legat. 132.*] 4560 154

Legati Romani ad Pruſiam venientes, Senatûs nomine illi denuntiârunt, ne Attalo Romanorum amico ſocióque bellum inferre pergeret. Quúmque ille parere gravaretur, legati rigidè mandarunt ei, aut pareret Senatui, aut ad diſceptandum veniret cum mille equitibus ad confinia: ubi & Attalum expectare aiebant cum totidem aliis. Ille, contemptâ paucitate quæ erat circa Attalum, ſperans eum poſſe à ſe opprimi, præmittit legatos, quaſi ſecuturus cum mille ſuis: ſed concitato univerſo exercitu, venit tanquam ad prælium. Attalus & legati præmoniti diffugerunt: ille etiam jumenta Romanorum relicta comprehendit, & Nicephorium expugnatum diruit, templa quoque incendit in eo; deinde Attalum (cum Romanorum legatis) intra Pergamum compulſum oppugnavit. [*Appian. in Mithridaticis, pag.* 172.]

Quum Hortenſius & Aurunculeius Pergamo Romam reverſi renuntiaſſent, quanto contemptui Senatûs mandata Pruſias habuiſſet, qui violato fœdere adverſùs ipſos & Attalum Pergami incluſos omnem vim atque injuriam eſſet expertus: Patres irati, & indignatione facinoris commoti, decem extemplò legatos decreverunt, in quibus L. Anicius & C. Fannius & Q. Fabius Maximus; eóſque ſtatim cum mandatis miſerunt, ut bello finem imponerent, & Pruſiam pro injuriis bello illatis pœnas Attalo pendere cogerent. [*Polyb. legat.* 133.]

Dum adhuc eſſet hyems, Attalus magnum exercitum coëgit: quum & Ariarathes & Mithrades ejus ſocii copias ipſi tum equeſtres tum pedeſtres, duce Demetrio Ariarathis filio, ſubmiſiſſent. In his apparatibus dum occupatur Attalus, legati Romani venientes eum Quadis convenerunt; & de omnibus rebus cum eo locuti, ad Pruſiam rectà ſunt profecti. Eò ut ventum, voluntatem Senatûs ſeriò illi declarârunt. Pruſias ex iis quæ imperabantur nonnulla facturum ſe pollicitus, de pleriſque negabat. Itaque Romani legati pertinaciâ illius offenſi, amicitiæ & ſocietati ipſius renuntiârunt: atque extemplò omnes eo relicto ad Attalum pergere cœperunt. Tum verò Pruſias pœnitentiâ ductus, orans obtecránſque legatos aliquandiu ſecutus eſt: & quum nihil proficeret, domum reverſus, in ſummâ conſilii inopiâ verſabatur. Interim Romani Attalo authores ſunt, ut cum exercitu in regni finibus manens, ipſe quidem bello neminem lacceſſat, ſed urbes ſuas ac pagos ab injuriâ defendat. Ipſi in varias partes diviſi, partim Romam properant, ad ſignificandum Senatui regis Pruſiæ pertinaciam: partim in Ioniæ regionem tendunt; quidam ad Helleſpontum, & vicinos Byzantio tractus. Quorum omnium unum idémque erat propoſitum, ut ab amicitiâ & ſocietate Pruſiæ homines revocarent; Attalo verò benevolentiam eunctorum conciliarent, & quibus poſſent cunque modis eum adjuvarent. [*Id. legat.* 135.]

Athenæus poſteà frater Attali claſſem adduxit navium tectarum 80. quarum quinque triremes Rhodiorum erant, quæ ad bellum Creticum fuerant miſſæ, viginti Cyzicenorum, ſep-

tem & viginti Attali, reliquæ aliorum sociorum. Is directo cursu in Hellespontum, quòties aliquam prætervehereturcarum urbium quæ Prusiæ parebant, crebras excensiones faciens, agrum illarum populabatur. [*Id. legat.* 136.]

Senatus, auditis legatis qui à Prusiâ redierant, tres alios continuò misit, Appium Claudium, Lucium Oppium, & Aulum Posthumium. Hi in Asiam ubi venerunt, bello finem imposuerunt; & ut Reges ambo in hujusmodi conditiones consentirent; pervicerunt. *Prusias ut Attalo 20 naves tectas confestim tradat. Talenta 500 intra 12 annorum spatium pendat. Agrum utrique ut possideat, quem ante inchoatum hoc bellum obtinebat. Item ut Prusias damna sarciat agris illata Methymnæorum, Ægiensium, Cumæorum, & Heracleotarum: centúmque illis talenta solvat.* Hoc fœdere istis scripto, Attalus copias suas & navales & terrestres domum reduxit. [*Id. ibid.* 173.] Prusias verò, cùm se ob nimiam sævitiam subditis exosum, & Nicomedem filium valde ab eis amatum animadverteret; filium suspectum Romam misit, ut ibi degeret. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 173.]

Antiochenis à Demetrio Sotere deficientibus, Orophernes initâ cum eis pactione, pellere ipsum regno, à quo fuerat restitutus, consilium cepit. Quo cognito, Demetrius vitæ quidem ejus, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit; ipsum autem comprehensum, vinctum Seleuciæ custodiri jussit. Nec Antiocheni indicio territi, à defectione destiterunt. Itaque adjuvantibus & Ptolemæo rege Ægypti, & Attalo rege Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessitis, subornant quendam sortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei *Alexandri* inditur, genitúsque ab Antiocho rege dicitur. Tantum odium Demetrii apud omnes erat, ut æmulo ejus non vires regiæ tantùm, verumetiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. [*Justin. lib.* 35. *cap.* 1.]

Iste Alexander, *homo ignotus & incerta stirpis*, in epitome libri 52 Liviani fuisse dicitur. Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς υἱὸς ὑποβλητὸς, *Antiochi Epiphanis filius suppositititius*, ab Athenæo. [*lib.* 5. *cap.* 10.] Ψευδόμενος εἶναι τῶν Σελευκιδῶν γένους, *falsò in Seleucidarum gentem se ingerens*, ab Appiano. [*in Syriac. pag.* 31.] *adolescens Rhodi educatus, Antiochi se esse filium falsò dicitans*, à Severo Sulpicio. [*Histor. sacr. lib.* 2.] Straboni [*lib.* 16. *pag.* 751.] *Balas*; Josepho [*lib.* 13. *cap.* 8.] *Ballet*, cognominatus.

Hunc, unà cum Laodice (Antiochi Epiphanis filiâ) fervente adhuc æstate Heraclides (quem ærario Babylonico Antiochus Epiphanes quondàm præfecerat) Romam secum duxit. Qui dum in Urbe commoratur, magnæ fortunæ speciem ostentavit: vafrè agens omnia, & consultò tempus extrahens, ut Senatum ad ea quæ moliebatur flecteret. [*Polyb. legat.* 138.]

3851 *a.* Attalus Eumenis regis filius (cujus nomine patruus Attalus Pergamenum regnum administrabat) puer admodùm, Romam venit; ut Senatui se commendaret, & amicitiam hospitiique jus, quod patri fuerat cum populo Romano, renovaret. Hic à Senatu & paternis amicis singulari humanitate susceptus, accepto responso ex animi sui sententiâ, honoribúsque affectus qui puero id ætatis conveniebant, post paucos dies domum est reversus: omnibus Græciæ civitatibus, per quas iter faciebat, summo studio & magnificentiâ cum excipientibus. [*Idem legat.* 140.]

Adfuit & Romæ per id tempus Demetrius (Nicator postèà dictus; Demetrii Soteris in Syriâ tunc regnantis filius:) qui modico paratu, ut puer, exceptus, in patriam dennò se contulit. [*Id. ibid.*]

b. Heraclides diuturniore morâ Romæ factâ, in Senatum unà cum Laodice & Alexandro (Balâ) venit. Ibi primò adolescens pauca est locutus: postulavítque ut meminissent Romani amicitiæ & societatis quæ Antiocho parenti suo cum illis fuisset, deinde ut maximè quidem in recuperando suo regno se adjuvarent; sin id minùs vellent, redire saltem sibi in Syriam permitterent, neque eos impedirent qui ad paternum regnum obtinendum opem sibi ferre essent parati. Mox Heraclides sermonem excepit: & postquàm laudes ac merita Antiochi pluribus exposuisset, adjectâ criminatione Demetrii (Soteris;) postremò subjecit, æquum justúmque esse, ut adolescentulo huic & Laodicæ, qui sunt legitima stirps Regis Antiochi, reditus in patriam concedatur. Sed eorum omnium quæ dicebat iste, nihil quicquam placebat sanæ mentis hominibus: qui & fictam eam esse commentitiámque fabulam intelligebant, & Heraclidem palàm abominabantur. At vulgus Senatorum quos præstigiis suis Heraclides sibi conciliaverat, in eam sententiam omnes consenserunt, ut hujusmodi Senatusconsultum scriberetur. *Quòd Alexandro & Laodicæ Regis filiis, qui amicus sociúsque Populi Romani fuit, in Senatu verba facientibus, Senatus ut in Patris regnum velut post liminio reverterentur permisit; & ferre ipsis opem, uti postulaverunt, decrevit.* Hâc arreptâ occasione Heraclides, militem extemplò conduxit, & multos viros illustres sibi adjunxit: dein Ephesum veniens, bellum quod moliebatur sedulò apparare cœpit. [*Id. ibid.*] 4561 153

c. Anno regni Græcorum 160, Alexander (Balas) pro Antiochi Epiphanis filio sese venditans, Ptolemaïdem (Phœniciæ urbem) à militibus qui eam tenebant præsidio sibi proditam occupavit. [1. *Maccab.* X. 1. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 3.] Nam mores Demetrii, ut parùm comis & superbi admodùm, illi oderant. Inclusus enim in regium quoddam castellum munitum quatuor turribus, non procul situm ab Antiochiâ, neminem admittebat: & omissâ Reipublicæ curâ, segnis degebat in otio. [*Joseph. ibid.*]

Demetrius Soter, audiens Alexandrum Ptolemaide receptum regnare ibi cœpisse; congregavit copias multas, ut procederet obviam ei in prælium. [1. *Maccab.* X. 1, 2.] Sed consideratis incertis belli casibus, duos filios (Demetrium Nicatorem & Antiochum Sidetem; qui & Syriæ regnum ambo postèà obtinuerunt) cum magno auri pondere Cnidum ad hospitem suum ablegavit; ut belli periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, paternæ ultioni servarentur. [*Liv. lib.* 52. *Justin. lib.* 35. *cap.* 2.]

Misit

Misit quoque ad Jonathanem Demetrius epistolas, quibus pacem cum eo renovavit; dedit-que ei potestatem congregandi copias & arma comparandi, ut belli adversùs Alexandrum gerendi socius ipsi esset: obsides quoque, qui erant in arce, jussit ei tradi. Quibus litteris publicè Hierosolymæ à Jonathane lectis; qui in arce erant, timore perculti tradiderunt ei obsides, quos ille parentibus ipsorum reddidit. [I. *Maccab.* X. 3,—9.]

d. Hâc occasione prudenter usus Jonathan; habitavit Hierosolymæ; cœpitque ædificare & instaurare eam. Et extruendos curavit muros & montem Sionis per circuitum ex lapidibus quadratis ad munitionem. Fugerúntque alienigenæ qui erant in munitionibus quas extruxerat Bacchides; & abiit unusquisque in terram suam: Bethsuræ tantùm quidam ex apostatis & Legis desertoribus remanserunt; erátque hoc ipsis perfugium. [*Ibid.* 10,—14.]

Audiverat interèa rex Alexander promissiones, quas missis litteris Demetrius fecisset Jonathani: ideóque & ipse per litteras amicitiam & societatem ejus quæsivit; constituítque eum summum Sacerdotem gentis suæ, atque amicus Regis vocaretur concessit, simúlque purpuram ei misit & coronam auream. [*Ibid.* 15,—20.]

3852 Jonathan sacram stolam induit septimo mense anni 160 regni Græcorum, in festo Tabernaculorum. [I. *Maccab.* X. 21.] post mortem fratris Judæ anno nono, non *quadriennio*, ut apud Josephum [*lib.* 13. *cap.* 5.] legitur. Eâ enim ratione, ante annum Græcorum 164. vitâ non excessisset Jonathan: contra Maccabaicæ historiæ veritatem. [I. *Maccab.* IX. 3, 18, 54.] Qui error ex allo illo, de Judâ in Pontificatu Alcimo succedente, est prognatus: quem ab ipso Josepho posteà agnitum fuisse ostendimus; Jacimo sive Alcimo mortuo neminem successisse, sed per integrum septennium civitatem sine Pontifice mansisse, clarissimè profitente. [*lib.* 20. *cap.* 8.] Quo septennio, cum quinque insuper mensibus, demùm completo; Jonathan nunc, Hasmonæorum primus, ex Sacerdotali quidem Jehojaribi sed non ex Pontificiâ Jaddi (cujus Onias hæres hoc tempore in Ægypto cum Ptolemæo Philometore degebat) familiâ, summi Sacerdotii munere functus est.

Demetrius Soter, dolens, ad Alexandri partes inclinatos fuisse Judæos; remissionis debitorum & tributorum omnium (quibus gens miserè à Macedonibus hactenùs oppressa fuerat) & amplissimorum donorum prolixâ pollicitatione, eorum ambivit amicitiam. Verùm tam profusa promissorum copia hoc ipso parum probabilis Jonathani & populo Judaico visa est; quòd ab homine proficisceretur, qui rebus ipsis docuisset se eos odisse, nihilque eorum præstiturum si à præsenti necessitate liberaretur. Eo itaque repudiato, acquieverunt Alexandro, qui primus cum illis de pace egerat; atque illi deinceps socii in bello semper fuerunt. [I. *Maccab.* X. 22,—47.]

Andriscus quidam Adramyttenus, ultimæ sortis homo, Persei postremi Macedonum regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, quum Macedoniam turbare conatus à nemine curaretur; in Syriam ad Demetrium Soterem (cujus soror Perseo nupta fuerat) spe auxilii impetrandi se contulit. Fabulam autem hujusmodi finxit. Ex pellice se Perseo rege ortum, traditum educandum Cyrthesiæ cuidam esse: ut in belli casus, quod ille cum Romanis ageret, aliquod velut semen stirpis regiæ extaret. Perseo demortuo, Adramytti se educatum usque ad duodecimum annum ætatis patrem esse credentem, à quo educaretur; ignarum genetis fuisse sui. Affecto deinde eo, cùm prope finem vitæ ultimum esset, detectam tandem originem suam: falsæque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, cùm ad puberem ætatem venisset; obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. Pubescenti libellum traditum: in quo relicti sibi duo thesauri à patre dicerentur. Tum scientem mulierem subditicium se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus: atque obtestatam, ut prius quàm ad Eumenem manaret res, Perseo inimicum, excederet iis locis; ne interficeretur. Ob hoc mendacium à Demetrio rege comprehensus, & Romam missus; cùm neque Persei filium esse constaret, & alioqui nihil insigne haberet, per contemptum neglectus est. [*Liv. lib.* 48. *& 49. Zonar. ex Dione.*]

3854 Alexander Balas, tam è milite qui in Syriâ à Demetrio defecerat quàm ex Attali, Ariarathis, Jonathanis & præcipuè Ptolemæi Philometoris copiis auxiliaribus, magno exercitu contracto, cum Demetrio congressus est. Et sinistrum quidem Demetrii cornu oppositam sibi aciem terga coëgit, vertere: hærentésque diu fugientium vestigiis etiam castra eorum diripuerunt. At dextrum cornu in quo Demetrius ipse pugnabat, compulsum est loco cedere. Reliquis verò effusè fugientibus, Demetrius fortiter decertans alios hostium occidit, alios non sustinentes ipsius impetum persequens, abreptus est in cœnum quoddam profundum & transitu difficile: ubi prolapso equo, omni effugio destitutus, à circumfusâ accurrentium coronâ jaculis confixus est. At ille etiam pedes generosè repugnabat; donec crebris vulneribus confectus succubuit. [I. *Maccab.* X. 48, 49, 50. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 5. *Justin. lib.* 35. *cap.* 1. *Appian. Syriac. pag.* 131.] Atque ita Demetrius, cùm annos 12. regnum Syriæ tenuisset, cæteris regibus in ipsum conspirantibus, vitam simul cum regno amisit: inquit Polybius. [*lib.* 3. *pag.* 161.] Quem (ut qui Demetrium ipse bene noverat) in duodenario annorum regni numero Porphyrius, [*in Græc. Euseb. Scaliger. pag.* 228.] *Eusebius* & *Severus Sulpicius* sunt secuti: licèt 11. tantùm *Josephus* illi assignaverit.]

Post mortem Demetrii (qui liberos post se Demetrium & Antiochum reliquit) paulò ante Achaicum bellum, Cometes effulsit, non minor Sole. Primò igneus ac rubicundus orbis fuit, clarúmque lumen emittens, quanto vinceret noctem. Deinde paulatim magnitudo ejus districta est, & evanuit claritas: novissimè aurem totus intercidit. [*Seneca, Natural. quæstion. lib.* 7. *cap.* 15.]

Quum Ptolemæi Philometoris præcipuè operâ (testante *Appiano*) Alexander Demetrium

Anno Periodi Julianæ.	Annorum ante æram Christi.
4562	152
4564	150

vità pariter & regno ita exuisset ; missis ad Ptolemæum legatis, filiam ejus matrimonio sibi jungendam expetiit. Quo libenter annuente, Ptolemæus cum filiâ suâ Cleopatrâ (fœminâ ad Syriaci regni exitium natâ) ex Ægypto egressus venit Ptolemaidem, anno regni Græcorum 162 (desinente.) Ubi inter Alexandrum & Cleopatram celebratæ sunt nuptiæ, ut inter reges fieri solet, magnificè. [I. *Maccab.* X. 51,–58.]

Ad has nuptias ab Alexandro invitatus Jonathan, duobus illis regibus amicisque eorum aurum & argentum ac dona plurima dedit : & invenit gratiam coram illis. Convenerúntque improbi quidam ex Israële, ut accusarent eum. Quibus tantùm absuit ut Alexander rex attenderet, ut Jonathanem purpurâ indui juberet, & sedem ei apud se tribueret ; & principibus suis præciperet, ut cum eo in mediam Ptolemaidem exeuntes promulgarent, ne quis illi obloqueretur neque molestiam illi crearet de ullo negotio. Quod videntes accusatores, diffugerunt omnes. Rex verò honore affecit eum, & conscripsit eum inter primos amicos, & ducem (copiarum in Judæâ) eum constituit & (in palatio suo) *μεριδάρχην*. Et reversus est Jonathan Hierosolymam cum pace ac lætitiâ. [*Ibid.* 59,–62.]

Onias, Oniæ III Pontificis filius, qui profugus Alexandriæ degebat apud Ptolemæum Philometorem, de recuperando Pontificatu Hierosolymitano (ad Hasmonæorum familiam translato) nullâ jam spe relictâ, æternam sibi memoriam parare voluit, regi Ptolemæo & Cleopatræ reginæ (sorori pariter ipsius & conjugi) per supplicem libellum significavit se, dum bello illis variis in regionibus operam navaret, animadvertisse apud Cœle-tyriam & Phœniciam & Leontopolim in Ægypti præfecturâ Heliopolitanâ, aliisque in locis Judæos præter decorum habere templa, & ideò malè inter eos convenire. rogare igitur, ut templum quod apud castrum agrestis Bubastis invenit, nulli sacratum numini jámque collapsum repurgare sibi liceat, & aliud ejus loco Deo maximo extruere ad Hierosolymitani illius similitudinem, pari etiam modo & mensurâ : ut Judæi qui Ægyptum incolunt illic convenientes, quo magis alerent mutuam concordiam, eo Regum utilibus commodiùs inservirent. Nam & Esaiam vatem prædixisse, quòd erit Domino Deo altare in Ægypto, & alia multa de eo loco prophetavisse. [*Joseph. lib. 13. cap. 6.*]

In quibus observandum illud primò : non quum primùm in Ægyptum ad Philometorem & Cleopatram Onias se contulit, novi Templi structuram illum fuisse aggressum ; sed posteaquàm illis strenuam in bellis tum Ægyptiacis tum Syriacis navasset operam. Philometorem enim & Cleopatram totum suum regnum Judæis committentes, militiæ totius duces Oniam & Dositheum Judæos constituisse, in libro 2 contra Apionem [*pag.* 1064.] *Josephus* confirmat. Deinde, vaticinium illud Esaiæ, quo ad sacrilegam suam ambitionem statuminandam abusus est Onias, ad spirituale Christi Domini nostri regnum spectare. Locus est, in Esaiæ cap. XIX. 18, 19. *Tempore illo erunt quinque civitates in terrâ Ægypti loquentes linguâ Canaan, & jurata Domino exercituum : civitas destructionis dicitur unaquaque. Tempore illo erit altare Domino in mediâ terrâ Ægypti ; & titulus Domino juxta terminum ejus.* Ubi pro עיר החרס *civitate destructionis*, ob maximam literarum similitudinem, עיר הדרס olim legebatur, id est πόλις ἡλίου, ut interpretatus est Symmachus. Quomodo & Hieronymus reddidit : *Civitas solis vocabitur una.* Et Chaldæus Paraphrastes, utrâque lectione conjunctâ : *Civitas solis, quæ destruetur.* Quâ occasione fortasse & ἀποστολικὸν νομὸν Oniam elegisse, in quo Templum suum construeret, conjicit *Scaliger.*

Onias igitur, impetrato loco in agro Heliopolitano, 180 stadiis à Memphi distante Templum ibi extruxit, Hierosolymitano minus & non perquè opulentum ; cum turri simili, ingentibus saxis 60 cubitis erectâ. Altaris autem fabricam secundùm patrium imitatus est : & donariis similiter exornavit, præter candelabri confectionem. Candelabrum enim non fecit, sed informatum aureum lychnum tanquam jubaris lumine radiantem de aureâ catenâ suspendit. Totum verò circa templum spatium cocto latere circumdedit, saxeas portas habente. Concessit autem Rex etiam multum agri modum, ac pecuniæ reditus : ut & Sacerdotibus esset copia ad multa quæ Dei cultus desideraret. Invenit autem Onias & Judæos quosdam sibi similes, (τὴν Ὀνίου λειτουργίαν χάριν κατασκευάσας, apud *Josephum* lib. 14. Antiquit. cap. 14. & lib. 1. Belli cap. 7.) & Sacerdotes & Levitas, qui illic divinum cultum frequentarent. [*Joseph. lib. 7. Belli cap. 37. cum lib. 13. Antiquit. cap. 6.*] In *Mishnâ* tamen, *tract.* מנחות cap. 13. §. 10. Sacerdotes qui ministrabant templo Oniæ, eodem, & meritò quidem habentur loco, quo Sacerdotes excelsorum : quibus (ex II. Reg. XXIII. 9.) non concessum fuerat offerre holocausta super altare Domini quod fuerat Hierosolymis ; sed tantùm ut azymos panes comederent (instar Sacerdotum immundorum) in medio fratrum suorum.

Alexandriæ inter Judæos & Samaritas de sacris ipsorum seditio est exorta ; illis Hierosolymitanum, his Garizitanum templum juxta Moïs præscripta contendentibus esse legitimum : provocatúmque est ad Ptolemæum Philometorem regem & amicorum ejus consessum, ut ab his causa audiretur, & utrius partis causidici succumberent, morte multarentur. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodosio, Judæis Andronicus Messalami filius : juraverúntque per Deum & Regem, quòd ex lege probationes allaturi essent ; & rogaverunt Regem ut necaret eum qui jusjurandum non servasse deprehenderetur. Rex, multis amicis in consilium adhibitis, causam audivit : & Andronici rationibus persuasus, Hierosolymitanum templum ex sententiâ Moïs fuisse conditum pronuntiavit ; Sabban verò & Theodosium addixit supplicio. [*Joseph. lib. 13. cap. 6.*]

Apud Philometorem in Ægypto Aristobulus Judæus tum claruit, Peripateticus philosophus : qui ad eundem Regem explanationum in Moïsem commentarios scripsit. Ex quorum ad eum Præfatione insignis habetur citatus locus à *Clemente Alexandrino* lib. 1. Stromat. & *Eusebio* in Evangelicæ Præparat. lib. 13. cap. 7. qui & ibi, & in operis ejusdem lib. 8. cap. 3. longiora alia ex iisdem commentariis fragmenta producit.

Bellum

3855 Bellum Punicum III. cœpit: in quo Mithridates Euergetes, qui Ponticorum regum primus amicitiam cum populo Romano iniit, naves aliquot auxiliares contra Carthaginienſes ſuppeditavit. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 176.] Ad hoc bellum adminiſtrandum ambo Conſules ſunt miſſi, Manilius cum exercitu, & Marcius Cenſorinus cum claſſe: quibus ſecretò mandatum eſt, ne priùs à bello deſinerent quàm dirutâ Carthagine. [*Liv. lib.* 49. *Appian. in Libyc. pag.* 42.] 4565 149

Andriſcus ſive Pſeudo-philippus, Româ clàm ſe ſubducens, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium aut armis occupavit, & regni inſignia aſſumpſit; Olympiadis CLVII. anno 3. Cúmque Theſſaliam invadere armis atque occupare vellet: per Romanorum legatos auxiliis Achæorum ea defenſa eſt. [*Liv. lib.* 49. *&* 50. *Vellei. Patercul. lib.* 1. *Porphyr. in Grac. Euſeb. Scalig. pag.* 229.]

Pruſias Venator rex Bithyniæ, poſtquàm cognovit filium ſuum Nicomedem Romæ gratioſum eſſe, mandavit ei ut à Senatu peteret, remitti ſibi quod ſupererat pecuniæ debitæ Attalo: & addidit ei Menam, ut ſimul legatione fungeretur. Cui clàm mandatum dedit, ſi impetraverit remiſſionem pecuniæ, ut Nicomedi adhuc parceret: ſin minùs, Romæ illum interficeret. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 173.] eâ ratione conſulere ſtudens minoribus filiis, quos ex noverca ejus ſuſceperat. [*Juſtin. lib.* 34. *cap.* 4.] quorum unus, ejuſdem cum patre nominis, pro ſuperiore ordine dentium unum os continens æqualiter extentum habuiſſe dicitur; nec ad ſpeciem deforme, neque ad uſum ullâ ex parte incommodum. [*Livi lib.* 50. *Valer. Maxim. lib.* 1. *cap. ult. Plin. lib.* 7. *cap.* 16.]

Cum legato ſuo Menâ Pruſias cercuros aliquos miſit & duo millia militum. Ad contradicendum illi, Andronicus ab Attalo legatus miſſus, demonſtravit mulctam Pruſiæ impoſitam minorem fuiſſe quàm rapinam. Quum igitur nec mulcta remitteretur Pruſiæ, & Nicomedem Romæ Menas videret eſſe in prètio: inops conſilii nec occidere eum auſus eſt, nec reverti in Bithyniam. Ita morantem convenit non invitum juvenis: conſpiratúrítque in Pruſiam, aſcito in ſocietatem Andronico; ut is regi ſuo Attalo perſuadetet Nicomedem in Bithyniam deducere. Congreſſi igitur in Bernice oppidulo Epiri, nocte conſcensâ nave quid agendum eſſet collocuti ſunt; & diverſi diſceſſerunt eâdem nocte. Manè verò Nicomedes exſcendit navem purpurâ & diademate ornatus more regio: cui mox Andronicus occurrit, & Regem appellatum deducebat cum 100 quos circa ſe habebat militibus. Menas verò ſimulabat ſe tum primùm ſenſiſſe Nicomedis præſentiam, & circumcurſans ea duo quæ habebat militum millia, ut ſagaciter applicarent ſe ad eum qui futurus eſſet potior hortatus eſt: monens, Pruſiam ſenem eſſe, Nicomedem juvenem; Bithynos illum averſari, hunc optare; Romanorum optimates juvenem diligere, & Andronicum jam ejus ſatellitem promittere ab Attalo auxilium, rege vicino Bithynis & latè regnante & Pruſiæ hoſte vetere. Ad hæc memorabat crudelitatem Pruſiæ; detegens ejus in omnes patrata facinora, & inde odium publicum. Ut verò & hos milites animadvertit abhorrere ab ejus ſceleribus, ſtatim ad Nicomedem adduxit; & ſecundus Regem eum appellavit poſt Andronicum, ſtipavítque duorum millium ſatellitio. [*Appian. ut ſuprà, pag.* 173, 174.]

Attalus, prompte excepto juvene, Pruſiam juſſit filio civitates aliquot ad inhabitandum & agros ad victum attribuere. Reſpondit ille, mox ei daturum ſe univerſum regnum Attali; in cujus gratiam & antè invaſiſſet Aſiam. Hæc locutus, miſit Romam qui accuſarent Nicomedem & Attalum, citaréntque ambos in judicium. [*Id. ibid. pag.* 174.]

Nicomedes, Phaëllonis (ſive Phaënnidis potiùs) Epirotidis oraculo fretus, quod ſuis ex commodis ipſe interpretabatur, hortatu Attali bellum patri Pruſiæ fecit. [*Zoſim. hiſtor. lib.* 2.] Illo igitur & Attalo, cum ſuis, mox in Bithyniam profectis; Bithyni ad eos paulatim defecerunt. Pruſias verò nemini ſe credens, & ſperans Romanos ſe erepturos ex inſidiis, à Diegylle Thrace ſocero ſuo 500 Thracas impetravit; quibus ſolis commiſit corporis ſui cuſtodiam; & in arcem Nicææ ſe incluſit. [*Appian. Mithridatic. pag.* 174.]

3856 Romæ prætor urbanus non ſtatim ad Senatum adduxit legatos Pruſiæ, Attalo gratificans: & poſtquàm tandem introduxit, juſſus à Senatu legatos eligere qui bellum compeſcerent, elegit tres; quorum unus ſaxo quondam in caput percuſſus fuſcas cicatrices præferebat, alter pedibus æger erat, tertius ingenio ſocors & uſque ad ſtultitiam ſimplex habebatur. Quos irridens Caro Cenſorius (qui paulò pòſt ætatis ſuæ anno 85 vitam finiit) legationem dixit mitti à populo Romano, quæ nec caput nec pedes nec cor haberet. [*Id. ibid. Liv. lib.* 50. *Plutarch. in Catone majore.*]

Legati profecti in Bithyniam, juſſerunt partes ab armis diſcedere. Nicomede autem & Attalo ſimulantibus ſe authoritati Senatûs cedere, Bithyni ſubornati negabant ſe poſthæc ferre poſſe immanitatem Pruſiæ; maximè poſtquàm deprehenſi ab eo fuiſſent moleſtè ferre illius imperium. Sic legati, quia nondum hæ querelæ ad Senatum pervenerant, abierunt infecto negotio. Pruſias, deſperatâ ope à Romanis, quibus fretus nulla paraverat auxilia, migravit Nicomediam, ut hâc munitâ hoſtem inde arceret: ſed opidani, Rege prodito, portas aperuerunt. Pruſiam religione fani Jovis ſe tutantem confoderunt quidam immiſſi à Nicomede. [*Appian. Mithridatic. pag.* 174. 175.] Ab ipſo filio Nicomede Pruſiam ad aram Jovis confugientem occiſum fuiſſe narrat Diodorus Siculus. [*in Photii Bibliothecâ, cod.* 244.] ab Attalo interfectum *Strabo*, [*lib.* 13. *pag.* 624.] à filio, adjuvante Attalo, *Livius*, [*lib.* 50.] à ſubditis ſuis cæſum ex Dione refert *Zonaras*. Tantum enim Bithynorum in eum fuiſſe odium narrat *Polybius*; [*in Excerptis Valeſii, pag.* 174. *& Suid. in* Πρυς.] ut omnes impetu effuſo non ad defectionem modò, ſed ad pœnas etiam de eo ſumendas ferri cœperint.

Andriſcus ſive Pſeudo-philippus in Macedoniâ Romanum prætorem Juventium contra ſe

missum cum legione vicit; cúmque, cum maximâ clade totius Romani exercitûs, interfecit. Inde facto in Thessaliam impetu, majorem partem ejus vastavit, & Thraces sibi adjunxit. [*Liv. lib. 50. Florus, histor. lib. 2. cap. 14. Eutrop. lib. 4. Zonar. ex Dione. Oros. lib. 4. cap. 22.*] Postea ad sævitiam & tyrannicam insolentiam conversus, opulentissimum quemque per summum scelus ac confictas calumnias neçavit: plurimos quoque amicorum è medio sustulit. Erat enim naturâ ferus ac cruentus; ac præterea in congressu familiari superbus; postremò cupiditate atque omni scelere contaminatus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 342.*]

Apud Syros Alexandro Balâ in ganeo & lustris socorditer jacente, amicus ejus Ammonius regnum administrabat. Per quem & amici omnes Regis, & Laodice regina (Antiochi Epiphanis filia,) & Antigonus Demetrii filius, sunt occisi. [*Liv. lib. 50. cum Josepho, lib. 13. cap. 8. & Atheneo, lib. 5. cap. 10.*] 4566 148

Anno regni Græcorum 165°, Demetrius major natu Demetrii Soteris filius, annos pubertatis egressus, auditâ Alexandri luxuriâ, (quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum inter scortorum greges desidem in regiâ tenebant) cum multis mercenariis militibus quos à Lasthene Cretensi acceperat solveis ab eâ insulâ trajecit in Ciliciam. Cujus rei nuncio Alexander vehementer territus, mox è Phœniciâ properavit Antiochiam, ut res ejus ante Demetrii adventum in tuto constitueret. Antiochiæ verò præfecturam ille Hieraci ac Diodoto (qui & Tryphon, I. *Maccab.* XI. 39.) tradidit. [I. *Maccab.* X. 67, 68. *Joseph. lib. 13. cap. 8. Justin. lib. 35. cap. 1. Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 346.*]

Demetrio adjunxit se Apollonius (cognomento *Daus* Joiepho dictus) Cœle-Syriæ præfectus: quem exercitûs sui ducem ille constituit, ad Judæos, qui in fide Alexandro datâ persistebant, debellandos. Apollonius igitur magno congregato exercitu, quo plerosque ab Alexandro traduxit ad Demetrium, Jamniæ castrametatus, Jonathanem Judæorum ducem ac Pontificem ad certamen secum in loco campestri ineundum thrasonicè provocavit. Quo commotus Jonathan cum decem virorum millibus profectus est Hierosolymâ: cui & frater Simon occurrit, in auxilium ipsius. Castra verò ponentes ad Joppem exclusérunt Apollonii præsidiarii qui ibi erant. Sed oppugnatione territi cives, apertis januis deditionem fecerunt. [I. *Maccab.* X. 69,–76.]

Ut audivit Apollonius Joppen amissam, cum ter mille equitibus & pedestribus copiis (quas octo millium fuisse *Josephus* ait) Azotum profectus est: relictis in insidiis mille equitibus, ut cùm Jonathan persequens Apollonium prætergressus esset insidiarum locum, illi à tergo exurgerent, & Apollonius conversis copiis instaret à fronte, sícque Judæi utrimque cæderentur. Ut autem Jonathan prætergressus locum agnovit insidiatores emergere & castra ejus circumire; jussit suos consistere & jacula scutis excipere, dum equites & telis & viribus ad vesperam usque jaculando fatigati essent. Tum demùm Simon copias suas contra pedites eduxit; quos & contrivit, fugavitque. Equites quoque sparsi per campum fugerunt Azotum; & ingressi sunt Beth-dagon fanum idoli sui salutis causâ. Sed Jonathan incensâ Azoto cum urbibus circumvicinis, accepit spolia eorum: fanum quoque Dagonis eósque qui eò confugerant absumpsit igne. Fuerúntque qui gladio cecidérant cum iis qui incendio perierant ad octo millia virorum. Inde movens Jonathan, ad Ascalonem castra posuit: cujus cives honorificè eum receperunt. Sicque reversus est Jonathan victor Hierosolymam cum exercitu prædâ & spoliis onusto. Quæ ubi regi Alexandro innotuissent, perrexit honorare Jonathanem: misítque ei fibulam auream, ut cognatis regiis dari mos erat; & dedit ei Accaronem (Philistæorum urbem) cum territorio ejus, hæreditatis jure possidendam. [*Ibid.* 77,–89.]

Carthaginienses, quum ex Hipponensi conflictu Pisone consule superiores discessissent, legatos in Macedoniam ad Andriscum, vulgò creditum Persei filium, miserunt, hortantes ut in bello contra Romanos gnaviter persisteret: neque enim à Carthagine pecunias & naves illi defuturas. [*Appian. in Libyc. pag. 67.*]

A Romanis Q. Cæcilius Metellus *Prætor* (non *Consul*: ut apud Florum & Latinum Achaicorum Pausaniæ interpretem legitur) contra Andriscum maximo cum exercitu missus, in Macedoniam venit. Ibi illis quos ad res Asiæ inspiciendas Senatus miserat persuasit, ut priusquàm transmitterent, cum ducibus Achæorum congressi, ederent, ut bellum contra Lacedæmonios susceptum aliquantisper intermitterent. Et mandata illi quidem ad Damocritum & Achæos detulerunt, cùm jam illi contra Lacedæmonios exercitum ducerent. Quare cùm nihil se ullâ oratione contra Achæorum pervicaciam profecturos intelligerent; in Asiam perrexerunt. [*Pausan. in Achaicis, pag. 218.*]

Macedoniam Metello ingresso, Attalus classe auxilium venit. Quâ ille usus, Andriscum de maritimâ orâ sollicitum longiùs progredi vetuit. Qui paulò extra Pydnam producto exercitu, ab equitatu victor, peditum Romanorum timore recessit; atque exercitum in duas partes divisit, quarum unam ad populandam Thessaliam misit, alteram sibi reservavit. Quâ contemptâ, Metellus in aciem descendit; ac qui primi occurrerunt, pulsis, reliquos subegit. Andriscus cùm in Thraciam refugisset, collecto exercitu cum Metello signa contulit; ac sociis suis fusis, ipse à Byze regulo Thraciæ ad quem confugerat proditus, in Metelli potestatem venit. Alexander etiam quidam Persei filium se professus, contractâ manu, regionem Nesto flumini vicinam occupavit: quem Metellus usque in Dardaniam est persecutus. [*Strabo, lib. 1. 13. pag. 624. Vellei. Paterc. lib. 1. Florus, lib. 2. cap. 14. Zonar. ex Dione.*] Ita Pseudo-philippo, 25 millibus ex militibus ejus occisis, devicto & capto, à Romanis recepta Macedonia est. [*Eutrop. lib. 4.*] Spurio Posthumio & L. Pisone Consulib. [*Jul. Obsequens, de prodigiis.*] Olympiadis CLVII. anno 4°. (desinente) [*Porphyr. in Grac. Euseb. Scaligeri, pag. 229.*]

3857 P. Cornelius Scipio Consul, cum suis & quinque Sidensium navibus quas Mithridates Ponticus miserat, navale prælium cum Pœnis ante muros Carthaginis iniit. [*Appian. Libyc. pag. 75, 76.*] 4567 147

Aradii,

Aradii, exitium Marathensibus (in Phœniciâ) molientes ad Ammonium qui regno (Syriæ, sub Alexandro Balâ) tum præerat secretò miserunt. Et oblatis ei 300 talentis, ut Marathum ipsis traderet persuaserunt: Ammonius verò Isidorum ad Marathenses misit; verbo aliud præ se ferentem, reverà autem ut urbem ipsis ereptam Aradiis traderet in mandatis habentem. Marathenses in Regis gratiâ superiores Aradios videntes, militibus regiis in urbem minimè receptis, ex civibus ætate maximè provectis decem clarissimos, cum vetustissimis quæ in urbe habebantur Deorum simulachris, supplices ad Aradum insulam ablegârunt: ut Aradiorum in se iram placarent. At Aradii animis arrecti & concitati, communes supplicationis leges contempserunt; & Deorum religione insuper habitâ, statuas eorum confregerunt & contumeliosè conculcârunt. Et cùm legati à turbâ lapidibus peterentur, ægrè Senatorum quorundam operâ est effectum, ut salvi in carcerem ducerentur. Qui cùm quiritantes, & supplicum religionem & sacrosanctum legatorum jus contestarentur; à quibusdam audacissimis juvenibus necati sunt. At auctores hujus sceleris statim in concionem progressi, detractis interemptorum annulis, litteras tanquam à legatis ad populum Marathensem miserunt, quibus significabant Aradios propediem auxilia missuros esse: eo consilio ut Marathenses, admissis Aradiorum militibus, rati eos reverà sibi auxilio adesse, ignari interciperentur. Et cùm navigia omnia ademissent privatis, ne quis earum fraudem Marathensibus indicare posset; quidam nauta non alienus à Marathensibus, eorum vicem miseratus, cùm in proximo freto commeare esset solitus, adempto navigio, nocte id fretum audacter enatavit, octo circiter stadiorum intervallo, & Marathensibus Aradiorum insidias detexit. Unde Aradii, cùm consilia sua explorata esse intelligerent, ab hujusmodi per litteras fraude destiterunt. [*Diodor. Sicul. legat.* 29. *& in Excerptis Valesii*, *pag.* 349, 350.] Vi autem apertâ Marathum aggressi; urbem captam diruerunt, & agrum ejus sorte inter se divisérunt. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 753.]

3858 Quarta Æquinoctii autumnalis observatio, anno 32. tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum *ἐνιαυσίων* die 3°. (Septembris Juliani 27. ineunte) mediâ nocte, ab Hipparcho facta est: anno à morte Alexandri 178°, vel 177°. desinente potiùs; 178°. post biduum inituro. [*Ptolem. lib.* 3. *cap.* 2.]

Anno ejusdem periodi Calippicæ eodem, à morte Alexandri 178°, Ægyptiaci mensis Mechir 4568 146
die 27. (Martii Juliani die 24.) manè, Æquinoctium vernum exactissimè à se observatum fuisse scribit Hipparchus. [*Id. ibid.*]

Cn. Cornelio Lentulo & L. Mummio Consulib. Carthago diruta est. [*Vellei. Paterc. lib.* 1.] Quâ occasione Scipio, vices rerum humanarum considerans & similem aliquando Romæ ipsius casum futurum reformidans, carmen illud protulit:

Ἔσσεται ἦμαρ ὅτ᾽ ἂν ποτ᾽ ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.
Fdmque dies aderit, quo concidat Ilium ingens,
Et Priamus Priamique vnas plebs armipotentis.

ut ipsemet præceptori suo Polybio, qui tunc aderat rémque in historiâ suâ retulit, confessus est. [*Appian. in Libyc. pag.* 82.]

L. Mummius Consul, à Senatu ad bellum Achaicum conficiendum missus, cum paucis venit in castra: & Metello (qui peracto bello Macedonico Achaicum tunc administrabat,) cum suis copiis in Macedoniam amandato, ad Isthmum ipse substitit, donec universum agmen coëgisset. Fuit militum numerus, equites 3500, peditum 25 millia. Præstò fuerunt Cretenses sagittarii: & è Pergamo, quæ supra Caicum est, ab Attalo missam manum adduxit Philopœmen. Consul, victo ad Isthmum Diæo (postremo Achæorum Prætore & Achaici motûs authore primo) tertio post pugnam die Corinthum ingressus urbem direptam, tubâ præeunte, funditùs evertit. [*Liv. lib.* 52. *Vellei. Paterc. lib.* 1. *Justin. lib.* 34. *cap.* 2. *Florus, lib.* 2. *cap.* 16. *Pausan. in Achaicis, pag.* 221. *Oros. lib.* 5. *cap.* 3.] Olympiadis CLVIII (ita enim in Plinio legendum est, non CLVI) anno tertio, Urbis conditæ (secundùm Varronis supputationem) DCVIII. [*Plin. lib.* 34. *cap.* 2.]

Polybius ex Africâ ad succurrendum patriæ advolans, nobilissimorum artificum tabulas Corinthi in solum projectas vidit, ac milites super iis talis ludentes: quarum duas in Historiâ suâ nominat, Herculem Deianiræ tunicâ excruciatum, & Bacchum ab Aristide Thebano pictum; de quo nonnulli præmium illam dictam putant, *Οὐδὲν κρεῖττον ἢ λόγου*, *Nihil ad Bacchum*, Aristidis sc. [*Strabo, lib.* 8. *pag.* 381.] Quam Bacchi tabulam cùm in prædâ vendendâ VI. M. sestertiûm (vel 102. talentis; ut est apud *Plinium*, lib. 7. cap. 38. & lib. 35. cap. 10.) ab Attalo rege emptam L. Mummius intellexisset; pretium miratus, suspicatúsque aliquid in eâ virtutis quod ipse nesciret, revocavit tabulam, Attalo multùm querente, & Romæ in Cereris delubro posuit. [*Plin. lib.* 35. *cap.* 4.] Harum enim rerum tam rudis ille fuit, ut quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. [*Vellei. Paterc. lib.* 1.] Donaria igitur & reliqua ornamenta, quæ admiratione videbantur dignissima, Romam sunt asportata: quæ verò minoris erant pretii, Attali auxiliorum duci Philopœmeni donata, & Pergamum delata sunt. [*Pausan. in Achaic. pag.* 221.]

Ptolemæus Philometor, maximis copiis & terrestribus & navalibus coactis, ex Ægypto in Syriam venit: per speciem juvandi Alexandrum Balam generum suum, reverà autem ut regnum Syriacum illi ereptum suo adjungeret. Cúmque Alexandri jussu excepissent eum civitates omnes pacificè; prælidiarios milites specie auxilii in unaquâque collocavit. [I. *Maccab.* XI. 1, 2, 3.]

Ut prope Azotum venit Ptolemæus, ostenderunt ei templum Dagonis incensum, ipsámque

Azo-

Azotum & ſuburbana ejus deſtructa, & à Jonathane in bello cæſorum atque exuſtorum acervos quos in viâ ipſius aggeſſerant. Sed invidiosè illis quæ fecerat Jonathan narrantibus, Rex ſiluit. Jonathan verò magnifico cum apparatu Regi ad Joppen occurrens, benignè ab eo exceptus eſt. Qui Regem inde ad Eleutherum uſque fluvium comitatus, rediit Hieroſolymam. [*Ibid.* 4,—7.]

Ptolemæus potitus urbibus maritimis uſque ad Seleuciam maritimam (ad Orontis fluvii oſtia poſitam;) cogitabat de Alexandro peſſimè. Apud Ptolemaïdem enim per Ammonium ſtructas ſibi fuiſſe inſidias; cúmque ad ſupplicium depoſceretur, Alexandrum dedere illum noluiſſe, conquerebatur. Abſtaram igitur ab Alexandro filiam ſuam Cleopatram Demetrio Soteri in matrimonium dedit: in regnum paternum reſtituere eum promittens. [*Ibid.* 8,—12. *cum Joſepho, lib.* 13. *cap.* 8. *& Livio, lib.* 52.]

Antiocheni propter Ammonium, à quo plurimis affecti fuerant incommodis, Alexandrum deſeruerunt. Ammonius, amictu fœmineo quærens latebras, cæſus eſt. Ptolemæus Antiochiam ingreſſus, & à civibus rex conſaluratus, duo capiti diademata circumpoſuit, Aſiæ (ſive Syriæ) & Ægypti. Sed Ægypti imperio ſe contentum fore dictitans, Antiochenis perſuaſit ut Demetrium reciperent; pollicitus eum majorem rationem habiturum recentis eorum beneficii, quàm odiorum quæ illis cum patre ejus Seleuco interceſſerant. [*Joſeph. ut ſupr. item* I. *Maccab.* XI. 13.] Atque ita Antiocheni, veterem patris offendam novis meritis correcturi, ſe ei tradiderunt. Milites quoque paterni, favore juvenis accenſi, prioris ſacramenti religionem novi regis ſuperbiæ præferentes, ſigna ad Demetrium tranſtulerunt. [*Juſtin. lib.* 35. *cap.* 2.]

Alexander tum in Ciliciâ erat. [I. *Maccab.* XI. 14.] ubi conſulto Apollinis Sarpedonii oraculo, reſponſum accepiſſe fertur; eum ut locum caveret, qui biforme ſpectaculum protuliſſet. Quod quidem civitatem Arabiæ Abas (in quâ paulò pòſt occiſus ille eſt) ſpectaviſſe putabatur: ubi Heraïs quædam, patre Diophanto è Macedoniâ & matre Arabiſsâ genita & Samadi cuidam nupta, murato ſexu in virum tum tranſiit & paternum Diophanti nomen aſſumpſit. [*Diodor. Sicul. fin. lib.* 32. *in Photii Bibliothecâ, cod.* 244.]

3859 Quinta Æquinoctii autumnalis obſervatio, anno 33. tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum *τετραετηρικῶν* 4°. (Septembris Juliani 27.) manè, ab Hipparcho facta eſt. [*Ptolem. lib.* 3. *cap.* 2.]

Alexander ex Ciliciâ validum ſecum ducens exercitum, Syriam invaſit, & agrum Antiochenum rapinis atque incendiis vaſtavit. Cui occurrens Ptolemæus unà cum genero ſuo Demetrio ad Oenoparam fluvium prælio eum vicit. Ille cum quingentis ſuorum in Arabiæ civitatem Abas è pugnâ fugit, ad Arabiæ dynaſtam quem Maccabaicæ hiſtoriæ ſcriptor *Zabdielem*, Joſephus *Zabelum*, Diodorus Siculus *Dioclem* nominat. At qui cum Heliade duces à parte Alexandri ſtetérant, pacto cum Demetrio inito, de proprio commodo legationem adornantes, dolo Alexandrum necaverunt. In ſuperiore verò prælio fortè accidit, ut equus Ptolemæi conſternatus barritu elephanti eum excuteret, proſtratúmque aggreſſi hoſtes vulneribus in caput inflictis in periculum extremum adducerent; ni ereptus eſſet interventu ſatellitum: attamen per integrum quatriduum ſopitis ſenſibus, nec loqui potuit, nec loquentes intelligere. Alexandri verò caput Zabdiel Arabs recîſum miſit ad Ptolemæum: qui die quintâ demum reſpirans à vulneribus & ad ſe reverſus, jucundiſſimo ſibi rumore ſimul & ſpectaculo capitis ac mortis Alexandri pavit animum ac oculos. Die verò poſteà tertio, inter curationem, dum illa medici terebrare contendunt, & ipſe expiravit. [I. *Maccab.* XI. 14,—18. *Polyb. in Excerpt. Valeſii, pag.* 194. *Diodor. Sicul. ut ſuprà. Liv. lib.* 52. *Strabo, lib.* 16. *pag.* 751. *Joſeph. lib.* 13. *cap.* 8.]

Alexandri Balæ regno, poſt cædem Demetrii Soteris quinquennium Joſephus tribuit: [*lib.* 13. *cap.* 8.] à quo menſes 5. circiter detrahendos cenſemus; ut ex Maccabaici ſcriptoris authoritate, hujus & Philometoris exitus ſynchroniſmus appareat. Poſt Alexandri verò mortem, ſolus Syriæ regnum obtinuit Demetrius Demetrii Soteris filius, anno regni Græcorum 167°, [I. *Maccab.* XI. 19.] qui, quòd alienum à familiâ ſuâ viciſſet, idem cum primo Seleuco, regiæ ſtirpis authore, *Nicanoris* ſive *Nicatoris* cognomentum accepit. [*Appian. Syriac. pag.* 131.]

Mortuo Ptolemæo Philometore, milites quos ille in arcibus & urbibus Syriæ præſidio reliquerat, ab iis qui erant in iiſdem munitionibus (procurante Demetrio) occiſi ſunt. [I. *Maccab.* XI. 18.] Cæteros quoque Ptolemæi milites malè multabat Demetrius; oblitus & auxilii & affinitatis, quæ per Cleopatræ nuptias recens interceſſerat. Illi verò perôſi hominis ingratitudinem, receperunt ſe Alexandriam; elephantis tamen in ejus poteſtate relictis. [*Joſeph. lib.* 13. *cap.* 8.]

In Ægypto Cleopatra, nuper defuncti Philometoris ſoror & conjux, favore principum adjuta, filio ſuo paternum regnum aſſerere nitebatur. [*Joſeph. lib.* 2. *contra Apion. pag.* 1064. *Juſtin. lib.* 38. *cap.* 8.] Verùm hujus conatibus Ptolemæus minor Philometoris frater, qui Cyrenis regnabat, Euergetes II. & Phyſcon dictus, per legatos inde vocatus obſtitit. Adversùs cum Onias (qui Templum in præfecturâ Heliopolitanâ condiderat) bellum pro Cleopatrâ ſuſcipiens, ad urbem Alexandrinam parvum Judæorum deduxit exercitum, cùm eſſet illic Thermus præſens Romanorum legatus: ut in ſuo adversùs Judæos commentario *Apion Grammaticus* retulit. [*Joſeph. ut ſupr.*] 4569 145

Phyſcon verò, ut litem hanc omnem terminaret, ipſam Cleopatram ſororem natu majorem communi fratri nuptam ſibi nubere coëgit. [*Valer. Maxim. lib.* 9. *cap.* 1.] Ac ſtatim ubi Alexandriam ingreſſus eſt, fautores pueri trucidari juſſit. Ipſum quoque die nuptiarum, quibus

matrem

matrem ejus in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum & solennia religionum, in complexu matris interfecit: atque ita thorum sororis, cæde filii ejus cruentus, ascendit. Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocaverant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentiâ cædis datâ, omnia sanguine quotidie manabant. (*Justin. lib.* 38. *cap.* 8.) Multos etiam calumniatus tanquam saluti suæ insidiatos crudelibus suppliciis extinxit: alios, varias commentus causas, in exilium misit, ademptis facultatibus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 350.]

Jonathan, congregatis his qui erant in Judæâ & multis fabricatis machinis, arcem Hierosolymitanam oppugnavit. Quod quum à viris iniquis & osoribus gentis suæ Demetrio Nicatori esset renunciatum; iratus Rex scripsit Jonathani, ut omissâ obsidione veniret sibi obviam quàm celerrimè Ptolemaidem ad colloquium. At ille, non solutâ obsidione, dedit se periculo, veniens ad Regem cum Senioribus & Sacerdotibus, ac muneribus, quibus placavit Regem: causámque suam ita egit, ut Rex calumniatoribus rejectis eidem principatum Sacerdotii confirmaverit, ac præcipuum inter amicos locum tribuerit. Jonathan denique pollicitus dare Regi 300 talenta, obtinuit ab eo immunitatem toti Judææ, & tribus Toparchiis ei adjectis, (quarum etiam in I. *Maccab.* X. 30. facta est mentio) Apherimæ sc. Lyddæ & Ramathæ, ab omnibus decimis & tributis quæ Regibus pendi consueverant. Quâ de re Regis litteræ ad Lasthenem (qui cum Cretensibus auxiliariis Demetrium ad regnum perduxit) cognatum & patrem ab ipso dictum, conscriptæ extant. (I. *Maccab.* XI. 20,–37.)

Demetrius videns ditionem suam pacatam, neque quicquam sibi obsistere, retentis peregrinis militibus quos ex Cretâ & aliis insulis coëgerat, domesticos ac veteranos omnes dimisit: ob quod hostes illi facti sunt omnes milites patrum ipsius. (I. *Maccab.* XI. 38.) ut qui soliti essent ab aliis ante eum regibus etiam pacis tempore stipendia accipere; ut alacriores fierent ad subeunda, quoties opus esset, pericula. (*Joseph. lib.* 13. *cap.* 8.)

Eam alienationem militum à Demetrio animadvertit quidam ex Alexandri Balæ ducibus *Diodotus*, qui postea Rex factus *Tryphonis* nomen sibi assumpsit. Natus hic Secoanis castello Apamiensium, educatus Apamiæ est. (I. *Maccab.* XI. 39. *Strabo, lib.* 16. *pag.* 752. *Liv. lib.* 52. *&* 55. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 9. *Appian. Syriac. pag.* 132.) Hic igitur ad Elmalchuelem Arabem profectus, qui nutriebat Antiochum Alexandri Balæ puerulum, indicavit ei quæcunque fecerat Demetrius Nicator, & inimicitias quas exercebant cum eo milites: atque assiduus apud eum erat, rogans ut traderet ipsi puerulum, reducendum ad regnum patris sui. Cúmque Arabs difficilem se illi hic præberet: mansit illic dies multos. (I. *Maccab.* XI. 39, 40.)

Demetrius Nicator interim, ab omni immunem periculo se esse credens, omnes qui in bello adversati ejus partibus fuerant inusitatis suppliciis è medio sustulit, Lasthene homine scelerato ac temerario, qui universo regno præpositus erat, juvenem assentationibus corruptum ad nefaria crimina quotidie incitante. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 346.)

3860. Jonathan, missis ad Demetrium legatis, rogavit ut præsidiarios milites ex arce Hierosolymitanâ & aliis munitionibus amoveret; quòd Israëlitas bello premerent. Quibus ille respondit non solùm postulata se facturum; sed etiam gloriosum Jonathanem cum gente suâ effecturum, cùm opportunum foret; nunc verò, quum milites sui omnes ab eo defecissent, auxilium militare se ab eo postulare. Cui Jonathan quamprimùm obsecutus, tria millia virorum fortium misit Antiochiam: quos Rex excepit cum gaudio. (I. *Maccab.* XI. 41,–44.)

Externis copiis (quibus magis fidebat quàm suis) firmatus Demetrius, Antiochenis arma adimi jussit. Quæ illi non solùm tradere recusárunt, sed quasi centum & viginti millium concursu in mediam civitatem facto, Regis vitam petierunt: cóque in regiam fugere compulso, vias urbis occupárunt, & eum oppugnare sunt aggressi. Sed ad ejus auxilium Judæi omnes pariter convenerunt & dispersi per urbem ad centum millia eo die occiderunt: incensâque urbe, captísque spoliis multis, Regem liberaverunt. Tunc abjectis armis pacem cum Rege cives fecerunt: gloriámque adepti Judæi coram Rege & omnibus qui erant in regno ejus, reversi sunt Hierosolymam cum spoliis multis. (I. *Maccab.* XI. 45,–52. *cum Diodoro Siculo, in Excerpt. Valef. pag.* 346.)

Maximâ parte urbis Antiochenæ incendio consumptâ, multísque ob seditionem hanc capite damnatis, bonísque eorum in fiscum regium redactis; permulti ex civibus odio ac metu Demetrii è patriâ profugi, per omnem Syriam passim vagabantur, opportunum vindictæ locum tempúsque observantes. Interim Demetrius cunctis invisus, cædibus atque exiliis & bonorum publicationibus nihilominùs sæviebat; patris sui crudelitatem longo intervallo superans. (*Diodor. ibid. pag.* 349.) Mentirúsque omnia quæcunque Jonathani dixerat, alienatus ab eo est, & afflixit eum graviter. (I. *Maccab.* XI. 53.) bellum quoque minatus, nisi redderet tributa omnia quæ Judæorum gens solita erat prioribus regibus pendere. (*Joseph. lib.* 13. *cap.* 9.)

Diodotus, qui & Tryphon, tandem ex Arabiâ cum Antiocho puerulo, ex Alexandro Balâ & Cleopatrâ Ptolemæi Philometoris filiâ genito, qui & Θεὸς sive *Divus* cognominatus est, in Syriam reversus, regnum illi, diademate capiti imposito, asserebat. Ad quem confluentibus copiis omnibus quas Demetrius exauctoraverat, aperto bello Demetrium adortus est; eúmque prælio superatum Seleuciam fugere compulit. Diodotus verò captis illius elephantis, Antiochiam obtinuit. (I. *Maccab.* XI. 54, 55, 56. *cum Livio, lib.* 52. *Josepho, lib.* 13. *cap.* 9. *&* 12. *init. & Appian. Syriac. pag.* 132.) 4570 144

Tum Antiochus (vel ejus potiùs nomine Diodotus) missis ad Jonathanem litteris & legatis, Pontificatum ei confirmavit, quatuor Toparchias (ad tres illas in fine superioris anni nominatas, Ptolemaide fortasse adjectâ; ex I. *Maccab.* X. 30, 39.) concessit, & in regiorum amicorum numerum eum cooptavit. Misítque ei vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem

bibendi ex vasis aureis & gestandi purpuram & habendi fibulam auream. Simonem quoque fratrem ejus regiarum copiarum ducem constituit, à tractu Tyri usque ad fines Ægypti. (I. *Maccab.* XI. 57, 58, 59.) Jonathan verò lætus tot collatis in se per Antiochum beneficiis atque honoribus, & ipse suos legatos ad eum simul & Tryphonem misit: amicum se & socium professus, gesturúmque unà bellum contra communem hostem Demetrium: multa de ejus ingratitudine questus, quòd pro beneficio injuriam sibi reposuisset. (*Joseph. lib.* 13. *cap.* 9.)

Diodorus, à regibus abalienatâ Syriâ, Coracesio castello Ciliciæ belli arce usus est; & Cilicibus, ut societates piraticas inirent, author fuit. (*Strabo, lib.* 14. *pag.* 688.)

Demetrius Laodiceæ moratus conviviis celebrandis, atque hujusmodi luxu segne otium terebat: ac nihilominùs multos interim injuriâ afficiebat; calamitatibus suis nullatenus prudentior factus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 353.]

Quo tempore Ptolemæus Euergetes II. sive Physcon ex solenni Ægyptiorum more apud urbem Memphim in palatio inaugurabatur, natus est ei filius ex reginâ Cleopatrâ (suâ & fratris Philometoris sorore simul & conjuge:) quâ re supra modum exhilaratus, puerum Memphitem nominavit, quòd sibi in urbe Memphi solenne sacrum peragenti natus esset. Dum verò natalitia pueri celebrat, à solitâ crudelitate nequaquam desciscens, Cyrenæos quosdam, qui eum in Ægyptum deduxerant, interfici jussit; quòd paulò liberiùs ob Irenem pellicem eum objurgassent. (*Id. ibid. pag.* 354.)

Cùm Jonathani permissum esset ab Antiocho, collectis etiam è Syriâ & Phœnicià militibus, bellum contra Demetrii duces gerere, confestim urbes trans Jordanem fluv. sitas peragravit: congregatisque ad eum omnibus copiis auxiliaribus Syriæ, Ascalonem profectus est; ubi ei obviam processerunt cives honorificè. Cúmque Gazam inde venientem cives excluſissent, obsedit urbem Jonathan, & suburbana ejus incendit ac deprædatus est. Eà clade acceptâ Gazenses pacem postulârunt, datisque obsidibus impetrârunt. Jonathan verò obsidibus Hierosolymam missis, totam regionem peragravit, Damascum usque. (I. *Maccab.* XI. 60, 61, 62. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 9.)

Principes Demetrii in Cades Galilææ urbem venerunt; ut Jonathanem abstraherent à Syriæ negotiis, laturum opem Galilæis suæ ditionis hominibus. Quibus ille occursurus, fratrem suum Simonem in Judæâ reliquit: qui Bethsuram acriter multis diebus oppugnavit, & ad deditionem tandem compulit; ejectóque inde Demetrii præsidio, suum ibidem collocavit. (I. *Maccab.* XI. 63,--66. & XIV. 7, 33. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 9.)

Jonathan autem & exercitus ejus castra habebant ad aquam Genesareth, & manè venerunt in campum Asor: ubi Demetrianorum exercitus eis occurrit, quum insidias priùs in montibus collocavisset. Quæ cùm se in conspectum dedissent, veriti Judæi ne in medio intercepti contruciderentur, in fugam se dederunt: ita ut penè omnes Jonathanem in periculo desererent; præter Mattathiam filium Absalomi & Judam filium Chalphi præcipuos copiarum militarium duces, cum quinquaginta virorum fortium manu. Jonathan verò, humiliter exorato divino auxilio, reversus cum paucis illis ad prælium, hostes fugavit. Quâ fugâ à Judæis qui Jonathanem deseruerant animadversâ, & ipsi reversi, fugientes hostes ad sua ipsorum castra Cadesum usque sunt persecuti. Et ceciderunt ex alienigenis eo die ad ter mille viri: & Jonathan reversus est Hierosolymam. (I. *Maccab.* XI. 67,--74. *Joseph. ut supr.*)

Jonathan, videns res suas bene procedere, Numenium Antiochi & Antipatrum Jasonis filium legatos Romam misit; qui confirmarent & renovarent amicitiam & societatem cum Judâ Maccabæo priùs initam. (I. *Maccab.* XII. 1, 16.) Quibus etiam mandavit, ut in reditu Lacedæmonios inviserent, eósque cognationis ac pristini fœderis cum Oniâ III. Pontifice initi admonerent: datâ in eam rem epistolâ; in quâ populus Judaicus, inter alia, declarat, in signum perseverantis amicitiæ se eorum ut fratrum in solennibus sacrificiis & precibus indesinenter recordari. (*Ibid.* 2, 5,--18. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 9.)

Audiens Jonathan revertisse duces Demetrii cum exercitu multo majore quàm anteà, ad bellum sibi inferendum, movit Hierosolymâ, obviámque illis processit in regionem Amathitin in extremis Chananææ finibus. Cúmque ad 50. stadia prope hostem castra posuisset; misit qui res hostium & munitiones specularentur. Qui cùm quosdam captivos adduxissent; indicantes quòd ex improviso hostis vellet eos aggredi: præcepit Jonathan suis, ut essent in armis parati ad pugnam per totam noctem; dispositúitque circum castra excubias. Quod cùm audissent adversarii, timore perculsi, per castra sua crebris ignibus excitatis [qui Judæos fallerent] nocte clàm profugerunt: quos manè frustrà insecutus est Jonathan, quum jam Eleutherum fluvium illi trajecissent. Flexo igitur in Arabiam itinere, Zabadæos [vel Nabatæos, ut apud *Josephum* legitur] percussit, cepítque spolia eorum: motísque inde castris venit Damascum; & peragravit totam regionem illam, Demetrianos inquirens & persequens. Nec quievit interea frater ejus Simon, sed expeditione susceptâ Ascalonem usque & vicinas munitiones, inde declinans Joppen occupavit. Audivit enim cives Demetrianis munitionem tradere voluisse: posuítque ibi præsidiarios milites, ut custodirent eam. [I. *Maccab.* XII. 24,--34. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 9.]

Legati Judæorum ingressi Senatum, renovârunt amicitiam & societatem cum Romanis: qui & litteras eis dederunt ad sociorum singulorum præsides, ut eos cum pace in Judæam deducerent. [I. *Maccab.* XII. 3, 4.] In reditu verò, Lacedæmonii & comiter eos exceperunt, & decretum publicum de amicitiâ atque societate tradiderunt. [*Joseph. ut supr.*] cujus exemplum in I. *Maccab.* XIV. 22, 23. aliâ occasione ita recitatur. *Numenius Antiochi filius & Antipater Jasonis filius legati Judæorum venerunt ad nos, renovatum eam quam nobiscum habebant amicitiam. Et placuit populo excipere viros illos honorificè, referrique exemplum verborum eorum in acta publica, ut horum monumentum habeat populus Spartiatarum.*

Reversus

Reversus Jonathan Hierosolymam congregavit seniores populi, & consilium cum eis cepit de extruendis munitionibus in locis quibusdam opportunis Judææ, deque erigendis muris Hierosolymæ, & de erigendo muro alto ac magno inter arcem & civitatem; ut nemo ex urbe commeatus eò posset adferre. Et convenerunt ad reparandam civitatem: cúmque appropinquasset opus novum ad murum veterem residuum in parte orientali, ubi erat torrens Cedron, refecerunt locum Chaphenatha vocatum. Simon verò digressus in partes Judææ alias, ædificavit Adida in Sephelà sive planitie, munivitque eam portis & vectibus. (I. *Maccab.* XII. 35,--38.)

3861 Anno æræ contractuum 169, regnante Demetrio, Judæi Hierosolymitani & Palæstini ad Judæos Ægyptienses scripserunt, de celebrando festo Tabernaculorum mensis Chasleu. (II *Maccab.* I. 7, 8, 9.) id est, festo Encæniorum Maccabaico; quod ad formam festi Tabernaculorum Mosaici mensis Tisri est peractum. Vid. supr. annum Mund. 3840. *a.*

Cùm statuisset Tryphon occupare pupilli sui Antiochi regnum, & timeret ne Jonathan pro defensione regii adolescentis arma sumeret; ad eum comprehendendum cum copiis Beth-sanem (Græcis Scythopolim dictam) venit. Eò cum 40. millibus virorum electorum obviam illi processit Jonathan. Territus Tryphon, nec ausus manus in illum immittere, excepit illum honorificè, & commendavit eum omnibus amicis suis, dedítque ei munera: præcepit etiam militibus suis ut ipsi obedirent quemadmodum sibi. Suasit deinde Jonathani, ut dimisso exercitu cum paucis viris delectis secum iret Ptolemaidem: quam se illi daturum, ut & reliquas munitiones reliquásque copias, est pollicitus. Cui ille credens, mille tantùm milites secum retinuit; duobus millibus in Galilæam, cæteris verò omnibus in Judæam dimissis. Sed ubi ingressus est Ptolemaidem, Tryphonis jussu clausis portis, comprehensus est Jonathan, & omnes qui cum eo intraverant interfecti sunt. Neque mille virorum strage contentus Tryphon, misit exercitum & equites in Galilæam, qui illa duo millia paulò antè dimissa perderent. Verùm quum accepta clades illis innotuisset, paraverunt se ad prælium. At Tryphonis milites rati sibi cum desperatis rem fore, reversi sunt ad suos. Atque ita Jonathanis milites cum pace in Judæam venerunt: & universi Israëlitæ prosecuti sunt acceptam cladem luctu magno. [I. *Maccab.* XII. 39,--52.]

Congregavit deinde Tryphon exercitum copiosum, ut veniret in Judæam & attereret eam. Vidénsque Simon populum territum, ascendit Hierosolymam; & convocato populo, operam suam ad ejus defensionem obtulit. A quo dux ille electus, loco Judæ & Jonathanis fratrum suorum, congregavit omnes viros bellatores, & acceleravit perficere muros Hierosolymæ, & munivit eam circumcirca. Expendit pecunias multas de suo; armavítque viros exercitûs gentis suæ, & dedit eis stipendia. [I. *Maccab.* XII. 53, 54. XIII. 1,--10. XIV. 31, 32.]

Idem quoque, misso Jonathane Absalomi filio cum exercitu idoneo Joppen, ejecit eos qui erant in urbe, & mansit ipse in eâ. Eandémque muniens, ex eo portu aditum fecit ad insulas maris. [I. *Maccab.* XIII. 11. & XIV. 5, 34.] Unde hoc Judæos usos fuisse navali, notavit etiam Strabo. (*lib.* 16. *pag.* 759.)

Tryphon movit Ptolemaide cum exercitu Judæam invasurus, Jonathanem secum habens in custodiâ: Simon verò castrametatus est in Adidâ è regione campi. Videns autem Tryphon Judæos ad prælium paratos, finxit Jonathanem à se derectum propter debitum centum talentorum argenti: quæ si mitterentur, & simul duo filii ejus obsides, ne dimissus vincula sua ulciscereur, eum dimissum iri liberum spopondit. Sed quum Simon & pecuniam & filios fratris ad eum misisset, fidem ille fefellit. (*Ibid.* 12,--19.)

Postea cùm venisset Tryphon ad invadendum regionem circumflexit iter ad viam quæ ducit Adoram (vel Doram Idumææ urbem, ut est apud *Josephum*:) Simone cum exercitu ubique eum consectante. Qui autem in arce Hierosolymitana erant miserunt ad Tryphonem legatos, qui urgerent eum ut celeriter ad ipsos veniret per desertum mitterétque ipsis commeatum. Sed quum parasset Tryphon universum equitatum suum ad iter; propter nivem, quæ multa eâ nocte ceciderat, eò veniri non potuit. Itaque mutato itinere pervenit in Galaaditidem: cúmque appropinquasset Basamæ (vel Basæ) occidit Jonathanem, qui sepultus est ibi. Tryphon verò, eo occiso, in Syriam rediit. [*Ibid.* 20,---24. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 11.] Jonathan autem Judæ Maccabæo fratri superstes vixit annos 17. & 7. menses circiter; & per annos 9. cum uno aut altero mense summum Pontificatum gessit.

Simon missis nuntiis accepit ossa Jonathanis fratris sui; & sepelivit ea in Modin urbe majorum suorum: luxerúntque eum omnes Israëlitæ dies multos. Et extruxit Simon super sepulchrum patris sui & fratrum suorum monumentum insigni altitudine, ex lapide candido in omnem partem polito: erexítque recto ordine septem pyramidas, patri & matri & quatuor fratribus. His addidit & porticum ex magnis columnis μονολίθοις: quibus arma & naves sculptas superposuit, quæ ab omnibus mare navigantibus spectarentur. [I. *Maccab.* XIII. 25,—30. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 11.] Quod magnificentissimum sepulchrum in Modin ad sua usque tempora duravisse confirmat *Josephus* &, in libello περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων, *Cæsariensis Eusebius.* 4571 143

Romani ac Spartani quum audivissent mortuum esse Jonathanem, valde sunt contristati. Sed quum per legatos à Simone missos intellexissent eum loco fratris factum esse Pontificem, & obtinere regionem urbésque quæ in eâ sunt; scripserunt ad eum tabulis æreis ad renovandum cum eo amicitiam & societatem, quam pacti fuerant cum Judâ & Jonathane fratribus ejus. [I. *Maccab.* XIV. 16, 17.] Et Romani quidem Judæos amicos & socios & fratres appellârunt, obviámque processerunt legatis Simonis honorificè. (*Ibid.* 40.) Litterarum verò quas per legatos Spartiatæ remiserant (quibus & responsi ad Jonathanem antèà missi exemplum inseruerant) hæc erat inscriptio. *Spartiatarum magistratus & civitas Simoni Sacerdoti magno, & senioribus reliquóque populo Judæorum fratribus, Salutem.* [*Ibid.* 20,--23.] Lectæque sunt & Romanorum & Spartiatarum litteræ coram ecclesiâ Hierosolymis. [*Ibid.* 19.]

Antiochus Theos, Alexandri Balæ filius, à Diodoto sive Tryphone tutore suo per fraudem occisus est: corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiri dum secant illum, occiderunt. Tryphon verò à patriâ suâ exorsus, Apamiâ cum Larissâ, Casianis, Megarâ, Apolloniâ, & cæteris urbibus circùm vicinis, primùm potitus est; indéque progressus, reliquam Syriam invasit, regnique diadema sibi imposuit, fecitque plagam magnam in terrâ. (I. *Maccab.* XIII. 31, 32. *cum Livio, lib.* 55. *Strabone, lib.* 16. *pag.* 752. *& Justino, lib.* 36. *cap.* 1.)

Tryphon ex privato Rex ita factus, per Senatûs Romani sententiam principatum suum confirmare maturavit. Auream igitur Victoriam, decem millium aureorum pondus habentem, Romanis per legatos misit; credens, tum ob doni pretium, tum quòd felix esset Victoriæ augurium, Regem se ab illis appellandum. Verùm Senatûs versutiâ spes ejus hîc elusa est. Accepto enim donario, pro Tryphonis nomine, Regii pueri per dolum ab eo occisi titulum inscribi jussit. [*Diodor. Sicul. legat.* 31.] Quo nihil ille tamen deterritus, nummos cudendos curavit, quorum adhuc aliqui extant, ΒΑCΙΛΕΩC ΤΡΥΦΩΝΟC & ΤΡΥΦΩΝΟC ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC ΒΑCΙΛΙΩC inscriptionem præferentes. Regnum enim occupare ausus, & *Regis* appellationem, & pro vetere *Diodoti* novum *Tryphonis* nomen, cœpit sibi assumere. [*Appian. Syriac. pag.* 132.]

Sarpedon copiarum Demetrii dux, à Tryphonis exercitu cui Ptolemaidis incolæ se adjunxerant, superatus, cum suis militibus in mediterraneam regionem secessit. Sed dum victores Tryphoniani per oram maritimam inter Ptolemaidem & Tyrum iter facerent, repentè ad ingentem altitudinem elatus maris fluctus in terram irruens, alios in pelagus abreptos, alios in locis concavis relictos suffocavit; ac deinde recedens, cum mortuorum cadaveribus ejectos acervatim pisces multos detexit. Quam calamitatem cùm Sarpedonis milites intellexissent, eò celeriter reversi, hostium quidem strage lætati sunt, pisces verò abunde multos collegerunt, & ante portas Ptolemaidis (ubi pugna commissa fuerat) *Neptuno Tyranno* sive *Neptuno Averſori* sacrificaverunt. (*Strabo, lib.* 16. *pag.* 758. *& Athenæus, lib.* 8. *cap.* 2. *ex Possidonii Stoici Historiâ.*)

Simon, Judæorum Dux & Pontifex, instauravit munitiones Judææ, circummuniens eas turribus altis & muris magnis & portis & vectibus; posuitque annonas in munitionibus. Præ aliis verò urbibus Bethsuram muniendam curavit, quæ in finibus Judææ, ubi fuerant arma hostium anteà; posuitque illic præsidium Judæorum. (I. *Maccab. XIII.* 33. *XIV.* 7, 33.)

Adhæc Simon, actus Tryphonis meras rapinas fuisse videns, per delectos viros coronam auream ad Demetrium Nicatorem regem misit: rogans, ut tributorum remissionem Judææ concederet. (I. *Maccab.* XIII. 34, 37. XIV. 10, 33.)

Audiens Demetrius Simonis legatos honorificè à Romanis fuisse exceptos, atque à Judæis Sacerdotibúsque Principatum & Pontificatum ipsi & posteris fuisse concessum; confirmavit & ipse ei Pontificatum, fecitque cum unum ex amicis suis. (I. *Maccab. XIV.* 38,—41.) Epistolam quoque ad illum misit, ita inscriptam. *Rex Demetrius Simoni Pontifici & amico Regum, & Senioribus gentique Judæorum, Salutem.* in quâ, pace cum illis factâ & omnium præteritorum errorum ἀμνηστίᾳ promissâ, priora omnia pacta (Jonathani indulta, I. *Maccab.* XI. 32,—37.) confirmavit, munitiones quas extruxerant illis concessit, tributa omnibus & rerum vænalium vectigalia Hierosolymitanis remisit. Atque ita, anno regni Græcorum 170 sublatum est jugum Gentium ab Israële: cœpitque populus in syngraphis & contractibus scribere: *Anno primo, Simone Pontifice magno & stratego ac duce Judæorum.* [I. *Maccab.* XIII. 35,--42. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 11.]

In illis diebus Simon Gazæos, qui mortuo Jonathane rebellaverant, obsedit &, per helepolim concussâ & expugnatâ turre, ad deditionem compulit. A civibus verò misericordiam ejus suppliciter implorantibus ille flexus, non delevit eos, sed ejecit ex urbe: & domibus ab idolis & omni immunditiâ purgatis, hymnis Deum celebrans urbem ingressus est: collocatisque ibi veris Dei cultoribus, munivit eam, & ædificavit sibi in eâ domum, in quam subinde se conferret. [I. *Maccab.* XIII. 45,--48.]

3862 Sexta Æquinoctii autumnalis observatio, anno 36 tertiæ Periodi Calippicæ, Ægyptiacorum ἐπαγομένων die 4, (Septembris Juliani 26) vespere sub Solis occasum, ab Hipparcho facta est. [*Ptolem. lib.* 3. *cap.* 2.]

Alexandra Judæorum posteà regina, nunc nascitur: siquidem annos 73 illa vixerit; ut apud *Josephum* legitur, libri 13. Antiquitat. capite ultimo; & in 33° capitulo Judaicæ Historiæ, quæ Arabicè, secundi libri Maccabaici titulo, ad calcem Bibliorum Parisiensium πολυγλώττων excusa extat. Hæc ab *Eusebio* in Chronico, *Epiphanio* in hæresi 29. Ναζωραίων, *Hieronymo* in Daniel. cap. 9 & 11. atque *Severo Sulpicio* in sacr. histor. lib. 2. *Salina* etiam appellata reperitur. Quod Eusebius, uti solet, à Julio Africano; ille a Justo Tiberiensi, vel alio aliquo antiquo rerum Judaicarum scriptore hausisse videtur.

Quum altero jam anno præsidiarii arcis Hierosolymitanæ omni commeatu excluſi fame enecarentur, dedere se coacti sunt. Quibus inde ejectis, mundavit Simon arcem ab idolorum inquinamentis: ingressúsque est in eam die 23. mensis 21. (Jjar,) anno regni Græcorum 171°, cum ramis palmarum, cinyris, cymbalis, nablis, hymnis & canticis. Constituitque quotannis agitari diem illum cum lætitiâ: quòd hoste liberati essent, qui Israëlitis Templum adeuntibus tantopere nocuerat. Et munivit arcem, & montem Templi, cui illa imminebat, ad securitatem tum regionis tum civitatis: habitavitque ipse ibi cum suis. [I. *Maccab.* XIII. 49,—53. *&* XIV. 7, 36, 37.] 4572 142

Videns Simon filium suum Johannem (Hyrcanum posteà cognominatum) virum fortem esse, copiarum omnium ducem eum constituit: & habitavit in Gazaris, (I. *Maccab. XIII.* 54.)

in finibus

in finibus Azoti, ubi hoſtes prius habitaverant: pro quibus Judæos Simon ibi collocavit. [XIV. 7, 34.] Gadari videlicet illâ, quam Judæos ſuam feciſſe dicit etiam Strabo. (*lib. 16. pag. 759.*)

Demetrio Nicatori ex Cleopatrâ Ptolemæi Philometoris filiâ natus eſt filius Antiochus, ab adunco naſo Grypus cognominatus. Siquidem 45 annos vixit; ut habet Joſephus. (*lib. 13. cap. 21.*)

3863 Anno 37°. tertiæ Periodi Calippicæ, Nabonaſari 607, menſis Ægyptii Tybi die 2, (Januarii Juliani 27 deſinente) horis 2 ante mediam noctem, Eclipſis Lunæ in Rhodo ab Hipparcho eſt obſervata. (*Ptolem. lib. 6. cap. 5.*) 4573 141

Cùm à Demetrii Nicatoris imperio paſſim civitates deficerent, ad abolendam ſegnitiæ maculam ille bellum Parthis inferre ſtatuit. Parthis tum imperabat Mithridates Pamparii regis filius, communi Parthicorum regum cognomine Arſaces & Arſacides dictus, ipſóque Arſace proavo ſuo, regni Parthici conditore, (à quo cognomentum illud ad ſucceſſores omnes eſt traductum) non minor: quippe qui Parthicum imperium ab oriente uſque ad Indum fluvium, ab occidente uſque ad Euphratem virtute ſuâ propagavit. (*Juſtin. lib. 36. cap. 1. & 41. cap. 5, 6. Oroſ. lib. 5. cap. 4.*) Quod quomodo ab eo effectum fuerit, priuſquàm ad Parthicam Demetrii expeditionem accedamus, non abs re fuerit exponere.

Eodem fermè tempore quo in Parthis Mithridates, in Bactris Eucratides, magni uterque viri, regna inierunt. Sed Parthorum fortuna felicior, ad ſummum hoc duce imperii faſtigium eos perduxit. Bactriani autem per varia bella jactati; non regnum tantùm verumetiam libertatem amiſerunt. Siquidem Sogdianorum & Arachatorum & Dranganitanorum Indorúmque bellis fatigati, ad poſtremum ab invalidioribus Parthis, velut exſangues, oppreſſi ſunt. (*Juſtin. lib. 41. cap. 6.*) Victórque Arſaces ſive Mithridates ad Indiam uſque progreſſus, regionem in quâ Porus olim regnaverat, gentéſque omnes quæ inter Hydaſpem fluvium & Indum jacent, nullo negotio ſubegit. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii, pag. 358. Oroſ. lib. 5. cap. 4.*) Fuerunt autem Bactrii illi Græcorum reliquiæ, qui à Syriæ regibus Seleuci Nicatoris ſucceſſoribus Bactrianam abalienantes, etiam Arianam obtinuerunt & Indiam: non modò Patalenam occupantes, ſed & reliquam oram maritimam, & quod Teſſarioſti dicitur ac quod Sigertidis regnum. Quin & majorem Indiæ partem quàm ipſum Alexandrum & Macedones illos ſubegiſſe, in *Parthicis* ſuis affirmat (ſed contra aliorum ſententiam) *Apollodorus*: addens etiam, Eucratidem in eâ mille urbes ſub ſe habuiſſe. (*Strabo, lib. 11. pag. 516. & lib. 15. pag. 686.*) Multa verò Eucratides bella magnâ virtute geſſit: quibus attritus, quum obſidionem Demetrii regis Indorum pateretur, cum 300 militibus 60. millia hoſtium aſſiduis eruptionibus vicit; quintóque menſe liberatus, Indiam in poteſtatem redegit. Unde quum ſe reciperet, à filio quem ſocium regni fecerat in itinere interfectus eſt: qui non diſſimulato parricidio, velut hoſtem non patrem interfeciſſet, & per ſanguinem ejus currum egit, & corpus abjici inſepultum juſſit. Dum hæc apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos bellum oritur. Cùm varius utriuſque populi caſus fuiſſet, ad poſtremum victoria penès Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates, Mediæ Bacaſin præponit: ipſe in Hyrcaniam proficiſcitur. Unde reverſus, bellum cum Elymæorum rege geſſit: quo victo, hanc quoque gentem regno adjecit; imperiúmque Parthorum à monte Caucaſo, multis populis in ditionem redactis, uſque ad flumen Euphratem protulit. (*Juſtin. lib. 41. cap. 6.*) Victo enim Demetrii Nicatoris præfecto, Babyloniam urbem finéſque ejus univerſos victor invaſit. (*Oroſ. lib. 5. cap. 4.*)

Græci & Macedones ſuperiorum ſatrapiarum, novi Parthorum populi ſuperbiam indignè ferentes, ad Demetrium Nicatorem crebras miſerunt legationes: pollicentes, ſi ad eos veniret, ſe illi dedituros & cum eo contra Arſacem Perſidis ac Mediæ regem dimicaturos. Quâ ſpe ille accenſus, properavit ad illos; & anno regni Græcorum 172° copias ſuas congregans, in Meſopotamiam venit, & hanc & Babyloniam & Mediam ſimul occupaturus; cogitans ſe, ſuperiorum ſatrapiarum auxiliis temel auctum, facilè Tryphonem è regno Syriæ exturbaturum. Magnâ verò alacritate ibi exceptus, quum & Perſarum & Elymæorum Bactrianorúmque auxiliis juvaretur, multis prœliis Parthos fudit. Ad poſtremum tamen ab uno ex Arſacis principibus ad comprehendendum eum miſſo pacis diſſimulatione deceptus atque inſidiis circumventus, amiſſo exercitu, vivus in poteſtatem hoſtis venit; traductúſque per ora civitatum, populis qui defciverant in ludibrium favoris oſtenſus, ac deinde cuſtodiæ manciparus eſt. (1. *Maccab. XIV. 1, 2, 3. Joſeph. lib. 13. cap. 9. fin. Juſtin. lib. 36. cap. 1. & lib. 38. cap. 9.*] Addit *Georgius Syncellus* ferro vinctum fuiſſe cuſtodirum, indéque *Sideriæ* cognomentum poſteà obtinuiſſe.

Arſaces verò in tantam regni amplitudinem evectus, haudquaquàm ad luxum ac ſuperbiam (quod pleriſque principibus uſu venire ſolet) ſe contulit: ſed clementiâ in ſubditos, fortitudine adverſùs hoſtes eſt uſus. Cúmque plurimas gentes imperio ſuo ſubjeciſſet, ex ſingulis collecta optima quæque inſtituta Parthis communicavit. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſ. pag. 361.*) Demetrio etiam in Hyrcaniam miſſo non cultum tantùm regium benignè præſtitit, ſed & filiam in matrimonium dedit; regnúmque Syriæ, quod Typhon occupaverat, reſtituturum promiſit. (*Juſtin. lib. 36. cap. 1. & lib. 38. cap. 9.*) quanquàm Demetrium in Phraatæ (Mithridatis fratris & ſucceſſoris) regiâ vixiſſe, ejúſque ſororem Rhodogunam in matrimonium duxiſſe, ſcribat Appianus. [*in Syriac. pag. 132.*]

Anno regni Græcorum 172°, menſis (6ˡ) Elul. die 18°, Pontificatûs Simonis anno tertio (deſinente; à morte ſc. fratris Jonathanis, poſt quam Pontificatum ille ſuſcepit, deducto,) in congregatione magnâ Sacerdotum & populi principúmque gentis & ſeniorum regionis, ſcriptura publica eſt edita: in quâ & inſignia ejus in gentem Judaicam merita recenſentur, & jura Majeſtatis ipſi & poſteris ejus conceſſa; ut eſſet eorum Imperator, & ſummam inſpectionem

haberet in præpositos operibus & tectis Templi, in præfectos Toparchiis, in exercituum ductores & præfectos munitionibus. Item ut sacrorum curam haberet, útque obediretur ei ab omnibus; & ut scriberentur sub nomine ejus omnes syngraphæ in regione, & ut indueretur purpurâ aurúmque gestaret. nec liceret ulli ex populo aut Sacerdotibus rescindere quicquam horum, aut contradicere iis quæ ab illo dicerentur; aut cogere conventum in regione sine illo, aut indui purpurâ ornarive fibulâ aureâ. Quæ cùm recepisset Simon, placuit ei Pontificatu fungi, esseque imperatorem & ethnarcham Judæorum ac Sacerdotum, & præesse omnibus. Tum scripturam hanc poni jusserunt in tabulis æreis, easque columnis appendi in porticibus Templi, in loco conspicuo; atque exempla ejusdem poni in Templi gazophylacio, ut inde haberet Simon & filii ejus. (I. *Maccab.* XIV. 26,--49.)

3864 Milites Tryphonis mores pertæsi, defecerunt ad Cleopatram Demetrii Nicatoris uxorem, quæ tum in Seleucià cum liberis se incluserat. Misit verò illa ad Demetrii (mariti sui captivi) fratrem Antiochum; conjugium suum & regnum ei offerens. Quod fecit illa, partim amicorum suasu, partim quòd timeret ne Seleucienses quidam urbem Tryphoni traderent. (*Joseph. lib.* 13. *cap.* 12.) 4574 140

Antiochus hic, Demetrii Soteris filius; apud Josephum (*lib.* 7. *Antiquit. cap.* 12. *& lib.* 13. *cap.* 16.) à religione Pius; & (*lib.* 13. *cap.* 12.) paterno cognomento *Soter* dictus reperitur; apud Trogum Pompeium (*in Prolog. lib.* 39.) & Eusebium (*in Chronico*,) *Sidetes* vel *Sedetes*: sive à venatione (quæ Syris צידה est, & cui summè illum deditum fuisse Plutarchi Problemata indicant) cognomentum illud acceperit, sive ab urbe Sidensi, ex quâ ad Tryphonem obsidendum profectum illum fuisse scribit *Georgius Syncellus*. In Asiâ priùs educarum, & cum seniore fratre Demetrio Nicatore apud Cnidium hospitem à Demetrio Sotere patre depositum fuisse refert Justinus. (*lib.* 35. *cap.* 2. *&* 36. *cap.* 1.) Rhodi de captivitate fratris, & quid secutum esset, eum didicisse, refert Appianus. (*in Syriac. pag.* 132.) atque ex insulis maris, Regis assumpto titulo, literas eum Simoni Sacerdoti summo & Ethnarchæ totique genti Judæorum, in I. *Maccab.* XV. 1, 2. misisse legimus.

In hisce literis, de hostibus suis ille questus, ostendit se ad ultionem sumendam paratum; ne fortè Regis nomen frustra usurpasse videretur. Inde, conciliandi Simonis causâ, confirmat ei immunitates & privilegia ab aliis regibus concessa; & jus monetæ propriâ notâ cudendæ adjicit. Hierosolymam quoque cum Sanctuario ab omni regiâ jurisdictione liberam esse decernens, plura etiam majoráque se collaturum cùm regnum obtineret promittit. (*Ibid.* 3,--9.)

3865 Numenius Antiochi filius & alii legati, ad renovandam cum Romanis amicitiam & societatem à Simone pontifice populóque Judæorum missi, Romam venerunt: clypeum aureum magnum ponderis mille minarum secum afferentes. Quo accepto, Lucii Consulis literæ ad Reges & provincias eis sunt traditæ: ut nihil in Judæos intentarent mali, neque auxilium ferrent pugnantibus adversùs eos; & si quando transfugæ ex Judæâ ad eos venirent, Simoni Pontifici eos traderent secundùm patriam legem puniendos. (I *Maccab.* XIV. *&* XV. 15,--21.) 4575 139

Lucius iste L. Calpurnius Piso fuit, L. Popilii Lænatis (in Hispaniam contra Numantinos missi) collega: quorum Consulatûs apud *Valerium Maximum*, lib. 1. cap. 3. hæc occurrit mentio. *P. Cornelius Hispalus prætor peregrinus, M. Popilio Lænate, L. Calpurnio Consulib. edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex Urbe atque Italiâ jussit: levibus & ineptis ingeniis, fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes.* quanquàm in suâ editione Stephanus Pighius, pro *Lucii* prænomine, *Cnei* ex Fastis Consularibus Cassiodori, contra codicum fidem hic substituerit.

Reges, ad quos missæ sunt hæ literæ, quinque fuerunt: Ptolemæus Euergetes II. sive Physcon Ægypti, Demetrius Nicator (licèt captivus apud Parthos jam detentus) Syriæ, Attalus Philadelphus Asiæ Pergamenæ, Ariarathes Cappadociæ, & Arsaces sive Mithridates Parthiæ. Civitates, regiones & insulæ, 19. Sampsama, (vel, ut in Latino habetur, Lampsacus) Sparta, Delus, Myndus, Sicyon, Caria, Samus, Pamphylia, Lycia, Halicarnassus, Rhodus, Phaselis, Coos, Sida, Aradus, Gortyna, Cnidus, Cyprus, & Cyrene. (I. *Maccab.* XV. 16,22,23.)

Anno regni Græcorum 174*, Antiochus Sidetes in terram patrum suorum reversus est. (*Ibid.* 10.) ubi in matrimonium Cleopatram uxorem fratris recepit: (*Justin. lib.* 36, *cap.* 1.) quòd Rhodogunam regis Parthorum filiam Demetrius duxisset, indignatam. (*Appian. Syriac. pag.* 132.) Regnavitque dehinc Antiochus annos 9. (*Porphyr. & Euseb.*)

Transeuntibus ad Antiochum omnibus copiis, paucæ cum Tryphone remanserunt: qui ita derelictum se videns, Doram (urbem Phœniciæ maritimam) fugâ se recepit. Quò eum persecutus Antiochus, tum terrestribus peditum 120 & equitum 8 millium, tum navalibus copiis urbem ita arctè circumsedit, ut neminem ex eâ egredi vel in illam ingredi sineret. (I. *Maccab.* XV. 10,--14.)

Interea Numenius ejúsque comites Româ venerunt; literas ad Reges & provincias, earúmque exemplum ad Simonem Pontificem scriptum, secum ferentes. (*ibid.* 15, 24.)

Antiocho arctâ obsidione & crebris insultibus Tryphonem in urbe Dorensi prementi, misit Simon delectorum virorum duo millia, cum argento & auro & multis instrumentis bellicis. Quæ ille accipere noluit: sed omnia quæ priùs cum eo pactus fuerat rescindens, alienabatur ab eo. Unde ad Simonem misit Athenobium, ut Gazaram & Joppen & arcem Hierosolymitanam ab eo repeteret, & tributa locorum extra fines Judææ ab eo possessorum exigeret; aut pro illis 500 talenta argenti, & pro damnis illatis tributisque urbium alia talenta 500 postularet: bellum minitans, nisi imperata fierent. (*Ibid.* 25,--31.)

Veniens Athenobius amicus regis Hierosolymam, ut vidit Simonis magnificentiam, abacum multo auro argentóque instructum, & reliquum domesticum apparatum, obstupuit; & verba Regis

ei retulit.

ei retulit. At Simon ſe aliena negavit opida poſſidere, ſed ſua ab hoſtibus injuſtè detenta legitimi belli jure recuperaviſſe: pro Joppe verò & Gazaris, ex quibus gravia damna ab hoſtibus populus paſſus fuerit, centum talenta obtulit. Ille cum irâ ad Antiochum reverſus, renunciavit ei quæ audierat & viderat: neque minore irâ Rex exarduit; videns ſibi non obtemperari, nec objectam vim timeri. (*Ibid.* 32,-36.)

Tryphon interim conſcendens navem fugit in aliam Phœniciæ maritimam urbem Orthoſiada. (*Ibid.* 37.)

Tum conſtituit Antiochus Cendebæum præfectum regionis maritimæ; datíſque ei pedeſtribus & equeſtribus copiis, mandavit ei ut extrueret Cedronem (vel, ut Latinus codex habet, Gedorem; de quâ Joſu. XV 58.) & bellum Judæis inferret: ipſe autem Rex perſequebatur Tryphonem. (*Ibid.* 38, 39.)

Cendebæus Jamniam adveniens, cœpit Judæam invadere & captivum ducere populum & occidere: extructâque Cedrone (vel Gedore,) collocavit ibi equites & copias peditum, qui excurſionibus vias Judææ infeſtarent; quemadmodum præceperat ei Rex. (*Ibid.* 40, 41.)

3866 Aſcendens Johannes (Hyrcanus) de Gazaris nuntiavit Simoni patri ſuo quæ à Cendebæo gerebantur: qui ſenio jam fractus, duobus ſenioribus filiis ſuis Judæ & Johanni belli curam commiſit. Illi delectis ex regione 20 millibus bellatorum & equitibus profecti ſunt contra Cendebæum, & pernoctárunt in oppido natali ſuo Modin. Inde mane ſurgentes profecti ſunt in campum, ubi eis occurrit copioſus adverſariorum exercitus: ſed interjectus erat torrens inter ipſos. Johannes prior vadum ingreſſus eſt, ducémque populus celeriter ſecutus eſt: quem ita diviſit, ut equites in medio peditum poſiti, eos protegerent, & viciſſim protegerentur ab ipſis, contra ingentem adverſariorum equitatum. Clanxerúntque ſacris tubis, fuſóque Cendebæo & ejus exercitu ceciderunt ex illis ſaucii multi; ex reſiduis verò alii in munitionem quam Cendebæus extruxerat, alii aliò fugerunt. Quos Johannes perſecutus eſt (fratre ejus Judâ vulnerato) uſque ad turres quæ in agris Azoti, circiter duo hominum millia occidit: ſuccenſíſque turribus illis, incolumem in Judæam reduxit exercitum. (*I. Maccab.* XVI. 1,-10.)

Tryphon poſtremò ad populares ſuos Apameam ſe recepit. Quo tempore contigiſſe videtur quod de eo Frontinus. (*libro* 2. *Strategem. cap.* 13.) *per totum iter fugientem pecuniam ſparſiſſe, eáque ſectantes Antiochi equites moratum, effugiſſe.* Apameâ verò vi captâ interfectum eſſe Tryphonem, triennio poſt captum à Parthis Demetrium, Joſephus ſignificat. (*lib.* 13. *cap.* 12.) Ab Antiocho magno cum labore tandem interfectum, Appianus; (*Syriac. pag.* 132.) in quodam caſtello incluſum, ad mortem ſibi conſciſcendum adactum fuiſſe, ſcribit Strabo. (*lib.* 14. *pag.* 668.) Orthoſiâ fugatum, in ignem inſilientem periiſſe, refert *Georgius Syncellus.* 4176 138

Ægypto militiæ præfectus Hierax, cùm & rei bellicæ ſcientiſſimus, & in congreſſibus admodùm popularis ac præterea eximiâ animi magnitudine eſſet, Ptolemæi Phyſconis Imperium ſuſtinuit. Nam cùm Ptolemæus pecuniæ inopiâ premeretur, militéſque ſtipendiis fraudati deficere ad Galæſtem parati eſſent, ipſe ex ſuâ pecuniâ numerato militibus ſtipendio ſeditionem pacavit. Regem verò ipſum Ægyptii prorsùs deſpiciebant; cùm viderent & in ſermonibus puerilem, & effuſum in fœdiſſimas libidines, & ob intemperantiam effœminato corpore eſſe. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. H. Valeſii, pag.* 362. 362.)

In Aſiâ Pergamenâ, Attalum Philadelphum fratrem Eumenis longo otio & pace diſſolutum Philopœmen amicorum unus gubernabat: ita ut Romani ſubinde per jocum quærerent ex his qui ex Aſiâ navigabant, Rexne apud Philopœmenem aliquid poſſet. (*Plutarch. in lib. An ſenis ſit gerenda Reſpublic.*) Nec tamen Attalus filiorum ſuorum ulli regnum relinquere voluit; ſed Eumenis fratris filio, cujus tutela ipſi commiſſa fuerat, virilem ætatem adepto vivus diadema impoſuit Regíſque nomen detulit. (*Id. in Apophthegmat. & in lib.* περὶ φιλαδελφίας.)

Poſt mortem patrui Attali, Attalus Philometor cognominatus, quem ex Stratonicâ filiâ Ariarathis Cappadocum regis Eumenes ſuſtulerat, per quinquennium regnum Pergamenum obtinuit. (*Strabo, lib.* 13. *pag.* 624.)

Hic acceptum regnum cædibus amicorum & cognatorum ſuppliciis ſtatim fœdavit; nunc matrem anum, nunc Beronicen ſponſam maleficiis eorum necatam confingens. (*Juſtin. lib.* 36. *cap.* 4.) Cúmque ex paternis amicis potiſſimos ac nobiliſſimos inſidiarum adversùs ſe ſuſpectos habuiſſet, cunctos è medio tollendos ſibi eſſe ſtatuit. Delectos igitur ex barbaris ſtipendiariis cruentiſſimos quoſque & pecuniæ aviditſſimos in cellis quibuſdam palatii abſcondit, móxque accitis in regiam ex omni amicorum numero iis quos maximè ſuſpectos habebat, cunctos barbarorum miniſterio interfecit; ac confeſtim liberos uxoréſque eorum eodem ſupplicio affici mandavit. Cæteros verò amicos, qui aut militaribus copiis aut civitatibus præerant, partim per fraudem & inſidias ſuſtulit, partim comprehenſos cum omni familiâ obtruncavit. Itaque cùm ob crudelitatem non ſubditis modò ſed etiam finitimis omnibus inviſus eſſet; cuncti ex ejus ditione rerum novarum deſiderio erecti erant. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii, pag.* 370.)

3867 Poſt hanc ſceleſtam violentiæ rabiem, ſqualidam veſtem ſumpſit, barbam capillóſque in modum reorum ſummiſit; non in publicum prodire, non populo ſe oſtendere, non domi lætiora convivia inire, aut aliquod ſignum ſani hominis habere: prorsùs ut pœnas pendere, manibus interfectorum videretur. (*Juſtin. lib.* 36. *cap.* 4.)

Attalus dimiſſâ regni adminiſtratione, hortos fodiebat, gramina ſeminabat, & noxia innoxiis permiſcebat, eáque omnia veneni ſucco infecta velut peculiare munus amicis mittebat. (*Id. ibid.*) Neque tantùm hyoſcyamum & helleborum, ſed etiam cicutam & aconitum & dorycnium ipſe in hortis regiis ſeminabat & plantabat: liquoréſque & ſemina & fructus horum elaborabat cognoſcere, ac ſuo quæque tempore colligere. (*Plutarch. in Demetrio.*) Libros 4177 137

quoque

quoque de agricultura eum scripsisse, à Varrone (*de re rustic. lib.* 1. *cap.* 2.) Columellâ, (*lib.* 1. *cap.* 1.) & Plinio, (*lib.* 18. *cap.* 3.) docemur.

Antiochus Sidetes civitates, quæ initio fraterni imperii defecerant summâ industriâ persecutus est; domitásque rursus regni terminis adjecit. (*Justin. lib.* 36. *cap.* 1.)

3868 Ptolemæus Euergetes II. sive Physcon multos Alexandriæ cives, qui eum in regnum vocaverant, jugulavit; & non paucos eorum qui cum fratre ipsius (Philometore, quo cum simultates habuerat) pubescentes adoleverant in exilium egit. Cædísque licentiâ peregrinis militibus datâ, omnia sanguine quotidie manabant. (*Justin. lib.* 38. *cap.* 8. *Athenæus lib.* 4. *cap.* 24. *fin.*) Ipsam quoque sororem ac conjugem Cleopatram, filiâ ejus virgine per vim stupratâ & in matrimonium adscitâ, repudiavit. Quibus rebus territus populus in diversa lapsus est, patriámque metu mortis exul reliquit. Solus igitur in tantâ urbe cum suis relictus Ptolemæus, cùm regem se non hominum sed vacuarum ædium videret, edicto peregrinos solicitavit. (*Justin. ibid.*) Atque hinc urbes insuláisque replevit grammaticis, philosophis, geometris, musicis, pædagogis, pictoribus, medicis, & aliis multis artificibus; qui ob inopiam ea docentes quæ scirent, multos viros eximios effecerunt. Cúmque jam, ob continuos bellorum motus qui Alexandri successorum temporibus exarserunt, ἐγκυκλοπαιδία defecisset ac exolevisset; hâc occasione disciplinarum omnium renovatio rursùs facta est. (*Athenæus, ut suprà.*) 4578 136

P. Scipio Æmilianus (qui eversâ Carthagine cognomentum *Africani* obtinuit) Sperina Mummius & L. Metellus, legati à Romano Senatu ad inspicienda sociorum regna & urbes & res eorum componendas missi, Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciam, sedulò perlustrârunt. (*Cicero, in Somnio Scipionis. Strabo, lib.* 14. *pag.* 669. *Justin. lib.* 38. *cap.* 8. *Plutarch. in Apophthegmat. Athenæus, lib.* 6. *cap.* 8. *& lib.* 12. *cap.* 27.) Nobilem hanc legationem P. Scipionem *ante censuram* obiisse, scribit in *Lucullo* Cicero; post censuram & paulò ante secundum Consulatum eam contigisse, idem in Scipionis Somnio significat: *post duos* verò *Consulatus, totidémque sua præcipua gloria triumphos*, Carthaginiensem & Numantinum, legatione hâc eum functum fuisse affirmat Valerius Maximus. (*lib.* 4. *cap.* 3.) *Polybius*, qui Numantinum bellum peculiari opere (ut ex *Ciceronis* lib. 5. ad familiar. epist. 12. notum est) descripsit, etiam hujus legationis meminit; (ut ex *Athenæo*, lib. 6. cap. 8. & *Suidâ* in voce βάρος collato cum *Diodori Siculi* legat. 32. intelligimus:) non aliâ ad operis instituti rationem occasione magis accommodatâ, quàm quòd legatione illâ peracta, Scipio ad finem bello Numantino imponendum missus fuerit. Eámque ob causam, è tribus variantibus sententiis mediam nobis hîc amplecti libuit.

Scipio in legatione hâc ex amicis non *Caium Lælium* (ut in vitiatis *Aurelii Victoris* de viris illustr. cap. 58. exemplaribus legitur) sed *Panætium philosophum*, unum omninò comitem secum assumpsit. (*Cicero, in Lucullo. Plutarch. in Apophthegmat. & libello de philosophando cum Principibus ex historiâ Posidonii.*) Cui *Posidonius Stoicus* ab Athenæo, (*lib.* 12. *cap.* 27.) perperàm adjungitur; ætate (ut suo loco apparebit) longè posterior. Servos *quinque* solos secum Scipio duxit, testibus *Posidonio & Polybio*; (ex quibus corrigendus & Valerius Maximus qui *septem*, & Aurelius Victor qui *duos* illi assignant:) atque de his uno in peregrinatione mortuo, alium nolens emere, domum scripsit, ut alius sibi in illius locum Româ mitteretur. (*Athenæ. lib.* 6. *cap.* 8. *Plutarch. in Apophthegmat.*) Itaque cùm per socios & exteras gentes iter faceret, non mancipia ejus, sed victoriæ numerabantur: nec quantum auri & argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, æstimabatur. (*Valer. Maxim. lib.* 4. *cap.* 3.)

3869 Peregrinis edicto Ptolemæi Euergetæ Alexandriam confluentibus, legati Romanorum eò appulerunt. (*Justin. lib.* 38. *cap.* 8.) Ubi cùm Scipio navi egressus capite veste cooperto procederet, circùm cursitantes Alexandrini rogaverunt ut retegeret faciem, desiderióque ejus videndi captis spectandam præberet: vocémque & plausum eo impetrato sustulerunt. (*Plutarch. in Apophthegm.*)

Rex verò legatis obvius procedens, ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & staturâ brevis, & saginâ ventris non homini sed belluæ similis. Quam fœditatem nimia subtilitas perlucidæ vestis augebat; prorsùs quasi æstu inspicienda præberentur, quæ omni studio occultanda pudibundo viro erant. Sic enim, ex Trogo Pompeio, Justinus, (*lib.* 38. *cap.* 8.) hominem depinxit: quem ex Possidonii Stoici Historiarum libro 7°. ita nobis exhibuit Athenæus, (*lib.* 12. *cap.* 27.) Natali Comite interprete. *Corpus ob delicias crassitudine corruptum fuerat, & à ventris magnitudine, quem circumdare difficile erat omnino. Ob quæ vestem talarem manicas ad talos usque habentem induerat: neque unquam pedestris incedebat, nisi propter Scipionem.* Cujus ambulationem cùm Rex ob ignaviam & molliciem corporis ægrè magno nisu æquaret; Scipio Panætio in aurem insusurravit. *Jam nunc Alexandrini fructum nostra peregrinationis ceperunt, qui propter hos Regem viderint deambulantem.* ut in Apophthegmatibus refert *Plutarchus*. Ex quo perspicitur, quàm rectè Dalechampius Athenæi interpres verba illa, ἐφάνη γὰρ ἐν τοῖς ὀπισθίοις ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἐπὶ τῶν ἴσων, reddiderit: *Pedibus ille nunquam ex regiâ prodibat, sed perpetuò sessione subnixus.*

Rex opulentis conviviis legatos excepit, & circumducens ostendit eis tum palatia tum reliquam regiam gazam. Illi autem virtute præstantes, cibis quidem modicis & ad sanitatem conducentibus usi, opulentum illum apparatum, ut qui animum simul & corpus corrumperet, contemnebant: obiter verò & quasi nullius pretii essent intuentes ea quæ à Rege in admiratione habebantur, quæ consideratione suâ digna erant accuratè observabant; urbis situm & amplitudinem, & quæ circa Pharum erant peculiaria. Memphin deinde navigantes, regionis bonitatem, Nili opportunitates, urbium multitudinem, infinitas incolarum myriadas, Ægypti munitionem, totámque regionis excellentiam, quàm bene ea esset ad imperii & securitatem & magnitudinem comparata, considerabant. Mirati denique Ægyptum incolentium multitu-

dinem

dinem & locorum commoditates, maximum in eâ imperium conſtitui potuiſſe cenſebant, ſi idoneos Dominos regnum illud nactum fuiſſet. Deinde, rebus Ægypti luſtratis, in Cyprum, atque inde in Syriam ſunt profecti. [*Diodor. Sicul. legat.* 32.]

Mithridati Euergetæ regi Ponticо natus eſt Mithridates ille magnus, qui *Dionyſius* ſive *Bacchus* cognominatus eſt; & *Eupator*. Unde & urbi à ſe conditæ *Eupatoriæ* nomen dedit. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 176. & 251.] In urbe verò Sinopenſi & natus & educatus eſt: quam idcircò in eximio honore ille habuit, capútque totius regni fecit. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 545.]

Quo genitus Mithridates eſt anno, ingens Cometes effulſit. [*Juſtin. lib.* 37. *cap.* 2.] non aliut profectò quàm ille, cujus in Naturalium quæſtionum lib. 7. cap. 15. Seneca ita meminit. *Attalo regnante, initio Cometes apparuit modicus: deinde ſuſtulit ſe diffuditque, & uſque in æquinoctialem circulum venit; ita ut illam plagam cœli, cui lacteæ nomen eſt, in immenſum extentus aquaret.* Mithridati enim, cum *Eutropio* [*lib.* 6.] & *Oroſio*, [*lib.* 6. *cap.* 5.] qui Livium ſequi ſolent, annos vitæ 72. tribuimus. Si enim, cum *Appiano*, [*pag.* 249.] annos tantùm 68. aut 69. vixiſſe dixiſſemus: poſt extinctum Atralum; non eo regnante, Cometes ille apparuiſſet.

Simon Judæorum Pontifex & ethnarcha, circumiens Judææ civitates & adminiſtrationis earum curam gerens, unà cum filiis ſuis Mattathiâ & Judâ Jerichuntem deſcendit anno regni Græcorum 177°, menſe undecimo, qui Sabat vocatur. Ibi excepit eos Ptolemæus Abubi filius, Simonis Pontificis gener, in Doc caſtello quod munierat. Hic à ſocero ſuo Jerichuntinæ provinciæ præpoſitus, cùm divitiis abundaret, proprio nomine imperium regionis obtinere cupiebat. Simonem igitur cum filiis lauto convivio excipiente illo in præſidiariâ domo, ubi largiùs illi bibiſſent, ſicarii quos abſconderat armati cum eo ingreſſi, Simonem & duos filios & quoſdam ex famulis ipſius perfidè trucidârunt. [1. *Maccab.* XVI. 11,--17.] Simonem inſidiis generi ſui Ptolemæi in convivio cæſum fuiſſe, quum octo omninò annos Judæis præfuiſſet, refert Joſephus. [*lib.* 13. *cap.* 14.] Nos, poſt mortem fratris Jonathanis, per annos 8. & menſes 3. circiter, ſummo Pontificatu functum illum fuiſſe, ex Maccabaicâ Hiſtoriâ colligimus. 4579 135

Ptolemæus ſtatim de perpetrato ſcelere Antiochum Sidetem regem certiorem fecit; petens ab eo exercitum in auxilium, ut ei regionem & urbes Judæorum in manus traderet. [1. *Maccab.* XVI. 18.] Quæ tam ſubita enunciatio patrati criminis, promiſſióque tradendæ regionis, non levem ingerit ſuſpicionem totum hoc facinus non ignaro Rege fuiſſe ſuſceptum; & ab eodem dignitatem quàm iſte proditor ambiebat illi in pretium ſceleris priùs fuiſſe promiſſam: quemadmodum in Annalium ſuorum Epitome obſervat *Jacobus Salianus*. Quò & illud ſpectat, quod in Prologo libri 36. *Trogi Pompeii* legitur: *Antiochum, interfecto Hyrcano, Judæos jubegiſſe.* filii *Hyrcani* nomine, pro patris *Simonis*, per errorem ſubſtituto: ſicut vice versâ *Euſebius* in Chronico, ſubactæ ab Antiocho illo Judææ hiſtoriam tangens, eum *ad conditiones Pontificem Simonem compuliſſe* ſcripſit: patris *Simonis*, pro filii *Hyrcani* nomine poſito.

Miſit & alios ſicarios perfidus Ptolemæus Gazaram, ut incautum Johannem (Hyrcanum) è medio tollerent: & Chiliarchos (Judaicæ militiæ ſub Johanne duces) per litteras ad ſe accerſivit, magnorum munerum pollicitatione eos ad ſe alliciens. Et alios miſit qui occuparent Hieroſolymam & montem Templi. Præcurrens autem quidam Gazaram, nunciavit Johanni periiſſe patrem & fratres ipſius, nec non miſſos eſſe qui ipſum quoque occiderent. Quo tam triſti nuncio etſi conſternatus eſt animo, meditatum tamen ſicariorum ſcelus antevertit, & occidit eos. Atque ità Pontifex eſt factus poſt patrem ſuum. [1. *Maccab.* XVI. 19,--24.]

Hic primus liber Maccabæorum deſinit, XL. annorum hiſtoriam complexus. Quam *Joſephus* deinde continuans, à narratione parum probabili ducit initium. Ait enim, Johannem Hyrcanum maturè in urbem refugiſſe, & à populo receptum eſſe; excluſo Ptolemæo, per aliam portam ingredi volente. Johannem ſacris operatum, eduxiſſe contra Ptolemæum exercitum, eúmque in arce Dagon ſupra Jerichuntem ità obſediſſe. Quam cùm expugnare niteretur, Ptolemæum Johannis matrem & fratres duos, quos intus detinebat, in mœnia productos flagris acerrimè cædi juſſiſſe, minitantem eoſdem præcipites dare niſi ab oppugnatione deſiſteretur. Eorum commiſeratione motum Johannem, illicò in primis conatibus elanguiſſe: ac licèt forti mater animo, filio ne molliretur affectibus, ſed ultionem de proditore perſequeretur, inſtare non ceſſaret: nihilominùs quoties eam verberari conſpiciebat, toties materno victum affectu, oppugnationis impetum remittere coactum eſſe. Donec ſuperveniente anno Sabbatico, quo Judæis ceſſare ab operibus ſicut die ſeptimo moris eſt; liberatus à bello Ptolemæus, occiſis Hyrcani matre ac fratribus, fugit ad Zenonem cognomento Cotylam, qui urbis Philadelphiæ tum erat tyrannus. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 2. & *Antiqu. lib.* 13. *cap.* 14. 15.]

Quæ omnia, ex perſonarum, temporis, & loci conſideratione in 6°. Annalium ſuorum tomo *Salianus* multiplicis vanitatis coarguit. [*ad ann. Mundi* 3919. §. 5, 6, 7. & 3920. §. 5, 6.] ubi rectè etiam monet; anno Sabbatico belli adminiſtrationem, aut obſidiones urbium, aut propugnationes, nuſquam in lege Domini Judæis fuiſſe prohibitas. Cui & nos hoc addimus: præſentem quidem annum, reverà fuiſſe Sabbaticum; non tamen poſt, ſed 4 menſibus ante Simonis cædem illum cœpiſſe, ineunte videlicèt æræ Contractuum anno CLXXVII. ut ex annorum Sabbaticorum ſerie, ad hæc uſque tempora ab ipſis Judæis rerentâ, apparet.

Anno 43 tertiæ Periodi Calippicæ, menſis Ægyptii Mechir die 29 (Juliani Martii 24 ineunte) poſt mediam noctem, Æquinoctium vernum ab Hipparcho eſt obſervatum. [*Ptolem. lib.* 3. *cap.* 2.] Et deſinente eodem ejuſdem Periodi anno, Solſtitium æſtivum ab eodem eſt obſervatum. [*Id. ibid.*]

Antiochus Sidetes, anno regni ſui 4 (deſinente) & Hyrcani primo (ineunte) in Judæam duxit exercitum: vaſtatíſque agris, Hyrcanum in urbem Hieroſolymitanam compulit: eámque

septenis castris cinxit, toto scilicèt exercitu in septem partes divisо, ad obstruendos omnes aditus excelsiusque obsessorum. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 16.]

Scipio Africanus & cæteri Romani legati, plurimas orbis partes peragrantes, summo omnium studio & favore ubique excepti sunt. Ubi controversiis componendis operam dantes, hos quidem inter se reconciliabant, alios ut æqua concederent suadendo inducebant; impudenter verò resistentes necessitate compellebant, & quorum causæ judicatu erant difficiles ad Senatum remittebant. Atque ita cum Regibus & populis versati, antiquâ inter omnes amicitiâ & societate renovatâ, domum reversi sunt; his quos invisebant legatos Romam mittentibus, & Senatum quòd tales ad se viros allegassent collaudantibus. [*Diodor. Sicul. legat.* 32.]

Obsidio Hierosolymitana, propter firmitatem mœnium & propugnantium fortitudinem, diutiùs protracta est. Postremò ad septentrionalem muri partem, quà planior erat aditus, excitatis centum turribus quæ surgebant usque ad tertiam contignationem, impositisque in eas cohortibus, quotidie Antiochus tentabat mœnia: duplicique fossâ longâ simul & latâ cinctis Judæis præclusit omnem exitum. Illi contrà crebrò excursantes, si fortè negligentiùs custodiri castra offenderent, afficiebant hostem clade aliquâ: quòd si paratos ad resistendum invenirent, recipiebant se in tutiora facilè. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 16.]

Hyrcanus, postquàm cognovit sibi obesse suorum multitudinem, quòd inutiliter absumerentur ad victum necessaria, infirmiorem turbam ejecit extra mœnia; solis retentis qui ob vigorem ætatis ad pugnam erant idonei. Antiochus autem exclusos vetabat progredi: ita ut miserabiliter circum mœnia oberrantes inedià conficerentur. [*Id. ibid.*]

3870 Cùm supervenisset festum Scenopegiæ, miseratione suorum exclusi illi rursùs in urbem recepti sunt. Antiochus etiam rogatus ut gratiâ festi septem dierum inducias concederet, non illud modò illis indulsit, sed etiam tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea quàm argentea omni aromatum genere referta, usque ad portas cum pompâ deduxit: traditisque Judæorum sacerdotibus victimis, & epulo exercitui præbito, in castra rediit. [*Id. ibid. cum Plutarcho, in Apophthegmat.*]

Cùm sub occasum Pleiadis delati imbres obsidentibus aquam (cujus penuriâ antè laborabant) abundè suppeditarent, & anno Sabbatico jam finito Judæis à semente faciendo cohibitis certissimum famis periculum immineret: Hyrcanus, consideratâ Antiochi æquitate & pietate, legatos ad eum mittit, rogantes ut liceat sibi patriis vivere legibus. Regis verò amicorum plures illi suadebant, ut violenter urbem diueret, & totam Judæorum gentem ut insociabilem & institutis à reliquis omnibus discretam internecione deleret; vel saltem ut leges eorum dissolveret, & vitæ institutionem mutare cogeret. Sed Rex, ut erat magnanimus moribusque mansuetus, horum consilio rejecto & Judæorum pietate comprobatâ imperavit ut obsessi arma sibi traderent, Urbis muros destruerent, vectigalia Joppes cæterarúmque extra Judæam urbium solverent, & insuper præsidium reciperent: promittens pacem eis se datum his conditionibus. Assenserunt illi ad omnia, excepto præsidio; quòd vitarent exterorum consuetudinem. Quod ne reciperent, maluerunt Regi dare obsides & inter eos ipsius Hyrcani fratrem, atque 500 talenta insuper; quorum 300 mox repræsentata sunt. Dejectâque mox loricâ quæ imposita erat mœnibus, soluta est obsidio, & Judæi à criminationibus liberati. [*Joseph. ibid. cum Diodoro Siculo, lib.* 34. *in Bibliothecâ Photii, cod.* 244.]

Hyrcanus aperto sepulchro Davidis, qui olim regum omnium fuerat ditissimus, tria millia talentorum inde abstulit: quibus pecuniis fretus, primus Judæorum alere peregrina cœpit auxilia. Ita Josephus: [*lib.* 1. *Belli cap.* 2. *lib.* 3. *Antiquit. cap.* 12. *& lib.* 13. *cap.* 16. *& lib.* 16. *cap.* 11.] de quo videnda censura *Saliani*, tomo sexto Annalium; ad annum Mundi 3921. §. 8, 9.)

Anno Hyrcani primo Matthias cognomento Aphlias, Simonis Pselli filius, Sacerdos è vice Joaribi, ex Jonathanis summi Pontificis filiâ Matthiam cognomento Curtum suscepit, Josephi historici abavum; ut ipse initio libri de Vitâ suâ indicat.

P. Africano & C. Fulvio Consulib. servile bellum in Siciliâ ortum est. [*Liv. lib.* 56. *Julius Obsequens, de prodigiis.*] Cujus belli initium fuit Eunus servus quidam Syrus in urbe Apameâ natus, vir magicis incantationibus & circulatoriis præstigiis deditus. Hic Deorum, in somnis primùm deinde & vigili apparentium, afflatu res futuras se didicisse simulabat. Cùm autem in multis vaticinationibus mendax comperiretur, interim tamen casu eventus verè prædictionibus ejus respondereut, & falsa quidem ejus vaticinia nemo coargueret, vera autem cum applausu diligenter notarentur: hominum opinio de eo indies augebatur. Postremò, fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ cæremonias jactat & eam sibi in somnis apparentem regiam dignitatem promisisse fingit, ad libertatem & arma servos quasi numinum imperio concitavit: idque ut divinitùs fieri probaret, in ore abditâ nuce quam sulphure & igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primùm duo millia ex obviis ad eum traxit: mox verò, jure belli refractis ergastulis, 40 ampliùs millium fecit exercitum. Rex deinde Eunus à servis creatus, impositо capiti diademate, & uxore (quæ & ipsa Syra erat, ejusque civis) declaratâ reginâ, ex eorum qui prudentiâ cæteris antecellere videbantur, aliquot sibi consiliarios delegit: seipsum Antiochum, socios verò suos deficientes Syros nominans. Horum prosperis successibus motus Cleon alter servus, natus in Ciliciâ haud procul monte Tauro, latrociniis à puero assuetus, alium servorum contraxit exercitum: & nudo Euni mandato illi se submisit, sub illo ut rege imperatoris munia obiens; cùm militum propriorum quinque (vel, ut in epitome *Livii* legitur, 70) millium haberet exercitum. 4580 134

Quod

Quod factum fuit 30 ferè à defectione diebus. Hoc bellum cùm opprimi à Prætoribus minimè valuiſſet, C. Fulvio Conſuli mandatum eſt. [*Diodor. Sicul. lib. 34. in Photii Bibliothecâ, cod. 244. & Excerptis H. Valeſii, pag. 369, 370. Liv. lib. 56. Florus, lib. 3. cap. 19.*] Hócque exemplo, tum aliis nonnullis in locis ſimilis ſervorum facta eſt defectio, tum in Delo inſulâ. [*Diodor. ut ſuprà.*] in quâ tanta mancipiorum erat officina, ut eorum myriadas uno die & accipere poſſet & diſtrahere, ut etiam proverbium extiterit: *Mercator appelle navim, expone, omnia illicò vendideris.* [*Strabo, lib. 14. pag. 668.*]

Scipio Africanus, Conſulum alter, ad Numantinum bellum conficiendum in Hiſpaniam profectus eſt. Quò magnificentiſſima dona ad eum ex Aſiâ regem Attalum miſiſſe, in *Ciceronis* oratione pro Dejotaro legimus: quæ Africanus acceperit, inſpectante exercitu. Cui ſimile de Antiocho Sidete, in *Livii* libri 57^i. epitome hoc ipſo tempore memorarum reperitur. *Scipio ampliſſima munera ſibi ab Antiocho rege Syriæ miſſa, cùm celare aliis imperatoribus Regum munera mos eſſet, pro tribunali acceptarum ſe eſſe dixit: eáque omnia referre quæſtorem in publicas tabulas juſſit; ex iis viris fortibus munera ſe daturum* profectus.

3871 Attalus, ultimus Aſiæ Pergamenæ rex Philometor dictus, cùm æratiæ artis fabricæ ſe tradidiſſet, cæteriſque fingendis & ære fundendo procudendóque delectaretur; matri ſepulchrum facere inſtituit: cui operi intentus, morbum ex Solis fervore contraxit, & ſeptimo die deceſſit. [*Juſtin. lib. 36. cap. 4.*] 4581 133

Eudemus Pergamenus Attali teſtamentum Romam attulit; & Pergamenum diadema regium atque purpuram Tiberio Graccho tribuno plebis tradidit. [*Plutarch. in Tib. Graccho.*] In teſtamento ſcriptum fuerat: POPULUS ROMANUS BONORUM MEORUM HÆRES ESTO. In bonis autem Regis ipſum etiam regnum populus Romanus connumerans, provinciam non bello & armis, ſed teſtamenti jure retinebat. [*Florus, lib. 2. cap. 20.*] cùm teſtamento Attali regis Aſia ita legata populo Romano fuerit, (ſi tamen legata) ut libera eſſe deberet. [*Liv. lib. 59.*] Romani certè de *ſimulato impio teſtamento* accuſantur in Mithridatis ad Arſacem epiſtolâ, apud *Saluſtium* libro Hiſtoriarum 4°. neque jure eos factos Attali hæredes, occultè notat ipſe *Horatius*; ut obſervavit Acron ad illud Odæ 18. libri 2^i. Carminum,

——— neque Attali
Ignotus hæres regiam occupavi.

Tiberius Sempronius Gracchus gratiam populi pretio apperens, latâ lege agrariâ quæ ab ipſo *Sempronia* eſt dicta, cenſoriam Aſiæ locationem conſtituit; ut agri nempe illius à Populi Romani cenſoribus locarentur: atque ambitioſè ad populum legem promulgavit; ut civibus, qui Sempronià lege agrum accipere deberent, pecuniâ Attali advectâ, ad agrum colendum inſtrumentúmque ruſticum divideretur. De urbibus verò quæ regni Attali fuiſſent, negavit quicquam ad curam Senatûs pertinere; ſed de iis ad concilium ſe populi relaturum. [*Cicero, Verrin. 2. Liv. lib. 58. Plutarch. in Tib. Graccho. Oroſ. lib. 5. cap. 8.*] Sed cùm in Comitiis tribunitiis eâ æſtate habitis, ut ipſe tribunus plebis ſubſequenti anno permaneret, authore P. Cornelio Naſicâ Pontifice Max. in Capitolio occiſus eſt. [*Appian. Bell. Civil. lib. 1. pag. 358.*] Scævolâ & Piſone Conſulib. [*Aſcon. Pedian. in Verrin. 2.*] eâdem æſtate, quâ & Attalus mortuus eſt.

3872 Ariſtonicus mentitus regiæ ſtirpis originem, ut ait *Velleius Paterculus*, revera Eumenis regis filius & Attali defuncti frater, non juſto tamen matrimonio, ſed ex pellice Epheſiâ citharistæ cujuſdam filiâ genitus, velut paternum regnum Aſiam invaſit: urbeſque regibus parere conſuetas, partim facilè ſollicitavit, paucas quæ metu Romanorum tradere ſe ei nolebant, vi recepit. [*Liv. lib. 59. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 4. Strabo, lib. 14. pag. 646. Florus, lib. 3. cap. 20. Juſtin. lib. 36. cap. 4. Plutarch. ſub fin. Vita T. Q. Flaminini. Appian. Bell. civil. lib. 1. pag. 360. & Mithridatic. pag. 212. Eutrop. lib. 4.*]

Leucas oppidulum ad defectionem primùm ille pertraxit. Inde autem eſt ejectus, cùm eum Epheſii apud Cumam navali pugnâ viciſſent. [*Strabo, ut ſupr.*]

Profectus Ariſtonicus in mediterranea, celeriter multitudinem pauperum & ſervorum ad libertatem evocatorum coëgit, quos Heliopolitas appellavit. [*Id. ibid.*] Servi enim ob ſævitiam dominorum ei ſe adjunxerunt; multáſque urbes maximis cladibus affecerunt. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valeſii, pag. 362.*] Ac primùm Thyatira invaſit Ariſtonicus, deinde Appolloniadem occupavit, poſt alia adortus eſt caſtella. [*Strabo, ut ſupr.*] Myndum, Samon, Colophonem, vi cepit. [*Florus, lib. 2. cap. 20.*] 4582 132

Contra eum ſtatim urbes copias miſerunt: & Nicomedes rex Bithyniæ, Ariarathes Cappadociæ, Pylæmenes Paphlagoniæ, & Mithridates Ponti, Romanis adversùs eum auxilia tulerunt. Quinque deinde Romani legati advenerunt. [*Strabo, ut ſupr. cum Juſtino, lib. 37. cap. 1. & Eutropio, lib. 4.*]

Anno 38, ſub rege Euergetâ (II. ſive Phyſcone; à tempore quo ſimul cum fratre Philometore regnare cœpit, regni ipſius epochâ deductâ, de quâ ſuprà ad ann. Mund. 3835.) Jeſus filius Sirach Hieroſolymitanus in Ægyptum veniens, ibíque commoratus, librum avi ſui Jeſu, Græcis *Panaretos* & *Eccleſiaſticus* dictum, ex Hebræo ſermone in Græcum tranſtulit: ut ipſe in Verſionis ſuæ Prologo indicat. Quem librum etiam Hebraicum ſe vidiſſe refert Hieronymus in epiſt. 125. prænotatum; *Parabolæ Jeſu filii Syrach.*

P. Rupilius, ex publicano Siculo Conſul factus, bellum ſervile in Siciliâ confecit. [*Liv. lib. 59. Aſcon. Pedian. in 4. Verrinam. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 7. & lib. 6. cap. 9.*] Tauromenium obſidens, Comanum Cleonis fratrem ex urbe fugientem cepit; & demùm arce à Sarapione Syro proditâ, fugitivos omnes in urbe repertos, cruciatibus priùs affectos præcipitavit. Inde Ennam profectus, cùm Cleonem Imp. urbe egreſſum, ac heroicâ quâdam fortitu-

dine, præliatum vulneribus confodiſſet, eam quoque urbem proditione cepit. Eunus autem defectorum rex, aſſumptis ſexcentis, ad loca quædam prærupta fugâ ſe recepit. Et cùm præ timiditate in quaſdam ſpeluncas confugiſſet, unà cum quatuor ex ſuis inde extractus, & in carcerem conjectus, in magnam pediculorum vim reſoluto corpore, apud Morgantinam dignum ſuis temerariis auſis nactus eſt vitæ exitum. [*Diodor. Sicul. lib. 34. in Photii Bibliothec. cod. 214.*]

3873 Anno Antiochi Sidetæ 8°, ad horam 10 matutinam, menſis Peritii ſive Februatii die 21, Antiochia in Syriâ terræ motum paſſa eſt: quantum ex Johannis Malelæ Antiocheni Chronico colligere poſſumus. 4583 131

L. Valerio Flacco & P. Licinio Craſſo Conſulib. rogatus eſt populus, quem contra Ariſtonicum bellum gerere placeret. Craſſus Conſul & Pontifex maximus Flacco ſuo in Conſulatu collegæ & flamini Martiali mulctam dixit, ſi à ſacris diſceſſiſſet. Quam mulctam populus remiſit: Pontifici tamen flaminem parêre juſſit. At ne tum quidem populus Romanus ad privatum detulit bellum; quanquàm erat Africanus, qui anno antè de Numantinis triumphaverat: ſed conſuli potiùs Craſſo, quàm privato Africano bellum gerendum dedit. [*Cicero, in Philippicâ XI.*] Atque ita Pontifex maximus, quod nunquam anteà factum erat, extra Italiam profectus eſt. [*Liv. lib. 59.*]

Antiochus Sidetes contra Phraatem, qui fratri Arſacidæ ſive Mithridati in regno Parthico ſucceſſerat, cum exercitu profectus eſt; fratrem ſuum Demetrium Nicatorem repetens. Hunc bis retractum à fugâ Phraates ad uxorem Rhodogunam & liberos in Hyrcaniam remiſerat; nec miſericordiâ motus, nec reſpectu cognationis: ſed quòd Syriæ regnum affectans, uſurus eſſet Demetrio adversùs Antiochum fratrem, prout res vel tempus vel fortuna belli exegiſſet. Antiochus igitur occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, in Mediam adversùs Parthos duxit. [*Juſtin. lib. 38. cap. 9, 10. & lib. 42. cap. 1. Liv. lib. 59. Athenæus, lib. 10. cap. 12. & lib. 12. cap. 19. Appian. Syriac. pag. 132.*]

Sed luxuriæ non minor apparatus, quàm militiæ fuit. Quippe octoginta (*centum* habet Oroſius, *lib. 5. cap. 10.*) millia armatorum, ſecuta ſunt CCC (Oroſio, CC) millia lixarum. Ex quibus coquorum, piſtorum ſcenicorúmque major numerus fuit. [*Juſtin. lib. 38. cap. 10.*] Antiochus verò quotidie convivarum turbas catervatim ita excipiebat, ut præter ea quæ in menſis abſumebantur & acervatim tollebantur, convivarum quiſque auferret intactam & integram carnem volucrum, quadrupedum, marinorum piſcium, jam præparatam, quibus omnibus plauſtrum oneraretur: deinde è melle concreto dulciarium opus multum, coronáſque multas è thure ac myrrhâ, inſertis ac inculcatis aureis lemniſcorum faſciolis, quæ explicatæ hominis altitudinem æquarent. [*Poſidonius Apamenus, Hiſtoriar. lib. 14. apud Athenæum, lib. 5. cap. 9. & lib. 12. cap. 19.*] Ejus cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magnâ ex parte aureos clavos crepidis ſubjectos habuit; argenteáque vaſa ad uſum culinæ comparavit: & tabernacula textilibus ſigillis adornata ſtatuit. Avaro potiùs hoſti præda optabilis, quàm ulla ad vincendum ſtremio mora. [*Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1. & Juſtin. lib. 38. cap. 10.*]

Advenienti Antiocho multi Orientales reges occurrere, tradentes ſe regnáque ſua, cum execratione ſuperbiæ Parthicæ. Nec mora congreſſioni fuit. Antiochus tribus prœliis victor, cùm Babyloniam occupaſſet, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit. [*Juſtin. lib. 38. cap. 10.*]

In hâc expeditione Johannes Hyrcanus Judæorum Pontifex & ethnarcha Antiochum ſecutus eſt cum auxiliis: de quo in univerſali ſuâ Hiſtoriâ hoc retulit Nicolaus Damaſcenus. *Antiochus erecto trophæo ad Lycum fluvium, ubi Indatem Parthorum ducem profligaverat, ibi haſit per biduum ob preces Hyrcani Judæi: quòd in id tempus fortè quædam Judæorum ſolennis feſtivitas inciderat, per quam non licebat eis iter facere.* Pentecoſte enim inſtabat poſt Sabbatum: quo tempore Judæis iter facere nefas habetur. [*Joſeph. lib. 13. cap. 16.*] Johannes deinde, victis *Hyrcanis*, indeque *Hyrcani* adeptus cognomen (uti *Euſebio* in Chronico, & *Severo Sulpicio* in libro 2° ſacræ Hiſtoriæ, eſt viſum) cum glorià domum reverſus eſt.

P. Craſſus, cùm in Aſiam ad Ariſtonicum regem debellandum conſul veniſſet, tantâ curâ Græcæ linguæ notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque diviſam genera per omnes partes ac numeros penitùs cognoſceret. Quæ res maximum ei ſociorum amorem conciliavit, quâ quis eorum linguâ apud tribunal illius poſtulaverat, eâdem decreta reddenti. [*Valer. Maxim. lib. 8. cap. 7. Quintilian. lib. 11. cap. 2.*]

Cùm idem circumſidere oppugnaréque Leucas opidum pararet, opúſque eſſet firmâ atque procerâ trabe quâ arietem faceret, quo muros ejus opidi quateret: ſcripſit ad magiſtrum ἀρχιτέκτονα Moleatenſium ſociorum amicorúmque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, uter major eſſet eum mittendum curaret. Tum magiſter ἀρχιτέκτων, comperto quamobrem malum deſideraret, non uti juſſus erat majorem, ſed, quem eſſe magis idoneum aptioréque faciendo arieti facilioréque portatu exiſtimabat, minorem miſit. Craſſus eum vocari juſſit, & quum interrogaſſet cur non quem juſſerat miſiſſet, cauſis rationibúſque quas dictitabat ſpretis, veſtimenta detrahi imperavit, virgíſque multùm cæcidit; corrumpi atque diſſolvi officium omne imperantis ratus, ſi quis ad id quod facere juſſus eſt non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſpondeat. [*A. Gell. lib. 1. cap. 13.*]

3874 Antiochus Sidetes exercitum ſuum, propter multitudinem hominum, per civitates in hyberna diviſit: quæ annonæ exactione & militum injuriis ab illo alienatæ ſunt. [*Juſtin. lib. 38. cap. 10.*] ubi præ aliis Athenæus Antiochi dux per ſingula hoſpitia gravi inſolentiâ eſt uſus. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii, pag. 374.*]

P. Craſſus

P. Craſſus Aſiæ Proconſul, licèt & ſuis & regum Bithyniæ, Ponti, Cappadociæ, & Paphlagoniæ maximis copiis adjutus, extremo tamen anni tempore inordinatâ acie prælium conſerens victus eſt, exercitu poſt plurimam cædem in fugam acto. Ipſe verò juxta Leucas à Thracibus, quorum magnum numerum Ariſtonicus in præſidio habebat, inter Eleam & Smyrnam inſidiis exceptus, in hoſtium poteſtatem venit. Sed ille memor & familiæ & Romani nominis, virgulam quâ ad regendum equum uſus fuerat in cuſtodis ſui Thracis oculum direxit: qui vi doloris accenſus, latus Craſſi ſicâ confodit. Ita ille excogitato genere mortis, effugit & dedecus & ſervitutem. Caput ejus Ariſtonico oblatum eſt; corpus Smyrnæ ſepultum. [*Liv. lib. 59. Vellei. Paterc. lib. 2. Strabo, lib. 14. pag. 646. Valer. Maxim. lib. 3. cap. 2. Florus, lib. 2. cap. 20. Juſtin. lib. 36. cap. 4. Jul. Obſequens, de prodigiis. Eutrop. lib. 4. Oroſ. lib. 5. cap. 10.*]

M. Perperna Conſul, qui ſucceſſor Craſſo veniebat, auditâ illius morte & exercitûs Romani clade, raptim in Aſiam pervolavit: atque Ariſtonicum recenti victoriâ feriatum improviſo bello adortus, nudatum omnibus copiis in fugam vertit. Cúmque Stratonicen urbem, ad quam ille confugerat, obſidione cinxiſſet; fame ad deditionem compulit, captúmque in vinculis habuit. [*Liv. Paterc. Strabo, Florus, Juſtin. Eutrop. Oroſ. ut ſuprà; cum Valer. Maximo, lib. 3. cap. 4.*] 4584 130

Blosius Cumanus, qui poſt Tiberii Gracchi cædem (quem tanti ille fecit, ut ſi Capitolio faces ſubdere ille præcepiſſet, id exequi ſibi turpe non ducturum profeſſus fuerat) Româ ad Ariſtonicum in Aſiam ſe contulit; eùm res ejus labefactatas cerneret, ſeipſum interemit. [*Plutarch. in Tib. Graccho.*]

Ante captum Ariſtonicum, Apollinis Cumani ſimulachrum lachrymaviſſe per quatriduum Romæ nunciatum eſt: quo prodigio aruſpices territi, cùm id ſimulachrum in mare putaviſſent eſſe projiciendum, Cumani ſenes interceſſerunt. Tum verò peritiores acciti aruſpices reſponderunt, Græciæ hinc portendi exitium, unde ſimulachrum deductum eſſet. Sacrificatum tum à Romanis, donáque in templo poſita. [*Jul. Obſequens, de prodigiis. Auguſtin. de Civit. Dei, lib. III. cap. XI.*]

Phrygia à Romanis recepta eſt. [*Jul. Obſequ. ibid.*]

Phraates Demetrium Nicatorem in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præſidio mittit: ut eo pacto Antiochus ad ſua tuenda à Parthiâ revocaretur. Interim quoniam viribus non poterat, inſidiis Antiochum ubique tentabat. [*Juſtin. lib. 38. cap. 10.*]

Cùm gravari ſe annonæ exhibitione & injuriis militum civitates, per quas Antiochus exercitum in hyberna diviſerat, ægrè ferrent, ad Parthos deficiunt; & die ſtatutâ omnes apud ſe diviſum exercitum per inſidias, ne invicem ferre auxilia poſſent, aggrediuntur. Quæ cùm nunciata Antiocho eſſent; auxilium proximis laturus, cum eâ manu quæ ſecum hyemabat progreditur. [*Id. ibid.*]

In Antiochi tabernáculo hirundines nidum fecerunt: quo prodigio neglecto, prælium ille commiſit. [*Jul. Obſequens, de prodigiis.*] Et quidem adversùs Phraatem, quem in itinere obvium habuit, fortiùs quàm exercitus ejus dimicavit: ad poſtremum tamen metu ſuorum deſertus eſt. [*Juſtin. ut ſuprà.*]

Primus author fugæ & Antiochi deſertor Athenæus fuit: qui delatus ad pagos quoſdam quos in hoſpitiis vexaverat, ab omnibus tecto excluſus eſt; cunctiſque alimenta ei negantibus, huc illuc per regionem vagabundus, tandem fame interiit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſii, pag. 374. 377.*]

Ipſum verò Antiochum in prælio hoc à Parthis occiſum, Julius Obſequens, [*lib. de prodigiis.*] Juſtinus, [*lib. 38. cap. 10. & 39. cap. 1.*] Joſephus, [*lib. 13. cap. 16.*] Euſebius, [*in Chronico,*] & Oroſius, [*lib. 5. cap. 10.*] memorant. Victum ſibi ipſi manus intuliſſe, refert Appianus. [*in Syriac. pag. 132.*] Rebus malè geſtis, è loco quodam ſe præcipitem dejeciſſe, refert Ælianus. [*lib. 10. de Animalib. cap. 34.*] Recentiores nonnulli, cum reliquiis exercitûs ad templum Nannææ in Perſide conceſſiſſe, & quum illud expilare vellet, à ſacerdotibus intùs lapidibus fuiſſe obrutum autumant: cum Ruperto Tuitienſi, [*lib. 10. de victoriâ verbi Dei, cap. 6. 16. & 24.*] hunc illum Antiochum eſſe exiſtimantes, cujus mentio fit in epiſtolâ Judæorum Hieroſolymitanorum ad fratres Ægyptienſes, [II. *Maccab.* I. 10,—17.]

Cùm Antiochum interemptum ſepeliret Arſaces, (ita communi Parthicorum regum nomine Phraates eſt appellatus) hæc dixiſſe eum author eſt Poſidonius Apamenus, libro Hiſtoriarum 16°. [*apud Athenæum, lib. 10. cap. 11.*] bibacitatem illius arguentem. *Fefellit te, Antioche, vinum & audacia: ſperabas enim magnis poculis regnum te Arſacis ebibiturum.*]

Poſtquàm exſequias Phraates regio more Antiocho feciſſet, filiam Demetrii, quam ſecum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, uxorem duxit. Pœnitere deinde dimiſſi Demetrii cœpit: ad quem retrahendum cùm turmas equitum feſtinatò miſiſſet, Demetrium hoc ipſum metuentem jam in regno dimiſſi invenerunt; fruſtráque omnia conati, ad regem ſuum reverſi ſunt. [*Juſtin. lib. 38. cap. 10.*]

Antiocho in Parthiâ cum exercitu deleto, frater ejus Demetrius, obſidione Parthorum liberatus ac reſtitutus in regnum, cùm omnis Syria in luctu propter amiſſum exercitum eſſet; non aliter affectum ſe oſtendit, quàm ſi Parthica ipſius ac fratris bella (quibus alter captus, alter occiſus erat) proſperè geſſiſſet. [*Id. lib. 39. cap. 1.*].

Poſt Antiochum Judæi nullum Macedonum regem tulerunt: domeſticiſque imperiis uſi, Syriam magnis bellis infeſtaverunt. [*Id. lib. 36. cap. 1.*] Syriæque & Phœniciæ non paucas ſubegerunt. [*Strabo, lib. 16. pag. 761.*] Hyrcanus enim poſt Antiochi cædem defecit à Macedonibus: jámque nec ut ſubditus, nec ut amicus ullam illis ferebat opem ampliùs. Quamprimùm

verò de morte Antiochi audivit, ad urbes Syriæ duxit exercitum; ratus id quod erat, inventurum se eas vacuas propugnatoribus. Medabam igitur (de quâ I. *Maccab.* IX. 36.) non sine labore sexto demùm mense vi cepit: deinde Samegam, cum vicinis pagis. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 17.]

Phraates interea, cùm inferre bellum, in ultionem temptati ab Antiocho Parthici regni, Syriæ statuisset, Scytharum motibus ad sua defendenda revocatur. Namque Scythæ in auxilium Parthorum adversùs Antiochum Syriæ regem mercede solicitati, cùm confecto jam bello supervenissent, & calumniâ tardius tam auxilii mercede fraudarentur; dolentes tantum sibi itineris frustrà ementum, quam vel stipendium pro vexatione vel alium hostem dari sibi poscerent, superbo responso offensi, fines Parthorum vastare cœperunt. [*Justin. lib.* 42. *cap.* 1.]

Phraates, cùm adversùs eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum quendam patriâ Hyrcanum, pueritiæ sibi flore concilianum: qui tyrannicâ crudelitate, oblitus & vitæ præteritæ & vicarii officii, Babylonios, multâsque alias civitates importunè vexavit. [*Id. ibid.*] Plurimos enim Babylonios, levibus de causis servituti addictos, cum omni familiâ in Medjam distrahendos misit. Eorum quoque & nonnulla delubra urbis Babyloniorum igni tradidit, ac pulcherrima quæque urbis loca evertit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 377.] Hujus Himeri, apud Babylonios & Seleucienses tyrannidem obtinentis, meminit etiam in 26° Historiarum libro Posidonius Apamenus. [*apud Athenæum, lib.* 12. *cap.* 4.] ubi narrat, Lysimachum Babylonium eorum illum unà cum trecentis aliis excipientem, sublatis mensis, cuique trecentorum argenteum quatuor minarum poculum, quo singuli libaverant, dono præbuisse.

In Ægypto Ptolemæus Euergetes II. sive Physcon, quum post fratris Philometoris excessum annos 15 regnavisset, (ut *Diodorus Siculus*, in Excerptis Valesii, pag. 550. indicat) jam etiam populo peregrino, quem Alexandriam acciverat, ob nimiam ejus crudelitatem invisus, incensâ à divibus regiâ, cum Memphite filio, quem ex sorore Cleopatrâ susceperat, & cum uxore ejusdem Cleopatræ filiâ, clàm in Cyprum profugit. Cumque Cleopatræ, sorori & repudiatæ ipsius conjugi, regnum à populo datum esset: ille, contracto mercenario exercitu, bellum sorori patriæ ac patriæ intulit. [*Liv. lib.* 59. *Jul. Obsequ. de prodigiis. Justin. lib.* 38. *cap.* 8. *Oros. lib.* 5. *cap.* 10.]

3875 Johannes Hyrcanus Sicima cepit & Garizùm; atque templum Cuthæorum diruit, post annos 200 quàm à Sanaballete illud extructum fuerat. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 17.]

M. Perperna Aristonicum Attalicásque gazas, hæreditarias populi Romani, navibus impositas Romam deportari curavit. Quod ægrè ferens successor ejus Manius Aquilius Consul, ad eripiendum Aristonicum Perpernæ, veluti sui potiùs triumphi munus esse deberet, festinatâ velocitate contendit. Sed contentionem mors Perpernæ diremit; qui rediens, apud Pergamum correptus morbo diem obiit. [*Strabo, lib.* 14. *pag.* 646. *Valer. Maxim. lib.* 3. *cap.* 4. *Justin. lib.* 36. *cap.* 4. *Eutrop. lib.* 4. *Oros. lib.* 5. *cap.* 10.]

Aquilius Consul Asiatici belli reliquias confecit, mixtis veneno fontibus ad deditionem quorundam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam. [*Florus, lib.* 2. *cap.* 20.] 4585 129

Asiaticorum plerique, qui per quadriennium Aristonico contra Romanos opem tulerunt, metu compulsi ad officium redierunt. [*Sylla, apud Appian. in Mithridatic. pag.* 212.] atque ita Lydia sedes antiqua regnorum, Caria, Hellespontus, ac Phrygiæ, in potestatem populi Romani junctâ deditione pervenerunt. [*Sext. Rufus in Breviario.*]

Massilienses pro Phocensibus conditoribus suis, quorum urbem Senatus & omne nomen (quòd & tunc Aristonici, & anteà Antiochi Magni bello, infesta contra populum Romanum arma tulerant) deleri jusserat, legatos Romam deprecatum miserunt: veniámque his à Senatu obtinuerunt. [*Justin. lib.* 37. *cap.* 1.]

Mithridati Euergetæ regi Ponti, præmium dati adversùs Aristonicum auxilii, Phrygia major à Romanis concessa est. [*Id. ibid. & lib.* 38. *cap.* 5.] Quam tamen Manius Aquilius largitionibus corruptus, illi dedisse credebatur. Unde & Mithridate mortuo filio, ejus pupillo (de quo ipse apud *Trogum Pompeium* conqueritur) Phrygia à Senatu adempta, libera & sui juris facta est. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 177. *&* 208. *& lib.* 1. *Bell. civil. pag.* 362, 363. *cum Justino, lib.* 38. *cap.* 5.]

Aquilius cum decem legatis Attalicam ditionem in provinciæ formam redactam tributariam fecit; Asiámque, communi continentis nomine eam appellavit. [*Strabo, lib.* 13. *pag.* 624. *& lib.* 14. *pag.* 646.]

Ariarathes rex Cappadociæ in bello contra Aristonicum occidit, sex relictis filiis ex Laodice susceptis: quibus à populo Romano, ob patris merita, Lycaonia & Ciliciæ datæ sunt. Sed Laodice, timens ne non diutinam regni administrationem adultis filiis potiretur, quinque parricidiali veneno necavit: unum parvulum teneri matris cognatorum custodia eripuit; qui post necem Laodices (nam propter crudelitatem, eam populus extinxerat) solus regno potitus est. [*Justin. lib.* 37. *cap.* 1.]

Johannes Hyrcanus Idumææ urbes cepit, Adora & Marissam: subjugatísque omnibus Idumæis, edixit ut circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt & circumcisionem & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formulam: atque ex eo primùm tempore inter Judæos censeri cœpti sunt. [*Joseph. Antiquit. lib.* 13. *cap.* 17. *& lib.* 15. *cap.* 11. *pag.* 531. *cum lib.* 4. *de bello, cap.* 15. *al. cap.* 6.] Idumæos *Strabo* Nabatæos fuisse, per seditionem autem inde ejectos Judæis se adjunxisse, & eorum leges amplexos fuisse refert; [*lib.* 16. *pag.* 760.] indéque Herodem Judæorum regem ἀνδρα ἔπηλυν, *virum indigenam* fuisse affirmat. [*Ibid. pag.* 765.] cùm tamen *Idumæum*, *id est*, *Semi-judæum* (apud Josephum, *lib.* 14. *Antiq. cap.* 27. *pag.* 501.) illum fuisse dixerit Antigonus. Licèt enim *Idumæos Hebræorum*

genteni.

gentem fuisse, Stephanus Byzantinus (*in voc. Ἰδουμαῖα.*) scripserit: hanc tamen differentiam inter *Idumæos* & *Judæos*, ex *Ptolemæi* (illius fortasse qui procurator Herodis fuit, apud *Joseph.* lib. 16. Antiq. cap. 11.) libro *primo de rege Herode*, in lib. de verborum differentiis notavit Ammonius Grammaticus. *Judæi sunt, qui naturâ ita fuerunt ab initio. Idumæi verò non Judæi fuerunt ab initio, sed Phœnices & Syri; à Judæis autem superati, & ut circumciderentur & in unum cum eis gentem coirent & iisdem legibus subderentur adacti, Judæi sunt nominati*: non generis utique, sed religionis & instituti ratione habitâ. Nam & alii homines, qui secundùm eorum statuta vivunt, *Judæorum* nomen gerunt, quanquàm alienigenæ: ut in libro 37° Romanæ Historiæ notavit *Dio*. Atque hinc ab Hebræis, Herodis & posterorum regnum מלכות הגרים *Proselytorum* (non, ut à *Munstero* in Seder Olam minore, & *Scaligero* in Judaici Computi Spicilegio, libro 7. de Emendat. tempor. est redditum, *Hagarenorum*) dictum reperitur. Apud Judæos verò, *Proselyti justitiæ* sive *justi* (ut eos appellabant) quales ab hoc tempore Idumæi fuit habiti, in suorum loco & numero semper censebantur.

Prolemæus Physcon accessitum maximum à Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interfecit. Tunc populus statuas & imagines ejus detraxit. [*Justin. lib.* 38. *cap.* 8.] Quod factum studio ororis Cleopatræ existimans, cùm eam aliter injuriâ afficere non posset, filium Memphitem quem ex eâ susceperat, liberalis formæ optimæque spei puerum, in conspectu suo occidi jussit: protinúsque caput ejus & manus & pedes præcisos & in cistâ chlamyde opertos sarcinatis tradidit Alexandriam portandos, & cùm natalis Cleopatræ ageretur matri inter epulas pro munere natalitio offerendos. Quæ res non reginæ tantùm, verum etiam universæ civitati, acerba & luctuosa fuit: tantúmque mœrorem festivissimo convivio intulit, ut regia omnis repentino luctu incenderetur. Verso igitur studio principum ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt; & quid sperare de rege suo debeant, filii cæde demonstrant. [*Id. ibid. Diodor. Sicul. in Excerptis Valesii, pag.* 374. *Liv. lib.* 59. *Julius Obsequens, de prodigiis. Valer. Maximus, lib.* 9. *cap.* 2.]

Idem Prolemæus, cùm animadverteret quanto sui odio patria teneretur, timori remedium scelere petivit: quóque tutiùs plebe trucidatâ regnaret, frequens juventute gymnasium armis & igni circumdedit, omnéque qui in eo erant partim ferro, partim flammâ necavit. [*Valerius Maximus, ibid.*]

Phraates exercitum Græcorum, quem bello Antiochi capt um superbè crudelitérque tractaverat, in bellum secum adversùs Scythas duxit: immemor prorsùs, quòd hostiles eorum animos nec captivitas minuerat, & insuper injuriarum indignitas exacerbaverat. Itaque cùm inclinatam Parthorum aciem vidissent, arma ad hostes transtulêre: & diu cupitam captivitatis ultionem, exercitûs Parthici & ipsius Phraatis regis cruentâ cæde, exsequuti sunt. [*Justin. lib.* 42. *cap.* 1.]

In hujus locum Artabanus, patruus ejus, rex Parthorum substituitur. Scythæ autem contenti victoriâ, depopulatâ Parthiâ, in patriam revertuntur. Sed Artabanus bello Thogarii (vel Tocharis, populo Scythici generis) illato, in brachio vulneratus, statim decedit: filio Mithridate Magno (qui cum Octoadiste Armeniæ rege bellum posteà gessit) successore relicto. [*Id. ibid. cap.* 2.]

Anno 50 tertiæ Periodi Calippicæ, mensis Ægyptii Epiphi die 16, (Augusti Juliani die 5) horis æquinoctialibus 6 ante meridiem, in Rhodo insula Hipparchus observavit Solem in grad. 8. minut. 35. Leonis; Lunam in grad. 22. minut. 2. Tauri. [*Ptolem. lib.* 5. *cap.* 3.]

3876 Anno eodem 50, mensis Ægyptii Phamenoth die primo, (Martii Juliani die 23, circa occa- 4586 128
sum Solis, Æquinoctium vernum ab Hipparcho est observatum. [*Id. lib.* 3. *cap.* 2.]

Anno eodem observavit idem, stellam quæ in corde Leonis est, distare à puncto Solstitii æstivalis grad. 29. minut. 50. [*Id. lib.* 7. *cap.* 2.]

Hegelochus Prolemæi Physconis dux, missus adversùs Marsyam Alexandrinorum ducem, vivum cum cepit, copiásque ejus internecione delevit. Adducto autem in conspectum Regis Marsyâ, cùm cuncti acerbissimis supplicüs eum protinùs extinctum iri crederent, Prolemæus præter spem illi pepercit. Jam enim præteritæ crudelitatis pœnitere eum cœperat; & intensum sibi vulgus conciliare hujusmodi clementibus factis cupiebat. [*Diodor. Sicul. in Excerptis Valesii, pag.* 377.]

Finito luctu orbitatis, Cleopatra regina, cùm se fratris Physconis bello urgeri videret, auxilium à Demetrio Nicatore rege Syriæ genero suo (Cleopatra enim Demetrii uxor hujus Cleopatræ & Philometoris erat filia) per legatos petiit; pretium auxilii regnum Ægypti ipsi promittens. Cujus potiundi spe ille allectus, Ægypto bellum intulit & Peluium oppugnavit. [*Justin. lib.* 38. *cap.* 9. *& lib.* 39. *cap.* 1. *Porphyrius, in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag.* 227.]

3877 Johanni Hyrcano natus est filius Alexander Jannæus, Judæorum posteà Rex: qui annos 49. vivendo exegit. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 23. *fin.*] Hic mox natus, exosus patri factus est. Deum enim in somnis sibi apparentem Hyrcanus de successore rogavisse dicitur; solicitus de Aristobulo & Antigono, quos præ cæteris diligebat fratribus. Deo verò Jannæi hujus characteres ostendente, contristatus pater quòd is in omnia ejus bona esset successurus, in Galilæâ educari eum voluit, neque unquam dum viveret in conspectum suum admisit. [*Id. ibid. cap.* 20.]

Circa hoc tempus, Simoni Dosithei, Apollonio Alexandri & Diodoro Jasonis filio, legatis ab Hyrcano & Judæorum populo de amicitiâ & societate cum Romanis renovandâ missis, à Fannio Marci filio prætore urbano Senatus datus est, VIII. Id. Februar. qui, ut annus Romanus tum agebatur, in Novembrem Julianum incurrit. Editúmque Senatusconsultum est, ut Joppe & portus, Gazaráque & fontes, atque urbes reliquæ per Antiochum Sidetem præter Senatûs decretum ablatæ, restituantur. Neve militibus regiis liceat per regionem ipsorum aut

subdi-

subditorum iter facere: & ut eo bello per Antiochum attentata, præter decretum Senatûs, fiant irrita, atque legati à Senatu missi reddi curent quidquid Antiochus abstulerat, & pretium agrorum æstiment qui eo bello vastati sunt. Et ut litteræ commendatitiæ legatis dentur ad reges & liberos populos, quò tutiùs possint reverti in patriam. Mandatúmque est prætori Fannio, ut ex publicâ pecuniâ legatis numeraret viaticum, ad sumptus in reditu necessarios perferendos. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 17.]

Anno à morte Alexandri 197, Nabonassari 621, mensis Ægyptii Pharmuthi die 11, (Maii Juliani die secundo) ante meridiem horis æquinoctialibus 5. minut. 20. Hipparchus in Rhodo insulâ observavit Solem in grad. 7. minut. 45. Tauri; Lunam in grad. 21. minut. 40. Piscium. [*Ptolem. lib.* 5. *cap.* 5.] 4587 127

Anno eodem, mensis Ægyptii Payni die 17 (Juliani Julii die 7,) post meridiem horis æquinoctialibus 3. minut. 20. observavit ibidem Hipparchus Solem in grad. 10. minut. 54. Cancri; Lunam in grad. 21. minut. 40. Piscium. [*Id. ibid.*]

Anno Hyrcani Pontificatûs & ethnarchiæ nono, Judæorum legati; Alexander Jasonis, Numenius Antiochi, Alexander Dorothei filius, phialam & clypeum ex auro, æstimationis aureorum 50 millium, argumentum veteris cum populo Romano societatis, ad Senatum attulerunt: acceptisque litteris ad liberas civitates ac reges, ut per regiones eorum atque portus securè possent iter facere, domum reversi sunt. Hujus Senatusconsulti exemplum apud *Josephum* extat, libro 14. Antiquit. cap. 16. loco planè alieno. Cùm enim per litteras Julii Cæsaris impetratum fuisse decretum *Josephus* dixisset, quò Hyrcano II. mœnia Hierosolymæ à Pompeio diruta restituere esset permissum: nescio quâ incuriâ, hoc pro illo Senatusconsultum substituit, quod ad refectionem murorum Hierosolymitanorum nihil omninò attinebat. Et hæc tamen ille acta fuisse ait *Hircani Pontificatus & ethnarchiæ anno nono, mense Panemo*: quum *Idibus Decembribus* (in Septembrem Julianum & Hyperberetæum Macedonicum tunc incurrentibus) decretum hoc editum fuisse Acta ipsa confirment: & si in Hyrcani II. gratiam Cæsar illud obtinuisset, 27us potiùs quàm 9us Hyrcani annus assignandus tum fuisset, imò neque ethnarchiæ ullus; quippe quâ privatum omninò a Gabinio cum fuisse, solo Pontificatûs munere relicto, ut in 10 ejusdem libri capitulo ipse *Josephus* indicat. Ad *primi* igitur Hyrcani annum 9. illa sunt referenda, quando respublica Judaica libera populi Romani societate fruebatur; non ad *secundi*, sub quo, devicta & tributaria facta, illi serviebat.

Absente rege Demetrio Nicatore, Antiochenses primi, propter ejus superbiam, quæ conversatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apameni, cæteræque Syriæ civitates exemplum secutæ, ab illo defecerunt. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 1.] quâ defectione auditâ, Demetrius ex Ægypto in Syriam redire coactus est.

Cleopatra Ægyptia regina, hoc orbata præsidio, opibus Ægypti navibus impositis, ad filiam Cleopatram Syram & Demetrium generum in Syriam profugit. [*Justin. ut supra.*]

Cum Demetrius ex æquo tam Syris quàm militibus propter mores improbos esset invisus; ad Ptolemæum Physconem miserunt, rogantes ut aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem possent regem sibi constituere. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 17.] Ad quos juvenem quendam Ægyptium ille misit, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret: compositâ fabulâ, quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam esset; nec Syris quemlibet regem aspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 1.] Ut filium *Alexandri* (Balæ scilicet, qui Antiochi Epiphanis filius ceniebatur) missum fuisse, & ipsum *Alexandrum* dictum, atque a Syris, quòd Ptolemæi *emptum* mancipium haberetur, *Zabinam* cognominatum, refert Porphyrius. [*in Græc. Euseb. Scalig. pag.* 227.] Sanè מכור Syris *emptum* & *redemptum* significat: cujusmodi vel emptionis vel redemptionis memoriam inauditium hunc regem in nummis suis retinere non puduit, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΣΕΒΕΝΝΟΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ inscriptionem adhuc præferentibus.

3878 Quum novus Rex cum ingentibus auxiliis ab Ægypto missis, advenisset: etiam Antiochi Sidetis à rege Parthorum interfecti reliquiæ, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissæ perveniisse; & cum ingenti studio civitatum & ipsius regis Alexandri exceptæ fuisse dicuntur. Quæ res illi magnum favorem popularium conciliasse ferunt; omnibus non fictas in eo, sed veras lachrymas existimantibus. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 1.]

Prælio circa Damascum commisso, Demetrius Nicator vincitur: & quum undique circumstantibus malis premeretur, refugiens è pugnâ ad Cleopatram uxorem in Ptolemaidem, ab eâ exclusus est. Ab uxore igitur filiisque destitutus, & cum paucis servulis relictus, Tyrum religione templi se defensurus petiit. [*Idem ibid. cum Josepho & Porphyrio, in locis supra citatis.*] 4588 126

Illuc ingredi prohibitum, cùm navem ingrederetur, trucidatum fuisse, quatuor post reditum è Parthiâ regni annis exactis, tradit *Porphyrius*. Navi primùm egredientem, præfecti jussu interfectum, *Justinus*. Ab inimicis captum & multa passum, vitam ibi finivisse, *Josephus*. Ab uxore Cleopatrâ interemptum fuisse, *Livius* [*libro* 60.] & *Appianus*. [*in Syriac. pag.* 132.] Et eâ certè conscià, Tyri occisum illum fuisse, admodùm sit verisimile: & vel, ab eâ, vel ab Alexandro Zebinâ, Tyrios ob hoc factum libertatem & *autonomiam* obtinuisse. Ab hoc enim anno novam temporum suorum epocham illos deduxisse, tum ex *Eusebii* Chronico liquet, ubi cum secundo anno Imp. Probi, qui Julianæ Periodi est 4990, copulatur Tyriorum annus 402. tum ex Judicio Tyrio, 5^æ actioni Concilii Chalcedonensis inserto; ubi annus post Consulatum Flavii Zenonis & Posthumiani, qui ejusdem Periodi est 5162, xiæ Tyriorum 574 numeratur. Urbs vero Tyriorum, in Inscriptionibus a Grutero editis pag. MCV. τῆς ἱερᾶς καὶ ἀσύλου καὶ αὐτονόμου μητροπόλεως Φοινίκης elogio celebrata reperitur.

Alexan-

Alexander Zebina regnum consecutus, societatem iniit cum Johanne Hyrcano Pontifice: ejúsque temporibus res Hyrcani maximis successibus sunt auctæ. [*Joseph. lib. 13. cap. 17.*]

Manius Aquilius Proconsul ex Asiâ III Idus Novembris (qui in Julianum Augustum tum incurrebat) triumphavit: ut ex fragmentis Tabularum triumphalium marmorearum colligitur. De quo Mithridates, in epistolâ ad Arsacem (apud *Sallustium*, Historiarum libro quarto.) Romani, *simulato impio testamento, filium Eumenis Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere.* A Manio Aquilio ductum illum in triumpho, capite poenas dedisse, Velleius Paterculus significat. [*lib. 2. cap. 4.*] Romæ enim in carcere jussu Senatûs strangulatus est. [*Strabo, lib. 14. pag. 646. Eutrop. lib. 4. Oros. lib. 5. cap. 10.*]

Manius Aquilius, repetundarum reus corruptis judicibus, elapsus est. [*Appian. Bell. Civil. lib. 1. pag. 362, 363.*]

3879 M. Plautio Hypsæo & M. Fulvio Flacco Consulib. Locustarum ingentia agmina in Africâ à vento in mare dejecta, fluctibúsque ejecta odore intolerabili Cyrenis, mortifero vapore gravem pestilentiam fecerunt pecori: hominúmque 800. millia consumpta tabe proditum est. [*Jul. Obsequens, de prodigiis; cum P. Orosio. lib. 5. cap. 11.*] 4589 125

Dorylao Pontico, Tactico sive exercitûs ordinandi perito, à Mithridate Euergetâ rege Ponti in Cretam ad peregrinos conducendos milites misso, bellum ibi Cnossiis adversùs Gortynios est obortum. Dorylaus à Cnossiis dux creatus, bellum celeriter & feliciter confecit. Summísque ab eis adfectus honoribus, cùm paulò pòst de cæde Mithridatis audivisset, ibi cum familiâ suâ mansit: matris Strabonis Geographi proavus. [*Strabo, lib. 10. pag. 477, 478. & lib. 12. pag. 557.*]

3880 Anno æræ contractuum 188ª, Judæi Palæstini, Senatúsque Hierosolymitanus & Judas, celebraturi Encænia repurgati Templi 25 die mensis Chasleu, scripserunt ad Aristobulum magistrum Ptolemæi (Physconis) ex regio genere Sacerdotum Aaronico, & Judæos Ægyptienses, ut & ipsi idem facerent. [II. *Maccab.* 1. 10, 18.] Quem *Judam*, Rupertus Tuitiensis [*lib. 10. de victoriâ verbi, cap. 15.*] Judam Essenum illum esse existimat; quem post annos 19. Antigoni (Johannis Hyrcani filii) præsentaneam cædem prædixisse, neque in vaticiniis suis falli solitum fuisse, refert Josephus. [*lib. 13. cap. 19.*] *Aristobulum* verò Clemens Alexandrinus [*lib. 5. Stromat.*] & Eusebius Cæsariensis [*tum in lib. 8. Præparat. Evangelic. cap. 3. tum in Chronico.*] Judæum illum sectæ Peripateticæ philosophum fuisse censent, de quo suprà ad finem anni Mundi 3854. à nobis facta est mentio.

Seleucus Demetrii Nicatoris filius, injussu matris Cleopatræ sumpto diademate, regnavit in Syriâ ann. 1. [*Liv. lib. 60. Porphyr. in Græc. Euseb. pag. 227.*] 4590 124

Alexander Zebinas, cùm ab eo illustrissimi duces Antipater & Clonius & Æropus defecissent, urbémque Laodiceam occupassent, eos tandem expugnavit. Cæterùm singulari animi magnitudine in captos usus, omnibus pepercit. Erat quippe ingenio leni ac placido, & in congressu ac sermonibus mirabili comitate: quapropter ab omnibus non mediocriter amabatur. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 377.*]

3881 Mithridates Euergetes Ponti & minoris Armeniæ rex, Sinope dolo familiarium necatus, uxorem & liberos successores reliquit. Verùm è duobus filiis natu major Mithridates cognomento Eupator totum regnum sibi vendicavit. [*Strabo, lib. 10. pag. 477. cum Justino, lib. 37. cap. 1.*] Modico enim interlapso tempore matrem, regni consortem à patre destinatam, dum carcere vinctam tenet, violentiâ sitâ & temporis diuturnitate confecit. Ita *Memnon.* [*in Excerptis Photii, cap. 32.*] Mithridatem verò extremâ pueritiâ regnum fuisse ingressum, matre veneno interfectâ, in Historiâ suâ retulit Sallustius. [*apud Servium, in lib. 6. Æneid.*]

Undecim annorum fuisse Mithridatem, quum patri in regno succederet, *Strabo*; tredecim fuisse, *Memnon* affirmat. Nos medium annum duodecimum assumpsimus; *Eutropium* secuti, qui regnavisse illum annis 60, vixisse 72. tradidit: licèt 56. tantùm regni annos Plinius [*lib. 25. cap. 2.*] illi tribuat; & Appianus 57. *Vide suprà ann. Mundi* 3868.

Quemadmodum eo quo genitus est Mithridates anno, ita & eo quo regnare primùm cœpit, stella cometes, & noctu & interdiu, 70 diebus ita luxit, ut cœlum omne conflagrare videretur. Nam & cauda illius quartam partem cœli (sive 45 gradus superioris hemisphærii) occupavit; & fulgore sui, Solis nitorem vicit: & cùm oriretur occumberétque, quatuor spatium horarum consumebat. [*Justin. lib. 37. cap. 2.*]

In Syriâ, Cleopatra filium Seleucum, vel quòd injussu suo diadema sumpsisset, sive metuens ne ille patris Demetrii necem ulciscereturr, sive eodem furore gerens omnia, sagittâ confixum interemit. Alterum deinde filium ex Demetrio susceptum Antiochum Grypum, quem Athenas educandum miserat, regem hactenùs constituit; ut nomen regis penès filium, vis autem omnis imperii penès matrem esset. [*Liv. lib. 60. Justin. lib. 39. cap. 1. Appian. Syriac. pag. 132.*] Demetrio verò matris insidiis sublato fratrem juniorem Antiochum successisse Olympiadis CLXIV. anno 2°, notavit Porphyrius: [*in Græc. Euseb. Scalig. pag. 227.*] qui non *Grypum* solùm sed etiam *Philometorem* vocatum eum fuisse addit; quod posterius cognomentum à *Josepho* quoque illi tributum fuisse videmus. [*lib. 13. cap. 20.*] 4591 123

3882 Alexander Zebinas tumens successu rerum, spernere jam etiam Ptolemæum, à quo fuerat subornatus in regnum, superbâ insolentiâ cœpit. Itaque Ptolemæus, reconciliatâ sororis Cleopatræ gratiâ, destruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii viribus suis acquisierat, summopere instituit. Misit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphænam Grypo nupturam; ut populos in auxilium nepotis, non societate tantùm belli, verum etiam affinitate suâ solici- 4592 122

taret. Nec res frustrà fuit. nam cùm omnes Grypum instructum Ægypti viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœperunt. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 2.]

Alexander cùm parùm fideret multitudini, tum ob vulgi imperitiam rerum bellicarum tum ob ingenium leve & rerum novarum avidum, acie quidem dimicare noluit: sed collectis regiis thesauris, ac spoliatis templorum donariis, noctu in Græciam fugere constituit. Verùm quum Barbarorum quorundam ministerio Jovis fanum dispere conatus esset; deprehensus, minimùm abfuit quin cum toto exercitu illicò confoderetur. Tamen fugâ elapsus, Seleuciam versùs contendit. Sed Seleucienses, jam ante ejus adventum compertâ sacrilegii famâ, ei portas clausérunt. Eâ igitur spe frustratus Alexander Pisidium petiit; ab orâ maritimâ nusquàm recedens. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 378.]

Prælio verò tandem inter Antiochum Grypum & Alexandrum Zebinam facto, victus Alexander Antiochiam profugit. Ibi inops pecuniæ, cùm stipendia militibus deessent, templo Jovis solidum ex auro Victoriæ signum tolli jussit, facetis jocis sacrilegium circumscribens: nam *Victoriam commodatam sibi ab Jove esse* dicebat. Interjectis deinde diebus, cùm ipsius Jovis aureum simulacrum infiniti ponderis tacitè evelli jussisset, deprehensúsque in sacrilegio concursu multitudinis esset in fugam versus; magnâ vi tempestatis oppressus, ac desertus à suis, à latronibus capitur; perductúsque ad Grypum, interficitur. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 2.] In pugnâ cum Grypo cæsum eum occubuisse, Josephus, [*lib.* 13. *cap.* 17.] cladem exercitûs non ferentem, 4°. anno Olympiadis CLXVI, veneno seipsum sustulisse, refert Porphyrius. [*in Græc. Euseb. Scalig. pag.* 227.]

Quum Cleopatra filii sui Antiochi Grypi de Alexandro Zebinâ reportatâ victoriâ inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti ab *exercitatione* (an ab *exercitu?*) poculum veneni obtulit. Sed Grypus, præscitis jam antè insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet: abnuenti instat. Postremùm prolato indice eam arguit; solam defensionem sceleris superesse affirmans, si bibat quod filio obtulit. Sic victa regina, veneno quod alii paraverat, extinguitur. Partâ igitur regni securitate, Grypus octo annis quietem & ipse habuit & regno præstitit. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 2. *cum Appiano, in Syriac. pag.* 132.] 4594 120

Jubilæus XXVII.

3885 L. Opimio Consule, anno quo C. Gracchus (Tiberii frater) Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus est, ea cœli temperies fuit, ut vina tunc genita ad sua usque tempora 200. ferè annis duravisse confirmet Plinius, in speciem redacta mellis asperi. [*Plin. lib.* 14. *cap.* 4. *&* 14.] Eodem quoque anno, circa Solem arcus apparuit. [*Id. lib.* 2. *cap.* 29.] 4593 121

3888 *a.* Ptolemæus Euergetes II. sive Physcon, annis post fratris Philometoris excessum 29. mortuus est. [*Ptolem. in Regum Canone. Clem. Alexandrin. lib.* 1. *Stromat. Euseb. Chronic. Epiphan. de Ponderibus & mensur. Hieronym. in cap.* 9. *Danielis.*] tribus filiis post se relictis: uno ex pellice suscepto, Ptolemæo *Apione*, cui Cyrenarum regnum testamento reliquit; [*Justin. lib.* 39. *cap.* 5. *cum Appiano in Mithridatic. pag.* 255.] duobus ex Cleopatrâ, prioris Cleopatræ sororis ipsius ac conjugis filiâ, genitis. quorum junior *Alexander*: senior verò à Ptolemæo in Regum Canone, ut & Porphyriô, Eusebio, Hieronymo & Epiphanio, *Soter*; à Strabone, [*lib.* 17. *pag.* 795.] Trogo Pompeio, [*Prolog. lib.* 39. *&* 40.] Plinio, [*lib.* 2. *cap.* 67. *&* *lib.* 6. *cap.* 30.] Josepho, [*lib.* 13. *cap.* 18.] & Clementi Alexandrino, [*lib.* 1. *Stromat.*] *Lathûrus* vel *Lathyrus*; Athenæo [*lib.* 6 *cap.* 6.] & Pausaniæ in Atticis, *Philometor* est dictus. quod postremum cognomentum (*Philopatrem* ab Athenæi interprete Natale Comite perperàm redditum) per irrisionem illi datum notavit *Pausanias*. Neque enim regum quisquam fuit unquàm ex omnibus, qui majori matrem odio prosecutus fuerit. [*Pausan. Attic. pag.* 7.] 4597 117

Physcon moriens regnum Ægypti Cleopatræ uxori & alteri ex filiis, quem illa legisset, reliquit: videlicèt quasi quietior Ægypti status, quàm Syriæ regnum esset, quum mater alterò ex filiis electo, alterum hostem esset habitura. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 3.] Illa Alexandrum natu minorem sibi obsequentiorem fore existimans, ut eum Ægyptii regem acciperent suadebat. Sed quum repugnante plebe id assequi nequisset; majorem Lathurum (quem in Cyprum à patre ablegandum procuraverat) eligere coacta est: quæ simul cum eo in Ægypto decem regnavit annis. [*Id. ibid. Pausan. in Attic. pag.* 7, 8. *Porphyrius, in Græc. Euseb. Scalig. pag.* 225.]

b. Cleopatra, priùs quàm regnum Lathuro daret, uxorem ademit: compulsúmque repudiare charissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenem ducere jussit: non materno inter filias judicio, cùm alteri maritum eriperet, alteri daret. [*Justin. ut suprà.*] 4598 116

3890 Cùm octo jam annis solus & quietus regnum Syriæ Antiochus Grypus obtinuisset, natus illi est æmulus regni frater ipsius Antiochus Cyzicenus, eâdem matre genitus, sed ex Antiocho Sidetâ patruo susceptus: quem cùm veneno tollere voluisset, ut maturiùs armis cum eo de regno contenderet excitavit. Hic à matre Cleopatrâ ob metum Demetrii Nicatoris (prioris mariti, quem deseruerat) Cyzicum missus, à Cratero eunucho educatus est: indéque *Cyzicemi* cognomentum est adeptus. [*Justin. lib.* 39. *cap.* 2. *Appian. Syriac. pag.* 132. *Porphyr. ut supr. pag.* 227. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 17.] Grypus verò audito quòd frater ipsius copias contra se apud Cyzicum conflaret, omissâ expeditione quam in Judæos susceperé instituerat, contra fratris adventum se paravit. [*Joseph. ibid.*] 4600 114

3891 Cleopatra fratris sui Ptolemæi Lathuri quondàm uxor, sed à matre Cleopatrâ Ægypti reginâ (ut dictum est) divortio viri dimissa, Cyzicено in Syriâ nupsit: eíque ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri solicitatum, velut dotalem, ad maritum deduxit. Par igitur viribus fratris Cyzicenus, prælium committit, ac victus in fugam vertitur, Antiochiámque venit. Tunc Antiochiam Grypus, in quâ erat Cyzicени uxor Cleopatra, obsidere cœpit: quâ captâ, Tryphæna uxor Grypi nihil antiquius quàm sororem Cleopatram requiri jussit; 4601 113

non

non ut captivæ opem ferret, ſed ne effugere captivitatis mala poſſet, quæ ſui æmulatione in hoc potiſſimum regnum invaſerit, hoſtique ſororis nubendo hoſtem ſe ejus effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, contra matris voluntatem; extra Ægyptum nuptam accuſat. At Grypus uxorem à ſuſcepto ſcelere revocare conatus, contra morem ait eſſe bellorum, ut poſt victoriam ſæviatur in fœminas, præſertim in ſanguine conjunctas, qualis Cleopatra; quæ illi ſoror, ſibi conſobrina, liberiſque communibus matertera ſit. Quibus tot neceſſitudinibus ſanguinis, ſuperſtitionem templi quoque adjecit, quò obdita profugerat: concludens, neque occiſâ illâ ſe virium quicquam Cyziceno dempturum, nec ſervaturum reddità. Tryphæna contrà, rata non miſericordiæ hæc verba ſed amoris eſſe, milites in templum immiſit; qui Cleopatræ ſimulacrum deæ amplexantem truncatis manibus confoderunt: ne ſcilicet minùs ſorores inter ſe, quàm fratres pugnare viderentur. [*Juſtin. lib. 39. cap. 3.*]

Cleopatra Ægypti regina, harum ſororum mater, anno hoc regni 4°, minorem filium Alexandrum Cypri regem factum eò miſit: ut per eum majori Latburo unà ſecum regnanti formidoloſior eſſet ipſa. [*Pauſan. in Attic. pag. 7, 8. Porphyr. in Grac. Euſeb. pag. 225.*]

3892 Repetità inter fratres Antiochos, Cyzicenum & Grypum, prælii congreſſione; victor Cyzicenus uxorem Grypi Tryphænam, quæ paulò antè ſororem interfecerat, cepit; ejúſque ſupplicio uxoris manibus parentavit. [*Juſtin. lib. 39. cap. 3.*] fratrémque regno expellens; pro eo Syris imperavit. [*Appian. Syriac. pag. 132.*] Et Grypis quidem imperio exutus, Aſpendum ſeceſſit: indeque *Aſpendii* cognomentum eſt adeptus. Regnum verò ſuſcepit Cyzicenus, ab anno primo Olympiadis CLXVII. [*Porphyr. in Grac. Euſeb. pag. 227.*] 4602 112

3893 Anno 2°. ejuſdem Olympiadis, Aſpendo rediens Antiochus Grypus Syriam obtinuit: Cyzicenus verò, diviſo imperio, Cœleſyriâ potitus eſt. [*Id. ibid.*] 4603 111

Antiochus Cyzicenus recens regnum adeptus, ad crapulas ac luxum & inſtituta longè à Regibus aliena ſe contulit. Mimis enim atque hiſtrionibus, circulatoribus denique cunctis ſupra modum deditus, eorum artes ſummo ſtudio perdiſcebat: operam quoque neuroſpaſticæ dedit; maximúmque ſtudium poſuit in movendis per ſe animalium ſimulachris quinque cubitorum magnitudine, auro argentóque tectis, atque in aliis hujuſcemodi machinamentis. Quinetiam intempeſtivis venationibus addictus erat: ac ſæpenumerò cum uno aut altero famulo noctu clam egreſſus, apros, leones ac pardos venabatur. Nec rarò cum feris beſtiis temerè congreſſus, in graviſſima diſcrimina ſalutem ſuam adduxit. [*Diodor. Sicul. lib. 35. in Excerptis Valeſii, pag. 385.*] De alterius fratris Antiochi Grypi luxu, videnda quæ ex Poſidonii Apamenſ Hiſtoriarum libro 18. refert *Athenæus*, lib. 5. cap. 9. & lib. 12. cap. 19.

3894 Alexander **Jannæus**, anno ætatis 16°, ex uxore Alexandrâ filium ſuſcepit Hyrcanum: quem, nuncio de Actiacâ Cæſaris victoriâ accepto, quum 80. ætatis annum exceſſiſſet, Herodes è medio ſuſtulit. [*Joſeph. lib. 15. cap. 9.*] Unde colligimus, *Alexandram* hanc, ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus (ut ad annum Mundi 3862. ſuprà eſt notatum) *Salinam* etiam appellatam, à *Salome* illâ Ariſtobuli uxore diverſam fuiſſe, quam Græci *Alexandram* nominabant; quæque, marito mortuo, fratrem ejus Alexandrum hunc Jannæum, 22. tum annos natum, (regnaviſſe enim 27, viviſſe 49. annos tradit *Joſephus*) Regem illius loco conſtituit; uti apud Joſephum, [*lib. 13. cap. 20.*] legitur.

Bellum quo duo hi fratres ſe mutuò atterebant Johanni Hyrcano occaſionem præbuit, ut ſecurè frueretur Judææ proventibus, & ingentem pecuniarum vim inde cogeret. Et Cyzicено vaſtante fratris regionem, quum Grypo Hyrcanus nihil ab Ægypto auxilii venire cerneret, ſed tam ipſum quam ejus fratrem multas clades accipere ex mutuis inter ſe certaminibus; utrumque facilè deſpexit. [*Joſeph. lib. 13. cap. 17.*] 4604 110

Ad oppugnandos igitur Samaritas, Syriæ regibus ſubjectos, duxit ille exercitum: infenſus eis propter injurias Mariſſenis (Idumæis paulò antè ſub ejus ditionem redactis) colonis Judæorum & ſociis illatas. Cùm Samariam igitur urbem munitiſſimam foſſâ & duplici muro per 80. ſtadia cinxiſſet, obſidioni præfecit filios Antigonum & Ariſtobulum: quibus urgentibus & fame premente eò neceſſitatis adducti ſunt Samaritæ, ut coacti veſci cibis inſuetis homini, poſtremò Antiochi Cyziceni opem implorarent. [*Id. ibid. cap. 18.*]

3895 Cyzicenus ad ferendum Samaritis auxilium properè adveniens, ab Ariſtobuli militibus victus eſt: & inſequentibus eum fratribus uſque Scythopolim, ægrè evaſit. Quo eodem die Hyrcanus pontifex ſolus in Templo odoramenta adolens vocem audiiſſe fertur, nunciantem filiorum recentem de Antiocho victoriam. A quâ illi reverſi, Samaritas rursùm intra mœnia compulerunt, & ab eodem Antiocho iterùm auxilium petere coëgerunt. [*Id. ibid.*]

Antiochus Cyzicenus, accitis à Ptolemæo Latburo circiter ſex armatorum millibus, quos ille invitâ matre Cleopatrâ (nondum ab eâ regno deturbatus) miſerat, primùm vagabatur per ditionem Hyrcani latrocinabundus cum Ægyptiis; non audens quidem aperto marte decernere, quòd eſſet impar viribus, exiſtimans tamen ſe vaſtandis agris effecturum ut Hyrcanus obſidionem Samariæ ſolveret. Sed poſtquàm multos è ſuis amiſit exceptos hoſtium inſidiis, profectus eſt inde Tripolim; Callimandro & Epicrati ducibus demandato bello Judaico. Ex his Callimander audaciùs quàm prudentiùs cum hoſte congreſſus, profligatis ſuis & ipſe inter alios cecidit. Epicrates autem pecuniâ corruptus, Scythopolim & alia quædam oppida manifeſtè Judæis prodidit: nec quicquam Samaritis obſeſſis profuit. Atque ita Hyrcanus, integro anno in oppugnatione exacto, non contentus urbem capere, etiam ſolo eam æquavit. [*Id. ibid.*] 4605 109

Seleucienſes qui ad Antiochiam Syriæ ſunt (*αὐτονομίαν* adepti) hinc tempora ſua dinumerârunt. [*Faſti Siculi, anno 4. Olympiad. 167.*]

3896 Hyrcanus è ſectâ Phariſæorum, quorum diſcipulus & ſummus fautor fuerat, præcipuis ad 4606 108

convivium invitatis, cujuſdam ex eis Eleazari contumelia offenſus, qui matrem captivam tempore Antiochi Epiphanis ſervitutem ſerviliſ falsò illi exprobraverat, & ob convitium illud non ita indignè atque ille expectabat à reliquis exceptum, contra totam ſectam à Jonathane Sadducæo irritatus, ab eorum partibus ad Sadducæos tranſiit. Phariſæi verò traditiones multas à majoribus per manus acceptas populo commendabant, quæ non ſunt ſcriptæ inter leges Moſaicas: quibus ideircò authoritatem Sadducæi abrogabant, dicentes oportere eas tantùm ſervari quæ ſcripto continentur. Atque hinc magna inter utroſque exorta eſt controverſia; cùm ditiores ſtarent à Sadducæorum partibus, Phariſæi cæteræ multitudinis merentur favoribus. Cùm Hyrcanus igitur, Phariſæorum conſtitutionibus abrogatis, earum obſervatores pœnis afficeret, ſeditio orta eſt: quam licèt ille tum ſedaverit, inde tamen factum eſt, ut & ipſe & ejus filii in vulgi odium incurrerint. [*Joſeph. lib.* 13. *cap.* 18.]

3898 Johannes Hyrcanus mortuus eſt; quum per annos 29. ſummo functus fuiſſet Sacerdotio: ut ex Joſepho refert *Euſebius*, lib. 8. Demonſtrat. Evangelic. cap. 2. & illum Latinè vertens, in commentariis ad 9. caput Danielis, repetit *Hieronymus*. licèt in noſtris libris, & in antiquâ quoque Rufini verſione, *Joſephus* illi nunc 33. [ut in *lib.* 1. *Belli*, *cap.* 3.] nunc 31. [ut in *lib. Antiquitat.* 13. *cap.* 18. & *lib.* 20. *cap.* 8.] annos attribuat. Obiit pater ejus Simon anno regni Græcorum 177°, menſe 11°, Sabat; (1. *Maccab.* XVI. 14.) circa Februarium ſc. anni Periodi Julianæ 4579. uxor verò ejus Alexandra (uti poſtcà videbimus) circa Novembrem anni ejuſdem Periodi 4644. Interſtitium eſt annorum 65, & menſium ferè 9. Unde detractis annis 37. regno filiorum & uxoris ejus à *Joſepho* aſſignatis, relinquuntur Hyrcano anni tantùm 28. & menſes 9. circiter.

4607 107

Johannem hunc primi libri Maccabæorum recentiorum nonnulli; ſinè juſtâ aliquâ ratione; ſcriptorem fuiſſe exiſtimant: & ab alio aliquo poſtrema hæc illius verba adjecta fuiſſe fingunt. *Cætera verum Johannis & bellorum ejus, & ſtrenuorum factorum ejus quæ præclarè geſſit, ſtructuræque murorum* (Hieroſolymitanorum, Antiochi Sidetis juſſu dejectorum) *quos extruxit, & aliorum ejus; ecce ſcripta ſunt in commentariis Pontificatus ejus, ex quo factus eſt Pontifex poſt patrem ſuum.* quarto illo, ut videtur, Maccabæorum libro, quem Græcè ex Hebraico translatum, Lugduni in Santis Pagnini apud Prædicatores Bibliothecâ manuſcriptum legiſſe ſe teſtatur *Sixtus Senenſis* in fine libri 1. Bibliothecæ ſanctæ; ita incipientem. Καὶ μὴ τὰ ὑπολειπόμενα τῶν Σίμωνα ἐγράφη Ἰωάννης υἱὸς αὐτοῦ ἀρχιερεὺς ἀντ' αὐτοῦ. *Et poſtquam occiſus eſt Simon, factus eſt Johannes filius ejus ſummus Sacerdos pro eo.* Ex quo & *Joſephus* ſua hauſiſſe putatur: qui Hyrcanum tres maximos ſimul honores habuiſſe notat; Principatum gentis, Pontificatum, & Prophetiam. Ex divinis enim colloquiis tantam futurorum præſcientiam nactum illum fuiſſe affirmat, ut duos majores natu è ſuis liberis non diu paterni principatûs compotes fore prædixerit. [*Joſeph. lib.* 2. *Belli*, *cap.* 3. & *lib.* 13. *Antiquit. cap.* 18.]

De turri, quam *Antoniam* Herodes poſtcà appellavit, ab eo ædificatâ, & ſtolâ cum reliquo Pontificio ibi repoſitâ, in lib. 20. Antiquit. cap. 6. ita etiam ſcripſit idem. *Hyrcanus Pontifex ejus nominis primus, exſtructâ prope Templum turri, degebat in eâ majorem temporis partem: & quoniam hanc ſtolam habebat in ſuâ cuſtodiâ, quâ nemo præter illum utebatur, recepturus privatum habitum, eò locis illam deponebat. Quem morem etiam filii eius obſervârunt, atque eorum poſteri.* Poſt hujus verò exceſſum, lapillos qui erant in pectorali Pontificis & ſardonyche in dextro illius humero (quorum emicatione voluntas Dei populo Judaico ſignificari ſolebat) irato Deo propter legum ſuarum prævaricationem, fulgorem emittere deſiiſſe, ſignificat idem, [*lib.* 3. *Antiquit. cap.* 9.] annis 200. ante Antiquitatum Judaicarum libros hos à ſe compoſitos; quos anno imperii Domitiani 13°. (id eſt, Periodi Julianæ 4807.) ſe abſolviſſe, in fine Operis ipſe indicat.

Poſt Hyrcanum filiorum natu maximus *Judas*, alio nomine *Ariſtobulus* dictus & *Philellen* (à familiaritate & conſuetudine cum Græcis ſive ethnicis) cognominatus, Principatum ſimul & Pontificatum per unum tantùm annum obtinuit: primúſque omnium poſt reditum à captivitate Babylonicâ, diademate ſibi impoſito, principatum in regni formam tranſtulit. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli*, *cap.* 3. *Antiquit. lib.* 13. *cap.* 19. & *lib.* 20. *cap.* 8.] licèt *Strabo* illius fratrem & ſucceſſorem Alexandrum primum pro Sacerdote ſe Regem feciſſe ſcripſerit: [*lib.* 16. *pag.* 762.] non habitâ ratione Ariſtobuli; quòd is fortaſſe poſt aſſumptum diadema parùm vixerit.

Ariſtobulus fratrem ſuum ſecundum Antigonum, quem præ aliis diligebat, in regni ſocietatem aſſumpſit: tres verò reliquos vinctos cuſtodiæ tradidit. Matrem etiam conjecit in carcerem principatûs æmulam (nam illam Hyrcanus rerum dominam reliquerat:) eóque crudelitatis proceſſit, ut fame necaret in vinculis. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli*, *cap.* 3. & *lib.* 13. *Antiquit. cap.* 19.]

In Ægypto Cleopatra, cùm gravaretur ſocio regni filio Ptolemæo (Lathuro,) populum in eum incitavit. [*Juſtin. lib.* 39. *cap.* 4.] Ex omni enim eunuchorum numero, quos amantiſſimos ſui eſſe putabat, ſaucios in concionem produxit; Ptolemæum inſimulans, & inſidias ſibi feciſſe, & eunuchos vulneribus fœdaſſe. Quâ re Alexandrini commoti, non multum abfuit quin Ptolemæum impetu facto opprimerent: ſed cùm ille navi ſe è periculo proripuiſſet, haud ita multò pòſt è Cypro reverſum Alexandrum regem appellaverunt. [*Pauſan. in Atticis*, *pag.* 8.]

Antequàm abiret ille in exilium, Selenem uxorem mater Cleopatra illi abſtulit; eo indignius, quòd duos ex eâ filios jam haberet. [*Juſtin. lib.* 39. *cap.* 4.] Alexander verò à matre arceſſitus, & Ægypti rex in locum fratris conſtitutus, 6um. tum regni ſui Cyprii numerabat annum, cùm mater Cleopatra regni ſui Ægyptii numeraret 11um. [*Porphyr. in Græc. Euſeb. Scalig. pag.* 225.] Hunc, non minùs quàm patrem Phyſconem, multâ ſaginâ obeſum evaſiſſe notat *Athenæus*, lib. 12. cap. 27. ubi ex Poſidonio Apameno, in Hiſtoriarum libro 47° hunc de eo lo-

cum

cum profert. *Ægyptius rex invisus populo, familiarium assentationibus excæcatus, in multis verò deliciis vivens, ne ambulare quidem poterat, nisi duobus suffultus incederet. At in saltationibus quæ epulis adhibebantur, nudis ille pedibus è lectis superioribus desiliens, exercitatis concitatius & agilius corpus saltando movebat.*

Aristobulus, illato bello Ituræ, magnam ejus partem Judææ limitibus adjecit; habitatoribus ejus comminatione exilii coactis circumcisionem cæterósque Judaicos ritus admittere. Quod ex Timagene historico hisce verbis confirmat Strabo. *Hic vir agnus fuit, & Judaïs multis in rebus commodus: nam & ditionem eorum auxit, & partem Ituræorum eis attribuit, devinctam circumcisionis fœdere.* [Joseph. *lib.* 13. *cap.* 19.] 4608 106

3899 Cùm Antigonus magnificè reverteretur è bello, quo tempore populus Judæorum solenne Tabernaculorum festum celebrabat; accidit ut Aristobulus rex ægrotans in turri quæ pòst Antonia est cognominata decumberet, frater verò Antigonus interfuturus sacris, splendidissimè ornatus ascenderet in Templum, potissimùm pro salute regis vota facturus. Monitus Aristobulus à malevolis delatoribus ut ab insidiis illius sibi caveret, satellitibus in loco quodam obscuro & subterraneo juxta turrim illam collocatis mandavit, ut si quidem sine armis frater veniret, nemo eum attingeret; sin verò armatus, trucidarent: præmisit tamen ad eum qui rogaret, ut inermis veniret. At Salome regina & cæteri illi malevoli nuncio persuaserunt ut contraria diceret, cupere Regem ita uti erat illum armatum videre. Fortè Judas quidam, secta Essenæ, rerum futurarum vaticinatione apud suos celebris, Antigonum in turri Stratonis eo ipso die perituruin prædixerat: cùm aliam ipse Stratonis turrim nesciret, præter eam, quæ posteà Cæsarea dicta est, & 600. stadiis Hierosolymis aberat. Ubi igitur incolumem Antigonum eâ die ad Templum accedentem vidisset, mortem sibi optabat; metuens ne falsi convinceretur, hactenùs pro vero prophetâ habitus. Sed paulò pòst Antigonum in loco illo subterraneo interfectum audiit, qui eodem nomine quo maritima Cæsarea, Stratonis turris appellabatur. [*Joseph. lib.* 1. *Belli*, *cap.* 3. *& lib.* 13. *Antiquit. cap.* 19.]

Aristobulo confestim sceleris pœnitudine morbus ingravescebat; ita ut postremò crescentibus doloribus sanguinem vomeret. Eum quidam è ministris foras efferens eo ipso in loco ubi Antigoni interfecti cruore terra fœdata fuerat fortè collapsus, Aristobuli sanguinem effudit. Quo cognito, Aristobulus Dei vindictam justam agnoscens, cum maximis animi & corporis cruciatibus vitâ excessit. [*Id. ibid.*]

Post Aristobuli obitum Salome ejus uxor, quam Græci Alexandram nominant, solutis ejus fratribus quos in vinculis ille habuerat, Alexandrum Jannæum ætate cæteros præcedentem atque modestiâ regem constituit. Ille verò regno potitus, alterum fratrum insidiantem sibi interfecit, alterum contentum privatâ & otiosâ vitâ in honore habuit. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 20.] qui Absolomus dictus, à Pompeio post annos 42. Hierosolymis captus est. [*Id. lib.* 14. *cap.* 8.]

Alexander Jannæus constitutis rebus imperii, prout sibi visum est conducere, ad Ptolemaidem duxit exercitum: & cùm prosperè pugnasset, victos intrà mœnia compulit; eósque obsessos oppugnare aggressus est. In Syriâ eo tempore duo fratres, Philometor sive Grypus & Cyzicenus, mutuis cladibus suas vires atterentes, Ptolemaïdensium periculum negligebant. Zoilus tyrannus, qui ex Regum discordiâ occasione captatâ Stratonis turrim & Dora occupaverat, obsessis aliquam sed exiguam opem attulit. Ptolemæus Lathurus, à matre Cleopatrâ Ægypti regno ejectus, Cyprum obtinebat. Atque ad hunc Ptolemaïdenses missis legatis, orabant ut auxilio veniens ex Alexandri manibus periclitantes eriperet. Qui cùm ei spem fecissent, quòd delatus in Syriam habiturus esset Gazæos & Ptolemaidenses in suis partibus, simúlque Zoilum & Sidonios multósque alios adjuturos; elatus promissis, navigationem parabat. [*Id. ibid.*] 4609 105

Interim Demænetus, qui plurimùm apud suos cives authoritate pollebat, persuasit Ptolemaidensibus ut mutarent sententiam: conducibilius esse dicens incertam cum Judæis belli aleam subire, quàm in certissimam servitutem accito domino se dedere; & insuper non præsens solùm bellum sustinere, sed majus etiam ab Ægypto imminens. Cleopatram enim non permissuram Ptolemæum vires sibi parare è vicinià, sed contra eos venturam cum valido exercitu: dare enim reginam operam, ut illum etiam è Cypro ejiciat. [*Id. ibid.*] Neque eum hîc sua fefellit opinio. Cleopatra enim exulantem filium bello persecuta, non solùm Cypro illum expulit, sed etiam ducem exercitûs sui, quòd vivum eum è manibus dimisisset, interfecit. quanquàm Ptolemæus verecundiâ materni belli, non viribus minor ab insulâ recesserit: si *Justinum* hîc audire libeat. [*lib.* 39. *cap.* 4.]

Ptolemæus igitur, cognitâ in itinere Ptolemaidensium mutatione, nihilominùs cursum continuavit: & cùm appulisset ad Sycaminum, eò loci copias exposuit; quæ constabant, connumeratis peditibus & equitibus, circiter 30. millibus. His adductis ad Ptolemaidem, & castris ibi positis; cùm neque legatos ejus admittere, neque verba audire vellent, in magnam conjectus est solicitudinem. Postquàm verò Zoilus ad eum & Gazæi venerunt, petentes auxilium contra Judæos & Alexandrum agros ipsorum vastantem: Ptolemaïdis obsidio, metu Ptolemæi, soluta est. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 20.]

3900 Alexander Jannæus, reducto domum exercitu, cœpit astu agere; clàm Cleopatram contra Ptolemæum vocans, apertè verò amicum ejus & socium se simulans. Quin & 400. argenti talenta daturum se pollicitus est: si ille vicissim in gratiam ipsius Zoilum tyrannum tolleret, & agros ejus Judæis attribueret. Quod quidem Ptolemæus libenter præstitit: sed posteà comperto quòd ille clàm ad matrem ipsius Cleopatram misisset, fœdus cum eo initum dissolvit. [*Id. ibid.*]

Quum Mario, ad expeditionem adversùs Cimbros se accingenti, Senatus auxilia ex transmarinis

marinis nationibus accersendi potestatem dedisset; ad Nicomedem Bithyniæ regem, de mittendis auxiliaribus copiis, ille scripsit. Respondit Nicomedes, Bithynos à publicanis in servitutem majori ex parte abstractos variis in locis detineri. Indéque Romæ Senatusconsultum prodiit, ne quis ingenuus ex populi Romani sociis in provinciâ ullâ servituti addiceretur; & ut præpositi provinciarum eorum manumittendorum coram susciperent. [*Diodor. Sicul. lib. 38. in Bibliotheca Photii, col. 244.*]

Ex observatâ primùm diligenter, deinde verò neglectâ à Licinio Nervâ Siciliæ prætore decreti hujus executione, ortum est secundum bellum servile Siculum: in quo defectores regem sibi quendam Salvium aruspicem atque tibicinem creaverunt; cui Tryphonis nomen posteà dederunt. [*Id. ibid. cum Dione, in Excerptis Valesii, pag. 633, 634.*] 4610 104

C. Mario & C. Flacco (vel Flavio potiùs) Consulib. horâ diei tertiâ, Solis defectus lucem obscuravit. [*Jul. Obsequens, de prodigiis.*] Quam totalem ferè solis eclipsim anno hoc Periodi Julianæ 4610, die 19. Julii, calculus Astronomicus nobis exhibet.

Alcalonitæ (ἀνανεώσει obtentâ) hinc tempora sua dinumerant: ut in Fastis Siculis, ad Olympiadem CLXIX. est annotatum; consentiente etiam *Eusebii Chronico*, in quo, cum 2°. anno Probi Imperatoris (in annum Periodi Julianæ 4990. incurrente) annus æræ ipsorum 380. copulatur.

Ptolemæus Lathurus ad oppugnandam Ptolemaidem, quæ portas ei clauserat, ducibus cum parte exercitûs relictis, qui & eam tandem expugnârunt, ipse cum reliquis copiis ad vastandam ac domandam Judæam se contulit. Quo intellecto, Alexander Jannæus & ipse ex suâ ditione collegit circiter 50. vel (ut quidam scriptores malunt) 80. millia; & cum his hosti ivit obviam. Ptolemæus verò ex improviso adortus sabbato Asochim Galilææ urbem vi cepit; & circiter decem captivorum millia, præter aliam multam prædam, abduxit. Deinde aggressus & Sephorim non longè inde distantem, multis desideratis abiit conflicturus cum Alexandro Jannæo: cui occurrit ad Jordanem fluvium, juxta Asophon, à fluvio non longè dissitum. Habebat autem Alexander in primâ acie pugnare solitos octies mille, quos Hecatontamachos appellabat, gestantes æratos clypeos: cui opposita prima Ptolemæi acies, æquè æratis scutis usa, cùm cunctantior esset ad prælium, urgente Philostephano tactico fluvium transiit ad quem castra Judæi habebant. Alternante verò subinde victoriâ, tandem Ptolemæi milites Judæos profligatos eousque insecuti sunt interficiendo, donec lassatis manibus ferrum quoque hebesceret. Ferunt 30 (vel 50, ut in suis scriptis Timagenes retulit) Judæorum millia in eo prælio cecidisse: cæteros partim captos, partim fugâ servatos incolumes. Ptolemæus verò quum post victoriam longè latéque excutisset, vespere in quosdam Judæorum vicos se recepit: quos ubi vidit refertos pueris & mulieribus, mandavit militibus ut promiscuè jugulatos & in frusta concisos, in lebetes ferventes membratim conjicerent; ut qui effugerent è prælio hostem crederent humanis vesci carnibus; & eo major terror intuentibus incuteretur. Cujus crudelitatis *Strabo* & *Nicolaus Damascenus* in historiis suis meminerunt. [*Joseph. lib. 13. cap. 20. & 21.*]

3901 Cleopatra Ægypti regina videns augeri filii Lathuri potentiam, subjectâ Gazæorum urbe & Judæorum regione impunè pervastatâ, non permittendum duxit ut ille magis creseeret: maximè cùm circa Ægypti portas obversaretur, & immineret ejus imperio. Quapropter continuò tam navales quam terrestres excivit copias: quarum supremum regimen penès Chelciam & Ananiam Judæos esse voluit, Oniæ illius qui templum in Heliopolitanâ præfecturâ ædificaverat filios. [*Id. ibid. cap. 18. & 21.*] Ex horum enim sententiâ reginam gessisse omnia, etiam testimonio hoc ex Strabonis Cappadocis historiâ deprompto *Josephus* comprobat. *Plerique enim qui prius nobiscum venerunt in Cyprum, quive post à Cleopatrâ illò missi sunt, confestim deficiebant ad Ptolemæum* (Lathurum.) *Soli verò ex Onia parte Judæi constanter manserunt in officio: eo quòd cives eorum Chelcias & Ananias apud reginam essent in pretio.* 4611 103

Cleopatra bonam divitiarum suarum partem, cum nepotibus & testamento, apud Coum insulam deposuit; jussóque Ptolemæo Alexandri filio cum magnâ classe Phœnicen appellere, & deficientibus ad se ejus regionis incolis, pervenit Ptolemaidem; unde exclusa, oppugnationem ejus urbis instituit. Interea alterum ex illius ducibus Chelciam, dum circa Cœlesyriam Lathurum persequitur, mori contigit. Lathurus verò, relictâ Syriâ, properavit in Ægyptum; sperans ex improviso occupaturum se præsidiis vacuam: sed opinione suâ frustratus est. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*]

Ægestani & Lilybetani fugitivi in Siciliâ regem sibi constituerunt Athenionem quendam pastorem, genere Cilicem: qui fingebat Deos per astra futurum se universæ Siciliæ regem præsignificare; ideóque oportere tam ipsi regioni quàm animalibus & fructibus qui in eâ essent tanquam propriis parcere. Hic tamen à Tryphone accersitus, illi ut Regi se ut exercitûs Imperatorem subjecit. [*Diodor. Sicul. lib. 36. ut supr. cum Cicerone in Verr. lib. 2. Floro, lib. 3. hist. cap. 19. & Dione, in Excerpt. Valesii, pag. 637.*]

3902 Cleopatra auditis filii Lathuri conatibus, & quòd ei tentanti Ægyptum non ex sententiâ successerat, missâ eò parte exercitûs omninò eum ex eâ regione expulit. Atque ita rursùm ille ex Ægypto ejectus, apud Gazam hyemem exegit. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*] 4612 102

Interim Cleopatra Ptolemaidem, cum ejus præsidiariis, expugnat. Eò Alexander Jannæus cum muneribus venit; atque ita exceptus est, ut dignum erat hominem à Lathuro afflictum, nec aliud habentem refugium. Cúmque quidam amicorum reginæ suaderent, ut illam quoque regionem occuparet, nec sineret tantam bonorum Judæorum multitudinem unius viri parere nutibus: Ananias contrarium consuluit, iniquum facinus esse dictitans, si hominem & reginæ σύμμαχον & ipsius Ananiæ cognatum suis facultatibus exueret. Sic enim fore ut, illatâ huic in-

juriâ,

juriâ, omnes ubique gentium Judæos à se alienaret. A quo persuasa Cleopatra & ab injuriâ inferendâ tunc abstinuit, & societatis fœdus cum Jannæo apud Cœlesyriæ urbem Scythopolim posteà renovavit. [*Id. ibid.*]

Alexander Jannæus liberatus metu periculi quod à Ptolemæo Lathuro hactenùs impendebat, expeditionem in Cœlesyriam suscepit; & Gadara obsedit. [*Id. ibid.*]

L. Licinius Lucullus à Senatu contra servos defectores missus, cum 17. millium ex Italis, Bithynis, Thessalis, Acarnanibus & Lucanis collecto exercitu, in Siciliam venit. Cui cum 40. millibus occurrens Athenio Cilix, amissis 20. eorum millibus ipse multis affectus vulneribus inter mortuos delitescens evasit. [*Diodor. Sicul. ut suprà.*] 4612 102

Syriam Judæi & Arabes terrestribus latrociniis infestârunt. Mari Cilices piraticum bellum moverunt: quod in Ciliciâ Romani per Antonium gesserunt. [*Prolog. lib. 39. Trogi.*] Marcus verò Antonius (orator, M. Antonii triumviri avus) tum prætor, pro consule ad hoc bellum missus, & complures Athenis dies propter navigandi difficultatem commoratus, homines doctissimos Mnesarchum, Carneadem & Menedemum ibi dilerentes, sicut in Aliâ posteà Metrodorum Scepsium, audiit. In provinciam deinde veniens, à Byzantiis adjutus, cum maritimis prædonibus bellum feliciter gessit: in quo tamen præfectum suum M. Gratidium amisit. [*Cicero, in lib. 1. & 2. de Oratore; & in Bruto. Liv. lib. 68. Corn. Tacit. lib. 12.*] Quò referendum Julii Obsequentis illud, ad Consulatum *C. Marii & Q. Lutatii: Pirata in Siciliâ* (leg. *Ciliciâ*) *à Romanis deleti.* & Livianæ epitomæ lib. 68. *Antonius prætor in Siciliâ* (legend. item, *Ciliciâ*) *maritimos prædones persecutus est.* De quibus & triumphatle eum, docet *Pighius*, in 3°. Annalium tomo, ad ann. Urbis DCLI. fin.

Periodus Calippica *quarta* incipit.

Alexander Jannæus Gadara post decem mensium obsidionem cepit. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*]

Mario Consule & Catulo, A. Licinius Archias poëta Antiochenus, qui bellum Mithridaticum Græco carmine posteà descripsit, (cujus & complura in Græco Anthologio leguntur Epigrammata) Romam venit: ubi Ciceroni à primâ pueritiâ princeps & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem studiorum extitit. [*Cicero, pro Archiâ poetâ.*]

C. Marius Consul in Galliâ cum Cimbris dimicaturus, differebat prælium, quasi ex oraculis quibusdam victoriæ pariter tempus & locum caperet. Nàmque mulierem quandam Syram, Martham nomine, quæ ferebatur edere vaticinia, lecticâ vectam magnâ circumducebat veneratione, & sacra illius monitu faciebat. Quam Senatus pridem, quum de his differre vellet & prænuntiaret venientia, repulerat. [*Plutarch. in Mario.*]

Eâdem penè tempestate Battaces sive Batabaces, Matris magnæ Idææ sacerdos, Pessunte Phrygiæ Romam adventavit; & in Senatu jussu Deæ suæ adesse se dixit, victoriam populo Romano magnámque belli gloriam nuntiaturum: adjiciens etiam, Sacra Deæ polluta esse, atque ideò Romæ publicè expiari debere. Ferebat autem vestem aliáque corporis ornamenta nova & nunquàm Romanis visa; coronámque auream magnitudine inusitatâ & stolam floribus intextam & inauratam, regio sanè splendore. Itaque è rostris ad populum verba faciens, & ad superstitiosum cultum eos incitans, hospitiis publicis & diversoriis exceptus est: sed ab Aulo Pompeio tribuno plebis coronam ferre eâ prohibitus. Ab altero autem tribuno deductus in rostra, & de templi expiatione interrogatus, superstitiosum sanè responsum reddidit. Pompeius verò, cùm circulatorem ac impostorem eum appellasset, & cum indignitate ex rostris depulisset, simul-atque dimissâ concione domum regressus est, febre vehementi corripi cœpit: unde paulò pòst mutus factus est, anginæque doloribus suprà modum vexatus, post diem tertium (vel, ut alii, septimum) exspiravit. Quod divinâ quâdam providentiâ, ob Sacerdotem ipsámque Deam injuriosè habitam, contigisse multi interpretabantur. Superstitionibus enim mirum in modum dediti Romani sunt. Quare Battaces sacræ stolæ indutus ornamento, amplioribus à viris multis & fœminis hospitiis exceptus, Româque discedens cum pompâ dimissus est. [*Id. ibid. & Diodor. Sicul. lib. 36. in Photii Bibliothecâ, cod. 244.*]

Servus Servilii Cæpionis Matri Idææ se præscindens, trans mare exportatus est, ne unquam Romam reverteretur. [*Julius Obsequens: ut suprà.*]

3903 Alexander Jannæus Amathunte potitus est, castro omnium quæ ad Jordanem sita sunt munitissimo: ubi Theodorus Zenonis filius res suas charissimas deposuerat. At Theodorus repentè supervenions, & proprias res recuperavit, & impedimenta Alexandri diripuit, Judæorúmque decem millia interfecit. Verùm Alexander receptis post cladem viribus, aggressus maritimas regiones, Raphiam cepit, & Anthedonem quæ posteà ab Herode Agrippias nominata est. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 3. & lib. 13. Antiquit. cap. 21.*]

Contra Athenionem Cilicem, qui in Siciliâ mortuo Tryphone servorum fugitivorum Rex factus est, Manius Aquilius, C. Marii in quinto Consulatu collega, Imperator missus ita se fortiter gessit, ut defectores illustri prælio superaverit. Quinetiam cum ipsorum rege Athenione consertâ manu heroico certamine inito, eum tandem superavit. Ad quem deprehendendum dum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est. [*Diodor. Sicul. ut supr. Florus, lib. 3. cap. 19.*] 4613 103

Ptolemæus Lathurus Gazâ relictâ in Cyprum recessit, & mater ejus Cleopatra in Ægyptum. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*] cujus crudelitate in Lathurum terrimus filius minor Alexander, eam reliquit: periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens. Cleopatra verò timens, ne major filius Lathurus ab Antiocho Cyziceno ad recuperandam Ægyptum auxiliis juvaretur, ingentia Antiocho Grypo auxilia, & Selenen uxorem nupturam hosti: prioris mariti, misit: Alexandrúmque filium per legatos in regnum revocavit. [*Justin. lib. 39. cap. 4.*]

Atque

Atque hinc bella illa civilia inter reges Syriæ sunt orta, quorum in libro 68. *Livius* meminit.

3904 C. Mario & L. Valerio Consulibus, fugitivos in Siciliâ prælio trucidatos fuisse, in libello de Prodigiis notat *Julius Obsequens*. Aquilius enim Proconsul reliquias defectorum, quorum decem millia adhuc superfuerant, bello persecutus in potestatem suam redegit; atque ita bello servili secundo, cùm annos propemodum quatuor duravisset, finem imposuit. [*Diodor. Sicul. ut suprà.*] Quibus in bellis plus quàm centum servorum myriadas periisse, affirmat Athenæus. [*lib. 6. cap. 7.*]

C. Marius tum sextò Consul, L. Apulei Saturnini tribuni plebis præcipuâ operâ usus, Q. Metellum Numidicum in exilium egit: qui Rhodum profectus, ibique philosophiæ studiis se dans, legendo & audiendis magnis viris vacabat. [*Cicero, in Pisonem, & pro Sextio. Liv. lib. 69. Plutarch. in Mario. Appian. Bell. Civil. lib. 1. pag. 367, 369.*] 4614 100

A Mithridate Romam legati cum magnâ pecuniæ vi venerunt, Senatum largitione corrupturi. Quod animadvertens Saturninus tribunus plebis ordini Senatorio inimicissimus, occasionem jam adversùs eos nactum se existimans; magnâ legationem contumeliâ affecit. Senatoriis legatos adversùs eum incitantibus, & conjunctam suam ipsis operam offerentibus, litem illi Saturnino de illatâ injuriâ intenderunt. Quâ occasione, ob violata legatorum jura quæ Romanis sacrosancta semper sunt habita, in præsens vitæ discrimen Saturninus adductus, à populo præter omnem spem non modò liberatus sed iterùm etiam Tribunus plebis renunciatus est. [*Diodor. Sicul. legat. 34.*] Verùm novam mox sedionem turbo ille pacis concitans, hoc ipso anno C. Mario VI. & Valerio Flacco consulibus interemptus est. [*Cicero, in 4ª. Philippicâ, & pro Rabirio. Appian. Bell. civil. lib. 1. pag. 369, 370. Oros. lib. 5. cap. 17.*]

3906 Cùm de restituendo Q. Metello in omnibus concionibus per integrum biennium sermo assiduè fieret, ejus filius Q. Metellus barbâ & capillo submisso sordidatus, veste squalidâ forum circuibat; flénsque, & ad singulorum civium genua advolutus, flagitabat ut patrem ab exilio revocarent. At populus, cùm spem reditûs contra leges exulibus proponere minimè vellet, tamen miseratione ac precibus adolescentis commotus, Q. Metellum ab exilio revocavit; ac filium, ob singularem erga patrem affectum ac solicitudinem, *Pium* cognominavit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag. 390.*] Patrem verò Smyrnæ exsulavisse; & Calidiâ deinde rogatione revocatum quum ludis fortè litteras in theatro accepisset, non priùs eas legere dignatum fuisse quàm spectaculum finiretur, in libro de viris illustribus cap. 62. scribit *Aurelius Victor*. 4616 98

C. Marius, non sustinens revertentem aspicere Metellum, in Cappadociam & Galatiam navigavit: verbo, ut vota Matri magnæ Idææ persolveret; reipsâ, ut novorum bellorum semina excitaret. Quapropter à Mithridate, quem apparebat arma tum moliri, cum omni officio & honore exceptus, his tamen verbis lacessendum eum putavit. *Aut exitere, Rex, ut plus possis quàm populus Romanus, aut obsequenter fac imperata.* Quo dicto obstupuit Mithridates; ut qui nomen crebrò, libertatem linguæ Romanæ tunc primùm audivisset. [*Plutarch. in Mario.*]

Alexander Jannæus infensus Gazæis, quòd Ptolemæum Lathurum contra se in auxilium accivissent, & urbem eorum oppugnavit & agrum depopulatus est. Interim Appollodotus eorum dux noctu, cum duobus millibus conductitiorum militum & decem millibus quæ ex opidanis armaverat, erupit in castra Judæorum. Et quamdiu nocturna erat pugna superiores erant Gazæi, hostibus Ptolemæum ad eos venisse suspicantibus: sed quamprimùm dies illuxit & rei veritas apparuit, Judæi se conglomerârunt, & impetu facto in opidanos circiter mille ex eis interfecerunt. Attamen ne sic quidem quamvis gravante inopia voluerunt cedere, parati quidvis potiùs perferre quàm ab hoste subigi: & addebat illis animum Aretas rex Arabum, auxilii spem (licèt vanam) ostentans. [*Joseph. lib. 13. cap. 21.*]

3907 Lysimachus fratri Apollodoto invidens, quòd apud Gazæos tam gratiosus esset, occiso eo collegit manum militum, atque ita urbem Alexandro Jannæo tradidit. Qui primò pacatus introgressus est: deinde immittit in oppidanos militem, permissâ sæviendi licentiâ. Ac passim Gazæi trucidabantur: nec tamen illi moriebantur inulti: sed repugnantes invasoribus, non pauciores Judæos interimebant. Alii verò desolatas priùs ædes incendebant, ne hostis præda potiri posset: quidam etiam suismet manibus uxores ac liberos contrucidabant, ne in captivitatem abstraherentur. Senatores autem numero 500 in Apollinis ædem confugerant: fortè enim Senatus habebatur, quum hostis intromissus est. Alexander verò etiam his jugulatis, & diruptâ insuper urbe, reversus est Hierosolyma, anno postquàm castra ad Gazam admoverat. [*Id. ibid.*] 4617 97

Eodem ipso tempore etiam Antiochus Grypus occisus est Heracleonis insidiis, cùm vixisset annos 45. regnasset verò 29. [*Id. ibid.*] vel 26. potiùs, ut in fragmento *Porphyrii* legitur: quorum undecim solus regnaverit, quindecim diviso cum Cyziceno imperio; mortuus ipse anno 4° Olympiadis CLXX. [*in Græc. Euseb. Scaligeri, pag. 217.*] Quinque verò Grypus post se reliquit filios. 1. *Seleucum*: quem patri in regno successisse scribit *Josephus*. 2 & 3. Gemellos, ex Tryphænâ Ptolemæi Physconis regis Ægypti filiâ susceptos; *Antiochum & Philippum*. 4. *Demetrium Eucærum*. 5. *Antiochum* alterum, *Dionysium* cognominatum.

3908 Mithridati Eupatori, regi Ponticо, natus est filius Pharnaces: qui 50 vixit annos. [*Appian. in Mithridatic. pag. 254.*]

Cn. Domitio & C. Cassio Consulib. Ptolemæus Cyrenarum rex, (Physconis ex pellice filius) mortuus hæredem populum Romanum reliquit. [*Liv. lib. 70. Jul. Obsequens, de prodigiis. Cassiodorus, in Chronico.*] Ejus *regni civitates Senatum liberas esse jussisse*, testatur *Livius*: licèt statim postèa continuis tyrannidibus & bellis exagitatos Cyrenæos fuisse, *Plutarchus* ostendat in *Lucullo*. 4618 96

Anna

3909 Anna prophetissa filia Phanuelis è tribu Aseriticâ nupta, cum marito septem annis à virginitate vixit. (*Luc.* I. 36.)

Tigranis filius Tigranes, qui Parthis datus obses fuerat, in paternum Armeniæ regnum ab iis restituetur est; quum mercedis loco 70 regionis illius convalles ab eo accepissent. [*Strabo, lib.* 11. *pag.* 532. *Justin. lib.* 38. *cap.* 3. *Appian. in Syriac. pag.* 118.] ut colligitur ex anno regni 25° cujus, ex Plutarchi *Lucullo*, infrà ad annum Mundi 3934. occurret mentio.

3910 Q. Mutius Scævola Proconsul in Asiam missus, lecto tibi legato amicorum optimo P. Rutilio Rufo (quem ipsum, *Asiæ Proconsulem*, in *D. de orig. Juris*, non rectè facit Pomponius) hujus consilio in administrandâ provinciâ ac jure dicendo semper est usus, ejúsque præcipuè operâ publicanorum injurias, quibus provinciales miserè oppressi fuerant, coërcuit. Nam quotiescunque aliqui ab illis vexati eum adierant, datis judicibus integerrimis publicanos ubique condemnabat, & condemnatos adversariis quos injuriâ affecerant in carcerem abducendos tradebat. Cúmque præterea sumptum omnem, tum suum tum comitum, ex suâ pecuniâ ille faceret; brevi provincialium benevolentiam populo Romano conciliavit. [*Cicero, lib.* 2. *de Oratore. Diod. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 393, 394.]

Seleucus Antiochi Grypi filius, multis coactis copiis, Antiocho Cyziceno patruo bellum intulit. Cyzicenus ex Antiochiâ ducto exercitu, cum eo congressus prælio victus est: & quum ab equo in hostium castra abriperetur, jampam capiendus seipsum interemit; postquàm 18 regnavisset annos. Regno autem ejus potitus Seleucus, Antiochiam recepit. [*Porphyr. in Grac. Eusseb. pag.* 227.] Cyzicenum in prælio à Seleuco captum & neci traditum *Josephus* [*lib.* 13. *cap.* 21.] cum filiis Grypi bello congressum interiisse, refert *Trogus*. [*lib.* 40. *Prolog.*] 4610 94

Cn. Domitio & C. Cœlio Consulib. Senatusconsultum factum est, ne quis Cretensibus mutuam pecuniam daret. (*Ascon. Pedianus, in argument. orat. pro C. Cornelio.*) Vid. ann. Mundi 3935. *ex Dione.*

Q. Mutius Scævola, quum solos novem menses Asiæ præfuisset, ne sumptui esset ærario, provinciam deposuit. [*Cicero, ad Atticum, lib.* 5. *epist.* 17. *cum Asconio Pediano, in orat. Cicer. contra L. Pisonem*] Qui Asiam tam sanctè & tam fortiter obtinuit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus exemplum atque formam officii Scævolam decreto suo proponeret. [*Valer. Maxim. lib.* 8. *cap.* 15.] Et dies festus à Græcis in honorem ejus constitueretur, quem *Mutia* Asiani nominabant. (*Ascon. Pedian. in* tertiam *contra Verrem*, *& Divinationem contra eund.*) de quibus, in Verrinâ secundâ, Cicero. *Mithridates in Asiâ, cum eam Provinciam totam occupasset, Mutia non sustulit; hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus & immanis, tamen honorem hominis Deorum religione consecratum violare noluit.*

Legatus tamen illius Publius Rutilius Rufus, vir summæ innocentiæ, qui cum illo consentiens à publicanorum injuriis Asiam defenderat, ab equitum factione (quos in exigendis vectigalibus multa præter fas actitantes ille cum Proconsule coërcuerat) in judicium vocatus est, quasi ipse munera accepisset. Ille verò eâ fidei atque innocentiæ constantiâ usus est, ut die sibi ab accusatoribus dictâ, usque ad cognitionem neque capillum barbámve promiserit; obsoletam vestem induerit, nec insignia senatoria deposuerit, inimicos permulserit, judices temperârit; orationem quoque à Prætore concessam nihilo summissiorem quàm animum, (qualem nimiùm bonum calumniâ appetitum ac longè plus Reipublicæ quàm suam ipsius vicem miserantem decebat) habuerit, nec quicquam splendore præteritorum annorum humilius dixerit. [*Liv. lib.* 70. *Ascon. Pedian. in Divinat. contra Verrem. Valer. Maxim. lib.* 6. *cap.* 4. *Dio, in Excerpt. Valesii, pag.* 637. *Oros. lib.* 5. *cap.* 17.] De quo, in 1. de Oratore Dialogo, (qui post triennium in L. Marcii Philippi consulatu habitus fuisse fingitur) M. Cicero. *Cùm esset vir ille exemplum innocentiæ, cúmque illo nemo integrior esset in civitate neque sanctior; non modò simplex judicibus esse noluit, sed ne ornatiùs quidem aut liberiùs causam dici suam, quàm simplex ratio veritatis ferebat. Paulum Cottæ tribuit partum, disertissimo adolescenti, sororis suæ filio. Dixit item causam illam quàdam ex parte Q. Mutius, more suo, nullo apparatu, purè & dilucidè.* Et in Bruto. *Quum innocentissimus in judicium vocatus esset (quo judicio convulsam penitus scimus esse Rempublicam) cùm essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus & M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro sese, & pauca C. Cottæ, quòd sororis erat filius: & is quidem tamen, ut Orator, quamquam erat admodum adolescens. Sed Q. Mutius enucleatè ille quidem & politè, ut solebat, nequaquam tamen eâ vi atque copiâ, quam genus illud judicii & magnitudo causæ postulabat.*

Atque ita equites Romani, judiciorum potestatem Gracchanis legibus nacti, Rutilium, virum non seculi sui sed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis, damnaverunt. [*Vellei. Patercul. lib.* 2.] Damnatus verò, quum lis pecuniâ esset æstimata, bonis protinùs cessit: quo maximè declaratum est eum alienum ab objecto crimine fuisse. Multo enim minus ex universis ejus bonis redactum est, quàm ex Asiâ rapuisse ab accusatoribus dicebatur: eáque omnia justis ac legitimis titulis ad se pervenisse demonstrabat. Ejus autem damnationis invidia in C. Marium recidit; cui viri hujus virtus gravis & molesta fuit. Quamobrem Rutilius, quum ea quæ in urbe gerebantur improbaret, nec cum ejusmodi homine versari ac degere amplius vellet, nemine cogente in exilium abiit: & profectus in Asiam Mitylenis vixit. (*Dio, ut supr. pag.* 637, 638.) Cúmque illum quidam consolaretur, & diceret instare arma civilia, ac brevi futurum ut omnes exules reverterentur: Quid tibi, inquit, mali feci, ut mihi pejorem reditum quàm exitum optares? Malo, ut patria exilio meo erubescat, quàm reditu mœreat. (*Seneca de beneficiis, lib.* 6. *cap.* 37.) Cæterùm nihilo inde plus pristinâ illius gloria opésque imminutæ fuere. Omnes enim Asiæ civitates legatos secessum ejus operientes obviam miserunt. Neque solùm Q. Mutius, sed civitates etiam ac Reges, quotquot

quotquot ejus beneficiis antehac erant usi, plurima illi donaverunt; adeò ut longè plura possideret, quàm ante exilium in bonis habuerat. (*Valer. Maxim. lib. 2. cap. 10. Dio, ut suprà pag. 638.*)

3911 Antiochus Eusebes sive Pius, Anthiochi Cyziceni filius, quum meretricis cujusdam operâ, quæ formæ gratiâ illum adamaverat, Seleuci patruelis insidias evasisset, (licèt Syri pietatis merito servatum illum fuisse putent, indéque Eusebis cognomentum illi tribuant) pervenit Aradum, & impositò sibi diademate Seleuco bellum intulit: quem uno prælio victum è totâ Syriâ expulit. (*Joseph. lib. 13. cap. 21. Appian. in Syriac. pag. 133.*) 4621 93

Seleucus fugâ delatus in Ciliciam, postquam à Mopsuestianis receptus est, cœpit ab eis tributa exigere: qui non ferentes exactionem, unà cum regiâ & ipsum & amicos concremaverunt. [*Joseph. ibid.*] Quoniam violentus & supra modum tyrannicus fuit, Mopsuestiæ in gymnasio crematum fuisse, *Appianus*; (*pag. 132.*) Ab Antiocho Cyziceni filio vivum exustum fuisse, *Eusebius* in Chronico: cùm fugisset in urbem, & percepisset Mopsuestianos vivum ipsum voluisse comburere, manus sibi ipsi intulisse, scribit *Porphyrius*. (*ut supr. pag. 227.*)

Gemelli fratres Selenci, Antiochus & Philippus, adductis copiis Mopsuestiam vi ceperunt, & fraternam mortem ulti eam diruerunt. Superveniens verò Cyziceni filius Antiochus Pius, prælio eos superavit. Et Antiochus quidem equo in Orontem è pugnâ fugiens, in flumine submersus est. Frater verò illius Philippus (ad quem nummos inscriptionem præferentes ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ refert *Scaliger*) & Antiochus Pius, ab anno 3° Olympiadis CLXXI. simul regnare incipientes; & æstimabiles copias habentes, de universo Syriæ regno obtinendo inter se decertârunt. (*Porphyr. ut supr. pag. 227.*)

3912 Ptolemæus Lathurus quartum Antiochi Grypi filium Demetrium Eucærum, Cnido accitum, regem Damasci constituit. Cui cum fratre Philippo copias conjungenti Antiochus Pius strenuè restitit. (*Joseph. lib. 13. cap. 21.*) Superatus tamen Antiochus, ad Parthos fugere coactus est. [*Porphyr. ut supr. Euseb. in Chronico.*] 4622 92

3913 Quum Mithridates Ponti rex Cappadociam, sublatis duobus filiis quos ex sorore ipsius Laodice Cappadocum rex (Ariarathis illius qui in bello contra Aristonicum occidit, & alterius Laodices, de quâ superiùs dictum, filius) susceperat, occupavisset: suo ipsius filio octo annorum puero, cui Ariarathis nomen imposuit, regno tradito & Gordio rectore ei addito: Nicomedes Philopator Bithyniæ rex timens, ne accessione Cappadociæ etiam Bithyniam finitimam ille invaderet, subornavit puerum eximiæ pulchritudinis, quasi Ariarathes tres non duos filios genuisset, qui à Senatu Romano paternum regnum peteret. Uxorem quoque Laodicen (Mithridatis sororem, quæ post mortem Ariarathis prioris mariti Nicomedi nupserat) Romam misit, ad testimonium trium ex Ariarathe susceptorum filiorum. Quod ubi Mithridates cognovit, & ipse pari impudentiâ Gordium Romam mittit; qui Senatui assereret, puerum cui Cappadociæ regnum tradiderat ex eo Ariarathe genitum, qui bello Aristonici auxilia Romanis ferens cecidisset. (*Justin. lib. 38. cap. 1, 2.*)

Galadenorum regina cum Parthis bellum gessit. In cujus auxilium vocatum Antiochum Pium Cyziceni filium fortiter in prælio dimicantem occubuisse; atque ita Syriæ regnum penès duos fratres Grypi filios, Philippum atque Demetrium Eucærum, remansisse scribit *Josephus*. [*lib. 13. cap. 21.*] Cum biennio, quod Philippo filio Grypi tribuit, Seleucidarum Imperium terminat *Eusebius* in Chronico. Sed cùm post hoc tempus, & Antiochum Pium à Tigrane regno pulsum fuisse, in fine Syriacorum suorum *Appianus*, & Philippum cum duobus fratribus suis Demetrio Eucæro & Antiocho Dionysio Damasci regibus bellum gessisse & Syriæ regno potitum fuisse, doceat Josephus: (*lib. 13. cap. 22. & 23.*) dicendum potiùs videtur, Antiochum Pium à Parthis (ad quos, non ut hostes, sed ut salutis perfugium & præsidium cum se contulisse, *Porphyrius* & *Eusebius* confirmant) reversum, suam Syriæ partem quam per biennium Philippus occupaverat recuperavisse, Philippúmque ut damnum illud resarciret de regno Damasceno ditioni suæ adjiciendo cum fratribus suis Demetrio & Antiocho contendisse (qui motus Syriæ regum illi fuisse videntur, à *Livio* in libro 70. enarrati) reliquámque omnem Syriam à Cyziceni filio non possessam, sibi vendicasse. Quorum certaminum à Philippo partim cum Antiocho Pio, partim cum fratribus suis per octo sequentes annos habitorum tandem pertæsi Syri, relictis Seleucidis, Tigranis Armeniæ regis imperio se subjecerunt: ut in libri 40 initio *Justinus* indicat. Antiocho verò *Pii* cognomentum per jocum à Syris datum *Appianus* (in loco citato) existimat; quòd Selenen duxisset, quæ priùs & patri ejus Cyziceno, & patruo Grypo, nupserat: indéque merito, divinâ ultione, à Tigrane pulsum fuisse pronunciat. 4623 91

Senatus Romanus, studio Regum Asiaticorum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, Mithridati Cappadociam, & Nicomedi, ad solatium ejus, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumeliâ regum foret, ademptum illis quod daretur aliis, uterque populus libertate donatus est. Sed Cappadoces munus libertatis oblatum abnuentes, missis ad Romanos legatis, negabant vivere gentem suam sine Rege posse. Quod miràti Romani, permiserunt eis ut de ipsorum corpore Regem suis quem vellent suffragiis crearent. Ita Rex ab iis factus est Ariobarzanes. (*Justin. lib. 38. cap. 2. Strabo, lib. 12. pag. 540.*) Romanis Gordium, quem Mithridates eis commendaverat, rejicientibus. (*Justin. lib. 38. cap. 5.*)

3914 L. Cornelius Sylla, finitâ prætură (quâ anno L. Cæsaris & P. Rutilii Consulatum præcedere functum illum fuisse, in libro historiæ suæ 2° *Velleius Paterculus* significat) quum præesset Ciliciæ, legatus in Cappadociam missus est; specioso expeditionis titulo ad Ariobarzanem in regnum reducendum, revera ut multa molientem Mithridatem reprimeret. Sylla igitur haud magnas secum copias adducens, sed promptâ usus operâ sociorum, magno quidem Cappadocum sed majore Armeniorum, qui Gordio suppetias venerant, numero interfecto, ipsum Gordium (cum intruso regulo Ariarathe, cui rector ille à Mithridate fuerat præpositus)

ejecit,

ejecit, & Ariobarzanem juxta Senatus decretum, Mithridate non contradicente; Regem declaravit. [*Liv. lib.* 70. *Plutarch. in Sylla. Appian. in Mithridatic. pag.* 208. *& lib.* 1. *Bell. Civil. pag.* 396.

Parthorum legati à rege Arsace missi ad Syllam venerunt, ut amicitiam à populo Romano peterent. [*Liv. lib.* 70. *Sext. Rufus in Breviario.*] quum nihil ante eam diem commercii inter utramque gentem intercessisset. Legationis illius princeps Parthus Orobazus fuit: qui cùm Syllam apud Euphratem agentem convenisset, tres sedes, unam Ariobarzani, alteram Orobazo, tertiam sibi posuisse Sylla dicitur, medúsque inter duos sedens audientiam dedisse legato. Quamobrem necavit postmodum Rex Parthorum Orobazum. *Syllam* alii prædicaverunt, quòd barbaros habuisset ludibrio; alii ut arrogantem & intempestivè ambitiosum culpaverunt. Memoriæ quoque proditum est quendam ex comitatu Orobazi Chalcidensem, inspecto Syllæ vultu, animique & corporis haud destructoriè observatis moribus, atque ad artis præcepta expensâ ejus naturâ, prædicasse, fieri non posse quin summus hic vir futurus esset: mirari etiam se, quemadmodum patiatur & nunc non esse omnium primus. (*Plutarch. in Syllâ: cum Velleio Paterculo, lib.* 2. *cap.* 24.) 4624 90

Syllam Romam regressum postulavit Censorinus repetundarum; quòd magnam pecuniam contra leges ex amico & socio regno cepisset. Verùm ad judicium non occurrit; sed accusationem reliquit. (*Plutarch. ibid.*)

Mithridates ad societatem Romani belli quod olim meditabatur Tigranem Armeniæ regem, nihil de offensâ Romanorum sentientem, pellexit: per Gordiam illi persuadens, ut Ariobarzani regni admodùm, quem Romani Cappadociæ Regem constituerant, bellum inferret. Et ne quis dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in matrimonium tradidit. [*Justin. lib.* 38. *cap.* 3.]

3915 Mithraas & Bagoas Tigranis duces, pulso Ariobarzane; qui primo eorum adventu sublatis rebus suis Romam contendit, Ariarathem in regnum deduxerunt. Atque ita per Tigranem rursùs Cappadocia juris esse Mithridatis cœpit. (*Id. ibid. & Appian. in Mithridatic. pag.* 176.)

Eodem tempore, mortuo Nicomede Philoparore, Senatus Romæ filium ejus Nicomedem, ex Nysâ (saltatrice à Mithridate, apud *Justinum* lib. 38. cap. 5. appellatâ) progenitum, Bithyniæ Regem instituit. Cujus fratrem ætate majorem Socratem, & ipsum *Nicomedem* appellatum atque *Chrestum* sive Frugi cognominatum; cum exercitu contra eum misit: qui, eo pulso, regnum ipse occupavit. (*Justin. ibid. Appian. pag.* 176. *&* 178. *Memnon. in Excerpt. Photii, cap.* 32.)

Quum regno pulsus Nicomedes supplex Romam venisset; decretum in Senatu est, ut & ille & Ariobarzanes in regna sua restituerentur. Legati ad hoc missi sunt, Manius Aquilius (qui servile bellum in Siciliâ confecit) & Matrinus sive (ut in MS. legitur) M. Altinius. (*Justin. & Appian. ut supr.*) Jussique adjutare, Lucius Cassius, qui Asiam Pergamenam cum exiguo obtinebat exercitu, & Mithridates ipse. Verùm is propter controversum jus Cappadociæ & Phrygiam sibi à Romanis ablatam, nihil eos juvit. (*Appian. ibid. pag.* 176, 177.) sed suis querelis quibusdam oppositis, & oblatâ legatis pecuniæ magnitudine quam publicè privatimque tunc expendisset, quievit. [*Dio, legat.* 30. *in edit. Græcâ, vel* 31. *in Græco-latinâ.*] licèt ipse in oratione quam *Trogus Pompeius* commemorat, & Cappadociâ filium suum eductum quam jure gentium victor occupaverat, & regem Bithyniæ Chrestum à se in gratiam Romanorum occisum fuisse, affirmet. (*Justin. lib.* 38. *cap.* 5.)

Mithridates societatem cum Tigrane, bellum adversùs Romanos gesturus, junxit: pactique inter se sunt, ut urbes agrique Mithridati, homines verò & quæcunque auferri possent Tigrani cederent. Et quantum bellum susciturus intelligens, legatos ad Cimmerios, alios ad Gallogræcos, & Sarmatas Bastarnásque, auxilium petitum misit. Nam omnes has gentes, Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus jam antè illexerat. A Scythiâ quoque exercitum venire jussit: (*Justin. lib.* 38. *cap.* 3.) omnes qui Tanaim & Istrum paludémque Mæotidem accolunt ad exequenda jussa ejus paratos habens. In Ægyptum quoque & Syriam misit qui societatem regum ei compararent. Naves stratas habuit 300: & alias insuper ædificabat: accitis è Phœniciâ & Ægypto properis ac gubernatoribus. Paternum & ipse regnum habuit viginti millia stadiûm parens in longitudinem; multásque circumvicinas gentes acquisivit; & inter eas Colchos gentem bellicosam. (*Appian. in Mithrid. pag.* 178. *&* 180.) Possedit enim regionem quæ Haly fluvio determinatur; usque ad Tibarenos & Armenios, atque intra Halyn usque ad Amastrin ac Paphlagoniæ quasdam partes. Adjecit autem ditioni suæ etiam oram maritimam versùs occasum usque ad Heracleam: in diversam verò partem Ponto adjecit quæ sunt usque ad Colchidem & Armeniam minorem. (*Strabo, lib.* 12. *pag.* 540, 541.) Gentes 25 sub ditione eum habuisse, scribit A. Gellius, (*lib.* 17. *cap.* 17.) 22. Valerius Maximus, [*lib.* 8. *cap.* 7.] Quintilianus, (*lib.* 11. *cap.* 2.) Plinius [*lib.* 7. *cap.* 24. *& lib.* 25. *cap.* 2.] earúmque omnium linguas percalluisse, neque cum subditis collocutum unquam fuisse per interpretem. Gentium quoque 22 ore locutum eum fuisse, in *Sexti Aurelii Victoris* lib. de viris illustrib. cap. 76. legimus: licèt pro 22, libri Manuscripti 50 numerum hic exhibeant. 4625 89

Quum Romani legati, cum Cassiano milite aliisque copiis è Galatiâ & Phrygiâ contractis, Nicomedem in Bithyniam, Ariobarzanem in Cappadociam reduxissent: ambobus mox suadebant, ut vicinam Mithridatis ditionem incursionibus vexando materiam belli quærerent; ostentantes spem auxilii. Neuter tamen vicinum tam potentem lacessere armis ausus est: sed urgentibus legatis, Nicomedes, qui magnam pecuniam pro restitutione ducibus & ipsis legatis ex pacto debebat, magnam etiam, aliàs à Romanis Asiaticis ad usuram acceperat, quæ tum re-

petebatur, invitus in ditionem Mithridatis irrupit, & usque Amastrim urbem populatus est, nemine verante occurrentéve. nam Mithridates, quamvis paratas haberet copias, tamen cedebat, ut multas justásque causas belli haberet. (*Appian. Mithridatic. pag.* 177. *cum Livio, lib.* 74. *& Dione, legat.* 30. *vel* 31.) de quâ Romanorum injuriâ ita illum conquerentem in Epistolâ ad Arsacem, libro 4°. Historiarum inducit Salustius. *Nam quid ego me appellem? quem disjunctum undique regnis & tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, neque serviturum illum undique reguis & tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, neque servieturum undique regnis & tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, neque servieturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris eorum haud ignarum, & ea quæ accidêre testatum antea.*

Ubi Nicomedes cum magnâ prædâ domum rediit, Mithridates ad Romanos duces legatósque, quorum voluntate hæc facta non ignorabat, Pelopidam oratorem misit, de injuriis à Nicomede illatis expostulaturum. Cúmque Nicomedis legati culpam in Mithridatem, à quo primum injuriæ initium factum esset, conjicerent: Romani respondêrunt, neque placere sibi Mithridatem molestiâ ullâ à Nicomede, neque ut Nicomedi bellum inferretur passuros. Itaque Mithridates, ut apertè à Romanis læsus, misit cum magnâ manu filium Ariarathem ad occupandum regnum Cappadociæ: qui mox Ariobarzane pulso ibi regnavit. (*Appian. in Mithridatic. pag.* 179. *cum Livio, lib.* 76. *& 77. Eutrop. lib.* 5. *& Oroste, lib.* 6. *cap.* 2.) Manlio sive M. Altinio, Romano legato, etiam ibi superante. (*Justin. lib.* 38. *cap.* 4.)

Romam Mithridates legatos misit, petens à Romanis; ut, si Nicomedem pro amico haberent, vel persuaderent, vel cogerent hominem ex æqui justique ratione secum agere: sin autem, hostis ulciscendi potestatem sibi facerent. Romani non modò nihil eorum egere, quæ volebat; sed etiam minas addidere, ni Cappadociam Ariobarzani restitueret, pacémque cum Nicomede coleret. Simul legatos ipsius eo die discedere jusserunt: ac præterea prohibuerunt, nisi paruisset imperio, nullum ut amplius legatum mitteret. (*Dio, legat.* 31. *vel* 32.)

Interim verò Pelopidam ad Romanorum duces Mithridates ablegavit; ut eis significaret se legatos quæstum de illis ad Senatum misisse, & ut ibi ad causam dicendam adessent denuntiaret, néve quicquam absque communi Senatûs Populique Romani decreto inciperent. Cujus oratio quum visa illis esset insolentior, jusserunt Mithridatem abstinere à Nicomede & Cappadociâ (sibi enim curæ fore ut mox in eam restituatur Ariobarzanes:) Pelopidam autem statim castris excedere; &, nisi Rex jussa faciat, non redire amplius. Cum hoc responso dimissus est, non sine custodiâ, ne quem obiter corrumperet. (*Appian.*)

Statim verò Romani duces, non expectatâ ex Urbe de tanto bello Senatûs aut populi sententiâ, è Bithyniâ, Cappadociâ, Paphlagoniâ & Gallogræciâ copias contraxerunt: quibus se L. Cassii, cum quo Asiam obtinebat, adjunxit exercitus. Divisísque copiis, Cassius castrametatus est in confinio Bithyniæ & Galatiæ, Manius Aquilius quà transitus patebat Mithridati in Bithyniam, & Oppius in finibus Cappadociæ: singuli cum 40 peditum equitúmque millibus. Habebant & classem circa Byzantium, cui Minutius Rufus & C. Popilius præerant, ad oris Ponti custodiam. Juvabat eos & Nicomedes cum peditum 50, equitum 6. millibus. (*Idem.*)

Mithridates in exercitu proprio habebat 250 peditum, 40 equitum millia, 300 naves tectas, 100 dicrota, & alium apparatum pro ratione tam numerosæ militiæ. Præerant autem his copiis Neoptolemus & Archelaus duo fratres; & ipse Rex per se administrabat plurima. Inter auxilia verò Arcathias Mithridatis filius adduxerat ex Armeniâ minore 10 millia equitum: Dorylaus phalangitis (gravis peditum armaturæ) præerat, Craterus 130 falcatis curribus. [*Id.*]

Ut ad Amniam fluvium in latis campis conspexerunt se Nicomedes & duces Mithridatis (ipse enim non aderat) instruxerunt acies: Nicomedes omnes suos, Neoptolemus & Archelaus expeditos tantùm & equites Arcathiæ & currus aliquot: nam phalanx adhuc erat in itinere. Diu verò alternante victoriâ, Mithridatis duces, licèt militum numero inferiores, incredibili strage à falcatis curribus editâ, Nicomedem cum suis in Paphlagoniam fugere coëgerunt; castrisque & pecuniis hostium sunt potiti. [*Id. cum Memnone cap.* 33. *& Strabone, lib.* 12. *pag.* 562.]

Nicomedes ita fugatus, prope Manium Aquilium castra admovit. Mithridates Scorobam montem ascendit, qui est Bithynorum & Ponticorum confinium. Ejus antecursores 100 equites Sarmatæ, cùm fortè offendissent 800 Nicomedis equites, ceperunt ex eis aliquot. Manium Aquilium retrocedentem Neoptolemus & Nemanes Armenius circa primum Pachium vicum assecuti horâ septimâ, quum abiisset Nicomedes ad Cassium, coëgerunt pugnare, ducentem equitum quatuor millia, peditum verò decuplum: cæsísque decem millibus, 300 vivos ceperunt. Ipse verò Aquilius, castris amissis, fugiens ad Sangarium fluvium, nocte eum trajecit, & evasit in Pergamum. [*Appian. cum Livio, lib.* 77.]

Cassius & Nicomedes, & cæteri quotquot legati Romani aderant, moverunt castra in Leontocephalen, castellum Phrygiæ munitissimum: ubi novitiam tironum multitudinem ex opificibus aut agricolis aut plebe infima collectam armis exercebant, & novos ex Phrygibus delectus faciebant. Sed quum utrique pigri essent ad officium, dimissis omnibus recessêrunt: Cassius cum suis copiis Apameam, Nicomedes Pergamum, Aquilius Rhodum versùs. Quæ ubi audierunt oris Ponti custodes, dispersi sunt; claustris Ponti & Nicomedis navibus Mithridati traditis. [*Appian.*]

Captivos omnes in bello isto comprehensos Mithridates cum viatico ad suos remisit; ut apud hostes clementiæ opinionem sibi pararet. [*Id.*] Quæ ejus humanitas quum omnium sermonibus celebraretur, statim universæ civitates certatim se ejus partibus adjunxerunt. Itaque cernere erat legatos singularum civitatum decretis publicis eum invitantes, Deúmque ac Servatorem appellantes. Advenúque Regis cognito, cuncti è civitatibus effusi in veste candidâ illum ingenti lætitiâ excipiebant. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 401.] augustiori honore quàm pro mortalium sorte Deum eum appellantes & implorantes. [*Athenæus, lib.* 5. *cap.* 11.] domi-númque, patrem, conservatorem Asiæ, Euium, Dionysium, Nysium, Bromium, Bacchum nominantes.

nominantes. (*Cicero, pro Flacco.*) Qui Bacchi, præ aliis, titulus quamobrem illi fuerit attributus, in primo Sympoſiacorum libro *Plutarchus* explicat.

Mithridates igitur, in Italiam Nicomede ſe ſubducente, primo aditu occupatâ totâ Bithyniâ, obibat eam, civitates conſtituens & ordinans. (*Memnon. cap. 33. Liv. lib. 76. & 77. Strabo, lib. 12. pag. 562. Appian. pag. 183.*) Phrygiam deinde provinciam populi Romani cum ingenti exercitu intravit. (*Liv. lib. 77.*) ibique uſus eſt Alexandri diverſorio: fauſtum omen putans ſi ubi Alexander interquievit, pernoctaret Mithridates. Atque ita & Phrygiæ reliqua, & Myſiam Aſiámque, Romanorum provincias recentes, percurrebat uſque ad Cariam & Lyciam. (*Appian. pag. 183.*)

3916 Mithridates, miſſis circumquaque ſuis ducibus, ſubegit Lyciam & Pamphyliam aliáque uſque Ioniam. (*Appian. pag. 184.*) Paphlagoniam quoque invaſit, pulſo ex eâ rege amico populi Romani Pylæmene. (*Eutrop. lib. 5. Oroſ. lib. 6. cap. 2. cum Appiano in Mithridatic. pag. 209.*)

Athenionem, Athenonis Peripatetici ex ſervâ Ægyptiâ filium, (qui à mortuo domino hæres relictus, & Athenis in civitatem adſcriptus, Ariſtionis aſſumpto nomine adoleſcentulos in rhetoricâ & Peripatericâ philoſophiâ inſtituebat) legatum Athenienſes ad Mithridatem miſerunt. Qui in regiorum amicorum numerum receptus, litteris ſuis ad rerum novarum ſpem eos erigebat. [*Athenæus, lib. 5. cap. 10. & 11. ex Poſidonii Apameni hiſtoriâ.*] Homo ex impudentiâ ſimul ac ſævitiâ conflatus; qui ex Mithridatis vitiis teterrima quæque quaſi quandam in ſe colluviem traxerat. (*Plutarch. in Syllâ; & ejus exſcriptor Dio, in Excerptis Valeſii, pag. 649.*)

Quum Laodicenſibus Lycum fluvium accolentibus, ad quos Q. Oppius Pamphyliæ Proconſul cum equitibus & mercenario milite ſe receperat, per præconem Mithridates ſecuritatem promiſiſſet, ſi Oppium ei dederent; mercenarios quidem dimiſerunt, ipſum verò Oppium adduxerunt ad Mithridatem, præcedentibus lictoribus in ludibrium. Eum Mithridates ſecum circumducebat, oſtentans captivum ducem Romanum. [*Liv. lib. 78. Athen. ut ſupr. cap. 11. Appian. pag. 184.*]

Prævalentibus per Aſiam Mithridatis partibus, quum urbes omnes miro quodam impetu deficerent à Romanis, Lesbii non ſolùm ſeipſos ſed etiam Aquilium, qui Mitylenas confugerat ibíque ex morbo curabatur, Regi tradere conſtituerunt. Itaque lectos juvenes corporum robore præſtantes ad ejus diverſorium miſerunt: qui facto ſimul impetu correptum Aquilium vinxerunt, rati pulcherrimum ſe munus ac Mithridati gratiſſimum oblaturos eſſe. (*Diodor. Sicul. in Excerptis Valeſii, pag. 401.*] Cum Aquilio quoque alios Mithridati vinctos Mitylenæi tradiderunt. (*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 18.*) Aquilium verò, legationis & belli hujus authorem præcipuum, vinctum in aſino Rex circumvehebat; coactum ſuâpte voce apud ſpectatores proclamare ſe eſſe Manium Aquilium. Idémque Manius longâ nexus catenâ, cum Baſtarne quodam procero cubitos quinque, pedes ab equite interdum trahebatur. Tandem verberibus atque omni ſupplicio excruciato Pergami aurum liquatum in os ejus infundi juſſit Mithridates, corruptelas largitionum exprobrans Romano nomini. (*Athen. & Appian. ut ſupr. cum Cicerone, in Orat. pro lege Manilià & lib. 5. Tuſculan. quæſt. Livio, lib. 78. & Plinio, lib. 33. cap. 3.*)

Ordinatis deinde ſatrapis adivit Rex Magneſiam, Epheſum & Mitylenem, hilariter exceptus ab omnibus: Epheſiis etiam Romanorum effigies apud ſe poſitas tollentibus. (*Appian.*)

Eo favore civitatum exceptus Mithridates, multum ibi auri argentíque, ſtudio veterum regum, magnúmque belli apparatum invenit: quibus inſtructus, debita civitatibus publica privatáque remiſit, & vacationem quinquennii conceſſit. (*Juſtin. lib. 38. cap. 3.*) *Ego ultus injurias, Nicomedem Bithyniâ expuli, Aſiámque ſpolium regis Antiochi recepi, & Gracia dempſi grave ſervitium:* inquit ille, in epiſtolâ ad Arſacem; libro 4°. Hiſtoriarum *Saluſtii.*

Ex Ioniâ revertens Mithridates cepit Stratoniceam, mulctavitque pecuniâ, & impoſuit ei præſidium: ubi conſpicatus formoſam virginem Monimam Philopœmenis filiam, recepit in ſuum gynæceum. Cum Magnetibus autem & Paphlagonibus Lyciiſque, propter præſidia reſiſtentibus, bellum continuabat. (*Appian.*) ubi Magnetes ad Sipylum montem Archelaum illius ducem incurſionibus fines ſuos vaſtantem, multis ex Barbarorum agmine cæſis, vulneraverunt. (*Pauſan. in Atticis, pag. 18.*)

Cleopatra Ægypti regina, quum occultis inſidiis filio Alexandro exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur: digna prorſùs hâc mortis infamiâ, quæ etiam matrem thoro expulit, & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit, & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per inſidias machinata eſt. (*Juſtin. lib. 39. cap. 4. cum Pauſaniâ in Atticis, pag. 8. Athenæo, lib. 12. cap. 27. & Euſebio in chronico.*) Regnaverat autem ille, ſimul cum matre, annos 18. (*Porphyr. in Grac. Euſeb. Scalig. pag. 225.*)

Ubi primùm compertum eſt, ſceleſte Alexandri matrem interfectam, concurſu populi facto, ille civium metu aufugit. Poſt cujus fugam Alexandrini, miſſis in Cyprum legatis, ſeniori fratri Ptolemæo Lathuro inde revocato regnum Ægypti reddiderunt: qui per annos 8 vel (ut exactius *Porphyrius* tempus expreſſit) annos 7. & menſes 6. eo deinceps potitus eſt. (*Juſtin. lib. 39. cap. 5. Pauſan. Porphyr. & Euſeb. ut ſupr.*)

Anna prophetiſſa filia Phanuelis, marito defuncto, vidua per 84 annos in Templo (uſque dum Chriſtum in eo præſentem vidit) jejuniis ac precibus vacavit, Deo ſerviens nocte ac die. (*Luc. II. 37.*) 4626 88

Itali defectores ad Mithridatem miſerunt, ut in Italiam adversùs Romanos adduceret copias: ita enim facilè conjunctis copiis poſſe Romanorum vires detrudari. Quibus ille reſponſum dedit, ductarum ſe copias in Italiam, poſtquàm Aſiam ſubegiſſet: id enim tum agebat. Eam ob rem Italis animos deſpondentibus, bellum Sociale ſive Marſicum ſopitum eſt. (*Diodor. Sicul. in Bibliothecâ Photii, cod. 244.*) In quo, inter externarum gentium auxilia miſſa populo Romano (à *Livio* in libro 72° commemorata,) duæ quadriremes rectæ fuerunt, ab Heracleotis Ponti ſuppe-

ditatæ ; quarum in eorum hiſtoriâ Memnon meminit. (*cap.* 31.) Ab Italorum verò partibus, inter alios, Agamemnon Ciliæ pirata ſterit: cujus, in Excerptis Valeſii pag. 398. *Diodorus Siculus*, & in lib. 5. cap. 18. mentionem facit *P. Oroſius*.

Mithridates, cives Romanos per urbes Aſiæ diſperſos conſiliis ſuis impedimento eſſe intelligens, Epheſo ſecretas litteras ſatrapis omnibus civitatúmque magiſtratibus ſcripſit, ut univerſi ad eandem diem trigeſimam invaderent armis Romanos Italóſque hoſpites cum uxoribus, liberis, cæteriſque ingenuis domeſticis Italici generis, & occiſos inſepultos abjicerent: & bona eorum partim Regi, partim percuſſoribus cederent. Per præconem etiam interminatus eſt multam cæſos ſepelientibus aut vivos celantibus; præmio propoſito iis qui latitantes tollerent: pollicitus ſervo libertatem ſi herum occideret, debitori verò creditorem necanti debitæ pecuniæ dimidium. His clàm ad omnes ſimul ſcriptis, ubi ſtatuta dies venit, nullo modo explicari aut comprehendi verbis poteſt, quæ tunc multitudo Romanorum civium cæſa ſit, quis mœror plurimarum provinciarum, quis gemitus occidendorum pariter atque occidentium fuerit; cùm ſinguli quique aut prodere innocentes hoſpites & amicos, aut ipſi periclitari pœnâ hoſpitum cogerentur. (*Appian. in Mithridatic. pag.* 185. 206, 209, & 212. *cum Cicerone, in Orat. pro lege Manilia, & pro Flacco. Memnone, in Excerpt. cap.* 33. *Livio, lib.* 78. *Velleio Paterc. lib.* 2. *cap.* 18. *Floro, lib.* 3. *cap.* 5. *Eutrop. lib.* 5. *& Oroſio, lib.* 6. *cap.* 2.

Ibi Epheſii è Dianæ templo ab ipſarum ſtatuarum complexu diſtractos interficiebant. Pergameni eos qui in ædem Æſculapii confugerant, quum nollent abſcedere, ſtatuis hærentes ſagittis configebant. Adramytteni abnatare conatos in mare perſequendo necabant, ſimúlque infantes eorum ſubmergebant. Caunii (Antiocho devicto attributi Rhodiis, & paulò antè à Senatu juri ſuo redditi) Italos qui ad ſacratam ejus civitatis curiam confugerant ab ipſis aris protraxerunt: cæſíſque priùs in conſpectu matrum infantibus, ipſas deinde, & poſtremò earum maritos, interemerunt. (*Appian. ut ſupr. pag.* 185.) Tralliani ipſi quidem neminem occiderunt, ſed, ne hoſpitum cæde manus contaminarent ſcilicet, Theophilum quendam Paphlagonem virum trucem ad hoc mercede conduxerunt: qui in ædem Concordiæ concluſos tam immaniter contrucidavit, ut ſtatuas complectentibus manus amputaret. (*Id. ibid. cum Dione, in Excerptis Valeſii, pag.* 642.)

Apud Mitylenæos P. Rutilius Rufus exulans crudelitatem Regis in togatos, ſoccos & pallium aſſumendo, homo conſularis vitavit. (*Cicero, pro C. Rabirio Poſthumo.*) Ut Theophanis Mitylenæi, rerum Pompei Magni ſcriptoris, commentum nullo modo fuerit recipiendum: qui in arce Καγῶ à Pompeio receptâ, inter alia Mithridatis arcana, Rutilii quoque orationem repertam eſſe prodidit, quâ ad hanc Romanorum cædem Regem ille incitaverit: (*Plutarch. in Pompeio.*) Ejuſmodi verò veſtitûs mutatione & alii Romani, ut imminens periculum effugerent, tum ſunt uſi. (*Athen. lib.* 5. *cap.* 11.) Calaminæ quoque in Lydiâ fluctuantes inſulæ multorum civium ſalus fuit. (*Plin. lib.* 2. *cap.* 95.) Occiſorum tamen uno illo die numerus 80 millium fuit. (*Memnon, cap.* 33. *Valer. Maximus lib.* 9. *cap.* 2.) non 150, ut apud Plutarchum (*in Syllâ,*) & eum ſecutum Dionem (*legat.* 36. *vel* 37.) ille relatus reperitur.

Mithridates in Coum trajecit: ubi exceptus à libentibus, Alexandri qui in Ægypto regnaverat filium, (& ipſum Alexandrum dictum,) cum multis pecuniis in Coo relictum a Cleopatrâ aviâ, & à Coïs ſibi deditum aſſumpſit educavitque regiè; & è theſauris Cleopatræ magnas divitias, artificum opera egregia, gemmas, mundum muliebrem, magnámque vim pecuniæ miſit in Pontum. (*Appian. in Mithridatic. pag.* 186, 252, 253. *& Bell. civil. lib.* 1. *pag.* 414.) Præter Cleopatræ verò theſauros, etiam Judæorum 800. talenta Mithridatem inde abſtuliſſe, ex Strabonis Hiſtoriarum libris confirmat *Joſephus*: quæ à Judæis Aſiaticis, metu belli Mithridatici, depoſita in eâ inſulâ fuiſſe exiſtimat, ad Templum Hieroſolymitanum deferenda. (*lib.* 14. *cap.* 12.)

Alexander, junioris Alexandri jam dicti pater, anno Ægyptiaci ſui regni 19, (Cyprii, 26) ab Ægyptiis, ductore Tyrrho regum cognato, prælio navali victus, unà cum uxore & filiâ ad urbem Lyciæ Myra fugere coactus eſt: unde in Cyprum declinans, à Chæreâ navarcho prælio exceptus interiit. (*Porphyr. in Græc. Euſeb. Scalig. pag.* 225.)

Athenio, ſive Ariſtio, legatus ad Athenienſes ex Aſiâ à Mithridate remiſſus, tempeſtate Caryſtiam in Euboeâ delatus eſt: ad quem inde referendum naves longas, ſellámque argenteis ſultam pedibus, Athenienſes miſerunt; maximâ ferè parte civitatis ad eum excipiendum effuſâ. Qui præfecturam urbis adeptus, ſævam ibi tyrannidem exercuit; eorum qui Romanis favebant aliis occiſis, aliis Mithridati traditis. Cujus tyrannidem multi fugientes, Amiſum Athenienſium in Aſia coloniam habitatum ſe contulerunt; ibíque in civitatem recepti ſunt. (*Poſidonius Apameus, apud Athenæum, lib.* 5. *cap.* 11. *cum Plutarcho in Lucullo, & Pauſaniâ in Atticis, pag.* 18.)

Quotquot Itali evaſerant ex Aſiâ, Rhodi habebant receptaculum, & in his L. Caſſius Proconſul Aſiæ. Rhodii mœnia portúſque munierunt, & inſtruxerunt machinis: nonnullis Telmiſſenſibus & Lyciis adjuvantibus. Et adventante cum claſſe Mithridate, ſuburbia diruerunt, ne hoſtibus eſſent uſui: navéſque ad pugnam inſtruxerunt, alias à fronte, alias à lateribus. (*Appian.*) Solâ verò navium multitudine inferiores, reliquis omnibus longè ſuperiores erant. Námque & arte gubernatorum, & aptâ navium inſtructione, & peritiâ remigum; & militum fortitudine, ſcientiâ denique ac virtute præfectorum Rhodii præſtabant. Contrà autem Cappadoces imperiti navalis pugnæ & inexercitati &, quæ exitii cauſa ſolet eſſe, incompoſiti agebant. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valeſ. pag.* 402.)

Cappadoces navale prælium, ſub oculis ac conſpectu Regis ſui ineuntes, animorum alacritate benevolentiam ſuam illi approbare cupiebant. Cúmque navium duntaxat numero potiores eſſent, omni arte circumvenire hoſtium claſſem atque intercipere conabantur. [*Diodor. ibid.*] Tandem verò Damagoras claſſis Rhodiorum præfectus poſt Solis occaſum cum ſex navibus 25 regias adortus, duas ex eis demerſit, duas item alias in Lyciam compulit: & nocte in alto exactâ reverſus

eſt. In

eſt. In quo certamine, navem Mithridatis ſuos hortantis Chia ſocia per tumultum impacta concuſſit: propéque fuit, ut ipſe Rex in hoſtium veniret manus. Quod ille non diſſimulans poſtea, gubernatorem & proretam affecit ſupplicio; atque Chiis iratus eſt omnibus. Deinde terreſtres copias, ad Mithridatem ex Aſiâ navigantes in onerariis & triremibus, turbo repentinus ad Rhodum tranſverſus appulit. Quas turbatas adhuc tempeſtate diſperſáſque aggreſſi Rhodii, partim ceperunt partim perforârunt incenderúntque; & 400. viros captivos abduxerunt. Ad extremum Mithridates, ſambucâ machinâ & ſcalis ad urbis oppugnationem ſruſtrâ admotis, victus cum ignominiâ à Rhodo receſſit. (*Appian. cum Memnone, cap.* 33. *& Livio, lib.* 78.)

Obſeſſis deinde Pataris, cædebat Latonæ lucum ad machinas, donec minaci ſomnio juſſus eſt abſtinere à ſacris arboribus: relictóque ad bellum in Lyciâ continuandum Pelopidâ, Archelaum miſit in Græciam, ut ſuadendo cogendóque quotquot poſſet civitates ad partes ſuas adduceret. Ipſe poſthac pleraſque curas committens ſuis ducibus, delectus habebat militum & arma fabricabat, & oblectabat ſe cum Stratonicenſi muliere Monimâ; & pro tribunali cognoſcebat cauſas eorum qui dicerentur inſidiati ejus ſaluti, aut res novas moliti, aut quomodocunque proclives. (*Appian. pag.* 188.)

Archelaus præfectus Regis cum 120 millibus equitum ac peditum in Achaiam præmiſſus, Athenarum civitatem ab Ariſtione Athenienſi traditam accepit. (*Liv. lib.* 78. *Eutrop. lib.* 5. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2.) Profectúſque cum claſſe & cibariis Delum, quæ ab Athenienſibus defecerat, & alia caſtella expugnavit. Pecuniam quoque Apollini dicatam è Delo Athenienſibus per Ariſtionem miſit, miſſis ſimul ad cuſtodiam pecuniæ duobus millibus militum. (*Appian. pag.* 188, 189.) Apellicon verò Teius (ut refert *Athenæus*, lib. 5. cap. 11.) civis Athenienſis, & Athenioni ſive Ariſtioni illi ob ſectæ Peripateticæ ſocieratem conjunctiſſimus, cum cohortibus aliquot Delum celeriter profectus, negligentiùs circa inſulam diviſis cuſtodiis, atque adeò poſteriore inſulæ parte ſine præſidio & vallo relictâ, ſecurus ibi commorabatur. Quâ hominis ſocordiâ & imprudentiâ intellectâ, Orobius (ſive Orbius) exercitûs Romani dux, cui Deli tutela commiſſa fuerat, nocte illuni expoſitis ſuis militibus, ſopitos & ebrios adortus, Athenienſes ac eorum commilitones pecudum more trucidavit, numero 600. vivos cepit, ad 400. præclaro illo duce Apelliconte fugâ clanculùm elapſo. Multos, quos in villas confugientes erat conſpicatus, exuſſit cum ipſis ædificiis, & helepoli eunctiſque aliis ipſorum machinis obſidionalibus. Deinde trophæum erexit & aram, cui hæc inſcripſit:

Τὰς ὁ Θυνίτας ἴχνι ξείνας πάρος, αἰ πρὶ δὲλον
Διαπάλμοι ψυχὰς ὤλισαν ἐν πελάγει.
Τλαῖ ἱρὸν ὅτι νῆσον Ἀθηναῖοι κεραίζον,
Κοὐκὶ Ἄρα βασιλῆι Καππαδόκων δέρθεν.
Hic peregrina jacet gens, circum littora Deli
Quæ pugnans animas perdidit in pelago.
Inſula Cecropidûm quum devaſtata tumultu eſt,
Illic Cappadocum juncta ubi turma fuit.

3917 Metrophanes ſubmiſſus à Mithridate cum aliâ manu militum, Eubœam & agros Demetriadis Magneſiæque, quæ civitates à factione regiâ abhorrebant, populabatur. Quem Bryttius (ſive Brutius Sura, prætoris Macedoniæ Sentii legatus, ut *Plutarchus* indicat) aggreſſus è Macedoniâ cum exiguis copiis, navali pugnâ certavit: demerſáque unâ nave magnâ & unâ hemioliâ, omnes ſocios navales qui in eis fuerant occidit, inſpectante Metrophane. Ille verò territus fugit: quem ſecundo vento navigantem cùm Bryttius aſſequi non poſſet, Sciathum inſulam expugnavit, quæ prædonum barbarorum erat receptaculum. Quibus in poteſtatem redactis, ſervos in crucem egit, liberos abſciſſis manibus mulctavit. (*Appian.*)

Ex filiis Mithridatis, unus in Ponto & Boſphoro vetus regnum uſque ad ſolitudines ſuper Mæotim lacum, adverſante nullo, obtinebat: alter Ariarathes ingentibus copiis Thraciam & Macedoniam inſiſtebat ſubigere. Duces ejus cum exercitibus alias oras domabant: quorum Archelaus princeps claſſe fermè totum obtinens pelagus, inſulas Cycladas in ditionem redigebat, aliáſque quotquot intra Maleam poſitæ ſunt. (*Plutarch. in Syllâ.*) Eretriâ quoque & Chalcide, adeóque totâ Eubœâ, ad Mithridatis partes accedente. (*Memnon. cap.* 34.)

Lucius Sylla, diſceſſum ejus urgente Conſule L. Cornelio Cinnâ, Proconſulari poteſtate cum quinque legionibus & cohortibus alíſque aliquot ad bellum Mithridaticum gerendum in Græciam profectus eſt. (*Plutarch. in Syllâ. Dio, in Excerpt. Valeſ. pag.* 642. *Appian. in Mithridatic. pag.* 190. *& lib.* 1. *Bell. Civil. pag.* 399.) Sedebat tum Pergami Mithridates, opes, dynaſtias & dominatus amicis diſperriens. Memorant, quo tempore claſſem Sylla ab Italiâ ſolvit, inter alia quæ agenti Pergami Mithridati oblata fuerunt prodigia, Victoriam coronatam, quæ à Pergamenis ſupernè demittebatur machinis, quum penè attingeret caput ejus, delapſam coronam in theatro ad ſolum diffractam fuiſſe: atque inde horrore populum, Mithridatem ingenti fuiſſe conſternatione perculſum; licèt omnia ei id temporis ex ſententiâ procederent. (*Plutarch. in Syllâ.*) 4627 87

Inter reliqua prodigia, quæ Mithridati adversùs ſocios populi Romani bellum paranti apparuerunt, ſub conſulatu L. Syllæ & Q. Pompeii à Julio Obſequente commemorantur iſta. „Scra„topedo, ubi Senatus haberi ſolebat, corvi vulturem tundendo roſtris occiderunt. In eundem „locum ſidus ingens cœlo demiſſum, Iſidis ſpecies viſa fulmine petere. Lucum Furiarum cùm „Mithridates ſuccenderet, riſus exauditus ingens, ſine authore. Quum aruſpicum juſſu virgi„nem Furiis immolaret; è jugulo puellæ riſus oenus turbavit ſacrificium.

Romæ M. Cicero Moloni Rhodio dedit operam, & actori ſummo cauſarum, & magiſtro. [*Cicero, in Bruto.*] Alabandenſis hic è Cariâ fuit Orator: ut infrà, ad annum Mundi 3927. ex *Strabone* declarabitur.

Sylla

Sylla ingressus Atticam, missâ parte copiarum ad oppugnandum in urbe Aristionem, ipse rectâ Piræum petiit, ubi Archelaus præfectus Mithridatis intra muros se receperat. (*Appian.*)

3918 Hyeme appetente, ad Eleusinem castrametatus Sylla, fossam à montibus ad mare profundam deduxit. Cúmque navibus indigeret, Rhodum misit qui eas accerserent. [*Id.*]

Athenas, longâ fame fatigatas, Sylla tandem cepit: & quidem, ut ipse in Commentariis suis retulit. *Kalendis Martiis. ὅτῳ ἡμέρᾳ συμπίπτοι μάλιστα τῇ τυμπανίᾳ τῇ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, ἐν ᾧ ἀρχὴν τέχνης ἐπομνήματα τελοῦσι τῷ διὰ τὸν ἐπομβρίαν ἐλθόντι ἐκ τῆς φθορᾶς ἰκόνος ἄρσενι, οὐ τότε ἐκ πυθέσθαι τὸν χρόνον ἐκεῖνον μάλιστα τῷ καταλοιπῷ συμπίπτοντα*, inquit *Plutarchus*; cum mensis Anthesterionis initio, quo Ogygii diluvii ab Atheniensibus celebrabatur memoria, diem illum conferens. Utut verò Lunaris Atheniensium Anthesterion Plutarchi ætate, Juliano Martio quandoque responderit: in vitiosâ tamen anni ratione hoc tempore à Romanis observatâ, Kalendæ Martiæ in Posideonem potiùs Atticum & Julianum Decembrem incidisse possent videri.

Rhodii, quum non possent mare, vagantibus Mithridatis classibus, ad auxilium Syllæ ferendum trajicere, L. Lucullum virum inter Romanos illustrem, unum ex Syllæ legatis, jussérunt clàm navigare in Syriam, Ægyptum & Libyam; collectisque navibus à regibus, & civitatibus quæ exercerent rem nauticam, classem aliquam ad Rhodiam adjungere: Ille mediâ hyeme, nihil infestum mare veritus, cum tribus Græcis myoparonibus & dicrotis totidem Rhodiis in tantum periculum se demisit vasti pelagi ac navium hostilium, quæ, quòd mari potirentur, passim vagabantur frequentes. In Cretam tamen decurrit, cúmque sibi adjunxit. (*Appian. in Mithridatic. pag.* 192. *Plutarch. in Lucullo.*) 4628 86

Aristio tyrannus & cæteri, qui urbe captâ in arcem Atheniensem confugerant, à Curione diu obsessi, aquæ penuriâ tandem pressi dedere se coacti sunt. Eodemque die & momento quo tyrannum ex arce Curio deduxit, coierunt ex sereno nubes; unde imber ingentibus fusus procellis arcem aquâ implevit. Aristionem verò cum suo satellitio, quive magistratum aliquem gesserant, aut quomodocunque à constitutionibus Romanorum post captam Græciam ordinatis discesserant, affecit Sylla supplicio: cæteris dedit veniam. (*Appian. ibid. pag.* 195, 196. *Plutarch. in Syllâ. Strabo, lib.* 9. *pag.* 398.) Aristionem, qui in Minervæ templum confugerat, vi inde extractum interfici jussisse Syllam, refert Pausanias. (*in Attic. pag.* 18.) Veneno à Syllâ necatum eum fuisse, dicunt alii. (*Plutarch. in Syllâ.*)

Magnesia, quæ sola in Asiâ civitas in fide manserat, summâ virtute adversùs Mithridatem defensa est. (*Liv. lib.* 81.)

Lucullus Cyrenæos continenter à tyrannis & bello exagitatos inveniens, Rempublicam eorum constituit & legibus firmavit. (*Plutarch. in Lucullo.*) Post libertatem enim à Romanis ante decennium illis donatam, Nicocratis & fratris ejus Leandri tyrannidem fuerant perpessi, & ab eâ nuper Aretaphilæ uxoris Nicocratis strenuâ operâ liberati; ut in libello de virtutibus mulierum pluribus *Plutarchus* ostendit. Et post decennium alterum, Cyrene à Romanis provincia facta est: ut infrà ad Annum Mundi 3928. ex *Appiano* declarabitur. Hoc verò tempore, Judæorum seditione agitatam fuisse Cyrenem, atque ad eam sedandam Lucullum à Syllâ fuisse missum; ex Strabonis Historiarum libris confirmat *Josephus*. (*lib.* 14. *cap.* 12.)

Dum Cyrenis cursum in Ægyptum Lucullus dirigit, piratarum incursu omnia ferè amisit navigia. Incolumis ipse tamen Alexandriam magno cum honore est delatus. Classis enim ei universa, ut Regi naviganti fieri solebat, eximiè exornata processit obviam: eúmque Ptolemæus (Lathurus; cui *μειρακίῳ*, vel adolescentis appellatio à Plutarcho parum appositè hîc tribuitur) mirificâ humanitate excepit; &, quod duci extraneo ante eum delatum fuerat nemini, diversorium & cænationem ei in regiâ dedit. Impensarum verò & sumptus non quantum cæteris, sed quadruplum tantum illi præbuit. Neque is tamen præter necessaria admisit quicquam: nec donum, licèt missa fuerint quæ valerent 80. talentis, accepit. Dicitur autem neque Memphim adisse, neque quicquam ex celebratis Ægypti miraculis vidisse: quòd feriantis hæc spectatoris & delicati essent, non, sicut ipse, qui sub dio tendentem juxta hostium præsidia reliquisset imperatorem. (*Plutarch. in Lucullo.*)

Ptolemæum regem Alexandriæ Consuli Syllæ eum conciliavisse, scribit *Aurelius Victor.* (*de vir. illustr. cap.* 74.) At neque Consul tum Sylla fuit, sed Proconsul; neque Ptolemæus belli terrore societatem Syllæ admittere tum voluit. Naves tamen Lucullo, quæ prosequerentur eum in Cyprum, attribuit; & conscensuro salutandi colendique causâ pretiosum smaragdum auro illigatum dedit, quod donum recusavit primùm Lucullus: sed ubi insculptam imaginem suam monstravit Rex, veritus est rejicere; ne, si discessisse inimico animo existimaretur, insidiæ sibi mari pararentur. (*Plutarch. ut supr.*)

Lucullus cum navium manu quam in prætervehendo fecit ex opidis maritimis, repudiatis quæ sceleribus contactæ prædatoriis erant, in Cyprum trajecit. Nuntiato hostes sub promontoriis stare & ipsum captare, subduxit classem omnem; civitatibúsque de hybernis scripsit & annonâ, quasi illic ver expectaturus. Inde aspirante aurâ, navibus repentè deductis, vela fecit. Interdiu velis subductis & contractis navigans, noctu in altum datis, Rhodum applicuit sospes. (*Id. ibid.*)

Cinna Consul L. Valerium Flaccum collegam suum cum duabus legionibus in Asiam misit, ut provinciæ præesset & bellum contra Mithridatem gereret. Eum rei militaris imperitum comitatus est unus ex senatoribus C. Fimbria, vir non contemnendæ authoritatis apud milites: quem Flacci *legatum* Livius, Aurelius Victor & Orosius, *συνάρχοντα* Dio, *quæstorem Strabo*, *præfectum equitum* Velleius Paterculus appellat. Datum his à Senatu mandatum est, ut Syllam, si partes Senatûs tuerentur, adjuvarent; sin minùs, cum ipso priùs manus conferrent. E Brundusio verò transmare illis navigantibus, multæ naves tempestate confractæ sunt; & præcursoribus earum incendit

novus

novus à Mithridate ſubmiſſus exercitus. [*Memnon. cap. 36. Liv. lib. 82. Strabo, lib. 13. pag. 594. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 24. Dio, in Excerpt. Valeſii, pag. 650. Appian. lib. 2. Bell. civil. pag. 396. & in Mithridatic. pag. 204. cum Oroſio, lib. 6. cap. 2.*

Dux Mithridatis Taxiles ex Thraciâ & Macedoniâ cum 100 millibus peditum, 10 equitum, curribus falcatis 90 movens, accivit Archelaum: qui commiſtis agminibus 120 millia hominum [plus quàm 60 millia habet Memnon] ſub ſignis ducebant; Thracum, Ponticorum, Scytharum, Cappadocum, Bithynorum, Galatarum, Phrygum, & aliorum è novis Mithridatis provinciis profectorum. Sylla L. Hortenſio aſſumpto, qui 6000 ex Italiâ adduxerat, cum his ad Chæroneam congreſſus eſt, equites habens non plures 1500, pedites non minùs 15000, ut habet *Plutarchus*: ne tertiam quidem partem hoſtium numero æquans, ut *Appianus*. Victoriam tamen conſecutus eſt Sylla: cæſis millibus adverſariorum 110 [vel 100, ut in *Livii* epitome legitur] & caſtris expugnatis. Archelaus cum non multò pluribus quàm 10 millibus Chalcidem effugit. Sylla de exercitu ſuo refert 14 [vel, ut alii, 15] fuiſſe deſideratos; quorum etiam duo ſub veſperum adfuerint, falſò periſſe creditì. [*Memnon, cap. 34. Liv. lib. 82. Plutarch. in Syllâ. Appian. in Mithridat. Eutrop. lib. 5. Oroſ. lib. 6. cap. 2.*]

Audiens Sylla Flaccum, qui ex adverſâ factione fuerat Conſul creatus, tranſmeare cum legionibus mare Ionium, verbo contra Mithridatem, revera contra ſe; huic ut occurreret, contendit in Theſſaliam. (*Plutarch.*) Cúmque Flaccus vir malus, avarus & in puniendo crudelis, exoſus eſſet omnibus militibus, eorum pars, præmiſſa in Theſſaliam, ad caſtra Syllæ tranſiit: reliquos Fimbria, melior Flacco dux viſus & clementior, continuit ne deficerent. (*Appian. pag. 204.*)

Archelaus, quoniam Romani claſſe carebant, ſecurè per inſulas vagabatur, maritima pupulans; Cerinthum etiam obſidere auſus, factâ ibi exſcenſione. Sed à Romanis quibuſdam peregrinis noctu appetitus per inſidias, celeriter conſcenſis navibus ſolvit inde, & rediit Chalcidem, archipiratæ quam bellatori ſimilior. (*Appian. pag. 199.*)

Mithridates auditâ tantâ ſuorum clade territus, ut par erat; nihilominùs novos delectus habuit ex omnibus ſibi ſubjectis gentibus. Ratúſque non deſore qui ſibi victo, vel nunc vel per aliam occaſionem, ſtruerent inſidias, omnes ſuſpectos colligebat, priuſquàm bellum denuò crudeſceret. [*Appian.*]

Ac primùm Galatarum tetrarchas, & quos circa ſe habebat in amicorum cohorte, & qui nondum erant ſubditi, omnes necavit cum liberis & uxoribus; exceptis tribus fugâ ſervatis. Horum alios inſidiis oppreſſit, alios unâ nocte peremit in convivio; putans neminem eorum in fide conſtantem permanſurum, ſi Sylla veniret: confiſcatiſque bonis eorum, in civitates induxit præſidia, & genti ſatrapam Eumachum impoſuit. Sed cum mox tetrarchæ qui evaſerant, collectâ ex agris manu clientum, ejecerunt cum ſuis præſidiis è Galatiâ: ut Mithridates nihil ex eâ gente reliquum haberet præter pecuniam. [*Idem.*]

Chiis quoque iratus jam inde ex quo navis eorum imprudens in regiam impegerat in navali contra Rhodios prælio, primùm publicavit bona civium qui ad Syllam profugerant: deinde miſit qui apud Chios in factionem Romanam inquirerent. Poſtremò Zenobius [vel, ut *Memnon* vult, Dorylaus] cum exercitu eò appulſus, quaſi trajecturus in Græciam, muros Chiorum & munitiora loca noctu occupavit: additiſque ad portas cuſtodiis, cives in concionem vocatos arma & obſides, ſelectos optimatum liberos, ſibi tradere compulit; quæ omnia Erythras ille miſit. Regiæ deinde venerunt litteræ duorum millium talentorum mulctam à Chiis exigentes: ad quam ſolvendam ornamenta templorum & mundum muliebrem conferre coacti ſunt. Zenobius verò, cauſatus deeſſe aliquid juſto ponderi, in naves, ſeorsùm viros, ſeorſùm mulieres ac pueros, imponendos curavit; & agris inter Ponticos diviſis, & divulſos à patriâ miſeros Chios in Pontum Euxinum ad Mithridatem miſit. [*Id. ibid. cum Memnone, cap. 35.*]

At Heraclienſes, quibus cum Chiis amicitia interceſſit, Ponticas in tranſitu naves quæ captivos vehebant adorti, ne reſiſtentes quidem [non enim ſat virium erat] in urbem ſuam deduxere. Et tunc quidem largè rebus neceſſariis ſuppeditatis Chios refecerunt: poſtmodum verò, eximiis affectos muneribus, in patriam reſtituerunt. [*Memnon, ut ſupr.*]

Epheſii Zenobium cum militibus accedentem juſſerunt ad portam arma deponere, & cum paucis in urbem ingredi. Tulit hoc ille, & divertens ad Philopœmenem patrem Monimæ à Mithridate adamatæ, quem rex præſidem ac cuſtodem ei civitati reliquerat, per præconem ad concionem evocavit Epheſios. Qui nihil ſuave ab eo expectantes, rem diſtulerunt in ſequentem diem, & noctu congregati cohortatique ſe mutuò, Zenobium in carcerem truſum necaverunt: ſimúlque muris appoſito præſidio, multitudinem armatam centuriabant, fruges ex agris comportabant, & juventutem in ſuâ poteſtate retinebant. Quibus auditis Tralliani, Hypæpeni, Meſopolitæ, & quidam alii [in quibus Smyrnæi, Sardi ſive Sardienſes & Colophonii, ab *Oroſio* lib. 6. cap. 2. numerantur] Chiorum calamitate perterriti, Epheſiorum exemplum imitabantur. (*Appian.*)

3919 Fimbria, cùm in itinere Flaccum longo intervallo antecurriſſet, maximam turbandi opportunitatem nactus, ut militum benevolentiam ſibi conciliaret, eis permiſit uti agros ſociorum quaſi hoſtiles vaſtarent, atque obvium quemque in ſervitutem redigerent. Quam milites licentiam libenter amplexi, intra paucos dies maximas ſibi opes comparârunt. Verùm hi quos ſpoliaverant, Conſuli obviam profecti de injuriis ſibi illatis graviter conqueſti ſunt. Qui cùm rem moleſtè ferret, ſequi ſe eos juſſit ut ſua ſinguli recuperarent; ac Fimbriæ interminatus mandavit, ut quæcunque per vim ablata erant, quamprimùm dominis reſtitueret. Sed ille culpam quidem in milites, qui hæc iniuſſu ſuo præſtitiſſent, conferebat: clàm tamen eos

monebat ne mandatis parerent, neve quæ belli jure parta erant eripi sibi paterentur. Indéque cùm direpta restitui Flaccus minaciter juberet, nec milites edicto auscultarent, magnus in castris tumultus excitatus est. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valesii, pag.* 406, 409.]

Quum Sylla, Flacco occursurus, ad opidum Meliteam venisset; diversis ex locis allatum est, regionem quam reliquerat à tergo ab non minore exercitu regio quàm antè conculcari. Siquidem Dorylaus, qui Chalcidem appulerat grandi classe, quâ advexerat armatorum 80 millia, qui erant in omnibus Mithridatis militibus optimè exercitati & instructi, confestim Bœotiam incurrit, atque eâ orâ potitus, contendit Syllam ad dimicandum elicere. [*Plutarch. in Syllâ.*] Dorylaüs hic Philæteri, fratris Dorylai Tactici (de quo ad annum Mundi 3879. est dictum) filius, unà cum Mithridate enutritus fuerat: ejúsque convictûs consuetudine Rex adeò fuit delectatus, ut ad virilem ætatem perveniens non modò ipsum ad summos honores promoverit, & Comanensi in Ponto sacerdotio donaverit, sed etiam cognatos ejus Dorylai Tactici & Stratonicæ mulieris Macetidis filios, Lagetam (cujus filia, matris Strabonis Geographi mater fuit) & Stratarcham, post patris eorum mortem Choësso ad se evocaverit. [*Strabo, lib.* 10 *pag.* 477, 478. *& lib.* 12. *pag.* 557.]

Dorylaus cum suis 80. [ut *Plutarchus & Appianus*, vel 70. ut *Eutropius* habet & *Orosius*] lectissimis millibus & Archelaus [pugnam priùs frustrà dissuadere conatus] cum decem quæ adhuc ex prioribus copiis reliqua habebat millibus, Syllam ad Orchomenum adorti, 15. suorum millia [ut *Appianus & Orosius*, vel 20. ut *Eutropius*] amiserunt: inter quos & Diogenes Archelai filius interfectus est. Renovatâ deinde pugnâ, reliquæ omnes Mithridatis copiæ exinctæ sunt. Nam 20. millia in proximam paludem pulsa, quum pieces percussoribus suis non intellectas frustrà effudissent, interempta sunt; totidémque alia in flumen coacta ac necata: reliqui miserorum passim trucidati sunt. [*Appian. cum Livio, lib.* 82. *Eutropio, lib.* 5. *& Orosio, lib.* 6. *cap.* 2.] Horum interfectorum sanguine paludes inundasse, & stagnum cadaveribus oppletum fuisse refert *Plutarchus*: ita ut suo quoque ævo, annis post eam pugnam propè 200, multi barbarici arcus, galeæ, loricarum ferrearum fragmenta & gladii, cœno repererentur immersa.

Archelaus ipse quum dies duos (ut apud *Plutarchum* Sylla dicit) vel triduo [ut in libro 5. habet *Eutropius*] nudus in Orchomeniorum paludibus latuisset, nactus naviculam, Chalcidem trajecit; & quicquid usquam erat copiarum Mithridatis convocavit properè. Sylla verò Bœotiam continuis defectionibus nutantem diripuit; transgressúsque in Thessaliam, hyemavit, Lucullum expectans cum navibus. Et quia nihil comperti habebat de eo, fabricavit naves alias. [*Appian.*] Quanquàm Archelaum cum classe regiâ Syllæ se tradidisse dicat *Livius*; [*lib.* 82.] & classem Syllam proditione Archelai intercepisse scribat *Aurelius Victor.* [*de vir. illustr. cap.* 76.] & privatum Syllæ cum Archelao commercium multis suspectum fuisse constet; tum alias ob causas, tum quòd agrum privarum in Eubœâ (ubi Chalcis erat) decem millium jugerum Cappadoci donasset. Quas tamen suspiciones omnes in Commentariis suis ipse Sylla conatus est diluere. [*Plutarch. in Syllâ*; *& eum secutus Dio, legat.* 33. *vel* 34.] licèt altiùs hominum animis eas insedisse, ostendant illa in Mithridatis ad Arsacem epistolâ; [in 4°. libro. Historiarum Salustii:] *Incepta mea postremus servorum Archelaus, exercitu prodito, impedivit.* Et quod à Strabone est proditum: Archelao illi, qui contra Syllam bellum gessit, postea à Romanis, adeóque ab ipso Syllâ & Senatu, honorem esse habitum. (*lib.* 12. *pag.* 558. *& lib.* 17. *pag.* 796.

Byzantium interim Flaccus venit: ubi seditionem adversùs eum Fimbria concitavit. Quum enim Flaccus militibus extra muros tendere jussis ipse Byzantium esset ingressus, hâc Fimbria occasione arreptâ, causari cœpit Flaccum pecuniam à Byzantinis accepisse: hæc calumniando jactans, illum in urbe genium curare, dum ipsi sub pellibus asperitatem hyemis tolerarent. Quibus sermonibus incensi milites, in urbem irruperunt; cæsíque nonnullis quos fortè obviam repererant, per singulas domos dispersi sunt. (*Dio, in Excerpt. Valesii, pag.* 650.)

Per Byzantinorum fines in Bithyniam progressus L. Valerius Flaccus, Nicææ stativa habuit. [*Memnon. cap.* 36.] de quo Cicero, in oratione pro Flacco, hujus ipsius filio: *Unum atque idem erat tempus, cùm L. Flacco consuli* [vel jam Proconsuli potiùs] *portas tota Asia claudebat; Cappadocem autem illum* [Mithridatem] *non modò recipiebat suis urbibus, verùm etiam ultrò vocabat.*

Inter Fimbriam & Flacci Quæstorem lite quâdam ortâ, quum ejus arbiter Flaccus nullam honoris Fimbriæ rationem habuisset; minatus est Fimbria (ut habet *Appianus*) se Romam reversurum, vel (ut apud *Dionem* est) minatus est Flaccus se illum Romam invitum esse remissurum. Quâ ex causâ quum Fimbria conviciis Flaccum oneràsset, Flaccus potestatem ei ademit & successorem dedit. [*Appian. pag.* 204. *Dio, in Excerpt. Valesii, pag.* 650.] 4629 85

Fimbria per simultatem ita dimissus, [*Aurel. Victor, de vir. illustr. cap.* 70.] ad milites qui Byzantii agebant abiit, cósque ut Romam abiturus salutavit, litteràsque ab iis ad familiares popposcit: injuriam sibi illatam identidem gemens, monénsque ut beneficiorum suorum meminissent, ac sibimet ipsi diligenter caverent: Flaccum scilicet ipsis insidiari obscurè significans. Quos quum dictis suis auscultare, ac suâ causâ bene velle, Flaccum verò suspectum habere perspiceret; conscenso suggesto eos apertè adversùs Flaccum concitavit: atque inter cætera criminatus est, eum acceptâ pecuniâ illos proditurum. (*Dio, ut supr.*)

Fimbria, Hellesponto iterùm trajecto, milites ad rapinas atque omnis generis flagitia cohortatus, pecunias extorquere à civitatibus cœpit; eásque inter milites dividere: qui effrænem licentiam nacti, ac spe ingentis lucri illecti, eum tanquam optimè de omni exercitu meritum diligebant. (*Diodor. Sicul. in Excerpt. Valef. pag.* 409.)

Flacco classe Chalcedonem petente, absentiæ illius occasione arreptâ, Fimbria primùm

Thermo prætori ab eo relicto fasces abstulit, quasi hunc magistratum ipse accepisset ab exercitu: deinde Flaccum indignabundum & ideò revertentem coëgit fugere; donec ille in ædes quasdam privati hominis refugus, nocte mœnibus transcensis, primùm Chalcedonem, inde Nicomediam se proripuit, & ejus civitatis portas clausit. Sed Fimbria superveniens, occidit protractum è puteo Romanum consulem (vel consularem potiùs, ut eum *Velleius* hic appellat) & hujus belli ducem. Caput Flacci abscissum projecit in mare; truncum reliquum insepultum reliquit. [*Appian. pag.* 204, 205. *cum Memnone, cap.* 36. & 42. *Livio, lib.* 82. *Velleio Paterc. lib.* 2. *cap.* 24. *Strabone, lib.* 13. *pag.* 594. *Aurelio Victore de viris illustr. cap.* 70. & *Orosio, lib.* 6. *cap.* 2.] Nicomediam verò exercitui in prædam concessit. [*Diodor. Sicul. in Excerpt. Vales. pag.* 409.]

Mithridates, misso contra eos qui ab ipso defeciverant exercitu, in vi receptos sæviebat graviter. [*Appian. pag.* 202.] Expugnatæ ab eo urbes in Asiâ sunt, & crudeliter direpta provincia. [*Liv. lib.* 82.] Timens tamen aliorum defectionem, civitates Græcas libertate donabat; debitoribus remissionem per præconem pollicens, inquilinis verò jus civitatis in sua cuique urbe, & servis libertatem: sperans fore, quod & accidit, ut obærati, inquilini, servique hoc beneficio devincti potentiam ipsius propugnarent acriter. [*Appian. ut suprà.*]

Interea Mynio & Philotimus Smyrnæi, Clisthenes & Asclepiodotus Lesbii (omnes familiares Regis, Asclepiodotus verò etiam dux aliquando mercenariorum ejus militum) conspirârunt in Mithridatem. Cujus conjurationis ipse Asclepiodotus fuit index: &, ut verbis suis fidem pararet, effecit ut Rex sub lecto quodam Mynionem audiret. Ita proditis insidiis, socii conspirationis excruciati perierunt: sed eadem de multis suspicio suborta est. Ut verò etiam Pergameni 80. ob similia consilia capti sunt, & in aliis civitatibus alii, scrutatores misit Rex circa omnes populos: qui, inimicos suos quisque indicando, sustulerunt circiter 1600 homines. Accusatores verò ipsi non multò pòst aut à Syllâ sunt affecti supplicio, aut seipsos interemerunt, aut fugienti in Pontum Mithridati se adjunxerunt comites. [*Appian. ibid. & pag.* 213. *cum Orosio, lib.* 6. *cap.* 2.]

Inter alios, Mithridatis prætor Diodorus, qui se Academicum philosophum & causidicum & rhetorem profitebatur, senatum Adramyttenorum in gratiam Regis occidit. Cúmque in Pontum cum illo abiisset: eo postea dejecto, ut criminum ipsi intentatorum dedecus evitaret, inedià seipsum confecit. [*Strabo, lib.* 13. *pag.* 614.]

L. Lucullus, ad classem quam è Cypro, Phœniciâ & Pamphyliâ collegerat navibus Rhodiis additis, vastavit oras hostiles, & cum Mithridatis classe velitatus est obiter. [*Appian. pag.* 207, 208.] Coos & Cnidios induxit, ut ejecto præsidio regio ferrent secum arma in Samios. Chio regios exegit: Colophonios, comprehenso eorum tyranno Epigonio, asseruit in libertatem. [*Plutarch. in Lucullo.*] Per Murenam in Asiâ classem Mithridatis Syllæ conciliavit. [*Aurel. Victor, de viris illustr. cap.* 74.]

C. Fimbria, cæso in Bithyniâ Flacco & exercitu occupato imperator jam appellatus, (ut est apud *Velleium*, lib. 2. cap. 24.) civitates, alias voluntate ipsarum, alias vi sibi adjunxit. [*Memnon. cap.* 36.] Multos verò, non ex æquo & bono, sed iracundiâ & crudelitate adductus, neci dedit. Indéque, quum palos aliquot, quibus religatos homines virgis ad mortem cædere erat solitus, defigi in terram jussisset; postquam multò plures esse palos quàm damnatos animadvertit, quosdam ex circumstantibus comprehendi & ad vacuos deligari jussit, ut ne frustrà fecisse viderentur. [*Dio, in Excerpt. Valesii, pag.* 653.]

Idem cùm Cyzicum tanquam amicus intrasset, opulentissimos quosque variis criminationibus appetiit: duósque ex his civitatis principes capitis damnatos, ad incutiendum cæteris terrorem, virgis cæsos fecuri percussit, & bona eorum publicavit; atque ita reliquos timore perculsos conferre sibi integra patrimonia coëgit. [*Diodor. Sicul. ibid. pag.* 409.]

Mithridatis filius, Mithridates & ipse dictus, cum Taxile & Diophanto & Menandro ductorum præstantissimis conjunctus, & magno agmine instructus, Fimbriæ occurrit. Cúmque illi numero militum superiores essent, detrimenta in conflictu Fimbria accepit. Sed cùm ad flumen quoddam perventum esset, quod utrumque exercitum dividebat, imbre sub auroram fortè effuso, ex improviso Fimbria flumen transgressus, hostes in tentoriis somno gravatos ita oppressit, ut ne sentirent quidem; & magnâ strage editâ, præfectorum non multi & equites necem effugerent. [*Memnon, cap.* 36.]

Inter eos Mithridates Regis filius ex Asiâ ad Miletopolim fugatus, inde Pergamum ad patrem, unà cum equitum comitatu, salvus evasit. Fimbria verò stationem Regis invadens, ipsum Pergamo expulit: urbéque captâ, fugientem in Pitanem insecutus, obsessum fossâ circumdare conatus est. [*Id. ibid. Liv. lib.* 38. *Appian. pag.* 205. *Plutarch. in Lucullo. Aurel. Victor. de vir. illustr. cap.* 70. *Oros. lib.* 6. *cap.* 2.]

Mithridates, premente eum ex terrâ & circumsedente Fimbriâ, mare respiciens, omnes undique contraxit & accersivit ad se classes; quòd cum acri viro & victore signa conferre dubitaret. Quod advertens Fimbria, quia classe deficiebatur, misit ad Lucullum oratum classem ut adduceret, ac sibi præstò esset ad infestissimum populo Romano atque atrocissimum omnium regum capiendum. Et profectò cepisset, si Lucullus civilibus discordiis curam Reipublicæ prætulisset, eúmque mari coarctare objectâ classe voluisset. Sed ille non auscultans, Mithridati copiam fecit mari elabendi & Fimbriæ deludendi exercitum. [*Plutarch. & Oros. ibid.*]

Mithridate igitur conscensis navibus Mitylenen fugiente, Fimbria provinciam obeundo multabat factionem Cappadocum, & agros populabatur excludentium se mœnibus. [*Appian. ut suprà.*] Plurimisque civitatibus ad Romanos desciscentibus, magnam partem Asiæ recepit. [*Memnon, cap.* 36. *Liv. lib.* 83.]

Ilienſes autem oppugnati ab eo confugerunt ad Syllam: qui quum ſe venturum promiſiſſet, denunciaſſetque Fimbriæ ut abſtineret à ſuis deditiis, laudavit ille jam teverſos in populi Romani amicitiam; nihil tamen intereſſe dicebat utri deditionem facerent, ſe enim ambos juxta cives Romanos eſſe & ab Ilienſibus oriundos. Undecimo verò die in urbem irrumpens, intra undecim dies in poteſtatem ſuam redegiſſe ſe eam urbem jactabat, quam Agamemnon mille navium claſſe & totius Græciæ exercitu inſtructus non niſi ægrè decimo cepiſſet anno. Cui quidam Ilienſium ſic reſpondit: *Non enim erat nobis Hector, qui pro urbe propugnaret.* Obvium verò quemque nullo diſcrimine ille obtruncavit, & urbem prope univerſam incendit. Eos qui legatione ad Syllam functi fuerant necavit variis cruciatibus: ac ne à ſacris quidem abſtinuit; imò nec ab iis qui in Minervæ templum confugerant, quos cum ipſo fano combuſſit. Quin & mœnia diruit: ac poſtridie obivit urbem, circumſpiciens nonquid ſupereſſet reliquum; effecitque ut neque area ulla relinqueretur, neque ædicula neque ſtatua. [*Liv. lib.* 83. *Strabo, lib.* 13. *pag.* 554. *Applan. pag.* 205. *Dio, in Excerpt. Valeſ. pag.* 653. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2.]

Quum Ilium, quòd tardiùs portæ paruiſſent, incendi Fimbria juſſiſſet; Minervæ templum inviolatum ſtetiſſe ſcribit *Aurelius Victor.* (*de vir. illuſtr. cap.* 70.) quod, ut ille ait, *divinâ majeſtate ſervatum nemo dubitavit.* At templum illud tum deflagraſſe, & inter ruinas ejus Palladium, antiquiſſimum illud ſimulachrum quod à Diomede & Ulyſſe belli Trojani tempore ſublatum putabatur, integrum inventum fuiſſe, *Julius Obſequens* & *Appianus* confirmant. Quod quidem ſimulachrum à Fimbriâ tum indicatum, Romam poſtea fuiſſe advectum, ad librum ſecundum Æneidos notavit *Servius.* quanquàm non Romæ ſolùm, ſed etiam Lavinii, & Luceriæ, & Sinuessæ, ejuſmodi oſtenſas fuiſſe Minervæ imagines, quaſi ab Ilio allatas, nos *Strabo* doceat. [*lib.* 6. *pag.* 264.] Præſentem verò Ilienſium cladem deſinente Olympiade CLXXIII. contigiſſe ſcribit *Appianus:* [*pag.* 206.] atque inter eam & priſcam illam ſub Agamemnone expugnationem, à quibuſdam annos numeratos fuiſſe 1050. cùm juxta *Eratoſthenis, Apollodori* & *Diodori Siculi* rationes, ab Ilii excidio ad annum quartum Olympiadis CLXXIII. (quo hæc deſolatio facta eſt) anni interceſſerint 1099.

Lucullus primùm circa Lectum Troadis regiam claſſem ſubitò oblatam profligavit. Iterùm ad Tenedum appetentem ſe majore apparatu percipiens Neoptolemum, provectus eſt ante aciem quinqueremi Rhodiâ; cujus erat Demagoras navarchus, vir cùm Romanorum cupidus tum præliorum navalium ſcientiſſimus. Incurrente magno impetu Neoptolemo imperantéque gubernatori dirigere protam in hoſtem, veritus molem Demagoras navis regiæ & roſtri ærei vim, non ſuſtinuit fronte concurrere, ſed navem properè circumactam detorquens inhiberi juſſit; atque ibi incurrentis ictu excepto non eſt navis afflicta, quòd eſſet partibus mari tectis illitus. Interea ſociis advehentibus imperavit navem flecti Lucullus: multiſque editis virtutis operibus avertit hoſtes, & Neoptolemum conſectatus eſt. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Aretas Cœleſyriæ rex (vocatus ad imperium à Damaſcenis, propter odium quo Ptolemæum Mennæum proſequebantur) in Judæam profectus cum exercitu, devicto Alexandro Jannæo apud Adida, certis conditionibus reduxit ſuos unde venerat. [*Joſeph. lib.* 13. cap. 23.]

Cùm Romæ Cinna & Carbo in Clariſſimos viros impotenti dominatione ſævirent, major pars nobilitatis ad Syllam in Achaiam, ac deinde pòſt in Aſiam perfugit: ita ut brevi in ejus caſtris ſpecies Senatûs fuerit. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 23. *Plutarchus in Syllâ; & ex eo Dio, in Excerptis Valeſii, pag.* 649.] Orabántque eum omnes, ut periclitanti, imò jam perditæ patriæ ſubveniret. [*Eutrop. lib.* 5. *Oroſ. lib.* 5. *cap.* 20.] Metella quoque illius uxor, ægrè ſe liberóſque neci ſubducens, domum ejus venit; nuntians domum & villas ejus ab inimicis incenſas, oránsque ut opem urbi ferret. [*Plutarch.*]

Mithridates, reputans ex quo exercitum in Græciam miſit tam multos tam citò deſideratos, ſcripſit Archelao ut faceret cum Syllâ pacem quàm honeſtiſſimis poſſet conditionibus. [*Appian. pag.* 206.] Æſtuanti igitur Syllæ, ac neque patriam ſuſtinenti afflictam deſerere, neque quemadmodum decederet relicto bello Mithridatico expendenti, negotiator Deliacus Archelaus ſe obtulit: ſpem aliquam & mandata occulta ab regio duce Archelao afferens. Ea res adeò fuit cordi Syllæ, ut ipſe ad colloquium Archelai properaret. Congreſſi in mari ſunt circa Delum, ubi templum Apollinis eſt. Exorſus orationem Archelaus, poſtulavit à Syllâ ut expeditione relictâ Aſianâ & Pontica, ad bellum civile proficiſceretur: Regem ei argenti, navium, militum quantum vellet præbiturum. Excipiens Syllâ hortatus eſt eum, Mithridatem ut relinqueret, ipſe loco illius regnaret: appellaturum ſe eum ſocium & amicum Romanorum, ſi claſſem Regis ſibi tradidiſſet. Proditionem Archelao detectante; pacis tandem cum Rege ineundæ leges à Syllâ ſunt propoſitæ. [*Plutarch. in Syllâ.*] inter quas una erat, ut præſidia locis omnibus Rex deduceret, niſi in quibus ante violatam pacem ea habuit. Quibus auditis, Archelaus continuò deducebat omnia præſidia: de cæteris conditionibus ſcripſit regi ſuo. [*Appian. pag.* 207.]

His pactis digreſſus Sylla, tendit per Theſſaliam & Macedoniam ad Helleſpontum: honorificè Archelaum ſecum habens. Qui cùm prope Lariſſam periculoſum in morbum incidiſſet, Sylla inhibitâ profectione, non aliter ac ſi quiſpiam ſuis è ducibus & prætoribus fuiſſet, curam ejus habuit. Quod ſuſpicionem auxit, haud bonâ fide ab Archelao ad Chæroneam pugnatum fuiſſe. [*Plutarch. in Syllâ: & ex eo Dio, legat.* 33. *vel* 34.]

Legati à Mithridate ad Syllam eò venientes, ne Paphlagoniæ & navium traditio pactis ullo modo comprehenderetur petebant: æquiores conditiones ab altero imperatore Fimbriâ ſe impetraturos fuiſſe adjicientes. Quibus indignabundus Sylla reſpondit, & Fimbriam pœnas daturum,

& ſe,

& ſe, quamprimùm attigerit Aſiam, viſurum num pace an bello Mithridates opus habeat. Archelaus verò Syllam obſecrabat, ejúſque prehensâ dextrâ, lachrymans iram ipſius mitigabat. Impetravit denique, ut ipſemet ad Mithridatem ablegaretur. Nam aut præſcriptis ab ipſo legibus confecturum pacem; aut ni aſſentiretur ille, vel ſibi vel illi (Græca enim hîc variant) manus ſe illaturum. [*Plutarch. & ex eo Dio, legat. 34. vel 35. Appian. pag. 207.*]

3920 Alexander Jannæus, pace cum Aretâ factâ, adversùs vicinos (sexennio ante mortem) exercitum ducens, Diam urbem vi cepit. [*Joseph. lib. 13. cap. 23.*]

Reversus à Mithridate Archelaus, apud Philippos in Macedoniâ Syllæ occurrit: omnia nuntians ex sententiâ esse, cupere autem ante omnia Mithridatem ipsum convenire. Unde Sylla per Thraciam duxit ad Cyzicena; Lucullo, qui jam cum classe ad eum venerat, Abydum præmisso. E Chersoneso trantirum unum Lucullus illi præbuit, atque in transportando exercitu juvit. [*Plutarch. in Syllâ & Lucullo. Appian. 207, 208.*]

Congressus est Sylla cum Mithridate ad opidum Troadis Dardanum. Habebat ibi Mithridates secum naves remigio instructas 200, & terrestrium copiarum 20000, equites 6000, & curruum falcatorum vim magnam: Sylla cohortes quatuor, & equites 200. Ibi colloquium est habitum, ambobus cum exiguo comitatu in campum progressis, inspectante utrinque exercitu. Quum autem Mithridates huic obviam venisset, ac dextram porrexisset; interrogavit eum Sylla, acciperétne quibus conditionibus pepigerat Archelaus pacem? Tacente primùm rege, ac multis deinde querelis & criminationibus utrinque jactatis, tandem iracundâ Syllæ oratione Mithridates territus, consensit in leges pacis Archelao datas. Atque ita demùm salutavit eum Sylla, ac complexu est osculatus. [*Memnon. cap. 37. Plutarch. in Syllâ; & ex eo Dio, legat. 35. vel 36. Appian. pag. 208, 209, 210.*]

Leges verò pacis hæ fuerunt. Ut Mithridates paternis, id est, Ponticis contentus, Asiâ & Paphlagoniâ abstineret; Bithyniâ Nicomedi, Ariobarzani Cappadociâ cederet. Duces, legatos, captivos, transfugas, fugitivos, & Chios cæteróſque è civitatibus suis in Pontum abstractos, remitteret. Duo (vel, ut *Memnon* habet, tria) millia talentûm Romanis penderet; & naves rostratas 70. (vel, ut idem *Memnon* habet, 80.) suis armamentis instructas Syllæ traderet. Civitatibus denique apud Romanos haud esset noxæ, quòd ad Romanos defecissent. Licèt Romani posteà (contra pacis formulam) earum multas servili jugo oppressissent. [*Memnon. & Plutarch. ut suprà; & Plutarchum exscribens Dio, legat. 33. vel 34. Appian. pag. 207. Liv. lib. 83. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 23.*] Atque ita bellum Mithridaticum primum, (ante annos quatuor cœptum) à Syllâ, ne integro quidem triennio, cæsis hostium 160 millibus, receptis Græciâ, Macedoniâ, Ioniâ, Asiâ, cæteríſque gentibus quas Mithridates occupaverat; ademptâque classe & rege intra regnum paternum compulso; finitum est. [*Appian. lib. 1. Bell. civil. pag. 396. cum Mithridatic. pag. 206. & 209. & 210.*] Vixque quidquam in Syllæ operibus clarius, quàm quòd; quum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illatarum sibi bellum iis dissimulavit, nec quod erat in manibus omisit: existimavitque antè frangendum hostem quàm ulciscendum civem; repulsóque externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret quod erat domesticum. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 24. cum Plutarcho, in collat. Sylla & Lysandri.*]

Mithridates igitur traditis Syllæ navibus & tagitariis 500, cum cæteris quæ debebantur ex fœdere, reliquis navigiis in Pontum ad paternum regnum delatus est. [*Memnon. ut suprà; Strabo, lib. 13. pag. 594. Plutarch. & ex eo Dio, legat. 36. vel 37. Appian. pag. 210.*] At Sylla, quum milites hanc pacem ægrè ferre sentiret; quòd grave quiddam ducerent, videre regem omnium infestissimum, qui tot millia civium Romanorum in Asiâ degentium uno die trucidari curasset, cum opibus & spoliis abnavigantem ex Asiâ, quam tons annis quatuor prædis ac tributis colligendis exhausisset; hâc se ratione purgabat, quòd bello simul & cum Fimbriâ & cum Mithridate, siquidem ii iè conjunxissent, gerendo viribus impar esset. [*Plutarch. & Dio, ibid.*]

Ex eo loco movit Sylla ad secundum à Fimbriâ stadium, qui castra juxta Thyatira habebat. Postulante verò Syllâ tradi sibi exercitum, cui ille contra leges præesset; ludens respondit Fimbria, ne ipsum quidem jam imperare legitimè. Quúmque tollam Sylla duceret, milites Fimbriæ fagati prætidis egressi salutaverunt Syllanos, & in opere faciundo propensè juverunt. [*Plutarch. ibid. Appian. pag. 210. Oros. lib. 6. cap. 2.*]

Eam mutationem cernens Fimbria, convocatis in concionem militibus reliquis; rogabat ut permanerent: qui quum negarent se bellaturos contra cives, discillâ tunica suppliciter prehensabat singulos. Et quum id quoque averſarentur, pluráque transfugia fierent; circumibat tribunorum tentoria, corruptíſque largitione ex eis aliquot, rursùs advocatâ concione jusjurandum exegit. Quúmque conclamarent Veneti, oportere nominatim ad sacramentum citari militem, ille præconem jussit nominare suos beneficiarios, & Nonium ante omnes, quorumcunque facinorum socium. Et quum ne hic quidem juraret, stricto gladio necem intentavit ei; donec coorto clamore militum territus destitit. [*Appian. ut suprà.*]

Servum deinde pecuniis & spe libertatis induxit, ut pro transfugâ receptus in castra Syllæ ipsum interficeret: qui parum constanter rem aggressus, & ex ipsâ trepidatione suspectus, comprehensus, omnia fallis est. Tum Syllanus exercitus cum irâ & contemptu circumsistens vallum Fimbriæ, contumeliosè vocabat eum Athenionem: quo nomine aliquando fugitivorum in Siciliâ quidam paucorum dierum rex fuerat. [*Id. ibid.*]

Quapropter Fimbria spe omni abjectâ, in munitionem progressus, Syllam invitavit ad colloquium. Is pro se misit Rutilium: quod maximè contristavit Fimbriam; ne colloquium quidem sibi concedi, quod non soleat negari vel hostibus. Quúmque rogaret veniam, si quid peccasset per ætatis imprudentiam; Rutilius respondit, Syllam permissurum ut incolumis ad mare

tranſeat, ſi vetit ei Aſiâ, cujus ipſe proconſul ſit, cedere & abnavigare. Illic habere ſe dixit meliorem viam aliam: ſimúlque Pergamum rediit, & ingreſſus templum Æſculapii, trajecit ſe gladio. Et quia vulnus lethale non erat, à ſervo impetravit operam: qui primò dominum, mox ſeipſum interfecit. Corpus Sylla ejus liberis ad ſepulturam conceſſit. [*Id. pag.* 211. *cum Livio, lib.* 83. *Velleio Paterculo, lib.* 2. *cap.* 24. *Plutarcho, in Syllâ. Aurelio Victore, de viris illuſtr. cap.* 70. *& Oroſio, lib.* 6. *cap.* 2.]

Fimbriæ exercitum accedentem Sylla accepit & conjunxit cum ſuo: móxque Curionem juſſit ut Nicomedem & Ariobarzanem in propria regna reduceret: Ad Senatum quoque perſcripſit omnia; hoſtem ſe judicatum diſſimulans. [*Appian. pag.* 211.]

Ilium, à Fimbria vaſtatum, Sylla reformavit [*Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2. *cum Strabone, lib.* 13. *pag.* 594.] Idémque, Aſiæ provinciam conſtituens, Ilienſes, Chios, Rhodios, Lycios, Magneſios, aliósque quoſdam populos, vel in auxiliorum præmium, vel in ſolatium malorum quæ propter ſtudium erga populum Romanum pertulerant, libertate donatos, adſcripſit inter Romani populi ſocios. Dimiſitque circa reliqua omnia opida militibus, per præconem edixit, ut quotquot mancipia libertatem à Mithridate acceperant, conſeſtim in herilem poteſtatem redirent. Quod edictum quum multi contemnerent, & aliquot civitates deficerent, ſecutæ ſunt cædes promiſcuæ, tam ſervorum quàm ingenuorum ex variis occaſionibus. Multorum quoque opidorum Aſiæ diruta ſunt mœnia, quorundam populis ſub haſtâ venditis: & qui factionis Cappadociæ fuerunt vel viri vel urbes ſeverè mulctabantur; præſertim Epheſii, qui per turpem adulationem donaria Romanorum cum ludibrio detraxerant. [*Appian. pag.* 211.] 4630 84

Poſt hæc præcones per provinciam dimiſſi ſunt, qui optimates civitatum Aſiæ juberent ad certam diem coram Syllâ comparere Epheſi. Qui poſtquàm convenêre, orationem ad eos pro tribunali habuit: in quâ, & Romanorum in Aſianos meritis & eorum in Romanos injuriis priùs commemoratis, hanc demùm mulctam illis irrogandam pronunciavit. *Mulcto vos quinquennali tributo: quod jam nunc mihi repræſentari jubeo; & inſuper pecuniam inſumptam in hoc bellum, & ſi quam præterea conſtitutio provinciæ poſtulat. Eam collationem ego in ſingulas civitates dividam, & tempus conferendi præfiniam: & quos ſecus facere deprehendero, habebo pro hoſtibus.* Hæc locutus, mulctam in legatos diſtribuit, ſimúlque miſit qui eam exigerent. [*Id. pag.* 212, 213.) Eóque in finem illa Aſiæ in 44. regiones facta ab eo eſt diſtributio, cujus ad L. Cinnæ IV. & Cn. Papyrii II. Conſulatum *Caſſiodorus* in ſuo Chronico meminit. Ut enim *veſtigal æqualiter* illum *deſcripſiſſe* Cicero, in epiſt. 1. lib. 1. ad Quintum fratrem; ita etiam *omnes Aſiæ civitates proportione in provincias deſcripſiſſe*, in Oratione pro Flacco, idem confirmat.

Mulctam publicam viginti millia talentúm Syllam Aſiæ indixiſſe ſcribit *Plutarchus*: privatim verò domos inſolentia & vexatione flagellaviſſe eorum qui apud quemque diverſabantur. Edixit enim ut miles hoſpes apud ſe diverſanti tetradrachma in diem quaterna daret. Cœnam inſuper præberet ei ejúſque amicis, quotquot liberet vocare. Centurio acciperet quinquaginta in diem drachmas; veſtem præterea aliam quâ domi, aliam quâ in publico uteretur. [*Plutarch. in Syllâ.*] Publicæ verò illius mulctæ 20. millium talentorum exigendæ & ſignandæ monetæ munus Lucullo eſt injunctum: quæ allevatio quædam Syllæ acerbitatis oblata civitatibus Aſiæ fuiſſe videbatur; quòd non modo innocentem & juſtum ſe, ſed lenem etiam in tam gravi & triſti præſtaret provinciâ. [*Id. in Lucullo.*]

At civitates inopiâ preſſæ magnóque fœnore, aliæ theatra fœneratoribus, aliæ gymnaſia, aut munitiones, aut portus, aut aliquid publicum oppignerabant, impudenter urgentibus militibus. Atque ita pecuniæ comportabantur ad Syllam, gemente præ calamitatibus Aſiâ. [*Appian. pag.* 213.]

Piratæ quoque eodem tempore propalam per Aſiam vagabantur penè juſtis claſſibus: quos primùm Mithridates mari immiſerat, quum omnia quaſi brevi amiſſurus vaſtaret; ſed tum maximè creverant, non tantùm navigantibus infeſti, verùm & portubus, caſtellis, opidíſque timendi. Certè Julios, Samos, Clazomenas, Samothrace, præſente Syllâ captæ ſunt: & è fano Samothracio mille talentorum ornamenta ablata feruntur. At ille, ſive quòd propter peccata indignos exiſtimaret quos tueretur, ſive quòd Romam propter ſeditiones properaret, in Græciam trajecit. [*Id. ibid.*]

Quum P. Rutilium Rufum, qui apud Mitylenæos exul fuerat, in patriam Sylla ſecum vellet reducere; in exilio, ne quid adverſùm leges faceret, remanſit: & Smyrnam commigravit. [*Valer. Maxim. lib.* 6. *cap.* 4. *Seneca, epiſt.* 24. *Quintilian. lib.* 11. *cap.* 1. *Dio, in Excerpt. Valeſii, pag.* 638.] Cujus urbis civis eſt factus. [*Cicero, pro Balbo.*] ibíque literarum ſtudiis intentus continuit. [*Oroſ. lib.* 5. *cap.* 17.] neque in patriam redire unquam voluit. [*Dio, ut ſuprà.*] De quo Seneca, in lib. de Providentiâ cap. 3. *Infelix eſt Rutilius, quòd qui illum damnaverunt, cauſam dicent omnibus ſeculis? quòd æquiore animo paſſus eſt ſe patria eripi, quàm ſibi exilium? quod Sylla dictatori ſolus aliquid negavit, & revocatus non tantùm retroceſſit, ſed longiùs fugit?* Et Ovidius in Ponto, lib. 1. eleg. 4.

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non niſi reditus conditione dati:
Smyrna virum tenuit. ——

Alexander verò Ptolemæi Alexandri nuper regis Ægypti filius, qui à Mithridate (cui à Cois deditus fuerat) ad Syllam fugiens in ejus familiaritatem receptus eſt, ex Aſiâ in Græciam indéque Romam una cum eo profectus eſt. [*Appian. lib.* 1. *bell. Civil. pag.* 414. *Porphyr. in Græc. Euſeb. Scaligeri, pag.* 225. *fin.*]

Alexander Jannæus ad Eſſam ſive Geraſam duxit exercitum, ubi erant Theodori filii Zenonis res pretioſiſſimæ: & triplici muro locum circumdans, eum demùm expugnavit. [*Joſeph. lib.* 13. *Antiquit. cap.* 23. *collat. cum cap.* 21. *& lib.* 1. *Belli, cap.* 3. *& 4.*]

L. Murena,

L. Murena, ad ordinandas res in Aſiâ, cum duabus Fimbrianis [ſive Valerianis] legionibus, à Syllâ relictus eſt. [*Appian. pag.* 213.] Quò & illa Julii Exuperantii, de Syllâ, ſunt referenda. *Murenam legatum ſuum provinciæ Valerianiſque præfecit militibus, quos infidos belli exiſtimabat eſſe civilibus: & cum parte exercitûs, injuria dolore commotus, ad extinguendam Marianam venit factionem.* Licèt apud illum, velut ante cœptum à Syllâ bellum Mithridaticum, quando nullæ erant Valerianæ vel Fimbrianæ legiones, non poſt illud demùm finitum, res hæc facta memoretur.

Cum Murenâ Prætore relictus in Aſiâ Quæſtor eſt L. Lucullus; qui admirabili quâdam laude provinciæ præfuit. [*Cicero, in Luculle.*] atque ita negotiis Aſianis detentus, turbis Syllanis & Marianis in Italiâ minimè interfuit. [*Plutarch. in ejus vitâ.*]

Ex Epheſo cum totâ claſſe Sylla ſolvens, tertio die Piræeum appulit: & myſteriis initiatus, deſumpſit ſibi bibliothecam Apellicionis Teii, in quâ plerique Ariſtotelis & Theophraſti libri erant hauddum ſatis in vulgus noti. [*Plutarch. in Syllâ.*] Cùm enim Apelliconi multa ſuppeteret pecunia, Ariſtotelis bibliothecam & alias plures copioſas ille coëmerat: ſurreptâque è Metroo [Phrygiæ deæ templo] decretorum quæ à majoribus promulgata fuerant autographa poſſederat; & ex aliis civitatibus ſi quid eſſet antiquum, vel arcanum & recondirum, id omne corraſerat. [*Athenæus, lib. 5. cap.* 11. *ex Poſidonio Apamens.*] Tenebatur verò is librorum amore, quàm philoſophiæ ſtudio majore: indéque, quum à Nelei Scepſii poſteris Ariſtotelis & Theophraſti libros humore & blattis vitiatos magnâ pecuniâ ſibi comparaſſet, eroſarum particularum quærens inſtaurationem, in nova libros tranſtulit exempla, lacunas non rectè implens, ediditque libros mendorum plenos. Statim verò à morte Apelliconis bibliothecam illius Sylla recepit: [*Strabo, lib.* 13. *pag.* 609.] quâ ipſe ſuam Bibliothecam Romæ locupletavit. (*Lucian. in lib. adverſus indoctum.*)

Mithridates in Pontum reverſus, multas denuò gentes, quæ propter res ejus adverſas ab illo defecerant, ſub poteſtatem ſuam redegit. [*Memnon, cap.* 37.] initio à Colchis facto. Quibus quum bellum inferret, illi filium ejus Mithridatem ſibi regem poſtulárunt: quo impetrato, ſtatim redierunt ſub imperium. Id Rex ſuſpicatus factum per ambitionem filii, vocatum ad ſe vinxit aureis compedibus, nec multò pòſt necavit: egregiâ hujus operâ uſus in Aſiâ contra Fimbriam. (*Appian. in Mithridat. pag.* 213, 214.)

Agenti Athenis Syllæ quum dolor cum gravedine torpidus decubuiſſet in pedes, Adipſum ille navigavit: ibíque aquis calidis uſus eſt, ferians ſimúlque tempus traducens cum mimis. [*Plutarch. in Syllâ.*]

3921 Sylla cum exercitu Brunduſium appulit, Olympiade CLXXIV. (*Appian. bell. civil. lib.* 1. *pag.* 401.) L. Scipione & C. Norbano Conſulib. [*Liv. lib.* 85. *Jul. Obſequens, de prodigiis. Eutrop. lib.* 5.] reverſus in Italiam, anno poſtquàm inde diſceſſerat *quarto*; non, *poſt quintum annum*, ut Julius Obſequens tradidit.

Ptolemæus Lathurus Thebeis ab ipſo deficientibus bellum intulit. [*Pauſan. in Attic. pag.* 8.]

L. Lucullus Mitylenæos, qui apertè à Syllanis partibus deſciverant, cupiebat reducere ad culpam agnoſcendam & prenam moderatam, quòd ſequuti fuiſſent Marium, pendendam. Quos ut inſanire vidit, claſſe eos adortus eſt, fudit, atque intra muros redegit. Dum opidum obſidet, navigavit propalàm die verſùs Eleam: verùm rectè regreſſus, collocatis prope urbem inſidiis, quievit. Ubi Mitylenæi incompoſitè & ferociter ſicut vacua caſtra oppreſſuri eruperunt; ſubitò in eos coortus, cepit ingentem numerum. Interfecit ex iis qui pedem contulerunt quingentos: ſervos 6000, & immenſam aliam prædam avertit. (*Plutarch. in Lucullo.*)

Mithridates adverſùs Boſphoranos, qui ab ejus imperio defecerant, claſſem parabat & magnum exercitum: adeò ut ob magnitudinem apparatûs mox orta ſit opinio (cujus in oratione pro lege Manilià *Cicero* etiam meminit) non in Boſphoranos ſed in Romanos hæc parari. Nam neque dum Ariobarzani ſolidam Cappadociæ poſſeſſionem reddiderat, rerentis ſibi locis quibuſdam: & Archelaum ſuſpectum habebat, quaſi quum eſſet in Græciâ, plus æquo in conditionibus pacis Syllæ conceſſiſſet. (*Appian. in Mithridatic. pag.* 214.)

Archelaus territus ad L. Murenam fugit: eúmque irritando, effecit ut prior Mithridati arma inferret: ut in Mithridaticis ſuis habet *Appianus*. Archelaum quoque *ad Syllam* (cujus in Aſiâ vices Murena tum agebat) *defeciſſe*, in libro 39 *Dio*; & ad eundem *ſe cum uxore liberiſque contuliſſe*, ſcribit Oroſius. (*lib. 6. cap.* 2.) Ut Memnoni hîc ægrè fides fuerit adhibenda, qui Archelaum, non ſolùm cum Mithridate manſiſſe, ſed etiam in poſtremo bello Mithridatico ſtrenuè partes illius propugnaviſſe, tradidit. [*Vid. ſupr. ann. Mundi* 3919.]

L. Murena, triumphi ductus cupidine, bellum adverſùs Mithridatem renovavit. (*Liv. lib.* 86. *Appian. in Mithridatic. pag.* 213.) Per Cappadociam enim invaſit Comana, urbem ſub Mithridate maximam, & religioſo opulentóque templo inſignem: interfecítque nonnullos Regis equites. (*Appian. ibid. pag.* 214.)

Ad Murenam Mithridates legatos amandavit: qui cùm ipſi natione Græci eſſent, & vitæ genere philoſophi, plus Regem culpárunt quàm commendárunt. Cúmque pacis cum Syllâ initæ leges prætexerent: negavit Murena ſe videre ulla fœdera. nulla enim Sylla conſcripſerat; ſed executione pactorum contentus, diſceſſerat. Hæc locutus Murena confeſtim prædas agebat, ne à ſacris quidem pecuniis abſtinens: atque hyberna habens in Cappadociâ, illius regnum Ariobarzani magis confirmavit, & circa ingreſſum regni Mithridatis urbem Ecininam condidit. (*Memnon, cap.* 38. *Appian. pag.* 214.)

Quum mutuis Seleucidarum odiis inexpiabili bello & reges & regnum Syriæ conſumptum eſſet; ad externa populus auxilia concurrit, peregrinóſque ſibi reges circumſpicere cœpit. Ita- 4631 83

que

que cùm pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcendum censeret; occurreréque quòd Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syriæ: omnes in Tigranem regem armeniæ consenserunt, instructum, præter domesticas vires, & Parthicâ societate & Mithridatis affinitate. Igitur accitus in regnum Syriæ, per 18 annos eo potitus est. [*Justin. lib. 40. cap. 1. & 2.*] usque dum à Pompeio illi adempetum, Romanorum imperio est adjectum.

Horum annorum prioribus 14, Tigranis nomine Magadates cum exercitu Syriæ præfuit: donec cum exercitum in sui regis auxilium abducere coactus fuit; victóque Tigrane regnum Syriæ Antiocho Asiatico à Lucullo est datum. [*Appian. in Syriac. pag.* 118,119. & 133.] Antiochus *Pius* interim [*Asiaticus* patet] & Syriâ ab Euphrate usque ad mare & parte etiam Ciliciæ à Tigrane exutus, in alio Ciliciæ nedum vel à Tigrane vel à Romanis occupato angulo latebat. [*Appian. in Mithridat. pag.* 243. *Justin. lib.* 40. *cap.* 2.] uxor verò ejus Selene, cum duobus filiis, in Phœniciâ & parte aliquâ inferioris Syriæ alii regnabat; ut ex *Josephi* lib. 13. cap. ult. & *Ciceronis* libro 4°. in Verrem colligimus.

Mithridates & ad Senatum & ad Syllam misit, qui expostularent de Murenâ. [*Appian. pag.* 214.] Et ille verò & Murena, pro se quisque contra alterum legatis missis, Heraclienses de auxilio solicitârunt. Sed quam potentia Romanorum formidabilis videretur ipsis, & Mithridatis vicinitatem etiam timerent; legatis responderunt, in tantâ bellorum tempestate difficulter proprios se fines tueri, nedum aliis auxiliari posse. [*Memnon, cap.* 38.]

Alexander Jannæus Gadaram & Seleuciam expugnavit. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 23.]

3921 L. Murena, trajecto Haly fluvio magno & tum maximè imbribus tumido, 400 Mithridatis vicos incendit; nusquam occurrente Rege, & expectante legatorum Romam missorum reditum. Atque ita refertus prædâ Murena in Phrygiam & Galatiam reverlus est. Ubi Callidius propter querelas Mithridatis Româ missus, nullum quidem Senatusconsultum ei obtulit; denuntiavit tamen, omnibus audientibus, jubere Senatum ut à fœderato rege abstineat. Quibus dictis, mox, in conspectu aliorum, seorsum cum eo collocutus est: nec Murena quicquam de pristinâ vehementiâ remisit, fines Mithridatis tunc quoque incursans. (*Appian. pag.* 214, 215.)

Muræne non pauci dedêrunt consilium, ut Sinopem invadens, de regiâ ipsa bellum moveret: eâ enim captâ, facilè etiam cætera in potestatem ventura. At Mithridates, validis hâc præsidiis communitâ, ipse bello gerendo incubuit. [*Memnon, cap.* 38.] Ubi Gordium igitur jussisset invadere vicos finitimos, ille mox jumenta impedimentáque & tam paganos quam milites comprehendit, & castra sua Murenæ castris in adversâ ripâ opposuit. Pugnæ verò neuter fecit initium, donec Mithridates venit cum majore exercitu: móxque circa fluvium committitur magnum prælium. Ibi Rex vi transivit flumen, aliàs quoque Murenam longè superans; qui in tumulum naturâ munitum se recipiens, urgente Rege, per montanos calles properavit in Phrygiam, multis amissis vel in fugâ vel in prælio. (*Appian. pag.* 215.) 4632 82

Hæc tam præclara acceleratáque & obiter parta victoria præpeti famâ vulgata, multos transtulit ad Mithridatem; qui & ex Cappadociâ pulsis omnibus Murenæ præsidiis, ingenti pyrâ in excelsi montis cacumine accensâ, *Στρατίῳ Διὶ* sive Jovi Bellipotenti Victimas more patrio obtulit. [*Id. ibid.*]

3923 L. Cornelius Sylla, Dictator creatus, ut pristina Reipublicæ forma videretur manere, M. Tullium & Cornelium Dolabellam Consules à populo fieri permisit: licèt ipse jam planè regnans illis præfuerit. [*Appian. lib.* 1. *Bell. civil. pag.* 412.] In quorum Consulatûs initio, III. Kalend. Februar. [ut ex fragmentis Triumphorum marmoreis liquet] qui dies in mensem Novembrem Julianum tùm incidit, de rege Mithridate ingenti glorià [ut in libro quinto habet *Eutropius*] triumphavit. Eique triumpho, licèt magnificentiâ & raritate manubiarum regiarum grandi, major tamen species & pulchrius spectaculum accessit ab exulibus. Siquidem clarissimi viri & principes civitatis secuti sunt coronati currum Syllæ, servatorem & parentem eum appellantes; quòd illius beneficio essent in patriam reduces, liberósque & conjuges recepissent. [*Plutarch. in Syllâ.*] Id quoque in Syllâ hic laudatum: quòd quum consummatâ potentiâ suâ triumphum duceret, ut Græciæ & Asiæ multas urbes, ita civium Romanorum nullum opidum vexerit. [*Valer. Maxim. lib.* 18. *cap.* 3.] In eo triumpho, quod ex Capitolinæ ædis incendio cæteríque omnibus delubris C. Marius filius Præneste detulerat, tredecim millia auri pondo sub eo titulo transtulit Sylla, & argenti septem millia. Idem ex reliquâ omni victoriâ pridie transtuderat auri pondo quindecim millia, argenti pondo centum & quindecim millia. [*Plin. lib.* 33. *cap.* 3.] Unde per biduum triumphasse eum colligitur.

Alexander Jannæus, redactâ in suam potestatem valle quæ Antiochi dicitur & Gamalâ castello, Demeteum locorum illorum dominum multorum criminum accusatum principatu suo exuit: & tertio demùm expeditionis suæ anno completo domum reduxit exercitum; magnâ alacritate Judæis eum ob res prosperè gestas excipientibus. Per hæc verò tempora & Syrorum & Idumæorum & Phœnicum urbes tenebant Judæi: ad mare, Stratonis turrem, Apolloniam, Joppen, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedonem, Raphiam, Rhinocoruram: in mediterraneis, per Idumæam regionem Adora & Marissam, & Samariam: montes quoque Carmelium ac Itabyrium, ad hæc Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala: & Moabiticas urbes, Essebonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem Cilicium, & Pellam; quam diruerunt, quòd incolæ Judaicos ritus recipere recusarent. Possidebant & aliæ Syriæ non obscuras urbes, quas imperio suo noviter adjecerant. [*Joseph. lib.* 13. *cap.* 23.]

L. Cornelius Sylla Dictator, indignum esse censens Mithridatem fœderatum bello infestari, Aulum Gabinium misit, qui seriò Murenæ denuntiaret, abstineret arma à Rege; & Mithridatem cum Ariobarzane reduceret in mutuam gratiam. In eo conventu Mithridates obside tradito

Ario-

Ariobarzani filio quadrimulo, eóque prætexta recentâ eâ Cappadociæ parte quam prælidiis occupaverat, non sine auctario, convivium præbuit omnibus: propositúsque certum auri pondus his qui bibacitate, vel edacitate, dicteriis, cantu, cæteríque solennibus ludicris vincerent; cujus solus expers fuit Gabinius. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 215, 216.]

Ita secundum Mithridaticum bellum anno tertio est finitum. [*Id. ibid.*] in quo Murena Mithridatem vehementissimè vigilantissiméque vexatum, repressum magnâ ex parte, non oppressum reliquit: ut ait *Cicero* in Oratione pro Murenâ filio ejus, quem & parenti suo magno hic adjumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoriâ fuisse, Orator adjicit. Qui etiam libro primo in Verrem, jussu L. Murenæ populum Milesium docet decem naves ex pecuniâ vectigali populi Romani fecisse; sicut, pro suâ quæque parte civitates Asiæ cæteras: quæ præsidiaria classis ex fœdere præbenda esset P. R. maritimis necessitatibus; ut ad eundem librum (sive orationem Verrinam tertiam) notavit *Asconius Pedianus*.

L. Lucullus quæsturæ suæ tempus, Murenâ bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumpsit. [*Cicero, in Lucullo.*]

Sylla Dictator Murenam ex Asiâ revocavit. [*Cicero, pro lege Manilia.*] ei in Asiaticâ prætura M. Thermo succedente: cujus contubernio stipendia prima C. Julius Cæsar in Asiâ fecit. [*Sueton. in Julio, cap.* 2.] Simul verò cum Murenâ, ex quæsturâ etiam revocatum fuisse Lucullum, argumento illud est, quòd Aquilio Gallo judici Romæ assederit in causâ Quintii: quam Ciceronem anno ætatis 26°, M. Tullio & Cn. Dolabellâ Consulib. egisse, docet *A. Gellius* lib. 15. cap. 28. & *Hieronymus* in Chronico.

Alexander Jannæus, belli requiem, morbi habuit principium. Ex temulentiâ enim morbo contracto, triennio integro febre quartanâ laboravit: neque à castrensibus tamen officiis abstinebat. [*Joseph. lib.* 1. *Belli, cap.* 4. *& lib.* 13. *Antiquit. cap.* 23.] 4633 81

L. Murena Romam reversus, amplissimè triumphavit. Cujus triumphum donis militaribus filius decoravit: qui sub eo imperatore meruit, & finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fecit. [*Cicero, pro Murenâ.*]

Mithridates otium nactus subegit Bosphorum, & genti unum ex filiis Macharem regem dedit. [*Appian. pag.* 216.]

Molo Rhetor legatus ad Senatum de Rhodiorum præmiis veniens, primus exterorum in Senatu sine interprete est auditus. Quem honorem non immeritò cepit, quoniam summam vim Romanæ eloquentiæ adjuverat. quo tempore & M. Cicero operam illi dedit. [*Cicero in Bruto. Valer. Maxim. lib.* 2. *cap.* 2.] quod & ante sexennium illum fecisse, suo loco notavimus.

Julius Cæsar à M. Thermo Asiæ prætore in Bithyniam ad arcessendam classem missus, desedit apud Nicomedem, non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ: quem rumorem auxit inter paucos rursùs dies reperta Bithynia, pecuniæ exigendæ prætextu, quæ deberetur cuidam libertino clienti suo. [*Sueton. in Julio, cap.* 2.]

L. Cornelius Sylla Dictator plebi Romanæ infernit ex proscriptorum servis florentissimum quemque ætate ac viribus, plusquàm decem mille, donatos priùs libertate civitateque, & Cornelios vocatos de patroni nomine; ut inter plebeios haberet in Urbe semper ad jussa parata decem millia. [*Appian. lib.* 1. *Bell. civil. pag.* 413. *&* 416.] Inter hos à Syllâ civitate donatos Alexandrum Polyhistorem fuisse, *Servius* in Æneid. 10. indicat. Et quidem Romæ Syllæ temporibus fuisse Alexandrum Polyhistorem, & libertate donatum, & Cornelium cognominatum, (licèt à patrono Cornelio Lentulo, cui venditus, cujúsque pædagogus factus fuerit) confirmat etiam *Suidas*, in Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μιλησίῳ. Milesium enim appellat ille Grammaticum hunc Cratetis discipulum: quem *Stephanus Byzantinus* patre Asclepiade in urbe minoris Phrygiæ Coryaco natum, de omnigenis rebus libros 42. scripsisse asserit. De quo videndus *Eusebius*, libro 9°. Præparat. Evangelic. cap. 17. ubi complura ex libro quem de Judæis ille scripsit recitat.

Thebæos tertio à defectione anno Ptolemæus Lathurus in potestatem suam redactos tam graviter mulctavit; ut qui antè ditissimas quasque Græciæ civitates opibus superârant, nullum pristinæ fortunæ vestigium retinuerint. Ita *Pausanias* in Atticis: [*pag.* 8.] sic ista referens, quasi ad Thebas Bœotias ista spectarent, non ad Thebas Ægyptias. quum eodem ferè tempore quo à Ptolemæo Thebæi defecerunt, magnas illas Thebas Bœotiæ ab Archelao Mithridatis ad Syllam Romanorum ducem defeciſſe, ex *Appiani* Mithridaticis [*pag.* 190.] observaverimus.

Ipse verò Ptolemæus Lathurus non ita multò pòst fato functus est, [*Pausan. ut suprà.*] annis post mortem fratris Philometoris 36. & mensibus 6. Cui succedens filia Cleopatra, Ptolemæi Alexandri (qui junior Lathuri frater, matrem simul secum regnantem occidit) uxor, regnavit mensibus 6. [*Porphyr. in Græc. Euseb. Scalig. pag.* 225.] Lathurum autem Berenicem solam è legitimo thoro suscepisse, confirmat *Pausanias*: [*ut supr.*] quâ ante patrem defunctâ, proles ejus illegitima, Ptolemæus quidem Cypri, Cleopatra verò ista & posteà Novus Dionysius sive Auletes Ægypti regnum occupavisse videtur. nisi fortè eadem Porphyrio *Cleopatra* fuerit, quæ Pausaniæ *Berenice*.

Sylla Dictator Alexandrum, Ptolemæi illius Alexandri matricidæ filium, quem in familiaritatem receptum ex Asiâ secum Romam duxerat, Alexandrinis regem misit, deficiente ibi virili stirpe regiâ, & mulieribus viro cognato opus habentibus: sperans multum auri se collecturum ex regno opulentissimo. [*Appian. Bell. civil. lib.* 1. *pag.* 434.]

C. Julius Cæsar à M. Thermo in expugnatione Mitylenarum coronâ civicâ donatus est. [*Sueton. in Julio, cap.* 2.] Mitylenæ, quæ sola urbs post victum Mithridatem arma retinebat, diruæ sunt. [*Liv. lib.* 89.] urbe illâ nobili, belli lege ac victoriæ jure, sub potestate populi Romani redactâ. [*Cicero, in Agrariâ* 2ª.]

3924 Alexander, ductâ in uxorem Ægypti reginâ Cleopatra, poſtquam per 19 dies ſimul cum illâ regnaviſſet, eam interemit. [*Porphyr. ut ſupr.*] *Appianus* regem hunc, Syllæ fiduciâ inſolentiùs imperantem, decimo nono regni die ab Alexandrinis in gymnaſium ex regiâ protractum & interemptum fuiſſe ſcribit. Sed annos 15 poſt uxoris necem eum regnaviſſe, ex *Ciceronе* & *Suetonio* poſteà apparebit: contra communem Hiſtoricorum & Chronographorum errorem; qui Ptolemæi Auletæ regnum hîc incipiunt, & annos illius cum annis Alexandri commiſcent.

Mithridates Achæos aggreſſus, Colchis finitimos, eorum [ut quidam putant] qui à Troiâ revertentes huc errore delati ſunt reliquias, duas partes exercitûs partim inſidiatorum dolo, partim aperto marte, atque etiam inclementiâ frigoris amiſit. [*Appian. pag.* 116.]

Domum reverſus Mithridates, Romam miſit qui leges fœderis conſcriberent. Ariobarzanes quoque miſit, ſive ſponte ſive incitatus ab aliis, qui docerent ſe non recepiſſe Cappadociam, & majorem ejus partem retinere Mithridatem. Mithridates verò à Syllâ cedere Cappadociâ juſſus eſt, prius quàm leges pacis conſcriberentur. [*Id. ibid.*] 4634 80

Conſtitutâ Ciliciæ provinciâ, Proconſul ad eam Cn. Dolabella eſt miſſus. Cui provinciæ, præter tres dioeceſes proprias, Pamphylicam, Iſauricam, & Cilicienſem; tres quoque Aſiaticas dioeceſes attributas fuiſſe, teſtatur Cicerò. [*lib.* 13. *ad familiar. epiſt.* 67.] Cibyraticam nimirùm, Synnadenſem, & Apameenſem; in regionibus Phrygiæ, Piſidiæ, & Lycaoniæ poſitas. Cùm verò Dolabella, quæſtorem ſecum ducens C. Malleolum & legatum C. Verrem, in itinere Delum perveniſſet: ibi ex fano Apollinis antiquiſſima ſigna noctu clàm ſublata in onerariam navem ſuam Verres conjicienda curavit. Tum ſubitò tempeſtates coortæ ſunt maximæ, ut non modò proficiſci, cùm cuperet, Dolabella non poſſet, ſed vix in opido conſiſtere: ita magni fluctus ejiciebantur. Hîc navis illa onuſta ſignis, expulſa atque ejecta fluctu, frangitur: in littore ſigna illa Apollinis reperiuntur, juſſu Dolabellæ reponuntur; tempeſtas ſedatur, Dolabella Delo proficiſcitur. [*Cicero, act.* 2. *in Verrem lib.* 1.]

Chio, Erythris & Halicarnaſſo, idem Verres ſigna pulcherrima abſtulit. Tenedo quoque ipſum Tenem pulcherrimè factum, qui urbem illam dicitur condidiſſe & cujus ex nomine Tenedus nominatur, abſtulit magno cum gemitu civitatis. (*Id. ibid.*)

Quum Verres à Cn. Dolabellâ efflagitaſſet, ut ſe ad reges, populi Romani ſocios, Nicomedem Bithyniæ & Sadalam Thraciæ, mitteret; Lampſacum in Helleſponto pervenit. Ubi cùm aſſecla illius Rubrius Philodami primârii civis filiam ad Verrem perducere conaretur; Lampſacenis Themiſtagoræ & Theſſali hortatu ad tuendam illius pudicitiam noctu concurſantibus, lictor Verris Cornelius occiſus, ſervique ipſius nonnulli, unà cum Rubrio, in turbâ fauciati ſunt: ipſius quoque legati domo ab incendio ægrè ſervatâ. Dolabella à Verre rogatus, relicto bello (quod tunc ab illo in Ciliciâ gerebatur) atque provinciâ ſuâ in Aſiam profectus, à C. Nerone, qui in Aſiæ præturâ M. Thermo ſucceſſerat, obtinuit ut Philodamus & filius ejus judicio damnati ſecuri percuterentur. [*Id. ibid. cum Aſconio Pediano in eundem.*]

3925 Verrem ex Aſiâ decedentem Charidemus Chius trierarchus à Dolabellâ ſequi juſſus, Samum cum eo venit. Ubi expugnato antiquiſſimo Junonis Samiæ fano, tabulas & ſigna Verres inde ſuſtulit. Cujus ſacrilegii cùm à Samiis apud Chios ſuos accuſatus Charidemus, planum feciſſet, non à ſe ſed à Verre iſta fuiſſe facta: legati ad C. Neronem in Aſiam Samo venerunt, de eo conqueſturi. Qui reſponſum tulerunt; ejuſmodi querimonias, quæ ad legatum populi Romani pertinerent, non ad prætorem, ſed Romam deferri oportere. [*Cicero, ibid.*]

In Pamphyliâ idem Verres Aſpendo non modò Aſpendium cithariſtam, quem omnia intus canere dicebant, ſed ſigna etiam reliqua omnia ex fanis & locis publicis, palàm ſpectantibus omnibus, plauſtris evecta aſportavit; Pergæ verò antiquiſſimum Dianæ fanum ſpoliavit, & ex ipſâ Dianâ quod habebat auri detractum abſtulit. [*Id ibid.*]

Habebant Mileſii præſidiariam claſſem, ex fœdere præbendam populi Romani maritimis neceſſitatibus. Hos navem Verres popoſcit, quæ eum prætidi cauſa Myndum proſequeretur. Illi ſtatim myoparonem egregium de decem navibus electum, atque ornatum dederunt. Verres autem milites remigeſque Mileſum Myndo pedibus reverti juſſit: myoparonem verò L. Magio & L. Fannio, qui à Mariano exercitu transfugæ Myndi tùm habitabant (poſtea verò ad Sertorium & Mithridatem tranſierunt) vendidit. Qui myoparoni præfuerat, rem geſtam renuntiavit: illi renuntiationem ejus in publicas literas retulerunt. Sed Cn. Dolabella, Verris rogatu, & in renuntiatorem animadvertere conatus eſt, & renuntiationem ex tabulis tolli juſſit. (*Id. ibid. cum Aſcon. Pediano in eund.*)

C. Malleolo quæſtore Cn. Dolabellæ occiſo Verres ſtatim à Dolabellâ quæſtoriæ procurationis munus obtinuit: & pupilli tutelam adeptus, bona ejus invaſit. [*Ibid.*]

Quum provincias ſortirentur Conſules; P. Servilius Ciliciam, Ap. Claudius Macedoniam obtinuit. Servilius ægrotum Tarenti collegam prior tranſgreſſus, ad Corycum urbem iter vertit: [*Saluſt. Hiſtoriar. lib.* 1. *apud Priſcian. lib.* 15.] contra piratas miſſus; qui, duce Iſidoro, in proximo mari (Cretam inter atque Cyrenas, Achaiam ſinúmque Maleum) quod à ſpoliis Aureum ipſi vocavere, latrocinabantur. [*Florus, lib.* 3. *cap.* 6.] Sub Servilio Julius Cæſar, ſed brevi tempore, meruit. (*Sueton. in Julio, cap.* 3.) & L. Flaccus tribunus militum fuit. [*Cicero, pro Flacco.*] 4635 79

Cn. Dolabella ex Ciliciâ provinciâ revocatus, Romæ ab adoleſcente M. Æmilio Scauro repetundarum accuſatus, damnatus atque in exilium miſſus eſt. Cujus lis ſeſtertiùm ad tricies his nominibus ſolis eſt æſtimata; quòd ejus Quæſtor C. Verres à civitatibus Lyciæ, Pamphyliæ, Piſidiæ, Phrygiæque frumentum, coria, cilicia, ſaccos præter modum imperâſſet; neque ea ſumpſiſſet, ſed pro his rebus pecuniam exegiſſet. Contra eum verò ipſe Verres, totius criminis miniſter & particeps, acerrimum teſtimonium dixit: & niſi condemnato & ejecto eo, qui

poſſet

pollet reprehendere, legationis & quæsturæ suæ rationes referre noluit. [*Cicero, act. 2. in Verr. lib. 1.*] Vid. *Pighii* Annal. Rom. tom. 3. pag. 280, 281. & 286, 287.]

3926 Alexander Jannæus, quartano febrium recursu fatigatus, & intempestivâ militiâ sese implicans, tandem exhaustis viribus, quum 27 regnâsset annos, in Gerasenorum finibus mortuus est; Ragaba castellum, quod ultra Jordanem situm est, obsidens. Moriturus uxorem Alexandram monuit, ut apud milites mortem ipsius tantisper celaret: deinde postquàm victrix magnificè Hierosolyma reversa fuerit, Pharisæis nonnihil licentiæ permitteret. Posse enim hos plurimum apud Judæos, sive exosum aliquem cupiant lædere, sive amicum juvare. Valde enim his fidem habere vulgus, etiamsi per invidiam de quopiam malè loquantur: eâmque se ob causam gentis odium incurrisse, quòd hoc genus hominum offendisset. Suasit igitur ut cadaver ipsius eorum arbitrio permitteret, polliceretúrque nihil se nisi ex illorum sententiâ gesturam in administrando imperio: sic enim fore, ut & ipse tantò magnificentiùs sepeliretur, & illa securè cum filiis dominaretur. [*Joseph. lib. 1. Belli Judaic. cap. 4. & lib. 13. Antiquit. cap. 23. cum lib. 20. cap. 8.*]

Alexandra regina (Ecclesiasticis scriptoribus *Salina* etiam dicta) capto castello Rágabâ, juxta mariti monita, omnia quæ vel ad cadaver vel ad regnum pertinerent Pharisæorum arbitrio permittens, ex infensis benevolos, sibi reddidit. Tùm illi progressi ad plebem concionabantur, res gestas Alexandri celebrantes, & regem justum se amisisse conquerentes: populúmque ad eum luctum & mœstitiam provocaverunt, ut nullum antehac regem funeraverint magnificentiùs. [*Id. lib. 13. Antiquit. cap. 24.*] 4636 78

Cùm verò ille moriens & regni administrationem uxori Alexandræ testamento reliquisset, & deligendi Pontificis permisisset arbitrium: majorem illa natu filium Hyrcanum Pontificem declaravit, non tam propter ætatis prærogativam, quàm quòd propter innatam segnitiem potestati quam ipsa obtinebat regiæ minimè molestus futurus videretur; minorem autem Aristobulum privatum vivere maluit; quòd ferventioris is esset ingenii. Per novem igitur annos regnum illa administravit, toto eo tempore filio Hyrcano Pontificatum obtinente: mulier apud populum gratiosa, tum ob favorem Pharisæorum, tum quòd semper vita esset ægrè tulisse ea, quæ maritus præter officium fecisset. Et nomen quidem regni penès reginam erat; ejus autem administratio penès Pharisæos: quibus etiam plebs parere ab eâ jussa est. Si quid igitur constitutionum Hyrcanus socer abrogaverat, quas Pharisæi juxta majorum traditiones induxerant; id totum illa denuò restituit: iidémque & exulibus reditum, & vinctis solutionem procurabant. Quædam tamen etiam per se mulier procurabat, & magnum mercede conductorum militum alebat numerum: virésque suas ita augebat, ut terrori esset circumvicinis tyrannis & obsides ab eis acciperet. [*Id. ibid. cum lib. 26. Antiquit. cap. 8. & lib. 1. Belli cap. 4.*]

Mithridates, Syllæ jussu, restitutâ Ariobarzani totâ Cappadociâ, aliam legationem ad scribendas leges fœderis Romam misit. [*Appian. pag. 216.*]

M. Lepido & Q. Catulo Consulibus, Sylla mortuus est. [*Liv. lib. 90. Appian. lib. 1. Bell. civil. pag. 416.*] Biduo ante excessum 22°. Commentariorum suorum libro extremam manum imposuit: sibique prædixisse Chaldæos ait, ubi præclarè vixisset, in flore felicitatis se excessurum. [*Plutarch. in Syllâ.*] Eos Commentarios Lucullo ille nuncupavit: quem & moriens, præterito Pompeio, tutorem filio scripsit. Unde inter eos, juvenes tum & gloriæ cupiditate flagrantes, primus simultatis & æmulationis fons manasse putabatur. [*Id. in Lucullo.*]

M. Cicero, postquàm sex menses Athenis cum Antiocho Ascalonitâ veteris Academiæ nobilissimo & prudentissimo philosopho & Demetrio Syro vetere & non ignobili dicendi magistro fuisset, morte Syllæ ibi audità, in Asiam navigavit: eâque totâ peragratâ, cum summis oratoribus exercebatur. Horum erant principes, Menippus Stratonicensis (cognomento Catocas) è Cariâ, Dionysius Magnes, Æschylus Cnidius, & Xenocles Adramyttenus. [*Cicero in Bruto, & Plutarch. in Cicerone: cum Strabone, lib. 13. pag. 614. & lib. 14. pag. 660. & Diog. Laertio, in Menippo.*]

Eo quoque tempore Milesia quædam mulier, quòd ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis est damnata; neque injuriâ: quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum reipublicæ civem, sustulisset. [*Cicero, pro A. Cluentio.*]

P. Servilius proconsul Ciliciam subegit: piratarúmque levibus & fugacibus myoparonibus gravi & Martiâ classe turbatis, victoria non incruentâ eos superavit. [*Liv. lib. 90. Florus, lib. 3. cap. 6. Eutrop. lib. 6.*] Ciliciam & Pamphyliam crudelissimè adortus, dum subdere studet, penè delevit. [*Oros. lib. 5. cap. 23.*]

Julius Cæsar, Syllæ morte compertâ, relictâ Ciliciâ Romam properè rediit. [*Sueton. in Julio, cap. 3.*]

Romæ quum magistratus, defuncto jam Syllâ, de Mithridatis legatione ad Senatum non retulissent; rex Tigranem generum subornavit ut Cappadociam invaderet: quod tamen commentum Romanos non latuit. [*Appian. in Mithridat. pag. 216.*] inter quos L. Philippum, in oratione contra Lepidum hoc tempore ad Senatum habitâ, in libro 1°. Historiarum ita loquentem inducit Sallustius. *Mithridates in lacere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit.*

3927 Tigranes, Cappadociâ velut indagine cinctâ ut nemo posset evadere, ad trecenta millia hominum inde abstraxit in Armeniam, & agros eis ad incolendum cum aliis attribuit: ubi primùm Armeniæ regni diadema sibi imposuit, & *Tigranocertam* à se, quasi *Tigranis urbem*, denominavit. [*Id. ibid.*] Eam ille urbem condidit inter Iberiam & Zeugma quod est ad Euphratem: conducens in eam homines è duodecim quas evastaverat Græcanicis urbibus. [*Strabo,*

lib. 11. *pag.* 532.] Erant in eâ frequentes ex Ciliciâ exciti Græci, frequentes barbari eâdem atque Græci ſorte uſi, Adiabeni, Aſſyrii, Gordyeni, Cappadoces: quos excitis eorum patriis deduxerat illuc, ac ſedes figere coëgerat. [*Plutarch. in Lucullo.*] Hoc verò tempore, quo Cappadociam incurſionibus vaſtavit, Mazacenos omnes ſedibus ſuis ejectos in Meſopotamiam tranſtulit, & majorem Tigranocertæ partem iis habitatoribus frequentavit. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 539.]

Geminus, inſignis mathematicus, opus ſuum aſtronomicum (ex quo Proclí Sphæra eſt excerpta) ſcripſit, 120. annis poſtquàm Ægyptiorum Iſia in Eudoxi Solſtitium brumale, ſive Decembris 28. incurrebant: ut ipſe in cap. 6. indicat. *Vid. ann. Mundi* 3807. *a.*

M. Cicero Rhodum veniens, ad eundem quem Romæ audiverat Molonem ſe applicavit; cùm actorem in veris cauſis ſcriptoremque præſtantem, tum in animadvertendis notandiſque vitiis & inſtituendo docendóque prudentiſſimum. Is dedit operam, ut nimis redundantem & ſuperfluentem juvenili quâdam licentiâ Ciceronem reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentem coërceret. [*Cicero, in Bruto.*] 4637 77

Floruit ibidem eodem tempore ſummus etiam artis Oratoriæ magiſter Apollonius; cui à Strabone Μαλακὸς ſive *Mollis*, ab aliis *Molonis* cognomentum tribuitur, & ob hoc à nonnullis (inter quos & Quintilianus eſt, *lib.* 12. *cap.* 6.) cum priore illo *Molone* confunditur. Alabandenſes è Cariâ erant ambo. Meneclis Alabandenſis rhetoris diſcipuli; & uterque domo ſuâ profectus, eandem artem Rhodi profeſſus eſt: licèt ſeriùs Molon eò ſe contulerit, indéque Homericum illud ab Apollonio audierit, Ὀψὲ μολών. [*Strabo, lib.* 14. *pag.* 655, 660, 661.] Unum Cicero *Molonem* ſemper appellat: alterum, in libro 1. de Oratore, *Apollonium Alabandenſem*; ubi ita de eo loquens M. Antonius introducitur. *In eo vel maximè probavi ſummum illum doctorem Alabandenſem Apollonium, qui cùm mercede doceret, tamen non patiebatur eos quos judicabat non poſſe oratores evadere operam apud ſe perdere, dimittebátque: & ad quam quemque artem putabat eſſe aptum, ad eam impellere atque hortari ſolebat.*

Hunc Apollonium fama eſt, quòd imperitus eſſet Romanæ linguæ, à Cicerone petiiſſe, ut declamaret Græcè: Ciceronem autem morem ei geſſiſſe libenter, ita fore ratum, meliùs ut corrigeret ſe ille. poſtquàm declamavit, cæteris ſtupore defixis & certatim collaudantibus eum, Apollonium non hilarem fuiſſe dum audiret dicentem; & quum peroraſſet, diu ſediſſe cogitabundum: tandem verò, ubi id momordit Ciceronem, dixiſſe. *Te quidem laudo, Cicero, & admiror: Græciæ verò me miſeret conditionis, quum cernam, quæ reliqua nobis ſola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos tranſtuliſſe, litteras & eloquentiam.* (Plutarch. in Cicerone.)

Rhodi Ciceronem quoque philoſophum Poſidonium audiviſſe *Plutarchus* confirmat. Eúmque inter eos, à quibus inſtitutus fuit, enumerat ipſe *Cicero*; in lib. 1. de Naturâ Deorum, & lib. de Fato. Poſidonius verò iſte Stoicæ ſectæ philoſophus, Apameæ quidem in Syriâ natus, ſed Rhodi poſteà civis factus Rhodius eſt appellatus; ut ex Strabone [*lib.* 14. *pag.* 654.] & Athenæo [*lib.* 6. *cap.* 6.] cognoſcitur. Ubi & illud obiter notandum, quum *Poſidonium* & *Apollonium Molonis* vel *Molonem* (ut alibi ſcribitur) de Judæis & eorum Templo fabularum fomitem Apioni Grammatico præbuiſſe dicat Joſephus: [*lib.* 2. *contr. Apion. pag.* 1065.] prioris nomine Apamenum hunc *Poſidonium* intelligere, Ciceronis in philoſophiâ Stoicâ magiſtrum, ex cujus Hiſtoriarum libris tam multa à nobis in ſuperioribus ſunt producta; poſterioris verò vel *Apollonium* illum de quo jam diximus, vel potiùs *Molonem* illius æqualem, quem inter *ſcriptores* in Ciceronis Bruto numeratum, atque à quibuſdam eundem cum Apollonio illo fuiſſe habitum, jam diximus.

P. Servilius proconſul in Ciliciâ Iſauros domuit, & aliquot urbes piratarum expugnavit. [*Liv. lib.* 93.] Urbem ipſam Iſauram demolitus eſt, & pleraſque piratarum munitiones excîdit quæ ad mare erant. [*Strabo, qui ipſum Servilium ſe vidiſſe ait, lib.* 12. *pag.* 568, 569. *& lib.* 14. *pag.* 665.] Lyciam & urbes ejus clariſſimas obſeſſas oppreſſáſque cepit. Prætereà Olympum montem pervagatus, Olympum, Phaſelidem, & Corycum tres magnas urbes evertit. Primus quoque Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit: lateráque montis in Ciliciam vergentia perſcrutatus, Iſauros bello fractos in Romanorum ditionem redegit. [*Oroſ. lib.* 5. *cap.* 23. *cum Floro, lib.* 3. *cap.* 6. *Saluſtio lib.* 1. *Hiſtor. apud Priſcianum libro* 15. *Aſconio Pediano, in Verrinam* 3. *& Eutropio, lib.* 6.] Agros Attalienſium, Phaſelitum atque Olympenorum, agrúmque Agerenſem, & Orindicum, & Geduſanum, populo Romano Servilii victoriam adjunxiſſe, in 14. & 24. Agratiâ confirmat *Cicero*: qui etiam in 4°. contra Verrem libro de Phaſelide ſpeciatim iſta adjicit. Phaſelis illa, quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs antè Cilicum & prædonum: Lycii illam, Græci homines, incolebant. Sed quòd erat ejuſmodi loco atque ita projecta in altum, ut & exeuntes è Ciliciâ prædones ſæpe ad eam neceſſariò devenirent, & cùm ex hiſce ſe locis reciperent, eódem deferrentur; adſciverunt illud ſibi opidum piratæ, primò commercio, deinde etiam ſocietate.

3928 L. Magius & L. Funnius de exercitu Fimbriæ profugi Mithridati ſeſe adjunxerunt: eſque perſuaſerunt ut cum Q. Sertorio, qui in Hiſpaniâ tum contra Romanos arma ſumpſerat, ſocietatem belli paciſceretur. Hos ille legatos cum litteris ad Sertorium miſit: pecuniam & naves illi ad bellum ſe præbiturum promittens; & ab illo viciſſim omnem Aſiam, quâ populo Romano fœdere cum Syllâ icto ceſſerat, confirmari ſibi poſtulans. Legatos, myoparone illo quem Myndi à C. Verre comparaverant in Italiam tranſvectos & ad Sertorium inde feſtinantes, Senatus in hoſtium numero habendos cenſuit, & inquirendos mandavit. Ad Sertorium tamen illi pervenerunt: qui coacto ſuorum concilio, quod Senatum vocabat, quum cæteri accipiendas conditiones cenſerent, eas improbavit. Ut Aſiæ enim provincia, quâ ille populum Romanum injuſtè ſpoliaverat, quámque à Fimbriâ bello illi extortam ipſe fœdere cum Syllâ ſancito dimiſerat, negavit permiſſurum ſe ut in ejus ditionem iterùm rediret. 4638 76

Bithyniam

Bithyniam verò & Cappadociam ipſi parere aſſuetas, nec quicquam populo Romano attinentes, ſe illi dixit non invidere. His tamen conditionibus fœdus eſt initum, & jurejurando confirmatum: ut Sertorio Mithridates tria millia talentûm cum 40. navibus præberet; Sertorius verò Mithridati Cappadociam & Bithyniam (quibus *Appianus* non Paphlagoniam ſolùm & Galatiam, ſed ipſam quoque addit Aſiam) occupandas concederet, & Ducem ei militémque mitteret. Ducem verò ad eum miſit in Aſiam Mithridates, ex ſenatoriis exulibus, *M. Marium* (*Varium* Appiano dictum) eíque duos illos Lucios conſiliarios addidit, Maginm & Fannium. Qui Diano maritimâ Hiſpaniæ civitate ſolventes, & Sinopen Ponti ubi Mithridates erat pervenientes, quum negatam illi à Sertorio Aſiam declaraſſent; Rex ad amicos dixiſſe fertur. *Quid tandem in Palatio ſedens imperabit Sertorius; qui nunc ad Oceanum ſummotus Atlanticum finis regno noſtro præſcribit, & renuntiantibus Aſiam bellum denuntiat?* Marius tamen Marius ex Sertorii ſententiâ fœdus cum eo firmavit. Quem Rex apud ſe retentum, brevi in locum Archelai, qui ab ipſo tranſfugerat, ducem fecit. [*Cicero, pro lege Manilià; & 2. pro Murenâ. item, act. 2. in Verrem lib. 1. cum Aſconio Pedſano in eund. Liv. lib. 93. Plutarch. in Sertorio. Appian. in Mithridatic. pag.* 216, 217. *Oroſ. lib. 6. cap. 2.*]

Reſtituto Capitolio (cum quo, ante ſeptennium, libri Sibyllini fuerant combuſti) retulit ad Senatum C. Curio Conſul, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent. Miſíque P. Gabinius, M. Otacilius & L. Valerius, deſcriptos à privatis verſus Romam deportárunt: quos Conſules Curio & Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catulo reſtitutum, ponendos curárunt. [*Feneſtellâ: à Lactantio citatus, libro 1. Inſtitut. cap. 6. & lib. de irâ Dei cap.* 22.] Unde libros Sibyllinos, quos Romani conſulebant, Erythræam creditam ſcripſiſſe *Varro* dicit: quia poſt incenſum Apollinis templum, in quo fuerant libri, apud Erythræam inſulam ipſa inventa ſunt carmina: ſi *Servio* credimus. [*in Æneid. 6.*] Incenſum enim templum non Apollinis ſed Jovis Capitolini fuit: & Capitolio refecto, licèt ex Senatuſconſulto ad verſus transcribendos Erythras Aſiæ legati miſſi fuerint, non tamen ex Erythræis ſolis, ſed etiam ex aliis civitatibus & Italicis & Græcis privatorúmque hominum bibliothecis, cujuſcumque Sibyllæ nomine fuerunt, libri qui poſtea extabant coacti Romámque allati fuerunt; in quibus & ſuppoſititia quædam, ex acroſtichidum quas vocant diſcrimine, ſunt deprehenſa. Quod ex ipſius *Varronis* libris rerum divinarum, à Dionyſio Halicarnaſſeo [*lib. 4. antiquit. Roman.*] & Lactantio Firmiano [*lib. 1. Inſtitut. cap. 6.*] habetur relatum. *Quæſita* quoque fuiſſe *Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam & Siciliam & Italicas colonias carmina Sibyllæ, una ſeu plures fuere; dainnque Sacerdotibus negotium, quantum humanâ ope potuiſſent, vera diſcernere*, in libro 6°. Annalium prodidit *Tacitus*.

Iiſdem Cn. Octavio & Cn. Scribonio Curione Conſulibus, ſcintillam è ſtellâ cadere & augeri terræ appropinquantem, & auctam in Lunæ magnitudinem illuxiſſe ceu nubilo diei; dein cùm in cœlum ſe recipere lampadem factam, *Licinium Syllanum* Proconſulem cum comitatu ſuo vidiſſe, in Naturalis ſuæ hiſtoriæ lib. 2. cap. 35. prodit *Plinius*. Cùm autem *Syllanus* inter cognomina Romana non inveniatur; *L. Junium Silanum* in Plinio hîc reponendum cenſet *Pighius*. Ut *Junius* hoc tempore, Cn. Neronis loco, cum proconſulari imperio in Aſiam miſſus; in itinere prodigium hoc cum comitatu ſuo conſpexiſſe videatur.

3929 Nicomedes Bithyniæ rex, ſine liberis defunctus, populum Romanum fecit teſtamento hæredem: regnúmque ejus in provinciæ formam redactum eſt. [*Liv. lib. 93. Vellei. Patere. lib. 2. cap. 4. & 39. Appian. lib. 1. Bell. civil. pag.* 420. *& Mithridatic. pag.* 175. *&* 218.] Quò ſpectat & illa de Romanis querela, in epiſtolâ Mithridatis ad Arſacem; libro 4°. Hiſtoriarum Salluſtii. *Totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere; cùm filium Muſa, quem regem appellaverat, genitus haud dubiè eſſet.*

Eodem quoque anno (quo CLXXVI. actâ eſt Olympias) Cyrenæ provinciâ auctum fuiſſe populum Romanum, Ptolemæo Apione rege ex Lagidarum gente teſtamento eam illi relinquente, in lib. 1. de Bell. civil. [*pag.* 420.] ſcribit *Appianus*: in fine etiam Mithridaticorum, è Lagidarum gente *nothum* regem illum fuiſſe addens. quæ *Apionis* deſcriptio, oſtendit eundem eſſe cum illo, quem *ex pellice ſuſceptum* regni Cyrenarum hæredem populum Romanum inſtituiſſe, in lib. 39. cap. 5. *Juſtinus* retulit. ubi tamen *eam Libyæ partem provinciam factam* fuiſſe adjicit: quum Ptolemæo Apione mortuo, Senatum regni Cyrenarum civitates liberas eſſe juſſiſſe, ſuprà (ad annum Mundi 3908.) ex *Livio* audiverimus. ut tunc quidem liberatæ, nunc verò in provinciæ formam redactæ illæ fuiſſe videantur. Et tunc quidem *Ptolemæum regem Cyrenæ morientem Romanos teſtamento dimiſiſſe hæredes*, anno 1°. Olymp^ad. CLXXI. poſteà verò *Libyam per teſtamentum Apionis regis Romanis relictam*, Olympiadis CLXXVIII. anno 4°, in Euſebiano Chronico notavit *Hieronymus*: poſterius hoc undecim ferè annis ſeriùs. quàm rationes *Appiani* hîc poſtulant, collocans. Novennio ſeriùs, ad Cæcilii Metelli triumphum Creticum ſcilicet, *Eutropius* hoc ipſum retulit. *Quo tempore* (ut in Breviarii ſui libro 6°. ille inquit) *Libya quoque Romano imperio per teſtamentum Apionis, qui rex ejus fuerat, acceſſit: in quâ inclytæ civitates erant, Berenice, Ptolemais, & Cyrene.* Jornandes, in libro de regn. ac temp. ſucceſſ. ita hâc de re ſcripſit. *Libyam, id eſt, Pentapolim suam, à primo illo Ptolemæo Romanis ſub libertate conceſſam, tamen reſiſtentes dehinc, Apionis conſilium populo Romano ſubdidit.* Et ante eum, in ſuo Breviario, Sextus Rufus. *Cyrenas cum cæteris civitatibus Libya Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate ſuſcepimus: Libyam ſupremo regis Apionis arbitrio ſummus aſſecuti.* Eúmque in libro 22. ſecutus Ammianus Marcellinus. *Aridiorem Libyam ſupremo Apionis regis conſecuti ſumus arbitrio: Cyrenas, cum reſiduis civitatibus Libya Pentapolens, Ptolemæi libertate ſuſcepimus.* in quem locum videndæ annotationes doctiſſimi Valeſii:

3929 qui ita historiam hanc explicat, ut duos Ptolemæos Apiones fuisse perneget. Agros porrò *Cyrenenses, qui Apionis fuerunt*, in 2^a. Agrariâ *Cicero* commemorat: sicut *agros regis Apionis quondam habitos, & populo Romano cum regno relictos*, in 14^a. Annalium libro *Cornelius Tacitus*.

Quod hujus ætatis reliquum fuerat, & integram hyemem insequentem, in apparatu belli adversùs Romanos Mithridates consumpsit: in materie cædendâ, fabricandisque navibus & armis. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 217.] Copias ad verum & justum apparatum contraxit. Detraxit enim variam multitudinem, dissonorum minas barbarorum, armorum inanatorum & gemmis distinctorum instrumentum. Pro his gladios fabricavit more Romano, scuta solida compegit, atque exercitatorum habuit magis quàm comptorum equorum delectum. Adhæc naves non deauratis tabernaculis, nec balneis pellicum & gynæciis delicatis adornatas, sed armis, missilibus telis opibúsque comparavit refertas. [*Plutarch. in Lucullo.*] Frumenti 200. medimnûm myriadas ad mare detulit. Auxilia præterò ei fuere; præter veteres copias, Chalybes, Armenii, Scythæ, Tauri, Achæi, Heniochi, Leucosyri, & qui circa Thermodoontem fluvium terram incolunt quam vocant Amazonum. Hæc accesserunt in Asiâ pristinæ potentiæ. Trans mare verò in Europâ Sarmatarum gentes, Basilii, Iazyges, Coralli, Thracum item quæcunque Istrum flumen & Rhodopen Æmúmque montes accolunt, & insuper Basternæ, omnium horum fortissimi. [*Appian. ut supr.*]

Julius Cæsar admodùm juvenis (25. annorum circiter) Rhodum secedere statuit; ut per otium Apollonio Moloni clarissimo tunc dicendi magistro operam daret. Huc dum hybernis jam mensibus trajicit, circa Pharmacusam insulam (ad litus Asiaticum supra Miletum) à piratis captus est, qui multis jam navigiis mare infestum habebant. Hos Cæsar postulantes pro ipsius redemptione 20 talenta, derisit, quasi ignaros quem tenerent: 50 daturum se pollicitus. Mox comites servósque suos ad civitates Asiæ, pecuniæ quâ redimeretur expediendæ gratiâ, dimisit: uno medico & cubicularibus duobus secum retentis. Cum his per dies 38. inter homines immanissimos Cilicas relictus, apud eos ita se gessit, ut pariter iis terrori venerationique esset, neque unquam aut nocte aut die vel excalcearetur vel discingeretur; in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus iis, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret. Quoties quiescebat, misso aliquo indicebat eis silentium: & quasi non custodiretur ab eis, sed stiparetur, unà ludebat & se exercebat. Carmina quoque & orationes scribebat, eáque in circulo eorum pronuntiabat. Si qui non admirarentur ea, hos palam inertes appellabat & barbaros: frequentérque per jocum suspensurum se eos minabatur. Placebat id illis, simplicitati ejus & ætati hanc linguæ libertatem ascribentibus. [*Vellei. Paterculi. lib.* 2. *cap.* 41. *Sueton. in Julio, cap.* 4. *Plutarch. in C. Cæsare.*] In quâ custodiâ asservatus, exclamasse ferebatur: Quanto gaudio, Crasse, perfunderis nuntiatâ meâ captivitate! [*Plutarch. in M. Crasso.*] 4639 71

Publicâ civitatum pecuniâ Milero allatâ, ante numerata 50 talenta piratas Cæsar obsides civitatibus coëgit dare: deinde expositus in littore, sequente nocte contractâ classe tumultuariâ ex Milesiorum portu solvens, invectúsque in insulam, ad quam prædones adhuc stabant, partem classis eorum fugavit, partem mersit, navésque eorum aliquot cum multis hominibus in potestatem suam redegit. Lætus nocturnæ expeditionis triumpho, ad suos reversus est: eorúmque quos ceperat pecuniâ in prædam versâ, ipsos Pergami dedit in custodiam. Ad Junium deinde Asiæ proconsulem in Bithyniam perrexit, (idem enim & Asiæ & Bithyniæ, nuper in provinciam redactæ, eo tempore præfuit) petens, ut auctor fieret sumendi de captivis supplicii. Quod cùm ille se facturum negasset, & nummorum cupidus venditurum se captivos dixisset; Cæsar, salute illi dictâ, incredibili celeritate Pergamum revectus, priùs quàm de eâ re ulli Proconsulis redderentur epistolæ, omnes quos ceperat cruci suffixit; sicut per jocum sæpe illis in insulâ prædixerat. [*Patercul. lib.* 2. *cap.* 42. *Sueton. & Plutarch. ut supr.*] Quoniam verò ante deditionem suffixurum se eos cruci juraverat, jugulari priùs jussit, deinde suffigi. [*Sueton. cap.* 74]

Vere ineunte, cœptum est tertium bellum Mithridaticum: quod, per annos undecim cum dimidio gestum, ipsius Mithridatis interitu tandem terminatum est. Ille igitur jam decursione factâ classium, sacrificavit Στρατίῳ Διί, sive bellipotenti Jovi, more contucto; & Neptuno quadrigas alborum equorum in altum demersit: atque ita properavit in Paphlagoniam, ducibus exercitûs Taxile & Hermocrate. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 217, 218.] Peditum 120 (vel 140, ut apud *Appianum*) erant millia ad Romanos ordines instructorum, equitum 16 millia, præter currus falcatos centum. Sequebatur castra & alia turba magna eorum qui vias muniebant aut deferebant sarcinas, atque etiam negotiatorum. [*Id. ibid. Plutarch. in Lucullo.*]

Ubi in Paphlagoniam est ventum, Mithridates concione magniloquâ ad milites habitâ quum in odium Romanorum exercitum irritasset, Bithyniam Nicomedis testamento nuper eis relictam invasit. [*Appian. pag.* 218.] Eam à Mithridate occupatam, *Livius*; [*lib.* 93.] & à civitatibus ejus libenter illum susceptum fuisse, in Lucullo *Plutarchus* confirmat.

Asia quoque, quòd intolerandis malis à fœneratoribus & publicanis Romanorum esset oppressa, ad Mithridatem est relapsa. [*Plutarch. ibid.*] Ejus urbes aliquot cum M. Mario sive Vario, quem Ducem illi Sertorius ex Hispaniâ miserat, cepit: cúmque in urbes cum virgis & securibus invectum Rex ipse tanquam majorem potestatem & ministri specie ultrò sequebatur. Ille verò aliis libertatem dabat: aliis quam immunitatem concederet, beneficio se facere id Sertorii dicebat. Atque ita Asia, quæ à publicanis vexabatur, avaritiaque & contumeliis premebatur militum præsidiariorum, ad spem erigebatur exoptabárque expectatam imperii conversionem. [*Id. in Sertorio.*]

Julius Cæsar, vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum

videretur,

videretur, ab Rhodo, quò pertenderat, trantiit in Asiam: auxiliisque contractis, & præfecto Regis provinciâ expulso, nutantes ac dubias civitates retinuit in fide. [*Sueton. in Julio, cap. 4.*] licèt conata ejus, qui obtinebat Asiam magistratus populi Romani (Junius) metu suo magnopere destituerit. (*Vellei. Paterc. lib. 2., cap. 42.*)

Bello in Ciliciâ & Pamphyliâ gesto P. Servilium intra triennium finem dedisse; indéque *Isaurici* nomen assumpsisse, *Eutropius* & *Orosius* (ex *Livio*, ut illis moris est) referunt. Apud *Ciceronem*, libro 3°. in Verrem (quæ Oratio frumentaria appellatur) *quinquennium exercitui præfuisse* dicitur. Unde ad annum ante hunc quintum, quo & Consulatum gessit, profectionem ejus in provinciam retulimus. Unum verò hunc plures prædonum duces vivos cepisse, quàm omnes anteà, in quinto contra eundem libro affirmat *Cicero*: atque inter eos Niconem nobilissimum piratam, qui vincla ruperat; quâ felicitate ceperat eâdem recuperavisse. Ciliciam & Isauriam *bello piratico catervis mixtas prædonum, à Servilio Proconsule missas sub jugum, factas fuisse vectigales*, in 14°. Historiarum suarum libro Ammianus Marcellinus: *Pamphyliam, Lyciam* (vel *Ciliciam* potiùs) *Pisidiámque devicisse* illum, *fecisséque provincias*, in libro de regnorum ac temporum successione scribit *Jornandes*. In Ciliciam verò provinciam missum esse hujus anni Consulem Octavium, ex Plutarchi *Lucullo* intelligimus.

Quacumque iter fecit Servilius, jucundissimum spectaculum omnibus victorum captorúmque hostium præbebat. Itaque ei concursus undique fiebant; ut non modò ex his opidis quæ ducebantur, sed etiam ex finitimis visendi causâ convenirent. Indéque triumphus ejus omnium triumphorum gratissimus populo Romano fuit atque jucundissimus. (*Cicero, in Verrem; lib. 5.*) In quo & signa illa atque ornamenta, quæ ex urbe Olympo captâ sustulerat, ferculis ante triumphantem per pompam vecta sunt: quæ ille deinde in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curavit; non numerò solùm signorum, sed etiam unjuscujusque magnitudine, figura & statu, notatis atque descriptis. (*Id. in eund. lib. 1. & Ascon. Pedianus ibid.*) Servilii triumphantis meminit quoque Valerius Maximus; (*lib. 8. cap. 5.*) *Eutropius, Sextus Rufus*; & *Claudianus* poëta; libro 1. in Eutropium ita de illo canens.

Indomitos cæsa Servilius egit Isauros.

M. Antonius, (*M. Antonii triumviri pater*) gratiâ Cottæ consulis & Cethegi factione, in Senatu curationem infinitam nactus tuendæ totius oræ maritimæ, quâ Romanum erat Imperium, cùm & ipse nequam esset & comites haberet pessimos, Siciliam & provincias omnes depopulatus est. (*Cicero, act. 2. in Verrem lib. 2. Lactant. Institut. lib. 1. cap. 11. Ascon. Pedian. in Divinationem, & locum Ciceronis notatum, contra Verrem.*) 4640 | 74

L. Lucullo Consuli Gallia Cisalpina provincia obtigit. Verùm mortuo Octavio, qui Ciliciam obtinebat, Lucullus Præciæ meretricis operâ conciliato sibi Cethego, qui Romæ omnia tùm poterat, Ciliciam provinciam eâ assecutus: cui cùm adhæreret Cappadocia, omnes ei pariter bellum Mithridaticum decreverunt: M. Cotta tamen, ipsius in Consulatu collega, multis precibus à Senatu obtinuit, ut cum classe ad Propontidem tuendam & Bithyniam propugnandam ipse mitteretur. (*Plutarch. in Lucullo.*) Atque ita ambo Consules ad bellum hoc sunt missi: ut alter Bithyniam tueretur, alter in Asia Mithridatem persequeretur. (*Cicero, pro Murenâ. Memnon. cap. 39. Eutrop. lib 6.*) Lucullum enim Consulem non solùm Ciliciam, sed etiam *Asiam* (propriè dictam) sortitum fuisse, eique per *septennium* præfuisse, ex Velleio Paterculo (*lib. 2. cap. 33.*) intelligitur.

Lucullus, conscripta in Italia legione, in Asiam cum eâ trajecit: ubi duas Fimbrianas, & duas alias legiones accepit; quæ in universum jamdudum deliciis atque avaritiâ erant corruptæ. Fimbriani, quòd alienis viderent sine imperio agere, intractabiliores erant & procaciores; sed bellicosi, laborúmque militarium periti & patientes. Lucullus tamen & alios correxit, & horum præcidit ferociam. (*Plutarch. ut supr. cum Appiano in Mithridatic. pag. 219.*) Fœneratores quoque & publicanos Romanos, quorum rapinis Asiani ad defectionem sunt impulsi; castigando moderatiores efficere nitebatur; defectionésque dispiciebat populorum, quum nemo jam ferè quiesceret. (*Plutarch. ibid.*)

Mithridates, cum alium in procinctu habens exercitum frequentissimum; tum triremes 400 cum navium minorum quas pentecontores & cercuras vocitant non exiguo numero, Diophantum Mitharum cum validâ manu in Cappadociam dimisit, ut præsidia in urbibus collocaret; &, si Lucullus Pontum ingrederetur, occurreret & progressum ejus intercluderet. Ipse verò 150 peditum millia sub vexillis apud se retinuit, & 12 millia equitum, quos falcati sequebantur currus 120. nec ulla machinarum omnis generis copia aberat. Concitato igitur itinere, per Timonitidem, Cappadociam & Galatiam pergens, ad diem nonum Bithyniam attigit. Lucullus interim Cottam in Chalcedoniorum portu stationem habere jussit, cum omni classe. (*Memnon, cap. 39.*)

Mithridatis classis Heracleam in Ponto præterlegens, ab eâ non est recepta. Forum tamen venale rogantibus cives præbuerunt: & commerciis, ut fieri solet, initis, nobiles ex Heracleâ viri Silenus & Satyrus capti; non aliâ conditione sunt dimissi, quàm ut quinque triremibus Mithridatem in hoc cum Romanis bello adjuvarent. Quo facto Romanorum inimicitiam populus Heracliensis sibi conciliavit. Quum igitur auctiones publicas Romani in aliis civitatibus instituerent; Heracleam quoque, propter hanc causam, his exposuerunt. Cúmque auctionatores urbem ingressi, contra Reipublicæ morem argentum exigerent, in mœrorem cives conjecerunt, qui servituris initium hoc esse existimabant. Quare, cùm per legationem ad Senatum Romanum publicationem bonorum deprecari res postularet, ipsi à quodam in urbe audacissimo persuasi, publicanos è medio sustulerunt, tam secretò, ut de nece illorum nemini quicquam constaret. (*Id. cap. 40.*)

M. Cotta

M. Cotta multis nuntiantibus Lucullum adventare & jam in Phrygiâ castra habere, existimans triumphum se tantùm non in manibus tenere, ne consors ejus Lucullus foret, cum Mithridate dimicare maturavit. [*Plutarch.*] Marius (sive Varius) & Eumachus duces à Mithridate adversùs Lucullum missi, magno exercitu brevi congregato, cum P. Rutilio (M. Cottæ legato) apud Chalcedonem congressi sunt, eúmque cum plurimâ exercitûs ipsius parte cæciderunt. [*Oros. lib. 6. cap. 2.*] Basternis Italorum pedites in fugam vertentibus, & prolixam stragem edentibus. [*Memnon. cap. 41.*]

Mithridate Chalcedonem petente, quò Romani undique ad Cottam confluxerant, Cotta negotiis bellicis minimè assuetus non prodiit: sed classis ejus præfectus, nomine Nudus, cum exercitûs parte campum occupavit, quâ erat munitissimus, pulsúsque inde refugit ad portam Chalcedonis, laboriosè multa spatia superans; & in ipsâ portâ simul. irruentium ea fuit compressio, ut persecutores nullum telum in eos frustrà mitterent. Ut verò portæ custodes dimiserunt clathros præ metu, Nudum & aliquot alios præfectos subduxerunt funibus: reliqui amicos inter & hostes contrucidati sunt, incassum manus tendentes ad ægrosque. [*Appian.*]

Mithridates utendum fortunâ ratus, eâdem die classem ad portum admovit: perruptáque in ore portûs catenâ ferreâ, quatuor hostiles naves incendit, reliquas 60 ligatas ad puppes suarum abstraxit; nec Nudo prohibente nec Cottâ, qui se continebant intra mœnia. Desiderata sunt Romanorum tria circiter millia, & in his Lucius Manlius Senator: Mithridates è Basternis, qui primi portum invaserant, amisit 20. [*Idem.*] Præter 60 naves cum viris, terrâ 4 peditum millia Cottam amisisse, *Plutarchus* tradidit. Uno die mare & terram cadaveribus Romanis fœdè oppleta fuisse *Memnon* ait: in conflictu navali occisis octo millibus, captis 4500; de pedestri autem exercitu Italorum 5300 desideratis. cùm à parte Mithridatis Basternæ circiter 30, ex reliquâ autem multitudine 700 tantùm ceciderint.

Atque hoc fuit prælium ad Chalcedonem, quo M. Aurelius Cotta Consul victus est. [*Liv. lib. 93.*] de quo Mithridates in epistolâ ad Arsacem, libro quarto historiarum Sallustii. *Marcum Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terrâ fudi; mare cum classe pulcherrimâ.* Quæ Cottæ res, & terrâ & mari calamitosæ, vehementer & opes Regis & nomen auxerunt. [*Cicero, pro Murenâ.*] Hoc enim Mithridatis successu omnium animi servilem in modum concidêre. Sed Lucullus ad Sangarium fluvium castra habens, cognitâ eâ clade, perculsos militum animos verbis erexit. [*Memnon, cap. 41.*]

Quum Archelaus, Mithridatis quondàm præfectus sed tunc Romanarum partium, sino tantùm conspectu confirmaret Lucullum toto Ponti regno potiturum; negavit ille venatoribus se timidiorem esse, omissis feris ut ad vacua eorum lustra contenderet: atque ita fatus, in Mithridatem movit; peditum secum habens 30 millia, equites 2500. Ubi contemplatus est hostes, obstupefactus eorum multitudine cupiebat abstinere pugnâ & tempus ducere: sed quia Marius, quem ex Hispaniâ miserat Sertorius cum copiis ducem Mithridati, occurrit lacessivitque eum, instruxit aciem ad confligendum. Quum jam penè concurrerent, ex nullâ evidenti commutatione, sed cœlo repentè dirupto, grandis visa est flammea moles, corpore dolium, colore candens argentum referens, inter utramque aciem delabi: quod ostentum utrosque perculsos diremit. Id prodigii in Phrygiâ aiunt circa Otryas accidisse. [*Plutarch.*]

L. Lucullus Consul adversùs Mithridatem equestribus prœliis feliciter pugnavit, & expeditiones aliquot prosperas fecit: poscentésque pugnam milites à seditione inhibuit. [*Liv. lib. 94.*]

Cùm urbem Cyzicenam sibi Mithridates Asiæ januam fore putavisset, quâ effractâ & revulsâ tota pateret provincia; totius belli impetum in eam transferre instituit. [*Cicero, pro Murenâ.*] Urbs enim erat ea Asiæ clarissima & populo Romano amicissima. [*Id. pro lege Manilîâ.*] quæque in superâ clade Chalcedonensi civium tria millia & decem naves amiserat. Rex igitur, quò Lucullum falleret, nox à cenâ densam ac nimbosam noctem nactus castra movit, & oriente luce oppositum urbi montem Adrastiam (Dindymum aliis dictum) occupavit. [*Plutarch.*] Mithridatem peditum 150 millibus, magnóque equitatu, Cyzicenos invasisse, & montem Adrastiam atque suburbium occupavisse, scribit *Strabo.* (*lib. 12. pag. 575.*) Lucullum, in universum habentem 30 millia peditum & 1600 equites, circa Cyzicum castra sua Mithridati opposuisse; & ex transfugis, quòd circiter trecenta virorum ille haberet millia, cognovisse *Appianus* memorat. Quin & *plus quàm trecenta millia hominum fame & morbo in* Cyzici *obsidione amisisse fertur:* ut apud *Orosium* legimus. [*lib. 6. cap. 2.*] Ex universâ quoque tam lixarum quam militum colluvie, *non minus trecenta millia* à Lucullo contrucidata fuisse perhibentur: ut à *Plutarcho* habetur traditum. quum longè modestiùs in sexto Breviarii sui libro scripserit *Eutropius*: sequente *hyeme & æstate, à Lucullo ceciderunt ferè millia hominum ex parte Regis extincta fuisse.*

Cyzicenos Mithridates denis ex terrâ castris cinctos, per mare quoque 400 navium classe oppugnavit. [*Strabo, pag. 575, 576. cum Plutarcho.*] Cúmque illi nescirent ubinam gentium esset Lucullus, Mithridatici ejus castra sub oculis civium posita, Armeniorum & Medorum esse auxilia, Mithridati à Tigrane missa, jactabant. Primus Demonax, ab Archelao in urbem missus, adesse Lucullum iis indicavit. Quibus fidem ei non habentibus, arbitrantibúsque ad levanda præsentia mala eum ficta adferre; puer adfuit captivus, qui è manibus hostium elapsus, digito castra Romana eis commonstravit. (*Plutarch.*) Ad ipsos quoque Lucullus, ut bono animo essent, nuntium misit unum ex militibus nandi peritum: qui per hostium naves duobus utribus suspensus, medium ipse regulam tenens & pedibus iter adgubernans, septem millia passuum tranmeavit. (*Flonus. lib. 3. cap. 5. Oros. lib. 6. cap. 2.*)

Lucullus

3931 Lucullus Mithridati à tergo incumbens, memorabili Ponticos victoriâ profligavit: aliquanto pluribus quàm 10000 in acie cæſis, & 13000 captis. (*Memnon, cap.* 42.)

Montem conſpicatus eſt Lucullus caſtris opportunum; quo occupato, ipſe copiam habiturus erat commeatuum, hoſtes verò inopiam. Unicus anguſtus in eum erat aditus; quem Mithridates valido tenebat præſidio, à Taxile ducibúſque aliis admonitus. L. Manius ſive Magius, arbiter fœderis icti cum Sertorio, clàm ad Lucullum miſerat nuntium; à quo acceptâ fide, Mithridati perſuaſit, ut ſineret Romanos tranſire & caſtrametari pro libito. Fimbrianas enim legiones, quæ aliquando militaſſent ſub Sertorio, velle transfugere, & facturas id propediem; nihilque opus eſſe ſudore & ſanguine, quando ſine certamine vincere liceat. Huic conſilio Mithridates imprudenter aſſenſus, ut nil ſuſpicans, paſſus eſt Romanos ſecurè ſuperatis faucibus contra ſe magnum montem munire: quo in poteſtatem redacto, ipſis à tergo ſubvehendi erant commeatus liberè, Mithridati contrà lacu, montibus & fluviis excluſo ab importationibus terreſtribus, tenuiter ſubminiſtrabantur; quum neque pateret exitus, neque vi repellere poſſet Lucullum, ob neglectam locorum opportunitatem, & imminens hyems etiam maritimas importationes eſſet impeditura. (*Appian.*)

Circa Thraciam quam vocant Comen Lucullum caſtra poſuiſſe, loco maximè opportuno ad excludendas vias & regiones, quà & unde petendus neceſſariò erat Mithridaticis commeatus, ſcribit *Plutarchus*. Eos verò qui ad Fimbrianos milites, tranſitionem ſimulantes, adducendos à Mithridate miſſi ſunt, interfectos ab illis fuiſſe, *Memnon* indicat.

Machinas inſignes, ad urbis oppugnationem, Nicomedes Theſſalus fabricaverat. (*Plutarch.*) 4642 73
inter quas helepolis eminebat centum cubitorum; ſupra quam alia turris aſſurgebat; catapultis inſtructa ſaxa teláque varia ejaculantibus. Ante admotas verò machinas, tria millia Cyzicenorum captivorum in navibus ad mœnia Rex adduci curavit; ut eorum miſericordiâ & precibus commota civitas deditionem faceret. Quod cùm fruſtrà tentatum fuiſſet; præcone è muris juſſu Lyſiſtrati ducis monente, ut quando in alienam poteſtatem redacti fuiſſent, fortunam fortiter ferrent: Mithridates vim terrâ marique contra Cyzicum adhibuit, oppidani omiti ſtudio ſeſe defendentibus. Qui tamen omnem laborem patientiſſimè ferentes, efficere non potuerunt quin pars mœnium exuſta corrueret ſub veſperam: ſed propter calorem incendii nemo ſuſtinuit irrumpere. Verùm ipſi Cyziceni nocte ſubſtruxerunt munitionem aliam (*Appian.*)

Serò effecit Lucullus, ut auxiliares in urbem per noctem immitterentur. (*Strabo, pag.* 576.) Cùm enim in lacu Daſcylite acatia ſatis magna commearent, eorum maximum ille ſubduxit, plauſtro ad mare devexit, eique quot capere poterat milites impoſuit. Qui nocte clàm trajicientes, imprudentibus hoſtibus urbem ſunt ingreſſi. (*Plutarch.*)

Inſtante Proſerpinæ feſto, in quo nigram bovem immolare Cyzicenis mos erat; illi nullam talem habentes è farinâ fictam hoſtiam admoverunt aræ. Vacca quæ Proſerpinæ alebatur, trans fretum paſcebat cum reliquo armento Cyzicenorum. Hæc illo die armento relicto de montibus per hoſtium claſſem adnatavit ſola, & in ore portûs clauſtra ſub aquis evaſit; atque ita per mediam urbem curſu ad Proſerpinæ templum delata, ante aram conſtitit. Quam Cyziceni, egregiâ ſpe conceptâ, immolârunt. (*Julius Obſequens de prodigiis; Plutarch. & Appian.*)

Ariſtagoræ, qui in ſummo magiſtratu erat, (ut ait *Julius Obſequens*: *Plutarchus* enim τῷ δήμῳ ἡγεμονεύοντι appellat) Proſerpina in quiete viſa dixiſſe fertur, adversùs tibicines ſe tibicinem comparaſſe; vel, ut refert *Plutarchus*, tibicinem Libycum in tubicinem Ponticum ſe impulſuram. Mirantibus hanc vocem Cyzicenis, primâ luce fluctuavit mare quaſi immenſo incumbente vento, & admotæ mutis Regis machinæ ſtridore & crepitu primùm quid inſtaret indicaverunt: inde auſter, ſupra modum procelloſus coortus, horæ brevi momento, & reliquas Regis machinas ſic laceravit ut inutiles redderentur, & turrim ligneam helepoli impoſitam tamâ vi concuſſit, ut proruerit eam. (*Iid.*)

Memoriæ quoque eſt proditum, Illi fuiſſe compluribus Minervam in ſomnis obverſatam, copioſo manantem ſudore; partémque pepli diſciſſam oſtendentem: eámque dixiſſe, modò venire ſe ab ope Cyzicenis ferendâ. Columnam autem, quæ decreta & literas de his inſcripta habet, oſtendebant Ilienſes. (*Plutarch.*)

Amici Mithridati conſulebant ut ab urbe claſſem ſolveret: qui nihil motus, aſcendit imminentem montem Dindymum, & ab eo duxit continentem ad muros urbis aggerem; in quem impoſitis turribus, cuniculis quoque ſuffodiebat & ſuſpendebat mœnia. (*Appian.*) Quæ quidem Cyziceni ita ſuſtinuerunt, ut parum etiam abfuerit quin ipſum Mithridatem caperent vivum in cuniculo, quem is fodiebat; cùm ipſi alium ex adverſo agerent. Evaſit tamen, cùm re obſervatâ ſe è cuniculo ſubduxiſſet. (*Strabo, pag.* 576.)

Hyeme ſuperveniente privatus eſt Mithridates & maritimis commeatibus, ſi quos habuerat. Neceſſariorum igitur difficultate preſſo exercitu, fame multi emoriebantur, humanis quidam veſcebantur carnibus, herbas alii in cibum vertendo, morbos ſibi contrahebant: quorum inſepulta cadavera peſtem invexerunt inſuper. (*Memnon, cap.* 42. *Strabo, pag.* 576. *Florus, lib.* 3. *cap.* 5. *Plutarch. Appian. Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2.)

Dum oppugnat Lucullus arcem quandam, occaſione maturam Mithridates uti, averſis ab hoſte itineribus partem copiarum inſtructam armis domum abire præcipiens, omnem fermè equitatum cum jumentis, atque ex peditatu minùs utiles, in Bithyniam dimiſit. Ob inediam enim infirmi jam equi erant, claudicantéſque ſolearum inopiâ detritis ungulis. Hâc re nunciatâ, contendit Lucullus de nocte in caſtra. Diluculo tempeſtate ſæviente inſecutus eos eſt cum cohortibus decem & equitatu; quamvis nive affligerentur atque aliis incommodis, ut multi milites ex gelu ſuccumbentes ſequi non valerent. Cum cæteris in trajectu Rhyndaci fluvii hoſtes aſſe-

cutus, stragem edidit tantam, ut Apolloniâ egressæ fœminæ diriperent impedimenta & trucidatos spoliarent. Capta sunt equorum sex millia & jumentorum infinitus numerus: capta virorum ad quindecim millia; quos omnes præter castra hostium Lucullus duxit. Qui & *amplius quàm quindecim millia hominum tunc interfecisse narratur*: si *P. Orosium* audimus. Tunc etiam primùm visos Romanis camelos *Salustius* autumat: quasi illis qui olim duce Scipione Antiochum devicerunt, & cum Archelao ad Orchomenon & Chæroneam certaverunt, cameli cogniti non fuissent. [*Plutarch. Appian. Oros.*]

Fannius, qui se Mithridati junxerat, & Metrophanes regius prætor, à Mamerco tunc victi, cum duobus millibus equitum in Mœsiam profugerunt; atque inde in Mœoniam digressi, in ambustos colles campósque Inarimos incidérunt: in quibus diu oberrantes, inopinatis tandem periculis exempti sunt, & clàm in Regis castra venerunt. [*Oros. lib. 6. cap. 2.*]

Eumachus dux & alii Mithridatis præfecti, bellum in Phrygiâ moventes, multos Romanos cum liberis & conjugibus interfecerunt; Pisidásque & Isauros & Ciliciam subjecerunt: donec Dejotarus, unus è tetrarchis Gallogræciæ, vagantes assecutus, eos cum militum suorum multis trucidatos repressit. (*Liv. lib. 94. Appian. pag. 122. Oros. ut supr.*)

3932 Jubilæus XXVIII.

Cùm Cyziceni aggeres quos Rex à Dindymo duxerat suffoderent, machinásque incenderent, & non ignari hostem fame debilitatum, vexarent eum crebris eruptionibus; Mithridates decrevit fugere. [*Appian.*] de quo ipse in epistolâ ad Arsacem, *apud Salustium* in Historiarum libro quarto. *Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circùm admitente, simul hyems mari prohibebat: ita, sine vi hostium, regredi coactus sum in patrium regnum.* Ad Cyzicum enim, ut & posteà ad Amisum, milites suos Lucullum duas hyemes in castris continuisse, *Plutarchus* docet ex *Salustio*. De solutâ obsidione Cyzici, videndus quoque est *Cicero*, in Orat. pro lege Manilià, pro Murenâ, & pro Archiâ poetâ.

Mithridates fugam quamprimùm instituens arripere, quò tricas & moras Lucullo necteret à tergo, mittit ad mare Græcum præfectum classis suæ Aristonicum: quem, jam jam soluturum, Lucullus per proditionem in potestatem suam redegit cum decem millibus aureorum, quos portabat ad solicitandam exercitûs Romani partem. (*Plutarch.*)

Terrestres copias Rex ducibus Lampsacum reducendas reliquit. Hermæus & Marius (dux Sertorianus) 30 hominum millia illuc ducebant. Eos à tergo premens Lucullus, & Æsepum fluvium tunc tumidiorem trajicientes assecutus de improviso, permultos cepit, & viginti millia interemit; (è quibus plus quàm undecim millia Marianorum militum fuisse referuntur:) ita ut Granicus & Æsepus amnes cruenti redderentur. Mithridatis verò satrapes, Romanæ avaritiæ peritus, spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam jussit, quâ sequentes moraretur. (*Memnon, cap. 42. Polyænus, Strategem. lib. 7. Florus, lib. 3. cap. 5. Plutarch. Appian. Oros. lib. 6. cap. 2.*)

Mithridates ipse, per mare reditum instituens, nocte classe provectus est in Parium. (*Appian.*) Dum milites verò cum eo soluturi, naves, quarum aliæ jam repletæ, aliæ mox replendæ essent, confertim occuparent, & undique illis adhærerent; factum est ut præ multitudine imminentium pars navium deprimeretur, pars etiam subverteretur. Quod conspicati Cyziceni, impetu in castra Ponticorum facto, ægros ibi relictos trucidárunt, & si quid supererat diripuerunt. (*Memnon, cap. 42.*)

Lucullus Cyzicum ingressus, ingenti lætitiâ & magnifico honore exceptus est. (*Plutarch.*) in cujus honorem ludi deinceps ibi sunt celebrati, quos *Lucullea vocant*. (*Appian.*) Civitatem Romani honorárunt, & libertatem ei concessérunt. (*Strabo, lib. 12 pag. 576. Tacit. Annal. lib. 4. cap. 36.*)

Mithridates suos Lampsacum compulsos & obsessos à Lucullo, classe illuc missâ, exportavit unà cum Lampsacenis: relictisque Mario sive Varlo duci Sertoriano, Alexandro Paphlagoni, & Dionysio eunucho, decem millibus selectorum militum in navibus quinquaginta, cum majore earum parte petiit Nicomediam. Verùm & harum & illarum multæ tempestate perierunt. (*Appian.*)

Mithridates, collectis ut potuit in Ponto viribus, Perinthum circumsedit & oppugnavit: éaque non potitus, in Bithyniam transmisit. (*Memnon, cap. 43.*)

Antiochus (Asiaticus) & frater ejus, regis Antiochi (Pii) filii pueri, qui regni Syriæ partem (à Tigrane non occupatam) obtinebant, Romam venerunt; regnum Ægypti, quod ad se & ad Selenem matrem suam pertinere arbitrabantur, petituri: ibique biennium ferè, comitatu regio atque ornatu, moram traxerunt. (*Cicero, lib. 4. in Verrem.*)

Antipas sive Antipater Idumæus, nobilitate ac opibus gentis suæ princeps, (alterius Antipæ sive Antipatri, quem à rege Judæorum Alexandro & ejus uxore Alexandrâ ducem totius Idumææ constitutum ferunt, filius) ex uxore Cypro, illustri inter Arabas loco natâ, filium suscepit Herodem; qui posteà Judææ regnum obtinuit. siquidem hic 25 annorum fuerit, quando eum pater Galilææ præfecit: de quo, ad annum Mundi 3957 erit dicendum. Vide suprà, ann. Mundi 3875.) quanquàm *Nicolaus Damascenus*, in gratiam Herodis regis, (cujus adhuc superstitis Vitam describit) Antipatri genus à primatibus Judæorum, qui in Judæam venerunt è Babyloniâ, deduxerit. (*Joseph. lib. 14. cap. 2.*) quomodo & in Historiæ Judæorum Arabicæ (ad calcem Bibliorum Parisiensium πολυγλώττων editæ) capite 35. legimus, Judæum fuisse Antipatrum, ex filiis eorum qui de Babyloniâ cum Ezrâ Sacerdote ascenderant, atque ab Alexandro (Jannæo) Idumæorum regioni præfectum uxorem inde duxisse. Julius verò Africanus in epistola ad Aristidem (apud *Eusebium*, lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 6. & 7.) éumque secutus *Ambrosius* (lib. 3. Commentar. in Luc. cap. 3.) ex traditione eorum, qui Servatori

4642 72

tori noſtro ſecundùm carnem cognati Ἀντέσωμοι nuncupabantur, Antipatrum Herodis cujuſdam Aſcalonitæ, templi Apollinis æditui, filium fuiſſe refert; atque ab Idumæis latronibus Aſcalone captivum abductum, Idumæorum moribus & diſciplinis fuiſſe inſtitutum. Atque hæc commentior Chriſtianorum Patrum eſt ſententia.

Barba cum robuſtâ Italorum manu veniens, & ex ducibus Luculli Triario, Apameam obſederunt. Cives, cùm aliquandiu pro viribus ſuis hoſtem ſuſtinuiſſent, apertis tandem portis eos intromiſere: ut apud *Memnonem* legitur. *Appianus* verò Triarium eò appulſum vi urbem cepiſſe, & Apamenorum in fanis ad quæ confugerant, magnam cædem edidiſſe ſcribit. Pruſam deinde ſub monte Olympo munitiſſimam civitatem captam expugnatámque Romanus exercitus diripuit. Hinc Pruſiadem, mari impoſitam, Triarius cum exercitu petiit: quam rex Bithyniæ Pruſias Heraclienſibus ademptam de ſe denominavit; cùm antè ab amne præterfluente Cierus (vel Cius) diceretur. Ut urbi appropinquavit, facilè Pruſienſes eum receperunt, Ponticis ejectis. Nicæam deinde, quam præſidium Mithridatis tenebat, ventum eſt. Pontici verò, intellecto cives animis ad Romanos propendere, noctu ſe ad Mithridatem Nicomediam ſubduxerunt. Romani igitur ſine moleſtiâ urbem ſuæ poteſtati ſubjecerunt. (*Memnon, cap.* 43. *&* 49. *Appian. pag.* 223. *cum Oroſio, lib.* 6. *cap.* 2.)

Luculſus ad Helleſpontum profectus, claſſem inſtruxit: & Troadem delatus, divertit in delubro Veneris. Eam nocte ſopitus videre viſus eſt ſibi aſſiſtentem & dicentem,

Τί κνυζεις μεγαθυμε λεων; νήεσσι δὲ τοι ἐγγύς.
Quid dormis animoſe leo, quum proximus adſit
Himulus ecce frequens.

Quod ſomnium dum ſurgens adhuc nocte advocatis amicis exponeret, adfuerunt ab Ilio quidam, qui nuntiarent conſpectas ad Achæorum portum quinqueremes regias tredecim, quæ curſum in Lemnum intenderent. Statim igitur ſolvit, & 13 illis navibus potitus, præfectum earum Iſidorum occidit. [*Plutarch. cum Appiano.*]

Lucullus victoriam proſecutus, Marium ſive Varium (qui miſſus à Sertorio dux fuerat) Alexandrum & Dionyſium circa Lemnum adeptus in deſertâ inſulâ (ubi ara Philoctetis cum æreo ſerpente monſtratur) contemptim in eos invectus eſt: mandato priùs ſuis dato, ne quem unoculum interficerent. Altero enim oculo captus erat Marius: quem ipſe probris & contumeliis priùs vexatum necare inſtituerat. Illis verò conſtanter manentibus, & navigia omnia ad terram attrahentibus, cohibuit Lucullus remigium; & binas naves emittendo ex agmine, volebat eos prolicere. Illi autem non provehebantur contrà: ſed à terrâ & ex fororum tabulis ſe defendentes, Romanis vulnera injecerunt. Nec circumvehendi locus dabat facultatem, vel navibus fluctuantibus hoſtilem claſſem premendi terræ accubantem & firmiter conſiſtentem. Circum miſſis tamen aliis navibus diversâ parte, quâ acceſſum inſula in terram dabat, fortiſſimos quoſque pedites Lucullus tandem expoſuit. Hi averſos adorti hoſtes, partem eorum interfecerunt, partem in naves compulerunt; qui metu Luculli non auſi altum petere, oram legebant, & terrâ marique impugnati vulnerabantur, cum magnâ cæde ac conſternatione fugientium. (*Plutarch. & Appian.*) Triginta & duas naves regias, & complures onerarias, aut demerſit Lucullus aut cepit. Multi ibi ex his quos Sylla proſcripſerat interempti ſunt. (*Oroſ. lib.* 6. *cap.* 2.)

Poſterâ die tres duces de ſpeluncâ, ubi latebant, extracti ſunt: è quibus Marius (ſive Varius) Luculli juſſu occiſus eſt. Non placebat enim Romanum Senatorem in triumpho duci. (*Id. ibid. cum Appiano.*) Alexander ad eam pompam ſervatus eſt. Dionyſius autem, ejecto quod ſecum habebat veneno, mox exſpiravit. (*Appian.*)

Atque hæ fuerunt duæ illæ navales Luculli victoriæ, altera ad Tenedum, altera in mari Ægeo parta, quarum in capite 44. *Memnon* meminit; & velut unam, aliquoties *Cicero* celebrat. Ita enim in Oratione pro lege Manilià, à Lucullo ait *claſſem magnam & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam ſtudio inflammato raperetur, ſuperatam eſſe atque depreſſam.* & pro L. Murenâ. *Illam pugnam navalem ad Tenedum, quum contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtium claſſis Italiam ſpe atque animis inflata peteret, mediocri certamine & parvâ dimicatione commiſſam arbitraris?* & in Orat. pro Archiâ poetâ: ubi, *L. Lucullo dimicante, interfectis ducibus depreſſam hoſtium claſſem, & incredibilem apud Tenedum pugnam illam navalem* prædicat.

Lucullus de ſuis rebus geſtis ad Senatum miſit laureatas litteras, ut mos erat victoribus. (*Appian.*) Cúmque Senatus ei ad claſſem parandam tria millia talentûm decreviſſet; negavit. per litteras eâ pecuniâ ſibi opus eſſe, jactans ſine ſumptu & tanto paratu Mithridatem ſe ſociorum navibus pelago exacturum. (*Plutarch.*)

His confectis, properavit Lucullus ipſum inſequi Mithridatem; quòd in ſpe eſſet circa Bithyniam ſe illum inventurum, retentum à Voconio, quem ad inſtandum fugienti cum navibus miſerat Nicomediam. Sed Voconius, dum in Samothrace initiatur myſteriis & feſtos dies celebrat, haud occurrit in tempore: Mithridatem verò, qui jam cum claſſe vela fecerat & maturabat antequàm ipſum peteret Lucullus Pontum tenere, corripuit atrox tempeſtas; quâ claſſis partim abrepta partim eſt depreſſa, omniáque littora ejectis fluctu naufragiis per multos dies fuerunt completa. Eam Dianæ Priapinæ irâ Ponticis fuiſſe immiſſam dicebant, quòd fanum ejus ſpoliaviſſent & ſignum loco moviſſent.

Mithridatem Pontum petentem bis tempeſtatem paſſum fuiſſe ſcribit *Dio*, amiſiſſéque hoc infortunio virorum circiter decem millia, & naves circiter 60. reliquis diſjectis, ut quamque ventus abſtulit. *Naufragiis apud Param, & Heracleam, militum optimos cum claſſibus amiſiſſe* ſe dicit Mithridates in epiſtolâ ad Arſacem; apud *Saluſtium. Oroſius* ait, Mithridatem adversùs Byzantium (quò à Lucullo illum fugatum dicit *Eutropius*) inſtructâ claſſe navigantem, tempeſtate correptum 80 roſtratas naves perdidiſſe. *Florus* denique, *centum amplius*

navium claſſem, apparatúmque belli gravem, in Ponticò mari aggreſſum tempeſtatem, tam fœdâ ſtragè laceraviſſe, ut navalis belli inſtar efficeret.

Quum navis oneraria quâ Mithridates vehebatur nec ad terram appelli ob molem in tantâ procellâ videretur gubernatoribus poſſe, & aquam jam accepiſſet atque obruta eſſet undis; licèt amici vetarent, in Seleuci tamen piratæ myoparonem, ipſo piratâ juvante, tranſiliit, corpore prædonibus permiſſo. A quibus Heracleam Ponticam, (ut ait *Plutarchus*) Sinopem primùm ac pòſt Amiſum, (ut *Appianus* & *Oroſius*) ſubvectus eſt incolumis.

Cotta ſuperiora damna reſarcire volens, à Chalcedone, ubi ſuccubuerat, Nicomediam copias tranſtulit; & 150 ſtadia ab urbe caſtrametatus, à dimicatione cavit. Ibi, magnâ adhibitâ feſtinatione, citatis itineribus Cottam ſponte ſuâ Triarius eſt aſſecutus; & Mithridates in urbem ſe recepit. Tum uterque Romanus exercitus ad oppugnationem ejus ſe paravit. At Rex, cognito gemino conflictu navali Ponticos à Lucullo victos, nec parem ſe ad occurrendum præſentibus Romanorum copiis eſſe, claſſem in fluvium retrò movit; & gravi correptus tempeſtate, triremes aliquot amiſit: ipſe tamen cum plurimis in Hypium fluvium delatus eſt. (*Memnon, cap.* 44.)

Hìc, quum tempeſtas eum moraretur, audito Lamachum Heraclienſem, quem antiquo amicitiæ fœdere obſtrictum haberet, ad reipublicæ gubernaculum ſedere; multis hominem promiſſis attraxit, ut ſibi in urbem recipiendo operam daret: miſſis etiam hoc nomine ad eum pecuniis. Lamachus, publico extra urbem epulo civibus apparato, ſub quod clauſas ſe non habiturum portas fidem dederat, mero populum ineſcavit; útque eo ipſo die ex compacto Mithridates ſuperveniret illis, operam dedit. Itaque nec olfacto Mithridatis adventu, urbs in ejus arbitrium venit. Poſtridie plebem Rex convocatam amicis excepit verbis, útque fidem erga ipſum tueretur hortatus, Connacorigi cum præſidio quatuor millium urbem cuſtodiendam tradidit. Prætextus erat, defenſurum ſe cives, ſi Romani quid contrà molirentur, & conſervaturum. Hinc diſtributis in cives, maximè in magiſtratus, pecuniis, versùs Sinopem navigationis curſum direxit. (*Id. ibid.*)

Lucullus receptâ Paphlagoniâ atque Bithyniâ, per Bithyniam & Galatiam in regnum Mithridatis invaſit: & Nicomediæ ſuas copias cum Cottæ & Triarii agminibus, ut irruptionem in Pontum facerent, conjunxit. (*Eutrop. lib. 6. Plutarch. & Memnon, cap.* 45.) At renunciatâ Heracleæ oppugnatione, quum de proditione necdum conſtaret, ſed totius ſimul civitatis voluntate defectionem contigiſſe arbitrarentur; Luculli conſilium erat ut ipſe cum robore exercitûs per mediterranea & Cappadociam moveret in Regem & totum ejus regnum, Heracleam oppugnaret Cotta, Triarius autem aſſumptâ claſſe miſſas in Cretam & Hiſpaniam Mithridatis naves in reditu circa Helleſpontum & Propontidem interciperet. (*Memnon, ut ſupr.*)

His Mithridates auditis, in novos belli apparatus incubuit: & ad generum ſuum Tigranem Armenium, & ad Macharem filium regnantem in Boſphoro, & ad Parthum miſit qui properè contraherent auxilia. Ad Scythas quoque finitimos cum multis donis & magno auri pondere Diclem ire juſſit: ſed ille & cum donis & cum auro ad Lucullum tranſfugit. Cæteris quoque dentigantibus, Tigranes, licèt diu cunctaretur, (eo enim abnuente, bellum hoc cœptum fuiſſe, epiſtola Mithridatis ad Arſacem, libro quarto Hiſtoriarum *Saluſtii* inſerta, confirmat) ſæpiùs tamen à filiâ Mithridatis non ſine moleſtiâ interpellatus, auxilia tandem promiſit. (*Id. ibid. cum Appiano.*)

Legatus ad Tigranem à Mithridate miſſus, fuit Metrodorus Scepſius, è philoſopho in politicum muratus hominem: in eum amicitiæ gradum à Mithridate provectus, ut pater Regis diceretur: & demandato ei judicis officio, ab ejus ſententiâ non liceret ad Regem provocare. Legati conſilium de ſubſidio contra Romanos ferendo roganti Tigrani, reſpondit ille. *Vt legatus conſulo, ut conſiliarius abnuo.* Cúmque invitum ille eum ad Mitridatem remitteret; in itinere mortuus Metrodorus eſt, ſive regis operâ, ſive è morbo: utrumque enim fertur. Nam quod ille dixerat, Mithridati Tigranes renuntiavit; nihil eum arbitratus de Metrodoro gravius conſulturum. Cujus facti pœnitentiâ Tigranes ductus, cadaver illius funeravit ſplendidè: neque ulli magnificentiæ pepercit in mortuum, quem vivum prodiderat. (*Strabo, lib.* 13. *pag.* 609, 610. *& Plutarch. in Lucullo.*)

3933 Diverſos contra Lucullum Mithridates præfectos miſit; & poſt commiſſas acies, variæ acciderunt fortunæ vices: in pleriſque tamen ad Romanos magis ſucceſſu inclinante (*Memnon, cap.* 45.) Et in principio quidem difficultate neceſſariorum uſque eò laboravit Lucullus, ut 30 millia Galatarum ſequerentur caſtra, qui frumenti medimnum humeris ſinguli portabant. Progreſſus verò, obiter ſubigebat & deprædabatur omnia: móxque, ut in regione fortunatâ & diu bello intactâ, mancipium vendebatur drachmis quatuor, bos drachmâ; capra, oves, veſtes, & reliqua, pari vilitate pretii. Cúmque diſtrahere prædam, omnibus abundantibus, nulli jam valerent: alii eam reliquerunt, alii corruperunt. (*Plutarch. & Appian.*)

Deinde Lucullus oppugnavit Amiſum & Eupatoriam, quam juxta Amiſum Mithridates condidit & appellavit de ſuo cognomine, fecítque regiam: partem verò exercitûs ad Themiſcyram oppugnandam miſit, ſitam ad Thermodoontem fluvium. Hi contra Themiſcyrenſes turribus utebantur & aggeribus, & cuniculos tam amplos fodiebant, ut in eis pugnæ committerentur ſubterraneæ. Hos opidani ſupernè aperiebant, & per foramina demittebant in operarios urſas aliáſque beſtias & apum examina. At apud Amiſum laborabatur aliis difficultatibus: dum Amiſenſes repugnant ſtrenuè, nonnunquam erumpendo, atque etiam provocando ad ſingularia certamina. (*Appian.*)

Cùm Lucullus ad Amiſum lentâ obſidione tempus tereret, exercitus ejus cunctationem culpabat; & quòd omnes urbes per deditionem, vi cepiſſet nullam, neque diripiendam militi conceſſiſſet, indignabatur. Eam verò cunctationem certo conſilio à ſe fuiſſe ſuſceptam, ille declaravit:

ravit: ut paulatim Mithridatis vires attereret; nec cogeret, desperantem de propriis viribus, ad Tigranem fugere, & eum sibi hostem facere. de quo ita loquentem Lucullum *Plutarchus* inducit. *Paucorum dierum est ex Cabiris in Armeniam iter, ubi sedet otiosus rex regum Tigranes tantâ subnixus potentiâ, quâ Parthis extorquet Asiam, civitates Græcas in Mediam deportat. Syriam obtinet & Palæstinam, reges Seleuci successores tollit, eorum filias & conjuges sedibus extractas abducit. Hic Mithridatis propinquus est & gener.*

Cotta, motis Romanorum castris, primùm in Prusiadem, Cierum olim nominatam, duxit. Inde ad mare Ponticum descendit, & maritimam prætergressus oram, Heracleæ mœnibus in rupis vertice positis castra applicavit. Loci autem firmitati Heraclienses fidebant; & Cottæ oppugnationem fortiter urgenti, simul cum præsidiariis à Mithridate introductis, repugnabant. Et plures quidem è multitudine Romanâ cadebant: crebra tamen etiam Heraclientium vulnera erant à telis. Quapropter ab oppugnatione receptui Cotta suis cecinit, & remotiùs aliquantò castrametatus, totus in hoc erat intentus, ut exitum ad res necessarias intercluderet obsessis. Annonæ igitur caritate obortâ Heraclienses, dimissis ad colonias legatis, alimenta sibi venundari petierunt: & benignè accepta est legatio. (*Memnon, cap.* 49.)

Brevi antè Triarius, Romanâ classe instructus, à Nicomediâ imperum fecerat in Ponticas triremes versùs Cretam & Hispaniam à Mithridate emissas. At cùm reliquas in Pontum retrò abire resciviſſet, (multæ enim de his & procellâ & pugnis, suo quæque loco, navalibus interierant) adsecutus illas ad Tenedum, manus conseruit. LXX ipsi triremes erant: Pontici autem pauciores aliquantò LXX agebant. Postquam infestis concurſatum est proris, regii ad tempus vim hostium initio sustinuerunt: sed postea universis in fugam effusis, plenam Romani victoriam & celebrem sunt consecuti. Atque ita classis Mithridatis tota, quanta in Asiam cum ipso exiverat, subacta est. (*Id. cap.* 50.)

Ad Amisenses obsessos Mithridates largè commeatus, arma, milites, submittebat è Cabiris; ubi hybernans alium colligebat exercitum. [*Appian.*] Et convenerunt ad eum peditum 40, equitum 4 millia; ut *Plutarchus* & *Appianus*: vel peditum 40, equitum 8 millia, ut *Memnon* numerat. 4643 71

Olthacus (qui *Appiano* Olcabas Scytha est) Dardariorum Mæotim paludem accolentium dynastes, vir in re bellicâ, consilio & consuetudine civili laudatus, quum in Mithridatis esset præsidiis & cum aliquo popularium suorum dynastarum certamen & æmulationem de primis semper ibi haberet; recepit Mithridati ingens factum, Lucullum se interfecturum. Collaudatus à Rege, atque in speciem iræ probris ab eo ex composito ingillatus, equo arrepto transfugit ad Lucullum; & ab eo benignè receptus est. (*Plutarch.*)

Olympiadis CLXXVII instante anno primo, vere, Murenâ ad Amisi obsidionem continuandum cum duabus legionibus relicto, Lucullus cum tribus aliis per montana contra Mithridatem profectus est. (*Phlegon Trallianus, chronic. lib.* 5. *in Bibliothecâ Photii, cod.* 97. *Plutarch. & Appian.*) Fuit hic Murena Lucullo imperatori legatus, & Murenæ illius quem Sylla prætorem Asiæ reliquerat filius. *Quâ in legatione* (ut in Oratione pro eo habitâ declamat Cicero) *duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit, urbes partim vi partim obsidione cepit. Asiam istam refertam, & eandem delicatam, sic obiit, ut in eâ neque avaritia neque luxuria vestigium reliquerit: maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res & magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperatore.*

Mithridates stationes dispoſuerat Lucullum prohibituras, & ignibus significaturas si quid accideret. His præerat Phœnix, vir regii generis; qui dedit quidem ex pacto signum adventûs Luculli, verùm ipse ad eum transfugit cum suis copiis: & ille superatis jam securè montibus descendit ad Cabira. (*Appian.*)

Mithridates transgressus Lycum amnem & in campos patentes progressus, lacessivit Romanos: (*Plutarch.*) Diophanto & Taxilâ adversùs eos missis. Et principio velitationibus ferè assiduis hostiles exercitus inter se vires explorabant. (*Memnon, cap.* 45.) Postea commisso equestri prælio, Romani terga verterunt, & Lucullus retrò ad montes se recepit. In eo prælio Pompeius vel Pomponius equitum ejus præfectus captus est, atque ad Mithridatem vulneribus gravis pertractus. Quem ubi rogavit Rex an, si ipsum conservasset, amicus sibi esset futurus: *Sanè*, inquit, *si pacem cum populo Romano feceris; sin secus, hostis.* Post quod responsum volentibus eum occidere barbaris, non permisit Rex; negans se sævisturum in virtutem destitutam à fortunâ. (*Plutarch. & Appian.*)

Deinde per continuos aliquot dies productis in aciem copiis, quum Lucullus ad pugnam non descenderet, quà ad eum ascenderet, Mithridates circumspiciebat. (*Appian.*)

Interim Olcabas sive Olthacus Scytha, quòd in proximo equestri prælio multos Romanos servavisset, ad mensæ consiliorúmque ac secretorum societatem admissus, venit ad eum dormientem circa meridiem in tentorio, brevi ut solebat accinctus pugione; quasi rem magni momenti cum eo communicaturus. Sed à Menedemo cubiculario Luculli repulsus, metuens subduxit se ex castris, atque conscenso equo ad Mithridatem transcurrit. (*Plutarch. & Appian.*) Alium verò Scytham, nomine Sobadacum, de transfugiendo ad Lucullum cogitare, Regi indicavit: qui statim comprehensus est. (*Appian.*)

Quum Lucullus, prævalentibus equitatu hostibus, planiciem timeret; petere autem montanam regionem longinquam, saltuosam, impeditam gravaretur: Græcos quosdam, qui abdiderant se in speluncam quandam reperit; quorum natu maximus Apollodorus, (venatorem, peritum montanorum callium, *Appianus* fuisse ait) ducturum se eum recepit, & locaturum in tutâ castris sede, quæ arcem haberet Cabiris imminentem. Hoc ductore usus Lucullus, primâ vigiliâ incensis ignibus movit: saltúque sine incommodo superato, per vias nulli tritas ad arcem illam pervenit. Ubi diluxit, conspectus est supra capita hostium metari castra locis qui dimicare volenti

3933 facultatem ejus dabant, &, ne compelli posset, quiescenti. Et campis tunc quoque propter equites vitatis, post eluviem quandam aquâ plenam castra posuit. (*Idem.*)

Quum neuter exercitus in animo haberet in præsentiâ prælio decernere, ferunt cervum persequentibus regiis interceptâ viâ occurrisse Romanos. Hinc initium ortum certaminis, pluribus semper ad utrosque affluentibus. Fugâ tandem Romanorum factâ, ipse solus in campum descendens Lucullus, & primis occurrens fugientium, constistere imperavit & redire secum in hostem. His parentibus, cæteri à fugâ se reprimentes globo facto hostes facilè fugaverunt & usque ad castra consectati sunt. Reversus Lucullus eos qui ceperant fugam solitâ ignominiâ notavit; discinctos fossam duodecim pedum ducere jubens, adstantibus & spectantibus reliquis militibus. (*Plutarch.*)

Deficiente commeatu, frumentatum mittebat Lucullus in Cappadociam, & crebrò velitabatur cum hostibus: donec, fugientibus aliquando regiis, Mithridates è castris procurrens suos objurgatos è fugâ revertere coëgit, tantúmque pavorem incussit Romanis, ut perpetuo cursu in montana refugerent, etiam postquàm à persequendo destitissent regii, & quisque proximum à tergo fugæ socium tanquam persecutorem fugeret: tantus pavor omnes occupaverat. Ejus victoriæ nuntios Mithridates circa omnes terras dimisit. (*Appian.*)

Sornatius cum decem cohortibus à Lucullo frumentarum missus, insectante eum uno ex Mithridatis ducibus Menandro, restitit; commissóque prælio, magnam stragem & fugam edidit hostium. (*Plutarch.*)

Postquàm iterùm cum copiis Adrianus à Lucullo in Cappadociam missus est, ut consulatè exercitus commeatum haberet; Taxiles & Diophantus, Mithridatis duces, Menemachum & Myronem cum quatuor peditum & duobus equitum millibus contra eum miserunt; ut, insidiis in medio positis, impedimenta revertentibus adimerent. (*Memnon, cap. 45. Phlegon, ann. 1. Olymp. 177. & Plutarch.*) Cùm enim Lucullo commeatus sola Cappadocia suppeditaret; sperabat Mithridates se redacturum eum ad talem inopiam, qualem ipse ad Cyzicum passus fuerat. (*Appian.*)

Verùm equites regii quum in primum agmen frumentatorum in quibusdam faucibus incidissent, non expectato dum in patentiora loca procederet, non potuerunt equis uti in angustiis. Romani interim celeriter instructis ordinibus, favente sibi asperitate locorum, alios ex regiis occiderunt, alios per rupes præcipites impulerunt, alios turmatim dispersos in fugam egerunt. (*Id.*) Eos insecuti Romani, subsidiis à Lucullo missis, ad ipsa Diophanti & Taxilis castra provehuntur. Ubi valido certamine inito, ad breve tempus obstitere Pontici. Mox ubi primi abscessérunt duces, tota inclinata est acies: & ipsi copiarum ductores nuncii cladis venerunt Mithridati. (*Memnon, cap. 45.*) Equites & pedites qui cum Menemacho & Myrone venerant, duobus exceptis, omnes trucidatos fuisse *Plutarchus* asserit. Triginta millia lectissima Regis, à quinque Romanorum millibus vastata fuisse, scribit *Eutropius.* (*lib. 6.*) Lucullum in Ponto adversùs Mithridatem feliciter pugnavisse, cæsis hostium ampliùs quàm sexaginta millibus, tradidit *Livius.* (*lib. 97.*) etiam illis, qui paulò pòst in Mithridatis fugâ ceciderunt, simul comprehensis.

Hujus cladis fama non tam citò ad Lucullum quàm ad Mithridatem pervenit. (*Appian.*) Et præter illius castra magno splendore Adrianus iter fecit, ingentem numerum secum trahens plaustrorum commeatu & prædâ onustorum. Unde animus illius planè est dejectus, trepidatio autem & timor milites incessit. (*Plutarch.*) Rex verò, Lucullum in se destitutum equitatu quamprimùm facturum impetum ratus, de fugâ cogitavit præ metu, & id consilium amicis statim aperuit in suo tentorio. At illi, non expectato signo vasa colligendi, res suas ante lucem è castris emittebant: adeò ut in portis jumenta præ multitudine se invicem comprimerent. Exercitus verò id videns, & agasones agnoscens, pavore suspicionem augente, indignè ferens non datum signum etiam sibi, vallum cum irâ uno impetu protrit. (*Appian.*) Iratique milites ad portas accurrentes, diripuerunt sarcinas, & qui eas abducebant obtruncárunt. Inter quos Dorylaus dux, qui præter purpuram quâ erat amictus nihil habebat, propter eam ipsam periit; & Hermæus aruspex in portis conculcatus interiit. (*Plutarch.*)

Diffugiebant passim totis campis milites nullo ordine, quà quisque poterat, non expectatis ducum ac præfectorum imperiis. Quæ ubi Rex sensit tumultuariè præpropereque fieri, procurrit è suo tentorio dicturus aliquid: sed quum à nemine audiretur, compressus in turbâ concidit. (*Appian.*) Eum Cabiris clam suis aliquandiu se continuisse, ac deinde fugam arripuisse, scribit *Memnon*: (*cap. 46.*) statim verò in equum sublatum cum paucis ad montes properâsse, *Appianus* refert. *Plutarchus* ita rem narrat. Mithridates, quum nemo apud eum ne apparitor quidem vel equiso remansisset, in catervâ se cæterorum extulit castris; ac ne equum quidem ex regiis ad manum habuit. Verùm quum serò tandem in fluctu fugæ illius conspexisset jactarum eunuchus Ptolemæus, cui equus erat, desiliit præbuítque equum Regi.

Lucullus certior factus de frumentatorum victoriâ, videnique fugam hostium, misit magnam manum equitum quæ fugientes persequeretur; eos verò qui in castris adhuc reliqui ad resistendum se parabant circumdedit legionibus: edixítque ut tantisper à rapinis abstinerent, dum satisfieret cædibus. At miles, conspectis multis vasis aureis & argenteis, pretiosísque vestibus, edicti oblitus est. (*Appian.*) Sed & Rex ipse à Galatis cum insequentibus, qui tamen regem ignorabant, captus fuisset; nisi mulus ex iis qui regiam gazam portabant conjecisset se inter regem & consectantes: sive sponte sese obtulit, sive de industriâ Rex objecit eum insequentibus. Dum enim illi auro colligendo atque inter se de prædâ digladiando moram nectunt, Rex è manibus eorum elapsus est. (*Memnon, cap. 46. Plutarch. & Appian.*) Cúmque Calliistratum, qui Regi à secretis erat, captum in castra duci Lucullus imperâsset; qui illum ducebant, succinctum 500

aureis

aureis ſentientes, occiderunt. (*Plutarch.*) Hujus è Ponto Mithridatis fugæ ita meminit, in oratione pro lege Manilià, M. Cicero. *Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas & à majoribus acceperat & ipſe bello ſuperiore ex totâ Aſiâ direptas in ſuum regnum congeſſerat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum noſtri colligunt omnia diligentiùs, Rex ipſe è manibus effugit.*

Mithridatem inſequendo Lucullus Talaurorum tenùs pervenit. Unde quum quarto jam die Mithridates prævertiſſet in Armeniam (non in Iberiam, ut apud Joſephum, *lib.* 13. *cap.* 24. perperàm legitur) ad Tigranem fugere, retrò conceſſit: & Regis caſtra militibus diripienda conceſſit. (*Plutarch.*) M. Pompeium ducem adversùs Mithridatem miſit: ipſeque cum univerſis copiis Cabira movit. (*Memnon, cap.* 47.) Ita verò rem hanc totam obumbrat Mithridates in epiſtolâ ad Arſacem, libro 4°. Hiſtoriarum Saluſtii. *Reſtituto apud Cabira exercitu, & variis inter me atque Lucullum prœliis, inopia rurſus ambos inceſſit. Illi ſuberat regnum Ariobarzanis bello intactum:* (Cappadociâ ſc.) *ego, vaſtatis circùm omnibus locis, in Armeniam conceſſi.*

In Comanâ igitur evadens Mithridates, inde ad Tigranem cum duobus equitum millibus profugit. (*Appian.*) Sed experirum à genero colloquium non impetravit. Eum enim, qui tantum regnum amiſerat, neque in conſpectum admittere, neque alioquì affinem agnoſcere, dignatus eſt. Corporis tamen ſui cuſtodiam ab eo accepit: & in caſtellis ali more regio juſſus eſt, & aliis hoſpitaliratis officiis adfectus. (*Memnon, cap.* 48. *& Appian.*) licèt contemptim & ſuperbè rejectum, atque remotiſſimè in locis paluſtribus & inſalubribus quodammodo ſeptum eum fuiſſe *Plutarchus* ſcripſerit.

Ex fugâ Mithridates Bacchum ſive Bacchidem eunuchum miſit, ut ſorores, uxores, & concubinas ſuas, quæ apud Pharnaciam ſervabantur, quomodocunque poſſet interimeret. (*Memnon, cap.* 46. *Plutarch. & Appian.*)

In multis duæ regis ſorores fuerunt, Roxane & Statira, quæ annis propè 40 in virginitate vixerant, & uxores duæ Ioniđes nationę, Berenice Chia & Monima Mileſia. Ubi adfuit Bacchides, eiſque indixit mortem, quæ cuique facillima & leviſſima videretur; Monima detractum capiti diadema collo aptavit, atque ex eo ſemet ipſa ſuſpendit. Quo citò abrupto; *Execrabilis faſcia,* inquit, *ne hic quidem erit mihi utilis?* Tum illud præfecit conſpultque, ac jugulum obtulit Bacchidi. Berenice poculum veneni ſumpſit, cujus portionem matri dedit præſenti & petenti, unâque ebiberunt ambæ. Valuit autem in corpus imbecillius vis veneni: Berenicen verò, quæ minus juſto hauſerat, non abſtulit. Ea igitur, quum diu animam ageret; acceleranté Bacchide ſtrangulata eſt. Ferunt etiam ex innuptis illis ſororibus, alteram, poſt multas in fratrem execrationes & probra, virus epotaſſe: Statiram verò nihil gravius aut abjectius locutam, fratrem collaudaſſe; quòd de vitâ in diſcrimen vocatus, rationem etiam habuiſſet ipſarum, proſpexiſſetque ut citra contumeliam vitam ponerent liberæ. (*Plutarch.*)

Lucullus Cabiris circumſeſſis, dum barbari certo ſe pacto ei permittunt, & ipſos in fidem accipit, & mœnibus potitur. (*Memnon, cap.* 47.) Cabiris verò aliiſque compluribus captis arcibus, grandes theſauros invenit & carceres, in quos conditi multi Græci, multi etiam Regis neceſſarii erant: qui quum habuiſſent ſe jamdudum pro deploratis, Luculli beneficio non tam conſervati ſunt, quàm revixerunt & quodammodo renati ſunt. Atque inter cæteros ſoror Mithridatis Nyſſa capta eſt, magnâ ipſius ſalute. (*Plutarch.*)

Præfecti præſidiorum Mithridatis unanimiter ad Lucullum tranſibant, paucis exceptis. (*Appian.*) Inter hos, Straboris geographi avus maternus, (Mœaphernis, Colchidis ſub Mithridate præfecti, ut ille libro 11. pag. 499. indicat, frater) quòd ſobrinum ipſius Tibium hujuſque filium Theophilum Mithridates nuper necaviſſet, ſecum quindecim præſidiaria caſtella ab eo ad Lucullum convertit. (*Strabo, lib.* 12. *pag.* 557.) Atque ita Romanis legionibus Pontus eſt patefactus, qui antè populo R. ex omni aditu clauſus fuerat. (*Cicero pro lege Manilià, & pro Archiâ.*)

Creticum hinc bellum à Romanis eſt ſuſceptum; ſolâ vincendi nobilem inſulam cupiditate. Cauſa tamen prætendebatur; quòd Mithridati Cretenſes faverent, & cum Romanis bellum gerenti milites ſupeditarent conductitios; & quòd in illius gratiam cum piratis quos Marcus Antonius prætor (Triumviri pater) tùm perſequebatur belli ſocietatem iniiſſent, ipſúmque Antonium legatum ad eos miſſum deſpexiſſent, atque illi ſuperbè reſpondiſſent. Hinc igitur ſtatim invaſit inſulam Antonius, cum ingenti quidem victoriæ ſpe atque fiduciâ; adeò, ut plures catenas in navibus quàm arma portaret. Sed pleraſque naves interceperunt hoſtes; captivâque corpora religata velis ac funibus pependêre: ac ſic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus ſuis adremigaverunt. Ipſe verò Antonius in morbum incidens, bellum parum proſperè geſtum morte ſuâ finivit: ab eo nihilo ſeciùs *Cretici* cognomentum adeptus. (*Liv. lib.* 97. *Florus, lib.* 3. *cap.* 7. *Aſconius in orat. de prætură Verris Sicilienſi. Appian. legat.* 50.)

Antiochus (Aſiaticus,) Antiochi (Pii) filius, quum biennium ferè Romæ unà cum fratre commoratus, per Senatum quæ de regno Ægypti poſtulaverat obtinere non potuiſſet, in regnum patrium rediens, & iter per Siciliam facere volens, Syracuſas venit; ibíque in domo Q. Minucii Rufi diverſatus eſt. Candelabrum ille ſecum Romam attulerat è gemmis clariſſimis opere mirabili perfectum, in Capitolio ponendum: ſed quia nondum templum erat perfectum, ſtatuit id ſecum in Syriam reportare, & cùm Jovis ſimulachrum dedicaretur (quod ſequente anno à Q. Catulo eſt factum) cum cæteris rebus illud quoque donarium per legatos in Capitolium remittere. Sed & hoc candelabrum, & non pauca etiam pocula aurea gemmis diſtincta, & trullam vinariam ex unâ gemmâ pergrandi excavatam, Verres Siciliæ Prætor per fraudem illi abſtulit, & ſua repoſcentem de provinciâ ante noctem diſcedere juſſit; comperiſſe ſe dicens, ex ejus regno piratas in Siciliam eſſe venturos. (*Cicero in Verrinâ ſextâ ſive libro quarto in Verrem.*)

Cùm in Judæâ veteres Alexandri Jannæi amici, alii poſt alios, Phariſæorum artibus,

Alexandrâ

Alexandrâ reginâ dissimulante, cæderentur; eorum potentiores, cum Aristobulo Alexandræ filio natu minore, in regiam convenientes, à Reginâ orârunt, ut vel ibi omnes interficerentur, vel per castella distributi reliquam vitam, ab inimicorum insidiis tuti, exigerent. Illa verò, inops melioris consilii, custodiam castellorum eis credidit: exceptis Hyrcaniâ, Alexandrio & Machærunte, in quibus res sibi charissimas recondiderat. (*Joseph. lib. 13. Antiquit. cap. 14.*)

Cotta ad Heracleam castra habens, nondum toto oppugnationem exercitu aggressus erat; sed aliquos de Romanis particulatim admovebat, Bithynorum multos statuens in fronte. Cùmque plures vulnerarentur & opperterent, machinis animum adjecit: quarum testudo præ aliis formidinem incussit obsessis. Totam igitur vim militum, castris excitam, admovit turri cuidam, ruinæ spem præferenti. Verùm ubi semel atque iterùm percussa, non modò contra opinionem persisteret, sed etiam aries à cæterâ machinâ diffractus avelleretur; animus Heraclienſium crescere, & perturbatus mœrore Cotta timere cœpit nunquam urbs ne caperetur. Postero etiam die, cùm machina iterùm impacta nihil proficeret, instrumentum illud concremavit, & fabris capita præcidit. Relictóque ad mœnia præsidio, cum cæterâ militum turbâ in campo Lycæo vocato stativa delegit, largam victûs copiam præbente: atque inde omni circa Heracleam regione devastatâ, in magnam cives difficultatem coëgit. Quare denuò ad Scythas Chersonesi incolas, & Theodosianos, & circa Bosphorum dynastas, de societate legationem misit: quæ non absque effectu est reversa. (*Memnon, cap. 51.*)

Dúmque hostes urbi incumbunt, non multo minùs ab internis vexata ea est molestiis. Præsidiariis enim Mithridatis militibus id non satis erat quo plebs urbana victitabat: verùm verberibus mulctatos cives suppeditare quæ in promptu non erant per vim jusserunt. Sed & præsidiariis longè importunior erat præfectus Connacoria, non modò non prohibens vim suorum, sed etiam liberè permittens. (*Id. ibid.*)

3934 Lucullus Chaldæos & Tibarenos subegit. (*Plutarch.*) Armeniâ quoque minore, quam Mithridates tenuerat, potitus est. (*Id. & Eutrop. lib. 6.*) Et postquàm obeundo, Ponti provinciam constituisset, ad maritimas quoque illius urbes classem appulit. (*Appian.*)

Amisus adhuc obsidebatur: præfecto Callimacho scientiâ apparatûs machinalis & omni vi versutiæ, cujus in obsidione usus sit, vehementissimè Romanos fatigante. (*Plutarch.*) Lucullus eò profectus, ad deditionem cohortatus est: sed cùm non persuasisset, ad Eupatoriam obsidionem transtulit; negligenter se illam oppugnare simulans. Dum verò custodes, simili negligentiæ exemplo provocati, securè agerent, ille jussis arripere scalas militibus mœnia conscendendi copiam fecit. Et sic capta Eupatoria extemplò diruitur. (*Memnon, cap. 47.*)

Nec multò post capta est Amisus, quæ per alteram jam hyemem (ut ex *Sallustii* confirmat *Plutarchus*) obsidionem pertulerat. Quâ enim diei horâ milites abducere & reficere Callimachus consueverat, eâ Lucullus, scalis admotis, conscendit mœnia. (*Id. ibid. & Plutarch.*) Quorum quum modicam partem cepisset; Callimachus, vel quòd prædam invideret Romanis, vel quòd facultatem sibi evadendi strueret, (nemo enim abnavigantes est moratus) deseruit incenditque urbem. Ut autem vis flammæ muros comprehendit, accingebant se milites ad prædam. At Lucullus, intereuntis miserans urbis, foris voluit prohibere ignem, atque ad restinguendum adhortatus est milites. Cæterùm nemo obtemperabat ei, sed clamantes armis concrepabant; donec vi adactus, quò urbem ipsam eriperet ex incendio, permisit eis prædam. Illi verò diversum egerunt. Quum enim ad faces rimarentur omnia, & omnes in angulos lumen inferrent, ipsi pleraque ædificia concremaverunt. Flammam imber, dum capitur urbs, divino quodam casu effusus, extinxit. Pleraque Lucullus, ante discessum suum, quæ dirura fuerant, instauravit. (*Plutarch.*) Cædéque ulteriore civium inhibitâ, & urbem & regionem superstitibus reddidit. (*Memnon, cap. 47.*)

Eo tempore captus est Tyrannio grammaticus: quem, cùm ob insignem eruditionem Lucullus nollet servum fieri, Murena ab eo acceptum manumisit; eo munere usus illiberaliter. (*Plutarch.*) Patriâ verò Amisenus ille fuit: ut in libro 12°. (*pag. 548.*) *Strabo*, ipsius auditor, indicat.

Selene regina, Cleopatra alio nomine dicta, (quæ post mortem mariti sui Antiochi Pii, unà cum filiis, parte Syriæ quam Tigranes Armeniæ rex non occupaverat regnabat) Syros ut Tigranem excluderent sollicitavit; & nonnullas Phœniciæ urbes ab ejus obedientiâ abduxit. Ad quam defectionem cohibendam, Tigranes cum ingenti exercitu in Syriam ingressus est. (*Joseph. lib. 13. cap. 24. cum Plutarcho, in Lucullo.*) Quâ in expeditione, Tigranes 70 illas Armeniæ convalles, quas obses Parthis mercedis loco dederat, recuperavisse; & Parthorum ditionem, quæ circa Ninum & Arbela est, populatus fuisse videtur. (*Strabo, lib. 11. pag. 532.*) Est enim hoc omninò *recens* illud Tigranis adversùs Parthos bellum, cujus in Mithridatis ad Arsacem proximè sequente anno missâ epistolâ, (in libro 4°. Historiarum *Sallustii*) facta habetur mentio: in quo & χώρων τινὰ ἀμφισβήτησιν, *regionem quandam controversam*, ereptam Partho fuisse, in 55°. Historiarum suarum libro confirmat *Dio*.

Alexandræ Judæorum reginæ anno 9°. Matthiæ Curto Sacerdoti Josephus filius natus est, Josephi historici avus: ut ipse initio libri de Vitâ suâ indicat.

Alexander filium Aristobulum cum exercitu misit versùs Damascum, contra Ptolemæum Mennæum, qui gravis erat urbi vicinus. Sed ille nullâ re memorabili gestâ domum rediit. (*Joseph. lib. 13. cap. 24.*)

Per idem tempus nunciatum est, Tigranem cum 500 millium millibus invasisse Syriam, & brevi in Judæam esse venturum. Ea fama non immeritò Reginam & totam gentem terruit: misérúntque ad eum legatos cum magni pretii muneribus, obsidentem tunc Ptolemaidem, quam & postea cepit. Ibi inventum legati rogaverunt, ut bene sibi de Reginâ déque totâ Judæorum

gente polliceretur. Ille verò collaudatos quòd è longinquo venissent ad exhibendum sibi officium, jussit omnia bona sperare. (*Id. Ibid.*) Licèt enim Tigranem omnes Cisemphratensium Syrorum gentes Ægyptum usque scripserit Appianus; (*in Syriac. pag.* 118.) & *Palæstinam* nominatim eum obtinuisse, apud *Plutarchum* dixerit Lucullus: tamen Ægyptum versùs ultra Phœniciam eum non processisse, & ex *Strabone* in fine libri 11. intelligitur, & ex *Eutropii* libro 6. qui & *partem* tantùm Phœniciæ occupatam ab eo fuisse confirmat.

Lucullus legatum ad Tigranem misit Appium Clodium (uxoris suæ fratrem) qui Mithridatem exposcerot. (*Memnon, cap.* 48. *& Plutarch.*) Eum duces regii per superiores regiones traxerunt viâ præter necessitatem tortuosâ, flexuosâ, & prolixâ; quousque libertus ejus Syrus natione rectam indicavit: eóque ducente, paucis diebus Euphrate superato pervenit Antiochiam quæ Epidaphne est dicta. Ibi Tigranem operiri jussus (aberat enim subjugans adhuc nonnullas Phœniciæ urbes) complures dynastas, qui non ex animo parebant Armenio, conciliavit. In quibus Gordyenorum rex fuit Zarbienus. (*Plutarch.*)

Multis insuper Appius domitis à Tigrane civitatibus, quæ legatos clàm ad ipsum miserant, Luculli opem promisit, jussis in præsenti nihil movere: Erat enim Græcis intolerandum Armeniorum & durum imperium. Spiritus præsertim ipsius regis ita arrogantes & inflati ex cursu rerum tam prospero evaserant; ut quicquid mortales optant & suspiciunt, non modò in arbitrio esse suo, sed & propter se arbitraretur natum. Reges serviebant ei multi. Quatuor autem habebat in comitatu suo, apparitorum vel satellitum loco, qui equitante ipso pedites juxtà curterent tunicati: in solio vero sedenti & responsa gentibus danti adstarent pectinatim complicatis inter se manibus: qui maximè habitus videbatur esse confessio servitutis. (*Idem.*)

L. Metellus in præturâ Siciliensi successor Verri datus. (*Ascon. Pedian. in Divinat.*) Adversùm piratas in *Siciliâ* (non *Ciliciâ*, ut in *Livianâ* epitome perperàm habetur editum) prosperè rem gessit. (*Liv. lib.* 98. *Oros. lib.* 6. *cap.* 3.) Siculis verò Verrem repetundarum rerum postulantibus, pro illis Cicero, designatus Ædilis, in certamen venit cum designato Consule Hortensio. (*Cicero, in Bruto.*) In quo, Verrem accusandi partes Ciceroni frustrà præripere conatus est Q. Cæcilius Niger, qui Verris in eâ insulâ quæstor fuerat; domo quidem Siculus, (ut in Divinationem quæ extat adversùs Cæcilium notavit *Pedianus*) conditione verò libertinus, & religione Judæus; ut in Vitâ Ciceronis scripsit *Plutarchus*. ubi & inde ortum Ciceronis in Cæcilium jocum retulit: *Quid Judæo cum verre?*

Libro 1°. in Verrem, ille Ciceronis locus nonnihil facit ad præsentium rerum statum indicandum. *Verùm veniat sanè: decernat bellum Cretensibus, liberet Byzantios, regem appellet Ptolemæum: qua vult Hortensius, omnia dicat & sentiat.* Cui & ille consimilis, in epistolâ Mithridatis proximè sequente anno ad Arsacem scriptâ apud *Sallustium*, libro Historiarum 4°. *Cretenses soli omnium liberi eâ tempestate, & rex Ptolemæus.* & mox. *Ptolemæus pretio diem belli protulit. Cretenses impugnati semel jam, neque finem nisi excidio habituri.* Ex quorum collatione promptum fuerit colligere, jus illud quo ad recuperandum regnum Ægyptiacum Antiochus Asiaticus apud eos usus fuerat in commodum suum vertisse: ut tantisper Ptolemæum Alexandrum regem appellandum censerent, quamdiu securam regni illius possessionem continuatâ largitione redimeret: & primum illud Creticum bellum, M. Antonii clade interruptum, redintegrare eos statuisse; quod & ab eis præstitum fuisse, in sequentis anni historiâ videbimus.

Lucullus in Asiam profectus, adhuc mulctæ à Syllâ impositæ nomine debentem quartam partem fructuum; tributum pro ædium modo & servorùm numero statuit. (*Appian.*) Urbes enim Asiæ publicani & fœneratores depopulati fuerant, servilémque in modum vexaverant; adeò ut privatim filios filiásque vendere, publicè ornamenta, picturas, signa detrahere cogerentur: ipsíque hic erat exitus, ut creditoribus in servitutem addicerentur. Eas pestes ita repressit Lucullus, ut intra quadriennium omnia nomina dissoluta fuerint, & possessiones liberæ suis dominis postliminio restitutæ. Erat publicum hoc æs alienum 20 millium talentùm, quæ Asiæ Sylla imperaverat. Hujus summæ solutum est creditoribus duplum, quæ usuris redacta jam ab illis fuerat ad 120 millia talentùm. Illi verò, velut magnâ injuriâ affecti, Lucullum Romæ infectati sunt; & nonnullos qui in concionibus ibi dominabantur concitaverunt in eum. At Lucullus non tantùm à gentibus de quibus bene meritus fuerat diligebatur; verùm erat etiam charus cæteris provinciis, quæ beatos ducebant illos qui talem nacti essent rectorem. [*Plutarch.*]

Lucullus ubi Asiam multis præclaris legibus atque altâ pace confirmavisset, nec voluptates & festivitates præteriit: verùm spectaculis, feriis triumphalibus, muneribúsque athleticis & gladiatoriis civitates Ephesi residens oblectavit. Hæ celebraverunt vicissim in illius honorem *Lucullia*; jucundioremque eo honore veram præstiterunt illi benevolentiam. [*Idem.*]

Tigranes Cleopatram cui Selenæ cognomentum fuit, in Mesopotamiæ castello Seleuciâ aliquandiu inclusam, interemit. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 749.] Atque ita Antiochus Asiaticus, qui jure matris regnum Ægypti recuperare speraverat, etiam eâ regni Syriæ parte quam illa tenuerat excidit.

Ubi Antiochiam Tigranes rediit, Appius legatus palàm dixit se venisse, ut Mithridatem Luculli triumphis debitum abduceret: alioquin Tigrani bellum se indicere. Quâ libertate factus ille est commotior quamvis vultum ad serenitatem, legari audiendi causâ, composuisset; qui tunc primùm, post annos fermè viginti quinque, liberam vocem audiret: tot enim annos regnaverat, vel potiùs grassatus fuerat. [*Plutarch.*] Responsum dedit Appio, scire se quidem improbum esse Mithridatem, sed tamen affinitatis habere rationem: universorum se criminationem hominum meriturum confirmans, si uxoris patrem hosti tradat. Se igitur non desciturum Mithridatem; & Romanis, si bellum inferrent, restiturum. Lucullo verò infensus, quòd se *Regem* tantùm, non *Regem regum*, in epistolâ salutavisset; neque ipse rescribens, cum *Impera-*

toris titulo dignatus est. Appius ex multis donis acceptâ phialâ unâ aureâ, ne Regem rigidius repudiando offenderet, celeri cursu ad Imperatorem regressus est. (*Id. cum Memnone, cap.* 48.)

Quum detectus esset Gordyenorum rex Zarbienus clàm cum Lucullo societatem iniisse, unà cum uxore & liberis à Tigrane necatus est. (*Plutarch. in Lucullo.*)

Ut rediit Appius, & bellum cum Tigrane gerendum apparuit; Lucullus votiva sacra diis suis Ephesi persolvit, ac si jam debellatum esset. Deinde in Pontum iterùm contendit; motisque castris Sinopen, vel potiùs illos qui eam tenebant regios obsedit Cilicas. (*Id. cum Appiano, pag.* 228.) Ut enim foris à Romanis, ita intus oppugnata urbs est ab insidente tyranno, custodiæ illius à Rege Mithridate præfecto: Cleochare videlicèt spadone, ut *Orosius*; vel Bacchide, ut eum *Strabo* nominat. Namque hic, proditionem aliquam subinde metuens, ac multas cædes civium edens, eò rem deduxit; ut neque ad propugnandum fortiter civibus animus, neque ad deditionem initis pactis faciendam facultas esset. (*Strabo, lib.* 12. *pag.* 546.) Quam tragœdiam à *Memnone* ita plenius habemus expositam.

Leonippus, cui cum Cleochare cura urbis & tutatio à Rege commissa fuerat, re desperatâ, de proditione ad Lucullum mittit. At Cleochares cum Seleuco archipiratâ (nam & hic Mithridatis erat legatus, officii auctoritate cum cæteris æquatus) Leonippi proditionem odorati, advocatâ concione, hominem accusant: cives verò criminis hujus actionem non admittunt, quòd probum esse existimabant. Ideò Cleocharis factio, gratiam ejus apud plebem metuens, noctu ex insidiis hominem trucidant. Populus quidem hunc casum ægrè ferre, sed Cleochares cum suis rerum potiri, & tyrannicè res administrare: hâc viâ parricidii in Leonippum pœnas subterfugituros se existimantes. (*Memnon, cap.* 55.)

Interim Censorinus, Romanæ classis Prætor, triremes agens quindecim, commeatum à Bosphoro Romanorum castris advehentes, prope Sinopen appellit. Contra quem Cleocharis & Seleuci triremes Sinopicæ, ductu Seleuci egressæ, navali prælio decernunt; & victis Italis, naves onerarias in suum duces lucrum auferunt. Elatus hoc successu Cleochares cum collegâ, plusquàm antea tyrannico urbem imperio premit. Nam cautis legitimo judicio non discepratis, ad neces opidanos rapiunt, & ad multa alia crudelitate suâ abutuntur. Accidit autem ut in contraria scinderentur studia Cleochares & Seleucus. Ille enim perstistendum in bello, Seleucus trucidatis Sinopensibus urbem Romanis, magnificæ remunerationis pacto, tradendam censebat. Atqui neutrâ sententiâ comprobatâ, quicquid possidebant navibus onerariis ingestum ad Macharem filium Mithridatis, tum temporis in Colchide agentem, mittunt. (*Id. ibid.*)

Sub idem tempus Lucullus ad urbem accedens, validò eam nixu oppugnabat. Machares verò Mithridatis filius, legatione ad Lucullum missâ, amicitiæ & societatis fœdus ab eo petiit. Ille, petitione benignè admissâ, fœdus pro firmo se habiturum respondit, si nullos Sinopensium commeatu juvaret. Qui non solùm impetrata fecit, sed etiam destinata Mithridaticis ad Lucullum deferenda curavit. (*Id. cap.* 56.) Atque ita Bosphori rex Machares, missâ ad Lucullum mille aureorum coronâ, in amicitiam & societatem populi Romani receptus est. (*Liv. lib.* 98. *Plutarch. & Appian.*)

Cleochares & Seleucus hæc videntes, spe omni abjectâ, multos civium Sinopensium trucidârunt, magnas opes in naves congesserunt, urbem ad direptionem militibus concessêrunt & posteà inflammârunt. Tum gravioribus navibus incensis, & levioribus nocte conscensis, ad interiora Ponti, quæ à Sanegibus & Lazis incoluntur, aufugerunt. Excitatâ igitur flammâ, quid actum esset Lucullus animadvertit: scalâsque ad mœnia adhibere jussi milites transcenderunt. Ingressus urbem Lucullus, ex regiis qui remanserant octo millia interfecit: cæterorum verò misertus, celeri occursu immissum restinxit incendium, & civibus res suas restituit. Ita misera civitas, versâ vice hostium sociorúmque, unde defendenda, disperdita, & unde disperdenda, servata est. (*Memnon, cap.* 56. *Plutarch. Appian. Oros. lib.* 6. *cap.* 3.)

Sinopes verò hanc curam habuisse Lucullum, moxque liberam eam fecisse, tali ferunt monitum insomnio. Visus est ei in somnis adsistere quispiam qui diceret: *Progredere paululum Lucille, venit enim Autolycus ut te conveniat.* Ubi surrexit, non potuit assequi conjecturâ quò id tenderet: sed urbem illo die cepit, atque in persequendo Cilicas, qui navibus fugam capessebant, jacentem vidit in littore statuam: quam Cilices illi fugæ comitem ascituri, pannis obvolutam constrinxerant funiculis, sed satis spatii non habuerant ut navigio imponerent. Solutis involucris, talem Lucullus vidit, qualis species ei nocte obversata fuerat: & Autolyci, qui Sinopen condidit, statuam fuisse didicit. Quo audito, subierunt illi Syllæ præcepta, in Commentariis suis monentis, nihil perinde fidele ducendum & firmum, ac quod in somniis demonstraretur. (*Plutarch. & Appian.*) Hanc verò Autolyci statuam, quòd Sthenidis erat opus, & Billari sphæram, secum tulit: reliquis omnibus urbis ornamentis relictis. (*Strabo, lib.* 12.)

Post Sinopen Lucullus Amisum etiam restituit suis civibus, qui pariter per mare profugerant; urbemque *avtóvopov* & liberam esse jussit. [*Appian.*] Aliis quoque Græcis, quicumque vellent, frequentavit urbem; eique agrum 120 stadiorum attribuit. Ex Athenientibus quoque, qui Syllæ temporibus Aristionis tyrannidem fugientes eò se habitatum contulerant, quotquot incolumes superfuerant, eos honestè vestivit; ducenásque in capita drachmas largitus, in patriam remisit. (*Plutarch.*)

Repugnabat etiamnum Amasea, (Strabonis geographi patria:) sed non multum interfuit spatii, cùm etiam ipsa Romanorum in fidem concessit. (*Memnon, cap.* 56.)

Agros Heracleæ populatus Cotta, muros iterùm adortus est. At cùm segnes ad oppugnationem remissisque animis videret milites; à conatu desistens, vocarum misit Triarium, ut cum triremibus quamprimùm advolans commeatus in mari facultatem opidanis interciperet. (*Id. cap.* 51.)

Assumpsis

Assumptis ergo Triarius quas habebat navibus, & 20 Rhodiis, quarum summa 45 conficiebat, in Ponticum trajecit: &, adventu ejus in tempore Cottæ significato, eodem die exercitum ad mœnia appulit Cotta, & imminens Triarii classis apparuit. Tum repentino navium adventu Heraclienses turbati, 30 quidem naves in mare deduxerunt, sed eas non satis complebant. Reliqua multitudo ad propugnandam urbem se convertit. Primi Rhodii in naves Heracleoticas impressionem fecerunt: & statim tres Rhodiorum & quinque Heraclientium simul depressæ. Hinc pugnæ supervenientes Romani, multis acceptis damnis, pluribus tamen illatis, Heracleotas fuderunt, & ad urbem fugere compulerunt, 14 navibus deperditis. Classis victrix in Magnum subiit portum. Peditatum etiam ab oppugnatione Cotta revocavit. (*Id. cap.* 52.)

Triariani in dies singulos è portu subvecti, eos qui frumenta circumsessis importare conarentur impedierunt. Ingens igitur annonæ caritas urbem tenuit: ita ut chœnix frumenti ad 80 Atticos procederet. Et super alias ærumnas etiam pestis homines invasit, vel ex aëris mutatione, vel inconsuetâ victûs ratione exsistens; & per varias calamitatum formas varios hominum interitus effecit. Inter quos etiam Lamachus longè acerbiore quàm alii & leniore mortis cruciatu extinctus est. Lues hæc maximè præsidiarios corripiebat: ut de 3000, mille interirent. (*Id. ibid.*)

3935 Connacorix, hâc afflictionum mole fatiscens, urbem Romanis prodere, & Heracleotarum exitio suum permutare salutem statuit. Operam huc conferebat etiam Heracliensis quidam, Damopheles, consiliorum Lamachi æmulator, præsidio urbis & ipse à Lamachi interitu præfectus. Connacorix à Cottâ, ut homine moribus importunis & dubiâ fide, sibi cavens, cum Triario rem communicavit; nec segniùs in eodem cum his studio Damopheles decurrit: & acceptis pactorum conditionibus, quibus se beatos fore sperabant, ad proditionem se accinxerunt. Obiter autem quæ à proditoribus agebantur in vulgus emanârunt. In concionem igitur concurrente, præfectoque advocato, Brithagoras vir inter populares præcipuæ auctoritatis, multis precibus à Connacorige expetiit, ut de communi omnium salute cum Triario conferre liceret. Ille verò pacificationem eam suscipiendam esse prorsùs negavit; at astutè confictis verbis Heraclienses in fraudem induxit. (*Id. cap.* 53.)

Nocte igitur intempestâ Connacorix, exercitu navibus impositio, (per fœdus enim cum Triario initum salvis abire, & si quid lucri fecissent, secum asportare licebat) ipse cum militibus discessit. Damopheles autem, solutis portis, introfusum Romanorum exercitum & Triarium recepit: quorum alii per portam irruperunt, nonnulli etiam muri pinnacula transcenderunt. Tum demum proditos se Heraclienses senserunt: pârsque horum se dedidit, pars trucidata est. Res in abdito repositæ & supellectilia direpta sunt: & magnâ crudelitate in cives est sævitum. Nam recurrit animo Romanis, quanta navali conflictu detrimenta accepissent, & quantas sustinuissent ærumnas in oppugnatione. Ideóque nec ab his qui ad sacra loca confugerant est temperatum; sed juxta aras & delubra supplices mactati sunt. Quocirca multi trans muros elapsi, mortis inevitabilis metu, per totam regionem dispersi sunt: nonnullis etiam ad Cottam transfugere coactis. (*Id. ibid.*)

Ab his quum Cotta de expugnatione urbis, & hominum strage & direptione bonorum, certior fuisset factus; irâ totus exardescens, quàm celerrimè ad urbem festinavit. Molestè etiam simul tulit exercitus, quòd non modò gloriâ rerum fortiter gestarum spoliati, sed etiam commodis universis fraudati essent. Ideò implacabili cum gentilibus certamine conserti, mutuis se cædibus hausissent; nisi Triarius, concitatione illorum intellectâ, multis pacatisset verbis Cottam, & in commune se lucrum expoliturum sanctè promittens, bellum intestinum inhibuisset. (*Ibid.*)

Audiens Cotta, Teium & Amastrin à Connacorige fuisse occupatas; Triarium sine morâ dimisit, ut has ei urbes adimeret. Ipse interim Heracleæ manens, acceptis deditiis & captivis, cætera per omnem sævitiam administravit. Nam dum opes passim scrutatur, ne sacris quidem pepercit. Statuas enim & imagines, tam pulchras quàm multas, loco movit: quin & Herculem è foro, & ornatum ejus à pyramide, multâque alia æquè miranda atque pulchra è fanis & urbe sublatâ, navibus inferit. Ad ultimum, jussis ignem immittere militibus, multis urbem partibus succendit. Ita capta & subacta est Heraclea, cùm duos oppugnationem annos sustinuisset. (*Id. cap.* 54.)

Triarius ad urbes sibi demandatas profectus, Connacorigi (is enim proditionem Heracleæ aliarum occupatione dissimulare animo præsumpserat) securitate abeundi factâ, civitates sub conditionibus certis recepit. (*Id. ibid.*)

Cotta, rebus quo dictum est modo confectis, pedestres copias unà cum equitatu Lucullo tradidit, & sociorum auxilia, in suam quæque patriam, dimisit: ipse verò cum classe abiit. Ibi navium quæ Heracleæ spolia vectabant, pars supra modum onerata haud procul à littore dilabsa est; pars, aparctiâ vento contrà flante, in vada procellis ejecta, pleraque asportandorum excussit. (*Ibid.*)

Lucullus, Sornatio ad ordinandam provinciam cum 6000 militibus relicto, assumptis secum 12 millibus peditum & minus tribus millibus equitum (duas legiones & 500 equites habet *Appianus*) in Cappadociam est ingressus: & Ariobarzanem habens amicum, quàm maximis itineribus contendit ad flumen Euphratem, quâ in parte Cappadocia ab Armeniâ disjungitur. [*Sallust. Histor. lib.* 4. *apud Nonium, in voc.* Naves codicarias. *Memnon, cap.* 58. *Plutarch. Appian.*]

Ex hyeme tum inflatus turbidúsque erat Euphrates: sed quum sub vesperam cœpisset unda subsidere, ubi diluxit, amnem ripis suis ostendit clausum. Unde incolæ Lucullum adoravêrunt; quòd haud temerè id antèa accidisset, fluviúsque transitum illi præstaret expeditum & maturum.

3935 maturum. Traducto quoque exercitu, latum illi oblatum est prodigium. Ex bobus enim Dianæ Persicæ (quam eximiè venerantur barbari trans Euphratem colentes) sacratis, quæ haud facilè capiebantur, una sponte semetipsam Lucullo præbuit hostiam. Qui Euphrati etiam, transitûs causâ, sacrificavit taurum: & toto eo die stativa illic habuit. (*Plutarch.*)

Postero die & insequentibus iter fecit per Sophenem. Incolas, qui debebant se & promptè recipiebant exercitum, nullâ re violavit. (*Id.*) solas ab eis exigens pecunias. nam regionum earum incolæ abhorrebant ab armis: nec dignabantur se medios ingerere Tigrani & Lucullo dimicantibus. (*Appian.*)

Ibi quum milites arcem, in quâ ingens præda putabatur esse, capere vellent: *Illa arx*, inquit Lucullus, ostendens procul Taurum, *expugnanda potius est; hæc præmia reposita sunt victoribus.* Extentis deinde itineribus Tigrim transgressus, iniit Armeniam. (*Plutarch.*)

Armeniam invadente Lucullo, Alexandra Judæorum regina in morbum difficilem incidit. Unde minor ejus natu filius Aristobulus, regnum affectans, noctu egressus uno comitante famulo contulit se ad ea castella, quibus paterni amici erant præpositi. Conscia verò ejus conatûs erat sola uxor; quam domi reliquit cum liberis. ac primùm venit Agaba, ubi Galæstes erat unus è potentibus, à quo perlibenter exceptus est. (*Joseph. Antiquit. lib.* 13. *cap.* 24. *cum lib.* 1. *Belli, cap.* 4.)

Sequenti die Regina sensit Aristobuli absentiam, nec tamen statim suspicata est illum ad res novandas esse profectum. Verùm postquàm alii super alios nuncii venerunt, nunc hoc nunc illud castellum occuparum esse nunciantes, (nam intra quindecim ferè dies 22. castella occupavit;) tum demùm & regina ipsa, & gens universa in magnâ consternatione fuit; verita ne regno usurpato, pœnas ab illis exigeret, qui in ipsius familiares grassati fuerant. Placuit igitur uxorem ejus cum liberis in arce Templo vicinâ custodiri. Ad Aristobulum interim plurimi confluebant, ex novis rebus captantes utilitatem; ut jam nec strepitus deesset, nec ornatus regius. Ipse exercitum à monte Libano, & Trachonitide, & vicinis dynastis colligebat. (*Id. ibid. lib.* 13. *cap.* 24.)

Hyrcanus ergo Pontifex & seniores Judæorum Reginam adeunt, & rebus præsentibus aliquod expediri consilium postulant. Illa jubet eos facere quidquid putarent reipublicæ conducere, & præsenti facultate virium pecuniarúmque uti: jam se, corporis animique vigore deficiente, rerum administrationi vacare non posse. His dictis, non multò pòst vitâ functa est. (*Ibid.*)

Post eam, regnum obtinebat senior ejus filius Hyrcanus; anno 3°. Olympiadis CLXXVII, Q. Hortensio & Q. Metello (Cretico postèà cognominato) Consulibus. (*Id. lib.* 14. *Antiquit. cap.* 1.) quod & mater adhuc vivens illi commiserat. Verùm junior Aristobulus viribus atque authoritate præstabat. (*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 4.)

Quum Consules sortirentur, Hortensio bellum adversùs Cretenses gerendum obvenit. Sed is urbe delectatus, & foro (in quo primum locum post Ciceronem obtinebat) Metello collegæ hanc expeditionem ultrò cessit. (*Xiphilin. ex Dione.*)

Bello hoc ita decreto; qui inter Cretenses ætate & prudentiâ magis eminebant, ut legati 4645 69
Romam mitterentur consuluerunt, qui objecta crimina dilucrent, & benignis verbis precibúsque Senatum placare conarentur. Viros igitur clarissimos triginta Romam legatos dimisérunt: non solùm pactionum antiquarum renovationem, sed etiam pro beneficio suo gratiam, quòd eorum quæstorem militésque (in superiore cum M. Antonio pugnâ) servassent, adepturos se sperantes. Legati Senatorum domos privatim obeuntes, ita eos sibi conciliârunt; ut quum in Senatum introducti accusationibus prudenter illi satisfecissent, atque beneficia sua & belli cum Romanâ potestate societatem diligenter exposuissent, in eam itum fuerit sententiam, ut Cretenses & ab objectis criminibus absolverentur & inter amicos ac socios populi Romani censerentur. Verùm Lentulus, cognomento qui Spinther dictus est, decretum hoc irritum reddidit. Unde sæpiùs hâc de re in Senatu actum est, tandémque conclusum, ut Cretenses, quòd latrociniorum cum piratis fuissent participes, navigia omnia prædatoria usque ad tetraticalmum, & quotquot Romanorum captiva detinebant, Romam transmitterent. Postulatúmque præterea est, ut omnes captivi, omnésque transfugæ, & obsides clarissimi numero 300, & Lasthenes qui cum Antonio pugnaverat & Panares, simul cum 4000. argenti talentis, traderentur. (*Diodor. Sicul. legat.* 35. *Appian. legat.* 30. *Dio, legat.* 37. *al.* 38.)

De his verò nullum à Cretensibus, qui essent domi, responsum Romani expectárunt: sed alterum è Consulibus statim miserunt, qui hæc reciperet, ac nisi darent, bellum eis inferret. Daturi verò illi non erant. Qui enim ab initio, priùs quàm hujusmodi quid ab eis exigeretur, & quàm potiti essent victoriâ, admissum à se aliquid confiteri noluerant; quonam modo post victoriam sibi tot ac talia simul imperari sustinuissent? Id ergo cùm certò Romani scirent, & suspicione futurum præcepissent, ut legati nonnullos aggrederentur pecuniâ corrumpere, quò bellum hoc impedirent: senatusconsulto prohibuere, ne quis eis quidquam mutuò daret. [*Dio, ibid.*]

Cretensibus de iis quæ à Senatu postulata fuerant deliberantibus, prudentiores quidem quæ jussa fuerant omnia facienda censuerunt: qui verò à Lasthenis partibus fuerunt, cùm criminationibus essent obnoxii & ne Romam transmissi, supplicium paterentur sibi metuerent, multitudinem commoverunt; ut avitam libertatem tuerentur, obtestantes. [*Diodor. legat.* 35.]

Romam Cotta reversus, honore à Senatu affectus est, & *Ponticí* cognomento, quòd Heracleam cepisset, nobilitatus. [*Memnon, cap.* 61.]

Mithridates annum & octo menses in partibus Armeniæ demoratus, necdum in conspectum Tigranis generi sui admissus erat. Hic tamen exoratus tandem, ut coram se sistendi potestatem ei faceret, splendidâ cum pompâ occurrit, & regali socerum magnificentiâ excepit. Sed triduum absque colloquio cum eo transegit: lautissimis deinde conviviorum apparatibus benevolentiam ei suam ostendit. [*Memnon, cap.* 57.] Tum in colloquio, quod habuerunt in regiâ arcanum,

mutuas

mutuas ſuſpiciones in Metrodori Sceptii & aliorum capita lenierunt amicorum, in quos caulas detorſere. (*Plutarch.*) & decies mille inſtructus equitibus in Pontum Mithridates remiſſus eſt. (*Memnon.*)

Lucullus agmen ad urbem adduxit, ubi Tigranis pellices & de rebus pretioſis ac charis non pauca aſſervari didicerat. (*Idem, cap.* 58.)

Tigrani, quòd cum qui adventum Luculli primus ipſi nuntiavit tanquam turbatorem populi ſuſpendiſſet, nemo poſtmodum detulit quicquam. Ut verò tandem ſenſit, Mithrobarzanem cum duobus (ut *Appianus*) vel tribus (ut *Plutarchus* habet) equitum millibus, & peditum ingenti numero, contra Lucullum miſit; cum mandatis, ut eum ad ſe vivum attraheret, cæteros obtereret. (*Plutarch. & Appian.*)

Luculli copiæ partim caſtrametabantur, partim adhuc erant in itinere, cùm ſpeculatores ei nunciant adeſſe hoſtem. Timens igitur ne diſtractos & incompoſitos turbaret incurſu ſuos, ad caſtra munienda ipſe ſubſtirit. Sextilium verò legatum cum 1600. equitibus & pari ferè peditum numero præmiſit; juſſum ſubſiſtere cùm ad hoſtem perveniſſet, donec accepiſſet caſtra eſſe permunita. Verùm ferociter invehente ſe Mithrobarzane, coactus eſt manum conſerere: quo in conflictu pugnans Mithrobarzanes cecidit; reliqui in fugâ, demptis paucis, cuncti perierunt. (*Plutarch.*)

Tigranes relictâ Tigranocertâ, urbiſque cuſtodiâ fidei Mancæi commiſſâ, obibat regionem, colligens exercitum; & ad Taurum ſe recipiens, eò copias omnes contrahebat. (*Id. cum Appiano.*) Cæterùm Lucullus ſpatium ei non permittens ad ſe parandum, Murenam miſit ad premendos & carpendos eos qui ad Tigranem conglobabant ſe: Sextilium aliò, ut obſiſteret magnæ Arabum manui, ne conjungerent ſe Regi. (*Plutarch.*)

Sextilius, caſtra ponentibus ſuperveniens, oppreſſit majore ex parte Arabas. Murena Tigranem inſequens aſperâ & arctâ convalle longo agmine iter facientem, opportunitate datâ, adoritur. Tigranes, dimiſſis omnibus impedimentis, fugam capeſſit. Multi occumbunt, plures capiuntur Armenii. (*Id.*)

Sextilius, Mancæo intra Tigranocertam compulſo, regiam mox extra mœnia ſitam diripuit, urbem arcémque circumvallavit, admotiſque machinis, cuniculis etiam ſuffodit mœnia. (*Appian.*) Ipſéque Lucullus eò adveniens, urbem caſtris cinctam obſedit acriter; non perpeſſurum id ratus Tigranem, ſed ſtimulante irâ ad dimicandum deſcenſurum. (*Plutarch.*) Sed cum gravibus incommodis affecere Barbari, non ſolùm conjectis telis, ſed etiam naphthâ, quam tormentis quibuſdam emittebant. Eſt autem naphtha ex genere bituminis, uſque adeò ardens, ut omnia quibus adhæreſcit prorsùs exurat, nec ullâ re humidâ facilè reſtinguatur. (*Xiphilin. ex Dione.*)

Tigranem Mithridates per legatos & litteras (ut *Plutarchus*: non ipſe præſens, & Tigranem tum primùm conveniens, ut habet *Appianus*) magnopere ſuadebat, ne ſigna cum Romanis conferret; ſed cum equitatu tantùm circumcurſando agróſque vaſtando, ad famem eos, ſi poſſet, redigeret: quemadmodum ipſe, à Lucullo preſſus ad Cyzicum, ſine certamine amiſerat exercitum.

Tigrani junxerunt ſe Armenii & Gordyeni; ad hæc omne nomen Medorum & Adiabenorum exercitum reges illarum gentium adduxerunt: frequentes quoque à mari Babylonico venerunt Arabes, multi item à mari Caſpio Albani, & contermini illis Iberes, nec pauci ad Araxem colentium liberi populi. (*Plutarch.*) Hi partim ſtudiis in regem & donis evocati, ut *Plutarchus*; partim etiam metu quodam ducti advenerunt, ut in oratione Maniliana notavit *Cicero*. Gravis enim atque vehemens opinio per animos gentium barbararum pervaſerat, fani locupletiſſimi & religioſiſſimi diripiendi causâ in eas oras Romanum exercitum eſſe adductum. Indéque nationes multæ atque magnæ novo illo terrore contra Lucullum ſunt concitatæ.

Ut omnes iſtæ copiæ ſimul convenerunt; ſpe, ferociâ, minis barbaricis omnia perſonârunt Tigranis convivia ſimul & conſilia. Et in vitæ diſcrimen venit Taxiles, qui Mithridatis legatus in prælidiis ejus erat; quòd ſententiæ de committendo prælio repugnaret, rem inexpugnabilem arma Romana eſſe dictitans. Et quia Mithridates ipſe per invidiam viſus eſſet Tigranem ab inſigni palmâ avertere, illum Tigranes non eſt præſtolatus; ne in ſocietatem veniret gloriæ. (*Plutarch.*) quum priùs ipſe miſiſſet qui Mithridatem revocarent. (*Memn. cap.* 58.)

Sex circiter militum millia Tigranes ad tutandam urbem in quâ ejus pellices aſſervabantur ire juſſit. Qui cùm eò veniſſent, per medium Romanorum agmen facto impetu, & exitibus ex eorum caſtris ſagittariorum grandine interclusis, regias concubinas & gazas periculo exemptas noctu Tigrani tutas & ſalvas præmiſerunt. Ubi verò illuxit, Romani & Thraces, certamine cum Armeniis feliciter inito, prolixam eorum ſtragem fecerunt; nec pauciores vivos ceperunt quàm cæciderunt. (*Memnon, cap.* 58. *&, ex eo correctus, Appianus.*)

Tigranes cum reliquo exercitu contra Lucullum, progreſſus eſt: perquàm ægrè ferens (ut aiunt) apud amicos, quòd cum uno ſibi Lucullo, non cum univerſis eſſet Romanis ducibus certandum. Siquidem ſagittariorum & funditorum habebat 20. millia, equitum 55, gravis armaturæ peditum, partim in cohortes partim in phalangas deſcriptorum, 150 millia; viarum munitorum & ad alia miniſteria deſtinatorum, 35 millia. (*Plutarch.*)

Ut Tauro ſuperato, Tigranes ſimul cum toto agmine conſpectus, & ipſe ex edito circumſidentem Tigranocertam exercitum Romanum eſt contemplatus; barbara colluvies quæ in urbe erat ululatu & plauſu excepit Regis conſpectum, Romaniſque ex muro minitans commonſtravit Armenios. (*Plutarch.*)

Lucullus, Murenâ cum ſex millibus peditum ad continuandam Tigranocertæ obſidionem relicto, ſecum 24 cohortes, (in quibus legionarii non ampliùs decem millia erant) univerſum

3955 equitatum, funditores & ſagittarios ad mille, adversùs Tigranem ducens, apud flumen in campo ſpatioſo conſedit. (*Id.*) Confeſtim verò Tigranes, ut Romanorum exilitatem vidit caſtrorum, ſuperba per contemptum de iis verba jecit: *Si legati ſunt hi, multi ſunt; ſin hoſtes, perpauci.* [Memnon, cap. 59. Plutarch. Appian. & Xiphilin. ex Dione.]

Tranſmiſſurum flumen Lucullum quidam duces admonuerunt, cavendam illam diem, quæ ex nefaſtis (quas atras vocant) erat una. Illâ enim die exercitus Cepionis fuerat à Cimbris in conflictu oppreſſus. Hic verò occurrens; *Pugnemus ergo*, inquit, *hodie ſtrenuè, ut hanc diem quoque ex nefaſtâ & triſti feſtam lætámque Romanis reddamus.* Fuit illa pridie Non. Octobr. (*Plutarch. in Lucullo, & Camillo, & Apophthegmat.*) ut annus quidem Romanus tunc agebatur: in Julianum verò Quintilem ſive Julium menſem incurrens; ineunte 4°. anno Olympiadis CLXXVII. ad quem à *Phlegonte* pugna hæc rectè eſt relata.

Cùm à cataphractis maximè ſibi metuerent Luculli milites, bono eos juſſit eſſe animo: plus enim in ſpoliandis iis fore laboris, quàm in vincendo. Primúſque ad tumulum aggreſſus, cùm motum videret barbarorum, exclamavit: Vicimus ô commilitones. (*Plutarch. in Apophthegmat.*) Dextro verò Tigranis cornu ſtatim in fugam acto, mox inclinatio ſit in proximo; dehinc terga vertunt omnes. Grandem itaque & præcipitem Armenii fugam capeſſunt; & pro hominum numero cædes ſequitur. (*Memnon, cap.* 59.) Romanis armillas & torques calcando per 120 ſtadia cædem continuantibus, donec nox ſupervenit. Qui tum demùm reverſi, ſpoliabant cadavera: quod fieri ante cædem peractam Lucullus edicto vetuerat. (*Appian.*)

Cæſa è Tigranis copiis quinque millia, & his plures captos, præter cæteram hominum colluviem, *Phlegon* narrat. Triginta millia hominum in eo bello cæſa, referuntur: ut ait *Oroſius.* (*lib. 6. cap.* 3.) Pedites cecidiſſe, inquit *Plutarchus*, ſupra centum millia perhibentur, equitum paucî planè effugiſſe. Ex Romanorum exercitu centum vulnerati, quinque deſiderati. *Antiochus philoſophus* in Commentario de Diis hujus pugnæ mentionem faciens, negat à ſole viſam parem. *Strabo* in libris Hiſtoriarum ipſos Romanos commemorat puduiſſe, & ſemetipſos deriſiſſe, quòd in ejuſmodi mancipia induiſſent arma. *Livius* nunquam Romanos ſigna cum hoſtibus contuliſſe tanto numero inferiores. Neque enim vigeſimam propemodùm partem, imò nec minorem, æquârunt victores victorum. (*Plutarch.*)

Si 18 millia militum habuiſſe Lucullum cum *Eutropio*, *Sexto Ruſo* & *Jornande* dicamus: numerus ille per 20 multiplicatus, 360 millia efficiet. Tribuantur jam Tigrani, *peditum* non 150 cum *Plutarcho* ſed 250 cum *Appiano* millia, *equitum* non 50 cum *Appiano* ſed 55 cum *Plutarcho* millia; adjantúrque ex eodem Plutarcho, *ſagittariorum* 20, & calonum 35 millia: eadem 360 millium emerget ſumma. Quæ ſi admittenda: longè infra verum & *Phlegontis* calculus ille fuerit, qui peditum 40, equitum 30 millia; & *Memnonis*, qui utrorumque ſimul 80 tantùm millia Tigranis aſſignat exercitui. ut & ſupra verum, illa quæ apud *Eutropium* legitur numeratio: *Regem cum 600 millibus clibanariorum & 100 millibus ſagittariorum & armatorum venîſſe.* Clibanarii autem ſunt, *equites cataphracti, ferreâ omni ſpecie*, ut à *Saluſtio* hîc ſunt deſcripti: (libro Hiſtoriarum 4°. à Nonio, in voc. *cataphracti*, citato:) quorum in Tigranis exercitu XVII tantùm millia fuiſſe, ad Senatum ſcripſit ipſe Lucullus; teſtante *Plutarcho.* Ut in immani illo DC millium numero, vitio manifeſto laborare *Eutropium*, nullum poſſit eſſe dubium. In *Sexti Ruſi* Breviario, 7500 tantùm clibanarii; ſagittariorum verò 120 (al. 130) millia numerantur.

Tigranes initio ſtatim vim 150 equitibus comitatus effuſo curſu ad caſtellum quoddam fugam arripuit. Filium quum videret in eâdem fortunâ, detractum ex capite diadema & tiaram illi profuſis lachrymis tradidit; aliâ viâ jubens, ſignâ poſſet, ut ſeipſum ſervaret. Adoleſcens, quia regni inſignia non audebat capeſſere, fidiſſimo amico ea ſervanda dedit: qui fortè captus atque ad Lucullum eſt attractus. Atque ita inventam Tigranis tiaram virátique milites Lucullo dederunt. (*Memnon, cap. 59. & Plutarch. cum Oroſio, lib. 6. cap. 3. & Xiphilino, in epitome Dionis.*) Lucullus verò, ſignis retrò Tigranocertam versùs motis, majore conatu in obſidionem incubuit. (*Memnon, ibid.*)

Ad pugnam non properavit Mithridates, ſolitâ Lucullum cautione & productione belli ratus adminiſtraturum: ideóque accerſitus, lentè ad Tigranem pergebat. Ac poſtquam primùm in paucos Armenios incidit in viâ, qui perculſi metúque exangues recipiebant ſe; conjecit aliquid. Ut plures jam exuti & vulnerati occurrerunt, auditâ clade, Tigranem quæſivit. Quem quum deſolatum & abjectum offendiſſet, non inſultavit ei viciſſim; verùm ex equo deſiliit, deploratiſque communibus calamitatibus, regium comitatum qui ipſum ſequebatur dedit illi, cúmque in futurum confirmavit. (*Plutarch.*) Fiduciâ ei additâ, ornatum quoque regium, adſueto non viliorem, circumpoſuit. Exercitûs etiam colligendi propoſuit conſilium (cùm & ipſe manum non contemnendam haberet) ut victoriæ damna bello recuperaturo. Tigranes autem, plus virtutis & prudentiæ illi tribuens, & magis Romanorum bellis, idoneum exiſtimans, omnia Mithridati permiſit. (*Memnon, cap.* 59.)

Mancæus, ex Tigranocertâ ſuorum clade conſpectâ, univerſos Græcos milites mercenarios exarmavit, ut ſuſpectos: qui veriti ne comprehenderentur, arreptis fuſtibus congregari & incedebant & quieſcebant. Mancæo verò cum armatis barbaris eos invadente, obvolutis veſte brachii vice clypei, ardenter in eos fecerunt impetum: & quotquot occidiſſent, eorum arma ſtatim inter ſe partiebantur. Quúmque ſatis armorum viderentur nacti pro tempore, occupatis aliquot turribus quibus diſtinguebantur mœnia, vocabant ad ſe Romanos obſeſſores, & aſcendentes recipiebantur intra mœnia. Ita *Appianus*; & ab eo minimè diſſentiens *Plutarchus.* Ex peregrinis urbem inhabitantibus majorem partem fuiſſe Cilicas, eóſque ortâ inter ipſos & Armenios ſeditione, Romanos nocte introduxiſſe, atque hos, præter ea quæ Cilicum erant, omnia

diripuiſſe;

diripuiſſe ; in Libro 35. affirmat *Dio*. Mithridatis verò, vel Tigranis potiùs, duces, deſperatorum ſummâ, ſalutem pactos, Lucullo urbem dediſſe, *Memnon* tradit. (*cap.* 59.)

Lucullus Tigranocertâ potitus, theſauros Regis qui ibi erant cepit; urbem militibus dedit diripiendam: in quâ, præter cæteras opes, octo millia talentûm pecuniæ ſignatæ ſunt inventa. Sed & 800 drachmas in ſingulos inſuper de prædâ diviſit. Quum repertos in urbe accepiſſet multos ſcenicos, quos undequaque conquiſierat Tigranes dedicaturus theatrum quod extruxerat, his ad ludos & ſpectacula & triumphalia eſt uſus. (*Plutarch.*) Multas potentiſſimorum conjuges captas ab omni injuriâ cuſtodivit: atque eo facto maritos earum ſibi conjunxit. (*Dio, lib.* 35.) Græcos, præbito viatico, remiſit in patrias ſuas: Cappadoces quoque & Cilices & alii barbari qui eò commigrare coacti fuerant, poſtliminiò domum redire permiſſi ſunt. Itaque accidit ut unâ urbe convulsâ, (opus enim adhuc ſemiperfectum Lucullus ſubvertit, exiguúmque pagum reliquit) multæ receptis civibus ſuis inſtaurarentur; à quibus ut bene de ipſis meritus & conditor eſt cultus Lucullus. (*Plutarch. cum Strabone, in fine lib.* 11. *pag.* 532. *& lib.* 12. *pag.* 539.)

Tunc ad Lucullum totius penè Orientis ſupplices venere legati. (*Oroſ. lib.* 6. *cap.* 3.) Sophenorum gens ei ſe adjunxit. Antiochum regem Commagenæ (quæ Syriæ regio eſt, ad Euphratem & Taurum ſita) Alchaudonium Arabiæ regulum, alióſque nonnullos per legatos ſecum paciſcentes in fidem recepit. Multas quoque Armeniæ partes ſibi adjunxit. (*Plutarch. & Dio, lib.* 35.)

Q. Metellus ad Creticum bellum cum tribus legionibus profectus, manu cum Laſthene ad Cydoniam urbem conſertâ, victor Imperator eſt appellatus: totámque inſulam igni & ferro populatus, Cretenſes intra caſtella & urbes compulit. (*Florus, lib.* 3. *cap.* 7. *Phlegon, Olymp.* 174. *ann.* 4. *apud Photium. Appian. legat.* 30.) nullâ fœderis, ſi quando id ei obtendebatur, ratione habitâ. (*Dio, lib.* 36.)

Ptolemæo Auletæ nata eſt filia Cleopatra, poſtrema ex Macedonum ſtirpe Ægyptiorum regina: ſiquidem 39 annos vixit; teſtante Plutarcho, *in Antonio.*)

Tigranes & Mithridates, obeundo regiones, alium colligebant exercitum: cujus præfecturæ Mithridati eſt credita. (*Plutarch. & Appian.*)

Magadates, qui Tigranis nomine Syriæ cum exercitu per annos 14 præfuit, exercitum illum in ſui regis auxilium abduxit. Unde Antiochus, Antiochi Pii & Selenæ filius, qui quòd in Aſiâ eſſet educatus *Aſiatici* cognomentum obtinuit, in regnum Syris non invitis ſeſe inſinuavit. Nec Lucullus, qui Tigranem recèns acquiſitis terris expulit, Antiocho avitam poſſeſſionem invidit. (*Appian. in Syriac. pag.* 118, 119, 133.) Lucullum verò Syriâ & Phœnice Tigranem expuliſſe, ſub finem libri XI. ſcribit *Strabo*: & ab eodem Lucullo, victo Tigrane, Antiochum Cyziceni filium (vel ex filio nepotem potiùs) regem Syriæ fuiſſe appellatum, donec quod Lucullus dederat Pompeius poſtea adimeret; apud *Juſtinum* (*libro* 40. *cap.* 2.) legimus. Inter acceptum verò & ademptum illi regnum, annorum quatuor interceſſit ſpatium.

Tigranes & Mithridates legatos, qui auxilia peterent, tum ad alios victos miſerunt, tum ad Arſacem Parthum: Romanos apud eum traducentes, eóſque, ſi victoriam obtinuiſſent contra ſe ab aliis deſtitutos, in ipſum quoque arma ſtatim verſuros, dicentes. (*Dio, lib.* 35.)

Arſaces hic, communi Parthicorum regum appellatione ita dictus, proprio nomine *Pacori* quidem à Xiphilino; *Phradatis* verò à Memnone nuncupatur. Et ſuperiore quidem anno, qui 3us Olympiadis CLXXVII. fuit, Sinatroci regi Parthorum defuncto ſucceſſiſſe *Phraatem*, à Phlegonte Tralliano habetur traditum. (*in Photii Bibliothecâ, cod.* 97.) Verùm ſeriùs *Phraatem* Dio quidem *Arſaci*, Appianus verò *Sintrico* ſucceſſiſſe docet: uti ſuo loco videbimus. Et hunc ipſum Arſacem imperio tum potitum, quum ante ſexennium bellum hoc Mithridatis tertium eſt inceptum, verba hæc illius in Epiſtolâ ad eundem (de quâ paulò pòſt) ſatis indicant. TE *remoto procul, omnibus aliis obnoxius, rurſus tamen bellum cepi.* Unde proprium *Arſacis* hujus nomen *Sintricum* ſive *Sinatrucem* fuiſſe concludimus.

Arſaces verò iſte Tigrani, ob recens bellum de controverſâ quâdam regione ab eo motum, ſuſpectabatur: ſed eâ regione Tigranes jam illi ceſſit: atque ut cum magnis convallibus Meſopotamia etiam & Adiabene ditioni ſuæ permitterentur, pro ſocietatis præmio Parthus expectavit. Lucullus verò, de legationibus Tigranis ac Mithridatis ad Arſacem miſſis factus certior, ipſe quoque nonnullos ex ſociis ad eundem ablegavit; minas ei, ſi illos auxiliis juvare, promiſſiones autem, ſi Romanorum rebus ſtudere maluiſſet, præponentes. Cúmque à Luculli legatis urgeretur, ut aut ſibi auxiliaretur, aut ſpectator ſaltem eſſet certaminis; ille, utrique parti ſocietatem clàm pollicitus, neutri præſtitit. (*Memnon, cap.* 60. *Plutarch. & Appian. & Dio, lib.* 35.)

Ex reliquiis libri 41. Hiſtoriarum *Saluſtii*, ſupereſt adhuc hâc de re integra Mithridatis ad Arſacem epiſtola: ubi illam *iram in Tigranem recentis belli* in rem ipſius ita convertit. *Ille enim obnoxius, qualem ſe voles, ſocietatem accipiet.* & inſignem illam de eo reportatam à Romanis victoriam ita elevat. *Quia multitudinem arctis locis pugnâ prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoriâ oſtentant.* deinde contra Romanos ita illum concitat. *Tu verò, cui Selencia maxuma urbium regnumque Perſidis inclytis divitiis eſt, quid ab illis, niſi dolum in præſens, & poſteà bellum expectas? Romani in omnes arma habent, acerruma in eos quibus victis ſpolia maxuma ſunt: audendo & fallendo, & bella ex bellis ſerendo, magni fulti, per hunc morem extinguere omnia, aut occidere. quod difficile non eſt, ſi tu Meſopotamiâ, nos Armeniâ circumgrediamur exercitus ſine frumento, ſine auxiliis, &c. itéque illa fama ſequetur auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppreſſiſſe. Quod ni facias monco, hortórque: non malis pernicie noſtrâ unum imperium prolatare, quàm ſocietate victor fieri.*

Ubi

Udi de rebus ad Heracleam à M. Cottâ gestis siniſtra fama Romam pervenit, in publico erat odio; invidiamque tantæ ei opes adaugebant. Cujus declinandæ causâ; pleraque in ærarium spolia retulit: tametsi nihilo mitiores in se Romanos hoc efficeret, dum è plurimis cum pauca referre persuasum haberent. Captivos etiam Heracleæ statim dimittendos decreto publico leiverunt. (*Memnon, cap. 61.*)

Thrasymedès insuper, Heracleensium unus, pro concione Cottam publicè accusavit; & civitatis suæ erga Romanos benevolentiam commemoravit: &, si quid ab hac remiserint, non civitatis voluntate, sed magistratuum fraude & adversariorum vi factum fuisse ostendit. Miserabili etiam querelâ ob oculos posuit urbis inflammationem, utque omnia in suum commodum Cotta converterit, cum lamentis & fletu, commemoravit. Accesserat captivorum quoque multitudo, viri & matronæ cum liberis, lugubribus vestimentis amicti, & supplices, cum ejulatu prætendentes manus. Romanorum verò optimatibus ad commiserationem casûs illius inflexis, progressis in medium Cotta, ubi pauca linguâ patriâ disseruisset, resedit: & exsurgens Carbo: *Nos*, inquit, *Cotta, capiendam tibi non excindendam urbem demandavimus.* & post eum alii consimili in Cottam criminatione sunt invecti. Multis igitur exilio dignus videbatur. Moderatione tamen adhibitâ, latum ei clavum abrogabant. Heracleensibus verò agrum & mare & portus restituerunt: rogatione perlatâ, ut nemo horum servituti addiceretur. (*Id. ibid.*)

Thrasymedes, his confectis, plebem remisit in patriam; ipse verò, cum Brithagorâ & Propylo Brithagoræ filio, per aliquot annos Romæ subsistens, quæ patriæ usus exigeret administravit. (*Id. cap. 62.*)

Cùm Lucullus Tigranem non insequeretur, sed ei evadendi omninò otium concederet; non ab aliis tantùm sed a suis quoque civibus reprehensus est, quòd debellare noluisset, quò diutiùs cum imperio esset. Ideóque præfectura (quæ ei commissa fuerat) Asiæ propriè ita dictæ, Prætoribus est assignata. (*Dio, lib. 35.*)

Lucullus ad Gordyenos profectus, regis ipsorum Zarbieni (qui, ob societatem cum ipso clàm initam, à Tigrane necatus fuerat) exequias celebravit. Pyræ, veste & auro regali & Tigranis instructæ spoliis, ipsemet subdidit facem, ac libamina cum amicis & necessariis illius infudit; amicum quoque suum & socium populi Romani appellavit. Adhæc monumentum jussit ei sumptuosum, ex thesauris regiis faciendum locari. Unde Gordyenorum gens ita fuit in Lucullum animata, ut, relictis sedibus suis, illum sequi cum liberis & conjugibus vellent. (*Plutarch.*)

In Zarbieni regiis aurum & argentum multum est repertum. Frumenti in horreis decies trecenta millia medimnûm condita erant. Ita & miles auctus est: & Lucullo fuit ingenti honori quòd, ne renuncio quidem ex ærario accepto, bellum ipsius belli sumptibus sustineret. (*Id.*)

Hic Arsacis regis Parthorum legati eum adierunt, amicitiam & societatem petentes. Fuit id Lucullo haud ingratum: qui invicem Secilium (sive Sextilium potiùs) ad Parthum misit. Arsaces, suspicatus hominem bello clarum non tam pacti nuper initi causâ quam ut regionem copiasque suas exploraret, missum, Romanis auxilia nulla suppeditavit, ita tamen ut ne contra illos quicquam etiam moliretur; sed in medio sese partium contineret. (*Id. cum Dione, lib. 35.*)

3936 Cùm fluctuantem cum consilio, poscentémque etiam societatis à Tigrane præmium Mesopotamiam, Lucullus didicisset; Tigranem & Mithridatem statuit ut adversarios confectos transilire, & periclitari Parthorum vires, atque expeditionem in eos movere. Itaque in Pontum ad Sornatium legatum suum & alios misit litteras, ut copias quæ illic erant adduceret; quasi ex Gordyene in Parthos signa moturus. Sed illi contumaces milites nullis blandimentis vel imperio movere poterant; vociferantes, neque illic permansuros se, sed relicto hinc præsidio abituros Ponto. Hæc ad Lucullum relata, etiam quos secum ipse habebat milites corruperunt; ob divitias jam & delicias languescentes ad militiam, & otium quærentes. Ut verò Ponticorum illorum acceperunt ferociam, viros appellaverunt, imitandósque jactaverunt: multis enim factis missionem se & requiem meritas. Atque ita Lucullus expeditionem Parthicam deponere coactus est. (*Plutarch.*)

Cùm insula Delus in Ægeo mari posita, quò omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro, nihil tamen timeret; (ut apud *Ciceronem* est, in oratione pro lege Manilià:) Athenodorus pirata illius incolas captivos abduxit, atque Deorum ipsius signa deportavit. Caius verò Triarius urbis ruta cæsa instaurans, Delum muro cinxit. ut in 5° Chronicorum suorum libro, ad annum 4. Olympiadis CLXXVII., notavit *Trallianus Phlegon* (*in Bibliothecâ Photii, cod. 97.*) 4646 68

Mithridates opidatim instruxit armorum fabricas, & delectus habens, conscripsit fermè omnes Armenios: ex quibus selectis fortissimorum 70 millium peditum, & dimidio equitum, reliquos dimisit. Hos verò in turmas & cohortes digestos proximè disciplinam Italicam tradidit exercendos viris Ponticis. (*Appian.*)

Eo anno quo Consulatum Q. Marcius Rex solus gessit, Lucullus mediâ jam æstate, (priùs enim propter frigus in hostium fines invadere nequaquam potuerat) cum exercitu adversùs Tigranem profectus est. Postquàm superavit Taurum & campos vidit virentes, exanimatus est: adeò sunt illic ex algore serotina tempora. Attamen descendit in campos, ac duobus vel tribus prœliis coortos in ipsum Armenios fudit. (*Plutarch. cum Dione, lib. 35.*) Dum Mithridates enim peditatum omnem & partem equitatûs in colle contineret; cum reliquo Tigranes Romanos frumentatores adortus, victus est. unde posteà securiùs frumentabantur, etiam ex locis Mithridati propinquis, & castra admoverunt propiùs. (*Appian.*) capróque qui comportatus Tigrani fuerat commeatu, quam ipsi extimescebant, affluerunt inopiam hostibus. (*Plutarch.*)

Inde

Inde aliquam regionis partem Lucullus vaſtavit, ut barbaros eam defendentes ad pugnam eliceret: quúmque nihil illi moverent, ad ipſos contendit. Ibi tùm equitatus hoſtilis graviter equitatum Romanum premebat, nemine cum peditatu manum conferente: ſtatímque ubi Lucullus ſcutatis ſuis equitatui ſuccurrebat, terga oſtendebant. neque tamen cladem ullam accipiebant, ſed ſagittis in inſequentes à tergo emiſſis, multos mox interimebant, multos vulnerabant. Ea vulnera, gravia difficiliáque ſanatu erant. Nam duplices erant ſagittis cuſpides, & ita quidem adfixæ, ut ſive manerent in corporibus tela, ſive extraherentur, interitum eis celerrimum adferrent. Intus enim ferrum alterum relinquebatur; quòd nihil haberet, quo retraheretur. [*Dio.*]

In Cretâ, quum Laſthenes dux Cydoniæ à Q. Metello proconſule obſeſſus Cydoniæ Gnoſum inde profugiſſet; Panares alter urbis illius dux, ſalutem ſuam pactus, Cydoniam Metello tradidit. Gnoſum deinde circumſidente Metello, Laſthenes domum opibus repletam ſuccendit, & Gnoſo aufugit. [*Appian. legat* 30.] Gnoſus, Lyctus, Erythræa, & aliæ plurimæ civitates à Metello expugnatæ ſunt. [*Liv. lib. 99. Florus, lib. 3. cap. 7. Appian. legat.* 30.] Cretenſes verò obſidione Metelli ad ultimam uſque penuriam compulſi, ſuâ jumentorúmque ſuorum urinâ ſitim ſedare coacti ſunt. (*Valer. Maxim. lib. 7. cap. 6.*)

Lucullus exercitum ad Tigranis regiam convertit Artaxata, ubi parvi liberi & conjuges ejus erant. Quod ille non ferens, caſtris ſuis quarto die prope Romanos conſedit; medium capiens Arſamiam amnem, quem tranſire neceſſe erat petituris Artaxata Romanis. (*Plutarch.*)

Lucullus poſtquàm diis ſuis ſacrificaviſſet, quaſi certus de victoriâ, exercitum traduxit. Duodecim cohortibus in fronte poſitis, reliquos, ne circumvenirentur, in ſubſidiis collocavit. Multi enim & delecti equites ſtabant in hoſtium adverſâ acie; ante quorum ſigna ſagittis ex equo utentes Mardi & Iberes haſtati erant, quibus Tigranes præcipuè inter externos milites ut pugnaciſſimis fidebat. Nihil eſt ab illis tamen editum præclari. Paulíſper cum equitatu Romano velitati non tulerunt impetum legionum: verùm hinc inde fugâ divulſi, equitem ad inſequendum traxere. [*Idem.*]

Simul-atque hi diſſipati ſunt, provehentibus Tigranis equitibus, videns ſplendorem & multitudinem eorum Lucullus, ſubtimuit. Itaque equitem à conſectandis hoſtibus revocavit. Interim ipſe ſatrapis cum præſtantiſſimo quoque ſibi oppoſitis occurrit primus: quos, antequàm manus conſerere poſſent, conſternatos pepulit. Ex tribus regibus, qui ſimul in hâc acie fuerunt, fœdiſſimè fugit Ponticus Mithridates; qui ne clamorem quidem ſuſtinuit Romanorum. Hi quum per longum ſpatium totâ nocte hoſtium tergis inhærerent; non ſolùm trucidandis, verumetiam capiendis, pecuniáque & prædâ agendâ ac ferendâ fatigati ſunt. *Livius* author eſt priore prælio plures fuiſſe, in hoc nobiliores hoſtes captos & cæſos. [*Id.*]

Piratæ his diebus latiùs quàm priùs per omnia ſparſi maria, non tantùm intercipientes navium commeatus ſed etiam inſulas provinciáſque vaſtantes, in immenſum augebantur: ita ut navigatio Romanis toto orbe victoribus ſola tuta non eſſet. [*Plutarch. in Pompeio. Appian. in Mithridat. Dio, lib. 36. Eutrop. lib. 6. Oroſ. lib. 6. cap.* 4.] Quod altero ab hinc anno ita illis in memoriam revocavit *Cicero*, in Oratione pro lege Manilia. *Quam provinciam tenuiſtis à prædonibus liberam per hoſce annos? quod vectigal tutum vobis fuit? quem ſocium defendiſtis? cui, præſidio claſſibus veſtris fuiſtis? quàm multas exiſtimatis inſulas eſſe deſertas? quam multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas urbes eſſe ſociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longè à domo bellare, & propugnaculis imperii ſociorum fortunas, non ſua tecta defendere. Sociis veſtris ego mare clauſum per hoſce annos dicam fuiſſe; cùm exercitus noſtri Brunduſio nunquàm niſi ſummâ hyeme tranſmiſerint? Quid, ad nos cùm ab exteris nationibus venirent, captos querar; cùm legati populi Romani redempti ſint? mercatoribus tutum mare non fuiſſe dicam; cùm duodecim ſecures* [duobus videlicèt prætoribus, Sextilio & Bellino, captis; ut docet Plutarchus] *in prædonum poteſtatem pervenerint? Quid aut Colophonem aut Samum, nobiliſſimas urbes, innumerabiléſque alias captas eſſe commemorem; cùm veſtros portus, atque eos portus quibus vitam & ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtate, ſciatis?* &c. *An tum imperium eſſe hoc videbatur; cùm populi Romani legati, prætores, quæſtoréſque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu & privato & publico prohibebamur? cùm ita clauſa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem maritimam neque publicam jam obire poſſemus?* Hæc eleganter ille, ut omnia.

Piratæ iſti Ciliciam, cognomine aſperam, commune omnium faciebant receptaculum, ceu belli ſedem præcipuam. Habebant quidem paſſim caſtella, arces, deſertas inſulas, ſtationéſque occultas navium; ſed potiſſimùm excurrebant ex hâc parte Ciliciæ aſperâ importuoſaque, & altiſſimis aſſurgente cacuminibus. unde ab omnibus communi nomine appellabantur *Cilices*; quòd malum id ortum in Ciliciâ, in ſocietatem Syros, Cyprios, Pamphylios, Ponticos & fermè omnes Orientales gentes pertraxit. qui propter diuturnitatem belli Mithridatici, malentes inferre damna quàm perpeti, mari terram mutârunt: ut breviſſimo tempore exorta ſint eorum multa millia. (*Appian. pag.* 234.)

Habebant illi navigia prædatoria ſupra mille, & urbes à ſe captas 400. Inviolata & intacta ante id fana adorti expilârunt; Clarium, Didymæum, Samothracium: *Telluris* apud Hermionam, *Æſculapii* apud Epidaurum, *Neptuni* in Iſthmo, Tænaro & Calauriâ, *Apollinis* in Actio & Leucade, *Junonis* in Samo, Argis & Leucanio. Peregrina ſacra in Olympo faciebant, & myſteria quædam peragebant arcana: quorum illa quæ Mithræ ſive Solis dicebantur, poſteà manſerunt, primùm ab illis monſtrata. Majorem in modum Romanis inſultabant. Ubi quis captus civem Romanum ſe eſſe clamavit, & nomen edidit; trepidare ſe fingentes, femora percutiebant, & genibus ejus accidebant, ſupplicéſque ut veniam daret precabantur.

Cilicique ille abjectos bonâ fide & supplices arbitraretur: alii calceos ei inducebant, alii togâ velabant; ne ultrà scilicet ignoraretur. Ubi ad eum modum diu hominem illuserant & deriserant; postremò admotis medio in salo scalis descendere & abire illæsum jubebant: qui nollet, hunc ipsi præcipitarum demergebant. [*Plutarch. in Pompeio.*]

3937 Sub æquinoctio autumnali graves tempestates nec opinantem Luculli exercitum corripuerunt. Ningebat ferè; & quum serenum esset, pruina cum gelu infesta erat. Unde equis erant amnes ex immodico frigore parùm potabiles; ruptáque glacies & nervos equorum asperitate incidens ægrè permeabiles efficiebat. Tractus ferè nemorosus saltuosusque rigabat eos assiduè ex nive in itinere effusâ: atque incommodè locis humidis pernoctabant. Primùm igitur precibus ad Lucullum per tribunos agebant, deinde tumultuosiùs coibant, & per tentoria noctu conclamabant: quod esse seditiosi exercitûs signum apparebat. Lucullus verò obnixè sed frustrà obsecrabat: obtestans eos hâctenus ut animos obfirmarent, dum Armeniorum Carthagine captâ infestissimi hostis opificium delevissent. Hannibalis enim Pœni consilio (ut suprà ad annum Periodi Julianæ 4526. est dictum) Artaxata fuisse condita, fama tenebat. Ubi verò nihil profecit, retrò Lucullus signa movit. (*Idem in Lucullo.*) Quem exercitûs Romani regressum ita in oratione pro lege Manilià excusare conatur Cicero. *Noster exercitus, etsi urbem ex Tigranis regno* [Tigranocertam] *ceperat, & præliis usus erat secundis; tamen nimiâ longinquitate locorum, ac desiderio suorum commovebatur. Hic jam plura non dicam. Fuit enim illud extremum, ut ex illis locis à militibus nostris reditus magis maturus, quàm processus longior quæreretur.*

Lucullus per Armeniam in Mesopotamiam regressurus, aliis jugis trajecto Tauro in regionem Mygdoniæam descendit, munificam & apricam: in quâ urbs ampla & populosa erat, Nisibis barbaris, Græcis Antiochia Mygdonica appellata. [*Id. ibid. cum Orosio lib. 6. cap. 3.*]

Eam urbem Macedones condiderant. [*Joseph. lib. 20. cap. 2.*] Parthis verò, cum reliquâ Mesopotamiâ, Tigranes jam ademerat; thesauróque in eâ suos cæteráque multa reposuerat. Duplici muro lateritio cincta erat, magnæ crassitiei; fossaque magnæ altitudinis circundabatur, ut neque concuti murus neque subrui posset. [*Dio, lib. 35.*] Præerat ei authoritate Tigranis frater Guras; arte & solertiâ machinali Callimachus, is qui Amisi plurimum negotii exhibuerat. [*Plutarch.*]

Castris prope urbem positis, omne genus oppugnationis Lucullus adhibuit. [*Id.*] Initio autem hyemis, quum barbari se victores Romanósque jamjam decessuros existimantes, negligentiùs nonnihil sese gererent: noctem Lucullus nactus, in quâ neque Luna fulgebat, & imber ingens cum tonitribus coortus erat, ut neque cernere barbari neque audire quicquam possent, atque ob id exteriorem murum fossamque in medio actam, paucis ibi relictis, deserent; ab omni parte murum aggressus est. Cúmque per aggeres in eum haud difficulter evasisset, obtruncatis nullo negotio custodibus, qui ibi pauci relicti fuerant, partem fossæ aliquam [antè enim barbari pontes dejecerant] ingestâ terrâ æquavit: quum ab hostibus neque sagittis neque igne ob vim pluviarum lædi posset. Fossâ superatâ, urbem ipsam statim cepit: neque enim erant interiora mœnia admodùm valida, quòd exteriùs obductis fidebant. [*Dio.*]

Eos qui in arcem confugerant, fide datâ acceptâque, recepit. (*Id.*) In quibus Tigranis fratrem Gutam, in potestatem ejus se dedentem, comiter habuit: Callimachum verò non audivit, quamvis grandis pecuniæ se reconditos thesauros professeretur proditurum, verùm in vinculis haberi imperavit ad pœnas pendendas; quòd inflammatâ Amisenorum urbe, gloriam sibi & benignitatis erga Græcos materiam declarandæ præciderit. [*Plutarch.*] Multâ deinde acceptâ pecuniâ, Nisibi Lucullus hyberna habuit. [*Dio.*]

Interea qui Romæ in concionibus dominabantur, per invidiam Lucullum criminabantur, imperii & pecuniæ aviditate bellum ducere: unum propemodum Ciliciam, Asiam, Bythyniam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, Armeniam, omnes denique provincias usque ad Phasim obtinere; nunc verò etiam Tigranis regias deprædatum, quasi ad exuendos reges foret, non ad debellandos missus. Id enim unum ex prætoribus dixisse aiunt L. Quintium: à quo potissimùm impulsus populus Romanus provinciæ successores mittendos Lucullo scivit, multósque milites qui sub eo meruerant dimittendos. [*Plutarch.*]

In castris verò res ejus maximè evertit P. Clodius, homo insolens, summæque dissolutionis & audaciæ: frater uxoris Luculli, cum quâ vulgatum erat lasciviissimâ muliere stupri eum consuetudinem habuisse. Hic, quum multis ob mores suos inferior primum quem cupiebat locum apud Lucullum non teneret, Fimbrianos (sive Valerianos) milites, in eum concitavit: eos nimirum quos antè Fimbria induxerat ut L. Valerium Flaccum Consulem occiderent, ac se ducem caperent. Iidem à Clodio jam seducti, Lucullum ducem nec in Tigranem nec in Mithridatem sequi volebant: sed hyemis prætextu in Gordyene tempus traducebant, alium aliquem imperatorem ad succedendum Lucullo venturum expectantes. [*Idem.*]

Dum Nisibim Lucullus obsideret, Tigranes ad eam, quam inexpugnabilem esse existimabat, defendendam se non convertit: sed, Mithridate propriam in regionem misso, ipse in Armeniam suam contendit; ubi L. Fannium resistentem sibi obsedit, tantisper dum Lucullus re cognitâ auxilio illi proficisceretur. [*Dio, lib. 35.*]

Mithridatem, in Pontum ad regni sui reliquias profectum, sequebantur propriorum quatuor millia, & totidem accepti a Tigrane. [*Appian.*] Cum quibus ille alteram Armeniam cæteráque regiones invadens, multos Romanorum in iis regionibus vagantes ex improviso adortus interfecit, nonnullos prælio victos cæcidit, & pleraque loca magnâ celeritate recepit. Benevolentiâ enim illi homines erga Mithridatem affecti erant, tum quòd suæ esset gentis, tum ob paternum ejus regnum: iidémque Romanos odio habebant, partim quòd peregrini

esset,

essent, partim quòd à præfectis eorum malè tractarentur: itaque Mithridati libenter accesserunt. [*Dio.*] Quò referendus & ille *Ciceronis* locus in Oratione Manilià. *Mithridates & suam manum jam confirmârat, & eorum qui se ex ejus regno collegerant; & magnis adventitiis multorum regum & nationum copiis juvabatur. Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regnum afflicta fortuna facilè multorum opes alliciant ad misericordiam: maximéque eorum, qui aut reges sunt, aut vivunt in regno; quòd regale iis nomen magnum & sanctum esse videatur. Itaque tantum vitii efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare.*

Mithridates M. Fabium, ducem à Lucullo iis in locis relictum, vicit: magnopere usus auxilio Thracum, qui, quum antèà sub ipso stipendia fecissent, tum cum Fabio militabant; itémque servorum qui in castris Romanorum erant. [*Id. cum Appiano.*]

Primùm Thraces à Fabio speculatum missi, quum nihil sani renuntiassent, ísque incautiùs progressus in Mithridatem inopinatò incidisset; Thraces quoque Romanos adorti sunt. Unde in fugam versus est Fabius, quingentis in eâ pugnâ occisis. Fabius deinde, liberatis servis quotquot castra sequebantur, rursùs dubio marte pugnavit: donec servis libertatem Mithridate deferente, ipsi in prælio eum adjuverunt. periissentque haud dubiè Fabiani omnes; nisi Mithridates saxo ictus in genu, & tristo sub oculo saucius, elatus celeriter fuisset è prælio. Dum barbari enim, de Regis salute soliciti, per multos dies à pugnâ cessarent; Fabio cum suis in tutum locum perfugiendi spatium concessum est. Curabant autem regem Agari, gens Scythica, remediis confectis è serpentum virulentiâ: qui propterea semper sequebantur comitatum regium. [*Id. inter se collati.*]

Fabius deinde Cabiris inclusus oppugnatúsque, à C. Triario servatus est. Is enim quum ex Asiâ ad Lucullum iter eà facicns rem gestam accepisset, coactâ ex iis qui aderant quàm maximè poterat manu, Mithridatem, totum exercitum Romanum adversùs se venire putantem, adeò terruit; ut, priùs quàm in conspectum ejus veniret, castra movere cogeret. Unde Triarius audacior factus, usque in *Comagenos* (vel *Comana* potiùs, in Cappadociâ; de quibus, in sequentibus, *Dio*) fugientem insecutus, ibi vicit. Castra habebat Mithridates ex alterâ ejus fluvii parte quâ Romani accedebant. Eos ut ex itinere fessos aggrederetur, ipse prior occurrit: reliquos inter prælium per alium pontem invadere jussit. Quum diu æquo marte certatum esset, pons abruptus, quòd multi confertim per eum transire contenderent, Mithridatem subsidiis spoliavit, perturbavitque. Ab hoc conflictu utrique [hyems enim jam erat] se in castella sua receperunt, & quieti dederunt. [*Dio, lib.* 35.]

Aulus Gabinius tribunus plebis sententiam tulit, ut ex iis qui consulatum gessissent, unus quispiam deligeretur imperator contra piratas omnes cum plenâ potestate; imperiúmque ei esset ad triennium, & ureretur copiis amplissimis ac multis legatis. incertum summissúsne in hoc ipsum à Pompeio (quem tamen non nominaverat) an studio gratiæ ab eo ineundæ adductus: utique non eo animo, quòd reipublicæ consultum vellet, vir ipse pessimus. [*Id. lib.* 36.] de quo, in oratione post reditum ad Senatum, Cicero. *Qui nisi in aram tribunatus confugisset; neque vim prætoris, neque multitudinem creditorum, neque bonorum proscriptionem effugere potuisset. quo in magistratu nisi rogationem de piratico bello tulisset; profecto & egestate & improbitate comitus piraticam ipse fecisset: ac minore quidem cum reipublicæ detrimento, quam quòd intra mœnia nefarius hostis prædoque versatus est.*

Plebiciti hujus, à Senatu etiam (quamvis invito, ut in libro 36. confirmat *Dio*) postèà comprobati, sententiam à Velleio Paterculo [*lib.* 2. *cap.* 31.] ita habemus expositam. Ut, cùm belli more, non latrociniorum, orbem classibus jam, non furtivis expeditionibus, piratæ terrerent, quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent; Cnæus Pompeius ad eos opprimendos mitteretur: esséque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum Proconsulibus, usque ad quinquagesimum miliarium à mari. Quo Senatusconsulto penè totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur: sed tamen idem hoc ante *biennium* in Marci Antonii prætura decretum erat; inquit *Velleius*. apud quem, *sexennium* pro *biennio* videtur reponendum: cùm ante triennium in bello Cretico M. Antonium interiisse constet; & *biennium* M. Antonium (in bello Cretico defunctum) in vivis esse desierit: & illam *curationem infinitam totius oræ maritimæ, quâ Romanum erat imperium*, in Luculli & Cottæ Consulatu commissam ei fuisse, *Asconius Pedianus* (in orat. de Verris prætura Siciliensi) nos docuerit. ut suprà, ad annum Mundi 3930 & 3935 est ostensum.

Lege igitur istâ Gabiniâ Pompeio ad triennium (ut habent *Appianus* & *Dio*) data est, non ναυαρχία & classis imperium, sed μοναρχία [ut apud *Plutarchum* est] & in omnes omninò homines libera potestas: tum in toto mari quod intra columnas Herculis est, tum in maritimis provinciis ad intervallum 400 à mari stadiorum; in quibus potestatem haberet imperandi regibus, præfidibus, civitatibus, ut juvarent se rebus omnibus. Ita *Appianus*: [*pag.* 235.] milliaria 50, à *Velleio* & *Plutarcho* posita, per 400 stadia explicans; cuique milliari octo tributis stadiis. *Xiphilinus* ex libro 36° *Dionis* 400 stadia, ex 35° *dierum à mari trium iter*, hìc retulit: itinere unius diei stadiis 133 $\frac{1}{3}$ milliaribus verò 16 $\frac{2}{3}$ definito.

Permisit præterea Pompeio ea lex ex Senatu deligere quindecim legatos, quibus singulas provincias demandaret. Argenti ex ærario & à publicanis quantum liberet, navésque 200 sumere: militum sociorúmque navalium, quantum visum esset conscribere. Advocatáque deinde concione, multa alia Pompeius ipse à populo obtinuit, geminavitque penè apparatum. Naves enim 500 complevit, (licèt 270 tantùm, annumeratis etiam hemioliis, *Appianus* habeat) peditum 120 millia & equitum *quinque* (vel, ut Appianus, *quatuor*) millia conscripsit: prætorios, & qui cum imperio fuerant, ex Senatu 24 (vel 25, ut habet *Appianus*) legatos delegit: quæstores additi ei duo. [*Plutarch. in Pompeio.*] Sex quoque talentorum Atticorum

millia data ei sunt. Adeò laboriosa res visa est tot navales exercitus in tanto mari & tot latebris persequi, refugientes facilè, rursùmque infestantes ex improviso. [*Appian.*]

Pompeius, quum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & Oceani ora complexus est: sicque per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit quàdam indagine inclusit. [*Florus, lib. 3. cap. 6.*] Legatis enim senatoriis mari distributo, naves, equites, pedites, & prætoria cuique dedit insignia: ita ut quisque merum imperium haberet in parte fidei suæ creditâ; & prædones ab aliis exagitatos exciperent alii, ne quis persequendo proveheretur longiùs, néve longinquis navigationibus res diu protraheretur. [*Appian.*] 4647 67

Freti Gaditani Tiberio Neroni, maris Balearici Manlio Torquato; utrique Hispaniæ cura est commissa. Gratilius Ligusticum sinum, M. Pomponius Gallicum, Pompeii juvenes (Imperatoris filii) Adriaticum mare obsederunt. Sardiniam, Corsicam, & propinquas insulas P. Attilius; Libycum Lentulus, Ægyptium mare Marcellinus tenuit. L. Gellius Tusco mari & oræ Italiæ est impositus; à Siciliæ littoribus ad Acarnaniam, Cn. Lentulus observavit. Ionium mare Plotio Varo Terentióque Varroni (togatorum doctissimo: de quo *Plinius*, lib. 3. cap. 11. & lib. 7. cap. 30. & lib. 16. cap. 4. ubi navali coronâ in hoc bello ab Pompeio donatus fuisse dicitur) servandum obtigit: L. Cinnæ Peloponnesus, Attica, Euboea, Thessalia, Macedonia, Bœotia; L. Cullio mare Ægeum universum & Hellespontus. (licèt mare Asiaticum Cœpioni *Florus* attribuat.) Lyciam & Pamphyliam, Cyprum & Phœniciam Metellus Nepos curavit; Bithyniam & Thraciam P. Piso: ipsas Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis navibus quasi portam observavit. [*Florus, lib. 3. cap. 6. & Appian. pag.* 236.] Ipse Pompeius, quasi Rex regum, circumcursabat & visebat manentem quemque in statione suâ: ne persequendo piratas priusquàm uno loco absolveret victoriam, distraheretur in alia; sed essent ubique qui succurrentes sibi mutuò, piratas vagando elabi non sinerent. [*Appian. ibid.*]

Ita dispersis quoquoversùm copiis, à mari infero incipiens Pompeius, & incidentes catervatim circumveniens piraticas naves, consestim everriculavit eas atque in portus detraxit. Qui verò maturaverant distrahere se & evadere, hi in Ciliciam sicut alvearium undique delati abdiderunt se. [*Plutarch. in Pompeio.*] Cúmque mare Tuscum, Africum, Sardoum, Corsicum, Siculum, intra dies 40. impigro suo labore & studio enixo legatorum Pompeius expurgasset; Romam veniens, quæ desiderabat peregit. [*Id. ibid. cum Livio, lib. 99. & Appiano, pag.* 236.]

Brundusio solvens Pompeius, in originem fontémque belli Ciliciam cum navibus 60 præstantissimis contendit. Nec hostes detrectavere certamen; non ex fiduciâ, sed quia oppressi erant, usi videbantur: sed nihil tamen ampliùs, quàm ut ad primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfusa undique rostra viderunt, abjectis statim telis remisque, plausu undique pari, quod supplicantium signum fuit, vitam petiverunt. [*Florus, lib. 3. cap. 6. cum Plutarcho & Appiano.*] Ut à Brundusio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxisse, affirmat in Manilianâ *Cicero*. Quod de totâ Cilicia tam subitò receptâ, ut oratoriè in laudem Pompeii dictum, est accipiendum. [*Vid. ann. Per. Julian.* 4651.]

Postquàm Mithridatem nuntiatum est, fuso Fabio, in Sornatium & Triarium pergere, Fimbriani (sive Valeriani) milites, verecundiâ moti, Lucullum ad suppetias illis ferendas sequebantur. [*Plutarch. in Lucullo.*] Mithridates interim (Manio Acilio Glabrione & C. Pisone Consulib.) ad Gazitursa Triario oppositis castris, provocare hominem ad prælium atque irritare intendit, cùm aliis rebus, tum in conspectu Romanorum milites suos in armis exercendo: ut cum eo congressus ante Luculli adventum, superiórque (quod sperabat) factus, reliquam etiam regni partem recuperaret. Quum Triarium non eliceret, suorum aliquos ad Dadasa castellum misit, in quo Romanorum impedimenta erant deposita: ut Romanos ei opitulaturos in manus suas perduceret. Neque id eum fefellit. Quum enim eatenus Triarius Mithridatis multitudinem reformidans, Lucullúmque quem accersierat operiens, se continuisset; postquàm Dadasa oppugnari accepit, militésque rebus suis metuentes, tumultuantes, minari sunt se injussu ejus, nisi ipsos educeret, ad defendendum ituros, invitus castris excessit. [*Dio, lib.* 35.]

Quum progressus esset Triarius in aciem contra Mithridatem, procella, qualis nulla antè in omni hominum memoriâ, exorta est; quæ in utrisque castris disjecit tentoria, jumenta transversum egit per devia, præcipitavit etiam nonnullos milites. Et tunc quidem utrique retrocesserunt. Cùm autem nuntiaretur adventus Luculli, Triarius quasi paratam jam cupiens illi præripere victoriam, ante lucem invasit stationes Mithridatis. Cúmque diu pari virtute certassent, tandem Rex in suo cornu connixus incepit victoriam; & distractis hostibus peditatum eorum in fossam quandam cœnosam compulit, ubi cædebantur impunè sidente vestigio. Usus deinde victoriâ, persequebatur animosè per campos equites: donec quidam Romanus centurio, qui specie famuli equitantem cursu æquabat, in femur eum percussit graviter, quòd tergum ejus non speraret se posse per thoracem perfodere. Et hunc quidem statim in frusta conciderunt proximi: Mithridates verò in extremam aciem elatus est. [*Appian. cum Plutarcho & Dione.*]

Amici regii suis egregiè vincentibus signum properè dederunt receptui. Id, ut inopinatum, trepidationem injecit pugnantibus, veritis ne fortè aliunde aliquid mali acciderit: donec re cognitâ statim ibi in campo tumultuariè circumsteterunt corpus regium. Tandem Timotheus medicus, cohibito sanguine, sublimem eis ostendit: Romanis interim multis fugâ elapsis, qui nisi hic casus accidisset occidione deleti omnes fuissent. Mithridates, postquàm recollegit animum, statim reprehendit eos qui signum receptui dederant, & eâ ipsâ die Romanis castris

admovit

admovit exercitum: quæ jam deserta erant pavore militum. Militum Romanorum supra septem millia ibi cæsa fuisse dicuntur: in quibus centuriones 150 & tribuni 24. quantus præfectorum numerus haud temerè in ullâ Romanorum clade desideratus est. [*Ibid.*] Ad Scotium verò monrem pugnam hanc factam fuisse, *Appianus* docet. [*pag.* 254.] *qua propter victoriam Mithridatis, & infelicitatem Triarii, detrimentum exercitus* Romani, *magnam in illis partibus habet nobilitatem:* ut ex *Hirtio* intelligere licet, in commentario de bello Alexandrino; ubi non multo longiùs millibus passuum tribus à Zelâ Ponti oppido eum abesse indicat.

Hæc clades illa est quam *Cicero*, in Oratione pro lege Manilià post semestre ferè habitâ, sub præteritionis specie ita commemorat. *In exercitum vestrum, clarum atque victorem*, Mithridates *impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, (sicut poëta solent, qui res Romanas scribunt) præterire me nostram calamitatem: quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex prælio nuntius sed ex sermone rumor afferret.* Et pòst. *Acceptâ in Ponto calamitate, ex eo prælio de quo vos paulò antè invitus admonui, cùm socii perrimuissent, hostium opes animique crevissent, cùm satis firmum præsidium provincia non haberet; amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad id ipsum temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Hujus adventus & Mithridatem insolitâ inflatum victoriâ continuit, & Tigranem magnis copiis minitantem Asiæ retardavit.*

Mithridates, curato vulneri, suspicatus alios quoque in suo exercitu hostes esse, militum delectum quasi alius rei causâ instituit: jussitque singulis confestim in sua tabernacula se recipere, Romanos solos deprehensos occidit. [*Dio, lib.* 35.]

Inde in Armeniam, quam Romani minorem vocant, se recepit: commeatus qui deportari poterant secum auferens, cæteros verò corrumpens, ne Lucullo venienti essent usui. Quo tempore Attilius, Romanus senator, qui judicii metu dudum profugus ad Mithridatem in amicitiam ejus receptus fuerat, deprehensus est regi struere insidias. Quem ille pro dignitatis pristinæ reverentiâ torqueri vetitum, simplici morte necavit: sed conscios excruciavit graviter. Liberti verò cum quibus Attilius consilium communicaverat illæsi dimissi sunt, ut patroni sui ministri. [*Appian.*]

Adveniens Lucullus Triarium, quem infensi milites requirebant, clàm eripuit. [*Plutarch. in Lucullo.*] sed qui sub eo ceciderunt militum cadavera reliquit inhumata; quod suorum militum animos imprimis ab eo putatur abalienâsse. [*Id. in Pompeio.*]

Ad Talaura loco edito Mithridates considens, & adventantem cum ingenti manu Tigranem expectans, priusquàm conjungerentur ambo, pugnam detrectabat. Et Medus Mithridates, alter Tigranis gener, Romanos palantes repentè adortus, magnâ clade affecit. [*Plutarch. Appian. Dio.*]

Quintus Marcius Rex, superioris anni Consul, in Ciliciam (quæ prima Luculli provincia fuerat) Proconsul missus est. Qui eò per Lycaoniam cum tribus legionibus tendens, Lucullo petenti auxilium non tulit, cautatus milites se nolle sequi. [*Sallust. Histor. lib.* 5. *apud Priscianum, lib.* 18. *& Dio, lib.* 35.]

In Ciliciam Marcius quum venisset, Menemachum qui à Tigrane defecerat in suam fidem accepit: & P. Clodium (cujus sororem quandam, ut aliam Lucullus, sic ipse conjugem habebat) qui metu perpetratorum apud Nisibim à Lucullo desciverat, rei navali præfecit. [*Dio, lib.* 35.]

Cùm Clodius in Cilicas piratas incidisset, & ab iis captus redimendi sui pretium poscceretur; ad Ptolemæum Cypri regem ille misit petitum, ut misso redemptionis pretio ipsum liberaret. Sed cùm ille, præ parcimoniâ, duo tantùm talenta dedisset, piratæ pretium aspernati, simul & Pompeium reformidantes, gratis potiùs dimittere Clodium maluerunt. [*Strabo, lib.* 14. *pag.* 684. *Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 441. *Dio, lib.* 35. *&* 38.]

Lege Gabiniâ, præsentis anni Consul Manius Acilius Glabrio in Bithyniæ & Ponti provinciâ successor Lucullo datus est, & legionibus Valerianis (sive Fimbrianis, quæ militiâ liberatæ priùs, iterùm stipendia faciebant) militiæ missio facta est. Quod cùm illæ comperissent, victoriâ quietéque & rerum copiâ luxuriantes, adhæc absente Lucullo (quippe is plerumque peregrè ibat) degentes, tumultuatæ sunt; Lucullum quasi privatum jam contemptui habentes. [*Sallust. Historiar. lib.* 5. *apud Priscian. lib.* 18. *& Dio, lib.* 35.]

Hujus tumultus P. Clodium præcipuum authorem facit *Dio.* [*Ibid.*] Eúmque dimissum à piratis, *exercitu L. Luculli sollicitato per nefandum scelus, fugisse illinc*, in oratione de Aruspicum responsis, affirmat *Cicero.* Antiochiam verò Syriæ se contulisse scribit *Dio*; ut Antiochenos cum Arabiis disceptantes auxilio juvaret: ibique, quum simili modo nonnullos ad seditionem concitaret, parum abfuisse quin periret. [*Dio, lib.* 35.]

Lucullus inops consilii, nec temerè se movere loco, nec ibi hærere ausus, statuit obviam procedere Tigrani; si fortè illum inopinantem simul ac itinere fatigatum fundens, aliquo modo seditiones militum componeret. Quorum neutrum ipsi successit. Milites enim, aliquandiu eum secuti, quum in Cappadociam iter flectendum esset, omnes unanimiter, ne verbo quidem ullo facto, sese converterunt. Valeriani autem, qui & Fimbriani, quum Romæ exauthoratos se esse accepissent & aliis decretas esse Luculli provincias, omninò à signis dilapsi sunt. Nullam non hic indignitatem subiit Lucullus, singulos orando & tentoria obeundo, demissus & lachrymis oppletus: nonnullorum etiam prehendens manus. Illi verò prensationes repellere, inanes zonas objicere, jactaréque, solus dimicaret cum hostibus ex quibus discessere nollet solus. [*Plutarch. & Dio.*]

Ita Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem summámque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, qui sequi nolebant: cùm legiones Valerianæ, impleta à se stipendia

dicentes, Lucullum relinquerent. [*Liv. lib.* 98.] Tandem tamen cæterorum quoque militum precibus Valeriani sive Fimbriani isti expugnati, receperunt se illam ætatem ad signa mansuros: quòd si nemo interea ad pugnandum secum descenderet, discessuros. His oportebat acquiescere Lucullum, aut desertam præsidio relinquere barbaris provinciam. Continuit ergo illos non jam imperio, neque eos in aciem eduxit; verùm satis huic erat, modò manerent: patiebatúrque vastari à Tigrane Cappadociam, & insolescere de integro Mithridatem. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Scripserat verò jam antè ad Senatum Lucullus, confectum à se fuisse bellum Mithridaticum: advenerúntque ad res Ponti componendas, sicut pacatas, legati. [*Id. ibid. Dio, lib.* 36.] Qui ubi jam adfuerunt, offenderunt ne ipsum quidem sui juris esse, verùm à militibus haberi ludibrio & sugillari. Hi verò eò in imperatorem progressi insolentiæ sunt, ut exactâ æstate sumpserint arma, gladiisque districtis provocarent nusquam apparentes, qui jam receperant se hostes, jubilantésque & brachia jactantes inaniter, excederent castris, testati completum tempus quo Lucullo commoraturos se promiserant. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Adveniens deinde in demandatam sibi provinciam Acilius Glabrio Consul, dimissis circa populos præconibus pronuntiavit, Lucullum incusari à Senatu quòd bellum diutiùs justo protraheret: proinde Senatum missum facere ejus exercitum, publicaturum bona eorum qui voluntari suæ non paruerint. Quibus ad exercitum perlatis, mox diffluebant milites: exceptis paucis, qui admodùm pauperes, ideoque mulctam non timentes, maluerunt apud Lucullum permanere. [*Appian.*] Sicque prope totum regnum suum Mithridates recepit, & Cappadociæ multum detrimenti intulit: neque Lucullo obstante, neque ipso Acilio defendente. Is enim quum priùs festinâsset, ut victoriam Lucullo præriperet; ubi tùm quæ acta essent rescivit, ne ad exercitum quidem venit, sed in Bithyniâ tempus traxit. [*Dio, lib.* 35.]

Addatur his & *Ciceronis* ille locus, ex Oratione Manilià ad Quirites, in Luculli gratiam ista omnia ita emollientis. *L. Lucullus, qui aliquâ ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu coactus, quòd imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putavisset, partem militum, qui jam stipendiis confectis erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit.* Sic igitur dimisso Lucullo, ad bellum piraticum sive maritimum (ut *Sallustius & Cicero* illud nominant) à Pompeio gestum & hâc eadem æstate confectum, redeamus.

Maxima & prævalentissima prædonum pars proles suas, opes, & inutilem turbam in arcibus & opidulis munitis ad montem Taurum sepositerant. Ipsi navibus completis ad Coracesion Ciliciæ instantem excepere Pompeium; atque acie fusi, mox obsessi sunt. Postremò missis caduceatoribus se, opidáque & insulas, quæ septa præsidiis tenebant expugnatu aspera atque inaccessa, in deditionem ejus permisere. [*Plutarch. in Pompeio.*]

In Ciliciam quidem cum machinarum magno numero Pompeius venerat, existimans eorum arces in rupibus sitas oppugnandas modis omnibus. Sed nihil his opus habuit, sola enim celebritas nominis & amplitudo apparatûs ita prædones perterruerat, ut sperantes clementiorem victorem si abstinerent à certamine, primùm hi qui Cragum & Anticragum tenebant castella maxima, deinde montani Cilices alii post alios se ejus fidei permiserint: simúlque multum armorum vel jam perfectorum vel in fabricis inchoatorum tradiderint, præterea naves alias semiperfectas in navalibus, alias navigantes, æs ferrúmque in tales usus comportatum, lintea, funes, variámque materiam; captivorum multitudinem vinctorum, ut vel se redimerent, vel ut operarentur in ergastulis. Pompeius materiam incendit, naves abduxit, captivos domum dimisit: quorum multi invenerunt ibi cenotaphia sibi posita, quippe desiderati jampridem. [*Appian. in Mithridatic.*] Ita debellatum est, & prædonum manus undique mari non majore quàm *trium* mensium spatio exacta. [*Plutarch. ut supr.*] vel *duorum* etiam; si *Lucanum* audimus, ita in 2° libro canentem:

Antè bis exactum quàm Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Anguiláque domum terrarum in sede pepescit.

Scaphas ampliùs 1300 Pompeius combussit, & prædonum diruit receptacula. [*Strabo, lib.* 14. *pag.* 665.] Naves expugnatæ sunt 72. deditæ 306. ut *Appianus* refert. Naves captas 800 *Plutarchus* numerat; & in his, rostratas 90. Naves verò 846 aut depressas aut captas fuisse, confirmat *Plinius.* [*lib.* 7. *cap.* 25. *&* 26.] Opida, castella, cæteráque horum receptacula, 120. Prædonum, qui repugnare conabantur, cæsa sunt circiter decem millia. [*Appian.*]

Prædonum qui superfuerant plus 20 millia neque interficere Pompeius statuit, neque ut dissiparentur, aut coirent de integro inopes & bellatores multi, sinere existimavit securum. [*Plutarch.*] Itaque ne denuò paupertas eos ad flagitia impelleret, remoto à mari loco in certâ sede eos constituens, agros eis, quos desertos videbat, colendos, urbésque inquilinis indigentes habitandas concessit; datáque facultate sine rapto vivendi, rapinis arcuit. [*Liv. lib.* 99. *Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 32. *Florus, lib.* 3. *cap.* 6. *Dio, lib.* 36.] Maltum igitur, Adana, Epiphaniam, & si quod aliud infrequens opidum in asperâ Ciliciâ, habitare eos jussit. [*Appian.*] Maritimam quoque Ciliciæ urbem, Solos priùs, Pompeiopolim posteà dictam, nuper à Tigrane Armeniorum rege vastatam instaurans, complures ibi collocavit: multósque Didymenam, incolis tunc egentem, transtulit. (*Strabo, lib.* 14. *Plutarch. in Pomp. Dio, lib.* 36.)

Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latéque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extremâ hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, mediâ æstate confecit: ut in Oratione Manilianâ peroravit *Cicero*; quum anteà de eodem dixisset. *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè divisum atque dispersum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici*

potuisse?

poſſe? In quo etiam, præter *velocitatem* victoriæ, & *felicitatem* miratur *Florus*, quòd ne una quidem navis amiſſa eſt; & *perpetuitatem*, quòd ampliùs piratæ non fuerunt; quod ſingulari conſilio ducis proſpectum fuiſſe ille ait, qui maritimum genus à conſpectu longè removit maris, & mediterraneis agris quaſi obligavit. Neque de *velocitate* tamen audiendus eſt, dum quod de mari infero tantùm eſt proditum (quod & ipſum ſatis in ſe quod miremur habet) ad univerſam ille trahit victoriam, ac ſi *quadrageſimo die parta* ea fuiſſet: quum id apertè refellat *Cicero*; ut de *Dione* nihil dicam qui ſpatio unius anni à Pompeio majori ex parte maria fuiſſe pacata, illis verbis ſignificat. τὰ πλεῖω αὐτοῦτος ἡμέρως.

In Cretâ, (quam poſt Ciliciam alterum piratarum fuiſſe fontem *Plutarchus* hîc affirmat) adeò ſævè in captivos conſulebatur, ut veneno ſe plerique conficerent: alii deditionem ſuam ad Pompeium abſentem mitterent. [*Florus*, *lib.* 3. *cap.* 7.] Erat ille tum in Pamphyliâ: quò venientes ad illum legati; ei ſe omnes Cretenſium civitates dedere velle dixerunt. Ille ſpem deditionis non ademit, obſideſque imperavit. [*Cicero*, *pro lege Manilià.*] Metello interim per litteras bello interdixit; & ne dicto illi eſſent audientes, civitatibus ſcripſit. [*Plutarch. in Pompeio.*] Quin & ex inſulâ excedere eum juſſit: ſe enim eam, ut partem provinciæ ſibi demandatæ, ſuſcepturum. [*Appian. legat.* 30.] Unum quoque ex legatis ſuis L. Octavium eò miſit, ſed ſine exercitu; utpote qui non bellum eſſet obiturus, ſed urbes in fidem populi Romani accepturus. Qui cum obſeſſis includens ſe muris, atque unà cum his dimicans, non modò odioſum & invidioſum, verùm ridiculum quoque Pompeium reddidit. [*Plutarch. ut ſupr. Dio*, *lib.* 36.]

Metellus, contempto Pompeii in alienâ provinciâ imperio, in inſtituto bello perrexit: eóque infeſtior, in hoſtes jus victoris exercuit; & antequàm Pompeius adveniret, damnum eis dare properavit. [*Florus*, *Plutarch. Dio.*] Litteris quoque Romam miſſis, gloriam rerum à ſe geſtarum querebatur à Pompeio ſublatam præteriri; qui in Cretam miſerit legatum ſuum ad accipiendas urbium deditiones. Quibus reſpondens Pompeius, rationem reddidit, hoc ſe facere debuiſſe. [*Liv. lib.* 99.]

Cornelius Siſenna Græciæ eâ tempeſtate præfectus, in Cretam cum exercitu veniens, Metellum ut populis parceret monuit: quem ubi ab inſtituto deducere non potuit, nihil quicquam ad eum coërcendum egit. [*Dio*, *lib.* 36.]

Ariſtion Cydoniâ excedens, devicto Lucio Baſſo obviam ei provecto, Hierapydna occupavit; urbémque eam adversùs Romanos tutatus eſt. [*Id. ibid.*]

Metellus, multis afflictis, Eleutheram urbem per proditionem accepit: quum proditores turrim lateritiam magnæ molis expugnatúque longè omnium difficillimam, aliquot noctibus continenter ita aceto madefeciſſent ut perfringi poſſet. Deinde, Eleutheræ ſtipendio imperato, Lappam vi cepit: nihil moratus Octavium, qui eam tum temporis tenebat. Et ab Octavio quidem vim omnem abſtinuit: Cilices autem, quos is ſecum habebat, interemit. [*Id. Ibid.*] Octaviúmque multis contumeliis & probris in caſtris affectum dimiſit. [*Plutarch.*]

Octavius, hæc indignè ferens, non jam ut antè quietem egit: ſed primùm accepto exercitu Siſennæ, qui tum morbo vitam finierat, oppreſſis opitulatus eſt, iſſque reſtitutis, Hierapydna ad Ariſtionem ſe contulit; ibíque communi conſilio bellum geſſerunt. Cúmque aliquandiu perſeveraſſent, poſtquàm adverſum ſe ire Metellum perceperunt, caſtello relicto, vela in altum dederunt. Ibi tum tempeſtate vexati, & in terram multis ſuorum amiſſis ejecti ſunt. [*Dio*, *lib.* 36.]

Marcus Cotta, quum quæſtorem ſuum P. Oppium, quem peculatûs & inſidiarum ſuſpectum habebat, repudiaſſet, ipſe autem magnam vim pecuniæ ex Bithyniâ corraſiſſet, à C. Carbone accuſatus eſt. iſque Carbo, etſi præter tribunatum plebis honorem alium nullum geſſerat, ob id conſularibus honoribus exornatus eſt. [*Id. ibid.*] Vid. ſupr. ſub finem anni Mundi 3935.

3938 Sinatruci (quem Appianus *Sintricum*, Dio communi Parthicorum regum appellatione *Arſacem* nominat) defuncto ſucceſſit filius ejus Phraates illius nominis ſecundus Parthorum rex, cognomento impio *Deus* appellatus. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 242. *& Dio*, *lib.* 36. *collat. cum Phlegonte*, *in Bibliothecâ Photii*, *cod.* 97.] Vid. eund. ann. Mundi 3935.

Hyrcanum, poſt exceſſum Alexandræ matris elapſis tribus menſibus, ab Ariſtobulo juniore fratre pulſum fuiſſe regno, apud *Joſephum* legimus. [*lib.* 15. *cap.* 9.] Sed cùm ab Hyrcano regnare incipiente, Q. Hortenſio & Q. Metello Cretico Conſulib. uſque ad Ariſtobulum regnare deſinentem captis à Pompeio Hieroſolymis C. Antonio & M. Tullio Cicerone Conſulib. ſex annos effluxiſſe conſtet, & ex eis non plures quàm tres annos totidémque menſes Ariſtobulo *Joſephus* ipſe tribuat; Hyrcani regno tres, non *menſes*, ſed *annos* tribuendos eſſe apparet: ex quibus nos, ad temporum exæquationem, duos tantùm menſes detrahendos eſſe cenſemus.

Hoc igitur tempore, commiſſo ad Jerichuntem prælio, multi ex Hyrcani militibus ad fratrem Ariſtobulum transfugerunt. Quo facto, Hyrcanus in arcem confugit; in quam cuſtodiendi filii & uxor Ariſtobuli à matre Alexandrâ depoſiti fuerant. Reliqui etiam ejus factionis homines cùm victoris metu intra ſeptum Templi ſe recepiſſent, brevi deditionem fecerunt. Cœptum eſt deinde agi inter fratres de pacis conditionibus: in quibus obtinuit Ariſtobulus ut regnaret, & fratrem ſineret in otio frui quæ illi obvenerant facultatibus, & privatam vitam agere. Hoc fœdus in ipſo templo, datâ acceptáque fide, junctiſque dexteris ſancitum eſt: & poſt mutuos complexus in conſpectu populi factos, digreſſi fratres ſunt; alter in regiam, alter privatus in ædes Ariſtobuli. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 1.] Sicque Ariſtobulus regnum ſimul uſurpavit & ſummum ſacerdotium, annis tribus, & menſibus totidem; ut dictum eſt. (*Id. lib.* 20. *cap.* 8.)

Quum ipſis Kalendis Januariis quibus Lucius Tullus & Æmilius Lepidus Conſulatum inierunt, (quæ, ut annus tum apud Romanos agebatur, in Octobrem Julianum incidebant) legem

3938 ſub præcedentis diei veſperam à C. Manilio tribuno plebis latam, quæ libertis ſuffragiorum jus idem cum patronis tribuebat, Senatus abrogaſſet; metuens ſibi Manilius, ſemper venalis & alienæ miniſter potentiæ, ut abſentis Pompeii gratiam aucuparetur, legem promulgavit aliam: ut belli contra Mithridatem, & Tigranem adminiſtrationem, unà cum legionibus & provinciis quas Lucullus habebat, Ciliciâ quoque quam Marcius Rex & Bithyniâ quam Acilius Glabrio obtinebat, Pompeius acciperet: retineréque claſſem & imperium maritimum, ut ab initio acceperat. [*Dio, lib. 36. cum Livio, lib. 100. Velleio Paterc. lib. 2. cap. 33. Aſconio Pediano in Orat. Cornelianam & Plutarcho in Pompeio.*]

Indignatione maximâ nobilitatis legem iſtam fuiſſe latam, notavit *Livius*. Senatui enim & optimatibus affici Lucullum injuriâ apparebat; cui non belli ſed triumphi mitteretur ſucceſſor, nec bellis gerendis ſed rerum geſtarum præmiis cedere, eáque permittere aliis cogeretur. [*Plutarch. in Lucullo.*] Diſpliebat quoque, quòd Marcius & Acilius, antequàm magiſtratûs ſui tempus exiret, eo ſe abdicare juberentur. [*Dio, lib. 36.*] Sed maximè Pompeii ſuſpecta erat potentia; cui uni hâc ratione totum Romanum Imperium ſubjectum videretur. Quas enim videbatur provincias priore lege Gabiniâ non obtinere, Phrygiam, Lycaoniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, ſuperiorem Colchidem, Armeniam, lege hâc Manilià ille accipiebat. [*Plutarch. in Pompeio.*] prorogatâ illi eâdem poteſtate belli paciſque, & arbitratu proprio vel hoſtes judicandi, vel aſciſcendi ſocios, ut quemque dignum exiſtimaverit. Sed & in omnes exercitus, quotquot eſſent extra Italiam, eidem imperium datum eſt. Quæ omnia ſimul nunquam cuiquam ante hunc populus Romanus contulerat. [*Appian. pag. 238.*]

Hâc occaſione habita eſt à Cicerone, tum Prætore, *Oratio pro lege Manilià*: anno 23°. poſt immanem illam omnium civium Romanorum in Aſiâ cædem, Mithridatis juſſu, ano die patratam. Sic enim ibi, de eo ille. *Ab illo tempore, annum jam tertium & viceſimum regnat: & ita regnat, ut ſe non Ponto neque Cappadocia latebris occultare velit, ſed emergere è patrio regno atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſiæ luce verſari.*

Pompeius, qui adhuc in Ciliciâ belli piratici reliquias perſequebatur, vel eo confecto (ut in vitâ illius habet *Plutarchus*) vacuas negotiis urbes viſebat, ubi per litteras quæ Romæ acta eſſent accepit, dicitur amicis adſtantibus & congratulantibus frontem contraxiſſe, ac femur percuſſiſſe, quaſi moleſtè jam ferens & pertæſus imperii ſuſcipiendi; cujus tamen omnes ſciebant illum fuiſſe cupientiſſimum. [*Plutarch. in Pompeio. Dio, lib. 36.*] Cúmque ſe priùs velut in Cretam & ad Metellum navigaturus paraviſſet; nullâ deinceps Cretæ, vel aliorum maritimorum negotiorum, ſi qua reſtabant nondum confecta, ratione habitâ, in barbarico bello adornando totus erat. [*Dio, ibid.*] Et propoſitis ubique edictis, milites revocavit ad ſe; dynaſtaſque & reges pacatos evocavit. [*Plutarch. ibid.*]

Tigranes junior, Mithridatis ex filiâ nepos, à Tigrane patre deficiens, bello ab eo victus eſt. Indéque primores ſibi adjungens patris imperio offenſos, ad Phraatem regem Parthorum confugit. [*Liv. lib. 100. Appian. pag. 242. Dio, lib. 36.*]

Pompeius ad gerendum bellum adversùs Mithridatem profecturus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit: [*Liv.*] fœdere conditionibus priſtinis (Syllæ & Lucullo oblatis) imito. de quo Pompeius, apud *Lucanum*, libro octavo.

——ſi fœdera nobis
Priſca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
Per veſtros aſtricta magos.

Pro cujus cum Pompeio initi fœderis ratione Phraates, Armeniam Tigrani ſubditam unà cum juniore Tigrane invaſit. Pervenientes igitur uſque ad urbem Artaxata, obviis omnibus ſubactis, eam obſederunt: Tigrane ſene, eorum metu, in montes ſeſe ſubducente. [*Dio.*]

Ad tentandum Mithridatis animum, Metrophanem, qui amicas ei conditiones offerret, Pompeius miſit. Mithridates Pompeium parvi admodùm eo tempore pendebat, quòd Phraatem regnum Parthorum recens adeptum adjunctûrum ſibi ſperabat. Quem ubi celeriter à Pompeio præoccupatum ad invadendum Tigranis Armeniam impelli percepiſſet; animo collapſus, legatos extemplò ad Pompeium miſit, qui de conditionibus pacis agerent. Pompeius, ut arma deponeret, & transfugas traderet, jubebat. [*Dio.*] 4648 66

Ubi id primùm in caſtris Mithridatis eſt auditum, transfugæ, quorum magnus erat numerus, ne traderentur veriti, atque barbari, ne deſtituti auxilio horum bellare cogerentur, tumultuabantur: & admiſiſſent aliquid in Mithridatem, niſi legatos à ſe miſſos ille prætendiſſet, non pacis petendæ causâ, ſed ut Romanorum apparatum ſpecularentur. [*Idem.*] Juravit igitur ſe nunquam cum Romanis pacem habiturum, propter ipſorum avaritiam; nec traditurum eis quenquam, nec facturum quicquam niſi in communem utilitatem omnium. (*Appian.*)

Quum jam in Galatiam Pompeius veniſſet, ei Lucullus obviam factus eſt. (*Dio.*) ad Danala caſtellum. (*Strabo, lib. 12. pag. 567.*) Erat Lucullus conſulatûs ordine & ætate prior, ſed Pompeii ex pluribus imperiis & gemino triumpho dignitas major. Faſces laureati, victoriarum causâ, utrique præferebantur. Quia verò venerat Pompeius longâ viâ per loca arida & ſqualida, torridas laureas faſcibus ejus circumjectas quum conſiderarent Luculli lictores, benignè illius lictoribus largiti ſunt ex ſuis recentibus & virentibus. Eam rem amici Pompeii in faustum omen vertêre; Luculli victoriarum præmia & ornamenta Pompeium ablaturum. (*Plutarch. in Lucullo, & Pompeio.*)

Lucullus debellatum omninò eſſe affirmabat, neque expeditione quicquam opus eſſe militari: hâc eâdem de causâ etiam viros, à Senatu ad res componendas ablegatos, jam adeſſe. Pompeio verò quum ut retrocederet non perſuaderet, ad eum criminandum ſe convertit. (*Dio, lib. 36.*) ortíſque inter imperatores jurgiis, cùm Pompeius Lucullo avaritiam, Lucullus

Pompeio

Pompeio interminatam cupiditatem objiceret imperii; neuter ab eo, quod arguebatur; mentitus argui poterat. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 33. *Plutarch. in Pompeio.*]

Hinc Lucullus in Galatiâ divilit pro arbitrio captum de hoſte agrum, & dona alia dedit. Indéque acerbè à Pompeio eſt reprehenſus; quòd hoſte vivo provinciàs componeret, præmiàque & honores dilargiretur quæ facere patrato & confecto bello victores ſolerent, Pompeius verò paulò longiùs caſtris poſitis, interdixit nequis ei parèret; neque cuiquam permiſit eum adire, vel rata eſſe acta ejus, vel quæ ex conſilio decem legatorum diſpensabat, verùm prohibuit ea per edicta: erátque ob majorem exercitum, quem habebat, formidabilis. Milites quoque ab eo Pompeius abſtraxit omnes, 1600 ſolùm ad triumphum illi relictis; quos ob contumaciam ſibi inutiles & Lucullo ducebat infenſos. [*Plutarch. in Pompeio, & Lucullo.*] Valerianas verò (ſive Fimbrianas) legiones ſibi adſcivit: quibus, utut in Lucullum contumacibus, citra omnem ſeditionem ipſe uſus eſt. [*Dio, lib.* 35. *&* 36.]

Inde Romam rediit Lucullus; *è Pontica prædâ* librorum copiam ſecum adveheńs, [*Iſidor. Origin. lib.* 6. *cap.* 3.] quibus Bibliothecam ſuam ille inſtruxit; quæ omnibus, Græcis præſertim, ſemper patebat. [*Plutarch. in Lucullo.*] Idémque ceraſos primùm è Ponto vexit in Italiam. [*Plin. lib.* 15. *cap.* 25.] Eum verò omni genere injuriæ à Pompeio affectum Senatus honorificè excepit. [*Plutarch. in Pompeio.*]

Metellus, domitis Cretenſibus, liberæ in id tempus inſulæ leges tulit, [*Liv. lib.* 100.] & longiſſimæ libertatis fine mulctavit. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 38.] Eam inſulam per *biennium* Metellum evertiſſe, diuturnóque bello domitam in poteſtatem redegiſſe, legéſque Minois Romanis legibus permutaviſſe; ſcribit *Oroſius.* [*lib.* 6. *cap.* 4.] Ingentibus prælìis intra *triennium* omnem provinciam cum cepiſſe, in libro ſexto refert *Eutropius*: Velleio quoque Paterculo aſtipulante; cujus in *lib.* 2. *cap.* 34. hâc de re verba ſunt iſta: *Per id tempus à Quinto Metello Creta inſula in populi Romani poteſtatem redacta eſt, quæ, ducibus Panare & Laſthene, viginti quatuor millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborúmque patientiſſimis, ſagittarum uſu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fuigaverat.* Quod bellum Cretenſe L. Flaccus ex magnâ parte geſſit, atque unà cum ſummo imperatore ſuſtinuit. [*Cicero, pro Flacco.*] Octavam militum centuriam, principem dictam, C. Naſennius municeps Sueſſanus duxit. [*Id. ad Brutum, epiſt.* 8.] Q. Metelli miles fuit Cn. Plancius, legato C. Sacerdoti & L. Flacco probatiſſimus. [*Id. pro Plancio.*]

Eo modo Cretenſibus qui ante id tempus in perpetuâ libertate vixerant, neque unquam alienigenæ domino paruerant, ſervitutis jugum impoſitum eſt: cognomentúmque Metellus ab eis ſumpſit *Creticus.* [*Dio, lib.* 36.]

Antipas, qui & Antipater, (Antipæ ducis Idumææ filius, & Herodis regis Judææ pater) vir pecunioſus, naturâ factioſus & induſtrius, ſtudens Hyrcani partibus, cùm ſuſpectam haberet Ariſtobuli potentiam, & timeret eum propter mutuam ſimultatem; clancularìis obtrectationibus effecit, ut contra illum potentiores Judæorum conſpirarent: iniquum eſſe dictitans ſinere Ariſtobulum incubare uſurpato per injuriam imperio, ex quo ejeciſſet fratrem natu majorem, eúmque ætatis prærogativâ ſpoliaſſet. Eiſdem verbis etiam Hyrcanum obtundebat aſſiduè; addens ne vitam quidem illi eſſe in tuto, niſi maturâ fugâ ſaluti ſuæ proſpiceret: amicos enim Ariſtobuli nunquam non conſulturos, quomodo eo ſublato de medio dominationem alteri conſtabiliant. His ſermonibus Hyrcanus nolebat credere, quòd eſſet naturâ bonus, & calumnias non libenter admitteret: quæ quidem animi lenitas & quietis amor paravit ei opinionem ignaviæ. Antipater nihilominùs quotidie non deſtitit novas de fratre criminationes fingere, quaſi inſidiaretur vitæ illius. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 2.]

Phraates, quum Artaxatorum obſidionem diuturnam ſore cenſeret, filio Tigranis partem copiarum relinquens, domum ſe recepit. (*Dio, lib.* 36.)

C. Julio Cæſari Quæſtori ulterior Hiſpania obvenit: ubi cùm mandatu Prætoris jure dicundo conventus circumiret, Gadeſque veniſſet, animadverſâ apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit; & quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quòd nihil dùm à ſe memorabile actum eſſet in ætate quâ jam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet, (annorum verò 34 tùm erat Cæſar) miſſionem continuò efflagitavit, ad captandas quamprimùm majorum rerum occaſiones in Urbe. Decedens ergo ante tempus, colonias Latinas de petendâ civitate agitantes adiit: & ad audendum aliquid concitaſſet, niſi Conſules conſcriptas in Ciliciam legiones paliſper ob id ipſum retinuiſſent. (*Sueton. in Julio Cæſare, cap.* 7. *&* 8.)

Pompeius totius claſſis ſtationibus quod inter Phœniciam & Boſphorum eſt mare amplexus, movit in Mithridatem; habentem tum è propriâ ditione lectiſſimum exercitum, 30 millium peditum in phalangem ordinatorum, equitum verò duo (ut apud *Plutarchum*) vel tria (ut apud *Appianum* eſt) millia, ad regni ſui præſidium. (*Plutarch. in Pompeio. Appian. pag.* 238.) Et quia Lucullus eam regionem nuper vaſtaverat, propter inopiam commeatuum multa fiebant tranſfugia: quamvis Rex in deprehenſos ſæviebat atrocibus ſuppliciis; quos aut de rupe dabat præcipites, aut mulctabat oculis, aut vivos comburebat. Quo metu abſterrebat quidem multos ne tranſfugerent; ſed nihilominùs atterebatur inopiâ. (*Appian. ibid.*)

Pompeius equitibus collocatis in inſidiis, alios miſit qui propalàm ſtationem Regis laceſſerent: quos juſſit poſt provocationem cedere, quaſi territos, donec hoſtes in inſidias provecti terga verterent. Et fortaſſe victores irrupiſſent in caſtra cum fugientibus, ni Rex hoc ipſum metuens produxiſſet pedites: illi verò retrocеſſerunt. Hæc fuit prima inter partes equeſtris velitatio. (*Id. ibid.*)

Mithridates aliquandiu ſubterfugiebat, quòd copiis eſſet minoribus inſtructus; vaſtabátque obviam quamque regionem: hoſtemque hinc inde circumducere, & commeatuum inopiâ affligere

ſtudebat. Ubi verò Pompeius Armeniam (minorem, Mithridati ſubditam) ingreſſus eſt, partim hâc ipsâ de causâ, partim ut eam deſertam occuparet; ibi demùm veritus Mithridates, ne ea regio ſe abſente in poteſtatem hoſtium veniret, eódem perrexit. (*Dio, lib. 36.*)

Tumulum ex adverſo hoſtium tutum Mithridates inſedit: ubi cum toto exercitu quietem egit, penuriâ rerum neceſſariarum Romanos ſe confecturum ſperans; quæ ſibi in ſuâ ditione commoranti undique affatim advehebantur. Erat ſub eo tumulo planities nuda poſita. In eam ſubinde nonnullos equitum demittebat, qui obvios quoſque læderent: quo effectum eſt, ut crebri ab hoſte ad ipſum transfugerent. (*Id. ibid.*)

Pompeius quum eo in loco hoſtem aggredi non auderet, alium caſtris locum obtinuit, circa quem omnia ſylvis erant obſita; ut minùs jam hoſtium equitatus ſagittariique nocere poſſent. Ibi inſidiis commodo loco poſitis, ipſe cum paucis ad caſtra hoſtium palam acceſſit, tumultúque excitato, ad locum, quem deſtinaverat, è caſtris eos pertraxit: ita magnam hoſtium cædem fecit. Addidit ea res animos: ideóque alios ad alias regionis partes emiſit, qui commeatus adducerent. (*Ibid.*)

Quum montem in quo caſtra habuerat, quaſi aridum, Mithridates reliquiſſet, eum ipſum occupavit Pompeius: atque ex fruticum indole locorúmque convexitate conjiciens ſubeſſe ibi fontes, imperavit puteos paſſim deprimi, fuitque in caſtris ſtatim aquæ affluentia; ut mirarentur tam diu id Mithridatem fugiſſe. [*Plutarch.*]

Montem autem occupavit Mithridates in Aciliſenâ, aquâ præditum, apud Daſtira; haud procul Euphrate, qui dividit minorem Armeniam ab Aciliſenâ. [*Strabo lib. 12. pag. 555.*] Atque hic Pompeium caſtra Regis, in minori Armeniâ juxta montem Daſtracum, obſidione concluſiſſe, ſcribit *Oroſius*. [*lib. 6. cap. 4.*] Vallum enim 150 ſtadiorum crebris caſtellis diſtinctum Regi circumdedit; ut difficilem ei frumentationem redderet. Id opus Rex non impediit; ſive metu, ſive imprudentiâ, quæ plerunque ſolet calamitatem antecedere. [*Appian.*] Per dies 45 eum obſeſſum fuiſſe, *Plutarchus*, per 50 dies vix vitam toleraviſſe, narrat *Appianus*; cùm quicquid jumentorum habebat mactaviſſet, equis tantùm ſervatis.

Tandem verò Mithridates, ubi hoſtem tuto rerum neceſſariarum commeatu auctum, Manaizin regionem Armeniæ (ejuſdem nominis deaſtro conſecratam) per aliquos cepiſſe, frequentéſque alios ei ſe adjungere, Marcii quoque exercitum (cum legionibus quas in Ciliciam, cui ille præfectus fuerat, conſcriptas fuiſſe, ex *Suetonio* antèà audivimus) ei acceſſiſſe percepit; territus, regionem hanc ſibi relinquendam ſtatuit. [*Dio.*] Inutilibus igitur & ægrotis occiſis, cum firmiſſimis copiis eruptione per noctem factâ, per vias difficiles magno ſilentio clàm aufugit. [*Plutarch. Appian. & Oroſ.*] nocturnis deinceps itineribus Armeniam (majorem) Tigrani ſubditam petere: [*Dio.*] atque Pompeium perſequentem bello repellere ſtatuens. [*Oroſ. lib. 6. cap. 4.*]

Poſtridie Pompeius vix eum aſſecutus, extremum agmen invaſit. Rex ne tum quidem, quamvis amicis ſuadentibus, deſcendit in prælium, contentus hoſtem ſubmovere per equites; & veſpere in denſiſſimas ſylvas ſe abdidit. [*Appian.*]

Sequenti die vicum occupavit Mithridates circumquaque munitum rupibus: ad quem unicus aſcenſus patebat, & ſervabatur à quatuor cohortibus. Romani quoque ex adverſo ſtationem opposuerunt, ne Rex effugeret. [*Idem.*]

Quum in ipſos limites adventum eſſet, metuens Pompeius ne Euphratem tranſmittere Mithridates anteverteret atque ita effugeret, nocturnam pugnam tentare inſtituit. [*Plutarch. & Dio.*] Prior itaque caſtra movit, fefellítque barbaros meridie conquieſcentes; eâ pergens viâ, quà ipſi erant ituri: nactúſque locum idoneum inter colles ſitum, ibi milites in edita traduxit, expectavítque hoſtium adventum. Barbari, quibus nihil dum adverſi evenerat, & jam in loca tuta ſe accedere credebant, ſecurè, neque cuſtodiæ etiam causâ quoquam præmiſſo, ibant; ſperantes ab inſequendo jam Romanos deſiſturos. [*Dio.*]

Eo tempore fama fert vidiſſe Mithridatem in ſomnis ſpeciem, quæ futura ei prænuntiaret. Videbatur ſibi in mari Pontico ſecundo navigare vento, Boſphorúmque jam proſpicere & comiter unà vectos affari, ut qui certâ & indubitatâ incolumitate gauderet: verùm repentè ab omnibus ſe repetiſſe deſertum, ac fragmento exiguo navigii jactari. His occupatum motibus & imaginibus aſſilientes amici excitaverunt, Pompeium nuntiantes adeſſe. Cùm igitur pro vallo neceſſario pugnandum eſſet; eductis copiis inſtruxerunt duces aciem. [*Plutarch.*]

Hos parare ſe ubi Pompeius vidit, dubitavit per tenebras diſcrimen prælii ſubire: tantùm circumferendos, ne fugerent, arbitratus eſt; ac ſub lucem exercitu ſuo, qui firmior erat, aggrediendos. At majores natu ordinum ductores precando & adhortando concitaverunt eum. [*Idem.*]

Primùm igitur ex compoſito omnes tibicines ſimul claſſicum cecinerunt, pòſt & milites & cætera turba clamorem bellicum ſuſtulerunt: tum alii haſtis ſcuta, alii ſaxis ærea vaſa percuſſerunt. Montes circum cavi acceptum ſonitum quàm maximè terribilem reddiderunt: quem ut repentè barbari nocturnum in deſertis locis accepere, vehementer animo dejecti ſunt, ſe divinitùs immiſſum in malum incidiſſe rati. Interim Romani undique de ſublimi lapidibus, ſagittis teliſque jaculabantur: & ob tantam multitudinem nullum ſine vulnere telum cadebat. Cúmque jacula omnia conſumpſiſſent, in barbaros decurrerunt: qui mutuò ſeſe trudentes conculcanteſque peribant, quum neque ſeipſos tutari neque hoſtem aggredi poſſent; quòd major pars equites ac ſagittarii eſſent, quibus neque in tenebris proſpectus, neque in tantis angustiis conatus ullus procedebat. [*Dio.*]

Ubi Luna effulſit, barbari utique ſe in luce hoſtem depellere poſſe putantes gaudebant; poterátque ipſis commodo eſſe, niſi eam à tergo Romani habuiſſent. Lunâ enim in occaſu declivi,

umbræ

3958 umbræ longè corpora præcurrentes incumbebant hostibus: qui longitudinem umbrarum proximitatem hostium rati, cuncta in irritum tela fuderunt; frustrà inanem umbram, ac si jam cominùs starent, impetentes. Quos Romani veluti inermes posteà aggressi, sine labore vicerunt. [*Idem; cum Floro, Plutarcho, & Eutropio.*]

Nocturnum hoc fuisse prælium, *Livius*, [*lib.* 100.] *Florus*, [*lib.* 3. *cap.* 5.] *Plutarchus*, [*in Pompeio*,] *Dio*, [*lib.* 36.] *Eutropius*, [*lib.* 6.] & *Orosius*, [*lib.* 6. *cap.* 4.] consentiunt. Solus *Appianus*, interdiu hunc in modum gestum illud fuisse narrat. Uterque exercitus primo mane armatus est: & progressi utrinque stationarii velitabantur per declivia. Nonnulli etiam equites regii sine equis injussi opem ferebant suis militibus: in quos quum complures Romanorum equites irruerent, regii uno agmine castra cursu petebant, ut conscensis equis cum Romanis æquo marte confligerent. Eos ita cum clamore cursúque ruentes conspicati è superiore loco qui adhuc armabantur Pontici, rem non intelligentes, ratique hos captis diversâ parte castris fugere; & ipsi projectis armis fugiebant: & quum non pateret exitus, impingebant in se invicem, glomerabantúrque donec per rupes delilirent. Reliquum facile fuit Pompeio conficere, cædenti prehendentique inermes & impeditos rupibus. Cæsa sunt ad decem millia, & castra capta cum omni apparatu. Ita *Appianus*. [*in Mithridatic. pag.* 239, 240.]

Longè plus quàm decem millia interiisse, *Plutarchus* refert. Plurimos fuisse interemptos, & haud pauciores vivos in potestatem hostium venisse, *Dio*. Quadraginta millia occisa, *Eutropius*: totidem cæsa vel capta fuisse, scribit *Orosius*. Pompeium verò, 20 vel 30 tantùm de exercitu suo perdidisse, & duos centuriones, *Eutropius*: Romanos vulneratos mille; vix autem 40 interfectos, ait *Orosius*.

Ipse Mithridates initio 800 equitum cuneo per Romanos erupit. Mox cæteris dilapsis, solus relictus cum tribus est. In quibus Hypsicratia fuit (pellex *Plutarcho*; uxor verò *Valerio Maximo* & *Eutropio* dicta) quam, quia virilis semper audaciæ fuerat, Hypsicratem Rex appellavit. Tunc verò veste amicta virili Persicâ & equo vecta, nec corpore ex fugæ prolixitate fatiscere visa est, nec curando Regis corpore & equo est fatigata. [*Plutarch. Valer. Maxim. lib.* 4. *cap.* 6. *Eutrop. lib.* 6.] Filia quoque Dripetine Laodice reginâ nata, duplici ordine dentium deformis admodùm, comes fugæ patris fuit. [*Valer. Maxim. lib.* 1. *cap.* 8.]

Sic igitur Rex inter tumultus belli fugâ lapsus, adjutus etiam beneficio sublustris nocbis, evasit: per devia equum manu trahens, atque ad omnes nocturnos strepitus trepidans. (*Oros. lib.* 6. *cap.* 4.) donec in quosdam equites mercenarios incidit, & peditum circiter tria millia: à quibus statim deductus est in castellum Sinoregem, ubi multum pecuniæ coacervaverat. (*Appian.*) Quod castellum Inora *Plutarchus*, Sinoria vel Synotia *Strabo* appellat; in confinio minoris & majoris Armeniæ positum. (*Strabo*, *lib.* 12. *pag.* 555.)

Inde munera & annuum stipendium fugæ comitibus dedit; & sex fermè talentorum millia secum tulit. (*Appian.*) Vestes pretiosas, inde tumpetas, confluentibus ad ipsum ex fugâ distribuit. Præterea lethale virus cuique amicorum ferendum secum dedit, neqnis in manus hostium veniret invitus. Inde in Armeniam ad Tigranem contendit. (*Plutarch.*)

Tigranes à Mithridate per legatos compellatus, non modò eum non suscepit; sed etiam legatos comprehensos in vincula conjecit: cum Tigrani filio suo contra se seditionis causam fuisse prætendens. (*Dio*, *lib.* 36.) Centum quoque talenta in caput ejus Tigranem pronuntiasse, *Plutarchus* refert. Ita spe suâ frustratus Mithridates, præteritis Euphratis fontibus, fugam in Colchidem intendit. (*Plutarch. Appian. Dio.*) quam ille priùs ditioni suæ subjecerat. (*Strabo*, *lib.* 12. *pag.* 555.)

Quum nusquam igitur cursum ille suum intermitteret, die quartâ Euphratem transiit. Per triduum deinde dispositis & armatis vel præsentibus vel accedentibus copiis, invasit Chotenem, præfecturam Armeniæ: ubi Chotenos Iberósque missilibus ac glandibus iter impedire conatos propulit, & ad Absarum fluvium pervenit. (*Appian.*)

Pompeius, qui Mithridatem insequerentur, emisit: sed ille Phasin fluvium jam transgressus effugerat. Itaque urbem eo loco, quo vicerat, Pompeius condidit. (*Dio*, *lib.* 36.) inter duo flumina quæ ab uno monte diversis speculis exoriuntur, hoc est, Euphratem & Araxem, in minore Armeniâ positam; & ex re Nicopolim appellatam. Eam senibus lassis & ægris, vulneratisque aut emeritis militibus suis volentibus ille tribuit: ad quos multis vicinorum accedentibus, Cappadocum moribus Nicopolitæ posteà vixere. (*Id. ibid. cum Strabone*, *lib.* 12. *pag.* 555. *Appiano*, *pag.* 243. & 252. *Orosio*, *lib.* 6. *cap.* 4.)

Tigranes pater in filium Tigranem, solum ad Artaxatorum obsidionem relictum, profectus, prælio eum vicit. Ille in fugâ primùm ad Mithridatem avum se contulit: quem victum esse cùm intelligeret, atque ipsum auxilio aliorum magis indigere, quàm alii posse opitulari; ad Romanos se adjunxit. (*Dio*, *lib.* 36.) Ad hos enim, quamvis nepos Mithridatis ex filiâ, supplex ille confugit: (*Appian.*) Pompeióque ad Araxem fluvium occurrit. (*Plutarch.*) Eo duce usus Pompeius in Armeniam adversùs patrem ejus exercitum duxit; (*Dio.*) tanquam Mithridatis socium: Artaxata petens, Tigranis regiam, (*Appian.*)

Tigranes pater re cognitâ territus, cùm mitem animo ac placidum Pompeium accepisset esse, statim præconem ad eum misit; traditis etiam Mithridatis legatis, quos in vincula conjecerat. Quum filius impedimento esset, ne quicquam tolerabile posset impetrare, nihilóque minùs Pompeius, transmisso Araxe fluvio, Artaxatis appropinquaret; ibi demùm Tigranes urbem ei dedit, & præsidium in eâ accepit: ipséque cum amicis & necessariis, ne caduceatore quidem præmisso, ad eum profectus est; permissurus ejus arbitrio omne suum jus, & accusaturus filium apud ipsum judicem. (*Plutarch. Appian. Dio.*)

Ita verò se, quò & reverentiâ Pompeio & misericordiâ dignus videretur, comparaverat; ut,

quantum ejus neci poterat, maximè inter priſtinam dignitatem ac præſentem humilitatem medium ſervaret ſtatum. Togam nàmque ſemialbam & candyn totum purpureum exuerat; tiaram autem cum faſciâ gerebat. [*Dio.*] Cui quum Pompeius tribunos & præfectos equitum obviam miſiſſet honoris gratiâ; Regis comites parùm ſecuros ſe rati, quia caduceatorem non præmiſerat, retrò fugerunt. [*Appian.*]

Ubi ad caſtra Pompeii ſextodecimo ab Artaxatis milliario Tigranes venit, præſtò ei fuerunt duo Pompeii lictores, qui juſſerunt ut equo deſcenderet, quo vectus patrio more ipſum etiam vallum intraturus fuerat. Neminem enim mortalium in caſtris Romanis unquam viſum qui equo inſideret. Obtemperavit Tigranes, gladiúmque diſcinxit trádiditque eis. [*Eutrop. Plut. & Dio.*] Pedibus ingreſſum, projectóque diademate in terram prolapſum, adorantémque ſe more barbarico intuitus Pompeius, miſericordiâ commotus exiluit, & apprehenſâ dexterâ eum erexit, atque inſigne regium quod ille de ſuo capite abjecerat repoſuit: & ſedere juſſit ad latus ſuum, ex altero filium collocans; qui neque aſſurrexit patri, neque aliâ ullâ comitate erga eum uſus eſt. [*Cicero, pro P. Sextio. Eutrop. lib. 6. Dio, Appian. & Plutarch. tum in Pompeio, tum in Luculli & Cimonis collatione.*]

Tigranes ſe regnúmque ſuum Pompeii ditioni permiſit: præfatus, neminem alium neque Romanum neque ullius gentis virum futurum fuiſſe, cujus ſe ſocietati commiſſurus foret, quàm Cn. Pompeium: proinde omnem ſibi vel adverſam vel ſecundam, cujus auctor ille eſſet, fortunam tolerabilem futuram; non eſſe turpe dicens ab eo vinci quem vincere eſſet nefas, neque ei inhoneſtè aliquem ſummitti quem fortuna ſuper omnes extuliſſet. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 37.*] A Pompeio deinde ille, ſimul cum filio, ad cœnam invitatus eſt: verùm filius vocatus non adfuit; quâ re inprimis ſibi Pompeium infenſum reddidit. [*Dio.*]

Poſtridie eorum controverſiis auditis, patri avitum Armeniæ regnum Pompeius reſtituit (magnâ etiam & præcipuâ parte Meſopotamiæ additâ; ut habet *Strabo*, lib. 16. pag. 747.) ademptis illi quas præterea bello acquiſierat provinciis & multâ ſex millium talentorum argenti (quæ populo Romano daret, quia bellum ſine causâ ipſi commoviſſet) illi impoſitâ: filium verò in Gordenâ Sophenáque regnare juſſit, cæteræ Armeniæ hæreditatem poſt patris mortem aditurum. Theſauros tamen in Sophenâ (regione Armeniæ finitimâ) repoſitos patri adjudicavit: quia pactam ſibi pecuniam aliâ ratione habere non poterat. [*Cicero, Vellei. Paterc. Plutarch. Appian. Dio, & Eutrop. ut ſuprà.*]

Has conditiones pater approbans, lætúſque quòd eſſet à Romanis rex appellatus, non ſolùm Cappadociæ & Ciliciæ quibuſdam partibus, ſed etiam totâ Syriâ & Phœnicià deceſſit, ab Euphrate uſque ad mare: has enim provincias, cum parte Ciliciæ, Tigranes occupaverat, ejecto Antiocho Pio. [*Liv. lib. 101. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 37. Plutarch. Appian. Dio, & Eutrop.*]

Spe ſuâ fruſtratus Tigranes junior, indignabatur, & fugam cogitabat. Quod maturè ſentiens Pompeius, in liberam cuſtodiam eum dedit: ad pecuniæ ſervatores miſſis, qui eam omnem Tigrani patri dari juberent. Quum id recuſarent, diceréntque non ab alio quàm à Tigrane juvene, cujus jam tum ea regio eſſe judicabatur, debere imperari; is ad caſtella miſſus eſt: quæ cùm occluſa inveniret, proximè acceſſit, & quamlibet invitus, tamen ut reſerarentur imperavit. Nihilo plus cuſtodes obtemperabant; obtendentes haud ſuâ voluntate, ſed coactum Tigranem hoc jubere. Id verò graviter ferens Pompeius, in vincula juvenem conjecit: atque ſic demùm ſenex theſaurum accepit. [*Dio, lib. 36.*]

Appianus ait Armenios, qui regem ad Romana caſtra iter facientem metu deſeruerant, filio adhuc apud Pompeium hærenti ſuaſiſſe ut patrem ex inſidiis invaderet; ſed illum captum & in vincula conjectum fuiſſe: & quum vinctus etiam Parthos contra Romanos ſolicitaret per nuntios, ad triumphum eſſe ſervatum.

Parer pecuniâ potitus, & alia plurima & vim pecuniæ longè majorem quàm de quâ conventum erat Pompeio dedit: & unumquemque militem argenti drachmis 50 (vel 150, ut apud *Strabonem* legitur) centurionem 1000, tribunum 10000 (vel talento, ut habet *Strabo* & *Plutarchus*, quod 6000 tantùm drachmas habet) liberaliter donavit. quo facto inter amicos ſociósque populi Romani annumeratus eſt. [*Strabo, lib. 11. pag. 530. Plutarch. Appian. Dio.*] Pecunia verò debita populo Romano omnis, ſicuti Pompeio moris erat, redacta in quæſtoris poteſtatem eſt, ac publicis deſcripta litteris. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 37.*]

Ariobarzani Pompeius integrum Cappadociæ regnum reddidit; attributâ & Sophenâ Gordenáque quas Tigrani minori priùs aſſignaverat: quæ deinceps in provinciâ Cappadociæ cenſebantur. Eidem dedit etiam Ciliciæ civitatem Cabala [vel Gabala] & quaſdam alias: quod regnum Ariobarzanes integrum reliquit poſteà filio ſuperſtiti. [*Appian. pag. 243, 244.*]

3939 C. Julius Cæſar, ante paucos dies quàm ædilitatem iniret, venit in ſuſpicionem conſpiraſſe cum M. Craſſo conſulari, item Syllâ & Autronio poſt deſignationem conſulatus ambitus condemnatis, ut principio anni [Kalendis videlicèt Januariis, in Octobrem Julianum tunc incidentibus, quibus Cotta & Torquatus Conſulatum ineibant] Senatum adorirentur; & trucidatis quos placitum eſſet, dictaturam Craſſus invaderet, ipſe ab eo magiſter equitum diceretur, conſtitutáque ad arbitrium republicâ Syllæ & Autronio conſularus reſtitueretur. Unde in epiſtola quâdam ad Axium *Cicero* retulit, *Cæſarem in Conſulatu confirmaſſe regnum de quo Ædilis cogitárat.* (*Sueton.* in Julio Cæſare, cap. 9.)

Pompeius, relicto ad præſidium Armeniæ Afranio, per gentes Caucaſum circumcolentes contra Mithridatem iter intendit. Albani & Iberi, maximæ nationes, primò petenti Pompeio tranſitum dederunt: ut apud *Plutarchum* legimus. Eos tamen Pompeium, quòd tranſitum minimè dediſſent, prælio viciſſe retulit *Livius*. [*lib. 101.*] Quod prælium, à Plutarcho & Appiano breviter & diverſimodè deſcriptum, *Dio* pleniùs ita explicat. Pompeius, diviſis in

tres

tres partes copiis, in Tanaiticâ regione & ad Cyrnum fluvium hyberna habuit: quæ ei tamen quieta non fuerunt. Albanorum enim, qui ſupra Cyrnum [ſive Cyrum] fluvium incolunt, rex Oroëſes [Orodem *Florus* lib. 3. cap. 5. *Eutropius* lib. 6. & *Oroſius* lib. 6. cap. 4. eum appellat] nonnihil ut juniori Tigrani amico ſuo gratificaretur, ſed præcipuè quòd verebatur ne Albaniam quoque Romani invaderent, ac ſperans, ſi per hyemem improvidos & non uno in loco caſtrametatos adoriretur, haud dubiè ſe operæ pretium facturum, ſub ipſa Saturnalia exercitum adverſus Romanos duxit. ita quidem, ut ipſe Metellum Celerem, qui Tigranem ſecum habebat, aggrederetur; alii autem contra Pompeium, alii contra tertiæ partis præfectum L. Flaccum irent: ut, quum ſingulis eodem temporis momento negotium facelleretur, mutuò ſibi ſubvenire non poſſent. Ita *Dio.* [*lib.* 36.] *Appianus* ait Oroëzem Albanorum & Otocum (vel Artocum potiùs) Iberorum regem cum 70 millibus inſidias Pompeio ſtruxiſſe circa Cyrnum fluvium: *Plutarchus*, non minùs 40 millia barbarorum in Romano Saturnalium feſto Cyrnum fluvium adverſùs Pompeium trajeciſſe narrat. Saturnalia verò menſe Decembri celebrabantur; qui, ut annus Romanus tunc agebatur, in Septembrem vel Octobrem Julianum incurrebat, id eſt, in autumni initium: à quo hyemis tempeſtas ab illis deducitur qui annum in duas partes dividunt, Æſtatem & Hyemem; quod à *Thucydide*, in belli Peloponneſiaci hiſtoriâ, ſemper videmus obſervatum.

Oroëſem Metellus vi profligavit. Flaccus, quum foſſæ ſuorum caſtrorum ambitus tantus eſſet ut defendi nequaquam poſſet, aliam interius egit; credenteſque id pavoris cauſâ factum hoſtes intra foſſam exteriorem pertraxit: tum in nihil tale expectantes impetu facto, multos in ipſo conflictu, multos in fugâ peremit. Pompeius interea maturè de barbarorum contra cæteros conatu reſciverat. Itaque iis, qui contra ipſum ibant, inopinatò prior occurrit: victiſque illis, rectà adverſus Oroëſem ipſum contendit, neque tamen aſſecutus eſt. Is enim à Metello Celere depulſus, auditis & reliquorum cladibus, fugâ ſe eripuit. [*Dio.*]

Pompeius, quum multos Albanorum in tranſitu Cyri comprehenſos peremiſſet, eorum deinde precibus conceſſit, pacémque dedit. Habebat quidem in animo, in eorum viciſſim intrare fines, ut maleficium reponeret: ſed propter hyemem tum haud gravatim bellum prolatavit. Hæc, in 36i libri fine, *Dio. Plutarchus* Pompeium ſcribit illatis ſignis ingentem hoſtium numerum fudiſſe; deinde Regi ſupplici, legatos ad ipſum mittenti, dediſſe veniam, icto cum eo fœdere.

Mithridates hybernabat in Dioſcuriade. [*Appian. pag.* 240.] ubi initium eſt iſthmi Euxino & Caſpio mari interjecti. [*Strabo, lib.* 11. *pag.* 498.]

Antipater tandem urgendo ægrè ab Hyrcano obtinuit, ut aſſentiret fugere ad Aretam regem Arabum, ſuum quoque pollicitus auxilium; idque eo faciliùs impetravit, quòd Judææ confinis ſit Arabia. Præmiſſus igitur ad Regem eſt Antipater, acceſſurus ab eo fidem, quòd inimicis non dediturus eſſet ſuum ſuppliccm: quod ubi ille interpoſitâ fide promiſit, Antipater ad Hyrcanum reverſus eſt Hieroſolyma: & non multo pòſt aſſumpto eo noctu urbem egreſſus, magnis itineribus pervenit in urbem quæ Petra dicitur, apud quam erat Aretæ regia. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 2.]

Antipater, cùm eſſet Aretæ regi amiciſſimus, rogabat eum ut Hyrcanum in Judæam reſtitueret: & inſtando quotidie dandoque munera tandem perſuaſit. Hyrcanus quoque pollicitus eſt, ſi ope ejus reductus regnum reciperet, redditurum ſe ei regionem cum duodecim urbibus, quæ pater ipſius Alexander Jannæus Arabibus eripuerat. Erant autem hæ: Medaba, Naballo, Livias, Tharabaſa, Agalla, Athone, Zoara, Oronæ, Mariſſa, Rydda, Luſa, Oryba. [*Id. ibid.*]

Alexander II. Ægypti rex, Alexandri I. filius, ab Alexandrinis eſt expulſus. [*Sueton. in Julio Cæſare, cap.* 11.] *Filio* verò *Alexandri expulſo ſuffectus fuiſſe Ptolemæus Nothus*, in Prologo libri 39 *Trogi* legitur. Nothus videlicet ille Ptolemæi Lathyri filius, qui *Διόνυσος ὁ νέος*, novus Dionyſius ſive Bacchus, & Auletes eſt appellatus. Dionyſiorum enim mollitiem muliebriter ille ſectabatur: & inſtitâ muliebri amictus, ad numeros dithyrambicos cymbalorúmque modos ſaliebat. [*Lucian. de non temerè credendo calumniæ.*] In arte quoque choraulicâ ſe exercuit: & adeò eâ ſe jactavit, ut non pigeret eum certamina in regiâ celebrare, ad quæ & ipſe cum aliis concertaturus prodiit. [*Strabo, lib.* 17. *pag.* 796.] 4649 65

Aretas rex Arabum, 50 millium exercitum ſecum ducens, Ariſtobulum prælio vicit. Poſt quam victoriam multis ad Hyrcanum tranſfugientibus, deſolatus Ariſtobulus confugit Hieroſolyma. Arabs autem adducto ſecum toto exercitu, oppugnabat eum in Templo, adjuvante Hyrcanum etiam populo; ſolis ſacerdotibus non deſerentibus Ariſtobulum. Sed Aretas, admotis tam Judæorum quàm Arabum exercitibus, acriter oppugnationi inſtabat. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 3.]

Dum hæc geruntur inſtante azymorum feſto optimates Judæorum relictâ ſuâ regione fugerunt in Ægyptum. Erat in Judæâ Onias quidam, vir juſtus, qui aliquando ſiccitatis tempore impetraverat piis precibus pluviam; tunc verò in latebras ſe abdiderat civile bellum præſentiens. Hunc in caſtra adductum Judæi rogabant, ut quemadmodum olim ſterilitati attulerat remedium, ita tunc devoveret diris Ariſtobulum & quotquot ejus factionem ſequebantur. Id cùm diu recuſans cogeretur à turbâ, ſtans in medio eorum ſic precatus eſt. *Deus univerſi hujus mundi rex, quoniam & hi qui mecum ſtant tuus ſunt populus, & qui oppugnantur tui ſacerdotes ſunt, precor ut neque hos contra illos, neque illos contra hos, orantes exaudias.* Poſt hæc vota circumſteterunt eum quidam ex Judæis viri perditi, & obruerunt lapidibus. Quam crudelitatem Deus ultus eſt continuò; cædiſque Oniæ pœnas exegit in hunc modum. [*Ibid.*]

Dum Ariſtobulus oppugnatur cum ſacerdotibus, ſupervenit Paſcha: in quo mos erat multis Deum honorare ſacrificiis. Quibus quia carebant obſeſſi, rogaverunt ſuos tribules, ut acceptâ

3959 quantam poſtularent pecuniâ victimarum copiam ſibi facerent. Illis verò pactis mille drachmas in ſingula capita, & repræſentare ſibi jubentibus: Ariſtobulus & ſacerdotes libenter id fecerunt, & per funem è muro demiſerunt pretium. At illi acceptâ pecuniâ non reddiderunt victimas: ſed eò progreſſi ſunt impietatis, ut non ſervatâ fide hominibus, Deum etiam fraudarent debitis honoribus. Sacerdotes autem, quibus per pactorum ſpeciem illuſum fuit, oraverunt Deum ut pœnas de tribulibus ſuis ſumeret. Nec dilata eſt vindicta: ſed procella vehemens immiſſa fecit per totam eam regionem magnam vaſtationem fructuum; ita ut tritici modius veniret drachmis quindecim. (*Ibid.*)

Cum Iberis Pompeius bellum geſſit, majorem in modum cupidis de Mithridate bene mereri ac propulſare Pompeium: quippe qui neque Medis neque Perſis neque Alexandro aut Macedonibus adhuc paruerant. [*Plutarch.*] Rex igitur eorum Artoces [L. Cottâ & L. Torquato Conſulib.] veritus ne adverſùm ſe iretur, ad Pompeium legatos, tanquam parandæ amicitiæ cauſâ, miſerat: interim quomodo eâ re fretum inopinatò adoriretur, parabat. Hoc præſentiens Pompeius, antequàm is ad eam rem ſe ſatis inſtruxiſſet, aditúmque regionis ſuperatu difficilem [de quo *Strabo*, lib. 11. pag. 501.] occupaſſet, regionem ejus intravit: & priùs quàm de ejus præſentiâ Artoces cognoſceret, ad urbem Acropolin pervenit; quæ ſita ad ipſas anguſtias, quâ Caucaſus procurrit, ad cuſtodiendum aditum communita fuerat. Artoces territus, occaſione ſe inſtruendi præreptâ, Cyrnum fluvium tranſgreſſus, pontem combuſſit. Qui erant in urbe, tum propter Artocis fugam, tum quòd etiam pugnâ victi fuiſſent, ſe dediderunt. Potitus ergo faucibus illis Pompeius, præſidium eis impoſuit: indéque progreſſus, omnem regionem intra fluvium poſitam ſubegit. [*Dio, initio lib.* 37.]

Tranſituro jam Cyrnum Pompeio, Artoces per internuncios & pacem ab eo petiit, & pontem omniáque neceſſaria ſe præbiturum eſt pollicitus: & utrumque obtinendæ pacis cauſâ præſtitit. Ubi verò Pompeius Cyrnum trajecit, ille ad Pelorum fluvium fugâ ſe proripuit: aufugitque ab eo quem, quum tranſitu potuiſſet prohibere, ad ſe attraxerat. Pompeius, re animadverſâ, fugienti inſtat: curſúque aſſecutus hoſtem congreſſúſque, priuſquàm ſagittarii arte ſuâ uti poſſent, haud multo labore fundit. His actis, Artoces, trajecto Peloro, atque hujus etiam fluminis ponte cremato, aufugit: reliqui partim in conflictu, partim pedibus per flumen tentato tranſitu, perierunt. Multi per ſylvas diſperſi, ab arboribus præcelſis jaculando dies aliquot traxerunt: ſed & hi, poſtmodùm arboribus ſucciſis periere. [*Id. ibid.*] In prælio novem millia occubuiſſe, captos autem ampliùs decem millia, *Plutarchus* refert.

Artoces ad Pompeium de pace impetrandâ internuntios cum donis miſit: lecto videlicèt, menſâ & ſellâ, omnibus aureis; eáque ut acciperet, precabatur. Pompeius dona accepit, (ut, tranſactionis ſpe oblatâ, ulteriùs non progrederetur) eáque quæſtoribus, ut referrent in tabulas publicas, tradidit; tamen pacem ſe daturum negabat, niſi priùs filios Artocis obſides accepiſſet. Artoces aliquamdiu rem ſuſpenſam tenuit: tandem, quum Romani vado fluminis per æſtatem reperto, nullo quidem repugnante, ægrè tamen, tranſivitſent; & filios obſides miſit, & cum Pompeio pacem firmavit. (*Dio, lib.* 37. *cum Plutarcho & Floro, lib.* 3. *cap.* 5.) Pompeium Iberiæ regem Arthacem vicille acie & in deditionem accepiſſe, *Eutropius*; Iberiam cum Arthace rege in deditionem accepiſſe, *Sextus Ruſus & Jornandes*: Artocem regem Iberiæ bello fudiſſe, totamque Iberiam in deditionem accepiſſe, ſcribit *Oroſius*. [*lib.* 6. *cap.* 4.]

Mithridates per gentes Scythicas, vel infenſas vel alienas, iter fecit; partim conciliatis hominibus, partim vi adactis. Et Heniochos quidem, libenter exceptus, tranſiit: Achæos verò obſiſtere auſos fugavit. Maeoticas deinde regiones ingreſſus, multis ſubditas regulis, ob famam rerum geſtarum regnique ab omnibus hoſpitaliter exceptus deductúſque, multa dona dedit recepitque: atque etiam in ſocietatem eos pertraxit; elocatis filiabus potentiſſimum quemque illorum ſibi conjungens. (*Liv. lib.* 101. *Appian. pag.* 240, 241. *Dio, lib.* 36.) Quò ſpectat & ille *Strabonis* locus. (*lib.* 11. *pag.* 496.) Heniochi quatuor reges habuerunt, quo tempore Mithridates fugiens ex avitâ ditione in Boſphorum, per ipſorum regionem tranſivit: nam hæc ei pervia fuit. De Zygiorum autem tranſitu ſpem abjiciens ob locorum difficultates iſtorum & feritatem hominum, ægrè per oram, plerumque mare conſcendens: donec ad Achæos venit; à quibus admiſſus, (licèt illos ei reſtitiſſe, ex *Appiano* jam audiverimus) iter perfecit è Phaſide factum ad ſtadiorum penè quatuor millia. Hæc *Strabo*: qui & ex rerum Mithridaticarum ſcriptoribus hunc gentium iſtarum ordinem recenſet; primùm Achæos, deinceps Zygios, Heniochos, Cercetas, Moſchos, Colchos. (*pag.* 497.) Per quas omnes efferatas gentes Hypſicratea regina fugientem virum, animo pariter & corpore infatigabili ſecuta eſt: quæ tonſis capillis equo ſe & armis aſſuefecerat, quo faciliùs laboribus & periculis ejus intereſſet. Cujus tanta fides aſperarum atque difficilium rerum Mithridati maximum ſolatium & jucundiſſimum lenimentum fuit. Cum domo enim & penatibus vagari ſe credidit, uxore ſimul exulante. [*Valer. Maxim. lib.* 4. *cap.* 6.]

Machares Mithridatis filius, qui in Boſphoro Cimmerio tùm regnabat & Romanorum rebus ſtudebat, quum patrem audiviſſet tam brevi tempore tot feras gentes, & quæ vocantur claustra Scythiæ, nulli antè permeata, tranſiſſe; legatos ad eum mittit, qui excuſarent, quòd neceſſitate coactus Romanos coluerit. Sed ubi cognovit eum implacabilem, fugit in Cherſoneſum Ponticam, incenſis navibus quò patri perſequendi facultatem adimeret. Sed quum ille immiſiſſet in eum claſſem aliam; manus ſibimet intulit. Mithridates amicos, quos ipſe Machari in regnum abeunti comites addiderat, omnes interemit: domeſticos verò dimiſit incolumes. Ita *Appian.* (*pag.* 241.) Patrem per ejus familiares, ſecuritate & pecuniis miſſis ad facinus impulſos, filium interfecille, ſcribit *Dio.* (*lib.* 36.) Macharem quoque parricidio trucidatum ab eo fuiſſe, narrat *Oroſius.* (*lib.* 6. *cap.* 5.)

Pompeius

Pompeius in Septentrionem Scythicum, iter tanquam in mari ſtellis ſecutus, Colchos excidit: regémque eorum Orodem, poſitis etiam ſub ipſo Caucaſo caſtris, juſſit in plana deſcendere: ut apud *Florum*, lib. 3. cap. 5. legitur. Qui cùm paulò pòſt Albaniæ regem *Orodem* [cum Eutropio & Oroſio] fuiſſe ſignificet: pro *Orode* hoc in loco, vel *Olthacis* nomen ſubſtituendum eſſe videtur, quem Colchorum regem à Pompeio in triumpho fuiſſe traductum *Appianus* indicat; [*pag.* 253.] vel *Ariſtarchi*, quem illius loco Colchis regem fuiſſe impoſitum, ex eodem *Appiano* (*pag.* 252.) & *Eutropio* [*libro* 6.] didicimus.

Ad Phaſim fluvium Servilius Pompeio cum claſſe, quâ tuebatur Pontum, occurrit. Ac Mithridatis inſectatio, qui in gentes Boſphori & Mæotidis accolas abdiderat ſe, magnas perplexitates illi præbuit. (*Plutarch.*) Colchos verò obibat ille ut Argonautarum & Caſtoris Polluciſque peregrinationes viſeret; præcipuè locum videre cupiens in quo Prometheus fertur affixus fuiſſe Caucaſo. Quæ ſpectacula obiturus, deducebatur à vicinis gentibus. [*Appian. pag.* 241, 242.] Colchos enim conterminóſque iis populos partim verbis, partim terrendo ſibi conciliaverat. Ibi comperto, iter terreſtre per multas & ignotas bellicoſáſque gentes, difficile; maritimum adhuc incommodius, propter importuoſam regionem incoláſque ejus, futurum; navales; copias in ſtationibus Mithridatem, ne quâ enavigare néve ad eum commeatus pervehi poſſet, obſervare juſſit. Ipſe in Albanos profectionem convertit, non directo itinere, ſed, ut eos propter pactum ſecuros inopinato adventu obrueret, [licèt Albanos demùm defeciſſe, indéque ira & pervicaci ulciſcendi ardore ſtimulatum in eos vertiſſe Pompeium dicat *Plutarchus*] in Armeniam regreſſus, Cyrnum pedeſtri itinere, quo loco eum vadoſum æſtas reddiderat, trajecit. [*Dio*, *lib.* 37.]

Ingenti verò difficultate & periculo fluvium ille tranſmiſit. Eum enim magno ſpatio palis barbari vallaverant. (*Plutarch.*) Equites primùm Pompeius ſecundo flumine, hinc jumenta, poſteà pedites tranſire juſſit: ut & vim fluminis diſſinderent corporibus ſuis equi; &, ſi quod tamen jumentum vi aquæ impelleretur, in eos qui alterutrâ ex parte comitabantur incideret, neque ulteriùs deferretur. [*Dio.*] Hic quum eum longa, arida, & aſpera via exciperet, decem millia utrium aquâ implevit, atque ita pergrexit. [*Plutarch.*]

Ad Cambyſem fluvium deinde venit, nihil ab hoſtibus paſſus; æſtu autem ſiſque toto exercitu vehementer afflicto; quamvis nocturnis plurimùm itineribus uterentur. Duces itinerum ex captivis acceperat; à quibus non id iter quod commodiſſimum erat demonſtrabatur. Ipſe etiam fluvius parum utilitatis afferebat; cujus aquâ frigidiſſimâ, affatim potâ, multi admodùm lædebantur. Quum ne hîc quidem quiſquam reſiſteret, ad Abantem fluvium acceſſerunt, præter aquam nihil ſecum portantes: reliqua omnia benignè ab incolis ſuppeditabantur; itaque & ab omni maleficio in eos temperatum eſt. [*Dio.*]

Tranſgreſſis fluvium adventare Oroſen afferrur. [*Idem.*] Habebat ille peditum 60 millia, equitum millia 12 [vel 22, ut apud *Strabonem* legitur] in acie inſtructa, magnâ ex parte malè & ferinis tergoribus armatorum: quos regis frater, Coſis nomine, ductabat. [*Plutarch. cum Strabone, lib.* 11. *pag.* 502.] Pompeius, ut hoſtem, priuſquàm multitudinem Romanorum adeſſe ſentiret retróque cederet, ad pugnam eliceret; equites primo loco conſtituit, mandatis priùs quæ agenda eſſent: poſt illos reliquam multitudinem in genua ſubſidentem ſcutiſque opertam collocavit; eis uti quieſcerent imperans. Ita eorum præſentiam non antè animadvertit Oroſes, quàm ad manus ventum eſt. Equites igitur, quos ſolos eſſe putabat contemnens invaſit: & levi momento in fugam, quam datâ operâ faciebant, vertit, acriérque cedentibus inſtitit. Tum repentè pedites ſe erigentes, facto inter ſe ſpatio ut ſecuris ſuis per medios eſſet receptus, temerè inſequentes hoſtes exceperunt: magnámque eorum multitudinem circundederunt, in medióque deprehenſos conciderunt. Qui circundati non erant, in eos equites, partim ad dextram, partim ad lævam à tergo circumvecti, impetum fecerunt. Ita ab equitibus quoque magna hoſtium cædes facta eſt: & qui ab utràque clade in ſylvas fugâ ſe proripuerunt, incenſis ſylvis perierunt; ſubindè acclamantibus Romanis, *Heus Saturnalia*, *heus Saturnalia*. Sub id enim tempus (ut dictum eſt) Albani eos antè per inſidias fuerant adorti. [*Dio*, *lib.* 37.]

In hâc pugnâ, Coſis frater regis in ipſum invectus Pompeium, percuſſit jaculo loricæ ejus commiſſuram: Pompeius illum haſtâ tranſfixit & occîdit. In eâ quoque Amazones, à montibus Thermodonti fluvio accubantibus profectæ, auxilio veniſſe perhibentur barbaris. Et quidem à prælio, dum ſpolia barbarorum legunt Romani, peltas Amazonicas cothurnóſque reperere; corpus verò muliebre reperere nullum. [*Plutarch.*] Videndus & *Appianus*, pag. 242. ubi hanc & priorem pugnam cum Albanis geſtam ut unam commemorat. Licèt ter etiam Pompeium exercitum Orodis Albanorum regis præfectóſque ejus viciſſe, cum *Eutropio & Sexto Rufo*, tradiderit *Oroſius*. [*lib.* 6. *cap.* 4.]

Pompeius, depopulatâ regione, poſtremò epiſtolas Orodis [ſive Oroſis] de pace cum Albanis inſtaurandâ, & lectulum aureum & alia dona ab eo miſſa, libenter accepit; & veniam Albanis dedit. (*Florus*, *lib.* 3. *cap.* 5. *Dio*, *lib.* 37. *Eutrop. lib.* 6. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 4.) qui memores Italicæ originis, quòd ab Albano monte Herculem ſecuti fuiſſe dicerentur, exercitum Pompeii fratres ſalutaverunt. (*Juſtin. lib.* 42. *cap.* 3.) Neque Albanis ſolùm Pompeius pacem dedit, ſed reliquis etiam aliquot Caucaſum montem uſque ad mare Caſpium (nam eò uſque is mons, à Ponto facto initio, pertingit) accolentibus populis, per legatos eam petentibus. (*Dio*, *lib.* 37.) Undique eum adverſùs Iberos Albanóſque ad utrumque uſque mare, Caſpium ac Colchicum, bellaviſſe ſcripſit *Strabo*. (*lib.* 11. *pag.* 492.) Licèt enim magno Hyrcaniam & mare Caſpium viſendi deſiderio Pompeius teneretur; quum trium tantùm dierum itinere inde jam abeſſet; tamen mortiferorum ſerpentium multitudine ab eo propoſito deterritus, in Armeniam minorem divertit: ut in ejus Vitâ nos docet *Plutarchus*.

Pompeius

Pompeius, ſuperato Tauro, bellum Antiocho Commageno inſulit; donec & ille in amicitiam receptus eſt. [*Appian. pag.* 244.] Cui tum commiſit ille Seleuciam Meſopotamiæ caſtellum, & quicquid ex incurſu in Meſopotamiam ceperat. (*Id. pag.* 251. *cum Strabone, lib.* 16. *pag.* 745.) Darium quoque Medum profligavit: vel quia juverat Antiochum, vel quia Tigranem antèà. Ita *Appianus*, in Mithridaticis: [*pag.* 244.] qui Darium & Medos inter reges & populos à Pompeio victos; [*pag.* 250. & 255.] ſicut Mediam *Velleius Paterculus* [*lib.* 2. *cap.* 40.] inter regiones cum victoriâ ab eo penetratas, connumerat. Licèt Elymæorum & Medorum regibus, qui legatos ad eum miſerant, benignè tantùm reſcripſiſſe Pompeium *Plutarchus* dixerit.

Phraates Parthorum rex, quum tanto impetu Pompeium ferri videret, Armeniámque & Ponti partes eò loci pertingentes ab ejus legatis captas eſſe, Gabinium quoque jam ultra Euphratem ad Tigrim uſque proceſſiſſe; eorum terrore perculſus, de fœdere inito cum Romanis renovando legatos ad Pompeium miſit: nec eâ tamen legatione quicquam affecutus eſt. Pompeius enim, præſentium ſucceſſu ſpéque ſecuturarum inde rerum fretus, eum parvi pendebat: & inter alia reſponſa, quæ ſuperba legatis dabat, Corduenem (ſive Gordyenem) regionem, de quâ Phraati erat cum Tigrane controverſia, poſcebat. Quum legati de hâc re (neque enim quicquam habebant in mandatis) nihil reſponderent, nonnihil ad Phraatem ſcripſit. (*Dio, lib.* 37.)

In literis verò ſuis non Regem eum regum [ut alii omnes, etiam Romani, ipſéque in triumpho ſuo poſtea Pompeius] ſed Regem ſimpliciter appellavit: quod indignè Phraates tulit, ut qui regno etiam ſuo ſpoliaretur. Pompeius verò, non expectato reſponſo, confeſtim Afranium cum exercitu in Gordyenem miſit: qui Parthos eam incurſantes expulit, & uſque ad Arbelitin inſectatus eſt; regionémque Tigrani reſtituit. (*Id. ibid. cum Plutarcho, in Pompeio.*)

Ex Armeniâ in Syriam à Pompeio miſſum eſſe Gabinium, apud *Joſephum* legimus. [*lib.* 1. *Belli, cap.* 5. & *Antiquit. lib.* 14. *cap.* 4.] Quod nos de minore Armeniâ accipimus, in quam, confecto bello Albano, ſeceſſiſſe Pompeium ex *Plutarcho* audivimus: licèt de majore *Joſephus* intellexerit, eâque homonymiâ deceptus, eo tempore quo cum Tigrane bellum Pompeius gerebat in Syriam miſſum Gabinium fuiſſe ſcripſerit. niſi fortè, ut *Appianus*, ita etiam ille, Tigranis deditionem expeditione Albanâ poſteriorem fecerit: quâ priorem fuiſſe nos, cum *Livio, Velleio, Floro, Plutarcho, Eutropio, & Oroſio*, ſtatuimus.

Scaurus, ubi Damaſcum venit, recèns à Metello & Lollio captam reperit. His inde ſubmotis, cognitóque in Judæâ quid ageretur, illuc velut ad quæſtum cucurrit. Regionem ingreſſo legati facti ſunt obviam, tam ab Hyrcano Templum Hieroſolymitanum obſidente quàm à fratre ejus Ariſtobulo ibidem tùm obſeſſo; utrique petentes ſocietatem & auxilium. Et cùm Ariſtobulus polliceretur 400 talenta, nec pauciora Hyrcanus; Scaurus Ariſtobuli promiſſa prætulit. Acceptâ igitur pecuniâ, ad Hyrcanum & Aretam regem (Nabathæorum ſuorum copiis, licèt non valdè ad id bellum gerendum animatis, ipſum adjuvantem) legatos miſit; Romanorum eis & Pompeii nomen intentans, niſi ab obſidione deſiſterent. Itaque & Aretas ex Judæâ in Philadelphiam receſſit metu perculſus, & Scaurus Damaſcum rediit. Ariſtobulus verò, omnibus quas habebat copiis collectis, Aretam & Hyrcanum eſt perſecutus: & congreſſus cum eis apud locum quem Papyronem nominant, prælio vicit; cæſis circiter ſeptem millibus hoſtium, inter quos etiam Cæphalio Antipatri frater fuit. (*Joſeph. ut ſupr.*)

Reverſus ex Armeniâ Pompeius, adeuntibus ſe regibus (barbaris, quos numero duodecim convenîſſe *Plutarchus* retulit) & dynaſtis jus dixit, ac reſponſa dedit: aliiſque regna confirmavit, aliis principatus auxit, aliorum eminentiam imminuit ac depreſſit. (*Xiphilin. ex Dione.*) Ad quod tempus illa à *Valerio Maximo* celebrata hiſtoria referenda eſſe videtur.

Ariobarzanes filio ſuo Cappadociæ regno ceſſit, in conſpectu Cn. Pompeii. Cujus cùm ipſe tribunal conſcendiſſet, invitatúſque ab eo in curuli ſellâ ſediſſet, poſtquàm filium cum ſcribâ humiliorem fortunâ ſuâ locum obtinentem conſpexit, non ſuſtinuit infra ſe collocatum intueri: ſed protinùs è ſellâ deſcendit, & diadema in caput ejus tranſtulit; hortaríque cœpit, ut eò tranſiret unde ipſe ſurrexerat. Exciderunt lachrymæ juveni, cohorruit corpus, dilapſum diadema eſt, nec quò juſſus erat progredi potuit; quódque penè fidem veritatis excedit, locus erat qui regnum deponebat, triſtis cui dabatur: nec ullum finem tam egregium certamen habuiſſet, niſi patriæ voluntati authoritas Pompeii adfuiſſet. Filium enim & Regem appellavit, & diadema ſumere juſſit, & in curuli ſellâ conſidere coëgit. (*Valer. Max. lib.* 5. *cap.* 7.)

Pompeius deinde Cœleſyriam & Phœniciam, nuper regibus liberatas & ab Arabibus ac Tigrane vexatas, conſtituit. Licèt enim Antiochus eas auſus eſt repetere, non tamen obtinuit: ſed in unam redactæ conjunctæque provinciam leges acceperunt, & more populi Romani adminiſtratæ ſunt. (*Xiphilin. ex Dione.*)

Antiochum hunc, *Pium* fuiſſe, Cyziceni Antiochi filium, *Juſtinus*, (*lib.* 40. *cap.* 2.) *Appianus* in Mithridaticis, (*pag.* 244.) & Porphyrius (*in Græcis Euſebianis Scaligeri, pag.* 227.) referunt. Sed rectiùs idem *Appianus* in Syriacis, (*pag.* 119. & 133.) Antiochum *Aſiaticum*, Antiochi Pii & Seleuæ filium, hunc fuiſſe affirmat: qui ante quadriennium, Luculli vel beneficio vel permiſſu, regnum Syriæ à Tigrane derelictum adeptus, in Pompeii ἀγχιλίαν (ut pag. 133. ille loquitur) dum is aliis diſtineretur negotiis, per unum jam annum [poſtquàm Tigranes jure quod in Syriam habebat populo Romano ceſſerat] illud retinuit. Et licèt ipſe præſens paternum regnum poſceret: eo tamen illum, nunquam de populo Romano malè meritum, Pompeius privavit. Facile enim fuit tanto exercitu regem inermem opprimere: quamvis alia prætexebatur cauſa; iniquum videlicèt eſſe, poſtquàm veteres reges ſemel Tigranis armis pulſi fuere Syriâ, nunc eam Seleucidis victis cedere, potiùs quàm Romanis victoribus.

Negabátque

Negabatque Pompeius se Antiocho daturum, quod tueri nesciret: ne rursùs Syriam Judæorum & Arabum latrociniis infestam redderet. [*Justin. & Appian. in locis suprà notatis.*]

C. Julius Cæsar ædilis, conciliato populi favore, tentavit per partem tribunorum ut sibi Ægyptus provincia plebiscito daretur: nactus extraordinarii imperii occasionem, quòd Alexandrini regem suum, socium atque amicum à Senatu appellatum, expulerant, réque vulgò improbabatur. Neque obtinuit; adversante optimatium factione. [*Sueton. in Julio, cap.* 11.]

In Ægyptum verò Pompeius à rege (Alexandro II expulso) contra seditiosos est vocatus; & donatus muneribus ac pecuniis, & vestimentis in usum totius exercitûs. Ægyptum tamen ille non adiit: sive cavens inimicorum invidiam, religionémque oraculi (Sibyllini; de quo infrà ad anni Mundi 3948. initium) sive ob alias rationes. [*Appian. Mithridat. pag.* 251.]

Pompeius tum Damascum venerat, & Cœlesyriam obibat: quum venerunt ad eum legati ex universâ Syriâ & Ægypto atque Judæâ: eodem, ut videtur, tempore, quo duodecim Reges ad eum convenisse ex Plutarcho diximus. De quibus, ex *Strabonis* Historiarum libris, locus iste profertur à Josepho. [*Antiquitat. lib.* 14. *cap.* 5.] *Venit & ex Ægypto legatio, & corona aureorum quater mille. Et ex Judæâ, sive Vitis sive Hortus: quod opus* Τερπωλὴν, *id est, Delectamentum vocabatur. Hoc donum vidimus etiam nos Romæ in Jovis Capitolini templo dedicatum, cum inscriptione Alexandri Judæorum Regis: æstimabatúrque quingentis talentis.* Quod donarium, ab Alexandro Jannæo in Templo Hierosolymitano repositum & à filio ejus Aristobulo ad Pompeium inde transmissum, ex Pompeii triumphorum actis *Plinius* fuisse refert, *Montem aureum quadratum, cum cervis & leonibus & pomis omnis generis, circumdatâ vitis aureâ.* [*Plin. lib.* 37. *cap.* 2.]

3940 Paulò pòst iterùm ex Judæâ ad Pompeium venerunt legati: Antipater pro Hyrcano, & Nicodemus pro Aristobulo. Legatus Aristobuli de acceptâ pecuniâ Gabinium primùm accusavit qui 300, deinde Scaurum qui 400 talenta receperat: hos quoque inimicos ei faciens. Utrumque litigantium, & Hyrcanum & Aristobulum, Pompeius ad se venire jussit. [*Josephus, lib.* 14. *cap.* 5.]

Afranius per Mesopotamiam in Syriam, præter pactum à Pompeio cum Phraate initum, proficiscens, in itinere aberravit; multúmque, ob hyemem & penuriam victûs, incommodi passus est: periissétque cum suis, nisi eos Carrenses, qui Macedonum coloni esse feruntur & circum ea loca incolunt, excepissent deduxissentque. [*Dio, lib.* 37.]

Pompeius, Aspidi (in Ponto) hyberna agens, adversantes sibi etiamnum regionis partes recipiebat: quantum ex fragmentis libri 37 *Dionis* colligere possumus; quæ in Consulatu Cæsaris & Figuli transposita esse, collatis inter se partibus, Lector facilè animadvertet. Ex omnibus verò Mithridatis pellicibus, quæ attractæ ad eum fuere, nullam Pompeius attigit; sed omnes ad parentes & propinquos remisit. Nam ducum ferè & dynastarum filiæ conjugésque fuerant. [*Plutarch.*]

Inter alia, castellum Symphorium, tradente Stratonice, Pompeium tunc accepisse *Dio* indicat. Stratonice hæc, cantoris cujusdam (uti fama est) filia, una è regiis sive concubinis sive uxoribus fuit: desertámque se succensens, dum adhuc Pontum circumiret Mithridates, emisso ad commeatum parandum præsidio, Romanos recepit; hoc unum pacta, ut si fortè Pompeius Xipharem filium in potestatem redigeret, matri eum servaret incolumem. Subterraneorum quoque thesaurorum conscia (quos multa ærea vasa ferreis circulis vincta celabant) eos Pompeio obtulit. Ex quibus ille, quæ ornatum templis, & triumpho existimabat præbitura splendorem, sola accepit; reliquis Stratonicem oblectare se jussit. [*Plutarch. Appian. Dio.*]

His cognitis, Mithridates filium Xipharem interfecit ad fretum, inspectante matre ex adverso littore, & cadaver insepultum projecit: pietatem negligens, modò matri doleret quæ peccaverat. [*Appian.*]

Arcem quoque recepit Pompeius illam inexpugnabilem, quæ Καινὴ sive *Nova* dicta est: in quâ pretiosissima quæque Mithridates deposuerat, quæ à Pompeio posteà dicata sunt Capitolio. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 556, 557.] In eâ quoque arcana Mithridatis monumenta Pompeius nactus est: nec ea invitus legit, quòd præter alia secreta clarè etiam illius censum patefacerent. [*Plutarch.*] Inter arcana fuerunt & Mithridatis commentationes medicæ: quas transferre Latino sermone Pompeius libertum suum Lenæum, Grammaticæ artis doctissimum, jussit. [*Plin. lib.* 25. *cap.* 2.]

Phraates legatos ad Pompeium misit: per quos de acceptis injuriis questus, Tigranem juniorem in vinculis ab eo detentum, ut generum suum, mitti sibi postulavit: útque imperiorum Euphrates terminus esset, eúmque Pompeius ne transiret, edixit. Cui responsum ille dedit, Tigranem in patris potiùs quàm soceri jure esse, termino autem se usurum justo. [*Plutarch. cum Dione.*]

Phraates verno tempore (quo Lucius Cæsar & C. Figulus Consulatum gesserunt) contra Tigranem expeditionem fecit: ubi prælio victus, posteà hosti prævaluit. [*Dio, lib.* 37.]

Pompeius ineunte vere, copiis ex hybernis revocatis, in Damascenum agrum profectus est: obitérque arcem in Apamiâ diruit, quam Antiochus Cyzicenus munierat. Ptolemæi quoque Mennæi ditionem consideravit, viri noxii non minùs quàm fuerat Dionysius Tripolitanus affinitate ei conjunctus, qui securi percussus est. Mille tamen talentis iste redemit se à supplicio: quæ Pompeius erogavit in stipendia militum. Excidit etiam castellum Lysiada, cujus tyrannus erat Silas Judæus. Transiens deinde per Heliopolim & Chalcidem, superatóque medio monte in Cœlesyriam veniens, à Pellâ Damascum se contulit. (*Josephus. lib.* 14. *cap.* 5.)

Ibi Judæos audivit, & eorum principes Hyrcanum & Aristobulum; qui inter se diffidebant, sicut gens ipsa ab utroque. Judæi aiebant se nolle esse sub regibus, quòd patrium institutum

habeant, ut sui Dei pareant sacerdotibus. Hos autem duos, esse quidem è sacerdotum genere; sed velle principatum gentis in aliam formam traducere, ut eam in servitutem subigant. Hyrcanus querebatur sibi majori natu minimam portionem regionis esse relictam, cætera à minore fratre usurpata per vim omnia: qui & terrâ finitimos violentus incursaret, & in mari haberet piratarum receptacula. Attestabantúrque illi hæc dicenti plus quàm mille ex Judæorum optimatibus, quos Antipater ad hoc induxerat. Aristobulus contrà, excidisse è regno Hyrcanum aiebat propter ignaviam, & publicum apud suæ gentis homines contemptum: se autem id necessariò assumpsisse, ne ad alios transferretur. Et in testimonium citabat quosdam juvenes fastuosos, exosos omnibus propter purpureas vestes, capillitii curam, & phaleras ornamentáque cætera: qui hoc cultu tanquam ad pompam & non ad judicium venerant. (*Joseph. lib. 14. cap. 5.*)

Pompeius his auditis, & improbatâ Aristobuli violentiâ, dimisit eos placidè: promittens se venturum in eorum ditionem, quamprimùm res Nabatæorum inspexisset. Interim jussit eos quietos esse: comiter habens Aristobulum, ne is alienatus intercluderet ei transitum. Nec tamen ullam apud eum inivit gratiam. Aristobulus enim, qui quantum potuit ornatus cultu regio veneret, offensus obsequiis, neque ferendum existimans abjectius quàm regem deceret utilitati servire, à Diospoli regrediebatur; profectúsque ad opidum Delium, inde in Judæam se contulit, res suas curaturus. (*Id. ibid. & lib. 1. Belli, cap. 5.*)

Alexander II. Ægypto expulsus, Tyrum secessit, ibique vitam finiit: famâ sparsâ, testamento illius populo Romano regnum Ægypti fuisse relictum. De quo *Cicero* in Oratione primâ Agrariâ, ipso primo Consulatûs sui die habitâ. *Dicent Decemviri, id quod & dicitur à multis & sæpe dictum est, regis Alexandrini testamento regnum illud populi Romani esse factum. Dabitis igitur Alexandriam clàm potentibus iis, quibus apertissimè pugnantibus restitistis?* & in Oratione secundâ, plenius. *Quid Alexandria, cunctáque Ægyptus? ut occultè latet? ut recondita est? ut furtum tota Decemviris traditur? Quis enim vestrùm hoc ignorat, dici, illud regnum testamento regis Alexandrini populi Romani esse factum? Hic ego Consul populi Romani non modo nihil judico, sed ne quid sentiam quidem profero. Magna enim mihi res non modò ad statuendum, sed etiam ad dicendum videtur esse. Video qui testamentum factum esse confirmet; auctoritatem Senatus extare hereditatis adita sententia, tum quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum missimus, qui ab illo pecuniam depositam nostris recuperarent; hæc L. Philippum sæpe in Senatu confirmasse, memoriâ teneo. eum, qui regnum illud teneat hoc tempore,* (Ptolemæum Auletem,) *neque genere, neque animo regio esse, inter omnes ferè video convenire. Dicitur contrà, nullum esse testamentum: non oportere populum Romanum omnium regnorum appetentem videri; demigraturos in illa loca nostros homines, propter agrorum bonitatem & omnium rerum copiam. Hæc tantâ de re P. Rullus cum cæteris Decemvirís, collegis suis, judicabit?*

Fama quoque est, M. Crasso Censori acerbam actionem & violentam suscipienti, ut efficeret populo Romano vectigalem Ægyptum, Luratium Catulum ejus in Censurâ collegam enixè restitisse; atque hinc dissensione exortâ, ultrò eos magistratum deposuisse. [*Plutarch. in Crasso.*]

Pompeium tenebat cupiditas Syriæ recipiendæ, atque per Arabiam penetrandi ad mare Rubrum: ut quemadmodum consectandis modò Albanis penè attigerat mare Hyrcanum (sive Caspium,) & in Occidente Romanum imperium mari terminaverat Atlantico, ita jam victor illud in Oriente ad mare Rubrum usque protenderet. Quippe Mithridatis alioquin arduam videbat capturam; eúmque in fugâ quàm certamine graviorem. Itaque validiorem hostem fatus relicturum se ei famem, stationes navium dispositi contra navigantes in Bosphorum mercatores, pœnámque capitalem capûs indixit: ac trahens secum magnam exercitûs manum, iter est ingressus. (*Plutarch. in Pompeio.*)

Syriam cœlen & Phœnicen bello aggressus, Ituræos primùm Arabésque perdomuit. (*Appian. pag. 244. Eutrop. lib. 6. Oros. lib. 6. cap. 6.*) qui montanam regionem ad Libanum incolentes, vicinos latrociniis infestabant. Receptacula enim munitissima habebant: supernè quidem in monte, Sinnam & Borrhama, & alias hujusmodi munitiones; infrà autem Botryn & Gigartum, & speluncas ad mare sitas, & castellum promontorio Θεοῦ πρόσωπον dicto impositum. Quæ omnia Pompeius evertit: & Byblum (sive Palæbyblum) excurrens, quæ Cinyræ fuit regia, tyranno secuti percusso, eam liberavit. (*Strabo, lib. 16. pag. 755.*)

Subjugatis per Afranium Arabibus qui Amanum accolunt, descendit in Syriam: quam ut tusto rege vacuam in formam provinciæ redegit, possessionémque fecit populi Romani. (*Id. ibid.*) &, Antiochi nullâ ratione habitâ, ab Antiochensibus pecunias accipiens, civitatem fecit ἀυτόνομον & suo uti jure permisit. (*Porphyr. in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag. 227.*) Multa etiam Antiochensibus indulgens, publici consessûs locum collapsum restituit: honore illis habito, quòd ab Athenienſibus originem suam deducerent. [*Joan. Malela Antiochenus, in Chronico.*]

Seleuciam quoque (Pieriam) vicinam Antiochiæ civitatem inexpugnabilem libertate donavit; eo quòd regem Tigranem non recepisset. (*Strabo, lib. 16. pag. 751. Eutrop. lib. 6.*) Antiochensibus verò obsides reddidit: & aliquantum agrorum Daphnensibus, quo lucus ibi spatiosior fieret; delectatus amœnitate loci & aquarum abundantiâ. (*Eutrop. lib. 6.*) Unde luci hujus ingentis, fontanis aquis irrigui, ambitum stadiorum 80 fuisse, notavit *Strabo.* (*lib. 16. pag. 750.*) Daphnensem lucum, addito nemore, Pompeium consecravisse, scribit *Sextus Rufus* in Breviario. Militari manu consitum ab eo fuisse, commentario in Ezechiel. cap. 16. & Apollini consecratum fuisse, in Chronico addit *Hieronymus.* Quæ de novo nemore addito vera fortasse fuerint. Vid. ann. Mundi 3704. & 3853. de vetere luco.

Erat tum in Syriâ Cato Minor (Uticensis posteà appellatus) Stoicæ sectæ philosophus, ju-

venis

3940 venis tùm quidem, ſed magnæ exiſtimationis: qui à Dejotaro Galatarum rege (vel Tetrarchâ potiùs) ob jus hoſpitii & amicitiam paternam *invitatus*, peragrabat Aſiam; mores & inſtituta atque vires cujuſque provinciæ contemplaturus. Iter perpetuò faciebat pedibus: amici, qui comitabantur eum, vectabantur equis. Hic ad Antiochiam, abſente Pompeio, viſendam pergens, & pro portâ virorum turbam in veſtibus candidis, atque ex uno latere viæ adultos, ex altero pueros diſcretos, cernens; ſtomachabatur, ratus honoris ſui & officii causâ hæc, quæ non morabatur, facta: amicos tamen deſcendere; & ſecum pedibus juſſit incedere. Ut propè ventum eſt, ille qui omnia iſta adornabat & turbam componebat, vir ætate jam provectiore, virgam & coronam manu tenens, obtulit ſe præ aliis Catoni: ac, ne ſalute quidem datâ, quæſivit, ubi *Demetrium* reliquiſſent, & quando eſſet adfuturus. Pompeii ille erat libertus; & quòd plurimum apud eum poſſet, ab omnibus colebatur. Ibi Catonis amicis in riſum effuſis, Cato ait: *O miſeram civitatem!* neque alio dato reſponſo præteriit. Poſt autem quoties id narrabat vel meminerat, ſolebat ipſe quoque ridere. (*Plutarch. in Pompeio, & in Catone minore.*)

Quum Tigranes Armenius, à Phraate Partho prælio ſuperatus, Pompeium in Syriâ agentem ut ferret ipſi auxilium accerſeret; legatos denuò ad eum Phraates miſit, multa & Pompeium incuſans & Romanos inſimulans: adeò ut & pudorem, & terrorem Pompeio injiceret. Itaque neque Tigrani auxilium tulit, neque deinceps bellum, etſi multi ad id incitarent, adversùs Phraatem ſuſcepit. Hanc enim expeditionem ſibi à populo Romano non fuiſſe demandatam, & Mithridatem adhuc eſſe, dicebat: ad hæc ſe rebus confectis contentum eſſe, neque velle alia aggredi; ne dum plura appeteret, in his adverſam fortunam, veluti Lucullus, experiretur. Phraatis autem accuſationes dictis elevabat; non quidem refutans, verùm ei litem cum Tigrane de limitibus quibuſdam intercedere: ſeque miſſurum tres viros, qui eam dijudicarent. Atque eos quidem miſit: hiſque reges tanquam re verâ arbitris acceptis, omnem ipſi inter ſe controverſiam compoſuerunt. Tigranem ira ſtimulabat, quòd ſuppetias non impetraſſet. At Phraates Tigranem quoque ſalvum eſſe volebat; cujus olim, ſi res ita ferret, auxilio contra Romanos uti poſſet. Utrique ſatis conſtabat, uter ipſorum alterutrum ſuperaſſet, illum & negotium cum Romanis habiturum, & in ipſorum poteſtatem eo faciliùs venturum. His ſtaque cauſis moti, in gratiam redierunt. (*Dio, lib. 37. cum Plutarcho, & Appian. pag. 244.*)

Dum his negotiis Pompeius diſtinetur, Mithridates Pontum circumluſtravit, & Panticapæum, quod eſt in Europâ ad oſtium Ponti emporium, occupavit. (*Appian. ibid.*) Ipſe quoque legatos ad Pompeium adhuc in Syriâ morantem, & neſcientem eum eſſe ſuperſtitem, miſit; qui tributa populo Romano pollicerentur, ſi concederetur ei regnum paternum. Cúmque ille poſtularet, ut ipſe Rex veniret, ſicut Tigranes venerat: id ſe facturum negavit, ut parùm decorum perſonæ Mithridatis; miſſurum tamen filios & amicos aliquot. (*Appian. pag. 245.*)

His dictis, delectus maximos habuit promiſcuè, tam è ſervis quàm ex ingenuis: arma quoque multa & tela fabricabat & machinas, nulli parcens materiæ ne bobus quidem aratoribus in uſum nervorum. Tributa omnibus etiam tenuibus præſcripſit: quæ à miniſtris exigebantur cum multorum injuriis, non ſentiente Mithridate. Morbus enim quidam ulceroſus faciem ejus invaſerat; ut à ſolis tribus eunuchis aſpici pateretur qui eum curabant. Quo procurato, jam etiam copiæ paratæ aderant, 60 cohortes ſexcentenariæ, & alia multitudo numeroſa, navéſque, & locæ opportuna quæ duces illo ægrotante occupaverant: trajecitque partem exercitûs Phanagorium, alterum emporium ſitum in oſtio, ut aditum utriuque teneret, Pompeio etiam tùm hærente in Syriâ. [*Id. ibid.*]

In Boſphoro Mithridate Cerealia ſacra celebrante, terræ motus poſt hominum memoriam maximus repentè exortus eſt: quo multæ urbes dejectæ ſunt, & magna clades agris illata. [*Dio, lib. 37. Oroſ. lib. 6. cap. 5.*] Cui ſimilis, ſi non idem, terræmotus in Syriâ ille fuit; quo centum ſeptuaginta millia hominum & multas urbes periiſſe, ex Trogo *Juſtinus* refert. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruſpices reſponderunt. [*Juſtin. lib. 40. cap. 2.*]

Eodem tempore Caſtor Mithridatis præfectus, qui Phanagorio præerat, Tryphonem eunuchum regium (à quo aliquando tortus fuerat) intrantem adortus interfecit, & plebem ad libertatem vocavit: quæ quamvis jam arx teneretur ab Attapherne cæteriſque Mithridatis filiis, aggeſtis circumquaque lignis eam incendit. Quo metu Artaphernes, Darius, Xerxes, Oxathres & Eupatra liberi Mithridatis ſeſe dediderunt. In his ſolus Artaphernes erat fermè quadragenarius; reliqui formoſi pueri. Cleopatra verò, altera filia, reſtitit: cujus generoſitate pater delectatus, ſubmiſſis multis dicrotis eam eripuit. Reliquos Caſtor, arce occupatâ, ad præſidia Romanorum tranſmiſit. [*Appian. pag. 245, 246. Oroſ. lib. 6. cap. 5.*]

Quotquot erant in propinquo caſtella nuper occupata à Mithridate, audaci exemplo Phanagorenſium permota defecerunt: Cherſoneſus, Theudoſia, Nymphæum, aliáque circa Pontum opportuna bello gerendo. [*Appian.*]

Mithridates accenſus irâ, non ſolùm defectorum nonnullos deprehenſos ſupplicio affecit; ſed etiam complures amicos ſuos, & Exipodram filium ſuum interfecit. [*Dio, lib. 37. Oroſ. lib. 6. cap. 5.*] Vidénſque crebras defectiones, & ſuſpectum habens exercitum, ne parùm conſtantis eſſet fidei, quippe coactus ad militiam, (præſertim accedentibus gravibus exactionibus, & adverſitate fortunæ ſemper intutâ apud mutabiles ſubditorum militum animos) miſit ad Scythiam per eunuchos ad regulos nuptum filias: petens ut quamprimùm cum copiis venirent auxilio. Hæ deducebantur à 500 militibus: qui parùm à Mithridate digreſſi, eunuchos interfecerunt, quòd ab his apud regem præpotentibus ſemper moleſtati fuerant; & puellas ad Pompeium adduxerunt. [*Appian.*]

Pompeius relictâ Syriâ, Amisum in Ponto profectus est: ubi ambitione impulsus, quod in Lucullo tantopere reprehenderat, ipse egit. Dominante enim in Bosphoro Mithridate qui manum haud contemnendam jam contraxerat, quasi omnibus confectis, provincias ordinavit, & dona contulit. [*Plutarch.*]

Et quidem Pontum, vivente adhuc Mithridate, in provinciæ formam ab eo redactam, in libro 102. *Livius* indicat. Ea Galatiæ addita, & in undecim conventus distributa, Bythiniæ nomine appellata est. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 541.]

Mithridatium à Ponto avulsum Bogodiatoro Pompeius dedit. (*Id. ibid.*) Lunæ, Comanorum in Ponto deæ, Pontificem, regiâ dynastiâ præditum, creavit Archelaum, ejus cui à Syllâ & Senatu honor est habitus (ut ad annum Mundi 3919. dictum est) filium: adjecitque ad sacrum agrum & alium per orbem duorum schœnorum, sive stadiorum 60. ac mandavit inhabitantibus Comana, ut Archelao parêrent. Horum ergo is princeps fuit, & hierodulorum in urbe degentium, qui pauciores 6000 non fuerunt dominus; nisi quòd vendendi eos non habebat potestatem. (*Id. lib.* 12. *pag.* 558. *& lib.* 17. *pag.* 796. *cum Appiano, pag.* 251.)

Paphlagoniæ dynastam Attalum à Pompeio constitutum, *Appianus*; [*pag.* 251.] Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam fuisse redditam, *Eutropius*: ejúsque postea à Pylæmene moriente populum Romanum relictum fuisse hæredem, *Sextus Rufus & Jornandes* refert. Armeniam minorem Dejotaro Galatiæ regi (vel tetrarchæ potiùs) donavit; quia socius belli Mithridatici fuerat. (*Eutrop. lib.* 6.) Unum enim Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum veréque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit. [*Cicero, in Philippicâ* 11.] Unde & Gadilonitidis in Ponto regionis partem ei dedit; ut & quæ sunt ad Pharnaciam & Trapezuntem, Colchos usque ad minorem Armeniam: & regem ejus ditionis constituit; cùm etiam paternam tetrarchiam haberet Tolistoborgiorum Galatarum. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 547.] Galatiam enim tetrarchis è stirpe Pompeius reliquit. [*Id. ibid. pag.* 541. *cum Appiano, pag.* 251.] Paulò verò pòst in trium, deinde duorum, tandem unius Galatiæ venit potestatem Dejotari. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 567.]

Mithridates, tot liberis & castellis totóque regno spoliatus, dignitate quoque amissâ & spe auxiliorum ex Scythiâ, tamen ne tum quidem quicquam humile aut præsenti calamitate dignum cogitabat: sed ad Gallos Europæos, quorum jam antè hâc de causâ paraverat amicitias, per Scythas & Istrum iter destinabat, ut cum eis per Alpes Italiam invaderet; sperans multos Italiæ populos odio Romanorum sibi adjungendos. (*Florus, lib.* 3. *cap.* 5. *Appian. pag.* 246. *Dio, lib.* 37.)

Eos magnificos conatus destituit exercitus, deterritus ipsâ immani audaciâ, & expeditionis longitudine; tum quòd ducerentur contra viros quos ne domi quidem sustinere potuerant: & existimabant Mithridatem rebus suis desperatis velle fortiter potiùs ac regiè vitam finire quàm in otio. Attamen durabant aliquantisper & quieti eum patiebantur: erat enim non mediocris, & haud quaquàm contemnendus Rex vel in calamitatibus. [*Appian.*]

Arabiæ Petreæ, ad mare Rubrum usque, rex Aretas, quum prioribus temporibus Syriam frequenter vexasset, essetque ob id à Romanis, qui ad Syriæ propulsandas injurias venerant, prælio victus; tamen adhuc bellum gerebat. Adversus eum vicinosque, Phraate quietem jam agente atque Syriâ & Phœniciâ constitutâ, Pompeius expeditionem suscepit. [*Dio, lib.* 37.] Quæ quidem apud multitudinem castrensem non carebat reprehensione. Declinationem enim putabant eam insequendi Mithridatis; atque in illum vertenda arma censebant, veterem hostem, qui jam bellum instaurabat & parabatur (ut nuntiabatur) per Scythiam & Pannoniam cum exercitu invadere Italiam. Sed Pompeius pronius sibi factu existimabat vires opprimere bellum gerentis, quàm corpus capere fugientis. (*Plutarch.*)

Iter ingressus Pompeius, cadavera illorum qui duce Triario infeliciter cum Mithridate pugnantes in Ponto ceciderant, quæque Lucullus insepulta reliquerat, splendidè & magnificè tumulavit. Aretas, contemptis antè Romanis armis, tunc magno metu perculsus, dicto audientem scripsit se fore Pompeio & imperata facturum. Quò magis autem hujus consilium Pompeius exploraret, movit Petram. [*Plutarch.*] ubi regem cum vicinis sine labore in potestatem redegit, & custodiæ tradidit. [*Dio, lib.* 37.] urbe eorum Petrâ captâ. [*Oros. lib.* 6. *cap.* 6.] licèt, omissis illis, Pompeium contra Aristobulum arma movisse, *Josephus*: quum verò non procul Petrâ abesset, accepto de Mithridatis cæde nuncio, extemplò signa retrò ex Arabiâ movisse & Amisum pervenisse, *Plutarchus* scripserit.

Romæ P. Servilius Rullus Tribunus plebis inito magistratu legem agrariam promulgavit, de creandis cum summâ potestate decemviris, quibus jus esset agrum publicum totâ Italiâ atque Syriâ, & quicquid nuper à Pompeio partum erat, vendere vel colonis dividere. Cui Kalendis Januariis (quæ ut annus tum Romæ agebatur, in initium ferè Juliani Octobris incurrebant) inito Consulatu Cicero se opponens, habitâ in Senatu oratione contra Rullum, omnes legis illius metu liberavit. (*Cicero, in primâ agrariâ & lib.* 2. *ad Attic. ep.* 1. *cum Plutarch. in Ciceron.*)

Cúmque eâ lege potestas Decemviris daretur eos vendendi agros, *quos rex Mithridates in Paphlagoniâ, Ponto, Cappadociáque possederat*; in secundâ oratione agrariâ coram populo habitâ, plebisciti illius iniquitatem hâc ille interrogatione perstrinxit. *Itáne verò? non legibus datis, non auditis verbis imperatoris, nondum denique bello confecto, cùm rex Mithridates amisso exercitu regno expulsus, tamen in ultimis terris aliquid etiam nunc moliatur, atque ab invictâ Cn. Pompeii manu Maotide & illis paludibus & itinerum angustiis atque altitudine montium defendatur; cùm imperator in bello versetur, in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquum sit: eos agros, quorum adhuc penès Cn. Pompeium omne judicium & potestas more majorum debet esse, Decemviri vendent.*

L. Va-

L. Valerius Flaccus, qui Romæ prætoram geſſerat, in Aſiam Prætor miſſus eſt. Quam prætoram Aſiaticam illius fuiſſe annuam, illique Quintum Ciceronem in eâ ſucceſſiſſe, teſtatur Quinti frater Marcus Cicero in oratione pro hoc ipſo Flacco, repetundarum à provincialibus poſtulato, habitâ.

3941 Pharnaces, filiorum Mithridati chariſſimus, & ſæpe regni hæres deſignatus, patri ſtruxit inſidias: ſive quòd timebat ne Italica patris expeditio omnem ei apud Romanos ſpem reconciliationis præcluderet, ſive aliâ causâ vel cupiditate permotus. Captis autem inſidiarum conſciis & ad torturam admotis, Pharnaci tamen pater, ſuaſu Menophanis, veniam dedit. (*Appian.*) Hanc veniam (ut *Salianus* hîc notat) *Dio* tacet; quin potiùs ſemel iterúmque miſſos ait ad Pharnacem comprehendendum ſatellites, qui ab eo in ſuas partes traducti fuerint, & cum iis Panticapæo urbe captâ patrem in ſuam poteſtatem redegiſſe: hâc etiam obſervatione additâ. Mithridatem, quamvis in omnibus regiis rebus ſapientiſſimum, hoc tamen non animadvertiſſe: nihil neque arma, neque multitudinem ſubditorum, ſine eorum benevolentiâ, conducere; quinimo hæc ipſa, ſi fides abſit, tantò minùs tuta eſſe, quantò ſunt plura. Quæ obſervatio in ſubſequente quoque Appiani narratione locum habet.

Pharnaces, ſcelens exercitum alieno eſſe ab Italicâ expeditione animo, noctu primarios Romanorum transfugas proximè Mithridatem tendentes acceſſit: & periculum ſi in Italiam irent ipſis non ignotum exaggerans, multáque, ſi manerent, eis pollicens, induxit eos ut à patre deficerent. Móxque nocte eâdem ad alia propinqua caſtra dimiſit nuntios: & illis quoque pertractis in ſuam ſententiam, manè primi transfugæ conclamaverunt, quibus proximi quique, & mox alii, clamorem reddiderunt; reddidit & navalis exercitus. Et quidem plerique clamorem defectionis indicem ediderunt, non prætoniti nec corrupti, ſed vel plurſum exemplum ſecuti quibus reſiſtere non poſſent, vel novarum rerum in afflicti ſenis calamitate cupidi.

Mithridates excitatus clamore, miſit quoſdam rogatum quid ſibi poſcerent. Illi non diſſimulanter aiebant ſe filium regem petere, juvenem pro ſene eunuchis dedito, interfectore multorum filiorum, ducum ac amicorum. His auditis Mithridates eos allocuturus prodiit: & interim manus quædam præſidiariorum conferebat ſe ad transfugas; qui negabant ſe eos admittere, niſi ad fidem impetrandam ederent aliquod facinus, ſimúlque Mithridatem oſtendebant. At illi equum fugientis interfecerunt, & Pharnacem quaſi jam voti compotes regem appellaverunt: quorum quidam membranam chartaceam longam latámque è templo depromptam vice diadematis circumdedit ejus capiti.

Id conſpicatus ſenex è ſuperiore porticu, alios poſt alios mittebat ad Pharnacem, qui tutum abitum peterent. Sed quum nemo rediret, veritus ne Romanis dederetur, ſatellites & amicos qui adhuc apud eum permanebant laudatos miſit ad novum regem: quorum aliquot in viâ præter opinionem occidit exercitus. (*Appian.*) Ipſe diu ex altiſſimo muro filium fruſtrà precatus, ubi inexorabilem vidit, morituru exclamaſſe fertur. *Quoniam Pharnaces mori jubet, vos ſi eſtis dii patrii precor, ut quandoque & ipſe hanc vocem à liberis ſuis audiat.* Statímque deſcendens ad uxores, pellices ac filias ſuas, venenum omnibus dedit. [*Oroſ. lib. 6. cap. 5.*]

Duæ filiæ virgines quæ apud eum educabantur, Mithridatis & Nyſſâ, Ægypti Cyprique deſponſæ regibus, enixè patrem rogabant ut ante illum potionem venenatam ſumerent, vetabántque bibere donec ipſæ hauſerunt. [*Appian.*] Sed Mithridati ad mortem neque hauſtum venenum, quod circa gladium perpetuò ſecum circumferebat, neque mucro, quo ſeipſum vulnerârat, ſatis fuerunt. Quamvis enim datâ operâ concitatiùs ambularet, ut infuſa peſtis per venas vegetatione corporis acta diſcurreret; nihil tamen agebat, propter quotidianam pharmacorum conſuetudinem, quibus vitalia ſua adverſus noxios ſuccos obſtruxerat, quæ nunc quoque vocantur Mithridatica. Ictus autem gladii, quem ſuâ ſibi manu intulerat, tum propter ætatem, præſentéſque quæ circumſtabant calamitates, imbecillior fuit; tum veneni ſumptione, cuicuimodi tandem id fuerit, debilitatus. Quum igitur neque ſeipſum confeciſſet, & diutiùs tempus trahere videretur; Bitœtum ſive Bithocum Gallum quendam militem jam fracto muro diſcurrentem, auctoritate vultus territum revocavit, & in cædem ſuam manum trepidantis adjuvit. Denique & à ſeipſo, & ab hoſtibus cæſus occubuit. [*Dio, lib. 37. cum Livio, lib. 102. Floro, lib. 3. cap. 5. Valerio Maximo, lib. 9. cap. 2. Plinio, lib. 25. cap. 2. Juſtino, lib. 37. cap. 2. A. Gellio, lib. 17. cap. 16. Appiano, pag. 248. Aurelio Victore, de Vir. illuſtr. cap. 76. & Oroſio lib. 6. cap. 5.*]

Hunc vitæ exitum apud Panticapæum in Boſphoro Cimmerio ſortitus eſt Mithridates: *vir, neque ſilendus, neque dicendus ſine curâ, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortunâ ſemper animo maximus, conſiliis dux, miles manu*; ut eum Velleius Paterculus [*lib. 2. cap. 18.*] celebrat: denique *rex poſt Alexandrum maximus*, ut eum in *Lucullo* ſuo appellat Cicero, quibus elogiis & nos permoti, non minorem in Mithridatis quàm in Alexandri rebus digerendis curam ponendam exiſtimavimus.

De Mithridatici belli ſpatio, in fine capitis 1ⁱ libri 6ⁱ, ita ſcribit Oroſius. *Bellum Mithridaticum vel, ut verius dicam, belli Mithridatici clades, multas ſecum involvens provincias, tracta & protenta per 40 annos fuit. Nam 662°, ut dixi,* (lib. 5. cap. 19.) *anno ab Urbe conditâ, quo etiam primum civile bellum experat inardeſcere; conſulatu Ciceronis verò & Antonii, ut verbis poëta optimi* (Lucani) *loquar, barbarico vix conſummata veneno eſt. Sed in his temporibus* 30 *gerendi belli inveniuntur anni: qualiter autem* 40 *à pleriſque dicti ſint, non facile diſcernitur.*

Bella Mithridatem cum Romanis per annos 46 geſſiſſe, apud *Juſtinum* (*lib. 37. cap. 1.*) legimus. Annos illis 42 *Appianus* in Mithridaticorum initio, (*pag.* 170.) alibi verò 40, (*in Syriacis, pag.* 118. *& Mithridaticis, pag.* 249.) ut & Florus, (*lib. 3. cap. 5.*) & Eutropius,

(*lib.* 6.) attribuit. Apud Plinium, [*lib.* 7. *cap.* 26.] titulus in delubro Minervæ à Pompeio positus bellum hoc 30 annorum fuisse notat. Atqui ab initio primi belli Mithridatici usque ad ipsum Mithridatis exitum, non plures quàm 26 reperiuntur anni; intermediis quoque pacis annis simul annumeratis. Ut rotundato numero bellum illud 30 annorum fuisse dicatur: quomodo Cicero [*orat. in L. Pisonem*] in Consulatu suo C. Rabirium perduellionis reum, ob cædem Saturnini authoritate Senatûs 40 annis antè peractam, se defendisse significat; quam *Dio* [*lib.* 37.] exactiori calculo, ante 36 annos factam fuisse affirmat. de quo, in Pisonianam illam orationem *Asconius Pedianus* est consulendus.

Erat hoc tempore in Judæâ Pompeius. Iratus enim Aristobulo, adversùs eum, Hyrcano multùm hoc precante, Romanas legiones, cum auxiliaribus copiis à Damasco cæteráque Syriâ excitis, duxit. Cùm verò Pellam & Scythopolim prætergressus perveniisset Coreas, ubi Judææ mediterranea versùs est initium, & Aristobulum in Alexandrium, castellum elegans in montis vertice positum, refugisse intellexisset; accersivit illum ad se per nuncios. Ille, multis suadentibus ut caveret bellum à Romanis, descendit: & cùm de jure principatûs cum Hyrcano fratre disceptasset, permissu Pompeii rursùm in arcem se recepit. Idque iterùm & tertiò fecit, simul spe regni Pompeio obsecundans, & omnia ejus imperata facturum se simulans; simul redeundo in arcem se muniens, & apparatus bellicos faciens, metu ne ad Hyrcanum transferretur dominium. (*Joseph. Belli, lib.* 1. *cap.* 5. *& Antiquit. lib.* 14. *cap.* 6.)

Jubente Pompeio ut castella traderet sibi Aristobulus, & præfectis eâ de re scriberet, quibus præceperat ut non nisi manu suâ scriptis litteris obtemperarent; parnit quidem, sed ægrè ferens secessit Hierosolyma, quasi ad certum bellum se præparaturus. Quem Pompeius statim, nec enim tempus apparatûs dandum putabat, cum exercitu est insecutus. [*Id. ibid.*]

In itinere, circa Jerichuntem, venit nuntius è Ponto, Mithridatem à filio suo Pharnace occisum esse significans. (*Ibid.*) Quem lætum nuntium lancearum cuspidibus tabellarii statim demonstrabant, quas lauri frondibus exornabant. Non erat ibi suggestus, neque dum erectus fuerat castrensis, quem faciunt grandibus cespitibus excisis & accumularis: tunc verò nimiâ properatione & studio congestis jumentorum clitellis tumulum excitavere. Eò postquàm conscendit Pompeius, nuntiavit iis Mithridatem manus sibi ipsum intulisse, omniáque illic Pharnacem sibi & Romanis occupavisse. [*Plutarch. in Pompeio.*]

Inde exercitus haud immeritò, quasi in Mithridatis corpore hostium myriade extinctâ, ovans ad sacrificia & convivia se convertit: lætatúsque Pompeius est, quòd factis suis & expeditionibus, quam haud ita expectaverat facilem, coronidem imposuisset. [*Id. ibid.*] Tantum enim in hujus unius animâ posuit, ut cùm omnia, quæ ille tenuerat, victoriâ possideret, tamen non antè, quàm illum vitâ expulit, bellum confectum judicârit. (*Cicero, pro Murenâ.*) de quo ita illum jactitantem, in libro secundo inducit Lucanus:

Idem per Scythici profugum divortia Ponti
Indomitum Regem, Romanáque fata morantem,
Ad mortem, Syllâ felicior, ire coegi.

Pompeius prima castra apud Jerichuntem habens, ubi palmeta sunt præstantissima, & opobalsamum provenit inter unguenta præcipuum, mane sequenti movit, inde versùs Hierosolyma. Tum verò Aristobulus anteactorum pœnitens obviam ei venit; pecuniámque pollicitus, quódque semetipsum ei cum civitate permitteret, rogabat ut omisso bello quicquid vellet pacatè ageret. Pompeius, datâ petendi veniâ, misit Gabinium cum militibus in urbem ad accipiendum pecuniam: qui tamen re infectâ rediit, exclusus & vacuis manibus; militibus Aristobuli pactum irritum facientibus. Eâ re commotus Pompeius, Aristobulo custodiæ tradito, ad urbem properavit; cæterà quidem probè munitam, tantùm è Septentrionali latere in,uriis expositam. (*Joseph. lib.* 14. *cap.* 7.)

Civibus intùs inter se dissidentibus, qui cum Hyrcano sentiebant, urbem Pompeio dedendam censuerunt: ad quos & alii plurimi, Romanorum constantiam metuentes, accesserunt. Aristobuli verò factio excludi eum jubebat & bellum parari; eo quòd regem haberet in vinculis. Hi prævenientes alteros, Templum occupârunt, & præciso ponte qui in urbem ferebat, ad bellum se expedierunt. At illi intromisso exercitu urbem & domum regiam tradiderunt: quarum custodiam Pompeius legato suo Pisoni commisit. Ipse vicinas Templo domos aliáque propinqua ædificia muniebat. Et primùm quidem conditiones pacis inclusis obtulit: quas cùm illi non admitterent, omnia quæ circum erant oppugnationi paravit; Hyrcano alacriter suppeditante quicquid usus posceret. [*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 5. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 8.]

Pompeius à septentrionali Templi latere, quod maximè erat oppugnationi obnoxium, admovit milites. Erant autem hâc quoque parte turres altæ, & fossa manu facta; præter profundam vallem quæ Templum cingebat. nam etiam versùs urbem abrupta erant omnia, sublato ponte, quâ parte Pompeius erat cum suo contubernio. Erigebant autem quotidie magno labore aggerem Romani, cædentes circumquaque arbores: vallémque sepiebant omni genere materiæ per milites comportato. quod opus per se erat difficillimum, propter immensam vallis altitudinem; Judæis præsertim modis omnibus desuper obsistentibus. [*Ibid.*]

Sed nisi patrius nobis mos esset, inquit *Josephus*, per otium septimum quemque diem exigere; non potuissent absolvere aggerem, vetantibus adversariis. Prohibere enim vim inferentes permittit, sed opus facientem hostem impedire nos lex (non scripta utique, sed à Doctoribus tradita) non sinit. Quod ubi animadverterunt Romani, sabbatis neque eminùs incessebant telis Judæos, neque manus cum eis conserebant: tantùm erigebant aggerem & turres, machinásque admovebant, ut eis postridie adversùs nos uti possent. Ita *Josephus*, [*lib.* 14. *Antiquit. cap.* 8.] & Agrippa rex, apud eundem, [*libro* 2. *Belli*, *cap. ult.*] hos maximè

dies

dies Pompeium ad bellum deſtinaſſe memorans, in quibus hi qui oppugnabantur ſabbatorum agebant otia.

Recitatis in Senatu Pompeii litteris, de Mithridate interfecto confectóque bello Mithridatico, ſupplicatio dierum duodecim, Cicerone Conſule referente, Pompeio decreta eſt. [*Cicero, de provinciis Conſularib.*] Romanique feſtos dies egerunt, liberati hoſte graviſſimo. (*Appian. pag.* 232.)

Titus Ampius & Titus Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut Pompeius ludis Circenſibus coronâ laureâ & omni cultu triumphantium uteretur: ſcenicis autem prætextâ, coronâque laureâ. Quod ille tamen non plus, quàm ſemel uſurpare ſuſtinuit. (*Velleii. Paterculi. lib.* 2. *cap.* 40. *cum Dione, libro* 37.)

Hieroſolymis, valle jam repletâ, & appoſitis aggeri turribus, admotiſque machinis Tyro allatis, Romani ſaxis miſſilibus Templi mœnia concutiebant: diúque turres, magnitudine ſimul & pulchritudine præſtantes, vim obſidentium ſuſtinebant. Romanis verò tunc plurimùm defatigatis, Pompeius Judæorum tolerantiam & in aliis admiratus eſt: & præcipuè quòd, velut in altâ pace civitas ageret, omnem Dei cultum inter media tela verſantes diligentiſſimè celebrarent. Toto enim oppugnationis tempore, conſueta peragebantur ſacrificia: bis per ſingulos dies, manè & circa nonam horam, ſuper altari immolantibus Sacerdotibus, ac ne in extremo quidem diſcrimine ſacra intermittentibus. (*Joſephi lib.* 1. *Belli, cap.* 5. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 8.)

Quum Romæ feriæ Latinæ agerentur, (quæ non ſtativæ erant, ſed concepivæ) Cometes effulſit: & Novembris Juliani die 7, horis duabus poſt mediam noctem, Luna eclipſim paſſa eſt. cujus, in libro 2° de Conſulatu ſuo, his verſibus *Cicero* meminit.

Tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivalis
Luſtrâſti, & lato mactâſti lacte Latinas;
Vidiſti & claro tremulos ardere cometas,
Multâque miſceri nocturnâ ſtrage putâſtis
Quod fermè dirum in tempus cecinere Latinæ;
Cum claram ſpeciem concreto lumine Luna
Abdidit, & ſubitò ſtellanti nocte peremptæ eſt.

Menſe obſidionis Hieroſolymitanæ tertio, concuſſa turri maximâ crebris arietis ictibus, collapſáque & ſecum ruinam trahente muri proximi, certatim hoſtium agmina in Templum irruperunt. Primus autem murum tranſcendere auſus eſt Cornelius Fauſtus Syllæ filius, ſequente cohorte militum; mox aliâ parte Furius centurio cum ſuis manipularibus: & inter utrumque Fabius, & ipſe centurio, cum manu ſuorum validâ. Hi circumſepto undique fano, alios aliò confugientes, vel etiam paulìſper repugnantes, interfecerunt. Ubi plurimi Sacerdotum quanquàm hoſtes ſtrictis gladiis irruentes viderent, intrepidi tamen in peragendis rebus divinis perſeverabant: & in ipſo libandi & adolendi miniſterio mactabantur, ſaluti quoque obſequium religionis præferentes. (*Ibid.*)

Omnia autem plena erant cædibus: & Judæorum alii à Romanis confoſſi cadebant, alii à gentilibus ſuis adverſæ partis ſtudioſè trucidabantur; plurimi per abrupta ſemetipſos præcipitabant, nonnulli ſubjectis in ædes ignibus concremabantur, non ſuſtinentes ſpectare quæ patrabantur ab hoſtibus. Itaque Judæorum quidem millia duodecim occubuerunt: Romanorum verò perpauci deſiderati, ſed plures ſauciati ſunt. Inter captivos etiam Abſalomus, patruus ſimul & ſocer Ariſtobuli, (filii Johannis Hyrcani filius, quem contentum privatâ & otioſâ vitâ in honore ab Alexandro Jannæo habitum ſcripſit *Joſephus*, lib. 13. cap. 20.) comprehenſus tenebatur. (*Ibid.*)

Captum eſt Templum die jejunii, C. Antonio & M. Tullio Ciceronе Conſulib. Olympiade CLXXIX. (*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 8.) annóque illius primo. (*Euſeb. Demonſtrat. Evangelic. lib.* 8. *cap.* 2.) ſolenni menſis tertii jejunio; quo Urbs poſteà à Soſio eſt occupata. (*Joſeph. lib.* 14. *cap. ult.*) Qui menſis tertius anni civilis eſt accipiendus, apud Hebræos & alios Orientales (ut in lib. 1. Antiquit. cap. 4. *Joſephus*, & in principium Ezechielis *Hieronymus* indicat) ab autumno deducti: ille videlicèt Syrorum menſis tertius, ab eis *Canun prior*, ab Hebræis *Ciſleu* dictus; cujus die 28° jejunium, in memoriam ſacri voluminis ab impio Jehojakimo combuſti, (*Jerem.* XXXVI. 9, 22, 23.) in hunc uſque diem Judæi celebrant. Quod jejunium ſi (ut ad annum Mundi 3398 eſt annotatum) ob captam primùm à Nebuchadneſare Hieroſolymam, quando Babyloniis primùm populus Dei ſervire cœpit, fuerit indictum: inſignem hic eventuum *συμπτωσιν* obſervare licebat; ut eodem ejuſdem menſis die, & poſt 343 annos à Pompeio, quando Romanis, & poſt 26 deinde annos iterùm à Soſio, quando Herodi Idumæo & ejus poſteris Judæi ſervire cœperunt, Templum Hieroſolymitanum capi contingeret. Dies verò ille 28 menſis Ciſleu hoc anno Decembris Juliani diei 20 reſpondit: & (quod notatu dignum eſt) in Saturni quoque diem, ſive Judaicum Sabbatum, incidit; quo Templum à Pompeio expugnatum fuiſſe, *Dio* ſignificat. Numerarúrque hic annus 79, ab anno regni Græcorum 170, quo ab Iſraële jugum Gentium ſublatum fuiſſe legitur. (I. *Maccab.* XIII. 41.) Unde, quàm brevi temporis ſpatio libertate ſuâ illi potiti fuerint, intelligitur.

Introgreſſus in templum Pompeius, & unà cum eo non pauci alii, inſpexerunt quæ nefas eſt videre niſi ſoli Pontifici. Cúmque intùs eſſent menſa & candelabrum cum lychnis & pocula libatoria & thuribula, ex auro cuncta, congeſtáque aromatum moles, & in theſauris ſacræ pecuniæ circiter talentorum duo millia: nihil tamen horum Pompeius attigit. Sequenti verò die purgare Templum ædituos juſſit, & Deo legitima offerre ſacrificia. (*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 5. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 8.)

Hyrcano Pontificatum Pompeius reddidit: tum prooter alia ipſius officia obſidionis tempore

3941 præſtita, tum quia totâ regione habitantibus Judæis author fuit, ne arma pro Ariſtobulo ſumerent, [*Id. ibid.*] Cum Pontificatu principatum quoque ſuæ gentis accepit: ſed diadema eum ferre Pompeius vetuit. Indéque, præter priores 9 annos, quibus matre Alexandrâ regnante Pontificatum geſſerat, per alios 24 annos ſummum ſacerdotium obtinuit. [*Id. lib.* 20. *Antiquit. cap.* 8.] pro quibus nos annos 23 cum dimidio accipimus.

Illos qui maximè belli cauſa fuiſſent Pompeius ſecuri percuſſit: Fauſto verò & aliis, qui primi murum conſcenderunt, digna præmia perſolvit. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 5. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 8.]

Judæos Pompeius populo Romano fecit tributarios. [*Id. ibid. Euſeb. Chronic. Severr. Sulpic. Hiſtor. ſacr. lib.* 2.] Urbes verò quas ſibi ſubjugaverant in Cœleſyriâ ademptas illis juſſit proprio parere Præſidi; & totam gentem, priùs elatam rebus proſperis, contraxit intra veteres terminos. Gadaram deinde, quam Judæi paulò antè ſubverterant, in gratiam liberti ſui Gadarenſis Demetrii [de cujus inſolentiâ in *Pompeio* ſcripſit *Plutarchus*] inſtauravit. Reliquas mediterraneas urbes, Hippon, Scythopolim, Pellam, Dion, Samariam, Mariſſam, Azotum, Jamniam, Arethuſam, ſuis reſtituit habitatoribus; præter eas quæ in bellis erant diruta. Similiter & maritimas, Gazam, Joppen, Doram, & Stratonis turrim [quæ poſteà ab Herode magnificè reſtaurata, Cæſarea eſt appellata] Pompeius liberas eſſe juſſit: eáſque omnes provinciæ Syriæ contribuit. (*Joſeph. ut ſupr.*) 4651 63

Hujus calamitatis, inquit *Joſephus*, (lib. 14. cap. 8.) *cauſa fuêre Hieroſolymitanis Hyrcanus & Ariſtobulus, inter ſe diſſidentes invicem. Nam cum primum libertatem amiſimus, ſubjecti Romanorum imperio; & regnorem de Syris bello captam reddere ipſis coacti ſumus: & inſuper plus quàm decem millia talentorum brevi tempore à nobis Romani exegerunt.* quos ſolum Craſſum è Templo abſtuliſſe, idem *Joſephus* poſteà (*cap.* 12.) affirmat: ut de tributis & penſitationibus populo indictis iſta hîc ille intellexiſſe videatur.

Cum his quæ à patrio hiſtorico *Joſepho* ſunt tradita, non abs re fuerit ea quoque conferre, quæ ab exteris ſcriptoribus, qui animo à Judæis fuerunt alieniſſimo, de re à Pompeio adverſus eos geſtâ memoriæ habentur prodita. Inter quos primum locum obtinet *Cicero*, in cujus Conſulatum inciderunt iſta: apud quem, in Oratione pro L. Flacco, de Pompeii abſtinentiâ hoc occurrit teſtimonium. *Cn. Pompeius, captis Hieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit. Imprimis hoc, ut multa alia, ſapienter; quòd in tam ſuſpiciosâ ac maledicâ civitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim credo religionem, & Judæorum & hoſtium, impedimento præſtantiſſimo Imperatori, ſed puderem fuiſſe.* & religionis Judaicæ cum Romanâ, qualis ab homine ethnico expectari poterat, ejuſmodi facta collatio. *Sua cuique civitati religio eſt, noſtra nobis. Stantibus Hieroſolymis, pacatiſque Judæis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis, abhorrebat: nunc verò hoc magis, quòd illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis; quàm chara diis immortalibus eſſet, docuit, quòd eſt victa, quòd elocata, quòd ſervata vel* (ut alii legendum cenſuerunt.) *ſerva facta eſt.*

Ex *Tito Livio*, hæc tantùm habentur in libri 102 epitome. *Cn. Pompeius Judæos ſubegit: ſanctum eorum Hieroſolyma, inviolatum ante id tempus, cepit.* niſi fortè ut alias hiſtoriæ ſuæ partes, ita & hanc, ex eo mutuatos fuiſſe exiſtimemus, *Eutropium & Oroſium.* Ita verò, in libro ſexto rem attigit Eutropius. *Ad Judæos tranſgreſſus, Hieroſolymam caput gentis tertio menſe cepit; duodecim millibus Judæorum occiſis, cæteris in fidem acceptis.* Oroſius, lib. 6. cap. 6. ex Petrâ Arabum Pompeium profectum fuiſſe ſcribens contra Judæos, *quibus Ariſtobulus expulſo fratre Hyrcano primus ex ſacerdote rex præerat*, non ex Joſepho, ſed ex alio non æquè rerum Judaicarum perito, hiſtoriam hanc ſe accepiſſe indicat: qui tamen de re à Pompeio geſtâ non malè iſta retulit. *Ad Hieroſolymam urbem eorum Gabinium cum exercitu miſit. Ipſe continuò ſubſecutus, & à patribus urbe ſuſceptus, ſed à plebe muro templi repulſus, oppugnationem ejus intendit. Id non ſolùm naturâ loci verumetiam ingenti muro foſſâque maximâ munitum, cùm alias aliis legiones dies noctéſque ſuccedere ſine requie cogeret, vix tertio menſe expugnavit. Tredecim* (*duodecim* habet Joſephus & Eutropius) *millia ibi Judæorum cæſa narrantur: cætera multitudo in fidem venit. Pompeius muros civitatis everſi aquarique ſolo æquavit: & cùm aliquantos principes Judæorum ſecuri percuſſiſſet, Hyrcanum ſacerdotio reſtituit, Ariſtobulum captivum Romam duxit.*

Strabo, Geograph. lib. 16. *Quum palàm jam Judæa tyrannide premeretur, primus pro ſacerdote ſe regem fecit Alexander: cujus filios Hyrcanum & Ariſtobulum de imperio diſceptantes, Pompeius ſuperveniens dejecit: atque eorum munitiones evertit, & ipſa imprimis Hieroſolyma vi capta ſunt. Ea munitio petroſa erat, & bene ſepta, & interius aquis abundans, exterius omnino ſicca. Foſſam habebat in lapide exciſam 60 pedum profunditate, latitudine 250. E lapide autem exciſo edulia erant Templi mœnia. Pompeius cepit, ut ferunt, obſervato jejunii die, dum ab omni opere Judæi abſtinerent, impletâ foſſâ & admotis ſcalis. Juſſitque mœnia omnia convelli: ac quantum omnino potuit latrocinii receptacula ſuſtulit, & loca ubi opes tyrannorum recondita erat. Eorum duo in ſericumtis ingreſſu ſita erant, Thrax & Taurus: reliqua verò, Alexandrium, Hyrcanium, Macharûs, Lyſias, & quæ circa Philadelphiam erant, item Scythopolis Galilææ proxima* (*pag.* 762. 763.) & pòſt: *Pompeius quibuſdam quæ Judæi ſibi violenter aſciverant ablatis, ſacerdotio præfecit Hyrcanum.* (*pag.* 764. 765.)

Apud *Lucanum*, in libro tertio Pharſaliæ, Pompeius inter gentes Orientis à ſe peritas *Judæum* ita commemorat.

Me dominum cognovit Arabs, me Marte feroces
Heniochi, noctique erepto vellere Colchi.

Cappadoces

Cappadoces mea signa timent, & dedita sacris
Incerti Judæa Dei, mollisque Sophene:
Armenios, Cilicasque feros, Tauroscque subegi.

Plutarchus in Pompeio. *Judæam subegit, regemque Aristobulum cepit.* Appianus, in Mithridaticis; de eodem. *Aretæ Arabum Nabatæorum regi bellum intulit, & Judæis, qui ab Aristobulo suo rege defecerant: donec expugnavit Hierosolyma, urbem eis sanctissimam.* [pag. 244.] & in Syriacis. *Una Judæorum gens armis subigenda superfuit: cujus regem Aristobulum victor Pompeius Romam misit, & Hierosolymorum, maximæ sanctissimaque in eâ regione urbis, mœnia diruit.* (pag. 119.)

Corn. Tacitus, Historiar. lib. 5. cap. 9. *Romanorum primus Cn. Pompeius Judæos domuit: templumque jure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, nullâ intus Deûm effigie, vacuam sedem & inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit.* L. Florus, Histor. lib. 3. cap. 5. de eodem. *Libanum Syriæ Damascumque transgressus, per nemora illa odorata, per thuris & balsami silvas, Romana signa circumtulit. Arabes, si quid imperaret, prasto fuere. Hierosolymam defendere tentavere Judæi: verum hanc quoque & intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, sub aureo vitem culo.* (de quo consulendus Lipsius, Elector. libro 2. cap. 5.) *Dissidentibusque de regno fratribus, arbiter factus regnare jussit Hyrcanum. Aristobulo, quæ renuebat eam rem, catenas dedit.*

Dio denique, libro 37. in M. Ciceronis & C. Antonii Consulatu. *In Syriam Palæstinam, quòd hujus incola Phœnicen infestassent,* Pompeius *profectus est. Eam regebant Hyrcanus & Aristobulus fratres: ac tum forte propter Pontificatum* (*regi enim nomen summi Pontificis apud eos est*) *sui Dei, quicunque is tandem est, dissidentes, urbes seditionibus agitabant. Hyrcanum igitur Pompeius sine prælio* (*neque enim is copias, quibus resisteret, habebat*) *statim in potestatem suam redegit. Aristobulum autem, in arce quâdam circumsessum, ad conditiones pacis accipiendas compulit. eumque is neque pecunias, neque arcem traderet, in vincula conjecit: indéque reliquos etiam haud difficulter subegit. Hierosolymorum autem oppugnatio haud parvo ei labore fuit. Urbem quidem ipsam, à fautoribus Hyrcani receptus, facilè obtinuit: templum autem, quod alterius partis homines præoccupaverant, haud absque labore cepit. Situm erat loco edito, suis mœnibus munitum: nec, si ex æquo omnibus diebus id defendissent, expugnatum esset. Verùm, quòd Saturni quos vocant diebus propugnationem intermittentes, iisque ab omni opere vacantes, Romanis eo libero spatio occasionem muri subruendi dederunt. Quippe ubi hunc hostium morem animadverterunt, nihil ferè egerunt reliquis diebus: quum verò circumactâ septimanâ, Saturni dies redissent, demum aggressi, summâ vi templum oppugnârunt. Atque ita tandem Judæi, nihil quicquam propugnantes, in potestatem hostium venerunt. Ibi tum pecuniis direptis, regnum Hyrcano datum, Aristobulus abductus est. Hæc eo tempore in Palæstinâ gesta sunt.*

Pompeio res gerente circa Judæam, Ptolemæum (Auletam) octona millia equitum suâ pecuniâ toleravisse; & mille convivas totidem aureis potoriis, mutantem vasa cum ferculis, saginavisse *Varro* tradit. (*Plin. lib. 33. cap. 10.*) cui ex Ægypto quotannis 12500 talentorum tributum pendi consuevisse, in quâdam oratione (quæ interiit) prodidit *Cicero.* (*Strabo, lib. 17. pag. 798.*) licèt *Diodorus Siculus* reditum Ægypti hoc tempore 6000 tantùm talentorum fuisse retulerit.

Seleucis in Palæstinâ à Pompeio condita est. (*Appian. pag. 251.*)

Pompeius Cœlesyriæ, usque ad Euphratem fluvium & Ægypti terminos, cum duabus Romanis legionibus, administratione Scauro relictâ, in Ciliciam abiit: Aristobulum vinctum secum abducens, cum duabus filiabus & totidem filiis. (*Joseph. lib. 14. Antiquit. cap. 8.*) quorum unus Alexander ex itinere fugit; minor autem Antigonus cum sororibus Romam vectus est. (*Id. lib. 1. Belli, cap. 5. fin.*)

Syriam Pompeium, illinc decedentem, Scauro quæstori suo regendam reliquisse, scribit Appianus. (*in Syriac. pag. 119. cum lib. 5. Bell. civil. pag. 676, 677.*) Hujus autem, simul & Judææ, administrationem Scauro eum permisisse, in lib. 1. Belli cap. 8. addit *Josephus.* Palæstinam quoque Pompeium, *Judæis domitis & Hierosolymis captis, in provinciæ speciem rectori delatâ jurisdictione formavisse,* in libro 14 affirmat *Ammianus Marcellinus.* Et Regis quidem nomen, licèt sine diademate, Hyrcanus tum retinuit: sed illius tanta erat ingenii tarditas & imbecillitas, ut non vectigalia solùm ordinandi, sed alia quoque omnia pro libitu in Palæstinâ disponendi, potestatem sibi Syriæ præsides assumerent, ut in Gabinii præfecturâ posteà videbimus.

Ciceronе & Antonio Consulib. IX. Kalend. Octobris, Octavio ex Atiâ uxore (Juliæ, sororis C. Julii Cæsaris, filiâ) natus est Octavius. (*Sueton. in Octav. Aug. cap. 4. & 5.*) qui posteà *Cæsar Augustus* dictus est: quóque imperante Mundi servator D. N. Jesus Christus natus est. (*Luc.* II. 1, 6, 7.) Author verò est *Julius Marathus*, ante paucos quàm Octavius nasceretur menses, prodigium (sive oraculum) Romæ factum publicè, quo denuntiabatur Regem populi Romani Naturam parturire: Senatum exterritum censuisse ne quis illo anno genitus educaretur; eos qui gravidas uxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse ne Senatusconsultum ad ærarium deferretur. [*Sueton. ut suprà cap. 94.*] De die natali IX. Kalend. Octobr. cum Suetonio consentit ipse Augustus in epistolâ ad Caium nepotem, [*apud A. Gellium, lib. 15. cap. 7.*] Hemerologium antiquum, [*in Inscriptionibus Gruteri, pag. CXXXIII.*] & Lapis Narbonensis: [*ibid. pag. CCXXIX.*] *Dione* non dissentiente, qui in libro 56 Septembris die 23 natum eum fuisse affirmat. In Septembri enim Juliano 30 dierum, IX. Kalend. Octobr. est Septembris 23. licèt in Septembri Pompilianò, qui 29 tantùm dierum

fuit, 22° ejusdem mensis respondebit. September verò, ut annus tum Romæ (ante correctionem à Julio Cæsare institutam) agebatur, in mensem Junium anni Periodi Julianæ 4651 incidit.

Catilinariâ conjuratione Romæ erumpente, Q. Marcius Rex & Q. Metellus Creticus imperatores ad urbem erant; impediti, ne triumpharent, calumniâ paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. [*Salust. in Conjurat. Catilin.*]

Ab anno 2 Olympiadis CLXXIX Philadelphienses annos suos dinumerant. (*Fasti Siculi.*) Philadelphia autem hæc non procul à Judæâ videtur esse: de quâ *Josephus*, lib. 1. Belli, cap. 5. & *Strabo*, lib. 16. pag. 760. & 763. ubi latronum circa eam receptacula à Pompeio (hoc anno) diruta fuisse significat: quæ causa fortasse fuerit hujus annorum epochæ instituendæ.

Pompeius Ciliciæ reliqua, quæ nondum agnoscebant Romanum imperium, obeundo sine certamine Romanis subjugavit. [*Appian. pag.* 244.] exceptâ parte ab Eleuthero-cilicibus possessâ: quorum opida in monte Amano sita à Cicerone Ciliciæ proconsule posteà sunt expugnata.

Pharnaces conditum muriâ corpus Mithridatis patris sui ad Pompeium miserat: simul se & regnum ei dedens. (*Dio. lib.* 37.) Cadaver eum Sinopen in triteme Pompeio transmisisse scribit *Appianus*; simúlque eos qui Manium (Aquilium) ceperant, & obsides multos Græci barbaricique generis: atque rogavisse, ut aut paternum regnum, aut Bosphoranum tantùm, quod Machares frater à Mithridate acceperat, tenere sibi liceret. *Plutarchus* Pompeium ait, quum Amisum pervenisset, invenisse multa dona à Pharnace allata, multa corpora ex familiâ regiâ, ipsum etiam Mithridatis cadaver non admodùm ex facie cognitum; verùm ex cicatricibus, ab iis qui id spectaculi desiderabant, agnitum. Ipsum enim non sustinuisse id videre Pompeium, verùm Sinopen amandavisse.

Cum vitâ enim illius etiam nomen hostile extinctum Pompeius existimans, nullas in defunctum frustrà iras exercendas putavit; sed in patrio sepulchro condi jussit. [*Dio, lib.* 37.] Corpus igitur illius regiè sepeliendum curatoribus ejus, addito sumptu, tradidit; & inferri jussit apud Sinopen monumentis regiis, laudatum ob gestorum excellentiam, ut regum ætatis suæ præstantissimum. [*Appian. pag.* 250.]

Vestem, quâ amicire se solitus erat Mithridates, armorúmque molem & splendorem Pompeius miratus est. At gladii vaginam, quæ constiterat talentis quadringentis, Publius furatus venundedit Ariarathi. Cidarin Caius Mithridatis collactaneus Fausto Syllæ filio petenti occultè dedit, operis mirifici: quod tum Pompeium latuit. at Pharnaces, quum pòst resciviſſet, in illos qui ea averterant animadvertit. [*Plutarch.*]

Pharnacem verò & Castorem Phanagorensem Pompeius populi Romani amicis & sociis adscripsit. [*Appian. pag.* 251. *Dio, lib.* 37.] Pharnaci quoque, quòd Italiam è multis difficultatibus exemisset, Bosphoranum regnum concessit: exceptis Phanagorensibus, quos liberos suo jure permisit vivere; quoniam primi recolligenti vires Mithridati, jámque classem, exercitum receptaculáque habenti, deficientes exhibuerunt negotium, exemplóque dato aliis, causa fuerunt ejus interitûs. [*Appian. pag.* 250.] Verùm pòst Pompeii discessum, oppugnavit Pharnaces Phanagorenses eorúmque vicinos, donec præ fame ad pugnam progressi opidani victi sunt: quos illæsos recepit ille in amicitiam, acceptis tantùm obsidibus. [*Id. pag.* 253, 254.]

Pompeius in Ponto castella recepit, quorum deditionem, qui in eorum præsidio erant positi, ad ipsius adventum differendam existimárunt: veriti, ne cujus pecuniæ sibi tuendæ custodia esset data, eam alii diripientes, sibi culpam imponerent. [*Dio, lib.* 37.] In Talauris verò, quam urbem Mithridates habuerat apparatûs promptuarium, duo millia poculorum ex Onyche gemmâ factorum compactorúmque auro inventa sunt, multæ phialæ pyctereésque, calices, lecti, sellæ, ornatissima omnia, item fræna equorum, pectorales humeralesque phaleræ, gemmatæ auratæque: quibus recipiendis percensendisque 30 dies quæstor insumpsit. Eorum pars à Dario Hystaspis filio successoribus per manus tradita fuerat; partem ex Ptolemæorum regum gazâ Cleopatra penès Coos deposuerat, unde Mithridates à civibus tradita deportaverat: partem ipse Rex paraverat ac collegerat, elegantioris supellectilis percupidus. [*Appian. pag.* 251, 252.]

Romæ Comitiis Consularibus habitis, pro L. Murenâ in sequentem annum Consulem designato & ambitûs accusato *Cicero* Consul orationem habuit: in quâ L. Luculli exercitum, qui ad triumphum ipsius convenerat, comitem Murenæ in petitione Consulatûs præstò fuisse dicit. De quo triumpho, in Lucullo suo idem *Cicero* ita etiam meminit. *Cùm victor à Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumniâ triennio tardiùs quàm debuerat triumphavit. Nos enim consules introduximus pene in urbem currum clarissimi viri.* Populum enim adversùs eum inflammaverat C. Memmius, ac quasi multa intervertisset de prædâ, traxissetque bellum, suaserat ut ei triumphum denegaret. Sed viri principes & potentissimi inferentes se tribubus, multis precibus & contentione ægrè tandem populum induxerunt, ut triumphum ei concederet. [*Plutarch. in Lucullo.*]

Triumphum verò non, ut aliqui, pompæ prolixitate & rerum traductarum copiâ fastidiosum duxit, sed armis hostilibus, quorum erat vis ingens, & machinis regiis Circum Flaminium exornavit; quod erat per se haud contemnendum spectaculum. Ipso in triumpho equites cataphracti pauci, currus falcati 10 traducti, amici & duces regii 60. Naves longæ rostratæ 110 translatæ. Ipsius Mithridatis aurea senûm pedum statua, & gemmis distinctum scutum: captúmque Tigranis diadema, in triumpho ductum. Fercula 20 vasorum argenteorum; aureorum poculorum, armorum & nummorum 32. Hæc per viros traducta. Octo muli lectos aureos portaverunt, 56 argentum infectum, alii 107 argenti signati paulò minus vicies septies centena millia drachmarum. In tabulis breviaria pecuniæ, quam Pompeio ad bellum piraticum & quæstoribus dederat: præterea quod militibus, in singulos 950 drachmas, diviserat. Denique splendidum epulum Urbi & circumjectis vicis dedit. [*Id. ibid.*]

Post

Poſt triumphum & Mithridatici belli rationes redditas, in diætam priſtinâ temperantiâ multò magnificentiorem Lucullus ſe convertit: primúſque ad omnia deliciarum genera Romanis dux extitit, cùm duorum regum Tigranis ac Mithridatis opulentiam acceſſiſſet. [*Nicolaus Damaſcen. Hiſtoriar. lib.* 27. *apud Athenæum, lib.* 6. *cap. ult. & lib.* 12. *cap.* 21.] Quem profuſæ in ædificiis convictibúſque & apparatibus luxuriæ primum authorem fuiſſe, *Velleius Paterculus* quoque confirmat. (*lib.* 2. *cap.* 33.)

3942 Eupatoriam, quam Mithridates Eupator conditam à ſe denominaverat, & ob receptos Romanos diruerat, Pompeius inſtauravit; agróque & civibus additis, Magnopolim appellavit. (*Strabo, lib.* 12. *pag.* 556. *Appian. pag.* 251.) Cabira in urbis formam adornavit, ac Diopolim nominavit. (*Strabo, ibid. pag.* 557.) Bithynis & Ponticis leges & jura conſtituit: de quibus *Plinius* Bithyniæ prætor meminit, in epiſtolis ad Trajanum. (*lib.* 10.)

Pompeius ex Ponto in Aſiam (propriè dictam) profectus, Epheſi hyemavit. (*Dio, lib.* 37.) Cúmque omnia terrâ marique confeciſſet, claſſem tamen Aſiæ civitatibus imperavit; ſumptu ad L. Syllæ deſcriptionem accomodato. (*Cicero, pro Flacco.*)

L. Valerius Flaccus, qui ſuperiore anno Romæ prætor fuit, hoc anno prætura Aſiæ geſſit. (*Id. ibid.*)

Sub finem hyemis, exercitui victori præmia Pompeius diſtribuit, viritim 1500 drachmas Atticas, (quot, qui minimum, accepiſſe confirmat etiam *Plutarchus*) & pro dignitate ampliùs Tribunis ac centurionibus: cujus pecuniæ ſummam ferunt talentorum 16 millium fuiſſe. (*Appian. pag.* 252.) Legatis & quæſtoribus, qui oras maris defendiſſent, ſeſtertiùm bina millia; commilitibus ſingulis quinquaginta data fuiſſe; apud *Plinium* legimus. (*lib.* 37. *cap.* 2.) Si tamen integer ille locus eſt. 4652 61

D. Julio Silano & L. Murenâ Conſulibus Metellus de Cretâ triumphavit. (*Eutrop. lib.* 6.) & quidem *Kalendis Junii* [quantum ex faſtorum triumphalium marmoreorum fragmentis colligi poteſt) quæ in *Martium* Julianum eo tempore inciderunt. Ornamentum tamen triumphi ejus, captivos duces, Pompeius ſubduxit. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 40.) Panarem enim & Laſthenem, auxilio cujuſdam tribuni plebis ad hoc perſuaſi, eripuit; quòd ſibi ex pacto eos, non Metello, acceſſiſſe diceret. [*Dio, lib.* 36.] Sed & Luculli & Metelli triumphum cùm ipſorum ſingularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem. (*Vellei. Paterc. ut ſupra, cap.* 34.) Triumphi verò Metelli Cretici meminit etiam *Appianus*. [*legat.* 30.]

Ut Ephelum ad ſalutandum Pompeium ætate majorem dignitatéque præcellentem acceſſit Cato, conſpiciens eum Pompeius non tenuit ſe loco, neque permiſit ut ſedentem adiret ſe; ſed tanquam ex primoribus alicui exiliens proceſſit ei obviam, dexterámque porrexit: & multis laudibus ſtatim in amplectendo & ſalutando præſente, pluribus etiam digreſſi virtutem extulit. Quaſi tamen non haberet illo præſente liberum imperium, dimiſit eum libenter: eique penè ſoli eorum qui Romam navigabant liberos ſuos & uxorem commendavit, alioquin propinquitate ei conjunctos. (*Plutarch. in Catone minore.*)

Pompeius, poſtquàm multos principes regéſque partim debellaviſſet partim conditionibus certis ſibi adjunxiſſet, arces non minùs mille, urbes non infra 900 cepiſſet, urbes 39 vel collapſas aut bello vaſtatas (in iis erant Mazaca, regum Cappadociæ primaria ſedes) reſtituiſſet, octo urbes regionéſque colonis auxiſſet, majoremque earum nationum partem quæ per continentem Aſiam Romanorum erant ſuis ipſe legibus inſtruxiſſet, eíſque rempublicam ordinaviſſet; Epheſo demùm ſolvens, per Inſulas & Græciam majore pompâ iter in Italiam inſtituit. [*Dio, lib.* 37. *cum Appiano, pag.* 251. *& Plutarcho in Pompeio.*]

Cùm in Lesbum inſulam Pompeius veniſſet, Mitylenen civitatem immunitate Theophanis gratiâ donavit. (*Plutarch. ibid.*) Mitylenæi enim Manium Aquilium alióſque vinctos tradiderant: quibus libertas jam, in unius Theophanis gratiam, à Pompeio reſtituta eſt. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 18.) Erat hic Balbus Cornelius Theophanes patriâ Mitylenæus rerum Pompeii ſcriptor: quem inter intimos ille habuit, & in concione militum civitate donavit; cuique defuncto cœleſtes honores Græca adulatio poſteà tribuit. (*Cicero, pro Archiâ poetâ, Strabo, lib.* 13. *pag.* 617. *Valer. Maxim. lib.* 8. *cap.* 14. *Cornel. Tacit. Annal. lib.* 6. *cap.* 1. *Jul. Capitolin. in Maximo & Balbino.*)

Apud Mitylenæos patrium poëtarum certamen ſpectavit Pompeius; quod unum habebat argumentum ipſius res geſtas: & delectatus theatro, delineavit effigiem & figuram ejus, quo Romæ ſimile excitaret grandius & excellentius. [*Plutarch.*]

Rhodum profectus, omnes ſophiſtas audivit; donavitque ſingulis talentum. Poſidonius etiam deſcripſit quæſtionem, quam illo audiente habuit contra Hermagoram rhetorem De quæſtione generali. [*Idem.*] Pompeius verò intraturus Poſidonii domum, fores percuſſit de more à lictore: vetuit: & faſces lictorios januæ ſubmiſit is, cui ſe Oriens Occidénſque ſubmiſerat. [*Plin. lib.* 7. *cap.* 30.] De quorum congreſſu, ex ipſius Pompeii ore iſta retulit, in libro ſecundo Tuſculanarum quæſtionum, Cicero. *Poſidonium & ſæpe ipſe vidi. & id dicam; quod ſolebat narrare Pompeius. ſe, cùm Rhodum veniſſet decedens ex Syriâ, audire voluiſſe Poſidonium: ſed cùm audiviſſet eum graviter eſſe ægrum, quòd vehementer ejus artus laborarent; voluiſſe tamen nobiliſſimum philoſophum viſere. Quem ut vidiſſet & ſalutaviſſet, honorificiſque verbis proſecutus eſſet, moleſtéque ſe dixiſſet ferre, quòd eum non poſſet audire. at ille, Tu verò, inquit, poteſ: nec committam ut dolor corporis efficiat, ut fruſtra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, eum graviter & copioſe de eo, hoc ipſo, nihil eſſe bonum niſi quod honeſtum eſſet, diſputaſſe: cúmque quaſi faces ei doloris admoverentur, ſæpe dixiſſe. Nihil agis, dolor: quamvis ſis moleſtus, nunquam te eſſe confitebor malum.* Aiunt quoque Pompeium Rhodum veniſſe, quo tempore

ad bellum Mithridaticum proficiſcebatur, mox adverſùs Mithridatem ducturus, ibíque Poſidonium diſſerentem compellaſſe, inque ſuo diſceſſu interrogaſſe, ecquid mandaret: eum autem illud Homericum protuliſſe,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.
Rem gere præclarè, atque aliis præſtare memento.

ut apud *Strabonem* legitur. [*lib.* 11. *pag.* 492.]

Valerius Flaccus Prætor civitatibus Aſiæ pecuniam & remiges claſſis nomine imperavit. ſed numero navium eâ quâ Pompeius uſus fuerat dimidio minore: bipartitò claſſe diſtributâ, ut una pars ſupra Epheſum, altera infra Epheſum navigaret. quâ claſſe M. Craſſus ab Æno (Thraciæ) in Aſiam, & Flaccus ex Aſiâ in Macedoniam navigavit. Cúmque aurum, Judæorum nomine, quotannis ex Italiâ & ex omnibus Romanorum provinciis Hieroſolymam exportari ſoleret; Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſiâ exportari liceret. Unde Apameæ comprehenſum ante pedes prætoris in foro expenſum eſt auri pondo centum paulò minus per Sex. Cæſium equitem Romanum, Laodiceæ viginti pondo paulò amplius per L. Peducæum, Adramyti per Cn. Domitium legatum, Pergami non multum; atque in ærario aurum eſt repoſitum. Hæc, in oratione pro eo habitâ, commemorat & defendit *Cicero*.

Scaurus, Syriæ præſes à Pompeio relictus, Arabiam ingreſſus, ad Petram quidem regionem aſperitate prohibebatur accedere: quæ autem circùm erant omnia vaſtabat; multis & in hoc malis affectus. Nam exercitum fames premebat: cui tamen Hyrcanus pet Antipatrum ex Judæâ frumentum & alia neceſſaria ſuppeditabat. Miſſúſque à Scauro ad Aretam legatus Antipater, eo quòd familiaris & hoſpes eſſet, perſuaſit etiam illi pecuniâ numeratâ vaſtationem agrorum redimere: ſponſor factus pro 300 talentis. Atque his conditionibus hoc bellum finitum eſt; non minùs è Scauri quàm ex Aretæ ſententiâ. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 6. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 3.] Hinc argenteum denarium in Ædilitate ſuâ cudendum curavit Scaurus, in quo ſupplex ante eum jacet in genibus Rex barbaro habitu, chlamyde longâ caligíſque laxis indutus, coronam præſentans cameli dorſo impoſitam: circumſcriptis literis, M. SCAVRVS, ÆD. CVR. EX S. C. & ſubtus, REX. ARETAS. [*Pigh. Annal. Romanor. tom.* 3. *pag.* 341. *& 362.*]

Quum Pompeius M. Piſonem legatum ſuum ad petendum Conſulatum miſiſſet; Romani & comitia uſque ad adventum ejus diſtulerunt, & Piſonem præſentem omnes unanimi conſenſu Conſulem deſignárunt. Pompeii enim commendatio pro eo non apud amicos tantùm ſed apud inimicos etiam valebat: tanto illius metu, priuſquàm exercitum dimiſiſſet, omnes tenebantur, [*Dio, lib.* 37.]

3943 Sub Piſonis Conſulatûs initia (circa Novembrem Julianum) in Italiam Pompeium advenìſſe, ex *Ciceronis* lib. 1. ad Atticum epiſt. 9. & 11. intelligitur. Cúmque non ſine exercitu venturus in Urbem exiſtimaretur, & libertati publicæ ſtaturus arbitrio ſuo modum, atque Italiam ſibi ſubjicere potentiámque in omnes Romanos ſibi parare poſſet; ut primùm tamen Brundúſium appulit, ipſe ſuâ ſponte copias omnes dimiſit, quum neque Senatus neque populus quicquam de eis decreviſſet. [*Velleii. Paterculi. lib.* 2. *cap.* 40. *Plutarch. Appian. Dio.*] Plutarchus ait Pompeium benignè dimiſſos milites admonuiſſe, ut ad triumphum ſuum adeſſent: ſed ne in triumpho quidem eis utendum illum putaviſſe, affirmat *Dio*. [*lib.* 37.]

Romæ concione habitâ, bellum Orientis cum viginti & duobus regibus ſeſe geſſiſſe Pompeius narravit. [*Oroſ. lib.* 6. *cap.* 6.] & Aſiam ultimam provinciam accepiſſe, eandémque mediam patriæ reddidiſſe. [*Plin. lib.* 7. *cap.* 26. *cum Floro, lib.* 3. *cap.* 5.]

Q. Tullius Cicero, Marci frater natu minor, Prætor Aſiam ſortitus, L. Valerio Flacco ſucceſſor eſt datus. [*M. Cicero, in orat. pro Flacco; & lib.* 1. *epiſt.* 12. *ad Atticum.*]

In provinciam profecturus, uxoris ſuæ fratrem T. Pomponium Atticum legati loco ſecum ire voluit. Ille verò non decere ſe arbitrabatur, cùm prætoram gerere noluiſſet, aſſeclam eſſe prætoris. [*Cornel. Nepos, in Vitâ Attici.*] Quod Quintus vehementer ægrè tulit. [*M. Cicero, lib.* 1. *epiſt.* 14. *ad Attic.*]

P. Clodius, & ob defectionem Niſibiticam, & quòd in mulieris habitu ſacrarium in quod virum intrare nefas erat intraſſet, & quòd uxorem Metelli Pontificis & C. Cæſaris ſtupraſſet, & quòd cum ſorore ſuâ rem habuiſſet, accuſatus, à judicibus nihilominùs pecuniâ corruptis eſt abſolutus. [*Cicero, lib.* 1. *epiſt.* 13. *ad Attic. Liv. lib.* 103. *Plutarch. in Ciceron. Dio, lib.* 37.]

Piſoni Conſuli deſponſam Syriam ſe ei ademiſſe, ad Atticum ſcribit *M. Cicero*. [*lib.* 1. *epiſt.* 13.] Itaque Scauro, à Pompeio in Syriâ relicto, ſucceſſor à Senatu Marcius Philippus vir prætorius miſſus eſt: qui cum Arabibus ex vicino Syriam infeſtantibus conflictatus eſt. [*Appian. in Syriac. pag.* 119, 120.]

Anno 9°. Pontificatûs atque ethnarchiæ Hyrcani, (à morte videlicèt martis Alexandræ deducto; priùs quàm à Gabinio ethnarchia ei eſt adempta) menſe Panemo ſive Junio; in honorem illius promulgatum fuiſſe videtur Athenienſium illud pſephiſma, quod apud *Joſephum*, lib. 14. Antiquit. cap. 16. extat. licèt eam temporis notationem ad præcedens Romani Senatûs decretum ille ibi referat: quod & Hyrcani prioris filii Simeonis tempore, & Idibus Decembribus (in Septembrem Julianum tunc incurrentibus) editum fuiſſe, ad annum Periodi Julianæ 4587, oſtendimus. Hoc autem decretum, in gratiam Hyrcani II. filii Alexandri factum, Munychionis quidem Attici, die XI (circa Aprilis Juliani diem XXVIII) ab Eucle Menandri Altimuſio ſcribà exaratum, Panemi verò Macedonici *πέμπτῃ ἐπὶ δέκα* ſive die XXVII (Junii Juliani diei XX reſpondente) Ducibus eſt traditum, archonte Athenis Agathocle: ut in libelli de Macedonum & Aſianorum anno Solari capite 1°. ſignificavimus.

Quintus Cicero primus ſumptu remigum & claſſis parandæ civitates Aſiæ levavit. [*M. Cicero in orat. pro Flacco.*] & urbes complures penè deſertas, in quibus unam Ioniæ nobiliſſimam 4653 61

Samum,

Samum, alteram Cariæ Halicarnaſſum, recreavit. (*Id. lib.* 1. *epiſt.* 1. *ad Quintum fratr.*)

Triumphum ad Natalem ſuum Pompeius diſtulit. quem & *tertio & pridie* Kalendas Octobris (qui dies natalis fuit, in menſem Julium vel Junium Julianum tunc incurrens) duxit, M. Meſſalâ & M. Piſone Conſulibus; ut partim ex Faſtorum triumphalium fragmentis marmoreis, pleniùs autem ex ipſius Pompeii triumphorum actis à *Plinio* lib. 7. cap. 26. & lib. 37. cap. 2. commemoratis, intelligitur. Et licèt magnificentiſſimum de tot regibus per biduum egerit triumphum: (ut eſt apud *Velleium Paterculum*, lib. 2. cap. 40. & *Appian.* in Mithridaticis:) illud tamen bidui tempus triumphi magnitudinem non cepiſſe, docet *Plutarchus*; ſed apparatûs magnam partem, quæ ad exornandum alium triumphum ſatis ſuppeditaſſet, non fuiſſe ſpectatum.

Qui Pompeium in omnibus cum Alexandro contendunt & conferunt, 34 annis minorem eum tum fuiſſe volunt; cùm reverà 40 annorum fuerit: ſi *Plutarchum* audimus. Et quidem ipſe Pompeius à primâ adoleſcentiâ, ſermone fautorum, ſimilem ſore ſe credens Alexandro regi, facta conſultâque ejus æmulatus erat. [*Saluſt. Hiſtoriar. lib.* 3. *apud Nonium Marcellum, in voc.* æmulus.] Verùm *in ætate tanti viri* eos ut *minimum occupatos* non invenuſtè notavit Velleius, [*lib.* 2. *cap.* 53.] *quos fefellit quinquennium: cum à Caio Atilio & Quinto Servilio Conſulibus tam facilis eſſet annorum digeſtio.* id quod *Plutarcho*, illos alios corrigenti, hîc accidit; dum 40 tantùm ætatis annos Pompeio nunc aſſignat, qui reverà fuerunt 45.

Primum ex Africâ, alterum ex Europâ, tertium hunc ex Aſiâ, Pompeius triumphum duxit: & quot partes terrarum orbis erant, totidem fecit monumenta victoriæ ſuæ. [*Velleï. Paterc. lib.* 2. *cap.* 40. *Plutarch. in Pomp.*] Unde & magnus ille qui nunc agebatur triumphus *de Orbe terrarum* inſcriptionem prætulit. [*Dio, lib.* 37.] *Magnuſque* à totâ concione hîc conſalutatus eſt. [*Liv. lib.* 103.] quo cognomento, jam pridem à populo illi dato, contentus fuit: tametſi multa nova nomina de tot rebus geſtis accipere potuiſſet. [*Dio, ut ſupr.*]

Triumphi Præfatio (ex actis ejus à *Plinio* lib. 7. cap. 26. deſcripta) hæc fuit. *Cùm oram maritimam à prædonibus liberaſſet, & imperium maris populo Romano reſtituiſſet; ex Aſiâ, Ponto, Armeniâ, Paphlagoniâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Syriâ, Scythis, Judæis, Albanis, Iberiâ, inſulâ Cretâ, Baſternis, & ſuper hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit.* quibus *Medeam, Colchîdem, Meſopotamiam & Arabiam*, Plutarchus; *Heniochos & Achæos* addit Appianus.

In portus adduxit Pompeius naves 700 integras. Plauſtrorum, quibus arma in pompâ ſunt tranſvecta, ingens fuit numerus, & in his roſtra navium: poſthæc multitudo captivorum ac piratarum, non victorum, ſed cultorum habitu patrio. Ipſum ſublimem præcedebant regum ſatrapæ vel duces vel filii, partim captivi partim obſides, in ſummâ 324. [*Appian.*]

Inter hos Tigranes, Tigranis regis Armeniæ filius, fuit cum conjuge & filiâ, & ipſius Tigranis uxore Zoſime: adhæc Mithridatis ſoror & quinque filii (Artaphernes, Cyrus, Oxathres, Darius, Xerxes) & duæ filiæ, Orſabaris & Eupatra. Traductus eſt & Colchorum rex Olthaces, & Judæorum rex Ariſtobulus, tyranniſque Cilicum: Scytharum item regiæ fœminæ, duces tres Iberorum, Albanorum duo, cum Menandro Laodicenſi, qui equitum Mithridatis præfectus fuerat. Albanorum quoque & Iberûm obſides, & Commagenorum regis. Trophæa etiam permulta traducta ſunt, numero pugnis omnibus paria, quibus aut ipſe aut per legatos palmam tulerat. [*Idem, cum Plutarcho.*]

Abſentium effigies tranſvehebantur, Tigranis & Mithridatis, pugnantium & cedentium ac fugientium. Mithridatis verò etiam oppugnatio & noctu tacita fuga repræſentata fuit: ac poſtremò etiam mors ejus ſubjecta fuit ſpectatorum oculis; appictis & virginibus mortis ejus ſociis. Præferebantur & tabulæ cum filiorum & filiarum ante illum defunctorum imaginibus; & deorum barbaricorum figuræ cum ornatu patrio. [*Appian.*]

Ipſe Pompeius gemmato curru vehebatur, amictus, ut fertur, Alexandri Macedonis chlamyde. Currum ſequebantur ſocii hujus expeditionis præfecti militum, partim equites; partim pedites. [*Idem.*]

Pridie Kalend. Octobr. die natalis ſui tranſtulit Pompeius alveum cum teſſeris luſorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor, (in quo fuit Luna aurea pondo 30.) lectos tricliniares tres, vaſa ex auro & gemmis abacorum novem, ſigna aurea tria; Minervæ, Martis, & Apollinis; coronas ex margaritis triginta tres, montem aureum quadratum cum cervis & leonibus & pomis omnis generis, circumdatâ vite aureâ. [*de quâ ſupr. ad fin. anni Mundi* 3939.] Muſeum ex margaritis; in cujus faſtigio horologium erat. Ipſius Pompeii imaginem, è margaritis. [*Plin. lib.* 37. *cap.* 2.] In triumpho arbores quoque ſe duxiſſe ſcribit Pompeius: ebenum videlicèt, & balſamum uni terrarum Judææ conceſſum. [*Id. lib.* 12. *cap.* 4. & 25.]

Carpenta quoque traduxit & fercula onuſta auro & ornamentis aliis variis in quibus erat lectus Darii Hyſtaſpis filii, & ſella ac ſceptrum Mithridatis Eupatoris, aureâque ipſius effigies octo cubitorum pectore tenus. [*Appian.*] Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto, argentea ſtatua: & currus aurei argenteique. [*Plin. lib.* 33. *cap.* 12.] argentique ſignati ſeptem millia myriadum & 510 drachmæ inſuper. (*Appian.*) Tabulis quoque oſtenſum eſt, univerſa populi Romani vectigalia 5000 myriadum antea fuiſſe, cum his quæ ipſe populo Romano acquiſierat ad myriadas 8500 jam creviſſe. (*Plutarch.*)

Translata eſt & tabula, breviarium rerum à Pompeio in Oriente geſtarum continens, hoc inſcripta titulo. „ Naves roſtratæ 800 captæ ſunt. Urbes conditæ 8 in Cappadociâ, in Cili„ ciâ Cœleſyriâque 20. in Palæſtinâ, Seleucia. Reges victi, Tigranes Armenius, Artoces „ Iberus, Orezes Albanus, Darius Medus, Aretas Nabatæus, Antiochus Commagenus. Hæc titulus. (*Appian.*) Cui ſimilem & *Plinius* commemorat, (*lib.* 7. *cap.* 26.) ab eo in delubro Minervæ poſitum, quod ex manubiis dicabat. *Cn. Pompeius Magnus imper. bello*

XXX *annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum viciès semel centenis* LXXXIII *millibus, depressis aut captis navibus* DCCCXLVI. *opidis, castellis* MDXXXVIII. *in fidem receptis, terrâ à Maoti lacu ad Rubrum mare subactis, Votum meritò Minervæ.*

In ærarium retulit vasa, aurum & argentum signatum ad viginti millia talentûm. (*Plutarch.*) Inter dona in Capitolio ab eo dicata, Mithridatis regis dactylotheca fuit; ut *M. Varro* aliique ejusdem ætatis authores confirmant: quæ primùm ad margaritas gemmásque Romanorum mores inclinavit. (*Plin. lib.* 37. *cap.* 1.) Ibidémque pretiosissima quæque Mithridatis dicata sunt, in Novo castello reperta. (*Strabo, lib.* 12. *pag.* 556, 557.) & Vitis illa aurea ex Judæâ allata. (*Id. apud Josephum, lib.* 14. *cap.* 5.) & sex pocula murrhina, in Urbem tum primùm inducta: quæ protinùs ad hominum usum transiere, abacis etiam escariisque vasis inde expetitis. (*Plin. lib.* 37. *cap.* 2.)

Ubi triumphans pervenit Pompeius in Capitolium, neminem captivum necavit ut triumphatores alii; sed publicis impensis remisit quemque in suam patriam, exceptis regiis. [*Appian.*] Nam quod addit Appianus, [*pag.* 243. & 253.] Aristobulum mox interemptum esse, & post eum Tigranem; deceptum hic eum fuisse apparet. Aristobulum enim in patriam posteà rediisse, *Josephus & Dio*; Tigranem verò post triumphum apud Flavium Senatorem in catenis à Pompeio fuisse depositum, & ex ejus custodiâ à Clodio tribuno plebis fuisse ereptum, *Asconius Pedianus* in Orationem Milonianam, confirmat.

3944 Gazenses (anno jam tertio à Judæorum potestate liberati) hinc tempora sua dimumerârunt. [*Fasti Siculi; anno* 4. *Olymp.* 179.] Circa Octobris verò Juliani diem 27 Gazenses annum suum inchoasse, ex Marco Gazensi diacono in Vitâ Porphyrii Gazensis episcopi colligimus.

Ne Quinto Ciceroni in Asiaticâ præturâ succederetur, Marcus frater effecit: ut ipse in epistolâ ad eum scriptâ indicat, in quâ, inter alia in provinciâ à Quinto præclarè gesta, etiam illud recenset; sublata Mysiæ latrocinia, ædes multis locis repressas, pacem totâ provinciâ constituram, neque solùm illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura & majora opidorum & furta & latrocinia esse depulsa. [*Lib.* 1. *epist.* 1. *ad Quint. fratr.*]

Quum M. Cicero commentarium Consulatûs sui Græcè à se compositum ad Posidonium (Apamenum, philosophum & historicum) Rhodum misisset, ut ornatiùs de iisdem rebus scriberet; eum ille legens, non modò non excitatum se esse ad scribendum, sed etiam planè perterritum, rescripsit. [*lib.* 2. *epist.* 1. *ad Atticum.*]

Ptolemæo Auletæ senior filius est natus, qui ipsi in regno successit: siquidem non plures quàm XIII annos ille egit, quando ad eum post pugnam Pharsalicam Pompeius profugit; ut in libro 42 *Dio* innuit.

Pompeius à Senatu postulabat, ut multa quæ regibus, dynastis, & civitatibus ipse concesserat, Patres rata haberent. [*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 432.] | 4654 | 60

Lucullus tum otii voluptatibus divitiisque fruendis sese dediderat: sed monente Senatu excitatus ut authoritatem suam accommodaret ad rempublicam capessendam, confestim Pompeium adortus est. [*Plutarch. in Pompeio.*] Itaque & ille & Metellus Creticus, acceptæ injuriæ memores, & cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus à Pompeio, aut benemeritis præmia, ad arbitrium ejus, persolverentur. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 40.) Jubebárque Lucullus, ut de singulis suis factis seorsùm Pompeius referret; neque peteret, ut simul omnia approbarentur. Nam & alias iniquum esse dicebat, simpliciter ejus omnia acta, quæ qualia essent nemo ipsorum compertum haberet, tanquam à domino quodam patrata, rata haberi: & quum ipse ex Luculli actis quædam rescidisset, postulabat, ut utrisque in Senatu expositis, is utra approbatione digna visa forent confirmaret. Lucullum Cato, Metellus Celer consul, & alii qui cum iis sentiebant, enixè defendebant. (*Dio, lib.* 37.) Mithridaticam victoriam suam fuisse illo jactante, Crasso quoque in suum favorem pertracto. [*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 432, 433.] Indéque decreta sua, quæ abroverat Pompeius, obtinuit; (*Plutarch. in Pomp.*) sanctiones verò, quas Pompeius devictis fecerat regibus, rescidit: ac quum rogationem de agris militi dividendis tulisset, rem adjutore Catone impedivit. (*Id. in Lucullo.*)

Ita in Senatu jactatus Pompeius, ad Tribunos plebis coactus est confugere. (*Id. in Pomp.*) Et cùm L. Flavius tribunus, qui de agro militibus Pompeianis dividendo rogationem ferebat, etiam hoc ei addidisset, omnibus civibus suffragium esse dandum, quo & hoc faciliùs juberetur, & acta Pompeii rata pronuntiarentur: Metellus Consul tantâ contentione id impugnavit, ut ab eo in carcerem duceretur. Consule nihilominùs cum aliis in sententiâ pertinaciter persistente, Pompeius à petitione demùm destitit: serò pœnitens, quòd dimissis exercitibus seipsum inimicorum injuriis exposuisset. (*Dio, lib.* 37.)

Interea C. Julius Cæsar Romam venit, Consulatum petiturus. Eum Pompeius adjunxit sibi socium, operam se daturum jurejurando pollicitus, ut consul fieret: hoc tandem modo effecturum se sperans, ut acta ipsius in transmarinis provinciis, quibus tot obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulem. Cúmque Pompeius & M. Crassus inter se inimicitias exercerent ex consulatu, quem summâ discordiâ simul gesserant; non solùm utrumque inter se reconciliavit, sed etiam cum utroque potentiæ societatem iniit, ne quid ageretur in Republicâ quod displicuisset ulli è tribus: quæ conspiratio urbi orbique terrarum, ac sibi ipsis tandem exitiabilis fuit. (*Liv. lib.* 103. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 44. *Sueton. in Julio Cæsare, cap.* 19. *Plutarch. in Lucullo, Crasso, Pompeio & Cæsare. Appian. Bell. civil. lib.* 2. *Dio, lib.* 37.)

Hanc trium principum civitatis conspirationem *Varro*, nobilissimus hujus temporis scriptor, uno libro complexus, Τριακοντορον sive *Triscipissinam* inscripsit. (*Appian. pag.* 433.) Atque ab eâdem, in Metelli Celeris consulatu initâ, belli civilis historiam scribere exorsus est *Asinius*

Pollio:

Pollio: ut *Horatius*, libro 2°. Carmin. Ode 1ª, & ejus interpretes Acron & Porphyrio confirmant. Neque enim (ut plurimi existimabant) Cæsaris & Pompeii dissentio civilia invexit bella, sed conjunctio potiùs ad convellendos optimates conspirantium primùm, deinde tandem inter se dissidentium. (*Plutarch. in C. Cæsare.*)

Ab hoc etiam anno, quo Olympias CLXXX est acta, & Athenis Herodes (alius ab Herode illo Attico, cujus ut suo tempore celebratissimi meminit *Pausanias & A. Gellius*) archon fuit, rerum Cæsarianarum initium *Diodor. Siculus* deducit: qui & eo anno Ægyptum se lustraviſſe indicat, regnante Ptolemæo qui ὁ νέος Διόνυσος sive *novus Bacchus* dicebatur. [*Bibliothec. historic. lib.* 1. *part.* 1. *&* 2.]

3945 Prætura Asiatica Quinti Ciceronis tertius annus est additus; licèt parùm secundâ famâ proconsulatum Asiæ administratum ab illo fuisse, dicat *Suetonius*. (*in Octav. Augusto, cap.* 3.) Unde hoc anno à *Marco Cicerone* de bene gubernandâ provinciâ luculenta illa scripta est epistola, quæ inter scriptas ad Quintum fratrem primo legitur loco.

Marcio Philippo in præfecturâ Syriæ Senatus Lentulum Marcellinum, virum Prætorium, successorem misit. Τὸ δ' μὲν ἐκατὸν ἔτεσι μετὰ τὸν Πομπήϊον χρόνος, τὰς γίγαντας ἐκείνας δυνάμεις ἀμυνόμενος, inquit *Appianus* in Syriacis. [*pag.* 125.] *Ab utroque quidem* (separatim utique, non conjunctim) *biennale actum est tempus, cum Arabibus ex vicino infestantibus conflictato.*

Julius Cæsar Consul, neque Lucullo neque aliorum quoquam repugnante, omnia Pompeii acta, uti pollicitus fuerat, confirmavit. (*Appian. Bell. Civil. lib.* 2. *pag* 435. *Dio, lib.* 38.) 4655 59

Pervicitque Pompeius, ne Senatus honores, quos Ponticis quibusdam Lucullus promiserat, ratos haberet: iniquum esse dictitans, bello alterius operâ confecto alterius in potestate præmiorum & honorum distributionem poni. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 558.] Urbéque armis & militibus completâ, Catonem & Lucullum dejecit foro, atque acta sua per vim firmavit. [*Plutarch. in Lucullo, & Pompeio.*]

In primo hoc Consulatu suo societates ac regna pretio dedisse Cæsarem scribit *Suetonius*: [*cap.* 54.] ut qui uni Ptolemæo, propè sex millia talentorum suo Pompeiique nomine absulerit. Et Ptolemæum quidem (Auletam) magnam pecuniæ summam, partim de suo partim mutuò acceptam, in Romanos quosdam impendisse, refert etiam in libro 39. *Dio*; ut ab illis Ægypti regnum sibi confirmaretur, útque amicus ac socius appellaretur. Et debuisse Cæsari Auletam 1750 μυριάδας, in Cæsaris vitâ refert *Plutarchus*: quarum mille, postquàm occiso Pompeio in Ægyptum venerat, Cæsar ad sustentandum exercitum exegerit; quum cæteras Auletæ liberis antè condonasset.

Hoc vero anno, quo primum egit Cæsar Consulatum, Auletam in populi Romani societatem ex lege & Senatusconsulto fuisse receptum, in 3° Belli civilis commentario *Cæsar* ipse indicat: eúmque honorem, ante proscriptionem Ptolemæi Cyprii fratris sui, [quæ sequente anno est facta] illum à Senatu consecutum fuisse, in Sextianâ oratione confirmat *Cicero*, qui & in lib. 2. ad Attic. epist. 16. est consulendus.

C. Antonius, frustrà eum defendente M. Cicerone (qui ejus in Consulatu collega fuerat) damnatus est. [*Dio, lib.* 38.] Qui in Cephalenià exul degens, totámque sub se insulam tanquam suam possessionem habens, urbem ibi extruere cœpit, sed non absolvit. [*Strabo, lib.* 10. *pag.* 455.]

P. Clodio legatio ad Tigranem Armeniæ regem est decreta. Quâ ille contemptâ, ex patricio plebeius adoptione factus est: ut eâ ratione Tribunus plebis designari posset. [*Cicero, lib.* 2. *ad Attic. epist.* 7. *& orat. pro domo suâ. Dio, lib.* 38.]

Brithagoras, vir inter Heracleenses Ponti summæ authoritatis, cum filio suo Propylo ad Julium Cæsarem est profectus: & propiùs in amicitiam ejus admissus, annis 12 per omnes terras cum eâ secutus, ut civium suorum prosperitati consuleret. (*Memnon, cap.* 62.)

3946 P. Clodius, tribunus plebis factus, ut novos Consules ad partes suas pertraheret, amplas eis decrevit provincias: A. Gabinio Syriam, cum Babylone & Persis; L. Pisoni Achaiam, Thessaliam, Græciam, Macedoniam, omnémque Bœotiam. (*Cicero, pro P. Sextio, pro domo suâ, & de Provinciis Consularib. Plutarch. in Cicerone.*)

Quintus Cicero, quum triennium Asiæ præfuisset, ex provinciâ decessit: ut in epistolis (*lib.* 2. *ad familiar. epist.* 15. *& lib.* 6. *ad Attic. epist.* 6.) confirmat Marcus frater ejus, qui Thessalonicæ in exilio tum degens, ita ad Atticum de itinere fratris sui scribit. (*lib.* 3 *epist.* 9.) *Quintum frater cùm ex Asiâ discessisset ante Kalendas Maias* (sub Februarii Juliani exitum) *& Athenas venisset Idibus; valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, siquis fortè fuisset qui consentus nostris malis non esset. Itaque ego malui properare Romam, quàm ad me venire.* 4656 58

P. Clodii lege tribunitiâ, Magnæ Matris in urbe Phrygiæ Pessinunte sacerdos spoliatus sacerdotio est; & Brogitarus Gallogræcus (qui Bogodiatorus ille esse putatur, cui Mithridatium à Ponto avulsum dedisse Pompeium scribit *Strabo*, lib. 12. pag. 567.) homo nefarius, qui fanum illud non colendi sed violandi causâ appetens, pecuniâ grandi per legatos suos à Clodio emerat, in locum ejus est substitutus. Cúmque Sacerdotes Pessinuntii antiquitùs reguli quidam fuissent, (ut in loco notato *Strabo* indicat:) eâdem lege tribunitiâ, non solùm Dejotarus, sæpe à Senatu regali nomine dignus existimatus; sed etiam gener ipsius Brogitarus, qui id numquam à Senatu postulaverat, sed pecuniâ tantùm de eo per syngraphan cum Clodio pactus fuerat, Rex appellari jussus est. Dejotarus verò partem eam legis quæ congruebat cum judicio Senatûs, ut ipse Rex esset, recepit, nullo nummo Clodio dato: Pessinuntem verò in pristinâ religione servavit; maluítque generum munere Clodii, quàm illud fanum antiquâ suâ religione carere. (*M. Cicero, de Aruspicum respons. &, pro P. Sextio.*)

Idem quoque Clodius, ut Ptolemæum Cypri regem, Ptolemæi Auletæ regis Alexandri fratrem

(& om-

[*& omnibus morum vitiis*, ſi Velleium Paterculum audimus, illi ſimillimum] quòd ipſum à piratis captum olim neglexiſſet, ulciſceretur, quum avito regali otio quietus ille perfrueretur, causâ incognitâ ac nullâ commemoratâ injuriâ, de regno ejus in provinciæ formam redigendo & de pecuniâ & bonis ejus omnibus publicandis legem tulit: & ſub honorificentiſſimo miniſterii titulo, Marcum Catonem à republicâ relegavit; lege quoque latâ, ut ille, licèt perinvitus, ad rem adminiſtrandam cum prætorio imperio, adjecto etiam quæſtore, in Cyprum mitteretur. [*Cicero, pro P. Sextio, & pro domo ſuâ. Liv. lib.* 104. *Florus, lib.* 3. *cap.* 9. *Strabo, lib.* 14. *pag.* 684. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 45. *Plutarch. in Catone minore. Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 441. *Dio, lib.* 38.] de quo, in Sextianâ oratione, Cicero. *Ille Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, de quo nulla unquam ſuſpicio durior aut ad Senatum aut ad imperatores noſtros allata eſt, vivus (ut aiunt) eſt & videns, cum vitâ ac veſtitu ſuo publicatus. En, cur cæteri reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur, quum hoc illius funeſti anni perdito exemplo videant, per tribunum aliquem & ſexcentas operas, ſe fortunis ſpoliari & regno omni poſſe nudari.* Unde & Ammianum Marcellinum *(libro* 14. *)* dicere non piget; avidè magis (ob ærarii ſui anguſtias) hanc inſulam populum Romanum invaſiſſe, quàm juſtè. & Sextum Rufum, in Breviario: famoſam divitiis inſulam, paupertatem populi Romani & penuriam ærarii, ut occuparetur, ſollicitaviſſe; ita ut jus ejus avariùs magis quàm juſtiùs illi fuerint aſſecuti.

Tigranes, regis Tigranis filius & hoſtis, in vinculis etiamnum juſſu Pompeii apud L. Flavium, qui hoc anno Prætor fuit, detinebatur. Clodius tribunus plebis, pecuniâ corruptus, petiit à Flavio, ut ad cœnam Tigranem adduci juberet, quò eum videret. Adductum collocavit in convivio: atque vinculis exemptum dimiſit liberum; nec repetenti Pompeio reddidit. Cúmque ad navem adductus, profugeret ille; tempeſtate delatus eſt Antium. Clodius tribunus illicò Sextum Clodium miſit, ut eum ad ſe deduceret. Flavius quoque, re cognitâ, ad Tigranem corripiendum profectus eſt. Ad quartum lapidem ab Urbe pugna facta eſt; in quâ multi ex utrâque parte ceciderunt, plures tamen ex Flavii: inter quos & M. Papirius eques Romanus publicanus, familiaris Pompeio. Flavius ſine comite Romam vix perfugit. Indignatos Pompeium Gabiniúmque Clodius tribunus contumeliis infectatus eſt: eorúmque aſſeclas verberibus & vulneribus mulctavit, Gabinii conſulis faſces confregit, facultatéſque ejus ſacras eſſe juſſit. [*Cicero, pro domo ſuâ. Aſcon. Pedian. in orat. Milonianam. Plutarch. in Pompeio. & Dio, lib.* 38.]

Serapidem, & Iſidem, & Harpocratem cum Cynocephalo, Capitolio prohibitos Piſo & Gabinius Conſules, evertis etiam aris eorum, abdicaverunt; turpium & otioſarum ſuperſtitionum vitia cohibentes. [*Tertullian. in Apologetico.*]

Ptolemæo Auletæ, * junior filius natus eſt. 15° poſtèa ætatis anno, à ſorore Cleopatrâ veneno ſubjatus: (*Joſeph. lib.* 15. *c.* 4.) Tum verò Auletes, Cyprum à Romanis poſcere, aut amicitiæ eorum renuntiare, ab Ægyptiis juſſus, non parebat. Et tum ob hanc cauſam, tum ob ingentia tributa quæ vi ab Ægyptiis exigebat, ut æs alienum diſſolveret, quod in emendâ Romanorum ſocietate contraxerat, in odia eorum incurrit. Itaque quum neque perſuadere eis ut quieſcerent, neque vi eos adigere poſſet, (conductitios enim milites nullos habebat:) ex Ægypto aufugiens, Romam navigavit. [*Liv. lib.* 104. *Dio, lib.* 39.] ut Pompeius & Cæſar ipſum cum exercitu reducerent. [*Plutarch. in Catone minore.*] Timagenes tamen (qui ſub Auguſto hiſtorias ſcripſit: de quo *Seneca*, lib. 3. de Irâ, cap. 23.) tunc causâ Ptolemæum & nullâ compulſum neceſſitate diſceſſiſſe affirmat; ac Theophanis ſuaſu, Pompeio quæſtûs occaſionem & novorum bellorum materiam parantis, Ægyptum reliquiſſe. [*Idem, in Pompeio.*]

Catoni ad Cypriacam expeditionem proficiſcenti Clodius tribunus neque navem, neque militem, neque miniſtrum attribuit, præter duos ſcribas; quorum fur & improbiſſimus alter, alter ipſius Clodii cliens erat. Quaſi autem leve munus ei Cypri negotium impoſuiſſet, inſuper Byzantinorum exules imperavit ei reducere: molens ut in tribunatu ſuo abeſſet Caro quàm diutiſſimè. [*Id. in Catone minore.*]

Cato per Canidium amicum, quem præmiſit in Cyprum, egit cum Ptolemæo ut ſine certamine cederet; oſtensâ ſpe, neque inopem neque abjectum ipſum victurum: ſacerdotium enim ei Veneris Paphiæ populum daturum. Interim Rhodi ipſe ſubſtitit, ſimul & apparatui intentus & reſponſum operiens: [*Id. ibid.*] Ptolemæus verò, quum quid de ſe decretum eſſet percepiſſet, & neque arma ſumere adversùs Romanos auderet, neque regno exutus vitam ſibi ferendam duceret; omni pecunia impoſitâ navibus in altum proceſſit, ut claſſe perforatâ ſuo arbitrio periret, & ut hoſtes prædâ carerent. Sed cùm non ſuſtinuiſſet mergere aurum & argentum, futuum ſax necis præmium domum revexit, hauſtóque veneno vitam finiit; titulo Rex inſulæ, animo autem pecuniæ miſerabile mancipium. [*Id. ibid. Florus, lib.* 3. *cap.* 9. *Strabo, lib.* 14. *pag.* 684. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 45. *Valer. Maxim. lib.* 9. *cap.* 14. *Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 441. *Dio, lib.* 39. *Ammian. Marcellin. lib.* 14. *Sextus Rufus, in Breviario.*]

Ptolemæus Auletes Romam navigans, quum Rhodum appuliſſet, ibíque Catonem convenire vellet, milit ad eum; ſperans illum ad ſe venturum. Is verò Ptolemæum juſſit, ſi ei vitium eſſet, ad ſe venire. Poſtquàm ille venit, neque obviam ei proceſſit, neque aſſurrexit; ſed quaſi unum de vulgo ſalutavit, & aſſidere juſſit. Id primùm commovit illum: qui miratus eſt tantum in populari & exiguo ornatu ſupercilium & ſeveritatem. Ubi ſermonem deinde de rebus ſuis exorſus eſt, incuſavit eum Cato, quòd tantâ relictâ felicitate, tantis ſeſe ſubjeciſſet indignitatibus, laboribus, largitionibus, & avaritiæ principum Romanorum; quos redacta in argentum Ægyptus vix eſſet expletura. Conſulebárque ut cum claſſe reciperet ſe, & cum civibus rediret in gratiam: comitem etiam ſeipſum offerens & in reconciliando adjutorem. Rex, quaſi ex inſaniâ & amentiâ ab eâ oratione ad mentem reductus, veritate perſpectâ & Catonis prudentiâ,

inſtituit

instituit illius uti consilis. Cæterùm averius iterùm ab amicis, ut primùm Romam appulit, atque ad fores unius accessit in magistratu petiti; deflevit inconsulta sua cœpta, quòd divina tanti viri fastidivisset oracula. [*Plutarch. in Catone minore.*] Romanis verò adventus ejus ex alterâ parte tantam posteà exhibuit molestiam; ut M. Crassus [referente *Cicerone* in oratione pro Cœlio] de eo illud Tragœdi usurpaverit: *Vtinam ne in monte Pelio.*

Alexandrini, quum Ptolemæi profectionem in Italiam ignorarent, mortem oppetiisse arbitrati, filiam ejus Berenicen, quæ legitima erat, unà cum seniore ejus sorore Thyphænâ, (quæ & Cleopatra senior) regno præfecerunt. (*Strabo, lib.* 17. *pag.* 796. *Dio, lib.* 39. *Porphyrius in Grac. Eusebian. Scaligeri, pag.* 226.) Miseruntque Menelaum & Lamponem & Callimandrum ad Antiochum Pium (vel Asiaticum potiùs illius filium, quem Pompeius Syriæ regno exuerat) ut simul cum fœminis in Ægypto regnaret. Sed ille, morbo correptus, interiit. (*Porphyr. ibid. pag.* 227.)

Ambo Consules paludati in provincias exierunt, Piso in Macedoniam, Gabinius in Syriam: populo execrationibus eos prosequente. (*Cicero, pro Sextio; & in L. Pisonem.*) Quum autem Gabinius, in Syriam navigaturus, M. Antonium (qui posteà Triumvir fuit) ad capessendam militiam invitaret, abnuit privatum sequuturum se: sed delatâ sibi equitum præfecturâ, secutus est illum ad bellum. (*Plutarch. in Antonio.*)

T. Ampius, operâ P. Clodii tribuni plebis, Ciliciam provinciam extra ordinem obtinuit: (*Cicero, pro domo suâ: cum lib.* 1. *ad Familiar. epist.* 3.)

De rebus Gabinii in profectione, & primo adventu in Syriam ita meminit in oratione de Provinciis Consularibus M. Cicero. *Ejus iter in provinciam fuit ejusmodi, ut rex Arsabazanes consulem vestrum ad eadem faciendam, tanquam aliquem Thracem, duxerit. Deinde adventus in Syriam primus, equitatus habuit interitum: post exercitus sunt optimâ cohorte.* Cujus amissionis equitatûs & cohortium idem etiam in oratione pro Sextio refricat memoriam.

3947 Quum magna vis pecuniæ à Ptolemæo Cypriorum rege relicta diceretur, decrevit Cato Byzantium primò proficisci. In Pamphyliâ sororis ejus filius M. Brutus (Julii Cæsaris posteà interfector) colligendi sui ex imbecillitate gratiâ tunc agebat. Ei, ut quamprimùm inde in Cyprum navigaret, scripsit Cato: quòd Canidium in tractandis pecuniis temperatas non habiturum manus suspicaretur. Quam profectionem Brutus suscepit perinvitus: tum Canidii verecundiâ, ut ignominiosè à Catone habiti; tum prorsùs ejuscemodi actum & procurationem, utpote juvenis & literis deditus, neque liberalem censens neque se dignum. Attamen ita curam hîc intendit, ut fuerit à Catone commendatus. (*Plutarch. in Catone, & in Bruto.*)

Alexander Aristobuli filius, qui à Pompeio ex itinere fugerat, Judæam incursionibus vexabat: Hyrcano jam non valente ei resistere, & de muris Hierosolymorum reficiendis cogitante, quos Pompeius dejecerat; à quo tamen conatu Romani qui ibi erant eum cohibuerunt. Alexander verò pervagando regionem multos Judæos armavit: collectisque propere decem millibus peditum & 1500 equitibus, munitionibus firmavit Alexandrium castellum juxta Coreas situm, & Hyrcanium, & Macharuntem non longè à montibus Arabum. (*Josephi lib.* 1. *Belli, cap.* 6: *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 10.) 4637 17

Adversùs hunc expeditionem suscepit Syriæ præses A. Gabinius: præmisso M. Antonio cum aliis ducibus. Hi conjuncti cum Judæis in officio manentibus, quorum duces erant Pitholaus & Malichus, assumptis etiam Antipatri auxiliis; occurrerunt Alexandro, sequente cum reliquo exercitu Gabinio. Alexander recepit se propius Hierosolyma: ubi conserto prælio, Romani occiderunt hostium circiter tria millia, neque pauciores ceperunt. Gabinius autem ubi Alexandrium castellum venit, conclusos ad pacem invitavit, veniam præteritorum pollicendo. Et cùm multi hostium extra castellum stationem haberent, Romani eos adorti sunt: ubi multis cæsis egregiam operam navavit M. Antonius. (*Id. ibid.*) Qui hospitio ab Antipatro amicissimè exceptus, quum Triumvir post annos 16 in Syriam venisset, erga filios illius Phasaëlum & Herodem humanitatis hujus non immemorem se fuisse ostendit. (*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 10. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 23.)

Gabinius, relictâ ad Alexandrii oppugnationem parte exercitûs, ipse reliquam Judæam perlustravit: & quotquot invenit urbes dirutas, ædificari mandavit. Atque hoc pacto Samaria, Azotus, Scythopolis, Anthedon, Apollonia, Jamnia, Raphia, Dora, Marissa, Gaza, atque aliæ non paucæ instauratæ sunt: quorum posthæc habitatio tuta permansit, cùm antè longo tempore deserta fuissent.

His ita per regionem dispositis, ad Alexandrium reversus est Gabinius: & cùm intenderetur oppugnatio, per legatos veniam petiit Alexander; offerens castella Hyrcanium & Macharuntem, & postremò Alexandrium. Quæ quidem Gabinius omnia, consilio matris Alexandri, funditùs diruit; ne rursùs belli alterius receptaculum forent. Mulier enim de marito & liberis, qui captivi Romam abducti fuerant, sollicita, Romanis favebat; & Gabinium omnibus obsequiis prosecuta, quicquid ab eo petiit impetravit. (*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 6. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 10.)

Mox Gabinius, rebus dispositis, Hyrcanum Hierosolyma deduxit; curâque Templi & Sacerdotii ei demandatâ, cæteris Reipublicæ partibus optimates præfecit; & constitutis quinque juridicis conventibus, in totidem æquales partes totam provinciam distribuit: ita ut alii Hierosolymis, alii Gadaris (al. Doris) alii Amathunte, alii Jerichunte, alii Sepphoris jura peterent. Atque ita singulari unius dominatione Judæi liberati, aristocraticè libenter regebantur. (*Id. ibid.*)

Philippus Energetes Antiochi Grypi & Tryphænæ, filiæ Ptolemæi octavi Ægyptiorum regis, filius (qui ante annos 35. Syriæ rex fuerat) ab Alexandrinis ad Ægypti regnum capescen-

dum accersitus, à Gabinio Syriæ præside est cohibitus. (*Porphyr. in Græcis, Eusebian. Scaliger. pag.* 227.)

Ptolemæum Auletam Romæ Pompeius suscepit & Senatui commendavit, ac de reductione ejus egit. (*Strabo, lib.* 17. *pag.* 796.) Ptolemæus verò, ut à Cornelio Lentulo Spinthere Consule, cui provincia Cilicia mandata erat, restitueretur petiit. (*Dio, lib.* 39.) ipsóque Lentulo referente, ut ab eo reducerentur, Senatusconsultum factum est. (*Cicero, lib.* 1. *ad famil. epist.* 1. *cum orat. in L. Pisonem, & pro Rabirio Postumo.*)

Atque ab eodem Consule datum fuisse consilium dicebatur, ut Pompeio omnis potestas rei frumentariæ per totum imperium Romanum terrâ marique tribueretur: ut majore imperio ita Pompeio adducto, ipse regi Ptolemæo mitteretur auxilio. (*Plutarch. in Pompeio.*)

Alexandrini centum viros Romam ablegaverunt, qui & contra Ptolemæi accusationes ipsos defenderent, & vicissim ipsum de illatis injuriis accularent. Cujus legationis Dio Academicus princeps fuit. (*Strabo, lib.* 17. *pag.* 796. *Dio, lib.* 39.)

Ptolemæus, emissis in omnes partes certis hominibus, legatis insidias posuit, ac plerosque in ipso itinere interfecit: cæteros partim in ipsâ urbe occidit, partim injecto terrore, aut pecuniis corruptos, eò perduxit, ne causam cujus gratiâ missi erant apud magistratus agerent, ullámve interemptorum mentionem facerent. (*Dio, ibid.*) Quò spectat, quod de legatis Alexandrinis contra jus fasque interfectis, in oratione de Aruspicum responsis; & quod de Alexandrinorum pulsatione Puteolanâ, in oratione pro Cœlio, habet *Cicero.*

Hæc res in tantum rumoribus vulgo jactabatur, ut Senatus vehementer indignaretur, eos singulatim movente Marco Favonio: quòd & multi sociorum legati Romam missi (quorum unum Theodosium, legatum ad Senatum à civitate liberâ missum, P. Clodii & Hermachi Chii operâ *Cicero* de Aruspicum responsis sicâ percussum commemorat) per vim vitâ spoliati essent; & quòd magnus eo tempore Romanorum esset numerus, qui muneribus se corrumpi sivissent. Itaque principem legationis Dionem ad se vocaverunt; ut ab eo de veritate rei fierent certiores. Sed adhuc tantum pecuniâ poterat Ptolemæus, ut neque Dio in senatum venerit, neque ulla de cæde interemptorum mentio, quamdiu ipse Romæ fuit, fieret. (*Dio, ut suprà.*)

Tandem verò Dio quoque ipse, homo doctissimus, qui tum apud L. Lucceium (hominem item eruditissimum: à quo, in lib. 5. ad familiar. epist. 12. petit *Cicero*, ut res à se in Consulatu gestas litteris mandet) qui fuerat ei cognitus Alexandriæ, habitabat, per insidias est necatus. Cujus cædis neque P. Ascitius, qui ut ejus conscius accusatus est, neque Ptolemæus ullas pœnas dedit. Judicio enim liberatus est Ascitius: Regem verò domi suæ accipiebat Pompeius, & enixè juvabat. Et licèt multi, quòd se muneribus corrumpi passi essent, insequenti tempore in judicium essent pertracti: pauci tamen convicti sunt: quòd quum essent complures eidem crimini obnoxii, unusquisque sibi metuens alteri auxilium ferebat. Ea rum mortales pecuniæ studio perpetrabant. (*Cicero, in orat. pro Cælio. Dio, lib.* 39.)

M. Cato, reconciliatis exulibus cum cæteris civibus compositóque concordiâ Byzantio, in Cyprum navigavit: quem haud gravatim Cyprii receperunt, pro servis se jam deinceps amicos sociósque populi Romani futuros sperantes. Amplum verò & regium in poculis, mensis, gemmis, purpurâ, invenit ibi Cato apparatum: quem cùm distrahendum & redigendum in argentum curavisset; paulo minus septem millia argenti talentûm inde coëgit. (*Plutarch. in Catone minore, & Bruto. Strabo, fin. lib.* 14. *Dio, lib.* 39.)

Hic verò curiosè omnia quum vellet ille persequi, omniáque ad summum intendere pretium, atque ipse interesse omnibus & adhibere extremum calculum, ne consuetudini quidem fori credidit; verùm simul omnes suspectabat apparitores, præcones, sectores, amicos. Ipse denique cum licitantibus colloquebatur seorsim, & propellebat singulos, atque eâ ratione pleraque promercalia addixit. Quare tum multos amicos quasi diffidens eis offendit, tum intimum omnium Munatium ad offensionem lacessivit propè implacabilem. Et Julio Cæsari Anticatonem posteà scribenti materiam dedit criminandi locus hic amarissimam. Munatius enim hic (cui Rufi cognomentum tribuit *Valerius*, lib. 4. cap. 3.) de Catone & expeditione ejus Cypriacâ commentarium edidit; quem potissimùm est Thraseas secutus. In quo tamen commentario, non ex Catonis diffidentiâ extitisse scribit Munatius istam simultatem: sed quòd, cùm serius ipse in Cyprum venisset, Caro eum neglexit, & Canidium, qui initio adfuerat fidémque & abstinentiam suam ei probaverat, ipsi prætulit. (*Plutarch. in Catone.*)

Extremo Consulatûs sui mense (in Septembrem Julianum tunc incidente) quando novi tribuni plebis magistratum inierunt, P. Cornelium Lentulum Spintherem iter in Ciliciam provinciam suam paravisse, & Ptolemæum Auletam Româ discessisse, locus ille ex lib. 22. Annal. Fenestellæ à Nonio Marcello citatus ostendit. *Ut magistratum inierunt Tribuni, C. Cato turbulentus adolescens & audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam & Ptolemæo simul, qui jam profectus ex Urbe erat, & P. Lentulo Consuli, paranti jam iter, conciture secundo quidem populi rumore cepit.* A Cicerone verò causa Ptolemæi defensa est: ut & ipse in oratione pro Cœlio subindicat, & Fortunatianus apertiùs confirmat, orationem ejus de rege Ptolemæo nominatim citans.

3948 Initio Consulatûs L. Marcii Philippi & Cn. Lentuli Marcellini, statua Jovis in Albano monte cœlitùs tacta, restitutioni Ptolemæi aliquantum moræ injecit. Quum enim Sibyllini libri consulerentur: Regem Ægypti *dolosis consiliis* (ut apud *Ciceronem* est, in orat. pro Rabirio Postumo) Romam venturum, Sibylla prædixisse dicebatur; & de ejus susceptione, in hunc sententiam (ut habet *Dio*) pronuntiasse. *Si rex Ægypti auxilii alicujus indigens venerit, amicitiam ei ne denegaveritis, nullis autem copiis eum adjuveritis: sin secus feceritis,*

labores

labores & pericula habebitis. Quod oraculum in populum evulgatum eſt, C. Catonis tribuni plebis operâ, non enim licebat Sibyllinum ullum carmen populo enuntiare, niſi id Senatus decreviſſet: quantóque minùs id licere videbatur, tanto plebs ægriùs rem ferebat. Veritus itaque Cato ne ſententia oraculi ſupprimeretur, eam Latinè redditam Pontifices illo plebi exponere coëgit, priuſquàm Senatus quicquam eâ de re ſtatueret. [*Dio, lib.* 39.] Hæc tamen opinio populi Romani fuit, à Lentuli Spintheris (Ciliciæ Proconſulis) obtrectatoribus nomen inductum ficiæ religionis fuiſſe: neque tam ut illum impedirent, quàm ut nequis propter exercitûs cupiditatem (quem inter alios Pompeius maximè ambiebat) Alexandriam vellet ire. [*Cicero, lib.* 1. *ad familiar. epiſt.* 4.]

Ammonius Ptolemæi legatus, reductionem regis per Spintherem apertè pecuniâ oppugnabat. Pauci illi qui Regis cauſæ bene volebant, omnes rem ad Pompeium deferri volebant. Senatus religionis calumniam, non religione ſed malevolentiâ & illius regiæ largitionis invidiâ, comprobabat. (*Id. ibid. epiſt.* 1.) Et, quaſi rei religionis obſiſti jam non poſſet, factum eſt Senatuſconſultum, cum multitudine Regem reduci, periculoſum Reipublicæ videri. [*Id. ibid. epiſt.* 2. *& lib.* 2. *ad Quint. fratr. epiſt.* 2. *cum Appiano, in Syriac. pag.* 120. *& Parthic. pag.* 134.]

Ptolemæus, oraculo intellecto, pto Spinthere dari Pompeium ſibi ducem petit: inventique libelli ſunt per forum & in Curiâ diſſeminati, quibus id ſignificabatur. Unde Regis hâc de re litteris ab Aulo Plautio tribuno plebis publicè recitatis, collega ejus Caninius (apud Plutarchum *Canidius* perperàm dictus) legem tulit, ut ſine exercitu Pompeius duobus lictoribus comitatus Regem cum Alexandrinis in gratiam reduceret. Quæ lex licèt Pompeio diſplicere non videretur, ne hæc ipſa tamen res eum adhuc majorem efficeret, à Senatoribus ſub prætextu partim mandatæ annonæ partim ſalutis ipſius (uti metuere præ ſe ferebant) exploſa eſt. [*Plutarch. in Pompeio, Dio, lib.* 39.]

In Senatu autem hâc de re variæ fuerunt ſententiæ. Bibulus, ut à tribus legatis, ex iis qui privati eſſent: Craſſus, ut à tribus legatis, ſive privatis, ſive in imperio conſtitutis: Volcatius, Lupo tribuno plebis referente, (cum quo Afranius, Libo, Hypſæus, & Pompeii familiares omnes concurſabant) ut à Pompeio; Hortenſius, Lucullus & Cicero, ut à Lentulo Spinthere, Ptolemæus ſine exercitu reduceretur, cenſuerunt. Servilius verò reduci eum omninò negavit oportere. [*Cicero, lib.* 1. *ad familiar. epiſt.* 1. *&* 2.]

Menſe Februario (ſive Novembri Juliano) C. Cato tribunus plebis legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando; quod filio ejus veſtitum mutandi occaſionem dedit: ut in lib. 2. ad Quintum fratrem epiſt. 3. M. *Cicero* memorat. quod de Ptolemæi in regnum reducendi imperio, ex Senatuſconſulto in Conſulatu ipſi conceſſo, intelligendum. Ciliciæ enim proconſulatum, Cypri etiam (M. Catone inde diſcedente, tributariæ factæ, ut in libro 14 *Ammianus Marcellinus*, & in pretoriæ provinciam à Romanis redactæ, ut in fine libri 14 *Strabo* indicat) adjectione auctum, ex *Ciceronis* ad eum ſcriptis epiſtolis (lib. 1. ad familiar. epiſt. 7. & ſequentib.) poſt legis hujus promulgationem retinuiſſe ipſum conſtat.

Ptolemæus, cùm neque per Pompeium (quod maximè cupiebat) neque per Lentulum reduci ſe in regnum poſſe videret, de reditu jam deſperans, Epheſum profectus in Dianæ templo commoratus eſt. [*Dio, lib.* 39.]

Ariſtobulus, cum filio Antigono, Româ elapſus in Judæam reverſus eſt: ubi magnâ iterùm Judæorum manu conflatâ, partim mutationis cupidorum partim quibus olim dilectus erat, Alexandrium recèns dirutum denuò munire conatus eſt. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 6. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 11.]

Adversùs eum hæc molientem præſes Syriæ Gabinius milites miſit, ducibus Siſennâ (filio) Antonio & Servilio; qui Alexandrium occupari non ſinerent, & darent operam ut ipſum comprehenderent. Ad Ariſtobulum verò & alii multi Judæorum propter nominis celebritatem confluxerunt, & Pitholaus Hieroſolymorum præfectus cum mille armatis transfugit. Cúmque in eo confluxu multi fuiſſent non ſatis armis inſtructi; Ariſtobulus, iis ut inutilibus dimiſſis, aſſumptiſque armatorum octo tantùm millibus (inter quos Pitholaus erat cum ſuis) Machæruntem contendit. Eos ſecuti ſunt Romani: habitóque conflictu, aliquandiu pars Ariſtobuli fortiter dimicando perſeveravit, donec quinque virorum millibus deſideratis terga vertere coacta eſt. Prope verò ad duo millia in quendam tumulum confugerunt: unde dilapſi, ut quiſque potuit, ſalutem ſibi quæſiverunt. Cæteri mille cum Ariſtobulo, perruptâ Romanorum acie, Machæruntem perfugerunt, caſtrúmque munire cœperunt. Sed non ultra biduum oppugnationem ſuſtinere valens Ariſtobulus, multis acceptis vulneribus captivus, cum Antigono filio, ad Gabinium adductus eſt. (*Id. ibid.*)

Plutarchus in *Antonio* rem geſtam ita amplificat; victoriam totam Antonio acceptam referens. *Adverſus Ariſtobulum, qui Judæos ad rebellandum ſollicitaverat, miſſus, ampliſſima arcis mœnia primus tranſcendit, præſidiiſque illum omnibus exuit reliquis. Inde ſignis collatis ingentes copias ejus parvâ manu fudit, pauciſque demptis occidione eas occidit. Ipſe ultrà cum filio Ariſtobulus captus eſt.* Dio, lib. 39. non ita rectè, ipſum Gabinium in Palæſtinam profectum, Ariſtobulum (qui Româ profugus, tumultus aliquos ciebat) comprehendiſſe & Pompeio miſiſſe ſcribit; imperatóque Judæis ſtipendio, inde in Ægyptum, ad reducendum Ptolemæum profectum eſſe.

Tyrannio, in ædibus M. Ciceronis docens, Bibliothecam illius pulcherrimè diſpoſuit; Dionyſio & Menophilo, librariis ab Attico miſſis, uſus adminiſtris. [*Cicero, lib.* 2. *ad Quint. fratr. epiſt.* 4. *& lib.* 4. *ad Attic. epiſt.* 4. *&* 8.] Tyrannio videlicèt Amiſenus; qui (ante annos 14) à Lucullo captus, & Romæ clarus ac dives factus, librorum ultra 30 millia ſibi comparavit.

3948 [*Suid. in voc. Τυραννίων.*] qui ex Syllanâ bibliothecâ libros Aristotelis describendos curavit: à quo Andronicum Rhodium exemplaria ferunt accepisse, eásque quas habemus Aristotelis tabulas evulgasse. [*Strabo, lib.* 13. *pag.* 608. *& Plutarch. in Syllâ.*]

In Cypriaco negotio administrando, abstinentiæ & continentiæ M. Catonis testes producit Valerius, [*lib.* 4. *cap.* 2.] *Epirum, Achaiam, Cycladas insulas, maritimam partem Asiæ, provinciam Cyprum, unde quum pecunia deportanda ministerium sustineret, tam aversum animum ab omni venere quàm à lucro habuit; in maximâ utriusque intemperantiæ versatus materiâ. nam & regiæ divitiæ potestate ipsius continebantur, & fertilissimæ deliciarum tot egregiæ urbes, necessaria totius navigationis diverticula erant. Atque id Munatius Rufus, Cypriacæ expeditionis fidus comes, scriptis suis significat.*

Longam navigationem veritus Cato, multa vasa paravit; quorum singula bina talenta & 500 drachmas capiebant. Singulis longum alligavit funiculum, cujus capiti corticem subéris prægrandem annexuit; ut, si fractum esset navigium, alligatus ab imo locum commonstraret. Atque argentum quidem omne, pauco excepto, prosperè transvectum est. At rationes omnium quæ procuraverat habebat in duobus codicibus diligenter descriptas: quorum alterum libertus ejus Philargyrus ferens, quum ex Cenchreis solvisset, demerso navigio unà cum sarcinis amisit; alterum ipse Coreyram usque servaverat. verùm quum in foro tetendisset, nautæ autem crebras pyras ob gelu nocte incendissent; inflammatis tentoriis simul codex est desideratus. Quamvis verò inimicos quidem & calumniatores reddituri erant procuratores præsentes regii clingues: pupugit tamen res Catonem; qui non ad suam probandam fidem confecerat rationes, sed sedulitatis præbere aliis exemplum gestiebat. [*Plutarch. in Catone minore.*]

Ita Cyprias ille opes, velut hostiles exuvias classi impositas, Liburnis per Tiberinum ostium maximâ cum diligentiâ in Urbem deportavit. [*Florus, lib.* 3. *cap.* 9. *Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 45. *Valer. Maxim. lib.* 4. *cap.* 1. *Ammian. Marcellin. lib.* 14.] quam rem latiùs ærarium populi Romani quàm ullum triumphum impleviſſe, affirmat *Florus*. [*ut supr.*] 4658 56

Catonis adventu Romæ nuntiato, illicò omnes magistratus & sacerdotes, unà cum Consulibus (quorum alter, L. Marcius Philippus, Marciæ uxoris Catonis pater fuit) universo Senatu & frequenti populo obviam ei ad flumen prodierunt, & ripas utrinque compleverunt: nihilque à triumphi specie & splendore discessit ejus subvectio. Cujus tamen in eo notata est insolentia, quòd ad Consules & Prætores effusos obviam non descenderit, neque cursum inhibuerit, sed hexeri regiâ ripam prævectus non antè egressus fuerit quàm ad eum locum classe fuerit navali invectus, ubi erat exponenda pecunia. [*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 45. *Plutarch. in Catone minore.*] Nave nihilominùs egredienti Consules & cæteri magistratus, & universus Senatus populúsque Romanus officii gratiâ præstò fuit: non quòd magnum pondus auri & argenti, sed quòd M. Catonem classis illa incolumem advexerat, lætatus. [*Valer. Maxim. lib.* 8. *cap. ult.*]

Translatæ per forum pecuniæ, speratâ longè majoris, cepit populum admiratio. [*Plutarch.*] Et quia multis mancipiis pecuniisque ex facultatibus regiis collectis, Cato nulli in se repetundarum accusationi locum dederat, sed ab omni crimine liber cuncta Romanis tradiderat; tandem rei bene gestæ non minorem, quàm si victor è bello rediisset, honorem adeptus fuit. Quòd enim complures muneribus se corrumpi paterentur, id effecerat, ut pecunias despicere quàm hostes superare rariùs virtus haberetur. [*Dio, lib.* 39.]

Unum ex Cypriâ hâc legatione philosophum deportavisse Catonem, refert *Plinius*. [*lib.* 7. *cap.* 30.] Niciæ regio procuratori, de ejus fide & diligentiâ testatus, Cato libertatem à Senatu obtinuit. [*Plutarch. in Catone.*] Clodius servos ex Cypro advectos, *Clodios* nominare intendit, quòd ipse Catonem eò amandasset: sed quia Cato obstabat, non obtinuit. Igitur eis *Cypriarum* cognomen datum est. nam ne *Porcias* quidem eos nominari, quod nonnulli instituerant, Cato passus est. [*Dio, lib.* 39.]

Clodius Catoni, quòd sibi se opposuisset, succensens, administrationem ejus calumniis impetiit, rationésque eum actorum suorum postulavit: non quòd putaret se eum alicujus injusti facti posse arguere; sed quia naufragio commentarii Catonis ferè omnes perierant, id pro se nonnihil facturum Clodius arbitrabatur. Adjuvit in hoc etiam negotio Cæsar Clodium, quanquàm absens: & (ut quidam referunt) accusationes ei contra Catonem per litteras misit. [*Dio, ibid.*] Cato verò tantùm prædicavit se ex Cypro argenti Reipublicæ coëgisse, quum ne unum quidem equum vel militem ipse accepisset, quantum ex tot bellis & triumphis concusso orbe terræ non retulisset Pompeius. [*Plutarch. in Catone minore.*]

M. Ciceroni, nihil eorum quæ Clodius in tribunatu gessisset ratum habendum esse in Senatu contendenti, M. Cato se opposuit: non in gratiam Clodii, sed quòd inter illius acta rescindenda quoque esset ipsius in Cypro procuratio, ut ex illegitimi rogatione tribuni missi non legitimè. [*Plutarch. ibid. & in Cicerone.*]

Phraati II. à filiis per scelus sublato Orodes in Parthorum regno successit: fratre suo Mithridate ex Mediâ, cui imperabat, ejecto. Ita in libro 39, *Dio*. Verùm filiis de regno contendentibus, Orodes ipse primùm, deinde Mithridates in exilium pulsus fuisse videtur. Orodem verò ab exilio reduxit Surenas, vir opibus, genere atque authoritate inter Parthos post regem secundus; cui prærogativa erat gentilitia, ut novo regi Parthorum primus diadema imponeret. Hic enim Seleuciam magnam in Orodis potestatem redegit; ante alios ascensis mœnibus, profligatísque suâ manu propugnatoribus. Et quum nondum trigesimum annum exegisset illo tempore, summam tamen consilii & prudentiæ existimationem est consecutus. Hæc enim de eo referunt, *Plutarchus* in *Crasso*, & *Appianus* in Parthicis [*pag.* 140, 141.] Qui idem *Appianus* tamen, tum in

Parthicis,

Parthicis, [*pag.* 134.] tum in Syriacis, [*pag.* 120.] aliâ vice Mithridatem à fratre Orode regno Parthico pulſum fuiſſe agnoſcit. Quanquam Mithridatem propter crudelitatem regno à ſenatu Parthico pulſum fuiſſe, & fratrem ejus Orodem regnum vacans occupaviſſe, in lib. 42. cap. 4. *Juſtinus* ſignificet. licèt ibi Mithridatem hunc cum Mithridate Parthorum rege, cui res geſtæ *Magni* cognomen dedere, eundem perperàm faciat: quum inter Magnum illum & hujus fratrem Orodem, *variam complurium regum in Parthis ſucceſſionem* extitiſſe, vel ex ipſo Prologo libri 42 *Trogi Pompeii* (cujus epitomen *Juſtinus* nobis dedit) ſatis appareat.

Regno, ſive à ſenatu Parthico, ſive à fratre Orode pulſus Mithridates, ad Gabinium Syriæ Proconſulem, expeditionem in Arabes tum parantem, venit: eúmque permovit, ut omiſſis Arabibus contra Parthos duceret, ipſúmque in regno recuperando adjuvaret. [*Appian. in Syriacis, pag.* 120. *& Parthicis, pag.* 134. *Dio, lib.* 39.]

Idibus Maiis (in Februarium Julianum incurrentibus) lectis in ſenatu frequenti litteris A. Gabinii de re bello cum maximis Syriæ gentibus ac tyrannis (quo nomine, Judææ, Commagenæ, Chalcidis, Emeſæ, Trachonitidis, Batanææ, & Abilenæ principes appellari ſolebant) bene geſtâ fides non eſt habita; & ſupplicatio, quam eo nomine in templis Romæ faciendam petiit, denegata. [*Cicero, lib.* 2. *ad Quint. fratr. epiſt.* 7. *orat. de provinciis Conſularib. & in L. Piſonem.*]

Quum Gabinius Ariſtobulum regem cum filiis Romam miſiſſet: illum quidem Senatus in vinculis ibi detinuit, filios autem in Judæam mox remiſit; quòd ex Gabinii litteris cognoviſſet, matri eorum pro traditione caſtellorum promiſſum illud fuiſſe. Ita *Joſephus* lib. 1. Belli cap. 6. & lib. 14. Antiqu. cap. 11. ubi regnum ſimul & Pontificatum per annos tres & menſes ſex obtinuiſſe Ariſtobulum addit: quod Arabicus hiſtoriæ Judaicæ collector (ad calcem Bibliorum πολυγλώττων Pariſienſium editus) capitulo 40. de prioris principatûs ſpatio accipit; *donec captivus adductus eſt primâ vice*: quum de priore illo & poſteriore hoc, ſimul ſumpto, intelligendum potiùs fuiſſe videatur. ut ante priorem quidem captivitatem annos tres & menſes totidem (ut in lib. 20. Antiqu. cap. 8. diſertè *Joſephus* confirmat) poſt reditum verò ex urbe Romanâ, & ante ſecundam captivitatem tres alios menſes in regno ille exegerit.

M. Cicero, oratione de Provinciis Conſularibus in Senatu habitâ, ut L. Piſone & A. Gabinio (quibus Conſulibus ipſe in exilium pulſus fuerat) revocatis, eorum provinciæ, Macedonia & Syria, futuris Conſulibus decernerentur, ſuaſit: iſta, inter alia, Gabinio objiciens. *In Syriâ, imperatore illo, nihil aliud actum eſt, niſi pactiones pecuniarum cum tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes: cùm populi Romani imperator, inſtructo exercitu, dextram tendens, non ad laudem milites hortaretur, ſed omnia ſibi & empta & vendita eſſe clamaret. Jam verò publicanos miſeros tradidit in ſervitutem Judæis & Syris, nationibus natis ſervituti. Statuis ab initio, & in eo perſeveravit, jus publicano non dicere; pactiones ſine ullâ injuriâ factas reſcidit, cuſtodias ſuſtulit, vectigales multos, ac ſtipendiarios liberavit: quo in opido ipſe eſſet, aut quò veniret, ibi publicanum aut publicani ſervum eſſe vetuit.*

Gabinius, quum multis maleficiis Syriam afflixiſſet, adeóque plus damni quàm prædones, qui tum maximè vigebant, dediſſet provinciæ, omnem quæſtum quem inde ceperat pro minimo ducens, ad expeditionem in Parthos faciendam, quòd prædivites eſſent, animum adjecit, atque ad eam ſe paravit. (*Dio, lib.* 39.)

Gabinii amicus Archelaus fuit Comanorum in Ponto à Pompeio Pontifex conſtitutus. (ut ſuprà, ad annum Mundi 3940. eſt dictum.) Is cum Gabinio tunc degens, ſe ei ſocium in bello Parthico, quod ille parabat, futurum ſperavit: ſed id Senatus non permiſit. (*Strabo, lib.* 12. *pag.* 558. *& lib.* 17. *pag.* 796.)

Quum Gabinius, adversùs Parthos ducto exercitu, Euphratem trajeciſſet; Ptolemæus Auletes cum litteris Pompeii advenit: magnámque pecuniam tum Gabinio, tum exercitui ſe, partim illicò partim poſtquàm reſtitutus eſſet, daturum pollicitus eſt. Decem millium talentûm mercedem Gabinio ab illo fuiſſe oblatam, non ſolùm *Plutarchus* ſed etiam *Cicero* confirmat, in oratione pro Rabirio Poſtumo: ubi & bis millies atque quadringenties ſeſtertiûm eam ſummam æſtimat. Plerique duces refragati ſunt; & Gabinius bellum hoc dubitavit ſuſcipere, quamvis vehementer decem illis millibus talentûm mancipatus. Antonius verò rerum avidus magnificarum, & Ptolemæo cupiens gratificari roganti, præſtò ei fuit ad inducendum atque incendendum ad ſuſcipiendum hoc bellum Gabinium. Et tametſi lex veteret, ut neque præſides provinciarum finibus excederent, neque arbitrio ſuo bella ſuſciperent; atque etiam populus, Sibyllinorum carminum religione inductus, ne Ptolemæus reducereretur interdixiſſet: Gabinius tamen quanto magis id vetitum ſciebat, tanto majorem inde quæſtum fecit; Parthicóque negotio omiſſo, in Alexandrinos expeditionem ſuſcepit. (*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 6. *& lib.* 14. *Antiqu. cap.* 11. *Plutarch. in Antonio. Appian. in Syriac. pag.* 120. *& Parthic. pag.* 134. *Dio, lib.* 39.)

Regnum Ægyptiorum obtinebat eâ tempeſtate Berenice, Auletæ filia: quæ ex Syriâ accerſito quodam Seleuco, qui ſe è Syriacorum regum ſtirpe ferebat, eum & maritum appellavit & regni bellique conſortem fecit. Hic turpiſſimarum ſordium homo, (ut eum in *Veſpaſiano* deſcribit *Suetonius*, cap. 19.) Ptolemæus *Cocces* & *Cybioſactes* & Παρίσακτος ſive *Subditicius* per contemptum cognominatus, aureum alveum, in quo Alexandri Magni corpus Alexandriæ conditum jacebat, rapuit: ſed nullam è prædâ utilitatem percepit. Regina enim, ubi nullius pretii hominem vidit, intra paucos dies eum ſtrangulavit; cùm ejus ſordes, illiberalitatémque pati non poſſet. Et cùm ei jam quæreretur maritus regio ſanguine natus; Archelaus ille Comanorum Pontifex in Syriâ tum degens, & filium Mithridatis Eupatoris (ſub quo pater ipſius Archelaus contra Syllam & Romanos bellum geſſerat) ſe eſſe ſimulans, per amicos quoſdam ad reginam deductus eſt: à quâ, ut vir rebus gerendis apus, eiſdem quibus Seleucus

conditionibus receptus, sex menses simul cum ea regno potitus est. (*Strabo, lib. 17. pag. 794. & 796. & lib. 12. pag. 558. Dio, lib. 39.*)

C. Clodius, P. Clodii frater, ex Prætura (quam hoc anno eum gessisse, in libro 39 *Dio* indicat) Asiam provinciam obtinuit. (*Cicero, ad Attic. lib. 4. Epist. 14.*) Cujus in eâ Quæstor C. Scribonius Curio fuit: ad quem *Ciceronis*, in libro secundo ad Familiares, scriptæ epistolæ extant.

3949 Novis Consulibus, lege à C. Trebonio tribuno plebis latâ, ad quinquennium provinciæ decretæ sunt; Cn. Pompeio Hispania & Africa, M. Licinio Crasso Syria cum vicinis regionibus: potestate utrique datâ, ut sumerent sibi quantum vellent militum ex civibus & sociis, bellúmque & pacem cum quibus ipsis videretur contraherent. (*Liv. lib. 105. Plutarch. in Crasso, Pompeio, & Catone minore. Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 437, 438. Dio, lib. 39.*)

Crassus, mox ut sortitus est provinciam suam, gaudium suum dissimulare non potuit; nihil unquam sibi accidisse felicius existimans. Apud familiares autem multa vana effundebat & juvenilia præter ætatem ac ingenium: non de Syriâ tantùm & Parthiâ victoriam sibi prædestinans, sed usque ad Bactros & Indos Orientalémque Oceanum spes suas vanas proferens. Et quamvis in lege, quæ de imperio ejus lata erat, bellum Parthicum non fuerat adscriptum: sciebant tamen omnes Crassum in eam prædam inhiare; & Cæsar ex Gallià scribens, laudabat ejus propositum, & ut pergeret hortabatur. (*Plutarch. in Crasso.*)

A. Gabinius, relicto in Syriâ filio Sisennâ admodùm parvo natu cum perpaucis militibus, atque ita provinciâ cui præfectus fuerat prædonum injuriis magis expositâ, per Palæstinam in Ægyptum profectus est. (*Dio, lib. 39.*) contra Archelaum, quem sibi regem asciverant Ægyptii. (*Liv. lib. 105.*) In quâ expeditione Hyrcano & Antipatro amicis usus est ad omnia quæ militiæ necessitas exigebat. Nam & pecuniâ & armis & frumento & auxiliis Antipater eum adjuvit. (*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiqu. cap. 11.*)

Quum iter per altum & siriens sabulum esset faciendum circa eluviem & Sirbonidis paludes, quas Typhonis exhalationes vocant Ægyptii: missus cum equitatu M. Antonius (quem tum juvenem præfectum equitum Gabinii fuisse, in lib. 5. Bell. civil. pag. 676. notat *Appianus*) non modò angustias occupavit, sed Pelusium quoque cepit, amplam urbem: (*Plutarch. in Antonio*) Antipatri consilio Judæis, qui Pelusium accolebant seu custodes Ægypti aditus, in societatem pertractis. (*Joseph. ut supr.*)

Ita in potestatem redacto Pelusii præsidio, simul iter præstitit Antonius exercitui securum, & spem imperatori victoriæ firmavit. Ptolemæus verò, simul-atque Pelusium iniit, irâ & odio inflammatus Ægyptios trucidare instituit: sed intercedens Antonius, id prohibuit. [*Plutarch. in Antonio.*]

Pelusio duplici acie instructâ, progressus Gabinius, eâdem die Ægyptios occurrentes fudit. [*Dio, lib. 39.*]

Cicero, Romæ oratione habitâ, Commageno regi ignobili non modò Zeugma opidulum in Euphrate positum extorsit, sed etiam multa in eum dicens, togam ejus prætextam, quam erat adeptus Cæsare Consule, magno hominum risui exposuit. [*Cicero, lib. 2. ad Quintum fratr. epist. 11.*]

Idibus Februariis (in Novembrem Julianum incurrentibus) Tyrii est senatus datus frequens: frequentes contrà Syriaci publicani. Vehementer vexatus est Gabinius: exagitati tamen à Domitio publicani, quòd eum essent cum equis prosecuti. [*Id. ibid. epist. 12.*]

Circa IV. Kalendas Maias, (in Februarium Julianum incidentes) *Pureolis magnum fuisse rumorem, Ptolemæum esse in regno*, scribit Cicero. [*ad Attic. lib. 4. epist. 9.*] Et in Ægypto quidem ille tum fuit; & adversarium Archelaum, opinione citiùs occurrentem, ceperat Gabinius ut jam ab eo nihil negotii restaret. Sed veritus Gabinius ne, quasi nullâ magnâ re gestâ, minus pecuniæ quàm convenerat à Ptolemæo acciperet; ad hæc sperans, propterea quòd acris ac magni nominis Archelaus haberetur, majorem sibi pecuniæ summam futuram: insuper ab ipso Archelao magnâ vi nummorum acceptâ, hominem, quasi is aufugisset, dimisit. [*Dio, lib. 39.*] 4659 55

M. Antonius posteà in prœliis & certaminibus, quæ magna & crebra commissa fuerunt, multa fortitudinis & consilii imperatorii facta edidit: liquidissimè autem, quum circumdedit & circumvenit à tergo hostes, indéque victoriam in frontem incurrentibus paravit. Et horum causâ eximiis donis honoratus est. [*Plutarch. in Antonio.*]

Populus Ægyptius, ductu Archelai adversùs A. Gabinium mœnibus urbis egressus, quum castra vallo atque fossâ cingere juberetur, universus succlamavit, ut id opus publicâ pecuniâ faciendum locaretur. Quapropter deliciis tam enerves animi, spiritum Romani exercitûs sustinere non potuerunt. [*Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1.*] Inde rursùs & in flumine navibus, & terrestri pugnâ victoriam Gabinius obtinuit. Nam Alexandrinis quidem ad audienda omnia satis est animorum, naturáque sunt ad effutiendum linguâ quidvis quod eis ad animum acciderit maximè præcipites ac temerarii: & iidem ad bellum ejúsque labores omnium ineptissimi: quanquàm in seditionibus (quæ apud eos & frequentissimæ & maximæ eveniunt) ad cædes subinde deveniant, in iisque perire bonum quoddam in primis expetendum existiment. [*Dio, lib. 39.*]

Iis igitur victis Gabinius, occisóque præter alios in pugnâ Archelao, è vestigio omni Ægypto potitus est, eámque Ptolemæo reddidit. [*Dio, ibid. Liv. lib. 105. Strabo, lib. 12. pag. 558. & lib. 17. pag. 796.*] Quam totam causam ita perstringit *Cicero*, in oratione contra Pisonem, de furore Gabinii agens. *Effusâ jam maximâ prædâ, quam ex fortunis publicanorum, ex agris urbibúsque sociorum exhauserat, cùm partem ejus prædæ profundæ libidini deturasset, partem*

nova quædam & inaudita luxuries, partem etiam in illis locis ubi omnia diripuit emptiones, partem permutationes ad hunc Tuſculani montem exvruendum: cùm illa ejus intermiſſa intolerabilis ædificatio conſtitiſſet; ſeipſum, faſces ſuos, exercitum populi Romani, numen interdictúmque deorum immortalium, reſponſa Sacerdotum, auctoritatem Senatus, juſſa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Ægyptio vendidit. Cùm fines provinciæ tantos haberet, quantos voluerat, quantos optáverat, quantos pretio mei capitis emerat, his ſe tenère non potuit. Exercitum eduxit ex Syriâ. qui licuit extra provinciam? Tribuit ſe mercenarium comitem regi Alexandrino. quid hoc turpius? In Ægyptum venit: ſigna contulit cum Alexandrinis. quando hoc bellum aut hic ordo (Senatorius) *aut populus ſuſceperat? Cepit Alexandriam. quid aliud expectamus à furore ejus, niſi ut ad Senatum tantis de rebus geſtis litteras mittat?* Nullas tamen eum miſiſſe, notavit *Dio*; ne ipſe ſuorum facinorum delator exiſteret.

Interfecti Archelai corpus requiſitum M. Antonius (cui cum illo familiaritas & jus hoſpitii interceſſerat) regio cultu funeravit. Unde magnam is ſui memoriam Alexandrinis reliquit. [*Plutarch. in Antonio.*] In Ponto verò Comanorum ſacerdotium Archelai filius poſt patrem accepit. [*Strabo lib. 12. pag. 558.*]

Gabinius ex ſuo exercitu milites præſidii causâ Alexandriæ apud regem Ptolemæum reliquit: qui in conſuetudinem poſteà Alexandrinæ vitæ atque licentiæ venerunt, & nomen diſciplinámque populi Romani dedidicerunt, uxoréſque duxerunt; ex quibus plerique liberos habebant. [*Cæſar. Comment. Bell. civil. lib. 3.*] ad quos ſpectant illa *Lucani*, libro 10.

——pars maxima turbæ
Plebis erat Latiæ: ſed tanta oblivio mentes
Cepit, in externos corrupto milite mores,
Ut duce ſub famulo juſſuque ſatellitis irent,
Quos erat indignum Pharios parere tyranno.

Ptolemæus regno reſtitutus filiam ſuam, Berenicen reginam, è medio ſuſtulit. [*Strabo, libro 17. pag. 796. Dio, libro 39. Porphyr. in Græc. Euſeb. Scalig. pag. 226.*] Idémque reliquorum primatum locupletiores, ut qui plurimâ pecuniâ opus haberet, interemit. [*Dio, ut ſupr.*]

C. Rabirius Poſtumus eques Romanus, qui Ptolemæo & regnanti abſens, & Romam adventanti indéque poſteà diſcedenti præſens pecuniam non ſuam ſolùm, ſed etiam amicorum temerè crediderat, ut eam recuperaret, Romanâ togâ cum Græco pallio Alexandriæ mutatâ, curationem & quaſi diſpenſationem regiam ſuſcipere coactus eſt; *Diœcetes* regius ab Auletâ conſtitutus. Cuſtodiam tamen regiam poſteà ille pertulit, vidit in vinculis familiares ſuos, mors ob oculos ſæpe verſata eſt; nudúſque atque egens ad extremum fugit è regno. [*Cicero, pro C. Rabirio.*]

Dum in Ægypto morabatur Gabinius, Alexander Ariſtobuli filius, denuò invaſo per vim principatu, multos Judæorum ad defectionem reduxit: collectóque magno exercitu, regionem obeundo, interfecit Romanos quotquot adipiſci potuit, reliquos in montem Garizim compulſos obſedit. Reverſus verò Gabinius, Antipatrum propter notam viri prudentiam præmiſit ad tumultuatores: qui multos illorum reduxit ad officium. Sed Alexander, 30 Judæorum millia ſecum habens, auſus eſt occurrere Gabinio; & collatis ſignis decernère ad montem Itabyrium: quo prælio deſiderata ſunt ex acie Judaicâ decem millia. Tum Gabinius, urbis Hieroſolymitánæ rebus ex Antipatri ſententiâ conſtitutis, contra Nabatæos profectus, hos quoque profligavit uno prælio. [*Joſeph. lib. 14. cap. 11.*]

Mithridates rex (Phraatis II. filius) à Gabinio derelictus, non quidem Arabum ope regnum Parthicum recuperavit, (ut ex pravâ interpretatione verborum *Appiani*, in Syriacis pag. 120. vulgò eſt creditum) ſed Babylonem potiùs ſe recepit; ut ex *Juſtino* colligitur. Quam cùm frater ejus Orodes diu obſediſſet, & fame coactos opidanos in deditionem tandem compuliſſet: Mithridates, fiduciâ cognationis, ultrò ſe in poteſtatem ejus tradidit. Sed Orodes plus hoſtem quàm fratrem cogitans, in conſpectu ſuo trucidari eum juſſit. (*Juſtin. lib. 42. cap. 4.*)

Gabinius nobiles Parthos, Mithridatem & Orſanem, qui ad ipſum profugerant, clàm dimiſit; ſparſo inter milites rumore, quòd aufugiſſent. (*Joſeph. lib. 1. Belli, cap. 6. & lib. 14. Antiqu. cap. 11.*)

Quum Syri plurimùm de Gabinio quererentur, & aliis de cauſis, & quòd ob abſentiam ejus à prædonibus infeſtati vehementer eſſent: quum item crebræ accederent publicanorum querelæ, qui quòd per eos impediti vectigalia exigere nequiſſent, magnum æs alienum conflaverant: irati Romani, ſententias concipiebant, parati Gabinium condemnare. Ciceróque cùm aliàs vehementer Gabinium accuſavit, tum conſilium quoque dedit, ut denuò Sibyllina carmina legerentur: perſuadens ſibi pœnam aliquam adſciptam, ubi violata fuiſſent. Sed Conſulum alter Pompeius Gabinio ultrò ſtudebat, alter Craſſus, ſimul ut collegæ rem gratam faceret, ſimul etiam ob acceptas quas Gabinius miſerat pecunias. Quare uterque apertè eum defendens, nihil decerni patiebantur: inter alia Ciceroni quoque exilium exprobrantes. (*Dio, lib. 39.*)

Pompeius, in ſecundo hoc ſuo Conſulatu, ludis & ſpectaculis munificentiſſimis exhibitis, Theatrum ſuum dedicavit. (*Cicero, lib. 2. Offic. & lib. 7. ad familiar. epiſt. 1. Aſcon. Pedian. in orat. Piſonianam.*) quanquàm theatrum illud non ab ipſo Pompeio extructum dicebatur, ſed à Demetrio (Gadareno) liberto ejus id ex pecuniis quas, dum miles ſub eo eſſet, paraverat, conditum fuiſſe. qui quidem nomen operis ad Pompeium retulerit: ne malè audiret, quòd libertus tantum pecuniæ collegiſſet, unde tantos ſumptus facere poſſet. (*Dio, lib. 39.*)

Gabinius legatum à Craſſo, ut in Syriæ provinciâ ipſi ſuccederet, miſſum non admiſit; ſed magiſtratum, quaſi perennem eum accepiſſet, retinuit. (*Dio, ibid.*)

Quum

Quum tribuni plebis Crasso consuli obstarent ne milites conscriberet, eique decretam expeditionem rescindere conarentur; Crassus ad arma se convertit. Tribuni plebis, quia suam libertatem armis destitutam in actionibus ejus prohibendis infirmam esse videbant; à reclamando destiterunt: sed multis eum diris devoverunt. Et Crasso in Capitolio consuetas expeditionis causâ precationes obeunti, auspicia infesta prodigiáque obnuntiaverunt. (*Id. ibid.*)

Quum Ateius tribunus plebis pararet inhibere ejus exitum, & multi unanimiter indignarentur hominibus pacatis & fœderatis arma inferri: timens Crassus, oravit Pompeium ut se deduceret: erat enim magna illius apud plebem authoritas. Multos igitur tunc ad reclamandum & impediendum Crassum paratos, conspectus ante eum Pompeius placido intuitu ac vultu lenivit; ita ut silerent & transeuntibus cederent. (*Plutarch. in Crasso.*)

Ateius verò tribunus Crasso occurrens, primùm voce cohibebat, denuntians ne procederet: deinde apparitorem jussit manus in eum injicere & in carcerem abducere. Sed reliquis tribunis plebis id non permittentibus, Crassus extra pomerium evasit. (*Id. ibid. cum Dione, lib.* 39.) Ateius tamen ad portam interim accurrens, focum ibi accendit: & Crasso prætereunte suffitum faciens libánsque insuper, diris eum devovebat imprecationibus; nova & horrenda nomina deorum invocans. Cujusmodi arcanas & priscas execrationes eâ præditas vi Romani existimabant, ut nemo sic devotus posset evadere, neque illi etiam bene cederet qui devoveret. (*Plutarch.*)

Tribunum plebis Metellum hostilibus diris euntem Crassum devovisse, scribit *Florus.* (*lib.* 3. *cap.* 11.) Et quidem tribunos plebis communiter diris eum publicè devovisse, Velleius Paterculus, (*lib.* 2. *cap.* 46.) Appianus (*lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 438.) & Dio, (*lib.* 39.) significant:

——— ——— *Crassumque in bella secuta*
Sæva Tribunitia moverunt prælia diræ;

Ut in libro tertio Lucanus cecinit. Præ aliis tamen *P. Ateium obnunciavisse ei diras, signóque objecto monuisse eum quid eventurum esset, nisi cavisset*; in libro primo de Divinatione confirmat *Cicero*: à cujus penè latibus in provinciam Crassus est profectus, cùm apud ipsum cœnavisset, in hortis generi ejus Crassipedis. (*Id. lib.* 1. *ad familiar. epist.* 9.) Secedente deinde Ciceronе in Tusculanum; circa medium mensis Novembris (in Sextilem Julianum tunc incidentis) Crassus paludatus profectus est. (*Id. lib.* 4. *ad Attic. epist.* 12.) & Brundusii exercitum navibus imposuit. (*Id. lib.* 2. *de Divinat.*)

Solvens Brundusio Crassus, pelago etiamnum ex tempestate turbido, non paucas naves amisit: è reliquis expositum militem terrestri itinere duxit per Galatiam. Ubi quum reperisset regem Dejotarum, admodùm senem, novam urbem condere, cavillans, *O rex*, inquit, *duodecimâ horâ ædificare incipis.* Cui ille arridens; *Ne tu quidem, imperator, quantum video, matutinus contra Parthos proficiscêris.* Excesserat enim jam Crassus annum sexagesimum; plus tamen quàm pro ætate senii vultu præferens. [*Plutarch.*]

3950 Cicero in Senatu Crassi absentis causam contra novos Consules & multos Consulares summâ contentione defendit. [*Id. lib.* 5. *ad familiar. epist.* 8.]

Quum quod in Syriâ magnopere ageret nihil Crassus haberet, [nam & Syri quieti erant, & qui priùs Syriam bellis vexárant potentiâ Crassi perterriti, nihil tùm movebant] in Parthos, sine ullâ belli causâ, expeditionem suscepit. Tantùm prædivites eos fuisse acceperat: & Orodem, qui nuper rex factus esset, superatu facilem sperabat. [*Dio, lib.* 40.] 4660 54

Auditâ verò Hierosolymitani Templi opulentiâ, quam Pompeius intactam reliquerat; in Palæstinam divertit, Hierosolymam adiit, Templum pervasit, opes diripuit. [*Oros. lib.* 6. *cap.* 13.]

Erat tum in Templo trabs ex auro solida, 300 minas Hebraicas sive libras 750 pendens, inserta trabi cavæ ligneæ, ex quâ aulæa templi pendebant; quorum admiranda pulchritudo erat & apparatus pretiosissimus. Hoc cæteris ignotum solus sciebat Eleazarus sacerdos sacri thesauri custos: qui Crassum totum in colligendo auro esse videns, timénsque omnibus templi ornamentis, auream hanc illi trabem redemptionem pro omnibus ei tradidit; quum priùs eum jurejurando obstrinxisset, nihil aliud loco moturum. Crassus tamen & hanc accepit, & mox violato jurejurando non solùm duo millia talentorum quæ Pompeius non attigerat, sed etiam totum reliquum aurum, cujus summa accedebat ad octo talentorum [Atticorum] millia, templo abstulit. Quas tantas divitias, cùm vix fidem apud exteros inventuras *Josephus* perspiceret; eas à Judæis in Europâ, Asiâ, Ægypto & Cyrenaicâ degentibus longo tempore congestas fuisse, ex *Strabonis Cappadocis* libris historicis [hodie non extantibus] & aliis astruere nititur. [*lib.* 14. *Antiqu. cap.* 12.]

Crassus, extructo ponte, facilè ac intrò transit Euphratem ducit exercitum; multísque Mesopotamiæ civitatibus ultrò se dedentibus potitus est. [*Plutarch. in Crasso.*] Inexpectatò enim ejus transitus barbaris acciderat: indéque nullum in Mesopotamiâ præsidium alicujus momenti constitutum fuerat. [*Dio, lib.* 40.]

Talymenus Ilaces [vel Sillaces] regionis illius satrapes, paucis equitibus ad Ichnias castellum cum Crasso congressus victúsque, accepto vulnere ad Regem se recepit; eúmque de Crassi expeditione certiorem fecit. [*Dio, ibid.*]

Interim Crassus & urbes recepit, Græcas potissimùm, atque in his Nicephorium. Macedonum enim aliorúmque Græcorum, quos bellorum socios aliquando Macedones habuerant, complures coloni vim Parthorum graviter ferentes, atque in Romanis, à quibus Græcos amari sciebant, multum spei collocantes, haud gravatim ad eos defecerunt. (*Id. ibid.*)

Soli Zenodotiæ cives, quorum tyrannis erat Apollonius, centum milites Romanos intra

muros

muros, quasi se in fidem eorum daturi, receptos obtruncaverunt. Unde Crassus, admoto exercitu, eam expugnavit & diripuit, & incolas ejus sub hastâ vendidit. Et cùm, præter hoc unum, nihil tunc neque fecisset neque passus esset hostile Crassus; tamen salutari se ab exercitu Imperatorem sustinuit. Ob quod, magnam ille subiit infamiam, abjectúsque est habitus; quasi majora non speraret, successu qui tum se efferret tenui. [*Id. ibid. cum Plutarcho in Crasso.*]

Domitio & Appio Consulibus in Italiam reversus est A. Gabinius. [*Asson. Pedian. in init. orat. Pisonian.*] Iisdémque Consulibus de eo adhuc absente, utut pro eo Pompeius steterit, irerùm dictæ sunt sententiæ: quarum pleræque ipsi adversæ fuerunt. Nam & Domitius ob contentionem in petitione consularûs inimicus Pompeio erat, quòd eo invito magistratum cepisset: & Appius, quanquàm affinis Pompeio esset, tamen quia studio permulcendæ plebis ducebatur, sperabátque fore ut siquid nunc tumultus injecisset pecuniâ deinceps à Gabinio corrumperetur; omnes suas actiones eò dirigebat. Decretum ergo est, ut Sibyllina carmina relegerentur: quantumvis Pompeius reclamaret. Interim pecuniæ à Gabinio præmissæ Romam venerunt. Ex, non modò absens, sed ne præsens quidem gravius quicquam ut pateretur, effecerunt. Eo enim tum tempore confusio Romæ erat, ut quum Gabinius exiguam earum pecuniarum, quibus ipse corruptus fuerat, partem magistratibus quibusdam judicibúsque largiretur, non modò nullam officii rationem illi habuerint, sed reliqui quoque docti sint pecuniæ causâ improbè agere, quippe quum se eâ facilè à supplicio redimere possent. [*Dio, lib.* 39.]

XII. Kalend. Octobr. (circa mensem Julium Julianum) Gabinius ad Urbem accessit: IV Kalend. Octobr. noctu urbem introivit. [*Cicero, lib.* 3. *ad Quint. fratr. epist.* 2.] Ipse enim turpium facinorum conscientiâ ita urgebatur, ut & serò in Italiam advenerit, & noctu in urbem evectus sit; multísque diebus extra domum suam prodire non ausus fuerit. [*Dio, lib.* 39.]

Gabinium tres factiones postulabant: L. Lentulus, flaminis filius, qui eum de majestate postulavit; T. Nero cum bonis subscriptoribus, & C. Memmius tribunus plebis cum L. Capitone. Cúmque edicto C. Alfii Prætoris de majestate accusatus adesset; concursu magno & odio universi populi penè afflictus est. [*Cicero, lib.* 3. *ad Quint. fratr. epist.* 2.]

Decimo post adventum in urbem die, quo ipsum oportebat hostium numerum & militum renuntiare, mirè hæsit summâ in frequentiâ. Appius Consul majestatis eum accusavit, nomina data, ille verbum edidit nullum. Cùm vellet exire, à Consulibus retentus est, & introducti publicani. Homo undique actus, cùm à Cicerone maximè vulneraretur, non tulit, & eum trementi voce exulem appellavit. Consurrexit senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus ejus accederet: pari clamore atque impetu publicani. VI. Id. Octobr. Gabinium ad populum luculenter calefecit Memmius; sic, ut Calidio verbum pro eo facere non licuerit. Postridie ejus diei, divinatio apud Catonem (prætorem) fuit, de accusatore in Gabinium constituendo: sive Memmio, sive Ti. Nerone, sive C. & L. Antoniis Marci filiis. [*Id. ibid. epist.* 2.]

Accusationes in Gabinium multæ, & actores haud pauci extiterunt: primùm autem de Ptolemæi reductionis crimine, cognitum est. In eâ actione universus ferè populus ad tribunal confluxit: sæpiúsque illis eum discerpere animus fuit, præsertim quòd nec Pompeius aderat, & Cicero eum acerrimè accusabat. [*Dio, lib.* 39.] Sed ipse *Cicero*, in epist. 2. & 4. libri tertii ad Quintum fratrem, eum accusasse se negat: vel quòd inimicitiæ sibi periculosæ suscipiendæ essent contra Pompeium, vel quòd non desperaret rem & sine se & nonnihil per se confici potuisse, vel quòd infamia sempiterna esset ei subeunda si tam infamis reus, ipso agente, esset elapsus. *Ego verò*, inquit ille in epistolâ 41, *hâc de mediocritate delector: ac mihi illud jucundum est, quod, cùm testimonium secundùm fidem & religionem gravissimè dixissem, reus dixit, si in civitate sibi esse licuisset, mihi se satisfacturum; neque me quidquam interrogavit.* & in epistolâ 91. *Feci summâ cum gravitate, ut omnes sentiunt, & summâ cum lenitate, qua feci. Illum neque urbi, neque levavi. Testis vehemens fui: præterea quievi.*

In hoc de majestate judicio, Gabinius accusatoribus frigidissimis usus, odio tamen omnium generum premebatur: quæsitor gravis & firmus erat Alfius; Pompeius vehemens in judicibus rogandis. [*Cicero, lib.* 3. *ad Quint. fratr. epist.* 3.] Gabinius se Ptolemæum reduxisse dicebat Reipublicæ causâ; quòd classem Archelai timeret, quòd mare refertum fore prædonum putaret: lege etiam id sibi licuisse dicebat. [*Id in orat. pro Rabirio Postumo.*] Socii Pompeii & Cæsaris promptissimè ei opitulabantur; aliud tempus à Sibyllâ aliúmque regem indicatum dicentes: eóque maximè nitebantur, quòd nulla in eo carmine rei perpetratæ pœna erat assignata. [*Dio, lib.* 39.] Accusatoris L. Lentuli incredibilis erat infantia: quem fremebant omnes prævaricatum, sed tamen nisi mira contentio, & preces Pompeii, dictaturæ etiam rumor, plenus timoris fuisset; ipsi Lentulo Gabinius non respondisset. Cùm verò judices 70 tulissent sententias; 32 condemnârunt, 38 absolverunt. [*Cicero, lib.* 4. *ad Attic. epist.* 16. *& lib.* 3. *ad Quint. fratr. epist.* 4.]

Gabinium, cùm de tantis criminibus judicium sustineret, immensam pecuniæ vim elargitum fuisse; eóque absoluto parùm abfuisse, quin ipsos judices populus interfecisset, in 39° historiarum suarum libro tradit *Dio*. A Memmio verò ad populi judicium Gabinium fuisse productum, & intercessione Lælii tribuni plebis eodem fuisse exemptum, in libri 8. cap. 1. hunc in modum refert *Valerius Maximus*. A. Gabinius in maximo infamiæ suæ ardore suffragiis populi C. Memmio accusatore subjectus, abruptæ esse spei videbatur: quoniam & accusatio partes suas plenè exhibebat, & defensionis præsidia invalidâ fide nitebantur; & qui judicabant, irâ præcipiti, pœnas hominis cupidè expetebant. Lictor igitur & carcer ante oculos obversabantur; cùm interim omnia ista propitiæ fortunæ interventu dispulsa sunt. Filius namque

Gabinii Siſenna conſternationis impulſu ad pedes ſe Memmii ſupplex proſtravit: inde aliquod fomentum procellæ petens, unde totus impetus tempeſtatis eruperat. Quem truci vultu à ſe victor inſolens repulſum, excuſſo manu annulo humi jacere aliquandiu paſſus eſt. Quod ſpectaculum fecit, ut Lælius tribunus plebis approbantibus cunctis Gabinium dimitti juberet, ac documentum daretur, neque ſecundarum rerum proventu inſolenter abuti, neque adverſis properè quemquam debilitari oportere.

Neque ſic tamen evaſit Gabinius. De majeſtate enim abſolutus, tum ob alias nonnullas cauſas, tum quòd ex provinciâ centena millia (drachmarum vel denariorum) eóque amplius compilaſſet, pòſt in judicium pertractus, repetundarum damnatus eſt. Pompeius qui ad rem frumentariam explicandam profectus Urbe fuerat (nam frumentum permultum exundatione Tiberis corruptum fuerat) ac tum in Italiâ verſabatur, ad hoc judicium ut veniret properavit. Sed quum ſeriùs veniſſet, ex ſuburbanis non antè receſſit, quàm id conſummatum eſſet. Idémque populo extra pomœrium congregato, quia ipſi proconſulare imperium jam gerenti in Urbem venire non licebat, multa pro Gabinio verba fecit, recitatis etiam litteris ad ſe pro Gabinii ſalute à Cæſare miſſis; judiceſque deprecatus eſt: & Ciceronem non modò à Gabinio accuſando avertit, ſed ut ejuſdem cauſam ageret effecit. Nihil tamen ea Gabinió profuerunt. Nam judices, partim quòd populum timerent, partim quòd nullum à Gabinio magnum munus accepiſſent, (is enim levioribus de cauſis in jus vocatus, nullos ſumptus jam faciebat: haud dubius cauſâ ſe tum quoque ſtaturum) exilio eum damnaverunt: ex quo poſteà Cæſar eum reduxit. [*Dio, lib.* 39.]

Gabinium, ex tantis inimicitiis receptum in gratiam, ſummo ſe ſtudio defendiſſe, in oratione pro Rabirio Poſtumo ipſe agnoſcit Cicero. In quo, licèt ejus humanitas à Valerio Maximo [*lib.* 4. *cap.* 2.] laudetur: inde tamen Ciceroni nomen crimenque perfugæ auctum vehementer fuiſſe, confirmat *Dio*. Et oblitus omninò eſt Marcus illius, quod ad Quintum fratrem anteà ſcripſerat. (*lib.* 3. *epiſt.* 5.) *Gabinium ſi, ut Panſa putat oportuiſſe, defendiſſem, concidiſſem. Qui illum oderunt* [*ii ſunt toti ordines*] *propter quem oderunt, meipſum odiſſe cœpiſſent.* quanquàm, in oratione illâ pro Rabirio hanc facti ſui rationem ipſe reddiderit. *Mihi cauſa defendendi Gabinii fuit reconciliatio gratiæ: neque me verò pœnitet mortales inimicitias, ſempiternas amicitias habere.*

Timagenes Alexandrinus [vel, ut quidam volunt, Ægyptius] regii argentarii filius, qui bello captus, Romam à Gabinio deductus & à Fauſto Syllæ filio redemptus fuerat, Romæ ſub Pompeio, Julio Cæſare & Triumviris, Rhetoricam docuit, & multos libros edidit. [*Suid. in* Τιμαγένης.]

P. Cornelius Lentulus Spinther Proconſul Ciliciæ, re bello bene geſtâ, ab exercitu Imperator appellatus eſt. [*Cicero, lib.* 1. *ad familiar. epiſt.* 8. *&* 9.]

3951 Appius Claudius Pulcher, ſub exitum Conſulatûs ſui Senatuſconſulto ſucceſſor P. Cornelio Lentulo deſignatus, ſine lege Curiatâ, ſuo ſumptu in Ciliciam eſt profectus. [*Id. ibid. epiſt.* 9. *&* *lib.* 3. *ad Quint. fratr. epiſt.* 2. *&* *lib.* 4. *ad Attic. epiſt.* 16.] Cui in provinciam venienti obviam proceſſit Lentulus. [*Id. lib.* 3. *ad familiar. epiſt.* 7.] pòſt quem ſuſcipiens imperium Appius, miſerrimè provinciam afflixit, & penè perdidit. [*Id. ad Attic. lib.* 5. *epiſt.* 16. *&* *lib.* 6. *epiſt.* 1.]

Quum Craſſus eodem impetu barbarorúmque terrore uſus, quo prima Meſopotamiæ loca ceperat, procedere, ac Babylonem Seleuciámque, Parthis ſemper infeſtas urbes, tentare debuiſſet; in Meſopotamiâ commorari gravatus, & quietem otiúmque in Syriâ deſiderans, Parthis ſe ad bellum parandi ſpatium, relictóſque in Meſopotamiâ Romanos milites opprimendi occaſionem præbuit. [*Plutarch. in Craſſo. Dio, lib.* 40.]

Ille igitur diſpoſitis per dedititias urbes præſidiis, quæ peditum ſeptem millium fuerunt & mille equitum, retrò in Syriam hybernaturus ceſſit. Ibi filium (Publium Craſſum) excepit à Cæſare venientem è Galliâ, donis militaribus ab illo ornatum, & adducentem delectos mille equites. [*Plutarch.*]

In Syriâ moram trahens Craſſus, exactori magis quàm imperatori ſimilem ſe exhibuit. Non enim comparandis armis tempus impenſum eſt, aut exercendo militi: ſed ſupputabat civitatum reditus, & deæ Hierapolitanæ theſaurum ponderibus & trutinis per multos dies examinabat. Populis quoque ac regulis milites imperans, mox remittebat eis militiam acceptâ pecuniâ: atque ita in contemptum veniebat. Exeuntibus verò è deæ Hierapolitanæ templo patre & filio, primus in foribus adoleſcens Craſſus procidit, & mox incurrens in illum ſenex. [*Id.*] Urbs autem Hierapolis ea eſt, quam Bambycen & Edeſſam alii, Magog Syri vocant: ubi dea Syra Atargatis, Græcis Derceto dicta, colebatur. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 748. *Plin. lib.* 5. *cap.* 23.]

Rabirio Poſtumo, Ptolemæum Alexandriam crediti ſervandi cauſâ ſecuto, majeſtatis crimen apud judices motum eſt. [*Sueton. in Claudio, cap.* 16.] Gabinio enim jam repetundarum damnato & in exilium pulſo, C. Memmius Rabirium accuſavit, quòd Gabinium Alexandriam proficiſci impulerit; quòd diœcetes Regis factus Alexandriæ pallium ſumpſerit, & pecuniam Gabinio ſibique ex imperatis tributis coëgerit. Defendit eum Cicero quando vis frigorum hyemſque invaleſcebat: ut ex Oratione ejus, quæ adhuc extat, intelligitur.

M. Craſſus, interfecto Publio filio exercitúque delecto, trans Euphratem cum ignominiâ & dedecore periit. [*Cicero, lib.* 2. *de Divinat.*] Eam cladem in libro 40 enarrat *Dio*; ſed multò pleniùs in Craſſi Vitâ *Plutarchus*: ex quo ea omnia ad verbum penè ſunt deſcripta, quæ in *Appiani* Parthicis hâc de re leguntur. Quare hujus celebratiſſimæ hiſtoriæ præcipuas partes, inde petitas, cum *Saliano*, operæ pretium fuerit hìc ſubjicere. 4661 53

Orodes Parthorum rex in Syriam legatos ad Craſſum miſit: qui & expoſtularent cum eo

quòd

quod Mesopotamiam invasisset, & causas belli exquirerent. Mittit præterea Surenam cum exercitu ad recipienda ea, quæ vel capta fuerant, vel defecerant: ipse expeditionem in Armeniam instituit: ne Artabazes Tigranis filius, qui tùm ibi regnabat, ipsè de suo regno sollicitus, ullum Romanis auxilium mittere posset. (*Dio.*)

Crassum in Syriâ ex hybernis copias convocantem legati Orodis adierunt, (licèt *Florus* in Mesopotamiâ hoc factum referat, quum apud Nicephorium Crassus castra posuisset) percussa cum Pompeio Syllâque fœdera in memoriam illi revocantes: simúlque denunciantes; ità missus esset à populo Romano exercitus contra Parthos, gesturos illos bellum implacabile in Romanos: sin patriâ invitâ, Crassus privati quæstûs gratiâ arma Parthis intulisset, & urbes occupasset; acturum Regem moderatè, Crassi senectutis misericordiâ motum, populóque Romano milites remissurum. Quibus Crassus, regiis inhians thesauris, nihil, ne imaginario quidem jure, sed Seleuciæ, (urbs ea Mesopotamiæ est, à Græcis habitata) causas se belli editurum respondit. [*Florus, lib. 3. cap. 11. Plutarch. & Dio.*] Tum ridens legatorum princeps Vagises, & volam sinistræ manûs digitis dextræ percutiens, *Antè*, inquit, *hunc pili nascentur, quàm ea Seleuciam asscendat.* Atque ita legati abierunt, Orodi regi bellum nunciaturi.

Interea prætidiarii quidam, qui magno cum periculo è Mesopotamiâ evaserant, formidolosa de Parthorum multitudine, armorum genere, pugnandi ratione propriâ docti experientiâ referentes, adeò fregere animos Romanorum; ut quidam ex præfectis Crasso subsistendum censerent, atque ex integro de summâ rerum concilium convocandum. In his erat Crassi Quæstor Cassius. Aruspices quoque à progrediendo deterrebant. Quos omnes Crassus repulit.

Inprimis enim erexit eum Armeniorum Rex Artabazes, qui in castra cum sex millibus equitum venit, qui dicebantur esse Regis stipatores & satellites; aliáque pollicebatur decem millia cataphractorum, & 30 millia peditum, qui proprîis sesè alerent sumptibus. Suadebat autem Crasso, ut per Armeniam iret in Parthiam; omnia se affatim exercitui subministraturum: tutum etiam iter fore, propter regionis asperitatem, equitatui, quo uno maximè Parthi valerent, minùs obnoxiam. At Crassus sapientissimum consilium neglexit, & collaudatum Armenum dimisit; ostendens se per Mesopotamiam ducturum, ubi multos egregiósque milites Romanos reliquisset.

Ergo Zeugma ad oram Euphratis adit: ubi multorum prodigiorum minas neglexit, quæ fusiùs *Plutarchus*, & *Dio* commemorant: quorum præcipuum illud, à *Julio Obsequente* in libro de prodigiis ita notatum. *Cum coorta tempestate signifero signum arreptum* (vel *ereptum*) *mersisset gurgiti, & offendente nimborum caligine prohiberentur transire*, pertinaciter Crassus perseveravit. & à L. Floro, [*lib. 3. cap. 11.*] ita. *Cum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates.* Etiam consilium Cassii neglexit monentis, ut dum aliquid certi de Parthis allatum esset, in aliquâ urbium in quibus præsidium habebat, reficeret exercitum. Sin minùs, ut secundo flumine Seleuciam peteret; sic naves commeatum suppeditaturas & castra secuturas; amnem quoque præstiturum, ne circumvenirei ab hoste possent.

Hæc perpendentem Crassum à salubri consilio abduxit Augarus seu Abgarus Osroënus. Ita enim rectè à *Dione* nominatur; qui à *Floro* [*lib. 3. cap. 11.*] Mazares Syrus, variantibus verò Breviarii *Sexti Rufi* exemplaribus Mazarus, Marachus, Macorus & Abgarus etiam appellatur. Apud *Plutarchum*, Arabum Phylarchus Ariamnes ille dictus reperitur: licèt in quibusdam *Plutarchi* codicibus, & in his quæ ex eo in *Appiani* Parthica sunt traducta, Acbarus nuncupatus inveniatur. Hic verò Romanis anteà fœdere junctus sub Pompeio, barbarorum partes tum potiores habuit. Et quum Partho studeret, simulavit se Crassi amicum, liberalitérque ei pecuniam suam impendens, & exploravit omnia ejus consilia & Parthis enuntiavit. Cúmque Crassus Seleuciam contendere decrevisset, indéque ad Ctesiphontem urbem trajicere; id consilium, tanquàm multo tempore opus habiturum, ut repudiaret, atque ut rectà adversùm Surenam & Sillacem Orodis regis duces, (qui solus & subvehere commeatus, & munire poterat, à tergo relicto Euphrate) exercitum duceret, persuasit.

Exercitum ille deinde per infinitam planitiem deduxit, viâ arenosâ & sitiente, omni stipe virgultisque destitutâ. Et jam dolus cœperat esse suspectus, cùm Artabazes nuncios Crasso mittit, non posse se illi auxilia mittere, gravi quippe bello urgeri, Orode Armeniorum vicos vastante: monere autem maximè Crassum, ut illuc se convertat, & junctis cum Armenis copiis, cum Orode decernat. Quod si non placeat, ita progrediatur, ut regiones declinet equitabiles. Id consilium Crassus etiam cum stomacho rejecit; regémque nullo rescripto dignatus, sibi non superesse nunc tantum otii dixit, ut curaret Armeniam, sed in reditu Artabazum daturum pœnas proditionis. Mox verò Abgarus, priusquàm doli compertus esset, subduxit se; quum Crasso persuasisset, se hostium exercitum circumventurum, & perturbaturum.

Non multum progressi fuerant, cùm pauci speculatores accurrentes, nunciaverunt reliquos ab hoste occisos: eósque adesse ingentibus animis, copiisque instructos. Hic Crassus obstupuit, exercitus perculsus est metu. Et Crassus quidem primùm Cassii sententiam secutus, aciem explicatiorem instruxit: mox malè mutato consilio contractis copiis quadratam aciem & profundam fecit. Alterum cornu Cassio alterum filio C. Publio attribuit: ipse in mediâ acie constitit. Cùm ad rivum Balissum nomine ventum esset, cùm plerique ducum suaderent, ut ibi castra ponerentur, & pernoctarent; interimque explorandum, quæ essent hostium copiæ, & quàm instructæ: id quoque consilium respuit Crassus, ejus filio cum suis equitibus prælium affectantibus: jussitque, ut in acie stantes, quibus liberet cibum caperent & biberent. Quod priusquàm factum esset ab omnibus, incomposito gradu properavit, non lento & interquiescente, donec hostes in conspectu fuere.

Surenas non totam a principio aciem exhibuit, nec armorum dignitatem, sed idoneo ad terrorem Romanorum loco, quos primùm infestis hastis loco movere instituerunt. Cæterùm ut altitudinem confertæ aciei & militum vidêre stabilitatem, gradum retulere. Cùm autem ordines suos dissolvere viderentur, priusquàm id Romani adverterent, undique se ipsorum aciei circumfudêre. Cùm verò levem armaturam Crassus procurrere jussisset, haud longè sunt progressi, sed grandine sagittarum malè accepti, retrò se inter gravem armaturam receperunt, initiúmque tumultûs & pavoris præbuerunt, cementibus vim telorum omnia perrumpentium, & vulnerum magnitudinem.

Hic Parthi divulsi, undique in confertam aciem sagittas eminùs ejaculari cœperunt, tanto damno, nullum ut telum esset irritum; tantâ vi, ut immanes plagas mortésque frequentissimas afferrent, tantâ constantiâ, ut ne fugientes quidem à jaculando cessarent. Et sperabant quidem Romani fore, ut effusis semel telis ad manus venirent. Ut verò cognoverunt multos camelos illis præstò esse sagittis onustos, à quibus circumvecti primi sagittas sumebant; obtorpuit Crassus videns nullum fore sagittandi finem, donec omnes telis confixi jacuissent: jussítque filium eniti cum hoste conferre, priùs quàm ab eo circumfunderetur.

Juvenis igitur assumptis 1300 equitibus (quorum mille à Cæsare acceperat) sagittariis 500, & proximis clypeatorum octo cohortibus, impetum in Parthos fecit; fugientes de industriâ, usque dum ille longiùs abstractus à patre est. Tum verò converso vultu Romanos aggressi, cinctos undique sagittis confixerunt. Ipse Publius (quem ut *lectissimum juvenem*, in lib. 6. cap. 13. Orosius, ut *clarissimum & præstantissimum juvenem*, in libro 6. commendat hîc Eutropius) quia non poterat uti manu transfixâ, armigero latus feriendum præbuit. Ex duobus ejus sodalibus, Censorinus senator ac orator eodem modo periisse dicitur; Megabacchus, animi corporisque fortitudine eximius, se ipse confodit, ut & nobiliores cæteri. Reliquos subeuntes collem barbari contis confoderunt pugnantes. Vivi non amplius quingenti in eorum potestatem venisse dicuntur.

Capite Publii truncato, in Crassum illicò contenderunt; qui filii reditum expectabat, dum minùs aliquantò instaret hostis. At nunciis aliis, super alios supervenientibus, actum esse de Publio, nisi valido auxilio quamprimùm succurreretur, instituit cum exercitu progredi; cùm supervenere hostes clangore terribiles, & victoriâ ferociores, Publii caput hastâ suffixum ferentes. Id spectaculum Romanos vehementer infregit; Crassus tamen animare conatur suos, ad extorquendam hosti lætitiam, & sævitiam vindicandam. Redintegratum est prælium; sed cùm Romani iterùm sagittarum grandine conficerentur, miserè multi peribant. Nam qui temerè, ne sagittis configerentur, in hostem irruebant, contis validis, quibus illi subinde bina corpora uno impetu transverberabant, in angustum cogebantur: donec appetente nocte receperunt se Parthi, jactantes unam noctem se Crasso largiri, ad filium lugendum.

Eâ nocte Octavius & Cassius, centuriones & milites convocârunt; nam Crassus publico privatóque obrutus luctu, obvoluto capite in tenebras abdiderat se; cùm metus futurorum reliquos exercitûs ad fugæ consilium impulit. Exercitus sine tubâ excitatus silentio abire cœpit. Mox autem debilibus sentientibus se relinqui, ingens tumultus & confusio, cum ejulatu & comploratione castra occupavit. Inde perturbatio & pavor progredientes occupavit: quòd clamore excitum hostem incursurum putarent. Et sensit ille quidem abeuntes; sed insequi neglexit. Trecenti, equites expediti, Egnatio duce, Carras intempestâ nocte pervenerunt; & appellatis excubitoribus nunciari jusserunt præfecto Coponio, Crassum ingentem pugnam cum Parthis commisisse: nec alio verbo addito, ad urbem Zeugma properârunt. Coponius ex confusâ oratione insultam rem nunciari existimans, suos armat extemplò, & Crasso per debilium curam lentiùs progredienti occurrit, cúmque cum exercitu urbe recepit.

Ubi diluxit, Parthi castra Romanorum adeunt, & ibi relictos ad quatuor millia contrucidârunt. Multos quoque in campo palantes equitatu exceperunt: in his quatuor cohortes, quas eadem nocte Varguntcius legatus ducebat, & noctu à viâ aberraverant. Has in colle circumvecti pugnantes oppressêrunt; præter viginti milites, qui per medios hostes perrumpentes, Carras incolumes pervenerunt. Cujus Varguntcii cladis meminit & *Orosius*. [*lib. 6. cap. 13.*]

Incertus animi Surenas an Carris esset Crassus cum Cassio, an aliò se ex fugâ contulissent; Carras dimittit certos homines, qui id perdiscerent, specie fœderis ineundi cum Romanis si excederent Mesopotamiâ. Quod cùm Romanis, quibus omnia propè desperata erant, placuisset, tempúsque & locum congressûs Crassi & Surenæ peterent; Surenas intelligens hostem inclusum Carris, postridie cum exercitu affuit, opidum vehementer premens, imperánsque Romanis si cupiant inducias; sibi Crassum & Cassium vinctos dari. Hîc nimirùm ingemuerunt Romani se deceptos, & longinquâ inanique spe auxilii Armeniorum omissâ, de fugâ cogitabant.

Id consilium nemini Carrenorum ante tempus aperiendum erat; aperuit tamen Crassus omnium perfidissimo Andromacho, quem insuper delegit itineris ducem: itaque omnia consilia Parthi didicerunt, Andromacho singula prodente. Et quoniam noctu pugnare neque solitum Parthis est, neque facile; Crassus autem noctu exiverat, ne hostes longiùs à tergo fugientium relinquerentur, Andromachus Romanos aliis atque aliis viis deducebat: postremò in profundas paludes, & loca fossis concisa deflexit. Fuerunt nonnulli qui, Andromachi circumflexiones suspectas habentes, eum sequi noluerunt. Nam Cassius retulit se Carras, & inde cum equitibus quingentis, proripuit se in Syriam. Alii fidos nacti duces, loca montosa, quæ Synaca dicuntur, ceperunt, & ante lucem in tutum pervenere, ferè quinque millia, quibus præfectus erat vir fortis Octavius.

Crassum insidiis Andromachi implicatum in locis difficilibus, & palude, occupavit dies

5952 cum quatuor cohortibus legionariorum, & paucis equitibus, & quinque lictoribus, cum quibus labore magno eluctatus difficultates itineris, jam appropinquantibus hostibus in alium tumulum refugit duodecim fermè stadiis ab Octavio distantem, non tam munitum aut equis impervium, sed subjacentem Synacis, & conjunctum longâ cervice tendente per mediam planiciem. Itaque periculum ejus Octavium latere non poterat. Ergo primus cum paucis accurrit in ejus auxilium; deinde reliqui se invicem increpantes sequebantur, repressisque hostibus à tumulo, Crassum in medium receperunt. Scutisque objectis jactabant nullum Parthorum telum posse corpus Imperatoris attingere, priusquàm propugnatores omnes ad unum cecidissent.

Itaque Surena videns Parthos jam segnius subire pericula, & periculosum esse pugnare cum desperatis, è loco præsertim editiore pugnantibus, & si fortè nox supervenerit, Romanos jam montana tenentes capi non posse, sed ad Armenios belli redintegrandi gratiâ profecturos, (ut ait *Dio*) alteram fraudem perfidiámque machinatus est. Dimisit enim aliquot captivos, qui barbaros de industriâ confabulantes audiverant, Regem non abhorrere à pace cum Romanis faciendâ, exhibiturúmque Crasso omnem humanitatem, si id per ipsum fieri posset. Interim abstinebant à pugnâ barbari, & Surena cum optimatibus paulatim ad tumulum accedens levavit arcum, & protensâ dextrâ, Crassum ad fœdera invitavit: Parthorum vim eum jam expertum, nunc humanitatem, si velit, experturum. Non assentiebatur Crassus, & meritò fraudem timebat; ut qui nullam ejus mutationis causam videret.

At milites etiam cum convicio pacem petebant. Ille conabatur precibus & ratione persuadere, ut reliquum diei perdurarent, noctu per montosa iter facturos, ne propinquæ salutis spem abrumperent. Sed cùm indignantes & arma concutientes minarentur, territus pergit ad hostes, & tamen conversus ad suos; *Vos*, inquit, *Octavi & Petroni, & quotquot adestis præfecti Romani, cernitis quam vim patiar. Verùm cæteris mortalibus nunciate, ubi incolumes fuerisis, deceptum ab hostibus Crassum, non à civibus deditum, periisse.* Quod videri potest dixisse, hâc amicâ voce tentans eorum pertinaces animos infringere, dum famæ ipsorum curam gerit. Octavius autem & cæteri non hæserunt in tumulo, sed simul descenderunt: lictores sequi honoris causâ volentes Crassus à se removit.

Primi ex barbaris occurrerunt duo semigræci, qui Crassum ex equis desilientes adoraverunt, salutatúmque Græcè rogabant, ut præmitteret, qui Surenam cæteróque, qui ad colloquium veniebant, perlentarent an inermes venirent. Misit ille duos Roscios fratres, quos extemplò Surenas retinuit, atque cum primoribus provectus equo, cùm Crassus pedes iret, jussit ad eum equum adduci, & ad fluvium usque, ad scribendas pacis leges progredi, quòd Romani non essent admodùm pactorum memores, simúlque dexteram ei porrexit. Quúmque Crassus equum accersere, negavit esse opus. Hunc enim tibi, inquit, Rex dono dat. Móxque admotus ei is equus auro frenatus, in quem stratores eum sustulerunt, & assectari sunt, verberibus concitantes equum. Ibi Octavius primus arripuit frenum, & secundùm illum unus ex tribunis Petronius, mox reliqui circumfusi inhibere paraverunt equum, atque illos, qui ex utrâque parte urgebant Crassum, retrahere.

Cúmque se mutuò protruderent, turbaréntque, ventum est ad verbera. Octavius stricto gladio occidit unius barbari equisonem; alius Octavium, à tergo feriens. Petronius telum non habuit, sed percussus in loricam resiluit integer. Cæterùm Crassum Parthus Pomaxathres vel Maxarthes nomine interfecit, aut ut aliis placet, jacentis caput & dexteram detruncavit. *Dio* in dubio relinquit, an ab aliquo suorum occisus sit, ne vivus in hostium manus veniret; an verò ab hostibus. Comprehensum &, ne quid vivus pateretur, repugnantem interemptum fuisse, in libro 106. *Livius* retulit. *Ipse in colloquium sollicitatus, signo dato, vivus in hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus, fugam ducis barbari ferro occupassent:* ait in lib. 3. cap. 11. *L. Florus.* & cum secutus *Sextus Rufus*, in Breviario, ad Valentinianum Augustum. *Ipse Crassus quum ad colloquium sollicitatus vivus penè capi potuisset, repugnantibus tribunis evaserat, & dum fugam petit occisus est.*

Ita ad Sinnacam Mesopotamiæ urbem Surenas Parthorum imperator Crassum dolo captum interemit. [*Strabo, lib. 16. pag. 747.*] quamvis vivum auferre maluisset. [*Oros. lib. 6. cap. 13.*] Unâ cum parte majore Romani exercitûs eum interemptum dicit *Velleius Paterculus.* [*lib. 2. cap. 46.*] Omnes cum eo Lucanos milites, quorum magnus numerus in exercitu erat, interemptos fuisse ait *Plinius.* [*lib. 2. cap. 56.*] Undecim legiones penè cum suo capite cum amississe, scribit *Jornandes.* [*de regnor. succession.*] Summa omnium interfectorum 20 millia dicitur fuisse; eorum qui vivi in potestatem hostium venerunt decem millia, ut apud *Plutarchum* legitur. Ex centum verò millibus vix decem millia refugisse in Syriam, affirmat *Appianus.* [*lib. 2. Bell. civil. pag. 438.*] Mense autem Junio, ut in libro 6°. Fastorum *Ovidius* cecinit,

* *Crassus ad Euphraten Aquilas, natúmque suósque*
Perdidit; & Leto est ultimus ipse datus. *

mediâ æstate (*μεσοῦντος τοῦ θέρους*) hæc contigisse, in Historiarum suarum libro 40. narrat *Dio*: ubi & Parthos hoc tempore omnem ditionem intra Euphratem recuperavisse, adjicit.

Reliquiæ Romani exercitûs, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam Syriámque distractæ, vix nuncium cladis retulerunt. [*Florus, lib. 3. cap. 11.*] Cognitâ verò hâc Romanorum clade, multæ Orientis provinciæ à societate vel fide populi Romani defecissent; ni Cassius collectis ex fugâ militibus paucis, intumescentem Syriam egregiâ animi virtute ac moderatione pressisset. [*Oros. lib. 6. cap. 13.*] Hic Cassius, quum ei Carris à militibus odio Crassi imperium esset delatum, atque ipse etiam Crassus ob magnitudinem calamitatis ultrò

id concederet, non acceperat: nunc autem neceſſitate rerum adductus, Syriæ adminiſtrationem ſuſcepit. [*Dio, lib.* 40.] Eſtque hic Craſſi Quæſtor, qui Syriam in populi Romani poteſtate nunc retinuit, idem ille Caius Caſſius, qui unà cum Bruto Julium Cæſarem poſtea interemit. [*Veller. Patercul. lib.* 2. *cap.* 46. *cum* 56. *&* 58.]

Surenas caput dexterámque Craſſi ad Orodem miſit in Armeniam: * *corpore* ut ait Valerius Maximus, (lib. 1. cap. 6.) *inter promiſcuas cadaverum ſtrues; avium, ferarúmque laniatibus objecto:* * ipſe verò ſparſis Seleuciæ rumoribus per nuntios quòd vivum Craſſum duceret, ſubornato Caio quodam inter captivos illi ſimillimo, pompam ibi quandam ridiculam inſtruxit, quam contumeliæ causâ appellavit triumphum. [*Plutarch.*]

Intereà Orodes cum Artábaze ſive Artavaſde Armenio in gratiam redierat, ejus ſorore deſponsâ Pacoro ſuo filio: móxque ſecuta ſunt convivia comeſſationéſque; & inter alia, Græca quoque introducta ſunt acroamata. nam Orodes nec linguæ Græcæ rudis erat nec literarum: Artavaſdes verò etiam tragœdias ſcribebat & orationes & hiſtorias. Tum tragœdo Jaſone Trallíano canente ex Euripidis Bacchis carmen de Agaue, ingreſſus virorum cœnaculum Sillaces, caput Craſſi projecit in medium: quod exiliens à cœna Pomaxathres ſive Maxarthes ad ſe trahebat, tanquam ſibi potius quam illi debitum. [*Idem.*]

Inter alias contumelias, nonnulli referunt etiam in os Craſſi Parthos aurum liquefactum, verbis inſuper inſultantes, infudiſſe. [*Dio, lib.* 40.] Inter hos L. Florus eſt: cujus [*in lib.* 3. *cap.* 11.] hæc de re verba ſunt iſta. *Caput ejus reciſum, cum dexterâ manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infuſum eſt; ut cujus animus arſerat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exangue corpus auro ureretur.* Quibus ſimilia & *Sextus Rufus* in Breviario habet, & eum ſecutus *Jornandes.*

Surenas non multò pòſt perjurio dignas pœnas dedit; ab Orode, gloriæ illius invidente, occiſus. [*Plutarch. in Craſſo.*]

Romæ, loco Craſſi junioris in bello Parthico occiſi, M. Cicero Augur factus fuit. [*Id. in Cicerone.*]

Patre illius M. Craſſo eodem tempore ſublato, *Tricipitina* Varronianæ unum caput reciſum eſt, & belli civilis inter Pompeium & Cæſarem jacta fundamenta. Occiſo enim Craſſo, qui utrique imminebat, reliquum erat Cæſari, quo evaderet maximus, ut eum qui ſuperaverat profligaret. [*Plutarch. in Cæſare, & in Pompeio.*]

Nec quenquam jam ferre poteſt, Cæſárve priorem,
Pompeiúſve parem. (Lucan. lib. 1.)

3952 Senatuſconſultum per interregnum factum eſt, ne quis Conſul neve quis Prætor ante quinti anni exitum provincias exteras ſortiretur. Idque paulò pòſt à Pompeio confirmatum eſt. [*Dio, lib.* 40.] qui ab Interrege Ser. Sulpitio V. Kalend. Mart. menſe intercalari, (circa initium ſc. Decembris Juliani) Conſul creatus eſt. [*Aſcon. Pedian. in orat. Milonian.*]

* Alexandro Ariſtobuli filio ex Alexandrâ Hyrcani filiâ, natus eſt filius Ariſtobulus: ut ex ætate ejus à *Joſepho* notatâ, colligitur. [*lib.* 15. *cap.* 2. *&* 3.] *

Parthi Syriam invaſerunt, non magno tamen exercitu; quòd in eâ neque milites neque Imperatorem ab Romanis eſſe putabant: itaque Caſſius eos non magno negotio repulit. [*Dio, lib.* 40.] 4662 52

Caſſius veniens Tyrum, inviſit etiam Judæam, ubi Tarichæas primo impetu cepit, & Judæorum circiter 30 millia abduxit in ſervitium. Pitholaum quoque, qui Ariſtobuli ſeditionem fovebat, interfecit; hortante Antipatro, qui plurimum apud eum poterat. Antipater enim, cùm maximam inter Idumæos authoritatem haberet, aliorum etiam qui ubique potentes eſſent amicitiam hoſpitiis familiaritatéque conquirebat. Præcipuè autem regem Arabum per affinitatem ſibi ſociavit: apud quem etiam, dum bellum contra Ariſtobulum gereret, liberos ſuos depoſuit. At Caſſius, Ariſtobuli filio Alexandro per conditiones ad quietem compulſo, ad Euphratem caſtra movit, Parthos tranſitu prohibiturus. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 6. *&* *lib.* 14. *Antiquit. cap.* 12.]

3953 M. Marcello & C. Sulpitio Conſulibus, fœdus cum Rhodiis renovatum eſt: quo cautum eſt, ne alter populus alterum armis impeteret; ſed auxilia mutua ſibi invicem præberet. Juraverúntque Rhodii, eoſdem hoſtes ſe habituros, quos Senatus populúſque Romanus. [*P. Lentulus, apud Cicer. lib.* 12. *ad familiar. epiſt.* 15. *cum Appiano, lib.* 4. *Bell. civil. pag.* 627. *&* 630.] Atque eâ occaſione Poſidonius Apameenſis, qui Rhodi ſcholam habuit, Romam veniſſe videtur, conſule M. Marcello: ut apud *Suidam* legitur. [*in voc.* Ποσειδώνιος.] nobilis nimirùm ille Philoſophus, Mathematicus & Hiſtoricus: de cujus Sphærâ, in libro 2. de naturâ Deorum, ita méminit Cicero. *Si in Scythiam aut in Britanniam, ſphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noſter effecit Poſidonius; cujus ſingula converſiones idem efficient in Sole, & in Luna, & in quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cœlo ſingulis diebus & noctibus: quis in illâ barbarie dubitet, quin ea ſphæra ſit perfecta ratione?* 4663 51

Quum ex Senatuſconſulto & lege Pompeiâ, ſuperiore anno latâ, nullus Conſularem Prætoriámve provinciam obtinere poſſet, niſi qui quinquennio Conſularis Prætoriúſve fuiſſet: M. Calpurnius Bibulus qui per ſeptem, & M. Tullius Cicero qui per undecim annos Conſulares jam fuerant, neque in ullas provincias adhuc iverant; ille Syriam, hic Ciliciam provinciam eſt ſortitus. De Syriâ teſtis eſt *Dio*, in libro 40. de Ciliciâ ipſe *Cicero*, lib. 3. ad familiar. epiſtolâ 2. quam jam Proconſul deſignatus *Appio Pulchro Imp.* (ob rem enim bello in Ciliciâ bene geſtam Imperatoris nomen exercitus illi tribuit) cui ſucceſſurus erat, ille ſcripſit: in quâ, & contra voluntatem ſuam & præter opinionem accidiſſe ſignificat, ut ex Senatuſconſulto ſibi cum imperio in ipſius provinciam proficiſci neceſſe eſſet. Legatos verò habuit

Cicero,

Cicero, Quintum Tullium fratrem, C. Pomptinium, L. Tullium, & M. Anneium: Quæſtores L. Meſſinium & Cn. Voluſium.

Exercitum Ciceroni obvenisſe 12000 peditum & 2600 equitum, in Vitâ illius refert *Plutarchus*. Ipſe ſe nomen tantùm duarum legionum exilium habuiſſe dicit. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 15.*] qui exercitus vix unum ſaltum tueri poſſet: uti ad ipſum ſcripſit M. Cœlius. [*Ibid. lib. 8. epiſt. 5.*]

Die XI. Kalend. Junias (qui ut Romæ tum annus agebatur, in Martii Juliani diem 6. incidit) Cicero, in provinciam profecturus, Brunduſium venit. Ibi præſtò ei fuit Q. Fabius Appii Claudii Pulchri, cui ſucceſſurus erat, legatus: qui eum monuit, præſidio firmiori opus eſſe ad iſtam provinciam. Cenſebántque omnes ferè, ut in Italiâ ſupplementum Ciceronis & Bibuli legionibus ſcriberetur. Id Ser. Sulpicius Conſul paſſurum ſe negavit: tantúſque conſenſus Senatus fuit, ut maturè Cicero & Bibulus proficiſcerentur, parendum ut fuerit. Idque ita factum eſt. [*Id. lib. 3. ad familiar. epiſt. 3.*]

Ante civile Cæſaris & Pompeii bellum, Juliani Martii die 7. paulò poſt meridiem, facta eſt horrenda Solis defectio, digitorum 10 cum dimidio: de quâ in libro 41. *Dio.* ἀ ἥλιος ἐκλείπων ἐφάνη, *Sol totus deliquium pertulit.* & Lucanus, libro 1.

Ipſe caput medio Titan cùm ferret Olympo,
Condidit ardentes atrâ caligine currus:
Involvitque orbem tenebris, gentéſque coëgit
Deſperare diem.

Brunduſio ſolvens Cicero, Actium venit XVII. Kalend. Quintiles (Martii Juliani die 29.) indéque iter pedibus faciens, Athenas VII Kalendas Quintiles (Aprilis Juliani die 8.) pervenit. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 9. & 10.*] quum pridie quàm illuc veniſſet, Memmius (qui de ambitu condemnatus ibi tum exulabat) Mitylenas profectus fuiſſet. [*Ibid. epiſt. 11.*]

Menſe Aprili Juliano Ptolemæus Auleres obiit: de quo M. Cœlius in epiſtolâ ad M. Ciceronem Româ Kalendis Sextilibus (Maii Juliani die 15.) perſcriptis, [*lib. 8. ad familiar. epiſt. 4.*] quum in ſequentem annum Conſul jam deſignatus eſſet C. Marcellus. *Nuntiatum nobis, & pro certo jam habetur, regem Alexandrinum mortuum.* In ejus Teſtamento hæredes erant ſcripti ex duobus filiis major, & ex duabus filiabus ea quæ ætate antecedebat. Hæc uti fierent, per omnes deos, pérque fœdera quæ Romæ feciſſet, eodem teſtamento Ptolemæus populum Romanum obteſtabatur. Tabulæ teſtamenti, unæ per legatos ejus Romam ſunt allatæ, ut in ærario ponerentur; alteræ, eodem exemplo, relictæ atque obſignatæ Alexandriæ ſervabantur. [*Cæſar, lib. 3. Commentar. Bell. civil.*]

Hoc itaque teſtamento præcipiebatur, ut Ptolemæus filius natu major cum ſeniore ſorore Cleopatrâ, more majorum apud Ægyptios, matrimonio jungeretur; ſimúlque regnum illi tenerent, ſed ita tamen, ut ſub tutelâ populi Romani eſſent. [*Dio, lib. 42.*] de quo, Cleopatra ad Cæſarem; apud Lucanum, libro 10.

——— non urbes prima tenebo
Femina Niliacas: nullo diſcrimine ſexus
Reginam ſcit ferre Pharos. lege ſumma peremptî
Verba patris, qui jura mihi communia regni
Et thalami cum fratre dedit.

Hujus teſtamenti tabulæ Romam delatæ, cùm propter publicas occupationes in ærario poni non potuiſſent, apud Pompeium ſunt depoſitæ. [*Cæſar, lib. 3. Bell. civil.*] quem novo regi, propter juvenilem ejus ætatem, tutorem datum fuiſſe, refert *Eutropius*. [*lib. 6.*]

Decem ipſos dies Athenis moratus M. Cicero, pridie Nonas Quintiles (Aprilis Juliani die 19.) inde profectus eſt. (*lib. 2. ad familiar. epiſt. 8.*) quo die à Piræeo ſolvens ad Zoſtera delatus eſt vento moleſto, qui eum ibidem Nonis tenuit. VIII. Idus (Aprilis die 25.) ad Cei vicum, inde Gyarum, hinc Scyrum, inde Delum curſum confecit. (*lib. 5. ad Attic. epiſt. 12.*) XI. Kalend. Sextil. (Maii Juliani die 5.) Epheſum venit: tardiùs navigans propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. Ibi incredibilis multitudo præſtò ei fuit: Græcique ei quaſi Epheſio prætori ſe alacres obtulerunt. (*ibid. epiſt. 13.*) Prætor verò Aſiaticarum dioeceſium (quæ à Ciliciæ provinciâ ſejunctæ fuerant) tum Q. Thermus Epheſi fuit: cum quo, de re M. Anneii legati ſui, qui cum Sardianis habuit controverſiam, Cicero egit; atque ad eum, pro eodem & alius, varias poſteà epiſtolas ſcripſit. (*lib. 13. ad familiar. epiſt. 53, 54, 55, 56, 57. & lib. 5. ad Attic. epiſt. 20.*) Bithyniæ verò Prætorem P. Silium eodem tempore extitiſſe, ex lib. 13. ad familiar. epiſt. 61. colligitur.

Epheſi Ciceronem expectabat P. Nigidius, Romam ex legatione decedens, vir doctiſſimus; & Mitylenis, ejus ſalutandi & viſendi causâ, venit eódem Cratippus, Peripateticorum illius temporis facilè princeps: ut in Præfatione ad Platonis Timæum, Latinè à ſe converſum, ipſe teſtatur *Cicero*.

Epheſo relictâ, Tralles profectus eſt Cicero, æſtuoſâ & pulverulentâ viâ. (*lib. 5. ad Attic. epiſt. 14.*) VI. Kalendas Sextiles (Maii Juliani die 10) Tralles venit: ubi præſtò illi fuit L. Lucilius cum litteris Appii Pulchri. (*lib. 3. ad familiar. epiſt. 5.*) unde intellexit, inter alia, ſeditionem militum ſedatam ab Appio, ſtipendiúmque eis utique ad Idus Quinctiles perſolutum. (*lib. 5. ad Attic. epiſt. 14.*)

Pridie Kalendas Sextiles (Maii Juliani die 14.) Sulpicio & Marcello Conſulib. Cicero Laodiceam, in provinciam (perditam ab Appio & planè everſam) venit: à quo die annuus hic

magi-

3953 magiſtratus, à Senatu illi commiſſus, numerari cœptus eſt. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 15, 16, 20. & 21. cum lib. 3. ad familiar. epiſt. 6. & lib. 15. epiſt. 2. & 4.*] Cùm verò à Cypriis legatis, qui Epheſum obviam ipſi venerant, intellexiſſet Cicero, Scaptium Appii in Cypro præfectum incluſum in curia ſenatum Salamine turmis aliquot equitum obſediſſe, ut fame ſenatores quinque morerentur; quo die tetigit provinciam, litteras miſit, ut equites ex inſulâ ſtatim decederent. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 21. & lib. 6. epiſt. 1.*]

Cùm propter anni tempus ad exercitum ſibi confeſtim eſſe eundum videret, triduum Laodiceæ moratus (dum pecunia acciperetur, quæ ipſi ex publicâ permutatione debebatur) III. Nonas Sextiles (Maii Juliani 17) iter Apameam fecit: ibique quatuor vel quinque dies, Synnadis triduum, Philomelii quinque dies egit. Quibus in opidis cùm magni conventus fuiſſent, multas civitates acerbiſſimis tributis, & graviſſimis uſuris, & magno ære alieno liberavit. [*lib. 3. ad familiar. epiſt. 5. & lib. 15. epiſt. 4. cum lib. 5. ad Attic. epiſt. 15, 16. & 20.*]

Appius Claudius, cùm ex lege Cornelià (Cornelii Syllæ Dictatoris) triginta dies ad decedendum de provinciâ, poſt ſucceſſoris adventum, concederentur: iiſdem diebus Tarſi forum egit, quibus Cicero juris dicendi causâ conventum habebat Apameæ, Synnadis & Philomelii. [*lib. 3. ad familiar. epiſt. 6. & 8. cum lib. 5. ad Attic. epiſt. 16, 17.*]

M. Bibulus Proconſul circiter Idus Sextiles (Maii Juliani 25.) ab Epheſo in Syriam provinciam ſuam navibus, quòd ſecundos ventos haberet, profectus eſt. [*lib. 15. ad familiar. epiſt. 3.*] Cui cùm milites in Aſiâ conſcribere Senatus permiſiſſet, delectum habere noluit. [*ibid. epiſt. 1.*] Nam ſociorum auxilia propter acerbitatem atque injurias imperii Romanorum, aut ita imbecilla erant, ut non multùm eos juvare poſſent; aut ita ab illis alienata, ut neque expectandum ab iis; neque committendum eis quidquam videretur. [*Ibid.*]

Cùm ante Ciceronis in provinciam adventum ſeditione quâdam exercitus eſſet diſſipatus; quinque cohortes ſine legato, ſine tribuno militum, denique etiam ſine centurione ullo apud Philomelium conſediſſent, reliquus exercitus eſſet in Lycaoniâ: M. Annio legato ſuo imperavit Cicero, ut eas quinque cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactóque in unum locum exercitu, caſtra in Lycaoniâ apud Iconium faceret. Quod cùm ab illo diligenter eſſet actum; Cicero in caſtra VII. Kalend. Septembr. (Junii Juliani die 7.) venit: cùm interea ſuperioribus diebus ex Senatuſconſulto, & evocatorum militum firmam manum, & equitatum ſatis idoneum, & populorum liberorum regúmque ſociorum auxilia voluntaria comparaviſſet. [*Ibid. epiſt. 4.*]

Dejotarus filius, qui Rex à Senatu appellatus eſt, Ciceronem pueros ſecum in regnum duxit, dum in æſtivis Marcus Cicero bellum gereret. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 17, 18.*] Cui uni filio ut Dejotarus pater Galatiæ regnum ſtabiliret, cæteros filios omnes eum necaviſſe, in libro de Stoicorum repugnantiis tradit *Plutarchus*. Amborum verò Dejotarorum, patris & filii, ſimul regnantium, in Philippicâ XI ſummâ cum utriuſque laude, meminit *Cicero*.

Pacorus Ordis Parthorum regis filius, quocum nupta erat regis Armeniorum ſoror, cum maximis Parthorum copiis multarúmque præterea gentium magnâ manu Euphratem tranſiens, bellum in provinciam Syriam intulit. [*lib. 15. ad familiar. epiſt. 1, 2, 3, 4. & lib. 5. ad Attic. epiſt. 18.*] Dux autem reverà erat Oſaces: Pacoro, qui nondum ex ephebis exceſſerat, nomen tantùm ducis gerente. [*Dio, lib. 40.*]

Parthi in Syriam ita profecti, in itinere poſitis locis omnibus in ſuam poteſtatem redactis, Antiochiam uſque progreſſi ſunt, cum ſpe reliquorum etiam potiundorum. Nam neque Romani juſtis copiis eam provinciam tenebant: & populi Romanorum dominationem moleſtè ferentes, ad Parthos, tanquam ſibi vicinos & familiares, inclinabant. [*Dio, ibid.*] Proconſul quoque Bibulus nondum in Syriam venerat. Cùm enim annua tantùm illi provincia, ut Ciceroni, à Senatu eſſet conſtituta; ob eam cauſam tardiùs ad provinciam ſuam accedere ille dicebatur, quòd tardiùs vellet inde decedere. [*Cic. lib. 5. ad Attic. epiſt. 16. & 18.*]

Cicero III. Kalend. Septembr. (Junii Juliani 11.) exercitum luſtravit apud Iconium. [*lib. 3. ad Attic. epiſt. 19.*] Kalendis, vel III. Nonas Septembr. legati miſſi à rege Antiocho Commageno venerunt in caſtra ad Iconium: qui primi Ciceroni nuntiârunt, Parthorum magnas copias Euphratem jam tranſire cœpiſſe; dicique Armeniuni regem in Cappadociam impetum eſſe facturum. Quo nuntio allato, etiamſi eſſent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent; Cicero tamen vehementer eſt commotus tum de Syriâ, tum de ſuâ provinciâ, de reliquâ denique Aſiâ. Itaque exercitum ſibi per Lycaoniam, & per Iſauros, & per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, ducendum putavit. [*lib. 15. ad familiar. epiſt. 1, 2, 3, 4.*]

Poſtquàm igitur decem dies Iconii fuiſſet moratus, moto exercitu, caſtra in Cappadociâ extremâ non longè à Tauro monte apud opidum Cybiſtra locavit: ut Artavaſdes rex Armenius, quocumque animo eſſet, ſciret non procul à ſuis finibus exercitum populi Romani eſſe, ipſeque ſimul & Parthi Cappadociâ ſe excludi putarent. ſicque conterminam Ciliciam ille tueretur, & Cappadociam tenens, nova regum finitimorum conſilia impediret; qui, etiamſi Romanis eſſent amici, tamen apertè Parthis inimici eſſe non audebant. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 20. & lib. 15. ad familiar. epiſt. 2. & 4.*]

Cybiſtris equitatum Cicero in Ciliciam miſit, ut & ipſius adventus eis civitatibus quæ in eâ parte erant nuntiatus firmiores animos hominum faceret; & ipſe maturè, quid ageretur in Syriâ, ſcire poſſet. [*lib. 15. ad familiar. epiſt. 2.*]

Ibi etiam officium à Senatu ſibi injunctum curavit: ut Ariobarzanem Cappadocum regem tueretur, ejúſque ſalutem, incolumitatem, regnúmque defenderet. Cúmque rex ipſe cum Ariarathe, fratre ſuo, & parentis amicis majoribus natu, ad Proconſulem in caſtra veniens,

(ubi

(ubi triduum quatriduúmve præsentem cum fuisse, ex *lib. 6. ad Attic. epist. 2.* intelligitur) de insidiis vitæ suæ structis conquereretur, & equitatum cohortésque de exercitu Romano ad suum præsidium postularet: Cicero amicos ejus hortatus est ut regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris ejus, omni curâ custodiáque defenderent; & ipsum Regem, ut in suâ vitâ conservandâ primùm regnare disceret, à quibus perspexisset sibi insidias parari, in eos uteretur jure regio; pœnâ afficeret quos necesse esset, reliquos metu liberaret. præsidio exercitûs Romani ad eorum qui in culpâ essent timorem potiùs, quàm ad contentionem uterentur: fore autem, ut omnes, quando Senatusconsultum nôssent, intelligerent, se regi, si opus esset, præsidio esse futurum. De quo, in fine [*2a. illius*] epistolæ ad Consules & Senatum scripsæ, ipsos eo studiosiùs fecisse certiores dicit *Cicero:* quòd in rege Ariobarzane ea sibi signa videretur virtutis, ingenii, fidei, benevolentiæque erga ipsos perspexisse; ut non sine causâ tantam curam in ejus illi salutem viderentur contulisse.

Mithram & Athenæum, ab Ariobarzane importunitate Athenaïdis exilio mulctatos, maximâ apud regem authoritate gratiâque Cicero constituit. Cúmque magnum bellum in Cappadociâ concitaretur, si Sacerdos (Comanorum: quem majestate, imperio & potentiâ secundum à rege consensu gentis illius habitum fuisse, in libro de bello Alexandrino confirmat *Hirtius*) armis se, quod facturum parabatur, defenderet; adolescens & equitatu, & peditatu, & pecuniâ paratus, & sociis, qui novari aliquid volebant: perfecit Cicero, ut è regno ille discederet; réxque sine tumultu, ac sine armis, omni authoritate aulæ communitâ, regnum cum dignitate obtineret. [*Ibid. epist. 4.*] quanquàm idem alibi ita judicaverit: nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. [*lib. 6. ad Attic. epist. 1.*]

Atque hoc modo servatum est Ariobarzanis cum ipso rege regnum. [*Cato, in epist. 5. lib. 15. ad familiar.*] & Cappadocia illi conciliata atque obediens facta, sine armis & multâ cum gratiâ. [*Plutarch. in Ciceron.*] de quo, ad Atticum [*lib. 5. epist. 20.*] ità jactitat ipse Cicero. *Ariobarzanes operâ meâ vivit, regnat, in majore, consilio & authoritate: & quia insidiatoribus ejus despectui me non modò denuntiare præbui, regem regnúmque servavi.*

Interea multorum litteris atque nuntiis cognovit Cicero, Cassium (absente adhuc à Syriâ Bibulo) Antiochiæ cum exercitu fuisse; magnas Parthorum copias & Arabum ad Antiochiam accessisse; magnúmque eorum equitatum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum quos ipse eò præmiserat turmis, & à cohorte prætoriâ, quæ erat Epiphaniæ præsidii causâ, occidione occisum: Parthósque in Cyrrhestica, parte Syriæ proximâ Ciliciæ, fuisse. Cùm videret igitur à Cappadociâ Parthorum copias aversas, non longè à finibus esse Ciliciæ; relictis Cybistris Cappadociæ, (ubi castra dies quinque habuerat) exercitum in Ciliciam duxit: atque in finibus Lycaoniæ & Cappadociæ, XIII. Kalend. Octobr. (Junii Juliani die 30) litteras tum à Tarcondimoto, tum ab Iamblicho Phylarcho Arabum, qui reipublicæ Romanæ amici habebantur, accepit; nuntiantes Pacorum cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse Tybæ: de quo ille ad Consules & Senatum statim scripsit. [*lib. 15. ad familiar. epist. 1, 2. & 4. cum lib. 5. ad Attic. epist. 18. & 20.*]

Rumore adventûs Ciceronis & Cassio, qui Antiochiâ tenebatur, animus accessit, & Parthis timor injectus est. Recesserunt igitur illi ab Antiochiâ ante Bibuli adventum feliciter inde à Cassio rejecti; qui & cedentes ab opido insecutus, rem bene gessit. [*lib. 5. ad Attic. epist. 20, 21. & lib. 2. ad familiar. epist. 10.*] Quam historiam plenius ita enarrat *Dio.*

Quum Antiochiæ capiendæ spe Parthi essent dejecti, Cassio magnâ vi eos depellente, (ipsi autem ad oppugnationem locorum ineptissimi erant) Antigoniam contenderunt: cujus urbis suburbana quum essent arboribus consita, atque eò ipsi accedere neque auderent neque possent: arbores succidere, locúmque sylvâ despoliare instituerunt, ut audacter eutóque urbem eà aggredi possent. Cùm nec hoc succederet, quia & magni laboris negotium erat, & tempus incassùm terebatur, & Cassius palantes ab ipsis affligebat; aliò arma versuri, Antigoniâ discessérunt. Interea Cassius collocatis in viâ quâ transituri erant insidiis, se iis cum paucis ostendit, atque ad insequendum pertraxit: tum suos circumjecit. [*Dio, lib. 40.*] ubi & magnâ authoritate Osaces dux Parthorum vulnus accepit, eóque interiit paucis pòst diebus. [*Cicero, lib. 5. ad Attic. epist. 20.*]

Apud Justinum, [*lib. 42. cap. 4.*] non ita rectè historia descripta legitur. *Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syriâ gestis, in Parthiam patri suspectus revocatur: quo absente, exercitus Parthorum relictus in Syriâ, à Cassio Quæstore Crassi cum omnibus ducibus trucidatur.*

C. Cassium quæstorem M. Crassi Parthos, qui in Syriam transcenderant, excidisse, *Livius*; [*lib. 108.*] transgressos in Syriam Parthos, felici rerum eventu, fugavisse ac fudisse, *Velleius*; [*lib. 2. cap. 46.*] contra Persas (ita enim Parthos vocat) in Syriam irrumpentes ter cum summâ admiratione confixisse, eósque trans Euphratem redactos vastavisse, *Sextus Rufus* in Breviario; singulari animo perditas res tantâ virtute restituisse, ut Persas crebris prœliis vinceret, narrat in libro 6. *Eutropius.* Quibus addantur & illa Orosii, [*lib. 6. cap. 13.*] de eodem Cassio. *Antiochum copiásque ejus ingentes prælio vicit & interfecit: Parthos quoque ab Orode in Syriam missos, jámque ingressos Antiochiam, bello expulit, ducémque eorum Osacen interfecit.* & Ciceronis, in Philippicâ undecimâ. *Magnas ille res gessit ante Bibuli summi viri adventum; cùm Parthorum nobilissimos duces maximásque copias fudit, Syriámque immani Parthorum impetu liberavit.* Neque enim fidem meretur, quod in Historiæ Judaicæ, quæ Arabicè edita secundi libri Maccabaici præfert titulum, capitulo 41. de Cassio adjectum habetur. *Prætergrediens Euphratem, expugnavit Persas, atque reduxit in Romanorum obedientiam. Reduxit quoque in eorum obedientiam viginti duos Reges quos subegerat Pompeius: &*

redegit in Romanorum obedientiam quicquid erat in regionibus Orientis. Bellum autem Orientis cum viginti & duobus regibus gloriatum fuiſſe Pompeium, ex *Oroſio* [*lib. 6. cap. 6.*] jam ſuprà audivimus.

Pridie Kalendas Octobres (Quintilis Juliani die 11.) Senatui Romæ in æde Apollinis coacto placuit, in Ciliciam & in octo reliquas provincias ſortitò deinceps mittendos eſſe Proprætores, qui Romæ priùs Prætores, neque in provinciâ antè cum imperio fuerunt. [*lib. 8. ad familiar. epiſt. 8.*]

Cicero cum exercitu iter in Ciliciam per Tauri pylas faciens, III. Non. Octobr. (Quintilis Juliani die 16) Tarſum venit. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 20.*]

Nonis Octobrib. (Quintilis Juliani die 18.) eodem die in Senatu recitatæ ſunt victrices Caſſii litteræ, quibus per ſe ſcripſit confectum fuiſſe bellum Parthicum; & litteræ Ciceronis, tumultum Parthicum nuntiantes. Indéque Caſſii litteris parùm eſt creditum. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 21.*] Eódemque die, Tarſo Cicero Amanum versùs profectus eſt. [*lib. 3. ad familiar. epiſt. 8.*] qui mons ipſi cum Bibulo communis erat, Syriam à Ciliciâ aquarum divortiis dividens; hoſtium plenus ſempiternorum. [*Ibid. lib. 2. epiſt. 10. & lib. 5. ad Attic. epiſt. 20.*]

Poſtridie ejus diei (Quintilis Juliani 19) caſtra habuit in campo Mopſueſtiæ: unde Romam ad Appium Pulchrum (cui in Proconſulatu ſucceſſerat) ſcripſit epiſtolam 8. lib. 3. ad familiar. in cujus fine leguntur iſta. *De Parthis quòd quæris, fuiſſe nullos puto. Arabes qui fuerunt, admiſto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertiſſe. Hoſtem eſſe in Syriâ negant ullum:* Nam quum ad Amanum Cicero pervenit, hoſtem ab Antiochiâ receſſiſſe; & Bibulum Antiochiæ eſſe, cognovit indéque Dejotarum confeſtim jam ad ipſum venientem cum magno & firmo equitatu & peditatu, & cum omnibus ſuis copiis, certiorem fecit, non videri eſſe cauſam, cur abeſſet à regno: ſeque ad eum, ſi quid forte novi accidiſſet, ſtatim litteras nuntiósque miſſurum eſſe. [*lib. 15. ad familiar. epiſt. 4.*]

Cùm autem vehementer intereſſe utriuſque provinciæ Cicero conſideraret, pacare Amanum, & perpetuum hoſtem ex eo monte tollere; diſcedere ſe ab eo monte ſimulavit, & alias partes Ciliciæ petere. Cúmque abeſſet ab Amano iter unius diei, & caſtra apud Epiphaniam feciſſet; IV. Idus Octobris (Quintilis Juliani die 23) cùm adveſperaſceret, expedito exercitu ita nocte iter fecit, ut ad III. Idus Octobres, cùm luceſceret, in Amanum aſcenderet. [*Ibid.*]

Diſtributis igitur cohortibus & auxiliis, quum aliis ipſe ſimul cum Quinto fratre legato, aliis C. Pomptinus legatus, reliquis M. Annéius & L. Tullius legati præeſſent; pleroſque nec opinantes oppreſſit: multíque occiſi, alii capti, reliqui diſſipati ſunt. Fugerana (vel Erana potiùs) quæ fuit non vici inſtar ſed urbis, quòd erat Amani caput; itémque Sepyra & Ceminoris (vel Commotis) acriter & diu repugnantes, Pomptino illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore uſque ad horam diei decimam, magnâ multitudine hoſtium occiſâ, captæ ſunt. Caſtella munita ſex improviſo adventu capta ſunt: complura incenſa. His rebus ita geſtis caſtra in radicibus Amani habuit Cicero apud Aras Alexandri, ad Iſſum: quo in loco Darius ab Alexandro eſt ſuperatus. Ibi quatriduum in reliquiis ejus partis Amani montis quæ ad ipſius provinciam ſpectabat delendis, agriſque vaſtandis, conſumpſit: & ob victoriam juſtam pactam, Imperator ab exercitu appellatus eſt. Atque ita direpto & vaſtato Amano, die quinto Iſſo diſceſſit. [*Ibid. cum lib. 2. epiſt. 10. & lib. 5. ad Attic. epiſt. 20. & Plutarcho, in Cicerone.*]

Interim Bibulus in Amanum veniens, laureolam in muſtaceo & inanem Imperatoris appellationem ibi cœpit quærere. Sed fœdam plagam ille accepit. Cohortem enim primam totam perdidit, centurionémque primipili nobilem, ſui generis Aſinium Dentonem, & reliquos cohortis ejuſdem; & Sext. Lucilium (T. Gavii Cœpionis, locupletis & ſplendidi hominis, filium) tribunum militum. [*lib. 5. ad Attic. epiſt. 20.*]

Exercitum adduxit Cicero ad infeſtiſſimam Ciliciæ partem, quæ ab Eleuthero-cilibus incolebatur, feris hominibus, & acribus, & omnibus rebus ad defendendum paratis: qui cùm ne regibus quidem unquam paruiſſent, hoc tempore & fugitivos recipiebant, & Parthorum adventum acerrimè expectabant. Horum opidum Pindeniſſum, in altiſſimo & munitiſſimo loco poſitum, 57° ante Saturnalia die (XII. Kalend. Novembr. ſive Sextilis Juliani die 1) aggreſſus, vallo & foſſâ circumdedit, ſex caſtellis caſtriſque maximis ſepſit: aggere, vineis, turréque altiſſimâ, oppugnavit; multis ſagittariis, & magnâ tormentorum copiâ hic uſus, quemadmodum, tum in epiſtolâ ad M. Cœlium Rufum Ædilem deſignatum, 25° obſidionis die (Sextilis Juliani 25) ſcriptâ; (*lib. 2. ad familiar. epiſt. 10.*) tum in litteris ad M. Catonem, (*lib. 15. epiſt. 4.*) & Pomponium Atticum, (*lib. 5. epiſt. 20.*) poſt urbem captam exaratis, ipſe *Cicero* ſignificat.

3954 *a.* Magno tandem labore atque apparatu, ſine ullâ moleſtiâ ſumptúve ſociorum, multis ſuorum ſaucíis, incolumi exercitu, negotium Cicero confecit: omnibúſque partibus urbis diſturbatis aut incenſis ipſo Saturnalium die (XIIII Kalend. Januar. ſive Septembris Juliani die 26) Pindeniſſenſes compulſi in poteſtatem ejus pervenerunt. Militibus, equis exceptis, reliquam prædam conceſſit. Mancipia tertio Saturnalium vænibant. A Tibarenis, qui Pindeniſſenſibus finitimi pari erant ſcelere & audaciâ, obſides accepit. Hinc exercitum in hyberna dimiſit: Quintúmque fratrem negotio præpoſuit, ut in vicis aut captis aut malè pacatis exercitus collocaretur. (*Ibid.*) Atque ita æſtivis ipſe confectis, Quintum fratrem hybernis, & Ciliciæ præfecit. (*lib. 5. ad Attic. epiſt. 21.*) & ut æſtivos menſes rei militari, ita hybernos juriſdictioni dare inſtituit. (*Ibid. epiſt. 14.*)

P. Cornelius Lentulus Spinther ex Ciliciâ triumphum Romæ duxit: ut ex epiſt. ad Attic. lib. 5. epiſt. 21. (collat. cum lib. 1. ad familiar. epiſt. 9.) colligitur.

Orodis

Orodis regis Parthorum filius in Cyrrheſticam Ciliciæ regionem venit: in quâ & Parthi hyc mârunt. (*lib. 5. ad Attic. epiſt.* 21. *& lib. 6. epiſt.* 1.)

Q. Voluſium certum hominem & mirificè abſtinentem Cicero miſit in Cyprum, ut ibi pauculos dies eſſet: ne cives Romani pauci, qui illic negotiabantur, jus ſibi dictum negarent. nam evocari ex inſulâ Cyprios non licebat. (*lib. 5. ad Attic. epiſt.* 21.)

Cicero in Ciliciæ civitatibus magnâ admiratione exceptus, Nonis Januariis, (ſive Octobris Juliani die 13) Tarſo in Aſiam profectus eſt. Taurum igitur menſe imperii ſui ſexto tranſgreſſus, quacunque iter fecit, nullâ vi, nullo judicio, nullâ contumeliâ, authoritate & cohortatione perfecit, ut & Græci & cives Romani, qui frumentum compreſſerant, magnum numerum populis pollicerentur, ad famem, in eâ parte Aſiæ tum graſſantem (quum meſſis nulla fuiſſet) ſublevandam. (*Ibid.*)

Dejotarus, cujus filio pacta erat Artavaſdis (Armeniæ regis) filia, & cujus auxiliis magnis Cicero erat uſus, Laodiceam ad eum cum Ciceronibus pueris venit: nunciavitque, Orodem cum omnibus Parthicis copiis primâ æſtate tranſiturum. (*lib. 5. ad Attic. epiſt.* 20, 21. *cum lib. 6. epiſt.* 1.)

Laodiceæ; ab Idibus Februariis (Novemb. Juliani die 19) ad Kalendas Maias (Februarii Juliani diem 26) forum egit Cicero dioeceſium ſuarum Aſiaticarum: ex Idib. Februar. Cybiraticum, & Apameenſe: ex Idib. Mart. Synnadenſe, Pamphylium. Multæ civitates ære alieno liberatæ, multæ valde levatæ ſunt: omnes ſuis legibus & judiciis uſæ, *ἀυτονομίαν* adeptæ, revixerunt. (*lib. 5. epiſt.* 21. *lib. 6. epiſt.* 2.)

b. Romæ Ciceroni, pro re in Ciliciâ præclarè geſtâ, ſupplicationes à Senatu decretæ ſunt; L. Æmilio Paulo & C. Claudio Marcello Conſulib. (*lib. 2. ad familiar. epiſt.* 15. *lib. 8. epiſt.* 11. *lib. 15. epiſt.* 5, 6, 13; *& lib. 7. ad. Attic. epiſt.* 1.) 4664 30

C. Caſſius, qui M. Craſſi Quæſtor fuerat, poſt Parthicam victoriam è Syriâ diſceſſurus, Ciceroni Laodiceæ adhuc commoranti M. Fabium commendavit. (*lib. 9. ad familiar. epiſt.* 25. *& lib. 15. epiſt.* 14.) Cui ſcribens Cicero, cùm pro magnitudine rerum quas geſſerat, tum pro opportunitate temporis illi gratulatur, quòd de provinciâ decedentem ſumma laus & ſumma gratia provinciæ proſecuta fuerit. Romámque ut properet monet: ubi, hâc receptâ victoriâ tantâ, clárum adventum ipſius futurum pronunciat.

Cicero legatum ſuum M. Anneium, cujus prudentiam, virtutem & fidem in bello adverſus Cilicas expertus fuerat, ad controverſiam quam cum Sardianis habebat profectum, Q. Thermo Aſiæ Prætori commendavit: útque ante Kalendas Maias; quando in Ciliciam ire cogitabat, remitteretur rogavit. (*lib. 13. ad familiar. epiſt.* 55. *& 57.*)

P. Cornelius Dolabella, Tulliæ M. Ciceronis filiæ paulò poſt factus maritus, Appium Claudium Pulchrum, triumphum ob rem bello in Ciliciâ bene geſtam Romæ petentem, majeſtatis atque ambitûs reum fecit. Simul-atque Dolabella acceſſit ad tribunal; Appius introiit in urbem, triumphique poſtulationem abjecit; ac demùm, Q. Hortenſio & M. Bruto defendentibus; utriuſque criminis abſolutus eſt. (*lib. 8. ad familiar. epiſt.* 6. *& 13. lib. 2. epiſt.* 13, 16. *lib. 3. epiſt.* 10, 11, 12; *lib. 6. ad Attic. epiſt.* 6. *& lib. de claris Oratorib.*)

M. Bibuli Syriæ proconſulis duos egregiæ indolis filios relicti à Gabinio in Ægypto equites interfecerunt. [*Cæſar, de bello Civil. lib.* 3. *Valer. Maxim. lib.* 4. *cap.* 1.] Eorum interfectores vinctos regina Cleopatra ad Bibulum miſit; ut graviſſimæ cladis ultionem arbitrio ſuo exigeret. At ille intactos veſtigio ad Cleopatram reduci juſſit: dicendo, poteſtatem hujus vindictæ non ſuam, ſed Senatûs eſſe debere. (*Valer. ibid. Seneca ad Marciam.*)

Nonis Maii in Ciliciam proficiſci cogitabat Cicero: [*lib. 2. ad familiar. epiſt.* 13. *& lib. 6. ad Attic. epiſt.* 2.] ſed ante Nonas Junias [Aprilis Juliani diem 2.] Tarſum non venit. Ibi verò multa illum moverunt: magnum in Syriâ bellum; magna in Ciliciâ latrocinia. [*lib. 6. ad Attic. epiſt.* 4.]

Inde profectus, cùm eſſet in caſtris ad fluvium Pyramum, Tarſò Q. Servilius literas ad eum miſit Appii Claudii Pulchri, Romæ Nonis Aprilib. [Juliani Februarii die 1.] ſcriptas; quibus ſe abſolutum majeſtatis fuiſſe ſignificabat. [*lib. 3. ad familiar. epiſt.* 11.]

Quum bello Parthico Syria arderet, & magnus Antiochiæ metus eſſet, & Bibulus in tanto mœrore ſuo [ob cædem filiorum] maximam curam belli ſuſtineret: quamvis magna ſpes in Ciceronе atque ipſius exercitu eſſet; dixiſſe tamen fertur Bibulus, quidvis ſe perpeti malle, quàm videri eguiſſe illius auxilio. Cúmque ad Thermum [Aſiæ Prætorem] de Parthico bello ſcriberet, ad Ciceronem litteram nunquam miſit; ad quem intelligebat ejus belli pertinere periculum. Legati tamen ejus litteras ad Ciceronem miſerunt, ut ſubſidio veniret. [*lib. 2. ad familiar. epiſt.* 17. *& lib. 6. ad Attic. epiſt.* 5.]

Et infirmum quidem habebat Cicero exercitum; ſed Galatarum, Piſidarum & Lyciorum auxilia bona. Officium verò ſuum eſſe putavit, exercitum habere quàm proximè hoſtem, quoad provinciæ præeſſe per Senatuſconſultum illi liceret. Cujus annuæ provinciæ cùm propè adeſſet terminus; ipſi cum Dejotaro convenit, ut in ejus caſtris rex eſſet cum ſuis copiis omnibus. [*lib. 6. ad Attic. epiſt.* 1. *& 5.*] De quo, in Philippicâ XI, Cicero. *Fuimus imperatores ego & M. Bibulus in propinquis finitimiſque provinciis: ab eo rege adjuti ſumus & equitatu, & pedeſtribus copiis.*

c. Parthi M. Bibulum in obſidione habuerunt. [*Cæſar, de bello civil. lib.* 3.] qui, ſe opido munitiſſimo & copioſiſſimo tamdiu tenuit, quamdiu in provinciâ Parthi fuerunt; [*Cic. lib.* 12. *ad familiar. epiſt.* 19.] & pedem portâ, quoad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulit. [*lib. 6. ad Attic. epiſt.* 8, *& lib. 7. epiſt.* 2.]

At Parthi repentè Bibulum ſemivivum reliquerunt: [*lib. 7. ad Attic. epiſt.* 2.] incredibili

felicitate è totâ Syria discedentes. (*Ibid. lib. 6. epist. 6. lib. 7. epist. 1. & lib. 2. ad familiar. epist. 17.*) Bibulus enim Parthos contra sese invicem concitavit: Ornodopante quodam satrapâ, qui Orodi infensus erat, sibi adjuncto, persuasoque per internuntios, ut Pacorum regem constitueret, atque ejus auxilio Orodi bellum faceret. (*Dio, lib. 40.*)

Bibulus in litteris quas ad Senatum de rebus à se gestis misit, quod Ciceroni cum illo erat commune sibi soli attribuit, quod Ciceronis erat proprium sibi adscripsit, quod verò ipsius erat solius id cum Cicerone communicavit: ut in epistolâ ad Salustium Quæstorem ipsius [*lib. 2. ad familiar. epist. 17.*] Cicero conqueritur. Ubi & illud pusilli animi & ipsâ malevolentiâ jejuni atque inanis in illis litteris notat: quòd Ariobarzanem, quem Senatus per Ciceronem regem appellavit ipsique commendavit, iste non regem, sed regis Ariobarzanis filium appellaverit. Cúmque ille, qui nihil præclarè gesserat, adniteretur de triumpho; & Cicero, in cujus exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi dedecus existimaret: etiam ipse, consulentibus amicis, de triumpho cogitare cœpit. [*lib. 6. ad Attic. epist. 7, 8. & lib. 7. epist. 1.*]

Parthorum metu jam sublato, Cicero præsidia, quæ magna & firma Apameæ & aliis locis paraverat, omnia deduxit. [*lib. 2. ad familiar. epist. 17.*]

Quum circa III. Kalend. Sextil. (Maii Juliani diem 26) annui muneris terminus instaret, & à decedente ex Senatusconsulto relinquendus esset qui præesset; Cicero provinciæ à metu Parthico jam liberæ C. Cœlium Caldum, Quæstorem (loco Cn. Volusii) nuper Româ ad se missum, nobilem quidem adolescentem sed minùs gravem & continentem, præfecit. [*lib. 2. ad familiar. epist. 15. & 19. cum lib. 6. ad Attic. epist. 4. & 6.*]

III Nonas Sextiles (Maii Juliani die 29) jam imperio annuo terminato, ad Sidara Pamphyliæ navi accessit. [*lib. 3. ad familiar. epist. 12.*] Inde Laodiceam, extremum provinciæ limitem, profectus est: ibique Messinium quæstorem suum expectare jussit, ut confectas rationes lege Juliâ apud duas civitates (Laodicensem & Apameensem) in provinciâ posset relinquere. [*lib. 6. ad Attic. epist. 7. cum lib. 2. ad familiar. epist. 7. & lib. 5. epist. 20.*] De prædâ verò (ex Amano monte) nihil attigit ipse, sed illud totum, ut & ex annuo sumptu, qui ipsi decretus fuerat, ad mille sestertia (cohorte ejus ingemiscente, quæ omne illud distribui sibi oportere putabat) ærario reliquit: prædibus quoque publicæ omnis pecuniæ Laodiceæ quæsitis; ut & ipsi & populo caveretur sine vecturæ periculo. [*lib. 7. ad Attic. epist. 1. lib. 2. ad familiar. epist. 17.*]

M. Bibulo, acceptis ipsius litteris, suadente Catone, à Senatu amplissima 10 dierum supplicatio decreta est. [*lib. 7. ad Attic. epist. 2. & 3.*] Sed legiones quas Senatus decrevit in Syriam per Marium (qui ibi Salustio in Quæstoris munere erat successurus) mittendas, liberatâ jam à Parthorum metu provinciâ, detentæ sunt. [*lib. 2. ad familiar. epist. 17.*] Factum verò fuerat Senatusconsultum, ut Bibulo ad bellum Parthicum legio una à Cn. Pompeio, altera à C. Cæsare, mitteretur. Pompeius ex iis quas tum secum habebat legionibus nullam dedit: sed qui huic negotio erant præfecti, eos jussit legionem, quam ipse Cæsari attendam priùs dederat, à Cæsare petere. Cæsar, quum voluntate adversariorum se expoliari nemini dubium esset, Pompeio legionem remisit; atque ex suo numero, ut Senatusconsultò satisfieret, transdidit alteram. Hæ igitur duæ legiones, ut in Parthos mittendæ, adornabantur: quum verò nullus earum ad id bellum usus esset, veritus Consul Marcellus ne Cæsari redderentur, in Italiâ retinuit & Pompeio tribuit. Quæ quorsum tenderent, licèt Cæsar satis animadverteret, tamen omnia patienda statuit: quòd non absurdum prætextum retinendarum suarum legionum, & aliarum copiarum contrahendarum hinc sibi oblatum cerneret. (*Cæsar, commentar. de bello civili, lib. 1. Hirtius, de bello Gallico, lib. 8. Plutarchus, in Pompeio, & Dio, sub fin. lib. 40.*)

d. Q. Thermo Prætori ex Asiâ decedenti suasit Cicero, ut nobilem adolescentem Quæstorem suum (C. Antonium: ut in Annal. tom. 5. pag. 431. ostendit *Pighius*) provinciæ præfectum relinqueret. (*lib. 2. ad familiar. epist. 18.*)

Cicero pecuniam omnem, quæ ad ipsum salvis legibus pervenerat, id est, sestertiûm XXII millia, Ephesi apud publicanos deposuit. (*lib. 5. ad familiar. epist. 20.*) Ibique Etesiis ventis vehementissimè tardatus, Kalendis Octobribus (Quintilis Juliani die 25.) Epheso conscendit, (*lib. 6. ad Attic. epist. 8.*) & Rhodum appulit: (*Plutarch. in Ciceron.*) Ciceronum puerorum causâ. (*lib. 6. ad Attic. epist. 7. cum lib. 2. ad familiar. epist. 17.*) Ibique de Q. Hortensii morte audivit. (*inirio Bruti, sive, De claris Oratorib.*)

Adversis ventis usus, pridie Idus Octobris (Sextilis Juliani die 7) Cicero Athenas venit. (*lib. 14. ad familiar. epist. 5. & lib. 6. ad Attic. epist. 9.*)

Instantibus belli civilis inter Cæsarem & Pompeium motibus, Sol paulò post exortum, Sextilis Juliani die 21. eclipsin quinque ferè digitorum passus est: ad quam *Petronii* illud, de belli hujus prognosticis, referendum videatur.

——— namque ære cruento
Deformis Titan vultus caligine texit,
Civiles acies jam tum spirare putaret.

M. Bibulus è Syriâ decessit, Veientone provinciæ præfecto: ut ad Atticum, in libri 7i, epistolâ 3i, V. Idus Decembris (sive Octobris Juliani die 1) datâ, ostendit *Cicero.*

* Consule Marcello celeres Pompeio Legiones mandante, & novos delectus permittente, Tribunitiâ potestate statim initâ, intercessit M. Antonius: promulgationem ferens, ut conscriptus exercitus in Syriam mitteretur, & Bibulo subveniret, Bellum cum Parthis gerenti; ac ne quis delectum habenti Pompeio nomen daret. (*Plutarch.* in Antonio) atque concione X. Calend. Januar. (Octobris Juliani die 13) habitâ, accusationem contra Pompeium instituit. (*Cicero ad Attic. l. 7. ep. 8.*).

Kalendis

3955

Kalendis Januariis (*in* Octobris Juliani diem 22 *incidentibus*) quibus C. Claudius Marcellus & L. Cornelius Conſulatum inierunt, Senatuſconſultum factum eſt, uti ante certam diem Cæſar exercitum dimittat; ſi non faciat, eum adversùs Rempublicam facturum videri. Cui decreto quum fruſtrà interceſſiſſent tribuni plebis, M. Antonius & Q. Caſſius; inter Cæſarem & Pompeium civilis belli factum eſt Initium. (*Cæſar, commentar. de bello civili lib.* 1. *Cicero, in Philippic.* 2. *Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 49. *Dio, lib.* 41, *init.*)

Pridie Nonas Januarias (Octobr. 25) Cicero ad Urbem acceſſit: ſicque ei obviam eſt proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius. Sed incidit in ipſam flammam Civilis diſcordiæ vel potiùs belli. (*lib.* 16. *ad familiar. epiſt.* 11.) Urbem tamen non intravit: Senatu frequente, inter has ipſas turbas, triumphum ipſi flagitante; quem Lentulus Conſul, quo majus beneficium ſuum faceret, diſtulit. (*ibid. cum lib.* 7. *ad Attic. epiſt.* 1.) Et quum decerneret ei triumphum Senatus; malle ſe dixit, factâ concordiâ, Cæſaris currum ſequi. (*Plutarch. in Ciceron.*) Verùm invaleſcens ea diſcordia, & ipſius & M. Bibuli triumphum non diſtulit tantùm, ſed etiam omninò ſuſtulit. *Vid. lib.* 9. *ad Attic. epiſt.* 2. *&* 6. *& lib.* 11. *epiſt.* 6.

VII. Idus Januarii (Octobris Juliani die 28) Senatuſconſultum perſcriptum eſt; ut Conſules, Prætores, Tribuni plebis, quique Proconſules tunc ad Urbem fuerant, (inter quos erat Cicero) operam darent, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Profugerúntque ſtatim ex Urbe tribuni plebis (qui Senatûs decreto interceſſerant) & ſeſe ad Cæſarem contulerunt. (*Cæſar, Bell. civil. lib.* 1. *Cicero, ad familiar. lib.* 16. *epiſt.* 11. *Dio, lib.* 41.)

Proximis diebus habito Senatu extra Urbem, præſente Pompeio, provinciæ privatis decretæ ſunt: duæ Conſulares, reliquæ Prætoriæ. Scipioni obvenit Syria. (*Cæſar, ut ſupr.*) Fuit hic Metellus Scipio: qui filiam Corneliam, Publii Craſſi apud Parthos occiſi viduam, Pompeio hoc anno (*ante biennium, quàm ille extingueretur*; ut in *lib.* 2. *cap.* 54. *Velleius* indicat) uxorem dederat, & cum eo in Conſulatu collega anno abhinc tertio fuerat. [*Plutarch. in Pompeio. Dio, lib.* 40.] In Ciliciæ verò provinciâ Ciceroni Seſtium vel Sextium ſucceſſiſſe, ex *lib.* 5. *ad familiar. epiſt.* 20. cum *lib.* 11. *ad Attic. epiſt.* 7. collatâ: & in Cyprum, deinceps ab eâ ſeparatam, cum jure prætorio primum Quæſtorem miſſum fuiſſe Sextilium Rufum, ex *lib.* 13. *ad familiar. epiſt.* 48. colligitur. Tres quoque diœceſes Aſiaticas, (Cibyraticam, Synnadenſem & Apameenſem) Ciliciæ provinciæ ademptas, novo Aſiæ Proconſuli P. Servilio tributas fuiſſe; ex ejuſdem libri epiſtolâ 67. colligit *Sigonius*. (*de antiquo jure provinciar. lib.* 1. cap. 11.)

Eodem die, VIII. Kalend. Mart. (Juliani Decembris die 11.) quo Feralia celebrabantur, (ut in *Gruteri* inſcriptionibus pag. CXXXIII. videre licet) Corfinio Cæſar poſt meridiem, & Canuſio manè Pompeius Brunduſium profectus eſt. (*lib.* 8. *ad Attic. epiſt.* 22. *& lib.* 9. *epiſt.* 1.) quum autumnus jam exiiſſet. [*Dio, lib.* 41.]

Brunduſio Pompeius ſocerum Scipionem & Cneium filium ad parandam claſſem miſit in Syriam. [*Plutarch. in Pompeio.*] De quo *Cicero*, in libri 9i ad Atticum epiſtolâ 1a pridie Nonas Martias (Juliani Decembris die 23.) ſcripſit: *Scipio vel in Syriam proficiſcitur forte, vel cum genero honeſtè, vel Cæſarem fugit iratum.*

VII. Idus Mart. [Juliani Decembris 26.] Cæſar Brunduſium venit, & ad murum caſtra poſuit: ut ipſe in epiſtolio ad Oppium & Cornelium Balbum ſcribit. [*lib.* 9. *ad Attic. epiſt.* 16.]

XVI. Kalendas Apriles [ut in *epiſtolâ* 18. *libri* 9. *ad Atticum* habetur: non IV. Kalendas Martias: ut apud *Lipſium* legitur, in epiſtolâ 31. Centuriæ ad Germanos & Gallos] quo Liberalia celebrabantur, [ut ex Faſtis marmoreis liquet; *in Gruteri inſcript. pag.* CXXXIII.] quæ in 3. diem Januarii Juliani tunc incidebant, Pompeius Brunduſio, cum omnibus copiis quas habuerat, in Epirum profectus eſt. Quo ipſo Liberalium ſive Dionyſiorum die filii ipſius pugnâ Mundenſi in Hiſpaniâ victi ſunt; poſt annos quatuor quàm pater ad bellum profectus fuiſſe dicitur. [*Plutarch. in Cæſare.*] eodem videlicèt die, quo Pompeius pater, relictâ Italiâ, belli ſedem in Græciâ conſtituit: non, quo *ab urbe bellum geſturus aufugit*; ut per errorem, ſcriptum eſt ab *Oroſio*. [*lib.* 6. *cap.* 16.] 4665 | 49

Poſtero die Cæſar Brunduſium introiit: ibique concionatus, Romam inde contendit; ante Kalendas ad Urbem eſſe volens. [*lib.* 9. *ad Attic. epiſt.* 18.]

Inde Ariſtobulum in patriam Palæſtinam Cæſar dimiſit; ut contra Pompeium is aliquid moveret. [*Dio, lib.* 41.] Ariſtobulum vinculis ſolutum in Syriam eum miſiſſe refert *Joſephus*; additis duabus legionibus, quo faciliùs ordinaret provinciam: verùm ſpe ſuâ utrumque fuiſſe fruſtratum; veneno à Pompeianis Ariſtobulo ſublato, & à Cæſarianis funerato. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 7. *& lib.* 14. *Antiq. cap.* 13.]

Alexander quoque Ariſtobuli filius, ſecundùm Pompeii literas, Antiochiæ à Scipione ſecuri eſt percuſſus: accuſatione pro tribunali priùs habitâ ſuper his quæ in Romanos admiſerat. Ptolemæus verò Mennæus dynaſta Chalcidis, quæ ſita eſt in monte Libano, miſſo Philippione filio Aſcalonem ad uxorem Ariſtobuli, filium illius Antigonum & duas filias ad ſe accerſivit: quarum minoris Alexandræ captus amore Philippio, conjugio eam ſibi copulavit. (*Id. ibid.*)

Pompeius annuum ſpatium ad comparandas copias nactus (quod vacuum à bello, atque ab hoſte otioſum fuerat) magnam ex Aſiâ Cycladibúſque inſulis, Corcyrâ, Athenis, Ponto, Bithyniâ, Syriâ, Ciliciâ, Phœnice, & Ægypto claſſem coëgit; magnam locis omnibus ædificandam curavit: magnam imperatam Aſiæ, Syriæ, regibúſque omnibus, & dynaſtis, & tetrarchis, & liberis Achaiæ populis pecuniam exegit; magnam ſocietates earum provinciarum, quas ipſe obtinebat, ſibi numerare coëgit. (*Cæſar, Bell. civil. lib.* 3.) Fertur ex Ægypto naves ſexaginta ei miſſas à regibus Cleopatrâ fratréque hujus etiam tunc puero. Habebat etiam auxilia ex Ioniâ, ſagittarios ex Cretâ, ex Ponto jaculatores, equites ex Galatiâ: Commageni miſſi ab

Antiocho, Cilices & Cappadoces, & quidam ex minore Armeniâ, Pamphylii quoque & Pisidæ, ad eum venerunt. (*Appian. bell. civil. lib.* 2. *pag.* 458. & 472.)

M. Cato in Asiam à Pompeio missus, ut cogentes illic navigia & milites adjuvaret, duxit secum sororem Serviliam, atque natum ex eâ Luculli filium. Ubi quum Rhodios benevolentiâ Pompeio adjunxisset; Servilia cum filio apud eos relictâ, ad Pompeium reversus est, egregiis pedestribus & navalibus viribus jam instructum. (*Plutarch. in Catone minore*) Omnésque terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere cogitabat. (*Cicero, ad Attic. lib.* 8. *epist.* 11.)

Ipsum quoque Parthorum regem Orodem, etsi post Crassorum cædem hostium in numero habitum, ad societatem suam pertrahere Pompeius tentabat. Orodes, si Syria sibi concederetur, auxilium promisit: Syriam verò non adeptus, suppetias non tulit. (*Dio, lib.* 41.) quanquàm aliàs Pompeianarum partium Parthi fuere: & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico junctam; & propter Crassi necem, cujus filium in partibus Cæsaris esse audierant; quem ultorem patris victore Cæsare futurum non dubitabant. (*Justin. lib.* 42. *cap.* 4.)

Magnam classem Alexandriâ, Colchis, Tyro, Sidone, Andro (vel Arado potiùs) Cypro, Pamphyliâ, Lyciâ, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrnâ, Mileto, Coo, comparatam ad intercludendos commeatus Italiæ, & ad occupandas frumentarias provincias, Pompeius adhibuit. (*Cic. ad Attic. lib.* 9. *epist.* 11.)

Præerat Ægyptiis navibus Pompeius filius; Asiaticis D. Lælius & C. Triatius; Syriacis C. Cassius; Rhodiis C. Marcellus cum C. Pontponio; Lyburnicæ atque Achaicæ classi Scribonius Libo & M. Octavius. Toti tamen officio maritimo M. Bibulus præpositus cuncta administrabat; ad hunc summa imperii respiciebat. (*Cæsar, bell. civil. lib.* 3.)

3956 *a.* Julius Cæsar Dictator creatus, post undecim dies, seipso & P. Servilio Isaurico Consulibus declaratis, dictaturâ se abdicavit. (*Cæsar, initio lib.* 3. *Commentar. de Bello civili. Plutarch. in Cæsare. & Appian. lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 457.)

A primâ hâc Cæsaris dictaturâ Syro-macedones *Cæsarianorum temporum* (cujusmodi epochæ in antiquo saxo, *Inscript. Gruteri pag.* CCLXXXVII. 3. occurrit mentio) numerationem instituerunt, à Septembris Juliani die 24 (quo Solarem Macedonum annum cœpisse alibi ostendimus) deductam. A quo die non Syro-macedones solùm, sed etiam Imperatores Romani *Indictiones* suas, sive quinorum denorum annorum circulum; & Antiocheni *æram* suam (quæ per 15 divisa, Indictionem Imperatoriam semper exhibet) inchoârunt. licèt anni formâ posteà mutatâ, & Macedonicis mensibus ad Julianos conformatis, Antiocheni æræ suæ, & reliqui Orientales Indictionum initium ad novi sui anni exordium retulerint, & à 24 die ad Kalendas Septembres traduxerint. Quidquid verò sit de Indictionum origine (quam ad Constantiniana tempora communiter referunt:) Antiochenæ æræ caput à Septembri anni Periodi Julianæ 4665. esse repetendum, extra omnem poni debet controversiam.

Exeunte anno quo Marcellus & Lentulus Consulatum gesserunt, Pompeius dux Romanorum constitutus; & Senatus qui in Epiro cum eo erat, regibus & populis bene de se merentibus honores impertierunt: ut in libro quinto *Lucanus* narrat:

——— pelagique potens Phœbeia donis
Exornata Rhodos, gelidique inculta juventus
Taygeti: famâ veteres laudantur Athenæ;
Massiliæque sua donatur libera Phocis.
Tunc [a] *Sadalen fortémque Cotyn, fidúmque per armâ*
Dejotarum, & gelida dominum [b] *Rhascipolin ora*
Collaudant: Libyámque jubent auctore Senatu
Sceptrifero parêre Juba.

[a] Sadalem filium Cotis regis Thraciæ appellat Cæsar. (*lib.* 3. *Bell. civil.*)
[b] Rascipolim macedonum ducem. (*id. ibid.*)

eodémque modo Ptolemæo puero Ægypti etiam regnum confirmatum tum fuisse adjicit. quò referenda & illa Pothini nutricii Ptolemæi de Pompeio verba, apud *eundem*, in libro 8°.

——— quod nobis sceptra Senatus
Te suadente dedit.

Circa brumale solstitium nuntios Cæsar ad exercitum dimisit, ut sibi ad Brundusium occurrerent: ipse Decembri mense Româ discessit, ne magistratûs quidem sui respectu expectatis Kalendis ineuntis anni proximis. Ita *Appianus*, [*Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 458.] existimans eandem anni Romani tum fuisse rationem, quæ suo ipsius tempore extitit: quum tamen Kalendæ illæ Januariæ, quibus secundum suum Consulatum Cæsar erat initurus, Juliani Octobris diei 11. responderit. Simili quoque errore *Florus* [*lib.* 4. *cap.* 2.] Cæsarem, *quamvis hyems mediâ prohiberet tempestate, ad bellum navigavisse* asserit: paritérque *Plutarchus*, in *Pompeio*, Brundusium Cæsarem venisse scribit, ὁ τροπὰς ἤδη τῷ χειμῶνι ὄντος, & in *Cæsare*, inde illum solvisse, χειμῶνος ὁ τροπὰς ὄντος, ἰσημερίου ἔαρινοῦ μηνὸς, tempore brumalis solstitii, incunte mense Januario; quem Athenienſium Posideoni respondere dicit. Et ipse quidem Cæsar, Commentariorum de bello civili libro tertio, *pridie Nonas Januar. naves, impositis legionibus septem, solvisse* se confirmat, *& postridie terram attigisse Cerauniorum.* Sed non Julianus ille fuit Januarius, in quem Plutarchi tempore Posideon Atticus incurrebat, sed quem vitiosa anni Romani ratio tunc exhibebat; quum Nonæ illius [quibus ad Ceraunia Cæsar appulit] Juliani Octobris diei 15. responderunt. *Et jam hyemem appropinquavisse*, indéque Pompeium *iter ex Macedoniâ in hyberna Apolloniam Dyrrhachiúmque habuisse*, ipse Cæsar posteà significat; neutiquam verò *brumam*, id est, hyemis ἀκμὴν tunc extitisse.

Frumenti verò vi maximâ ex Thessaliâ, Asiâ, Ægypto, Cretâ, Cyrenis, reliquísque regionibus

comparatâ, hyemare Pompeius Dyrrachio, Apolloniâ, omnibúſque opidis maritimis collituerat, ut mare Cæſarem (licèt fruſtrà) tranſire prohiberet. (*Cæſar, Bell. civil. lib.* 3.)

Syriæ præſes Scipio, (Pompeii ſocer) detrimentis quibuſdam circa montem Amanum acceptis, ſeſe Imperatorem appellavit. Quo facto civitatibus tyranníſque magnas imperavit pecunias: item à publicanis ſuæ provinciæ debitam biennii pecuniam exegit, & ab eiſdem inſequentis anni mutuam præcepit; equitéſque toti provinciæ imperavit. Quibus coactis, finitimis hoſtibus Parthis poſt ſe relictis, legiones equitéſque ex Syriâ deduxit: cúmque nonnullæ militum voces audirentur, ſeſe contra hoſtes ſi ducerentur ituros, non contra civem & Conſulem; deductis Pergamum atque in locupletiſſimas urbes in hyberna legionibus, maximas largitiones fecit, & confirmandorum militum causâ diripiendas iis civitates dedit. (*Id. ibid.*)

Interim acerbiſſimè imperatæ pecuniæ totâ provinciâ exigebantur. Multa præterea generatim ad avaritiam excogitabantur. In capita ſingula ſervorum ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, oſtiaria, frumentum, milites; remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur: cujus modò rei nomen reperiri poterat, hoc ſatis eſſe ad cogendas pecunias videbatur. Non ſolùm urbibus, ſed penè vicis caſtelliſque ſingulis cum imperio præficiebantur: qui horum quid acerbiſſimè crudeliſſiméque fecerat, is & vir & civis optimus habebatur. Erat plena lictorum & imperiorum provincia, conferta præfectis atque exactoribus: qui, præter imperatas pecunias, ſuo etiam privato compendio ſerviebant: dictitabant enim ſe domo patriáque expulſos, omnibus neceſſariis egère rebus: ut honeſtâ præſcriptione rem turpiſſimam tegerent. Accedebant ad hæc graviſſimæ uſuræ (quod in bello plerumque acciderе conſuevit) univerſis imperatis pecuniis: quibus in rebus prolationem diei donationem eſſe dicebant. Itaque æs alienum provinciæ eo biennio multiplicatum eſt. Nec minùs ob eam cauſam civibus Romanis ejus provinciæ, ſed in ſingulos conventus ſingulâſque civitates certæ pecuniæ imperabantur: mutuáſque illas ex Senatuſconſulto exigi dictitabant. (*Ibid.*)

Epheſi præterea à fano Dianæ depoſitas antiquitùs pecunias Scipio tolli jubebat. Cùm verò in fanum ventum eſſet, adhibitis compluribus Senatorii ordinis quos advocaverat Scipio, litteræ ei redduntur à Pompeio, mare tranſiſſe cum legionibus Cæſarem; properaret ad ſe cum exercitu venire, omniáque poſthaberet. His litteris acceptis, quos advocaverat dimittit: ipſe iter in Macedoniam parare incipit; paucíſque pòſt diebus eſt profectus. Hæc res Epheſiæ pecuniæ ſalutem attulit. (*Ibid.*)

Habebat interim Pompeius in exercitu ſuo; præter Romanas & Italicas legiones, & duas quas ex Aſiâ Lentulus Conſul conſcribendas curaverat, ſagittarios ex Cretâ, Lacedæmone, Ponto, Syriâ reliquiſque civitatibus tria millia numero, funditorum cohortes ſex, mercenarias duas, equites 7000. ex quibus equitibus, 600 Gallos Dejotarus adduxerat; 500 Ariobarzanes ex Cappadociâ. 500 Gallos Germanóſque; quos Alexandriæ Gabinius præſidii cauſâ apud regem Ptolemæum reliquerat, Pompeius filius cum claſſe adduxerat. 300 Tarcundarius, Caſtor & Donilaus ex Gallograeciâ dederant: (horum alter unà venerat, alter filium miſerat:) 200 Commagenus Antiochus, cui magna præmia Pompeius tribuit, miſerat; in quibus plerique erant hippotoxotæ. Cum Scipione verò ex Syriâ duæ expectabantur legiones. (*Id. ibid.*)

b. Poſt Cæſaris adventum in Epirum, multi jam menſes tranſierant, & hyems præcipitaverat; neque Brunduſio naves legionéſque, in Italiâ relictæ, ad Cæſarem veniebant. Tum verò M. Antonius & Fuſius Calenus, nacti Auſtrum ſibi faventem, naves ſolverunt; tréſque veteranorum legiones & unam tironum, cum equitibus 800 ad Cæſarem adduxerunt. Quorum tranſitum cùm Q. Coponius, qui Dyrrachii claſſi Rhodiæ præerat, impedire conaretur, tempeſtas exorta naves Rhodias ita afflixit, ut ad unam conſtratæ omnes numero 16 elideremtur & naufragio interirent; & ex magno remigum propugnatorúmque numero pars ad ſcopulos alliſa interficeretur, pars à Cæſarianis diſtraheretur: quos omnes conſervatos Cæſar domum remiſit. [*Id. ibid.*] 4666 48

In Ægypto, Ptolemæus puer per ſuos propinquos atque amicos Cleopatram, ſororem ſuam ſimul & conjugem, regno expulit. (*Cæſar, lib.* 3. *Bell. civil. Liv. lib.* 111.)

——habens ſub jure Pothini
Affectus enſéſque ſuos:

ut apud *Lucanum* (*lib.* 10.) Cleopatram hîc conqueſtam legimus. Nam ut per pueri familiares, motâ ſeditione, ejectam eam fuiſſe narrat *Strabo*: ita Pothino ſpecialim apud *Plutarchum* in *Cæſare* tributum illud invenitur. *Erat* enim tum *in procuratione regni, propter ætatem pueri, nutricius ejus eunuchus; nomine Photinus*, (ut apud *Cæſarem* legitur) idem ille ipſe, qui à Græcis ſcriptoribus Ποθεινὸς rectiore nomine eſt appellatus. Ita verò ejecta Cleopatra, cum ſorore in Syriam receſſit; (*Strabo, lib.* 17. *pag.* 796.) exercitum ibi paraturа. (*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 480.)

Pharnaces, Mithridatis regis Ponti filius & Boſphori Cimmerii rex, quum civile hoc bellum, quod diuturnum fore ſperaverat, inter Romanos coortum, & procul abeſſe Cæſarem audiviſſet, cupiditate totius paterni regni recuperandi impulſus, à Romanis deſcit; & Boſphori tutelâ Aſandro creditâ, Colchidem nullo certamine, itémque omnem Armeniam (cum Moſchicâ regione, in quâ Leucothææ templum eum ſpoliaviſſe notat *Strabo*, lib. 11. pag. 498.) Dejotaro abſente, adhæc urbes aliquot Cappadociæ Pontíque, quæ Bithyniæ juriſdictioni ſubjacebant, in ſuam poteſtatem redegit. (*Dio, lib.* 42.) Sinope captâ, Amiſum quoque appetiit. (*Appian. in Mithridatic. pag.* 254.) Sed eam tum obtinere non potuit.

Pompeius uxorem ſuam Corneliam in Lesbum inſulam clàm miſit; ut Mitylenis, à bellicis

tumultibus

tumultibus ſecura quieſceret. (*Lucan. lib. 5. fin.*) cum quâ & privignum ejus Sextum, minorem Pompeii filium, eodem cum miſiſſe, Plutarchus (*in Pompeio*) Dio (*lib. 42.*) & Appianus (*lib. 5. pag. 747.*) referunt: quem in caſtris tamen apud patrem manſiſſe, *Lucanus* narrat. (*lib. 6. fin.*)

L. Hirtius (al. Hirrius) à Pompeio ad Parthos legatus miſſus (ut ex Cæſaris commentario 3. de bello civili intelligitur) ab Orode rege non modò ſuppetias non impetravit, ſed etiam ab eo, jure gentium violato, in vincula conjectus eſt. (*Dio, lib. 42.*) ob negatam nimirùm illi Syriam: ut ſuprà, ex eodem *Dione*, (*lib. 41.*) dictum eſt.

8. Dyrrachii, per quatuor penè menſes, Pompeium maximis operibus obſeſſum, ad extremum Pharſalico prælio Cæſar fudit. [*Sueton. in Julio Cæſare, cap. 35.*]

Quo tempore in Theſſaliam (ubi ad Palæopharſalum eſt pugnatum) Cæſar, & paucis poſt eum diebus Pompeius, venit; *ſegetem propè jam maturam fuiſſe*, ipſe teſtis eſt Cæſar. (*Bell. civil. lib. 3.*) & inſtante pugnâ, prodiiſſe Cæſarianos, *ἐπὶ σιτολογίαν* Appianus, (*Bell. civil. lib. 2.*) *ad ſegetem raptus* Lucanus (*lib. 7.*) confirmat. Eráque tum *ἀκμὴ θέρους ἐς καῦμα πολὺ adulta æſtas & æſtus plurimus*: ſi Plutarcho (*in M. Bruto*) credimus.

Eodem die quo Pharſalicum prælium eſt commiſſum, Antiochiæ in Syriâ tantus clamor exercitus, ſignorum ſonus crepitúſque armorum eſt exauditus, bis, ut in muros armata civitas diſcurreret. Hoc idem Ptolemaide accidit. Pergami à templi Bacchi adyto, quò præter ſacerdotes adire fas non erat, tympanorum cymbalorúmque ſonitus ortus, per totam urbem permeavit. Item Trallibus, in templo Victoriæ, ubi Cæſaris ſtatuam conſecraverant, palma viridis in tecto inter coagmenta lapidum ex pavimento extitiſſe oſtendebatur. Syris quoque duo juvenes pugnæ hujus exitum annuntiantes, nuſquam poſteà apparuiſſe dicebantur. (*Cæſar, Bell. civil. lib. 3. Julius Obſequens de prodigiis. Plutarch. in Cæſare. Dio, lib. 42.*)

In Pompeii exercitu fuerunt omnes fermè nationes quotquot versùs Orientem per circuitum mare accolunt; Thraces, Helleſpontii, Bithyni, Phryges, Iones, Lydi, Pamphylii, Pilidæ, Paphlagones, Cilices, Syri, Phœnices, Hebræi, contiguíque his Arabes, Cyprii, Rhodii, Cretenſes ſunditores, & inſulani cæteri. Aderant & reges dynaſtæque; Dejotarus tetrarcha Gallogræcorum, & Ariarathes rex Cappadocum. Armenios Ciſeuphratenos ducebat Taxiles; Tranſeuphratenos Megabates legatus Artapæ regis. Alii quoque minores dynaſtæ adjutabant pro viribus. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 472.*] Cúmque illius exercitus majori parte ex Aſianis conſtaret, nullúmque belli uſum habentibus, victus eſt. [*Dio, lib. 41.*] &, ut cecinit Petronius,

Ille tremor Ponti, ſævi quoque terror Hydaſpis,
Et piratarum ſcopulus; modò quem ter ovantem
Jupiter horruerat, quem fracto gurgite Pontus
Et veneratus erat ſubmiſſa Boſphorus undâ,
(Proh pudor!) Imperii deſerto nomine fugit.

Cæſar, captis Pompeii ſcriniis, ſecretas litteras, quæ benevolentiam quorundam erga eum & animi acerbitatem adversùs ipſum Cæſarem prodebant, neque legit neque deſcripſit, ſed optimâ fide extemplò concremavit: ne quid gravius in quenquam ſtatuere ex litteris cogeretur. [*Plin. lib. 7. cap. 25. fin. Dio, lib. 41. fin.*] Idemque poſtea & regulis & populis qui auxilia Pompeio tulerant, imperatâ tantùm pecuniâ, neque ullo alio ſupplicio impoſito, veniam dedit. Nullam enim ſibi aut certè exiguam cum iis interceſſiſſe notitiam, conſiderabat; quum Pompeii multa magnáque in eos contitiſſent merita: longéque plus laudis eis tribuebat, quàm illis, qui quum à Pompeio beneficiis eſſent affecti, in periculo eundem deſtituiſſent. [*Dio, ut ſuprà.*]

Pompeius, caſtris relictis, Lariſſam paucis comitantibus, profugit. Urbem ipſam, quanquam invitantibus civibus, ingreſſus non eſt; ne ſe recepto, culpam Lariſſæi ſuſtinendam haberent: ſed poſtquam eos ad victoris amicitiam accedere juſſit, ipſe rebus neceſſariis acceptis, ad mare progreſſus eſt. [*Dio, lib. 42.*]

C. Caſſius, cum claſſe Syrorum & Phœnicum & Cilicum, in Siciliam venit: & Cæſarianis navibus incenſis, poſtquàm de prælio facto in Theſſaliâ cognitum eſt, cum claſſe diſceſſit. [*Id. ibid.*]

Claſſis Rhodia, cui C. Coponius imperio prætorio præfuerat, poſt cladem Pharſalicam Pompeianis deſertis, domum rediit. [*Cicero, lib. 1. de Divinat.*]

L. Lentulus (Crus) qui ſuperiore anno Conſul fuerat, & P. Lentulus (Spinther) conſularis, cum aliis qui ex fugâ Pompeium inſecuti, ad Rhodi inſulam venientes, opido ac portu non ſunt recepti: miſſíque ad eos nuncíis, ut ex iis locis diſcederent, contra voluntatem ſuam naves ſolvere jubebantur. [*Cæſar, Bell. civil. lib. 3.*]

Cæcilius Baſſus, equeſtris ordinis vir Pompeianarum partium, Tyrum ſe recepit: ibíque in eo loco, ubi mercatorum negotiationes exerceri ſolent, latitavit. [*Dio, lib. 47. & Libo, apud Appianum, lib. 3. Bell. civil. pag. 576.*]

M. Claudius Marcellus, Cæſarem metuens, Mitylenas conceſſit: ibíque in ſtudio bonarum artium beatiſſimè vixit: (ut ex Bruto refert *Seneca* in conſolatione ad Albinam:) fruſtrà ſuadente Cicerone, ut unde Romam rediret, & à Cæſare veniam peteret. [*lib. 4. ad familiar. epiſt. 7. & 8.*]

Ex fugâ Pharſalicâ veniens Labienus, Pompeiani exercitûs cladem nuntiavit Dyrrachii: ubi M. Cato cum 15 cohortibus & 300 triremibus relictus fuerat. Unde & ille & Cicero, & cum eis alii, ſubito perterriti metu, naves conſcenderunt: & noctu ad opidum reſpicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia ſequi noluerant, viderunt. Cato verò in Corcyram (inſulam ſub Epiro ad confine maris Ionii & Adriatici poſitam) ubi claſſis erat, cum iis quibus eadem ſententia placebat, trajecit: ibíque reliquos quoíque qui ex prælio Pharſalico effugerant, aut alioquin eaſdem partes ſequebantur, ad ſe accepit. Ex prælio L. Scipio

Pompeii

3936 Pompeii ſocer, Labienus, Afranius, & alii plurimi viri illuſtres venerunt. Paulò poſt Octavius etiam, qui Ionium mare tenens Caium Antonium ceperat, iis ſe adjunxit. Cuæus quoque Pompeius (ſenior Magni filius) qui claſſe Ægyptiâ circumvectus in Epirum incurſiones fecerat, patre ſuperato, quum Ægyptii domum avecti eſſent, Corcyram ipſe conceſſit. Hujus factum C. Caſſius quoque, qui Siciliam vexaverat, atque alii complures imitati, ad Catonem perfugerunt; quem virtute cæteris præſtare animadvertebant. [*Cicero, lib. 1. de Divinat. Plutarch. in Catone minore. Appian. bel. civil. lib. 2. pag. 482. Dio, lib. 42.*]

Ibi Caro Ciceroni, ut conſulari prætorius, imperium deferebat. Quod cùm Cicero (vir nihil minùs, ut in libro 111° notavit *Livius*, quàm ad bella natus) recuſaret, militiámque ſubterfugeret, penè fuit interemptus: Pompeio adoleſcente ejuſque amicis proditorem eum vocantibus, & gladios diſtringentibus. Sed obſiſtens Cato, vix illum cædi eripuit, & ex caſtris eduxit. [*Plutarch. in Catone, & in Cicerone.*]

Claſſe deinde divisâ inter amicos Pompeii præcipuos, Caſſius in Pontum navigavit ad Pharnacem, excitaturus eum contra Cæſarem: Scipio verò in Africam; fretus Varo & ejus copiis; Jubæque Mauri auxiliis. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 482.*]

Ipſe Cato, Pompeium Magnum in Ægyptum vel Africam conjiciens elapſum, properánſque ad illum; conſcendit cum omnibus ſuis, atque vela fecit: poteſtate tamen antè abeundi & remanendi factâ illis qui non prompti erant ad ſequendum. [*Plutarch. in Catone.*] Ejus navigationem in libro nono ita *Lucanus* depinxit.

Corcyrâ ſecreta petit, ac mille carinis
Abſtulit Emathia ſecum fragmenta ruinæ.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
Æquora? quis pelagus vaſtas arctaſſe carinas?
Doridâ tunc Malean, & apertam Tænaron imbrii;
Inde Cythera petit; Boreâque urgente Carinas
Creta fugit: Dictæa legit, cedentibus undis,
Littora, tunc auſum claſſi præcludere portus
Impulit; ac ſævas metitum Phycunta rapinas
Sparſit.

Eſt autem Phycus regionis Cyrenaicæ promontorium, & opidum; quod diripiendum militibus Catonem dediſſe, Poëta ſignificat. Sed ulteriore Catonis navigatione hîc intermiſſâ, ad Pompeii Magni & eum inſequentis Julii Cæſaris itinera convertendus eſt ſermo.

d. Cæſar Pharſali biduo moratus; ad celebrandam ſacrificiis victoriam reficiendúmque feſſum prælio militem, tertiâ die Pompeium inſecutus eſt. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 482.*] Omnibus enim rebus relictis, perſequendum ſibi Pompeium exiſtimavit, quaſcunque in partes ex fugâ ſe recepiſſet; né rurſùs copias comparare alias, & bellum renovare poſſet: & quantum itineris equitatu efficere poterat; quotidie progrediebatur; legionémque unam minoribus itineribus ſubſequi juſſit. [*Cæſar, lib. 3.*]

Pompeius ad mare perveniens, ibi quod nocti ſupererat in tuguriolo piſcatorio quievit. Circà diluculum, navigium fluviatile conſcendit, acceptíſque omnibus qui liberæ conditionis erant; ſervíſque ad Cæſarem abſque timore ire juſſis; à terrâ receſſit. [*Plutarch. in Pompeio.*] de quo *Lucanus*, libro 8.

Littora contigerat, per quæ Peneïus amnis
Emathiâ jam clade rubens exibat in æquor.
Inde ratem trepidam, ventis & fluctibus impar
Flumineis vix tuta vadis, evexit in altum.

Quum verò in hoc navigio terram ille legeret, navem conſpexit prægrandem onerariam, quæ vela factura erat. Nauclerum habebat ea Peticium civem Romanum: qui agnitum Pompeium ex cymbâ in navem ſuam recepit; unà cum ambobus Lentulis (*Conſularibus*; quos Rhodo excluſos, ex Cæſare diximus) & Favonio (*Prætorio*; ex Velleio, *lib. 2. cap. 53.*) & aliis quos ille volebat omnibus. Mox regem Dejotarum (qui auſpiciis fide adhibitâ, quæ ſecunda ſibi facta fuiſſe credebat, ad Pompeium venerat; ut in libro primo de Divinatione *Cicero* indicat) videntes ex terrâ ad ipſos properantem, eum quoque accepere. [*Plutarch. in Pompeio.*]

Ibi Pompeius ad anchoram unâ nocte conſtitit: &, vocatis ad ſe Amphipoli hoſpitibus; & pecuniâ ad neceſſarios ſumptus corrogatâ, cognito Cæſaris adventu, ex eo loco diſceſſit. [*Cæſar, lib. 3.*]

Ita prævectus Amphipolim, paucis diebus ad littus Lesbi inſulæ applicuit. [*Cæſar; & Plutarch. ut ſupr. Dio, lib. 42.*]

Mitylenis ille uxorem ad mare accerſivit: multáque ibi ſimul ſunt conqueſti. Tum illa afferri ex opido res ſuas juſſit, evocavitque ancillas. Mitylenæis verò Pompeium ſalutantibus & invitantibus in opidum, abnuit; atque monuit illos victori ut parerent, bonóque eſſent animo: nam clementem & benignum Cæſarem eſſe. Tum ad Cratippum philoſophum converſus (ille enim ex urbe ad eum viſendum deſcenderat) conqueſtus eſt, & cum eo diſputavit nonnihil de providentiâ. aſſerente philoſopho, δια τινὰ παρατυχίαν, *propter perverſam reipublicæ adminiſtrationem*, jam opus eſſe *monarchiâ*; & à Pompeio quærente. *Qui & quo ſigno credamus, ſi Cæſarem vicisſes, rectius te quàm illum fortunâ uſurum fuiſſe?* [*Plutarch.*]

Biduum tempeſtate ibi retentus, navibúſque aliis additis actuariis, res ſuas in quatuor triremes impoſuit, quæ à Rhodo & Tyro venerant; & cum conjuge atque amicis prope continentem Ciliciam uſque navigavit, portus ſequens ubi aquare & accipere poterat neceſſaria. [*Cæſar, lib. 3. cum Plutarcho, in Pomp. Appiano, pag. 479, 480. & Dione, lib. 42.*]

3956

His addamus, ex libro octavo, Lucani illa:

Sparsus ab Emathiâ fugit quicumque procellâ,
Assequitur Magnum: primisque à littore Lesbi
Occurris natus, procerum mox turba fidelis.
Nam neque dejecto fatis, aciêque fugato
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros:
Terrarum dominos & sceptra Eoa tenentes
Exul habet comites. jubet ire in devia mundi
Dejotarum, qui sparsa ducis vestigia legit.

Deinde expositio mandato, quo ad Parthos auxilia rogaturus missus est Dejotarus, (quod ille tamen nunquam præstitit) Pompeii deinceps navigationem Poëta ita enarrat.

—— dimisso in littore rege,
Ipse per Icaria scopulos, Ephesumque relinquens,
Et placidi Colophona maris, spumantia parva
Radit saxa Sami, spirat de littore Coo
Aura fluens; Gnidon inde fugit, clarámque relinquit
Sole Rhodon, magnósque sinus Telmessidas unda
Compensat medio pelagi. Pamphylia puppi
Occurrit tellus: nec se committere muris
Ausus Adhuc ullis: te primum parva Phaselis
Magnus adit, nam te metui vetat incola rarus,
Exhaustæque domus populis; majorque carina
Quàm tua turba fuit.

Primum oppidum Attaliam Pisidiæ iniit Pompeius. Ibi ei nonnullæ naves ex Ciliciâ occurrerunt, militesque contracti ad eum sunt, atque rursùs 60 ordinis senatorii ad eum convenerunt. Ubi cùm accepisset classem adhuc salvam esse, & Catonem magnâ vi militum ex fugâ collectâ in Africam trajecisse: quòd ipse tam procul à classis subsidio prælium cum Cæsare conseruisset, serò illum pœnituit. [*Plutarch. in Pomp.*] Selinunte verò in Ciliciâ Pompeium cum Lentulo superioris anni Consule, & reliquis qui eum secuti fuerant Senatoribus, de tutissimo ad quem se reciperet loco consilium cepisse, in libro 8°, *Lucanus* retulit.

Ex Ciliciâ in Cyprum Pompeius pervenit. [*Cæsar, lib. 3.*] ubi, qui Paphum profecuti eum sunt, honorificam de M. Cicerone factam ab eo fuisse mentionem confirmant. [*Cicero, in Philippicâ 2.*] Hic cognovit consensu omnium Antiochensium, civiúmque Romanorum qui illic negotiarentur, arcem Antiochiæ antè captam esse, excludendi sui causâ; nunciósque dimissos ad eos qui se ex fugâ in finitimas civitates recepisse dicerentur, ne Antiochiam aditerent: id si fecissent, magno eorum capitis periculo futurum. Jamque de Cæsaris adventu fama ad civitates perferebatur. Quibus rebus cognitis Pompeius, depositio adeundæ Syriæ consilio, pecuniâ societatis sublatâ & à privatis quibusdam sumptâ, & æris magno pondere ad militarem usum in naves impositio, duobúsque millibus hominum armatis, (partim quos ex familiis societatum delegerat, partim à negotiatoribus coëgerat, quóque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat) Pelusium navigavit. [*Cæsar, lib. 3.*]

Theophanes enim Lesbius & amicorum alii illi suaserant ut, aliis locis posthabitis, Ægyptum peteret, (regionem non solùm trium dierum itinere propinquam, sed etiam opulentam & potentem) ubi auxilium à pupillo rege expectare posset: quum & patrem ipsius per Gabinium regno Pompeius restituisset; & non ingratus filius naves Pompeio contra Cæsarem auxiliarias jam misisset. [*Vellei Paterc. lib. 2. cap. 53. Plutarch. in Pomp. Appian. pag. 480. Dio, lib. 42.*] Ut igitur ea sententia obtinuit; conscensâ Seleucide triremi, ex Cypro Pompeius cum uxore solvit. Alii, pars in navibus longis, pars in onerariis, eum comitati sunt. (*Plutarch.*) ad quam navigationem spectat *Lucani* hoc in libro 8° carmen.

Hæc ubi deseruit Pompeius littora, totos
Emensus Cypri scopulos, quibus exit in austrum,
Inde maris vasti transfuso vertitur æstu:
Nec tenuit Casium nocturno lumine montem,
Infimâque Ægypti pugnaci littora velo
Vix tetigit, quâ dividui pars maxima Nili
In vada decurrit Pelusia septimus amnis.

Cæsar, (at ad res ab eo Pompeium persequente gestas revertamur) propter triremium inopiam modicis navigiis Hellespontum trajecit. Cui pontone quodam vecto, Cassius ad Pharnacem properans cum decem rostratis navibus in medio freto occurrit. Neque refugit tamen Cæsar, sed cominùs tendens, ad deditionem adversarium hortatus est: qui horrendâ Cæsaris felicitate attonitus, ratúsque illum contra se navigare de industriâ, manus supplices è triremi tendens orabat veniam; móxque classem, 70 (si Appiano credimus) navibus constantem, ei dedicit. (*Suetonius in Julio Cæsar. cap. 63. Appianus, pag. 482, 485. Dio, lib. 42.*)

Quum Asiam Cæsar attigisset, Cnidiis Theopompi qui fabulas collegit gratiâ libertatem concessit. [*Plutarch. in Cæsare.*] Iones & Æolas, cæteràsque nationes quæ minorem Asiam incolunt, per legatos veniam petentes recepit in gratiam. (*Appian. pag. 483.*) pecuniâ tantùm eis imperatâ: quam alio tamen compensavit beneficio. Asiam enim à publicanis, qui eam acerbissimè habuerant, liberavit; partémque vectigalium convenientem in tributi collationem convertit. [*Dio, lib. 42.*] cunctísque Asiam incolentibus remisit tertiam tributi partem. [*Plutarch. ut supr.*]

T. Ampius pecunias Epheso ex fano Dianæ tollere volens, Senatores omnes ex provinciâ vocavit; ut iis testibus summâ pecuniæ uteretur. Sed interpellatus adventu Cæsaris profugit. Ita duobus temporibus Ephesiæ pecuniæ Cæsar auxilium tulit. (*Cæsar, lib.* 3.)

Quum nemo dicere haberet quò intenderet fugam Pompeius, nihilque esset certi; aliquantulum itineris Cæsar solus cum M. Bruto (quem à Pompeianis partibus ad se reversum inter præcipuos amicos habuit) faciens, periclitatus est sententiam ejus: & quia ex certis rationibus collectis optimam videbatur de fugâ Pompeii conjecturam facere, omissis aliis in Ægyptum contendere instituit. [*Plutarch. in M. Bruto.*] veritus ne is eo regno præoccupato vires recolligeret. [*Dio, lib.* 42.] Rhodum igitur trajecit; ac ne hic quidem expectato exercitu dum in unum conveniret, conscensis Cassianis & Rhodiis triremibus cum eis quas circa se habebat copiis, nemini aperiens quò cursum flecturus esset, sub vesperam solvit, jussis aliis gubernatoribus ignem prætorianæ sequi & signum ejus interdiu: suo verò jam longè à tertâ semotus mandavit ut Alexandriam versùs tenderet. Atque ita die tertiâ per altum eò devecti sunt. (*Appian. pag.* 483.)

Lucanus libro nono, poëticè magis quam historicè Cæsaris hoc iter explicans, ad Ilium & illi vicina loca diutiùs eum moratum narrat; indéque solventem; post noctem septimam ad Ægyptum pervenisse.

Sic fatus; repetit classes, & tota secundis
Vela dedit Coris; avidúsque urgente procellâ
Iliacas pensare moras; Asiámque potentem
Prævehitur, pelagóque Rhodon spumante relinquit:
Septima nox Zephyro nunquam laxante rudentes
Ostendit Pharias Ægyptia littora flammis:
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit;
Quam tutas intraret aquas.

At nemo certiùs quàm Ipse *Cæsar* rem totam aperuerit! in tertio de Bello Civili commentario ita de se scribens.

"Cæsar, paucos dies in Asiâ moratus, cùm audisset Pompeium Cypri visum; conjectans "eum in Ægyptum iter habere, propter necessitudines regni reliquâque ejus loci opportu- "nitates, cum legionibus; unâ quam ex Thessaliâ se sequi jusserat, & alterâ quam ex Achaiâ "à Fusio legato evocaverat, equitibúsque 800, & navibus longis Rhodiis 10 & Asiaticis "paucis, Alexandriam pervenit. In his erant legionibus hominum 3200; reliqui, vulneribus "ex præliis & labore ac magnitudine itineris confecti, consequi non potuerant. Sed Cæsar, "confisus famâ rerum gestarum; infirmis auxiliis proficisci non dubitaverat; atque omnem sibi "locum tutum fore existimabat.

Anni tempestatem, quâ Pompeius ante Cæsarem Ægyptum attigerat, in 8° libro *Lucanus* ita descripsit.

Tempus erat, quo Libra pares examinat horas
Nox nono plus aquat die; nec quicquam crescit in illis
Lux minor hyberna veris solatia damni.

In fine nimirùm Septembris, ut annus tunc quidem agebatur, periisse Pompeium ille legerat; & sub finem ejusdem mensis in Juliano anno, qui ipsius tempore in usu fuit, in Libram Solem ingredi solitum esse noverat: indéque, diversâ temporum ratione non considerată, circa autumnale æquinoctium ad Ægyptum pervenisse Pompeium scripsit. Cùm revera Sol tunc in Leonem ingredi cœperit, quando sub ortum Caniculæ intumescere Nilus maximè incipiebat; non in Libram; quando intra ripas revocari idem fluvius solebat.

Non longè à Pelusiaco Nili ostio, circa montem Casium; inter Ægypti & Arabiæ fines interpositum, casu eo tempore rex erat Ptolemæus; magnis copiis, cum sorore Cleopatrâ gerens bellum, quam paucis antè mensibus regno expulerat: castráque Cleopatræ non longo spatio ab ejus castris distabant. (*Cæsar, lib.* 3. *cum Plutarcho in Pompeio; Appiano, pag.* 480; *& Dione, lib.* 42.) *Puerum ætate* hunc fuisse dicit Cæsar, *adultâ ætate puerum* Hirtius, (*de bello Alexandr.*) *μειρακίσκον puerulum* Strabo, [*lib.* 17; *pag.* 796.] *νεώτερον ἢ ὡραῖον adhuc puerum* Dio, (*lib.* 42.) *adolescentem* Orosius, (*lib.* 6. *cap.* 15.) *ὡραῖον νέον adhuc adolescentem* Plutarchus; [*in Pomp.*] *puero quam juveni propiorem* Velleius, [*lib.* 2. *cap.* 53.] XIII ad summum annos natum Appianus (*pag.* 480.) fuisse scribit.

Pompeius igitur, conspecto in littore tanto exercitu, quia egredi in terram, nisi tuto sibi id liceret, non audebat;

Comperit ut regem Casio se monte tenere,
Flexit iter (quemadmodùm in octavo libro habet *Lucanus*: & ad regem aliquos de suis misit, qui adventum suum supplicibus verbis illi nuntiarent; & ut, pro hospitio atque amicitiâ patris & beneficio in illum collato, Alexandriâ reciperetur, atque illius opibus in calamitate tegeretur, orarent. [*Cæsar, lib.* 3. *Plutarch. in Pomp. Appian. pag.* 480; *Dio, lib.* 42.] Sed qui ab eo missi erant, confecto legationis officio, liberiùs cum militibus regis colloqui cœperunt, eósque hortari, ut suum officium Pompeio præstarent, néve ejus fortunam despicerent. In hoc erant numero complures Pompeii milites, quos ex ejus exercitu acceptos in Syriâ Gabinius Alexandriam transduxerat, bellóque confecto apud Ptolemæum, patrem pueri, reliquerat. [*Cæsar, ut suprà.*]

Ipse rex puer nihil respondit. Sed amici ejus qui in procuratione erant regni, Ægyptius Achillas militiæ, & pecuniarum curator eunuchus Pothinus, consultare cœperunt de Pompeio: adhibito in consilium, inter cubicularios alios, Theodoto vel Chio vel Samio, mercenario quidem Rhetoricorum doctore, sed qui apud regem, ut præceptor ejus, authoritatem habebat maximam. [*Liv. lib.* 112. *Plutarch. & Appian. ut supr.*]

In isto consilio, alii recipiendum, arcendum alii Ægypto Pompeium censebant. Theodotus verò, facundiam & declamandi ostentans facultatem, utramque partem falli declaravit; unúmque in præsentia expedire, ut receptum interficerent; adjiciens in peroratione, Mortuum non mordere. [*Plutarch. in Pompeio, & in Bruto.*]

Ejus sententiam secuti reliqui, sive timore adducti, ut posteà prædicabant, ne sollicitato exercitu regio Pompeius Alexandriam Ægyptumque occuparet, sive despectà ejus fortunâ, ut plerumque in calamitate ex amicis inimici exiliunt, iis qui erant à Pompeio missi palàm liberaliter responderunt, cúmque ad regem venire jusserunt; sed clàm Achillam præfectum regium, singulari hominem audaciâ, & L. Septimium tribunum militum, qui in bello prædonum apud ipsum Pompeium ordinem duxerat, ad illum interficiendum miserunt. [*Cæsar, lib.* 3.]

Hi cum Salvio altero centurione & tribus vel quatuor ministris naviculâ parvulâ conscensâ, ad navem Pompeii provecti sunt. Interim exercitus tanquàm in hospitis honorem secundùm littus totus instructus est in aciem; rege in medio versante, conspicuo veste purpureâ. Simul naves aliquot regiæ compleri conspiciebantur: ut nec elabi se, si mutarent consilium, viderent posse. Appropinquante naviculâ, prior assurrexit Septimius ac Latinè Pompeium imperatorem appellavit. Achillas verbis Græcis salute datâ, hortatus est eum ut in naviculam suam descenderet. nam & navem ipsius propter magnitudinem, quódque ibi vadosum esset mare, nec triremis ob brevia fabulosa patiens, ad terram adduci non posse; & cupere regem, ipsum quamprimùm videre. Primores omnes eorum qui Pompeium comitabantur ad eum conscendentes, quique unà cum eo navigabant omnes, monuerunt eum, dum extra telorum jactum essent, retrorsùm ut in mare navem ageret: ipséque cum eis considerans instructam aciem, vilem ad se missam naviculam, non regem obvium, non purpuratorum aliquem, multa suspicabatur. Cornelià nihilominùs salutatâ, quæ exitum ejus jam antè deplorabat, duos centuriones, ex libertis unum Philippum, & servum Scynem nomine, ante se in naviculam jussit descendere. Porrigente deinde ei dexteram Achillâ, ingressus est & ipse: quum priùs, ad uxorem & filiam conversus, Sophoclis illa iambica pronunciasset.

Ὅστις γὰρ αὐτὸν τύραννον ἱμπορεύεται,
Κἂν μὴ θέλῃς, κὰν ἐλεύθερος μόλῃ.
Nam cum tyranno si cui negotium est,
Fit servus ejus, liber etsi venerit.

Dein cunctis inter navigandum silentibus, aucta est ejus suspicio, tenénsque in parvo libello conscriptam abs se Græcam orationem, quâ uti apud Ptolemæum statuerat, eam cœpit legere. Postquàm terræ appropinquatum est, Pompeium illi, ne cum Ptolemæo congressus, vel ab ipso rege, vel à Romanis, quos secum habebant, vel ab Ægyptiis (horum enim in ipsum magna erat benevolentia) incolumitati assereretur, veriti, antequàm ad litus appellerent, interficere statuerunt. Cornelia cum amicis ex navi anxia speculabatur eventum: cœpítque Pompeius sublevare animos, quòd ad descensionem multos ex regiis cerneret honoris & recipiendi ejus gratiâ concurrentes. Sed dum Philippum manu ille prehenderet, quo surgeret commodiùs, Septimius primus à tergo eum trajecit, inde secundùm eum Salvius & mox Achillas enses in eum strinxerunt. Ille, cùm se neque defendendi sui neque effugiendi facultatem habere vidit, ambabus manibus faciem togâ texit: nec quicquam indignum se locutus est nec fecit, tantùm suspirio edito patienter ictus excepit. [*Id. ibid. Plutarch. Appian. Dio.*]

Hoc procul viso, uxor amicique qui in navibus erant, magno cum ejulatu, ad littus usque exaudito, deos fœderum vindices sublatis in cœlum manibus imploraverunt: anchorísque properè solutis, fugæ se mandaverunt. [*Plutarch. & Appian.*] Hi partim ab insequentibus Ægyptiis capti sunt, partim fugâ sese eripuerunt. [*Dio.*] quum Tyrum priùs appulissent. A Tyriis enim in fugâ eos fuisse receptos, *Dio* libro 42 indicat. Ex his qui evaserunt, Cornelia uxor & Sextus Pompeii filius in Cyprum refugerunt. (*Liv. lib.* 112.) Cætera Pompeiana classis dilapsa est; omnibus qui in ea erant crudelissimè trucidatis: ibique & Pompeius Bithynicus (*cujus in Bruto, seu de claris Oratoribus, ut sui æqualis meminit Cicero*) occisus est. Lentulus verò vir consularis apud Pelusium interfectus est. [*Oros. lib.* 6. *cap.* 15.] L. Lentulus sc. (superioris anni Consul:) quem comprehensum a Rege & in custodiâ necatum fuisse scribit Cæsar. [*Bell. civil. lib.* 3.] Eum unà cum Pompeio Cyprum petiisse, sed non ante posterum à funerato Pompeio diem ex Cypro in Ægyptum pervenisse, & paulò pòst egressum ex mari comprehensum & necatum fuisse, *Plutarchus* in *Pompeio* significat.

Caio Cæsare & Publio Servilio Consulibus, jugulatus Pompeius est; duodesexagesimo ætatis anno (completo;) pridie natalem ipsius. [*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 53.] eâ ipsa die, quâ quondam de Mithridate & piratis triumphaverat. [*Dio, lib.* 42.] Per biduum autem triumphum illum eum duxisse, III & pridie Kalend. Octobris, qui posterior dies natalis ejus fuit, ex Plinio, [*lib.* 7. *cap.* 26. *& lib.* 17. *cap.* 2.] suo loco ostendimus. Ut minùs accuratè *Plutarchus* undesexaginta annos vixisse Pompeium, & postridie Natalis sui fato functum fuisse scripserit; annum unum & dies duos vitæ illius adjiciens. Ultimus verò ille Septembris dies, qui Pompeio supremus fuit, hoc anno, uti vitiosè tempora tum Romæ numerabantur, in Quintilis Juliani diem 25. juxta nostras rationes incidit.

Pompeii caput à Septimio (ut ait *Lucanus*) resectum, servatum est in adventum Cæsaris, expectatione maximi præmii: truncus verò è naviculâ nudus projectus, spectare cupientibus est relictus. Philippus ejus libertus, dum satiârunt oculos, remansit apud eum. Inde aquâ marinâ abluit corpus, ac tunicâ quâdam suâ involvit. Quum nihil aliud ad manum esset, circumspiciens littus reperit parvulæ naviculæ piscatoriæ marcidas quidem reliquias, sed quæ

sufficerent

sufficerent ad rogum cadaveri nudo, nec eo integro. His congerenti & componenti quidam jam gravi ætate civis Romanus assitens, qui prima stipendia juvenis sub Pompeio fecerat, funeris peragendi consortem se adjunxit. (*Plutarch. in Pomp.*) * proximo die L. Lentulus hujus rei ignarus ex Cypro advectus, & littus legens, ut funeris Pyram vidit, atque assistentem Philippum, commilitonibus dixisse fertur; *Quid scimus an hâc flammâ Cn. Pompeius cremetur:* (*Id. ibid. Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 8.) * Pompeium in littore, quendam eum sepelisse, aggesto exiguo tumulo, scribit *Appianus*; (*pag.* 481.) eique alium quempiam hanc inscriptionem addidisse,

Τῷ ναῦς βαίζουτι πόρε σμάικι σμικρὸν τύμβου
Vix caperes templum, qua parva recondit arena.

Apud Aurelium Victorem, (*de viris illustr. cap.* 77.) truncus Nilo jactatus, à Servio Codro rogo insultus humatúsque fuisse legitur; inscribente sepulchro, HIC SITUS EST MAGNUS POMPEIUS. De quo & *Lucanus*, libro 8°.

E latebris pavidus decurrit ad æquora Codrus.
Quæstor ab Idalio Cinyreæ littore Cypri
Infaustus Magni fuerat comes. ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quæsitum corpus in undis
Duceret ad terram, traherétque ad littora Magnum.

In mari enim cadaver ejus rectiùs quærit Poëta, quàm Aurelius Victor in Nilo: quum non procul à Casio monte Magnum Pompeium jugulatum & tumulatum fuisse, tum ex aliis, tum ex *Strabone* quoque (*lib.* 16. *pag.* 760.) & *Plinio* (*lib.* 5. *cap.* 12.) liqueat.

Hic magni Pompeii vitæ fuit exitus: qui inter Romanos habitus anteà potentissimus, ut Agamemnon etiam cognominaretur, quòd mille navibus & ipse cum imperio præfuisset, tunc quasi unus de extremæ sortis Ægyptiis in naviculâ prope Ægyptum interiit. quúmque omnes cives de gente Cassiâ ex oraculo quondam suspectos habuisset, à nemine Casio insidiis petitus est, sed ad montem Casium & cæsus est & tumulatus. (*Dio, lib.* 42.) Qui mons non longè à Judææ finibus situs est; quam ille primus Romanorum jugo subdiderat.

Qui cum Catone erant, in Cyrenem venientes, de Pompeii morte audiverunt. (*Dio, lib.* 42.) eò ex Cypro delatâ Corneliâ cum privigno Sexto Pompeio: ut illa *Lucani*, in nono libro indicant.

. . *Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:*
Inde tenens pelagus, sed jam moderatior, Eurus
In Libycas egit sedes, & castra Catonis.

Addit deinde, Pompeii filium (seniorem, Cnæum) qui cum Catone fuerat, à fratre (juniore, Sexto) qui cum Corneliâ erat, patris mortem ibi didicisse; Corneliam Pompeii exuvias in littore combussisse; ejúsque exemplo reliquum exercitum accensis rogis eorum manibus qui in Pharsaliâ occubuerant parentasse, atque Catonem funebri oratione Pompeii memoriam celebrasse.

Hinc, variantibus sententiis, hi quibus spes veniam à Cæsare consequendi nulla supererat, Catoni adhæserunt: alii, quò quemque casus deferebat, discessione factâ se contulerunt; alii rectà ad Cæsarem profecti, impunitatem adepti sunt. [*Dio, lib.* 42.] Cornelia quoque, propositâ impunitate, Romam postea incolumis rediit. [*Id. ibid.*] ibique in Albano mariti reliquias ad se delatas posuit. [*Lucan. lib.* 8. *cum Plutarcho, in fine Pompeii.*]

Catonis copiæ, præcipuè classiarii Cilices quorum dux erat Tarcho, discedere ab eo parantes, illius verbis moti redierunt ad officium. [*Lucan. lib.* 9.]

Cyrenis Cato à civibus est admissus; quum paucis antè diebus portas clausissent Labieno. [*Plutarch. in Catone.*] Lucanus, lib. 9.

Proximus in muros & mœnia Cyrenarum
Est labor: exclusus nullâ se vindicat irâ;
Pœnáque de victis sola est, vicisse, Catoni.
Inde peti placuit Libyci consternina Mauris
Regna Jubæ.

quum Cyrenis intellexisset Cato, à rege Jubâ Scipionem Pompeii socerum fuisse receptum, & Appium Varum, cui data à Pompeio provincia Africa fuerat, illis se cum exercitu conjunxisse. *Plutarch. ut supr.*)

Cæsar post tertium diem insecutus, (quantum ex libri 112 *Liviani* epitome colligi potest) Alexandriam advectus est, rege Ptolemæo circa montem Casium adhuc hærente. [*Appian. pag.* 483.] Ibi quum tumultuantes ob cædem Pompeii Alexandrinos reperisset, non ausus statim in terram egredi, portu relicto substitit aliquandiu: ut in libro 42 habet *Dio*. Et in libro 9 *Lucanus*:

——— *ibi plena tumultu*
Littora, & incerto turbatas murmure voces
Accipit: ac dubiis vetitum se credere regnis
Ablimit tellure rates.

Tum, cognitâ Pompeii morte, primùm è navi egrediens Cæsar, clamorem militum audiit, quos rex in opido præsidii causâ reliquerat; & concursum ad se fieri vidit, quòd fasces anteferrentur. In hoc enim omnis multitudo majestatem regiam minui prædicabat. [*Cæsar, lib.* 3.] Cujus rei, & in libro 42 *Dio*, & in libro 10 *Lucanus* ita meminit:

Sed fremitu vulgi fasces, & jura querentis
Inferri Romana suis, discordia sensit

Pectora, & ancipites animos.

Sine periculo tamen Alexandriam tumultuantem Cæsar intravit: [*Liv. lib.* 112.] in regiam fugiendo se recipiens. Militibus autem ejus aliquibus arma adempta sunt: reliqui, dum omnes naves ad littus pervenirent, retrò avecti sunt. (*Dio, lib.* 42.)

Cæsar, quum ei Theodotus caput Pompeii & annulum obtulisset, infensus est: annulúmque accipiens, illachrymavit. [*Liv. lib.* 112. *Plutarch. in Cæsare.*] Caput ab Achillâ Ptolemæi satellite, Ægyptio velamine involutum, cum annulo Cæsari præsentatum fuisse; eúmque, non continentem lachrymas, illud plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curavisse: apud Aurelium Victorem [*de vir. illustr. cap.* 77.] legimus. Et de capite quidem per satellitem allato, ita *Lucanus*, libro 9°.

——— *dira satelles*
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta:

De lachrymis verò; quas ille, ut & *Dio*, simulatione expressas fuisse vult:

Non primus Cæsar damnavit munera visu,
Avertitque oculos; vultu, dum crederet, hasit:
Usque fidem vidit sceleris, tutúmque putavit
Jam bonus esse socer, lachrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitúsque expressit pectore lato;
Non aliter manifesta putans abscondere mentis
Gaudia, quàm lachrymis.

Et de capitis funeratione, ita præcipientem Cæsarem inducit:

——— *Vos condite busto*
Tanti colla ducis: sed non, ut crimina tantùm
Vestra tegat tellus, justo date thura sepulchro,
Et placate caput, cineríque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.

Caput autem in suburbio sepeliri jussit: sacellúmque ibi dedicavit Nemeseos. [*Appian. pag.* 484.]

Atque ut affectum suum in Pompeium amplius declararet, amicos & familiares ejus, qui ei in regione palantes capti à rege fuerant, benignè accepit omnes, ac beneficiis sibi devinxit: Romámque ad amicos scripsit; eum ex victoriâ capere se maximum & jucundissimum fructum; quòd quotidie aliquos cives, qui oppugnaverant se, servaret. [*Plutarch. in Cæsare.*]

Cæsar, priusquàm exercitus ejus ad ipsum appulisset, propter infrequentiam suorum dabat se otio; comiter excipiens obvios; & visendi causâ urbem obambulando mirabatur ejus pulchritudinem, & sapientiæ professores plerosque stans audiebat: quod otium ei gratiam & bonam existimationem paravit apud Alexandrinum populum. (*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 483. *fin. &* 484. *init.*) Templa illum invisisse, & antrum in quo Alexandri Magni corpus jacebat, ita *Lucanus* narrat; in libro 10.

——— *vultu semper celante timorem,*
Intrepidus Superûm sedes, & templa vetusti
Numinis, antiquas Macetûm testantia vires
Circuit; & nullâ capitur dulcedine rerum;
Non auro, vultúque deûm, non mœnibus urbis,
Effossum tumulis cupidè descendit in antrum.
Illic Pellæi proles vesana Philippi
Felix prædâ jacet; terrarum vindice fato
Raptus.

Cn. Domitio Calvino Cæsar Asiam finitimásque provincias administrandas tradidit. (*Hirtius, in lib. de Bello Alexandrino.*) útque exercitus qui in Asiâ erant ad sese recipiens, cum Pharnace rege bellum gereret jussit. (*Dio, lib.* 42.) Quum verò crebras Alexandriæ continuis diebus ex concursu multitudinis concitationes fieri, complurésque milites omnibus urbis partibus interfici, Cæsar animadverteret; legiones sibi ex Asiâ afferri jussit, quas ex Pompeianis militibus confecerat. Ipse enim Etesiis necessariò tenebatur; qui Alexandriâ navigantibus sunt adversissimi venti. (*Cæsar, lib.* 3.) Aquilones enim illi sunt: qui sub finem Sextilis Juliani flare desinunt; ut tum in *Gemini* & *Ptolemæi* ephemeridibus, tum in *Plinio* [*lib.* 2. *cap.* 47.] & *Columellâ* [*lib.* 2. *de re rustic.*] videre licet. Unde error *Lucani* detegitur, qui autumnalis demùm æquinoctii tempore Pompeium ad Ægyptum venisse in libro octavo tradidit: & laboriosum M. Catonis in Africâ per deserta cum legionibus iter, (de quo, in libro 112. *Livius*) postquàm Cyrenis de morte Pompeii audiit. ab illo susceptum, ad hyemem illud subsequentem in libro nono retulit.

Nam quum Cyrenis discedens classe Syrtes trajicere conatus, tempestate in Tritonidem paludem rejiceretur; Sexto Pompeio cum copiarum parte in cultioribus Africæ relicto, cum reliquo exercitu Catonem pedestri itinere, hyeme mari jam clauso, per deserta ad Jubam Mauritaniæ regem contendisse narrat. Sic enim ille:

His igitur depulsa locis, ejectáque classis
Syrtibus, haud ultrà Garamantidas attigit undas:
Sed duce Pompeio Libyes melioris in oris
Mansit: at impatiens virtus hærere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, & terrâ cingere Syrtim.
Hæc eadem suadebat hyems, qua clauserat æquor.

Quod

Quod ipſum *Plutarchus* etiam in Catonis Vita affirmat: χερσαῖος ὁδὸς pedeſtre hoc iter ſuſceptum ab eo fuiſſe ſcribens.

Ejus verò exercitus in regione Naſamonum, Syrtibus vicinâ, ventis arenam impellentibus, alibique vehemente ſiti & ſerpentum varii generis occurrentium multitudine, miſerè afflictus eſt. Et ad templum Jovis Ammonis perveniens Cato, ſuadente Labeone ut de rebus futuris oraculum conſuleret, id facere recuſavit. Ac tandem, duobus menſibus per arenoſa Africæ deſerta vagatus, Leptim pervenit; ibique hyemem exegit. [*Lucan. lib. 9.*] Quâ exactâ, ad Jubam milites adduxit; qui non multò minùs decem millia erant. [*Plutarch. in Catone.*]

Cæſar (ut ad eum, Eteſiis Alexandriæ detentum redeamus) in Ægypto cogendis pecuniis, dijudicandâque lite inter Ptolemæum & Cleopatram, tempus trahebat. [*Dio, lib. 42.*] Ex ingente enim pecuniæ ſummâ quæ à Ptolemæo Auletâ patre regis pueri ipſi debebatur, aliquam partem ad ſuſtentandum exercitum tunc exigebat. [*Plutarch. in Cæſare.*] quam exactionem Ægyptii, multitudinis numinum præ aliis omnibus mortalibus ſuperſtitioſiſſimi cultores, eò moleſtiùs ferebant, quòd nec à ſacris ipſorum Cæſar abſtineret. [*Dio, lib. 42.*] quanquàm & hìc à tutoribus ille eludebatur, quo minùs pecuniam acciperet, templa ſua altu ſpoliantibus; ut & regios theſauros vacuos eſſe oſtenderent; & in invidiam Cæſaris populum concitarent. [*Oroſ. lib. 6. cap. 15.*] Ad quam augendam, Pothinus eunuchus, qui maximâ erat authoritate præditus, propalàm multa loquebatur faciebátque. Nam virioſiſſimum & veteriſſimum militibus metiebatur frumentum; addens, ferrent & acquieſcerent, quòd veſcerentur alienis. Sibi quoque ipſi ad cœnas vaſis ligneis & figlinis juſſit miniſtrari; aurea & argentea Cæſarem ferens omnia accepiſſe ad debiti ſolutionem. [*Plutarch. ut ſuprà.*]

Controverſias verò regum ad populum Romanum & ad ſe, quòd eſſet Conſul, Cæſar pertinere exiſtimabat: atque eo magis officio ſuo convenire, quòd ſuperiore ipſius Conſulatu cum patre horum Ptolemæo, facta eſſet ſocietas. Sibi igitur oſtendit placere, regem Ptolemæum atque ſororem ejus Cleopatram exercitus quos haberent dimittere; & de controverſiis jure apud ſe potiùs, quàm inter ſe armis, diſcepare. [*Cæſar, lib. 3.*]

Pompeii mors Romæ non eſt credita, niſi poſt eò miſſum ipſius annulum; in quo tria trophæa erant inſculpta (ſive, ut *Plutarchus* vult, Leo enſem ferens.) Tum verò Romani honores in Cæſarem certatim effuderunt: poteſtate ei datâ, ut de Pompeianis arbitratu ſuo ſtatueret. Ut ei belli pacíſque jus in omnes homines eſſet; etſi neque ad populum de iis retuliſſet. Ut quinque continuis annis Conſulatum gereret. Ut Dictator non ad ſemeſtre tantùm ſpatium, Ut olim, ſed in integrum annum diceretur. Ut tribuniciam poteſtatem per omnem vitam haberet, ipſis Tribunis aſſidendo, déque rebus agendis unà cum ipſis ſtatuendo: quod nulli unquam conceſſum fuerat. [*Dio, lib. 42.*]

His acceptis honoribus Cæſar, quamvis extra Italiam erat, ſtatim Dictaturam iniit. [*Id. ibid.*] Ut rectè hinc principatum illius *Joſephus* arceſſiverit; tres annos cum dimidio illi aſſignans. [*lib. 4. Antiqu. cap. 17.*] Atque in Syriâ, ut à primâ Dictaturâ Antiocheni, ita à ſecundâ hâc Dictaturâ Laodiceni tempora Cæſariana dinumeraſſe videntur. Laodicenam enim æram unico tantùm anno Antiochenâ poſteriorem fuiſſe, *Euſebius* in Chronico ad annum ſecundum imperii Probi indicat.

3957 *a.* Regem, eóſque quorum authoritate ille regebatur, Cæſarem tentaviſſe inſidiis, author eſt Velleius Paterculus, [*lib. 2. cap. 54.*] Quod ipſum de Ptolemæo rege affirmat Suetonius, [*in Julio, cap. 35.*] & Eutropius; [*lib. 6.*] & de Pothino eunucho, *Plutarchus.* Ob quas clàm illi ſtructas inſidias, corporis ſui tuendi causâ in conviviis pernoctare eum cœpiſſe ferunt. Cúmque Pothinus diceret ei, in præſentia ut abiret & magnis negotiis inſiſteret, poſteáquo cum gratiâ reverteretur: reſponſo dato, minimè ſe Ægyptiorum conſilium requirere, Cleopatram clàm ex agro accerſiit. [*Plutarch. in Cæſare.*]

Nam Cleopatra, quum hactenùs per alios cauſam ſuam contra fratrem apud Cæſarem egiſſet, ſimul atque naturam ejus cognovit, quòd mulierum amoribus quàm maximè eſſet obnoxius; per internuntios Cæſari queſta fuerat, ſe prodi ab amicis, cuperéque ipſam per ſe apud eum litem ſuam proſequi. [*Dio, lib. 42.*] Quo jam impetrato, unum illa ſecum trahens ex amicis Siculum Apollodorum, exiguo acatio conſcenſo primis tenebris applicuit ad regiam. Et quum nullâ aliâ ratione poſſet latere, culcitrâ involutâ protendit ſe in longum: Apollodorus verò conſtrictam loro culcitram per portam ad Cæſarem intulit. (*Plutarch.*) Ejus ad Cæſarem adventum ita in libro 10. *Lucanus* enarrat.

Jam Peluſiaco veniens è gurgite Nili,
Rex puer, imbellis populi ſedaverat iras
Obſide quo pacis Pellæâ tutus in aulâ
Cæſar erat: cùm ſe parvâ Cleopatra biremi,
Corrupto cuſtode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Cæſare tectis;
Dedecus Ægypti, Latio feralis Erinnys,
Romano non caſta malo.

Cleopatra effuſa Cæſaris genibus, partem regni repoſcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quòd talis paſſa videbatur injuriam: odiúmque ipſius regis, qui Pompæi eadem partium fato non Cæſari dederat, haud dubiè idem in ipſum auſurus, ſi expediſſet. [*Florus, lib. 4. cap. 2.*] Ubi verò Cæſar Cleopatram vidit, loquentémque nonnihil audivit, ita confeſtim mancipium ejus factus eſt; ut ſtatim ſub auroram Ptolemæum accerſierit, pacificationémque tentaverit: Cleopatræ, cujus antè judex eſſe voluerat, tunc advocatum agens. Quæ res, quódque improviſo ſuam ſororem intùs eſſe videbat, ita pueri animum ità inflam-

mavit;

mavit; ut protilicus ad populum, prodítum se clamaret, ac denique diadema capite detractum abjiceret. [*Dio*, *lib.* 42.]

Magno inde tumultu coorto, Ptolemæum Cæsariani milites intrò abripuerunt, Ægyptii autem commoti sunt: ac, nisi Cæsar metu perculsus ad eos prodiisset, déque loco tuto omnia se quæ vellent facturum promisisset; ipso primo impetu regiam, quam terrâ marique jam invadebant, occupassent. neque enim Romanis, qui se apud amicos versari credebant, ullæ ad resistendum aderant vires. [*Dio*, *ibid.*]

Posthæc Cæsar in concionem cum Ptolemæo & Cleopatrâ progressus, patris eorum testamentum de scripto recitavit: quo præcipiebatur, ut more majorum apud Ægyptios, inter se quidem illi matrimonio jungerentur, regnúmque tenerent; sed ita tamen, ut sub tutelâ populi Romani essent. His addebat Cæsar suum esse, qui Dictaturam gereret omnémque populi potestatem obtineret, ut & liberos curaret & patris voluntatem exequeretur. Ptolemæo igitur & Cleopatræ regnum Ægypti dedit: Arsinoæ autem Ptolemæóque junioti, germanis horum, Cyprum largitus est. In eum enim tunc terrorem venerat, ut his quoque de suo aliquid concederet, nedum ipse ex rebus Ægypti quicquam adipisceretur. Atque ad hunc modum is tumultus tunc sedatus fuit. [*Id. ibid. cum Cæsare*, *lib.* 3. *Livio*, *lib.* 112. *& Plutarcho*, *in Cæsare.*]

Ad Cn. Domitium Calvinum, Cæsaris in Asiâ legatum, rex Dejotarus veniens oravit, ne Armeniam minorem, regnum suum, néve Cappadociam, regnum Ariobarzanis, possideri vastaríque pateretur à Pharnace: quo malo nisi liberarentur, imperata sibi facere, pecuniámque promissam Cæsari non posse se persolvere. Domitius nuncios confestim ad Pharnacem misit, Armeniâ Cappadociáque ut decederet. Quam denunciationem cùm majorem vim habituram existimaret, si propiùs eas regiones cum exercitu accessisset; ad legiones profectus, ex tribus quas habebat, unam XXXVI secum ipse duxit, duas reliquas in Ægyptum ad Cæsarem misit, litteris ejus evocatas. Legioni XXXVI duas alias adjunxit Domitius à Dejotaro acceptas, quas ille disciplinâ atque armaturâ Romanâ complures constituras habebat, equitésque centum; totidémque ab Ariobarzane sumpsit. Misit quoque P. Sextium ad C. Plætorium Quæstorem; ut legionem adduceret, quæ ex tumultuariis militibus in Ponto confecta erat: Quintúmque Patiscum in Ciliciam, ad auxilia accersenda. Quæ copiæ celeriter omnes jussu Domitii Comana convenerunt. [*Hirtius*, *de bello Alexandrino.*]

Interim legati responsum à Pharnace referunt: Cappadociâ se discessisse, Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine jure obtinere deberet; denique ejus regni causa integra Cæsari servaretur, paratum enim se facere quod is statuisset. Cappadociâ verò ille ideirco discessit, quòd facilius Armeniam defendere posset subjectam suo regno, quàm Cappadociam longiùs remotam. Quod cùm Domitius animadvertisset, perseverare cœpit ut eo quoque regno decederet: neque enim aliud jus esse Cappadociæ, atque Armeniæ; neque justè eum postulare ut in Cæsaris adventum res integra differretur, id enim esse integrum, quod ita esset ut fuisset. His responsis datis, cum supradictis copiis profectus est in Armeniam. Complures interim legationes Pharnaces ad Domitium misit quæ de pace agerent, regiáque munera ei ferrent: quæ constanter omnia aspernabatur Domitius; nec sibi quidquam antiquius, quàm dignitatem populi Romani & regna sociorum recuperare, legatis respondebat. (*Id. ibid.*)

Cæsare bellum Alexandrinum gerente, regem Dejotarum illius utilitatibus paruisse, & exercitum Cn. Domitii suis tectis & copiis sustentavisse, in Oratione pro eo habitâ confirmat *Cicero.*

In Ægypto Pothinus eunuchus, cui regiarum pecuniarum totiúsque regni procuratio commissa fuerat, veritus ne ob priorem Ægyptiorum seditionem, quam ipse præcipuè concitaverat, ad supplicium deposceretur; novi & difficilis belli author extitit. Is primùm inter suos questus, regem ad dicendam causam evocari, reliquis deinde, quos ad partes suas pertrahere volebat, suspicionem injecit, Cæsarem quidem componendæ turbæ causâ regnum utriusque simul dedisse, sed progressu temporis soli Cleopatræ id attributurum. Achillam verò, copiarum omnium præfectum, qui etiamnum apud Pelusium morabatur, incitatum suis, & regis inflatum pollicitationibus, per litteras & nuncios movit, ut exercitum regium equitatúmque omnem à Pelusio clàm Alexandriam adduceret. (*Cæsar*, *Bell. civil. lib.* 3. *Dio*, *lib.* 42.)

Cæsaris copiæ nequaquam erant tantæ, ut eis extra oppidum, si esset dimicandum, confideret: relinquebatur, ut se suis locis opido teneret, consiliúmque Achillæ cognosceret. Milites tamen omnes in armis esse jussit: Regémque hortatus est, ut ex suis necessariis, quos habebat maximæ authoritatis, legatos ad Achillam mitteret; &, quid esset suæ voluntatis, ostenderet. A quo missi Dioscorides & Serapion, qui ambo legati Romæ fuerant, magnámque apud patrem Ptolemæum authoritatem habuerant, ad Achillam pervenerunt. Quos ille, cùm in conspectum ejus venissent, priùs quàm audirat aut cujus rei causâ missi essent cognosceret, corripi atque interfici jussit. Quorum alter accepto vulnere occupatus, per suos pro occiso sublatus; alter interfectus est. Quo facto, regem ut in suâ potestate haberet, Cæsar effecit: magnam regium nomen apud suos authoritatem habere existimans, & ut potiùs privato paucorum & latronum consilio, quàm regio, susceptum bellum videretur. [*Cæsar*, *ibid.*]

Erant cum Achillâ copiæ, ut neque numero, neque genere hominum, neque usu rei militaris contemnendæ viderentur. Millia enim viginti in armis habebat. Hæ constabant ex Gabinianis militibus: qui jam in consuetudinem Alexandrinæ vitæ atque licentiæ venerant, & nomen disciplinámque populi Romani dedidicerant. Huc accedebant collecti ex prædonibus latronibúsque Syriæ Ciliciæque provinciæ, finitimarúmque regionum. Multi præterea capitis damnati exulésque convenerant; fugitivíque omnibus Romanis certus erat Alexandriæ receptus certáque vitæ conditio, ut, dato nomine, militum essent numero: quorum si quis à domino

3957 comprehenderetur, concursu militum eripiebatur: qui vim suorum, quòd in simili culpa versabantur, ipsi pro suo periculo defendebant. Hi regum amicos ad mortem deposcere, hi bona locupletum diripere, stipendii augendi causâ, Regis domum obsidere, regno expellere alios, alios accersere, vetere quodam Alexandrini exercitus instituto consueverant. Erant præterea equitum millia duo, qui inveteraverant compluribus Alexandriæ bellis. (*Id. ibid.*)

His copiis fidens Achillas, paucitatémque militum Cæsaris despiciens, occupatâ Alexandriâ, primo impetu domum Cæsaris irrumpere conatus est. Sed Cæsar; dispositis per vias cohortibus, impetum ejus sustinuit. Eodémque tempore pugnatum est ad portum: ac longè maximam ea res attulit dimicationem. Simul enim, deductis copiis, pluribus viis pugnabatur: & magnâ multitudine naves longas occupare hostes conabantur. Harum erant auxilio quinquaginta missæ ad Pompeium: quæ prælio in Thessaliâ facto; domum redierant. Illæ triremes omnes & quinqueremes erant, aptæ instructæque omnibus rebus ad navigandum. Præter has, XXII erant, quæ præsidii causâ Alexandriæ esse consueverant, constratæ (vel rostratæ) omnes. Quas si hostes occupassent, classe Cæsaris ereptâ, portum ac mare totum in suâ potestate haberent; commeatúque & auxiliis Cæsarem prohiberent. Itaque tantâ est contentione actum, quantâ agi debuit; cùm ille celerem in eâ re victoriam, hi salutem suam consistere viderent. Sed rem obtinuit Cæsar: omnésque eas naves, & reliquas quæ erant in navalibus, incendit; quòd tam latè tueri tam parvâ manu non poterat. [*Id. ibid.*]

——— nec puppibus ignis
Incubuit solis; sed quæ vicina fuêre
Tecta mari longis rapuêre vaporibus ignem.
Et cladem fovêre Noti; percussáque flamma
Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quàm soles æthereo lampas decurrere funde,
Materiáque carens, atque ardens aëre solo:

ut in libro 10 *Lucanus* cecinit.

Ea flamma cùm partem urbis invasisset, quadringenta millia librorum proximis fortè ædibus condita exussit: singulare monimentum studii curæque majorum, qui tot tantáque illustrium ingeniorum opera congesserant. [*Oros. lib. 6. cap. 15.*] Elegantiæ Regum curæque egregium id opus fuisse, dixit hic *Livius*: ut est apud *Senecam*, in lib. de Tranquillitate animi, cap. 9. ubi & idem numerus 400 millium librorum Alexandriæ arsisse legitur. Millia tamen 700 *A. Gellius*, [*lib. 6. cap. 17.*] & ex *monimentorum veterum concinente* (ut ille loquitur) *fide*, *Ammianus Marcellinus* [*lib. 22.*] conflagrasse refert: & quidem cùm in fine Alexandrini belli à militibus posteà civitas diriperetur. Verùm in ipso belli hujus initio, ex navalibus depascente incendio, magnam Bibliothecam deflagravisse, [*Plutarchus in Cæsare;*] & cum navali penum quoque frumentarium Bibliothecámque incensa fuisse, in libro 42 confirmat *Dio*.

A classis incendio Cæsar confestim ad Pharum insulam (quæ angusto aggere 900 passuum longitudinis & ponte urbi conjuncta, portum efficit) hostibus in pugnâ occupatis, milites suos navibus exposuit, atque ibi præsidium collocavit. Quâ re effectum est, uti tutò frumentum auxiliáque navibus ad eum supportari possent. [*Cæsar, lib. 3.*] Unde *Lucanus*, lib. 10. de captâ ab eo Pharo agens:

Illa duci geminas bellorum præstitit usus.
Abstulit excursus & fauces aquoris hosti:
Cæsaris auxilio aditus & libera ponti
Ostia permisit.

Reliquis oppidi partibus sic est pugnatum, ut æquo prælio discederetur: hostis propter locorum angustias loco pulsus, paucíque utrimque interfecti. Cæsar loca maximè necessaria complexus, nocte præmuniit. In eo tractu opidi pars erat regiæ exiguâ, in quam ipse habitandi causâ initio erat inductus, & theatrum conjunctum domui, quod arcis tenebat locum, aditúmque habebat ad portum & ad reliqua navalia. Has munitiones insequentibus auxit diebus; ut pro muro objectas haberet, neu pugnare invitus cogeretur. [*Cæsar, lib. 3.*]

Quum Ægyptii, metuentes ne Cæsar navali certamine jam victor urbis portum occuparet, introitum ejus, parvo relicto spatio, aggere injecto obstruxissent: ipse illud quoque spatium, onerariis navibus lapidum plenis eo demersis obturavit; omnémque è portu exeundi facultatem navibus hostium intercluſit. Unde effectum est; ut minori negotio res necessarias, aquámque (nam aquationem Achillas, intercisis aquæductibus, ei ademerat) petere posset. [*Dio, lib. 42.*]

Misit Cæsar circum omnes propinquas regiones, atque inde auxilia evocavit. [*Cæsar, lib. 3.*] Rhodo atque ex Syriâ Ciliciáque omnem classem accersiit: ex Cretâ sagittarios, equites ab rege Nabatæorum Malco evocavit; tormenta undique conquiri, & frumentum mitti, auxiliáque adduci jussit. [*A. Hirtius, de bello Alexandrino.*] Domitium Calvinum per litteras de magno suo periculo edocuit; flagitavitque ab eo, ut quamprimùm sibi subsidia mitteret, propiúsque ipse Alexandriam per Syriam accederet. (*Id. ibid.*) Mithridates verò Pergamenus, magnæ nobilitatis domi scientiæque in bello & virtutis, fidei dignitatísque in amicitia Cæsaris, in Syriam Ciliciámque est missus, ad auxilia accersenda. [*Id. ibid. cum Josepho, lib. 14. cap. 14. & Dione, lib. 42.*]

Interim Ganymedes eunuchus Arsinoën negligentiùs custoditam furtim ad Ægyptios traduxit: eáque illi reginâ constituâ, jam eo majori studio bello incubuerunt, quòd ducem ex Ptolemæorum prosapiâ nacti essent. [*Dio, lib. 42.*] De quâ *Lucanus*, libro 10.

——— subrepta parasis
A famulo Ganymede dolis, pervenit ad hostes
Cæsaris Arsinoe: qua castra carentia rege
Ut proles Lagea teneat.

& ipse *Cæsar*; sub finem Commentariorum belli Civilis. *Filia minor Ptolemæi regis, vacuam possessionem regni sperans, ad Achillam se ex regiâ transjecit, undique bellum administrare cepit. Sed celeriter est inter eos de principatu controversia orta: qua res apud milites largitiones auxit. Magnis enim jacturis sibi quisque eorum animos conciliabat.*

Hæc dum apud hostes geruntur, Pothinus, nutricius pueri, & procurator regni in parte Cæsaris, cùm ad Achillam nuncios mitteret, hortaretúrque ne negotio desisteret nève animo deficeret, indicatis deprehensísque internunciis, à Cæsare est interfectus. [*Cæsar, ibid.*] qui deinceps puerum regem palàm diligenti custodiâ asservavit: eóque facto Ægyptiorum animos magis exasperavit. [*Dio, lib.* 42.]

Dum hæc in Ægypto geruntur, Domitius Calvinus adversùs Pharnacem profectus, magnis & continuis itineribus confectis, castra posuit longè à Nicopoli (urbe minoris Armeniæ à Pompeio conditâ; in quâ jam antè à se occupatâ tum degebat Pharnaces) circiter septem passuum millia. Ubi cùm à Pharnace frustrà paratæ in illum fuissent insidiæ, postero die propiùs accedens Domitius, castra opido contulit: aciémque Pharnaces instruxit more & instituto suo. Proximâ verò nocte Pharnaces, interceptis tabellariis qui de Alexandrinis rebus litteras ad Domitium ferebant, de Cæsaris periculo & avocatione Domitii edoctus, victoriæ loco ducebat, si trahere tempus posset. Domitius autem, quum Cæsaris magis periculo quàm suo commoveretur, copias extra castra eductas in prælium paravit: XXXVI^{a} legione in dextro cornu, Ponticâ in sinistro, Dejotari legionibus in mediâ acie collocatis. Cumque utrinque instructâ acie procellum esset ad dimicandum, Ponticâ legione penè totâ amissâ, magnâ parte Dejotari militum interfectâ, XXXVI^{a} legio in loca montana se recepit, non ampliùs 150 desiderans. Ceciderunt eo prælio splendidi ac illustres viri; nonnulli equites Romani. Quo tamen incommodo Domitius accepto reliquas exercitûs dissipati collegit, itineribúsque tutis per Cappadociam, appetente jam hyeme, in Asiam rediit. [*Hirtius: cum Appiano, lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 424. *& Dione, lib.* 42.]

Cæsariani atque Alexandrini certatim inter se munitionibus atque operibus contenderunt. Cæsar studebat maximè, ut quam angustissimam partem opidi palus à meridie interjecta efficiebat, hanc operibus, vineísque agendis à reliquâ parte urbis excluderet: sperans, primùm, ut, cùm esset in duas partes urbis divisa, acies uno consilio atque imperio administraretur; deinde, ut laborantibus succurri atque ex alterâ opidi parte auxilium ferri posset; in primis verò, ut aquâ pabulóque abundaret, quod utrumque palus largè præbere poterat. Alexandrini in omnes partes Ægypti legatos conquisitorésque delectus habendi causâ, miserunt, magnúmque numerum in opidum telorum atque tormentorum convexerunt; & alia, ab *Hirtio* in Commentario de bello Alexandrino commemorata, peregerunt.

Quum hostium subinde numerus augeretur, ad amicitiam eos perducendi Cæsar consilium cepit: Ptolemæúmque eo in loco unde ab illis exaudiri posset constitutum Ægyptiis dicere jussit, neque se quicquam adversi pati, neque bello opus esse: proinde pacem componerent; seque curaturum, ut conditiones convenirent. Sed illi suspicati ad hoc eum a Cæsare suborna-tum fuisse, nihil à proposito deflexerunt. [*Dio, lib.* 42.] Et maturè expellendum esse Cæsarem dicebant; qui, tempestatibus propter anni tempus jam interclusus, recipere transmarina auxilia non posset. [*Hirtius.*]

Interim, dissensione glisceute inter Achillam, qui veterano exercitui præerat, & Arsinoën regis Ptolemæi (Auletæ) minorem filiam; cùm uterque utrique insidiaretur, & summam imperii ipse obtinere vellet: præoccupavit Arsinoë per Ganymedem eunuchum nutricium suum, atque Achillam, quasi rem navalem ille prodidisset, interemit. Quo occiso, ipsa sine ullo socio & custode omne imperium obtinuit, dux verò exercitûs Ganymedes constitutus est. Is, suscepto officio, largitionem in milites auxit, & reliqua pari diligentiâ administravit. (*Hirtius, & Dio.*)

Cùm Alexandria tota ferè suffossa sit, spécúsque habeat ad Nilum pertingentes quibus aqua in privatas domos inducitur ut paulatim subsidat & potabilis fiat; Ganymedes interceptis spécubus, atque omnibus urbis partibus quæ à suis tenebantur, magnam aquæ vim è mari rotis ac machinis in eam urbis partem redundare coégit quâ Cæsariani contiebantur: ut jam ob repositarum in proximis ædificiis aquarum salsedinem ad extremum casum omnes deducti viderentur, & fugam plerique moliendam censerent. At eo consilio improbato, Cæsar puteos opere nocturno fodi jussit, magnáque dulcis aquæ copiâ inventâ, operosæ Alexandrinorum machinationes irritæ redditæ sunt. [*Hirtius.*]

Eo biduo legio XXXVII. ex deditiis Pompeianis militibus, cum frumento, armis, telis, ormentis, imposita in naves à Domitio Calvino, ad littora Africæ paulò supcà Alexandriam ielata est. altera enim legio, quæ itinere terrestri per Syriam ab eo erat missa, ad Cæsarem non venit. Naves verò illæ, Euro multos dies continenter flante, in anchoris stabant, portúmque capere prohibebantur. De quo certior factus Cæsar, navem conscendit atque omnem classem sequi jussit; nullis suis militibus impositis, ne munitiones nudaret. Cúmque ad eum locum accessisset qui appellatur Cherrhonesus, & aquandi causâ remiges in terram exposuissent; nonnulli ab hoste excepti, Cæsarem ipsum in classe venisse, nec ullos milites in navibus habere, docuerunt. Itaque instructis omnibus navibus, Cæsari redeunti cum legione Domitii occurrunt: & quamvis eo die Cæsar dimicare nollet, una tamen Rhodia navis in dextro Cæsaris

3957 cornu, longè ab reliquis collocata, à quatuor hostium navibus contractis alitique apertis invaditur: cui Cæsar auxilium ferre coactus, felicissimè rem gessit; & nisi nox prælium dirimisset, totâ classe hostium potitus fuisset. [*Id.*]

Hoc damno accepto, Ægyptii à Ganymede confirmati, tametsi amplius 120 naves longas in portu navalibúsque amiserant, omni tamen studio ad reparandam classem incubuerunt. Navibus ergo ex omnibus Nili ostiis & ex occultis regiæ navalibus contractis, paucis diebus contra omnium opinionem quadriremes 22, & quinqueremes 5, præter minores apertásque complures, confecerunt; & omnes milite instructas ad pugnam præparárunt. (*Id.*) apertóque portûs introitu, ibi navibus suis in statione locatis, multum Romanis negotii exhibuerunt. [*Dio, lib.* 42.]

Cæsar Rhodias naves novem habebat (nam, decem missis, una in cursu littore Ægyptio defecerat) Ponticas octo, Lycias quinque, ex Asiâ 12. Ex his quinqueremes quinque erant, & quadriremes decem: reliquæ infra hanc magnitudinem, & pleræque apertæ. Cum his Pharon circumvectus Cæsar, adversas naves hostibus constituit. Erant inter duas classes vada transitu angusto: latísque diu ab utrisque expectatum est, ab utris transeundi fieret initium; quòd quæ priùs transissent ab hostili multitudine priùs opprimi possent, quàm cæteræ transire & pugnam capessere valerent. Rhodiæ tamen naves primum sibi transitum depoposcerunt: & singulari arte ita multitudinem hostilem, nunquam obversis lateribus, sustinuerunt, ut cæteris & trajectum & pugnam liberam præberent. [*Hirtius.*]

Victoria penès Cæsarianos stetit: quorum naves omnes incolumes mansere. Alexandrinorum quinqueremis una capta est, & biremis cum defensoribus remigibúsque, tres depressæ; reliquæ propinquam fugam ad Pharum opidum cepere: quas cives protexerunt ex molibus atque ædificiis imminentibus, & Cæsarianos propiùs adire prohibuerunt; sed inde mox industriâ Romanorum ejecti, opidum atque insulam multis desideratis amiserunt. Cùm autem insulam gemino ponte continenti jungeretur, altero derelicto ab hoste facilè Romani potiti sunt: in altero quum aliquorum temeritate perturbata res fuisset, in fugam versi, cursu ad naves contenderunt. Eorum pars, proximas nacta naves, multitudine hominum atque onere depressa est; pars, resiliens & dubitans quid esset capiendum consilii, ab Alexandrinis interfecta est: nonnulli, expeditas ad anchoras naves consecuti, incolumes discesserunt; pauci ad proxima navigia adnatarunt. Cæsar in suum navigium se recepit: quò multitudo hominum insecuta quum irrumperet, fore quod accidit suspicatus, sese ex navigio ejecit, atque ad eas quæ longiùs constiterant naves adnatavit: indeque suis laborantibus subsidio scaphas mittens, nonnullos conservavit. Navigium verò ejus, multitudine depressum militum, unà cum hominibus interiit. (*Id.*)

Neque hîc tacendum quod, ab Hirtio præteritum, à Suetonio [*in Julio, cap.* 64.] & eum secuto Orosio, (*lib.* 6. *cap.* 15.) de Cæsare memoriæ est proditum: nando per 200. passus, evasisse eum ad proximam navem; elata lævâ, ne libelli quos tenebat madefierent. quod ipsum de libellis servatis refertur etiam à Plutarcho (*in C. Cæsare,*) & Dione. (*lib.* 42.) Appianus verò [*lib.* 2. *bell. Civil. pag.* 523.] ita rem narrat. Solus in ponte intercluso premente hoste abjecit purpuram & in mare desiliit: insectantibúsque regiis diu sub aquis natavit, per intervalla tantùm respirans prolato capite, donec ad unicum navem adnatans, porrectis manibus ignitus est & servatus. Et licet scribat *Suetonius*, paludamentum quoque Cæsarem mordicùs traxisse, ne spolio potiretur hostis: *Florus* tamen (*lib.* 4. *cap.* 2.) unà cum *Plutarcho*, relictum ab eo in fluctibus fuisse paludamentum dicit, seu fato, seu consilio; ut illud ingruentibus hostium telis saxísque peteretur. Et Ægyptios paludamento potitos, trophæo, quod de fugatis tum hostibus statuerant, illud affixisse, tanquam ipsum ducem cepissent; & ab Appiano (*lib.* 2. *bell. Civil. pag.* 484.) à Dione (*in lib.* 42.) est traditum.

Hoc prælio deliderati sunt ex numero legionariorum militum circiter 400. & paulò plures classiarii atque remiges. Alexandrini eo loco castellum magnis munitionibus multísque tormentis confirmaverunt; atque, egestis è mari lapidibus, liberè sunt usi eo postea ad mittenda navigia. [*Hirtius.*]

Mithridates interea Pergamenus ex Syriâ & Ciliciâ magnas copias celeriter, & propensissimâ civitatum voluntate & suâ diligentiâ, collegit. [*Idem.*] Primò autem solus veniens Ascalonem, deinde ad se accersivit gubernatorem Judææ Antipatrum; qui tria millia militum ei adjunxit, suóque hortatu, ut Hyrcanus Pontifex & cæteri dynastæ socia arma conferrent, effecit: quemadmodum ex Hypsicrate (Phœnicum historico) refert *Strabo*. [*apud Josephum, lib.* 14. *cap.* 15.] Egit enim cum Arabum primaribus, ut & ipsi venirent auxilio: eúsque potissimùm operâ certatim opem tulerunt Cæsari. Iamblichus dynasta & Ptolemæus ejus filius & Tholomæus Sohemi filius Libanum montem incolentes, & urbes Syriæ penè universæ. [*Joseph. ibid. cap.* 14.]

Quum Romanos detrimento nuper acceptò vehementiùs incitatos Alexandrini cernerent, & adversis rebus æquè ac secundis confirmari; legatos ad Cæsarem miserunt, ut Regem dimitteret & ad suos transire pateretur, paratâ jam multitudine belli tædio facere quod Rex imperasset: eo si authore in Cæsaris amicitiam venturi essent, facilè deditionem futuram. Cæsar, etsi tam Regis quàm Alexandrinorum dubiam habebat fidem, dimittere tamen voluit, quòd illius adventu, nec hostium vires crescerent, & bellum sibi gloriosius futurum esset: simúlque monuit, ut regno suo consuleret, & fidem populo Romano sibique præstaret. Ille, dissimulato per lachrymas gaudio, orabat ne dimitteretur: à Cæsare tamen dimissus, contra eum acriter bellum cœpit gerere. [*Hirtius: cum Dione.*]

Quum, duce assumpto, Alexandrini nihilo se firmiores factos aut languidiores Romanos animadverterent, eludentibúsque militibus Regis ætatem atque infirmitatem, magnum dolo-

3957 rem acciperent, neque se quidquam proficere viderent; rumoresque exsisterent, magna Cæsari præsidia terrestri itinere ex Syriâ Ciliciâque adduci (quod nondum Cæsari auditum erat:) commeatum, qui Romanis mari supportabatur, intercipere statuerunt. Itaque expeditis navigiis, locis idoneis ad Canopum in statione dispositis navibus, insidiabantur commeatibus. [*Hirt.*] Et quia evocati ex Syriâ milites Cæsaris jam appropinquabant; omnia littora custodierunt; multúmque iis copiis detrimenti attulerunt. Et his quidem qui in Africam inciderunt, aliquam Cæsar opem tulit: sed apud ostia Nili multos Ægyptii ignibus editis, perinde acti Romani ea loca obtinerent, deceptos comprehenderunt; ita ut reliqui eò accedere non auderent. [*Dio.*]

Hinc classem instrui Cæsar jussit; cui præfectus est Tiberius Claudius Nero. Proficiscebantur in eâ classe Rhodiæ naves, atque in his Euphranor; quem solita in pugnando felicitas hîc destituit. Cùm enim ad Canopum ventum esset, instructáque utrimque classis conflixisset, & suâ consuetudine Euphranor primus prælium commisisset, & illic triremem hostium perforasset ac demersisset; proximam longiùs insecutus, parùm celeriter insequentibus reliquis, circumventus ab Alexandrinis est: atque ita qui unus ex omnibus eo prælio bene rem gessit, solus cum suâ quadriremi victrice periit. Hostibus tamen prælio victis, ut sui tutò terræ adnavigare possent, Tiberius effecit. [*Hirtius: cum Dione.*]

Sub idem tempus Mithridates Pergamenus è Syriâ veniens, itinere pedestri, quo conjungitur Ægyptus Syriæ, Pelusium magnas copias adduxit. (*Hirt.*) Conatus verò in ostium Nili, quod ad Pelusium est, adverso fluvio contendere, quum navigiis introitum Ægyptii obstruxissent noctu, ad fossam advectus est; in eámque navibus transportatis (neque enim pertingit ad mare) in Nilum navibus successit: deinde eos qui ostia Nili custodiebant subitò mari fluvioque simul adortus, ostia ipsa liberavit: Pelusiúmque classe terrestribúsque copiis aggressus est. (*Dio.*) idque opidum, firmo præsidio occupatum ab Achillâ propter opportunitatem loci, (namque tota Ægyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, velut claustris, munita existimatur) repentè magnis circumdatum copiis, multiplici præsidio pertinaciter propugnantibus, & copiarum magnitudine, quas integras vulneratis defessísque subjiciebat, & perseverantiâ constantiáque oppugnandi, quo die est aggressus, in suam redegit potestatem; præsidiúmque ibi suum collocavit. (*Hirt.*) Ibi præcipuam operam navavit Antipater; primúsque dejectâ quádam muri parte, aditum cæteris irrumpentibus in urbem aperuit. (*Joseph. lib. 14. cap. 14.*)

Inde, re bene gestâ, Alexandriam ad Cæsarem Mithridates contendit. (*Hirt.*) & quum Dioscoridem quendam obviam sibi ire audisset, eum positis insidiis interfecit. (*Dio.*) easque regiones, per quas iter faciebat, auctoritate eâ quæ plerunque adest victori, placavit, atque in amicitiam Cæsaris redegit. (*Hirt.*)

Mithridatem & Antipatrum properantes ad Cæsarem transitu arcebant Judæi Ægyptii, qui regionem quæ Oniæ dicitur incolebant. Hos Antipater ut tribules in partes suas traduxit: maximè cùm ostendisset Hyrcani Pontificis litteras; in quibus rogabantur, ut amicos se præberent Cæsari, cúmque commeatibus juvarent & rebus exercitui necessariis. [*Joseph. lib. 14. cap. 14.*] Asinius verò (Trallianus, Belli civilis scriptor) ipsum Hyrcanum Pontificem cum Mithridate Ægyptum invasisse scripsit: ut ex Strabone *Josephus* [*ibid. cap. 15.*] retulit. Pro quo & illa Cæsaris de Hyrcano verba faciunt, Tabulæ æneæ in illius gratiam ab eo inscriptæ. [*ibid. cap. 17.*] *Ἐν τῷ ἐγγίσαι τὸ Ἀλεξανδρικὸ πολέμῳ μὴ χιλίοις πεντακοσίοις στρατιώταις ἦλθε σύμμαχος, ἃ πρὸς Μιθριδάτην ἀπεστάλης ἐκ τῆσδε, πάντας ἀνδρεία τοὺς ἐν τάξει ὑπερέβαλε. In proximo Alexandrino bello in auxilium venis cum 1500 militibus; & ad Mithridatem à me missus, virtute cessit nemini.*

Judæi, regionis Oniæ incolæ, auctoritate Antipatri atque Hyrcani Pontificis libenter paruerunt. Quod ubi audiverunt qui Memphim accolebant, & ipsi Mithridatem accersiverunt: & ille eò profectus, hos quoque adjunxit suis partibus. (*Joseph. lib. 14. cap. 14.*)

Quum loco qui à Græcæ literæ similitudine nominatur *Delta*, non ita longè ab Alexandriâ, appropinquare Mithridatem Rex Ptolemæus cognovisset, & transeundum ei Nilum flumen sciret; magnas adversùs eum copias misit, quibus aut vinci aut certè retineri posset, ne se cum Cæsare conjungeret. Quæ primæ copiæ flumen à Delta transire, & Mithridati occurrere properarunt, prælium commiserunt, festinantes præripere subsequentibus victoriæ societatem. Quorum impetum Mithridates magnâ cum prudentiâ, Romano more castris vallatis, sustinuit. Cum verò incautè atque insolenter succedere eos munitionibus videret; eruptione undique factâ, magnum numerum eorum interfecit. Quod nili locorum notitia reliqui se texissent, partimque in naves, quibus flumen transierant, recepissent; funditùs deleti essent. Qui ut paululùm ab illo timore se recreárunt, adjunctis iis qui subsequebantur, rursùs Mithridatem oppugnare cœperunt. (*Hirtius.*)

Commissâ pugnâ est circa locum qui Castra Judæorum dicitur. Curabat dextrum cornu Mithridates, sinistrum Antipater. In pugnâ Mithridatis cornu inclinatum est, videbatúrque cladem accepturum, nili maturè præter fluminis ripam accurrens cum suis Antipater, qui jam adversarios profligaverat, exemptis sociis periculo, Ægyptios jam victores coëgisset terga vertere. Qui adeò fugientibus institit, ut castra quoque hostium caperet: advocato etiam in prædæ partem Mithridate, quem insectando hostem longè à tergo reliquerat. Ex suis Mithridates 800 amisit: Antipater 50. (vel 80. ut est apud *Josephum*, *lib. 1. Belli, cap. 7.*) Mithridates verò de his Cæsarem per litteras certiorem reddidit: ingenuè fatíus Antipatrum & salutis sibi causam fuisse & victoriæ. [*Joseph. lib. 14. cap. 15.*]

b. Sub idem penè tempus & rex Ptolemæus ad opprimendum Mithridatem profectus est, & Cæsar ad recipiendum. Celeriore fluminis Nili navigatione Rex est usus, in quâ magnam & 4667 47

paratam

paratam classem habebat. Cæsar eodem itinere uti noluit; ne navibus in flumine dimicaret. [*Hirt.*] Noctu igitur navibus solutis, tanquàm ad ostium quoddam Nili properaret, accensisque per omnes naves plurimis facibus, quo magis eò contendere videretur, initio navibus est provectus, pòst luminibus extinctis retrò navigavit: circumvectúsque urbem, ad peninsulam Africæ adhærentem appulit; & expositis militibus, paludem circumivit. [*Dio.*] priúsque Regis copiis occurrit, quàm is Mithridatem aggredi posset: eúmque ad se victorem incolumi exercitu recepit. [*Hirt.*]

Consederat Rex cum copiis in loco excelsiore, naturáque munitissimo: ab eo Cæsar septem millia passuum circiter aberat, & interjectus erat fluvius, in quo trajiciendo etiam cum Alexandrinis pugnandum fuit. Eo superato, simúlque Alexandrinis transitum prohibentibus magnâ ex parte cæsis, non magno intervallo à castris Regis castra Cæsar posuit. Postero die castellum, quod Rex in proximo vico non longè à suis castris muniverat, brachiisque cum opere castrorum conjunxerat, vici obtinendi causâ, Cæsar aggressus omnibus copiis expugnavit: indéque fugientes Alexandrinos in castra milites ejus insecuti, munitionibus successerunt, acerrimèque eminùs præliari cœperunt. Sed diversis telis illi figebantur, adversi ex flumine, in quo multæ naves instructæ funditoribus & sagittariis eos impugnabant. [*Hirt.*]

Cæsar, cùm videret milites acriùs præliari non posse, nec tamen multum profici propter locorum difficultatem; animadvertit excelsissimum locum castrorum relictum esse ab Alexandrinis, quòd & per se munitus esset, & studio partim pugnandi partim spectandi decurrissent in eum locum, in quo pugnabatur. Cohortes igitur illicò circuire castra, & summum locum aggredi jussit: hísque Carsulenum præfecit, & animi magnitudine & rei militaris scientiâ virum præstantem. Quò ut ventum est, paucis defendentibus munitionem, Cæsarianis contrà militibus acerrimè pugnantibus, diverso clamore & prælio perterriti Alexandrini, trepidantes in omnes partes discurrere cœperunt. Quorum perturbatione Romanorum animi adeò sunt incitati, ut penè eodem tempore ex omnibus partibus, primi tamen editissimum locum castrorum caperent: ex quo decurrentes, magnam multitudinem hostium in castris interfecerunt. Quod periculum plerique Alexandrini fugientes, acervatim se de vallo præcipitaverunt in eam partem quæ flumini erat adjuncta: quorum primis in ipsâ fossâ munitionis magnâ vi oppressis, cæteri faciliorem fugam habuerunt. (*Idem.*)

Constat fugisse ex castris Regem ipsum, receptúmque in navem, & multitudine eorum, qui ad proximas naves adnatabant, demerso navigio periisse. [*Idem: cum Livio, lib.* 112. *Diane, lib.* 42. *& Orosio, lib.* 6. *cap.* 16.] Corpus ipsius obrutum limo ad Nili ripam devolutum, loricæ aureæ (cujusmodi usos fuisse Ptolemæos, Julius Capitolinus in *Maximino juniore* confirmat) indicio cognitum fuit. [*Florus, lib.* 4. *cap.* 2. *Eutrop. lib.* 6. *Oros. lib.* 6. *cap.* 16.] Post patris Auletæ mortem, annis 3. & mensibus 8. ille superfuit. unde regno ejus *quadriennium* à Porphyrio tribuitur. [*in Græc. Euseb. Scaligeri pag.* 226.]

In hoc bello 20 millia hominum cæsa, 22 millia cum 70 longis navibus dedita, 500 ex victoribus cecidisse referuntur. [*Oros. lib.* 6. *cap.* 16.] In eo vulnera quoque accepit Antipater: quum ejus operâ forti in rebus periculosissimis Cæsar usus fuisset. [*Joseph. lib.* 14. *cap.* 15.]

Cæsar, magnæ victoriæ fiduciâ, proximo terrestri itinere Alexandriam cum equitibus contendit; atque eam partem opidi victor introiit, quæ præsidio hostium tenebatur. Omnis verò multitudo opidanorum, armis projectis munitionibúsque suis relictis, veste eâ sumptâ quâ supplices dominantes deprecari consueverunt, sacrísque omnibus prolatis quorum religione precari offensos iratósque animos regum erant soliti, advenienti Cæsari occurrerunt, séque ei dediderunt. Cæsar in fidem receptos consolatus, per hostium munitiones in suam partem opidi magnâ gratulatione venit suorum: qui non tantùm bellum ipsum ac dimicationem, sed etiam talem adventum ejus felicem fuisse lætabantur. [*Hirtius.*]

In fastis Kalendaribus marmoreis, [*Inscript. Gruteri pag.* CXXXIII.] ad VI Kalendas Aprilis, annotatum habetur. HOC DIE CÆSAR ALEXAND. RECEPIT. Ut autem annus hoc tempore Romæ agebatur, dies ille in 14. Januarii Juliani diem incidit. Tunc igitur bellum Alexandrinum est finitum: quod à Cæsare gestum *neque loco, neque tempore æquo, sed hyeme anni*, refert *Suetonius.* [*in Julio, cap.* 35.]

Cæsar Ægypto potitus, Romanorum dominio eam non subjecit, sed Cleopatræ concessit, cujus gratiâ totum bellum gesserat. Metuens tamen ne Ægyptii mulieris imperio traditi denuò tumultuarentur, néve Romanorum in se animos cùm hujus rei tum suæ cum Cleopatrâ consuetudinis causâ commoveret; conjugem eam fratris superstitis esse jussit, regnúmque utrisque commune fecit. Id quidem in speciem agebat; re ipsâ totum Cleopatræ regnum deferebatur. Maritus enim ejus *nudus puer* ætate erat, (11 tantùm annorum: unde *& rex puerulus* eum fuisse dicit *Strab.* lib. 17. p. 796.) ipsa autem apud Cæsarem gratiâ nihil non poterat. Itaque sub prætextu conjugii, quo fratri jungebatur, regnúsque cum eo ex æquo obtinendi, ipsa sola rerum potiebatur, ac Cæsaris consuetudine utebatur. Hæc liberiùs *Dio*, [*lib.* 42.] quæ mollius, in Cæsaris gratiam, A. Hirtius ita retulit. *Cæsar, Ægypto atque Alexandriâ potitus, reges constituit, quos Ptolemæus testamento scripserat, atque obtestatus erat populum Romanum ne mutarentur. Nam, majore ex duobus pueris rege amisso, minori transdidit regnum, majorique ex duabus filia Cleopatra, quæ manserat in fide præsidiisque ejus.* & Suetonius: [*in Julio, cap.* 35.] *Regnum Ægypti victor Cleopatræ fratrique ejus minori permisit: verritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset.*

Cum Cleopatrâ Cæsar & convivia in primam lucem sæpe protraxit; & in Nilum unà cum ipsâ 400 navibus subvectus, eâdem nave thalamego penè Æthiopiâ tenùs Ægyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset. [*Suetan. ibid. cap.* 52. *cum Appiano, lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 484.]

Alexandriæ Cæsar columnam æream statuit, jura quæ Alexandrinis Judæis ipse concessit inscripta continentem. [*Joseph. lib. 14. Antiquitat. cap. 27. & lib. 2. contr. Apion. pag.* 1061.]

Pharnaces, rebus secundis elatus, quum de Cæsare ea quæ optabat, speraret, Pontum omnibus copiis occupavit: ibique & victor, & crudelissimus rex, quum sibi fortunam paternam feliciore eventu destinaret, multa opida expugnavit, bona civium Romanorum Ponticorumque diripuit, supplicia constituit in eos qui aliquam formæ atque ætatis commendationem habebant ea, quæ morte essent miseriora; Pontumque nullo defendente, paternum regnum se recepisse glorians, obtinebat. [*Hirtius.*]

Præcipuè verò crudelitatem suam in Amisum urbem Ponticam exercuit: quam, quum diu restitisset, vi expugnatam diripuit, puberibus interfectis & impuberibus ad unum exactis omnibus. [*Appian. lib. 2. Bell. civil. pag.* 484. *Dio, lib.* 42.]

c. Asander, cui tutelam Bosphori Pharnaces crediderat, bonæ gratiæ à Romanis incundæ causâ spéque regni Bosphorani ab eis accipiendi, contra dominum suum insurrexit. [*Dio, ibid.*]

Cæsar ex Ægypto ad M. Ciceronem litteras misit, ut esset idem qui fuisset, & Imperatoris (ob rem in Ciliciâ gestam) appellationem retineret: & C. Pansâ nuntium perferente, concessos fasces laureatos Cicero tenuit, quoad tenendos putavit. [*Cic. pro Ligario.*] Post reditum enim ex Ciliciæ provinciâ, Romam adhuc ille non introierat: sed lictores cum fascibus secum circumferebat, triumpho frustrà inhians. [*lib.* 15. *ad Attic. epist.* 6.] Redditæ sunt autem Cæsaris litteræ Ciceroni, pridie Idus Sextil. [*lib.* 14. *ad familiar. epist. ult.*] sive postremo die Maii Juliani.

Pharnaces, Bithyniâ occupatâ & Cappadociâ, Armeniæ minori imminebat, omnésque illius oræ reges & tetrarchas concitabat. [*Plutarch. in Cæsare.*] In Asiam quoque, spe ejusdem successûs quo pater ejus Mithridates usus fuerat, contendebat. [*Dio, lib.* 42.]

In Ægypto Cæsarem menses novem exegisse, *Appianus* indicat. (*lib. 2. Bell. civil. pag.* 484.) Ac vel diutiùs ibi Cleopatra eum detinuisset, vel Romam proficiscentem comitata fuisset; nisi Pharnaces eum & Ægypto invitum detraxisset, & in Italiam properare vetuisset. (*Dio, lib.* 42.) Cleopatra verò filium brevi post illi peperit, Cæsarionem ab Alexandrinis appellatum. (*Plutarch. in Cæsare.*) eo nomine à matre, ipso Cæsare permittente, filio imposito. (*Sueton. in Julio, cap.* 52.) Eam tamen, post Cæsaris discessum, cum hoste ipsius Cnæo Pompeio, seniore Magni filio, consuetudinem habuisse, in *Antonio* suo *Plutarchus* subindicat.

Cleopatræ sororem natu minorem Arsinoën, cujus nomine diu Ganymedes impotenter regnaverat, ex regno Cæsar deduxit; ne qua rursùs nova dissensio, priusquàm diuturnitate confirmarentur Regis imperia, per homines seditiosos nasceretur. Legione veteranâ sextâ secum deductâ, cæteras tres ibi reliquit; quo firmius esset eorum Regum imperium qui neque amorem suorum habere poterant, quòd fideliter permansserant in Cæsaris amicitiâ; neque vetustatis auctoritatem, paucis diebus reges constituti. (*Hirtius, cum Suetonio, in Julio, cap.* 76.)

Sic, rebus omnibus confectis & collocatis, itinere terrestri Cæsar in Syriam est profectus, ut ait *Hirtius*; [*cum Suetonio in Julio Cæsare, cap.* 35. *Plutarcho in Cæsare, Appiano lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 484. *& Orosio, lib.* 6. *cap.* 16.] vel classe, ut scribit *Josephus* [*lib.* 14. *cap.* 15.] & ipse *Hirtius* postea confirmat.

De Cæsaris ab Alexandria discessu rumor III. Non. Quintil. (Aprilis Juliani die 23) in Italiam pervenit. [*Cic. ad Attic. lib.* 21. *epist.* 19.] Antiochiæ Cæsarem reliquit C. Trebonius: qui Seleuciâ Piertâ profectus, 28 dierum itinere confecto, XVI. Kalend. Septembr. (Junii Juliani die 3.) in Italiâ fuit. [*Id. ibid. epist.* 23.] Unde colligitur, XV. Kalend. Sextil. sive Maii Juliani die 6. Cæsarem Antiochiæ fuisse.

Johannes Malela Antiochenus, in Chronicorum libro 9. adhuc inedito, *die duodecimo mensis Artemisii sive Maii* in urbe Antiochenâ de Julii Cæsaris imperio edictum publicè propositum fuisse innuit; & *vicesimo* ejusdem mensis die de ipsius Urbis libertate à Julio Cæsare eò missum edictum alterum, ita incipiens. Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει, ἱερᾷ καὶ ἀσύλῳ, καὶ αὐτονόμῳ, καὶ πρωτευούσῃ τῆς ἀνατολῆς, Ἰούλιος Γάϊος Καῖσαρ, &c. atque die demùm *vicesimo tertio* Antiochiam ingressum esse Dictatorem Cæsarem, quum die 20 Antiochiæ illum fuisse, illudque jam productum Edicti exordium non obscurè significet; ac die 23 ex urbe potiùs illum discessisse, quàm eò venisse, fuisset dicendum.

Antigonus Aristobuli filius ad Cæsarem veniens, questus est de patris infortunio, quòd propter ipsum veneno à Pompeianis extinctus esset, & frater suus à Scipione securi percussus: rogabátque ut sui misereretur, paterno principatu ejecti. Præterea Hyrcanum accusabat & Antipatrum, quòd per vim principatum gentis gererent, nec abstinerent ab ipsius injuriis: auxilia eos in Ægyptum Cæsari misisse criminatus, non benevolentiâ sed timore veteris discordiæ, & ut amorem Pompeii deprecarentur. Antipater verò causam suam egit, diluens objecta crimina: Antigonúmque seditionis & novarum rerum studiosum esse coarguit. Commemorabat etiam quantum proximo bello laborasset pro Cæsare: ipsum verborum suorum testem adducens, & multitudinem vulnerum quæ acceperat ostentans. Tum Cæsar oratione Antipatri motus, Hyrcanum pontificem declaravit: Antipatro verò dynastiam quamcunque ipse optaret obtulit, & procuratorem Judææ constituit. [*Joseph. lib.* 1. *Belli, cap.* 8. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 15.]

Statuit autem Cæsar, Hyrcanum & liberos ejus ethnarchiam & pontificatum Judæorum perpetuò retinere more patrio: tque in sociorum & amicorum suorum numerum recipi. & si

qua

3957 qua controversia exorta fuerit de Judaicâ disciplinâ, judicium penès ipsum esse. adhæc nec hyberna militi debere, nec pecunias ab eo exigi. dedicarique æream tabulam hæc continentem in Capitolio, & apud Tyrum, Sidonem, Ascalonem, in templis, inscriptam Romanis atque Græcis litteris: & ut decreta hæc ad omnia loca mittantur. [*Lib.* 14. *Antiqu. cap.* 17.]

Cæsar commoratus ferè in omnibus Syriæ civitatibus quæ majoris erant dignitatis, præmia benemeritis & viritim & publicè tribuit: de controversiis veteribus cognovit ac statuit. Reges, tyrannos, dynastas provinciæ, finitimósque (qui omnes ad eum concurrerant) receptos in fidem, conditionibus impositis provinciæ tuendæ ac defendendæ, dimisit & sibi & populo Romano amicissimos. [*Hirtius.*]

Tyri omnia Herculis donaria Cæsar sustulit; quòd conjugem & filium Pompeii in fugâ recepissent. [*Dio*, *lib.* 42.]

Paucis diebus in Syriæ provinciâ consumptis, Sextum Cæsarem amicum & necessarium suum legionibus Syriæque eum præfecisse, ait *Hirtius*: Sexto quæstori ac cognato suo omnia ibi eum commisisse, scribit *Dio*. [*lib.* 47.] Legionem ab eo, jam tum de bello Parthico cogitante, in Syriâ relictam, & ἀξίωμα sive præfecturæ dignitatem consanguineo suo Sexto Julio adolescentulo concessam fuisse, *Appianus* indicat. [*lib.* 3. *Bell. civil. pag.* 575. *& lib.* 4. *pag.* 623.]

Cæsar, ordinatis rebus Syriæ, eadem classe quâ venerat profectus est in Ciliciam. [*Hirtius: cum Josepho*, *lib.* 14. *cap.* 16.] Cujus provinciæ civitates omnes evocavit Tarsum: ibique, rebus omnibus provinciæ & finitimarum civitatum constituens, cupiditate proficiscendi ad bellum (Ponticum) gerendum non diutiùs moratus est. [*Hirtius.*]

Hic Tarcondimoto (cujus suprà, ex *Ciceronis* epistolâ 1. libri 15 ad familiares, facta est mentio) qui Ciliciæ partem sibi subjectam habebat, & re navali Pompeium plurimùm juverat, ignovit. [*Dio*, *lib.* 42.]

Antipater, ubi de Syriâ Cæsarem profectum est, in Judæam reversus, obeundo provinciam novarum rerum cupidos compescuit, tum minis agens tum consiliis. Fore enim, ut si Hyrcano contenti sint principe feliciter degant fruendo suis quisque possessionibus. Sin novas sibi spes polliceantur, & lucra ex rebus turbatis capient: se quidem pro præside habituros dominum, Hyrcanum verò pro rege tyrannum, tum Romanos atque Cæsarem acerbos hostes pro principibus. Hos enim nequaquam laturos mutari aliquid ex his quæ ipsi constituerint. Cùm tamen Hyrcanum stupidum ac segnem animadverteret, per se statum provinciæ componebat. Et Phasaëlum quidem è liberis suis natu maximum Hierosolymis & circumjacenti regioni Ducem constituit: Herodi secundo, admodùm adolescenti, Galilæam curandam commisit. [*Joseph. lib.* 1. *Belli*, *cap.* 8. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 16, 17.]

Herodem tum *quindecim* tantùm annorum fuisse, apud *Josephum* legimus. [*lib.* 14. *cap.* 17.] eundem quoque ex eo numerum Rufino in versione suâ, Photio in Bibliothecâ, [*cod.* 238.] Pseudogorionide Hebræo, [*lib.* 5. *cap.* 3.] & Nicephoro Callisti, [*lib.* 1. *histor. Eccles. cap.* 6.] retinentibus. Verùm primi rerum Herodis descriptores, Ptolemæus & Nicolaus Damascenus, ex quibus sua Josephus hausit, non 15 sed 25 scripsisse videntur; & nota ιε in κε, facili librariorum errore, deinde transiisse. Ab hoc enim tempore ad Herodis mortem anni numerantur 45. cum dimidio ferè. Quibus anni additi 25, annos conficerent 68 atque anni dimidium: cujus dimidium alterum si ille exegisset, ætatis annum 70 attigisset. Quum verò extremo morbo laboraret, ὄγδοον ἔτος ἐκδιωκων, *circa annum septuagesimum* fuisse illum, ipse quoque *Josephus* agnoscit. [*lib.* 17. *cap.* 8.]

Phasaëlo natus est filius Phasaëlus; cui posteà Salampsio Herodis & Mariammes filia nupsit. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 7.] siquidem septennis ille erat, quum pater Phasaëlus mortuus est. [*Id. lib.* 14. *cap.* 25.]

Pharnaces adversùs Asandrum, qui in Bosphoro ab eo defecerat, expeditionem instituit. Sed quum esse in viâ Cæsarem, atque in Armeniam properare audiret; perterritus, magísque ab impetu quàm exercitu ejus sibi timens, multos ad eum antequàm propiùs accederet legatos de pace misit, si quacunque tandem ratione præsens discrimen evitare posset. Idque inprimis obtendebat, se Pompeium nullo auxilio juvisse: sperabárque se Cæsarem, in Italiam Africámque properantem, ad pacificationem adducturum, à cujus discessu bellum renovare facilè posset. Quod ipsum Cæsar suspicatus, primos ac secundos ejus legatos comiter accepit, ut spe pacis quàm maximè incautum posset invadere. [*Dio*, *lib.* 42.]

Cæsar, magnis itineribus per Cappadociam confectis, biduum Mazace commoratus, venit Comana, vetustissimum in Cappadociâ Bellonæ templum: quod tantâ religione colebatur, ut sacerdos ejus majestate, imperio & potentiâ secundus à rege consensu gentis illius haberetur. (*de quo videndus Strabo*, *lib.* 12. *pag.* 555.) Hoc sacerdotium Cæsar homini nobilissimo Nicomedi Bithynio adjudicavit: qui, regio Cappadocum genere ortus, jure minimè dubio, vetustate tamen interrupto, illud repetebat. [*Hirtius.*] Etsi enim cæteris qui pro Pompeio contra se steterant, ditionum quas à Pompeio acceperant possessionem confirmaverit: Comanorum tamen sacerdotium in Nicomedem transtulit ab Archelao. [*Appian. in Mithridatic. pag.* 254.] quod patri ipsius Archelao, sororis Cleopatræ natu maximæ marito, à Gabinio in Ægypto occiso, Pompeius tribuerat. [*Strabo*, *lib.* 12. *pag.* 558.]

Quum propiùs Pontum finesque Gallograeciæ Cæsar accessisset, Dejotarus tetrarches Gallograeciæ, tunc quidem penè totius, quod ei neque legibus neque moribus concessum fuisse cæteri Tetrarchæ contendebant, sine dubio autem rex Armeniæ minoris ab Senatu appellatus, depositis regiis insignibus, neque tantùm privato vestitu sed etiam reorum habitu, supplex ad Cæsarem venit oratum, ut sibi ignosceret, quòd in Cn. Pompeii castris fuisset: seque ignoratione statûs Italiæ ac necessitate exercituum Pompeii, quibus vallatus erat, defendebat. Eam

3957 excusationem Cæsar rejiciebat: sed tamen se concedere id factum dicebat superioribus suis beneficiis, veteri hospitio atque amicitiæ, dignitati ætatique hominis, atque precibus eorum qui frequentes concurrissent, hospites atque amici Dejotari, ad deprecandum. De controversiis Tetrarcharum posteà se cognoturum esse dixit: & regium vestitum ei restituit. Legionem autem eam quam ex suis Dejotarus disciplinâ Romanâ constitutam habebat, equitatúmque omnem ad bellum (Ponticum) gerendum adduci jussit. [*Idem.*] Hunc tamen Dejotarum hospitem suum pecuniâ Cæsar mulctavit: & Armeniam minorem à Senatu illi datam, sed à Pharnace tunc occupatam, Ariobarzani Cappadociæ regi attribuit. [*Cicero, in orat. Philippic. 2. & de Divinat. lib. 1. & 2. Dio, lib. 41.*]

Imperatam pecuniam, iterùm & tertiò auctionibus factis Dejotarum dedisse, quâ Cæsar uteretur ad bellum; in oratione pro eo rege habitâ *Cicero* indicat, ubi etiam, ad gratiam conciliandam, ita ille ad Cæsarem hâc de re perorat. *Quid retineas per te meminisse, non quid amiserit: neque se à te multatum arbitratur; sed, cum existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quò minus à se, qui in alterâ parte fuisset, ea sumeres, non recusavit.* &c. *Omnia tu Dejotaro, Cæsar, tribuisti; cùm & ipsi filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atque conservato, nullum beneficium populi Romani, nullum judicium de se Senatus imminutum putat.*

Cùm in Pontum Cæsar venisset, copias omnes in unum locum coëgit: quæ numero, atque exercitatione bellorum mediocres erant. Exceptâ enim legione VI, quam secum adduxerat Alexandriâ veteranam, (multis laboribus periculisque functam, multisque militibus partim difficultate itinerum ac navigationum, partim crebritate bellorum, adeò diminutam, ut minùs mille hominum in eâ esset) reliquæ erant tres legiones: una Dejotari; duæ, quæ in eo prælio, quod Cn. Domitius fecit cum Pharnace, fuerant. [*Hirtius.*]

Adventante Cæsare tertius Pharnaces, legatos de pace misit à ducentesimo lapide ferentes ei coronam auream, & satis stultè regis sui filiam offerentes in matrimonium. [*Appian. Bell. civil. lib. 2. pag. 484.*] In primis autem deprecabantur, ne ejus adventus hostilis esset: facturum enim omnia Pharnacem, quæ imperata essent. maximeque commemorabant, nulla Pharnacem auxilia contra Cæsarem Pompeio dare voluisse; cùm Dejotarus, qui dedisset, tamen ei satis fecisset. Cæsar respondit, se fore æquissimum Pharnaci, si quæ polliceretur repræsentaturus esset. Monuit autem, ut solebat, mitibus verbis legatos, ne aut Dejotarum sibi objicerent, aut nimis eo gloriarentur beneficio, quòd auxilia Pompeio non misissent. [*Hirtius.*] atque hoc ipsum Pharnaci vitio vertit, quòd & improbus & impius in benefactorem suum fuisset. [*Dio, lib. 41. & 42.*] Jubebat denique, ut Ponto confestim ille decederet, familiásque publicanorum remitteret; cæteráque restitueret sociis civibúsque Romanis, quæ penès eum essent: si fecisset, tum demùm munera recepturum se dixit, quæ bene rebus gestis imperatores ab amicis accipere consuêrint. [*Hirtius.*]

Pharnaces omnia liberaliter pollicitus, cùm festinantem ad Urbem Cæsarem speraret libentiùs etiam crediturum suis promissis; lentiùs agere, decedendi diem postulare longiorem, pactiones interponere, in summâ frustrari cœpit. Cujus calliditate cognitâ, Cæsar ita negotium acceleravit, ut celeriùs omnium opinione manum consereret. [*Idem.*]

Ad castra igitur Pharnacis quum venisset, in hanc vocem erumpens, *Ergo jam non dabis pœnas patricidâ?* in equum insiliit; & ad primum clamorem editum in fugam hostem vertit, magnáque stragem edidit: adjutus circiter mille equitibus, qui primi procurrentem secuti sunt. Ita *Appianus*, in Bell. civil. lib. 2. [*pag. 485.*] Similiter & in libro Historiæ suæ 42. *Dio*: Eâdem die quâ ad hostem pervenerat, ex itinere ad dimicationem descendit; & aliquandiu ab equitatu curribúsque falcatis hostium conturbatus, tandem victoriam obtinuit. In colle Cæsarem aciem instruxisse, notat *Julius Frontinus*; [*Stratagemat. lib. 2. cap. 2.*] eámque rem ei expeditam fecisse victoriam: quòd pila ex edito in subeuntes barbaros emissa protinùs eos averterent. Cum Cæsare quoque Dejotarum in acie contra Pharnacem fuisse, corpúsque suum periculo objecisse; in oratione pro eo rege habitâ confirmat *Cicero*.

Commissa pugna circa Scotium montem est, nota multò longiùs tribus passuum millibus ab urbe Zelâ dissitum; juxta quem Pharnacis pater Mithridates Triarium exercitúmque Romanum magnâ clade affecerat. [*Hirtius: cum Plutarcho in Cæsare, Appiano in Mithridatic. pag. 254. & Dione, lib. 42.*] Eum montem Pharnaces, (ut accuratiorem totius hujus pugnæ historiam ex *Hirtio* repræsentemus) veteribus paternorum castrorum refectis operibus, copiis omnibus suis occupavit. Cæsar, qui ab hoste millia passuum quinque castra posuerat, valles regis castris proximas, occupaturus, proximâ nocte, vigiliâ quartâ, legionibus omnibus expeditis impedimentísque in castris relictis, eum ipsum locum cepit in quo Mithridates prælium adversùs Triarium fecerat.

Pharnaces, quum id repentè primâ luce animadvertisset, copias suas omnes pro castris instruxit: & sive loci felicitate impulsus, sive auspiciis & religionibus inductus, (*quibus obtemperasse eum postea audiebamus*; inquit Hirtius) sive contemptu paucitatis Romanarum copiarum, quarum magnam partem jam sub Domitio fuderat, ultrò Romanos castra sua munientes iniquo loco invasit. Quod illis, subitò ab operibus vocatis & nondum ordinibus instructis, magnum terrorem attulit. Falcatæ regiæ quadrigæ, permistos milites perturbabant: quæ tamen celeriter multitudine telorum sunt oppressæ. Insecuta has est acies hostium: acríque cominùs prælio facto, dextro cornu, quo veterana legio VI. erat collocata, initium victoriæ natum est ab eâ parte; sinistro deinde cornu mediáque acie totæ profligatæ sunt copiæ regis. Itaque multis militibus partim interfectis partim suorum ruinâ oppressis, qui velocitate effugere poterant, armis tamen projectis, vallem transgressi, nihil ex loco superiore inermes proficere poterant. Romani verò victoriâ elati, subire iniquum locum munitionésque aggredi non

dubi

dubitârunt: &, defendentibus castra iis cohortibus quas Pharnaces præsidio reliquerat, celeriter castris hostium sunt potiti. [*Id.*]

Ita Pharnacem Cæsar uno &, ut sic dixerim, non toto prælio obtrivit, more fulminis, quod uno eodémque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris, antè victum hostem esse quàm visum. [*Florus, lib.* 4. *cap.* 2.] Jactabátque ille, eâdem die & pervenisse se ad hostem, & vidisse eum, & vicisse. [*Dio, lib.* 42.] quod in litteris ad amicum quendam Amintium sive Anitium Romam missis ab eo tribus illis verbis est expressum: VENI, VIDI, VICI. [*Plutarch. in Cæsare. Appian. lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 485.] Intra quintum enim quàm adfuerat diem, quatuor quibus in conspectum venit horis, unâ Pharnacem profligavit acie. [*Sueton. in Julio, cap.* 35.] crebrò commemorans Pompeii felicitatem, cui præcipua militiæ laus in bello Mithridatico de tam imbelli genere hostium contigisset. [*Id. ibid. cum Appiano, lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 485.]

Pharnaces, interfecta multitudine omni aut captâ suorum, cum paucis equitibus profugit. Cui nisi castrorum oppugnatio facultatem attulisset liberiùs profugiendi, vivus in Cæsaris potestatem adductus esset. [*Hirtius.*] Sinopen verò ille cum mille equitibus refugit. [*Appian. Mithridatic. pag.* 254.]

Cæsar, incredibili est lætitiâ affectus, quòd maximum bellum tantâ celeritate confecerat: erátque subiti periculi recordatio lætior, quòd victoria facilis ex difficillimis rebus acciderat, [*Hirt.*] Prædam omnem regiam & manubias, quamvis plurimæ erant, militibus donavit. [*Id. & Dio.*] Cúmque trophæum eo in loco Mithridates de Triario statuisset; quia id consecratum diis belli evertere fas non erat, ipse de Pharnace suum opposuit, atque ita Mithridaticum obscuravit quodámque modo dejecit. Postea receptis omnibus quæ vel Romanis vel eorum sociis Pharnaces ademerat, singula iis qui amiserant restituit: parte quádam Armeniæ, quam Ariobarzani dono dedit, exceptâ. Amisenorum calamitatem libertate eis datâ compensavit. [*Dio.*] Legionem VI. deceděre ad præmia atque honores accipiendos in Italiam jussit; auxilia Dejotari domum remisit: duas reliquas legiones cum Cœlio Viniciano in Ponto reliquit. Ita per Gallogræciam Bithyniámque in Asiam iter fecit: omniúmque earum provinciarum de controversiis cognovit & statuit; jura in tetrarchas, reges, civitates distribuit. [*Hirtius.*]

In Asiâ pecuniam obiter colligebat, magnâ publicanorum per singulos populos acerbè exigentium invidiâ. [*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 485.] (cujus tum Proconsul fuit, Cæsaris & Ciceronis in augurátu collega, P. Servilius Isauricus: ut ex *lib.* 13. *ad familiar. epist.* 68. intelligitur.)

Brithagoras, vir inter Heracleenses Ponti summæ authoritatis, qui civium suorum causâ Cæsarem per orbem hucusque secutus fuerat, illo Romam jam redire instituente, senectâ & laborum assiduitate exhaustus, vivere desiit; grandem patriæ luctum relinquens. [*Memnon, in Excerptis Photii, cap.* 62.]

Mithridatem Pergamenum (à quo res feliciter celeritérque gesta in Ægypto fuit) regio genere ortum, disciplinis etiam regiis educatum, (nam eum Mithridates, rex Asiæ totius, propter nobilitatem Pergamo parvulum secum asportaverat in castra, multósque tenuerat annos) regem Bosphori Cæsar constituit, quod sub imperio Pharnacis fuerat: provinciásque populi Romani à Barbaris, atque inimicis regibus, interposito amicissimo rege, munivit. [*Hirtius.*] De quo videndus *Strabo*, lib. 13. pag. 625. (cum notis Casauboni:) & *Appianus* in Mithridaticis, pag. 254.

Eidem bellum contra Asandrum mandavit: ut Bosphoro potitus, ejus in amicum ulcisceretur perfidiam. [*Dio, lib.* 42.] Eidem quoque Trocmorum in Gallogræciâ (Ponto & Cappadociæ confinia possidentium) tetrarchiam, ut materni generis jure ipsi debitam, adjudicavit; occupatam & possessam paucis antè annis à Dejotaro. [*Cicero, in orat. Philippic.* 2. *& lib.* 2. *de Divinat. Hirtius, de bello Alexandr. Strabo, lib.* 12. *pag.* 567. *& lib.* 13. *pag.* 625. *Dio, lib.* 42.]

In Græciam Italiámque deinde Cæsar navigavit: magnâ vi pecuniæ undique quibuscunque titulis confectâ, veluti antè ab ipso quoque factum fuerat. Partim enim eam pecuniam, quæ Pompeio priùs promissa fuerat, exegit; partim, aliis obtentis causis, alias imperabat. Multas quoque à principibus regibúsque aureas coronas accepit, partarum victoriarum ergô. Duásque res esse prædicabat, quibus & pararentur & conservarentur & augerentur imperia; milites & pecuniam: earúmque alteram per alteram consistere; & alterutrâ deficiente, alteram simul concidere. [*Dio, lib.* 42.]

Ille ad Kalendas Septembr. (quæ inciderunt in Junii Juliani diem 17) *Athenis non videtur fore. Multa enim eum in Asiâ dicuntur morari; maximè Pharnaces:* inquit *Cicero* ad Atticum. [*lib.* 11. *epist.* 24.] Verùm Pharnace *fine ullâ belli morâ* victo, (ut in libri *Liviani* 113. epitome legitur) cæterísque rebus celerrimè confectis, *in Italiam celeriùs omnium opinione venit*; ut in fine libri de bello Alexandrino notavit *Hirtius.*

Romam verò Cæsar venit, circumagente se anno quo Dictator iterùm designatus fuerat, (qui magistratus nunquam antè fuerat annuus) & in proximum annum Consul declaratus est. [*Plutarch. in Cæsare.*]

Pharnaces Domitio (Calvino,) qui ad ipsum persequendum à Cæsare relictus fuit, Sinopen tradidit: & pace acceptâ dimissus cum mille suis equitibus, equos interfecit; iniquissimè id ferentibus eorum dominis. Inde conscensis navibus, *in Pontum* cum fugisse, apud *Appianum* in Mithridaticis [*pag.* 254.] legimus, quum, *ex Ponto*, fuisset dicendum. Nam & in Ponto ipsa Sinope fuit: & in Bosphoranum regnum à Pompeio sibi traditum refugisse Pharnacem, in libro 2. Bell. civil. [*pag.* 485.] idem ipse *Appianus* confirmat.

Herodes Galilææ præfectus, Ezechiam Judæum, qui cum magno latronum agmine Syriæ fines incursare solebat, comprehensum cum multis latrocinii sociis interfecit. Quod ejus factum magnam ei apud Syros & per eos apud Sextum Cæsarem, qui tunc Syriam provinciam administrabat, conciliavit gratiam. (*Josepho. lib.* 1. *Belli, cap.* 8. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 17.)

Phasaëlus, excitatus ad æmulationem fraternæ gloriæ, Hierosolymitanorum gratiam sibi conciliavit: omnia negotia publica per se obeundo, nec abutendo potestate ad cujusquam injuriam. Quo factum est, ut pater ejus Antipater haud secùs quàm si rex esset, à totâ gente coleretur: nec propterea tamen minùs fidelis aut benevolus Hyrcano ipse fuit. (*Id. ibid.*)

3958 Cæsar, contra P. Cornelium Scipionem Pompeii Magni socerum, M. Catonem & Mauritaniæ regem Jubam expeditione susceptâ, XIV. Kalend. Januar. in Lilybæum pervenit: indèque, VI. Kalend. Januar. navem conscendens, post diem quartam in conspectum Africæ venit. (*Hirtius, in lib. de bello Africano.*) XIV. verò Kalend. Januar. dies, in Septembris Juliani proleptici diem 50 & ultimum eo tempore incidebat: ut sequentis longi anni dierum 445 retrograda à primi anni Juliani Kalendis Januariis facta patefaciet numeratio. Quod minùs animadvertentes *Plutarchus* & *Dio*; ille quidem [*in Cæsare*,] *ὡς ὁρῶντας χειμερινὰς circa Solstitium brumale*, in Siciliam; hic (*libro* 45.) *χειμῶνας μεσοῦντας mediâ hyeme* in Africam, Cæsarem trajecisse retulit. Ante *brumam* verò in Africam illum transmisisse, etiam *Ciceronis* illa in libro 2°, de Divinatione satis indicant. *Cæsar, cùm à summo aruspice moneretur ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? quod ni fecisset, unum in locum omnes adversariorum copiæ convenissent.*

Kalendis Januariis (in Octobris Juliani diem 13 incurrentibus) Cæsar castra ad opidum Ruspinam habuit: & pridie Nonas Januarii (Octobris 16) post diem tertium quàm Africam attigit, ab horâ diei quintâ usque ad Solis occasum acerrimo prælio habito, Labienum & Petreium vicit: atque VI. Kalend. Februar. (Novembris Juliani 6°.) hostilem exercitum Labieni & Scipionis denuò repulit. [*Hirtius.*]

Pharnacem, in Bosphorum vi intrare tentantem, ab Asandro in carcerem conjectum atque interemptum fuisse, in libro 42° *Dio* significat: quod ab *Appiano* in Mithridaticis [*pag.* 254.] ita latiùs habetur explicatum. Pharnaces, collectâ Scytharum ac Sarmatarum manu, Theudosiam Panticapæumque occupavit. Et quum ab Asandro bello peteretur, equites ejus, equis destituti nec assueti pedestri prælio, vincebantur: solus Pharnaces egregiè pugnans, tandem consauciatus cecidit quinquagenarius, postquàm regnavit in Bosphoro annis 15 ut habet *Appianus*, vel 17 potiùs: quot à cæde patris ejus Mithridatis hucusque numerantur.

Cæcilius Bassus, ordinis equestris, qui à pugnâ Pharsalicâ post devictum Pompeium fugiens Tyri latitaverat, sui similibus nonnullis ad se receptis, sibique modò his modò illis militibus Sexti Syriæ præsidis diversis temporibus ad custodiam urbis venientibus conciliatis; quum multæ res adversæ Cæsaris in Africâ nuntiarentur: non contentus jam præsenti sorte, ad novas res consurrexit. Deprehensus verò in hoc à Sexto antequàm sese paravisset, auxilium se Mithridati Pergameno ad occupandum Bosphorum parare dixit: habitâque sibi fide, dimissus est. (*Dio, lib.* 47.)

Optimates Judæorum videntes Antipatrum cum filiis tantopere crescere, tam favore gentis quàm Hyrcani pecuniis & percipiendis ex Judæâ reditibus, malignè erga eum affecti sunt. Jam enim amicitiam contraxerat cum Romanis imperatoribus, & persuaso Hyrcano ut pecuniam eis mitteret, ipse hujus muneris sibi usurpavit gratiam: tanquam de proprio mittens, & non quasi ab Hyrcano acceptam. Quæ Hyrcanus audiens adeò nihil curabat, ut gaudere etiam facto videretur. Sed maximè terrebat Judæorum primates violentum ac audax Herodis ingenium & tyrannidis cupidum. Adeuntes igitur Hyrcanum, apertè jam incusabant Antipatrum: de filio ejus Herode maximè conquesti, quòd Ezechiam cum plerisque aliis, nullâ ab Hyrcano potestate acceptâ, interfecisset; legibus contemptis, quæ hominem quantumvis scelestum non nisi affici supplicio, nisi priùs damnatum ex sententiâ judicum. Matres quoque eorum quos ille necaverat, per singulos dies in templo non desinebant precibus suis tum regem tum populum obtundere; rogantes ut Herodes coram Synedrio facti sui rationem redderet cogeretur. Permotus igitur his Hyrcanus, Herodem ad judicium & dicendam causam evocavit. (*Josephus. lib.* 14. *cap.* 17.)

Herodes, ordinatis Galilææ rebus quemadmodùm existimabat sibi conducere, à patre præmonitus ne privati more ad judicium veniret, mediocre sed tamen sufficiens sibi præsidium adjunxit in itinere: ne vel Hyrcanum terreret si plures adduceret, vel ipse sine turelâ subiret judicii periculum. Quin & Sextus Cæsar præses Syriæ scripsit ad Hyrcanum ut eum absolveret; minis si contra fecisset additis. Cùm constitisset igitur Herodes coram Synedrio purpuratus cum armatis stipatoribus, omnes sunt attoniti: nec quisquam eorum qui absentem accusaverant ausus est hiscere; sed hærebant inopes consilii. Tum unus è consessu Sameas, vir justus & ob hoc invictus terroribus, (quem fervidioris tamen fuisse ingenii, vetus illud Hebræorum dictum ostendit: *Esto humilis ut Hillel, & non* רגז *iracundus ut Samai:*) assurgens, non solùm Herodem audaciæ ac violentiæ accusavit, sed ejus culpam in judices & regem ipsum, qui hanc ei concesserunt licentiam, derivavit: quos ipsos etiam posteà, justo Dei judicio, pœnas Herodi esse daturos prænuntiavit. Quod rei eventus, & confessus illius judicibus & Hyrcano ab Herode rege facto interemptis, verum fuisse comprobavit. Hyrcanus verò animadvertens judices propensiores ad damnandum Herodem, rem in sequentem diem distulit: & clàm eum admonuit, ut fugâ sibi consuleret. Atque ita ille secessit Damascum, quasi regem fugiens: cúmque convenisset Sextum Cæsarem, & res suas in tuto collocasset, palàm præ se tulit quòd non esset compariturus si denuò citaretur ad judices. Illi verò indignabantur, & Hyrcanum conabantur docere, quòd in ipsius perniciem hæc omnia tenderent. (*Id. ibid.*)

In

4668 46

In Africâ Cæſar, XII. Kalend. Apriles (Januarii Juliani die 21) luſtrato exercitu, poſtero die productis univerſis copiis in acie conſtitit: ſed poſtquàm ſatis diúque adverſarios à ſe ad dimicandum invitatos ſuperſedere pugnæ animadverteret, reduxit copias. (*Hirtius, de bello Africano.*)

Cæcilius Baſſus ex litteris, quas à Scipione ſibi miſſas fingebat, retulit: Cæſarem in Africâ victum interiiſſe, ſibíque imperium Syriæ mandatum. Itaque cum iis quos ad hoc inſtruxerat militibus Tyrum occupavit: hinc que ad Sexti copias procedens, ab obvio ſibi facto eo victus, vulnus accepit; indéque vi quidem adversùs eum quicquam agere in poſterum non conatus eſt. (*Dio, lib.* 47.)

Cæſar, pridie Nonas Apriles (Februarii Juliani die 4) tertiâ vigiliâ ab opido Agar egreſſus, XVI. millia paſſuum eâ nocte progreſſus, Thapſum eâ die circummunire cœpit. Ubi & Jubam & Scipionem memorabili pugnâ ſuperavit: poſt quam M. Cato Uticæ ſibi ipſi manus intulit. (*Hirtius, de bello Africano.*)

Sextus Cæſar, acceptâ pecuniâ, Herodem Cœleſyriæ præfecit. Herodes, impatienter ferens quòd vocatus fuiſſet in judicium, exercitum contra Hyrcanum duxit: ſed patris Antipatri & fratris Phaſaëli occurſu & precibus cohibitus eſt quò minùs invaderet Hieroſolyma; placantium eum & rogantium, ut terruiſſe contentus reipsâ læderet neminem, néve ulteriùs adversùs authorem ſuæ dignitatis procederet. Quorum monitis ille paruit; rarus ſufficere ſibi ad futuras ſpes, quòd potentiam genti declaraviſſet. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 17.]

In Africâ Cæſar per quietem magnum exercitum vidiſſe dicitur, appellantem ſe flentémque: & permotum eo ſomnio, in memoriales tabellas retuliſſe confeſtim de condendâ Carthagine Corinthóque. [*Appian. in Libycis, pag.* 85.]

Julium Cæſarem Hyrcanus per legatos rogavit, ut confirmaret cœptam ſocietatem & amicitiam. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 17.]

Cæcilius Baſſus miſſis ſuis ad Sexti Cæſaris milites, qui certas ſpes ipſis proponerent, adeò eos ſibi adſociavit, ut Sexto occiſo legio ejus ad ipſum tranſierit. [*Id. ibid. Liv. lib.* 114. *Libo: apud Appian. lib.* 3. *Bell. civil. pag.* 576. *Dio, lib.* 47.] quanquàm ab aliis hunc in modum ea referatur hiſtoria. Sextus adoleſcens voluptatibus vacans, legionem quam Julius Cæſar in Syriâ reliquerat indecenter ſecum circumducebat. Id reprehendentem Baſſum, qui legionis illius curam habebat, aliquando rejecit cum contumeliâ: & aliquanto pòſt quum vocanti obediret tardiùs, juſſit eum attrahi. In eo tumultu quum ad manus ventum eſſet, exercitus non ferens inſolentiam jaculis Sextum confixit. Cúmque mox pœnitentia ſequeretur & metus à Cæſare, conjurârunt, ni venia fidéſque ſibi daretur, uſque ad mortem ſe decertaturos: coacto etiam Baſſo, ut fieret ejus conjurationis ſocius. Deinde ex novo delectu aliud agmen confecerunt, & aſſuefecerunt eiſdem quibus ipſi utebantur exercitiis. [*Appian. Bell. civil. lib.* 3. *pag.* 575; 576. *& lib.* 4. *pag.* 625.]

Baſſus omnem exercitum, præter paucos qui Apameæ hyemaverant, quos inde ante ſuum adventum egreſſos in Ciliciam uſque inſecutus fruſtra fuit, ad ſe pertraxit: reverſúſque in Syriam, prætor nominatus eſt, Apamcámque munivit, ut eam domicilium quaſi belli haberet: omnes qui validâ eſſent ætate, non liberos tantùm ſed ſervos etiam, ad militiam delegit; pecuniam confecit, arma fabricavit. [*Dio, lib.* 47.]

Cæſar, Africano bello confecto, Idibus Jun. (Aprilis Juliani die 14.) Uticæ claſſem conſcendit, & poſt diem tertium Carales in Sardiniam pervenit: unde III. Kalend. Quintil. (Juliani Aprilis die 29) navibus ſecundùm terram provectus, duodevicesimo die, (Maii Juliani die 26) eo quòd tempeſtatibus cohibebatur, ad urbem Romam venit. [*Hirtius, in fine lib. de bello Africano.*]

Quatuor Romæ triumphos egit Cæſar eodem menſe, ſed interjectis diebus: diverſo quemque apparatu & inſtrumento. [*Sueton. in Julio, cap.* 37.] Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore conſtitit. [*Vellei. Paterçul. lib.* 2. *cap.* 56.] Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, VENI. VIDI. VICI. non acta belli ſignificantem, ſicut cæteri, ſed celeriter confecti notam. [*Sueton. ut ſupr.*] In eo fuga Pharnacis riſum populo movit. Alexandrinus de Ægyptiis triumphus medius inſertus eſt, Gallicum inter & Ponticum: in eóque Achillæ Phthiníque caſus plausibilis fuit. [*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 491.] Sed Arſinoës Ægyptiæ, & mulieris & pro reginâ tunc habitæ, quæ inter vinctos [quod nunquam Romæ contigit] ducebatur, conſpectus plurimum commiſerationis populo injecit. Quæ poſt triumphum tamen, in germanorum gratiam, dimiſſa eſt. [*Dio, lib.* 43.]

Germani verò ejus, ſoror natu major Cleopatra & frater minor Ptolemæus, Cleopatræ maritus, à Cæſare acciti hoc anno Romam venerunt; atque ab eo inter amicos ſocióſque Romanorum ſunt adſcripti. In ſuis quoque ipſius ædibus Cæſar domicilium Cleopatræ aſſignavit; eámque non niſi maximis honoribus præmiisque auctam remiſit: quòd malè inde audiret, nihil omninò penſitans. [*Id. ibid. Sueton. in Julio, cap.* 52.] Quin & in æde Veneris Genitricis, ex voto inſtante pugnâ Pharſalicâ concepto extructâ [quam hoc anno dedicaram ab eo fuiſſe, confirmat etiam *Dio.*] ad Veneris latus effigiem Cleopatræ auream Cæſar ſtatuit. [*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 492. * *cum Dione lib.* 51. *pag.* 459. *fin.*]

In Syriâ C. Antiſtius [Vetus] atque alii Cæſariani duces, cum equeſtribus ac pedeſtribus copiis contra Cæcilium Baſſum venientes, Apameæ eum obſidione circumcluſerunt. Hiſce finitimi quoque, qui Cæſaris rebus ſtudebant, ſeſe adjunxerunt: inter quos & Antipater, tam interempti quàm ſuperſtitis Cæſaris causâ, quòd ambobus eſſet amicus, per filios ſuos ſubminiſtravit auxilia. Quum autem aliquandiu æquis viribus eſſet certatum, neutráque pars prævalere alteri poſſet, induciis pacto nullo firmatis, ad auxilia paranda alia bellum ſuſpenderunt. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 8. *fin. & lib.* 14. *Antiquit. cap.* 17. *fin. cum Dione, lib.* 47.]

Mithridates Pergamenus Leucotheæ templum (in Moſchicâ regione circa Phaſim fluvium) à Pharnace priùs compilatum denuò ſpoliavit. (*Strabo, lib.* 11. *pag.* 498.] Sed ut Pharnacem ita & hunc Boſphorum occupare tentantem, Aſander (apud *Strabonem* Caſander & Lyſander perperàm dictus) evertit; atque utroque ſublato, regno Boſphori ipſe quietè potitus eſt. (*Id. ibid. pag.* 495. *& lib.* 13. *pag.* 625.]

C. Julius Cæſar Pontifex Maximus, ſuo III. & M. Æmilii Lepidi Conſulatu, Romani anni emendationem inſtituit: Soſigenis in aſtronomicis, Flavii ſcribæ in faſtis ordinandis, uſus operâ. Cúmque jam menſe Februario dies 23. fuiſſent intercalati: ipſe præterea inter Novembrem & Decembrem duos alios menſes intercalares dierum 67. interpoſuit: ita ut præſens annus menſes 15. dies verò 445. haberit. [*Cenſorinus de die natali, cap.* 8. *cum Suetonio, in Julio, cap.* 40. *Plinio, lib.* 18. *cap.* 25. *Dione, lib.* 43. *Macrobio, lib.* 1. *Saturnal. cap.* 14.]

3959 Pridie Kalendas Intercalares priores, (Septembris Juliani die 26) Cicero ad Cæſarem pro Q. Ligario orationem habuit. (*lib.* 6. *ad familiar. epiſt.* 14.)

A Kalendis Januariis, quibus Conſulatum IV. Cæſar iniit, primus ordinationis Julianæ annus numeratus eſt. Inde enim anni à ſe conſtituti ille fecit principium. (*Cenſorin. ut ſupr.*] 4669 45

In Hiſpaniâ Cæſar cum Pompeii liberis bellum gerens, XI. Kalend. Martias Ateguâ opido potitus eſt, & Imperator appellatus. Quum Liberalia (*Plutarcho*, in *Cæſare*, Διονύσια dicta) Romæ agerentur, (XVI. Kalend. April. ut ex vetere Kalendario liquet) memorabilem illam ad Mundam urbem victoriam obtinuit. In quo prælio ceciderunt ex Pompeianis millia hominum circiter 30. cum duobus ducibus Labieno & Atio Varo, atque ordinis equeſtris millibus ferè tribus: ex Cæſarianis deſiderati ad hominum mille, ſaucii ad 500. Interfecto deinde Cn. Pompeio adoleſcente, qui faſces & imperium ſibi arripuerat, pridie Idus Aprilis Cæſari, dum gradiebatur Hiſpalim, caput ejus allatum, & populo datum eſt in conſpectum. [*Author Commentarii de bello Hiſpanienſi.*]

Pridie Palilium (XII. Kalend. Maias) ſub veſperam, de hâc victoriâ nuntius allatus Romam fuit. (*Dio, lib.* 43.) & pridie Kalendas Maias, Hiſpali Cæſar ad M. Ciceronem litteras dedit conſolatorias, (*Cicer. ad Attic. lib.* 13. *epiſt.* 20.) ob mortem Tulliæ filiæ; quæ poſt repudiatam matrem Terentiam, apud P. Lentulum ex partu deceſſit, (*Aſcon. Pedian. in orat. Piſonian. Plutarch. in Cicerone.*) quum ejus maritus P. Cornelius Dolabella in Hiſpaniâ apud Cæſarem fuerit: ut ex Philippicâ 2ª. & epiſtolarum ad Atticum libro 13. percipitur.

Habuit quoque Cæſar in hoc bello comitem Caium Octavium, nepotem ſororis ſuæ Juliæ, 18 annos natum; nunquam aut alio uſum hoſpitio, quàm ſuo, aut alio vectum vehiculo: Pontificatúſque ſacerdotio puerum honoravit. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 59.]

Dejotarus rex turbatus, legatum ex Galatiâ Bleſamium in Hiſpaniam ad Cæſarem miſit: qui litteris ad eum Tarracone datis, bene ſperare & bono regem eſſe animo juſſit. [*Cicero, pro Dejotaro.*]

Dum bellum in Syriâ cum Cæcilio Baſſo trahitur, L. Statius (apud Velleium *Staius*, & Appianum *Sextius*) Murcus [apud Joſephum *Marcus* perperàm dictus] vir prætorius, à Julio Cæſare Sexti ſucceſſor miſſus, cum tribus agminibus ex Italiâ venit: atque à Baſſo fortiter eſt repulſus. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 69. *Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 8. *fin. & lib.* 14. *Antiquitat. cap.* 17. *fin. Appian. Bell. civil. lib.* 3. *pag.* 576. *& lib.* 4. *pag.* 623.] Nam & Baſſi exercitum regio alebat, & ſocios ille permultos habebat Arabum phylarchos, qui loca munita in proximo tenebant. Inter ea loca erat Lyſias ultra lacum ſita qui juxta Apamiam eſt, & Arethuſa, Sampſiceramı & filii ejus Iamblichi [cujus in epiſt. 1. libri 15. ad familiar. *Cicero* meminit] regio; qui phylarchi genti Emeſſenæ imperabant. Propè etiam erat Heliopolis & Chalcis, ſub Ptolemæo poſitæ Mennæi filio, qui Marſyam & Ituræorum montana obtinebat. (*Strabo, lib.* 16. *pag.* 753.)

Alchaudonius Arabs [Alchædamus *Straboni* dictus] Rhambæorum Nomadum intra Euphratem habitantium rex, qui antè cum Lucullo pactum inierat, deinde verò Parthis contra Craſſum ſuppetias tulerat, à Baſſo ſimul & adverſariis ejus advocatus, in Meſopotamiam egreſſus eſt. Cùm autem in medium inter Apamiam & Cæſarianorum caſtra locum advenisſet, priuſquàm alterutri parti quicquam reſponderet, auxilium ſuum vænale propoſuit. Baſſo verò plura danti ſe conjunxit; ac in pugnâ ſagittis longè ſuperior hoſtibus fuit. [*Id. ibid. cum Dione, lib.* 47.]

Idibus Septembribus Cæſar in Lanuvino ſuo noviſſimum teſtamentum fecit: demandavítque virgini Veſtali maximæ. In eo tres inſtituit hæredes ſororum nepotes, C. Octavium ex dodrante [non ex parte tantùm dimidiâ; ut apud *Livium* eſt, libro 116.] L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante reliquo. C. Octavium etiam in familiam nominque adoptavit: pluréſque percuſſorum in tutoribus filii, ſi quis ſibi naſceretur, nominavit. In ſecundis etiam hæredibus Decimum Brutum conſtituit, [*Sueton. in Julio, cap.* 83.] & M. Antonium. [*Dio, lib.* 44. *cum Floro, lib.* 4. *cap.* 4.] ſi priores deſignati hæreditatem non adirent. [*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 518.]

3960 Menſe Octobri Cæſar Romam omnium victor ingreſſus, omnibus qui contra ſe arma tulerant ignovit. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 56.] Poſt actum verò initio hujus menſis Hiſpanienſem triumphum, Conſulatu ſe abdicavit: & novo honorarios Conſules ſufficiendi inſtituto introducto, trimeſtres fecit Conſules, Q. Fabium Maximum & C. Trebonium. [*Dio, lib.* 43. *cum Gruteri Inſcript. pag.* CCXCVIII. *init.*] quorum prior Conſul ex Hiſpaniâ III. Idus Octobr. triumphavit. [*Ibid. pag.* CCXCVII.] Unde, cùm in triumpho Cæſaris eborea opida Chryſippus vidiſſet tranſlata, & poſt dies paucos Fabii Maximi lignea; thecas ea opidorum Cæſaris fuiſſe dixit. (*Quintilian. lib.* 6. *cap.* 4.)

Multi

Multi & maximi honores Cæſari à Senatu ſunt decreti: & inter eos, ut Dictator in perpetuum eſſet; (*Liv. lib.* 116.) & inſuper prænomen Imperatoris haberet. (*Sueton. in Julio, cap.* 76.) non eo ſenſu, quo & antè & poſteà etiam ob rem in militiâ bene geſtam ducibus eſt tributum, ſed quo potentia & authoritas in Republicâ ſumma ſignificaretur. (*Dio, lib.* 43.) Nam & conceſſum illi eſt, ut ſolus milites & militiæ imperium haberet, ſolus publicas pecunias curaret; ac ne cui alterutro horum ipſius injuſſu uti liceret: atque ut magiſtratus omnes etiam plebeii ejus poteſtati ſubjicerentur, juraréntque ſe nullis ejus decretis refragaturos. (*Id. ibid. & Appian. lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 494.) Indéque à poſtremo hoc ejus in Urbem reditu, *quinque menſes principalis quietis* illius, deducit Velleius Paterculus. (*lib.* 2. *cap.* 56.)

Getas, ſive Dacos, qui ſe in Pontum & Thraciam effuderant, Cæſar coërcere meditabatur. (*Sueton. in Julio, cap.* 44. *Appian. lib.* 2. *pag.* 497.) Ad quam expeditionem ille ſe parans, Octavium, Atiæ, filiæ ſororis ſuæ Juliæ, filium Apolloniam, quæ Iondo mari imminet, ut literas ſimul & rem militarem diſceret, præmiſit; mox belli Getici, ac deinde Parthici, habiturus commilitonem. (*Velleii. Paterc. lib.* 2. *cap.* 59. *Sueton. in Octavio, cap.* 8. *Plutarch. in M. Bruto. Appian. lib.* 3. *pag.* 531. *Dio, lib.* 45.) ubi magiſtro dicendi uſus eſt Apollodoro Pergameno; quem jam grandem natu eò ſecum ab Urbe eduxerat. [*Sueton. in Octavio, cap.* 89. *cum Strabone, lib.* 13. *pag.* 625. *& Quintiliano, lib.* 3. *cap.* 1.) Atque eò etiam alæ equitum è Macedoniâ viciſſim ad eum commeabant, cum quibus exerceretur: ubi comiter omnes excipiendo gratioſus apud exercitum factus eſt. (*Appian. lib.* 3. *pag.* 531.)

Caſtor adoleſcens, à patre Caſtore Saocondario (ut eum appellat *Strabo*) & matre regis Dejotari filiâ incitatus, Romam ad accuſandum avum profectus eſt: regis ſervo Phidippo medico ſpe promiſiſque corrupto, ut ficto crimine Dominum capitis arceſſeret, quaſi is Cæſarem in tetrarchiâ ſuâ hoſpitio exceptum interficere voluiſſet. Cui legati regii, Hieras, Bleſamius, Antigonus & Dorylaus, ſeſe oppoſuerunt: corpora ſua pro ſalute regum ſuorum (patris & filii ſimul tunc regnantium) Cæſari offerentes. Pro eo Cicero, veteris hoſpitii & familiaritatis memor, in domo Cæſaris orationem habuit: ita inuſitatum fuiſſe præfatus, regem reum capitis eſſe, ut ante hoc tempus non fuerit auditum. Ob hanc verò accuſationem Dejotarus filiam ſuam unà cum marito Caſtore Saocondario (nobili illo Chronographo) in ipſius Caſtoris regiâ Gorbeio trucidavit. [*Strabo, lib.* 12. *pag.* 568. *Suidas in* Κάστωρ.] De quâ re totâ, videndus clariſſimus *Voſſius* [heu! quondam noſter] in libri de Hiſtoricis Græcis primi capite ultimo.

Idibus Decembr. Q. Pedius [tertium intra hoc trimeſtre ſpatium] ex Hiſpaniâ triumphum duxit. [*Gruter. Inſcript. pag.* CCXCVII.] in quo, ut ante cum Fabius, non eburneis ſed ligneis ferculis uſus, riſum multum excitavit. [*Dio, lib.* 43.]

Parthi à Cæcilio Baſſo ad auxilium in Syriam evocati advenerunt: ſed ob hyemem non diu adfuerunt, neque memorabile quicquam egerunt. Ita, in libro 47. *Dio.* Eorum tamen adventu ab arctâ obſidione, quâ ab Antiſtio Vetere tum premebatur, ipſum fuiſſe liberatum in literis ad Balbum ſcriptis ipſe Vetus confirmat: de quibus ita *Cicero*, lib. 14. ad Attic. epiſt. 9. *Balbus hîc eſt, multúmque mecum: ad quem à Vetere littera data prid. Kalend. Jan. cùm à ſe Cæcilius circumſideretur, & jam teneretur: veniſſe cum maximis copiis Pacorum Parthum; ita ſibi eſſe eum ereptum, multis ſuis amiſſis, in quâ re accuſat Volcatium. Ita mihi videtur bellum illud inflare. ſed Dolabella & Nicias viderint.* quibus ſc. provinciæ Syriæ & belli Parthici, poſt cædem Cæſaris, cura fuit commiſſa: quando hæc à Cicerone ſcripta fuit epiſtola.

Romæ, pridie Kalend. Januarias, Q. Fabio Maximo conſule mortuo, C. Caninius Rebilus pauciſſimarum horarum Conſulatum petiit. [*Id ibid. cum Plinio, lib.* 7. *cap.* 53. *& Suetonio, in Claudio cap.* 15. *& Trebellio Pollione, in* XXX. *tyrannis.*] de quo Cicero, ad Curium: [*lib.* 7. *ad familiar. epiſt.* 30.] *Caninio conſule, ſcito neminem prandiſſe: nihil tamen eo conſule mali factum eſt. Fuit enim mirificâ vigilantiâ; qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit.* Vid. Macrob. lib. 2. Saturnal. cap. 3. & lib. 7. cap. 3.

Proximo die quintum & poſtremum ſuum Conſulatum Cæſar iniit: in quo, ut Hyrcano Judæorum Pontifici & ethnarchæ gentiſque Judæorum, pro ſuo erga ipſum & populum Romanum affectu, gratiæ referrentur edixit: eundémque Hyrcanum habere & mœnibus inſtruere Hieroſolymorum urbem decrevit, & gubernare eam ſecundùm ſuam voluntatem; atque ut Judæis ſecundo locationis anno de reditibus eorum ſubducerent, immunéſque eſſent ab angariis & veſtigalibus, conceſſit: ut apud *Joſephum*, lib. 14. Antiquit. cap. 17. videre licet. ut falli videatur idem, cùm in præcedente capite Cæſarem in Syriâ agentem litteras Romam ad Conſules miſiſſe narrat, ut Hyrcano disjecta per Pompeium patriæ mœnia reſtituendi daretur poteſtas; ſtatímque, Cæſare ex Syriâ recedente, Antipatrum ſtrenuè operi illi incubuiſſe. Quod enim ille ſubjicit Senatuſconſultum, neque ad hunc Hyrcanum, neque ad murorum Hieroſolymitanorum reſtaurationem, quicquam ſpectat: ut ſuprà ad Mundi annum 3877. monuimus. de quo & *Salianus* videndus, ad annum Mundi 4007. num. 36, 37. 4670 44

In hoc eodem quinto Conſulatu, anno Juliano ſecundo, in honorem Julii Cæſaris, legem ferente M. Antonio ejus in Conſulatu collegâ, Quintilis menſis *Julius* appellatus eſt; quòd hoc menſe ad quartum Idus Quintiles Julius procreatus eſſet. [*Appian. Bell. civil. lib.* 2. *pag.* 494. *Dio, lib.* 44. *Cenſorin, de die natali, cap.* 9. *& Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 12.] Unde, quum ſequente menſe *Sextili* M. Brutus, prætor urbanus poſt cæſum à ſe Cæſarem ludos Apollinares edendos præſcripſiſſet NONIS JUL. ad Atticum ſuum [*lib.* 16. *epiſt.* 1.] ſcribebat Cicero. *Stomachari eorum diem licet. quidquámne turpius, quàm Bruto* JULIIS? atque de eo monitus ab illo ipſe Brutus, ſeſe ſcripturum aiebat, ut venationem quæ poſtridie ludos Apollinares futura eſſet, proſcriberent III. ID. QUINTIL. [*Ibid. epiſt.* 4.]

Cæſar Carthaginem & Corinthum, quæ priùs uno tempore deletæ fuerant, (ut ſuprà ad annum Mundi 3858. dictum eſt) deductis eò Romanorum coloniis, inſtauravit. (*Dio, lib.* 43. *cum Strabone, lib.* 8. *pag.* 381. *& lib.* 17. *pag.* 833.) Quod de Corintho, *Pauſanias* in Corinthiacis, de Carthagine etiam *Solinus* (*capite* 30.) & in fine Libycorum *Appianus* eatenùs confirmant, quòd inter everſam & reſtitutam Carthaginem annos 102. interjectos fuiſſe conſentiant. Id enim temporis ſpatium ad præſentem hunc annum rectà nos deducit: in quem & M. Antonii & P. Dolabellæ, à *Solino* hic nominatus, Conſulatus incurrit. Ut minùs conſideratè *Appianus* à Cæſare Auguſto has urbes reſtauratas fuiſſe ſignificaverit.

Magna tum populum Romanum cupiditas Craſſum amiſſumque cum eo exercitum ulciſcendi, ſpéſque debellandi Parthos, inceſſebat. Id igitur bellum Cæſari unanimi conſenſu decreverunt, ſummóque ad id ſtudio ſeſe comparaverunt. Ac præter cætera quæ ejus belli causâ agebant, ut & adminiſtrorum copia Cæſari eſſet, & eo abſente neque ſine magiſtratibus urbs eſſet; neque ſi ipſa eos delegiſſet res ad motus inteſtinos rediret; magiſtratus jam antè ad totum triennium (tantum enim temporis Parthicæ expeditioni impendendum exiſtimabant) conſtituere intenderunt. Horum dimidiam partem Cæſar, quod lege quâdam (de quâ conſulendus *Suetonius* in *Julio*, cap. 41.) ei conceſſum fuerat, reipsâ autem omnes deſignabat. [*Dio, lib.* 43.]

Getas verò, ſive Dacos, volens prior aggredi, præmiſit trans ſinum Adriaticum legiones ſedecim, & equitum decem millia. Mox Parthis inferre bellum per Armeniam minorem, nec niſi antè expertos aggredi prælio ſtatuit. (*Sueton. in Julio, cap.* 44. *Appian. lib.* 2. *pag.* 497.)

Ad bellum Syriacum contra Cæcilium Baſſum gerendum, Cornificium Cæſar miſit, Syriámque provinciam illi tribuit. (*Cicero, lib.* 12. *ad familiar. epiſt.* 18. *&* 19.) Sed, dum legiones ad eum perducerentur, cædes Cæſaris intervenit: poſt quam ea provincia P. Cornelio Dolabellæ Conſuli eſt aſſignata; (uti videbimus) Cornificio Africâ vetere datâ. (*Cic. ibid. epiſt.* 19. *&* 21. *Appian. lib.* 4. *pag.* 620, 621.)

Trium legionum quas Alexandriæ relinquebat curam & imperium Rufino liberti ſui filio, exoleto ſuo, Cæſar demandavit. (*Sueton. in Julio, cap.* 76.)

VII. Kalend. Februar. Cæſar ovans ex monte Albano Urbem ingreſſus eſt. (*Inſcript. Gruteri, pag.* CCXCVII.) Decretum enim erat, ut ipſe feriis Latinis peractis ita inveheretur. (*Dio, lib.* 44.)

Cùm à ſacrificio Latinarum revertentem & ex monte Albano in Urbem deſcendentem, nonnulli Regem ſalutaviſſent: indignante populo ille offenſus, Cæſarem ſe non Regem eſſe reſpondit. Ubi quum obticuiſſent cuncti, planè triſtis dolénſque tranſiit. Et cùm quidam è turbâ ſtatuæ ejus coronam lauream candidâ faſciâ (quod regium erat inſigne) præligatam impoſuiſſet: tribuni plebis Epidius Marullus & Cæſelius Flavus coronam faſciæ detrahi, hominemque duci in vincula juſſerunt. Cæſar verò dolens, ſeu parùm proſperè motam regni mentionem, ſive, ut ferebat, ereptam ſibi gloriam recuſandi, tribunos graviter increpitos poteſtate privavit. [*Sueton. in Julio Cæſare, cap.* 79. *Plutarch. in eodem. Dio, lib.* 44. *cum Livio, lib.* 116. *& Appiano, lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 495, 496.]

Lupercalibus (quæ 15. Februarii die celebrata fuiſſe, verus Kalendarium indicat) ad Cæſarem ſedentem in Roſtris, amictam togâ purpureâ, in ſellâ aureâ, coronatum, ipſius in Conſulatu collega M. Antonius, nudus inter Lupercos currens, ſupplex acceſſit, & diadema illi populi Romani nomine obtulit: quod his ab eo capiti ipſius impoſitum Cæſar detraxit, & in ſellâ repoſuit. Reſponſoque dato, ſolum Jovem Romanorum regem eſſe, miſſóque in Capitolium ad Jovem diademate, adſcribi juſſit in faſtis: *Ad Lupercalia, C. Cæſari Dictatori perpetuo M. Antonium Conſulem, populi juſſu, regnum detuliſſe, Cæſarem uti noluiſſe.* Unde in ſuſpicionem venit, quaſi ex compoſito id feciſſet, Regiſque nomen adpeteret, ſed ita ut cogi ad accipiendum id quodammodo vellet. [*Iid. ibid. Cicero in Philippicâ* 2, 3, *&* 13. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 56. *Plutarch. in Antonio. Caſſiodor. in Chronico.*]

Rumor deinde quidam, ſive verus, ſive falſus, [uti fabulæ nonnunquam confingi ſolent] paſſim emanavit, pontifices Quindecemviros dictos in libris Sibyllinis reperiſſe; vinci Parthos à Romanis poſſe, ſi Rege duce bellum eis movilſent, eſſe ipſis alioquin inſuperabiles: indéque proximo ſenatu L. Cottam Quindecemvirum ſententiam dicturum, ut Cæſar rex appellaretur. Nonnulli verò jactabant, oportere eum Romanorum quidem dictatorem imperatorémque appellari, aut ſi quod nomen eſſet regio plauſibilius: cæterarum verò gentium, quæ ſub Romano eſſent imperio, diſertè Regem nominari. (*Sueton. Plutarch. & Dio; ut ſupr. Appian. pag.* 497.] Quò referendum & *Ciceronis* illud, in libro 2. de Divinatione. *Sibylla verſus obſervamus, quos illa furens fudiſſe dicitur. Quorum interpres* [L. Cotta] *nuper falſa quadam hominum famâ dicturus in ſenatu putabatur: cum, quem re verâ regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus.*

Curabat omninò Cæſar ut quamprimùm exiret Urbem, in quâ laboraret invidiâ. Verùm quatriduo ante diem profectioni deſtinatam à conjuratis confoſſus eſt. [*Appian. pag.* 497.] In ea conjuratione fuiſſe ampliùs 60. conſcios ferunt Senatores equitéſque Romanos. [*Sueton. in Julio, cap.* 80. *Eutrop. lib.* 6. *fin. Oroſ. lib.* 6. *cap.* 17.] cujus capita fuerunt M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Caſſius, & ex Cæſaris partibus Decimus Brutus. [*Livius, lib.* 116.] Cùm veniſſet igitur Cæſar in Curiam, expeditionem Parthicam meditans; ibi in curuli ſedentem eum Senatus invaſit: tribúſque & viginti vulneribus occiſus eſt. [*Id. ibid. Florus, lib.* 4. *Hiſtor. Rom. cap.* 2.] Idibus Martiis, ætatis anno 56. [*Sueton. in Julio Cæſare, cap.* 81, 88, 89. *Plutarch. in eodem; & Appian. lib.* 2. *Bell. civil. pag.* 522.]

Sic ille, qui ſignis collatis quinquagies dimicaverat, & 1192 millia hominum prœliis occiderat, [referente *Plinio*, lib. 7. cap. 25.] in eo ſenatu, quem majorè ex parte ipſe cooptaverat, in curiâ Pompeii, ante ipſius Pompeii ſimulachrum, tot centurionibus ſuis inſpectantibus,

à nobi-

3960 à nobilissimis civibus, partim etiam à se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jacuit, ut ne ejus corpus non modò amicorum sed ne servorum quidem quisquam accederet. [*Cicero, lib. 2. de Divinat.*]

P. Cornelius Dolabella, 25 annos natus ab ipso Cæsare quum Urbe esset abiturus, suo loco, in ejus anni reliquum Consul designatus, quum fasces atque insignia corripuisset consularia, in medium progressus, authorem suæ dignitatis multis convitiis proscidit: &, ut quidam produnt, rogationem tulit, ut in posterum, ea dies natalis Urbis haberetur. (*Appian. lib. 2. pag. 505. & 509. cum Velleio Paterculo, lib. 2. cap. 58.*)

Post tertium à Cæsaris cæde diem, (ut in 2a. Philippicâ habet *Cicero*) quum Liberalia agerentur, (ut ex lib. 14. ad Atticum epist. 10. & 16. colligitur) id est, XVI. Kalend. April. in ædem Telluris Senatu convocato, quum Consul Antonius, Plancus & Cicero de præteritorum oblivione & concordiâ verba fecissent, ut injuriarum obliteratâ memoriâ pax inter cives constitueretur, atque ut Cæsaris acta rata essent, decretum est. (*Cicero, Philippicâ 1. Velleii. Paterc. lib. 2. cap. 58. Plutarch. in Ciceron., Bruto, & Antonio. Appian. lib. 2. Dio, lib. 44.*)

Atque illo primùm die (ut est in 14. Philippicâ) M. Antonius, depositis inimicitiis, Dolabellam collegam sibi in Consulatu esse voluit: quanquàm quum primùm Cæsar ostendisset se, priusquàm proficisceretur, Consulem eum esse jussurum, acerrimè illi sese opposuisset; ut in Philippicâ 2a. ostendit *Cicero*, & *Plutarchus* in *Antonio*. Nam initio quidem statuerat ad consulatum non admittere, nondum ad eum pertinentem: sed ne seditionem moveret, collegam sibi esse jam passus fuit. (*Dio, lib. 44.*)

Sequente die Senatus rursùs conveniens, percussoribus Cæsaris provincias decrevit: M. Bruto Cretam, Cassio Africam, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam, Decimo Bruto Galliam circumpadanam. (*Plutarch. in M. Bruto.*)

Ex his, priores duo Prætores Urbis erant: qui cùm indecorum arbitrarentur ante magistratûs exitum provincias ambitiosè invadere, neque turum sibi esse viderent urbanas administrare jurisdictiones; privati in Italiâ reliquum anni agere statuerunt. Quo intellecto, Senatus præfecit eos frumento in urbem convehendo, usque ad tempus abeundi in provincias. (*Appian. lib. 3. pag. 530.*) ut Brutus scilicet in Asiâ, Cassius in Siciliâ frumentum emendum ad Urbem mittendum curarent. Sed Cassius munus illud aspernatus est. (*Cicero, ad Attic. lib. 15. epist. 9, 11, 12.*)

Excogitatum est à quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur: id facilè effici posse arbitrati sunt, si principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est à C. Flavio Bruti familiari Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, semperque à talibus se consiliis removisset, respondit, siquid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum ex paterentur: se neque cum quoquam de eâ re collocuturum, neque coiturum. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. (*Corn. Nepos, in vitâ Attici.*)

In æde Castoris nominum litteræ quædam Antonii & Dolabellæ consulum excusæ sunt: quibus utrisque alienationem à patriâ significatam fuisse dicit *Julius Obsequens*, in libro de Prodigiis.

Consul Antonius collegæ suo Dolabellæ ut juveni ambitioso persuasit, peteret mitti se in Syriam & ad exercitum contra Parthos conscriptum. Perfecitque, ut populi suffragiis Syria illi obveniret provincia, simúlque bellum Parthicum legionésque ad id destinatæ à Cæsare, una cum his quæ in Macedoniam præcesserant. Atque ipse deinde Macedoniam (exercitu ita denudandam) à Senatu obtinuit. (*Appian. lib. 3. pag. 530, 531, & 550.*)

Antonii potentiam metuens *Cicero*, statuit primùm legatus in Syriam cum Dolabellâ proficisci. (*Plutarch. in Ciceron.*) IV. Nonas Aprilis liberâ legatione concessâ; ut, cùm vellet, introire, exire, liceret. (*Cic. ad Attic. lib. 15. epist. 11.*) Sed posteà ab Hirtio & Pansâ, Consulibus in sequentem annum designatis, persuasus consilium mutavit: &, Dolabellâ omisso, æstatem Athenis agere decrevit. [*Plutarch. ut supr.*] iter in Græciam suscepturus ante Olympia. [*Cic. ad Attic. lib. 15. epist. 14. & lib. 16. epist. 7.*] Hoc verò anno Olympias 184. est acta.

Octavius, sexto postquàm Apolloniam venerat mense, de Cæsaris avunculi cæde nuntio accepto, ex Epiro in Italiam transmisit: ubi Brundusii ab exercitu obviam progresso tanquam Cæsaris filius exceptus, omni morâ præcisâ [idque eò magis, quòd secum magnam vim pecuniæ militúmque à Cæsare præmissam habebat] statim nomen *Cæsaris* assumpsit, hæreditatémque iniit. Atque ita Brundusii se in *Julium* gentem adsciscens, pro Caio Octavio se Caium Julium Cæsarem Octavianum deinceps appellavit. [*Liv. lib. 117. Julius Obsequens, de prodigiis. Appian. lib. 3. pag. 531, 532. Dio, lib. 45.*]

Ad hoc nomen mox, non aliter quàm ad verum filium, undique magnus concursus fuit, partim amicorum Cæsaris, partim libertorum & mancipiorum; cum eísque militum etiam, vel qui apparatum & pecunias ferebant in Macedoniam, vel qui vectigalia pecuniámque aliam ex provinciis exactas portabant Brundusium. Ille tum multitudine ad se confluentium, tum Cæsarei nominis vulgo gratiosissimi existimatione factus auctior & confidentior, ad Urbem iter fecit, cum haudquaquam contemnendo comitatu, in dies torrentis modo crescente. [*Appian. ibid. pag. 532, 533.*]

XIV. Kalend. Maii, Octavius Neapolim venit: ac postridie in Cumano M. Ciceronem invisit. [*Cic. lib. 14. ad Attic. epist. 10.*] de quo ita *Cicero* ipse, in Epistolâ ad Atticum X. Kalend. conscriptâ.] *ibid. epist. 12.*] *Nobiscum hic perhonorifice & amicè Octavius: quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus non.* Neque enim placebat Atiæ matri Philippóque vitrico, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris: ut apud *Velleium Paterculum* legimus. [*lib. 2. cap. 60. cum Suetonio in Octavio, cap. 8. & Appiano, lib. 3. pag. 532, 533.*]

Octavio

Octavio adventanti Romam immanis amicorum occurrit frequentia: &, cùm intraret urbem, Solis orbis super caput ejus, curvatus æqualiter rotundatúsque in colorem arcus, (veluti coronam tanti mox viri capiti imponens) conspectus est. Ita *Velleius.* (*lib.* 2. *cap.* 59.) Et *Julius Obsequens*, de prodigiis: *Quum horâ diei tertiâ ingenti circumfusâ multitudine Romam intraret, Sol puri ac sereni cœli orbe modico inclusus, extremæ lineæ circulo, qualis tendi arcus in nubibus solet, eam circumscripsit.* Varii nimirùm coloris circulus, qualis esse in iride solet, orbem Solis tunc ambiit: ut in Senecâ, (*Natural. quæstion. lib.* 1. *cap.* 2.) Plinio, (*lib.* 2. *cap.* 28.) Suetonio, (*in Octavio, cap.* 95.) Dione, (*lib.* 45.) & Orosio, (*lib.* 6. *cap.* 20.) videre licet.

Octavius accitos sub noctem amicos jussit universos manè sibi præstò esse in foro cum comitatu idoneo. ubi Caium fratrem Antonii, prætorem urbanum, accedens, ait se adoptionem accipere: qui mos Romanus est, adoptioni authoritatem prætoris interponere. Hoc verbo relato per scribas in acta publica, statim è foro Antonium consulem adiit. (*Appian. lib.* 3. *pag.* 534.) Eum Consul superbè excepit, (neque is erat contempeus, sed metus) vixque admisso in Pompeianos hortos loquendi secum tempus dedit. (*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 60.)

Circenses neglecti sunt ludi, quos Palilibus (XI. Kalend. Maii) in Cæsaris honorem celebrari decretum fuerat; quòd de Hispaniensi ipsius victoriâ nuntius pridie illius diei Romam allatus fuisset. (*Dio, lib.* 44. & 45. Sed Quinctus & Lamia coronas ibi gesserunt, honoris Cæsaris causâ. (*Cic. lib.* 14. *ad Attic. epist.* 16. & 22.)

Quum percussores Cæsaris, quibus provinciæ sorte contigerant, in eas mandarentur: (ut in lib. 44. habet *Dio*:) C. Trebonius itineribus deviis in provinciam est profectus. (*Cic. lib.* 14. *ad Attic. epist.* 10.) Q. Philippo in Asiæ Proconsulatu successurus. (*lib.* 13. *ad familiar. epist.* 73. & 74. *collat. cum epist.* 43. & 45.) Cum eo Proquæstor ordinarius venit Pariscus: extraordinarius verò ad vectigalia in potestatem redigenda & cogendas pecunias à Senatu in Asiam missus est P. Lentulus P. Lentuli Spintheris filius. (*lib.* 12. *ad familiar. epist.* 14, 15.)

XI. Kalend. Jun. Trebonius Athenas venit; atque ibi Ciceronem adolescentem optimis studiis sub Cratippo operam dantem inveniens, utrumque in Asiam provinciam suam invitavit: ut ipse in litteris ad patrem VII. Kalendas Junias datis narrat. (*lib.* 12. *ad familiar. epist.* 16.) quibus & Cicero pater in libri 15. ad familiares postremâ respondit epistolâ.

IV. Non. Jun. lex lata est quæ earum rerum, quas Cæsar statuisset, decrevisset, egisset, Consulibus cognitionem dedit. (*Cicero, ad Attic. lib.* 16. *epist.* 18.)

Antonius, postquam ei acta Cæsaris inspicere exequique quæ is fieri jussisset mandatum fuit, libellis corruptis & pro arbitrio immutatis, quicquid ipsi libitum fuit tanquam ex Cæsaris præscriptis egit: civitatibus dynastisque eâ ratione gratificans, & magnam pecuniæ vim sibi congereus. Non enim agros solùm & vectigalia, sed libertatem etiam & jus Romanæ civitatis & alias immunitates vendebat ille; idque non tantùm singulis, sed provinciis quoque totis & populis universis. Déque his omnibus toto Capitolio tabulæ figebantur. (*Cicero, in Philippicâ* 2. & *lib.* 12. *ad familiar. epist.* 1. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 60. *Plutarch. in Antonio. Appian, lib.* 3. *pag.* 529. *Dio, lib.* 44.) in quarum unâ civitates locupletissimæ Cretensium vectigalibus liberabantur; statuebaturque ne post M. Brutum proconsulem, esset Creta provincia. (*Cic. ibid.*) Grandi quoque acceptâ pecuniâ, fixit Antonius legem quasi à Cæsare latam, quâ Siculi facti sunt cives Romani. (*Id. lib.* 14. *ad Attic. epist.* 12.)

Rex Dejotarus, simul-atque audivit Cæsaris interitum, res sibi ab illo ablatas suo marte recuperavit. Legari tamen ejus timidi & imperiti, sine reliquorum amicorum regis sententiâ, syngraphâ sestertiûm centies Fulviæ uxori Antonii datâ, decretum in Capitolio fixum obtinuerunt, quo à Cæsare ipso reddita illi omnia ridiculè fingebantur. (*Id. ibid. & in* 2. *Philip.*)

Quum *ludi victoriæ Cæsaris* XIII. Kalend. Sextil. (ut ex vetere Kalendario liquet, in Gruteri Inscript. pag. CXXXIII.) edendi essent, non audentibus facere quibus obtigerat id munus, Octavius edidit. (*Sueton. in Octav. cap.* 10.) quum eorum apparandorum curam C. Matio viro doctissimo commisisset: qui minùs id probanti Ciceroni (*lib.* 11. *ad familiar. epist.* 27. & *lib.* 15. *ad Attic. epist.* 2.) hanc sui facti rationem (*in dicto libri* 11. *epist.* 28.) reddit. *Ludos, quos Cæsaris victoria Cæsar adolescens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad statum Reipublicæ pertinebat. Quod tamen munus & hominis amicissimi memoriæ atque honoribus præstare, etiam mortui, debui: & optimæ spei adolescenti, ac dignissimo Cæsari, petenti negare non potui.*

Atque huc *Dionis* illa in libro 45. sunt referenda; *ἐψηφίσαντο τιὸν ἐπινικίων λόγων ἐμοὶ τῷ ἐπιόντι αὐτῶ ἐκδόσθαι. Supplicationibus quibusdam ob victorias die peculiari nomini ipsius dicato sacrificatum est.* Cúmque priùs decretum fuisse & *Appianus* in libro Bellorum civilium 2. [*pag.* 494.] & in libro 43. ipse confirmet *Dio*; ut publicè solennibus sacris celebrarentur dies quibus victorias adeptus fuerat; in unum hunc diem sacris ipsius *ἐπινικίοις* dicatum omnium simul victoriarum ab eo reportatarum conjecta videtur fuisse commemoratio. Pharsalicæ enim, reliquarum omnium celeberrimæ, diem in fastis non fuisse peculiariter signatum, *Lucani* illud in libro 7°. indicat.

Tempora signavit leviorum Roma malorum,
Hunc voluit nescire diem.

M. Brutus & C. Cassius Trebonium in Asiâ & Tullium Cimbrum in Bithyniâ etiam per litteras monuerunt, ut occultè pecunias colligerent, & de exercitu dispicerent. [*Appian. lib.* 3. *pag.* 529, 530.] Quibus auscultans Cimber, etiam classem comparavit. *Cassius, ad Ciceron. lib.* 12. *ad familiar. epist.* 13.] Ebriosus nimirùm ille Cimber: quem in seipsum ita jocatum fuisse, in epist. 83. refert Seneca. *Ego quemquam feram, qui vinum ferre non possum?*

Cæsar Octavianus annos undevigenti natus, exercitum privato consilio & privatâ impensâ comparavit: ut ipse in Breviario rerum suarum, Ancyrano marmori insculpto, indicat. [*Inscr. Gruteri, pag.* CCXXX.] ante diem IX Kalend. Octobris scilicet; quo annum ætatis vicesimum

ſimum ille eſt ingreſſus. Nam ante Antonii ex urbe diſceſſum (qui ſequente Octobri, contigit) Ciceronis & aliorum qui Antonium oderant operâ Senatui commendatus, gratiam popularem ipſe inſtitit colligere, & milites ex coloniis cogere. [*Plutarch. in Antonio.*] ſibique & reipublicæ vires contra Antonium paraturus, deductos in coloniâs veteranos excitavit. [*Liv. lib.* 117.] de quo Florus. *Octavius Cæſar ætate & injuriâ favorabilis, & nominis majeſtate quod ſibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crederet?) Conſulem aggreditur.* Ita ille; lib. 4. cap. 4. ubi tamen *intra decem & octo annos* illum fuiſſe, non rectè ſtatuit: ut nec *Dio*, qui 18 annorum tum fuiſſe ſcribit, quum Cæſaris nomen aſſumpſit hæreditatémque iniit. [*lib.* 45. *pag.* 271.] Neque etiam ſatis accuratè vel à Senecâ, [*lib.* 1. *de Clementiâ, cap.* 9.] *duodevicesimum egreſſus annum*, vel à Velleio Paterculo *decimum nonum annum ingreſſus* ille fuiſſe dicitur. *Caius Cæſar*, inquit hic, *decimum nonum annum ingreſſus, mira auſus, ac ſumma conſecutus, privato conſilio, majorem Senatu pro republicâ animum habuit.* [*lib.* 2. *cap.* 61.] Quum enim exercitum comparare cœpit, decimum nonum ætatis annum ille ferè exegerat: & ab eo tempore uſque ad ejus exceſſum, anni numerantur 57. quot & principatui ipſius aſſignat Maximus monachus in Computo.

Hic pavefactus Antonius, venit cum eo in colloquium in Capitolio; & reconciliati ſunt. Eâ nocte Antonio per quietem dextera manus fulmine viſa eſt icta: & poſt paucos dies delatum ad eum eſt, Cæſarem inſidias ipſi parare. Cúmque purganti ſe Cæſari ille non crederet; ſimultas exarſit de integro inter eos vehemens. [*Plutarch. in Antonio.*]

Antonius, majoribus hic ratus ſibi opus fore copiis, nec ignarus Macedonicas legiones tum virtute præſtare, tum numero (erant enim ſex) eſſque adjunctam magnam manum ſagittariorum & armaturæ levis ac velitum, equitatum præterea cæterúmque apparatum abſolutiſſimum, qui videbatur deberi Dolabellæ propter decretum ei bellum Parthicum, quando Cæſar contra Parthos paraverat; cogitavit eas ad ſe pertrahere: quia propter propinquitatem ſtatim trajecto mari ſupero poterant adeſſe in Italiâ. Cúmque falſus repentè ſparſus eſſet rumor, Getas auditâ morte Cæſaris incurſionibus vaſtare Macedoniam; Antonius à Senatu exercitum petiit, quo de hoſtibus pœnas ſumeret: dicens Macedonicum illum exercitum à Cæſare contra Getas paratum fuiſſe priuſquàm Parthos aggredi ſtatuiſſet, & pacata eſſe impræſentiarum omnia circa limitem Parthicum. Tandémque, Dolabellæ unam legionem ſe traditurum pactus, imperator Macedonicarum copiarum electus eſt. [*Appian. lib.* 3. *pag.* 541, 542.] Et lege de permutatione provinciarum per vim latâ obtinuit; ut Macedoniam, quæ Marco Bruto ſorte obtigerat provincia, frater ipſius Caius Antonius ſibi vindicaret; Galliam verò Ciſalpinam, Decimo Bruto aſſignatam, ipſe Conſul Marcus Antonius, unà cum Macedonico illo exercitu qui Apolloniam à Cæſare præmiſſus fuerat, conſequeretur. [*Dio, lib.* 45. *cum Livio, lib.* 117. *& Appiano, lib.* 3. *pag.* 543, 545, 546.]

Legiones Alexandrinas in armis eſſe; Baſilum è Syriâ arceſſi, Caſſium expectari, ferebatur. [*Cicer. ad Attic. lib.* 15. *epiſt.* 13.]

Inſtante ludorum tempore, quos editurus erat ædilis Critonius, Cæſar Octavianus patri ſellam auream atque coronam parabat: id quod illi ex Senatuſconſulto in perpetuum ludis omnibus decretum fuerat. Cúmque Critonius negaret ſe paſſurum honorari Cæſarem in iis ludis quos ipſe ſumptu ſuo faceret; Cæſar illum ad Antonium duxit, ut conſulem: Conſul ad Senatum ſuper eâ re ſe dixit relaturum. Cæſar indignatus, *Refer*, inquit: *ego interim ſellam proponam.* Id Antonius exaſperatus prohibuit: nec hoc contentus, prohibuit etiam ludis proximè ſecutis, quos Cæſar ipſe celebrabat in honorem Veneris Genitricis inſtitutos, quando ædes ei in foro & forum ipſum à patre dedicatum eſt. Quod Antonii factum exceptum eſt publico odio. [*Appian. ibid. pag.* 543, 544.]

Ad VI Kalend. Octobris, in veteris Kalendarii fragmento marmoreo, [*In Inſcript. Gruter. pag.* CXXXV. *fin. collat. cum integro altero pag.* CXXXIII.] habetur annotatum. VENERI. GENETRICI. IN. FORO. CÆSAR. Eo igitur die Octavianus ludos inſtitutos ob perfectionem fani Veneris, quos vivo adhuc Cæſare quidam ſeſe celebraturos receperant ſed tunc negligebant, ipſe ſuis ſumptibus, tanquam ad ſe ratione generis pertinentes, ad captandam populi gratiam fecit. [*Dio, lib.* 45.] Quos dum ille ederet; Cometam repentè emerſiſſe docet *Seneca*, in Natural. quæſtion. lib. 7. cap. 17. *Suetonius* in *Julio*, cap. 88. & *Plinius*, lib. 2. cap. 25. ubi de eo ipſius Octaviani hæc verba refert. *In ipſis ludorum meorum diebus, ſidus crinitum per ſeptem dies, in regione cœli quæ ſub ſeptentrionibus eſt, conſpectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clariſque & omnibus terris conſpicuum fuit. Eo ſidere ſignificari vulgus credidit Cæſaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id inſigne ſimulachro capitis ejus, quod mox in foro conſecravimus, adjectum eſt.* Quod & in nummis quibuſdam conſpicitur poſt exceſſum ejus ſignatis, cum inſcriptione DIVI JULII: & in illo Virgiliano eſt ſignificatum, Æneid. 8. *paſtrémque aperitur vertice ſidus.*

3961 VII. Id. Octobr. Antonius Brunduſium venit, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, (è quinque) quas ſibi conciliare pecuniâ cogitabat: [*Cicero, lib.* 12. *ad familiar. epiſt.* 23. *cum Appian. lib.* 3. *pag.* 552, 554. *& Dione, lib.* 45. *pag.* 276. *editionis Græcolatinæ Hanovienſis.*] quáſque à Senatu populóque Romano adverſùs Getas ei datas, ipſe tranſvexit in Italiam. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 61. *cum Appiano, lib.* 3. *pag.* 543. *&* 546. *&* 558. *fin.*]

Eôdem Octavianus & ſuos cum pecuniis, qui ſibi illos milites conducerent, præmiſit. (*Dio, ut ſupr.*) Ipſe verò properavit in Campaniam; veteranos à patre in colonias deductos ad ſuam militiam revocaturus. Móxque primùm ad ſe pellexit Calatiæ veteranos, dein Caſilini, ex utroque latere Capuæ poſitos: & repræſentatis in ſingulos 500 denariis (quos *Appianus* & *Dio*

drachmas, Græco more, reddiderunt) contraxit circiter decem millia virorum, neque justâ armaturâ instructorum, neque digestorum in militares ordines; omnes sub uno signo ductant tanquam satellitium. [*Cicero, lib. 16. ad Attic. epist. 8. & Philipp. 3. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 61. Appian. lib. 3. pag. 552, 553.*] Atque his deinceps *Evocatorum* nomen est inditum: quòd impetrata missione militiæ, rursùs ad eam vocati fuerint. [*Ser. Galba, ad Ciceron. in lib. 10. ad familiar. epist. 30. Dio, lib. 45. pag. 276. & lib. 55. pag. 565.*]

Brundusii interim quatuor Macedonicæ legiones inculantes Antonium ob cessationem in persequendis Cæsaris percussoribus, sine acclamationibus deduxerunt eum ad tribunal; quasi rationem audituri ante omnia. Id silentium ille iniquo animo ferens, non continuit se quin eis exprobraret ingratitudinem, non agnoscentibus quantò præstaret in Italiam ire quàm in Parthiam, nec ullum signum grati animi edentibus. Præterea querebatur, quòd missos ab adolescente petulante (sic enim appellabat Cæsarem) concordiæ turbatores non adducerent ad ipsum: se tamen eos inventorum; exercitum verò ducturum ad decretam sibi provinciam, fortunatam illam Galliam, & præsentium unicuique 100 drachmas sive denarios daturum. Hæc in promittendo parcitas risu excepta est: quem quum molestè ferret, auctio tumultu deserebatur. [*Appian. lib. 3. pag. 554. cum Dione, lib. 45. pag. 276. & Cicerone, lib. 16. ad Attic. epist. 8.*]

Quum Antonius à tribunis seditiosos experisset, ex militari disciplinâ sorte duxit decimum quemque: nec tamen in hos omnes, sed in partem tantùm animadvertit, putans se eos territurum paulatim. [*Appian. ibid. pag. 554, 555.*] atque in hospitis tectis Brundusii in sinu, non modò avarissimæ sed etiam crudelissimæ uxoris, Fulviæ delectos Martiæ legionis centuriones trucidavit. [*Cicero, Philip. 3, 5. & 13. Dio, lib. 45. pag. 276.*]

Hoc facinore irritatos milites ubi videre Cæsariani qui ad eos corrumpendos missi fuerant, libellos spargebant per exercitum, pro Antonii sordibus & crudelitate revocantes superioris Cæsaris memoriam, & ad junioris liberalitatem invitantes. Quorum indicibus quum Consul magna præmia proposuisset, celatoribus contrà interminatus esset pœnam; nemine prodito ægrè ferebat, quasi exercitus eos tegeret. [*Appian. pag. 555.*]

Quum Cæsar Octavianus ad res gerendas accessisset, plebemque sibi devincire instituisset; M. Brutus & C. Cassius, simul spe popularis reipublicæ statûs tenendi abjecta, simul Cæsarem metuentes, ex Italiâ solverunt; Athenasque delati, magnificè fuerunt accepti. Ita *Dio*. [*lib. 47. pag. 338, 339.*] Eosdem, quum superior esse cœpit Antonius, provinciarum quæ iis datæ erant à Consulibus desperatis rebus, in exilium profectos fuisse, scribit in Attici Vitâ Cornelius Nepos. *& nunc metuentes arma Antonii, nunc, ad augendam ejus invidiam, simulantes se metuere; testatos edictis, libenter se vel in perpetuo exilio dum respublica constaret concordia, nec ullam belli civilis præbituros materiam*, Italiâ profectos fuisse, narrat *Velleius Paterculus*. [*lib. 2. cap. 62.*]

Quum alii ad Octaviani partes, alii ad Antonii discederent, atque exercitus vænales tanquam sub hastâ pluris licitanti addicerent se: Brutus Italiam statuit relinquere, ac per Lucaniam pedestri itinere Eleam ad mare venit; indéque solvens, Athenas profectus est. Ubi Theomnestum Academicum & Cratippum Peripateticum (Mityleneum) audiens, unâque cum his vacans literis, omninò seriari videbatur & otiari: cùm in occulto tamen pararet bellum. [*Plutarch. in M. Brute.*] Cassii verò classem paucis pòst diebus Brutum consequutam fuisse, in Philippicâ X. indicat *Cicero*.

Brutus & Cassius Macedoniam atque Syriam, ut sibi priusquàm Antonio Dolabellæque assignatas, per vim invadere statuerunt. Quod consilium postquàm detectum est; Dolabella properavit in Syriam, obiecti invisuris Asiam, ut inde pecunias colligeret. Sic *Appianus*, de bellis civilibus libro tertio pag. 541. Putabat enim ille (ut &, ante eum, *Florus*, lib. 4. cap. 7.) Bruto Macedoniam & Cassio Syriam à Julio Cæsare, antequàm ab his ipsis occideretur, decretas fuisse; earúmque à Consulibus postea ipsis ademptarum loco, minores alias concessas esse provincias, Cyrenem & Cretam insulam, vel ut alii produnt, has ambas Cassio, Bruto verò Bithyniam: atque his contemptis, illos exercitum ac pecunias collegisse, animo invadendi Syriam & Macedoniam. [*Appian. lib. 3. pag. 527, 530, 531, 533, 536, 550. & lib. 4. pag. 622.*]

Verùm à Julio Cæsare Syriam Cornificio fuisse destinatam, ex *Cicerone*: & quarto post eædem illius die Bruto Cretam, Cassio Africam à Senatu fuisse decretam, ex *Plutarcho* supra audivimus. Indéque in Philippicâ XI, de *Bruto*, Cicero. *Neque enim est in provinciam suam Cretam profectus: in Macedoniam alienam advolavit.* et de *Cassio. Natura legi paruit, cum est in Syriam profectus: alienam provinciam, si homines legibus scriptis uterentur; has verò oppressis, suam, lege naturæ.* Utrumque etiam provincias sine ullo Senatusconsulto aut auctoritate publicâ occupavisse, confirmat *Velleius Paterculus*: [*lib. 2. cap. 62.*] & de utroque, apud Athenienses diversantes, ita scribit *Dio*: [*lib. 47. pag. 339.*] Quum audirent Cæsarem „augeri, Creta ac Bithynia (eò enim missi erant) neglectâ, quòd eas sibi provincias non „magnopere profuturas judicarent, ad occupandas Syriam ac Macedoniam animum adjecerunt; „nihil quidem ad eos pertinentes, sed quòd eo tempore pecuniâ copiisque florebant.

Dolabella, itinere per Achaiam, Macedoniam & Thraciam facto, tardiùs in Asiam venit. In Achaia verò militibus atque equitibus habens, Veterem Antistio occurrit; qui, dimisso exercitu (quo adversùs Cæcilium Bassum nuper usus fuerat) ex Syriâ erat reversus. ubi quovis adire periculum ille malum, quam videri aut coactus esse pecuniam aut Dolabellæ dare, aut libenter dedisse. [*Dio, lib. 47. pag. 344. & Brutus; in lib. Ciceronis ad Brut. epist. 11.*]

Kalendis Novembribus litteræ Ciceronem ab Octaviano sunt redditæ: quibus consultabat, utrum Romam cum quatuor millibus veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret &

3961 Antonium venientem excluderet: an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter secundùm mare superum faciebant, quas congiarium ab Antonio accipere nolentes suas sperabat futuras. (*Cic. lib. ad Attic. epist.* 8.) Centurias Capuæ dinumeravit Octavius. (*epist.* 9.) Iter faciens in Samnium, venit Cales: mansit Theani. Municipiorum mirifica erat ἀναστασις, & cohortatio. Romam venit cum manu magnâ. (*epist.* 11.)

Ibi ad plebem, sibi in hoc à Canutio (tribuno plebis) paratam, progressus, memoriam patris sui multis apud eos verbis renovavit, & res ab eo egregiè gestas recensuit: de se quoque multa modestè dixit, Antonium accusavit, milites qui se essent secuti laudavit; quòd ad auxilium Urbi ferendum adessent, seque ad id delegissent, ac per se universis hæc significarent. Laudarus hinc, partim propter alium apparatum, partim etiam propter militem illum numerosum quem secum habebat; in Hetruriam profectus est, militum ibi quoque cogendorum causâ. [*Dio, lib.* 45. *pag.* 276.]

Hoc tempore *M. Cicero* Marco filio, Athenis annum jam audienti Cratippum, (non nunc primùm eò missum, ut in lib. 45. pag. 277. *Dio* innuit) tres illos egregios de Officiis libros dicavit. [*lib.* 16. *ad Attic. epist.* 11.] Extántque filii ad Tironem scriptæ litteræ: [*lib.* 16. *ad familiar. epist.* 21.] in quibus, de convictoribus suis agens; Bruto, inquit, *ego locum in proximo conduxi, & , ut possim, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Præterea declamitare Græcè apud Cassium institui: Latinè autem apud Brutum exerceri volo. Utor familiaribus, & convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis & illi probatissimis.*

Ad hanc tenuitatem redactus Brutus, præter Ciceronem, cæteros quoque Romanos adolescentes, qui Athenis operam dabant litteris, sibi adjunxit. Herostratum in Macedoniam, ad conciliandos eos qui præerant exercitibus, misit. Cúmque accepisset navigia Romana argento onusta dirigere Athenas cursum ex Asiâ, & prætorem iis navibus advehi probum virum & sibi familiarem, occurrit ei circa Carystum, & ad tradenda sibi induxit navigia. (*Plutarch. in M. Bruto.*)

Huic Brutus, Sami natalem suum celebrans, splendidius epulum paravit. Ibi, postquàm ad compotationes ventum est, cœperunt pro Bruti victoriâ & populi Romani libertate facere libamina. Tum Brutus, grandiore accepto poculo, hunc versum sine ullâ evidente causâ voce altâ pronuntiavit;

Ἀλλά με μοῖρ' ἔλαβε, καὶ Λητοῦς ἔκγονον υἱὸν·
Sed me fors misera & Latonæ perdidit infans.

Quæ exclamatio pro cladis omine est habita: quum ad novissimum in Philippis pugnam processurus, signum militibus daret ille Apollinem. (*Id ibid. cum Appiano, lib.* 4. *pag.* 668.)

Inde *κατάκοιτος μοιχεύεται* Antistius, ex illâ pecuniâ quam portabat in Italiam, impertiit: ut eo in loco *Plutarchus* scribit. Vicies sestertium Latinus interpres reddidit: quantam ei summam Veterem Antistium *ultro & pollicitum esse & dedisse ex suâ pecuniâ*, agnoscit ipse Brutus, in epistolâ quâ hunc Romam jam ad petitionem Præturæ profecturum Ciceroni commendat. [*lib. ad Brut. epist.* 11.] Pompeium Atticum quoque abjecto Bruto Italiâque cedenti sestert. C. M. munere misisse, eidémque Epiro absentem CCC jussisse dari; apud *Cornelium Nepotem*, in Vitâ Attici, legimus.

In Piræeo deinde Cassius & Brutus distracti, alter in Syriam, alter in Macedoniam perrexit. [*Plutarch.*] Cassius, ut prohiberet Syriâ Dolabellam. [*Cicero, Philippic.* 11.] Brutus, ut Græciam Macedoniámque sibi adjungeret. (*Dio, lib.* 47. *pag.* 339.) Et sine authoritate publicâ provincias exercitúsque occupantes, &, ubicumque ipsi essent, prætexentes esse rempublicam; pecunias, quæ ex transmarinis partibus Romam à quæstoribus deportabantur, à volentibus acceperunt. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 62.]

Cassius in Asiam, anticipato Dolabellâ, ad Trebonium Proconsulem trajecit: acceptáque ab eo pecuniâ, permultos sibi equites ex iis qui à Dolabellâ in Syriam præmissi fuerant, (quos Cassio se primum tradidisse jactat P. Lentulus Asiæ Quæstor extraordinarius, in litteris ad Ciceronem: *lib.* 12. *ad familiar. epist.* 14.) multósque item alios Asianos & Cilices adjunxit. Tum Tarcondimotum ac Tarsenses ad societatem secum ineundam compulit; & hos quidem invitos. nam adeò Cæsari priori ac ejus gratiâ etiam posteriori favebant, ut urbem suam pro Tarso Juliopolin vocaverint. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 342.]

Brutus quoque, postquàm ab Apulejo copias quantas tum ille habebat accepit, & innumerato circiter sedecim talentûm millia, quæ ex tributis ac vectigalibus Asiæ collecta acceperat à Trebonio; venit in Bœotiam. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 632. *cum Dione, pag.* 339.] Deinde milites collegit: partim ex Pompeianis, quos à Pharsalicâ pugnâ per Thessaliam vagantes tunc reperit; partim ex iis qui cum Dolabellâ ex Italiâ profecti, ob morbum relicti vel ab ordinibus dilapsi fuerant. Equites insuper quingentos Cinnæ, quos in Asiam ducebat ad Dolabellam; ademit. [*Plutarch. & Dio, ut supr.*] Quò spectat illud de Bruto *Ciceronis*, in Philippicâ XI. *Legiones conscripsit novas, excepit veteres: equitatum ad se abduxit Dolabella, atque eum nondum parricida* (Treboni) *ablatum, hostem suâ sententiâ judicavit. nam ni ita esset, quo jure equitatum à Consule abduceret?*

His instructus Brutus, sub prætextu reipublicæ & suscepti contra M. Antonium belli, nullo omninò labore Græciam, in quâ nihil admodùm militum erat, occupavit. (*Dio, ut supr. cum Livio, lib.* 118.)

Hinc Demetriadem profectus, magnam armorum vim Cæsaris dictatoris jussu ad bellum Parthicum paratorum, quæ deportabantur ad Antonium, in suam redegit potestatem. [*Plutarch. & Appian. lib.* 3. *pag.* 567.]

In Macedoniam autem venit eo ipso tempore, quo C. Antonius (M. Antonii consulis frater) eòdem recens pervenerat, ac Q. Hortensius Macedoniæ Proconsul discessum parabat: neque

3961 ibi tamen admodùm laborabat, quum & Hortensius statim se cum eo conjungeret, & Antonius prohibitus (Romæ tum rerum potiente Cæsare) quicquam eorum agere quæ summi essent magistratûs; nihil virium haberet. [*Dio, ut supr. cum Cicerone, in Philippic.* 10.]

Delectus verò habitus in Macedoniâ fuerat summo Q. Hortensii studio & industriâ. Legio quam L. Piso ducebat, legatus Antonii, Ciceronis filio (quem Athenis secum Brutus in Macedoniam adduxit) se tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertitò, alter eum à quo ducebatur reliquit in Thessaliâ, (ut dictum est) seséque ad Brutum contulit: alterum in Macedoniâ Cn. Domitius adolescens à legato Syriaco abduxit. (*Cicero, Philip.* 10.)

Audiens Brutus evestigio pergere C. Antonium ad copias quas Dyrrachii & Apolloniæ Gabinius habebat, & eum prævertere cupiens, repentè iter fecit per loca aspera & multam nivem; longéque præcurrit eos qui prandium suum ferebant. Ut prope Dyrrachium venit, est ex labore & algore bulimiâ correptus: quod mali apprehendit ferè & pecudes & homines, quum per nivem lassescunt. Ejus necessitate intellectâ, accurrerunt à statione hostes ipsi, cibúmque & potum attulerunt. Pro quo beneficio Brutus, ubi deditum est ei opidum, non in hos modò, sed ipsorum etiam causâ clementem præbuit se in omnes. (*Plutarch.*) P. autem Vatinius, qui Illyriis finitimis præerat, inde profectus Dyrrachium prior occupaverat; Bruto in totâ dissensione civili adversarius. Sed propter morbum à militibus contemptus, iis ad Brutum transeuntibus, Dyrrachii portas illi aperuit & exercitum tradidit. [*Dio, ut supr. cum Cicerone, in* 10. *Philippicâ, & Livio, lib.* 118.]

Quum Dolabellæ in Syriam pateret via certa, neque longa; cum legione præmisso Marso Octavio, Senatore quidem, sed egente, qui popularetur agros & vexaret urbes, in Asiam irrupit alienam provinciam, ubi nulla belli erat suspicio. (*Cicero, Philip.* 11.)

Eò venientem neque Pergamus neque Smyrna voluit recipere: sorum tantùm extra mœnia illi præbitum est, tanquam Consuli. Cúmque iratus ille Smyrnæ oppugnationem frustrà tentasset, Trebonius Proconsul Asiæ (qui urbes Bruti & Cassii receptaculo munichat) pollicitus est se in Ephesum eum intromissurum: mandavitque suis ut Consulem illuc proficiscentem ex intervallo sequerentur. (*Appian. lib.* 3. *pag.* 542.)

Secutæ posteà sunt collocutiones familiarissimæ cum Trebonio: complexúsque summæ benevolentiæ falsi indices extiterunt in amore simulato. (*Cicero, Philip.* 11.) Quo tamen ita deceptus est Trebonius, ut is summam sibi Dolabellæ benevolentiam polliceretur, ejus militibus alimenta ultrò daret, ac cum eo citra omnem metum convictum haberet. (*Dio, lib.* 47. *pag.* 344.)

In Ægypto Ptolemæus junior, ætatis 15 annum agens, à sorore cadémque conjuge suâ Cleopatrâ; veneno sublatus est; anno regni sui 4°, & Cleopatræ (à morte patris Auletæ) 8°. [*Joseph. Antiqu. lib.* 15. *cap.* 4. *& libro* 2°. *contra Apion. pag.* 1064. *Porphyr. in Græc. Euseb. Scaligeri, pag.* 226.]

M. Antonius Consul, Brundusio Romam reversus, cùm edixisset ut adesset Senatus frequens ante diem VIII. Kalend. Decembr. eúmque diem obire neglexisset; in ante diem IV. Kalend. distulit, rúmque in Capitolio adesse eum jussit. [*Cicero, Philip.* 3.]

Interim legiones Antonii Macedonicæ, euntes in cisalpinam Galliam, tumultuatæ sunt: spretísque legatis sibi præfectis, complures ad Cæsarem transiverunt. [*Dio, lib.* 45. *pag.* 276.] Legio Martia universa, sublatis signis ad eum se conferens, Albæ constitit. Eámque imitata Quarta legio, duce L. Egnatuleio Quæstore, ad Cæsarem pariter transiit. [*Id. ibid. Cicero, Philip.* 3, 4, 5, 11, 13. *cum lib.* 11. *ad familiar. epist.* 7. *Liv. lib.* 117. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 6. *Appian. lib.* 3. *pag.* 556.) His Cæsar acceptis quum, sicut prioribus, argentum divisisset, multos etiam reliquorum ad se pertraxit: elephantísque Antonii subitò omnibus potitus est, quum in eos dum præteragerentur incidisset. [*Dio, ut suprà.*]

Ingressurus ad Senatum Antonius (in Capitolio, die præstituto congregatum) ut quereretur de Cæsaris conatibus, in aditu Curiæ de legionum defectione nuntium accepit: quo ille territus, ne verbum quidem ausus est in Senatu facere de Cæsare; cùm de eo tamen constituisset ad Senatum referre, scriptámque attulisset Consularis quidam sententiam, quâ Cæsarem hostem judicaret. [*Cicer. Philip.* 3, 5. *&* 13. *& Appian. lib.* 3. *pag.* 556.) Eodémque ipso die facta est vespertina provinciarum in sequentem annum inter Antonii amicos sortitio; sic, ut quæ cuique apta esset ea cuique obveniret. [*Cic. Philip.* 3.]

Mox ex urbe discedens, Albam properavit; verbis (ut posse se putabat) Martiæ legionis milites, ibi considentes, ad officium reducturus. Sed quum peteretur telis è mœnibus, aliis agminibus viritim 500 misit denarios: quas verò circa se habebat copias bellico apparatu Tibur, indéque Arminum duxit, in primo aditu Galliæ cisalpinæ; habens legiones Macedonicas tres (jam enim & reliquum earum venerat) & veteranorum unam, cum solitis eas sequi auxiliis, præterea prætorianos cum tironibus. [*Appian. lib.* 3. *pag.* 556.]

Decimum Brutum, qui Galliâ cisalpinâ ut suâ provinciâ cedere nolebat, Mutinæ inclusum obsedit Antonius. [*Id. ibid. pag.* 556, 558.] Ei, licèt è patris percussoribus uni, tempori serviens auxilium tulit Cæsar Octavianus. [*Dio, lib.* 45. *pag.* 277.] cui, præter duas illas fortissimas quæ ad eum transierant legiones Macedonicas, & unam tironum, duæ aliæ veteranorum erant legiones, licèt non integræ, sed suppletæ ex tironibus. Cúmque eum Prætorem creare vellet exercitus, honorem oblatum recipere noluit: sed donativi largitate mercenarios suos devinxit; alteros 500 denarios duabus Macedonicis legionibus (ludicrâ pugnâ coram ipso decertantibus) viritim distribuens, & si certamine opus foret, quinquies millenos victoribus pollicitus. (*Appian. pag.* 557, 558.) De his *Cicero*, in Philippicâ X. *Veterani primi Cæsaris auctoritatem secuti conatum Antonii repulerunt: pòst ejusdem furorem Martia legio fregit, Quarta afflixit.*

Romæ

Romæ cùm neuter Consulum adesset (Dolabellam enim Antonius *in* Syriam præmiserat, ipseque Mutinam tum circumsidebat) Senatum adesse ad XIII. Kalendas Januarias edixerunt. Quo die M. Cicero, tertiâ oratione Philippicâ habitâ, suasit ut quæ Octavianus contra Antonium egerat confirmarentur, Mutinensibus, legioni Martiæ & Quartæ, & militibus veteranis qui ad eum transierant, laudes & præmia decernerentur : atque ut non Decimus Brutus solùm, sed cæteri etiam (sortitionis illius Antonianæ nullâ ratione habitâ) provincias suas retinerent, neque cuiquam traderent, nisi qui ex Senatusconsulto succederet. Factóque in ejus sententiam Senatusconsulto, progressus in concionem, quid in Senatu actum esset, quartâ Philippicâ populo exposuit. [*Cic. ibid. & Philip. 5. & 6. initio : cum lib. 12. ad familiar. epist. 6. & lib. 12. epist. 22. Dio, lib. 45. pag. 277.*]

Kalendis Januariis, quibus A. Hirtius & C. Pansa Consulatum inierunt, Cicero oratione Philippicâ quintâ in Senatu habitâ bello Antonium persequendum, & iis qui rempublicam adversùs eum defendebant honores decernendos esse suasit. Postridie C. Cæsari Octaviano *imperium extraordinarium* (ut in Philippicâ XI. *Cicero* appellat) à Senatu datum est, cum consularibus ornamentis, & lictoribus atque insignibus prætoriis : ut comparato à se exercitui pro prætore præesset, & unà cum Consulibus Decimo Bruto contra Antonium opem ferret, adjectúmque, ut Senator esset, atque inter quæstores & consulares sententiam diceret : útque Consulatum decem annis priùs, quàm legibus permissum esset, petendi jus haberet. Equestri quoque statuâ auratâ Senatus eum honoravit : quæ in Rostris posita, ætatem ejus scripturâ indicabat. Eodémque Senatusconsulto est decretum, ut pecunias, quas militibus dederat, ex ærario (quia pro republicâ eos, privato licèt consilio, conduxisset) reciperet : & donativum, quantum ipse duabus legionibus Macedonicis post victoriam se daturum pollicitus est, publicè daretur. útque illis legionibus, atque aliis militibus qui à Cæsare conducti fuerant, perfecto hoc bello vacatio militiæ daretur, statímque agri dividerentur. [*Cicero, Philip. 5. & lib. ad Brutum, epist. 15. Liv. lib. 118. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 81. Sueton. in Octavio, cap. 10. Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 3. pag. 559, 560. Dio, lib. 46. pag. 310.*] 4671 | 43

Etsi verò Octaviano Proprætoris dignitas, quam ab exercitu priùs sibi oblatam accipere noluerat, à Senatu fuerit concessa, & ut pari cum Consulibus jure haberet in bello administrando imperium : eâm tamen Consulibus mandatum datum est, ut duas legiones Macedonicas rebus gerendis aptissimas ab illo distraherent. Summa enim consiliorum erat, ut superato Antonio, & debilitato Octaviano, sublatísque Cæsarianis omnibus, ad tractationem reipublicæ Pompeiani revocarentur. Quod Octaviano Pansâ consul moriturus posteà detexit. [*Appian. lib. 3. pag. 574, 575.*]

Ubi tamen Octavianus quæ decreta essent comperit, & honores oblatos accepit, & gavisus est : idque eo magis, quòd quum habitum ac potestatem prætoriam acciperet, Spoleti sacrificanti *primo potestatis suæ die*, duodecim victimarum pecudum corda duplicia, sive replicata intrinsecùs ab imâ fibrâ, apparuissent ; essetque responsum, duplicaturum intra annum Imperium. Id verò ægrè ferebat, quòd legati ad Antonium mittebantur, quódque hyemis prætextu bellum neque seriò neque itaxim à Consulibus gerebatur. Unde & ipse quoque Foro Cornelii in otio hyemare coactus est. [*Dio, lib. 46. pag. 314. cum Julio Obsequente, de prodigiis ; & Plinio ; lib. 11. cap. 37.*]

Ex Julii Cæsaris parricidii reis, primus luit pœnas, Dolabellæ fraude Smyrnæ occisus, Cajus Trebonius consulari imperio provinciam Asiam obtinens : vir adversùs merita Cæsaris ingratissimus, particepsque cædis ejus à quo ipse in consulare provectus fastigium fuerat. [*Cicero, Philip. 11. & 12. Strabo, lib. 14. pag. 646. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 69. Appian. lib. 3. pag. 542, 543. & lib. 4. pag. 624. Dio, lib. 47. pag. 344. Oros. lib. 6. cap. 8.*] Noctu enim Dolabella Smyrnam ingressus, Proconsulem cepit ; & verborum contumeliis laceratum Samiario exuli tradidit : qui, quæstione habitâ publicæ pecuniæ, vinculis, verberibus, eculeo torsit miserum, idque per biduum. Pòst cervicibus caput abscidit, idque fixum gestari jussit in pilo : reliquum corpus tractum atque laceratum abjecit in mare. Hæc in Philippicâ XI. *Ciceronis* est narratio : illi quæ apud *Appianum* extat, & jussu Dolabellæ, quum primùm in Asiam trajecisset & Consulatum adhuc gereret, perpetratum hoc homicidium tradit, longè præferenda.

Interfecti caput ad Cæsaris statuam Dolabellam projecisse, scribit *Dio* : in sellâ prætoriâ, in quâ ille solebat jus reddere, proponi jussisse, refert *Appianus*. Sed milites, inquit ille, & lixæ (irati ut conjurationis participi, & quia dum Cæsar occideretur Antonium sermone circa Curiæ fores distinuerat) tum reliquum ejus corpus variis affecerunt contumeliis, tum caput per vias lapide stratas sibi invicem pro pilâ mittentes per ludibrium ita contriverunt ut non appareret facies. Multas verò Smyrnæ urbis partes à Dolabellâ tunc dejectas fuisse, affirmat *Strabo*.

Occupatâ à Dolabellâ Asiâ, P. Lentulus Quæstor extraordinarius multam pecuniam & magna præsidia ad Cassium celeriter misit, ut Syriam occuparet : ipse in proximam provinciam Macedoniam ad M. Brutum se contulit ; id agens, ut, per quos celerrimè posset, Asia provincia vectigaliáque recuperarentur. Quod ille ipse in duabus epistolis significat : alterâ publicè ad Senatum, alterâ privatim ad M. Ciceronem missâ. (*lib. 12. ad famul. epist. 14. & 15.*) ubi & filium ipsius se tum videre non potuisse narrat, quòd jam in hyberna cum equitibus is profectus fuisset.

In Asiæ provinciâ terrimè se gessit Dolabella : (*Cic. lib. ad Brutum : epist. 3. & 4. ser. quæ à Germanis sunt addita.*) correptis Romanorum vectigalibus, & civibus Romanis omnibus cru-

crudelissimè denudatis ac divexatis. (*P. Lentulus : apud Cic. lib. 12. ad familiar. epist. 15.*) Urbes novis tributorum exactionibus gravavit : classemque à Rhodiis, Lyciis, Pamphyliis, Cilicibúsque per L. Figulum mercede conduxit. [*Appian. lib. 4. pag. 624.*]

Rhodii, de agris quos in continente habebant timentes, (ut ipsi dicebant) duas legationes ad Dolabellam miserunt : & quidem novo exemplo, contra leges ipiorum, prohibentibus iis qui tum magistratus gerebant. [*P. Lentulus ut supr.*] Quem tamen à Rhodiis exclusum fuisse, scripsit M. Brutus. [*lib. ad Brut. ut supr. epist. 4.*]

Legatus Dolabellæ A. Allienus, post interitum Trebonii ad eum profectus est. [*Cicero, in Philip. 11.*] Eum ille in Ægyptum ad Cleopatram reginam misit : quæ Dolabellæ favens, propter consuetudinem quam cum superiore Cæsare habuerat, per Allienum quatuor legiones ad eum misit, (Pompeii Crassique cladis reliquias, aut ex eorum numero qui Cæsare discedente apud Cleopatram remanserant ;) & classem paratam habebat ad ferendum auxilium, quæ tum per adversas tempestates navigare non potuerat. [*Appian. lib. 3. pag. 576. lib. 4. pag. 623. & 624. fin. & lib. 5. pag. 675.*]

Quum in Syriâ *Q. Cæcilii Bassi, privati illius quidem, sed fortis & præclari viri, robustus & vetter exercitus* (ut in oratione XI. Philippicâ, hoc anno habitâ, *Cicero* loquitur) *aliquandiu prævaluisset :* Statio Murco in auxilium Q. Marcius (non, ut *Appiano*, Minutius) Crispus Proconsul (ut in Philippicâ XI. eum appellat *Cicero*) vocatus è Bithyniâ (cui ex Julii Cæsaris decreto, à Senatu comprobato, post Tullium Cimbrum ille præerat ; licèt Cimber ex M. Antonii, ut videtur, sortitione eam provinciam hoc etiam anno retinere conatus fuerit) tribus agminibus suis cum tribus Murci conjunctis, Bassi duo agmina (*τάσσματα Straboni, τάγματα Appiano* dicta : nam unicam tantùm legionem constituisse, ex Cassii ad Ciceronem litteris constat, *lib. 12. ad familiar. epist. 11. & 12.* obsidione pressit. [*Appian. lib. 3. pag. 576. & lib. 4. pag. 623. Dio, lib. 47. pag. 343.*] Ille verò Apameæ adeò obstinatè duorum Romanorum exercituum obsidionem sustinuit, ut non priùs in illorum potestatem pervenerit, quàm impetratis quas ipse volebat conditionibus ultrò se dederet. [*Strabo, lib. 16. pag. 752. fin.*] Quum enim supervenisset cum suis copiis C. Cassius, *ultrò à Murco & à Marcio & ab exercitu ipso arcessitus*, ut in literis ad Ciceronem M. Brutus refert : [*lib. ad Brut. epist. 5.*] Cassio, nolebat Bassus legionem suam tradere. Et nisi milites invito eo legatos ad Cassium misissent ; clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata : ut ad Ciceronem scribit ipse Cassius. [*lib. 12. ad familiar. epist. 12.*]

Cassius verò Basso & Murco inter se conciliatis Apameam obsidione liberavit : & tam obsessis illis duobus agminibus, quàm sex aliis à quibus oppugnata illa fuerant, in suas partes pertractis, imperatoria sumpsit insignia & Proconsulari potestate illis præfuit. (*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 69. Joseph. lib. 1. Belli, cap. 9. & lib. 14. Antiquit. cap. 18. Appian. & Dio, ut supra.*)

Ab hoc enim tempore *Proconsulis* titulum sibi assumpsit ipse ; ut ex inscriptionibus litterarum ejus ad Ciceronem liquet : [*lib. 12. ad familiar. epist. 11. & 12.*] licèt in suis ad eum litteris titulum illum *Cicero* non adscribat ; [*ibid. epist. 7, 8, 9, 10.*] utpote à Senatu nondum illi attributum. aliter *Appianus* senserit. [*lib. 3. pag. 576. & lib. 4. pag. 623.*]

Quum uno loco cum his omnibus copiis castra Cassius locasset, repentè magna vis aquæ de cœlo decidit ; aprique omnibus portis simul in castra irruentes, omnia quæ in ipsis erant confuderunt ac conturbarunt : adeò ut quidam ex iis potentiam ejus subitam, ac paulò pòst interitum adventurum præsagierint. [*Dio, lib. 47. pag. 343.*]

His verò copiis auctus Cassius, continuò omnes urbes Syriæ gloriâ rerum ibi in Quæsturâ suâ (post Crassi interitum ante decennium) à se gestarum cæteraque nominis claritate adductas, in suam potestatem sine ullo labore redegit. [*Id. ibid. pag. 339. & 343.*] cásque obeundo, arma & milites sibi comparabat, atque gravia exigebat tributa. [*Joseph. lib. 14. cap. 18.*] Syriam cum tribus exercitibus, qui in eâdem provinciâ erant, in potestatem suam cum redegisse, *Livius* : [*lib. 121.*] & decem legiones in eo tractu sui juris fecisse, scribit *Velleius Paterculus.* [*lib. 2. cap. 69.*]

M. Brutus, expeditione adversùs C. Antonium Apolloniam cum septem cohortibus tenentem susceptâ, litteras publicas de rebus à se in Græciâ & Macedoniâ gestis Romam misit : quibus in Senatu à Pansâ Consule recitatis, & Oratione Philippica X. à *Cicerone* ibi habitâ, Senatusconsultum est editum, ut Brutus Proconsul Macedoniam, Illyricum, torámque Græciam obtineret. [*Cicero, ibid. cum Appian. lib. 3. pag. 567. & lib. 4. pag. 622. & 632.*]

Trebonii reliquiis Romam allatis cognitisqueludibriis quibus affectus erat, Senatus Dolabellam hostem judicavit. [*Cicero, Philip. 11. Liv. lib. 119. Appian. lib. 3. pag. 566. Oros. lib. 6. cap. 8.*] die iis, qui cum eo erant, præstituto ; ante quem ab ejus amicitiâ discederent, aut ipsi quoque hostium loco essent. (*Dio, lib. 47. pag. 344.*)

Postridie, cùm in Senatu ageretur de imperatore deligendo qui Dolabellam bello persequeretur, L. Cæsar censuit, P. Servilio hoc bellum extra ordinem mandandum esse : aliis nonnullis placuit, ut Consules Dolabellæ persequendi causâ Asiam & Syriam sortirentur. *Cicero*, Oratione Philippicâ XI. habitâ, in Dolabellam (quondam generum suum ; sed cum quo paulò ante discessum ex Italiâ gravissimas inimicitias susceperat) acerrimè primùm invectus, belli adversùs eum partes C. Cassio mandandas esse suasit. Cujus sententiam *Scaliger* in Eusebianis Animadversionibus (ad numerum MDCCCCLXXIII.) ut exemplum Senatusconsulti de imperio Cassii, non rectè proposuit. Nam ne ea sententia in Senatu valeret, Pansam Consulem vehementer obstitisse, in litteris ad Cassium ipse testis est Cicero : [*lib. 12. ad familiar. epist. 7.*] ista etiam de se in iisdem adjiciens. *Promisi & propè confirmavi, te non expectasse nec*

expella-

expectatarum decreta noſtra : ſed te ipſum tuo more rempublicam defenſurum. Et quamquam nihildum audieramus, nec ubi eſſes, nec quas copias haberes : tamen ſic ſtatuebam, omnes, quæ in iſtis partibus eſſent opes, copiaſque tuas eſſe ; per tèque Aſiam provinciam confidebam jam reipublicæ recuperatam.

Cùm igitur Romæ non ſciretur, jam à Caſſio Syriam obtineri ; bellum contra Dolabellam Conſulibus omninò, ſi præſentia contra M. Antonium negotia confeciſſent, mandatum eſt : ac, ne interim Dolabellæ vires augerentur, finitimarum nationum præfectis negotium eſt datum. [*Dio lib.* 47. *pag.* 344.] Aſiæque procuratio P. Lentulo Spintheri, Conſulibus conſentientibus, eſt continuata, Proquæſtoris ſimul & Proprætoris titulum jam obtinenti : ut in literis ipſius ad Ciceronem poſt mortem Panſæ & Hirtii (quam ille tamen tum ignorabat) exaratis videre licet.

Edito hoc adversùs Dolabellam decreto, ad Hirtium Conſulem & Cæſarem Proprætorem à M. Antonio hæ datæ ſunt literæ ; à Cicerone in Philippicâ XIII. recitatæ & refutatæ.

ANTONIUS HIRTIO ET CÆSARI.

Cognitâ morte C. Trebonii, non plus gavisus ſum, quàm dolui. Dediſſe pœnas ſceleratum cineri atque oſſibus clariſſimi viri, & apparuiſſe numen Deorum intra finem anni vertentis (unde non multo ante Idus Martias, quæ eædem Julii Cæſaris proximè ſunt ſubſecutæ, interemptum fuiſſe Trebonium colligimus) *aut jam ſoluto ſupplicio parricidii aut impendente, lætandum eſt. Hoſtem judicatum hoc tempore Dolabellam eo quòd ſicarium occiderit, & videri chariorem populo Romano filium ſcurræ* (Trebonium) *quàm Caium Cæſarem, patriæ parentem, ingemiſcendum eſt. Acerrimum verò eſt te, Aule Hirti, ornatum beneficiis Cæſaris, & talem ab eo relictum qualem ipſe miraris, & te, ô puer, qui omnia ejus nomini debes, id agere ut jure damnatus ſit Dolabella ; & ut veneficus hâc liberetur obſidione : ut quàm potentiſſimus ſit Caſſius atque Brutus. Nimirum eodem modo hæc adſpicitis ut priora. Caſtra Pompeii Senatum appellatis, victum Ciceronem ducem habuiſtis. Macedonicam munitis exercitibus. Africam commiſiſtis Varo bis capto. In Syriam Caſſium miſiſtis. Caſcam tribunatum gerere paſſi eſtis. veſtigalia Juliana Lupercis ademiſtis. veteranorum colonias, deductas lege & Senatuſconſulto, ſuſtuliſtis. Maſſilienſibus jure belli ademptæ reddituros vos pollicemini. Obliti eſtis, neminem Pompeianum, qui vivat, teneri lege Hirtiâ dignitates. Apuleianâ pecuniâ Brutum ſubornaſtis. Securi percuſſos Patrum & Menedemum, civitate donatos, & hoſpites Cæſaris laudaſtis. Inexpiatum, nudum, compulſum à Trebonio confugere Alexandriam, neglexiſtis. Ser. Galbam eodem pugione ſuccinctum in caſtris videtis. Milites aut meos, aut veteranos contraxiſtis, tanquam ad exitium eorum, qui Cæſarem occiderunt. et eoſdem nec opinantes ad Quæſtoris ſui aut Imperatoris aut commilitonum ſuorum pericula impuliſtis. Denique quid non aut probaviſtis, aut feciſtis ? quid faciat ſi reviviſcat Cneius Pompeius ipſe ? aut filius ejus ſi domi eſſe poſſit ? poſtremò negatis pacem poſſe fieri, niſi aut miſero Bruto, aut frugemento juvero. quid ? hoc placetne veteranis iſtis quibus adhuc omnia integra ſunt ? quoniam vos aſſentationibus & venenatis muneribus veniſtis. At militibus incluſis opem fertis. nihil morer eos ſalvos eſſe, & ire quò lubet, ſi tamen patiuntur eum pervenire qui meruit. Concordia fallam eſſe mentionem ſcribitis in Senatu, & Legatos eſſe conſulares quinque. difficile eſt credere eos qui me præcipitem egerint, æquiſſimas conditiones ferentem, & tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderatè aut humanè eſſe facturos. vix etiam veriſimile eſt, qui judicaverint hoſtem Dolabellam ob rectiſſimum factum, eoſdem nobis parcere poſſe, idem ſentientibus. Quamobrem vos potiùs animadvertite, utrum ſit elegantius, & partibus utilius, Trebonii mortem perſequi, an Cæſaris ; & utrum ſit æquius, concurrere nos quo facilius reviviſcat Pompeianorum cauſa totiès jugulata, an conſentire ne ludibrio ſimus inimicis. quibus utri noſtrûm ceciderint, lucro futurum eſt. quod ſpectaculum adhuc ipſa fortuna vitavit, ne videres unius corporis duas acies, laniſtâ Cicerone, dimicantes : qui uſque eo felix eſt, ut iiſdem ornamentis deceperit vos, quibus deceptum Cæſarem gloriatus eſt. Mihi quidem conſtat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre : nec deſerere partes quas Pompeius odivit, nec veteranos ſedibus ſuis moveri pati, nec ſingulos ad cruciatum trahi, nec fallere fidem quam dedi Dolabellæ. nec Lepidi ſocietatem violare, piiſſimi hominis, nec Plancum prodere participem conſiliorum. Si me rectis ſenſibus eorum Dii immortales, ut ſpero, adjuverint : vivam libenter. ſin autem aliud me fatum manet, præcipio gaudia ſupplicionum veſtrorum. namque ſi victi Pompeiani tam inſolentes ſunt, victores quales futuri ſint, vos potiùs experiemini. Denique ſumma judicii mei ſpectat hoc, ut meorum injurias ferre poſſim, ſi aut obliviſci velint ipſi feciſſe, aut ulciſci parati ſint unà nobiſcum Cæſaris mortem. Legatos venire non credo ; bellum quò veniat : cùm venerint, quæ poſtulent, cognoſcam.*

Quum miſſi ad Antonium legati à ſenatu de pace parùm ad eam componendam valerent ; hoſte eo judicato, populus Romanus univerſus (etiam ii, qui non proficiſcebantur in bellum) ſaga ſumpſit : delectúque militum in totâ Italiâ habito, A. Hirtii Conſulis & C. Cæſaris Proprætoris adversùs eum exercitus miſſi ſunt. [*Cicero, Philip.* 6, 10. & 13. *Liv. lib.* 118. *Appian. lib.* 3. *pag.* 567. *Dio, lib.* 46. *pag* 311, 312.] A quâ adversùs M. Antonium ſuſceptâ expeditione, Cæſaris Octaviani principatum deduxiſſe videntur *Euſebius* & *Caſſiodorus* ; annos 56. cum menſibus 6. illi aſſignantes.

Caius Antonius, prælio cum Cicerone filio M. Bruti duce ad Byllidem commiſſo, victus eſt : ejúſque milites paulò poſt & ſe & ipſum Bruto dediderunt. Antonium verò Brutus ſecum diu honorificè habuit ; uſque eò, ut magiſtratûs inſignia illi non adimeret. [*Plutarchus in M. Bruto.*]

M. Brutus à Vatinio, cui ex Senatusconsulto in Illyrici provinciâ succedit, tres legiones Illyricas accepit: præter unam, quam Caio Antonio in Macedoniâ abstulit; & quatuor alias, quas ipse collegerat. Ita in universum octo legiones habuit; & in eis multos ex veteranis C. Cæsaris. Adhæc multitudo equitum aderat, velites quoque & sagittarii: laudánsque Macedonas, ad morem Italicum eos exercuit. [*Appian. lib. 4. pag. 632, 633.*]

Ad hunc modum colligenti milites ac pecunias casus quidam è Thraciâ se obtulit. Polemocrati reguli cujusdam uxor, cæso ab inimicis marito, filio puero metuens, ad Brutum profecta, & filium ei commendavit, & mariti thesauros tradidit. Ille puerum Cyzicenis alendum commisit, donec plus otii haberet ad reducendum in paternam regiam: in his thesauris miram invenit auri argentique copiam, unde numisma signavit. [*Ibid. pag. 633.*]

C. Cassius, Syriâ occupatâ, in Judæam contendit; quòd eò progredi milites à Cæsare in Ægypto relictos audiret. Eos verò Judæósque nullo cum negotio sui juris fecit. [*Dio, lib. 47. pag. 343.*] Allienum enim Dolabellæ legatum, cum quatuor legionibus ex Ægypto revertum, in Palæstinâ ex improviso circumvenit, coëgítque suis partibus accedere, non ausum quatuor suas opponere octo legionibus illius. Atque ita præter opinionem duodecim in universum potitus est: auctus etiam nonnullis Parthorum equitibus sagittariis. Apud eam enim gentem in præclarâ existimatione fuit, jam inde ex quo Crassi quæstor visus est eis imperatore ipso prudentior. [*Appian. lib. 3. pag. 576. & lib. 4. pag. 623, 624.*]

Simul ac legiones Cassius accepit, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, de copiis suis ad Ciceronem hasce scripsit litteras, [*lib. 12. ad familiar. epist. 11, 12.*] Nonis Martiis, ex castris Tarichæis in Galilæâ, datas.

C. CASSIUS PROCOS. M. TULLIO CICERONI S. P. D.

Si vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum & Q. Crispum imperatores. Viri fortes, optimique cives, postea quàm audierunt qua Roma gerentur, exercitus mihi tradiderunt: ipsique mecum una fortissimo animo rempublicam administrant. Item legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me venisse scito. Quatuor legiones, quas A. Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, rémque publicam, quantum opus est, defendas. Scire te volo, firma præsidia vobis Senatuique non deesse, ut optimâ spe & maximo animo Rempublicam defendas. Reliqua tecum ages L. Carteius familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis; ex castris Taricheis.

Secundùm hæc, Bassum & Crispum, reliquósque qui sub se militare nollent, nullâ injuriâ affectos Cassius dimisit: Statio autem Murco & eam dignitatem, cum quâ ad ipsum venerat, integram reliquit, & classem præterea commisit. Ita *Dio.* [*lib. 47. pag. 343.*] licèt Crispum firmiter illi adhæsisse, ex ipsius Cassii ad Ciceronem litteris constet. [*lib. 12. ad familiar. epist. 11. & 12.*]

A Judæâ 700 talenta *argenti* (non *auri*; ut in capite 45. Historiæ Judaicæ, Arabicè in Bibliis polyglottis Parisiensibus editæ, legitur) Cassius exegit. Antipater verò res ubique turbatas videns, & minas Cassii veritus, partem ejus pecuniæ duobus filiis suis cogendam commisit, partem Malicho Judæo malè erga ipsum affecto, partem quibusdam aliis. Et primus quidem Herodes ex Galilæâ parte suâ centum talenta afferens, maximam apud Cassium gratiam iniit. Prudens enim videbatur consilium, jam tum Romanorum alieno sumptu captare benevolentiam. Sub aliis autem procuratoribus ipsæ civitates vænum dabantur unà cum suis habitatoribus: quarum quatuor erant præcipuæ: Gophna, Emmaus, Lydda & Thamna. nam earum plebes Cassius hastæ subjecit. Adeò autem exacerbatus erat, ut etiam Malichum interfecturus fuerit, nisi Hyrcanus, per Antipatrum centum talentis de suo missis, furorem ejus leniisset. (*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 9. & lib. 14. Antiquit. cap. 18.*)

Cæsar Octavianus bellum adversùs Antonium sibi demandatum tertio mense confecit. [*Sueton. in Octav. cap. 10.*] quod cùm ab eo, annum agente vicesimum, fortissimè checa Mutinam administratum esset; Decimus Brutus obsidione est liberatus, & Antonius turpi ac nudâ fugâ coactus deserere Italiam. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 61.*] De quo prælio videndus in *Philippicâ* XIV. Cicero; & Ser. Galba, qui prælio interfuit, in litteris ad eundem: [*lib. 10. ad familiar. epist. 30.*] in quarum initio, XVII Kalend. Maii gestum illud fuisse indicat. Ut triduo post Mutinensem victoriam Cæsaris Octaviani principatum auspicati illi fuisse videantur, qui annos illi 56. menses 4. & diem 1. tribuerunt: ut apud *Theophilum Antiochenum* videre licet, libro tertio ad Autolycum: & *Clementem Alexandrinum*, libro primo Stromatum, si librarii apud eum error corrigatur, qui numerum annorum μϛ pro νϛ ibi apposuit.

A. Hirtius Consul (belli Alexandrini & Africani à Julio Cæsare gesti descriptor) in prælio illo cecidit: alter Consul Pansa post paucos dies ex vulnere mortem obiit. [*Cicero, lib. 12. ad familiar. epist. 25. Dec. Brutus, ibid. lib. 11. epist. 9. Liv. lib. 119. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 61, &c.*] Unde hoc versu annum suum natalitium & *Tibullus* designavit, [*lib. 3. eleg. 5.*] & *Ovidius*: [*Trist. lib. 4. eleg. 10.*]

Quum cecidit fato Consul utroque pari.

Consulum occisorum uterque exercitus Cæsari paruit. [*Eutrop. lib. 7. Oros. lib. 6. cap. 18.*]

Adversùs Cæsarem, qui solus è tribus ducibus supererat, Senatus parùm gratus fuit: qui Dec. Bruto, obsidione Mutinensi à Cæsare liberato honore triumphi decreto, Cæsaris militúmque ejus mentionem non satis gratam habuit. [*Liv. lib. 119. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 62.*] Legati quoque ad Cæsaris exercitum missi jubebantur, summoto eo, milites alloqui. Sed non fuit tam ingratus exercitus, quàm fuerat Senatus. Nam, cùm eam injuriam dissimulando Cæsar

ferret, negavere milites sine Imperatore suo ulla se audituros mandata. Quin & legiones ipsi, quas habebat, haud dubiè ademissent; nisi veriti fuissent de hoc palàm decernere, quòd studia militum in Cæsarem non ignorarent. [*Paterc. ibid. Dio, lib.* 46. *pag.* 317, 318.]

Dolabellam Tarsenses in Ciliciam, Laodiceni in Syriam, ultrò accersierunt. [*Cassius Parmens. ad Ciceron. lib.* 12. *ad famil. epist.* 13.]

Dolabella Asiam relictus, quinque cohortes misit in Chersonesum: à M. Bruto (qui quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia habebat) nullo ibi negotio occupandas. [*Cic. lib. ad Brutum; epist.* 2. *dat.* 12. *vel.* 14. *Kalend. Mai.*] Ipse verò terrestri itinere cum duabus legionibus ex Asiâ profectus est: L. Figulo cum classe eum subsequente. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 624.]

V. Kalendas Maias, cùm in Senatu de iis, qui hostes judicati erant, bello persequendis sententiæ dicerentur; ut Cassius persequeretur Dolabellam, tribunus plebis Servilius dixit. Cui cùm esset assensus Cicero, decrevit hoc amplius; ut M. Brutus, si arbitraretur utile fore eque republicâ esse, bello Dolabellam persequeretur. Quod totum Senatus ipsius Bruti reliquit judicio; ut faceret, quod sibi maximè conducere reipublicæ videretur. De Cassii enim copiis nihil adhuc sciebatur: neque ab ipso ullæ litteræ adhuc Romam pervenerant. [*Cic. lib. ad Brutum: epist.* 5.] De quâ morâ videndus ipse Cassius; in litteris ad Ciceronem. [*lib.* 12. *ad familiar. epist.* 12.]

In Ciliciam veniens Dolabella, Tarsum per spontaneam deditionem recepit; & Cassii quosdam præsidia, quæ Ægis erant, vicit. (*Dio, lib.* 47. *pag.* 344.)

Erat tum in Palæstinâ Cassius. (*Id. ibid.*) unde ad Ciceronem secundas ille litteras scripsit, datas Nonis Maiis, ex castris. [*lib.* 12. *ad familiar. epist.* 12.] in quibus de rerum suarum statu scribens; *Exercitus*, inquit, *omnes qui in Syriâ fuêre tenes. Habui paululum moræ, dum remissa militibus persolvo. Nunc jam sum expeditus.* Deinde, ut militum itémque imperatorum Murci & Crispi dignitatem, quantum in se esset, tueretur Ciceronem hortatus; subdit. *Litteris scriptis, audivi, Dolabellam in Ciliciam venisse cum suis copiis. Proficiscar in Ciliciam: quid egerim, celeriter ut sciat, dabo operam. Ac velim, ut meremur de Republicâ, sic felices simus.*

Discedente ex Judæâ Cassio, Malichus insidiatus est Antipatro: per hujus mortem Hyrcani dominationi securitatem se paraturum existimans. Cujus consilia sentiens Antipater, ultra Jordanem profectus copias colligebat tum ex indigenis tum ex Arabibus. Verùm Malichus vir callidus inficiabatur insidias; dejerans apud Antipatrum & filios, quòd Phasaëlo Hierosolymorum præsidium tenente, Herode verò habente armorum custodiam, ne in mentem quidem sibi unquam tale aliquid venerit. Et reconciliatus est Antipatro, Murco Syriæ præsidente: qui postquàm intellexit res novas in Judæâ molirum Malichum, minimum abfuit, quin eum interficeret; quem tamen Antipatri precibus donavit incolumem. (*Joseph. lib.* 14. *cap.* 18.)

Cassius & Murcus, coacto exercitu, Herodem totius Cœlesyriæ ducem fecerunt; attributis ei navalibus, equestribus, & pedestribus copiis: regnum etiam Judææ illi polliciti, post finitum bellum quod tum gerebant contra Antonium & juniorem Cæsarem. (*Id. ibid. cap.* 19.)

Cassius plurimos in Syria tyrannos constituit. Marion quoque Tyriorum tyrannus ab eo relictus per Syriam tyrannidem exercuit: dispositisque in eâ præsidiis, etiam in Galilæâ conterminâ tres arces occupavit. [*Joseph. lib.* 1. *Belli, cap.* 10. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 21.]

Dolabellam à Tullio & Dejotaro cæsum fugatúmque fuisse, ad Sattium legatum C. Trebonii scripsit Cythereus quidam: cujus Græcam eà de re epistolam ad Ciceronem misit M. Brutus, XVII Kalend. Jun. [*lib. ad Brut. epist.* 6.] Sed falsus ille rumor fuit.

Dolabella enim ex Asiâ in Ciliciam trajiciens, inde in Syriam abiit: ubi ab Antiochiâ rejectus est; præsidio urbem defendente. (*Dio, lib.* 47. *pag.* 344.) Conatus autem aliquoties vi introire, repulsus semper est cum magno suo detrimento. Itaque centum circiter amissis, ægrisque compluribus relictis, nocte Antiochiâ profugit Laodiceam versùs. Eâ nocte omnes ferè milites quos ex Asiâ conscripserat ab eo discesserunt. Ex his, ad Antiochiam redierunt, & se iis tradiderunt qui à Cassio relicti urbi illi præerant: cæteri per Amanum in Ciliciam descenderunt; ex quo numero circiter 30 in Pamphyliam venerunt. qui nunciarunt fuisse dicebant, Cassium cum suis omnibus copiis quatridui iter à Laodiceâ abfuisse, tum cùm Dolabella eò tenderet. [*P. Lentulus; ad Ciceron. lib.* 12. *ad famil. epist.* 15.]

Edoctus igitur Dolabella de Cassii copiis, Laodiceam urbem sibi amicam pervenit: sitam in peninsulâ, & quà continentem spectat munitam, ad mare verò portum habentem, ad commeatus abundè convehendos idoneum, nec minùs ad securum abitum quandocunque liberet navigare. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 624.] Eam absque omni oppugnatione Dolabella cepit; opidanis se ob favorem, quo priorem Cæsarem prosecuti fuerant, dedentibus. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 344.]

Hierosolymis, quum apud Hyrcanum Antipater epularetur, Malichus corrupto pincernâ regio veneno è medio tollendum curavit; & assumptâ armatorum manu, civitatis gubernacula suscepit. Indignantibus verò Antipatri filiis Phasaëlo & Herode, Malichus strenuè pernegavit omnia. Et Herodes quidem confestim volebat patris mortem ulcisci, & cum exercitu Malichum aggredi: sed Phasaëlo grandiori magis placuit dolo circumvenire hominem, ne videretur civile bellum incipere. Itaque acceptâ Malichi satisfactione, simulavit se credere, non esse illum paternæ cædis conscium: seque vertit ad excolendum monumentum quod patri struxerat. [*Joseph. lib.* 14. *cap.* 19.]

Interim Herodes veniens Samariam, eámque nimis afflictam offendens, refovere eam cœpit, & jura reddendo controversias civium dirimere. Non multo autem pòst instante Hierosolymis festo (Pentecostes,) & ipse venit in urbem cum militibus. Quem Malichus metuens, Hyrcano

3961 ſuaſit ne eum intrare permitteret : id quod Hyrcanus fecit, nefas eſſe dicens ſanctis populi cæremoniis profanam turbam ſuperinducere. At Herodes contemptâ denunciatione noctu urbem ingreſſus eſt, & Malichum vehementer perterruit. Qui ſolitarum artium non immemor, palàm lachrymabundus conquerebatur de Antipatri tanquam amici interitu ; clam verò parabat ſibi ſatellitium. Quare viſum eſt Herodis amicis ſimulationem hanc non coarguere ; ſed ad vitandam ſuſpicionem viciſſim comiter tractare Malichum. Attamen Caſſio de patris morte Herodes per litteras ſignificavit : & ille, qui non ignorabat mores Malichi, reſcripſit ut ulciſcerentur parentis injuriam ; clàm etiam mandavit tribunis apud Tyrum agentibus, ut adeſſent Herodis juſtis conatibus. [*Id. ibid. cap.* 19. *&* 20.]

In Galliâ, III. Kalendas Junias M. Lepidus cum M. Antonio ſe conjunxit. (*Planc. ad Ciceron. lib.* 10. *ad familiar. epiſt.* 23.)

P. Lentulus, provinciæ Aſiæ proquæſtor & proprætor extraordinarius, quum M. Brutum tardiùs in Aſiam venturum animadverteret, & Dolabella Aſiâ jam excellitiet, quam primùm ex Macedoniâ ad officium ſuum revertendum ſibi eſſe exiſtimavit : ut reliqua vectigalia exigeret, & quam depoſuit pecuniam colligeret & Romam mitteret. Interim cùm per inſulas in Aſiam naviganti nunciatum illi eſſet, claſſem Dolabellæ in Ciliciâ (al. Lyciâ) eſſe, Rhodióque naves complures inſtructas & paratas in aquâ habere : cum iis navibus, quas aut ſecum adduxerat, aut comparaverat Patiſcus proquæſtor Aſiæ ordinarius, Rhodum revertit ; conſiſus Senatuſconſulto quo hoſtis Dolabella judicatus, & ſudere quod cum Rhodiis renovatum fuerat. Sed tantum abfuit, ut illorum præſidio proquæſtores ſuam firmarent claſſem, ut etiam à Rhodiis urbe, portu, ſtatione quæ extra urbem eſt, commeatu, aquâ denique eorum milites prohiberentur ; vixque ipſi ſingulis cum navigiolis reciperentur. In urbem verò & in ſenatum illorum introductus Lentulus, nihil ab eis obtinere potuit. De quo in litteris ſuis, tum publicis ad Senatum, tum privatis ad Ciceronem ſcriptis, graviter ipſe conqueſtus eſt. [*lib.* 12. *ad familiar. epiſt.* 14. *&* 15.]

Dum Rhodi Lentulus & Patiſcus detinebantur, Sex. Marius & C. Titius legati Dolabellæ, adventu illorum cognito, ſubitò ex Lyciâ (vel Ciliciâ) à claſſe diceſſerunt, navíque longâ profugerunt ; onerariis navibus relictis, in quibus colligendis non minimum temporis laboríque conſumpſerunt. Erant autem ex ampliùs centum numero, earúmque minor nulla erat duûm millium amphorarum : quas eâ mente Dolabella comparaverat, ut, ſi Syriæ & Ægypti ipes cum fruſtrata eſſet, in eas cum omnibus ſuis militibus atque omni pecuniâ contenderet, & Italiam peteret, ſeque cum Antoniis fratribus conjungeret. Itaque Lentulus & Patiſcus à Rhodo, cum iis quas habuerant navibus, eò venientes, naves illas onerarias receperunt dominíque reſtituerunt. Inde claſſem fugientem perſecuti ſunt uſque Sidam, extremam provinciæ Aſiaticæ regionem : ubi cognoverunt partem navium Dolabellæ diſfugiſſe, reliquas Syriam & Cyprum (al. Ægyptum) petiiſſe. Quibus dijectis, cùm ſciret Lentulus, C. Caſſii claſſem maximam præſtò fore eſſe in Syriâ, ad officium ſuum revertit. [*P. Lentul. ut ſupr.*]

Patiſcus verò & Caſſius Parmenſis, ex orâ maritimâ Aſiæ provinciæ & ex inſulis quas potuerunt naves deduxerunt. Delectum remigum, magnâ contumaciâ civitatum, celeriter tamen habuerunt. Secuti ſunt claſſem Dolabellæ, cui Lucilius præerat : qui ſpem ſæpe tranſitionis præbendo, neque unquam non decedendo, novíſſimè Coryceum (in Pamphyliâ) ſe contulit, & clauſo portu ſe tenere cœpit. Illi Coryco relictâ, quòd & in C. Caſſii caſtra pervenire ſatius eſſe putabant, & ſequebatur claſſis altera quam anno priore in Bithyniâ Tullius Cimber comparárat, cui Turulius quæſtor præerat, Cyprum petierunt. (*Caſſ. Parmenſ. ad Ciceron. lib.* 12. *ad familiar. epiſt.* 13.)

De rebus Dolabellæ ejúſque ad urbem Laodiceam acceſſu, extant ad Ciceronem, in *libro* 12. *ad familiares*, duæ ſcriptæ epiſtolæ : 14ª, à P. Lentulo ex Pamphyliâ IV. *Nonas* Junias, (non *Kalendas* : ut ex ſequenti ejuſdem ad Senatum epiſtolâ, ad quam iſta nos refert, apertè liquet) Pergæ data ; & 13ª, à Caſſio poſteriùs ex Cypro Idibus Junii miſſâ. In priore, de Dolabellæ intra Laodiceam recepti anguſtiis ita refert Lentulus. *Ibi ſpero celeriter eum penas daturum. Nam neque quò refugiat, habet : neque diutiùs poterit tantum exercitum Caſſii ſuſtinere.* Altera epiſtola Caſſii, ni fallor, eſt Parmenſis (qui Julii Cæſaris perculſorum etiam unus ipſe fuit ; & * Epiſtolas ſcripſit, quarum una ad M. Antonium, à *Plinio* recitata, *lib.* 31. *cap.* 2. *,* & ad Octavianum altera, à Suetonio in *Octavio*, cap. 4. citata legitur :) non C. Caſſii Longini, qui Proconſulis Syriæ titulum tum gerebat. Hujus enim in fine epiſtolæ ille meminit : ubi & hujus & Dolabellæ caſtrorum conditionem diligentiùs hiſce verbis ab illo habemus repræſentatam. *Dolabellam, ut Tarſenſes peſſimi ſecis, ita Laodiceni multo amentiores, ultrò accurſierunt : ex quibus utriſque civitatibus, Græcorum imbrem numero, ſpeciem exercitus effecit. Caſtra habet ante opidum Laodiceam poſita : & partem muri demolitus eſt ; & caſtra opido conjunxit. Caſſius noſter cum decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliaribus, & quatuor millibus equitum, à millibus paſſuum viginti caſtra habet poſtrà Palti : & exiſtimat ſe ſine prælio poſſe vincere. Nam jam tertia tetradrachmus tritico penes Dolabellam eſt : ut, niſi quid navibus Laodicenorum ſupportarat, ciò fame pereat neceſſe ſit. Ne ſupportare poſſit, & Caſſii claſſis bene magna cui præſt Rutilius Rufus, & tres quas adduximus, ego, Turulius, & Patiſcus, facilè præſtabimus.*

Quum Dolabella Laodiceæ aliquot dies viribus potior fuiſſet, præſertim claſſe cum ſuâ celeriter ex Aſiâ ſubſecutâ, ad Aradios trajecit ; ab his quoque pecuniam & naves acceptúrus. Quo in loco deprehenſus cum paucis, ſalutem in diſcrimen conjecit. Quúmque fugam iniiſſet, Caſſio jam exercitum adducenti occurrit ; victúſque ab eo pugnâ, Laodiceam ſe recepit. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 344.]

Caſſius

Caſſius veritus ne Dolabella inde evaderet, per tranſverſum iſthmum duorum ſtadiorum ſpatio excitavit aggerem; ſaxis & omnis generis materie congeſtâ ex ſuburbanis villis ſepulchriſque. Naves etiam è Phœnice ac Lyciâ Rhodóque per nuntios petiit. Contemptúſque ab omnibus præter Sidonios, navale prælium cum Dolabellâ iniit: in quo utrinque ſatis multis navibus demerſis, quinque unà cum navalibus ſociis in Dolabellæ poteſtatem redactæ ſunt. [*Appian. lib. 4. pag. 624.*]

Tum Caſſius rursùm nuntios miſit ad eos qui priora imperata contempſerant; & ad Cleopatram Ægypti reginam, & ad Serapionem qui in Cypro copiis ejus præerat. Tyrii & Aradii, & Serapio, reginâ inconſultâ, miſerunt naves quotquot habebant: regina verò ipſa, cauſata Ægyptios fame ſimul & peſte laborare; ſuppetias omninò non tulit. [*Id. ibid. cum lib. 5. pag. 675.*] Rhodii quoque Lyciique negaverunt ſe vel Caſſio vel Bruto laturos opem ad bella civilia: nam & Dolabellæ ſe dediſſe naves tantùm in hoc, ut eum deducerent, nec ſcire an in bello utatur earum operâ. [*Id. lib. 4. pag. 625.*]

Tarſenſes Tullium Cimbrum (qui Bithyniæ tunc præerat, ipſe quoque unus ex Cæſaris percuſſoribus) ad opem Caſſio ferendam properantem, Tauri tranſitu prohibere conati ſunt: mox verò ejus clauſtra metu correpti deferentes, quòd multas cum Cimbro eſſe copias putabant, pactionem cum eo fecerunt. Sed poſteà intellectâ militum ejus paucitate, neque urbe eum receperunt, neque commeatum ei ſuppeditârunt. Itaque Cimber auxilium Caſſio ferre quàm Tarſum expugnare potiùs exiſtimans, caſtello ipſis objecto, in Syriam abiit. Tarſenſes eò cum armatis profecti, caſtello occupato, adversùs urbem Adana, (quæ urbs vicina ipſis, ſemper controverſiam cum ipſis habuerat) quòd eam Caſſii partibus favere dicebant, arma verterunt. De quo certior factus Caſſius, L. Rufum contra Tarſenſes, miſit. [*Dio, lib. 47. pag. 345.*]

Caſſius, reparatis pro facultate viribus, poſtquàm Statius Murcus claſſe collectâ adveniſſet, denuò bis cum Dolabellâ conflixit navali certamine; primùm dubio marte, iterùm multo ſuperior. A terrâ quoque perfecto aggere, arietes admoti ſunt mœnibus. Dolabella, & terrâ & mari ſubvectione rerum neceſſariarum intercluſus, ob penuriam excurſione tentatâ, in urbem ſtatim compulſus eſt. [*Id. ibid. Appian. lib. 4. pag. 625.*]

Caſſius, quum nocturnas excubias quibus præerat Marſus non potuit pecuniis corrumpere, corrupit centuriones in diurnis ſtationibus, quibus præerat Quintius, atque ita Marſo interdiu quieſcente, per aliquot minores portas intrò admiſſus eſt. Captâ urbe Dolabella ſatelliti cervicem feriendam præbuit, juſſo ut abſciſſo capite ſalutem ſuam redimeret: fecitque ille imperatum, ſed ſeipſum jugulavit inſuper. [*Appian. ibid. cum lib. 5. pag. 673.*] Deillium verò (ſive Q. Dellium hiſtoricum) *ab Dolabellâ ad Caſſium tranſituram, ſalutem ſibi pactum fuiſſe, ſi Dolabellam occidiſſet*, in M. *Senecæ* Suaſoriâ primâ legimus.

Atque ita Dolabella Laodiceæ à Caſſio mori coactus eſt. [*Liv. lib. 121. Strabo, lib. 16. pag. 752. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 69. Dio, lib. 47. pag. 345. Oroſ. lib. 6. cap. 18.*] Cum quo & Marſus ſibi ipſe manus intulit, [*Appian. lib. 4. pag. 625.*] & legatus Dolabellæ M. Octavius. Eos, quanquàm Trebonium inhumatum projeciſſent, tamen ſepulturâ dignatus eſt Caſſius: quíque eorum caſtra ſecuti ſupererant, quanquàm fuerant ab iis qui Romæ erant hoſtes judicati, nihilominùs ſalute eos donavit impunitatéque. Neque Laodicenſes, præter impoſitam pecuniæ collationem, ullâ pœnâ affecit. [*Dio, ut ſupr.*] licèt eorum & fana & ærarium illum diripuiſſe, nobiliſſimum quemque affeciſſe ſupplicio, & à cæteris graviſſima tributa exegiſſe dicat *Appianus*; ita ut eam civitatem ad extremam redegerit miſeriam. [*pag. 625. & 626.*]

Dolabellæ exercitum ſacramentum ſibi dicere juſſit Caſſius. [*Appian. ibid. pag. 625.*] ac deinde Tarſum advenit. Et quum Tarſenſes jam Rufo deditionem feciſſent; omni eos publicâ privatáque pecuniâ mulctatos, alio ſupplicio nullo affecit. [*Dio, ut ſupr. pag. 345.*] Mulctam verò 1500. talentorum illis impoſuit graviſſimam. Unde illi præ inopiâ, quum milites violenter pecuniam exigerent, vendiderunt omnia ornamenta publica, atque ſacra etiam; concidentes tum ſercula pomparum tum donaria. Et quum ne hæc quidem ſufficerent, vendiderunt magiſtratus ingenua corpora; primùm virgines ac pueros, deinde mulieres & ſenes miſeros addictos minimo, poſtea juvenes. Ex quibus plerique mortem ſibi conſciverunt. [*Appian. ibid. pag. 626.*]

Quum poſt captam Laodiceam undique dynaſtæ concurrerent, munera & coronas Caſſio ferentes; Herodes expectabat daturum eſſe illic pœnas Malichum facinoris in patrem Antipatrum commiſſi. At ille circa Tyrum Phœnices ſuſpicione conceptâ, majora moliri cogitavit: & quia filius ejus obſes in eâ urbe ſervabatur, decrevit eam ingredi, & furtim illum in Judæam abducere; & dum bello contra Antonium occuparetur Caſſius, Judæorum gentem ad deficiendum à Romanis concitare, dejectóque Hyrcano ſibi regnum acquirere. Sed Herodes homo callidus intellecto ejus propoſito & ipſum & Hyrcanum cum comitibus ad cœnam invitavit. Deinde famulorum quendam inſtruendi convivii ſpecie præmiſit, re autem verâ ad tribunos, ut Malicho cum pugionibus occurrerent. Illi præceptorum Caſſii memores, egreſſi & nacti eum prope urbem in littore, confoderunt hominem. Quo facto Hyrcanus adeò eſt attonitus, ut obmutuerit. Tandem ægrè ad ſe reverſus, percontabatur Herodem quid hoc rei eſſet, & quis Malichum interfeciſſet. Et quum ex tribunis unus reſpondiſſet, juſſu Caſſii id eſſe factum: *Planè*, inquit, *& me & patriam meam Caſſius ſervavit incolumem; qui amborum inſidiatorem peremit.* Utrum autem ex animo dixerit, an quòd timore factum probaret, incertum eſt. [*Joſeph. libro 1. Belli, capite 9. & lib. 14. Antiquit. cap. 20.*]

Pridie Kalendas Quinctiles M. Lepidus (ob receptum M. Antonium) hostis à Senatu judicatus est, cæteræque qui una cum illo à republica defecerunt: quibus tamen ad tanitatem redeundi ante Kalend. Septembr. potestas facta est. Ita ad Lepidi affinem C. Cassium scripsit *Cicero*: [*lib.* 12. *ad familiar. epist.* 10.] hoc etiam addito. *Præclarè viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque nunquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulentâ republicâ, hic ex pace & victoriâ bellum excitavit.*

In eâdem quoque epistolâ ostendit *Cicero* acceptas fuisse Cassii litteras, Nonis Martiis ex castris datas; quibus Syriam se tenere, & expeditionem in Ciliciam adversùs Dolabellam parare, significaverat; sed de expeditionis illius successu & Dolabellæ casu nihil adhuc certi Romæ fuisse intellectum. Cæsari autem de reditu in gratiam, & Senatui similiter ut Brutus de præsenti statu rerum, ille scripserat: [*Dio, lib.* 47. *pag.* 343.] Ipse enim Brutus quoque, missis ad Cæsarem litteris, ut Antonio resisteret ac secum in gratiam rediret hortabatur. [*Id. ibid. pag.* 340.] licèt in suis ad Ciceronem litteris longè alios ille spiritus præ se tulerit. Nam quum scripsisset ad Cæsarem Cicero, *unum esse quod ab eo postuletur & expectetur, ut eos cives, de quibus viri boni, populúsque Romanus bene existimaret, salvos esse vellet*; stomachabundus Brutus sic ad Ciceronem rescripsit. *Quid si nolit? non erimus? Atqui non esse, quàm esse per illum, præstat. Ego, mediusfidius, non existimo tam omnes deos aversos esse a salute populi Romani, ut Octavius orandus sit pro salute cujusquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum.* (lib. ad Brut. epist. 16.)

Senatus de Cassii rebus certior factus, imperium Syriæ (quod jam tenebat) illi confirmavit, ac bellum contra Dolabellam (quem jam extinctum ignorabat) demandavit. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 343. & 344.] Atque ita omnia transmarina imperia Bruti & Cassii commissa sunt arbitrio; mandatúmque, ut quicquid provinciarum exercituúmque ab Ionio mari Orientem usque Romanis parebat, horum duorum mandata faceret: comprobatis quæ illi fecerant omnibus, laudatisque quicumque his se tradidissent exercitibus. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 62. *cum Appian. lib.* 3. *pag.* 567, 568.)

Octavianus, videns acta Senatûs manifestè spectare ad augmentum Pompeianarum partium & detrimentum Cæsarianarum, atque contumeliâ se affectum existimans, quòd non ipse sed Decimus Brutus electus esset imperator ad gerendum bellum cum Antonio, dissimulatâ ità triumphum ob rem in prælio Mutinensi feliciter gestam petiit. Contemptus autem à Senatu, quasi majora quàm pro ætate appeteret, veritus ne deleto Antonio magis etiam contemneretur; de redeundo cum eo in gratiam cogitare cœpit, juxta Pansæ morientis monita. [*Appian. lib.* 3. *pag.* 568. & 577.] quæ & per M. Lepidum cum eo reconciliata est. [*Liv. lib.* 119. *Oros. lib.* 6. *cap.* 18.]

Inter hos igitur tres, intercedentibus epistolarum commerciis, & conditionum in iis mentione factâ, potentiæ inita est societas, cùm Antonius & subinde Cæsarem admoneret, quàm inimicæ ipsi partes Pompeianæ forent & in quod jam emersissent fastigium, & quanto Ciceronis studio Brutus Cassiúsque attollerentur; denunciarétque se cum Bruto Cassióque, qui jam decem & septem legionum potentes erant, junctorum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concordiam: diceréteque plus Cæsarem *patris*, quàm se *amici* ultioni debere. Hortantibus etiam orantibúsque exercitibus, inter Antonium & Cæsarem facta est affinitas, privignâ Antonii desponsatâ Cæsari. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 65.] Claudiâ nimirum, Fulviæ ex primo marito P. Clodio filia vix dum nubili. [*Sueton. in Octavio, cap.* 62.]

Societate cum M. Antonio & M. Lepido ita initâ, Octavianus 400. milites Romam mittit, qui sibi nomine exercitûs depoſcerent Consulatum. Ubi cunctante Senatu, Cornelius centurio princeps legationis, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitavit in Curiâ dicere: *Hic faciet, si vos non feceritis.* Et coactus a suis militibus Octavianus, Romam cum iis contendit. [*Sueton. in Octavio, cap.* 26. *Appian. lib.* 3. *pag.* 582. *Dio, lib* 46. *pag.* 319.]

Dum in itinere ille erat, Prætores custodias certis locis urbis collocaverunt: & Janiculam militum præsidio quos ad urbem habebant duabúsque legionibus quæ ex Africâ advenerant, occupaverunt. Sed ubi ille urbem ingressus est, Prætores etiam è Janiculo descenderunt, seque & milites illi dediderunt: legionibus sponte signa ad eum transferentibus. [*Appian. ut supr. pag.* 584, 585. *Dio, pag.* 320.] Mense vero *Sextili, ex Janiculo legiones deductæ sacratæ sunt cum auspicia ac fidem:* ut in Senatusconsulto apud *Macrobium*, (*lib.* 1. *Saturnal. cap.* 12.) legitur.

Primo comitiorum Consularium die, Octaviano augurium captanti in campo Martio sex vultures apparuerunt: deinde creato Consuli, & ex rostris milites alloquenti iterùm sex, vel, ut alii volunt, duodecim se vultures, veluti Romuli auspiciis novam urbem condituro ostenderunt: unde & ejus monarchiam sibi obventuram ille sperabat. [*Julius Obsequens, de prodigiis. Sueton. in Octavio, cap.* 95. *Appian. lib.* 3. *pag.* 586. *Dio, lib.* 46. *pag.* 321.] Electus verò est ipse Consul cum quo volebat collegâ Quinto Pedio; qui portionem suam ex Julii Cæsaris hæreditate illi donaverat. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 65. *Appian. lib.* 3. *pag.* 506. *Dio, lib.* 46. *pag.* 320.)

Cùm annos XIX. haberet, Consulem creatum eum fuisse, dicit *Livius*. [*lib.* 119.] XX. ætatis anno Consulatum invasisse, rectiùs scripsit *Suetonius* (*in Octavio, cap.* 26.) & in libro 7°. *Eutropius*: quod & ex ipsius Octaviani Commentariis *Plutarchus* confirmat, ita scribens in *Bruto*. Τὰς δυνάμεις τῷ πόλει παρεσχόμας ὑπατείαν ἔλαβεν, ὥσπερ πάνυ μεμάλων ὢν, ἀλλ' ὑπερ ἐτος,

ἔτος, ὃς αὐτὸς ὁ τῶν ἀναγραμμάτων ἐφηῦρε. *Circumfuso Urbi exercitu Conſulatum accepit vix dum adoleſcens & vigeſimum annum agens; ut in Commentariis ipſe retulit.* Conſulatum iniiſſe, *prid. quàm viginti annos impleret, X. Kalendas Octobres*, ſcripſit Velleius Paterculus. (*lib. 2. cap. 65.*) Sed in die initi Conſulatûs annotando *Velleius* lapſus eſt: & menſis integer cum diebus quinque complendo vigeſimo Octaviani anno tum defuit. Neque enim menſe Septembri quo natus eſt; ſed *Sextili* primum Conſulatum illi obtigiſſe, indéque menſi illi *Auguſti* nomen fuiſſe inditum; ex Suetonio, (*in Octavio, cap. 31.*) Dione, (*lib. 55. pag. 552.*) & Senatuſconſulto à Macrobio producto, (*lib. 1. Saturnal. cap. 12.*) conſtat.

Et quidem 19. menſis Auguſti die, & primum Conſulatum illum iniiſſe, & vitâ exceſſiſſe, notavit *Dio.* [*lib. 56. pag. 590.*] Unde & curioſorum illa obſervatio apud Tacitum [*lib. 1. Annal. cap. 9.*] eſt nata: *quòd idem dies accepti imperii princeps, & vitæ ſupremus fuerit.* imperio non malè à primo hoc Conſulatu deducto: quem *& invito Senatu extorſit*, (ut apud *Taeitum* eſt, lib. 1. Annal. cap. 10.) & pro arbitrio depoſuit. quanquàm Senatui gratias ſe habere ille ſimulabat; ac quæ iis vi adactis adeptus fuerat ea, quaſi ab ipſis ultrò ſibi oblata, beneficium ſe putare fingebat. Senatores verò gloriabantur, quòd ea ipſi ſuâ ſponte contuliſſent: ac eidem præterea, quem paulò antè Conſulatu non dignabantur, id dederunt, ut etiam peracto conſulatu, quotieſcunque apud exercitum eſſet, Conſulibus cujuſque temporis honore anteiret. ac cui pœnam minati fuerant, quòd privato conſilio copias contraxiſſet, eum alios etiam exercitus parare juſſerunt; & cujus ignominiâ afficiendi opprimendique causâ, bellum Decimo Bruto contra Antonium mandaverant, & Bruti quoque legiones adjecerunt. Denique & Urbis ei cuſtodia commiſſa eſt; útque facultatem haberet, etiam præter legum præſcripta, agendi omnia quæ vellet conceſſum. [*Dio, lib. 46. pag. 321.*] Atque hoc imperium, quod uſque ad vitæ exitum retinuit, per annos integros 56. ille geſſit. Ut non ſine causâ M. Brutus hâc de re Ciceronem ita præmonuerit. [*in lib. ad Brut. epiſt. 4.*] *Timeo ne Cæſar tuus altiùs ſe aſcendiſſe putet decretis tuis, quàm inde, ſi Conſul fallus ſit, deſcenſurum.*

Octavianus, non contentus priore adoptione per teſtamentum Julii Cæſaris factâ, per plebiſcitum, (quod priore anno Conſul Antonius impediverat) lege curiatâ perlatâ, eam confirmandam curavit: indéque publicâ authoritate, *C. Julii Cæſaris Octaviani* nomen uſurpavit. [*Appian. lib. 3. pag. 586. Dio, lib. 46. pag. 321, 322.*]

Mox aliâ lege latâ Dolabellam (de cujus morte nuntius adhuc Romam non pervenerat) à Senatu priùs hoſtem judicatum abſolvit; & de Cæſaris nece judicia conſtituit. [*Appian. ibid.*] Quâ in re, ne vi, ſed jure agere exiſtimaretur; legem Pediam tulit Q. Pedius ejus in Conſulatu collega: quâ omnibus, quorum operâ Cæſar interfectus fuerat, damnatis aquâ ignique interdicebatur, eorúmque bona publicabantur. [*Liv. lib. 120. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 69. Sueton. in Nerone, cap. 3. Dio, lib. 46. pag. 322.*] Accuſatorem appoſuit M. Bruto, L. Cornificium, C. Caſſio, M. Agrippam: qui abſentes, indictâ causâ, damnati ſunt. [*Plutarch. in M. Bruto.*] Capitone Velleii Paterculi hiſtorici patruo, viro ordinis ſenatorii, Agrippæ ſubſcribente in C. Caſſium. [*Vellei. ut ſupr.*]

Decimus Brutus, inter perculſores Cæſaris cum his etiam abſens damnatus, juſſu M. Antonii in domo hoſpitis cujuſdam, nobilis viri nomine Camelii, à Capeno Sequano ſeſquianno poſt interemptum Cæſarem jugulatus eſt. [*Liv. lib. 120. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 64. Appian. lib. 3. pag. 588. Oroſ. lib. 6. cap. 18.*] Quem licèt excellere hoc genere virtutis dixerit Cicero; [*lib. 11. ad familiar. epiſt. 21.*] *ut nunquam extimeſceret, nunquam perturbaretur*: in morte tamen ſubeundâ pudendum timorem prodidiſſe, in epiſt. 82. declarat *Seneca.* Quem timorem ut illi demeret, Helvius Blaſio quidam, qui propter communem militiam eum amore proſequebatur, ſeipſum eo inſpiciente interfecit; ſuo cum exemplo ad tolerandam necem animans. [*Dio, lib. 46. pag. 325.*] Interfecti verò Bruti caput Camelius ad Antonium miſit: quod inſpectum ille ſepeliendum ſuis tradidit. [*Appian. ut ſupr.*]

Hic ſecundus poſt Trebonium Cæſari pœnas dedit: cujus cùm primus omnium amicorum fuiſſet, interfector fuit; cenſebátque æquum, quæ acceperat à Cæſare retinere, Cæſarem qui illa dederat periſſe. Cæſare verò vivo, Magiſter ejus equitum ille fuit, & ulteriori Galliæ præfuit; deſignatus ab eo Conſul, in annum poſt Hirtii & Panſæ conſulatum proximum, ſimúlque rector citerioris Galliæ. [*Vellei. Paterc. & Appian. ut ſupr.*]

Per idem tempus & Minutius Baſillus, æquè unus è perculſoribus Cæſaris, à ſuis ſervis necatus eſt; quia ex eis aliquot iratus caſtraverat. (*Appian. & Oroſ. ut ſupr.*)

3962 M. Brutus, quum exercitum à C. Antonio ad ſeditionem concitatum pacaviſſet, ipſúmque Antonium in cuſtodiâ Caii cujuſdam Clodii Apolloniæ reliquiſſet, cum maximâ ac validiſſimâ exercitûs parte in ſuperiorem Macedoniam abiit: ac deinde hinc in Aſiam tranſmiſit, ut ſuos milites quàm longiſſimè ab Italiâ ſeductos, ibi ex ſubditorum opibus aleret. Atque in Aſiâ tum alios auxiliarios ſibi paravit, tum Dejotarum; quanquàm & extremâ ſenectute virum, & qui priùs auxilium Caſſio negaverat. (*Dio, lib. 47. pag. 340, 341.*)

M. Antonius & M. Lepidus, relictis in Galliâ legatis, in Italiam ad Cæſarem cum maximâ atque optimâ exercitûs parte profecti ſunt. (*Dio, lib. 46. pag. 325.*) Quorum trium contractis ad Bononiam copiis, aquila teutorio Cæſaris ſuperſedens, duos corvos hinc & inde infeſtantes ad terram affixit: notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas diſcordiam talem qualis eſt ſecuta, & Cæſaris de duobus aliis victoriam præſagiente. (*Id. lib. 47. pag. 328. Sueton. in Octavio, cap. 96.*)

Hi tres apud Confluentes, circa Bononiam & Mutinam in parvâ quâdam inſulâ Lavinio fluvio circumfuſâ, per tridui ſpatium privatim collocuti, pacem ita inter ſe fecerunt, ut Reipublicæ conſtituendæ ſimul per quinquennium præeſſent. (*Liv. lib. 120. Florus, lib. 4. cap. 6.*

Digitized by Google

3962 *Plutarch. in Cicerone, & Antonio. Appian. lib. 4. pag. 589. 590. Dio, lib. 46. pag. 325, 326.*)

Ibi de communi sententiâ hæc statuerunt. Ut Cæsar consulatum in reliquum anni Ventidio traderet: & ut novus magistratus Triumvirorum ad tollendas civiles dissensiones crearetur, eúmque Lepidus cum Antonio Cæsaréque in quinquennium consulari potestate gereret. Ut triumviri confestim in quinquennium urbanos magistratus annuos designarent: provincias verò ita partirentur, ut Antonius haberet universam Galliam, tam Togatam cis quàm Comatam trans Alpes, exceptâ Narbonensi provinciâ; huic Lepidus præesset una cum Hispaniâ; Cæsari obveniret utraque Africa cum Sardiniâ & Siciliâ. Atque ita Imperium Romanum in triumviros divisum est: dilatis in aliud tempus transmarinis aliis provinciis, quibus Brutus & Cassius tum præerant. Præterea compositum inter ipsos est, ut inimicos suos cæderent: útque Lepidus loco Decimi Bruti in sequentem annum Consul designaretur, Romámque & totam Italiam in custodiâ haberet; Antonius verò & Cæsar contra Brutum & Cassium bellum moverent. (*Appian. lib. 4. pag. 590. Dio, lib. 46. pag. 326.*)

Romam deinde Triumviri triduo ingressi sunt, seorsim quisque cum suâ prætoriâ cohorte, & legione unâ: advocatáque concione Publius Titius tribunus plebis legem tulit de novo magistratu creando, ut Triumviri constituendæ Reipublicæ præessent in quinquennium cum potestate consulari. [*Appian. ibid. pag. 592, 593. Dio, lib. 47. pag. 328.*]

M. Cicero sub adventum Triumvirorum cessit Urbe: pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quàm Cæsari Cassium & Brutum posse. (*Livius; apud Senecam, in orat. Suasoriâ 7.*)

M. Æmilius Lepidus, M. Antonius & Cæsar Octavianus, V. Kalend. Decembr. Triumviratum inierunt: eundem *ad prid. Kalendas Januar. sextas* (sive sexti anni consequentis) continuandum: ut ex lapide Colotiano liquet. (*in Inscript. Gruteri, pag.* CCXCVIII.) Quo tempore novam *Tricipitinam* exortam M. Terentius Varro vidit. Indéque initium principatûs Cæsaris Octaviani Suetonius (*in Octavio, cap.* 8.) & Eutropius (*libro* 7.) deducunt: annos ferè XII ad victoriam Actiacam (à quâ monarchiam ejus auspicantur) numerantes; quibus menses propè tres deerant.

VII Idus Decembr. anni illius, quo Cæsar Octavianus in locum Pansæ & Hirtii se & Q. Pedium Consules suffecit, ab emissariis Antonii triumviri M. Cicero est occisus: ut ex Tironis, liberti Ciceronis, scriptis confirmat author Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, Corn. Tacito adscripti. Hunc vitæ exitum habuit ille, primus in togâ triumphum linguarque lauream meritus, & facundiæ Latiarúmque literarum parens: atque (ut Dictator Cæsar quondam de eo scripsit) omnibus triumphis lauream adeptus tantò majorem, quantò plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quàm imperii. [*Plin. lib. 7. cap.* 30.] De quo videnda quæ habentur apud *Velleium Paterculum, lib. 2. cap. 66. Senecam*, in Suasoriis, *oratione* VII, & *Plutarchum*, in *Ciceronis* sui fine.

Cleopatra Cassio, auxilia iterùm minaciter expetenti, suppetias non tulit. (*Appian. lib. 5. pag. 675.*)

Dum in Asiâ M. Brutus ageret, Gellius ei Publicola insidiatus est: in Macedoniâ autem C. Antonium Marcus frater, missis ad hoc negotium nonnullis, ex Bruti potestate eripere est conatus. Itaque C. Antonium Clodius illius custos relictus, quum salvum retinere nequiret, necavit: sive proprio usus consilio, sive Bruti jussu. Fertur enim Brutus, quum priùs summam salutis C. Antonii curam habuisset, pòst intellecta Decimi nece, eam abjecisse. Gellius autem insidiarum convictus, nullo supplicio est affectus. Nam quum eum semper inter primos amicum sibi Brutus duxisset, ac M. Messalam fratrem ejus Cassio conjunctissimum sciret; missum fecit. [*Dio, lib. 47. pag. 341.*]

Brutus ubi primùm M. Antonii conatum ac mortem C. Antonii cognovit, veritus ne qui etiam alii se absente novi motus in Macedoniâ existerent, in Europam festinatò se recepit. (*Id. ibid.*]

Romæ Triumviri templum Serapidi & Isidi decreverunt. [*Ibid. pag. 336.*]

Quum Cæsar Octavianus Consulatu sese abdicasset, ejúsque collega (Q. Pedius) vitâ decessisset; P. Ventidium (Bassum) prætorem, cum alio quodam (C. Carrinate: ut ex lapide Colotiano, in Inscript. Gruteri, pag. CCXCVIII. intelligitur) Consulem triumviri creaverunt, prætúrámque ejus ædili cuidam tradiderunt: omnibúsque pòst prætoribus magistratum, quem quinque adhuc dies gesturi erant, abrogaverunt; iisque in provincias emissis, alios in eorum locum substituerunt. (*Ibid pag. 335.*) Quò referendum illud *Paterculi*, lib. 2. cap. 65. *Vidit hic annus Ventidium, per quam urbem inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in eâ hic annus Ventidium, per quam urbem inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in eâ Consularem prætextam jungentem Prætoria.* de quo, puero ducto in triumpho, videndus *Valerius Maximus* lib. 6. cap. 9. *Plinius*, lib. 7. cap. 43. & *A. Gellius*, lib. 15. cap. 4. ubi etiam addit, eum quum adolevisset victum sordidè quæsisse, comparandis mulis & vehiculis magistratibus qui sortiti provincias forent: indéque vulgo per vias Urbis versiculos hos perscriptos fuisse.

Concurrite omnes Augures, Aruspices,
Portentum insuetum conflatum est recens;
Nam mules qui fricabat, Consul factus est.

In ipso anni exitu, novi Consules designati triumphos egerunt: L. Munatius Plancus ex Galliâ, IIII Kalend. Januar. & M. Æmilius Lepidus Triumvir ex Hispaniâ, pridie Kalend. Januar. ut ex Fastis triumphalib. marmoreis liquet. [*in Inscript. Gruteri, pag.* CCXCVII.] Vid. *Vellei. Paterculi.* lib. 2. cap. 67. & *Appian.* lib. 4. pag. 607.

Anno Juliano quarto in Februario dies vitiosè intercalatus est: quum à Februario anni primi Juliani eousque triennii solùm spatium intercessisset. Qui error usque ad annum Julianum 37. deinceps est continuatus. nam cùm oporteret diem, qui ex quadrantibus confit, quarto quoque anno confecto antequàm quintus inciperet, intercalare: Sacerdotes quarto non peracto sed 4672 42

incipiente

incipiente intercalabant. Atque ita annus à Julio Cæſare rectè ordinatus, horum negligentiâ conturbatus atque confuſus eſt. [*Sueton. in Octavio, cap.* 31. *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 14. *fin.*]

M. Brutus, omnibus in Macedoniâ ſtabilitis, in Aſiam revectus eſt. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 341.] Et exercitu magnifico in eam deportato, claſſem in Bithyniâ & apud Cyzicum paravit. Pedeſtri itinere profectus civitates compoſuit, & dynaſtas audivit. [*Plutarch. in M. Bruto.*] Apuleium à Triumvirorum proſcriptione ad ipſum confugientem Bithyniæ præfecit. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 616.]

Feruntur Bruti epiſtolæ, Laconicâ brevitate ad Aſianos conſcriptæ: quas Græcè *Aldus*, Latinè à ſe verſas *Rainutius Florentinus* edidit. Earum tres in ejus Vitâ *Plutarchus* recitat: quarum prima ad Pergamenos, in vulgatæ collectionis cernitur principio; alia ad Rhodios, deinceps à nobis exhibebitur; tertia omnium breviſſima, in vulgata Græcâ ad Bithynos, in Latinâ Rainutianâ ad *Galatas*, apud Plutarchum verò ad *Samias* inſcripta, ita ſe habet. *Αἱ βουλαὶ ὑμῶν ἀλόγως, αἱ ἐνεργείαι βραδεῖαι. τί τούτων τέλος ἐσεῖσθε; Conſilia veſtra nullius penſi, obſequia tarda ſunt: quem eorum finem futurum eſſe exiſtimatis?*

Caſſius Ægyptum petere inſtituit, audito quòd Cleopatra magnâ claſſe navigaſſet ad Cæſarem & Antonium: cogitans ſe hoc modo eam impediturum ſimul & puniturum; atque etiam occupare cupiens fame afflictam, & externo milite penè vacuam, propter recentem Allieni cum quatuor Romanis legionibus diſceſſum. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 625. *cum lib.* 5. *pag.* 675.]

In hoc conatu ſperantem ſe occaſione bene uſurum, Brutus aliis poſt alios nuntiis in Syriam miſſis revocavit. [*Id. ibid. Plutarch. in M. Bruto.*] Sicque invitus à ſperatâ Ægypto diſtractus, equites ſagittarios non ſine muneribus ad Parthorum regem remiſit, legatóſque eis adjunxit, qui majora auxilia peterent. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 625.]

Caſſius, fratris filio cum unâ legione in Syriâ relicto, equites præmiſit in Cappadociam: qui Ariobarzanem repentè oppreſſerunt, quaſi inſidias ſtruxiſſet Caſſio; magnámque vim pecuniæ cum cætero apparatu ad Caſſium reportárunt. Tarſenſes verò miſerrimè oppreſſos è Syriâ revertens miſeratus Caſſius, immunes à tributis juſſit eſſe de cætero. [*Id. ibid. pag.* 626.] Sicque rebus in Syriâ ac Ciliciâ conſtitutis, in Aſiam ad Brutum profectus eſt. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 345. *fin.*]

Poſtquàm Caſſius exceſſit è Syriâ, ſeditio Hieroſolymis exorta eſt. Felix enim cum militibus ibi (à Caſſio) relictus, Malichi necem vindicaturus, in Phaſaëlum fecit impetum: & populus arma corripuit. Erat tum Herodes apud Fabium Damaſci præſidem: & volens fratri ſuccurrere, morbo præpeditus eſt. Phaſaëlus tamen per ſe ſuperatum Felicem in turrim primùm compulit; atque incolumitatem deinde pactum abire paſſus eſt. Cum Hyrcano verò expoſtulavit graviter, quòd poſt accepta multa à ſe beneficia, & Felici ſtuduiſſet, & fratrem Malichi caſtella occupare permiſiſſet. Non pauca enim tunc ille tenuerat, & inter cætera Maſadam longè munitiſſimum. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 10. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 20.]

Caſſium & Brutum convenientes ad Smyrnam magna voluptas & fiducia ex præſentibus utriuſque viribus inceſſit. Nam quum ex Italiâ abjectiſſimorum exulum modo fuiſſent profecti inopes atque inermes; quibus nulla inſtructa navis, non unus miles, non opidum erat: haud multo interpoſito ſpatio coierunt claſſe, peditatu, equitatu, ſtipendio inſtructi ad decertandum de Romano Imperio. Parem volebat Caſſius honorem habere & tribuere Bruto: verùm occupavit Brutus plerunque ad eum ventitans; quòd & ætate Caſſius eſſet ſuperior, & corpore minùs ad laborem ferendum comparatus. [*Plutarch. in M. Bruto.*]

Hìc verò uterque futuri adversùs Triumviros belli conſilia ordinavit. [*Liv. lib.* 122.] Et cenſebat quidem Brutus conjunctis copiis eundum in Macedoniam, ut de ſummâ rerum decernerent: jam enim apud hoſtem eſſe legiones 40. ex quibus octo tranſportatæ fuerint per mare Ionium. E diverſo Caſſius contemnendas cenſebat hoſtium copias, egeſtate laboraturas præ nimiâ multitudine: debellandos potiùs fautores adverſæ factionis, Rhodios ac Lycios, potentes claſſibus; ne ſe in hoſtem converſos à tergo invaderent. Et hæc vicit ſententia. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 626.] Triumviros enim adhuc rebus Romæ componendis intentos fuiſſe acceperunt: & Sexto Pompeio in propinquâ Siciliâ adversùm eos ſtationem ſervante, occupatos fore judicaverunt. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 346.]

Porro Smyrnæ tunc Brutus partem ferre pecuniæ, cujus magnam vim coëgerat Caſſius, poſtulavit. Se enim quicquid habuiſſet impendiſſe oſtendit in parandam claſſem, quâ totum internum mare eſſent in poteſtate ſuâ habituri. Sed ne daret Caſſius obſiſtebant amici ejus; negantes æquum eſſe ut quæ ipſe parcendo ſervaret, & conflaret cum invidiâ, ea ille in milites demulcendos effunderet. Attamen impertivit ei tertiam partem omnium: iterúmque ad ſua uterque munera ſunt digreſſi. [*Plutarch.*]

Ipſi igitur circumeuntes, aut legatos ſuos emittentes, eos qui nondum ſecum in eandem ſententiam venìſſent, ſuas in partes traduxerunt; pecuniámque & milites contraxerunt. Hoc agentibus alii omnes, qui in iſtis terræ partibus agebant, ac priùs de ſocietate compellati non fuerant, ſtatim acceſſerunt. Ariobarzanes tantùm, & Rhodii Lyciique, etſi non reſiſtebant, ſocietatem tamen detractavere. Eos Brutus ac Caſſius ſuſpicati adverſæ parti cupere, quòd eſſent beneficiis à ſuperiore Cæſare affecti, veritíque ne quid ſe abſentibus moverent, ac reliquos etiam ad mutandam fidem concitarent, primò omnium ſibi aggrediendos eſſe ſtatuerunt: ſperantes ſe eos, quibus & armis longè eſſent ſuperiores, & beneficia liberaliter conferrent, facilè aut ſuadendo aut vi ad ſuam amicitiam perducturos. [*Dio, ut ſupr.*]

Ut convaluit Herodes, contra fratrem Malichi profectus, caſtella ab illo occupata recepit; ipſúmque ex Maſadâ ſupplicem & incolumitatem pactum dimiſit. Tres quoque arces, à Marione Tyriorum tyranno in Galilæâ occupatas, idem recepit, & præſidiariis Tyriis vitam con-

ceſſit

ceſſit omnibus : nonnullos etiam donatos abire juſſit , unà & ſibi civitatis benevolentiam & tyranno comparans odium. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli , cap.* 10. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 20, 21.]

A triumviris Tarſenſes , qui Caſſio reſtiterant , laudati ſunt : ſpéſque eis facta , fore ut pro iis quæ amiſerant aliquid reciperent. Ab iisdem quoque Cleopatra , propter auxilia Dolabellæ ſummiſſa , impetravit ; ut ejus filius , Ptolemæi nomen gerens , quem è Cæſare ſe peperiſſe ferebat & propterea Cæſarionem cognominaverat , Ægypti rex diceretur. [*Dio , lib.* 47. *pag.* 345.]

Brutus à Lyciis pecuniam & milites poposcit. Verùm quòd Naucrates concionator (*Αυαγωγὸς*) civitates ad defectionem impuliſſet , & tumulos aliquot illi ad excludendum tranſitu Brutum inſediſſent : primò immiſit in prandentes equitatum , à quo interfecti 600 ſunt. Inde captis arcibus & ignobilioribus opidis , omnes , ut gentem conciliaret benevolentiâ , ſine pretio dimiſit. Illi præfracti ob damna quidem accepta infenſi fuere ; clementiam verò & humanitatem ejus deſpexere. [*Plutarch. in Bruto.*]

Communem totius gentis Lyciorum exercitum , in finibus ejus regionis ſibi oblatum , Brutus prælio vicit : ac cum fugientibus in caſtra irrumpens , eodem momento iis potitus eſt ; & urbes pleraſque deditione accepit. (*Dio , lib.* 47. *pag.* 347.)

Bellicoſiſſimos deinde quoſque eorum intra muros Xanthi coactos obſedit. [*Plutarch.*] Illi ſolo æquatis ſuburbiis , ne Bruto aut receptaculum præberent aut materiem , & civitate circumquaque communitâ , hoſtem arcebant à munitionibus , freti foſſâ 50. pedes profundâ , latâ verò proportione altitudinis ; ita ut in ejus margine ſtantes jaculis urerentur & ſagittis , haud ſecùs ac ſi flumine dirimerentur nuſquam vadis pervio. Per eam foſſam dum Brutus conatur evadere , operarios pluteis tegebat : partitúſque exercitum in diurnas ac nocturnas oppugnationis vices , materiem è longinquo , ut fit quando ſeriò res agitur , magno ad celeritatem urgentium clamore comportabat ; nihil ad ſummam contentionem laborémque ſibi reliquum faciens. Quamobrem licèt primùm videretur , aut nihil effecturus prohibentibus hoſtibus , aut vix poſt multos menſes expugnaturus , tamen intrà paucos dies abſolvit negotium. Incluſos enim & è mœnibus pugnantes partim machinis oppugnabat eminùs , partim admotis ad portam cohortibus , quas ubique mutabat continuè. Illi recentibus ſemper feſſi ac ſaucii reſiſtentes durabant tamen , quamdiu non deſtituerentur munitionibus. Ut verò & illæ corruerunt , & turres machinis perfractæ ſunt ; Brutus id quod futurum erat animo percipiens , juſſit portarum obſeſſores abſcedere : quod Xanthii rati factum cuſtodum negligentiâ , noctu cum facibus eruptionem fecerunt in machinas. Accurrentibus autem ex compoſito Romanis cohortibus , illi confeſtim ad portam refugiebant : quam jam cuſtodes clauſerant , timentes ne hoſtis ſimul cum fugientibus irrumperet. Ibi excluſorum magna ſtrages eſt edita. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 633, 634.]

Amnis urbem præterfluebat. Hunc ſub aquâ tranantes fugam capiebant. Verùm excepti retibus fuerunt tranſverſo alveo in altum demiſſis : quorum in ſummo tintinnabula appenſa illicò irretitum nunciabant. [*Plutarch. in Al. Brute.*]

Eruperunt rursùm Xanthii circa meridiem repulſis ſtationariis , incenderúntque univerſas machinas : quúmque porta tunc pateret propter caſum præteritum , cum opidanis irruerunt Romanorum circiter duo millia , irruentibúſque confertim cæteris , porta ferrata repentè in eos decidit ; ſive Xanthiorum operâ , ſive ſponte abruptis per quos demittebatur funibus. Itaque Romani quotquot irruperant , partim oppreſſi ſunt , partim intercluſi , quum non valerent eam abſque funibus ſubducere : petitíque ſupernè à Xanthiis , vix tandem in propinquum forum evaſerunt. Ibi graviter infeſtati à ſagittariis , quum ipſi nec arcus ullos haberent nec jacula , in Sarpedonis ædem ne circumvenirentur refugerunt. Interèà Romani qui excluſi ſunt , de interceptis anxiè ſoliciti , Bruto circumcurſante , locis omnibus nihil non tentabant ; quum nec portam ferratam quirent diffringere , & ſcalas ac ligneas turres amiſiſſent incendio : attamen alii ſcalas faciebant extempore , alii cervos admoventes mœnibus pro ſcalis eis utebantur , quidam uncos addentes reſtibus ejaculabantur in mœnia , & quoties aliquis infixus hæreret ſubrepebant per eas. [*Appian. ut ſupr. pag.* 634.]

Oenandenſes autem vicini hoſtes , & ideò tunc Bruti ſocii , per abrupta ſaxorum ſcandebant : quos mox Romani laboriosè æmulati ſunt ; & multis dilapſis fallente veſtigio , nonnulli ſuperatis mœnibus aperuerunt portulam , ante quam vallum erat ex denſis præacutis ſudibus. His adjuvantibus audaciſſimus quiſque tranſcendebat , donec jam auctі numero portam aggreſſi ſunt diffringere , nullis intùs munitam laminis ; foris quoque aliis pari conatu ex adverſo idem agentibus. Quúmque Xanthii magno clamore eos qui ad Sarpedonis refugerant invaderent : hi qui intùs & foris portam diffringebant illis metuentes , tanto furoris impetu eam perfregerunt , ut uno agmine occidente jam ſole irrumperent ; editâ ingenti conclamatione , ut hoc ſignum eſſet his qui intercluſi fuerant. [*Ibid. pag.* 634, 635.]

Irruentes in urbem Romani , ignem domibus nonnullis immiſerunt. Id incendium primos perterruit eos in quorum oculis res gerebatur ; & iis qui longiùs aberant captæ prorsùs urbis opinionem præbuit. Itaque vicini ſuis quoque ultrò reliquis domibus inflammatis , major pars ſe invicem interfecerunt. [*Dio , lib.* 47. *pag.* 347.] Intra privatas enim ædes ſuas ſeſe recipientes , charisſimum quemque necabant ultrò præbentem jugulum. Exortóque ejulatu maximo , Brutus putans direptiones fieri , militem per præcones cohibuit. Ut verò exactiùs rem cognovit , miſeratus virorum ad libertatem natorum generoſam indolem , ad pacem eos invitavit per nuncios : quos illi telis immiſſis repulerunt ; & contrucidatis priùs ſuis omnibus , atque in rogos compoſitis , ſubjectâ flammâ poſtremò ſe ipſi jugulaverunt. Ita Appianus. [*ut ſupr. pag.* 635.] Plutarchus verò hunc in modum.

Timens urbi Brutus , imperavit militibus ut ignem extinguerent & opem ferrent urbi. At

Lycios

Lycios ingens subitò invasit & incredibilis ad desperationem ardor, quem maximè mortis desiderio compares. Nam cum pueris & mulieribus liberi & servi omnis ætatis hostes petebant ex muris eos qui ad reprimendum succurrebant incendium. Ipsi arundinem & omne igni aptum fomentum ingerentes trahebant in urbem flammam; eique quamvis materiam subjiciebant, atque eam omnibus modis excitabant augebántque. Postquàm diffusa flamma & urbem undique amplexa ingens cluxit; anxius eâ de re Brutus circumvectus foris muros est ad opitulandum, manúsque ad Xanthios porrigens precabatur, urbi ut parcerent eámque conservarent. Verùm nemo auscultabat ei, imò perdebant omnibus modis semetipsi: non viri modò & fœminæ, sed parvi etiam pueri cum vociferatione & ululatu partim insiliebant in ignem, partim supernè præcipitabant sese ex muro; pars parentum gladiis nudos afferebant jugulos, hortabantúrque ut eos cæderent. Conspecta est urbe absumptâ dependens ex laqueo mulier quæ mortuum puerum ex collo suspensum haberet, & ardenti face inflammaret domum. Quod quum spectaculum appareret tragicum, non sustinuit id Brutus contemplari: sed ubi nunciatum ei est illacrymavit, præmiúmque pronuntiavit militibus, quisquis hominem Lycium servasset. Centum quinquaginta duntaxat memorant fuisse qui non refugerent salutem. Hæc *Plutarchus*.

Xanthiorum mancipiis tantùm potitum fuisse Brutum, scribit *Appianus*; ex ingenuorum verò numero, vix 150. mulierculis, quibus viri percussores defuerant. Additque sacras ædes ab incendio servavisse eum quotquot poterat. [*pag.* 635.]

Brutus inde ad Patara descendit urbem quæ navale Xanthiorum videri poterat; obsessisque denuntiavit ut imperata omnia facerent, aut cladem qualis Xanthiorum fuit expectarent. Sed pacem ita offerenti cives non parverunt. Servi enim libertatem, pauperes liberi novas tabulas nuper consecuti, pacificationi obstabant. Itaque Brutus captivos Xanthios, quòd pleríque horum cum Patarensibus affinitas intercedebat, iis misit; qui deploratâ suâ fortunâ hortarentur eos ad meliora consilia. Qui quum nihilo magis à proposito deducerentur, quamvis unicuique eorum suos necessarios dono dedisset, ejus diei reliquum ad deliberandum eis concessit, atque ita abiit: sequente verò mane reduxit eò copias. [*Appian. ibid. Dio, lib.* 47. *pag.* 347.] Et catastam sub ipso muro in tuto loco constituens, Xanthiorum captivorum primores singillatim productos vendidit; si fortè hoc Patarenses movere posset. Qui cùm ne sic quidem se dederent, paucis venditis, cæteros missos fecit. [*Dio, ibid.*]

Quum Patarensium fœminas captivas Brutus teneret, has etiam missas fecit sine pretio. Quæ ubi viris & parentibus suis, illustribus hominibus, exposuerunt, vicum Brutum esse moderatissimum & justissimum; persuaserunt eis ut cederent; & traderent ei opidum. [*Plutarch.*] Ingressus verò ille, nec supplicio quenquam affecit, nec egit in exilium: sed aurum omne argentúmque publicum ad se deferri jussit; privatorum quoque exegit à singulis, mulctâ propositâ contrà facientibus & invitatis indicibus præmio. [*Appian. pag.* 636.]

Hic servus quidam aurum à domino abditum prodidit, & centurioni ad id misso indicavit. quúmque omnes ducerentur, dominus siluit; mater verò illius, ut eum servaret, sequebatur clamans à se aurum absconditum: servus super eâ re non interrogatus, alteram mentiri, alterum aurum celasse coarguit. Brutus laudatâ tum juvenis patientiâ, tum matris pietate, ambos cum auro dimisit incolumes: servum qui præter æquum heris insidias struxerat, in crucem egit. [*Id. ibid.*]

Eodem tempore & Lentulus missus Andriacam, quod Myrensium navale est, rupeâ carenâ quà os portûs claudebatur, Myrensium prætorem cepit. Quem cùm Brutus dimisisset, Myrenses imperata fecerunt & impositam pecuniam solverunt. [*Appian. & Dio, ut supr.*] Eodémque modo universa Lyciorum natio parvo temporis spatio recepta est: missíque ad Brutum legatis, auxilium & pecunias pro facultatibus est pollicita. Quem benignum & præter spem experti illi sunt indulgentem. Xanthiorum enim ingenuis corporibus domum remissis, 150 tantùm talenta imperavit Lyciis, neque re ullâ eos aliâ violavit. [*Plutarch. Appian. Dio.*]

Atque ita Brutus Lycios devicit. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 70.] Inter cujus epistolas & hæc ad *Rhodios* fertur. *Xanthios, quum à nobis defecissent, extremo supplicio affecimus. Nam usque ad parvulos omnibus casis, eorum urbem igne & ferro diruimus. Patarensibus, quia fidi nobis extiterunt, tributa relaxavimus, ac liberos & sui juris esse concessimus: atque pro restauratione eorum, qua demolita erant, quinquaginta talenta dono dedimus. Licet & vobis consulere ac videre, utrum vos pro hostibus quemadmodum Xanthii, an pro amicis ceu Patareni, haberi velitis.* Ea apud Plutarchum, multò contractior, ita legitur. *Xanthii beneficium meum despicientes, desperationis sua habuerunt patriam sepulchrum. Patarenses, qui se in fidem meam contulerunt, nusquam desiderant in administrandis rebus suis libertatem. Itaque licet vobis quoque vel Patarensium judicium vel fortunam legere Xanthiorum.*

Rhodiorum quotquot dignitate præstabant, timebant certaturi cum Romanis, at vulgus sibi placebat, memor veterum victoriarum de viris longè aliis. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 627.] Tantum enim rei nauticæ illi fidebant, ut ad Cassium in continentem quoque priores adnavigaverint, eique compedes ostenderint, quas secum attulerant, tanquam multos hostium vivos capturi. (*Dio, lib.* 47. *pag.* 346.]

Cassius, quia cum rei navalis peritissimis ei res erat, naves ornatas completásque milite apud Myndum exercuit. Eò legatos ad eum miserunt Rhodii qui rogarent, ne vel Rhodum contemneret, quæ semper contumelias suas ulta sit; vel fœdera icta inter Romanos & Rhodios, quibus diserte cautum sit, ne alter populus alterum armis impetat. Miserunt ad eum etiam legatum Archelaum, quo ille Rhodi in Græcis literis præceptore quondam usus fuerat, demissiùs hoc ipsum roganturum. Quibus à Cassio est responsum, priùs à Rhodiis fœdus esse violatum, arma pro Dolabellâ contra ipsum ferentibus; eámque ob rem illos pœnas daturos, nisi confestim imperata facerent. [*Appian. pag.* 626. 627, 630.]

Hoc reſponſum magis etiam prudentiores cives terruit: populus verò agitabatur Alexandri & Mnaſeæ concionibus, memorantium quantò pluribus navibus Mithridates Rhodum invaſiſſet, & ante illum Demetrius, reges potentiſſimi. Quamobrem Alexandrum Prytanim creârunt, qui magiſtratus apud eos plurimùm pollet imperio: Mnaſeas claſſi præfectus eſt. [*pag.* 627, 628.]

Alexander & Mnaſeas Rhodiorum ductores, cum 33. ſelectis navibus Myndum petierunt, ut Caſſium terrerent hâc audaciâ: & ſuberat fortè ſpei nonnihil, quòd Mithridarem circa idem opidum aſſecuti, viſi ſunt habuiſſe felicem belli exitum. Itaque oſtentatâ remigandi peritiâ, primo die Cnidum diverterunt: ſequenti verò contra adventantes ex alto Caſſianos à littore ſolverunt. [*pag.* 627, 630.]

Hic verò pugnatum eſt utrinque acerrimè. Rhodii navigiis agilibus ultrò citróque diſcurrentes, modò penetrabant adverſos ordines, modò circumveniebant. Romani contrà innixi navibus gravioribus, quoties aliquam prehendebant injectis ferreis manibus, majore vi prævalebant, ut in terreſtri prælio. Sed quia Caſſius ſuperabat navium numero, non diu Rhodii potuerunt celeritate ſolitiſque artibus adverſarios eludere. Nam quum à fronte tantùm impetus facerent, móxque ſe reciperent, parum proficiebant, in arctum ſe cogentibus hoſtibus: roſtrorum quoque ictus contra graviores Romanas erant invalidi. Ediverſo Romanæ illas leviores repercutiebant indeflexo impetu: donec tres Rhodiæ, ita ut erant milite plenæ, captæ ſunt; duæ perfractæ ſubſederunt, reliquæ malè mulctatæ Rhodum refugerunt. (*pag.* 630.)

Hoc eventu ad Myndum Romana claſſis cum Rhodiâ conflixit. [*Ibid. cum Dione, pag.* 346.] Quam pugnam è monte ſpectavit Caſſius: móxque ſartis navibus petiit Loryma, quod in adversâ continente Rhodiorum caſtellum eſt; unde onerariis terreſtres copias tranſvexit in inſulam ductu Fanii & Lentuli. Ipſe 80 longis navibus ad terrorem inferendum ornatis, tam mari quàm terrâ obſeſſis Rhodiis, quieſcebat, expectans ſi fortè hoſtes ferociam remitterent. [*Appian. pag.* 631.]

At illi audenter occurrerunt denuò. Quos Caſſius Statii (Murci) operâ ſuperavit; magnitudine ac numero navium ipſorum peritiam vincens. Et tunc, duabus navibus amiſſis, clauſi ſunt undique. [*Id. ibid. Dio, pag.* 346.]

Mox armatis tota mœnia completa ſunt; qui pariter arcerent & Fanium à terrâ oppugnantem, & Caſſium à mari claſſem admoventem, non imparatam infeſtandis mœnibus. Præcogitans enim tale aliquid Caſſius, afferebat ſecum turres plicatiles; quæ tum excitatæ ſunt. Ita Rhodus, bis infeliciter tentato navali prælio, terrâ marique oppugnabatur; imparata, ut in caſu inopinato, ad ſuſtinendos impetus: unde apparebat brevi venturam in poteſtatem hoſtium, vel armis vel fame victam. Nec latuit hoc prudentiores Rhodios, intercedentibus inter eos & Fanium Lentulúmque colloquiis: quum ſubitò Caſſius in mediâ urbe cum lectiſſimo quoque conſpectus eſt, nec ſcalis uſus, nec ullâ externâ vi admotâ. Creditum eſt clàm apertas ei minores portulas à civibus conjunctis privatâ gratiâ; ne urbs miſerabiliter deleretur. [*Appian. pag.* 631.]

Hic, C. Caſſius * (nunquam ſine præfatione publici parricidii nominandus;) ut ait *Valer. Max.* (*lib.* 1. *cap.* 8.) ✤ Rhodiis regem ipſum & dominum appellantibus reſpondit: *Neque rex ſum neque dominus, ſed domini & regis interfector & ultor.* [*Plutarch. in M. Bruto.*] Pro tribunali verò ſub haſtâ præſedit; quòd vellet videri urbem armorum vi cepiſſe: juſſóque exercitu quieſcere, & per præconem mortem interminatus violentis ac raptoribus, ipſe nominatim citatos circiter 50. cives Rhodios ad mortem duci juſſit, alios 25. nuſquam comparentes exilio mulctavit. (*Appian. pag.* 631.]

Navibus deinde Rhodios & pecuniâ ſpoliavit. Quicquid enim auri argentíque in ſacro aut publico fuit, id omne corraſit: etiam donariis omnibus, præter currum Solis, abreptis. [*Appian. ibid. Dio, pag.* 346.] * indéque etiam orantibus Rhodiis, ne ab eo cunctis Deorum ſimulachris ſpoliarentur; *Solem à ſe relinqui reſpondit.* Illius enim effigiem tantummodò ſupplicibus ceſſerat. [*Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 5.] ✤ Privatim deinde à dominis, quod quiſque auri & argenti haberet, ad præſtitutam diem proferre juſſit, denuntiato per præconem ſupplicio, ſi quis aliquid occultaret: indicibus verò in præmium propoſitâ parte decimâ, & ſervis libertate. Illi primùm celabant plerique, ſperantes fore ut intra verba minæ conſiſterent: deinde poſtquàm viderunt indicibus repræſentari præmia, petierunt prorogari ſibi terminum, quo impetrato, alii ex terrâ effodiebant condita, alii hauriebant è puteis, alii rurſùm è foveis proferebant multò plura quàm anteà. [*Appian. pag.* 631, 632.] Cúmque ita ad octo talentûm millia à privatis extorſiſſet: publicè mulctavit civitatem quingentis aliis. [*Plutarch. in M. Bruto.*] Rhodiis præter vitam nihil relinquens. (*Oroſ. lib.* 6. *cap.* 18.]

Sic igitur acri atque proſpertimo bello Caſſius Rhodum, rem immanis operis, cepit. (*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 70.] Qui lætus & expugnatione celeri & pecuniarum copiâ, Lucium Varum Rhodiis præſidio reliquit. [*Appian. pag.* 632.] Ariobarzanem deinde comprehenſum occidit. (*Dio, pag.* 346 *fin.*) & omnibus Aſiæ provinciis decem annorum tributa imperavit; eáque abſque ullâ remiſſione exegit. [*Appian. pag.* 632.]

Tum nunciatum Caſſio eſt, Cleopatram ingenti claſſe & magno apparatu navigare ad Cæſarem & Antonium. Secuta enim jam antè illas partes propter majorem Cæſarem, tunc longè propenſior in eas facta eſt propter formidinem quâ ſibi metuebat à Caſſio. Ad eam invadendam, Murcum unâ cum fortiſſimâ legione & ſagittariis quibuſdam impoſitum in 60. naves tectas, Caſſius in Peloponneſum miſit; ut ſtationem haberet circa Tænarum promontorium. Cleopatra verò, contempto Caſſio Murcíque ſtationibus, versùs mare Ionium navigavit. Sed tempeſtate in Africæ littore ejus claſſis eſt afflicta; ejúſque naufragii ſigna undis uſque regionem Laconicam ſunt delata: ipſáque Cleopatra in morbum conjecta domum rediit. (*Appian. lib.* 4. *pag.* 632. *&* 636. *cum lib.* 5. *pag.* 675.)

Inter

Inter Bruti epistolas, de ipsius & Cassii victoriis hæc legitur, tanquam ad *Cos* missa. *Rhodus quidem Cassio jam servit; civitas sanè magis audax quàm propriis viribus firma existens. Lycia verò nobis universa paret: partim bello domita, partim ne extrema subiret. Quæ sanè optio profuit illis: nam volentes ea elegerunt, quæ non multò post inviti fecissent. Eligite igitur vos, utrum coacti bello servire, an nos in recipiendo amici dici velitis.*

Ex Lycià in Ioniam reversus Brutus, multa memorabilia edidit opera; & honoribus in dignos conferendis & suppliciis pro cujusque merito irrogandis. Atque inter alios, Theodotum Rhetorem, quo authore (ut ipse glorians jactabat) Pompeius Magnus in Ægypto est occisus, vagabundum in Asiâ repertum, omni cruciatûs genere affectum necavit. [*Plutarch. in Bruto, & Pompeio.*]

Cassium accersivit Brutus Sardes, appropinquantique processit cum amicis obviam; totúsque exercitus armatus utrumque imperatorem consalutavit. Ut solet magnis in rebus inter duos quibus amici & duces sunt multi, quum suspiciones inter eos mutuæ & insimulationes extitissent; priùs quàm aliò se converterent, statim ex viâ conclave soli ingressi foribus occlusis & remotis arbitris expostulare primùm, mox arguere & criminari inter se cœperunt. Hinc in lachrymas liberámque & vehementem objurgationem erumpentibus illis, mirantes asperitatem iræ & contentionis amici eorum, timebant ne quò evaderent. [*Id. in Bruto.*] Sed omnes illas suspiciones, quas ex aliorum calumniis alter contra alterum conceperat, prudenter illi tandem sustulerunt. (*Dio, lib. 47. pag. 347.*)

Erat ibi tum M. Favonius, (cujus, ut Bruto familiaris, meminit *Cicero* lib. 15. ad Attic. epist. 11.) æmulus prídem M. Catonis, qui non tam ratione quàm impetu aliquo & motu lymphatico philosophum agebat; ac senatorem populi Romani esse in minimis ponebat: Cynicâ verò loquendi ferociâ, quâ utebatur, molestiam frequenter abstergebat aliis qui importunitatem ejus per ludum excipiebant. Hic tunc repulsis vi janitoribus, qui ingressum ejus prohibebant, intravit conclave in quo Cassius & Brutus privatum illud habebant colloquium: voce mimicâ pronuncians carmina quibus Nestorem utentem cecinit *Homerus*,

Ἀλλὰ πίθεσθ', ἄμφω γὰρ ἐμεῖο γερείονες ἐστόν
At parete ambo, natu me nempe minores;

& sequentia. Id risum Cassio movit: sed Brutus eum expulit, *ἀνάλκιμον & ψοφοδέημονα, inscitum canem & adulterinum canem* eum appellans. Post mutuam autem altercationem finitam, præbente cœnam Cassio, invitavit eò Brutus amicos. Quibus jam accumbentibus, accessit Favonius lotus. Testante Bruto adesse eum non vocatum, & facessere jubente, ad lectum supremum vi irrumpens collocavit se in medio: habuitque convivium oblectationem non infestivam nec indoctam. [*Plutarch. in M. Bruto.*]

Postridie Brutus virum prætorium, cujus operâ usus fuerat, L. Pellam repetundarum Sardianis postulantibus, judicio publico damnavit & infamiæ notavit. Quod factum momordit non mediocriter Cassium: qui paucis antè diebus ejusdem criminis compertos duos amicos tantùm castigavit privatim, ac publicè absolutis uti non destitit. Unde Brutum incusavit ut nimiùm rigide leges sequentem & justum, quo tempore civiliter esset & humaniter agendum. Ille commonuit eum Iduum Martiarum, quibus interfecerant Cæsarem: qui non ipse omnes homines vexasset, verùm hoc agentium esset patronus. [*Id. ibid.*]

Labienus junior, Titi Labieni (Julii Cæsaris in Galliâ legati) filius, à Cassio & Bruto ad petendum auxilium ab Oriode Parthorum rege missus, aliquandiu apud eum commoratus est, nullâ ipsius ratione habitâ; quòd & adjuvare eos Regi in animo non erat, & negare auxilium verebatur. [*Dio, lib. 48. pag. 371. cum Floro, lib. 4. cap. 9. & Velleio Paterc. lib. 2. cap. 78.*]

Lyciorum classem universam cum aliis navibus Abydum navigare Brutus jussit: quò ipse terrestres etiam ducebat copias, præstolaturus ibi Cassium venientem ex Ioniâ, ut simul trajecto freto Scitum peterent. [*Appian. lib. 4. pag. 636.*]

Quum Cassius & Brutus trajecturi essent in Europam ex Asiâ, & transportaturi ex Abydo in oppositam continentem exercitum; tetrum ostentum dicitur Bruto factum. Noctis enim conticinio, quum luna non admodùm luceret, & totus exercitus teneretur silentio; Bruto, deficiente penè lumine, volventi aliquid animo & reputanti, atra quædam imago se obtulisse dicitur immanis & horrendi corporis, silentio sibi assistentis. Eo autem intrepidè percontante, quisnam hominum deorúmve esset; spectrum respondisse. *Tuus sum, Bruce, malus genius: Philippis me videbis iterum.* cúmque nihil perculsum, *Videbo*, dixisse: & spectrum sub oculis mirantis evanuisse. Refert hæc *Florus*, lib. 4. cap. 7. *Appianus*, lib. 4. pag. 668. *Plutarchus* in fine *Cæsaris*, & pleniùs in Vitâ *Bruti*: ubi & eum proximo manè quod viderat Cassio narravisse, illúmque ex Epicuri disciplinâ quid de ejusmodi spectris sentiendum esset exposuisse, adjicit.

3963 Antigonus Aristobuli (fratris Hyrcani) filius à socero suo Ptolemæo Mennæi filio, & Fabio Damasci duce (quem pecuniis sibi conciliaverat) & Marione Tyriorum tyranno (qui ob Herodis odium illi adhæsit) adjutus, Judæam invasit. Cui vix extremos regionis fines ingresso Herodes occurrens, prælio cum superatum inde repulit. Quamobrem revertentem Hierosolyma coronis cum Hyrcanus honoravit. Jam enim gener per sponsionem ascitus Herodes erat in Hyrcani familiam: ducturus Mariammen (Syriacè מרים sive *Mariam* dictam) ex Alexandro filio Aristobuli (fratris Hyrcani) & Alexandrâ Hyrcani filiâ genitam. [*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 10. & lib. 14. Antiquit. cap. 21. cum lib. 15. cap. 9. & 11.*]

Ad Melanem sinum in Thraciâ lustrato Cassii & Bruti exercitu, reperta sunt in eo circiter octoginta scutatorum millia. Equitum verò Brutus habebat Gallorum Lusitanorúmque quatuor millia; Thracum Illyriorúmque, Parthienorum Thessalorúmque, duo millia. Cassius Hispanorum & Gallorum duo millia; sagittariorum equestrium ex Arabiâ, Mediâ, Parthiâ, (nam &

3963 Parthos huc auxilia mittit confirmat *Justinus*, lib. 42. cap. 4.) quatuor millia. Sequebantur & socii reges ac tetrarchæ ex Gallogræciâ, præter pedestres alias copias ducentes equitum quinque millia. [*Appian. lib. 4. pag. 640.*]

Hi ad Philippos, urbem Macedoniæ (non minùs B. Pauli epistolâ quàm hoc bello factam celebrem) Triumvirorum M. Antonii & Cæsaris Octaviani exercitus exceperunt. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 70.*] Pariter utrinque undeviginti legiones constiterunt. Equitum Antonius cum Cæsare habebat 13, Brutus & Cassius 20. millia. Sed Cassiani, difficultate annonæ hostem fatigare cupientes, per multos dies prælium detrectârunt: quum ipsis omnia supperetrent ex Asiâ, & ex propinquo per mare subveherentur; hostes in regione infestâ laborarent inopiâ. nam neque negotiatores ex Ægypto sumere quicquam poterant, fame oppressâ; neque ex Hispaniâ aut Africâ Sextus Pompeius, neque ex Italiâ Statius Murcus & Domitius Aënobarbus timebant commeatus advehi: Macedoniâ verò Thessaliâque non diu sufficere poterant, quæ tum solæ alebant exercitum. Ex alterâ parte Antonius, ut hostibus à tergo commeatus ex Thaso subvectionem intercluderet, decem dierum spatio angusto in palude transitu clàm aperto, multa castella vallata in ulterioribus locis erexit: quæ deinde Cassius, transverso septo per totam paludem à castris usque ad mare acto, inutilia illi reddidit. (*Appian. lib. 4. pag. 652, 653.*)

Commissâ deinde pugnâ, (cui & Cæsar & Antonius subduxisse se dicuntur) cornu cui Brutus præerat, impulsis hostibus, castra Cæsaris cepit: id autem in quo Cassius fuerat fugatum ac malè mulctatum est, castráque ejus ab Antonianis expugnata. [*Florus, lib. 4. cap. 7. Vell. Paterc. ut supr. Plutarch. in Antonio.*] * Quum Cassius in acie ardentissimo animo perstaret, Julii Cæsaris à se occisi speciem vidisse dicitur, humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictam, minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem: quo aspectu perterritus, hosti tergum dedit, voce illâ priùs emissâ, *quid enim amplius agas, si occidisse parùm est?* [*Valer. Max. lib. 1. cap. 8.*] Ceciderunt Cassianorum octo millia; connumeratis servis qui castra sequebantur, quos nominabat Brutus Brigas. Ex Cæsaris exercitu, Messala (Corvinus, qui in Bruti castris præsens tum adfuit, & Cæsari paulò pòst se dedidit) ait bis totidem vel ampliùs arbitrari se desideratos. [*Plutarch. in M. Bruto; cum Appian. lib. 4. pag. 654, 655.*]

Cassius exutus castris, eò reverti non potuit; sed cursu recepit se in Philipporum tumulum, & inde prospectabat quid fieret. [*Appian. pag. 655.*] totúmque exercitum fusum ratus, mortem sibi conscivit. [*Liv. lib. 124.*] eodem pugione quo Cæsarem violaverat: ut in fine *Cæsaris* sui refert *Plutarchus*. licèt alibi idem, cum aliis, caput à Pindaro liberto præcisum fuisse referat: quem ex Parthicâ Crassi clade ad hanc necessitatem haberet destinatum. [*Id. in M. Bruto, & in Antonio: cum Velleio Paterc. lib. 2. cap. 70. Appian. pag. 655. & Dione, pag. 354.*] de quo Valerius Maximus, libro 6. cap. 8. *Pindarus C. Cassium Philippensi prælio vultum, nuper ab eo manumissus, jussu ipsius obtruncatum, insultationibus hostium subtraxit. Séque è conspectu hominum voluntariâ morte abstulit; ita ut ne corpus quidem ejus absumptæ invenirentur. Quis Deorum gravissimi sceleris ultor, illam dexteram, qua in necem patriæ parentis exarserat, tanto torpore allig.vit, ut se tremebundam Pindari genibus submitteret, ne publici parricidii, quas merebatur pœnas, arbitrio pii victoris exolveret? Tu profectò, tu Dive Juli, cœlestibus tuis vulneribus debitam exegisti vindictam, perfidum erga te caput sordidi auxilium supplex fieri cogendo, eo animi æstu compulsum; ut neque retinere vitam vellet, neque finire manu suâ auderet.*

Brutus, Cassii cadavere amicis statim tradito, Thasi clàm sepeliendum curavit: ne exercitus ex aspectu funeris provocaretur ad luctam, animósque dejiceret. (*Plutarch. in Bruto. Appian. pag. 655. Dio, pag. 354.*] Obiit autem Cassius natali suo die. [*Appian. ibid.*] ejúsque servus Demetrius vesperi ad Antonium venit cum paludamento & gladio, quæ confestim detraxerat corpori. Quibus allatis, ita sustulerunt animos Antoniani, ut primâ luce instructum exercitum in aciem educerent. [*Plutarch. ut supr.*]

Quâ die in campis Philippicis Cæsaris exercitus fusus est, legio Martia & magnæ copiæ aliæ, quæ à Domitio Calvino ex Italiâ ad Cæsarem ducebantur, à Murco & Aënobarbo navali prælio in mari Ionio superata & oppressâ est. [*Plutarch. in M. Bruto. Appian. pag. 656, 657.*] Eam victoriam, spatio interjecto 20 dierum, Brutus ignoravit. Quo toto tempore, Cæsaris & Antonii milites apud paludes Philippenses volutabantur, imbribus autumnalibus prælium insecutis & concrescentibus in glaciem aquis plurimùm infestati. [*Plutarch. ibid.*] In quâ morâ, nonnulli Germanorum ad Brutum perfugerunt: vicissimque à Bruto transiit Amyntas Dejotari dux, & Thrax Rhascipolis. Quod cùm majoris defectionis metum Bruto objecisset; rem committere prælio statuit. (*Dio, lib. 47. pag. 355.*)

Nocte quæ prælium præcessit, spectrum illud referunt iterùm Bruto obversatum, eandémque repræsentans visionem nihil locutum, sed dilapsum fuisse. quanquàm P. Volumnius vir sapientiæ studiis deditus, qui tunc in castris Bruti adfuit & cætera quæ acciderant prodigia in literas retulit, nihil hujus ostenti meminerit. [*Plutarch. in fin. Cæsaris, & in Bruto; cum Appian. lib. 4. pag. 668.*]

Huic secundo prælio non Antonius solùm, sed etiam Cæsar Octavianus interfuit, quanquàm invalidus atque æger: de quo *Ovidius*, libro Fastorum 5°. rem in bello Philippensi gestam attingens;

Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæsaris; ulcisci justus per arma patrem.

& in libro 5°.

Voverat

Venerat hoc juvenis tunc, cùm pia sustulit arma:
A tantis princeps incipiendus erat.
Ille manus tendens, adstanti militi justo,
In conjuratos talia verba dedit. &c.

Brutus victus acie, cùm in tumulum nocte ex fugâ se recepisset; sequente die impetravit à Stratone Ægeate ex Epiro, qui cum eo ex studio rhetorico familiaritatem contraxerat, ut manum morituro commodaret sibi: rejectóque lævo super caput brachio, cùm mucronem gladii ejus, dextrâ tenens, sinistræ admovisset mamillæ, ad eum ipsum locum, quà cor emicat, impellens se in vulnus, uno ictu transfixus expiravit. (*Liv. lib.* 124. *Vell. Paterc. lib.* 2. *cap.* 70. *Plutarch. in M. Bruto. Appian. lib.* 4. *pag.* 665, 666.]

Atque hic in hoc bello Cassii & Bruti exitus fuit: qui Julii Cæsaris imperatoris sui, à quo in pugnâ Pharsalicâ capti servati ipsi fuerant, interfectores, semetipsos postea interfecerunt. [*Appian. pag.* 667, 668.] iisdem, quibus Cæsarem interemerant, gladiis confossi: ut in libri 48. initio affirmat *Dio.* & libertatem, quam maximè restitutam voluerunt, illo ipso Cæsaris parricidio perdiderunt. [*Florus, lib.* 4. *cap.* 7.] quamvis illi, biennio non integro, collegissent plusquàm 20 legiones, & equitum circiter 20 millia, naves longas supra 200. aliúmque apparatum haud contemnendum, pecunias quoque infinitas à volentibus nolentibus exegissent; in bellis etiam quæ cum multis civitatibus ac gentibus & adversæ factionis hominibus gesserant, sæpe victores, imperio à Macedoniâ usque ad Euphratem potiti fuissent: & quoscunque bello petierant, ad societatem pertraxissent, eorúmque operâ fideli usi fuissent; sicut & regum ac dynastarum, atque Parthorum etiam quamvis inimicorum. [*Appian. pag.* 666, 667.]

M. Bruti cadaveri assistens M. Antonius, exprobravit ei modicè Caii fratris in Macedoniâ interfecti necem. Cæterùm Hortensio (qui Macedoniæ proconsul fuerat) potiùs dictitans se quàm Bruto cædem fratris imputare; Hortensium super illius monumentum præcepit interfici. [*Plutarch. in M. Antonio, & in. M. Bruto.*] Corpori Bruti paludamentum suum purpureum magni pretii injecit, & cuidam liberto suo commisit ejus funerandi curam. Hunc pòst, cognito pretiosum illud paludamentum non concremasse in funere, interfecit: concrematíque reliquias ad matrem Bruti Serviliam remisit. [*Id. ibid. Appian. lib.* 4. *pag.* 668.] Caput verò ejus Romam Octavianus misit, ut statuæ Cæsaris subjiceretur. [*Sueton. in Octavio, cap.* 13.] Sed in transmissione à Dyrrachio, tempestate coortâ, in mare abjectum est. [*Dio, lib.* 47. *pag.* 356.]

Quotquot nobilium in Thasum evaserunt, partim navigârunt inde, partim cum reliquo exercitu in Messalæ Corvini & L. Bibuli potestatem ac arbitrium se dediderunt: * (de quo, videndus *Appian. lib.* 4. *pag.* 611. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 71.) * alii de salute cum Antonianis pacti, Antonio in Thasum appulso tradiderunt quicquid ibi erat pecuniarum, armorum, commeatuúmve, & apparatum reliquum. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 669.]

L. Julius Mocilla prætorius, & ejus filius, Aulúsque Torquatus, aliíque pari fortunâ perculsi, in Samothraciam concesserunt: quibus Pomponius Atticus omnia ex Epiro suppetiari jussit. [*Corn. Nepos, in Vitâ Attici.*]

Cassius Parmensis, Bruto Cassióque ad bellum profectis, relictus in Asiâ cum classe ac exercitu, ut pecunias exigeret, post Cassii mortem sperans de Bruto meliora, è Rhodiorum navibus triginta selegit, ratus tot se impleturum sociis navalibus; reliquas incendit, exceptâ sacrâ, ne civitas posset res novas moliri: quo facto solvit inde cum navibus suis & Rhodiis. Clodius autem à Bruto missus eò cum tredecim navibus, ut vidit rebellantes Rhodios (jam enim & Brutus sublatus erat) deduxit inde præsidium trium millium, & cum Parmensi se conjunxit. Ad eos venit Torulus cum aliis multis navibus & pecuniis quas à Rhodiis ante defectionem exegerat. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 671, 672.]

Ad hanc classem, ut in quâ jam esset aliquid roboris, confluebant quotquot pro variis officiis erant dispersi per Asiam: & imponebant legionarios quantum poterant; remigum quoque delectus faciebant è nexis & mancipiis, & ex insulanis ad quos appellebant. Ad eos venit & Cicero junior, & quotquot nobilium è Thaso diffugerant: ita ut brevi frequens conventus fieret, & classis exercitúsque non contemnendus cum suis ducibus. [*Id. ibid. pag.* 672.]

Assumpto deinde Lepido cum aliâ manu, quæ præsidio Bruti Cretam tenebat, ad Statium Murcum & Cn. Domitium Aënobarbum validis copiis præfectos navigârunt in mare: ubi divisi, pars cum Aënobarbo mansit & propriam factionem constituit, (Ionium mare tenens, ibique rebus hostium multa damna inferens;) pars cum Murco petiit Siciliam & vires Sexto Pompeio addidit. Cum omni enim commissâ sibi parte exercituum classeque celeberrimâ & Brutianorum reliquiis Pompeio se adjungens, vires ejus duplicavit. [*Id. ibid. cum Velleio Paterculo, lib.* 2. *cap.* 72. *& 77. & Dione, lib.* 48. *pag.* 361. *& 368.*]

Cæsar & Antonius emeritos milites dimisserunt, præter octo millia: quos rogati ut ampliùs eis militare liceret, divisserunt inter se, & cohortes prætorias ex eis centuriaverunt. Ex legionibus undecim, & equitum 14 millibus, de Bruti exercitu relictis, Antonius sex legiones assumpsit & equitum 10 millia, Cæsar 4 legiones & equitum 4 millia. [*Appian. ibid. pag.* 672, 673.] Ad hæc convenit, ut duas legiones de suis Cæsar Antonio secum abducendas daret; ipse vicissim ab eo duas alias, quæ illi sub Caleno militaverunt, in Italiâ cum relictas acciperet. [*Id. ibid. pag.* 673. *Dio, lib.* 48. *pag.* 358.]

Cæsar id sibi negotii sumens, ut Lepidum triumvirum si quid is moveret opprimeret, contra Sextum Pompeium bellum gereret, & veteranis signa ipsorum secutis agros promissos divideret, in Italiam reversus est: morbo in itinere ita afflictus, ut iis qui Romæ erant mortis suæ opinionem præberet. Antonius transmarinas obiturus provincias substitit: ut hostes ibi in ordinem cogeret, & pecuniam quæ militibus promissa fuerat conficeret. [*Liv. lib.* 125.

3963 *Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 74. Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 5. pag. 672, 673. Dio, lib. 48. pag. 357, 358.*] Qui enim ſingulis militibus drachmarum quinque millia polliciti fuerant, intentiore curâ quærenda ipſis & imperanda pecunia erat. [*Plutarch. ibid. cum Dione, lib. 47. pag. 352.*]

Antonius igitur magno cum exercitu in Græciam tranſcendens, Græcis tunc primò neque durum neque acerbum præbuit ſe: ſed Græcorum ſtudioſus gaudebat dici, multóque magis Athenienſium; quorum civitatem plurimis donis affecit. [*Plutarch.*]

In Græciâ L. Cenſorino relicto, in Aſiam tranſmiſit. (*Id.*) Ibi partim ipſe circuiens, partim alios emittens, pecunias ab urbibus exegit, ac ditiones vendidit. [*Dio, lib. 48. pag. 371.*] Reges autem januam ejus frequentavere: regúmque conjuges muneribus inter ſe & formæ ſplendore certantes ſeſe ei venditárunt. Anaxenor verò citharœdus, Xuthus choraula, Metrodorus ſaltator, reliquúſque acroamatum chorus Aſianorum, in aulam irrepſit: & luxu diffluebant omnia. Accinctus denique ad bellum Parthicum, Dellium (*hiſtoricum*, ut eum poſteà *Plutarchus* appellat; & quem à Caſſio tranſiviſſe ad Antonium, in Suaſoriâ primâ docet *M. Seneca*) in Ægyptum miſit ad Cleopatram Antonius; imperans in Ciliciam ut ſibi occurreret, ad cauſam dicendam, quòd Caſſio diceretur multum ſubminiſtraſſe opis & ſubſidii. [*Plutarch.*] 4673 41

Apuleius, qui à Triumvirîs proſcriptus fuerat, traditâ Antonio Bithyniâ, cui à M. Bruto præfectus fuerat, reditum in patriam ab eo impetravit. (*Appian. lib. 4. pag. 626.*)

In Bithyniâ Antonius omnium gentium legationes habuit obviam. Aderant & Judæorum primates; Phaſaëlum & Herodem accuſaturi: quaſi in ſpeciem ſolùm regnaret Hyrcanus, re autem verâ tota poteſtas eſſet penès hos fratres. Herodem verò Antonius in magno honore habuit, qui ad objecta diluenda venerat: quo factum eſt, ut ne ad colloquium quidem adverſarios ejus admiſerit. id enim datâ pecuniâ Herodes impetraverat. (*Joſeph. lib. 14. cap. 22.*)

Ingredientem Epheſum Antonium fœminæ Baccharum, viri puerique Satyrorum & Panum habitu præceſſerunt. Hederâ, thyrſis, pſalteriis, fiſtulis, tibiis perſonabat urbs: eúmque *Διόνυσον χαριδότην καὶ μειλίχιον*, *Bacchum benignum ac blandum*, appellabant. [*Plutarch.*] Ipſe verò Dianæ, ut loci ejus præſidi, ſacra fecit magnificè: & ſupplices Caſſianos, qui in aſylum id confugerant, abſolvit; excepto Petronio qui conſpirationis in Cæſarem conſcius fuerat, & Quintio qui Laodiceæ Dolabellam Caſſio prodiderat. [*Appian. lib. 5. pag. 673.*]

Eò legati Hyrcani Pontificis & gentis Judaicæ, Lyſimachus Pauſaniæ, Joſephus Mennæi, Alexander Theodori F. afferentes Antonio coronam auream, eandem quam priùs Romæ legationem illi expoſuerunt: rogantes, ut quos Judæos Caſſius præter jus belli captivos abduxerat, ſcriptis per provincias litteris, in libertatem vindicaret; & agros per Caſſium ademptos genti reſtitueret. Quorum poſtulata Antonius æqua exiſtimans, ſtatim eis annuit; ſcriptis in eam ſententiam litteris tum ad ipſum Hyrcanum, tum ad Tyrios, Sidonios, Antiochenos & Aradios: quæ apud *Joſephum* extant. [*lib. 14. Antiquit. cap. 22.*]

Græcis cæteriſque nationibus Pergamenam Aſiam incolentibus, Epheſum convocatis, Antonius expoſuit, quanta præmia promiſſa fuiſſent legionibus victricibus 28. quæ cum ſuis appendicibus conficerent 170 virorum millia. Quum Bruto igitur & Caſſio inimicis biennio decem illi annorum vectigalia dediſſent; tantundem ut intra annum ſibi traderentur poſtulavit. Qui à prioribus illis hoſtibus planè exhauſtos ſe fuiſſe conqueſti, ægrè tandem impetrárunt, ut novem annorum tributum penderent intra biennium. [*Appian. lib. 5. pag. 673, 674.*]

Homines nobiles facultatibus expoliabat Antonius, eáſque verberonibus & adulatoribus largiebatur. Multorum fortunas viventium petebant illi accipiebántque, aliqui quaſi mortuorum. Civis Magnetis bona coquo, qui unam cœnam (ut fertur) paraverat ſcitè, donavit. Poſtremò, quum civitates altero tributo oneraret, auſus eſt Hybreas, qui pro Aſiâ agebat, illi dicere. *Si bic anno tributum vales exigere, vales bis etiam æſtatem nubis & bis fructus efficere.* & quum ducenta millia talentûm intulit Aſia: *Hæc*, inquit, *ſi non accepiſti, ab illis qui acceperunt repete; ſin quæ accepiſti, hæc non habes, perimus.* vehementer eo dicto pungens Antonium; qui ex ſimplicitate credens ſuis, pleraque quæ agebantur ignorabat. (*Plutarch. in Antonio.*)

Similiter & regibus & dynaſtis, civitatibúſque liberis, alia pro cujuſque facultatibus tributa ab Antonio imperata ſunt. (*Appian. lib. 5. pag. 674.*]

Obeuntem provincias Antonium Lucius Caſſii frater, & alii quotquot ſibi timentes de exemplo clementiæ illius in Caſſianos ad Epheſum edito audierant, acceſſerunt ſupplices: quos omnes abſolvit, præter cædis Cæſaris conſcios; quibus ſolis manebat implacabilis. [*Id. ibid.*]

Lycios & Xanthios à tributis immunes reliquit: hortatus ut urbem ſuam inſtauraterent. Rhodiis quoque donavit Andrum, Tenum, Naxum, Myndúmque: quas non multò pòſt eis ademit, ut duriùs imperantibus. Laodicenſibus atque Tarſenſibus libertatem atque immunitatem à tributis conceſſit: & quotquot Tarſenſes cives capti vænierant, uno edicto liberavit. Athenienſibus ad ipſum venientibus, poſt Tenum, Æginam dono dedit; ſimúlque Icum, Ceam, Sciathum, & Peparethum. (*Ibid. pag. 675.*]

Tranſiens per Phrygiam, Myſiam, Gallogræciam, Cappadociam, Ciliciam, Cœleſyriam, Paläſtinam, Iturææam, cæteráſque Syrorum provincias, omnibus indixit tributa graviſſima. Diſceptationes quoque civitatum ac regum ex arbitrio ſuo compoſuit: atque in Cappadociâ ſpeciatim Ariarathis & Sibillæ; prælato ad regnum Siſinnâ, in matris formoſæ gratiam. In Syriâ verò tyrannos opidatim ſuſtulit. [*Ibid.*] Demetrio, Julii Cæſaris liberto, Cyprum regendam commiſit. (*Dio, lib. 48. pag. 381.*]

Gymnaſii moderationem Tarſentibus pollicitus Antonius, ei muneri ſuo loco præfecit Boë-

thum,

thum, malum ut poëtam ita etiam civem. Ejus tamen carmen in partam ad Philippos victoriam scriptum probavit Antonius: maximèque cum extulerunt Tarsenses sui, quia ad quodvis argumentum oblatum subitò aliquid valebat dicere. Quum verò illi sumptuum in gymnasio faciendorum rationes fuissent creditæ: deprehensus est cùm alia tum oleum subduxisse. Quo nomine apud Antonium accusatus, ita illi respondit. *Ut Homerus Agamemnonis & Achillis laudes Ulyssisque decantavit, sic ego tuas: usque indignum est me his apud te criminibus traduci.* Atqui, reponebat accusator, *Homerus neque Agamemnoni neque Achilli suffuratus est oleum: quòd quum tu feceris, pœnas daturus es.* Bœthus nihilominùs, placatâ offensis quibusdam irâ, urbem regere ad Antonii usque exitum pertexit. [*Strabo, lib.* 14. *pag.* 674.]

Cleopatra, hinc à Dellio inducta, hinc formæ suæ & morum venustati ipsa confidens, in Ciliciam ad Antonium venit. [*Plutarch. in Antonio: cum Josepho, lib.* 14. *cap.* 23. *Appian. lib.* 5. *pag.* 675. *& Dion, lib.* 48. *pag.* 371.] Cujus adventus παρασκευὴ, poëticâ magis quàm historica fide, apud *Plutarchum* ita habetur descripta. Subvehebatur Cydno fluvio (qui Tarsum influit) in navigio auratâ puppi, velis passis purpureis, remigio argenteis ducto remis ad tibiarum, fistularum & citharatum modos. Recumbebat illa sub tabernaculo auro intexto elegantèr exculta, ut pingitur Venus. Pueri pictis Cupidinibus assimiles hinc inde stabant, & ventulum faciebant. Ancillæ itidem, quæ formâ præcellebant, Nereidum & Gratiarum modo amictæ, partim assistebant gubernaculis, partim rudentibus. Complebant ripas odores ex suffituum copiâ fragrantissimi. Homines autem alii statim à fluvio ex utràque ripâ comitabantur eam, alii ad spectaculum descendebant ex urbe; & quidem tantâ frequentiâ, ut solus in foro pro tribunali sedens relinqueretur ipse Antonius. Manavitque per omnes rumor, Venerem ad salutem Asiæ venire ad Bacchum cometsatum. Antonius ergo misit certos qui eam ad cœnam invitarent. Illa verò Antonium potiùs venire censebat ad se debere. Qui ut sub adventum illius facilitatem aliquam & comitatem ostenderet, morem gessit ei ac venit.

Cleopatra Antonio ipsam inculanti, quòd non fuisset proximo bello Cæsaris laborum particeps, cùm alia, tum quatuor legiones ad Dolabellam missas, classem suam tempestate laceratam, & interatas Cassii minas, quòd ei suppetias non ferret, objecit. Victus ille juveniliter eam, quamvis jam quadragenarius, amare cœpit: in quam jam olim etiam, tum puellam, petulantiùs oculos conjecerat; quum Alexandriam sequeretur ducem Gabinium juvenis, equitum ipsius præfectus. Móxque hebescente in omnibus pristinâ Antonii industriâ Cleopatræ jussa cuncti exequebantur, nullo jam humani juris aut divini respectu habito. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 671, 675, 676.]

Cleopatrâ rogante, sororem ipsius Arsinoën, apud Miletum Dianæ Leucophrynes supplicem, Antonius immissis percussoribus sustulit: ut refert Appianus. [*Ibid. pag.* 676.] licèt eam Ephesi in templo Dianæ supplicem interfectam fuisse, dicat *Josephus*. [*lib.* 15. *cap.* 4.]

Serapionem præfectum Cypri, quia auxilia Cassio miserat, Tyri supplicem, Antonius Tyrios jussit Cleopatræ dedere: ut & Aradios alium quendam supplicem, qui, quum Ptolemæus Cleopatræ frater navali prælio in Nilo à Julio Cæsare victus nusquàm comparuisset amplius, se Aradiis pro Ptolemæo vendidaverat. Sacerdotem quoque Ephesiæ Dianæ Megabyzum, quòd Arsinoën tanquam reginam excepisset hospitio, duci jussit: sed Ephesiis ipsi Cleopatræ pro eo supplicantibus dimisit hominem. [*Appian. ut supr. pag.* 676.]

Interim in Italiâ uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultúque contra Cæsarem Octavianum miscebat. (*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 74.) Quo dissidio & affinitas inter eos dirempta est, & ad bellum apertum res producta. Cæsar enim quum insolentiam socrûs suæ non ferret (malebat enim videri cum hâc quàm cum Antonio sibi non convenire) cum filiâ ejus Claudiâ, quam adhuc virginem esse sacramento confirmabat, divortium fecit. (*Dio, lib.* 48. *pag.* 359, 360. *cum Sueton. in Octavio, cap.* 62.)

Hinc Cæsar ad Antonium in Phœnicen Cocceium & Cecinnam misit: è quibus Cecinna, legatione perfectâ, ad Cæsarem rediit; Cocceius apud Antonium mansit. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 706.]

Daphnen, Antiochiæ in Syriâ proximam, centum è Judæorum gente potentissimi venerunt ad Antonium, amori Cleopatræ jam servientem, ut Phasaëlum & Herodem accusarent: electo ad hoc eloquentissimo quoque è suo numero. Juvenum autem causam defendendam Messala suscepit: assistente etiam sibi Hyrcano, qui filiam suam Herodi jam desponderat. Utrisque auditis, Antonius scisciatus est ab Hyrcano, utra pars meliùs Rempublicam administraret. Qui cùm respondisset pro juvenibus, Antonius (qui eos olim propter hospitium paternum dilexerat) hos ambos Tetrarchas constituit, totius eis Judææ procuratione permissa. Litteras quoque in hoc scripsit: & ex eorum adversariis quindecim conjecit in vincula, occisurus etiam nisi intercessisset Herodis deprecatio. (*Joseph. lib.* 1. *Belli, cap.* 10. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 23.)

Mille deinde viri, Hierosolymâ missi, Tyrum ad Antonium venerunt: qui magnâ pecuniâ jam corruptus à fratribus, imperavit ejus loci magistratui, ut in Judæorum legatos novatores rerum animadverteret, & Tetrarchis à se constitutis esset auxilio. Herodes autem, cum Hyrcano, ante urbem diversantes in littore accedens, hortatus est eos ut se subducerent; admonens quantum instaret periculum, si contendere pergerent: quod illi contempserunt. Móxque erumpentes in eos Judæi cum indigenis, partim trucidaverunt eos, partim sauciaverunt: quorum & sanctos cura, & mortuos sepulturâ Hyrcanus dignatus est. Reliquis verò domum refugientibus, quum populus clamoribus ageret contra Herodem, commotus ad iram Antonius jussit quos vinxerat interfici. [*Ibid.*]

Reversâ domum Cleopatrâ Antonius misit equites Palmyram, urbem non longè ab Euphrate sitam, ut eam diriperent: in speciem objecto levi crimine, quòd quum essent in Romanorum

& Parthorum conjuncta, viderentur ambiguæ fidei, (quippe qui negotiationibus dediti, è Perside Indicas Arabicasque merces ad Romanos deportarent;) re autem verâ, ut hoc modo ditaret equites. Id quia præsensere Palmyreni, in ulteriorem ripam sua transtulerunt, dispositis qui arcerent sagittariis; quo genere excellunt plurimùm: equites autem, invenâ urbe vacuâ, inanes & intruenti reversi sunt. Indèque paulò pòst bellum Parthicum est insecutum: multis è Syriâ tyrannis, quos Antonius inde expulerat, ad Parthos confugientibus, eósque ad occupandam Syriam invitantibus. [*Appian. lib. 5. pag. 676. 677.*]

3964 Antonius, quum populis indixisset tributa gravissima, & Palmyrenos ita offendisset; res turbatas provinciæ non constituit, sed diviso per hyberna exercitu, ipse in Ægyptum ad Cleopatram profectus est. [*Ibid. pag. 677.*] Planco in Asiâ, Saxâ in Syriâ relicto. [*Dio, lib. 48. pag. 371.*] Decidio nempe Saxâ: cujus, ut M. Antonii satellitis, in Philippicâ 13ª. *Cicero*, & in Syriâ legati, in libro 127. meminit *Livius*.

Præbuit ea res multis motibus occasionem. Nam qui & Aradum insulam incolebant, eis qui ad se pecuniæ exigendæ causâ missi essent non obtemperabant, nonnullis etiam eorum occisis: & Pacubi quum jam antè se commoviissent, tum magis adhuc contra Romanos insurrexerunt, ducibus Labieno & Pacoro Orodis regis Parthorum filio. [*Dio, ibid.*]

Ad Aradios spectat illud, quòd in Chronico *Eusebiano* legitur. *Curtius Salassus in insulâ Aradâ cum quatuor cohortibus vivus combustus est, quòd tributa gravius exigeret.* De Labieno, quem Pompeianarum partium fuisse in libro 127 notavit *Livius*, apud *Plutarchum*, in *Antonio*, ita legimus. *Cum Parthorum essent circa Mesopotamiam suspensa copia, quarum Labieno auspiciis Parthicis eruptio imperatore adoriturus regii duces erant Syriam, Alexandriam à Cleopatrâ Antonius est abductus.* Unde corrigendus est locus à consarcinatore Parthicorum *Appiani* [*pag. 155, 156.*] hinc traductus: qui Labienum à regiis ducibus Alexandriam deducendum fuisse, inepte innuit. Veràm hujus expeditionis originem & progressum plenius hunc in modum *Dio* explicat.

Post cladem Philippensem Labienus, quum adversariorum nemini veniam daturos victores putaret, potiùs sibi cum barbaris vivendum ratus quàm in patriâ peremdum, apud Parthos remansit: ac ubi primùm Antonii desidiam amoremque & profectionem in Ægyptum intellexit, Parthus inferendi Romanis belli author fuit. quorum exercitus partim periissent, partim damnum accepissent, reliqui autem inter se dissiderent ac denuò ad bellum deventuri intestinum essent: quare Regi suasit, ut dum in Italiâ Cæsar Sexti Pompeii causâ detineretur, Antonius autem in Ægypto amori indulgeret, ipse Syriam & vicinas ei regiones subigeret: se autem ducem belli futurum, ac ita multos populos, qui Romanis propter damna quibus ab iis continuis affligebantur infensi erant, ad defectionem permoturum pollicitus est. [*Dio, pag. 371, 372.*]

Hoc sermone quum Regem ad bellum gerendum adduxisset, acceptis ab eo magnis copiis, filióque regis Pacoro, in Phœnicen irruit; ac Apameam aggressus, à muro rejectus, præsidiâ in eâ regione potita deditione voluntariâ accepit. Ea ex militibus Cassianis ac Brutianis constabant; quos Antonius in suum exercitum allectos, Syriæ tum, regionis nimirùm ejus peritos, custodiendæ reliquerat. Igitur Labienus eos facilè, tanquam familiariter sibi notos, sui juris fecit: Saxâ, qui tum eos ducebat, excepto. Is enim frater Decidii Saxæ legati Antonii, ac quæstor, solus Labieno se non adjunxit. [*Ibid. pag. 372.*]

Hunc Saxam Labienus prælio congressum multitudine ac virtute suorum equitum vicit, ac noctu ex castris aufugientem insecutus est; jaculatus etiam antè libellos in ejusdem castra, ad perducendos ad suam societatem ejus milites. Quod ne fieret veritus Saxa, fugæ se dedit: assecutúsque eum Labienus, plerosque qui cum eo erant interfecit. Saxa autem Antiochiam quum perfugisset, ipse Apameam jam non amplùs repugnantem, quòd opinio de morte Saxæ obtinuerat, accepit, ac pòst Antiochiam etiam, à Saxâ deserram. (*Ib.d.*)

M. Antonius a Cleopatrâ splendidè exceptus, in Ægypto hyemavit sine insigniis imperii, sive tanquam in alieno imperio civitatèque regiâ, sive ut in hybernis festos dies celebraret. Sepositis enim curis, pro habitu patrio sumpsit stolam Græcanicam quadrangulam, & calceamentum album Atticum, quo tum Athenienium tum Alexandrinorum sacerdotes utebantur, *Phacasium* appellatum: progrediebatúrque tantùm ad templa, aut gymnasia, aut philosophorum conventicula, cum Græcis consuetudinem habens, in obsequiis Cleopatræ; propter quam potissimùm aiebat sibi eam peregrinationem susceptam. [*Appian. lib. 5. pag. 677.*]

Cum Cleopatrâ verò & Ægyptiis luxuriæ deditus, usque ad perniciem extremam suam, desidebat. [*Dio, lib. 48. pag. 373.*] Ejus & filii ipsius luxum pluribus describit *Plutarchus*: ea hâc de re referens, quæ avo suo Lampriæ narrabat Philotas Amphissensis medicus, qui Alexandriæ id temporis studiorum causâ commorabatur.

Cleopatrâ, neque noctu neque interdiu ab eo discedens, ludebat cum eo aleâ, potabat, venabatur, in armis exercentem se spectabat: noctu absistentem januis & fenestris popularium, atque in eos qui intùs erant dicta jacientem per plateas comitabatur; ac cum eo vagabatur, velte ancillari tecta. Namque ejuscemodi cultu ornare ille se solebat. Unde frequenter dictis, frequenter etiam verberibus mulctatus regrediebatur. (*Plutarch. in Antonio.*)

Legatos ex coloniis Italicis ad se missos in Ægypto detinuit Antonius; vel ob hybernum tempus, vel ut celaret sua consilia. (*Appian. lib. 5. pag. 701.*) Interim verò fratrem illius, Lucium Antonium Consulem, in Hetruriâ Cæsar Octavianus obsidebat Perusii. [*Id. ibid. pag. 689.*]

Cn. Domitio Calvino II. & Asinio Pollione Consulib. Perusia ab Octaviano capta est. 4674 40
[*Dio, lib. 48. pag. 365.*]

Labienus

Labienus Saxam in Ciliciam fugientem conſectatus occidit. [*Dio, lib. 48. pag. 372.*] Tranſmarinas provincias *magnis momentis Labienus, ex Brutianis caſtris profectus ad Parthos, productis eorum exercitu in Syriam, interfectóque legato Antonii, concuſſerat:* inquit Velleius Paterculus, lib. 2. cap. 75. Florus verò libro 2. cap. 9. *Saxa* (ita enim apud eum legendum, non, *Caſca*) *legatus, ne veniret in poteſtatem hoſtium, à gladio ſuo impetravit.*

Saxâ mortuo, Syriam Pacorus ſubegit univerſam. (*Florus, & Dio, ut ſupr. cum Livio, lib.* 127.) Tyrum ſolam qui reliqui erant Romani, ac qui cum his ſentiebant Syri, anteceperunt: & neque ſuaſionibus, neque vi (nam claſſem Parthi nullam ſecum habebant) in poteſtatem ejus redigi potuerunt. [*Dio, ibid.*]

Anno ſecundo, (ut apud *Joſephum* haberur, libro 14. cap. 13.) ab adventu ſc. Antonii in Aſiam, quo Pacorus regis filius & Barzapharnes Parthorum ſatrapa Syriam occupaverant, Ptolemæus Mennæi filius defunctus eſt. Cujus in principatu ſucceſſor filius Lyſanias (quem Ituræorum regem ab Antonio factum fuiſſe dicit *Dio, lib. 49. pag. 411.*) amicus factus eſt Antigono Ariſtobuli filio, conciliante ſatrapâ qui multum apud eum poterat.

M. Antonius, ineunte vere Alexandriâ contra Parthos profectus, ad Phœniciam uſque proceſſit, & Tyrum pervenit. [*Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 5. pag. 701.*] Eò verò navigavit, tanquam auxilium urbi laturus. Sed occupatam jam ab hoſte omnem circùm regionem cernens, Sexti Pompeii prætendens bellum, eam deſeruit: contrà, quòd adverſùs Pompeium non maturaſſet, prætextu belli Parthici excuſabat. Ita evenit, ut neque ſociis auxilio veniret, propter Pompeii, neque Italiæ, propter ſociorum prætextum. [*Dio, lib. 48. pag. 373.*]

Continentem igitur prætervectus, atque per Cyprum & Rhodum uſque ad Aſiam navigans, de Peruſinæ obſidionis eventu cognovit: incuſavítque fratrem Lucium, & Fulviam uxorem, & magis etiam, qui abſentis bona in Italiâ procurabat, Manium. Inde in Græciam tranſmittens, cum matre Juliâ & uxore Fulviâ, quæ ex Italiâ profugerant, congreſſus eſt: atque hinc in Italiam tranſvectus, Sipuntem cepit. [*Id. ibid. cum Appiano, lib. 5. pag. 679. & 701.*]

Fulviâ Sicyone mortuâ, maritus ejus Antonius, ſuadente matre Juliâ & L. Cocceio, cum Cæſare de pace tractaturus, Sextum Pompeium (cum quo fœdus jam inierat) in Siciliam revocavit, quaſi curaturus ea de quibus inter ipſos convenerat; & Domitium Aënobarbum cum poteſtate miſit in Bithyniam. [*Appian. lib. 5. pag. 706. & 708.*] Et cùm Marcellus maritus Octaviæ, Cæſaris licèt ex alterâ matre dilectiſſimæ ſororis, nuper obiiſſet; ad pacem firmiùs nectendam, ſponſa Antonio ea data eſt: qui licèt non diſſimulabat habere ſe Cleopatram, in matrimonio inficiabatur tamen. [*Id. ibid. pag. 709. Liv. lib. 127. Plutarch. in Antonio.*]

Tum diviſo inter ſe Romano imperio fecerunt terminum, utriuſque ditionis Codropolim, opidum Illyricum, quod videbatur ſitum in intimo ſinu Adriatico: ita ut Orientales omnes trans ſinum Ionium regiones, tam inſulæ quàm provinciæ & Europæ & Aſiæ, uſque flumen Euphratem, Antonio cederent; Occidentales verò, Sardinia, Dalmatia, Hiſpania & Gallia Cæſari. Africas enim provincias Lepidus triumvir à Cæſare jam acceperat: & Siciliam Sextus Pompeius occupaverat. [*Plutarch. & Appian. ibid. Dio, pag. 374.*]

Bellum contra Pompeium Cæſari obvenit, ne quid aliud intervenirer. Parthicum verò Antonio, ad ulciſcendam illatam Craſſo injuriam. Domitius Aënobarbus (licèt è Julii Cæſaris perculſoribus unus) in fœdus receptus eſt à Cæſare, iiſdem quibus priùs ab Antonio conditionibus. Additum ad fœdus, ut liceret utrique imperatori habere in Italiâ delectus pari numero legionum. In has leges poſtremum fœdus inter Cæſarem & Antonium ictum eſt. [*Appian. pag. 709.*]

His ita in caſtris ad Brunduſium compoſitis, convivio ſe mutuò exceperunt: quod Cæſar more militari ac Romano, Antonius Aſiatico Ægyptióque inſtruxit. Milites verò qui tum cum Cæſare erant Antonium circumſtetere, poſtulantes pecuniam quam ipſis de pugnâ Philippenſi promiſerat, cujúſque cumulatè conficiendæ causâ in Aſiam miſſus fuerat: ac vim ei intulíſſent, niſi eos, ſpe injectâ, Cæſar inhibuiſſet. [*Dio, pag. 374.*]

Cæſar & Antonius, ob pacem inter ſe factam, Romam ovantes ſunt ingreſſi. [*Inſcript. Gruteri, pag.* CCXCVII.] quos cives velut triumphantes exceperunt; veſtéque triumphali exornaverunt, & ad ludos ſpectandos curulibus in ſellis collocaverunt. [*Dio, pag. 375.*] Celebratæ deinde ibi ſunt inter Antonium & Octaviam tum prægnantem nuptiæ. Et quia vetabat lex nequa mulier niſi exactis à morte viri decem menſibus nuberet; tempus eſt ei Senatusconſulto remiſſum. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 78. Plutarch. in Antonio. Appian. pag. 710. Dio, pag. 375. fin.*] Manium verò, quòd Fulviam exaſperaſſet Cleopatræ criminationibus, & tantorum malorum cauſa fuiſſet, interfecit Antonius. [*Appian. ibid.*]

Aſinius Pollio in Conſulatu filium ſuſcepit, quem à captis Salonis (Spalatenſi civitate in Dalmatiâ) *Saloninum* vocavit: cui Virgilius in *Pollione* ſuo genethliacum canens, ex Cumæo ſive Sibyllino carmine, ſecula per metalla dividente decimáque & ultimâ à Mundi ætate (quâ Sol, id eſt Apollo, eſſet imperaturus) novam futurarum rerum omnium ἀνακύκλωσιν prædicente, hoc anno ſeculum aureum (& cum eo Virginem, Erigonem ſive Aſtræam, quæ ferreo ſeculo terras reliquerat) rediturum pronuntiavit. (*Servius, in Virgil. eclog. 4.*) Cujus deſcriptioni & ea Poëta videtur inſeruiſſe, quæ vel à Judæis (quos Romæ circa gradus Aurelios tunul habitaviſſe, in oratione pro Flacco docet *Cicero*) de Meſſiâ ſuo prædicata audiverat, vel in Prophetarum oraculis (quæ Græcè paſſim tum extabant) de eodem ſcripta ipſe legerat.

Pacorus Parthorum regis filius, Syriâ acceptâ, in Palæſtinam profectus, Hyrcanum, qui tum præpoſitus à Romanis ei regioni imperabat, depoſuit; fratremque ejus Ariſtobulum præfecit. Ita *Dio*, libro 48. [*pag. 372, 373.*] Ariſtobulum patrem cum filio Antigono perperam

confundens. quum idem ipſe poſteà ſemper Antigonum regem hunc non Ariſtobulum appellet. [*lib.* 48. *pag.* 382. *&* *lib.* 49. *pag.* 405.] Plenissimè verò rem iſtam totam *Joſephus* hunc in modum explicat.

Antigonus Ariſtobuli filius mille talenta & quingentas mulieres daturum ſe Parthis eſt pollicitus; ſi regnum ab Hyrcano in illum transferrent, & Herodem unà cum ſuis interficerent. Quæ licèt ille non præſtiterit, Parthi nihilominùs aſſertori regnum Antigono, duxerunt versùs Judæam exercitum; Pacorus regis filius per maritima, Barzapharnes ſatrapa per mediterranea. Pacorum excluſerunt Tyrii: ſed Sidonii ac Ptolemaidenſes intromiſerunt. Ille alam equitum in Judæam ſpeculatum præmiſit, juſſam etiam adjutare Antigonum: quam ducebat pincerna regius, & ipſe Pacorus nomine.

Adjungentibus autem ſe Antigono Judæis Carmelum montem incolentibus & paratis cum eo in hoſticum invadere, ille ſpem concepit poſſe ſe horum operâ partem illam regionis in poteſtatem redigere quam Drymos vocabant: ubi occurrentes ſibi hoſtes fugatos Hieroſolymam uſque eſt inſecutus.

Hic Antigoniani, adjungentibus ſe aliis jam multùm aucti numero, aggreſſi ſunt oppugnare regiam: Phaſaëlo & Herode eam propugnantibus. Inter hos pugnâ in foro conſertâ, hoſtes à fratribus ſuperati in templum confugerunt: quibus illic incluſis hi cuſtodes 60 viros appoſuerunt, per ædes proximas collocatos. Sed hos quidem infenſus fratribus populus concremavit: Herodes autem iratus, ex populo multos obtruncavit; inque dies ſingulos invicem ſeſe per inſidias incurſantibus, aſſiduæ cædes erant.

Quum dies feſtus Pentecoſtes adveniſſet, multa hominum millia ex totâ regione advenientium circa Templum congregata ſunt, tam armatorum quàm inermium; qui & templum & urbem occupaverunt, exceptâ regiâ: hanc enim cum paucis militibus Herodes cuſtodiebat, ſicut muros frater ejus Phaſaëlus. Herodes verò (à Phaſaëlo nonnihil adjutus) cum hoſtibus in ſuburbano congreſſus, coëgit multa eorum millia fugere, partim in urbem, partim in templum, partim etiam intra vallum quoddam in propinquo poſitum.

Interea pacis arbitrum Pacorum Parthorum ducem Antigonus petiit admitti. Pacorus hoſpitio à Phaſaëlo exceptus, ſuaſit ei ut legatus iret ad Barzapharnem; inſidias illi inſtruens. Ille nihil ſuſpicatus paruit: non probante hoc factum Herode propter Barbarorum perfidiam, hortantéque ut potiùs Pacorum & alios ad ſe venientes opprimeret. Itaque profecti ſunt ad eam legationem Hyrcanus atque Phaſaëlus: & Pacorus, relictis apud Herodem ducentis equitibus ac decem quos Eleutheros vocant, legatos deduxit.

Ut verò in Galilæam ventum eſt, armati eis occurrerunt qui illis opidis præerant: & Barzapharnes primùm alacriter eos excepit donavitque muneribus, deinde ſtruere inſidias incepit. Phaſaëlus autem cum ſuo comitatu deductus eſt in propinquum mari locum, cui nomen erat Ecdipon. Ubi Ophellus, qui à Syramallâ Syrorum tunc ditiſſimo paratas Phaſaëlo inſidias cognoverat, naves illi ad fugam obtulit. At ille, Hyrcanum & Herodem fratrem in periculo nolens relinquere, cum ipſo Barzapharne de injuriâ hâc legatis illatâ expoſtulavit. Qui vera iſta non eſſe dejerans, mox ad Pacorum abiit.

Eo profecto, vincula Hyrcano ſunt injecta, & Phaſaëlo multum deteſtanti Parthorum perjurium. Ad Herodem autem miſſus eunuchus mandatum habebat, ut productum extra muros comprehenderet. Herodes, quid fratri acciditſet ex aliis intelligens, aſſumpto armatorum quos circa ſe habebat ſubſidio, & impoſitis in jumenta mulieribus, matre Cypride, ſorore Salome, ſponſâ Mariamne, matréque ſponſæ Alexandrâ Hyrcani filiâ, & fratre natu minimo Pherorâ, famulitioque ac reliquâ turbâ comitum, nocte inſciis hoſtibus fugam versùs Idumæam iniit.

In itinere mater everſo vehiculo in mortis periculum addicta, ita conſternavit Herodem, ne inter has moras ſupervenirent hoſtis metuentem, ut ſtricto gladio de conſciſcendâ ſibi morte cogitaret. Sed à circumſtantibus cohibitus, Maſſadam caſtellum munitiſſimum (in confiniis Arabiæ & Paleſtinæ poſitum) maximis compendiis petiit: Parthis primùm illum perſequentibus, deinde & Judæis ſexageſimo ab urbe ſtadio eum aggredientibus, prælio devictis.

Poſtquàm ad Reſſam vicum Idumææ pervenit, occurrit ei frater Joſephus. Cúmque tantam turbam ſecum traherent, quantam etiam abſque milite conductitio Maſſadæ caſtellum, ad quod confugere decretum erat, non caperet: majorem partem dimiſit Herodes, numero ſupra novem millia; juſſis aliis aliàs per Idumæam ſalutem ſibi quærere, viatico eis dato. Expeditioribus autem quibuſque & intimis ſuis aſſumptis, in caſtellum ingreſſus eſt: depoſitiſque ibi mulieribus cum reliquis comitibus, quorum omnium numerus ad octingentos pertingebat, quòd ibi & frumentum & aqua & reliqua omnia neceſſaria ſupperetent; ipſe ad Petram Arabiæ properavit.

Proximo poſtquàm Hieroſolymis ille profugerat die, reliqua quidem omnia Hieroſolymitanorum bona Parthi diripuerunt, unà cum ipſa regiâ: ſola Hyrcani pecunia, circiter trecenta talenta, intacta remanſit. Herodis etiam facultatum magna pars evaſit; præſertim quas ille maturè providens in Idumæam deportandas curaverat. Nec contenti Parthi urbis direptione, egreſſi agrum quoque latè populati ſunt, & Mariſſam urbem opulentam everterunt.

In Judæam à Parthorum rege ita reductus Antigonus, Hyrcanum & Phaſaëlum vinctos accepit. Vehementer autem triſtatus eſt, quòd cum Herode mulieres effugiſſent, quas Parthis tradere conſtituerat, & unà cum pecuniâ daturum ſe promiſerat. Veritus deinde ne populi favore Hyrcanus, à Parthis aſſervatus, in regnum reſtitueretur, amputavit ei auriculas; ut ſic ineptus ad recipiendum pontificatum redderetur: Lege vetante, ne quis membris debilitatus ad altare poſſet accedere. [*Levitic.* XXI. 17, 18, *&c.*]

Phaſaelus

Phaſaëlus, neci ſe deſtinatum cognoſcens, cùm manus ſibi infecre non poſſet propter vincula, alliſo ad ſaxum capite vitam abrupit: antè tamen quàm exhalaret animam, audito ex quâdam mulierculâ quòd Herodes frater evaſiſſet; quem necis ſuæ ultorem futurum ſibi gratulabatur. Parthi autem, quanquàm mulieribus cæterint, quas maximè cupiebant, rebus tamen apud Hieroſolymam cum Antigono compoſitis, diſcedentes vinctum in Parthiam Hyrcanum duxerunt. (*Joſeph. lib.* 1. *Belli*, *cap.* 12. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 24, 25.]

Eodem tempore Labienus Ciliciam, & Aſiæ urbes in continente ſitas, (ejus enim metu in inſulas trajecerat Plancus, Antonii in Aſiâ legatus) præter Stratoniceam omnes, pleraſque ſine bello, Mylaſſa autem & Alabanda vi occupavit. Hæ námque urbes, quum præſidium à Labieno accepiſſent, die quodam feſto necatis prætidiariis, defecerunt. Labienus igitur Alabandis captis, cives ſupplicio affecit: Mylaſſa autem, relicta ab incolis, diruit. Stratoniceam quum diu obſediſſet, nullo tamen modo potiri urbe potuit. Proinde pecuniâ confectâ, ac ſpoliatis fanis, *Parthicum* ſeſe imperatorem vocavit, ratione à more Romanorum diverſiſſimâ. Quos enim adversùm Romanos ducebat, ab iis nomen ſibi imponebat; quaſi eos, ac non cives ſuos, vicilſet. [*Dio*, *lib.* 48. *pag.* 373.]

Ita Parthi, ſub auxilii ſpecie ſibi vincentes, ab Euphrate & Syriâ uſque ad Ioniam, duce Labieno, excurrerunt; latronibus tamen ſimiliores, quàm hoſtibus. [*Florus*, *lib.* 4. *cap.* 9. *Plutarch. in Antonio. Appian. in Syriac. pag.* 120. *in Parthic. pag.* 134, 156. *& lib.* 5. *Bell. civil. pag.* 709. *&* 747.] Ad quorum progreſſum impediendum, M. Antonius legatum P. Ventidium Baſſum in Aſiam præmiſit. [*Plutarch. ibid. Appian. pag.* 156. *&* 709.]

Ventidius antè ad Labienum pervenit, quàm is id futurum cognoſceret; territúmque repentino adventu, & copiis ſuis deſtitutum (ſolus enim tum cum collectis ex Aſiâ militibus ibi agebat abſque Parthis) neque congredi auſum, ſtatim inde fugavit: fugientémque in Syriam inſecutus eſt cum expeditiſſimis ſuis militibus, deprehenſúmque apud Taurum montem ulteriùs progredi prohibuit. [*Dio*, *lib.* 48. *pag.* 380, 381.]

Eo loco plures dies oppoſitis invicem caſtris quieverunt; Labieno Parthos, Ventidio legiones expectante. Quum iiſdem diebus utrique, quod operiebatur, advenilſet; Ventidius, quia equitatum Parthorum metuebat, in ſublimi loco (ibi enim caſtra poſuerat) perſtitit: Parthi verò ſuâ multitudine freti, hoſtémque olim à ſe ſuperatum contemnentes, antequàm Labieno ſe conjungerent, ſummo mane ad tumulum acceſſerunt; ac, nemine contra exeunte, ſubire ad ipſum collem intenderunt. Quum jam in ſublime evaſiſſent, Romani decurrentes haud magno labore eos per declive præcipites egerunt. Ita Parthi, partim à Romanis trucidati, majore verò ex parte in receptu à ſe invicem perditi ſunt; quum alteri jam fugerent, alteri tum primùm colli ſuccederent. [*Ibid. pag.* 381.]

Ventidius Parthos, non ad Labienum ſed in Ciliciam fugam convertentes, uſque ad caſtra inſecutus, viſo ibi Labieno ſubſtitit. Labienus autem quum ſe ad pugnam compoſuiſſet, videns militum ſuorum animos fugâ barbarorum conſternatos, non auſus confligere, ſub noctem auſugere aliquò inſtituit. Ventidius, re è profugis præcognitâ, multos in ipſo diſceſſu per inſidias interfecit; reliquos omnes à Labieno deſertos ſibi adjunxit. [*Ibid.*]

Labienus veſte mutatâ effugit, ac aliquandiu in Ciliciâ quum lateret, à Demetrio, qui Cyprum ſub Antonio tum regebat, poſtmodum indagatus atque captus eſt. (*Ibid.*)

His ita geſtis, Ventidius Ciliciam recepit, ac conſtituit: Popedium autem Silonem cum equitibus ad Amanum montem præmiſit, in confinio Ciliciæ & Syriæ poſitum. In illius angustiis, quæ Portæ dicuntur, caſtellum extructum Silo obtinere non valuit, quinimo à Pharnapate Pacori legato, qui eum tranſitum cuſtodiebat, in ſummum diſcrimen conjectus periiſſet, niſi forte fortunâ Ventidius pugnantibus ſuperveniens ſuos conſervaſſet. Is Parthos & ex improviſo inferiores adortus, Pharnapate cum multis aliis cæſo, Syriam à Parthis relictam jam ſine prælio recepit, Arado tantùm exceptâ. Aradii enim, metuentes ne eorum quæ contra Antonium auſi fuerant pœnas dare cogerentur, Ventidio ſe non dediderunt, quanquàm aliquandiu ab eo oppugnati. (*Ibid. pag.* 381, 382.]

Herodes, nondum factus certior de fratris Phaſaëli interitu, ad Arabum (Nabatæorum) regem Malchum multis ſuis beneficiis jam antè obligatum, profectus eſt: vel trecenta talenta paratis expendere, ut fratrem quamprimùm ab hoſte redimeret. quâ de causâ & filium illius Phaſaëlum ſeptennem ſecum ducebat, oppigneraturus eum apud Arabas. Sed occurrerunt ei miſſi à Malcho qui denunciarent ut finibus ejus regni excederet; ſic Parthis jubentibus. Prætexebat autem hoc ſuaſu optimatum ſuorum, ne debitam pecuniam redderet, úrque ille fraudaretur rebus quas pater ejus Antipater penès Arabas depoſuerat. Quod moleſtè ferens Herodes, in quoddam templum divertit, ubi multos ex comitatu reliquerat. Sequenti verò die cùm veniſſet Rhinocorura, ibi de fratris obitu cognovit. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 25.]

Malchus pœnitentiâ motus, & curſim Herodem inſecutus, nihil profecit. Jam enim ille procul aberat, verſùs Peluſium properans, ubi, nautis eum non recipientibus qui navigaturi erant Alexandriam, à magiſtratibus loci honorificè eò eſt deductus ad Cleopatram reginam. Quæ tamen detinere ibi eum non potuit, Romam properantem: licèt & crebris procellis mare tum eſſet turbidum, & res parùm adhuc tranquillæ eſſent in Italiâ. Cùm enim hyemalis anni tempeſtas nondum adeſſet (ut ad ann. Mundi 4014. num. 26. & 27. contra Torniellum obſervavit *Salianus*) illud, χειμῶνος ὥρας, apud *Joſephum*, de maris procellâ accipio: qua neglectâ, ſolvens Alexandriâ Herodes verſùs Pamphyliam, & cum gravi tempeſtate conflictatus, jacturâ ſarcinarum factâ, ægrè in Rhodum evaſit. (*Joſeph. ibid.*)

Rhodi duo ex amicorum cohorte præſto ei fuerunt, Sappinas & Ptolemæus. Et quum inveniſſet eam civitatem graviter afflictam bello quod contra Caſſium geſtum fuerat, ne præ-

lenti quidem inopiâ cohiberi potuit, quo minus vel lupra vires eam refoveret: inſtructâque triremi & cum amicis concensâ, Brundiſium in Italiâ appulit. Inde Romam profectus, Antonio denarravit ea quæ tibi & familiæ ſuæ in Judæâ contigerant; & quomodo per medias tempeſtates, (διὰ χειμῶνος,) contemptis omnibus difficultatibus ad unicum præſidium ſe recepiſſet, quod in illo haveret repoſitum. [*Id. ibid.*]

Ea narratio quum Antonii commiſerationem erga Herodem excitaſſet, accedente etiam hoſpitii paterni memoriâ, & in primis pollicitatione pecuniæ, ſi ejus ope rex fieret, & odio Antigoni tanquam hominis turbulenti ac Romanis inimici, factus eſt in Herodem propenſior. Cæſar quoque, partim propter Antipatri militiam in Ægypto cum patre ipſius toleratam & reliquam benevolentiam, partim ut Antonio gratificaretur quem valde ſtudioſum ſciebat Herodis, ad conatus ejus promovendos erat paratus. Itaque convocato Senatu Meſſala, ac deinde Atratinus, prodoctum Herodem commendârunt, commemoraris tam patris ejus quàm ipſius in Romanos beneficiis ac benevolentiâ: Antigonum verò tum ob vetera crimina accuſârunt, tum quòd recèns contemptis Romanis à Parthis accepiſſet imperium. Cúmque Antonius Senatum docuiſſet conducere ad Parthicum bellum, quod erat in manibus, Herodem regnare; hoſte declarato Antigono, Herodi regium nomen omnium ſuffragiis eſt delatum. [*Id. lib.* 14. *cap.*26.]

Dimiſſo Senatu, Antonius & Cæſar medium habentes Herodem exiverant, Conſulibus cæteriſque magiſtratibus deducentibus; aſcenderúntque in Capitolium ſacrificaturi, ac Senatuſconſultum ibi depoſituri: & novus Rex primo regni ſui die convivio acceptus eſt ab Antonio. Atque hoc pacto regium faſtigium ille eſt adeptus, Olympiade CLXXXV. (non CLXXXIV. ut apud Joſephum legitur) C. Domitio Calvino II. & Aſinio Pollione Conſulibus. Et intra ſeptem dies Herodem inſperatâ felicitate ornatum dimiſit Antonius ex Italiâ. [*Ibid.*]

Toto autem abſentiæ Herodis tempore Antigonus familiam ejus oppugnabat in Maſſadâ, abundantem quidem cætero commeatu, ſed laborantem aquarum inopiâ: ita ut hâc de causâ Joſephus frater cum 200. familiaribus ad Arabas inde fugere decreverit. Audierat enim Malchum jam pœnituiſſe, quòd paruiſſ officioſius in Herodem fuiſſet. Id conſilium mutavit, imbre noctu de cœlo demiſſo. Cisternis enim aquâ repletis, magno animo excurrebant; & Antigonianorum multos, modò apertè modò clam, trucidabant. [*Ibid.*]

3965 Ventidius Palæſtinam, Antigono ejus rege perterrefacto, nullo labore recepit: & pecuniam multam tum à ſingulis aliis, tum inprimis ab Antigono, Antiocho (Commageno) & Malcho Nabatæo exegit; quòd ii Pacorum auxilio juviſſent. [*Dio, lib.* 48. *pag.* 382.] Et in Palæſtinam quidem ille venit, eo prætextu, quaſi Joſepho laturus auxilium: ſed re vera hoc conſilio, ut pecuniam extorqueret ab Antigono. Poſitis igitur caſtris prope Hieroſolyma, ſatis magnam pecuniæ vim exegit ab eo. Quo facto, ipſe quidem cum majore copiarum parte receſſit; ne tamen fraus deprehenderetur, Silonem cum quibuſdam militum parte ibi reliquit: quem & ipſum placandum habuit Antigonus, ne quid interim moleſtus eſſet, dum Parthi, ut ipſe ſperabat, ſuccurrerent. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 26.]

Erat Romæ in comitatu Antonii quidam genethliacus Ægyptius, qui fortunam illius, alioquin ſplendidiſſimam & maximam, obſcurari à fortunâ Cæſaris dixit: ſuaſitque ut quàm longiſſimè ab eo juvene ſecederet. Hujus enim genium, inquit, formidat genius tuus; qui erectus & celſus, ubi ſolus eſt, illo appropinquante demiſſior redditur & ignavior. (*Plutarch. in Antonio.*)

Hinc ad Parthicum bellum profectutus Antonius, Senatuſconſulto approbatis actis ejus tam futuris quàm præteritis, rursùm duces paſſim dimiſit, & alia cuncta ut voluit diſpoſuit. Reges quoque aliquot appellavit arbitratu ſuo, duntaxat qui certum tributum penderent. Et ut Herodem Idumæorum & Samaritarum, ita Ponti Darium (Pharnacis filium, Mithridatis nepotem) Amyntam Piſidarum, Polemonem patris Ciliciæ, alióſque aliarum gentium reges conſtituit. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 715.] Deinde re familiari ſuâ Cæſari mandatâ, exceſſit Italiâ. Octaviam in Græciam uſque ducem ſecum, ex quâ jam filium ſuſtulerat. (*Plutarch.*) Ibique permultum temporis exegit. [*Dio, lib.* 48. *pag.* 380.]

Exercitum autem, qui alioquin circa ipſum hybernaturus fuerat, ut lucris ſimul exercitiíſque aſſuefaceret, miſit in Parthienos, gentem Illyricam, Epidamno vicinam, Bruti quondam ſtudioſiſſimam: alios in Dardanos, hoc quoque Illyrici generis, Macedoniam incurſare ſolitos: alios in Epiro præſtolari juſſit, ut omnes circa ſe haberet, qui Athenis hyberna ſibi delegerat. Miſit & Furnium in Africam, ut Sextii quatuor legiones contra Parthos duceret: nondum enim audierat Lepidum eas ademiſſe Sextio. His diſpoſitis, hybernavit Athenis cum Octaviâ, ſicut antè Alexandriæ cum Cleopatrâ. [*Appian. pag.* 715, 716.]

Hybernanti Athenis primæ Ventidii res proſperè geſtæ nunciantur; Parthis fuſis Labienum & ſummum regis Herodis ſive Orodis ducem Pharnapatem ſive Phraatem ab eo interfectos. Hujus victoriæ gratiâ præbuit Græcis epulum, & ludos gymnicos populo Athenienſi edidit, in quibus eſſe ipſe voluit gymnaſiarches: relictíſque domi inſignibus imperatoriis, cum virgis gymnaſiarchicis in pallio & pluscalis proceſſit; correptóſque juvenes, ubi ſatis certaſſent, diremit. [*Plutarch.*]

Romæ quoque laudatus eſt Antonius, & ſupplicationes ejus nomine decretæ. Ipſi enim Ventidio nullum à Senatu præmium datum eſt; quia non Imperator ipſe, ſed alienis auſpiciis rem geſſiſſet. [*Dio, lib.* 48. *pag.* 382.]

Caſtori cuidam & Attali & Deiotari in Galatiâ defunctorum ditio tradita eſt. (*Id. ibid. pag.* 377.)

Herodes Ptolemaidem ex Italiâ reverſus, collectis non mediocribus copiis tum ex conductitio tum ex ſuæ gentis milite, per Galilæam contra Antigonum properavit; adjutus à Silone & Ventidio, ad quos *Dellius* (ita enim apud *Joſephum* legendum hoc nomen, ut in lib. 15. cap. 2. non *Gellius*) ab Antonio miſſus fuerat cum mandatis, ut Herodem in ſuum regnum deduce-

rent.

rent. quamvis Ventidius tum fortè distinebatur componendis civitatum tumultibus, quos irruptio Parthorum excitaverat. Silo verò in Judæâ erat: sed pecuniâ corruptus ab Antigono. Attamen Herodis ulteriùs procedentis copiæ augebantur indies: & tota Galilæa, paucis exceptis, stabat ab ejus partibus. (*Joseph. lib. 14. cap. 17.*)

Ducenti Herodi adversùs Masadam, quod necesse esset succurrere cognationi in eo castello obsessæ, impedimento fuit Joppe: quam occupatam ab hoste opus erat primum capere, ne quam hostilem munitionem à tergo relinqueret petiturus Hierosolyma. Qua occasione arrepta, Silo movit exercitum: quem cùm Judæi persequerentur, Herodes cum modicâ manu eis occurrit, & Judæis profligatis Silonem ægrè repugnantem servavit. [*Id. ibid.*]

Captâ deinde Joppe, properavit Masadam ad liberandos obsidione domesticos: augebatúrque exercitus, multis ex indigenis illi se adjungentibus. Frustrà verò Antigono insidias in transitu locis opportunis illi struente, receptis è Masadâ domesticis & capto Resâ castello petiit Hierosolyma; sequentibus Silonis militibus, & multis Hierosolymitanis ejus potentiâ perterritis. Cúmque ad Occidentalem urbis tractum castra ponerent, qui hâc parte dispositi erant custodes sagittis cum impetebant & missilibus. Deinde quibusdam catervatim excurrentibus & stationes hostium infestantibus, Herodes caduceatorem circa mœnia proclamare jussit, se bono publico venisse, & ad salutem urbis, acceptarum injuriarum memoriam depositurum. Antigonus contrà ad Silonem & Romanos sermone converso, iniquum eos facere dicebat, qui Herodi regnum astruant, homini privato & Idumæo, hoc est, semijudæo: quum id, more gentis, generis successioni deberetur. Et quum Antigoniani, strenuè jaculantes è turribus, hostes a mœnibus arcuissent; Silo, largitione corruptus, è militibus suis familiaribus aliquot subornavit, qui clamoribus largiores commeatus & pecuniam in alimenta flagitarent, abducíque se in hyberna ad commodiora loca postularent. Unde turbato & abitum parante exercitu, Herodes Silonis tam duces quàm milites rogabat, ne se desererent, missum tum à Cæsare & Antonio tum à Senatu reliquo. Et continuò dimissis suis per agros, nullam Siloni discedendi ansam reliquam fecit: majore quam quisquam speraret rerum necessariarum allatâ copiâ. Familiaribus etiam suis apud Samariam agentibus imperavit Herodes, ut frumentum, vinum, oleum, pecora, & reliqua necessaria Jerichuntem comportarent; ut & in posterum inde suggeri possent militibus. (*Ibid.*)

Eâ re compertâ, Antigonus continuò dimisit per agros qui per insidias frumentatores interciperent. Herodes verò assumptis decem cohortibus, quarum quinque è Romanis, totidem è Judæis constabant, adjunctísque mixti generis conductitiis & equitatu modico, Jerichuntem petiit: ostendénsque urbem relictam ab habitatoribus, & 500. ex his ad montium vertices confugisse cum familiis, hos quidem captos dimisit. Romani autem invadentes urbem diripuerunt, repertis intra ædes omne genus rebus pretiosissimis. Rex igitur, relicto in eâ urbe præsidio, reversus est; & Romanum exercitum hybernatum in recèns deditas regiones dimisit, Idumæam, Galilæam & Samariam. Antigonus quoque pro largitione obtinuit à Silone ut partem Romani exercitûs intra Lyddam acciperet, captans Antonii gratiam. Atque ita Romani degebant in magnâ rerum copiâ, ab armis tantisper vacantes. [*Ibid.*]

Herodi verò otiari non libuit, sed misso in Idumæam Josepho fratre cum mille peditibus & 400 equitibus, ipse in Samariam profectus, & depositâ ibi matre cognatísque aliis quos è Masadâ eduxerat, in Galilæam duxit; expugnaturus quædam loca ab Antigonianis infesta præsidiis. Cúmque Sephorim cœlo ningente pervenisset, Antigonianis inde fugientibus magnam nactus est rerum necessariarum copiam. Inde in latrones quosdam spelunicarum recessus habitantes equitum alam immisit, cum peditum tribus cohortibus, ut eos cohiberet à maleficiis: aberant autem non longè ab Arbelâ vico. Quadragesimo deinde die venit cum toto exercitu & magnâ audaciâ hoste occurrente, in sinistro aciei cornu laborari cœptum est; donec ipse armatorum manu stipatus succurrit, & hostes jam vincentes coëgit terga vertere, suos verò fugientes gradum sistere. Nec hoc contentus, profligatos & palantes usque Jordanem persecutus est. Atque ita universam Galilæam in partes suas traduxit, præter eos qui erant in speluncarum receptaculis: numeratísque viritim 150. drachmis, & proportione centurionibus, suos in hyberna dimisit. [*Ibid.*] 4675 39

Interea Silo ad eum venit cum suis ducibus qui apud Antigonum in hybernis fuerant: illo nolente eos post unum mensem exactum amplius alere. Nam & ad circumvicinos miserat, qui juberent eos sublatis omnibus rebus ad victum necessariis in montes refugere, ut Romani præ inopiâ fame perirent. At Herodes Pheroræ fratrum minimo commeatuum curam commisit, jusso instaurare Alexandrium: qui brevi & militibus magnam necessariarum rerum abundantiam præbuit, & castellum illud priùs desertum denuò condidit. Hoc verò tempore Antonius Athenis morabatur. [*Ibid.*]

P. Ventidius, quum Pacorum exercitum colligere & in Syriam proficisci audisset, in metum pervenit; quum neque urbes essent adhuc constitutæ, & exercitus in hybernis etiamnum dispersi. Quare, ut & moram Pacoro injiceret & tarditati suarum copiarum mederetur, Chaunæum quendam dynastam adiit; notum quidem sibi familiariter, sed quem certò sciebat Parthis magis cupere. Hunc nihilominùs tanquam fidissimum sibi in honore habuit Ventidius, & consilium nonnullis in rebus ab eo petiit: ita ut, citra suum tamen detrimentum, hanc ei de se opinionem præberet, quasi conscium eum suorum arcaniſſimorum consiliorum faceret. Eò re deductâ, simulavit metuere se ne barbari consueto suo Euphratis transitu ad Zeugma omisso, aliâ quâdam parte fluminis inferiore uterentur: quòd hic campi Parthis, ibi verò colles sibi commodi essent. Idque & persuasit Chaunæo, & per eum etiam Pacorum decepit: ita ut campestri itinere (quo Ventidius finxerat se eum nolle venire) prolixiori delecto, spatium

copias suas cogendi Ventidio daret. Ita, in libro Histor. 56. [*pag.* 403, 404.] rem narrat *Dio: Frontinus* verò, libro 1. Stratagematum cap. 1. ita. Ventidius Parthico bello adversùs Pacorum regem, non ignarus Pharneum quendam natione Cyrrhestem, ex his qui socii videbantur; omnia quæ apud ipsos agebantur nuntiare Parthis; perfidiam Barbari ad militares suas convertit. Nam quæ maximè fieri cupiebat, ea vereri se ne acciderent; quæ timebat, ea ut evenirent optare se simulabat. Sollicitus itaque ne Parthi antè transirent Euphratem, quàm sibi supervenirent legiones quas in Cappadociâ trans Taurum habebat; studiosè cum proditore egit, ut solenni perfidiâ Parthis suaderet, ut Zeugma trajicerent exercitum, quà & brevissimum iter est, & demisso alveo Euphrates decurrit. Namque si illâc venirent, asseverabat se opportunitate collium usurum ad eludendos sagittarios: omnia autem vereri, si se in patentes campos projecissent.

Antonius, magno cum luxu & Octaviæ voluptate Athenis exactâ hyeme, tanquam alius factus, ad pristinum cultum rediit, personámque mutavit. Rursùm enim circa fores obversabantur lictores, duces & satellites, ad terrorem omnia composita: legationes quoque admittebantur, ad id tempus dilatæ; jus reddebatur, naves deducebantur, & apparatu strepebant omnia. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 716.] Denique ad bellum profecturus, è sacrâ olivâ coronam sibi sumpsit: & ut oraculo cuidam satisfaceret, etiam è Clepsydrâ fonte repletum secum asportavit vasculum. [*Plutarch. in Antonio.*]

In Syriâ Ventidius Silonem accersens contra Parthos, jussit primùm Herodi navare operam, deinde ad Parthicum bellum Herodem secum adducere & reliquos provinciales auxiliarios. Sed Herodes, Silone ad eum misso, ipse contra latrones in speluncis degentes duxit militem; & speluncas eorum omnes expugnavit: ut in lib. 1. Belli cap. 12. & lib. 14. Antiquit. cap. 27. plenius *Josephus* explicat.

Regioni Herodes Ptolemæum præposuit: cui tamen præfectura sua non bene cessit. Nam invasus ab his qui & antè Galilæam turbaverant, interfectus est. quo facto receperunt se in paludes & loca inaccessibilia; totum eum tractum rapinis infestantes & excursionibus. Herodes autem reversus pœnas ab eis exegit latrocinii: & ex defectoribus alios mox interfecit, alios refugientes in loca munita expugnatos supplicio tradidit, & arces ipsas diruit; atque ita sublatis rerum novarum authoribus, civitates centum talentis mulctavit. [*Joseph. ibid.*]

Pacorus cum magnis Parthorum copiis in Syriam profecturus, omisso ad Zeugma breviore Euphratis trajectu, inferiore itinere per circuitum adduxit exercitum. Dúmque fusiores ripas, & ob hoc operosiores pontes jungunt Barbari, instrumentáque moliuntur; 40. ampliùs dies impenderunt. Quo spatio Ventidius ad contrahendas usus est copias: quas triduo antequàm Parthi advenirent recepit. Quos cùm Ventidius passus esset flumen trantire, neque secundùm transitum eos adortus esset; in eam ipsos opinionem induxit, ut effœminatos ac imbecilles esse Romanos judicarent. Ventidius quoque simulato timore, diu continuit se, & insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos lætósque partem legionum emisit: quarum impetu fusi Parthi, in diversa abiere. Pacorus quum fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret, castra Ventidii, veluti sine defensoribus, magnâ mole aggressus est. Quæ cùm in edito posita loco Parthi equites invaderent, à Romanis repentinâ eruptione factâ, non magno labore per declive sunt depulsi. Reliquam verò partem legionum in campestria adversùs Parthos Ventidius non antè eduxit, quàm illi quingentis non ampliùs passibus abessent: atque ita procurrione subitâ adeò se admovit, ut sagittas, quibus ex longinquo usus est, cominùs applicitus eluderet. Quo consilio, quia quandam fiduciæ etiam speciem ostentaverat, celeriter Barbaros debellavit: maximè funditoribus victoriam adjuvantibus, qui eminùs violentis ictibus Barbaros impetentes summopere affligebant. Parthi tamen, quorum plures caraphracti erant, fortiter pugnaverunt: atque ipse Pacorus, fortissimè dimicans, cecidit; pro cujus cadavere pauci alacriter, sed frustrà, certavere. Parthorum denique equitatum omnem Ventidius toto inter Orontem & Euphratem tractu fere cæcidit, viginti ampliùs millium strage editâ: nec ullo bello Parthi unquam majus vulnus acceperunt. Fugientium alii per pontem domum evadere conati, præventi ab hostibus perierunt; alii in Commagenam ad regem Antiochum profugerunt. Atque ita Parthos Ventidius intra Mediam & Mesopotamiam denuò redegit: ulteriùs persequi eos nolens, invidiam M. Antonii veritus. [*Liv. lib.* 128. *Florus, lib.* 4. *cap.* 9. *Strabo, lib.* 16. *pag.* 751. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 78. *Joseph. lib.* 14. *cap.* 27. *A. Gellius, lib.* 15. *cap.* 4. *ex Suetonio. Justin. lib.* 42. *cap.* 4. *Plutarch. in Antonio. Jul. Frontin. Stratagem. lib.* 1. *cap.* 1. *& lib.* 2. *cap.* 2. *Dio, lib.* 49. *pag.* 404. *Eutrop. lib.* 7. *Sext. Rufus, in Breviario. Oros. lib.* 6. *cap.* 18.]

Celeberrima hæc victoria in Syriâ Cyrrhesticâ est obtenta. [*Strabo. Plutarch. Dio.*] eódemque ipsò anni die Pacorus est interfectus, quo (ante annos 14.) pater illius Orodes per ducem Surenam M. Crassum occiderat. [*Dio, pag.* 405. *Eutrop. Sext. Ruf. & Orosius.*] quod mense *Junio* factum fuisse, in 6°. Fastorum libro ostendit *Ovidius.*

Ventidius in illos qui defecerant susceptâ expeditione, subjugavit eos. [*Plutarch.*] Nam Pacorum justitiæ ac clementiæ nomine Syri summo amore prosequebantur, ita ut majori nullum unquam regem. [*Dio, pag.* 404.] Itaque, quum suspenso animo eventum belli Syria expectaret; Ventidius, circumlato per urbes quæ defeciverant Pacori capite, sine bello facilè eam pacavit. [*Id. ibid. Florus, lib.* 4. *cap.* 9.]

Odes, qui paulò antè vastatam Syriam, occuparam à Parthis Asiam audierat, victorémque Pacorum Romanorum gloriabatur, repentè filii morte & exercitûs clade auditâ, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere; ita ut etiam mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat,

nihil

nihil aliud quàm Pacorum vocabat, Pacorus illi videri, Pacorus auditi videbatur; cum illo loqui, cum illo conſiſtere: interdum quaſi amiſſum flebiliter dolebat. [*Juſt. lib.* 42. *cap.* 4.]

Romæ, Antonio ob victoriam Parthicam & ſupplicationes decretæ ſunt, & triumphus (quem ille tamen nunquam egit:) tum ob ejus eminentiam, tum ſecundùm leges, quia ea provincia ipſius erat. Ventidio tamen etiam eadem conceſſa ſunt: quia videbatur Craſſi calamitatem Pacori cædes abundè compenſaſſe. [*Dio, lib.* 49. *pag.* 404, 405.]

Ventidius contra Antiochum Commagenum duxit, eo obtentu, quòd is ei ſervos non dediſſet: re autem verâ pecuniæ, quam plurimam Antiochus poſſidebat, ſpe potiundæ. (*Id. ibid. pag.* 404.)

Hunc igitur, Samoſatis incluſum, ille oppugnabat: atque pollicentem mille talenta, & facturum imperata Antonii, juſſit ad ipſum legatos mittere (jam enim non longè aberat) ut ab ipſo pacem acciperet: quandoquidem hanc ſaltem illi deberi volebat, ne viderentur omnia per unum Ventidium fieri. [*Plutarch. in Antonio.*]

Antonius Ventidio juſſit, ut in auxilium Herodi Machæram mitteret, cum duabus legionibus & mille equitibus. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 27.] Ob utramque verò illam victoriam tum de Labieno tum de Pacoro à Ventidio partam, non modò non gaviſus eſt Antonius, ſed invidit etiam ob rem proprio ductu præclarè geſtam. Et quanquam ipſi propter utrumque factum Ventidii, & decretæ ſupplicationes fuiſſent & triumphus; tamen officio ſuo (præfecturæ Syriæ) eum detruſit, & neque tum neque deinceps ullâ in re operâ ejus uſus eſt. Ita *Dio:* [*pag.* 404.] licèt *Plutarchus* honoratum ab eo, ut merebatur, Ventidium & ad triumphum miſſum fuiſſe ſcripſerit.

Machæras vocatus ab Antigono & pecuniis corruptus, invito Herode ad eum ſe contulit, tanquam inſpecturus ejus negotia. At Antigonus ſuſpectum habens ejus adventum, non admiſit hominem, ſed per funditores glandibus impetitum arcuit. Ille tum demùm Herodem bene monuiſſe, & ſe non obtemperantem erraſſe intelligens, in Emmauntem urbem ſe recepit: & in eo itinere quotquot Judæorum ad manus ei venerunt, interfecit nullo amici aut hoſtis diſcrimine; iratus ob ea quæ ſibi acciderant. Quo facto exacerbatus Herodes, Samariam petiit, Antonium eâ de causâ aditurus: aliis ſibi opus eſſe dictitans, quàm his qui ſe magis quàm hoſtem læderent; alioqui ſufficere vel ſeipſum ad opprimendum Antigonum. Machæras verò conſecutus eum rogabat ut maneret: aut ſi certum eſſet pergere, ſaltem Joſephum fratrem ſibi attribueret, gerenti bellum contra Antigonum. Itaque reconciliatus Machæræ multùm roganti, relicto ibi Joſepho cum exercitu, præcepit ei ne ſe abſente contra Antigonum pugnando rem totam in diſcrimen adduceret. Ipſe verò properavit ad Antonium, oppugnantem Samoſata ad Euphratem, ducens auxiliares tam pedites quàm equites. [*Joſeph. lib.* 14. *cap.* 27.]

Poſtquàm pervenit Antiochiam, multos ibi reperit, qui cupientes adire Antonium, non audebant ſe committere itineri, propter barbaros vias obſidentes. Quibus ſe ducem ille præbens, barbaris ſemel iterúmque ſuperatis, Samoſata ad Antonium pervenit: ab eóque multo cum honore, & laude fortitudinis, exceptus eſt. [*Id. ibid.*]

Quum diu duraret Samoſatorum oppugnatio, obſeſſis, ex deſperatione pacis, verſis ad fortitudinem, (ut eſt apud *Plutarchum*) ſuſpicaretúrque Antonius milites, ob affectum ignominiâ Ventidium, animo eſſe alieno, (ut habet *Dio:*) clanculùm de pace cum Antiocho egit, ut recedere honeſtè poſſet. Cúmque non plures duobus obſides, ac ne hos quidem illuſtres, neque eam quam popoſcerat pecuniam, accepiſſet; trecentis talentis contentus, pacem Antiocho dedit: illi etiam concedens, ut Alexandrum necaret, qui priùs ab eo ad Romanos transfugerat. [*Dio, lib.* 49. *pag.* 405. *cum Plutarcho in Antonio, & Oroſio, lib.* 6. *cap.* 18.]

3966 Hunc in modum bello illo finito, C. Soſio Syriæ & Ciliciæ præfecturam cum exercitu tradidit. [*Dio, ibid. Joſeph. lib.* 14. *cap.* 27.] qui multa in Syriâ proſperè geſſit. [*Plutarch. in Antonio.*]

Conſtitutis aliquantùm rebus in Syriâ, *Athenas* Antonium rediiſſe, ſcribit *Plutarchus*: in *Ægyptum* profectum fuiſſe, *Joſephus*; in *Italiam* curſum inſtituiſſe, refert *Dio*. Ut Athenas primum ille rediiſſe, inde à Cæſare Octaviano evocatus in Italiam tranſiiſſe, atque Athenas denuò reverſus inde in Ægyptum, cum Cleopatrâ hyematurus, navigaviſſe videatur. A Cæſare enim ille Athenis accerſitus, ut de bello Sexto Pompeio inferendo cum eo deliberaret, cum paucis Brunduſium uſque acceſſit: ubi quum ad ſtatutam diem Cæſarem non inveniſſet, territus prodigio quodam, ſpecie Parthici belli urgentis uſus in Græciam revectus eſt; ægrè ferente Cæſare, quòd ipſum non expectaſſet. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 717, 718. *Dio, lib.* 48. *pag.* 385.]

Joſephus, præceptorum fratris Herodis immemor, eo abſente aſſumptis ſuis & quinque à Machærâ datis Romanis cohortibus, versùs Jerichuntem, ut maturo meſſium tempore triticum hoſtium demeteret, profectus, in montibus caſtra poſuit. Et quia Romanorum cohortes conſtabant è tyronibus non admodùm rei militaris peritis, quòd plerique è Syriâ delecti eſſent, circumventus ab hoſtibus inter locorum difficultates, ſex cohortibus amiſſis, & ipſe fortiter pugnans occubuit. Antigonus verò potitus cadaveribus, eò proceſſit iracundiæ, ut mortuum quoque Joſephum verberaret, & caput ejus abſcinderet: quamvis quinquaginta talenta Pheroras frater pretium redemptionis offerret. Quo facto Galilæi à ſuis præfectis deficientes, eos qui Herodis partibus magis favebant productos in lacu ſubmerſerunt. In Idumæâ quoque multa novata ſunt: ubi Machæras Gittam caſtellum muniebat. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 13. *& lib.* 14. *Antiquit. cap.* 27.]

C. Soſius, ab Antonio juſſus ut Herodem adversùs Antigonum adjuvaret, duas cohortes cum eo in Judæam præmiſit. (*Id. ibid.*) Ipſe Aradios, hactenùs oppugnationem perpeſſos faméque & morbo confectos, ſubegit. [*Dio, lib.* 49. *pag.* 405.]

Herodi apud Daphnen Antiochiæ ſuburbium fratris caſus renunciatus eſt, jam antè tale aliquid propter inſomnia hâc de re ſibi oblata expectanti. Accelerato igitur itinere poſtquàm ad Libanum montem pervenit, aſſumptis 800. ejus lóci hominibus, ducens etiam unam Romanam cohortem Ptolemaïdem petiit: unde noctu profectus cum exercitu, per Galilæam progreſſus eſt. [*Joſeph. ut ſuprà.*]

Hîc occurrentes illi hoſtes, prælio victi, compulſi ſunt in caſtellum unde exierant pridie. quod primo manè oppugnare Herodes aggreſſus, vi repentinæ tempeſtatis coactus eſt infectâ re inde exercitum in proximos vicos abducere. Superveniente autem ab Antonio cohorte alterâ, qui caſtellum tenebant territi noctu id deſeruerunt. Herodes quoque Jerichuntem properavit, volens ulciſci fratris interitum. Quò poſtquàm venit, honoratiſſimum quemque adhibuit ad convivium: peractâque cœnâ dimiſſis convivis, recepit ſe in cubiculum. Triclinium-que illud in quo cœnatum fuerat, jam vacuum, ſine cujuſquam noxâ concidit: quo factum eſt ut omnes Herodem Deo charum crederent, qui miraculosè ſervaretur è tanto periculo. [*Ibid.*]

Sequenti die quum hoſtium ſex millia ad pugnam deſcendiſſent à montium verticibus, Romanos terruerunt: eorúmque velites procurſando jaculis & ſaxis feriebant regios; adeò ut ipſi quoque regi quidam vulnus in latus inflixerit. [*Ibid.*]

Antigonus ducem Pappum Samariam miſit; volens videri ita abundare copiis, ut foris quoque poſſet bellum gerere. Sed ille Machæræ ſe oppoſuit. Herodes verò occupatis quinque opidis, præſidiariorum circiter duo millia interfecit, & incenſis opidis contra Pappum reverſus eſt, ad vicum Iſanas caſtra habentem. [*Ibid.*]

Herodes, confluentibus ad ſe multis à Jerichunte ac Judæâ, ubi animadvertit hoſtem præ audaciâ venire ad pugnam, collatis cum eo ſignis vicit egregiè: & accenſus ulciſcendi fratris cupidine, ſæviendo inſtabat in vicum fugientibus. Repletis autem ædibus milite, & quibuſdam in tecta confugientibus, his ſuperatis & tectis dirutis vidit omnia referta & conſtipata militibus. Quibus omnibus miſerandum in modum oppreſſis, reliqui omnes territi agminatim diffugerunt: ſtatimque Herodes, niſi eum hyemis aſperitas prohibuiſſet, Hieroſolymam petiiſſet & finem bello impoſuiſſet. Jam enim Antigonus de fugâ diſpiciebat, cogitans urbem deſerere. [*Ibid.*]

Herodes ad veſperam, cùm laſſos amicos reficiendi corporis gratiâ dimiſiſſet, ipſe adhuc ab armis calidus in quoddam cubiculum unico tantùm famulo comitatus lavatum abiit. Intùs autem latebant quidam hoſtium armati, quos metus eò compulerat. dúmque nudus ille ſe ablueret, primus prodiens ſtricto gladio per fores ſe proripuit, deinde alter & tertius armati ſimiliter: adeò attoniti, ut illæſo rege contenti eſſent ſibi ipſis fugâ ſalutem quærere. Sequenti verò die præciſo Pappi inter reliquos occiſi capite, miſit illud Pheroræ in perempti fratris ultionem. Pappus enim erat qui ſuâ manu Joſephum interfecerat. [*Ibid.*]

Romæ, V. Kalend. Decembr. P. Ventidius Proconſul ex Tauro monte & Parthis triumphavit: ut in Faſtis triumphalibus marmoreis legimus. [*Gruter. Inſcript. pag.* CCXCVII.] Hic Ventidius Baſſus vir obſcuri generis, per Antonii amicitiam ad tantam amplitudinem eſt provectus, ut provinciis Orientalibus ab eo præpoſitus, Labieno & deinde Pacoro ſuperato, de Parthis triumphum duxerit; qui ipſe ſemel, atque iterùm etiam, (ſi Maſſurio apud *Plinium* credimus) in triumpho cum aliis captivis ductus fuerat. [*Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 65. Valer. Maxim. lib. 6. cap. 9. Plin. lib. 7. cap. 43. A Gell. lib. 15. cap. 4, ex Suetonio. Plutarch. in Antonio. Dio, lib. 49. pag. 405. Eutrop. lib. 7.*] Vid. ſupr. in fine anni Periodi Julianæ 4671.

Hiſpaniâ in Cæſaris Octaviani poteſtatem per Domitium Calvinum proconſulem jam redactâ, à Kalendis Januariis hujus anni Hiſpani *Æram* ſuam deduxerunt; ut & ex aliis, & ex Eulogio archiepiſcopo Toletano in Memoriali Sanctorum, intelligitur. 4676 38

Ineunte vere, Antonius ex Syriâ (ut *Dio*) vel Athenis (ut *Appianus* habet) Tarentum cum trecentis navibus appulit, Cæſari contra Sextum Pompeium auxilium ferens. Quo cùm ille uti non vellet, indignè id ferens Antonius, tamen eodem loco manſit. Nam quum gravatim ſumptus in claſſem faceret, & ad Parthicum bellum opus haberet Italicis legionibus, claſſem eis permutare cogitabat. Et quanquàm ex fœdere utrique poteſtas erat delectus habendi per Italiam: difficilius tamen hoc ipſi futurum erat, ſorrito Italiam altero. Octaviam igitur, quæ comitata cum fuerat ex Græciâ, (prægnans ea tum erat, atque etiam ſecundam Antonio filiolam jam pepererat) ad Cæſarem fratrem miſit, ut arbitra inter utrumque foret. Quæ eò rem perduxit, ut Antonius Cæſari 120. naves (pro quibus, centum roſtratas *Plutarchus* ponit) continuò Tarentum miſſas traderet: pro quibus Cæſar *δὶς τριήρεις* (ut apud eundem *Plutarchum* legitur) vel viginti armatorum millia (ut habet *Appianus*) Antonio miſſurum ſe ex Italiâ eſt pollicitus. Octavia præterea extra conventa fratri obtinuit à viro viginti myoparones, ut *Plutarchus*, vel decem phaſelos triremes, ut *Appianus* retulit: Cæſar viciſſim Octaviam mille ſelectis ſatellitibus donavit, Antonio delectu eorum permiſſo. [*Plutarch. in Antonio. Appian. lib. 5. pag. 725, 726. Dio, lib. 48. pag. 390.*] Quóque pluribus neceſſitudinis vinculis continerentur, Cæſar Antyllo Antonii filio filiam ſuam (Juliam,) ac contrà Antonius ſuam ex Octaviâ filiam Domitio (Aënobarbo,) quanquàm is & cædis Julii Cæſaris conſcius & proſcriptus fuiſſet, deſponderunt. Hæc verò ita ab eis fingebantur, quæ facturi haudquaquam erant: quia præſentia negotia id poſcebant. [*Dio, ibid.*]

Et quoniam quinquennale Triumviratûs tempus exibat, prorogârunt ſibi ipſis poteſtatem in aliud quinquennium, nihil morati plebis ſuffragia. [*Id. ibid. Appian. pag. 726, 727.*] Antonius verò Octaviam à Corcyrâ in Italiam remiſit, ne ſui in Parthico bello periculi conſors eſſet: cáque cum ſuis ex illâ & Fulviâ liberis Cæſari commendatâ, in Syriam profectus eſt. [*Plutarch. in Anton. Appian. pag. 727. Dio, pag 390, 391.*]

Pro vetere Bibliothecâ Alexandrinâ, Julii Cæsaris tempore incensâ, novam in eodem loco Cleopatra construxit; quæ prioris *filia* appellata est: ut in libro de mensuris & ponderibus confirmat *Epiphanius*. ubi tamen à 7°. anno Ptolemæi Philadelphi, quo priorem Bibliothecam fuisse conditam ad annum Periodi Julianæ 4437. ex eodem ostendimus, annos hucusque malè ille dinumerat 249. qui in anno Per. Jul. 4686. terminarentur, post Cleopatræ interitum anno demùm altero. Cùmque præcipuus calculi error inde existat, quòd Cleopatræ regno 32 annos pro 22 *Epiphanius* attribuat; superfluo illo decennio sublato, intersititium inter utriusque Bibliothecæ initia 239 tantùm annorum constituimus. Huc verò spectat, quod in Plutarchi *Antonio* legitur; objectum Antonio à Calvisio fuisse, quòd Cleopatræ *bibliothecas donavisset quæ Pergami erant, ut quibus essent ducenta millia simplicium librorum*, sive singularium voluminum. Et de κλεισίᾳ τῆ Περγάμου, non de bibliothecis suo adhuc tempore ibi existentibus, (ut in 4°. Syntagmatis de Bibliothecis capitulo existimavit *Lipsius*) locutus *Strabo* est. [*lib.* 13. *pag.* 624.]

Herodes, anno tertio (ineunte) postquàm Romæ declaratus Rex fuerat, cum exercitu veniens Hierosolyma, castra prope urbem metatus est: quibus mox propiùs admotis quà maximè oppugnationi obnoxia putabat mœnia, ante Templum fixit tentoria; volens sic ea quemadmodum olim Pompeius aggredi. Tribus igitur aggeribus ei loco circumdatis, turres erexit, adjutus operarum multitudine. Cæsâ verò circumquaque materie, præpositisque huic operi viris idoneis, ipse Samariam ad nuptias profectus est: ducturus Mariammen, Alexandri filii Aristobuli filiam, sibi desponsatam. [*Joseph. lib.* 14. *cap.* 27. *fin.*]

Peractis nuptiis, pervenit per Phœniciem Sosius; præmissisque per mediterranea copiis, mox & ipse adfuit habens secum multos tam pedites quàm equites. Venit etiam Herodes à Samariâ, ad veterem exercitum non mediocrem accessionem adducens: erant enim circiter 30. millia. Universo autem exercitu congregato, ad peditum legiones undecim equitúmque sex millia, præter auxiliares Syrorum copias, (non pro minimâ parte ducendas) ad septentrionalem urbis murum castra collocárunt. Præerant autem duo cum imperio: Sosius ab Antonio missus in auxilium, & Herodes pro seipso bellum gerens, ut dejecto Antigono hoste populi Romani ipse pro eo ex Senatusconsulto regnum acciperet. [*Id. ibid. cap.* 28. *& lib.* 1. *Belli, cap.* 13.]

Intùs autem certatim resistebant Judæi ex totâ eâ regione collecti & conclusi intra mœnia; templum Domini jactantes, & faulta populo ominantes, non deserturum Deum suos in periculo: direptisque extra urbem tam hominum quàm equorum alimentis, per clanculatia etiam latrocinia difficultatem annonæ augebant obsessoribus. Cui rei Herodes ita prospexit, ut contra latrocinantes opportuna loca præoccuparet insidiis, & missis militibus commeatus etiam è longinquo conveheret: ut brevi necessaria victui abundarent in exercitu. [*Ibid.*]

Operariorum frequentiâ facilè absoluti sunt tres illi aggeres. Æstas enim erat; & opus fervebat, nullâ interturbatum aëris intemperie. Machinis etiam murum quatiebant, & nihil intentatum relinquebant. At obsessi intrepidè repugnabant, conatus eorum eludentes variis artibus. Excurrentes enim crebrò incepta, modò jam perfecta opera incendebant: & conserentes pugnam cum Romanis nihilo erant inferiores audaciâ, peritiâ tantùm rei militaris cedebant. [*Ibid.*]

3967 Annus Sabbaticus superveniens, obsessis Hierosolymitanis famem attulit. Quâ tamen non obstante, pro dissecto machinis muro intùs recentem extruebant, & cuniculis obvios agebant alios cuniculos; ut nonnunquam sub terrâ manus conserrent: utrentésque desperatione pro fortitudine, ad extremum perdurabant. [*Joseph. lib.* 14. *Antiquit. cap.* 28.] licèt Pollio Pharisæus, & Sameas hujus discipulus, illis consulerent ut Herodem in urbem reciperent; negantes propter peccata eos posse dominationem illius effugere. [*Id. ibid. cap.* 17. *cum lib.* 15. *cap.* 1.]

Obsidionem, tanto exercitu circumsidente, per quinque menses toleraverunt. [*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 13.] Tandem verò evaserunt in mœnia primùm Herodis viginti milites lectissimi; deinde centuriones Sosii. [*Id. ibid. & lib.* 14. *Antiquit. cap.* 28.]

Captus est enim primus murus die quadragesimâ, secundus verò quintadecimâ: & quædam porticus circa Templum exustæ sunt, quas Herodes Antigonum incendisse calumniabatur, volens in eum concitare invidiam populi. Captâ verò exteriore templi parte & imâ urbe, Judæi ad interiora templi & superiorem urbem refugerunt: timentésque ne à Romanis impedirentur mactare Deo quotidianas victimas, per legatos petierunt ut has tantùm sinerentur introducere. Quod & Herodes concessit; sperans remissâ tandem obstinatione eos cessuros. [*Ibid. lib.* 14. *cap.* 28.]

Ut spem suam frustratam Herodes vidit, & obsessos pro Antigoni regno pertinaciter contendere; totis viribus adortus urbem expugnavit. [*Ibid.*] ipsis videlicèt Kalendis Januariis anni Periodi Julianæ 4677. feriâ secundâ mensis Cislevi, qui juxta Orientalium rationes civilis anni tertius fuit, die 28. quo solenne Jejunium, in memoriam sacri voluminis à Jehojakimo combusti, à Judæis celebrari consuevit: ut suprà, ad annum Periodi Julianæ 4650. à nobis est ostensum. 4677 37

Kalendæ istæ Januariæ, ex vitiosâ intercalandi ratione Romæ eo tempore receptâ, in postremum Decembris diem incidebant, qui tum primum Triumvirorum quinquennium terminabat, tum Claudii & Norbani Consulatûs annum; ad quem Hierosolymitanorum ista calamitas referrur à *Dione*. [*lib.* 49. *pag.* 405.] Sequente verò die, Romæ M. Vipsanius Agrippa & L. Caninius Gallus Consulatum inierunt; ad quem à *Josepho* eadem refertur, in postremo libri 14. Antiquit. capitulo eventûs hujus tempus ita explicante. *Ea clades Hierosolymorum incidit in Consulatum M. Agrippæ & Canidii Galli, Olympiade* CLXXXV. (anno videlicèt illius 3°.) *mense tertio, in Jejunii solennitate: tanquam recurrente in idem temporis momen-*

tum illatâ Judæis à Pompeio calamitate [*nam & ab illo eâdem die urbs capta fuerat*] *post annos viginti septem.* Quod tamen intervallum uno anno veritatem excedit: nisi μετ' ἔτη κζ', *anno post vicesimo septimo*, interpretari libeat, quomodo Marci VIII. 31. μετὰ τρεῖς ἡμέρας *post dies tres* resurrecturum fuisse Christus legitur: quod Mat. XVI. 21. magis explicatè habetur propositum, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, *tertiâ die.* Et quod in II. Mac. XIV. 1. μετὰ τεσσερῶν χρόνων, *post triennii tempus*, de anno tertio exponunt Interpretes. (Ut ad annum Mundi 3842. est annotatum.) In *Judiâ* quoque *Africani* Stadionicarum Catalogo, Olympiade CXI. à Nerone agon Olympiacus actus fuisse dicitur non tempore legitimo, sed μετ' ἔτη δύο: ineunte nimirùm Olympiadis illius anno secundo. [*in Græcis Eusebian. Scaligeri*, *pag.* 221.] Apud ipsum denique *Josephum*; quod in libro 1. Belli, initio cap. 11. legitur, μετ' ἔτη δύο, in Antiquitatum lib. 14. cap. 23. διετῆ χρόνον exponitur.

Expugnatâ urbe, cædibus repleta sunt omnia; Romanis longâ oppugnatione exacerbatis, Herodianis Judæis conantibus adversam factionem extirpare fundiùs: eratque continua cædes per angiportus & domos, ne religione quidem Templi tuente supplices. Non ætati ullæ parcebatur, non sexui, ne imbelli quidem: & quamvis obstante Rege, & precibus intercedente, nemo tamen obtemperabat; sed veluti furore perciti sæviebant, nullo ætatis discrimine. [*Joseph. lib.* 14. *cap. ult.*]

Antigonus, è turri descendens, Sosio ad genua procidit. Qui, nihil miseratus mutatam ejus fortunam, insultavit homini, *Antigonam* appellans; vinctóque custodes apposuit. [*Id. ibid.*]

Cùm multitudo conductitiorum alienigenarum ad videndum non Templum solùm sed intimum etiam adytum rueret; Herodes alios precibus, alios minis, nonnullos & armis reprimebat; molestiorem cladem victoriam existimans, si quid eorum, quæ videri fas non esset, veniret in conspectum profanæ multitudinis. Prohibebat etiam rapinas per urbem fieri, identidem Sosium rogitans, solitudinisne se regem Romani facturi essent, exhaustâ urbe rapinis simul ac cædibus. Illo verò referente, pro expugnatione urbis direptionem meritò permitti militi; promisit se de suo mercedem numeraturum singulis. Atque ita redemptâ civitate ab ulteriore vexatione, promissa persolvit. Liberaliter enim militibus, & proportione ducibus, Sosio verò etiam regiè dedit munera: ita ut omnes bene nummati discederent. Atque ità Sosius, consecratâ Deo coronâ aureâ, profectus est Hierosolymis, Antigonum vinctum ducens ad Antonium. [*Ibid.*]

Herodes, diterrâ multitudine civitatis, suarum partium studiosos promovebat; adversæ autem factionis homines quotidianis absumebat supplicüs. [*Joseph. lib.* 1. *Belli*, *cap.* 13. *& lib.* 15. *Antiquit. cap.* 1.] Inter quos & omnes magni Synedrii judices, qui eum nondum regnum adeptum capitis arcessebant, interemit: Pollione Pharitæo & discipulo ejus Sameâ exceptis; quos in præcipuo honore ille habuit. [*Id. lib.* 14. *Antiquit. cap.* 17. *& lib.* 15. *cap.* 1.]

Omnem verò regiam supellectilem in unum congessit: a divitibus quoque collectâ & ablatâ magnâ vi auri ac argenti, totum id Antonio ejúsque amicis donavit. Interfecit etiam 45. primates ex factione Antigoni; appositis ad portas custodibus, qui etiam cadavera servarentur ne quis eorum efferretur pro mortuo. Et quicquid auri aut argenti inveniebatur, id totum ad Herodem referebatur: nec ullus finis malorum aderat. Nam bona eorum avaritia domini egentis absumebat: & agri inculti manebant propter tempus anni Sabbatici, quo fas non erat serere. [*Id. lib.* 15. *cap.* 1.]

Horum tristissimorum temporum, inter alios pios, spectatores fuere, Zacharias sacerdos cum uxore Elizabethâ, ex Davidicæ stirpis reliquiis Heli & Joseph, Anna quoque prophetissa è tribu Aseritidâ, & Simeon ille justus, qui responsum accepit à Spiritu Sancto, non visurum se mortem priusquàm videret Christum Domini. [*Luc.* II. 26.]

Antonius, accepto Antigono, volebat eum vinctum servare ad triumphum. Sed quum timeret Herodes ne Antigonus, Romam perductus ab Antonio, apud Senatum jure secum de regno contenderet; audirétque Antonius gentem ad res novas spectare, & odio Herodis favere Antigono: multis ab Herode acceptis pecuniis, Antigonum vanâ spe usque ad ultimum diem vitæ cupidum apud Antiochiam securi percussit. Quo facto, tum demum Herodes metu liberatus est; Hasmonæorum principatu jam sublato. [*Id. ibid. & lib.* 14. *cap. ult. & lib.* 20. *cap.* 8. *& lib.* 1. *Belli*, *cap.* 13.]

Ab initio Pontificatûs & Principatûs Antigoni usque ad capta Hierosolyma numerantur anni duo & menses 7. circiter. Unde & anno regni tum Herodis tum ipsius Antigoni *tertio*, interemptus ille ab Antonio fuisse legitur in 52. capitulo Judaicæ historiæ, quæ Arabicè scripta in Bibliis polyglottis Parisiensibus habetur edita. Tres verò annos & tres menses Antigono tribuit *Josephus.* [*lib.* 20. *cap.* 8.] qui ad mortem ejus protensi, in mensem Sextilem hujus anni eam differendam esse arguunt: ad quem, juxta nostras rationes, ab initio ducatûs Judæ Maccabæi fluxerunt anni 126. cum duobus vel tribus mensibus; non dissentiente *Josepho* in fine libri 14. ubi cæso Antigono Hasmonæorum principatum desisse scribit μετ' ἔτη μϛ', *post annos* 126. Herodes verò, apud eundem libro 17. cap. 8. annos 125. tantùm Hasmonæorum imperio tribuit: qui ab initio Judæ Maccabæi deducti in 3^tium. anni ipsius Herodis regni initio, quo obtidio Hierosolymitana ab eo cœpta est, terminantur.

De expugnatâ Hierosolymâ, & necato Antigono, quid exteri scriptores tradiderint jam videndum est. Eam historiam in libro 128. explicasse videtur *Livius*: in cujus epitome, *Judæi à legatis Antonii subacti* fuisse dicuntur. Ita enim habent veteres libri: ubi vulgati legunt, *Judæorum legati ab Antonio interempti sunt.* De Antigoni verò interitu, ex *Strabone* Cappadocis Historiarum libris, hoc habemus à Josepho [*lib.* 15. *cap.* 1.] conservatum testimonium. *Antonius Antigonum Judæum Antiochiam perductum securi percussit: existimatúsque est primus Romanorum regem affecisse hoc supplicio; ratus non posse aliter adduci Judæos ut Herodem pro illo*

regem

regem conſtitutum admitterent. Nam ne tormentis quidem adigi potuerant ut appellatione regis eum dignarentur: tanta apud eos fuit prioris regis exiſtimatio. Quare viſum eſt ignominioſâ morte obſcurare ejus memoriam, & lenire publicum Herodis odium. De quo & *Plutarchus* in Antonio. *Multis privatis magnarum gentium tetrarchias donavit, multis regna abſtulit: ut Antigono Judæo, quem productum ſecuri percuſſit: quâ pœnâ in regem nullum fuerat antè animadverſum alium.*

Meminit etiam hiſtoriæ hujus, *Dio*, lib. 49. [*pag.* 405.] de Soſio ita ſcribens. *Antigonum, qui præſidium Romanorum quod apud ſe erat occiderat, prælio victum Hieroſolymis (eò enim confugerat) vi expugnavit. Judæi (ut eſt gens ea ira, ſi ſemel eâ correpta fuerit, acerbiſſima) multa ac gravia quidem mala Romanis intulerunt, longè tamen plura paſſi ſunt. Capti enim ab his ſunt priores quidem illi qui pro templo Dei ſui pugnabant, poſt reliqui etiam, Saturni die: quam tantâ religione feſtam agunt, ut qui prius cum templo capti erant à Soſio, inſtanti eo die à Soſio veniam exoraverint, ac in templum aſcendentes, cum reliquis rem ſacram pro more peregerint. Et illis quidem Herodem quendam* [Antonius] *imperare permiſit: Antigonum verò virgis cæſum, & ad palum deligatum, (quod in nullo unquam rege à Romanis factum fuerat) poſtea etiam occidit:* ad palum nimirùm illum ſecuri percuſſum. de quo videnda *Caſauboni* Exercitatio 1. in Baron. cap. 7. Quod autem hoc factum *Claudio & Norbano Conſulib.* Dio ſubjicit, de Antigono quidem ſuperato & expugnatis Hieroſolymis verum eſt, neutiquàm verò de ſupplicio Antigoni; quod ſub ſequentis anni Conſulib. M. Agrippâ & Caninio ſive Canidio Gallo ille ſubiit.

Nihil autem aliud memoratu dignum à Romanis hoc anno in Syriâ actum eſt. Nam Antonius in Italiam eundo, ac inde revertendo, totum annum exegit. Soſius verò metu invidiæ & iræ Antonii, ita id tempus conſumpſit; ut non quomodo re aliquâ egregiè geſtâ Antonium offenderet, ſed quomodo otiatus ejus gratiam iniret, cogitaverit. [*Dio, ibid. pag.* 405, 406.] Qui nihilominùs ex Italiâ reverſus, eo amoto, Plancum Syriæ præfecit: Planci loco, in Aſiâ C. Furnio legato ſuo conſtituto. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 749. & 753. *cum Dione, lib.* 48. *pag.* 371, 373. & *lib.* 49. *pag.* 402, 403.]

3968 Orodem Parthorum regem, poſt longum luctum, alia ſollicitudo invaſit; quem ex numero 30 filiorum in locum Pacori regem deſtinaret. Multæ enim pellices, ex quibus generata tanta juventus erat, pro ſuis quæque ſollicitæ animum ſenis obſidebant. Tandem verò filiorum ætate maximum, eundémque omnium ſceleratiſſimum, regem conſtituit. [*Juſtin. lib.* 42. *cap.* 4. *cum Dione, lib.* 49. *pag.* 406.] Hic Phraates III. eſt; *Phraortes* Plutarcho in Antonio dictus: licèt à Parthicorum Appiani conſarcinatore, qui ad verbum ferè omnia ex Plutarcho tranſcripſit, ipſóque *Plutarcho* in fine Craſſi, *Phraates* nominetur; ſimul cum *Horatio*, Ode 2. lib. 2. hoc tempore memorante

Redditum Cyri ſolio Phraatem.

Is, regno accepto, fratres ſuos ex Antiochi filiâ natos, quòd ſe & virtute & materno genere præſtantiores eſſent, dolo necavit: & Orodem ipſum, indignè id ferentem, occîdit. [*Dio, pag.* 406.] Laboranti enim morbo aquæ intercutis aconitum miſcuit: quod quum vis morbi per alvum dejeciſſet, adeò ut inde haberet ſe meliùs; Phraates, miſſis veneficiis, compendio uſus, eum ſuffocavit. [*Plutarch. in fine Craſſi.*]

Poſt interfectum patrem, reliquos quoque omnes fratres Phraates trucidavit. Et quum infeſtos ſibi omnes optimates propter aſſidua ſcelera videret; ne eſſet qui nominari rex poſſet, adultum filium interfici juſſit. [*Juſtin. lib.* 42. *cap.* 5.]

Quum nobiliſſimum quemque Phraates occideret, & tam multa flagitioſè ageret; primorum permulti ab eo, partim aliò partim ad Antonium profugerunt: quorum unus Monæſes, vir illuſtris ac potens, fuit. [*Plutarch. in Anton. Dio, pag.* 406.] Evenit hoc Agrippâ & Gallo Conſulibus. [*Dio, ibid.*]

Reliquâ hyemis parte, Gellio & Nevâ Conſulibus, P. Canidius Craſſus, ab Antonio circa fines Armeniorum legatus relictus, in Iberos exercitum duxit; victúmque pugnâ regem eorum Pharnabazum ad ſocietatem belli compulit: ac cum eo in Albaniam progreſſus, victam eam gentem, & regem eorum Zoberem, ſimiliter ſibi adjunxit. [*Id. ibid.*] Qui victis Armeniis, & Iberorum Albanorúmque regibus, Caucaſum uſque procedens, ut apud gentes barbaras inclytum eſſet Antonii nomen effecit. [*Plutarch. in Anton. cum Strabone, lib.* 11. *pag.* 501.] 4678 36

His elatus Antonius, & Monæſi multùm fidens, bellum Parthicum illi gerendum commiſit: regnum Parthiæ illi promittens, & trium interim Romanis ſubditarum urbium reditus uſque ad finem belli fruendos eidem concedens. [*Dio, ut ſupr.*] Monæſis enim fortunam cum Themiſtoclis caſu conferens Antonius, ſuam verò opulentiam magnificentiámque Perſarum regibus æquiparans, tres illi urbes donavit; Lariſſam, Arethuſam, & Hierapolim, Bambycem olim nuncupatam. [*Plutarch.*]

Phraates Parthorum rex Hyrcanum captivum propter claritatem generis comiter habuit: & vinculis ſolutum permiſit Babylone degere, ubi magna erat Judæorum frequentia. Hi non aliter quàm pontifici ac regi honorem habebant: nec hi ſolùm, ſed etiam quotquot ex Judæorum gente ultra Euphratem per Aſſyrios (vel Babylonios) olim tranſlati fuerant; quorum multæ erant myriades. Sed poſtquàm reſcivit Herodem ad regiam dignitatem evectum, ad novas ſe ſpes tranſtulit; gratiam ab Herode expectans, quem aliquando de capite periclitantem in judicio ſervaſſet. Cœpit ergo cum Judæis, eum officii causâ adeuntibus, de profectione conſultare: qui tamen prudentibus monitis non potuerunt patriæ eximere illi deſiderium. Acceſſit & Herodis dolus, qui miſerum ſenem in poteſtatem ſuam redigere ſatagens, ſcripſit ei ut rogaret Phraatem & ejus regni Judæos, ne ſibi inviderent communem cum genero futuram poteſtatem: nunc enim adeſſe tempus referendæ ſuo quondam & altori &

3968 ſervatori gratiæ. Simúlque etiam ad ipſum Phraaten legatum miſit Saramalam cum muneribus; eblandiens eum ne obſtaret cupienti referre gratiam homini de ſe optimè merito. Hyrcanum igitur, à Partho tunc dimiſſum & ab illis Judæis honorificè adjutum viatico, cùm excepiſſet, in ſummo honore habuit: primúmque in conventibus locum ei tribuendo, & in convivis ſemper honoratiorem cedendo, patrémque appellitando, lactabat hominem quo minùs ſuſpicaretur inidias. (*Joſeph. lib.* 15. *cap.* 2, 3.)

Cavens verò Herodes ne quis illuſtrium crearetur Pontifex, accito Babylone obſcuri generis Sacerdote jamdudum ſibi noto familiariter, ex genere quidem Pontificio ſed ex Judæis olim ultra Euphratem traductis oriundo, Ananelo, (ſive Hananeele) dicto; ſummum ei ſacerdotium donavit. (*Id. ibid.*)

M. Antonius, omnia honeſta & ſalubria conſilia repellens, Fonteium Capitonem ad Cleopatram in Syriam adducendam miſit. (*Plutarch. in Anton.*) Quam ubi illa eſt ingreſſa, ſtatim cogitavit quomodo eam poſſeſſionem ſuam faceret. (*Joſeph. lib.* 15. *Antiqu. cap.* 4.) Syrorúmque optimates apud Antonium criminata, interfici eos ſuadebat, ut eo modo faciliùs cujuſque poſſeſſionum fieret domina. (*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 13.)

Lyſaniam Ptolemæi (Mennæi) filium, Chalcidis & Iturææ regem, ſtudere eum rebus Parthicis cauſata, ab Antonio interficiendum curavit: ejúſque regnum ab illo accepit. (*Id. lib.* 14. *Antiq. cap.* 4. *cum Dione, lib.* 49. *pag.* 411. *apud quem pro* Παιόνων legendum eſt Παρθῶν.) annis videlicèt poſt patris Auletæ mortem 15. ut ex *Porphyrio* liquet, in Græcis Euſebianis Scaligeri, pag. 226. ubi *Lyſimachi* nomen pro *Lyſaniâ* perperam habetur poſitum. * Lyſaniæ verò ditionem conduxit Zenodorus quidam, (*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 15. *& lib.* 15. *Antiquit. cap.* 13. *cum Caſaubon. Exercit.* 13. *in Baron. cap.* 3.) *

Amyntam, qui Dejotari ſcriba fuit, Galatiæ principem conſtituit Antonius; Lycaoniæ Pamphyliæque partibus adjectis. (*Dio, ut ſupr. pag.* 411. *cum Strabone, lib.* 12. *pag.* 567.)

Cappadociæ quoque, ejecto Ariarathe, regem conſtituit Antonius Archelaum, nullâ propinquitate regiam familiam attingentem: cujus genus paternum deducebatur ab Archelais, qui contra Romanos belligeraverant; mater autem ei erat ſcortum Glaphyra. (*Dio, ibid. pag.* 411. *cum Strabone, lib.* 12. *pag.* 540.) Cum Glaphyrâ turpem conſuetudinem habuiſſe Antonium, ex laſcivo Cæſaris Octaviani hexaſticho apparet, apud *Martialem* libro 11. epigr. 21. * Archelaum verò quinquageſimum annum Cappadociâ potitum fuiſſe, ſcribit *Tacitus* (*Annal. lib.* 2. *cap.* 42.) quod vel rotundo numero ab eo eſt expreſſum, vel ad annum Periodi Julianæ 4680. referendum erit, ſc. regni Archelai initium. *

Alexandra Hyrcani filia, uxor Alexandri Ariſtobuli regis filii, & ſocrus Herodis, iniquiſſimè ferens contemptum filium ſuum Ariſtobulum, Mariammes fratrem, quòd eo ſuperſtite aliunde vocatus Pontificatum uſurparet; ſcripſit Cleopatræ per quendam fidicinem, ut Pontificatum filio ſuo peteret ab Antonio. Quo rem eam negligente, amicus Antonii Dellius, ob quædam negotia in Judæam profectus, Alexandræ perſuaſit ut depictas filii ſui Ariſtobuli & filiæ Mariammes regiæ conjugis effigies ad Antonium mitteret: fatarum enim ut his conſpectis nihil non à ſe impetrari pateretur. Quibus tranſmiſſis addebat quoque Dellius, ambos illos ſibi viſos non mortali ſed divino natos genere: volens Antonium in amores pellicere. (*Joſeph. lib.* 15. *cap.* 2.) Fuit verò Dellius hic hiſtoricus ille, cujus in Plutarchi *Antonio* facta habetur mentio; & cujus epiſtolæ laſcivæ ad Cleopatram ferebantur, ut in oratione Suaſoriâ 1ª. retulit M. *Seneca*: quem & turpi conſuetudine ipſi Antonio devinctum fuiſſe, *Dio* innuit. (*lib.* 49. *pag.* 415.)

Antonius, indecorum ſibi ratus puellam Herodi nuptam accerſere, atque Cleopatræ ſuſpiciones vitans, ſcripſit Alexandræ ut aliquo honeſto prætextu filium ad ſe mitteret: addens, *niſi moleſtum videatur.* Quæ poſtquàm relata ſunt Herodi, non putavit rutum Ariſtobulum in ipſo flore ætatis, utpote 16 annorum adoleſcentem, & genere nobiliſſimum, mittere ad Antonium; primùm Romanorum nemini potentiâ cedentem, deinde proclivem ad libidines. Reſcripſit igitur, ſi vel pedem è regno ſuo moveat adoleſcens, fore ut cuncta compleantur bellicis tumultibus; Judæis novationem rerum ſub alio rege ſperantibus. Atque hoc pacto ſatisfecit Antonio. (*Joſeph. ut ſupr.*)

Bello Siculo Sextus Pompeius à Cæſare Octaviano & M. Lepido ſuperatus eſt. Lepidus, 20 legionum fiduciâ ſuperbiens, & totam victoriam ut ſuam interpretatus, Cæſari ſe opponere & Siciliam ſibi vendicare auſus eſt. Verùm relictus ab exercitu, abrogato Triumviratûs honore, à Cæſare ſupplex vitam, & bona impetravit, Circeios in exilium ab eo relegatus. (*Liv. lib.* 129. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 79, 80. *Sueton. in Octavio, cap.* 16. *&* 54. *Appian. lib.* 5. *Dio, lib.* 49. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 18.)

Sextus Pompeius, modò 350 navium dominus, cum ſex ſeptémve in Aſiam profugit: ut refert *Florus.* (*lib.* 4. *cap.* 8.) licèt ſeptemdecim cum eo naves fuiſſe ſcribant *Appianus* [*lib.* 5. *pag.* 741.] & *Oroſius.* [*lib.* 6. *cap.* 18.] Ad Antonium verò profugere ille cogitabat: cujus matrem in ſimili periculo ipſe ſervaverat. [*Appian. ibid.*]

Filiâ itaque, amicíſque & pecuniis, cæteríſque pretioſis in naves ſuperſtites, quæ eſſent quàm maximè agiles, collocatis, noctu Pompeius abiit, nemine inſequente: quia & clanculùm discedebat, & Cæſarem continuò Lepidi tumultus exceperat. [*Dio, lib.* 49. *pag.* 398.] Meſſanâ tamen profectus Pompeius, inſectationem metuens, proditioníſque ſuos comites ſuſpectos habens, quum eis dixiſſet ſe per altum vela daturum, extincto igne quo naves prætoriæ reliquis prælucere ſolent, oram Italiæ legit. (*Id. ibid. pag.* 402.) ubi ad Lacinium promontorium appellens, fanum Junonis votivis donariis dives ſpoliavit. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 747.

Hinc ad Corcyram, ac deinde in Cephaleniam trajecit: ibíque alios ad ſe recepit, fortè eò

tempestatis vi ejectos. Quibus convocatis, habitu militari depositο, exposuit fore, ut si unà omnes manerent, neque satis mutuò sibi prodesse neque latere possent; sin sparsi hinc inde essent; facilius diffugituros: ideóque monuit, ut quisque seorsùm salutis rationem iniret. Cui admonitioni quum plerique obtemperantes, alii aliò discessissent; ipse cum reliquis in Lesbum transmisit. [*Dio, pag.* 402.] Mitylenis manens; ubi puer puerum ante pugnam Pharsalicam deposuerat, victúsque inde eum receperat. [*Appian. pag.* 747.]

Quam Parthi fugam Monæsis ad Antonium molestè ferrent, & Phraates ejus rei causâ sibi metueret; legatos ille ad Monæsem de pace misit: summisque pollicitationibus, ut retrò cederet, pertinatit. Quod cognitum, etsi, ut par erat, stomachum Antonio movit; tamen Monæsem, quem in suâ adhuc potestate habebat, non occidit: (quia si id fecisset, neminem barbarum deinceps ad suam amicitiam accessurum putabat:) sed fraudem contra hostem struens, eum dimisit, tanquam ejus opera cum Parthis amicitiam facturus. Simúlque cum eo legatos ad Phraatem misit, qui verbis pacem componerent; siquidem Rex signa & captivos superstites, quæ Crassi calamitate Parthi ceperant, reddidisset. Sperabat autem se regi spe pacis imparato superventurum. [*Plutarch. in Antonio. Dio, lib.* 49. *pag.* 406.]

Ipse interim ad bellum reipsâ se comparans, ad Euphratem profectus est; existimans eum nullo præsidio teneri. Quod ubi eo loco vidit diligentissimè positum, aversο inde itinere, in Armeniam statim ire instituit, ad bellum Artavasdi Medorum regi faciendum; ab Artavasde Armeniæ majoris rege inimico ejus impulsus. [*Dio, pag.* 407.]

Artavasdem hunc Armeniorum regem, *Artabazem* Tigranis filium Josephus, [*lib.* 1. *Belli, cap.* 13. *& lib.* 15. *Antiquit. cap.* 5.] *Artabanen* appellat Orosius [*lib.* 16. *cap.* 19.] Quem cùm consiliarium, & itinerum ductorem, & bellicæ administrationis magistrum Antonius sibi adscivisset; prodens eum ille, in multas posteà calamitates Romanos conjecit. [*Strabo, lib.* 11. *pag.* 524. *& lib.* 16. *pag.* 748.]

In Ægyptum remissâ Cleopatrâ, per Arabiam Antonius profectus est in Armeniam: quò & suas copias & auxilia regum convenire jusserat. Erant autem multi amici & socii; inter quos Artavasdes ille sive Artabazes Armeniæ rex, equitum sex, peditum verò septem præbebat millia. Ibi quum recenserentur milites, comperta sunt peditum Romanorum & sociorum Latini nominis 60 millia, & ordinarii equitatûs Hispanorum Gallorúmque decem millia; ex aliis vero gentibus auxiliarium 30 millia, connumeratis equitibus & levis armaturæ milite. Hæc *Plutarchus.* Legiones verò XIII. *Velleius Paterculus*; [*lib.* 2. *cap.* 82.] XVI. *Florus* [*lib.* 4. *cap.* 10.] & *Justinus*: [*lib.* 42. *cap.* 5.] XVIII. legiones & XVI. millia equitum, Antonio tribuit *Livius.* [*lib.* 130.]

Dux itineris quod à Zeugmate ad Euphratem est usque ad ingressum Atropatenæ (quam Araxes fluvius ab Armeniâ dividit) octo millium stadiorum illud effecit, duplo quàm recta erat via amplius, per montes, invia, inque gyrum circumducendo. [*Strabo, lib.* 11. *pag.* 524.] Cúmque debilitasset Antonius in hybernis Armeniæ quietè reficere suum exercitum, attritum octo millium stadiorum itinere, & ineunte vere, priusquàm Parthi è suis hybernis moverent, Mediam invadere: moras ille non tulit; Cleopatræ desiderio ita captus, ut non tam de victoriâ cogitaret quàm de reditu celeri. [*Plutarch.*]

Itaque quum intelligeret, regem Mediæ, ad opem Parthis ferendam, procul domo abisse; impedimentis ac parte exercitûs cum Oppio Statiano relictis, subsequíque se jussis, ipse cum equitibus ac peditatûs optimâ parte festinatò profectus est: sperans se primo impetu omnem Mediam subacturum. [*Dio, pag.* 407.]

Inter impedimenta relicta, machinæ erant urbibus expugnandis paratæ, 300 plaustris impositæ, & in his aries 80 pedum longitudine: quarum nulla semel corrupta reparari poterat, propter materiarum inopiam in eis regionibus, nullam arborem proceram aut duram ferentibus. [*Plutarch.*]

Antonius, postquàm Araxem transmisit, omnibus undique malis est circumventus. [*Oros. lib.* 6. *cap.* 19.] Et quidem mox ut Atropatenam attigit, regionem eam populatus est. Deinde *Phraata*, magnam urbem, in quâ uxor regis Medorum erat cum liberis, obsedit. ubi statim animadversο errato quod in relinquendis machinis admiserat, duxit ad urbem aggerem: quem lentè & magno excitavit labore. [*Id.*] Regia hæc Medorum Praaspa *Diani* dicta est, *Vera* (ni fallor) *Straboni*, libro 11. pag. 523. ex *Adelphio* (si non *Dellio* historico) qui Antonii in hâc expeditione comes, eam descripsit, & partem exercitûs ipse duxit, urbem hanc 2400 stadiis ab Araxe fluvio abfuisse ostendens.

Parthus ac Medus, quam cognovissent frustrà laborare Antonium in oppugnandâ urbe validis muris ac multis defensoribus munitâ, Statianum in itinere fatigatum improvisò adorti, & ipsum & qui cum eo erant omnes (*μυριους* sive decem millia *Plutarchus*, duas legiones *Velleius* nominat) interemerunt: omnibus impedimentis tormentísque bellicis in potestatem suam redactis. Polemo, Ponti rex bellique socius, captus ac pecunia datâ dimissus est. Fuit autem hoc barbaris facto facile, quia rex Armeniæ ei pugnæ non interfuit: qui quum præcipua belli causa fuisset, &, ut authores sunt quidam, potuisset Romanis subvenire; non modò non id fecit, sed ne ad Antonium quidem, verùm in regnum suum discessit. [*Dio, pag.* 407. *cum Velleio Paterc. lib.* 2. *cap.* 82. *& Plutarcho in Anton.*]

Antonius, etsi ad primum Statiani nuntium festinârat, ut suis auxilium ferret, tamen tardiùs venit, ac præter mortuos neminem invenit. Itaque tametsi clade hâc terreretur, tamen quia nemo barbarorum sibi occurrebat, censens eos propter metum ad quò abiisse, animum resumpsit: ac non multo pòst cum eis congressus, funditorum opera (quorum magnus erat numerus) in fugam eos conjecit. Funditorum enim jactu sagittis hostium longiùs procedebant;

ita ut armaturæ quoque gravis miles ab illis tutus non esset. Sed propter celeritatem equitandi barbarorum, non magna eorum strages est edita. (*Dio, ut supr.*)

Praasporum oppugnationem Antonius iterùm aggressus, hostibus damni nihil admodùm intulit: præsidio quod intùs erat magnâ vi eum repellente, & hostibus qui foris erant congrediendi facultatem non dantibus. (*Id. ibid.*) Quum Parthi verò obsessis succurrentes multa contumeliosè Romanis minarentur; nolens Antonius quiescendo de animositate suorum quicquam deterere, assumptis decem legionibus & tribus prætoriis cohortibus omnique equitatu, frumentatum profectus est: ratus fore ut hostis ipsum invaderet, atque ita confligendi daretur occasio. (*Plutarch.*)

Progressus iter diei, ut vidit Parthos sibi circumfundi, conantes reditum intercludere; jussit canere signa, dissolutis tentoriis, quasi non pugnæ se parans sed itineri. Atque ita dicebat præter barbarorum lunatam aciem, jussis equitibus, quamprimum perveniret agmen ut legiones possent hostem aggredi, in adversos procurrere. Parthi verò mirabantur optimè instructam Romanorum aciem, spectando militem prætereuntem servatis ordinibus, & tacitè pila quatientem. Postquàm autem signo dato & clamore sublato irruerunt equites, restiterunt illi nonnihil; quamvis mox ita insinuârunt se Romani ut usum sagittarum eis ademerint: tum demùm, succurrentibus etiam legionariis cum clamore ac scutorum strepitu, & equi Parthorum sunt perterriti & ipsi priusquàm ad manus venirent terga verterunt. Antonius, debellaturum se sperans, aut certè maximam belli partem confecturum eo prælio, vehementer imminebat fugientibus. Ubi verò pedites per stadia 50. equites per triplum ejus spatii persecuti sunt, consideratis cæsis & captivis hostibus, invenerunt captos 50. cæsos tantùm 80. móxque conciderunt eis animi, durum esse reputantibus, si victores tam paucos occiderent, victi verò amitterent tam multos quàm desideraverant apud plaustra. Insequenti die in castra revertentibus occurrerunt in viâ pauci primùm hostes, deinde plures, denique cuncti, tanquam non antè fusi & recentes: qui lacessebant eos & irrumpebant undique; ita ut se ægrè & laboriosè in castra sua se receperint. (*Idem.*)

Absente Antonio, Medi ad Praaspa vallum aggressi, propugnatores terruerunt. Ob quod indignatus Antonius, decumavit eos qui locum deseruerant, & decimum quemque affecit supplicio; reliquos autem hordeo pavit, pro tritico. (*Id.*)

Frumentatores ab Antonio emissi, initio quidem, quum cibaria ex vicinià Romani haberent, commeatibus parandis facilè sufficiebant. Postquàm autem, propinquis omnibus absumptis, milites frumentatum longiùs abire opus habuerunt, eveniebat ut si pauci emitterentur, non modò nihil apportarent sed ipsi quoque perirent; sin multi, oppugnatoribus nudabantur Praaspa, ac barbaris erumpentibus, multi milites, multæ machinæ Romanorum perdebantur. Unde factum est ut Antoniani, quum viderentur alios in obsidione habere, ea paterentur quæ obsessis usu venire solent. Nam & oppidani diligenter tempus eruptionibus idoneum observabant, & qui foris erant Romanos in castris manentes, quoties copias suas dividebant, subitis incursibus & abscessu festinato graviter vexabant; frumentatoribus verò ad pagos exeuntibus molestiam nullam exhibebant, palantes ac redeuntes ad suos inexspectati aggrediebantur. (*Dio, lib. 49. pag. 408.*)

3969 Sextus Pompeius in Lesbo audiens Antonium in Mediâ cum Medis Parthísque bellum gerere, illi reverso in fidem se committere, interim verò in eâ insulâ hyemare statuit: Lesbiis eum propter patris memoriam libentissimè & recipientibus & detinentibus. (*Id. ibid. pag. 402. Appian. lib. 5. pag. 747.*)

Praasporum obsidionem producente Antonio, bellum permolestum utrique parti fuit. Nam neque Antonius sine vulneribus & cædibus suorum frumentari poterat: & Phraates gnarus Parthos quidvis potiùs laturos quàm in castris & in alieno solo hyemem, verebatur ne, si Romani perdurarent in armis, destitueretur à suis, aëre mutato post autumnale æquinoctium. (*Plutarch.*) Timebat quoque ne, si diutiùs obsidio continuaretur, Antonius vel per se, vel auxilio etiam aliquo auctus, urbem incommodo aliquo afficeret. Itaque subornavit, qui eum ad pacem à se petendam, spe ejus facilè impetrandæ, permoverent. (*Dio, pag. 408.*)

Suos igitur Antonianis frumentatoribus occurrentes mitiùs eos tractare jussit, & de pace sermones cum eis serere: quibus persuasus Antonius, misit quendam amicum, qui signa captivósque reposceret; ne videretur contentus fugâ & salute. Cui responsum est, ista ut missa faceret: pacem verò & securitatem habiturum, si discedat continuò. (*Plutarch.*) Atque ita Phraates, aureâ sellâ sedens ac nervum arcus pulsans, postquàm multis verbis in Romanos fuisset invectus, legatis ab Antonio missis pacem eâ conditione promisit, ut continuò exercitum abduceret. (*Dio, pag. 408.*)

Hoc accepto responso Antonius, quamvis esset in concionibus, tum civilibus tum militaribus, facundissimus, tunc tamen præ pudore mœstitiâque in concionem non prodiit: sed vice suâ Domitium Aënobarbum submisit, qui militibus hoc renunciaret & bono esse animo hortaretur. Et intra paucos dies collectis vasis abiit. (*Plutarch.*) operibus quæ ad Praasporum oppugnationem fecerat, tanquam in sociorum terrâ jam versans, integris relictis. Quæ omnia disjecto aggere, Medi mox incenderunt. (*Dio, ut supr.*)

Quum autem redeundum esset per eandem viam campestrem & nudam arboribus, Mardus quidam assuetus Parthorum moribus, cujus fidelis opera in pugnâ circa machinas Romanis probata fuerat, suasit Antonio, ut secundùm dextros montes duceret, neve gravem armis exercitum in locis planis ac patentibus objiceret tam multis equitibus sagittariis; id enim captasse Phraatem cùm eum, comitate verborum ab oppugnatione abduceret: se indicaturum viam

breviorem

breviorem, & copiosiorem ad necessitates militum. Hæc Antonius ad consilium retulit, dissimulans se paci à Parthis datæ parùm fidere: sed, laudans viæ compendium, & per vicos benè cultos transitum, fidem à Mardo postulabat. at ille vinciendum se præbebat donec exercitum in Armeniâ sisteret: atque ita vinctus pacatè ducebat per biduum. (*Plutarch.*)

Tertiâ verò die nihil minùs quàm de Parthis cogitante Antonio, & securè incedente pacis fiduciâ, conspicatus Mardus aggerem fluvii nuper dirutum, & multum aquæ diffusum per viam quâ transeundum erat, intellexit à Parthis id factum ad remorandum agmen hâc difficultate objectâ: móxque rem commonstravit Antonio, & jussit intentum esse in adventum hostium. Ille aciem instruens inter ordines spatia disponebat, per quæ jaculatores funditoresque in hostem procurrerent, quum se Parthi aperuerunt quasi circundaturi & perturbaturi exercitum undique: sed ubi levis armatura in eos excurrit, acceptis illatisque multis vulneribus retrocesserunt, rursúmque incubuerunt, donec Galli equites conglobati fecerunt in eos impetum, adeóque disjecerunt, ut illo die nihil tentárint amplius. (*Id.*)

Inde Antonius doctus qui faciendum esset, quadrato agmine iter faciebat, non tergo tantùm sed & lateribus firmatis jaculatorum funditorúmque præsidio; equitibus admonitis, ut hostem assultantem repellerent, repulsum verò non persequerentur longiùs: atque ita Parthi per quatriduum non majore illato quàm accepto incommodo, segniores facti sunt, causatique hyemem, cogitarunt de abitu. (*Id.*)

Die quinto unus è ducibus Flavius Gallus, vir fortis & industrius, ab Antonio plures velites, à postremo agmine & à fronte aliquot equites impetravit, quasi egregium aliquod facinus patraturus. Hic impetu temerario in hostem multo cum discrimine irrupit, atque dum carptim laboranti subsidia mittuntur, ea quoque ut imbecilliora ab hoste cæsa sunt: donec Antonius, totâ vi cum exercitu procurrens, ceteros manifesto periculo eriperet. [*Id.*]

Parthos missis undique sagittis duas legiones operuisse, scribit *Florus*. [*lib.* 4. *cap.* 10.] Cecidisse non pauciores tribus millibus dicit *Plutarchus*; relata verò in tentoria quinque sauciorum millia. In his erat & Gallus, quatuor sagittis transfixus: qui ex vulneribus postea mortuus est. Antonius miserè se afflictans, saucios circumcursando consolabatur. Illi verò læti prensabant ejus dexteram, rogabántque ut seipsum curaret, nec afflictaret amplius, Imperatorem appellantes, & salvos se fore dicentes si ille bene valeat. (*Plutarch.*)

Parthos jam lassos & desperabundos hæc victoria in tantam erexit contra Romanos superbiam, ut juxta castra pernoctarent; sperantes se mox direpturos pecunias publicas & deserta tentoria. (*Id.*) Quâ nocte Romanus quidam ex clade Crassianâ superstes Parthico habitu castris adequitavit, & salute Latinè datâ, quum fidem ipso fecisset, quid immineret edocuit; jam affuturum cum omnibus copiis Regem: monuítque ne in destinato itinere pergerent, sed retrò cuntes sylvestria & montana loca peterent; nec sic quoque hostem fortasse defuturum prædicens. [*Florus*, *lib.* 4. *cap.* 10. *Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 82.]

Primâ luce hostium plurimi affluxerunt, aiúntque equitum fuisse non minùs 40 millia: Rege cohortem quoque quæ corpus suum stipabat perpetuò, sicut ad indubitatam & certam victoriam, mittente. Ipse enim nulli interfuit pugnæ. Antonius verò sublatis ad cœlum manibus vota fecit, ut si quod numen parùm æquis oculis spectasset felicitatem ejus pristinam, in ipsius caput averteret adversa omnia: cætero exercitui victoria salúsque contingeret. [*Plutarch.*]

Insequenti die meliùs communiti Romani pergebant. Parthi eos invadentes, multùm expectatione suâ frustrati sunt, rati se ad rapiendum prædandúmque non ad pugnandum venire: sed multis telis excepti magnâ alacritate Romanorum militum, rursùm defessi sunt. [*Id.*]

Quum verò per clivum quendam descendentibus insidiari Parthi incumberent, & emissis sagittis in modum grandinis eos obruerent; gravis armaturæ milites, receptis in medium velitibus, in sinistro genu subsederunt, elatíque super capita scutis testudinem fecerunt: quâ se suósque ab hostium sagittis, in clypeorum convexitatem lubricitate delabentibus, protexerunt. [*Id. cum Floro*, *lib.* 4. *cap.* 10. *Frontino*, *lib.* 2. *Stratagem. cap.* 3. *& Dione*, *lib.* 49. *pag.* 409.]

Parthi, qui nihil unquam hujusmodi viderant, putantes eos propter vulnera concidisse ac jam simul omnes posse concidi, projectis arcubus ab equis desiluerunt; & sumptis contis, ad cædendum eos acinacibus nudatis propiùs accurrerunt. Tum Romani se rursùm efferentes, signo dato phalangem explicuerunt, sublatóque clamore hostem à fronte adorti, fodiendo pilis sternendoque primos, universos in fugam verterunt. Quæ res barbaris adeò miraculo fuit, ut eorum unus vocem hanc emiserit. *Ite & bene valete, Romani: merito vos victores gentium fama loquitur, qui Parthorum tela fugistis.* (*Florus*, *Plutarch. & Dio*; *ut supr.*)

Eadem tamen certamina repetebantur quotidie: quod ut parùm itineris Romani perficerent, effecit. (*Plutarch.*) Cúmque quoties primâ luce moverent, toties urgentibus Parthorum sagittis infestarentur; Antonius abeuntium agmen in quintam horam continuit, fusíque fidem constantiorem fecit: quâ persuasione digressis inde Parthis, justum iter reliquo die sine interpellatione confecit. (*Frontin. lib.* 2. *Stratagem. cap. ult.*)

Fame deinde laboravit exercitus; quod frumentatio impediretur crebris prœliis, & deficerent molæ: quæ magnâ ex parte relictæ fuerant, jumentis partim mortuis, partim ægrotos & saucios vehentibus. Fertur chœnicem Atticam tritici quinquaginta drachmis venisse, & hordeaceos panes repensos pari argenti pondere. Versi deinde ad radices & olera, inciderunt in quandam herbam quæ manducata afferebat insaniam. Omnes enim qui eam ederant, lapides effodiebant & transmovebant, rem valde seriam se agere putantes: tandémque bilem evomendo, quia vino carebant (quod unicum huic malo erat remedium) moriebantur. (*Plutarch.*)

Fame in castris ita grassante, ad hostem perfugere cœptum est. Ac, nisi perfugas Parthi in

reliquorum

3969 reliquorum conſpectu ſagittis confeciſſent, videbantur omnes ad barbaros tranſituri. Sed Parthorum crudelitas eam defectionem inhibuit. (*Dio*, *pag.* 409.)

Multis ſuorum pereuntibus, nec Parthis abſcedentibus, Antonium tradunt ſæpiùs exclamaſſe, ὦ μόρον! mirantem illos decies mille viros, qui ductu Xenophontis multò longius iter ex Babyloniâ conficientes, atque cum hoſtibus longè pluribus dimicantes, incolumes evaſerunt. (*Plutarch.*)

Parthi, quum perrumpere agmen Romanorum non valerent neque diſſipare ordines, frequenter verò victi fuiſſent & pulſi, egerunt demùm pacatè cum aquatoribus & frumentatoribus; ac nervos oſtendentes arcuum ſuorum remiſſos, retrò ſe abire dixerunt, & hunc finem facere eos conſectandi: paucos Medos ſolùm unius aut alterius diei iter ſequuturos; ſed nihil eos fatigaturos, tantùm protecturos remotiores vicos. His dictis ſalutationes & benevolentiæ demonſtrationem adjunxerunt. Unde perquàm alacres redditi ſunt Romani: atque Antonius eo nuntiato campeſtria potiùs cupivit petere, quòd via montana diceretur arida eſſe. (*Id.*)

Quum in eo ille eſſet ut id exequeretur, venit quidam ex caſtris hoſtium Mithridates nomine, conſobrinus Monæſis illius qui ab Antonio tres urbes dono acceperat: petiitque mitti ad ſe aliquem, qui aut Syriacâ aut Parthicâ linguâ poſſet ſecum colloqui. Ad quem cùm Alexander Antiochenus familiaris Antonii accediſſet, indicavit illi, in altis illis quos videbat collibus Parthos cum omnibus ſuis copiis latitare in inſidiis, ut ad campeſtria deflectentes opprimerent. monuitque ut per montana (quæ nihil aliud moleſtum haberent præter aquarum inopiam unius diei) iter continuarent. Cujus conſilium ſecutus Antonius, Mardo duce, noctu per montanam viam perrexit; juſſis priùs aquam ſecum deferre millibus: quam multi, valis carentes, aut in galeis aut in coriis conſutis portabant. (*Id.*)

Parthi, re per nuntios cognitâ, noctu præter morem ſuum eos perſecuti ſunt: oriente verò Sole agmen extremum carpebant, feſſum laboré ac vigiliis; nam eâ nocte ſtadia 240 confecerant; quamvis non expectarent hoſtem ſuperventurum tam citò: quo magis eorum animi dejecti ſunt. Et ſitis intendebatur certamine: cogebantur enim pugnando iter facere. (*Id.*)

Interim primum agmen incidit in fluvium, frigidum quidem & limpidum, ſed ſalſum medicatúmque; qui bibentibus ſtatim tormina ventris ciebat, & ſitim accendebat. Quod quamvis Mardus præmonuerat, nihilominùs repulſis obſtantibus avidè hauriebant. Antonius autem inſtans, precabatur ducerent paulliſper, alium enim non longè abeſſe fluvium potabilem: deinceps ſupereſſe viam aſperam & inequitabilem, à quâ omninò neceſſe ſit hoſtes recedere: ſimúlque receptui cecinit, ut ſaltem in umbrâ milites ſe recolligerent. (*Idem, cum Floro, lib. 4. cap.* 10.)

Quùm ergo figerentur tentoria, Parthis ex more diſcedentibus, Mithridates rediit: occurrentéque Alexandro monuit ut paulùm quiete refecti univerſi conſurgerent, & properè tranſirent fluvium; quòd is eſſet perſequendi terminus. Traditaque ſunt ei ab Antonio pocula permulta aurea & phialæ: ex quibus quantum occulere veſte poterat accipiens ille diſceſſit. (*Plutarch.*)

Reliquum iter ejus diei nemine infeſtante peractum eſt. Sed noctem ſequentem ipſi ſibi reddidérunt gravillimam & periculoſiſſimam. Nam quibus erat aurum argentúmve occidebantur ſpoliabanturque, & ſarcinæ jumentorum pecunias ferentium direptæ ſunt; poſtremò, ſupellectilem Antonii, pocula menſáſque pretioſas concidérunt & inter ſe partiri ſunt. Itaque exorto magno tumultu ac trepidatione in exercitu (putabant enim hoſtes invaſiſſe ſarcinas & diripere) Antonius accitum libertum ſuum coëgit jurare, confoſſorum ſe illum quamprimùm juberet, & caput ablaturum; ut nec vivus veniret in poteſtatem hoſtium, nec agnoſceretur mortuus. (*Id. cum Floro, ut ſupr. & Sexto Rufo, in Breviario.*)

Amicis collachrymantibus, Mardus jubebat Antonium bono eſſe animo; quòd ſentiret in propinquo eſſe fluvium: ſimúlque alii nuntiárunt tumultum natum ex ipſorum avaritiâ mutuiſque injuriis. Quamobrem volens turbatam & diſperſam multitudinem componere, caſtrametandi ſignum dedit. Et jam dilucebat, & exercitus ſedatior incipiebat redire in ſuos ordines, quum extremum agmen ſenſit ſagittas hoſtium, & levis armatura pugnæ ſignum accepit: ſcutati verò ſimiliter ut antè conglobati, teſtudine ſuſtinebant ſagittas non audentium congredi. Dúmque ita paulatim gradum promovent, ubi à primis conſpectus eſt fluvius, equitatu hoſtibus oppoſito, Antonius ante omnes trajiciebat infirmos. Et jam pugnantibus quoque timor ac labor minuebantur. Ut enim Parthi viderunt fluvium, laxatis nervis jubebant Romanos tranſire bono animo, prolixè laudantes eórum fortitudinem. Ita tranſgreſſi per otium, curabant corpora: deinde pergebant iter facere, non admodùm fidentes Parthorum pollicitis. (*Plutarch.*)

Cæſar Octavianus, rebus Siculis conſtitutis, Idibus Novembr. ovans ex Siciliâ Romam ingreſſus eſt: ut ex Faſtis triumphalibus marmoreis liquet. (*Inſcript. Grut. pag.* CCXCVII. *cum Sueton. in Octav. cap.* 22. *Dione, lib.* 49. *pag.* 400. *& Oroſio, lib.* 6. *cap.* 18.) auratâ quoque in roſtro ſtatuâ illi poſitâ, quæ ad veram effigiem erat expreſſa, cum hoc titulo: *Ob pacem poſt diuturna bella terrâ marique redditam.* (*Appian. lib.* 5. *pag.* 746.) Et ætatis 28. ille tunc agebat annum: quo modo *Appiani* illa accipienda ſunt verba. (*ibid.*) λοιὸ ὁ Καῖσαρ ἐτῶν ἦν τότε ἐννέα καὶ εἴκοσι.

Tribuniţiam quoque poteſtatem in perpetuum Senatûs decreto accepit: invitatus hoc honore ad Triumviratum deponendum. Quâ de re privatim per Bibulum ſcripſit ille Antonio. [*Appian. ibid. pag.* 747. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 18.]

Antoniani, ſexto à noviſſimo prælio die, ad Araxem fluvium pervenerunt, qui Mediam (Atropatenam) diſterminabat ab Armeniâ. Hic profunditate & violentiâ difficilis viſus eſt trajectu: increbuitque rumor, hoſtem in inſidiis ibi ſubſidentem tranſeuntes aggreſſurum. Poſtquàm autem totò traducti Armeniam iniere, tanquam tum primùm ex pelago ad terram

appu-

appuliſſent, adorabant eam; & in mutuos complexus cum lachrymis ruebant præ gaudio. Quum verò tranſirent per affluentem regionem, poſt longam inopiam explebant ſe affatim: indeque hydropicis & cœliacis morbis laborare cœperunt. (*Plutarch.*)

Hic recenſens ſuos Antonius, comperit deſiderata viginti millia peditum, equitum quatuor millia: quorum plus quàm dimidium non vis hoſtis, ſed morbus abſumpſit. (*Id.*) De toto exercitu haud minùs pars quarta militum, calonum ſervitiique deſiderata tertia eſt; impedimentorum vix ulla ſuperfuit. Hanc tamen Antonius fugam ſuam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. (*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 82.*)

Die XXI. trecenta paſſuum millia fugâ ille emenſus eſt. (*Liv. lib. 130.*) Continuatum autem eſt iter à Phraatis (ſive Praaſpis) per dies XXVII. quo temporis ſpatio Parthi decies & octies pugnando repulſi ſunt. Quòd ſi adfuiſſent illa equitum XVI. millia, inſtructa more Parthorum & cum eis conflictari aſſueta, quæ Artavaſdes Armenius ex Mediâ abduxerat; non potuiſſent toties fugati Parthi inſtaurare prælia, Romanis eos profligantibus, illiſque profligatos perſequentibus. Omnes igitur irritabant Antonium ad pœnas ſumendas de Armenio. Sed ille conſilio uſus, neque proditionem exprobravit ei, neque de honorificentiâ comitatéque ſolitâ quicquam detraxit; quod infirmus eſſet ab exercitu, & omnium rerum indigus. (*Plutarch.*)

Antonius, quum hoſtes ei non ampliùs graves eſſent, ad Cleopatram feſtinabat, hyemare in Armeniâ nolens: atque per gravem jam hyemem & perpetuas nives citatum rapiens agmen, circa octo millia hominum in viâ tempeſtatibus amiſit. (*Liv. lib. 130. & Plutarch. in Anton.*) Et per montes Armeniæ glacie intectos iter facientes vulnera, quæ multa acceperant, maximè moleſtabant. Idcircò multis mortuis, multis ad bellum inutilibus redditis; Antonius, quia non ferebat hæc ſingula audire, interdixit ne quis tale ſibi quicquam annuntiaret. Regem verò Armeniæ, quamvis ei, quòd ſe deſeruiſſet, inocenſeret, ac ulciſci eum in animo haberet, blandiendo demeruit, ut ab eo pecuniam ac alimenta acciperet. Denique quum ulteriùs iter hyberno tempore ferre milites non poſſent; regem adulando ac pollicitando identidem permovit, ſibi in ſuo regno hyemandi poteſtatem faceret, vere iterùm contra Parthos exercitum ducturo. (*Dio, lib. 49. pag. 410.*)

Tandem, vix tertia parte de ſedecim legionibus reliquâ, in Syriam [rediens Antiochiam; ut eſt apud *Oroſium* lib. 6. cap. 19.] perfugit: ubi incredibili quâdam mentis vecordiâ ferocior aliquantò factus eſt; quaſi viciſſet qui evaſerat. [*Florus, lib. 4. cap. 10.*] 4679 35

Paucis deinde comitatus deſcendit ad mare, atque in caſtello inter Berytum Sidonémque poſito [*Leuce come* appellato] ſubſtitit, ut Cleopatram operiretur, cujus anxius morâ languebat. Itaque conjecit ſe ſtatim in vinum & crapulam, inter quæ crebrò exiliens ſpeculabatur, quoad illa in portum eſt delata. [*Plutarch. in Anton.*]

Tulit Cleopatra militibus magnam vim veſtium & pecuniam. Sunt qui dicant, veſtem Antonium ab illâ ſumptam, & pecuniam de ſuo, ut ſi illa dediſſet, diviſiſſe. [*Id. ibid.*] Quâ de re, ita ſcribit *Dio*. Allatæ ſunt ei à Cleopatrâ pecuniæ; ex quibus 35. drachmas [ſive denarios] ſingulis legionariis, ac ratam aliis portionem diviſit: & quum ex pecuniæ non ſufficerent, ex ſuis facultatibus reliquum addidit; Cleopatræ ſuos etiam ſumptus acceptos referens. Multum enim ei etiam amici contulerunt pecuniæ, multum à ſociis exegit. His actis, Antonius in Ægyptum abiit. [*Dio, ut ſupr. pag. 410.*]

Herodes, uxore ejus Mariamne aſſiduis precibus eum obtundente ut fratri ſuo Ariſtobulo debitum Pontificatum redderet, advocato amicorum concilio, multis verbis in ſocrum Alexandram invectus eſt, quaſi clàm regno ſuo inſidiaretur, & per Cleopatram id ageret ut ad puerum transferretur. Ne tamen pietatem erga eam, cæteráſque neceſſitudines aſpernari videretur, nunc ſe ejus filio Pontificatum redditurum dixit, cui Ananelus hactenùs, propter ætatem immaturam, prælatus eſſet. Hic Alexandra præ gaudio vix compos ſui, ſimul etiam ſuſpectam ſe dolens ambiti regni, lachrymas fudit, ſeſéque de hujuſmodi crimine purgavit: & gratiis pro filii honore actis, ſe in poſterum regi obſequentiſſimam fore pollicita eſt. Atque ita Herodes Ariſtobulum adoleſcentem [17. annorum] vivo adhuc Ananelo ſucceſſorem in Pontificatu dedit. [*Joſeph. lib. 15. cap. 2. & 3.*]

Sextus Pompeius, quum Antonium adverſam in Mediâ fortunam ſenſiſſe intelleriſſet, Caium verò Furnium, Aſiæ eo tempore præfectum, parùm amicè erga ſe affectum, in Lesbo non manſit: ſed ſpe conceptâ, aut ſucceſſurum ſe in univerſum Antonii defuncti imperium, aut ſaltem in partem ejus recipiendum, quum & ex Siciliâ & aliunde multi ad eum venirent, (partim paternæ gloriæ opinione, partim victûs inopiâ exciti) & habitum reſumpſit imperatorium, & ad occupandam Aſiæ continentem oppoſitam ſe accinxit; recenti exemplo Labieni, qui eam incurſaverat, animo obverſante. (*Appian. lib. 5. pag. 747. Dio, lib. 49. pag. 402.*)

Antonius, quum in ſociorum evaſiſſet terram, actis Pompeii cognitis, ei, ſi ab armis diſceſſiſſet, veniam ac amicitiam promiſit. Pompeius, quum ita facturum ſe reſcripſiſſet; Antonio, propter acceptam calamitatem, & quòd is ſtatim in Ægyptum abiret, contempto, in inſtituto ſuo perrexit. [*Dio, ibid.*] Ad utrumque verò viam ſibi muniens, legatis ad Antonium miſſis, ſe illi amicum & ſocium offerebat: reverà hoc tantùm agens, ut res ejus exploratas haberet. Interim ad Thraciæ Pontique dynaſtas alios legatos clàm mittebat, cogitans, ſi poſtulata non impetraret, per Pontum fugere in Armeniam. Ad Parthos enim legatos etiam miſit, ſperans ad bellum nondùm confectum adverſùs Antonium libenter ſe duce uſuros, Romano viro, eóque Magni filio. Simúlque naves parabat, & ſocios navales exercebat: metum à Cæſare ſimulans, aut parari hæc in uſum Antonii. *Appian.* [*ut ſupr.*]

Antonius, quamprimùm audivit de Pompeii conatibus, ab itinere quidem ſuo non reflexit,

3959 Marcum verò Titium, qui quondam ad se à Sexto Pompeio defciverat, ducem adversùs eum designavit: ut classe & exercitu accepto è Syriâ, Pompeio bellum molienti resisteret totis viribus; quòd si in fidem Antonii mallet recipi, adduceret eum honorificè. [*Id. & Dio, ibid.*]

Legati qui à Pompeio ad Parthos missi fuerant, comprehensi ab Antonianis ducibus, perducti sunt Alexandriam. Ex his ubi singula cognovit Antonius, accitis legatis ad se missis, captos illos eis ostendit. Qui excusabant hominem juvenem in extremâ calamitate constitutum, metuentem ne repulsam pateretur ab illo, coactum tentare vel infestissimarum populo Romano gentium animos: quòd si compertam habuerit mentem Antonii, nihil opus fore aliis solicitationibus & artibus. Id ille credidit, ut homo minimè malitiosus, & ingenio simplex ac magnanimus. [*Appian. pag. 749.*]

Romæ instituenti ad Antonium navigare Octaviæ annuit Cæsar: non, ut plerique tradunt, quòd illi indulgeret; verùm quò contumeliâ affecta despectâque colorem præberet bello movendo honestum. [*Plutarch. in Anton.*] Ea Athenas veniens, ibi hyemavit. [*Appian. lib. 5. pag. 750.*]

Jam Medorum regi [Artavasdi] cum Parthorum rege [Phraate] & rege Armeniorum [Artabaze sive Artavasde] simultas intercessit. Armenio enim succensebat, propter inductos sibi ab eo Romanos: Partho, quòd neque prædæ Romanorum magnam partem, neque alium ullum honorem ab eo accepisset; & regnum quoque sibi ab eo auferendum metueret. Polemone igitur [Ponti] rege legato ad Antonium misso, amicitiam ac societatem ejus expetiit: eúmque accersens, copiarum suarum auxilium illi ett pollicitus. Quæ legatio Antonio admodùm grata fuit. Nam quæ una res ad debellandos Parthos videbatur ei defuisse, quòd minùs ab equitatu & sagittariis firmus venisset, eam accedere sibi putabat, danti magis quàm accipienti beneficium. Indéque magnâ inflatus spe, paravit iterùm per Armeniam pergere, conventóque ad Araxem amnem Medo, tum bellum movere. [*Plutarch. in Anton. Dio, lib. 49. pag. 411.*]

Ad Octaviam Athenis commorantem litteras Antonius dedit, quibus mandavit ibi ut maneret; susceptam expeditionem ipli significans. Illa quanquam id ægrè tulit & odorata est pretextum, quæsivit per litteras tamen quò mitti vellet quæ attulerat ei. Attulerat autem multam vestem militarem, magnum numerum jumentorum, pecuniæ, & munerum ducibus amicisque ejus; insuper duo millia delectorum militum in cohortes prætorias insignibus armis exornatorum. Hæc Niger quidam Antonii amicus ab Octaviâ missus exposuit ei: meritis & convenientibus additis laudibus. Ejúsque & alia dona & milites, quos in hunc ea finem à fratre suo petierat, accepit Antonius. (*Ibid.*)

Cleopatra, verita ne à se Octavia abstraheret Antonium, eum se deperire simulabat; corpore fœmineis artibus ita tabefacto, ac si illo orbata non ducturæ ultra fuisset spiritum. Quibus victus Antonius, omissâ profectione ad Medum (quanquam nuntiarentur res Parthorum agitari seditione) Alexandriam regressus est. (*Plutarch.*) atque ita deinde magis adhuc amori & impostiuræ Cleopatræ servivit. (*Dio, pag. 411.*)

Artavasdem Armeniæ regem Antonius in Ægyptum, tanquam amicum, evocavit: ut ibi sine labore comprehensum occideret. Quum autem is, dolum suspicatus, non venisset; rationes eum aliter decipiendi iniit: neque enim iram contra eum palam ferebat, ne eum ad bellum excitaret. (*Dio, ibid.*)

C. Furnius Asiæ præfectus (quem magnæ virum authoritatis, atque inter Romanos eloquentissimum fuisse, in Plutarchi *Antonio* & Hieronymi Chronico legimus) Pompeium pacatè venientem, excepit; nec ad arcendum validus, nec compertam habens Antonii sententiam. Ubi verò vidit exerceri ejus milites, delectum habuit ex provincialibus: accivitque Ænobarbum ducem vicini exercitûs, Amyntâ quoque properè vocato in auxilium. Qui ubi celeriter convenerunt, Pompeius querebatur haberi se pro hoste, quum missis legatis responsum expectaret ab Antonio. Nihilominùs volebat capere Ænobarbum, prodente ejus familiari Curio: sperans in eo magnum momentum, si incideret permutatio. Sed proditione detectâ, Curius in Romanorum consistorio coargutus dedit supplicium: Pompeius verò Theodorum libertum, solum ejus consilii conscium, quasi id effutisset, interfecit. (*Appian. lib. 5. pag. 749.*)

Desperans Pompeius à se falli posse Furnium, Lampsacum per proditionem occupavit; ubi habitabant multi nominis Italici, in eam coloniam deducti à C. Cæsare: móxque magnis stipendiis ad militiam pelliciebat Italos. Jámque ducentos equites & tres legiones habebat, quum Cyzicum terrâ marique aggressus, utrinque repulsus est: erat enim ibi quædam non magna manus Antonianorum militum, gladiatores qui ibi Antonio alebantur custodientium. Reversus igitur in Achæorum portum, frumentabatur. (*Id. ibid.*)

Quum Furnius abstinens à pugnâ, semper ei castra admoveret cum multis equitibus, nec frumentari sineret nec urbes occupare; Pompeius castra ejus à fronte adortus est, circummissis clàm qui à tergo idem facerent: quamobrem Furnius in eum versus, captis à tergo castris ejectus est. Fugientes per Scamandrios campos Pompeius multos occidit: madebat enim campus ab imbribus. Qui evaserunt, receperunt se in tutum, impares instaurando prælio: quúmque supplementum acciperent è Mylià, Propontide, cæteríque locis: egeni homines exhausti exactionibus libenter mercede militabant Pompeio, celebri propter partam ad Achæorum portum victoriam. (*Ibid. pag. 750.*)

Quum egeret equitatu Pompeius, ac proinde malè mulctaretur in pabulationibus; audivit alam equitum Italicorum ad Antonium iter facere, missam ab Octaviâ hyemante Athenis: móxque misit qui auro eos corrumperent. Hos præfes ab Antonio Macedoniæ præfectus comprehendit, & aurum distribuit militibus. (*Ibid.*)

Pompeius

Pompeius occupatis Nicæa Nicomediáque, pecunias luculentè colligebat, magnis per omnia & insperatis successibus. (*Ibid.*)

Furnio non longè ab eo castra habenti, primæ è Siciliâ vere ineunte venêre naves 70. quæ solæ ex Antonii classe Cæsari contra Pompeium commodatæ superfuerant: finito enim bello Siculo, Cæsar eas dimisit. Venit & è Syriâ Titius cum aliis 120. navibus, atque copioso exercitu: & omnes Proconnesum appulerunt. (*Ibid.*)

Territus igitur Pompeius, qui adhuc paratus satis non erat, ea loca petit ubi maximè effugere posset. Verùm Nicomediæ deprehensus, pacem per legatos petiit: spem ejus impetrandæ in beneficio, quo Titium ipse quondam affecerat, positam habens. Sed Titius pacem se ei, nisi navibus & copiis omnibus sibi traditis, concessurum negavit. (*Dio*, *pag.* 402, 403.)

Pompeius igitur, desperatâ à mari salute, apparatu graviori in naves conjecto, eas incendit: remigésque armavit, ut in terrâ majori usui futuros cum exteris. (*Id. ibid. pag.* 403. *Appian. pag.* 750.)

Herodes, veritus ne socrus Alexandra nimio rerum novandarum studio teneretur, jussit eam continere se intra regiam, & nihil pro potestate agere: atque ita observabatur ea assiduè ut nihil, ne eorum quidem quæ ad quotidianam vivendi rationem attinent, eum lateret. Quam servitutem quum ferret illa indignissimè, misit ad Cleopatram litteras; præsentem rerum suarum statum deplorans, & ut opem aliquam sibi afferret rogans. Jubente verò Cleopatrâ, ut unà cum Aristobulo filio clàm in Ægyptum ad se confugeret, paratis duabus sandapilis, quasi mortuis efferendis, in eas se & filium inclusit: jussis famulis conscîis, ut eas nocte efferrent, & ad paratum navigium, quod eos in Ægyptum deveheret, deportarent. Hæc apud Sabbationem amicum mulieris Æsopus servus effutivit; putans eum non inscium ejus consilii. Quo cognito Sabbation, qui hactenùs inimicus Herodis erat, suspectus quasi socius insidiarum quibus Antipater veneno sublatus est, arripuit occasionem conciliandæ sibi per hoc indicium regiæ benevolentiæ. Rex verò passus Alexandram tentare negotium, in ipsâ fugâ deprehensam retraxit. Veniam tamen erroris dedit, non ausus ei mali quicquam facere. Verebatur enim non cessaturam Cleopatram, odii tali ansâ præbitâ: quare simulatâ magnanimitate, volebat per clementiam videri indulgentior. (*Josephi. lib.* 15. *cap.* 3.)

Cassius Parmensis, Nasidius, Saturninus, Thermus, Antistius, aliíque Sexti Pompeii honorati amici, & charissimus ei Fannius, & ipse Libo socer, ut viderunt eum ne post adventum quidem Titii, cui Antonius ipsum commiserat, desinere cum potentiore bellum gerere; desperârunt de eo, pactíque sibi ipsis fidem, transierunt ad Antonium. (*Appian. lib.* 5. *pag.* 750, 751.)

Pompeius ab amicis destitutus, secessit in mediterranea Bithyniæ; petens, ut ferebatur, Armeniam. Eum castris noctu egressum clàm persequebantur Furnius & Titius, & Amyntas cum eis: peractóque magnâ contentione itinere circa vesperam assecuti, singuli castrametati sunt circa tumulum quendam absque fossâ vallóque, ut sero diei festíque. In eo statu Pompeius noctu immissis cetratorum tribus millibus, eos invasit cubantes aut prosilientes è cubiculis, qui omninò nudi fugerunt turpiter: potuitque Pompeius, si eâdem nocte totis viribus eos invasisset, aut fugatos persecutus fuisset, absolvere victoriam. Quod clàm parùm ille animadverteret, nihil inde lucratus est, nisi quòd perrexit meditterranea petere. (*Id. ibid. pag.* 751.)

Hostes verò conjuncti sequebantur, frumentantem impediendo; donec inopiâ pressus petiit colloquium Furnii, amici quondam Magni Pompeii, & dignitate præstantis, moribúsque gravioris cæteris. Stans igitur in ripâ interlabentis fluvii, ejus fidei commissurum se dixit, ut deduceretur ad Antonium. Quo respondente, non sibi, sed Titio ab Antonio commissum hoc fuisse negotium: Titii fidem Pompeius habens suspectam iterùm se Furnio dedebat, rogans ut acciperetur. Id quum non impetraret, petebat ut saltem ab Amyntâ acciperetur: illo verò negante Amyntam facturum id quod conjunctum sit cum Antonianorum mandatorum executoris injuriâ, solutum est colloquium. (*Id. ibid. pag.* 751, 752.)

Furniani putabant fore ut Pompeius inopiâ coactus sequenti die se Titio dederet. At ille noctu incensis ex castrensi more ignibus, & tubicinibus per signa vigiliarum noctem distinguentibus, clàm cum expeditis castris se subduxit, ne ipsis quidem præmonitis, quónam ituri essent. Cogitabat autem reverti ad mare, & Titii classem incendere: quod fortasse perpetrasset, ni Scaurus transfugiens, abitum ejus & quam viam ingressus sit indicasset; quamvis ignarus propositi. Tum Amyntas cum 1500. equitibus eum persecutus est carentem equitatu: ad quem appropinquantem Pompeiani transierunt, pars occultâ fugâ, pars propalàm. Pompeius penè desolatus, & suos jam metuens, Amyntæ sine conditionibus se dedidit, qui Titii conditiones respuerat. (*Id. ibid. pag.* 752.)

Midaii, quod opidum Phrygiæ est, deprehensum circundatúmque Pompeium à Titio & Furnio captum fuisse scribit *Dio.* (*pag.* 403.) Exercitum ejus à Titio adactum ut Antonio sacramentum diceret, *Appianus.* (*pag.* 753.)

Antonius certior hâc de re factus confestim per litteras Pompeium mandavit interfici: paulò verò pòst pœnitentiâ ductus, salute eum donari jussit. Arquì cùm priorem tabellarium posterior prævenisset, Titius acceptis deinceps etiam scriptis de mortis supplicio litteris, ac vel scriptas eas reipsâ posteriùs esse ratus, vel cognitâ quidem rei veritate fidem habere nolens; ordinem litterarum, ut sibi redditæ erant, non sensum, secutus est. (*Dio*, *pag.* 403.)

Sunt qui dicant, Pompeii mortem mandasse, non Antonium, sed Plancum; qui Syriæ præses solitus sit in majoris momenti litteris nomen adscribere Antonii, & uti annulo ipsius signatorio: sive sciente Antonio, (scribere tamen nolente, vel propter Pompeii nomen, vel propter Cleopatram faventem ei ob patris Magni memoriam) sive per seipsum, cavente ne

Pompeius præberet aliquam occasionem diffidii Cæsari & Antonio, néve Cleopatra favorem in Pompeium transferret. (*Appian. lib. 5. pag. 753.*)

Atque ita Mileti Sextus Pompeius est interfectus. (*Id. ibid. Strabo, lib. 3. pag. 141.*) L. Cornificio & Sexto alio quodam Pompeio Consulibus. (*Dio, lib. 49. pag. 403.*) de quo, in libri *Liviani* 132. epitome, ita legimus. *Sex. Pompeius, cùm in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asiâ moliens à legatis ejus oppressus est.* Et in Oroſio, lib. 6. cap. 19. *Pompeius fugiens, à Tizio & Furnio Antonianis ducibus sæpe terrestri navalique bello victus & captus, ac post paulùm interfectus est.* Et apud Velleium Paterculum, lib. 2. cap. 87. *Sextum Pompeium Antonius, cùm dignitatis quoque servandæ dedisset fidem, etiam spiritu privavit.* Et in capite 79. plenius. *Pompeius Asiam fugâ petivit: jussúque M. Antonii, cujus opem petierat, dum inter ducem & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet nunc vitam precatur, à Titio jugulatus est. cui in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox, ludos in theatro Pompeii faciens, exsecratione populi spectaculo quod præbebat pelleretur.*

Cæsar Octavianus, mortis Sexti Pompeii causâ, ludos equestres exhibuit; Antonióque currum ante rostra & statuas in templo Concordiæ posuit: potestatémque dedit ibi cum conjuge & liberis convivandi, sicut antè sibi decretum fuerat. Nam adhuc fingebat se esse ejus amicum: cúmque de Parthicâ clade consolatus est, invidiámque adversùs se, victoriæ Siculæ & honorum ob eam decretorum nomine obortam exposuit. (*Dio, lib. 49. pag. 403.*)

3970 In festo Tabernaculorum novus Pontifex Aristobulus, adolescens 17 ætatis annum jam egressus, sacris juxta legem operaturus ornatu pontificali ad altare accessit, ceremoniásque decenter peregit. Cujus eximia forma & statura quàm pro ætate procerior, totâ facie generis dignitatem præferens, convertit in se multitudinis oculos simul & studia, reputantis secum etiam avi Aristobuli memoriâ digna facinora. Victi igitur affectu paulatim se aperiebant, confusi nimio gaudio, nec continentes faustas voces ac comprecationes; licentiùs, quàm sub tali rege decebat, proferentes debitam familiæ beneficiorum tum memoriam tum gratiam. (*Joseph. lib. 15. cap. 3.*)

Peractâ festivitate dum apud matrem Alexandram excipitur convivio, rex Herodes comitate pertracto in opportunum locum adolescente, ostendebat se paratum in ejus gratiam juveniliter colludere. Cúmque loci ejus natura esset æstuosior, citò defessi relicto lusu magnis piscinis, quæ ibi circa aulam erant, imminentes frigus captabant meridiano tempore. Ac primùm spectabant natantes quosdam è sociis & famulis: deinde postquàm provocante Herode adolescens quoque eis se miscuit, hi quibus hoc datum erat negotium deprimentes eum natantem, & quasi per lusum ac petulantiam mergentes, non priùs destiterunt quàm aquis præfocaretur. Atque hic fuit Aristobuli exitus, anno ætatis 18°, Pontificatûs primo, qui mox ad Ananelum rediit. [*Id. ibid.*]

Hic casus ubi mulieribus renunciatus est, versâ repentè rerum facie lamentatio exoritur supra cadaver juvenis & luctus inconsolabilis: totámque urbem rumore sparso mœror occupat, nullâ non domo calamitatem deflente tanquam propriam. Herodes verò modis omnibus curabat fidem facere, se inscio casum hunc contigisse; non luctum solùm fingens, sed & lachrymas & mœstitiam veræ simillimam. Et quo majus miseris mulieribus afferret solatium, magnificentissimo funeris apparatu cadaver extulit: nihil sibi ad summam liberalitatem faciens reliquum, tam in exornando conditorio, quàm in congerendis eò aromatibus & aliis rebus pretiosissimis. [*Ibid.*]

Mater Alexandra, etsi sæpè ad inferendam manum sibi promtior, cùm eam dolus non falleret, impetum tamen hunc animi repressit, nullam suspicionem præ se ferens quòd datâ operâ filium necatum sensisset: donec aliquando se offerret ultionis facultas. [*Ibid.*]

Antonius quærens rationem, quâ minimo labore regem Armeniæ Artavasdem ulcisci posset, 4680 34
misso ad eum Q. Dellio, filiam ejus filio suo Alexandro (ex Cleopatrâ suscepto) matrimonio conjungendam, multis pollicitationibus interpolitis, poposcit. Poltremò repentè sub initium veris Nicopolim Pompeii (in minore Armeniâ) venit: eóque eum accersivit, quasi operâ & consilio ejus in bello Parthico esset usurus. Sed Artavasdes, insidias suspicatus, non venit. [*Dio, lib. 49. pag. 415.*]

Alexandra, continuo ob amissum filium luctu ad vindictæ desiderium accensa, per litteras insidias Herodis Cleopatræ indicavit, simúlque filii sui miserabilem interitum. Illa verò jamdudùm adjuvandi eam cupida, & tum etiam miserata mulieris infortunium, non secus quàm proprium curavit hoc negotium: nec unquam destitit incitare Antonium ad ulciscendam necem juvenis; indignum facinus dictitans, Herodem ope ejus alieni juris regno potitum, in legitimam regum stirpem tam insolenter debacchari. Quibus permotus Antonius, postquàm *Laodiceam* (in Syriâ) pervenit, accersivit ad se Herodem dicturum causam de objecto necis Aristobuli crimine. [*Joseph. lib. 15. cap. 4.*]

Herodes, commissâ regni curâ Josepho patruo, clàm ei mandavit, ut si in ipsum Antonius gravius aliquid statuisset, confestim Mariammen interficeret: sic se affectum erga uxorem fuisse dicens, ut etiamsi post ipsius mortem aliquem potiri contingeret illius pulchritudine, ad suam id injuriam pertinere existimaret. [*Id. ibid.*]

Ad Antonium deinde veniens Herodes, muneribus eum placavit quæ in hoc Hierosolymis attulerat, & crebris colloquiis indignationem ejus leniit; ut minus post hac ponderis apud eum haberet Cleopatræ instigatio. Negabat enim Antonius oportere regem facti sui rationem reddere, alioqui ne regem quidem futurum: sed dato illi semel honore, etiam liberam potestatem permittendam esse. idque ipsum etiam Cleopatræ aiebat conducibile, si non multum se misceret alienis imperiis. [*Ibid.*]

Josephus

Josephus creditum sibi regimen administrans, & sæpissimè Mariammen conveniens, partim propter negotia partim honoris causâ, dum crebra mentio sit conjugalis amoris quo eam Herodes prosequeretur; irridentibus hanc ejus asseverationem mulieribus, præsertim Alexandrâ, ille nimio studio approbandi eis affectum regis eò provectus est, ut mandatum sibi datum proderet: ratus id certissimum amoris argumentum, quòd neque sine eâ vivere sustineret, neque vel morte ipsâ ab eâ disjungi. Quæ Josephi verba mulieres non tam indubitatum Herodis amoris signum interpretatæ sunt, quàm exhorruerunt tyrannicum illius animum, si vel mortuus sæviret in earum capita. [*Ibid.*]

Interea per civitatem rumor ab inimicis regis sparsus est, necatum eum ab Antonio: qui cùm reliquam regiam turbavit, tum mulieres maximè. Alexandra verò etiam Josephum hortata est, ut assumens eas ad signa legionis Romanæ confugeret, quæ tum ad regni custodiam circa urbem erat sub tribuno Julio. Sic enim primùm si quid turbarum in aulam incideret, ipsas in tuto fore propter Romanorum benevolentiam: deinde sperandum esse consecuturam quidvis Mariammen, si in Antonii conspectum venerit, atque etiam regnum recepturam, & quicquid debetur regio generi. [*Ibid.*]

Tenente adhuc eâ consultatione, litteræ ab Herode supervenerunt rumori contrariæ, honorem quo se dignaretur Antonius significantes, ad consessum adhibens & ad quotidiana convivia; idque non cessante à criminationibus Cleopatrâ: quæ capta ejus regionis cupidine, quò regnum id sibi usurparet, omnibus modis quærebat illum perdere. Sed quia justum se præberet Antonius, nihil posthac expectandum gravius, venturumque brevi constabilito tam regno quàm amicitiâ. nec relictam Cleopatræ cupiditati ullam spem, quando Antonius pro ejus postulatis Cœlesyriam ei concessisset, hâc conditione, ne posthac Judæam peteret, & ut molesta esse desineret. [*Ibid.*]

His litteris redditis, voluntas confugiendi ad Romanos evanuit. Non tamen latuit id consilium; sed quamprimùm deducto aliquantisper Antonio contra Parthos eunte (id enim ille præ se ferebat) Herodes in Judæam reversus est, statim soror Salome & ejus mater indicaverunt quid Alexandra cum suis voluerit. Nec hoc contenta Salome, etiam maritum suum Josephum criminata est, Mariammes consuetudinem objiciens. Hoc autem fecit propter simultatem veterem, quòd regina elati animi fœmina inter muliebres contentiones exprobraret ei obscuritatem generis. [*Ibid.*]

Quum de servatâ pudicitiâ Herodi juramento fidem Mariamme faceret, & suum vicissim amorem Herodes commemoraret; negante illâ amantis esse mandare, si quid humanitùs accidat, uxorem innoxiam addi fati comitem: non aliter secretum hoc eam scire potuisse Rex existimans, nisi à Josepho fuisset constuprata; parùm abfuit quin illam interficeret. Sed amore victus, licèt ægrè, cohibuit se tamen. Veruntamen Josephum ne in conspectum quidem admissum jussit interimi: & Alexandram, ut malorum omnium causam, vinctam conjecit in custodiam. [*Ibid.*]

Interea turbabantur res Syriæ, Cleopatrâ non desinente in omnes incitare Antonium: quem hortabatur ut auferens cuique suam dynastiam ipsi contribueret; flagitans etiam ab eo Judæam simul & Arabiam sibi dari, adempras suis regibus, Herodi & Malcho; cujus utriusque illa interitum moliebatur. Sed tantos reges in importunæ mulieris gratiam occidere quidem Antonius injustum esse duxit: verùm inter amicos ultrà non habuit; & partes de utriusque regione ablatas Cleopatræ largitus est. Ad hæc urbes, quotquot sunt intra fluvium Eleutherum usque Ægyptum, ei donavit; præter Tyrum & Sidonem, quas jam inde à majorum ætate sciebat liberas: quamvis & has quoque illa multis precibus impetrare conata fuerat. [*Ibid. cum lib.* 1. *Belli, cap.* 13. *& lib.* 7. *cap.* 2C.]

Ita Cleopatra, Antonii munere, Cyrene, Ciliciæ parte magnâ, Judææ regione eâ quæ balsamum gignit, Arabiâ Nabatæâ quæ Malchi fuerat (ditionis videlicèt Malchi regis quantum ad Oceanum vergit) Ituræâ, Phœniciâ, Cœlesyriâ, Cypro & Cretæ parte aliquâ est potita. Quæ tam vastæ Antonii donationes populum Romanum maximè offenderunt: simul & Cleopatræ turpitudo, ex quâ liberos Antonius suscepisset, priùs gemellos, Alexandrum & Cleopatram (hanc Lunam, illum Solem cognominatum) deinde Ptolemæum, Philadelphum cognomine. [*Plutarch. in Antonio. Dio, lib.* 49. *pag.* 411. *cum Livio, lib.* 132.] Multas verò linguas callusse Cleopatra dicitur; ita ut Æthiopibus, Troglodytis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis, per semet ipsa responsa daret sine interprete: quum antecessores ejus reges ne Ægyptiam quidem percipere sustinuissent, nonnulli etiam ipsam Macedonicam dialectum dedidicissent. [*Plutarch. ibid.*]

Cleopatra in Armeniam cum exercitu profectum Antonium usque Euphratem profecuta, revertitur: obitérque aditâ Apamiâ & Damasco, Judæam invisit. [*Joseph. lib.* 15. *cap.* 5.]

Æstate tertiâ ab eâ quâ in Siciliâ Lepidus à Cæsare Octaviano est dejectus, expeditionem hanc Antonius suscepit in Armeniam. [*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 82.] defuncto jam Sexto Pompeio. [*Appian. lib.* 5. *pag.* 753.] Missóque iterùm ad Armeniæ regem Q. Dellio colloquii causâ; ipse interim celeriter ad Artaxata progressus est. [*Dio, lib.* 49. *pag.* 415.]

Cleopatra in Judæâ ab Herode excepta, concessam sibi ab Antonio Arabiæ partem & Jerichuntini agri reditus ei locavit. Is & balsamum fert, quod unguentorum longè pretiosissimum ibi tantùm provenit, & eximiarum palmularum vim maximam. [*Joseph. lib.* 15. *cap.* 5.] Quod balsamum, uni terrarum Judææ concessum, in duobus tantùm hortis erat, utroque regio; altero jugerum 20 non amplius, altero pauciorum. [*Plin. lib.* 12. *cap.* 25.]

* Suo verò sumptu hinc Herodes & sibi & Arabi securitatem acquisivit, magnis datis muneribus, 200 Talenta expendens, & pro aliis 100 ex Arabiâ solvendis fidem jubens: propter quod beneficium, gratias Arabs illi egit. (*Joseph. lib.* 15. *cap.* 8.) *

Per hæc negotia contractâ majore cum Herode familiaritate, de ſtupro eum ſollicitare Cleopatra cœpit, ſive laſcivi intemperantiâ affectûs ducta, ſive per hoc ſtruendis inſidiis occaſionem quærens: ſed amorem prætexebat. Requit verò Herodes: & de eâ occidendâ cum amicis conſultavit. A quibus ab eo facinore ille deterritus, magnis muneribus omnibúſque obſequiis pacatam Cleopatram Peluſium uſque deduxit. (*Joſeph. lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 15. cap. 5.*) A quâ tamen, ut & ab ipſo Judæorum populo, ille ſibi metuens Maſada caſtellum ſibi ad refugium paravit; armis in eo repoſitis, quæ decem millibus virorum ſufficerent. (*Id. lib. 7. Belli, cap. 18.*)

In Armeniâ Antonius regem Artavaſdem partim ſociorum operâ perſuadendo, partim copiis terrendo, quum illius ſe amicum & ſcriptis & actis omninò oſtendiſſet, eò vix tandem multis pollicitationibus deceptum adduxit, ut fide datâ in caſtra ipſius veniret: ubi ab eo eſt comprehenſus. (*Dio, lib. 49. pag. 415. cum Livio, lib. 131. Strabone, lib. 11. pag. 524. & 531. Vellei. Paterculi, lib. 2. cap. 82. Tacito, Annal. lib. 2. cap. 3. Plutarcho, in Antonio. & Oroſio, lib. 6. cap. 19.*)

Captum regem Antonius primùm abſque vinculis circum caſtella, in quibus theſauri erant repoſiti, circumduxit; ſpe eorum ſine certamine potiundi: ſimulans ſe non aliâ de cauſâ captivum habere, quàm ut ab Armeniis pro liberatione ac regno ejus pecuniam colligeret. Verùm eâ ſpe fruſtratus ille eſt: gazæ cuſtodibus ei non obtemperantibus. (*Dio, ibid.*)

Qui in armis erant Armenii, pro capto rege Artavaſde ſive Artabaze maximum natu filiorum ejus Artaxiam regem conſtituerunt. (*Id. ibid. Joſeph. lib. 15. cap. 5.*) Artavaſdem verò Antonius argenteis catenis conſtrinxit: quaſi regem turpe eſſet ferreis teneri vinculis. (*Dio, ibid.*) Tum argenteâ catenâ ita vinctum ad confeſſionem theſaurorum regiorum coëgit: expugnatóque opido, in quo conditos eſſe prodiderat, magnam vim auri argentíque abſtulit. (*Oroſ. lib. 6. cap. 19.*)

Poſt hæc univerſam Armeniam, partim vi, partim deditione, in ſuam poteſtatem Antonius redegit. (*Joſeph. & Dio, ut ſuprà.*) Nam Artaxias prælio congreſſus, & victus, ad Parthos confugerat. (*Dio.*) Artabazem verò cum filiis ſuis tetrapis vinctum in Ægyptum Antonius duxit, munus Cleopatræ, & quicquid pretioſum de eo regno ceperat. (*Joſeph. lib. 1. Belli, cap. 13. & lib. 15. Antiquit. cap. 5.*)

Romæ, III. Nonas Septembr. C. Soſius Proconſul ex Judæâ triumphavit: ut ex Faſtis triumphalibus marmoreis liquet. (*in Inſcript. Gruteri. pag. CCXCVII.*)

3971 M. Antonius, Artavaſdis regis Mediæ filiâ arctioris amicitiæ cauſâ filio ſuo in matrimonium impetratâ, relicto in Armeniâ exercitu, cum magnâ prædâ in Ægyptum reverſus eſt. Ubi Alexandriam curru invectus, inter alios captivos Artavaſdem ſive Artabazem Armeniæ regem, cum conjuge & liberis, ante ſe in triumpho duxit. (*Strabo, lib. 11. pag. 532. Dio, lib. 49. pag. 415.*) Quod ægerrimè Romani tulerunt: ut prima patriæ ſuæ ornamenta, in Cleopatræ gratiam, communicarentur Ægyptiis. (*Plutarch. in Antonio.*)

Ad Cleopatram in medio populi, tribunali argento obducto, auratáque ſellâ ſedentem, Antonius Artavaſdem, cum ſuis, aureis in vinculis abduxit. Barbari autem neque ſupplices ei facti ſunt, neque in genua ciderunt (quanquàm & minis & promiſſis hoc crebrò juberentur) ſed nomine eam ſuo compellaverunt: atque ideò magnos quidem habere ſpiritus exiſtimati, luriùs autem propterea tractati ſunt. (*Dio, ut ſuprà.*)

Alexandriæ epulum Antonius præbuit, & contractâ in gymnaſium plebe, pro tribunali argenteo ſolia duo aurea, ſibi unum, Cleopatræ alterum, filiis verò humiliora alia poſuit. Tum ad populum oratione quâdam habitâ, Cleopatram Reginam regum, ejúſque filium & regni collegam Ptolemæum Cæſarionem Regem regum appellari juſſit: iiſque Ægyptum, & Cyprum, diviſione inſtitutâ aliâ à priore, addixit. Dicebat autem illam verè Cæſaris Dictatoris conjugem fuiſſe, hunc ejuſdem legitimum filium: fingebátque ſe ſtudio ejus Cæſaris adductum hæc facere; quò Octavianum, non natum ejus, ſed adoptatum filium, in invidiam adduceret. Suis autem ex Cleopatrâ ſuſceptis liberis, filiæ quidem Cleopatræ Libyam dedit Cyrenaicam; fratri ejus Alexandro Armeniam attribuit, Mediam quoque & Parthiam & reliquas trans Euphratem uſque ad Indiam regiones, quum eæ ſubigerentur, promittens: Ptolemæo verò (Philadelpho cognominato) Phœniciam, Syriam, Ciliciam, & omnes eis Euphratem uſque ad Helleſpontum regiones, largitus eſt. (*Plutarch. in Antonio. Dio, lib. 49. pag. 415, 416.*)

Simul autem filios ſuos produxit Antonius, Alexandrum quidem cultu Medico, tiaram & cidarim erectam gerentem: Ptolemæum verò crepidis, chlamyde, & cauſiâ diademate redimitâ ornatum. Hic enim regum qui Alexandro ſucceſſerunt cultus, ille Medorum erat & Armeniorum. Mox quum ſalutaſſent parentes pueri, hunc Macedones, illum Armenii ſtipavere. nam Cleopatra quidem & tunc & aliàs in publicum progrediens, ſtolam Iſidis ſacram ſumebat, & novæ Iſidis nomine reſponſa dabat populis. (*Plutarch. ibid.*) Atque ut illa Iſidem ſe & Lunam, ita Antonius Oſiridem & novum Liberum Patrem appellari ſe juſſit; quum redimitus hederis, cothurniſque ſuccinctus, curru velut Liber Pater vectus eſſet Alexandriæ. (*Vellei. Paterculi. lib. 2. cap. 82. Dio, lib. 50. pag. 421.*)

Antonius uſque ad Araxem profectus, quaſi Parthis bellum illaturus, ſatis habuit cum Artavaſde Medorum rege ſocietatem junxiſſe; cujus ratione mutua ſibi auxilia, Antonius Medo contra Parthos, Medus Antonio adverſùs Cæſarem ſpoponderunt; militeſque nonnullos ejus rei cauſâ permutaverunt: & Antonius Medo parte Armeniæ recèns occupatæ traditâ, filiam ejus Jotapen, admodùm parvulam, ut Alexandri (filii ſui ex Cleopatrâ nati, cui regnum Armeniæ dederat; quod in libro 131 confirmat *Livius*) conjugem futuram, & ſigna militaria quæ amiſſa in Statianâ pugnâ fuerant, recepit. (*Dio, lib. 49. pag. 417, 418. cum Plutarcho, in Antonio.*) 4681 33

Pace

Pace ita cum Medo initâ, Antonius Polemoni Armeniam minorem, ut legationis ab eo ad ſocietatem hanc conciliandam ſuſceptæ præmium, donavit: conſulatúmque ſimul & dedit L. Clauvio (vel Cluvio) quem ſecum habebat, & ademit. [*Dio, ut ſupr. pag.* 411. *&* 418.]

Cæſar Octavianus in Senatu & ad populum crebrò Antonium accuſabat, plebem in eum incendens. Contrà miſit ad illum recriminandum Antonius. [*Plutarch.*] Cæſar inter alia Antonio objiciebat, quòd Ægyptum, ſorte ſibi non datam, obtineret; quòd Sextum Pompeium à ſe ultrò dimiſſum (ſic enim ferebat) occidiſſet; quòd Artavaſde per fraudem capto inque vincula conjecto, infamiam magnam populo Romano aſperſiſſet: manubiarum etiam partem dimidiam poſcebat, ac omnium maximè Cleopatram ei liberóſque ex eâ ſuſceptos & donatas his regiones exprobrabat; idque præcipuè, quòd Cæſarionem Cleopatræ filium in Cæſaris familiam retuliſſet. [*Dio, lib.* 50. *pag.* 419.] Eum verò agnitum etiam à Julio Cæſare fuiſſe, Senatui Antonius affirmavit; idque ſcire C. Matium, & C. Oppium, reliquóſque Cæſaris amicos; quorum C. Oppius, quaſi planè defenſione ac patrocinio res egeret, librum edidit, *Non eſſe Cæſaris filium, quem Cleopatra dicat.* [Sueton. in *Julio, cap.* 52.]

In Armeniâ agens Antonius, Canidium cum XVI legionibus ad mare deſcendere imperavit. Ipſe trahens ſecum Cleopatram conceſſit Epheſum, quò claſſis undique cogebatur navium annumeratis onerariis octingentarum; ex quibus ducentas Cleopatra & viginti millia talentorum commeatúſque per bellum toti exercitui præbuit. [*Plutarch. in Antonio.*]

Antonius Domitii & quorundam aliorum conſilio præcepit Cleopatræ ut in Ægyptum navigaret, atque exitum ibi maneret belli. At illa novam Octaviæ operâ timens futuram reconciliationem, induxit ingenti mercede Canidium, ut pro ſe apud Antonium ageret: demonſtratétque ei, neque æquum eſſe ſummoveri bello mulierem quæ tantum conferret auxilii, neque ex uſu ejus eſſe ut frangerentur eâ re Ægyptiorum animi, qui virium navalium magnam partem efficerent. Quo illud obtinente, coactis copiis navigaverunt Samum, ubi genio indulſerunt. Ut enim regibus, dynaſtis, tetrarchis, gentibus, & civitatibus inter Syriam, Mæotin, Armeniam, & Lauria poſitis indictum omnibus fuit ut mitterent deportaréntque apparatum bellicum: ita erat injunctum cunctis qui ludicram artem faciebant, Samum occurrere. Ac quum univerſus penè circumcirca lamentis & gemitibus orbis creparet, una per multos dies inſula tibiis & cantu perſonabat; ubi referta erant theatra certantibus choris. Jam ad ſacrificium ſingulæ civitates boves mittebant, & certabant invicem conviviis & muneribus reges. ut ſermonibus jactaretur: *Qui erunt in triumpho vecturi, quum belli tantis ſumptibus celebrent apparatum?* [Id. ibid.]

Hinc Athenas navigavit Antonius: ubi de integro effudit ſe in ludos & ſpectacula. [*Ibid.*] Aureum in manu baculum, ad latus acinaces, purpurea veſtis ingentibus obſtricta gemmis, diadema aderat, ut reginâ rex ipſe frueretur. [*Florus, lib.* 4. *cap.* 11.]

Mediæ rex, uſus Romanorum apud ſe ab Antonio relictorum auxilio, Parthos & Artaxem (ſive Artaxiam Armenium) contra ſe profectos vicit. [*Dio, lib.* 49. *pag.* 418.]

3972 Herodes tributa regionum Judææ & Arabiæ quas Cleopatra ab Antonio acceperat juſtè reddebat; partim tutum patratis præbere reginæ occaſionem malevolentiæ. Arabs verò, poſtquàm eorum exactio ad Herodem ſpectare cœpit, aliquandiu ſolvebat ei 200 talenta annuatim debita: deinde malignior factus & ad dandum ſegnior, vix partes quaſdam reddebat, ac ne eas quidem integras. [*Joſeph. lib.* 15. *cap.* 5.]

Cæſar & Antonius mutuò ſe criminabantur, atque etiam viciſſim ſe defendebant, partim per epiſtolas privatim datas, (inter quas illa Antonii ad Cæſarem petulantiſſima fuit, à *Sueronio* in *Octavio* cap. 69. commemorata; ubi cum Cleopatrâ reginâ, quam *uxorem* ſuam fuiſſe affirmat, *abhinc annos novem* conſuetudinem habere ſe cœpiſſe dicit) partim publicè; quum Cæſar ore, litteris Antonius ageret. Quâ occaſione alter ad alterum crebrò legationes mittebat; quò & ſuum cauſam quam maximè juſtam eſſe oſtenderet, & adverſarii res exploraret. Interim pecuniam, quaſi in alium quendam finem, contrahebant; & ad bellum ſeſe, tanquam contra alios quoſdam hoſtes, parabant. [*Dio, lib.* 50. *pag.* 419.

Romæ novus Conſul, C. Soſius (qui de Judæâ triumphaverat) ipſis Kalendis Januariis multa verba in Antonii laudem & vimperationem Cæſaris in Senatu fecit; (Domitio Æenobarbo collegâ ejus, quia multas anteà calamitates expertus eſſet, nihil palàm novi agitante:) ac edictum contra Cæſarem, qui conſultò ab Urbe tum abfuit, facturus confeſtim erat, niſi Nonius Balbus tribunus plebis interceſſiſſet. [*Dio, lib.* 50. *pag.* 419.] 4682 32

Romam ſcripſit Antonius, ut quæ de regionum inter Cleopatram & liberos ejus partitione Alexandriæ egerat, ibi rata eſſe juberentur. Quæ tamen litteræ publicè recitatæ non ſunt, Domitio Soſióque Conſulib. qui Antonio quàm maximè favebant, etſi Cæſar flagitabat ut in vulgus omnia efferrentur, obſtantibus. Quum autem in eo viciſſet illorum ſententia, viciſſim Cæſar hoc obtinuit: nequid eorum, quæ de Artavaſde Armenio ſcripta fuerant, publicè proponeretur: quia & regem, cum quo occultè adversùs Antonium conſilia ipſe agitárat, miſerabatur; & triumphum Antonio invidebat. (*Id. lib.* 49. *pag.* 416.)

Cæſar convocato Senatu, præſidio militum & amicorum pugiones occultè geſtantium ſeptus, ſellâ curuli in medio Conſulum ſedit; multíſque & ſeipſum defendit, & Soſium Antoniúmque accuſavit: ac, quum neque alii neque Conſules ipſi quicquam dicere auderent, convenire eos ad certam diem juſſit, per litteras quaſdam ipſis Antonii tum injurias demonſtraturus. Conſules neque contradicere auſi neque tacere ſuſtinentes, clanculùm ante eam diem Urbe profecti, ad Antonium ſe contulerunt: eóſque reliquorum Senatorum multi ſecuti ſunt. Eo cognito Cæſar, quum eos à ſe ultrò emiſſos dixiſſet, ne propter aliquam injuriam ſuam ab iis deſertus videretur; reliquis etiam qui vellent ad Antonium abire, ut tutò id facerent, permiſit. [*Id. lib.* 50. *pag.* 420. *cum Sueronio, in Octavio, cap.* 17.]

Poſt

Post discessum Consulum Cæsar, Senatu congregato, & egit & dixit quæ volebat. Quibus auditis Antonius, suorum concilio habito, multisque in utramque partem prolatis, bellum suscepit. [*Dio, pag.* 420.] & Octaviæ sorori Cæsaris, uxori suæ, repudium indici jussit. [*Id. ibid. cum Livio, lib.* 132. *Eutropio, lib.* 7. *& Oroſio, lib.* 6. *cap.* 19.]

Quum Romam certos misisset Antonius, qui Octaviam domo suâ pellerent; exisse eam memorant trahentem secum omnes Antonii liberos, præter natu maximum ex Fulviâ genitorum; qui cum patre tum degebat. Plorabat illa & lamentabatur, quòd una ex belli causis ipsa quoque videretur. Populum verò Romanum miserebat non ita illius, ut Antonii; atque impensiùs eos qui Cleopatram viderant, neque formâ Octaviæ neque ætatis flore præcellentem. [*Plutarch. in Anton.*]

At Cæsar celeritate & mole Antonii apparatûs nuntiatâ, trepidavit, ne bellare illâ æstate cogeretur. Pecuniæ enim inopiâ laborabat, & exactionibus totam hoc tempore turbabat Italiam. Unde in maximis numerabatur Antonii peccatis hæc belli procrastinatio; quâ Cæsari instruendi se spatium dedit, & tumultum ob extortas pecunias ortum sedandi. [*Id. ibid.*]

Herodes rex, & aliis per Judæam turbis liberatus, & Hyrcanio potitus, (quem vicum Antigoni soror tenuerat) bello Actiaco Olympiade CLXXXVII. (quæ hâc æstate acta est) jam erumpente, delectus habendo magno apparatu expediebat auxilium Antonio. Sed ille hanc operam ei remisit, negans sibi opus esse. Verùm quia tam ex ipso quàm ex Cleopatrâ de Arabis injuriâ audierat, tributum à reginâ impositum solvere detrectantis; jussit in illum bellum vertere: Cleopatrâ etiam hoc in rem suam fore sibi persuadente. Si enim Arabem Herodes vicisset, Arabiæ; sin autem victus esset, Judææ dominam futuram se sperabat. Antonii igitur jussu reversus Herodes, domi continuit exercitum: quo mox invalit Arabiam equitatu simul & pedestribus copiis instructissimus, Dioſpolim petens quò occursuri erant Arabes. Ubi post acerrimum conflictum penès Judæos fuit victoria. (*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 14. *& lib.* 15. *Antiquit. cap.* 6.)

Plancus & Titius quos ex Consularibus Antonius & inter amicos habuerat & omnium secretorum suorum conscios fecerat, à Cleopatrâ suggillari quòd plurimùm adversari fuissent ne bello interesset, ad Cæsarem perfugerunt: qui eos & libentissimè recepit, & ab iis tum omnia alia acta consiliáque Antonii didicit, tum testamento ejus quæ essent statuta, ac ubi id esset, rescivit: nam id illi obsignaverant, & in eo contenta cognoverant. (*Plutarch. in Anton. Dio, lib.* 50. *pag.* 420.) De Planci verò (qui Antonii primùm librarius, posteáque Asiæ ac deinde Syriæ Proconsul sub eo fuerat) moribus, ejúsque & Titii fugâ videndus est in lib. 2. cap. 83. *Velleius Paterculus.*

Testamentum Antonii apud virgines Vestales erat depositum. Quod poscenti Cæsari denegaverunt illæ tradere: si accipere vellet, ipse veniret, mandaverunt. Illuc ergo profectus accepit tabulas. (*Plutarch. in Anton.*) Ac primùm ipse seorsùm scripta evolvit, ac loca quædam annotavit reprehensioni patentia. Tum in Senatu, ac deinde etiam in concione, recitavit: plerisque id molestè ferentibus, rationem ut quis redderet vivus postremorum suorum judiciorum. Quod licèt injustissimum censeretur, tamen ea quæ testamento continebantur hujusmodi erant, ut omnem facti Cæsaris invidiam tollerent. Nam Antonius eo testamento Cæsarioni testimonium ferebat, quòd esset verè Dictatoris Cæsaris filius; suos ex Cleopatrâ liberos inter hæredes nuncupabat, immensísque eos muneribus donabat: & de funere statuebat, ut corpus suum, etiamsi Romæ decessisset, per forum elatum Alexandriam ad Cleopatram mitteretur. (*Id. ibid. Suetom. in Octavio, cap.* 17. *Dio, lib.* 50. *pag.* 420, 421.)

Hæc tantam indignationem apud omnes excitárunt; ut reliqua etiam quæ vulgò jactabantur vera esse crederent: nempe Antonium, si rerum potitus foret, Romam Cleopatræ dono daturum, ac imperium in Ægyptum translaturum. Proinde vehementi irâ correpti omnes, cum non inimici modò aut qui neutri parti studebant, sed ii quoque jam qui summâ ei juncti fuerant amicitiâ, summopere culpárunt: quippe testamento recitato territi, Cæsarisque suspicioni vicissim occurrentes, eadem cum aliis aiebant. (*Dio, pag.* 421.)

Multa quoque nefanda in Senatu Antonio recens transfuga Plancus objiciebat. (*Vell. Paterc. lib.* 2. *cap.* 83.) Multa etiam, in Cleopatræ gratiam commissa, exprobrabat ei Cæsaris necessarius Calvius vel Calvisius: quorum pleraque tamen ipse mentitus fuisse putabatur. Amici verò Antonii Romæ supplices prensabant populum: unúmque è suo numero Geminium in Græciam miserunt, rogatum Antonium, caveret ne abrogaretur ipsi imperium & hostis populi Romani declararetur. Qui cùm inter cœnandum à Cleopatrâ lacessitus, omnia recta fore dixisset si illa in Ægyptum abiecessisset; reginæ furorem metuens, arreptâ fugâ Romam se retulit. (*Plutarch. in Anton.*)

Ut satis paratus Cæsar fuit, in Cleopatram bellum est decretum: Antonio verò Consulatus, (fuerat enim in sequentem annum Consul designatus) ac reliqua etiam potestas omnis est adempta; cujus ille arbitrium mulieri permisisset. Dicebatúrque Cleopatræ pharmacis & præstigiis ita dementatus fuisse Antonius, ut ne in suâ quidem esset potestate. (*Id. ibid. Dio, pag.* 421.) Adeò enim hunc ea sibi mancipaverat, ut cum gymnasiarchum Alexandrinorum effecerit, ab eo regina ac domina appellata sit, milites in suo latellitio Romanos habuerit; omnésque ii suis in clypeis nomen Cleopatræ inscripserint. Ipsa cum Antonio in forum prodibat, ludos cum eo curabat, cum eo judicia obibat, cum eo equitabat: in urbibus ipsa curru vehebatur, Antonius pedester cum eunuchis eam sequebatur. Denique sibi ipsa imperium in Romanos ita sperare est ausa: ut si quid maximo jurejurando affirmaret, jus quod esset ipsa datura in Capitolio, juramentum fecerit. (*Dio, pag.* 421, 422.) cupiditate muliebri optans etiam in Urbe regnare. (*Eutrop. lib.* 7.) de qua, in lib. 1. Odâ 37. Horatius:

Capitolio

——— *Capitolio*
Regina demented ruinas
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria.

Et Ovidius, libro 15. Metamorphos.

Romanique ducis conjux Ægyptia tada
Non bene ſiſa cadet; fruſtraque erit illa minata
Servitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.

Si hoſtis ipſe Antonius fuiſſet appellatus; illi quoque qui cum eo erant, niſi ab eo diſceſſiſſent, in hoſtium numero habendi fuiſſent: quod ne contingeret, (metuebant enim unicorum ejus potentia) non verbo ille quidem, licèt reipſâ, hoſtis eſt declaratus. Impunitas nihilominùs ac laudes iis qui Antonium deſeruiſſent proponebantur; & Cleopatræ (quam illum nunquam deſerturum fuiſſe ſciebant) bellum manifeſtò indicebatur: ſufficiebátque hoc ipſum Antonio crimen potuiſſe objici, quòd contra pàtriam, nihil à ſuis læſus, ipſe ultrò bellum pro Ægyptiâ muliere ſuſcepiſſet. Ac, quaſi jam id ageretur, ſaga ipſi ſumpſerunt, & ad ædem Bellonæ progreſſi ſunt: ibíque Cæſar, tanquam fecialis, omnia quæ antè quàm bellum iniretur fieri Romano more conſueverant juſſu eorum peregit. [*Dio, pag.* 421, 422.] Addiditque, bellum cum Romanis geſturos Mardionem eunuchum, & Pothinum & tonſtricem Cleopatræ Iram Charmiúmque (*Nairam & Carmionem* Cleopatræ ancillas *Galenus* appellat, in libro de Theriacâ ad Piſonem:) à quibus maxima quæque in imperio Antonii adminiſtrarentur. [*Plutarch.*]

Hinc juventus ab utriſque magno ſtudio ad arma convocabatur, pecuniæ conficiebantur, omnia quæ bello gerendo ſunt neceſſaria feſtinatò comparabantur: fuitque ejus belli apparatus longè prioribus omnibus major, tot utrique ad hoc bellum provinciis auxilia ſubminiſtrantibus. Cæſarem Italia omnis, Gallia, Hiſpania, Illyricum, Africa utraque, Sardinia, Sicilia, ac reliquæ inſulæ prædictis terris continentibus vicinæ, adjuvárunt. [*Dio, pag.* 422.] Fuerúntque ei naves bellicæ 250. peditum 80. millia: equitum millia 12. Habebat verò Antonius naves bellicas non minùs 500. in quibus tum octo tum decem etiam ordinum frequentes erant ſuperbè & ad triumphum exornatæ: peditum centum millia, equitum (ut Cæſar) millia duodecim. Reges ei parentes in auxilium erant Bocchus Africæ, (regno à Romanis exutus,) Tarcondemus (ſive Tarcondimotus) ſuperioris Ciliciæ, Archelaus Cappadociæ, Philadelphus Paphlagoniæ, Mithridates Commagenæ, Adallas Thraciæ. Hi interfuerunt bello. Ex Ponto Polemon auxilia miſit, Malchus item ex Arabiâ, & Herodes Judæus: adhæc Amyntas Lycaonum & Galatiæ rex. Imperabátque Antonius ab Euphrate & Armeniâ uſque ad mare Ionium & Illyricum: & à Cyrenis uſque ad Æthiopiam. [*Plutarch. in Anton.*] Unde regiones Aſiæ continentis Romanis parentes, Thraciæque, Græcia, Macedonia, Ægyptus, Cyrenaica cum finitimis, inſulæ etiam propinquæ, regéſque & principes ferè omnes, quotcunque Romani imperii Antonio tunc parentis fines attingebant, alii ipſi, alii per ſuos, (ut dictum eſt) illi opitulabantur. [*Dio, ut ſuprà.*]

A Medorum etiam rege ſubmiſſa illi ſunt auxilia. [*Plutarch. ut ſupr.*] Quæ cùm Antonius non ſolùm non remiſiſſet, ſed ſuos etiam milites quos Medo commodaverat revocaviſſet; Rex ille à Parthorum rege Phraate & Armeniorum Artaxe (ſive Artaxiâ) ſuperatus, in eorum poteſtatem venit. Atque hoc modo Armenia (quam Antonius nuper acquiſierat) ſimul cum Mediâ amiſſa eſt. [*Dio, in fine lib.* 49.]

Apparatu belli Actiaci gratificationem ipſius Cleopatræ Antonio timente, nec niſi præguſtatos cibos ſumente: pavorem ejus ita illa ferunt eluiſſe. Extremis coronæ floribus veneno illitis, ipſam capiti impoſuit: móxque, procedente hilaritate, invitavit Antonium ut coronas biberent. Concerpta verò in ſcyphum incipienti haurire, oppoſitâ manu: *En ego ſum*, inquit, *illa, chare Antoni, quam tu novâ præguſtantium diligentiâ caves; adeò mihi, ſi poſſim ſine te vivere, occaſio aut ratio deeſt.* Inde eductum cuſtodiâ quendam bibere juſſit: qui illicò expiravit. [*Plin. lib.* 21. *cap.* 3.]

Quum Arabum exercitum ad Cana in Cœleſyriâ rex Herodes majore ex parte in fugam vertiſſet: Athenio, Cleopatræ in eâ regione dux, qui Herodem oderat, cum collectitia indigenarum manu Arabibus ſe adjungens, magnam Judæorum in locis aſperis & inæqualibus (quorum peritiores erant adverſarii) ſtragem edidit. Rex verò ſuos videns viribus impares, citato equo profectus eſt ad evocandos qui illis ſuccurrerent: nec tamen, licèt feſtinùs, adfuit in tempore; ſed Judæorum caſtra ab hoſtibus capta ſunt. [*Joſeph. lib.* 15. *cap.* 6.]

3973 Ex illo tempore Herodes latrociniis cœpit agere & excurſionibus in Arabas; caſtra in montibus ponens. Et cavebat quidem totum exercitum prælio committere: ſed interim non mediocriter proficiebat, ſuos laboribus aſſuefaciens, & continuis exercitiis præparans ad abolendam tandem ignominiam. [*Id. ibid.*]

Antonius, quum ad Italiam curſum intendiſſet, ibi bellum inopinantibus adverſariis geſturus; ubi Corcyram veniens audiſſet, Cæſaris naves actuarias, quæ ad ſpeculandum præmiſſæ fuerant, apud montes Ceraunios ſtare: ſuſpicatus eò Cæſarem cum totâ claſſe veniſſe, in Peloponneſum (jam enim ſub finem autumni erat) revectus, Patris hyemavit; dimiſſis in omnia loca militibus, ut cuſtodirent ea, & facilius alimenta eis ſupperirent. [*Dio, lib.* 50. *pag.* 424.]

Cæsar quoque, quum Brundusio solvisset ac Corcyram utque provectus esset, hostes apud Actium statione morantes inopinato aggressurus; tempestate coortâ afflictus, re infectâ reversus est. [*Id. ibid. pag.* 425.] 4683 33

Dum Arabiæ fines Herodes infestat, anno regni sui (à morte Antigoni, circa mensem Sextilem anni Periodi Julianæ 4676, hîc & deinceps à Josepho numerati) *septimo*, conflato jam bello Actiaco, ineunte vere, Judæa terræ motu, quali nunquam antè, est concussa: in quo hominum oppressa sunt ruinis ædium circiter decem millia. Militaris tamen multitudo nihil detrimenti accepit, utpote sub dio agitans. Hæc clades in majus etiam aucta rumoribus, quos nuncii gentilium odiorum non ignari dabant auribus Arabum, immane quantum extulit hostium animos; quasi subversis Judæorum urbibus & extinctis hominibus, nulli jam superessent adversarii. Legatos igitur gentis, qui rebus afflictis pacem perituri venerant, comprehensos necaverunt: móxque magnâ alacritate bellum properaverunt. [*Joseph. lib.* 1. *Belli, cap.* 14. *& lib.* 15. *Antiquit. cap.* 7.]

Herodes suis ad fortiter agendum excitatis, & sacris de more peractis, exercitum properè trans Jordanem duxit: castrisque Philadelphiæ positis, de castello quodam interjacente occupando inter eum & Arabas, certamen est initum. In quo superiores facti Judæi, ad aliud prælium dejectos hostes compulerunt, ubi post diutinum conflictum in fugam versi Arabes, & à seipsis fugientibus & ab adversariis instantibus, ita sunt oppressi, ut quinque eorum millia desiderarentur. Cæteri in castris obsessi, & aquæ penuriâ vehementer laborantes, legatos ad Herodem miserunt: quos quum ille despiceret, & talenta 50 pro redemptione offerentibus magis instaret; ardescentes siti, catervatim exeuntes, ultrò se Judæis tradiderunt. Atque hoc modo intra quinque dies capta sunt ad quatuor millia: sextâ verò die, reliquâ multitudine ad pugnam desperatâ salute procedente, primo conflictu circiter septem millia ceciderunt. Domitâ igitur per hanc cladem Arabum ferociâ, gentis præses ab eis declaratus, domum magnâ cum gloriâ reversus est. [*Id. ibid. & lib.* 15. *cap.* 8, 9.]

Hillel Babylonius, ex stirpe Davidicâ, Hierosolymis floruit, annis 100. ante æram excidii Templi Judaicam; ut ex Gemarâ Babylonicâ, tractat. שבת cap. 1. colligitur. Ex cujus numeroso discipulorum coetu, Jonathan Uzzielis filius, Chaldaicæ Prophetarum paraphraseos author, clarissimus extitit. Inter Hillelem hunc & Sammaium (sive Sameam, de quo ex *Josepho* superiùs dictum est) otto dissidio, Pharisæi in duas partes discesserunt: de quibus *Hieronymus*, libro 3. Commentar. in Esai. cap. VIII. 14. *Duas domus Nazarei (qui ita Christum recipiunt, ut observationes legis veteris non omittant) duas familias interpretantur Sammai & Hillel: ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi.* Additque, *Sammai & Hillel* (sive duas eorum domus, quarum in Talmude toties fit mentio) *non multo priùs quàm Dominus nasceretur, ortas esse in Judæâ.*

Quum Parthorum rex Phraates, victoriâ ab Antonio reportatâ insolentior redditus multa crudeliter consuleret, in exilium à populo suo pulsus est; & Tiridates quidam contra eum rex constitutus. [*Justin. lib.* 42. *cap.* 5. *Dio, lib.* 51. *pag.* 456.]

Medius quidam Mysos Asianos ad deficiendum ab Antonio permovit, eorúmque operâ bellum Antoniano ibi fecit. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 443.]

Antonius Actium, ubi classem constituerat, profectus, quum prope tertiam partem remigum fame absumptam invenisset, nihil motus: *Rem*, inquit, *modò salvi sint; nam remiges non deerunt, quoad Græcia homines habuerit.* [Oros. lib. 6. cap. 19.] Correptique à præfectis navium sunt ex afflictissimâ Græciâ viatores, agasones, messores, adolescentuli: ac ne ita quidem complebantur naves, sed pleræque manebant vacuæ. [*Plutarch.*]

Asinius Pollio, quum se post Brundusinam pacem continuisset in Italiâ, neque aut vidisset unquam Cleopatram aut post enervatum amore ejus Antonii animum partibus ejus se miscuisset, rogante Cæsare ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum: *Mea*, inquit, *in Antonium majora merita sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me subtraham, & ero præda victoris.* [Vell. Paterc. lib. 2. cap. 86.]

M. Agrippa, præmissus à Cæsare, multas onerarias naves frumento atque armis graves, ab Ægypto, Syriâ, Asiâque ad subsidium Antonio venientes cepit. Peragratóque Peloponnensium sinu, Methonam urbem validissimo Antoniano præsidio munitam expugnavit. [*Oros. lib.* 6. *cap.* 19.] Ibique occiso Bogude, observans quibus locis naves onerariæ appelli commodè possent; diversis subinde locis in Græciam egressus, magnopere Antonium perturbabat. [*Dio, lib.* 50. *pag.* 425.]

Cæsar his animo auctus, cum 250. rostratis navibus & omnibus copiis à Brundusio, trajecto mari Ionio, in Epirum profectus est. [*Id. ibid. Liv. lib.* 132. *Plutarch. in Anton. Oros. lib.* 6. *cap.* 19.] Ubi pedestres copias, infra montes Ceraunios expositas, Actium mittens, ipse Corcyram a præsidio destitutam navibus occupavit: illíque in portum Dulcem (à dulci aquâ ita dictum) subductis, stationem ibi fecit. Inde cum classe Actium petiit; ubi classis Antonianæ major pars stationem habebat: eóque occupato loco, in quo posteà Nicopolim condidit, castra ibi posuit. [*Dio, pag.* 425, 426.]

Antonius, invehentibus primâ luce hostibus, timens ne inanes propugnatoribus naves caperent; ad speciem instruxit in tabulatis remiges armatos, remos erigi & suspendi ex utroque navium latere præcepit: atque ita in faucibus portûs ad Actium obversas in hostem continuit, quasi instructas remigio & paratas ad confligendum. Unde delusus Cæsar retrò abiit. [*Plutarch.*]

M. Agrippa Leucadem advectus, insulam & naves quæ in eâ erant, in ore atque oculis Antonianæ classis, cepit. Patras deinde, victo navali pugnâ Q. Asidio; & Corinthum posteà, occupavit. [*Vell. Paterc. lib.* 2. *cap.* 84. *Dio, lib.* 50. *pag.* 427.]

M. Titius

M. Titius & Statilius Taurus subitò adorti equitatum Antonii fuderunt; sociúmque sibi Philadelphum, regem Paphlagoniæ, adiciverunt. [*Dio, ibid.*]

Cnæus Domitius vir clarissimus, qui solus Antonianarum partium nunquam Cleopatram nisi nomine salutavit, reginæ infensus redditus, maximo & præcipiti periculo transmisit ad Cæsarem. [*Id. ibid. Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 84.] Febre enim jam correptus, minutum acatium conscendit, atque ad Cæsarem transiit. Quod etsi graviter tulit Antonius, tamen contra Cleopatræ sententiam omnia impedimenta ei cum amicis & servis misit. Domitius verò, tanquam peniteret eum quòd proditio sua non esset clàm, illicò expiravit. [*Plutarch.*] Sed quia visus fuit propterea ab Antonio profugisse, quòd de rebus ejus desperasset; ejus exemplum multi sunt secuti. [*Dio, pag.* 427.]

Antonius, confidentiâ perditâ, omnes suos in suspicione habere cœpit; ex illisque cùm alios, tum Iamblichum Arabiæ cujusdam partis regem, inter tormenta occidit: quibusdámque negotium dedit, ut Q. Postumium senatorem discerperent. Veritus deinde, ne Q. etiam Dellius & Amyntas Galata, quos ad conducendos stipendiarios milites in Macedoniam & Thraciam miserat, res Cæsaris præferrent; ad eos contendit, quasi auxilium illis laturus, si quid hostile accidisset. [*Dio, ibid.*]

Interim Sosius sperans se, si L. Taurestium, qui paucis cum navibus stationem adversùs Antonianos servabat, ante adventum Agrippæ (cui universa Cæsaris classis commissa erat) aggrederetur, posse rem aliquam memorandam gerere; sub auroram repentè contra eum evectus est, observatâ densâ nebulâ, ne Taurestius navium ipsius prævisâ multitudine fugeret. Quem primo conflictu fugatum quum insequeretur, Agrippâ fortè obviam facto, non modò non assecutus est Taurestium, aut victoriæ fructum aliquem percepit, sed ipse cum Tarcondimoto aliisque multis interiit. [*Id. ibid.*]

Hoc Antonium, & quia ipse revertens equestri prælio ab excubiis Cæsaris superatus fuisset, à consilio castra castris hostium opposita habendi detraxit. Itaque iis noctu relictis, ad alteram sinûs Ambracii partem discessit, ubi copiæ ejus ampliores castra habebant. Et quum jam commeatibus etiam intercisum alimenta deficere inciperent; deliberationem proposuit, an ibi manentes prælio decertarent, an verò aliò digressi bellum tempore traherent. [*Id. pag.* 427, 428.]

Canidius, qui legionibus præerat & Antonio secum ducendi Cleopatram author fuerat, mutatâ jam sententiâ, ut eam remitteret suasit: atque ut in Thraciam vel Macedoniam ipse profectus, terrestri pugnâ decerneret; quoniam terrestribus copiis maximè valeret, & illic novis Getarum regis Dicomis auxiliis uti posset. [*Plutarch. in Anton.*]

At Cleopatra prodigiis quibusdam, & propter ea exercitus mœstitiâ, simul cum Antonio territa, classe ut bellum ibi gereretur, à viro obtinuit: ita tamen ad fugam jam tum circumspiciens, ut res suas componeret, non ubi ad victoriam conduceret, sed unde expediret fugam rebus perditis quàm facillimè. Neque enim aut furtim aut palàm fugientium more avehi illi statuerunt, ne sociis metum incuterent; sed tanquam ad navale prælium instructi, ut etiam si quis obstare vellet, vi discessum in Ægyptum sibi conficerent. [*Id. ibid. Dio, pag.* 428.]

Regem Amyntam *Velleius Paterculus*, [*lib.* 2. *cap.* 84.] eundem, simul & Dejotarum regem, ad Cæsarem desciviſſe *Plutarchus* narrat. Transiit quoque ad Cæsarem Q. Dellius historicus, (ad quem Ode 3. libri 2. Carminum *Horatii* est scripta:) sive Cleopatræ veritus insidias, quas Glaucum medicum sibi enuntiasse dicebat; sive exempli sui tenax. Nam & à Dolabellâ ad Cassium, & à Cassio jam antè transfugerat ad Antonium: *desultor bellorum civilium* à Messalâ Corvino appellatus. [*M. Seneca, in orat. Suasor.* 1. *Vell. Paterc. lib.* 2. *cap.* 84. *Plutarch. in Anton. Dio, lib.* 50. *pag.* 433.]

Bis ante ultimum discrimen classis Antonii superata fuerat. [*Vell. Paterc. ut supr.*] Et quum illud instaret, quendam ordinum ductorem pedestrium certaminum scientem, qui complura prælia sub Antonio decertaverat, corpúsque cicatricibus habebat concisum, illi tum præsenti ejulantem dixisse ferunt. *Quid, Imperator, hisce dissisus vulneribus & gladiis spem tuam profligaris in lignis reponis? Ægyptii & Phœnices in mari prælientur; nobis permitte terram; in quâ assuevimus stantes occumbere, vel hostes vincere.* Ad quæ nihil respondit Antonius: manu tantùm & vultu quasi excitans eum ut bono animo esset, præteriit, omni bonâ spe depositâ. [*Plutarch.*]

Ex navibus Ægyptiis, 60 tantùm Antonius & Cleopatra conservârunt: reliquas, quòd militum numerus cladibus ac fugis diminutus fuisset, concremârunt. Deinde noctu pretiosissimas quásque res in naves comportârunt. Et quum gubernatores, remis ad pugnam contenti, vela vellent relinquere; imponere in naves & portare secum Antonius coëgit: addens faciendum, nequis hostium fugâ evaderet; quum fugæ ipse suæ hoc modo provideret. [*Id. cum Dione, pag.* 428.]

Ducentæ triginta rostratæ fuere Cæsaris naves, & triginta sine rostris; triremes velocitate liburnicis pares, & octo legiones classi superpositæ, absque cohortibus quinque prætoriis. Classis Antonii CLXX. navium fuit; quantum numero cedens, tantum magnitudine præcellens. *Nam decem pedum* (vel graduum potiùs remigantium) *altitudine à mari aberant:* inquit Orosius, [*lib.* 6. *cap.* 19.] Et ante eum Florus. [*lib.* 4. *cap.* 11.] *Nobis quadringenta amplius naves, ducenta non minùs hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe à senis in novenos remorum ordines, ad hoc turribus atque tabulatis allevata, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur: qua quidem ipsa moles exitio fuit.* Sed his, de navium Antonianarum *numero*, in Commentariis suis (à *Plutarcho* productis) repugnat ipse Cæsar;

3973 trecentas earum a se captas fuisse commemorans. De *magnitudine* verò, ex remigum gradibus æstimandâ, *in Actiaco prælio navigia senorum vel ultrà ordinum concurrisse*, refert Vegetius. [*de re militar. lib. 4. cap. 27.*] Et Cæsaris quidem naves *à triremibus in senos non amplius ordines*, Florus; Antonii autem etiam *in denos* crevisse, Strabo, unà cum Plutarcho & Dione confirmat. De quibus, ad numerum Eusebianum MCCXXX. videndus *Scaliger*.

Quia enim propter magnitudinem navium Cæsaris Sextus Pompeius in Siciliâ victus ferebatur, naves Antonius ædificaverat multò hostilibus majores; paucas quidem triremes, reliquas omnes à quaternis usque ad denos ordines remorum: turrésque in iis altas extruxerat, & multitudinem in iis hominum collocaverat, qui quasi de muro pugnarent. Primores verò ex iis quos secum habebat in naves imposuit; ne, si in suâ ipsorum potestate essent, novi quid tentarent: (quod Dellius & nonnulli alii ad Cæsarem perfugientes, fecerant: permultos etiam sagittarios funditorésque & armatos milites imposuit. [*Dio, lib. 50. pag. 433.*] Atque ita optimas quasque & amplissimas à triremi usque ad decem ordinum naves peditum viginti & sagittariorum duobus millibus complevit. [*Plutarch.*]

Cæsar, apparatu hostium conspecto & eorum consilio ex aliis, ac maximè Dellio, intellecto, ipse etiam se ad pugnam composuit. (*Dio, pag. 433.*) Quatuor primis diebus grandi vento fluctuans mare prælium interpellavit. Quinto die cœlo sereno & tranquillo mari concurrerunt. Antonius cum Poplicolâ in dextero cornu egit, in sinistro Cœlius, mediam aciem M. Octavius & M. Justeius obtinuere. Cæsar sinistro præfecit Agrippam, dextrum ipse retinuit. Ita *Plutarchus*. Ante eum verò Velleius Paterculus, [*lib. 2. cap. 85.*] ita. *Dextrum navium Julianarum cornu M. Lurio* (vel *Lurio*) *commissum, lævum Arruntio, Agrippa omne classici certaminis arbitrium. Cæsar, ex parti destinatus in quam à fortunâ vocaretur, ubique aderat. Classis Antonii regimen Publicola Sosiòque commissum.* De ducibus verò in terrâ locati exercitûs, inter utrumque convenit: Taurum Cæsaris, Antonii rexisse Canidium.

Antonius actuariâ navi circumvectus, & adhortatus est milites; monens ut ob navium pondus velut in solo stabiles pugnarent. Gubernatoribus quoque imperavit ut quasi in anchoris stantibus navibus, nihil se moventes incursum hostium exciperent, difficultatem loci in sinûs faucibus observantes. [*Plutarch.*]

Cæsari memorant, tenebris adhuc quum egressus tabernaculo esset, in orbem circumeunti ad lustrandam classem, asellum cum asinario occurrisse. *Eutychus* homini, bestiæ *Nicon* erat nomen. Utriusque simulachrum æneum victor posuit in templo, in quod castrorum suorum locum vertit. [*Sueton. in Octavio, cap. 96. Plutarch. in Anton.*] Eidem quoque ante pugnam sacrificanti geminum jecur apparuit. [*Plin. lib. 11. cap. 37.*]

Navigio deinde Cæsar ad dextrum cornu classis Antonii vectus, quiescentes in sinûs angustiis miratus est hostes: & stare eos in anchoris diu credens, naves suas sustinuit, quæ octo stadiis ab hostibus aberant. Horâ autem sextâ, quum vento ex alto increbrescente cunctationem molestè ferentes Antoniani milites, naviúmque suarum freti amplitudine sicut inexpugnabili, sinistrum cornu moverunt. Cum quibus, ex sinu & angustiis egressis, Cæsariani demùm dimicârunt. (*Plutarch.*)

Cæsaris naves, habiles in omnia quæ usus poscebat, ad impetus, & recursus flexúsque capiendos, illas graves & ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ, missilibus simul cum roſtris, ad hoc ignibus jactis oppugnaverunt. [*Florus, lib. 4. cap. 11.*] Antoniani contrà, catapultis ex turribus ligneis lapides & tela emittebant, navibúsque hostium propiùs advectis manus ferreas injiciebant: quæ si opportunè incidissent, superabant hostem; sin aberrassent, suas ipsorum naves pertundebant. Ad hunc modum prælium navale committitur est; quum utrique varias rationes ad excitandam suorum artem & alacritatem adhiberent, multas voces eorum exaudirent, qui à terrâ continente ipsis acclamabant. [*Dio, pag. 438, 439. cum Plutarcho.*]

Porrigente deinde ad circumdandos hostes alterum cornu Agrippâ, expandere contrà Publicola suos coactus, à mediâ acie suâ est divulsus. Quâ tumultuante ac cum Arruntio dimicante, communi tamen adhuc marte, Cleopatra diutiùs suspensa animi solicitudine, ancipitíque prælii exitûs expectatione victa, signo suis dato, cum auratâ puppe velóque purpureo & saxaginta navibus Ægyptiis velocissimis se in altum dedit; & secundo vento Peloponnesum petiit. Antonius, simul-atque navem Cleopatræ contemplatus est vela facientem, omnium oblitus conscendit quinqueremem; & detracto insigni prætoriæ navis, Alexandro Syro & Scellio solis comitibus fugientem secutus est uxorem. [*Plutarch. cum Floro, lib. 4. cap. 11. Dione, lib. 50. pag. 439, 440. & Orosio, lib. 6. cap. 19.*] Atque ita Imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitûs sui factus est: ut dubitari posset, suóne an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuisset, qui ad ejus arbitrium direxit fugam. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 85.*]

Cleopatra percipiens Antonium venire, signum sustulit ex navi. Ita ad eam delatus Antonius & acceptus navi, neque aspexit illam neque aspectus est ab illâ: sed solitarius transiit in proram, atque ibi tacitus cogitabundúsque consedit, ambabus manibus caput tenens. [*Plutarch.*]

Antoniani, Imperatoris fugâ consternati, ac ipsi quoque de fugâ cogitantes, alii vela sustulerant, alii turres & armamenta navium in mare projecerunt; ut exoneratis navibus facilior esset fuga. Cæsariani, quibus neque vela erant, & ad nullam aliam rem nisi prælium navale se paraverant, eos qui jam fugam cepissent non insecuti, reliquos eam adhuc parantes adorti, (jam etiam numero adversariis æquales) multis suis navibus singulas hostiles circundantes, eminùs cominúsque pugnam conseruerunt. (*Dio, pag. 440.*) His enim, etiam detracto capite, in longum fortissimè pugnandi duravit constantia: &, desperatâ victoriâ, in mortem dimicabatur. Cæsar, quos ferro poterat interimere verbis mulcere cupiens, clamitánsque & ostendens fugisse Antonium, quærebat pro quo & cum quo pugnarent. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 85.*] Tandem

dem verò coactus, ignem ex caſtris afferri juſſit. Neque enim aliud conſilium victoriæ explicandæ habebat: quanquàm potiundæ hoſtilis pecuniæ causâ initio ſtatuerat incendio abſtinere. Ipſique Cæſariani, videntes navibus igne correptis hoſtes ne ſibi ipſis quidem auxilio eſſe, nedum adverſarium lædere poſſe; celeriter advecti, pecuniæ ſtudio, ignem à ſe immiſſum reſtinguere conati ſunt: quorum permulti cum ipſis navibus à flammâ correpti, & harpagonibus hoſtium, perierunt. (*Dio, in fin. lib.* 50.]

Quum claſſis Antonii diu fuiſſet Cæſari obluctata, atque graviſſimè ab inſurgentibus in preram infeſtata fluctibus; tandem horâ decimâ ſuccubuit: ut *Plutarchus* ſcribit. Atque ita milites, quum diu pro abſente dimicaſſent duce, ægrè ſumminiſſis armis, ceſſere victoriam: citiúſque vitam veniámque Cæſar promiſit, quàm illis ut ea precarentur perſuaſum eſt. Fuítque in conſilio, milites optimi Imperatoris, Imperatorem fugaciſſimi militis functum officio. [*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 85.]

Ab horâ quintâ (ut ait *Oroſius*) uſque in horam ſeptimam, incertâ vincendi ſpe, graviſſimæ utrinque cædes actæ: reliquum diei cum ſubſequente nocte in victoriam Cæſaris declinavit. [*Oroſ. lib.* 6. *cap.* 19.] In ſerum enim diei dimicatio eſt protracta, ut in navi victor pernoctaverit. [*Sueton. in Octavio, cap.* 17.]

Cæſare & Meſſala Corvino Conſulibus debellatum apud Actium eſt. [*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 84.] Septembris die ſecundo à quo annorum monarchiæ Cæſaris numeratio eſt inſtituta: ut in libri 52. initio notavit *Dio.* quos 44 fuiſſe, idem alibi [*libro* 56. *pag.* 590.] refert; 13 diebus demptis: quot inter 19 Sextilis diem (quo ille mortuus eſt) & 2 Septembris intercipiuntur; utroque excluſo termino. Quo modo accipiendi ſunt *Suetonius*, [*In Octavio, cap.* 8.] *Aurelius Victor* & *Eutropius*; quum Rempublicam eum per 44 annos ſolum obtinuiſſe narrant.

Illuceſcente jam die, victoriam Cæſar conſummavit. Ex victis XII millia cecidiſſe referuntur: ſex vel ſeptem millia vulnerata ſunt; è quibus mille inter curandum defecerunt. Ita *Oroſius*. [*lib.* 6. *cap.* 19.] *Plutarchus* verò, ex victis non plures quàm quinque millia interiiſſe, & 300 naves captas fuiſſe memorat. Reliqua claſſis immenſa, naufragio belli facto, toto mari ferebatur: Arabúmque, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Aſiæ ſpolia, purpuram, aurúmque in ripam aſſiduè mota venis maria revomebant. [*Florus, lib.* 4. *cap.* 11.]

Atque hæc celebris illa fuit naumachia Actiaca, à nobiliſſimis illius temporis poëtis decantata; *Virgilio*, libro Æneidos 8°. *Ovidio*, Metamorphoſeon libro 15°. *Horatio*, epodo 9. ad Mæcenatem, & *Propertio*, libri 4ⁱ elegiâ 6ª, ubi illud memorabile eſt diſtichon,

Frangit, & attollit vires in militе cauſa:
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Cui hic reſpondet, quod Meſſala Corvinus, quum celebraretur à Cæſare, (cui hoc anno in Conſulatu collega ille fuit) quòd quamvis ad Philippos infenſiſſimus ipſi Bruti causâ hoſtis, egregiam operam tamen ſibi præbuiſſet ad Actium, dixiſſe fertur. *Tu me, Cæſar, ſemper partium invenies meliorum & juſtiorum.* [*Plutarch.* in vitæ *Bruti.*]

Cæſar de præda ex hoſtibus captâ decem naves, ab uno remorum ordine ad decimemum uſque, Apollini Actio conſecravit. [*Strabo, lib.* 7. *pag.* 325. *Dio, lib.* 51. *pag.* 442, 443.] * Ludos Actiacos inſtar agonis Olympici quinto quoque anno inſtituit, ubicunque ibi conſtrui juſſit, in victoriæ memoriam, quam *Nicopolim* nominari voluit.

Claſſis ſuæ partem emiſit Cæſar, ut Antonium ac Cleopatram inſequeretur: quæ quum conſequi eum non poſſet, reverſa eſt. [*Dio, ibid. pag.* 443.] Liburnicæ tamen quædam eum ſunt aſſecutæ: quas ille repulit. Unus Eurycles Lacon, Lacharis ob latrocinii crimen ſecuri ab Antonio percuſſi filius, ferox inſtabat; lanceam ex tabulatis navis minitabundus vibrans. Neque tamen in Antonii navem irruptionem ille dedit: ſed alteram prætoriam (duæ enim erant) roſtro percuſſam contorſit, atque impactam obliquam cepit; ſimúlque ex aliis unam, quâ exquiſita ſupellex portabatur. [*Plutarch.*]

Ut hic abſceſſit, Antonius ad prius ſilentium rediit, eâdem componens ſe figurâ. Poſtquàm verò tres dies tranſegit in prorâ ſolus, ſeu irâ percitus ſeu erubeſcens, illam appulit ad Tænarum. Ibi fœminæ familiares cum & Cleopatram primùm ad mutua colloquia, deinde ad convivia unà ineunda & ad concubitum perpulere. (*Id.*)

Jam naves onerariæ quoque non paucæ & amici aliquot ex fugâ ad Antonium confluxerunt, profligatam nuntiantes claſſem, ſed terreſtres copias arbitrari ſe conſtare. Ita nuntios illic ad Canidium miſit, imperans ut properè per Macedoniam reciperet ſe cum exercitu in Aſiam. [*Idem.*]

Terreſtris illius exercitûs non multi fugam Antonii ſenſerant: atque audientibus res primò viſa eſt incredibilis, XIX legionibus peditum integrorum adhuc & XII millibus equitum relictis, fugam eum capere. Milites ejus in deſiderio quoque & expectatione erant mox alicunde appariturum. Tantámque præſtiterunt ei fidem, ut & fugâ ejus patefactâ cohæſerint diebus ſeptem, miſſóſque ad ſe à Cæſare legatos repudiaverint. [*Id.*]

Eos in Macedoniam iter intendentes adſecutus Cæſar, ſine pugnâ ſibi adjunxit. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 443.] Ubi enim dux noctu relictis caſtris præcipiti fugâ ſe ad Antonium rapuiſſet Canidius; ab omnibus derelicti, proditique à ducibus ſuis, aggregaverunt ſe ad victorem. [*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 86. *Plutarch. in Anton.*] qui eos in ſuum allegit exercitum. [*Dio, pag.* 444.]

Diffugerant autem jam tum alii quidam primores Romani ad Antonium: auxiliarii verò in ſuam quiſque patriam. Verùm hi contra Cæſarem nullum præterea bellum geſſerunt: ſed & ipſi, & omnes populi qui antè Romanis ſubditi fuerant, pars ſtatim, pars pòſt, pacis conditiones à Cæſare acceperunt. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 443.]

Cæsar urbibus pecuniâ imperatâ, ademptâque eis in cives ipsarum potestate, quam in conciliis populi usurpabant; regulis ac regibus omnia opida quæ ab Antonio acceperant, exceptis Amyntâ & Archelao, abstulit. Philoparorem Tarcondimoti (Ciliciæ principis) filium, Lycomedem in parte Cappadociæ Ponti regnum obtinentem, & Alexandrum Iamblichi fratrem qui in Arabiâ regnum ob accusatum ab eo Cæsarem acceperat, principatu exuit. Lycomedis ditionem Medeo, qui Mysos Asianos ad deducendum ab Antonio permoverat, concessit. Cydoniis ac Lampeis (in Cretâ) libertatem dedit, præstiti sibi auxilii causâ: instauratâ etiam Lampetorum civitate, quæ eversa fuerat. Senatores equitesque & alios insigniores viros, qui Antonium in aliquâ re adjuvissent, multos pecuniâ mulctavit, multos occidit, quibusdam pepercit. [*Id. ibid.*]

Inter vitâ donatos præcipuus fuit Sosius, qui quum bello sæpè Cæsarem petiisset, tunc fugâ elapsus occultatusque, pòst inventus ac dimissus est: & M. Scaurus, uterinus Sexti Pompeii frater, qui & ipse neci destinatus, propter Muciam matrem vitam obtinuit. Inter supplicio affectos fuit Curio, illius Curionis filius cujus Cæsar dictator operâ plurimùm usus fuerat: & Aquilii Flori, pater ac filius; quorum quum alter tantùm, in quem sors incidisset, mori à Cæsare jussus fuisset, uterque periit. Nam & filius, priusquàm sorteretur, se percussori præbuit ultrò: & pater dolore rei permotus, sibi ipsi necem intulit. [*Id. pag.* 443, 444.]

Cassius Parmensis Athenas confugit. [*Valer. Maxim. lib.* 1. *cap.* 7.] ille, cujus in lib. 3. epist. 4. meminit *Horatius*: ab Albio Tibullo poëtâ quærens, an illum dicat,

Scribere, quod Cæsi Parmensis opuscula vincat?

& cujus *Orpheus* poëmation esse putatur, ab Achille Statio ad finem Commentariorum in librum Suetonii de claris Rhetoribus habetur editum. Ejusdem *Brutus* à Varrone, in libro 5. de linguâ Latinâ citatur. Et hunc Cassium ejusmodi spectro Athenis nunc territum fuisse, quale Bruto ante Philippensem pugnam apparuisse est dictum, hisce verbis in loco jam notato narrat *Valerius*. Concubiâ nocte, quum sollicitudinibus & curis mente sopitâ in lectulo jaceret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barbâ, & capillo demisso: interrogatúmque quisnam esset, respondisse Κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro visu & nomine horrendo, servos inclamavit: iciscitatúsque est, siquidem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent. Quibus affirmantibus neminem illuc accessisse, iterùm quieti & somno se dedit: atque eadem animo ejus obversata est species. Itaque fugato somno, lumen introferri jussit, puerósque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paululùm admodùm temporis intercessisse, addit Valerius. Inter postremos enim, qui cædis Julii Cæsaris morte pœnas dederunt, fuit Parmensis iste Cassius; uti primus dederat Trebonius. [*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 87. *& Oros. lib.* 6. *cap.* 19.] Quod paulo post Actiacam victoriam Athenis factum, ex superiore *Valerii Maximi* narratione intelligimus.

Nam Athenas navigavit tum Cæsar: ac Græcis placatus, civitatibus afflictis & exutis pecuniâ servitiisque & jumentis, superans ex bello frumentum distribuit. (*Plutarch.*)

A Tænaro in Africam transmissurus Antonius, navem unam onerariam magnâ pecuniæ vi, magni pretii etiam aureo & argenteo instrumento regio onustam delegit, donavítque amicis; jubens ut ea partirentur inter se & saluti suæ consulerent. Abnuentes flentésque humaniter ille consolatus, precarúsque ut reciperent se, dimisit: scriptis ad Theophilum procuratorem suum Corinthi litteris ut securitatem expediret illis, absconderétque quoad placare Cæsarem quivissent. Hic fuit Theophilus Hipparchi pater, ejus cujus fuit authoritas apud Antonium maxima, & primus ad Cæsarem ex libertis ejus defecit, ac domicilium suum pòst contulit Corinthum. [*Idem.*]

Cleopatra, ut tutò in Ægyptum adnavigare posset, victoriam mentita, proras coronavit; cantionesque, victoriâ obtentâ usurpari consuetas, tibiis concini jussit. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 446.]

3974 Ita tutum in Ægyptum accessum illa nacta, multos primores, semper sibi infensos ac tum clade ejus animo auctos, occîdit. Ex horum facultatibus, & donariis ex quibusque quantumvis inaccessis sacrariis sublatis, ingentem pecuniam confecit; copias comparavit, auxilia quæsivit: útque Mediæ regem ad suam societatem pertraheret, Armeniæ regi (Artavasdi sive Artabazi) caput amputatum ei misit. (*Id. ibid. cum Strabone lib.* 11. *pag.* 532. *& Tacito, lib.* 2. *Annal. cap.* 3.)

Opus etiam audax & grande aggressa, per isthmum qui mare rubrum dirimit ab Ægyptio, (qui etiam distinguere Asiam & Africam putatur) quà maximè ab utroque stringitur pelago & coarctabatur, ut non plus 300 stadiis pateat in latum, adorta est trajicere classem; demissísque in sinum Arabicum cum magnâ pecuniæ vi copiis & navibus sedes quærere remotas, servitutem & bellum refugiens. [*Plutarch. in Anton.*] Sed primas naves ita subvectas, aliásque in sinu Arabico fabricatas ad navigationem in rubrum mare, Arabes Petræi à Q. Didio Syriæ præfecto persuasi combusserunt. [*Id. ibid. cum Dione, lib.* 51. *pag.* 447.]

Antonius in Africam delatus, conjecit se in solitudinem cum duobus amicis palans & vagans, Græco Aristocrate rhetore, & Lucilio Romano. [*Plutarch. ibid.*] Cúmque misisset quosdam ad Pinarium Scarpum & exercitum, quem is jam antè ibi conscriptum ad ruendam Ægyptum habebat; ille se Antonium minimè recepturum dixit, & missos ad se occîdit, nonnulloíque milites id molestè ferentes necavit. (*Dio, ibid. pag.* 446.) Cujus defectione intellectâ, manus sibi inferre Antonius instituit. Verùm interpellatus ab amicis, Alexandriam se contulit. Quò adveniente, & legiones Actiacas integras adhuc fuisse existimante, (quarum amissarum ipse Canidius nuntium paulò pòst attulit) Cleopatra, cœpto navigandi in mare rubrum destitit, atque ostia Nili stationibus sepsit. [*Plutarch. ut suprà.*]

At Antonius relictâ urbe & amicorum consuetudine, domicilium sibi in mari ad Pharum

extruxit

extruxit projecto in altum aggere, atque ibi extorris ab hominibus egit. Vitam ferebat se æmulari Timonis illius μισανθρώπου, quòd res suæ eodem loco essent. Quippe violarum se ab amicis suis, atque ingratitudinem eorum expertum, ideò omnibus diffidere & ab omnibus abhorrere hominibus. Indéque domum illam *Timonium* appellabat. [*Id. ibid. cum Strabone, lib.* 17. *pag.* 794.]

Herodes rex ad Antonium mittens, ut Cleopatram interficeret, consuluit. Hoc enim maturè perpetrato, & in illius opes eum successurum dicebat, & faciliores a Cæsare pacis conditiones impetraturum. [*Joseph. lib.* 15. *cap.* 10.]

Cæsar & sui & Antoniani exercitûs veteranos, nemini quicquam dans, in Italiam; reliquos spartim aliò dimisit. Quum verò timeret ne illi, qui victoriæ socii à militiâ tum dimissi nullo dato præmio fuere, seditionem moverent; Agrippam, quasi aliam ob rem, post eos in Italiam misit. Atque ita, quasi nullo modo jam imminente ab exauctoratis ampliùs periculo, res Græciæ constituit: & in Asiam profectus, rebus ibi quoque constitutis, quid Antonius ageret expectavit. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 444, 445.]

Quum populi & reguli omnes suppetias Antonio & Cleopatræ denegarent, (licèt eorum complures multa ab eis accepissent beneficia;) abjectissimæ conditionis gladiatores, qui Cyzici ab Antonio ad ludorum triumphalium exhibitionem alebantur, (de quibus suprà, ad annum Periodi Julianæ 4679. ex *Appiano* facta est mentio) pro eis fortissimè certaverunt. Ubi enim primùm quæ essent acta cognoverunt, in Ægyptum ad ferendum eis auxilium iter instituerunt: non parùm incommodi Amyntæ in Galatia, filiisque Tarcondimoti in Ciliciâ, (qui summâ antè amicitiâ cum Antonio & Cleopatrâ junctì, tunc ab iis defecerant) multa etiam Q. Didio Syriæ præfecto, qui transitu ipsos prohibebat, exhibentes. Quúmque circumventi, in Ægyptum evadere non possent; ne sic quidem ullo modo, quantumvis multa Didio pollicente, ad defectionem perduci se passi sunt: sed Antonium ad se accersierunt, faciliùs se putantes cum eo conjunctos in Syriâ bellum posse gerere. Tandem quum neque veniret Antonius neque nuntium mitteret, periisse eum rati, inviti se Didio dediderunt; eâ conditione, ne gladiatores posthac essent. Qui Daphnen, Antiochiæ suburbium, eis habitandum concessit, donec Cæsari res ea significaretur. [*Id. ibid. pag.* 447.]

Ad gladiatores hosce coërcendos, auxilia sibi ab Herode submissa fuisse, scripsit ad Cæsarem Didius. de quo Cæsar in sermone cum Herode habito; apud *Josephum*, libro 1. Belli, cap. 15. διό μοι χάριν Βαττίδος, συμμαχίαν τε πεποιμένης πρὸς τοὺς μεταμόχους αὐτῷ. quod in Antiquitatum libro 15. cap. 10. ita legitur expressum. ὅτι Βαττίδος χάριν, ἅπασαν προθυμίαν τε πρὸς τοὺς μονάρχας αὐτῷ συλλαβόντας τὸν Ηρώδην. ubi ut ex priore loco μεταμόχους pro μονάρχας hîc substituì; ita utrobique pro *Venusio* & *Capidio*, ex Dione *Quintii Didii* nomen reponi debere, clarum est. Atque hinc rumor ille ad Antonium in Timonio suo pervenit; Judæum Herodem cum aliquot legionibus & cohortibus ad Cæsarem transisse: ut in Vitâ illius *Plutarchus* refert.

Romæ permulta in honorem Cæsaris, propter victoriam navalem facta sunt decreta. Nam ei & de Cleopatrâ triumphus concessus est, & arcus triumphalis Brundusii, aliúsque in foro Romano. ut sacrarii Julii basis captivarum navium rostris ornaretur: ludíque in honorem ejus quinquennales haberentur. ut supplicationes haberentur natali ejus die, ac eâ die quâ victoriæ nuntius allatus fuit: útque ei in Urbem ingredienti Vestales virgines, Senatus, populúsque cum conjugibus & liberis, obviam irent. Ornamenta verò Antonii partim dejecta partim deleta sunt, diésque ejus natalis nefastus judicatus: & edicto cautum, ne quis ex eâ familiâ *Marci* prænomen ferret. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 454.]

Cæsar Samum insulam in hyberna se recepit. [*Sueton. in Octavio, cap.* 17.] unde quum tria Myronis opera colossica, uni insistentia basi, Antonius sustulisset; Cæsar duo reposuit in basin eandem, Minervam scilicèt atque Herculem. Jovem in Capitolium transtulit, sacello ei parato. [*Strabo, lib.* 14. *pag.* 637.]

Ibi quum Cæsar captivos inspiceret, productus est Metellus senex promissâ comâ & reliquis deformatus sordibus. Ut verò ex ordine quo inter Cæsaris captivos stabat per præconem nominatim citatus est; filius, qui inter Cæsaris duces erat, consessu prosiliit, vixque agnitum patrem cum lamento complexus est. Cohibito deinde fletu, *Tibi Cæsar*, inquit, *hic hostis fuit, ego socius: hic pœnam meruit, ego præmium. Postulo igitur ut patrem propter me serves incolumem, aut propter illum me simul interimas.* Quum omnibus mota esset miseratio, Cæsar servari Metellum permisit, quamvis sibi infensissimum; qui nullis unquam muneribus pellici potuerat ut ad eum ab Antonio deficeret. [*Appian. lib.* 4. *pag.* 613.]

Antonius, relicto tabernaculo suo marino quod Timonium nominabat, ad regiam accessit: ibique exceptus à Cleopatrâ, convertit civitatem ad comessationes poculáque, & se ad donativa. [*Plutarch. in Anton.*] Cleopatræ enim & Cæsaris filium Cæsarionem inter ephebos adscripsit; suóque ex Fulviâ filio Ancyllo togam puram & virilem dedit. ut & Ægyptii viro sibi imperante essent alacriores; & reliqui eos duces habituri, si quid Antonio & Cleopatræ accidisset, animis eo magis constarent. [*Id. ibid. Dio, lib.* 51. *pag.* 446.]

Hinc convivia per multos dies, comessationes & festum Alexandriæ agitabantur. Illi verò conventum istum in alium converterunt, nihilo deliciis, luxu, splendore, altero illo inferiorem; quem Συναποθανούμενον sive *Commorientium* appellárunt. Nam amici eorum qui volebant commoti, nomina dabant transigebántque tempus per voluptates in cœnarum orbibus. [*Plutarch. ibid.*]

Porrò Cleopatra varia genera collegit venenorum lethalium: quorum singula ut periclitaretur, obtulit rerum capitalium custodiis. Experiebatur etiam & bestias: aspiciens quum aliæ aliis

admo-

admoverentur. Tractabat id quotidie, & in omnibus penè unicum aspidis mortum, citra contractionem membrorum vel gemitum; gravem soporem & torporem inducere, cum faciei molli sudore & sensuum stupore facilè elanguescentium. [*Id. ibid.*]

Quanquàm verò ita Antonius & Cleopatra se paraverint, tanquam & classe & pedestribus copiis belligeraturi: nihilo tamen minùs etiam ad hoc se instruebant, ut si qua necessitas urgeret, in Hispaniam navigarent, sperantes se eam pecuniis ad defectionem pertracturos; aut ad mare rubrum concederent. [*Dio, lib. 51. pag. 446.*] Cujus *paratæ in Oceanum fugæ* Florus etiam meminit. (*lib. 4. cap. 11.*)

Quartum Consulatum Cæsar in Asiâ iniit. (*Sueton. in Octav. cap. 26.*) unde sextùm jam Imperator appellatus, & quartùm cum M. Licinio Crasso Consul, Brundusium venit. [*Oros. lib. 6. cap. 19.*] litteris ex Urbe scriptis ab Agrippâ in Italiam revocatus. [*Plutarch. in Anton.*] ut militum (quos ex omni numero, confectâ victoriâ Actiacâ, Brundusium præmiserat) præmia & missionem poscentium, seditionem compesceret. [*Sueton. in Octavio, cap. 17.*] 4684 30

Tempestate in trajectu bis conflictatus est: primò inter promontoria Peloponnesi atque Ætoliæ; iterùs circa montes Ceraunios. utrobique parte Liburnicarum demersa; simúlque ejus in qua vehebatur, fusis armamentis, & gubernaculo diffracto. [*Sueton. ibid.*]

Ita mediâ hyeme Brundusium perveniens, ulteriùs non est progressus: quòd eò Senatus universus (Tribunis plebis ac duobus Prætoribus ad urbem ex S. C. relictis) cum equitibus, & magnâ parte plebis & multis aliis, ipsi occurrisset. Ipsi quoque milites, partim metu (tam concurrentis multitudinis, quàm ipsius Cæsaris; quem *vultu & aspectu Actiacas legiones exterruisse* dicit Germanicus apud *Tacitum*, lib. 1. Annal. cap. 42.) partim spe, nonnulli etiam accersiti, eódem confluxerunt. Quorum aliis pecuniam Cæsar dedit; aliis, qui in omnibus secum bellis fuissent, agrum etiam addidit. [*Dio, lib. 51. pag. 445.*]

Non ampliùs quàm septem & viginti dies, donec desideria militum ordinarentur, Brundusii commoratum illum fuisse scribit *Suetonius*. Trigesimo quàm in Italiam venerat die, in Græciam avectum fuisse narrat *Dio*; & propter hyemem navibus per Isthmum Peloponnesiacum translatis, tantâ celeritate in Asiam advenisse, ut de ejus discessu simul reditúque Antonius & Cleopatra cognoverint. [*pag. 445, 446.*]

Antonius Alexam (sive Alexandrum) Laodicenum, qui Timagenis operâ Romæ ipsi innotuerat & plurimum Græcorum polluerat, ad Herodem regem misit, ut ejus transitionem ad Cæsarem impediret. Qui, prodito Antonio, apud Herodem restitit. [*Plutarch.*]

Alexandra, sperans Herodem malè mulctandum ab offenso Cæsare, solicitavit patrem Hyrcanum ne afflictorem suæ familiæ ulteriùs ferret, sed sibi potiùs caveret, séque speratæ fortunæ servaret: consuluítque ut à Malcho Arabum rege tutelam & hospitium peteret. Talia suadentem Hyrcanus primò repulit: sed victus importunitate mulieris, interdiu noctúque eandem cantilenam de futurorum spe déque Herodis insidiis occinentis, per Dositheum quendam clientem suum ad Arabem litteras dedit; ut equites mitteret, qui eum ad Asphaltitem lacum (300. stadiis ab Hierosolymitanis finibus distantem) deducerent. Josephi ab Herode necati cognatus hic erat Dositheus: fratresque ejus apud Tyrum inter alios ab Antonio interfecti fuerant: præsentis nihilominùs regis gratiam ille aucupaturus, ostendit ei epistolam. Herodes, actis primùm gratiis, unum etiam ab eo postulavit ministerium: ut complicatâ epistolâ, & obsignatâ, Malcho eam redderet, & responsum ab illo reciperet. Rescripsit verò Arabs, paratum se & ipsum Hyrcanum & familiam ejus recipere, atque etiam omnes illius factionis Judæos: missurúmque instructam manum quæ eos tutò deduceret, & voluntati ejus obsecuturum per omnia. Postquam autem etiam hanc epistolam Herodes accepit, accito Hyrcano, rogavit ecquid haberet cum Malcho fœderis. Quo inficiante, prolatis in Synedrio litteris, occidi eum imperavit. Atque hæc ita in ipsius Herodis commentariis scripta habentur. Nam ab aliis traduntur aliter: videlicèt non ob hoc crimen, sed quasi regi insidiatum, necarum esse. [*Joseph. lib. 15. cap. 9.*]

Antonius & Cleopatra ad Cæsarem legatos in Asiam miserunt. Petebat Cleopatra liberis suis regnum Ægypti: ille Athenis postulabat, si non daretur in Ægypto, ut privatè liceret vitam agere. Amicorum ob transitiones penuriâ & diffidentiâ, filiorum suorum præceptorem Euphronium legatum misit Antonius. [*Plutarch. in Anton.*] Cleopatra, clam Antonio, sceptrum aureum, coronam auream, sellámque regiam Cæsari misit, quasi regnum cum iis tradens: ut is, si omninò exosum haberet Antonium, ipsam saltem misericordiâ prosequeretur. Cæsar autem acceptis muneribus, omniísque loco ductis, Antonio nullo dato responso, Cleopatræ palam quidem multa comminatus est, idque respondit: si ea ab armis & regno destitisset, consilium ipsum capturum, quid de eâ fieri deberet: occultè autem ei impunitatem ac regnum integrum pollicitus est, si Antonium occidisset. [*Dio, lib. 51. pag. 447.*]

Herodes Hyrcano sublato ad Cæsarem properans, & nihil boni de se sperans propter amicitiam Antonii, suspectam habebat Alexandram; ne usa hac temporis opportunitate ad defectionem concitaret populum, & intestinis seditionibus regnum perturbaret. Quare mandatâ regni curâ Pheroræ fratri, & matrem Cypron & sororem Salomen, & totam cognationem in Masadâ deposuit: jussítque fratrem, si quid sibi accidisset durius, habenas regni retinere. Mariammen verò uxorem, quia propter simultatem cum matre degere non poterat, in Alexandrio cum Alexandrâ matre collocavit: commissâ quæstoi suo Josepho & Sohemo Ituræo castelli custodiâ, viris & antè semper fidissimis, & tunc honoris causâ his mulieribus regiis adhibitis. Verùm his quoque mandatum dedit, ut si quid quod nollet accidisse sibi cognoscerent, confestim ambas interficerent, regnúmque pro viribus liberis ejus ac Pheroræ fratri conservarent. [*Joseph. lib. 15. cap. 9.*]

His mandatis, properavit Herodes Rhodum, ut illic Cæsari occurreret. Quò postquàm

appulit,

Digitized by Google

3974 appulit, posito tantùm diademate, de cætero paratu regio nihil mutavit: admissusque ad colloquium, cum magnâ constantiâ & animi magnitudine suam erga Antonium benevolentiam fassus est, & auxilia illi contra ipsum præbita frumenti atque pecuniarum, quoniam Arabico bello distentus ad eum copias adducere nequiverit; addens, pari se jam fide amicitiam Cæsaris colere paratum esse. Quod ut deinceps faceret hortatus Cæsar, diademate restituto, in summo honore illum habuit. Atque ita præter spem Herodes denuò in regno confirmatus est; & dono Cæsaris & Senatusconsulto per illum impetrato. [*Id. ibid. cap.* 10. *& lib.* 1. *Belli, cap.* 15.] De quo etiam *Strabo*, libro 16. [*pag.* 765.] *Tantum superioribus maximè Romanorum familiaritate præstitit, ut Rex quoque fuerit appellatus, Antonio primùm, postea Cæsare Augusto potestatem ei concedente.* & Tacitus, Histor. lib. 1. cap. 9. *Regnum ab Antonio Herodi datum, vitâtur Augustus auxit.*

Herodes & ipsi Cæsari & amicis ejus supra vires munera largitus est: animi sui declaraturus magnitudinem. Conatus est etiam Alexæ sive Alexandro Laodicensi, ab Antonio ad se misso, impetrare veniam: quod tamen non potuit; quia Cæsar animadversurum se in illum juraverat. Machinamentorum enim Cleopatræ adversùs Octaviam violentissimus apud Antonium propugnator ille fuerat. Itaque quum Herode fretus in Cæsaris ausus fuisset venire conspectum: confestim vinctus, atque in patriam suam in compedibus deportatus, ibique (Antonio, quem prodiderat, adhuc superstite) Cæsaris jussu necatus est. [*Joseph. ut supr. cum Plutarcho, in Antonio.*]

Antonius & Cleopatra alios legatos ad Cæsarem miserunt. Ac Cleopatra quidem per eos magnam ei vim pecuniæ promisit. Antonius autem amicitiæ eum ac propinquitatis admonuit; suam cum Ægyptiâ muliere consuetudinem excusavit; mutuam quondam societatem & acta in adolescentiâ enumeravit: denique P. Turullium senatorem, unum ex Julii Cæsaris percussoribus, amicum tum suum, Cæsari tradidit; ac seipsum etiam interfecturum pollicitus est, si eo facto salus Cleopatræ impetrari posset. Cæsar Turullio occiso, idque in Co insulâ, (in quâ ex Æsculapii luco arbores rei navalis causâ ille cæciderat) Antonio ne tunc quidem respondit quicquam. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 448.]

Absente Herode, uxor Mariamne & socrus Alexandra, se in castellum quasi in carcerem conclusas, ita ut nec suis nec alienis bonis frui possent, ægerrimè ferebant, præsertim quum Mariamne muliebribus blanditiis à Soherno expiscata esset, quid ipsi Herodes de illis mandavisset. Tunc enim vota faciebat, ne ille unquam salvus reverteretur; cogitans vitam sibi cum eo fore intolerabilem: id quod postea nec dissimulavit, apertè falsâ quid se ureret. Illo enim præter spem reverso, & apud Mariammen narrante suos successus, eos illa susque déque ferre videbatur, & ad blandas illius appellationes ingemiscebat: ut jam Herodes apertam uxoris aversationem agnosceret, & inter odium amoremque erga illam fluctuaret. [*Josephi, lib.* 15. *cap.* 11.]

Ante ductum exercitum in Ægyptum, Cæsar Syriam petiit: ut ex *Josepho*, *Suetonio*, [*cap.* 17.] *Plutarcho*, & *Orosio* intelligitur.

Phraate & Tiridate de regno Parthico contendentibus, & auxilia à Cæsare poscentibus, nihil ille aliud quàm deliberaturum se respondit; occupationem Ægyptiam prætendens: quum hoc verè ageret, ut ipsorum mutuo bello vires attererentur. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 456.]

C. Mevius centurio, qui in Antoniano bello sæpenumero excellentes pugnas ediderat, improvisis hostium insidiis circumventus & ad Antonium Alexandriam perductus, interrogatúsque quidnam de eo statui deberet: *Jugulari me*, inquit, *jube; quia nec fatis beneficio nec mortis supplicio adduci possum, ut Cæsaris miles esse desinam, & tuus esse incipiam.* Cujus virtuti Antonius incolumitatem tribuit. [*Valer. Maxim. lib.* 3. *cap.* 8.]

Antonius & Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazæ ad Rubrum mare præmittendos censuerunt. [*Oros. lib.* 6. *cap.* 19.] Ipsi præsidiis circa duo Ægypti cornua Pelusium Paræoniúmque dispositis, classem & copias instaurando bello paraverunt. [*Id. ibid. cum Floro, lib.* 4. *cap.* 11.]

Tertiam tamen legationem Antonius, ac filium suum Antyllum cum multo auro, ad Cæsarem misit: quem ille, auro accepto, sine responso propositi irritum à se dimisit. Cleopatræ verò ut primò, sic secundò etiam, ac tum tertiò, multas & comminationes & pollicitationes proposuit. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 448.]

Ut Cleopatram quoque ad se alliceret, Thyreum sive Thyrsum libertum suum, hominem haud insulsum, ad eam misit. [*Id. ibid. Plutarch. in Anton.*] Verebatur enim ne Antonius & Cleopatra, desperatâ veniæ impetratione, in incepto persistarent, ac suis viribus vincerent; aut in Hispaniam ac Galliam trajicerent; aut thesauros, quos Cleopatra in sepulchrum conjecerat, flammis ut minabatur absumeret. Thyrsum igitur misit, qui & humaniter multa cum Cleopatrâ loqueretur, & Cæsarem ejus amore captum diceret: sperans eam, quæ ab omnibus hominibus amari volebat, eò adduci posse, ut Antonio necato seipsam & pecuniam incolumem servaret. [*Dio, ut supr.*]

Per Syriam in Antonium movit Cæsar, & duces ejus per Libyam. [*Plutarch.*] Cornelius Gallus, ab eo præmissus, acceptis Scarpi quatuor legionibus quæ apud Cyrenas præsidii loco constitutæ fuerant, Paræonium primam Ægypti à Libyæ parte civitatem subitò occupavit. [*Dio, pag.* 448. *cum Orosio, lib.* 6. *cap.* 19.]

Antonius hoc cognito, etsi in Syriam proficisci, evocatus à gladiatoribus, in animo habebat; tamen eo omisso ad Paræonium contendit: sperans quidem se eas copias à Gallo ad se sine ullo labore traducturum; (nam benevolentiâ erga ipsum affectos propter communem militiam noverat:) sin aliter nequiret, vi certè potiturum. nam & navales & terrestres copias secum adducebat magnas. Sed neque colloqui cum iis potuit, quanquàm ad murum

3974 accederet & altâ voce clamaret, (concrepuerat enim tubicines jusserat Gallus, ita ut nemo exaudire quicquam posset) & præterea subitâ eorum eruptione damnum accepit, ac classis quoque incommodum passus est. Catenas enim quasdam sub aquâ latentes noctu per fauces portûs Gallus extenderat, ac deinde nullo aperto præsidio portum custodiens, absque omni timore Antonii naves cum sui contemptu intrò navigare passus fuerat. Tum verò attractis per machinas ad hoc paratas catenis, naves simul terrâ marique & ex ædibus circumventas, partim incendit, partim submersit. [*Dio, pag.* 448, 449.]

Cæsarem per Syriam in Ægyptum abeuntem Herodes omni regiâ magnificentiâ excepit apud Ptolemaidem: exercitui quoque omnem hospitalitatem exhibuit, & rerum ad victum accommodatarum copiam. Quo factum est ut in intimam Cæsaris familiaritatem reciperetur, unà obequitare solitus dum traducerentur copiæ; tractânsque tum ipsum tum amicos ministerio virorum 150. ditissimo & sumptuosissimo cultu insignium. Quin & per squalida & inaquosa loca usque ad Pelusium proficiscentibus nihil deesse passus est; non vinum, non aquam, quâ miles tum magis etiam delectabatur. Ipsum quoque Cæsarem talentis 800. donavit: adeóque satisfactum est omnibus, ut luculentiùs etiam quàm pro ejus regni facultatibus tractatos se fatererentur. [*Joseph. lib.* 1. *Belli, cap.* 15. *& lib.* 15. *Antiquit. cap.* 10.]

Cleopatra ex sermonibus Thyrsi sive Thyrei suo amore captum credebat Cæsarem; tum quòd ita esse cuperet, tum quòd eâdem ratione partem ejus ac Antonium sibi mancipaverat: ideóque non veniam modò sibi & regnum Ægypti, sed Romanorum etiam imperium sperabat. [*Dio, pag.* 449.] Thyreum verò supra modum ab eâ honoratum corripuit Antonius & flagellis cæcidit: deinde remisit ad Cæsarem, scribens insultatione & superbiâ illius se fuisse irritatum, qui esset ob eruditas irritabilis. *Id tu si feres*, inquit, *iniquè; habes libertum meum Hipparchum: hunc suspensum flagellato, ut par feramus.* Mox quò dilueret Cleopatra crimina & suspiciones illius, coluit eum mirificè: ac die suo natali summisè & pro præsenti fortunâ acto, natalem illius summo splendore & magnificentiâ celebravit; ut multi ad cœnam invitati, qui accesserant inopes, opulenti discesserint. [*Plutarch.*]

Cæsar Pelusium vi, ut ferebatur, re verâ autem proditione Cleopatræ, cepit. [*Dio, pag.* 449.] Et eâ certè non invitâ opidum illud Cæsari à Seleuco fuisse traditum, rumor increbuit. Quem ut illa compesceret, Seleuci uxorem & liberos ad supplicium Antonio tradidit. [*Plutarch.*] quum ille, à Cornelio Gallo ad Parætonium & continuò apud Pharum victus, (ut est apud *Orosium*, lib. 6. cap. 19.) Alexandriam rediisset.

Habebat Cleopatra conditoria & monumenta eximio artificio & fastigio extructa, quæ Isidis templo adjecerat. Eò ex regiis thesauris pretiosissima quæque congessit, aurum, argentum, smaragdum, unionem, ebenum, ebur, cinnamomum, postremò magnam vim tædarum & stuppæ. Unde metuens illis opibus Cæsar, ne eas desponderet animum perderet illa & concremaret; ostendit ei affabilè, dum cum exercitu ad urbem contendit, benignam spem. [*Plutarch.*] Ea verò cives Alexandrinos occultè prohibuit contra Cæsarem exire; quum palàm eos, ut hosti occurrerent, cohortari videretur. [*Dio, pag.* 449.]

Ut consedit Cæsar ad Hippodromum, erumpens infestus Antonius certavit strenuè, atque equitatum Cæsaris profligavit, effusúmque egit usque ad castra. Hac elatus victoriâ ingressus est regiam, & Cleopatram in armis osculatus est: atque eum qui fortissimè dimicaverat commendavit illi. Cleopatra præmium ei auream loricam & galeam donavit. Ille vero his acceptis transfit nocte ad Cæsarem. [*Plutarch.*]

Antonius, jaculatus in Cæsaris castra libellos, 1500 in singulos drachmas sive denarios promisit. Eos Cæsar ipse ultrò militibus suis recitavit: simul & Antonium invisum reddens, & ipsos vicissim ad fugiendam proditionis turpitudinem, & alacritatem pro se declarandam revocans. Unde subeunte animos eorum ob tentatam fidem indignatione, ita strenuè se gesserunt; ut pedestri certamine cum eis congressus Antonius insperatò victus abscesserit. [*Dio, pag.* 449.] Quò & *Strabonis* illum locum refero. [*lib.* 17. *pag.* 795.] „Euntibus per Hippodromum est Nicopolis, quæ habitatur ad mare, ita ut urbe non minor censeri debeat; distans „ab Alexandriâ stadiis 30. Hunc locum Cæsar Augustus ornavit: quòd hîc prælio eos superavit, qui cum Antonio contra ipsum exierant.

Provocavit deinde per nuntios Antonius Cæsarem; ut solus secum certaret. qui respondit, Vias Antonio multas patere ad interitum. Quare considerans non posse quàm in prælio mori se honestiùs, deliberavit simul terrâ marique Cæsarem adoriri: atque inter cœnandum, ut fertur, imperavit servis ut propinarent & exciperent epulis se liberalius; incertum esse idémne facturi postridie essent, an aliis dominis ministraturi, ipso extincto jacente & exanimi. Amicos ob hoc quum cerneret illachrymari, non ductorum ait se ad pugnam, ex quâ mortem glorioſam potiùs quàm salutem & palmam speraret se quæsiturum. [*Plutarch. in Anton.*]

Circa noctis illius medium, quum silentium & mœstitia ex metu & expectatione eventûs teneret civitatem, fama est repentè omnis generis organorum exauditam symphoniam, strepitúmque turbæ cum clamore Bacchico & tripudiis Satyricis, velut sacris Liberi patris (quem Antonius effingere consueverat) choro non sine ingenti tumultu erumpente: concessisseque hanc turbam, quæ ingens esset, mediâ fermè urbe ad portam quæ foras ad hostem ducebat, atque eâ evasisse. [*Id. ibid.*]

Præter hoc, alia quoque portenta varia Ægypti servitutem præcessisse narrat *Dio*. Nam & pluit (ut ille ait) iis in locis, in quibus antè nulla unquam gutta deciderat: idque non tantùm aquâ, sed etiam sanguine. Nec è nubibus hæc modò delapsa, sed etiam arma simul apparuerunt. Draco quidam immodicæ magnitudinis repentè apud Ægyptios visus, immensum sibilavit: apparuerúntque eodem tempore cometæ, & mortuorum imagines; simulachráque

tristitiam

triſtitiam præ ſe tulerunt, & Apis lugubrem mugitum ac lachrymas edidit. (*Dio, lib. 51. p. 455.*)

Kalendis Sextilibus primâ luce Antonius ad inſtruendam claſſem in portum deſcendit. (*Oroſ. lib. 6. cap. 19.*) Sed Cleopatra effecit, ut naves ab eo transfugerent. (*Dio, pag. 449.*) Claſſici enim poſtquàm remigio appropinquaverunt adverſæ claſſi, ſalutaverunt Cæſaris milites. Quibus ſalutem reddentibus, deſciverunt ad illos: atque ex omnibus navibus una effecta claſſis urbem infeſta petiit. Dum id contemplatur Antonius, extemplò deſertus eſt ab equitibus, qui tranſitionem fecere. Peditatu fuſo, recepit ſe in urbem, proditum ſe à Cleopatrâ vociferatus iis in quos illius causâ arma ſumpſerat. [*Plutarch.*]

Cleopatra, Antonii iram & deſperationem formidans, ſed metu Cæſaris ac mortis ſibi conſciſcendæ cauſâ hoc ſe facere prætexens, ad monumentum cum eunucho quodam & duabus ancillis confugit; miſitque ad Antonium nuntium defunctam ſe eſſe. Id credens ille, ſervum fidum Erotem (qui hoc ſe facturum jam pridem promiſerat; quum neceſſitas poſtularet) ut ipſum interficeret rogavit. Eros diſtrictum enſem extulit quaſi illum icturus: verùm averſo vultu interemit ſemetipſum. Quo ad pedes ipſius collapſo, Antonius, *Malè Eros*, inquit, *qui, quod non ſuſtinuiſti mihi ipſe facere, quid faciendum ſit doces.* Ita ventrem fodit, atque in lectulum dimiſit ſe. Ictus non fuit is qui maturaret mortem. Unde curſu ſanguinis, poſtquàm decubuit, inhibito refocillatus, oravit aſſiſtentes ut ſe confoderent. Illi ejecerunt ſe ex cubiculo, vociferante & diſcruciante ſe Antonio. Inde coorto tumultu, Cleopatra, quum id ſenſiſſet, ex faſtigio monumenti proſpexit: nam janua ejus ita erat parata, ut aperiri ſemel clauſa nequiret; ſolæ partes ſuperiores ad faſtigium nondum erant abſolutæ. Juſſuſque ab eâ Diomedes ſcriba eſt Antonium in monumentum ad ipſam deportare. Quam ut Antonius intellexit eſſe ſuperſtitem, conſurrexit; quòd vivere ſe poſſe arbitraretur: ſed multo profuſo ſanguine deſperatâ virâ, ſervorum ſuorum manibus (ut ipſe mandavit) ad januam ædificii eſt geſtatus. (*Idem; cum Dione, pag. 449, 450. Livio, lib. 133. Floro, lib. 4. cap. 11. Vell. Paterc. lib. 2. cap. 87. Strabone, lib. 17. pag. 795. Sueton. in Octavio, cap. 17. Eutropio, lib. 7. & Oroſio, lib. 6. cap. 19.*)

Dum hoc fieret, Dercetæus quidam Antonii ſatelles rapto illius pugione reconditóque, ſubduxit ſe: curréuſque ad Cæſarem, exitum Antonii primus nuntiavit ei, enſémque oſtendit cruentum. Ille, accepto hoc nuntio, in intimum ſeceſſit tabernaculum: ubi illachrymavit Antonio affini quondam & collegæ ſuo, multorúmque certaminum & rerum ſocio. Mox ſumptis epiſtolis, accirſque amicis, recitavit ad lenia & æqua ſcripta ſua quàm ſemper reſpondiſſet importunè & ſuperbè Antonius. Inde Proculeium miſit, mandans ut maximè, ſi queat, Cleopatram redigat vivam in poteſtatem. Timebat enim theſauris: & magnificum ad ornamentum ducebat triumphi, ſi illam adduxiſſet. (*Plutarch.*)

Interim per funes, qui lapidibus in altum evehendis ſuſpenſi erant, ſurſùm in monumentum tractus eſt Antonius. (*Dio, pag. 450.*) Nihil aiunt fuiſſe illo ſpectaculo, qui adfuere, lamentabilius. Sanguine enim oppletus & animam agens Antonius, funibus annexus in altum Cleopatræ & duarum quæ cum eâ erant mulierum magno labore trahebatur; excitantibus eam qui infrà ſtabant, & Antonio manus verſùs illam porrigente ſeque ſuſtollere annitente. Ut eum hoc modo Cleopatra accepit & depoſuit in lectum, dilaceratis peplis pectoréque ſuo percuſſo & laniato manibus, cruorem facie abſterſit; dominum, virum, imperatorem appellans: ac ſuorum penè malorum eſt illius miſeratione oblita. Lenito Antonius ejus dolore, vini hauſtum popoſcit: vel quòd ſitiret, vel quòd celeriùs ita expiraturum ſe ſperaret. Poſtquàm bibit, monuit eam ut rerum ſuarum, ſi abſque turpitudine liceret, conſuleret incolumitati; ac præcipuè inter amicos Cæſaris fidem adjungeret Proculeio. Se verò ob noviſſimam rerum converſionem ne lamentaretur: ſed gratularetur ob bona quæ fuerat conſecutus; quòd omnium hominum fuiſſet clariſſimus & plurimùm potuiſſet, atque eo tempore non ignaviter eſſet Romanus à Romano ſuperatus. Jámque efflabat animam, quum à Cæſare adfuit Proculeius. (*Plutarch.*)

Cum C. Proculeio equite etiam Epaphroditum libertum ſuum ad Cleopatram Cæſar miſerat; mandans illis quæ loquerentur ageréntque. Cleopatra verò, metuens ne quid durius in ſe ſtatueretur, remanſit in monumento: ut ſi nullâ aliâ ratione ſalutem conſequi poſſet, pecuniarum ſaltem amittendarum metu ſibi veniam à Cæſare & regnum redimeret. At Cæſar, etſi gazâ potiri, & Cleopatram vivam capere cupiebat, ut in triumpho duceret: tamen, ſi quid fide interpoſitâ promiſiſſet, impoſtor videri nolens, id agebat, ut cum eâ captivâ, ac invitè in ſuam poteſtatem redactâ, agere ex animi ſententiâ poſſet. [*Dio, lib. 51. pag. 450.*]

Cleopatra verò congredi ex propinquo abnuit cum Proculeio: ſed colloquium cum eo ex illo ædificio habuit aſſiſtente foris ad poſitum in plano oſtium; quod firmiter erat obſeratum, ut admitti tamen vox poſſet. In colloquio illa regnum liberis ſuis petiit; Proculeius bono animo ut eſſet hortatus eſt, & omnia permitteret Cæſari. Ut locum contemplatus, Cæſari renuntiavit; iterùm miſſus eſt ad eam appellandam Gallus. Qui ut venit ad fores, produxit de induſtriâ ſermonem. Interea Proculeius admotis ſcalis intravit per feneſtram quâ exceperant mulieres Antonium; trahénſque ſecum duos miniſtros deſcendit confeſtim ad ipſas fores, quibus aſſiſtebat attendens Gallum Cleopatra. Quæ Proculeium cernens, ſicâ quâ erat accincta ſeipſam ferire inſtitit. Sed accurrens properè Proculeius & complexus eam ambabus manibus, gladium ei detraxit; veſtémque ejus, ne quid tegeret veneni, excuſſit. Ita rem geſtam *Plutarchus* exponit: quam *Dio* in hunc enarrat modum.

C. Proculeius & Epaphroditus cum Cleopatrâ congreſſi, tolerabilibus ei conditionibus propoſitis, ſubitò eam, priùſquam aſſentiretur, corripuerunt; remotiſque omnibus iis rebus, quæ ad mortem conſciſcendam facerent, & aliquot diebus ei, ibi ut commoraretur, dum Antonii

3974 cadaver condîret, conceſſis: deinde in regiam adduxerunt, nihil ei de comitatu ac conſueto cultu detrahentes; quò mâgis ea quæ cupiebat impetraturam ſe ſperaret, ac ne quid ſibi ipſa mali injungeret. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 450, 451.] Simul atque verò Cleopatra capta fuit, eunuchus ejus ſerpentibus ſeſe ultrò mordendum præbuit; mortuúſque in foveam, præparatam ſibi ad id, incidit. [*Id. ibid. pag.* 453.]

Cæſar primo aditu Alexandria, urbe omnium longè opulentiſſimâ & maximâ, victor potitus eſt. [*Liv. lib.* 133. *Strabo, lib.* 17. *pag.* 795. *Sueton. in Octavio, cap.* 17. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 19.] Eam ille ingreſſus eſt, cum Ario Alexandrino philoſopho colloquens, dextrâque eum tenens; quò tam eximio honore ab ipſo cultus, conſpicuus civibus ſuis & ſuſpiciendus eſſet. [*Plutarch. in Anton.*] Hujus enim in diſcendâ philoſophiâ Cæſar operâ olim uſus fuerat; eúmque, unà cum filiis Dionyſio & Nicanore, in contubernium ſuum aſciverat. [*Seneca, in lib. de Clementiâ. Sueton. in Octavio, cap.* 89. *Plutarch. in Politic. Dio, lib.* 51. *pag.* 454. *& lib.* 52. *pag.* 491. *Julian. Cæſar. in Octav.*]

Ingreſſus gymnaſium Cæſar, conſcenſo tribunali quod erectum erat, conſternatos metu cives & humi ſe abjicientes exurgere juſſit: & oratione Græcè ad eos habitâ, ut intelligi ab ipſis poſſet, populum ſe dixit omni noxâ liberare; propter Deum Serapin, propter populum ipſum ac civitatis amplitudinem, & propter amicum ſuum Arium. Similitérque Ægyptiis univerſis ignovit: nolens toc homines, qui multis in rebus magnopere Romanis profuerant, extremis malis afficere. [*Plutarch. in Anton. Dio, lib.* 51. *pag.* 454. *Julian. epiſt.* 51. *ad Alexand.*]

Arii precibus tum alios multos ille condonavit, tum Philoſtratum: qui dicendi ex tempore illius ætatis ſophiſtarum erat promptiſſimus, verùm immeritò in Academiam irrepſerat. Quapropter execrans mores ejus Cæſar, rejiciebat preces ejus. Ille barbâ canâ promiſsâ aſſectabatur atratus à tergo Arium, hunc verſum ſemper repetens,

Σοφὸς σοφὸν σώζειεν, ἂν ἦν σοφός.
Sapiens ſalus ſapientis eſto, modò is ſapis.

Id ubi Cæſar audivit, ut Arium invidiâ magis quàm metu Philoſtratum exolveret, ignovit homini. [*Plutarch. in Anton.*]

Antonium juvenem ſive Antyllum, majorem M. Antonii de duobus Fulviâ genitis filium, Cæſar, quamvis filiæ ſuæ Juliæ deſponſatus ille fuerat ac in patris ejus ſacellum à Cleopatrâ factum, poſt multas & irritas preces confugerat, ſimulachro Julii abreptum interemit. [*Id. ibid. Sueton. in Octavio, cap.* 17. *Dio, lib.* 51. *pag.* 446. *&* 454. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 19.] Obtruncantibus eum militibus pædagogus Theodorus, qui eum prodiderat, detraxit ei quam collo gerebat pretioſiſſimam gemmam, eámque inſuit zonæ ſuæ. Id inficiatus & compertus quum eſſet, in crucem eit actus. [*Plutarch. ibid.*] Julio verò, alteri Antonii ex Fulviâ filio, libertos ejus confeſtim ea omnia dare Cæſar juſſit, quæ morientes ei relinquere legibus jubebantur. [*Dio, pag.* 454.]

Antonii & Cleopatræ communes liberi cum nutriciis cuſtoditi & liberaliter habiti ſunt. Eos enim Cæſar, non ſecùs ac neceſſitudine junctos ſibi, & conſervavit & mox pro conditione cujuſque ſuſtinuit ac fovit. [*Sueton. & Plutarch. ut ſupr.*]

Qui Antonii rebus favitſent, eorum alios ſupplicio affecit, alios venià, vel ſuâ ſponte, vel amicis intercedentibus. [*Dio, pag.* 454.] Inter ſupplicio affectos fuit P. Canidius, infeſtiſſimus quidem ſemper Cæſari ſed & Antonio infidus. [*Oroſ. lib.* 6. *cap.* 19.] qui timidiùs deceſſit, quàm profeſſioni ejus, quâ ſemper uſus erat, congruebat. [*Velleii. Paterc. lib.* 2. *cap.* 87.] Occiſus eſt & Cæſaris juſſu Q. Ovinius ob hanc maximè notam, quòd obſceniſſimè lanificio textrinóque Reginæ ſenator populi Romani præeſſe non erubuerat. [*Oroſ. ut ſupr.*]

Quum permulti apud Antonium invenirentur principum ac regum liberi, alii obſidum nomine, alii per contumeliam educati; eorum partem domum remiſit Cæſar, partem conjugio invicem copulavit, alios retinuit. Jotapen patri ſuo Medorum regi, qui ad ſe victus confugerat, ultrò reddidit: Artaxæ autem, quia is Romanos qui in Armeniâ ſuperfuerant occidiſſet, fratres ſuos quamvis petenti non remiſit. [*Dio, pag.* 454.]

Alexandri Magni conditorium (quod vitreum fuiſſe *Strabo* docet, lib. 17. pag. 795.) & corpus, quum prolatum è penetrali ſubjeciſſet oculis, coronâ aureâ impoſitâ ac floribus aſperſis Cæſar veneratus eſt: corpúſque attrectans, naſi particulam aliquam fregiſſe dicitur. Ptolemæorum autem corpora, quanquàm ea oſtendere Alexandrini enixè volebant, inſpicere noluit: Regem ſe voluiſſe videre dicens, non mortuos. [*Sueton. in Octavio, cap.* 18. *Dio, lib.* 51. *pag.* 454. 455.] Eadémque de causâ Apim quoque noluit accedere: deos ſe, non boves, adorare conſueviſſe perhibens. [*Dio, ibid.*]

M. Antonium multis regibus & ducibus petentibus funerare, non ademit corpus Cæſar Cleopatræ: ſed illius manibus eſt humatus ſplendidè & regaliter; omniáque ei, quibus uti volait, permiſſa. [*Plutarch.*]

Cleopatra ex tanto ſimul mœrore & dolore (nam & pectus ejus ex verberibus inflammatum & exulceratum fuerat) febre correpta id velamentum arripuit læta, quaſi ideò temperatura cibo & vitam liberè poſitura. Medicum habebat familiarem Olympum, quem proditâ rei veritate conſiliarium & adjutorem ad tabem ſibi inducendam adhibuit; ut ipſe ſcriptum reliquit Olympus, qui edidit harum rerum hiſtoriam. Id odoratus Cæſar, objecit ei minas & terrores de liberis: quibus illa ſicut machinis expugnata eſt, permiſitque corpus ſuum omnibus pro arbitrio curare & alere. [*Id.*]

Venit etiam paucis diebus pòſt ipſe Cæſar ad eam appellandam & conſolandam. [*Id.*] Quæ ad illius pedes provoluta, tentavit oculos ducis, fruſtra. Nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. Quanquàm enim eam ciendis affectibus intentam animadverteret; tamen eo

dissimulato, oculis in terram defixis hoc unum pronuntiavit: *Bono animo esto mulier, nihil enim mali patieris.* quum illa non de vitâ, quæ offerebatur, sed de amore & parte regni laboraret. [*Florus, lib. 4. cap. 11. Dio, lib. 51. pag. 451.*]

Postremò numeri thesauri breviarium, quod habebat, Cæsari illa tradidit. Quúmque Seleucus, unus procuratorum, argueret eam quòd reconderet & supprimeret nonnulla: exiliens & in capillum hujus involans, multis plagis os ejus contudit. Subridente Cæsare atque illam reprimente, *Anne grave*, inquit, *Cæsar est, quum tu invisere me hoc in statu & appellare sis dignatus, à servis meis deferri, siquid reposui muliebre, non mihi sanè misera; sed quò pauca munera Octavia & Livia tua feram, ut placatum te per illas & clementiorem habeam?* Hoc gavisus est Cæsar, omninò illam existimans teneri cupiditate vitæ. Ostendens igitur & hæc ei concedere se, & cætera supra omnem spem cum eâ acturum, digressus decepisse arbitrabatur se eam; quum magis deceptus ipse esset. [*Plutarch.*]

Cornelius Dolabella erat nobilis juvenis inter Cæsaris amicos: hic Cleopatræ cupidus, precanti tunc hoc dedit beneficii, ut per internuntium clàm ei significaret Cæsarem ipsum pedibus decessurum per Syriam, ipsam verò cum liberis statuisse post triduum in Italiam mittere. Quo intellecto, à Cæsare obtinuit, ut sibi inferias dare permitteret Antonio. Ubi lamentis editis, postquàm coronas & oscula tumulo tulit, præcepit sibi parari balneum: lotáque accubuit, & splendidè est epulata. [*Idem.*]

Post prandium epistolam, quâ à Cæsare petebat ut cum Antonio eam sepeliri juberet, Epaphrodito, cui custodia ejus mandata erat, dedit perferendam; obsignatam quidem, ut is aliud quiddam contineri eâ existimans, occasione epistolæ Cæsari reddendæ è medio removeretur. [*Idem: cum Dione, pag. 452.*]

Eo digresso, obdidit fores: duabus fidissimis ancillis secum retentis, Irâ sive Nairâ & Charmione; quarum ministerio ad cultum corporis uti solebat. nam altera capillos decenter complicabat, altera scitè unguium putamina resecabat. Tum veste se omnium elegantissimâ induit ac quàm potuit pulcherrimè exornavit: omnique habitu regio assumpto, aspidem (quam ficubus & uvis & floribus contectam, ut custodes falleret; inferri curaverat) sinistro brachio admovit, ejusque morsu tacta sic morte, quasi somno, soluta est. [*Florus, lib. 4. cap. 11. Vellei. Patercul. lib. 2. cap. 87. Plutarch. in Anton. Galen. in lib. de Theriacâ ad Pisonem. Dio, lib. 51. pag. 452. Eutrop. lib. 7. Oros. lib. 6. cap. 19.*]

Qui verò nobis & mulieris ad fallendum sagacitatem, & aspidis ad occidendum celeritatem, verbis volunt extollere, Cleopatram inquiunt magnum primò ac profundum vulnus brachio suo dentibus (aut aliâ re) intulisse, deinde venenum quod priùs ex aspide paraverat in pixide quâdam ad se allatum vulneri infudisse; atque ita veneno corpus subeunte non multo pòst inscitis custodibus vitam leviter finivisse. [*Galen. ut supr. cum Strabone, lib. 17. pag. 795. Plutarcho, & Dione, pag. 452, 453.*] Sed puncturæ tantùm duæ exiguæ in brachio ejus sunt repertæ: & Cæsar, qui corpus vidit, mortuæ, imaginem cum aspide brachio affixâ in triumpho traduxit. [*Plutarch. & Dio.*] De eâ *Horatius*, lib. 1. Odâ 37.

Ausa & jacentem visere regiam
Vultu sereno fortis, & asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberatâ morte ferocior:
Saevis Liburnis scilicet invidens,
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

Solutis Cleopatræ litteris, intellexit illicò Cæsar quid actum esset. Ac primùm instituit ipse accurrere; deinde spectatum properè misit quid rei esset. Illi cursu eò profecti, & stationem nihil offendentes sensisse, reseratâ januâ Cleopatram defunctam invenerunt, & in aureo jacentem lecto, regio cultu exornatam. Ex ancillis, Ira (sive Naira) ad pedes ejus expiraverat: Charmium (sive Charmione) jam lapsabunda & capite gravata componebat diadema, quo redimitum erat caput ejus. Ibi quum quidam fremens dixisset, *Haccine pulchra Charmium? Pulcherrima sanè*, inquit, *decentique regum propaginem tam multorum.* & nihil ampliùs locuta, juxta lectum ibi concidit. [*Plutarch. cum Dione, pag. 453.*] Cæsar verò, viso Cleopatræ corpore, remedia ei adhibuit, si quâ eam ratione vitæ posset restituere. [*Dio, ibid.*] Psyllis etiam frustrà admotis, qui venenum ac virus exsugerent. [*Id. ibid. Sueton. in Octavio, cap. 17. Oros. lib. 6. cap. 19.*]

Quum nullo modo ad vitam reduci Cleopatra posset, miratus eam Cæsar ac misericordiâ prosecutus, magnopere doluit; omni se triumphi sui gloriâ spoliatum esse ratus. Corpus verò ejus splendidè & regaliter sepeliri, & in eâdem cum Antonio arcâ condi præcepit. [*Plutarch. & Dio, pag. 453.*] Ambobus enim communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit. [*Sueton. in Octavio, cap. 17.*] Sortitæ sunt & ancillæ funus jussu ejus honorabile. [*Plutarch.*]

Annos 39 vixisse, 22 regnasse Cleopatram, *Plutarchus* scribit. Et totidem quidem annos regno illius post patris Ptolemæi Auletæ mortem tribuunt, *Ptolemæus* in Regum Canone, *Clemens Alexandrinus* in libro primo Stromatum, *Porphyrius*, [*in Græcis Eusebianis Scaligeri, pag. 226.*] *Eusebius* in Chronico, & alii: qui anni tantùm 21. sunt, cum 3. vel 4. mensibus. Imperavisse eam ampliùs 14. annis cum Antonio, *Plutarchus*; 13. sub Augusto, in tertio adversùs Judæos libro scribit *Tertullianus*: Antonii dominatu à cæde Julii Cæsaris, Augusti verò à primo ipsius Consulatu deducto. A morte Alexandri Magni qui Imperium Macedonicum

condidit, usque ad mortem Antonii & Cleopatræ cum quibus illud planè concidit, & apud *Ptolemæum* (tum in Regum Canone, tum in Operis magni libro tertio, & apud *Clementem Alexandrinum*, in libro primo Stromatum) anni numerantur 294. qui nobis anni sunt 293. cum quadrante.

Atque hoc tempore ultimam à Cæsare armis civilibus impositam fuisse manum, præter Florum, [*lib.* 4. *cap.* 12.] & Velleium Paterculum, [*lib.* 2. *cap.* 87.] confirmat etiam *Dionysius Halicarnassensis*, in Romanarum Antiquitatum suarum Proœmio scribens, venisse se in Italiam simul ac Cæsar Augustus finem bellis civilibus imposuisset, ἐδόκουν ἐγὼ ἐγγὺς τοῦ ἑξηκοστοῦ καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος μετεῖναι, *mediâ Olympiade* CLXXXVII. anno illius tertio meunte scilicèt. Mense enim Sextili *Ægyptum in potestatem populi Romani redactam, finémque bellis civilibus impositum* fuisse, ostendunt Senatusconsulti verba apud Macrobium. (*lib.* 1. *Saturnal. cap.* 12.) Ægyptios verò ab eo tempore, quo in *potestatem ditionémque populi Romani venerunt*, annos *Augustorum* (non Θεῶν Σεβαστῶν, quos hic commentus est Scaliger, sed *Cæsarum Augustorum* qui in ipsos imperium obtinuerunt) dinumeravisse, docet *Censorinus*, capite 21. libelli de die Natali: quem anno Augustorum CCLXVIII. (ita enim meliora habent exemplaria, non CCLXVII.) Philippico ab excessu Alexandri Magni DLXII. & Nabonasari DCCCCLXXXVI. [initiis horum annorum à primo mensis vagi Ægyptiorum Thoth deductis] à se scriptum fuisse affirmat; idem planè cum Ptolemæo sentiens, qui in libro tertio magnæ Syntaxis ab initio regni Nabonasari ad mortem Alexandri annos Ægyptios 424. indéque ad imperium Augusti annos 294. fluxisse statuit.

Cœpit igitur epocha Augustorum Ægyptiaca die primo mensis Thoth ineuntis anni æræ Philippicæ ab excessu Alexandri 295. Nabonasari 719. & quidem feriâ hebdomadis 1. ut habetur in scripto Hebræi cujusdam de æris, Norimbergæ cum Messahalâ edito, mensis nimirùm Sextilis, in anno Periodi Julianæ 4654. die 31. qui juxta vitiosam intercalandi rationem Romæ tunc usurpatam Sextilis 29. dies dicebatur. Atque hæc est epocha illa τῶν ἀπὸ Αἰγύπτου ἐτῶν, à Ptolemæo in magnæ Syntaxis lib. 3. cap. 8. ad annum vagum Ægyptiorum, à Vettio Valente Antiocheno in Ἀποτελεσμάτων βιβλίοις libro 1. ad annum fixum Alexandrinorum, & à Theone Alexandrino in Κανόνων προχείρων explicatione ad utriusque illius anni formam accommodata. Cùmque per annos 43. Ægyptum Augustus tenuerit; [ut in libro de legatione ad Caium ostendit *Philo*: totidem etiam imperio sive monarchiæ illius annos, in *Ptolemæi* Regum Canone & *Clementis Alexandrini* libro primo Stromatum, tributos invenimus.

Cleopatra filium Cæsarionem, qui ex Cæsare dictatore genitus ferebatur, cum magnâ pecuniæ summâ per Æthiopiam miserat in Indiam. Eum apud Rhodum pædagogus ad regrediendum induxit; tanquam vocaret eum Cæsar ad regnum. Deliberante de eo Cæsare, Arium philosophum dixisse perhibent;

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη. ——
Cæsarus in multis nomen non expedit esse.

Post matris igitur mortem, à Cæsare necatus ille est. [*Plutarch. in Antonio. Dio, lib.* 51. *pag.* 446. & 454.]

Statuæ Antonii dejectæ sunt: Cleopatræ loco non motæ. Impetravit enim amicus ejus Archibius à Cæsare mille talentis, ne cum Antonianis convellerentur illæ. [*Plutarch.*]

In regiâ magnæ pecuniæ vis reperta est, ex spoliatorum ferè omnium templorum donariis à Cleopatrâ ibi repositis; multa etiam ab iis, qui criminis alicujus rei fierent, exigebatur: ac reliqui seorsùm omnes, quibus crimen nullum objici poterat, duas bonorum suorum partes poscebantur. Inde omnibus militibus stipendia debita numerata sunt: qui verò tum quoque cum Cæsare erant, 250 singuli denarios acceperunt, ne urbem diriperent. Omnibus, qui munus antè aliquid dedissent, id exsolutum est: multâque senatoribus ac equitibus, qui in belli societate fuerant, dona data sunt. [*Dio, pag.* 455, 456.]

Hâc parte anni in Consulatu collegam Cæsar sibi cooptavit M. Tullium Ciceronem, Ciceronis oratoris ab Antonio interfecti filium: qui Cæsaris litteras de profligato à se Antonio in Alexandrino hoc bello (non Actiaco; quod *Appiano* per errorem excidit) Romam missas, pro concione recitavit; earúmque exemplum pro rostris proposuit, ubi patris ejus caput olim propositum fuerat. [*Plutarch. in fine Ciceronis. Appian. lib.* 4. *Bell. civil. pag.* 619. *Dio, lib.* 51. *pag.* 456, 457.]

Idibus Septembribus hujus anni, M. Tullium post bellum Alexandrinum M. Licinio in Consulatu suffectum fuisse, ex tabulâ marmoreâ Capuanâ intelligimus. [*in Annal. Pighii tomo* 3. *pag.* 491.] Iisdémque ipsis Idibus Septembris, *Augustum cum M. Ciceronis filio Consulem à Senatu obsidionali donatum* fuisse coronâ, apud *Plinium* legimus. [*lib.* 22. *cap.* 6.] Coronæ enim & supplicationes multæ Cæsari eo tempore Romæ decretæ sunt. Eidem etiam alius de Ægyptiis triumphus concessus est. Diem, quo capta fuit Alexandria, festum esse censuerunt; ab eoque reliquis annis numerandis initium sumendum. Ut Cæsar per omnem vitam tribunitiam potestatem haberet: eique qui ipsum imploràsset intra pomœrium ac extra usque ad dimidium milliare, auxilium ferre posset; quod nemini tribuno plebis licebat. [*Dio, lib.* 51. *pag.* 457.]

Herodem, inter amorem & odium erga uxorem Mariammen fluctuantem, soror Salome & mater Cypros assiduis calumniis concitabant; accendentes ejus odium ac zelotypiam. Ac fortasse lævius in eam aliquid statuisset, ni commodùm nunciatum esset, extinctis Antonio & Cleopatrâ Cæsarem Ægypto potiri: cui obviam properans, familiam sic ut erat reliquit. Discedenti Mariammæ commendavit Sohemum, plurimum ei se debere propter habitam sui curam profitens; & cujusdam Judææ partis ei dominium impetravit. [*Josephus, lib.* 15. *cap.* 11.]

Cæsar in eo quo Antonianos superaverat loco urbem condidit; idémque ei *Nicopolis* nomen,

& ludos

& ludos eosdem tribuit, quos priori ad Actium conditæ. [*Dio, lib. 51. pag. 456. cum Strabone, lib. 17. pag. 795.*]

Ægyptum, in provinciæ formam redactam, ut feraciorem habiliorémque annonæ urbicæ redderet, fossas omnes in quas Nilus exæstuat, oblimatas longâ vetustate, militari opere detersit: [*Sueton. in Octavio, cap. 18.*] novis quoque quibusdam fossis additis. [*Dio, pag. 456.*]

3975 Herodes in Ægypto cum Cæsare congressus, liberiùs cum illo egit amicitiâ fretus; & magnis ab eo beneficiis ornatus est. Satellites enim quadringentos Galatas ei donavit, quos anteà stipatores Cleopatra habebat: & regionis partem reddidit, quam illa priùs occupaverat: Attribuit etiam ejus regno Gadara, Hippon & Samariam; in maritimis Gazam, Anthedonem, Joppen, Stratonisque turrim: quæ illi non mediocris fuit ad regium splendorem accessio. [*Joseph. lib. 1. Bells, cap. 15. & lib. 15. Antiquit. cap. 11.*]

Multitudo hominum tam in urbibus quàm in agro Ægypti, ac mores gentis ejus leves, tum frumenti ad urbem subvectio & pecuniæ vis, efficiebant; ut non modò committere provinciam Senatori nulli Cæsar auderet, sed & proficiscendi in Ægyptum potestatem, nisi ipse nominatim permisisset, Senatoribus adimeret. Adeò enim suspectos Ægyptios studii novarum rerum habebat, ut nemini eorum Senatorem esse Romæ permiserit: sed cæteris quidem suo unicuique modo, Alexandrinis verò sine Senatoribus rempublicam administrare jusserit. [*Dio, lib. 51. pag. 455.*]

Arius philosophus, ut ferunt, oblatam sibi præfecturam Ægypti suscipere noluit. (*Juliani ad Themistium.*) Ægypto igitur tributariæ jam factæ C. Cornelium Gallum, ex infimâ fortunâ provectum, Cæsar præfecit: quem primum Ægyptus Romanum judicem habuit. (*Strabo, lib. 17. pag. 819. Sueton. in Octavio, cap. 66. Dio, lib. 51. pag. 455. Eutrop. lib. 7. Sex. Rufus, in Brevisario.*) Hic Gallus Forojulienſis ille fuit Poëta, quem in postremâ Bucolicorum eclogâ *Virgilius* carmine leni decantavit. (*Ammian. Marcellin. lib. 17. cum Hieronymo, in Chronico.*) Cui & Erotica extant dicata à Parthenio illo Nicæno, cujus Poëtica & in Latinis suis versibus imitatus est Virgilius, (*apud A. Gellium, lib. 13. cap. 25. & Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 17.*) & in Græcis suis poëmatibus Tiberius. (*apud Sueton. in Tiberio, cap. 70.*)

Cæsar omnibus quæ ex usu erant in Ægypto constitutis, pedestribus copiis in Syriam venit: [*Dio, ut supr. pag. 456. Oros. lib. 6. cap. 19.*] quò & Herodes eum Antiochiam usque deduxit. [*Joseph. lib. 15. cap. 11.*]

Quum Tiridates victus in Syriam confugisset, & Phraates victor legatos ad Cæsarem misisset; Cæsar iis amicè respondit. Ac Tiridati quidem auxilium nullum promisit, ut tamen in Syriâ versaretur concessit: filiúmque ab eo Phraatis beneficii loco acceptum Romam adduxit, obsidisque loco habuit. [*Dio, lib. 51. pag. 456.*] minimum videlicèt Phraatis filium; quem negligentiùs custoditum Tiridates rapuerat: ut habet *Justinus*; [*lib. 42. cap. 5.*] ad posteriora tamen tempora istud referens. * Hujus terroris Tiridatis, mentio fit ab *Horatio, lib. 1. Odâ 26.*

Discedens è Syriâ Cæsar, reliquit ibi Messalam (Corvinum:) à quo Cyziceni gladiatores, quibus à Q. Didio habitatio in Antiocheno suburbio Daphne concessa fuerat, decepti, alii aliò, quasi in legiones adscribendi, dimissi ac per occasionem interfecti sunt. [*Dio, lib. 51. pag. 447.*]

Tarsensibus in Ciliciâ præfecit Cæsar civem ipsorum, præceptorem suum, Athenodorum Sandonis filium Stoicum philosophum: qui statum reipublicæ à Boëtho & commilitonibus ejus, qui ad Antonii usque exitum ibi dominabantur, corruptum restituit. [*Strabo, lib. 14. pag. 674.*]

In Asiam provinciam Cæsar profectus, hyberna ibi egit; & subditorum omnia negotia composuit. [*Dio, lib. 51. pag. 456. Oros. lib. 6. cap. 19.*]

Kalendis Januariis, Cæsar quintum Consulatum in insulâ Samo iniit. [*Sueton. in Octavio, cap. 26.*] iisdémque ipsis Kalendis Romæ juramento omnia ejus acta confirmata sunt. Et quum de Parthicis rebus litteræ venissent, decretum est, ut in hymnis juxtà diis ipse adscriberetur; tribus Julia ab eo denominaretur; coronâ triumphali omnibus ludis uteretur; senatores, socii ejus victoriæ, in triumpho cum ipso inveherentur, vestibus purpurâ prætextis induti: & ut dies quâ urbem intrasset, sacrificiis publicis celebraretur, semperque festa esset. [*Dio, lib. 51. pag. 457.*] 4685 29

Cæsar templum urbi Romæ patrique Cæsari, quem heroa Julium nominavit, Ephesi & Nicææ fieri permisit, (hæ enim tum urbes Asiæ & Bithyniæ clarissimæ habebantur) atque ut ab incolis Romanis colerentur. Extraneis autem hominibus, quos Græcos appellabat, concessit, ut ipsi quoque (Octaviano) templa facerent; Asiani quidem Pergami, Bithyni verò Nicomediæ: Pergamenis etiam permittens ut ludos, quos sacros dicunt, in honorem templi ejus celebrarent. [*Id. ibid. pag. 458.*] Quò referendum illud Tiberii, apud *Tacitum:* [lib. 4. Annal. cap. 37.] *D. Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum fieri non prohibuit.*

Æstate sequente, in Græciam Cæsar transmisit, (*Dio, ut supr.*) ad triumphum profecturus Actiacum. Ubi ad eum, Corinthi tum agentem, ex Gyaro insulâ unum è piscatoribus legatum missum fuisse ferunt, petendæ tributi diminutionis gratiâ: pendere enim ipsos 150 drachmas, cùm ægrè possent 100. Ea erat paupertas illius insulæ. [*Strabo, lib. 10. pag. 485.*]

Cæsare Romam intrante, rem factam & alii fecerunt, (uti decretum fuerat) & Consul Valerius Poticus (qui Sexto Apuleio in Consulatu suffectus fuerat) publicè pro S. P. Q. R. propter adventum ejus sacrificavit: quod ante id temporis pro nemine unquam factum fuerat.

(*Dio,*

(*Dio*, *lib.* 51. *pag.* 458.) Curules triumphos tres Cæsar egit: Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum; continuo triduo omnes. (*Liv. lib.* 133. *Sueton. in Octavio*, *cap.* 22.) de quibus Virgilius, in 8°. Æneidos:

At Cæsar triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, dis Italis votum immortale sacrabat.
Maxima ter centum totam delubra per urbem
Lætitiâ, ludisque viæ, plausuque fremebant.

Et Propertius, lib. 2. eleg. 1.

Aut canerem Ægyptum, & Nilum, quum victus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circundata colla catenis,
Actiaque in Sacrâ currere rostra viâ.

Mense *Sextili* Cæsarem triumphos hosce tres in Urbem intulisse, docent Senatusconsulti verba apud Macrobium. (*lib.* 1. *Saturnal. cap.* 12.) non *octavo Idus Januarias*, (quo in Asiâ fuisse constat) ut voluit Orosius. (*lib.* 6. *cap.* 20.) Primâ die de Pannonis, Dalmatis, Iapydis, finitimisque eorum, & nonnullis Galliæ ac Germaniæ populis, triumphum egit; secundâ, de Actiacâ navali victoriâ: tertiâ, de subactâ Ægypto; qui reliquorum sumptuosissimus fuit, & ornatissimus apparatu. In eo Cleopatræ imago (cum aspide morsicûs brachio affixâ, ut ex *Plutarcho* dictum) ad imitationem mortis ejus efficta, in lecto portabatur: liberique illius & Antonii inter captivos ducti sunt, Alexander cui Solis & Cleopatra cui Lunæ nomen fuerat impositum. (*Dio*, *lib.* 51. *pag.* 459.)

Alexandrum Iamblichi fratrem, Arabum regem, in Actiacâ pugnâ captum & in triumpho ductum Cæsar occidit. (*Id. ibid. pag.* 443.) Cleopatram illam *Selenen* in triumpho ductam Jubæ (qui & ipse à Julio Cæsare Dictatore ductus fuerat) in matrimonium tradidit. Hunc Jubam Cæsar in Italiâ educatum, ac suam militiam secutum, hâc Cleopatrâ, regnóque paterno Mauritaniæ donavit: hisque etiam duos Antonii & Cleopatræ filios, Alexandrum & Ptolemæum concessit. Juba verò ex suâ Cleopatrâ Ptolemæum suscepit alterum; qui ipsi in regno posteà successit. (*Id. ibid. pag.* 454. *Strabo*, *lib.* 17. *pag.* 828. *Plutarch. in Julio Cæsare*, *& M. Antonio.*)

V. Kalend. Septembr. *Ara Victoriæ in Curiâ dedicata est*: ut in antiquo Kalendario marmoreo habetur annotatum. (*Inscript. Gruteri*, *pag.* CXXXIII.) quâ in Curiâ Juliâ positâ & spoliis Ægyptiis decoratâ, ostendebat Cæsar, imperium se ex victoriâ adeptum. Julii quoque patris sacrarium multis in eo suspensis donariis ex prædâ Ægyptiacâ exornavit: multa etiam Jovi Capitolino, Junonique & Minervæ consecravit; quum & Senatusconsulto omnia priùs in eorum templis suspensa ornamenta tanquam contaminata essent detracta. (*Dio*, *lib.* 51. *pag.* 459.) Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas, refecit; easque & cæteras opulentissimis donis adornavit: utpote qui in cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondo auri, gemmásque ac margaritas quingenties HS. unâ donatione contulerit. (*Sueton. in Octavio*, *cap.* 30.) Româque in tantum Alexandriæ opibus est aucta, ut propter abundantiam pecuniarum duplicia, quàm usque ad id fuerant, possessionum aliarúmque rerum vænalium pretia statuerentur; & fœnus, quod antè denario pendebatur, tum ad trientem ejus recideret. (*Dio*, *ut supr. pag.* 458, 459. *Oros. lib.* 6. *cap.* 19.)

In hoc quinto Consulatu suo *Imperatoris* nomen Cæsar accepit: non quale propter victoriam tribui more vetusto solebat; (id enim sæpiùs & anteà & postmodò ex ipsis actionibus reportavit) sed quo summa imperii demonstraretur; quod patri quoque ejus Julio, & ejus filiis nepotibúsque fuerat decretum. (*Dio*, *lib.* 52. *pag.* 493. 494.) Quò spectat inscriptio illa, hoc anno in Cæsaris honorem posita. *Senatus Populúsque Romanus Imp. Cæsari Divi Juli F. Cos. Quintl. Cos. Design. Sex. Imp. Sept. Reipublicæ conservatori.* (Inscript. Gruter. pag. CXXVI.)

Inter captivos Diocles Phœnix Artemidori filius, Tyranionis Amiseni à Lucullo capti discipulus, (ex quo & ipse Tyrannio dictus est) à quodam Dymante Cæsaris liberto emptus, Terentiæ Ciceronis uxori (quæ, ut ex *Plinio*, lib. 7. cap. 48. & *Valerio Maximo*, lib. 8. cap. 13. intelligitur, CIII. annos vivendo excessit) donatus est. Ab eâ verò manumissus, Romæ docuit, & libros scripsit 68. (*Suid. in voc.* Τυραννίων.)

3976 Antiochum Commagenum Cæsar ad se excivit, quòd fratris sui, cum quo litem habebat, missum Romam legatum dolo occidisset. Eum Antiochum in Senatum adductum, damnatúmque interfecit. (*Dio*, *lib.* 52. *pag.* 495.)

Per integrum annum post Herodis à Cæsare reditum, crescentibus inter ipsum & conjugem Mariammen suspicionibus, quum mulier neglectis mariti blanditiis, insuper illi patris (vel avi Hyrcani) & fratris sui (Aristobuli) necem opprobraret; vix ab inferendis illi manibus Herodes se continuit. Quem cùm ex strepitu commotiorem sensisset Salome soror, submisit jamdudum subornatum pincernam, qui indicaret solicitatum se à Mariamne, ut regi porrigeret poculum amatorium; quod ille, qualecunque tandem esset, apud se haberet. Hinc eunuchum Mariammes fidissimum tormentis Herodes examinavit, certus nihil sine illo esse tentatum: qui cruciatus non ferens, id unum prodidit, offensam esse mulierem propter ea quæ Sohemus indicaverat. Quo audito, exclamans Rex, Sohemum sibi regnóque antehac semper fidissimum non fuisse hæc proditurum nisi aliquid commercii secretioris inter ipsos intercessisset; Sohemum comprehensum jussit interfici. Uxorem verò, advocato intimorum amicorum concilio, veneficii accusavit, eâ verborum animique asperitate, ut qui aditabant facis intelligerent, velle regem illam capite damnari: quod omnium suffragiis factum est. Quum autem censerent supplicium nequaquàm præcipitandum, sed includendam in aliquem regiæ carcerem;

Salome

Salome inſtitit apud regem ut quamprimùm necaretur, ne quis in populo motus, illâ in carcere vivente, exiſteret: itaque Mariamme ad ſupplicium ducta eſt. (*Joſeph. lib.* 15. *cap.* 12.)

Id conſpicata Alexandra ejus mater, & intelligens ſimilem exitum ſibi ab Herode expectandum, ut ſe ejus criminis non eſſe conſciam oſtenderet, cœpit filiæ convitium facere omnibus audientibus; ſceleſtiſſimam & ingratam erga virum clamitans, dignámque tali exitio, quæ auſa ſit tam immane facinus. Hæc illâ turpiter fingente, ut etiam in capillos miſeræ involatura videretur, eam circumſtantes meritò damnabant: & quæ ducebatur ad ſupplicium, ne verbo quidem ullo eam dignata eſt, ſed excelſo vultu atque animo calumniam refellens, intrepida mortem ſubiit. (*Id. ibid.*)

Eâ peremptâ, impotentiùs flagrare cœpit Herodes: ſæpe invocabat ejus nomen, ſæpe etiam indecorè lamentabatur. Et quamvis oblectamenta excogitaret quæcunque poterat, apparandis conviviis ac comparationibus, nihil tamen proficiebat. Quare & regni curam reliquit: adeóque dolori ſuccubuit, ut ſæpe miniſtros juberet vocare Mariammen, quaſi illa adhuc viveret. (*Ibid.*)

Sic affecto Herode, ſupervenit peſtilentia; quæ & plebis & aulicorum majorem partem abſtulit: omnibus irato Deo hanc immiſſam interpretantibus propter injuſtum reginæ ſupplicium. Ita auctâ regis ægritudine, poſtremò in ſolitudinem ſe abdidit prætextu venationis: ubi afflictans ſe, intra paucos dies gravem morbum contraxit. Is erat inflammatio & dolor cervicis, mente etiam motâ nonnihil. Nec remedia quicquam proderant: ſed quum exacerbare potiùs malum viderentur; res minimùm à deſperatione abfuit. Itaque medici partim propter morbi contumaciam, partim quia in tantâ difficultate non erat libera diætæ electio, permittebant ei quicquid appeteret. (*Ibid.*) | 4686 | 28

Herode in urbe Samariæ ita decumbente, Alexandra habitans tum Hieroſolymis conata eſt duas ubi vis arces in ſuam poteſtatem redigere; alteram Templo contiguam, alteram in ipſâ urbe ſitam. Præfectos igitur tentavit, ut ſibi & genitis ex Herode ac filiâ pueris eas traderent; ne fortè illo defuncto occuparentur ab aliis. At illi, quum eſſent alioquin etiam fidi, tum eò magis manebant in officio, quòd & Alexandram oderant, nec fas putabant deſperare de ſalute Principis. Amici enim erant veteres, unus etiam nepos regis, Achiabus nomine. Quare continuò per nuncios de Alexandrâ ſignificaverunt. Ille ſine morâ eam juſſit interfici: ſuperatóque tandem morbo, refectis & corporis viribus & animi, ſic efferatus eſt, ut quâvis ex causâ ad ſæviendum eſſet propenſiſſimus. (*Ibid.*)

Ex tribus populi Romani cenſibus, quos à Cæſare Octaviano actos notat *Suetonius*, (*cap.* 27.) primum cum luſtro factum fuiſſe, ipſo VI. & M. Agrippâ II. Coſſ. ex Tabulâ marmorea Capuanâ liquet. (*tomo* 3. *Annal. Pighii*, *pag.* 495.) de quo ipſe Cæſar, in rerum ſuarum Breviario. (*Inſcriptionum Grateri*, *pag.* CCXXX.) *In Conſulatu ſexto cenſum Populi collegâ M. Agrippâ ego. Luſtrum poſt annum alterum & quadrageſimum* (à cenſurâ ſc. Cn. Lentuli & L. Gellii; poſt quam luſtra condi deſierunt) *feci: quo luſtro civium Romanorum cenſa ſunt capita quadragies centum millia & ſexaginta tria.* numerus ſc. 4063000. pro quo *Euſebius* in Chronico habet, 4164000.

Ludos quoque propter Actiacam victoriam decretos Cæſar cum Agrippâ exhibuit, & in iis equeſtre certamen per pueros & viros patricios peregit: ſique quinto quoque anno, quo temporis ſpatio peragebantur, curæ erant quatuor Sacerdotum collegiis per ordinem; Pontificibus nimirùm, Auguribus, Septemviris, & Quindecemviris. (*Dio*, *lib.* 53. *pag.* 496.) * Similitérque ſequentibus quibuſque Olympiadibus, Ludos Actiacos Romæ celebrari. *

Olympiade CLXXXVIII. Thebæ Ægypti uſque ad ſolum diruta fuiſſe, in Chronico *Euſebiano* leguntur. à Cornelio Gallo ſc. quem rebellantium Ægyptiorum urbes ſubvertiſſe, ex Julio Africano refert *Georgius Syncellus* in Chronico. (*pag.* 308.) Poſtquàm enim Heroum urbem quæ defecerat paucis ſtipatus recepiſſet, in Thebaide ſeditionem propter tributa exortam citò admodum ſedavit. (*Strabo*, *lib.* 17. *pag.* 819.) Civitatem pluribus interceptis exhauſit. (*Ammian. Marcellin. lib.* 17.) ſtatuas ſibi ipſi per univerſam propemodùm Ægyptum poſuit, ſuâque acta in pyramides inſcripſit. (*Dio*, *lib.* 53. *pag.* 512.)

3977 Cæſar ſeptimum gerens Conſulatum, oratione de ſcripto in Senatu recitatâ, ſeipſum imperio abdicare illúdque Senatui & populo tradere velle ſignificavit. Ubi peroravit, multis omnes cum verbis precati ſunt, ut ſolus imperii ſummam gereret: omnibúſque, quibus id ei perſuaderent, adductis argumentis, tandem eò compulerunt, ut imperium ſolus obtineret. (*Dio*, *lib.* 53. *pag.* 497. & 503.) Quod VII. Idus Januar. ab eo ſuſceptum fuiſſe, ex Tabulâ marmoreâ Narbonenſi intelligitur. (*in Inſcript. Gruteri*, *pag. CCXXIX.*) | 4687 | 27

Quum hoc modo tam à Senatu quàm à populo confirmatum ſibi Cæſar haberet imperium, ac nihilominùs popularis eſſe videri vellet; recepit hoc quidem in ſe, ut ſollicitè publicis negotiis præeſſet, quòd ea curâ diligentis indigerent: ſed nolle ſe provinciis omnibus imperare dixit, aut quas regendas ſumpſiſſet, in perpetuum gubernare. Ideóque infirmiores, nimirùm quia eſſent pacatiores, Senatui reſtituit: potentiores provincias, ut quæ plus periculi oſtenderent, ac vel hoſtes accolas haberent vel novos per ſe ipſæ motus aliquos ciere poſſent, ſibi retinuit. Id faciebat ſub hâc ſpecie, ut Senatus optimis imperii partibus tutò perfrueretur; ipſe laboribus & periculis objectus videretur: at ſub hoc prætextu eum verè inermem imbellémque efficiebat; & ad ſe ſolum arma militéſque transferebat. Hâc de causâ Senatui populóque Africa, Numidia, Aſia, & cum Epiro Græcia, Dalmatia, Macedonia, Sicilia, Creta, Libya Cyrenaica, Bithynia cum Ponto finitimâ, Sardinia atque Hiſpania Bætica, adſcriptæ ſunt: Cæſari autem Hiſpaniæ quod reliquum erat, Gallia omnis & Germania, item Cœleſyria, phœnice, Cilicia, Cyprus & Ægyptus. Imperium verò in ſuas provincias Cæſar decennale

* J. *Uſſerii Annal. Pars poſt.* Zzz ſuſcepit,

ſuscepit, intra quod tempus eas se reducturum in ordinem promittebat: hoc quoque jactantiâ quâdam juvenili addito; quo breviori spatio eas pacare posset, eò citiùs se imperio destiturum. Deinde utriusque sortis provinciis patricios præfecit; Ægypto tantùm equestris dignitatis virum, ob eas quæ suprà sunt commemoratæ causas. Senatoribus autem seorsùm Africam & Asiam, prætoriis reliquas omnes provincias adscripsit: utrisque verò ex æquo interdixit, ne ante quintum annum à gesto in Urbe magistratu provincias sortirentur. (*Dio, lib. 53. pag. 503, 504, 505.*)

Idibus Januariis eam provinciarum distributionem fuisse factam innuit *Ovidius*; de illis in primo Fastorum libro ad Germanicum Cæsarem ita canens.

Idibus in magni castus Jovis ade sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis.
Redditaque est omnis populo provincia nostro:
Et tuus Augusto nomine dictus avus.

Nam & eodem die Cæsari Octaviano *Augusti* cognomentum datum fuisse sensit: quod quatriduo pòst factum fuisse, in lib. de die Natali cap. 21. *Censorinus* hisce verbis indicat. *Ex ante diem decimum sextum Kalend. Februarii Imperator Cæsar Divi filius sententiâ L. Munacii Planci à Senatu cæterisque civibus Augustus appellatus est, se* VII. *& M. Vipsanio Agrippâ* III. *Consulib.*

Cæsar enim rebus compositis, & omnibus provinciis in certam formam reductis, Augustus cognominatus est. (*Liv. lib. 134.*) idque cognomen & in septimo illius Consulatu, *Dio*; (*lib. 53.*) & per Planci sententiam consensu universi Senatûs populique Romani inditum illi fuisse, Velleius (*lib. 2. cap. 91.*) confirmat. De quo Suetonius, (*in Octavio, cap. 7.*) *Munacii Planci sententia, quibusdam consentibus Romulum appellari optuisse quasi & ipsum conditorem urbis, proximus ut Augustus posset vocaretur, non tantùm novo, sed etiam ampliore cognomine: quod loca quoque religiosa, & in quibus auguratо quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuve; sicut etiam Ennius docet scribens,*

Augusto augurio postquàm inclyta condita Roma est.

& Florus, in libri 4 & ultimi fine ipso. *Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est nomen Augusti; ut scilicet jam tum dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.*

Similia habet & *Dio*: qui à Romanis *Augustum*, à Græcis Σεβαστὸν, à splendore dignitatis & honoris sanctitate humano ampliore, nominatum eum fuisse notat. (*lib. 53. pag. 507. & 509. Confer Act. XXV. 21, 25. cum* XVII. 23. *&* II. *Thessal.* II. 4.) Quibus addantur & *Ovidii* illa, in Fastorum 1°.

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic sacrum summo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.
Hinnus & Augurium dependet origine verbi:
Et quodcunque sua Jupiter auget ope.
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos:
Protegat & nostras querna corona fores.

Hoc pacto omne populi Senatúsque imperium ad *Augustum* est translatum. (*Dio, lib. 53. pag. 507.*) Quod nomen cunctis anteà inviolatum & usque ad nunc cæteris inausum Dominis, tantum orbis licitè usurpatum apicem declarat imperii: atque ex eodem die summa rerum ac potestatum penes unum cœpit esse & mansit, quod Græci *Monarchiam* vocant. [*Oros. lib. 6. cap. 20.*] Romanos verò *Augustorum* suorum epocham à Kalendis Januariis hujus anni deduxisse, docet *Censorinus*, in lib. de die Natali, cap. 21. ubi 265. hujus æræ annum cum ordinationis Julianæ anno 283. confert; uti & sequente capite, in annum Augustanum 20. Marcii Censorini & Asinii Galli Consulatum conjicit, in annum Julianum 18. incurrentem.

In Asiâ, Trallibus terræ motu considentibus, gymnasium corruit; quod ab Augusto posteà est instauratum. (*Euseb. Chronic. cum Strabone, lib. 12. pag. 579.*)

3978 Dissidio inter Costobarum Idumæum & uxorem suam Salomen sororem Herodis orto, illa viro [contra Judæorum consuetudinem] libellum repudii misit; & ad fratrem se conferens, ut se præstitisse fraternam benevolentiam conjugali suffer. Costobarum enim dicebat ad res novas moliendas cum Lysimacho, Antipatro & Dositheo conspirasse: fidem assertioni suæ ex eo astruens, quòd Babæ filios jam per duodecim post captam ab Herode Hierosolymam annos, inscio & invito rege, clàm ille in suis agris habuisset & incolumes servasset. Quo audito Herodes, missis quibusdam ad loca latebrarum, & illos interfecit, & quotquot in eodem hærebant crimine. Ut nihil jam reliquum esset ex Hyrcani cognatione; sed sublatis omnibus quorum excellebat dignitas, arbitratu suo posset quicquid vellet agere, nemine ampliùs resistente. [*Joseph. lib. 15. cap. 11.*] 4688 26

Hinc securior Herodes factus, à patriis ritibus magis magisque discessit, eos peregrinis studiis violando. Ac primùm athletica certamina quinto quoque anno in honorem Cæsaris instituit: ad quæ exhibenda, theatrum Hierosolymis & in campo amphitheatrum extruere cœpit, utrumque sumptuoso opere conspicuum; sed alienum à Judaicis moribus, apud quos nullus est horum usus, nulla spectaculorum ostentatio. Ille tamen celebritatem suam nobilissimam esse voluit, denunciatam circumvicinis, ac longinquis etiam gentibus: magnisque præmiis propositis, non illi tantùm qui gymnicis certaminibus dabant operam, sed mulici etiam præstantes & thymelici, evocabantur. Sed Judæis nihil tam molestum fuit quàm trophæa: quæ armis contectas hominum putabant fuisse imagines, ipsis per leges interdictas. Quos Herodes

ut

ut redargueret, juſſit detrahi ornatum appoſititium, & oſtendit nudos ſtipites. Quo facto in riſum verſa eſt indignatio concepta ex ſuſpicione imaginum. [*Id. Ibid.*]

Periodus Calippica *quinta* incipit.

Multa contra Auguſtum vana dicta deblateravit Cornelius Gallus. [*Dio, lib. 53. pag. 512.*] de quo *Ovidius*, libro ſecundo Triſtium, ad ipſum Auguſtum ſcripto.

Non fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo;
Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.

Ob ingratum autem & malevolum animum, infamiâ eum Auguſtus notavit: & domo ſuâ illi interdicens, & intra provincias ſuas degere eum prohibens. Furtorum præterea, & populatæ provinciæ, & aliorum multorum criminum accuſatus ille eſt, à Valerio Largo primùm homine improbiſſimo, qui ſocius ejus & convictor fuerat: deinde à multis aliis, qui Gallum hactenùs adulati ad Largum, quoniam eum jam creſcere videbant, ſtudia ſua converterunt. Decretúmque eſt ab univerſo Senatu, ut judicio damnatus Gallus exularet, bona ejus Auguſti eſſent, ac rem ſacram ejus rei causâ Senatus faceret. At ille dolorem non ferens, & nobilitatem acriter indignatam, cui negotium ſpectandum fuerat datum, metuens, ſtricto incubuit ferro & morte voluntariâ damnationem prævenit. Gallo verò & accuſatorum denuntiationibus & ſenatusconſultis ad necem ita compulſo, laudavit quidem Auguſtus pietatem tantopere pro ſe indignantium: cæterùm & illacrymavit, & vicem ſuam conqueſtus eſt, quòd ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci. [*Sueton. in Octavio, cap. 66. Dio, lib. 53. pag. 512, 513. Ammian. Marcellin. lib. 17. Hieronym. in Chronico.*]

Cornelio Gallo in Ægypti præfecturâ ſucceſſor datus eſt Petronius: qui multitudinis Alexandrinorum jactu lapidum in ipſum irruentium, tantùm ſuis munitus militibus, impetum ſuſtinuit: & nonnullis eorum interemptis, cæteros repreſſit. [*Strabo, lib. 17. pag. 819.*]

Polemo rex Ponti inter ſocios ac fœderatos populi Romani adſcriptus eſt: ac prima ſubſellia in theatris per totum ejus regnum Senatoribus tributa. [*Dio, lib. 53. pag. 513.*] Ab eo Pontus Polemoniacus accepiſſe nomen videtur; apud *Juſtinianum*, Novellâ 28ª.]

1979 Decem cives Hieroſolymitani, contra Herodem conjuraverunt, ſicas veſtibus tegentes: in quibus & unus cæcus erat, non tam paratus ad agendum aliquid, quàm ad patiendum ſi quid patriorum morum aſſertoribus accideret. Quidam verò ex his quos Herodes ad perſcrutanda talia diſpoſuerat, rem totam expiſcatus, regi aperuit. Illi verò comprehenſi, interrito vultu ſicas protulerunt: profitentes ſe non privati commodi gratiâ, ſed pro diſciplinâ publicâ, conjurationem hanc iniiſſe: ac deinde à regiis abducti, per omnes cruciatus necati ſunt. Nec multò pòſt delator eorum inviſus omnibus, à quibuſdam interfectus fruſtatim conciſus eſt & objectus canibus, idque multis inſpectantibus. Nemo tamen hoc factum prodidit, donec poſt longas ac moleſtas Herodis inquiſitiones à conſciis quibuſdam mulierculis per tormenta expreſſa eſt confeſſio: tum verò authores ejus facinoris cum totis familiis plectebantur. (*Joſeph. lib. 15. cap. 11.*) 4689 25

Herodes, ut contra tumultuantis populi ſeditiones eſſet tutior, anno regni ſui 13. (ab Antigoni morte numerato) Samariam, itinere unius diei Hieroſolymis diſtantem, munire cœpit: novo *Sebaſtes* (ſive *Auguſta*) nomine illi impoſito. Ejus circuitum 20 ſtadiorum eſſe voluit; fano ſeſquiſtadii amplitudine in ejus meditullio collocato, modis omnibus ornatiſſimo. Deditque operam ut tam è milite auxiliari, quàm è finitimis gentibus, plurimos in ejus civitatis corpus congregaret. (*Id. ibid. cum cap. ſeqq. initio.*) *Τῶν Γαβινίων νίκην, Gabinierum urbem*, eam appellat *Africanus*, in Georgii Syncelli Chronico. (*pag. 308.*) Quum enim Samaria à Joanne Hyrcano diruta, ab A. Gabinio Syriæ Proconſule inſtaurata demùm & incolis frequentata fuerit; (ut ſuprà, ad annum Per. Julian. 4657. ex *Joſepho* eſt notatum:) *τῶν Γαβινίων* vel *Γαβινίων* nomine, non alii quàm Gabiniani illi coloni hic poſſunt intelligi. Quod ipſum à doctiſſimo eodémque humaniſſimo viro, *Jacobo Goaro*, (cujus ſummæ induſtriæ nupera illa luculenta Georgiani Chronici debetur editio) pariter fuiſſe animadverſum, non parùm lætatus ſum.

Aliam etiam Herodes toti genti ceu arcem Stratonis turrim impoſuit. In magno quoque quem vocant campo, ſorte lectis equitibus, caſtellum condidit; & in Galilæâ Gabalem, & Eſthmonitim in Peræâ. Quibus arcibus ad tutelam regni per totam regionem opportunè diſpoſitis, adempta eſt vulgo tumultuandi materia. (*Joſeph. lib. 15. cap. 11.*)

Nonum Conſulatum Auguſtus Tarraconæ (citerioris Hiſpaniæ urbe) iniit. (*Sueton. in Octavio, cap. 26.*) currente anno tertio Olympiadis CLXXVIII. quo Indos ab Auguſto per legatos amicitiam poſtulaviſſe, in *Chronico Euſebiano* legimus: & quidem à Pandione rege miſſos; ut in *Georgii Syncelli* Chronico (*pag. 311.*) ex Romanis quibuſdam tabulis notatum invenimus.

Tarraconem verò ad Auguſtum legatos Indorum ab Oriente ultimo & Scytharum à Boreâ, cum gentilitiis muneribus, veniſſe confirmat P. Oroſius (*lib. 6. cap. 21.*) de quibus *Horatius*, in carmine Seculari:

Jam Scythæ reſponſa petunt ſuperbi
Nuper & Indi.

& lib. 4. Carm. Od. 14. ad Auguſtum:

Te Cantabri, non antè domabilis,
Medúſque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô tutela præſens
Italiæ dominæque Romæ.

Ita Florus, lib. 4. cap. ult. *Scythæ miſere legatos & Sarmatæ, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantéſque ſub ipſo ſole Indi, cum gemmis & margaritis elephantes quoque inter munera*

erabentes, nihil magis quàm longitudinem viæ imputabant, quam quadriennio impleverant: & tamen ipse hominum color ab alio venire cœlo fatebatur. Suetonius in Octavio, cap. 21. *Indos etiam ac Scythas, audito modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam populique Romani missis per legatos petendam.* Eutropius, libro 7°. *Scythæ & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eum miserunt.* Aurelius Victor denique, gentium aucto numero. *Indi, Scythæ, Garamantes ac Bactri, legatos miserunt orando fœderi.*

Amyntâ mortuo, regnum filiis ejus Augustus non tradidit, sed provinciam populi Romani fecit: atque exinde Galatia cum Lycaoniâ Romanum habere præfectum cœpit. [*Dio, lib. 53. pag. 514.*] primo M. Lollio Prætore eam provinciam administrante. (*Euseb. Chronic. Eutrop. lib. 7. Sex. Rufus, in Breviario.*) Pamphyliæ verò opida, quæ priùs Amyntæ attributa fuerant, præfecturæ peculiari suæ sunt restituta. [*Dio, ut supr.*]

Anno regni Herodis 13° maximæ calamitates in Judæorum regionem ingruerunt. Primùm enim siccitas diuturna obtinuit, quam sterilitas secuta est: posteà per inopiam mutatâ victûs ratione morbi invaluerunt, & pestilentia. Cùmque Herodi, ut publicæ necessitati succurreret, satis amplæ facultates non suppeterent; quicquid erat in regiâ suppellectilis tam aureæ quàm argenteæ, id totum ille concidit: nec laudatorum artificum parcens operibus, nec vasis ad usum necessariis. Inde confectam pecuniam misit in Ægyptum, quam tum Petronius obtinebat pro Cæsare. Is licèt obrutus multitudine ob talem necessitatem ad se confugientium, tamen quia privatim amicus erat Herodi & servatos cupiebat ejus subditos, præ aliis eis concessit frumenti exportationem, tam in emendo quàm in evehendo adjuvans: ita ut maximum momentum ad gentis salutem in eo fuerit. [*Joseph. lib. 15. cap. 12.*]

Herodes, advecto frumento, primùm his qui sibimetipsis frumentum comparare poterant, divisit omnibus accuratissimè dispensans. Deinde quia multi erant qui propter senium vel aliam debilitatem cibos parare non valebant; his quoque providit, adhibitis pistoribus, ut in promptu alimenta haberent. Atque ita populo approbatâ suâ diligentiâ, non solùm mutavit aversorum à se animos, verùm etiam eximiam laudem beneficentiæ & providentiæ retulit. [*Id. ibid.*]

A die 29. mensis Sextilis (triduo videlicèt ante Elul Syrorum sive nostri Septembris initium) feria 6. deducitur Ægyptiaca illa epocha, quam *Albatenius* in Astronomici sui operis 32. capitulo æram *Al-kept* (id est, Coptitarum sive Ægyptiorum) appellat: per quam & stellarum motus ex *Theonis* tabulis supputari dicit, & ad quam ab ærâ Dilkarnain (sive Seleucidarum, quam ille cum Syris suis ab initio mensis Elul sive Septembris inchoat) annos 287. fluxisse asserit. Ita enim ex Ms. in eo legendum; non, ut perperàm habetur editum, 387. Hoc verò anno dies primus mensis Thoth, tum in anno vago Ægyptiorum, tum in Ἐβδόμου ἔτους Ἀλεξανδρέων (ut Theon loquitur,) Græcorum sive Alexandrinorum anno fixo, in eundem diem (Augusti Juliani 29.) primùm coincidisse deprehenditur: quod non nisi periodo Alexandrinorum quidem annorum 1460, Ægyptiacorum verò 1461 confectâ potest contingere; quæ utriusque anni redintegrationem sive ἀποκατάστασιν exhibet. Τέτων δὲ ἑκάτερον ἀποκατάστασιν ἐπὶ τινος ἀρχῆς χρόνου ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει ἐξ Αὐγούστου συνάπτουσι: ut in explicatione τῶν προχείρων canonum habet Theon. *Contigit illo per 1460 annos facta redintegratio, à certo quodam temporis initio in imperii Augusti anno quinto.* finito sc. sive μὴ πάντα ἔτη, quinquennio post exordium imperii Augusti; quod post excessum Alexandri sive æram Philippicam annis 294 cœpisse, cum Ptolemæo Theon statuit. A Philippicâ verò illâ epochâ usque ad hanc ἀποκατάστασιν, anni sunt, 199. ut in Astronomicâ *Theodori Metochita* epitome rectissimè habetur annotatum. Neque aliud omninò voluit Panodorus Alexandrinus monachus, de 1460 annorum periodo & ἀποκαταστάσει ità differens, in mensis Augusti diem 29 incidente, à cujus epochâ siderum motus & luminarium defectus in Tabulis astronomicis supputari scripsit: utcunque illius sententiam, minimè à se intellectam, Georgius Syncellus, harum rerum imperitissimus, in Chronico suo [*pag. 312, 313.*] recitando perverterit.

3980 Herodes adversùs hyemis asperitatem subditis suis providit; ne qui periclitarentur inopiâ vestium, ablumptis pecoribus, & lanis aliisque tegumentis deficientibus. Ubi verò huic necessitati prospectum est, propinquis quoque Syrorum urbibus sollicitudinem impendit; distributis ad sementem faciendam frugibus. Sed & castella & urbes & ex plebe qui gravabantur numerosiore familiâ, ad ipsum confugientes necessitati inveniebant remedium: ita ut revocatis ad rationem quæ in exteros tantùm insumpserat, reperta sint cororum 10 millia, intra regnum verò expensa 80 millia cororum. Corus autem 10 medimnos Atticos capiebat. [*Joseph. lib. 15. cap. 12.*]

Quum propter morbum Augustus nuptias filiæ suæ & Marcelli, sororis suæ Octaviæ filii, Romæ non posset facere; M. Agrippæ eas abiens celebravit operâ. (*Dio, lib. 53. pag. 515.*)

Kalendis Januariis, quibus decimum Consulatum Augustus iniit, Senatus juramento confirmavit se ejus acta approbare: quúmque jam urbi (à quâ propter morbum diutiùs abfuerat) appropinquare diceretur, ac pollicitus populo viritim centenos esset denarios, negassetque se priùs id proscripturum quàm Senatus assensisset: omni eum legum necessitate Senatus liberavit; ut reapse potestatis absolutæ, támque sui ipsius imperator quam legum, agere aut non agere omnia suo posset pro arbitrio. [*Id. ibid. pag. 509, 515, 516.*] 4690 24

Quamprimùm segetes messi maturæ factæ sunt, Herodes ad 50 millia hominum, quos ipse famis tempore aluerat, per suos & propinquorum Syrorum agros dimisit. Atque ita res suorum penè perditas diligentiâ suâ ille restituit; non mediocriter etiam sublevatis finitimis, qui eisdem laborabant difficultatibus. (*Joseph. lib. 15. cap. 12.*)

Eodem tempore auxilia Cæsari misit Herodes, quingentos selectos è suo satellitio: quos Ælius Gallus duxit in expeditionem Arabicam, eorúmque sæpè forti operâ usus est. (*Id. ibid.*)

Fuit

Fuit hic Ælius Gallus (in recentioribus *Dionis* editionibus *Ælius Largus* vitiosè dictus) *ex equestri ordine*, ut ait Plinius, (*lib. 6. cap. 28.*) & tertius sub Augusto Ægypti præfectus: cujus utut amici ac sodalis sui *Strabo* meminit; (*lib. 2. pag. 118.*) & unà cum eo Memnonis statuam vidisse se scribit. (*lib. 17. pag. 816.*) Hunc Augustus cum parte Romani præsidii quod in Ægypto erat in Arabiam misit. (*Id. lib. 2. ut suprà & lib. 17. pag. 819.*) ut eas gentes & loca pertentaret: ac præterea Æthiopum terminos & Troglodyticam Ægypto finitimam, & vicinum iis Arabicum sinum, qui peranguſtus Arabes dirimit à Troglodytis: eo utique consilio, ut vel eos sibi volentes conciliaret, vel subigeret adversantes. (*Idem, lib. 16. pag. 780.*

Ad expeditionem Arabicam Ælius 80 circiter biremes construxerat, & triremes, & phaselos apud Cleopatridem, antiquæ Nili fossæ proximam: quum nullum tamen cum Arabibus navale futurum esset prælium. Errore igitur intellecto, fabricatus est onerarias naves 130. quibus navigavit, ducens peditum Romanorum ex his qui in Ægypto erant & sociorum ad decem millia: quibus Judæi 500. & Nabatæi mille cum Syllæo intererant. [*Id. ibid.*]

Nabatæorum rex eo tempore erat Obodas, homo segnis & otio deditus, atque de bellicis præsertim rebus (quod omnibus Arabum regibus commune erat vitium) parùm sollicitus: Syllæo verò procuratori suo, ætate juveni & ingenio callido, administranda commiserat. (*Id. ibid. pag. 781. cum Joseph. lib. 16. cap. 11.*) Hic Syllæus Ælio se iter monstraturum, & in omnibus commeatu auxilióque adfuturum pollicitus, omnia insidiosè egit. Nam nec tutum iter, nec expeditam navigationem monstravit: sed per avia & longos anfractus, & loca omnium indiga, & importuosa dorsa, vel occultis cautibus aut cœnosis stagnis periculosa duxit; æstu maris reciprocantis maximè iis in locis adversante. (*Strabo, ut supr. pag. 780.*)

Post multas ærumnas, quintodecimo die Album pagum Ælius Gallus pervenit, maximum Nabatæorum emporium; multis navigiis amissis, quorum nonnulla cum ipsis hominibus nullo bello, sed ob navigandi difficultates periere. Id Syllæi improbitas effecit, negantis terrestri itinere in Album pagum exercitum duci posse: cùm quidem eò atque etiam ulteriùs mercatores tantâ camelorum & hominum multitudine tutum & commeatu probè instructum iter à petrâ in petram conficiant, ut nihil ab exercitu differant. (*Id. ibid. pag. 780, 781.*) Cujusmodi mercatorum turmas *Caravanas* hodie vocant.

Huc perveniens Ælii exercitus, stomacacce & scelotyrbe, morbis ei regioni familiaribus, tactus est: quorum illa circa os, hæc circa crura paralysis quædam est, ob aquas & herbas proveniens. Æstatem itaque ac hyemem ibi agere Ælius coactus est, dum reficeret infirmos. (*Ibid. pag. 781.*)

Zenodorus quidam, homo Lysaniæ sive ditione Trachonitidis, Batanææ & Auranitidis conductâ, ejus proventibus non contentus, Trachonis incolas in speluncis more ferarum viventes & prædas ex Damascenis agere assuetos, fovebat; ex eorum quoque latrociniis captans compendium. Ab his malè vexati propinquorum agrorum coloni, Varronem Syriæ tunc præsidem querelis obtundebant; postulantes ut Zenodori injurias per litteras significaret Cæsari. Rescripsit verò ei Cæsar, ut latrocinia penitùs curaret extinguere. Varro igitur milite aggressus loca suspecta, expurgavit latronibus terram; iptámque Zenodoro abstulit. (*Joseph. lib. 1. Belli, cap. 15. & lib. 15. Antiquit. cap. 13.*)

Herodes in Sione regiam sibi ædificavit, duabus in eâ extructis ædibus amplissimis atque pulcherrimis, quibus ne Templum quidem usquam conferri posset: earúmque unam Cæsaris, alteram Agrippæ appellavit nomine. (*Joseph. lib. 15. Antiquit. cap. 12. & lib. 1. Belli, cap. 16.*)

3981 Jubilæus XXIX. 4691 23

Herodes, amoto à Pontificatu Jesu Phabetis filio, Simonem sacerdotem Hierosolymitanum, Boëthi Alexandrini filium, substituit: ejúsque filiam Mariammen omnium ejus ætatis pulcherrimam, conjugio sibi copulavit. [*Joseph. lib. 15. cap. 12. & lib. 18. cap. 7.*]

Peractis nuptiis, novam regiam condere cœpit, adjuncto etiam opido, quod à suo nomine Herodium vocari voluit; in loco ab urbe Hierosolymorum versùs Arabiam 60 stadiis distante, ubi Judæos olim profligaverat dum pelleretur armis Antigoni. (*Id. lib. 14. cap. 25. & lib. 15. cap. 12. item lib. 1. Belli, cap. 11. & 16.*) Herodii, cum opido illustri ejusdem nominis, meminit *Plinius*. (*lib. 5. cap. 14.*)

Gallus ex Albo pago Nabatæorum cum exercitu digressus, per ejusmodi loca profectus est, ut camelis aquam portare cogeretur: quod ei malitiâ ductorum evenit. Quare post multos dies in Aretæ terram pervenit, qui Obodæ Nabatæorum regi affinitate conjunctus erat. Is Gallum amicè suscepit, & dona obtulit. Sed Syllæi proditio & hanc regionem difficilem transitu reddidit. Eam itaque diebus 30 permeavit per loca invia, speltâ & palmulis non multis & butyro pro oleo usus. Quam verò deinceps adibat, Nomadum erat, & reverâ ex magnâ parte deserta. Ea Ararena dicebatur: ejúsque rex Sabus erat. (*Strabo, lib. 16. pag. 781.*]

Arabiæ Felicis rex Sabos erat: in quâ licèt primò in conspectum Ælio nemo prodiret, tamen haud exiguo id iter labore stetit. Nam solitudo regionis, Sol quoque, & aquæ naturâ infestæ, ita eos afflixere; ut major pars exercitûs periret. Morbus ille, nulli nostrorum assimilis, caput petebat; eóque exsiccato, multos statim perimebat: qui verò mortem evasissent, iis in crura per totum corpus descendebat, cáque ita affligebat, ut remedium nullum prodesset, nisi quis oleum vino mixtum biberet, eóque se inungeret. quod sanè pauciſſimis licebat facere; quum neutrum in iis locis nascatur, neque ipsi ejus secum copiam attulissent. Inter hæc mala barbari, qui priùs, si quando prælium commisissent, semper inferiores discessissent, ac opida quædam amiserant, morbo auxiliario suo usi, Romanos aggressi sua receperunt, reliquósque Romanos suâ regione expulerunt. (*Dio, lib. 53. pag. 516, 517.*)

Hi tamen & primi & soli etiam Romanorum in Arabiâ Felice, Athhula (vel Athrulla) insignem urbem usque, bello progressi sunt. [*Id. ibid. pag.* 517.] in eâque expeditione Gallus opida dicunt non nominata ab authoribus qui antè scripserunt, Egran, Anmestum, Escam, Magusum, Tammacum, Labecian, Marlabam, (circuitu sex mill. pass.) & Caripeta, quò longissimè processit. [*Plin. lib.* 6. *cap.* 28.] Et nisi Syllæus eum prodidisset, felicem Arabiam totam subegisset. [*Strabo, lib.* 17. *pag.* 819. *fin.*] Cujus in eo itinere progressum & regressum, ex *Strabone*, nunc subjecimus.

In Atarenâ peragrandâ diebus 50. per invia itinera consumptis, usque ad urbem Agranorum (vel Egranorum potiùs) processit, & pacatam & fertilem regionem. Eorum rex (Sabus) aufugit: urbs primo adortu capta est. Hinc post sextum diem ad flumen pervenit. Ibi barbari instructâ acie occurrerunt: è quibus ad 10 millia ceciderunt, ex Romanis duo tantùm desiderati sunt. Nam omninò imbelles erant, & armis imperitè utebantur; arcu, & lanceâ, & gladio, & fundâ; & magnâ ex parte bipennibus. Mox etiam urbem cepit nomine Asca, à rege derelictam. Hinc Athrulla venit; quam nullo negotio cepit, & præsidio firmavit: & frumenti palmularúmque viatico comparato, Marsyabas processit urbem Rhamanitarum, qui sub Ilasaro erant. Eam adortus, sex diebus obsedit: postea aquæ inopiâ coactus destitit ab incepto. Duorum dierum itinere tantùm se abesse ab aromatiferâ, è captivis intelligebat. Sex autem menses contrivit in itinere, culpâ ductorum.

Et fraude serò deprehensâ, per aliam viam reversus, nonis castris Anagrana pervenit; ubi prælium commissum fuerat: undecimis deinde ad Septem puteos, à reipsâ sic nominatos. Hinc jam per loca pacata, in pagum Chaalla, pòst in vallum nomine Malotham ad flumen positum: posteà per deserta non multum aquæ habentia usque in vicum Negram (vel Hygram) qui sub Obodâ est & ad mare jacet. In reditu totum iter diebus 60 confecit, in quo priùs sex menses consumpserat. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 781, 782.]

Dum Ælius Gallus cum parte Ægyptiaci exercitûs in Arabiâ bellum gereret, Æthiopes qui supra Ægyptum habitant, à reginâ ipsorum Candace (virili muliere, & altero oculo captâ) missi, impressione factâ in Thebaïdem, præsidia trium cohortium, quæ Syenæ Elephantinæ ac Philis erant, repentino impetu ceperunt, & in captivitatem abduxerunt, ac Cæsaris statuas everterunt. Contra hos profectus Ægypti præfectus Petronius, cum non totis decem millibus peditum & equitibus 800. adversùs triginta hominum millia, primùm eos compulit, ut Pselcham confugerent, urbem Æthiopicam. Tum missis ad eos legatis, quæ capta erant petiit, & causas quamobrem bellum movissent popposcit: ac dicentibus, se injuriâ affectos à nomarchis, respondit non illos esse regionis dominos, sed Cæsarem. Petentibus porrò triduum ad deliberandum, nihilque interim eorum quæ par erat facientibus; movens contra eos, in pugnam procedere coëgit, ac celeriter in fugam vertit; cùm & compositi malè, & malè armati essent. nam scuta ingentia & è crudo bovis tergore confecta habebant: arma quibus pugnarent, secures alii, alii contos, nonnulli gladios gerebant. Proinde quidam in urbem sunt compulsi, alii in deserta fugam fecerunt, alios proxima insula excepit, qui sese fluvio commiserant; inter quos & reginæ Candaces duces erant. Hos itaque omnes cepit, trajecto ratibus ac navibus flumine, & in Alexandriam misit: atque Pselcham profectus, eam cepit. unde numeratâ captivorum multitudine & eorum qui in prælio ceciderunt, qui salvi evaserant pauci omninò deprehensi sunt. [*Strabo, lib.* 17. *pag.* 820. *Dio, lib.* 54. *pag.* 524.]

A Pselchâ Petronius Premnim venit, urbem naturâ munitam; cumulis arenæ peragratis, quibus Cambysis exercitus obrutus est vento incidente. Eam adortus primo impetu cepit. Inde Napata (Tanapen *Dioni* dictam) progressus est, ubi Candaces regia erat, ejúsque filius morabatur. Ipsa cùm in castello propinquo sederet, legatos misit qui de pace tractarent; redditis statuis, & captivis qui abducti fuerant Syenâ. Sed impetu facto Petronius Napata cepit ac diruit, puero fugiente. Et quum neque progredi propter arenam & æstum, neque ibi commodè cum toto exercitu permanere posset; cum prædâ retrò abiit, ac Premni mœnibus & præsidio & quadringentorum hominum cibariis in biennium munitâ, reversus est Alexandriam. Ex captivis autem, cæteris divenditis, mille ad Cæsarem misit à Cantabris reversum: quorum nonnulli morbo consumpti sunt. [*Id. ibid.*]

Cum his conferendus & ille Plinii locus est, libro 6. cap. 29. Æthiopum regionem *intravere arma Romana D. Augusti temporibus, duce P. Petronio, & ipso equestris ordinis, præfecto Ægyptis. Opida eorum expugnavit, quæ sola invenerat, quæ dicemus ordine. Pselchin, Primin, Abocrin, Phthuris, Cambusin, Attenam, Stadisin ubi Nilus præcipitans se fragore auditum accolis aufert. Diripuit & Napata. Longissimè autem à Syene progressus est* DCCCLXX. *millia passuum: nec tamen arma Romana ibi solitudinem fecerunt.*

Phraates III. Scytharum maximo auxilio in regnum restitutus est. Quorum adventu audito, Tiridates cum magnâ amicorum manu ad Cæsarem profugit, in illud ipsum regnum restitui & ipse desiderans; juríque Romanorum futuram Parthiam affirmans, si ejus regnum muneris eorum fuisset. Phraates, hoc cognito, legatos statim ad Cæsarem misit: servum suum Tiridatem, & filium suum, quem ille obsidem Cæsari tradiderat, remitti sibi postulans. [*Justin. lib.* 42. *cap.* 5.]

Quum Tiridates & legati Phraatis Romam advenissent, in senatum eos Augustus introduxit: ac deinde mandatâ sibi à Senatu litis cognitione, utriusque partis postulata audivit. Tum, neque Tiridatem dedituram se Parthis dixit, neque adversùs Parthos Tiridati auxilia daturum. Ne tamen per omnia nihil ab illo obtentum videretur; Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumptum præberi jussit: Phraati verò filium remisit; ut pro eo captivos signáque militaria, Crassi & Antonii cladibus amissa, reciperet. [*Id. ibid. Dio, lib.* 53.

Digitized by Google

pag. 519.] * Atque inter alia dona, Thermusam Italici generis ancillam illi misit. (*Joseph. lib.* 18. *cap.* 3.) *

Quum Romæ inter M. Agrippam & M. Marcellum, Augusti nepotem simul & generum, mutuæ simultates sese proderent, quòd alter alterum anteferri ab Augusto crederet; veritus ille ne, si uno in loco mansissent, contentiones inter eos intercederent, Agrippam continuò in Asiam misit, provincias transmarinas pro se administraturum. Agrippa urbe profectus, in Syriam missis legatis suis, ipse Mitylenis in Lesbo insulâ permansit. [*Dio, lib.* 53. *pag.* 518. *cum Velleio Paterculo, lib.* 2. *cap.* 93. *Josepho, lib.* 15. *cap.* 13. *& Suetonio, in Octavio, cap.* 66. *& in Tiberio, cap.* 10.]

Augusto XI. Consulatu sese abdicanti, & L. Sestium summum Bruti fautorem in locum suum subroganti, Senatus honores decrevit. Ut Tribunus plebis perpetuus esset. Ut quoties senatus haberetur, etiamsi Consulatum non gereret, de quibuscunque rebus quicquid vellet sancire posset. Ut Proconsulare imperium semper haberet; neque id intra pomerium veniens deponeret, aut renovando opus esset: utque major ipsi in provinciis, quàm præfectis earum, semper esset potestas. [*Dio, ut supr. pag.* 518, 519.]

3982 Ælius Gallus, ab Arabicâ expeditione rediens, Negrâ vico in Nabatæorum regno relicto, exercitum undecim dierum spatio in Muris portum trajecit. Hinc Coptum transgressus, cum utilibus copiis Alexandriam pervenit. Ceteros non bello (in quo septem tantùm perierant) sed fame, labore, morbo, & itinerum difficultate amiserat. [*Strabo, lib.* 16. *pag.* 782.] Hujus medicamenta quædam composita referuntur à Galeno, in libro 2°. de Antidotis: inter quæ theriaca est, Cæsari ab eo oblata, quâ multos ex commilitonibus suis servaverat.

M. Marcellus, Octaviæ Augusti sororis filius & Juliæ Augusti filiæ maritus, mortuus est. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 93. *Dio, lib.* 53. *pag.* 517. *& 519.*]

Augustus Cyprum ac Galliam Narbonensem, quia nihil armis suis indigerent, populo reddidit: pro eâque Dalmatiam recepit. [*Dio, lib.* 54. *pag.* 523. *cum lib.* 53. *pag.* 504.] 4692 22

Pantomimorum saltatio à Pylade Cilice & Bathyllo Romam primùm est introducta: cúmque veteres ipsi canerent & saltarent, primus Pylades chorum sibi præcinere fecit. [*Euseb. Chronic. cum Scaligeri Collectan. Græc. pag.* 390. *& Animadversion. pag.* 155, 156.]

Sebaste jam conditâ, Herodes in loco maritimo, ubi Stratonis turris stetit, urbem alteram magnificentissimè extruere cœpit, quam Cæsaream appellavit: admirandi operis portu addito, magnitudine Piræeo pari. Quod totum opus duodecim annorum spario ille absolvit; nec labori parcens, nec sumptibus. [*Joseph. lib.* 1. *Belli, cap.* 16. *& lib.* 15. *Antiqu.* 13.] Unde de Cæsare Eutropius, libro 7°. *Tanto amore apud Barbaros fuit, ut reges populi Romani amici in honorem ejus conderent civitates, quas Cæsareas nominarent: sicut in Mauritaniâ à rege Jubâ, & in Palæstinâ, quæ nunc est urbs clarissima.*

Herodes filios suos Alexandrum & Aristobulum (ex Mariamne Hasmonæâ susceptos) Romam ad Cæsarem educandos misit: quibus paratum erat hospitium apud Pollionem Herodis studiosissimum. Adolescentes summâ humanitate Cæsar excepit; fecitque Herodi potestatem, ut arbitratu suo è filiis quemcumque vellet hæredem regni designaret: Trachonitide etiam, Batanæâ & Auranitide illi donatâ. [*Joseph. lib.* 15. *cap.* 13.]

3983 Postquàm Trachonem ab Augusto Herodes accepisset, adhibitis ducibus ad latronum speluncas penetrans, maleficia eorum coërcuit, & circumvicinis securitatem præstitit. Zenodorus autem partim invidiâ, partim dolore ademptæ possessionis permotus, Romam ad accusandum Herodem profectus est: nihil tamen efficere potuit. [*Id. ibid.*]

Herodes, apud Mitylenem salutato Agrippâ sibi amicissimo, in Judæam reversus est. [*Ibid.*]

Gadarenses quidam Agrippam adierunt, Herodem accusaturi: quos ille ne auditos quidem ad regem vinctos remisit. Eis tamen pepercit Herodes: qui ut erga suos erat inexorabilis, ita ab alienis acceptas injurias libenter contemnebat ac remittebat. [*Ibid.*]

In Siciliam Augustus profectus est, ut eam, ac omnes alias ad Syriam usque provincias, constitueret. [*Dio, lib.* 54. *pag.* 524.]

Augustus M. Agrippam (cujus patientiam desiderabat, quòd ex levi rigoris suspicione, sub specie ministeriorum Principalium Mitylenas se, relictis omnibus, contulisset) ex Asiâ in Siciliam ad se accersitum, uxorem suam, licèt ipsius Augusti sororis Octaviæ filiam, repudiare, & filiam suam Juliam, Marcelli viduam, ducere jussit: ac continuò Romam misit ad nuptias peragendas, urbisque administrationem suscipiendam. [*Id. ibid. pag.* 525. *cum Velleio Paterculo, lib.* 2. *cap.* 93. *& Suetonio in Octavio, cap.* 63. *& 66.*] 4693 21

Zenodorus, desperatis rebus suis, Auranitidem ditionis suæ partem 50 talentis annuis Arabibus elocaverat. Eam, licèt donatione Cæsaris comprehensam, Arabes jamdudum Herodi infesti non patiebantur sibi ab eo auferri: modò excursionibus ac vi eam sibi vindicantes, modò contendentes de jure possessionis apud judices. Pelliciebant etiam ad se egenos milites, qui miserorum more meliora sperant ex rerum novitatibus. Hæc quum maturè Herodes cognovisset, maluit tamen bonis rationibus occurrere quàm hostiliter; ne daret occasionem novis motibus. [*Joseph. lib.* 15. *cap.* 13.]

Rebus in Siciliâ ordinatis, in Græciam Augustus transmisit: ubi Atheniensibus Æginam & Eretriam ademit, sicuti quidam sunt authores, quòd Antonio favissent. [*Dio, ut suprà, pag.* 525.]

Candacen Æthiopum reginam, cum multis hominum millibus Premnium præsidium aggressam, Petronius auxilio profectus antevertit: & castellum ingressus, multo apparatu confirmavit; reginámque ad conditiones pacis accipiendas coëgit. [*Strabo, lib.* 17. *pag.* 821. *cum Dione, lib.* 54. *pag.* 524.]

Legatis ad se missis mandavit Petronius, si quid vellent, ut ad Cæsarem proficiscerentur: ac

negantibus

negantibus ſcire ſi quis Cæſar eſſet, & ubi conveniendus, dedit qui deducerent. [*Strabo, ibid.*]

3984 Rebus in Græciâ confectis, Auguſtus in Samum navigavit; ibíque hyemavit. [*Dio, lib.* 54. *pag.* 525.]

Quum Armeniæ majoris populus Artabazem ſive Artaxiam (Artavaſdis, per dolum ab Antonio capti, filium) accuſaret, Tigranémque fratrem ejus, qui tum Romæ erat, evocaret; Auguſtus Tiberium accerſivit, ut Artabazem regno pelleret Tigranémque ei præficeret. [*Id. ibid. pag.* 526. *cum Tacito, lib.* 2. *Annal. cap.* 3.]

Candaces legati in Samum venientes, Cæſarem invenerunt in Syriam progredi parantem, & Tiberium in Armeniam amandantem. Ab eo facilè quæ volebant impetravere; tributis etiam eis remiſſis. [*Strabo, lib.* 17. *pag.* 821.]

Vere in Aſiam Auguſtus perrexit, M. Apuleio & P. Silio Conſulibus: ibíque & in Bithyniâ omnia compoſuit: non propterea, quòd tam hæ provinciæ quàm priùs ab ipſo peragratæ populi eſſe cenſerentur, rationem earum nullam habens; ſed omnibus haud aliter curatis, ac ſi ipſius eſſent. Nam & omnia, ut conveniebat, emendavit; & pecunias largitus eſt, aliis etiam ultra tributum novas imperavit. Cyzicenis verò, quòd in quàdam ſeditione nonnullos Romanos flagris cæſos necaſſent, libertatem ademit. [*Dio, lib.* 54. *pag.* 525.] 4694 20

Inde in Syriam venit: anno poſtquàm in eâ provinciâ anteà fuerat *decimo*; [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 15.] regni verò Herodis (à morte Antigoni) *decimo ſeptimo*. [*Id. lib.* 15. *Antiquit. cap.* 13.] ubi Tyriis & Sidoniis, propter factiones, libertatem ademit. [*Dio, ut ſupr. pag.* 525.]

Zenodorus interpoſito jurejurando Gadarenſibus eſt pollicitus, non priùs ſe deſtitutum quàm quovis modo efficeret, ut illi ab Herodis dominatione liberati attribuerentur ad provinciam Cæſaris. Hinc eorum plurimi, ab illo perſuaſi, cœperunt clamare in Herodem, gravem eum dictitantes ac tyrannum; atque de vi & rapinis ejus, violatiſque ac dirutis templis, apud Cæſarem conquerentes. Quibus nihil Herodes territus, paratus erat cauſam dicere: Cæſar verò comiter illum tractabat, nihilo alienarior propter tumultuantem multitudinem. Gadarenſes igitur videntes quorſum Cæſar & amici ejus tenderent, & certis conjecturis timentes ne dederentur Herodi; proximâ poſt congreſſum nocte alii ſe jugulaverunt, alii præcipitaverunt tormentorum metu, quidam etiam in flumen ſe jacientes necaverunt: atque ita quum ſe ipſi prædamnare viderentur, ſine morâ Cæſar Herodem abſolvit. [*Joſeph. lib.* 15. *cap.* 13.]

Zenodorus quoque præcordiis ruptis ſanguine multo per ſeceſſum profluente apud Antiochiam Syriæ vitam finivit. [*Id. ibid.*]

Zenodori tetrarchiam Auguſtus Herodi donavit. [*Id. ibid. Dio, lib.* 54. *pag.* 526.] portionem ſanè non contemnendam: quæ ſita Galilæam inter & Trachonem, complectebatur Ulatham, Paneadem, & agros finitimos. Adjunxit eum deinde Cæſar rectoribus Syriæ; & ne quid eo inconſulto provinciæ illius procuratoribus liceret adminiſtrare, præcepit. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 15. *& lib.* 15. *Antiquit. pag.* 13.]

Herodes fratri ſuo Pheroræ tetrarchiam à Cæſare impetravit; de ſuo regno deciſis centum talentorum reditibus: ut etiam ſi quid fatale illi accideret, in tuto eſſent res illius, neque ſubjiceretur Herodis filiorum imperio. [*Id. lib.* 15. *cap.* 13.]

* Claudio Tiberio Nerone ingreſſo primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam; accidit, ut apud Philippos tumultus ex eo loco in quo antè depugnatum fuerat, tanquàm ex caſtris auditus fuerit; & ignis ex aræ, caſtris olim ab Antonio poſitâ effulſerit. Unde magnas ille de ſummo Imperio conſequendo cogitationes animô agitabat. (*Sueton. in Tiberio, cap.* 14. *Dio, lib.* 54. *pag.* 526.) & miſſus ab Auguſto vitrico ſuo cum exercitu ad viſendas ordinandáſque quæ ſub Oriente ſunt provincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingreſſus Armeniam, redactâ eâ in poteſtatem populi Romani, regnum ejus Artavaſdi tradidit: cùm rex quoque Parthorum, tanti nominis famâ territus, liberos ſuos ad Cæſarem miſit obſides. Ita ſummus Tiberii adulator Velleius Paterculus. [*lib.* 2. *cap.* 94.]

Tigranem Artavaſdis filium Armenis regem hoc tempore fuiſſe datum, alii omnes memorant. Artavaſde enim, qui & Artabazes dictus eſt, ab Antonio, in Ægyptum ad Cleopatram captivo abducto, filiorum natu maximus Artaxias (quem paterno nomine *Artabazem* Dio hic appellat) Armeniæ regno potitus eſt. Cui Archelaus & Nero Cæſar per vim à ſe pulſo juniorem ipſius fratrem (patris item nomine à Velleio *Artavaſdem*, qui ab aliis *Tigranem* nuncupatum) ſucceſſorem nunc dederunt. Sic enim Joſephus [*lib.* 15. *cap.* 5.] rem refert; Archelai nomine Cappadociæ regem deſignans, Neronis Claudium Tiberium, licèt nondum à Cæſare adoptatum; ad quem pars narrationis illius Horatianæ ſpectat, lib. 2. epiſt. 12.

Ne tamen ignores, quo ſit Romana loco res:
Cantaber Agrippa, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; jus imperiumque Phraates
Cæſaris accepit genibus minor.

Cum quâ & Ovidii illa conferenda, in 2°. Triſtium:

Nunc petit Armenius pacem; nunc porrigit arcus
Parthus eques, timidâ captáque ſigna manu.

Tiberium tamen, ſive Claudium hunc Neronem, ab Armeniis ante ejus adventum occiſo Artabaze ſive Artaxiâ, nihil ſuo apparatui reſpondens perfeciſſe, *Dio* aſſerit: [*lib.* 54. *pag.* 526.] licèt eâ ſe re, quaſi ſuâ quicquam virtute egiſſet, ille jactaverit; præſertim quòd ſacrificia propter eam eſſent decreta. Cui favet & ille *Taciti* locus: [*lib.* 2. *Annal. cap.* 3.] *Occiſo Artaxiâ per dolum propinquorum, datus à Cæſare Armeniis Tigranes, deductúſque in regnum à Tiberio Nerone.* qui ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani reſtituit, ac pro

tribunali

tribunali diadema impoſuit: ut habet in *Tiberio* [*cap.* 9.] Suetonius. & *lib.* 2. *cap.* 132. Velleius Paterculus.

Recepiſſe & ſigna Tiberium, quæ M. Craſſo Parthi ademerant, addit ibidem *Suetonius*: quando Parthi videlicèt ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant, repoſcenti Auguſto reddiderunt; obſidéſque inſuper obtulerunt: ut apud *Suetonium*, in *Octavio* [*cap.* 21.] Quum enim in Syriam ad componendum Orientis ſtatum Auguſtus veniſſet; Phraates, quia nihil dum eorum quæ pactus fuerat perfeciſſet, veritus ne bellum Parthiæ ab Auguſto inferretur, ſigna Romana, & quæ Craſſo oppreſſo Orodes & quæ ipſe filius ejus Antonio pulſo ceperat, illi remiſit. Totâ quoque Parthiâ captivos omnes, ex Craſſiano & Antoniano exercitu recollectos, tradidit: paucis demptis, qui ſe ipſos pudore moti interemerant, aut in Parthiâ occultè remanſerant. Eáque Auguſtus, quali bello aliquo Parthum viciſſet, accepit. [*Liv. lib.* 139. *Florus*, *lib.* 4. *cap. ult. Strabo*, *lib.* 2. *pag.* 288. *& lib.* 16. *pag.* 748. *Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 91. *Juſtin. lib.* 42. *cap. ult. Dio*, *lib.* 54. *pag.* 525. *Eutrop. lib.* 7. *Oroſ. lib.* 6. *cap.* 21. *& Caſſiodorus*, *in Chronico.*]

Perſas ſive Parthos Auguſto, quod nulli anteà, obſides dediſſe, *Eutropius*; regiſſque obſidibus traditis, firmum fœdus fideli ſupplicatione meruiſſe, ſcribit *Oroſius.* [*ut ſupr.*] Et Phraatem quidem filios Auguſto Cæſari & filiorum filios credidiſſe, amicitiámque illius datis obſidibus emereri officiosè voluiſſe, in fine libri 6. *Strabo*; & filios nepoteſque illius obſides Auguſto datos, in libri 42. fine *Juſtinus* confirmat. Sed cum tamen *cuncta venerantium officia ad Auguſtum vertiſſe*, *partémque prolis firmanda amicitia miſiſſe*, *haud perinde illius metu*, *quàm fidei popularium diffiſum*; in 1^. Annalis initio monuit *Tacitus.* Ita enim hîc res ſeſe habuit.

Thermuſa Italici generis femina, ex concubinâ Phraatis uxor jam facta, Phraatici filio ſuo, quem cùm ancilla adhuc eſſet Regi pepererat, Parthorum regnum adſtruere cogitans; marito, apud quem omnia poterat, perſuaſit ut filios ſuos legitimos Romam obſides mitteret. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 3.] Phraates, vocato in colloquium Titio qui per id tempus Syriæ præerat, quatuor ei filios legitimos obſides tradidit: Saraſpadem, Ceroſpadem, Phraatem & Vononem; duas eorum uxores, & filios quatuor. Seditionem enim metuens, & ne ſibi ab inimicis ſtruerentur inſidiæ, filios à medio amovit: hoc ſibi perſuaſo, neminem adversùm ſe prævaliturum, ſi neminem ex Arſacidarum genere, cujus Parthi erant ſtudioſiſſimi, ſubſtituendum ſibi relinqueret. (*Strabo*, *lib.* 16. *pag.* 748, 749.) In vetere Inſcriptione Romanâ, cum *Seraſpadane* (ita enim ibi nominatus reperitur) alius Phraatis filius conjunctus haberur, à Strabone non memoratus; *Rhodaſpes*, *Phraatis Arſacis Regum Regis F. Parthus.* [*Inſcript. Gruter. pag.* CCLXXXVIII.]

* Tiberius ab Armeniâ rediens, Rhodum appulit; & Inſulæ amœnitate & ſalubritate jam inde captus, eandem deinceps (poſt annos 14) pro ſeceſſûs loco delegit. [*Sueton. in Tiberio*, *cap.* 11.] *

Auguſtus in Oriente ſubditos ex Romanarum legum præſcripto compoſuit, fœderatos verò majorum ſuorum inſtitutis uti permiſit: neque quicquam illis adimere, ſed contentus eſſe partis ſtatuit; idque etiam ad Senatum ſcripſit. Itaque tunc temporis nullum bellum attigit: Iamblicho verò Iamblichi filio paternum in Arabiâ principatum dedit. Tarcondimoto ſimiliter Tarcondimoti filio principatum patris in Ciliciâ tribuit: maritimis quibuſdam exceptis, quæ Archelao cum minoris Armeniæ regno donavit; Medo rege, qui regnum id antè obtinuerat, vitâ functo. Mithridati quoque cuidam Commagenam, quòd ejus rex patrem hujus Mithridatis occidiſſet, puero etiamnum attribuit. [*Dio*, *lib.* 54. *pag.* 526.]

Herodes, deducto ad mare Cæſare, in regnum reverſus, in terrâ Zenodori elegantiſſimum illi templum è marmore candido conſtruxit: prope Panium montem, in cujus radicibus ſunt fontes Jordanis fluminis. Tunc etiam tributorum partem remiſit regni ſui ſubditis: prætextu quidem, ut poſt ſterilitatem ſe reficerent; re autem verâ ut placaret eorum animos offenſos talibus regis operibus, quæ videbantur planè ad religionis & bonorum morum perniciem tendere, ut omnium jactabatur ſermonibus. [*Joſeph. lib.* 15. *cap.* 13.]

3985 His Herodes ut occurreret, conventicula per urbem & frequentiora convivia prohibuit: & tum alios ſpeculatores adhibuit, qui ſe conventibus inſererent & vulgi ſermones captarent; tum ipſe quoque ſe plebeio cultu noctu vulgo miſcuit, ut experiretur quid de ſe populus ſentiret. Et quotcunque pertinaciter ejus ſtudia improbarent, in omnes inclementer animadvertebat: reliquam verò multitudinem ſacramento obſtringebat, jusjurandum exigens quòd non diſceſſuri eſſent à fide & officio. [*Id. ibid.*]

Hoc juramentum à Pollionis Phariſæi Sameæque ſectatoribus pleriſque Herodes requiſivit: quod cùm non impetraſſet, non tamen in eos ut in cæteros tales ſævit, Pollionis reverentiâ. Remiſit etiam hanc neceſſitatem Eſſæis: quos propter Manahemum ex eâ ſectâ vatidicum in pretio habuit; qui & eum è plebe puerum regem Judæorum ſalutavit, & regem poſtèa factum ultra 30 annos regnaturum prædixerat. (*Ibid.*)

Julia Agrippæ Caium peperit: ſacrificiúmque perenne natalibus ejus, cum quibuſdam aliis, decretum eſt. [*Dio*, *lib.* 54. *pag.* 526.]

Auguſtus in Samum reverſus, ibidem iterùm hyemavit; & libertatem Samiis hoſpitii pretium dedit; ac non pauca eo tempore negotia confecit. Frequentes enim eò ad ipſum legati commeârunt: ac Indi pacem, quam anteà per oratores (de quibus ad annum Periodi Julianæ 4689. dictum) petierant, tunc interpoſito fœdere ſanxerunt. Inter dona verò ab Indis miſſa tigres erant, animalia tum primùm Romanis ac Græcis viſa: & adoleſcens quidam humeris carens, (cujuſmodi Mercurii fingi ſolent) qui manuum loco, pedum omnia officio ita peragebat, iis ut arcum tendere, ſagittas emittere, ac tubâ canere diceretur. [*Id ibid. pag.* 527.]

Hos Indorum legatos Antiochiæ, quæ apud Daphnem eſt, ſe vidiſſe *Nicolaus Damaſcenus*

narrat. In epistola quidem plures tuitle memoratos : sed tres tantum superfuisse, quos vidisse se ait ; cæteris longiru line viæ magnâ ex parte absumptis. Epistolam Græcam fuisse in membranâ scripram ; in quâ significaretur Porum esse, qui scriberet, se etsi sexcentis regibus imperaret, Cæsaris tamen amicitiam magni pendere, & paratum se quocunque voluerit aditum concedere, & in quibuscunque rectum fuerit opitulari. Hæc dicit in epistolâ contineri. Allata præterea esse dona ab octo servis nudis subligacula indutis & aromatibus delibutis. Ea fuisse, Hermân (illum de quo dictum) à puero brachia ab humeris truncatum ; viperas ingentes, serpentem decem cubitorum, testudinem fluvialem trium cubitorum, & perdicem vultare majorem. [*Strabo, lib.* 15. *pag.* 719.]

In his Zarmarus sive Zarmanochegas erat, ex Indorum sophistis unus : qui vel gloriæ causâ, vel senectutis secundùm patrias leges, sive ut ostentaret se Augusto & Athenientibus, (Athenas enim venerat) Græcorum deorum sacris, etsi (ut referunt) non legitimo tempore, in gratiam Augusti initiatus ; abeundum sibi è vitâ censuit, ne quid adversi accideret immoranti. Ridens igitur & nudus & unctus in rogum se dedit : atque sepulchro ejus inscriptus est titulus. *Hic jacet Zarmanochegas Indus, è Barbusâ, qui secundùm patrium Indorum consuetudinem se vitâ exuit.* (Id. ibid. pag. 719, 720. Dio, lib. 54. pag. 527.) 4695 19

Augustus Romam reversus, equo ovans in urbem invectus, & arcu triumphali tropharum gestante honoratus est. [*Dio, ibid. pag.* 526.]

Magnæ sibi laudi Augustus ducebat, quòd præliis priùs amissa, citra ullum certamen à Parthis recepisset. Itaque & sacrificia ejus rei causâ & templum Martis Ultoris in Capitolio (ad imitationem Jovis Feretrii) ubi signa ea suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit. [*Id. ibid.*]

Templum hoc Marti ante Philippensem victoriam priùs ille voverat ; sed par beneficium alterum ab eo jam se consecutum prædicans, anno demùm 22°. votum illud persolvit : Romulúmque æmularus, qui Acrone Cæninensium rege occiso arma ejus in templo Jovi Feretrio à se dicato suspenderat, Marti Bis-ultori templum extruxit & signa militaria à Parthis recepta in eo reposuit ; ludis Circensibus institutis, mense Maio quotannis in harum rerum memoriam celebrandis. De quibus, in 5°. Fastorum, Ovidius :

Nec satis est meruisse semel cognomina Martis :
Persequitur Parthi signa retenta manu.
Gens fuit & campis & equis & tuta sagittis ;
Et circumfusis invia fluminibus.
Addiderant animas Crassorum funera genti ;
Cum periit miles, signáque, ductque simul.
Signa decus belli Parthus Romana tenebat ;
Romanaque aquila signifer hostis erat.
Isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Cæsaris Ausonia pracgerentur opes.
Ille notas vestres & longi dedecus ævi
Sustulit : agnôrunt signa recepta suos.
Quid tibi nunc saltu missi post terga sagittæ,
Quid loca, quid rapidi profuit usus equi ?
Parthe refers aquilas, victos quoque porrigis arcus :
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.
Ritè Deo templúmque datum, nomínque Bis-ultor :
Emerimus veri debita solvit honor.
Solemnes ludos circi celebrate Quirites :
Non visa est fortem scena decere Deum.

Quibus addantur & Horatii illa, lib. 4. Odâ ultimâ,

——— *tua Cæsar ætas*
Fruges & agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi
Direpta Parthorum superbis
Postibus.

& frequentes Cæsaris ipsius nummi, inscriptionem præferentes. SIGNIS RECEPTIS.

Herodes, anno regni sui 18°. (ab exitu Antigoni numerato) Judæis consilium suum de instaurando Templo Hierosolymitano proposuit : quos cùm solicitos esse animadverteret, ne fortè demolitus vetus ædificium, novum non posset absolvere ; certiores eos reddidit mansurum vetus templum integrum, nec demoliendum tantisper dum omnis materia compararetur quæ esset ad futuram fabricam necessaria. Neque eos fefellit. Mille enim plaustra paravit quæ lapides conveherent ; & ex omni artificum copiâ peritissimos selegit ad decem millia, & insuper mille sacerdotes stolis sacerdotalibus sumptu suo vestitos, partim cæmentariæ partim lignariæ fabricæ non imperitos : adhibendos operi omnes, materiâ jam antè convectâ. [*Joseph. lib.* 15 *cap.*14.]

3987 Augustus quum primum imperii decennium ad exitum jam tenderet, in aliud quinquennium suum sibi principatum prorogavit : & M. Agrippæ cùm alia ferè eadem quæ sibi, tum tribunitiam potestatem ad idem quinquennium dedit. Tot enim ipsis annos tunc sufficere dicebat : licèt non multò pòst etiam plures imperatoriæ potestatis annos ipse acceperit, ut iterùm decennalis ejus principatus fieret. [*Dio, lib.* 54. *pag.* 529.] 4696 18

Quia jam vetustate libri Sibyllini exolescebant, pontificibus negotium Augustus dedit, ut suâ manu eos describerent ; ne quis alius eos legeret. [*Id. ibid. pag.* 532.]

Pyladem

Pyladem mimum illum Cilicem, per factiones Româ ejectum, Augustus reduxit: quod gratiam populi illi conciliavit. A quo cùm objurgaretur Pylades, quòd cum Bathyllo eandem artem exercente & Mecænatis necessario rixaretur, respondisse ille fertur; *Expedit tibi, Cæsar, populum nobis intentum tempus consumere.* [Ibid. pag. 533.]

Materiâ ad aggrediendum opus necessariâ per biennium comparatâ, Templum Hierosolymitanum cœpit Herodes extruere; annis 46. ante primum Pascha ministerii Christi: ut ex Judæorum illis verbis apparet, Johan. II. 20. eo tempore prolatis. *Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν οἰκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος. Quadraginta & sex annis hactenus ædificatum est Templum hoc.* ut scriptor illud à Lidyato nostro rectè est expositum. 4697 17

Et quidem Templi hujus structura sub Zorobabele anno primo monarchiæ Cyri cœpta, & aliquamdiu interrupta, post 20. demùm annos, imperii Darii Hystaspis F. anno sexto, finita; ejusdémque magnifica instauratio, hoc tempore ab Herode cœpta, annorum novem ac dimidii spatio est consummata. Verùm in temporis augustissimo huic ædificio impensi ratione æstimanda, non horum tantùm duorum, sed successorum etiam opera consideranda venit: quum in eo perficiendo *& longa sæcula, & omnes thesauros sacros, quos toto orbe Deo missos repleverant, consumpta fuerint*; ut in libro 6°. Judaici belli cap. 6. (*sup. cit.*) *Josephus* monuit. Neque enim unius Herodis opes, tantis præsertim largitionibus, tot palatiorum, templorum & urbium structuris (quarum una Cæsareensis urbis ac portus omnium sumptuosissima etiam tum illi incumbebat, quum in templo condendo laboraret) tantopere accisæ, *immensa opulentia templo* (ut in Historiæ suæ lib. 5. cap. 8. istud appellat *Tacitus*) perficiendo pares erant; Et magnam illam Templi instaurationem ab Herode cœptam, usque ad belli Judaici sub Gessio Floro initia ex ingentibus illis donariis Deo dicatis continuatam fuisse, locus ille *Josephi* ostendit, in Antiquitatum libro 20. cap. 8. *Jam absolutum erat & Templi ædificium. Populus igitur quum videret esse in ædo circiter octodecim opificum millia, solitorum hactenus in Templo ex operarum mercedibus victum quærere; nolénsque sacram pecuniam repositam habere, ne quando præda Romanis fieret, simúlque opificibus inde provisum cupiens, quod vel unâ horâ dies operato statim merces repræsentaretur: suasit regi* (Agrippæ juniori,) *ut Orientalem instauraret porticum, quæ Templi extima claudebat.*

Julia Agrippæ Lucium peperit: quem, simul cum fratre ejus Caio, Augustus quò tutior esset ab insidiis, non expectato dum virilem ætatem attingerent, statim adoptavit, * domique per æsem & libram emptos à patre Agrippâ, in familiam Cæsarum inductos, ‡ hæredes imperii fecit. [*Dio, lib. 54. pag. 533. Sueton. in Octavio, cap. 64. Tacit. Annal. lib. 1. cap. 3.*]

In Cypro plurimæ civitatum partes terræ motu conciderunt. [*Euseb. Chronic.*]

3988 M. Agrippa, ludis quinquennalibus (qui Actiaci quarti erant) Romæ celebratis, ab Augusto rursùs in Syriam missus est. [*Dio, lib. 54. pag. 534.*] 4698 16

Herodes navigavit in Italiam, salutatum Cæsarem, & ad invisendos Romæ suos liberos. [*Joseph. lib. 16. cap. 1.*] Per Græciam verò transiens, agoni Olympico (Olympiade CXCI. quâ Diodotus Tyaneus stadio vicit) non interfuit modò sed etiam præfuit. Qui ludos illos propter Elidensium inopiam celebritati *suæ* non satis respondisse animadvertens, annuos reditus eis attribuit; quò splendidiùs sacrificia fierent, & alia quæ ad decorandum tam frequentem conventum pertinerent. Pro quâ munificentiâ perpetuus Agonotheta declaratus est. [*Id. lib. 1. Belli, cap. 16. cum lib. 16. Antiquit. cap. 9.*]

Cæsar Herodi Romæ humanissimè tractato filios reducendos domum reddidit, satis jam institutos disciplinis liberalibus. [*Id. lib. 16. cap. 1.*] Ipse verò in Galliam profectus est. [*Dio, lib. 54. pag. 533.*]

Æmilius Macer Veronensis Poëta in Asiâ moritur. [*Hieronym. in Chronico.*] de quo Tibullus:

Castra Macer sequitur; teneros quid fiet Amori?

Hierosolymis Sacerdotum operâ structura Templi, ita propriè dicti, quod Sanctum & Sanctum Sanctorum complectitur, sesquianni spatio perfecta est. Quo toto tempore nunquam interdiu pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, fama est. Octo deinde annis sequentibus, porticus, & septa, & reliqua circa Templum ædificia omnia sunt absoluta. [*Joseph. lib. 15. cap. ult.*]

Templi hujus duplex extat descriptio: una à *Josepho* (qui in eo Sacerdotalia munia ipse obiit) in 15. Antiquitatum libro, cap. 14. & lib. 6. Belli, cap. 6. (*sup. cit.*) altera à R. Judâ (120. ferè post illius excidium annis) in Misehnæ suæ tractatu qui מדות inscribitur, facta. Prioris ichnographiam habemus à *Ludovico Cappello* ad finem compendii Historiæ Judaicæ adjectam; posterioris, à *Constantino l'Empereur* præfixam Commentario suo in Codicem *Middoth*. In cujus Præfatione, ex constanti Hebræorum sententiâ ostendit, Zerubbabelis & Herodis templum pro eodem rectè fuisse habitum; sicut à *Cornelio Tacito* in 5°. Historiarum libro templum à Pompeio expugnatum idem censebatur cum eo, quod illic à Tito oppugnatum narrat.

3989 Quum Alexander & Aristobulus in Judæam reversi omnium amorem sibi conciliassent; Salome soror Herodis & ejus sequaces, metuentes ne ultores aliquando illi fierent materni interitûs, in vulgus rumores sparserunt patrem illos aversari propter supplicii de genitrice sumpti memoriam. Herodes verò nihil mali adhuc suspicans, in eo quo par erat honore illos habuit; & quòd jam essent adulti, uxores eis dedit: Aristobulo Salomes filiam Bernicem; Alexandro Archelai Cappadocum regis filiam Glaphyram. [*Joseph. lib. 16. cap. 1. & 2.*] 4699 15

Augustus Cyzicenis libertatem restituit: Paphiis quoque (in Cypro) terræmotu afflictis pecunias largitus est; ac permisit, ut ex Senatusconsulto urbem Augustam nominarent. [*Dio, lib. 54. pag. 539.*]

Herodes, audito M. Agrippam iterùm venisse in Asiam, illò profectus impetravit ab eo in regnum suum ut venire dignaretur ad amicum & hospitem. [*Joseph. lib. 16. cap. 2.*]

3990 Agrippam excepit Herodes in recèns conditis urbibus ; & ostendens ædificia, omne genus deliciarum & magnificentiæ tam ipsi quàm amicis exhibuit, apud Sebasten & Cæsareensem portum, & in extructis à se arcibus, Alexandrio, Herodio, Hyrcaniâ. In urbem quoque Hierosolymitanam eum perduxit ; occurrentibus populariter omnibus amictu & cultu festivo, cum faustis acclamationibus. Agrippa autem Deo hecatombe immolatâ populo epulum præbuit : & quamvis libenter ibi diutiùs fuisset commoraturus, appetente tamen hyeme tempestatum metu maturiùs abnavigavit in Ioniam ; unà cum amicis maximis honoratus muneribus. [*Id. ibid.*]

* Huc referenda est Agrippæ Regis illa ad C. Caligulam Epistola (apud *Philonem* in Legat. ad Caium) Marcus Agrippa tuus avus maternus Judæam, Herode avo meo regnante adiit, nec gravatus est à mari ad metropolim mediterraneam ascendere, cúmque spectasset Templum, & decoros ritus Sacerdotum, puritatémque civium, delectatus est spectaculo ut mirifico & ineffabili ; adeò ut inter familiaria colloquia nihil tunc in ore haberet aliud, quàm laudes Templi, ejúsque ornamentorum. Ergo quamdiu hæsit ibi in Herodis gratiam, accedebat id quotidie, oblectans animum contemplatione sacri apparatûs, sacrificiorum ordine, verendæque majestatis in summo Sacerdote sacrato cultu ornato præsidentéque cæteris. dein ubi Templum donis honoravit, & civibus indulsit quantum potuit salvis vectigalibus, laudato Herode, ipse vicissim laudatus plurimùm, ad mare deductus est, prosequentibus non unius civitatis populis, & flore frondéque illum ob pietatis admirationem aspergentibus.

Asander, Bosphori Cimmerii rex ab Augusto constitutus, moriens uxori suæ Dynami, filiæ Pharnacis & Mithridatis nepti, regnum reliquit. Eam Scribonius quidam, Mithridatis se nepotem esse perhibens, in matrimonium ducens, Bosphorum occupavit. Quo audito, Agrippa Polemonem Ponti ejus, quæ est ad Cappadociam sita, regem misit, ut ei bellum faceret. [*Dio, lib. 54. pag. 538.*]

Scribonium, fraude ejus cognitâ, Bosphorani necaverunt : & supervenienti Polemoni, ne is rex ipsis constitueretur metuentes, restiterunt. Quos ille prælio vicit, neque tamen subegit. [*Id. ibid.*] 4700 14

Instante vere Herodes, audito quòd cum exercitu Bosphorum Agrippa peteret, ad illum properávit : factáque præter Rhodum ac Coum navigatione, Lesbum petiit ; ratus se ibi eum inventurum. Sed repulsus adversis Boreæ flatibus, aliquot diebus apud Chium hæsit : ubi & privatim multos salutatum venientes regiis honoravit muneribus ; & quum animadvertisset porticum urbis dirutam bello Mithridatico jacentem adhuc, quòd propter inopiam reparari non posset ad pristinam pulchritudinem & amplitudinem, tantum pecuniarum contulit in ejus fabricam quantum abunde ad absolvendam sufficeret, hortatus ut quamprimùm veterem ornatum urbi redderent. [*Joseph. lib. 16. cap. 3.*]

Mutato vento, Herodes primùm Mitylenen ac deinde Byzantium allatus, ut audivit Agrippam jam ultra Cyaneos scopulos provectum, quantâ potuit contentione secutus, apud Sinopen Ponticam urbem offendit, ex insperato visus cum classe appellere. Fuitque adventus ejus gratissimus, & singulari affectu se invicem complexi sunt : quòd evidens esset argumentum fidei & amicitiæ, regem intermissis propriis negotiis præstò factum Agrippæ opportunissimo tempore. Quamobrem indivisus ei hærebat Herodes in exercitu, laborum socius ac consiliorum particeps. Nec minùs aderat quum remittendus esset animus, solus adhibitus ex æquo & in difficilibus propter benevolentiam, & in jucundis honoris gratiâ. (*Id. ibid.*)

Bosphoranos Agrippa superavit ; & signis Romanis, quæ illi quondam sub Mithridate sustulerant, bello recuperatis, victos ad deditionem coëgit. [*Oros. lib. 6. cap. 21.*]

Quum Julia, Augusti filia & Agrippæ conjux, nocte Ilium proficisceretur, accidit ut effusis torrentibus Scamandro supra modum aucto Julia, cum famulis qui ad lecticam erant, in magnum vitæ discrimen in traiiciendo fluvio adduceretur ; Ilienses adventûs illius prorsùs ignaris. Indignatus verò Agrippa quòd Ilienses minimè opem tulissent, drachmarum argenti millibus centum eos mulctavit. [*Nicol. Damascen. lib. de Vitâ suâ : in Excerptis ab Henr. Valesio edit. pag. 418.*]

Ilienses legati, Agrippæ obloqui non ausi quidquam, Nicolaum Damascenum (qui tum fortè aderat) orârunt, uti Herodem regem sibi suffragatorem atque adjutorem conciliaret. Quod ille ob veterem civitatis gloriam libentissimè suscipiens, Regi omnem seriem expoluit : immeritò Agrippam Ilienses succensere, cùm nec ipse eos de adventu uxoris suæ præmonuerit, neque illi ob nocturnum illius adventum præsentire quidquam potuerint. Herodes verò causam Ilienses suscipiens, veniam mulctæ eis imperravit, [*Id. ibid.*] & iratum eis Agrippam reconciliavit. [*Joseph. lib. 16. cap. 3.*]

Bosphorani, armis demùm positis, Polemoni traditi sunt ; conjúxque Dynamis eidem data : Augusto nimirùm id probante. Ob hæc supplicatio Agrippæ nomine fuit : neque tamen is triumphum ; etsi decretum sibi ; duxit ; neque omninò quidquam de his rebus gestis ad Senatum perscripsit. Cujus exemplum pro lege quàdam acceptum posteriores imitati, ne ipsi quidem Senatum per litteras de re gestâ certiorem fecerunt ; neque triumphum oblatum acceperunt, solis triumphalibus ornamentis contenti. [*Dio, lib. 54. pag. 538.*]

Confectis Ponticis negotiis, Agrippa & Herodes per Paphlagoniam, Cappadociam, ac majorem Phrygiam, terrestri itinere pervenerunt Ephesum ; & inde rursùm Samum trajecerunt navigio. [*Joseph. lib. 16. cap. 3.*]

Ilienses in patriam jam reversis, eo quòd spem omnem impetrandæ veniæ amiserant, Herodes in Paphlagoniam profecturus Agrippæ de mulctæ remissione epistolam Nicolao Damasceno tradidit ; qui Chium ac Rhodum, ubi ejus filii morabantur, petebat. Nicolaus

igitur

igitur Amiſo ſolvens, Byzantii portum tenuit. Inde in Troadem navigans, Ilium aſcendit: litteríſque de mulctæ liberatione traditis, cùm ipſe, tum maximè Herodes rex, maximos honores ab Ilienſibus conſecutus eſt. [*Nicol. Damaſcen. ut ſupr.*]

Agrippa in toto itinere per ſingulas civitates in multis Herodi gratificatus eſt; ad ejus preces multorum ſubveniens neceſſitatibus. Si cui enim mediatore opus erat apud Agrippam, per neminem alium faciliùs voti compos factus eſt. Pro Chiis quoque debitam Cæſaris procuratoribus pecuniam Herodes perſolvit, immunitate impetratâ: & aliis item, quacunque in re ſingulis opus eſſet, adfuit. [*Joſeph. lib. 16. cap. 3.*]

Poſtquàm ventum eſt in Ioniam, præſtò fuit magna multitudo Judæorum, ejus regionis urbes incolentium: qui nacti opportunitatem, queſti ſunt de indigenarum injuriis; quòd nec legibus ſuis eos vivere ſinerent, & feſtis diebus traherent ad tribunalia, & ſacram pecuniam Hieroſolyma mittere vetarent, adigerémtque ſe ad expeditiones & munia publica convertendámque in eos ſumptus ſacram pecuniam, contra conceſſa per Romanos privilegia. Has querelas ut Agrippa audiret, Herodes dedit operam; addito eis ex amicorum cohorte Nicolao Damaſceno (ex Troade jam reverſo) qui cauſam eorum ageret. Quod cùm ille coram Agrippâ (aſſiſtentibus Romanorum honoratioribus, & regibus aliquot ac dynaſtis) copioſè præſtitiſſet: Græci factum minimè inficiati, hoc ſolum prætexebant, quòd oneroſi ſibi eſſent inquilini Judæi. At illi & ingenuos cives ſe approbaverunt, & ſine cujuſquam injuriâ patriis legibus vivere. Reſpondit igitur Agrippa, ſe & propter Herodem amicum illis gratificari paratum, & quia æquum poſtulare videbantur: velléque ut quæ priùs illis conceſſa erant privilegia rata manerent, neque ipſis quenquam moleſtum eſſe, juxta patria inſtituta viventibus. Tum Herodes aſſurgens ei gratias egit omnium nomine. Deinde poſt mutuos complexus vale dicto, à Lesbo digreſſi ſunt. [*Id. ibid. cap. 4. & 5.*]

Herodes paucis pòſt diebus ſecundâ navigatione uſus Cæſaream appulit; & inde Hieroſolyma petiit. Ibi advocatâ populi concione, rationem eis ſuæ peregrinationis expoſuit, & impetratam immunitatem Judæis per Aſiam degentibus. Deinde quò magis eos exhilararet ſibíque benevolos redderet, profeſſus eſt quartam tributorum partem ſe remittere: quâ illi munificentiâ deliniti, omnia fauſta Regi comprecati, cum maximâ lætitiâ diſceſſerunt. [*Ibid. cap. 5.*]

3991 Auguſtus Pontificatum Maximum, quem nunquam vivo Lepido (Triumviro quondàm & Pontifici auferre ſuſtinuerat, mortuo demùm ſuſcepit. [*Sueton. in Octavio, cap. 31. Dio, lib. 54. pag. 540. fin.*] pridie Nonas Martias; ut in libro 3. Faſtorum indicat *Ovidius*. 4701 13

Pontifex M. factus, quidquid fatidicorum librorum Græci Latiníque generis, nullis vel parùm idoneis authoribus ferebatur, ſupra duo millia contracta cremavit: ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito; condidítque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi. [*Sueton. ut ſupr.*]

Berytum colonia deducta eſt, [*Euſeb. Chronic.*] Auguſti beneficio gratioſa. [*Ulpian. ſ. Sciendum eſt. D. de Cenſib.*] in quâ duæ legiones ab Agrippâ ſunt collocatæ. [*Strabo, lib. 16. pag. 756.*]

Herodes, ſororis Salomes & fratris Pheroræ calumniis atque artibus adversùs Alexandrum & Ariſtobulum filios ex Mariamme ſuſcepros, accenſus, ad frangendos eorum animos Antipatrum filium natu maximum, ſed ex matre plebeiâ & ab ipſo adhuc privato genitum, quem in eorum gratiam civitate expulerat, (ſolis feſtis diebus eò commeandi facultate conceſſâ) complecti arctiùs & fovere palàm ad ſpem ſucceſſionis cœpit: & Cæſari ſæpè pro eo ſcribens, privatim hunc diligentiùs commendavit. Et precibus illius poſtremò victus, etiam matrem ipſius Doridem, genere Hieroſolymitanam, quam Mariammen ducturus ille repudiaverat, in Regiam induxit. [*Joſeph. lib. 1. Belli, cap. 17. & lib. 16. Antiquit. cap. 6.*]

3992 Agrippâ poſt decennalem rerum in Aſiâ adminiſtrationem (ab eo tempore numeratâ, quo à Cæſare in Syriam & Aſiam miſſus Lesbi permanſit) deceſſuro; ad eum ſalutandum Herodes navigavit: ſolum ex filiis ſecum ducens Antipatrum. Quem Agrippæ cum multis muneribus tradidit Romam ducendum, & recipiendum in Cæſaris amicitiam. [*Id. lib. 16. cap. 6. fin.*]

Agrippa ex Syriâ reverſus, in aliud quinquennium tribunitiâ poteſtate prorogatâ, ad Pannonicum bellum gerendum ab Auguſto miſſus eſt. Cujus adventu exterriti Pannonii, quum à rebellione deſtitiſſent, reverſus Agrippa in Campaniâ anno ætatis 51 mortem obiit; corpóréque in forum Romanum delato, funebri oratione ab Auguſto laudatus eſt. [*Liv. lib. 136. Plin. lib. 7. cap. 8. Dio, lib. 54. pag. 541.*] 4701 13

Antipater illuſtris factus eſt Romæ, paternis litteris commendatus amicis omnibus: & licèt abſens, in Mariammes filios patrem per litteras exacerbare non deſtitit, quaſi de incolumitate ipſius ſolicitus; ſed reverâ ad ſperatam regni ſucceſſionem malis artibus viam ſibi præmuniens. [*Joſeph. lib. 16. cap. 7.*]

Auguſtus in Agrippæ locum, ad rerum ſummam ſecum adminiſtrandam, privignum ſuum Tiberium invitus adſumpſit; quum nepotes ſui (Caius & Lucius) puerilem adhuc ætatem agerent. Itaque Tiberio filiam ſuam Juliam (Agrippæ viduam) deſpondit; coacto priùs uxorem ſuam Agrippinam (Agrippæ ex Pomponii Attici filiâ genitam) non ſine magno angore animi, relinquere, quæ infantem Druſum ex eo natum jam alebat, & rurſùs uterum tum ferebat. [*Sueton. in Octavio, cap. 63. & Tiberio, cap. 7. Dio, lib. 54. pag. 543.*]

3993 Herodes, filiis ſuis Alexandro & Ariſtobulo inimicus jam factus, Romam cum eis navigavit, coram Cæſare ipſos accuſaturus. [*Joſeph. lib. 16. cap. 7.*] Nicolaum verò Damaſcenum ſecum in eâdem navi ducens, unà cum eo philoſophabatur. [*Nicol. Damaſcen. de Vitâ ſuâ: in Excerpt. Henr. Valeſii, pag. 421.*] 4703 15

Romæ Cæſarem non inventum Herodes Aquileiam uſque perſecutus eſt: ubi coram eo filios

intidiarum in ipſum ſtructarum accuſavit. Cúmque adoleſcentes purgatione, precibus, lachrymis, omnibus qui aderant ſatisfeciſſent; à Cæſare demùm patri reconciliati ſunt. Tum poſt actas Cæſari gratias unà diſceſſerunt; & cum eis Antipater, ſimulans ſe gratulari reverſis in gratiam. [*Joſeph. lib.* 16. *cap.* 7. & 8.]

Sequentibus deinde diebus Herodes 500. talentis Cæſarem donavit, ſpectacula edentem Romæ & congiarium populo dividentem. Cæſar viciſſim ei donavit dimidium redituum è metallis Cypriis, & reliquum dimidium procurationi ejus commiſit: aliiſque hoſpitalibus officiis honorato, liberam poteſtatem permiſit eligendi ſucceſſorem quemcunque è filiis, aut ſi mallet diſtribuendi regni in ſingulos. Quod cùm ille jam pararet facere; negavit ſe commiſſurum quin ille quàm diu viveret tam regnum haberet in poteſtate quàm filios. [*Id. ibid. cap.* 8.]

Abſente Herode Trachonitæ, ſparſo rumore de ejus interitu, ab eo deficientes ad priſtina reverſi ſunt latrocinia. Sed operâ ducum quos ille in regno reliquerat perdomiti, rursùm imperata facere coacti ſunt. Quadraginta tamen ex his latronum principes, captorum exemplo territi, relicto patrio ſolo in Arabiam (Nabatæam) fugerunt: recipiente eos Syllæo (Herodi, propter negatum ſororis Salomes conjugium, infenſo) & munitum quendam locum eis concedente. [*Id. ibid. & cap.* 15.]

Herodes & filii domum navigantes, cùm appuliſſent Eleuſam opidum Ciliciæ quod Sebaſte mutato nomine dicebatur, offenderunt ibi Archelaum regem Cappadocum. Is excepto Herode perhumaniter, multum gaviſus eſt ob reconciliatos filios, & quòd Alexander ejus gener egregiè reſelliſſet objecta crimina: datiſque viciſſim regiis muneribus digreſſi ſunt. [*Ibid. cap.* 8.]

In Judæam reverſus Herodes, advocatâ in Templum concione, quid eâ in peregrinatione egiſſet expoſuit: declaravitque filios poſt ſe regnaturos; primùm Antipatrum, deinde ex Mariamne natos Alexandrum & Ariſtobulum. [*Ibid.*]

3994 * Ariſtobulo ex conjuge Bernice, Coſtabari Idumæi & Salomes Herodis ſororis filiâ, * Agrippa primus illius nominis Judæorum rex, natus eſt: annum 54. ætatis agens, quum ab Angelo percuſſus (*Act.* XII. 23.) interiit. [*Joſeph. lib.* 19. *cap. ult.*] Circa quod tempus natus eſt etiam claudus ille; qui pluſquàm quadragenarius à Petro ad portam Templi ſpecioſam ſanatus eſt. [*Act.* IV. 22.] — 4704 — 10

Auguſtus filiam ſuam Juliam Tiberio (priùs deſponſam) matrimonio conjunxit. [*Dio, lib.* 54. *pag.* 546.]

Cæſareæ Stratonis ſtructura perfecta eſt, anno regni Herodis (poſt Antigoni mortem inchoati) 28°, Olympiade CXCII. (anno videlicèt illius 3°.) In ejus dedicatione magna fuit celebritas, & apparatus facti ſunt ſumptuoſiſſimi. Exciti enim ſunt ad certamen muſici, & athletæ gymnicorum certaminum: ad hæc gladiatorum & ferarum comparatus magnus numerus, & quicquid hujus generis in pretio eſt tam Romæ quàm apud gentes cæteras. Conſecratum autem eſt hoc quoque certamen Cæſari, inſtaurandum per ſingula quinquennia. Hunc omnem apparatum Herodes ſuo ſumptu magnâ ambitione undecunque curavit convehi; multa in hoc conferente etiam uxore Cæſaris *Juliâ*, (ita enim *Liviam* Joſephus ſemper appellat: * Ἰουλία poſitâ pro Λιουία: *) ut omnibus computatis ſumptus ad 500. talenta accederet. Congregatâ igitur ingenti multitudine ſpectaculorum gratiâ, legationes quæ à diverſis populis mittebantur ob accepta beneficia, omnes excepit diverſoriis & menſis & continuis hilaritatibus; dum hominum frequentia ſpectaculis ſe totos dies exereet, noctu verò conviviis. [*Joſeph. lib.* 16. *cap.* 9.]

3995 Poſt hanc celebritatem & feſtos dies aliud opidum extruere cœpit Herodes in campo Capharſabâ, (vel Capharſulamâ, I. *Maccab.* VII. 31.) quod à patris nomine Antipatridem appellavit; & caſtellum, matris nomine Cypron dictum. In honorem etiam defuncti fratris turrim in urbe Hieroſolymitanâ pulcherrimam extruxit Pharo non minorem, Phaſaëlum vocatam: deinde ejuſdem nominis opidum circa vallem Jerichuntis, ex quo ager etiam Phaſaëliticus appellatus eſt. [*Id. ibid.*]

Aſiatici & Cyrenenſes Judæi, per legatos apud Auguſtum conquerentes quòd à Græcis non ſinerentur uti patriis inſtitutis & immunitate ſibi à Romanis conceſsâ, reſcripta ab eo pro jure ſuo conſervando obtinuerunt. [*Id. ibid. cap.* 10.] — 4705 — 9

Herodes nimiâ profuſione exhauſtis opibus, pecuniis opus habens, Johannis Hyrcani exemplo, noctu inſciâ plebe, Davidis recluſit ſepulchrum: in quo pecuniam quidem non invenit, ſed mundi pretioſi & aureæ ſuppellectilis vim magnam inde ſuſtulit. Ad cujus facti expiationem, in adiru ſepulchri monumentum è candido marmore condidit ſumptuoſiſſimum. Ejus operis, ſed non deſcenſûs Regis in ſepulchrum, *Nicolaus Damaſcenus* meminit; qui regis ſui Herodis adhuc viventis res geſtas ſcriptis mandavit. [*Id. ibid. cap.* 11.]

Antipater per alios Alexandrum & Ariſtobulum fratres involvens falſis criminationibus, patrocinium eorum ſæpe ſimulabat; ut, approbatâ ſuâ benevolentiâ, facilius juvenes clàm poſſet opprimere: atque talibus verſutiis circumveniebat patrem, ut putaret hunc ſolum incolumitatis ſuæ curam gerere. Quapropter etiam Ptolemæum procuratorem ſuum Rex Antipatro commendavit, & cum matre ejus (Doride) omnia communicavit conſilia: adeò ut nihil non horum arbitratu gereret, & infenſum eum redderent his quos exoſos Regi eſſe ipſorum intererat. [*Ibid.*]

Pheroras in amorem ancillæ propriæ tam inſanum incidit, ut oblatam ſibi in conjugium à rege Herode fratre filiam Cypron faſtidierit, licèt à Ptolemæo procuratore Regis perſuaſus, ancillam ſe ablegaturum, & intra 30. dies nuptias cum Cypro ſeſe celebraturum, Regi fuiſſet pollicitus. Idémque Herodem apud filium Alexandrum incuſavit, quaſi à Salome ſorore audiviſſet (quod illa tamen inficiata eſt) eum ardenter amare uxorem ipſius Glaphyram. Ob quorum utrumque magnâ in offenſâ apud Regem fuit. [*Ibid.*]

Morbo

Morbo affectus est ille, qui ad piscinam Bethesdam Hierosolymis decumbens, post annos 38. sanitati à Christo restitutus est. [*Johann.* V. 5.] — 3996 — 4706 — 8

Alexander, adversariorum technis penè ad desperationem redactus, per socerum Archelaum Cappadocum regem, in Judæam adventantem, patri reconciliatus est. [*Joseph. lib.* 16. *cap.* 11. *&* 12.]

Archelaum, in summam amicitiam receptum & cum pretiosissimis muneribus in Cappadociam dimissum, Herodes Antiochiam usque comitatus est: ubi præsidem Syriæ Titum illi reconciliavit, atque ita in Judæam reversus est. [*Ibid. cap.* 12.]

Herodes tertiò Romam ad Cæsarem est profectus. [*Ibid.*]

Dum is à regno abesset, latrones Trachonitæ qui ad Syllæum Arabem se receperant excursionibus non Judæam tantùm infestabant sed totam etiam Cœlesyriam, abigebântque prædas in sua receptacula; Syllæo præbente impunitatem & securitatem maleficiis. [*Ibid. cap.* 13.]

Augustus Pontifex Maximus annum à Julio Cæsare ordinatum, sed posteà negligentiâ conturbatum atque confusum, rursùs ad pristinam rationem redegit. [*Sueton. in Octavio, cap.* 31.] In annis enim 36. intercalati fuerant dies 12. cùm debuerint intercalari 9. Augustus igitur annos 12. sine intercalari die tranfigi jussit: ut illi tres dies, qui per annos 36. vitio sacerdotalis festinationis excreverant, sequentibus annis 12. nullo die intercalato devorarentur. (*Plin. lib.* 18. *cap.* 25. *Solinus, cap.* 3. *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 14.]

In anni ordinatione Sextilem mensem è suo cognomine Augustus nuncupavit, magis quàm Septembrem quo erat natus: quia hoc sibi & primus Consulatus & insignes victoriæ obtigissent. [*Sueton. ut supr. Dio, lib.* 54. *pag.* 552.] De quo videnda ipsius Senatusconsulti verba apud *Macrobium*, lib. 1. Saturnal. cap. 12. ubi etiam plebiscitum factum ob eandem rem memorat, Sexto Pacuvio tribuno plebem rogante. Factum verò hoc fuisse, C. Marcio Censorino & C. Asinio Gallo Consulib. *Censorinus* in libro de die Natali cap. 22. & *Dio* libro 55. confirmat.

In eorundem Consulatu Romæ secundum civium censum actum fuisse, in quo 4233000. cives Romani numerati fuerint; ex Ancyrani lapidis fragmentis colligitur. [*Inscript. Gruter. p.* 15. CCXXX.] Apud *Suidam* in Αὔγουστος, longè minor censitorum habetur numerus, 4101017. qui tamen non pro Urbis tantùm sed pro Orbis etiam Romani censu ridiculè nobis ibi obtruditur. * Medium verò hunc populi censum solus egit Augustus: reliquos duos cum collegâ. (*Sueton. in Octavio, cap.* 27.) *

Herodes (Româ reversus) Templi, intra annos 9. & dimidium à se instaurati, Encænia celebravit: ipso regni (à Senatu primùm accepti) die natali, quem anniversariâ hilaritate solitus erat colere. Ubi Rex boves 300. alii, pro suis quisque facultatibus, victimas innumeras Deo mactaverunt. (*Joseph. lib.* 15. *cap. ult.*)

3997 Quum Herodes comperisset, se abiente, multa damna suis à Trachonitis latronibus illata, neque posset eos in potestatem redigere, quòd essent sub tutelâ Arabum; nec tamen injuriam acceptam concoqueret: perlustrato Trachone, interfecit eorum domesticos. Quo facto illi irritationes, (maximè quòd legem haberent quæ juberet domesticorum cædem inultam non sinere) contempto periculo, totam Herodis ditionem agendo & ferendo perpetuis vexabant incursionibus. [*Id. lib.* 16. *cap.* 13.]

Quum principatum depositurum Augustus præ se ferret, altero illius decennio ad finem jam accedente, quasi invitus iterùm illum suscepit: & in Germanos bellum molitus, misso adversùs eos Tiberio, ipse domi substitit. [*Dio, lib.* 55. *pag.* 551. *fin.*] Militibus verò, quòd Caium tunc primùm militaribus exercitiis deditum secum habebant, pecuniam largitus est. [*Ibid. pag.* 552.]

Dionysius Halicarnassæus, Olympiade CXCIII. Claudio Tiberio Nerone II. & Cn. Calphurnio Pisone Coss. Antiquitatum Romanarum libros cœpit scribere: ut in eorum Præfatione ipse indicat. Qui ut à *Clemente Alexandrino* in libro 1. Stromatum inter Chronographos, ita à *Quintiliano* in lib. 3. cap. 1. inter claros Rhetoras numeratur. — 4707 — 7

Herodes ad Syriæ præsides à Cæsare constitutos Saturninum & Volumnium (Procuratorem) mittens, latrones Trachonitas, qui ex Arabum Nabatæorum finibus ditionem ipsius perpetuis incursionibus vastabant, deposcebat ad supplicium. Illi, hoc audito, numero ad mille accrescentes, repentinis insultibus agros simul & vicos populari cœperunt, & jugulare quotquot in manus eorum inciderent. Quare Herodes & latrones sibi dedi postulabat, & 60. talenta quæ Obodæ per Syllæum commodaverat repetebat. Syllæus verò, qui detruso à regimine Obodâ ipse administrabat omnia, inficiabatur eos latrones esse in Arabiâ, & pecuniam differebat reddere de quâ disceptabatur apud Saturninum & Volumnium. Tandémque illis authoribus convenit, ut intra 30. dierum spatium & debitum redderetur, & ex utroque regno restituerentur perfugæ; [*Joseph. lib.* 16. *cap.* 13.] Syllæo apud Berytum coram Syriæ præsidibus illis per Cæsaris fortunam jurante, omninò intra 30. eos dies exhibiturum se & pecuniam, & Herodis perfugas. (*Ibid. pag.* 16.)

Postquàm advenit præstitutus terminus, Syllæus stare nolens conventis Romam profectus est. Herodes verò, Saturnino & Volumnio permittentibus ei contumaces armis persequi, cum exercitu invasit Arabiam: septem mansiones emensus triduo. Cúmque pervenisset ad castellum in quo se latrones continebant, primo impetu id cepit: ipsámque munitionem nomine Rœptam diruit, nullo alio damno dato regionis incolis. Et quum in eorum auxilium procurrisset dux Arabum Nacebus, commissum est prælium: in quo pauci ex Herodianis, Arabum verò circiter 25. cum ipso duce cecidernnt; reliqui in fugam compulsi sunt. Hoc modo latro-

nes

nes ultus, Idumæorum tria millia in Trachonem deduxit, ut coërcerent ibi latrocinia: & ad Iuces Romanos agentes in Phœnicia dedit litteras, quibus eos certiores fecit, quòd in contumaces tantùm Arabas concesso ab eis jure usus sit, nihilque egerit præterea; quod & ipsorum inquisitione postea verum compertum est. [*Ibid. cap.* 14.]

3998 Sed aliter Romam properatis nunciis Syllæo relatum est, suo more exaggerantibus omnia. Quibus mendaciis ita accensus à Syllæo Cæsar est, ut minaces ad Herodem scripserit litteras, quòd exercitum extra regni sui fines eduxisset: legatósque ad agendam causam suam missos primùm ne admiserit quidem, iterùm verò audiri petentes infecto negotio dimiserit. (*Ibid. cap.* 15.)

Eâ occasione ob Trachonitæ, Idumæorum custodiam, quam illis imposuerat Herodes, juncti Arabibus vexabant: quod Herodes, irâ Cæsaris territus, ferre cogebatur. (*Ibid.*)

Defuncto Obodæ in Arabum (Nabatæorum) regnum successit Æneas, mutato nomine Aretas dictus. Hunc Syllæus, Romæ agens, per calumnias pellere conabatur, & sibi principatum usurpare: mulcam pecuniam partitus in aulicos, multa etiam Cæsari daturum se pollicitus; quem iratum sciebat Aretæ, quòd se inconsulto ausus esset regni habenas suscipere. [*Ibid.*]

Caius & Lucius, Augusti ex adoptione filii, in principatu educati, ex molliore vitâ etiam audaciores fiebant. Lucius quippe, eorum natu minor, injussu in theatrum ingressus, quum omnium applausu excipereturs auctâ licentiâ ausus est petere, ut Caio fratri, nondum ex ephebis egresso, Consulatus daretur. Quo audito, Augustus optavit, ne talis ulla temporum ei necessitas eveniret, qualem olim ipse senserat; ut Consulatus ei mandandus esset, qui nondum vecisimum annum attigisset. Et cùm nihilominus filii hoc ab ipso contenderent; tum demum dicebat hunc magistratum alicui esse suscipiendum, quum & ipse à peccando sibi cavere, & populi cupiditatibus posset resistere. Deinde sacerdotium Caio, utque in senatum ire ac inter senatores spectaculis epulisque interesse liceret, dedit. [*Dio, lib.* 55. *pag.* 554.] Atque ut ambo etiam, necdum positâ puerili prætextâ, Principes juventutis appellari & destinari Consules, specie recusantis flagrantissimè cupiebat. [*Tacit. Annal. lib.* 1. *cap.* 3.] 4708

Ut tamen aliquâ ratione eos modestiores, tanquam privatos, efficeret; Tiberio tribunitiam potestatem in quinquennium concessit; & Armeniam, quæ post Tigranis (regis in eâ à Tiberio collocati) obitum defecerat, attribuit. Hoc frustrà ab Augusto factum, & hos, & Tiberium offendit: hos, quòd se spretos judicabant; Tiberium, quòd iram eorum veritus in Armeniam non abiit, sed Rhodum se contulit. [*Xiphil. & Zonar. ex Dione.*] Specie quidem ut ingenium quibusdam adhuc disciplinis excoleret; revertâ autem, ut à conspectu se eorum & actionibus subduceret. [*Dio, ibid. & in Excerptis ab Hen. Valesio edit. pag.* 662.] ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 99.] Sic enim quidam existimabant; adultis jam Augusti liberis, loco & quasi possessione usurpati à se diu secundi gradûs sponte cessisse: exemplo M. Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare præsens videretur. Quam causam & ipse, sed posteà, reddidit. [*Sueton. in Tiberio cap.* 10.]

Non desunt tamen qui id ab eo factum putent propter Juliam uxorem; quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultrà perferre posset. [*Sueton. ibid. Dio; in Excerpt. Valesii, pag.* 662.] Alii ægrè eum tulisse dicunt, quòd non esset adoptatus Cæsar. Nonnulli affirmant amandatum esse ab Augusto, quòd ejus filiis insidiaretur. [*Dio, ibid.*]

Tunc autem, dissimulatâ causâ consilii sui, satietatem honorum ac requiem laborum prætendens, commeatum à socero, atque eodem vitrico, Augusto petiit. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 99. *Sueton. in Tiber. cap.* 10.] Neque aut matri suppliciter precanti, aut vitrico, deferi se etiam in senatu conquerenti, veniam dedit. Quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abstinuit. Factâ tandem abeundi potestate, relictis Romæ uxore & filio, confestim Ostiam descendit: ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucósque admodùm in digressu osculatus. (*Sueton. ibid.*) Discedens tamen testamentum resignavit, & coram matre atque Augusto recitavit. (*Dio, in Excerptis Valesii, pag.* 662, 665.] * Unusque è Senatoribus Lucillius Longus, Rhodii secessûs comes fuit; omnium illi tristium lætorúmque socius. (*Tacit. Annal. lib.* 4. *cap.* 15.) *

Ab Ostiâ oram Campaniæ legens, imbecillitate Augusti nunciatâ, paulùm substitit. Sed increbrescente rumore, quasi ad occasionem majoris spei commoraretur, tantùm non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit. [*Sueton. in Tiber. cap.* 11.] iter ipsum privati instar peragens; nisi quòd Parios statuam Vestæ sibi vendere coegit, quam in Concordiæ templo dedicaret. (*Dio, in Excerpt. pag.* 662.)

Rhodum verò adveniens, modicis contentus ædibus, nec multo laxiore suburbano, genus vitæ civile admodum instituit, sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans; mutuáque cum Græculis officia usurpans, prope ex æquo. (*Sueton. ut suprà.*) Omnes tamen Proconsules legatíque, in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratiâ ad eum convenientes, semper privato fasces suos summiserunt; fasíque sunt otium ejus honoratius imperio suo. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 99. * *cum Suetonio in Tiberio cap.* 12. *] Atque in eo otio Theodorum Gadareum rhetorem, qui se dici maluit Rhodium, studiosè audiit. (*Quintilian. lib.* 3. *cap.* 1.]

Magna conjunctio Planetarum facta est: cujusmodi unica, 800 annorum spatio interposito, solet contingere.

Æneas, qui & Aretas, novus Arabum Nabatæorum rex, litteras cum muneribus misit ad Cæsarem; & in his multorum talentorum coronam auream. In litteris Syllæum accusabat, cùm ob alia crimina, tum quòd nequissimus servus veneno sustulisset Obodam, cujus etiam vivi invasisset principatum. Sed legatos Cæsar audire non dignatus, eorúmque munera aspernatus, re infectâ eos dimisit. [*Joseph. lib.* 16. *cap.* 15.]

Herodes

Herodes malis & insolentiâ Arabum coactus, legatum Romam Nicolaum Damascenum misit, tentaturum si quid æqui per amicos impetrare posset à Cæsare. [*Id. ibid.*]

Herodis cum filiis suis ex Mariamne susceptis dissidium vehementer exacerbatum est artibus Euryclis Lacedæmonii; illius (ni fallor) qui ante annos 25. Antonium à pugnâ Actiacâ fugientem persecutus, jam Herodis hospitio usus & apud Antipatrum diversatus, in Alexandri gratiam sese insinuaverat. Ob quem proditum quum 50 talenta ab Herode accepisset; ad socerum illius Archelaum se contulit, & operam suam in conciliandâ Alexandro patris gratiâ prædicabat. Unde, ab eo quoque acceptâ pecuniâ, in patriam propere est reversus: ubi quum similibus artibus uteretur, Lacedæmone pulsus est in exilium. [*Id. ibid. cap.* 16.]

Herode, inquisitione in filios instituâ, plurimos ex amicis, tam suis quàm ipsorum, acerbitate tormentorum interemit; nec tamen aliud quicquam mali comperit, nisi liberiores quasdam improvidorum juvenum querelas de sævitiâ immodicâ patris, de turpi ejusdem facilitate præbentis aures quibuslibet delatoribus, de impietate ac nefariis frandibus Antipatri fratris & conjunctæ factionis: quibus malis ut se expedirent juvenes, de fugâ ad Archelaum capessendâ consultasse dicebantur, nec id ipsi quoque negabant. Quos tamen Herodes, quasi convictos insidiarum in patrem conjecit in vincula; in eos sævisurus, prout res suæ Romæ tulissent. Atque hâc de re litteras ille ad Cæsarem misit per Volumnium (militiæ magistrum; ut in lib. 1. Belli cap. 17. *Josephus* eum nominat) & Olympium (amicum:) quos & jussit ut inter navigandum ad Eleusam opidum Ciliciæ appellerent, ibique cum Archelao, quòd horum conatuum esset particeps, expostularent. [*Ibid.*]

Romæ Nicolaus Damascenus, junctus Arabibus qui ad Syllæum accusandum venerant, ejusdem se accusatorem professus est apud Augustum, non Herodis defensorem; ne sicut antè cæteri repellieretur. Cumque multa ejus crimina patefecisset, etiam addidit Cæsarem eius mendaciis in Herodis causâ circumventum. Quæ cùm apertè retexisset, & certis legitimisque scriptis confirmasset: Syllæum Cæsar damnatum in provinciam remisit, ut postquàm satisfeciisset creditoribus pœnas daret. [*Ibid.*]

Hinc Aretæ & Herodi reconciliatus Augustus; illius quidem munera dudum rejecta recepit, eique regnum Arabicum suâ authoritate confirmavit: Herodi verò per litteras consuluit, ut indicto apud Berytum conventu, & adhibitis Syriæ præsidibus cum rege Cappadocum Archelao aliisque amicis & viris illustribus, de re totâ filiorum decerneret. [*Ibid.*]

In insulâ Coo terræmotu plurima conciderunt. [*Euseb. Chronic.*]

Zachariæ Sacerdoti ex classe Abiæ in Templo Domini suffitum facienti secundùm ritum functionis sacerdotalis, [*Exod.* XXX. 7, 8.] angelus Gabriel (qui olim definitis annorum Hebdomadibus Danieli adventum Messiæ annunciaverat) ad dexterum altaris suffitûs apparuit; Johannem filium, Nazaræum & Præcursorem Domini, in spiritu & virtute Eliæ, nasciturum ei seni uxorique Elizabetæ & provectæ ætate & sterili, annuncians. Cui promissioni non credens Zacharias, mutus redditus est. [*Luc.* I. 5,--22.]

3999 Zachariâ impletis diebus ministerii sui domum reverso, uxor ejus Elizabeta concepit: & occultavit se menses quinque, dicens: *Ita mihi fecit Dominus diebus quibus me respexit, ut auferret opprobrium meum inter homines.* [Ibid. 23, 24, 25.]

Herodes, acceptis Augusti litteris, supra modum gavisus, tum quòd rediisset in gratiam, tum propter concessam sibi statuendi de filiis potestatem liberam; Berytum convocavit per nuncios quotquot visum erat Cæsari, uno Archelao excepto: filiis, non longè ab urbe, in Platane vico Sidoniorum detentis. Ibi primus Saturninus, vir consularis multisque defunctus honoribus, protulit sententiam moderatam circumstantiis: damnare se quidem Herodis filios, non tamen censere interficiendos. Post illum ipsius tres filii, qui legati patris erant, eandem sententiam tulerunt. Contrà Volumnius capite plectendos pronunciavit, qui tam impii erga parentem fuerint: quem deinceps major pars secuta est. Móxque inde Herodes Tyrum eos secum duxit: quò cùm Nicolaus appulisset à Româ veniens, de filiorum causâ cum illo collocutus, secum illum Cæsaream navigare jussit. [*Joseph. lib.* 16. *cap. ult.*]

Hìc quum vetus quidam Regis miles, Tiro dictus liberiùs eum destinati in filios facinoris arguisset: eum, & militum ductores 300, quos ejusdem cum ipso sententiæ fuisse ille indicaverat, Herodes vinctos jussit servari in carcere. Eâ occasione Trypho tonsor Regis accedens ait se non semel à Tirone solicitatum ut guttur ei, inter curandum, novaculâ præcideret. Móxque tortus est & tonsor & Tiro cum filio: qui videns patrem sævissimè tractatum, ut tormentis eriperet, intentatæ in Regem cædis malè misericors eum accusavit. Tum Herodes, productis in concionem 300 ductoribus militum, unà cum Tirone & filio tonsoréque indice, omnes accusavit apud populum: in quos multitudo quicquid ad manus veniret conjiciens, ad unum eos interfecit. (*Id. ibid.*)

Alexander & Aristobulus ducti Sebastem, ibi jussu patris sunt strangulati: & corpora eorum in castello Alexandrio recondita sunt; ubi maternus eorum avus Alexander & plerique ex progenitorum serie sepulti fuerant. [*Id. ibid. & lib.* 1. *Belli, cap.* 17. *fin.*]

Augustus, *duodecimo* Consulatu suscepto, Caium filium togâ virili datâ in forum deduxit, Principem juventutis designavit, & præfectum tribus esse jussit. [*Sueton. in Octav. cap.* 26. *& Zonar. ex Dione.*] Principis verò illum titulum ab *universis equitibus Romanis* illi *hastis argenteis donato* fuisse tributum, ipse Augustus in rerum suarum Breviario indicat: ubi & de Consulatu, Caio simul & Lucio tum decreto adjicit. *Honoris mei causâ Senatus populusque Romanus annum quintum & decimum tum agentes Consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium ex eo die quo deducti in forum.* Ita lapis Ancyranus, in *Gruteri* inscriptionib. [*pag.* CCXXXI.] quum in alio Romano lapide, Caium *Populus Consulem creavisse* (id est, 4709 5

designaviſſe) dicatur, *annos natum* XIV. Hoc enim tempore, ætatis annum XIV. ille compleverat, & XV. ingreſſus fuerat.

Antipater, ſublatis fratribus, patrem quoque de medio tollere ſtatuit. Et quum pluribus in regno ſe odioſum eſſe non ignoraret, muneribus ſibi eorum animos, tam Romæ quàm in Judæâ, ſatagit adjungere: inprimiſque Saturninum Syriæ præſidem, cum patris ſui fratre Pherorâ & ſorore Salome. [*Joſeph. lib.* 17. *cap.* 1.]

Herodes filii Alexandri viduam Glaphyram ad patrem Archelaum Cappadocum regem remiſit: additâ etiam dote ex fiſco regio, nequid eâ de cauſâ exoriretur controverſiæ. Pupillorum verò Alexandri & Ariſtobuli curam ipſe gerebat ſingularem. Quod cùm ægerrimè ferret Antipater, timens ne adulti potentiæ ipſius officerent, eis perniciem moliebatur: flexitque precibus Herodem, ut ipſi filiam Ariſtobuli ducere permitteret, & filio ſuo patri Pheroræ filiam. [*Ibid.*]

Zamarim Judæum Babylonium invitavit Herodes, & agrum in Trachonitide illi incolendum dedit, ut eſſet regioni toti præſidio adversùs latrocinia. Is cum 500 equibus & 100 cognatis adveniens, varia variis in locis per Trachonem erexit caſtella, & urbem Bathyram; unde Judæis, è Babyloniâ Hieroſolymam ad feſtos dies petentibus, ſecurum iter commeatúmque præbebat adversùs Trachonitarum & aliorum latrocinia. [*Ibid. cap.* 2.]

Antipater patri ſtruens inſidias, patruum Pheroram ſibi adjunxit, & mulieres regias Phariſæorum ſectæ addictiſſimas; Salome exceptâ, quæ fratri Herodi conſtanter adhærebat. Erant Phariſæi genus hominum aſtutum, arrogans, & regibus infeſtum. Unde quum tota Judæorum gens fidem ſuam jurejurando obligaſſent Regi & Cæſari; hi ſoli non juraverunt, excedentes ſex millium numerum. Quibus hoc nomine à Rege mulctatis, Pheroræ uxor pro eis mulctam perſolvit. Cui reponentes gratiam, quoniam credebantur futura præſcire ex Dei colloquiis, prædicebant, decretum eſſe Deo regnum ablatum ab Herode & ejus progenie transferre in ipſam & maritum Pheroram ac communes liberos. Hæc res Regi per Salomen innotuit; & quod aulicos quoſdam ſolicitarent muneribus atque corrumperent. Quâ in culpâ Phariſæorum aliquos deprehenſos interfecit, præcipuos authores hujus conſilii: cúmque his Bagoam eunuchum, & ſuas delicias Carum, præſtantiſſimæ formæ gratiâ ſibi commendatum; & præter hos, quoſcunque è domeſticâ familiâ cum Phariſæis conſpiraſſe ipſorum indicio compererat. [*Ibid. cap.* 3.]

Herodes, convictis Phariſæis & ſupplicio traditis, amicorum concilium advocavit; & apud eos Pheroræ uxoris accuſationem inſtituit. Cúmque eam Pheroras fratris gratiâ nollet dimittere; Antipater interdixit Pheroræ conſuetudine. [*Ibid.*]

Antipater, ad avertendam patris de ſe ſuſpicionem, per amicos Romæ degentes curavit ut ad Auguſtum à patre quamprimùm mitteretur. Quo facto, miſit cum Herodes cum pretioſiſſimis muneribus & Teſtamento: in quo ipſum Antipatrum regem declarabat, aut ſi ille priùs vitâ deceſſerit, Herodem natum ſibi ex Mariamme Simonis Pontificis filiâ. [*Ibid. cap.* 4.]

Sexto poſt conceptum Johannem menſe, angelus Gabriel Nazarethum in Galilæâ miſſus à Deo eſt ad beatiſſimam Virginem Mariam, Joſepho ex eâdem cum ipsâ ſtirpe Davidicâ deſponſatam. Qui, eâ ſalutatâ, Filium Dei ipſam parituram, & ſacratiſſimo JESU nomine eum nuncupaturam, annunciavit. Illa verò, de mirabili conceptionis modo, per ſupervenientis Spiritûs ſancti virtutem perficiendæ, ab Angelo plenius edocta, ſummâ cum fide dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* (Luc. I. 26,–38.)

Ita Chriſto concepto, mater Domini in montanam regionem cum feſtinatione profecta eſt, in urbem Juda. (*Hebronem*;) urbem Sacerdotalem, in montanis Judææ poſitam. (*Joſu.* XXI. 10, 11.) Ubi quum domum Zachariæ Sacerdotis ingreſſa cognatam ſuam Eliſabetam ſalutaviſſet; illa ſubſultantem ſentiens fœtum in utero ſuo, repleta Spiritu ſancto beatam prædicavit Mariam quæ credidit, & perficienda ea quæ dicta fuerant ei à Domino confirmavit. Cui pro reſponſo beata Virgo (Hannæ imitata Canticum. I. *Samuel.* II. 1.) divinum illum Hymnum retulit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Et manſit Maria cum illâ quaſi menſes tres. [*Luc.* I. 39,–56.]

Syllæum Arabem, nihil eorum quæ Cæſar imperaverat peracto, Romam profectum Antipater eorundem criminum reum egit apud ipſum Cæſarem, quorum Nicolaus Damaſcenus antè. Accedebat & alter accuſator Aretas (Nabatæorum rex) multorum honoratorum cædes apud Petram ſe invito patratas objiciens, & Sohemi maximè, hominis in omni virtute præſtantiſſimi. Objecta illi itidem & Fabati procuratoris Cæſaris cædes eſt. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 18. *& lib.* 17. *cap.* 4.]

Pheroram obſtinatè permanentem in amore conjugis Herodes in ipſius tetrarchiam ablegavit; quod ille fecit libenter, addito jurejurando nunquam ſe rediturum, niſi Herodis morte cognitâ. Itaque paulò pòſt ægrotantem Herodem, quanquàm ſæpe accitus ad accipienda quædam ſecretiora mandata tanquam à morituro, propter ſacramenti religionem viſere recuſavit. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 19. *& lib.* 17. *Antiquit. cap.* 5.]

Quum Elizabetæ completum eſſet tempus ad pariendum, peperit filium. Quem quum octavo die circumcidendum adſtantes *Zachariam* patris nomine appellari vellent; *Johannem* nominandum parentes ſignificaverunt. Zacharias verò, loquelæ uſu reſtituto, repletus Spiritu ſancto prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſraël*, &c. [*Luc.* I. 57,–68.]

Joſephus prægnantem reperiens Mariam ſponſam ſuam, voluit clàm eam dimittere. Sed ab Angelo per quietem admonitus, concepiſſe eam ex Spiritu ſancto, & parituram filium JESUM, qui ſervaturus eſſet populum ſuum à peccatis ipſius; recepit uxorem ſuam. [*Matth.* I. 18,–24.]

Pheroram in morbum incidentem frater Herodes, valetudini præter ſpem reſtitutus, inviſit & humaniſſimè curatum voluit: ſed paucis pòſt diebus ille mortuus eſt. Cujus corpus Hieroſolyma translatum Herodes ſepeliit, & publico luctu honoravit. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli, cap.* 19. *& lib.* 17. *Antiquit. cap.* 5.]

Taphenitæ duo, è libertis Pheroræ chariſſimi, veneno illum à Doride matre Antipatri ſublatum fuiſſe, Herodi indicárunt. Quod facinus dùm tormentis Herodes inquireret, paulatim alia longè majora ſcelera & manifeſtas inſidias Antipatri filii comperit. Lethale enim venenum, ex Ægypto à Theudione fratre Doridis per Antiphilum unum ex amicis Antipatri miſſum; ad patrem tollendum Antipater Romam profecturus Pheroræ tradiderat; ut ſuſpicio parricidii in abſente filio non hæreret. [*Id. lib.* 17. *Antiquit. cap.* 6.]

Hinc Herodes uxorem ſuam Doridem, Antipatri matrem, multorum talentorum ornamentis ſpoliatam ejecit è regiâ. Alteram etiam uxorem Mariammen, Pontificis filiam, ut ſecretorum horum omnium particeps, abjecit; & filium ejus è Teſtamento delevit, ubi ſucceſſor deſtinatus fuerat. Socero quoque Simoni Boëthi filio Pontificatu privato ſurrogavit Matthiam Theophili filium Hieroſolymitanum genere. [*Id. ibid.*]

4000 Die expiationis, quo ſolemne à Judæis celebratur Jejunium, novus Pontifex Matthias rem divinam facere non potuit, nocturnam paſſus pollutionem. Itaque Joſephus Ellemi filius, adjutor vicarius propter cognationem ei datus, eo die in Sanctum Sanctorum eſt ingreſſus. [*Id. lib.* 17. *cap.* 8.]

Bathyllus libertus Antipatri Româ veniens, ſubjectus quæſtionibus fatſus eſt attuliſſe ſe venenum quod daret patroni ſui matri & Pheroræ; ut ſi prius illud parùm fuiſſet efficax, hoc poſteriore Herodem aggrederentur. Simúlque venerunt ad regem ab amicis Romæ degentibus literæ, inſtinctu Antipatri ſcriptæ: in quibus Archelaus & Philippus Herodis filii accuſabantur, quòd crebrò crimen patris refricarent de cæde Alexandri & Ariſtobuli, miſerarentúrque fatum germanorum innocentium. Erant enim tum Romæ in ſtudiis adoleſcentuli: eóſque jam pater redire præceperat. Unde amicos illos magnis corrupit mercedibus, ut fratres imminentes ſpei ſuæ patri ſuſpectos redderent: quum ipſe etiam per ſe ad patrem de illis ſcriberet, quaſi eos excuſans, & verba eorum ætati imputans. (*Id. lib.* 17. *Antiqu. cap.* 6. *& lib.* 1. *Belli, cap.* 20.]

Prodiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur totus Romanus orbis. Quæ deſcriptio prima facta eſt præſidente Syriæ Cyrenio. [*Luc.* II. 1.] Unde libellus poſteà ab Auguſto eſt confectus, * (ſive volumen,) Breviarium totius Imperii, ipſius manu perſcriptum, * in quo opes publicæ continebantur: quantum civium, ſociorúmque in armis; quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & neceſſitates ac largitiones. [*Tacit. lib.* 1. *Annal. cap.* 11. *Sueton. in Octavio, cap. ult. Dio, lib.* 56. *pag.* 591.]

Hic à Græcis Κυρίνιος & Κυρῖνος dictus, P. Sulpicius Quirinius eſt; qui ante ſeptennium Romæ Conſulatum geſſit: de quo, in libro 12. [*pag.* 569.] *Strabo*, de Homonadenſibus Ciliciæ populis verba faciens. *Ipſos Quirinius fame expugnavit, & quater mille viros cepit, quos in urbes vicinas diſtribuit: eorum verò regionem omni juventute exhauſtam reliquit.* & Tacitus, libro 3°. Annal cap. 48. *Impiger militiæ, & acribus miniſteriis conſulatum ſub D. Auguſto; nuper expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis, inſignia triumphi adeptus.* Statutum autem ab ipſo Auguſto fuerat: ne magiſtratus depoſito honore ſtatim in provincias mitterentur: [*Sueton. in Octavio, cap.* 36.] ſed poſt quintum demùm à geſto in Urbe magiſtratu exactum annum. [*Dio, lib.* 53. *pag.* 505.]

Hinc Ciliciæ proconſulatum tunc obtinens Quirinius, in viciniam Syriam mitti potuit; vel ut Cenſitor, cum poteſtate extraordinariâ, vel ut Procurator Cæſaris cum ordinariâ: & ipſo Ciliciæ, & Sentio Saturnino Syriæ Proconſulatum adhuc tenente. Nam & Volumnium & Saturninum, à *Joſepho* ſimiliter Syriæ ἡγεμόνας ſive *Præſides* non ſemel dictos audivimus: quum Volumnius ἐπιτροπεύων tantùm fuerit (ut in lib. 1. Belli, cap. 17. eum appellatum videmus) ſive *Procurator*. Atque ut paulò pòſt in Proconſulatûs dignitate Saturnino Quintilius Varus ſucceſſor datus eſt; ita nihil obſtat, quo minùs Quirinius in negotiorum Cæſaris procurandorum officio Volumnio nunc vel ſucceſſiſſe dici poſſit, vel acceſſiſſe, quomodo Herodem regem, Συρίας ὅλης ἐπιτροπεύων, *Syriæ totius Procuratorem* ab Auguſto conſtitutum *Joſephus* notat: [*lib.* 1. *Belli, cap.* 15.] quòd Syriæ procuratoribus ita eſſet adjunctus, ut ex ejus ſententiâ facienda eſſent omnia. [*lib.* 15. *Antiquit. cap.* 13.] Atque ita utrumque conſtabit: & quod habet *Tertullianus*, [*lib.* 4. *contra Marcion. cap.* 19.] *cenſus actus ſub Auguſto in Judæâ per Sentium Saturninum*; & quod verba Evangeliſtæ præferunt, eandem factam eſſe deſcriptionem *præſidente Syriæ Cyrenio* vel Quirinio. cujus ille potiùs quàm Saturnini præfecturæ mentionem facere hic maluit; quia præſentem deſcriptionem cum alterâ poſt decennium, relegato in exilium Archelao, ab eodem Quirinio peractâ conferre voluit: ex duobus Quirinii cenſibus, eum qui cum nativitate Chriſti conjunctus erat *primum* fuiſſe declarans.

Dum prior verò ageretur hic cenſus, aſcendit Joſephus à Galilæâ, ex urbe Nazarethâ, in Judæam, in urbem Davidis quæ vocatur Bethlehem, propterea quòd erat ex domo & familiâ Davidis: ut deſcriberetur cum Mariâ uxore, quæ erat prægnans. [*Luc.* II. 4, 5.]

ÆTAS MUNDI VII.

JESUS CHRISTUS, Dei filius, in temporis plenitudine, Bethlehemi ex beatissimâ Virgine Mariâ natus est. [*Matth.* I. 25. & II. 1, 5. *Gal.* IV. 4.] quem illa fasciis involutum reclinavit in præsepi: eo quòd non esset locus in diversorio. [*Luc.* II. 7.]

Servatoris nativitas pastoribus agro vicino nocte gregem suum custodientibus per Angelum Domini revelata est: sermonem illius excipiente multitudine exercituum cœlestium, gloriam Deo, terræ pacem, & hominibus benevolentiam comprecantium. Pastores Bethlehemam festinantes, invenerunt Mariam & Josephum, & infantem jacentem in præsepi; & divulgaverunt id quod dictum fuerat ipsis de puerulo illo: & reversi sunt, glorificantes & laudantes Deum. [*Luc.* II. 8,—20.]

Octavo à nativitate die circumcisus est puerulus; & vocatum est nomen ejus JESUS, quod indicatum fuerat ab Angelo priusquàm ipse in utero conciperetur. [*Luc.* II. 21.] 4710 4

Magi ab Oriente, duce Stellâ, Hierosolymam ad regem Herodem venientes, ibique edocti locum Christi natalem esse Bethlehemum Judææ, eò profecti sunt: & domum à superstante Stellâ demonstratam ingressi, invenerunt ibi puerulum cum Mariâ matre ipsius. Qui prostrati adoraverunt eum: apertisque thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, & thus, & myrrham. Deinde divinitùs in somnis admoniti ne reverterentur ad Herodem, per alium viam regressi sunt in regionem suam. [*Matth.* II. 1,—12.]

Die post partum quadragesimo Maria Hierosolymam ad Templum accessit: tum ut filium Jesum ibi sisteret Domino, secundùm legem de Primogenitis; tum ut pro seipsâ offerret par turturum, aut duos pullos columbarum, (eâ conditionis ipsius paupertate existente, ut non posset agnum afferre) secundùm legem de puerperarum Purificatione. [*Luc.* II. 22,23,24, 27. *cum Levitic.* XII. 2, 3, 4, 6,-8.]

Quum puerulum Jesum introducerent in Templum parentes, ut facerent quod ex Lege consuetum erat; venit in Templum Hierosolymitanus Simeon, cui divinitùs fuerat revelatum, ipsum non moriturum, priusquàm vidisset Christum Domini. Quo in ulnas recepto, laudavit ille Dominum, tum de Christo ipso tum de matre illius editis vaticiniis. Eodem ipso quoque momento superveniens Anna prophetissa, filia Phanuelis, vicissim palàm agnoscebat Dominum, & loquebatur de eo omnibus qui redemptionem expectabant Hierosolymis. [*Luc.* II. 25,—38.]

Quum Josephus & Maria perfecissent omnia secundùm Legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in urbem suam Nazaretham. (*Luc.* II. 39.)

Angelus Domini apparens Josepho in somnio, de fugâ in Ægyptum monuit; ut vitæ infantis consuleret, & Herodis conatus eluderet. Qui experrectus accepit puerulum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum: ubi usque ad obitum Herodis mansit. (*Matth.* II. 13,14,15.)

Herodes, infantem Bethlehemi adhuc fuisse existimans, ut eum inter reliquos perderet, interemit omnes pueros qui erant in Bethlehem & in omni confinio ejus, à bimatu & infrà, secundùm tempus (Stellæ in Oriente primùm visæ) quod exquisierat à Magis. (*Matth.* II. 16.)

Acceptis Româ ab Antipatro litteris, quibus significârat rebus ex sententiâ peractis brevi se rediturum in patriam, Herodes dissimulatâ irâ insidiosè rescripsit, ut properaret ne quid sibi per ejus absentiam quod nollet accideret. Simúlque modicè de matre ejus questus est; polliciendo remissurum se querelas post adventum illius. *Joseph. lib.* 17. *cap.* 7.]

Ad Antipatrum verò nihil adhuc vel de Pheroræ morte vel de iis quæ contra seipsum in Judæâ mota sunt perlatum fuerat: quamvis inter scelus probatum & ipsius reditum septem mensium spatium intercesserit. [*Id. lib.* 1. *Belli, cap.* 20. *& lib.* 17. *Antiquit. cap.* 6. *fin.*] In itinere enim, Tarenti quidem de Pheroræ excessu epistolam, in Ciliciâ autem patris illas celeriter eum revocantes litteras accepit: atque ad Celenderim Ciliciæ opidum perveniens, dubitare cœpit de reditu; vehementer contristatus matris ignominiâ. Navigare tamen pergens, in Sebastum Cæsareæ portum delatus est: ubi à nemine salutatus, inde Hierosolymam est profectus. (*Id. lib.* 17. *Antiquit. cap.* 7.]

Fortè per idem tempus Hierosolymis erat Quintilius Varus, successor Saturnino missus in Syriam, tunc verò ab Herode in consilium de rebus agendis adhibitus. Quibus unà sedentibus supervenit Antipater omnium inscius, & ita ut erat purpuratus in regiam ingressus est: quo mox admisso, amicorum comitatus per janitores exclusus est. Ipsum verò accedentem pater à complexu repulit; perpetratum fratricidium & cogitatum patricidium opprobrans; & Varum cognitorem ac judicem in crastinum denuncians. (*Id. ibid.*)

Sequenti deinde luce, præsidente Varo ac Rege, ipse pater accusationem primùm exorsus, ejus prosecutionem & confirmationem Nicolao Damasceno reliquit, amicitiâ & domesticâ consuetudine sibi conjunctissimo, totiúsque negotii scientissimo. Ubi cùm à criminibus objectis Antipater purgare se non posset; venenum patri paratum in medium proferri Varus jussit: quod cuidam capitis damnato ad bibendum datum, sine mora necavit hominem. Quo facto, surgens Varus, abiit è concilio, & sequenti die Antiochiam profectus est; ubi plurimùm degebat, quòd illic esset Syrorum regia. (*Ibid.*) * & Syriam pauper divitem ingressus, dives ipse pauperem reliquit. [*Vellei. Patercul.* lib. 2. cap. 117.] Herodes verò confestim vinctum filium in carcerem conjecit: & Romam Cæsari de eo significavit per litteras; missis etiam qui coràm

eloquerentu

eloquerentur mandata, docerentque quàm ſcelerata eſſet Antipatri malitia. [*Joſeph. lib.* 17. *cap.* 7.]

Per eoſdem dies interceptæ ſunt Antiphili ex Ægypto ad Antipatrum miſſæ litteræ; unà cum aliis Româ ad Antipatrum & Herodem regem ab Acme ſcriptis. Judæa hæc erat genere, Liviæ uxoris Cæſaris ancilla: quæ magnâ pecuniâ ab Antipatro corrupta, confictam ad Herodem tranſmiſit epiſtolam, quaſi à Salome ſorore ad dominam ſuam contra ipſum ſcriptam; in quâ poſtulabat, ut ſibi liceret Syllæo nubere. (Nabatæo nimirùm illi, Herodis hoſti acerrimo: quem paulò pòſt, ob proditum in expeditione Arabicâ Ælium Gallum & alia crimina, Romæ ſecuri eſſe percuſſum, in libro 16. pag. 782. *Strabo* indicat.) Harum epiſtolarum exemplum, unà cum ſuis adversùs filium litteris, Herodes pèr legatos ad Cæſarem miſit. (*Ibid.*)

Dum legati Romam properant, Herodes morbo correptus teſtamentum condidit, ſucceſſionem regni relinquens natorum minimo (Herodi Antipæ) exaſperatus in Archelaum & Philippum calumniis Antipatri. (*Id. lib.* 17. *cap.* 8.]

Judas Sariphæi filius & Matthias Margalothi, doctiſſimi Judæorum & interpretes patriæ legis præſtantiſſimi, poſtquàm cognoverunt morbum Regis eſſe incurabilem, juvenibus, quos diſciplinis inſtituebant perſuaſerunt, ut Aquilam auream ab Herode ſuper majorem Templi portam poſitam dejicerent. Qui claro meridie aſcendentes, detractam aquilam conciderunt ſecuribus, inſpectante congregatâ in Templum multitudine. Quod ut renunciatum cognovit dux regius, cum validâ ſuorum manu adveniens, circiter 40 juvenes, reſiſtere autos, cum duobus Magiſtris comprehendit, & ad Regem perduxit. Eos, in facti defenſione conſtanter perſiſtentes, Herodes vinctos Jerichuntem miſit: móxque accitis Judæorum primoribus, in concionem eorum lectică ob imbecillitatem delatus, de injuriâ non tam ſibi quàm Deo (ut dicebat) illatâ conqueſtus eſt. Quibus ex ſententiâ ſuâ id factum fuiſſe denegantibus, in cæteros mitior, Matthiæ Pontifici ſummum ademit ſacerdotium, quaſi non alieno ab hoc conſilio; eíque ſucceſſorem dedit Joazarum, uxoris ſuæ (Mariammes, Simonis Pontificis filiæ) fratrem; Matthiam verò alterum, ſeditionis conſortem, ejúſque ſocios vivos exuſſit: & Luna nocte eâ defecit. [*Id. ibid.*] Quam eclipſim die Martii 13ª horis 3. poſt mediam noctem fuiſſe factam, aſtronomicus calculus indicat.

Herodi deinde morbus factus eſt gravior. Lento enim calore torrebatur; qui non tam externo tactu deprehendebatur, quàm intùs popularetur viſcera. Acceſſit & bulimia, cui placandæ neceſſe eſſet continuò cibos ſuggerere: ſimúlque vexabatur inteſtinorum exulceratione & colicis paſſionibus. Pedes tumebant phlegmate humido, ſimilitérque inguina. Ipſa quoque verenda putrefacta ſcatebant vermiculis; accedente fœdâ nec minùs moleſtâ tentigine, non ſine fœtore graviſſimo. Super hæc omnia nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitûs. (*Ibid.*)

Quamvis autem graviùs ille affligeretur, quàm ut videretur poſſe morbo perferendo ſufficere, tamen evaſurum ſe ſperabat; accerſendis medicis intentus, & medicamentis conquirendis undique. Profectus etiam ultra Jordanem fluvium, calidis aquis ſe fovebat apud Callirhoën; quæ, in lacum Aſphaltitem effluentes, præter vim medicam potu quoque jucundæ ſunt. Ibi de medicorum conſilio immiſſus fovendus in refertum oleo ſolium, viſus eſt illis jam agere animam. Quare exortâ comploratione familiarium excitatus & ad ſe reverſus, nullámque ampliùs ſalutis ſpem habens, ſingulis militibus 50. drachmas juſſit diſtribui: magnáque liberalitate uſus in duces atque amicos, rursùm Jerichuntem reverſus eſt. [*Ibid.*]

Cùm audiiſſet Auguſtus inter pueros quos in Syriâ (Palæſtinâ) Herodes rex Judæorum intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum; ait: *Melius eſt Herodis porcum eſſe quàm filium.* Ita refert *Macrobius.* [*lib.* 2. *Saturnal. cap.* 4.]

* Paulò ante Herodis obitum, Agrippa (illius ex filio Ariſtobulo nepos) Romæ degens, & per convictum inſinuatus in familiaritatem Druſi, Tiberii filii, nactus eſt etiam amicitiam Antoniæ, Druſi majoris conjugis, commendatione matris ſuæ Bernices (Coſtobari Idumæi, & Salomes ſororis Herodis filiæ) quæ apud illam erat in pretio. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 8.] *

4001 Herodes nobiliſſimos Judæorum undique edicto minaci Jerichuntem accitos concluſit in Hippodromo; datis mandatis Salomæ ſorori & ejus viro Alexæ, ut ſtatim poſt obitum ſuum curarent illos per milites interfici: hoc quærens, ut populo luctûs cauſa præberetur, lætaturo alioqui de regis inviſi miſerabili interitu. [*Joſeph. lib.* 17. *cap.* 8.]

Româ, à legatis ad Cæſarem miſſis, venerunt litteræ: quibus ſignificatum eſt, Acmen ab irato Cæſare occiſam eſſe propter locatam Antipatro operam; ipſúmque Antipatrum relinqui arbitrio patris, ſive in exilium eum vellet pellere ſive capite plectere. His auditis Herodes paululùm recreatus eſt: ſed mox repetitus gravi dolore, cibi tamen avidus, pomum ſimul & cultellum, quo illud repurgaret, popoſcit. Quum autem cultro ſeipſum ferire vellet, Achiabus nepos ictum ejus præveniens, clamore ſublato cohibuit ejus dexteram: móxque denuò luctus cum trepidatione ac tumultu occupavit palatium, quaſi rege jam agente animam. [*Id. lib.* 17. *cap.* 9.]

Eum ſtrepitum ubi perſenſit Antipater, ratus patrem verè vitam finiviſſe, cum cuſtode carceris de miſſione cœpit agere; multa & in præſens & in futurum poſt acquiſitam poteſtatem illi promittens. Cujus conatum quum ille Regi renunciaſſet; præ indignatione exclamans Herodes, quamvis morti proximus erexit ſe in cubitum: juſſítque unum è ſatellitio ſine morâ Antipatrum occidere, & corpus obſcuro condi in caſtello Hyrcanio. [*Id. ibid.*]

Deinde, mutatâ voluntate mutavit etiam Herodes teſtamentum. Antipam enim, quem prioribus tabulis regni ſucceſſorem deſtinaverat, Galilææ ſimul ac Perææ tetrarcham conſtituit: regnum verò Archelao largitus eſt. Philippo filio Gaulonitidem, Trachonitidem, Bata-

ræam, & Paneada regiones tetrarchiæ nomine aſſignavit. Salomæ ſorori ſuæ Jamniam, Azotum, & Phaſaëlida attribuit; cum argenti ſignati 500 millibus. Cæteris cognatis pecuniam & reditus annuos reliquit. Cæſari legavit argenti ſignati centies centena millia: & vaſa ſua tam aurea quàm argentea, magnámque veſtis pretioſæ numerum. Liviæ autem Cæſaris uxori & quibuſdam amicis quinquagies centena millia. [*Id. lib.* 17. *cap.* 10.]

His ita ordinatis, quinta die poſtquàm Antipatrum filium occidit, vitâ Herodes defunctus eſt: annos quidem 34. ex quo interfecit Antigonum, regno potitus; ex quo autem à Romanis rex declaratus eſt, 37. [*Id. ibid. & lib.* 1. *Belli*, *cap. ult.*] circa Novembris noſtri diem 25. ſeptimo videlicèt Ciſlevi menſis: qui idcircò à Judæis ut dies lætus & feſtivus celebratur; quod in eo *Herodes, qui ſapientes odio proſecutus eſt, mortem obierit.* ut ex מגילת תענית ſive *volumine Jejunii*, in Chronologiâ ſuâ notavit *Edovardus Liveleius*, vir doctiſſimus.

Salome & Alexas, priuſquàm Regis mors innoteſceret, in Hippodromo clauſos domum ſuam quemque dimiſerunt: dicentes ita ipſum jubere, ut in agros digreſſi curarent ſuametipſorum negotia. [*Joſeph. lib.* 17. *cap.* 10.]

Indicatâ deinde Regis morte, congregatáque in Jerichuntinum theatrum omni militiâ, primùm legerunt litteras ejus ſcriptas ad milites: in quibus gratias eis agebat pro fide ac benevolentiâ; rogabátque ut eandem ſervarent Archelao filio, quem regni ſucceſſorem ſibi ſubſtituerat. Deinde Ptolemæus, cui annulus Regis ſignatorius creditus fuerat, Teſtamentum perlegit: quod non aliàs ratum habendum eſſet, quàm accedente Cæſaris conſenſu. Móxque acclamatum eſt Regi Archelao: & milites catervatim unà cum ſuis ducibus pollicebantur eandem, quam Patri hactenùs præſtitiſſent, fidem atque operam; lætis ominationibus Deum illi fautorem comprecantes. Tum funus ambitioſiſſimo apparatu ab Archelao præparatum eſt. (*Ibid.*)

Defuncto Herode, qui quærebat vitam infantis Jeſu; angelus Domini in ſomnis apparens Joſepho in Ægypto, ut cum puerulo & matre ejus proficiſceretur in terram Iſraëlis, illi mandavit. Qui experrectus, quod erat injunctum fecit. (*Matth.* II. 19, 20, 21.) 4711 3

Veniens in terram Iſraëlis Joſephus, quum audiſſet Archelaum regnare in *Judæâ* pro Herode patre ſuo, timuit illuc abire: & divinitùs admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes *Galilææ*, (cujus Tetrarchiam Antipæ in Teſtamento pater Herodes conceſſerat) ibique habitavit in urbe *Nazareth*. unde & Chriſtus *Nazareni* cognomentum accepit. (*Matth.* II. 22, 23.) & *Nazarenorum*, Chriſtiani. (*Act.* XXIV. 5.)

Herodis corpus funebri pompâ per 200 ſtadia, Jerichunte in Herodion caſtellum, ubi ipſe ſepeliri ſe mandaverat, delatum eſt. [*Joſeph. lib.* 1. *Belli*, *cap. ult. fin.*] octo ſtadiis (ſive milliari Italico; quantum ex libro 17. Antiquit. cap. 10. colligi poterit) ſingulis diebus confectis. Ferebatur autem in lecticâ aureâ, diſtinctâ variis gemmis pretioſis, & inſtratâ purpurâ. Corpus quoque amictum erat purpurâ: impoſito capiti diademate, & deſuper coronâ aureâ, ſceptróque in manu dexterâ. Lecticam ſtipabant filii, & cognatorum numerus. Hos ſequebantur milites, diſtributi per nationum genera: deinde 500. famuli, ferentes aromata. [*Id. lib.* 17. *Antiquit. cap.* 10.]

Finitâ funebri pompâ, Archelaus Hieroſolymam veniens per ſeptem dies, de more Judaico, luctum patris celebravit; & in fine luctûs funebre epulum multitudini præbuit. Deinde in Templum aſcendens, quacunque tranſibat excipiebatur gratulationibus ac fauſtis acclamationibus. Tum conſcenſo ſuggeſto ſublimis aureo ſolio reſidens, plebem benigniſſimè allocutus eſt; præclariſſima quæque ei promittens: adhuc tamen à Regis nomine abſtinere ſe dixit, donec à Cæſare paterni Teſtamenti fieret confirmatio. Et ſacrificio peracto, convivium cum amicis iniit. (*Id. ibid.*)

Interea ſeditio eſt excitata ab amicis eorum, quos propter dejectam Aquilam auream Herodes ſupplicio affecerat: qui tum convitia in defunctum regem jactabant, tum quoſdam illius amicos ad pœnam depoſcebant: ſimúlque Pontificem Joazarum dejici Pontificatu poſtulabant. Quos cùm fruſtrà placare Archelaus conaretur; res eò denique proceſſit, ut ſub feſtum Paſchatis, immiſſo ab Archelao toto exercitu, ad tria millia virorum circa Templum ab equitibus cæderentur, reliquis fugâ ſe in proximos montes recipientibus. [*Id. lib.* 17. *cap.* 11.]

Tum Archelaus ad mare deſcendit unà cum matre ſuâ (Malthace Samaritanâ,) ad Cæſarem navigaturus; ducens ſecum Nicolaum Damaſcenum & Ptolemæum (Herodis procuratorem,) multóſque ex amicis alios: & familiâ & regno commiſſis Philippi fratris ſui fidei. Simul etiam profecta eſt Salome Herodis ſoror, ducens ſecum ſuam progeniem. Alii quoque ex cognatis ſequebantur multi, quaſi collaboraturi pro parandâ regiâ dignitate Archelao; re autem verâ obnixuri ei potiùs, & præcipuè perpetratum in Templo facinus incuſaturi. (*Ibid.*)

Cum hoc comitatu eunti Archelao occurrit apud Cæſaream Sabinus procurator Cæſaris in Syriâ, in Judæam properans ad aſſervandam Herodis pecuniam. Quem Varus Syriæ præſes commodùm interveniens retinuit: aderat enim ab Archelao accerſitus per Ptolemæum. Ita ille in Præſidis gratiam neque arces occupavit in Judæâ, neque thelauros obſignavit regios; omnia relinquens in poteſtate Archelai, tantiſper donec Cæſar de his aliquid ſtatueret: & hæc pollicitus, manſit Cæſareæ. Sed poſtquàm Romam navigavit Archelaus, & Varus verſùs Antiochiam profectus eſt; ipſe Hieroſolyma petiit, & occupavit regiam. Accitis deinde præfectis arcium & regiis procuratoribus, rationes repoſcebat ab eis, & arces ſibi committi poſtulabat. Præfecti tamen non diſceſſerunt à mandatis Archelai, ſed omnia ſervabant in ipſius adventum integra; prætexentes ea ſe ſervare Cæſari. [*Ibid.*]

Eodem tempore etiam Antipas Herodis filius Romam navigavit, parandi ſibi regni ſpe, ad

quam

4001 quam excitatus erat per Salomen; quam Archelao præferendus, eo quòd prioribus Teſtamenti tabulis ſucceſſor regni deſtinatus fuerat, quæ validiores deberent eſſe quàm illæ ſcriptæ poſteriùs. Ducebat autem ſecum matrem ſuam (Cleopatram Hieroſolymitanam) & fratrem Nicolai Damaſceni Ptolemæum, inter amicos olim Herodis præcipuum, & tunc ſuis faventem partibus. Sed maximè illum ad affectandum regnum movit Irenæus orator, vir eloquens & diu verſatus in regiis negotiis. Poſtquàm verò Romam Antipas pervenit, omnes cognati ad eum, Archelai odio, defecerunt: Sabino quoque, ſcriptis ad Cæſarem litteris, Archelaum accuſante. (*Ibid.*)

Archelaus per Ptolemæum Cæſari libellum obtulit, & jus ſuum, & rationes pecuniarum Herodis obſignatas, continentem. Cæſar, eo libello ſimúlque Vari ac Sabini litteris perlectis, amicos in conſilium advocavit: Caio Agrippæ & Juliæ filiæ ſuæ filio, jam à ſe adoptato, primum locum in conſiſtorio tribuens. Ibi tum Antipater Salomes filius, vir facundiſſimus, contra Archelaum dixit: cui pro eodem Nicolaus Damaſcenus reſpondit. Quo finem dicendi faciente, Cæſar Archelaum ad genua ſibi accidentem erexit humaniſſimè, dignum eſſe regno pronuncians: præ ſe ferens, nihil ſe facturum, niſi Teſtamento præſcriptum & Archelao ipſi commodum. Vidénſque hâc promiſſione confirmatum in ſpe juvenem, nihil tum ampliùs ſuper eâ re ſtatuit. (*Ibid.*)

Ad compeſcendos tumultus, poſt Archelai diſceſſum in Judæâ ortos, Varus Antiochiâ veniens, authores ejus motûs affecit ſupplicio: & maximâ ex parte ſeditione compreſſâ, rediens legionem unam reliquit Hieroſolymis, ut Judæis novandarum rerum facultatem prætiperet. Quamprimùm verò ille abiit, Sabinus Cæſaris procurator ibi ſubſiſtens, fretus relictis illic copiis & parem ſe jam putans populo, arces occupare conatus eſt, & violentas pecuniæ regiæ ſcrutationes fecit, privati lucri & prædæ cupidine. (*Ibid.*)

Ad feſtum Pentecoſtes multa millia non ſolùm religionis gratiâ, ſed etiam ut pœnas à Sabino expeterent, non ex Judæâ tantùm graviùs offenſâ, ſed è Galilæâ quoque ac Idumæâ, tum à Jerichuntæ & trans Jordanem ſuis opidis, confluxerunt; & caſtris trifariam partitis, Sabinum acriter oppugnârunt. Quibus Romani milites ſtrenuè ſeſe opponentes, plurimis eorum cæſis, penetraverunt ad ſacræ pecuniæ conditorium: cujus bona pars ſuito militum diſperiit, ad Sabinum autem propalàm 400. talenta ex eâ prædâ relata ſunt. Eum Judæi, è pugnaciſſimis globo facto, in regiâ obſederunt. Rufus verò & Gratus, qui ſub ſe habebant tria millia bellicoſiſſimorum & ſtrenuiſſimorum virorum ex Herodis exercitu, in partes Romanorum ſe tranſtulerunt. Judæi tamen nihilo ſegniùs inſtabant oppugnationi, muros ſuffodientes cuniculis; & advertarios, ſecuritate promiſſâ, ut abirent hortantes. Quorum nimiam æquitatem ſuſpectam habens Sabinus, inde milites abducere noluit: à Varo ſubſidium expectans. (*Ibid.*)

In hoc rerum ſtatu etiam alibi per Judæam diverſis in locis innumeri tumultus exoriebantur: quòd proprium regem gens non haberet, qui multitudinem bonis rationibus contineret in officio. Duo enim virorum millia, qui aliquando ſub Herode meruerant, tunc verò dimiſſi domi agebant, in unum collecti bello impetebant regios. Quibus reſiſtens regiorum dux Achiabus, nepos Herodis, quum nuſquàm æquo loco ſuſtinere eos auderet, ut veteranos & bellandi peritiſſimos; ſe & ſua, quantum poterat, aſperitatibus acceſſu difficilibus tuebatur. (*Ibid.*)

Judas (Ezekiæ, latronum ductoris olim per Herodem magno labore expugnati, filius) apud Sephorim urbem Galilææ collecta circa ſe hominum deſperatorum manu, incurſabat regis ditionem: & potitus ejus armamentario, armatiſque inde ſuis ad unum omnibus, pecuniam quoque regiam in illis locis occupavit. Unde jam formidandus accolis, ſpoliabat in quoſcunque incideret: aſpirabátque ad regnum, non bonis artibus, quarum imperitus erat, ſed nocendi licentiâ. (*ibid.*) Cùm verò Hebræorum יהודה fuerit Syrorum תודה, indéque *Judas* & *Thaddæus*, (*Luc. VI.* 16. *cum Marc. III.* 18.) multóque magis *Theudas*, idem planè nomen exiterit: non alius videtur fuiſſe *Judas* hic, quàm *Theudas* ille, de quo in Act. V. 36. Gamaliel dixit. *Ante hæc tempora exortus eſt Theudas, dicens ſe aliquem eſſe, cui agglutinatus eſt numerus virorum circiter quadringentorum: qui interemptus eſt, & omnes qui paruerant ei diſſoluti ſunt & ad nihilum redacti.*

Simon etiam Herodis regis ſervus, vir alioqui & formâ & ſtaturâ & robore egregius in primis habitus, auſus eſt diadema ſumere: ſtipatúſque numeroſis copiis, & rex conſalutatus ab inſanâ multitudine, placebat ſibi præ quovis alio. Diripiendâ ac incendendâ Jerichuntinâ regiâ, poteſtatem ſuam auſpicatus eſt: paſsimque crematis aliis regis palatiis, & prædâ conceſsâ ſuæ factionis hominibus, majora etiam auſurus videbatur; ni maturè occurſum fuiſſet. Nam Gratus regiorum militum dux, tum Romanorum partes fovens, ſuas copias contra Simonem duxit: ubi poſt acerrimum conflictum tranſamnani homines incompoſiti, & ferociter magis quàm peritè pugnantes, deleti ſunt. Ipſum Simonem per anguſtas quaſdam fauces fugientem Gratus aſſecutus obtruncavit. Ita *Joſephus*. (*ut ſuprà.*) Nam ad Varum potiùs id *Tacitus* refert: in Hiſtoriæ ſuæ libro 5. cap. 9. de Simone iſto ſic ſcribens. *Poſt mortem Herodis, nihil exſpectato Cæſare, Simon quidam regium nomen invaſerat. Is à Quintilio Varo obtinente Syriam punitus.*

Apud Amatha quoque Jordani appoſita palatium regium incenſum eſt à quâdam hominum colluvie, qualis circa Simonem fuerat. Athronges etiam, paſtor hactenùs obſcuriſſimus, vaſto tantùm corpore & manuum robore inſignis, regiam ſibi aſſumpſit dignitatem. Huic erant quatuor fratres, & ipſi grandi ſtaturâ & manu prompti; in quos quali legatos magnam quæ confluxerat turbam diſtributam obire jubebat prælia: ipſe diademate ornatus conſul-

tabat

tabat de rebus agendis, quarum penes se servabat arbitrium. Durabátque diu potestas hujus, & non inanis regis appellatio: donec in Archelai (Româ reversi) potestatem postea redactus est. [*Joseph. lib.* 17. *cap.* 12.]

Maximè autem in Romanos cædibus Athronges sæviebat, & in milites regios; utrisque ex æquo infensus. Circa Emmauntem cohortem, frumenta & arma in exercitum portantem, copiæ illius insidiis exceperunt: ducibúsque ejus Arium centurionem cum 40 fortissimis pedestribus telis confixerunt. Reliquos nihilo meliora jam exspectantes superveniens cum regio milite Gratus servavit, relictis cæsorum cadaveribus. [*ibid.*]

Quintilius Varus, cognito ex Sabini litteris periculo, timens tertiæ legioni, assumptis duabus reliquis (nam tres in universum erant in Syriâ) & quatuor turmis equitum, auxiliisque regum & tetrarcharum, properavit in Judæam ut obsessis succurreret; justis qui præmittebantur convenire Ptolemaidem. Berytiorum etiam urbem prætercundo, 1500 auxiliares ab eis accepit. Aretas quoque Petræus, amicus Romanis factus propter Herodis inimicitias, non parvam manum mittit tam peditum quàm equitum. [*ibid.*]

Postquàm apud Ptolemaidem in unum convenit totus exercitus, partem ejus Varus filio & amicorum uni tradidit ducendam contra Galilæos agro Ptolemaidis finitimos. Qui regionem eorum ingressus, profligatis quotquot ausi sunt cum armis occurrere, Sephorim cepit: & venditis sub hastâ incolis, urbem absumpsit incendio. [*ibid.*]

Ipse Varus versùs Samariam progressus cum exercitu, à civitate quidem abstinuit, quam sciebat immunem à seditiosorum contagio: castra autem posuit in quodam vico, qui erat Ptolemæi possessio, Arus nomine. Eum Arabes incenderunt, propter Herodem amicis quoque ejus infensi. Inde progressi Sampho alium vicum iidem Arabes diripuerunt, móxque incenderunt, quamvis munitissimum: toto illo itinere omnia miscentes flammis ac cædibus. Emmaus autem Vari jussu cremata est, in vindictam cæsorum ibi militum, deserta tamen ab habitatoribus. [*ibid.*]

Inde cùm appropinquarent Hierosolymis, Judæi qui legionem ab eâ parte obsidebant, ad primum venientis exercitus conspectum territi diffugerunt, oppugnatione quam inceptabant relictâ. Hierosolymitani autem Judæi gravitet à Varo increpati, excusationem afferebant; populum quidem propter festum confluxisse, bellum verò non ex suâ sententiâ, sed ex convenarum audaciâ susceptum. Et jam antè obviam Varo processerant, Josephus Herodis regis nepos Gratúsque ac Rufus cum militibus, & Romani qui obsidionem tulerant. Sabinus enim in ejus conspectum non venit, sed subducens se clàm ex urbe, ad mare profectus est. [*ibid.*]

Tum Varus dimissa per totam regionem parte exercitûs, perquirebat defectionis authores; & indicio repertos, alios ut fontes punit, nonnullos dimittit incolumes: actique sunt in cruces eâ de causa circiter duo millia. Post hæc ablegato exercitu cujus non erat usus ampliùs, quique contra ejus voluntatem lucri studio multa maleficia patraverat; ipse audito decem millia Judæorum in unum confluxisse, properavit ut eos deprehenderet. Illi non ausi manus conserere, deditionem fecerunt arbitratu Achiabi. Varus autem datâ seditiosorum vulgo defectionis veniâ, duces eorum misit ad Cæsarem. Atque ita rebus compositis, & relictâ Hierosolymis eâdem legione in præsidio, reversus est Antiochiam. [*ibid.*]

Malthace, Archelai mater, morbo Romæ vitam finiit. [*ibid.*]

Cæsar, acceptis Vari de Judæorum defectione litteris, cæteris seditiosorum ducibus ad se missis ignovit; in solos aliquot regis Herodis necessarios animadvertit, quòd nec cognationis nec justitiæ respectu à nefariis armis abstinuerint. [*ibid.*]

Romam venit eodem tempore, Vari permissu, Judæorum legatio, postulans ut eis liceat suis legibus vivere: erántque legati 50. quibus aderant Judæorum Romam incolentium plùs quàm octo millia. Cúmque Cæsar convocasset in ædem Apollinis magno sumptu à se extructam concilium amicorum & primariorum civium; venerunt eò legati, prosequente Judæorum turbâ, & Archelaus cum amicorum comitatu. Aderat & Philippus è Syriâ Vari hortatu veniens, tùm ut fratris advocatum ageret, cui Varus bene cupiebat; tùm ut in divisione regni Herodiani ad ipsum quoque rediret pars aliqua. Datâ igitur Judæorum legatis dicendi copiâ, ab accusatione Herodis & Archelai illi exorti, postulabant demùm ut mutata Reipublicæ formâ posthac sine regibus agerent, & contributi provinciæ Syriæ, Romanis parerent potestatibus. Quibus cùm pro Herode mortuo & præsente Archelao Nicolaus Damascenus respondisset; Cæsar dimisit concilium. [*ibid.*]

Post paucos deinde dies Archelaum Cæsar non quidem Regem declaravit, sed dimidiâ parte ditionis quæ Herodis fuerat ei concessâ Ethnarcham eum constituit; regnum quoque pollicitus, si virtutem exhiberet regno convenientem. Obtigit verò illi Judæa & Idumæa, prætérque has Samaria; cui ex authoritate Cæsaris tributorum quarta pars remissa est, eo quòd cæteris tumultuantibus soli quieti manserant in officio. In ejus ditione comprehendebantur urbes, Stratonis turris, Sebaste, Joppe, Hierosolyma. nam Gazam, Gadara & Hippon Græcanici instituti urbes Cæsar ob id separatas à regni terminis Syriæ contribuit. Sexcenta autem talenta quotannis redibant è suâ ditione ad Archelaum. [*Id. ibid. cap.* 13.]

Alterum ditionis Herodianæ dimidium in alios duos Herodis filios Cæsar partitus est. Herodi Antipæ Galilæa cessit, & Peræa (fertilissima trans Jordanem inter duos lacus, Tiberiadis & Asphaltiten, regiuncula:) quarum annui reditus erant 200 talenta. Philippo Batanæa cum Trachonitide, & Auranitis cum parte quâdam Zenodori (ut vocabant) domus; * sive ditionis, (non ea quæ Abilenæ Tetrarchiam continebat) Lysaniæ cuidam datam fuisse, ex *Luc.* III. 9. constat; quæ pendebant annua talenta 100. Salomæ autem præter legatas à fratre urbes Jamniam, Azotum & Phasaëlida, argentique quingenta millia, Cæsar largitus

est

eſt in Aſcalone palatium: percipiebátque ex ſubjectis ſibi locis 60 talenta annua, habitans in ditione Archelai. Reddita ſunt etiam cæteris regis cognatis legata, ita ut Teſtamento caverat. Duæ deinde ejus filiæ virgines, præter relicta ſibi à patre accepere ex Cæſaris munificentiâ 150 ſignati argenti millia, & elocatæ ſunt Pheroræ filiis. Quin & totum regis legatum, 1500 talentorum æſtimatione, ceſſit ipſius filiis: paucis aliquot vaſis ſibi retentis, non tam ob pretium charis, quàm ob amici memoriam. (*Id. ibid.*)

Ita gentem coërcitam liberi Herodis tripartito rexêre: inquit *Tacitus*, Hiſtoriæ libro 5. cap. 9. Cui addendus & *Strabo*: de liberis ejuſdem, in libro 16. (*pag.* 765.) ita ſcribens. *De filiis ejus ipſe, ut eorum impetitus inſidiis, interemit: alios moriens, adſignatâ cuique portione, ſucceſſores reliquit. Cæſar & Herodis filios, & ſororem Salomen, & Berenicem Salomes filiam, honore proſecutus eſt.*

Juvenis quidam Judæus plebeius, educatus Sidone apud quendam Romani civis libertum, Alexandrum Herodis filium de facie referens, mentitur ſe illum eſſe, qui à ſupplicio, cum fratre Ariſtobulo, cuſtodis cujuſdam beneficio ſervatus ſit; ut id mentiretur inductus à vafro quodam impoſtore rerum omnium regiæ Herodis gnaro. Hujus technis & dolis inſtructus, quum Cretam appuliſſet, quotquot Judæorum venerunt in ejus colloquium, omnibus rem pertuliſſe: & auctus ab eis pecuniâ trajecit in Melum inſulam, ubi magnam pecuniæ vim adeptus eſt prætextu regiæ proſapiæ. Et jam ſperans recepturum ſe paternum principatum, Romam properavit, ſuis hoſpitibus deducentibus. Cúmque adnavigaſſet Puteolos, ibi quoque à deceptis Judæis ſimili favore exceptus eſt: Romámque advenienti univerſa Judæorum illic agentium multitudo profecta eſt obviam. Id ubi allatum eſt ad Cæſarem, Celadum unum è ſuis libertis familiariter olim verſatum cum adoleſcentibus illò miſit, juſſum ut Alexandrum in conſpectum ſuum adduceret: quod ille fecit, nihilo in dignoſcendo aliis ſagacior. Non tamen fefellit Cæſarem: qui Pſeud-Alexandrum iſtum impoſturam fatentem in remigum ordinem allegit, quòd eſſet valido corpore; eum verò qui ad hæc audenda illum impulerat necavit. (*Joſeph. lib.* 17. *cap.* 14.)

4002 Archelaus ethnarcha in Judæam reverſus, Joazaro Boëthi filio (vel ex Simone filio nepoti) Pontificatum abrogavit, inſimulato quòd ſeditioſis conſenſiſſet: eámque dignitatem in Eleazarum illius fratrem collocavit. (*Id. ibid. cap.* 15.)

Auguſtus, Conſulatu *decimo tertio* ſuſcepto, Lucium filium in forum deduxit. (*Sueton. in Octavio, cap.* 26.) iiſdem illi datis honoribus, qui in fratrem Caium ante triennium fuerant collati. Quorum & nummi teſtes ſunt, in quibus effigies Caii & Lucii cum clypeis & haſtis cernuntur, hâc inſcriptione adpoſitâ. C. L. CÆSARES. AVGVSTI. F. COS. DES. PRINC. IVVENT. 4712 2

In eodem Conſulatu ſuo XIII. *ſexagenos denarios plebi, qua tum frumentum publicum accipiebat*, ſe dediſſe, ipſe in monumento Ancyrano indicat: addens, *ea millia hominum paullo plura quàm ducenta* fuiſſe. Quod ipſum etiam in Excerptis ex Dione, apud *Xiphilinum* habetur: niſi quòd pro 60 denariis (quos drachmas Græci reddunt) Latinus interpres 240 denarios, neſcio quâ incogitantiâ, repoſuerit.

Magnificentiſſimis gladiatorii muneris naumachiæque ſpectaculis Auguſtus, ſe & Gallo Caninio Conſulibus, dedicato Martis templo, animos oculóſque populi Romani replevit. [*Vell. Patercul. lib.* 2. *cap.* 100. *cum Hieronymo, in Chronico.*] Spectaculis exhibitis, aquam in circum Flaminium induxit; in quâ 36. crocodili ſunt conciſi. [*Xiphilin. ex Dione.*]

Navale verò ibi exhibuit prælium, circa Tiberim cavato ſolo, in quo poſteà Cæſareum nemus erat. [*Sueton. in Octavio, cap.* 43.] cujus loci excavati longitudo 1800 pedum fuit, latitudo 200. in quo 30 roſtratæ naves & triremes plurimæ, præter minora navigia, inter ſe conflixerunt: ut in rerum ſuarum Breviario, lapidi Ancyrano inſculpto, ipſe Auguſtus indicat. Hujus naumachiæ, ut nuperrimè editæ, in libro Artis ſuæ primo ita meminit Ovidius.

Quid modò, cùm belli navalis imagine Cæſar
Perſidas induxit Cecropidáſque rates?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellæ
Venêre; atque ingens urbis in urbe fuit.

Ejuſmodi ludicris vacanti Romæ Auguſto, in Oriente ab Armeniis negotium datum eſt. Eos in hoc unum ſervitutis genus Pompeius aſſueverat, ut rectores à Romanis acciperent. Sed jam Artavaſdem ſive Artabazem, eo jure regem ab Auguſto ipſis impoſitum, non ſine Romanorum clade dejecerunt; Tigrane in locum ejus ſubſtituto. Ad hanc verò defectionem tuendam, Parthos in auxilium advocárunt: atque ita, ſe ad eos ſubtrahente Armeniâ; Phraates deſciſcens à ſocietate Romanâ adjecit Armeniæ manum. [*Florus, lib.* 4. *cap.* 12. *Velleius Patercul. lib.* 2. *cap.* 100. *Tacitus, Annal. lib.* 2. *cap.* 3. *Dio, in Zonarâ; & Excerptis à Fulv. Urſino edit. legat.* 39. *Sextus Rufus, in Breviario.*]

Caium & Lucium teneros adhuc ad curam Reipublicæ Auguſtus admovit; & Conſules deſignatos circum provincias exercitúſque dimiſit. [*Sueton. in Octav. cap.* 64.] Unde & Caium *provincias ad ſidendum obiiſſe*, in Velleio Paterculo [*lib.* 2. *cap.* 101.] legimus. ubi *ad ſedandum*, Beatus Rhenanus legendum ſenſit; *ad viſendum*, Juſtus Lipſius, cujus veriorem hîc eſſe emendationem, locus iſte *Dionis*, in Excerptis ab Henr. Valeſio editis, [*pag.* 665.] oſtendit. „ Caius „ Cæſar legiones quæ ad Iſtrum caſtra habebant, pacis more obiens ſpectavit. Bellum enim „ nullum ab eo geſtum: non quòd nullum bellum ingrueret; ſed quia ipſe quidem in ſummâ „ pace ac ſecuritate principatûs artes diſcebat, belli autem diſcrimina aliis mandabantur.

Romæ eo ipſo anno quo gladiatorii muneris naumachiæque ſpectacula D. Auguſtus exhibuit, fœda dictu memoriâque horrenda in ipſius domo tempeſtas erupit. Quippe filia ejus Julia,

per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset femina luxuriâ & libidine infectum reliquit: magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentiâ metiebatur, quidquid liberet pro licito judicans. (*Vellei. Patercul. lib.* 2. *cap.* 100.) eò lasciviæ progressa, ut in ipso etiam foro & rostris nocturnas comessationes & compotationes ageret; ad stupra locis illis abusa ex quibus pater legem de adulteriis tulerat. Unde tantâ subitò irâ correptus est Augustus, ut hæc intra domûs claustra cohibere nequaquàm potuerit, sed publicaverit & cum Patribus etiam communicaverit. (*Seneca, de Beneficiis, lib.* 6. *cap.* 32. *Dio, in Xiphilini epitome; & excerpta Valesii, pag.* 665.) Sed absens, ac libello per quæstorem recitato, notam senatui rem fecit: abstinuitque congressu hominum diu præ pudore: de necandâ etiam filiâ deliberans. (*Sueton. in Octavio, cap.* 65.) In Pandatariam demùm Campaniæ insulam relegata est: ultrò eam in exilium matre Scriboniâ comitante. (*Vellei. Paterc. & Dio, ut suprà.*) quæ eodem quo ipsam pepererat die à Cæsare repudiata fuerat; L. Marcio & C. Sabino Consulib. (*Dio, lib.* 48. *cap.* 377.) anno videlicèt Julianæ Periodi 4675. Ut 38. ætatis annum hoc tempore Julia egerit: quâ ætate minorem eam non fuisse, etiam ex *Macrobio* intelligimus. (*lib.* 2. *Saturnal. cap.* 5.)

Tiberius in Rhodo audiens Juliam uxorem ob libidines atque adulteria damnatam, repudiúmque ei suo nomine, ex authoritate Augusti remissum, quanquàm lætus animo, tamen officii duxit, quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequentibus litteris; & vel utcunque meritæ, quicquid unquam dono dedisset, concedentem. (*Sueton. in Tiberio, cap.* 11.)

4003 Quum Armenios defecisse intellexisset Augustus, & à Parthis esse adjutos; eâ re dolens, quid ageret ambigebat. Nec enim ipse propter senectutem bellum gerere poterat; & Tiberius jam secesserat, nec alium ex potentioribus mittere audebat: Caius verò & Lucius adolescentes & rerum imperiti erant. Verùm urgente necessitate, Caium delegit; potestate Proconsulari & uxore datâ, ut eâ quoque re dignitas ejus augeretur, & consiliariis adjunctis. (*Zonar. ex Dione.*) Uxorem verò illi Lolliam Paulinam dedit. (*Sueton. in Claudio, cap.* 26.) vel filiam vel neptem Marci Lollii. (*Plin. lib.* 9. *cap.* 35: *Solin. cap.* 55.) quem rectorem, & veluti moderatorem juventæ Caii esse voluit. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 102. *Sueton. in Tiberio, cap.* 12.)

Quum ad expeditionem hanc ille se pararet, *παρασκευαστικὸν* suam scribebat *Ovidius*; in libro ejus primo, mentioni naumachiæ modò peractæ ista subjiciens.

Ecce parat Cæsar domito quod defuit orbi
Addere: nunc Oriens ultimus noster erit.
Perfer dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti,
Signáque barbaricas non bene passa manus.
Ultor adest, primúsque ducem profitetur in annis;
Bellaque non puero tractat agenda puer.

& paulò pòst addens:

Auspiciis annisque patris puer arma movebis;
Et vinces annis auspiciisque patris.
Tale rudimentum tanto sub nomine debes;
Nunc juvenum princeps, deinde futurus avum.

Qui in futuris conjectandis haud bonus hic Vates, in præsente ætatis Caii anno designando non multum à vero abiit. Patet enim illius Augustus *annos undeviginti natus* exercitum sibi comparavit: ut suo loco ex Ancyrano marmore est ostensum. Et *undevigesimum* ætatis annum ingressus jam Caius est, quum ad bellum Armeniacum & Parthicum se pararet; pari cum patre ætate illud deinde administraturus.

Dionysium, orbis situs recentissimum authorem, ad commentanda omnia in Orientem præmisit D. Augustus, ituro in Armeniam ad *Parthicas Arabicásque* res majore filio: ut apud *Plinium* legimus. [*lib.* 6. *cap.* 27.] sive notissimus ille *Dionysius* hic fuerit, cujus Periegesis Græco carmine conscripta extat; sive *Dionysius* Diogenis filius, quem terrarum dimensionem edidisse, in primo Peripli sui libro Marcianus Heracleota significat.

Caium Cæsarem *Armeniam* obtinuisse, Tacitus; [*Annal. lib.* 2. *cap.* 3. *& lib.* 3. *cap.* 48.] in *Syriam* missum, Velleius Paterculus; [*lib.* 2. *cap.* 101.] *Orienti* præpositum, Sueronius; [*in Tiberio, cap.* 12.] ad ordinandas *Ægypti Syriaque* provincias ab Augusto missum fuisse scribit *Orosius*. [*lib.* 7. *cap.* 3.] Jubæ regis de *Arabica* expeditione ad eundem Caium scripta volumina, in fine capituli 27. libri 6. citat *Plinius*: in sequenti tamen capite addens, Caium ipsum *prospexisse tantum Arabiam*, nullam in eam expeditionem fecisse.

De apparatu Caii bellico ad barbaros nuncio perlato Phraates Parthorum rex ad Augustum misit: apologiâ pro his quæ gesta fuerant factâ, pacem postulans. Cui per litteras respondens Augustus, Armeniâ cedere eum jussit. Tigranes verò Armenius legationem tunc ad eum nullam misit. [*Dio, legat.* 39. *in Excerpt. ab Ursino edit.*]

Tiberius, transacto tribunitiæ potestatis tempore, confessus tandem nihil aliud secessu devitasse se quàm æmulationis cum Caio Lucióque suspicionem, petit ut sibi securo jam ab hâc parte, corroboratis his & secundum locum facilè curantibus, permitteretur revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetravit: ultroque etiam admonitus est, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupidè reliquisset. [*Sueton. in Tiberio, cap.* 11.] 4713 I

Remansit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem consecutus, ut ad velandam ignominiam quasi legatus ab Augusto abesset. Neque privatum modò, sed etiam obnoxium & trepidum tunc egit; mediterraneis agris abditus, & præternavigantium vitans officia. [*Id. ibid. cap.* 12.]

Caio ad bellum Armeniacum profecto, Tiberius *Chium* trajiciens adolescentem studiosè

coluit,

Digitized by Google

coluit, purgando ſuſpiciones, & non ipſi tantùm Caio ſed etiam comitibus ejus ſe ſubmittendo, [*Xiphilin. & Zonar. ex Dione.*] licèt Tiberio, ut ſolet, adulatus hîc *Velleius*, Caium illi omnem honorem, ut ſuperiori, habuiſſe ſcripſerit. [*lib.* 2. *cap.* 101.] Non *Chium*, ſed *Samum* Tiberium viſendi Caii privigni ſui gratiâ trajeciſſe, ibique alieniorem eum ſibi ſenſiſſe ex criminationibus M. Lollii, ſcribit *Suetonius*. [*ut ſuprà cap.* 12.]

Sed venit præterea in ſuſpicionem Tiberius per quoſdam beneficii ſui centuriones, à commeatu caſtra petentes, mandata ad complures dediſſe ambigua, & quæ tentare ſingulorum animos ad novas res viderentur. De quâ ſuſpicione certior ab Auguſto factus, non ceſſavit efflagitare aliquem, cujuslibet ordinis, cuſtodem factis, atque dictis ſuis. Equi quoque, & armorum ſolitas exercitationes omiſit; redegitque ſe, depoſito patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali ſtatu biennio ferè Rhodi permanſit, contemptior in dies, & inviſior. [*Suetonius in Tiber. cap.* 12.]

Caius Judæam prætervehens, apud Hieroſolymam ſupplicare contempſit: Quod Auguſtus ubi per eum comperit, ut prudenter factum collaudavit. Refert hoc *Suetonius*, in *Octavio*, cap. 93. & ex eo *Oroſius*, lib. 7. cap. 3. ex Ægypto Caium venientem fines Palæſtinæ prætexiſſe addens. (* Alia verò Auguſti mens perſpicitur, ex *Philone*, *in Legat. ad Caium.* *)

In Syriam inde venientem Caium, nihil præclari geſſiſſe, ex Dione refert *Zonaras*. Tam variè ibi ſe geſſiſſe, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat; ait Velleius Paterculus. [*lib.* 2. *cap.* 101.] Per majeſtatem tamen Romani nominis facilè eum cuncta ſedaviſſe, *Sextus Rufus* in ſuo affirmat Breviario.

Quirinius Romam reverſus, conjugem duxit generoſiſſimam fœminam Lepidam; deſtinatam aliquando Lucio Cæſari uxorem, atque Auguſto nurum. Quam tamen *poſt vigeſimum annum* (M. Valerio Meſſalâ & M. Aurelio Cottâ Conſulib. anno Per. Julian. 4733.) ille dimiſſam è matrimonio veneni olim in ſe comparati arguebat. [*Suetonius in Tiberio*, *cap.* 49. *cum Tacito*, *lib.* 3. *Annal. cap.* 22. & 23.]

Cùm Auguſtus in ſuperiùs commemoratis litteris Phraatem ſimpliciter compellaſſet, regio titulo non appoſito; adeò ille nihil eſt territus, ut reſcribens ſuperbè, ſibi ipſi Regis regum titulo dato, Auguſtum tantùm Cæſaris vocabulo affecerit. [*Dio*, *in Xiphilino*, *& legat.* 39. *ab Urſino edit.*] Poſtquàm verò Caium in Syriam advenſſe audiſſet, ac res domi odio ſui conturbatas ſuſpicaretur, eâ conditione, ut Armeniam miſſam faceret, in gratiam rediit. [*Xiphilin. ex Dione.*] Unde, ut in libro 7° *Eutropii*, Auguſtus *Armeniam à Parthis recepiſſe*; ita in *Euſebiano* Chronico (ad hunc annum) *Caius Cæſar amicitiam cum Parthis feciſſe* legitur.

Quum Artabazes (ſive Artavaſdes) morbo extinctus eſſet, Tigranes dona miſit Auguſto, velut adverſario de medio ſublato: titulóque regio litteris haud inſcripto, regnum ab eo petiit. Auguſtus his adductus, & bellum præterea Parthicum veritus, tum ea munera accepit, tum bonâ cum ſpe Tigranem in Syriam ad Caium proficiſci juſſit. Ita *Dio*; in Excerptis legationum, à Fulvio Urſino editis. *Armenios, qui tunc temporis validiores erant Parthis, dediſſe ſe Caio*, dicit Sextus Rufus in Breviario. Et, ſi Jornandem hîc audire libeat: *Armenii cum Parthis commixti, per C. Cæſarem nepotem Auguſti ecjus ſuperantur. Armenii ſiquidem, utilius rati Romanorum amicitia reconciliari & propriis ſedes incolere, quàm cum Parthis conjungi & ſedes perdere, & Romanos infeſtos habere.*

4004 ÆRÆ vulgaris Chriſtianæ, cujus nunc annum 1722. (1653. *juxta Edit. Londin.*) numeramus, annus primus hic incipit: quo Caius Cæſar, vigeſimum ætatis annum agens, quinquennio poſtquàm in forum eſt adductus, Conſulatum in Oriente iniit; quemadmodum ex marmoreâ tabulâ Neapolitanâ & Anagninâ, in Annalibus ſuis, oſtendit *Pighius*. 4714 1

Hoc etiam anno Tiberius *Rhodi ſpecie ſeceſſûs exulem egit*. Ita enim de eo rectè cenſuit Tacitus. [*Annal. lib.* 1. *cap.* 4.] Unde in familiari quodam convivio mentione ejus ortâ, extitit qui Caio polliceretur confeſtim ſe, ſi juberet, Rhodum navigaturum, capútque *exulis* relaturum. Quo præcipuè, non jam metu, ſed diſcrimine, coactus Tiberius eſt, tam ſuis quàm matris (Liviæ) impenſiſſimis precibus reditum expoſtulare. Sed deſtinatum Auguſto erat, nihil ſuper eâ re niſi ex voluntate Caii ſtatuere. [*Sueton. in Tiberio*, *cap.* 13.]

Quum Auguſtus, exacto anno ſuo climacterico, natalem ſuum 64. celebraret IX. Kalend. Octobr. hanc ad Caium ſcripſit epiſtolam. *Have, mi Cai, meus ocellus jucundiſſime: quem ſemper medius fidius deſidero quum à me abes: ſed præcipuè diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium: quem, ubicunque hoc die fuiſti, ſpero lætum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. Nam, ut vides, τεσσαρακοντάετηρον communem ſenioriam omnium tertium & ſexageſimum evaſimus. Deos autem oro, ut, quantum mihi ſupereſt temporis, id ſalvis vobis traducere liceat in ſtatu Reipublicæ feliciſſimo, ἀνθρωπεύεσθαι ἐμαυτὸν καὶ διαπεφυλάχθαι ſtationem meam.* Ex libro epiſtolarum Auguſti, quas ad Caium ſcripſit, hanc nobis conſervavit in lib. 15. Noct. Attic. cap. 7. *A. Gellius*.

4005 Caius cum rege Parthorum in inſulâ quam amnis Euphrates ambiebat, æquato utriuſque partis numero, in colloquium coiit: ſtante ex diverſo hinc Romano, illinc Parthorum exercitu. Prior Parthus apud Caium in Romanorum ripâ, poſterior hic apud Regem in hoſtili epularus eſt. Quod ſpectaculum ſub initia ſtipendiorum ſuorum, tribuno militum ſibi viſere contigiſſe, ſcribit *Velleius Paterculus*. [*lib.* 2. *cap.* 101.]

Eo tempore Marci Lollii perfida & plena ſubdoli ac verſuti animi conſilia, per Parthum indicata, Caii Cæſaris ira evulgavit. [*Id. ibid. cap.* 102.] Regum enim muneribus & ſpoliatis Orientis regionibus infamato tuâ illi interdixit amicitiâ: licèt uxor ipſius, hujus Lollii vel filia vel neptis tunicam ex margaritis lucrata fuiſſe dicatur, quadringenties ſeſtertiûm æſtimatam.

Plin. lib. 9. cap. 35. Solin. cap. 55.] Quo Lollio verò offensior, eo magis facilis exorabilisque in Tiberium vitricum Caius fuit. [*Sueton. in Tiberio, cap. 13.*]

Mors Lollii intra paucos dies secuta, fortuita an voluntaria fuerit, ignorare se profitetur, qui tum in iis locis fuit, *Velleius Paterculus*; licèt sumpto veneno eum interiisse, *Plinius* & *Solinus* asserant. Sed quàm hunc decessisse lætati sunt homines; tam paulò pòst obiisse Censorinum in iisdem provinciis, graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum: inquit *Velleius*. [*lib. 2. cap. 102.*] C. Marcium, ut videtur, Censorinum illum, qui Judæorum Cyrenensium & Asiaticorum suggestionem Augusto obtulit; apud *Josephum*, libro 16. Antiquit. cap. 10.]

4005 Quirinius, loco Lollii rector Caio Cæsari datus, Tiberium Rhodi agentem coluit: quod post mortem illius in Senatu patefecit ipse Tiberius; laudatis in se Quirinii officiis, & incusato M. Lollio, quem authorem Caio Cæsari pravitatis & discordiarum arguebat. [*Tacit. Annal. lib. 3. cap. 48.*] * Invisus quoque Tiberio Archelaus Cappadocum Rex fuit; quòd cum Rhodi agentem nullo officio coluisset, quod tamen Archelaus per superbiam non omiserat; sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Cæsare; missòque ad res Orientis, non tuta Tiberii amicitia credebatur. (*Id. Annal. lib. 2. cap. 42.*) * 4715 2

Permittente Caio, revocatus est Tiberius: verùm sub conditione, ne quam partem curámve Reipublicæ attingeret. [*Sueton. in Tiberio. cap. 13.*]

* Ante paucos verò quàm revocaretur dies, Aquila, nunquàm antèa Rhodi conspecta, in culmine domûs ejus assedit: & pridie quàm de reditu certior fieret, vestimenta mutanti, tunica ardere visa est. (*Id. ibid. cap. 14.*) * Erat Tiberius ejus divinationis quæ ex astris ducitur cùm ipse peritissimus, tùm Thrasyllum mathematicum in contubernio habebat: qui procul adventare navim videns, quæ nuntium reditûs à Liviâ & Augusto vehebat, gaudium afferri affirmabat; cùm quidem illum duriùs & contra prædicta cadentibus rebus, ut falsum & secretorum temerè conscium, eo ipso momento dum spatiatur unà, præcipitare in mare destinasset. [*Id. ibid. Xiphilin. ex Dione.*]

Tiberius igitur septem annos Rhodi moratus, octavo post secessum anno, Publio Vinicio Consule, Lucio & Caio adhuc viventibus, in patriam rediit. [*Sueton. ut supr. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 99. & 103.*] Romam verò reversus, deducto in forum filio Druso, statim è Carinis ac Pompeianâ domo Esquilias in hortos Mæcenatis transmigravit: totúmque se ad quietem contulit, privata modò officia obiens, ac publicorum munerum expers. [*Sueton. ut supr. cap. 15.*]

Lucius deinde ad Hispanienses profecturus exercitus, Massiliæ inglorius repentino morbo extinctus est, ante fratris Caii mortem duodeviginti mensibus. [*Florus, lib. 4. cap. ult. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 102. Tacit. Annal. lib. 1. cap. 3. Sueton. in Octavio, cap. 65. Zonar. ex Dione.*]

Post Lucii mortem, Augustus Tiberium adoptare voluit: sed ille, Caii invidiam veritus, vehementer repugnabat. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 103.*]

4006 Armeniam ingressus Caius, primâ parte introitus prosperè gessit: mox Addo vel Addus, (Ador etiam apud *Strabonem* dictus) Artagerarum præfectus castellum illud ad defectionem perduxit: & Caium ad mœnia pellectum, tanquam arcani aliquid dicturus, vulneravit. Cæsaris autem duces diuturnâ oppugnatione id ceperunt, murósque dejecerunt. [*Id. ibid. cap. 102. Strabo, lib. 11. pag. 529. Zonar. ex Dione.*] 4716 3

Apud Florum, [*lib. 4. cap. ult.*] ita historia hæc narrata legitur. Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulatâ proditione, adortus Caium intentum libello, quem ut thesaurorum rationes continentem ipse porrexerat. Strictus, sed recreatus ex vulnere in tempus. Cæterùm barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio & pyrâ, in quam se percussus immisit, superstiti etiamnum Cæsari satisfecit. *Florum* quoque secutus est *Sextus Rufus* in Breviario. Sed quasi de *Parthis* hîc ageretur, non de Armeniis, importunè attexit; *Parthos ad satisfactionem tam audacis admissi, obsides tunc primùm Octaviano Cæsari dedisse, & erepta sub Crasso signa retulisse.* per errorem ea omnia ad hanc *Caii* (*Claudii* & hîc & apud Jornandem, & in Latinorum illo scripto quod in Græcum suum Chronicon transtulit *Georgius Syncellus*, perperàm appellati) historiam referens, quæ de Parthis uno complexu, temporum ratione nullâ habitâ, scripserat *Suetonius* in Octavio, cap. 21. *Parthi & Armeniam vindicanti* (Octavio) *facilè cesserunt: & signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt; obsidésque insuper obtulerunt.*

Ariobarzanem origine Medum, ob insignem corporis formam & præclarum animum, volentibus Armeniis Caius præfecit. [*Tacit. Annal. lib. 2. cap. 4.*]

Caius ex vulnere, ut corpus minùs habile, ita animum minùs utilem reipublicæ habere cœpit. Nec defuit conversatio hominum vitia ejus assentatione alentium: per quæ eò ductus est, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quàm Romam regredi mallet. [*Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 102.*] Nam & parùm firmâ valetudine, & dissolutiore ingenio, hebetior jam factus, postulavit ut privatam sibi vitam liceret agere. Quod Augustus ægerrimè ferens, eum hortatus est, ut in Italiam reverteretur, quod vellet ageret. [*Zonar. ex Dione.*] Dio reluctatus, invitúsque reversurus in Italiam, nave onerariâ in Lyciam advectus, in urbe Limyrâ morbo obiit. [*Id. & Vell. Paterc. ut supr.*] Remeantem Armeniâ, & vulnere invalidum, interiisse notat Tacitus. [*Annal. lib. 1. cap. 3.*] Reversum in *Syriam* ex vulnere obiisse, *Sextus Rufus* asserit. Verùm in *Lyciâ* esse defunctum, cum *Dione* & *Velleio* (qui tribunus militum sub Caio ipso tunc militabat) confirmat Suetonius. [*in Octavio, cap. 65.*]

Caii mortem gravissimè Augustus tulit: per codicillos etiam de Asinio Pollione questus,

quòd

quòd in tam magno & recenti luctu suo homo charissimus sibi pleno convivio cœnasset. Cui rescripsit Pollio. *Eo cœnavi quo Asterium filium amisi. Quis exigeret majorem ab amico dolorem, quàm à patre?* Refert *M. Seneca*, in libri Controversiarum 4. Proœmio.

Corpora Caii & Lucii à tribunis militum, ac cujusque civitatis decurionibus Romam apportata sunt; parmæque & hastæ, quas ab equitibus, quum ex ephebis excesserunt, acceperant aureas, (vel argenteas potiùs; ut suo loco, ex Ancyrano monumento est ostensum) in Curiâ suspensæ. (*Xiphilin. ex Dione.*) Etsi enim Hamæ sive Emesæ in Syriâ *C. Cæsaris epitaphium Græcis characteribus inscriptum legi*, in libro secundo Observationum suarum referat *Bellonius*: Romæ tamen ossa illius esse condita, hoc ostendit epitaphium, quod ibi ante templum Apostolorum retro Minervam cernitur. OSSA C. CÆSARIS AVGVSTI F. PRINCIPIS JVVENTVTIS. (*Inscript. Gruter. pag.* CCXXXV. 4.) Ambos verò fratres dolo novercæ Liviæ [aditum ad imperium filio suo Tiberio parantis] sublatos fuisse, suspicio erat. [*Tacit. Annal. lib.* 1. *cap.* 3. *&* *Zonar. ex Dione.*]

Augustus à populo *Dominus* appellatus, nomen illud non modò non admisit, sed etiam edicto prohibuit. [*Xiphilin. & Zonar. ex Dione; cum Suetonio in Octavio, cap.* 53.]

4007 Tertio principatûs decennio ad finem jam accedente, in quartum decennium, quasi coactus, imperium suscepit. Qui nunc mansuetior, ac segnior ad Senatores exasperandos contra se factus, nolebat quenquam eorum ampliùs offendere. [*Xiphilin. ex Dione.*]

Augustus tribunitiæ potestatis consortionem Tiberio Neroni constituit, multùm eo cùm domitum in Senatu recusante. [*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 103.] Datam illi tribunitiam potestatem in quinquennium, dicit Suetonius; [*in Tiberio, cap.* 16.] in decennium, Dio. [*lib.* 55. *pag.* 556. *fin.*]

Tertio supersluo die intercalari, qui Romanorum sacerdotum vitio accreverat, in hujus anni mense Februario omisso, Kalendarium Julianum integritati suæ est restitutum. Deinceps verò unum diem secundùm ordinationem Cæsaris quinto quoque incipiente anno intercalari Augustus Pontifex jussit: & omnem hanc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandavit. [*Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 14. *fin.*] Ex quâ disciplinâ omnium posteà temporum ratio fundata est. [*Solin. cap.* 3.] quippe quæ posthac, usque ad mutationem Kalendarii anno abhinc 1579. à Gregorio XIII. Pontifice factam, constanter est observata. Tantùm ne nundinæ, quæ nono quoque die incunte à Romanis celebrabantur, in Kalendas Januarias inciderent, dies una in fine præcedentis anni sæpe intercalata est præter consuetudinem, & ex sequente anno eadem vicissim exempta, ut tempus ad Julii Cæsaris ordinationem compereret. Quâ de re videndus Dio, *lib.* 48. *pag.* 377. *&* *lib.* 60. *pag.* 681. 4717 4

Post quinquennium filiam suam Juliam ex insulâ in continentem, lenioribúsque paulò conditionibus, Augustus transtulit: nam ut omninò revocaret, exorari nullo modo potuit; deprecanti sæpe populo Romano & pertinaciùs instanti, tales filias talésque conjuges pro concione imprecatus. [*Sueton. in Octavio, cap.* 65.]

Ælio Cato & Sentio [Saturnino] Consulib. V. Kalendas Julias, Tiberium Neronem Augustus adoptavit. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 103.) Reipublicæ causâ adoptare se eum pro concione, jurans. [*Id. ibid. cap.* 104. *cum Suetonio, in Tiberio, cap.* 21.] Adoptatus etiam eâdem die Marcus Agrippa est, Caii & Lucii frater; quem post mortem Agrippæ Julia enixa erat. [*Vell. Paterc. ibid. Sueton. ut supr. cap.* 15.] Veritus etiam Augustus, ne Tiberius aliquando animo elatus novas ad res consurgeret; ante adoptionem ipsum coëgit Germanicum Drusi fratris sui filium adoptare, quanquàm ipse Tiberius natum habuisset filium. [*Dio, lib.* 55. *pag.* 556, 557. *cum Suetonio, in Tiber. cap.* 15. *&* *Tacito, lib.* 1. *Annal. cap.* 3.]

Procinùs ab adoptione in Germaniam missus est Tiberius: cum quo præfectus equitum militans Paterculus, operum ejus per annos continuos novem spectator fuit. [*Vell. Paterc. cap.* 104. *&* 105. *init.*]

Delegato in Germaniam Tiberio, Parthorum legati, mandatis Augusto Romæ redditis, eum quoque adire in provinciam jussi sunt. [*Sueton. in Tiberio, cap.* 16.] Pluribus enim de regno concertantibus, venêre in Urbem legati à primoribus Parthis, unum ex Phraatis III. filiis, qui obsides Romæ remanserant, regem petituri. Cæteris verò fratribus prælatus Vonones, à Cæsare opibus auctus, à Parthis lætantibus ad aliquod tempus acceptus est. [*Id. in Octavio, cap.* 21. *Joseph. lib.* 18. *cap.* 3. *Tacit. Annal. lib.* 2. *cap.* 2.]

Augustus, ad censum in Italiâ peragendum, Proconsulare imperium accepit. [*Dio, lib.* 55. *pag.* 557.]

4008 Sol aliquâ parte lumen suum amisit. [*Id. ibid. pag.* 563.] Martii die 28. circa 5. horam post meridiem; ut calculus astronomicus ostendit. 4718 5

M. Agrippæ, (Posthumo,) nullo honorum qui fratribus [Caio & Lucio] obtigerunt potito, virilis toga est data. [*Dio, ibid.*]

4009 Primates tam Judæorum quàm Samaritarum, non ferentes Archelai tyrannidem, detulerunt eum ad Cæsarem: scientes eum contra ipsius mandatum fecisse, à quo jussus fuerat ex æquo ac bono præesse subditis. Hoc audito Cæsar irâ commotus, accersiit procuratorem ejus Romæ manentem; & ad ipsum Archelaum non dignatus quicquam scribere, ut in Judæam properaret, & dominum suum quamprimùm ad se adduceret, ei mandavit. [*Joseph. lib.* 2. *Belli, cap.* 6. *nu.* 1. *&* *lib.* 17. *Antiq. cap. ult.*] 4719 6

Hujus mali prænuncium somnium Archelaus habuisse fertur, de novem aristis quas à bobus absumi viderit. Eas Simon Essæus de totidem regni annis interpretatus, jam instare Archelao dominationis terminum dixit. Quintâ verò post die Archelai procurator in Judæam venisse dicitur: qui eum cum amicis in convivio reperiens, indicatâ voluntate Cæsaris, ad causam dicendam evocavit. (*Ibid.*)

Ante Mundi.		Anno Periodi Julianæ.	Anno ante Chr.
4010	Circa noſtrum Novembrem, menſis Ciſſevi Judaici die 7. cœpit 10. annus regni Archelai: (quod enim *ethnarchiam* Auguſtus, Judæi *regnum* vocabant:) quo, Joſepho Sacerdoti natus eſt filius Matthias (Ματθιαίου τοῦ Ἀρχελάου τὸ ἔκτον) ut ex publicis tabulis, in libri de Vitâ ſuâ initio retulit Matthiæ hujus filius *Flavius Joſephus* hiſtoricus. Qui ob hanc ipſam rationem, quod in libris Belli Judaici de *novem* Archelai annis priùs ſcripſerat, in libris Antiquitatum omninò mutandum eſſe cenſuit: *decem* & annos in regno, & ariſtas in ſomnio Archelai ſubſtituens. Quâ quidem emendatione non admodùm opus erat: quum *decimi* illius ſive ethnarchiæ ſive regni anni nón multos ille dies numeraverit; ſub finem ejus anni miſſus in exilium, quo Conſules Romæ fuerunt M. Æmilius Lepidus & L. Arruntius. Sub horum enim Conſulatu, *Herodem Paleſtinum* (non alium profectò quàm hunc ipſum Archelaum) *à fratribus accuſatum, trans Alpes fuiſſe relegatum, ac partem ejus ditionis in publicum redactam*; in libro 55. (*pag.* 567.) author eſt Dio.		
	Cæſar igitur, auditis Archelai accuſatoribus & ipſius defenſione, Viennam Galliæ in exilium eum miſit; patrimonio ejus & theſauris fiſco adjudicatis. [*Joſeph. lib.* 2. *Belli, cap.* 6. *num.* ult. *& lib.* 17. *Antiq. cap. ult.* Atque hic ille eſt Herodis filius quem in exilio apud Gallos Allobroges vitam exegiſſe notavit Strabo. [*lib.* 16. *pag.* 765.]		
	Auguſtus unicum nepotem ſuum M. Agrippam Poſthumum (rudem ſanè bonarum artium & robore corporis ſtolidè ferocem, nullius tamen flagitii compertum) proſcripſit; & facultatibus ejus in ærarium militare relatis, ipſum in Planaſiam, Corſicæ propinquam inſulam, projecit. [*Tacit. Annal. lib.* 1. *cap.* 3. *Dio, lib.* 55. *pag.* 569, 570.]	4710	7
	Archelai ditione, id eſt, Judæâ (tribum Judæ & Benjaminis continente) Samariâ & Idumeâ, in provinciæ formam redactâ & Syriæ attributâ, Quirinius à Cæſare Syriæ Præſes miſſus; ut in eâ totâque Syriâ cenſum ageret, Judæorum facultates æſtimaret, Archelai domum venderet, & pecunias ejus in poteſtatem ſuam redigeret. (*Joſeph. in fine libri* 17. *& initio* 18.)		
	Judæi, tametſi primùm ægrè ferrent mentionem deſcriptionis, perſuadente tamen Pontifice Joazaro Boëthi filio (qui vel ab Archelao reſtitutus, vel eo abſente Pontificatum ipſe repetiit) non ſunt reluctati pertinaciter, ſed ſe cenſeri paſſi ſunt. (*Id. lib.* 18. *cap.* 1.)		
	Hujus deſcriptionis tempore Judas Galilæus exortus, avertit populum multum poſt ſe: ſed & ille periit, & omnes qui aſſenſi fuerant ei diſperſi ſunt; ut inquit Gamaliel, Act. V. 37. Quem Judam *Joſephus*, in 18. Antiquitatum libri capite 1. *Gaulanitem* cognominat, & ortum ex opido Gamalâ fuiſſe dicit: alibi verò *Galilæum* cum Gamaliele appellat, & agente Judææ cenſum Quirinio ad deficiendum à Romanis populum ſolicitaviſſe ſcribit. (*lib.* 18. *cap.* 2. *& lib.* 20. *cap.* 3.)		
	Hic, adjuncto ſibi Phariſæo Saddoco, ſolicitabat ad defectionem populos; cenſum nihil aliud quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem eſſe dictitans, & univerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Fore enim ut re bene geſtâ fortunis ſuis fruantur feliciter, & confirmati in earum poſſeſſione laudem quoque ſibi parent fortitudinis: nec ſperandum auxilium cœleſtis numinis, niſi ipſi quoque rebus ſuis conſulant. Accipiebantur hæc pronis vulgi auribus, ita ut accenderentur ad audendum aliquid. Atque ita dici vix poteſt quantum hi viri totam gentem conturbaverint; dum omnia miſcent cædibus & latrociniis, promiſcuiſque nullo amicorum aut inimicorum reſpectu prædationibus, & inſignium virorum cædibus: prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, ſed re verâ privatorum lucrorum ſtudio. Harum omnium calamitatum Judas & Saddocus authores fuêre, novitatum cupidos affatim ad ſe contrahentes: quod non in præſens tantùm turbavit reſpublicam, ſed futurarum etiam cladium extitit ſeminarium. (*Id. lib.* 18. *cap.* 1.)		
	Tribus antiquis Judæorum ſectis (Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum) quartam Judas iſte Galilæus ſuperinduxit: cujus ſequaces, in cæteris cum Phariſæis conſentientes, ſolum Deum dominum habendum ac principem affirmant; facilius vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi, unà cum cognatis ſuis ac chariſſimis, quàm mortalem aliquem appellaturi dominum. (*Id. lib.* 18. *cap.* 2.)		
	Quirinius, venditis & confiſcatis Archelai facultatibus, peractóque cenſu, qui incidit in annum ab Actiacâ victoriâ 37. (à præcedentis anni Septembre cœptum) cùm mota eſſet contra Joazarum pontificem plebis ſeditio, privavit eum hâc dignitate, & Ananum (ſive Annam) Sethi filium ſubſtituit. (*Id. ibid. cap.* 3.)		
	Simul cum Quirinio venit Coponius, vir equeſtris ordinis: Judææ in provinciam jam redactæ primus procurator ab Auguſto miſſus. (*Id. ibid. & cap.* 1. *cum libro* 2. *Belli, cap.* 7. *num.* 2.) qui Procuratorum ſuorum eò miſſorum præfecturam triennii termino præfiniviſſe videtur.		
4011	Coponio Judæam adminiſtrante, hujus vel ſequentis anni Paſchate, quum ſacerdotes (ut in eo feſto facere mos erat) poſt mediam noctem Templi januas apperuiſſent; Samaritani quidam clàm ingreſſi Hieroſolyma, ſparſerunt oſſa humana per porticus & per totum templum: quo factum eſt, ut poſthac ſacerdotes ſolito diligentiores cuſtodias agerent. (*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 2.)	4711	8
	Hujus verò anni Paſchate, Chriſtus anno ætatis ſuæ duodecimo à Joſepho & Maria Hieroſolymam ductus, & peractis jam ſeptem diebus azymorum parentibus domum redeuntibus, illis inſciis ibi hærens, ac triduo quæſitus; inventus eſt in Templo, in medio Doctorum ſedens, audiens eos, & interrogans. Et percellebantur omnes qui eum audiebant, ſuper intelligentiâ & reſponſis ejus. (*Luc. II.* 41.-47.)		
	Deſcendit deinde Jeſus cum parentibus Nazaretham: & erat eis ſubjectus. (*Luc. II.* 51.) fabrilem cum patre artem exercens, & ex ſudore vultûs ſui comedens panem ſuum. Quod illud civium ejus Nazarenorum dictum ſatis arguit; *Nonne hic eſt faber, filius Mariæ?* (*Marc.* VI. 3.)		
4012	Ovidius Tomos in Ponto relegatus eſt, partim ob viſum inhoneſtum aliquem Auguſti actum,	4712	9

quem

quem ille nullo modo conſpectum vellet; de quo infortunio, in ſecundo Triſtium libro ad Auguſtum ita ipſum conquerentem legimus,

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt?

partim ob libros amatorios editos; quod à Sidonio Apollinari & aliis habetur traditum, & ab ipſo in eodem Triſtium libro non obſcurè innuitur. Quum verò in Hirtii & Panſæ Conſulatu natum illum fuiſſe oſtenderimus: hoc tempore annum ætatis 51. egiſſe illum oportuit. Sed eo labente anno neglecto, integrum completorum annorum numerum, in quarti libri Triſtium elegiâ extremâ, ita Poëta propoſuit.

Poſtque meos ortus Piſæâ vinctus olivâ
Abſtulerat decies præmia victor eques;
Cum mavis Euxini poſitos ad læva Tomitas
Quærere me læſi Principis ira jubet.

hoc eſt, ut in Ibin carmine (quod in primo ad Tomitas acceſſu, irarum plenus, adversùs delatorem ſuum, effudit) clariùs ab eo eſt expreſſum,

Tempus ad hoc luſtris mihi jam bis quinque peractis.

Piſæorum enim quadriennes Olympiadas cum quinquennalibus Romanorum luſtris, errore non exiguo, ille ſolet confundere.

4013 In Ponto primam hyemem, & cum eâ primum exilii annum (eam enim quæ hanc anteceſſit hyemem in itinere tranſegerat) ſe exegiſſe, in tertii libri Triſtium elegiæ duodecimæ initio, ita Ovidius ſignificat. 4723 10

Frigora jam zephyri minuunt: annóque peracto,
Longior antiquis viſa Maotis hyems:
Impoſitámque ſibi qui non bene pertulit Hellen, (Aries ſc.)
Tempora nocturnis æqua diurna facit.

Deinde in libri quarti elegiâ ſextâ annum exilii ſui ſecundum ita deſignat.

Ut patriâ careo, bis frugibus area trita eſt;
Diſſiluit nudo preſſa bis uva pede.

Secundus ab Auguſto Procurator in Judæam miſſus eſt Marcus Ambivius. Cujus tempore Salome regis Herodis ſoror vitâ decedens, Juliæ (vel Liviæ Auguſtæ) Jamniam cum ſuâ toparchiâ reliquit; & ſitam in campo Phaſaëlidem, Archelaïdemque plurimis palmetis conſitam, quorum fructus erat præſtantiſſimus. (*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 3.)

4015 Tertiæ in Ponto exactæ hyemis, in libri 5ti. Triſtium elegiæ 10. exordio, ſic Ovidius meminit. 4725 12

Ut ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter;
Facta eſt Euxini dura ter unda maris.

Senatus Populúſque Romanus, poſtulante Auguſto, ut æquum Tiberio jus in omnibus provinciis exercitibúſque eſſet, quàm erat ipſi, decreto complexus eſt. (*Vellei. Paterc. lib.* 2. *cap.* 121.) Per Conſules etiam eam legem latam eſſe refert Suetonius, (*in Tiber. cap.* 21.) ut provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret Tiberius. Conſulatum verò toto eo anno geſſit Germanicus: quem Auguſtus ætate jam gravis Senatui, ut Senatum ipſum Tiberio, ſcripto commendavit; ut in hujus anni hiſtoriâ narrat Dio. (*lib.* 56. *pag.* 587.) Res enim ea jam miri nihil habebat: commendari ab Auguſto Senatum *filio, collegæ imperii, conſorti Tribunitiæ poteſtatis*; ut in 1°. Annalium libro (*cap.* 3.) loquitur Tacitus. Quin & *Cenſor* ille tum factus, Urbis curam L. Piſoni commiſit; quòd biduo duabúſque noctibus perpotationem continuaſſet apud ipſum *jam Principem:* ut in poſtremo libri 14. capitulo refert *Plinius.* quem Piſonem in Urbis præfecturâ *viginti per annos* pariter probatum, Domitio Aënobarbo & A. Vitellio Conſulib. id eſt, anno æræ Chriſtianæ 32. mortuum eſſe, & publico funere celebratum, confirmat Tacitus. (*Annal. lib.* 6. cap. 11.) Unde colligitur, anno præſenti æræ Chriſtianæ 12°. Tiberium *jam Principem* extitiſſe; toto ante exceſſum Auguſti biennio: ideóque inter primi *Principatûs* & ſequentis *Monarchiæ* Tiberii initium diſtinctionem eſſe obſervandam.

4016 Quartam in exilio actam hyemem Ovidius, in Ponti libro primo elegiâ ſecundâ ad Maximum, hiſce verbis commemorat: 4726 13

Hic me pugnantem cum frigore, cúmque ſagittis,
Cúmque meo fato, quarta fatigat hyems.

Tertius ab Auguſto in Judæam Procurator miſſus eſt Annius Rufus. (*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 3.)

4017 L. Munatio & C. Silio Conſulib. Auguſtus (quarto imperii decennio ad finem jam accedente) quintum in decennium gubernationem Reipublicæ, invitus ſcilicèt, accepit: & Tiberio tribunitiam poteſtatem protogavit. (*Dio, lib.* 56. *pag.* 588.)

Sexto Pompeio & Sexto Apuleio Conſulib. Auguſtus ſe *nuperrimè*, cum collegâ Tiberio, Romæ tertium ſuum cenſum egiſſe, eóque luſtro cenſa fuiſſe Romanorum civium capita 4137000. in rerum ſuarum Breviario, marmori Ancyrano inciſo, ſignificat. (*Inſcr. Gruter. pag.* CCXXX.) Errat igitur *Euſebius* in Chronico ſuo capita 9370000. tum inventa fuiſſe tradens. Quem errorem in libro de regnorum ac temporum ſucceſſione *Jornandes* ſecutus, alio quoque auctiorem nobis dedit; Auguſtum tunc *omnem orbem, venientis Jeſu Chriſti nativitate pacatum, cenſeri præcepiſſe* ſubjiciens: quum tamen in imperii illius annum 42. Domini nativitatem & ipſe ibidem cum Euſebio conjecerit. 4727 14

Cùm luſtrum hoc in campo Martio magnâ populi frequentiâ Auguſtus conderet, aquila cum ſæpiùs circumvolavit: tranſgreſſáque in vicinam ædem, ſuper nomen Agrippæ ad primam litteram ſedit. Quo animadverſo, vota quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Nam ſe, quanquàm conſcriptis paratiſque jam

tabulis,

tabulis, negavit ſuſcepturum quæ non eſſet ſoluturus. (*Sueton. in Octavio, cap. 97.*)

Sub idem tempus ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ ejus in Capitolio poſitæ prima nominis littera efluxit. Reſponſum eſt à vatibus, centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum *C* littera notaret: futurúmque ut inter deos referretur, quòd AESAR, id eſt, reliqua pars nominis, Hetruſcâ linguâ Deus vocaretur. (*Id. ibid. Dio, lib. 56. pag. 589.*)

Interim rerum à ſe geſtarum indicem conſcripſit: quem incidi in æneis tabulis voluit, quæ ante ipſius Mauſoleum ſtatuerentur. (*Sueton. in Octavio, cap. ult. Dio, lib. 56. pag. 591.*) Cujus exemplum illud eſt, quod Ancyrano marmori, à nobis toties laudato, eſt inſculptum: in quo idcircò ſuperius illud luſtrum *nuperrimè* ab eo actum legitur.

Atque ita, duobus illis Sextis Conſulibus (in eodem monumento nominatis,) Auguſtus Nolæ in Campaniâ obiit. (*Velleï. Patercul. lib. 2. cap. 123. Sueton. in Octavio, cap. 100. Tacit. Annal. lib. 1. cap. 5. & 7. Dio, lib. 56. pag. 589.*) in domo & cubiculo, in quo pater ejus Octavius vitam finivit. (*Sueton. ibid. Tacit. ut ſupr. cap. 9.*) menſis Auguſti die 19. quo olim primum Conſulatum inierat. (*Sueton. ibid. Dio, ut ſupr. pag. 590.*)

Exceſſum Auguſti non priùs palàm fecit Tiberius, quàm Agrippâ Poſthumo juvene interempto. Tribuno tamen militum, qui illum occiderat, renuntianti factum eſſe quod imperaſſet; neque imperaſſe ſe, & redditurum eum Senatui rationem reſpondit: invidiam ſcilicèt in præſentia vitans. (*Sueton. in Tiberio, cap. 22. Tacit. Annal. lib. 1. cap. 6. Dio, lib. 57. pag. 604.*) Proviſiſque demùm aliis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Tiberium Neronem, fama eadem tulit. (*Tacit. ibid. cap. 5.*)

Principatum tamen, quamvis neque occupare conteſtim neque agere dubitaſſet; diu tamen recuſavit impudentiſſimo animo: precantem Senatum, & procumbentem ſibi ad genua, ambiguis reſponſis & callidâ cunctatione ſuſpendens. ita ut quidam coràm illi exprobraverit: Cæteros quod polliciti ſint tardè præſtare, ſed ipſum quod præſtet tardè polliceri. (*Sueton. in Tiber. cap. 24. cum Velleio Paterculo, lib. 2. cap. 24. Tacito, lib. 1. Annal. cap. 7. & Dione, lib. 57. pag. 602, 603.*)

Inter *novum* autem *principatum* hunc, ut eum *Tacitus* appellat. (*lib. 1. Annal. cap. 6, 7.*) & priorem illum, quem biennio ante Auguſti exceſſum Tiberius adeptus fuerat, diſcrimen hoc erat; quòd ille ad exercitus & imperii Romani provincias tantùm ſe extenderet, hic etiam ad ipſam urbem Dominam: in quâ Tiberio, *Cenſoriam & Tribunitiam* poteſtatem tantùm obtinenti, principatus *Auguſtalis*, id eſt, *ἀνυπεύθυνος*, & legum poteſtate omni ſolutus, poſtea obrigit. Non enim ita cum Auguſto æquale Tiberius geſſit imperium, ut Lucius Verus cum M. Antonino Philoſopho; qui duo pariter Auguſti primi Rempublicam gubernaverunt, quemadmodùm refert Spartianus (*in Hadriano, Ælio Vero, & M. Aurelio Antonino.*) ſed cujuſmodi cum Hadriano habuit Antoninus Pius, qui ab eo adoptatus, factus eſt Patri & in imperio proconſulari (quoad provincias cæteras) & in Tribunitiâ poteſtate (domi) Collega, ſicuti narrat Julius Capitolinus. Unde & Tiberius, edictum quo patres in curiam vocabat, non novi ſui principatûs, ſed Tribunitiæ poteſtatis præſcriptione poſuit ſub Auguſto acceptæ; prætoriis verò cohortibus ſignum ut Imperator dedit. (*Tacit. lib. 1. Annal. cap. 7.*)

4018 Pannonicæ legiones tumultuantes, ſubitâ defectione Lunæ territæ, Tiberio ſe ſubmiſerunt. (*Tacit. Annal. lib. 1. cap. 18. Dio, lib. 57. pag. 604.*) Totalis ea eclipſis, die 27. Septembris, horis 5. poſt mediam noctem conſpecta fuit: ita ut in ipſo defectu Luna manè occiderit.

Apud *Ovidium*, libro Ponti 4. poſt elegiam 5. ad Sextum Pompeium hoc anno Conſulatum gerentem, ſequitur ad Brutum 6. in quâ mortis & Auguſti & Fabii Maximi (quem hoc eodem anno ſub Tiberio deceſſiſſe ex *Tacito*, lib. 1. Annal. cap. 5. liquet) ille meminit. Quo tempore & quintum exilii annum ſe exegiſſe & ſextum tunc egiſſe (unde de initio ejus nobis conſtat) hiſce verſibus ille indicat.

In Scythiâ nobis quinquennis Olympias acta eſt,
Jam tempus luſtri tranſit in alterius.

quem ſextum etiam annum, in decimæ elegiæ ad Albinovanum initio, ita commemorat.

Hac mihi Cimmerio bis tertia ducitur æſtas
Littore, pellitos inter agenda Getas.

Sextum deinde brumæ (à quâ ſeptimus exilii annus ducit initium) in elegiâ 13. ad Carum, mentionem hanc injicit. 4718 15

——— ſed me jam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma ſub axe videt.

Ubi & de Auguſti *ἀνεθίσεϊ* poëma Geticâ linguâ conſcriptum à ſe hoc tempore fuiſſe narrat.

Ah pudet, & Getico ſcripſi ſermone libellum,
Structáque ſunt noſtris barbara verba modis.
Et placui, grataere mihi, capique poëta
Inter inhumanos nomen habere Getas.

Hebræa mulier à Satanâ incurvari cœpit, poſt annos 18. valetudini à Chriſto reſtituta. (*Luc. XIII. 1,--16.*)

A Tiberio Judææ procurator miſſus in Annii Rufi locum Valerius Gratus, in provinciæ illius adminiſtratione undecim annos exegit. (*Joſeph. lib. 18. cap. 3.*)

Cretæ præfecto vitâ defuncto, quæſtori & adſeſſori ejus inſula in reliquum tempus mandata eſt. (*Dio, lib. 57. pag. 611.*)

4019 Cum Vononem regno Parthico exutum Armenii in regnum accepiſſent: minitante Artabano Parthorum & Medorum rege, * (quem genere Arſacidem, in Mediâ regnantem Parthi ejecto Vonone, ab Auguſto ad eos priùs miſſo, regem ſibi delegerant:) Vonones legatis 4719 16

Romam

Romam miſſis Tiberii opem fruſtrà imploravit. Cúmque potentiores Armeniorum Niphatem accolentes ſequerentur factionem Artabani: Vonones, omni ſpe regnandi deſtitutus, Antiochiam cum ingenti gazâ ſe recipiens, Syriæ præſidi Cretico Silano ſe dedidit. Is reſpectu educationis quæ illi Romæ contigerat, hominem apud ſe aſſervavit in Syriâ: cuſtodiâ tamen circumdedit, manente luxu & regio nomine. Armeniis autem Orodem unum è ſuis filiis Artabanus regem impoſuit. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 3. *Tacit. Annal. lib.* 2. *cap.* 4. *Suet. in Tiber. cap.* 49.]

4020 Ovidius poëta in exilio diem obiit, & juxta opidum Tomos ſepelitur. [*Hieronym. in Chronico.*] 4730 17

Tiberius Archelaum Cappadociæ regem ſibi inviſum, quòd ipſum Rhodi agentem nullo officio coluiſſet, Liviæ matris ſuæ litteris Romam eliciendum curavit. Illa, non diſſimulatis filii offenſionibus, clementiam offerebat, ſi ad precandum veniret. Archelaus ignarus doli, vel ſi intelligere crederetur vim metuens in Urbem properavit: exceptúſque immiti à Principe, & mox fictorum criminum in ſenatu accuſatus eſt. (*Tacit. Annal. lib.* 2. *cap.* 42.) Inſimulatus ergo quaſi novis rebus ſtuderet, homo non ſenectute modò extremâ, ſed podagrâ etiam vehementi confectus ac delirare creditus, ex lecticâ nonnulla in Senatu diſſeruit; & impotem ſe animi ſimulans, periculum tum evaſit. (*Dio, lib.* 57. *pag.* 614.) Nihilominùs paulò pòſt angore, ſimul feſſus & ſenio, vitam finiit. Ac inde Cappadocia in provinciæ formam redacta, equitique regenda data eſt. (*Id. ibid. Tacit. ut ſupr. Suet. in Tiber. cap.* 37.)

Ejus regni fructibus levari poſſe centeſimæ vectigal profeſſus Tiberius, ducenteſimam in poſterum ſtatuit. (*Tacit. ibid.*) Et ejus metropolim Mazacam, nobiliſſimam civitatem, Cæſaream appellari juſſit. (*Hieronym. in Chronico.*)

Per idem tempus Antiocho Commagenorum rege defuncto, contentio nata eſt inter plebeios & nobiles: his regnum in provinciæ formam redigi poſtulantibus, plebe contrà cupiente ſub rege, ut antè, vivere. [*Tacit. ut ſupr. Joſeph. lib.* 18. *cap.* 3.] Similiter & Philopatore Cilicum rege mortuo, turbata eſt natio; pleriſque Romanum, aliis regium imperium cupientibus: & provinciæ Syria atque Judæa, feſſæ oneribus, diminutionem tributi orabant. [*Tacit. Annal. lib.* 2. *cap.* 42.]

De his Tiberius apud Patres diſſerens, perſuaſit non poſſe motum Orientem niſi Germanici ſapientiâ componi. Indéque decreto Patrum permiſſæ Germanico ſunt provinciæ quæ mari diviguntur; majore quoque imperio illi dato, quàm his qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent. [*Id. ibid. cap.* 43.] Hâc enim rerum Orientis ſpecie Germanicum ſuetis legionibus abſtrahere volebat Tiberius, noviſque provinciis impoſitum dolo ſimul & caſibus objectare. [*ibid. cap.* 5.]

Et quia Syriæ præſes Creticus Silanus per affinitatem Germanico erat connexus, Cn. Piſonem ſucceſſorem illi conſtituit, ingenio violentum & obſequii ignarum: qui nec ipſe ignorabat, ſe delectum qui Syriæ imponeretur, ad ſpes Germanici coërcendas. Credidere quidam data & à Tiberio occulta mandata: & uxorem illius Plancinam haud dubiè Auguſta monuit, muliebri æmulatione Agrippinam (M. Agrippæ & Juliæ filiam, Germanici conjugem) inſectandi. [*Id. ibid. cap.* 43.]

Eodem anno duodecim celebres Aſiæ urbes unâ nocte terræ motu proſtratæ ſunt: Epheſus, Magneſia, Sardes, Moſthene, Ægæ, Hierocæſarea, Philadelphia, Temnus, Cyme, Myrina, Apollonia, Hyrcania. Sediſſe immenſos montes, viſa in arduo quæ plana fuerint, effulſiſſe inter ruinam ignem memorant. Aſperrima in Sardianos lues, plurimum in eoſdem miſericordiæ traxit: nam centies ſeſtertiûm pollicitus Tiberius; & quantum ærario aut fiſco pendebant, in quinquennium remiſit. Magneres ad Sipylum montem, proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægæatas, Apollonienſes, quique Moſtheni aut Macedones Hyrcani vocantur, & Hierocæſaream, Myrinam, Cymen incolunt, levari idem in tempus tributis, mittíque ex Senatu placuit, qui præſentia ſpectaret refoverétque. Miſſus eſt autem cum quinque lictoribus M. Aletus è prætoriis; ne Conſulari obtinente Aſiam, æmulatio inter pares & ex eâ impedimentum oriretur. [*Id. ibid. cap.* 47. *cum Strabone, lib.* 12. *pag.* 579. *& lib.* 13. *pag.* 627. *Plinio, lib.* 2. *cap.* 84. *Dione, lib.* 57. *pag.* 614. *Euſebio in Chronico, & Oroſio, lib.* 7. *cap.* 4.]

Ob hanc magnificam in publicum largitionem, Tiberio coloſſus erectus eſt juxta ædem Veneris in Romano foro; & in unaquaque reſtauratarum urbium ſtatuæ illi poſitæ: ut ex Apollonio Grammatico refert Phlegon Trallianus, in libro de Mirabilibus. Ad quorum illuſtrationem & nummum argenteum addit *Scaliger*; in cujus ſuperficie vultus Tiberii, in alterâ effigies Aſiæ muliebri ſpecie ſedens cum his litteris. CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS.

4021 Germanicus, *ad componendum Orientis ſtatum expulſus*, [ut loquitur Suetonius, *in C. Caligulâ, cap.* 1.] in Lesbum inſulam navigavit; ubi uxor ejus Agrippina noviſſimo partu Juliam edidit. Tum extrema Aſiæ, Perinthúmque & Byzantium Thracias urbes, mox Propontidis anguſtias & os Ponticum intravit, cupidine veteres locos & famâ celebratos noſcendi; paritérque provincias internis certaminibus aut magiſtratuum injuriis feſſas refovebat. Appellens Colophona, Clarii Apollinis oraculum conſuluit: quod per ambages, ut mos eſt oraculis, maturum exitium illi prædixiſſe dicitur. [*Tacit. Annal. lib.* 2. *cap.* 54.] 4731 18

At Cn. Piſo navigatione celeri per Cycladas & compendia maris, apud Rhodum Germanicum eſt aſſecutus: à quo ipſe Piſo præſenti naufragii periculo ereptus, nec tamen mitigatus, reliquit Germanicum & in Syriam præcurrit. Ubi cùm ad legiones acceſſiſſet, largitione, ambitu, licentiâ, eas ſibi conciliare ſtatuit: eóque uſque corruptionis provectus eſt, ut ſermone vulgi parens legionum haberetur. Plancina quoque ejus uxor, tam ipſa per ſe quàm per aliquos milites ad mala obſequia promptos, contumelias in Agrippinam & Germanicum

jactabat ; idque hoc facilius, quòd id haud invito Imperatore fieri, occulto rumore ferebatur. (*Id. ibid. cap.* 55.)

Hæc licèt Germanico innotescerent, res tamen Armeniæ eum priùs ad se traxerunt. Nam eâ tempestate Armenii, amoto Vonone, regem non habebant, (si Tacitum hîc audimus : nam Suetonius, *in C. Caligulâ, cap.* 1. Armeniæ regem à Germanico devictum memorat ; Orodem videlicèt Artabani Parthorum regis filium, ut ex Josepho jam dictum) sed favor nationis inclinabat in Zenonem, Polemonis regis Ponici filium, quòd is primâ ab infantiâ instituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxtà devinxerat. Huic igitur Germanicus in urbe *Artaxatâ*, approbantibus nobilibus, circumfusâ multitudine, insigne regium capiti imposuit. Cæteri venerantes regem, *Artaxiam* consalutavere ; quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. (*Id. ibid. cap.* 56.]

Cappadocia deinde in formam provinciæ à Germanico redacta, Q. Veranio equiti regenda data est. (*Id.*) Et quædam ex regiis tributis diminuta, quo mitius Romanum Imperium speraretur. Commagenis Q. Servæus præponitur, tum primùm ad jus Prætoris translatis. (*Tacit. ut suprà.*)

4022 Cuncta socialia prosperè composita non ideò Germanicum exhilarabant, de superbiâ Pisonis indignantem, qui jussus partem legionum ipse, aut per filium in Armeniam ducere, utrumque neglexerat. Cyrrhi demùm urbe Syriæ, apud hyberna decimæ legionis convenêre, ubi paucis familiarium adhibitis, sermo cœptus à Cæsare, qualem ira & dissimulatio gignit, responsum à Pisone precibus contumacibus, opertis discessérúntque odiis. Póstque rarus in tribunali Cæsaris Piso, & si quando assideret, atrox, ac dilentire manifestus. Vox quoque ejus audita est in convivio, cùm apud Regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Germanico Cæsari & Agrippinæ, leves Pisoni & cæteris offerrentur ; principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari : abjecitque simul coronam, & multa in luxum addidit, quæ Germanico, quanquàm acerba, tolerabantur tamen. (*Tacit. Annal. lib.* 2. *cap.* 57.)

Ab Artabano Parthorum rege legati ad Germanicum venerunt, renovandæ amicitiæ ac fœderis gratiâ. Aiebat Rex se Germanici honori daturum, ut ad ripam Euphratis accederet : petens interim, ne Vonones in Syriâ haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. Ad ea Germanicus, de societate Romanorum Parthorúmque magnificè ; de adventu Regis & cultu sui, cum decore ac modestiâ respondit. Vonones Pompeiopolim Ciliciæ maritimam urbem amœnis est : non in gratiam Artabani tantùm, sed etiam in Pisonis contumeliam ; cui Vonones gratissimus erat, ob plurima officia & dona, quibus Plancinam devinxerat. [*Ibid. cap.* 58.]

M. Silano & L. Norbano Consulib. Germanicus in Ægyptum profectus est, cognoscendæ antiquitatis causâ. Sed cura provinciæ prætendebatur : levavitque apertis horreis pretia frugum ; multáque in vulgus grata usurpavit, sine milite incedens, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu. Tiberius cultu habitúque ejus lenibus verbis perstricto, acerrimè increpuit, quòd contra instituta Augusti, non sponte Principis Alexandriam introisset. Germanicus tamen, nondum comperto professionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus opido à Canopo. Mox visit veterum Thebarum magna vestigia : ubi manebant structis molibus literæ Ægyptiæ, priorem opulentiam complexæ. Aliis quoque miraculis intendit animum : quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis Solis icta est vocalem sonum reddens ; disjectáque inter & vix pervias arenas, instar montium eductæ Pyramides, certamine & opibus regum : lacúsque, effossâ humo, superfluentis Nili receptacula ; atque alibi angustiæ, & profunda altitudo, nullis inquirentium ipatus penetrabilis. Exin ventum Elephantinen ac Syenen : atque ita ea æstas Germanico plures per provincias est transacta. (*Ibid. à cap.* 59. *ad* 62.)

Per idem tempus Vonones, corruptis custodibus, ex Cilicià effugere ad Armenios, indéque in Albanos Heniochósque, & consanguineum sibi regem Scytharum conatus est. Specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit : mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cujus pontes accolæ ruperant auditâ regis fugâ ; neque vado penetrari poterat. Igitur in ripâ fluminis, à Vibio Frontone præfecto equitum vincitur : móxque à Remmio Evocato, priori custodiæ regis adposito, quasi per iram gladio transfigitur. (*Ibid. cap.* 68.)

Jairo archisynagogo unica nata est filiola ; quam post annos 12. mortuam Christus vitæ restituit : & mulier fluxu sanguinis laborare cœpit, quæ post totidem annos tactu vestimenti ejus est sanata. (*Luc. VIII.* 41, 43. *Marc.* V. 25, 42.)

Cùm oracula vana quædam, tanquam Sibyllina, de Romæ interitu anno 900. ab ejus origine obventuro ferrentur ; Tiberius ea ut falsa redarguens, omnes libros qui vaticiniorum aliquid continerent inspexit : & ex iis alios, ceu nullius momenti, reprobavit ; alios in probatorum numerum recepit. (*Dio, lib.* 57. *pag.* 615.)

Actum & de sacris Ægyptiis Judaicísque pellendis : factúmque Senatusconsultum est, ut qui iis uterentur cederent Italiâ, nisi certam ante diem ritus suos exuissent. (*Tacit. Annal. lib.* 2. *cap.* 85.) coactíque sunt religiosas vestes cum instrumento omni comburere. [*Sueton. in Tiberio, cap.* 36.] Quò referendum & *Seneca* illud, in epist. 108. *In Tiberii Cæsaris principatum juventa mea tempus incideras. Alienigena tum gentium sacra movebantur : & inter argumenta superstitionis ponebatur quorundam animalium abstinentia.*

Ægyptiacæ superstitioni amovendæ occasionem dedit immane scelus ab Ægyptiis sacerdotibus adversùs Paulinam clarissimam fœminam Romæ perpetratum : quo patefacto, Tiberius Isidis templum dirui, ejúsque statuam in Tiberim mergi jussit. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 4.] Judæis verò pellendis occasionem præbuit ex eâ gente quidam impostor, qui ne legibus pœnas daret, metu solum verterat. Is tum Romæ agens, gerebat se pro Mosaicæ legis interprete ;

4732 19

ascitis

aſcitis in ſocietatem tribus aliis per omnia ſui ſimillimis. His cùm ſe in diſciplinam dediſſet Fulvia mulier nobilis amplexa legem Judaicam, perſuaſerunt ei, ut purpuram & aurum in Hieroſolymitanum templum mitteret: quæ accepta in proprios uſus converterunt. Id poſtquàm Tiberius ex amico ſuo Saturnino ipſius Fulviæ marito de injuriâ conjugi factâ queſto cognovit; juſſit univerſos Judæos ex urbe pelli. (*Id. ibid. cap.* 5.)

Ex juventute Judaicâ Conſules delectu habito, quatuor millia militum libertini generis in inſulam Sardiniam miſerunt, coërcendis illic latrociniis; ſi ob gravitatem cœli interiiſſent, vile damnum reputantes. Plurimi, qui patriâ religione militiæ ſacramentum detrectabant, pœnis graviſſimis ſunt affecti: reliqui gentis ejuſdem, vel ſimilia ſectantes, Urbe ſubmoti ſunt; ſub pœnâ perpetuæ ſervitutis, niſi obtemperaſſent. (*Id. ibid. cum Tacito & Suetonio, ut ſuprà.*)

* Eodem tempore inter Judæos Babylonienſes, celebres, fuerunt duo fratres, Aſinæus & Aniläus, patriâ Neerdenſes: Urbs autem Neerda fluentis Euphratis cincta, Judæorum Academia erat: intéque Syriacè נהר-דעא quaſi *flumen Scientiæ* denominata. Cúmque à fratribus iſtis non ſolùm tota vicinia tacta tributaria, ſed etiam Satrapæ Babyloniæ profligatus fuiſſet exercitus; Rex Parthorum Artabanus eos ad ſe accerſens, Aſinæo terram Babyloniæ cuſtodiendam commiſit, cujus deinde adeò crevit authoritas, unà cum potentiâ, ut non à Babyloniis ſolùm, ſed à Parthorum quoque obſervaretur ducibus, qui in vicinas Provincias mittebantur cum imperio, totáque Meſopotamia ab ipſius penderet nutibus; in quâ felicitate florentior in dies exegit annos quindecim. [*Joſeph. lib.* 18. *cap. ult.*] *

Rhaſcupolis ſive Rheſcuporis Thraciæ rex, interemptor Cotyis fratris ſui filii ejuſdémque regni conſortis, à Pomponio Flacco (cujus ut Mœſiæ prætidis meminit *Ovidius*, libro quarto Ponti, eleg. 9.) proditus & Romam tractus, ibíque damnatus, & Alexandriam devectus; quaſi fugam illic tentans, interfectus eſt. (*Tacit. Annal.* 2. *cap.* 67. *cum Velleio Paterculo, lib.* 2. *cap.* 129. *& Suetonio, in Tiberio, cap.* 37.)

4023 Germanicus Ægypto remeans, cuncta quæ apud legiones aut urbes juſſerat abolita, vel in contrarium verſa, cognoſcit. Hinc graves in Piſonem contumeliæ, nec minùs acerba quæ ab illo in Cæſarem tentabantur. Dein Piſo abire Syriâ ſtatuit: mox adverſâ Germanici valetudine detentus; ubi recreatum accepit, votáque pro incolumitate ſolvebantur, admotas hoſtias, ſacrificalem apparatum, feſtam Antiochenſium (apud quos Germanicus tum erat) plebem, per lictores proturbat. [*Tacit. Annal.* 2. *cap.* 69.] qui etiam ægrum Germanicum graviſſimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit. [*Sueton. in C. Caligulâ, cap.* 2.]

Seleuciam deinde Piſo digreſſus eſt, opperiens ægritudinem quæ rurſùm Germanico acciderat. (*Tacit. ut ſupr.*) & reperiebantur in eâ quam Germanicus inhabitabat domo erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & devotiones, & nomen illius plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres ac tabe obliti, aliáque maleficia, quibus credebatur animas numinibus infernis ſacrari. (*Tacit. ib. Dio, lib.* 57. *pag.* 615.)

Germanicus irâ motus, Piſoni per litteras amicitiam, more majorum, renuntiavit; & (ut plerique addunt) provinciâ decedere juſſit. Nec Piſo moratus ultrà, naves ſolvit; moderabatúrque curſûs, quò propiùs regrederetur, ſi mors Germanici Syriam aperuiſſet. (*Tacit. Annal.* 2. *cap.* 70. *Sueton. in C. Caligulâ, cap.* 3.)

Germanicus morbo fractus, finem imminentem ſentiens, Piſonem & Plancinam ejus uxorem incuſans, & ultionem ab amicis poſtulans, extinctus eſt; ingenti luctu provinciæ & circumjacentium populorum. (*Tacit. ibid. cap.* 71, 72.) Annum ætatis agens quartum & trigeſimum, liutino morbo Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione, fraude Tiberii, operâ C. Piſonis, miniſtrati. (*Sueton. in C. Caligulâ, cap.* 1. *&* 2.)

Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubverſæ aræ, Lares à quibuſdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expoſiti. Quin & Barbaros ferunt, quibus inteſtinum, quibúſque adversùs Romanos bellum eſſet, velut in domeſtico communíque mœrore conſenſiſſe ad indicias. Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctûs. Regum etiam regem & exercitatione venandi, & convictu megiſtanum abſtinuiſſe: quod apud Parthos juſtitii inſtar eſt. (*Sueton. ut ſupr. cap.* 5.)

Funus ſine imaginibus & pompâ, per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit. Corpus antequàm cremaretur nudatum in foro Antiochenſium, qui locus ſepulturæ deſtinabatur, prætuleritne veneni ſigna, parùm conſtitit: nam ut quis miſericordiâ in Germanicum & præſumptâ ſuſpicione, aut favore in Piſonem pronior, diverſi interpretabantur. (*Tacit. Annal.* 2. *cap.* 73.) Præter livores tamen, qui toto corpore erant, & ſpumas quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa repertum eſt: cujus ea natura exiſtimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat. (*Sueton. in C. Calig. cap.* 1.) Et edita poſtea Vitellii oratio eſt, quâ reum Piſonem ejus ſceleris coarguit, hoc uſus argumento; palámque teſtatus, non potuiſſe ob venenum cor Germanici Cæſaris cremari. Contrà defenſus eſt Piſo cardiaci morbi genere; ex quo obeuntibus, cor etiam poſſe cremari negatur. (*Plin. lib.* 11. *cap.* 37.)

A legatis deinde & aliis ſenatoribus qui aderant Syriæ præſes delectus Cn. Sentius, infamem veneficiis in eâ provinciâ & percharam Plancinæ Martinam in Urbem miſit: poſtulantibus Vitellio ac Veranio, cæteriſque qui crimina & accuſationem tanquam adverſùs receptos jam reos inſtruebant. (*Tacit. Annal.* 2. *cap.* 74.) At Agrippina, quanquàm defeſſa luctu & corpore ægro, omnium tamen quæ ultionem morarentur intolerans, aſcendit claſſem cum cineribus Germanici, & liberis. (*ibid. cap.* 75.)

Piſo apud inſulam Coum de morte Germanici nuntio accepto, gaudium ſuum intemperanter expreſſit: magis etiam inſoleſcente Plancinâ, quæ luctum amiſſæ ſororis tum primùm læto cultu mutavit. (*ibid.*) Adfluebant centuriones, monebántque promptæ illi legionum ſtudia, repetetet

provinciam non jure ablatam, & vacuam. (*ibid. cap. 76.*) Ille missis ad Tiberium epistolis, incusavit Germanicum luxûs & superbiæ: seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitûs, eâdem fide quâ tenuerit, repetiisse. Simul Domitium Celerem impositum triremi vitare littorum oram, præterque insulas lato mari pergere in Syriam jubet. Ipse concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas, trajectisque in continentem navibus, vexillum tironum in Syriam euntium intercipit. Regulis Cilicum ut se auxiliis juvarent scribit. [*Ibid. cap. 78.*]

Piso & sui oram Lyciæ ac Pamphyliæ præterlegentes, obviis navibus quæ Agrippinam vehebant, utrinque infensi, arma primò expediêre: dein mutuâ formidine, non ultra jurgium processum est. Marsiasque Vibius nunciavit Pisoni, Romam ad dicendam causam veniret. Ille eludens respondit, adventurum ubi prætor qui de veneficiis quæreret, reo atque accusatoribus diem prædixisset. [*Ibid. cap. 79.*]

Interim Domitius Laodiceam urbem Syriæ adpulsus, cùm hyberna sextæ legionis peteret, quòd eam maximè novis consiliis idoneam rebatur, à Pacuvio legato prævertus est. Id Sentius Pisoni per litteras aperuit; monuitque ne castra corruptoribus, ne provinciam bello tentaret: duxitque validam manum, & prælio paratam. [*Ibid.*]

Piso castellum Celenderis in Cilicià munitum admodùm occupavit. Nam admixtis desertoribus, & tirone nuper intercepto, suisque & Plancinæ servitiis, auxilia Cilicum quæ reguli miserant, in numerum legionis composuerat. Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo & derupto: nam cætera mari cingebantur. Sed Romanis cohortibus advenientibus, verterunt terga Cilices, seque castello clauserunt. [*Ibid. cap. 80.*]

Interim Piso classem haud procul opperientem oppugnare frustra tentavit; regressusque, & pro muris modò semet adflictando, modò singulos nomine ciens & præmiis vocans, seditionem cœptabat; adeóque commoverat, ut signifer legionis sextæ signum ad eum transtulerit. Tum Sentius occanere cornua tubásque, & peti aggerem, erigi scalas jussit, ac promptissimum quemque succedere; alios tormentis hastas, saxa, & faces ingerere. Tandem victâ pertinaciâ Piso oravit, uti traditis armis maneret in castello, dum Cæsar cui Syriam permitteret, consulitur. Non receptæ conditiones: nec aliud, quàm naves & tutum in urbem iter, concessum est. [*Ibid. cap. 81.*]

At Romæ postquàm Germanici valetudo percrebuit, cunctáque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur: dolor, ira, & questus erumpebant. [*Ibid. cap. 82.*] Ejúsque mors, ut Tiberio & Liviæ summæ delectationi, ita summo omnibus aliis dolori fuit. [*Dio, lib. 57. pag. 615.*] Neque solatiis ullis, neque edictis inhiberi luctus publicus potuit: duravitque etiam per festos Decembris mensis dies. [*Sueton. in C. Caligulâ, cap. 6.*]

Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique sunt. Arcus additi Romæ, & apud ripam Rheni, & in monte Syriæ Amano, cum inscriptione rerum gestarum, ac mortem ob Rempublicam obiisse. Sepulchrum Antiochiæ, ubi crematus: tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finierat. [*Tacit. Annal. 2. cap. 83.*]

Agrippina, nihil intermissâ navigatione hiberni maris, Corcyram insulam advecta est, littora Calabriæ contra sitam. Illic paucis diebus componendo animo insumptis, ad opidum Brundusium navigavit. Ubi postquàm duobus cum liberis feralem urnam tenens egressa navi, defixit oculos; communis omnium gemitus auditus est. [*Id. Annal. 3. cap. 1.*]

Tiberii filius Drusus Terracinam progressus obviam est, cum Claudio fratre, liberisque Germanici qui in Urbe fuerant. Novi Consules M. Valerius & M. Aurelius, Senatus, ac magna pars populi viam complevere. [*Ibid. cap. 2.*] 4733 20

Dies quo Germanici reliquiæ tumulo Augusti in campo Martio inferebantur, modò per silentium vastus, modò ploratibus inquies fuit: magno omnium in defunctum honore, magnis in Agrippinam viduam studiis, & in Tiberium querelis. [*ibid. cap. 4. & 5.*]

Piso Romam adveniens, navem tumulo Cæsarum adpulit; diéque & ripâ frequenti, magno clientium agmine ipse, fœminarum comitatu Plancina, & vultu alacres incessêre: festo ornatu, convivióque & epulis, in domo quæ foro imminebat reditum celebrantes. [*ibid. cap. 9.*] Posterâ die, Fulcinius Trio Pisonem apud Consules postulavit. Tiberius integram causam ad Senatum remisit. [*cap. 10.*] Die senatûs, Drusus Cæsar orationem habuit meditato temperamento, mitigandæ in reum offensioni accommodatam. [*cap. 12.*] Exin biduum criminibus objiciendis statuitur; útque sex dierum spatio interjecto, reus per triduum defenderetur. [*cap. 13.*]

Dum causa ageretur, populi ante Curiam voces audiebantur; non temperaturos manibus, si Patrum sententias evasisset. Effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias, ac divellebant, ni jussu Principis protectæ repositæque forent. [*cap. 14.*] Nec minus erat in Plancinam odium: sed eam Tiberii favor, malè conciliatus, ut credebatur, protegebat. Ea cùm causam sitam à mariti causâ disjunxisset; sensit Piso actum de se esse: suóque se jugulavit gladio. [*cap. 15.*]

Penè discerptum à populo, à Senatu capitis eum damnatum fuisse, scribit Suetonius. [*in C. Calig. cap. 2.*] Ob necem Germanici ab ipso Tiberio in Senatum deductum, dilatione petitâ, sibi ipsi manus intulisse; refert Dio. [*lib. 57. pag. 615.*] Audivisse se ex senioribus dicit Cornelius Tacitus, [*Annal. 3. cap. 16.*] visum sæpiùs inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos ejus dictitavisse, litteras Tiberii & mandata in Germanicum continere; ac destinatum promere apud patres, Principémque arguere, ni elusus à Sejano per vana promissa foret: nec illum sponte extinctum, verùm immisso percussore. *Quorum neutrum*, inquit ille, *adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad juventam duravêrunt.* Vide *Suetonium* in Tiberio, cap. 52.

4025 Quum crebruisset Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi; quibus obærat; 4735 22

adversùs

adversùs creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur, ut flagitia hominum ceremoniis deûm protegerentur: placuit Tiberio, ut Romam ad Senatum mitterent civitates jura sua, atque legatos. Auditis hâc de re primùm Ephesiis, deinde Magnetibus, Aphrodisiensibus, Stratonicensibus, Hierocæsareensibus, Cypriis, Pergamensis, Smyrnæis, Teniis, Sardianis, Milesiis, Cretensibus, & aliis; facta sunt Senatusconsulta, quibus multo cum honore, modus tamen præscribebatur: jussique ipsis in templis figere æra, sacrandam ad memoriam, ne specie religionis in ambitionem delaberentur. [*Tacit. Annal.* 3. *à cap.* 60. *ad* 63.]

C. Silanus Proconsul Asiæ, repetundarum à sociis postulatus, in Cytheram insulam relegatus est. [*Ibid. à cap.* 66. *ad* 69.] Cælius Cordus quoque à Cyrenensibus repetundarum postulatus, accusante Anchario Prisco, damnatus est. [*Ibid. cap.* 70.]

4026 Ælius Sejanus, ad imperium adspirans, Drusum Tiberii filium & tribunitiæ potestatis cum eo consortem, uxore ejus Livià adulterio corruptâ, veneno per Lygdum spadonem dato sustulit. [*Tacit. Annal.* 4. *cap.* 8. & 10.] Qui & conficta de Judæis Romam incolentibus crimina ad Tiberium detulit: ut gentem è medio tolleret, quam nôrat vel solam vel præcipuè repugnaturam conatibus ipsius impiis, & conspirationi caput Imperatoris petenti. [*Philo, in lib. de legat. ad Caium; & libri in Flaccum initio.*] 4736 23

Drusi funere finito, Tiberius ad negotiorum consuetudinem rediit; justitio longiore inhibito. Et Iliensium legatis paulò seriùs consolantibus, quasi obliteratâ jam doloris memoriâ irridens, se quoque respondit vicem eorum dolere, quòd egregium civem Hectorem amissent. [*Sueton. in Tiberio, cap.* 52.]

* Tiberius vetuit amicos filii in conspectum suum venire, ne recrudesceret per eos defuncti desiderium. Unde Agrippa (Herodis Magni ex filio Aristobulo nepos, quum profusâ jam pecuniâ, ad inopiam redactus, ampliùs Romæ non potuisset vivere, in Judæam rediit, ubi creditoribus multis eum importunè urgentibus, cùm mutuatitiam pecuniam reddere non valeret; pudore præsentis status secessit in castrum Idumææ Malatha, cogitans miseram vitam aliquo pacto abrumpere: Quod ejus propositum ubi uxor Cypros persensit, cum sorore ipsius communicavit, à quâ persuasus maritus, Herodes Tetrarcha (sive Antipas, Herodis Magni filiorum natu minimus) accersitum Agrippam Tiberiade habitare jussit, assignatâ certâ pecuniâ unde viveret, & magistratu ejus civitatis in eum collato, quo esset honoratior. (*Joseph. lib.* 18. *cap.* 8.) *

Senatusconsulta, authore Tiberio, facta sunt, ut civitati Cibyraticæ apud Asiam, & Æginensi apud Achaiam, motu terræ labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. [*Tacit. Annal.* 4. *cap.* 13.]

Legatis Romam missis, Samii ut Junonis, Coi ut Æsculapii delubro, vetustum asyli jus firmaretur, petierunt. [*Ibid. cap.* 14.]

Procurator Asiæ Lucilius Capito, accusante provinciâ, damnatus est. Ob quam ultionem, & quia priore anno in C. Silanum vindicatum erat; decrevere Asiæ urbes templum Tiberio matrique ejus, ac Senatui. Et permissum est statuere. [*Ibid.*]

Valerius Gratus Judææ procurator, adempto Anano (sive Annæ) summo sacerdotio, Ismaëlem Fabi filium jussit esse Pontificem: quem & ipsum paulò pòst dejecit. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 3.]

4027 Ismaëli amoto, Eleazarus Anani (sive Annæ priùs dejecti) filius ab eodem Valerio Pontifex substituitur. [*Id. ibid.*] 4737 24

Cassius Severus orator, ante annos 17. ob maledicentiam judicio Senatûs in Cretam relegatus, quum illic eadem quæ priùs actitaret, bonis exutus, interdicto igni atque aquâ, in saxosam Seriphi Insulam est deportatus: ubi octavo pòst anno in summâ inopiâ vitam finiit. [*Tacit. Annal.* 4. *cap.* 21. *cum Hieronymo, in Chronico.*]

P. Dolabella Africæ proconsul, accito in auxilium cum popularibus rege Mauritaniæ Ptolemæo Jubæ filio, Tacfarinatem occidit, & bello Numidico finem imposuit. Garamantum rex, qui levibus copiis ex longinquo missis Tacfarinatem adjuverat, eo cæso, ad satisfaciendum populo Romano legatos ad Urbem misit. [*Tacit. Annal.* 4. *à cap.* 23. *ad* 26.]

Vibius Serenus exul majestatis à filio falsò accusatus, ob vetus Tiberii in eum odium damnatus est. Quum tamen Gallus Asinius Gyaro aut Donusâ claudendum censeret; quò molliret invidiam, Tiberius intercessit; egenam aquæ utramque insulam referens; dandósque vitæ usus cui vita concederetur. Itaque Serenus Amorgum (è Sporadibus insulis unam) reportatus est. [*Ibid. cap.* 28, 29, 30.]

Decem annis imperii exactis, ad resumendum id nihil decreto opus habuit Tiberius: neque enim in decennia intercisum, quod Augustus fecerat, id gerere statuerat. Ludi tamen decennales facti sunt. [*Dio, lib.* 57. *pag.* 619.]

4028 Eleazaro pòst annum amoto, Simoni Camithi filio Pontificatum Valerius Gratus tribuit. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 3.] 4738 25

Cyzicenis, quòd cives Romanos quosdam in vincula duxissent, inchoatúmque Augusto velut heroi fanum non perfecissent, libertas quam bello Mithridatis meruerant circumcisi iterùm adempta est. [*Tacit. Annal.* 4. *cap.* 36. *Dio, lib.* 57. *pag.* 619.]

Fonteius Capito, qui Proconsul Asiam curaverat, absolutus est; comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. [*Tacit. Annal.* 4. *cap.* 36.]

4029 Undecim Asiæ Urbes, in quâ earum templum Tiberio & Senatui destinatum statueretur, magnâ ambitione certabant: earúmque legatos de hoc disceptantes Tiberius in Senatu plures per dies audivit. Hypæpeni Trallianique simul cum Laodicenis & Magnetibus, tramissi sunt ut parùm validi. Ne Ilienses quidem, cùm parentem urbis Romæ Troiam referebant, nisi antiquitatis gloriâ pollebant. Paulùm addubitatum, quòd Halicarnassii 1200 per annos nullo motu terræ mutavisse sedes suas, vivóque in saxo fundamenta templi adseveraverant. Pergamenos,

eo ipso nitentes, æde Augusti ibi sicâ fatis adeptos creditum. Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianæ ceremoniâ occupavisse civitates vili. Ita Smyrnæos inter Smyrnæosque deliberatum: quorum rationibus utrinque auditis, Smyrnæos Senatus prætulit: Censuitque Vibius Marsus, ut M. Lepidus, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur qui templi curam susciperet: & quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat, Valerius Naso è prætoriis sorte missus est. (*ibid. cap.* 55. & 56.)

Quum Simon annum in Pontificatu exegisset, successorem illi Valerius Gratus in eâ dignitate dedit Josephum, cognomento Caiapham, (Annæ, sive Anani à Grato priùs summo Pontificatu exuti, generum. *Johann.* XVIII. 13.) Quibus annuis Pontificum mutationibus ira factis Gratum in Judæâ exactis annis undecim Romam repetisse, subdit *Josephus.* (*lib.* 18. *cap.* 3.) Quâ & nos inductâ ratione, ad finem potiùs quàm initium præfecturæ illius referendas eas esse judicavimus. 4739 26

Valerio Grato successor Pontius Pilatus venit. (*Joseph. ibid.*) qui quomodo in præfecturâ se gesserit, apparet, ex Agrippæ literis ad Caium, apud *Philonem* in libro de legatione ad Caium. Ubi veritum illum fuisse scribit, ne de tollendis clypeis, ab ipso intra sanctam urbem dedicatis, mittenda a Judæis legatio, cætera quoque detegeret ejus crimina; *venditas sententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, crudelitatem sævissimam.*

4030 Jubilæus XXX. & ultimus, in annum D. N. Jesu Christi XXX. incurrens, & *principium Evangelii* ipsius; promulgandi jam per vocem clamantis in deserto; *Parate viam Domini, complanate semitas ejus:* (*Marc.* I. 1, 2, 3.) atque annum illum acceptabilem, sive divini beneplaciti tempus aperiens, quo Deus Optimus Maximum mundo patefacere dignatus est. (*Esai.* LXI. 2. *Luc.* IV. 19.)

Anno enim *decimo quinto* principatûs Tiberii Cæsaris (qui monarchiæ ipsius, ab excessu Augusti cœptæ, erat *decimus tertius*) Pontio Pilato procurante Judæam, tetrarchâ Galilææ Herode (Antipâ,) fratre autem ejus Philippo tetrarchâ Iturææ & Thrachonitidis regionis, & Lysaniâ Abylenes tetrarchâ; sub Pontificibus Annâ & Caiaphâ, factum est verbum Domini ad Johannem Zachariæ filium, in deserto. (*Luc.* III. 1, 2.) Juxta cujus præscriptum, Nazaræus hic, Sacerdos, & Propheta Domini, baptizabat in deserto Judææ (in quo positæ urbes, *Josua* XV. 16. commemorantur) prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; (*Matth.* III. 1. *Marc.* I. 4. *Luc.* III. 3.) atque operam dans, ut qui post ipsum venturus erat Christus manifestus fieret Israëli. (*Johan.* I. 7, 8, 31.) Quem ut certiùs agnosceret, hoc ipsi à Deo signum est datum: ut super quem videret Spiritum sanctum descendentem & manentem, hunc sciret esse illum qui alios Spiritu sancto esset baptizaturus. (*ibid. verf.* 33.)

Cœptum verò fuisse hoc illius ministerium maximè probabile est, die illi convenientissimo, mensis 7^i^ die 10^a^. (circa nostri Octobris diem 19.) qui & *Pœnitentialis* fuit, cum solenni Jejunio conjunctus, in quo qui animam suam non afflixisset, excindendus esset è populo suo; & *Expiatorius*, quo summus Sacerdos, Christi à Baptistâ præmonstrati typus, solus in Sancta sanctorum ingrediebatur, oblato sanguine populi peccata expiaturus: idemque ille dies, quo *tubâ* per totam terram personante *Jubilæus* indicendus mandabatur. (*Levitic.* XXV. 9.)

Ita Baptista, pœnitentiæ & remissionis peccatorum, per venturi Christi sanguinem acquirendæ, præco, veniens in omnem regionem circumjacentem Jordani, exaltabat sicut Tubam vocem suam, proclamans: *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum.* Et exivit ad eum Hierosolyma, & tota Judæa, totâque regio circumjacens Jordani: (ex ingenti præsertim illâ populi turbâ, quæ finito festo Tabernaculorum, circa initium Novembris, Hierosolymis revertebatur:) & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. (*Matth.* III. 2, 3, 5, 6. *Marc.* I. 5.)

Ipse verò Johannes habebat vestimentum è pilis camelinis, & zonam coriaceam circa lumbos suos: (instar Eliæ, II. *Reg.* I. 8.) alimentum autem ejus erat locustæ (cibus quidem mundus, *Levitic.* XI. 22. sed vilis) & mel agreste. (*Matth.* III. 4. *Marc.* V. 6.)

Johannes Pharisæos ad baptismum suum venientes acriter reprehendit. (*Matth.* III. 7. *Luc.* III. 7.) tum reliquum populum, tum speciatim publicanos & milites, officium suum edocens. [*Luc.* III. 10,-14.] Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johanne, nonnam ipse esset Christus; respondit ille. *Ego quidem baptizo vos aquâ: sed venit qui validior me est, cujus non sum dignus qui solvam corrigiam solearum: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni. Cujus ventilabrum in manu ipsius, & qui perpurgabit aream suam: & coget triticum in horreum suum, paleam autem exuret igni inextinguibili.* Ibid. 15,-17. cum Matth. III. 11, 12. & Marc. I. 7, 8.]

Quum baptizaretur omnis populus, venit Jesus Nazarethâ Galilææ ad Jordanem, ut à Johanne baptizaretur. [*Luc* III. 21. *Matth.* III. 13. *Marc.* I. 9.] Quo officium illud recusante, ut cui ipsi opus esset ab illo baptizari, & urgente Domino, oportere impleri à se omnem justitiam; baptizavit eum. [*Matth.* III. 14, 15.] Jesu tum incipiente esse annorum quasi triginta. [*Luc.* III. 23.] 4740 27

Tum verò totius sacrosanctæ Trinitatis admodùm illustris facta est patefactio. *Filio* enim Dei in assumptâ humanâ naturâ ex aquâ ascendente & orante, apertis cœlis *Spiritus* Dei visus est corporea specie, tanquam columba, descendens super ipsum: & vox *Patris* de cœlo audita, dicens; Tu es Filius meus dilectus, in quo acquiesco. [*Matth.* III. 16, 17. *Marc.* I. 10, 11. *Luc.* III. 21, 22.]

Jesus autem plenus Spiritu sancto revertit à Jordane, & actus est à Spiritu in desertum. Ubi per dies & noctes 40 tentante eum Diabolo, mansit inter feras, non comedens quicquam: & ubi finitis postea esuriit. [*Luc.* IV. 1, 2. *Matth.* IV. 1, 2. *Marc.* I. 12, 13.]

Digitized by Google

Triplici deinde tentatione Dominum Satanas eſt adortus: & finitâ omni tentatione, abſceſſit ab eo ad tempus, [*Matth.* IV. 3,--11. *Luc.* IV. 3,--13.] & accedentes Angeli miniſtrabant ei. [*Matt.* IV. 11. *Marc.* I. 13.] Reverſúſque eſt Jeſus cum virtute Spiritûs in Galilæam. [*Luc.* IV. 14.]

Herodes Agrippa Ariſtobuli filius ex Cypro Phaſaëli filiâ ſuſcepit Agrippam juniorem, poſtremum Judæorum regem; cujus in Act. XXV. & XXVI. fit mentio. Annum enim ætatis agebat 17. cùm pater interiit. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 7. *& lib.* 19. *cap. ult.*]

4031 Bernice ſoror ejus, (cujus ibidem in Actis ſimiliter fit mentio) nata eſt; Herodi regi Chalcidis poſteà nupta; annos 16 nata, quum pater eſt mortuus. [*Joſeph. ut ſuprà.*] 4741 28

4033 Quartus annus miniſterii Johannis Baptiſtæ incipit: quo & *præparatorium* hoc illius miniſterium (quæ potiſſima muneris ipſius pars fuit) finem accepit; ipſo Domino, cui viam hactenùs paraverat, adveniente atque officium ſuum Propheticum exequente & illuſtribus miraculis, quæ nulla Johannes ediderat, obſignante. Cui magnifico apparatui, ab Eſaiâ & Malachiâ ante tot ſecula tantopere celebrato, tam longum temporis ſpatium à nobis aſſignari nemo mirabitur, qui tempus exiguum tanto operi, abſque miraculorum præſertim adminiculo, perficiendo minùs par eſſe conſideraverit, quantum à Johanne præſtandum fuiſſe patri ipſius Zachariæ angelus Gabriel confirmaverat. [*Luc.* I. 16, 17.] *Multos filiorum Iſraëlis convertet ad Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam juſtorum; ut paret Domino populum inſtructum.* Neque modicum aliquod ſpatium, ſed plenum prædicationis curriculum, ante Chriſti adventum, à Johanne fuiſſe confectum, illa Pauli ſatis arguunt. [*Act.* XIII. 24, 25.] *Prædicante Johanne ante faciem adventus ejus baptiſmum pœnitentiæ omni populo Iſraëlis, quum impleret Johannes curſum ſuum, dicebat: Quem me arbitramini eſſe? non is ſum ego; ſed ecce venit poſt me, cujus non ſum dignus pedum ſoleam ſolvere.* 4742 29

Johannes enim, proximo ante adventum Chriſti die, quum ad eum, Bethabaræ baptizantem ſecus Jordanem, Judæi Hieroſolymis Sacerdotes quoſdam & Levitas è ſectâ Phariſaicâ legatos miſiſſent, ſciſcitaturos quiſnam ipſe eſſet; ſe non eſſe Chriſtum, clarè profeſſus eſt. Cúmque negaſſet ſe ipſum *Eliam* eſſe, vel *Prophetam* illum (à Moſe, *Deuteron.* XVIII. 15. prædictum; eundem quidem cum Chriſto, *Act.* III. 22. & VII. 37. ſed à Judæis alium exiſtimatum) & ſe illam ab Eſaiâ prænunciatam dixiſſet fuiſſe *Vocem clamantis in deſerto, Complanate viam Domini:* illud, à Paulo laudatum, de Chriſto demùm adjecit teſtimonium. *Ego baptizo aquâ: ſed in medio veſtrùm ſtat quem vos non noſtis. Hic ille eſt, qui poſt me venit, qui mihi antepoſitus eſt: cujus ſolearum ego non ſum dignus qui ſolvam corrigiam.* [Johan. I. 19,--28. *cum* V. 33.] 4743 30

Poſtero deinde die, Johannes venientem ad ſe Jeſum conſpicatus, ait: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hic eſt de quo dicebam: Poſt me venit vir qui antepoſitus eſt mihi, quia prior me erat*, &c. *Et ego vidi, & teſtor hunc eſſe Filium Dei.* [Johan. I. 29,--34.]

Sequente die iterùm ſtabat Johannes, & ex diſcipulis ejus duo. Et intuitus Jeſum ambulantem, dixit: *Ecce Agnus Dei.* Quod duo diſcipuli audientes, Jeſum ſecuti, apud eum manſerunt diem illum: hora enim erat quaſi decima. Horum unus Andreas, fratrem ſuum Simonem perduxit ad Jeſum: qui eum intuitus, dixit; *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas.* [Ibid. 35,--42.]

Poſtero die, Jeſus iturus in Galilæam, Philippum (qui erat ex Bethſaidâ, civitate Andreæ & Simonis Petri) ſequi ſe juſſit. Ille Nathanaëlem ſubter ficum inveniens, perduxit eum ad Jeſum: qui verè Iſraëlitam eum fuiſſe pronunciavit, in quo non eſſet dolus; ſeque ipſum Scalam cœli (in illo Jacobi ſomnio, *Geneſ.* XXVIII. 12. præmonſtratam) ſuper quam Angeli Dei aſcendentes ac deſcendentes amodò cernerentur. [*Ibid.* 43,--51.]

Die tertio, nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ: ad quas invitatus Jeſus, unà cum matre ac diſcipulis ejus, aquam in vinum mutatam fecit ſignorum ſuorum principium. Atque in hunc modum gloriâ ejus manifeſtatâ, crediderunt in eum diſcipuli ejus. [*Johann.* II. 1,--11.]

Poſtea deſcendit Capernaumum ipſe & mater, & fratres (ſive cognati) & diſcipuli ejus: manſerúntque illic non multos dies. [*Johan.* II. 12.]

Ad *publicum* Chriſti *miniſterium* jam perventum eſt: cujus acta, per quatuor Paſchata diſtincta, ex quatuor Evangeliorum Harmoniâ hîc exhibemus; à viro eruditiſſimo & in ſacrarum literarum ſtudiis longè exercitatiſſimo *Johanne Richardſono*, S. Theologiæ Doctore & Ardachadenſis in provinciâ noſtrâ Armachanâ Eccleſiæ Epiſcopo digniſſimo, concinnatâ. In quâ illud ſingulare eſt; quòd Temporis ordinem ſolus *Matthæus* neglexiſſe reperiatur, à cæteris tribus (ſi fortè parentheſin illam, *Luc.* III. 19, 20. de Johanne ab Herode in carcerem conjecto exceperis) conſtanter obſervatum.

PRIMUM PASCHA MINISTERII CHRISTI. (Johann. II.13.)

A quo primus annus LXX^ae & ultimæ Hebdomadis Danielis incipit; in quo fœdus confirmatum eſt Multis. (Dan. IX. 27. *cum* Matth. XXVI. 28.)

		JOH.	LUC.	MAR.	MAT.		
	Aſcendit Jesus Hieroſolymam ad Paſcha.	II. 13.					
	Templum ingreſſus, vendentes ibi & ementes flagello abigit: & in authoritatis ſignum, Corporis ſui Templum, à Judæis ſolvendi, & à ſe reſuſcitandi, ipſis pronunciat.	14,-22					
	Miracula operatur. Et multis ideo in eum credentibus, ipſe ſe non credit; ſciens quid ſit in homine.	23,24, 25.					
	Nicodemum, diſcipulum nocturnum, in myſterio Regenerationis, Fide in mortem ipſius, & Infidelium Condemnatione, inſtruit. * Lyddæ Æneas paralyſi afflictus decubuit, à quâ poſt annos 8. à Petro apoſtolo eſt ſanatus. (Act. IX. 33.) *	III. 1,-21					
4034	Relictis Hieroſolymis, in Judææ territorium, Jeſus cum diſcipulis proficiſcitur.	22.					
	Demoratur illic; & Baptizat: [per manum ſcilicet Diſcipulorum, ab ipſo, aut Johanne priùs baptizatorum.] Johanne tunc in Ænon baptizante: nondum enim conjectus fuerat in carcerem.	22, 23, 24.					
	Quæſtio oritur inter quoſdam Johannis diſcipulos, & Judæos, de Purificatione.	25.					
	Diſcipulos ſuos de Jeſu narrantes, æmulantéſque; Johannes de ſe, ſuóque officio; Et de Jeſu Chriſti, Dei Filii, excellentiâ, inſtruit: inſigne hoc, & ultimum ante incarcerationem, edens de eo teſtimonium.	26,-36					
	Johannes Herodis Tetrarchæ cum fratris Philippi uxore inceſtum, & alia flagitia reprehendens, in carcerem ab eo conjicitur.			VI. 17,-20	XIV. 3, 4, 5.		
	Jeſus audiens Johannem incarceratum; & Phariſæos comperiſſe plures ab eo factos diſcipulos, & baptizatos, per manum ſcilicet diſcipulorum: *relictâ Judæâ* [ubi circiter 8. menſes commoratus eſt] *in Galilæam rediit.*	IV. 1, 2, 3.			IV. 12.		
	Oportebat autem eum transire per Samariam. Ubi mulierem Samaritanam prope urbem Sychar, & cives Sychar in ſui agnitionem perducit, *quatuor menſibus ante meſſem*, [ſeu Paſcha, circa medium menſis 9, Ab dicti.]	4,-42.					
	Biduo in civitate Sychar commoratus in Galilæam iter perſequitur. [Qui ſecundus à Baptiſmo reditus ejus eſt è Judæâ in Galilæam.]	43, 44.					
	A Galilæis receptus, qui quæ Hieroſolymis fecerat vidiſſent; magnâ cum famâ in Synagogis eorum prædicat.	45.	IV. 14, 15	I. 14, 15.			
	In Cana filium regii (ſeu aulici) Capernaumi ægrotantem, ſanat. Quod erat alterum in Galilæâ miraculum.	46,-54					
	In Capernaum operatur miracula. Et poſtea *Nazaretam venit, ubi educatus fuerat.* Et in Synagogam ut conſueverat intrans, & Prophetam Eſaiæ de ſe exponens, admirantibus primò civibus, at poſteà excandeſcentibus, ejectus eſt, & præcipitare eum de monte conantibus, ille per medium eorum diſcedit.		16,-30			4744	31
	Relictâ Nazaretâ, Capernaumi habitat. Ibique docet eos Sabbathis. Et percelluntur ſuper doctrinâ ejus.		1, 32.	21, 22.	13,-17		
	Spiritum immundum in Synagogâ Capernaumi obmuteſcere juſſum ejicit.		33,-37	23,-28			
	Egreſſus ſtatim Synagogâ, introivit domum Simonis & Andreæ; & ſocrum Simonis febricitantem ſanat.		38, 39.	29, 30, 31.	VIII 14, 15.		
	Circa occaſum ſolis, allatos undique ægrotos curat, & dæmones obmuteſcere juſſos ejicit.		40, 41.	32, 33, 34.	16, 17.		
	Manè egreditur in deſertum locum; & precatur: Simone, & aliis eum proſequentibus: & volentibus eum detinere turbis reſpondet, Evangelizandum ſibi eſſe etiam aliis opidis.		42, 43, 44.	35,-39			
	Peragrans Galilæam totam, in Synagogis docet; & dæmonia ejicit.		44.	39.			

Cùm

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
		V.		
Cùm ei ad lacum Genezaret ſtanti, turba incumberet, intravit navigium Simonis, & ex eo turbam docet.		1,—4		
Ut ceſſavit autem loqui, miraculoſam jubet capturam piſcium: eâque attonitos, Simonem Petrum, & Andream, Jacobum, & Johannem, ſequi juſſos, piſcatores hominum facit.		4,—11	I. 16,-20	IV. 18,-22
Et obivit totam Galilæam Jeſus, docens in Synagogis ipſorum; & ſanans quemvis morbum: famâ ejus emanante in totam Syriam; & turbâ multâ ſequente eum.				23, 24, 25.
				VIII.
In quadam Urbe Leproſum ſanat; qui inhibitus, divulgat tamen. Et veniebant ad eum undique, ut audirent eum, & ſanarentur; *ita ut jam non poſſet Jeſus manifeſtè introire in civitatem; ſed foris in deſertis locis erat*, & orabat.		12,-16	40,-45	1,—4
			II.	IX.
Et rursùs introivit Capernaumum, civitatem ſuam, interjectis aliquot diebus; & ſtatim domi docet: & Paralytico cum lectulo è ſolario demiſſo, coram Scribis, & Phariſæis, & turbâ multâ, peccata remittit; morbúmque, cum ſtupore omnium, ſanat.		17,-26	1,—12	1,—8
Et quum digrederetur Jeſus illinc, egreſſus eſt rursus ad mare: totáque turba veniebat ad eum, ac docebat eos. *Et quum prætergrederetur*, vidit, & vocavit Levin ſeu Matthæum ad telonium ſedentem.		27, 28	13, 14	9.
Jeſus, in domo Levi, ſe, diſcipulóſque, unà cum Publicanis convivantes, defendit: Et non jejunantes, contra Phariſæos, excuſat & vindicat.		29,-39	15,-22	10,-15
				XII.
Factum eſt ut Sabbatho altero-primo (ſeu ſecundo-primo, δευτεροπρώτῳ, id eſt, Sabbatho primo Novi anni, poſt exitum ex Ægypto inſtituti, & à menſe Niſan, ſeu Abib, inchoati) tranſiens Jeſus per ſata, diſcipulos ſuos ſpicas vellentes à reprehenſione Phariſæorum vindicat; & doctrinam de Sabbathi obſervatione explicat.		VI. 1,—5	23,-28	1,—8

SECUNDUM PASCHA MINISTERII CHRISTI. [Johann. V. 1. *collat. cum* IV. 35.]

A quo ſecundus annus LXX^ma Hebdomadis Danielis incipit.

Poſt hæc erat Feſtum Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam: & 38. annos ægrum, ad piſcinam Bethesda decumbentem, ſanat in Sabbatho. Et Judæis ipſum interimere ſtudentibus, quòd iſta feciſſet Sabbatho; & Deum dixiſſet patrem ſuum; divinissimam opponit apologiam.	V. 1,—47			
Digreſſus illinc, introivit rursùs in Synagogam, alio Sabbatho, & docet. Et quendam ibi dexteram manum habentem aridam ſanat. Unde exeuntes Phariſæi ſtatim cum Herodianis, conſultant ut eum perderent.		6,—11	III. 1,—6	9,—14
Jeſus autem quum hoc noſſet, *ſeceſſit ad mare:* ſequentes ſanans turbas; & ne ipſum manifeſtum facerent, multùm interminans: edicénſque diſcipulis ut navigiolum ſibi ſemper adeſſet propter turbam, ne ipſum opprimerent.			7,—12	15,—21
Factum eſt autem illis diebus, abiit in montem ad orandum, & pernoctavit in precatione. Et quum dies ortus eſſet, elegit 12. quos vocavit Apoſtolos, nominibus deſignatos.		12,—16	13,—19	
Deſcendens cum eis ſubſiſtit in loco campeſtri; & magnâ plebis multitudine undique adventante, ſanat omnes.		17, 18, 19.		
Veneruntque domum. Convenit autem rursùm turba, adeò ut ne capere quidem cibum poſſent. Et quum hæc audiſſent ipſius propinqui, venerunt ut prehenderent eum; dicebant enim eum apud ſe non eſſe.			19,20, 21.	
Quum vidiſſet autem turbam, aſcendit in montem; & quum conſediſſet, adierunt eum diſcipuli ejus. Tunc autem Concionem habet, longam illam, & eximiam, primùm ad Apoſtolos; inde etiam ad univerſum populum,		20-49		V. VI. VII.
Quum autem finiviſſet omnia verba ſua audiente populo, ingreſſus eſt Capernaumum. Et Centurionis ſervum, paralyticum ibi, & moribundum ſanat.		VII. 1,—10		VIII. 5,—13
Die ſequenti proficiſcitur in civitatem Naïn; & unigenitum Viduæ defunctum, & exportatum, reſuſcitat; unde fama ejus divulgatur.		11,—17		

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
Johannes in carcere detentus diſcipulorum relatione de famâ factiſque Jeſu commotus, duos ex eis ad eum mittit, dicens, Tune is es qui venturus erat, an alium expectabimus? Quibus cum reſponſo abeuntibus, amplum Jeſus de Johanne edit teſtimonium. Civitates ingratas cum probris increpat; & in Patris occultantis ſe, & revelantis, ſolo beneplacito, lubens acquieſcit.		VII. 18,-35		XI. 2,-30
Rogavit autem eum Simon Phariſæus, ut ſecum ederet. Et cùm diſcumberet, mulierem peccatricem, pedes lachrymis rigantem, capillis tergentem, deoſculantem, & ungentem, contra Simonem defendit, & abſolvit.		36,-50		
Et factum eſt deinceps, ut ipſe iter faceret oppidatim prædicans; & duodecim illi erant cum eo; miniſtrantibus ei quibuſdam mulieribus.		VIII. 1, 2, 3.		
Oblatus eſt ei Dæmoniacus cæcus & mutus; & ſanavit eum. Et contra Scribas & Phariſæos, qui Hieroſolymis deſcenderant quòd per Beelzebulem ejiceret dæmonia blaſphemantes, ſe acriter defendit.			III. 22,-30	XII. 22,-37
Tunc reſponderunt quidam è Scribis ac Phariſæis dicentes, Præceptor, Velimus ex te ſignum videre. Quibus, cum multa acrimoniâ reprehenſis, ſignum Jonæ ſolum proponit.				38,-45
Quum autem adhuc loqueretur turbæ, narratur matrem, & fratres ejus adſtare foris, viſum, & colloquium ejus quærentes. Reſpondens Jeſus, Quos pro matre, & fratre, & ſorore, habeat, oſtendit.		VIII. 19, 20, 21.	31,-35	46,-50
Illo verò die egreſſus Jeſus domo ſedit apud mare: & coacta eſt ad eum turba multa, adeò ut navigium ingreſſum ſederet; & turbas in littore adſtantes, per parabolam Seminantis, pluréſque alias parabolas, multa docet.		VIII. 4,-18	IV. 1,-34	XIII. 1,-53
Dixit autem eis die illo, quum ſerum diei eſſet, Tranſeamus in ulteriorem ripam. Et cùm quibuſdam cum ſequi volentibus reſponſum dediſſet; *Dimiſſa turbâ, acceperunt eum ut erat in navigio*: Et magnâ tempeſtate ortâ, objurgat Jeſus ventum, tranquillat mare, & periclitantes ſervat diſcipulos.		VIII. 22,-25	35,-41	VIII. 18,-27
Et navigarunt ad ulteriorem ripam in regionem Gadarenorum ſeu Gergeſenorum, *quæ eſt in oppoſita ripa Galilææ. Ipſi egreſſi in terram, ſtatim occurrerunt duo Dæmoniaci*, ſævi valde (quorum unicum memorant Marcus, & Lucas.) E quibus Dæmones ejecti, Jeſu permittente, in porcos intrarunt.		26,-36	V. 1, -16	28,-33
Gadarenis, ut ab ipſis diſcederet, rogantibus; & dæmoniaco ſupplicante ut cum ipſo eſſet, dimiſſo tamen, & in Decapoli prædicante quanta ipſi feciſſet Jeſus, *in navigio ipſe rurſùm tranſiit in ulteriorem ripam*, & demùm in Urbem ſuam [Capernaum.]	37, 38, 39.		17,-20	34.
Factum eſt autem ut quum revertiſſet Jeſus, excepit eum turba: nam omnes expectabant eum: erátque apud mare.		40.	21.	
Tunc adeunt eum diſcipuli Johannis, dicentes, Quare nos & Phariſæi multum jejunamus; diſcipuli verò tui non jejunant? Quibus ſuum dat reſponſum.				IX. 14,-17
Hæc eo loquente ipſis, Ecce venit Jairus, unus ex præfectis Synagogæ; *& multùm precabatur eum* pro filiâ unigenitâ, quaſi annorum 12, agente animam. In itinere autem ad domum Jairi, mulier quæ erat in fluxione ſanguinis ab annis 12, ex tactu fimbriæ pallii Jeſu, illicò ſanatur. Filia autem Jairi jam mortua, verbo ejus in vitam revocatur: multum imperante ipſo ne quis id reſciret.		41,-56	22,-43	18,-26
Quumque digrederetur illinc, ſequuti ſunt eum duo Cæci: Quorum oculos apetit: & gravitèr interminatus eſt eis, ſed fruſtrà, ne quis id ſciret.				27,-31
Ipſis autem egredientibus, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmoniacum. Et ejecto dæmonio loquutus eſt mutus; mirante turba; blaſphemantibus Phariſæis.				32, 33, 34.
Et obibat Jeſus urbes omnes ac vicos; docens, & ſanans. *Et venit in Patriam ſuam, & ſequuti ſunt eum diſcipuli ejus*; & ſabbatho in Synagogâ docens, à civibus, licèt admirantibus iterùm contemnitur, fabérque vocatur.			VI. 1,-6	35. XIII. 54,-58
Et circuibat vicos in orbem, docens.			6.	
Commiſeránſque turbam, meſémque multam, & operarios paucos, dicit diſcipulis, rogandum Dominum ut emittat operarios.				IX. 35,-38

Tunc

Anno Mundi.		JOH.	LUC.	MAR.	MAT.	Anno Periodi Iulianæ.	Anni æ. æ Chriſtianæ.
	Tunc 12 Apoſtolos, binos mittit; mandatis, & poteſtate inſtructos, ad Prædicandum, & Sanandum.		IX. 1,—5	VI. 7,—11	X. 1,—42		
	Et factum eſt quum finem feciſſet Jeſus præcipiendi diſcipulis ſuis, ut digreſſus illinc, doceret & prædicaret in Urbibus eorum.				XI. 1.		
	Exeuntes autem duodecim ibibant ſingulos vicos, Evangelizantes & Sanantes ubique.		6.	12,-16			
4035	XV. *Kalend. Novembris, Sejanus cæſus eſt.* (Tacit. Annal. 6. cap. 25.) *Quo ſublato, mox cognovit Tiberius conſilia ab illo fuiſſe crimina, quæ adversus Judæos detulerat. Proinde mandavit omnium provinciarum præſidibus, ut cpidarim hunc gentı parcerent, exceptis reis paucis admodùm: cæterùm de ritibus eorum nihil novarent; ſed commendatos haberent, tum vivos ipſos ut pacis amantiſſimos, tum mores eorum legeſque ut conferentes ad tranquillitatem publicam.* [Philo, de legat. ad Caium.] * Munera quoque quædam Syriacis Legionibus dedit; quòd ſolæ nullam Sejani imaginem inter ſigna, coluiſſent. [*Sueton. in Tiberio, cap. 48.*]						
	Mortuo Severo Ægypti præſide, Tiberius ex amicorum ſuorum coborte ſucceſſorem in ſex annos illi dedit Flaccum Avillium: qui per quinque priores, quibus in vivis fuit Tiberius, cum laude provinciæ præfuit. [Philo, lib. in Flaccum.]					4745	32
	Decollatur Johannes Baptiſta.				XIV.		
	Quumque hoc audiſſent diſcipuli ejus, venerunt & ſuſtulerunt cadaver ejus, & poſuerunt in monumento, & renunciaverunt Jeſu.			17,-28, 29.	6,—11, 12.		
	Herodis Tetrarchæ, & aliorum, de famâ ejus audientium, Opiniones de Jeſu. Qui Herodes ſtudebat eum videre.		7,8,9.		1,—4		
	Reverſi Apoſtoli narraverunt Jeſu quæcunque fecerant.		10.	30.			
	Hæc de morte Johannis, & Apoſtolorum factis, quum audiſſet Jeſus, *dixit eis, Venite vos ſeorſim in deſertum locum, & requeſcite paululum.* Nam præ turbâ *ne cibum quidem capere ipſis vacabat. Ipſe igitur, aſſumptis duodecim, ſeceſſit illinc navigio privatim in locum deſertum urbis quæ vocatur Bethſaida.* Et quum hoc audiſſet turba, pedibus ſequuta eſt eum ab urbibus; prævenerúntque eum: Et ipſe eos docebat, & ſanabat.		10,11	31,-34	13, 14		
	Subiit verò in montem Jeſus, & ibi ſedit cum diſcipulis. Prope autem erat Paſcha. Quum autem ſerum diei eſſet, 5 panibus hordeaceis, & 2 piſciculis, quaſi 5000 paſcebat viros, abſque mulieribus, & pueruliſ, 12 cophinis fragmentorum remanentibus. Et quum volebant eum *Regem facere, ſtatim adegit Jeſus diſcipulos inſcendere in navigium, & præire ſibi in ripam alteram, Bethſaida oppoſitam,* Capernaumum verſùs. *Ipſe verò aſcendit in montem privatim ad orandum. Provecti autem quaſi ſtadia* 25. *aut* 30. vento contrario inſurgente, quartâ noctis vigiliâ ibat ad eos Jeſus, ambulans ſuper mare, volebátque eos præterire. Et perterritis ſe revelat: Petrúmque demergentem reprehendens, ſervat; obſtupeſcentibus omnibus. *Et quum tranſeciſſent venerunt in terram Geneſaret. Tunc ipſis egreſſis e navigio, ſtatim agnito eo, quæcunque introvivit, attulerunt ægrotos,* ut vel fimbriam palli ejus tangerent; & ſanabantur.	VI. 1,—21	12,—17	35,-56	15,-36		
	Poſtero à trajectione *die, turba quæ ſubſtiterat eis mare,* ingreſſi ſunt & ipſi in navigia, & *venerunt Capernaumum, quærentes Jeſum.* Quibus concionatur, in Synagogâ Capernaumi, de Pane vitæ. Et murmurantibus Judæis, ſe Panem vitæ aſſerit. Unde multis diſcipulorum recedentibus; & Apoſtolis abire nolentibus, unum tamen ex eis Diabolum pronunciat.	22,-71					
	TERTIUM PASCHA MINISTERII CHRISTI. [Johann. VI. 4.] *A quo tertius annus LXX^æ Hebdomadis Danielis incipit.*						
	QVi Hieroſolymis advenerant Scribæ & Phariſæi, adierunt Jeſum; & quum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis ejus pollutis manibus, id eſt, illotis, edere panem, conqueſti ſunt, quòd non ambularent ſecundùm Traditionem Seniorum. Quibus, de Traditionibus reſpondet, quòd abolerent mandatum Dei, ut Traditiones Hominum fruſtrà ſervarent.			VII. 1,—23	XV. 1,—20		

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
Et turbam docet ; quod domi discipulis exponit ; Nihil quod ingreditur, sed ea quæ egrediuntur ex homine, eum polluere.			VII.	XV.
Et illinc surgens, abiit in partes seu confinia Tyri & Sidonis. Sed non potuit latere. Mulierem enim Chananæam, seu Græcam, Syrophœnissam, pro filiolâ malè à dæmonio impuro vexatâ, constanter intercedentem, ob fidei magnitudinem collaudans, dæmonium è filiolâ expellit.			24,-30	21,-28
Tunc regressus è finibus Tyri & Sidonis, venit ad mare Galilææ per medios fines Decapolis. Et offerunt ei surdum, difficulter loquentem ; quem sanat ; interdicens, sed frustrà, ne cui dicerent.			31,-37	
Et quum ascendisset in montem, sedit illic, & mirante turbâ, sanat plurimos.				29, 30, 31.
Diebus illis, quum multa omninò turba esset, jam triduum permanens apud eum in deserto, septem pânibus, & piscículis 4000 pavit viros, absque mulieribus & pueruli, septem sportis fragmentorum reliquis.			VIII. 1,-9	32,-38
Et statim ingressus in navigium cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha, seu fines Magdala.			10	39.
Prodierunt autem Pharisæi, Signum è cœlo ab eo quærentes. Et ipse altè ingemiscens, hypocritis faciem cœli discernere noscentibus, Signum negat, nisi illud Jonæ. *Relictisque eis, ingressus rursùs navigium, abiit in ulteriorem ripam.*			11,12, 13.	XVI. 1,-4
Et quum venissent discipuli ejus in ulteriorem ripam, oblìti fuerant sumere panes, & panem non nisi unum habebant secum in navigio. Tunc dixit eis Jesus, Cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum, & fermento Herodis. Eósque de pane oblivioni tradito propterea disceptantes, Jesus ex anteactis in Panis multiplicatione miraculis acriter redarguens, de fermento, non Panis, sed Doctrinæ, intelligentiores reddit.			14,-21	5,-12
Venit autem Bethsaidam : & obtulerunt ei cæcum. Qui extra vicum ductus, & sputo, manuúmque impositione gradatim visum recuperans ; ne cuiquam dicat inhibetur.			22,-26	
Egressus est autem Jesus, & discipuli ejus, in vicos Cæsareæ Philippi. Et factum est ut quum ipse seorsim oraret, & jam in *via esset, ut interrogaret discipulos, dicens eis, Quemnam esse me dicunt homines ?* Responso dato : Vos autem, ait, Quem me dicitis esse ? Respondentem Petrum beatum dicit : Promissiones annexit : & discipulis interdixit, ut nemini dicerent ; se esse Jesum illum Christum. Prædicit eis de Morte, & Resurrectione suâ. Petrúmque, ideo objurgantem, Satanam vocat. Discipulísque, & Turbæ, de Cruce omnibus subeundâ eum sequi volentibus, concionatur : Prædicit denique Transfigurationem suam.		IX. 18,-27	IX. 27,-38	XVII. 13,-28
Factum est autem post hæc verba quasi dies 8. (6. intermediantibus) ut in monte sublimi transfiguraretur. Et quum descenderent de monte, mandavit eis nemini dicere quod viderunt, usque quò Filius hominis à mortuis resurgat. Ipsi autem siluerunt : mutuò quærentes, Quid illud esset à mortuis resurgere. Et interrogantes eum, Cur Scribæ dicunt, oportere ut Elias priùs veniat ; Responsum accipiunt, quo intelligunt de Johanne Baptistâ, Eliâ illo, Jesum loquutum esse.		28,-36	1,-13	1,—13
Factum est autem sequenti die, ut quum ipsi descendissent è monte, & venisset ad discipulos suos, vidit turbam multam circa eos, & Scribas cum eis altercantes. Et statim tota turba viso eo expavit : & accurrentes salutaverunt eum. Et interroganti de altercatione, Respondet pater Lunatici, de filio suo habente Spiritum impurum, mutum, & surdum ; & discipulis ejicere eum non valentibus. Expulso per Jesum dæmonio, sanatus filius patri redditur ; mirantibus omnibus. Domique respondet discipulis, cur dæmonem ejicere non potuerint.		37,-42	14,-29	14,-21
Et illinc egressi, unà iter faciebant per Galilæam ; nec volebat ut quisquam id sciret. Et docebat discipulos de Morte, & Resurrectione suâ. Ipsi verò ignorabant hoc dictum : & contristati vehementer timebant eum interrogare.		43, 44, 45.	30, 31, 32.	22,23
Quum autem venissent Capernaumum, Petrus de solvendo				24,-27

Digitized by Google

		JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
	à Jesu didrachmate interrogatur. Et quum ingressus esset domum Jesus, præveniens Petrum, stateram in Pisce inveniendum, tributum pro se, & Petro solvendum jubet.				
	Capernaumi interrogat discipulos Jesus, Quid in viâ inter se disceptassent: Silentésque primò, dicentésque posteà, Quinam maximus esset in regno cœlorum; puerulum statuendo in medio eorum, *humilitatem*, qualem pueruli, docet. De offendiculis etiam monet mundum: Ne manus, pes, vel oculus, faciat ut offendas, cavendum: Parvulos non contemnendos: fratrem in nos peccantem, arguendum; etiam ab Ecclesiâ ligandum, vel solvendum: & septuagies septies usque condonandum; ut in parabolâ duorum Regi debitorum ostendit.		IX. 46, 47, 48.	IX. 33,-37	XVIII. 1,—35
	Respondit autem ei Johannes dicens, Vidimus quendam per nomen tuum ejicientem dæmonia. Quem non prohibendum docet Jesus. Iterúmque de parvulis non offendendis; & ne manus, pes, vel oculus faciat ut offendas, cavendum monet.		49,50	38,-50	
	Junius Gallio, qui Tiberio adulari studens, ut ejus milites exactis stipendiis in subsellüs equitum spectacula viderent sententiam dixerat, missus ab eo in exilium est: hoc nomine, quòd militibus persuadere voluisse videbatur, ut Respublica potius quam Tiberio studerent. Et quia incusabatur facile toleraturus exilium, delectâ Lesbo insulâ nobili & amenâ; Romam inde revocatus est, & magistratuum custodia traditus. [Tacit. Annal. 6. cap. 3. Dio, lib. 58. pag. 632.]				
	Cassius Severus Orator 25°. exilii sui anno mortuus est (in Seripho insulâ,) ad tantam redactus inopiam, ut pannum vix haberet quo secreta contegeret. [Hieronym. in Chronico.]				
	Roma ad Patres à Quintiliano tribuno plebis de libro Sibyllæ relatum est, quem Cannius Gallus quindecimvir recipi inter caseros ejusdem variis, & eâ de re Senatusconsultum postulaverat. Quo per discessionem facto, misit litteras Tiberius: quibus modicè tribunum increpans ut ignarum antiqui moris ob juventam, Gallo exprobrabat, quòd scientia cæremoniarumque vetus, incerto auctore, ante sententiam collegii, non ut assolet lecto per magistros (Sacerdotum) æstimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. Itaque nationi Quindecimvirûm liber nunc subjectus est. (Tacit. Annal. 6. cap. 12.)				
4036	*Versabatur Jesus posthac in Galilæâ: nolebat enim in Judæâ versari, quia studebant eum Judæi interimere. Propè autem erat Festum Judæorum, scenopegia*, seu Tabernaculorum. Ad placitum autem fratrum, nondum in eum credentium, non ascendit ad Festum Jesus; sed post eos, velut occultè.	VII. 1,—10			
	Factum est autem, interim dum compleretur tempus quo sursum reciperetur, tum ipse faciem suam direxit ad eundum Hierosolymam. Misitque nuncios ante faciem suam; qui profecti ingressi sunt in vicum Samaritanorum ad parandum hospitium. Quibus non recipientibus; & discipulis, ignem volentibus è cœlo in eos descendere, objurgatis, *in alium vicum abierunt.*		51,-56		
	Factum est autem, ut proficiscentibus ipsis, quibusdam eum sequi volentibus, Responsum Jesus dederit singulis.		57,-62		
	Post hæc autem misit Jesus LXX. discipulos ante faciem suam, binos in omnem urbem & locum, quo futurum erat ut ipse veniret; mandatis, & potestate instructos.		X. 1,—16		
	Turbâ quærente; & de ipso *murmurante*; *Festo jam medio Jesus* in Templo docet. Admirantibus de doctrinâ, Respondet, Doctrinam, non suam esse, sed ejus qui misit eum. Convitiantibus item; eique objicientibus; Respondet multa! Ministri mittuntur qui prehendant eum. *Ultimo autem die & magno illo Festi*, clamante Jesu de Fide in eum, dissidium ortum est in turbâ propter eum. Ministri autem qui erant missi; & Nicodemus, coram Phariſæis obloquentibus, Personam ejus, Causámque defendunt.		11,—53		
	Jesus autem profectus est in montem Olearum. Et diluculo rursus in Templo sedens docet. Et mulierem in adulterio	VIII. 1,—59			

d by Google

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.	Anno Periodi Julianæ.	Anno ætæ Christianæ.
deprehensam nolens [ut judex] condemnare, monet ne deinceps peccet. *In gazophylacio Templi docens*, Se lucem esse mundi asserit: & se de seipso testantem defendit. Multa docet, de Patre; de Se; Quò vadat; Quis sit: de Patre eorum Abrahamo: de servitute Peccati; & Diaboli: de se dæmonium non habente: de morte non gustandâ, si quis Sermonem ejus servaverit: his verbis concludens, *Priusquàm Abraham existeret, Ego sum. Sustulerunt ergo lapides ut jacerent in eum. Jesus autem occultavit se, & exivit è Templo, quum transiviſſet per medios ipsos; & ita præteriit.*						
Prætergrediens autem vidit mendicum cæcum à nativitate. Qui videns factus à Jesu: post multas examinationes, ipsius, & parentum ejus, ejectus è Synagogâ, adoravit eum.	IX. 1,—41					
Concionatur porrò de Se, ostio Ovilis; & Pastore illo Bono; de Furibus item, & mercenariis. *Et dissidium rursus ortum est inter Judæos propter istos sermones.*	X. 1,—21					
Reversi sunt autem LXX, cum gaudio. Quos ultrà monet Jesus, & instruit: exultans spiritu: & Beatos eorum oculos, privatim eis dicens.		X. 17,-24				
Tunc ecce quidam Legis interpres quærit, Quid faciendo vitam æternam possidebo? Qui à Jesu ad legem remittitur: & quis sit Proximus, Parabolâ de homine incidente in latrones, docetur.		25,-37				
Factum est verò inter eundum, ut ipse ingrederetur in quendam vicum; in domo Marthæ receptus: ipsâ ministrante; & sorore Mariâ Sermonem Jesu audiente; quæ eam ob causam Marthæ prælata est.		38,-42				
Et factum est, ut quum ipse oraret quodam in loco, postquàm cessasset, diceret ei quidam ex ejus discipulis, Domine doce nos orare, prout & Johannes docuit discipulos suos. Unde præscribit secundò eandem Orationem Dominicam: Argumenta addens, ad orandi constantiam, & Fidei in obtinendo confirmationem promovendam.		XI. 1,—13			4746	33
Ejecit etiam dæmonium quod erat mutum, mirante turbâ: Et contra blasphemantes confirmat, se per Beelzebulem dæmonia non ejicere.		14,-26				
Factum est autem quum hæc diceret, quòd mulier è turbâ dixit ei, Beatus venter qui te portavit. Cui responsum dat.		27, 28				
Quum autem turba aggregaretur apud eum, cepit dicere, Genus istud Signum requirit: sed non dabitur, nisi illud Jonæ. Adjiciens Reginam Austri; & Ninevitas, gentem istam condemnaturos. Et considerandum, ait, Num lumen quod in te est, tenebræ sint.		29,-36				
Quum autem hæc loquutus esset, rogavit eum quidam Pharisæus, ut prandere apud se. Qui non abluentem Jesum admiratus; severè ipse, unà cum Pharisæis, ob externam sanctitatem seu simulationem, internam improbitatem, avaritiam, & superbiam, reprehenditur. Et væ similiter Legis interpretibus comminatur Jesus.		37,-54				
Interea quum aggregata esset permulta turba, Discipulis dicit, cavendum esse à *fermento Pharisæorum, quod est Hypocrisis*: nec timendum ab eis qui interimunt corpus.		XII. 1,—12				
Dixit autem ei quidam è turbâ, Dic fratri meo ut partiatur mecum hæreditatem. Cui dixit, *Quis me vobis judicem fecit?* Unde contra Avaritiam concionatur; in Parabolâ divitis ædificaturi horrea majora: & contra anxiam, infidam, & inutilem de hujus vitæ necessariis solicitudinem: mandans, ut quærant potiùs Regnum Dei; & similes sint præstolantibus adventum Domini; ut fidum & prudentem dispensatorem decet. Ignem dissidiorum ob Evangelium se in terram immissurum ait. Hoc autem præstitutum tempus, quî fit ut non explorent; eis improperat.		13,—59				
Adfuerunt autem eo ipso tempore quidam annunciantes ei de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum ipsorum sacrificiis. Iodè resipiscentiam Jesus prædicat. Et Parabolam de Ficu non ferente fructum proponit.		XIII. 1,—9				
Docebat autem in quadam synagogâ Sabbatho. Et ecce mulier adfuit habens spiritum infirmitatis ab annis 18. erátque incurva. Quam sanat Sabbatho. Factúmque contra Præfectum		10,-21				

Synagogæ

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
Synagogæ indignantem, vindicat. Deinde Regnum Dei, grano ſinapis; & Fermento aſſimilat.		XIII.		
Peragrabat ſingulas urbes, & vicos, docens, & iter faciens Hieroſolymam. [ad Encænia ſcilicet.]		22.		
Dixit autem ei quidam, Num pauci ſunt qui ſervantur? Reſpondet, Contendendum, intrare per anguſtam portam.		23,-30.		
Eo ipſo die acceſſerunt quidam Phariſæi, dicentes, Exi, & abi hinc; nam Herodes vult te interimere. Quibus reſponſum reddit intrepidum.		31,--35		
Et factum eſt, ut quum veniſſet domum cujuſdam ex primoribus Phariſæis Sabbatho ad edendum panem, Hydropicus aderat coram eo. Quem ſanat: Factúmque in Sabbatho defendit. Dicíque Parabolam eis qui vocati fuerant. Et docet cum à quo fuerat vocatus.		XIV. 1,--14		
Hoc autem quum audiſſet quidam ex eis qui ſimul diſcumbebant, dixit ei, Beatus qui edit panem in regno Dei. Cui reſpondens, Parabolam proponit de magnâ cœnâ; & factis ſingulis Vocatorum excuſationibus.		15,-24		
Ibat autem turba multa cum eo: Et converſus, concionatur eis de virâ ipsâ relinquendâ propter Chriſtum: Proponens parabolam hominis turrim ædificaturi; & Regis ad prælium profecturi.		25,--35		
Accedebant autem ad eum omnes Publicani, & peccatores, ut eum audirent. Et murmurantibus Phariſæis & Scribis; Loquitur ad eos Parabolas Ovis perditæ; Drachmæ, & Filii prodigi.		XV. 1,--32		
Dixit autem etiam diſcipulis ſuis, Parabolam Diſpenſatoris diſſipantis, ad dominum delati; unâ cum ejuſdem Applicatione: *Audiebant autem hæc omnia etiam Phariſæi, qui erant avari, & ſannis eum excipiebant.* Tunc contra eos concionatur: & quædam docet alia: & Parabolam Divitis deliciis ſe oblectantis, & Lazari mendici, enarrat.		XVI. 1,--31		
Ait autem Diſcipulis, Væ illi per quem offendicula eveniunt. Docéque, peccanti in te fratri ignoſcendum eſſe.		XVII. 1,--4		
Tunc dixerunt Apoſtoli Domino, Adde nobis fidem. Quibus de vi Fidei reſpondet. Et parabolâ ſervi arantis, & ſtatim miniſtrantis, oſtendit, Quòd cùm omnia fecerint, ſervi tamen inutiles ſint; nam quod debuerint facere fecerunt.		5,--10		
Et factum eſt inter eundum Hieroſolymam, ut ipſe tranſiret per mediam Samariam, & Galilæam. Quum autem ingrederetur in quendam vicum, occurrerunt ei decem leproſi. Qui inter eundum, ex mandato Jeſu, ad Sacerdotes, purificari ſunt. Quorum unus, Samaritanus, ad gratias ei agendas redit.		11,--19		
Et interrogatus à Phariſæis, Quando venturum eſſet Regnum Dei; Reſpondet, non venies Regnum Dei ita ut obſervari poſſit: ſed intus eſt. Et diſcipulis dicit, Quòd ſecundùm dies Noë, & Loti, erit dies quo Filius hominis detegetur: ſed priùs oportet illum multa pati.		20,-37		
Dixit autem eis etiam Parabolam, quòd oportet ipſos ſemper orare; exemplo viduæ intercedentis apud iniquum judicem: cùm Deus juſtus vindex ſit.		XVIII 1,--8		
Dixit etiam quibuſdam qui ſibi perſuaſerant ſe juſtos eſſe, & pro nihilo habebant reliquos, Parabolam Phariſæi, & Publicani, in Templo orantium.		9,--14		
Facta ſunt autem Encænia Hieroſolymis; & hyems erat. Et ambulabat Jeſus in Templo, in Porticu Salomonis. Cinxerunt igitur eum Judæi, & dixerunt ei, Quouſque animam noſtram ſuſpendis? Si tu es Chriſtus ille, dic nobis apertè. Quem aſſerentem; idque ex operibus: dicentémque, Ego & Pater unum ſumus, *ſuſtulerunt rurſùm lapides, ut eum lapidarent:* Defendentémque ſe Deum eſſe, ex Scripturâ, & Operibus, *rurſùs ſtudebant eum prehendere: ſed exivit ex eorum manu.*	X. 22,-39			
Abiitque rurſùs in trajectum Jordanis, in eum locum ubi primùm fuerat Johannes quum baptizaret; manſitque illic, & multi venerunt ad eum; &, ut conſueverat, docebat eos, & ſanabat: *multique illic crediderunt in eum.*	40,41, 42.		X. 1.	XIX. 1, 2.
Tunc adierant eum Phariſæi, tentantes eum, & dicentes ei, Licet homini dimittere uxorem ſuam quavis ex cauſa? Negat illud Jeſus; & tam Moſaicum diſceſſionis libellum			2,--12	3,--12

objicientibus

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
objicientibus Phariſæis, quàm diſcipulis dicentibus, Tum non expedire uxorem ducere, reſponſum dat.		XVIII.	X.	XIX.
Adferebant autem ad eum etiam Infantes, ut manus eis imponeret, & precaretur. Et objurgatis diſcipulis prohibere volentibus, cùm manus impoſuiſſet eis, & benedixiſſet, *profectus eſt illinc.*		15, 16, 17.	13,-16	13, 14, 15.
Egrediente autem ipſo ut ſeſe daret in viam, accurrit ei adoleſcens, unus ex primoribus, dives valde, dicens, Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Jeſus, de Titulo dicens, ablegat ad præcepta, dicentem ſe obſervaſſe, diligit; vendere omnia juſſum, & diſtribuere pauperibus, valde triſtem dimittit: de divitibus ſeu avaris duriter pronunciat: Et Petro dicente, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te,* factas Apoſtolis duodecim proprias, reliquiſque ſequentibus inſignes edit Promiſſiones. Additque, multi autem primi erunt ultimi; & ultimi primi. Quod Simili operariorum in vineam conductorum oſtendit. Multi enim ſunt vocati, pauci electi.		18,-30	17,-31	16,-30 XX. 1,--16
Erat autem infirmus Lazarus à Bethania. Miſerunt ergo ſorores ejus ad Jeſum, nunciantes de morbo. Ut ergo audivit illum ægrotare, *tum quidem manſit duas dies in eo loco ubi erat.* Deinde poſtea dixit diſcipulis, Eamus in Judæam rurſus. Dicentibus, modò ſtudebant te Judæi lapidare, & rurſum illuc abis? Reſpondens Jeſus, dixit poſtea eis, Lazarus dormit; de morte loquens, non ſomno; eamus ad eum. Eamus, inquit Thomas, & nos, ut moriamur cum eo.	XI. 1,--16			
Venit Jeſus ad limites Bethaniæ, & invenit Lazarum quartum jam diem in monumento agere. Marthâ autem occurrente ei, de Reſurrectione colloquuntur. Et Maria audiens, citò venit ad eum, extra vicum, ubi occurrerat ei Martha: & flentem videns, flens ipſe, venit ad monumentum: Et cùm jubente Jeſu lapidem ſuſtuliſſent, Patri gratias agens, è monumento eum evocat: multis ideò credentibus: & *quibuſdam abeuntibus ad Phariſæos, narrantibuſque quæ fecerat Jeſus.* Coacto igitur concilio; & Caiphâ de Jeſu prophetante, ab illo die conſultabant unà ut interimerent eum: præcipientes ut ſi quis noſcet ubi eſſet, indicarent, ut prehenderent eum. *Jeſus ergo non palàm amplius ambulabat inter Judæos; ſed abiit illinc in urbem Ephraim: & illic commorabatur cum diſcipulis.*	17,-54			
Erant autem in viâ aſcendentes Hieroſolyma; & præibat eis Jeſus, & expaveſcebant. Ipſe autem aſſumptis rurſùm duodecim, illis cepit dicere quæ ſibi erant eventura. Ipſi verò nihil horum intellexerunt.		31,-34	32,33, 34.	17, 18, 19.
Tunc accedunt ad eum Jacobus & Johannes, filii Zebedæi, & mater, petentes ſeſſionem ad dexteram & ſiniſtram Jeſu. Reſponſo tandem repulſi, & indignantes cæteri; admonentur omnes, ut qui voluerit fieri magnus, & primus inter eos, ſit omnium miniſter & ſervus.			35,-45	20,-28
Factum eſt autem ut dum ipſe appropinquaret Jerichò, cæcus quidam ſederet apud viam mendicans: & percontatione cognoſcens Jeſum Nazarænum tranſire, inſtanter, licèt objurgatus, miſericordiam implorat: Et adductus, viſúmque recipiens; ſequebatur eum glorificans Deum.		35,-43		
Jeſus autem ingreſſus Jericho, tranſibat: Zacchæum videns in ſycomoro, dicit ei, Hodie domi tuæ oportet me manere.		XIX. 1,--10		
Egredientibus autem ipſis urbe Jerichò, ſequuta eſt eum turba multa. Et duobus cæcis (quorum unus erat Bartimæus) viſum reſtituit. Et ipſi ſequuti ſunt eum.			46,-52	29,-34
Hæc autem ipſis audientibus, eo quòd eſſent prope Hieroſolyma, & quòd putarent fore, ut illicò Regnum Dei appareret, pergens, dixit Parabolam, de homine Nobili, in longinquam regionem profecturo; & decem ſervis decem minas dante, ut negotiarentur, donec reverteretur: & quum rediiſſet, cognoſcente quis quid negotiando confeciſſet; & pro menſurâ lucri illis retribuente.		11,-27		
Propè autem erat Paſcha. Et multi ex illâ regione aſcendebant Hieroſolymam ante Paſcha, ut purificarent ſe.	55,56, 57.			

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
Jeſus ergo ſex ante Paſcha diebus venit Bethaniam. Fecerunt ei cœnam : Lazaro unà diſcumbente : Mariâ pedes ungente, & capillis extergente; & Jeſu eam contra Judam defendente. Turba autem multa venit, *non propter Jeſum tantùm, ſed etiam ut Lazarum viderent. Conſultarunt autem primarii Sacerdotes, ut Lazarum etiam interimerent : quia multi ex Judæis propter eum credebant.*	XII. 1,—11			
Et his dictis, antegrediebatur aſcendens Hieroſolymam. Et factum eſt, quum appropinquaſſet Bethphagæ, & Bethaniæ, ad montem qui vocatur Olearum, [menſis Martii die 29.] *miſit duos è diſcipulis ſuis* pro pullo alligato, cui nullus unquam hominum inſedit. (Aſinæque etiam Matthæus meminit.)		XIX. 28,—35	XI. 1,—7	XXI. 1,—7
Adduxerunt igitur Pullum ad Jeſum, & injecerunt ei pallia ſua, & inſedit ei. Et turba multa quæ venerat ad diem Feſtum, prodiit ei obviam: plurimis ſternentibus veſtimenta ſua in viâ; aliis ramos frondéſque arborum. *Et quum jam appropinquaret ad deſcenſum montis Olearum,* clamabat turba quæ præibat, & quæ ſequebatur, Hoſanna Filio David. Et aliquibus Phariſæorum è turbâ dicentibus ei; Objurga diſcipulos tuos, Reſponſum dat. Phariſæi ergo dixerunt inter ſe, Videtiſne nos nihil proficere? ecce mundus eum ſequutus eſt.	12,—18	36,-40	8,9,10	8, 9
Et ut appropinquavit, viſâ urbe flevit ſuper eâ : ruinam ejus extremam prænuncians.	19.	41,-44		
Et quum introiſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa urbs, dicens, Quis eſt hic?				10, 11,
Et introivit Jeſus in Templum Dei; & ejecit vendentes, & ementes in eo. Cæcos, & claudos, in Templo ſanat. Puerósque in eo clamantes Hoſanna, contra Sacerdotes & Scribas indignantes juſtificat. *In Templo quotidie docet;* auditoribus diligenter auſcultantibus: primariis verò Sacerdotum, & primoribus plebis perdere eum ſtudentibus.		45,46, 47, 48.	11.	12, 13, 14, 15, 16.
Græci autem quidam ex eis qui veniunt ut adorent in Feſto, Jeſum videre cupiunt. Narrantibus reſpondet, de Paſſione ſuâ concionando: Patremque invocando, reſponſum accipit per vocem è cœlo; quam quidam Tonitru; alii Angelum eſſe putant. Iterúmque agens de ſublatione Filii hominis è terrâ; eis qui de eâ ulteriùs quærebant, & Quis eſſet iſte Filius hominis, Reſpondet. *Inde abiens, occultavit ſe ab eis; horâque veſpera cùm eſſet, abiit ad Bethaniam cum illis duodecim.* Quum autem tot ſigna coram eis edidiſſet non credebant in eum; ut ſermo Eſaiæ impleretur: veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum; ſed propter Phariſæos non profitebantur. Clamans igitur concionatur de Fide in ſe.	20,-50			17.
Poſtero die cùm exiiſſent Bethaniâ eſuriit. Et ficui folia ſolùm habenti imprecatus eſt, ſtatimque exaruit. *Veniunt Hieroſolymam; & ingreſſus Jeſus in Templum, vendentes & ementes* iterùm ejicit; nec ſinebat ut quiſquam deportaret vas per Templum. Clamánſque docet fidem in ſe. Primarii auten Sacerdotes quærebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum, quia tota turba percellebatur ſuper doctrinâ ipſius. *Quum verò veſpera advenisſet, egreſſus eſt Jeſus extra urbem.*			12,-19	18, 19.
Et mane iter facientes prope ficum, viderunt eam exaruiſſe radicitus. Petróque id indicante; Jeſus de vi & virtute Fidei; in precibus ſpeciatim, concionatur eis. *Tunc veniunt rurſùs Hieroſolymam; & quum ipſe ambularet in Templo, & doceret, veniunt ad eum primarii Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores, dicentes, Quâ authoritate iſta facis?* Reſpondet Jeſus, Interrogando eos de authoritate Baptiſmatis Johannis. Dixítque eis Parabolam duorum filiorum; Quærens ab eis, uter è duobus fecit quod voluit Pater: eámque illis applicat. Parabolam item vineæ elocatæ agricolis, hæredem vineæ tandem occidentibus; unà cum ejus applicatione. *Ideóque ſtudebant eum eâ ipſâ horâ prehendere; ſed timuerunt turbam, quoniam ut Prophetam eum habebat. Rurſúſque proponit eis parabolam* Nuptiarum Filii Regis, & invitatorum quorundam recuſationes ſeu excuſa-		XX. 1,--8	20,-33 XII. 1,--12	19,-46
		9,—19		XXII. 1,--46

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
tiones : quorundam nequitias , pœnásque ; etiamque illius qui veſtem nuptialem non habuit. *Tunc profecti Phariſæi conſilium ceperunt ut illaquearent eum in ſermone. Itaque mittunt ad eum diſcipulos ſuos , cum Herodianis , dicentes , Licéne cenſum dare Cæſari , an non ?* Et reſponſum mirati , *emiſſo eo, abierunt.*		XX. 20,-40	XII. 13,-37	
In illo die adierunt eum Sadducæi , Interrogantes de muliere quæ ſeptem fratres pro maritis habuit , Cujus ex illis ſeptem uxor erit in Reſurrectione ? Et quum reſponſum Reſurrectionem aſſereret , auditâ turba, perculſa eſt ſuper doctrinâ ipſius. *Phariſæus deinde Legis interpres* , tentat eum , Interrogando , *Quod eſt mandatum magnum in Lege ?* Reſponſo dato ; Interrogat Phariſæos , cujus filius eſt Chriſtus ille ? Et nemo poterat reſpondere ei quicquam : neque auſus fuit quiſquam ab illo die ampliùs illum interrogare.		41,-44		XXIII 1,—39
Tunc Jeſus loquutus eſt turbæ , & diſcipulis ſuis , de Scribis, & Phariſæis : Væ contra eos octies denuncians. Et civitatem alloquens Jeruſalem , crudelitatem ejus , & obſtinationem accuſat , & deſolationem prædicit.		45,46, 47.	38, 39, 40.	
Et quum ſediſſet Jeſus ex adverſo gazophylacii , viduam duo minuta injicientem , cæteris magis æſtimat.		XXI. 1,—4	41,-44.	
Quum autem egrederetur è Templo , diſcipulis ædificia ejus, lapidéſque oſtendentibus , ruinam ejus prædicit.			XIII. 1,—37	XXIV. 1,—51
Et quum ſederet in monte Olivarum ex adverſo Templi , interrogarunt eum privatim quatuor è diſcipulis , Quando hæc erunt ? & quod erit ſignum adventûs tui , & conſummationis ſæculi ? Quibus fusè reſpondet , de ſignis utriuſque. Monétque ut vigilent , paratique ſint , quia neſciunt quâ horâ Dominus venturus ſit. Idémque docet , Parabolâ decem Virginum. Itémque Parabolâ Talentorum ſervis traditorum , ut negotiarentur. Ultimúmque ſeculi [iſtius forſan , ut Typi] deſcribit judicium , oves ad dexteram , hœdos ad ſiniſtram ſtatuendo , & de utriſque ſententiam dicendo. *Docebat autem interdiu in Templo : noctu verò exiens , pernoctabat in monte qui vocatur Olivarum. Et totus populus diluculo veniebat ad eum , ut audiret eum in Templo.*		5,-36. 37,38		XXV. 1,-46
Et factum eſt quum finiſſet Jeſus ſermones iſtos , dixit diſcipulis ; Scitis poſt biduum Paſcha fore ; & Filius hominis prodetur, ut crucifigatur. Tunc in aulâ Caiaphæ Pontificis maximi conſultârunt ut Jeſum trucidarent. *At non in Feſto , aiunt , ne tumultus fiat in populo.*			XIV. 1, 2.	XXVI. 1,—5.
Quum autem Jeſus eſſet in Bethaniâ , in domo Simonis Leproſi ; mulierem , alabaſtrum unguenti in caput ejus accumbentis effundentem , contra indignantes diſcipulos defendit , funerationem ſuam prædicendo.			3,-9	6,--13
Tunc introiit ſatanas in Judam , qui ſe offert , & paciſcitur ad prodendum eum.	XXII. 1,—13		10, 11	14, 15, 16.
QUARTUM PASCHA : in quo , Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus ; [I. Corinth. V. 7.] *atque ita Legalibus omnibus ſacrificiis , hoc unicum præſignificantibus , finis impoſitus , ineunte anno quarto ſive* MEDIO *poſtremæ Septimanæ Danielis.* [Dan. IX. 27.]				
PRimo autem die *Azymorum , quando Paſcha mactabatur,* [Aprilis die 2.] quærentibus diſcipulis de loco parandi ipſium , mittit Petrum & Johannem in urbem , prænuncians occurſurum eis quendam amphoram aquæ bajulantem , cujus ductu diverſorium , & cœnaculum paratum à Patre-familias obtinebunt.			11,-16	17, 18, 19.
Et quum ſerum diei eſſet , venit cum duodecim. Quúmque diſcubuiſſent , & ederent , dixit Jeſus , Deſiderio deſideravi hoc Paſcha edere vobiſcum , antequàm ego patiar ; & poculum juſſit dividere inter ipſos : dicens ſe non ampliùs eſurum ex Paſchate ; aut bibiturum ex fructu vitis , uſque quò		14,-28	17.	20.

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
			XIV.	XXVI.
Regnum Dei venerit. Atque etiam, Unus ex vobis prodet me. Contristatis autem vehementer, & dicentibus singulis, Num ego sum Domine? Respondet, Qui intingit mecum manum in catino, is est. Et Judæ dicenti, Num is ego sum? ait ei, Tu dixisti.			18,-21	21,-25
		XXII.		
Edentibus autem eis, in pane instituit sacramentum corporis sui; & in vino, *postquàm cœnasset*, sanguinis sui: Addens, Non bibam ab hoc tempore, ex hoc fructu vitis, usque ad diem illum quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Cæterùm ecce, inquit, manus ejus qui me prodit, mecum est in mensâ. Tunc ipsi cœperunt mutuò quærere inter se de hac re; ecquis nimirùm ex ipsis esset hoc facturus.		19,-23	22,-25	26,-29
Orta est autem etiam de hoc contentio inter eos, Quis eorum videretur esse maximus. Et cœnâ peractâ, surgit ab eâ, & deponit pallium, acceptóque linteo, præcinxit se; cœpitque lavare, & extergere pedes discipulorum: etiamque & Petri, negantis licèt primò; postea tamen expetentis. Quo peracto, *rursum recubuit*; inquiens, Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis, alii aliorum pedes lavantes; & qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: supperaddens, Non de omnibus vobis loquor: ego scio quos elegerim. *Quum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu*, & testatus est, dixitque, Unus ex vobis prodet me. Discipuli ergo aspiciebant, alii ad alios, incerti de quo diceret. Innuente autem Petro dilecto discipulo, ut percontaretur quis esset: respondet Jesus, Ille est cui ego intinctam offulam dedero. Eamque dedit Judæ. Dixitque ei, Quod facis, mox facito. Hoc autem nemo accumbentium intelligebat. Ille igitur acceptâ offulâ *statim exivit: erat autem nox.*	XIII. 2,-38	24,-30		
Quum ergo exiisset, dicit Jesus, Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus in eo. Monétque de instante abitu suo: mutuáque eorum dilectione. Dixit etiam Dominus, Simon, Simon, ecce satanas appetit vos quos ventilaret sicut triticum: sed pro te oravi; & tu stabili fratres. Et Petro nimium confidenter dicenti, Animam meam pro te deponam, respondet, Non emittet vocem gallus, donec ter me abnegaveris. Dixit etiam eis, At nunc qui crumenam habet, tollat eam: & qui non habet, emat gladium. Dicentibus autem, Ecce duo gladii hîc; respondet, Satis est.		31,-38		
Contra tristitiam ex morte ejus conceptam, ex usu ejus, consolatur eos. Quæstionibus Thomæ, Philippi, & Judæ, (qui & Lebbæus, cognominatus Thaddæus, filius alter Alphæi, fratérque Jacobi) sigillatim respondet. Promittit Spiritum sanctum discipulis Doctorem. Pacem suam relinquit eis. Iterúmque monens de morte instante, fructúque ejus lætabili; *Surgite, inquit, abeamus hinc. Et quum hymnum cecinissent, exiverunt versùs montem Olearum.*	XIV. 1,--31		26.	30.
Inter eundum, per similitudinem Vitis & Palmitum hortatur ad fructum ferendum: hortatur ad permanendum in dilectione Dei erga eos: ad mutuum inter se amorem: ad mundi odium perferendum, ut qui odio habet Christum ipsum: Et ne persecutionibus offendantur. Iterúmque contra tristitiam de morte suâ consolatur eos, per promissionem mittendi ad eos Paracleti, Spiritûs veritatis; cujus officium, erga mundum, erga ipsos, describit. Monénsque, paulisper esse, & non conspicient eum: Discipulis, quid illud esset nescientibus, id ipsum explicat: Et tristitiam eorum prædictam de morte ejus, vertendam, ait, in gaudium, exemplo mulieris puerulum parturientis; idque ex reditu ejus ad eos; ex amore Patris erga eos, ejúsque promptâ petitionum exauditione, quas nomine suo facturi sint. Demùm expressè dicenti, Prodii à Patre, & veni in mundum; iterùm relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem; Discipuli dixerunt, Ecce nunc apertè loqueris, credimúsque te à Deo prodiisse. Quibus respondet, Tempus modò venire, quum dispergentur quisque ad sua, & Christum solum relinquent. Tandémque divinissimâ ad Patrem Oratione, pro mutuâ gloriæ suæ, & Patris, illustratione; pro Apostolis; pro toto credentium grege, conclusionem ponit.	XV. 1,--27 XVI. 1,--33 XVII. 1,--26			

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
	XVIII.	XXII.		
	1.	39.	XIV.	XXVI.
Hæc quum dixisset Jesus, cum discipulis suis, profectus est, ex more, trans torrentem Cedron, in montem Olearum. Tunc dicit eis Jesus, Omnes offendemini in me nocte hac: sed postquàm suscitatus fuero, præibo vobis in Galilæam. Petro dicenti, Etiamsi omnes offendantur, at non ego; Jesus ait, Hodie, nocte istâ, priusquàm bis vocem gallus miserit, ter me abnegabis. Ille verò, omnésque discipuli replicant, Si oportuerit commori tibi, te non abnegabimus.			27,-31	31,-35
Veniunt igitur in locum, cujus nomen est Gethsemane, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus. Dixítque eis, Orate, ne introcatis in tentationem. Sedete hîc usque quò profectus precatus fuero illic. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit gravissimè angi: dixítque eis, Manete hîc, & vigilate. Et progressus paululùm, quasi ad jactum lapidis, positus genibus, oravit, de transferendo poculo hoc. Conspectus est autem ei Angelus è cœlo, corroborans eum. Reditque, reperiens discipulos dormientes; quos reprehendit, monétque. Secundò abit, & precatur intentiùs, constitutus in angore, sudans quasi grumos sanguinis. Et quum rediisset, reperit eos rursùs dormientes præ tristitiâ; erant enim oculi eorum gravati: rursúmque moniti, non scibant quid responderent. Tertiò abit, idémque precatur. Rediénsque dicit discipulis, Dormite quod superest, & requiescite; ecce appropinquavit hora illa, & filius hominis proditur in manus peccatorum. *Surgite, eamus: ecce qui prodit me appropinquavit.*		40,-46	32,-42	36.
				36,-46
Adhuc autem eo loquente, ecce Judas, qui noverat locum, quia Jesus frequenter cum discipulis suis illuc convenerat, unà cum primariis Sacerdotibus, & Pharisæis, & præfectis Templo, & Senioribus populi, & ministris eorum, & cohorte ab eis missâ, venit illuc cum laternis & facibus, turbáque multâ, cum gladiis, & fustibus. Dederat autem eis Judas signum, dicens, Quem osculatus fuero is est. Et statim deosculatus est Jesum. Cui Jesus, Quorsum ades? osculo Filium illum hominis prodis? Jesus itaque sciens omnia quæ ventura essent in se, prodiens dixit eis, Quem quæritis? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, Ego sum. Et abierunt illi retrorsùm, & ceciderunt super terram. Iterúmque rogat; respondérque eis ut priùs; addendo, Si me quæritis, sinite hos abire. Et prehenderunt eum. Videntes autem ii qui circa eum erant, quod futurum erat, dixerunt, Domine, percutiemúsne gladio? Petrus autem gladio abscidit Malchi, servi Pontificis maximi, auriculam dexteram. Cui Jesus, Reconde gladium. Annon possem precibus obtinere plures quàm duodecim legiones Angelorum? Annon bibam poculum quod dedit mihi Pater? Sinite hucusque. Et tactâ illius auriculâ, sanavit eum. Dixit autem Jesus eis, Siccine ut adversùs latronem exiistis, cum gladiis, & fustibus? sed hæc est hora illa vestra, & potestas tenebrarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Quidam autem juvenis [ex contubernio] prehensus, derelictâ sindone, nudus ab illis effugit.	2, 3.	47, 48.	43,-47	47,-56
	4,—9			
	10, 11.	49, 50, 51.		
		52, 53	48,-52	
Jesum autem vinxerunt; & abduxerunt, primùm ad Annam, socerum Caiaphæ; qui misit eum vinctum ad Caiapham Pontificem maximum, qui propheterat priùs, expedire ut unus homo moriatur pro populo. *Ibi omnes primarii Sacerdotes*, & Seniores & Scribæ coacti erant. Caiaphas ergo interrogavit Jesum de discipulis ejus, & de doctrinâ ipsius. Respondet ei Jesus, Ego palàm loquutus sum mundo, interroga eos qui audierunt. Ideóque bacillo cæsus ab uno è ministris; respondet ei, Si bene loquutus sum, cur me cædis? Totus autem confessus quærebat falsum testimonium contra eum; & non invenerunt. Postremò duo falsi testes advenerunt. Sed ne sic quidem par erat testimonium eorum. Dicente Caiaphâ, Non respondes testantibus contra te? silet Jesus. Adjurante ut dicat, num sit Christus ille, respondet, Ego sum: Et videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem cum nubibus cœli. Ideóque eum, ut reum mortis, ob blasphemiam judicârunt. Tunc illudebant ei; sputis, colaphis, bacillis in eum sævierunt; & obtegentes	22,-27	54,-65	53,-72	57,-75

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
faciem ejus, dixerunt, Vaticinare quis te percussit: & alia multa convitiantes dicebant in eum. *Sequebatur autem Jesum Petrus è longinquo*, ut videret finem; aliúsque discipulus, qui notus erat Pontifici, & simul cum Jesu introiit in aulam. Petrus autem stabat extra ad ostium; quem alter ille discipulus, ostiariam alloquens, introduxit. Cui interroganti, & asserenti, Petrus se calefaciens ad ignem accensum in medio aulæ, quia frigus erat, negat se discipulum ejus esse, aut nôsse eum, & nescire quid ea dicat. Et paulò pòst exivit extra vestibulum: & gallus vocem emisit. Egredientem autem rursùs vidit alia ancilla, & dixit eis qui erant ibi, Et iste erat cum Jesu Nazareno. Aliúsque item dixit ei, Et tu ex ipsis es. Tunc rursùs negavit, cum juramento, se ex ipsis esse, aut hominem nôsse. Et interpositâ quasi horâ unâ, accesserunt qui adstabant, dicentes ei, Loquutio tua te manifestum facit: Et cognatus Malchi inter eos, dicens, Nonne ego te vidi in horto cum eo? Tunc cœpit exsecrari, seipsum devovere, & jurare, dicens, Non novi hominem istum quem dicitis. Et illicò adhuc ipso loquente, gallus secundò vocem emisit. Tunc conversus Dominus intuitus est Petrum; qui memor prædictionis Jesu, egressus foras, flevit amarè.				
Et ut ortus est dies, congregatum fuit Presbyterium populi, & primarii Sacerdotes, & Scribæ, & adduxerunt eum in suum consessum, dicentes, Num tu es ille Christus? Quibus ille; nequaquam credetis; aut respondebitis; aut absolvetis: asserente autem ipso, se esse Filium illum Dei, dixerunt, Quid ampliùs egemus testimonio?		XXII. 66,-71		
Tum statim manè surgens universa multitudo eorum, vinctum duxit eum ad Pontium Pilatum Præsidem; à Caiaphâ, ad Prætorium (Aprilis die 5.) Et ipsi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, sed ut ederent Pascha: Jesus autem stetit coram Præside. *Prodiit ergo Pilatus ad eos*, & dixit, Quam accusationem affertis adversùs hominem istum? Responderunt, Nisi ille esset facinorosus, non tradidissemus eum tibi. Et cœperunt accusare, dicentes, Comperimus istum, pervertere gentem, & vetare tributa dari Cæsari, dicendo se Christum, regem esse. Et quum ipse accusaretur à primariis Sacerdotibus, & Senioribus, nihil respondit. Tum dicit ei Pilatus, Non audis quàm multa adversùm te testificentur? Et non respondit ei ad ullum verbum; ita ut miraretur Præses valde. Dicit ergo eis Pilatus, Accipite eum vos, & secundùm legem vestram condemnate eum. Qui dixerunt, Nobis non licet interimere quenquam. *Regressus est ergo in Prætorium Pilatus*, & vocavit Jesum, dixitque ei, Tunc es Rex ille Judæorum? Respondet Jesus, A teipsone tu hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondet Pilatus, Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & primarii Sacerdotes tradiderunt te mihi; quid fecisti? Respondet Jesus, Regnum meum non est ex hoc mundo. Dixit ergo ei Pilatus, Ergo Rex es tu? Respondet Jesus, Veni in mundum, ut testimonium dem veritati. Dicit ei Pilatus, Quid est veritas? Et *quum hoc dixisset, rursum prodiit ad Judæos*, & dixit eis, Ego nullum invenio crimen in eo. At illi invalescebant, dicentes, Concitat populum, docens per universam Judæam, exorsus à Galilæâ hucusque. Pilatus verò auditâ Galilæâ, interrogavit num homo iste Galilæus esset. *Et quum cognovisset eum ad Herodis potestatem pertinere, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat per eos dies.* Qui viso Jesu gavisus est valde. Sed frustratus miraculo; nec dignatus responsione. ullâ, aut ei, aut primariis Sacerdotibus, & Scribis, licèt magnâ contentione eum accusantibus, pro nihilo habitum, & illusum, veste splendidâ amictum Jesum, *remisit ad Pilatum*. Qui ambo Præsides eo ipso die amici inter sese facti sunt. *Pilatus verò convocatis primariis* Sacerdotibus, & primoribus, & populo, dixit eis, Nec ego, nec Herodes, ullam noxam invenimus in eo; nihil dignum morte. Castigatum ergo eum dimittam. Præses autem necesse habebat, prout consueverat, singulis Festis, turbæ dimittere unum vinctum, quem volebant: Et vociferans turba cœpit petere,	XVIII. 28,-40	XXIII. 1,—6	XV. 1,—5	XXVII 1,—26
		7,--12		
		13,—25		
			6,—15	

JOH.	LUC.	MAR.	MAT.

ut faceret prout ipsis semper fecerat. Pilatus autem congregatis respondet eis, dicens, Est vobis consuetudo, ut unum dimittam vobis in Paschâ; vultisne ergo dimittam vobis regem illum Judæorum? utrum eum, an Barabbam? noverat enim eum per invidiam tradium fuisse à primariis Sacerdotibus. Ii verò concitârunt turbam, ut potiùs Barabbam ipsis dimitteret. Erat autem is latro, vinctus insignis, cum seditionis sociis, qui propter seditionem quandam, & cædem factam in urbe, conjectus erat in carcerem. *Sedente autem eo in Tribunali, misit ad eum uxor ejus*, dicens, Nihil tibi rei sit cum justo illo: multa enim passa sum hodie in somnio propter eum. Rursùs ergo Pilatus alloquutus est eos, volens dimittere Jesum, Utrum è duobus illis vultis, ut vobis dimittam? Clamitârunt autem rursùm omnes, dicentes, Nequaquam istum, sed Barabbam. Tum Pilatus respondens, rursùm dixit eis, Quid ergo vultis faciam de isto quem dicitis Regem Judæorum? Ipsi verò rursùm clamaverunt, Crucifige eum. Pilatus autem tertiò dicit eis, At enim quid mali fecit? nullam noxam capitalem inveni in eo: castigatum ergo eum dimittam. Illi autem ampliùs clamaverunt, Crucifige eum; & instabant vocibus magnis idipsum petentes. *Tunc assumpsit Jesum Pilatus, & flagellavit. Et milites contexuerunt coronam è spinis*, & imposuerunt capiti ejus, & pallio purpureo induerunt eum: dicentes, Ave Rex Judæorum. Et bacillis eum cædebant. *Prodiit ergo rursùm Pilatus foras, & dixit eis, Ecce adduco vobis eum foras*, ut noveritis me nullam in eo crimen invenire. *Prodiit ergo Jesus foras, gerens coronam illam*, & pallium. Et dixit eis Pilatus, Ecce homo. Intuiti eum primarii Sacerdotes, & eorum ministri, clamitârunt, dicentes, Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo crimen. Respondent Judæi, Debet mori, quia Filium Dei se fecit. Audiens hoc Pilatus, magis metuit. *Et rursùs ingressus est Prætorium, & dixit Jesu*, Unde es tu? Jesu non respondenti dicit Pilatus, Mihi non loqueris? nescis me potestatem habere crucifigendi te? Respondet Jesus, Non haberes, nisi tibi datum esset supernè. Ex eo studebat Pilatus eum dimittere. Judæi verò clamabant, Tum non es amicus Cæsaris. Pilatus hoc audiens, eduxit foras Jesum, consedítque in tribunali, in loco Gabbathâ. Erat autem parasceve Paschæ, hora verò quasi sexta: Tum dicit Judæis, Ecce Rex vester. Illi verò clamitârunt, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Respondent primarii Sacerdotes, Non habemus Regem nisi Cæsarem. Videns autem Pilatus se nihil proficere, sed majorem tumultum fieri, acceptâ aquâ abluit manus coram turbâ, dicens, Innoxius ego sum à sanguine hujus justi: vos videritis. Et respondens universus populus dixit, Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Tunc volens turbæ satisfacere demisit eis Barabbam; *Jesum autem quum flagellasset; tradidit eorum voluntati, ut crucifigeretur.*

Tunc milites Præsidis, quum abduxissent Jesum in Prætorium, coëgerunt ad eum universam cohortem. Et quum exuissent eum, circumposuerunt ei chlamydem coccineam, seu purpuream; Et coronam è spinis contextam imposuerunt ejus capiti, & arundinem in dexteram ejus; & genu ante eum summisso, illudebant ei, dicentes, Ave rex Judæorum. Et quum inspuissent in eum, ceperunt arundinem illam, & verberabant caput ejus. Et postquàm illusissent ei exuerunt eum chlamyde, induerúntque vestimentis suis: *& abduxerunt eum ut crucifigerent.*

Tunc Judas, qui eum prodiderat, quum vidisset eum damnatum esse, pœnitens, retulit triginta argenteos ad primarios Sacerdotes; confitens illis peccatum suum; & projicions argenteos in Templum; secessit, & strangulavit sese. Illi autem emerunt ex eis agrum illum figuli, ad sepulturam hospitum: ad implendum Prophetæ vaticinium.

Jesus portans crucem suam prodiit. Abducentes autem invenerunt Simonem quendam Cyrenæum, qui veniebat rure;

JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
XIX. 1,-16			
17,-30		X V. 16,-37	XXVII 17,-31
	XXIII. 26,-38		32,-50

quem

JOH	LUC.	MAR.	MAT.

quem prehenſum angariârunt ad crucem ferendam ponè Jeſum. Facinoroſi autem duo latrones cum eo abducebantur, ut crucifigerentur. Sequebatur autem eum magna multitudo populi, & mulierum, quæ plangebant eum. Ad quas converſus, deſtructionem lamentabilem prædicit appropinquantem. *Quum autem veniſſent in eum locum qui dicitur Calvaria*, Hebraicè autem Golgotha, dederunt ei bibendum myrrhatum vinum, ſeu acetum cum felle miſtum: & quum guſtaſſet, noluit bibere. *Illic crucifixerunt eum. Erat autem hora tertia.* Et cum eo duos illos facinoroſos crucifixerunt, unum ad dextram, alterum ad ſiniſtram. Jeſus autem dicebat, Pater remitte ipſis, neſciunt quid faciant. Scripſit autem etiam titulum Pilatus, Hebraicè, Græcè, & Romanè; & impoſuit cruci. Quem ad petitionem primariorum Sacerdotum Pilatus noluit immutare. Poſtquàm autem crucifixerunt eum, partiti ſunt ejus veſtimenta in quatuor partes, unicuique militi [qui executionis officium egit] partem, ſortem jacientes; itémque ſuper tunicam inſutilem, cujus futura ſic: ut ſcriptura impleretur. Et ſedentes ſervabant eum illic. Et ſtabat populus ſpectans. Qui verò præteribant, conviciabantur ei, moventes capita ſua; & dicentes, Vah tu qui deſtruis Templum, & triduo ædificas, ſerva temetipſum: Si Filius Dei es, deſcendito è cruce. Similiter autem etiam primarii Sacerdotes, & primores, cum populo, illudentes, & ſannis eum excipientes, cum Scribis, & Senioribus; dicebant alii ad alios, Servavit alios, ſeipſum non poteſt ſervare. Si Rex Iſraëlis eſt, ſi ille Chriſtus, electus ille Dei, deſcendat nunc è cruce, & credemus ei: Confidit in Deo, eruat ipſum nunc, ſi placet ei: dixit enim, Filius Dei ſum. Illudebant autem etiam ei milites, accedentes, & acetum ei offerentes: dicentéſque, Si tu es Rex ille Judæorum, ſerva temetipſum. Idipſum autem etiam latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabant ei. Et uno eorum in conviciis perſeverante; alter converſus interim, objurgans eum; dixit Jeſu, Domine memento mei quum veneris in regnum tuum. Cui Jeſus, Hodie mecum eris in paradiſo. Stabant autem juxta crucem Jeſu, mater ejus, & ſoror matris ejus, Maria Cleopæ uxor, & Maria Magdalene. Quum vidiſſet ergo Jeſus Matrem, ac diſcipulum adſtantem quem diligebat, dicit matri ſuæ, Ecce filius tuus, & diſcipulo, Ecce mater tua. *Quum autem advenisſet hora ſexta, tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, ſeu regionem, uſque ad horam nonam. Circiter verò horam nonam exclamavit Jeſus voce magnâ, Eli, Eli,* ſeu Eloi, Eloi, Lamma ſabachthani? Quidam autem adſtantium dicebant, Ecce, Eliam vocat. Et quum ſciret Jeſus omnia jam eſſe peracta, ut conſummaretur ſcriptura, *dixit, Sitio.* Vas igitur illic erat poſitum aceto plenum. Illi verò impleverunt ſpongiam aceto, & hyſſopo ſeu arundine circumdatam, admoverunt ori ejus; dicentes etiam, cum reliquis, Sinite, videamus an veniat Elias ad ſervandum & detrahendum eum. Jeſus autem quum accepiſſet acetum, dixit, Conſummatum eſt. Et quum rurſùm clamaſſet voce magnâ, ait, Pater in manus tuas depono ſpiritum meum; & inclinato capite, emiſit ſpiritum. Centurio autem videns eum ita emiſſo clamore expiraſſe glorificavit Deum, dicens, Verè hic homo juſtus erat, verè homo iſte Filius erat Dei.

Et ecce velum Templi fiſſum eſt in duas partes à ſummo uſque ad imum, & terra mota eſt; & Petræ fiſſæ ſunt. Et monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum qui dormîerant, ſurrexerunt. Qui egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem ejus, introierunt in ſanctam urbem, & apparuerunt multis. Centurio etiam qui ſtabat ex adverſo, & qui cum eo ſervabant Jeſum, viſo terræ motu, & iis quæ facta fuerant, timuerunt vehementer, dicentes, verè Filius Dei erat iſte. Et omnis turba quæ ſimul ad hoc ſpectaculum acceſſerat, ſpectans quæ facta fuerant, cædens pectora ſua, revertebatur. Stabant autem omnes noti ejus procul, & mulieres è longinquo, quæ erant eum unà ſequutæ à Galilæâ, videntes iſta; inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi parvi & Joſe mater, & Salome: Quæ etiam quum

	XXIII. 39,-43		
	44, 45, 46.		
		X V. 38,-42	
			XXVII 51,--56
	47, 48, 49.		

eſſet

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
eſſet in Galilæâ, ſequutæ fuerant eum; & miniſtraverant ei; aliæque multæ quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam. Judæi ergo ut non manerent in cruce corpora Sabbatho, quoniam erat Paraſceve (erat enim magnus dies illius Sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut confringerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites & confregerunt crura duorum latronum: At non Jeſu, utpote jam mortui. Sed quidam ex militibus lanceâ latus ejus fodit, & ſtatim exivit ſanguis & aqua. Facta autem hæc ſunt ut Scripturæ implerentur. *Quum autem ſerum diei jam eſſet, quoniam erat Paraſceve, hoc eſt ante-ſabbathum, veniens Joſephus Arimatheenſis*, homo dives, honoratus Senator, qui & ipſe expectabat regnum Dei, vir bonus, & juſtus, qui non aſſenſus fuerat conſilio, ac facto eorum, ut qui eſſet diſcipulus Jeſu, ſed occultus, propter metum Judæorum, fidenti animo introiit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Pilatus autem miratus eſt ſi jam mortuus eſſet: & advocato Centurione interrogavit eum. Et re cognitâ, donavit corpus Joſepho. Venit autem & Nicodemus, is qui venerat ad Jeſum nocte primùm, ferens miſturam myrrhæ, & aloës libras quaſi centum. Acceperunt ergo corpus Jeſu, & detractum obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire. Et involutum ſindone purâ, poſuit Joſephus in monumento ſuo novo quod exciderat in petrâ, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat: quodque erat in horto, in eo loco ubi crucifixus fuerat Jeſus. Ibi ergo, propter Paraſceven Judæorum, quòd monumentum illud prope eſſet, poſuerunt Jeſum. Et advolvit Joſephus ſaxum magnum valde ad oſtium monumenti. Maria Magdalene verò, & Maria mater Joſe ſpectabant ubi poneretur, & ſedebant contra ſepulchrum. Subſequutæ etiam mulieres quæ cum eo venerant ex Galilæâ, ſpectârunt monumentum. Reverſæ verò paraverunt aromata & unguenta: ac ſabbatho quidem quieverunt, ſecundùm præceptum.	XIX. 31,-37	XXIII. 38,-42	XV. 42,-47	XXVII 57,-61
Poſtero autem die [Aprilis 4.] *primarii Sacerdotes*, & Phariſæi rogârunt Pilatum ut juberet ſepulchrum muniri uſque in diem tertium; rationem ei attexentes. Quo conceſſo: Ipſi profecti munierunt ſepulchrum, obſignato lapide, cum cuſtodiâ.				62,-66
Extremo autem Sabbatho, ſeu exacto intercedente Sabbatho, [Aprilis die 5.] *quum luceſceret in primum diem hebdomadis, valde manè, profundo diluculo quum adhuc tenebræ eſſent, Maria Magdalene*, & Johanna, & Maria Jacobi mater, & Salome, aromata ferentes quæ emerant, & euntes ut ſpectarent monumentum, & ungerent Jeſum; dicebant inter ſe, Quis avolvet nobis ſaxum ab oſtio monumenti? Et exorto ſole venientes ad monumentum, conſpiciunt ſaxum eſſe avolutum. Nam ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini, quum deſcendiſſet è cœlo, acceſſit & avolvit ſaxum ab oſtio; ſedebâtque ſuper illud. Et ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Jeſu. Et factum eſt ut dum in eâ re hæſitarent, tum ecce duo viri ſuperveneruntis, induti veſtibus fulgurantibus, & utriuſque viſus erat ut fulgur, & veſtimentum album ſicut nix. (Matthæus, & Marcus, unius tantùm meminerunt.) Cuſtodes autem perculſi ſunt præ timore, & facti ſunt ſicut mortui. Quum autem expavefactæ mulieres inclinarent faciem in terram, dixerunt eis. Vos verò ne timete, ſcio enim vos Jeſum crucifixum quærere. Sed quid inter mortuos quæritis eum qui vivit? Non eſt hîc. Reſurrexit enim, prout dixit, Adeſte, videte locum ubi jacebat Dominus: & mementote ut loquutus ſit vobis quum adhuc in Galilæâ eſſet, dicens, Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi; & die tertio reſurgere. Et citò profectæ, dicite diſcipulis ejus; & Petro, eum reſurrexiſſe à mortuis. Et ecce, præit vobis in Galilæam: illic eum videbitis. Ecce, dixi vobis. Tunc mulieres recordatæ ſunt verborum Jeſu: *Et egreſſæ citò à monumento*, cum timore, ſtupore & gaudio magno, currebant ut renunciarent diſcipulis ejus; neque	XX. 1.	XXIV. 1,-12	XVI. 1,-11	XXVIII 1,-8

Digitized by Google

	JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
cuiquam quicquam dicebant (in viâ :) timebant enim. Et renunciârunt illis undecim, & reliquis omnibus ; ſed viſa ſunt apud eos quaſi deliramenta verba ipſarum ; neque crediderunt eis. Petro verò & alteri diſcipulo quem amabat Jeſus, dicente Mariâ Magdalene, Suſtulerunt Dominum è monumento, & neſcimus ubi poſuerint eum ; Exivit ergo Petrus, & alter ille diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul : ſed alter ille diſcipulus præcurrit citiùs Petro, veníitque prior ad monumentum. Et quum ſe incurvaſſet, cernit poſita lintea : non tamen introivit. Venit ergo Petrus ſequens eum ; & introivit in monumentum, & conſpexit lintea poſita ; & ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteis poſitum, ſed ſeorſùm involutum in unum locum. Tunc verò introivit etiam alter ille diſcipulus, viditque, & credidit, & Petrus abiit apud ſemetipſum mirans factum. Nondum enim noverant Scripturam, quòd oporteret eum ex mortuis reſurgere. Redierunt ergo illi diſcipuli ad ſuos. Maria verò [Magdalene, quæ jam redierat] ſtabat ad monumentum foris. Dum ergo fleret, incurvavit ſe in monumentum, & conſpexit duos Angelos albatos, ſedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes ubi jacuerat corpus Jeſu. Qui etiam dixerunt ei, Mulier, quid fles ? Dicit eis, Suſtulerunt Dominum meum, nec ſcio ubi poſuerint eum. Et quum hæc dixiſſet, convertit ſe retrorſùm, conſpexítque Jeſum ſtantem, nec ſciebat Jeſum eſſe. Dicenti, Quid fles? quem quæris ? illa putans hortulanum eſſe, reſpondens ait, Si tu ipſum aſportaſti, dic mihi ubi poſueris, & ego tollam eum. Dicenti Jeſu, Maria ; Reſpondit, Rabboni. Dicit ei Jeſus, Ne me tangito. Nondum enim aſcendi ad Patrem meum ; ſed proficiſcere ad fratres meos, & dic eis, Aſcendo, &c. Venit ergo annuncians diſcipulis, iis qui eum ipſo fuerant, lugentibus ac flentibus ; quòd vidiſſet Dominum, & quòd ea ſibi dixiſſet. Illi verò quum audiſſent eum vivere, & conſpectum fuiſſe ab eâ, non crediderunt. Ut autem proficiſcebantur mulieres [abſente forſan Mariâ Magdalene] à monumento, ut renunciarent diſcipulis, ecce Jeſus occurrit eis, dicens, Avete. Illæ verò acceſſerunt, & prehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait eis Jeſus, Ne timete : abite, renunciate fratribus meis, ut abeant in Galilæam, illic me videbunt.	XX. 2,--18			XXVIII. 9, 10.
Euntibus autem ipſis, ecce, quidam ex cuſtodiâ venerunt in urbem, & renunciârunt primariis Sacerdotibus omnia quæ facta fuerant. Ipſi verò congregati cum Senioribus, conſilióque capto, nummos multos dederunt militibus, ut dicerent, Diſcipuli ejus nocte venerunt, & eum furati ſunt nobis dormientibus. Quòd ſi hoc auditum fuerit apud Præſidem, nos, inquiunt, perſuadebimus ei, & ſecuros vos præſtabimus. Ipſi verò acceptâ pecuniâ fecerunt ſicut erant edocti : Et divulgatus eſt ille ſermo apud Judæos uſque ad hodiernum diem.				XXVIII. 11,--15
Et ecce duo ex eis ibant eo ipſo die rus in Vicum diſtantem ſtadiis ſexaginta ab Hieruſalem, cui nomen eſt Emmaus. Quibuſcum in viâ Jeſus unà iter faciens, & narrantibus ipſis quæ facta ſunt his diebus, de Jeſu Nazaræo, crucifixo, & reſuſcitato, ex ſcripturis oſtendit oportuiſſe pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam ; in vico autem ipſo, quum ſumpto pane benedixit, & fractum eis dedit, ab eis tandem, licèt aliâ formâ apparens adapertis eorum oculis, agnitus eſt. Sed ipſe ablatus eſt ex eorum conſpectu. *Ipſi autem ſurgentes, eo ipſo momento, reverſi ſunt Hieroſolymam, ad undecim*, & eos qui cum ipſis erant : qui dicebant duobus hiſce, Suſcitatus eſt Dominus verè, & conſpectus eſt Simoni. Tum ipſi expoſuerunt eis, quæ geſta erant in viâ, & ut fuerat à ſe agnitus in fractione panis. Qui tamen ne illis quidem crediderunt.		XXIV. 13,--35	XVI. 12,13	
Hæc autem ipſis loquentibus, quum jam Veſpera eſſet, die illo primo hebdomadis, & fores eſſent clauſæ ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus, ſtetítque in medio ipſorum ; & dixit eis, Pax vobis. Conſternati verò & expaveſacti, putabant ſe Spiritum conſpicere. Ille verò	19,-23	36,-49	14,-18	

exprobravit incredulitatem eorum, & cordis duritiem : eò quòd eis qui ipſum conſpexerant ſuſcitatum non credidiſſent. Et dixit eis, Quid turbati eſtis ? Videte manus meas, & pedes meos : Spiritus carnem & oſſa non habet : oſtenditque eis manus, ac pedes, & latus. Adhuc autem ipſis non credentibus præ gaudio, & mirantibus, dixit eis, Habetis hîc eſculentum aliquid ? Editque partem piſcis aſſi, & aliquid ex favo apiario. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Dixitque eis, Hi ſunt ſermones quos loquutus ſum vobis quum adhuc eſſem vobiſcum, Oportere impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis, de me. Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis, Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati, & reſurgere ex mortuis tertio die : Et prædicari ejus nomine Reſipiſcentiam, ac Remiſſionem peccatorum apud omnes Gentes. Vos autem eſtis horum teſtes. Et ecce emittam promiſſum Patris mei in vos : vos autem reſidete Hieroſolymis uſquequò induamini virtute ex alto. Dicit autem eis iterùm, Pax vobis, ſicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos. Profecti in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur : qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc conſequentur ; Per nomen meum dæmonia ejicient ; linguis loquentur novis ; Serpentes tollent ; Et ſi quid læthale biberint, nequaquam nocebit eis ; ægrotis manus imponent, & bene habebunt. Et quum hæc dixiſſet, afflavit eos : & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum. Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis : ſi quorum retinueritis, retenta ſunt. [ſic quinquies ipſo primo Reſurrectionis die apparuit Jeſus.]

JOH.	LUC.	MAR.	MAT.
XX. 24,-29			

Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venerat Jeſus. Dicentibus ei reliquis, Vidimus Dominum ; incredulitatem tamen ſuam fidenter profitetur. *Octo verò pòſt diebus* [Aprilis die 12°.] *Thomâ* cum cæteris congregato, venit Jeſus, foribus clauſis, ſtetitque in medio, dicens, Pax vobis : Thomæque incredulitati abundè ſatisfacit.

			XXVIII. 16,-20

Undecim autem illi diſcipuli profecti ſunt in Galilæam, in montem ubi conſtituerat eis Jeſus. Et quum vidiſſent eum, adoraverunt eum : quidam autem dubitaverunt. Et quum acceſſiſſet ad eos Jeſus, dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terrâ. Profecti ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. (Jeſus præterea quingentis fratribus & ampliùs ſemel & ſimul apparuit : deinde Jacobo. [I. *Corinth.* XV. 6, 7.]

XXI. 1,-24			

Poſtea ſeſe conſpiciendum præbuit rursus diſcipulis apud mare Tiberiadis ; aut ſeptem ſaltem eorum ; dum piſcarentur. Illos nihil nocte capientes, manè Jeſus ignotus, ad littus ſtans, jubet ut rete conjiciant in dextram navigii partem. Capientibus autem piſces magnos 153, dicit Jeſus, Venite, prandete. Nullus autem diſcipulorum audebat eum interrogare, Tu quis es ? quum ſcirent Dominum eſſe. Quum prandiſſent, ter monet Petrum officii Paſtoralis ; prout amat Jeſum. Mortis genus eidem prænunciat. Et quæſtioni ejus de Johanne reſponſionem dat, à fratribus non rectè perceptam.

	XXIV. 50, 51	XVI. 19.	

Denique Hieroſolymis Jeſus apparens diſcipulis eduxit eos foras Bethaniam uſque : & ſublatis manibus ſuis, benedixit eis. Et factum eſt, ut dum ipſe benediceret eis, disjunctus ab eis ſurſùm ferretur in cœlum.

Hucuſque Evangelica proxenditur Hiſtoria ; res Chriſti & præcurſoris ejus Johannis Baptiſtæ explicans : quorum à *Fl. Joſepho* Judæorum hiſtorico, in 18°. Antiquit. libro, brevis, ſed honorifica facta habetur mentio. Baptiſtæ quidem, in 7°. capitulo, hæc. *Joannem, qui Baptiſta cognominatus eſt, Herodes tetrarcha necavit ; virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum ſtudia, & inprimis pietatis ac juſtitiæ, ſimúlque ad baptiſmi lavacrum : quod ita demum Deo gratum aiebat fore, ſi non ab uno tantùm alterève peccato abſtinerent, ſed animis per juſtitiam prius mundatis, addant & puritatem corporis. Cúmque magni concurſus ad eum fierent, plebe talis doctrina avidâ, Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pararet, quòd*

viderentur

viderentur nihil non facturi ex ejus consilio; judicavit satius esse priùs quàm novi aliquid exoriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis seram pœnitentiam agere. Itaque vinctum missum in Macharuntem, illic occidi imperavit. De Christo Domino, in 4°. capite, ista. *Eodem tempore fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam de Judæis, quàm de gentibus sui habuit sectatores: & credebatur esse Christus. Cumque invidiâ nostrorum principum cruci eum Pilatus addixisset; nihilominus qui eum primùm dilexerant, perseveraverunt. Apparuit enim eis tertiâ die vivens; multa & hæc & alia mirabilia, carminibus prophetarum de eo vaticinantibus: & usque hodie Christianorum gens ab hoc sortita vocabulum non defecit.* Ita in libro de Scriptoribb. Ecclesiasticis locum hunc transtulit *B. Hieronymus*: cujus illa lectio, *Credebatur esse Christus*; alteri illi videtur præferenda, quæ apud *Eusebium* (*lib.* 1. Histor. Ecclesiast. *cap.* 11.) & *Rufinum*, & in nostris codicibus habetur, *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν*, *Christus hic erat.* quum ad nostram religionem nihilo propiùs Josephum accessisse constet, quàm regem Agrippam, cui ille erat addictissimus: cujus illa ad Paulum extat professio, *Act.* XXVI. 28. *Propemodum persuades mihi ut fiam Christianus.*

Christum, *Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectum fuisse*, refert etiam Cornelius Tacitus. [*Annal. lib.* 15. *cap.* 44.] De tenebris quoque tunc obortis, ipsos Gentium annales testes advocat Lucianus martyr, apud Rufinum: (in Histor. Ecclesiastic. Euseb. lib. 9. cap. 6.) *Requirite in annalibus vestris, invenietis temporibus Pilati, Christo pâtiente, fugato Sole interruptum tenebris diem.* & ante eum Tertullianus, in Apologetico ad Gentes. [cap. 21.] *Eodem momento dies, medium orbem signante Sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non fuerunt. Et tamen eum mundi casum relatum in archivis vestris habetis.* & sanè *Solis deliquium* hoc appellavit in 3°. Historiarum suarum Thallus, & in 13°. Chronicorum libro Phlegon Trallianus: ille à Julio Africano in 3°. Chronographiæ suæ, hic ab ejus æquali Origene, in libro 2. contra Celsum, (*pag.* 83. & 99. *edit. Græc.*) & tractatu 35. in Matthæum, citatus. Phlegontis verba, ad annum Tiberii XIX. (ut notat Eusthathius Antiochenus in Hexaëmeron) & Olympiadis CCII. quartum (eundem ipsum videlicèt annum, in quo jam sumus) sunt hujusmodi.

Ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν γενομένων πρότερον, ἐν νυκτὶ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε ἐν ἀσέρας τὸ ὑφαρὸν φανῆναι ἑπτακαὶ τὸ μέγας κὴ Βιθυνίαν σεισμὸς τὰ πολλὰ Νικαίας κατεσκέψατο. quæ ab Hieronymo, in Chronico Eusebiano, ita habentur reddita. *Magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint: terræque motus in Bithyniâ Nicæa urbes multas ædes subverterit.*

Ab historiâ Evangelii, dicta & facta Christi complectente, ad acta Apostolorum, hanc evangelista Lucas transitionem facit. *Primum quidem librum confeci, Theophile, de omnibus quæ cœpit Jesus & facere & docere, usque ad diem quo, quum mandata dedisset Apostolis, quos per Spiritum sanctum elegerat, sursum receptus est. Quibus etiam sese, postquàm passus fuit, exhibuit vivum cum multis certissimis signis per dies quadraginta conspectus ab eis, & dicens quæ ad regnum Dei spectant.* (*Act.* I. 1, 2, 3.)

* Quadragesimo scilicèt die, (Maij nostri 14.) * Congregatis illis denunciavit Dominus ne abscederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissionem Patris, *quam*, inquit, *audistis ex me, nam Johannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto ipsis non multum post diebus.* (*Act.* I. 4, 5. & XI. 16.)

Interrogantibus Dominum apostolis, num hoc tempore restituturus esset regnum Israëli, respondit ille, non esse eorum nosse tempora, quæ Pater in suâ ipsius potestate posuit: sed recepturos esse illos Spiritum sanctum, & testes ipsi futuros non Hierosolymis tantùm & in totâ Judæâ & Samariâ, sed etiam ad ultimas terras. Et quum hæc dixisset, aspicientibus ipsis elevatus est: & nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum. Qui & ita (ad judicium) illum venturum, quemadmodum ab eis conspectus est proficiscens in cœlum, à duobus Angelis, in albo vestitu illis subitò apparentibus, edocti sunt. (*Act.* I. 6, 11.)

Ipsi autem, adorato eo, cum gaudio magno reversi sunt Hierosolymam: [*Luc.* XXIV. 52.] à monte Oliveti, inde distante itinere Sabbathi, [*Act.* I. 12.] pro quo, Syrus paraphrastes *septem stadia* reposuit: ut etiam ex Josepho Theophylactus hic numerat. apud quem tamen, in nostris libris legimus, montem Oliveti ab urbe abfuisse stadiis vel *quinque* (ut in lib. 20. Antiquit. cap. 6.) vel *sex.* (ut in lib. 5. Belli, *cap.* 2. ut Græci, sive lib. 6. cap. 5. ut Latini distinguunt codices.)

Hierosolymis in cœnaculo commorabantur undecim Apostoli, & perdurabant concorditer in oratione cum mulieribus & Mariâ matre Jesu, & cum ipsius fratribus. (*Act.* I. 13, 14.)

Per eos dies assurgens Petrus in medio discipulorum (erat autem turba capitum simul quasi centum viginti) de uno subrogando retulit in locum Judæ proditoris; qui ex desperatione sese præcipitem dederat, mediúsque crepuerat. Et præmissâ oratione, jactæ sortes sunt in Josephum vocatum Barsabam & Matthiam: cúmque sors super Matthiam cecidisset, in Apostolorum numerum allectus est. [*Act.* I. 15, 26.]

Die Pentecostes (qui in Maii 24. diem incidit) quum essent omnes (120 illi) concorditer eôdem loci; extitit repentè sonitus è cœlo tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum ubi erant considentes. Et visæ sunt eis dispertitæ linguæ instar ignis, qui etiam sedit super unumquemque eorum. Repletique sunt omnes Spiritu sancto; & cœperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus dabat eis effari. Erant autem Hierosolymis habitantes Judæi viri religiosi, ex omni natione quæ sub cœlo est: qui audientes eos suis linguis loquentes magnifica Dei, obstupuerunt. Aliis verò miraculum hoc profanè irridentibus, Petrus gravissimâ concione habitâ, de ebrietate calumniam refellit, quòd esset hora diei tertia: deinde ex Lege & Prophetis

de Christo differens, & resurrexisse comprobans, tria auditorum millia virtute accepti Spiritûs ad agnitionem veritatis convertit, & in nomine Jesu Christi ad remissionem peccatorum baptizari jussit. [*Act.* II. 1,-41.]

Perdurabant autem in doctrinâ Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. Obortus verò est omnibus timor: multáque miracula & signa per Apostolos fiebant. Omnes autem qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia; & possessiones ac facultates vendebant, & dispertiebant ea omnibus, prout cuique opus erat. Et quotidie perdurantes concorditer in templo, & frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis: laudantes Deum, & habentes gratiam apud totum populum. Dominus autem addebat quotidie Ecclesiæ qui salvi fierent. [*Ibid.* 42,-47.]

Petrus & Johannes simul ascendentes in templum sub horam orationis, nempe nonam, ad templi portam dictam speciosam, hominem, qui à nativitate suâ per annos plures quàm 40. claudus fuerat, in nomine Christi sanaverunt. Unde concursu populi ad porticum Salomonis facto, Petrus illis salutis mysterium per Christum exposuit: ingratitudinem eorum accusans, & pœnitentiam ab illis requirens. Cui auscultantes multi crediderunt: & factus est numerus virorum quasi quinquies mille. Supervenientes verò Sacerdotes & Præfectus templi, & Sadducæi, Petrum & Johannem posuerunt in custodiâ in posterum diem: quòd esset jam vespera. Postridie coacto Synedrio (cui Annas Pontifex præsidebat, & Caiaphas, & Johannes & Alexander, & quotquot erant ex genere Pontificio, interfuerunt) de patrato miraculo in quæstionem vocati Apostoli, Christi causam egerunt intrepidè: & ne in nomine Jesu post hæc loquerentur prohibiti, Deo quàm hominibus obtemperare justius esse respondetunt. Additis deinde minis dimissi, atque domum reversi, unà cum totâ Ecclesiâ fervido animi affectu pro Evangelii propagatione preces ad Deum fuderunt: quas ille, facto terræmotu, & Spiritu sno in corda ipsorum misso, comprobavit. (*Act.* III. & IV.)

Multitudinis autem credentium erat cor & anima una: & erant eis omnia communia. Neque ullus inter eos egenus erat: quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum, vendentes deponebant pretium ad pedes Apostolorum, in pauperum usum erogandum. Quâ in re exemplo aliis præivit Josephus Levita, genere Cyprius; qui ab Apostolis *Barnabas*, id est, filius consolationis, cognominatus est. (*Act.* IV. 32,-37.]

Ananias & uxor ejus Sapphira, impiâ fraude partem pretii agri à se divenditi mutuo consensu interverrentes, à Petro fraudem illam detegente, & per Spiritum sanctum cui mentiebantur ulciscente, solo ejus verbo & increpatione exanimati sunt. Et obortus est timor magnus toti Ecclesiæ, & omnibus qui hæc audiebant. [*Act.* V. 1,-11.]

Per manus Apostolorum edebantur miracula multa in populo: & erant concorditer omnes in porticu Salomonis. Reliquorum autem nemo audebat ipsis adhærere: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo: efferebántque in plateas ægrotos, ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum. Conveniebat etiam vulgus vicinarum urbium Hierosolymam, adferentes ægrotos ac vexatos à spiritibus impuris: qui sanabantur omnes. [*Ibid.* 12,-16.]

Summus Sacerdos & qui cum eo erant Sadducæi, invidiâ moti, Apostolos conjecerunt in carcerem: unde ab Angelo sequente nocte liberati, jussi sunt audacter & intrepidè populum in Templo docere. Inde ad Synedrium adducti, consilio Gamalielis Pharisæi, Legis doctoris, summo in pretio à populo habiti, è morte exempti, postquàm flagris fuissent cæsi, dimissi sunt. Illi verò à Synedrio profecti sunt gaudentes, quòd digni habiti essent qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur: & in Templo quotidie prædicare non cessárunt. [*Ibid.* 17,-42.]

4037 Crescente Hierosolymis fidelium numero, & crescentibus etiam opibus, ideoque & negotiis Ecclesiæ; exortum est, ut ferè fit in frequenti turbâ, Hellenistarum adversùs Hebræos murmur, quòd eorum viduæ negligerentur in quotidianâ opum ecclesiasticarum dispensatione. Cúmque Apostoli distribuendis ditiorum in tenuiores eleemosynis, administrandæque quæ ex opulentiorum distractis possessionibus congerebatur in unum pecuniæ, non possent sufficere; ex eorum consilio, communibus Ecclesiæ suffragis œconomi bonorum ecclesiasticorum septem sunt electi, qui ministerio illi vacarent; Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus Antiochenus proselytus. (ex quorum Græcis nominibus apparet, Hellenistarum in hâc electione rationem præcipuam esse habitam.) Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymis: multíq; ex familiâ Sacerdotum auscultabant fidei. [*Act.* VI. 1,-7.]

Stephanus prodigia & signa magna edebat in populo: fortitérque Christi causam defendebat adversùs contradicentes Judæos ex Synagogâ Libertinorum, (à dominis manumissorum) Cyrenæorum, Alexandrinorum, Cilicum quoque atque Asianorum. Qui cùm inter disputandum non possent illi resistere sapientiæ & Spiritui per quem loquebatur; conversi ad calumnias correptum eum in Synedrium adduxerunt; subornatis falsis testibus, qui blasphema verba adversùs Templum & Legem ab eo prolata fuisse confirmarent. [*Ibid.* 8,-15.]

Stephanus, longâ oratione coram summo Sacerdote (*Annâ*) & Concilio habitâ, ostendit, & ante Templum à Salomone conditum & ante ipsum Molem natum ab Abrahamo & ejus posteris rectum Dei cultum fuisse observatum; à Mose testimonium Christo fuisse perhibitum, & externas cæremonias Patribus ab illo commendatas ad tempus tantùm fuisse duraturas: acritérque Judæos reprehendit, quòd Spiritui sancto semper restiterint, & nefariè Christum occiderint, quem venturum in mundum Prophetæ prædixerunt. Unde furore illi accensi, virum sanctum extra urbem raptum & pro ipsis orantem lapidibus obruerunt. [*Act.* VII.]

Testes autem, (juxta Legem Deuteron. XVII. 7. primos in eum lapides jacturi) pallia sua ad pedes juvenis cujusdam Sauli deposuerunt: qui toto animo cædi martyris consentiens, ea

custodiebat.

custodiebat. (*Act.* VII. 58. VIII. 1. XXII. 20.) Hic, Hebræus ex Hebræis natus, ex Benjaminis tribu ortus, Tarsi in Ciliciâ (quam urbem rerum philosophicarum & liberalium disciplinarum studio tum celebrem fuisse confirmat *Strabo*, lib. 14. pag. 673.) in lucem editus, sectâ Pharisæus & Pharisæi filius, Hierosolymis hoc tempore (in Cilicum synagogâ) rerum divinarum studio dans operam, Gamalielis Doctoris inter Pharisæos celeberrimi scholam frequentabat; Legis Mosaicæ simul & traditionum πατροπαραδότων tenacissimus. (*Act.* XXI. 39. XXII. 3. XXIII. 6, 34. XXVI. 4, 5. II. *Corinth.* XI. 22. *Galat.* I. 14. *Philip.* III. 5, 6.)

Stephani funus unà curabant viri religiosi, & planctum magnum ediderunt super eum. [*Act.* VIII. 2.]

Romæ mortuus est Ælius Lamia, Syriæ aliquando præses imaginarius: (nunquam enim eò venit:) in provinciâ verò, Syriæ verus præses, Flaccus Pomponius est defunctus. [*Tacit. Annal.* 6. *cap.* 27. *cum Suetonio, in Tiberio, cap.* 42.] * Cum hoc degebant duo fratres (ab Aristobulo Herodis & Mariammes Hasmoneæ filio geniti) animo à se invicem alienissimo Aristobulus atque Agrippa; sed cùm Damasceni cum Sidoniis de finibus apud Flaccum disceptantes, Agrippam ut partibus suis adesset, magnâ pecuniæ summâ promissâ pellexissent; re per Aristobulum detectâ, Agrippa excidit amicitiâ Præsidis. (*Joseph. lib.* 18. *cap.* 8.) *

Agrippa ex Cypro filiam Mariammen suscepit, ante mortem suam decennio. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 7. *& lib.* 19. *cap. ult.*] 4747 54

Cædem Stephani gravissima adversùs Ecclesiam universam quæ erat Hierosolymis persecutio statim est insecuta. [*Act.* VIII. 1. *&* XI. 19.] In quâ supra modum sæviens Saulus, vastabat Ecclesiam Dei. A primariis enim Sacerdotibus authoritate acceptâ, non solùm quum ab eis interimerentur sancti, tulit contra eos suffragium; sed etiam ipse, irrumpens in singulas domos, atque inde trahens tum viros tum mulieres, vinciebat eos & carceribus includebat, ac per omnes synagogas frequenter cædebat: atque ita metu aliquos Christum abnegando blasphemare coëgit, alios in fide constantes ad mortem persecutus est. [*Act.* VIII. 3. IX. 13, 21. XXII. 4, 5, 19. XXVI. 9, 10, 11. *Galat.* I. 13, 23. *Philip.* III. 6. I. *Tim.* I. 13.)

Disjecit hæc persecutio ecclesiam in regiones varias; sed multo cum fructu regni Christi. Solis enim Apostolis Hierosolymæ relictis, ex reliquis, quorum aliquot fuerunt millia; [*Act.* II. 41. *&* IV. 4.] alii per regiones Judææ & Samariæ dispersi, Evangelium ubique prædicarunt. [*Act.* VIII. 1, 4.] Alii Damascum sunt profecti. [*Act.* IX. 19, 25.] inter quos erat Ananias; vir secundùm legem religiosus, & testimonium habens ab omnibus ibi habitantibus Judæis. [*Act.* XXII. 12.] Alii ipsam quoque fortasse Romam, atque inter eos Andronicus & Junias, qui insignes fuerunt inter Apostolos; ipsius Sauli persecutoris cognati, & ante ipsum fidem Christi amplexi. (*Rom.* XVI. 7.) Alii denique usque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam perambulaverunt; solis Judæis verbum Domini annunciantes. [*Act.* XI. 19.] illis nimirùm qui erant inter Gentes dispersi. [*Jacob.* I. 1. I. *Petr.* I. 1.]

Ex his qui Samariam adierunt, fuit Philippus evangelista, inter Septemviros post Stephanum protomartyrem ordine secundus. [*Act.* VIII. 5. *cum* XXI. 8.] Hic in urbem Samariæ deveniens, prædicabat ibi Christum: attendente ad ea quæ dicebat turbâ concorditer, quum videret signa ab eo edita. Spiritus enim impuri ex multis exibant cum clamore magno: multique paralytici & claudi sanati sunt. Et gaudium magnum in urbe extitit: credentéque baptizabantur tum viri, tum mulieres. Simon quoque, qui à multo tempore gentem Samariæ magicis suis artibus ita dementaverat, ut attendentes ad eum omnes, à minimo usque ad maximum, dicentes esse eum *potentiam Dei magnam*, obstupescens ad signa & virtutes magnas quas à Philippo edi conspexerat, credidit & baptizatus est. (*Act.* VIII. 5,-13.)

Quum audissent Apostoli qui erant Hierosolymis Samariam recepisse sermonem Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem: quibus precantibus, & manus eis imponentibus, receperunt illi Spiritum sanctum. Quod conspiciens Simon Magus, obtulit eis pecunias, ut similem conferendi Spiritûs sancti potestatem ipse consequeretur. Cujus insanam impietatem acerrimè Petrus increpans, ut ab istâ malitiâ resipisceret & veniam à Deo rogaret admonuit. Qui Apostolos, ut pro ipso apud Dominum deprecarentur, oravit. Illi verò, ministerio suo peracto, Hierosolymam reperentes, multis Samaritanorum pagis, iter faciendo, evangelium prædicârunt. [*Ibid.* 14,-25.]

Post longum sæculorum ambitum, avis Phœnix in Ægyptum venit: præbuitque materiam doctissimis indigenarum & Græcorum multa super eo miraculo disserendi. (*Tacit. Annal.* 6. *cap.* 28.] Post biennium verò avem hanc in Ægypto apparuisse, refert Dio. [*lib.* 58. *pag.* 638.]

* Quum Asinæus Neerdensis quotidianis populi Judaici clamoribus excitatus, quòd Parthicam mulierem Anilæus ipsius frater matrimonio sibi sociatlet, & simulacra Patriorum Numinum palàm colere permisisset, eámque ut domum ille remitteret ad cognatos juberet, ab hac muliere veneno sublatus est. Anilæus ad se unum jam Principatu redacto, cum exercitu fecit impetum in vicos Mithridatis viri apud Parthos nobilissimi (qui in matrimonio habebat Artabani Parthorum Regis, filiam,) eósque magnâ prædâ abactâ, populatus est, & Mithridatis, sua recuperare conantis, copias noctu inopinato aggressus oppressit; ipsum Mithridatem captum & nudum super asinum impositum (quæ apud Parthos summa habetur contumelia) ad sylvam quandam perduxit, & vivum tandem dimisit. [*Joseph. lib.* 18. *cap. ult.*] *

Philippus tetrarcha, vir perpetuò modestus & amator quietis ac otii, anno imperii Tiberii 20 diem obiit; quum Trachonitidi, Gaulanitidi, ac Batanææ annis 37. præfuisset. Obiit Juliade, & illatus in monumentum quod jam antè sibi construxerat, magnificè ac sumptuosè funeratus est. Et quia sine liberis decesserat, ditionem ejus Tiberius provinciæ Syriæ attribuit; ita tamen, ut tributa in eâ tetrarchiâ collecta servarentur intra ipsius regionis terminos. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 6.]

Romæ, vicesimo hoc Tiberiani imperii anno L. Vitellius & Fabius Priscus Consules ludos decennales celebraverunt; tanquam ei, ut Augusto usurpanum, tunc imperium prorogarent. (*Dio, lib. 58. pag. 636.*)

Hoc anno, (ut vult *Dio*,) vel ante triennium (ut sub finem 5^i^ Annalis hoc referens, *Tacitus* subindicat) juvenis quidam, Drusum Germanici filium se esse jactans, apud Cycladas insulas, mox in continente Græciæ & Ioniæ visus est: quibusdam Cæsaris libertis, velut agnitum, per dolum comitantibus. Allicicbantur ignari, famâ nominis, & promptis Græcorum animis ad nova & mira: quippe lapsum custodiâ pergere ad paternos exercitus, Ægyptum aut Syriam invasurum, fingebant simul credebántque. His auditis, Poppæus Sabinus, qui Macedoniæ tum intentus, Achaiam quoque curabat, Nicopolim Romanam coloniam ingressus; ibi cognovit, solertiùs interrogatum juvenem quisnam foret, dixisse, *M. Silano* genitum: & multis sectatorum dilapsis ascendisse navem, tanquam Italiam peteret. Neque quicquam ultrà de rei exitu se comperisse, dicit *Tacitus*. Addit verò *Dio*, impostorem ab urbibus ultrò acceptum, & auxilio firmatum, in Syriam haud dubiè venturum fuisse, exercitúsque occupaturum; nisi quis eum agnitum detinuisset, & ad Tiberium misisset. [*Tacit. Annal. 5. cap. 10. Dio, lib. 58. pag. 637.*]

4038 Philippus evangelista, ab Angelo monitus, Gazam versùs profectus, quæ est *deserta*, (de quo videnda, quæ ad finem anni Mundi 3672. sunt dicta) eunucho occurrit, qui Candaces Æthiopum (in Meroë) reginæ gazis præerat; & Hierosolymâ, quò adoraturus venerat, revertens in curru Esaiam Prophetam legebat. Ad quem Spiritûs jussu accedens Philippus, in Christi fide instructum baptizavit. Statimque è conspectu illius à Spiritu Domini abreptus, Azoti inventus est: & peragratâ regione, omnibus urbibus evangelium prædicavit, usque dum veniret Cæsaream. (*Act.* VIII. 26,-40.)

Saulus adhuc spirans minas ac cædem adversùs discipulos Domini, à summo Sacerdote (*Anna*; ut Act. IV. 6.) & Synedrio (cui tum ille præerat) epistolas ad synagogas Damasci perferendas obtinuit; ut si quos isthic Christianæ religionis cultores inveniret, sive viros sive mulieres, vinctos abduceret Hierosolymam, ut punirentur. Quum autem appropinquaret ille Damasco, tempore meridiano repentè lux è cœlo, splendorem Solis superans, circumfudit illum suo fulgore & eos qui cum illo iter faciebant. Decidentibus deinde omnibus in terram, vocem ille audivit, Hebraicâ linguâ sibi dicentem: *Saul, Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos calcitrare.* Et quum ille dixisset: *Quis es Domine?* responsum illi est: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Sed exsurge, & sta in pedes tuos: idcircò enim apparui tibi, ut designarem te ministrum ac testem tum eorum quæ vidisti, tum eorum in quibus apparebo tibi. Eruens te ex hoc populo, & gentibus, ad quas nunc te mitto: ut aperias oculos eorum, & convertas eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum; ut remissionem peccatorum ac sortem inter sanctificatos recipiant per fidem quæ est in me.* Cúmque Saulus tremens & pavens ulteriùs quæreret; *Domine, quid me vis facere?* dixit ad eum Dominus. *Surge, ac proficiscere Damascum: & illic tibi dicetur de omnibus quæ constituum est tibi ut facias.* Viri autem illi qui cum Saulo iter faciebant, ita attoniti steterunt ut vocem perderent: lucem quidem conspicientes, & sonum verborum audientes; sed neque Christum qui loquebatur videntes, neque quicquam eorum quæ dixerat intelligentes. (*Act.* IX. 1,-7. XXII. 5,-14. XXVI. 12,-18.) 4748 35

Surrexit Saulus è terrâ, & gloriâ conspectæ lucis occæcatus, manu ductus ab iis qui secum erant, venit Damascum. [*Act.* IX. 8. XXII. 11.] Fuitque tribus diebus, non videns, & non comedens neque bibens. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: ad quem dixit per visionem Dominus. *Surge, & proficiscere in vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Judæ Saulum Tarsensem; ecce enim precatur* (& vidit tum Saulus per visionem Ananiam introeuntem, & imponentem sibi manum ut visum reciperet.) Respondit autem Ananias: *Domine, audivi ex multis de viro isto, quot malis affecerit sanctos tuos Hierosolymis. Quinetiam hoc loco potestatem habet à primoribus Sacerdotum vinciendi omnes qui invocant nomen tuum.* Dixit autem ad eum Dominus. *Proficiscere: nam vas electum est mihi ille, ut portet nomen meum in conspectu Gentium, & regum & filiorum Israël. Ego enim ostendam ei quàm multa oporteat ipsum pro nomine meo pati.* Abiit igitur Ananias, & introivit domum illam, & impositis ipsi manibus, dixit: *Saule frater, Dominus Jesus, qui visus est tibi in viâ quâ venisbas, misit me, ut visum recipias, & implearis Spiritu sancto.* Et statim deciderunt ab oculis ejus quasi squamæ; & visum recepit illicò. (*Act.* IX. 9,-18.)

Et dixit Ananias. *Deus patrum nostrorum designavit te qui cognoscerus ipsius voluntatem, & videres Justum illum, & audires vocem ex ore ipsius. Nam eris ei testis apud omnes homines eorum quæ vidisti & audisti. Et nunc quid cunctaris? surgens baptizator, & abluitor à peccatis tuis, invocato nomine Domini.* [Act. XXII. 14, 15, 16.] Et surgens Saulus, baptizatus est: & quum cepisset cibum, corroboratus est. (*Act.* IX. 18, 19.)

Quid autem Damasci Saulo à Domino fuerit revelatum, ut faceret; in Actis Lucas non aperit. Sed ex iis quæ, in epistolâ ad Galatas, immediatè post conversionem se fecisse ipse narrat, apparet, inter alia mandatum illi à Deo fuisse; ut *non conferret cum carne & sanguine, neque rediret Hierosolymam ad eos qui ante ipsum fuerunt Apostoli, sed in Arabiam*, sive loca Damasco proxima, aliquantisper secederet, ubi Evangelii scientiam esset accepturus; *non ab homine edoctus, sed ex revelatione Jesu Christi.* (Gal. I. 12, 16, 17.)

Tum Damascum inde denuò reversus Saulus, (*Gal.* I. 17.) cum discipulis qui ibi erant per aliquot dies fuit. Et statim in synagogis prædicavit, Christum Dei esse filium. Obstupescebant autem qui audiebant, & dicebant. *Nonne hic est qui perdidit Hierosolymis eos qui invocabant*

nomen

nomen istud; & huc idcirco venis ut vinctos eos adduceres ad primarios Sacerdotes? Saulus verò magis invalescebat, & confundebat Judæos qui habitabant Damasci, docens Jesum esse Christum. [*Act.* IX. 19.-22.] Judæis enim Damascenis, omnium primis, prædicatum ab eo Evangelium est. [*Act.* XXVI. 20.]

Tiberium, de rebus Christi ex Palestinâ à Pilato certiorem factum, de eo in Deorum numerum ascribendo ad Senatum retulisse, eóque repugnante, ipsum *in sententiâ manentem periculum accusatoribus Christianorum esse comminatum*, refert (*) Tertullianus in Apologetico. (*cap.* 5. & 21.) eúmque secuti, tum alii, tum Eusebius [*in Chronico, & Histor. Ecclesiastic. lib.* 2. *cap.* 2.] &, in epistolâ de excidio Britanniæ, Gildas noster. Quo posito, primam illam Christianorum post cædem Stephani persecutionem in Judæâ ortam, partim Sauli, qui eam maximè promoverat, conversione, partim Tiberii metu, finem accepisse dicendum est.

L. Vitellius, qui superiore anno Romæ Consulatum gessit, à Tiberio Proconsul in Syriam missus, venit Hierosolymam in ipsâ festivitate Paschali: ubi ab Hierosolymitis honorificentissimo hospitio receptus, quò gratiam eis referret, remisit civibus totum vectigal fructuum venalium; & stolam cum ornatu Pontificio permisit in Templo asservari à Sacerdotibus, quæ priùs à Romano turris Antoniæ præfecto custodiebatur. Atque ita gratificatus genti, & in locum Josephi Caiaphæ Pontificis subrogato Jonathâ Anani (sive Annæ) Pontificis filio, iter fecit versùs Antiochiam. (*Joseph. lib.* 15. *cap. ult. & lib.* 18. *cap.* 6.)

* Mithridates Artabani Regis gener, uxore incitante, adversùs Anilæum & Judæos illi adhærentes militavit, comparato exercitu, fessos illos tempore meridiano in regione inaquosâ adortus, in fugam vertit; multis eorum millibus cæsis. Anilæus autem stipatus globo juvenum effusissimâ fugâ se in quandam sylvam recepit: Ad quem brevi confluente magnâ multitudine perditorum hominum, contra Babyloniorum castella ille duxit, latéque vastabat omnia. Quum de pace deinde interea tractaretur, Babylonii perlustrato diligenter loco in quo se ille continebat, clam noctu irruentes in castrum, sopitos & crapulâ gravatos, quotquot adepti sunt interfecerunt, & ipsum Anilæum inter cæteros. Tum verò sublato Anilæi sodalitio, metu exoneratus Babylonis populus, in Judæos insurrexit undique. Qui eorum violentiam non ferentes, & sentientes se ad confligendum impares; mutatâ habitatione Seleuciam migraverunt, communne Macedonum, Græcorum, & Syrorum domicilium: ubi per quinquennium manserunt, nullâ affecti injuriâ. (*Joseph. lib.* 18. *cap. ult.*) *

Artabanus Parthiæ rex, defuncto Armeniæ rege Artaxiâ, Arsacem liberorum suorum veterrimum, Armeniis imposuit. Idque quum à Tiberio impune tulisset, Cappadociam attentavit: missisque qui gazam à Vonone relictam in Syriâ Ciliciáque reposcerent, simul veteres Persarum ac Macedonum terminos; seque invasurum possessa Cyro, & pòst Alexandro, per vaniloquentiam & minas jactabat. Quum verò populares quoque suos superbiùs & sæviùs tractaret; Sinnaces, insigni familiâ ac perinde opibus, & proximus huic Abdus eunuchus, adscitis & aliis Parthorum primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant, (interfectis ab Artabano plerisque, aut nondum adultis) secretis ad Tiberium nuntiis missis, Phraatem regis Phraatis III. filium, qui Romæ inter obsides detinebatur, regem sibi popposcerunt. [*Tacit. Annal.* 6. *cap.* 31. *Dio, lib.* 58. *pag.* 637.]

Tiberius ornatum Phraatem ad paternum mittit imperium: destinata retinens, consiliis & astu res externas moliri, arma procul habere. Interea cognitis insidiis, Artabanus Abdum specie amicitiæ vocatum ad epulas veneno illigavit; Sinnacem dissimulatione ac donis, simul per negotia, moratus est. Et Phraates apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum resumit, patriis moribus impar morbo absumptus est. [*Tacit. ibid. cap.* 32.]

Phraate mortuo, Tiberius Tiridatem, sanguinis ejusdem, æmulum Artabano misit: cui ut expeditiùs regnum adire liceret, Mithridati Ibero scripsit, Armeniam invaderet; ut Artabanus, dum filio opitularetur, à suâ ditione discederet. Atque eum in finem Mithridatem conciliavit fratri Pharasmani, qui patri Mithridati in regno Iberiæ successerat: simúlque & Pharasmanem ipsum & Alanorum regem magnis præmiis sollicitavit, ad inferendum bellum quamprimùm Artabano. Cunctis verò quæ apud Orientem parabantur L. Vitellium præfecit. (*Id ibid. cum Josepho, lib.* 18. *cap.* 6. *& Dione, lib.* 58. *pag.* 637, 638.)

Mithridates fratrem Pharasmanem conatus suos dolo & vi juvare perpulit. Artabani filius Arsaces, ministris multo auro ad scelus conductis, sublatus est: simúlque Iberi magnis copiis Armeniam irrumpentes, urbe Artaxatâ potiti sunt. Quæ postquàm Artabano cognita, filium Orodem ultorem parat; Parthorum ei dans copias, mittensque qui auxilia mercede facerent. Contrà, Pharasmanes, Albanos sibi adjunxit, & accersivit Sarmatas; quorum Sceptruchi, utrimque donis acceptis, more gentis, ad diversas partes transierunt. Sed Iberi locorum potentes, parefactis portis Caspiis, Sarmatas in Armeniam effuderunt: & qui Parthis adventabant, facilè arcebantur, unico incessu illis relicto, inter extremos Albanorum montes & Caspii maris litrus, quem æstas tum impediebat, flatibus Etesiarum vada implentibus. [*Tacit. Annal.* 6. *cap.* 33. *Joseph. ut suprà.*]

Orodem sociorum inopem, auctus auxilio Pharasmanes ad pugnam compulit: in quâ cum eo concurrens, vulnus per galeam adegit, nec iterare potuit, prælatus equo, & fortissimis satellitum protegentibus saucium. Fama tamen occisi falsò credita, exterruit Parthos; victoriámque concessere. (*Tacit. ibid. cap.* 34. *&* 35.) Atque ita Armenia à Parthis denuò est amissa. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 6.] & Mithridati Ibero data. (*Dio, lib.* 58. *pag.* 638.)

4039 Mox tamen Artabanus totâ mole regni ultum iit. Peritiâ verò locorum ab Iberis melius

(*) Scripsit Tertullianus circa initium seculi tertii post Jesum Christum.

pugnatum

pugnatum est. Neque ideò ille abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius, & subdito rumore tanquam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset. Tum omissâ Armenia, versæque Artabani res: illiciente Vitellio, desererent regem sævum in pace, & adversis præliorum exitiosum. Hinc Sinnaces patrem Abdagesem aliósque occultos consulit, & tunc continuis cladibus promptiores ad defectionem trahit: adfluentibus paulatim, qui metu magis quàm benevolentiâ subjecti, repertis authoribus sustulerant animum. Vitellius etiam, pecuniâ corruptis aliquot amicis & cognatis regiis, ipsum Artabanum conabatur occidere. Ille intellectâ fraude, nec inveniens remedium, quòd ab optimatibus immineret periculum, habénsque suspectos & eos qui in fide manebant; in satrapias superiores & contermina Scythiæ loca fugam maturavit, ab Hyrcanis Carmanisque, quibus per adfinitatem innexus erat, auxilium expectans. (*Tacit. ibid. cap. 36. Joseph. lib. 18. cap. 6.*)

Agrippa, Aristobuli filius, quum apud Ptolemaidem in extremâ egestate ageret, Marsyæ liberti sui operâ usus, à Proco matris suæ Bernices defunctæ quondam liberto, pecuniam fœneratus est. Is à Marsyâ syngrapham 10 millium drachmarum Articarum extorsit, detractis sibi de eâ summâ 2500. eo faciliùs, quòd non poterat Agrippa aliter facere. Receptâ igitur pecuniâ profectus Anthedonem, & ibi navem nactus, parabat se itineri in Italiam. Id ubi competit Herennius Capito procurator Jamniæ, misit eò milites exacturos argenti 300 millia, quorum debitor Cæsaris fisco Agrippa factus est dum Romæ ageret: atque ita imposita est illi manendi necessitas. Et tunc quidem facturum se jussa simulavit; sed quamprimùm nox terris incubuit præcisis navis retinaculis navigavit Alexandriam. Ibi ab Alexandro Alabarchâ poposcit mutuò 200 argenti millia. Ille non ipsi se mutuaturum professus est, sed uxori ejus Cypro; conjugalem amorem in eâ demiratus & virtutes cæteras. Quum illa igitur fidejussisset, mox Alexander quinque talentis repræsentaris Alexandriæ, reliquam summam exhibiturum se promisit Puteolis; profusionem Agrippæ veritus. (*Joseph. lib. 18. cap. 7. & 8.*)

Hujus adventûs Agrippæ ad urbem Alexandrinam, in libro adversùs Flaccum (Ægypti hoc tempore præsidem) meminit *Philo Judæus*: quem Alexandri hujus Alabarchæ fratrem *Josephus* [*lib. 18. cap. 10.*] *& de genere Sacerdotum* fuisse, in Ecclesiasticorum scriptorum Catalogo refert *Hieronymus*. Unde & Alexandrum hunc haud alium fuisse putavit Baronius (*ad ann. Christi 34. num. 265.*) ab Alexandro illo, qui in Act. IV. 6. de genere Sacerdotali fuisse memoratur. Fuit verò hic Alexander Lysimachus, qui Alabarchiæ magistratum (de quo in Satyrâ primâ *Juvenalis*) gessit Alexandriæ, quondam Antoniæ matris Claudii Imp. procurator, & Tiberii Alexandri Judææ præsidis pater; omnium Judæorum Alexandrinorum ditissimus, [*Joseph. lib. 19. Antiquit. cap. 4. & lib. 20. cap. 3.*] ipse (non, uti in loco citato scripsit *Baronius*, pater ejus) qui & Hierosolymitani templi portis argentum atque aurum infudit. [*Id. lib. 6. Belli, cap. 6. sub fin.*]

Cypros, expeditâ mariti navigatione in Italiam, *(quam paulò ante Tiberii mortem fuisse factam, *Joseph. lib. 18. cap. 8.* significat,) cum liberis in Judæam itinere pedestri reversa est. Agrippa verò postquàm Puteolos appulit, scripsit ad Tiberium Cæsarem degentem Capreis, venisse se officii causâ significans, & potestatem accedendi eam insulam postulans. Tiberius nil cunctatus humanissimè rescripsit, gratulatus ei reditum ad Capreas incolumem: nec minore alacritate præsentem excepit & amplexu & hospitio. [*Joseph. lib. 18. cap. 8.*] 4749 36

Postridie Cæsar receptis litteris ab Herennio de 300 argenti millibus, mandavit cubiculariis, non priùs admitti Agrippam quàm persoluto debito. Ille nequaquam infâ Cæsaris attonitus, ab Antoniâ Germanici & Claudii (postea Imperatoris) matre 500 illa millia mutuò petiit, ne periclitaretur de amicitiâ Cæsaris. Quæ memor familiaritatis quæ sibi cum Bernice matre Agrippæ intercesserat, simúlque educatum fuisse ipsum cum suo Claudio, pecuniam illam ei præbuit. Itaque reddito debito, nemine prohibente, fruebatur amicitiâ principis: adeóque conciliatus est Cæsari, ut is nepotem suum (Tiberium Gemellum) Druti filium commendaret Agrippæ, mandarétque ut progredientem semper comitaretur officii gratiâ. Hoc beneficio devinctus & deditus Antoniæ, cœpit Caium (Caligulam) nepotem ejus colere, gratiosum apud omnes & honoratum ob patris Germanici memoriam. Erat ibi fortè Allus Samarita: à quo decies centena millia mutuatus Agrippa, debitum Antoniæ reddidit; reliquum materiam habuit demerendi Caium officiosiùs. [*Id. ibid.*]

Tigranes, Alexandri (à patre Herode occisi) & Glaphyræ (filiæ Archelai Cappadocum regis) filius, qui ab institutis patriis ad religionem Græcorum defeciverat & Armeniæ regno quondam potitus fuerat, Romæ accusatus & supplicio affectus sine liberis decessit. [*Tacit. Annal. 6. cap. 40. Joseph. lib. 18. cap. 7.*]

Clitarum natio (in Ciliciâ Tracheâ) Cappadoci Archelao subjecta, quia Romano more census deferre & pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abscessit: locorúmque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur; donec M. Trebellius legatus à Vitellio præside Syriæ cum quatuor millibus legionariorum & delectis auxiliis missus, duos colles quos barbari insederant (minori Cadra, alteri Tavara nomen erat, operibus circumdedit, & erumpere antes ferro, cæteros siti ad deditionem coëgit. [*Tacit. Annal. 6. cap. 41.*]

Artabano Parthorum rege profugo & flexis ad novum regem populorum animis, Vitellius hortatus Tiridatem parata capessere, robur legionum sociorúmque ripam ad Euphratis duxit. Sacrificantibus, quum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset; nunciaverunt accolæ Euphratem, nullâ imbrium vi, sponte & immensum attolli; simul albentibus spumis in modum diadematis sinuare orbem; auspicium prosperi transgressûs. Quidam verò callidiùs interpretabantur, initia conatus secunda, neque diuturna: quia eorum quæ terrâ cœlóve portenderentur certior fides; fluminum instabilis natura, simul ostenderet

omina raperétque. Sed ponte navibus effecto, transmissoque exercitu; primus Ornospades multis equitum millibus in castra venit: exul quondam & Tiberio, cùm Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eóque civitate Romanâ donatus; mox repetitâ amicitiâ Regis, multo apud eum honore, præfectus Mesopotamiæ. Neque multo pòst, Sinnaces anxit copias: & columen partium Abdageses, gazam & paratus regios adjecit. Vitellius, ostentasse Romana arma satis ratus, monuit Tiridatem, ut Phraatis avi & altoris Cæsaris meminerit; primoréque, ut obsequium in regem, reverentiam in Romanos, decus quisque suum & fidem retinerent: deinde cum legionibus in Syriam remeavit. [*Id. ibid. cap.* 37.]

Tiridates volentibus Parthis Nicephorium & Anthemusiada, cæteráque urbes Macedonicas Græcâ linguâ utentes, Halúmque & Artemitam Parthica opida recepit: certantibus gaudio, qui Artabanum Scythas inter educatum ob sævitiam execrati, come Tiridatis ingenium Romanas per artes sperabant. Plurimum adulationis Seleucienses indoere: civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Hi adventantem Tiridatem extollentes, probra in Artabanum fundebant, ut maternâ origine Arsacidem, cætera degenerem. Cúmque nuper Artabanus 300 optimatum dominationi tradidisset; Tiridates rem Seleucienscm populo permisit. [*Ibid. cap.* 41. & 42.]

Mox consultans Tiridates, quonam die solennia regni capesseret, litteras Phraatis & Hieronis, qui validissimas præfecturas obtinebant, accepit; brevem moram precantium. Placitúmque opperiri viros præpollentes: atque interim Ctesiphon sedes imperii petita est. Sed ubi diem ex die prolatabant, multis coram & approbantibus, Surena patrio more Tiridatem insigni regio evinxit. Ac si statim interiora, cæteráque nationes petivisset; oppressa cunctantium dubitatio fuisset, & omnes in unum cessissent: sed obsidendo castellum, in quod pecuniam & pellices Artabanus contulerat, dedit spatium extendi pacta. Nam Phraates, & Hiero, & si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidiâ in Abdagesem, qui tum aulâ & novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. [*Ibid. cap.* 42. & 43.]

Artabanus in Hyrcanis repertus est, illuvie obsitus, & alimenta arcu expediens. Ac primò tanquam dolus pararetur territus, ubi data fides reddendæ dominationi venisse; non ultra moratus quàm dum *Scytharum* auxilia conciret, (ex *Dahis* ac *Sacis* contractum ab eo magnum fuisse exercitum, refert Josephus, *lib.* 18. *cap.* 6.) perrexit properus: neque exuit pædorem, ut vulgum miseratione adverteret. Non fraus, non preces, nihil omissum, quo ambiguos illiceret, prompti firmarentur. (*Ibid. cap.* 43. & 44.)

Jam propinqua Seleuciæ cum magnâ manu ille adventabat, quum Tiridates simul famâ atque ipso Artabano perculsus, distrahi contiliis cœpit, iret contrà, an bellum cunctatione tractaret. Verùm Abdageses regrediendum in Mesopotamiam censebat: ut amne objecto, Armeniis interim Elymæisque, & cæteris à tergo excitis, aucti copiis socialibus, & quas dux Romanus misisset, fortunam tentarent. Ea sententia valuit; quia plurima authoritas penès Abdagesem; & Tiridates ignavus ad pericula erat. Sed fugæ specie discessum est: ac principio à gente Arabum facto, cæteri domos abierunt, vel in castra Artabani; donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus, pudore proditionis omnes exsolvit. (*Ibid. cap.* 44.)

Interim Artabanus, non magno labore debellatis inimicis, in imperium restitutus est. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 6. *Dio, lib.* 58. *pag.* 637.] Qui scriptis ad Tiberium litteris, parricidia & cædes & ignaviam & luxuriam illi objecit: monuítque ut voluntariâ morte, maximo justissimóque civium odio quamprimùm satisfaceret. [*Sueton. in Tiberio, cap.* 66.] Armeniam etiam impunè aggressus, Syriam quoque invadere instituit. [*Dio, lib.* 59. *pag.* 661.]

Agrippa in intimam familiaritatem receptus à Caio Caligulâ, quodam die quum unà cum eo in curru vectaretur, ut quamprimùm Tiberius principatûs locum Caio digniori cederet precatus est. Has voces excepit Eutychus, libertus Agrippæ & auriga: at tum quidem siluit. Insimulatus deinde à patrono quasi vestem ei furto subduxisset, sicut reverâ subduxerat, & ex fugâ retractus, cùm perductus esset ad Pisonem Urbis præfectum, rogatus fugæ causam, ait se habere secreta quædam quæ cuperet indicare Cæsari, ad salutem ipsius pertinentia: quapropter vinctus missus est Capreas, ubi diu in vinculis est detentus, priusquàm Cæsari aures ei præbere esset collibitum. (*Joseph. lib.* 18. *cap.* 8.)

Samaritanis impostor quidam persuasit, ut convenirent in montem Garizim apud eam gentem sanctissimum: asseverans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moses deposuerit. Illi creduli sumptis armis Tirathabam vicum insedcrunt, expectantes ibi confluentes cæteros, ut magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior clivum montis occupavit equitibus suis & peditibus: qui prælio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, alios fuderunt, alios in fugàm compulerunt; multos etiam vivos captos abduxerant, quorum præcipuos & potentiores Pilatus capite mulctavit. [*Id. ibid. cap.* 5.]

4040 Tum primates Vitellium Syriæ præsidem adeuntes, Pilatum cædis accusârunt, negantes defectionem fuisse à Romanis illum concursum in Tirathaba, sed refugium contra Pilati violentiam. Vitellius autem Marcello amico ad procurationem Judææ misso, Pilatum jussit Romam proficisci, responsurum apud Cæsarem ad objecta per Judæos crimina: postquàm decem jam annos in provinciâ ille exegisset. (*Id. ibid.*) Quibus quatuor aut quinque mensium appendicula addenda fuerit; si non ille, vel procellarum metu (præcesso jam, ut *Actor.* XXVII. 9. septimi mensis Jejunio) navigationem distulerit, vel adversis ventis detentus, aut aliâ aliquâ morâ interveniente, iter prolongaverit. Nam priùs quam Romam Pilatus perveniret, vitâ excessisse Tiberium, *Josephus* indicat.

Quum à Capreis venisset Tiberius Tusculanum, stadiis ferè centum ab Urbe distitum;

ab Agrippinâ Germanici matre, licet multùm reluctans, tandem perſuaſus eſt ut Eutychum audiret, cognoſceretúrque cujus accuſaret is patronum criminis. Qui, re examinatâ, comperiens, neglecto mandato de colendo nepote ipſius Tiberio Druſi filio, totum eum in Caium fuiſſe propenſum; Macroni (qui Sejano in prætorianorum militum præfecturâ ſucceſſerat) imperavit, ut Agrippæ vincula injiceret. Agrippa verò ad preces verſus, per memoriam filii, cujus conſuetudine ſimul educatus familiariſſime uſus fuerat, & per collata in adoleſcentem Tiberium officia rogabat veniam: ſed fruſtrà, prætorianis ita ut erat purpuratum in vincula trahentibus. Cúmque æſtus eſſet vehemens, & præ inopiâ vini ſitis eum uteret, conſpicatus quendam è Caii ſervis nomine Thaumaſtum gerentem hydriam, popoſcit potum: & cùm libenter oblatum hauſiſſet, inquit. *Certè tuo bono puer exhibuiſti mihi hoc miniſterium: quamprimùm enim hanc neceſſitatem evaſero, impetrabo tibi libertatem à Caio.* Quod & poſteà præſtitit. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 8.]

Agrippa vinctus ante regiam ſtabat inter alios quoſdam æquè vinctos, incumbens præ mœrore in quandam arborem cui bubo inſidebat. Unus è vinctis natione Germanus alitem conſpicatus, ſciſcitatus eſt è milite quiſnam eſſet ille purpuratus: & cognito Agrippam eſſe Judæorum nobiliſſimum; ad eum adductus, adhibito interprete, hoc auſpicio ſignificari illi dixit repentinam præſentis fortunæ mutationem. Ad ampliſſimam enim dignitatem ſimul-atque potentiam eum perventurum, felicem habiturum vitæ exitum: (in quo falſum illum fuiſſe vatem, docuit exitus hominis infeliciſſimus:) ſed quando hanc alitem iterùm eſſet viſurus, quintum ex eo diem fatalem ipſi futurum. (*Id. ibid.*)

Antonia graviter ferens calamitatem juvenis, Tiberium quidem pro eo deprecari putabat inutile: apud Macronem tamen obtinuit ut in cuſtodiâ ſervaretur à militibus commodis moribus præditis, convictorémque haberet centurionem ei curæ præpoſitum; & quotidianis uteretur lavacris, & pateret ad eum libertis atque amicis aditus, quorum ſublevaretur officiis. admittebantúrque ad eum Silas amicus, & è libertis Marſyas atque Stichus, inferentes ei cibos quibus delectabatur: & ſtragula quaſi vænalia circumferentes, noctu ſubſternebant permiſſu militum jam antè præmonitorum Macronis imperio. Atque in hunc modum ſex menſes in cuſtodiâ exegit, uſque in Tiberii obitum. [*ibid.*]

De Gamalitici agri finibus contentio orta eſt inter Herodem Tetrarcham & Aretam Arabiæ Petrææ regem, injuriæ filiæ ſuæ factæ non immemorem; quam matrimonio ſibi junctam Herodes ſpreverat, ductâ in ejus locum fratris ſui uxore Herodiade. Contractis utrinque copiis bellum per legatos geſtum eſt: commiſſóque prælio Herodis exercitus internecione periit, proditus à quibuſdam exulibus qui pulſi è tetrarchiâ Philippi tunc merebant Herodis ſtipendia. Hæc Herodes per litteras ſignificavit Tiberio: qui indignè ferens Aretæ audaciam, ſcripſit Vitellio ut ei bellum inferret, & aut vivum captum abduceret, aut occiſi caput ad ſe mitteret. Apud Judæos autem fuit opinio, juſtâ ultione numinis deletum Herodis exercitum, propter Johannis Baptiſtæ cædem. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 7.]

Cn. Acerronio Proculo & C. Pontio Nigrino Conſulib. mortem Tiberius obiit, XVII. Kalend. Apriles, ut eſt apud *Suetonium* [*in Tiberio, cap.* 13. & *Tacitum, Annal.* 6. *cap.* 50.] vel VII. potiùs, ſive XXVI. Martii die, quum poſt Auguſti exceſſum imperaviſſet *annos* 22. *menſes* 7. & *dies* 7. ut in fine libri 58. refert *Dio.* non *menſes* 5. *dies* 3. ut in libro 18. Antiquit. [*cap.* 8.] neque *menſes* 6. *dies* 3. ut in libro ſecundo Belli, [*cap.* 8. *κεφ. η.*] *Joſephus* numerat. 4750 37

Marſyas, Tiberii morte cognitâ, currens ad patronum ſuum Agrippam, cùm offendiſſet petentem balneum, admoto capite, ſermone Hebraico dixit, *Mortuus eſt leo.* Quod ex iis reſciſcens centurio qui cuſtodiæ præerat, Agrippæ vinculis ſoluto cœnam lautam appoſuit. Sed dum epulis ſimul indulgerent & poculis, ſuperveniens quidam attulit incolumem eſſe Tiberium, & brevi in urbem reverſurum. Quibus verbis graviter territus centurio, Agrippam de lectulo proturbatum vinciri, & accuratiùs in poſterum cuſtodiri juſſit. Verùm poſterâ die binæ à Caio allatæ ſunt litteræ, alteræ, quibus Senatui ſignificabat in defuncti Tiberii ſe ſucceſſiſſe imperium; alteræ ad Piſonem Urbi præfectum, idem indicantes, mandantéſque ut Agrippam è caſtris dimiſſum reſtitueret in id quod antè habitaverat domicilium. in quo licèt adhuc cuſtodiretur, tamen ſuo victitabat arbitrio. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 8.]

Caius Romam reverſus, Tiberii ſimul corpus referens, more ſolenni funus celebravit ſumptuoſiſſimum: & quum vellet Agrippam eâdem die ſolutum dimittere, monitu Antoniæ ſupersedit. non quòd ea malè vellet homini; ſed negabat decoram hanc feſtinationem, ne videretur hoc odio Tiberii facere, ſi confeſtim ſolveret quem ille vinxerat. Elapſis tamen non multis diebus, accerſitum ad ſe domum tonderi, veſtémque mutare præcepit. Impoſito deinde in ejus caput diademate, Tetrarchiæ quæ Philippi fuerat regem conſtituit, adjectâ Lyſaniæ quoque tetrarchiâ: & pro ferreâ catenâ dedit auream pari pondere. In Judæam autem Marullum miſit præſidem. [*Id. ibid.*]

Agrippam Herodis nepotem vinculis, quæ ei à Tiberio fuerant indita, C. Caligulam liberaviſſe, & avi principatum ei reddidiſſe; memorat Dio [*lib.* 59. *pag.* 645.] prætoriis ornamentis à Romano Senatu honoratum, regno & tertiâ avitæ ditionis parte quam Philippus patruus poſſederat à Caio donatum, Philo. [*in Flaccum.*] Regnum verò adeptus Agrippa, Thaumaſtum qui potum ipſi vincto miniſtraverat, à Caio impetratum, manumiſit, & bonorum ſuorum diſpenſatorem conſtituit. Quin & moriens hunc Agrippæ filio Bernicæque filiæ reliquit eâdem miniſterii conditione: apud quos in pretio uſque ad extremum diem habitus conſenuit. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 8.]

Antiocho Antiochi filio Caligula Commagenem, paternum regnum, dedit; adjectis Ciliciæ maritimis. [*Dio, lib.* 59. *pag.* 645.]

Præſes

Præſes Syriæ Vitellius, bellum Aretæ illaturus, aſſumptis duabus legionibus, & levis armaturæ atque equitum auxiliis miſſis à ſociis regibus, properans verſùs Petram pervenit Ptolemaïdem. Quúmque vellet per Judæam exercitum ducere, occurrerunt ejus regionis principes, deprecantes tranſitum. Neque enim patrios ritus permittere, ut inferantur ullæ imagines, quales Romana ſigna habebant pleraque. Quorum precibus flexus mutavit ſententiam de itinere propoſito: miſſóque per magnum campum exercitu, ipſe cum Herode Tetrarchâ & amicis aſcendit Hieroſolyma, ſacrificaturus Deo in feſtivitate quæ inſtabat publica. Quò poſtquàm ventum eſt, honore ſummo exceptus à populo, hæſit ibi triduo, & interim à Jonathâ in fratrem ejus Theophilum pontificatum tranſtulit. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 7.]

Quartâ die litteris acceptis de morte Tiberii, populum Vitellius ſacramento adegit in fidem Caii novi principis. [*Id. ibid.*] Unde rex Agrippa, in litteris ad Caium: apud Philonem, in legatione. *Hieroſolymis primùm audita eſt, Imperator, exoptata tua ſucceſſio; è ſanctâ civitate diffuſa eſt ejus fama ad finitimas provincias. Et quoniam prima Orientalium hæc civitas Imperatorem te conſalutavit; æquum eſt ut à te tractetur liberaliùs.* & Judæorum Senatus, in oratione ad Petronium: apud eundem. *Caio imperium adepto, primi ex totâ Syriâ gratulati ſumus Vitellio, cujus ſucceſſor es, tunc in urbe noſtrâ degente, qui ſuper hâc re litteras acceperat; & à nobis ad cæteras civitates fama lætum nuncium pertulit: primùm noſtrum Templum excepit pro imperio Caii victimas.*

Revocavit Vitellius ex itinere copias, omiſſo bello propter delatum in alium Imperium. Et quidem Aretam ferunt, accepto expeditionis Vitellii nuncio, collegiſſe ex auguriis, impoſſibile eſſe ad Petram pervenire illum exercitum. Unum enim è ducibus priùs moriturum: vel qui bellum paret, vel cujus juſſu pararetur, vel eum contra quem eſſet movendum. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 7.]

Vitellium deinde, exercitu in hyberna dimiſſo, (quod in æſtatis initio ab eo factum, non eſt admodùm veriſimile) Antiochiam repetiiſſe ſcribit *Joſephus*; quum unà cum copiis ad Euphratem eum perrexiſſe dicendum potiùs fuiſſet, ut cum Parthorum rege fœdus iniret. Id enim non, ut putavit *Joſephus*, ſub Tiberio, ſed ſub Caio factum fuiſſe, ex *Suetonio* & *Dione* apparet. Námque Artabanus, odium ſemper contemptúmque Tiberii præ ſe ferens, Caii amicitiam ultrò petiit: ſummiſque eum artibus Vitellius non modò ad colloquium ſuum, ſed etiam ad veneranda legionum ſigna pellexit. Euphratem enim ille tranſgreſſus, aquilas Romanas adoravit, ſtatuíſque Auguſti & Caii ſacrificavit. Pacis quoque conditiones, quæ ex uſu Romanis eſſent, liberóſque obſides dedit. [*Sueton. in C. Caligulâ, cap.* 14. *& A. Vitellio, cap.* 2. *Dio, lib.* 59. *pag.* 661.]

In medio pontis Rex & Vitellius ſibi occurrerunt, cum ſuo quiſque ſatellitio: & poſtquàm de fœdere convenit, Herodes tetrarcha utrumque excepit convivio, tabernaculo magno ſumptu erecto in medio flumine. Deinde Vitellius Antiochiam rediit, Artabanus in Babyloniam. Herodes verò volens primus nunciare Cæſari de impetratis obſidibus, omnibus diligenter perſcriptis miſit ad eum tabellarios; nihil ampliùs relinquens ſignificandum per Conſularem legatum. Quare ſupervenientibus Vitellii litteris, Cæſar reſcripſit, omnia ſibi jam antè eſſe cognita ex Herodis nuntiis. Quo ille graviter offenſus eſt. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 6.]

Nec multò pòſt miſit Artabanus filium Darium obſidem, cum multis muneribus: inter quæ etiam virum ſtaturâ cubitorum quinque genere Judæum, nomine Eleazarum; qui propter vaſtitatem Gigas cognominatus eſt. [*Id. ibid.*]

Judæi Alexandrini, poſtquàm honores omnes, quos per leges ſuas decernere licuit, Caio exhibuiſſent; Flacco Abillio præſidi decretum ſuum obtulerunt; orantes ut, quoniam non fuit permiſſum legationem mittere, ipſe id per ſuos nuncios tranſmitteret. Legit ille; & annuens ad pleraque capita, ſubridénſque dixit. *Placet mihi per omnia pietas veſtra: mittam hæc ut petitis, & legati fungar munere, ut ſentiat Caius veſtram gratitudinem; eróque teſtis probè notæ mihi veſtræ popularis modeſtiæ atque obedientiæ.* Decretum tamen illud apud ſe retinuit: ut ſoli omnium illi pro Caii contemptoribus haberentur. [*Philo, in Flaccum.*]

Anno primo imperii C. Caligulæ Mattathiæ ſacerdoti natus eſt filius Joſephus, hiſtoriæ Judaicæ ſcriptor: ut ipſe in libro de Vitâ ſuâ indicat.

4041 Quum longo jam tempore Saulus Damaſci Evangelium prædicaviſſet, inierunt Judæi illum interimendi conſilium. Hi ab Aretæ regis Arabiæ Petrææ (qui Herodis Tetrarchæ exercitum nuper fuderat) præfecto, præſidio urbem Damaſcenorum tenente adjuti obſervabant portas die ac nocte, ut eum prehenſum interimerent. Verùm à diſcipulis è feneſtrâ per murum funè in ſportâ nocte demiſſus, ex eorum inſidiis evaſit. [*Act.* IX. 23,24,25. II. *Corinth.* 32,33.]

Primo igitur Apoſtolatûs ſui triennio apud Damaſcenos exacto, rediit Saulus Hieroſolymam, ut viſeret Petrum: & permanſit apud eum dies quindecim. [*Galat.* I. 18.]

Ibi quum tentaret ſe propiùs adjungere diſcipulis, timebant omnes, non credentes eum eſſe diſcipulum. Sed Barnabas acceptum eum duxit ad Apoſtolos (Petrum videlicèt, & Jacobum fratrem Domini: neminem enim ex Apoſtolis alium tum ille vidit. (*Gal.* I. 19.) & expoſuit eis, quomodo in viâ vidiſſet Dominum, & quòd locutus eſſet ei; & quomodo Damaſci liberè locutus eſſet in nomine Jeſu. [*Act.* IX. 26,27.]

Saulus Hieroſolymis liberè in nomine Domini Jeſu loquebatur, & diſceptabat cum Helleniſtis: (ſive Judæis qui Græcâ linguâ utebantur; ut Syrus rectè hîc eſt interpretatus:) illi verò conabantur eum interimere. [*Act.* IX. 29.]

Orans in Templo Saulus, extra ſe raptus eſt, & vidit Dominum dicentem ſibi. *Feſtina, & exi citò Hieroſolymis; quoniam non excipient teſtimonium tuum de me.* Cui ille. *Domine, ipſi ſciunt me pertraxiſſe in carcerem & verberibus affeciſſe per ſingulas ſynagogas eos qui credebant*

in te. Et quum effunderetur ſanguis Stephani martyris tui, ego quoque adſtabam & cuſtodiebam pallia eorum qui interficiebant eum. Et dixit ei Dominus. *Proficiſcere : nam ego te procul ad gentes emittam.* [Act. XXII. 17,-21.]

Fratres verò Hieroſolymitani deduxerunt eum Cæſaream, & emiſerunt in patriam ſuam Tarſum. (*Act.* IX. 30.) Venitque in regiones Syriæ & Ciliciæ : hactenùs ignotus facie Eccleſiis Judææ ; quæ audientes ſolùm, eum nunc euangelizare fidem quam olim vaſtabat, Deum de illo glorificabant. [*Galat.* I. 21, 22,23.]

Eccleſiæ autem per totam Judæam & Galilæam & Samariam habentes pacem ædificabantur : & pergentes in timore Domini & conſolatione ſancti Spiritûs, multiplicabantur. [*Act.* IX. 31.]

Herodi Agrippæ regi ex Cypro nata eſt filia Druſilla (nupta poſteà Felici ; *Act.* XXIV. 24.) quæ moriente patre ſexennis erat. (*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 7. *& lib.* 19. *cap. ult.*) 4751 38

Caligula Macronem, cui Ægyptus mandata fuerat, (ſexennio, quod Flacci Abillii præfecturæ à Tiberio præſtitutum fuerat, jam exacto) & uxorem ejus Enniam, quorum operâ ipſe imperium conſecutus fuerat, ad mortem voluntariam adegit. (*Philo, de legat. ad Caium ; & lib. in Flaccum. Sueton. in C. Calig. cap.* 26. *Dio, lib.* 59. *pag.* 647.)

Flaccus, qui Ægypto tum præerat, interfecto Macrone cui maximè fidebat, à Caligulâ imperatore malè ſibi metuit. Quâ occaſione arreptâ, Dionyſius, Lampo & Iſidorus illi perſuaſerunt ut populum Alexandrinum, ab Auguſto & ejus familiâ in honore habitum, beneficio aliquo ſibi conciliaret ; nihil verò gratius illis ſe poſſe facere, quàm ſi eos ſinat in Judæos ſævire. Quorum & ille ſententiam eſt ſecutus. [*Philo, in Flaccum.*]

Caligula Soæmo Arabum Ituræorum regnum, Cotyi Armeniam minorem ac deinde nonnullas Arabiæ partes, Rhymetalci Cotyis ditionem, Polemonis filio paternum (Ponti) imperium ex Senatuſconſulto tribuit. (*Dio, lib.* 59. *pag.* 649.)

Anno imperii C. Caligulæ ſecundo, veniam ab eo Herodes Agrippa impetravit domum redeundi, regni ordinandi gratiâ ; eo peracto, reverſurum ſe pollicitus. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 8.] Suaſit verò illi Imperator, ut navigatione compendiariâ uſus, expectatis eteſiis ventis, rectâ peteret Alexandriam ; pedeſtri itinere inde minore cum difficultate in patriam rediturus. Cui ille obtemperans, quum deſcendiſſet Puteolos, & naves Alexandrinas in portu paratas ad ſolvendum invenîſſet, poſt paucos dies Alexandriam appulit. [*Philo, in Flaccum.*]

Alexandrini, ob inveteratam cum Judæis ſimultatem ægrè ferentes regem ipſorum quempiam extitiſſe, Agrippam in gymnaſio ſermonibus ſcurrilibus & mimographorum ludicris carminibus traducebant. Propulſum quoque ad gymnaſium quendam inſanum nomine *Carabam*, qui interdiu noctúque nudus oberrabat per compita, in ſuperiore loco ſtatuerunt, ut ſpectari poſſet ab omnibus. Mox capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori ſtoream induunt : pro ſceptro fruſtum arundinis humi ſublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis inſignibus, & in regem transformatum more hiſtrionico, adoleſcentes perticas in humeris geſtantes ſtipabant pro ſatellitio : tum alii ſalutatum accedebant, alii ſibi reddi jura petebant, alii conſulebant eum de republicâ. Poſt hæc acclamatum eſt à circumſtantibus, magnâ voce *Marim* appellantibus : quod nomen Syrorum linguâ *Dominum* ſignificat. [*Philo, ibid.*] Atque ita Judæorum rex eodem modo ab aliis eſt irriſus, quo regiæ dignitati veri ſui Domini Jeſu Chriſti ipſi Judæi ante quinquennium illuſerant.

Judæi Alexandrini Agrippam de inſidiis per Flaccum præſidem in ipſorum perniciem paratis edocuerunt : ſcriptúmque quod Flacco dederant, Caio in principatûs ſui exordio tranſmittendum, Regi tradiderunt. Hoc ad Caium ſe miſſurum ille eſt pollicitus, ſimúlque ſignificaturum, ab initio illud Judæos mittere voluiſſe ; ſed impeditos Præſidis malevolentiâ fuiſſe, quo minùs tempeſtivè id facerent. [*Philo, ibid. & in legat. ad Caium.*]

Petrus apoſtolus, Eccleſiis Judææ, Galilææ & Samariæ viſitans, devenit ad ſanctos qui habitabant Lyddæ : ibique Æneam, ab annis jam octo decumbentem in grabato, à paralyſi, quâ tenebatur, ſanavit. Quo viſo miraculo, omnes qui Lyddam & agrum Saronitanum (de quo, I. *Chronic.* V. 16. & XXVII. 29.) incolebant converſi ſunt ad Dominum. [*Act.* IX. 31,-35.]

Diſcipula quædam, Syriaco nomine *Tabitha* Græco *Dorcas* (id eſt *Caprea*) dicta, bonis operibus & eleemoſynarum largitione celebris, Joppæ ex morbo deceſſit. Quum autem Lydda eſſet prope Joppen, diſcipuli, audito Petrum illic eſſe, duos viros miſerunt ad eum, rogantes ne cunctaretur uſque ad ipſos progredi. Qui adveniens, quum in genua procumbens eſſet precatus, mortuam vitæ reſtituit. Id autem innotuit per totam Joppen : & multi crediderunt in Dominum. Manſitque ibi Petrus *multos dies* in domo Simonis cujuſdam coriarii. [*Ibid.* 36,-43.]

Alexandrinorum vulgus, ſummo mane in theatrum confluens, redempto jam Flacci præſidis favore, in proſeuchis Judæorum dedicandas eſſe Cæſaris ſtatuas unanimiter conclamavit. Quod præſes, licèt ſciret non minùs quàm decies centena millia Judæorum incolere Alexandriam totámque regionem quanta patet à Catabathmo Libyæ uſque ad terminos Æthiopiæ, nullo reſpectu ſecuritatis publicæ habito, fieri permiſit. (*Philo, in Flaccum.*) Illi verò conglobati in cohortes numeroſiſſimas, proſeuchas, quæ multæ in ſingulis urbis regionibus erant, aut arbuſtis ſuccîſis vaſtârunt, aut diruerunt funditùs : quaſdam etiam incenderunt injectis ignibus tantâ rabie atque inſaniâ, ut in proxima quoque ædificia tranſiliret incendium. In proſeuchis autem omnibus quas diruere incenderéve non poterant, quòd accolerentur magnâ Judæorum frequentiâ, effigies Caii ſtatuerunt : in maximâ verò ac celeberrimâ ſublimem quadrigis aheneis ; idque tam præpropero ſtudio, ut, cùm caterent novis quadrigis, veteres æruginoſas, auribus, caudis pedibúſque mutilatas, è gymnaſio raperent, olim dedicatas (ut ferebatur) Cleopatræ, quæ

fuerat

fuerat ultimæ hujus nominis reginæ proavia. Hæc verò existimabat Caius ex vehementi Alexandrinorum in ipsum studio profecta : quæ partim ex quotidianis actis cognoscebat transmissis sibi ab Alexandriâ, (ea enim libentiùs lectitabat quàm ullum poëma vel historiam) partim ex nonnullis servis domesticis (quorum plerique erant Ægyptii) eadem cum ipso laudare aut irridere solitis. [*Id. in legat. ad Caium.*]

C. Caligula, sorore Drusillâ defunctâ, justitium indixit : in quo risisse, lavisse, convivio quemquam accepisse, capitale fuit. (*Sueton. in C. Calig. cap.* 24. *Dio, lib.* 59. *pag.* 648.]

Ægypti præses Flaccus edictum proposuit, in quo Judæos qui cives erant Alexandrini peregrinos appellabat & exteros : ne causæ quidem dicendæ potestatem faciens, sed injudicatos condemnans. Quinque erant urbis illius regiones, à primoribus earum literis denominatæ : quarum duæ dicebantur Judaicæ, quòd in his plurimi Judæi habitarent; quamvis & in aliis non pauci sparsim habuerint domicilia. Alexandrinorum igitur vulgus, licentiam grassandi in Judæos à Flacco nactum, è quatuor literis eos expulsos contrusit in unius partem angustam. Qui, quòd plures essent quàm ut is locus eos caperet, egrediebantur in littora & monumenta & sterquilinia, exuti rebus suis omnibus. Inimici verò facto in desertas domos impetu, prædas tanquam jure belli partas dividebant : effractisque Judæorum officinis, quæ tum propter luctum mortis Drusillæ clausæ fuerant, hinc quoque plurima egesserunt, quæ per medium forum translata verterunt in usus proprios. Sed minùs nocebant domorum plusquàm 400 direptiones, quàm abrupta negotiatio : quum creditores amisissent pignora, nec sineretur ullus agricola, nauta, negotiator, opifex, exercere artes consuetas. (*Philo, in Flaccum.*)

Tot myriadas virorum, mulierum, puerorúmque in urbis angulum angustissimum, ceu pecora, compulsas, sperabant adversarii se intra paucos dies visuros acervatim jacere : aut fame necatos per ciborum inopiam, aut in loco æstuoso compressos, vitiato etiam per crebras respirationes circumvicino aëre. Ne quis autem clanculùm inde se proriperet, diligenter cavebant : & quotquot intercepissent, excruciatos priùs mox enecabant, nullam ab eis abstinendo sævitiam. Alia manus circa portus fluminis insidiabatur Judæis appellentibus, & eorum mercimoniis : quibus in conspectu dominorum direptis, ipsos protrusos exurebant, constructo rogo è gubernaculis, contis, & navium tabulis. Alii mediâ in urbe concremabantur miserrimo supplicii genere. Nam præ lignorum inopiâ sarmenta comportabantur, quibus accensis injiciebant miseros : qui semiustulati fumo magis quàm igni necabantur. Multi etiam vivi loris laqueisque circa talos adstrictis per medium forum rapiebantur, insultante vulgo & ne mortuis quidem parcente corporibus. Dissecta enim membratim frustatimque conculcabant tantâ crudelitate, ut ne reliquias quidem ad sepulturam superesse sinerent. [*Id. in legat. ad Caium.*] Qui verò dolebant suorum vicem cognati amicique, confestim pœnas dabant suæ misericordiæ ; arreptique flagris cædebantur, & post omnia tormenta quæ poterant excipere corporibus, tandem in crucem agebantur. [*Id. in Flaccum.*]

Ex Senatu, quem Augustus constituerat publicum Judæorum Concilium, Flaccus præses 38 comprehensos in suis privatis ædibus confestim vinciri jussit : traductósque per medium forum senes reductis in tergum manibus, ligatos partim loris partim catenis ferreis, induxit in theatrum, statutósque coram inimicis eorum sedentibus, jussit nudatos concidi verberibus; atque ex his Euodium, Tryphonem, & Andron, in conspectu illorum qui bonis eos priùs spoliaverant. Et licèt mos esset in neminem damnatum animadvertere donec solemnes celebritates natalitiáque Augustorum festa præteriissent; ille tamen per eos ipsos dies (Caii natali in postremum Augusti mensis diem tum incidente) affligebat homines innoxios, ad hunc modum distributis spectaculis. Manè usque horam tertiam quartámve Judæi flagellabantur, suspendebantur, rotis alligabantur, damnabantur, per mediam orchestram ducebantur ad supplicium. Deinde inducebantur saltatores, mimi, tibicines, aliáque ludicra scenicorum certaminum. Ipsæ quoque mulieres non solùm in foro, sed etiam in medio theatro tanquam captivæ corripiebantur, & ob quamvis calumniam in scenam trahebantur non sine gravissimis contumeliis : deinde cognito eas esse alterius generis, dimittebantur; multas enim quasi Judæas comprehendebant priusquàm rem diligentiùs dispicerent. Postquàm autem Judaicæ comperiebantur, ex spectatoribus facti tyranni, jubebant eis suillas carnes offerri, quas quotcunque metu tormentorum gustabant, sine aliâ majore vexatione dimittebantur : quæ verò sibi temperabant, tortoribus tradebantur ad cruciatus maximos. [*Ibid.*]

Accitur à præside Castus centurionum fidissimus, jubetur assumpto è suâ cohorte audaciſſimo quoque in domos Judæorum irrumpere, scrutarique nunquid armorum ibi lateat. Quo properè mandata exequente, Judæi intima quæque aperientes scrutatoribus ostendebant : ubi mulierculæ inclusæ, nunquam è conclavi egredi solitæ, & virgines præ pudore declinantes aspectum etiam familiarium, tunc non solùm ignotis verumetiam militari ferociæ spectabantur pavidæ. Nihilominùs accuratâ factâ scrutatione, non inveniebantur ista quæ quærebantur arma. Ægyptiis quidem paulò antè arma empta fuerant per Bassum à Flacco jussum id curare. Sed tum videre licebat magnum navium numerum appulisse ad portas fluminis, plenarum omni armorum genere : quæ hominibus seditiosis, qui anteà quoque sæpiùs defectiones tentârant, adimi par erat. Sed longè alia Judæorum erat ratio : qui defectionis nunquam suspecti, studia quotidiana quæstúsque exercebant, ad concordiam & tranquillitatem civitatis facientia. [*Ibid.*]

4042 Dum festi Tabernaculorum solennitas per autumni æquinoctium à Judæis Alexandrinis tantopere afflictis intermitteretur, Flaccum præsidem à Stephanione liberto Tiberii Cæsaris convivio exceptum ex improviso Bassus centurio comprehendit ; ad id faciendum, cum cohorte militum ex Italiâ à Caio missus. Cúmque orâ solvisset hyemis initio, marinis tempestatibus

jactatus, post plurimos labores ægrè in Italiam delatus est: ubi confestim à duobus infensissimis accusatoribus, Lampone & Ilidoro (qui ipsum in Judæos incitaverant) exceptus est. Qui damnatus, omni patrimonio & bonis domesticis (quæ selectissima habuerat) exutus, in exilium actus est. Et quidem in insulam omnium sterilissimam Gyarum in Ægeo sitam deportatus fuisset: nisi deprecante Lepido pro Gyaro Andrum propinquam ei permissum esset incolere: ubi posteà Caii jussu (ut & alii omnes honorati exules) occisus periit. (*Ibid.*)

Agrippam regiâ dignitate præfulgentem videns Herodias soror ipsius, Herodis Tetrarchæ uxor, invidiâ percita, non priùs destitit quàm viro persuasit ut Romam contenderent, eandem regiam dignitatem à Cæsare petituri. Agrippa, cognitâ eorum mente & apparatu, quamprimùm eos è portu solvisse didicit, etiam ipse libertum suum Fortunatum Romam ad Imperatorem misit cum muneribus & litteris contra Herodem patruum scriptis. Ille Herodi ad Cæsarem, apud Baias Campaniæ opidum amœnissimum tum agentem, admisso superveniens, Agrippæ litteras reddidit; accusantes Herodem, quòd priùs cum Sejano conspirasset in Tiberium, & nunc iterùm Artabano Partho faveret contra Caii novum imperium, tanto ad hoc comportato armorum apparatu, quantus instruendis virorum 70 millibus sufficeret. Quo commotus Caius, percontatus est Herodem, verâne essent quæ nunciarentur de armorum numero. Quo annuente, (neque enim vera negare poterat) satis approbatam Caius putans defectionem, ademit illi Galilææ & Perææ tetrarchiam, quam posteà ad Agrippæ regnum adjecit; pecuniâ quoque ejus illi donatâ. Herodem verò, perpetuo damnatum exilio, Lugdunum in Galliâ relegavit. Cognito deinde sororem Agrippæ esse Herodiadem, pecuniam ei propriam concessit: & ratus non libenter fore marito calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Illa Caio pro hâc indulgentiâ gratias egit; verùm eâ se in præsentia uti non posse professa est: quòd nefas existimaret, maritum in hâc calamitate deserere, cujus fortunæ, dum floreret, ipsa fuisset particeps. Quod ille indignè ferens, ipsam quoque cum marito in exilium ire jussit, & bona ejus Agrippæ largitus est. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 9.] Ira incesti sui connubii pœnas illi luerunt: post obtruncatum ab hoc Herode Johannem Baptistam annis 8. post Christum Servatorem ludibrio ab eodem habitum. [*Luc.* XXIII. 11.] annis 6. 4752 39

Pontius Pilatus quoque, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, ut propriâ se manu interfecerit: quemadmodum ex Romanis Historicis *Hieronymus* in Chronico, & ex Græcis Olympiadum scriptoribus refert in Ecclesiasticâ suâ historiâ [*lib.* 2. *cap.* 7.] *Eusebius*, cum *Orosio*, lib. 7. cap. 5. & *Cassiodoro* in Chronico.

Caius Baiani sinûs medium intervallum Puteolanas ad moles 3600 ferè passuum ponte conjunxit; in quo currum ejus tum alia multa spoliorum instar subsequebantur, tum etiam ex Parthorum obsidibus Darius puer (Artabani regis filius:) Dario & Xerxe non nisi ludibrii causâ memorato, quia longè plus maris ipse ponte instravisset. [*Joseph. lib.* 19. *cap.* 1. *Sueton. in C. Calig. cap.* 19. *Dio*, *lib.* 59. *pag.* 653.]

Idem, obtentu Germanici belli, ultra transitum à se Rhenum parumper progressus, inde statim rediit, quasi in Britanniam iturus. (*Dio*, *ibid. pag.* 656.)

Lucius Vitellius ex Syriâ accersitus est à Caio, ut interficeretur. (*Id. ibid. pag.* 661.) Crimini enim ipsi dabatur, quòd Tiridatem, Parthis à Tiberio regem missum, expelli ab illis sivisset. [*Id. in Excerptis, ab Henr. Valesio edit. pag.* 670.]

Vitellio successorem in Syriam Caius misit Petronium. [*Joseph. lib.* 18. *cap.* 11.] Publium videlicèt Petronium: (ut ex *Philone*, in legatione ad Caium, & *Josepho* lib. 19. cap. 6. constat,) qui filius fortasse illius fuerit, de quo ad annum Mundi 3983 ex *Strabone* dictum est; minimè verò omnium Lucius ille Petronius, (longè ante hoc tempus mortuus) quem *admodùm humilis loco natum ad equestrem ordinem pervenisse* memoravit Valerius Maximus. (*lib.* 4. *cap.* 7.) uti opinatus est Baronius. [*ann. Chr.* 41. *num.* 4.]

Vitellius ad Caium veniens, hoc modo neci se eripuit. Composuerat se longè quàm gloria ejus ferret humiliori habitu, Caiique pedibus advolutus, effusis lachrymis, atque illum simul & Deum appellans sæpiùs & adorans, tandémque vovens si incolumis evasisset se ei sacrificaturum; ita hominem emollivit ac sibi placavit, ut non modò superstes maneret, sed etiam inter præcipuos posthac amicos haberetur. (*Dio*, *lib.* 59. *pag.* 661.) Atque ita ille, miri in adulando ingenii, primus Caium adorari ut Deum instituit: quum reversus ex Syriâ non aliter eum adire ausus esset quàm capite velato, circumverténsque se, ac deinde procumbens. (*Sueton. in A. Vitellio*, *cap.* 2.) Et quum posteà Caius rem sibi esse cum Lunâ dixisset, percunctatúsque esset Vitellium, vidisséne se cum deâ congredi; ille quasi attonitus, oculis in terram demissis, tremens, exili voce respondit. *Solis*, *Domine*, *vobis diis licet invicem videre.* [Dio, ut supr.] Eóque facto initio Vitellius, qui in regendis provinciis priscâ virtute egerat, omnes reliquos adulando superavit. [*Dio*, *ibid. Tacit. Annal.* 6. *cap.* 32.]

Ipse deinde Caius sibi Sacerdos fuit, equúmque suum collegam sacerdotii adscivit. [*Dio*, *ut supr. pag.* 662.] Mileti verò in Asiâ templum sibi exstrui jussit: hanc urbem præ cæteris eligens, specie quidem quòd Ephesum à Dianâ, Pergamum ac Smyrnam ab Augusto Tiberióque occupatas esse diceret; sed reverâ quia amplissimam ac pulcherrimam, quod Milesii Apollini ædificabant, suo nomini vindicare cupiebat. [*Id. in Excerptis Valesii*, *pag.* 670. & 673.] Mileti quoque Didymeum peragere destinaverat. [*Sueton. in C. Caligulâ*, *cap.* 22.]

4043 In Jamniam, urbem Judææ frequentem cum primis populo, subrepserant è finitimis regionibus inquilini; qui semper moliebantur aliquid adversùs ritus Judaicos. Hi cùm audirent ab advenis, quantopere Caius pro Deo coli cuperet; & quàm infensus universæ Judæorum genti esset; ex tempore aram excitârunt è luto formato in lateres, tantùm ut molesti essent civibus. Hanc quum illi indignati è medio sustulissent: adversarii rem ad Capitonem quæstorem detu-

lerunt,

ferunt, qui in Judæâ exigendis tributis præerat. Ad Caium ille scripsit; exaggerando rem & amplificando. Caius verò pro altari lateritio subverso in Jamniâ, colossium inauratum poni jussit in ipso Templo Hierosolymitano: consultoribus usus, Helicone Ægyptio & Apelle tragœdo Ascalonitâ. Litteris igitur de statuâ dedicandâ ad Petronium Syriæ præsidem accuratissimè scriptis, mandavit illi Caius, ut exercitûs, contra irruptiones Orientalium regum nationúmque oppositi, dimidium ab Euphrate adversùs Judæos duceret, ut prosequeretur statuam; non quò augustior dedicatio fieret, sed ut confestim periret siquis obsisteret. Sed neque statua transmissa fuit ex Italiâ, neque jussus est Petronius è totâ Syriâ lectissimam sumere: alioqui præpropere violatis Judæorum legibus, exortus fuisset repentinus tumultus. Itaque Petronius in propinquo jussit parari statuam, & accitis è Phœniciâ peritissimis artificibus præbuit materiam; officinâ Sidone institutâ. [*Philo, in legat. ad Caium.*]

Interim contractis quantum poterat auxiliis, cum duabus Romanis legionibus hybernavit apud Ptolemaidem, primo vere bellum illaturus: quod & Caio significavit per litteras. Qui collaudatâ ejus industriâ, hortatus est eum ad agendum gnaviter, & frangendam bello gentis contumaciam. Ita Josephus. [*lib. 18. cap. 11.*]

Inter Judæos & Græcos Alexandriam inhabitantes exortâ seditione, terni ab utrâque parte legati delecti ad Caium missi sunt. Judæorum legationis princeps erat Philo, vir per omnia clarissimus; Græcorum Apion. [*Id. ibid. cap. 10.*] qui Oasi in Ægypto natus, Alexandrinus dici maluit, quòd ejus civitatis jure gauderet. [*Id. lib. 2. contr. Apion.*] Πλειστονίκης, quasi *sæpe victorem*, cognominatum, inter alios refert *Plinius*, libro 37. historiæ naturalis cap. 5. in totius quoque Operis ad Titum Vespasianum Cæsarem Præfatione ista de eodem adjiciens. *Apion Grammaticus, hic quem Tiberius Cæsar cymbalum mundi vocabat, quum tympanum potius videri posset, immortalitate donari à se scripsit, ad quas aliqua componebat.* Qui & mendacissimum adversùs Judæos commentarium edidit; cui in secundo contra eundem libro respondet Josephus: nam prior liber aliis Judaicæ gentis obtrectatoribus ab eo est oppositus. 4753 40

Legati igitur Judæorum (quos *quinque* numero fuisse, sub finem libri de hâc legatione à se scripti confirmat ipse Philo; non *tres*, ut Josephus voluit) ad deprecandum injurias quas quotidie patiebantur, medio hyemis ad Caium navigârunt. Placuitque offerri ei libellum continentem summam calamitatum, & earum deprecationem; ex prolixiore supplicatione, quam per Agrippam regem Judæi ad eum antè miserant, desumptam. Adversarii verò Heliconem Ægyptium, Imperatoris cubiculo præfectum, sibi conciliârunt, non tantùm pecuniâ, sed & spe honorum, quos ei pollicebantur se collaturos quamprimùm Caius veniret Alexandriam. Quem cùm Judæorum legati placare & mollire desiderarent; nullum ad eum aditum invenire potuerunt. [*Philo, in legatione ad Caium.*]

Ipse Caius primùm, dissimulato in Judæos odio, legatos eorum exceptos in campo Martio, cùm è maternis hortis exiret, hilari vultu resalutavit, & dextrâ innuit se propitium: missóque ad eos Homulo qui legationibus admittendis præerat, pollicitus est se cogniturum eorum causam per otium. Postea verò, cùm hortos Mæcenaris & Lamiæ, qui & inter se & urbi propinqui erant, inviseret, & introducti legati eum reverenter adoravissent, atque Augusti Imperatoris appellatione eum salutavissent; ringendo rogavit. *Vósne estis illi dis invisi, qui me omnium confessione Deum declaratum soli aspernamini, mavultisque vestrum innominatum colere?* simúlque sublatis ad cœlum manibus erupit in vocem, quam ne audire quidem fas est, nedum proloqui verbis totidem. Ac mox exorta est adversæ partis ingens lætitia: quæ deorum omnium illi acclamabat cognomina. His appellationibus gaudentem conspicatus Isidorus sycophanta amarulentus: *Magis*, inquit, *detestareris Domine istos eorumque tribules, si scires eorum erga te impietatem atque malevolentiam. Omnibus enim pro salute tuâ votivas cadentibus victimas, isti soli non sustinuerunt sacra facere. Cùm dico*, isti, *de cunctis Judæis loquor.* Tunc exclamaverunt unanimiter legati. *Domine Cæ, calumniis petimur. Immolavimus hecatombas: libatóque ad aram sanguine, carnes donum non retulimus ad epulas, ut quorundam est mos; sed integras victimas exurendas sacro igni tradidimus; idque ter. primùm, quando successisti in Imperium; iterùm, quando gravem illum morbum evasisti, cui totus orbis condoluit: tertiò votum pro victoriâ Germanicâ.* Esto, inquit Caius. *Sacra fecistis, sed alteri: mihi certè non sacrificastis.* Ibi legatos horror pervasit, hâc novâ voce attonitos: ille interim villas obibat, inspectans aulas & conclavia, in imis ædibus & in cœnaculis. ubi legatos eum sequentes carptim interrogans, *cur abstinerent à porcinâ*, &, *quodnam jus Alexandrina civitatis prætenderent*; positâ tandem ferociâ, *Homines isti*, inquit, *non tam mihi videntur mali quàm miseri, qui sibi persuaderi non sinunt, me esse naturæ divinæ participem.* Simúlque abiit & legatos jussit abscedere. [*Ibid.*]

Agrippæ è regno suo reverso Caius tetrarchiam patruï sui Herodis (Lugdunum in exilium missi) donavit. Cùm enim in Philippi tetrarchiâ per triennium regnasset; quarto jam anno accessit illi Herodis tetrarchia. [*Joseph. lib. 19. cap. ult.*] Quod beneficium, in litteris ad Caium paulò pòst scriptis, ita ipse agnoscit. *Donasti mihi regnum; quâ sorte nulla inter mortales felicior: ad quam prius unam regionem non excederet, adjunxisti mihi mox majorem alteram, Trachonitim & Galilæam.* [Philo, in legat.]

Petronius honoratiores Judæorum sacerdotes & magistratus evocavit, indicaturus eis Caii mandata de dedicandâ in Templo statuâ; simúlque suasurus ut patienter ferrent jussa Domini, & caverent mala imminentia: paratum enim esse robur exercitûs Syriaci ad edendas per totam eorum regionem strages maximas. Qui perculsi ad primam ejus rei mentionem, tanquam in præsenti calamitate obmutuere; quasi è fonte profundendo lachrymas, & capillos barbásque vellendo. Qui verò Hierosolymis cæteráque regione famam hujus conatûs audierant,

velut

velut de communi ſententia coorti, tellerem dante dolore publico, profecti ſunt uno agmine, deſertis opidis, caſtellis & ædibus: continuatóque itinere contenderunt in Phœniciam, ubi tunc agebat Petronius. Ac primùm tantus clamor cum fletu planctúque ſublatus eſt, ut hebetaret aures præſentium. Secutæ ſunt compellationes, & preces quales dictare ſolent calamitoſa tempora. Erant autem diſtributi in ſex ordines, ſeniorum, juniorum, puerorum; rursùm aliâ parte, matrum, mulierum, virginum. Ubi verò Petronius in loco ſuperiore conſpectus eſt, univerſi ordines velut ad unum edictum humi procubuerunt ſupplices cum ululatu quodam flebili. juſſique ſurgere & accedere propiùs, vix tandem ſurrexerunt, & conſperſi multo pulvere diffluentéſque lachrymis, accedebant reductis more damnatorum ambabus manibus. Quorum miſerabili ſupplicatione Petronius ſimul cum aſſeſſoribus commotus, conſultatione habitâ, litteras ad Caium mittendas curavit: quibus dedicatio ſtatuæ dilata fuiſſe ſignificabatur partim propter opifices, certum temporis ſpatium ad coloſſum perficiendum neceſſariò requirentes; partim propter convectionem frumenti, ad iter quod cum copiis ſuis in Ægyptum Caius inſtituere ferebatur neceſſariam. Maturas enim tum ſegetes fuiſſe: timendúmque, ne deploratâ religione Judæi vitam quoque contemnerent, & vaſtatis agris ſuaſmet fruges latè per campos colléſque incenderent. [*Ibid.*]

Acceptis litteris, Caius ad tempus iram adversùs Petronium tegebat implacabilem. Vehementer enim timebat præſides, quòd illis promptum eſſet res novas moliri, præſertim in magnis provinciis apud magnos exercitus; qualis erat ad Euphratem tractus Syriæ. Delinito igitur per litteras homine, laudabat in ſpeciem ejus providentiam & in proſpiciendis futuris ſolertiam: mandato tamen addito, ne meſſibus jam convectis ullam curam præveteret dedicationis negotio. [*Ibid.*]

Ad Judæorum Alexandrinorum legatos pervenit tum hujus rei nuncius: juſſiſſe Caium poni ſibi coloſſum in adytis Templi intimis, aſcito in titulo novi Jovis cognomento. Quo illi atroniti, omnes ſimul conclave ingreſſi & incluſi deplorabant fortunam privatam atque publicam: Deum tamen ſervatorem non defore ſperantes, qui ſæpè gentem hanc eripuerit exitio. [*Ibid.*]

Agrippam regem, qui horum omnium ignarus ad Caium ſalutandum more ſuo venerat, ille torvè intuitus: *Boni*, inquit, *honeſtique cives tui, qui ſoli ex omni hominum genere deſignantur Caium habere pro Deo, videntur jam mortem ſibi per contumaciam quærere: dum me jubente in ipſorum templo conſecrari Jovis ſimulachrum, populariter ex urbe agriſque occurrunt ſpecie ſupplicum, ſed reverâ mandatum meum proculcaturi.* Quibus auditis, rex horrore eſt correptus; & tremore membra quatiente ſolutiſque nervis collapſus fuiſſet, ni eum ſuſtentaſſent proximi: qui juſſi domum illum retulerunt nil ſentientem & ſubitaneâ vi mali ſopitum ac ſtupidum. At Caius magis etiam exaſperabatur in gentis odium. *Si Agrippa*, inquiens, *familiaris & amiciſſimus plurimiſque devinctus beneficiis, tantum tribuit patriis ritibus, ut ne verbo quidem eos violari ferat, ſed deliquio penè exanimatus ſit: quid expectandum eſt ab aliis, qui nihil habent quod ſe in diverſum retrahat?* [Philo, de legat.]

Agrippa ad ſe reverſus, prolixas pro gente ſuâ ad Caium ſcripſit litteras; (à Philone libro de legatione ſuâ inſertas:) quas hoc ille terminavit epilogo. *Quid de me loquentur vel tribules, vel univerſi homines? Alterutrum enim ſequetur, aut ut appeller meorum proditor, aut inter tuos amicos poſthac non habear: quo utrolibet quid poteſt eſſe infelicius? Nam ſi adhuc in amicis numeror, proditionis inſimulabor; ſi nec patriam indemnem, nec templum inviolatum præſtitero. nam vos præpotentes ſoleris amicorum ad imperatoriam opem confugientium rebus conſulere. Quod ſiquâ in re animo tuo moleſtus ſum; noli me vincire, ut Tiberius, ſed ne toties vincula timeam, jube mox interimi. quid enim mihi vitâ opus eſt, cui ſpes unica ſalutis fuit in tuâ benevolentiâ?* [Ibid.]

His litteris Caius mitigatus, ut videbatur, reſpondit clementiùs; & Agrippæ donavit cen maximam gratiam ne fieret dedicatio. ſimúlque ſcribi juſſit Publio Petronio Syriæ præſidi, ne quid in Judæorum templo novaret. Ne tamen ſolida eſſet ea gratia, terrorem admiscuit ſic ſcribens. *Quòd ſi extra unam metropolim in finitimis urbibus quicunque volentes altaria templáve aut ſtatuas imagineſve mihi meiſque ponere veriti fuerint; quiſquis obſtiterit plectatur continùo, aut ad me mittatur.* Verùm divinâ providentiâ factum eſt, ut nemo finitimorum quicquam moveret. [*Ibid.*]

Peſte apud Babylonem graſſante, Judæorum multitudo inde Seleuciam migravit: quò & alia eorum multitudo, relictâ Neerdâ, & aliis Babylonicæ Provinciæ urbibus, ante quinquennium ſe contulerat. Seleuciæ verò ſemper Græcis malè cum Syris conveniebat, Græcorum tamen factione præponderante. Quò poſtquàm à Judæis migratum eſt, eorum favore conditio Syrorum cœpit eſſe potior, aucta viris bellicoſis & periculorum contemptoribus. Quare Græci ſuccumbentes, & videntes ſe non poſſe recuperare dignitatem priſtinam manente Judæorum & Syrorum conſenſu, ſuos quiſque familiares Syros appellaverunt de pace & amicitiâ: id quod facilè impetratum eſt. Nam quum utrinque primatibus commiſſum eſſet negotium, ſecuta eſt reconciliatio: quam ita demùm ratam fore placuit, ſi utrique Judæos communibus proſequerentur odiis. Itaque eos improviſò aggreſſi occiderunt ſupra quinquaginta virorum millia: neque ullus evaſit, niſi quem amici aut vicini ſervavit miſericordia. Hi deinde ſeceſſerunt Ctéſiphontem urbem Græcanicam vicinam Seleuciæ; ubi quotannis rex hybernare eſt ſolitus, habens ibi majorem ſuppellectilis partem repoſitam: ibique ſedes fixerunt, tutos ſe rati regiæ majeſtatis reverentiâ. Cæterùm Babyloniorum ac Seleucienſium terror omnes ejus tractûs Judæos pervagatus eſt: quando quicquid erat Syrorum in illis regionibus cum Seleucienſibus conſpiravit in eorum perniciem. Quo factum eſt ut plerique Neerdam & Niſibim ſe receperint, ſecuritatem ſuam reponentes in earum munitionibus; quæ alioquin etiam habitabantur à viris bellicoſiſſimis. [*Joſeph. lib.* 18. *cap. ult. fin.*]

Romam

Romam Caius natali ſuo (qui poſtremus menſis Auguſti dies fuit), ovans ingreſſus eſt. [*Sueton. in C. Calig. cap.* 43.]

4044 Alexandrinis legatis coram Caio comparentibus, Apion multa in Judæos jactavit crimina; interque cætera, quòd Cæſarem non proſequerentur debitis honoribus. nam cum quam late pater orbis Romanus Caio extruerentur templa & altaria, & pari honore colerentur cum cæteris numinibus; ſolos iſtos turpe putare dedicare illi ſtatuas, aut jurare per nomen Cæſaris. His & multis aliis, quæ ad exaſperandum Caium facerent, ab eo prolatis, quum reſpondere pararet Philo; repulſus eſt à Cæſare jubente illum abire, & per iracundiam vix temperante ab injuriâ. Ita verò cum contumeliâ ejectus Philo, Judæos qui illum cognitabantur bono juſſu eſſe animo: Caium, tametſi verbo quidem illis ſuccenſebat, re tamen ipsâ perfecuſſe, ut Deus ipſis contra ejus conata præſtò eſſet ad opitulandum. [*Joſeph. lib.* 18. *cap.* 10. *Euſeb. lib.* 2. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 5.]

Caius, gratiæ Judæis conceſſæ jam pœnitens, juſſit Romæ fieri aliam coloſſum aureum inauratum, omiſſo illo Sidonio, ne quem motum excitaret in populo: útque navibus tranſportatum per ſilentium, repentè clàm priuſquàm ſentiretur in Templo Hieroſolymitano poneret. Id autem facturus erat obiter, in Ægyptum navigans. Tenebatur enim miro videndæ Alexandriæ deſiderio, magnâ curâ profectionem inſtituens, ut ibi diu degeret: ratus deificationem ſuam, quam ſomniabat, in hâc unâ civitate poſſe ſuccedere, atque inde hujus religionis exemplum manaturum ad minores cæteras. Ita *Philo*, qui hæc optimè ſcivit, in legatione ſuâ ad Caium: ex quo reformandum illud *Taciti*, de Judæis. *Juſſi à Cæſare effigiem ejus in templo locare, arma potius ſumpſere: quem motum Cæſaris mors diremit.* [Hiſtor. lib. 5. cap. 9.]

Apelles Aſcalonita, qui Caium in Judæos incitaverat, ab eodem propter alia crimina ferreis compedibus vinctus, & in rotâ ex intervallo ſæpiùs tortus eſt. [*Philo, de legat.*]

A ſortibus Anxiatinis monitus Caius, ut à Caſſio caveret, C. Caſſium Longinum Aſiæ tum proconſulem in ſuſpicione habens, qui genus à Caſſio Julii Cæſaris interfectore ducebat, vinctum ad ſe adduci juſſit, & occidendum delegavit: immemor Chæreæ, à quo paulò pòſt occiſus eſt, Caſſium etiam nominari. [*Sueton. in C. Calig. cap.* 57. *Dio, lib.* 59. *pag.* 662.]

Apollonius Ægyptius, qui domi dixerat quid Caio eſſet eventurum, Romam ad eum adductus eſt ipsâ die cædis (quem IX. Kalend. Februar. fuiſſe, in cap. 58. *Suetonius* ſignificat) & evocatus ad luendum paulò pòſt ſupplicium, ſalvus evaſit. [*Dio, ibid. pag.* 663.] 4754 41

Imperavit C. Caligula triennio, 10 menſibus, & diebus 8. ut eſt apud *Suetonium*, [*cap.* 59.] & *Clementem Alexandrinum*, in primo libro Stromatum: vel menſibus potiùs 9. & diebus 28. ut in libri 59. fine habet *Dio*. Cujus loco patruus ejus, Claudius Cæſar Druſi filius, à Prætorianis militibus Imperator declaratus eſt.

Rex Agrippa, ubi cognovit ad imperium raptum eſſe à militibus Claudium, ægrè dimotâ turbâ ad eum pervaſit; & nactus eum turbarum pronúmque ad cedendam poteſtatem, Senatui confirmavit, hortatus ut magno animo in retinendo principatu pergeret. Jámque unus erat è fautoribus Claudii, cùm accerſitus à Senatu ignarum ſe omnium ſimulans, & unguentis delibutus tanquam à compotatione veniens, ex Senatoribus quæſivit quid de Claudio factum ſit. Quibus id quod verum erat reſpondentibus, & inſuper ipſius ſententiam de præſenti ſtatu poſtulantibus; ſe quidem aiebat pro Senatûs dignitate nullum recuſare periculum, exiſtimare tamen mittendos eſſe aliquos ad Claudium qui ei principatum deponere ſuaderent: & ad eam legationem ſemetipſum obtulit. Cum aliis verò aliquot ille miſſus, Claudio ſeorsùm trepidationem Senatûs indicavit: authórque fuit, ut reſponderet ſicut decebat ad ſummam poteſtatem evectum principem. ſicut & poſtea idem Claudio author fuit, ut erga Senatores ad ipſum converſos mitiùs ſeſe gereret. [*Joſeph. lib.* 19. *cap.* 3.]

In imperio confirmatus Claudius, Mithridatem Iberum, quem Caius evocatum in vincula condiderat, domum ad recipiendum regnum remiſit: & alii cuidam Mithridati, qui genus à magno illo Mithridate deducebat, Boſphorum largitus eſt; pro eo parte Ciliciæ Polemoni datâ. [*Dio, lib.* 60. *pag.* 670.]

Agrippæ Paleſtino, qui eum in potiundo principatu adjuverat Romæ tunc præſens, regnum auxit, & honores conſulares tribuit. Fratri quoque ejus Herodi prætoriam dignitatem, & principatum quendam (Chalcidis ſc.) conceſſit: in Senatúmque ingredi eos, ac patribus Græcè gratias agere permiſit. [*Id. ibid.*]

Et edictum quidem à Claudio eſt propoſitum, quo Agrippam in regno per Caium antè conceſſo confirmabat, collaudans ſimul ejus operam & induſtriam: addita inſuper Judæâ & Samariâ, quòd olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuiſſent. Has igitur velut familiæ debitas reſtituit: Abilam autem & finitimam ejus ditionem in Libano, quæ Lyſaniæ fuerat, adjunxit de ſuo. Fœdus deinde regis cum Romano populo in æs incîſum eſt in urbis foro medio. [*Joſeph. lib.* 19. *cap.* 4.]

Dimiſit Claudius Alexandrum Lyſimachum Alabarcham veterem amicum, & olim procuratorem ſuæ matris Antoniæ, quem Caius iratus vinxerat: cujus filio Marco deſponſa fuit Bernice Agrippæ filia. (*de quâ, Act.* XXV. 13, 23.) quo defuncto ante nuptias, rex virginem Herodi ſuo fratri eam collocavit; impetrato illi regno Chalcidis à Claudio. [*Id. ibid.*]

Antiochum, ſuo regno à Caio privatum, Commagenâ donavit & parte quâdam Ciliciæ. [*Id. ibid. Dio, lib.* 60. *pag.* 670.]

Helicon Ægyptius, qui Caii cubiculo præfectus fuerat & ipſum contra Judæos incitaverat, propter alias culpas à Claudio interfectus eſt: ut notat *Philo*, in libro de legatione ad Caium. Quem librum, *De virtutibus* ironicè à ſe inſcriptum (cùm ſummam Caii improbitatem ſuis coloribus in eo depingat) Claudio imperante coram univerſo Senatu Romano recitavit illum

memoriæ proditum est: indéque non illud opus solum, sed etiam alia ab eo edita, tantopere admiratos fuisse Romanos, ut digna existimarent quæ in Bibliothecis tanquam monumenta quædam reponerentur. (*Euseb. lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 17. mq. m.*) inter quæ, & quinque libri fuerunt, de miseriis quæ sub Caii imperio Judæi perpessi fuerant, ab eo conscripti. [*Id. ibid. cap. 5.*] quorum tres pericrunt: ad Flaccum uno, & de legatione illo altero, adhuc relicto superstite.

Occiso verò Caio Judæi qui sub eo vehementer ab Alexandrinis oppressi fuerant, cœperunt animos resumere: móxque ad arma ventum est. Tum Claudius per epistolam mandavit Ægypti præsidi, ut seditionem illam compesceret: atque ad preces Agrippæ Judææ & Herodis Chalcidis regis pro Judæis edictum Alexandriam misit, scriptum in hanc sententiam. *Volo inconcussa esse jura eorum à Caio insaniâ: eisque jus esse perseverandi in patriis ritibus. Jubéoque utramque partem, quoad potest, dare operam ne quid turbarum commoveatur: idque proposito hoc edicto ita fiasse.* [Joseph. lib. 19. cap. 4.]

Eorundem quoque Regum rogatu, Claudius II. Consul designatus (primo hoc imperii sui anno) Judæis non solùm Alexandriæ, sed etiam per totum imperium suum sparsim habitantibus, permisit ut suo jure & majorum moribus uterentur: simul etiam monens, ut hâc gratiâ contenti modestiùs se gererent, neque conspuerent religiones externarum gentium; suis autem suo arbitratu viverent legibus. [*Ibid.*] Romæ verò, quum Judæi adeò iterùm frequentes fierent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent exigi; non ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam agentes, convenire vetuit. Reducta quoque à Caio collegia dissolvit: & cauponum tabernas, in quibus coëuntes potabant, sustulit. [*Dio, lib. 60. pag. 669.*]

Claudius Agrippam regem, præsidibus provinciarum & procuratoribus omnibus per litteras commendatum, ad curam sui regni misit. Qui magnâ celeritate usus, Hierosolymam pervenit: ibíque votiva sacrificia persolvit, nihil eorum omittens quæ lege præscripta sunt. Unde & multos Naziræos tonderi mandavit: & catenam auream donatam à Caio, monumentum suarum calamitatum & divinæ liberationis, in sacrario supra gazophylacium suspendit. Ritè verò votis Deo redditis, Theophilum Anani filium submovit à summo sacerdotio; & Simonem cognomento Cantharam, Boëthi (Herodis Magni soceri) filium, in ejus locum substituit. Hierosolymitis deinde amoris ipsorum & benevolentiæ gratiam retulit, remisso eis tributo quod soliti erant in singulas ædes pendere. Magistrum autem præfecit toti suæ militiæ Silam, quem multorum & difficilium laborum individuum socium habuerat. [*Joseph. lib. 19. cap. 5.*]

Paulò pòst Doritæ quidam juvenes temerarii religionis specie posuerunt in synagogâ statuam Cæsari. Quo facto vehementer rex Agrippa commotus ad iracundiam, sine morâ ad Petronium Syriæ præsidem profectus, questus est de eorum audaciâ. Qui & ipse non minùs ægrè ferens hoc facinus, ut impium & Imperatoris mandatis contrarium, Doritarum magistratibus asperiùs scripsit: eos qui contra edictum Augusti ausi sunt talia, per centurionem Vitellium Proculum ad se adduci jubens; & ne quis in posterum tale quippiam auderet imperans. (*Idem ibid. cap. 5. & 6.*)

Cæsareæ Cornelius Romanus centurio cohortis ad legionem Italicam spectantis, Judaicæ religionis studiosus sed incircumcisus, (cujusmodi *Proselytas porta* & *Pios nationum* Hebræi appellare solent) quasi horâ diei nonâ ab Angelo sibi apparente jussus est Simonem Petrum accersere; qui per longum jam tempus Joppæ moratus fuerat apud Simonem coriarium. Qui mandato illius obtemperans, duos ex famulis suis ad eum misit & militem pium ex iis qui cum ipso erant assidui. (*Act.* X. 1,-8. *cum* IX. 43.)

Postridie illis iter facientibus, & appropinquantibus urbi, ascendit Petrus in tectum domûs ut precaretur, circa horam sextam. ubi dum esurienti pararur cibus, in mentis excessu polito conspectum est linteum magnum è cœlo demissum, omni animalium genere refertum. De quibus cùm promiscuè comedere jussus, Gentes pro immundis habendas non esse didicisset; Spiritu monente, postridie cum missis à Cornelio, sex Joppensibus quibusdam fratribus comitantibus, Cæsaream perrexit: ubi Cornelium cum totâ familiâ & amicis quamplurimis in ejus domo congregatis, concione ad eos habitâ, ad fidem Christi convertit; atque Spiritu sanctò cœlitùs in eos ultrò, nullâ præcedente Petri manuum impositione delapso, Christi baptismo tinxit. [*Act.* X. 9,-48. & XI. 5,-17.]

Audierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Judæâ, Gentes etiam recepisse sermonem Dei. Quum igitur ascendisset Petrus Hierosolymam, litem ei moverunt qui ex Judaismo ad Christum erant conversi, quòd cum viris incircumcisis conversatus fuisset & cibum sumpsisset. Qui cùm rem totam ordine eis exposuisset, & sex fratrum qui adfuerant testimonio comprobasset; quieverunt illi, & glorificaverunt Deum, quòd etiam Gentibus dedisset pœnitentiam ad vitam. [*Act.* XI. 1,-18.]

Rex Agrippa Simonem Cantharam Pontificatu privavit: quem cùm vellet Jonathæ Anani filio tradere, renuente isto per modestiam, quòd jam anteà eo honore esset semel defunctus, contulit eum in fratrem ejus Matthiam, ab ipso ut longè digniorem ei commendatum. [*Joseph. lib. 19. cap. 6.*] 4755 42

Petronio Vibius Marsus in administratione provinciæ Syriæ successit. [*Id. ibid.*]

Silas magister militiæ regis Agrippæ, quia per omnem fortunam ei fidus nullius unquam periculi socius esse detrectaverat, fretus amicitiâ postulabat etiam paris honoris esse particeps: & in familiaribus colloquiis molestus erat interdum extollens se immodicè, & sæpè prioris fortunæ adversitates in memoriam revocans. Quæ cùm sine modo repeteret, in tantum regem

exalpe-

exasperavit, ut non tantùm præfecturam illi ademerit, sed etiam vinctum in ipsius patriam asservandum miserit. Elapso deinde aliquanto tempore lenitâ jam irâ, quum natalem suum celebraret, accersivit Silam ut regio interesset convivio. Qui cùm protervum responsum regi remisisset, eum reliquit in custodiâ. [*Id. lib.* 19. *cap.* 7.]

Ad Hierosolymorum curam rex Agrippa conversus, muros novæ quæ vocatur civitatis permunit sumptu publico, latioresque & altiores quàm antè fuerant reddidit: & fecisset adversùs omnem humanam vim inexpugnabiles, ni Marsus Syriæ præses Claudio significasset eam rem per litteras. Qui suspicatus Judæos molituros aliquid novi, diligenter scripsit Agrippæ, ut à muriendâ urbe desisteret: atque ille mox paruit. [*Id. ibid.*]

Patefacto jam Gentibus fidei ostio, Cyprii & Cyrenenses qui dispersi fuerant post martyrium Stephani Antiochiæ in Syriâ Græcis (Ἕλλησι hic habet codex antiquissimus Alexandrinus, non, ut vulgati, Ἑλληνισταῖς) Christum prædicaverunt: multúsque numerus credidit, & conversus est ad Dominum. Hoc cùm pervenisset ad aures Ecclesiæ Hierosolymitanæ; misit ea illuc Barnabam: qui adhortatus est omnes firmiter adhærere Domino. Et adjuncta est multa turba Domino. [*Act.* XI. 20,-24.]

Romæ fame ingente exortâ, Claudius non modò ad præsens tempus copiæ alimentorum, verùm in perpetuum etiam prospexit. Cùm enim frumentum, quo Roma utitur, omne propemodum aliunde advehatur; & Tiberis ostia portus opportunos non haberent: Portum Ostiæ extruxit. (*Dio, lib.* 60. *pag.* 671, 672.) post undecim annos opere ægrè absoluto; quamvis continuis 30 hominum millibus sine intermissione operantibus. [*Sueton. in Claudio, cap.* 20.]

Fames ista, quæ 2° Claudii contigit, particularis fuit; sicut & altera, 11° anno illius facta, cujus Tacitus, [*lib.* 12. *cap.* 43.] Suetonius, [*in Claudio, cap.* 18.] & Orosius [*lib.* 7. *cap.* 6.] meminerunt: non universalis illa ab Agabo prædicta; quam 4° ejusdem anno cœpisse, non solùm ex Chronico Eusebii & Orosio, (*lib.* 7. *cap.* 6.) sed etiam ex tempore mortis Herodis Agrippæ, cum eâdem fame conjunctæ, (*Act.* XII. 23, 25.) manifestum est.

Barnabas Tarsum abiit, ut quæreret Saulum: & eum inventum duxit Antiochiam. Factúmque est ut annum totum convenirent in Ecclesiâ, docerentque turbam multam; & discipuli nominarentur primùm Antiochiæ *Christiani*. (*Act.* XI. 25, 26.) Quod nomen, Latinâ non Græcâ formâ à *Christo* deflexum, à Romanis Antiochiæ tum agentibus impositum illis fuisse videatur. 4756 43

Per id tempus descenderunt Hierosolymis Prophetæ Antiochiam: quorum unus Agabus, significavit per Spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe. (*Act.* XI. 27, 28.)

Lycios, ad cædem usque Romanorum quorundam tumultuando progressos, Claudius in servitutem redegit, & præfecturæ Pamphyliæ adjecit. De quâ re quum in Curiâ cognosceret, legatum quendam Lycium quidem origine, Romanum tamen natum, Latinè interrogavit; ac non intelligenti, quid quæsivisset, civitatis jus ademit: dicens, Romanum eum esse non debere, qui sermonem eum nesciret. (*Dio, lib.* 60. *pag.* 676.)

Rex Agrippa, Beryti magnis sumptibus extructo pulcherrimo theatro & amphitheatro & balneis ac porticibus, dedicationem eorum splendidissimè celebravit: exhibitis in theatro spectaculis, & musicorum omne genus certaminibus, aliáque voluptatum varietate; in amphitheatrum verò inductis plurimis gladiatorum paribus. Volens deinde spectatores oblectare etiam catervatim commissis pugnatoribus, ex maleficis in hoc destinatis duas cohortes fecit, 700 quamque hominum; ut illis per imaginem belli decertantibus, pœna noxiorum in pacis voluptatem verteretur: atque ita omnes mutuis absumpti sunt vulneribus. (*Joseph. lib.* 19. *cap. ult.*)

Tiberiadem deinde ad eum venerunt reges, Antiochus Commagenæ, Emesenorum Sampsigeramus, minoris Armeniæ Cotys, Polemon Ponti, & præter hos Herodes frater rex Chalcidis. Quibus adhuc apud eum morantibus Marsus Syriæ præses supervenit. Servans igitur Agrippa debitam Romanis reverentiam, usque ad septimum lapidem obviam illi processit. Et quum eodem cum hospitibus curru veheretur; Marsus, suspectam habens tantam regum concordiam, per nuncios mandavit singulis, ut sine morâ discederent. Quâ re vehementer Agrippa offensus, Marsum exosum habuit. (*Id. ibid.*) sæpiúsque per litteras Claudium est precatus, ut eum ab administratione rerum Syriæ amoveret. (*Id. lib.* 20. *cap.* 1.)

Matthiæ Anani filio ademptum Pontificatum Elionæo Cithæi filio Agrippa dedit. (*Id. lib.* 19. *cap. ult.*)

Ingruente fame, quæ ab Agabo prædicta fuerat, Christiani Antiocheni subsidium conferentes fratribus habitantibus in Judæa, ad seniores illud miserunt per manum Barnabæ & Sauli; postquàm illi simul per annum jam integrum populo Antiocheno verbum Domini prædicavissent. (*Act.* XI. 26, 29, 30.) 4757 44

Per id tempus rex Herodes Agrippa (ut Syrus paraphrastes rectè eum hic nominat) injectis manibus infestavit nonnullos ex Ecclesiâ. (*Act.* XII. 1.) ut institutis & ritibus patriis adversantes: quorum illum religiosissimum fuisse observatorem, *Josephus* indicat. (*lib.* 19. *cap. ult.*)

Interemit autem Jacobum (filium Zebedæi) fratrem Johannis gladio. (*Act.* XII. 2.) Addit verò ex traditione majorum *Clemens Alexandrinus*, libro 7° Hypotyposeon, [*apud Euseb. lib.* 2. *Histor. Ecclesiast. cap.* 8. *num.* 6.] eum ipsum qui Jacobum in judicium adduxerat, quum testimonium Christo illum tam liberè perhibentem cerneret, se etiam Christianum ingenuè confessum esse. Ambobus igitur unà ad supplicium adductis, hunc inter eundum à Jacobo postulasse veniam sibi concedi: Jacobum autem paululùm rem animo complexum dixisse, *Pax tibi*, illúmque osculatum esse; & sic tandem utrumque lecuri percussum vitam deseruisse.

Rex videns Jacobi cædem placere Judæis; Petrum etiam diebus Azymorum conjecit in carcerem, traditum quatuor militum quaternionibus ut eum servarent: volens eum post Pascha

producere populo. Quum autem preces pro ipso assiduè ad Deum herent ab Ecclesia, noctu ab Angelo per miraculum liberatus, venit domum Mariæ matris Johannis Marci, ubi multi congregati precabantur: iisque monitis ut Jacobo (filio Alphæi, fratri Domini) & reliquis modum liberationis suæ annunciarent, profectus est in alium locum. [*Act.* XII. 5,-17.]

Herodes spe suâ frustratus, innoxios custodes jussit ad supplicium rapi: ipseque Cæsaream descendens, ibi commoratus est. Erat autem infenso erga Tyrios & Sidonios animo. Quorum agri quum ipsis alendis (hoc famis præsertim tempore) non sufficerent; sed ex vicinâ Galilæâ & aliis regionibus Herodi subditis victum sibi comparare necesse haberent: concorditer venerunt ad eum, & Blasto regio cubiculario sibi conciliato pacem petierunt. Statuto autem die, Herodes indutus veste regia, & confidens pro tribunali, concionabatur ad eos: populo acclamante, *Vox Dei & non hominis.* Illicò verò percussit eum Angelus Domini, eo quòd non tribuisset gloriam Deo; & erosus à vermibus, animam efflavit. [*Act.* XII. 18,-23.]

Eandem verò historiam ita *Josephus* amplificat; bubonis etiam apparitione adjectâ, ne Germanici sui harioli divinatio frustranea esse videretur. *Tertium Judææ totius regni annum exegerat,* [ineunte jam quarto,] *cùm pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est; ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris: ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex totâ provinciâ. Ejus celebritatis die secundâ, processit manè in theatrum, amictus veste totâ ex argento mirabili opere contextâ, quæ radiis orientis solis percussa, & divinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horore incutiebat spectantibus. Móxque adulatores pernicioſi aliunde acclamantes, Deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius; hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali naturâ excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit: paulòque pòst suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem; móxque, ut sensit hunc esse calamitatis nuncium qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina, statim à principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis*: En, *inquit*, ego vestrâ appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium; & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis numinis, neque enim malè viximus, imò tantâ felicitate, ut omnes me beatum prædicent. *Hæc locutus, crescente dolore diserucibatur. Properè igitur relato in regiam rumor sparsus est brevi esse moriturum: quamobrem confestim totus populus unà cum uxoribus atque liberis sacrum induens more patrio supplicabat Deo pro salute regis, omnia mistens lamentis & ejulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, & in faciem stratus humi prospiciens, non temperabat sibi à lachrymis. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil item remittente confectus, vitam finiit.* [Joseph. lib. 19. cap. ult.]

Septem regni annos illi tribuit *Josephus*; quatuor sub Caio (demptis videlicèt tribus vel quatuor mensibus: neque enim quatuor integros annos in imperio exegit ipse Caius) & tres sub Claudio (tribus itidem aut quatuor mensibus additis:) atque ex annuis reditibus 1200 myriadas percepisse eum addit; neque eas tamen, propter summam ipsius munificentiam, sumptibus ejus sufficisse, sed muxuum præterea pecunias accepisse. [*Ibid.*]

Priusquam evulgaretur regis obitus, Herodes dynasta Chalcidis & Chelcias magister regiæ militiæ conspirantes simul Aristonem miserunt, qui Silam communem amborum inimicum interficeret: quasi hoc à rege mandatum acciperet. [*Ibid.*]

Agrippæ superstites fuerunt, filius quidem unus Agrippa, annum agens 17. qui Romæ eo tempore educabatur apud Claudium: filiæ verò tres. Ex quibus Bernice nupta erat Herodi patruo, nata annos 16. reliquæ duæ tum erant virgines. Mariamne decennis, desponsata à patre Julio Archelao Chelciæ filio: & Drusilla sexennis, ab eodem desponsata Epiphani filio Commagenorum regis Antiochi. [*Ibid.*]

Postquam cognitum est excessisse Agrippam, Cæsareæ & Sebastes (urbium ab avo ipsius conditarum) cives convicia infanda jactabant in defunctum: militum quoque vulgus protractas è palatio filiarum staruas unanimiter detulerunt in lupanaria, illisque illudebant modis quos turpe sit eloqui; instructisque per loca publica epulis convivia celebrabant coronis redimiti & unguentis delibuti, libantes interim Charonti, & sibi invicem propinantes præ gaudio quod ex obitu regis conceperant. [*Ibid.*]

Verbi Domini fementis crescebat & multiplicabatur. Barnabas autem & Saulus reversi sunt Hierosolymis, expleto ministerio; simul inde secum Johanne Marco assumpto. [*Act.* XII. 24, 25.]

Rhodios, quod Romanos in crucem sustulissent, Claudius libertate privavit. [*Dio, lib.* 60. *pag.* 681.]

Cùm vellet Claudius Agrippam juniorem successorem paterni regni mittere; liberti & amici qui multum apud eum poterant dissuaserunt: negantes tutum, admodùm adolescentem & vixdum pueritiâ egresso tantum regnum committere; cui administrando esset impar, quódque etiam viriles gravare posset humeros. In quo æquum illi visi sunt dicere. [*Joseph. lib.* 19. *cap. ult.*] licèt ipsi revera inhiarent præfecturis illarum regionum, ex quibus possent ditescere. Quò referendum illud Taciti. [*lib.* 5. *Histor. cap.* 9.] *Claudius, defunctis regibus aut ad modicum redactis, Judæam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit.*

Judææ igitur & totius regni Agrippæ (quod primi Herodis, avi sui, regno majus erat) præsidem Claudius Cuspium Fadum misit: defuncto hoc honoris tribuens, ne Martium inimicum in regnum ejus induceret. Et ante omnia Fado injunxit, ut Cæsarienses & Sebastenos acriter castigaret, propter inflictam regi mortuo injuriam, contumeliasque illatas filiabus ejus adhuc viventibus: alam verò Cæsariensium & Sebastenorum cum quinque illis cohortibus ablegaret in Pontum, illic militaturas; militesque è Romanis legionibus Syriam tuentibus delectos in illorum locum substitueret. Missâ tamen postea legatione flexerunt Claudium milites, ut manere

eos

eos in Judæa permitteret: qui sequentibus temporibus maximarum calamitatum Judæis fuerunt initium, & seminarium belli exorti Floro præside. [*Joseph. lib. 19. fin.*]

Amoto etiam Marso in gratiam defuncti amici Agrippæ regis, à Claudio in Syriæ præfecturâ datum esse successorem Cassium Longinum, in libri 20. initio scribit *Josephus*: licèt anno abhinc tertio Marsum in Syriâ adhuc præsidem *Tacitus* retineat.

4048 Judæi trans Jordanem fluvium habitantes cum Philadelphensibus contenderunt de Niæ vici finibus referti viris bellicosissimis. Transamnenses autem illi, sine consensu primatum & magistratuum, arma capientes Philadelphensium multos interfecerunt. Quo cognito, Cuspius Fadus vehementer iratus est; quòd non expectassent sumum judicium, si putabant sibi factam à Philadelphensibus injuriam, sed ita temerè ad arma concurrissent. Comprehensis igitur tribus præcipuis seditionis authoribus, vinciri eos mandavit. Horum unum Annibam nomine affecit supplicio: reliquos duos Amaramum & Eleazarum exilio puniit. Nec ita multo pòst capitis damnavit Tholomæum latronum principem vinctum ad se perductum, qui plurima damna intulerat Idumæis & Arabibus: dedítque operam, ut tota Judæa purgaretur à latrociniis. [*Joseph. lib. 20. cap. 1.*]

Cassius Longinus (vel, juxta *Taciti* mentem, Vibius Marsus) Syriæ præses, Hierosolyma cum copiis veniens, & Cuspius Fadus Judææ procurator, accitis pontificibus & Hierosolymitanorum primaribus, mandatum Cæsaris eis exposuerunt; ut stolam & reliqua ornamenta summi Pontificis in arcem Antoniam deponerent, à Romanis ibi custodienda, quemadmodum ante Vitellii tempora fieri erat solitum. Illi non audentes contradicere, rogabant primùm, ut legatos sibi ad Cæsarem liceat mittere, qui ab eo petant sacræ stolæ servandæ jus: deinde, ut expectetur super eâ postulatione rescriptum illius. Responsum est permissuros, ut legati mittantur, si priùs darentur obsides. Quámque promptè liberos suos dedissent; legati profecti sunt. [*Joseph. lib. 15. cap. ult. & lib. 20. cap. 1.*] 4758 45

In Ecclesiâ Antiochenâ Prophetæ & doctores erant, Barnabas, & Simeon Niger, & Lucius Cyrenæus, & Manahem qui fuerat unà cum Herode tetrarchâ educatus, & Saulus. Quibus ministrantibus Domino, & jejunantibus; justit Spiritus sanctus, Barnabam & Saulum separari à reliquis ad ministerium prædicandi Evangelii. Hi jejunio, precibus & manuum impositione ab Ecclesiâ Deo commendati, assumpto secum ministro Johanne Marco, Seleuciam venerunt; indéque in Cyprum (Barnabæ patriam) navigaverunt; ubi apud Salaminios primò coeperunt prædicare verbum Dei in synagogis Judæorum. [*Act.* XIII. 1-4.]

Peragratâ deinde insulâ Paphum usque, invenerunt ibi pseudoprophetam Judæum Barjesu, Elymam sive Magum cognominatum: qui *Sergium Paulum* regionis Proconsulem, verbum Dei à Barnabâ & Saulo audire desiderantem, avertere à fide conabatur. Quem cùm Saulus acerrimè increpatum cæcitate subitò percussisset; Proconsul, hoc miraculo & doctrinâ Domini perculsus, ad fidem est conversus. Atque ab eo tempore *Saulus* novo *Pauli* nomine semper invenitur appellatus. Ipse verò & qui cum eo erant profecti Papho, venerunt Pergam Pamphyliæ: ubi Johannes Marcus abscedens ab eis, reversus est Hierosolymam. (*Ibid.*)

Legati Hierosolymitani, intercedente Agrippâ juniore qui tum apud Claudium educabatur, custodiæ sholæ Pontificalis à Vitellio priùs concessæ, confirmationem obtinuerunt: impetrato hàc de re Claudii, Tribunitiæ potestatis V. annum agentis, ad Hierosolymitanorum magistratus Rescripto, dato IV. Kalendas Julias Rufo & Pompeio Sylvano (suffectis) Consulib. in quo gratificari se hic etiam voluisse scripsit Herodi regi (Chalcidis) & juniori Aristobulo sibi devotissimis. [*Joseph. lib. 15. cap. ult. & lib. 20. cap. 1.*]

Eodem etiam tempore Herodes rex Chalcidis potestatem in Templum & sacrum erarium, júsque eligendorum summorum Pontificum, à Claudio impetravit: [*Id. lib. 20. cap. 1.*]

Claudius, quia natali suo defectus Solis futurus erat, veritus ne quis inde tumultus existeret, quum alia quoque prodigia quædam accidissent: antequàm fieret, scripto publicè proposito significavit, non modò futurum id deliquium, & tempus & quantitatem ejus, sed etiam causas ob quas necessariò eventurum esset. [*Dio, lib. 60. pag. 682.*] Natalis verò Claudii in Kalendas Augusti incidit. [*Id. ibid. pag. 667.*] quo die, duabus ferè horis ante meridiem Sol quartâ diametrii parte defecit.

Herodes rex Chalcidis, amoto Simone Cantharâ, Josepho Canei (sive Camydis) filio summum Pontificatum contulit. [*Joseph. lib. 20. cap. 1.*]

Theudas quidam præstigiator, prophetam se jactans, magnæ vulgi multitudini persuasit, ut assumptis suis facultatibus ipsum ad Jordanem sequerentur: scissurum se verbo fluvium & facilem præbiturum transitum promittens. In hos Judææ procurator Cuspius Fadus turmas immisit equitum: qui ex improviso irruentes multos interemerunt, multos vivos ceperunt, & in his ipsum Theudam, cujus caput abscissum reportarunt Hierosolyma. [*Joseph. lib. 20. cap. 2. fin.*]

4049 Paulus & Barnabas digressi Pergâ, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi in Synagogam die Sabbati, post lectionem Legis & Prophetarum à Synagogæ præfectis ad loquendum sunt invitati. Ubi egregiâ à Paulo concione habitâ, egressos ex Judæorum synagogâ gentes rogaverunt ut eadem sequente Sabbato ipsis exponerent. Solutóque conventu, secuti sunt multi ex Judæis & religiosis proselytis Paulum ac Barnabam: qui alloquentes eos, persuaserunt eis ut permanerent in gratiâ Dei. [*Act.* XIII. 14-43.]

Sequente verò Sabbato urbs propè tota convenit ad audiendum sermonem Dei. Visâ autem turbâ, Judæi repleti invidiâ, contradicebant iis quæ à Paulo dicebantur. Quorum blasphemiis Paulus & Barnabas commoti, Judæis relictis, solis Gentibus Christum prædicaverunt. Quibus cum lætitiâ Evangelium amplectentibus, credidérunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Perferebatur autem verbum Domini per totam illam regionem. Unde irritati Judæi, per

mulieres religiosas (*Proselytas portæ* Hebræis dictas) & honoratas, ac primos urbis, persecutione in Paulum & Barnabam excitatâ, ejecerunt eos è finibus suis: qui, excusso pulvere pedum suorum in eos, venerunt Iconium. Discipuli verò replebantur gaudio & Spiritu sancto. [*Ibid.* 44,-52.]

Iconii Paulus & Barnabas introeuntes synagogam Judæorum, ita loquebantur, ut crederet Judæorum simul & Græcorum magna multitudo. Qui verò increduli fuerunt Judæi, incitârunt & malè affectos reddiderunt animos gentium adversùs fratres. Multum verò tempus ibi commorati sunt, liberè loquentes, freti Domino; qui testimonium dabat sermoni gratiæ suæ, dabátque ut signa & miracula ederentur per manus eorum. [*Act.* XIV. 1, 2, 3.] Quo tempore ad Christi fidem conversa putatur Thecla Iconiensis virgo nobilissima: cujus tamen Acta inter apocrypha meritò referuntur à LXX. Episcoporum Synodo sub Gelasio habitâ.

Scissâ urbis Iconiensis multitudine, alii à Judæis erant, alii ab Apostolis. Quum autem factus esset impetus Gentium ac Judæorum unà cum suis primoribus ad eos injuriis afficiendos & lapidandos; perfugerunt in civitates Lycaoniæ Lystram & Derben, & circumjacentem regionem: ibique Evangelium prædicaverunt. [*Act.* XIV. 4,-7.] 4759 46

Lystræ claudo ab utero matris homine à Paulo sanato, quum plebs Paulo ut Mercurio, & Barnabæ ut Jovi sacrificare vellet: illi laceratis vestibus honorem illum aversantes, ægrè eos cohibuerunt ne sibi sacrificarent. Mox verò quum Iconio & Antiochiâ eò veniissent increduli Judæi, excitato tumultu furiosa plebs Paulum lapidatum extra urbem traxit quasi mortuum. Quum autem circumstetissent eum discipuli, surrexit, & ingressus est urbem. [*Ibid.* 8,-20.]

Hoc anno, & hoc etiam fortasse tempore, raptus Paulus in tertium cœlum, verba audiit ineffabilia; ante 14 annos quàm ab eo conscriberetur posterior ad Corinthios epistola. (II. *Corinth.* XII. 2, 3, 4.) Quò spectare putatur Triephonis illud, apud *Lucianum* sive antiquiorem illo authorem dialogi qui *Philopatris* inscribitur. *Quando me Galilæus* (sive Christianus) *ille convenit recalvaster, naso justo praditus, qui in tertium usque cœlum per aërem ingressus, quæ optima atque pulcherrima sunt inde didicit; per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit; & ex impiorum regionibus nos redemit.* Ita Triephon: *Deum altè regnantem, magnum, atherium, atque æternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria*, ibidem etiam, Christianorum more, prædicans.

Paulus cum Barnabâ, profectus Lystrâ, Derben venit: ubi prædicato Evangelio, multos Christo lucrifecerunt. [*Act.* XIV. 20, 21.]

Inter alios qui Christo nomen hoc tempore dederunt, fuit Timotheus, cum piâ matre suâ Eunice & aviâ Loide; quæ ipsum ab infantiâ in sacrarum litterarum scientiâ instituendum curaverant. Hic in locis illis tum degens, licèt adhuc penè puer, persecutionum quas spiritualis ipsius pater B. Paulus Antiochiæ (in Pisidiâ) Iconii & Lystræ (in Lycaoniâ) sustinuit, oculatus testis fuit. [*Act.* XVI. 1, 2. II. *Tim.* I. 2, 5. & III. 11, 15.]

Paulus & Barnabas ultra Derben non progressi, Lystram & Iconium & Antiochiam redierunt: confirmantes animos discipulorum, & ad afflictiones fidei causâ constanter tolerandas adhortantes. Et quum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, precatique essent cum jejuniis; commendârunt eos Domino in quem crediderant. Deinde peragratâ Pisidiâ, venerunt in Pamphyliam: ac Pergæ locuti verbum Domini, descenderunt Attaliam. Et illinc navigaverunt Antiochiam, unde primò profecti fuerant ad opus illud quod impleverant: ubi congregatæ Ecclesiæ retulerunt quanta Deus per ipsos effecisset, & quomodo Gentibus ostium fidei aperuisset. (*Act.* XIV. 21,-27.)

Cuspio Fado in Judææ procuratione successor datus est Tiberius Alexander, Alexandri Alabarchæ Alexandrini (veteris amici Claudii) filius; qui patriam religionem Judaicam deseruerat. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 3.]

Sub eo, fame adhuc grassante in Judæâ, Helena Adiabenorum (in Assyriæ & Mesopotamiæ confiniis) regina, à Judæo quodam ad veri Dei cultum conversa, Hierosolymam ad visendum Templum venit; ut ibi Deum adoraret, votivásque victimas redderet: copioso viatico instruente, & dierum aliquot itinere eam deducente filio Izate rege; qui & ipse ab Ananiâ Judæo mercatore ad eandem religionem fuerat traductus. Cúmque multos civium illa videret perire alimentorum inopiâ, ex suis alios mittit Alexandriam comparaturos vim magnam tritici, alios in Cyprum qui copiam ficuum passarum inde adveherent: quibus omnibus brevi reversis, cibos egenis distribuit. Filius quoque ejus Izates, comperto quantâ fame populus laboraret, pecuniam misit Hierosolymitanorum primatibus. (*Id. ibid. cap.* 2. & 3.)

Izates rex quinque adolescentes filios Hierosolymam misit, ut linguam & disciplinas Judaicas diligenter discerent. Mater quoque ejus Helena tres extruxit pyramides, tribus ab urbe Hierosolymitanâ distitas stadiis: in quibus & ipsius & filii Izatis ossa posteà sunt condita. [*Ibid. cap.* 2.] quæ Helenæ monumenta non solùm Josephi, sed etiam Eusebii & Hieronymi tempore adhuc extabant. [*Joseph. lib.* 5. *Belli, cap.* 17. & 18. *in Græco; vel, lib.* 6. *cap.* 6. & 7. *in Latino. Euseb. lib.* 2. *histor. Ecclesiast. cap.* 12. *sub fin. & Hieronym. epist.* 27.]

4050 Paulus & Barnabas Antiochiæ cum discipulis non parvum tempus commorati sunt. (*Act.* XIV. 28.) Post quod, Paulus Christi Evangelium usque ad Illyricum propagavisse, videtur; iis qui de Christo nihil adhuc audiverant illud prædicando. (*Rom.* XV. 19, 20.) eáque perpessus fuisse, quæ in posteriore ad Corinthios epistolâ (*c.* XI. 24, 25.) ipse commemorat. nempe, ut Philippis posteà semel, ita priùs bis à Gentibus alibi, cæsus virgis fuisse; à Judæis quinquies plagas quadragenas unâ minùs accepisse: ter naufragium fecisse, noctem ac diem in profundo egisse. Cùm enim inter Pauli & Barnabæ ad Ecclesiam Antiochenam reditum & eorundem ex eâ ad Concilium Hierosolymitanum instituram profectionem, juxta nostras quidem rationes,

integrum

integrum interpolitum reperiatur quinquennium: nusquam alibi commodiùs reponere ista possumus, quàm in hoc tanti spatii sacræ Historiæ silentio.

Valerio Asiatico Consule iterùm, Therasia insula, spectantibus nautis, in Ægeo mari enata est. (*Seneca, Natural. quæst. lib. 2. cap. 26. & lib. 6. cap. 21.*) nocte quâ defectus Lunæ acciderat. (*Aurel. Victor, in Claudio.*) Conspecta autem fuit Eclipsis Lunæ nocte interjectâ inter ultimum Decembris diem, terminantem annum illum quo secundum Consulatum gessit Valerius Asiaticus, & Kalendas Januarias inchoantes Consulatum Claudii Augusti IV. & L. Vitellii III. sub quo, parvam insulam, antè non visam, apud Theram insulam enatam esse, retulit Dio. [*lib. 60. pag. 685.*]

Jacobus & Simon filii Judæ Galilæi (qui, Quirinio censum agente, Judæos ad defectionem solicitabat) à Tibèrio Alexandro Judææ procuratore crucis supplicio affecti sunt. [*Joseph. lib. 20. cap. 3.*] 4760 47

Herodes rex Chalcidis, amoto Josepho Camydæ filio, Ananiam Nebedæi filium Pontificem constituit. [*Id. ibid.*]

Artabano Parthorum regi, conjugique ac filio, Gotarzes necem præparavit. [*Tacit. lib. 11. cap. 8.*] Moriens verò Artabanus, regnum Bardani filio suo reliquit. [*Joseph. lib. 20. cap. 2.*] Ambo enim hi fratres, Gotarzes & Bardanes, Artabani potiùs filii habendi sunt, cum *Josepho*; quàm fratres, cum *Tacito*.

Bardanes à Parthis, Gotarzis sævitiam meruentibus, ad capessendum regnum accitus, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invadit, ignarúmque & exercitum Gotarzem prosternit: neque cunctatur, quin proximas præfecturas corripiat, solis Seleucien-sibus dominationem ejus abnuentibus. In quos, ut patris quoque sui defectores, irâ magis quàm ex usu præsenti accensus, implicatur obsidione urbis validæ, & munimentis objecti amnis utróque & commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes Daharum Hyrcanorúmque opibus auctus, bellum renovat: coactúsque Bardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit. [*Tacit. lib. 11. cap. 8.*]

Nunciatâ Parthorum discordiâ summáque imperii ambiguâ, Mitridates majoris Armeniæ rex, monente Claudio Cæsare, in regnum remeavit, fratris sui Pharasmanis Iberorum regis fisus opibus. Et quidem distractis eo modo Orientis viribus, & quonam inclinarent incertis, Armeniam ille occupavit: Romano milite castellorum ardua subigente, simúlque Ibero exercitu campos perfluitante. Neque enim retulere Armenii, fuso qui prælium ausus erat Demonacte præfecto. Paululùm cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys, vetus illuc quibusdam procerum: sed eo litteris Cæsaris coërcito, cuncta in Mithridatem fluxere; atrociorem quàm novo regno conduceret. [*Ibid. cap. 8. & 9.*]

Quum Gotarzes & Bardanes pugnam pararent, Gotarze populariùm insidias fratri patefaciente, complexi dextras, apud altaria pepigere, fraudem inimicorum ulcisci, atque ipsi inter se concedere. Cúmque potior Bardanes regno retinendo fuisset visus: Gotarzes, ne quid æmulationis existeret, penitùs in Hyrcaniam abiit. [*Ibid. cap. 9.*]

Regresso Bardani dedita est Seleucia, septimo post defectionem anno. Exin validissimas præfecturas ille invasit: & recuperare Armeniam in animo habebat, ni Vibio Marso (vel, juxta *Josephum*, Cassio Longino potiùs) Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret. [*Ibid.*]

Tiberio Alexandro in Judææ administratione Ventidius Cumanus successit; & vitâ decessit Herodes rex Chalcidis Agrippæ magni frater, anno imperii Claudii octavo; relictis tribus filiis superstitibus, quorum Aristobulus ex priore uxore (Mariamne) natus est: è Bernice verò fratris filia Bernicianus & Hyrcanus. (*Joseph. lib. 20. cap. 3.*) 4761 48

Instante Paschatis festo, concurrentibus undique ad solemnitatem turbis plurimis, Cumanus (præcedentium præsidum exemplo) jussit cohortem unam armatam stare supra Templi porticus; cohibituram tumultum, si quis fortè existeret. Ejus festi die quartâ quidam miles nudatas obscœnas corporis partes populo ostendit. Quâ contumeliâ furentes Judæi vociferabantur non se affectos, sed ipsum Deum quem honoraret ea celebritas: & quidam audaciores in Cumanum jactabant convicia, dicentes ab illo submissum petulantem illum militem. His auditis Cumanus & ipse non mediocriter turbatus est: rogabat tamen ut desinerent movere seditionem festo tempore. Cúmque impeterent eum conviciis, jussit totum exercitum armis convenire in Antoniam, castellum templo imminens. Vulgaris autem multitudo viso adventu militum territa, cœpit magno impetu fugere: & cùm essent anguSti viarum exitus, rati à tergo hostem insequi, comprimebant se inter fugiendum & conculcabant in anguSiis: ita ut 20 millia extinctorum illo tumultu numerata fuerint; quemadmodum in lib. 20. Antiquit. cap. 4. habet *Josephus*. In libro verò secundo belli Judaici, [*cap. 11. sup. 2.*] ὑπὲρ τοὺς μυρίους, *supra* 10 *millia*, periisse legimus: ubi, ὑπὲρ τετρακισμυρίους, *supra* 30 *millia*, Rufinus legit; eundem quoque numerum Eusebio, tum in Chronico tum in Ecclesiasticæ historiæ libro secundo. [*cap. 18. sup. 19.*] & Orosio, (*lib. 7. cap. 6.*) retinentibus.

Quidam qui ex illâ turbâ fugientes evaserant, in publicâ viâ, juxta Bethoron, centesimo ab urbe stadio Stephanum Cæsaris servum iter facientem aggressi sunt latrocinio, omnésque ejus diripuerunt sarcinas. Quo audito Cumanus confestim eo misit milites, jussos ut vicos loco propinquos diriperent. In hac populatione miles quidam libros Mosaicos in quodam vico inventos protulit, eósque laceravit in conspectu omnium; multis debacchatus & in legem & in totam gentem conviciis. Hoc ubi ad Judæos perlatum est, facto concursu agmine magno petunt Cæsaream, in quâ tum Cumanus agebat; supplicantes ut non suam, sed læsi numinis ulcisceretur injuriam. Tum præses veritus defectionem populi, de amicorum consilio militem

illum

illum violatorem legis secari jussit; atque hoc modo tumultum jam repullulantem sedavit. [*Joseph. ut suprà.*]

Apollonius Tyaneus, ad Indos itinere instituto, urbem Babyloniam intravit mense secundo anni tertii regni Bardanis: ibique cum rege congressus est. [*Philostrat. in vitâ Apollon. lib.* 1. *cap.* 19. *&* 20. *collat. cum Eusebio, in Hieroclem.*] 4762 49

Gotarzes pœnitentiâ concessi regni, & revocante nobilitate, cui in pace durius servitium est, contraxit copias. Huic contrà itum est ad amnem Erindem: in cujus transgressu multùm certati, pervicit Bardanes; prosperisque prœliis medias nationes subegit, ad flumen Ginden, quod Dahas Ariósque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi quanquàm victores, longinquam militiam aspernabantur. Igitur extructis monimentis, quibus opes suas testabatur, nec cuiquam antè Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, Bardanes regreditur: ingens gloriâ, atque eò ferocior, & subjectis intolerantior. [*Tacit. lib.* 11. *cap.* 10.]

Bardanes ad Izatem Adiabenorum regem profectus, ut vellet sibi belli adversùs Romanos gerendi esse socius, ei suasit. Quem a proposito deducere conabatur Izates, continenter denarrans ei Romanorum gesta & potentiam. Bardanes autem his offensus, continuò bellum indixit Izatæ: quod tamen, morte præventus, exequi non potuit. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 2.] Parthi enim postquàm mentem ejus cognoverunt, & quòd Romanis bellum inferre statueret, dolo antè compositio, incautum venationique intentum interfecerunt primam intra juventam; sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares, quàm metum apud hostes quæsivisset. [*Id. ibid. Tacit. lib.* 11. *cap.* 10.]

Nece Bardanis turbatæ Parthorum res, inter ambiguos quis in regnum acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdatem (Vononis I. filii Phraatis III. filium) qui obses Romanis fuerat datus. Deinde prævaluit Gotarzes: potitúsque regiâ, per sævitiam ac luxum adegit Parthos mittere ad Claudium Romam occultas preces, quibus mitti Meherdatem patrium ad regnum orabant. [*Tacit. ibid.*] Gotarzis dominationem nobilitati plebíque, juxtà intolerandam, apud eum conquesti. Jam enim fratres, jam propinquos, jam longiùs suos, cædibus exhaustos; adjici conjuges gravidas, liberos parvos: dum socors domi, bellis infaustus, ignaviam sævitiâ tegat. [*Id. lib.* 12. *cap.* 10.]

Quum dux Romanus Didius è regno Bosphorano Mithridatem expulisset, & fratrem ejus Cotyn juventâ rudem in eo collocasset, robur exercitûs inde abduxit; paucis tantùm cohortibus, cum Julio Aquilâ equite Romano, novo regi ibi relictis. Mithridates amissis opibus vagus, concivit nationes, illexit perfugas, postremóque exercitu coacto, regem Dandaridarum extrubavit, imperióque ejus potitus est. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 15.]

Parthorum legatis auditis, Claudius Meherdatem eis regem dedit; monitum, ut non dominationem & servos, sed rectorem & cives cogitaret, clementiámque ac justitiam capesseret. Datúmque est C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis. [*Id. ibid. cap.* 11.]

Ea tempestate Cassius cæteros præminebat peritiâ legum, militarium artium ignarus. Quantum tamen sine bello dabatur, revocabat priscum morem, legiones eâ curâ exercitando ac si hostis ingrueret; ita dignum majoribus suis, & familiâ Cassiâ ratus, per illas quoque gentes celebratâ. Excitis igitur quorum de sententiâ peritus rex, positísque castris apud Zeugma, unde maximè pervius amnis, postquam illustres Parthi, réxque Arabum Acbarus (sive Abgarus) advenerat, monuit Meherdatem, barbarorum impetus acres cunctatione languescere, aut in perfidiam mutari; itaque urgeret cœpta. Quod spretum fraude Acbari, qui juvenem ignarum & summam fortunam in luxu rarum, multos per dies attinuit apud opidum Edessam. [*Ibid. cap.* 12.]

Quum Mithridates, Dandaridarum imperio potitus, jam jámque Bosphorum invasurus crederetur; distisi propriis viribus Aquila & Cotys, quia Zorsines Siracorum (ad Caucasum) rex Mithridati se adjunxerat, externas & ipsi gratias quæsivere, missis legatis ad Eunonem qui Aorsorum (inter Scythas) genti præcellebat. Nec fuit in arduo societas, potentiam Romanam adversùs rebellem Mithridatem ostentantibus. Igitur pepigere, equestribus prœliis Eunones certaret, obsidia urbium Romani capesserent. [*Ibid. cap.* 15.]

Tum composito agmine incedunt: cujus frontem & terga Aorsi, media Romanæ cohortes & Bosphorani turabantur: sic pulsus hostis, ventúmque Soza opidum Dandaricæ: quod desertum a Mithridate, ob ambiguos popularium animos obtineri relicto ibi præsidio visum. Ad Siracos deinde pergunt: & transgressi amnem Pandam, circumveniunt urbem Uspem, editam loco, & mœnibus ac fossis munitam, nisi quòd mœnia non saxo sed crates junctis & mediâ humo adversùm irrumpentes invalida erant: eductæque altiùs turres, facibus atque hastis turbabant obsessos. Ac ni prœlium nox diremisset, cœpta paratáque expugnatio eundem intra diem foret. [*Ibid. cap.* 16.]

Postero die misere legatos, veniam liberis corporibus orantes. Servitii decem millia offerebantur. Quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodiâ cingere arduum: ut belli potiùs jure caderent. Datúmque militibus, qui scalis evaserant, signum cædis. Excidio Uspensium cæteris metus injectus, nihil tutum ratis, cùm arma, munimenta, impediti vel eminentes loci, amnésque & urbes juxtà perrumperentur. Itaque Zorsines diu pensitato Mithridatisne rebus extremis an patrio regno consuleret; postquàm prævaluit gentilis utilitas, datis obsidibus, apud effigiem Cæsaris procubuit: magnâ gloriâ exercitûs Romani, quem incruentum & victorem, tridui itinere abfuisse ab amne Tanai constitit. Sed in regressu dispar fortuna fuit: quia navium quasdam, quæ mari remeabant, in littora Taurorum delatas circumvenêre barbari, præfecto cohortis & plerisque aliis interfectis. [*Ibid. cap.* 17.]

Interea

Interea Mithridates, nullo in armis subsidio relicto, consultat cujus misericordiam experiretur. Frater Cotys proditor olim, deinde hostis metuebatur. Romanorum nemo id authoritatis aderat, ut promissa ejus magni penderentur. Ad Eunonem igitur confugiens, regiam ingreditur, genibúsque ejus provolutus, *Mithridates*, inquit, *terrâ marique à Romanis per tot annos quæsitus, sponte adsum. Utere ut vales prole magni Achæmenis: quod mihi solum hostes non abstulerunt.* Eunones claritudine viri, mutatione rerum, & prece haud degenere permotus, legatos litteráque ad Cæsarem mittit: quibus pro Mithridate non potentiam neque regnum precabatur, sed ne triumpharetur, néve pœnas capite expenderet. Claudius verò ambigens, veniâ an pœnâ illum afficeret, tandem ad mitiorem sententiam est perductus. [*Ibid. cap.* 18, 19, 20.]

4053 Quum Carrhenes Meherdatem ad rem gerendam vocaret, promptáque res ostentaret si citi advenirent: ille malo ductus consilio, non cominùs Mesopotamiam, sed flexu Armeniam petiit, id temporis importunam, quia hyems occipiebat. Exin nivibus & montibus fessi, postquàm campis propinquabant, copiis Carrhenis sunt adjuncti. Transmissóque amne Tigri, permeárunt Adiabenos; quorum rex Izates societatem Meherdatis palàm induerat, sed in Gotarzen per occulta & magis fida inclinabat. In transitu tamen capta est urbs Ninos vetustissima sedes Assyriæ. [*Ibid. cap.* 12. & 13.]

Mithridates Bosphoranus, per Junium Cilonem procuratorem Ponti Roman perductus, ferociùs quàm pro fortunâ disseruisse apud Claudium ferebatur: elatáque vox ejus in vulgum hisce verbis. *Non sum remissus ad te, sed reversus: vel si non credis, dimitte & quære.* Vultu quoque interrito permansit, quum juxta rostra custodibus circumdatus visui populo præberetur. Consularia insignia Ciloni, Aquilæ prætoria sunt decreta. [*Ibid. cap.* 21.]

Quum Bithyni Junium hunc Cilonem præfectum suum, jus dicente Claudio, munerum haud mediocriter captorum multis clamoribus posteà accusarent, Claudiúsque præ turbâ non intelligens quid vellent, assistentes interrogaret quidnam dicerent Bithyni; Narcissum, in Cilonis gratiam mentitum, respondisse ferunt, agere eos gratias Junio: idque credentem Claudium subdidisse, *Præsit ergo adhuc eis alterum biennium.* [*Dio, lib.* 60. *pag.* 687.] Hoc verò tempore Cadius Rufus, iisdem Bithynis accusantibus, lege repetundarum damnatus est. [*Tacit. Annal.* 12. *cap.* 22. & *Histor. lib.* 1. *cap.* 77.]

Ituræi & Judæi, defunctis regibus Sohemo atque Agrippâ, provinciæ Syriæ additi sunt. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 23.] Agrippæ quidem junioris regnantis annos hinc deduci, & ex *Josepho* apparet, principium belli Judaici (quod mense Maio anni vulgatæ nostræ æræ Christianæ LXVI cœptum est) in XVII regni Agrippæ annum conjiciente; [*lib.* 2. *Belli, cap.* 15. *fin. cap.* 16. *init.*] & ex nummo Græco, suo loco exhibendo, in quo Judæa capta (circa mensem Septembrem anni ejusdem æræ LXX) Agrippæ anno XXI fuisse significatur. Verùm huic non *Judææ* regnum quod Agrippa pater, sed *Chalcidis* quod Herodes patruus habuerat, Claudius donavit; simul cum potestate in Templum Hierosolymitanum & sacrum ærarium, atque jure eligendi summos Pontifices, quæ idem patruo ipsius priùs concesserat. Paternum verò regnum ita provinciæ Syriæ est additum, ut proprios tamen procuratores à Cæsare acciperet: Ventidio Cumano Judææ & Galilææ administrationem hoc tempore, ut anteà, tenente, in interjectam autem inter utramque Samariam misso procuratore Felice, Claudii & matris ejus Antoniæ liberto; qui ab hàc *Antonii*, ab illo *Claudii* prænomen acceperat. Is frater alterius liberti Pallantis fuit: quem apud patronum Claudium *flagrantissimâ gratiâ* tum fuisse, à *Tacito* est notatum. [*lib.* 11. *cap.* 29.]

Gotarzes apud montem Sambulon vota diis loci suscepit, præcipuâ religione Herculis. Nondum verò satis aucto exercitu, flumine Cornâ pro munimento est usus. Et quanquàm per insectationes & nuncios ad prælium vocaretur, nectebat moras, locos mutabat, & missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercabatur. Ex quibus Izates Adiabenus, & rex Acbarus Arabum (Edessenorum) cum exercitu abscesserunt; levitate gentili, & quia experimentis cognitum est, Barbaros malle Româ petere Reges quàm habere. At Meherdates validis auxiliis nudatus, cæterorum proditione suspectâ, quod unum reliquum, rem in casum dare, prælióque experiri statuit. Nec detrectavit pugnam Gotarzes, diminutis hostibus ferox. Concursúmque magnâ cæde, & ambiguo eventu: donec Carrhenem profligatis obversis, longiùs evectum integer à tergo globus circumveniret. Tum omni spe perditâ, Meherdates promissâ Parthacis paterni clientis secutus, dolo ejus vincitur, traditúrque victori. Atque ille non propinquum neque Arsacis de gente, sed alienigenam & Romanum increpans, auribus decisis vivere jubet, obtentui clementiæ suæ & in Romanos dehonestamento. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 14.] 4763 50

Josephus Matthiæ filius, quartum decimum ætatis annum agens, ex litterarum studiis eum laudem est consecutus, ut etiam à pontificibus & urbis Hierosolymitanæ primatibus de peritiori legum sensu consuleretur: quemadmodum in libro de Vitâ suâ ipse de se narrat.

Gotarze morbo obeunte, in regnum Parthicum accitus Vonones, Medis tum præfidens, brevi & inglorio imperio perfunctus est: réique Parthorum in filium ejus Vologesen sunt translatæ; qui, maternâ origine ex pellice Græcâ, concessu fratrum regnum est adeptus. Ita *Tacitus*. [*lib.* 12. *cap.* 14. & 44.] Gotarzi verò, sublato per insidias, Vologesem fratrem successisse, scribit *Josephus*. [*lib.* 20. *cap.* 2.] duobus eum germanis eodem secum patre genitis regna distribuisse addens; Pacoro grandiori Mediam, Tiridati minori Armeniam.

Bellum inter Armenios Iberósque exortum est: quod Parthis quoque ac Romanis gravissimorum inter se motuum causa fuit. Iberos Pharasmanes vetusta possessione, Armenios frater ejus Mithridates ope Romanorum obtinebat. Erat Pharasmani filius Rhadamistus, 4764 51

decorâ proceritate, vi corporis insignis, claráque inter accolas famâ. Quum is paternum regnum affectaret, Pharasmanes vergentibus jam annis sibi metuens, aliam ad spem juvenem trahere coepit, & Armeniam ostentare, pollis Parthis datam Mithridati à semet memorando: sed vim differendam, & potiorem esse dolum adjiciens, quò incautum opprimerent. Ita Rhadamistus simulatâ adversùs patrem discordiâ, tanquam novercæ odiis impar, perrexit ad patruum: multáque ab eo comitate cultus, primores Armeniorum ad res novas illexit. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 44.]

Rhadamistus, reconciliationis specie assumptâ, regressus ad patrem, quæ fraude confici potuerint promptu nuntiavit, cætera armis exsequenda. Interim Pharasmanes belli causas confingit: prælianti sibi adversùs regem Albanorum, & Romanos auxilio vocanti fratrem adversatum; eámque injuriam excidio ipsius ultum iturum. Simul magnas copias filio tradidit. Ille eruptione subitâ territum exutúmque campis Mithridatem compulit in castellum Gorneas, cunctis loco ac præsidio militum, quibus Cælius Pollio præfectus, centurio Casperius præerat. Rhadamistus frustrà vel cum damno tentatis munitionibus, avaritiam præfecti concreatur; obtestante Casperio, ne socius rex, ne Armenia donum populi Romani, scelere & pecuniâ venderentur. Postremò quia multitudinem hostium Pollio, nulla patris Rhadamistus, obtendebant, pactus inducias, abscedit: ut nisi Pharasmanem bello absterruisset, T. Numidium Quadratum præsidem Syriæ doceret quo in statu Armeniæ forent. [*Ibid. cap.* 45.]

Periodus Calippica *sexta* incipit.

Digressu Casperii centurionis velut custode exsolutus Pollio præfectus, Mithridatem ad fœdus cum Pharasmane, seniore fratre, sanciendum hortatur; cætera quoque necessitudinum nomina referens, quòd filiam ejus in matrimonio haberet, quòd ipse Rhadamisto socer esset. Cunctante Mithridate, & suspectis præfecti consiliis quòd pellicem polluerat, inque omnem libidinem venalis habebatur; Casperius interim à Pharasmane, ut Iberi obsidio abscedant, expostulat. Ille propalàm incerta, & sæpiùs molliora respondens, secretis nuntiis monet Rhadamistum, oppugnationem quoquo modo accelerare. Augetur flagitii merces, & Pollio occultâ corruptione impellit milites, ut pacem flagitarent, seque præsidio abituros minitarentur. Quâ necessitate, Mithridates diem locúmque fœderi accepit, castelloque egreditur. Ac primò Rhadamistus in amplexus ejus effusus, simulavit obsequium, socerum ac parentem appellans. Adjecit & jusjurandum, non ferro, non veneno vim allaturum: simul in locum propinquum traxit, provisu suo illic sacrificium pararum dictitans, ut diis testibus pax firmaretur. Ibi verò prostrato Mithridati injiciuntur catenæ: tandémque jussis Pharasmanis acceptis, Rhadamistus quasi jurisjurandi memor patruum & socerum suum, ejúsque conjugem sororem suam, projectos in humum & veste multâ gravique opertos necavit. Filii quoque ejus, quòd cædibus parentum illachrymaverant, trucidati sunt. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 46. & 47.]

Quadratus cognoscens proditum Mithridatem, & regnum ab interfectoribus obtineri, vocat concilium, docet acta, & an ulciscisceretur consultat. Paucis decus publicum curæ: plures absistendum ab ultione censent. Ne tamen annuisse facinori viderentur, & diversa Cæsar præciperet; missi ad Pharasmanem nuntii sunt, ut abscederet à finibus Armeniæ, filiúmque abstraheret. [*Ibid. cap.* 48.]

4055 Erat Cappadociæ procurator Julius Pelignus, ignaviâ animi & deridiculo corporis juxtà despiciendus; sed Claudio perquàm familiaris, cùm privatus olim iners otium oblectaret. Is Pelignus auxiliis provincialium contractis, tanquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quàm hostes prædatur, abscessu suorum, & incursantibus Barbaris, præsidio egens, ad Rhadamistum venit: domisque ejus evictus, ultrò regium insigne sumere cohortatur; sumentique adest author & satelles. Quod ubi turpi famâ divulgatum; ne cæteri quoque ex Peligno conjectarentur, Helvidius Priscus legatus cum legione mittitur, rebus turbidis pro tempore ut consuleret. Itaque properè montem Taurum transgressus, moderatione plura quàm vi composuerat: cùm redire in Syriam jubetur, ne initium belli adversùs Parthos exsisteret. Nam Vologesen casum invadendæ Armeniæ obvenisse ratus, quam à majoribus suis possessam, externus rex flagitio obtineret, contraxit copias, fratremque Tiridatem deducere in regnum paravit; ne qua pars domûs sine imperio ageret. Incessu Parthorum, sine acie pulsi Iberi: urbesque Armeniorum Artaxata & Tigranocerta jugum accepere. Dein arrox hyems, seu parùm provisi commeatus, & orta ex utroque tabes, perpellunt Vologesen omittere præsentia. [*Ibid. cap.* 49. & 50.]

Vacuam rursùs Armeniam Rhadamistus invasit, truculentior quàm antè, tanquam adversùs defectores, & in tempore rebellaturos. Atqui illi, quamvis servitio sueti, patientiam abrumpunt, armisque regiam circumveniunt. Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quàm pernicitas equorum quibus seque & Zenobiam conjugem abstulit. Sed conjux gravida, primam urcumque fugam ob metum hostilem & matriti charitatem toleravit. Post festinatione continuâ, ubi quasi uterus, & viscera vibrantur, oravit ut morte honestâ contumeliis captivitatis eximeretur. Ille primò amplecti, allevare, adhortari, modò virtutem admirans, modò timore æger, ne quis relictâ potiretur. Postremò violentiâ amoris, & facinorum non rudis distringit acinacem, vulneratámque ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferetur. Ipse præceps Iberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam placidâ illuvie spirantem, ac vitæ manifestam, advertêre pastores: & dignitate formæ haud degenerem reputantes; obligant vulnus, agrestia medicamenta adhibent; cognitóque nomine & casu, in urbem Artaxata ferunt. Unde publicâ curâ deducta ad Tiridatem, comitérque excepta, cultu regio habita est. [*Ibid. cap.* 50. & 51.]

Quidam

Quidam Christiani nominis professores, è secta Phariſæorum, Antiochiam è Judæâ descendentes, Christianos ex Gentibus circumcidi oportere dicebant & legem Mosis observare, si salvi esse vellent; multorum in Syriâ & Ciliciâ fratrum animas perversâ suâ doctrinâ perturbantes. Quibus Paulus & Barnabas acriter se opposuerunt. (*Act.* XV. 1,2,5,23,24.) Eos παρεισάκτους ψευδαδέλφους, *irreptitios falsos fratres*, appellat Paulus, (Galat. II. 4.) eorúmque antesignanum *Cerinthum* hæresiarcham fuisse, docet *Philastrius*, de hæres. cap. 87. & *Epiphanius*, hæres. 28.

Paulus, annis quatuordecim post profectionem Hierosolymitanam triennio à conversione suâ exacto susceptam, ascendit Hierosolymam unà cum Barnabâ. [*Galat.* II. 1.] utroque cum aliis nonnullis ab Ecclesiâ Antiochenâ eò misso, ut Apostolorum & Presbyterorum Hierosolymitanorum (quorum nomine ad dogma suum tutandum turbones isti sunt abusi) de obortâ controversiâ sententiam exquirerent. (*Act.* XV. 2, 3, 24.) 4765 52

Ascendit autem Paulus ex revelatione, assumpto simul & Tito Græco: quem ad circumcisionem cogi noluit, ne falsis illis fratribus ad momentum cedere videretur. [*Galat.* II. 1,--5.]

Paulus & Barnabas in itinere per Phœniciam & Samariam narrantes conversionem Gentium, fratres omnes magno affecerunt gaudio. Et quum pervenissent Hierosolymam, excepti sunt ab Ecclesiâ, & ab Apostolis ac Presbyteris; & retulerunt quanta Deus per ipsos effecerat. [*Act.* XV. 3, 4.]

Paulus privatim primariis inter Apostolos, Jacobo, Petro & Johanni, (qui existimabantur esse columnæ) exposuit Evangelium quod prædicabat inter Gentes. Qui cùm vidissent ipsi concreditum fuisse Evangelium inter Gentes sicut Petro inter Judæos, & cognovissent gratiam ipsi datam, dextras societatis dederunt ei ac Barnabæ; ut illi apud Gentes, ipsi verò apud Judæos Apostolatu fungerentur; monentes tantùm, ut pauperum qui Hierosolymis erant sublevandorum curam susciperent. [*Galat.* II. 2, 7, 9, 10.]

Concilio Apostolorum & Presbyterorum Hierosolymis habito, quum post multam disceptationem Petrus sententiam suam dixisset, Barnabas & Paulus exposuerunt quanta per ipsos miracula Deus inter Gentes edidisset. Concludente deinde Jacobo, communi Apostolorum & Presbyterorum & totius Ecclesiæ decreto nihil aliud credentibus Gentibus imponi placuit, quàm ut ab idolothytis, scortatione, suffocato, & sanguine abstinerent. In quam sententiam Synodica ab iis ad Antiochenos & reliquos in Syriâ & Ciliciâ fratres scripta est epistola: quam primi nominis in Ecclesiâ viris, Judæ cognomento Barsabæ & Silæ, cum Paulo & Barnabâ, Antiochiam perferendam tradiderunt. Qui cùm Antiochiam venissent, redditâ & lectâ Epistolâ, magno fratres gaudio perfuderunt: Juda quoque & Silâ, qui & ipsi Prophetæ erant, multo eos sermone confirmantibus. [*Act.* XV. 6,-32.]

Aliquanto pòst, Judâ ad Apostolos reverso, Sylæ visum est Antiochiæ manere: ubi Paulus quoque & Barnabas cum aliis multis, verbum Domini prædicaverunt. [*Ibid.* 33, 34, 35.]

Josephus Matthiæ filius, anno ætatis 16. cuinam Judæorum sectæ sese addiceret deliberans, omnium trium (Phariſæorum sc. Sadducæorum & Essenorum) duro & magno labore cepit experientiam. [*Joseph. de Vitâ suâ.*]

Pallanti Claudii liberto prætoria insignia, & centies quinquagies sestertiûm decreta sunt. (*Tacit. lib.* 12. *cap.* 53.)

Quum Galilæis, ad festum Hierosolymam proficiscentibus, per Samariam necessariò esset transeundum; (*Johann.* IV. 3, 4.) ad vicum Samaritarum Naïn (al. Geman) in Magno campo situm, Galilæo quodam interfecto, indéque pugnâ inter viatores & vicanos ortâ, multi Galilæorum deliderati sunt. Id indignè ferentes eorum primates, ad arma Judæos concivêrunt, hortantes ut se in libertatem asserrent. Servitutem enim etiam per se molestam, tum verò fieri intolerabilem, ſi cum subditorum injuriis conjuncta sit. Hierosolymis igitur, relictâ diei solennitate, armatum vulgus in Samariam impetum fecit; nec cuiquam principum suorum retinenti acquiescere voluit. Asciti quoque in auxilium latronum duces, Eleazarus Dinæi filius & Alexander, in Acrabatenæ regioni conterminos Samaritas irruentes, promiscuam ediderunt cædem; & à nullius ætatis exitio temperantes, vicos etiam inflammaverunt. At Cumanus, cognitis quæ gesta fuerant, assumpsit secum unam equitum Sebastenorum alam, & quatuor cohortes peditum: armatisque etiam Samaritanis, contra Judæos profectus eosque assecutus, multos eorum qui Eleazarum erant secuti interfecit, plures verò captos abduxit. Tum verò Hierosolymitanorum primores, ut viderunt ad quantam calamitatem ventum esset, induti saccos & capita sparsi cinere, reliquam multitudinem quæ ad vastandos Samaritanorum fines irruerat, precabantur ut ab incepto desinerent; præ oculis ponentes diruendam patriam, Templum incendendum, liberósque cum uxoribus captivos abducendos: rogabántque ut depositis armis suas quisque domos repeteret. Quibus Judæi tandem acquiescentes, recessêrunt; latrones verò ad loca munita reversi sunt denuò. Atque ex eo tempore universa Judæa repleta est latronum receptaculis. [*Joseph. lib.* 2. *Belli, cap.* 11. *mo. ma. & lib.* 20. *Antiquit. cap.* 5.]

Samaritanorum primates Numidium Quadratum Syriæ præsidem tunc Tyri degentem convenerunt; vindictam de Judæis, qui vicos eorum diripuerant & incenderant, postulantes. Præsìdo autem fuerunt etiam Judæorum nobiles, & Jonathas filius Anani summus Pontifex: qui objecta diluentes, initium tumultûs à Samaritanis profectum dicebant, qui primi homicidium perpetrassent; causam tamen calamitatum postea secutarum fuisse Cumanum, qui illorum muneribus corruptus eam cædem ulcisci noluerit. His audicis, Quadratus judicium distulit; dicens se prolaturum sententiam, postquam præsens apud Judæam rei veritatem exactiùs cognoverit. Ita tum infecto negotio discessum est. [*Id. ibid.*]

Interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciæ habebatur: ita divisis, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent;

parerent; discordes olim, & tum contemptu regentium minùs coërcitis odiis. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, & aliquando prœliis congredi, spoliáque & prædas ad procuratores referre. Hinc primò lætari: móxque glisscente pernicie, cùm arma militum interjecissent, cæsi milites sunt. Arsissetque bello provincia, ni Quadratus Syriæ rector subvenisset. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 54.]

Nec diu adversùs Judæos qui in necem militum prorupérant, dubitatum, quin capite pœnas luerent: Cumanus & Felix cunctationem afferebant, quia Claudius causis rebellionis auditis, jus statuendi etiam de procuratoribus illi dederat. Sed Quadratus Felicem (utpote Pallantis, qui Romæ omnia tum poterat, fratrem) inter judices ostentavit, receptum in tribunal, quò studia accusantium deterrerentur: & flagitiorum quæ duo deliquerant, unus Cumanus damnatus; & quies provinciæ reddita est. [*Id. ibid.*]

Agrestium Cilicum nationes, quibus *Cliturum* cognomentum, Trosobore (sive Atosoboro) duce, montes asperos castris cepère: atque inde decursu in littora aut urbes, vim cultoribus ac opidanis, ac plerumque in mercatores ac navicularios audebant. Obsessáque civitas Anemuriensis, & missi è Syriâ in subsidium equites cum præfecto Curtio Severo turbantur: quòd duri circùm loci, peditibúsque ad pugnam idonei, equestre prælium haud patiebantur. Dein rex ejus oræ Antiochus, blandimentis adversùs plebem, fraude in ducem, quum Barbarorum copias dissociasset; Trosobore paucísque primoribus interfectis, cæteros clementiâ composuit. [*Id. ibid. cap.* 55.]

Petrus Apostolus Antiochiam veniens, cum Gentilibus fidelibus edebat & familiariter conversabatur. Verùm quum Hierosolymis eò venissent à Jacobo fratres Judæi nonnulli, eorum offensionem metuens, à Gentilibus subduxit se. Cujus exemplum secuti sunt & reliqui Ecclesiæ Antiochenæ Judæi: adeò ut Barnabas quoque simul abriperetur eorum simulatione. Eam præposteram simulationem, libertati Evangelicæ contrariam, non ferens Paulus, Petro in os restitit, ejúsque timiditatem coram omnibus acriter coarguit. [*Galat.* II. 11,-14.]

4056 Quadratus in Samariam veniens, cùm jussisset reos causam suam dicere, comperit Samaritanorum culpâ tumultum primùm excitatum fuisse. Cæsaream verò procedens, cognito quòd Judæorum quidam res novas moliri essent, in crucem egit quos Cumanus vivos ceperat & vinctos ibi reliquerat. Inde profectus in vicum Lyddam instar urbis amplum, sedens pro tribunali, iterùm Samaritanorum causam audiens, didicit è quodam Samaritâ, Dortum Judæorum primatem cum aliis quatuor sociis Judæos ad defectionem solicitasse: quos ille affecit supplicio. Et Judæorum 18 viros, quos cognovit pugnæ fuisse participes, securi percussit. [*Joseph. lib.* 2. *Belli, cap.* 11. *vid. ea. & lib.* 20. *Antiquit. cap.* 5.] 4766 53

Duos principes sacerdotum, Jonatham & Ananiam, ejúsque filium Ananum, & nonnullos alios Judæos nobiles, Quadratus ad Cæsarem misit: similitérque Samaritanorum nobilissimos quosque. Præcepit etiam Cumano procuratori, & Celeri tribuno, Romam navigare reddituros Claudio rationem eorum quæ in regione gesserant. [*Id. ibid.*]

His ita compositis, Quadratus veritus ne novum aliquid Judæi molirentur, Lyddâ ascendit Hierosolyma: ubi pacata invenit omnia, populúmque occupatum patrio azymorum festo, & operantem sacrificiis. Credens igitur nihil novaturos, reliquit agentes festa, & Antiochiam repetiit. [*Id. ibid.*]

Cumanus & Samaritæ Romam missi statutâ die causam suam jussi sunt dicere. Comparaverant autem sibi favorem libertorum & amicorum Cæsaris: quorum operâ vicissent adversarios Judæos, nisi Agrippa junior tum Romæ degens, & Judæorum primores premi favore potentum videns, multis precibus obtinuisset ab Agrippinâ uxore Claudii, ut marito persuaderet legitimè causam cognoscere, & in deprehensos tumultûs authores justam proferre sententiam. Claudius igitur his precibus præmollitus, auditis partibus, ut comperit à Samaritanis factum tumultûs principium, eos qui tum ad judicium venerant supplicio tradidit. Cumanum mulctavit exilio. Celerem verò tribunum vinctum Hierosolymam mittens, Judæis ad supplicium tradidit; ut per urbem tractus capite cæderetur. [*Id. ibid.*]

Procuratorem deinde in Judæam destinavit Claudium Felicem, fratrem Pallantis: qui eam provinciam, unà cum Samariâ & Galilæâ administraret. [*Id. ibid.*] quod precibus suis Jonathas summus Pontifex à Cæsare obtinuit. [*Id. lib.* 20. *Antiquit. cap.* 6.] Claudium ex libertis suis *Felicem cohortibus & alis, provinciaque Judæa præposuisse, tertium reginarum maritum*; scribit Suetonius. [*in Claudio, cap.* 28.] quem & *Judææ impositum, cuncta malefacta sibi impunita ratum* futura, *tantâ potentiâ subnixo*, in Annali 12°. [*cap.* 54.] scribit Tacitus: in 5°. etiam Historiarum suarum libro [*cap.* 9.] de tyrannico illius in Judæâ regimine ampliùs addens. *Antonius Felix per omnem sævitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit, Drusillâ Cleopatræ & Antonii neptis in matrimonium acceptâ: ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.*

Quam rem Agrippa junior per quadriennium præfuisset Chalcidi, Claudius post exactum imperii annum 12. eâ illi ablatâ, in majus eum regnum transtulit. Philippi tetrarchia ei donatâ, Batanæâ videlicèt & Gaulanitide, simul cum Trachonitide: adjunctâ etiam Abilâ Lysaniæ tetrarchiâ, quam Varus tenerat. [*Joseph. lib.* 20. *Antiqu. cap.* 5. *cum lib.* 2. *Belli, cap.* 11. *vid. ea.*]

His donationibus à Cæsare ornatus juvenis collocavit Azizo Emesenorum regi circumciso sororem Drusillam. Epiphanes enim Antiochi Commagenorum regis filius recusavit ejus nuptias, quòd mutatâ sententiâ Judæorum religionem amplecti nollet, ut erat pollicitus puellæ parentibus: Mariammen quoque matrimonio conjunxit Julio Archelao Chelciæ filio, cui ab Agrippâ patre jam antè desponsata fuerat. [*Id. ut supr. lib.* 20. *cap.* 5.]

Josephus Matthiæ filius Bani cujusdam institutum imitari cœpit; qui in solitudine vivens,

amictum

amictum sibi parabat ex arboribus, & sponte provenientibus alimentis utebatur, crebrisque ob continentiam nocte ac die lavacris frigidis: atque in ejus contubernio tres annos exegit. [*Id. in lib. de Vitâ suâ.*]

Neto, causâ Ilienſium ſuſceptâ, Romanum Trojâ demiſſum, & Juliæ ſtirpis authorem Æneam, aliâque haud procul fabulis vetera facundè exſecutus, impetravit ut Ilienſes omni publico munere ſolverentur. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 58.] Claudiúſque illis, quaſi Romanæ gentis authoribus, tributa in perpetuum remiſit: recitatâ vetere epiſtola Græcâ Senatûs populíque Romani, Seleuco regi amicitiam & ſocietatem ita demum pollicentis, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet. [*Sueton. in Claudio, cap.* 25.]

Rhodiis quoque, ob pœnitentiam veterum delictorum, libertatem Claudius reddidit; ademptam ſæpè aut firmatam, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant. [*Sueton. & Tacit. ut ſupr.*] Pro Rhodiis verò atque Ilienſibus Neronem Græcè apud patrem *conſulem*, Claudium videlicèt ante biennium poſtremum ſuum Conſulatum gerentem, verba feciſſe, ſcribit Suetonius. [*in Nerone, cap.* 7.]

Tributum Apamienſibus terræmotu convulſis in quinquennium à Claudio eſt remiſſum. [*Tacit. lib.* 12. *cap.* 58.]

Retulit dein Claudius de immunitate Cois tribuendâ. Multáque ſuper antiquitate eorum memoravit. Argivos vel cum Latonæ parente (Cæo, à quo inſulæ nomen datum) veruſtiſſimos inſulæ cultores: mox adventu Æſculapii artem medendi illatam, maximéque inter poſteros celebrem fuiſſe; nomina ſingulorum referens, & quibus quiſque ætatibus viguiſſent. Quin etiam dixit Xenophontem (Coum medicum) cujus ſcientiâ ipſe uteretur, eâdem familiâ ortum: precibúſque ejus dandum, ut omni tributo vacui in poſterum Coi, ſacram & tantùm Dei miniſtram inſulam colerent. [*Id. ibid. cap.* 61.]

Quum Barnabam ſollicitaret Paulus, ut Eccleſias ſimul inviſerent in quibus Evangelium annunciaviſſent, conſulebat Barnabas ut Johannem Marcum ſecum aſſumerent. Contrà verò cenſebat Paulus, non eſſe aſſumendum eum, qui ab ipſis abſceſſiſſet ex Pamphyliâ, [*Act.* XIII. 13.] nec eorum comes in illo opere fuiſſet. Unde ægrè ferente Barnabâ, conſobrino ſuo (*Coloſſ.* IV. 10.) eam infamiæ notam inurendam, tanta inter eos orta eſt contentio, ut alter ab altero diſcederet. Et Barnabas quidem, aſſumpto Marco, navigavit in Cyprum, patriam ſuam. Paulus verò allecto Silâ, commendatus gratiæ Dei à fratribus, peragravit Syriam ac Ciliciam, confirmans Eccleſias. [*Act.* XV. 36,—41.]

Veniens Paulus Derben & Lyſtram, inter diſcipulos offendit ibi Timotheum, natum patre quidem Græco ſive Gentili, matre verò Judæâ fideli (Eunice:) cui omnes qui Lyſtris erant & Iconii fratres bonum perhibebant teſtimonium. Eum ſecum aſſumpturus Paulus, quò Judæos magis lucrifaceret, priùs circumcidendum curavit. [*Act.* XVI. 1, 2, 3.]

Paulus & Silas, prout pertranſibant urbes, tradebant eis obſervanda illa quæ decreta fuerant ab Apoſtolis & Presbyteris qui erant Hieroſolymis. Et eccleſiæ confirmabantur fide, & numero augebantur quotidie. [*Ibid.* 4, 5.]

Phrygiâ deinde peragratâ & Galaticâ regione; prohibiti à Spiritu ſancto prædicare verbum Dei in Aſiâ, quum venuſſent in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam: ſed non permittente eos ire Spiritu, à Myſiâ deſcenderunt Troadem. Ibi in ſomnis Paulo adſtare viſus eſt vir quidam Macedo, dicens, *Tranſiens in Macedoniam ſuccurre nobis.* [Act. XVI. 6,—9.]

Ut viſum hoc ille vidit, *ſtatim ſtuduimus abire in Macedoniam; certi factî quòd vocaſſet nos Dominus ad evangelizandum eis*: inquit *Lucas*, [*Act.* XVI. 10.] qui hùc & deinceps de Paulo & ejus comitibus in primâ perſonâ loquens, cùm hactenùs de eis in tertiâ locutus fuiſſet, ab hoc tempore comitem ſe Paulo in prædicatione Evangelii adjunctum fuiſſe, ſatis indicat.

4057 Paulus & Silas, cum Lucâ & Timotheo, provecti Troade, recto curſu Samothracen venerunt, & ſequente die Neapolim, atque illinc Philippos; quæ primaria ejus tractûs Macedoniæ urbs erat, & juris Italici colonia: commoratíque ſunt in eâ urbe aliquot dies. [*Act.* XVI. 11, 12.]

Die ſabbathi egreſſi ex urbe ad flumen, ubi erat proſeucha, allocuti ſunt mulieres quæ illuc convenerant. Inter quas una Lydia Deum colens, quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum, attendens iis quæ à Paulo dicebantur, cor ejus Domino adaperiente, in Chriſtum credidit. Quæ cum totâ ſuâ domo baptizata, Paulum cum comitibus ſuis hoſpitio excepit. [*Ibid.* 13, 14, 15.]

Proficiſcentibus poſteà illis ad proſeucham, immundus ſpiritus ex ancillâ pythoniſſâ eos per multos dies ſubſecuta clamabat: *Iſti homines ſervi ſunt Dei altiſſimi, qui annunciant vobis viam ſalutis.* Quod moleſtè ferens Paulus, ſpiritui illi mandavit per nomen Jeſu, ut ex illâ exiret. Quo facto, videntes ancillulæ dominî abiiſſe ſpem quæſtûs ſui, Paulum & Silam in forum pertrahentes, tantum clamoribus ſuis apud prætores effecerunt, ut virgis utrque publicè exderetur & in carcerem conjiceretur. Ubi mediâ nocte illis orantibus & hymnos Deo canentibus, magno terræ motu facto, foribus carceris omnibus apertis & incluſorum omnium vinculis laxatis, quum ad deſperationem redactus cuſtos ſtrictô gladio ſeipſum erat interempturus, à Paulo & Silâ ad Chriſti fidem eſt converſus, & cum univerſâ familiâ eâ ipſâ nocte baptizatus. Die autem exorto, mittentibus prætoribus ut liberi dimitterentur, de contumeliâ & injuriâ acceptâ cum his expoſtulantes illi, quòd cives Romanos indictâ causâ publicè cæſos in carcerem conjeciſſent: ab ipſis advenientibus non ſine honore liberantur, atque ut urbe excederent rogantur. Qui introeuntes ad Lydiam, quum accedentes fratres fuiſſent conſolati, ex urbe egreſſi ſunt. [*Ibid.* 16,—40.]

Itinere deinde facto per Amphipolim & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam (totius Mace-

doniæ metropolim) ubi erat synagoga quædam Judæorum. (*Act.* XVII. 1.) Illic, tantis contumeliis priùs Philippis affectus, Evangelium Dei cum multo certamine annunciaviſſe ſe ſcribit Paulus apoſtolus. [I *Theſſal.* II. 2.] Nam ſecundùm conſuetudinem ſuam in Judæorum ſynagogam ingreſſus per tria Sabbatha cum eis ex Scripturâ de Chriſto diſſeruit. Quorum nonnullis credentibus, conſociata eſt Paulo & Silæ religioſorum Græcorum multitudo magna, & ex mulieribus primariis non paucæ. (*Act.* XVII. 2, 3, 4.)

Theſſalonicenſes non de fide tantum Chriſtianâ, ſed etiam de futurâ apoſtaſiâ & Antichriſti revelatione Paulus edocuit. [II *Theſſal.* II. 5.]

Quum Paulus diutiùs Theſſalonicæ hæreret, ſemel atque iterùm à Philippenſibus neceſſaria vitæ ſubſidia accepit. [*Philip.* IV. 16.] Sed increduli Judæi, aſſumptis quibuſdam viris circumforaneis improbis, & tumultu in civitate excitato, Jaſonem (in cujus domo Paulus cum comitibus hoſpitabatur) & quoſdam fratres ad magiſtratus traxerunt, & magnis clamoribus accuſârunt. Quibus cùm ab illis fuiſſet ſatisfactum; fratres ſtatim per noctem Paulum ſimul & Silam emiſerunt Beroeam. [*Act.* XVII. 5,-10.]

Hic quoque quum in ſynagogam Judæorum introeuntes ex ſcripturis diligenter prædicarent Chriſtum, & auditores prædicata cum ſcripturis conferentes, ea per omnia congruere cum illis invenirent; multi crediderunt ex eis, & Græcarum mulierum honoratarum & virorum non pauci. Cúmque Judæi Theſſalonicenſes illuc venientes turbam contra Paulum concitarent: fratres eum ſtatim emiſerunt, velut iturum ad mare, ſed Athenas uſque deduxerunt; accepto ad Silam & Timotheum Beroeæ relictos mandato, ut ad ipſum venirent quàm citiſſimè. (*Ibid.* 10,--15.)

Judæos impulſore Chreſto aſſiduè tumultuantes Claudius Româ expulit. (*Sueton. in Claudio*, *cap.* 25.) Hujus Chreſti ſolus, ni fallor, meminit *Suetonius*: nam *Chriſtum* D. N. (à quo *Chriſtiani*, alibi ab eodem memorati, denominationem acceperunt) hîc ab illo fuiſſe intellectum, adhuc mihi perſuadere non poſſum. 4767 54

Paulus, dum Silam & Timotheum Athenis expectat, diſſerebat in ſynagogâ cum Judæis & religioſis, & in foro quotidie cum quibuſvis obviis; cum Epicureis quoque & Stoicis philoſophis de Chriſto & reſurrectione diſputans. Deinde, ut peregrinorum Deorum annunciator, cauſam dicturus in medium Areopagum raptus, doctiſſimâ oratione ibi habitâ, tum ex aræ ipſorum *Ignoto Deo* dicatâ, tum ex Arati poëtæ teſtimonio *Dei progeniem nos* eſſe confirmante, eundem quem ipſi ignorantes colebant Deum à ſe annunciari oſtendit. (*Act.* XVII. 16,-31.) Judæorum verò Deus *Ignoti* apud Gentes appellationem obtinebat: eodem ſenſu *incertus Deus* Lucano in libro 2. Pharſal. *incertum numen* Trebellio Pollioni in vitâ Claudii, & *innominatus Deus* C. Caligulæ apud *Philonem* in lib. de legatione ad eundem, nominatus. Cui ut Carmeli montis incolæ (apud *Tacitum*, in Hiſtor. lib. 2. cap. 78.) neque ſimulacrum tribuebant, neque templum, ſed aram tantùm & reverentiam: ita Athenienſes quoque *Aram miſericordiæ* in mediâ ſuâ urbe ſine ullo ſimulachro ſimiliter poſuerunt. in 12°. libro Thebaidos ita referente Statio:

Paulus. *Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo*
Forma Dei; mentes habitare & pectora gaudet.

Inter Athenienſes à Paulo ad Chriſti fidem hoc tempore converſos, fuit Dionyſius Areopagita, & mulier (vel uxor ejus, ut viſum Ambroſio, Chryſoſtomo & Auguſtino) nomine Damaris, & alii cum eis. [*Act.* XVII. 34.]

Felix Judææ procurator, viſâ Druſillâ Agrippæ regis ſorore, fœminarum omnium pulcherrimâ, amore ejus captus, Simonem amicum ſuum, Judæum genere Cyprium, pro mago ſe gerentem, ad eam miſit, qui mulierem ſolicitaret ut relicto marito Azizo Emeſenorum rege ipſi nuberet; beatam fore pollicens, ſi non fastidiret hominem. Illa malè conſulta volens evadere moleſtationes ſororis Bernices, invidentis ſibi formæ præcellentiam, conſenſit calcatâ religione patriâ Felici nubere. Ipſa verò Bernice, patrui ſui Herodis regis Chalcidis vidua, quum ſpargerentur rumor cum fratre (Agrippâ rege) eam congredi, ſuaſit Polemoni regi Ciliciæ, ut circumciſus priùs ſe duceret; rata ſic ſe coarguturam mendacium. Nec recuſavit Polemon, inductus maximè mulieris divitiis: id tamen conjugium diuturnum non fuit, propter intemperantiam (ut fertur) diſcedente ab eo Bernice. Qui mox deſertus ab uxore, & ipſe Judaicæ religionis deſertor factus eſt. (*Joſeph. lib.* 20. *cap.* 5.)

Eodem tempore etiam Mariamme (tertia regis Agrippæ ſoror) Julium Archelaum Chelciæ filium dedignata, migravit in thalamum Demetrii, primi inter Alexandrinos Judæos tam opibus quàm genere, & tum Alabarchiæ magiſtratum gerentis. (*Id. ibid.*)

Paulus Silam & Timotheum, qui Beroeâ ad ipſum venerant, iterùm in Macedoniam remittens, ſolus Athenis remanſit. Et ipſe quidem ſemel atque iterùm in animo habuerat Theſſalonicam proficiſci; nec potuerat tamen id exequi, à Satanâ præpeditus: ideóque Timotheum eò miſit, qui Theſſalonicenſes in fide confirmaret & conſolaretur. (*Act.* XVIII. 5. I *Theſſal.* II. 17, 18. & III. 1, 2.)

Interim, relictis Athenis, venit Corinthum: ubi Judæum Aquilam invenit, & Priſcillam uxorem ejus; qui nuper ex Italiâ venerant, quòd edixiſſet Claudius ut omnes Judæi Româ excederent. Et quia idem cum illis conficiendi tabernacula artificium exercebat, manſit apud eos Paulus & operabatur. Diſſerebat tamen in ſynagogâ omnibus Sabbathis, & in ſuam ſententiam adducebat tum Judæos tum Græcos. (*Act.* XVIII. 1,--4.)

Hic verò Paulus ſuâ manu Stephanæ familiam baptizavit. (I *Corinth.* I. 16.) quæ primitiæ fuerunt Achaiæ, & ſeſe in miniſterium ſanctis addixerunt. (*Ibid.* XVI. 15.)

Ut advenerunt è Macedoniâ Silas & Timotheus, quum Paulo magno cum zelo Chriſtum prædicanti Judæi obſiſterent ac blaſphemarent; veſtibus ſuis in illos excuſſis, divertit ille ad Gen-

tes:

tes : migrans in domum cujuſdam nomine Juſti, colentis Deum, quæ erat confinis Synagogæ. (*Act.* XVIII. 5, 6, 7.)

Criſpus archiſynagogus credidit Domino cum totâ domo ſuâ : multíque Corinthiorum audientes credebant & baptizabantur. [*Ibid.* 8.] Ex quibus Criſpum & Gaium ſuâ manu Paulus baptizavit. [I. *Corinth.* I. 14.]

Dixit Dominus nocte per viſionem Paulo : *Ne metue, ſed loquere, & ne taceveris. Nam ego ſum tecum, & nemo te invadet ut malè te accipiat : quoniam populus eſt mihi multus in hâc urbe.* Commoratus eſt itaque illic annum & ſex menſes, docens apud eos verbum Dei. [*Act.* XVIII. 9, 10, 11.] unà cum Silvano (ſive Silâ) & Timotheo. [II *Corinth.* I. 19.]

Poſt reditum Timothei ex Macedoniâ, Paulus (cum eodem Timotheo & Silvano ſive Silâ) priorem ad Theſſalonicenſes ſcripſit epiſtolam. [I *Theſſal.* III. 6.] in quâ, quum de die judicii, quaſi jam inſtante, paulò obſcuriùs fuiſſet locutus, [*cap.* I. 1, 5.] datâ paulò pòſt alterâ ad eos epiſtolâ, clariùs illud explicavit ; [II *Theſſal.* II. 2, 3.] ſcriptâ utique, quum Silvanum & Timotheum in miniſterio Evangelii conjunctos ſibi haberet, [*cap.* I. 1.] & poſtquàm ipſe apud Theſſalonicenſes, Chriſti fidem amplexos, jam præſens adfuiſſet. [*cap.* II. 5.] Ut toto hic cœlo *Grotius* erraverit, ſub C. Caligulâ eam exaratam fuiſſe epiſtolam exiſtimans.

Prorumpentes Parthi rapuerunt Armeniam, pulſo Rhadamiſto, qui ſæpè regni ejus potius, dein profugus, nunc quoque bellum deſeruit. [*Tacit. lib.* 13. *cap.* 6.] Quum verò exortus eſſet Vologeſo Parthorum regi æmulus filius Vardanes ; abſceſſerunt Armeniâ Parthi, tanquam differrent bellum. [*Id. ibid. cap.* 7.]

4058 Aſinio Marcello & Aſinio Aviolâ Conſulib. III. Idus Octobr. Claudius extinctus eſt. [*Seneca, in ludi de morte Claudii initio. Sueton. in Claudio, cap.* 45. *& Dio, lib.* 60. *pag.* 688.] quum imperaſſet annos 13. menſes 8. & dies 20. [*Dio, ibid. cum Joſepho, lib.* 20. *cap.* 5.] Et in medio ejuſdem diei, foribus palatii repentè diductis Nero, gener & adoptivus filius ejus, Imperator declaratus eſt. [*Tacit. lib.* 12. *cap. ult.*]

Initio novi hujus principatûs Junius Silanus Proconſul Aſiæ, nobilis & è Cæſarum poſteris, ignaro Nerone, vixdum pueritiam egreſſo, per dolum matris ejus Agrippinæ inſons ſublatus eſt. Miniſtri ſceleris P. Celer eques Romanus, & Ælius libertus, rei familiari Principis in Aſiâ impoſiti : à quibus Proconſuli venenum inter epulas datum eſt. [*Tacit. lib.* 13. *cap.* 1.]

Legatis Armeniorum cauſam gentis apud Neronem orantibus, aſcendere eos in ſuggeſtum Imperatoris ille volebat & præſidere ſimul ; niſi cæteris pavore defixis, Seneca admonuiſſet, venienti matri occurreret. Ita ſpecie pietatis obviam itum eſt dedecori. [*Ibid. cap.* 5.]

Rumore de occupatâ à Parthis Armeniâ Romam perlato, Nero & juventutem proximas per provincias quæſitam ſupplendis Orientis legionibus admovere, legionéſque ipſas propiùs Armeniam collocari juſſit : duóſque veteres reges Agrippam (Judæum) & Iocchum (vel Antiochum potiùs Commagenum) expedire copias, quibus Parthorum fines ultrò intrarent, ſimul pontes per amnem Euphratem jungi. Et minorem Armeniam Ariſtobulo, regionem Sophenen Sohemo cum inſignibus regiis mandavit. Domitium verò Corbulonem retinendæ Armeniæ præpoſuit : copiis Orientis ita diviſis, ut pars auxiliarium cum duabus legionibus apud provinciam Syriam & legatum ejus Quadratum remaneret ; par civium ſociorúmque numerus Corbuloni eſſet, additis cohortibus aliſque quæ apud Cappadociam hyemabant & ſociis regibus, prout bello conduceret, parere juſſis. [*Ibid. cap.* 6, 7, 8.]

Primo imperii Neronis anno, regi Emeſorum Azizo defuncto frater in principatu ſucceſſit : minoris autem Armeniæ (ut ex *Tacito* jam dictum eſt) principatum Ariſtobulus Herodis regis Chalcidis filius à Nerone accepit. Regno autem Agrippæ quatuor urbes idem addidit, cum agris ad ſingulas pertinentibus : in Galilæâ, Tiberiadem & Tarichæam ; in Iturææ trans Jordanem, Abelam & Juliadem cum agro ejus habitato vicis 14. [*Joſeph. lib.* 20. *Antiquit. cap.* 5. *& lib.* 2. *Belli, cap.* 12. *mp. ult.*] 4768 55

Domitius Corbulo, itinere properè confecto, apud Ægeas civitatem Ciliciæ obvium Quadratum habuit ; illuc progreſſum, ne ſi ad accipiendas copias Syriam intraviſſet Corbulo, omnium ora in ſe verteret. Uterque Vologeſem Parthorum regem nuntiis monebant, pacem quàm bellum mallet ; datíſque obſidibus, ſolitam prioribus reverentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeſes quidem, vel ut bellum ex æquo pararet, vel ut æmulationis ſuſpectos per nomen obſidum amoveret, tradidit nobiliſſimos ex familiâ Arſacidarum : accepítque eos centurio Hoſtorius (al. Hiſtius) à Quadrato eâ de cauſâ ad Regem miſſus. Quod poſtquàm Corbuloni cognitum eſt ; ire præfectum cohortis Arrium Varum, & recipere obſides juſſit. Hinc ortum inter præfectum & centurionem jurgium, quod ne diutiùs externis ſpectaculo eſſet, arbitrium rei obſidibus legatíſque qui eos ducebant permiſſum eſt. Atque illi ob recentem gloriam, & inclinatione quâdam etiam hoſtium, Corbulonem prætulerunt. Unde diſcordia inter duces : querente Quadrato præreptæ quæ ſuis conſiliis patraviſſet ; teſtante contrà Corbulone, non priùs converſum Regem ad offerendos obſides, quàm ipſe dux bello delectus ſpes ejus ad metum mutaret. Nero, quò componeret diverſos, ſic evulgari juſſit : ob res à Quadrato & Corbulone proſperè geſtas, faſcibus ſuis Imperatoriis laurum addi. [*Tacit. lib.* 13. *cap.* 8. *& 9.*]

Initio imperii Neronis Judæa tota referta erat latronum receptaculis, & magicis præſtigiatoribus imperitíque vulgi ſeductoribus : quos quotidie comprehenſos Felix è medio ſuſtulit. Eleazarum verò Dinæ filium, non mediocrem latronum globum circa ſe habentem, Felix ut ad ſe veniret perſuaſit, datâ ei fide quòd nihil mali eſſet paſſurus : móxque vinctum Romam tranſmiſit. [*Joſeph. lib.* 20. *cap.* 6.]

Quum Felix Jonatham ſummum Pontificem, de rebus Judaicis meliùs adminiſtrandis crebriùs eum & liberiùs admonentem ferre non poſſet ; Doram Hieroſolymitam ſummum Jonathæ ami-

cum

cum promissâ pecuniâ induxit, ut per sicarios interimendum eum curaret. Quidam igitur quasi religionis ergo in urbem ascendentes licis clàm succincti sub vestibus, & Jonathæ famulitio permixti, peremerunt hominem. Cujus facinoris quia nemo ultor extitit, invitati hâc licentiâ sicarii per singula festa ventitantes & ferrum celantes pari modo immixti turbis, alios propter privatas inimicitias, alios conducti pecuniâ, non modò in reliquis urbis partibus sed etiam in ipso Templo, impunè confodiebant. [*Id. ibid.*]

Et urbs quidem talibus infestabatur latrociniis. Impostores autem & magi turbas illectas post se trahebant in solitudines, pollicentes se divinitùs ostensuros clarissima signa & prodigia: persuasáque multitudo mox pœnas luit dementiæ, à Felice retracta & neci data. [*Id. ibid.*]

Per idem tempus Ægyptius quidam magus, in provinciam advenit: & Prophetæ opinionem sibi arrogans, 30 fermè (vel 4 potiùs, ex Act. XXI. 38.) millia hominum congregavit. Et circumducens eos de solitudine in montem Oliveti: illic visuros eos affirmabat suo jussu cadere Hierosolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus in civitatem pateret. Quo cognito, Felix cum multis equitibus & peditibus Romanis, quos etiam reliqua Judæorum multitudo juvabat, erumpens turbam seductam invasit: quorum quadringentis occisis, ducentos vivos cepit & vinculis tradidit; reliquâ multitudine in regiones proprias dispersâ. Ægyptius verò ipse, cum paucis pugnâ elapsus, disparuit. [*Id. ibid. & lib. 2. Belli, cap. 12. mp. 17.*] Unde de eo Lysias tribunus ad B. Paulum, Act. XXI. 38. *Nónne tu es Ægyptius ille qui ante hos dies tumultum concitásti, & eduxisti in desertum quatuor millia sicariorum?*

Quum Gallio esset Proconsul Achaiæ, Judæi Corinthii Paulum ad illius tribunal adduxerunt. Illo verò de ejusmodi rebus judicare recusante, & à tribunali eos abigente, Græci prehensum Sosthenem archisynagogum cædebant; nihil eorum Gallione curante. [*Act.* XVIII. 12,-17.]

L. Annæi Senecæ (qui sub discipulo suo Nerone adolescente Romæ omnia, unà cum Burrho, tum administrabat) frater hic Gallio fuit: qui Claudii, veneno sublati, ἀποθέωσιν deridens, unco eum in cœlum raptum fuisse dixit; ut in fine libri 60. *Dio* narrat. M. Annæi Senecæ patris *ad Novatum, Senecam, & Melam filios*, liber Controversiarum extat. Horum medius L. Seneca, in Consolatione ad matrem Helviam, fratrum *alterum honores industriâ consecutum fuisse, alterum sapienter contempsisse*, docet: per priorem, *Novatum* intelligens; qui à Junio Gallione (quem à Tiberio in exilium fuisse missum, ad finem anni Mundi 4055. ex *Tacito* declaravimus) adoptatus, *Gallionis* nomen obtinuit. Quem etiam, ut fratrem natu grandiorem, *Dominum* ab eodem fuisse appellatum, ad locum illum epistolæ 104. notavit Lipsius. *Illud mihi in ære erat domini mei Gallionis: qui, cum in Achaiâ febrem habere cœpisset, protinus navem ascendit; clamitans non corporis esse, sed loci morbum.*

4059 Quum post tumultum ad Gallionis tribunal factum mansisset adhuc Corinthi Paulus dies multos, valedicens fratribus, è portu Cenchreensi solvit. Et in Syriam inde navigaturus, primò devenit Ephesum; ubi ingressus Synagogam, disseruit cum Judæis. Rogantibus autem ut diutiùs apud ipsos maneret, non annuit; oportere omninò se dicens instantem diem festum agere Hierosolymis: reversurum tamen se iterùm ad eos, Deo volente, pollicitus. Valedicens igitur eis & Aquilâ atque Priscillâ ibi relictis, cum reliquis comitibus Cæsaream inde navigavit. [*Act.* XVIII. 18,-22.] 4769 56

Cæsareâ [Stratonis] ascendens Paulus ad salutandam Ecclesiam [Hierosolymitanam,] inde descendit Antiochiam [Syriæ.] Et quum egisset illic aliquamdiu, abiit, pertransiens ordine Galaticam regionem atque Phrygiam, & confirmans omnes discipulos. [*Ibid.* 22, 23.] Ubi à Galatis ita exceptus, ac si esset Angelus Dei, aut ipse Christus Jesus: [*Galat.* IV. 14.] inter alia, ut Collectæ pro pauperibus die quoque Dominico seponerentur, instituit. [1 *Corinth.* XVI. 1, 2.]

Josephus Matthiæ filius, exacto cum Bano in solitudine triennio Hierosolymam rediit: jámque 19. annos natus, civilem vitam aggressus est; addictus Pharisæorum placitis, proximè ad Stoicam apud Græcos sectam accedentibus. [*Joseph. in lib. de Vitâ suâ.*]

Judæus quidam Apollos, Alexandrinus genere, vir eloquens & potens in Scripturis, pervenit Ephesum. Hinc initiatus viâ Domini, & fervens spiritu, loquebatur & docebat diligenter ea quæ sunt Domini; sciens tantùm baptisma Johannis: cœpitque liberè loqui in synagogâ. Quem auditum Aquila & Priscilla assumpserunt, & penitiùs ei exposuerunt viam Dei. Quum autem vellet transire in Achaiam, fratres eum adhortati, scripserunt discipulis ut exciperent eum. Qui cùm advenisset, multum contulit iis qui crederunt. Magnâ enim contentione Judæos magis ac magis redarguebat publicè, ostendens per Scripturas Jesum esse Christum. [*Act.* XVIII. 24,-28.]

4060 Cùm Apollos esset Corinthi, Paulus peragratis jam superioribus partibus (Galatiâ videlicèt & Phrygiâ) venit Ephesum: ubi duodecim invenit discipulos, qui Johannis baptismum tantùm noverant, necdum Spiritum sanctum per manuum impositionem acceperant. Quibus ulteriùs in Christi doctrinâ à se institutis quum manus ille imposuisset, delapso in eos Spiritu sancto, loquebantur linguis & prophetabant. Deinde ingressus Synagogam, liberè loquebatur, ad tres menses differens & suadens quæ ad regnum Dei pertinent. (*Act.* XIX. 1,-8.)

Quum Judæorum quidam indurati non assentirentur, sed malè loquerentur de viâ Dei: Paulus in conspectu multitudinis, abscedens ab illis, separavit discipulos; quotidie differens in scholâ Tyranni cujusdam. Hoc autem factum est per biennium: ita ut omnes qui habitabant in Asiâ, tum Judæi tum Græci, audierint sermonem Domini Jesu. Virtutésque non modicas edebat Deus per manus Pauli: ita ut etiam ad infirmos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & discederent ab eis morbi, & spiritus mali ab eis exirent. (*Ibid.* 9,-12.) 4770 57

P. Celerem, accusante Asiâ, quia absolvere nequibat Cæsar, traxit senectâ donec mortem

obiret.

obiret. nam Celer interfecto Silano Asiæ proconsule, magnitudine sceleris cætera flagitia obtegebat. [*Tacit. lib.* 13. *cap.* 33.]

Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum fœdúmque, & idem jus audaciæ in provinciâ ratum, quod in Urbe exercuerat. Sed pervicaci accusatione conflictatus, postremò defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus est. [*Id. ibid.*] quò (ex *Lipsio*) referendum *Juvenalis* illud, in Satyrâ 8.

——— quàm fulmine justo
Et Capito & Tutor merito damnante Senatu,
Piratæ Cilicum.

& Quintiliani, lib. 6. cap. 1. *Egregiè nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Græcè quidem, sed in hunc sensum.* Erubescit Cæsarem timere.

Pro Eprio Marcello, à quo Lycii res repetebant, eò usque ambitus prævaluit, ut quidam accusatorum ejus exilio mulctarentur, tanquam insonti periculum fecissent. (*Tacit. lib.* 13. *cap.* 33.)

4061 Mollibus adhuc initiis prolatarum inter Parthos Romanósque de obtinendâ Armeniâ bellum, acriter erupit: quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridatem dari à se regni expertem esse, aut alienæ id potentiæ donum habere; & Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim à Lucullo Pompeióque recipere. Ad bellum id Corbulo militem priscâ severitate & disciplinâ formavit, Armeniámque ingressus castella aliquot excîdit, & urbem Artaxata succendit, Tiridate prælium inire non ausо. [*Tacit. lib.* 13. à *cap.* 34. *ad* 41.] 4771 58

Ex Judæis exorcistæ septem, filii Scevæ primarii Sacerdotis, nomen Jesu super eos qui spiritus malos habebant invocantes, adjurabant eos per Jesum quem Paulus prædicabat. In quos insiliens Energumenus, vulneratos ex domo nudos fugere coëgit. Quod cùm innotuisset omnibus tum Judæis tum Græcis qui habitabant Ephesi; metus in eos omnes incidit, & magnificabatur nomen Domini Jesu. Et multi eorum qui crediderant, veniebant confitentes & indicantes acta sua. Multi quoque ex iis qui curiosa exercuerant, comportatos libros exusserunt in omnium conspectu: quorum supputatis pretiis, inventa sunt denariorum 50. millia. Ita fortiter crescebat verbum Domini, & invalescebat. (*Act.* XIX. 13,–20.)

Galatæ, citò post Pauli ab eis discessum, (*Act.* XVIII. 23.) à falsis fratribus seducti, per opera Legis justificandos se putabant: quos, vehementiore hâc de re scriptâ ad eos epistolâ, ille ab errore revocat. (*Galat.* I. 6, 7.)

4062 Induxit in animum Paulus peragratâ Macedoniâ & Achaiâ proficisci Hierosolymam; Romam etiam inde dicens videre se oportere. [*Act.* XIX. 21.] Et quidem primò Corinthum venire proposuit, inde in Macedoniam proficisci, ex Macedoniâ rursùs Corinthum, atque inde Judæam petere. (II *Corinth.* I. 15, 16.) ubi quum Collectas ex Macedoniâ & Achaiâ mittendas pauperibus Sanctis Hierosolymæ consignavisset, Romam illinc proficisci instituit, atque inde iter facere in Hispaniam. [*Rom.* XV. 24,–28.] 4772 59

Hæc animo Paulus agitans, missis in Macedoniam Timotheo & Erasto, ipse substitit ad tempus in Asiâ. (*Act.* XIX. 22.) Lydiacâ sc. in quâ per urbes Epheso vicinas Evangelium prædicavisse videtur, novem adhuc mensium spatio: qui biennio quo in schola Tyranni, & tribus mensibus quibus priùs in Synagogâ Ephesi ille docuerat, additi *triennium* conficient, quo in Asiâ se laboravisse ipse indicat, (*Act.* XX. 18, 31.) ostio illi aperto magno, licèt multis oppositis adversariis, (I *Corinth.* XVI. 9.)

Solis defectum Vipsanio & Fonteio Consulib. pridie Kalendas Maias, Campania horâ diei inter septimam & octavam sensit: Corbulo dux in Armeniâ inter horam diei decimam & undecimam prodidit visum. (*Plin. lib.* 2. *cap.* 70.) Romæ, ira ut stellæ viderentur, eclipsis hæc conspecta est in mediis sacrificiis, quæ Agrippinæ causâ (à filio Nerone interemptæ) decreto Senatûs fiebant. [*Xiphilin. ex Dione: cum Tacito, lib.* 14. *cap.* 12.]

4063 Orto in Ecclesiâ Corinthiacâ schismate (quod Paulo ab iis qui erant è domo Chloës est indicatum) Pauli quibusdam se esse dicentibus, quibusdam Apollo, quibusdam Cephæ, quibusdam Christi; (I *Corinth.* I. 11, 12. & III. 3, 4.) Apollos cum aliis fratribus Corinthiis ad Paulum in Asiam profectus est. [*Ibid.* XVI. 12.] per quos ad Apostolum scribentes Corinthii, de causâ conjugii & cœlibatûs illum consuluerunt. (*Ibid.* VII. 1.)

Paulus, cum Sosthene archisynagogo illo Corinthio ad fidem Christi converso, (absente tum Timotheo; I *Cor.* XVI. 10. *cum Act.* XIX. 22.) ex Asiâ (Lydiacâ, ubi tum erat) priorem ad Corinthios epistolam per Stephanam, Fortunatum & Achaicum (ab ipsis ad visendum Apostolum missis) scripsit; Apollo cum eis tam citò redire renuente. [I *Cor.* I. 2. XVI. 12, 17, 19.]

In eâ epistolâ, incestuosum Corinthium, qui patris uxorem duxerat, Satanæ tradi jubet. (*cap.* V.) Et errores qui in ipsorum Ecclesiam irrepserant corrigit; tum practicos, tum summum illum dogmaticum (ex Sadducæorum lacunis haustum) futuram Resurrectionem negantem, [*cap.* XV.] ipse se ad eos venturum significans, & quæ supererant ordinaturum, [*cap.* IV. 18, 19. & XI. 34.] quum pertransiret Macedoniam: sed priùs Ephesi, usque ad Pentecosten, [XVI. 5, 6, 7.] permansurum. (*cap.* XVI. 5,–8.) Quod tamen illius consilium inopinatus quidam casus statim interrupit.

Demetrius enim argentarius, qui fabricabat templa Dianæ argentea, metuens suo quæstui, istiusmodi rerum opificibus Ephesi congregatis, tumultum in Paulum excitavit; ut qui non Ephesiis solùm sed etiam totius penè Asiæ turbæ persuaderet, deos illos non esse qui manibus fiant. Qui correpto Gaio & Aristarcho Macedonibus, sociis peregrinationis Pauli, irruerunt in theatrum: sed ipsum Paulum contendere eò volentem discipuli, & quidam ex Asiarchis (spectaculorum in theatro exhibendorum curatoribus) amici ejus, ad populum eum prodire non

siverunt. Alexandro verò Judæo defensione apud populum uti parante, vox una facta est omnium quasi ad horas duas clamantium: *Magna Diana Ephesiorum.* Tandem tumultu scribæ civitatis prudentiâ sedato, Paulus convocatis discipulis valedicens, abiit profecturus in Macedoniam. [*Act.* XIX. 24,-41. & XX. 1.]

Epheso quoque Aquila & Priscilla profecti, Romam sunt reversi: postquàm pro Pauli salute suam ipsorum cervicem supposuissent. [*Rom.* XVI. 3, 4. *cum* I. *Corinth.* XVI. 19.] Judæis, Claudii de eorum expulsione edicto post mortem illius exolescente, passim Romam redeuntibus. [*Act.* XXVIII. 17, 21.]

Epheso in Troadem veniente Paulo, etiamsi ostium apertum illi esset per Dominum ad prædicandum Evangelium Christi, turbatus tamen quòd ibi non invenisset Titum (quem cum alio fratre ad Corinthios ille miserat.) navigavit inde in Macedoniam. [II *Corinth.* II. 12, 13. *cum* XII. 18.] quam perambulans, multo sermone fratres est exhortatus. [*Act.* XX. 2.]

Et quum ibi afflictio ejus se non remitteret, sed foris essent pugnæ, intùs terrores; consolationem ei attulit adventus Titi, atque lætus quem de Corinthiorum statu ille attulit nuncius. [II *Corinth.* VII. 5,-16.] Quorum exemplo Macedonas etiam provocavit ad expediendas Collectas Hierosolymam mittendas; ab anno superiore paratam Achaiam fuisse dicens. [*Ibid.* IX. 2.] eóque exemplo illi commoti, in multâ probatione afflictionis etiam supra vires suas liberales se præstiterunt. [*Ibid.* VIII. 1,-5.]

Apostolus, per Titum de successu prioris epistolæ edoctus, posteriorem ad Corinthios, simul cum Timotheo, scripsit epistolam: in quâ, summâ illâ, quam in Asiâ (Demetrio procurante) nuper pertulerat, afflictione commemoratâ, se idcircò ad eos, sicuti proposuerat, non venisse protestatur, ut eis parceret. [*cap.* I. 8, 9, 17, 23.] incestuoso illi resipiscenti veniam dari obsecrat. [*cap.* VI. 5,-11.] misso ad eos iterùm Tito, unà cum alio fratre cujus laus erat in evangelio per omnes Ecclesias, (qui *Lucas* fuisse existimatur) ut Collectæ Hierosolymam mittendæ in promptu essent, quum ipse eò veniret. [*cap.* VIII. 16,-19. & IX. 3, 4, 5.] 4773 60

Ex Macedoniâ in Græciam profectus Paulus, tres menses ibi peregit. [*Act.* XX. 2, 3.] Intra quos Corinthum ille veniens, eleemosynas ad sublevandos fideles Hierosolymitanos in Achaiâ collectas recepit. [I *Corinth.* XVI. 3, 4, 5. *cum* II *Corinth.* IX. 4.]

Corintho scriptam fuisse insignem illam ad *Romanos* epistolam, in Præfatione ad illius explicationem pluribus confirmat *Origines*: dictatam quidem à *Paulo*, scriptam manu *Tertii*, missam per *Phœben* diaconissam Ecclesiæ Cenchreensis, juxta Corinthum; [*Rom.* XVI. 1, 2, 22.] quo tempore cum Collectis Macedoniæ & Achaiæ profecturus erat Apostolus Hierosolymam. [*Rom.* XV. 25, 26.]

Quum verò Apostolus rectà inde in Syriam solvere, ut Collectas illas Hierosolymam deferret, in animo haberet; à Judæis illi navigaturo factæ sunt insidiæ. Unde, quâ venerat viâ, in Macedoniam redeundum ille censuit; Indéque in Asiam (propriè dictam) transeundum. (*Act.* XX. 3, 4.]

Philippis in Macedoniâ præmisit ille in Asiam itineris comites, Sopatrem sive Sosipatrem (*Rom.* XVI. 21.) Beræensem, Aristarchum & Secundum Thessalonicenses, Gaium Derbensem & Timotheum, cum Asianis Tychico & Trophimo: qui expectarunt illum Troade. Ipse verò, cum Lucâ & reliquis, post dies Azymorum Philippis solvens, venit ad eos Troadem intra dies quinque: ibique commoratus est dies septem. [*Ibid.* 4, 5, 6.]

Die octavo, qui hebdomadis fuit primus, congregatis discipulis ad frangendum panem, Paulus differebat cum eis abiturus postridie, produxitque sermonem usque in mediam noctem, ubi Eutychum adolescentem ex tertiâ contignatione, in cœnaculo ubi erant congregati, deorsùm decidentem vitæ restituit. [*Ibid.* 7,-12.]

Hinc iter pedibus confecit Paulus Assum usque: ubi Lucas & reliqui socii, navigio eò pervenientes, eum receptum Mitylenen deduxerunt. Et quum illinc enavigassent, sequenti die pervenerunt è regione Chii, postridie verò appulerunt Samum: & quum diversati essent apud Trogyllium, sequenti die venerunt Miletum. [*Ibid.* 13, 14, 15.]

Festinabat verò Paulus ut, si fieri posset, die Pentecostes esset Hierosolymis. Ephesum igitur prætervavigare volens, ne tempus tereret in Asiâ, missis Mileto nunciis Ephesum, Presbyteros Ecclesiæ eò accersivit: quos gravissimâ oratione de officio admonuit, & ad illud gnaviter faciendum hortatus est serio. Tum positis genibus suis, oravit cum illis: flentibus omnibus & maximè dolentibus, quòd dixisset, (ita enim futurum ille tum putabat) ipsos non esse ampliùs faciem ejus conspecturos. (*Ibid.* 16.-38.)

Troade profecti recto cursu venerunt Coum, & sequenti die Rhodum, & illinc Patara. Tum conscensâ navi quæ trajiciebat in Phœniciam, prætervegentes Cyprum, eâque ad lævam relictâ, venerunt Tyrum. (*Act.* XXI. 1, 2, 3.)

Ibi permanserunt dies septem, inventis discipulis, qui Paulo dicebant per Spiritum, ne ascenderet Hierosolymam. Ille verò, positis genibus in littore orans cum eis, conscensâ navi, Tyro delatus est Ptolemaidem: & salutatis ibi fratribus, postridie venit Cæsaream (Straronis.) Ubi quum complures dies permansisset cum Philippo evangelistâ, qui unus erat ex illis septem, (*Act.* VI. 5.) & filias habuit quatuor virgines prophetantes, adveniens ex Judæâ propheta Agabus, & Pauli zonâ manus ac pedes sibi vinciens, vincula quæ illum manebant Hierosolymis prædixit. Qui cùm à fratribus persuaderi sibi non pateretur, ne in tam præsens discrimen se conjiceret, Hierosolymam perrexit: comitantibus eum ex Cæsareâ discipulis, & adducentibus apud quem diversaretur, Mnasonem Cyprium, antiquum discipulum. (*Ibid.* 4,-16.]

Hic ab Ecclesiâ libentissimè exceptus, Jacobi & omnium Hierosolymitanorum Presbyterorum consilio, ad eluendam quæ de eo sparsa erat calumniam, (eum nempe docere atque

hortari

hortari Judæos in Christum credentes, quorum aliquot tum erant myriades, ut ab observatione Legis Mosaicæ recederent) quatuor viris qui ex fidelibus Judæis votum Nazareatûs fecerant se adjunxit; cum iis secundùm Legis præscriptum se purificans. Neque tamen eo promovit quidquam. Quum enim eum in Templo vidissent nonnulli ex incredulis & rebellibus Judæis Asiaticis (qui Hierosolymam ad festum ascenderant) magnis clamoribus & vociferatione turbas concitaverunt; confecto crimine, quòd introducto in Templum Trophimo Gentili Ephesio, illud polluisset. Cúmque prope esset ut ab iis per tumultum trucidarétur, superveniente Tribuno (Claudio Lysiâ) cum cohorte, ereptus est ex eorum manibus & ductus in castra. Ubi, permittente Tribuno, concionem ad tumultuantem populum linguâ Hebræâ habuit. [*Ibid.* 17,-40.]

Pauli oratione Judæis exacerbatis & vehementiùs adversùs eum exclamantibus, tribunus Lysias virgis examinari jubet: à quo supplicio, Romanum se civem esse declarans, liberatus est. Cúmque vellet Tribunus certò scire cujus criminis accusaretur ille à Judæis; posterâ die primarios Sacerdotes totúmque ipsorum Synedrium venire jussit, ac Paulum vinculis solutum coram eis statuit. [*Act.* XXII.]

Paulum coram Synedrio causam dicere incipientem Ananias Pontifex (Nebedæi filius: qui licèt summo Sacerdotio privatus, Synedrii tamen Præses fuisse videtur; ut ante eum Annas sive Ananus, Caiphæ socer) in os cædi jubet: à Paulo idcircò, *paretis dealbati* nomine acriter objurgatus. Pharisæum deinde se esse Paulo proclamante, & de spe resurrectionis mortuorum in judicium vocari; dissensio inter Sadducæos qui accusabant, & Pharisæos qui eum excusabant, orta est. Metuens verò Tribunus ne ab illis inter contendendum discerperetur, Paulum è medio ipsorum per milites in castra ducendum curavit. Cui sequente nocte apparens Dominus, subtristem consolatur & animat ad majora; prædicens & Romæ eum de ipso esse attestaturum. [*Act.* XXIII. 1,-11.]

Orto autem die, ex Judæis zelotis plures quàm 40 seipsos devoverunt, neque esturos neque bibituros, usquequo interemissent Paulum. Quorum insidias à sororis Pauli filio rescisens tribunus Lysias, tertiâ horâ noctis Paulum militum satellitio septum ad Felicem provinciæ Præsidem misit: à quibus eâ nocte Antipatrida, & postero die Cæsaream est deductus; ubi jussus est à Felice in prætorio Herodis custodiri. [*Ibid.* 12,-35.] Quæ omnia intra unius hebdomadæ spatium peracta fuisse, ex Act. XXIV. versiculis 1. & 11. inter se collatis, intelligitur.

Post quinque dies ab Ananiâ Pontifice & Senioribus per Tertullum oratorem Cæsaream apud Præsidem accusatus Paulus, à falsis eorum criminationibus se purgavit; 12 post vim ipsi in Templo illatam diebus, quum jam *à multis annis* Felix Judæis præfuisset: (utpote qui decimum gubernationis illius annum tùm ageret.) Ille verò, his auditis, judicium in aliud tempus distulit: edicens Centurioni ut servaretur Paulus, ac laxaretur, & ne quis prohiberetur ex ipsius familiaribus ei ministrare aut eum adire. [*Act.* XXIV. 1,-23.]

Aliquot pòst diebus quum advenisset Felix cum Drusillâ uxore suâ, quæ erat Judæa, (sorore Agrippæ regis: (alia à Drusillâ Felicis uxore alterâ, Jubæ Mauritaniæ regis filiâ, Antonii & Cleopatræ nepte) accersivit Paulum: & tum de fide Christi, tum de justitiâ & continentiâ & judicio futuro differentem tremens audiit. Simul etiam sperans, Paulum pecuniâ sese redempturum, crebriùs colloquebatur cum eo. toto biennio in vinculis eum detinens. [*Ibid.* 24,-27.]

Corbulo Tigranocerta in deditionem accepit, & totam Armeniam subjugavit. [*Tacit. lib.* 14. *à cap.* 23. *ad* 26.]

Tigranes Alexandri (filii Alexandri illius qui à patre Herode Magno necatus est) & Glaphyræ (filiæ Archelai regis Cappadocum) filius, qui diu Romæ obses usque ad servilem patientiam derectus fuerat, in Armeniam ut regnum capesseret à Nerone missus est. Ibi omnium consensu ille non est acceptus: durante apud quosdam favore Arsacidarum. At plerique superbiam Parthorum perosi, datum à Romanis regem malebant. Additum & præsidium, mille legionarii, tres sociorum cohortes, duæque equitum alæ; quo facilliùs novum regnum tueretur. Pars Armeniæ ut cuique finitima, pars Nipoli (Thrascypoli,) Aristobulo atque Antiocho parêre jussæ sunt. [*Id. ibid. cap.* 26. *cum Josepho, lib.* 18. *cap.* 7. *fin.*]

Corbulo in Syriam abscessit, morte Vinidii (Numidii) Quadrati legati vacuam, ac sibi permissam. [*Tacit. lib.* 14. *cap.* 26.]

Eodem anno ex illustribus Asiæ urbibus, Laodicea tremore terræ prolapsa, propriis opibus revaluit. [*Id. ibid. cap.* 27.]

4064 Tarquitius Priscus repetundarum damnatus est, Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, qui accusatum ab eo Statilium Taurum proconsulem ipsius meminerant. [*Id. ibid. cap.* 46. *cum lib.* 12. *cap.* 59.] 4774 61

Apud Cæsaream Stratonis inter Judæos & Syros habitatores de pari jure civitatis contentione exortâ, Judæi freti divitiis per contumeliam Syros lacessebant convitio. Qui tametsi inferiores quod ad facultates attinet, ferocientes tamen eo quòd plurimi Romanis per ea loca militantium Cæsarienses essent & Sebasteni patriâ, aliquantisper & ipsi regerebant in Judæos convicia. Deinde ad lapides ventum est, ita ut multi utrinque sauciati caderent: penès Judæos tamen fuit victoria. Quos cùm Felix prosiliens rogaret ut desinerent, nec illi parêrent, immissis armatis militibus multos eorum interemit, plures captivos fecit: & multas eorum domos divitiis refertas in prædam concessit militibus. Judæorum verò honoratiores ac modestiores sibi ipsis timentes rogaverunt Felicem ut militibus receptui caneret, parceretque jam, & retinendi facultatem concederet: id quod Præses indulsit eorum precibus. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 6.]

Per idem tempus Agrippa rex summum sacerdotium Ismaëli contulit Phabei filio. Ipsi verò summi pontifices dissidere cœperunt à sacerdotibus & primatibus Hierosolymitanorum civium,

ſingulique incedebant ſtipati manu audaciſſimorum & ſeditioſorum hominum ; conflictantcique inter ſe mutuis certabant convitiis & lapidationibus: nec erat qui compeſceret, quaſi vacante urbe magiſtratibus. In tantum autem exarſit ſummorum pontificum impudentia, ut auderent ſervos ſuos in areas mittere, qui auferrent debitas ſacerdotibus decimas; aliquótque pauperiores è ſacerdotum ordine alimentorum inopiâ fame deficerent. Tanto plus tum pollebat violentia ſeditioſorum quàm juſtitia. [*Id. ibid.*]

4065 Marcus evangeliſta, qui primus Alexandriæ Chriſtum annunciavit, 8° Neronis anno mortuus eſt, & Alexandriæ ſepultus. [*Hieronym. in Scriptor. Eccleſiaſtic. Catalogo.*] Poſt quem, Alexandriæ presbyteri unum ex ſe electum, in celſiori gradu collocatum Epiſcopum nominârunt : quo modo ſi exercitus Imperatorem faciat ; aut diaconi eligunt de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent. [*Id. in epiſt.* 85. *ad Evagrium.*] Elegerunt autem Anianum, virum tum Deo propter pietatem charum, tum in omnibus rebus admirabilem : qui poſt Marcum primus Eccleſiæ Alexandrinæ per annos 22. Epiſcopus præfuit ; ab 8° Neronis anno, uſque ad Domitiani quartum. [*Id. in Catalogo : cum Euſebio, in Chronico, & Eccleſiaſt. hiſtor. lib.* 2. *cap.* 23. *nap. ad. & lib.* 3. *cap.* 12. *nap. ry.*]

Vologeſes Parthorum rex Tiridatem fratrem Armeniâ pulſum reſtituere conatus, alium exercitum in Armeniam, alium in Syriam ducit; Corbulo partem ſui exercitûs Tigrani Armeniæ regi mittit; ipſe arcet Parthos à Syria, & minis efficit ut Parthus omiſſo bello legatos de pace mitteret : qui re infectâ à Nerone dimittuntur, & Cæſennius Pætus tuendæ Armeniæ præponitur. [*Tacit. lib.* 15. *à cap.* 1. *ad* 7.] 4775 62

Felix, ſeditionem inter Judæos & Syros Cæſarienſes adhuc manere videns, nobiles utriuſque partis electos, legatos miſit ad Neronem, de jure ſuo diſceptaturos. [*Joſeph. lib.* 2. *Belli, cap.* 12. *nap. ry.*] Idemque ſacerdotes quoſdam, viros honeſtos & bonos, ob levem quandam culpam vinctos Romam miſit, acturos cauſam ſuam apud Cæſarem. [*Id. in lib. de Vitâ ſuâ.*] Idémque Paulum apoſtolum, toto biennio Cæſareæ in vinculis detentum, ut gratiam iniret à Judæis, vinctum ibi reliquit, quum à Nerone ſucceſſorem in provinciâ accepiſſet Porcium Feſtum. [*Act.* XXIV. 27.]

Feſtus ingreſſus provinciam, triduo pòſt aſcendit Cæſareâ Hieroſolymam. Apud quem cùm Pontifex & primarii ex Judæis Paulum accuſarent, rogantes ut Cæſareâ Hieroſolymam adduceretur, animo eum ex inſidiis in itinere interficiendi ; renuens Feſtus, juſſit Pauli accuſatores venire Cæſaream. Commoratus autem Hieroſolymæ dies non ampliùs quàm decem, deſcendit Cæſaream : & poſtero die ſedens pro Tribunali audivit Judæos Paulum accuſantes, & Paulum ab eorum accuſatione ſe purgantem. Qui Judæis gratificari volens, interrogavit Paulum num vellet Hieroſolymæ coram ſe eâ de re de quâ poſtulabatur judicari. Paulus qui intelligebat quo animo & conſilio Feſtus id rogaret, & metuens ſibi à Judæorum inſidiis, eò proficiſci renuit, & Cæſarem appellavit : eámque appellationem Feſtus, cum concilio collocutus, admiſit. [*Act.* XXV. 1,-12.]

Diebus aliquot tranſactis, Agrippa rex & Bernice (ſoror ejus) novi Præſidis ſalutandi cauſâ Cæſaream venerunt. Et quum dies complures illic eſſent commorati, Feſtus incertus quid de Paulo ad Cæſarem ſcriberet, Agrippam eâ de re conſuluit. Qui cùm libenter ſe hominem audire velle dixiſſet : poſtero die, Agrippâ & Bernice cum multâ pompâ in auditorium ingreſſis, unà cum Tribunis & eminentibus ejus urbis civibus, Paulus catenâ vinctus coram eis, jubente Feſto, productus eſt. [*Ibid.* 13,-27.] Qui luculentâ oratione coram eis habitâ innocentiam ſuam ita probavit, ut licèt Præſidi hujuſmodi rerum penitùs ignaro inſanire videretur, Regi tamen in Scripturis exercitato propè perſuaſerit ut fieret Chriſtianus ; totiúſque conſeſſûs judicio exiſtimaretur nihil morte aut vinculis dignum ipſum feciſſe, ac propterea ſolvi potuiſſe niſi Cæſarem appellâſſet. (*Act.* XXVI.)

Primores Judæorum Cæſaream incolentium Romam profecti ſunt, Felicem accuſaturi : dediſſetque omninò pœnas injuriarum quibus Judæos affecerat, niſi Nero eum donâſſet Pallantis fratris precibus, qui tùm in pretio erat apud Principem. [*Joſeph. lib.* 20. *cap.* 7.] quanquàm ipſe poſtea Pallas, *quòd immenſam pecuniam longâ ſenectâ detineret*, eodem hoc anno veneno à Nerone interfectus fuiſſe credatur. [*Tacit. lib.* 14. *cap. ult.*]

Cæſarienſium Syrorum duo præcipui Beryllum, qui pædagogus Neronis fuerat, tunc verò Græcis epiſtolis ſcribendis præerat, magnâ pecuniâ corruperunt ut impetraret ab Imperatore litteras, quibus abrogaretur Judæis ejus civitatis jus, hactenùs commune ex æquo cum Syris cohabitatoribus : id quod ille facilè obtinuit. Quod ubi Judæi Cæſarienſes cognoverunt ; in ſeditionibus uſque ad initium belli Judaici (hinc præcipuè conflati) perſtiterunt. [*Joſeph. lib.* 20. *cap.* 7.]

Veniens in Judæam Feſtus, offendit totam afflictam à latronibus vicos paſſim populantibus : quorum ferociſſimi, qui ad maximum numerum tunc excreverant, Sicarii appellabantur, à ſicis, id eſt, gladiolis inſtar acinacis Perſici incurvis ; quibus, immixti turbæ (ut dictum eſt) feſtis diebus Hieroſolymam religionis gratiâ confluenti, nullo negotio quotquot collibuiſſet tollebant de medio. Qui etiam aliquando armati invadebant inimicorum vicos, direptóſque tradebant incendio. [*Id. ibid.*] Eos ſolicitè perſecutus Feſtus, latronum plurimos comprehendit, ac non paucos interfecit. [*Id. lib.* 2. *Belli, cap.* 12. *fin. nap. ad. init.*]

Quum decretum eſſet ut Romam ad Cæſarem Paulus mitteretur, traditus eſt cum quibuſdam aliis vinctis Julio centurioni cohortis Auguſtæ : qui eum navi Adramyttenæ Aſiam petenti impoſuit ; comitante eum, præter Timotheum & Lucam, etiam Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi. Sequenti autem die devecti ſunt Sidonem : ubi Julius humaniter tractato Paulo, permiſit ut ad amicos profectus ab illis curaretur. Illinc provecti ſublegerunt Cyprum, quòd venti eſſent adverſi.

Et

Et pelagus quod eſt ſecundùm Ciliciam & Pamphyliam ementi, devenerunt Myra urbem Lyciæ: ubi cùm inveniſſet Centurio navem Alexandrinam, cujus inſigne fuit Caſtor & Pollux, petentem Italiam, impoſuit illi captivos. Quúmque multis diebus tardè navigantes vix perveniſſent ſecundùm Cnidum, ſublegerunt Cretam ſecundùm Salmonem: & illum vix præterlegentes, pervenerunt ad Pulchros portus in Cretâ inſulâ. [*Act.* XXVII. 1,-8.]

4066 Quum Jejunium (ſolenne *Expiationis* illud, menſis 7. die 10. à Judæis quotannis celebrari ſolitum) jam præteriiſſet, & periculoſa navigatio eſſe inciperet; futura damna Paulus prævidens, ut iſthic hyemarent conſuluit. Sed quum portus ille ad hyemandum parùm commodus videretur, in alio potiùs Cretæ portu, Phœnice dicto, hyemare decreverunt. Cúmque illuc tenderent, aſpirante primùm Noto, ſed mox orto vento turbulento qui Euroclydon vocatur, ad Claudam parvam inſulam ſunt delati. Inde abrepti, & vehemente tempeſtate jactati, jacturam fecerunt; ac tertio die ipſi ſuis manibus armamenta navis abjecerunt: per complures dies neque Sole neque ſideribus apparentibus. Ablatâ verò in poſterum ſpe omni ſalutis, ab Angelo per noctem revelatum eſt Paulo, ſiſti opportere eum Cæſari, & donaviſſe ei Deum omnes qui navigabant cum ipſo. Nocte igitur quadrageſimâ, quum jactarentur in Adriâ, ſuſpicabantur nautæ appropinquare ſibi aliquam regionem: quam poſteà compererunt eſſe Melitam inſulam. Eò appellere illis conantibus, navis vi procellarum diſſoluta periit: homines verò partim enatantes, partim tabulis & fragmentis navis ſubvecti, ſalvi in terram omnes evaſerunt. (*Ibid.* 9,-44.)

Naufragi à Melitæ incolis humaniſſimè excepti ſunt: qui accenſâ pyrâ ad eorum veſtes ſiccandas, cùm Paulus juxta focum ſtans viperam manu excuſſiſſet in ignem ſine damno, rapti in admirationem eum Deum eſſe dicebant. Hîc per tres dies apud Publium inſulæ primarium diverſati ſunt: cujus pater febri cum dyſenteriâ laborans à Paulo ſanatus eſt, cæteríque quotquot in inſulâ fuerunt ægri morbo levati ſunt. [*Act.* XXVIII. 1,--9.]

Ceſennius Pætus, necdum ſatis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ proviſu, rapiens exercitum trans montem Taurum, caſtella quædam & prædæ nonnihil cepit. Longinquis verò itineribus percurſando quæ obtineri nequibant corrupto qui captus erat commeatu, & inſtante jam hyeme, reduxit exercitum. compoſuítque ad Cæſarem litteras, quaſi confecto bello, verbis magnificis, rerum vacuas. [*Tacit. lib.* 15. *cap.* 8.]

Interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus inſidiis inſedit; & Vologeſem ab invadendâ Syriâ abſterruit. Vologeſes autem in Pætum verſus, ita eum preſſit, ut ad turpe fœdus eum coëgerit: cujus Monobazus Adiabenus teſtis eſt adhibitus. Dirutáque quæ ultra Euphratem communierat Corbulo, & Armenii ſuo arbitrio relicti ſunt. At Romæ trophæa de Parthis, arcúſque medio Capitolini montis ſiſtebantur: decreta à Senatu integro adhuc bello; neque tum omiſſa, dum aſpectui conſulitur, ſpretâ conſcientiâ. [*Id. ibid. à cap.* 9. *ad* 18.]

Paulus & comites, multis honoribus à Melitenſibus affecti & iis quæ uſui erant neceſſaria inſtructi, tribus poſtquàm ad eos advenerant menſibus conſcenſâ navi Alexandrinâ quæ in inſulâ hyemaverat, cui erat inſigne Caſtor & Pollux, Syracuſa ſunt devecti: ubi manſerunt triduum. Unde circumlegentes devenerunt Rhegium: & poſt unum diem ſuperveniente Auſtro, ſecundo die venerunt Puteolos. Ubi repertis fratribus, rogati ſunt ut permanerent apud eos diebus ſeptem: & ita contenderunt Romam. [*Act.* XXVIII. 10,-14.] anno imperii Neronis 9°. 4776 63

Româ fratres in occurſum Paulo prodierunt uſque ad Appii forum & tres Tabernas. Quum Romam verò eſt perventum, centurio tradidit vinctos Præfecto Prætorii: permiſſúmque eſt Paulo, ut habitaret ſeorſim, cum milite qui ipſum cuſtodiret. Tertio pòſt die Judæorum primos qui Romæ erant convocans, expoſuit eis cauſam cur Romam vinctus miſſus eſſet, Cæſaremque appellare coactus fuiſſet: cúmque illi negarent ſe litteras ullas de eo ex Judæâ accepiſſe, ſed hæreſi iſti ubique contradici dicerent; die conſtitutâ venientibus ad eum in hoſpitium eorum compluribus Chriſtum ex Lege & Prophetis annunciavit à mane uſque ad veſperam. Et quidam aſſentiebantur iis quæ dicebantur, reliqui verò increduli permanſerunt: quibus poſtquàm ex Eſaiâ ſuum recitaſſet judicium, iſtis relictis ad Gentes ſe convertit. Manſítque *biennium* totum in proprio conducto: & excipiebat omnes qui ad ipſum ingrediebantur; prædicans regnum Dei, ac docens quæ ſunt de Domino Jeſu Chriſto cum omni dicendi libertate, nemine prohibente. [*Act.* XXVIII. 14,-31.]

Oneſiphorus Epheſius Paulum Romæ ſtudioſiſſimè quæſitum invenit & recreavit. [II. *Timoth.* I. 16, 17.]

Principio veris legati Parthorum mandata regis Vologeſis litteráſque Romam attulerunt, Armeniam (quam jam eripuerant) ſibi dari, & pacem confirmari petentes. Sed utroque illis negato, Syriæ exſecutio Cintio (ut Præſidi) copiæ militares Corbuloni, permiſſæ ſunt; & quintadecima legio, ducente Mario Celſo, è Pannoniâ adjecta eſt. Juſſi quoque ſunt tetrarchæ ac reges, præfectíque & procuratores, & qui prætorum finitimas provincias regebant, Corbuloni obſequi: in tantum fermè modum auctâ poteſtate, quem populus Romanus Cn. Pompeio bellum Piraticum geſturo dederat. Regreſſum verò Pætum, cùm graviora metueret, facetiis inſectari ſatis habuit Nero: ignoſcere ſe ſtatim dicens, ne tam promptus in pavorem longiore ſolicitudine ægreſceret. [*Tacit. lib.* 15. *cap.* 24. & 25.]

Corbulo, luſtrato exercitu, in Armeniam profectus eſt: cui legati Vologeſis obviam venerunt, pacem petituri. Tiridates verò in caſtra Romana venire coactus, detractum diadema Neronis imagini ſubjecit, atque ut idem ab eo reſumeret ipſe ad eum Romam proficiſci pactus eſt: hâc tamen conditione, ut priùs ſuos fratres & familiam conveniret. Obſidem interea filiam tradidit, litteráſque ſupplicatorias ad Neronem: & digreſſus Pacorum apud Medos, Vologeſem Ecbatanis repperit. [*Id. ibid. à cap.* 26. *ad* 31.]

In Judæâ Festus equestres & pedestres copias misit contra quendam impostorem magum, qui homines post se trahebat in solitudinem, deceptos vanis promissis; quasi ope ejus incolumes evasuri essent à malis omnibus. Hi universi unà cum seductore ab immissis militibus oppressi sunt. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 7.]

Eodem tempore Agrippa rex extruxit insigni amplitudine domum prope porticum in regiâ Hierosolymitanâ quæ Hasmonæorum fuerat, suam in edito loco, unde amœnissimus prospectus patebat contemplari urbem volentibus. Hierosolymitani verò proceres, indignissimè ferentes sacrificia & alia quæ in templo agerentur è privatâ domo spectari, altum parietem excitaverunt, quo non solùm arcebatur prospectus ille domûs regiæ, sed & occidentalis extra templum sitæ porticûs, in quâ Romani milites festis diebus stationes habebant ad templi custodiam. Quo facto tam Rex offensus est, quàm Festus præses provinciæ. Eo verò jubente parietem dirui, Hierosolymitani, licentiâ ab illo impetratâ, legatos hâc de re miserunt ad Neronem decem cives eximios; unà cum Ismaële summo Pontifice, & Chelciâ custode sacri erarii. Legatione auditâ, Nero non modò Hierosolymitanis ignovit, sed permisit etiam sic manere parietem; gratificatus in hoc uxori suæ Poppææ, quæ Judaicæ religioni favens pro Judæis deprecatrix fuerat: quæque decem illos viros redire permisit, Chelciâ & Ismaële tanquam obsidibus apud se detentis. Id postquàm Agrippa rescivit, Pontificatum Ismaëli ademptum Josepho cognomine Cabi, Simonis summi quondam Pontificis filio, detulit. [*Id. ibid.*]

Josephus Matthiæ filius, audiens familiares sibi Sacerdotes vinctos à Felice Romam missos ne in calamitate quidem constitutos curam pietatis abjecisse, & ficubus eos atque nucibus vitam sustentare, ut aliquo pacto liberaret, Romam ætatis annò 26°. exacto profectus est, multis in mari exhaustis periculis. Mersâ enim nave in medio mari Adriatico, ex 600 circiter qui per totam noctem nataverant, 80 fermè, feliciore usi natatu, in navem Cyrenaicam recepti & servati sunt. Inter quos Josephus, terræ redditus, Dicæarchiam sive Puteolos (ut Itali vocare malunt) veniens, familiaritatem contraxit cum Aliturio mimorum actore, qui Judæus genere Neroni charus erat. Per hunc ubi Poppææ Augustæ innotuit, absolutionem illis Sacerdotibus per eam confestim impetravit. [*Id. in lib. de Vitâ suâ.*]

Festo in provinciâ mortuo Nero successorem in Judæam misit Albinum. Rex verò Agrippa summum Sacerdotium Josepho ademptum Anano dedit Annæ sive Anani illius filio, qui ipse priùs summo Pontificatu ad satietatem potitus, filios habuit quinque eâdem dignitate perfunctos: quod ad eam ætatem nulli antè summorum Pontificum contigerat. [*Id. lib.* 20. *cap.* 8.]

Ananus novus Pontifex, ex sectâ Sadducæorum, audax & ferox ingenio, tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo & Albino adhuc agente in itinere, Concilium judicum advocavit: statutúmque coram eo Jacobum fratrem Jesu, & unà quosdam alios, impietatis accusatos, lapidandos tradidit. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 8.] Jacobum hunc fratrem Domini tempore Paschatis è pinnâ Templi dejectum Judæos lapidibus obtrivisse, atque unum eorum qui fullo erat, vecte quo vestes premere solebat in caput ejus impacto, vitam illi eripuisse; ex libro 5°. Historiæ Hegesippi refert Eusebius. [*lib.* 2. *Histor. Ecclesiast. cap.* 22. *num.* 27.]

Cædes Jacobi omnibus in civitate Hierosolymitanâ bonis & legum studiosis vehementer displicuit: missíque ad Agrippam regem clàm nunciis rogaverunt ut mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret. Quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandriâ docuerunt eum non licuisse Anano sine ipsius consensu advocare Concilium. Horum verbis ille persuasus iracundè scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas minitans: & Agrippa rex eam ob causam post tertium mensem ablatum ab eo pontificatum Jesu Damnei filio concessit. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 8.] Apud Christianos verò, post Jacobum fratrem Domini, Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopus Symeon Cleophæ filius est constitutus. [*Euseb. lib.* 3. *Histor. Eccles. cap.* 26. *num.* 2C.]

Albinus, ut venit Hierosolymam, omnem curam & diligentiam adhibuit, ut pacaret provinciam, interfectis multis sicariis. Ananias autem pontifex (Nebedæi filius) indies apud populum celebrior fiebat & charior, honorabatúrque ob liberalitatem ab omnibus: quotidiéque Albinum donis venerabatur & summum Pontificem. Sed habebat servos pessimos, qui adjuncto sibi audacissimo quoque obeuntes areas, vi auferebant sacerdotum decimas; pulsantes eos, qui eunctarentur reddere. Alii quoque pontifices faciebant similia, nemine valente compescere: multíque sacerdotum, quibus antè ex decimis alimenta fuerant, tunc absumebantur inediâ. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 8.]

Sicarii die festo qui tum supervenerat (Pentecostes) noctu Hierosolymam ingressi, vivum ceperunt scribam ducis Eleazari, filii Ananiæ pontificis. Hunc vinctum abduxerunt, ac deinde miserunt ad Ananiam qui eorum nomine promitteret scribam dimittendum, si ille Albino persuaderet, ut ex eorum numero decem captivos solveret: quod Ananias, urgente necessitate, ab Albino impetravit. Id majorum calamitatum fuit initium. Latrones enim semper aliquam artem comminiscebantur, quâ ex Ananiæ cognatis quempiam interciperent; nec priùs dimittebant, quàm è suis aliquot reciperent: auctíque denuò magno numero, & receptâ audaciâ, totam eam regionem vastabant. [*Ibid.*]

Hoc tempore Agrippa rex prolatis pomœriis Cæsaream Philippi, mutato nomine Neroniada eam vocavit: & theatrum apud Berytios impendiis magnis exædificatum ornavit spectaculis annuis, assignatâ in eum usum ingenti vi pecuniæ. Frumentum enim donavit ei populo, & oleum viritim distribuit, totámque eam urbem ornavit statuis passim dispositis atque expressis ad antiqua clarorum artificum archetypa imaginibus: & omnia penè regni sui ornamenta in eam civitatem transtulit. Unde magnam sibi apud subditos paravit invidiam; quòd suos spolians externam urbem excoleret. [*Id. ibid.*]

4067 Quadriennio ante bellum Judaicum (à Vespasiano administrari cœptum) quum civitas

Hierosolo-

Hieroſolymitana ſummâ pace atque opulentiâ frueretur, Jeſus quidam Anani filius, plebeius & ruſticus, ad feſtum Tabernaculorum veniens repente exclamare cœpit. *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis: vox in Hieroſolymam & Templum, vox in maritos novos novaſque nuptas, vox in omnem hunc populum.* Atque hæc interdiu noctúque clamitans omnes civitatis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum inſignium; advertium omen indignè ferentes, correptum hominem multis verberibus affecerunt. Ille autem neque pro ſe, neque ad eos qui ipſum multabant, ſecretò quicquam locutus, eadem quæ priùs vociferabat. Magiſtratus autem rati magis divinum eſſe hominis motum, duxerunt eum ad Romanorum præfectum: ubi plagis uſque ad oſſa laceratus, neque ſupplex cuiquam fuit, neque lachrymavit: ſed ut poterat inclinans maximè flebiliter vocem ad ſingulos ictus reſpondebat, *Væ, væ, Hieroſolymis.* Albino autem interroganti quis eſſet, vel unde ortus, aut cur iſta diceret, nihil retulit: à luctu verò civitatis non deſtitit, donec eum Albinus furere judicatum dimiſit. Maximè autem diebus feſtis vociferabatur: idque per annos *ſeptem* (vel *ſex* potiùs: ut in Photii Bibliothecâ, *cod.* 47. legitur) & quinque menſes continuos faciens neque voce raucior fuit, neque defeſſatus eſt; donec obſidionis tempore lapis tormento miſſus eum peremit. [*Id. lib.* 7. *Belli*, *cap.* 12. *nap.* λα.]

Agrippâ rege jubente, Jeſus Gamalielis filius in ſummo Pontificatu ſucceſſit Jeſu Damnei filio non libenter ſibi cedenti: unde natum eſt inter utrumque diſſidium. Aſciris enim globis audacium juvenum, ſæpè à conviciis prorumpebant ad lapides. Sed inter alios eminebat Ananias ex amplis facultatibus largitione plurimos ſibi concilians. Coſtobarus quoque & Saulus ſuam quiſque circa ſe manum habebat ſceleratorum hominum; orti genere regio, & propter Agrippæ cognationem favorabiles, alioqui violenti & ad ſpoliandos infirmiores promptiſſimi. [*Id. lib.* 20. *Antiquit. cap.* 8.] 4777 64

Ex hoc maximè tempore labare cœpit reſpublica Judaica & indies in deterius ſuere. [*Id. ibid.*] & multiplice exiſtenti tunc dominatione, futuri excidii ſemina ſpargebantur. [*Id. lib.* 2. *Belli*, *cap.* 13. *nap. nd.*]

Albinus verò præſens non ſolùm cauſis civilibus furabatur & diripiebat bona ſingulorum, neque ſolùm tributorum additamentis in commune gentem gravabat; ſed etiam quos ob latrocinia decuriones civitatum comprehenderunt, vel qui à prioribus judicibus in cuſtodiis erant relicti, acceptâ à cognatis eorum pecuniâ, liberavit: & is ſolùm qui non dediſſet, in carceribus quaſi nocentiſſimus remanebat. [*Id. ibid.*]

Per idem tempus, eorum quoque qui res novas cupiebant in urbe Hieroſolymitanâ creſcebat audacia. Ex quibus, qui erant opulenti Albinum largitione redimebant, ut eis tumultum moventibus non indignaretur: pars autem popularis quæ non ſatis gaudebat quiete Albini participibus jungebatur. Unuſquiſque ergo improborum cohorte propriâ circumdatus, ipſe quidem inter cæteros quaſi princeps latronum & tyrannus eminebat: ſicariis verò ſuis ad direptionem mediocrium abutebatur. Ita fiebat, ut hi quidem quorum vaſtabantur domus, tacerent; illi autem qui extra incommodum iteriſſent, metu ne ſimilia paterentur, etiam officiis ambirent eos quos conſtabat dignos eſſe ſuppliciis. (*Ibid.*)

Nero, Româ incenſâ, è turri Mœcenatianâ incendium proſpectans, lætúſque *flammæ* (ut ajebat) *pulchritudine*, excidium Ilii in ſcenico ſuo habitu decantavit: præſentia mala veteſtis cladibus aſſimulans. [*Tacit. lib.* 15. *cap.* 38, 39, 40. *Sueton. in Nerone*, *cap.* 38. *Xiphilin. ex Dione.*] Fuere qui annotarent, XIV. Kalend. Sextiles principium incendii hujus ortum, quo & Senones captam urbem inflammaverant. Alii eoutque curâ progreſſi ſunt, ut totidem annos menſeſque & dies inter utraque incendia numerarent. [*Tacit. ibid. cap.* 41.] ac ſi annos 448. menſes 5376. dies 167632. inter ea interceſſiſſe dixiſſent.

Abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos vulgus Chriſtianos appellabat. Igitur primò correpti qui [Chriſtianos ſe] fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis convicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecillet dies in uſum nocturni luminis uterentur. Hortos ſuos ea ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo inſiſtens. Unde miſeratio oriebatur, tanquam non utilitate publicâ, ſed in ſæviciam unius abſumerentur. [*Tacit. lib.* 15. *cap.* 44.] Pro quibus illuſtrandis, adducuntur verba veteris Scholiaſtæ, ad illud Juvenalis, in Satyrâ primâ,

Pone Tigellinum: tædâ lucebis in illâ,
Quâ ſtantes ardent qui fixo gutture fumant.

Tigellinum ſi laſeris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis, de quibus ille juſſerat cereos fieri, ut lucerent ſpectatoribus, cum fixa eſſent guttura ne ſe curvarent. Nero maleficus tædâ, papyro & cerâ ſuperveſtiebat, & ſic ad ignem admoveri jubebat.

Hæc fuit *prima* à Romanis Imperatoribus in Chriſtianos excitata perſecutio: de quâ Suetonius, ut homo ethnicus, in *Nerone*, cap. 16. *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ.* Tertullianus verò, ut Chriſtianus, in Apologetico cap. 5. *Conſulite commentarios: illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam tum maximè Roma orientem Cæſariano gladio feraciſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur: qui enim ſcit illum, intelligere poteſt non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.*

4068 Ceſtius Gallus præſes in Syriam, Geſſius Florus procurator in Judæam à Nerone miſſus eſt. Erat verò Florus Clazomenius genere: adduxitque ſecum Cleopatram conjugem improbam; per quam, ut Poppææ Auguſtæ amicam, Judææ adminiſtrationem impetraverat. (*Joſeph. lib.* 20. *cap.* 9.)

Albinus,

Albinus, audito Geſſium Florum ſibi ſucceſſurum venire, videri volens gratificatus Hieroſolymitanis civibus, productis vinctis, quotquot erant in manifeſtè capitali culpâ juſſit interimi; reliquos, qui levioribus de cauſis conjecti erant in vincula, reductos in carcerem pecuniis mulctatos dimittebat alium poſt alium. Atque in hunc modum vacuato vinctis carcere Judæa repleta eſt latronibus. [*Id. ibid. cap.* 8.]

Interea Leviticæ tribûs homines quorum erat ſacros hymnos in Templo canere, adito rege Agrippâ induxerunt eum precibus, ut advocato concilio decerneret eis uſum ſtolæ lineæ, quæ tum ſolis erat conceſſa Sacerdotibus: hanc enim novationem pertinere ad perpetuam ipſius regni memoriam. Rex igitur de concilii ſententiâ permiſit hymnorum cantoribus, ut depoſito priore habitu, lineum ut voluerunt ſumerent. Aliam etiam ejuſdem tribûs partem addictam Templi miniſteriis, ipſorum precibus permotus, permiſit ſacros hymnos canendos ediſcere: quæ omnia fiebant contra inſtituta legis patriæ, nunquam violaræ abſque piaculo. [*Ibid.*]

Philippenſes Epaphroditum cum pecuniis Romam miſerunt, ut Paulum in vinculis viſitaret, & neceſſaria vitæ ſubſidia ei ſubminiſtraret. Qui Paulo adjutorem & commilitonem ſe adjungens, propter opus Chriſti, non habitâ vitæ ſuæ ratione, mortis periculo ſe objecit; in morbum incidens graviſſimum. [*Philip.* II. 25,-30. *cum* IV. 10, 14, 18.]

Oneſimum ſervum, Coloſſis à Philemone domino ſuo Romam fugientem, Paulus ſenex in vinculis Chriſto lucrifecit. [*Philem.* 9, 10, 15. *cum Coloſſ.* IV. 9.]

Timotheus, Romæ captivus cum Paulo detentus, libertati reſtitutus eſt. [*Hebr.* XIII. 23.]

Per Epaphroditum, ſanitatem jam adeptum, epiſtolam ad Philippenſes Paulus ſcripſit: ſperans etiam Timotheum brevi ſe ad eos miſſurum, ſimul-atque videret rerum ſuarum ſtatum; & ſeipſum etiam citò ad eos venturum confidens. [*cap.* II. 19,—29.] Quo tempore Pauli ob Chriſtum vincula celebria facta ſunt in toto Prætorio; nonnullis ex ipſius Cæſaris quoque palatio ad fidem Chriſti converſis. (*cap.* I. 12, 13, & IV. 22.) A Cæſare enim miſſus in carcerem, notior familiæ ejus factus, perſecutoris domum Chriſti fecit Eccleſiam. [*Hieronym. commentar. in epiſt. ad Philem.*]

Coloſſos ad Philemonem per ſervum ipſius Oneſimum ſcribit Paulus epiſtolam, quâ eum hero conciliat & commendat: liberationem è vinculis ſperare ſe illi ſignificans, & ut hoſpitium ei paret rogans. Per eundem quoque Oneſimum & Tychicum aliam eodem tempore ad Coloſſenſes ab ipſo quidem nunquam viſos ſed ab Epaphrâ in Chriſti doctrinâ inſtitutos, è vinculis Paulus ſcripſit epiſtolam. (*Coloſſ.* I. 7, 8. II. 1. IV. 7, 8, 9, 18.] Quo tempore, præter Timotheum, (cujus nomen in inſcriptione utraque hæc præfert epiſtola) Paulo præſentes Romæ adfuerunt, & in prædicando ibi Evangelio adjuverunt, ex circumciſione quidem, ipſius in captivitate ſocius Ariſtarchus (Theſſalonicenſis, *Act.* XX. 4.) Marcus Barnabæ conſobrinus, (de quo excipiendo, ſi ad eos veniret, mandata Coloſſenſes acceperant) & Jeſus qui vocatur Juſtus: ex aliis verò, Lucas dilectus ille medicus, Demas, & Epaphras; cujus ſummum affectum laudat Apoſtolus, non in Coloſſenſes tantùm ſuos (apud quos, eo abſente, miniſterium Archippus obibat) ſed etiam in eos qui erant Laodiceæ & Hierapoli. (*Coloſſ.* IV. 10,-14, 17. *Philem.* 23, 24.]

Eundem Tychicum, ex Aſiâ peregrinationis ſuæ ſocium, (*Act.* XX. 4.) in Aſiam quoque Paulus tum miſit; ut ex eo res ipſi is fratres cognoſcerent; ſcriptâ per eum ad *Epheſios* epiſtolâ [*Epheſ.* VI. 21, 22.] quam epiſtolæ ad *Laodicenſes* nomine à Marcione hæretico fuiſſe venditatam, Tertullianus libro 5. contra Marcion. cap. 11. & 17. cum Epiphanio in hæreſ. 42. indicat. Quod quidem ex fide Eccleſiæ Laodicenſis ab eo fuiſſe factum, credibile eſſe Grotius exiſtimat; cur in eâ re mentiretur, nihil fuiſſe cauſæ aſſerens. Indéque eodem planè tenore ſcriptam fuiſſe ad Epheſios ſimul & Laodicenſes epiſtolam ille colligit. Ubi notandum, in antiquis nonnullis codicibus (ut ex Baſilii libro 2° adversùs Eunomium, & Hieronymi in hunc Apoſtoli locum commentario, apparet) generatim inſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, vel (ut in litterarum encyclicarum deſcriptione fieri ſolebat) *ſanctis qui ſunt* ..... *& fidelibus in Chriſto Jeſu.* ac ſi Epheſum primò, ut præcipuam Aſiæ metropolim, miſſa ea fuiſſet; tranſmittenda inde ad reliquas (interſertis ſingularum nominibus) ejuſdem provinciæ eccleſias: ad quarum aliquas, quas Paulus ipſe nunquam viderat, illa ipſius verba potiſſimùm ſpectaverint. *Auditâ eâ quæ in vobis eſt fide in Domino Jeſu, & charitate in omnes ſanctos*; cap. I. 15. &, *ſiquidem auditis diſpenſationem gratiæ Dei quæ data eſt mihi erga vos, &c.* cap. III. 2, 4. quæ Marcion fortaſſe *Laodicenſibus*, magis convenire cenſebat, qui Apoſtolum corpore præſentem non viderant; [*Coloſſ.* II. 1.] quàm *Epheſiis*, cum quibus ille tam diu eſt converſatus. [*Act.* XIX. 8, 10. & XX. 31.]

Circa idem tempus epiſtolam ad Hebræos Paulus ſcripſit, Timotheo jam ſoluto, ſed aliò ad tempus ab eo digreſſo: cum quo, ſi mox veniret, viſurum ſe eos promittit; ſalute illis interim à fratribus Italis dictâ. [*Hebr.* XIII. 23, 24.]

Abſoluto jam templi Hieroſolymitani ædificio, quam videret populus eſſe in otio circiter octodecim opificum millia, ſolitorum hactenùs in templo ex operarum mercedibus victum quærere; nolénſque ſacram pecuniam repoſitam habere, nequando præda Romanis fieret, ſimúlque opificibus inde proviſum cupiens: (quòd vel unâ horâ operato ſtatim merces repræſentaretur:) Agrippæ regi ſuaſit, ut Orientalem inſtauraret porticum. Ea profundæ valli & anguſtæ imminens, muro 400 cubitos alto erat ſubnixa, ſaxis conſtructo quadratis valde candidis; erátque cujuſque ſaxi longitudo cubitorum viginti, ſex verò altitudo: opus Salomonis regis, qui primus integrum templum condidit. Rex autem, cujus curæ Claudius Cæſar fabricam templi commiſerat, reputans, quodcunque opus demoliri facilè, reparari difficilè, maximè talem porticum egentem & tempore longo & pecuniis plurimis; non annuit populi precibus: ſed urbem candido ſaxo conſternere ſi liberet non vetuit. [*Joſeph. lib.* 20. *cap.* 8.] 4778 65

Paulus,

Paulus, expleto biennio quo in liberâ custodiâ detentus Romæ evangelium docuit, [*Act.* XXVIII. 30.] in Asiam inde navigasse, & Colossis hospitio à Philemone exceptus fuisse videtur. [*Philem.* 22.]

Die festo azymorum, hoc anno in Xanthici sive Aprilis diem 8. incidente, horâ nonâ nocturnâ circa aram itémque templum tantum lumen effulsit, ut clarissimus dies putaretur: & hoc usque ad mediam permansit horam. Eodémque festo die etiam bos cùm ad hostiam duceretur, agnum in medio fani peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cùm esset ænea atque gravissima, & sub vesperam vix à viginti viris clauderetur, serísque ferro vinctis obseraretur, pessulósque altos haberet in saxeum limen demissos uno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis horâ sextâ sponte patescere. His autem curriculo per custodes templi magistratui nunciatis, ascendit ille, vixque eam potuit claudere. [*Joseph. lib.* 7. *Belli*, *cap.* 12. *mp. Am.*]

Die 21° mensis Artemisii sive Maii, ante Solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfusæ. Festo autem Pentecostes, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primùm quidem motum quendámque fremitum senserunt, posteà verò subitam vocem audiere, quæ diceret: *Migremus hinc.* [Id. ibid.]

In Cretâ insulâ prædicavit Paulus evangelium: relicto ibi Tito, ut quæ reliqua erant corrigeret, & presbyteros ibi per singulas urbes ordinaret. [*Tit.* I. 5.]

Rex Agrippa pontificatum Jesu Gamalielis filio abrogatum Matthiæ Theophili filio concessit: quo pontifice Judaicum bellum habuit initium. [*Joseph. lib.* 20. *cap.* 8.]

Josephus, magnis à Poppæâ Augustâ donatus muneribus, in patriam rediens, ibi deprehendit novarum rerum studia glíscere, multósque ad defectionem spectare: quos à tam infelici proposito frustrà ille deterrere conatus est. [*Id. in lib. de Vitâ suâ.*]

Adeò enim violenter potestate suâ Gessius Florus est abusus, ut Albinum Judæi desiderarent quasi beneficium. Nam ille quantum poterat clàm erat malus & nocens: Florus contrà quasi ad ostentandam missus malitiam, publicè traducebat gentis injurias, nihil sibi ad summam in rapinis & suppliciis iniquitatem reliquum faciens. Erat enim inflexibilis ad misericordiam, nullis unquam lucris satiabilis, undecunque parva æquè captans ac magna; ut etiam latronum esset particeps. Multi enim illum quæstum exercebant decilis prædarum partibus: adeoque nullus erat injuriarum vel modus vel finis, ut miseri Judæi non ferentes rapacem latronum insolentiam cogerentur latibus relictis & patriis cerimoniis ad exteros fugere; judicantes ubivis etiam apud Barbaros se vivere posse commodiùs. [*Id. lib.* 20. *Antiqu. cap.* 9. *& lib.* 2. *Belli*, *cap.* 13. *mp. ad.*]

Neronem, post finem quinquennalis sui ludicri secundo lustro celebrati (anno enim æræ Christianæ LX. primus agon Neroneus institutus fuerat) & ab aurigatione serò reversum, Poppæa uxor gravida & ægra conviciis incessebat: quam iratus ille ictu calcis occidit. [*Sueton. in Nerone*, *cap.* 35. *Tacit. lib.* 16. *cap.* 2. *& 6.*]

Ephesi aliquandiu moratus Paulus, Timotheum ibi, quum inde in Macedoniam proficisceretur, reliquit; ut eam Ecclesiam, se absente administraret. [I. *Timoth.* I. 3. III. 14, 15.] in Macedoniâ verò apud Philippenses permansit; sicut eis ipse anteà promiserat. [*Philip.* I. 25, 26. *&* II. 24.]

4069 Paulus priorem ad Timotheum scripsit epistolam: in quâ Hymenæum & Alexandrum, naufragium fidei facientes, Satanæ à se traditos narrat, ut castigati discerent non blasphemare. [I *Timoth.* I. 20.] Hymenæus verò, cum Phileto, futuram resurrectionem negabat; eam jam factam fuisse dicens. [II *Timoth.* II. 17, 18.] Alexander autem, faber ærarius ille est, qui tanta mala Paulo exhibuit, & sermonibus ejus tam vehementer restitit. [II *Timoth.* IV. 14, 15.]

Ad Titum quoque in Cretam aliam Paulus misit epistolam: rogans, ut quum ad eum Artemam miserit vel Tychicum, veniat ad eum Nicopolim (illam victoriâ Actiacâ celebrem) ubi hibernare constituerat; simúlque Zenam legis peritum & Apollo studiosè deducendum curet, nequid illis desit. [*Tit.* III. 12, 13.]

Exactâ hyeme, Paulus Ephesum ad Timotheum rediit: & Troadem profectus, penulam ibi suam reliquit. Erastus mansit Corinthi: (cujus erat procurator, *Rom.* XVI. 23.) Trophimum reliquit Paulus Mileti ægrotantem. [I *Timoth.* III. 14. II *Timoth.* IV. 13, 20.] 4779 66

Cestius Gallus Syriæ præses Antiochiâ Hierosolymam veniens, viresque civitatis ac florem Neroni significare cupiens, contemnenti nationem; à pontificibus petiit, ut si quo modo, possent multitudinem numerarent. Illi autem, quum dies Paschatis adesset, quando à nonâ horâ usque ad undecimam hostias cædebant, hostias numeravêre 255600. ad quas comedendas decem & aliquandoviceni homines per singula contubernia conveniebant. [*Joseph. lib.* 7. *Belli*, *cap.* 17. *edit. Latin. vel*, *lib.* 6. *mp. ms. edit. Græc.*]

Cestium circumstans non minor quàm 300 myriadum (3000000.) supplicabat, & ut gentis suæ calamitatibus subveniret: & pestem illam provinciæ Florum ut ejiceret clamitabat. Qui tamen cùm sub populi ore esset, & Gallo assisteret, non solùm nihil movebatur, sed voces illas etiam deridebat. Cestius verò compescens impetum populi, & edicens quòd deinceps placatiorem eis Florum redderet, regressus est Antiochiam. Deduxit autem eum usque ad Cæsaream Florus, illudens mendaciis, & Judæorum genti bellum sedulò comminiscens; quo scilicèt solo iniquitates suas occultari posse credebat. Pace siquidem permanente, habiturum se apud Cæsarem accusatores Judæos: verùm si defectionem negotiatus fuisset, majore utique malo abducendam à se esse invidiam peccatorum minorum. Indéque ut gens ab Romano abrumperetur imperio, sedulò indies augebat calamitates. [*Id. lib.* 2. *Belli*, *cap.* 13. *mp. ad.*]

Paulus secundo Romam venicus, à Nerone auditus & absolutus est. De quo ita ipse, in II *Timoth.* IV. 16, 17. *In primâ meâ defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: utinam ne illis imputetur. Sed Dominus mihi adfuit & corroboravit me; ut per me impleretur præ-*

dicatio, & omnes gentes audirent: & ereptus fui ex ore leonis. Ut enim anteà per biennium, ita deinceps per integrum annum omnibus gentibus Romam, tanquam ad communem patriam, undique confluentibus evangelium prædicavit.

Demas Paulum reliquit, amplexus præsens sæculum, & profectus est Thessalonicam: Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Lucas solus cum Paulo Romæ mansit. [II *Timoth.* IV. 10, 11.]

Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio: esse in fatis ut eo tempore Judææ profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano quantum eventu posteà patuit prædictum, Judæi ad se trahentes rebellârunt: inquit Suetonius. [*in Vespasiano, cap.* 4.] *Duravit Judæis patientia*, (inquit Tacitus, lib. 5. Histor. cap. 10.) *usque ad Gessium Florum procuratorem. Sub eo bellum ortum.* mense videlicèt Artemisio sive Maio, anno imperii Neronis 12° regni Agrippæ 17° præfecturæ Gessii Flori 2° [*Josephi. lib.* 2. *Belli, cap.* 13. *num.* 11. *& lib.* 20. *Antiquit. cap. ult.*] Ejus belli historiam in posteriore secundi libri parte, & quinque libris sequentibus à *Josepho* plenissimè habemus descriptam: cujus Breviarium, ex *Ludovici Cappelli* V. Cl. Judaicæ Historiæ Compendio desumptum, huc transtulimus.

Nero in Græciam transiens, ad hyemem ingruentem ibi mansit. [*Xiphilin. ex Dione.*]

Rex Agrippa Judæos longâ oratione à bello dehortatus est: sed frustrà. nam paulò postquàm Hierosolymis ille discessisset, seditiosorum nonnulli Massadam castellum munitissimum fraude occupant, & Romanos, qui ibi erant, omnes interficiunt. Hierosolymis autem Eleazarus Ananiæ Pontificis filius, Templi tum στρατηγὸς, juvenis audax & factiosus, persuasit Sacerdotibus, ut nullius nisi Judæorum hostias admitterent, ne illas quidem quæ pro Cæsare & Romanis offerri solebant: quod temerarium factum cùm Principes civitatis, quietis amantes, intolerabile judicarent, & argumentum apertæ defectionis esse viderent, nec possent tamen seditiosos à sententiâ dimovere; legatos ad Florum Cæsaream, & ad Agrippam regem mittunt, rogantes ut properè, missis copiis, seditionem incipientem opprimerent. Florus, qui Judæorum defectionem volebat, id neglexit. Agrippa autem misit mille equites, qui superiorem Civitatem cum Optimatibus & Pontificibus, cæteráque multitudine, quæ optabat quietem, occupârunt & tenuerunt adversùs seditiosos, qui templum & inferiorem civitatem tenebant; per septem continuos dies invicem confligentes. Sed die festo ξυλοφορίας Sicarii multi in Templum recepti cum cæteris, vim regiis militibus faciunt, & civitate superiore pellentes compellunt eos in Herodis Regiam superiorem, incenso Archivo, Hasmonæorum palatio, (quæ tum erat Agrippæ regia) & Ananiæ Pontificis domo. Postridie, Augusti 15. die, Antoniam obsessam per biduum capiunt, militésque Romanos omnes interficiunt, & arcem incendunt. Regiam paulò pòst impetunt atque invadunt, duce Manahemo Judæ Galilæi filio (qui capto Massâda castello, & Herodis armamentario ibi direpto, Sicarios suos armatos Hierosolymam adduxerat) eâque expugnatâ & incensâ tyrannidem occupat Manahemus, sed mox ab Eleazaro Templi præfecto, in ipso Templo adorans interficitur, ejúsque stipatores disjiciuntur, & Massadam repetunt duce Eleazaro Jairi filio, qui genere Manahemo propinquus erat. Romanos, qui regiâ expugnatâ receperant se in turres Hippicon, Phasaëlum & Mariammen, obsessos, tandémque se dedentes, seditiosi Hierosolymitani, ipso die Sabbathi, contra fidem datam omnes inermes interficiunt.

Eâdem die Cæsareæ Judæi omnes, illic habitantes, ab Ethnicis Cæsariensibus instigante Floro interfecti sunt, numero 20. millia. Hinc exacerbati per universam regionem Judæi Syrorum vicos, & civitates finitimas, depopulari sunt, Philadelphiam, Gerasam, Pellam, Scythopolim, Gedaram, Hipponem, Gaulanitidem, Ptolemaïdem, Sebasten, Ascalona, Anthedona, & Gazam. Inde per universam Syriam Judæorum in civitatibus commorantium à Syris cædes promiscuæ, partim ex veteri in Judæos, & eorum religionem, odio, partim rapinarum amore, partim vindictæ cupiditate. Soli Antiocheni, Apameni & Sidonii Judæis incolis suis pepercerunt. Alexandriæ autem Ægypti metropoli excitatâ seditione 50. millia Judæorum uno die interfecta sunt, immissis in eos duabus legionibus Romanis.

Cestius Gallus Syriæ Præses, his motibus excitatus, Antiochiâ cum legione 12. & auxiliis regis Agrippæ, aliisque copiis, venit in Judæam, & Ptolemaïde invadit Joppen atque incendit, Cæsennium Gallum mittit in Galilæam, quam Sepphori receptus pacat, & Cæsaream venit.

Petrus & Paulus de appropinquante vitæ exitu per revelationem à Domino sunt admoniti. [II *Petr.* I. 14. II *Timoth.* IV. 6, 7.]

Petrus ad Hebræos, per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam dispersos, secundam scripsit epistolam. [II *Petr.* III. 1. *cum* I *Petr.* I. 1.]

Paulus Ephesum, ubi familia Onesiphori erat, per Tychicum secundam ad Timotheum misit epistolam: postquam Aquila & Priscilla, relictâ Româ, eò denuò sunt reversi. [II *Timoth.* IV. 12, 19.] In eâ Timotheum rogat, ut ante hyemem ad ipsum veniat; secúmque Marcum adducat, ut ipsi pernecessarium ad ministerium. [*Ibid.* 9, 11, 21.] Salutémque illi dicit ab Eubulo, Pudente, Lino & Claudiâ. [*Ibid.* 21.]

4070 Cestius Gallus festo Tabernaculorum incensâ Lyddâ, Hierosolymam tendit, cui ad 60. stadium occurrunt Hierosolymitani, & dubiâ pugnâ decertatum est prope Bethoron: sed mox majoribus copiis eos aggressus Cestius compulit in Urbem, in quam & ipse irrupit 4. Octobr. inferioremque tenuit (ut & Bezetham & Cænopolim) per aliquot dies civitatem, indéque Templum & superiorem oppugnavit civitatem, faciléque cepisset, si fortiùs in oppugnatione perseveràsset, populo Romanis tum favente, solis seditiosis repugnantibus.

Verùm Cestius mox cùm propè esset ut Templum caperet, sine ullâ justâ causâ obsidionem solvit, atque Antipatrida se recepit, multis Romanorum & auxiliarium in itinere amissis, & cæsis à Judæis qui eos insecuti sunt, cum impedimentorum majore parte, adcóque & machi-

narum,

narum, balliſtarum, & armorum (quæ fugientes Romani abjecerant) magnâ copiâ, quibus poſteà in Hieroſolymorum adversùs Titi obſidionem propugnatione uſi ſunt Judæi. Idque factum 8. Novemb. anno Neronis 12°. (abſoluto ſc. ſiquidem 13. Neronis annus à 13. die præcedentis Octobris inceperat.)

Hâc victoriâ elati Judæi Hieroſolymam reverſi, urbis Præfectos creant Joſephum Gorionis filium, & Ananum Pontificem, bellique Duces varios & multos in ſingulas provincias, ſive Toparchias, dimittunt, atque inter eos Joſephum (belli hujus Judaici Scriptorem) in Galilæam amandant: in quâ multis opidis communitis & muro cinctis, rebúſque omnibus ad ſuſtinendum bellum ordinatis, Romanorum impetum exſpectabat.

Interim multi adversùs eum motus, multæ & frequentes urbium rebelliones excitantur arte & fraude Johannis cujuſdam Leviæ filii, & invidiâ nonnullorum ex Principibus Hieroſolymitanis, qui Galilææ Præfecturam ei ereptam volebant. Sed eorum omnes conatus, artes & conſilia fregit, atque elulit prudentiâ & patientiâ ſuâ Joſephus: qui Johannem illum coëgit Hieroſolymam cum ſuis ex Giſcalâ Galilææ opido quod munierat, confugere. Hieroſolymis autem Ananus urbis Præfectus omnia ad ſuſtinendum bellum neceſſaria parat, mœnia inſtaurat, bellica inſtrumenta, tela & arma curat fabricari per totam urbem. Zelotas conatur ad ſanam mentem revocare; ſed fruſtrà. Simonem Gioræ filium latrocinia exercentem, & tyrannidem affectantem, miſſo milite, conatur comprehendere: at is cum ſuis ad latrones, qui Maſſadam tenebant, effugit, unde illi totam Judæam & Idumæam latrociniis infeſtabant.

Porrò Ceſtius miſſis ad Neronem (qui tum in Achaiâ erat) legatis ſtatum Judææ turbatum renuntiat. Nero conturbatus Veſpaſianum eò mandat; Veſpaſianus autem, hoc accepto mandato, Titum filium Alexandriam mittit, ut inde quintam, & decimam legiones in Judæam adduceret: ipſe pedeſtri itinere ex Achaiâ in Aſiam tranſmittit, atque inde in Syriam & Antiochiam venit.

Petrus & Paulus Romæ prædixerunt futurum, ut poſt breve tempus immitteret Deus Regem qui expugnaret Judæos, & civitates eorum ſolo æquaret, ipſos autem fame ſitique confectos obſideret. Tum fore, ut corporibus ſuorum veſcerentur, & conſumerent ſe invicem; poſtremò capti venirent in manus hoſtium, & in conſpectu ſuo acerbiſſimè conjuges ſuas vexari cernerent, violari & proſtitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique ferro igníque vaſtari, captivos in perpetuum terris ſuis exterminari: eo quòd exultaverant ſuper amantiſſimum & probatiſſimum Filium Dei. [*Lactantius, lib. 4. cap. 21.*] 4780 67

Veſpaſianus Antiochiæ Romanas copias & Regum auxilia cogit, inde venit Ptolemaïda, Sepphorimque Romanis faventem recepit.

Alexandriâ Titus cum duabus legionibus Ptolemaïdem ad patrem pervenit, citiùs quàm per hyemem ſperabatur. Copiæ omnes cum Regum auxiliis eò conveniunt, numero 60. millia, tam peditum quàm equitum; præter calones & impedimenta.

Veſpaſianus Galilæam invadens, Gadarenſium urbem primo impetu captam incendit & vaſtavit. Inde Jotapatam die 21. Maii veniens, eam oppugnavit.

Junii die 29. (qui menſis illius dies poſtremus in Neronis occurrit imperio) Petrus & Paulus celebri martyrio vitam finierant: ut tam Orientalis quàm Occidentalis Eccleſiæ tabulæ confirmant. Unde diem mortis Pauli notiorem quàm ipſius Alexandri eſſe, aſſerere non dubitat Chryſoſtomus. [*in II Corinth. Homil. 26.*] Eodem tempore utrumque Romæ ſubiiſſe martyrium, affirmat in epiſtolâ ad Romanos Dionyſius Corinthiorum epiſcopus. [*apud Euſeb. lib. 2. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 24. κεφ. κε.*] & Petrum quidem, capite (ut expetierat) deorsùm ſtatuto, crucifixum fuiſſe; tomo 3°. Commentariorum in Geneſim refert Origenes. [*apud eund. lib. 3. Hiſtor. cap. 1.*] impletà Chriſti prædictione ad eum factà: [*Johan. XXI. 18, 19.*] *Quum ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & transferet quò noles.* * Paulum autem gladio percuſſum, hiſtoriarum monumenta confirmant [*Euſeb. ut ſuprà lib. 2. cap. 24.*] Quò referenda ſunt etiam, quæ de Neronis perſecutione ſcribit [*P. Oroſius, libri 7. cap. 7°.*] Primus (Scil. Nero) Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus perſecutus eſt; beatiſſimos Chriſti apoſtolos, Petrum Cruce, & Paulum Gladio occidi imperavit: ipſúmque nomen Chriſtianorum extirpare conatus eſt: & *Sulpitius Severus* in Hiſtor. lib. 2. datis legibus, Religio vetabatur; palámque edictis propoſitis, Chriſtianum eſſe non licebat. Tum Paulus, & Petrus capitis damnati, quorum uni cervix gladio diſſecta, Petrus in cruce ſublatus eſt. In Hiſpaniâ verò hanc Perſecutionem ſæviſſe colligunt ex Lapide ibi defoſſo & inſcripto, NERONI. CL. CAIS AVG. PONT. MAX OB. PROVINC. LATRONIB ET. HIS. QVI. NOVAM GENERI. HVM. SVPERSTITION. INCVLCAB PVRGATAM [*in Inſcriptionibus Gruteri, pag.* CCXXXVIII.]

Veſpaſianus Jotapatam, fortiter à Joſepho, qui iſthic erat cum imperio, defenſam, tandem poſt 40. dierum obſidionem, vi capit, evertit & incendit, Kalendis Julii anno Neronis XIII. Joſephum in ſpecu latitantem capit, & vitâ donat, ſed captivum tenet.

Jotapatâ excisâ Veſpaſianus exercitum Cæſaream reducit, atque iſthic duas legiones collocat, ut ſe ab obſidionis labore reficerent, tertiam eodem conſilio & fine mittit Scythopolim: ipſe autem Cæſaream Philippi proficiſcitur, ubi ab Agrippâ rege cum exercitu per viginti dies convivio exceptus eſt. Tum ad Tiberiadis & Tarichææ obſidionem ſe parat. Et Tiberienſes quidem ſtatim ſe dediderunt, ac precibus Agrippæ regis data eſt civitas, ne exſcinderetur. Tarichæa autem cùm paſſa eſſet ſe obſideri, vi capta exciſa eſt.

His urbibus receptis, vel exciſis, tota Galilæa fermè ad Romanos inclinabat, præter Gamalam in Gaulanitide, & Giſcalam atque Itaburium montem in Galilæâ.

4071 Gamala obſeſſa per menſem unum, capta eſt 23. die Octobr. atque exciſa, & paulò antè mons

Itaburius fuerat etiam à Romanis captus. Mox Titus Giſcalam aggreditur, quæ à Johanne cum ſuis ſeditioſis tenebatur. A Tito oblatas pacis conditiones Johannes ſimulat ſe accipere; ſed nocte ſequente cum ſuis clàm urbe effugit, & Hieroſolymam ſe recepit: Titus urbi parcit impoſito ei præſidio. Inde Cæſaream venit. Veſpaſianus autem Cæſareà Jamniam & Azotum profectus, utramque ſubegit, Cæſaréamque rediit.

Interim per totam Judæam diſſenſio oritur: aliis bellum cupientibus, aliis verò in Romanorum fide manere volentibus. Inde latronum globi & cunei per univerſam Judæam excitantur, qui prædas ex iis agebant qui pacis ſtudio tenebantur, deinde prædis onuſti Hieroſolymis recipiuntur; atque iſthic omnia cædibus, diſſenſionibus, diſcordiis, & rapinis complent. Ac primò quidem Antipam, & non paucos alios nobiliſſimos & potentiſſimos civitatis viros, in vincula conjiciunt, móxque indictâ cauſâ necant: calumniantes voluiſſe eos urbem Romanis prodere. Cúmque populus in eos eſſet inſurrecturus, illi Templum occupant, eóque tanquam arce adversùs populum utuntur: atque iſthic ſorte ſummum creant Pontificem *Phanniam* quendam (aliàs *Phanazum*) hominem rudem planè & imperitum, neque Sacerdotalis ordinis.

Adversùs hos Zelotas (ſic enim ipſi ſe vocabant) Ananus & nobiliores Pontifices populum excitant atque armant, & in Templo ipſo oppugnant, adcóque & in interiorem Templi ambitum compellunt. Sed iſti litteris ad Idumæorum Duces clàm miſſis, quibus Ananum proditionis inſimulabant, ſe verò pro libertate patriæ pugnantes in Templo obſideri conquerebantur, advocant in ſuum auxilium Idumæos. Hi ſtatim cum 20. millibus hominum advolant: quibus clàm per noctem in Urbem & Templum admiſſis à Zelotis, magna ſit Hieroſolymitanorum ab utriſque cædes, rapinæ, & incendia. Nam 8. millia eà nocte cæſa ſunt, & ſequentibus diebus Ananum aliósque ad 12. millia ex nobilioribus interfecerunt, præter infinitam promiſcuam plebeculam. Sed paulò pòſt Idumæos facti ſui pœnitentia ſubiit, cùm Zelotarum ſcelera viderent, nec proditionis (cujus Optimates accuſabantur) indicium ullum deprehendiſſent. Itaque ſolutis, ad 2. millia, iis qui vincti tenebantur in cuſtodiâ, domum Hieroſolymâ relictâ redeunt. His abeuntibus Zelotæ rursùs in cives nobiliores ſævire incipiunt crudeliùs quàm anteà, & nobiliſſimos quoſque ac fortiſſimos necatos ne ſepeliri quidem patiebantur, maximè verò eos quos ad Romanos transfugere velle ſuſpicabantur. Nam obſeſſis viis transfugere volentes diligenter obſervabant, necatóſque inſepultos projiciebant.

Interim inter ipſos Zelotas oritur diſſenſio, Johanne illo qui ex Giſcalis Hieroſolymam profugerat, tyrannidem inter eos affectante, aliis verò, qui eum anteà parem habuerant, ſuperiorem ferre recuſantibus. Verùm illi ſic inter ſe diſſentientes, adversùs plebem, ad eam diripiendam, concordes erant. Quin & tota Judæa Metropoleos ſuæ, Hieroſolymorum nempe, exemplum veluti ſecuta, tota ubique latrociniis repletur, miſeréque vexatur.

His diſcordiis, quibus ſe invicem conficiebant Judæi, & transfugarum vocibus excitatus Veſpaſianus, quibus eum ad ſervandam & ſeditione illâ levandam patriam hortabantur, accingit ſe ad Hieroſolymorum obſidionem, & ne quid hoſtile poſt ſe (dum in obſidione occuparetur) relinqueret, ad reliquias belli & tumultus in tranſamnanâ regione extinguendas Gadaram cum exercitu venit, eò accitus à moderatioribus civibus, qui pacem bello præferebant: atque inde diffugientibus ſeditioſis urbem capit, miſſóque Placido cum equitatu ad perſequendos fugientes, obtruncat omnes, totámque tranſamnanam regionem, ad lacum uſque Aſphaltitem (præter Macharunta caſtellum) occupat; conſtitutóque per vicos & præſidia in hybernis milite, Cæſaream venit, iſthícque hyemem agit.

Veſpaſianus Cæſareæ nuncio accepto de motibus in Galliâ à Vindice excitatis, qui adversùs Romanos Gallos armaverat, ad conficiendum properè bellum Judaicum accenditur. Itaque inſtante vere milite Cæſareâ educto Judæam pervadit totam atque Idumæam, éique vaſtatâ, copias reducit, ac per Samariam Jerichunta ducit, unde incolæ in oppoſitam Hieroſolymis montanam regionem diffugiunt: ſed eos perſecutus, iiſque disjectis, Jerichunte atque alibi caſtris conſtitutis Judæos undique cingit. 4781 68

Spopondérunt quidam deſtituto Neroni dominationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hieroſolymorum, plures omnis priſtinæ fortunæ reſtitutionem. [*Sueton. in Nerone, cap.* 40.] Poſtquàm verò Galbam & Hiſpanias deſciviſſe cognovit, actum de ſe Nero pronuntiavit. [*Id. ibid. cap.* 42.] Tandémque 9° die Junii mortem ipſe ſibi conſcivit; quum imperaſſet annos 13. & menſes 8.

4072 Kalendis Januarii in Germaniâ projectis Galbæ imaginibus, die tertio Vitellius ab exercitu Imperator ſalutatus eſt: & die ejuſdem menſis 15°. Galba interemptus eſt, exactis à Neronis morte ſeptem menſibus. [*Tacit. Hiſtor. lib.* 1.] 4782 69

Sublato Galbâ, Imperator à militibus creatus eſt Otho, ſuſcepti à Vitellio imperii neſcius: quem die imperii 90. interfectum *Dio*, 95. funeratum fuiſſe ſcribit *Suetonius*.

Tiberius Alexander præfectus Ægypti primus in verba Veſpaſiani legiones adegit Kalendis Julii: qui principatûs dies in poſterum obſervatus eſt. Judaicus deinde exercitus V. Idus Julii apud ipſum juravit. [*Sueton. in Veſpaſiano, cap.* 6. *cum Tacito, lib.* 2. *Hiſtor. cap.* 79.] Inter mortem verò Neronis & initium Veſpaſiani annum 1. & dies 22. interceſſiſſe notat *Dio*.

Quum Veſpaſianus Cæſaream reverſus pararet cum toto exercitu ad Hieroſolymam obſidendam proficiſci, nunciatur illi Neronis mors, quo nuntio accepto bellum in Judæos diſtulit, Titúmque filium ad Galbam, qui Neroni ſucceſſerat, mittit, ut ab eo mandata de bello Judaico acciperet. Titus in Achaiam navi delatus audit iſthic Galbam interfectum, itaque ſtatim ad patrem redit Cæſaream. Suſpenſi ergo, quaſi nutante Imperio Romano, Judaicum bellum differebant, patriæque meruentes alienigenas aggredi non exiſtimabant opportunum.

Interim Simon Gioræ filius (de quo jam aliquid ſuprà dictum eſt) juvenis audax viribúſque

præſtans,

præſtans, Maſſadâ, quò ad Sicarios confugerat, profectus in Judææ loca montana, ſervis ad libertatem vocatis, libertiſque præmium pollicitus, brevi comparatâ latronum manu, paulatimque auctis copiis, non vicos modò populabatur, ſed & urbes aggrediebatur, eóque brevi potentiæ provectus eſt, ut totam Idumæam ſibi ſubjiceret, Judæamque vaſtaret, móxque Hieroſolymam oſtenderet, atque iſthic prope urbem caſtris poſitis, terrori eſſet tum Hieroſolymitanis, tum ipſis Zelotis. Atque ſic utrimque premebantur cives Hieroſolymitani, intus nempe à Zelotis quibus Johannes præerat, foris verò à Simone homine ſæviſſimo. Interim Idumæi qui à partibus Johannis ſtabant, & inter copias ejus erant, ab eo diſſidentes & cum eo congreſſi multos Zelotarum perimunt, & Johannis aulâ captâ & incensâ eum cum ſuis in templum compellunt. Veriti autem unà cum civibus, ne noctu in civitatem excurreret, eámque vaſtaret, ut ſe ab eo tuerentur, conſilio capto, Simonem accerſunt, atque intra urbem admittunt: quo recepto Templum oppugnant, ſed fortiter pugnantibus Zelotis, fruſtrà expugnare tentant.

Veſpaſianus relictâ Cæſareâ, Berytum venit & Antiochiam, unde Mutianum in Italiam cum copiis mittit, ipſe verò Alexandriam proficiſcitur.

4073 In Mœſiâ autem Antonius Primus Veſpaſiani partes ſecutus legionem tertiam in Italiam adversùs Vitellium duxit; commiſſóque ad Cremonam adversùs Vitellianos prælio eos fugat & cædit: tum Romam veniens & Mutiano junctus in mediâ urbe Vitellii exercitum fundit, & Vitellium ipſum per medium forum tractum jugulat. Mutianus Domitianum Veſpaſiani filium, interim dum pater ex Syriâ advenit, Principem conſtituit.

Veſpaſianus his Alexandriæ auditis, Titum filium in Judæam cum copiis mittit, ad conficiendas belli Judaici reliquias, ipſe autem in Italiam navigat. 4783 70

Porrò interim dum Titus Alexandriæ adhuc hæret, Hieroſolymitana factio trifariam dividitur. Nam Simon quem Hieroſolymitani adversùs Johannem accerſiverant & admiſerant, ſuperiorem tenebat civitatem, & inferioris partem aliquam; Johannes autem cum Zelotis Templum & inferioris civitatis partem aliam occupabat. Hujus autem factio in duas rursùm ſcinditur. Nam Eleazarus, qui primus fuerat Zelotarum in initio Dux atque rector, ægrè ferens Johannem audaciâ & artibus ſuis imperium ad ſe traxiſſe, omniáque jam pro arbitrio agere atque adminiſtrare, ab eo, adſcitis ſecum nonnullis aliis, ſecedit, & cum ſuis interius Templi ſeptum occupat, atque inde adversùs Johannem depugnat, numero quidem ſequacium longè illi inferior, ſed loci ſitu & qualitate ſuperior. Ita Johanni, qui Templi exteriorem ambitum porticúſque tenebat, duplex incumbebat bellum: alterum adversùs Eleazarum, alterum verò adversùs Simonem. Et ſic quidem alii adversùs alios pugnantes pleraque quæ circa Templum erant incenderunt; frumentum, aliáque ad victum neceſſaria corruperunt, quæ illis in multum tempus ſufficere potuiſſent; quibus corruptis & abſumptis, fame poſteà, cùm à Romanis obſiderentur, oppreſſi ſunt.

Titus autem Alexandriâ Cæſaream profectus, atque iſthic coactis copiis, quatuor nempe legionibus, cum auxiliaribus Regum vicinorum, Hieroſolymam contendit, contráque eam ſexto, ſeptimóque ſtadio caſtra ponit paulò ante Azymorum diem feſtum; eóque infinitam hominum multitudinem, quæ ad feſtum de more aſcenderat, in civitate concludit, à quâ alimenta, & victui neceſſaria brevi conſumpta ſunt omnia. Unde ſtatim fames ſæviſſima civitatem oppreſſit: cujus exemplum horrendum & memorandum, matris filiolum devorantis, per id tempus iſthic contigit. Ipſo autem die feſto Azymorum, 14. Aprilis, cùm Eleazarus, qui Templum interius occupaverat, populo ſacrificare volenti portas Templi aperuiſſet, Johannes temporis opportunitate uſus ſubmittit cum populo de ſuis non paucos, qui ſub veſte gladiis occultè armati, & cum promiſcuâ multitudine admiſſi Eleazarum cum ſuis invadunt, interiúſque Templi ſeptum cum multâ Zelotarum cæde occupant. Atque ſic factio, quæ priùs tripertita fuerat, ad duas rediit: Johannis nimirùm unam, qui numero fuerunt 8400. Simonis verò alteram, quo cum erant 10. millia hominum, & præterea Idumæorum 5. millia.

Titus autem propiùs ad mœnia accedens, juxta turrem Pſephinam caſtra ponit, & aggere properè jacto, ariete murum quatit, víque dejicit, & in urbem perrupto priore muro, cedentibus intrò Judæis, irrumpit 5. Non. Maias, atque totam Septentrionalem urbis regionem, uſque ad Antoniam arcem & vallem Cedron, occupat. Quinto pòſt die turri quádam ſecundi muri à plagâ Septentrionali ariete concuſſâ atque dejectâ, urbe novâ inferiore potitur; à quâ ſtatim repulſus à Judæis, quarto tamen pòſt die eam rursùs occupat, ſéque ad tertii muri oppugnationem accingit. Atque 12. die Maii quatuor aggeres jaci juſſit, duos ad Antoniam, quâ Templum, totidem ad Johannis Pontificis monumentum, quâ ſuperiorem civitatem capere ſe poſſe ſperabat. Et ad Antoniam quidem Johannes, ad Johannis autem monumentum Simon Romanis reſiſtebat. Aggeribus illis 29. die Maii perfectis per 17. dies, & murum jam quatere incipientibus Romanis, Johannes acto ex Antoniâ cuniculo, alterum dejicit, & ſuccendit: Simon autem biduo pòſt, irruptione ex urbe factâ, duos aggeres ſibi oppoſitos incendit, cum arietibus & machinis multis; adeóque & in ipſis caſtris Romanos Judæi aggrediuntur, ſed à Tito ab Antoniâ adveniente in urbem compelluntur.

Aggeribus ſic corruptis & incenſis, viſum eſt Tito novos erigere, quibus oppugnaret civitatem, & muro urbem circumdare, ne quis ex eâ effugere poſſet, néve quid in eam inferri. Itaque tridui ſpatio urbem muro circumvallavit, ambitu 39. ſtadiorum additis per circuitum 13. caſtellis ambitum 10. ſtadiorum complectentibus. Unde fames in urbe invaluit, ſævíſſimèque graſſata eſt, ita ut eâ non plebs duntaxat & populus paſſim occumberent, ſed ipſi etiam ſeditioſi premerentur: tantúſque fuit fame & lue pereuntium in urbe numerus, ut à 14. die Aprilis (quo cœpta eſt obſidio) ad Kalendas Julii, per unam portam (referente quodam Mannæo transfugâ,

qui iſti rei præerat) elata int paupertm 115800. cadavera, quæ ſumptu publico mercede numeratâ humabantur; præter eos qui à propinquis & familiaribus efferebantur. Paulò pòſt ab aliis transfugis cognitum eſt, 600. millia funerum portis eſſe elata: denique cùm efferendis pauperibus ſufficere ampliùs non poſſent, collatis & congeſtis in ingentes cumulos, (in vacuis domibus) cadaveribus, ædes claudebant. Sepultura autem eorum qui efferebantur alia non erat, niſi quòd de muris in ſubjectas valles ea projiciebant, quibus valles ſic compleverant.

Interim Simon intùs cædibus & rapinis non abſtinebat. nam Matthiam Pontificem, cujus operâ in urbem admiſſus fuerat, proditionis inſimulatum, quaſi ad Romanos veliet transfugere, cum tribus filiis, aliiſque ſexdecim ex nobilioribus populi indemnatos necavit: tantâque ſævitiâ grallatus eſt, ut Judas quidam unus ex ipſius Præfectis, crudelitatem ejus pertæſus agitaverit de tradendâ Romanis turri quâdam, cujus cuſtodiæ præpoſitus erat; ſed à Simone occupatus cum decem ejuſdem conſilii ſociis interfectus eſt. Johannes autem in Templo neceſſitate adactus res ſacras, vaſa aurea, argentea, Templique ſacram pecuniam, in proprium & profanum uſum convertit: quin & ſacrum oleum & vinum, ſacrificiorum libaminibus dicata, militibus ſuis coactus eſt diſtribuere.

Titus autem conquiſitâ undique materiâ, & excitis ad 90. uſque ſtadium lucis & arboribus omnibus, aggeres novos magno labore intra dies 21. exſtrui curavit: & circa Antoniam quidem quatuor, ſingulos à ſingulis Antoniæ arcis lateribus erexit; quos cùm Johannes timidè, perturbatè & fruſtra aggreſſus eſſet, à Romanis repulſus, Kalendis Julii arietem admovere cœperunt muro Antoniæ Romani, eóque concuſſo mox 5. die Julii in Antoniam, fruſtrà repugnantibus Judæis, irrumpunt, indéque in Templum refugientes Judæos inſequuntur. Sed aliquandiu repulſi Romani tandem poſt multam pugnam, 17. die Julii (quâ die in Templo juge ſacrificium, ἀνδλαχημὰ, virorum qui illud curarent penuriâ, defecerat) fruſtrà ſeditioſos per Joſephum Titus adhortatus ad deditionem faciendam, ſeptimo pòſt die admotis aggeribus, quorum materia à centeſimo ſtadio comportabatur, & everſis Antoniæ fundamentis, ad Templum uſque facilem efficiens aſcenſum, & per Antoniam irrumpens, Porticus Septentrionalem & Occidentalem exterioris Septi Templi occupat: quarum pars, quæ Antoniæ jungebatur, à Judæis immiſſo igne incenſa fuerat & diruta, pars altera biduo pòſt à Romanis incenditur 24. die Julii, Judæis incendium non reſtinguentibus ſed ſerpere ſinentibus, ut ſic porticus ab Antoniâ omninò dirimerentur.

XXVII. autem die Judæi rursùs Occidentalem Porticum ad pontem uſque qui in Xyſtum ducebat, exurunt, unâque Romanos plurimos qui in eam (refugientibus ultrò Judæis) aſcenderant. Poſterâ verò die Romani Septentrionalem totam ad Orientalem uſque incendunt.

Octavo autem die Auguſti, cùm nec arietibus pulſando interioris Septi murum quicquam promoveret Titus, neque portarum fundamenta ſuffodiendo, propter lapidum magnitudinem & validam junCturam, neque ſcalis in Porticus aſcendere potuiſſent Romani, Judæis deſuper fortiter repugnantibus; quod diſtulerat loci reverentiâ motus, tandem neceſſitate coactus interioris Septi Templi portis ignem admoveri juſſit: quibus incenſis ſimul junctæ illis Porticus inflammantur, ſpectantibus & ſtupentibus Judæis, nec incendium præ ſtupore prohibentibus, aut reſtinguere conantibus; totâque illâ die, & ſequenti nocte, arſerunt Porticus. Cúmque cum Ducibus decrevitſet Titus Templum ab incendio ſervare, obtinere tamen id non potuit. Die enim 10. Auguſti, cùm Romani, qui in exteriore Templi Septo excubabant, à Judæis laceſſiti impetum in eos fecilent qui ignem interioris Septi exſtinguebant, eóſque in ipſum Templum compuliſſent; Romanus miles, rapto ex incendio titione, à ſocio ſublatus in humerum per feneſtram auream ignem in domos ſeu Cellas circa Templum conſtructas à Septentrionali parte rejicit, quas corripiens ſtatim ignis Templum ipſum illis junctum, (fruſtrà Tito incendium reſtinguere militibus jubente) ſimul inflammat anno Veſpaſiani ſecundo, eodem menſe, eodemque mentis die, quo priùs a Nebuchadneſare fuerat incenſum.

Titus expilato & incenſo Templo, ſigníſque in Orientali Templi portâ conſtitutis, peractóque iſthic ſacrificio, Imperator ab exercitu proclamatur; móxque ſeditioſos qui in ſuperiorem civitatem confugerant, de ponte, quo Templum Civitati conjungitur ſuper Xyſtum, per Interpretem ad deditionem cohortatus, cùm recuſarent ſe illius fidei committere, licèt vitam illis indulgeret, poſtularéntque ut ſibi cum liberis & uxoribus urbe in deſertum exire liceret, indignatus Titus extremum illis denuntiat interitum, totámque inferiorem urbem & Aceram, quam occupaverat, juſſit incendi. Superiorem autem civitatem in præcipito undique loco ſitam oppugnare cœpit, aggeribus 20. die Auguſti jaci cœptis, perfectiſque 7. die Septemb. machinas mœnibus admovet, perruptóque muro, & diffugientibus præ metu & conſternatione Tyrannis cum ſuis ſatellitibus, Romani 8. die Septemb. irrumpunt, omniáque ferro & flammâ vaſtant.

Die Saturni, quem Judæi præcipuâ religione colunt, Hieroſolyma concidiſſe, notavit *Dio*: ſive ad diem captæ urbis reſpiciens (nam & octavus Septembris dies in Sabbathum hoc anno incidit) ſive exciſæ potiùs. Urbem enim totam & Templum funditùs everti & complanari juſſit Titus, (eíque de more induci aratrum:) exceptâ occidentali duntaxat muri parte, turribúſque tribus, Hippico, Phaſaélo & Mariamne: quas, ob elegantiam & fortitudinem inſignem, voluit poſteris relinqui documentum magnificentiæ urbis illius.

Quum ita Titus captis Hieroſolymis omnia circùm loca cadaveribus compleviſſet; finitimæ gentes ob victoriam coronare eum voluerunt. Ille verò tali honore indignum te eſſe reſpondit: non enim ſe fuiſſe talium operum authorem, ſed Deo iracundiam contra Judæos demonſtranti ſuas manus præbuiſſe. [*Philoſtrat. in Vitâ Apollonii, lib. 6. cap. 14.*] Habentur tamen Titi numiſmata, trophæo & quadrigâ triumphali, inſignita: ut & Veſpaſiani, cum mulieris effigie mœſtæ ſedentis ſub palmâ, & inſcriptione. IVDÆA CAPTA. S.C. ut & nummus, ſub finem anni 21. Agrippæ regis cuſus; cum Græcâ hâc inſcriptione. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. ΙΟΥΔΑΙΑC. ΕΑΛΩΚΥΙΑC. ΕΤΕΙ. ΚΑ. ΑΓΡΙΠΠ.

Titus,

4074 Titus, omnibus belli partibus adminiſtratis, militibus præmia diſtribuit; Hieroſolymæ cuſtodiam decimæ legioni credidit: duodecimam verò, quæ infeliciter ſub Ceſtio pugnaverat, totâ Syriâ expulit, & ad Euphratem in Armeniæ & Cappadociæ confinio ablegavit. Ipſe cum quintâ & decimaquintâ legione Cæſaream maritimam venit: quò omnem prædam & manubias, captivóſque coëgit; quòd ad Italiam navigare tempus hyemis prohiberet.

Capti ſunt in cloacis Hieroſolymæ latitantes Tyranni duo, Johannes & Simon: quorum ille perpetuis vinculis damnatus, hic triumpho ſervatus eſt. In iiſdem cloacis inventa ſunt duo millia hominum, qui vel fame contabuerant, vel mutuis vulneribus occubuerant, ne ſe Romanis dederent.

Cæſareæ Titus moratus, natalem fratris ſui (Domitiani; qui in 30. Decembris diem incurrit) clariſſimè celebravit: ubi numerus Judæorum qui cum beſtiis depugnârunt, quíque ignibus cremati ſunt, & inter ſe digladiatores periêre, 2500. exceſſit.

Poſtea Titus Berytum in Phœnicià venit: ubi diutiùs demoratus, patris diem natalem (Imperii ſc. quem Kalendis Juliis obſervari ſolitum, ex Suetonio & Tacito docuimus) majore magnificentiâ celebravit: ubi captivorum etiam multitudo eodem quo anteà modo periit. 4784 71

Antiochiam deinde & alias Syriæ urbes inviſens Titus, inde per Judæam & Hieroſolymam, quintâ & decimaquintâ legione comitatus, in Ægyptum Alexandriam contendit; atque inde Romam navigavit. Ubi omnium votis exceptus, unà cum patre de Judæâ ſubactâ triumphavit.

In eo triumpho ducti ſunt Johannes & Simon Gioræ ſeditioſorum duces, cum 700 Judæis robore & formâ præſtantibus: ex quibus ſolus Simon (Barpores à *Dione* cognominatus) capitis ſupplicium pertulit. In eo quoque portabatur Lex Judæorum, noviſſima ſpoliorum: quæ unà cum penetralium velis purpureis in Palatio eſt repoſita.

Ab hâc victoriâ uterque, & pater & filius, *Imperatoris* nomen obtinuit: neuter tamen *Judaicus* cognominatus eſt; licèt alia multa, atque imprimis arcus triumphales, eis decreti ſint. [*Xiphilin. ex Dione.*] Extátque adhuc Romæ ad radices montis Palatini arcus triumphalis marmoreus, in honorem Titi erectus: ex quo inſtrumentorum Templi, in eo triumpho traductorum, ectypon à Villalpando habetur expreſſum, tomo 2° explanat. in Ezechiel. lib. 5. cap. 7. pag. 587.

4075 In Judæam legatus miſſus Lucilius Baſſus, ſuſcepto à Cereali Vitelliano exercitu, caſtellum Herodion cum præſidio deditione accepit: móxque Machæruntem fortiſſimum caſtellum ultra Jordanem oppugnans, illud tandem cepit.

Ut in XII. (al. XV.) *diebus utrumque ſidus quæreretur, & noſtro evo accidit; Imperatoribus Veſpaſianis, patre* III. (fortè IV.) *filio iterùm Conſulibus:* inquit Plinius. [*lib. 2. cap. 23.*] quod prædictum quidam fuiſſe exiſtimant à Servatore noſtro, [*Matth.* XXIV. 29.] 4785 72

Cæſar ad Liberium Maximum Judææ procuratorem ſcripſit, ut totam Judæorum terram venderet. Stipendium verò Judæis ubicunque degerent indixit: & didrachmum ſingulis annis deferre in Capitolium juſſit, ut ante hæc Hieroſolymorum templo pendere ſolebant.

Anno quarto Veſpaſiani, Cæſennius Pætus Syriæ præſes Antiochum regem Commagenes regno expulit: qui ipſe in Ciliciam, filius verò ad Parthos fugit. Reconciliatus verò uterque poſteà Veſpaſiano, regno reſtitutus eſt. [*Joſeph.*]

Alani in Mediam irrumpunt eámque longè latéque vaſtant, fugiente Pacoro rege. Poſteà tranſeunt in Armeniam: quibus Tiridates rex occurrens, penè in ipſo prælio captus eſt. [*Id.*] 4786 73

4076 Apud Judæos mortuo Baſſo ſucceſſit in adminiſtratione Judææ Publius Silva. Ille inexpugnabilem arcem Maſſadam, ab Eleazaro Judæ Galilæi nepote ſicariorum duce occupatam, tandem vi expugnat April. 15. die: omnibus qui in eâ erant arce ſicariis, numero 960. cum uxoribus & liberis, Eleazari hortatu ſefe mutuis vulneribus ad unum conficientibus, incensâ priùs cum omni ſupellectile arce, ne in Romanorum poteſtatem venirent. Atque ita omnes belli Judaici reliquiæ ſublatæ ſunt, totáque Judæa eſt pacata.

Sicariorum multi è Judæâ dilapſi, & in Ægyptum profugi Alexandriam veniunt, ubi Judæos ad defectionem ſollicitant. Sed plebs à Primariis perſuaſa in ſicarios illos irruit, 600. eorum capit, quos Romanis tradit ſupplicio afficiendos: reliqui per Ægyptum & Thebas dilapſi capiuntur etiam. Quâ de re monitus Cæſar, jubet Lupo, Alexandriæ tum Rectori, ut Templum Judæorum (quod in Ægypto olim ab Oniâ, ſummi Pontificis fratre, exſtructum fuerat) dirueret. Sed Lupus ablatis tantùm quibuſdam donariis Templum claudere contentus fuit. At Paulinus, ejus in adminiſtratione ſucceſſor, ablatis omnibus donariis, foribus occluſis ita inacceſſum fecit, ut ne veſtigium quidem religionis iſthic remaneret.

Elapſus ad Cyrenem Judæus quidam textor, Jonathas nomine, tumultu ibi excitato, Judæorum duo millia in ſolitudines perduxit: quos Catullus (ſive Catulus) Pentapolitanæ Libyæ rector, equitibus ac peditibus miſſis, facilè oppreſſit. Ad eum adductus Jonathas, locupletiſſimos Judæorum authores ſibi hujus conſilii fuiſſe falsò affirmabat. Cujus criminationibus libenter auſcultans Catullus, tria ſimul eorum millia trucidavit: ídque eo ſecuriùs, quòd eorum patrimonia reditibus Cæſaris adjungeret. Vinctus verò Jonathas cum comprehenſorum aliis Romam ad Veſpaſianum ab eo miſſus eſt, ut probatiſſimos Judæorum, apud Alexandriam Romámque degentium, novarum rerum accuſaret. Qui inter alios Joſephum quoque, Judaicæ ſcriptorem hiſtoriæ, arma ſibi & pecunias ſubminiſtraſſe affirmabat. Sed Veſpaſianus, cognito non jure hominibus accuſationem illatam, illos quidem Titi ſtudio criminibus ſolvit, meritò verò pœnam in Jonatham ſtatuit: priùs enim verberatus, vivus exuſtus eſt. Catullo autem tunc quidem ob lenitatem Principum obtigit, nequid ampliùs caſtigationis experiretur: non multo autem pòſt, multiplici morbo & inſanabili correptus, & animi terroribus (eorum quos peremerat umbras crebrò ſibi obverſari exiſtimans) tanquam tormentis ſibi & flammis adhibitis excruciatus, extis demùm defluentibus, ac inteſtinis exhauſtis, mortuus eſt. [*Joſeph. lib. 7. Belli, cap. ult. & in lib. de Vitâ ſuâ.*]

Hîc

Hîc Judaici excidii historiam terminat *Josephus*: qui in hoc bello captus, & à Flavio Vespasiano Imperatore libertate donatus, à patrono suo *Flavii* prænomen accepit.

Sexcenta millia Judæorum eo bello interfecta, *Cornelius* & *Suetonius* referunt. *Josephus* verò Judæus, qui ei tunc bello præfuit, & apud Vespasianum propter prædictum Imperium veniam gratiámque meruerat, scribit undecies centena millia gladio & fame periisse: reliquias verò Judæorum diversis actas conditionibus toto orbe dispersas; quarum numerus ad nonaginta millia hominum fuisse narratur. Ita Orosius. [*lib. 7. cap. 9.*] Verùm in *Suetonio* numerum illum interfectorum 600000 nusquam invenio. Apud Josephum [*libro 7°. Belli, cap. 17. vel λέγ. ε'. πφ. με.*] captivorum numerus est 97000. alter verò ille 1100000 numerus eorum tantùm est qui in ipso semestri obsidionis Hierosolymitanæ perierunt. * unde subducto 600000 interfectorum numero, à *Cornelio Tacito*, & *Eusebio* commemorato, reliqui erant 500000, quos pestis & fames absumpserit. * At eorum qui extra illam obsidionem per totum septennium interierunt hunc ex *Josepho* Indicem, in lib. 2. de Constantiâ cap. 21. exhibuit *Justus Lipsius*.

Hierosolymis primùm interfecti, jussu Flori,	*sexcenti triginta.*
Cæsareæ ab incolis, odio gentis & religionis, uno tempore	*viginti millia.*
Scythopoli (Cœlæ-Syriæ urbs est)	*tredecim millia.*
Ascalone in Palæstinâ, item ab incolis,	*duo millia, quingenti.*
Ptolemaide pariter	*duo millia.*
Alexandriæ in Ægypto, sub Tib. Alexandro Præside	*quinquaginta millia.*
Damasci	*decem millia.*
Joppe captâ à Gessio Floro cæsi	*octo millia & CCCC.*
In monte quodam Cabulone	*duo millia.*
In pugnâ ad Ascalonem	*decem millia.*
Per insidias iterùm	*octo millia.*
Aphacæ, cùm capta esset,	*quindecim millia.*
In monte Garizim cæsi	*undecim millia & DC.*
Jotapæ, in quâ ipse Josephus, circiter	*triginta millia.*
Joppe iterùm captâ submersi	*quatuor millia CC.*
In Tarichæis cæsi	*sex millia & D.*
Gamalæ, tam interfecti, quàm sponte præcipitati, nec quisquam homo natus ex eâ urbe salvus, præter duas mulieres, sorores.	*novem millia.*
Giscalâ desertâ, in fugâ trucidati	*bis mille.*
Gadarensium cæsa	*tredecim millia.*
Præter eos qui in flumen desiliere infiniti.	
In Idumææ vicis cæsi	*decem millia.*
Gerasii	*mille.*
Macharunte	*mille DCC.*
In silvâ Iardes	*tria millia.*
In Massadâ castello, suâ manu perempti	*nongenti & LX.*
In Cyrene à Catulo Præside cæsi	*tria millia.*

Qui vitâ functorum numerus illis 1100000 qui in urbis Hierosolymitanæ obsidione desiderati sunt additus, summam 1337490 conficit: innumeris præterea aliis omissis, qui in totâ regione fame, exsilio, miseriis perierunt.

Agrippam, regum Herodiadarum ultimum, regni sui incrementum à Vespasiano accepisse, in Judæorum Regum Chronico Justus Tiberiensis significat. [*apud Photium, in Bibliothec. cod. 33.*] Prætoriis quoque honoribus auctum eum fuisse, docet *Dio*. Cum eo soror Berenice Regina Romam veniens, habitavit in Palatio. Ita enim amore ejus flagrabat Titus, ut nuptiarum etiam spem ei fecerit: jámque omnia, ac si uxor esset, ea gesserit. Sed Titus, quum intelligeret populum Romanum id molestè ferre eam dimisit. [*Sueton. in Tito, cap. 7. & Xiphilin. ex Dione.*] De reliquâ Herodis progenie, memoratu dignissima est illa *Josephi* observatio: [*lib. 18. Antiquit. cap. 7.*] eam ferè totam, licèt admodùm numerosam, intra centum annos interiisse. Atque iste rerum Judaicarum fuit exitus.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX PRIMUS RERUM ET VERBORUM UTRIUSQUE PARTIS.

A

pag.

Aron natus est, 12.
Abbarus pontifex, 74
Abdon judicat Israelem; 27
Abel occisus à fratre, 4
Abia regnat, 55. Jeroboamum superat, *ibid.*
Abimelech 70 fratres occidit, 25. Sichem urbem diruit, occiditur, *ibid.*
Abram natus, 5. vocatus ex Ur Chaldæorum, 6. cogente fame descendit in Ægyptum, *ibid.* revertitur cum Lot in Cananæam, *ibid.* circumciditur, 7. obtulit Isacum, *ibid.* moritur, 8
Absalon post triennale exilium redit Hierosolymam, 31. post biennium in conspectum patris admittitur *ibid.* civium animos cœpit à patre abalienare *ibid.* paternum regnum invasit, *ibid.* telis Joabi confoditur, *ibid.*
Abydus obsidetur, 272. capitur, 273
Acenchres, Ori filia Ægypti regina, 11
Acencheres Rathotis filius rex Ægypti, 12. post eum Acencheres alius regnat, *ibid.*
Achab vineam Nabothi appetit, 38. Achaziam filium proregem constituit *ibid.* oppugnans Ramoth Gilead occiditur, *ibid.*
Achaus, 266. 267
Achæi damnant Areum & Alcibiadem, 288
Achazia natus, 38. ægrotans consulit Baalzebubum, 39. moritur, *ibid.*
Achaz Jothami filius natus, 47. patri succedit, 49. servit Assyrio, 51. moritur, 52.
Achiabus ictum Herodis (Infanticidæ) seipsum occisuri prævenit, 569
Achillas nuntios ad se missos interfici jubet, 468. interficitur ab Arsinoe. 470
Acme Liviæ ancilla confictam epistolam ad Herodem mittit, 569. occiditur à Cæsare, *ibid.*
Acoris Ægypti rex bellum adversùm Artaxerxem parat, 139
Adam mortuus, 4
Addo vel *Addaus* vulnerat Caium, 576
Ægialeus, Sicyoniorum in Peloponneso regnum incipit, 5
Ægyptius magus, 4 millia hominum circumducit, 636
Ægyptus Æriam terram vocavit à suo nomine, 19. post novem annos in expeditionibus exteris Pelusium rediit, *ibid.* ejus 50 filii occisi à filiabus Danai, *ibid.* Ægypti *Autocratia*, 59
Ægypti à Persis deficiunt, 93. iterum deficiunt, 104. iterum Persis subjiciuntur, 105. deficiunt, 269
Ægyptus à Persis subjugata; 147
Ælius Gallus Ægypti præfectus mittitur in Arabiam, 553. improbitate Syllæi magnas patitur difficultates, *ibid.* ejus exercitus ex aquis, & herbis contrahit morbos, *ibid.* oppida diruit in Arabia felice, 554. ab Arabica expeditione redit, 555
Ælius Sejanus Drusum Tiberii filium veneno tollit, uxore ejus Livia adulterio corrupta 585. Judæos falsò accusat ad Tiberium, *ibid.* interficitur. 591
Æmilii gesta, 280. 281. 282
L. Æmilius Paulus Persæum vincit, 307. Græciam circumit, ludicrumque Amphipoli instituit, 314
Æmilius Macer Veronensis poëta in Asia moritur, 559
Æneas rex Arabum Nabatæorum, 564. Legatus frustra mittit ad Cæsarem, *ibid.*
Æsopus Sardes venit, inde Delphos profectus injustè damnatur, 74
Æthiopes ab Indo flumine consurgentes juxta Ægyptum consederunt, 12
Ætolorum anacleteria, 276
Agabus S. Pauli vincula prædicit, 638
Agathocles moritur, 245
Agathocles Lysimachi filius à patre occiditur, 249
Agathocles, & *Agatoclia*, 270. 271
Agesilaus à Lacedemoniis mittitur cum copiis contra Persas, 130. inducias cum Tissapherne factas servat, licet hic jusjurandum violaret, 131. Phrygiam & vicina loca populatur, *ibid.* Tissaphernis exercitum fugat, 132. Pilandrum classi præfecit, 133. regionem Pharnabazi infestat, *ibid.* domum ab Ephoris revocatur, 134. ab Ægyptiorum rege deridetur & contemnitur, 144. 145. moritur, 145
Agesipolis rex Spartæ, 288
Agrippa (Marcus) vide *Marcus*
Agrippa Aristobuli filius, (qui & Herodes) posteà ab angelo percussus, nascitur, 562. Romæ degens insinuat se in amicitiam Antoniæ. 569. in Judæam redit, æreque alieno oppressus ab Antipa juvatur. 585. pecunias fœneratur, 612. navigat Alexandriam, *ibid.* non prius admittitur à Tiberio, quàm persolvisset debitum, *ibid.* in vincula conjicitur. 614. mortuo Tiberio liberatur. *ibid.* venia Caligulæ impetrata domum revertitur 616. per Alexandriam iter habens, ab ejus urbis civibus eodem modo irridetur, quo ante quinquennium Judæi Christo irriserunt *ibid.* tetrarchiam Patrui sui, Herodis exulis accipit a Caio 619. Cùm Caium audisset indignantem, quòd Deus non agnosceretur, horrore corripitur. 620. Ejus literæ ad Caium, *ibid.* Claudium hortatur, principatum ut reti-

neat, 621. regnum auctum & honores à Claudio accipit. *ibid.* fœdus ejus cum Romano populo in æs inciditur. *ibid.* Simonem Cantharum quem Theophilo substituerat, sacerdotio summo privat, 622. muros novæ quæ vocatur civitatis extructurus, cohibetur à Claudio, 623. Beryti magnis sumptibus amphitheatrum extruit, *ibid.* Jacobum filium Zebedæi gladio percutit, *ibid.* percussus ab angelo animam efflat. 624. Ex obitu ejus magnum gaudium cives Cæsareæ, & milites concipiunt. *ibid.*

Agrippa Junior nascitur. 587

——rex pariete quodam Judæorum offenditur, 642. summum sacerdotium Josepho ademptum, Anano dat, *ibid.* Pontificatum Jesu Gamalielis filio abrogatum, Matthiæ Theophili filio concedit. 645. Regum Herodiadarum ultimus. 652

Agrippina relinquitur à Tiberio invito animo, cùm jussus esset ducere Juliam, 561

Agrippina Germanici uxor parit Juliam, 581. non sine magno omnium dolore venit in Italiam amisso viro, 584

Alani Mediam vastant, 651

Albinus in provincia Judææ Festo succedit, 643. Judæos injustitiâ affligit, 644

Alcetas seipsum occidit, 222

Alchaudonius Basso, pretio conductus, se adjungit, 480

Alcibiadis & Chalcidei opera multi ab Athenienſibus deficiunt, 112. Alcibiadis postulata, 114. cum Atheniensibus redit in gratiam, 115. cum magna præda in Samum redit *ibid.* à Tissaphernе in vincula conjicitur, 116. Pharnabazum superat *ibid.* dux belli generalis factus, 119. in Thraciam cum pecunia fugit, 122. occiditur & crematur, 123

Alcimus fit Sacerdos 323. ejus Sacerdotium confirmatur à Demetrio Sotere, 326. contra pactum 60 ex Scribis uno die occidit *ibid.* Coronam auream offert Demetrio, 327. Judam Maccabæum accusat, *ibid.* Nicanorem defert apud regem, *ibid.* cum magno cruciatu vitam finit. 330

Alexander natus, 144. Philippo succedit, 150. Triballos superat, & in Græciam tumultuantem revertitur, 151. Athenienſibus parcit, Thebanos oppugnat, *ibid.* per Hecatæum comprehendit Attalum, Thebas evertit, Pindari familiam servat. Diogenem invisit, ejus somnium, *ibid.* in Asiam trajicit ejus exercitus, hastam conjicit in Asiam. Achillis tumulum invisit; sacrificat. Granicum amnem superat, in campis Adrastiis Persas superat, urbem Sardianorum occupat. Ephesum venit. Oligarchiam tollit. Dianæ sacrificat. Miletum capit. in Cariam contendit, Græcas urbes liberat. Adam Cariæ reginam declarat. Halicarnassum Cariæ metropolim solo æquat. Macedonicis militibus hybernandi veniam cum uxoribus dat. Parmenionem Sardes mittit, multa oppida capit, 152, 153. in Myliada Phrygiæ movit, 153. ad Phaselidem nuncium accepit de insidiis vitæ ejus structis, mare Pamphilium superat, sed absque miraculo. in Pisidia, Pamphilia, & Phrygia multa oppida capit. Gordiam venit, ubi nodum secuit, omnem regionem cis Halym fluv. subegit, ad Pylas præsidium invadit. Cydni fluv. unda frigida periclitatur. Orontobatem Persam superat. apud Solos urbem Æsculapio sacrificat & Minervæ. Darii ingentem exercitum cecidit. Darii matrem & filias humaniter tractat. *ibid.* & 154, 155, 156, 157. tribus aris erectis Syriam petiit. Insulæ & coronæ illi offeruntur, *ibid.* ad urbem Marathen contendit, ubi à Dario literæ ei traduntur, Byblum capit, & Sidoniam, ubi Straronis loco Abdalonymum regem constituit, Tyriis exitium minatur, *ibid.* ad Jaddum scribit, 158. Arabiam subjicit. Tyrum navigat, conditiones à Dario oblatas rejicit, 159. Herculi sacrificat. Judæam invadit. Jaddum veneratur, & Judæorum votis annuit, 160. Ægyptum subjicit, & Alexandriam condit, 161. Ammonis oraculum adit, & Jovis filius salutatur, 162. Darium fugat, 166. Susa pervenit, 168. Persepolim capit, 169. per nives & glaciem milites ducit, *ibid.* reliquas Persiæ urbes capit & Persepolin incendit, 170. Darium insequitur, *ibid. & seq.* quamdiu regnarit, 173. erga Darium humanitas, *ibid.* se luxui Persico dedit, 174. militum sarcinas incendit, *ibid.* insidiæ in eum struuntur, 175. epistolas Macedonum capit, quid egerit ad finem illius anni, *ibid.* ejus milites aqua hausta interemut, 176. super pelles exercitum per amnem traducit, sagitta vulneratur, 177. apud Cyropolim periclitatur, *ibid.* ad Tanaim Alexandriam condit, alvi profluvio correptus, Scythas superat, 178. ad Oxum fluv. pervenit, 179. exercitum in 5. partes dividit, *ibid.* Sogdianis subactis leonem occidit, 180. ob Clytum dolet, *ibid.* & ob Philippi ac Erygii mortem, 181. Petram Naura superat, *ibid.* Gregarium militem in sella regia collocat, 182. jubet se adorari, *ibid.* Reliqua ejus gesta illius anni, *ibid. & seq.* In Indos movit, 184. Sauciatur in sura, *ibid.* Acta Herculis superare gestit, 185. Multas urbes apud Indos capit, Indum fluvium trajicit, *ibid.* ludos celebrat, 186. Hydaspum superat, *ibid. &* 187. ejus vanitas in ulteriori ripa Hyphasis fluvii, 190. ducum ejus insolentia, *ibid.* Reliqua ejus gesta apud Indos *ibid. & seq.* vulneratur, 194. ejus nuptiæ cum Statira, 203. Amicis uxores nobiles dat, *ibid.* & 204. ejusdem crudelitas, 205. per Euphratem & Tigrim navigare parat, 207. ejus largitio in milites, quibusdam aureas coronas dat. Persarum juvenes Macedonicis armis instruit 204. Persarum mores, rejectis Macedonicis colit. Macedones supplices ad osculum admisit. Epulum facit 9. millibus convivis, 205. ejus luctus pro Hephæstione, 206. Spretis vatum monitis, Babylonem intrat, quo ordine legatis ad eum undique fluentibus respondit. Æsculapium accusat, Æneas statuas Athenas remisit, 207. Exequias magnificas Hephæstioni facit, cui sacrificat, & templa dicat, quo anno mortuus, *ibid.* & 208. ejus classis apud Babylonem. Ibi portum effodit. Classem adversus Arabas parat, vates irridet, nauta quidam ejus coronam capiti imposuit, quando, & quomodo mortuus, 209. & 210. Beli templum Babylone instaurare statuit, ejus somnium, ejus molitiones paulò ante mortem, *ibid.* Inter bibendum morbo corripitur, quamdiu ægrotarit, quid moriturus dixerit, 211. Quandiu vixerit, & regnarit, 212. Qui Alexandro successerit, *ibid.* Quot dies jacuerit exanimis in solio, *ibid.* Biennium insepultus, *ibid.* ejus testamentum, & successores, 213 & 214

Alexander quidam Persei filium se professus, præ metu Metelli fugit in Dardaniam, 245

Alexander Juniocis Alexandri pater bello victus interit, 276

Alexander quidam sortis extremæ juvenis, ab Antiochenis subornatur quasi genitus ab Antiocho, 334

Alexander Balas amicitiam Jonathanis sollicitat, 335. Demetrio occiso Cleopatram Ptolemæi Philometoris filiam matrimonio sibi jungit, 336. honore afficit Jonathanem, *ibid.* Socordiæ se dat, 338. auditâ expeditione Demetrii è Phœnicia properat Antiochiam, *ibid.* consulit oraculum Apollinis Sarpedonii, 340. Juxta cujus responsum interficitur in Arabia, *ibid.*

Alexander Janneus nascitur Joanni Hircano, 355. filium gignit Hircanum, 359. fit rex Judæorum, 361. vincitur à Ptolemæo Lathuro, 362. Societatem init cum Cleopatra, 363. Gazam capit, in quam effuso milite sævit, 364. Diam capit, 377. expugnat Essam, 378. Similiter Gaulanam, & Seleuciam 380. Demetrium suo principatu exuit, *ibid.* febri quartana laborat,

by Google

381. moriturus monet uxorem ne offendat Phariſæos, 383
Alexander Zebinæ fit rex Syriæ, 357. victis parcit; *ibid.* populus eum deſerit, *ibid.* Sacrilegus eſt, 358. victus ab Antiocho Grypo Antiochiam profugit, *ibid.* interficitur, *ibid.*
Alexander frater Ptolemæi Lathuri, regnum Ægypti loco fratris occupat, 361
Alexander Polyhiſtor, 381
Alexander Ptolemæi Alexandri matricidæ filius, uxorem Cleopatram interimit, 382
Alexander ſecundus Ægypti rex expellitur, 417. fertur teſtamento ſuo populum Romanum hæredem feciſſe, 422
Alexander Ariſtobuli filius Judæam incurſionibus vexat, 437. victus à Gabinio caſtella offert, *ibid.* rurſus vincitur, 443. ſecuri percutitur, 457
Alexander Arabum rex in Actiaca pugna captus, & in triumpho ductus, ab Octaviano occiditur, 548
Alexander Herodis filius, per ſocerum Archelaum patri reconciliatur, 563. ipſe, & frater ejus Ariſtobulus patris juſſu ſtrangulantur, 565
Alexander falſarius detegitur à Cæſare. 573
Alexander Lyſimachus vinctus à Caio, dimittitur à Claudio, 621
Alexandra Judæorum poſtea regina naſcitur, 344. ex infenſis benevolos ſibi reddit Phariſæos, 383. moritur, 400
Alexandra Hyrcani filia ſcribit ad Cleopatram ut Antonium ſollicitet in cauſa filii Ariſtobuli, 520. clàm ſe cum filio Ariſtobulo ſubductura in Ægyptum deprehenditur, 527. miſerabilem filii interitum apud Cleopatram per literas deplorat, 528. In vincula conjicitur juſſu Herodis, 529. ſibi metuens ab Herode, Mariammes filiæ ſuæ mortem comprobat, 548. 549. Cùm, ægrotante Herode, arces in ſuam poteſtatem redigere conata eſſet, ab eo occiditur, 549
Alexandria Ægypti condita 161. pars ejus aſſignatur habitanda Judæis 162
Alexandrini purgaturi ſe apud Romanos à criminibus ipſis à Ptolemæo imputatis, ab eo partim interficiuntur, partim terrentur ne cauſam agant, 438. vincuntur à Gabinio, 442
Alexandrini Caii ſtatuas figunt in Proſeuchis Judæorum, 616. ſæviunt in Judæos, *ibid.* & 617
Alexus ſive *Alexander* Laodicenſis ab Antonio miſſus ad Herodem, deficit ab eo manetque apud Herodem, 540. Cæſaris juſſu necatur. 541
Amaſias natus, 41. apud Bethshemesh ſuperatur & capitur, 43. interficitur, *ibid.*
Amaſis rex à rebellibus factus, 73. In Ægypto regnat, 74. A Cyro deficit, 80. moritur, 82
M. Ambivius ſecundus procurator ab Auguſto in Judæam mittitur, 579
Amenophis in Ægypto regnat, 8
Amenophis regnat, 11
Am-oſſis in Ægypto regnat, 8
Amiſus captur à Lucullo, 396
Ammonius Laodicen & Antigonum interficit, 338. amictu femineo quærens latebras, occiditur, 340
Amnon ſororem vitiat, 31. ab Abſalomo occiſus, *ibid.*
Amon natus, 60. Patri ſuccedit, 61. occiſus, *ibid.*
Amyntas cum Græcis occiditur, 158
Amyntas princeps Galatiæ ab Antonio conſtituitur, 520. tranſit ad Auguſtum, 535
Ananias Nebedæi filius Pontif. conſtituitur, 627
Ananus novus Pontifex Jacobum fratrem Jeſu, alioſque lapidandos tradit, 642. Pontificatum amittit, *ibid.*
Anaxagoras moritur, 109
Anaxibius Laconicus per inſidias ab Iphicrate occiditur, 137
Anaximander Mileſius natus, 63. mortuus, 77
Anaximenes illi ſuccedit, *ibid.*
Andriſcus Adramyttenus Perſei ſe filium fingit, 335 à Demetrio captus Romam mittitur, ubi per contemptum negligitur, 336. clam ſe Romà ſubducens Macedoniam occupat, 337. Romanum exercitum vincit, *ibid.* Theſſaliam vaſtat, 338. ad ſævitiam convertitur, *ibid.* à Byze regulo Thraciæ proditus, in Metelli poteſtatem venit, *ibid.*
Andronicus Oniam interficit, 300. ipſe in eodem loco Antiochi juſſu interficitur, *ibid.*
Anianus, primus Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus, 640
Anilæus vide *Aſinæus*
Anna prophetiſſa filia Phanuelis, 365. 369
Annius Rufus tertius Judææ procurator, 579
Anni famis in Ægypto incipiunt, 10
Anno Græcorum utitur primi libri Maccabaici ſcriptor, 321
Annus primus Sabbaticus à captivitate, 80. ſecundus, 81. tertius, 86
Annus vitiosè intercalatur, 310
Antalcidas maris imperio potitur, 137
Antenor legatus Perſei ad Rhodios, 298. navibus 35 Attalo ab Eumene miſſis inopinatò occurrit, 306
Antigonus Athenæum contra Nabatæos mittit, 234. ex Aſphaltita bitumen colligit, 235. Cum Caſſandro, Ptolemæo, & Lyſimacho pacem facit, *ibid.* Cleopatram occidi juſſit, 237. ejus geſta, *ibid.* & à 220. uſque ad 244. occiditur, 243
Antigonus Demetrii, 248. ejus humanitas erga Pyrrhum, 257. dictus Gonatas, 251, 255, 256. moritur, 260
Antigonus Ariſtobuli frater interficitur, 361
Antigonus Ariſtobuli filius apud Cæſarem de injuriis ipſi illatis queritur, 474. Judæam invadens repellitur ab Herode, 503. reductus a Parthorum rege, Hyrcanum & Phaſaelum vinctos accipit, 510. hoſtis Romæ declaratur, 512. vincit Joſephum Herodis fratrem, ſævitque in mortuum, 515. ducem Pappum Samariam mittit, 516. vinctus ducitur ad Antonium, 518. ab eoque ſecuri percutitur, *ibid.*
Antiochia fundata 243. in ea jus civitatis datur Judæis 244
Antiochus Epiphanes, Romam obſes mittitur ab Antiocho M. 286. Epimanes dictus, 295. magiſtratum populi ſuffragiis adipiſcitur, *ibid.* tempus regni ejus juſtè computatur, *ibid.* initâ cum Eumene ſocietate Syriæ & finitimis gentibus potenter imperavit, *ibid.* miſſi Romam legati, quorum princeps Apollonius, 296. Ægypti regno imminet, 298. queritur apud Romanos ſe à Ptolemæo invadi, 299. prælio cum Ptolemæi ducibus collato, eos vincit, *ibid.* puero regi parcit, *ibid.* ingreditur Ægyptum, eamque ſpoliat, 300. aſcendit contra Hieroſolymitanos, & urbem occupat, *ibid.* millia 40 hominum occidit, totidemque vendit, *ibid.* Templum ſpoliat *ibid.* porcoſque ſuper altare mactat, 301. tertia expeditione facta Ægyptum in poteſtatem ſuam redigit, 302. Alexandriam obſidet, 303. in Syriam exercitum ducit, *ibid.* offenditur pace facta inter Ptolemæos fratres, 305. Apollonium mittit in civitates Judææ. 306. eandem cum Græcis religionem omnes ſibi ſubjectas gentes profiteri jubet, 309. mittit ad civitates Judææ qui cogerent eas ſequi ritus gentium, *ibid.* abominandum Jovis Olympii idolum ſuper altare extruitur, 310. cogit per tormenta homines abjurare Judaiſmum, *ibid.* Ludos ad Daphnen exhibendos denunciat, 314. eorum magnitudinem

ipſe deformat, 315. humanitatem ſimulat per Tiberium Gracchum, *ibid.* cogitat de profectione in Perſidem, 316. capit Artaxiam regem Armeniorum, 317. Perſepolin aggreſſus à civibus repellitur, 318. auditâ ſuorum in Judæa fugâ, irâ percellitur, *ibid.* immedicabili viſcerum dolore torquetur, *ibid.* & 319. agnoſcit illa ſe pati ob injurias Judæis illatas, *ibid.* vovet Judæis ἀστυνομίαν conceſſurum, *ibid.* moritur anno Græcorum 149, *ibid.*

Antiochus Theos per fraudem occiditur à Diodoto tutore, 344

Antiochus Cyzicenus luxui ſe dat, 359. utrique fratres deſpiciuntur à Johanne Hyrcano, *ibid.* Cyzicenus, opem ferens Samaritis, ab Ariſtobuli militibus vincitur, *ibid.*

Antiochus Euſebes imperator ſibi diademate, Seleuco bellum infert, 366. ſuperatus ad Parthos fugit, *ibid.*

Antiochus Aſiaticus in regnum Syriæ ſe inſinuat, 403. ipſe, & frater ejus Romam veniunt, regnum Ægypti petituri, 390. Aſiaticus Româ in regnum paternum redit, 395. Syracuſas venit, ubi ſpoliatur à Verre, *ibid.*

Antiochus Commagenus ad pacem petendam urgetur à P. Ventidio, 515. in Senatu damnatus interficitur, 548

Antiochus regno ſuo privatus Commagenam recipit à Claudio, 621. Expulſus regno cum filio, à Veſpaſiano reſtituitur, 651

Antiochenſi deficiunt à Demetrio, 334. Alexandrum deſerunt, 340

Antiochus Soter novercæ amore captus, 249. occiditur, 251

Antiochus Soter Judæis in Ionia civium jus dat, 258

Antiochus Hierax 261. ſe redimit à Gallis, *ibid.* ejus pietas in fratrem Seleucum Callinicum *ibid.* interficitur, *ibid.*

Antiochus Magnus à 261. *uſque ad* 274. oppugnat Coraceſium, 275. Epheſi hybernat, *ibid.* indignatur Romanis, 276. naufragium patitur, 277. dat filiam Ptolemæo nuptam, 278. alteram dat regi Ariarathi, *ibid.* amore virginis capitur, 279. ejus claſſis à Romanis ſuperatur, *ibid.* pacem petit, 281. Scipioni filium remittit, 282. ejus exercitus fugatur, 283. pacis conditiones ei à Romanis impoſitæ 283. 284. Aſiam amittit, 287. ejus ſacrilegium & mors, *ibid.*

Antipatri geſta, 218. *& ſeq.*

Antipas ſeu *Antipater* gignit Herodem Judææ poſteà regem 390. inſidiatur Ariſtobulo, 413. venit cum Hyrcano ad Aretam regem Arabum, 417

Antipatri virtus, 472. procurator Judææ creatur, 475. Herodi ſecundo Galilæam curandam committit, *ibid.* veneno perit, 493

Antipater Herodis filius, Alexandro jam & Ariſtobulo prælatus Romam mittitur, 561. in Mariammes filios patrem exacerbat, *ibid.* fratres criminationibus falſis involvens, per alios; patrocinium eorum ſimulat, 562. ſublatis fratribus, patrem de medio tollere ſtatuit, 566. filiam Ariſtobuli ducit, *ibid.* patri ſtruit inſidias, *ibid.* mittitur à patre ad Auguſtum, *ibid.* venenum patri præparaſſe dicitur, 567. revocatur Româ in Judæam à patre, 568. veneni parati in mortem patris convincitur præſente Quinctilio Varo, *ibid.* patris juſſu occiditur, 569

Antipatris conditur ab Herode, 562

Antiſſa ruinæ deſtinatur à Romanis, 313

Antonius Creticus bellum parum proſperè geſtum cum morte ſua finit. 395

Lucius *Antonius* Conſul obſidionem patitur ab Octaviano, 508

M. *Antonius* Orator feliciter bellum gerit in Cilicia, 363

Marcus *Antonius* Siciliam provinciaſque omnes depopulatur, 387

Marcus *Antonius* (qui poſteà triumvir) Peluſium capit, 442. victoriis multis illuſtris evadit, *ibid.* Sepelit Archelai corpus, 443. intercedit in tribunatu ne Pompeius delectum habeat, & accuſationem contra eum inſtituit 456. Cornelium Dolabellam collegam in Conſulatu admittit, 483. Superbè excipit Octavium, 484. Libellos Julii Cæſaris corrumpit, *ibid.* Imperator Macedonicarum copiarum eligitur, 485. Brunduſium venit, *ibid.* milites parum obſequentes experitur, 486. territus in Senatu de Cæſare verbum non facit, 488. Decimum Brutum Mutinæ obſidet, *ibid.* ejus literæ ad Hirtium Conſulem, & Cæſarem proprætorem, 491. hoſtis judicatur, *ibid.* victus ab Octaviano Cæſare turpiter fugit ex Italia, 492. M. Lepido conjungitur in Gallia, 494. Horrentium jubet interfici, 505. Libertum ſuum, quòd Paludamentum cum Bruti corpore non concremaſſet, interfici mandat, *ibid.* in Græciam tranſcendit, 506. inde tranſmittit in Aſiam, *ibid.* Choraulam Saltatorem, &c. admittit in aulam, *ibid.* Bithyniam accipit ab Apuleio, *ibid.* Herodem comiter excipit, *ibid.* Epheſum ingreditur, *ibid.* Legatos Judæorum benignè recipit, *ibid.* Cædis Cæſaris conſciis implacabilis, 507. graviſſima tributa Syrorum provinciis indicit, *ibid.* Phaſaelum, & Herodem Tetrarchas Judææ facit, *ibid.* Ad Cleopatram jam domum reverſam tendit in Ægyptum, *ibid.* ejus vanitas, 508. Legatos ex Coloniis Italicis miſſos detinet, *ibid.* contra Parthos profectus Tyrum uſque pervenit, 509. Octaviam ducit uxorem, *ibid.* divilum imperium cum Octaviano poſſidet, Lepido tenente Africas Provincias, *ibid.* Urgetur à Genethliaco Ægyptio ſecedere ab Octaviano, 512. Reges aliquot appellat arbitratu ſuo, *ibid.* Octaviam ſuam ducit ſecum in Græciam, *ibid.* Gymnaſiarcham Athenis agit, *ibid.* ſupplicationes, triumphuſque ipſi decernuntur, 515. oppugnat Samoſata, *ibid.* prodigio terretur, *ibid.* accerſit Cleopatram in Syriam 520. Cum Glaphyra turpem conſuetudinem habuiſſe dicitur. *ibid.* Artabazem Armeniorum Regem conſiliarium admittit, 521. Remiſſa Cleopatra in Armeniam proficiſcitur, *ibid.* Phraata urbem fruſtrà obſidet, *ibid.* & 522. Parthos, & Medos qui Statianum cum ſuis interemerant, fugat, 522. Parthos cogit terga dare, *ibid.* ejus milites difficultatem patiuntur in oppugnandis Phraaſpis, *ibid.* ab oppugnatione diſcedit, *ibid.* gravia patitur à Parthis, 523. & 524. ejus milites edendo radices & olera, verſi ſunt in inſaniam, 524. tumultuantur, & ſuorum ſarcinas ſpoliant, *ibid.* poſtquam Armeniam iniere, affatim ſe replentes, hydropicis, & cœliacis morbis laborare cœperunt, 524. & 525. Antonius fugam ſuam vocat victoriam, *ibid.* diſſimulat iram adverſus regem Armeniæ conceptam. *ibid.* In Syriam profugit, *ibid.* amori & impoſturæ Cleopatræ ſervit, 526. inſidiatur Artavaſdi Armeniæ Regi, *ibid.* & 528. Liberi ejus ex Cleopatra ſuſcepti, 529. Artavaſdem argenteis vinculis conſtringit, 530. magnam vim argenti deprehendit, *ibid.* In Ægyptum revertitur, *ibid.* liberis Cleopatræ Regiones diſtribuit, *ibid.* Oſiridem & novum Liberum patrem appellari ſe jubet, *ibid.* Cum Artavaſde ſocietatem jungit, deſponſatâ parvulâ filiâ regis Artavaſdis Alexandro filio ſuo ex Cleopatra, *ibid.* accuſatus ab Octaviano recriminationes inſtituit, 531. Canidium cum 16 legionibus ad mare deſcendere imperat. *ibid.* Ipſe autem cum Cleopatra genio indulget, *ibid.* Romam ſcribit, ut rata ſint quæ de Regionum inter Cleopatram & liberos ejus partitione Alexandriæ egerat, *ibid.* Octaviæ bellum

Digitized by Google

ſuſcepturus contra Cæſarem, repudium dicit, 532. Stultè bellum procraſtinat, *ibid.* Teſtamentum ejus à Cæſare evulgatum, populum ab illo alienat. *ibid.* Cleopatræ pharmacis dementatus putatur, *ibid.* magnos facit apparatus ad bellum contra Cæſarem, 533. ejus equitatus funditur à M. Titio, & Statilio Tauro, 535. confidentiâ perditâ, ſævit in Jamblichum, & Q. Poſtumium, *ibid.* fugæ ſuæ providet, 536. fugientem ipſe quoque fugiens ſequitur Cleopatram, *ibid.* tres dies tranſigit in prora navis ſolus, 537. ejus milites ab Imperatore, ducibuſque derelicti, adjungunt ſe Cæſari, *ibid.* In Africam delatus, conjicit ſe in ſolitudinem cum Ariſtocrate & Lucilio, 538. defectione Pinarii Scarpii intellectâ, manus ſibi inferre ſtatuit, *ibid.* Alexandriam ſe confert, domicilíumque ſibi ad Pharum extruit Timonium appellatum, *ibid.* & 539. relicto Timonio ſuo, ad Regiam accedit, & ad comeſſationes ſe convertit, 539. Euphronium Legatum mittit ad Cæſarem, 540. alios Legatos mittit, ſeipſum interfecturum promittens, ſi talus Cleopatræ impetrari poſſet, 541. neutri legationi reſponſum accipit, *ibid.* non tertiæ, *ibid.* Equitatum Cæſaris proſligat uſque ad Caſtra, 542. per libellos in caſtra Cæſaris injectos, 500 drachmas in ſingulos promittit, *ibid.* Legit hos ipſe Cæſar, ut Antonium redderet inviſum, & alacritatem ſuorum confirmaret, *ibid.* provocat Cæſarem per nuntios, ut ſolus ſecum certet, *ibid.* Claſſis ejus deficit, 543. ſeipſum vulnerat *ibid.* funibus trahitur ad Cleopatram, quæ receperat ſe in monumentum, *ibid.* animum effert, *ibid.* ſplendidè ſepelitur à Cleopatra, 543. 544. ejus ſtatuæ dejiciuntur. 546

Antonius juvenis M. Antonii filius juſſu Octaviani interimitur, 544

Antonius Primus Veſpaſiani partes ſequutus Vitellii exercitum fundit, ipſumque jugulat, 649

Apachnas in Ægypto regnat, 5

Apamienſibus terræ motu convulſis tributum in quinquennium remittitur, 633

Apelles Aſcalonita qui Caium in Judæos incitaverat, ab eodem ipſe torquetur, 621

Aphrodadus Babylonis rex, 58

Apion Grammaticus mendaciſſimum adverſùs Judæos commentarium ſcribit, 619. incendit Caium adverſus Judæos, 621

Apollinis Cumani ſimulachrum lachrymaſſe traditur, 353

Apollodatus Gazæorum dux pugnat cum Judæis, 364

Apollonius magnam die Sabbathi Hieroſolymis perimit multitudinem, 306. occiditur à Juda Maccabæo, 316

Apollonius cognomento Daus Demetrio ſe adjungit, 338. provocat Jonathanem ad pugnam, *ibid.*

Apollonius Ægyptius qui domi dixerat quid Caio eſſet eventurum, Romam ad eum adducitur, ipſoque occiſo ſalvus evadit. 621

Apollonius ſimmnus artis oratoriæ magiſter, 384

Apollonius Tyanæus urbem Babyloniam intrat. 628

Apollos pervenit Epheſum, 636

Apophis Ægypti rex, 5

Apoſtolorum Acta penſiculatim examinantur, 607. & *ſeq.*

Appius Claudius Pulcher in Ciliciam proficiſcitur, 446

Apries regnat, & varias regiones Ægypto addit, 69. ſtrangulatur, 74

Apuleius Triumvirorum proſcriptionem fugiens, Bithyniæ à Bruto præficitur, 499. reditum impetrat ab Antonio, 506

Aquilii Flori pater, & filius pereunt, propterea quòd Antonio adhæſerint, 538

Arabes Memphim capiunt 5. horum primùs rex fuit Salatis, *ibid.* Ex Ægypto in Syriam profecti Hieroſolymam condiderunt, 8. in Babylonia regnant 12. Athenæum ſuperant, 235. eorum geſta, *ibid.* ſuperati à Juda Maccabæo pacem impetrant, 321

Arabes Petræi naves Cleopatræ per Iſthmum tranſvehendas incendunt, 538

Aradii poſtquàm Marathenſium legatos necaſſent, eorum urbem aggreſſi capiunt, diruunt, agrum inter ſe dividunt, 539. inſurgunt contra Antonianos tributa exigentes, 508

Aratus Sicyonius 258

Arbaces bellum Sardanapalo intulit 48. rex appellatur *ibid.*

Arbores Indicæ 188

Arca à Philiſtæis remittitur 27. à domo Abinadab ad domum Oded-Edom, & inde in arcem Sionis deducta eſt. 30

Arceſilaus Cyrenenſibus imperat, 70

Archelaus præfectus Mithridatis ab Ariſtione traditas Athenas accipit, 371. inſulas Cycladas in ditionem redigit, *ibid.* vincitur à Sylla, 373. ſuſpectus privati cum Sylla commercii, 374. fugit ad L. Murenam. 379.

Archelaus Comanorum pontifex Berenicen ducit uxorem, & cum ea ſex menſes regno potitur Ægyptiaco, 441, 442. captus à Gabinio, pecunia data, elabitur, 442. à quo poſteà occiditur. *ibid.*

Archelaus, rex Cappadociæ ab Antonio fit, 520

Archelaus Cappadociæ rex gratulatur Herodi reconciliationem cum filiis, 562. perquàm humaniter tractatur ab Herode, 563. Romam veniens contendit cum Antipa de regno, 571. dimidiam partem ditionis quæ fuerat Herodis recipit ab Auguſto, 572. in Judæam reverſus Joazaro Boethi filio pontificatum abrogat, 573. defertur ad Auguſtum, 577. acceſſitur ad Cæſarem per procuratorem ſuum, *ibid.* Viennam Galliæ in exilium mittitur, 578. Tiberio infenſus Romam vocatur, ubi vitam finit, 581

Archias proditionis convictus ſe ſuſpendit, 332

Arcus circa ſolem apparet, 358

Ardys Gygis filius rex, 59

Ardyſius regnat in Lydia, 44

Aretas Cœlesyriæ rex vincit Alexandrum Jannæum, 376

Aretas rex Arabum ab Hyrcano vocatus contra fratrem Ariſtobulum, eum vincit, & Hieroſolymis obſeſſum habet, 417

Aretas Arabiæ Petrææ rex vincit Herodem Tetrarcham, 614. ejus præfectus Judæis inſervit, Paulo, Damaſcenorum in urbe inſidiantibus, 615

Argivorum regnum incipit ſub Inacho rege primo in Peloponneſo, 7. 8. à Mileſiis ſuſi, 112. 113

Argon Nini filius Sardibus regnat primus, 16

Argyraſpidum geſta ſub Alexandro, 183. & poſt, 223. utique 228

Ariarathes, 289

Ariarathes Cappadociæ rex filium alterum ex eis quæ uxor ſuppoſuerat, Romam, alterum, in Ioniam mittit, 297. auxilia Romanis pollicetur, 298. permittit ſe in controverſia, quam cum Galatis habebat, judicio legatorum Romanorum, 324. moritur. *ibid.*

Ariarathes Philopator patri ſuccedit, 324. mittit legatos ad Romanos, *ibid.* ejus eruditio, 325. ſororis & matris reliquias ſepelit, *ibid.* Mithrobarzanem minoris Armeniæ regis filium in regnum paternum reducit, 330. Romanorum legatos regiè excipit, *ibid.* legati ejus Romam veniunt coronam aureorum decies mille adferentes, *ibid.* regno pellitur à Demetrio, 331. Romam ſupplex venit, *ibid.* cum Otopherne fratre regnare jubetur, 332. reſtituitur ab Attalo in regnum ſuum. *ibid.*

Ariarathes rex Cappadociæ in bello contra Ariſtonicum occidit, 354

Aridæus Cyzicenos obſidet, 222.

INDEX RERUM

Arimazes petram Oxi occupat, 179
Ariobarzanes Cappadociæ rex populi ſuffragiis eligitur, 366. à Tigranis ducibus è regno pellitur, 367. regnum recipit à Pompeio, 416. filio ſuo admodum invito, regno cedit, 420
Ariobarzanes Alexandrum repellit, 169
Ariobarzanes à Caſſio comprehenſus occiditur, 502
Ariobarzanes volentibus Armeniis à Caio præficitur, 576
Ariſtagoræ à Dario deficit, 89. à Thracibus occiſus, 90
Ariſtagora viſio, 389
Ariſtio tyrannus captus à Sylla, ſupplicio afficitur, 372
Ariſtobulus Judæus philoſophiæ ſtudet in Ægypto, 336
Ariſtobulus pacto cum fratre Hyrcano facto, ſolus regnum Judaicum & Sacerdotium uſurpat, 411. Aretam & Hyrcanum prælio vincit, poſtquam minis Scauri ab obſidione deſtitiſſent. 420. vinctus circumfertur à Pompeio, 429. Româ elapſus in Judæam revertitur, 439. victus cum ſuis qui ſe ipſi adjunxerant, adducitur ad Gabinium, *ibid.* Romam remittitur, 441. veneno perit, 457
Ariſtobulus ſucceſſor Ananelo datur in Pontificatu, 525. Pontifex adoleſcens ſacra peragit approbante populo, 528. aquis præfocatur, inſtante Herode, *ibid.*
Ariſtobulus Herodis regis Chalcidis filius Armeniæ principatum à Nerone accipit. 635
Ariſtonicus Eumenis regis filius ex pellice, Aſiam velut regnum paternum invadit, 351. Craſſum conſulem vincit, 353. vincitur, capitúrque à Conſule Perperna, *ibid.* Romæ ſtrangulatur, 357
Ariſtoteles Platoni ſuccedit, 148
Arius Alexandrinus philoſophus honoratur ab Octavio, 544. ejus precibus condonat Octavianus Philoſtratum, *ibid.* eujſdemque conſilio interficit Cæſarionem, 546. oblatam ſibi præfecturam Ægypti repudiaſſe fertur, 547
Arkianus rex Babyloniæ. 58
Armais regnat. 12
Armati milites Hieroſolymis in aëre conſpiciuntur 300
Armenia univerſa in poteſtatem venit Antonii, 529. 530. à Parthis amittitur, 611
Aromatum copia, 200
Arphaxad natus, 5. mortuus, 6
Arſaces I Parthorum regnum erigit 259. moritur 269
Arſaces II cum Antiocho Magno bellum gerit 269
Arſaces Artabani filius interficitur, 611
Arſinoë regina traducitur ad Ægyptios ab Eunucho Ganymede, 470. ducta in triumpho Cæſaris dimittitur, 479. rogante Cleopatrâ ſorore ab Antonio interfici jubetur, 507
Arſinoë exulat 252. moritur, 270
Artabanus Xerxem jugulat, procurator Perſiæ ab Artaxerxe occiſus, 101. ejus tres filii in pugna cadunt. *ibid.*
Artabanus in locum Phraatis occiſi, rex Parthorum ſubſtituitur, 355. vulneratus in brachio ſtatim decedit, *ibid.*
Artabani Parthorum regis legati ad Germanicum veniunt, 582. Artabanus Arſacem filium Armeniis imponit, 612. eo ſublato filium Orodem ultorem parat, *ibid.* metuit ſibi à cognatis pecunia Vitellii corruptis, *ibid.* & 612. in imperium reſtitutus vitia exprobrat Tiberio, monetque ſeipſum occidere, 613. Armeniam aggreſſus, Syriam quoque invadere inſtituit, *ibid.* morti deſtinatur à filio, 627
Artabazes Armeniæ rex in Ægyptum mittitur ab Antonio, 530. ſupplex Antonio eſſe renuit, *ibid.* regno pellitur, 556
Artabazus Regis ſatrapas ſuperat, 146. ad Thebanos confugit, *ibid.*
Artachshaſtha prohibet ædificationem Hieroſolymæ, 84
Artavaſdes, Phraati, & Artabazi infenſus Antonii petit amicitiam, 526. argenteis vinculis conſtringitur ab Antonio. 530. Armeniæ regnum recipit à Tiberio, 556. idem tamen regnum aliqui Tigrani reſtitutum contendunt, *ibid.*
Artaxerxes patri ſuccedit, 102. in Ægyptios claſſem adornat, 104. iterum bellum in Ægyptios movet, 105. matri luarum crucifigendum tradit, 107. moritur, 110
Artaxerxes Mnemon regnat, 111. ejus crudelitas, Cyro fratri parcit, *ibid.* ejus exercitum vincit, 115. pacem cum Græcis promulgat, 137. ad Ageſilaum ſcribit, *ibid.* judices vivos excoriari juſſit, 139. perſuadet Græcis ut inter ſe pacem ſanciant, 141. moritur, 144
Artaxia majoris Armeniæ regis iniqua conſilia, 330
Artemiſia fortiter pugnat, 96. amor in maritum, 145. agonem laudibus Mauſoli dicendis conſtituit, *ibid.* ſepulchrum marito molitur 146
Artoces, Iberorum rex fugit à Pompeio, 418. cum Pompeio pacem firmat, *ibid.*
Aſa regnat, 35. publicam idololatriam ſuſtulit, *ibid.* Æthiopias fudit, regnum reformat, Mahacam avitum amovit, ne eſſet Auguſta, 36. conduxit mercede Benhadadum ad impediendum Baaſam, *ibid.* medicos conſulit, 37. moritur, *ibid.*
Aſander inſurgit contra dominum ſuum Pharnacem, 474. eum interficit, 478. Mithridatem Pergamenum & Pharnacem evertit, regnoque Boſphori quietè potitur, 480
Aſcalonita unde tempora dinumerant, 362
Aſclepiodotus conjurationis in Mithridatem author & index, 375
Aſher natus, 9
Aſia ad Mithridatem relabitur, 386
Aſianorum legati Romæ auditi, 301
Aſiani contendunt in qua potiſſimum urbe Tiberio Senatuique templum extruant, 585
Aſidæi ſe Mattathiæ jungunt, 311
Aſinæus & *Anilæus* fratres Judæi in Meſopotamia florentiſſimi ſunt 583. eorum geſta & infelix exitus, 609. 611
Aſinius Pollio conſul filium ſuſcipit Saloninum, 509. renuit Cæſarem juvare contra Antonium, 534
Aſſis rex Ægypti, 7
Aſtacum in Bithynia conditum, 56
Aſtacus Perſa Delios jaculis configit, 115
Aſtyages, Medis à patre præpoſitus, Ninivem, Nebuchadneſare ſibi adjuncto, expugnat, & Aſſyrios ſubjugat 66, 67. Medis imperat patre mortuo 69. Cyrum nepotem in Mediam accerſit 72. ſuperat Aſſyrios 73. moritur, 75
Aſtymedes Rhodiorum legatus ſocietatem à Romanis obtinet, 316. 317
Aſyli ſeu *Refugii* Urbes ſex in Judæa conſtituuntur. 24
Aſylorum licentia coercetur, 585
Athalia nata, 37. nupta Jehoramo, 38. ſemen regium domus Judæ perdidit, 41
Athena capiuntur à Sylla, 372
Athenæi geſta, 254. Nabataeos infeſtat, 255

Digitized by Google

Athenæus frater Attali cum claſſe contra Pruſiam pergit, 334. 335
Athenæus Antiochi deſertor fame, moritur, 353
Athenienſes 20 naves Ionibus auxilio mittunt, 89. Iones deſerunt, *ibid.* Athenæ à Mardonio direptæ, 99. Seſtum capiunt, & ex captivis magnam ſummam exigunt, 100. ad eos Iones deficiunt, 101. in Cypro & Cilicia victores ſunt, 107. Samum capiunt & amittunt, 108. colonos Notium miſerunt, 110. Lacedæmoniorum præfectum Chalcideum obtruncant, 112. ſuperant claſſes Mindari & Syracuſianorum, 115. octo naves & Cizicum capiunt, *ibid.* cum Lacedæmoniis navali prælio conſligunt, 116. quos terra marique ſuperant, *ibid.* pacem cum Lacedæmoniis rejiciunt, 117. Mileſios occidunt. Colophonem capiunt. Lybiam ſpoliant, 118. Syracuſanorum naves fugant, *ibid.* Legatos in Perſiam mittunt, 120. horum legatos Cyrus rejicit, *ibid.* pacem cum Lacedæmoniis ineunt, 122. Thraſibulum cum claſſe 40 navium in Lacedæmonios mittunt, 136. Iphicratem contra Anaxibium Laconicum mittunt cum 8 navibus, *ibid.* & 137. Cyprum devicerunt 137. ab iis Chii, Rhodii, aliique deficiunt, 144. edicto Alexandri reſiſtunt, 209. Athenienſium exercitus, 237. Demetrium & Antigonum reges vocant, 238. Cratem Demetrio mittunt, 246. tres philoſophos legatos mittunt ad Romanos, 333
Athenio rex ſervorum in Sicilia à L. Licinio Lucullo ſuperatur, 363. inter rixantium manus laceratur, *ibid.*
Athenio legatus Athenienſium ad Mithridatem mittitur, 369. ab eo remiſſus tyrannidem Athenis exercet, 370
Athenio Cleopatræ dux Judæos vincit in Arabia, 345
Athenobius mittitur ab Antiocho ad Simonem, 346
Athenodorus Stoicus Philoſophus Ciliciæ præfectus fit ab Octaviano, 547
Athronges paſtor, qui abſente Archelao diadema ſuſceperat, ab eodem reverſo redigitur in poteſtatem. 571. 572
Attalus primus, 261
Attalus Philadelphus, 264. 267. fœdus init cum Romanis, 269. Romanis matrem deum tradidit, 270. concidit vertigine, moritur, 274 275
Attali Eumenis fratris geſta. 279. & *ſeq.* Romam venit. 297. Credens Eumenem obiiſſe, Stratonicem ejus uxorem deſpondit, & in eius amplexus ruit, *ibid.* veniam tamen conſequitur à fratre, *ibid.* Romam mittitur ab Eumene fratre, 311. benignè ab omnibus excipitur, *ibid.* Erigitur ſpe regni fraterni ad ſe trahendi, quam tamen ſuaſione Stratii medici deponit, *ibid.* & 317
Attalus Philometor, Eumeni Patri in regno Pergami ſuccedit, 331. à Pruſia victus mittit fratrem ad Senatum, 332. Intra Pergamum compulſus oppugnatur à Pruſia, 333. humaniſſimè à Romanis excipitur, *ibid.* & 334. Nicomedi favet contra patrem ejus, 337. regnum Pergamenum obtinet, quod fœdat amicorum ſupplicüs, 347. mœror ejus ob parrata facinora, *ibid.* Agriculturæ ſtudet. *ibid.* munificentiſſima dona mittit Scipioni Africano, 351. moritur, *ibid.* teſtamentum ejus, in quo populum Romanum ſcribit hæredem, *ibid.*
Attilius deprehenſus regi Mithridati inſidias ſtruere, necatur ab eo, 409

B

Baaſa bellum habet cum Aſa, 36
Babylon Nimrodi juſſu condi cœpta, 5. Alexandro dedita, 160
Bacchides caſtra ponit in Bezeth, 326. mactat à ſe transfugas, *ibid.* In Judæam cum Alcimo ſecundo mittitur, 329. fugat Judæos, poſtquàm Judas Machabæus cecidiſſet, *ibid.* ædificat urbes munitas in Judæa, 330. mortuo Alcimo ad Regem Demetrium revertitur, *ibid.* relinquit Judæam, nec unquam repetit. 331
Bacchides Eunuchus à Mithridate mittitur ad ſorores, uxores, & concubinas ejus interimendas, 395
Bactriani deficiunt & vincuntur ab Artaxerxe, 102
Bagoas venenum haurit, 150
Bagoas occiditur ab Herode, 566
Balatorus Tyri regnat, 75
Baltaſar ſive *Belshaſar* regnat Babylone, 76. hujus anno poſtremo muri circa fluvium Babylonem extructi, *ibid.* occiditur, 79
Balſamum uni terrarum Judææ conceſſum, 539
Bazon 2. Ægypti Rex regnat, 5
Barak Iſraëlem judicat, 25
Barba capit Apameam, 391
Bardanes à Parthis ad capeſcendum regnum vocatur, 627. contendit cum fratre Gotarze de ſumma imperii, *ibid.* conciliatur cum fratre, *ibid.* quem poſtea copias contrahentem vincit. 628. cum bellum Romanis inferre cogitaret, à Parthis occiditur, *ibid.*
Barnabas Antiochiam in Syria mittitur, 623
Baruc ſcripſit prophetias Jeremiæ, & populo legit, 65
Barzaphartes inſidias ſtruit Hircano, & Phaſaelo, 510
Barzillai natus, 27
Baſſus Centurio Flaccum in Judæos ſævientem comprehendens in Italiam reducit, 617
Batyllus confitetur ſe venenum attuliſſe quo Herodes è medio tolleretur, 567
Battaces matris magnæ Sacerdos Romam advenerat, 363
Battus Arceſilao in regno Cyrenaico ſucceſſit, 73
Beleſis regnum Babyloniæ obtinet, 49
Belgius Dux, 252
Belibus Babyloniorum regnum obtinet, 58
Bellum Punicum primum, 258. tertium incipit, 337
Bellum Romanorum cum Perſeo finitur, 308
Bellum Rhodiis indici voluit M. Juventius Talva, cui Tribuni plebis adverſabantur, 312
Bellum Cnoſſiorum, & Gortyniorum cum Rhaueiis, 313. navale cum Pœnis init P. Cornelius Scipio Conſul, 338. ſervile in Sicilia, 350. aliud, 362. Bellorum civilium inter reges Syriæ origo, 363. 364
Bello ſervili ſecundo finem imponit Proconſul Aquilius, 364
Bellum Mithridaticum primum ante annos 4. cœptum finitur, 377. ſecundum anno tertio finitur, 381. tertium incipit, 386. quandiu duraverit, 425. 426
Bellum Creticum ſuſceptum à Romanis, 395. piraticum conficitur à Cn. Pompeio, 410
Belli civilis inter Cæſarem & Pompeium initium, 457. ejus apparatus deſcribitur, *ibid.* & *ſeq.* quibus prodigiis in diverſis locis ſignificabatur, 460
Bellum Actiacum erumpit, 532. ejus deſcriptio, 536. 537. decernitur in Cleopatram, 532
Belus Aſſyrius in Babylonia regnat, 25
Benhadad impedit Baaſam in ædificanda Rama 36. Samariam obſidet, 38. Achabo ſe dedidit, *ibid.*
Benjamin naſcitur 10
Bera rex Sodomæ, cum reliquis Pentapoleos regulis rebellarunt, 6
Berenices vindicta, 259. mors, *ibid.*
Berenice Chia Mithridatis uxor ſtrangulatur, 395
Berenice filia Ptolemæi Auletis regno ejus præficitur, 437. occiditur à Patre, 443

INDEX RERUM

Berenice (cujus in Actis Apostol. fit mentio) nascitur, 587
Beroadac Baladan Rex Babyloniæ, legatos cum muneribus ad Ezechiam mittit, 56
Bessus Darium aureis compedibus vincit, 171. à Bactrianis dux factus, *ibid.* se regem Persarum vocat, 174. à suis desertus fugit, 177. vinctus & regio indumento spoliatus Alexandro traditur, *ibid.* Belli horrenda mors, 179
Bethsura capitur ab Eupatore, 323. ad deditionem compellitur a Simone, 342. munitur ab eodem, 344
Bibliotheca Alexandrina, 253
Bibulus in Amanum veniens fœdam plagam accipit. 434. ejus duo filii in Ægypto interficiuntur. 453 Ciceronis de ejus literis querelæ, *ibid.*
Blosius Cumanus seipsum interficit, 353
Boccharis Saites in Ægypto regnat, 46
Boethus bonus nec pœta, nec civis, 506. 507
Borysthenes & Isthmus, Lamasacus, & *Abdera* conditæ, 61
Bos, cum ad hostiam duceretur, agnum Hierosolymis parit in medio fani, 045
Bosphorani superantur ab Agrippa, 560. Polemoni traduntur, *ibid.*
Brennus, 252
Brithagoras per omnes terras sequitur Julium Cæsarem, 435. moritur, 477
M. Brutus Cæsaris interfector, à Catone in Cyprum mittitur, 437. Cæsarem confodit, 482. Cum Cassio solvens ex Italia venit Athenas, 486. Uterque alienas provincias occupat. *ibid.* & 515. Natalem Brutus Sami celebrat, 487. Macedonia, Illyricum totaque Græcia ipsi Senatus consulto decernuntur, 490. magnos thesauros accipit à Polemocratis uxore pro tutela filii, 492. ad Cæsarem Octav. litteras dat, quibus hortatur ut secum redeat in gratiam, 496. altos tamen spiritus præ se fert in suis ad Ciceronem, *ibid.* Ipsi & Cassio omnia Imperia transmarina committuntur, *ibid.* Brutus in Europam se recipit, 498. Cum Cassio Smyrnæ consilia ordinat instruendi belli adversus triumviros, 499. A Lyciis pecuniam & milites poscit, 500. Eorum exercitum prælio vincit, *ibid.* Xanthiorum urbem expugnat, *ibid.* Patarensium oppidum ingreditur 501. tetrum ostensum ipsi factum, 503. 504. à quo vox hæc. *Tuus sum, Brute, malus genius. Philippis me videbis iterum*, 503. Acie victus impetrat à Stratone Ægeate ut morituro manum commodet, à quo uno ictu transfixus expirat, 505
Bucephale urbs condita, 188
Busiridis crudelitas, 19
Byzantium capitur ab Ionibus, 89. Byzantinorum & Chalcedoniorum crudelitas, 111. Byzantium Atheniensibus proditum, 119

C

Cabira capiuntur à Lucullo, 595
Cæcilius Bassus fingit literas, sibi à Scipione missas. 479. Occiso Sexto Cæsare ejus legionem accipit, *ibid.* Æquis viribus certat cum C. Antistio, *ibid.*
Cæsario quem è Cæsare peperisse ferebat Cleopatra, Ægypti Rex dicitur, 509. necatur. 546
Cæsennius Paetus Armeniæ præponitur, 640. Literas ad Cæsarem verbis magnificis, rerum vacuas mittit. 641
Cæsius Cadrus Repetundarum postulatus damnatur, 585
Caiaphas Simoni in Pontificatu succedit, 586
Cain nascitur, 4
Cainan natus, mortuus, *ibid.*
Caius Antonius exulat, 435. prælio vincitur a Ciceronis filio, 491. à Clodio necatur. 498
Caius & Lucius Augusti ex adoptione facti, audaciores evadunt, 564
Caius delignatur à Cæsare princeps juventutis, 565. uxorem ducit Lolliam Paulinam, 574. expeditionem parat in Armenios, *ibid.* vulneratur, 576. in urbe Lymira morbo obit. *ibid.*
Caius Caligula Tiberio succedit, 614. ejus statuæ inferuntur in Proseuchas Judæorum 616. sorore Drusillâ defunctâ Justitium indicit, 617. Pontem 3600 ferè passuum fabricat, 618. sit sibi sacerdos templumque sibi extrui jubet, *ibid.* irascitur Judæorum legatis quod ipsi non esset sacrificatum, 619. potitâ tandem ferociâ miseros potius quàm malos Judæos existimat, quod ipsum naturæ divinæ participem non conferent, *ibid.* statuæ ejus novi Jovis nomen imponendum, 620. Agrippæ literis mitigatus scribit ad Petronium ne in templo ejus Colossus poneretur *ibid.* hujus gratiæ pœnitens alium Colossum transportandum & repentè in templum collocandum præparat, 621. Sortibus monitus ut à Cassio caveret, frustra sævit in C. Cassium Longinum *ibid.* occiditur à Chærea qui & Cassius, *ibid.*
Caius Marius, revertentem ab exilio Metellum aspicere non sustinens Romam linquit, 364
Calanus Gymnosophista se in rogum ardentem jacit, & Alexandri mortem prædicit, 203
Caleb nascitur, 12
Callicratidas pecuniam à Cyro petit. Cononem Atheniensem superat, varia opera expugnat: fortiter pugnans occubuit, 120
Callimander, dux Antiochi Cyziceni occiditur, 359
Callisthenes per pueros insidias Alexandro struit, 182
Calyndenses à Cauris deficientes dedunt se Rhodiis, à quibus defenduntur, 325
Cambyses seu Ahasuerus Cyro succedit, 81. illi Ægyptum Cambapheus prodidit. Phanes etiam ad eum transfugit, *ibid.* Cambysis stratagema contra Pelusium, *ibid.* Memphim aliasque Ægypti urbes capit 81. ejus sævitia in cadaver Amasi, 82. navales copias in Carthaginienses frustrà parat, ad Æthiopes Macrobios mittit, *ibid.* quos subegit, *ibid.* sororem suam uxorem ducit, copias adversus Ammonios missas in arena amittit, *ibid.* Apim occidit, & sacerdotes verberat, & fratrem occidit, 83. sororem occidit & Predaspis filium illi à poculis transfixit, multaque plura sacrilegii & crudelitatis facinora edidit, *ibid.* exercitum ducens in Magum proprio gladio excidente è vagina vulneratur, cujus mortem varia prodigia significarunt, *ibid.* & 84
Cambyses fluvius Pompeianis noxius, 419
Candaces Legati quæ volunt, impetrant à Cæsare, 555. 556
Candaules in Lydia regnat, 52
Canes Alexandro dati quales, 189
Canidius, mutata priore sententia hortatur Antonium ut Cleopatram remittat, & terrestri pugna cum Cæsare decernat, 535
C. Caninius in toto consulatu suo somnum non videt, 481
Canis Lysimachi, 250
Canores hymnorum Judæi stolæ lineæ usum obtinent ab Agrippa contra instituta legis patriæ, 644
Cappadocia in formam provinciæ redigitur, 581
Caribus libertas à Romanis conceditur, 313
Carthago diruitur. 359. Carthaginienses Andriscum hortantur ut in bello persistat contra Romanos, 338
Carneades Philosophus Atheniensium legatus, 333
Caspis civitas magnâ civium strage capitur à Judæis, 321

ET VERBORUM

Caſſandri caput contunditur ab Alexandro, 209. ejus crudelitas in Roxanem, 235. in Barſinem & filium, 237. geſta, 224. 226. 250. 252. 241. moritur, 244

C. *Caſſii* virtus in retinenda Syria, 449. Parthos repellit, 450. Judæos vincit, *ibid.* auditâ Pharſalicâ clade venit in Siciliam, 460. ad Pharnacem navigat excitaturus eum contra Cæſarem, 461. ſe cum claſſe Cæſari dedit, 462. Jul. Cæſarem percutit, 482. Proconſulis titulum aſſumit, 490. urbes Syriæ in ſuam poteſtatem redigit, *ibid.* Judæos ſui juris facit, 492. ejus literæ ad Ciceronem, *ibid.* 700 talenta argenti à Judæa exigit, *ibid.* per equites Ariobarzanem opprimit, 499. in Aſiam ad Brutum proficiſcitur, *ibid.* Rhodios obſidet, 502. eorum urbem ingreſſus 50 cives ad mortem duci jubet, 25 exilio mulctat, *ibid.* ſpoliat omnes Rhodios, *ibid.* Ariobarzanem occidit, *ibid.* ejus cum Bruto expoſtulationes & concordia, 503. ad Philippos commiſsâ pugnâ, etiamſi plures ex Cæſarianis ceciderant, caſtris exuitur, 504. in pugna ei apparet ſpecies J. Cæſaris à quo in fugam agitur, *ibid.* totum exercitum fuſum ratus, manus ſibi infert, eodem pugione quo Cæſarem violaverat, *ibid.*

Caſſius Parmenſis, ejus literæ citatæ 494. poſt cladem ad Philippos, recipit ad ſe adventantes, 505. confugit Athenas, 538. ſpectrum videt, *ibid.* occiditur, (erat autem unus ex perculloribus Cæſaris.) *ibid.*

Caſſius Longinus præfecturam Syriæ ſuſcipit, 625. priſcum morem diſciplinæ militaris revocat, 628

Caſſius Severus orator ob maledicentiam relegatus, inopiâ tandem vitam finit, 585

Caſtor Mithridatis præfectus Tryphonem necat, 423

Caſtor quidam ditionem Attali & Dejotari defunctorum obtinet, 512

Caſtor Phanagorenſis ſociis populi Romani aſcribitur, 430

Caſtor adoleſcens avum ſuum accuſat, 481

Catkæorum mores, 189

Catilinaria conjuratio, 430

C. *Cato* tribunus plebis, legem promulgat de imperio Lentuli abrogando, 439

Cato Cenſorius legatos Philoſophos dimittendos cenſet, 333. ejus lepida ſententia de tribus Legatis, 337. ætatis anno 85 moritur, *ibid.*

Cato Minor, qui & *Uticenſis*, peragrans Aſiam, iter pedibus facit, 423. Epheſum venit ad ſalutandum Pompeium, 431. ipſi Cypriaca expeditio à Clodio demandatur, 436. magna cum ſeveritate excipit Ptolemæum Auletem, *ibid.* ingentem & regium apparatum Cypri invenit, 438. ejus diffidentia, *ibid.* continentia, 440. Cyprias opes in urbem deportat, *ibid.* magnâ omnium lætitiâ, ſui potiùs quàm theſauri gratiâ, excipitur, *ibid.* Pompeio inſervit in parandis copiis, 458. Corcyram, devicto Pompeio, concedit, 460. properant ad eum, 461. per arenoſa Africæ deſerta vagatus, Leptim venit, 467. ſibi ipſi manus infert. 479

Catullus Pentapolitanæ Libyæ rector, Judæorum duo millia tumultuantium opprimit, 651. Criminationibus falſis Jonathæ auſcultans tria millia Judæorum occidit, *ibid.* extis defluentibus non ſine maximis animi terroribus, corporiſque tormentis moritur, *ibid.*

Cecrops Ægyptius, traductâ Saitarum in Atticam coloniâ, Athenienſium regnum condidit, 12

P. *Celer* accuſatur ab Atticis, 636. 637

Cendebæus præfectus Antiochi, 347. vincitur à Johanne Hyrcano, *ibid.*

Cenſus civium Romanorum, 563

Cerinthus hæreſiarcha, 631

Ceſtius Gallus motibus Judæorum excitatus, Antiochiâ venit in Judæam 646. cùm prope eſſet ut templum caperet, ſine ulla juſta cauſa obſidionem ſolvit, *ibid.* non ſine detrimento Antiperrida ſe recipit. *ibid.*

Ceſtei uxores duæ, contendunt utra cum marito mortuo viva combureretur. 227

Charea, qui & Caſſius, Caium occidit, 621

Chalcidem advenlunt naves à Sociis Romanorum, 299

Chaldæi unde ita dicti 8. contra Phœnicas dimicant, 12. illis imperat Nabopollaſar, 62. Alexandrum ſyderum motus docent, & quid illi conſulunt, 167

Chebron in Ægypto regnat, 8

Chederlaomer ſubegit reges Pentapoleos, 5. cum confœderatis principibus profligat regulos Pentapoleos & Lotum abducit captivum. 6

Chimæra factum, 285

Chii defectionem ſollicitant, 312

Chuzirus & Perus apud Babylonios regnant, 52

Chreſtus ille Suetonianus non putatur eſſe D. N. Chriſtus, 634

Chreſtus appellatur, Socrates, 367

Chynaladanus ſive *Saracus*, Saoſduchino ſuccedit, 61. à Nabopollaſaro rebelli obſeſſus, ſeſe cum regiis cremat, 62

M. Cicero Moloni Rhodio dat operam, 371. navigat in Aſiam, ubi cum ſummis oratoribus exercetur, 383. Græcè declamat, 384. ejus de Judæis, eorumque religione judicium, 428. commentarium conſulatûs ſui Græcè à ſe compoſitum mittit ad Poſidonium, 434. fit augur, 450. Ciliciam provinciam obtinet, *ibid.* venit Athenas, 451. Ariobarzani Cappadocum regi ſtudet, 453. ob victoriam juſtam partam imperator appellatur, 454. Pindeniſſenſes ſuperat, *ibid.* in Ciliciæ civitatibus magnâ admiratione exceptus, Tarſo in Aſiam proficiſcitur, 455. decretum ſibi à Senatu triumphum diſcordia civilis tollit, 457. imperium ſibi à Catone delatum non ſine vitæ diſcrimine recuſat, 461. orationem pro Q. Ligario ad Cæſarem habet, 480. Antonii potentiam metuens Athenas venit, 483. tres libros de Officiis filio dicat, 487. Antonium bello perſequendum ſuadet, 489. ſub adventum Triumvirorum, urbe cedit, 498. ab emiſſariis Antonii occiditur, *ibid.*

Cilicia Romanis ſubjugatur, 430

Cimmerii ex Europa in Aſiam trajiciunt, 61

Cimon multas urbes à Perſis capit, 102. Perſas navali & terreſtri prælio ſuperat. Phœnicum & Cypriorum claſſem cepit, 103. totam Cherſoneſum Athenienſibus projecit, *ibid.* in Cyprum mittitur cum claſſe, 106. moritur, *ibid.*

Cinna & Carbo in clariſſimos Romanos ſæviunt, 476

Cizici obſidio ſolvitur, 390

Cizicenis libertas adimitur, 585

Claudius Tiberius vide Tiberius.

Claudius Cæſar, imperator à militibus declaratur, 621. Mithridatem Iberum ad recipiendum regnum domum remittit, *ibid.* Judæos prohibet à commotionibus, 622. quos tamen permittit Majorum moribus uti, *ibid.* Agrippam ad curam ſui regni mittit, *ibid.* cuſtodiam ſtolæ Pontificalis Judæis permittit, 625. Cumanum mulctat exilio, 632. refert de immunitate Cois tribuendâ, 635. extinguitur. 635

Claudius Felix, Procurator in Judæam deſtinatur, 632

Clearchus Lacedem. à Cyro dux copiarum factus, 123

Clearchus Heracleæ tyrannus, 142. in Dionyſiis *ſive* Bacchanalibus trucidatur, 145

Clearchus Ponti, 245

Cleocharet, quem Sinopenſibus præfecerat Mithridates, tyrannicè res adminiſtrat, 398

Cleomenes Laced. Rex, 262
Cleon ſervorum contrahit exercitum, 350
Cleopatra Ptolemæi filia aufertur ab Alexandro marito & datur Demetrio Sotéri, 340
Cleopatra Philometoris ſoror & conjux, filio ſuo paternum regnum aſſerere conatur, *ibid.*
Cleopatra Demetrii Nicatoris uxor, conjugium ſuum, & regnum Antiocho fratri Demetrii captivi mariti ſui offert, 346
Cleopatra Antiochi Grypi mater, veneno, quod filio paraverat extinguitur, 358
Cleopatra Phyſconis uxor regnat cum filio 10 annis, 358. ab Alexandro filio interimitur, 369
Cleopatra filia Ptolemæi Lathuri, uxor Ptolemæi Alexandri, regnat 6 menſibus, 381
Cleopatra Ptolemæi ſoror movet Cæſarem contra fratrem, 467. regnum à Cæſare qui mancipium ejus primo ſtatim aſpectu factus eſt, obtinet, 475. fratre altero demerſo ſuperſtiti jungitur, *ibid.* Cæſari filium parit, quem Cæſarionem appellat, 474. poſt Cæſaris diſceſſum conſuetudinem habuiſſe dicitur cum ſeniore magni Pompeii filio, *ibid.* Romam venit, 479. quatuor legiones mittit ad Dolabellam, 490. Caſſio minaciter expetenti copias denegat, 498. Naufragium, dum proficiſceretur ad Cæſarem & Antonium paſſa, domum redit, 502. venit ad Antonium, 507. redit in Ægyptum, *ibid.* pro vetere Bibliothecâ Alexandrinâ, novam condit, 517. verita ne Octavia abſtraheret à ſe Antonium, eum deperire, ſimulat, 526. movet Antonium ad ulciſcendam de Herode, Ariſtobuli necem, 528. Judææ, & Arabiæ partes quaſdam cum multis urbibus obtinet ab Antonio, 529. de ſtupro Herodem ſollicitat, 530. Iſidis nomine reſponſa dat populo, *ibid.* viginti millia talentorum, commeatuſque per bellum exercitui præbet. 531. Suſpicionem Antonii, de ſe ſollicitat, 533. prodigiis territa obtinet ab Antonio, ut pugnam cum Cæſare decernat, 535. & claſſe bellum gerat, *ibid.* fugit ſigno, 537. ut tutò in Ægyptum adnavigare poſſet, victoriam mentita, proras coronat. 538. ſibi infenſos occidit, *ibid.* Iſthmum trajicere conatur, ſervitutem, & bellum fugiens, *ibid.* varia genera venenorum colligit, 539. clàm Antonio, ſceptrum aureum, coronam auream, &c. Cæſari mittit, 540. occultè ipſi promittitur impunitas ſi occidiſſet Antonium, *ibid.* ex ſermonibus Thyrſi credit Cæſarem amore ſuo captum 541. Cleopatræ legationi, criminando palàm, ſecretò pollicendo reſpondet Cæſar, *ibid.* Cleopatra proditionem Peluſii, ſupplicio uxoris & liberorum Seleuci, à quo traditum eſt, tegit, 542. Medici Olympi operâ utitur ad tabem ſibi inducendam, 544. à quo incœpto terretur, objectis minis, & terroribus de liberis, *ibid.* Aſpidis morſu perit, 545. ejus imaginem cum aſpide brachio affixâ in triumpho traducit Cæſar, *ibid.* Sepulturam ejus honorificè curat Cæſar, *ibid.* tempus vitæ ejus, regnique. *ibid.*
Cleopatra Σελήνη in triumpho ducta, Jubæ in matrimonium datur, 548
Cleophis regina Alexandri ſcortum, filium ei parit, 184. 188
Clitarum natio ad deditionem per M. Trebellium cogitur, 612
C. Clodius Aſiam provinciam obtinet, 442
Cn. Octavius Dioſcurorum religione motus, Perſeum in templo Caſtoris & Pollucis, inviolatum relinquit, 308. Legationis Romanæ in Syriam princeps, Laodiceæ à Leptine interficitur, 324. ſtatua ipſi decernitur, 325
Cn. Dolabella mittitur in Ciliciam, 382. repetundarum accuſatus damnatur, *ibid.*
Cn. Domitius Calvinus Aſiam finitimaſque provincias adminiſtrat, 466. tranſmittendo ad Cæſarem etiamſi illicò expiravit, tamen aliis exemplum dedit profugiendi ab Antonio, 535
Cn. Piſo ſucceſſor Germanico conſtituitur, 581. ejus amicitia renunciatur à Germanico, 583. accepto nuntio de morte Germanici lætatur, *ibid.* accuſatur quaſi reus mortis ejus, 584. actum de ſe eſſe ſentiens, ſuo ſe jugulat gladio, *ibid.*
Cn. Pompeius, *vid.* Pompeius.
Cn. Sentius Syriæ præſes deligitur, 583
Cnidii libertas conceditur à Cæſare, 462
Codropolis, terminus diviſi inter Antonium & Octavianum imperii, 509
Cœni geſta & mors, 184. & *ſeq.* 191.
Comagenam dat Auguſtus Mithridati cuidam, 557. C. Caligula Antiocho, 614
Cometes effulget non minor Sole. 335. *vid.* 349. 357. alius poſt mortem Cæſaris, 485
Concilium Apoſtolorum Hieroſolymis habitum, 631
Connacorix Heracleotas prodit Romanis, 399
Conon Athenienſium claſſem amittit, 121, 122. ad Artaxerxem ſcribit, & ab eo dux factus eſt navalis belli, 130. Rhodum annona Ægyptiaca replet, 131. ad regem Perſarum profectus, accuſat Tiſſaphernem, 132. Lacedæmonios ſuperat, 134. Athenarum muros inſtaurat, *ibid.* Sardibus vinctus detinetur, 135. ad regem adducitur, *ibid.*
Conſules ſibi metuentes ab Octaviano, fugiunt ad Antonium, 531
Coponius Judeæ in provinciam redactæ primus procurator, 578
Corinthus evertitur à L. Mummio Conſule, 339
Cornelia uxor Pompeii, & Sextus ejus filius in Cyprum refugiunt, 464
Cornelius Gallus præmiſſus ab Octaviano Parætonium occupat, 541. naves Antonii circumventas partim incendit, partim ſubmergit, 542. morte voluntaria damnationem prævenit ſenatûs, 551
Cornelius Tacitus Chriſtum refert per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectum fuiſſe, 607
Cornelius Centurio monetur ab Angelo, ut Petrum Apoſtolum accerſat, 622
Cornificius mittitur ad bellum Syriacum contra Cæcilium Baſſum, 482. Occiſo Cæſare Africa vetus ipſi datur, *ibid.*
Coſis Regis Oræſis frater occiditur à Pompeio, 419
Coſſæi ſubjugantur ab Alexandro, 206
Coſſutianus Capito lege Repetundarum damnatur, 637
Coſtobarus rejicitur (novo genere apud Judæos repudii) ab uxore Salome Herodis ſorore. 550
Cotta Heracleam fruſtrà oppugnat, 396. captam ſpoliat, 399. Ponticus idcirco appellatur, 400. latus clavus ipſi abrogatur, 404
Cotyis Armeniam minorem recipit à Caligula, 616
Craſſus Pontifex Maximus bellum adminiſtrat contra Ariſtonicum, 352. Græcæ linguæ peritiſſimus, *ibid.* ejus ſeveritas in magiſtrum ἀρχιτέκτονα, *ibid.* mors, 353
Cretenſes inter ſe diſſidentes, adventu Q. Minutii legati in ſpem pacis veniunt. 296. Senatusconſulto iis interdicitur mutuatio pecuniæ, 365. inter ſe diſſentiunt quid faciendum cùm duras ipſis Romani conditiones imponerent, 400. A Metello obſeſſi ſitim urinâ ſedant, 405
Critolaus Philoſophus, Athenienſium legatus ad Romanos, 333
Cræſus natus, 68. in Lydia regnat, 74. ad eum ſophiſtæ &

Solon conſuluit, *ibid.* filium & regnum amiſit, *ibid.* Delphicum oraculum conſulit, 75. Halym fluvium trajicit, à Cyro ſuperatur, incendio damnatur, & liberatur, 76. Delphos miſſis ſuis vinculis de oraculo queritur, *ibid.*
Crudelitas mira, 271
Cumeri & alii Alcibiadem accuſant, 120
Cuſpius Fadus totius Regni Agrippæ fit præſes, 624. dat operam ut tota Judæa purgetur à latrociniis, 625
Cyaxares Phraorti ſuccedit, 61. Prælio ſuperat Aſſyrios, 62
Cyaxares 2us. Aſtyagis filius ſeu *Darius Medus* naſcitur 67. ſuccedit Aſtyagi in regno Mediæ 75. Chaldæorum imperium à Cyro accipit 79. filiam ſuam unicam & hæredem Cyro collocat *ibid.* moritur, *ibid.*
Cydoniata Apolloniatas calcatâ fœderis religione, aggreſſi, viros interficiunt, 301
Cypria civitates à Perſis deficiunt, 146
Cyprium decennale bellum finitur, 138
Cyprus iterum in ſervitutem redigitur, 90
Cyrenaicum regnum finitur, 109
Cyrene provincia, teſtamento Ptolemæi Apionis, datur populo Romano, 385
Cyrenenſes, & *Aſiatici* reſcripta obtinent ab Auguſto pro ſuo jure conſervando, 562
Cyrus natus, 67. Ab Aſtyage avo accerſitus in Mediam, 72. Cyrus à Cambyſe patre imperator exercitus Perſici conſtituitur, 75. Armenium cum filio ſuperat. Cum Cyaxare Babyloniot, & Crœſum ſuperat, fines Babyloniorum invaſit, & Gadaras profligat, *ibid.* Exercitum ſub Aduſio ad Cares mittit, 77. Phrygiam operâ Hyſtaſpis ſubigit, *ibid.* verſus Ecbatana contendit, & Lydis arma adimit, *ibid.* Aſſyriis bellum infert. Gyndem amnem, in quo equum amiſit, in 360 alveos diduxit, 78. Chaldæos prælio fudit, & Babylonem obſidet, *ibid.* fluminis alveum pervium reddidit, urbemque invaſit, *ibid.* filiam & hæredem Cyaxaris duxit, 79. veniam dat Judæis redeundi in patriam, *ibid.* quomodo interiit, incertum, 80. ejus ſepulchrum violatum reſtaurat Alexander. 202
Cyrus à patre miſſus contra Athenienſes, 118. Conſobrinos occidit, 121. in fratrem rebellare parat, 123. ducit exercitum in Aſiam contra fratrem, 125. in prælio occiditur, cujus caput, & brachium ab Artaxerxe in triumpho circumferuntur, 126

D

Damocides ſive *Democedes* medicus Darii, 85
Dan natus, 9
Daniel interpretatur ſomnium Regis, & honoribus cum ſociis afficitur, 66. ſomnium de quatuor beſtiis, 76. Viſum arietis & hirci, *ibid.* Exponit Baltaſaro ſcriptum in pariete, 78. In foveam leonum à Dario conjectus, 79. Dum precatur Angelus Gabriel illum inſtruit, *ibid.* Ejus viſio ad Tigrim fluvium. 80
Daphne ſuburbanum Antiochiæ, ejus ſitus, 244
Darius Hyſtaſpis filius naſcitur, 76. equi hinnitu regnum adeptus, 85. an, initio regni, conſortes poteſtatis habuerit ſex reliquos Magnates quibuſcum Magos ſuſtulerat, *ibid.* Atoſſam ſeu Vashtin uxorem duxit. Oretem occidit, pedem luxavit, & ſanatur, *ibid.* Confirmat edictum Cyri de ædificando templo, 86. Intaphernem occidit cum filio. Ingens ejus convivium, in quo Vashtim repudiat. Eſtheram adſciſcit, 87. Claſſem ad Cycladas mittit, 88. Tributa exigit, 91. obiit, 93
Darius Medus vide *Cyaxares II.*
Darius Ochus moritur, 122
Darius quidam ex ſervo rex factus à Bagoa Eunucho, 150. Sanballetem miſit in Samariam, *ibid.* Numeroſus ejus exercitus, 155. in Charidemum iraſcitur, Pharnabazo Memnonis imperium tradit, Euphratem trajicit, Græcorum conſilium rejicit, *ibid.* in equâ Alexandrum effugit, ipſius mater & filiæ capiuntur, 157. filiam Alexandro offert in uxorem, 165. in equâ ex prælio fugit, 166. ejus theſauros Alexander nactus eſt, 167. captivus abducitur, 171. occiditur, 173
Datames Satrapa ſe Dario opponit, 144
David natus eſt, 28. ungitur *ibid.* ad Achiſch regem recurrit, Geshuritas, &c. interfecit, relictis Philiſthæis Ziglagem contendit, 29. Saulis mortem deplorat, & Hebrone rex unctus Maacham in uxorem ducit, inter ejus partes & Iſboſethi bellum, ad eum deficit Abner, quem Joab occidit. Tertiò inungitur, Hieroſolymam occupavit, duplici clade affecit Philiſthæos, Sionem ædificavit, 30. Nathani aperit conſilium de extruendo templo *ibid.* Syros Damaſcenos ſuperat, ejus legati inhumaniter excepti ab Hanun, per Joabum Ammonitas & Syros profligat. Ei Syri ſuperari ſervierunt, Bathſebam adulterio polluit, à Nathane convictus reſipuit, 31. cenſu populi inſtituto iram Dei accendit, 32. Leviris officia ſua aſſignavit, *ibid.* Salomonem ungi curat, moritur, *ibid.*
Deborah Jabinium profligavit, 25
Decennales ludi celebrantur, 585
Decimi moderatio apud Rhodios, 307. 308
Decimus Brutus, unus ex percuſſoribus Cæſaris, juſſu M. Antonii jugulatur, 497. in morte pudendum timorem prodit, *ibid.*
Dejoces Ecbatana condit, regnum ad Halym fluvium propagat, 58
Dejotarus occidit Mithridatis præfectos, 390. recipit Armeniam minorem à Pompeio, 424
Dejotarus, filius, Ciceronis pueros ſecum in regnum ducit, 452. Domitium Calvinum rogat, ut ipſi ſuccurrat contra Pharnacem, 461. ſubmittens ſe Cæſari Armeniam tamen minorem amittit, 475. 476. mortuo Cæſare, res ſibi ablatas recuperat, 484. tranſit ad Cæſarem, 535
Deliquium Solis, Thallus appellat tenebras in Chriſti paſſione obortas. 581
Dellius hiſtoricus turpi conſuetudine Antonio devinctus, 520
Delos, ei parcunt Perſæ Græciam vaſtantes 96. ob ſanctitatem loci, inducias quaſdam, hoſtibus ibi ſibimet invicem occurrentibus, efficit, 306. ſpoliatur ab Athenodoro pirata, 404
Demas S. Paulum relinquit, 646
Demetrius Poliorcetes Perram oppugnat, ad Babylonem miſſus Halycarnaſſum liberat, 235. ejus geſta, 232, 237. 243, 246. moritur, 248
Demetrius Phalereus, à Ptolemæo Philadelpho relegatur 249. in honorem apud eum reſtituitur *ibid.* ejus curâ Bibliotheca Alexandriæ inſtituitur, librique Sacri in Græcam linguam vertuntur, 253
Demetrius Ægypti rex moritur, 260. 261
Demetrius Seleuci Philopatoris filius fruſtrà petit à Romanis reſtitutionem in regnum patrium, 321. fugam ab urbe Roma meditatur, 325, 326. defertur in Lyciam, 344. Lyſiam interficit, *ibid.* cognomentum Soteris à Babyloniis adipiſcitur, *ibid.* accuſatione Alcimi contra Judam Maccabæum accenſus mittit Nicanorem ducem in Judæam, 327. Ariarathem regno ſuo expellit, 331. Orophernem contra ſe

machinantem deprehendit, 334. vinctum Seleuciæ cuſtodiri jubet, *ibid.* omnibus infenſus ob mores, *ibid.* parat bellum contra Alexandrum Balam, *ibid.* ambit amicitiam Judæorum, 335. in bello occiditur, *ibid.*

Demetrius major natu filius Demetrii Soteris, auditâ Alexandri Balæ ſocordiâ, venit cum militibus in Ciliciam, 338. ſolus regnum Syriæ obtinet, 340. ejus ſævitia in Ptolemæi milites, *ibid.* Sacerdotium Jonathani confirmat, *ibid.* dimittendo milites, hoſtes ſibi reddit, 341. ſævit Demetrius Nicator in adverſarios, *ibid.* patris crudelitatem ſuperat, *ibid.* affligit Jonathanem, *ibid.* amicitiam cum Simone poſtea init, 344. bellum Parthis inferre ſtatuit, 345. exercitu amiſſo in poteſtatem hoſtis venit, *ibid.* à Cleopatra vocatus Ægypto bellum infert, 355. abſente eo, deficiunt Antiochenſes, Syriæque civitates, 356. victus Tyrum petit, *ibid.* varia narrantur de morte ejus, *ibid.*

Demetrius Eucærus, quartus Antiochi Grypi filius, Damaſci rex conſtituitur, 366

Dentium ordo duplex in Dripitine Mithridatis filia, 415

Dentium ordo ſuperior uno continuo oſſe extento ſuppletus invenitur in aliquo ex filiis regis Pruſiæ, 337

Dercyllidas varias urbes brevi tempore capit, 129. inducias cum Pharnabazo facit, *ibid.* & 130. in Cariam ſe transfert, ibique pacem cum Pharnabazo & Tiſſapherne facit, 130

Deſcriptio orbis Romani fit à Cæſare, 567

Dicus Achæorum Prætor, vincitur à L. Mummio conſule, 339

Dianæ templum conflagravit, 145. fanum ſpoliatur à Pruſia, 332

Dicæarchus impius, 276

Didio ſe dedunt gladiatores qui pro Antonio certarunt, 539

Dina Jacobi filia naſcitur 9. à Sichemo rapitur 10

Dino apud Rhodios ſuos agit, quò minùs naves ad Romanos mittantur, 298. ſupplicio afficitur, 308

Dio princeps legationis Alexandrinæ per inſidias necatur, 438

Diocles à Mithridate cum magno auri pondere ad Scythas miſſus, ad Lucullum transfugit, 392

Dioeles Phœnix, captivus, Terentiæ Ciceronis uxori donatus, ab ea manumittitur, 548

Diodorus Mithridatis prætor Senatum Adramyttenorum in gratiam regis occidit, 375. inediâ ſeipſum conficit, *ibid.*

Diodorus Elmachuelem hortatur ut ſibi tradat Antiochum Alexandri puerum reducendum ad regnum patris ſui, 341. Demetrium fugere compellit poſtquam impoſuerat Diadema capiti Antiochi pueruli, *ibid.* humanitas ejus erga Jonathanem, *ibid.* & 342. occidit per fraudem Antiochum Theon, 344

Dionyſius quidam Alexandri Sellam conſcendit, 210

Dionyſius Heracleæ rex moritur, 240

Dionyſius Aſtronomus, 248

Dionyſius Mithridatis dux, de ſpelunca tractus, epoto quod habebat, veneno, expirat, 391

Dionyſius Halicarnaſſæus antiquitatum Romanarum libros ſcribere incipit, 563

Dionyſius, qui ſcripſit de ſitu Orbis, ab Auguſto mittitur in Orientem, 574

Dionyſius Areopagita convertitur ad fidem, 634

Dioxippus nudus Macedonem armatum occidit, 195

Dolabella, vide Cneius,

Dolabella Conſul irrumpit in Aſiam, 488. ubi teterrimè ſe gerit, 489. hoſtis à Senatu judicatur, *ibid.* perſequendi eum poteſtas Caſſio, Brutóque datur, 493. in Ciliciam veniens Caſſii præſidia vincit, *ibid.* Laodiceam pervenit, *ibid.* pugnæ vincitur à Caſſio, 495. captâ Laodiceâ ſatelliti cervicem feriendam præbet, *ibid.*

P. Dolabella Africæ Proconſul Tacfarinatem occidit, & bello Numidico finem imponit, 585

Domitius Aenobarbus, unus ex percuſſoribus Cæſaris, in fœdus recipitur ab Octaviano, 509

Domitius Corbulo retinendæ Armeniæ præponitur, 635. cum Quadrato contendit, *ibid.* Armeniam ingreſſus caſtella aliquot capit, 637. totam Armeniam ſubjugat 639. in Syriam abſcedit, *ibid.* auctam habet poteſtatem, 641

Doræ pecuniâ conductus à Felice, Jonatham ſummum Sacerdotem perimit, 635. 636

Doris uxor Herodis ab eo ejicitur è Regia, 567

Doritæ, qui Cæſari ſtatuam in Synagoga poſuerunt, corripiuntur à Petronio, 622

Dorylaus à Cnoſſiis dux creatur, 357

Dorylaus dux Mithridatis à Sylla ſuperatur, 374

Doſitheus & *Soſipater* Judæ Maccabæi duces, ad Characem plures quàm decem mille perimunt, 321

Druſilla, Herodis Agrippæ filia, naſcitur, 616

Dynamis Alandri vidua, Pharnacis filia, poſt mortuum Scribonium, uxor datur Polemoni. 560

E

Eclypſes inſignes tres, 44

Eclypſis ſolis horrenda, 236

Eclypſis lunæ, Alexandriæ obſervatur, 296. aliæ eclypſes, 345. 427. 569. 580. 627.

Eclypſis ſolis ferè totalis, 362. alia ante civile Cæſaris & Pompeii bellum, 451. aliæ eclypſes, 456. 577. 625. 637

Ehud interemit Eglonem, 25

Ela ſuccedit Baaſæ, tollitur à Zimri cum tota familia Baaſæ, 37

Eleazar pontifex, 254

Eleazarus naſcitur 258. tormenta patitur pro religione, 310

Eleazar Avaran Elephantem interficit, à quo ipſemet oppreſſus, interit, 323

Eleazarus quinque cubitorum homo, 615

Eleazarus Dinæ filius, latronum princeps vinctus Romam tranſmittitur, 635

Eleazarus Ananiæ Pontificis filius argumentum dat apertæ defectionis à Romano imperio, 646

Eli ſacerdos natus, 26. judicat Iſraelem, 27. Occiſis filiis, & Arcâ captâ, moritur, *ibid.*

Eliakim ſuccedit Joſiæ, 61

Elias curru igneo ſublatus, 39

Eliſæus aquam miraculosè exercitui miniſtrat, 39

Elizabetha uxor Zachariæ concipit, 565

Elon judicat Iſraelem, 26

Elulæus Tyriorum rex deficientes Gittæos retraxit, 55

Encænia Templi à ſe intra annos 9. & ſex menſes inſtaurati celebrat Herodes, 563

Enoch natus, 4. translatus, *ibid.*

Enosh filius Sethi natus, 4. mortuus, *ibid.*

Epaphroditus Philippenſium miniſter S. Paulo inſervit, 644

Epheſus ſubmerſa. 245

Epheſii Athenienſes ſuperant, 118

Epheſii ſeverè mulctantur à Sylla, 378

Ephron urbs radicitùs evertitur, 321. 322

Epicrates dux Antiochi Cyziceni, pecuniâ corruptus, Scythopolin Judæis prodit, 359

Epicurus Scholam aperit, 236

Epocha Ægyptiaca, *Alkepi* appellata, unde deducta, 552
Eratoſthenes moritur, 277
Eros cùm videretur Antonium (nam & ipſe id rogavit) interfecturus, ſemetipſum interfecit, 543
Eſaias, & *Joel* in Judæa. *Jonas*, *Hoſeas*, & *Amos* in Iſrael claruerunt, 43. & 44
Eſaiæ Prophetæ autoritas perperam uſurpatur ab Onia de extruendo, in Ægypto templo, 336
Eſarhaddon rex Aſſyriæ, Babyloniæ regnum occupat, 59
Eſau villoſus naſcitur, 8. Duas uxores Hitteas duxit, *ibid.*
Eſdra libri 4. Scriptor, 75
Evagoras rex Cypri primò victor, poſteà victus à Perſis, 138. de pacificatione legationem mittit ad Artaxerxem, *ibid.* à Nicocle Eunucho per inſidias obtruncatur, 140
Evander Cretenſis, Eumeni inſidiatur, 297
Eudoxus clarus in Ægypto, 141
Evechous ſeu *Belus* ex quanam familia oriundus 8. apud Chaldæos imperare cœpit, *ibid.*
Euergetes, Cacergetes, & Phyſcon appellatur, 303
Evilmarodach ſucceſſit Nebuchadnezaro, 74. occiditur, 75
Eumelus à fratre Satyro ſuperatur, ejus crudelitas, 236. Eumelus Boſphori rex moritur, 240
Eumenes fugit à Leonnato, 214. à Perdicca Satrapes Cappadociæ factus, 216. Eumenis geſta, 220. uſque ad 230. proditur & occiditur, 229
Eumenes ebrietate perit, 261
Eumenis acta, 279. *& ſeq.* Eumenis legatio, 288. fratres Romam mittit, 290
Eumenes bellum parat adverſus Perſeum, 297. Ad Chalcidem in Bœotia navibus accedit cum Attalo, & Athenæo fratribus 299. ejus honores communi Achæorum decreto tolluntur, 301. curâ fratris Attali eidem reſtituuntur, *ibid.* Diverſa de ipſo traduntur, 304. Romam adveniens ex Italia jubetur excedere, 314. moritur, 331
Eunuchus Cleopatræ, ſerpentibus ſe mordendum præbet, 544
Eunus ſervus, Syrus ortu, author belli ſervilis in Sicilia, 350
Eupator ingentem exercitum congregat adverſus Judæos, 322. violat juramentum Judæis præſtitum, 323
Euphranor Rhodius fortiter pugnando in prælio navali, perit, 472
Euridice, 237
Euſebius corrigitur, 349
Eutychus Agrippæ libertus eum prodit apud Tiberium, 614
Eutychus adoleſcens vitæ reſtituitur à S. Paulo, 638
Ezechias naſcitur, 48. ſit conſors regni cum patre Achaz, 52. templum purgat, *ibid.* ſerpentem æreum contudit, legem decimarum revocat, 53. ſanitatem à lethali ulcere, & vitæ prorogationem obtinuit, reductione ſolaris umbræ confirmatur, 55. & 56. theſauros ſuos oſtentat Babyloniis, 56. ſepultus, 58
Ezechiel viſionem habet, 69. & vocatur, *ibid.* Hieroſolymam per ſpiritum defertur, *ibid.* vaticinatur contra Ægyptum, 70. & Tyrum, 71. ejus viſio de Eccleſiæ reſtauratione, 73
Ezra Hieroſolymam ab Artaxerxe mittitur, jejunat, flet, & populum congregat, 104. legem Dei legit & exponit, 106

F

Fabii Hieroſolymis trifariam dividitur, 649. ad duas partes redit, *ibid.*
Fames ſub Claudio Cæſare, 623
Felix ſuperatur à Phaſaelo, 499
Felix Judææ procurator Druſillæ formâ capitur, 634. concionante S. Paulo tremit. 639. Judæos ferocientes compeſcit, *ibid.* S. Paulum vinctum relinquit, 640
Feſtum Dedicationis inſtituitur, 318
Filia, inter Judæos hæres, intra paternam tribum nubere tenebatur, 21
Fimbria licentiam militibus ſpoliandi ſocios indulget, 373. poteſtas ei adimitur per Flaccum, *ibid.* milites incitat contra Flaccum, *ibid.* Flaccum, Romanum ſaltem conſularem, ſi non Conſulem interficit, 375. Imperator appellatur, *ibid.* ſævit in aſtantes innocentes ne fruſtrà vacui pali poni viderentur, *ibid.* hoſtes ſomno gravatos opprimit, *ibid.* fugat Mithridatem, *ibid.* Ilienſium urbem undecimo die capit, de quo jactat quaſi ipſo Agamemnone ſuperior eſſet, 376. Cùm milites nullo modo incitare poſſet adverſùs Syllanum exercitum, ferro ſe trajicit, 377, 378. interficitur à ſervo, qui ſeipſum quoque interficit, 378
Flaccus Abillius ſit Ægypti Præſes, 591. Judæos Alexandrinos Caio obnoxios reddere ſatagit, 615. permittit Alexandrinos in Judæos ſævire, 616. ex Senatu Judæorum verberibus concidit, 617. exul, tandem Caii juſſu occiditur, 618
Flaccus Pomponius moritur, 609
Flavius Gallus ſagittis transfixus à Parthis moritur, 523
Fons in Alexandri tabernaculo erupit, 179
Fonteius Capito mittitur ab Antonio ad Cleopatram in Syriam adducendam, 520. abſolvitur, 585
Fulgur, Alexandri milites territat, 165
Fulvia Antonii uxor viriliter ſe gerit contra Octavianum, 507. moritur, 509
Furnius ab Antonio mittitur in Africam, 512

G

Τῶν Γαλατῶν nomine quinam intelligendi, 551
A. Gabinius mittitur à Sylla ad Murenam, 380. proficiſcitur ad Syriam, 437. vincit Alexandrum Ariſtobuli filium, *ibid.* reducit Judæorum politiam in formam Ariſtocratiæ. *ibid.* Ariſtobulum cum filiis Romam remittit, 441. Parthico negotio, quod ſuſceperat, omiſſo, in Alexandrinos queſtûs causâ proficiſcitur, *ibid.* captum Archelaum pecuniâ acceptâ dimittit, 442. quem poſteà in pugna occidit, *ibid.* Mithridatem & Oriſanem dimittit, 443. accuſatur à Cicerone, *ibid.* Conſules ipſi ſtudent, *ibid.* revertitur in Italiam, 445. tres factiones eum poſtulant, *ibid.* abſolvitur de Majeſtate, repetundarum damnatur, 446
Gabriel Angelus mittitur ad Zachariam, 565. ad B. Virginem Mariam, 566
Gad natus, 9
Gadarenſes apud Herodem accuſati, dimittuntur, 555
Galaaditis civitates à Juda Maccabæo capiuntur, 320
Galadenorum Regina bellum cum Parthis gerit, 366
Galatia ſit Provincia Romanorum, 552
Galata, regnum Eumenis infeſtant, 320 eis ut ſuis legibus utantur concedit Senatus, 325. expugnati, 265. magno gaudio S. Paulum excipiunt, 636. errantes,

ab eo ſcriptâ epiſtolâ ad veritatem revocantur, 637
Galba interimitur, 648
Galilæi pugnant cum Samaritanis, 631. 632
Galli, 252, 253. trucidantur, 256. Galli, 266
Gallio L. Annæi Senecæ frater Proconſul Achaiæ, 636
Gallo-græcia, 256
Gangarida gentes ubi, 190
Ganymedes Arſinoen ad Ægyptios traducit, 469
Gaos navalis exercitus præfor ab Artaxerxe defecit, 139. dolo quorundam occiditur, *ibid.*
Garamantum Rex Legatos populo Romano mittit, 585
Gaza ab Alexandro capta, 261
Gazenſes unde tempora dinumerant, 434
Gedalia Judæorum reliquiis præficitur & occiditur, 72
Gedeon Madianitas fudit, Succuthanos & Penuelitas caſtigavit, Zebam & Zalmunnam interfecit, ex inauribus Ephodem conflavit, 25
Gela urbs Siciliæ condita, 59
Gellius Publicola M. Bruto inſidiatur, 498
Geminius certum facit Antonium quo in periculo res illius Romæ eſſent, 532
Geminus inſignis Mathematicus, 584
Georgius Syncellus arguitur, 552
Germanicus Druſi filius, cogente Auguſto, à Tiberio adoptatur, 577. Oriens ei decernitur, 581. Apollinis oraculum conſulit, *ibid.* In Armeniam proficiſcitur, 581. Ægyptum viſit cognoſcendæ antiquitatis causâ, *ibid.* moritur, non ſine ſuſpicione veneni, 583. mors ejus omnibus niſi Tiberio & Liviæ, dolori eſt, 584. honores ei decernuntur, *ibid.*
Geſſius Florus Procurator Judææ, 643. nullis lucris ſatiabilis Judæos inſolenter affligit, 645. ut gens Judæorum ab Romano abrumperetur imperio, ſedulò auget calamitates, *ibid.*
Gladiatores fortiſſimè certant pro Antonio, & Cleopatra, 539
Glaphyra, Alexandro viro ejus à Patre Herode ſtrangulato, remittitur ad Archelaum Cappadocum Regem, 566
Gorgias contra Judæos bellum fovet, 319. Joſephum cum ſuis Judæis fugat, 320
Gotarzes necem Artabano patri præparat, 627. in Hyrcaniam fratri Bardani conciliatus abit, *ibid.* copias deinde contra fratrem contrahens ab eo vincitur, 628. Occiſo fratre à Parthis, potitur regno, *ibid.* vincit Meherdatem, cujus aures abſcindit, 629. morbo obit, *ibid.*
Græci juſſi naves hyppagogas Dario parare, 94. exercitum Xerxis proſligant, Perſarum naves incendunt, cum inſulanis fœdus ineunt, 99. à Perſis in Ægypto ſuperati, 105. horum triremes 50 ſubvertuntur, 106. dum ex Aſia in patriam redeunt, varia damna patiuntur, 128. omnes exceptis Thebanis pacem ab Artaxerxe oblatam recipiunt, 140. pacem inter ſe renovant ſuaſu Artaxerxis, 141. Græci à Perſis mutilati Alexandro occurrunt, 169. reficiuntur à Macedonibus, à Gallis infeſtantur, 253
Grotius errat in tempore, quando ſecunda Epiſtola ad Theſſalonicenſes ſcripta ſit, aſſignando, 635
Gyges obtruncato Candaule, uxorem ejus, libertatem, & regnum Lydiæ obtinuit, 54. Delphos donaria mittit, Colophonem urbem vi cepit, 55
Gymnoſophiſtæ, 196

H

Habbakuk prophetat, 64
Hadar, ſive *Hadad* rex Idumæorum tempore Moſis, 19
Hagar Iſmaelem peperit, 6
Haggæus reprehendit Judæos, 86
Halyattes ſenior regnat in Lybia, 47. junior regnat, 63. recuperat valetudinem, & ſocietatem cum Mileſiis init, *ibid.*
Haman Mordecaio infenſus, 88. mandatum impetrat de occidenda Judæorum gente. *ibid.* in crucem agitur, *ibid.*
Hananias pſeudopropheta redarguitur, 68. moritur, 69
Hannibal Alpes ſuperat, 266. & Romanos, 267. domum redit, 271, 272. ad Antiochum fugit, 277. bellum in Romanos ſuadet, *ibid.* cum Scipione colloquium, 278. Cretam profugit, 287. ad Pruſiam contendit. 288. Hannibalis ſtratagema, 288. & 289. mors, *ibid.*
Haran naſcitur, 3
Harmonia Evangeliorum incipit, 588. explicit, 606
Harpagus adversùs Ioniam dimicat, 77. illi Iones ſe dedunt, 78
Harpali luxus, 191
Harpalus ab Alexandro Athenas fugit, 205. à Thimbrone occiditur, 215
Haſmonæici principatûs initium unde deducendum videtur, 323. ejus terminus, 518
Hazael invadit Judæam, 42
Heberus natus, 5. moritur, 8
Hebron cum pagis ſuis percutitur à Juda Maccabæo, 322
Hegeſilochus apud Rhodios ſuos rem Romanorum agit, 298
Helena Adiabenorum regina à Judæo quodam ad veri Dei cultum converſa, Hieroſolymam venit, 626
Helicon Ægyptius, qui Caium contra Judæos incitaverat, à Claudio interficitur, 621
Heliodorus exanimatur & reſtituitur, 291
Heliodorus Syriæ regnum affectans, expellitur, 295
Hellanicus Mitylenæus Hiſtoricus naſcitur, 91
Helvius Blaſio Decimum Brutum amicum ſuum ad tolerandam ſui cædem confirmare nititur, 497
Hephaſtioni mors prædicitur, 206. ejus apotheoſis, 208
Heraclea auctionibus expoſita à Romanis, 387. fruſtrà oppugnatur à Cotta, 396. capitur fraude Connacorigis, 399
Heraclienſes libertatem vindicant, 250. eorum benevolentia in Chios, 373
Heraclides cum Alexandro Antiochi Epiphanis filio ſuppoſititio Romam venit, 334. bellum adverſus Demetrium parat, *ibid.*
Hermeas aruſpex conculcatus interit, 394
Herodes Galilææ præfectus Ezechiam Judæum interficit; 478. ad judicium vocatur ab Hyrcano, *ibid.* purpuratus coram Synedrio conſtitit, ſed accuſatus ſecedit Damaſcum, *ibid.* Cœlesyriæ præficitur à Sexto Cæſare, 479. ducens exercitum adverſus Hyrcanum, patris Antipatri, fratriſque Phaſaeli precibus cohibetur, *ibid.* totius Cœlesyriæ dux fit à Caſſio & Marco, 493. Samariam noctu ingreditur, 494. literas accipit à Caſſio, quibus ad vindictam urgetur mortis paternæ, à Malicho perpetratæ, *ibid.* arces & caſtella recipit, 499. ex populo multos obtruncat, 510. fugit hoſtium inſidias, *ibid.* jubetur è Malchi finibus excedere, 511. Romam petens, gravique tempeſtate conflictatus, Rhodum venit, *ibid.*

ibid. Antonio, Romæ narrat quæ paſſus eſt, 512 regium nomen ipſi defertur, *ibid.* reverſus ab Italia, petit Hieroſolymam, *ibid.* & 513. Galilæam in partes ſuas traducit, 513. honorificè excipitur ab Antonio, 515. hoſtes fugat, 516. mirâ providentiâ mortem effugit, *ibid.* vincit egregiè copias Antigoni, *ibid.* Mariammen ducit uxorem, 517. Ariſtobulum Ananelo ſucceſſorem in Pontificatu dat, 525. inſidias, quibus è medio ſuſtulerat Ariſtobulum, magno funeris apparatu, & lacrymis tegit, 528. vocatus, inſtigante Cleopatrâ, Ad Antonium, ut rationem redderet mortis Ariſtobuli, muneribus datis evadit, *ibid.* dicitur tamen per civitatem, interfectus ab Antonio, 529. Joſephum fratrem jubet interfici, *ibid.* ſollicitatus de ſtupro à Cleopatra, cogitat eam interficere, 530. ſolvit tributa quæ ipſi Antonius imperaverat, 531. auxilium præparat Antonio, 532. quod tamen remittitur divertendum contra Arabas, *ibid.* vincit Arabas, & gentis Præſes ab eis declaratur, 534. Antonium hortatur ut Cleopatram occidat; 539. ad Cæſarem properat, 540 ad Cæſarem confugiens confirmatur in regno ſuo, 541. Cæſarem per Syriam in Ægyptum abeuntem regia magnificentiâ excipit, 542. in Mariammen uxorem incenditur, 546. in Ægypto cum Cæſare congreditur, amicitiâque ejus fretus liberiùs cum illo agit, 547. Mariammen a ſe interfectam dolet, & lamentis proſequitur, 549. ægrotat, *ibid.* convaleſcens enecatior fit, *ibid.* Babæ filios interficit, 550. athletica certamina inſtituit in honorem Cæſaris, *ibid.* conjuratores deprehenſos occidit, 551. Mariammen aliam ſibi matrimonio jungit, 553. Alexandrum & Ariſtobulum filios Romam ad Cæſarem, educandos mittit, 555. templum Cæſari condidit, 557. templum Hieroſolymitanum incipit extruere, 559. finis jam Româ reverſus uxores dat, *ibid.* ab Agrippa decedens cui in negotiis ſe adjunxerat, quid fecerat in gratiam Judæorum declarat, 561. adverſùs Alexandrum & Ariſtobulum filios incenſus Antipatrum ex matre plebeia genitum fovere incipit, *ibid.* coram Cæſare Alexandrum & Ariſtobulum accuſaturus, Romam cum eis navigat, *ibid.* à Cæſare filiis reconciliatur, 561. in Judæam reverſus primum Antipatrum, inde ex Mariamme natos, Alexandrum & Ariſtobulum poſt ſe regnaturos declarat, *ibid.* Davidis ſepulchrum recludit, *ibid.* tertiò Romam, ad Cæſarem proficiſcitur, 563. reverſus celebrat Encænia, *ibid.* latrones ulciſcitur, *ibid.* minaces literas accipit à Cæſare, 564. Nicolaum Damaſcenum mittit ad Cæſarem, 565. diſſidium ejus cum filiis ex Mariamme ſuſceptis exacerbatur artibus Euryclis Lacedæmonii, *ibid.* amicos tam ſuos, quàm filiorum interimit, filios autem in vincula conjicit, *ibid.* gaudet Cæſarem ſibi factum placatum, *ibid.* 300 ſimul ipſius inſtigatione occiduntur, *ibid.* filii ejus Alexander & Ariſtob. patris juſſu ſtrangulantur, *ibid.* infantes occidit, 568. natorum minimo, Herodi Antipæ ſucceſſionem regni relinquit, 569. indignatur aquilam auream à ſe ſupra majorem templi portam poſitam dejici, *ibid.* decernendo poſt ſuam, nobiliſſimorum Judæorum, mortem, lætitiam, quam ſe mortuo orituram videbat, fœdare cogitat, *ibid.* mutato teſtamento regnum Archelao relinquit, *ibid.* poſt graviſſimos dolores toleratos moritur. 570

Herodes Antipas Galilæam, &c. recipit à Cæſare, 572

Herodes Agrippa, vide *Agrippa*.

Herodes Tetrarcha amittit exercitum, 614. filiam Aretæ regis Arabiæ Petrææ repudiat, ducit autem Herodiada, *ibid.* per literas Agrippæ Caio redditus inimicus, in exilium mittitur cum Herodiade uxore, 618

Herodes rex Chalcidis, poteſtatem in Templum, júſque eligendorum ſummorum Pontificum a Claudio impetrat, 625. moritur, 627

Herodis progenies intra centum annos interiit, 632

Herodotus natus, 93. Athenis honoratur, 107

Heſron natus 10. ejus matrimonium & proles, 11

Heſther regina coronatur, 87. convivio ab Aſſuero excipitur, *ibid.*

Hierax Ptolemæi Phyſconis imperium ſuſtinet, 347

Hieroſolyma capitur & cremantur, 72. obſidione C. Sollii & Herodis arctatur, 517. capitur, *ibid.* fit ſtrages civium, 518

Hieroſolymitanum templum ex ſententia Moſis conditum pronuntiat Ptolemæus Philometor, 356

Hieroſolymis ſeditio exoritur, 499

Hieroſolymitanorum bona diripiuntur à Parthis, 510

Hillel Babylonius Hieroſolymis floret, 534

Hipparchus Bithynus aſtronomiæ peritiſſimus, 327. ſecunda ejus obſervatio æquinoctii autumnalis, 331. tertia, *ibid.* quarta, 339. quinta, 340. ſexta 344. ejuſdem obſervatio æquinoctii veri, & ſolſtitii æſtivi, 349. alias ejus obſervationes, *vide* pag. 355

Hippias Athen. tyrannus, 88

Hippocrates dux Laced. ab Alcibiade cæſus, 119

Hironus Tyriis præficitur, 76

A. Hirtius Conſul, in prælio, quo victus eſt Antonius, cadit, 492

Hiſpania, in eâ provinciâ ſeviit perſecutio Neronis, 647

Hiſtiæus in vincula conjectus, & liberatus, 90. trajicit Mitylenen, *ibid.* captus & in crucem actus, 91

Holophernes, à Judith obtruncatur, 61

Hoſea regnum Iſrael invadit. 51. regno potitur, *ibid.* recuſavit annuum tributum Salmanazaro, 54

Hybreæ facetum ad Antonium dictum, cùm duplici tributo civitates oneraret, 506

Hyckſi vel *Paſtores* Ægypto expulſi, novas ſedes quærunt, 8. an iidem cum Iſraelitis, *ibid.*

Hydaſpis fluvii incrementum, 186. 187

Hydaſpis fluvius, *ibid.*

Hypſicratea Mithridatis uxor, comes ejus in fuga, rerum difficilium lenimentum ei fit, 418

Hyrcanus Arabibus bellum infert, 289

Hyrcanus Joſephi filius ſibi manus infert, 295

Hyrcanus Ariſtobuli frater à Pompeio rex, ſed ſine diademate, relinquitur, 419. Ethnarchiam & Pontificatum recipit à Cæſare, 474. confirmari cœptam amicitiam à Cæſare rogat, 479. occiſo Malicho perturbatur, 495. ejus auriculæ amputantur ab Antigono; ut ſic ineptus redderetur ad Pontificatum recipiendum, 510. vinctus in Parthiam ducitur, 511. vinculis ſolutis permittitur Babylone degere, 519. ſuo deſiderio, doloque Herodis permotus redit in patriam, *ibid.* & 520. cum Malcho Arabum rege agens de copiis parandis, proditur à miniſtro rei tranſigendæ, Doſitheo, 540. convictus occiditur ab Herode, *ibid.*

I

Jabin rex Chananis, Iſraelitas in ſervitutem redigit 25. ejus copiæ à Barak profligantur, *ibid.*

Jacob naſcitur, 8. benedictionem fratri ſurripit, *ibid.* ſeptennem ſervitutem pro Rachele paciſcitur, 9. diſcedens à Labano in patriam redit, cum Labano fœdus init, fratri occurrit, Luctatur cum Angelo, profectus in Succoth, Canaam repetit, altare ibi extruit, *ibid.* mittit decem filios in Ægyptum ad emendam annonam, 10. Benjamin eò mittit, *ibid.* ipſe

cum

INDEX RERUM

cum filiis eò descendit, 11. benedictis filius moritur, ejus cadaver aromatibus conditur, defletur, & in spelunca Macpelis sepelitur, *ibid.*

Jaddus Judæorum Pontifex moritur, 212. 214

Jair Israelem judicat, 16. mortuus est, *ibid.*

Jamblichus rex Arabs inter tormenta ab Antonio occiditur, 535

Jamblichus paternum in Arabia principatum accipit ab Augusto, 557

Jambri filii occiduntur, 329

Jamnienſium portus cum classe incenditur, 321

Janias rex Ægypti, 5

Japhetus natus, 4

Jared natus, 4. mortuus, *ibid.*

Jason Simonis II. Pontificis filius pollicetur pecunias Antiocho, ut Pontificatum adipiscereturs 295, 296. amoto fratre Pontificatum invadit, 296. post triennium amovetur, *ibid.* spectatores mittit Tyrum, 3300 argenti drachmas ad sacrificium Herculis afferentes quas tamen ad triremium fabricam erogandas procurarunt, *ibid.* expellitur à Menelao, 297. facit impressionem in urbem Hierosolymitanam, 300

Ibzan Israelem judicat, 26

Idrieus moritur, 149

Idumæi pro uno Rege multos Duces habent, 19. à Joanne Hyrcano victi, coguntur recipere circumcisionem, & ab eo tempore inter Judæos censeri cœpti sunt, 354

Jechonias natus, 65. Jechonias, seu Conias regnat, 67. capitur, 68

Jehoachaz patri Jehu succedit, 41. mortuus est, 42

Jehoachaz Josiæ filius natus, 62. regnat, 64. à Necco depositus & in Ægyptum abductus, *ibid.*

Jehojakim regnat, 64. captus & vinctus catenis 65. partem voluminis sacri laceratam urit, *ibid.* rebellat, 66. insepultus projicitur, 67

Jehoram nascitur, 37. fratres occidit & idololatriam instituit, 39. & 40. à Philistæis spoliatur, cruciatur morbo intestinorum, Achaziam filium constituit proregem, miserè moritur, 40

Jehosaphat natus, 36. regnum init, 37. excelsis amotis populum per Levitas instruit, *ibid.* Jehoramum filium proregem instituit, 38. cum Achabo oppugnat Ramoth Gilead, naves amisit, *ibid.* filiis civitates distribuit, 39. moritur, *ibid.*

Jehu ungitur rex Israel, Jehoram, & Jezabelem occidit, totum genus Achabi sustulit, 40

Jejunium observatum à Judæis in memoriam sacri voluminis à Jehoiakimo combusti, 517

Jephte Ammonitas subjugat, filiam devovit Deo, Ephraimitas trucidat, 26

Jeremias ad prophetandum vocatur, 62. prædicat & incarceratur, 64. Prædicit 70 annorum captivitatem, & ruinam Babyloniæ, 65. Denuntiat ruinam Jehojakimi, *ibid.* & Hierosolymæ capturam, 70. creditur, & in foveam conjicitur, 70, 71. liberatur, & in Judæa relictus est, 71

Jeròboam vitulos adorandos proponit, 34. legitimos Sacerdotes rejicit, *ibid.*

Jeroboam secundus à patre Joaso in regni consortium assumptus, 42. succedit patri defuncto, 43. Eo mortuo ruit regnum Israelis, 45

Jesus filius Sirach librum avi sui ex Hebræo in græcum sermonem transfert, 552

Jesus Christus nascitur, 568. audit & interrogat Doctores, 578. se Mundo parefacit, 586. baptizatur, *ibid.* tentatur, *ibid.* aquam in vinum mutat, 587. ascendit ad Pascha, 588. à Pilato traditur Judæorum voluntati, 602. crucifigitur, 603. resurgit, 604. ascendit in Cœlum, 606

Jesus quidam Hierosolymis vociferat quadriennio ante bellum Judaicum. Vox ab Oriente vox ab Occidente, &c. 642, 643. Obsidionis tempore lapide missio perimitur, *ibid.*

Jesus Gamalielis filius, Jesu Damnei filio in Pontificatu succedit, 643

Ilienses ab Agrippa pecuniâ mulctantur, quòd Juliæ periclitanti non succurrerint, 560. Herode rogante absolvuntur, *ibid.* maximos honores Herodi reddunt, 561

Inditium initium, 458

Indorum variæ gentes ab Alexandro victæ, 185. & *seq.*

Indorum Legati, Tarraconem ad Augustum veniunt, 551. pacem sanciunt, 557. exotica dona, *ibid.*

Indus fluvius, 192

Joas natus, 40. septennis rex ungitur, Athaliam occidit, & ædem Baalis evertit, 41. Templum restaurat, *ibid.* trucidatur Joas rex Judæ, 42

Joas filius Jehoachasi, rex Israel cum patre regnat, 42. Invitat Elisæum morituum, *ibid.* Hierosolymam spoliat, 43

Joannes frater Jonathanis occiditur, 329

Joannes Hyrcanus Pontifex factus est post patrem suum, 349. Hierosolymis obsessis infirmiorem turbam extra mœnia ejicit, 350. postea miseratione victus recipit. *ibid.* pacem init cum Antiocho, *ibid.* tria millia talentorum aufert è sepulchro Davidis *ibid.* Antiochum comitatur, & vincit Hyrcanos, unde cognomen Hyrcani adipiscitur, 352. Sicima capit, & Garizim, 354. subjugat Idumæos, compellitque circumcidi, *ibid.* filium suum Alexandrum Jannæum nunquam in conspectum admittit, 355. Legatos mittit ad Romanos, 356. moritur. 360

Joannes Baptista nascitur, 566. prædicat baptismum pœnitentiæ, 586. ministerio suo vacat per quatuor annos, 587. in carcerem conjicitur, 588. Discipulos ad Jesum mittit, 589, 590. decollatur, 591

Joannes Richardsonus Episcopus Ardachadensis, auctor Harmoniæ in Evangelia, 587

Jobi liber, 11.

Jocabeda Mosis mater, an fuerit filia vel neptis Levi, 11, 12

Jonathan in locum Judæ fratris succedit, 329. Insilit in Jordanem, & ad ripam ulteriorem tranat, *ibid.* & 330. militias inimicorum deprehendit, 331. muros dejectus in Bethbasi restituit, *ibid.* vincit Apollonium, 338. tria millia virorum mittit ad Demetrium 341. Damascum usque proficiscitur, 342. periclitatur, *ibid.* dolo Tryphonis circumventus comprehenditur, 343. à Tryphone occiditur, *ibid.* Sepeliuntur ejus ossa à fratre Simone, *ibid.*

Jonathan Uzielis filius, Chaldaicæ Paraphraseos auctor, 554

Jonathas quidam Judæus igne exuritur, 651

Joppe deditur Jonathani, 338

Joppensium portus noctu à Juda Maccabæo succenditur, 321

Joseph natus, 9. à fratribus in puteum missus, venditus, & in Ægyptum abductus, 10. carcere inclusus somnia interpretatur Pharaonis, *ibid.* à Rege in summam præfecturam evectus ducit Potipharis filiam, *ibid.* pecuniam pro annona collectam in ærarium mittit, 11. Ægyptii Josepho, greges, & armenta vendiderunt, *ibid.* agros colendos Ægyptiis assignavit, *ibid.* moritur, *ibid.*

Josephus Judæus, 269

Josephus manifesti erroris convincitur, 329. diversa tradit de Alcimo, 330. reprehenditur, 349. 356. honorificam facit tam Joannis Baptistæ, quam Jesu Christi mentionem, 606, 607. quando natus, 615. ejus in literis celebritas, 629. patrius naufragium venit

in Italiam, 642. severitati studet. 633, 634. à Poppæa Augusta muneribus donatus redit in patriam, 645. Galilæam proficiscitur Romanorum impetum expectaturus, 647. vitâ donatur à Vespasiano, *ibid.* à quo *Flavii* prænomen accipit, 652

Josephus fratér Herodis sex cohortibus amissis unà perit, 515

Josephus Herodis patruus jussus clàm ab eo, si quid in se sinistrum statuisset Antonius, Mariammen uxorem ejus interficere, mandatum prodit in indicium amoris Herodis in Mariammen suam, 526, 529

Josephus Beatæ Virginis marius ascendit in urbem Bethleem, ut describatur, 567

Josephus Camei filius summum Pontificatum obtinet, 625

Josephus Tobiæ filius familiaritatem Ptolemæi Euergetes consequitur, & à Judæis calamitatem depellit, 260

Josias natus, 61. patri succedit, *ibid.* cœpit mundare Judam ab Idololatria, 62. Librum Legis legendum curat, Altare Jeroboami diruit, templum restituit, 63. Pascha solemniter observat, Pythones & omnes abominationes sustulit, *ibid.* occisus defletur à Jeremia, *ibid.* & 64

Josiah in vocatione sua confirmatus duos exploratores mittit Jericho, 22. interruptum Circumcisionis usum restauravit, *ibid.* quinque reges suspendit, 23. Makedam, Libnam, Lachisham, aliasque urbes devictis Anakæis cepit, *ibid.* Palæstinam tribubus dividit, 23, 24. moritur, 24

Jotapata vi capta à Vespasiano incenditur, 647

Jotapes patri suo Medorum regi conceditur ab Octaviano, 544

Jotham patri leproso succedit, 45. Ammonitas superat, sub eo Isaias, Mica, & Hosea prophetarunt, 47. & 48

Iphicrates, conductor exercitui præficitur, 140. dissidet cum Pharnabazo, *ibid.*

Isaak natus Beer-sheba, 7. eo ablactato ejicitur Ismael, *ibid.* in uxorem accipit Rebeccam, *ibid.* ei datur promissio Abrahamo facta, 8. moritur, 10

Isbozeth occiditur, 30

Isia celebrantur, 274

Ismael natus, 6. moritur, 8

Ismael Nethaniæ filius, 72

Ismenias quomodo regem adoraverit, 141

Isocrates Grammaticus defendit Octavii necem, 324. simulac nomen ejus fuerat delatum, mente captus est, 330

Israelitæ, eorum stationes in deserto, 14. & *seq.* Commorantur in deserto annos 38 a discessu ex Kadesho-Barneæ, 18. post 37 annorum peregrinationem, justi sunt rectà ire in terram promissam, 19. ascenderunt duce Josuah ex Jordane, primum Pascha in Canaan celebrarunt, Manna cessavit, urbem Jericho expugnarunt & Ajam per insidias capiunt occiso sacrilego Achano, 23, 24. festum Tabernaculorum celebrant, 24. Tabernaculum Shilonæ collocarunt, *ibid.* Traduntur in manus Cushanis Mesopotamiæ regis ob idololatriam & conjugia cum Cananæis, *ibid.* percussi sunt ab Eglone, *ibid.* & 25. denuò deduntur in manus Midianitarum, *ibid.* colunt Baal-Berith, *ibid.* in manus Philistæorum, & Ammonitarum traditi, 26. iterum à Philistæis oppressi, 27. iterum oppressi amittunt Arcam, *ibid.* abjectis idolis, aquam hauriunt in Mispah, 28. illis fabri ferrarii eripiuntur, *ibid.* affliguntur fame, 31. Israelitici regni finis, 54

Issachar natus, 9

Iturai, & Judæi provinciæ Syriæ sunt additi, 629

Juba paternum Mauritaniæ regnum à Cæsare obtinet, 548. Ptolemæum suscipit ex Cleopatrâ Selene. *ibid*

Judæus primus, 24. secundus, *ibid.* tertius, 25. quartus, *ibid.* quintus, 26. sextus, 27. septimus, 28. octavus, 30. nonus ob templi encœnia celebris, 33. decimus, 35. undecimus, 38. duodecimus, 41. decimus tertius, 43. decimus quartus, 47. decimus quintus, 58. decimus sextus, 60. decimus septimus, 63. decimus nonus, 88. vigesimus, 104. vigesimus primus, 111. vigesimus secundus, 141. vigesimus tertius, 225. vigesimus quartus, 258. vigesimus quintus, 264

Judah Jacobi filius natus, 9. uxorem ducit Chananæam, 10. ex Thamare nuru suâ gemellos tollit, *ibid.*

Judæi captivi ducuntur ab Israëlitis, 50. & ab Edomæis, 51. Judæorum pueri elegantiores, inter quos Daniel, ut Nebuchadnesari inserviant, 65. Judæorum 3023 abducuntur captivi à Nebuchadnesare, 67. & à Nebuzaradane, 71. Reliquiæ fugiunt in Ægyptum, 72. exceptis iis quos Nebuzaradan deportavit, 73. Reditum in patriam instituunt, 79. secundi Templi fundamentum ponunt, 80. impediuntur à Samaritanis, *ibid.* jejunia 5ⁱ & 7ⁱ mensis ingrata. Primum Pascha in secundo Templo celebrant, 87. Decem filios Hamanis, reliquosque hostes occidunt, 88. Festum Tabernaculorum observant, fœdus cum Deo renovant, 106. Seleuco subditi, 248. ab Elephantis liberati, 269. eorum nonnulli Apostatæ sub arcem Sionis gymnasium extruunt, 296. supra viginti millia hostium occidunt, 317. affliguntur à Bacchide, 319. pacem ineunt cum Romanis, *ibid.* Missi à Jonathane Demetrium liberant ab Antiochenis, 341. magnis bellis Syriam infestant, 353. secernuntur ab Idumæis, 354, 355. ingens Judæorum multitudo occiditur à Ptolemæo Lathuro, 362. Judæi vexati à Pharisæis, remedium petunt ab Alexandra Regina, 395, 396. Millia Judæorum 12 occiduntur à militibus Pompeianis, 427. fiunt Romanis tributarii, 428. Aristocraticè gubernantur, 437. maximis calamitatibus affliguntur, 552. petunt à Cæsare ut ipsis sine Rege vivere liceret, 572. quare ex urbe Roma pulsi, 583. Petunt à Vitellio ne Romana signa imagines habentia portentur per suam regionem, 615. Judæi Alexandrini Herodem docent de insidiis ipsis à Flacco Avillio paratis, 616. miserrimè ab eodem Avillio tractantur, 617. aram Caii conditam ab inquilinis diruunt, 618, 619. supra 50 millia Judæorum Seleuciæ conspirantibus Græcis Syrisque trucidantur, 620. tumultuantes ob ignominiam sibi, seu Deo potius a nudato milite illatam, pereunt ad numerum viginti millium, 627. violentia potius quam justitiâ res agunt, 639. jus Civitatis Cæsareæ amittunt, 640. idcirco tumultuantur usque ad initium belli Judaici, *ibid.* qua occasione rebellarunt, 646, eorum 20 millia instigante Gessio Floro interfiuntur, *ibid.* calamitas Judæorum à Petro Paulóque prædicta, 647. Judæi obsessi, fame premuntur, 649. capti cum bestiis depugnant, 651. numerus Judæorum qui consumpti sunt bello & fame per septennium, 652

Judas Maccabæus in montibus vitam transigit & ne contaminationis particeps esset, gramineo alimento vescitur, 306, 307. In locum patris Mattathiæ jam mortui succedit, 314. rem bellicam fortiter in Judæa administrat, 315. Vincit Nicanorem, 317. & castra spoliat, *ibid.* novum dedicat Altare, 318. feliciter bellum gerit contrà filios Esau, 319. percutit Ammonitas, *ibid.* Timotheum superat, 20500 peditibus, & 600 equitibus interfectis, 320. confodit ex militibus Timothei ad 30 virorum millia, 321. ad urbem Carnaim jugulat hominum 25 millia, *ibid.* radicitùs evertit Ephronem

nem urbem munitiſſimam, *ibid.* & 322. Gorgiæ milites fugat, 321. debellat filios Eſau, *ibid.* Caſtra Eupatoris noctu invadit, *ibid.* ultionem ſumit de transfugis, 326. à Nicanore ſe occultat, 328. inſomnium ſuum narrando ſuorum animos excitat, *ibid.* vincit Nicanorem, cujus caput & manus amputantur, *ibid.* Legatos Romam mittit, *ibid.* fortiter dimicans occiditur, 329. ſepelitur in Modin, *ibid.*

Judas Ariſtobulus patri ſuccedit, 360. principatum in regni formam transfert, *ibid.* matrem fame necat in vinculis, *ibid.* magnam Iturææ partem ſubjugat, 361. fratrem Antigonum ſocium regni interficit, *ibid.* vindictam divinam agnoſcens ipſe moritur, *ibid.*

Judas qui conjicitur eſſe *Thendas*, turbas facit, 571. perit cum ſuis, 578. ejus nova ſecta, *ibid.*

Jugæus apud Babylonios regnat, 52

Julia Agrippæ Caium parit, 557. & Lucium, 559. quos Cæſar hæredes facit imperii, *ibid.* in magnum vitæ diſcrimen adducitur, 560. mortuo Agrippâ nubit Tiberio, 562. luxuriæ, turpitudinique ſe dat, 574. relegatur in inſulam, *ibid.* leniùs tractatur, nec tamen revocatur, 577

Julius Cæſar deſedit apud Nicomedem non ſine rumore proſtratæ regi pudicitiæ, 381. compertâ Syllæ morte Romam redit, 383. capitur à piratis quibus terrori venerationique fuit, 386. captivos cruci ſuffigit, *ibid.* nutantes in Aſia civitates in fide retinet, 387. videns Alexandri Magni imaginem ingemit, 413. venit in ſuſpicionem conſpirationis, 416. ſocietatem init cum M. Craſſo & Pompeio, 434. non dimittendo exercitum cauſam præbet belli civilis, 457. Dictator creatur, 458. Dictaturam poſt undecim dies exuit, *ibid.* Pompeium ſuperat, 460. literas ejus concremat, *ibid.* veniam dat iis qui auxilia Pompeio tulerunt, *ibid.* Pompeium inſequitur, 461. Aſiam liberat à publicanis, 462. perſequens Pompeium, in Ægyptum tendere inſtituit, 463. Pompeio interfecto Alexandriam tumultuantem intrat, 466. annulum Pompeii accipiens à Theodoto illacrymat, *ibid.* caput Pompeii ipſi allatum ſepeliri jubet, *ibid.* Pompeianos beneficiis ſibi devincit, *ibid.* honores in ipſum certatim effunduntur, 467. Cleopatræ favet contra fratrem, 468. tandem Cleopatræ & Ptolemæo regnum Ægypti dat, *ibid.* auxilia undique contra Achillam evocat, 469. prælio navali vincit Ægyptios, 471. ſe ex navigio ejiciens, ad naves natat, *ibid.* urbes Syriæ penè univerſæ Cæſari opem ferunt, *ibid.* regem puerum dimittit, *ibid.* claſſem inſtruit, 472. magnam victoriam reportat ab Ægyptiis, 473. Alexandriam capit, *ibid.* Cleopatræ, quæ conſuetudine Cæſaris utebatur, regnum Ægypti tradit, *ibid.* columnam æream ſtatuit jura Judæis Alexandrinis conceſſa continentem, 474. amicas literas mittit ad Ciceronem, *ibid.* in Syriam proficiſcitur, *ibid.* præmia bene meritis in omnibus Syriæ civitatibus tribuit, 475. Tyri, Herculis donaria aufert, quòd conjugem & filium Pompeii recepiſſent, *ibid.* Tarcondimoto, qui Pompeium juverat, ignoſcit, *ibid.* per Cappadociam venit Comana, *ibid.* Dejotarum pecuniâ mulctat, 476. Pharnacem acie profligat, *ibid.* trophæum erigit oppoſitum illi quod Mithridates de Triario ſtatuerat, 477. in Aſia pecuniam obiter colligit, *ibid.* in Græciam, Italiamque navigat magnâ vi pecuniæ confectâ, *ibid.* in Africam tranſmittit, 478. ubi Labienum & Petreium vincit, *ibid.* Jubam & Scipionem memorabili pugnâ ſuperat, 479. magnum exercitum videt per quietem, *ibid.* Africano bello confecto Romam venit, *ibid.* 4 triumphos agit, *ibid.* Cleopatra & Ptolemæus à Cæſare acciti Romam veniunt, *ibid.* Pontifex factus annum emendat, 480. memorabilem ad Mundam victoriam obtinet, *ibid.* literas conſolatorias dat Ciceroni, *ibid.* omnibus qui contra ſe arma tulerant, ignoſcit, *ibid.* Dictator fit in perpetuum & prænomen obtinet Imperatoris, 481. Octavium mittit Apolloniam, *ibid.* urbem Hieroſolymorum Hyrcani voluntati permittit, *ibid.* Carthaginem & Corinthum inſtaurat, 482. expeditionem in Parthos cogitat, Getis priùs debellatis, *ibid.* Rex ſalutatus, *Cæſarem ſe non regem eſſe reſpondet*, *ibid.* diadema à M. Antonio bis capiti ipſius impoſitum depoſuit, *ibid.* quatriduo ante diem profectioni ex urbe deſtinatum confoditur, *ibid.* ejus percuſſoribus provinciæ decernuntur, 483

Julius Peligrus Cappadociæ procurator, 630

Junius Cilo, Narciſſi fraude præfecturam in Bythynos prorogatam obtinet per biennium, 629

Junius Gallio exul, Romam retractus magiſtratuum cuſtodiæ traditur, 593

Juventius Prætor Romanus vincitur in Macedonia ab Andriſco, 337, 338

K

Kalenda Januarie quâ ratione in poſtremum Decembris diem inciderint, 517

Κυρίνος & *Kyrinus* idem Græcis, qui Romanis P. Sulpicius Quirinius, 567

L

Labienus Bruti & Caſſii ad Orodem legatus, 503. auctor belli Parthici, 508. Apameam & Antiochiam accipit, *ibid.* Saxam occidit, 309. fugatus à Ventidio capitur, 511

Laboroſoarchodus Babyloniæ Rex, 75

Lacedæmonii principatum Græciæ cedunt Athenienſibus, 101. Nolunt Artaxerxis pecuniâ corrumpi, 105. horum Legati Athenis occiſi, 109. ad Pharnabazum naves mittunt, 113. Athenienſes ſuperant, 116. horum crudelitas Mileti, 121. auxilia Cyro mittunt contra fratrem Artaxerxem, 124. contra Tiſſaphernem exercitum in Aſiam mittunt, 128. Imperium maris amittunt, 135. Ecdicum cum 8 navibus Rhodum mittunt, 136. Teleutiam cum 12 navibus mittunt, *ibid.* à Thebanis victi in pugna Leuctrica, 141. cum Artaxerxe ſimultatem exercent, 142. comiter excipiunt legatos Judæorum, 342

Lamachus Athenienſis claſſem amiſit, 110

Lamachus Heraclienſis in civitatem ſuam recipit Mithridatem, 392

Lamech natus, 4. mortuus, *ibid.*

Laodice maritum occidit, 259. ipſa occiditur, 260

Laodice cum Heraclide Romam venit, 534. quinque ex ſuis filiis patricidiali veneno necat, 554. ipſa propter crudelitatem extinguitur, *ibid.*

Laodicea tremore terræ prolapſa, propriis opibus revaleſcit, 639

Laodicenſes graviſſimè à Caſſio mulctati, quòd Dolabellam accepiſſent, 495

Laſthenes literas accipit à Demetrio Nicatore, 341

Latburus Ptolemæo Energeti II. patri ſuo ſuccedit, 358. inſidiis matris Cleopatræ ferè opprimitur, 360. vide *Ptolemæus.*

Legatio nobilis, P. Scipionis, reliquorumque, 348

Legati Romam miſſi, 279. 281. 283. Ad Manlium, 285, 286. Legati Rhodiorum, & Ilienſium, *ibid.* Eumenis & Seleuci, 287, 288. Romanorum ad Philippum, 288 Spartanorum,

norum, 188. Legati Romani Hannibalem petunt, *ibid.* Legati Pharnacis, 289, 290. à Romanis missi ad Cretenses, 298. alii ad Insulas & Asiæ urbes, *ibid.* ab Antiocho & Ptolemæo simul Romam adveniunt, 299. Legati Persei, Solon & Hippias, intra trigesimum diem Italiâ jubentur excedere, *ibid.*
L. Lentulus apud Pelusium interficitur, 464
Leonippus à Cleocharis factione interficitur, 398
Leonnatus occiditur, 215
Lepidus Ptolemæi pupilli tutor, 273
Leptines Cn. Octavium legationis Romanæ in Syriam principem manu suâ interficit, 324. apud Demetrium Regem se Senatui probaturum dixit Cn. Octavium Diis volentibus à se occisum, 330
Levi natus, 9. mortuus, 11
Levita Dei cultui consecrantur 16. Quot unum mensem egressi fuerint recensiti. *ibid.*
Levitis assignantur urbes 48, quarum 6 erant asyla, 24
Lex quædam apud Romanos verabat ne qua mulier, nisi exactis à morte viri decem mensibus, nuberet, 509
Lex Judæorum, Romæ cum penetralium velis purpureis, reponitur in palatio, 651
Licinius Syllanus prodigium videt, 385
Libertus Maximus jubetur à Cæsare Judæorum terram vendere, 651
Libri legis comburuntur, 310. quinam fuerint, *ibid.* Librorum, 400 millia Alexandriæ comburuntur, 469
Litera diversæ ad populum Judæorum, 320, 321
Livia suspecta dolo sustulisse Lucium & Caium, ut aditum ad Imperium filio suo Tiberio faceret, 377
Livii Salinatoris gesta, 279, 280
Locustarum ingentia agmina in mare dejecta faciunt pestilentiam, 357
Lollia Paulina uxor Caio datur, 574
M. Lollius moritur, 576
Lucanus describit Cæsaris iter in Ægyptum, 463. ejus error deregitur, 466
Lucas S. Pauli comes in prædicatione Evangelii, 633
Lucianus martyr, gentium annales testes advocat de tenebris, cùm Christus pateretur, obortis, 607
Lucilius Capito procurator Asiæ damnatur, 585
Lucilius Bassus Legatus in Judæam mittitur, 651
L. Cornelius Sylla Legatus in Cappadociam mittitur, 366. arroganter tractat Legatos Parthorum Regis, 367. postulatur repetundarum, *ibid.* ad bellum Mithridaticum gerendum in Græciam proficiscitur, 371. capit Athenas, 372. victoriam maximam nullo ferè damno suorum reportat à Ducibus Mithridatis, 373, 374. Colloquitur cum Mithridate, 378. leges pacis cum illo facit, *ibid.* exercitum Fimbriæ recipit, *ibid.* civitates Asiæ mulctat, *ibid.* Bibliothecam Apelliconis recipit, 379. Dictator creatus de Rege Mithridate triumphat, 380. proscriptorum servos libertate donat, 381. Alexandrum Ptolem. matricidæ filium mittit ad Alexandrinos, *ibid.* moritur, 383
L. Lucullus Cretam periculosâ navigatione advenit, 372. navali pugnâ fugat Neoptolemum, 376. cum legione in Italia conscripta trajicit in Asiam, 387. feliciter pugnat adversus Mithridatem, 388. memorabili Ponticos victoriâ profligat, 389, 390. Ingreditur Cizicum, 390. somnio monitus, 391. regis navibus potitur, & Præfectum eorum Isidorum occidit, *ibid.* plures naves demergit, & capit, *ibid.* de suis rebus gestis mittit ad Senatum laureatas literas, *ibid.* oppugnat Amisum & Eupatoriam, 392. Chaldæos & Tibarenos subigit, 396. Ponti provinciam constituit, *ibid.* Eupatoriam diruit, *ibid.* Legatum ad Tigranem mittit, qui Mithridatem exposceret, 397. somnio monitus & servat flagrantem Sinopem & liberam facit, 398. Amisum quoque restituit suis civibus, *ibid.* transit Euphratem mirabiliter undas suas submittentem, 399. Armeniam invadit, 400. vincit Tigranem, 402. Tigranocertâ potitus, multas quoque Armeniæ urbes, sibi adjungit, 403. Exequias Zarbieni celebrat, 404. Expeditionem Parthicam deponere cogitur, *ibid.* Tigranem vincit, *ibid.* in regionem Mygdonicam descendit, postquàm reduxerat è regno Tigranis exercitum, 406. seditione militum impeditur quominùs persequi possit Mithridatem, & Tigranem, 409, 410. ejus milites abstrahit Pompeius, 411. Romam redit, ibique instruit Bibliothecam, 413. honorificè excipitur, *ibid.* tandem triumphat, 430. ejus luxus, 431
Lucius Magius, & *L. Fannius* de exercitu Fimbriæ profugi, Mithridati se adjungunt, 384
Lucius Metellus in Prætura Siciliensi successor Verri datur, 397
Lucius Mummius Corinthum evertit, 339. Ejus simplicitas, tabularumque pictarum ignorantia, *ibid.*
Lucius Murena ad ordinandas res in Asia relinquitur, 379. triumphi cupidine ductus bellum renovat adversus Mithridatem, *ibid.* vices ejus incurrit, 380. vincitur à Mithridate, *ibid.* Mithridatem repressum, non oppressum relinquit, 381. triumphat, *ibid.*
Lucius Pella repetundarum damnatur, 503
Lucius Statius à Cæcilio fortiter repellitur, 480
Lucius Valerius Flaccus in Asiam mittitur, 372. Occiditur à Fimbria abscissumque ejus caput in mare projicitur, 375
Lucius Valerius Flaccus Prætor in Asiam mittitur, 425. Asiæ pecuniam, & remiges imperat, 432
Lucius Augusti filius fit Princeps Juventutis, 573
L. Calpurnius Pisonis literæ in gratiam Judæorum, 346
Lucretius Prætor Romanus per literas cum Rhodiis agit, naves sibi mitti petens, 298
Ludorum ab Antiocho ad Daphnen exhibitorum elegans è Polybio descriptio, 314, 315
Luna eclypsis Alexandri milites consternit, 164. Luna deficit, 307
Luxuria Antiochi Sideris, 352
Lycii de Rhodiis queruntur, 291. incitante Eumene à Rhodiis deficiunt, 296. libertas ipsis à Romanis conceditur, 313. In servitutem rediguntur à Claudio, 623
Lydia credit in Christum, 633
Lydi cum Medis bellum quinquennale gerunt, 67
Lynceste occiditur, 275
Lysander Lacedæm. Ephesum ditat, 119. Cyrum ad bellum contra Athenienses stimulat, *ibid.* Antiocho interfecto naves Athenienf. superat, 120. ad castra cum imperio remittitur, ad Cyrum proficiscitur, Athenienfium confœderatas urbes expugnat, 121. Athenienfium classem capit, *ibid.* Athenienfium 3000 occidit, 122. à Byzantinis recipitur, in urbibus captis *Αναρχίαν* constituit, *ibid.* Athenas obsedit, perfidia in Milesienses, *ibid.* Lysandria instituta, 123. ab Ephoris domum revocatur, *ibid.* Sacerdotes Hammonis corrumpere pecuniâ tentat, *ibid.*
Lysanias amicus fit Antigono, 309. ab Antonio interficitur rogatione Cleopatræ, 520
Lysias Judæorum nomen delere ab Antiocho jubetur, 316. In Judæam cum 65 millibus lectissimorum militum irruit, 317. fugatur à Maccabæi exercitu multis occisis, 320. cum Judæis agit de pace, *ibid.* & 321. à Demetrio interficitur, 326
Lysias Paulum virgis examinari jubet, 639
Lysimachus Thraciæ Rex, 245, 246, 247. ejus gesta, 241.

& *ſeq.* crudelitas, 249. moritur, 250
Lyſimachus ſacrilegia facit Hieroſolymis, 300. à tumultu interficitur, *ibid.*

M

Maccabæi cur dicti Mattathiæ filii, 311
Maccabæorum liber III. quo in pretio ſit habendus, 269
Macedones à Barbaris capti & occiſi, 177. Indos ſuperant, & Dionyſio ſacrificant, 183. voluntarii ab Alexandro in patria dimiſſi, 210. Macedonum in Perdiccam odium, 218
Macedonicum Imperium cadit victo Perſeo, 307
Macharæ operam dat Herodi, 515
Machares Mithridatis filius Boſphori Rex, in amicitiam populi Romani recipitur, 398. ſibimet ipſi manus infert, 418
Macron & *Ennia* uxor ejus ad voluntariam mortem per Caligulam adiguntur, 616
Magadates Tigranis nomine Syris præeſt, 380
Magi Chriſtum quærunt, 568
Magus ſimulando ſe Smerdin, regnat 7 menſes, 84. Magi occiduntur, *ibid.* & 85
Magneſia ſummâ virtute defenditur adversùs Mithridatem, 372
Mahalaleel natus eſt, 2. mortuus, *ibid.*
Malachiæ Nehemiæ ἐνγγραφον, 111
Malichus inſidiatur Antipatro, 493. veneno eum tollendum curat, *ibid.* à Tribunis confoditur, 495
Malli ab Alexandro ſubjugati, 193
Malthace Archelai mater, morbo vitam finit, 572
Mamercus vincit Fannium qui Mithridati ſe junxerat, & Metrophanem, 390
Manahemus fatidicus Herodi gratioſus, 557
Manaſſes natus, 57. patri ſuccedit, 58. abductus captivus Babylonem, 59. ſepultus ubi, 61
Manaſſe Jaddi Pontificis frater, uxorem alienigenam dimittere non vult, 154
Manio Dardanenſis à Midia genero perfidè necatur, 129
Manius Aquilius Conſul, infamem victoriam fecit, quòd mixtis veneno fontibus, urbes quaſdam ad deditionem compulerit, 354. liquato auro in os ejus infuſo moritur, 369
Manius interficitur ab Antonio, 509
Manlius Conſul, 283. ejus geſta, 285, 286. triumphat, 287
Marcellus ducit conjugem Auguſti avunculi ſui filiam, 552
Marcius Philippus in Syria ſuccedit Scauro, 432
M. Favonius in conclave ubi ſe Brutus & Caſſius incluſerant, erumpit, 503
Marcus Lepidus hoſtis judicatur ob receptum M. Antonium, 496. in exilium mittitur ab Octaviano, 520
Marcus Tullius Ciceronis filius, collega aſſumitur ab Octaviano, 546
Marcus Perperna Conſul Ariſtonicum vincit 353. moritur, 354
Marcus Papirius eques Romanus occiditur, 436
Marcus Licinius Craſſus Syriam Provinciam obtinet, 442. magnum gaudium inde concipit, *ibid.* ad arma ſe convertit, 444. devovetur ab Ateio, *ibid.* ſolvens Brunduſio non paucas orta tempeſtate, naves amittit, *ibid.* expeditionem in Parthos ſuſcipit, *ibid.* templum Hieroſolymitanum perfidè ſpoliat, *ibid.* Græcas urbes inter quas Nicephorium recipit, *ibid.*
Marcus Scaurus à Cæſare non punitur, 538
Marcus Claudius Marcellus Cæſarem metuens Mitylenas concedit, 460
Marcus Aurelius Cotta vincitur à Mithridate, 388
Marcus Agrippa magnoperè Antonium perturbat, 534. in Aſiam mittitur, 555. in Syriam rurſus mittitur ab Auguſto, 559. invitatur ab Herode in regnum ſuum, muneribus autem honoratus abnavigat in Ioniam, *ibid.* Boſphoranos ſuperat, 560. cum Herode laborum ſocio pervenit Epheſum, *ibid.* inde Samum, *ibid.* in multis Herodi gratificatur, 561. Judæos in Ionia liberat ab injuriis indigenarum, *ibid.* ex Syria reverſus, ad Pannonicum bellum gerendum mittitur, *ibid.* mortuus laudatur ab Auguſto, *ibid.*
Marcus quidam *Agrippa* adoptatur ab Auguſto, 577. in Planaſiam Corſicæ inſulam projicitur, 578. inſidiis Tiberii interimitur, 580
Marcus Titius dux ab Antonio deſignatur adverſus Sextum Pompeium, 526
Marcus Evangeliſta moritur, 640
Marcus Calpurnius Bibulus Syriam provinciam obtinet, 450
Mardocempadus in Babylonia regnat, 54. anno primo & ſecundo regni ipſius, tres fuerunt lunares eclypſes, *ibid.*
Mardochai ſomnium, 86. *vide* Mordecaius,
Mardonii navalis expeditio, 92. hunc præfecturâ amovit Darius, *ibid.* Athenas incendit, & occiditur, 98, 99
Mardus dirigit Antonii exercitum, 522, 523
B. Maria virgo audit Angelum Gabrielem 566. templum accedit, 568. revertitur cum Joſepho in Galilæam, *ibid.*
Mariamne Alexandri filia, Herodis uxor, 527. Herodem non amat, 541. veneficii accuſata ab Herode damnatur, & ad ſupplicium ducitur, 548, 549
Mariamne tertia regis Agrippæ ſoror migrat in thalamum Demetrii, 634
Marion Tyriorum tyrannus, tyrannidem per Syriam exercet, 493
Mariſſa urbs opulenta evertitur à Parthis, 510
Marius vide *Caius*
Marus Mithridatis dux occiditur à Lucullo, 391
Marſus ſibi manus infert, 495
Marſyas Alexandrinorum dux capitur in bello, 355
Marſyas Herodi Agrippæ ſignificat Tiberium mortem obiiſſe, Hebraicè dicendo, *Mortuus eſt leo*, 614
Martha mulier Syra divinatrix, 363
Marullus Præſes à Caio Judææ factus, 614
Maſſagetæ ſuperati, 180
Mater Idæa, ſeu *Cybele*, & Mater Deûm, Peſſinonte Romam advehitur, 270
Mathuſala natus, 4. mortuus, *ibid.*
Matthias Aſſamonæi filius appellatur, 312. Judæum ſacrificantem jugulat, *ibid.* moritur, & ſepelitur in Modin, 314
Matthias Curtus Joſephi (hiſtorici) abavus naſcitur, 550
Mauzoli operâ plures urbes ab Artaxerxe deficiunt, 142
Mazaca Cappadociæ civitas Cæſarea appellatur, 581
Mazæus Babyloniæ ſatrapa ab Alexandro conſtituitur, 167
Mazares Pactyam à Cumæis repoſcit, & à Chiis recepit, 77
Medeus quidam Myſos Aſianos ad deficiendum ab Antonio permover, 534. Lycomedis ditionem obtinet, 538
Medi ſe Dejocis imperio ſubmittunt, 57. Dario ſe dediderunt, 117
Medorum rex à Phraate & Artaxe ſuperatur, 533
Megabyzus ab Artaxerxe defecit, 107. Perſas ſuperat, *ibid.* alterâ potitur victoriâ, regi reconciliatur, & relegatur, rurſus reconciliatur & moritur, *ibid.* & 108

Meherdates, Parthorum rex à Claudio fit, 628. victus, auribus privatur à Gotarze, 619
Meles regnat in Lydia, 49
Memnon Herminm prodit, 149. insulam Chium proditione capit, moritur, 254
Memnonis effigies, 582
Memphis Ptolemæi Euergetæ II. filius ex sorore & conjuge Cleopatra, 342. à patre occiditur, matrique inter epulas offerri jubetur, 355
Menachem confirmatur in regno à Puele rege Assyriæ, 46
Menas Prusiæ legatus, filium ejus Nicomedem contra patrem incitat, 347
Menelaus Jasonem circumveniens, ad seipsum summum transfert Sacerdotium, 297. aurea vasa subtrahit ex templo Hierosolymitano, 300. criminis convictus, promissâ Ptolemæo pecuniâ, evadit, *ibid.* committitur se cum exercitu Eupatoris, 322, 323. dignum vitâ exitum sortitur, 323
Menecharis legatus Romam venit, 350
Mentor Sidoniorum proditor, 146. hostes Persarum debellat, 148
Mephibosheth nascitur, 29. claudicat, *ibid.*
Mephramuthosis rex Ægypti, 10
Mephres rex Ægypti, 9
Merbalus regnat Tyri, 76
Merodachus Babyloniæ rex, 58
Metella L. Cornelii Syllæ uxor Româ fugit ad maritum, 376
Metellus Scipio provinciam Syriam obtinet, 457
Metellus, qui Antonio adhæserat pietate filii servatur, 539
Q. Metellus Numidicus exulans Philosophiæ studet, 364
Q. Metellus plurimas civitates expugnat, 405. victor imperator appellatur, 403. Eleutheram urbem per proditionem accipit, 411. insulam Cretam capit, inde *Creticus* cognominatus, 413. triumphat, 431
Meton Solstitium observat, & Cyclum lunarem instituit, 109
Metrodorus princeps legationis ad Rhodios, 305
Mitrodorus Scepsius legatus mittitur à Mithridate ad Tigranem Armenium, 392. vivus proditur, mortuus honorificè sepelitur à Tigrane, *ibid.*
Metrophanes submissus à Mithridate, fugatur à Bryttio, 371
Micæa prophetat, 56
Migremus hinc, Hierosolymis vociferatum, 645
Milesia mulier, quòd partum medicamentis abegisset, rei capitalis damnatur, 383
Milesii ab Athenienſibus deficiunt, 112. Miletum terrâ marique à Cyro obsidetur, 124
Milites Alexandri scabie infecti, 198
Miltiades Demetrii legatus Romam venit, 331
Minucius Basilus unus ex percussoribus Cæsaris à servis suis necatur, 497
Misraim Chami filius colonias in Ægyptum ducit, 5
Mithradates occisus, 242
Mithradates rex bellum gerit, 265
Mithridates amicitiam init cum Romanis, 337
Mithridates Eupator nascitur, 349. patri Euergeti succedit, 357
Mithridates Magnus, rex Parthorum, 355
Mithridates Euergetes Ponti & minoris Armeniæ rex dolo familiarium necatur, 357
Mithridates Ponti rex, Gordiam Romam mittit, 366. Cappadocia quam occupaverat ipsi adimitur, *ibid.* bellum parat adversus Romanos, 367. linguas 22 calluisse perhibetur, *ibid.* mittit filium ad occupandum regnum Cappadociæ, 368. ejus duces Nicomedem fugant, *ibid.* & Aquilium, *ibid.* magnam clementiæ opinionem sibi parat, *ibid.* Romanorum provincias percurrit, 369. Magnesiam, Ephesum, & Mitylenen recipit, *ibid.* secretas literas Epheso mittit satrapis omnibus, ut Romanos simul invadant, occisósque insepultos abjiciant, 370. in insulam Coum trajicit, ubi Cleopatræ thesauros reperit, *ibid.* cum ignominia à Rhodo recedit, 371. coronâ victoriæ distractâ, consternatione percutitur, *ibid.* audita suorum clade, suspectos amicos habet, 373. ejicitur è Galatia, *ibid.* sævit in eos, qui ab ipso defecerant, 375. Civitates Græcas libertate donat, *ibid.* premitur à Fimbria, à quo tamen fugit, *ibid.* per Archelaum pacem init cum Sylla, 377. in Pontum reversus sub potestatem suam redigit civitates quæ ab illo defecerant, 379. filium vinctum aureis compedibus tandem necat, *ibid.* parat exercitum adversus Bosphoranos, *ibid.* impium convivium instituit, 381. Bosphorum subigit, *ibid.* duas partes exercitus amittit, 382. jubetur à Sylla cedere Cappadociâ, *ibid.* restitutâ Ariobarzani Cappadociâ legationem Romam mittit, 383. fœdus init cum Q. Sertorio, 385. parat rursus bellum adversus Romanos, 386. coactus Cyzicam solvere obsidionem, in Bithyniam transmittit, 390. Pontum petens naufragium patitur, 391. Heracleam Ponticam à Seleuco Piratâ subvehitur, 392. metuens congredi cum Romanis in Hyppium fluvium defertur, *ibid.* classis ejus superatur à Triario, 393. alium colligit exercitum, *ibid.* fugat Lucullum, 394. ejus milites superantur à Romanis, *ibid.* fugam meditatur, *ibid.* fugienti præbetur equus ab Eunucho, *ibid.* mittit Bacchum seu Bacchidem ad sorores, uxores, & concubinas interimendas, 395. ejus præfecti transeunt ad Lucullum, *ibid.* colloquitur cum genero suo Tigrane, 400. cum 10 mille equitibus remittitur in Pontum, 401. fœdissimè fugit, 405. Armeniam invadit, ubi Romanos vagantes adortus interficit, 406. M. Fabium vincit, 407. vincitur à Triario, *ibid.* quem cum suis Romanis vincit, occisis supra 7 millibus, 408. & 409. vulneratur, 409. animo collapsus, per legatos cum Pompeio agit de conditionibus pacis, 412. à Pompeio obsessus clàm fugit, 414. nocturno prælio vincitur, *ibid.* & 415. castellum petit in confinio utriusque Armeniæ positum, 415. Letale virus amicis distribuit, *ibid.* Rejicitur à Tigrane, *ibid.* per gentes Scythicas iter facit, 418. legatos mittit ad Pompeium qui tributa polliceantur, si concederetur ei regnum paternum, 423. irâ accensus Exipodrum filium suum interficit, *ibid.* cogitat expeditionem in Italiam, nec tamen consentit exercitus, 424. Parcit Pharnaci filio suo proditionis in se reo, 425. decendens ad uxores, pellices, & filias, venenum omnibus dat, *ibid.* postquàm neque veneno, neque vulnere sibi suâ manu illato perire non potuisset, tandem ab hostibus cæsus occumbit, *ibid.* Ejus pretiosa supellex à Pompeio in Talauris capitur, 430
Mithridates quidam regno suo pulsus ad Gabinium venit, 441. Occiditur à fratre suo Orode, 443
Mithridates Pergamenus magnas copias colligit ad Cæsarem Alexandriæ periclitantem allaturus, 471. Pelusium capit, Dioscoridem interficit, 472. Judæis utitur benevolis, *ibid.* vincit Alexandrinos, *ibid.* Rex Bosphori constituitur à Cæsare, 477. Leucothem templum spoliat, 480
Mithridates quidam aperit Antonio consilia Parthorum, 524. phialas ab illo accipit, *ibid.*
Mithridates Iberus movetur à Tiberio ut Armeniam invadat, 611. fratrem Pharasmenem conatus suos dolo & vi juvare perpellit, *ibid.* domum remittitur à Claudio ad recipiendum regnum, 621. Armeniam occupat, 627. expulsus è regno Bosphorano à Didio

Romano, regem Dandaridarum ipſe exturbat, 628. nullo in armis præſidio relicto, Eunone mediatore revertitur ad Cæſarem, 629. Romam perductus ferociùs quàm fortuna ferebat, diſſeruiſſe dicitur apud Claudium, *ibid.*
Mithrobarzanes Tigranis dux occiditur, totuſque ejus exercitus perit, 401
Mitylena diruuntur, 381
Mitylenæi exules Rhœtium & Antandrum capiunt, 110. ab Athenienſibus ſuperantur, *ibid.* multi eorum capiuntur, 500 interficiuntur à Lucullo, 379
Molo, 263. *& ſeq.*
Molo Rhetor primus in Senatu ſine interprete loquitur, 381
Monima Mileſia Mithridatis uxor ſtrangulatur, 395
Mopſueſtia diruitur ab Antiocho & Philippo Seleuci fratribus, 566
Morbus contrahunt Mithridatis milites herbas comedendo, 389. *vide* 553. Morbo afficitur quem ad Bethesdam decumbentem inveniens Chriſtus ſanavit, 563
Mordecaius honoratur, 88. feſtum Purim inſtituit, *ibid.* vide *Mardochæus*,
Moſolami hiſtoria, 234
Moyſes naſcitur, 12. arcæ impoſitum Pharaonis filia invenit, *ibid.* occidit Ægyptium, *ibid.* illi Deus appacet in monte Horeb, eumque mittit ad Pharaonem, quem decem plagis afflixit, 13. Paſcha celebrat; per mare rubrum tranſit, 14. Amalekitas oratione ſubegit, *ibid.* in monte Sinai legem accepit, 15. vitulum aureum confregit, *ibid.* Tabernaculum cum omnibus ad ipſum pertinentibus erexit; ſecundum Paſcha celebrat; Levitas tabernaculi miniſterio præfecit, 16. tabernaculum & altare conſecrat, *ibid.* Synedrium 70 Seniorum inſtituit, 17. exploratores in terram Canaan mittit, ejus magiſtratus & Aaronis Sacerdotium confirmantur, ſeditioſis igne & terræ hiatu abſumptis, *ibid.* & 18. moritur, 22. per 30 dies eum deflent Iſraëlitæ, *ibid.*
Murena Murenæ prætoris Aſiæ filius, ad Amiſi obſidionem continuandam relinquitur à Lucullo, 393
Murena cum Ænobarbo navali prælio victores evadunt, 504
Muſicanus crucifixus ab Alexandro, 196
Q. Mucius Scævola proconſul in Aſiam miſſus, 365. benevolentiam æquitate ſuâ populo Romano conciliat, *ibid.*
Mylaſſenſes à Rhodiis acie vincuntur, 313

N

Nabopollaſarus in Saracum rebellat, & Chaldæorum ſeu Babyloniorum regnum obtinet, 63. moritur, 66
Nabuchodonoſor ſuperavit Arphaxadum prælio, 60
Nabuchadnezar regnat & Judæos ſubjugat, 64, 65. omnia à Nilo ad Euphratem cepit, 66. Hieroſolymam obſidet, 70. Ægypto potitur, 73. ſomniat, *ibid.* Babyloniam inſtaurat, *ibid.* mente alienatur, 74. ſanitati & regno reſtituitur, *ibid.* obiit, *ibid.*
Naharzanes ſe Alexandro tradit, 173
Nachor natus, 5. mortuus, *ibid.*
Nadab rex Iſrael, 35. occiditur à Baaſa ſucceſſore, *ibid.*
Nadius apud Babylonios regnat, 52
Nahumus quo tempore prophetarit, 47, 48
Naphta natura, 402
Naphtali natus, 9
Navigatio Alexandri, 195. & *ſeq.* naves ejus fractæ, *ibid.*
Navium apparatus in bello Actiaco, 535, 536
Neſtanebus Ægypti rex cum Ageſilao ſe jungit, 144. talenta 230 Ageſilao dedit, *ibid.* Ægyptum amiſit, & fugit, 147
Nehemias luget & jejunat, 105. ædificandæ Hieroſolymæ poteſtatem accepit, hoſtium conatus eludit: populum publicis oneribus ſublevat, 52 dierum ſpatio murum perficit, *ibid.* & 106. poſt 12 annos ad regem redit, & cum nova poteſtate Hieroſolymam revertitur, 108
Nepherens Ægypti rex Spartanos adjuvat, 131
Neptunus adoratus ab Alexandro, 198
Neptuno ſacrificatur, 344
Nerigliſſorus regnat Babyloniæ, 75
Nero impetrat ut Ilienſes omni publico munere ſolvantur, 633. Imperator declaratur, 635. Cæſennium Pætum ob res malè geſtas facetiis excipit, 641. Judæis favet, intercedente uxore ſuâ Poppæâ, 642. Romam incenſam proſpectat è turri, 643. ſævit in Chriſtianos, *ibid.* tranſiens in Græciam ad hyemem ingruentem ibi manet, 646. Veſpaſianum mittit in Judæam, 647. manus ſibi infert, 648
Nicanor fugatur à Juda Maccabæo, 317. Idem familiariter cum eo vivit, 327. delatus ob eam benevolentiam apud Regem Demetrium, Judæ inſidiatur, 328. ab eo ſe Judas ſubtrahit, *ibid.* Judæis minatur niſi tradant Judam, ſe domum Dei incenſurum, *ibid.* occiditur, & in fruſta dividitur, *ibid.*
Nicanor Argyraſpidum præfectus, 172. ejus geſta, 233
Nicæa Athenienſium exercitum perdidit, 11
Nicomedes nimiùm amatus à Bithynis Romam mittitur à Pruſia patre, 334. regnum patris affectat, 337. promptè excipitur ab Attalo, *ibid.* bellum patri infert, *ibid.*
Nicomedes Philopator moritur, 367. filius ejus Nicomedes, rex Bithyniæ fit à Senatu, *ibid.* pellitur à fratre Socrate, *ibid.* reductus in Bithyniam, hortatu Romanorum in Mithridatis regnum irrumpit, 367, 368. defunctus ſine liberis, populum Romanum hæredem reliquit, 385
Nicomedes Bithynius Comanorum Sacerdotium obtinet in Cappadocia à Cæſare, 475
Nicomedes, 252, 253
Nicopolis à Pompeio conditur, 415
Nicopolis appellatur urbs ab Octaviano condita, 546
Nili foſſæ deterguntur, 547
Ninive expugnatur, 62
Ninus Beli filius Aſſyriorum fundavit imperium, 25
Ninus junior regnum obtinuit, 49
Niſibis capitur à Lucullo, 406
Noachus natus, 4. miſſus ad prædicandum Mundo, *ibid.* mortuus, 5
Nudus copiis ſuis denudatur à Mithridate, 388
Numenius à regibus Ægypti Romani gratias actum pro beneficiis mittitur, 309
Numenius Antiochi filius, legatus Judæorum Romam proficiſcitur, 346
Numidius Quadratus animadvertit in Judæos, 621
Nyſſa ſoror Mithridatis capitur à Lucullo, 395

O

Obadias vaticinatur, 72
Obodas Nabatæorum Rex, 553
Ochus, ſeu *Darius Nothus* regno potitur, 111. *Ochus* Artaxerxis filius, fratrem Ariſamem occidit, 144. mortuo patre ſe regem declarat; in cognatos ſævit, *ibid.* Jerichuntem ſubigit, 147. Ægyptum ſubjecit, *ibid.* Mentorem Aſiaticæ oræ præfecit, 148. à Bagoa veneno ſublatus, 149
Octavia prægnans nubit Antonio, 509. arbitra inter virum

virum Antonium & Octavium fratrem, 516
Octavius, qui & *Octavianus* & *Auguſtus* naſcitur, 429. occiſo Cæſare hæreditatem ejus init, 483. Immanis frequentia ipſi Romam adventanti occurrit, 484. ſuperbè excipitur à Marco Antonio, *ibid.* ludos victoriæ Cæſaris edit, *ibid.* Exercitum parat, *ibid.* illi cum Antonio non convenit, 485. decem millia virorum contrahit, *ibid.* & 486. in Hetruriam proficiſcitur, 487. argentum dividit duabus ad ſe venientibus legionibus, 488. Decimo Bruto Mutinæ ab Antonio obſeſſo ſuccurrit, *ibid.* imperium extraordinarium accipit, 489. gratiorem ſibi exercitum quàm Senatum experitur, 491. Societatem init cum Lepido, & Antonio, 496. Augurium captanti vultures apparent, *ibid.* Conſul eligitur, *ibid.* poteſtatem agendi omnia quæ vellet, accipit à Senatu 497. quam retinet ad finem vitæ, per annos nimirum 56, *ibid.* C. Julii Cæſaris Octaviani nomen uſurpat, *ibid.* Aquila, ejus tentoria ſuperſedens duos corvos ad terram affligit, *ibid.* Brutum vincit, 504. divortium facit cum Claudia Fulviæ filia, 507. poſtremum fœdus init cum Antonio, 509. ovans Romam ingreditur, 524. Antonium acculat apud plebem, & conſules fugientes ad Antonium, à ſe miſſos dicit, 531. poſt Conſulum diſceſſum egit, & dixit quæ volebat, 532. teſtamentum Antonii à Virginibus Veſtalibus accipit, & evolvit, *ibid.* apparatus facit ad bellum contra Antonium maximos, 533. In Epirum proficiſcitur, 534. in bello Actiaco victor evadit, 537. mercedes & pœnas civitatibus, hominibuſque diſtribuit pro meritis ſingulorum, 538. Athenas navigat, *ibid.* exercitûs veteranos dimittit, 539. multa Romæ in honorem ejus decernuntur, *ibid.* cum tempeſtate bis conflictatur, 540. magnâ celeritate venit in Aſiam, *ibid.* legationi Antonianæ non reſpondet, *ibid.* impunitatem Cleopatræ promittit, ſi Antonium velit occidere *ibid.* Syriam petit, 541. Peluſium, prodente Cleopatrâ, capit, 542. Alexandriam ingreſſus orationem græcè habet, qua ſignificat, ſe Ægyptiis univerſis ignoſcere, 544. Antonii & Cleopatræ communes liberos liberaliter habet, *ibid.* Alexandri Magni conditorium & corpus veneratur, *ibid.* Apim non accedit, Deos ſe non boves adorare conſueviſſe perhibens, *ibid.* venit ad conſolandam Cleopatram, nec tamen ejus lenociniis inflammatur, *ibid.* & 545. morte Cleopatræ affligitur, omni ſe triumphi gloriâ ſpoliatum eſſe ratus, 545. ſuſpectos habens Ægyptios Senatori provinciam non commendat, 547. Ægypto præficit C. Cornelium Gallum, *ibid.* venit in Syriam, *ibid.* in Aſiam provinciam profectus, hyberna ibi agit, *ibid.* honores ei decernuntur, *ibid.* oſtendit ſe imperium ex victoria adeptum, 548. imperium abdicaturus, compellitur tandem multis argumentis ut ſolus obtineat, 549. provincias retinens quæ plus periculi habebant, tutiores Senatui permittit, *ibid.* hac ratione milites armat, & ad ſe transfert, *ibid.* Auguſtus dicitur, 550. omni legum neceſſitate ſententiâ Senatûs abſolvitur, 552. M. Agrippam & M. Marcellum diſſentientes, locis disjungit, 555. in Siciliam proficiſcitur, *ibid.* inde in Græciam tranſmittens Athenienſibus Æginam & Eretriam adimit, *ibid.* in Aſiam profectus Cyzicenis libertatem adimit, 556. idem facit cum Tyriis & Sidoniis, *ibid.* Romam reverſus Marti templum extruit ob ſigna à Parthis recuperata, 558. poſt primum imperii decennium principatum in aliud quinquennium prorogat, *ibid.* Cyzicenis libertatem reſtituit, 559. Pontificatum maximum ſuſcipit, 561. aliis libris fatidicis concrematis, ſolos retinet Sibyllinos, *ibid.* Tiberium in Agrippæ locum aſſumit, *ibid.* annum à Julio Cæſare ordinatum, ſed poſteà negligentiâ conturbatum, emendat, 563. Sextilem menſem Auguſtum vocat, *ibid.* quaſi invitus prorogat imperium, *ibid.* Æneæ ſive Aretæ & Herodi reconciliatur, 565. navale prælium exhibet, 573. Caii mortem graviſſimè fert, 576. Dominus appellari non ſuſtinet, 577. in quartum decennium quaſi coactus imperium ſuſcipit, *ibid.* (in quintum, 579.) Calendarium integritati ſuæ reſtituit, 577. ejus mors prædicitur, 580. Nolæ obiit. *ibid.*
Ogygium diluvium in Atticâ, 8
Olthacus Dardariorum Dynaſtes promittit Mithridati ſe Lucullum interfecturum, 393. humaniſſimè ab eo exceptus ſubducit ſe ex caſtris Luculli, *ibid.*
Olympiades incipiunt, 45
Olympias Caſſandro ſe tradit, 226. ab eo occiditur, 228
Omina victoriam Auguſti præſagientia, 536
Omphis Alexandro ſe dedit, 185
Omri regnat in Iſraële ſolus, 57. regni ſedem transfert in Samariam, *ibid.* moritur, *ibid.*
Oneſimus convertitur à S. Paulo, 644
Oneſiphorus S. Paulum invenit, & recreat, 641
Onias I. Pontifex factus eſt Judæorum, 211, 214
Onias II. Simonis Juſti filius, Pontificatum apud Judæos illiberaliter gerit, 260
Onias III. filius Simonis 2. Judæorum Pontifex maximus 270. ejus laus, *ibid.* Heliodorum monet, & ſanitati precibus reſtituit, 291
Onias ſe inſinuat in amicitiam Ptolemæi Philometoris, & Cleopatræ, 323. licentiam ab eis obtinet extruendi templum in Heliopolitica præfectura, *ibid.* *vide pag.* 336. bellum ſuſcipit in cauſa Cleopatræ, 340
Onias quidam vir juſtus propter ejus pias preces occiditur à populo Judæorum, 417
Ophellas occumbit, 237
Orobazus legatus Regis Parthorum auditur à Sylla, 367
Orobius exercitûs Romani dux, Athenienſes noctu trucidat, 371
Orodes Parthorum rex, 440. fratrem Mithridatem in conſpectu ſuo occidi jubet, 443. ad Craſſum legatos mittit, 446. ſollicitatur à Pompeianis, ut ipſis adſit in bello civili, 458. L. Hirtium, jure violato in vincula conjicit, 460. auditâ ſuorum clade in furorem vertitur, 514. occiditur à Phraate filio, 519
Orodes unus ex filiis Artabani, rex Armeniis imponitur, 581
Oreſes vincitur à Pompeio, 419
Oretes Perſa tyrannum agit, 84
Orontes Tiribaſum falsò criminatus per inſidias capit, & regi vinctum mittit, 138. multas urbes Artaxerxi, & pecunias prodidit, 143
Orophernes, aliàs Holophernes ſollicitat Demetrium Soterem contra Ariarathem, 331. pulſo Ariarathe fratre, regnum tyrannicè adminiſtrat, *ibid.* Ionicam & artificioſam intemperantiam introducit, *ibid.* Jovis templum ſpoliat ad perſolvenda Militibus ſtipendia, 332
Oroſius errat, 457
Orus rex Ægypti, 18
Otho ſuſcepti à Vitellio imperii neſcius Imperator à militibus creatur, 648. die imperii 90 interficitur, *ibid.*
Othoniel debellat Cuſhanem, 24
Ovidius annum ſuum natalitium ſic deſcribit, *Cùm ecciderit fato conſul uterque pari*, 492. relegatus in Ponum, 578. diem obit in exilio, 585

P

Pacorus, Orodis filius, bellum in provinciam Syriam infert, 452. Syriam subigit universam, 509. occiditur in bello, 514
Pallas Claudii libertus, 631
Palma ex Clearchi sepulchro crescunt, 135
Palmyreni ab Antonianis equitibus spoliandi, sua in ulteriorem ripam transferunt, 508
Pamphilia oppida præfecturæ suæ restituuntur, 552
Pamphilii legati coronam auream Romam afferunt, 304
Pamphilium Mare ab Alexandro trajectum absque miraculo, 154
Pannonica legiones tumultuantes Tiberio se submittunt defectione lunæ territæ, 380
Pansa Consul, ex vulnere in prælio cum M. Antonio accepto moritur, 492
Pantomimorum saltatio Romam introducitur, 555
Paphiorum familia quo modo interiit, 236
Pappus occiditur, 516
Parisippidas Spartæ exilio mulctatur, 117
Parmenio Damascum proditione capit, cum gaza regia & pellicibus regis, 157. ad occupandam classem Persicam mittitur, *ibid.*
Parthorum à Macedonibus defectio, 259. eorum legati pacem petunt à Romanis, 367. Parthi vincunt Romanos, Crassumque occidunt, à 446. usque ad 450. ad Cæcilii Bassi auxilium veniunt, 481. in Romanos insurgunt, 508. in fugam vertuntur à Romanis, 524. vincuntur à Rege Mediæ, 531.
Parthicum imperium quomodo ad suam magnitudinem pervenit, 345
Paryssatis Cyri mater, caput filii sepelit, ejusque mortem ulciscitur, 126. Statiram reginam veneno tollit, *ibid.* Babylonem relegatur, 127
Pascha primum à Jesu Christo celebratum, 588. secundum, 589. tertium, 591. quartum, in quo Pascha nostrum immolatus est, 598
Pastores vide *Hycsi*.
Paulus, Apostolatûs sui primo triennio apud Damascenos exacto, redit Hierosolymam, 615. Iconii cum Barnaba verbum prædicat, 625, 626. rapitur in tertium cœlum, 626. per visionem vocatur in Macedoniam, 633. necessaria vitæ subsidia recipit à Thessalonicensibus, 634. disputat Athenis cum Philosophis, *ibid.* venit Corinthum, *ibid.* Ephesum, 636. triennium conficit in Asia, 637. priorem ad Corinthios scribit epistolam, *ibid.* posteriorem ad eosdem, 638. Troade navigat in Macedoniam, *ibid.* inde proficiscitur in Græciam, *ibid.* scribit Epistolam ad Romanos, *ibid.* Troadem revertitur, *ibid.* venit Coum, *ibid.* per multas urbes festinat ad Hierosolymitanam, *ibid.* concionatur apud tumultuantem Hierosolymis populum, 639. Cæsarem appellat, 640. naufragium patitur, 641. Romam venit, *ibid.* scribit epistolam ad Philippenses, 644. ad Hebræos, *ibid.* in Asiam, expleto Romæ biennio navigare videtur, 645. prædicat Evangelium in Creta insula, *ibid.* priorem epistolam scribit ad Timotheum, *ibid.* scribit & ad Titum, *ibid.* Ephesum revertitur ad Timotheum, *ibid.* Romam veniens à Nerone absolvitur, *ibid.* 2am, ad Timotheum epistolam scribit, 646. Romæ martyrio vitam finit, 647. gladio jussu Neronis percutitur, *ibid.*
Pausanias multas græcas urbes servitute liberat, 100. Byzantium capit, captivosque Xerxi mittit, ejus insolentia, *ibid.* accusatur & dimittitur, *ibid.* fame necatur, 101
Pausistratus classem amisit, 280
Pax inter Judæos & Eupatorem inita statim rumpitur, 321
Pekaiah Menachemo patri succedit, 47
Pekah Remaliæ filius regnat, 47
Peke 120 millia Judæorum occidit, 50
Peloponnesiacum bellum inchoatur, 109
Peloponnesii Iasum urbem diripiunt, 113. naves Atticas ad Caunum superant, *ibid.* adversus Artyochum & Tissaphernem murmurant, 114. ab Atheniensibus navali prælio superantur, 120, 121
Perdicca lustrationem edicit, 213. ab Alexandro annulum accipit, 212. Ariarathem superat, 216. cum Philippo duas Pisidiæ urbes evertit, *ibid.* Niceam in uxorem ducit, eamque repudiat, *ibid.* Perdiccæ gesta, 216, 217, 218. trucidatur, 218
Pericles moritur, 109
Periodus Calippica quinta, 551. sexta, 630
Persarum Satrapæ Iones fugant, 90. Persæ bis Cares superant, tandemque insidiis superati sunt, *ibid.* Iones navali prælio superant & Miletum evertunt, *ibid.* & 91. Chium, Lesbum & Tenedum capiunt, 91. ab Atheniensibus victi, 92. bis sub Xerxe à Græcis, victi, 96, 97. à Pausania dissipati, 98. eorum ingens cædes, 99. ab Ægyptiis & Atheniensibus terrâ marique profligantur, 104, 105. Ægyptios & Græcos sub Megabyzo vincunt, 105. fœdus cum Atheniensibus ineunt, 107. Cypriis opem ferunt, 136. ingens eorum expeditio adversus Ægyptios in nihilum recidit, 140. Trecenta millia cæsa, 167. eorum Gazas Alexander nactus, *ibid.* illorum defectio, 259
Persecutio Neronis in Christianos sæviit in Hispania, 647
Persepolis diripitur, 169. incenditur, 170
Perseus Eumeni insidiatur, 297. Post colloquium cum Romanis habitum causam suam unus epistolæ formâ complectitur, 298. vincit Romanos, nec tamen victor pacem potuit à Licinio Consule impetrare, 299. cum Rhodiis agit de redemptione captivorum, *ibid.* à Licinio fugatus Pellam venit, *ibid.* Ipse & Gentius Illyriorum rex legatos Rhodum mittendos decernunt, 305. Antiochum monet ne ipsi desit vel conciliandâ pace, vel opem ferendo, *ibid.* eodem modo Eumenem quoque sollicitat, *ibid.* vincitur, 307. Amphipolim in Thracia cum 500 ferè Cretensibus pervenit, *ibid.* ad templum Castoris & Pollucis in Samothracia supplex confugit, *ibid.* Evandrum amicum interfici curat, 308. decipitur ab Oroande Cretensi, *ibid.* ad angulum templi se recipit, sese, filiúmque tradit Octavio, *ibid.*
Perusia ab Octaviano capitur, 508
Pestilentia magna Judæos affligit, 549
Pestis horrenda, 109
Petronius in Ægypti præfectura Cornelio Gallo succedit, 551. vincit Æthiopas, 554. Premnim urbem Æthiopicam capit, *ibid.* Candacem ad conditiones pacis cogit, 555. Syriæ præses fit à Caio, 618. Caio statuam parat, 619. laudatur à Caio, quòd proposuerat frangere gentis Judaicæ contumaciam, *ibid.* miserabili Judæorum supplicatione commotus statuam Caii dedicare differt, 620
Petrus Apostolus sanat Æneam, 616. & Tabitham, *ibid.* Ipse & Paulus de exitu ex hâc vitâ à Domino admonentur, 646. secundam scribit Epistolam, *ibid.* Romæ occiditur, 647
Pinceſtas Alexandri servator, 194. corporis custos factus vestem Medicam sumit, 201, 202. ejus gesta, 226, 227, 228
Phaleg natus 5. moritur, *ibid.*

Pharao Neco regnat in Ægypto, ejus fossa & navigatio, 63. pugnat cum Assyrio, *ibid.*
Pharasmanes Orodem vincit, 611
Phares natus, 10
Pharisæorum cum *Sadducæis* dissensio, 360. conjurationis convicti trucidantur ab Herode, 566
Pharnabazus Græcos palantes sternit, 133. Pharnabazi castra direpta à Græcis, *ibid.* Cum Agesilao amicitiam init, 134. Abydenorum agros vastat, 835
Pharnabazus vincitur à P. Canidio Crasso, 519
Pharnaces Romanos aspernatur, 289. Legatos mittit, 290. fidem fallit, *ibid.* de pace agit, *ibid.*
Pharnaces nascitur Mithridati Eupatori, 364. patris sui cadaver mittit ad Pompeium, 430. sociis populi Romani adscribitur, *ibid.*
Pharnaces, orto inter Romanos civili bello, ab eis deficit, 459. Pontum occupat, 474. Armeniæ minori imminet, *ibid.* legatos ad Cæsarem mittit, 475. Jubetur à Cæsare ut Ponto decedat, 476. vincitur à Cæsare, *ibid.* & 477. Sinopen refugit, 477. Domitio Calvino Sinopen tradit, *ibid.* ab Asiandro interficitur, 478
Pharos extructa, 248
Phasaelus dux Hierosolymis constituitur à patre Antipatro, 475. nascitur ipsi filius Phasaelus, *ibid.* Hierosolymitanorum gratiam conciliat, 478. cum Hyrcano expostulat, 499. vitam sibi abrumpit, 511
Phasaelis Pamphyliæ condita, 59
Pheroras Tetrarchiam à Cæsare rogatione fratris Herodis obtinet, 556. in amorem ancillæ suæ insanum incidit, 562. ablegatur ab Herode in ipsius Tetrarchiam, 566. moritur, 567
Philadelphi Ptolemæi laus, 253
Philadelphienses unde annos dinumerant, 430
Philetærus primus Pergamenorum rex, 149
Philippus Perinthum obsidet, 149. Belli contra Persas imperator factus, 150. tres duces in Asiam præmittit, *ibid.* occiditur, *ibid.*
Philippus Aridæus Alexandro succedit, 212. ejus anni ab excessu Alexandri numerantur, *ibid.* occiditur, 226
Pugnat *Philippus* rex Macedoniæ, 269, 272. pacem facit, 274. debellatur, 275
Philippus Nicanorem mittit ut universum Judæorum nomen penitùs tollat, 316. expeditionem parat contra Lysiam, 323. ab Eupatore interimitur, 324
Philippus Euergetes cohibitus à Gabinio regnum Ægypti non capescit, 437, 438
Philippus Herodis filius partem ditionis paternæ accipit ab Augusto, 572
Philippus Tetrarcha diem obit, 609
Philippus Evangelista baptisat Eunuchum, 610
Philistæorum aræ à Juda Maccabæo evertuntur, 322
Philo Judæus legationis Judæorum princeps, 619. Ejectus à Caio suos consolatur spe divinæ consolationis, 621
Philometor ignaviâ suâ regnum amittit, 303. regno spoliatus Romam proficiscitur, 324. comiter excipitur à Senatu, *ibid.*
Philopæmen gubernat Attalum regem, 347
Phocæenses Massiliam condunt, 67. in Chium trajiciunt, & Carthaginienses navali prælio superant, 78
Phœnices, quæ loca subegerunt, 91. à Persis deficiunt, 146
Phœnix & *Cadmus* apud Tyrum & Sydonem regnarunt, 19
Phœnix transfugit ad Lucullum, 393
Phœnix avis in Ægyptum venit, 609
Phraates Demetrium Nicatorem in Syriam mittit, 353. ab exercitu Græcorum à se deficiente occiditur, 355
Phraates secundus, Rex Parthorum, 411. Legatos ad Pompeium mittit, 420. indignè fert quòd Rex Regum à Pompeio in literis non appellatur, *ibid.*
Phraates tertius, Rex Parthorum ab Orode patre constituitur, 519. fratres ex Antiochi filia natos & Orodem ipsum occidit, *ibid.* adultum filium interfici jubet, *ibid.* In exilium à populo suo pellitur, 534. Cum Tiridate contendens petit (ut & adversarius) auxilium à Cæsare, 541, 554. Legatos mittit ad Cæsarem, 547. Signa Romana Augusto remittit, 557. Armeniæ manum adjicit, 573. Audito bellico Caii apparatu ad Augustum mittit, 574. in gratiam cum Augusto redit, 575
Phraates regis Phraatis tertius filius, Parthorum rex factus moritur, 611
Phraortes Dejoci succedit, 61. cum exercitu periit, *ibid.*
Phrygia à Romanis recepta, 353. Phrygia major Mithridati Eupatori conceditur, 354
Pinarius Scarpus deficit ab Antonio, 538
Piratæ vagantur per Asiam, 378. multi etiam insulas provinciásque vastant, 405. sacrilegia perpetrant, *ibid.* Romanis illudunt, *ibid.* & 406. brevi temporis spatio à Pompeio profligantur, 410
Pisander occisus, 334
Piso Consul creatur, 432. vide *Cneius.*
Pittacus & ejus gesta, 70
Plancina uxor Pisonis contumelias jactat in Agrippinam, & Germanicum, 581
Planeus amoto C. Sosio, Syriæ præficitur ab Antonio, 519
Planetarum magna conjunctio, 564
Plato moritur, ejusdemque furta ex Mosaicis libris, 148
Plutarchi naufragium, 242
Polemo Rex Ponti inter socios, ac fœderatos populi Romani adscribitur, 551. illi restituunt Bosphorani, 560. Paternum Ponti regnum accipit à Caligula, 616
Polemoni datur Armenia minor ab Antonio, 531
Pollio Phariæus urbem Hierosolymitanam tradendam suadet, 527
Polyæenus à Ptolemæo ad Rhodios remittitur, 309. idem Phaselidem appulsus, ad communem urbis larem confugit, *ibid.* posteà Caunum petit, *ibid.* tandem Romam perducitur, 318
Polybius historicus Demetrium hortatur ad fugam, 325. patriæ vastatione afficitur, 339
Polyclitus gesta, 231
Polycrates cruci affixus ab Oræte, 83
Polydamas victor in Pancratio, 117
Polysperchon Cassandrum in crimen vocat, 236 dux constituitur ab Antipatro, 222. ad Eumenem scribit, 223
Polyxenidas victus, 283
Pompeii sive Pomponii captivi Romani magnanimitas, 397
Pompeius (*Cneius*) Magnus. Causa simultatis inter eum & Lucullum, 383. Pompeio, cum plenâ potestate adversùs piratas, committitur ad triennium curatio infinita totius oræ maritimæ, quâ Romanum erat Imperium, 407. bellum illud brevissimo tempore absolvit, 408, 410. Prædonibus agros à mari remotos concedit ne artem piraticam rursùs exercerent, 410. ei demandatur bellum contra Mithridatem & Tigranem, 412. fœdus init cum Rege Parthorum, *ibid.* ejus cum Lucullo jurgia, *ibid.* Bellum gerit adversùs Mithridatem, 413. quem vincit, 415. Pompeius condit Nicopolim, *ibid.* Pompeio Tigranes se regnúmque suum permittit, & ab illo restituitur, 416. Pompeii in Oriente victoriæ de Albanis & Iberis, *ibid.* &c. Regibus non paucis jus dicit,

& de iis ſtatuit, 420. Cœleſyriam & Phœniciam conſtituit, *ibid.* quæ Mithridatis erant pretioſiſſima occupat, 421. Judæorum res componit, 421, 422. Arabes domat & Syriam in formam provinciæ redigit, 422. ut & Pontum, 424. Obſidet Hieroſolyma, 426. quibus captis Templum ingreditur, nihilque in eo attingit, 427. Judæos facit Romanis tributarios, 428. corpus Mithridatis ſibi à Pharnace traditum ſepulchro mandari curat, 430. ex Aſia iter in Italiam inſtituit, 431. moderationem ſuam teſtatur exercitum dimittens, 432. triplicem ducit triumphum ex Africâ, ex Europâ, ex Aſiâ, 433. ut acta ſua rata eſſent J. Cæſari ſeſe adjungit, 454. quo annitente confirmantur, 435. Pompeio poteſtas rei frumentariæ tribuitur per totum Imp. Rom. 438. ei ad quinquennium provincia decernitur Hiſpania atque Africa, 442. theatrum ſuum dedicat, 443. initium belli civilis inter eum & Cæſarem, 457. Italiam Cæſari relinquit & in Epirum abit, *ibid.* totius Orientis vires ſibi adjungit, 457, 458. à Cæſare, Pharſalico prælio ſuperatur, 460. fugiens navigium conſcendit, 461. in Ægyptum abit, 463. juſſu Ptolemæi trucidatur, 464. corporis ejus reliquiæ crematæ & tumulatæ, 465, 466.

Cneius Pompeius, Magni filius, à Julio Cæſare victus in Hiſpaniâ interficitur, 480

Pompeius (Sextus) Magni filius Siciliam occupat, 509. Cæſar Auguſtus eum bello aggreditur, 516. a Cæſare Octaviano & Lepido vincitur, 520. fugit, *ibid.* fanum Junonis ſpoliat, *ibid.* libentiſſimè recipitur à Lesbiis, 522. in Lesbo commoratur, *ibid.* bellum in Aſia molitur, 525. Legati ejus ad Parthos à ducibus Antonianis comprehenduntur, 526. Lampſacum per proditionem occupat, *ibid.* Furnium vincit, *ibid.* magnam pecuniam colligit, 527. Naves incendit, *ibid.* ejus aliquot amici tranſeunt ad Antonium, *ibid.* petit Armeniam, *ibid.* Amyntæ ſe dedit, *ibid.* interficitur à Titio non obſervante litterarum Antonianarum ordinem, 528

Pontius Pilatus Valerio Grato in præfectura Judææ ſuccedit, 586. Innocentiſſimum Jeſum voluntati Judæorum permittit, 602. Romam proficiſci jubetur à Vitellio Syriæ præſide, reſponſurus ad objecta Judæorum, 613. propriâ ſe manu interficit, 618

Popillius Rhodios objurgat, 307, 308. Antiochum virgâ circumſcripſit, 309

Poppæa Neronem maritum ſuum conviciis inceſſens, ictu calcis ejus occiditur, 645

Porcius Feſtus Felici in provincia ſuccedit, 640. latronum plurimos interficit, *ibid.* Impoſtorem Magum cum ſequacibus per milites opprimit, 642

Portenta ante debellatum Antonium, 542

Porus ab Alexandro captus, & reſtitutus, 187. Multis urbibus ab Alexandro donatur, 188

Poſidonius Philoſophus, 384. ſtudioſè viſitur à Pompeio, 431

Poſidonii Apameenſis Sphæra, 450

Potbinus Eunuchus novi & difficilis in Ægypto belli auctor exiſtit, 468. interficitur à Cæſare, 470

Priapatius Parthorum rex tertius ab Ariace, 292

Priennenſes ab Ariarate vexantur, 332

Proculeius à Cæſare mittitur ut vivam, ſi fieri poſſit, in poteſtatem redigat Cleopatram, 543. gladium quo ſeipſam erat tranſfixura, decuſſit, *ibid.*

Prodigia quæ Mithridati apparuerunt, 371. prodigia ſub initium belli Judaici, 645

Promachus quatuor vini congios haurit in certamine bibendi, 203

Propratores in octo provincias mittuntur, 454

Protagoras ſe Perſis ſubjicit, 147

Pruſias ſocietatem cum Romanis init, 281. cum Eumene bellum gerit, 288. vincitur & vincit, *ibid.* legatos ad Romanos mittit de pace cum Perſeo ſancienda, 304. cum filio Nicomede Romam venit, 313. mittit Pythonem legatum Romam, qui Eumenem accuſaret, 315

Pruſias Venatoris Bithyniæ regis cum Attalo inimicitiæ, 332. victo Attalo Pergamum ingreditur, *ibid.* templa vaſtat, *ibid.* Æſculapii ſimulachrum, cui pridie libaverat, ſuis humeris impoſitum abripit, *ibid.* Attalum cum Romanorum legatis intra Pergamum compulſum oppugnat, 333. ejus cum Attalo bellum auctoritate Romanorum terminatur, *ibid.* Nicomedem filium Romam mittit, 334. jubet Menam legatum, ni impetraret, quæ vellet à Romanis Nicomedem filium interficere, 337. metuens ſibi à filio in arcem Nicææ ſe includit, *ibid.* fruſtrà legatos Romam mittit, *ibid.* occiditur Nicomediæ; an à filio, an ab aliis hortatu filii, non convenit, *ibid.*

Pſammenito regnante pluit in Ægypto, 81. Pſammenitus captus, deinde epoto cruore taurino mortuus, 82. ejus filius à Cambyſe trucidatur, *ibid.*

Pſammis Neconi ſuccedit, 67. moritur, 69

Pſammitichus Neconis filius ſolus in Ægypto regnat, 59, 60. Expeditionem in Syriam ſuſcipit, *ibid.* ab eo deficiunt 200000 Ægyptii, & in Æthiopiam ſedes ſibi vindicant, *ibid.* Scythas Ægyptum invadentes donis placat, 62. moritur, 63

Pſammitichus Tamum, & filios occidit, 117

Ptolemaïdis obſidio metu Ptolemæi ſolvitur, 361

Ptolemæus Lagi, quomodo ſanatus, 196. Ægyptum ſibi devincit, 214. Alexandri corpus ſepelivit, 216. ejus in Macedones benevolentia, 218. capit Hieroſolymam, 221. Antigonum criminatur, 236. ejus geſta, 231, 232, 233, 234, 236, 237, 238, 240. moritur, 248

Ptolemæus Soter, 245

Ptolemæus Philadelphus, 247, 248. ejus Bibliotheca, 253. dona Eleazaro miſſa, 254. & Romanis, 257. moritur, 259

Ptolemæus Ceraunus geſta, 251. occiditur, 252

Ptolemæus Euergetes, 259, 260, 262. moritur, 262

Ptolemæus Philopator, 262, 263, 267. moritur, 270

Ptolemæus Epiphanes, 269. ejus mores, mors & liberi, 290

Ptolemæus puer, 270. Legati ejus Romam, 273. de ejus morte falſus rumor, 276

Ptolemæus Philometor pacem cum Cleopatra ſorore, & Euergete fratre confirmat, 305. inter ſe fratres diſſentiunt, 324. reconciliantur à Romanis, *ibid.* rursùs litigant, 325

Ptolemæus Macron hauſto veneno vitam finit, 319

Ptolemæus junior ſuaſu legatorum Romanorum militem conductitium dimittit, 326. ad Cyrenen à ſe deficientem feſtinat, 327. vincitur, 328. Romanorum favore ſublevatus de occupanda Cypro cogitat, 329. à fratre Philometore in bello ſuperatur, 332. humaniſſimas conditiones à fratre victus invenit, *ibid.* apud Romanos fratrem accuſat, 333

Ptol. Philometor. Alexandro Balæ inſidiatur, 339. benignè excipit Jonathanem, 340. filiam aufert ab Alexandro & dat in matrimonium Demetrio Soteri, *ibid.* duo diademata aſſumit, *ibid.* vulneratus moritur inter manus medicorum, *ibid.*

Ptolemæus Euergetes II. (qui & *Phyſcon*) conatibus Cleopatræ, reſiſtit, 340. Cleopatram ſibi nubere cogit, *ibid.* cujus filium eodem nuptiarum die inter amplexus matris interficit, 341. ejus tyrannis, *ibid.* Cyrenæos quoſdam interfici jubet, quòd ob Irenen pellicem eum objurgaſſent, 342. Cleopatram repudiat, 348. filiam ejus priùs ſtupratam in

matri-

matrimoniam adſciſcit, *ibid.* clam in Cyprum profugit, 354. filium maximum interficit, 355. filium quoque Memphitim, quem ex Cleopatra ſuſceperat, occidi jubet, matrique inter epulas offerri, *ibid.* novum regem Syris, id petentibus, loco Demetrii commendat, 356. moritur, 358. unde dictus fuerit *Philologus*, 303
Ptolemæus Abubi filius per fraudem Simonem trucidat, 349
Ptolemæus Lathurus poſt occiſa minimùm 30 millia Judæorum ſævit in mulieres & pueros, 362. ejicitur ex Ægypto, *ibid.* è Cypro revocatus Ægyptum recipit, 369. bellum Thebaïs infert, 379. eos graviter mulctat, 381. moritur, *ibid.*
Ptolemæus Cyrenarum rex mortuus hæredem populum Romanum reliquit, 364
Ptolemæus rex Cypri hauſto veneno vitam finit, 436
Ptolemæus Auletes Rhodi convenit Catonem, 436. Romam venit, 437. legatos Alexandrinos partim occidit, partim pecuniâ corrumpit, quò minùs cauſam Romæ contra ſe agant, 438. Ephetum proficiſcitur, 439. in regnum reſtituitur à Gabinio, 442. filiam ſuam Berenicem occidit, 443. moritur, 451
Ptolemæus puer, Cleopatram ſororem ſuam ſimul & conjugem regno expellit, 459. fugatus à Cæſarianis demerſo navigio perit, 473
Ptolemæus junior, à ſorore & conjuge Cleopatra veneno tollitur, 488
Ptolemæus præpoſitus Herodis necatur, 514
Ptolemais, Urbs Syriæ, olim dicta Ace, 140
Publius Scipio non niſi rogatus Alexandriæ civibus ſe ſpectandum præbet, 348. ejus, comitúmque continentia, *ibid.* cum ſociis legatis Romam revertitur, 350
Publ. Rupilius bellum ſervile in Sicilia conficit, 351
Publ. Rutilius Rufus falsò accuſatur, 365. elegantem defenſionem repudiat, *ibid.* injuſtè damnatur, nulloque cogente in exilium abit, *ibid.* felicior ſit exilio ſuo, *ibid.* ſoccos & pallium aſſumendo, lanienam per Satrapas Aſiæ factam vitat, 370
Publ. Rutilius M. Cottæ legatus cum plurima exercitûs ipſius parte occiditur, 388
Publ. Servilius Proconſul Ciliciam ſubigit, 383. Iſauros domat. 384. triumphat, 387
Publ. Clodius accuſatus, pecuniâ abſolvitur, 432. legationem ipſi deſignatam contemnit, 435. legem fert de regno Cypri à Ptolemæo regis Alexandrini fratre, auferendo, 436. Tigranem dimittit liberum, *ibid.* Catonis adminiſtrationem calumniis impetit, 440
Publ. Cornelius Spinther proconſul Ciliciæ imperator ſalutatur, 446. Romæ triumphat, 454
Publ. Cornelius Dolabella majeſtatis & ambitûs accuſatus, utriuſque criminis abſolvitur, 455. Cæſarem occiſum conviciis proſcindit, 483. Conſul Syriam provinciam obtinet, & curam belli Parthici, *ibid.*
Publ. Lentulus ægrè recipitur à Rhodiis, 494
Publ. Ventidius Baſſus Conſul fit, 498. fugat Labienum, 511. Paleſtinam recipit, 512. per Chaunæum Pacorum decipit, 513. Parthos vincit, 514. circumlato per Syriam Pacori capite, eam facilè pacat, *ibid.* Antiochum Commagenum ad pacem petendam compellit, 515. triumphat. 516
Publ. Canidius ſupplicio afficitur ab Octaviano, 544
Publ. Silva, Baſſo in adminiſtratione Judææ ſuccedens Maſſadam capit, 651
Purim, Epiſtola ita dicta de die per ſortes ab Hamane delecto, in Ægyptum affertur, & in Græcam linguam vertitur, 291
Pylades mimus, Româ ejectus, ab Auguſto reducitur, 559
Pyrrhi geſta, 244, 251, 256, 257, 258
Pyſſuthnes Satrapa à Dario Notho defecit, 111
Pythagoras in Ægypto 22 moratur annos, 77. Babylone cum Magis verſatur, 82

Q

Quintilis menſis, *Julius* appellatur in honorem Julii Cæſaris, 481
Quinquennium alterum ſibi prorogant in poteſtate ſua, Antonius & Octavius, 516
Quintilius Varus Sephorim capit, 572. rebus in Judæa compoſitis revertitur Antiochiam, *ibid.*
Quintus Cæcilius Baſſus ad deditionem Apameæ ægrè compellitur, 490
Q. Dellius hiſtoricus relicto Antonio tranſit ad Cæſarem, 535
Q. Marcius Rex, proconſul in Aſiam mittitur, 409
Q. Pedius tertium triumphum ex Hiſpania ducit, 481. legem Pediam fert, qua omnibus Cæſaris percuſſoribus damnatis, aquâ & igni interdicitur, 497
Q. Oppius Pamphiliæ proconſul venit in manus Mithridatis, 369
Q. Ovinius occiditur ab Octaviano, 544
Q. Poſthumius Senator Antonii juſſu occiditur, 535
Q. Servæus Commagenis præponitur, 582
Q. Tullius Cicero prætor Aſiam ſortitur, 432. ſumptu remigum & claſſis parandæ civitates Aſiæ liberat, *ibid.* tertius annus additur ejus præturæ, 435. ex provincia decedit, *ibid.*
Quirinius Lepidam ducit uxorem, 575. fit Syriæ præſes, 578

R

Rabirius Poſtumus Alexandriæ agit ut à Ptolemæo nummos ipſi concreditos recuperet, 443. majeſtatis crimen ſubiens defenditur à Cicerone, 446
Rachel Nubit Jacobo, 9. moritur, 10
Ragau natus, 5. mortuus, *ibid.*
Rameſſes regnat, 12
Rameſſes Miamum, 12. hic rex novus oppreſſit Iſraëlitas, *ibid.* edictum ejus de ſubmergendis Hebræorum pueris, *ibid.* moritur, *ibid.*
Rathotis in Ægypto regnat, 12
Rebecca gemellos concipit, 8
Rechabita relictis tentoriis Hieroſolymam migrant, 65
Regnum Macedonicum cœptum, 44
Reges ſe vocant Alexandri ſucceſſores, 239
Roboboam naſcitur, 32. Rex factus decem Tribus à ſe alienat, 33. deficit à Deo, 34. ſpoliatus à Seſak rege Ægypti, 35
Rhadamiſtus primores Armeniorum ad res novas illicit, 630. Mithridatem ſoceruſque conjugem necat, *ibid.* ſuam ipſius uxorem Zenobiam, ne ab hoſtibus caperetur, vulneratam flumini tradit, *ibid.*
Rhazis, corpus, animúmque exponit pro Judaiſmo, 320. pater Judæorum appellatur, *ibid.* & 328. profert inteſtina, eaque projiciens in turbas vitâ defungitur, 328
Rheomithres deſectorum duces Regi prodit, 144
Rhoſcuporis Thraciæ rex interficitur, 583
Rhodiorum pax cum Demetrio, 240. Ptolemæum Deum faciunt, *ibid.* bellum parant, 265, 275. Rhodiorum claſſis, 281. legatio, 292. rogantur à Perſeo ut in bello cum Romanis, quid geratur velut è ſpecula proſpiciant, 298. eorum legati comiter à Q. Marcio Conſule & Caio claſſis præfecto accipiuntur, 302. Similiter etiam à Senatu, *ibid.* arrogans ad Romanos eorum legatio, 304. benignum reſponſum Perſeo & Gentio dandum decernunt, 306. orant Popillium ut ad ſe divertat, 307. decretum faciunt, ut qui Perſeo

verbis aut factis faviſſent, capitis condemnarentur, 308. Eorum legatio ad Romanos contemnitur, *ibid.* & 312. incertum eis reſponſum datum eſt, 312. ſocietas eis negatur, 313. Jus ſuum antiquum in Lyciam, & Cariam à Romanis petunt, 325. Italos qui evaſerunt in Aſiâ ſtragem à Mithridate factam recipiunt, 370. fœdus renovant cum Romanis, 450. cùm ab eis auxilia peteret Caſſius contra Dolabellam, negant ſe opem laturos ad bella civilia, 495. Caſſianâ claſſe vincuntur ad Myndum, 502. libertate privantur à Clodio, eo quòd Romanos in crucem ſuſtuliſſent, 624. iterùm eâ donantur, 633

Rhymetalces Cotyis ditionem recipit à Caligula, 616

Roma condi cœpta, 48. Romanorum legatio ad Philippum, 272. ad Antiochum, 274. Romani Græciam liberant, 275. & ſeq. legatio ad Carthaginienſes, 277. Roma dea facta, *ibid.* Rom. legati ad Antiochum & Eumenem, 278. Epheſum eunt, *ibid.* Romana claſſis, 281. Romani vincunt Antiochum, 282, 283. Romanorum cum Antiocho fœdus, 284. Romani vincunt Galatas, 285. his leges dant, 287. obſides Antiochi permutant, 291

Romani legatos ad Reges ſocios mittunt, 297. eorum contra Perſeum bellum paratum omnium oculos ad ſe convertit, 298. legatos mittunt ad Pruſiam, 332. qui ejus pertinaciâ irritati, ſocietati ejus renunciarunt, 333. honorificè excipiunt legatos à Simone miſſos, 343. de ſimulato impio teſtamento accuſantur, 351. eorum 80 millia uno die occiſa juſſu Mithridatis per Satrapas Aſiæ, 370. ægrè ferunt Antonium, Artabazem, Alexandriæ in triumpho duxiſſe, 530

Roxane filium peperit, 213

Roxane ſoror Mithridatis veneno perit, 395

Ruben naſcitur, 9

Rufino, exoleto ſuo, Cæſar trium legionum curam demandat, 482

S

Sabacon Bocchorim vivum cremavit, 52

Sabbas morti addicitur, 336

Sabbati religione pugnare prohibiti Judæi, in ſpelunca concremantur, 311. Sabbati obſervatio Judæos à defenſione templi abſtrahit, 419

Sabinus Cæſaris procurator violentas pecuniæ regiæ ſcrutationes in Judæa facit, 570

Sacerdotes mundant Sanctuarium, 318. in ipſo libandi miniſterio mactantur, 427

Sacra Hieroſolymis peraguntur, etiam cùm Pompeius templum oppugnaret, 427

Sacrilegium Antiochi punitur, 319, 391. Caſſius ejus reus, 502. & Sextus Pompeius, 520

Saddocus rerum turbator apud Judæos, 578

Sadyattes Lydiæ rex, 62. Mileſios invadit, 63

Salah natus, 5. moritur, 7

Salmanaſſar Nino ſuccedit, 52. Salmanaſſar agrum Moabitarum occupat & Samariam obſedit, 54. capit & deportat Iſraelitas in ditionem ſuam, *ibid.* Phœniciam totam invaſit & à Tyriis rejectus, 55. mortuus, *ibid.*

Salome Joſephi uxor maritum criminatur apud Herodem, 529. libellum repudii contra Judæorum morem Coſtobaro viro ſuo mittit, 550

Salomon natus, 31. Adoniam occidi jubet, & Abiatharum à Sacerdotio amovet, 32. filiam regis Ægypti in uxorem ducit, templi fundamenta jecit, Gibeone mille Holocauſta obtulit, ejus juſſu Simei occiditur, templi ſtructuram abſolvit, 32, 33. ſuæ verò regiæ, 33. obiit, *ibid.*

Samaria ab Hircano ſolo æquatur, 359

Samaritani, Judæos ſe negantes, origine Sidonios fuiſſe profitentur præ metu perſecutionis, 309. rogant ut templum Gariſitanum Διὸς Ἑλληνίου nomine appelletur, *ibid.* ſeducti per impoſtorem mulctantur à Pilato, 613

Samaritæ Alexandrum invitant, 161. Andromachum vivum cremant, Samaria capta, 163

Samgar Iſraelem judicat, 25. ſtimulo bovis occidit Philiſtæos, *ibid.*

Samii ab Athenienſibus deficiunt, & ſuperantur, 108. ſe dedunt, *ibid.*

Samſon natus, 27. die ſponſalium leonem occidit, *ibid.* Philiſtæorum ſegetes comburit, *ibid.* mille Philiſtæorum maxillâ aſini proſtravit, *ibid.* Dagonis ædem dejecit, *ibid.* ejuſque ruinis obrutus eſt, *ibid.*

Samuel judicat Iſraelem, 28. ungit Saulem in regem, *ibid.*

Sanballat ad Alexandrum deficit, 158

Sangala ſolo æquata, 189

Saoſduchinus Aſſyriis imperat, 60

Saracus vide *Chyniladanus.*

Sarai nata eſt, 5. viro ſuo tradidit ancillam Hagar, mortua, 6

Sardanapalus regnat, 47. ſe & regiam incendio abſumpſit, 48

Sardiani aſperrimâ lue infeſtantur, 581

Sarpedon à Tryphonis exercitu ſuperatur, 344

Satibarzanes & *Barzoentes* Darium occidunt, 172. Satibarzanes ad Bellum fugit, 174. occiditur, 176

Satyri in filios fratris amor, 145. Satyrus moritur, 149

Satyrus Rhodiorum apud Romanos legationis princeps in Eumenem invehitur, 297

Saturninus ſeditionem concitans interimitur, 364

Saul rex inauguratus Gilgale, 28. Pythoniſſam conſulit, & brevi pòſt cum filiis in bello occiſis ſeipſum per armigerum interemit, 29. ejus duo filii & quinque nepotes ſuſpenduntur, 31

Scauro regenda relinquitur à Pompeio Judæa, 429. Arabiam ingreditur, conditioneſque facit cum Areta rege, 432

L. Scipio Aſiaticus, Antiochum Magnum vincit, 283. triumphat, 285

Scipio Hannibalem vincit, 272. in Aſiam it legatus, 280. Ilium inviſit, 282. triumphat, 285

Scipionis carmina cùm Carthago diruta eſſet, 339

Scipio Pompeii ſocer mittitur in Syriam, 457

Scopas dux, 273. vincitur, 274. necatur, 276

Scribonia mater Juliæ, Cæſaris Auguſti uxor ab eo repudiatur, 574

Scribonius Dynamin Aſandri viduam, uxorem ducens Boſphorum occupat, 560. necatur à Boſphoranis, *ibid.*

Scythæ Aſiam invadunt, 62. à Cyaxare per dolum trucidantur, 65. in Ægyptum contendunt, *ibid.* ſervos flagellis fugant, 66. ad Alexandrum dona mittunt, 180. eorum legati ad Cæſarem veniunt, 552

Scythopolitæ Judæis benevoli, 322

Secundianus Xerxi ſuccedit, Bagoaſum eunuchum occidit, 111. à fratre Ocho occiditur, *ibid.*

Sedekias natus, 63. regnat, 68. a Jeremiah admonetur, *ibid.* rebellat, 69. capitur, occæcatur & in Babylonem vinctus deportatur, 71

Sejanus, vide *Ælius.*

Selene nuptura hoſti prioris mariti à Cleopatrâ Grypo mittitur, 363

Selene regina aliàs Cleopatrâ, Syros ut Tigranem excludant, ſollicitat, 396

Seleucia libertate donatur, 422

Seleuci geſta, 230. & ſeq. Seleucus rex factus, 239. ejus geſta, 240. & ſeq. occiditur, 251. *Seleucus Ceran-*

nus, 262. Seleuci ciadis naufragium, 260. *Seleucus Callinicus*, 259, 262
Seleucidarum Æra, ejus initium, 235
Seleuci Antiochi filii gesta, 279. & seq. dictus *Philopator*, 287
Seleucus insidiis Heliodori occiditur, 295
Seleucus Demetrii Nicatoris filius regnat in Syria, 357. à Cleopatra matre sua, sagittâ interimitur, *ibid.*
Seleucus Antiochi Grypi filius Antiocho Cyziceno bellum infert, 365. vincit Cyzicenum, *ibid.* victus ab Antiocho Pio, pellitur è Syria, 366. interficitur, *ibid.*
Seleucus archipiratæ Italos navali prælio vincit, 398
Seleucus quidam Berenices Ægyptiorum reginæ maritus, ob sordes ejus & illiberalitatem, ab eâ strangulatur, 441
Semiramis Nini uxor Assiæ imperat, 26. à filio Nino occiditur, *ibid.*
Semus natus, 4. mortuus, 8
Senacherib regnat, à quo gestum fuit bellum Ægyptiacum triennio, 55, 56. regnum Judæ invadit. Hierosolymam obsedit, 56. invadit Ægyptum, *ibid.* Lachisum obtidet, 57. Rabsaken Hierosolymam mittit, qui re infectâ reversus est: exercitu Assyriorum ab Angelo percusso, *ibid.* Senacherib occisus, *ibid.*
Senatûs decretum, 283
Septuaginta Interpretes, 253, 255. eorum cellulæ, 255
Sergius Paulus ad fidem convertitur, 625
Seron & exercitus ejus à Juda Maccabæo conteruntur, 316
Serpentes Indici, 188
Serug natus, 5. mortuus, *ibid.*
Servilius Rullus legem Agrariam promulgat, 424
Sesak in Ægypto regnat, 33
Sesami succi usus, 176
Sethus mortuus, 4
Sevechus Æthiops in Ægypto regnat, 54
Sextilius vincit Mithrobarzanem, 401. multos Arabas opprimit, *ibid.*
Sextilius Rufus cum jure prætorio mittitur in Cyprum, 457
Sextius post Ciceronem, provinciam Syriam obtinet, 457
Sextus Cæsar Syriæ præficitur à Julio, 475
Sextus Pompeius vide *Pompeius*.
Shallum regnat uno mense, & occiditur, 46
Sheera Ephraimi filia urbem non unam ædificat, 24
Sibylla Carmina Romam deportantur, 385. ejus liber notioni Quindecim virûm subjicitur, 593
Sibyllini libri oraculum de Ægypti rege, 438. à Pontificibus describendi, 558
Sidonii proditi Persis, seipsos comburunt, 147. Tyriorum 15 millia in navibus suis occultant, 160
Sicarii Hierosolymis audaciores evadunt, 642. Sicarii Alexandriæ Judæos ad defectionem sollicitantes, à plebe Romanis traduntur, 651
Sichemus Dinam rapit, & à fratribus Dinæ interficitur, 20
C. Silanus repetundarum postulatur, 585
Silas magister militiæ Agrippæ regis, fit ei infensus, 622
Simeon natus, 9
Simia Indicæ Alexandrum fallunt, 188
Simon II. Judæorum Pontifex Maximus, 261
Simon Benjaminita patriæ proditor, 292
Simon profectus in Galilæam, cum gentibus prælia feliciter committit, 320. Joppen occupat, 342. dux eligitur loco Jonathanis fratris, 343. monumentum erigit super sepulchrum patris & fratrum, *ibid.* instaurat munitiones Judææ, 344. coronam auream mittit ad Demetrium Nicatorem, *ibid.* Gazæos compellit ad deditionem, *ibid.* arcem capit Hierosolymitanam, quam mundat, *ibid.* filium suum Johannem, Hircanum postea cognominatum, ducem constituit, *ibid.* fit imperator Judæorum, 345. mittit Romam legatos, 346. cum duobus filiis trucidatur, 349
Simon Herodis servus diadema sumit, 571. occiditur à Grato, *ibid.*
Simon, Camithi filius, Pontificarum accipit à Valerio Grato, 585
Simon Gioræ filius latrocinia Hierosolymis exercet, 647. totam Idumæam subjicit, Judæamque vastat, 649. captus triumpho reservatur, 651. interficitur, *ibid.*
Sinope inflammata à Cleochare & Selenco, servatur à Lucullo eam occupante, 398
Sisygambis inedià moritur, 213
Soæmus Arabum Ituræorum regnum obtinet à Caligula, 616
Sohemus ab Herode custos Mariammes uxoris ejus constituitur, 540. Dominium partis cujusdam Judææ rogatione Mariammes obtinet, 546. interficitur ab Herode, 549
Solon ad Crœsum accedit, & à Crœso in Siciliam profectus urbem Solos condit, 74. Octogenarius in Cypro moritur, 75
Solovettius Gallorum dux parum movetur legatione Romanorum, 313
Sophites rex Alexandro se dedidit, 189
Sosibius, 262, 263, 269
C. Sosius Syriæ & Ciliciæ præfecturam accipit ab Antonio, 515. jubetur Herodem adjuvare, *ibid.* & 517. triumphat, vide *Caius*.
Sosthenes dux, 252
Sostrati Cnidii factum, 248
Spiramenis defectio, 178. ejus caput Alexandro oblatum, 181
Stationes Israelitarum in deserto, vide *Israelitæ*.
Statira Darii uxor moritur, 164
Statira Darii filia, capta ab Alexandro, 157. ab eo in uxorem ducitur, 203. post mortem Alexandri interficitur, 213
Statira soror Mithridatis, fratris jussu moritur, 395
S. Stephanus protomartyr, 608
Strato Theophrasti successor, 246
Stratonice castellum Symphorium Pompeio tradit, 421
Suida error in censu civium Romanorum, 563
Sulpicius Gallus lunam defecturam pronunciat, 307. omnes invitat ad accusandum Eumenem, 317
Surenas Parthus Orodem regem reducit ab exilio, 440. Crassum dolo captum interimit, 449. ab Orode gloriam ejus invidente interficitur, 450
Sydus utrumque (Sol & Luna) per duodecim dies non apparent, 651
Syllæus præ se ferens iter monstrare Ælio Gallo infidiosè agit, 553. jurat se pecuniam & Herodis perfugas redditurum, 563. conventis non stat, *ibid.* accendit Cæsarem contra Herodem, 564. Æneam Arabum regem accusat, *ibid.* damnatus à Cæsare remittitur in provinciam, ut postquàm satisfeciſſet creditoribus, pœnas daret, 565. accusatur ab Antipatro, 566
Syncesis Artaxerxem & Cyrum eodem tempore juvat, 125
Syria regnum administrare per legatos decernunt Romani, 321

Digitized by Google

T

Tachos Ægypti rex bellum contra Artaxerxem parat, defertus eſt ab Ageſilao & ſuis, 142
Taciti impia de Judæis opinio, 518
Talymenus Ilates vincitur a M. Craſſo, 444
Taphenita duo Herodi indicant fratrem ejus Pheroram veneno fuiſſe ſublatum, 567
Taraeus Æthiops in Ægypto regnat, 58
Tarcondimotus principatum patris obtinet in Cilicia ab Auguſto, 557
Tarentini ſe dedunt, 257
Tarichea exciditur, 647
Tarquinius Priſcus repetundarum damnatur, 639
Tarſenſes quomodo affecti erga Tullium Cimbrum, 495. qui ex eis Caſſio reſtiterant, laudantur, 500
Tat filius Hermetis, 19
Taxiles Alexandrum hoſpitaliter accepit, 183
Taxiles, dux Mithridatis, vincitur a Sylla, 373
Templi Hieroſolymitani ſtructura finita, 53. Templum capitur à Pompeio, 427. extruitur ab Herode, 559. duplex ejus deſcriptio, *ibid.* comburitur 2° Veſpaſiani anno, eodem menſe, eodemque menſis die, quo prius à Nebuchadnetare fuit incenſum, 650
Templum Judæorum in Ægypto ab Onia conditum diruitur a Paulino, 651
Terræ motus in Antiochia, 352. vide alios terræ motus, 423, 534, 550, 559, 565, 581, 585.
Thais meretrix quid Alexandro ſuadet, 170
Thales natcitur, 61. prædicit defectum Solis, 66. defunctus, 77
Thalestris Amazonum regina, 174
Thamar, primùm Eri, deinde Onani, filiis Judæ nubit, cum ſocero congreſſa gemellos parit, 10
Thara ſive *Therach* Pater Abrahami, ejus nativitas & poſteri, 5. ab Idololatria relipiſcit, Charanem pervenit, ubi moritur, 6
Thaumaſtus magnam mercedem potûs Agrippæ dati recipit, 614
Theaetetus Rhodiorum legatus coronam auream Romam defert, 313
Thebæ Ægypti diruuntur, 549
Thebæi graviter mulctantur à Ptolemæo Lathuro, 381
Thebani legatos ad regem mittunt, 141
Themiſtocles fugit, 101. ad Artaxerxem profectus, 102. quàm humaniter ab eo tractatus, *ibid.* inſidias effugit, *ibid.* unum intra annum Perſicam linguam perdiſcit, *ibid.* veneno hauſto mortuus, 104
Theodorus Zenonis filius Judæorum 10 millia interficit, 363
Theodorus Pædagogus in crucem agitur, 544
Theodoſius, patronus Samaritanum in lite de templo, morti addicitur, 366
Theodotus ſuadet Ægyptiis, ut Pompeium interficiant, 464. ſupplicio adhibitur a Bruto, 503
Theophanis Mitylenæi commentum de P. Rutilio Rufo, 370
Theophanes Pompeio gratus, utpote rerum ejus ſcriptor, 431
Theophanes Lesbius ſuadet Pompeio, ut victus jam à Cæſare Ægyptum petat, 462
Theophilus Pontificatum accipit à Jonathane in ſe translatum, 615
Theopompus, & *Theodectes* puniti divinitùs, quare, 146
Therach vide *Thara*.
Theræi ſiccitate afflicti, 61. colonos in Plateam miſerunt, *ibid.* oraculo moniti Libyam incolunt, *ibid.* ad fontem Apollinis conſiderunt, 62
Theraſia inſula in Ægæo mari enaſcitur, 627
Thermuſa, Phraatis uxor, marito perſuadet, ut filios legitimos Romam mittat, 557
Theſſalia vaſtatur ab Andrifco, 338
Theſſali ab Alexandro donati remittuntur in patriam, 171
Theſſalonice Caſſandri vidua, 245
Theſſalonicenſibus Evangelium annunciatur, 634
Thethmoſis Ægypti rex expulit paſtores, 8
Theudas prætigiator occiditur, 625
Thimbron à Lacedæmoniis contra Tiſſaphernem mittitur, & ab iis exilio mulctatur, 128, 129. Perſarum agros vaſtat, 135. a Struthâ Perſâ in pugna occiditur, 136
Thoas ſibi metuens Cnidum confugit, 308. Rhodum remittitur, *ibid.*
Thraſibulus Athenienſis in tentorio obtruncatur, 156
Thraſyllus Mathematicus, 576
Thraſymedes, unus Heracleenſium, Cottam accuſat, 404
Thmoſis in Ægypto regnat, 11
Thyreus ſive *Thyrſus* ad Cleopatram mittitur ab Octaviano, 541 ſupra modum ab ea honoratum, corripit Antonius & flagellis cædit, 542
Tiberias Veſpaſiano deditur, 647
Tiberius Sempronius Gracchus in Capitolio occiditur, 351
Claud. Tiberius mittitur ab Auguſto in Orientem, 556 invitus Agrippinam repudiat, 561. deſponſatam ſibi priùs ducit Juliam uxorem, 562. mittitur ad Germanos bello domandos, 563. Tribuniciam poteſtatem in quinquennium accipit, 564. Rhodum ſe confert, *ibid.* otium ejus imperio honoratus agnoſcitur, *ibid.* Theodorum Gadarenum audit, *ibid.* in Rhodo manens diſſimulat gaudium ob relegatam à Cæſare Juliam filiam, ſuam autem uxorem, 574. non permittitur neceſſitudines ſuas revifere, *ibid.* vitrici Caii privigni ſui gratia Chium trajicit, *ibid.* ſuſpectus eſt ab Auguſto, 575. ſpecie ſeceſſus exulem agit, *ibid.* revocatur, 576. adoptatur, 577. in Germaniam mittitur, *ibid.* æquum in omnibus provinciis jus cum Cæſare obtinet, 579. mortuo Auguſto ſuccedit, 580. & tamen caſtidè cunctatur, *ibid.* ob reſtituras Aſiæ civitates, ſtatuis honoratur, 581. libros vaticiniorum aliquid continentes examinat, 582. Ilienſium legatis ipſum paulò ſeriùs poſt mortem Drusi conſolantibus irridet, 585. Judæis parcit, quibus, falſis Sejani criminibus, fuerat infenſus, 591. de rebus Chriſti certior factus, de eo in Deorum numerum referendo conſultat, 611. diem obit, 613
Tiberius Alexander Cuſpio Fado in procuratione Judææ ſuccedit, 626. Jacobum & Simonem Judæ Galilæi filios ſupplicio affecit, 627. primus in verba Veſpaſiani legiones adigit, 648
Tigranes in paternum Armeniæ regnum reſtituitur, 365. in ſocietatem belli Romani a Mithridate pellicitur, 367. accitus in regnum Syriæ, per 18 annos eo potitus eſt, 380. Armeniæ regni diadema capiti imponens, Tigranocertam à ſe illam appellat, 383. ſuaſu Mithridatis Cappadociam invadit, *ibid.* Mithridatem ſocerum ſuperatum à Lucullo & ad ſe fugientem non admittit ad colloquium, 395. amicè reſpondet legatis Judæorum, 397. ejus arrogantia, *ibid.* Cleopatram Selenen interimit, *ibid.* negat Mithridatem hoſti Romano permittere, *ibid.* Regem Gordyenorum interficit, 398. eum qui Lucullo adventum primus nuntiavit, ſuſpendit, 401. fugam capeſcit, 402. omnia permittit Mithridati, *ibid.* vincitur, 405

Tigranes filius ducit Pompeium, ad quem confugerat, adversùs patrem, 415
Tigranes pater prælio vincit filium, 415. se submittit, 416. uterque vocantur ad cœnam à Pompeio, sed venire recusat filius, *ibid.* Patri restituitur Armeniæ regnum *ibid.* filius in vincula conjicitur, *ibid.* redit in gratiam cum Phraate, 413
Tigranes pulso Artabaze fratre præficitur Armeniæ, 556
Tigranes in locum Artavasdis ab Armeniis substituitur, 575. mortuo Artabaze dona mittit Augusto regnum ab eo petens, 575
Tigranes Alexandri & Glaphyræ filius Romæ accusatur, & supplicio afficitur, 611
Tigranes Alexandri (filii Alexandri illius qui à patre Herode necatus est, & Glaphyræ filiæ Archelai Cappadocum regis) filius, in Armeniam, ut regnum capesceret à Nerone mittitur, 639
Tigranocerta capitur à Lucullo, 403
Timagenes Alexandrinus Rhetoricam Romæ docet, 446
Timotheus primò fugatur, deinde occiditur à Juda Maccabæo, 320
Timotheus Eupororis dux à Dositheo vivus dimittitur, 321
Timotheus Sancti Pauli discipulus nomen dat Christo, 626. Romæ priùs cum S. Paulo captivus, libertati restituitur, 644. Ephesi; ut Ecclesiam administraret, relinquitur, 645
Timotheus Heracleæ tyrannus obiit, 149
Tiribazi opera ulus Artaxerxes ad liberandum exercitum suum, 139. à falsa Orontis accusatione absolutus est, *ibid.*
Tiridates rex Parthorum factus à populo, 534
Tiridates Phraate mortuo, æmulus Artabano, mittitur à Tiberio ad regnum Parthiæ obtinendum, 611. volentibus Parthis urbes recipit, 613. metuit congredi cum Artabano, *ibid.* Diadema Neronis simagini subjicit, 641. penè in bello capitur, 651
Tiro interimitur ab Herode, 565
Tissaphernis res gestæ, 112, 113. à Lacedæmoniis discedit, 114. pactum cum Peloponnesiis renovat, *ibid.* Artaxerxem juvat contra fratrem, ab eóque præfecturâ Cyri donatur, 126. Græcos in Asia vexat, 128. Agesilao bellum denunciat, 131. Ejus caput a Tithraustæ resectum, 133
Tithraustes, occiso Tissapherne dux belli factus, 133. suadet Agesilao domum redire, argento Græcas civitates corrumpit, *ibid.*
Titius, relicto Antonio fugit ad Octavianum, 532
Titus Ampius Ciliciam provinciam obtinet, 437
Titus à patre vocatur in Judæam, 647. infinitam hominum multitudinem intra Hierosolymam concludit, 649. irrumpit in urbem, *ibid.* ejus milites, Judæos in templum fugientes insequuntur, 650. frustrà conatur templum ab incendio servare, *ibid.* Imperator ab exercitu proclamatur, *ibid.* coronari recusans, Deum authorem Judaicæ calamitatis agnoscit, *ibid.* Natalem fratris Domitiani Cæsareæ; Patris, Beryti celebrat, 651. Romæ cum patre triumphat, Imperatoris nomen obtinet, *ibid.* cùm nuptiarum spem Berenice fecisset, ne Romanos offenderet, ipsam dimittit, 652
Tlepolemus, 271
Tobiæ mortuos sepelit, 57
Tolah judicat Israelem, 26
Torquatus Ptolemæo Juniori persuadet ut ab adeundâ Cypro abstineat, 327. idem persuadet Ptolem. seniori ut redire in gratiam cum fratre vellet, *ibid.*
Trachonitæ, absente Herode, revertuntur ad latrocinia, 562. 40 ex eis in Arabiam Nabatæam fugientes Syllæo, Herodi intenso se jungunt, *ibid.* non Judæam tantùm, sed totam etiam Cœlesyriam excursionibus infestant, 563. irritati fiunt infestiores, *ibid.*
C. Trebonius Athenas venit, 484. primus ex percussoribus Cæsaris pœnas luit, 489
Triarius Mithridatis classem vincit, 393
Tricipitinam novam videt Varro, 498
Triumviri, Octavianus, Lepidus, & Antonius per quinquennium Reipublicæ præsse constituunt, 498
Trocmi, Galatarum gens, frustrà Cappadociam aggrediuntur, 320
Troja à Græcis expugnata, 26
Trosobores Cilicum dux interficitur ab Antiocho, 632
Tryphæna Cleopatram sororem interfici jubet, 359. quod scelus suo supplicio ipsa luit, *ibid.*
Tryphon honorificè excipit Jonathanem, 343. quem comprehendit, multis ex ejus militibus occisis per dolum *ibid.* occidit Jonathanem, *ibid.* occidit quoque Antiochum Theon, 344. auream victoriam per legatos mittit ad Romanos, *ibid.* milites ejus deficiunt ad Cleopatram, 546. Doram recipit, ubi obsidetur, *ibid.* Conscendens navem petit Orthosiada, 347. ipsâ pecuniâ moratur persequentes, *ibid.* moritur, *ibid.*
Tullius Cimber, ebriosus, 484. unus ex Cæsaris percussoribus, 495. ad opem Cassio ferendam properat, *ibid.*
P. Turullius Cæsari traditus ab Antonio, erat autem unus ex Jul. Cæsaris percussoribus, occiditur, 541
Tymagoras Athenienſis multis afficitur donis à rege, 141. ab Athenienſibus capitali afficitur supplicio, *ibid.*
Tymbron pugnat cum Cyrenæis, 215. In fuga comprehensus, *ibid.*
Tyrannio Grammaticus capitur, & manumittitur, 396. Ciceronis Bibliothecam disponit, 439
Tyrii frequens datur Senatus, 442
Tyrus obsessa, 72. traditur Assyrio, 73. Tyro præfecti judices, 74. libertatem adepta, 88. Tyri coronam auream, & commeatus Alexandro mittunt, quem urbe sua excludunt, 158. obsidetur, *ibid.* capitur, & Tyriorum 2000 crucifiguntur, 159, 160. Catenis simulachrum Apollinis devinciunt, 159. Tyrus Antigono dedita, 232

V

Vacca quæ Proserpinæ alebatur, per hostium classem natat ad templum Deæ, 389
Valerius Gratus Judææ procurator, 580, 585
Varus (*Quintilius*) Syriæ præest, 568. quam exhaurit, *ibid.*
Velleius Paterculus Tiberii summus adulator, 550
Ventidius Cumanus Tiberio Alexandro in administratione Judææ succedit, 627
C. Verres sacrilegium, 382
Ver apud Indos pluviosum, 187
Versio LXX. facta, 253
Vespasianus à Nerone mittitur in Judæam, 647. Gadarentium urbem incendit, & vastat, *ibid.* Tarichæam exscindit, *ibid.* audita Neronis morte, suspenit ipse & Titus, Judaicum bellum differunt, 648. navigans in Italiam Titum filium in Judæam mittit ad conficiendas belli Judaici reliquias. 649
Vibius Marsus in administratione provinciæ Syriæ Petronio succedit, 622
Vibius Serenus exul, à filio falsò accusatus damnatur, 585
Vina, Lucio Opimio Consule, genita, ad sua usque tempora duravisse confirmat Plinius, 358

A. Vitellius Imperator declaratur à militibus, 648. ab Antonio Primo jugulatur, 649
L. Vitellius Proconsul venit Hierosolymam, 611. populum sacramento adigit in fidem Caii, 615. fœdus init cum Rege Parthorum, *ibid.* accersitus à Caio ut interficeretur, humilitate & precibus ita hominem emollivit, ut inter amicos præcipuos haberetur, 618. magnus Caii adulator, *ibid.*
Vologeses Vononis filius patri succedit, 629. ad turpe fœdus, Cæsennium Pætum compellit, 641. Armeniam petens per legatos, non obtinet, *ibid.*
Vonones unus ex Phraatis tertii filiis, Parthorum rex à Cæsare fit, 577. regno Parthico exutus Tiberii opem frustrà implorat, 580, 581. retractus à fugâ gladio transfigitur, 582
Vonones qui Medis præfidebat, in regnum Parthicum accitus brevi perfungitur imperio, 629
Uria prophetat, 64
Urim & Thummim tolluntur, ab irato Deo propter populi nequitiam, 360
Uxiorum gens ab Alexandro subacta, 169
Uzziah, 42. succedit Amasiæ patri, 43

X

Xanthii victi à Bruto mortem sibi consciscunt, 501
Xenocrates docere incipit, 150
Xenetas, 263
Xenophontis munificentia in Dianam, 134
Xerxes rex declaratur, 93. Ægyptios subegit, *ibid.* classem ingentem & pedestrem exercitum comparat, Isthmum perfodit, Hellespontem navibus jungit, *ibid.* & 94. ejus sævitia in filium Pythii Lydi, 94. cum exercitu Priami Pergamum ascendit, ad conspectum ingentis sui exercitûs flevit, phialam auream in Hellespontum abjecit, numerus navium, & exercitus ipsius, *ibid.* & 95. Xerxis exercitui Leonides terrestri, Eurybiades verò navali prælio se opposuerunt, 95, 96. Xerxes Athenas capit, à Græcis bis superatur, 96, 97. ejus exercitum pestis invasit, 97. Ipse in scapha piscatoria fugit, 98. ejus ubique sacrilegia & adulteria, 100. festum natalis sui regni celebrat, *ibid.* jugulatur in lecto ab Artabano, 101
Xerxes patri succedit, 110. à fratre occiditur, *ibid.*
Xiphares filius Mithridatis ex Stratonice, interficitur à patre, inspectante matre, 421

Z

Zalienus rex, Syris à Ptolemæo Physcone commendatur, 356
Zabulon natus, 9
Zacharias Sacerdos lapidibus obrutus, 42
Zacharias filius Jeroboami regnat, 46. occiditur, *ibid.*
Zacharias Propheta, 86. visio exhibita, & consolatio data, *ibid.*
Zacharias, cum uxore Elizabetha, tristissimorum temporum spectatores, 518. ipse videt angelum Gabrielem, 565
Zamaris Judæus Babylonius per Trachonem erigit castella, & defendit è Babylonia petentes Hierosolymam, 566
Zara natus, 10
Zarbienus rex Gordyenorum à Tigrane interficitur, 398. ejus exequiæ celebrantur à Lucullo, 404
Zarmarus Indorum sophista in rogum se dat, 558
Zedechias vide *Sedekias*.
Zelota Hierosolymitani ad sanam mentem nolunt revocari, 647. dissentiunt inter se, 648. summum Pontificem Phanniam hominem rudem creant, *ibid.*
Zenobia Rhadamisti uxor, vulnerata, & aquis tradita servatur à Pastoribus, 630
Zenobius muros Chiorum occupat, 373. ab Ephesus in carcerem trusus necatur, *ibid.*
Zenodorus latrones fovet, 555. Gadarensibus persuadet se effecturum, ut ab Herodis dominatione liberati, ad provinciam Cæsaris attribuantur, 556, vitam finit, *ibid.*
Zenodotia cives, Romanos intra muros suos admissos perfidè obtruncant, 445
Zeugma, oppidulum in Euphrate positum, à Commageno rege, suasu Ciceronis extorquetur, 442
Zipætes moritur, 251
Zoheres Albaniæ rex, 519

Indicis primi Rerum & Verborum Finis.

Digitized by Google

INDEX SECUNDUS GEOGRAPHICUS
SIVE
IN ANNALES USSERIANOS
TABULÆ ET OBSERVATIONES
GEOGRAPHICÆ.

Authore R. P. F. AUGUSTINO LUBIN, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Geographo ordinario.

A

ABÆ, locus Arabiæ, ubi Zabdiel Arabs, ut refertur, lib. 1. Machab. cap. 11. verſ. 17. Alexandri Balæ Regis Coleſyriæ & Antiochiæ, ad ſe confugientis caput abſcidit; de eo loco nihil hactenùs Geographi, nec etiam Cl. Ptolemæus, licèt teſte Stephano Byzantio, de locis Arabiæ accuratiſſimè ſcripſerit; illum exprimit ſolus Diodorus Sicul. in fine lib. 32. apud Photium in Bibliothecæ codice 244. pag. 2043. *Abæ* civitatem appellat latinus interpres (quem ſecutus eſt Uſſerius, pag. 340.) civitatis nomen nuſquam reperitur in textu Græco, ſed tantùm *εἰς τὰς καλυμένας ἄβας* & paucis interjectis *ἐν ταῖς ἄβαις, καθ' ἣν τόπον ἐν Ἄβαις apud quem locum*, ex quibus verbis non urbem *Abæ*, ſed tantùm locum, *forſan caſtrum*, cogimur aſſerere.

Abarimi montes, pag. 20. & 23. in vulgata editione *Abarim* mons, ſingulari numero, lib. Numerorum, cap. 27. v. 12. & *Abarim* montes numero plurali, eodem Num. lib. cap. 33. verſ. 47. qui etiam *Hubarim* dicti, in tribu Ruben, quorum excellior Nebo, ejus verò cacumen Phaſga appellabatur, hodie vulgò mons *Piſga*.

Abarinda promontorium Lampſaci; urbis Myſiæ in Aſia minori, ad Helleſpontum poſitæ, pag. 121.

Abas fluvius, p. 419. à Ptolemæo Albanus dictus, qui è montibus Albaniæ naſcens, verſúſque Ortum progreſſus totam hanc regionem pertranſiens Caſpium mare ingreditur.

Abaſtani pag. 195. Gens libera ſuis ſolummodo ſubjecta legibus, quæ videtur circa Indum fluvium ſita.

Abdera urbs Thraciæ, in parte Auſtrali & regione, quæ Rhodope dicta; ad oram Ægæi maris inter oſtia fluviorum Hebri & Neſſi; cujus fundamenta jecit Timeſius Clazomenius anno mundi 3349. p. 61. poſtmodum à Teiis condita anno mundi 3464. *v. de* p. 78. nunc vulgò *Aſperoſa* vocatur, ſive ut quibuſdam placet *Polyſtylo* aut *Aſtrizza* in Romania.

Abderita, civis prælaudatæ urbis Nymphodorus Pytei filius, pag. 109.

Abela, pag. 605. urbs trans Jordanem in Tribu Manaſſe, ſeptimo à Philadelphia milliario, duodecimo ab urbe quæ Gadara, in Peræa regione (non Ituræa, ut ſcribit Uſſerius) ſic enim Joſephus ab eo citatus, qui eam ibi Abilam ἄβιλαν appellat. Fuit primò Ammonitarum civitas, quam Adrichomius in Tribu Gad collocat, alii in tribu Manaſſe.

Abel-bethmaaca pag. 36. col. 2. In vulgata editione, tertii Regum cap. 15. non 16. ut eſt in Uſſerio, verſu 20. Abeldomus Maacha, & ſecundi Paralipom. citati, cap. 16. verſ. 4. Abelmaim: urbs primùm ſub ditione Maacha, in tribu Nephtali, non Manaſſe; ſuperioris Galilææ, in planitie regionis Berim, à Jordane ſexaginta ſtadiis diſtans.

Abel-shittim vel *Shittim* tantùm pag. 21. in vulgata editione cap. 33. cit. v. 49. Abeliatim, & ejuſdem Num. c. 25. v. 1. Settim; à ſpinis ſic appellata, quadrageſima ſecunda Manſio filiorum Iſraël, in Campeſtribus Moab, demùm in tribu Ruben.

Abelæ cives, pag. 31. hìc agitur de incolis urbis Abel, quæ à Joſepho Antiquit. lib. 7. cap. 10. p. 241. c. Abelmachea vocatur: eadem ſanè eſt, quæ ſuprà Abel-bethmaaca in vulgata editione, lib. 2. Regum cit. cap. 20. verſu 14. vocatur Abela & Bethmaacha.

Abii Scythæ, p. 177. qui liberi à morte Cyri, ſe Alexandro permiſerant; ad Abianum fluvium ſiti; Ptolemæus Geogr. lib. 6. cap. 15. Abios Scythas extra montem Imaum collocat, diverſas hujus nominis Etymologias vide apud Euſtathium in lib. 13. Iliados, v. 6. p. 916. linea 17.

Abila urbs Galaaditidis, pag. 274. eadem quæ ſuprà Abela.

Abila ad annum Chriſti 41. pag. 621. quæ etiam Abila Lyſaniæ, *ſive* Abyla dicta, Metropolis Abilenes regionis, nunc vulgò *Betines* aut *Bellinas* dicta,

Abila Lyſaniæ Tetrarchia ad annum Chriſti 55. pag. 632. eadem quæ,

Abilena, pag. 441. & Abylene ad ann. Chr. 26. Regio Cœleſyriæ, Antilibano monte à Meridie & Occaſu; Chalcide regione à Septentrione; ab Oriente verò Abanâ fluvio concluſa, quæ ſub Imperatore Tiberio Tetrarchia erat, ab Abila metropoli nomen ſortita.

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICUS.

Abocris, pag. 554. urbs Æthiopiæ, quam cum aliis cepit P. Petronius, ut Plinius refert lib. 6. cap. 29, hanc *Abuncin* Ptolemæi esse conjectat Ortelius.

Abrita vide infrà Arabii.

Absarus fluvius, pag. 415. quem alii Absorum, Apsarum, necnon Apsorum appellant & Apsyrtum, qui è montibus intra majorem minoremque Armeniam sitis enascens; versùs Aquilonem per Armeno-Calybes & Colchidem decurrens, Pontum Euxinum ingreditur.

Absinthii, pag. 100. Thraces, incolæ urbis Thraciæ, quæ Absinthus & Apsynthus dicta, quæque alio nomine Ænus & Ænum sive Poltiobria fuit appellata, ut refert Strabo lib. 7. pag. 221. sita erat ad ostia Hebri fluvii, ut notat Stephanus ad Melanem Ægæi maris sinum, hodie *Oeno*, vel, ut legit Leunclavius, *Inos & Tynos*.

Abydus, pag. 90. urbs Hellesponti in Asia minori ad mare, è regione Sesti; ubi Xerxes cum exercitu, mare super pontem ibidem extructum trajecit, nunc *Avco* dicta à Turcis *Aidos*, vulgò *Avido*.

Abydenus, pag. 66. incola Abydi.

Abydena regio, pag. 268. circa Abydum urbem, in qua regione sita erat Arisba civitas.

Abylene, vide suprà Abilena.

Acadera, pag. 183. regio aut civitas Indiæ.

Acanthus, pag. 92. urbs Thraciæ, quam Ptolomæus vicinæ Macedoniæ tribuit, nomen à specie spinarum quibus cingebatur adepta, sita erat in Isthmo montis Atho, ad Singeticum sinum, nunc vulgò dicitur *Eriso*.

Acanthii, ejusdem urbis incolæ.

Acarnania regio cujus olim populi Curetes dicti, pag. 297. quæ ab Occasu mari Ionio & sinu Ambracio, à quo ab Epiro segregatur; ad Aquilonem populos habens Amphilochos; ad Ortum Ætoliam, à qua fluvio Acheloo separatur; ad Austrum eidem Ionio mari exposita, nunc vulgò *Carnia* sive *Despotato* seu *Ducato* nominata.

Acarnan, pag. 155. & 271. Acarnaniæ indigena.

Accaron, pag. 338. urbs Philistæorum regia, proprium habens regem, una ex quinque eorum Satrapiis inter Azotum & Bethsames, inter fines tribus Dan & mare magnum, data in sortem tribui Juda, hodie adhuc grandis Judæorum vicus, priscum nomen etiam retinens.

Ace vide infrà Ptolemaïs, pag. 55. & 140. Syriæ oppidum, p. 234. Syrophœniciæ dicitur.

Acesines, pag. 187. & 188. fluvius Indiæ etiam Acesines dictus, qui Hydaspen fluvium excipiens, in Indum posteà fluvium influit versùs Ortum.

Achæi, pag. 381, 386. & 418. populi ad Pontum Euxinum siti, reliquiæ (ut quidam putant) eorum, qui à Troja revertentes, hùc errore delati sunt, inter Caucasum montem ad Aquilonem, Cercetas ad Occasum, & Heniochos ad Ortum; dicuntur Colchis finitimi.

Achæorum portus, pag. 280. locus maritimus in Hellesponto prope Ilium.

Achai, Achaiæ populi.

Achaia regio triplex, prima, quæ cum Thessalia totam Græciam complectebatur; altera Achaia, quæ Romanorum proconsulatum tupradictam Achaiam ac etiam Peloponnesum continebat; tertia tandem Achaia propriè dicta pars Peloponnesi, quæ sinu Cirræo sive Corinthiaco ab Austro exposita, inter Patras & Corinthum posita erat; hujus tantùm populi propriè Achæi sunt appellati; quorum respublica maximè floruit.

Achaica, quæ ad Achaiam pertinent.

Achæmenides Megabates, pag. 88. ex Achæmenia Persidis regione oriundus, de Achæmenidis Strabo lib. 15. p. 727. Australem Persidis partem incoluisse videntur.

Acherusia peninsula, pag. 127. prope Heracleam Ponticam ad Pontum Euxinum, in Maryandenorum regione, de qua Xenophon lib. 6. de expeditione Cyri pag. 374.

Achilleus pagus, pag. 70. situs ad Troadis Promontorium Achilleum dictum, ubi erat Achillis monumentum, Sigeo vicinus erat: de eo Strabo lib. 13. p. 413. & 415. urbs appellatur à Stephano Bizantio.

Achilleum, pag. 135. & Achillium, pag. 130. Castellum, ut asserit Stephanus Byzantius in Asia minori, prope Smyrnam Ioniæ urbem.

Achillis tumuli, p. 152. in Achillæo pago, de quo suprà.

Achivi, vide Achæi.

Achmeta in Provincia Medorum, pag. 86. vide infrà Ecbatana?

Achmeta. Vide Ecbatana.

Acilisena, p. 414. regio & pars majoris Armeniæ, minorem Armeniam habens ad occasum, à qua Euphrate fluvio separatur: de ea Strabo in fine lib. 11.

Acra, ad annum Christi 70. mons erat in urbe Hierosolymitana, quem inter locos filiæ Sion recenset Adrichomius.

Acrabbatena, pag. 319. regio Idumeæ, I. Machab. c. 5. v. 3. in vulgata editione, *Arabathane*, & in codicib. recentioribus *Acrabathane*, sed in textu Græco Ακραβατηνη. in ea quoque ejusdem nominis civitas in Australi parte tribus Juda, prope montes Idumeæ: non diversa ab ea, quæ Num. 34. v. 4. ascensus Scorpionis appellatur, *Acrabbim* enim Scorpionem significat.

Acrabatena regio, ad ann. Christi 52. sive Toparchia Samaritis contermina, sic dicta ab Acrabata urbe, positâ in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, inter Tanac & Thersa.

Acropolis urbs Iberiæ Asianæ, pag. 418. quæ à Strabone lib. 11. p. 345. Harmozia vocatur, ad fluvium Cyrnum aliàs Cyrum sita, ubi Aragus amnis in eum influit, & ubi Caucasi montis angustiæ sunt, ad Cyrum & Aragum appellatæ.

Actæ urbes, pag. 110. id est Littorales minoris Asiæ ad mare Ægæum.

Actium, pag. 405. locus Acarnaniæ ad fauces sinus Ambracici *de Larta* dicti situs, in territorio Anactoriæ, è regione urbis Nicopolis; à qua mediâ tantùm leucâ distabat; nunc ab Italis *capo figalo* nominatur. ubi commissa celebris pugna ab eo Actiaca nuncupata, in qua Octavius Augustus Marcum Antonium & Cleopatram debellavit.

Adama urbs, regia olim Pentapoleos in terra Chanaan, una è quatuor, quas Deus cœlesti igne perdidit, Gen. 19. in Septentrionaliori & Orientaliori parte Asphaltidis lacus.

Adana, plurali numero pag. 410. & 495. urbs Ciliciæ ad Pyramum amnem sita, quæ postea Archiepiscopalis & primaria, nunc vulgò *Adena*.

Adiabene, pag. 403. regio in Assyriæ & Mesopotamiæ confiniis; quam Stephanus Byzantius non rectè inter Euphratem & Tigrim conclusam refert; in nostris ad hunc authorem notis aliorum testimoniis probamus, illam ultra Tygrim in Assyriam excurrisse; posseque fuisse, quæ nunc *le Curdistan* Castaldus asserit esse *le Boran* ab incolis vulgò *Adrinsa*, illam inter Tigrim & Oenam Assyriæ fluvium comprehensam, dicit Ammianus.

Adiabeni, Adiabenes populi, pag. 384.

Adida, pag. 343. & 376. in vulg. editione I. Machab. 12. v. 38. *Adiada in Sephela*, id est in Planicie; eadem est ac Addus civitas in monte tua contra faciem campi, in medio tribus Ephraim.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Adorà, p. 343. in vulg. edit. 1. Machab. cap. 13. v. 20. Ador, vide Dora.

Adraiſtæ ſive Andreſtæ, Indiæ populi inter Carthæos circa Indi fluminis partem ſuperiorem degentes; pag. 189.

Adramitium, pag. 141. & *Adramyttium*, pag. 111. eadem urbs, quæ Atramyttium pag. 115. urbs Myſiæ in Aſia minori; quæ etiam Adramyteum maritima, nunc corrupto vocabulo *Landermitti*, apud Leunclavium *Edremit*, apud alios *Landamiti*, in diœceſi Aſiana.

Adramyttenus ſinus, pars Ægæi maris prope Adramyttium, Lesbo inſulæ expoſita.

Adraſpa, pag. 176. urbs Bactrianæ regionis, de qua Strabo lib. 15. pag. 498.

Adraſtia mons, à quibuſdam Dindymus dictus pag. 388. ideſt mons, in quo fanum erat Deæ Adraſtiæ, de quo Strabo lib. 12. p. 396. Cyzico urbi proximus verſùs Meridiem.

Adraſtii campi, pag. 152. ad radices præclaudari Adraſtiæ montis, inter Lampſacum & Cyzicum, ubi urbs Adraſtea.

Adria à quibuſdam *Hadria*; ſinus maris, qui & Adriaticus & Adriaticum mare dictus eſt, Italiam à Dalmatiâ & Epiro diſterminans, quem etiam mare Superum vocitant, vulgò *Golfo di Venetia* vel *Mare Adriatico*.

Æga Æolicum oppidum, pag. 101. pars erat Myrinæ urbis, illas tamen diverſas facit Herodotus lib. 1. cap. 149.

Æga, p. 493. ſive Ægeæ, urbs olim Ciliciæ maritima, ad Iſſicum ſitum; cujus nunc nulla extant veſtigia.

Æga & *Ægeæ*, pag. 216. & 257. Macedoniæ Regia, in qua & Regum Mauſolæa erant, & pag. 150. urbs, quæ ut refert Stephanus Byzantius Meloboteira vocabatur, ſita erat in Macedonia propriè dicta ſive Emathia, ad Aliacmonem fluvium.

Ægeata, incolæ Ægarum Ciliciæ.

Ægenſes, cives Ægarum Æoliæ, p. 266.

Ægæum mare, pag. 92. quod aliquando mare Græciæ, ſive mare Cariæ dictum, quod Latini paſſim in mare Macedoniæ & mare Græciæ ſive Cycladum inſularum diviſerunt; pars præcipua maris Mediterranei, unde nomen Archipelagi adepta, ab Italis *Archipelago*, Gallis *Archipel*; Turcis *Acdeniz*, quod mare Album ſignificat, ab Occaſu Græciam, Theſſaliam & Macedoniam habens; ab Aquilone Thraciam; ab Ortu Aſiam minorem; ab Auſtro mare Icarum; vel ut aliis placet, mare Creticum.

Ægeſtani, pag. 73. & 362. cives urbis Ægeſtæ in Sicilia poſitæ, quæ à Stephano Byzantio Aceſte, à Thucydide Egeſta, à Latinis; obſcenæ ſignificationis vitandæ cauſa, Segeſta dicta. Fazellus aſſerit fuiſſe in loco cui nunc nomen *Barbara* in parte inſulæ, quæ *valle di Mazara* dicta, prope fluvium S. *Bartholomæo*, alii aſſerunt eam eſſe, quæ nunc *Comerranea*.

Ægienſes, pag. 135. & 334. incolæ urbis Æolicæ Ægiæ, forſan Ægarum prælaudatæ.

Ægienſis, p. 302. incola ſanè Ægii; urbis Achaiæ propriè dictæ.

Ægina inſula, pag. 97. & 98. priùs Oenone dicta, ſita in ſinu Saronico inter Atticam & Peloponneſum; nunc vulgò *Legina* dicta. eſt etiam urbs Peloponneſi *Ægina*, ad eundem ſinum Saronicum; de qua forſan pag. 169.

Æginetæ, cives Æginæ urbis & inſulæ.

Æginenſis urbs apud Achaiam, p. 385. terræ motu collapſa anno Chr. 23. forſan Ægienſis aut Ægæenſis, nam Achaiæ urbes ſunt Ægium & Ægæ.

Ægirates, pag. 305. civis urbis, cui nomen Ægira in Achaia propriè dicta, quæ teſte Stephano Byzantio priùs Hypereſia vocabatur: erat Achaiæ primaria in colle aſpero ſita, ampliùs mille paſſus ſupra mare; prope collem defluebat Selinus amnis, nunc exciſa.

Ægos fluenta ſive *Ægis* potamos, p. 100. & 121. aliàs Capræ fluenta, 121. fluvius abſque urbe, ut clarum eſt ex Xenophontis lib. 2. Hiſt. Græc. p. 455. in Chierſonneſo Thraciæ ſeſe in Helleſpontum exonerans, cujus oſtia è regione Lampſaci, ab eâ urbe octo tantùm ſtadiis diſtabant.

Ægyptus, pag. 5. ampliſſima Africæ regio, quam veteres Geographi inter Aſiæ regiones computaverunt, quæ variis nominibus olim dicta, putà Myara, aeria, potamites, &c. à Septentrione ſuo mari Ægyptio; ab Ortu Paleſtinâ, Arabiâ Petræâ & ſinu Arabico: à Meridie Æthiopiâ, ab Occaſu Cyrenaicâ regione terminatur. dividitur in ſuperiorem & inferiorem; hunc ab incolis *Sahid* appellatur.

Ægyptus ſuperior, pag. 8. quæ in Meridiem vergit, quæ eſt ipſa Thebais.

Ægyptus inferior; quæ ad oſtia Nili & mare Mediterraneum; ubi Delta & Libya. p. 8.

Ægypti flumen, pag. 66. hoc nomine intelligitur Nilus fluvius.

Ægyptium mare, pag. 468. pars maris Mediterranei interiori Ægypto expoſita.

Ægyptienſes, pag. 318. Ægypti incolæ.

Ægyptiaca, quæ ad Ægyptum pertinent.

Æmus mons, pag. 386. Thraciæ, ipſam in duas quaſi partes ſeparans, Moeſiam videlicet ab altera Thraciæ parte; ad Pontum Euxinum extenſus, quem Itali vocant *catena del mondo* ſive *Monte Argentaro*; indigenæ *Kriviczne*, Turcæ *Balkan*.

Æniati, pag. 214. plurali numero Æniancs, ab urbe Perrhoebiæ Ænia; cujus teſte Stephano Byzantio; incolæ erant ſic appellati; inter Theſſaliæ populos enumerati fuere, de his fusè Strabo lib. 9. pag. 294.

Ænon, pag. 588. in vulg. editione Joan. 3. v. 23. *Ænon* juxtà Salim, aliqui Ennon ſcribunt, locus plurimis aquis abundans juxta Jordanem; in dimidia tribu Manaſſe cis eundem fluvium.

Ænus, pag. 285. & 288. eſt ipſamet Thraciæ Abſyntus, de qua vide ſupra; verbo Abſyntus.

Ænii, ejuſdem civitatis incolæ, pag. 312.

Æolia, pag. 115. regio Aſiæ minoris concluſa inter Myſiam ad Aquilonem; Lydiam ad Ortum, Ioniam ad Meridiem & Ægæum mare ad Occaſum; in qua undecim civitates recenſet Herodotus lib. 1. c. 149.

Æolenſes & Æoles, & Æolica gens, populi Æoliæ.

Æolis, pag. 79. ipſamet Æolia.

Æpea urbs Cypri, pag. 74. hanc Philocyprus Rex, in Solonis honorem Solos appellavit; ſita erat in Septentrionali parte inſulæ; ubi nunc extat oppidum *Alexandretta* vocitatum.

Æria, pag. 19. regio; quæ poſtmodùm Ægyptus dicta; vide ſuprà hoc verbo.

Æſchrienia una è Samiorum tribubus, p. 82. cujus pars Oaſim urbem incoluiſſe traditur.

Æſepus fluvius, pag. 390. Aſiæ minoris Myſiam à Troade ſeparans; qui ex Ida monte naſcens inter Lampſacum & Cyzicum Propontidem ingreditur.

Æthiopia, p. 12. ampliſſima Africæ regio duplex; una ad Nilum, in qua inſula Meroe cis circulum Æquatorem, quæ Æthiopia ſub Ægypto appellatur; altera ultra Æquatorem, quæ Æthiopia propriè dicta & interior, nunc Abiſſinorum Regio, apud Nubienſem *Habaſcia*: Uſſerius citatus hæc ait: *Æthiopes ab Indo flumine conſurgentes, juxta Ægyptum conſederunt.* Euteb. Chronic. & paulò poſt; *Æthiopiam, quæ ſub Ægypto eſt, nunc majorem*

Indiam appellari, scripsit Joan. Perken, &c.
Æthiopes populi, Æthiopissa mulier Æthiopiæ.
Æthiopica, quæ ad Æthiopiam spectant.
Æthiopia orientalis, p. 17. v. Arabia.
Æthiopes Macrobii, p. 82. sive Longævi, qui Africam ad Australe mare incolunt.
Ætoli, p. 208. populi Ætoliæ.
Ætolia regio Græciæ p. 540. quæ cum Acarnania Curetarum patria erat, priùs Hyantis dicta, & in duas separata, quarum prima ad Occasum Ætolia vetus, altera ad Ortum Epictetus sive acquisita dicebatur, ab Arcanania versùs Occidentem Acheloo fluvio separabatur; habens ad Aquilonem Athamanes & Perrhoebios; ad Orientem Locros Ozolas; ad Austrum Ionium mare & sinum Corinthiacum.
Ætulana & Ætulla p. 219. regio Armeniæ minoris ad Septentrionem, ut refert Ptolemæus Geog. lib. 5. cap. septimo; unde in Justini exemplaribus sic legendum dicit Usserius.
Africa, regio una è tribus Orbis partibus: secundò, Africa propriè dicta, inter Mauritaniam ad Occidentem & Cyrenaicam ad Orientem dicta Zeugitana: tertiò tandem, quæ propriè dicta, inter Numidiam ad Occasum & Byzacenam regionem ad Ortum, quod nunc est regnum Tunetanum penè complectens.
Africa utraque, pag. 533. de Africa sermo est secundo & tertio sensu.
Afer Africæ indigena.
Africanus, ad Africam spectans.
Africum mare, p. 408. pars Mediterranei maris, quæ Africam alluit.
Agaba p. 400. Castellum, aliàs Gabatha dictum, in tribu Ephraim situm ad Orientem.
Agalassenses p. 192. populi Indiæ, circa superiores partes Indi fluminis.
Agalla p. 417. urbs Arabum, quam arbitror esse, quæ à sancto Hieronymo Agallim vocatur, in tribu Ruben, ultra torrentem Arnon, quæ etiam Gallim appellata.
Agar p. 479. oppidum Africæ propriè dictæ, 16. millia passuum Thapso dissitum.
Agari p. 407. gens Scythica forsan ad Agarum fluvium aut Agarum promontorium, juxta Mæotin paludem habitans.
Agbatana, v. Ecbatana.
Agerensis ager p. 384. videtur fuisse Asiæ minoris.
Agora p. 94. urbs in Isthmo Cherroneti Thraciæ, inter urbem Cardiam ad Meridiem, & Helles sepulchrum ad Boream.
Agrani p. 554. vide Egrani,
Agria p. 309. pro hoc vocabulo apud Polybium legat. 92. *supia* legendum censet Usserius.
Agriani p. 153. & 213. Populi Pæoniæ, inter Æmum montem & Rhodopen degentes; qui Agrianes & Agræi dicti necnon Agrii.
Agriaspa v. Arimaspi.
Agris p. 291. populi iidem, qui suprà Agriani.
Agrippias, vide Anthedon.
Ahava fluvius p. 104. in tabulis nostris Geographicis sacræ Scripturæ fusè probavimus, Ahava fluvium eumdem esse cum Tigri fluvio.
Ai sive *Aias*, p. 23. in vulg. editione Josue, cap. 7. *Hai*, civitas Regia ad Orientem Bethel; erat in tribu Benjamin; Josepho *Ada*, S. Hieron. *Agai*.
Aialonus convallis p. 23. contigua valli Terebinthi, prope Aialon leviticam civitatem, in tribu Dan positam.
Alabandenses, p. 273. & Alabandeni p. 313. cives urbis Asiæ minoris, cui nomen Alabanda in Caria fuit, non procul à Mæandro fluvio; hodie Turcis *Eblebanda*: duas Alabandas in Caria collocat solus Stephanus Byzantius.
Alalia p. 78. urbs insulæ Corsicæ, quæ posteà Alaria; dein Aleria, & corrupto vocabulo *Valeria*, à Phocæensibus condita, ad litus orientale insulæ cujus locus nunc *Aleeria diruta* vocatur.
Alani p. 611. populi Sarmatiæ Europæ, non longè à Palude Mæotide incolentes, Roxolanis finitimi; quorum regio Alania, quæ Lithuaniæ parti respondet.
Alba p. 488. urbs Galliæ Cisalpinæ, quæ Alba Pompeia, ad Tanarum fluvium; nunc etiam *Alba* à ducatu Montisferrati avulsa, sub ditione Ducis Sabaudiæ.
Albani, p. 174. & 401. populi Albaniæ.
Albania regio Asiæ, Iberos habens ad Occidentem, Caspium mare ad Orientem; Caucasum montem ad Aquilonem, Armeniam majorem ad Austrum, hodie vulgò *la Zuirie*. p. 417.
Albanus mons, p. 419. & 438. per duo milliaria, ab Alba antiqua seu nova *Albano* ad castellum Gandulphi se extendens, vulgò *monte Albano* tredecim milliariis Româ distans versùs Orientem.
Alius pagus pag. 553. maximum Nabatæorum emporium, inquit Strabo lib. 16. p. 537. in Arabia felici, ad sinum Arabicum.
Alsus campus, pag. 156. in Cilicia juxta Tharsum urbem versùs Aquilonem apud Pyramum fluvium.
Alema in Alemis, pag. 320. in vulgata editione, I. Machab. 5. vers. 26. in Alimis, civitas Galaaditidis regionis, in tribu Gad, prope saltum Ephraim, ad Meridiem.
Alepsus, v. Calipsus.
Alexandri aræ ad Issum p. 454. inter Ciliciam & Syriam prope Issum urbem; ubi Darius fuit ab Alexandro debellatus.
Alexandri castra, pag. 161. Ægypti regio sic appellata, quæ videtur fuisse inter Gazam & Pelusium; diversa ab Alexandri castris, apud Ptolemæum Geogr. lib. 4. cap. 5. in Lybiæ regione Hammoniaca.
Alexandria, pag. 161. quæ cognomento magna; sive Alexandria in Ægypto inter mare Ægyptium & Mariam sive Mareotidem paludem, in cujus parte maritimâ vicus erat Rhacotis dictus; ad occidentalius Nili fluvii ostium; ab Alexandro condita, à Græcis per excellentiam Πόλις dicta; nunc à Turcis, quibus paret, *Scanderia*.
ALEXANDREA p. 273. denarii argentei inscriptio, prælaudatæ Alexandriæ.
Alexandrinus, p. 25. Alexandriæ civis.
Alexandrenses, p. 267. & 268. qui Troadem incolebant; Alexandria enim locus erat in Ida Troadis monte, ut asserit Timosthenes à Stephano Byzantio citatus, ipsa nihilominus urbs Troas in cognomine Troade, Alexandria vocabatur; nunc *S. Maria* dicitur & à Turcis Carasia.
Alexandria ad Caucasum montem, pag. 176. qui à quibusdam Paropamisus appellatur, sub ejus radicibus ad portam, quà in Mediam via aperitur, & p. 183. Superato Caucaso ad Alexandriam (pervenit Alexander) quam apud Paropamisadas constituerat; est apud Steph. Byzantium decima septima, in Sogdiana regione; ad Oxum fluvium, ut ait Ptolemæus, lib. 6. Geog. cap. 12.
Alexandria ad Indum ab Alexandro condita, ubi Gentes Sodræ (apud Arrianum Sogdæ) & Massani in Strabone Massiani, p. 196.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Alexandria apud Oritas pag. 199. ubi priùs Rhambacia pagus, eum portu fluctibus toto & commodo.

Alexandria ad Tanaim condita pag. 176. ipsâ est apud Steph. Byzantium 18. de qua Ptolemæus lib. 3. Geogr. cap. 5. Plinius lib. 6. cap. 16. sic ait: *Flumine Iaxarte quod Scythæ Syllin vocant, Alexander militesque ejus Tanain putavere esse.* sicque hæc Alexandria fuit ad Iaxartem condita.

Alexandrium castellum elegans in montis vertice positum, In Judæa pag. 396. & 426. in dimidia tribu Manasse, quæ intra Jordanem, juxta Coreas & Machæruntem, in finibus Arabum, de eo adhuc p. 417.

Alinda pag. 149. & 153. urbs Cariæ munitissima & mediterranea, eaque Halydea Plinii. & Alymna, pag. 184.

Ἀλκομενὸς p. 218. civis urbis Illyriæ, cui nomen, teste Stephano Byzantio; Alcomenæ.

Allobroges Galli, p. 578. populi Galliæ, qui versùs meridiem Isera fluvio; versùs Occasum Rhodano amne, versùs Aquilonem eodem fluvio ac lacu Lemano; ab Ortu Alpibus concluſi; quorum Vienna Metropolis; nunc regio Viennense territorium partem Sabaudiæ, partem quoque Delphinatûs complectitur.

Aliophyli, p. 322. vide Philistæi: sic etiam Alienigenæ passim in Scripturis sacris appellantur.

Almon Diblathaim, p. 20. quæ & Beth-Diblathaïm, Num. cap. 33. vers. 46. in vulgata editione Helmondeblathaïm, quadragesima statio filiorum Israël, non longè ab urbe Madian; postea in tribu Ruben.

Alpes, p. 166. montes notissimi Galliam ab Italia semoventes, à mare Mediterraneo ad Adriaticum protensi; & variis nominibus pro regionum quas dirimunt varietate nominati; communiter verò à Gallis *les Alpes*, à Germanis *Alpen*, ab Italis *Alpi*.

Alush pag. 14. in vulgata editione, Num. cap. 33. versu 13. *Alus*, decima statio filiorum Israel inter Daphca & Raphidim, in terra Madian, in deserto.

Alymna, v. Alinda.

Amalekitarum regio, p. 6. quæ Amalecitis dicta, ad mare Rubrum usque protensa; in deserto Pharan, Judææ, seu terræ promissionis ad Meridiem; Madianitarum regioni contermina, in Arabia Petræa.

Amanica Pylæ p. 156. Portæ sive angustiæ quibus è Cilicia in Syriam iter aperitur, ab Amano monte, cui subjacent sic appellatæ.

Amanus mons, pag. 247. & 454. ad Orientalem Ciliciæ partem situs, illamque à Syria separans; olim græco vocabulo Melantius dictus, nunc quoque mons niger, ab Italis *Monte nero* nominatur.

Amasea, p. 398. urbs Ponti, Strabonis patria, qui eam fusè describit, l. 12. pag. 386. sita erat ad Irim fluvium, nunc vulgò *Amasia*.

Amastris, pag. 244. & 399. urbs maritima Paphlagoniæ ad Pontum Euxinum, ab Amastri condita, ad ostia fluminis Parthenii, nunc vulgò *Famastra*.

Amatha, pag. 371. castrum ad Jordanem situm, illud haud dubiè quod Adrichomius, pagina 75. collocat, in dimidia Tribu Manasse ultra Jordanem.

Amathitis, regio in extremis Chananææ finibus, pag. 342. quæ alio nomine regio Emath, à civitate cognomine, in septentrionali parte tribus Nephthali.

Amathus castrum ad Jordanem, pag. 361. in dimidia tribu Manasse trans Jordanem, de quo Adrichomius, p. 75. n. 91.

Amathusii, p. 89. & 231. cives urbis insulæ Cypri, cui nomen Amathus, quæ olim etiam toti insulæ nomen dederat; maritima erat ad australem partem sita, nunc vulgò *Limisso*.

Amazonum terra, p. 386. & Amazones, p. 174. mulieres artem exercentes militarem, quæ regionem Asiæ minoris circa Thermodoontem fluvium usque ad Phasim amnem incolebant; illis aliæ adhuc ab Authoribus mansiones assignantur.

Ambraciota, p. 151. cives urbis Thesprotiæ, cui nomen Ambracia, super Aracthum fluvium sitæ, paucis stadiis ab intimo recessu sinus ab ea denominati, nunc *Ambrachia*, vulgò *Larta*.

Ambracius sinus in Thesprotia Epiri regione, nunc vulgò ab Italis *Golpho di Larta*. p. 535.

Ambri populi Indiæ, vide Malli.

Amisus, p. 231. & 389. urbs Paphlagoniæ maritima ad Pontum Euxinum, Athenienium colonia, nunc *Simiso*, dicta, à Turcis *Amid*, aut *Hemid*.

Amiseni & Amisenses, prælaudatæ urbis incolæ.

Ammonis Jovis Oraculum, p. 82. situm in mediis Libyæ terris ne dixerim arenis, Strabo. lib. 1. p. 34. putat locum olim fuisse maritimum; etiam per H. Hammonis appellatur.

Ammonii, ejusdem loci sive urbis incolæ.

Ammonitæ, p. 20. populi quorum regio,

Ammonitis; trans Jordanem ad Septentrionem Torrentis Jaboc; quorum Metropolis Rabath, partem illius regionis incoluit dimidia tribus Manasse; erat ab Austro Moabitis, ab Ortu Arabibus, ab Aquilone Cœlesyriis contermina.

Amnia, pag. 368. Asiæ minoris fluvius, circa Bithyniam.

Amorai, pag. 20. populi trans Jordanem inter Torrentes Jaboc & Arnon & deserto concluſi; post in tribu Gad.

Amorgus, pag. 224. insula una Cycladum, quam Strabo lib. 10. pag. 336. inter Sporades numerat, retento hoc nomine pluribus aliis olim donata fuit; tres urbes priùs, nunc tria castella possidet.

Ampe, pag. 91. urbs ad mare quod Rubrum vocarur sita, ubi fluvius Tigris eam præterfluens exit in Mare; ubi nunc urbs *Bassora* alias *Balsera* in sinu Persico, vulgò *del Catif* dicto.

Amphipolis, pag. 90. urbs Macedoniæ in Thraciæ, cui à quibusdam assignatur, confinis, postea à Græcis Chrysopolis dicta ad ostia Strymonis fluvii, in sinu Strymonico, nunc vulgò *Amphipoli*, *Christopoli*, Turcis *Emboli*.

Amphipolita, Amphipolitanus & Amphipolites; gentile nomen civis prælaudatæ urbis.

Amphissenſis, pag. 508. civis urbis, cui nomen Amphissa, Locrorum Ozolarum in Græcia, ad fluvium cognominem, in Crissæo campo ut Strabo refert lib. 9. pag. 294. ibidem nunc *Lambino* vicus.

Anabus, (Josue c. XV. v. 50.) in vulg. edit. Anab. civitas in monte sita, in finibus Eleutheropoleos.

Anæa, pag. 110. & 113. urbs Cariæ maritima.

Anaita, Anæorum urbis cives.

Anagnia, pag. 325. urbs olim Latii, in monte posita, Hernicorum caput, nunc vulgò *Anagni* in *Campagna di Roma*.

Anagninus, Anagniæ civis.

Anagrana, pag. 554. locus Arabiæ Felicis, ita Strabo lib. 16. pag. 538. in ejus codicib. MSS. legitur τὰ νέγρανα, ut proinde fortè sit aut Negran aut Egran, de quo infra, quod liquet ex prioribus Strabonis verbis.

Anava, pag. 93. Phrygiæ urbs, ita Herodotus lib. 7.

cap. 30. inter Celænas & Colossas ejusdem Phrygiæ urbes.

Anchialus, pag. 47. & 155. potiùs Anchiale, urbs Ciliciæ maritima, inter Tarsum & Zephyrium, de qua Strabo lib. 14. p. 462.

Ancyra, pag. 155. & 285. urbs Galatiæ primaria, non longè à Gallo fluvio, in edito loco sita, hodie vulgò *Angara*, Anguri, vel *Enguri*.

Ancyranus, Ancyræ civis.

Andacena urbs, pag. 183. urbs, quæ Andacà dicta, in India atque ad originem ut videtur Indi fluvii.

Anderica, p. 95. Stathmus sive mansio, quam Gallicè vulgari nomine *une conchée* vocitamus, in Cissia regione, ducentis ac decem stadiis à Susis civitate distans. ita Herodotus lib. 6. cap. 119.

Andriaca, pag. 501. & Andriace, pag. 275. urbs Lyciæ maritima & Myrensium navale.

Andreste v. Adraistæ.

Andrii, pag. 96. cives urbis & insulæ Andros.

Andros sive Andrus insula, pag. 88. una è Cycladibus Euboeæ vicina, quam ad occasum habet, sicut Tenum insulam ad ortum; variis olim appellata nominibus, nempe Antandros, &c. nunc vulgò *Andre* sive *Andria*.

Andro, pag. 458. legendum Arado v. hoc verbo.

Anemuriensis civitas & vicinum

Anemurium promontorium, pag. 275. in Ciliciâ aspera sive Montana, hodie vulgò *Stalemura*.

Anglodunenses, pag. 69. institutum est Duaci (quæ urbs est & Academia litteraria Comitatus Flandriæ, ad Scarpum fluvium, vulgo *Douay*) Anglorum seminarium cujus ascetas arbitror ab Usserio Anglo-Duacenses appellatos.

Angustia Ciliciæ v. suprà Amanicæ Pylæ.

Annestus, pag. 554. urbs felicis Arabiæ à Gallo deleta, ut refert Plinius.

Antandrus, pag. 110. urbs Phrygiæ minoris, maritima, inter Sceplini & Adramytium.

Antandrii, ejusdem civitatis incolæ.

Anthedon, quæ posteà ab Herode Agrippias dicta, pag. 363. & 547. urbs Palæstinæ maritima, à Gaza viginti circiter stadia distans.

Anthemusias, pag. 613. urbs Mesopotamiæ, in ejusdem regionis haud dubiè parte quæ à Ptolomæo lib. 5. cap. 18. Anthemusia nominatur.

Anticragus, pag. 410. mons præceps in Lycia, in quo Carmylessus oppidulum aut castellum, de quo Strabo lib. 14. pag. 458.

Antigonia, pag. 238. urbs superioris Syriæ prope Antiochiam juxtà Orontem fluvium, de qua Strabo lib. 16. pag. 516. ab Antigono condita anno Mundi 3698. à Seleuco solo æquata anno 3704. posteà restructa, de ea enim pag. 453. ad an. 3953.

Antilibanus mons p. 21. & 159. à Mare Syriæ in Ortum usque ad Arabiam desertam protensus; quem ibi accolebant Arabes; Syriam à promissionis terra disterminans.

Antiochi vallis seu Pharanx, pag. 380. civitas in viâ Trachonitidis, ultra Jordanem in dimidia tribu Manasse.

Antiochia, pag. 243. cognomento magna, quæ juxta Daphnem sive Epidaphne dicta, totius Syriæ metropolis, quam Seleucus condidit anno Mundi 3704. ad Orontem fluvium, juxta Silphium montem, è regione Jopoleos, ubi anteà vicus erat, cui nomen Botzia, hæc civitas nunc *Antachia* nominatur.

Antiochenus ejusdem civitatis incola.

Antiochia Mygdonica &

Antiochia in Mygdonia, vide infrà Nisibis.

Antiochia Pisidiæ, pag. 625. civitas regionis Minoris Asiæ (cui hodie nomen tribuit) primaria seu metropolis, mediterranea vulgo *Tachia*, necnon *Antiochia*.

Antipatris, pag. 561. in Campo Capharsaba sive Capharsalama non longè à mari Mediterraneo, in dimidia tribu Manasse, quæ demum *Arsur* dicta, nunc tantùm villa cui nomen *Assur*.

Antissa, pag. 313. urbs in insula Lesbo, ad Septentrionalem partem posita.

Antium, pag. 436. urbs quæ etiam Antheia & Antia dicta, Volscorum caput, locus adhuc *Antio rovinato* vocatur, prope promontorium, cui nomen *capo d'Antio* 20 milliariis ab ostiis Tiberinis versùs Austrum distans.

Aornì, pag. 176. urbs inter maximas Bactrianæ urbes cum arce.

Aornus petra, pag. 185. præsidium munitissimum cujus ambitus teste Diodoro Sicul. stadiorum erat 100, altitudo 16; teste Arriano, ambitus stadiorum 200, altitudo 11. Radices ejus ad Meridiem Indus fluvius non procul à fontibus alluebat. de ea Strabo lib. 15. p. 473.

Aorsi, pag. 628. gens Scythica, cui Strabo lib. 11. pag. 349. duas sedes assignat, primam ad littus maris Caspii, secundam patriâ ejectis ad Tanaim fluvium; illos in Sarmatia collocat Ptolemæus Geogr. lib. 3. cap. 5. inter Agathyrsos & Pagyritas.

Apamea, pag. 263. & 326. urbs Syriæ, quæ à quibusdam Cœlesyriæ assignatur, ad Orontem fluvium, à cujus aquis quasi ferè penitùs cincta, peninsula sive Chersonesus Syriæ fuit appellata; quam etiam Macedones Pellam vocaverunt; de ea Strabo lib. 16. p. 517. hodie vulgò *Hameus* sive Hama.

Apamea, pag. 278. urbs minoris Phrygiæ, quæ p. 283. juxta Celænas, verius priùs Celænæ, posteà Cibotis dicta, in radice montis Signiæ, ad ostia Marsyæ fluvii, ubi Mæandrum ingreditur, nunc vulgò *Apamia*; de ea pag. 284.

Apamea, pag. 391. urbs Bithyniæ, priùs Myrlea, Prusiadi urbi vicina, maritima ad Propontidem, resumpto priori nomine hodie *Myrlea* nominatur.

Apamia sic sæpe Apameæ vocitantur.

Apamenses, Apamæus, Apamenus, Gentilia harum urbium nomina.

Aphaca civitas in fine operis est Aphæci turris, de qua Joseph lib. 2. de bello Jud. cap. 23. in tribu Ephraim; inter montana Ephraim & mare, non longè ab Antipatride.

Apharsakitæ, pag. 88. in vulg. edit. Arphasachæi, qui erant trans flumen (Euphratem) Esdræ primo cap. 5. vers. 6. an sit nomen familiæ aut loci, discerni non potest, nam pro hac voce apud septuaginta legitur, *Judices in Celesyria & Phœnice*.

Aphekum, pag. 29. in vulg. edit. 1. Reg. c. 29. v. 1. Aphec. urbs Regia in tribu Issachar.

Apherima Toparchia pag. 541. & civitas in Occidentali parte tribus Ephraim, in finibus Samariæ & Judææ; consule notas nostras Geographicas in sacram Scripturam.

Aphrodisias, pag. 231. urbs Ciliciæ cum portu, in regione quæ Cetis dicta, ut ait Ptolem. Geogr. lib. 5. cap. 8. inter Celenderim ad occasum & Sarpedonem ad ortum, hodie *S. Theodoro*.

Aphrodisias, pag. 281. urbs Cariæ, sive media inter Cariam & Lydiam, inter Mæandrum fluv. ad occasum; & Lycum amnem ad ortum; hæc urbs posteà teste Stephano Byzantio (cap. Megale) fuit Megale seu Megalopolis appellata.

Aphrodisienses, harum urbium incolæ.

Apia campus, p. 266. circa Æolidem in Asia minori.

Apis, pag. 327. locus cum portu in Libya, cui vicinum Parætonium versùs Orientem, de eo Ptolem.

Geogr. lib. 4. cap. 5.
Apollonia, pag. 264. plures hujus nominis civitates, ibi videtur ſermo de Apollonia Meſopotamiæ, quæ apud Stephanum Byzantium ordine eſt 14.
Apollonia ad ann. Chr. 53. urbs Macedoniæ, in ejus parte Mygdonia dicta, ad Chidorum fluvium, duodecim circiter milliariis Theſſalonicâ diſtans Occidentem æſtivum versùs, quæ hodie *Ceres*.
Apollonia, pag. 458. & 459. urbs Epiri, quam aliqui Macedoniæ tribuunt, decem ſtadiis ab Anjo fluvio versùs Aquilonem, & 60 ſtadiis à mare Adriatico diſtans, locus nunc *Piergo* nominatur.
Apollonia, pag. 390. urbs ad Rhyndacum fluvium in Aſiæ minoris Myſia, quam aliqui in Bithynia collocant, Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 2. in majori Phrygia.
Apollonia, pag. 581, ibi ſermo eſt de Apollonia Lydiæ, non longè à Tyathira versùs occaſum. apud Stephanum decima.
Apollonienſes ibid. ejuſd. urbis cives.
Apollonia, pag. 380. urbs in Tribu Ephraim ad Mare, inter Joppen & Antipatridem.
Apollonia, pag. 344. eſt Apollonia Syriæ, quam Stephanus 12. ordine recenſet, dicitque eſſe circa Cœleſyriam.
Apollonias, pag. 351. eſt Apollonia Lydiæ, de qua ſuprà; quæ ad Lambanum fluv. dicta.
Apolloniatæ in Cretâ, pag. 301. cives urbis ejuſdem inſulæ, cui nomen Creta, quæ maritima eſt & Gnoſſo ad Ortum æſtivum. de ea Plinius lib. 4. cap. 12.
Aporido κώμη, pag. 284. vicus ad Obrimæ fluvii fontes, in confinibus Piſidiæ, Phrygiæ, & Galatiæ.
Appii forum p. 641. urbs olim Latii ad Pontinam paludem inter Tarracinam & tres Tabernas; hodie *Caſarilio di S. Maria*.
Aquæ foſſæ Aiphar vide infrà Aſphar.
Aquileia, pag. 561. urbs olim Carnorum metropolis, ex primariis Italiæ, in Forojulienſi territorio, ad confluentes fluviorum *Turri* & *Alſæ*, nunc *Aquilegia* penè exciſa.
Reges Aquilonis & Auſtri, pag. 243. Danielis cap. 11. per reges Aquilonis, Seleucidas Syriæ reges; per reges Auſtri, Ptolemæos Ægypti reges credit intelligendos.
Ar, pag. 20. terminus Moabitarum & pag. 54. eadem eſt quæ Aroer de qua infrà.
Arabes, pag. 629. addita parentheſi; inſinuat ibi hoc vocabulo Edeſſenos eſſe intelligendos, vide infrà Edeſſa.
Arabes Nabataei, pag. 234. vide infrà Nabataei.
Arabes Nomades, pag. 321. qui nullâ ſede fixâ utentes & quocunque mens ferebat vagantes, paſcuariam vitam degebant.
Arabia, regio Aſiæ ampliſſima, Ægypto, Palæſtinâ, Syriâ, Meſopotamiâ, ac ſinubus Perſico & Arabico concluſa; in tres dividitur, in felicem Arabiam, quæ duabus aliis; ſinubus Perſico & Arabico atque Oceano concluditur; Arabia illa dicta eſt Æthiopia Orientalis, & pag. 208. Cherſoneſus Arabiæ, aliæ ſunt,
Arabia deſerta, pag. 320. quæ inter Syriam ad Occidentem, Meſopotamiam ad Septentrionem, felicem Arabiam ad Ortum, & Petræam Arabiam ad Meridiem; hodie vulgò *Arden*.
Arabia Petræa, pag. 36. col. 1. à Petra metropoli nominata, quæ Palæſtinam & Arabiam deſertam ad Aquilonem; ad Ortum verò & Auſtrum Arabiam felicem habet; ab Occaſu partem ſinûs Arabici & Ægyptum, vulgò hodie *Beriara* aut *Barraab*.
Arabs vir, & Arabiſſa mulier, Arabiæ indigenæ.
Arabia Nabataea, p. 529. quantum inquit, ad Oceanum vergit; ex his verbis colligitur per Nabathæam Arabiam, felicem Arabiam aut ejus partem intelligi; erant nihilominus Nabathæi ſive Nabutæi Tribui Gad contermini.
Arabicus ſinus, pars maris Rubri Arabiâ felice, Ægypto, & Æthiopiâ, quæ ſub Ægypto (quæque Arabiæ aſcripta aliquando eſt) concluſa.
Arabii gens Indica, p. 199. ad Oceanum Indicum, quam Occaſum versùs Arabius amnis ab Oritis ſeparat; Gedroſiam habebat ad Aquilonem.
Arabius amnis, ibid. vide infrà Arbis.
Arabitæ, pag. 199. iidem Arabii populi cum Arabiis Antiocheni diſceptantes, pag. 409. legendum haud dubie *Aradiis* de quibus infrà.
Arabum regio, pag. 209. hac voce Arabiam & maximè felicem intellige.
Arabum montes, pag. 437. juxtà quos Alexandrium Caſtellum, etant in parte Orientali dimidiæ Tribus Manaſſe, quæ intra Jordanem; non longè ab ipſo fluvio Jordane.
Arabum vallis, pag. 53. hac voce intelligendum reor, regionem Cavam ſive planam Arabiæ, quæ ultra Torrentem Arnon, quæque Philadelphia nominatur.
Arachoſia, pag. 176. Regio cum urbe cognomine, quæ apud Ptolemæum lib. 6. Geogr. cap. 20. ab Occaſu Drangianâ; à Septentrione Paropamiſadis, ab occaſu parte Indiæ; ab Auſtro Gedroſiæ parte terminatur, quæ nunc eſt *le Candahar*.
Arachoſii, Arachoſiæ populi.
Arachoti, pag. 171, 197, 345. ejuſdem Arachoſiæ populi, quæ etiam Arachotis appellatur.
Aradi rex; pag. 20. in vulg. edit. num. 21. verſu 1; rex Arad, urbs Chananæorum regia, quæ & Arath, & Hered, Hadar & Heder; fuit demum terminus tribus Juda ad meridiem, non longè à mari Mortuo.
Aradus inſula, p. 158. cum urbe, ſive potiùs tota urbs, condita anno Mundi 3254. ad littus Phœniciæ, duobus ab ea milliariis; ab Antarado urbe ſeparata; fuit etiam Aradius appellata, de ea pag. 48.
Aradii, incolæ prælaudatæ urbis ſeu inſulæ.
Aramus, pag. 21. in vulg. edit. 1. Paralip. 2. verſu 23. Aram, urbs, quæ alias Aran, in dimidia tribu Manaſſe ultra Jordanem.
Ararati terra ſeu Armeniæ, pag. 57. &
Ararati montes, pag. 4. in notis noſtris ad Martyrol. Rom. probavimus; Ararat ipſam Armeniam, de qua vide ſuprà.
Araſoci, potiùs Araſaci pag. 183. populi Indiæ cis Choen fluvium.
Arauna area v. Ornanis area.
Araxes amnis, pag. 169. & 401. qui è montibus Armeniæ naſcens, primò versùs Aquilonem, mox in Ortum decurrens, ſeſe in Caſpium Mare exonerat, nunc vulgo *Arais* aut *Achlar* & *Cajacz*, à Perſis *Araſs*. appellatur.
In Arbattis ideſt locis planis & campeſtribus, pag. 320. 1. Machab. 5. verſ. 23. regio illa videtur fuiſſe circa Galilæam.
Arbela plurali numero pag. 64. urbs Perſarum, quam Ptolem. lib. 6. Geogr. c. 1. in Syria ſuper Caprum fluvium collocat, alii inter amnes Caprum & Lycum, locus Alexandri de Dario victoria celebris, licèt illa contigerit in Gaugamelis vicino loco.
Arbeli domus, pag. 52. eadem urbs Arbela.
Arbela neutro Genere p. 329. & 513. in vulg. edit. Arbellà, vicus & regio circumjacens ſuperioris Galilææ, in tribu Nephali.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Arbelitis, pag. 52. & 420. regio circa prælaudatam Arbela urbem Darii clade celebrem; de ea Ptolem. Geogr. lib. 6. cap. 2.

Arbis sive Arabius fluvius, qui Indiæ versùs occasum terminus, ab Aquilone in Austrum decurrens, atque Oritas ab Arabis populis separans, Oceanum Indicum ingreditur.

Arbita sive *Arabita*, *Aribe*, & *Abrita*, nec non Arbies populi, qui suprà Arabii, pag. 199. quorum Arbis metropolis ad Arbim fluvium.

Arcadia, pag. 288. regio in medio Peloponnesi sita; inter Achaiam & Argolidem ab Aquilone; Laconiam ad Ortum; Messeniam ad Meridiem, & Elidem ad Occasum: nunc una cum Laconiâ, *Tzaconia* nominatur.

Arcades & *Archades*, pag. 110. Arcadiæ populi.

Archelais, pag. 579. vicus plurimis palmetis consitus, in tribu Ephraim, versùs Jordanem; ab Archelao Herodis filio conditus.

Ardachadensis, pag. 587. civitas in Hiberniæ Ultoniâ Provinciâ, Episcopalis, sub Armachana metropoli.

Areopagita, vir denominatus ab Areopago.

Areopagus, locus in colle è regione arcis Athenarum; ubi tribunal judicum integerrimorum concilio famosum.

Arethusa, urbs Judææ mediterranea.

Arethusa, pag. 480. & 519. urbs Syriæ, in Cassiotide regione quam Strabo lib. 16. pag. 518. in Chalcidica reponit; sita erat ad Orontem fluvium, inter Emesam & Epiphaniam; creditur ea, quæ nunc *Fornacusa*.

Argennum promontorium, pag. 272. Ioniæ in Asia minori; è regione Chii insulæ, versùs Aquilonem.

Arginusa insulæ, pag. 120. Xenophon. lib. 1. Hist. Græc. pag. 146. asserit sitas prope Lesbum insulam, juxta Malea promontorium, è regione Mitylenes urbis. Strabo lib. 13. pag. 424. dicit esse numero tres, easque parvas. Sitæ erant inter Maleam Lesbi, & Caranidem Asiæ promontorium.

Argos urbs, pag. 107. urbs Peloponnesi, olim Phoronicum dicta, Ægialia, & Diptium; ad Inachum amnem, nunc *Argo*, de ea pag. 405.

Argos regio, pag. 19. in Peloponneso; ab Argos urbe nomen adepta, dicitur etiam Argolis; habens ab Occasu Achaiam, ab Austro Arcadiam & Laconiam, ab Ortu & Aquilone mare Græcum.

Argivi, pag. 107. tum urbis Argos, tum Argolidis regionis populi.

Argos, pag. 250. sive Argos ara, alias in Argis, urbs in Isthmo Chersonesi Thraciæ, prope Lisymachiam versùs Aquilonem.

Argob, pag. 21. regio, priùs in Basan, ultra Jordanem; in dimidia tribu Manasse cui fuit data; aquis Merom ab Occasu; à Meridie Jordane; Terrâ Hus ab Ortu; ab Aquilone Trachonitide concluſa.

Argyraspides Macedones, pag. 223. non nationis nomen, sed militum scuta argentea gestantium.

Ariadnes mons, pag. 332. Asiæ minoris, ubi Jovis templum, videtur fuisse in Cappadocia.

Ariana, pag. 100. in Asia, quo communi nomine (inquit Ulterius) regiones omnes, ab occiduis Indiæ finibus usque protensæ comprehenduntur; de ea p. 345. cujus populi Ariani.

Aribe vide suprà Arbitæ.

Arigaum, pag. 183. urbs circa partes, ut videtur, Indi fluminis superiores.

Aria regio Asiæ, pag. 101. cui ab occasu apud Ptolem. Parthia & Carmania deserta, ab Austro Drangiana, ab Ortu Paropamisadæ, ab Aquilone Asiacœni & Nisæi.

Arii, pag. 174. populi Ariæ, & 628. dicuntur à Dahis Gynde flumine semoti.

Arimaspi, pag. 175. qui Agriaspæ & Evergetæ dicti. hinc constat fuisse populos Drangianæ vicinos & Gedrosiis conterminos, ac planè diversos ab Arimaspis, de quibus Strabo lib. 11. pag. 349.

Arimathæensis Josephus, pag. 604. indigena Arimathææ, loci, ut putatur, prope Lyddam seu Diospolim, inter Jerusalem & Joppen.

Ariminum, p. 488. colonia olim & in ea urbs Æmiliæ, ad Arimini fluminis sese in Adriaticum mare exonerantis ostia, nunc vulgò *Rimini*.

Arioch, v. Erioch.

Aristba, v. Larissa.

Arisba, p. 268. & *Arisbe*, p. 152. vide Abydena regio.

Armachanus ex urbe Armacha in Hiberniæ insulæ Ultonia regione *Armagh* ad *Kasin* fluvium.

Armenia, pag. 57. quæ & *Ararat* dicta, regio Asiæ amplissima in duas divisa, majorem videlicet & minorem.

Armenia major, pag. 287. ab Armenia minori & Cappadocia Occasum versùs Euphrate fluvio separata, Iberiam habens ab Aquilone conterminam; Mediam ab Ortu, ab Austro Mesopotamiam, nunc vulgo *Thouro*, *Emmer* aut *Aremmee*.

Armenia minor, pag. 287. à majore Euphrate fluvio & Commagena versùs Ortum semota, à Meridie Ciliciam habens, ab Occasu Cappadociam, ab Aquilone Cappadociæ Pontum; continet regiones nunc *Bosech*, *Pegian* & *Aladule* dictas.

Armuzia, v. Harmozia.

Arnon, p. 20. fluvius sive Torrens, qui è rupe Arnon ducens originem Amorrhæos à Moabitis separabat, Australiorem postea Tribûs Gad partem ab Arabia dividens, per mediam quasi Tribum Ruben defluit, ac tandem sese in Mare Mortuum exonerat.

Aroer, pag. 20. quæ & Ar Moabitarum, quæ est ante conspectum Rabbæ, urbs supra ripam torrentis Arnon, in confinio Moabitarum, Amorrhæorum & Ammonitarum: possessa primùm à gente Omnium; deinde à filiis Lot Moabitis, cessit postea tribui Gad, demùm Petra dicta & Metropolis Arabiæ secundæ facta.

Arpadus, pag. 52. infra Arpadum, regionem esse Arbelitida dicit, de quo fient Geographi.

Arpi, pag. 267. Arpinum urbs veteris Latii vulgò *Arpino* in Samnitum confiniis, inter Soram & Aquinum.

Arrhina, pag. 242. seu Arrhene Armeniæ majoris regio, in qua vicini Tigris & Arsania fluvii.

Arsania fluvius, pag. 405. veriùs Arsania, aut Arsanias fluvius majoris Armeniæ, qui per Arsaniam lacum transiens, infra Ximara Euphratem amnem ingreditur.

Arsinoe, pag. 245. vide infrà Ephesus.

Arsinoites præfectura sive Nomus in Ægypto, p. 255. ubi metropolis Arsinoe, inter Mœridem lacum & Nilum fluvium.

Artacana, Artacona sive Chortacana urbs Ariæ regionis primaria, pag. 174. Articane haud dubiè Ptolemæi, non longè ab Aria lacu.

Artagera, pag. 576. quorum Castellum in Armenia majori situm erat, de quo Strabo, lib. 11. pag. 364.

Artaxata, pag. 287. sive Artaxiasata; Majoris Armeniæ metropolis, in Atropatenes confinibus, super Araxem fluvium, à quo in modum peninsulæ cingitur. quia Hannibalis Carthaginiensis fuatu condita sive munita, Armeniorum Carthago agnominata est. hodie vulgò *Teflis* aut *Tiflis*, in Georgia.

Artemiſium Euboeæ promontorium, pag. 96. ſuprà Eſtiæam, Theſſaliam versùs in Septentrionali inſulæ regione.

Artemita, pag. 613. Parthicum oppidum, Strabo lib. 16. p. 512. inſignem aſſerit Aſſyriæ civitatem, quingentis ſtadiis à Seleucia versùs Orientem diſtans.

Arvad oppidum, pag. 173. Hyrcaniæ videtur, circa mare Caſpium.

Arus vicus, pag. 572. videtur eſſe Samariæ regionis, non longè à Samaria urbe.

Aſca urbs, pag. 554. Arabiæ felicis, de qua Strabo lib. 16. pag. 538.

Aſcalon, pag. 62. urbs olim una è quinque Satrapiis Philiſtinorum, maritima, quingentorum & viginti ſtadiorum ſpatio ab Hieroſolymis diſtans, in Palæſtina, hodie vulgò *Scalona*.

Aſcalonita, pag. 27. Aſcalonis civis.

Aſcania Palus, pag. 154. ſive Aſcanius lacus in Phrygia, in eo ſal, quo utuntur accolæ ſuapte naturâ concreſcit.

Aſheris tribus, pag. 33. ſive Aſeritica tribus ad Aquilonem terræ promiſſionis, ab Ortu tribui Nephthali finitima, ab Auſtro Tribui Zabulon, ab Occaſu Mare concluditur Syriaco & Phœnicio, ab Aquilone monte Libano; Partem Phœniciæ occupans.

Aſhdodus ideſt Azotus, pag. 55. vide infrà.

Aſia major, pag. 214. una ex tribus orbis partibus, ad orientem ſolis poſita.

Aſia minor, pag. 102. prioris pars, quæ ab Aquilone Ponto Euxino, ab Occaſu Mari Ægæo, ab Auſtro Mediterranei maris parte, quæ Pamphilium dicitur, ab Ortu verò terminatur Euphrate fluvio, inter ejus Provincias quædam Aſiæ nomine gaudent nunc vulgò *Anatolia* ſive *Natolia*.

Aſia propriè dicta, pag. 387. pars Aſiæ minoris ad Occaſum, quæ mari Ægæo alluitur; Bithyniam habens ab Aquilone, ab Ortu Phrygiam, ab Auſtro Cariam.

Aſia Lydiaca Aſiæ propriè dictæ pars, pag. 606. in qua Lydia continetur.

Aſia Pergamena Aſiæ propriè dicta pars circa Pergamum urbem.

Aſia continens, pag. 354. alias Epirus Aſiæ, ſic Aſia minor appellatur, & aliquando etiam Cherroneſus dicta eſt, cum ſit mari in modum peninſulæ cincta.

Aſia ſuperior, pag. 218. hac voce uſus eſt Herodotus lib. 1. cap. 95. ut majorem Aſiam exprimeret aut ſaltem ejus præcipuam partem.

Aſianus; ex Aſia oriundus.

Aſiaticum mare, p. 408. quod Aſiam minorem alluit, præcipuè mare Ægæum, cui expoſita eſt Aſia propriè dicta.

Aſinenſis Neo, pag. 117. ex urbe Aſine oriundus; plures fuere hujus nominis urbes, hic ſermo de Aſine Laconica, aut de Meſſenica.

Aſochis, pag. 362. urbs Galilææ in Tribu Zabulon, inter Cana Galilææ & Sephorim.

Aſophon, pag. 362. quæ & Aſephon, urbs in dimidia tribu Manaſſe, intra Jordanem, non longè ab eodem Jordane fluvio.

Aſor campus, pag. 342. prope civitatem olim Regiam Aſor, quæ poſtea fuit in Tribu Nephthali, non longè à finibus tribus Aſer, una ex urbibus Decapoleos, nunc vulgò *Antiopia*.

Aſpendus, pag. 115. urbs Pamphyliæ prope Eurymedontem fluvium, ſexaginta ſtadiis à Mari diſtans, de qua Strabo lib. 14. pag. 459.

Aſpendius, civis Aſpendi.

Aſphaltitis lacus, pag. 7. ſic à Bitumine dictus, & à ſale mare ſalſum, dicitur quoque mare mortuum; inter Tribum Juda ad occidentem & partem tribus Ruben ad orientem; à Stephano Byzantio Mare Zoara dicitur, à Nubienſi Mare Zogar, *Mare Sodom & Amor*.

Aſphar aquæ 329. lacus in Tribu Juda inter Gabaa & Janoe.

Aſpidii, pag. 136. legendum Aſpendii, cives urbis Aſpendi.

Aſpii, pag. 183. populi Indiæ, cis Chôen fluvium.

Aſpis, pag. 421. in Ponto Aſiæ minoris regione.

Aſſacani, pag. 184. è ſuperioribus lineis conſtat eoſdem eſſe cum Aſſacenis, pag. 185. adhuc Aſſacani nominantur.

Aſſaceni ſive Aſſacani, pag. 184. & 188. populi Indiæ ultra Guræum fluvium, quorum regionis maxima urbs Maſſaga.

Aſſeſus, pag. 63. urbs Cariæ non longè à Mileto versùs Auſtrum, ubi olim Minervæ fanum.

Aſſeveri, pag. 193. ſic vocabantur quidam Alexandri milites; & proinde nomen non videtur eſſe alicujus nationis.

Aſſum in vulg. edit. Act. 17. cap. 13. locum eſſe aſſerunt ad oram Auſtralem Cretæ inſulæ; alii vocabulum, adverbiale græcum quod tantùm *prope* ſignificat.

Aſſus urbs, pag. 142. & 149. urbs maritima Aſiæ minoris in finibus Troadis & Myſiæ, inſulæ Lesbo expoſita, quæ etiam teſte S. Hieron. Apollonia fuit appellata hodie *Aſſo*.

Aſſyria, pag. 44. quæ etiam Aturia & Atyria pag. 166. Regio ampla majoris Aſiæ, habens à ſeptentrione majorem Armeniam conterminam, ab ortu Mediam, à meridie Suſianam & Babyloniam, ab occaſu Tigrim fluvium, quo à Meſopotamiâ ſecernitur, hodie *Diarbech*.

Aſſyrii, populi Aſſyriæ, quorum Imperium alias adhuc complectebatur regiones, puta Syriam, Meſopotamiam, Chaldæam, &c. pag. 8.

Aſtaceni, pag. 231. quorum urbs Aſtacus.

Aſtacus, pag. 56. & 258. v. Nicomedia.

Aſtypalæus, pag. 194. incola Inſulæ.

Aſtypalæa dictæ, quam Stephanus Byzantius inter Cycladas, Strabo lib. 10. pag. 336. inter Sporadas recenſet, in mari Carpathio; ſeptem milliariis à Creta inſula ſibi Auſtrali diſtans, hodie *Stampalia*

Atabyrium oppidum, p. 266. vide Thabor.

Atarena regio, pag. 553. & 554. Regio felicis Arabiæ, quæ Nomadum Arabum erat, cujus rex erat Sabus.

Atarna, pag. 130. Atarneus Myſiæ locus, pag. 77. & 117. nec non Atarnum oppidum Myſiæ, in Aſia minori, ad Helleſpontum, è Regione Lesbi.

Aternis, pag. 91. Provincia ſive regio Myſiæ, circa præfatum oppid. Aternum.

Ategua, pag. 480. oppidum Hiſpaniæ Boeticæ exciſum, olim prope urbem, quæ nunc *Alcala Real*.

Athenæ, pag. 74. urbs Græciæ clariſſima & Atticæ metropolis atque Academia, ad Iliſſum fluvium, prope ſinum Saronicum, nunc vulgò *Setines* cujus arx Acropolis dicta, pag. 96.

Athenienſes, Athenarum populi.

Athlula ſive Atturalia, pag. 554. inſignis urbs felicis Arabiæ, de qua Strabo lib. 16. p. 538.

Athos mons, pag. 92. & 306. in Thraciæ & Macedoniæ confinibus ſeu potiùs in ipſa Macedonia, in mare Ægæum maxillæ ad inſtar ſeſe extendens; nunc hodie *monte ſanto*, à Turcis *Monaſtir* appellatur.

Athone, pag. 417. urbs Arabum, in Palæſtinâ, ut ex Joſepho Antiq. lib. 14. cap. 2. colligi poteſt.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Atlanticum mare, pag. 422. pars Oceani Occidentalis, occiduæ Partì Africæ vicina, ubi Atlas mons, à quo nomen illi datum.

Atramytium vide Adramytium.

Atropatena, pag. 521. & Atropatia, pag. 219. quæ ibi Media minor esse dicitur; Mediæ etenim pars erat Occidentalior; ab Occasu Armeniam majorem habens, à qua fluvio Araxe separabatur; ad Aquilonem Mare Caspium, ad Ortum alteram Mediæ partem, ad Austrum ejusdem Mediæ partem Matianam dictam, hodie vulgò *Servan* seu *Xervan* sive *Schirvan*.

Attali tribus, pag. 273. sive Attalis & Attalia, priùs dicta Antigonis, quæ cum tribu Demetriade aliis decem Atticæ tribubus addita est.

Attalia, pag. 462. urbs Pamphyliæ (non Ciliciæ oppidum) maritima ad ostia Catarractis fluvii, quem ad Ortum habet & vicinam Olbiam urbem ad Occasum, nunc *Satalia*, Turcis *Santali*.

Attalienses, pag. 384. Attaliæ urbis cives.

Axoma, pag. 554. urbs Æthiopiæ sub Ægypto, de qua Plinius lib. 6. cap. 29.

Attica, pag. 8. sive Attica terra, pag. 92. nobilior Græciæ pars, priùs Ionia dicta, Boeotiæ contigua, ferè undique mari Ægæo exposita, hodie ab Italis *Ducato di Sethines* appellatur.

Aturia & *Atyria*, pag. 166. vide *Assyria*.

Ava, pag. 55. v. Ivua.

Avenis convallis, pag. 51. col. 1. in vulg. editione Amos cap. 1. versu 5. pro his verbis legitur, Campus Idoli.

Augusta, pag. 559. vide Paphus Cypri.

Augusta, pag. 551. v. Samaria.

Aulon Ciliciæ, pag. 380. urbs inter Moabiticas enumerata à Josepho Antiq. lib. 13. cap. 23. pag. 462.

Auranitis, pag. 553. regio in dimidia tribu Manasse trans Jordanem ab Aran urbe, sitâ inter Cæsaream Philippi & Damascum, sic nominata.

Ausonia, pag. 558. priscum Italiæ nomen.

Austri Reges, pag. 243. vide supra Reges Aquilonis.

Autari, pag. 253. & Autarii, pag. 252. iidem, qui Autariatæ, populi Illyrii, de his Strabo lib. 7. pag. 218. Scylax in Periplo dicit lacum amplum, qui ad superiores partes Naronis fluvii est, pertingere usque ad Autariatas.

Automala in occidentali Cyrenaicæ termino, pag. 237. ubi sanè Automalax castrum, in intimo sinu & australi Syrtis majoris recessu, de quo Ptolemæus Geog. lib. 4. cap. 4.

Auxiani lege Uziani.

Azeka, pag. 23. & 70. in vulg. edit. Azeca & Azecha, civitas Tribus Juda, in finibus Dommin, de ejus situ plurimum discrepant celebriores Geographi.

Aziritus, pag. 62. locus, ut ait Herodotus lib. 4. cap. 157. in Libya, è regione (Platææ) Insulæ, amœnissimis collibus utrinque conclusum, & utrinque flumine præter labente est Azilis seu Aziris Stephani Byzantii, Azylis Ptolem. lib. 4. cap. 5. nunc *Forfoli* sive *Forcella*.

Azotum & Azotus, pag. 27. & 235. Ἄζωτος 8. urbs insignis una è quinque Satrapiis Philistinorum in Palæstina, media inter Accaron & Geth? in districtu postea tribûs Dan. hodie villula vulgò *Alzette*.

Azotus mons, pag. 329. mons urbi Azoto vicinus.

B

Baal-Gad, Josu. XI. 17. locus in campo Libani, sub monte Hermon, in finibus tribûs Aser, ad Septentrionem & Occidentem; quem urbem & montem facit Adrichomius.

Baal-Zephon, pag. 14. in vulg. edit. Exodi cap. 14. v. 2. *Beelsephon*, locus Ægypti ad mare Rubrum, contra Magdalum & Phihahiroth.

Baala, vide Kiriath-Baal.

Babel, pag. 5. *quod confusionem significat*. & pag. 59. locus in campo terræ Sennaar, in quo turrim homines ædificare cæperant.

Babylon & Babylonia urbs & Turris, pag. 5. civitas Assyriæ metropolis & maxima ad Euphratem fluvium, excisa, cujus tamen rudera visuntur, ubi nunc *Felugia*, huic successit urbs *Bagdat* ad Tigrim fluvium.

Babylonia regio circa Babylonem, hoc vocabulo in Sacris scripturis sæpe regnum Assyriorum intelligitur.

Babylonii, Babyloniæ regionis accolæ.

Babylonicum mare, pag. 401. hîc intelligi debet sinus Persicus.

Bacchium insula urbi Phocensium imminens, p. 281. prope Æolidem minoris Asiæ, in Smyrnæo sinu.

Bactra, pag. 101. & 176. urbs, quæ etiam Zariaspa dicebatur, super ejusdem nominis præterfluentem fluvium sese in Oxum exonerantem, quæ regionis maxima, ipsi etiam nomen dedit, creditur esse quæ nunc *Termend*.

Bactra & Bactria & Bactriana regio majoris Asiæ, quæ referente Ptolemæo Geog. lib. 6. cap. 11. confinem habebat ab Occasu Margianam, ab Aquilone & Ortu Sogdianam partémque Oxi fluvii; ab Austro Ariam: regiones complexa, quæ nunc *Mauranahar* seu *Usbek* & partem *Corasan* regionis; ejus pars quæ ad Occasum citerior, quæ ad Ortum ulterior vocabatur pag. 214.

Baltri & Bactriani, Bactriæ seu Bactrianæ populi, qui etiam Bactrii dicti, pag. 25. 81. & 552.

Badaca, pag. 226. urbs Susianæ regionis, ad Eulæum fluvium sita.

Baia, pag. 618. Campaniæ oppidum maritimum, suis aquis calidis & salubribus celebre, nunc *Baia*.

Bajanus sinus prope Bajas, qui nunc *Golpho di Pozzuolo* nominatur in terra Laboris dicta.

Bagistane rego, pag. 205. videtur fuisse inter Babyloniam urbem & Mediam regionem; ubi mons Bagistanus.

Balearicum mare 408. circa Baleares Mediterranei maris, non longè ab Hispania, insulas; nunc *Mare del Majorca y Menorca*.

Balissus rivus, pag. 447. brevis & angustus in Assyria; in Mesopotamia erat, quæ plerumque tribuitur Assyriæ.

Bambyce, pag. 446. v. Edessa.

Bamotha, pag. 20. in vulg. editione *Bamoth*, locus in Campo Moab; ubi posteà Tribus Ruben.

Barathra, p. 147. & 239. voragines inter Ægyptum & Palæstinam, sive loca palustria & cœnosa, circa Sirbonidem paludem & Casium montem, quæ etiam dicta Typhonis exhalationes, nunc *Golfo di Damiata*.

Barcæi, pag. 81. & 215. populi Libyæ, Cyrenaicæ regioni versùs Austrum finitimi & Mediterranei, quibus Hesperidum horti erant ad Occasum, quorum urbs Barce apud Ptolem. Geogr. lib. 4. cap. 4. qui eos Barcitas appellat.

Barcani, pag. 155. qui à Stephano Byzantio Barcanii dicuntur, & gens Hyrcanis contermina.

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICUS.

Barce, pag. 198. urbs ab Alexandro condita circa oſtia Indi fluvii, forſan Barace urbs in inſula cognomine, ad ejuſdem fluminis oſtia, de qua Ptolem. Geogr. lib. 7. cap. 1.

Barcenſes, pag. 215. prælaudati Libyæ Barcæi.

Bargylia, pag. 272. plurali num: quæ & Bargyla, urbs Cariæ, quam Andanum vocabant Cares, inter Jaſſum & Myndum, mari Ægæo expoſita. de ea Ptolem. lib. 5. cap. 2.

Bargyliticus ſinus, maris receſſus prope Bargylia urbem, qui ab Jaſſo etiam Jaſſicus appellatur.

Baſan, pag. 21. Regnum ſeu regio, quæ priùs terra Raphaim, ideſt Gigantum, dicta, trans Jordanem, data poſteà dimidiæ Tribui Manaſſe: ejus termini à Meridie torrens Jaboc, ab Occaſu Jordanis fluvius, ab Aquilone montes Libani & Hermon, ab Oriente Arabia deſerta.

Baſca ſive Baſcama, pag. 343. locus in Galaaditide regione, in Tribu videlicet *Gad*.

Baſilii, pag. 386. id eſt regii populi Sarmatarum in Europa, prope Jazyges; de quibus Strabo lib. 7. p. 212.

Baſina, v. Burſia.

Baſtarna, pag. 367. & Baſternarum gens p. 253. Germaniæ priùs populi, ut Cluver. aſſerit lib. 3. Germ. Antiquit. cap. 43. qui ad Danubii oſtia venientes, Peucen inſulam habitarunt, illis terminos aſſignat ab Aquilone Aprum fluvium & Amadocem lacum fluviúmque ex eo defluentem; ab Ortu Pontum Euxinum & Iſtri Oſtia; à Meridie eundem fluvium, ab Occaſu Aſciburgium montem; ibi nunc Podolia, Beſſarabia, Moldavia, & Valachia.

Batana, pag. 167. ὁι Βατανῖται ſive ὁι Ἐκβατανῖται: locus prope Euphratem, ut ait Stephanus Byzantius, non Ecbatana Mediæ metropolis.

Batanæa, pag. 553. & 570. &

Batanea, pag. 274. & 441. regio trans Jordanem, in dimidia Tribu Manaſſe ſita, Trachonitidi ab Aquilone; Gaulonitidi ab Ortu confinis.

Bathanatii via, pag. 253. tractus circa Danubium fluvium ad confluentes ejuſdem & Sarwitzæ, ſupra oſtium Dravi fluvii; ubi hodie *Bathaſeck*.

Bathyra, pag. 566. urbs in Trachonitide à Babyloniis habitata, ea propter ejus incolæ Babylonii ſunt appellati.

Bazaria regio vel Baſiſtis, pag. 180. regio Scythiæ Aſianæ.

Bazira, pag. 184. urbs opulenta & munita circa Indi fluminis partes ſuperiores.

Bazirenſes prælaudatæ urbis incolæ.

Beatorum inſula, pag. 82. *Μακάρων νῆσοι*, regio inter Ægyptum & Libyam, ubi Oaſis urbs & aliæ duæ urbes ad inſtar inſulæ in mediis arenis.

Beerſheba, pag. 28. in vulg. edit. primi Regum 8. verſu 2. Berſabee, hæc non videtur Berſabée terminus terræ promiſſionis ad Auſtrum, de qua paſſim in ſcripturis, ſed Berſabee; quæ terminus eſt ſuperioris Galilææ & inferioris, in tribu Zabulon, de qua ibid. Adrichomius.

Beerum, pag. 20. in vulg. edit. num. 21. v. 16. res per Beer ſignificata videlicet puteus exprimitur, erat prope Ar ſeu Aroer in finibus Moabitarum.

Beersheba, pag. 7. terminus terræ promiſſionis ad Auſtrum, in Geraritica regione.

Bela ſeu Zoar, pag. 5. in vulg. edit. Geneſ. 14. v. 2. *Rex Bale, ipſa eſt Segor* civitas regia, una è quinque urbibus Pentapoleos, eaque minima, ſola ab incendio liberata, quæ Syriace Zoar dicta, ad oram occiduam maris mortui, poſtea intra fines tribus Juda, tempore S. Hieron. Balezona dicta; poſteà vulgò *Palmer*. Seor vocatur à Luca Holſtenio.

Bellovacenſis, pag. 148. ortus è Bellovaco civitate Belgicæ ſecundæ, in Gallia, quæ nunc vulgò *Beauvais* ad Theram fluv. in inſula Franciæ.

Bene-Jaakan, pag. 18. ſive Beeroth Bene-Jaakan, putei filiorum Jaakanis. in vulgata editione Deuteron. 10. verſ. 6. Beroth filiorum Jacan, in Moſera; ipſa eſt Benejaacan, de qua Num. 33. verſ. 31. inter Moſeroth & montem Gadgad: vigeſima octava ſtatio filiorum Iſraël.

Benjamin ſive Benjaminitica tribus, pag. 25. in meditullio terræ promiſſionis ſita, à meridie & occaſu tribui Juda contermina, à ſeptentrione tribui Ephraim, & ab ortu Jordane fluvio à tribu Ruben ſeparata.

Berean, pag. 329. alias Beerzath, apud Joſeph. Antiq. lib. 12. Berzethum locus ſuperioris Galilææ, in tribu Nephthali, prope Arbella.

Berenice, pag. 245. & Bernice pag. 337. urbs Epiri, in Epiri Cherſoneſo, è regione Corcyræ inſulæ.

Berenice urbs Libyæ, pag. 385. urbs una ex quinque Pentapoleos Libyæ, quæ & Heſperides dicta à Ptolem. Geogr. lib. 4. cap. 4, eadem ac Barce, de qua ſupra, verbo Barcæi.

Berœa, Act. 17. verſu 10. urbs Macedoniæ, inter Theſſalonicam & Candavios montes, non longè à Ludias fluvio, in Emathia regione, hodie vulgò *Veria*.

Berœenſis, Berææ incola.

Berrhœa, p. 245. Berrhœa p. 323. urbs totius Syriæ maxima; quam aſſerunt eſſe eam, quæ nunc ſub *Alep* nomine celebratur.

Berrhœus, pag. 163. urbis hujus civis.

Berutius, pag. 26. Berytius Beryti civis.

Berytus, 323. & 265. Colonia & urbs Phœniciæ maritima & emporium celebre, hodie vulgò *Barut*.

Berytius, accola Beryti.

Beſor torrens; pag. 29. Beſor, qui in tribu Juda enaſcens, & per fines tribus Simeon, Auſtrum verſùs defluens, ad urbem Majumam mare Mediterraneum ingreditur.

Bethabara, pag. 587. in vulgata lectione Joannis 1. v. 28. legitur Bethania; Bethaniæ nomine Baraneam de qua ſupra appellatam aſſerit Adrichomius. Bethabara locus erat ad Jordanis Orientalem ripam, in tribu Ruben.

Bethalagan, pag. 331. vide Bethbaſis.

Bethania, pag. 596. oppidum ſeu Caſtellum juxtà Jeroſolymam quaſi ſtadiis quindecim, verſùs Orientem, in tribu Benjamin.

Bethbaſis, pag. 331. in vulg. edit. primi Machab. 1. verſu 62. Berhbeſſen, apud Joſephum Bethalagan, civitas in deſerto, forſan deſerto *Quarentana*, in tribu Benjamin.

Beth-Dagon, pag. 338. id eſt Domus Dagon, Idoli fanum apud urbem Azotum, de qua ſupra.

Beth-Diblathaim, v. Almon Diblathaim.

Bethel, pag. 6. antea Luzi in vulg. edit. Luza civitas, quæ proinde ſæpius Bethel-Luza dicta, olim Regia, poſtea data tribui Benjamin. Bethel domum Dei ſignificat, ſed cum à Jeroboam mons in quo ſita erat Idolis pollutus fuiſſet, dicta eſt Bethaven id eſt domus Idoli.

Bethelita, pag. 34. col. 2. civis Bethel.

Bethſeda piſcina, pag. 563. apud urbem Jeroſolymam; quæ in novo teſtam. Piſcina probatica appellatur.

Beth-horon, pag. 328. & Bethoron pag. 627. civitas; quæ Bethoron inferior dicta, ad ſuperioris diſcrimen, in tribu Benjamin, hodie *Bethur*.

Aſcenſus Beth-horonis in Judæa, pag. 326. ſcilicet hîc eſt de prælaudata Beth-horon.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Beth-Jesbimoth, pag. 21. quæ etiam Beth-simoth, & Beth-simon, civitas in Campestribus Moab, ad Aquilonem, quæ postea in tribu Ruben.

Bethlehem & Bethlehemum, pag. 9. & 28. Judææ, quæ urbs Davidis, quæ in Scripturis Lehem & Lahem & Ephrata: in tribu Juda 7. milliariis Jerosolymâ distans versùs Austrum, Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi nativitate celebris.

Bethlehemita: *civis* Bethlehem.

Bethoron, vide suprà Beth-horon.

Beth-peor, pag. 22. in vulgata editione, Deuteron. cap. 34. versu 6. tantùm, *Phogor*, & ejusd. Deuter. cap. 4. vers. 46. fanum Phogor, in terra Schon regis Amorrhæi. & Josue 13. vers. 20. Bethphogor, in Moabitide regione, postea in tribu Ruben.

Beth-phage, pag. 597. in vulg. edit. Beth-phage. viculus sacerdotum Jerosolymis proximus, ad radices montis Oliveti, Orientem versùs.

Bethsaida, pag. 587. civitas Galilææ, una ex decem Decapolitanæ regionis ad maris Tiberiadis ripam Septentrionalem & Occiduam, in districtu tribus Zabulon, quæ postmodum fuit Julias appellata.

Bethsan, pag. 266. & 322. v. Scythopolis.

Bethshemeshum, pag. 43. urbs tribus Juda, Levitica facta & confugii, quæ in vulg. editione Bethsames dicta, id est domus solis, fuit etiam Abel magnum, id est Planctus magnus appellata.

Bethshemesh'ta ejusdem urbis incolæ.

Bethsura, pag. 317. & 318. civitas Juda, milliario aut quinque tantùm stadiis Jerosolymâ distans Austrum versùs, in rupe sita & munitissima.

Bethsurani urbis præfatæ cives.

Bethulia aliàs Beth-hogla p. 61. civitas tribus Zabulon in altissimo monte posita, Holophernis oppugnatione, & cæde notissima.

Bethzacharia, pag. 322. in vulg. edit. primi Machab. 6. versu 32. Betzachara, civitas in districtu tribus Juda, ad Aquilonem.

Beudos vetus, pag. 284. Beudos, quod vetus, significat, oppidum Phrygiæ, diei itinere Synnadis dissitum, versùs Galatiam, idest Aquilonem versùs.

Bezeth sive Beth-zetha, pag. 326. in vulg. edit. I. Machab. cap. 7. vers. 19. *Bethzecha* locus situs ad Jordanem, in dimidia tribu Manasse, quæ intra Jordanem erat.

Bezetha, pag. 646. vide Cænopolis.

Bithynia, pag. 56. regio Asiæ minoris, quæ cum Ponto una Provincia effecta (Ponto ad Ortum sito, Bithyniâ ad Occasum) terminatur à Septentrione mari Pontico sive Euxino; ab Ortu Galatiâ, à Meridie Asiâ propriè dictâ, ab Occasu Propontide: priùs Bebrycia dicta, etiam Thracia Asiatica nunc vulgò *Bulli*.

Bithyni, pag. 59. Bithyniæ populi.

Bithynum mare, pag. 18. quod circa Bithyniam.

Boii Galli, pag. 256. populi regionis, quæ nunc vulgò *le Bourbonnois*, cujus urbs Molinæ *Molins* caput, habens ab Aquilone Biturigiam & Nivernense territorium, ab Ortu Burgundiam, à Meridie & Occasu Arverniam.

Bononia, pag. 497. urbs Galliæ Togatæ in Æmilia, quam Rhenus *Reno* amnis fossâ deductus intùs irrigat, nunc *Bologna*, in Romandiola.

Borrhæum, pag. 422. munitio seu receptaculum prædonum, ad Libanum montem, de quo Strabo lib. 16. pag. 510.

Borysthenes urbs, pag. 61. ad Ostia Borysthenis fluvii, ripam videlicet dexteram & occiduam: & ad littus Euxini maris; quæ etiam Olbia appellata fuit; nunc verò *Oczacow*. condita anno Mundi 3349.

Boscathæa Idida, pag. 61. in vulg. editione, 4. Regum cap. 22. versu primo *Idida de Besecath*, apud Septuag. Interp. Βασκαθ. Abulensis in hunc locum dicit debere intelligi urbem Bascath, de qua Josue 15. versu 39. quæ à S. Hieron. Basecat appellatur, quæque civitas est tribus Juda.

Bœotia, pag. 98. regio Græciæ: cujus limites ab Austro Attica & pars sinus Corinthiaci; ab Occasu Phocis; ab Aquilone Locri Opuntii; ab Ortu pars maris, quod Euripus appellatur, hodie vulgò *Stramalita*.

Bœoti, pag. 96. Bœotiæ populi.

Bostora, pag. 320. in vulgat. editione I. Machab. cap. 5. versu 26. Barasa in textu Græco Bossora, civitas munita & magna, in Galaaditide regione in tribu Gad.

Bosor, p. 320. civitas in tribu Ruben, in terra Campestri, sita juxta desertum, ut censet Adrichomius.

Bosphorus, pag. 371. duo sunt Bosphori: hîc sermo est de eo, qui

Bosphorus Cimmerius, p. 97. fretum, quod inter Chersonesum Tauricam ad Occidentem & Sarmatiam Asianam ad Orientem, & intra Mæotim Paludem ad Septentrionem, ac Pontum Euxinum ad Meridiem, hodie vulgò *Vospero* seu fretum *de Caffa*, nec non Gallicè *la bouche de S. Jean*.

Bosphorani, pag. 560. hujus Bosphori accolæ, sic quoque pag. 379.

Botrys, pag. 265. & 422. urbs Phœniciæ maritima infra montem Libanum, intra Byblum ad Austrum, à qua milliariis quatuor distat & Theuprosopon ad Aquilonem. de ea Ptolem. Geog. lib. 5. cap. 15.

Botticæi, pag. 98. populi Thraciæ, quorum nihilominus regio in Macedonia collocatur, circa Pellam, ad littus Thermaici sinus, sive Thessalonicensis.

Bozzia vicus, pag. 243. locus, ubi postmodum Antiochia Syriæ cognomento magna fuit extructa.

Brachmanum gens, pag. 196. & Brachmanum urbs, p. 193. & 196. non solùm Philosophi, sed gens quam Ptolemæus lib. Geogr. 7. cap. 1. in India intra Gangem collocat, & eorum urbem Brachme appellat; hæc de qua pag. 193. diversa esse debet à Sindomana, de qua pag. 196.

Branchidæ, pag. 77. & 100. locus, ubi oraculum Apollinis Didymæi in Caria, cujus incolæ Miletum fugerunt, & prope hanc urbem oppidum, ab eis Branchidarum dictum, extruxerunt, de quo pag. 177.

Britannia, p. 450. insula Oceani Septentrionalis Galliæ vicina; Angliam & Scotiam complectens, quæ à Ptolemæo Albion dicta, nunc vulgo Britannia major.

Brixienſis, in Præfat. civis Brixiæ civitatis, quæ Colonia olim & urbs Cenomanorum in Gallia Cisalpina, apud Melam fluvium, nunc vulgò *Brescia*.

Brochi, pag. 263. Castellum situm in angustiis, quæ ad radices sunt montium Libani & Antilibani. de eo Polyb. lib. 5. Hist. pag. 390.

Bruchium, pag. 253. pars urbis Alexandriæ, in qua anno Mundi 3727. Ptolemæus Philadelphus egregiam Bibliothecam instituit.

Brundusium, pag. 285. urbs Italiæ olim in Salentinis, ad Adriaticum mare sita, nunc vulgò *Brindisi*, in territorio Hydruntino.

Brutii, pag. 207. populi Italiæ, ubi nunc Calabria tum citerior tum ulterior; quibus occasum versùs adjacet Sicilia insula; versùs Austrum sinus Tarentinus.

Bubacene, pag. 182. majoris Asiæ regio.

Bubastus urbs, p. 60. quæ Bubastus, p. 147. urbs Ægypti ad Orientalis Ostii Nili ripam Orientalem; videtur esse, quæ hodie *Azzoth*.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Bucephale ſive Bucephalia, pag. 188. urbs ad Hydaſpen Indiæ fluvium, ab Alexandro condita, quæ hodie *Lahor*, in Provincia de *Pengab*.

Bumadus ſive Bumellus amnis, pag. 164. & Bumelus p. 166. fluvius Aſſyriæ, ad quem ſitus erat Gaugamela vicus, non longè ab Arbellis.

Burſa, pag. 207. (fortaſſe Baſita Ptolemæi) urbs trans Euphratem olim deſerta, ducentis ſtadiis Babylone diſtans.

Butus ſive Butos, pag. 83. urbs Ægypti & totius Deltæ metropolis, ad Pharmuciacum fluvii Nili oſtium, de qua Ptolemæus lib. 4. cap. 5.

Byblis urbs munitiſſima Ægypti, in inſula Nili Proſopitide poſita p. 105.

Byllis, pag. 491. urbs Elymiotarum in Macedonia, maritima ad mare Ionium ſeu Adriaticum; illam Stephanus Byzant. Illyrio tribuit quia hæc Macedoniæ pars Illyrio pariter attribuitur.

Byzantium, p. 89. urbs Thraciæ ad Boſphorum Thracium, in Europa ſita; quæ poſtmodum Conſtantinopolis appellata, caput Imperii Orientalis effecta eſt; nunc vulgò dicta *Stamboli*.

Byzantii, p. 91. & Byzantini, p. 108. prælaudatæ urbis accolæ.

C

Cabala, pag. 416. vel Gabala urbs Ciliciæ in Aſia minori.

Cabira numero plurali, p. 393. 395. & 411. urbs Armeniæ minoris, ad latus montis Paryadris, 150. ſtadiis ab Eupatoriâ ſive Magnopoli verſùs Meridiem; in ea fuit Mithridatis Regia, quam Pompeius ad urbis formam adornavit ac Diopolim nominavit. Auxit Pythodoris uxor Polemonis, & Auguſtam nominavit. vide Strabonem lib. 12. pag. 383.

Cabul, pag. 33. in vulgata editione, 3. Reg. 9. v. 13. Chabul, pro qua dictione apud ſeptuag. interpret. eſt vocabulum *terminus*, regio in terra Galilææ, ſive tribu Aſer, viginti oppida complectens, hodie *Zabul*.

Cabulo mons in fine operis, in promiſſionis terra, in quo exſtà ſunt Judæorum duo millia.

Cacheres, v. Caleces.

Cades ſive Cadeſus, p. 342. quæ in tribu Aſer, quam Joſephus Cedaſam, aliàs Cedeſſam nominat.

Cadmæa, p. 151. arx urbis Thebarum Bœotiæ, à qua cives nonnunquam Cadmæi ſunt appellati.

Cadra collis, p. 612. apud juga Tauri montis, prope Ciliciam aſperam.

Caduſii, p. 75. & 139. populi, quos Strabo lib. 11. p. 160. dicit habitare Septentrionalem partem Mediæ Atropatene dictæ, prope Auſtrale maris Caſpii littus, regio, quæ nunc *le Schirvan*.

Caduſianum bellum, contra Caduſios.

Canopolis, p. 646. ſive Bezetha, id eſt nova civitas, erat pars quarta civitatis Jeruſalem propriis muris cincta.

Cæſarea, pag. 361, 418. & 555. vulgò Cæſarea Paleſtinæ, maritima, priùs Turris Stratonis dicta; à Veſpaſiano Flavia Colonia prima nominata; intra limites dimidiæ tribus Manaſſe, hodie vulgò *Caiſar*.

Cæſarea, p. 581. urbs Cappadociæ metropolis, priùs Mazaca dicta, quam Tiberius Imp. Cæſaream appellari voluit, cognomento magna, apud Melæ amnis ortum & Argæi montis radices, hodie vulgò *Tiſaria* & *Caiſar*.

Cæſarea Philippi; pag. 592. ipſa eſt, quæ priùs Lais ſeu Laiſa dicta, poſteà Dan, deinde Paneas & Dioſpolis, pòſt Cæſarea Philippi, tandem Neronias, ad fontes Jordani fluvii, in finibus Cœleſyriæ & ad montis Libani radices ſita, nunc exciſa, vulgò *Belina* ſeu *Belenas*, quibuſdam *Belbec*.

Cæſarea Mauritaniæ, pag. 555. ſive Julia Cæſarea, priùs Iol; aliquando Neocæſarea dicta, Mauritaniæ Cæſarienſis primatis, maritima, nunc *Alger* incolis *Gezeir*.

Cæſareum nemus, pag. 573. ſive Cæſarum nemus, locus ad Tiberim, Romæ vicinus.

Caicus amnis, pag. 94. & 281. & Caycus, pag. 249. fluvius minoris Aſiæ, qui in Myſia decurrens & Pergamum præterfluens, ſeſe in Ægæum mare ad Elaiticum ſinum exonerat.

Caicus ager, Myſorum regio circa Caicum fluvium, pag. 91.

Calabria, p. 584. hîc ſermo eſt de Calabria antiqua, quæ regionem Italiæ Hydruntinam complectebatur, nunc vulgò *Terra d'Otranto* ad mare Adriaticum ſita.

Calamina inſulæ fluctuantes in Lydia non ventis ſolùm, ſed etiam contis, quò libeat impulſæ, p. 370. ex Plin. lib. 2. cap. 95. in Calamena dicto lacu, eædem ac Saltuares; prope erat Nympharum Templum Nymphæum dictum.

Calamus, pag. 265. locus aut urbs Phœniciæ, circa Berytum & Byblum. de ea Polyb. Hiſtor. l. 5. p. 412.

Calauria, pag. 405. inſula parva, quæ etiam Eirene, Anthedonia, & Hypereia, in ea celebre Neptuni fanum, à quo Poſſidonia eſt appellata: ſita in ſinu Argolico, prope Scyllæum promontorium, nunc vulgò *Sidra*. de ea Strabo lib. 8. pag. 254.

Calchedon, vide Chalcedon.

Caleces fluvius, pag. 110. apud Diodorum Cachetes, fluvius Bithyniæ, in Heracleotide regione, prope Heracleam Ponti, in Euxinum mare ſeſe exonerans, quem aliqui volunt eſſe Lycum (Bithyniæ) fluvium.

Calipſus vel Alepſus, pag. 307. urbs Pæonum in Thracia, inter Amphipolim & Samothraciam; de qua vide quæ fuſiùs obſervavimus in Tabul. noſtris Geogr. in Plutarchum.

Callatebus, pag. 93. urbs Aſiæ minoris, de qua Herodotus lib. 7. c. 31. quem ſi legeris, reperies Callatebum in Lydia, ſitam non longè à Mæandro fluvio, inter Coloſſas Phrygiæ & Sardeis Lydiæ civitates.

Callatianus, pag. 200. ex Callatia ſeu Callatis oppido Moeſiæ inferioris, ad Pontum Euxinum ſito, prope Tomos verſùs meridiem.

Callinicopolis, pag. 161. legendum ſanè Callinicopolis, urbs Meſopotamiæ à Seleuco condita; forſan Callinicum urbs ad Euphratem.

Callipolis, pag. 153. urbs Cariæ, ſicut omnes aliæ ibidem enumeratæ civitates.

Callirhoe, pag. 569. urbs ultra Jordanem, in Tribu Ruben, quæ priùs Laſa vocabatur, ubi Balnea & aquæ ſalubres, quæ in lacum Aſphaltitem effluunt.

Calpe portus, pag. 127. ſive ad Calpas, in Bithynia, medio itinere inter Heracleam Ponticam & Byzantium, in ſinu Maryandino, quem *Zagari* vocat Pinetus.

Calpia vel Calpitus, p. 289. urbs Bithyniæ, quam eandem cum prælaudatâ (Calpæ) cenſet Ortelius.

Calvaria locus ſive mons, Hebraicè *Golgotha* aliàs *Gaatha*, mediocriter altus, civitati Jeruſalem proximus ad Occidentem & Septentrionem.

Calybes, vide Chalybes.

Calycadnium promontorium, pag. 284. in Cilicia ad Calycadni fluvii oſtia, Sarpedonio promontorio vicinum.

Calydnii, pag. 93. cives Calydnæ insulæ, Carpathii maris, quam prope Cnidum Cariæ urbem collocant aliqui.

Calyndenſes in Caria, pag. 325. Cives urbis maritimæ ad ſinum Glaucum ſitæ, cui nomen Calynda.

Cambaia, pag. 198. urbs hodie ſic dicta; ubi Indus in Oceanum influit, regni cognominis metropolis, emporium nobiliſſimum, quod ea propter Cairum Indiæ nuncupant, ab ea Canthi ſinus & Barigazenus Cambaiæ ſinus appellantur.

Cambaienſes Indi, Regni Cambaiæ populi.

Cambuſis, pag. 554. urbs Æthiopiæ ſub Ægypto, de qua Plinius lib. 6. cap. 29.

Cambyſes fluvius, pag. 419. qui ex Albaniæ Aſianæ montibus enaſcens, atque in Ortum decurrens, Caſpium mare ingreditur, Cyro fluvio vicinus eſt versùs Aquilonem.

Camon, pag. 16. quem Adrichomius civitatem facit, in Galaaditide, in dimidia tribu Manaſſe, quæ ultra Jordanem.

Campania, pag. 485. Regio Italiæ, quæ olim ab Occidente Latium, ab Aquilone Samnites; ab Ortu Apuliam & Lucaniam; ab Auſtro Tyrrhenum mare vicinum habebat; nunc *Terra di Lavoro* cum *Campagna di Roma*.

Campus magnus, qui Eſdrelon & Mageddo, juxta Dothain & Bethſan, in Galilæa, extendebatúrque per tribus Manaſſe, Iſſachar & Zabulon.

Camus, pag. 266. urbs Cœleſyriæ, ut videtur, de qua Polybius lib. 5. Hiſt. pag. 414.

Cana, pag. 533. Cœleſyriæ locus, de quo Joſeph. Antiq. lib. 15. cap. 6.

Cana Galilææ, pag. 587. civitas in tribu Zabulon, inter Ptolemaidem & Carmelum, quæ etiam Chana & Cana minor appellatur.

Canaan terra, pag. 24. & Canaanis terra ſive Regio quæ & Chananæa; ipſa promiſſionis terra, cujus fines ſic Gen. cap. 10. v. 19. *factíque ſunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram uſque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham & Adamam & Seboim uſque Leza*, conſtat dictam quoque Chanaan fuiſſe Hebræorum terram.

Canaanæi, ſive *Chanana* populi terræ Canaan.

Canæ, pag. 279. ſive Canæ, urbs Myſiæ maritima, non longè à Pergamo & finibus Æolidis.

Canopus, pag. 161. urbs Ægypti ad Nili oſtium Heracleoticum, 120 ſtadiis Alexandriâ diſtans versùs orientem; quam nunc *Bechir* aut *Bichieri* vocat Zieglerus.

Cantaber, pag. 554. Cantabri, pag. 551. populi Hiſpaniæ, ad fontes Iberi fluvii & Oceanum Septentrionalem, quorum regio partem Aſturiarum, Biſcaiam & Guipuſcoam complectitur.

Canuſium, pag. 457. urbs Italiæ, in Apulia Peucetia; excita, prope quem locum extructa alia eſt *Canuſa* dicta, ad Auſidum *Ofanto* fluvium, in territ. Barienſi.

Capadocia & *Cappadocia*, pag. 76. Regio minoris Aſiæ, habens à Septentrione Pontum Euxinum, ab Ortu minorem Armeniam, à Meridie Taurum montem, quo à Cilicia & Pamphylia ſubmovetur; ab Occaſu Galatiam; nunc regiones continet *Tocat*, *Sevas* & *Genech*.

Cappadoces, pag. 76. Syri à Græcis ſunt nominati; forſan quia Cappadoces in Syriam ſive Palæſtinam migraverunt, ut conſtat ex Deuter. cap. 2. v. 23. & hinc in Patriam aliqui ex eis regreſſi.

Capadocicus, qui ad Cappadociam pertinet.

Capernaumum, pag. 589. in vulg. editione Math. cap. 4. & cap. 15. Capharnaum civitas una ex urbibus Decapoleos, Galilææ metropolis, in finibus tribuum Nephthali & Zabulon, ad ripam dextram & occiduam fluvii Jordanis, ubi mare Tiberiadis ingreditur.

Capharſaba ſive *Capharſalama*, pag. 562. Campus, ubi Antipatris, cujus ſitum vide ſuprà hoc verbo.

Capharſalama, pag. 328. idem campus, ut dictum eſt, qui *Capharſaba*.

Capra fluenta, pag. 121. vide ſuprà *Ægos potamos*.

Capreæ, pag. 612. inſula Tyrrheni maris, è regione Promontorii Minervæ, à Surrento octo millibus paſſuum diſtans, Tiberii arce & ſeceſſu nobilis, quæ nunc vulgò *Capri*.

Caprima, pag. 232. Cariæ regionis oppidum.

Caprus fluv. pag. 166. in Illyriæ Arracena regione, ab Arbelis & Nicatorio monte tanto ſpatio diſtans, quanto Lycus amnis, de eo Strabo lib. 16. p. 508.

Capua, pag. 313. & 485. urbs Campaniæ excita, ubi nunc vicus vulgò *Santa Maria*; ad duo millaria alia urbs extructa eſt, quæ *Capoa* nominatur, in terra Laboris, ad Vulturnum fluvium.

Cara, pag. 205. ad pagos Caras dictos, ultra Tigrim amnem versùs Auſtrum, prope Sittacenen regionem.

Caralis, pag. 479. quæ & Calaris, civitas Inſulæ Sardiniæ primaria, in ora Auſtrali versùs Africam, vulgò *Cagliari*.

Carcemisibus, pag. 63. in vulg. editione 2. Paralip. cap. 35. versu 20. legitur *in Charcamis juxta Euphratem*; apud ſeptuag. interpr. pro his verbis legitur regio, quæ eſt ſuprà Babylonem; videtur eſſe urbs Meſopotamiæ, quæ apud Evagrium lib. 5. cap. 9. Circeſium *quæ* (ut ait) *Euphrate & Aborâ fluviis circundata, & ab eiſdem veluti inſula facta*.

Cardaces, pag. 156. Aliæ minoris populi.

Cardia, pag. 91. & 99. urbs in Iſthmo Cherſoneſi Thraciæ ſita, ad maris Ægæi Melanem ſinum, excisa, in loco proximo extructa eſt urbs Liſymachia nuncupata; vocatur à Ptolemæo Cardiopolis.

Cardianus, pag. 156. & 224. præclaræ urbis incola.

Carduchi, pag. 128. populi majoris Aſiæ, quos inter Armeniam majorem & Mediam collocat Ptolemæus; Caduſiis vicini versus meridiem.

Caria, pag. 79. regio Minoris Aſiæ, cui Lydia ad Septentrionem, ad Ortum Lycia, ad Meridiem Rhodium mare, Ægæum verò ad Occaſum.

Car, pag. 139. Cariæ accola, Cares num. plurali.

Caricus, pag. 68. qui ad Cariam ſpectat.

Cari Pagi, pag. 225. Pagi dicuntur Babyloniæ, in Meſopotamia, ut eſt verisimile.

Caripeta, pag. 554. Arabiæ Felicis oppidum, de quo Plinius lib. 6. cap. 28.

Carmania, pag. 197. regio Indiæ cis Indum fluvium, quæ, ut refert Ptolem. lib. 6. cap. 8. in duas diviſa erat, quarum una deſerta nominabatur; Carmania, ad Aquilonem Carmaniam deſertam habebat conterminam, ad Orientem Gedroſiam, ad Meridiem Indicum Oceanum, ad Occidentem Perſicum ſinum & Perſiæ partem: Carmania deſerta à Meridie alterà Carmania, ab Occidente Perſia; ab Aquilone Parthiâ, ab Oriente Aria concludebatur; nunc adhuc vulgò *Kherman* vocitatur.

Carmani & *Carmanæ*, Carmaniæ populi.

Carmelius mons, pag. 580. & Carmelus mons, pag. 510. in Tribu Iſſachar, ad mare, per Tribum Zabulon ad Tribum uſque Aſer extenuabatur.

Carnaim, pag. 320. vel Carnion; & Carnain, eadem ac Aſtaroth, quæ etiam Aſtarothcarnaim appellatur, civitas munita in Galaaditide regione.

Carpaſia, pag. 238. urbs inſulæ Cypri maritima, ad oram Septentrionalem & Orientalem, non longè ab Aphrodiſio, versùs Orientem.

Carræ, pag. 448. & Carthæ, pag. 233. urbs Meſopotamiæ ad Chaboram fluv. ſeſe poſtèà in Euphratem exonerantem ſita, quæ in Sacris Scripturis *Charran*, *Charan*, *Aram*, & *Haran* appellatur, hodie vulgò *Harran* aut *Heren*.

Carrenſis, prælaudatæ urbis accola.

Carſenſes, pag. 166. ex Polybii Hiſt. lib. 5. pag. 420. **Καρσεῖς**, gens Minoris Aſiæ, circa Æolidem aut Myſiam.

Carthago Armeniorum vide ſup. Artaxata.

Carthago, pag. 78. & 158. urbs Africæ quondam clariſſima à Tyriis primum conſtructa, Africæ metropolis, maritima, ab Arabibus everſa, cujus locus nunc vocatur *Berſack* aut *Cartin*, ei ſucceſſit vicina urbs Tunetana.

Carthaginenſes ſeu *Carthaginienſes* urbis prælaudatæ cives.

Caryſtia, pag. 370. urbs Inſulæ Euboeæ, ad radices montis Oche, priùs Cheironeia & Ægæa dicta, à qua vult Stephanus Byzantius Ægæum mare nominatum, ſita erat ad meridiem & orientem Inſulæ, ad litus maris Mirtoï dicti: hodie vulgò *Cariſto*.

Caryſtii, pag. 92. & 96. Caryſtiæ cives.

Caryſtus, pag. 487. eadem urbs, quæ Caryſtia.

Caſiana plurali numero, p. 344. una ex urbibus Syriæ à Tryphone captis.

Caſilinum, pag. 485. urbs Campaniæ, ubi Caſilinus fluvius Vulturnum amnem ingreditur; ibi nunc vicus *Catello* dictus, vide notas noſtras Geogr. in Plutarchum.

Caſius mons, pag. 239. & 463. & Caſſius mons, pag. 465. mons prope Peluſium, in Arabia, ad confines Ægypti, ubi Pompeii magni tumulus.

Caſius mons, pag. 243. in Caſſiotide regione Syriæ, de quo Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 15.

Caſpia Pyla ſive *Porta*, pag. 170. & 611. licet alii caſpias Pylas alibi collocent, ibi ſermo eſt de Caſpiis Portis, quæ in Albania ſunt, ad radices Montis Albaniæ, versùs Caſpii Maris occidentale litus.

Caſpium mare, pag. 149. à Caſpiis populis accolis ſic appellatum, quod & Hyrcanum appellatur, quod ad inſtar lacus maximi terris undique cinctum, ab occaſu Albaniam, & Caſpios; Atropatenam ſeu Mediam ſeptentrionalem & Hyrcaniam ad auſtrum, ab ortu eandem Hyrcaniam, ab aquilone Scythas; nunc vulgò *Mare de ſala* aut *de Bacu* nominatur.

Caſpin, pag. 321. in vulg. edit. Mach. 2. cap. 12. v. 13. *Caſphin*, civitas firma pontibus muriſque circumſepta, cum adjacente ſtagno duorum ſtadiorum; hanc in ſeptentrionali parte tribus Dan; non longè à Jamnia collocat Adrichomius.

Caſſandrea; pag. 252. & Caſſandria, pag. 246. urbs Macedoniæ prope Thraciæ terminos, maritima, quæ etiam Potidæa nominata, quam Scylax in Periplo ad Pallenæ Promontorium collocat, hodie adhuc *Caſſandria*.

Caſtabalum, pag. 156. alias plurali numero apud Socratem lib. 4. cap. 11. Caſtabala, urbs Ciliciæ mediterranea, in Syriæ confinio, & urbi Mopſueſtiæ finitima.

Caſtoli planities, pag. 118. ſive Caſtoli Campi, prope Caſtolum locum Doridis in Caria, & circa Halicarnaſſum.

Caſtra Judæorum, pag. 472. urbs Ægypti, apud Delta; cum Bubaſtis civitas vicus Judæorum ſic appellata, eandem eſſe arbitrantur, quæ etiam Caſtra Judæorum, ejus ſitum vide ſuprà.

Catabathmus magna, pag. 327 & 616. urbs maritima Libyæ, de qua Ptolem. lib. 4. Geogr. cap. 5.

Catanis Aſiæ promontorium, pag. 120. non diverſus ab eo, ubi urbs Myſiæ Canas, de qua ſupra, è Regione Maleæ promontorii inſulæ Lesbi.

Cataonia confinis Cappadociæ, pag. 246. regio Aſiæ minoris, quam Strabo initio lib. 12. partem aſſerit Cappadociæ; ejus termini Cilicia ab Auſtro, à qua Tauro monte ſeparabatur, à Septentrione mons Antitaurus, ab Oriente Mons Amanus; fuit poſtmodum Armeniæ minori attributa.

Cathæi, Cathei, Cathari & Calthæi, pag. 189. Indica gens, quorum urbs Sangala, de his Strabo lib. 15. pag. 431. videntur fuiſſe circa partes ſuperiores Indi fluvii.

Cava Syria vide Cœleſyria.

Caucaſus mons, 62. & 419. qui à Ponto Euxino ad Caſpium uſque mare pertingens, & qui versùs ſeptentrionem Iberiam & Albaniam à Scythis ſeparat, hodie vulgò mons *Cocas* aut *Cachias*.

Caucaſus mons, pag. 176. v. Paropamiſus.

Caus, pag. 135. amplus vicus, qui ex Hiſt. Græc. apud Xenoph. lib. 4. Bithyniæ eſſe videtur.

Caumana, pag. 199. Alveus Indi fluminis, apud ejus oſtia.

Caunus, pag. 89. & 108. urbs Aſiæ minoris, in Caria, maritima, ad oſtia Calbis fluvii, inter Rhodum inſulam, & Glaucum ſinum, hodie *Roſſa*.

Caunii, pag. 155. ejuſdem urbis incolæ.

Cayſtri campus, pag. 125. Stephanus aſſerit Cayſtrium Campum circa Epheſiæ territorium eſſe, à Cayſtro fluvio præterfluente ſic dictum; aliis placet urbem eſſe ſic dictam minoris Aſiæ, Celænis ad ortum versùs Ciliciam.

Cea inſula, pag. 506. in mari Ægæo, quæ Cia & à Strabone lib. 10. pag. 334. Ceos dicta atque inter Inſulas Helenam & Cythnum collocata, non longè à Sunio Promontorio; nunc vulgò *Zea* nominatur.

Cebrene, pag. 129. urbs Troadis; à qua vicina regio Cebrenia dicta; de qua Strabo, lib. 13. pag. 410. centum viginti circiter ſtadiis à vetere Troja diſtans, orientem hyemalem versùs.

Cecropidum inſula, pag. 371. & Cecropidæ rates, pag. 575. hîc per Cecropidum Inſulam Delus ſignificatur, & rates Atticæ ſunt à Cecrope Cecropidæ dictæ; vide infrà Delus.

Cedrea, pag. 121. Cariæ oppidum, ad Ceramicum ſinum, ut videtur, ſitum.

Cedrenenſes, Cedreæ incolæ.

Cedron torrens, pag. 343. aliàs Kidron, pag. 32. qui ab oriente inter urbem Jeruſalem & montem Oliveti decurrens, ac vallem Joſaphat irrigans, tribum Benjamin in ſuo curſu à tribu Juda ſeparat, ac tandem à mari mortuo abſorbetur.

Cedron, pag. 347. alias Gedor, civitas tribus Judæ, in ſorte poſtèà tribus Dan, ad orientem ſita, quam tempore Ezechiæ Regis occupaverat tribus Simeon.

Cei vicus, pag. 451. in Iſthmo Atticæ, qui, ut aſſerit Stephanus Byzantius, Zoſter appellatus fuit.

Celæna, pag. 93. & 98. ipſa eſt Apamea Phrygiæ, cujus ſitum vide ſuprà: à Plutarcho in ſuperiore Phrygia collocatur.

Celenderis oppidum Ciliciæ, pag. 568. & 584. caſtellum admodum munitum, non longè à mari, inter Arſinoen & Seleuciam, nunc vulgò *Palopoli*, vel *Crionero*.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Celona, pag. 205. majoris Asiæ oppidum, quod circa Mediam fuisse videtur.

Celta, pag. 252. hoc vocabulo sæpè Galliarum populi, qui & Galatæ, significantur, aliquando significatione strictiori quidam Galliæ populi primo Narbonensis & Lugdunensis Provinciarum, solius postmodùm Lugdunensis Provinciæ.

Ceminoris vel *Cemmeris*, pag. 454. urbs apud Amanum montem, à Cicerone expugnata.

Cenchreæ, pag. 231. & *Cenchrensis* portus, Urbs & navale Corinthiorum, in Territorio Corinthiaco, ad littus Saronici sinus.

Cenchreæ, pag. 440. certò asseri non potest an de præcedenti, an de Cenchreis Troadis urbe, ibi sit sermo.

Cephalenia, pag. 298. & 435. insula maris Ionii, non longè à Peloponneso, olim apud Homerum Samos & Same dicta; nunc adhuc retento nomine *Cephalenia*.

Ceramens sinus, pag. 121. & Ceramicus, pag. 119. Cariæ Sinus ad Mare Ægæum, in quo urbs Ceramus, & in ejus intimo recessu Halicarnassus.

Cerasus, pag. 128. urbs Ponti Cappadocii, maritima; quam aliqui authores eandem cum Pharnacia esse asserunt, alii diversam, (ab Authore Græcorum oppidum in Colchide asseritur) a Barbaris nunc *Omidie* nominatur.

Ceraunierum terra, pag. 458. regio cujus populi à Ceraunüs montibus Ceraunii sunt appellati, ad mare Ionium posita.

Ceraunii montes, pag. 213. qui & Acroceraunii dicti, hi ab Occasu in Ortum Macedoniam ab Epiro secernunt; ad horum radices urbs Chimæra populos chimariotas nominavit, unde montes nunc *Chimariori* sive *monti di chimera* etiam *Diaboli montes* appellantur.

Cercets, pag. 418. Populi ad septentrionale Euxini Ponti litus positi, quibus Achæi ad ortum: Idem Pontus ad occasum, Caucasus mons ad aquilonem.

Cerinthus, pag. 373. urbs Euboeæ insulæ, maritima, ad Mare Ægæum, & in medio insulæ posita.

Cerynia, pag. 231. urbs Cypri insulæ & regni unius caput, cujus Rex Cyprius Cernytes, pag. 230. Potiùs Cerynites, maritima ad oram septentrionalem insulæ, inter Lapithum & Aphrodisium.

Ceus Simonides, pag. 89. ex Cea insula, de qua supra oriundus.

Chaalla, pag. 554. Pagus felicis Arabiæ, ut refert Strabo lib. 16. pag. 538.

Chabor, pag. 51. in vulgata editione primi Paralip. cap. 5. versu 6. Habor, locus ad fluvium cognominem aut ad fluvium Gozan, ut observavimus in notis sacræ script. Geogr. in Assyriâ.

Chaborras fluvius. v. Chebar.

Chalachat, pag. 51. in vulgata editione primi Paralip. cap. 5. versu 26. legitur Lahela; eadem sanè ac Chale in aliis script. locis, civitas in Assyriæ propriè dictæ parte septentrionali, prope majorem Armeniam, non longè à Gozan fluvio.

Chalestra, pag. 175. urbs Macedoniæ, quæ etiam Chalestra & Chalastra, ad Thermaicum sinum & ostia Axii fluvii posita, in Bottiæa regione.

Chalcedon & *Calchedon*, pag. 59. urbs Bithyniæ, ad ostium Ponti Euxini, è regione Byzantii condita, à qua solo Bosphoro, ibi unius tantùm milliarii spatio separatur, dicta fuit urbs cæcorum, eo quòd conditores non observaverint & nimis Byzantio vicinam & situm minùs commodum, hodie *Calitia* sed frequentiùs *Scutari*.

Chalcedonenses & *Chalcedonis* prælaudatæ urbis accolæ.

Chalcidensis, pag. 98. hîc sermo de Chalcidica regione Macedoniæ prope montem Athos, ad fingiticum sinum sita, cui vicina urbs Torone.

Chalcis, pag. 237. hîc certo affirmari non potest, an sermo sit de præcedenti aut sequenti Chalcide.

Chalcis, pag. 299. & 371. urbs aliquando Euboea dicta, quæ utrumque nomen Euboeæ insulæ; in qua est, tradidit, sita erat in angustiori parte freti Euripi, ubi Boeotia Euboeæ ponte jungitur; ea propter urbs Chalcis attribuitur à nonnullis Boeotiæ; nunc vulgò *Negroponte* dicta, quod pariter nomen Insula ab urbe mutuata fuit.

Chalcis, pag. 421. & 441. urbs Syriæ cognomento ad Belum fluvium, cui adjacet, quæ pag. 457. ponitur in Monte Libano; fuit aliquando caput sui regni Chalcidis dicti, pag. 629. hæc urbs hodiè vocatur *Chunsevin*.

Chaldæa, pag. 6. & Chaldaica regio Asiæ majoris notissima pars Babyloniæ regionis ad Austrum, cujus metropolis fuit Babylon, juxta Arabiam desertam ad Occidentem, & Tigrim fluvium ad Orientem, nunc pars est regionis, quæ vulgò *Yerach*.

Chaldæi, pag. 396. Populi minoris Asiæ ad Pontum Euxinum siti; Colchidi finitimi, quos Scylax in Periplo Chalybes appellat, de quibus statim.

Chalybes, pag. 128. & 386. qui & Calybes inter Tibarenos ad Orientem & Assyriam regionem minoris Armeniæ ad Occidentem, ut refert Scylax citatus, apud quos urbs, quæ Trapezus, de his Strabo lib. 12. pag. 378.

Chami terra, pag. 5. ipsa Ægyptus, de qua supra, vel terra Gesen Ægypti inferioris pars orientalis.

Chananæi vide supra Canaan.

Chaones, pag. 257. populi Epiri in ejus Septentrionali parte, quos Scylax inter Oricios ad Aquilonem & Thesprotios ad Austrum reponit; eorum regio Chaonia è regione Corcyræ insulæ, nunc *Canina* nominatur.

Chaphenata aliàs Caphenata; p. 343. locus, qui in vulgata editione I. Machab. cap. 12. v. 37. Caphethetha; murus civitatis Jerusalem orientem versus, super torrentem Cedron.

Charan, pag. 6. in vulgata editione Genesis 11. versu 31. & 32. Haran; in septuaginta pro hac voce legitur Mesopotamia, urbs est, quæ etiam Aram & Charram, quæ apud Authores Carrhæ dicta, in Mesopotamia apud Chaboram *Chabur* fluvium infra in Euphratem influentem.

Charax, pag. 321. locus aut urbs in vulg. editione II. Machab. 12. v. 17. Characa apud Tubianæos Judæos (Tobi terram incolentes) 750. stadiis à Casphin sive Caspin civitate.

Chasphor, pag. 320. in vulgata editione I. Machab. V. versu 26. videtur eadem urbs cum Casbon, de qua in eodem capite, in Galaaditide, in dimidia tribu Manasse ultra Jordanem, ex his duas facit Adrichomius.

Chaus fluvius, pag. 284. fluvius minoris Asiæ, circa Cariam.

Chebar fluv. in vulg. editione Ezech. 1. & 3. Chobar, quem putant esse Chaborram Ptolemæi in terra Chaldæorum, qui ab Assyriis flumen regium appellabatur.

Chelidonia insulæ pag. 59. in mare Pamphilio, has Stephanus Byzantius tres tantum appellat νήσους, unamque Corydela, alteram Melampeia asserit nominari; tres asseru Strabo lib. 14. pag. 458. Ptolemæus lib. 5. cap. 3. quinque esse dicit, quas

scopulos

ſcopulos vocat; hodie *Iſole del corrente* à Pincto Caproſæ.

Chelidoniæum promontorium, pag. 277. in Lycia è regione Chelidoniarum inſularum, ita Scylax in Periplo, à quo 6. tantùm ſtadiis diſtabant præfatæ inſulæ.

Cheronea, pag. 373. urbs Boeotiæ, in Phocidis confinibus, ad ripam dextram Cephiſi fluvii, quam adhuc alluebat rivulus Hæmon, necnon Thermodon dictus, hodie vulgo *Cheronea*.

Cherſoneſus, pag. 62. urbs Paphlagoniæ ad Pontum Euxinum; ubi poſteà urbs Sinope, de qua infrà.

Cherſoneſus, pag. 423. Caſtellum ad Boſphorum Cimmerium ſitum, in Cherſoneſo Taurica ſeu Pontica, quæ nunc parvæ Tartariæ pars eſt.

Cherſoneſus Arabiæ, pag. 209. ipſamet Arabia felix, ſinu Perſico, Oceano & ſinu Arabico, ad modum peninſulæ concluſa.

Cherſoneſus, pag. 134. apud quam Doryma: ibi ſermo eſt de Cherſoneſo Cariæ.

Cherſoneſus Epiri, pag. 245. quam propter urbem cognominem Buthrotum appellat Stephanus Byzantius; de ea Strabo lib. 7. pag. 224. pars erat Septentrionalis Theſprotiæ in Chaoniæ confinibus, è regione Corcyræ inſulæ.

Cherſoneſus Pontica, pag. 418. quæ etiam Taurica dicta, quæ ab Aquilone Byce lacu & Mæotide Palude, ab ortu Boſphoro Cimmerio, ab Auſtro Ponto Euxino, ab occaſu Carcinite Sinu concluditur; nunc *Gazaria* parvæ Tartariæ pars.

Cherſoneſus, pag. 91. 99 & 279. Thraciæ dicta, Propontide versùs Aquilonem alluitur; versùs ortum Helleſponto, à quo Helleſponticæ Cherſoneſi nomen adepta eſt; à meridie Ægæo mari, ab occaſu Sinu Melane ſive de *Caridia*; nunc pars Romaniæ eſt.

Cherſoneſus Syriæ, pag. 247. eſt ipſa Apamea Syriæ, de qua ſuprà, quæ & Pella, unde non diſſentiunt Authores, qui Demetrium aſſeverant ad Cherſoneſum Syriæ, & qui Pellam à Seleuco relegatum.

Cherſoneſitæ, pag. 191. ibi intelligendi ſunt incolæ Cherſoneſi Thraciæ.

Cherſonitani, pag. 100. ejuſdem Cherſoneſi Thraciæ populi.

Cherroneſus, pag. 119. eadem Thraciæ Cherſoneſus.

Cherrhoneſus, pag. 470. locus & & portus Marmaricæ, in Mareoti nomo, prope Alexandriam ad occaſum, qui à Ptolemæo Geogr. lib. 4. cap. 5. Cherſoneſus parva nominatur.

Chius inſula & ejus incola Chius, pag. 77. in Mari Ægæo, prope Aſiæ minoris Ioniam; quam deſcribit Strabo lib. 14. pag. 444. hodie vulgo *Scio*.

Choarina regio, pag. 100. regio Parthica Indiæ proxima ab Ariana per Arachotos 19000. ſtadiorum ſpatio diſtans, ut Strabo aſſerit lib. 15. pag. 498.

Choes, pag. 183. Indiæ fluvius forſan Coas fluvius, qui in Indum ſe exonerat, de quo Ptolemæus lib. 7. cap. 1.

Chorai, pag. 6. in vulg. editione Gen. 14. v. 6. Chorræi *in montibus Seir uſque campeſtria Pharan quæ eſt in ſolitudine*, dicuntur etiam Horræi. Gen. 36. verſ. 20. populi ſub Duce habitantes, in terra ſeu monte Seir, in terra Edom prope auſtralem terminum tribus Juda.

Choramnæ, pag. 81. quos Stephanus Byzantius dicit Perſicam gentem & Sylveſtrem, forſan Choromitthrenæ regionis Ptolemæi, inter Mediam & Perſidem ſitæ.

Choraſmii, pag. 180. populi majoris Aſiæ, Parthis vicini versùs ſolis ortum, cum urbe etiam Choraſmii dicta, ita Stephanus Byzantius. Ptolemæus Choraſmios inter Bactrianam & Sogdianam collocat.

Chorienis Petra, pag. 181. aliàs Siſimethris Petra; Arrianus eam ait fuiſſe apud Paratacas; altitudinis ſtadiorum 20. ferè 60. ambitûs; Strabo lib. 11. pag. 356. eam aſſerit in Bactriana, altitudinis quindecim ſtadiorum, ambitûs 80.

Chortacana vide Artacoana.

Chorene, pag. 415. Armeniæ Præfectura, cujus populi

Choreni Iberis Aſianis contermini.

Chryſopolis, pag. 117. & 128. urbs Bithyniæ Chalcedoni vicina ad Aquilonem, cujus etiam navale fuiſſe aſſeritur.

Cianorum urbs, pag. 124. & 275. urbs, quæ Cius dicta, in Aſiæ minoris Myſiâ ad Propontidem, à qua Cianus Sinus eſt appellatus.

Cibyra, pag. 309. vide infrà Cybira.

Cierus urbs & fluvius [quæ aliàs Cius ut putat auth.] in Bithynia ad præterfluentis Cierii fluvii oſtia & Cianum Propontidis Sinum, pag. 252. & 391. quæ poſteà Pruſias, Pruſia, & Pruſa ad Olympum fuit appellata, nunc vulgo *Burſia*.

Cieræni, prælaudatæ Cieri urbis accolæ.

Cilicia, pag. 47. regio minoris Aſiæ, ab occaſu in ortum protenſa, quam ad Aquilonem mons Taurus, ad Auſtrum Mare mediterraneum, ab ea Ciliſcium dictum, terminat; habebat ad occidentem Pamphyliam, ad ſeptentrionem Cappadociam & minorem Armeniam, ad orientem Syriam, à qua monte Amano ſemovebatur, hodie *Caramania* nominatur.

Cilicia aſpera, pag. 236. græco vocabulo Cilicia Trachea, pag. 611. pars ejuſdem Ciliciæ versùs occaſum, quæ, quia montana, aſperæ nomen adepta eſt.

Cilix. Ciliciæ indigena.

Cilices montani, pag. 410. Ciliciæ aſperæ populi.

Cillata inſula, quæ etiam Scillustis, & Pſilucis, pag. 198. in Indico Oceano, quadringentis ſtadiis ab Indi fluvii oſtiis in mare remota.

Cimbri, pag. 252. & 561. populi Germaniæ magis ſeptentrionales, quorum regio Cimbrica Cherſoneſus, nunc verò *le Jutland* appellatur; inter Oceanum ad Occaſum & Balticum mare ad Ortum.

Cimmerii, pag. 61. & 367. incolæ Cherſoneſi Tauricæ ſive Ponticæ, de qua ſuprà, cujus regionem olim incoluere Cimbri.

Cindyenſis Pixodarus, pag. 90. apud Herodotum lib. 5. cap. 118. incognitæ politionis locus originis, qui circa Cariam fuiſſe videtur.

Cinereth tractus, pag. 36. col. 2. in vulg. edit. tertii Regum cap. 15. verſu 20. *univerſam Cinneroth, unam ſcilicet terram Nephthali*. Cinereth urbs tribus Nephthali, cujus terra etiam Geneſar & Geneſareth fuit appellata.

Cinyrea, pag. 465. oppidum olim Cypri inſulæ, circa Paphos civitatem.

Cius Myſiæ, pag. 90. vide ſuprà Cianorum urbs.

Circeii, pag. 520. locus olim Volſcorum, in Latio, maritimus, ad Circeii montis radices, nunc ibi vicus *S. Felicita* dictus, in Pomptinis paludibus, in promontorio inter Neptunum & Tarracinam poſito.

Cirra, pag. 297. urbs Phocidis & Delphorum navale, ad quam appellere ſolebant, qui Delphicum conveniebant Oraculum; in ſinu Corinthiaco, qui ab ea Cirræus eſt appellatus, hodie vulgò *Aſpropiti*.

Cis Euphratenſes, pag. 397. ibi omnes Syriæ populi, Cis Euphratem versùs occaſum, ſunt intelligendi.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Ciſſia regio, pag. 93. quam Ptolemæus Geog. lib. 6. cap. 3. in Suſiana collocat ſuprà Elymæos.

Citium, pag. 106. & Citiorum urbs pag. 231. civitas inſulæ Cypri, maritima, cum promontorio cognomine; à qua Hierem. 2. v. 10. Cyprus terra & inſula Cethim appellatur, ſita erat ad oram Auſtralem, inter Amathuntem & Salamin.

Citienſis, Citieus, Citius, & Cittius ejuſdem civis incola; hujus urbis Rex erat, qui in vita Alexandri magni, Citicorum rex appellatur, ut in notis in ſacram Scripturam & in Plutarchum fuſiùs obſervavimus.

Ad Cium Myſiæ, pag. 142. vide ſuprà Cianorum urbs.

Clarium fanum ſive Apollinis Clarii, p. 405. & 581. apud Colophona urbem, de qua infra; prope urbem ſitum.

Clauda, p. 121. caſtellum regionis, quæ Claudia dicta, in Aſia minori, & ut videtur circa Miletum civitatem; dubitat auth. an ſermo ſit de ſequenti

Clauda parva inſula, pag. 641. in vulg. editione Act. cap. 27. verſu 16. *Cauda* inſulæ Cretæ vicina versùs Auſtrum, fortè ea, quæ vulgò hodie *Gozo*.

Claves Cypri, pag. 89. apud Herodotum à quo deſumpta eſt Hiſtoria κλειδὸς τῆς Κύπρου. promontorium Orientale inſulæ, quod a Latinis Græco retento vocabulo Clides, ſicut etiam ei adjacentes parvæ inſulæ, Clides pariter ſunt nominatæ.

Clazomenæ, pag. 89. urbs Aſiæ minoris, in peninſula Ioniæ ad oram Septentrionalem, Smyrnæ ad Occaſum, quæ peninſula olim inſula erat ut refert Strabo lib. 1. pag. 40. urbs hodie vulgò *Grine*.

Clazomenius, pag. 61. Clazomenarum civis.

Cleopatris, pag. 553. urbs antiquæ Niliſtoliæ proxima, quam Strabo lib. 17. pag. 553. dicit eſſe prope Arſinoam & Heroum civitatem, in Arabici ſinus intimo receſſu Ægyptum versùs; maritima itaque in ſinu Arabico cum portu.

Clepſydra fons, pag. 514. in Athenarum urbis arce; qui Clepſydratum ad inſtar tantum accipiebat quantum reddebat aquæ.

Climax, pag. 266. mons Pamphyliæ Phaſelidi urbi vicinus, & mari imminens, anguſtiſſimum in littore iter; quieto quidem mare ſiccum ſed procelloſo invium; de eo fusè Strabo lib. 14. pag. 458.

Clitarum natio in Cilicia Thrachea, pag. 612. Cilices erant agreſtes, quibus Clitarum cognomentum, ad Taurum montem, Ciliciam aſperam à Cappadocia ſeparantem.

Cnidus, pag. 103. & Gnidus pag. 462. urbs Doridis in Caria, maritima & in Promontorio ſita; cujus pars, ut refert Strabo lib. 14. pag. 451. in vicina inſula erat, alteri urbis parti ponte conjuncta, hodie vulgò *Gnido*.

Cnidia, pag. 113. regio circa Cnidum urbem.

Cnidius & Gnidius Cnidi incola.

Cnidum Caſtellum, pag. 136. in inſula Rhodo ſitum, quam inſulam Heſychius Cnidum appellat.

Cnoſſus, pag. 374. & Gnoſſus ac Gnoſus, inſulæ Cretæ civitas ad Ceratum fluvium præterfluentem, à quo priùs Ceratus appellabatur; quondam inſulæ metropolis, inter Gortynam & Lyctum, prope montem Ida, à mari Septentrionali 25. ſtadiis diſtans, & nonaginta à Libyco mari, nunc vicus vulgò *Ginoſa* nominatus.

Cnoſſis & Gnoſſii prælaudatæ civitatis cives.

Co inſula Cos & Coos, pag. 272. & 305. quæ, ut refert Stephanus Byzantius, Meropis nec non Caria fuit appellata, ſita eſt cum urbe cognomine in mari Ægæo è regione Cariæ, non longè a Mynde, nunc vulgò hodie *Lango* nominata.

Co Meropis, pag. 191. urbs prælaudatæ cognominis inſulæ.

Cous & plur. num. Coi, pag. 62. & 93. tum urbis tum inſulæ Cos incolæ.

Cocylitæ, pag. 129. cives urbis, quæ à Plinio Cocilium appellatur, Myſiæ meditetranea, in Aſia minori, ubi Trimenothuritas aſſignat Ptolemæus.

Codropolis, pag. 509. oppidum Illyricum, in intimo ſinu Adriatico, quod collocant aliqui ubi urbs Scodra, inter Dalmatiam & Macedoniam, ad Clauſulam amnem & Labentin Paludem, quæ nunc *Iſcodara* vocatur, ut ait Leunclavius.

Cæninenſium rex Acron, pag. 558. potiùs Ceninenſium, quorum urbs Cenina aut Cœnina dicta, cujus nullum nunc extat veſtigium, in veteri Latio ſita erat, haud procul Roma.

Cœloſyria, pag. 64. Cœlenſyria, pag. 157. Cœleſyria, Cava Syria, & Syria Cœle, pag. 422. Syriæ pars ea eſt, quæ latinè cava, ſive plana & humilis appellatur, & quæ Phœniciæ, Arabiæ, Samariæ, & Galilææ conrigua, cum quibus aliqua ex parte confunditur.

Cœi, pag. 128. populi minoris Aſiæ ad Pontum Euxinum, ſuis utentes legibus, quos inter Moſinœcos & Tibarenos enumerat Xenophon. lib. 7. Exped. Cyri ſub finem.

Colchi, pag. 128. & 250. & Colchi, populi & regio Aſiæ; quæ ab Occaſu Ponto Euxino terminatur; à Septentrione Sarmatiâ; ab Ortu Caucaſo monte, quo ab Iberiâ ſeparatur; à Meridie minori Armeniâ. nunc hodie vulgò *Mengrelia*.

Colobatus amnis, pag. 264. fluvius Cariæ, ut conſtat ex Polyb. Legat. 51.

Colonæ, pag. 129. & 274. urbs Æolidis in Aſia minori, maritima, ſupra Lectum promontorium versùs Aquilonem, è regione Lesbi inſulæ.

Colonæ in Troade, pag. 101. non alia videtur à præcedenti, quæ in veteri Troade ſita erat; nihilominus eſt urbs alia Colonæ in Helleſponto, prope Lampſacum.

Colonia, pag. 274. locus prope Athenas Atticæ civitatem.

Colophon, pag. 55. & 351. urbs Ioniæ, in Aſia minori, inter Smyrnam & Epheſum, maritima, quam aliqui aſſerunt nunc *Alto boſco* vocitari, illam *Belvedere* nominat Marius Niger, prope hanc urbem fanum erat Apollinis Clarii.

Colophonii, pag. 59. Colophonis cives.

Coloſſi & Coloſſæ, pag. 93. & 644. urbs Phrygiæ magnæ, in Aſia minori, ad Lycum fluvium, non longè à loco ubi in Mæandrum influit, Herodotus lib. 7. cap. 30. *Coloſſa Phrygiæ oppidum, ubi Lycus amnis hoatum terra ſubiens occultatur, deinde ferè quinque poſt ſtadia emergens, elabitur & ipſe in Mæandrum.* Sita erat inter Laodiceam & Hierapolim, hodie vulgò *Chone*.

Coloſſenſes, ad quos ſcripſit S. Paulus Apoſtolus, prælaudatæ urbis erant incolæ.

Columna Albæ, pag. 90. locus, de quo Herodotus lib. 5. cap. 118. ἐπὶ Λευκὰς τὰς πέλας κολωνέας. qui prope Marſyam amnem, in Phrygia fuiſſe videtur.

Commagena, pag. 284. & Commagena, pag. 403. & Commageni, regio Syriæ Septentrionalis ad Euphratem fluvium, unde Provincia Euphrateſia necnon Auguſta Euphrateſia eſt appellata, inter Ciliciam ad Occidentem, Armeniam utramque ad Boream, Meſopotamiamque ad Orientem, in Syria ſuperiori, nunc vulgò *Azar*.

Comageni vel Comana potiùs in Cappadocia, p. 407. & 475. Comana, urbs Cappadociæ in Antitauri anguſtiis con-

convallibus, per quam mediam fluit Sarus amnis: tempore Mithridatis erat totius regionis maxima p. 379. in Ciliciæ confiniis, ſed, quia poſtmodum hæc Cappadociæ pars minori Armeniæ attributa fuit, Comana Armeniæ dicta eſt, nunc vulgò *Venaehu.*

Comanenſis in Ponto, pag. 374. urbis incola, cui nomen Comana cognomine, ad præcedentis diſtinctionem, Pontica, in Cappadocia, apud Irim fluvium, hodie vulgò *Com.*

Commoris, v. Ceminoris.

Confluentes circa Bononiam & Mutinam, pag. 497. circa Bononiam, ut ait Plutarchus, inſula illa itaque erat ad confluentes Rheni *Reno* & Navilii *Navilio* aut Savenæ *Savena* fluviorum, Bononiæ ſitum vide ſuprà.

Cophene fluvius, pag. 183. Aſiæ majoris ultra Paropamiſadas versùs Orientem, forſan Cophes fluv. de quo Strabo lib. 15. pag. 470. qui terminus eſt Indiæ versùs Occaſum, ſitus quidem concordat cum Coa Ptolemæi, ſed diverſi amnes Choe & Cophene.

Coprates fluvius, pag. 226. qui in Tigrim decurrit, ea propter videtur fuiſſe inter Aſſyriam & Suſianam.

Coptus, pag. 555. communis, inquit Strabo lib. 17. pag. 560, Ægyptiorum & Arabum urbs; Indicarum, Arabicarum & Æthiopicarum mercium emporium; in ſuperiori Ægypto ſive Thebaïde, non longè ab Apollinis civitate.

Coracefium, pag. 342. Caſtellum Ciliciæ, in rupe undique præcipiti extructum, ſitum erat in Cilicia aſpera & Pamphyliæ confinibus, ad litus Maris Cilicii; hodie vulgò *Scanderoro.*

Coralli, pag. 386. Sarmatarum gentes in Europa, quas Strabo lib. 7. pag. 220. dicit intra Æmum montem & Pontum Euxinum habitaſſe.

Corcyra inſula, pag. 440. & 460. maris Ionii Epiro proxima, quam Strabo lib. 6. pag. 186. dicit priùs Scheriam nominatam; Phœacia eſt Poëtarum; Euſtathius aſſerit etiam Drepanum & Argos & Caſſiopen fuiſſe appellatam, urbem habebat cognominem, hodie vulgò *Corfou.*

Cordiſtæ, pag. 253. reliquæ gentis Gallorum, qui Delphicum fanum ſpoliavere, in agris vicinis Iſtro collocati, quos Strabo libro 7. pagina 204. Scordiſcos vocat, dicitque à quibuſdam Scordiſcas appellatos, Thracibus permixtos & intra Iſtrum habitantes.

Corduene regio, pag. 420. vide infrà Gordyene.

Coreatis, pag. 199. locus circa Indi fluminis oſtia.

Coreæ vel Coreæ, pag. 426. ubi inquit versùs Mediterranea initium eſt Judææ, & pag. 437. prope Caſtellum Alexandrium; urbs in dimidia tribu Manaſſe quæ intra Jordanem, ad ortum & non longè à tribu Iſſachar.

Coreſus, pag. 89. & Coreſſus, pag. 118. & 135. altiſſimus mons agri Epheſii, in Ionia, non longè à Maeandri, & ab Epheſo quadraginta ſtadiis diſtans.

Corfinium, pag. 457. urbs Italiæ Pelignorum caput, qui Samnitibus juncti, illam ſibi contra Romanos armamentarium conſtituerant, atque Italicam appellarant: vicina erat Sulmoni urbi Occidentem æſtivum versùs, ibi nunc vicus *San Pelino* dictus, in Aprutio citeriori ad *Peſcara* fluvium.

Corinthus, pag. 134. urbs Græciæ intra Iſthmum Peloponneſorum, notiſſima, olim Academia celebris; priùs Epope, Heliopolis, & Ephyra dicta, fuit Corinthiaci Territorii caput, nunc vulgò *Corinto*, *Corinto*, & *Coranto*, Turcis *Geremé.*

Corinthii, Corinthi civitatis cives.

Corinthiacus ſinus, pag. 136. qui & Cirræus ſive Criſæus; in longum ab Occaſu in Ortum porrectus, ab Aquilone adjacentes habet Ætoliam, Phocidem, & Atticam, ab Auſtro, Corinthiacum agrum & Achaiam; hodie vulgò Gallicè *le Golphe de Lepante.*

Corma fluvius, pag. 629. qui circa Aſſyriam aut Meſopotamiam fuiſſe videtur.

Cormaſa, pag. 284. urbs Aſiæ minoris in Piſidia, quæ Phrygiæ dicitur à Ptolemæo lib. 5. Geogr. cap. 5. ad radices Tauri montis ſita.

Coronea, pag. 134. urbs Bœotiæ, quam Strabo lib. 9. pag. 283. aſſerit in colle conditam, prope Helicona montem & Copaidem lacum, priùs Oplia dicta & Plutarchi ævo Homantus, nunc adhuc *Coronea* appellatur.

Corſica inſula, pag. 408. quæ à Græcis Cyrnus appellabatur pag. 78. in Tyrrheno mari, Liguriæ ad Auſtrum, Sardiniæ inſulæ ad Aquilonem, nunc adhuc ab Italis *Corſica* à Gallis *Corſe* appellata.

Corſicum mare, pag. 408. circa præfatam Corſicam inſulam.

Corycus, pag. 111. & ad Coricum pag. 179. urbs & portus Joniæ ad ſinum Jonium, & in Joniæ Cherſoneſo, inter Teos & Chalcitem promontorium.

Corycus, pag. 275. & 494. urbs Pamphyliæ maritima.

Corylenum, pag. 281. urbs Myſiæ in Aſia minori; nam inter Adramytium & Thyatira eam eſſe oportebat.

Cos inſula, vide ſuprà Co.

Coſſæi regio, pag. 206. cujus incolæ Coſſæi, gens bellicoſa Uxiis finitima & montanos Mediæ tractus incolens: Strabo lib. 11. pag. 360. ait Mediam ab Oriente Parthorum regione & Coſſæorum montibus terminari; & hanc gentem latrociniis deditam.

Coſalytenſis tribus, pag. 137. ſive familia apud Athenienſes.

Cotton, pag. 281. urbs Myſiæ in Aſia minori, inter Adramytium & Thyatiram, ut videtur ſita.

Coryra, pag. 127. vicus & Sinopenſium colonia, in Paphlagonia ad Pontum Euxinum, urbi Synope ad Ortum, ut conſtat ex hiſtoria Xenophontis, & proinde non poteſt eſſe Cytorum Ptolemæi, quod Synopenſi urbi eſt ad Occaſum.

Coryorenſes hujuſce vici accolæ.

Cragus, pag. 410. mons Lyciæ qui vertices habet octo & urbem cognominem, in Mediterraneis. cui adjacet urbs Pinara, huic monti fabula chimeræ affingitur ut ait Strabo lib. 14. pag. 458.

Crannon, pag. 225. quæ etiam Crannon, urbs Theſſaliæ in regione, quæ Pelaſgiotis, nunc vulgò *Ceres* appellatur.

Cremaſtæ, pag. 137. locus in quo Abydeni ſodinas auri habebant, in Troade ad montem Idam, medio, ut videtur, itinere inter Antandrum & Abydum.

Cremona, pag. 649 Colonia & urbs antiqua Cenomanorum, nunc retento nomine non ſitu, in ſtatu & Ducatu Mediolanenſi; olim ad ſiniſtram & Septentrionalem Padi fluvii ripam, à quo nunc paululum remota eſt.

Crene, pag. 281. urbs Miſiæ in Aſia minori, inter Adramytium & Thyatiram, ut videtur poſita.

Creta, pag. 61. inſula maris Mediterranei, Peloponneſo adjacens Auſtrum verſus, plurimis olim inſignita nominibus, quippe quæ dicta Aeria, Chthonia, Idæa, Curetis, Hecatompolis, Macaros, Macaroneſos, &c. hodie vulgò *Candia.* Gallis *Candie.*

Cretenſes, pag. 130. Cretæ inſulani.

Cretenſium urbs, pag. 112. urbs ſanè Piſidiæ in Aſia minori, nec diverſa à Cretopoli,

quam Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 5. Carbaliæ assignat, ita ejus interpres, nam in textu Græco legitur κερκέτιοι.

Crisala, pag. 93. urbs Cappadociæ intra Halym fluvium; ut constat ex Herodoto lib. 7. cap. 26.

Crocala, pag. 199. insula Arenosa maris Indici, prope Arabiorum regionem & Arabii fluminis ostia.

Cromna, pag. 244. unde Coloni deducti ad Amastridis urbis Paphlagoniæ erectionem, ea propter Stephanus Byzantius refert dici Amastrida urbem Cromna fuisse appellatam; Cromna tamen diversus & vicinus locus erat ad Ortum, longè à Ponto Euxino.

Croton, pag. 86. urbs olim in parte Italiæ, quæ Græcia magna dicta; ad Æsarum fluvium præterfluentem, qui statim mare Ionium ingreditur; maritima, Athletarum suorum robore & aeris salubritate celebris, nunc adhuc *Crotone* in Calabria ulteriori.

Crotoniensis, pag. 83. ejusdem urbis civis, cujus tamen incolæ vulgò Crotoniatæ sunt appellati.

Ctesiphon, pag. 263. & 447. urbs olim, postea pagus Assyriæ amplissimus, in Tigridis fluvii altera ripa è regione Seleuciæ urbis, à Parthis in odium Seleuciæ exstructus.

Cubullium Gallo-Græciæ castellum, pag. 285. id est Galatiæ, in Asia minori, forsan locum esse putat Ortelius, qui Cybella ad Gallum fluvium, non longè ab Amurio versùs Orientem.

Cuma, pag. 77. urbs Æolidis in Asia minori, ad litus Ægæi maris, non longè à Lesbo insula; à Cumâ Amazone condita, unde Amazonium fuit appellata, hodie vulgò *Foia nuova*.

Cumæi, Cumarum cives.

Cumanum, pag. 483. villa forsan circa Cumas de qua statim.

Cumanus, pag. 353. ad urbem spectans Cuma dictam, olim in Campania ad mare Tyrrhenum sita; nunc penè excisa servato tamen nomine, in regni Neapolitani *terra di Lavoro*, è regione insulæ, cui nomen *Ischia*.

Cunaxa, pag. 125. locus ubi Artaxerxes cum Cyro fratre conflixit, quingentis solummodo stadiis à Babylone distans, Assyriæ assignatur ab authoribus, ut proinde Babyloni civitati fuerit ad Aquilonem.

Curium, pag. 89. urbs insulæ Cypri maritima, ad oram Australem & Occiduam inter Paphum & Amathuntem, quæ hodie vulgò *Episcopia*.

Curienses, prælaudatæ urbis Curii cives.

Cuthæi, p. 56. col. 1. nomen hujus gentis non exprimitur in editione vulgata, conjectat Author has gentes Arabiam Petræam & desertam incoluisse.

Cusita, pag. 35. col. 1. in vulg. edit. 2. Paralip. 12. v. 3. respondet huic dictioni vocabulum Æthiopes; populi sanè, qui Ezech. cap. 30. v. 5. Chus appellantur, & videntur fuisse inter Ægyptum, Æthiopiam & Libyam.

Cuthæ, pag. 59. regio Persica, è qua populi in Samariam missi, Samaritani postea Chutæi sunt appellati; forsan ex Coche vico prope Tigridem fluvium, ut ex Arriano refert Stephanus Byzantius.

Cuthæi, pag. 59. & 80. *Hostes Judæorum Cuthæi ab Esar-haddone in Samariam traducti*, pag. 150. Samabelletes Cuthæus genere unde & Samaritis origo est; vide jam dicta verbo Cutha.

Cyaneæ insulæ, pag. 92. & 107. insulæ maris Mediterranei Lyciæ adjacentes, ut asserit Pausanias in Achaicis, pag. 218. erant aut Chelidoniarum aliquæ, de quibus supra, aut Chelidoniis vicinæ.

Cyanei scopuli, pag. 560. in Bosphoro Thracio, ad ostium Euxini Ponti insulæ, quæ & Symplegades dictæ, hodie vulgò *Pavonare*.

Cybira, pag. 284. & 309. urbs Asiæ minoris penitùs Mediterranea, quam in Phrygia ad Mæandrum fluvium collocat Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 2. in textu Græco κίβυρα Cibyrtha legitur etiam Cibyra, magna vocatur a Strabone, hodiè *Buruz*.

Cybirata & Cibyratæ, præfatæ urbis cives, quæ etiam Cibyratica urbs.

Cybiratica Diœcesis in regione Phrygiæ pag. 582. ab hac urbe nomen desumens, alia fuit Cibyra in Ciliciâ.

Cybistra, pag. 452. urbs Cappadociæ, non longè à Cæsarea versùs Austrum, de qua Strabo lib. 12. pag. 368. illam aliqui Armeniæ minori attribuunt, utpotè non longè ab ejus confinibus.

Cyclades insulæ, pag. 88. in mari Ægæo prope Græciam, sic appellatæ, eo quòd circum insulam Delum in modum circuli jacent: Strabo lib. 10. pag. 334. asserit illas primùm fuisse tantùm duodecim numero, quibus postea accessere aliæ; unde tanta inter authores varietas de Cycladum nomine & numero, nunc unà cum Sporadibus insulis vocantur vulgò Gallicè *les Isles de l'Archipel*.

Cydnus, pag. 155. fluvius minoris Asiæ frigidissimus, qui ex Anticauro monte in Cappadocia, nascens, atque ab Occasu solis Æstivi in Ortum Brumalem, posteà in meridiem per Ciliciam decurrens, mediam urbem Tarsum pertranſibat, fere tandem in mare Cilicium exonerans: hodie vulgò *Carasu* vocitatur, observat author pag. 166. apud Justinum lib. 11. cap. 14. pro Cydno fluvio, Lycum fluvium esse legendum.

Cydonia, pag. 215. Cretensium urbs, quam Stephanus Byzantius dicit priùs Apolloniam nominatam, quæ postea Chania; maritima ad insulæ oram Septentrionalem versùs Occasum, nunc vulgò *Canea*, Gallis *la Canée*.

Cydoniata, pag. 301. Cydoniæ cives.

Cydra, pag. 93. oppidum minoris Asiæ in finibus Phrygum & Lydorum, quod Stephanus Byzantius Cydrara vocat, additque ad Phrygum montes positum.

Cyme, pag. 280. & Cyme pag. 581. Asiæ urbs; eadem quæ suprà Cumæ.

Cymæus, pag. 169. & 250. Cumarum civis.

Cynoscephalæ, pag. 175. tumulus seu mons Thessaliæ, cujus vertices Capitum Canum quasi speciem exhibebant, de his Polybius lib. 17. pag. 558. hunc montem videtur collocare inter Scotussam & Pharsalum.

Cynos-sema promontorium Hecubæ tumulo notum; in Chersoneto Thraciæ ad Hellespontum non longè ab urbe Sesto versus meridiem pag. 115.

Cyprus, pag. 18. insula magna maris Mediterranei in Pamphilio sinu, multis olim appellata nominibus, præcipuè Cethim, ut ostendimus in notis ad sacram Scripturam, est Ciliciæ & Syriæ proxima, vocatur nunc ab Italis *Cypro*.

Cyprius, Cypri insulanus.

Cyprius, qui ad Cyprum pertinet.

Cypron Castellum, pag. 562. munitum, ab Herode in gratiam matris conditum & ejus nomine datum, situm erat in tribu Benjamin, in Campestribus Hiericho, inter Hiericho & Jordanem fluvium.

Cypsela, pag. 377. quæ & Cypsella & Julianana nova, urbs Thraciæ in Rhodopa Provincia, ad Melanem fluvium: non longè ab ostio: hodie *Chypsala* sive *Chapsilar* appellatur.

Cyrene, pag. 62. & Cyrenæ pag. 364. urbs Libyæ,

regionis Cyrenaicæ ab ea ſic dictæ, primaria, nunc vulgò *Corena* vel *Carnenna*.

Cyrenæi & Cyrenenſes hujus urbis incolæ.

Cyrenaïca regio prælaudata, quæ à quinque urbibus Pentapolis Libyæ fuit appellata, nunc Provincia de *Barca* in Barbaria; Cyrenaïcus quoque, qui ad Cyrenen pertinet.

Cyri Caſtra, pag. 155. Campus ſive Planicies Cappadociæ, ad radices Tauri montis prope Ciliciam aſperam, quinquaginta ſtadiis diſtans ab anguſtus ſive aditu, qui Ciliciam aperit, Ciliciæ Pylæ ſive portæ dictus.

Cyrnus fluvius aliàs Cyrus ſive Cirnus, pag. 417. priùs Corus appellatus, dictus quoque Cyrrhus, qui, ut ait Strabo lib. 11. pag. 343. & 344. in Armenia naſcens, per Campeſtria Iberiæ decurrens, Arraboncm amnem è Caucaſo monte defluentem recipit, atque per anguſta loca totam Albaniam prætergreditur, receptiſque in decurſu plurimis fluminibus, ſeſe in Caſpium mare exonerat; illum *Circch* vocat Pinetus; hodie vulgò *Kur*.

Cyrnus, pag. 78. vide Corſica inſula.

Cyropolis, pag. 177. urbs à Cyro condita & ab Alexandro ibidem vulnerato expugnata, in Sogdiana Aſiæ majoris regione, erat ad Jaxartem fluvium ſita.

Cyrrheſtica, pag. 247. & Cyrrheſta, p. 264. & Cyrrhettes p. 514. regio Syriæ circa Cyrrhum urbem, à qua nomen ſumpſit, Commagenæ versùs Aquilonem conterminа, Pieriam habens ad Occaſum, & fluvium Euphratem ad Ortum; meridiem versùs ad agrum uſque Antiochenum pertingens, ubi Chalcidicæ regioni jungebatur.

Cyrrhus, pag. 582. urbs Syriæ, quæ etiam Cyrus dicta, à Judæis in memoriam Cyri vel ab ipſomet Cyro condita; Mediterranea & Cyrrheticæ regionis caput.

Cyrta, pag. 107. urbs circa mare Rubrum, quam Stephanus Byzantius Cyrtum vocat, dicitque urbem Ægypti eſſe in Mediterraneis.

Cythera, pag. 461. inſula ad oram Laconicæ, quæ & Cytheræa & Porphyruſſa dicta, cum urbe cognomine, prima inſularum maris Ægæi ſive Archipelagi versùs Occaſum, quinque tantùm milliariis a Peloponneſo diſtans, & quadraginta quinque à Creta inſula, hodie vulgò ab Italis *Cerigo* vocatur, a Gallis *Cerigues*.

Cytorus, pag. 244. locus unde Coloni ad erectionem Amaſtridis urbis deducti; ſitus erat ad Pontum Euxinum, in Paphlagonia, non longè ab Amaſtride versus Occaſum.

Cyzicus, p. 48. col. 2. urbs Propontidis in Aſia minori; in peninſula ſive potiùs in inſula, quam pontes duo continenti junguot, condita; dicta fuit Arctonetus id eſt urſorum inſula; cæteris Aſiæ urbibus magnitudine non inferior, hodie vulgò *Chizico*.

Cyzicenus Cyzici incola, pag. 22. Cyzicenos ab Homero Doliones appellatos allevetat Stephanus Byzantius.

D

Daci, pag. 481. aliàs Getæ populi regionis Europæ, quæ Dacia dicta, Iſtro fluvio versùs Auſtrum & Orientem, Carpate monte ad Septentrionem & Tibiſco fluvio versùs Occidentem comprehenſa, nunc vulgò *Dace*, tres complectens Provincias Tranſylvaniam, Moldaviam, & Vvalachiam.

Dadaſa Caſtellum minoris Aſiæ, pag. 408. in Cappadocia haud dubiè, ut legenti conſtabit.

Dædala, pag. 183. regio Indiæ, cujus ſanè caput urbs Dædala, de qua Ptolem. lib. 7. Geogr. cap. 1. quámque ad Zaradrim fluvium collocat.

Dagon arx, pag. 349. quam Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 15. pag. 448. dicit fuiſſe ſuper Jerichuntem ſitam, & proinde in tribu Benjamin.

Dahæ, pag. 176. ſive Nomades Scythæ, dicuntur ibi ultra Tanaïm fluvium habitantes, ſed pro Tanai Jaxartem fluvium, à militibus Alexandri Tanaïm putatum, intelligе.

Dahæ, pag. 628. diverſi à prioribus populi, ſubjicitur enim *ad flumen Ginden, quod Dahas Ariòſque diſterminat*; Daæ ſunt, quos etiam Daſas vocari aſſerit Stephan. Byzantius, de quibus Ptolemæus lib. 6. Geogr. cap. 10, populi deſerta Margianæ regionis, quæ versùs meridiem ſunt, incolentes; Ariis contermini versùs Aquilonem.

Dalmanutha, Marci cap. 8. v. 10. *partes ſive Magdala fines*. locus aut oppidum trans mare Galilææ, in dimidia tribu Manaſſe; videtur idem eſſe cum Magedan, vel ſaltem illi vicinus.

Dalmatia, pag. 509. regio Europæ, partque Illyridis versùs Macedoniam, quæ erat Orientale Illyricum, mare Adriaticum ab Occidente, Liburniam alteram Illyridis partem & Pannoniam habens à Septentrione, Moeſiam, Dardaniam, & Macedoniam ab Ortu, Adriaticum mare ad Auſtrum: hodie regio, quæ Dalmatia dicitur, vetus utrumque Illyricum & Orientale & Occidentale, Liburniam videlicet & antiquam Dalmatiam complectitur; vulgò *Sclavonia*.

Dalmata, Dalmatiæ indigena.

Dalmaticus, qui ad Dalmatiam ſpectat.

Damaſcus, pag. 6. Syriæ olim metropolis & regia ſuper fluvios Abana & Pharphar, quem Chryſorrhoam eſſe arbitror, illum Bardinen appellat Stephanus Byzantius; hodie vulgò *Damaſco* Gallis *Damas* incolis *Sciam Damaſco*, Syrus *Darmſuc*.

Damaſcenus, prælaudatæ urbis incola.

Dan, pag. 6. ipſa eſt, quæ poſtmodum Cæſarea Philippi, de qua ſuprà, ſita in regione Rohob. Judic. cap. 18. verſu 28. de ea adhuc pag. 34. & 36. col. 2.

Danita, pag. 24. ſexcenti viri de tribu Dan, qui urbem Lais expugnantes & ſolo æquantes reædificaverunt; & ſuæ tribus nomine Dan appellaverunt.

Danala Caſtrum, pag. 412. in Aſiæ minoris Galatiâ, ad Trocmos Galatas Ponto & Galatiæ conterminos pertinens, ut aſſerit Strabo lib. 12. p. 390.

Dandarica, pag. 628. regio Sarmatiæ Aſianæ inter Caucaſum montem ad Auſtrum & Mæotin paludem ad Orientem, cujus populi,

Dandaridæ, qui etiam Dandarii dicti ibidem circa medium, his ad Ortum Torreates populi erant, ad meridiem Aſpurgii.

Danubius fluvius, qui è Germaniæ Suevia naſcens, totius Europæ fluviorum maximus, ubi *Donaw* ab incolis appellatur, mox Bavariam, Auſtriam & Hungariam prætergrediens, Savum fluvium recipit, hinc, ut vult Appianus Alex. vel ab Axiopoli inferioris Myſiæ urbe, poſito priori nomine Iſter appellatur; Daciam tandem percurrens, ſex oſtiis Pontum Euxinum ingreditur.

Daphne, pag. 244. & 277. ſuburbium urbis Antiochiæ Syriæ, quæ ab eo Antiochia Epidaphne, ſive juxta Daphnen cognominata eſt; in quo celebre Apollinis fanum & Oraculum, cum luco octoginta ſtadiorum ambitus amœniſſimo, ſitum erat ad meridiem.

Daphnenſes, pag. 412. hujuſce ſuburbii incolæ.

Daphnus, pag. 112. locus prope Clazomenas Ioniæ civitatem; de qua ſupra.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Daphne Peluſiæ, pag. 72. aliàs Tahpanheſus prope Peluſium Ægypti urbem, ab ea videlicet ſexdecim millia paſſuum, ut aſſerit Antoninus.

Dardania, pag. 338. Europæ regio, quæ Myſia Mediterranea vocatur, cui à Septentrione Myſia ſuperior, ab Ortu Thracia contermina eſt, à Meridie Macedonia, ab Occaſu Dalmatia; cenſenturque pars Illyriæ, hodie vulgò, quæ Servia & Raſcia.

Dardani, pag. 152. & 512. prælaudatæ Dardaniæ populi; ſicut & Dardanenſis.

Dardanus, pag. 90. & 377. quæ etiam pag. 116. Dardania urbs appellatur, urbs Troadis, de qua Strabo lib. 13. pag. 409. ad Helleſpontum, priùs Teuctis appellata, ut aſſerit Stephanus Byzantius, Abydo urbi proxima versùs meridiem, à qua vicina regio Dardania dicta; & indubium Turres celebres, quæ nunc ibidem ſunt, ab ea Dardanellas nuncupatas.

Dardanium promontorium vicinum Dardano urbi versùs meridiem pag. 116.

Dardari, pag. 393. populi ad Mæotim paludem ſiti; idem, qui ſuprà Dandaridæ.

Daſcylium, pag. 132. urbs Propontidis, non longè à Cyzico versùs meridiem.

Daſcylitis, pag. 100. regio, quæ circa Daſcylium.

Daſcylitis lacus, pag. 389. qui etiam Daſcylia lacus, & Aphnitis lacus & Artynia prope Daſcylium urbem & Cyzicum, tantæ amplitudinis, ut navium etiam non modicarum capax eſſet; ad Byzantios & Cyzicenos pertinens.

Daſira, pag. 414. locus aut regio in Aciliſena, non longè ab Euphrate, ubi minorem Armeniam ab eadem Aciliſena dividit; ibi mons erat aquâ præditus. de hoc Strabo lib. 12. pag. 381.

Daſtracus mons, pag. 414. in minori Armenia, videtur is eſſe apud quem Caſtellum erat Daſtarcum, ut refert Strabo lib. 12. pag. 370. quod Carmala amne circumfluitur, habeatque & fanum Apollinis Cataonis; in Cataoniâ, minoris Armeniæ parte.

Dathema munitio, pag. 320. in Galaaditide regione, in tribu Gad, inter Boſor & Maſpha.

Davidis civitas, pag. 39. 307. & 328. ibi intelligitur arx Sion in ipſamet civitate Hieroſolyma; nihilhominus Bethlehem etiam civitas David appellatur.

Debirus, pag. 23. in vulgata editione Joſue X. v. 38. Dabir quæ & Cariath-Senna & Kariath-Sepher priùs dicta, id eſt civitas litterarum, unde concluditur fuiſſe Palæſtinæ Academiam, civitas olim regia, quæ primùm in ſorte tribus Juda, poſteà tribui Simeon data eſt; deinde Levitica effecta.

Decapolis, pag. 590. regio circa Jordanem à Libano monte ad mare Galilææ à decem ſuis præcipuis civitatibus ita nominata; ipſæ autem erant.

Cæſarea Philippi,	Capharnaum,
Aſor,	Bethſaida,
Cedes-Nephthali,	Jotapata,
Sepphet,	Tiberias, &
Coroſain,	Bethſan quæ Scythopolis.

alii alias Decapoleos urbes recenſent, ejus termini ab Oriente mare Galilææ, & Sidon ab Occidente.

Deceleæ, pag. 107. urbs Atticæ, quam Stephanus Byzantius vicum Hippothoontidis tribus eſſe dicit. Pauſanias in Laconicis pag. 89. Caſtrum vocat, quod erat apud Deceliam, Strabo lib. 9. pag. 274. dicit unam eſſe ex duodecim urbibus à Cecropide fundatis, quæ ad Athenarum conſtructionem coaluere. Vellus illam ſuper collem ad Iliſſi fluvii fontes collocat, Athenis Orientem æſtivum versùs.

Delium, pag. 422. oppidum Syriæ inter Dioſpolim Syrorum & Judæam.

Delos inſula, pag. 92. & 98. una Cycladum ſeu potiùs, quam aliæ inſulæ in modum circuli cingunt, unde & Cyclades dictæ ſunt, hæc, ut aſſerit Stephanus Byzantius, appellata fuit Cynthus & Aſteria, & Pelaſgia, & Chlamydia & Scythiada, Apollinis natalibus & Oraculo apud prophanos authorea facta celebris: hodie vulgò *Sdille* appellatur, ipſa eſt, quæ pag. 371. Cecropidum inſula vocitatur.

Delphi, pag. 55. urbs Phocidis ſuper Auſtralem Parnaſſi montis partem, ut obſervat Strabo lib. 9. pag. 288. eratque in Græciæ meditullio, locus nunc *Salona* nominatur.

Delphicum Oraculum, apud præfatam urbem Delphos olim celeberrimum.

Delphinium, pag. 120. Caſtellum in inſula Chio, de qua ſuprà.

Delta, pag. 472. pars Ægypti inferior, ad oſtia fluvii Nili, quæ figuram Græcam Δ ſive triangulum exprimunt, cujus duo crura ſunt versùs Occaſum Agathosdæmon foſſa ſive fluvius, ab Ortu Bubaſticus fluvius; Baſis verò ad Aquilonem mare Ægyptium.

Demetrias, pag. 248. & 304. urbs Theſſaliæ, quam Demetrius ex pluribus parvis, quæ circa Jolcon oppidulis, conflaverat, ac de ſuo nomine appellarat, ad mare inter Neliam & Pagaſes, ut refert Strabo lib. 9. pag. 300. oppidula nominans Neliam videlicet, Pagaſes, Ormenium, Rhiſunta, Sepiadem, Boeben & Jolcon. Fuitque olim Macedoniæ Regum navale; ipſa cum Chalcide Euboeæ & Corintho vocabantur tres Græcorum manicæ ferreæ ſeu compedes: hodie vulgò *Dimitriada*.

Demetrium promontorium, pag. 308. prope Demetriadem urbem, in Pelaſgico, ut ipſa, ſinu.

Derbe, pag. 626. urbs Lycaoniæ, hanc & Derbeiam dicit Stephanus Byzantius.

Derbices, pag. 80. & 155. populi majoris Aſiæ Hyrcanis vicini versùs Boream, quos Derbiccas vocat Ptolemæus Geogr. lib. 6. cap. 10. coſque in Septentrionali Margianæ regionis parte ad Oxum fluvium, prope intimum maris Caſpii recceſſum collocat.

Deſſau vicus, pag. 327. in vulg. edit. 2. Machab. cap. 14. v. 16. Deſſau. Caſtellum Judææ, ſed certa ejus poſitio hactenus incerta, videtur tamen Hieroſolymis fuiſſe vicinum· & ad Aquilonem, ut ſuſpicatur Zieglerus illud Deſſan nominans.

Dia, pag. 377. urbs Palæſtinæ, de qua Joſephus Antiq. lib. 13. cap. 23. forſan Dium, de qua Ptolemæus; quæ urbs Cœleſyriæ eſt inter Pellam & Philadelphiam.

Dianium maritima Hiſpaniæ civitas, pag. 385. prope promontorium, quod olim Ferraria, ſive Artemiſium, nec non ab hac urbe Dianium dictum, in maris Mediterranei parte, quæ mare Ibericum dicta, non longè à Sucronis fluvii oſtiis, è regione Pithyuſæ inſulæ: hodie vulgò adhuc *Denia*, promontorium verò *Cabo martin* ſive *Punta del Emperador*, appellatur, in regno Valentiæ.

Dibon Gad, pag. 20. trigeſima nona ſtatio filiorum Iſraël inter Jiéabarim & Helmondeblathaim, quam etiam Dimon vocatam dicit Adrichomius; eſt ipſamet, quæ poſtea urbs Dibon, quæ trans Jordanem, Moabitarum fuit, poſtea ſub ditione Sehon regis Amorrhæorum, à qua expulſus eſt à filiis Iſraël, daraque fuit tribui Gad, quæ illam ædificavit & Dibon Gad appellavit; ſita erat ad Auſtrum prope tribum Ruben.

Dicæarchia, vide infrà Puteoli.

Dictæa, pag. 461. ſupple littora Cretæ inſulæ versùs

Orientem

Orientem à Dicte aut Dycte ſive Dyctæo monte ſic appellata, qui mons hodie vulgò *monte Samone* nominatur.

Didymaryche, velut gemini muri, pag. 166. Caſtellum minoris Aſiæ, circa Æolidem aut Myſiam, ut legenti Polybium conſtabit. lib. 5. Hiſtor. pag. 420.

Didymæus Apollo in Branchidis, p. 100. loco Cariæ, de quo ſuprà.

Didymæum fanum, p. 405. locus & Oraculum apud Miletum urbem, ut refert Stephanus Byzantius, ubi Apollo Didymæus colebatur, Strabo lib. 14. pag. 436. dicit illud à Xerxe combuſtum, tursùs a Mileſiis extructum tanta amplitudine, ut vici magnitudinem æquaret, & ea propter abſque tecto eſſet.

Didymena urbs, pag. 410. de qua Strabo libro 14. p. 457. obſervat Xylander in manuſcripto Codice legi ὡς Δυμαίων: Caſaubonus in hunc locum doctè aſſerit legendum Δύμων. Dyme, quæ urbs Achaiæ eſt, nam Plutarchus in vita Pompeii dicit hanc urbem incolis tunc egentem, plures agros coſque fertiles poſſidere. erat Achaiæ urbs extrema versùs Occaſum, ut aſſerit Stephanus Byzantius, in fragmento non abbreviato ſui operis, quod MSS. in Bibliotheca Seguierana aſſervatur; additque eam priùs Cauconis dictam, propter vicinum fluvium cognominem, Strabo lib. 8. pag. 267. de ea fusè, vide notas noſtras in Plutarchum: hodie vulgò *Clarenza* vocatur, capútque Ducatus eſt, quem Galli nominant *de Clarence*.

Dindymus mons, pag. 588. vide Adraſtia.

Dinia, pag. 284. locus Phrygiæ, qui ex hiſtoria vicinus videtur Synnadis urbi versùs meridiem.

Diosbieron, pag. 111. quod Iovis ſacrum ſignificat, oppidum Ioniæ maritimum, inter Lebedum & Colophonem, ut aſſerit Phlegon à Stephano Byzantio citatus.

Dium, pag. 428. urbs Cœleſyriæ eadem quæ Dium, vide ſuprà verbo Dia.

Diopolis, pag. 431. vide Cabira.

Dioſcurias, pag. 417. urbs, quæ aliàs Sebaſtopolis, quæque, ut dicit Stephanus Byzantius, prius Æa vocabatur, maritima in Colchide & intimo Ponti Euxini receſſu, inter oſtia fluviorum Chari ſive Cotaxis, & Antemi: hodie *Savaropoli*, ſeu potiùs *Sevaſtopoli*.

Dioſpolis, p. 532. eadem urbs, quæ ſuprà Dion ſive Dia, vide hoc verbo. eadem de qua p. 422.

Dioſpolis, pag. 311. quæ priùs Lydda, civitas in tribu Ephraim, quæ etiam Liddia, quam etiam Trigida fuiſſe appellatam dicit S. Hieronymus, hodie vulgò *S. Georgius*; ipſi vicinam civitatem *Ramæ* conſtruxerunt Arabes poſt tempora Mahumeti, ut refert Sanutus lib. 3. parte 6. cap. 4.

Diridotis, pag. 203. urbs ad oſtia Euphratis fluvii in ſinum Perſicum, quam eandem eſſe aſſerunt, quæ Teredon, ubi nunc urbs eſt *Baſſora* aliàs *Balſera* prope ſinum Perſicum; quæ coincidit cum Ampa urbe, de qua ſuprà.

Dium, pag. 151. oppidum maritimum Macedoniæ, in Pieria regione, ad ſinum Thermaicum, ſive Theſſalonicum; hodie vulgò *Stadia*.

Dor Caſtellum, pag. 349. in vulg. edit. I. Machab. 16. v. 15. Doch munitiuncula, quam collocat Adrichomius in tribu Ephraim, hanc à Phaſelo quatuor milliariis diſtantem Occidentem versùs in Acrabitena regione poſuit Jacobus Zieglerus; ab aliquibus Doech appellatur. à Sanuto lib. 3. parte 14. cap. 3. Dorum.

Dodonæus Jupiter, pag. 257. fanum & urbs apud Moloſſos Epiri populos, ſuper cognominem fluvium ſeſe in Acheloum exonerantem.

Dophka, pag. 14. in vulgata editione Num. 33. v. 12. & 13. Daphca apud Septuaginta Interpr. *ραφακά*. apud alios Daphcah, nona manſio filiorum Iſraël prope deſertum Sin, inter Sin & Alus.

Dora, pag. 354. ipſa eſt Dor. quæque Ador, ut obſervat Adrichomius, & in caſu obliquo apud Græcos Adora, Hebraicè Naphath-Dor hoc eſt littoralis ſeu maritima, fuit quondam civitas Regia, poſteà in tribu Manaſſe cis Jordanem, eam etiam Aſſur dictam, & ad duas leucas prope Cæſaream, Boream versùs, dicit Sanutus lib. 3. parte 14. cap. 2.

Doriea, pag. 622. præfatæ urbis accolæ.

Dora, pag. 346. urbs Phœniciæ maritima, ut notat Ptolemæus; diverſa non eſt à præcedenti.

Dorenſis, ejuſdem urbis incola.

Dora vel Adora, pag. 343. urbs Idumææ, quæ & Doreon & Abora, ſita erat ad radices montium Seir, prope tribum Juda ad Occaſum.

Dorienſes, pag. 96. ſunt ipſi Dores Græciæ populi inter Perrhæbos ad Occaſum, Æniaues ad Aquilonem, Phocidem ad Ortum, & Locros Ozolas ad Meridiem.

Doris, pag. 461. hic intelligitur regio littoralis Theſſaliæ, inter Demetriadem & Maleam.

Doriſcus, pag. 89. urbs Thraciæ, quæ etiam Dyme dicta ad Hebrum fluvium, urbi Ænos ad Aquilonem, regio vicina uſque ad mare Doriſcus campus appellatur. pag. 94.

Dorius mons, pag. 134. in Caria prope Cnidum urbem, de qua ſuprà.

Doryleum, pag. 241. urbs Phrygiæ Pacatianæ, ad præterfluentem amnem: hodie vulgò *Tzadurile*.

Doryma Cherſoneſi, pag. 134. ibi agitur de parte Cariæ, quæ in modum peninſulæ extenditur, ad cujus partem Orientalem erat Doryma, quæ etiam Loryma, urbs maritima, in Doride Cariæ; hodie vulgò *Maxi*, ut dicit Marius Niger; *Stadia*, ut vult Pinetus.

Dragoi, pag. 176. Aſiæ majoris populi, qui videntur fuiſſe inter Arbelitidem & Bactra.

Drange, pag. 175. & 197. qui alias Zarangæi, ſive Zarangi & pag. 345. Dranganitani, populi majoris Aſiæ Indis cis Indum vicini, quorum regio

Drangiana, pag. 175. regio prope Indiam, quam Ptolemæus inter Ariam ad Aquilonem, Arachoſiam ad Ortum, Gedroſiam ad Meridiem, & Carmaniam deſertam ad Occaſum.

Drangiana juxta Taurum, pag. 214. aut montes prælaudatæ Drangianæ vicinos, eam ab Aria versùs Septentrionem ſeparantes, montem Taurum appellare oportet, qui à Ptolemæo vocantur Bagous, aut alteram Drangianam Ariæ ad Aquilonem, versùs Hyrcaniam aſſerere.

Drangi, pag 171. prælaudati Drangæ.

Drapſaca, v. Adrapſa.

Drimyſſa inſula, pag. 113. & Drimuſſa pag. 286. maris Ægæi inſula, Clazomenis Ioniæ urbi objecta, in ſinu Smyrnæo.

Drymus, pag. 510. locus Judææ, de quo Joſephus lib. 1. de bello Judaico cap. 11. pag. 730. qui circa Carmelum versùs Hieroſolymam fuiſſe videtur.

Dulcis portus, pag. 534. in Corcyra inſula, a dulci aqua ita dictus, quæ à fluvio in eum effluente dulcis redditur.

Dura, pag. 263. urbs Meſopotamiæ à qua Danielis cap. 3. v. 1. *Campus Dura provincia Babylonis* appellatur.

Dora, pag. 265. urbs Phœniciæ, quæ aliàs Dora. Vide ſuprà hoc verbo.

Dyrrachium, pag. 458. urbs, quæ etiam Dyſtrachium olim Epidamnus dicta, ad mare Ionium & Panyaſſi fluminis oſtia, vicina Taulantiis versùs Aquilonem, in territorio peninſulæ formam referente: hodie vulgò *Durazzo*, à Turcis *Drazzi*, in Albania.

Dyrta, pag. 185. urbs Aſſacanorum cis Indum fluvium.

E

Eal mons, pag. 22. in vulg. editione Deuteron. cap. 27. verſu 13. Hebal. apud Septuag. Interpretes Γαιβάλ. Garizim monti proximus, in tribu Ephraim.

Eben-Ezer, pag. 27. in vulgata editione 1. Regum 4. verſu 1. & cap. 7. verſ. 12. *Lapis adjutorii*, locus inter Maſphath & Sen, ad Septentrionalem plagam tribus Dan; prope fines tribuum Juda & Benjamin, ſubter Bethchar.

Ecbatana, pag. 58. quæ & Agbatana, Achmeta necnon Achneta, civitas totius Mediæ regia ſive regni Medorum metropolis, cujus ambitum 158. ſtadiorum fuiſſe perhibent: hanc quidam dicunt eſſe eam quæ nunc *Taurus* appellatur: alii civitatem *Caſbin* vulgò nominatam, ſitam in *Ayrach* Provincia.

Ecbatana locus Syriæ, pag. 83. ex Herodoti lib. 3. cap. 64. Ἐκβάτανα ἐν Συρίῃ. Ecbatana in Syria. Plinius lib. 5. cap. 19. dicit, in monte Carmelo fuiſſe urbem Carmelum, olim Ecbatana nominatam: Joſephus pro Ecbatanis Herodoti Damaſcum reſtituit, ubi aſſerit Cambyſem vitâ functum.

Ecdippon, pag. 510. urbs, quæ Ecdippon, & Ecdippa; ipſamet quæ Acziba & Achazib, maritima, in tribu Aſer, in Phœnicia: hodie in loco circiter ubi *Sanderia*, inter Ptolemaïdam & Tyrum.

Ecinina, pag. 379. urbs minoris Aſiæ, à Murena condita, inter Cappadociam, ut videtur, & Pontum Mithridatis regnum.

Ecregma, pag. 232. *quod vocatur* ideſt eruptio, locus ſic dictus circa Peluſium in Ægypto. quem Strabo lib. 16. pag. 523. inter mare & lacum Sirbonidem ponit.

Eden, pag. 3. vocabulum voluptatem ſignificat. quo communiter intelligimus terreſtrem paradiſum; ubi autem fuerit hactenus planè incertum; & diverſiſſima ſentiunt authores, opinionem noſtram vide in Tabulis ſacris Geographicis, ubi opinati ſumus fuiſſe in montibus Armeniæ, è quorum radice defluunt quatuor fluvii Euphrates, Tigris, Phaſis, & Araxes.

Edenis domus, pag. 51. col. 1. in vulgata editione Amos 1. verſu 5. legitur domus voluptatis; quod vocabulum ibi ad Geographiam nullatenus pertinet.

Edeſſa, pag. 245. urbs, quæ Hierapolis, Bambyce, & à Syris Magog, poſteà à Græcis Macedonicæ urbis nomine donata Edeſſa fuit appellata, quæ etiam Edeſa, & Antiochia Oſtbœnorum, & Callirhoë, poſtmodum Juſtinopolis, urbs Syriæ ultra lævam Euphratis ripam, ex quo etiam Meſopotamiæ tribuitur, nunc vulgò *Orpha*, ad *Chabur* fluvium.

Edeſſeni, prælaudatæ urbis cives.

Edomæa, pag. 23. Edomi rex pag. 39. col. 2. Edomæorum terra 18. vide infrà Idumæa.

Edones, pag. 90. populi Macedoniæ ad utramque Strymonis fluvii ripam, non longè ab ejus oſtiis, in Thraciæ confinibus, cui attribuuntur à Stephano Byzantio; hi ab Authoribus paſſim Hedones appellantur.

Edrein, pag. 21. in vulgata editione Deuter. cap. 3. verſu 1. Edrai. civitas Regia Regis Og, in Baſanitide, in dimidia tribu Manaſſe ultra Jordanem, quæ ætate S. Hieronym. Adar ſive Adaram vocabatur, ab Aſtaroth ſex mill. paſſ. à Boſra autem in 24. lapide diſtans, quam alii Arabiæ, alii Cœleſyriæ aſcribunt.

Eglon, pag. 23. civitas Regia, quæ à Septuag. Interpret. Odolla vocatur, in tribu Juda, ætate S. Hieronymi villa erat prægrandis duodecimo lapide ab Eleutheropoli.

Egran, pag. 554. aliàs Egranorum urbs ſive Agranorum urbs, Arabiæ felicis & forſan Egra, quam Stephanus Byzantius ad Elaniticum ſinum collocat; ſi non ſit Negram Ptolemæi ejuſdem Arabiæ & ab eodem ſinu parum diſtita.

Eion, pag. 110. urbs Thraciæ ad Strymonem fluvium, quæ aliàs dicta Ægialus, ſive Eon, quæ varia nomina unicam rem littus videlicet ſignificant; ſita erat quatuor milliariis versùs ortum ab Amphipoli civitate, cujus emporium erat, quæ nomen ſuum Eionis Strymoni fluvio tribuens, ejus nomen ſibi aſſumpſit, unde vulgò hodie *Stramona* appellatur.

Ekronita, pag. 27. in vulgata editione primi libri Regum cap. 5. verſu 10. Accaronitæ cives urbis Accaron, ſive ejus Satrapiæ, de qua ſuprà hoc verbo.

Elæa, pag. 278. & 281. urbs minoris Aſiæ, quæ ut refert Stephanus Byzantius, priùs Cidænis appellabatur, maritima & duodecim ſtadiis infra Caicum fluvium versùs Meridiem, è regione Lesbi inſulæ, in Elaitico ſinu, in Æolia; ipſa nunc vulgò *Alea* nominatur.

Elæenſes, ibid. ejuſdem urbis incolæ.

Elæa, pag. 306. ibi ſermo eſt de Elæa Thraciæ civitate.

Elaita Dutis, prioris Elæ civis, pag. 245.

Elaiticus ſinus, pag. 286. pars Ægæi Maris ad Elæam, inter inſulam Lesbum & Æoliam.

Elam ſive Elymais, pag. 5. in vulgata editione Geneſ. cap. 14. verſu 1. rex Elamitarum; eadem regio, quæ apud Jeremiam cap. 39. verſu 34, 35, 36, 37. Ælam, in qua Caſtrum Suſis, quod ejus erat metropolis, Perſidem & Mediam regiones complectens.

Elamitæ, incolæ regionis Elam, pag. 68.

Elaphocs mons Phrygiæ, in quo pagus Meliſſa dictus pag. 123. apud Arginuſiam eſſe aſſeritur.

Elatha, pag. 20. in vulg. editione Deuter. cap. 2. verſu 8. Elath, quæ etiam Aila, & Ailath; *in littore maris Rubri in terra Idumæa*, ut ait ſacra Script. juxta Aſiongaber, urbs regni Edom. ibi tempore S. Hieronymi erat Romanorum legio dicta decima, vocata quoque eſt à Joſepho Elana.

Elatea, pag. 270. & 274. urbs Phocidis in Græciâ, maxima, ut refert Strabo lib. 9. pag. 292. per cujus agrum fluebat Cephiſus amnis, Homero incognita, utpote condita poſt ejus mortem.

Elea, pag. 486. urbs Italiæ in veteri Lucania, quam Strabo libri ſui ſexti initio dicit priùs Hyelam dictam, pòſt Ellam, deinde Eleam; Stephanus Byzantius aſſerit priùs Byle nominatam, fuit etiam Velia appellata, maritima ad oſtia Elei fluvii: dicitur eſſe, quæ nunc *Peſcieta*, in principatu citeriori.

Elea, pag. 287. urbs minoris Aſiæ vide ſuprà Elæa. eadem eſt pag. 353. & 379.

Eleaſa, pag. 329. in vulg. editione I. Machab. cap. 9. verſu 5. Laiſa; ipſa eſt Laïs ſive Dan, vide ſuprà Cæſarea Philippi.

ized by Google

Elephantina urbs, pag. 82. superioris Ægypti, in insula Nili cognomine, quæ Tabennensium insula esse creditur.

Elei, pag. 270. & singul. num. Eleus, incola regionis Peloponnesi, quæ Elea sive Elis appellatur; cui ad Septentrionem Achaia est, ad Orientem Arcadia, ad meridiem Messenii, ad Occidentem Ionium Pelagus.

Eleus Chersonesi, p. 93. in gen. Eleuntis. & p. 280. urbs Chersonesi Thraciæ ad Hellespontum sita, & in parte Chersonesi, quæ magis vergebat ad meridiem.

Eleusa, pag. 562. oppidum Ciliciæ, quod Sebaste mutato nomine dicebatur, maritimum, inter Corycium & Pompeiopolim.

Eleusine, pag. 372. urbs Atticæ prope Athenas versùs occasum, & Megara Orientem hyemalem versus, ad littus Saronici sinus & ostia fluvioli, cui nomen Schirus: ibi celebre Cereris & Proserpinæ fanum, illam vicum Hippothoontidis tribus affirmat Stephanus Byzantius: hodie vulgò *Lepsina*.

Eleuthera, pag. 418. urbs Cretæ insulæ, quam Stephanus Saorum appellari dicit, mediterranea erat inter Gortynam & Gnossum.

Eleutherocilices, pag. 454. qui nullis regibus obtemperabant, quorum urbs Pendenissus, Tibarenis finitimi; incolebant Orientalem eamque infestissimam Ciliciæ partem, ad montem Amanum.

Eleutherus fluvius, pag. 340. qui in monte Libano enascens, atque ab Oriente in Occidentem decurrens, tribum Aser præterfluit: ac mare Syriacum ingreditur. Posteà *Lauta* ira Nubiensis parte 5. Clim. 3. à quibusdam torrens *Rama*; hodie vulgò *Casimire* appellatur.

Elicionum rex, pag. 60. in vulg. editione Judith. 1. versu 6. rex Elicorum apud Septuaginta Interpretes Ἐλυμαίων hinc constat Elicos seu Elicios fuisse Elymaïdis accolas, de qua suprà verbo Elam.

Elidenses, pag. 559. apud quos Ludi Olympiaci, iidem sunt, qui Elei, vide suprà hoc verbo.

Elim, pag. 14. & Elima ibidem, sexta mansio filiorum Israël, ubi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ, inter Mara & Sin: hunc locum hodie *Belba*, vulgò *Belbes* vocari putat Postellus.

Elius, pag. 140. forsan ex Elea Cypri urbe maritima, cum promontorio cognomine, Salaminæ urbi ad Orientem.

Ellasaris rex, pag. 6. in vulgata editione Genes. cap. 14. versu 1. *Arioch rex Ponti.* Legit Symmachus Σαυδῶν regio Asiæ minoris Mari Euxino apposita, inter Bithyniam ad Occidentem & Paphlagoniam ad Ortum, quæ Pontus Bithyniæ: verosimile est ibi hac voce Ponti intelligi accolas maris Euxini versùs Aquilonem, inter quos Scythæ numerantur.

Elotha, pag. 18. *ad litus maris Rubri, in terra Edomæorum* in vulgata editione 3. Regum cap. 9. versu 26. legitur *Ailath*, est ipsemet locus Elatha dictus, de quo suprà.

Elymais regio, vide suprà Elam.

Elymæi, Elymaïdis indigenæ.

Elymais, pag. 318. nobilissima civitas, Elymaïdis regionis caput, in Perside, eadem quæ 1. Machab. 9. versu 2. alio nomine Persepolis nominatur, ad Rhogomanem fluvium sita: hanc dicunt quidam esse, quæ hodie *Sirat*, alii *Siaphas*.

Embolima, pag. 185. urbs Indiæ, non longè ab Aorno petra, de qua suprà. de illa Ptolemæus Geogr. lib. 7. cap. 1. qui illam in Indo-Scythia, juxta & cis Indum fluvium collocat.

Emai, pag. 6. in vulg. editione Genes. cap. 14. versu 5. legitur *Emim in Save Cariathaim*, populi staturæ gigantææ, qui primi habitarunt terram Moabitarum, quæ terra postmodum cessit tribui Ruben, de Save Cariathaim vide Geogr. nostram sacræ Scripturæ.

Emathia, pag. 461. hoc vocabulo sæpe apud Poëtas tota Macedonia accipitur, sed ab aliis scriptoribus pro parte Macedoniæ, quæ speciali nomine Macedonia appellatur, cui ab occasu Pæonia & Deuriopes, ab Austro Thessalia, ab ortu Pieria & Bottiæa, ab Aquilone Pelagonia.

Emesa, pag. 441. quæ etiam Hama dicta p. 577. sive Emesta, Emisa, Emissa, & Hemesa urbs Syriæ, quæ in Martyrol. Rom. Phœniciæ attribuitur, ad fluvium Orontem sita, inter Antiochiam & Damascum: hodie vulgò *Hamsa*.

Emessena gens, pag. 480. agri scilicet Emesseni circa Emessam.

Emmaus, pag. 316. & Emaus & Ammaum Castellum, civitas in tribu Juda stadiorum sexaginta ab Jerusalem occasum versùs, quod Castellum à Varo exustum, posteà Nicopolis appellatum est; nunc vulgò *Nicopol*, penè excisa.

Emodi montes, pag. 188. pars Tauri Montis, Indiam ultra Indum à Scythia disterminans, de his Ptolemæus lib. 6. cap. 15. suntque Asiæ maximi, à quibusdam *Moghali* ab aliis *Dalanguer* appellantur.

Emorei, pag. 6. in vulgata editione Genes. 14. versu 7. legitur *Amorrhæus, qui habitabat in Asasonthamar*; *quæ* (ita 2. Paralip. 20. versu 2. *est Engaddi* civitas in tribu Juda, & etiam simpliciter Thamar dicta, quæ Josepho *Engadda*, una ex Toparchiis juxta mare mortuum.

Ender, pag. 29. civitas in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, prope montem Ephraim.

Enhakkore, vide Lechi.

Enna, pag. 351. urbs Siciliæ insulæ, in ejus meditullio sive centro, super montem posita, & juxta ejusdem nominis lacum: hodie vulgò *Castro Giovanni* nominatur, in valle *di Noto*.

Eoa sceptra, pag. 462. id est regna, quæ ad partes sunt Orientales orbis terræ.

Eordenses, pag. 201. ex urbe Eordea in Mygdonia Macedoniæ regione, ad Axium amnem posita.

Ephesus, pag. 18. Ephesina urbs, p. 152. quæ priùs *Arsinoe*, necnon, teste Stephano Byzantio, Smyrna, Samorna, Trychia, Ortygia, & Ptelées, urbs Ioniæ in Asia minori, maritima, Dianæ fano celebris, apud Caystri fluvii ostium: nunc vulgò *Epheso* sive *Tiena*.

Ephesius, prælaudatæ Ephesi civis.

Ephraimi tribus, pag. 23. à mari occasum versùs, ad Jordanem fluvium versùs ortum protensa, tribui Manasse Aquilonem versùs, tribui verò Benjamin versùs Austrum contigua, præcipuam complectebatur Samariæ partem.

Ephraim urbs, pag. 596. in vulg. editione Joannis 11. versu 54. Ephrem, civitas in regione, quæ juxta desertum, Græcè Ephraim, in tribu Ephraim, juxta terminos tribus Benjamin.

Ephraimi montes, pag. 24. sive montes per partem tribus Manasse, per tribum Ephraim, necnon per tribum Benjamin sparsi, quorum præcipua pars tribum Benjamin à tribu Ephraim separans, terminus erat regni Juda ad aquilonem, illud à regno Israel disterminans.

Ephraimita, Israelitæ tribus Ephraim.

Ephron, pag. 322. civitas magna & munita ultra Jordanem, in dimidia tribu Manasse, ad Australem & Occidentalem plagam.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Epidamnus, pag. 512. vide Dyrrachium.

Epidaphne, vide Antiochia Syriæ.

Epidaurus, pag. 405. urbs Argolidis regionis, in Peloponneſo, ad ſinum Saronicum ſita, quam Scylax in Periplo inter Troezenen & agrum Corinthiacum ponit; erat Æſculapii fano celebris; hanc nunc *Pigada* appellari teſtatur Niger, apud Sophianum *Cheroniſi*.

Epidaurii, pag. 207. hujuſce urbis incolæ.

Epiphania, pag. 410. urbs in confinio Ciliciæ & Syriæ, ad Corræum fluvium ſita, inter Anazarbum ad Boream & Alexandriam, quæ ad Iſſum, verſùs Meridiem.

Epirus, pag. 213. regio ſive pars Græciæ, quæ verſùs Septentrionem à Macedoniâ Celydno fluvio ſeparatur, & Pindo monte à Theſſaliâ verſùs Orientem, mari Ionio Meridiem & Occidentem verſùs: hodie vulgò *Canina*, & Albaniæ regni pars inferior.

Epirotæ, pag. 150. Epiri incolæ.

Epiroticum regnum, regis Epiri.

Era, pag. 112. urbs Ioniæ prope Teum & Lebedum, quæ videtur fuiſſe maritima oppidum Teium vocatur à Strabone lib. 13. pag. 443.

Erana, pag. 454. quæ etiam Fagerana, alia lectio Eugerana, Ciliciæ ad montem Amanum, quæ fuit non vici ad inſtar ſed urbis, & ejuſdem montis Amani caput.

Eretria, pag. 92. & 371. urbs Euboeæ inſulæ, quam Strabo lib. 10. pag. 308. ait appellatam fuiſſe Melanem, & Arotriam, ſita erat ad Euripum, è regione portus Atticæ, cui nomen Delphinium, quæ Eretria vetus dicta, nova Eretria ejuſdem inſulæ poſtmodum conſtructa fuit, Chalcidenſi civitati ad Auſtrum: hodie vulgò *Euebo*.

Eretrienſis, pag. 100. Eretrii pag. 89. Eretrica mulier pag. 102. aut prælaudatæ urbis cives, aut forſan Eretriæ urbis Theſſaliæ, quæ hodie *Vatia*.

Erindes amnis, pag. 628. majoris Aſiæ, circa Parthiam aut Hyrcaniam.

Erioch campus, pag. 60. & ibidem Arioch. Rex erat Elicorum, cujus campus ab eo Erioch dictus; in Elymaïde, ut dictum eſt ſuprà, verbo Eliciorum.

Eriza, pag. 284. urbs minoris Aſiæ, quæ circa Cariam fuiſſe videtur.

Erymanthus amnis, pag. 270. qui & Erimanthus fluvius majoris Aſiæ, inter Drangianam regionem & Arachotiam.

Erythræ, pag. 113. 231. & 385. urbs Ioniæ in Aſia minori, quæ, ut refert Stephanus Byzantius, Cnopupolis nominata fuit, in Ioniæ Cherſoneſo, è regione Chii inſulæ. Portum habebat, ut ait Strabo lib. 14. pag. 443. & quatuor inſulas ante eum, quæ Hippi (id eſt equi) vocantur; ibi priſcis temporibus nata eſt Sibylla mulier fatidica.

Erythræ, pag. 98. urbs Beotiæ in Græcia, inter Cytharonem montem ad Auſtrum & Aſopum fluvium ſita; non longè à Plateis urbe Orientem verſùs.

Erythræa, pag. 405. inſulæ Cretæ civitas, quæ ad Orientalem inſulæ plagam fuiſſe videtur.

Erythræa inſula, pag. 385. ibi ſermo non eſt de alia quàm de Erythris Ioniæ, quæ quia in peninſula, hæc ab ea potuit Erythræa nominari.

Erythræum promontorium, pag. 306. quod Erythris Ioniæ vicinum, è regione Chii inſulæ.

Erythræum mare, pag. 13. idem ac mare Rubrum; idem enim dictio Græca ſignificat, de quo infrà.

Erythræi, pag. 112. & 135. Erythrarum Ioniæ cives.

Eſca, pag. 554. urbs felicis Arabiæ à Gallo deleta, ut Plinius refert lib. 6. cap. 28.

Eſchelis vallis, pag. 17. in vulg. editione Num. 13. verſu 23. non de valle, ſed de Torrente agitur, & Nehelefcol ibidem id eſt Torrens Botri nominatur, vallis itaque ad hunc Torrentem Botri, vallis Botri, locus erat in tribu Dan, non longè à Torrente Sorec.

Eſthaol, pag. 27. in vulg. edit. Judic. 16. verſu 31. Eſthaol; alibi Eſtaol, civitas primò in ſorte tribus Juda, poſtmodùm tribui Dan data, ſita in campeſtribus: hodie villa *Aſſo* ad præterfluentem Torrentem Sorec, ut aſſerit Zieglerus.

Eſſa ſive *Geraſa*, pag. 378. vide Geraſa.

Eſſebona, pag. 380. eadem urbs, quæ Heſebon: vide infrà verbo Hesbonis rex.

Eſthunois arx, pag. 551. ab Herode condita, in Peræa regione.

Etam petra, pag. 27. petra prope urbem Etam, aliàs Athar dictam, quæ primò ſortis tribus Juda, poſteà tribui Simeon data eſt; ibi Spelunca petræ Etam, de qua Judic. 15. verſu 8.

Etham, pag. 14. *quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis*; tertia manſio filiorum Iſrael inter Ægyptum & mare Rubrum; ibi hac ætate Zuera Emporium eſſe aſſerit Zieglerus.

Ethami deſertum, pag. 14. vicinum manſioni Etham, quod, ut conſtat ex Num. cap. 33. verſu 8, etiam ultra mare Rubrum extendebatur, tràtque idem, quod Sur appellatur Exodi 15. verſu 22.

Etenneſes, p. 166. populi Piſidiæ in Aſia minori, qui montanam regionem ſupra Siden incolebant, Pamphyliæ vicini.

Etruria, vide Hetruria.

Evæa, pag. 205. ſpecies equitum apud Perſas.

Evaſpla flumen, pag. 185. fluvius Indiæ & circa ſuperiores, ut videtur, Indi fluminis partes.

Euboea, pag. 96. & 171. inſula una è ſeptem majoribus maris Mediterranei inſulis, quæ ob longitudinem olim *Macris* appellata; hanc Strabo deſcribit initio libri 10. ab Occidente in Orientem protenditur; ad meridiem habet Locros; Boeotiam, & Atticam, à continente Græciæ ſeparatur freto, quod Euripus appellatur; eique continenti apud Chalcidem urbem ponte jungitur; habet ad Aquilonem Ægæum mare; fuit etiam hæc inſula Chalcis nominata: hodie vulgò Italis *Negroponte*, Gallis *Negrepont*.

Euboicum, pag. 283. talenti ſpecies, ab Euboea ſic denominati.

Evergeta, pag. 175. vide Arimaſpi.

Eulæus fluv. pag. 68. vide Ulaius.

Eulæus amnis, pag. 204. vide Ulaius.

Eupatoria urbs, pag. 349. & pag. 431. à Mithridate Eupatore condita, & à Pompeio magno inſtaurata, atque ab eo Magnopolis ſive Pompeiopolis nominata, urbs in Aſiæ minoris Ponto; Amiſo civitati proxima verſùs occaſum.

Euphrates, pag. 9. fluvius maximus è montibus Araxat ſive Armeniæ erumpens, Cappadociam, Armeniam minorem, Syriam, & Arabiam à dextrâ, Armeniam majorem & Meſopotamiam à ſiniſtrâ alluit; Chaldæamque interſecans in Tigrim ſeſe effundit, ac nomine deperdito cum eo in Perſicum ſinum evolvitur; hodie vulgò *le Frat*.

Euromus, pag. 275. & Euromenſium urbs pag. 272. urbs Cariæ in Aſia minori, quam Strabo lib. 14. pag. 455. inter urbes maritimis urbibus vicinas enumerat.

Euromenſium oppida & Provincia, loca & territorium prælaudatæ urbis pag. 313.

Europa una trium Orbis veteris partium, quæ à Septentrione & occaſu Oceano, ab Auſtro Mediterra-

neo

neo mari; ab Ortu mari Ægeo, Propontide, Ponto Euxino, Tanaide fluvio lineâque ad Septentrionem directâ concluditur.

Europus urbs, pag. 263. ex Polybio lib. 5. Hiſtor. pag. 393. urbs ad Euphratem, & Parapotamiæ, ideſt regionis circa eundem fluvium, quaſi terminus versùs Aquilonem.

Eurymedon, pag. 102. fluvius Pamphyliæ, qui in Piſidia naſcens, ab Aquilone in Auſtrum fluit, ac tandem mare Pamphylium ingreditur; de eo Strabo lib. 14. pag. 459. hodie *Zacuth*, aut *Jereon*.

Euxinus Pontus, ſeu mare Ponticum, olim Axenus, id eſt Inhoſpitalis à Septentrione Tauricam Cherſoneſum, Boſphorum Cimmerium & Sarmatiam Aſianam habens; ab Ortu Colchide, à Meridie Aſiâ minori, ab Occaſu Thraciâ, Scythiâ parvâ & Daciâ circumcingitur; vulgò mare Nigrum ſeu majus, Gallicè *la Mer Noire* ſive *Mer Majeure*.

Ezion-Gaber, pag. 18. in vulg. editione, Num. 33. verſu 35. Aſion-Gaber trigeſima ſecunda manſio filiorum Iſraël in deſerto Pharan, in terra Edom, poſteà civitas & portus ac navale, ad littus maris Rubri, hæc tempore Joſephi Berenice vocabatur, tempore S. Hieronymi Ellia, in ſinu Elanitico, non procul ab Elana villa.

F

Florentinus, pag. 499. civis urbis, cui nomen Florentia, olim Coloma & Fluentia dicta, Hetruriæ caput, ſuper Arnum fluvium, nunc vulgò *Fiorenza* & *Firenza*, Gallis *Florence*.

Forojulienſis, pag. 547. è civitate, cui nomen Forum Julii, quæ Carnorum erat ad Natiſonem fluvium & Alpium radices; vulgò *Cividad di Friuli*, in Territorio, cui nomen dedit Forojulienſi, vulgò *le Friouli*.

Forum Cornelii, pag. 489. ſive Forum Cornelium, quod poſteà Forum Syllæ nominatum fuit, urbs Æmiliæ ſeu Galliæ Togatæ, quæ ex itinerum intervallis deprehenditur eſſe eadem, quæ nunc *Imola*, in Romandiola, apud Vatrenum fluvium.

Fruſino, pag. 271. urbs Latii in Hernicis, quæ etiam Froſinum, apud fluvium Coſam, inter Privernum & Alatrium, nunc *Fruſilone*.

Fugerana, pag. 454. vide ſuprà Erana.

Fuxenſis codex, pag. 144. ideſt Bibliothecæ Collegii Fuxensis Toloſæ a Cardinale Fuxenſi fundati. Fuxum urbs ad Aurigeram *l'Auriege* amnem, cum comitatu cognomine, in Occitania, vulgò *Foix*.

G

Gabala, pag. 380. plurali numn. & pag. 551. urbs Galilææ, Mediterranea, in tribu Aſer, in confiniis tribus Nephthali.

Gabala Ciliciæ, pag. 416. v. Cabala.

Gaba, pag. 181. Sogdianorum oppidum munitum; medium inter Maſſagetas & Sogdianos ſitum.

Gabaza, pag. 181. regio majoris Aſiæ; Sogdianæ pars, aut ei, ut videtur, vicina atque Maſſagetis.

Gabenorum Regio ſive

Gabiene, pag. 227. & 228. regio Aſſyriæ circa Tigrim fluvium, non longè à regione Parætacena.

Gabiniorum urbs, vide Samaria pag. 551.

Gad tribus, pag. 21. trans Jordanem, accepit pro ſorte mediam terram regni Amorrhæorum, habens ab Aquilone conterminam dimidiam Tribum Manaſſe, ab Auſtro Tribum Ruben, ab Ortu Arabiam, ab Occaſu Tribum Iſſachar, alteram dimidiam tribum Manaſſe quæ cis Jordanem, & tribum Ephraim à quibus Jordane fluvio ſejungitur.

Gadita, populi tribus Gad.

Gadamala, v. Gamarga.

Gadamarta, v. Gamarga.

Gadara, pag. 166. & 274. urbs trans Jordanem contra Tiberiadem & Scythopolim, ad Orientalem plagam, in dimidia tribu Manaſſe, non procul à tribu Gad diſſita, ſita ſupra montem, cujus radices alluit Hieron, ſive Hippodion fluvius.

Gadara, pag. 317. vide Gazara.

Gadareus, Gadarenſis, & Gadarenus, Gentilia nomina prælaudatæ urbis Gadara.

Gadarenorum regio, pag. 590. vide infrà Gergeſeni.

Gadarla, v. Gamarga.

Gadès, pag. 413. inſula, olim Bæticæ regionis in Hiſpania, proxima continenti cum urbe cognomine; nunc *Cadis* vel *Caliz* dicta, ad oram Andaluſiæ.

Gadilonitis regio, pag. 424. minoris Aſiæ in Ponto Galatico; apud Strabonem lib. 12. p. 377. Γαδηλονῖτις Gadelonitis, poſt oſtia Halys fluvii (id eſt versùs Orientem) uſque ad Saramenam.

Gaditanum fretum, pag. 408. quod & Herculeum, Iberum ſive Hiſpanum dictum, inter Bæticam ad Aquilonem & Mauritaniam Tingitanam ad Meridiem, mare Mediterraneum, Orientem versùs, ab Oceano Atlantico versùs Occaſum ſeparans: hodie Hiſpanis *Eſtrecho de Gibraltar*, Gallis *détroit de Gibraltar*.

Galaad, pag. 9. ſive Gileadis mons, qui etiam Jegar Sahaduthâ, qui pariter Hebraicè Galhed, & Gilhad, Joſepho Galades; Ptolemæo Hippius, à rupe Arnon versùs Septentrionem quinquaginta circiter milliaria longus, ad Libanum uſque porrigitur, qui, pro locorum varietate, varia ſortitur nomina.

Galaaditis regio, pag. 320. ſive Galaad terra, & regio Galaaditica, & Gileadis terra pag. 21. necnon Galaadina, & Galadina atque Galadena regio trans Jordanem conceſſa tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, Jordane ab Occaſu, & Galaad monte ab Oriente concluſa.

Galaadita, pag. 320. præfatæ regionis accolæ.

Galadenorum regina, pag. 366. Galadenæ ſive præfatæ Galaaditidis regionis.

Galata, pag. 262. Γαλάται populi regionis, quæ

Galatia, pag. 155. & 287. 312. regio Aſiæ minoris, quæ etiam Gallo-græcia & Græco-gallia dicta, à Septentrione Paphlagoniâ, ab Ortu Cappadociâ, à Meridie & Occaſu Phrygiâ magnâ concluditur: nunc vulgò *Chiamcare* ex occupatis partibus Phrygiæ, Paphlagoniæ, Myſiæ ad Olympum & Cappadociæ; & aliquando ad Taurum uſque montem ejus extenſa dominatio. Vide infrà Gallo-græcia.

Galatica regio, ipſamet Galatia.

Galatis regio, pag. 266. eadem quæ Galaditis ſive Galaaditis, de qua ſuprà.

Galgala, pag. 329. urbs, de qua lib. 1. Machab. 9. verſu 2. in tribu Nephthali, in Galilæa Gentium ſive ſuperiore.

Galilæa, pag. 51. col. 2. regio terræ promiſſionis & pars Syriæ, cujus fines à Septentrione Syria ſive Phœnicia, interjacente Libano monte; à Meridie Samaria & Carmelus mons; ab Oriente Jordanis fluvius, ab Occidente mare magnum ſive Occidentale; quatuor continebat tribus, Aſer, Nephthali, Zabulon & Iſſachar.

Galilæa gentium, pag. 43. col. 2. pars præcedentis Galilææ versùs Septentrionem, quæ etiam Galilæa ſuperior appellata eſt.

Galilææ mare, pag. 592. vide verbo Genezareth aqua.
Gallia, pag. 108. regio Europæ, ſub qua comprehenduntur regiones, ab Oriente Rheno amne & Alpium parte incluſæ, ab Auſtro interno Mari Pyrenæiſque jugis, ab Occidente Oceano Gallico, ab Aquilone Britannico: vulgò *la Gaule*, ſive potiùs *les Gaules*.
Gallia Ciſalpina, pag. 387. pars Italiæ, quæ à Gallis invadentibus & incolentibus Cis Alpina, quia reſpectu civitatis Romæ intra Alpes, id eſt Alpibus montibus ad Ortum, quæ etiam,
Gallia Circumpadana, pag. 483. ipſamet Gallia Ciſalpina, quæ ita dicta eſt, quia circa Padum fluvium ſita, & bipartita in eam, quæ ultra Padum, quæque Tranſpadana; atque in eam, quæ intra Padum, id eſt Pado ad Meridiem, quæ Ciſpadana fuit appellata.
Gallia Comata, pag. 498. eadem eſt cum Tranſalpina Gallia, vide ſuprà verbo Gallia.
Gallia Togata, pag. 498. eadem, quæ ſuprà Gallia Ciſalpina.
Gallia Narbonenſis, pag. 498. ſive Provincia Narbonenſis Galliæ; complectebatur Occitaniam & Provinciam Arelatenſem, ſeu potiùs Gallo-Provinciæ partem maritimam.
Gallicus ſinus, pag. 408. pars Mediterranei maris Galliis expoſita, quæ nunc vulgò *Golphe de Lyon* appellatur, cum mari Maſſiliæ, ac mari Gallo-Provinciæ.
Gallo-gracia, pag. 256. Galatia, de qua ſuprà, quam Galli in tres populos Trocmos, Tectoſagos, & Toliſtobogios, divili occupavere; atque totam Aſiam minorem ſibi tributariam fecere, Trocmi Helleſponti ora, Toliſtobogii Æolidem & Ioniam, Tectoſagi Aſiam mediterraneam ad Taurum uſque montem.
Gallo-graci, pag. 284. ipſi, qui ſuprà Galatæ.
Gamala, urbs cum arce munitiſſima, ſuper montem ſita, qui Cameli ſpeciem referebat, unde nomen urbs Gamala (id eſt Camelum) accepit; in dimidia tribu Manaſſe ultra Jordanem; intra mare Galilææ & Arabiam.
Gamaliticus ager, pag. 614. regio circa prælaudatam Gamala urbem, in qua plurimi erant vici.
Gamarga, pag. 227. ſive Gadamala, Gadarla, & Gadamarta. Parva regio Mediæ versùs occaſum, forſan Ptolemæi Marciana, aut Margaſi populi.
Gambrium, pag. 129. oppidum Ioniæ in Aſia minori, quod Stephanus Byzantius Gambreium vocat.
Gamorrum, pag. 7. v. Gomorrha.
Gandaridæ, pag. 190. qui Gangaridæ pag. 188. populi Indiæ extra Gangem, aliis circa eundem fluvium. Ptolemæus illos ad oſtia, Diodorus & Curtius ad Indi & Gangis fontes collocant.
Ganges fluvius, pag. 173. Indiæ maximus, ab Aquilone in Auſtrum decurrens, priùs Chliarus dictus, Indiam totam in eam, quæ citra Gangem, & eam quæ ultra Gangem dividit.
Garamantes, pag. 552. Libyæ populi.
Garamantides undæ, pag. 466. his verbis mare Mediterraneum Libyæ vicinum intelligitur.
Gargaza, v. Gorgaza.
Gariſim mons, pag. 10. mons Samariæ altiſſimus, in tribu Ephraim, prope urbem Sichar Auſtrum versùs, in eo
Garizimitanum templum, pag. 309. ſive Garizitanum Hieroſolymitano Templo ſimillimum, in præfato monte Garizimo.
Gathum, pag. 29. in vulg. editione 1. Reg. cap. 21. verſu 10. Geth urbs olim Regia, in qua Gigantes habitavere, una ex quinque Satrapiis Philiſtinorum, in diſtrictu tribus Dan, non longè à mari; ætate S. Hieronymi Diocæſarea vocabatur; aliàs Anthedon & Agrippias dicta, nunc *Zaph* ſive *Ybelim* ipſa quoque olim Gitta dicta vide p. 55.
Gathum-Chepheri, pag. 43. col. 2. in vulg. editione 4. Reg. cap. 14. verſu 25. legitur *Geth quæ eſt in Opher* S. Hieronymo Gethopher, & Geth-Epher in tribu Zabulon, videturque non diverſa ab Epher, neque ab Opher.
Gaugamela, pag. 64. plurali numero, quod Cameli domum ſignificat, vicus ignobilis in Aturiâ Perſidis regione, ut aſſerit Strabo initio libri 16. ad Bumelum fluvium ſitus, ubi Darius victus Imperium amiſit, 100. circiter ſtadiis ab Arbelis civitate, cui, utpote loco nobiliori, aſſignata eſt à Macedonibus hæc celebris Alexandri victoria.
Gaulana urbs, pag. 380. quæ in ſacra Scriptura Gaulon dicta, nec non Golan, civitas in Baſan ſeu Baſanitide regione, in dimidia tribu Manaſſe trans Jordanem, quæ facta fuit confugii & Levitis data.
Gaulanitis, pag. 380. & Gaulonitica regio pag. 569. regio circa prælaudatam Gaulanam urbem.
Gaulanites, pag. 578. Gaulanæ civis.
Gaza, pag. 177. urbs Sogdianorum aut circa Sogdianam.
Gaza, pag. 23. civitas una ex quinque Satrapiis Philiſtinorum, quæ ceſſit ſorti tribus Juda, quæ etiam Gazara, & Gazera, Gazer, Gazaris Hebræis; Aza dicta apud Syros, ut notat Stephanus Byzantius, qui eam Phœnices, poſtmodo ſua ætate Palæſtinæ urbem dicit, vocatam quoque fuiſſe Ione, & Minoe, ſeptem ſtadiis à Mari diſtans, quæ ab Alexandro diruta, nova in vicino loco Gaza conſtructa eſt tempore Machabæorum; ultima urbium erat versùs Ægyptum: hodie etiam florens ac vulgò *Gaza* ſive *Gazara*.
Gaza vetus, pag. 233. locus Gazæ vicinus, ubi Gaza, quæ ab Alexandro diruta.
Gazæus, Gazenſis, pag. 161. Gazæ urbis gentile nomen.
Gazara, pag. 317. ſive Gadara; & Gazera, pag. 328. in vulgata editione I. Machab. 4. verſu 8. Gezeron, ipſa eſt Gazer, quæ etiam Gaſer, & Gezer, civitas olim Regia, in tribu Ephraim & Levitis data, non longe à confiniis tribus Benjamin.
Gaziurſa, pag. 408. ipſa eſt Strabonis lib. 12. p. 378. Gaziura, antiqua Regia ſua ætate deſtructa, in Cappadocia ad Irim fluvium, Comanis ad Aquilonem, & ubi Iris ſe in Ortum inflectit.
Geba, pag. 36. col. 1. in vulg. edit. 2. Paralip. 16. verſu 6. legitur *Gabaa*, civitas tribus Benjamin, quæ etiam ob natales Saülis dicta eſt. 1. Reg. 11. verſu 4. Gabaa Saülis, ejus Regia effecta, quæ & Gabaa Benjamin, priùs confugii & Levitis data.
Gedara, pag. 646. Gedera, ipſa eſt, teſte S. Hieronymo, Gader, civitas olim Regia, quæ poſtmodum tribui Juda aſſignata fuit.
Gedor, pag. 347. aliàs Cedron, vide ſuprà hoc verbo.
Gedroſia, pag. 200. Indiæ Regio, ab Occidente Carmaniâ, ab Aquilone Drangianâ & Arachoſiâ, ab Oriente Indo fluvio & altera Indiæ parte, à Meridie Mari Indico concluſa: ubi nunc regiones Perſarum *Circan* & *Macran*.
Geduſanus ager, pag. 384. in Aſia minori.
Gela, pag. 59. & 121. urbs Siciliæ inſulæ ad Gelæ fluvii oſtia, à quo ſuum nomen deſumpſit; nunc hodie

Terranova vocatur, quod nomen eidem indidit fluvio in ora insulæ Australi Africæ oppositæ, in valle Notienti *di Note*.

Gelοi, pag. 160. ejusdem urbis incolæ.

Gemen, pag. 631. aliàs Nain, vicus Samariæ in campo magno situs, in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, qui Naïs & Ginaïs vocatur, de quo Adrichomius in eadem tribu numero 45.

Genesareth aqua, pag. 342. & Genezareth lacus, dictus etiam stagnum Genezar, sive etiam mare, necnon mare Tiberiadis, situm autem est interfluente fluvio Jordane inter dimidiam tribum Manasse quæ trans Jordanem ab Ortu, partem tribus Nephthali versùs Aquilonem, tribum Zabulon ad Occidentem, & partem tribus Issachar ad Austrum; hodie vulgò *Taberia*, vocabatur etiam mare Galilææ.

Genesareth terra, pag. 591. quæ etiam terra Genesar, regio in tribu Nephthali, circa ejusdem tribus urbem Cenereth, sive Cenereth.

Gentium Rex Tidal, pag. 6. vel; ut vulg. editio Gen. 14. versu 1. Thadal; ideò Gentium regem appellatum dicunt interpretes, quia regnum ejus ex pluribus collectis Gentibus constabat, sed ubinam fuerit regnum illud non exprimunt, verosimile est fuisse Regem regionum Occidentis; quarum populi passim Gentes sunt appellati.

Gephrus, pag. 266. Cœlesyriæ oppidum.

Geræstus, pag. 132. Eubœæ insulæ portus, locus, quem vicum vocat Stephanus Byzantius, cum promontorio totius insulæ Australioris; ubi celeberrimum erat Neptuni fanum.

Gerarum, pag. 7. in vulg. edit. Gen. 20. versu 1. in Geraris, Gerara urbs olim Regia, inter solitudines Cades & Sur, terminus Chananæorum versùs Australem plagam, cujus vicina regio Geraritica dicta, proximus torrens Gerara nuncupatus, sicut & vallis: intra tribum posteà Simeonis.

Gerasa aliàs Essa, pag. 378. quæ & Geraza, quæ Josepho Gerasis & Gergesa, S. Hieronymo Gargali, urbs in dimidia tribu Manasse ultra Jordanem, mari Galilææ ad Ortum proxima.

Gerasæni, pag. 383. ejusdem urbis aut vicinæ regionis incolæ.

Gergesæni seu Gadareni, pag. 590. Gergesarum & Gadararum urbium Vicinarum territorii (quod passim Gergesenum & Gadarenum dictum est) incolæ; Gergesa eadem, quæ suprà Gerasa.

Gergithæ, pag. 129. & Gergithus pag. 286. oppidum munitum Mysiæ in Asia minori, ad Idam montem, in agro Lampsaceno; est alia Gergitha urbs Æolidis prope Larissam.

Gergithæ, pag. 90. ejusdem urbis incolæ.

Germani, pag. 457. Germaniæ populi, quæ regio Europæ amplissima; quæque pro limitibus ab Occasu Rhenum amnem habet, ad Aquilonem Oceanum & Suevicum mare, ab Ortu Vistulam fluvium, à Meridie Alpes Rhæticas, Carnicas & Julias; regiones finitimas ab Occasu Galliam, ab Ortu Poloniam & Hungariam; Italiam ab Austro: nunc vulgò Gallis *l'Alemagne*.

Gerra, pag. 263. Castellum sive oppidum Syriæ, ad Alsadamum montem.

Gerreni, pag. 323. lib. 2. Machab. cap. 13. versu 24. incolæ urbis Gerra, quæ etiam Gertha, Gerrhum & Gera, Ægypti inferioris maritima, ad confinia Palæstinæ, à Pelusio (ut ait Sozomenus) plus minùs quinquaginta stadiis distans, in Cassioride regione, apud paludem Sirbonidem: hodie vulgò *Maseli*.

Gerrus mons ibidem, prope urbem Gerra, quem Ægypti versùs Palæstinam terminum constituit Ptolemæus.

Gerzita populi, pag. 29. in vulg. editione primi Regum cap. 27. versu 8. de Gerzi, regio, quæ videtur fuisse Idumææ, sicut & Gessuri, de qua ibidem.

Gesthurita, pag. 28. Rex Geshur, & pag. 28. in vulg. editione 1. Regum cap. 27. versu 8. Gessuri; asserunt aliqui pagum fuisse Idumææ.

Geta, pag. 245. sive Daci p. 509. Vide supràverbo Daci.

Geticum bellum, quod adversùs Getas.

Gethsemane, pag. 600. in vulg. edit. Matth. 26. v. 36. Gethsemani, villa urbi Hierosolymæ vicina versùs Orientem, ad radices montis Olivarum.

Gezeris Rex, pag. 23. in vulg. editione Josue 10. versu 33. Rex Gazer eadem quæ

Gezerus civitas tribus Ephraimiticæ, pag. 32. est ipsamet urbs Gazara, de qua suprà.

Gibbethon, pag. 35. col. 2. & pag. 37. col. 2. in vulg. editione 3. Reg. cap. 20. versu 27. *Gebbethon quæ est urbs Philistinorum*, quæ etiam Gabathon, civitas tribus Dan, Levitis data, sed posteà à Philistæis occupata.

Gibeon, pag. 23. in vulg. editione Josue 10. versu 12. Gabaon, civitas quondam Regia, Hevæorum metropolis, cujus cives ultrò se dederunt Israëlitis, sorte data tribui Benjamin, posteà facta confugii & Levitis data, quinquaginta circiter stadiis ab Jerusalem, in monte Silo sita, ut asserit Brocardus, hodie *Garaandavid*.

Gibeonitæ, pag. 23. in vulg. editione Josue 10. v. 1. Gabaonitæ, prælaudatæ urbis cives.

Gibeon, pag. 33. in vulg. editione 3. Reg. 3. versu 4. Gabaon, non alia urbs à præcedenti.

Gibeonis aquæ, pag. 72. in vulg. editione Jerem. 41. versu 12. ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon, idem locus qui suprà.

Gichonis aquæ alveus, pag. 55. in vulg. editione 2. Paralip. 32. versu 30. fons aquarum Gihon, Gihon mons erat urbi Jerusalem vicinus versùs Occidentem, unde fons ad urbem defluebat: de eo adhuc pag. 32.

Gizartum, pag. 422. munitio sive præsidium Cœlesyriæ infra Libanum montem, ab Ituræis sive Arabibus occupatum.

Gilboa mons, pag. 29. in vulg. editione 1. Reg. 31. versu 1. Gelboe, mons sive montes in tribu Issachar, ab Occidente a Jezrael usque ad Jordanem per undecim leucas protensi.

Gileadis mons, pag. 9. vide Galaad.

Gileadis terra, pag. 21. Gilead sive Peræa, pag. 51. col. 2. vide Galaaditis.

Gileadita idem, qui suprà Galaadita.

Gilgal, pag. 23. in vulg. editione Josue 4. versu 19. & cap. 5. versu 9. *Galgala* plurali numero, *contra Orientalem plagam urbis Jericho*; civitas insignis in tribu Benjamin, à Jordane quinquaginta stadiis, à Jericho decem Aquilonem versùs distura; pluribus castrametationibus clara.

Gindes amnis, pag. 628. *qui Dahas Arioſque disterminat*, in Asia & finibus Margianæ Regionis & Ariæ.

Giscala, pag. 647. oppidum Galilææ gentium sive superioris in tribu Aser, non longè à finibus tribus Nephthali.

Gitta, pag. 515. castellum Idumææ: apud Josephum lib. 1. Belli cap. 13. pag. 738. 709.

Gittæi, pag. 27. in vulgata editione 1. Regum cap. 5.

Digitized by Google

versu 8. Gethæi, incolæ urbis Geth; vide supra Gathum.

Glauca Mycales, pag. 114. urbs Ioniæ in Asia minori, sic ob Mycales urbis vicinitatem cognominata, collocatur inter Ephesum urbem & Mæandrum fluvium.

Glaucanice sive Glaucæ, pag. 188. Indica Gens, Regno Pori (versùs Ortum ut videtur) vicina.

Gnidus, pag. 462. vide Cnidus.

Gnosus, pag. 405. v. Cnossus.

Golgotha, v. Calvariæ locus.

Gomorrha, pag. 5. quæ Gamorrum pag. 7. una ex quinque civitatibus Pentapoleos, in terra Chanaan, igne de cœlo descendente consumpta, ubi nunc Asphaltites lacus ad occasum, urbi Seboim propinquior, hanc Nubiensis parte 5. Clim. 3. *Amur* appellat & *Chamuram*.

Gona, pag. 247. locus Thessaliæ à cujus incolatu, dum puer erat, Antigonus Gonata est agnominatus; Gonnum ponunt Geographi inter Olympum montem & Penæum fluvium, an idem locus, incertum est; potiùs Gonni urbs Perrhæbiæ, quæ ab Æolibus, Gona & τὰ Gonata appellatur; & civis Gonatas, ut asserit Stephanus Byzantius.

Gophna, pag. 492. urbs, quæ & Guphna dicta, in tribu Ephraim, una ex undecim Toparchiis & inter ipsas ordine secunda.

Gordium, pag. 154. & 285. urbs, quæ etiam Gordus dicta, in Phrygia majori ad Sangarium fluvium. Strabo lib. 12. pag. 391. dicit jam sua ætate urbis speciem amisisse, & in vicum redactam esse.

Gordyene regio, pag. 404. aliàs Corduene, p. 420. & Gordena pag. 416. Regio, quæ pars majoris Armeniæ, Mesopotamiæ proxima, eique ad Septentrionem circa fontes Tigris fluvii; hodie *Curdi*.

Gordyæi montes, pag. 164. in Gordyene regione, qui etiam Gordyeni dicti: Thevetus illos Gibel-Noe, idest montes Noe vocat, quo posito, montes essent Ararat sive Armeniæ super quos diluvio elapso requievit Arca Noe: à quibusdam mons *Lubar* vocantur. P. Gyllius *Nimbarum* nominat, incolæ *Veriphat*.

Gorgaza urbs, quæ etiam Gargaza, p. 236. circa Mæotidem Paludem, in Taurica, ut videtur, Chersonesc.

Gorneas castellum, pag. 630. videtur fuisse circa Armeniam & Iberiam.

Gortynius, pag. 141. urbis Gortynes in Creta insula civis, quæ priùs Larissa, deinde Cromnia, denique Gortyne dicta, ad Lethæum præterfluentem fluvium sita, hodie adhuc *Gortyn*.

Goshenis regio, pag. 11. in vulgata editione Genes. 47. versu 1. terra Gessen. legitur apud septuaginta interpretes Genes. 46. versu 28. pro Gessen, urbs Heroum: Regio itaque inferioris Ægypti in qua urbs Heroum, fluvio Nilo ad Orientem, ipsa est, quæ Psal. 104. terra Cham nominatur, & Judith 1. v. 9. terra Jesse.

Goshenis terra, pag. 23. in vulg. edit. Josue cap. 10. versu 41. terra Gosen, regio circa civitatem Gozen, quæ erat in sorte tribus Juda.

Græci, populi regionis quæ

Græcia, pag. 5. celeberrima Europæ regio, quæ olim ab incolis vernaculo nomine Hellas appellata est, Macedoniam, Epirum, Thessaliam, Achaïam (quæ Græcia propriè dicta) Peloponnesum & vicinas circum insulas continens, terminis includitur ab Ortu Ægæo mari, à Meridie Cretico, ab Occasu Ionio, à Septentrione Scardicis jugis, ab Illyriis & Mœsis separatur, Strimoneque amne à Thracibus, nunc vulgò Turcis quibus paret *Romeli*.

Magna Græcia, pag. 107. regio Italiæ inter Brutios & Salentinos; sic dicta, quòd ejus civitates plurimæ æque celebriores fuerint olim Græcorum coloniæ.

Granicus fluvius, pag. 390. fluvius Troadis, qui ad radices montes Ida nascens, ab Austro in Aquilonem currit & Propontidem ingreditur, inter Lampsacum ad Occasum, & Cyzicum ad Ortum; hodie adhuc *Granico*, pag. 152. dicitur Phrygiæ amnis; utpote in Phrygiæ confinibus.

Grynium, pag. 129. apud Strabonem libro 13. pag. 427. & 428. Γρύνιον Grynium urbs Æolidis in Asia minori, quadraginta stadiis à Myrina urbe distans.

Grynium, pag. 122. Phrygiæ magnæ Castrum, quod aliqui collocant in Troade, & diversum proinde à præcedenti faciunt.

Gudgoda, vide Hor-hagidgad.

Gurei, pag. 134. populi Indiæ Assacenis vicini.

Gureus fluvius, pag. 184. in Guræorum regione.

Guris ascensus, pag. 40. in vulgata editione quarti Regum 9. versu 27. *in Ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam*, urbs quæ & Gai, atque à pluribus Gaber dicta, in dimidia tribu Manasse cis Jordanem.

Gyarus insula, pag. 451. & 547. sterilissima in Ægæo mari sita, una è Cycladibus vicina Andro insulæ & Caryst o: hodie *Stenosa*.

Gyndes amnis, pag. 78. Assyriæ qui, ut ait Herodotus lib. 1. cap. 189. in Mantienis ortus montibus, per Dardaneos (aliàs Darneos) in Tigrim alterum amnem fluit; quem Cyrus in trecentos & sexaginta rivos deduxit, ut ita tenuis adeò effectus, ut in posterum facilè vel à mulieribus transiri posset ne genua quidem tingentibus.

Gythium, pag. 262. locus Laconicæ, quem Scylax in Periplo dicit esse portu & navali notum, à Tito-Livio lib. 35. Gytheum dictum, Strabo lib. 8. pag. 251. dicit fuisse Spartæ urbis portum, situs erat in intimo recessu sinus Laconici, non longè ab ostiis Eurotæ fluvii; Occidentem hiemalem versùs; hodie *Palæopoli*.

H

Hadadrimmon in convalle Megiddonis, in vulg. editione Zachar. capite 12. versu 11. *Planctus Adradremmon in campo Mageddon* urbs in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, inter urbes Jezraëlem & Mageddo, quam hodie Maximianopolim appellari dicit Adrichomius.

Hadasa, pag. 328. in vulg. edit. I. Machab. v. 45. Adazer, civitas vel locus, qui etiam Adarsa, in tribu Ephraim.

Hadriaticum mare, pag. 173. vide suprà verbo Adria.

Haium, pag. 6. in vulg. edit. Genes. 13. v. 3. Hai civitas Regia ad Orientem Bethel, quam Josue succendit & tumulum sempiternum fecit, erat in tribu Benjamin, eadem est ac Aiath, Josepho Ada & Aina; S. Hieronymo Agai.

Haliartus, pag. 299. urbs Bœotiæ ad Copaïdem lacum versùs Meridiem, quæ etiam Aliartus dicta excisa, cui successit locus, ut ferunt, *Nicastro* dictus.

Halicarnassus, pag. 93. urbs Doridis regionis Cariæ in Asia minori, maritima & inter Ceraunicum sinum & Issicum, in peninsula maris Ægæi quondam Principum Cariæ regia: Zephyria dicta, deinde Thurium, demùm à recentioribus dicta Castellum S. Petri.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Halicarnaſſus, pag. 57. & Halicarnaſſenſis pag. 25. urbis prælaudatæ civis.

Haliſarnia, pag. 118. apud Stephanum Byzantium Aliſarna, apud Xenoph. lib. 7. exped. Cyri Eliſarne, apud Plinium lib. 5. cap. 30. Haliſernei eſſque urbs Troadis.

Halus, pag. 613. Parthicum oppidum.

Halys fluvius, pag. 58. minoris Aſiæ, qui ut ex Herodoto Strabo refert lib. 12. pag. 374. à meridie in Septentrionem labitur inter Syros (Aſiæ, versùs ortum) & Paphlagones; (versùs occaſum) in mare Euxinum exit, pag. 76. *Halys* fluvius; *qui Medorum & Lyderum ditionem diſterminabat*; hinc non inferas alterum Halym Lydiæ, ſicut nec Mediæ, ſed utriuſque gentis ditionis fines à prælaudato Haly præſcribi.

Hama, pag. 557. vide ſuprà Emeſa.

Hamatha, pag. 31. & 43. col. 2. in vulg. editione primi Paralip. 13. verſu 5. Emath regio, quæ terminus erat Septentrionalis terræ promiſſionis unde ſæpiùs in Scripturis, ab introitu Emath uſque ad torrentem Ægypti; hujus regionis pars, quæ ad Aquilonem Emath Suba appellabatur, eratque Syriæ ſive Cœleſyriæ & Arabiæ pars; pars Auſtralis regionis Emath in tribu Nephthali Emath Judæ vocabatur, necnon Amathites regio, circa civitatem Emath.

Hamatha, pag. 55. vide Ituræi.

Hamaxitus, pag. 129. urbs Troadis maritima, de qua Scylax in Periplo, neutro genere Amaxitum, dicitur & Amaxitus apud Plinium lib. 5. cap. 30. *Troadis primus locus Amaxitus dein Cebrenia*; vicina regio à Strabone lib. 10. pag. 326. Amaxitia dicitur, & prope Sminthium.

Hammonis Jovis Oraculum, apud locum Meſogaba dictum pag. 162. vide ſuprà verbo Ammonis.

Hammonii, pag. 207. v. Ammonii.

Hanovienſis, pag. 485. civis Hanoviæ vulgò *Hanau* oppidi Germaniæ, in Franconiâ, ad Kintium fluvium, ſeſe paulò pòſt in Mœnum exonerantem.

Harada, pag. 18. in vulg. edit. Num. cap. 33. v. 24. Arada, vigeſima prima Iſraëlitarum manſio in deſerto, apud ſeptuaginta interpretes Charadath; erat inter montem *Sepher* & *Maceloth*.

Haran, pag. 51. col. 2. in vulg. editione 1. Paralip. cap. 5. v. 26. legitur *Ara*, una ex urbibus Medorum; S. Hieronymus putat eſſe Rages; alii eſſe Haran ſeu Charan; vide ſuprà Carræ.

Harmatelia urbs Brachmanum pag. 196. in India non longè, ut videtur, ab Indi fluvii oſtiis, quæ ibidem.

Harmatelorum urbs.

Harmene, pag. 127. Sinopes portus, ad Pontum Euxinum ſtadiis quadraginta ab ipſa Sinope verſùs occaſum, ut docet Arrianus in Periplo Euxini Ponti; vicus appellatur à Strabone lib. 12. pag. 376. & 50 ſtadiis à Sinope diſtitum dicit; in noſtris notis ad Stephanum Byzantium probamus apud ipſum Almenem & Harmenem unicum eſſe locum: in Paphlagoniâ.

Harmozia, pag. 202. ſive Armuzia, urbs Carmaniæ maritima ad ſinum Perſicum, in inſula 12 tantùm milliaribus à continenti diſtans, olim celebre emporium, nunc vulgò *Ormus* ſui regni cognominis caput, ſed penè exciſa.

Harpagium, pag. 125. locus Propontidis maritimus, inter Priapum ad occaſum & Cyzicum ad ortum, non longè à Granici fluvii oſtiis verſus Occidentem.

Harpaſus, pag. 284. fluvius Cariæ in Aſia minori, qui in Mæandrum illabitur, priùs Daphnis appellatus, Etymologus dicit Harpaſum à pernicitate dictum, quòd præternatantes abripiat; apud eum fluvium Harpaſa ab eo dicta civitas.

Hasbmona, pag. 18. in vulg. editione Num. 33. v. 30. Heſmona, apud ſeptuaginta interpretes Selmona, vigeſima ſexta manſio filiorum Iſrael in deſerto Sinaï, quæ S. Hieronymo Aſmona & Aſemona, inter Methca & Moſeroth.

Hava, pag. 59. in vulg. edit. 4. Reg. 17. verſu 24. Avah, in ſeptuag. interpret. ἀϊὰ. regio aut locus Chaldææ, quem ad Tigris oſtium in ſinum Perſicum effluentis collocant aliqui.

Havilah, pag. 5. in vulg. editione Geneſ. 2. v. 11. Hevilath terra *ubi naſcitur aurum*, hanc Colchidem eſſe arbitrantur aliqui, ubi fluvius Phaſis forſan Phiſon; & fabula velleris aurei Argonautarum ab auro ibidem naſcente originem ſumpſit.

Havoth-Jaïr, pag. 21. in vulg. editione Num. 32. verſu 41. Havoth-Jair id eſt villæ Jaïr, vici erant terræ Galaad ſive Galaaditidis; hanc eſſe regionem Chenath dicit Zieglerus, Chenath ſeu Chanath urbs pariter Galaaditidis erat. hi vici erant numero triginta.

Hazeroth, pag. 17. in vulg. editione Num. 33. verſu 17. Haſeroth. & Deuter. 1. verſu apud Septuag. interpret. ἀὐλὼν. in vulg. edit. & *Haſeroth ubi auri eſt plurimum* in ſeptuag. Aulon & Aurifodinas; hanc etiam Eſerimoth vocat Adrichomius. fuit decima-quarta manſio filiorum Iſrael in deſerto Pharan, inter ſepulchra concupiſcentiæ & Rethma.

Hazor, pag. 25. in vulg. edit. Judic. 4. verſu 2. Aſor civitas Regia, quæ antiquitùs inter omnia regna principatum tenebat, Chananæorum metropolis munitiſſima, in campo ſita, in tribu poſteà Nephthali, non longè à terminis tribus Aſer; hodie vulgò *Antiepia*.

Hebræorum terra pag. 8. eadem, quæ ſuprà Cananæa ſive Canaan terra.

Hebron, pag. 6. & 19. quæ etiam Arbe, & Cariath Arbe & Mambre & Chebron; civitas antiquiſſima ſeptem annis ante Tanaïm Ægypti condita, ſub Chananæis urbs regia, poſteà in tribu Juda, facta confugii & Levitis data, totius tribus maxima, per ſeptem annos regis David Regia: hodie vulgò ab incolis *Chalil*.

Hebrona, pag. 18. trigeſima prima manſio filiorum Iſrael in deſerto, non longè à mari Rubro, inter Jetebatha & Aſiongaber.

Hebrus, pag. 94. Thraciæ fluvius, qui ex Orbelo monte naſcens mox verſùs Boream, deinde in ortum uſque Hadrianopolim decurrit, hinc in Auſtrum defluens ac Trajanopolim præterlabens, mare Ægæum ingreditur: hodie vulgò *Mariza*.

Hecatompylus, pag. 173. urbs Parthyenæ regionis; Parthiæ & Perſidi Orientaliorem aſſerit Stephanus Byzantius.

Heliopolis, pag. 161. civitas Ægypti, quæ & Thebæ ac Bethſemes apud Babylonem, in Ægypto inferiori, inter Nilum fluvium & Arabiam, ab Arabibus nunc *Baalbeth* appellatur.

Heliopolitani, pag. 10. qui & Onii dicti, ejuſdem civitatis accolæ.

Heliopolitica præfectura, pag. 323. circa præfatam Heliopolim, alias Heliopolites nomus.

Heliopolis Syriæ, pag. 421. quam quidam in Cœleſyria collocant, alii in Phœnicia, ſita erat ad Libanum montem: hodie vulgò *Balbec*.

Helleſpontus, pag. 220. fretum inter Europam & Aſiam habens Thraciam ad occaſum & Aſiæ regionem

cogno-

cognominem ad ortum ; Propontidem ad Aquilonem & mare Ægæum ad meridiem : hodie vulgò fretum *de Gallipoli*, à quibusdam Brachium S. Georgii ab hujusce Sancti ibi conditum fanum ; ab aliis Dardanellarum ostium.

Hellespontus, pag. 58. regio Asiæ minoris, ac Mysiæ pars, Hellesponto mari exposita.

Hellespontii, p. 131. melius Hellespontii, prædictæ regionis incolæ.

Hemiolius, pag. 263. & 264. agnomen, quod totum cum dimidia sui parte, significat, & ad Geographiam nullatenus pertinet.

Heniochi, pag. 386. populi ad Pontum Euxinum sui, quibus ille est ad Meridiem, Caucasus mons ad Aquilonem, Achæi Asiani ad occasum, Coraxi ad ortum.

Hephæstia, pag. 276. urbs, ut legenti Polyb. in legat. excerpt. pag. 799. constabit, loquitur hic de urbe Thraciæ, sicut & de ejusdem regionis Thaso.

Hephraim, pag. 35. col. 1. in vulg. edit. 2. Paralip. 13. versu 19. Ephron, civitas in tribu Ephraim; illam à civitate Ephraim distinguendi aut cum ea confundendi nulla ratio.

Heptastadium, pag. 248. Isthmus, qui Pharum insulam cum Rhacoti suburbio Alexandriæ Ægyptiæ conjungens; jam Pharum efficiebat peninsulam.

Heraclea in Ponto, pag. 142. sive Pontica pag. 240. urbs olim Mariandynorum; hæc Ponti pars fuit postmodum Bithyniæ juncta, sita erat ad Pontum Euxinum, ad ostia Lyci fluvii, ut ait Scylax in Periplo; hodie vulgò *Penderachi*.

Heracleotis regio, pag. 127. ejusdem urbis territorium etiam pag. 110.

Heracleotes, pag. 145. Heraclienſis pag. 142. gentilia civium hujusce urbis nomina.

Heraclea, pag. 302. urbs Macedoniæ in Pieria ad Olympi montis radices, maritima, ad sinum Thermaicum & Baphyri fluvii ostia.

Heracleum, pag. 119. Herculis fanum, in Chalcedonensium territorio.

Heracleum, pag. 237. fanum Herculis circa Caunum Cariæ urbem, in Lycia aut ejus confinibus.

Herculis columnæ, pag. 57. montes quorum unus in Hispaniæ Bætica cui nomen Calpe, alter in Africæ Mauritaniâ cui nomen Abybe vel Abyle, inter quos fretum est Gaditanum. Hispani nihilominùs duas columnas in Gaditana insula ostentant, quas appellant *Torres de Ercole*.

Herefordienſis in præfat. Herefordiæ urbis majoris Britanniæ Episcopalis, quæ sui Comitatus caput in Valliæ meridionalis confinio versùs Orientem, ad Vagam *Wye* fluvium vulgò *Hereford*.

Hermi campi, pag. 132. in Asiæ minoris Æolide regione prope Cumas urbem, ut refert Stephanus Byzantius.

Hermion, pag. 405. urbs Argiæ sive Argolidis in Peloponneso, in qua Terræ celebre fanum, maritima, in sinu Argolico, qui ab ea Hermionicus appellabatur, hodie vulgò *Maria*.

Hermionica purpura, pag. 168. & 101. ex Hermione urbe.

Hermon mons, pag. 21. qui Shenir, & Sirion ac Sion dictus. Mons à Libano ad montes Galaad protensus, quique Sarion, & Sanir appellatus, in dimidia tribu Manasse ipsam ab Arabia separans; fuerat olim pars regni Og regis Basan.

Herodium, pag. 553. & Herodion pag. 570. Castellum constructum ab Herode in tribu Juda, 60 stadiis ab urbe Hierosolyma versùs Arabiam, id est inter Hierosolymam & mare mortuum, in colle situm, erátque una ex Toparchiis.

Heroum urbs, pag. 162. & 549. quæ etiam Heropolis, priùs teste Stephano Byzantio Hamus appellata, in inferiori Ægypto prope sinus Arabici intimum recessum: de qua Ptolomæus lib. 4. Geogr. cap. 5. p. 106.

Hesbonis rex, pag. 20. in vulg. editione Deuter. 2. versu 24. Hesebon, eadem quoque, quæ Essebona pag. 380. civitas Sehon regis Amorrhæorum regia, quæ postea in terminis tribus Ruben (cui illam utpote à filiis Ruben reædificatam assignat Adrichomius) & tribus Gad, ad quam pertinuisse constat ex Josue cap. 21. versu 37; ætate S. Hieronymi vocabatur Esbus.

Hesperidum Horti, pag. 61. regio Cyrenaïcæ; Pentapoli regioni vicina versùs meridiem; cui quoque Syrtis major proxima versùs occasum, à Berenice urbe; quæ Hesperides dicebatur, forsitan ita nominata.

Hesperitæ, pag. 215. incolæ urbis Berenices Libyæ quæ Hesperides dicta.

Hesperidæ insulæ; pag. 109. aut hoc verbo insulæ Cyrenaïcæ regioni adjacentes intelligendæ, aut insulæ Occidentalis sive Atlantici Oceani, sed quænam ex eis fuerint certò assignare hactenus non potuere scriptores.

Hesseboniis regio, pag. 289. circa urbem Essebonam seu Hesbonem, de qua paulò suprà.

Hetruria, pag. 267. sive Etruria, olim Tyrrhenia, quæ quondam à mari Tyrrheno ad Adriaticum extendebatur, ut observat Stephanus Byzantius, ab Aquilone Apennino monte, ab ortu Umbriâ & Latio Tiberi disterminante concludebatur; ab Austro suo mari Etrusco, eodémque æque Liguriâ ab occasu; nunc Tusciam *la Toscane* includit, & quod vocant S. Petri Patrimonium.

Hetruſcus, Hetruriæ indigena.

Hiddekel, pag. 80. unum è variis nominibus, quibus donatus est Tigris fluvius.

Hieracome, pagina 272. & 332. vicus Asiæ minoris, quem Stephanus Byzantius Cariæ assignat ex Polybio.

Hierapolis, pag. 446. & 519. vide suprà Edessa, apud quam Dea Hieropolitana.

Hierapolis, pag. 644. urbs Phrygiæ magnæ, in Asia minori, proxima Laodiceæ; Turcis hodie *Seldeschcher*.

Hierapydna, pag. 411. urbs Cretæ insulæ, quæ primùm Cytba, dein Pytna, pòst Camirus, tandem Hyera Pytna dicta est, ut asserit Stephanus Byzantius, à quibusdam Hiera-petra, sita erat ad Australem insulæ oram maritimam, non longè à Lycto, hodie *Gera-petra*.

Hierocæsarea, pag. 581. urbs minoris Asiæ, in Lydiæ parte, quæ Mœonia appellatur.

Hieron, pag. 265. locus minoris Asiæ ad Bosphorum Thracium, idem sanè cum sacro promontorio, in ejusdem Bosphori angustiis prope ostia Ponti Euxini.

Hierosolyma, pag. 8. & Hierosolymæ p. 7. & Hierosolymi pag. 23. in lib. Machab. Jerosolyma; alibi passim in vulgata editione Hierusalem & Jerusalem, urbs quæ priùs Jebus, à Græcis Solyma, civitas olim Regia, in tribu Benjamin, quæ Davidici regni omniúmque regum Juda sedes fuit, Palæstinæ metropolis, totius Orientis notissima & clarissima: excisa, & in vicino loco restructa atque Ælia nominata; nunc à Turcis *Cutz* appellata.

Hierosolymitani, prælaudatæ urbis cives.

Hinnomi filii vallis, p. 50. col. 1. vulg. edit. 2. Paralip. 28. versu

versu 3. in valle Benennom, eadémque vallis Ennom & Geennom, vallis vicina Hierosolymæ civitati Orientem versùs.

Hippicus; turris, pag. 646. Hierosolymæ in muro secundo super excelsum antiqui muri collem ab Herode constructa.

Hippodromus, pag. 268. platea urbis Alexandriæ Ægyptiæ, equis exercendis destinata.

Hipponensis, pag. 338. ex urbe, quæ Hippo regius agnomine sive Hippon, in Africa propriè dicta, maritima apud Rubricati fluminis ostium, nunc vulgò *Bonne*.

Hippon, pag. 428. urbs, quæ Hippos & Hippus & Hippene: in dimidia tribu Manasse, quæ ultra Jordanem, ad orientale littus maris Galilææ, è regione Tiberiadis, à qua versùs Orientem triginta stadiis distabat.

Hispalis, pag. 480. urbs, quæ & colonia Romulensis olim Hispaniæ Baticæ & Vandaliæ caput, ad Bætim fluvium: hodie vulgò *Sevilla* Andalusiæ caput.

Hispania, pag. 108. regio Europæ occidentalior, quæ ab Ibero flumine Iberia, ac etiam Græcis Hesperia, ab ortu & meridie mari Mediterraneo & Gaditano freto terminata; ab Occasu oceano Atlantico, à Septentrione Cantabrico Oceano, Pyrenæis montibus à Galliâ semota est, à Romanis in Bæticam, Tarraconensem, & Lusitaniam distincta, tandem in plura regna divisa est, quæ etiam Hispaniæ dicta sunt, hodie incolis *Espagna*, Gallis *l'Espagne*.

Hispania ulterior, pag. 413. pars Hispaniæ, quæ ad meridiem, Lusitaniam & Bæticam complectens.

Hispania citerior, pag. 551. pars Hispaniæ, quæ ad Boream, vulgò Tarraconensis appellata.

Hispani, pag. 207. & Hispanienses, populi Hispaniæ.

Hittæus Ephron, pag. 7. in vulgata editione Gen. 23. versu 10. *habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth.* capite tamen 49. versu 30. dicitur Ephron Hethæus, sic ab Heth filio Chanaan Hethæi populi, qui apud Septuag. Interpretes Cethvi, quique terræ promissionis regionem circa Hebron incolebant, quæ postea cessit tribui Juda.

Hoba, pag. 6. Genes. 14. versu 5. *quæ est ad* lævam Damasci; apud Septuag. χοβὰ. S. Hieronymo, Chobaa villa est in regionibus Damasci, alias Soba, ut vult Adrichomius, essetque eadem ac Soba metropolis Syriæ Sobal.

Homonadenses, pag. 567. populi Ciliciæ, quos Strabo lib. 14. pag. 459. Homonadeas appellat, & collocat in Tracheoti sive aspera Cilicia, ad Taurum montem usque ad fines Pisidiæ. Plinius eos Isauriæ assignat.

Hor mons, pag. 20. *qui est in finibus terræ Edom*; trigesima quarta mansio filiorum Israël in deserto, inter aquas contradictionis & Salmona, vertex montis Hor Motera vocabatur.

Hor-hagidgad sive Gudgoda, pag. 18. in vulg. edit. Num. 33. versu 32. sicut Deut. 10. versu 7. Gadgad; locus & mons in deserto, ubi vigesima nona mansio filiorum Israël. S. Hieronymo Gaggada, ubi aquarum torrentes sunt.

Horeb mons, pag. 13. aliàs Oreb jugum montis Sinai, ut proinde mons Sanctus sit nominatus, in deserto Madian.

Horma, pag. 18. aliàs Harma civitas olim Regia, postea in sorte tribus Juda, facta demùm tribus Simeonis.

Horonita, pag. 108. in vulgata editione Esdræ 2. cap. 13. versu 28. Horonites incola civitatis, cujus nomen Oronaïm, Moabitarum in tribu Ruben, quam Josephus Orona & Oronas vocat, & Arabiæ attribuit.

Horti, pag. 236. regio sic dicta in Taurica Chersoneso, ad Bosphorum Cimmerium & Pontum Euxinum, frumenti ferax.

Hyala, pag. 198. urbs insignis circa ostia Indi fluvii.

Hyarotis vel Hydraotes, pag. 188. Indiæ fluvius, qui in Acesinen amnem influit, quo latitudine nihilo minor, cursùs verò rapiditate inferior.

Hydaspes, p. 60. Indiæ fluvius, qui ex Imao monte ab Aquilone in meridiem decurrens, Acesinem amnem ingreditur, & uterque Indum fluvium; apud Hydaspem fluvium condita ab Alexandro Bucephala civitas; hunc quidam asserunt hodie *Rovvey* appellari. fuit ejusdem Alexandri de Poro Rege victoriâ celebris.

Hydrastes fluv. qui suprà Hyarotis.

Hydrus, pag. 103. in Notis nostris Geographicis ad Plutarchum observavimus nomen hoc (si proprium sit) esse loci maritimi aut Cypri insulæ, aut Pamphyliæ, aut vicinæ Ciliciæ; si non sit Sydra, quæ urbs Ciliciæ erat maritima.

Hyela, vide Velia pag. 78.

Hygram, pag. 554. v. Negram.

Hypæpeni, pag. 373. cives urbis Lydiæ, cui nomen Hypæpa, inter Caystrum & Hermum fluvios sitæ.

Hypanis, pag. 259. fluvius. vide statim Hyphasis.

Hyparna, pag. 153. oppidum munitum Lyciæ in Asia minori.

Hyphasis fluvius sive Hypanis, pag. 190. fluvius Indiæ expeditionum Alexandri magni terminus.

Hypius fluvius, pag. 392. minoris Asiæ fluvius, in Bithynia, Sangario amni ad ortum, qui ab Oriente brumali in occasum æstivum currens, Pontum Euxinum in sinu Mariandyno ingreditur; vocatur à quibusdam Hippius.

Hyrcania, pag. 149. & 171. Regio majoris Asiæ, quæ à Septentrione mari Caspio à se Hyrcano dicto; ab Occidente Mediâ; ab Austro Parthiâ cujus etiam pars erat, ab Oriente Margianâ concludebatur; nunc tres complectitur Provincias *le Tabarestan*, *le Gilan*, atque *le Gorgian*.

Hyrcani, pag. 75. Hyrcani pag. 80. populi Hyrcaniæ.

Hyrcania, pag. 581. urbs minoris Asiæ in Lydia non longè à Phrygiæ finibus inter fluvios Caïcum & Hermum: ubi huic vicina erat Mostene, cujus cives Mostheni Macedones Hyrcani vocabantur, forsan quòd hæ duæ unicam componerent urbem, ut censent aliqui.

Hyrcania, pag. 396. & Hyrcanium pag. 428. Castellum Judææ seu potiùs Samariæ, in media ferè tribu Ephraim ab Adrichomio collocatum.

I.

Jaaris Campi, id est Sylvæ pag. 30. ex Psalmo 131. versu 6. *invenimus eam in campis Sylvæ*, hoc est in colle Kiriath-Jearimorum, vide infrà Kiriath-Jearim.

Jabbok torrens, pag. 20. in vulg. editione Jaboc, & Jeboc, apud Josephum Jobacchus, hic ab ortu in occasum è montibus Arabiæ fluens, urbémque Rabba irrigans, profluit in Jordanem, ubi è mari Galilææ egreditur, éstque in finibus Tribuum Gad & dimidiæ tribus Manasse.

Jabesh Gilead, pag. 28. & Jabeshus Gileadis. in vulg. editione 1. Regum cap. 11. versu 1. Jabes Galaad, civitas Galaaditidis regionis trans Jordanem, in di-

midia tribus Manaſſe, ſuper collem ſita, apud fluvium Hieromace à civitate Pella euntibus Geraſam in ſexto milliario, Joſepho Jabiſus & Jabiſſa, vicus erat ætate S. Hieronymi.

Jacobi fons, pag. 9. prope Sichar Samariæ civitatem Auſtrum versùs, in tribu Ephraïm.

Jadaſon, pag. 60. fluvius apud Septuaginta Interpretes, Judith. cap. 1. verſu 6. *Ydaspes*. Hydaſpes de quo vide ſuprà.

Jabaſam, pag. 20. in vulg. edit. Judic. 11. verſu 20. Jaſa, eadem eſt ac Jaſer & Jaſſa. Civitas itaque erat trans Jordanem, quæ Sehon regi Amorrhæorum erepta ceſſit tribui Ruben, & effecta confugii, Levitis eſt aſſignata.

Jamnia, pag. 517. ipſa eſt Jabnia civitas tribus Dan, in Campeſtribus maritima & portus, hodie vulgò *Zania*.

Japydes, pag. 548. qui & Japodes populi Illyrici Occidentalis, quorum regio Japidia intra Hiſtriam, Liburniam & Carnos ſive Noricos, ubi nunc Croatia.

Jardes Silva, pag. 652. & ult. operis Judææ. videtur fuiſſe circa Macharuntem caſtellum ultra Jordanem, in tribu Ruben & versùs Arabiam. de ea Joſeph. lib. 7. de bello Judaico cap. 26.

Jarmuthum, pag. 23. in vulg. editione, Joſue 10. v. 3. Jerimoth. Civitas olim Regia, quæ poſteà ceſſit tribui Juda, quarto lapide ab Eleutheropoli diſtans.

Jaſus, pag. 113. & 232. urbs Cariæ in Aſia minori maritima, Joniæ vicina, non longè à Mileto versùs meridiem.

Jaſii ibidem ejuſdem urbis cives.

Jaſius, pag. 272. 275. & 280. eadem quæ ſuprà Jaſus; cum inſula cognomine, ut refert Stephanus Byzantius.

Jaſſenſes, pag. 281. Jaſi incolæ.

Jazer, pag. 20. & 319. apud Septuag. Interpret. Eliezer, ipſa eſt Jazer-Galaad & Jezer, civitas priùs Amorrhæorum in Galaaditide, cujus erat terminus, quam filii Gad extruxerunt, quæque ſimul eorum Tribui ceſſit.

Jazyges, pag. 386. populi Sarmatiæ Europæ, quos Ptolemæus Geogr. lib. 3. cap. 5. ad littus Occidentale Mæotidis paludis collocat, ubi nunc regio Tartaria minor appellata.

Iberia, pag. 383. regio majoris Aſiæ, cui ad Septentrionem mons Caucaſus, ad Occidentem Colchis, ad meridiem Moſchiſci montes & Armenia major, ad Orientem Albania; dicta eſt Iberia Orientalis, ut ab Occidentali Iberiâ, ideſt Hiſpaniâ diſtingueretur: hodie vulgò *le Gurgiſtan*, & vocabulo magis familiari *la Georgie*.

Iberes, pag. 401. & Iberi, hujuſce regionis populi.

Icaria, pag. 462. Inſula maris Ægæi inſulæ Samo vicina versùs occaſum; quæ à Stephano Byzantio Icarus vocatur, & inter Cycladas numeratur, vocabatur, ut ait, Macris, Doliché, & Ichthyoeſſa; hodie adhuc Icaria.

Icarus, pag. 209. inſula maris Rubri, inquit Stephanus Byzantius, id eſt ſinûs Perſici, ad Euphratis (ſive Tigris) oſtia 120. ſtadiis à littore fluviique faucibus diſtans, Dianæ ſacra, quam Alexander Icarum voluit appellari.

Ichnia Caſtellum, p. 444. Parthorum non longè à Meſopotamiâ (ſi non in ea) circa Euphratem; apud Plutarchum Ἴχνα.

Ichthyophagi, pag. 82. ibi ſermo eſt de Ægyptiis ſupertoris Ægypti, ſeu Æthiopibus ipſis finitimis, illos ad ſinus Arabici littus Occidentale collocat Ptolemæus, vocátque Arabes Ægyptios Ichthyophagos; Trogloditicæ conterminos.

Ichthyophagi, pag. 201. populi Indiæ, loca maritima circa Gedroſiam & Carmaniam incolentes: utrique à piſcium eſu ſic nominati.

Iconium, pag. 452. urbs Lycaoniæ aliquando metropolis, in Aſia minori, nunc vulgò *Cogni*.

Iconienſis, prælaudatæ urbis incola.

Ieus, pag. 506. inſula maris Ægæi una è Cycladibus, Euboeæ vicina, (versùs Aquilonem) ut ait Stephanus Byzantius, Magneſiæ, quæ Theſſaliæ regio eſt, vicina erat versùs Orientem, Sciatho & Peparetho inſulis ad meridiem.

Ida, paginâ 94. & 115. mons Troadis in Aſia minori.

Idalium littus, pag. 465. circa promontorium Idalium inſulæ Cypri, ad oram Orientalem & Auſtralem, inter Tremithum & Arſinoen urbes.

Idaſpa ſive Choaſpes fluvius, pag. 168. Aſiæ majoris, qui ab Aquilone in Auſtrum defluens, per Suſa urbem tranſit, ac Suſiana peragrata ſinum Perſicum ingreditur, ipſe eſt, qui à Ptolemæo Eulæus nominatur.

Idumæa, pag. 19. & 354. ipſa eſt Edom terra ſive Edomæa, quæ pariter Duma nominatur; regio terræ promiſſionis vicina ad meridiem; hanc habens ad Aquilonem, Arabiam ad ortum, ſinum Arabicum ad Auſtrum: Ægyptum verò ad occaſum; hodie vulgò *Bidumi*.

Jebuſæi, pag. 30. populi terræ Canaan circa urbem Jebus (quæ poſtmodùm Hieroſolyma dicta eſt) incolentes.

Jegar Sahaduthe, pag. 9. vide Galaad.

Jericho, pag. 23. urbs quæ Jerichus pag. 21. & Jerichuntina urbs pag. 22. urbs olim Regia & populoſa, quæ etiam Oza, Joſepho & Ptolemæo Hiericus, una ex undecim Toparchiis Judææ, quæ aliquando civitas Palmarum appellata, in tribu Benjamin, ab Hieroſolymis 150. ſtadiis, à Jordane ſtadiis ſexaginta diſtans: illam *Eriha* vocat Nubienſis in 5. parte Climate 3.

Jeſana, pag. 35. col. 1. civitas cum filiabus ſuis, de ea ſilent authores, apud ſeptuaginta interpretes *Iesua*. erat ſub ditione Jeroboam regis Iſraël; videtúrque fuiſſe in tribu Ephraim.

Jezreelitis Achinoa, pag. 29. uxor David, ex Jezrael civitate tribus Juda.

Jezreel, pag. 29. & pag. 40. col. 1. in vulg. edit. 4. Regum 9. verſu 36. Jezrahel, civitas tribus Iſſachar, in finibus dimidiæ tribus Manaſſe, ſedes regia Achab regis Iſraël; ætate Sanuti anno videlicet Sal. 1306. vocabatur *Carethi*, nunc vulgò *Zerechin*, ſeu Gerinum magnum.

Fons Jezreel, pag. 29. prope prælaudatam urbem.

Jiblehamum, pag. 41. in vulgata editione 4. Regum cap. 9. v. 27. Jeblaam, civitas potens juxta Gaver, in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem.

Ije-Abarim, pag. 20. *quæ eſt in finibus Moabitarum*, trigeſima octava manſio filiorum Iſraël in ſolitudine, quæ reſpicit Moab, contra Orientalem plagam: inter Oboth & Dibongad; demùm in termino Auſtrali tribus Ruben.

Ijon-Asheritarum, pag. 36. col. 2. in vulgata editione 3. Regum cap. 15. (non 16.) v. 20. Ahion; eadem, quæ Aion, urbs in medio tribus Nephthali, in Galilæa ſuperiori.

Ilium, pag. 26. & Ilium vetus, pag. 97. urbs Troadis ad radices montis Ida, excita; Strabo lib. 13. pag. 411. dicit ſua ætate extare vicum 30. ſtadiis ab Ilio ſui ævi diſtantem, ubi quidam aſſerebant olim

fuisse Ilium vetus; fuit etiam Troja appellata; sita erat non longè a Mari sicut nec procul à Tenedos insulâ.

Ilienſis terra, pag. 94. regio circa Ilium.

Iliadis ora, pag. 90. litus maris prope Ilium.

Ilienſes, pag. 376. Ilii cives.

Illyricum, pag. 490. & Illyris pag. 218. & Illyria, regio Europæ, ab occasu Arsyâ flumine ac lineâ ab Arsyæ fontibus ad Colapis fluvii ortum ductâ, à Septentrione continuis montium jugis à Pannoniâ: ab Oriente Monte Scodro & Drilone amne à Macedoniâ submovebatur; Liburniam & Dalmatiam complectens, nunc Europææ Turcicæ pars cum parte Germaniæ, quæ Danubio fluvio Australis est; vulgò *Sclavonia*.

Illyrii, pag. 144. præfatæ regionis accolæ.

Imbrus, pag. 137. urbs in insula maris Ægæi cognomine, inter Lemnum & Chersonesum Thraciæ sita, de utraque Scylax in Periplo; hodie vulgò *l'Embro* nominatur.

Inarimi campi, pag. 590. minoris Asiæ, qui videntur fuisse circa Lydiæ fines & Phrygiæ combustæ. Arimos campos legendum arbitror cum Strabone lib. 12. pag. 599.

India, pag. 12. regio majoris Asiæ amplissima, olim ab occasu Indo fluvio (à quo nomen sortita est) terminata: ab Aquilone Emodis montibus à Scythia secreta; ab ortu Sinæ regnum, à meridie mare Indicum habens: in citeriorem & ulteriorem divisa: citeriorem, quæ intra Gangem fluvium, ulteriorem, quæ extra illum est.

India interior, pag. 184. eadem, quæ suprà citerior.

India major, pag. 12. hoc nomine nunc Æthiopiam, quæ sub Ægypto est appellari refert author, post Johannem Potken in Psalterio Æthiopico.

Indus fluvius, pag. 12. & 197. Asiæ majoris celeberrimus, qui ab Emodorum montium (quos Caucasum vocant) radice nascens & versùs Austrum decurrens, plurimis receptis fluviis in Oceanum Orientalem, ab eo ibi Indicum dictum, per plures alveos in Canthi (qui nunc Cambaiæ) sinu sese exonerat.

Indus, pag. 12. sic passim vocitatur Indiæ accola.

Indica res, pag. 89. quæ ad Indiam spectant.

Inferum mare, pag. 431. hoc nomine mare Tyrrhenum appellatur, superum verò mare Adriaticum & meritò, nam Picenum aliáque littora maris Adriatici altiora sunt Lario & ora littorali maris Tyrrheni.

Inora castrum, pag. 415. quod & Sinorex, Sinoria & Synoria à Strabone lib. 12. pag. 382, situm erat intra Euphratem & Armeniam; seu potiùs in confinibus majoris & minoris Armeniæ, unum erat ex 75, quæ construxerat Mithridates.

Insula deserta, pag. 391. erat circa Lemnum insulam, in mari Ægæo & in eâ ara Philoctetis cum æneo serpente monstrabatur.

Insulani, pag. 99. ibi hoc verbo intelliguntur incolæ insularum maris Ægæi minori Asiæ adjacentium.

Iolcus, pag. 248. vicus sive oppidum Magnesiæ in Thessalia maritimum, in Pelasgico sinu, ex cujus oppidanis & aliorum vicorum conflata est urbs Demetrias.

Ionia, pag. 135. oppidum Ioniæ in Asia minori circa Ephesum, ab hac urbe 40 circiter stadiis sicut Coressus mons, dissitum.

Ionia, pag. 18. regio minoris Asiæ versùs occasum, ad mare Ægæum sita; inter Æolidem, quæ ei ad Septentrionem adjacet, Cariam, quæ ad meridiem, & Lydiam, quæ versùs ortum: hodie vulgò *Sarchan*. nota Africam olim Ioniam dictam.

Iones, pag. 60. & Ionica gens pag. 214. Ioniæ populi; sic olim Atticæ populi Iones sunt appellati.

Ionium mare, pag. 408. pars maris Mediterranei, quæ inter Siciliam ad occasum & Græciam ad ortum, mare Adriaticum habens ad Aquilonem; alluit littora Macedoniæ, Epiri, Acarnaniæ, & Peloponnesi; nunc ab Italis vocatur *il mar Ionio*.

Iopolis, pag. 243. urbs Syriæ in Silphio monte posita, ad Orontem fluvium, apud quam constructa fuit Antiochia magna.

Joppe, pag. 230. civitas in districtu tribus Dan maritima & portus Judææ ex ejus undecim Toparchiis una, quæ & Japha & Jaspha, Hebræis Jaffa sicut etiam hodie vulgò nominatur, in excelso saxo condita.

Joppenſes, pag. 321. hujusce urbis incolæ.

Jordanis fluvius, pag. 9. & Jordanes pag. 266. totius terræ promissionis maximus, sub Libano monte apud Cæsaream Philippi, gemino fonte Oriens atque in Austrum per aquas Merom & lacum Genezareth defluens, ac tandem in Asphaltitem lacum desinens; Tribus ½ dimidiam Manasse, Gad & Ruben, quas ad lævam sive Orientem habet, ab aliis Tribubus separat.

Jotbatha, pag. 18. in vulg. edit. Num. 33. versu 33. Jetebatha *in terra aquarum atque torrentium* trigesima mansio filiorum Israël in deserto; inter vicinum montem Gadgad & Hebrona.

Jotapata, pag. 647. una ex urbibus Decapoleos in tribu Zabulon, & Galilææ inferiori, non longè à mari Tiberiadis; in alta & prærupta rupe sita; fuit etiam Jonitera & Jacopata; nec non Jonapa appellata.

Ipsum, pag. 243. magnæ Phrygiæ oppidum, ubi Antigonus Demetrii pater victus & occisus.

Irasa, pag. 62. locus Libyæ, qui Hierasa & Irassa, ubi erat fons Apollinis & ubi Battus Cyrenen condidit; de qua suprà.

Isamus, pag. 259. Strabo lib. 11. pag. 516. dicit Mænandrum Hypanim transivisse versùs ortum, & usque ad Isamum perveniſſe; an Isamus fuerit Indiæ fluvius non exprimit Strabo, quod tamen levissimè credunt aliqui: hanc lectionem meritò suspectam habet Casaubonus veretúrque ne Ἰμαὼν legendum sit pro Ἰαξάρτου. Imaus enim mons, pars est Tauri montis, quæ magis ad Orientem & proinde ad Indiam sita.

Isana, pag. 516. vicus, qui Samariæ fuisse videtur, ad quem Pappus castra habebat ab Antigono in Samariam missus.

Isaura, pag. 384. urbs quæ Isauria, & posteà Claudiopolis appellata in Isauria regione.

Isauria, pag. 214. regio minoris Asiæ, pars Galatiæ Australis, Pisidiæ ab occasu & Austro, Lycaoniæ ab ortu finitima.

Isauri, pag. 384. populi Isauriæ.

Isauricus, pag. 387. ad Isauriam spectans.

Isaurienſes obsessi, pag. 216. in ipsamet Isaura urbe, de qua suprà.

Isindenſes, pag. 284. cives Isindæ urbis Pamphiliæ, in Asia minori mediterraneæ.

Ismaëlitæ, pag. 10. ab Ismaël nuncupati populi, qui in plures nationes divisi Agarenos putà & Saracenos, Arabiam Petræam ac felicem incoluerunt.

Israel, pag. 38. col. 1. & Israelis Regnum hoc nomine ante Salomonis tempus tota gens Hebræorum

intelligebatur : à Salomonis tempore (ſic loco citato) regnum, quod decem tribus (exceptis tribubus Judâ & Benjamin) complectebatur.

Iſſachar tribus, quæ & Iſachar, una è tribubus filiorum Iſraël, quæ à Mari magno, ubi mons Carmelus, in longum protenſa, ad Jordanem fluvium uſque extenditur, in inferioris Galilææ parte Auſtrali, tribum Zabulon habens ad Aquilonem, dimidiam tribum Manaſſe quæ cis Jordanem eſt, ad Meridiem.

Iſſacharita, vir ex tribu Iſſachar.

Iſſus, pag. 125. & 156. urbs Ciliciæ, quam Stephanus Byzantius inter Ciliciam & Syriam collocat; quæ, ob victoriam ibi de Dario reportatam, ab Alexandro Nicopolis dicta, apud Pinarum fluvium, non longè ab Amano monte: à qua ſinus maris Iſſicus eſt appellatus : hodie vulgò *Aiazzo* ſive *Laiazzo* ; in duas urbes Iſſum & Nicopolim diſtinguit Ptolemæus.

Iſſicum prælium, pag. 454. ad præfatam Iſſum, in quo ab Alexandro victus & fugatus Darius.

Iſter fluv. pag. 245. pars inferior Danubii fluvii, de quo ſuprà hoc verbo.

Iſtri, paginâ 291. populi circa Iſtrum amnem poſiti.

Iſthmus Atticæ, pag. 97. ſive Iſthmus Peloponneſiacus; nec non à Corintho vicinâ urbe Iſthmus Corinthiacus dictus, pars terræ anguſta latitudinis quadraginta circiter ſtadiorum, quæ Peloponneſum cum altera parte Græciæ jungit, cui ad Aquilonem Atticæ pars quæ Megarenſium eſt territorium; ad occaſum ſinus Criſſæus qui Cyrrhæus & Corinthiacus; ad ortum ſinus Saronicus; in territorio Corinthiorum ſitus. vocatur Zoſter à Stephano Byzantio in littera Z.

Iſthmus montis Atho, pag. 94. pars anguſta terræ in Macedonia, cui mons Atho junctus versùs ortum. Chalcidica regio versùs occaſum, inter ſinum Strymonicum ad Septentrionem & Singiticum ſinum ad meridiem; vocatur ab Acanthe urbe Acanthæus.

Iſthmus Cherſoneſi Thraciæ, pag. 130. quam habet ad Auſtrum, alteram Thraciæ partem ad Aquilonem; ſinum Melanem ad occaſum, & Propontidem ad ortum.

Iſthmus Ioniæ, in Aſia minori ſinum Smyrnæum ad Aquilonem habens, in cujus receſſu Smyrna; & ſinum Ionium ad meridiem, in cujus receſſu Lebedus civitas.

Iſthmus paludi Mæoticæ vicinus, pag. 236. videtur eſſe ſermonem ibi de Iſthmo Cherſoneſum Tauricam ab altera Scythiæ Europæ parte ſeparante, ſed non eſt omnino Mæoticæ Paludi vicinus; forſan de Iſthmo Zenonis Cherſoneſi, inter Paludes Mæotin & Bugen.

Iſthmus, pag. 417. intra maria, Euxinum ad occaſum, & Caſpium ad ortum; cui ad Aquilonem mons Caucaſus, ad meridiem Armenia major; regiones complectebatur Colchidem, Iberiam & Albaniam.

Iſthmus Peloponneſiacus, vide ſuprà Iſthmus Atticæ.

Iſthmus, pag. 538. intra mare Rubrum ad meridiem, & mare Mediterraneum ad Aquilonem, cui inferior Ægyptus ad Occidentem, Judæa, Idumæa cum parte Arabiæ Petrææ ad Orientem.

Iſtrus, (aliàs *Iſtros*) p. 61. urbs in Ponto, forſan urbs, quæ in Iſthmo Cherſoneſi Thraciæ ſita, quæ poſteà Taphra dicta, poſtmodùm Neapolis.

Itabyrius mons, pag. 580. Itaburius mons in Galilæa; ipſe mons Thabor, de quo infrà.

Italia, pag. 78. regio Europæ notiſſima olim, Saturnia, Auſonia, Heſperia, Oenotria &c. dicta, terminos habens à Septentrione Alpes, ab ortu Arſyam Hiſtriæ flumen & mare Superum, quod & Adriaticum appellatur; à meridie mare Inferum ſive Tyrrhenum & Tuſcum, ab occaſu iterùm Alpes, uſque ad mare Mediterraneum.

Italicus, qui ad Italiam pertinet.

Itanus, pag. 61. urbs Cretæ inſulæ ad partem Orientalem, maritima Aquilonem versùs : hodie vulgò *Palæa-Caſtro*, vicinum eſt ei Itanum promontorium.

Itonia Pallas, pag. 256. ex urbe Theſſaliæ (cui nomen Iton) inter Lariſſam & Pheras poſitâ.

Ituræa, pag. 55. ſive Hamatha; regio inter Arabiam & Samariam, in tribu Gad & tribus Ruben parte, ſub Tiberio Imperatore Tetrarchia facta.

Ituræi, Iturææ regionis populi.

Judæa, pag. 19. & Judæ terra, pag. 8. regio Aſiæ minima quidem ſed nobiliſſima Syriam (cujus pars fuit) ad Aquilonem habens, ab ortu Arabiam Petræam & Deſertam, ab Auſtro Idumæam, ab occaſu Mare magnum ſive Syriacum, multis inſignita nominibus, etenim terrâ Canaan, terrâ Promiſſionis, terrâ Iſraël, terrâ quoque Juda (à Philiſtiim) Palæſtina, quæ à Romanis in tres diviſa Palæſtinas ſub Tiberio Imperatore, Phœniciam etiam continebat & Galilæam, olim in duodecim tribus filiorum Iſraël diſtributa, poſteà in ſex diſpertita regiones, Galilæam, Samariam, Judæam propriè dictam intra Jordanem : ultra Jordanem Trachonitidem, Ituræam ac Peræam atque Idumæam, quæ ultra Jordanem ; vulgò terra ſancta appellata. hodie *la Sourie*.

Judæa trans-Jordanenſis, paginâ 189. Trachonitidem, Ituræam & Peræam prælaudatas complectens, inter Jordanem ad occaſum & Arabiam ad ortum.

Juda Tribus, pag. 23. inter duodecim potentiſſima, cui centum & quindecim civitates aſſignatæ, à qua tamen aliquæ excerptæ tribui Simeon necnon tribui Dan datæ ſunt, habebat ab ortu mare Mortuum, ab Auſtro Idumæam conterminam, ab occaſu tribum Simeon & tribum Dan, ab Aquilone tribum Benjamin finitimam.

Juda & Judæ regnum, pag. 39. tribus Juda & tribus Benjamin hoc verbo intelliguntur.

Judæi ſive Judaicus populus, Gens Judææ.

Judæa montana, pag. 23. loca ſparſim tribus Juda, ubi civitates ſuprà montes extructæ, vel fines ejus ad occaſum prope tribum Simeon.

Julias, pag. 609. urbs in dimidia tribu Manaſſe ultra Jordanem, in Gaulanitide regione prope Bethſaïdam, ſub cujus ditione diutiùs fuerat, & prope mare Tiberiadis, inter Corozaïm & prædictam Bethſaïdam.

Juliopolis, pag. 487. v. Tarſus.

Iuna ſive Ava, pag. 55. regio aut locus Chaldææ, quem ad oſtium Tigris in ſinum Perſicum collocant aliqui; Junius, cui inſtitit Author, aſſerit regionem fuiſſe Arabiæ Deſertæ.

K.

K*Adeshus Barneæ*, pag. 18. & Kades-Barnea p. 19. in vulg. edit. Num. 32. v. 8. Cadesbarne, locus deſerti Pharan ſive Idumææ, in finibus terræ Promiſſionis ad Auſtrum.

Kadytis urbs Syriæ magnæ, pag. 64. putat Scali-

ger

ger, ut refert author, hanc urbem apud Herodotum esse urbem Kadesh, de qua Num. 20. v. 16. in vulg. edit. Cades, civitas in extremis finibus terræ Edom sive Idumææ, prope Cades stationem trigesimam tertiam filiorum Israël.

Καρὴ sive Nova Arx, pag. 421. inexpugnabilis; quæ pag. 434. Novum Castellum appellatur ex Strabone lib. 12. p. 383. ubi Καρὴν χωρίον locus, cui nomen Novus in Armenia minori, minùs quàm ducentis stadiis à Cabiris, de qua suprà, distans in edita & prærupta Petra, habebat in vertice fontem abundantem & in radice fluvium & convallem profundam, quidquid in orbem circa petram, id Sylvosum omne & montosum atque aquæ expers.

Kedemoth, pag. 20. in vulg. edit. Deut. 2. v. 26. Cademoth solitudo circa urbem cognominem, quæ etiam Cedimoth & Jethson dicta civitas tribus Ruben facta refugii & data Levitis, posteà *Cormus* sedem sive habitationem principis Assassinorum factam refert Holstenius, ex Benjamino Tudelensi.

Kehelatha, pag. 18. in vulg. edit. Num. 33. v. 22. Ceelatha decima nona mansio filiorum Israël in deserto, inter Rella & montem Sepher.

Kenatham cum villis suis Nobachus appellata, p. 21. in vulg. edit. Num. 32. v. 42. *Chanath, vocavitque eam ex nomine suo Nobe* urbs Galaaditidis, quam in tribu Gad reponit Adrichomius.

Kenita Heberus, pag. 25. in vulg. editione Judic. 5. versu 24. Haber Cinæus: Cinæi erant populi terræ Chanaan ad meridiem, fortè à Cina civitate sic appellati, habitarunt in medio Amalec sive Amalecitarum.

Kibroth-Hattaavah quod significat sepulchra concupiscentiæ, ut exprimitur in vulg. edit. Num. 33. versu 16. decima tertia mansio filiorum Israël in deserto, inter solitudinem Sinaï & Haseroth pag. 17.

Kidronis torrens, pag. 32. v. Cedron.

Kir-hareseth, pag. 59. & 54. col. 2. civitas, quæ 2. Amos v. 2. Carioth ultra Jordanem, in regione Moabitarum.

Kiriath-Iearim, pag. 28. quæ & Baala, & Kiriathbaal; Kiriath-Jearima, pag. 30. in vulgata editione 1. Regum cap. 7. versu 1. Cariathiarim, apud quam Gibea (in vulg. editione Gabaa) sive collis: civitas Sylvarum, quæ Castra Dan dicta est, civitas tribus Juda, quæ priùs Gabaonitarum, posteà in finibus tribuum Juda Benjamin & Dan.

Kiriath-Sepher, pag. 23. vide Debirus.

Kirus, pag. 51. col. 1. in vulg. editione 4. Regum 16. versu 9. legitur *Cyrenen*, Cyrenes notitiam habes suprà in fine elementi C.

Κιτιαῖοι, pag. 55. Cyprii intelligendi, aut Τελιῶται Gittæ sive Gathi incolæ, de Cypriis & Githo vide suprà.

Κορυκικὸν, pag. 250. Campus in Phrygia, quæ Hellesponto adjacet, quæ ut ait Strabo lib. 12. pag. 393. parva Phrygia appellatur & Epictetus, estque circa montem Olympum.

L.

Labdacus, vide Lampsacus.

Labecia, paginâ 554. oppidum felicis Arabiæ à Gallo deletum, ut refert Plin. lib. 6. cap. 28.

Labranda, pag. 90. vicus Cariæ inquit Strabo lib. 14. pag. 453. in monte quâ Alabandis Milasa euntibus; inter utramque videlicet urbem.

Lacedæmon, pag. 127. totius Peloponnesi civitas clarissima, prius Sparta appellata, in Laconia regione, ad Eurotam fluvium: hodie vulgò *Misithra*.

Lacedæmonius, pag. 73. prælaudatæ urbis incola, aliquando Spartiata dictus; totius Laconiæ populi passim Lacedemonii fuere appellati.

Laconica regio, pag. 113. & 502. quæ Laconia, regio Peloponnesi australior, cujus caput Lacedæmon civitas; cingebatur versùs meridiem sinu Messeniaco & sinu Laconico; eodem sinu ac sinu Argolico versùs Orientem; hoc ultimo sinu & Argolide versùs Aquilonem, Arcadiâ versùs Occidentem, cum qua hodie vulgò *Tzaconia* vocatur.

Lacinium promontorium pag. 520. Italiæ apud Brutios, ad Mare Ausonium prope Crotonam urbem; quod nunc vulgò *Capo delle colonne* vocatur, in Calabria ulteriori.

Lachisus, pag. 23. & 57. in vulg. editione Josuæ 10. versu 3. Lachis, urbs olim Regia, posteà in sorte tribus Juda, demùm cessit tribui Dan, fuit etiam Lesem & Lesem Dan appellata, ætate S. Hieronymi villa septimo milliario ab Eleutheropoli euntibus Daromam, distans à Cariathiarim ad duas leucas contra Occidentem.

Lada parva insula, pag. 90. & 112. & Lade p. 153. insula maris Ægæi, Milesiorum urbi è regione eique objacens.

Lamia, pag. 214. urbs Phthiotidis regionis in Thessalia, ad Malœenses pertinens, hodie vulgò *Lamina*.

Lampæ sive Lampæorum civitas, pag. 537. urbs Cretæ insulæ, quæ aliàs Lappa ad Mesapum fluvium, mediterranea, in regione ab ea Lampæa dicta.

Lampsacus, pag. 58. aliàs Labdacus, pag. 118. sive Sampsama sic enim pro Lampsaco legitur in textu Græco Machab. 1. cap. 15. urbs olim Pityusa dicta, & Pitieia Homeri, ut ait Stephanus Byzantius, Mysiæ juxta Propontidem in Asia minori, non longè à Granici fluvii ostiis: hodie vulgò *Lampsi*.

Lampsacenus, pag. 77. prælaudatæ urbis incola.

Laodicea, pag. 456. & 644. Laodice & Laodicia urbs, quæ teste Plinio priùs Diospolis, deinde Rhoas dicta, in Lydia regione minoris Asiæ, ad Lycum fluvium haud procul in Mæandrum influentem: hodie *Laodichia*.

Laodicenses, pagg. 369. & 644. ejusdem urbis cives. sic pag. 456.

Laodicea Phrygiæ, pag. 264. eadem quæ suprà Lydiæ, utpote in confinibus Phrygiæ posita.

Laodicenus ejusdem etiam urbis accola.

Laodicea, pag. 493. urbs Syriæ maritima, sita in peninsula priùs *Leuce acte* id est album Littus, & ab Hebræis Ramatha sive Ramitha, ad montis Libani radices, ab incolis *Lyche* appellata.

Lapithus, pag. 231. & 332. urbs insulæ Cypri; cujus Dynasta rex appellabatur, quæ & Lapethus & Laparhus, maritima in ora insulæ Septentrionali, inter Solos & Ceraunium.

Lapithius, pag. 230. sic rex hujusce urbis dictus.

Lappa urbs, pag. 411. eadem quæ suprà Lampa, in Creta insula.

Larandeorum urbs, pag. 216. ipsa urbs Laranda, Antiochianæ regionis in Cappadocia, ad Taurum montem posita.

Larissa, pag. 129. urbs, quæ Larissa Ægyptiaca dicta, Lydiæ, ad fines Ioniæ & non longè ab urbe Epheso.

Larissa, pag. 129. pro qua Arisba legitur apud Diodorum, urbs Troadis maritima, Lecto promontorio

vicina versùs Aquilonem, Hamaxito versùs Meridiem.

Lariſſa, pag. 376. & 460. urbs Pelaſgiotidis regionis in Theſſalia, ad Peneum fluvium, hodie Italis *Larizzo* Gallis *Lariſſa*.

Lariſſeus, ibidem ejuſdem urbis incola.

Lariſſa, pag. 344. urbs Syriæ, quam Stephanus Byzantius dicit à Syris Sizarum appellatam, ſita erat ad Orontem fluvium, inter Apameam versùs Aquilonem & Epiphaniam ad Auſtrum: hodie vulgò *Larii*.

Lavinium, pag. 376. urbs olim veteris Latii, creditur fuiſſe ubi nunc locus *Citta Lavinia* dictus 18. Milliariis Romà diſtans versùs Orientem, in Campania Romana. Credit Lucas Holſtenius fuiſſe in ejuſdem regionis colle *monte di Levante* dicto, 1500. paſſibus à loco, cui nomen *Petrica*, diſſitus.

Lavinus fluvius, pag. 497. in Æmilia ſive Gallia Ciſpadana non longè à Bononia versùs occaſum, qui vulgò hodie *Lavino* à meridie in Septentrionem decurrens fluvium *Samogia* ingreditur.

Lauria, pag. 531. neutro Genere apud Plutarchum in Antonio pag. 941. urbs aut potiùs regio incognitæ poſitionis; ſi non ſit Laurium Atticæ.

Lazi, pag. 398. populi interiora Ponti (Euxini littora) incolentes, in media Colchide, de qua ſuprà, circa Phaſim fluvium versùs meridiem, quorum regio Lazica nominatur.

Lebedus, pag. 112. urbs Ioniæ in Aſia minori, maritima in parte Auſtrali Iſthmi peninſulæ Ioniæ; quæ etiam Labadus dicta eſt, & Lebidus.

Lebedii, pag. 245. ejuſdem urbis accolæ.

Lechi, pag. 27. ideſt Maxilla, & Ramath Lechi, ideſt elevatio maxillæ, ſive Enhakkore ideſt fons invocantis de maxilla; locus in terra Juda, id eſt terra Hebræorum, qui poſtea in tribu Dan.

Lectum, pag. 99. & 376. ſive Lectum Troadis promontorium, ubi deſinit mons Ida, ad Ægæum mare non longè ab urbe Troja hodie vulgò *Scorpiata*.

Lemba, pag. 380. urbs Moabitica, de qua Joſephus lib. Antiq. 13. cap. 23.

Lemnus, pag. 137. inſula maris Ægæi prope Thraciam, inter montem Athos ad Occidentem & Cherſoneſum Thraciæ ad Orientem, hodie vulgò *Stalimene*.

Lemnite ejuſdem Lemni inſulani.

Leontocephale, pag. 268. Caſtellum ſive oppidum munitiſſimum Phrygiæ ſuperioris; quod maritimum fuiſſe perperàm aſſerunt aliqui. Synnadis vicinum erat versùs Aquilonem.

Leontopolis, pag. 336. urbs inferioris Ægypti ad Buſiriticum Nili fluvii alveum, à qua Leontopolites Nomus appellatus.

Leptis, pag. 467. civitas olim Africæ propriè dictæ, quæ Leptis magna dicta eſt; apud Sirtim parvam, vicina Lepti alteri parvæ nuncupatæ, quæ Tripolis ſive vulgò hodie *Napoli de Barbaria*, quæ ſæpe ab authoribus pro unica acceptæ ſunt.

Leros, pag. 90. Inſula maris Ægæi in ora Cariæ, quam Ortelius eandem eſſe cum Leria inſula ſuſpicatur aut ei vicinam; inſulæ Pathmos proxima erat versùs meridiem.

Lesbus, inſula pag. 77. maris Ægæi Troadi proxima una è ſeptem majoribus maris mediterranei inſulis, à ſua metropoli Mitylene nomen etiam Mitylenes accepit: hodie vulgò Italis *Metelino*, Gallis *Metelin*. eam fusè deſcribit Strabo lib. 13. pag. 424.

Lesbii, pag. 70. Mitylenes inſulani.

Leuca & Leuca, pag. 139. & 143. Ioniæ in Aſia minori urbs maritima, ad Hermi fluvii oſtia in ſinu Smyrnæo, inter Smyrnam & Phoceam.

Leucanium, pag. 405. legit interpres in Leucadio, ſed apud Plutarchum in vita Pompeii pag. 631. *ἐπὶ Λευκανίᾳ*. non videtur locus diverſus à Leucade inſula, niſi forſan promontorium ab ea Leucadium dictum; Xilander putat eſſe fanum Junonis Laciniæ prope Lucaniam.

Leucas inſula, pag. 534. & 405. maris Ionii Acarnaniæ proxima, cujus quondam peninſula fuit, & poſtmodùm foſſâ ab ea ſeparata, cui etiam adhuc ponte conjungitur: nunc hodie vulgò *Sainte Maure* appellatur.

Leucecome caſtellum, pag. 525. inter Berytum Sidonemque poſitum, in Phœnicia, maritimum.

Leucophrys, pag. 130. locus aut urbis Aſiæ minoris, circa Tralleis Lydiæ urbem.

Leucoſyri, pag. 386. populi regionis, quæ Leucoſyria & Aſſyria dicta, in Cappadocia ad Pontum Euxinum, circa Thermodoontis fluvii oſtia.

Leucoſyri, pag. 139. populi ejuſdem Cappadociæ versùs Auſtrum prope Ciliciam, ad Pyrami fluvii fontes, qui teſte Stephano Byzantio priùs Leucoſyrus fuerat appellatus.

Leuctrica, pag. 137. apud locum Bœotiæ Leuctra dictum, ubi, ut docet Stephanus Byzantius, urbs erat, fortè ob victoriam à Thebanis de Lacedæmoniis reportatam, Nicæa dicta, hanc Strabo lib. 9. pag. 285. urbem dicit in itinere, quo à Plateis Theſpias itur in campo ad radices montis Cytheronis.

Leuſine, pag. 308. locus Ægypti inferioris, quatuor milliaria ab Alexandriâ versùs Orientem diſſitus, quem Strabo lib. 17. p. 550. Eleuſinem vocat pagum Alexandriæ & Nicopoli proximum, in ipſa foſſa Canopica.

Liba, pag. 264. oppidum Meſopotamiæ, non longè à Tygri fluvio.

Libanus mons, pag. 159. hoc nomine in ſacris Scripturis intelligendus eſt mons, qui à Ptolemæo Antilibanus (de quo ſuprà) nominatur, nam apud Septuag. Interpretes pro Libano legitur Antilibanus, cujus amplam deſcriptionem vide in Adrichomio: nunc ab Arabibus *Lebnan*, à Syris *Lebnan* appellari aſſerit Gabriel Sionita cap. 6. Libanus Ptolemæi ultra Damaſcum reperitur.

Libani convallis, pag. 25. ad ejuſdem montis radices.

Liburni, pag. 545. populi Liburniæ regionis, quam Romani Illyrico adjunxerunt, ad mare Adriaticum, cui Hiſtria ad Occidentem, & Dalmatia ad Orientem: nunc pars Croatiæ eſt.

Liburna navis, pag. 440. ſive Lyburnica navis pag. 458. naves apud Liburniam certâ & ſpeciali formâ fabricatæ, & ſic ab ea denominatæ.

Libna, pag. 18. in vulg. edit. Num. cap. 33. verſu 20. decima-ſeptima manſio filiorum Iſrael in deſerto, inter Remmomphares & Reſſa, idem locus ac Laban in ſolitudine campeſtri, contra mare Rubrum.

Libna, pag. 23. & 39. col. 1. in vulg. editione Joſue 10. verſu 29. Lebna, civitas olim regia, quæ etiam Labana & Lobna, poſtmodùm in tribu Juda, pòſt Levitis data: ætate S. Hieronymi villa erat priſcum nomen Lobna retinens.

Libya, pag. 18. hoc olim nomine univerſa intelligebatur Africa; Libya propriè dicta pars Africæ (quam alii partem fecerunt Ægypti) inter Ægyptum inferiorem ad ortum & Cyrenaïcam regionem ad occaſum.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Libyca ſolitudines, pag. 70. pars Libyæ auſtralis & mediterranea, quæ etiam Libya exterior dicta; nunc regio & deſertum *de Barca.*

Libya Cyrenaïca, pag. 530. regio inter Libyam & Cyrenaicam, quæ à Ptolemæo Marmarica appellatur.

Libyi, plurali num. Libyes, pag. 81. populi præfatæ Libyæ.

Libycum mare, pag. 408. pars maris mediterranei Libyæ adjacens.

Libyna, pag. 327. locus Libyæ, prope Apim, de quo ſuprà, ex Polyb. Legat. 115. pag. 948.

Libyna ibid. ejuſdem loci incolæ.

Libyſſa, pag. 289. viculus Bithyniæ maritimus, in terra arenoſa: Stephanus Byzantius Caſtellum vocat ad Propontidem, Hannibalis ſeceſſu & morte notum, quod Leunclavius *Lebuſſa* vocat; alii *Lebiſſe* aut *Gebiſe*, alii denique *Polmen.*

Liguſticum mare, pag. 66. pars mediterranei maris Liguriæ maritimæ expoſita, quam hodiè *la mer de Genes* appellamus.

Liguſticus ſinus, pag. 408. ejuſdem maris receſſus ad Genuam urbem, qui ab occaſu orâ littorali vulgò *riviera di Ponente* dictâ terminatur, ab ortu alterâ orâ littorali vulgò *riviera di Levante* nominatâ.

Ligyes, pag. 94. alias Ligures, populi Liguriæ, quæ Italiæ regio duplex; Liguria vetus mediterranea & pars Galliæ Ciſalpinæ, cui ad Occidentem Alpes Cottiæ, ad Septentrionem Padus amnis, ad Orientem & Meridiem altera Liguria quæ maritima nunc ſtatus Reipublicæ Genuenſis, cui ad occaſum Gallo-provincia & Pedemontium, ad ortum Hetruria, ad Auſtrum mare ab ea Liguſticum dictum; ab his Ligyes Aſiani, de quibus hîc ſermo ſumpſêre originem, hi autem Colchidem incoluêre.

Lilybæum, urbs & promontorium magis Occidentale Siciliæ inſulæ, urbs nunc *Marſala* vocitatur, promontorium *Capo Coco* ſive *di Boo*, in valle *di Mazara.*

Lilybetani, pag. 362. populi Lilybæi urbis & regionis Lilybæi promontorii.

Limyra, pag. 275. urbs Lyciæ in Aſia minori, quam Stephanus Byzantius à Limyro, cui adjacet, fluvio appellatam dicit: eadem eſt quæ ab ipſo priùs Lamyra nominatur.

Lindius, pag. 59. civis urbis Rhodi inſulæ, cui nomen Lindos, ad oram littoream Orientalem, quæ hodie etiam *Lindo* vocatur.

Lipara, pag. 73. Æolicarum inſularum præcipua, à qua omnes Liparææ inſulæ ſunt appellatæ, in mari Tyrrheno, inter Siciliam & Italiam, hodie *Iſole di Lipari.*

Livias, pag. 417. urbs Judææ, quæ etiam Libias dicta, ultra Jordanem & ad ejus ripam ſiniſtram, non longè ab ejus oſtii in Lacum Aſphaltitem, in tribu Ruben, ut refert Adrichomius.

Locri, pag. 96. populi Græciæ in tres diviſi: quorum primi ab Opunte urbe Opuntii dicti, quibus ad occaſum Phocis, ad meridiem & ortum Bœotia, ad Aquilonem fretum Euripus appellatum; ſecundi à Cnemide monte Epicnemidii dicti, quibus ad Orientem & meridiem Phocis, ad occaſum Dores & Æniianes & Theſſaliæ pars; ad Aquilonem Euripus & Maleæ ſinus; tertii Locri à fœtore Ozolæ appellati; quibus ad occaſum Ætolia, ad Aquilonem Dores, ad ortum Phocis, ad meridiem ſinus Criſſæus.

Lorymæ plur. num. pag. 307. & Lorymæ p. 113. urbs Doridis in Caria, maritima, ex adverſo Rhodi à qua paulò ampliùs viginti millia diſtabat, hodie *Maxi.* vel *Stadia* ut vult Pinetus, eadem quæ Doryma de qua ſuprà.

Lotharingus in præfat. ex Lotharingia, quæ regio eſt Galliæ Belgicæ, inter Campaniam ad occaſum, & Alſatiam ad ortum, Luxemburgum ad Aquilonem, & Comitatum Burgundiæ ad Auſtrum, vulgò *la Lorraine.*

Lubæi, pag. 55. col. 1. in vulg. editione 2. Paralip. 12. verſu 3. legitur *Lubyes*, populi, ut diximus, Libyæ, de qua ſuprà.

Lucania, pag. 486. regio olim Italiæ, cujus fines verſùs Septentrionem Silarus amnis, quo à Campaniâ ſemovebatur, & fluvius Brandanus, quo ſeparabatur ab Apulia: verſùs Orientem ſinus Tarentinus; verſùs meridiem Laus *Laino* fluvius, quo à Bruttiis diſtinguebatur; Tyrrhenum mare verſùs Occidentem; nunc pars regni Neapolitani, in quâ Baſilicata provincia, Auſtralis pars principatus citerioris, & pars citerioris Calabriæ.

Lucani, pag. 207. populi Lucaniæ.

Luceria urbs, pag. 376. una è tribus urbibus, in quibus Romani Sabinis juncti diſperſi fuere, à luco ſic dicta; qui ut videtur, erat in Latio.

Luſa, pag. 417. una ex urbibus, quas Alexander Jannæus Arabibus eripuerat, in Judæa ultra Jordanem Arabiam verſùs, ut aliarum plurimæ.

Luſitani, p. 503. populi Luſitaniæ, quæ una eſt è tribus Hiſpaniarum regionibus; cui ad Septentrionem & Orientem erat Hiſpania Tarraconenſis, ad Meridiem Bætica, ad Occidentem Oceanus Occidentalis; ex parte reſpondet regioni, quæ nunc *le Portugal* vocitatur.

Luzi tractus, pag. 6. vide ſuprà Bethel.

Lyceum, pag. 173. locus prope Athenas urbi ad Orientem Æſtivum, ubi Ariſtoteles diſcipulos ſuos Philoſophiam docebat.

Lycus campus, pag. 396. in Aſia minori, Heracleæ Ponti vicinus.

Lycaonia, pag. 118. regio Aſiæ minoris in mediterranea, & pars Cappadociæ Auſtralis, Iſauriæ ab occaſu, Ciliciæ ab Auſtro, Armeniæ minori ab ortu finitima, cujus metropolis Iconium, à qua regio nunc vulgò *Cogni* appellatur.

Lycaones, pag. 533. hujus regionis indigenæ.

Lycia, pag. 93. regio Aſiæ minoris maritima in ora Auſtrali, quæ à Septentrione Phrygiâ, ab occaſu Cariâ, à meridie ſuo mari Lycio, ab ortu Pamphyliâ terminatur, nunc vulgò *Aldinelli.*

Lycii, populi Lyciæ.

Lycium mare, pag. 18. Lyciæ verſùs meridiem vicinum.

Lycus amnis, pag. 164. 166. & 352. fluvius Aſſyriæ, qui è monte Niphate naſcens, ab Aquilone in meridiem currens, Tigrim fluvium verſùs Orientem ingreditur.

Lycus fluvius Cappadociæ, pag. 393. qui ab ortu in occaſum fluens Irim fluvium ingreditur, Pontum Euxinum verſùs.

Lycus fluvius, pag. 93. 246. & 266. in Phrygiæ parte Auſtrali, qui è Lyciæ confiniis verſùs Aquilonem defluens, per Hierapolim, Coloſſas & Laodiceam Mæandrum fluvium poſteà ingreditur; ſunt adhuc alii ejuſdem nominis fluvii.

Lyctus, pag. 405. urbs Cretæ inſulæ verſùs Orientem, in medio Iſthmi, quæ etiam Lyctum & Lyctia; hodie *Paleocaſtro.*

Lydda, Toparchia Judææ; pag. 341. & Lydda urbs pag. 492. vide ſuprà Dioſpolis.

Lydia, pag. 44. col. 2. regio Aſiæ minoris ab Auſtro Cariam, ab occaſu Ioniam & Æolidem, ab Aquilone & ortu Phrygiam habens conterminas;

fuit etiam ſaltem pro parte Mœonia dicta ; hodie vulgò *Caraſia*.
Lydi, pag. 26. Lydiæ populi.
Lydiacum regnum, pag. 214. quod in Aſia minori, ad Halym uſque fluvium pertingebat.
Lydii Campi, pag. 219. in præfata Lydia regione.
Lyperus, pag. 251. mons Bithyniæ, ad quem condita urbs Zipoëtes à Zipoëte rege Bithyniæ.
Lyſania tetrarchia, pag. 553. vide infrà Thrachonitis.
Lyſias caſtellum, pag. 421. & pag. 480. urbs Syriæ ſita ultra lacum, qui juxta Apamiam eſt.
Lyſimachia, pag. 250. & 252. urbs Cherſoneſi Thraciæ ; quam priùs Cardiam appellatam aſſerit Stephanus Byzantius, cui potiùs exciſæ ſucceſſit, in vicino loco condita. Cardiæ ſitum vide ſuprà ; hodie vulgò *Hexamili*.
Lyſimachium templum, pag. 250. apud præfatam Lyſimachiam urbem.
Lyſinoe, pag. 284. urbs minoris Aſiæ circa Pamphyliam ; videtur eſſe eadem, quæ Lyſinia Ptolemæi, utpote Cormaſiæ vicina, in Piſidia.
Lyſtra & Lyſtræ, pag. 626. civitas Lycaoniæ Act. 4. v. 6. & 27. v. 5. Lyſtra, quæ eſt Lyciæ (confines ſunt Aſiæ minoris regiones) Lyſtra tamen à Geographis in Iſauria ponitur, nunc exciſa.

M.

Maed, pag. 320. in Græco textu μαειδ, ſed in vulg. editione 1. Machab. cap. 5. v. 26. Mageth. civitas magna & munita Galaaditidis regionis, in tribu Gad.
Macedonia, pag. 98. regio Europæ ampliſſima, ab ortu Ægæo mari concluſa, à meridie Theſſaliâ & Epiro, ab Occidente Ionio mari, ab Aquilone Scardo monte & Orbelo, Moeſiæ & Thraciæ parti confinis, olim Emathia, & Mygdonia, quæ ejus tantùm partes erant, nunc ejus pars occidua *Albania*, pars quæ ad ortum *Iamboli*, quæ ad Auſtrum *Comenolitari*.
Macedonia ſuperior, pag. 497. pars Macedoniæ versùs Septentrionem.
Macedones, pag. 74. Macedoniæ populi.
Macedonicum regnum, pag. 44. col. 2. hîc imperium Macedonum anno mundi 3210. incœptum intelligitur ; quouſque extenſum fuerit teſtatur Alexandri magni Hiſtoria & ſucceſſorum ejus.
Macerianus Boxus, pag. 194. ſi dictio ſit Geographica aut locus eſt hactenùs intactus à Geographis, aut legendum Macarianus ab urbe Arcadiæ Macareæ, aut Macaria, planitie ſive regione Meſſeniæ.
Macharus, pag. 396. Caſtellum Judææ, apud Jordanem fluvium & lacum Aſphaltitem, in colle ſitum, ab his duodecim horarum itinere versùs Orientem diſtans, in diſtrictu tribus Ruben.
Macpela ager, pag. 7. & Macpelæ Spelunca, pag. 8. in vulgata editione Geneſ. 23. verſu 9. Spelunca duplex ; Onkelo *Capheltha*, Jonathani *Cepheltha*, Macpela duplicem ſignificat ; ſita erat prope Hebron urbem, de qua ſuprà.
Macrobii Æthiopes, pag. 82. vide ſuprà Æthiopes.
Macrones, pag. 128. qui & Machelones ; quos ſua ætate Sannos appellari teſtatur Steph. Byzantius ; Gens Pontica ad Apſarum fluvium, quibus ad Aquilonem Colchi, ad occaſum Heniochi, ad meridiem Scythini & Armeno Chalybes, ad ortum Taochi.
Madianitis terra, pag. 12. ſive terra Madian, cujus populos Mandianitas & Madrenas vocat Stephanus Byzantius ; populi erant Arabiam & præcipuè Petræam incolentes, quorum regio Madian appellabatur.
Madytus, pag. 100. & 116. urbs Helleſpontica inquit Stephanus Byzantius, ad Helleſpontum, ſed in Thracica Cherſoneſo à quibuſdam collocatur, è regione Percotes.
Mæandri campus, pag. 77. circa minoris Aſiæ amnem celeberrimum Mæandrum, prope Prienen & Magneſiam, in Ioniæ & Cariæ confinibus.
Mæonia, pag. 390. ſive Mœonia, pars Lydiæ regionis, in Aſia minori Auſtralior.
Mæotis palus, vide infrà Mœotis.
Maſaloth aliàs Maſſadoth, pag. 329. in vulg. editione 1. Machab. c. 9. v. 2. *Maſaloth, quæ eſt in Arbellis.* civitas in tribu Nephtali, in Galilæa ſuperiori ſive Gentium.
Magana, p. 285. mons Aſiæ minoris, Magava legit Ortelius, & Ancyræ Galatiæ vicinum arbitratur.
Magarſus, pag. 156. collis ſublimis in Cilicia prope Mallum urbem, ubi Minervæ Magarſidis fanum celebre, ita Stephanus Byzantius.
Magdala fines pag. 592. vide Dalmanutha.
Magdalena, pag. 64. ex Magdala latinè Magedan loco prælaudato.
Magdalum, pag. 64. apud Jeremiam cap. 44. v. 1. & cap. 46. v. 14. locus in monte ſitus, inter ſinum Arabicum & Nilum fluvium ; Magdolus Stephano Byzantio civitas eſt, Ægypti videlicet inferioris, ſed vicinæ non fuerunt hæc Magdolus & Mageddo, ut opinatus eſt Scaliger.
Magedan &
Mageddo, vide Megiddus.
Magneſia, pag. 77. urbs Cariæ ad Mæandrum fluvium ſita, priùs Theſſaloce & Androlitia dicta : hodie *Maniſſa*, ut aſſerit Leunclavius.
Magneſia, pag. 279. ad Sipylum (montem) cognominata, ſive penès Sipylum, urbs Lydiæ, non longè à Phrygiæ finibus.
Magneſia, pag. 102. regio Theſſaliæ in mare Ægæum excurrens, quod ipſi eſt ad Orientem, ſinus Thermaïcus ad Aquilonem, ſinus Pagaſeticus ad Meridiem, Pelaſgiotis, & Phthiotis regiones ad Occidentem ; fuit montibus Pelio, Oſſa, Olympo & Planicie Tempe facta celebris.
Magneſia, pag. 371. prælaudatæ regionis civitas maritima, ad promontorium, quod ad Orientem ſimul & Aquilonem ſitum eſt, quódque *Cabo verlichi* nominat Sophianus.
Magnes ſing. num. & Magnetes plurali, gentile nomen Magneſiarum, pag. 273. Magnetes ſunt Magneſiæ ad Sipylum incolæ.
Magnopolis, pag. 431. vide Eupatoria.
Magog, pag. 446. v. Edeſſa.
Magnſum, pag. 554. oppidum felicis Arabiæ à Gallo deletum, ut ait Plinius lib. 6. cap. 28.
Mahacathitharum termini, pag. 21. in vulg. editione Deuter. 3. verſu 14. Termini Machati, regio ſive civitas ultra Jordanem, primùm ad regem Baſan pertinens, poſteà dimidiæ tribus Manaſſe.
Mahanaïma, pag. 29. in vulgata editione 2. Regum verſu 8. legitur per Caſtra, Mahanaïm enim caſtra ſignificat ; fuit tamen locus ita appellatus in monte Galaad, & civitas tribus Gad ad Aquilonem, ad fines tribus Manaſſe, cui vicinum erat deſertum Mahanaim.
Makheloth, pag. 18. in vulg. editione Num. 33. v. 25. Maceloth : vigeſima ſecunda manſio filiorum Iſrael in deſerto, inter Arada & Thahath.
Makkeda pag. 23. ibidem Spelunca Makkedæ in vulg. edit. Joſue 10. v. 16. Spelunca urbis Maceda ;

civitas

civitas olim regia, quæ poſteà fuit tribus Juda; in octavo milliario Eleutheropoleos contra ſolis ortum.

Malea, pag. 113. 371. & 461. promontorium Laconicæ, quod magis Orientale eſt, in ſinu Laconico à Cythera inſula ſex milliariis diſtans, quódque hodie *Capo Malio di ſant' Angelo* nominatur.

Malea, pag. 120. promontorium Lesbi inſulæ versùs meridiem, quod etiam Malia fuit appellatum.

Malena, pag. 91. locus Atarnidis regionis Myſiæ in Aſia minori, è regione Lesbi inſulæ.

Malenſes, pag. 231. Malenſium rex oppidi in inſula Cypri Malum appellati, quod non longè à Papho fuiſſe videtur.

Maleus ſinus, pag. 382. propter Spolia à Pyratis Aureus dictus, apud Malea promontorium Laconicæ, de quo ſuprà.

Malli, pag. 182. populi Indiæ, qui (ut pag. 192.) Mandri, vel Ambri, & Sabraci & Subagri, vel Sugambri dicuntur, qui à Steph. Byzantio Mali Oxydracarum, duas tamen ex his nationes facit Strabo lib. 15. pag. 482. quorum regio inter fluviorum Hydaſpis & Aceſinis, & Aceſinis atque Indi confluentes poſita erat.

Mallum, pag. 156. 230. 283. aliàs Mallus urbs Ciliciæ maritima, ad Pyrami amnis oſtia, hodie vulgò *Malo*.

Mallota, pag. 199. Machab. 2. cap. 4. verſu 30. prælaudatæ Malli urbis incolæ.

Malorba, pag. 554. vallum ad flumen poſitum, ſive Pagus in Arabia felici, de eo Strabo lib. 16. pag. 538.

Maltum, pag. 410. lege Mallum, de quo ſuprà.

Malum, pag. 232. vide ſuprà Malenſes.

Mamre, pag. 6. & Convallis Mamre ibid. in vulgata editione Gen. 13. verſu 18. *Mambre qua eſt in Hebron* Hebronis ſitum, quæ etiam Mambre appellata eſt, vide ſuprà hoc verbo.

Manastis, pag. 414. regio Armeniæ ejuſdem nominis Deo conſecrata.

Manaſſe una è tribus filiorum Iſraël, in duas partes diviſa, prima pag. 21. dicta dimidia tribus Manaſſe cis Jordanem, ab occaſu in ortum protenſa, ab ortu Jordane fluvio, versùs Auſtrum tribu Ephraïm, ad occaſum mari Magno, ad Aquilonem tribu Iſſachar concluſa erat. Altera pars dicta dimidia tribus Manaſſe trans-Jordanem, occaſum versùs Jordane fluvio & lacu Geneſareth à tribubus Zabulon & Nephthali ſecernebatur, habens ad Aquilonem Syriam, ad ortum Arabiam deſertam, ad meridiem tribum Gad ſibi finitimam.

Mantinea, pag. 142. urbs Arcadiæ, quæ in honorem Antigoni regis ab Argivis Antigonia nominata, ſed poſteà ab Adriano Imperatore priori nomine donata eſt: ſita erat ad Ophum fluvium: hodie vulgò *Mundi* vel *Mandi* à Mario Nigro *Gorizza* vocatur.

Maracanda urbs, pag. 177. Sogdianorum regia, cujus murus 70 ſtadia amplectebatur; eſt Paracanda Strabonis lib. 11. pag. 356. ſive potiùs Μαραάνδα, ſic enim apud eundem MSS. legitur, putant eſſe eandem, quæ nunc *Samarchanda*.

Marah, pag. 14. in vulg. editione Exodi 15. v. 23. Mara aliàs Marath fons amariſſimus, cujus aquæ injecto ligno dulces redditæ, ubi quinta ſtatio filiorum Iſraël in deſerto, inter Pi-hahiroth, & Elim.

Marathon, pag. 102. vicus Atticæ Leontidis tribus, triginta quinque circiter milliaribus Athenis diſtans Orientem Æſtivum versùs, non longè ab amne Aſopo & Euripo freto: hodie adhuc *Marathona*.

Marathonia pugna, pag. 85. apud Marathonem, in qua Perſæ a Græcis duce Miltiade ſuperati.

Marathus, pag. 158. & 265. urbs Phœnicæ magna & opulenta, ex adverſo Aradi inſulæ in continenti ſita, de qua Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 15. eam in vicina Caſſiotide collocans, inter Caſium montem ad Aquilonem & Eleutherum amnem ad Auſtrum.

Marathenſes, pag. 339. præfatæ urbis accolæ.

Marathuſa, pag. 113. inſula maris Ægæi Clazomenis objacens, in Smyrnæo ſinu.

Mardi, pag. 170. gens Perſidis versùs ſolis ortum.

Mardi, pag. 170. & 173. populi Hyrcaniæ confines, quos inter Hyrcaniæ populos recenſet Stephanus Byzantius. Ptolem. Geogr. lib. 5. cap. 13. pag. 135. illos inter regionem Κωμεία dictam versùs Aquilonem collocat, & Niphatem montem versùs Auſtrum; Armeniam majorem versùs Occidentem, & Mediam Orientem versùs.

Mare campeſtrium, pag. 43. col. 2. in vulg. editione 4. Regum cap. 14. verſu 25. dicitur *mare ſolitudinis* in lib. Joſue cap. 3. v. 16. *mare ſolitudinis, quod nunc vocatur Mortuum*, hinc conſtat ibi ſermonem eſſe de Aſphaltite lacu, de quo v. ſuprà.

Mare Ægyptium, pag. 161. pars mediterranei maris, quæ Ægyptum inferiorem versùs Aquilonem alluit.

Mare Galilææ, pag. 592. v. Genezareth aquæ.

Mare Græcum, p. 390. pars mediterranei Maris Græciæ adjacens.

Mare Mediterraneum, pag. 5. quod etiam internum dicitur, utpote inter terras ſive in mediis terris incluſum; Europam habet ad Aquilonem, Aſiam ad ortum, & Africam ad Meridiem.

Mare mortuum & mare ſalſum, pag. 7. vide Aſphaltites lacus.

Mare rubrum, pag. 8. & 14. quod etiam Græco vocabulo mare Erythræum; hac voce apud Prophanos Authores intelliguntur ſinus Arabicus & ſinus Perſicus atque pars Oceani; quæ felicem Arabiam versùs Auſtrum alluit; ſed in ſacris Scripturis, cùm de Mari-Rubro ſermo eſt, Arabicus ſinus tantùm intelligitur, ſeu potiùs ejus pars, quæ ad Septentrionem.

Marea, pag. 104. urbs inferioris Ægypti ſuper Pharum ſitæ; illam Stephanus Byzantius Mareiam vocat Alexandriæ (Ægyptiæ) adjacentem; cum lacu cognomine, qui

Mareotis, ſive *Maria* lacus, pag. 161. ab Alexandria magna versùs meridiem ſexaginta circiter leucis diſtans; quique etiam Marius lacus eſt appellatus; hodie vulgò *Buchiara*.

Margiana ſive Margiana urbs, p. 179. ultra Ochum & Oxum fluvios; in Margiana ſanè regione, cui Hyrcania ad occaſum, Scythia ad Septentrionem, Bactriana ad ortum & Aria ad Meridiem ut refert Ptolemæus Geogr. lib. 6. cap. 10.

Mariaba, pag. 554. oppidum felicis Arabiæ à Gallo deletum, ut fert Plinius lib. 6. cap. 28. Stephanus Byzantius ex Strabone lib. 15. dicit Mariabam Sabæorum metropolim, apud mare rubrum poſitam.

Mariamne, pag. 158. urbs Phœniciæ, quam Stephanus Byzantius ex Pauſania Mariammiam vocat. apud Ptolemæum Geogr. lib. 5. cap. 15. Mariame, urbi Emeſæ vicina versùs occaſum.

Mariſa, pag. 322. in vulg. edit. 2. Machab. cap. 12. verſu 35. Mareſa, urbs Idumææ, quæ etiam Adiſſa dicta, ſita erat ad confines tribus Juda versùs occaſum.

Mariſſeni, pag. 359. ejuſd. urbis accolæ.

Marius, pag. 250. rex Marii urbis inſulæ Cypri maritimæ ad Aquilonem Solis versùs occaſum.

Maronea, pag 288. & Maronia pag. 283. urbs Thraciæ, ab Homero Iſmarus appellata, maritima ad Sceni fluvii in Ægæum mare ſeſe exonerantis oſtia: hodie vulgò *Marogna*.

Maronitæ, Maroneæ cives.

Marſicum bellum, pag. 369. adversùs Marſos eorúmque Socios. Marſi Italiæ populi, quibus ad Orientem Peligni & Samnitæ, ad meridiem Latium, ad Occidentem Sabini, ad Septentrionem Veſtini, circa lacum Fucinum: hodie pars Aprutii ulterioris, vulgò *Ducato di Marſi*.

Marſya, pag. 480. urbs Phœniciæ, circa quam,

Marſya convallis, pag. 263. inter Libani & Antilibani radices ſita, cum præfata urbe cognomine.

Marſyas amnis, pag. 90. in Phrygia, qui non procul à Mæandri fontibus naſcens, ab ortu ſolis æſtivo in Brumalem occaſum currens Apameam urbem Phrygiæ cingit, & eundem Mæandrum fluvium paulò pòſt ingreditur.

Marſyabæ, pag. 554. urbs Rhamanitarum, in Arabia felici à Gallo incaſsùm obſeſſa.

Maryandeni, pag. 94. potiùs Mariandyni populi olim Bithyniæ, ad Pontum Euxinum, circa Heracleam Ponti, à quibus vicinus ſinus Mariandynus eſt appellatus.

Maſpha aliàs Mizpa, pag. 316. 1. Machab. cap. 3. verſu 46. *in Maſpha contra Jeruſalem, quia locus orationis erat in Maſpha ante in Iſrael*. civitas tribus Benjamin, in confinio tribus Juda, ubi, ante templum conditum, fuit arca Domini.

Maſada, p. 499. & 513. vide ſtatim Maſſada.

Maſſa, vide Rephidim.

Maßada, pag. 510. & Maſada pag. 513. Caſtellum munitiſſimum in præruptâ petrâ, cui nomen collis Achillæ muro firmo ab Herode cinctum, in tribu Juda, non longè ab Aſphaltite lacu, in regione Daroma dicta.

Maſſadoth, vide Mæſaloth.

Maſſaga, pag. 184. regionis Aſſacenorum in India ultra Guræum fluvium urbs maxima & 35. ſtadiorum muro cincta; circa Indi, ut videtur, ſuperiores partes.

Maſſagetæ, pagg. 80. 180. & 181. Maſſagetæ Scythæ ſive gens Scythica; in aſſignandâ illorum regione variant authores; hîc præponenda Ptolemæi ſententia, qui Maſſagetas collocat inter Margianam ad meridiem & Derbiccas ad Aquilonem, inter Hyrcaniam ad occaſum & Bactrianam ad ortum; alios adhuc Maſſagetas ultra Bactrianam, Orientem æſtivum versùs collocat, ad Jaxartes fluvii fontes, de quibus forſan ſermo pag. 180. & 181.

Maſſilia, pag. 67. anno mundi 3004. à Phocæenſibus in mari Ligustico condita, urbs Galliæ olim Braccatæ dictæ, maritima: nunc vulgò *Marſeilles* in Galloprovincia cum portu celebri.

Maſſilienſes, pag. 354. urbis præfatæ cives.

Matthana, pag. 20. ſolitudo, quam tranſierunt filii Iſraël, ubi poſteà fines tribus Ruben ad Orientem & Auſtrum.

Mauritania, pag. 466. regio Africæ ampliſſima & ad Occidentem in tres divisa, in Tingitanam, quæ Occidentalior eſt, nunc regna Fezii *de Fez* & Marochii complectens; in Cæſarienſem inter Tingitanam ad occaſum & Sitifenſem ad ortum, in qua regna, quæ vulgò *de Tremiſen & d'Alger*: tandem in Sitifenſem, quæ aliis Occidentalior eſt, in qua regnum Bugienſe, Numidiam habens ad ortum, hæ tres ſimul nunc *Barbaria* nominantur.

Maurus, p. 461. Mauritaniæ indigena.

Mazaca, pag. 431. vide Cæſarea Cappadociæ ſuprà.

Mazacani Cappadociæ, pag. 384. ejuſdem urbis accolæ.

Medaba, pag. 329. & 354. in vulgata editione 1. Machab. 9. verſu 37. Madaba, civitas priùs Ammonitarum, deinde Amorrhæorum, tandem tribus Ruben, ad torrentem Arnon, cujus vicina regio campeſtris Medaba dicta.

Media, p. 48. col. 2. regio majoris Aſiæ maxima, Caſpium mare ad Boream habens, Hyrcaniam & Parthiam ad ortum, Aſſyriam & Suſianam ad meridiem, & Armeniam majorem ad occaſum; nunc verò regiones complectens, quæ *Schirvan* & *Karabac* & *Kilan* & *Erak* appellantur.

Medi, p. 18. hujus regionis Populi, quorum imperium, quod & Aſſyriorum, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam nec non Perſidem continebat; unde in Script. per civitates Medorum, ditioni Medorum ſubjectas intellige.

Media major, pag. 214. pars Occidentalis Mediæ, cujus Satrapia Atropato data, fuit Atropatene nominata.

Media minor, pag. 214. altera Mediæ pars versùs Orientem.

Medici reges, id eſt reges Medorum.

Megalopolis, pag. 287. quæ & Megapolis, quam Stephanus Byzantius Megalen vocat, urbs Arcadiæ omnium noviſſima, ex coloniis aliarum Arcadiæ urbium, quas Pauſanias recenſet in ſuis Arcadicis p. 258. ſita erat ad interſecantem Heliſſonem fluvium, in Peloponneſi umbilico; multoties exciſa; locus nunc penè deſertus *Leondari* appellatur. fuit aliquando Chriſtianopolis dicta.

Megalopolitanus, pag. 276. & pluribus aliis in locis præcipuè pag. 300. Polybius Hiſtoricus Megapolitanus prælandatæ Megalopoleos indigena, ut aſſerit, loco citato, Stephanus Byzantius.

Megarenſium urbs, pag. 237. quæ Megara urbs Atticæ versùs Iſthmum ea-propter à Stephano Byzantio inter Peloponneſum Atticam & Bœotiam collocatur. priùs Niſa vocabatur, ejus verò Navale in ſinu Saronico Niſæa, ipſa adhuc hodie *Megara* nominatur.

Megarenſis regio, pag. 98. circa prælandatam Megaram pars Atticæ versùs occaſum, cui Bœotia ad occaſum & Septentrionem, Iſthmus & ſinus Saronicus ad Meridiem.

Megarenſes, pag. 56. ejuſdem tum urbis tum regionis incolæ.

Megara, p. 344. urbs Syriæ in Apamena ſive ſub Apamenſium ditione, ut notat Strabo lib. 16. p. 518.

Megiddus, p. 40. in vulgata editione 4. Regum 9. verſu 27. ſic pag. 63. civitas olim Regia, poſteà in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem: nunc vulgò *Subumbre* vel *Subube*.

Megiddunitica aquæ, p. 25. prope præfatam Megiddunitem urbem.

Megiddunitis convallis, p. 63. Campus vulgò Mageddo dictus prope eandem civitatem; credit author Magdalum cum Magedan coincidere.

Megiſtes portus, p. 281. in Lyciæ ora, non longè, ut videtur, à Pataris; Lyciæ urbem & inſulam (forſan eandem) refert Stephanus Byzantius.

Megiſtus amnis, pag. 266. circa Æolidem in Aſia minori: ſi hac dictione fluvius Aliæ maximus non ſit intelligendus, Plinius Rhyndacum fluvium aſſeverat fuiſſe poſteà Megiſtum appellatum.

Melanes ſinus, pag. 94. in Thracia, qui etiam à Cardia urbe Cardianus dictus, ad Iſthmi Thraciæ partem occiduam, in Mari Ægæo.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Melanes fluv. pag. 94. Thraciæ, qui à Rhodopes montibus naſcens, ab Aquilone in Auſtrum fluens mare Ægæum ingreditur, in ſinu à ſe Melane dicto.

Melienſes, pag. 96. Græciæ regio ad Maleacum ſinum, cui Locri Epicnemidii ad meridiem, Æniancs ad occaſum, Phthiotis Theſſaliæ ad Septentrionem.

Meliſſa, pag. 123. Phrygiæ pagus, ſive, ut apud Athenæum, civitas Synnadæ ad meridiem.

Melita inſula, pag. 641. maris mediterranei, S. Pauli naufragio inſignis, Siciliæ ad meridiem, olim Carthaginenſium colonia: vulgò *Malta*, Gallicè *Malte*.

Melitenſes, Melitæ inſulani.

Melitea, pag. 374. urbs Phthiotidis regionis in Theſſalia, quam Strabo lib. 9. pag. 297. dicit priùs Pyrtham appellatam; dicitur etiam Melittea, ſita erat ad Euripum fluvium.

Melus ſive Melus, pag. 109. 135. & 573. inſula una Sporadum, quam Stephanus Byzantius inter Cycladas numerat, & priùs Byblum; pòſt Zephyriam nuncupatam dicit, ſita erat in Cretico mari, Maleæ promontorio Laconiæ vicina.

Memphis, pag. 5. aliàs Nophus p. 72. quæ etiam Migdol, nec non Menchis & Mitzar; civitas, quam clariſſimam Ægypti metropolim appellat Stephanus Byzantius, ad ſiniſtram & occiduam Nili ripam, in angulo Deltæ è regione Babylonis: hodie ut refert Gabriel Sionita cap. 9. ab incolis *Alcahera*, ab Europæis *Alcaire* ſeu *Caire*. In tres olim diſtincta partes, quarum tertia Albus murus dicta pag. 105.

Memphites, pag. 125. ejuſdem urbis incola.

Mendæus, pag. 130. ex urbe Thraciæ, cui nomen Mende, Mendæi, ut ait Pauſanias in Eliacis. Mendæi erant ad mare Ægæum, ad Hebri fluminis oſtia, prope Ænum urbem.

Mendeſium Nili oſtium, pag. 106. de quo Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 5. pag. 106. & ibidem Mendeſius Nomus, cujus caput erat Thmuis civitas, ibidem urbs Mendes, à qua nomen Nomus deſumpſit, fortè à Thmui non diverſa.

Mendeſii, pag. 140. Mendeſiæ præfecturæ ſive Nomi accolæ.

Menelai portus, pag. 144. locus deſertus Libyæ prope Ardaniam, ſupra Paræronium, ut aſſerit Strabo lib. 1. pag. 27.

Mennis urbs, pag. 167. quæ etiam Mennium & Memnium, urbs Aſſyriæ quartis caſtris ab Arbelis, circa Babylonem, ubi caverna eſt, ex qua fons ingentem vim bituminis effundit.

Meriba, pag. 14. vide Rephidim.

Meriba aquæ ſive contentionis, pag. 19. in vulg. editione Num. 20. verſu 13. & 14. aquæ contradictionis, trigeſima tertia manſio filiorum Iſraël ad petram, quæ erat in deſerto Zin, quod & Cades.

Meroes inſula, pag. 82. Æthiopiæ, ut fertur, quæ ſub Ægypto, de Meroe Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 8. & lib. 8. tab. 4. de Meroe metropoli anteà Herodotus, ſed ex aliorum, ut faretur, relatione lib. 2. cap. 29.

Meropis, pag. 115. & 191. inſula & urbs. vide ſuprà Co.

Merus mons, pag. 183. Mons Indiæ, ubi fabulantur natum Bacchum, inter amnes Indum & Cophenem.

Meſambria, pag. 91. & Meſembria urbs Thraciæ in confinio Myſiæ ubi deſinit mons Hæmus, maritima ad Pontum Euxinum, inter Anchialum & Sarpedoniam urbem. vulgò *Meſember*.

Meſembriani, pag. 291. prælaudatæ urbis accolæ.

Meſopaba, pag. 162. ubi Hammonis templum eſt. vide ſuprà verbo Ammonitis. alia lectio, quæ ſanè verior, *μεσογαία*, id eſt mediterranea.

Meſopolita, pag. 373. incolæ loci aut urbis minoris Aſiæ, aut in Lydia circa Ioniam aut Joniæ.

Meſopotamia, pag. 7. regio Aſiæ Euphrate fluvio ad Occidentem & meridiem, ac Tigri fluvio ad ortum comprehenſa, cui ad Boream Armenia major; Aſſyria & Suſiana ad ortum, Babylonia & Chaldæa ad meridiem: Syria verò cum Armenia minori ad occaſum: quæ Aram & Charam dicta eſt, nunc verò *Diarbech*, illam Algeziram nominat Nubienſis Climate 4. parte 6.

Meſſana, pag. 520. urbs Siciliæ ad Pelorum promontorium olim Zancle dicta, ſita ad fretum ab ea Pharum Meſſanæ dictum, è regione Regii Calabriæ: hodie vulgò *Meſſine* in valle *di Demona*.

Meſſene, pag. 141. regio Peloponneſi versùs meridiem, cui ad Occidentem Cypariſſius ſinus & Elis regio; Arcadia ad Septentrionem; Laconia & ſinus Meſſeniacus ad Orientem. nunc pars provinciæ quæ *Belvedere* dicta in Moræa. fuit poſtmodùm in eadem regione urbs Meſſene prope Ithomen, ad fluvii *Balyra* oſtia in ſinu Meſſeniaco, nunc exciſa.

Meſſenii, pag. 127. prædictæ regionis indigenæ.

Metapontus, pag. 90. urbs Italiæ olim Metabum dicta, atque etiam anteà Siris, maritima in ſinu Tarentino, ad Siris fluvii nunc *Baſienta* dicti oſtia; hodie locus penè exciſus, vulgò *Terre di Mare* appellatus.

Methana, pag. 534. Peloponneſi urbs: plures hujus nominis urbes in Peloponneſo, una Argolidis, altera Laconiæ, tertia Meſſeniæ regionis; de qua illarum hic quæſtio ſit, non poteſt certò diſtiniri.

Methymna, p. 118. & 323. urbs in Lesbo Inſula, in ora inſulæ versùs Orientem.

Methymnæi, hujuſce urbis incolæ.

Metropolitanus campus, p. 284. circa urbem Phrygiæ Metropolim nuncupatam, ſitam inter Synnada & Apameam ejuſdem Phrygiæ civitates.

Metroum templum Phrygiæ Deæ, pag. 379. id eſt Deorum matri, à qua fanum appellatum apud Athenas civitatem.

Micalenſis mons, p. 83. & Mycale mons pag. 91. cum promontorio & urbe cognomine, Strabo lib. 14. p. 438. in Ionia collocat, Stephanus Byzantius in Caria, ſitus erat è regione Sami inſulæ.

Midaium, p. 527. quod etiam Midaëium, oppidum Phrygiæ magnæ, ad Sangarium amnem, Gordio versùs occaſum.

Midianitæ, pag. 10. quorum regio Midianitis, in vulg. editione Gen. 37. v. 36. Madianitæ. vide ſuprà Madianitidis terrâ.

Miemaſhum, p. 331. in vulg. editione 1. Machab. cap. 9. verſu 73. legitur in Machmas, aliàs Magmas & Megmas, civitas non longè à Gabaa tribus Benjamin, & terminus tribus Ephraim contra Auſtrum: Ætate S. Hieronymi vicus grandis, nunc vulgò *Byra* vel, ut quidam aſſerunt, *Elbin*.

Migdalum, pag. 14. idem locus qui ſuprà Magdalum; non procul à mari rubro, p. 72.

Miletopolis, pag. 375. urbs Myſiæ, apud à ſe denominatam Paludem Milepolitidem, ut ait Strabo lib. 12. inter Cyzicum & Bithyniam, circa Rhyndacum fluvium, ut obſervat Stephanus Byzantius; hodie *Melitopoli*.

Miletus, pag. 55. urbs Ioniæ in Aſia minori, ſecundùm aliquos Cariæ; ſed Stephano in Caria Ionum primùm Leleges; deinde Pityuſa, pòſt Anacto-

ria, tandem Miletus dicta in peninsula, paululùm remota ab ostis Mæandri fluvii; hodie vulgò *Milasso*.

Milesii, p. 58. urbis prælaudatæ cives.

Mispas, vide Mizpa.

Misraimi terra, p. 5. sic appellata est Ægyptus, de qua suprà.

Mithka, p. 18. in vulg. edit. Num. 33. versu 28. Methca, apud Septuag. Interpr. μαθουκά, vigesimaquinta statio filiorum Israël in deserto, inter Thare & Hesmona.

Mithridatium, p. 424. unum è tribus Galatiæ castellis muro cinctis, quod à Ponto avulsit Pompeius, ut Strabo refert lib. 12. p. 390.

Mitylena, p. 77. & Mytilene pag. 90. apud Steph. Μυτιλώ urbs Lesbi insulæ maxima & maritima, ad Australem plagam, quæ suum insulæ indidit nomen, vide suprà Lesbus.

Mitylenæus præfatæ urbis accola.

Mitzpa, vide Maspa.

Mizpa, pag. 26. in vulg. editione Judic. 10. versu 17. Maspha apud Septuaginta Interpretes ἐν τῇ σκοπιᾷ alii codices vocem retinent Hebræam, quæ speculam significat; civitas tribus Gad, in Galaaditide regione.

Mizpa, p. 36. col. 1. quæ Mispa Benjaminitarum p. 72. eadem quæ Maspha, de qua suprà.

Moab; p. 58. col. 2. desertum Moab. p. 10. campestria Moabitarum p. 21. Moabitarum vallis p. 22. Regnum erat, ubi posteà tribus Ruben, torrente Arnon ab ortu, quo ab Amorrhæis secernebatur; Jordane fluvio ab occasu conclusum, ab Austro ad desertum usque protensum.

Moabita, p. 19. incolæ hujusce regionis; cujus urbes Moabiticæ sunt dictæ.

Modin, p. 310. & Modinensis urbs. civitas in tribu Dan, in qua sepulchra Machabæorum, & marmoreæ Pyramides prælatæ, in monte sita juxta torrentem, qui apud Secronam effunditur, ut observat Zieglerus.

Mœotis palus sive Mæotica palus, p. 62. & lacus Mæotis, pag. 371. vetus mare Sarmatiæ inter Europam & Asiam, cui Sarmatia Europæa ad occasum, & Sarmatia Asiana ad ortum, ad meridiem Pontus Euxinus, cui Bosphoro Cimmerio jungitur; ab incolis *Temerinda* vocatur, id est maris mater: illius etenim aquæ in Pontum Euxinum defluunt; Euxini in Ægæum sive mediterraneum, mediterranei per Gaditanum fretum in Oceanum Atlanticum; hodie vulgò vocatur Mare *de Zabache* sive Mare *de Tana*.

Mœris stagnum, p. 59. sive lacus in Ægypto inferiori, à Mareotide diversus, cui est ad Austrum, inter Mareotidem Nomum ad Aquilonem & Oasitem minorem ad meridiem, à Memphi civitate 72. millia passuum distans versùs occasum, de eo Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 5.

Mœsia, p. 390. ibi sermo est de minoris Asiæ Mysia, vide infrà hoc verbo.

Molossi, p. 257. populi cujus regio Epiri pars, & Molossia dicta; quibus ad Septentrionem contermini erant Dolopes, ad Orientem Athamanes, ad meridiem Amphilochi, quibus juncti erant; & ad Occidentem Cassiopia: hodie vulgò ut Pinetus ait *Pandosia*.

Memmphis, pag. 60. urbs Ægypti, de qua Stephanus Herodotum citans lib. 2. sed ibi tum cap. 153. tum 163. de Memphi tantùm est sermo. de Momemphi nihil Ptolemæus, de ea tamen Strabo lib. 17. pag. 552. ubi illam à Memphi distinguit, & circa Nitriæ montem & Mareotidem lacum collocare videtur.

Mopsuestia, p. 366. urbs Ciliciæ, in mediterraneis ad Mopsum fluvium, eam ad Pyramum amnem collocat Stephanus Byzantius.

Mopsuestiani ejusdem urbis accolæ.

Mora Quercus, p. 6. sive Therebinthus, sive Quercus Sichem, in suburbano rure urbis Sichem, extabat ætate S. Hieronymi, vide infrà Sichem.

Morasthites, p. 47. col. 1. de Morasthi, vicus erat in tribu Juda, juxta Eleutheropolim versùs Orientem, ut asserit S. Hieronymus.

Morgantina, p. 352. Morgentia & Morgantium, urbs Siciliæ insulæ mediterranea, ad Symetum amnem, inter Leontinos ad Austrum & Catanam urbem ad Aquilonem, circa locum qui nunc *Anastasia*, sicut amnis *Jaretta* dictus.

Moschi, p. 418. quorum regio Moschica p. 459. ad Phasis fluvii fontes, inter Colchidem, Iberiam, & Armeniam.

Mosera, p. 10. erat cacumen montis Hor, de quo suprà, in deserto, ubi Aaron mortuus est & sepultus.

Moseroth, p. 18. mansio vigesima-septima filiorum Israël in deserto, inter Hesmona & Benejaacan, quam non rectè cum præcedenti Mosera confundit Adrichomius.

Mostheve, pag. 581. & Mostene urbs Lydiæ, cujus populi *ibid.* Mostheni dicti; ponitur intra amnes Hermum & Caicum.

Mosynaci, p. 128. populi Ponti Cappadocii, ad Pontum Euxinum inter Sidenos ad occasum, & Calybes ad ortum.

Munda, urbs Hispaniæ Bæticæ, quam Strabo lib. 3. p. 97. dicit fuisse veluti aliarum urbium metropolim, excisa: quidam opinantur fuisse ubi nunc *Monda* in Andalusia, alii urbem esse, quæ nunc *Ronda* sive *Ronda la Vieja*.

Mundensis pugna, p. 457. ad Mundam urbem prælaudatam.

Munichia, pag. 237. & Munichianum præsidium pag. 224. unus erat è portubus urbis Athenarum & magis ad orientem, in sinu Saronico, cujus amplam descriptionem dat Strabo lib. 9. p. 272.

Muris, pag. 555. de hoc loco sic Strabo lib. 17. p. 560. *non procul à Berenice ἐφ' ἡμέρας πέντε, est Muris Statio, urbs habens portum & navale*, ad sinum Arabicum, in Ægypto superiori.

Murus Camelorum, p. 218. locus Ægypti inferioris intra Delta, ut videtur, inter Alexandriam & Memphim.

Musicani urbs, pag. 196. Musicanus rex erat, cujus Regnum sive terra, ut ait Strabo lib. 15. p. 275. in India erat ad Australiores Indi fluminis partes.

Mutina, pag. 488. urbs olim Æmiliæ, quæ nunc *Modena*, sui Ducatûs cognominis caput, super Stradellam fluvium.

Mutinenses, ejusdem urbis incolæ.

Mycale, p. 91. vide Micale.

Mygdonia, pag. 264. & Mygdonica regio pag. 406. Regio circa Nisibin Mesopotamiæ civitatem, de qua infrà.

Mylassa, p. 90. urbs Cariæ nobilissima in mediterraneis, prope montem sita, de qua fusè Strabo lib. 14. p. 453. hodie vulgò *Mylasso* aut *Messi*.

Mylassenses, prælaudatæ urbis cives, p. 273.

Mylias, p. 153. magnæ Phrygiæ regio.

Myllas, p. 266. urbs Carbaliæ in Asia minori, quæ etiam Milyas dicta.

Myndus, p. 155. urbs Cariæ maritima, in Mari Ægæo, ad ſinum Jaſſicum, quam hodie *Menteſe* appellatam aſſerit Leunclavius.
Myndia, p. 272. regio Cariæ circa Myndum.
Myndii, præfatæ urbis accolæ.
Myoneſus, p. 110. & Myonneſus p. 282. Teiorum promontorium; & urbs Ioniæ in Aſia minori, inter Teium & Lebedum, in ſinu Smyrnæo.
Myra, p. 370. quæ & Myrrhæa, urbs Lyciæ metropolis, apud Limyrum fluvium, viginti ſtadiis à littore diſtans, mediterranea, vulgò *Strumuta*.
Myrenſes, p. 501. hujuſce urbis cives.
Myrcinus urbs Edonum, p. 90. in Macedoniæ ſeu potiùs Thraciæ confinis, ad Strymonis fluvii ripam dextram, quam non diverſam faciunt ab Amphipoli, de qua ſuprà.
Myrina, pag. 129. & 275. urbs Æolidis in Aſia minori, quæ & Myrrhina, nec non Sebaſtopolis; hodie *Marbani* dictam refert Leunclavius, Pergamo erat ad meridiem.
Myſia, pag. 77. quæ etiam Moeſia pag. 390. Aſiæ minoris regio, in duas diviſa; in minorem ſive Helleſponticam, quæ ad Helleſpontum, Troadem habentem ad Auſtrum, & in majorem, quæ pag. 287. ad Olympum dicitur ſive Olympenica, ubi Olympeni; quæ Myſiâ minore & Troade ab occaſu, Bithyniâ ab ortu, & Aſiâ propriè dictâ ab Auſtro concluditur.
Myſi, p. 75. & Myſi Aſiani p. 538. ejuſdem regionis indigenæ.
Mytilene, p. 90. vide Mitylena.
Myus, p. 89. & 101. urbs Ioniæ in Cariæ confinibus, ad Mæandri fluminis oſtia, quam Strabo lib. 14. p. 457. dicit fuiſſe unam ex duodecim urbibus Ioniæ; ſed à civibus derelictam unitam fuiſſe proximæ Mileto civitati.

N.

Naballo urbs Palæſtinæ, p. 417. una ex his, quas Alexander Jannæus Arabibus eripuerat.
Nabatæa Arabia, p. 562. pars erat Orientalis Arabiæ Petrææ; cui ad Septentrionem erat tribus Gad promiſſionis terræ pars, ad Orientem Arabia deſerta, ad Meridiem Arabia felix.
Nabatæi Arabes, qui & Zabadæi, pag. 234. & 354. ejuſdem regioni Incolæ; In vita Marci Antonii ubi Arabiæ ſermo eſt, quam incolunt Nabatæi, ad Oceanum extenſæ, intelligitur ipſamet Arabia felix.
Nadabath, pag. 329. in vulgata editione 1. Machab. 9. verſu 37. Madaba, idem locus, qui ſuprà Medaba.
Nahaliel, p. 20. id eſt Torrens Dei, inter ſolitudinem Matthana, & Bamoth vallem in regione Moab, in finibus tribus Ruben ad Auſtrum, prope Torrentem Arnon.
Nain civitas, p. 589. in tribu Iſſachar, in finibus tribus Zabulon, quam torrens Ciſſon alluit ad Aquilonem, in ſecundo milliario montis Thabor ad meridiem, non procul à Nazareth & Endor.
Nain Samaritarum vicus, p. 631. vide Geman.
Nanæa templum, p. 353. in Perſide.
Napata, p. 554. alias Tanape, apud Stephanum Byzantium, Napatæ urbs Libyæ juxta Æthiopiam; meliùs, urbs Æthiopiæ ſub Ægypto, regia Candacis reginæ Æthiopum.
Naphtali tribus, p. 17. v. Nephthali.
Naphthalitæ, p. 51. col. 2. populi terræ Nephthali, de qua infrà.
Narbonenſis tabula, p. 549. ab urbe Galliæ cui nomen Narbo ſeu Narbona & Narbo Martius, colonia, apud Atacem fluvium: hodie vulgò *Narbonne*, in Occitania inferiori.
Narbonenſis Gallia, pag. 555. vide ſuprà Gallia Narbonenſis.
Naſamonum regio Syrtibus vicina, p. 467. ex his verbis conſtat fuiſſe regionem maritimam Africæ, inter duas Syrtes ſitam, ubi hodie regnum Tripolitanum, & diverſos à Naſamonibus Ptolemæi, qui eos in mediterranea Marmarica collocat.
Naucratis, p. 58. urbs Ægypti inferioris, quam Ptolemæus mediterraneam facit, ad Occidentaliorem alveum Nili, quem Agathoſdæmonem vocat; in Nomo Andropolite. de ea adhuc p. 302.
Naucratites ibidem, hujuſce urbis incola.
Naura ſive Nauraca, p. 176. & 181. regio Sogdianæ, quæ ad fines erat Bactrianæ regionis; in qua urbs Nauraca.
Naxus, p. 88. & 506. inſula Maris Ægæi, una è Cycladibus, quæ etiam Dionyſia dicta; hodie vulgò *Nixia* & *Nacſia*.
Naxii, p. 102. ejuſdem loci Inſulani.
Nazaretha, p. 566. in vulgata editione Nazareth, civitas Galilææ in tribu Zabulon, duabus leucis à monte Thabor, trium dierum itinere ab Hieroſolyma diſtans, Salvatoris & Domini noſtri Jeſu-Chriſti incarnatione & incolatu celeberrima.
Nazarenus, p. 570. & aliquando Nazaræus, prælaudatæ civitatis incola.
Neandrenſes, p. 119. cives, quorum urbs Neandrus in Troade, ad Helleſpontum.
Neapolis, p. 483. urbs Italiæ maritima, quæ priùs Parthenope dicta, in Campania, cum portu & ſine cognomine: nunc vulgò *Napoli*, Gallis *Naples*, in terrâ Laboris, & ſui regni cognominis caput.
Neapolitanus, hujuſce urbis accola.
Neapolis, p. 633. urbs Macedoniæ, in confinio Thraciæ, maritima ad Strymonicum Sinum; vulgò hodie *Chriſtopoli*.
Nebus mons, p. 20. & 22. in vulgata editione Mons Nebo; pars ſuperior montis Abarim, in terra Moab, cujus montis Nebo cacumen Phaſga vocabatur; poſteà in funiculo tribus Ruben.
Neerda, p. 620. urbs Babyloniæ fluentis Euphratis cincta, Judæorum Academia & proinde Syriacè, quaſi flumen ſcientiæ denominata.
Negra aut Hygra; pag. 554. vicus, qui ſub Oboda eſt & ad mare jacet, pag. 555. dicitur vicus in Nabatæorum regno. In Arabia felici ad ſinum Arabicum.
Nehar-Gozan, pag. 51. col. 2. in vulgata editione 1. Paralip. cap. 5. v. 26. legitur *in fluvium Gozan*. videtur etiam ſumi pro civitate aut pro regione forſan huic fluvio vicinâ; Gozan fluvius majoris Aſiæ in confiniis Armeniæ & Mediæ; qui ab occaſu in Orientem æſtivum decurrens, mare Caſpium ingreditur.
Neroaſſum caſtrum, v. Nota.
Neronias, p. 642. v. Cæſarea Philippi.
Nephelis promontorium, p. 275. Ciliciæ aſperæ, è regione Cypri Inſulæ, inter Antiochiam ad Tragum & Seleuciam.
Nephthali terra, p. 36. col. 2. una è tribubus filiorum Iſraël ad Aquilonem ſita, & Syriæ vicina, cui ab ortu pars ſuperior Jordanis fluvii, à meridie tribus Zabulon, ab occaſu tribus Aſer contermina erat, cujus indigenæ ſunt ſuprà Naphthalitæ appellati.
Neſtus fluvius, pag. 338. qui etiam Neſſus dictus in Thracia, qui è Pangæo monte naſcens, in ortum

æſtivum

æstivum decurrens, Nicopolim, ab eo ad Nessum, alluit, tandem mare Ægæum ingreditur, è regione Thasi insulæ.

Nia vicus, pag. 625. lege Mia, etenim apud Josephum citatum lib. 20. Antiquit. cap. 1. sic legitur περὶ ὅρων κώμης μιᾶς λεγομένης, *de finibus vici Miæ nominati.* situs erat inter Jordanem & Arabiam, nam Judæi qui trans-Jordanem & cives Philadelphenses de ejus finibus contendebant.

Nicæa, pag. 337. urbs Bithyniæ, quæ priùs Ancore dicta, pòst Antigonia, demùm Nicæa, fuit etiam Olbia nominata, ad Ascaniam paludem sita: hodie vulgò *Isnich.*

Nicæa, pag. 188. urbs ad citeriorem Hydaspis Indiæ fluminis ripam, ab Alexandro condita, ubi Indos eorúmque regem Porum vicerat.

Nicæa, p. 183. urbs majoris Asiæ, inter Paropamisadas & Cophenem fluvium.

Nicatorium, mons, pag. 166. in Assyria prope Arbela Assyriæ urbem, sic ab Alexandro propter victoriam de Dario partam appellatus.

Nicatorium fanum, p. 251. apud Seleuciam maritimam, de qua infrà, conditum.

Nicephorium, pag. 444. urbs Mesopotamiæ ad Euphratem amnem sita, quæ postmodùm Constantina fuit appellata: nunc vulgò *Nepheum*, ut refert Pinetus.

Nicephorius lucus, p. 272. & 332. juxta Pergamum sive sub Pergami mœnibus situs.

Nicomedia, pag. 258. quæ priùs Astacus dicta, pòst à Nicomede rege ampliata & Nicomedia nuncupata, & pag. 337. fuit etiam Olbia dicta; in Bithynia ad Propontidem, in sinu ab ea Astaceno nominato: hodie vulgò *Comidia*, à Turcis *Nicor* & *Isnigimid*, & per abbreviationem *Ismid.*

Nicopolis, pagg. 415. 470. & 528. à Pompeio condita, ubi Mithridatem vicerat, inter duo flumina, quæ ab uno monte diversis specubus exoriuntur, hoc est Euphratem & Araxem, in minore Armenia posita & ex re Nicopolis appellata. Constat fontes Euphratis & Araxis in majori Armenia esse, non in minori, est tamen altera Nicopolis in minori Armenia, sed longissimè ab Euphratis fontibus.

Nicopolita, p. 415. hujusce urbis cives.

Nicopolis, pag. 534. in Epiri regione, quæ Cassiopia dicta, ad fretum sinûs Ambracii, è regione Actii promontorii, à quo vulgò Nicopolis ad Actium, à Cæsare in memoriam victoriæ Actiacæ condita: hodie vulgò *la Preveſa.*

Nicopolis, p. 542. prope Alexandriam, verba Strabonis refert author lib. 17. pag. illi 795. mihi 547. exeunti per Hypodromum est Nicopolis, quæ habitatur ad mare, ita ut urbe non minor censeri debeat, distat ab Alexandria stadiis triginta, hunc locum Cæsar Augustus ornavit quòd hic prælio eos superavit, qui cum Antonio contra ipsum exierant p. 546. hanc à Cæsare conditam & Nicopolis nomine donatam refert ex Diodoro.

Nilus fluvius, p. 19. Africæ maximus & notissimus, variisque nominibus appellatus, qui ex Æthiopia veniens totam Ægyptum alluit, seseque septem ostiis in mare mediterraneum exonerat.

Nili ostia, pag. 162. septem ut diximus, de his fusè & scitè Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 5. qui novem enumerat.

Niliaca, quæ de Nilo tractant.

Nemrodi terra, pag. 5. in vulg. editione Michææ cap. 5. versu 6. terrâ Nemrod; est ipsamet Babyloniorum regio, de qua suprà verbo Babyloniâ.

Ninive, pag. 44. col. 2. & Nineves pag. 57. Assyriorum metropolis ad lævam Tigris fluvii, civitas magna, utpotè trium dierum itinere, ipsa est Ninus apud Stephanum Byzantium; quidam hodie extinctam asserunt, alii exantem & *Mosul* appellari.

Ninivitæ & Ninevitæ prælaudatæ civitatis incolæ.

Ninus pagg. 163. 166. 396. & 629. *Ninus vetustissima sedes Assyriæ* ex his verbis constat hanc urbem à Ninive, ut diximus, non diversam.

Niphates, pag. 165. mons majoris Asiæ Armeniam ab Assyria separans, quem Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 13. Nymphatem vocat; pars erat Tauri montis: hodie vulgò *Curdo* appellatur.

Nisa sacra, pag. 82. ex Herodoto lib. 3. cap. 97. apud quem Æthiopes Ægypto contermini, qui sacram Nisam *Nisulu* incolunt.

Nisæus campus, pag. 206. apud quem Nisæi equi, & ex eo Nisæi Equites p. 314. aliàs Pisæi. *Nisæum* inquit Suidas *locus Persidis ubi nascuntur equi celerrimi, qui vocantur Nisæi, Alii verò dicunt esse magnum Mediæ campum, cui nomen est Nisæum, hic igitur campus Equos magnos producit*, de his Strabo lib. 11. pag. 361.

Nisæi, pag. 135. legendum haud dubiè Nisyræi, id est Nisyri insulæ incolæ, Cois vicini, post quos statim defecêre à Lacedæmoniorum partibus.

Nisibis, pag. 406. quæ à Græcis Antiochia Mygdoniæ, sive Mygdonia est appellata, urbs Mesopotamiæ versùs Tigrim fluvium, ad Mygdonium fluvium interfluentem, sub Masio monte.

Nisyrii, pag. 93. incolæ insulæ, cui nomen Nisyrus, in Ægæo Mari, Cariæ & insulæ Coo proximæ.

No, p. 56. in vulgata editione, Nahum cap. 3. versu 8. Alexandria & ex ejusdem Prophetæ verbis sequentibus indubium est intelligi debere de Alexandria Ægypti cognomento magnâ, de qua suprà.

Nobachus, p. 21. v. Kenatham.

Nola in Campania, pag. 580. Colonia olim & urbs super Clanium amnem, nunc adhuc Nola in terrâ Laboris.

Nomades, pag. 553. v. Atarena regio.

Nomades, pag. 133. *Nomadum instar* qui pecuariam vitam degentes nullam certam sedem habebant; erant hujusce vivendi generis plurimi, in variis orbis regionibus dispersi.

Nomades Arabes, pag. 321. in vulg. edit. 2. Machab. cap. 12. versu 10. legitur tantùm Arabes; vide suprà hoc verbo.

Nophus, p. 72. vide Memphis.

Nora Castellum, p. 220. tempore Strabonis Neroassum dictum, in Cappadociæ & Lycaoniæ confinibus; idem Strabo lib. 12. pag. 370. in Cappadocia illud ad Taurum montem collocat.

Norimberga, p. 546. id est Noricorum mons; urbs Germaniæ libera, in Franconia, ad Regnitium fluvium: vulgò *Nuremberg.*

Notium, p. 109. & 281. Colophoniorum in Ionia minoris Asiæ regione oppidum, maritimum, urbi Ephesо vicinum, in sinu Ionio.

Novum Castellum, p. 434. vide suprà *Kaïm.*

Numantini, p. 346. ex urbe cui nomen Numantia, in Hispania olim Tarraconensi, nunc excisa, erat circa fontes Durii fluvii; ejus rudera adhuc visuntur prope Soriam urbem, in Castella veteri, in loco vulgò *Puente Garray* dicto.

Numida, p. 299. populi Numidiæ.

Numidia, pag. 302. Africæ regio duplex, una mediterranea, quæ hodie *Biledulgerid*, altera, quæ nova nominatur, pars Africæ littoralis, inter Mau-

ritaniam Sitifenſem ad occaſum, & Africæ propriæ regionem Carthagineuſem ad ortum, quæ hodie Regnum eſt vulgò *de Conſtantine*, regno Tunetano ad occaſum.

Numidicus, pag. 364. qui ad Numidiam pertinet.

Nymphæum, pag. 423. oppidum ſive Caſtellum Tauricæ Cherſoneſi ad Boſphorum Cimmerium ſitum, Panticapæo ad meridiem.

Nyſa, pag. 183. urbs Indiæ, quam Arrianus Nyſſam vocat, atque inter Indum & Cophenen amnes collocat, prope Merum montem, quámque à Dionyſio conditam dicit, Juſtinus Dionyſiopolim, quam Ptolemæus Geogr. lib. 7. cap. 1. p. 171. dicit etiam Nagara appellari: hodie vulgò *Nerg*.

Nyſæi, *ibid.* prælaudatæ urbis cives.

Nyſæa provincia, *ibidem*, regio circa hanc Nyſam urbem.

O.

Oaſis, p. 81. urbs Ægypti ſuperioris, quam incolebant Samii ii, qui ferebantur è tribu Æſchronia eſſe; quam Herodotus & Duris Beatorum inſulam appellavere, teſte Steph. Byzantio, ſeu potiùs regionem, in qua erat urbs Oaſis cum aliis duabus; quæ erant quaſi inſulæ in mediis arenis; hic Oaſim Avaſim etiam vocat; erat Nilo ad occaſum.

Obedas Edomi domus, p. 50. in vulg. edit. 2. Regum cap. 6. v. 11. domus Obededom Gethæi; hæc domus erat aut in agello Hieroſolymis vicino, ut putat Joſephus, vel in inferiori parte civitatis Hieruſalem, cujus pars ſuperior civitas David appellabatur.

Obuth, p. 20. trigeſima-ſeptima ſtatio filiorum Iſraël, in finibus terræ Edom, inter Phunon & Jeabarim.

Obrima fontes, p. 284. in finibus Piſidiæ, Phrygiæ, & Galatiæ, Obrimas fluvius ut Plinius refert lib. 5. cap. 29. unus eſt è tribus fluviis, qui Apameam Phrygiæ Cibotos dictam cingentes, ſeſe poſtmodùm in Mæandrum amnem exonerant.

Occidens, partes orbis; ſeu potiùs Romani Imperii verſùs ſolem Occidentem poſitæ.

Oceanus Atlanticus, p. 385. pars Oceani Occidentalis, quæ littus Africæ occiduum alluit, ubi mons Atlas, qui Oceano Atlantico nomen dedit.

Oceanus Indicus, p. 173. qui littora maritima Indiæ alluit, quſque aliquando à Plutarcho mare magnum fuit appellatum.

Ochus amnis, p. 179. majoris Aſiæ, qui, ut deſcribit Ptolemæus, apud Paropamiſadas naſcens, ac verſùs Occidentem defluens, Maracanda urbem alluit & per Bactrianam, trantiens, ibi Oxum fluvium ingreditur.

Odeſſus, p. 242. urbs *inter Apolloniam & Galatiam ex adverſo Heracleæ ſita*; quam Ponti urbem prope Salmydeſſum aſſerit Stephanus Byzantius, urbs erat Thraciæ ad Pontum Euxinum, quæ hodie *Varna* in Bulgaria.

Odollamus urbs, p. 322. quæ Odollam, Odulla, & Adulla, civitas primùm Regia, poſteà fuit tribus Juda: ætate S. Hieronymi vicus erat Adolla, ad Orientem Eleutheropoleos.

Odryſa, p. 219. Gens Thraciæ circa Hebrum fluvium & Rhodope montem, qui mons dictus eſt Odryſarum.

Oenandenſes, cives urbis, quæ Oenanda, aliàs Oenoanda Lyciæ mediterranea verſùs Aquilonem, ad confines Pamphiliæ & Lydiæ.

Oenotria, p. 78. hoc nomine olim tota Italia ab optimis vinis donata eſt; cujus tamen poſteà pars Oenotria dicta eſt; in magna Græcia, inter Lucanos & Brutios.

Oenoparas, p. 340. fluvius Syriæ, quem Strabo lib. 16. p. 517. dicit fluere per Campum Antiochenum.

Oenuſæ inſulæ, p. 78. in mari Ægæo prope Chiùm inſulam.

Olearum mons, p. 598. & mons Oliveti p. 607. ſitus erat è regione Jeruſalem, atque à civitate, altâ interjacente valle Cedron, diſcretus, & quinque ſtadiis diſtans.

Olympus urbs, p. 387. in Cilicia; in mediterraneis verſùs Aquilonem, ad fontes Calycadri fluvii prope montem cognominem.

Olympus, pag. 384. urbs Liciæ olim maxima, maritima, quam Solinus interiiſſe ſcribit, nunc *Levalle*, aliis *Aratia* dici videtur.

Olympeni ead. pag. 384. hujuſce urbis cives.

Olympus mons, pag. 75. in Myſia Aſiæ minoris regione, à quo pars, quæ ad ortum eſt Olympenica ſive ad Olympum fuit appellata.

Olympicus mons ſive Olympus, pag. 252. in Theſſalia & in Macedoniæ confinibus, 10. ſtadiorum altitudine præcelſus: hodie adhuc *Olympo*, nonnulli tamen aſſerunt *Lacha* vocitari.

Olympicus Agon, p. 559. ad urbem Peloponneſi Olympiam, in Elide apud Alpheum fluvium poſitam.

Olynthus, pag. 98. urbs, quam Stephanus Byzantius Thraciæ aſcribit, prope Sithoniam Macedoniæ; Scylax in Periplo in Macedonia ponit, ad Pallenes promontorium, inter Pallenen & Mecybernam; locus exciſus hodie *Olynthe* dictus.

Onii ſive Heliopolitani, p. 10. vide ſuprà Heliopolis Ægypti, quæ ab Onia Judæorum Pontifice hoc nomen accepit.

Onia regio in Ægypto, p. 472. circa præallatam Heliopolim.

Ophir, p. 5. & 38. col. 1. in noſtris tabulis Geogr. ſacræ Scripturæ aſſeruimus, Ophir eſſe ipſam Indiam, de qua ſuprà; Holſtenius dicit eſſe Indiæ locum *εὐπορον*, Emporium celeberrimum Ptolemæi & Arriani.

Opis, p. 204. urbs ad Tigrim ſita in Babyloniæ regione; Strabo lib. 16. p. 509. Opim pagum vocat, circumſtantium locorum emporium.

Opus, pag. 169. urbs Græciæ Locrorum, ab ea, Opuntiorum, caput, quam aliqui in Bœotia reponunt; dicta quoque eſt Opoeis, 15. ſtadiis à mari, id eſt Euripo diſtabat, ut aſſerit Strabo lib. 9. p. 293.

Ora, p. 184. Indiæ civitas ad inferiores, ut videtur Indi fluminis partes, quæ etiam dicitur Oreorum civitas p. 201.

Orei ibid. & Ori, p. 204. populi Indiæ, circa urbem prælaudatam.

Orchomenus, p. 374. urbs Bœotiæ, quam alluebat Melas fluvius, paulopòſt Cephiſum amnem ingreſſurus; Pauſanias in Bœoticis pag. 310. dicit Orchomenum Minyum agnominatam; nunc tantùm Caſtellum *Orchomeno* dictum.

Orcynia, p. 220. locus Cappadociæ, ubi Eumenes ab Antigono victus.

Oreum, p. 269. urbs, quam Strabo deſcribit lib. 10, p. 307. in inſula Eubœa, priùs Hiſtiæa dicta, ſuper Collem apud oſtia Callantis fluvii, prope montem Telethrium, atque in loco, cui nomen Drymus; erat ad litus Ægæi maris; nunc vulgò *Oreo*.

Oreum, p. 305. ex Livio lib. 44. oppidum aut locus Bœotiæ; de quo nihil Velius.

Oricum, p. 264. mons Aſſyriæ. ita Polyb. lib. 5. p. 396.

Orientes, pag. 18. & 79. orbis partes ad ſolis ortum poſitæ, ſpecialiùs pars Romani Imperii verſùs Orien-

tem;

tem; propriè verò Syriæ pars Orientalis, Meſopotamiæ & Arabiæ deſertæ contermina.

Oriadicus ager, pag. 384. in Aſia minori; videtur fuiſſe in Piſidia, forſan in Oroandenſium territorio, de quibus infrà.

Orita, pag. 196. & 199. populi Indiæ; quibus ad Orientem erant Arbii, interfluente inter utroſque Arbi ſive Arabio amne: versùs occaſum Carmania; littoris Oceani Indici 1800. ſtadiorum ſpatium occupantes; ſic ex Nearchi relatione Strabo lib. 15. pag. 495. reſpondent regioni, quæ hodie *Meskeran* vocitatur.

Ormuz, v. Harmozia.

Ornanis Jebuſæi area, ſive Araunæ Jebuſæi area p. 32. in vulg. edit. 2. Reg. 24. v. 18. in area Areuna Jebuſæi & 2. Paralip. cap. 3. v. 1. in area Ornan Jebuſæi; in Monte Moria, in parte Orientali civitatis Jeruſalem.

Oroandenſes, pag. 285. cives urbis, quæ Oroanda, in Piſidia ita Plinius lib. 5. cap. 27. illam *Laranda* appellat Pinetus.

Orona, pag. 180. & 417. ipſa eſt Oronaim Jerem. 48. v. 3. civitas Moabitarum, in Tribu Ruben, quam Joſephus Arabiæ attribuit.

Orons fluvius, pag. 238. & 340. & Orontes Syriæ maximus & notiſſimus, qui priùs Typhon, Ophites, & Ladon dictus; à monte Libano profluens, & apud Seleuciam Pieriam in mare Syrium prolabens, apud quem urbes Arethuſa, Emeſa, Apamea, ac tandem Antiochia magna.

Oropus, pag. 333. urbs Bœotiæ, in Atticæ confinibus, inter Atticam & Tanagræos, ad Euripum ſita; hodie vulgò *Zucamini* vel *Sufamino*.

Oroſſus, pag. 244. urbs Syriæ maritima à ſolo Plutarcho nominata, in noſtris ad hunc Auth. tabulis Geographicis, mendum arbitrati ſumus irrepſiſſe in Plutarchi textum, & pro Ὀρόσσου. legendum Ῥόσσου. quæ Roſſus urbs Syriæ eſt, inter Iſſum & Seleuciam, & maritima, ut refert Strabo lib. 16. p. 517.

Orthoſia, pag. 513. urbs Cariæ in ejus parte Septentrionali, ad Mæandrum fluvium poſita.

Orthoſias, pag. 347. civitas Phœniciæ maritima, inter Tripolim & Aradum; hodie *Tortoſia*. Sanutus lib. 3. parte 14. cap. 2. dicit Tortoſam eſſe ipſam Antaradum, diverſæ tamen ſunt in Ptolemæo.

Orybα, pag. 417. urbs Palæſtinæ, quam Arabibus eripuerat Alexander Jannæus.

Oſroenus, pag. 447. ex Oſroena, quæ regio eſt Meſopotamiæ inter Euphratem & Chaboram fluvium, Syriæ & Commagene finitima.

Oſſadii, pag. 195. Gens Indorum libera, circa Indum amnem, ut conjectari poteſt ex Arriano.

Oſtia & oſtium Tiberis fluvii, pag. 326. urbs olim & Colonia Latii, ad Tiberis ripam ſiniſtram & Orientalem; Oſtia Tiberina dicta: nunc exciſa.

Otrya, pag. 388. quæ & Otrea urbs, Strabo lib. 12. pag. 389. de Oppido Otryis Phrygiæ loquitur, in Bithyniæ confinio ſupra lacum Arcanium, de quo haud dubiè hîc ſermo.

Oxi petra, pag. 179. quæ in altitudinem triginta ſtadia eminebat, & circuitu 150. complectebatur; inter Sogdianam & Bactrianam, indubiè ad lacum Oxum aut fluvium, qui

Oxus, pag. 176. & 177. majoris Aſiæ fluvius, quem Strabo lib. 11. dicit è montibus Indiæ naſci, & p. 356. Oxum Bactrianos à Sogdianis ſeparare; ab Auſtro in Aquilonem defluens, Hyrcanium mare versùs Orientem ingrediebatur, variis hodie donatur nominibus, à quibuſdam *Deiſtan*, *Xa*, *Capanach*, *Abiam*, & *Geichom*: ab Arabibus *Gihon*, & *Jihun*: regionem *Choraſan*, à *Mauranhar* dividit.

Oxybii Ligures, pag. 333. Ligurum notitiam vide verbo Ligyes, quorum Oxybii ſunt populi, putant eſſe regionem, quæ nunc Unelienſis principatus, in riparia occidua, ad Sabaudiæ Ducem ſpectantis, cujus Caput Unelia vulgò *Oneglia*.

Oxydracæ, pag. 182. qui & Sambeſtæ, dicit p. 195. iidem, qui ſuprà Malli; illos diſtinguit Strabo; utrique ad fontes Indi, inter ipſum & Hydaſpen fluvium.

P.

Pachias vicus, pag. 368. Aſiæ minoris in Bithynia, prope Scorobam montem, Bithynorum & Ponticorum confinium.

Pactolus amnis, pag. 89. fluvius Lydiæ, qui è monte Tmolo naſcens, Sardium urbis medium forum interfluit, ſeſeque tandem in Hermum amnem exonerat.

Paones, pag. 89. quorum regio

Paonia in Thracia, ad Strymonis fluminis ripam ſiniſtram, ſeu potiùs ad ejus oſtia versùs Orientem.

Paſus urbs, pag. 90. urbs Troadis Helleſponticæ maritima, ad Propontidem ſita, inter Lampſacum & Parium, quam Homerus Apæſon vocat.

Palabyblus ſive Byblus, quæ & Biblus, urbs Phœniciæ maritima, apud Adonii fluvii oſtia, nunc exciſa: vulgò *Gibelet*.

Palægambrium, p. 129. prope Gambrium, de quo ſuprà.

Palæopharſalum, p. 460. urbs Phartalo novæ vicina, quam à nonnullis à Thebis Phthiotidis diſtingui, ſcribit Strabo lib. 9. pag. 297.

Palæpolis, pag. 243. urbecula à Syro Agenoris filio in monte condita, in Syria ſupra locum, ubi poſteà Seleucia Pieria conſtructa eſt.

Palæſcepſis, pag. 102. urbs Troadis, quam Strabo lib. 13. pag. 417. dicit ſupra Cebrenen, in ſuperiori montis Idæ parte conditam, nunc vulgò *Elmachani*; poſteà ad 40. ſtadia in inferiori loco nova Scepſis conſtructa fuit.

Paleſtina, pag. 8. vide ſuprà Judæa. Herodotus Palæſtinæ nomine maritimum Syriæ tractum, & quidquid Ægypto tenus eſt, intelligit.

Palætyrus, pag. 55. ſive Tyrus antiqua pag. 158. & 160. in continenti à Tyro urbe, de qua infrà triginta ſtadiis diſtans; ab Alexandro exciſa, & poſtmodùm, ampliatâ Tyro, intra ipſam concluſa.

Pallacopa amnis, pag. 209. fluvius Babyloniæ, ab Appiano Pallacotta nuncupatus, à Babylone 800. fermè ſtadiis diſtans, & in Euphratem ſeſe exonerans.

Pallene, pag. 98. vicus Atticæ Antiochidis tribus.

Pallenenſes ibidem, ejuſdem vici incolæ.

Palmyra urbs, pag. 507. & Palmira urbs Syriæ in Arabiæ deſertæ confiniis, quæ hodie vulgò *Faid*, ejus regio quoque Palmyra & Palmyrena appellatur.

Palmyreni, pag. 508. ejuſdem urbis cives, qui & Adrianopolitæ dicti.

Paltus, pag. 494. urbs Syriæ maritima; quam nonnulli Phœniciæ adſcribunt, inter Laodiceam & Aradum hodie *Boldo*.

Pamphylia, pag. 59. & 93. & Pamphilia, quæ & Mopſopia, regio maritima Aſiæ minoris ad Auſtrum, inter Lyciam ad occaſum & Ciliciam ad ortum, mare Pamphylium ad meridiem & Phrygiam magnam ad Boream, à qua Tauro monte ſubmovetur: nunc Caramaniæ pars Occidentalior.

Pamphylii, pag. 142. populi Pamphyliæ.

Pamphylium mare, pag. 103. pars maris Mediterranei Pamphyliæ adjacens.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Panda amnis p. 618. apud Siracos, circa Boſphorum Cimmerium.

Pandatarium inſula, p. 574. quam Strabo lib. 2. p. 84. Pandatariam vocat, erat in mari Tyrrheno, ad Campaniam vicinam pertinens, inſulæ Pontiæ proxima versùs Orientem, ea eſt, quæ nunc *S. Maria* appellatur.

Paneas, p. 274. & ibidem Panium fanum, urbs, vide Cæſarea Philippi.

Paneas regio, pag. 556. & 570. circa Paneadem urbem.

Panus mons, p. 557. in cujus radicibus ſunt fontes Jordanis fluminis; mons altiſſimus & ſaxoſus in finibus Cœleſyriæ.

Panionium, p. 78. lucus erat & urbs Ioniæ juxta Epheſum, ubi populi ſacra diis ſuis faciebant, in littore inter Samios & Epheſios.

Pannonia, p. 424. Europæ regio olim Danubio ad Boream à Metanaſtis Jazybus; Savo fluvio ad meridiem ab Illyrico ſeparata; inter Noricum ad Occidentem & Moeſiam ad ortum contenta, nunc inferiorem Hungariam Danubio Auſtralem, Slavoniam inter fluvios Dravum & Savum, partem etiam tum Auſtriæ tum Styriæ complectens.

Pannonii, hujuſce regionis indigenæ, p. 252.

Pannonicum bellum, contra Pannonios.

Panormus, p. 112. locus agri Mileſii, in Ionia Aſiæ minoris regione.

Panticapæum, p. 236. civitas in Taurica Cherſoneſo ad Boſphorum Cimmerium, quæ regnantium in Boſphoro perpetuò Regia erat, in Europâ ad oſtium, ut nonnulli aiunt, Ponti; hodie *Voſpero* dicta, ut aſſerit Marius Niger.

Paphus, p. 58. & Paphium urbs Cypri inſulæ; quæ etiam Auguſta fuit nominata, p. 559. in ora occidua, ad Drapanum promontorium, à nova Papho ſeptem millia paſſuum diſtans versùs meridiem, Palæpaphos hodie etiam *Paſſo* dicta.

Paphlagonia, p. 48. col. 2. regio minoris Aſiæ, cui ad occaſum Bithyniæ pars, quæ Pontus dicta; ad Septentrionem mare Euxinum, ad Orientem Cappadocia, à qua fluvio Haly ſecernebatur, ad meridiem Galatia, cujus etiam pars erat Septentrionalis.

Paphlagon, & plur. num. Paphlagones, hujuſce regionis accolæ.

Papremis, p. 105. quæ in Stephano Byzantio Paprimis, urbs Ægypti: de ea Herodotus lib. 2. cap. 59.

Papyron, p. 420. locus Judææ, aut circa Arabiam, nonnullis circa Jeruſalem fuiſſe videtur.

Para, p. 391. locus Aſiæ minoris maritimus, qui ad Pontum Euxinum fuiſſe videtur.

Paratacena plur. num. p. 319. & Paratacene, p. 181. regio Perſidis circa Babyloniam, ubi Tabas oppidum fuit, p. 171. Paritacæ.

Paratace, p. 227. & Parætacenorum regio circa Mediam, quam Ortelius eandem cum præcedenti opinatur, cùm Paretacena à Strabone inter Carmaniam Perſidem & Parthiam collocetur.

Paretonium, p. 162. & 541. quæ, ut teſtatur Stephanus Byzantius, Ammonia vocata fuit; urbs Marmaricæ in Libya, maritima 180. millia paſſuum ab Alexandria versùs occaſum diſtans: hodie vulgò *Alberton*, in regno *de Barca*.

Paranis deſertum, p. 17. in vulg. editione Num. 10. v. 12. ſolitudo Pharan & Num. 13. v. 27. *in deſertum Pharan, quod eſt in Cades.* vocatur quoque deſertum *Sin*, erat in terra Edom inter terram Promitionis, Arabiam, & Ægyptum.

Paraſparamia præfectura, p. 266, ad Euphratem, id eſt regionis, quæ circa hunc fluvium.

Paritacene, p. 171. & Paritacæ; eadem regio, quæ ſuprà Paratacena & Parætaca, cui haud dubiè Babylonia ad Auſtrum & Media ad Aquilonem.

Parium, p. 58. & Parium p. 128. urbs Minoris Aſiæ in ora *Helleſponti* ſeu potiùs Propontidis juxta Lampſacum, versùs Orientem, condita anno Mundi 3296. hodie *Pario* dicta.

Pariani, p. 241. ejuſdem urbis Parii incolæ.

Parius Archilochus, pag. 54. ex inſula Paro, de qua infrà, ut teſtatur Stephanus Byzantius, cap. *Paros*.

Parmenſis, pag. 494. ex Parma, quæ Italiæ urbs eſt, in Gallia Ciſpadana; Gallis *Parme* ſui Parmenſis ducatûs caput, ad fluvium cognominem præterfluentem.

Paropamiſada, p. 176. & Parapamiſadæ p. 196. populi regionis quæ

Paropamiſus, p. 229. regio Majoris Aſiæ, quam Ptolemæus Paropaniſum vocat, cui Aria erat ad occaſum, ad Aquilonem Bactriana, ad ortum India cis Gangem, ad Auſtrum Arachoſia: hodie *Sableſtan* vel *Dacha*.

Paropamiſus, p. 176. *Caucaſus mons*, qui *à quibuſdam Paropamiſus appellatur* maximè à Ptolemæo; Paropamiſo regioni ad Septentrionem, eam à Bactriana ſeparans. Stephanus Byzantius Paropamiſſum & urbem & montem in India, ex Apollodoro, collocat.

Paros, p. 88. inſula maris Ægæi una è Cycladibus, & earum fertiliſſima & maxima, ut refert Stephanus Byzantius, apud quem Nicanor dicit fuiſſe priùs, Pactiam, Demetriadem, Zacynthum, Hyriam, Hyleeſſam, Minoam & Cabarnin appellatam; inſulæ Delo ad Auſtrum, Naxo inſulæ vicina ad occaſum: nunc vulgò *Pario*.

Parrhaſius Xenias, p. 121. ex urbe Arcadiæ, cui nomen Parrhaſia, quam Nicanor citatus Parmaſiam vocat.

Parthi populi, p. 81. quorum regio

Parthia & Parthiene, p. 170. & 171. regio majoris Aſiæ olim notiſſima, Mediam finitimam ad occaſum habens, Perſiam ad meridiem, Ariam & Bactrianam ad ortum, Margianam & Hyrcaniam ad Aquilonem; plures complectitur hodie regiones, *Khoſmus*, *Arac*, Coraſan, &c.

Parthicum regnum, Romani Imperii aliquando æmulum, Parthi enim, quos alii confundunt cum Perſis, ab ipſis defecere, ſicut & à Macedonibus, & proprium ſtatuere imperium.

Parthieni, p. 503. ibi hac voce intelligendi ſunt Parthi, de quibus ſup. à.

Parthieni, p. 512. *Gens Illyrica Epidamno vicina* prope Macedoniam ipſis Auſtralem, ad Scardum montem, ubi gens Piruſtæ dicta, quibus Taulantii ad meridiem, Albani ad ortum.

Paſagardæ, p. 80. & 122. quæ etiam Paſſagardæ, urbs Perſidis à Cyro condita, in qua etiam ejus ſepulchrum; eadem ac Paſacarta Ptolemæi; hodie vulgò *Darabegerd*, in regione cognomine, illam Arabes *Valaſegerd* vocant.

Paſitigris, p. 168. & 203. nomen ab incolis fluvio Tigri datum, ubi in duos diviſus & poſtmodùm in unum confluens alveum, inſulam efficit. Strabo lib. 15. p. 501. dicit hoc nomen à nonnullis Tigri amni impoſitum circa ipſius oſtia.

Patara, p. 153. & 231. urbs Lyciæ maritima in colle, Xantho urbi vicina, & ad oſtia Xanthi fluminis Strabo lib. 14. p. 458. dicit eam à Ptolemæo Philadelpho Arſinoen Lyciæ nominatam, priſcum ni-

hilominùs retinuisse nomen ; nunc adhuc *Patera* seu *Paterea*.

Patarenſi & Patarenſes, prælaudatæ urbis incolæ.

Patra, p. 532. urbs Peloponneſi in regione, quæ Achaia dicta, ad ripam Ionium, ad Fauces ſinus Criſſæi : hodie *Patra*, ſive *Scinbathra* quod, apud Turcas, antiquas Patras ſignificat.

Pathroſis provincia, p. 72. in vulg. edit. Jerem. cap. 44. v. 1. terra Phatures ; regio Ægypti, &, ut videtur, ſuperioris, Æthiopiam versùs.

Patrala, p. 197. urbs ad Indi fluvii partes inferiores, & pag. 198. apud quam urbem Indus fluvius in duos ingentes alveos diviſus (quorum uterque Indi appellationem ad mare uſque retinet) triquetrâ figurâ inſulam efficit Patralenam ab urbe denominatam Delta Ægyptio majorem. hanc urbem hodie *Diu* vel *Babul* appellati aſſerit Pinetus.

Patralenſes, præfatæ urbis accolæ.

Patralena inſula, p. 197. cujus Dynaſta Patralenæ rex p. ibid. de hac jam ſuprà ; in formam trianguli, cujus latera Indi fluminis alvei, unum quodque 2000. ſtadiorum ; Batis littus Oceani Indici ; 1000. tantùm ſtadiorum ; ut ait Ariſtobulus, 1800. ut dicit Arrianus, 220. milliarium, ut ſcribit Plinius.

Pedaſa, pag. 275. à nonnullis Pidoſa, urbs Cariæ ſuper Halicarnaſſum, ei vicina Orientem æſtivum versùs.

Pedaſenſes Cares, pag. 91. & 94. urbis prædictæ cives.

Pednelisſenſes, p. 266. cives urbis, cui nomen Pednelisſus in Pamphylia, mediterranea versùs Piſidiam & Ciliciam, quæ etiam Petnelisſus.

Pela, p. 113. quæ & Pele, parva inſula maris Ægæi, Clazomenis Ioniæ minoris Aſiæ regioni objacens, in Smyrnæo ſinu.

Pelecas, p. 166. mons minoris Aſiæ circa Æolidem, inter Apiæ campum & Megiſtum fluvium.

Pelion, p. 437. mons Theſſaliæ in ejus regione, quæ Magnetis appellatur, versùs Orientem.

Pella, p. 144. urbs Macedoniæ in Bottiæa regione, quæ, ut refert Stephanus Byzantius, fuit etiam Bunomos & Bunomia nominata : vocatur nunc etiam a Græcis modernis τὰ Πελασία ; vulgò ab incolis *Zachria*.

Pella Syriæ, pag. 245. & 247. ipſamet Apamea Syriæ, quæ etiam Cherſonetus Syriæ vide ſuprà hoc verbo.

Pella, pagg. 180. 426. 428. & alibi paſſim, quæ & Pelle, Pellentis, nec non Butis & Berenice, urbs trans Jordanem in terra Galaad & dimidia tribu Manaſſe, una ex undecim Toparchiis Judææ, & ordine ſeptima in Arabiæ confiniis, ad radices montis Galaad ; nunc retento nomine prægrandis vicus.

Pellenenſis Draconres, p. 130. è Pellene, duæ ſunt hujuſce nominis urbes, una Achaiæ inter Sicyonem & Argolydis fines, quæ hodie *Taracha*, altera Laconiæ circa Megalopolim, de qua Strabo lib. 8. p. 266.

Peloponneſus & Peloponeſus, p. 5. Πελοποννῆσος Pelopis regio pag. 96. peninſula Græciæ maxima ad Auſtrum, quæ Apia, Pelaſgia, & Argos olim appellata ; in ſex diſcreta regiones, Argolidem, Laconiam, Meſſeniam, Elidem, Achaiam & Arcadiam ; nunc vulgò *la Morée* à Gallis appellatur.

Peloponnenſes & Peloponneſii, hujuſce regionis indigenæ.

Pelorus amnis, p. 428. Iberiæ Aſianæ, qui è Caſpio monte naſcens ; auſtrum versùs defluit, & Argum fluvium ingreſſus, cum eo ad Araguan Anguſtias ſeſe Cyrno amni commiſcet.

Peluſium, p. 19. quæ apud Septuaginta Interpretes in Ezech. cap. 30. vocatur Sain & Syene, civitas inferioris Ægypti ad oſtium Nili, quod ab ea Peluſiacum dictum, quam paſſim ad ejus ripam ſiniſtram, aut dextram collocant Geographi : hodie vulgò *Belbais* vel Belbeis ; quam aliqui Damietam interpretantur.

Peluſiacum oſtium ; p. 60. Nili fluminis Orientalius, à prælaudata urbe ſic appellatum.

Peneus fluvius, p. 215. & Peneïus amnis pag. 461. Theſſaliæ, qui ad radices Pindi montis enaſcens, atque ab occaſu in ortum currens, ſinum Thermaicum ingreditur. Euſtathius in Dionyſii Periegetis verſum 739. aſſerit Peneum olim Araxem appellatum, & ſuâ ætate, *Salabrias* : hodie adhuc *Salampria*.

Peninſula Syriæ, p. 247. eadem, quæ Cherſoneſus Syriæ, Apamea & Pella Syriæ ; ſic authores idem ſentiunt, qui aiunt Demetrium à Seleuco in Peninſulam Syriæ, & qui in urbem Pellam Syriæ relegatum.

Pentapolis, p. 5. parva regio terræ Chanaan, ſic dicta à quinque urbibus, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor, quarum quatuor primæ igne conſumptæ ſunt ; ubi nunc Aſphaltites lacus, de quo ſuprà.

Pentapolitanus ibidem, præfatæ regionis accola.

Pentapolis Libyæ, pag. 385. & Pentapolitana Libya, regio Cyrenaïcæ, quæ pars Libyæ versùs occaſum Libyco mari expoſita, & magnæ Syrti, ſic à quinque denominata civitatibus, videlicet, Berenice, Arſinoe, Ptolemaïde, Cyrene & Apollonia ; vulgò *Sun*.

Peruel, p. 34. in vulg. editione 3. Reg. 12. vers. 25. Phanuel ; locus ultra Jordanem in finibus Amorrhæorum, contra torrentem Jaboc, in tribu Gad, ad Aquilonem ; ibi poſteà civitas cum turre.

Pemuelita, p. 25. in vulg. edit. Judic. cap. 8. v. 8. viri Phanuel, idem locus, qui ſuprà.

Peparethus, p. 506. Inſula Ægæi Maris, Magneſiæ regionis Theſſaliæ oris expoſita ; urbem habens cognominem ; hodie vulgò *Piperi*.

Peræa, p. 24. ſive terra Gileadis p. 55. trans Jordanem pag. 572. regio terræ Promiſſionis, in tribu Gad, quæ & Toparchia, cujus longitudo ab Aquilone ad Auſtrum, à Pella urbe uſque Macheruntem ; latitudo ab occaſu in ortum à Jordane uſque ad Arabiam.

Peræa, p. 327. regio in continente Rhodiis oppoſita, in Caria ſcilicet minoris Aſiæ regione.

Perea Mitylenorum colonia, p. 281. urbs Myſiæ, in Aſia minori, circa Adramytium.

Percope lege Percote, p. 137. itaque,

Percote, p. 90. urbs Troadis ad Helleſpontum, inter Abydum & Lampſacum.

Pergamus, p. 249. & 258. & Pergamum, urbs Myſiæ in Aſia minori, prope Æolidem, quam medius præterfluit Caïcus fluvius : illam fusè deſcribit Strabo lib. 13. pag. 428.

Pergamus Priami locus in monte ſitus, p. 94. prope Ilium Troadis urbem.

Pergamenum regnum p. 314. ſic à Pergamo Myſiæ, quæ Regia erat Regum, qui fuere Attali nuncupati.

Perga, p. 286. eadem quæ

Perge, p. 154. & 266. urbs Pamphyliæ mediterranea, ad Ceſtrium fluvium ; hodie vulgò *Pirgi*.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Perinthus, p. 149. urbs Thraciæ, quæ posteà Heraclea Thraciæ fuit appellata, ad Propontidem sita, inter Byzantium ad Boream & Gallipolim ad Austrum, ad Arzi fluminis ostia; hodie vulgò *Heraclea* & *Pantiro*.

Perinthii, prælaudatæ urbis accolæ.

Persia, p. 5. & Persis, p. 79. regio Asiæ amplissima, inter Susianam ad Occidentem, Parthiam ad Boream, Carmaniam ad ortum, sinúmque Persicum ad meridiem contenta: hodie vulgò *Farsi*; sed longiùs olim extendebatur Persarum Imperium.

Perse hujus regionis Indigenæ, p. 5. & 557.

Persepolis, p. 169. & Persepolitana urbs p. 318. vide suprà Elymais.

Persicum præsidium, p. 237. sive Arx in Lycia, quæ militum deditione in manus Ptolemæi Lagidis venit.

Persicus sinus, p. 197. pars Rubri maris inter Persidem ad Boream, & Arabiam felicem ad meridiem: hodie vulgò Gallis *mer de Balsera*, aliis *del Catif*.

Perusii & Perusium, p. 508. & Perræsium, sive Colonia Augusta Perusia, urbs olim Hetruriæ in monte apud Tiberim fluvium, in Umbriæ confiniis, sui territorii caput: hodie vulgò *Perugia*.

Perusinus, ejusdem urbis incola.

Pessinus, p. 270. & 435. quæ & à Sozomeno Histor. Eccl. lib. 8. cap. 17. Pissinus, urbs Galatiæ in Asia minori, apud Galatas Tholistobogios; super Gallum fluvium, ubi Sangarium flumen ingreditur; locus hodie obscurus vulgò *Pessene*.

Pessinuntis, urbis hujusce cives.

Petra, p. 234. & 417. civitas olim Moabitarum regia & metropolis Arabiæ, ab ea Petræa dictæ, quæ teste Josepho Hebraicè Sela, olim Arce, Arcem, aut Arecem, Archis, posteà Recem, Racemme; demùm Mozera, & Mons Regalis, in confiniis tribus Ruben ad Austrum, & ut ait Evagrius lib. 3. cap. 22. in ultimis oris Palæstinæ sita, in ora Lacus Asphaltitis ad ortum prope torrentem Zareth, quem habet ad Aquilonem: nunc vulgò *Krac*.

Petra apud Paratacas, p. 181. vide Chorienis Petra.

Peucelaotis regio, p. 183. regio Indiæ circa Peuceliotin civitatem.

Peuceliotis urbs, p. 186. & ibidem paulò pòst Peucolaitis civitas, Indiæ cis Indum fluvium, & ab eo non procul posita, circa ejusdem Indi, ut videtur, originem.

Phacum, p. 327. & Phacium, oppidum Macedoniæ ad Pierium montem, in Thessaliæ confiniis; unde à nonnullis Thessaliæ attribuitur.

Phagneticum Nili fluminis ostium, pag. 240. ubi Busiriticus alveus sive fluvius, ex novem ostiis, quæ Ptolemæus enumerat, ab Alexandriâ sextus.

Phalerus, p. 97. vicus Atticæ & navale prope Athenas, in sinu Saronico & in parvo sinu à se denominato; hodie vulgò *Porto-Leone*.

Phalereus, p. 96. è vico prælaudato.

Phana, p. 306. sive Phanæa Chiorum promontorium, ad partem insulæ Australem: hodie *Capo Mastico* sive *Panale*.

Phanagorium, p. 423. Phanagoria & Phanagore, civitas Sarmatiæ Asianæ apud Bosphorum Asianum, ad oram Corocondamis lacus, hodie, ut ait Thevetus, *Macriga*.

Pharathon, p. 330. in vulg. editione 1. Machab. 9. versu 50. Phara, Judic. 12. versu 15. Pharathon, civitas aut locus terræ Ephraim, in monte ipsius (ut est apud Septuaginta Interpretes) Amalech, in tribu Ephraim; eadem quæ Pirathon, de qua infrà.

Pharnacusa insula, p. 386. maris Ægæi, ad litus Asiaticum, Mileto proxima: hodie vulgò *Farmaco* & *Parmosa*.

Pharnacia, p. 395. urbs Asiæ minoris in Ponto Cappadocio, apud Mossynæcos, Trapezo ad occasum; nunc *Platena* ut ait Pinetus, vulgò *Farnaci* Strabo de ea lib. 10. p. 378.

Pharrasii vide Prasii.

Pharsalius, p. 250. & Pharsalia, p. 418. ex urbe Pharsalo Thessaliæ, in Phthiotide regione, quæ hodie *Farsa* ipsi vicina erat Palæopharsalum, de qua suprà.

Pharsalica, quæ de Pharsalia pugna tractant.

Pharos & Pharus insula maris Ægyptii, p. 109. & 248. Alexandriæ adjacens ejúsque portus, in qua turris prælta extructa est, ut nocturno navium cursui ignes ostenderet: distabat septem stadiis à continenti versùs Aquilonem, sed factis aggeribus peninsula effecta est, & Rhacoti Alexandriæ suburbio conjuncta, hodie vulgò *Pharion*.

Phasaelus, p. 562. turris urbis Hierosolymitanæ, in tertia civitatis parte, quinquaginta cubitos alta, superne in pilæ modum, ad similitudinem Phari turris Alexandrinæ.

Phasaelum oppidum *juxta vallem Jerichuntis*, p. 562. & Phasaelis p. 570. Phaselum in tribu Ephraïm, in descensu montis Ephraïm, ubi torrens Carith descendit de monte.

Phaselis, p. 59. & 103. urbs maritima Pamphyliæ, quæ teste Stephano Byzantio, priùs Pityusa & posteà Pharsalus: hanc Herodianus solus insulam dicit. Strabo lib. 14. p. 458. dicit illam tres portus habere, cum lacu, eámque Lyciæ tribuit: hodie vulgò *Fionda*.

Phaselites, p. 145. & Phaselitæ p. 103. ejusdem civitatis accolæ.

Phasiani, p. 128. populi Colchidis, circa Phasim amnem incolentes.

Phasis, p. 174. & 406. Asiæ fluvius, qui ex Armeniæ Moschicis montibus nascens, ab Austro in Septentrionem per Colchidem currens; pòst in occasum declinans, totámque hanc regionem alluens pluribus ostiis Pontum Euxinum ingreditur; hodie vulgò *Fasso*.

Phera, p. 256. urbs Thessaliæ, in ejus parte quæ Magnesia nominatur; olim octo stadiis ab hac urbe Pheræarum veterum rudera ostendebantur: illa hodie vulgò *Jenizar* aut *Sidro*.

Pheræus, p. 157. præfatæ urbis incola.

Phicola, p. 261. vicus Judææ, civitati Jerusalem, ut videtur, vicinus.

Phila, p. 306. & Phyla urbs Macedoniæ in Pieria, ad Baphyrum fluvium, inter Dium & Tempe: hodie *Fello*.

Phila, p. 554. urbs Thebaïdis sive superioris Ægypti; ad Nili fluminis ripam sinistram, de qua Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 5. p. 108.

Philadelphia, pagg. 349. 420. & 430. urbs, quæ priùs Rabba, & Rabbath filiorum Ammon, sive etiam urbs Aquarum, atque Ammon & Ammandicta, civitas Regia sed Og regis Basan & metropolis Ammonitarum, in Arabia & confiniis tribus Gad & dimidiæ tribus Manasse, à quibusdam terræ Promissionis adscribitur, ad fontes torrentis Jaboc posita: etiam hodie vulgò *Rabath*.

Philadelphenses, prælaudatæ urbis cives.

Philadelphia, pag. 581. urbs Lydiæ in Asia minori ad Tmoli montis radices, super Caystrum fluvium.

Philadelpheni ibid. ejusdem urbis accolæ.

Philippi, pag. 377. & 503. urbs Macedoniæ, quæ priùs Crenides, pòſt novem viæ dicta, fuit etiam Dathus ſive Datas appellata, in Thraciæ confiniis, inter Pangæum montem & oram maris Ægæi: hodie vulgò *Philippo*, eandem eſſe cum Philippopoli contendit Holſtenius in Ortelium.

Philippici campi, pag. 504. prope urbem prælaudatam, ubi Octavius Cæſar Brutum & Caſſium vicit.

Philiſtæi, p. 7. & 316. vulgò Allophyli, id eſt Alienigenæ, in terra Chanaan, filiorum Iſraël hoſtes infenſiſſimi; quorum terra ſeu regio in longum ab occidente hyemali in Orientem æſtivum porrecta, à torrente videlicet Ægypti uſque Jamniam, mare magnum habebat ad Occidentem, & tribum Simeon ac tribum Dan (quæ anteà ſortis tribus Juda erant) ad Occidentem; erátque in quinque Satrapias diſtincta, quarum Auſtralior Gaza, dein Aſcalon, Azotus media, poſteà Accaron, tandem Geth Borealior. Ab eis Palæſtinæ nomen, ſub Romanis, tori Promiſſionis terræ datum eſt.

Philomelium, p. 452. apud Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 14. Philomilium, urbs Phrygiæ magnæ, haud procul à Marſyæ fontibus versùs occaſum, nunc à Turcis *Aegiul Felanos* dicta.

Philomelienſes, p. 284. ejuſdem urbis cives.

Philoteria, pag. 266. urbs Judææ ad lacum Tiberiadis ſita, ita Polyb. Hiſtor. lib. 5. pag. 413. videtur fuiſſe ad littus occiduum, de ea ſilet Adrichomius.

Phliaſius, pag. 128. ex Phliaſia ſive Phliunthe urbe; Phlius itaque urbs Peloponneſi; Strabo lib. 8. p. 263. dicit eam fuiſſe mediam inter urbes Sicyonem, Argos, Cleonen, & Stymphalum, velut in centro; additque Aræthyream urbem ſuo ævo Phliaſiam dictam, in agro Phliaſio prope Cæloſſa montem, pòſt mutato loco 30. hinc ſtadiis nova urbs condita, quæ Phlius fuit appellata, unde Steph. Byzant. dicit Phliuntem priùs Aræthyræam & Arantiam nominatam: hodie vulgò *Tri* ſive *Rupela*, Pineto *Foica*.

Phocæa, pag. 266. & 281. urbs, quam Strabo, & poſt eum Stephanus Byzantius, in Ionia Aſiæ minoris regione collocant, alii in Æolide, in utriuſque regionis confinibus; maritima, ad oſtia Hermi fluvii, in Smyrnæo ſinu: hodie vulgò Italis *Fochia Vecchia*.

Phocæenſes, p. 61. & 78. hujuſce urbis incolæ.

Phocis, pag. 99. regio Græciæ, ſive Achaïæ generatim ſumptæ; cui ad Orientem erant Bœotia & Locri Opuntii; ad Septentrionem Locri Epicnemidii & Doris, ad Occidentem Locri Ozolæ, ad meridiem ſinus Criſſæus; apud ipſam erant mons Parnaſſus & fanum Delphicum.

Phocenſes, p. 252. Phocidis indigenæ.

Phocicum bellum, p. 146. in Phocide.

Phædria rupes, pag. 74. apud Delphos in Phocide Græciæ.

Phœnice, p. 641. Portus Cretæ (inſulæ) reſpiciens ad Africum & Corum, Act. 27. verſu 12; ad littus Auſtrale & mare Libycum, partémque inſulæ occiduam; erat quoque Lampei portus, cui ad Aquilonem vicina urbs Phœnix.

Phœnicia, pag. 18. quæ & Phœnice regio & pars Syriæ, ipſam ad Aquilonem, terram Promiſſionis ad meridiem, mare magnum ad Occidentem habens, fluviis Cherſæo à meridie, Eleuthero ab Arctos concluſa, in qua Syrophœnices & Galilæa gentium; dividitur in Phœniciam quæ maritima eſt & ad occaſum; & in Phœniciam Libani, quæ Libanienſis Libæſa & Libaniſia dicta ad ortum.

Phœnices, p. 8. Phœniciæ populi.

Phœniſſæ naves, p. 98. ideſt Phœnicum.

Phœniciaca, quæ de Phœnicia tractant.

Phraates, p. 525. v. Praaſpa.

Phrygia, pag. 77. minoris Aſiæ regio gemina; videlicet

Phrygia major, p. 79. quæ etiam Phrygia magna pag. 213. Bithyniæ ab Aquilone, Galatiæ ab ortu, Pamphyliæ & Lyciæ ab Auſtro, Lydiæ & Myſiæ ab occaſu confinis; dicta etiam Phrygia ſuperior, maximè ad Auſtrum; fuit in Pacatianam & Salutarem diviſa, & mediterranea: hodie *Beeſanguil*, *Chioutaie*, & *Germian*.

Phrygia minor, p. 213. & 219. quæ & Helleſpontiaca pag. 79. ſive ad Helleſpontum pag. 222. ad mare, in Helleſpontum, Troadem & Myſiam dividitur: fuit etiam Epictetus, id eſt acquiſita nominata.

Phryx, p. 74. Phrygiæ indigena.

Phthuris oppidum, p. 554. Æthiopiæ ſub Ægypto, ad ſiniſtram ſive Occidentalem Nili fluminis ripam poſitum. Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 7. p. 112. Phturi vocat & vicum dicit.

Phycus, p. 461. Cyrenaïcæ regionis in Libya promontorium & oppidum; prope urbem Apolloniam: de quo Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 4. p. 101. φυκοῦς ἄκρον καὶ χωρίον. Italis *Cabo de Carena*, incolis *Raxaſen*; *Araz Auſen* Marmolio.

Phyſcum, p. 134. locus Cariæ in ejus Cherſoneſo; maritimus, ut teſtatur Strabo lib. 14. p. 453. è regione inſulæ Rhodi.

Picentes, p. 498. incolæ regionis Italiæ; cui nomen Picenum, cujus termini ad Occidentem Umbria, ad meridiem Sabini, ad Orientem Veſtini, ad Boream mare Adriaticum; nunc potior pars Marchiæ Anconitanæ, cum parte Aprutii ulterioris.

Pieria, p. 243. regio Aſiæ mari mediterraneo expoſita, in ejus intimo receſſu, quod habet ad occaſum, Ciliciam ad Aquilonem, Syriam ad ortum, agrum Antiochenum ad meridiem.

Pieris, p. 422. agnomen Seleuciæ, quæ Caput eſt Pieria regionis.

Pi-hahiroth, pag. 14. in vulgata editione Exodi 14. verſu 9. Phihahiroth; in Septuaginta legitur *ſuburbium*, & Num. 33. verſu 7. apud eoſd. ſeptuag. *ad os Iroth*, quarta manſio filiorum Iſraël in Ægypto, inter Magdalum & mare, contra Beelſephon, ubi Ægyptiis urgentibus mare rubrum tranſierunt.

Pimprama, p. 189. urbs Indiæ apud Adraïſtas, ad Indi fluminis partes ſuperiores.

Pinara urbs, p. 153. urbs Lyciæ Xantho vicina, & ſuper Cragum montem exſtructa, & Colonia Xanthiorum, etiam Artymneſus dicta ut teſtatur Stephanus Byzantius cap. *Artymneſus*.

Pinarus fluvius, p. 156. in Cilicia, à Pyramo diverſus, qui ab Aquilone ad Auſtrum decurrens, prope Iſſum, mare mediterraneum ingreditur, à Strabone lib. 14. p. 465. Pindus eſt appellatus.

Pindeniſſus, p. 454. urbs Eleuthero-cilicum in Cilicia, ſuper Amanum montem.

Pindeniſſenſes, ejuſdem urbis cives.

Piræum, p. 97. & 135. Portus civitatis Athenarum, ab ea quadraginta ſtadiis ad Auſtrum diſtans, cui muris jungebatur, vicus etiam erat Hippothoontidis tribus, ad Cephiſi fluvioli oſtia Munichio vicinus versùs occaſum, nunc vulgò ab Italis *porto di Setines* appellatur.

Pirathon, p. 27. in vulg. editione Judic. cap. 12. v. 15.

Pharathon terræ Ephraïm, in monte Amalecn. vide ſuprà Pharathon.

Pirathonita, ibid. ejuſd. loci incola.

Piſæi Equi, p. 314. & Piſæa oliva p. 579. vide ſuprà Niſæus campus.

Piſidia, p. 93. regio minoris Aſiæ, inter Phrygiam ad occaſum, Galatiam ad Aquilonem, Iſauriam ad ortum, & Pamphyliam (cujus etiam pars Borealior aſſeritur) ad meridiem, quam hodie Turcæ nominant *Verſugeli*, ſive *Verſucili*.

Piſida, p. 102. populi Piſidiæ, qui priùs Solymi fuere appellati.

Piſidium, p. 358. lege Piſidiam; ipſa eſt, de qua jam ſermo, Piſidia.

Pitane, p. 151. urbs Æolidis quam Strabo lib. 13. p. 422. aſſerit duos habere portus; & Evenum fluvium eam mediam dividere, erat è regione inſulæ Lesbos, in ſinu Elaïtico.

Pitanaus ex Eolide, p. 261. prælaudatæ urbis incola.

Pithomus, p. 12. in vulgata editione Exodi cap. 1. verſu 11. Phithom apud Septuaginta Interpretes πιθώμ. urbs Tabernaculorum, quam ædificaverunt Pharaoni filii Iſraël, in Ægypto, collocatur ab Adrichomio, intra Nilum, ubi in diverſos alveos dividitur.

Pittacium, p. 70. locus circa Mitylenem inſulæ Lesbi civitatem.

Pium, vel potiùs Teium ad Pontum oppidum, p. 290. in Ponto Bithyniæ Teium oppidum maritimum, inter Heracleam & Amaſtrim, ad Bilis ſeu Bilæi fluvii oſtia.

Planaſia, p. 98. inſula Corſicæ propinqua, inter Corſicam & Iluam, quæ etiam Planaria, in mari Etruſco: hodie vulgò *Pianoſa*.

Platane, p. 565. vicus Sidoniorum, in tribu Aſer.

Platææ & Plateæ, p. 98. urbs Bœotiæ, quam Strabo lib. 9. p. 283. ſitam dicit inter Cithæronem montem & Thebas, prope viam, quâ Thebis Megaram & Athenas itur; eam alluebat fluvius Aſopus.

Plataenſes, hujuſce urbis accolæ.

Platea, p. 61. Inſula Libyæ è regione urbis, cui nomen Azirittus, de qua ſuprà.

Pœni, p. 158. ſic paſſim vocantur Africani; & aliquando Punici.

Polydori inſula, p. 116. ſeu potiùs Polydora, juxta Cyzicum urbem, in Propontide.

Polytimetus amnis, p. 178. apud Sogdianos, qui peragratâ quâdam regione ſub terram ſe condit; diverſus eſt à Polytimeto fluv. Ptolemæi.

Pompeiopolis, p. 410. urbs Ciliciæ maritima, ad Lami fluvii oſtia, hoc nomine à Pompeio donata, quæ anteà Solos, ſive ſolus appellabatur: hodie vicus vulgò *Paleſoli* dictus.

Pontus, p. 59. vide Euxinus Pontus.

Pontus, p. 93. regio minoris Aſiæ mari Euxino appoſita, inter Bithyniam ad Occidentem & Paphlagoniam ad ortum, quæ Pontus Bithyniæ dicta; eſt etiam Pontus regio Europæ, pars Moeſiæ inferioris mari eidem Euxino expoſita: ſicut etiam Aſiæ minoris Pontus Galatiæ, Pontus Cappadociæ, Helleſpontus &

Pontus Polemoniacus, p. 551. regio Minoris Aſiæ ad Pontum Euxinum, inter Pontum Galatiæ ad occaſum, & Pontum Cappadociæ ad ortum; pars Cappadociæ eſt.

Porta Syriæ, p. 125. quibus è Cilicia in Syriam iter aperitur, ad Amani montis radices, ibi urbem Pieriæ ſic appellatam & Amanicis portis vicinam collocat Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 15. dicuntur viciſſim portæ Ciliciæ.

Poſideum, p. 232. urbs, ut ait Stephanus Byzantius inter Syriam & Aſiam; Ptolemæo Geogr. lib. 5. cap. 15. Poſidium, Syriæ urbs maritima inter Seleuciam Pieriam & Laodiceam Syriæ; hodie *Puzlo* Mercatori.

Potamos, p. 232. urbs, ut ex Hiſtor. conſtat, ſuperioris Syriæ & Poſideo haud dubiè vicina, & ea ſanè, quæ ad Orontis fluvii oſtia apud Ptolemæum in Aſiæ tabula quarta; dicitur Carum Potamos, quia forſan Carum colonia, ipſamet Seleucia Pieriæ teſte Strabone lib. 16. p. 517.

Potana, p. 198. urbs Indiæ ad oſtia Indi fluminis Orientem versùs, ab Alexandro ad lacum quemdam ſalſum condita; prope Patalenam regionem; hanc cum Patala confundunt aliqui.

Poſidæa, p. 98. & 144. vide ſuprà Caſſandrea.

Poſidæatæ, ibid. ejuſd. urbis incolæ.

Praaſpa, p. 521. quam author putat eſſe *Vera* Strabonis lib. 11. Medorum regia quæ à Stephano Byzantio, Phraaſpa dicta: ipſa eſt Phraates, quæ à Plutarcho Phraortes appellatur, urbs in Atropatena; quæ Mediæ pars eſt.

Præneſte, p. 314. urbs veteris Latii, quæ, ut refert Strabo lib. 5. p. 165. priùs Polyſtephanus nominabatur: hodie vulgò *Paleſtrina* Gallis *Paleſtrine* 21. Milliariis Româ diſtans, Orientem æſtivum versùs.

Præſide &

Præſiæi, vide Praſii.

Præſii, p. 196. populi Indiæ Brachmanis, ut videtur, versùs occaſum finitimi.

Praſii, p. 190. aliàs Præſidæ, Præſiæi Pharraſii & Tabræſii populi Indiæ. Strabo lib. 15. p. 485. dicit Praſios appellatos Indiæ populos, apud quos erat urbs Palibothra; ad Gangem ſita, ubi ille alium fluvium (quem Semena arbitrantur) recipit; hæc urbs hodie *Holobaſſ*, in magni Mogolis Imperio.

Prauſus nomen gentile, p. 252. Brennus *Prauſus Gallorum dux*. Golſut in ſuis collectaneis Comitatûs Burgundiæ vult eſſe *la Broie* Author non tanti ponderis. Strabo lib. 4. apud Uſſerium p. 187. mihi 130. Prauſos ſibi poſitionis incognitæ fatetur.

Premnis, p. 554. urbs Æthiopiæ ſub Ægypto, de qua Strabo lib. 17. p. 564.

Premnium præſidium, p. 555. milites, qui Premnim præfatam cuſtodiebant.

Priapus, p. 115. urbs Myſiæ in Aſia minori, maritima, ad Propontidem è regione Proeconneſi inſulæ: hodie vulgò *Laſpi*.

Priene, p. 108. urbs Ioniæ in Aſia minori (non Cariæ) Strabo lib. 14. p. 438. dicit à nonnullis Cadme appellatam; hodie vulgò *Palatia*.

Prienenſis, p. 59. & Prienæus; hujus urbis civis; inter quos Bias unus è ſeptem ſapientibus Græciæ.

Prinaſſus, p. 272. urbs Cariæ ſita videtur inter Jaſſum, Bargylia & Euromenſium urbem.

Proeconneſus, p. 116. & Proconeſus p. 137. atque Proconneſus 527. inſula in Propontide, quæ etiam, Alone, Neuris, Prochone nominata; Scylax in Periplo illam ab Elaphoneſo diſtinguit; confundunt alii. Sita erat inter Parium & Cyzicum; hodie vulgò *Marmara* vocitatur.

Propontis, p. 48. col. 2. & 224. mare inter Europam & Aſiam, cui Thracia ad occaſum; Myſia Aſiæ & Bithynia ad ortum, fretum ſeu Boſphorus Byzantii (quo Ponto Euxino jungitur) ad Aquilonem; Helleſpontus ad meridiem (quo mari Ægæo miſcetur: hodie vulgò *mare di Marmara*.

Proſactium flumen, p. 152. Myſiæ in Aſia minori, quod ab Auſtro in Aquilonem fluens Propontidi miſcetur, inter Lampſacum & Paſum.

Proſopitis, pag. 105. inſula Nili fluvii, id eſt inter

ejus ostia, ubi Prosopites Nomus, de quo Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 5. p. 106. inter alveos sive fluvios Agathosdæ nomen & Pharmuthiacum.

Prusias vel Prusa in Bithynia condita anno mundi 3375. eadem, quæ suprà Cierus.

Prusienses, p. 391. hujusce urbis incolæ.

Prutenicus calculus, p. 97. Prutenus Prussiæ indigena, quæ Poloniæ regio est, cui à Septentrione mare Balticum, ab occasu Pomerania, ab Austro Polonia inferior & Mazovia, ab ortu Lithuania & Samogitia.

Pselcha, p. 554. quæ & Pselchis, urbs Æthiopiæ sub Ægypto, ad sinistram & occiduam Nili fluminis ripam, de qua Ptolemæus Geogr. lib. 4. cap. 7. p. 122.

Psephina turris, p. 649. urbis Hierosolymæ, aliàs Nebosa dicta 70. cubitos alta, in quarta urbis parte inter Septentrionalem & Occidentalem murum.

Pseudostomon, p. 239. ostium Nili fluminis, quod & Diolcos, inter novem, quæ recenset Ptolemæus, medium.

Psilucis insula, vide Cilluta.

Pteleum, pag. 113. urbs Ioniæ, quæ ab Ulmorum feracitate hic appellata est, ut asserit Stephanus Byzantius.

Pteria, p. 76. urbs in Cappadocia, diversa indubiè à Pteria Sinopes urbe, de qua Stephanus Byzantius; nisi quis Sinopen in Cappadocia collocare tentaverit.

Ptolemais, p. 55. antè Ace, & Acco & Accon, & Abiron, pòst Hactipos & Colonia Claudia, urbs Phœniciæ in tribu Aser, maritima, excisa; nunc locus *Aca, Acre & Acri, & Acon*, vulgò Gallis *Saint Jean d'Acre.*

Ptolemaïcus, p. 268. & Ptolemaïdenses p. 323. hujus urbis cives.

Ptolemais, p. 269. civitas Ægypti, à rosarum feracitate Rhodophoros dicta, in Arsenoïte nomo, ad Nili fluminis ripam sinistram, inter eum & Moeridem lacum, quam Ptolemæus Ptolemaïdam stationem vocat.

Ptolemais, p. 385. urbs Pentapoleos Libyæ, quæ antèa teste Sozomeno Barce appellabatur: hodie *Tolometta*, maritima. vide suprà verbo Barcæi.

Ptolemaus, p. 240. lucus in Rhodo urbe insulæ cognominis quadratus, extructa erat ad unumquodque latus porticus, ad stadii longitudinem.

Pulchri portus, p. 641. in vulg. editione Act. 27 1. versu 8. *Boni portus cui juxta erat civitas Thalassa*, in Creta insula, de hoc loco sic Stephanus Byzantius Καλὰ λιμὴν πόλις Κρητῶν deinde ἴσα ὁ μεγάλα κώμη. situs erat ad partem insulæ Orientalem, juxta Salmonium promontorium.

Punicum, p. 80. gentile nomen, idem quod Africanum significans.

Punon, p. 20. in vulg. editione Num. 33. versu 42. Phunon, trigesima sexta statio filiorum Israël, in terra Edom, ubi civitas, quæ Phænon, Phenon, & Fenon, ubi erant metalla æris Phennensia dicta.

Pura, p. 201. urbs Indiæ, Gedrosiorum regia.

Putei septem. v. infrà septem Putei.

Puteoli, p. 442. urbs Italiæ, quæ priùs Dicæarchia; in Campania; hodie Italis *Puzzuolo* Gallis *Puffole*, super Collem, prope mare Tyrrhenum, in terra Laboris.

Puteolanus, ex urbe Puteolis, p. 438.

Pydna, pag. 101. & 226. urbs in Pieria regione Macedoniæ, ad Thermaicum sinum, paulò infra ostia Aliacmonis fluvii; hodie vulgò *Chitro* appellatur.

Pydnæus, p. 168. hujusce urbis incola.

Pygelensis & Pigelensis ora Ioniæ; gentile nomen urbis, quæ Pygela in Ionia, maritima, urbi Epheso vicina versùs meridiem.

Pyla sive angustiæ Ciliciæ, p. 155. erant prope locum castra Cyri dictum, in Cappadociæ finibus. v. suprà Cyri castra.

Pyramus amnis, p. 156. & 455. fluvius Ciliciæ campestris, qui è montibus propè Taurum nascens; totam Ciliciam ab Aquilone in Austrum peragrat, & prope Mallum urbem mare mediterraneum ingreditur, priùs Leucosyrus vocabatur: hodie, ut vult M. Niger, *Malmistra.*

Pyrene, p. 253. Montes inter Gallias ad Aquilonem & Hispaniam ad Austrum positi, ab Oceano ad mare Mediterraneum; ab Occidente æstivo in Orientem hyemalem protensi, eas ab invicem distinguunt.

Q.

Qvadi, p. 333. in textu Græco Κάδοι, à quibusdam Cadi scribitur. urbs, ut inquit Strabo lib. 12. p. 396. Phrygiæ Epicteti, quam Mysiæ alii adscribunt.

Quinda, pag. 223. & 244. Castellum Ciliciæ super Anchialum, ut asserit Strabo lib. 14. pag. 462. Κύινδα *ubi quondam Thesauros asservabant Macedones.* apud Plutarchum in Eumene pag. 590. ἐκ Κύινδων. ex hoc unico loco duos facit Ortelius, alterum perperàm in Cappadocia, alterum in Cilicia collocans.

R.

Raamsis aliàs Rameslis, p. 12. & Rameses p. 14. urbs inferioris Ægypti in terra Gessen, una ex urbibus Tabernaculorum, quas Pharaoni extruxerunt filii Israël, eam esse Arsenoïtem civitatem dicit Zieglerus.

Rabbatamana aliàs Rabbath-ben-Ammon, p. 267. urbs Arabiæ eadem quæ suprà Philadelphia.

Rabba Ammonitarum, p. 21. in vulgata editione Deut. 3. v. 11. Rabbath filiorum Ammon. & Rabba Ammonitarum metropolis p. 31. ipsa est Philadelphia Arabiæ, de qua supra.

Raepta mansio, p. 563. Latronum receptaculum in Arabia, ab Herode dirutum.

Ragaba, p. 283. Castellum trans-Jordanem, in Gerasenorum finibus, versùs Aquilonem situm, in dimidia tribu Manasse.

Ragau campus p. 60. *circa Euphratem & Tigrim & Judasan*; constat campum hunc fuisse in Mesopotamia & Assyriæ finibus.

Rages, pagg. 54. 172. & 229. *in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis* Tob. 5. versu 8. hæc civitas, teste Stephano Bizantio Capite Παῖα, vocabatur Europus & Arsace, fuit cognominata Straboni Rageia, vulgariter *Roasse* dictam asserit Sanutus lib. 3. parte 14. cap. 1. locus iste Raga unius diei itinere à Caspiis pylis (non iis quas suprà assignavimus) dissitus erat.

Rama, p. 36. col. 1. civitas tribus Benjamin quam S. Hieronymus Saülis civitatem vocat, sita in colle inter Hierosolymam & Gabaa.

Ramatha, p. 341. civitas & Toparchia tribus Ephraïm in monte Ephraïm sita, in confiniis tribuum Benjamin & Dan; creditur ea quæ posteà Arimathia, quæque deinde dicta fuit *Ramula*, illam in Tamnitica regione montis Ephraïm juxta Diospolim asserit Zieglerus: hodie ab incolis *Getz.*

INDEX GEOGRAPHICUS.

Rameſſes, vide Ramſis.

Ramothæ Gileadis, p. 58. col. 1. in vulg. editione 3. Regum cap. 22. verſu 1. Ramoth Galaad; ſive Ramoth in Galaad, quæ eſt in tribu Gad; Joſue 13. verſu 26. in Septuaginta Interpret. ἀραβὼθ civitas confugii & Levitica; eam Joſephus Arimanum & Arimnam vocat: vicus erat ante S. Hieronymi.

Raphaï, p. 6. in vulgata editione Geneſ. 14. verſu 5. *Raphaim in Aſtaroth* & Raphæorum vallis 2. Regum 5. verſu 18. vallis Raphaim; id eſt Gigantum; erat ab Hieruſalem protenſa Aquilonem versùs, per tribum Benjamin uſque ad Tribum Ephraim: Raphaim in Aſtaroth id eſt Gigantes, qui in Aſtaroth.

Raphia, vide Rinaphia.

Raphon, p. 321. locus trans torrentem (Jaboc ut creditur) in Galaaditide, in finibus, ut apparet, tribus Gad & dimidiæ tribus Manaſſe.

Rechobum, p. 17. in vulgata editione Num. 13. verſu 22. Rohob. civitas erat in tribu Aſer, civitatum terræ Chanaan extrema versùs Aquilonem, cui vicina erat regio Rohob.

Rephidim, p. 14. (nomen loco inditum Meriba, & Maſſa) in vulgata editione Exodi 17. verſu 1. Raphidim, *ubi non erat aqua ad bibendum populo*. undecima ſtatio filiorum Iſraël in deſerto, ad radices montis Oreb, inter Alus & deſertum Sinai.

Reſſa, pag. 510. & 513. vicus & Caſtellum Idumææ, fortè idem locus ac Riſſa, vide infrà hoc verbo.

Reuben tribus, p. 21. in vulgata editione Ruben, una è tribubus filiorum Iſraël trans Jordanem, ſita in terra Moab, habens ab Aquilone tribum Gad, ab ortu & meridie Arabiam Petræam, ab occaſu mare Mortuum & tribum Benjamin atque partem tribus Ephraim, à quibus Jordane fluvio ſeparabatur.

Rhacotis, pag. 161. vicus inferioris Ægypti, juxta quem condita eſt Alexandria magna, cujus evaſit ſuburbium, inter eam & mare ſive Pharum poſitum.

Rhamanitæ, p. 554. populi felicis Arabiæ, quorum urbs erat Marſyabæ, ita Strabo lib. 16. pag. mihi 538. apud quem legitur ἔθνος τῶν Ῥαμανιτῶν.

Rhambacia, pag. 200. pagus Ottarum maximus, cum portu fluctibus tuto & commodo, ubi ab Alexandro urbs condita & Alexandria nominata, ad Indicum, ut conſtat Oceanum.

Rhambæi Nomades, p. 480. populi Arabiæ deſertæ, intra Euphratem habitantes. de his Strabo lib. 16. p. 518.

Rhaphia urbs, pag. 239. & 267. quæ Cœleſyriam ex Ægypto petenti pòſt Rhinocorura occurrit prima è Syriacis; & pag. 278. in *Phœnice* vel in Palæſtina: urbs quæ Raphia, & Raphace, maritima, inter Rhinocorura & Anthedonem, in tribu Simeon.

Rhauens, p. 313. urbs Cretæ inſulæ mediterranea.

Rhaucii ibidem, ejuſdem urbis accolæ.

Rhegium, p. 78. urbs olim Rhegium Julium & Colonia, in Brutiis, ad fretum Siculum; hodie Italis *Reggio*, incolis *Riggio*, in ora Calabriæ ulterioris, è regione Meſſanæ.

Rhenus fluv. pag. 584. Germaniæ, ex Adula monte in Helvetiis, per Lacum Brigantinum tranſiens, à Gallias olim à Germania ſejungebat; eſtque limes Romani Imperii; hic à meridie in Septentrionem decurrens, in Oceanum mutato antèà nomine, in plures alveos diviſus ſeſe effundit, hodie vulgò Gallis *le Rhin*.

Rhinocorura, pag. 267. aliàs Rhinocolura pag. 306. & Rhinocurura urbs in Ægypti & Palæſtinæ confiniis, maritima; quam nonnulli Ægypto tribuunt, alii Palæſtinæ: hanc S. Epiphan. in Paræneſi; hæreſi 66. aſſerit fuiſſe antèà Neel appellatum: hodie vulgò *Faramida*.

Rhodus, p. 59. urbs in Inſula cognomine, quæ inſula priùs Ophiuſſa, & Æthræa, & Stadia, aliiſque vocata nominibus, ad Carpathium mare & oram Cariæ, hodie vulgò *Rhodde*, Gallis *Rhodes*.

Rhodii, p. 49. col. 2. hujus tum inſulæ, tum urbis incolæ.

Rhodope, p. 386. & Rhodopa, una è ſex regionibus ſive partibus Thraciæ, eáque ad occaſum & Auſtralior; ab occaſu Macedoniæ, à Septentrione Hæmimonto, ab ortu Europæ (duabus aliis Thraciæ regionibus) proxima; habens ab Auſtro mare Ægæum, circa Hebrum fluvium poſita.

Rhodophoros, p. 269. v. Ptolemais ad Nilum.

Rhœtium, p. 110. Rhœteum p. 151. Rhœtæum p. 280. urbs Troadis cum promontorio cognomine & monte; ad Helleſpontum; promontorium à Turcis Peakiam vocari tradit Leunclavius.

Rhœteum litus, pag. 116. in Helleſponto ad præfatum Promontorium.

Rhyndacus amnis, p. 389. qui etiam Ryndacus; in Myſia Aſiana, quem Scylax in Periplo attribuit Phrygiæ (harum regionum uſquam certi ſines) hic ab Auſtro in Septentrionem decurrens, Propontidem prope Cyzicum Orientem versùs ingreditur. Plinius lib. 5. cap. 32. dicit priùs Lycum appellatum; nonnulli Megiſtum: hodie vulgò *Lopadio*, & à Turcis *Flubad* vocari aſſerit Leunclavius.

Ribla in regione Hamathæ, pag. 64. in vulg. edit. 4. Reg. 23. verſu 33. *Ribla quæ eſt in terra Emath*. contra fontem Daphnim; eadem eſt ac Reblatha, civitas inclyta in tribu Nephthali, juxta Jordanem fluvium.

Rimmon-Perez, p. 18. in vulg. edit. Num. 33. v. 19. Remmomphares, decima ſexta ſtatio filiorum Iſraël in deſerto; inter Rethma & Lebna, non longè à Cadesbarne.

Riſſa, p. 18. in vulg. edit. Num. 33. v. 21. Reſſa; decima octava ſtatio filiorum Iſraël in deſerto, inter Lebna & Ceelatha: forſan idem locus cum Reſſa, de quo ſuprà.

Rithma, p. 17. in vulg. edit. Num. 33. v. 18. Rethma, apud Septuag. Interpretes Ῥαθμά. decima quinta ſtatio filiorum Iſraël in deſerto, inter Haſeroth & Remmomphares, in deſerto Pharan juxta Cadesbarne.

Roma, p. 48. civitas Italiæ totius orbis caput, olim in Latio, cum ſuburbio Vaticani in Hetruria, fluvio Tiberi interfluente, quondam Imperatorum ſedes.

Romani, hac voce, non ſolius civitatis, ſed totius illius Imperii in hiſtoriis paſſim intelliguntur incolæ.

Rubrum ſive Erythræum mare, p. 14. & 91. vide ſuprà Mare Rubrum.

Rumæ, p. 61. apud Septuaginta Interpretes Ῥωμά. Sancto Hieronymo Duma, civitas tribus Judæ.

Ruſpina, p. 478. oppidum Africæ propriè dictæ maritimum, cui Adrumetum ad occaſum & Ruſpæ civitas ad ortum: hodie vulgò *Monaſtir*.

Rydda, p. 417. quæ & Rhydda urbs Palæſtinæ, quam Arabibus ereptam Alexander Jannæus.

S.

Saba, p. 81. urbs Æthiopum ſub Ægypto regia; ipſa eſt Syene & Soene, quæ teſte Steph. Byzantio urbs eſt Ægypti & Æthiopiæ ſuper Nilum fluvium (illam in inſula Meroes collocant, de qua Strabo initio lib. 17.) quæ urbs etiam Siris; hodie *Aſſuan* teſte Zieglero dicta fuit, in Hebræo Seveneh.

Sabbatio fluvius, p. 148. qui etiam Sabbaticus, qui teſte Joſepho, eò quòd ſeptimo quolibet die fluere deſiſteret, ſic eſt appellatus: ipſe eſt qui Cantic. 4. v. 15. nominatur fons Hortorum *fluens impetu de Libano*, quia Hortos regionis irrigat; in fluvium excreſcit atque Antaradum alluens, mare Syriacum ingreditur, reſpondet Eleuthero fluvio Ptolemæi, illum ab incolis Syriacè *Nabre Kadiſcio* id eſt flumen Sanctum nominari, refert Gabriel Sionita cap. 6.

Sabraca &
Sabraci, v. Malli & Oxydracæ.

Saca, pag. 95. & 100. populi majoris Aſiæ, quos Ptolemæus tabulâ 7. in Auſtraliori Scythiæ, intra Imaum, parte collocat; cui Sogdiana ad occaſum, India intra Gangem ad meridiem, quorum regio *Belor* à Ger. Mercatore nunc vocatur; alii dicunt nunc eſſe Tartariæ magnæ populos, ubi *Chazalgita*.

Sagalaſſenus Piſidarum ager, p. 284. circa urbem Sagalaſſum, quæ aliàs Salagallus, de qua infrà.

Sais, p. 82. urbs Ægypti inferioris intra Delta. Strabo lib. 17. p. 552. ait eam duobus Schoenis à fluvio diſtantem, Ptolomæus in tabulis ſuis eam ad ſecundum Nili alveum versùs Occidentem, (quem vocat Pharmuciacum fluvium) collocat: creditur fuiſſe, quæ nunc *Sabid* vocitatur.

Saites, p. 46. plur. num. Saitæ p. 12. ejuſdem urbis Saitanæ (p. 74.) incola.

Salagaſſus urbs, pag. 154. quæ aliàs Selgeſſus, ac Sagalaſſus, urbs Lyciæ, quam aliqui Piſidis attribuunt, quia erat apud Solymos, ſita erat ad Limyrum fluvium.

Salamis, pag. 89. ſive Salamina urbs Inſulæ Cypri, quæ etiam Conſtantia dicta, ad Occidentalem inſulæ partem, exciſa, locus tamen adhuc *Conſtanza* appellatur.

Salaminii ibidem præfatæ urbis incolæ.

Salamis, p. 96. Inſula, Atticæ vicina, in ſinu Saronico, inter Æginam inſulam & Atticam Strabo lib. 9. p. 271. dicit eam olim pluribus nominibus donatam, dicta enim Scyras, *Cychreia*, & Pithyuſſa, &c. hodie vulgò *Coluri*.

Salaminia pugna, pag. 96. ad prælaudatam inſulam, in qua Xerxes navali fuit prælio à Græcis ſuperatus.

Salaminiacus ſinus, p. 96. idem, qui Saronicus, maris Ægæi inter Atticam ad Aquilonem, & Peloponneſi Argolidem ad Auſtrum.

Salem, p. 24. rex Salem, id eſt, rex pacis; ſive Salemum pag. 3. cujus rex erat Melchiſedech; Geneſ. cap. 33. v. 18. *in Salem urbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaan* eadem quæ Salim, ubi baptizabat S. Joannes. (Joan. 3.) civitas olim regia juxta Jordanem, non longè à Berſan; in dimidia tribu Manaſſe quæ cis Jordanem erat.

Salmo, p. 641. ſeu Salmone promontorium, quod Salmonium dictum, Cretæ inſulæ Orientalius.

Salmonia campus, p. 242. Aſiæ minoris, qui ex Hiſtoria, in Bithyniæ Ponto, inter Dorylæum & Heracleam fuiſſe videtur, circa Sangarium fluvium.

Salmus, p. 202. in obliquo caſu Salmuntis, urbs majoris Aſiæ maritima, ad ſinum Perſicum, quæ in Carmania fuiſſe videtur.

Salmydeſſus, p. 213. urbs Europæ ad Pontum Euxinum in Thracia, quæ Salmydiſſus & Halmydiſſus: hodie vulgò *Stagnara*.

Salona, p. 509. ſive Salo & Salona olim Colonia Martia Julia Salona, urbs Dalmatiæ in Colle poſita, maritima; nunc exciſa, cui ſucceſſit vicina Spalatenſis civitas.

Samaria regio, p. 36. col. 2. quæ Samaritis regio p. 163. Palæſtinæ, cujus in medio poſita eſt, inter Judæam ad Meridiem & Galilæam ad Aquilonem; tribum Ephraim dimidiamque tribum Manaſſe, quæ cis Jordanem eſt, complectens.

Samaria urbs, p. 41. ſive Samaritarum urbs, civitas in tribu Ephraim ab Amri rege Iſraël ſuper montem Samariæ ædificata & à monte Samaria dicta, atque ab eo tempore effecta regum Iſraël ſedes, quæ etiam, teſte Joſepho, dicta eſt Samaritis, Eitenias, Mareone, & Marion; poſteà Sebaſte, ſive Auguſta & à S. Hieronymo Sebaſtopolis, Samariæ regionis metropolis, fuit quoque Gabiniorum urbs dicta, nunc exciſa.

Sambana, p. 205. locus majoris Aſiæ, qui in Aſſyriâ fuiſſe videtur.

Sambeſta, v. Oxydracæ.

Sambulon mons, p. 629. in Aſia majori, circa Meſopotamiam.

Samega, p. 354. urbs Syriæ, Palæſtinæ, ut videtur, vicina.

Samnium, p. 487. regio olim Italiæ, cujus populi Samnitæ; quibus versùs occaſum vicini erant Peligni & Latium; Campania versùs meridiem; versùs ortum Hirpini & Apulia Daunia dicta, versùs Septentrionem Frentani: ibi nunc Aprutium citerius, Ducatus Beneventanus, pars Comitatûs Moliſenſis, partes quoque Capitanatæ, Principatûs Ulterioris & terræ Laboris.

Samus inſula, p. 83. maris Ægæi è regione Mycales Ioniæ Aſianæ urbis, priùs Parthenias, pòſt Driuſa, poſteà Anthemus ſive Anthemuſa, dein Melamphylus, poſtremò Samos nuncupata, quam deſcribit Strabo lib. 14. pag. 418. illam Cariæ vicinam dicit Stephanus Byzantius: hodie adhuc *Samo*. apud Heſychium Ἀμῶς.

Samius, p. 77. Samii inſulanus, qui etiam Samiarius pag. 489.

Samoſata, p. 515. urbs Caput Commagenes regionis in Syria; ad ripam dextram & occiduam Euphratis fluvii: hodie vulgò *Scempſat*.

Samothrace, p. 137. & Samothracia, p. 252. inſula maris Ægæi Thraciæ vicina haud procul ab Hebri fluvii oſtiis, inſulæ Lemno ad Septentrionem; priùs fuit Dardania, poſteà Samos, dein Samothracia dicta: hodie vulgò *Samandrachi*.

Samothrax & Samothracum gens, prædictæ inſulæ inſulani.

Samphe, p. 572. vicus; aliàs Samphe apud Stephanum Byzantium, urbs Phœniciæ.

Sampſana, p. 346. v. Lampſacus.

Sandius collis minoris Aſiæ, p. 109. in Caria.

Saneges, p. 398. populi ad interiora Ponti Euxini, in Colchidis parte Septentrionali; Sannigas Scythiæ populos vocat Stephanus Byzantius, quibus ab Auſtro & Oriente finitimi Abaſgi; ad Septentrionem Sarmatia & mons Caucaſus; ad Occidentem Heniochi, cum quibus confunduntur, dicuntur etiam Sanigæ & à nonnullis Saginæ.

Sangala, p. 189. urbs Catharorum magna, muro & palude munita, in India, Ptolemæo Sagala, quæ & Euthymedia Geogr. lib. 7. cap. 1. p. 171. ad Hydaſpem fluvium.

Sangarius fluvius, p. 285. Aſiæ minoris, Sangaris & Coralius aliquando dictus, qui in Phrygiæ & Galatiæ finibus enaſcens, ſinuoſo curſu per Phrygiam & Galatiam, Bithyniamque decurrens, ſeſe ad ſinum Mariandynum in Pontum Euxinum exonerat: hodie vulgò *Sacario*.

Saracenica gens, p. 61. quæ Saraceni vel Sarraceni, populi Arabiæ felicis, atque etiam Arabiæ Petræ

partem incolentes, hi priùs Iſmaëlitæ, tanquam ab Iſmaël deſcendentes: at Agareni, utpotè filii Agar; ſed filios Suræ ſe jactitantes, ſibi ipſis Saracenorum nomen impoſuere & retinuere; ſuis fuerunt in varias Europæ regiones incurſionibus notiſſimi.

Sardes, p. 18. & 61. quæ etiam urbs Sardianorum, ac Sardis, quæ olim Tarna & Hyde, civitas Lydiæ ad Tmolum montem, ſuper Pactolum fluvium, quam Lydorum Reges pro Regia tenuere: hodie vulgò *Sardia*.

Sardi, Sardienſes, p. 373. & Sardiani, nomina gentilia præfatæ urbis civium.

Sardiana regio, p. 132. Aſiæ minoris circa prælaudatam civitatem.

Sardinia, p. 78. una è ſeptem majoribus inſulis maris mediterranei, quæ etiam Sardo, Sardus, Sandaliotis, & Ichnuſa dicta, inter Tyrrhenum mare & Balearicum, cui Baleares inſulæ ad occaſum, Corſica inſula ad Boream, Italia & Sicilia ad Orientem, hodie vulgò *Sardaigne*.

Sardoum mare, p. 408. pars mediterranei maris, Sardiniæ Inſulæ verſùs occaſum adjacens.

Sarmatæ, p. 291. & 386. qui & Sauromatæ, incolæ Sarmatiæ, quæ regio eſt ultra Pontum Euxinum verſùs Septentrionem ſita: diviſa eſt in Sarmatiam Europæam, & Sarmatiam Aſiaticam; plurimos olim, ſicut etiam nunc, populos utraque complectens.

Saronicus ſinus, p. 97. vide Salaminiacus.

Saronitanus ager, p. 616. S. Hieronymus in cap. 33. Iſayæ aſſerit, Saron appellari omnem juxta Joppen Lyddamque regionem, in qua latiſſimi fertileſque campi tenduntur, in confiniis tribuum Dan & Ephraïm, & ſic allucinatur cum aliis Uſſerius, diverſus eſt enim ager ille, à Saron de quo 1. Paral. 5. v. 16; ſed alter, de quo ſuprà locus. ibidem c. 27. v. 29. vide tabulas noſtras in ſacram ſcripturam.

Sarpedonis promontorium, p. 94. ad urbem Sarpedonem Thraciæ maritimam, Ponto Euxino adjacentem ad Erigini aliàs Apollonii fluminis oſtia.

Sarpedonium promontorium, p. 284. ubi fanum Apollinis Sarpedonii; in Cilicia, ad oſtia fluminis Calycadni, inter Celenderim ad occaſum & Zephyrium promontorium, ipſi è regione ad ortum.

Sarus fluvius, p. 277. Ciliciæ, qui prope Comana Cappadociæ naſcens atque per Ciliciam verſùs Auſtrum defluens, inter fluvios Cydnum & Pyramum mari Cilicio illabitur.

Saſanda, p. 131. Caſtellum Cariæ, à Cauno urbe 150. ſtadiis diſtans, & maritimum.

Satrapene, v. Sitacene.

Scamander, p. 94. & 560. fluvius Troadis circa montem Idam, qui ad Ilium fluens è regione Tenedos inſulæ mare Ægæum ingreditur.

Scamandri campi, p. 526. circa præallatum Scamandrum fluvium.

Scepſis, p. 129. urbs nova prope Palæſcepſim, de qua ſuprà, condita.

Scepſius, ejuſdem urbis incola.

Septruchi, p. 611. populi Sarmatiæ Aſiaticæ, circa Iberiam & Albaniam.

Sciathus, p. 304. & 506. Inſula maris Ægæi, quam Strabo lib. 9. p. 300. dicit eſſe juxta Magneſiam Theſſaliæ regionem, illam Euboeæ attribuit Stephanus Byzantius; urbem habebat cognominem Nic. Gerbelius lib. 2. p. 74. dicit eam ab Apollonio Einalien appellatam: hodie adhuc *Sciato*.

Scillustis inſula, v. Cilluta.

Scirus, p. 137. inſula (ſicut Lemnus & Imbrus ibidem nominatæ) maris Ægæi. Legendum Scyrus, quæ ut obſervat Nicol. Gerbelius lib. 2. p. 75. ſita erat inter inſulas Alonneſum, Lesbum, Euboeam, & Chium, nunc vulgò ab Italis vocatur *l'Iſola di Sciro* ſive *San Giorgio di Sciro*.

Scordiſci, p. 253. vide Cordiſtæ.

Scorobas mons, p. 368. minoris Aſiæ Bithynorum & Ponticorum confinium: conjectat Ortelius eſſe Orminium montem Ptolemæi, utriuſque etenim idem eſt ſitus.

Scotius mons minoris Aſiæ, p. 409. non multò longiùs tribus paſſuum millibus à Zela urbe Ponti diſtitus. Zelam collocat Ptolemæus in Ponto Polemoniaco.

Scotuſſæus, p. 117. ex urbe Scotuſſa ſive Scotuſa, urbs erat, ut ait Strabo lib. 7. p. 227. Pelaſgiotidis in Theſſalia, prope Magneſiam; hodie à nonnullis veteri nomine *Scotuſa*, ab aliis *Licoſtomo* nominatur.

Scyrus, pag. 451. legendum Syrus inſula maris Ægæi una è Cycladibus Delo inſulæ vicina verſùs Meridiem.

Scythia, p. 18. hoc nomine ſæpiùs omnes regiones intelliguntur Boreales tam Europææ quàm Aſianæ; communiter tamen,

Scytha Aſiatici, p. 178. populi Aſiæ ad Septentrionem, qui in Scythas intra Imaum montem, & Scythas extra Imaum montem dividuntur, regio eſt quæ nunc Tartaria magna.

Scytha, p. 396. Cherſonæſi incolæ, populi qui Cherſoneſum Tauricam incolunt, de qua ſuprà.

Scytha Europæi ſuper Boſphorum (Cimmerium) p. 179. iidem indubiè, qui

Scytha Nomades ſive pecuarii, p. 61. hi enim in Europa collocantur inter Boryſtenem fluvium ad Occidentem & Mæotim paludem ad Occidentem pars Tartariæ parvæ.

Scythopolis, p. 266. & Scythopolitana civitas, ipſa eſt Betſan, etenim Judic. 1. v. 27. pro hoc verbo Betſan legitur apud Septuag. Interpr. βαιθσαὰν ἥτις ἐστὶ Σκυθῶν πόλις: fuit primò civitas Chananæorum, dimidiæ tribui Manaſſe cis Jordanem data, quæ poſteà Scythopolis dicta, à Plinio Nyſa & olim Methora; erat regionis Decapoleos maxima, ſub Gelboe montibus non longè ab ora Meridionali lacus Genezareth, ad ripam occiduam egredientis ab eo Jordanis fluvii, in Galilæa: hodie adhuc *Betſan*.

Scythopolis, p. 363. urbs Cœleſyriæ ultra Jordanem, ex Tabulis Ptolemæi. & Geogr. lib. 5. c. 15. p. 139. Mercator addit eſſe Betſan ſive Nyſam (de qua ſuprà) ſi non ſit diverſa; error eſt quoad ſitum in Ptolemæo.

Sebaſtes, p. 551. v. Samaria.

Sebaſteni, Samariæ cives.

Sebaſte Ciliciæ, p. 562. v. Eleuſa.

Sebaſtus, p. 568. Portus civitatis Cæſareæ Palæſtinæ, quæ priùs turris Stratonis; ab Herode conſtructus & ſic in honorem Cæſaris appellatus Pyræeo Athenarum magnitudine non inferior, & à tempeſtatibus tutiſſimus.

Sebennitarum Dynaſtia, p. 140. id eſt Sebennytes Nomus, in Ægypto inferiori intra Delta, cujus Sebennytus civitas metropolis, quibus lacum & fluvium cognominem addit Stephanus Byzantius.

Sebnim, p. 5. unà è quinque urbibus regionis Pentapoleos, quæ, igne de cœlo deſcendente, unà cum Sodomâ, Gomorrhâ, & Adamâ conſumpta fuit: erat Regia & omnium Auſtralior, in Mari mortuo.

Secoana, pag. 341. Caſtellum Apamenſium Syriæ, id eſt circa Apameam Syriæ, de qua ſuprà apud Strabo-

nem lib. 16. p. 518. legitur ἐκ Χαλκηδόνος & in Manuſcripto codice, ut notat Xilander, ἐκ Καρκηδόνος rectiùs legendum arbitraretur Καρκηδονίων; de quo loco ſtatim loquitur idem Strabo citatus.

Seirs montana, p. 18. in vulg. edit. mons Seir. & p. 23. qui Edomæ erat terminus: montes & regio quam primò incoluerunt Horræi ſive Chorræi, poſtmodùm ab Eſau, qui Seir cognominabatur & filiis ejus habitari, montes Seir ſunt appellati, inter Idumæam & Promiſſionis terram.

Seleucia, p. 403. & 440. & 447. quæ cognomento magna urbs Meſopotamiæ ad Tigrim fluvium contra Cteſiphontem; in actis ſancti Sadoth hæc civitas *Selec* appellatur, erat Perſarum Regia: aſſeritur eſſe ea, quæ nunc *Bagdad* ſive *Bagdet* appellatur.

Seleucia Caſtellum Meſopotamiæ, p. 397. aut præluadata, aut,

Seleucia ad Zeugma, p. 264. quod ad Euphratem eſt, in Syria & Meſopotamiæ confiniis.

Seleucia maritima ad oſtia Orontis fluvii, p. 340. eadem quæ Seleucia maritima p. 251. & Seleucia Syriæ p. 277. & ſimpliciter Seleucia p. 243. eadem, quæ Seleucia, quæ Pieria dicitur, p. 264. ſive Seleucia Pieria, p. 422. in regione Aſiæ Pieria dicta, cujus eſt metropolis, haud procul ab Antiochia magna Occidentem æſtivum versùs, Strabo lib. 16. p. 517. dicit hanc Seleuciam priùs Ὕδατος ποταμοί. Aquæ (Potamoi) fluenta appellatam, unde conſtat eſſe urbem Potàmos de qua ſuprà; hanc nunc *Soldine* ac *Solin* vocat Marius Niger.

Seleucis in Palæſtina, p. 429. à Pompeio condita, forſan Seleucia, quæ trans Jordanem, in Gaulonitide & dimidiæ tribùs Manaſſe, ad Semechonitem lacum.

Seleucides triremis, pag. 462. in notis ad Plutarchum arbitrati ſumus, ibi ſermonem eſſe de Seleucia Ciliciæ, apud flumen Calycadnum, duodecim paſſuum millia à mari diſtante, quæ hodie *Selechia*.

Selga, p. 266. & 278. quæ & Selge, urbs Piſidiæ, teſte Stephano Byzantio, ad Eurymedontem fluvium; haud procul à Pamphyliâ.

Selgei, p. 154. &

Selgenſes, p. 266. præfatæ urbis incolæ.

Selinuntius & Selinuntii, p. 73. & 118. incolæ

Selinuntis urbis Siciliæ; Strabo lib. 6. p. 188. dicit, ſuâ ætate hanc urbem civibus vacuam. Sita erat ad Selinuntis fluvii oſtia, ad mare Libycum, ubi nunc *Terra di Pulici*, in valle *di Mazara*.

Selinus, p. 275. urbs Ciliciæ aſperæ maritima, quæ poſtmodùm Trajanopolis eſt appellata, haud procul ab Antiochia ad Tragum, occaſum brumalem versùs.

Sellaſia, p. 262. & Selaſia urbs Laconiæ in Peloponneſo; Pauſanias in Laconicis, pag. 92. dicit ſuâ ætate ſola Selaſiæ extare rudera.

Selymbria, p. 276. quæ & Selybria, urbs Thraciæ ad Propontidem, fuit quoque Olybria dicta, Socrates lib. 7. Hiſt. Eccles. cap. 35. illam Salabriam appellat; fuit poſtmodùm Eudoxopolis nominata: hodie vulgò *Selivrée*.

Sennaar vallis (*Genes. cap. XI.* 2.) ſive terra, pars Auſtralior Meſopotamiæ, quæ cum Chaldæa & cum Babyloniæ terra plerumque confunditur.

Senones, p. 643. Populi Galliæ in Provincia Lugdunenſi: hodie vulgò *le Senonois*, qui olim, in Italiam tranſmigrantes, Æmiliam incoluere.

Sepharvaima, p. 59. Sepharvaim, regio cum civitate regia, regio ad Chaldææ occaſum; urbſque forſan Ana aut Eva.

Sephela, p. 343. ſive Planities in medio tribus Ephraïm, ubi urbs Adida aliàs Addus.

Sepheris mons, p. 18. Sepher mons aſpectu decorus, ubi vigeſima manſio filiorum Iſraël in deſerto, inter Ceelatha & Arada.

Sephoris, p. 362. & 437. urbs in tribu Zabulon & in meditullio Galilææ ſita, quæ olim Saphorine à S. Hieronymo Diocæſarea dicta.

Septentrio Scythicus, p. 419. partes Europæ & Aſiæ ad Aquilonem, apud quas olim Scythia de qua ſuprà.

Sepias, p. 95. Theſſaliæ promontorium, in ejus parte, quæ Magneſia vocatur, ad oram Auſtraliorem & versùs Orientem, ſub Pelii montis radicibus.

Septem putei, p. 554. locus Arabiæ felicis, ſic à re-ipſa denominatus.

Sepulchra concupiſcentium, v. ſuprà Kibroth-Hattaavah.

Sepyra, p. 454. urbs apud Amanum montem, à Cicerone expugnata.

Seriphus, insula Saxoſa maris Ægæi, quam Strabo lib. 10. p. 334. inter Cycladas collocat, Stephanus Byzantius inter Sporadas: hodie vulgò *Sirfino* ſive *Serfento*.

Seſamus, pag. 244. urbs Paphlagoniæ ad Pontum Euxinum, ex qua Colonia deducta fuit ad vicinæ Amaſtridis urbis extructionem. Didymus apud Stephan. Byzant. Seſamum inſulam eſſe aſſerit.

Seſtus, p. 99. urbs Cherſoneſi Thraciæ, ad oram Helleſponti è regione Abydi urbis, ubi fretum eſt anguſtius unde à Turcis nunc *Bogazaſſar* appellatur, ab Europæis verò hæc duo loca, Caſtella Dardanellarum.

Shamir, pag. 26. in vulgata editione (Judicum 10. verſu 1.) Samir *montis Ephraim*; civitas in tribu Ephraim.

Sheba, (in vulgata editione Pſalmo 71. verſu 15.) legitur & *dabitur ei de auro Arabiæ*, de qua ſuprà.

Shecemi locus, p. 6. in vulg. edit. Geneſ. 12. v. 6. locus Sichem; eſt Sichima & Sichar, civitas tribùs Ephraïm, ſita in monte Ephraïm, quæ facta fuit refugii & Levitis data, poſtmodùm Neapolis & Flavia Neapolis dicta, ab Indigenis Marmortha, Mabortha: hodie vulgò *Peloſa* ſive Naploſa, in Samaria.

Shecemita & Shecemitanus, p. 25. ejuſdem loci incola.

Shenir mons, v. Hermon.

Shichor Ægypti, p. 31. in vulg. edit. 1. Paralip. 13. v. 5. Sihor Ægypti, apud Septuaginta Interpretes tantùm legitur, à *finibus Ægypti* Sihor Hebraïcè turbidum ſignificat, forſan itaque *à torrente Ægypti, uſque dum ingrediaris Emath*.

Shilo & Shilus, p. 24. & Shilon quod pacificum ſignificat, in vulg. edit. Joſue 18. v. 1. Silo apud Septuag. Interpr. Σηλώ. quæ ſita eſt ad Septentrionalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona, civitas in tribu Ephraïm, ſuper montem poſita, ubi diu fuit arca Domini: nunc vulgò *Rama*.

Shinar, in vulg. editione (Gen. 14. verſu 1.) rex Sennaar, de qua ſuprà.

Shittima, p. 22. v. Abel-Shittim.

Shunemum, p. 29. in vulg. edit. 1. Regum cap. 28. v. 4. Sunam. ipſa eſt Sunem, quæ etiam Suna & Sula; civitas in tribu Iſſachar. ætate S. Hieronymi Sulem vicus: hodie vulgò *Torondeles* & *Gabraleris*.

Shushanchai, v. Suſiana.

Sùa ſive Sobii, p. 192. Indiæ Populi infra Hydaſpis fluvii in Indum amnem confluentiam, ut teſtatur Strabo lib. 15. p. 482.

Sicima ſita ad montem Garizim, Samariæ metropolis, p. 161. eadem, quæ Shecemum, de qua ſuprà.

Sichem & Sichemum, p. 33. Sichemitana urbs p. 9. Sichimorum urbs p. 24. vide ſuprà Shecemi locus.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Sichemita, p. 25. ejuſd. loci incolæ.

Sichemitanus ager, circa eundem locum.

Sicilia, p. 73. Mediterranei maris maxima inſula, quæ etiam Sicania, à tribus Promontoriis Trinacria, à formâ triangulari Triquetra appellata; cui Sardinia inſula ad occaſum, Peloponneſus ad ortum; Italia ad Septentrionem, Africa ad Meridiem; nunc in tres regiones ſeu valles diviſa; quarum una *valle di Demona* ad Aquilonem, altera *valle di Noto* ad Auſtrum, tertia *valle di Mazara* ad Occidentem.

Siculus, p. 8. Siciliæ inſulanus.

Siculum fretum, p. 326. ad Pelorum promontorium inter Meſſanam Siciliæ & Rhegium Calabriæ urbem, Scopulis olim Scyllâ & Carybdi celebre; hodie vulgò Italis *Faro di Meſſina*.

Siculum mare, p. 408. pars Mediterranei maris, quæ lateri Orientali Siciliæ reſpondet, quod mare verſùs Orientem Ionium appellatur.

Sicyon, p. 509. urbs Achaiæ in Peloponneſo. Strabo lib. 8. p. 283. eam dicit priùs Ægialum, pòſt Meconen, dein Sicyonem appellatam, Telchiniæ nomen addit Stephanus Byzantius; ſita erat ſuper collem, 10. circiter ſtadiis à ſinu Corinthiaco diſtans; ſinum poſteà mutavit & nomen, nam à Demetrio fuit Demetrias appellata.

Sicyonii, p. 5. prælandatæ urbis accolæ.

Sida, p. 281. promontorium Pamphyliæ, ubi,

Side, p. 456. & Side urbs Pamphyliæ in Aſia minori, apud confinia Ciliciæ, maritima, ad Eurymedontis fluvii oſtia; hodie vulgò *Candelora*.

Sidenſes, p. 338. ejuſdem urbis cives.

Siddimorum vallis, p. 6. in vulg. edit. Geneſis 14. verſu 3. legitur *vallis Silveſtris, quæ nunc eſt mare Salis*, vallis Salis, apud Septuaginta Interpretes; *in agro Sodomorum*, ubi putei Bituminis, vide Aſphaltitis lacus.

Sidon, p. 55. civitas olim Chananæorum regia, poſteà in tribu Aſer, celeberrimum Phœnices emporium, maritima, quæ corruptè Sydon; nunc ferè exciſa, vulgò *Said*, vel *Seyde*, quam ſuâ ætate anno 1310. *Sagetæ* nuncuparam aſſerit Sanutus lib. 3. parte 14. cap. 2.

Sidonii, p. 71. & 94. prælatæ urbis incolæ.

Sigæum, p. 97. & 306.

Sigeum, p. 70. & 241. urbs & promontorium Troadis ad mare Ægæum; prope Ilium vetus ex cujus ruderibus conſtructa fertur, cui eſt ad Aquilonem: hodie urbs vulgò *Jannizari* & promontorium *Capo Jannizari*.

Silphius mons, p. 243. qui & Silpius & Siltius, è regione Antiochiæ, in Syria.

Simeonis tribus, p. 62. una ex tribubus filiorum Iſraël, cujus civitates omnes è tribu Juda fuerunt excerptæ, quam habebat ad Orientem conterminam, Idumæam ad meridiem, Philiſtinorum terram ad Occidentem, tribum Dan & partem tribûs Juda ad Aquilonem.

Sinna, p. 422. munitio & receptaculum latronum in monte Libano, Σιννᾶ, ut refert Strabo lib. 16. p. 520.

Sinis deſertum, p. 14. quod eſt inter Elima & Sinaï, quod deſertum idem eſt ac deſertum Cades, & deſertum Pharan, de quo ſuprà, octava manſio filiorum Iſraël inter mare Rubrum & Dophka.

Sinai, p. 14. & 16. mons Sinaï, qui & mons Sanctus dicitur, in Arabia Petræa, cujus pars ſive jugum erat mons Oreb: hodie vulgò mons S. Catharinæ;

Sinai deſertum, p. 15. circa montem Sinai & diverſum à deſerto Sin, ſicut pars à toto.

Sindomana vel Sindonalia, p. 196. urbs Imperii Brachmanum caput; de quibus ſuprà.

Sinnaca, p. 449. urbs Meſopotamiæ circa urbem Carras, ubi pariter loca montoſa τὰ Σίννακα dicta, Strabo lib. 16. p. 514. eadem etiam. Synaca p. 448.

Sinorex, Sinoria, & Synoria, p. 415. v. Inora.

Sinope, vide infrà Synope.

Sion arx, p. 30. quæ pariter urbs Davidis, in monte Sion p. 33. in Auſtrali parte civitatis Jeruſalem, cujus nunc tantùm rudera monſtrantur.

Sion mons, p. 21. v. Hermon.

Sipus, p. 509. ſive Sipuntum, Sipontum, Sypus, Sepius, & Sepus, olim Colonia & urbs Apuliæ Daunie, ad montis Gargani radices, & littus maris Adriatici, propè oſtia Cerbali fluvii: hodie vulgò *Siponto* in Capitanata.

Sipylus, vide infrà Syplus.

Siraci, p. 628. Populi Sarmatiæ Aſianæ ad Caucaſum montem, quibus Caucaſus eſt ad Meridiem, de his Strabo lib. 11. p. 339.

Sirbonis palus, pag. 147. & 442. apud quam Typhonis exhalationes; inter Paleſtinam & Ægyptum, prope Caſium montem & mare Syriacum; quam ſinum *de Tineſe* Pinetus, alii *Golfo di Damiata* nuncupant, Niger *Stagnone*.

Sirion mons, v. Hermon.

Siritis, p. 376. regio, de qua Strabo l. 6. p. 282. & ex pag. 283. conſtat fuiſſe in Magna Græcia ſive Lucania, inter Apenninum montem & ſinum Tarentinum, ubi defluit Siris, qui nunc *Seno* fluvius: hodie in regione, quæ *Baſilicata*.

Siſimithris petra v. Chorienis.

Sittacine ſeu Satrapene, p. 168. &

Sittacene, p. 201. regio majoris Aſiæ, inter Babyloniam & Suſa, ut alleric Strabo lib. 16, p. 512. Aſſyriæ pars Auſtralis.

Smyrna, p. 18. urbs Ioniæ in Aſia minori, maritima ad oſtia Hermi fluvii, quam, antequàm à Smyrna Amazone conſtructa fuiſſet, Naulochum appellatam tradit Stephanus Byzantius: Hodie Italis plurali num. *le Smirne*, Gallis *les Smyrnes*.

Smyrnæi, p. 260. prælaudatæ urbis cives.

Sobii vide Sibæ.

Sochos, p. 156. locus duorum Stathmorum intervallo (ideſt bidui itinere) diſſitus à Pylis, quæ Aſſyriam ſive Syriam aperiunt, videtur à Cilicia ſive Syriæ portis, quæ Ciliciæ termini ſunt, bidui itinere diſtans, in Syria.

Sodoma, p. 5. & Sodomum p. 7. præcipua civitatum regionis Pentapoleos, quæ igne de cœlo deſcendente conſumptæ ſunt, Regia erat, in Aſphaltite lacu; hanc Nubienſis parte 5. clim. 3. Sadum appellat.

Sodomitæ, p. 6. hujuſce civitatis accolæ.

Sodræ vel Sogdæ, qui & Maſſani quique Scodri, Indiæ populi ad utramque ripam Indi fluminis, verſùs Auſtrum habitantes.

Sogdiani, p. 179. populi Sogdianæ, quæ Majoris Aſiæ regio eſt; ad Partes Jaxartis fluminis ſuperiores, cui ad Boream Scythia eſt; ad orientem Sacæ; ad meridiem Bactriana; ad occaſum Hyrcanum mare; quæ hodie le *Mauranhahar*.

Sogdiani montes, p. 164. ibi dicitur Alexander inter Sogdianorum montes à Siniſtrâ & Tigrim fluvium à Dextrâ; hinc patet non de Sogdianæ prælaudatæ montibus poſſe eſſe ſermonem, ſed de Zagris montibus Ptolemæi, qui Aſſyriam à Choromithrena & Sagartiis dividunt.

Solæ, p. 74. Solus p. 90. urbs eadem, quæ Æpea; de qua ſuprà.

Solii, p. 74. & ibid. Solenſes, ejuſdem urbis incolæ.

Soli, pag. 155. & 275. urbs, quæ Pompeiopolis, de qua ſuprà.

Solenſes, p. 155. hujuſce urbis cives.

Solymi, p. 95. hanc dictionem vult Joſephus intelligi de Judæis ſive Hieroſolymorum incolis; alii veriùs de Piſidis, qui priùs, ut refert Stephanus Byzantius, Solymi appellabantur; eiántque Lyciis vicini.

Somronis mons, p. 37. col. 2. in vulg. editione 3. Regum 16. v. 24. Samariæ mons, apud ſeptuag. Interpretes Semeron mons, in tribu Ephraim, ſuper quem Samaria extructa, de qua ſuprà.

Sophene, p. 400? & Sophone p. 330. regio majoris Armeniæ versùs Auſtrum, in Meſopotamiæ confinibus, quam Commagene conterminam facit Stephanus Byzantius, illam Strabo lib. 11. pag. 359. in valle ſitam aſſerit, & Tauro monte atque Antitauro concluſam.

Sopheni, p. 403. hujus regionis Indigenæ.

Sopithis regis regnum ſive Terra, p. 189. in India, prope & ultra Cathæos, de eo Strabo l. 15. p. 481.

Soza, p. 628. oppidum Dandaricæ in Sarmatia Aſiana, de qua ſuprà.

Spalatenſis civitas, pag. 509. Spalatum, urbs Dalmatiæ maritima, cum portu à tempeſtatibus tuto, quæ vicinæ Salonæ exciſæ ſucceſſit: hodie vulgò *Italis* Spalato, incolis ſive Slavis *Split*.

Sparta, p. 89. vide ſuprà Lacedæmon.

Spartani, p. 89. &

Spartiatæ, p. 135. v. Lacedæmonii.

Spoletum, p. 489. & Spoletium, Colonia olim & urbs Umbriæ apud Montium radices: nunc vulgò *Spoleto*, ſuper *Marogia* fluvium.

Sporades, p. 585. inſulæ maris mediterranei inter Cycladas inſulas ad Septentrionem, Peloponneſum ad occidentem, mare Creticum ad Auſtrum; & Cariam Aſiæ minoris regionem ad orientem; de quarum numero non una authorum ſententia, qui Cycladum aliquas Sporadibus, Sporadum nonnullas Cycladibus annumerant.

Stadiſis, p. 554. urbs Æthiopiæ ſub Ægypto, ad Nilum, ubi hic fluvius præcipitans ſe, fragore auditum accolis aufert; locus hic a Ptolemæo cataractes major appellatur; cui Taſitia urbs eſt ad meridiem.

Stagirita, p. 207. ex urbe Stagira Macedoniæ, in Amphaxitide regione; ad oram ſinûs Strymonici; patria Ariſtotelis, ipſa eſt Staneira, de qua Ptolemæus, Geogr. lib. 3. cap. 13. vocatur *Macra* à Niceta: hodie vulgò *Libanova*.

Stratonice, p. 353. & Stratonicæa p. 245. urbs Cariæ mediterranea, Macedonum colonia, ut refert Strabo lib. 4. p. 454. ex quo detegitur corruptio textûs in Stephano Byzantio, & cum eo dicendum, eam ab Adriano Adrianopolim nuncupatam.

Stratonicenſes, p. 313. prælaudatæ urbis incolæ.

Στρατωνίδα, p. 60. locus inferioris Ægypti, ſic à Caſtris appellatus, aliquantulùm ſuprà urbem Bubaſtim, & oſtium Nili Peluſiacum.

Stratopedo, p. 371. *ubi Senatus haberi ſolebat*; locus apud Pergamum civitatem, in qua tunc degebat Mithridates.

Strymon fluvius, pag. 89. & 307. fluvius Thraciæ, qui apud Agrianos in Rhodope, ſive è Scomio monte (ut dicit Thucydides lib. 2. pag. 166.) naſcens Amphipolim alluit, dein Eionen, à qua Eionius fuit appellatus, & Ægæo mari in ſinu à ſe Strymonico illabitur. Plutarchus (qui de fluminibus) ait primò Conozam, poſt Palæſtinum, tandem Strymonem appellatum; à quibuſdam authoribus pro Thraciæ & Macedoniæ termino ſtatuitur, ab aliis & majoris momenti hæc non admittitur ſententia: hodie vulgò *Stramona*.

Stura, p. 199. Indi fluminis amplus alveus, à Portu centum circiter Stadiis diſtans, occaſum versùs.

Styrenſis, p. 136. ex urbe Styra Euboeæ inſulæ, ad ejus partem orientalem, prope Caryſtum urbem, cui eſt ad Auſtrum.

Subagri. v. Oxydracæ.

Subota, p. 306. Inſula maris Ægæi, Elææ & Atho monti ſive peninſulæ interjecta.

Succai, p. 35. col. 1. in vulgata editione 2. Paralip. 12. v. 3. pro Succæis legitur Troglodytæ; de his vide infrà hoc verbo.

Succoth, p. 14. in vulg. editione Exodi 12. v. 37. Socoth. Secunda Statio filiorum Iſraël, ubi primùm Tabernacula fixere, à quibus nomen Socoth accepit in inferiori Ægypto ſuper fluvium pòſt Trajanum dictum, inter Rameſſe & Etham.

Succoth & Succothæ, p. 9. in vulg. edit. Gen. cap. 33. v. 17. Socoth locus, ubi poſteà civitas in Tribu Gad, apud Jordanem fluvium.

Succothani, p. 25. poſterioris Socoth incolæ.

Sueſſanius, p. 413. ex agro Sueſſano, in Campania Italiæ, circa Sueſſam urbem cognomine Aruncam, quæ hodie *Seſſa*, in terra Laboris.

Sugambri v. Oxydracæ.

Sunamitis, p. 32. ex Sunam aliàs Sunem; vide ſuprà Shunemum.

Sunium, p. 92. Atticæ terræ promontorium magis ad orientem atque Meridiem, in mari Ægæo, ubi arx & vicus Leontidis tribûs; hodie ab Italis vulgò vocatur *capo delle Colonne*.

Suria, v. Syria.

Suſan, p. 68. Sushan p. 76. Σῦσα p. 125. Suſa. Urbs Perſidis, & Suſianæ regionis metropolis, Regum Perſarum Sedes, à Liliorum (vernaculo idiomate Suſa nominatorum) feracitate ſic appellata, ad Eulæum circumfluentem fluvium. Hodie *Sus* ſive *Suſira* vocatur.

Suſii, prælaudatæ urbis incolæ.

Suſiana regio, p. 168. in Perſide cui ad ortum altera Pars Perſidis, ad meridiem ſinus Perſicus, ad occaſum Babyloniæ Regio, ad Aquilonem Aſſyria; nomen accepit à Suſis metropoli, cujus regionis populi Shushanchæi, p. 76.

Suſandrum Caſtellum, p. 310. è quo Antiochiam ad Antiochum regem adducti ſeptem fratres Machabæi agnominati, qui pro patriis legibus conſtantiſſimè mortem oppetierunt.

Suſia, p. 174. urbs Ariorum in Aſia majori, vide ſuprà Arii.

Suſidæ pylæ, p. 169. in montibus, qui Suſianam à Perſide diſterminant, nam, ut ait Strabo lib. 15. p. 501. Inter Suſa ac Perſiam montana quædam aſpera & præcipita interjacent quæ anguſtias habent difficulter ſuperabiles—è Suſis in Perſiam intrantibus.

Sycaminum, p. 361. aliàs Sicaminum urbs Phœniciæ maritima, quæ etiam Epha dicta, in tribu Zabulon, inter Carmelum montem & Ptolemaida.

Sychar, p. 588. in vulg. editione Joan. cap. 4. v. 5. Sichar, eadem quæ ſuprà Shecemum.

Syena Elephantina, p. 554. eadem quæ ſuprà Saba; inſulæ nomen Elephantinæ tribuitur.

Syene, p. 73. vide ſuprà Saba.

Syleum, p. 284. urbs Phrygiæ quam, ut refert Stephanus Byzantius, nonnulli Pamphyliæ attribuunt.

Sylis: vide infrà Tanais.

Syma, p. 113. quæ & Syme, inſula Cariæ in mari Carpathio, inter Rhodum & Cnidum, quæ, ut aſſerit Stephanus Byzantius, primùm Metapontis, deinde Ægle; hæc *Simi* Sophiano.

Symphorium Caſtellum, pag. 421. quod Syriæ fuiſſe videtur.

Synaca, p. 448. vide ſuprà Sinnaca.

Synada, p. 241. & Synnada p. 284. urbs in Parte Phrygiæ magnæ, quæ Pacatiana vocatur; dicta primum Synæa, inquit Stephanus Byzant. posteà, per corruptionem, Synnada: hodie adhuc *Sinada*.
Synnadenſis, ejuſdem urbis incola.
Synope, meliùs Sinope, p. 62. Σινώπη. Urbs Ponti celeberrima, in Paphlagonia, quam deſcribit Strabo lib. 12. p. 376. dicitque ſitam in promontorio inſulæ ſpeciem præferente, cum duobus Portubus in utraque Iſthmi parte: hodie vulgò *Sinopi* ſive *Sinobi*.
Sinopei, p. 174. & Sinopenſes p. 127. ejuſdem urbis cives.
Sinopicus, p. 398. qui ad Sinopen pertinet.
Synorsa v. Inora.
Sypylus, p. 132. meliùs Sipylus mons ſic p. 279. & 282. in Lydia Aſiæ minoris regione, haud procul à Phrygia, inter fluvios, Cayſtrum & Hermum. Hic authore Plutarcho (qui de fluminibus) priùs Ceramius vocabatur.
Syracuſa, p. 111. urbs Inſulæ Siciliæ maxima, priùs Ortygia dicta, ex quinque urbibus conſtans, Strabone teſte, ſita erat ad oram inſulæ orientalem, in loco ad modum Peninſulæ, prope oſtia Anapi fluminis: hodie vulgò *Siraguſa*, *Siragoſa* & *Siracoſa*, in valle Notienſi *di Noto*.
Syracuſani, hujuſce civitatis accolæ.
Syria, p. 8. regio olim Aſiæ maxima, quippe quæ Aſſyriam, Meſopotamiam, Babyloniam, Phœnicen, & Paleſtinam complectebatur; at Aſſyriâ poſtmodùm, Meſopotamiâ & Babyloniâ avulſis; ab Arctos Armeniam, qua Amano monte Secernitur, ab ortu Meſopotamiam dividente Euphrate fluvio, & Arabiam deſertam; à meridie Arabiam Petræam; ab occaſu Ægypti partem, Syriacum mare & Ciliciam, interjacente Amani montis parte; dicitur Suria p. 304. hodie *Souria* & *Suriſtan* Turcicæ Aſianæ regionis pars. Nubienſis *Sciam* appellat. in ſacris Scripturis per Syriam intelligitur Syria à terra Promiſſionis (quæ ejus pars erat) diſtincta.
Syria, quæ Paleſtina, p. 160. vide Palæſtina.
Syria Superior, p. 230. pars Syriæ, quæ ad Septentrionem eſt.
Syria Inferior, p. 380. pars Syriæ, quæ verſùs meridiem.
Syria Antiochena, p. 525. pars Syriæ circa Antiochiam magnam.
Syria Cœle, p. 422. vide ſuprà Cœlo Syria.
Syria Cyrreſtica, p. 514. circa Cyrum Syriæ urbem regio, Commagenæ verſùs Aquilonem vicina; Pieriam habebat ad occaſum, Euphratem amnem ad ortum, & ad Meridiem Syriam Antiochenam.
Syria Damaſcena, p. 31. circa urbem Damaſcum, cujus Indigenæ Syri Damaſceni ſunt appellati.
Syria Zobæa, p. 31. Syria circa civitatem Soba, ſic enim in vulg. edit. 2. Reg. cap. 10. ſive Emath Suba, vide ſuprà Hamatha.
Syri, p. 76. ſic Cappadoces aliquandò dicti. v. Cappadoces.
Syromacedones, p. 144. qui, è Macedonia oriundi, Syriæ facti ſunt inquilini.
Syrophœnicia, p. 234. regio in finibus Syriæ & Phœniciæ.
Syrophœniſſa, Matth. cap. 7. v. 29. mulier è præfata regione orta.
Syrinx, p. 271. porticus Alexandriæ Ægyptiæ, triplici portarum obice munita.
Syrtes, p. 466. in ora littorali Africæ: una major p. 61. quæ magna dicta, altera parva dicta magis ad occaſum, utraque ob naufragia infamis, & navigantibus plurimùm metuenda.

T.

Tabas, p. 171. oppidum in Paritacene ultima, idem quod p. 319. Taba Perſidis oppidum Paritacenæ ſive Paræiacinæ, ut refert Ptolemæus, Perſidis pars eſt verſùs aquilonem.
Tabenſes, p. 284. in finibus Piſidarum, ex urbe Taba, quæ videtur eſſe Ciliciæ, de qua Plinius.
Tabera, p. 17. in vulg. editione Num. 11. verſ. 3. *vocavitque nomen illius incenſio*, idem aut proximus loco Sepulchra concupiſcentium dicto. v. Kibroth-Hattaavah.
Tres Tabernæ, p. 641. locus in Latio, inter forum Appii & Romam; civitas poſtmodùm Epiſcopalis, nunc vicus.
Tabraſii, p. 190. v. Praſii.
Tænarus, p. 203. Laconiæ urbs in Promontorio cognomine totius regionis Auſtraliori, urbs olim Cænepolis dicta; hodie *Maina*. Promontorium. *Capo Macapan* ſive *Maina*, portus urbis *Porto delle Quaglié*.
Tahpanheſus, vide Daphnæ Peluſiæ.
Talaura plur. num. p. 395. & 409. urbs, quæ Cappadociæ fuiſſe creditur, in finibus Ciliciæ.
Tammacum aliàs Tamnacum, p. 554. oppidum felicis Arabiæ, à Gallo dirutum.
Tanaitica regio, pag. 417. circa Tanaim fluvium ſuprà Mæotidem Paludem, nam Tanais fluvius Europam ab Aſia diſterminans, & è Moſchicis montibus naſcens, atque obliquè in meridiem per Sarmatiam currens, magno impetu & aquarum vi plurimâ Mæotim paludem ingreditur; non omittenda Evagrii verba lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. 22. *Tanaim appellans indigena amnem illum, qui ex Mæotide palude in Pontum Euxinum influit, à Tanai fluvio in Mæotidem paludem ſe exonerante*. Hic autem à nobis vocatur Boſphorus Cimmerius.
Tanais, p. 177. fluvius, *non ille, qui Europam ab Aſia diſterminans, in paludem Mæotidem delabitur, ſed* Jaxartes Plinius lib. 6. *capite* 16. *à Scythis* Sylin, *à finitimis* Orxantem *appellari Ariſtobulus dicit*. in Plutarcho Orexartes; qui ab ortu in occaſum defluens, ſeſe in Caſpium mare exonerat, fuit quoque à Scythis *Schyrtim* dictus. aſſeverat Niger nunc *Cheſel* vocari; & ab incolis *Organz*.
Tanape, p. 554. v. Napata.
Tapiri, p. 181. & Tapuri p. 173. nec non Tapyri p. 202. populi majoris Aſiæ: Apyri dicti à Strabone, ut aſſerit Euſtathius, ſed nunc in textu Strabonis lib. 11. p. 354. legitur Tapyri, illos Parthiæ aſcribit; priùs Mediæ fuiſſe affirmans, deinde *Tapyros habitare ferunt poſt Hyrcanos & Derbicas*. in Media illos collocat Ptolemæus.
Tarentum, p. 86. urbs, quæ etiam Oebalia dicta; magnæ Græciæ in Salentinorum confinibus, atque in terra Hydruntina, maritima ad ſinum ab ea Tarentinum dictum: hodie ab Italis *Tarento*, à Gallis *Tarente*.
Tarentini, hujuſce urbis accolæ.
Taricha oppid. p. 215. oppidum, quod urbi Cyrenes Libyæ vicinum videtur.
Tarichea, p. 492. & Tarichæa, p. 450. urbs Galilææ inferioris, quæ etiam Tarrachia dicta, in tribu Iſſachar ſita in monte; ad litus maris Galilææ, à Tiberiade triginta ſtadiorum itinere diſtans, verſùs Meridiem.
Tarraco, p. 480. & 551. & Tarracona, colonia olim & urbs Hiſpaniæ citerioris, quæ Hiſpaniæ Tarraconenſi regioni nomen dedit, nunc vulgò *Tarragona*, in Cathalonia.
Tarſus, p. 47. quæ & Tarſos, Tharſus, ac Terſus: vocabatur autem, ut aſſerit Stephanus Byzantius, & Cra-

nia, & Hiera, atque Antiochia, erátque Argivorum colonia, urbs notiſſima Ciliciæ, quam medius interfluit fluvius Cydnus, non procul à ſuis oſtiis, fuit poſteà Juliopolis appellata p. 487. hodie vulgò *Tarſum*, & *Terſis*, à quibuſdam *Tarſo*, incolis *Teraſſa*.

Tarſenſes, p. 299. prælaudatæ Tarſi accolæ.

Tarteſſus, p. 61. ultra Herculeas columnas, hinc conſtat fuiſſe urbem Hiſpaniæ, circa oſtia Bætis fluminis & Gadibus (ſi non ea ſit) proxima; in aſſignando hujus urbis ſitu variant authores, etiam Hiſpani.

Tavara, p. 612. collis apud juga Tauri montis, prope Ciliciam aſperam.

Tauri, p. 386. populi Cherſoneſum ab eis Tauricam dictam incolentes, vide ſuprà Cherſoneſus Pontica.

Tauraminium, p. 551. & Tauromenium. Urbs Siciliæ inſulæ ad littus orientale, mari Siculo ſive Ionio expoſita: hodie vulgò *Taormina*, in valle *di Demona*.

Taurus, p. 429. caſtellum & latronum receptaculum in Jerichuntis ingreſſu. v. Jericho.

Taurus mons, p. 163. & 201. celeberrimi Aſiæ montes, à Lycia in orientem uſque ad Indiam protenſi; qui pro regionum varietate variis donantur nominibus; nominis rationem ab immenſa magnitudine ortam affirmat Stephanus Byzantius, Veteres enim res mole magnas Tauros, ſolebant nominare.

Tauri pylæ, p. 454. in Ciliciæ confinibus, ubi Pylæ Ciliciæ, de quibus ſuprà.

Taxila, p. 186. urbs Indiæ atque urbium, quæ inter Indum & Hyſdaſpem ſunt, maxima; à qua Reges hujus Regionis Taxiles ſunt appellati; populi etiam Taxili dicti.

Taygetum, p. 459. ſive Teigetum Laconiæ mons, ad cujus radices ſita erat Sparta civitas, ut ait Strabo lib. 8. p. 250. nunc vulgò *Portes*, ſicque *Taygeti juventus* id eſt Spartani Juvenes.

Tectoſages Galli, p. 266. ex Europa acciti & Tectoſagi p. 256. in Gallia populi erant, ſuperioris, quæ nunc, Occitaniæ, qui Volcæ Tectoſages, quorum Caput Toloſa civitas; Galatiæ in Aſia minori partem incoluerunt, quæ Haly fluvio erat ad occaſum.

Teo ſive Teium, p. 77. & Teia urbs p. 212. priùs Arhamantis dicta, urbs Aſiæ minoris, in media Ionia ad mare Ægæum, quam Strabo lib. 13. p. 443. in peninſula ſitam aſſerit, hinc nonnulli illam inter inſulas numeravere.

Teii, p. 78. & Tii, p. 135. hujuſce urbis incolæ.

Teium in Ponto, p. 164. vide ſuprà Pium.

Tegeates, p. 109. incola regionis, ſive urbis Arcadiæ queis nomen Tegea, Pauſanias in Arcadicis pag. 274. dicit hanc regionem novem conſtare vicis, ad limites Argolidis & Laconiæ: hodie vulgò *Muchli*.

Tekoitana vidua, p. 31. in vulg. editione 2. Reg. 14. v. 4. mulier Thecuitis; & Tekoanus, p. 44. ex urbe Thecua & Thecue: in tribu Juda, ætate S. Hieronymi vicus erat, nono ab Ælia milliario.

Telithon, p. 380. urbs Moabitica, ut ait Joſephus lib. 13. Antiquit. cap. 23.

Telmiſſus, pag. 154. & Telmeſſus pag. 286. urbs Lyciæ parum ab oſtiis Xanthi fluminis diſtans, quam Strabo l. 14. pag. 457. Lyciæ attribuit cum Promontorio cognomine; ibi portus tutiſſimus. Stephanus Byzantius in Caria ponit, forſan quia ultima erat urbium Lyciæ prope Cariam.

Telmiſſel, pag. 153. & Telmiſſenſes; gentilia prælaudatæ urbis nomina.

Temnus, p. 332. & Temnum oppidum p. 135. urbs Æolidis in Aſia minori ſita, ut ait Strabo lib. 13. p. 416. ad montana, quæ ſupra Cumanum, Phocæum & Smyrnæum jacent, per quæ Hermus fluit: prope Temnum colebatur Apollo Cynius.

Temnius, prælaudatæ urbis incola.

Tenedus, pag. 91. & 382. inſula Helleſponti, ubi Ægæo mari jungitur è regione Sigæi promontorii Troadis olim Leucophrys: hodie adhuc *Tenedo*.

Tenedii, p. 137. prælaudatæ Tenedi inſulani.

Tenus, p. 506. Inſula una Cycladum, in Ægæo mari, Inſulæ Delo ad Septentrionem: hodie etiam *Teno* nominata.

Tenis, p. 96. prædictæ inſulæ incolæ.

Tephon, p. 330. in vulg. edit. 1. Machab. 9. vers. 50. Thopo, Θωφὼν. in codice græco, una è civitatibus, quas Jonathas extruxit & munivit in Judæa.

Termeſſus, p. 222. urbs Piſidiæ, quæ & Termiſſus, in Carbalia haud procul à Lyciæ & Pamphyliæ confinibus.

Termeſſenſes, p. 284. cives prælaudatæ urbis.

Terracina, p. 584. urbs Latii antiqua, ſita ſuper montem, haud procul à mari à Volſcis Anxur appellata, quam aliqui Campaniæ tribuunt; hodie in planitie condita apud *Anſente* ſive *Baudino* fluvium; vulgò *Terracina* & *Terracina*.

Terum, p. 291. ad Pontum oppidum lege Tejum & v. ſuprà Pium.

Teuchira, p. 225. ipſa eſt Arſinoe, una è quinque urbibus Pentapoleos regionis in Libyæ Cyrenaica, de qua Ptolemæus lib. Geogr. 4. cap. 4. maritima ad Libycum mare, inter Berenicen & Ptolemaida.

Teucherita, præfatæ urbis cives.

Teucri, p. 90. priſcum nomen Trojanorum, nam Troja de qua infrà, priùs Teucris appellata fuit.

Teuthrania, p. 128. Myſiæ in Aſia minori civitas, ut refert Stephanus Byzantius, quam Strabo lib. 13. p. 423. ait ſitam inter urbes Elæam, & Pitanen, Atarneumque, & Pergamum, & ab unaquaque earum ampliùs 70. ſtadia diſtantem, intra Caicum fluvium.

Thabor, p. 266. ſive Atabyrium, &, ut apud ſeptuaginta Interpretes, Itabyrium & Itaburius mons Joſepho, quem Polybius Maſtoim vocat, mons in tribu Zabulon, in medio Galilææ campo.

Thabath, p. 18. apud ſeptuag. Interpretes ταβαθ. vigeſima terria manſio filiorum Iſraël in deſerto, inter Maceloth & Thare.

Thamna, p. 492. &

Thamnatha, p. 330. quæ etiam Themna, civitas primùm ſortis tribûs Juda, quæ ceſſit poſteà Tribui Dan: hodie *Thamin*.

Thammera, p. 121. urbs Medorum prope Caduſios.

Thapſacus, p. 134. & 164. paſſim malè Thrapſacus legitur, ipſa eſt Thaphſa de qua 3. Regum c. 4. v. 24. urbs Syriæ ad Euphratem poſita, juxta quam olim pons fuerat, ut ait Strabo lib. 16. p. 514. hodie Bebech, ut vult Thevetus.

Thapſus, p. 479. urbs Africæ maritima, juxta lacum cognominem, inter Adrumetum & Ruſpam cum portu, in Byzacena regione; hodie vulgò *Africa* vocatur, ſive *el Madia*, in regno Tunetano.

Thapſus, p. 136. locus apud Boſphorum Cimmerium; idem mihi videtur cum Thapſo, quem Stephanus Byzantius vocat Cherſoneſum in Iſthmi anguſtiis, hæc verba ſubobſcura Deo dante alibi explicabimus.

Thara, p. 171. vicus Parthorum vel potiùs Dara; qui à nonnullis Tanea vocatur.

Thara, p. 18. in vulg. Editione Num. 33. v. 27. Thare, vigeſima quarta Statio filiorum Iſraël in deſerto, inter Thahath & Methca.

Tharabaſa, p. 417. una ex urbibus, quas Alexander Jannæus Arabibus eripuerat.

Thaſus, p. 117. & 275. & Thaſſus p. 276. Inſula maris Ægæi, priùs Ætia dicta, Thraciæ vicina, prope oſtia Neſſi fluminis, circa Strymonicum ſinum, urbem ha-

bens cognominem, ab insula Lemno 5. millia passuum distans: hodie adhuc *Tasso*.

Thasii, p. 92. & alibi passim, Insulani prælaudatæ insulæ.

Thasus, p. 121. urbs Cariæ, de qua solus Diodor. pro Thasiis Cedrenenses legendum observat Usserius.

Theanum, p. 487. & Teanum urbs Italiæ, quæ cognomento Sidicinum, in Campania, in Colle, colonia olim, nunc *Thiano* & *Tiano*, in Terra Laboris.

Thebæ, p. 19. Ægypti Superioris civitas Thebaidis caput & metropolis, quæ aliàs Diospolis, & à centum portis Hecatompylos appellata, ad Nilum fluvium: hodie vulgò *Tevet*.

Thebæi, p. 381. hujus urbis accolæ.

Thebani, p. 12. & 134. ex Thebis, Bœotiæ in Græcia urbe quæ à Dicæarcho magnæ Thebæ appellatur; Strabo l. 8. p. 267. dicit Thebas Dircæas à Dirce fonte, & Asopides ab Asopo vicino fluvio cognominatas; sita erat in Planicie ad Ismenum amnem: nunc vicus vilis vulgò *Strives*.

Thebais sive Ægyptus superior, p. 8. regio amplissima ad Austrum & Æthiopiam versùs.

Thebes Campus, p. 134. ubi Diana Astyrina & p. 272. atque pag. 281. in Asia minori in Mysia, à Thebe urbe Adramyttio vicina.

Thebezum, p. 25. in vulg. editione Judic. 9. v. 50. oppidum Thebes; civitas cum turre in medio, erat in dimidia tribu Manasse quæ cis Jordanem, ætate S. Hieronymi vicus.

Thecoa desertum, p. 329. circa urbem Thecuam, vide verbo Tekoitana.

Themiscyra, p. 392. Scylax in Periplo asserit fuisse urbem, in Regione Asiæ minoris Assyriâ nuncupatâ ad litus Euxini Ponti & Thermodonti flumini ad occasum. Strabo l. 12. p. 378. de ea, tanquam de regione Cappadociæ loquitur. *Themiscyra*, inquit, *Planities est, quæ ab altera parte mari alluitur, ad sexaginta stadia ab Amiso*. Amazonum olim domicilium: urbs hodie *Lirio* aut *Themir* apellatur, sive *Temisera* aut *Fanagoria*, ut vult Pinetus.

Themiscyrenses hujus sive urbis sive regionis accolæ.

Theodosiani, p. 396. incolæ civitatis Theodosiæ, quæ in Taurica Chersonesо maritima, ad Pontum Euxinum & Istriani fluvii ostia, hodie *Caffa*, seu potiùs *Tusha* minoris Tartariæ caput. fuit olim à quibusdam Authoribus Theudosia appellata.

Θεοῦ πρόσωπον, p. 422. vide infrà Theuprosopon.

Thera insula, p. 61. quæ

Theramene, p. 274. insula una Sporadum in mari Cretico aliis ad meridiem, quæ & Calliste fuit appellata: hodie *Gozi*, ut asserit Marius Niger.

Therei, p. 61. præfatæ insulæ accolæ.

Therasia, p. 274. Insula pariter una Sporadum, Theræ vicina versùs occidentem, in mari Cretico: hodie *Santerini*, cum minore insula Therasia minor dicta, quæ postmodùm à majore avulsa fuit, sicque unica in duas divisa.

Thermaicus sinus, pag. 101. pars maris Ægæi, sive potiùs Macedonici, undique Macedoniæ partibus concluſus, in cujus intimo recessu sita Thessalonica, à qua Thessalonicensis est appellatus: hodie *Golpho di Salonichi*.

Thermodon, p. 174. & Thermodoon, p. 386. fluvius Cappadociæ sese in Pontum Euxinum exonerans; cui ad Occasum regio, quæ Pontus Galaticus, ad ortum Pontus Polemoniacus. Scylax in Periplo illum in Assyria minoris Asiæ regione collocat; Strabo lib. 12. p. 378. ei ad occidentem Themiscyram regionem dat, ad orientem regionem Sidenam; nec dissentiunt authores isti; circa hunc fluvium olim habitavere Amazones. Marius Niger ait nunc *Permon* appellari.

Thermopylæ, p. 95. sive simpliciter Pylæ, angustiæ sive angusta via; viginti & quinque tantùm pedes lata; sub radicibus Oetæ montis, ubi à Phthiotide regione ad Locros Epicnemidios transitur; in Græcia, haud procul à Maleæ sinu: hodie *Bocca di Lupo*.

Thermopylenses pugna, ad Thermopylas, ubi Leonidas Spartæ Rex cum 300. militibus toti Xerxis exercitui restitit.

Thesmophorium, p. 271. locus apud Alexandriam Ægyptiam.

Thespienses, p. 96. qui ex urbe Thespiæ nuncupatâ, quæ in Bœotia ad radices montis Heliconis versùs Austrum, ut affirmat Strabo lib. 9. p. 282. haud procul à Crissæo sinu, ejus navale erat Creusa: hodie vicus *Thespe* nominatus.

Thessalia, p. 93. regio Europæ, quæ, ut refert Strabo lib. 9. in fine, priùs Pyrrhæa, Æmonia, & Nesonis dicta, & Pelasgia, ut addit Stephanus Byzant. quæ ut idem Strabo p. 296. pars Græciæ, ab ortu mari Ægæo exposita erat à Thermopylis usque ad Peneum fluvium; à Septentrione Macedoniam habens conterminam, ad occasum vicinos Epiri populos; & Pindum montem, qui eam pariter à meridie terminat sicut & Dryopes, & Ænianes, & Locri: hodie vulgò *Janna*.

Thessalus, p. 123. Thessaliæ indigena.

Thessalonica, p. 257. priùs Therma, nec non Halia dicta, civitas Macedoniæ amplissima, & emporium celeberrimum, in intimo Thermaïci sive Thessalonicensis sinûs recessu, maritima; quam Zonaras Emathiam vocat: nunc vulgò *Saloniebi*.

Thessalonicenses, cives prælaudatæ urbis.

Thestis fons, p. 73. prope Irasam; ubi postèà Cyrenes Libyæ condita, de qua suprà.

Theudosia, p. 423. eadem quæ Theodosia, vide suprà Theodosiani.

Theuprosopon, p. 265. sive Θεοῦ πρόσωπον p. 422. Promontorium cum urbe cognomine, in Phœnicia, ad mare Syriacum inter Tripolim & Botryn: quod faciem Dei significat. de eo Ptolemæus Geogr. l. 5. c. 15. p. 137. à Brocardo *Neuphrus* appellatum.

Thogari aut Tochari, p. 355. gens Scythica, intra Imaum montem, videntur esse iidem ac Tachoti in Ptolemæo, circa Jaxartem fluvium.

Θούλη Thule, celebris occeani Septentrionalis insula: cujnam nostri ævi insulæ respondeat disceptant authores: communior opinio est fuisse eam, quæ nunc *Islandt* appellatur.

Thracia, p. 18. Europæ regio, habens à Septentrione Hæmum montem, quo à Mœsia separatur, ab oriente Pontum Euxinum & Propontidem, ab Austro mare Ægæum, ab occidente Nestum fluvium & Pangæum montem, quo à Macedoniâ submovetur; nunc vulgò *Romania*, Europæa Thracia appellatur p. 128. ut distinguatur à Thracia Bithyniæ.

Thrax, p. 322. & Thraces p. 18. Thraciæ populi.

Thraces Bithyni, pag. 118. & 121. qui ex Europa in Asiam minorem transmigrantes, Bithyniæ partem incoluere.

Thraces Brygi, p. 92. potiùs Brigi aut Briges; licèt Thraces prisco nomine Brigi sint dicti; hic tamen intelligendi sunt Thraces Macedoniæ conterminі, nam Stephanus Byzantius observat, quòd Briges gens Thraciæ Macedones appellabantur & Phryges.

Thracia Chersonesus, p. 92. vide Chersonesus Thraciæ.

Thracia, quam Comen vocant, p. 389. ex Historia constat fuisse vicum, cui nomen Thracia, Cyzico (de qua suprà) civitati proximum.

Thrasymenus lacus, p. 267. & Trasimenus, inter Perusiam & Cortonam, qui à locis vicinis: modò *Lago di Perugia*, tum *Lago di Prassignano*, & *Lago di Castiglione* appellatur, in Hetruria.

Thorax, p. 128. mons Aſiæ minoris prope Magneſiam quæ ad Mæandrum, Cariæ urbem, haud procul ab Ionia.

Thurium, p. 107. quæ priùs Sybaris, & poſteà Copiæ dicta; Italiæ urbs in magna Græcia; penitùs excisa, locus eſt prope ſinum Tarentinum, in Calabria citeriori, inter amnes *Sibari* & *Crate*, etiam adhuc *Sibari rovinata* dictus.

Thurini, p. 115. hujuſce urbis cives.

Thyatira, p. 172. civitas Lydiæ, quæ, ut refert Stephanus Byzantius, priùs Pelopia, & Semiramis, & Myſorùm Eſchate (id eſt extrema) vocabatur, ad Lycum fluvium; nunc vulgò *Tire* vel *Tyre*.

Thyatireni campi, pag. 182. circa prælaudatam civitatem.

Thyniaca Thracia ſive Aſiatica, p. 252. maritima Bithyniæ pars, quæ

Thynides terra ibid. in Bithynia, ubi Thyni ſive Tini, inter Propontidem & Pontum Euxinum, ubi Thraces Bithyni, de quibus ſuprà.

Thyrai, p. 183. populi Indiæ, Cis Choen fluvium.

Thyrſius Abdemon, p. 129. legendum reor Tirſæus ab urbe Tirſæ, in Mygdonia regione Macedoniæ.

Tibareni, p. 127. & 396. Aſiæ minoris populi, quos Scylax in Periplo inter Moſſynæcos versùs Orientem, & Chalybes (ſive Chaldæos) versùs occidentem ad Pontum Euxinum collocat, quorum regio à Stephano Byzantio Tibarenia nominatur: illos Strabo lib. 12. pag. 578. ſuper Trapezuntem & Pharnaciam ponit; partem Cappadociæ maritimam incolebant.

Tibareni, p. 454. populi Ciliciæ ſive Eleutherocilices ad Amanum montem, Pindeniſſenſibus finitimi.

Tiberiadis lacus, p. 266. v. Genezareth aqua.

Tiberias urbs, p. 623. urbs, quæ dicta olim Cenereth & Cenereth, in Tribu Zabulon, Galilææ aliquando metropolis, & una ex urbibus Decapoleos, ad litus maris, cui nomen dedit; vulgò hodie *Tabarie* teſte Nigro.

Tiberienſis Juſtus, p. 8. ex hac Tiberiade urbe oriundus ut affirmat Stephanus Byzantius.

Tiberis fluvius, p. 326. qui etiam Tyberis, fluvius Italiæ notiſſimus Hetruriam olim ab Umbria, Sabinis & Latio ſeparans, qui Romam alluens, ad oſtia ab eo Tiberina dicta mare Tyrrhenum ingreditur: hodie vulgò *il Tevere* Gallis *le Tibre*.

Tibur urbs olim Latii, ad Anienem fluvium ſita, ſuper collem, nunc vulgò *Tivoli*, 16. Milliariis Româ diſtans versùs Orientem.

Tigranocerta, p. 384. urbs majoris Armeniæ, ad Nymphæum fluvium, in Aſſyriæ confinibus; creditur fuiſſe eam, quæ hodie *Bitlis*.

Tigris, p. 60. & 80. fluvius Aſiæ celeberrimus, qui è montibus Armeniæ erumpens, ad meridiem labitur per Aſſyriam, illam à Meſopotamiâ ſeparans, Euphratemque ab occaſu recipiens, tandem in ſinum Perſicum influit; varia habuit nomina, inter quæ Hiddekel & Paſitigris, de quibus ſuprà.

Timnath-ſera civitas, p. 24. quæ & Timnathana, in vulg. edit. Joſue 19. v. 50. Thamnath Saraa, civitas in monte Ephraim, à Septentrionali parte montis Gaas, ſub Romanorum Imperio Thamnatica dicta, à Joſue condita, in tribu Ephraim, una ex undecim Toparchiis Judææ.

Timonis in obliquo Caſu Timonidis, p. 387. Regio minoris Aſiæ. Strabo lib. 12. p. 387. ſic ait *Partem, quæ Bithynia eſt conterminæ, Timoniten vocant*, illa tamen ex Hiſtoria videtur Cappadociæ versùs ortum confinis.

Timonium, p. 539. domus in mari, protecto in altum aggere, ad Pharum, extra Alexandriam ab Antonio conſtructa.

Tirathaba vicus, p. 613. apud Garizim montem in Samaria.

Tiphſachum, p. 46. col. 2. in vulg. edit. 4. Regum cap. 15. v. 16. Thapſa, apud Septuag. Interpretes pro Thapſa legitur Theiſa, aut itaque eadem cum ipſa eſt, aut ei vicina, civitas in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem.

Tius, p. 252. & apud Strabonem Teium, urbs Paphlagoniæ ad Pontum Euxinum, inter Heracleam & Amaſtrim ab hac 20. ſtadia, ab illa 370. diſtans ad fluvii uſque Bilæi ſive Bilis oſtia.

Tiani, p. 253. prælaudatæ urbis cives.

Tirza, p. 34. & Thirza p. 36. col. 2. in vulgata editione 3. Reg. cap. 14. v. 17. & cap. 16. verſu 8. Theiſa, civitas olim regia, poſteà in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem, dein facta eſt ſedes regia regum Iſraël, ad regnum Amri regis.

Tmolus mons, p. 89. qui Timolus ac Tymolus, nec non Carmanorius; in Phrygia majori ſitus, apud Lydiæ fines cui etiam attribuitur; vulgò *Tomalitze*, ut ait Leunclavius.

Tobi terra, p. 320. & 321. in vulg. edit. Judic. 11. v. 3. terra Tob. regio in extrema parte Galaaditidis, in tribu Gad.

Tochari, vide Thogari.

Toletanus, p. 516. ex Toleto urbe, quæ Colonia olim Hiſpaniæ Tarraconenſis in umbilico, Carpetanorum caput, ad Tagum fluvium: nunc Toledo in Caſtella nova.

Toliſtobogii, p. 256. Toliſtoboli & Toliſtoboii p. 284. populi, qui è Galliis in Aſiam minorem venientes, regionem ejus ab eis Galatiam dictam incoluere, de quibus ſic Strabo lib. 12. p. 390. Toliſtobogii conter„ mini ſunt Bithyniæ & Phrygiæ quæ Epictetus dici„ tur; Caſtella eorum Blucium & Peium.

Tomi in Ponto, p. 579. urbs Myſiæ inferioris, ad Pontum Euxinum ſita, inter Iſtropolim ad Boream & Callatiam ad Auſtrum poſita; quam nonnulli nunc *Conſtantia* nominari putant, alii æquiori jure eſſe *Tomiſvvar*. Regio verò paſſim Pontus, paſſim Myſia, poſteà Scythia parva, dein Bulgaria nominata fuit.

Tomitæ, hujuſce urbis accolæ.

Torone, p. 303. urbs Macedoniæ, in Chalcidica regione, maritima ad Sinum ab ea Toronaicum dictum; illam Thraciæ tribuit Stephanus Byzantius; hodie *Longo*, ut ait Sophianus, *Caſtel rampa* vocat Pinetus.

Toroneus Critobulus origine Chalcidenſis, p. 98. ex præfata urbe Torone.

Trachonitis, pag. 400. Trachon, p. 555. Trachonitica, p. 569. & Lyſaniæ Tetrarchia, p. 553. regio trans Jordanem, in dimidia tribu Manaſſe, inter Jordanem ad occaſum & Arabiam deſertam ad ortum, Libano monti & Cœleſyriæ ad Aquilonem conterminа, ad Tiberiadis mare uſque protenditur, ſic dicta, quòd locis aſperis ſive montoſis referta ſit; Tetrarchia facta.

Trachonitæ, p. 562. & Trachonis incolæ, p. 553. ejuſdem regionis indigenæ.

Tragia inſula, p. 108. maris Ægæi, quæ ex Thucydide lib. 1. pag. 75. videtur fuiſſe prope Samum & Ioniam. Stephanus Byzantius Tragæam vocat, Cycladibuſque vicinam dicit Strabo lib. 14. pag. 437. de Tragæis prope Miletum loquitur; ſed inſulæ non exprimit nomen.

Tralles Ioniæ, pag. 128. oppidum; & pag. 232. urbs quam Stephanus Byzantius Trallim vocat in Lydia ad Mæandrum amnem, quæ priùs Antheia & Eurymna

dicta ; illam Plinius lib. 5. cap. 29. Evanthiam, Seleuciam & Antiochiam appellat: nunc *Chora* Marius Niger.

Trallianus, prælallatæ urbis civis.

Tranſamnenſes, p. 625. Judæi trans Jordanem amnem habitantes; inter Jordanem & Arabiam.

Trans Euphratem Armenii, p. 460. populi majoris Armeniæ, de qua ſuprà.

Trans Euphratenſes regiones, p. 250. ſive τὰ ἄνω ἔθνη, nationes, quæ in ſuperioribus regionibus ſunt ; id eſt in Meſopotamia & majore Armenia.

Transfluvialis, p. 51. col. 1. rex Aſſyriæ in vulg. edit. Iſayæ 7. v. 20. legitur, *his, qui trans flumen ſunt* ; hoc nomine Euphrates fluvius intelligitur, de quo ſuprà.

Trapezus, p. 127. & 424. quæ priùs Oezenis dicta, urbs quam Scylax in Periplo apud Macrocephalos populos collocat, Græca urbs in Colchorum regione poſita in Xenophonte ; ad littus Ponti Euxini ſita eſt, ad Cappadociam ſpectans, in confinibus Colchidis & minoris Armeniæ: nunc vulgò *Trebizonde*.

Trax, p. 419. caſtellum & receptaculum latronum, in Jerichuntis ingreſſu, de qua ſuprà.

Trecenſis, p. 148. ex urbe, quæ Trecæ, quæque olim Auguſtobona, Tricaſſes, & Auguſta Tricaſſinorum in Galliarum provincia Lugdunenſi quarta, ſuper Sequanam fluvium; hodie *Troyes*, in Campania.

Triballi, p. 151. populi Moeſiæ inferioris, inter Iſtrum fluvium ad Aquilonem, & Hæmum montem ad Auſtrum, Ciabrum fluvium ad ortum, Dimenſios & Læſtas populos ad occaſum ; qui cum illis Bulgari appellantur ; & adhuc hodie Bulgaria regio.

Trieris, p. 265. urbs Phœniciæ circa Berytum & Byblum, de qua Polybius Hiſtor. lib. 5. p. 412. illam Syriæ urbem dicit Stephanus Byzantius.

Triopium, p. 92. urbs Cariæ cum promontorio cognomine, quod idem nomen mari vicino indidit, prope Cnidum venùs Aquilonem ; promontorium hodie *Capo Chio* vocitatur.

Triparadiſus, p. 214. & 218. urbs Syriæ ſuperioris, quæ in Commagena fuiſſe videtur, diverſa proinde à Paradiſo urbe, de qua Ptolemæus.

Tripolis, Phœniciæ p. 157. Syriæ, p. 326. urbs Phœnices, ſic vocata, inquit Stephanus Byzantius, eo quòd ex tribus urbibus habuit Colonias, videlicet ex Arado, Tyro & Sidone, maritima & emporium olim celeberrimum, ſub Libano monte ; nunc ab incolis *Tarabolos* dicitur, ut aſſerit Gabriel Sionita cap. 10.

Tripolitanus, ejuſdem urbis incola.

Tritonis palus, p. 466. in Africa ad præterfluentem Tritonidem amnem, qui apud Syrtim minorem mare Africum ingreditur : hodie *Lago di Caps* Marmolio.

Troas, p. 70. regio, & urbs, pag. 90. Aſiæ minoris, olim pars Phrygiæ; ipſa eſt, quam Stephanus Byzantius Trojam vocat, quæ, ut ait, priùs Idva, poſtea Teucris, deinde Troja, tandem Troas, excidio urbis Trojæ notiſſima, fuit etiam cod. authore Teſte Trojas, & Dardania & Xanthe dicta.

Troadenſis, p. 258. hujuſce tum urbis, tum regionis indigena.

Trocmi, p. 256. populi Galliarum, qui in Aſiam minorem tranſeuntes ; partem regionis ab eis Galatiam dictam incoluere, de his Strabo lib. 12. p. 390. *Sic Trocmi Ponto & Cappadocia confinia poſſident*--tria ipſis ſunt caſtella muris cincta Tavium----Mithridatium---- terrium Danala.

Troglodyta, p. 529. Troglodytici p. 260. qui etiam Succæi p. 55. col. 1. populi quorum

Troglodytice, p. 553. regio Africæ ſive Ægypti ad littus Occidentale ſinûs Arabici, à Ptolemaïde Ferarum, quæ nunc *Suaquen* ad promontorium Aromata dictum, quod hodie *Cap de Gardafux* : hoc littus vocatur *d'Abex* ſive *d'Abexim* pàrtque Orientalis eſt Imperii Abyſſinorum.

Troja, p. 26. à Græcis expugnata anno mundi 2820. vide ſuprà Ilium.

Trojana clades, p. 13. expugnatio Ilii.

Tſalmona, p. 20. in vulg. edit. Num. 33. verſu 41. Salmona, trigeſima quinta manſio filiorum Iſraël in deſerto, inter montem Hor & Phunon, in finibus terræ Edom.

Tubieni, p. 320. & 321. in vulg. edit. Machab. 2. cap. 12. v. 17. *in Characa ad eos qui dicuntur Tubianæos Judæos*. terram Tobi incolentes, de qua ſuprà.

Tuitienſis, p. 353. ex pago, cui nomen Tuitium, in Germania contra Coloniam Agrippinam, ad Rheni ripam ulteriorem, vulgò *Deutſch*.

Turris Stratonis, p. 361. vide ſuprà Cæſarea ; fuit quoque apud Hieroſolymam turris altera Stratonis agnominata.

Tuſci, p. 207. populi cujus regio pars erat Hetruriæ, de qua ſuprà.

Tuſcum mare, p. 207. ſive Tyrrhenum pars Mediterranei maris, quæ Italiæ eſt ad meridiem, littoribus inſularum Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ incluſa ; quæ etiam mare Inferum appellatur.

Tuſculanum, p. 444. ubi agitatæ Tuſculanæ quæſtiones p. 431. villa Ciceronis ; in Latio, quam Cluverius infrà Tuſculum (*Frascati*) collocat versùs meridiem ad aquam Crabram ; non ut alii, in loco S. *Maria di Gretta Ferrata* dicto.

Tuſculani mons, p. 443. prope Tuſculum vetus, inter ipſum & montem Albanum ad cujus radices eſt urbs vulgò *Frascati* quam Cluverius conteſtatur diverſam à Tuſculo vicino.

Tyaneus Diodotus, p. 559. Stephanus Byzantius aſſerit Tyanam urbem mediam fuiſſe inter Ciliciam & Cappadociam, & ſub Tauro monte poſitam, juxta Cilicias portas (de quibus ſuprà) & Thoanam etiam appellari.

Tyba, p. 453. locus ultra Euphratem, eique vicinus, in Meſopotamia.

Tybarna, p. 132. urbs eadem ſanè, quæ apud Stephanum Byzantium Thymbeara Lydiæ, haud procul à Pactolo fluvio, Sardium civitati ad meridiem.

Tyla, p. 253. Tylis Stephano Byzantio, urbs Thraciæ, Hæmo monti vicina.

Tylus, p. 209. Inſula in ſinu Perſico, unius diei ac noctis navigatione ab Euphratis (ſive Tigris) oſtio diſtans; quæ à Strabone, Stephano, Euſtathio & aliis Tyrus appellatur, in mari rubro ; de illius ſitu authorum variæ opiniones, & ejus amplam deſcriptionem habet Bochartus parte 2. lib. 1. cap. 45.

Typhonis exhalationes, p. 442. v. Barathra.

Tyrrheni, p. 78. populi Tyrrheniæ, vide ſuprà Hetruria.

Tyrſa, vide Tirſa.

Tyrus, p. 19. & 138. civitas in tribu Aſer maritima, ſuper rupem ſtructa, quæ, quia mari undique cincta, à Stephano Byzantio inſula aſſeritur, totius Phœniciæ metropolis ; Sarra quondam dicta, & *Sur* „ etiam nunc appellatur. Priore ſuâ inſulâ poſtmodùm „ non contenta, continens effecta terminos ſuos ita „ dilatavit, ut Plinii ætate oppidum ipſum 22. ſtadia „ obtinuerit, circuitus 19. paſſuum millia, intra Palæ„ tyro incluſâ.

Tyrii, prælaudatæ urbis incolæ.

Tyrus, p. 289. caſtrum munitum trans Jordanem, in finibus Arabiæ & Judææ trans Jordanenſis, non procul à regione Heſſebonitide poſitum.

Tyſcon vicus, p. 285. minoris Aſiæ, haud procul ab Alandro flumine, in Phrygia, ut videtur majori.

Tzinis deſertum, p. 19. in vulg. edit. Num. 20. v. 1. *deſertum Sin* & cap. 33. v. 36. *deſertum Sin hoc eſt Cades*; vide ſuprà verbo Sinis deſertum.

V.

Vangiones, in Præfat. Populi Germaniæ ſuperioris, ad Rheni fluminis ripam ſiniſtram & occiduam, quorum Caput Bormitomagus olim, quæ nunc Wormatia; vulgò *Worms*.

Velia ſive Hyela in agro Oenotriæ, p. 78. quæ etiam Helea, urbs Lucaniæ, maritima, ad maris Etruſci ſinum Eleatem, ubi nunc oppidum *Piſciota* dictum, in principatu citeriori.

Veneti, p. 377. populi Italiæ, quorum caput Venetiæ ſive Venetia urbs, poſt Aquileiæ excidium extructa, inter ſtagna Hadriatica, ſuper palis in terra ſub aqua defixis, nunc emporium celeberrimum & ſuæ Reipublicæ caput vulgò *Veniſe*; veteres olim Venetorum termini à Septentrione Rhætia à qua Alpibus ſeparabatur, ab Oriente Iſtria & mare Adriaticum, ab Auſtro Flaminia inter utramque decurrente Pado fluvio; ab occaſu Inſubria; nunc alios habent terminos.

Veronenſis, p. 559. ex urbe Italiæ Veronâ, quæ Colonia olim & urbs Cenomanorum, ad Atheſim fluvium; nunc adhuc *Verona* in Venetorum dominio.

Vienna Galliæ, p. 578. ſive Vienna Allobrogum, olim Viennenſis Provinciæ metropolis, ad Rhodanum fluvium, ubi Gera *Gere* fluvius illum ingreditur: hodie *Vienne* in Delphinatu.

Vlatha, p. 556. apud Joſephum Antiquit. lib. 15. cap. 13. p. 543. Οὐλάθα, urbs inter Trachonem id eſt Trachonitidem & Galilæam; videtur fuiſſe in Auranitide, quam Octavianus Auguſtus Zenodoro ademptam dedit Herodi; ſicut Ulatham ac Paneadem.

Vlaius fluvius, p. 65. & 76. ſive Eulæus & Eulæus; in vulg. edit. *Vlai*. fluvius Perſidis, qui apud Herodotum lib. 5. Choaſpes, quique ortus in Medis, in Auſtrum decurrens, Suſa urbem circumfluit, cujus una portarum à fluvio, porta Ulai dicebatur; fluvius verò Suſianam regionem ab Elymaïde diſterminans, in ſinum tandem Perſicum aquas evomit.

Vnchas, p. 157. duorum Stathmorum intervallo ab Amanicis portis versùs Thapſacum, in Syria idem locus, qui ſuprà Sochos.

Vr Chaldæorum, p. 5. apud Septuaginta Interpretes Gen. 11. verſu 31. pro his verbis legitur *è regione Chaldæorum*; quæ regio Meſopotamiæ erat, ut conſtat ex Act. cap. 7. verſu 2. ſub ditione haud dubiè Chaldæorum, Caſtrum nihilominùs ad Tigrim erat Ur appellatum, ut conſtat ex Ammiano Marcellino.

Vrania, p. 238. ſive *Ipania* urbs Cypri inſulæ, in ora Septentrionali, urbi Carpaſiæ vicina, forſan *Aipania* Ptolemæi.

Vſpe urbs, aliàs Viſpa, p. 628. loco edita, mœnibus ac foſſis munita, apud Siracos, de his ſuprà.

Vſpenſes, ejuſdem urbis cives.

Vtica, p. 479. quæ & Iryca, urbs & colonia Africæ, maritima; ex authoribus, potiores credunt fuiſſe, ubi nunc urbs *Benſert* appellata.

Vticenſis, p. 422. gentile nomen hujuſce urbis.

Vxiorum regio, p. 168. & gens, pagg. 169. & 206. finitima Suſis versùs Orientem, quæ à Strabone lib. 15. pag. 501. Οὔξιοι *Vxii* prope Perſidem, cui eſt ad occaſum, & Elymæos versùs Aquilonem.

X.

Xanthus urbs, p. 153. & 275. urbs Lyciæ maxima, ad Xanthum fluvium 70. ſtadia ab ejus oſtiis, de qua Strabo lib. 14. p. 458. hodie vulgò fluvii nominibus donatur, *Sirbi* & *Sante*.

Xanthus, p. 153. Lyciæ fluvius, qui ab ejus finibus Septentrionalibus prope Cabyra naſcens, & in Auſtrum defluens, urbem cognominem alluit, & ab ea ad 70. ſtadia mare mediterraneum ingreditur; fuit etiam *Sirbis* dictus, hodie *Sante*.

Xanthii, p. 291. prælaudatæ urbis cives.

Xathri, p. 195. gens Indorum libera, circa Indum, ut videtur, fluvium ejúſque partes ſuperiores.

Xenippa regio, p. 181. majoris Aſiæ Scythiæ confinis; inter eam, ut videtur, & Sogdianam.

Xylinopolis, p. 199. urbs ab Alexandro condita, in Pattalena, ut veroſimillimum eſt, regione, & ad Indum amnem; à qua urbe navigationem ſuam inchoavere Nearchus & Oneſicritus.

Xyſtus, p. 650. apud Hieroſolymam civitatem, Porticus atrii gentium in templo, in modum pontis lapidei, ſuper plateam publicam, per quam à palatio Pilati in Antoniam arcem, & inde in templum tranſitus erat.

Z.

Zabadai, p. 342. vide Nabathæi.

Zabulon tribus, p. 27. & Zabulonis terra & Zebuluni tribus p. 53. una è tribubus filiorum Iſraël, ſita in Galilæa inferiori, à Mari magno occaſum versùs, ad mare Galilææ versùs ortum protenſa, habens conterminas ad Aquilonem tribum Aſer & tribum Nephthali, ad meridiem verò tribum Iſachar.

Zarangæi vel Zarangi, p. 197. vide ſuprà Drangæ.

Zariaſpa, p. 179. vide Bactra.

Zara, p. 380. urbs Moabitica, quam Alexander Jannæus Arabibus ceperat, forſan ad torrentem Zared, in tribu Ruben Moabitide regione.

Zaris, p. 122. urbs, quæ, ex Cteſiæ hiſtor. Mediæ, aut regionis vicinæ.

Zebulunis tribus v. ſuprà Zabulon.

Zela, p. 31. & 409. urbs Ponti Polemoniaci Sacea cognominata, quia, ut ait Strabo lib. 11. p. 352. à Sacis condita, de ea idem fusè lib. 12. p. 385. ubi dicit vicinam regionem Zelitim nuncupatam, de ea Ptolemæus Geogr. lib. 5. cap. 16. p. 126.

Zenodotia, p. 444. urbs Oſrhoenes regionis, in Meſopotamia, prope Nicephorium urbem; à Stephano Byzantio Zenodorium appellatur.

Zephyrium, p. 224. urbs Ciliciæ maritima, cum promontorio cognomine, de quo Strabo lib. 14. p. 461. ad Calycadni fluminis oſtia, inter Celenderim & Corycum; vulgò *Tarſu*.

Zeredi torrens & vallis, p. 18. in vulg. editione Deut. 2. v. 13. torrens Zared, vallis in tribu Ruben cum torrente, qui ab ortu in occaſum, inter Petram deſerti & Dibongad decurrens, Mare mortuum ingreditur.

Zeudracarta ſive Zadracarta, p. 174. Hyrcaniæ urbs maxima; Ptolemæus Geogr. lib. 6. cap. 9. p. 158. Hyrcaniæ regionis metropolim Hyrcaniam vocat; quæ diverſa non videtur à Zeudracarta.

Zeugma, p. 263. & 383. urbs Commagenes regionis, ſic, ut refert Theodoretus in SS. Patrum Hiſt. à Xerxe conditore appellata, quia ibi fluminis Euphratis littora, ponte è navibus facto, junxerat.

Ziclagum oppidum, pag. 29. in vulg. editione 1. Paralip. 12. v. 1. Siceleg, civitas primùm ſortis tribûs

Judæ, poſteà tribus Simeon, in ejus mediullio; poſſeſſa nihilominùs à Philiſtæis.

Zipoetes, p. 251. urbs Bithyniæ, quam Stephanus Byzantius Zipœtium vocat, ad Lyperum montem ſita; de eo ſuprà.

Zoar, p. 5. v. Bela.

Zoara, p. 417. una ex urbibus, quas Alexander Jannæus Arabibus eripuerat; non inde inferendum fuiſſe aut trans Jordanem, aut in Arabia, forſan Zoar, de qua ſtatim, quæ etiam Zooara fuit appellata, à S. Hieron. in 14. Geneſeos Zoara.

Zora, p. 27. in vulgata editione (Judic. 16. v. 31.) Saraa, quæ & Sara & Sarga, ac Sarea, civitas primùm in ſorte tribûs Juda, ſed poſtmodùm tribui Dan data, Samſonis patria; ætate S. Hieronymi, vicus in finibus Eleutheropoleos, contra Septentrionem pergentibus Nicopolim.

Zoſter Atticæ Iſthmi promontorium, p. 97. in ſinu Saronico ſive Salaminiaco; Stephanus Byzantius dicit Zoſterem eſſe ipſum Atticæ iſthmum, de quo ſuprà.

Zoſtera lege Zoſtera p. 451. ſic enim legitur apud Ciceronem Epiſtolâ ad Atticum 99. libri verò 5. ordine duodecimâ. hic verò locus idem eſt cum præcedenti.

Zuzæi, p. 6. in vulgata editione Geneſ. 14. verſu 5. & *Zuzim cum eis* apud Septuaginta Interpretes καὶ ἔθνη ἰσχυρὰ μετ' αὐτῶν. *& gentes robuſtas cum eis*. S. Hieronymus in hunc locum Geneſeos dicit dictionem Hebraam בם *eis* reſpondentem *in eis* ſignificare quando per ב *be* ſcribitur; ſed ibi per ם *beth* ſcriptam locum ſignificare ſicque legit *Zuzim in Ham*, hanc terram Ham ſive Hom, (quam incoluerunt gentes robuſtæ ſive Zuzzi) collocat Adrichomius in parte Auſtrali tribûs Gad, inter Dibon & Aroer.

Zygii, pag. 418. gens Aſiæ Ponto Eutino adjacens, circa Boſphorum Aſiæ, id eſt Cimmerium, inter ipſum & intimum Ponti Euxini receſſum; de his Strabo lib. 11. pag. 339. ubi Ζύγιοι & pag. 342. ubi & Ζύγιοι & Ζύγοι vocantur, illos inter Achæos ad occaſum & Heniochos ad ortum collocat; quibus Pontus Euxinus ad meridiem, & Caucaſus mons, ad cujus radices (aut potiùs in quo) ſunt, ad Septentrionem; apud Stephanum Byzantium legitur, *ipſorum videtur fuiſſe urbs Zygopolis apud Trapezuntem* detruncatus eſt textus, & de aliis Zygis eſt intelligendus.

Indicis Secundi ſive *Geographici Finis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI USSERII
ARMACHANI
CHRONOLOGIA SACRA.

Seu

ANNORUM ET ΠΑΙΔΟΠΟΙΪΑΣ PATRIARCHARUM,
παροικίας Israëlitarum in Ægypto, Annorum etiam Judicum,
Regum Judæ & Israëlis Ἀπόδειξις

CHRONOLOGICA.

OPUS POSTHUMUM HUCUSQUE Α'ΝΕ'ΚΔΟΤΟΝ.

Editionem accurante *THOMA BARLOVV*
Coll. Reg. *Præpoſito*, & B. B. P.

JUXTA EXEMPLAR OXONIENSE.

VIRO AMPLISSIMO ET AMICISSIMO
Dno. TIMOTHEO TYRRELL
EQUITI AURATO,

& (quod majus eſt) Magni ARMACHANI τῷ μακαρίτῃ, Genero digniſſimo, Εὐσεβοῦς.

VIR AMPLISSIME,

Sacram JACOBI USSERII *(Soceri tui) Chronologiam, quam non adeò pridem fidei meæ manuſcriptam commiſiſti, ingeniosâ preli induſtriâ excuſam, & (uti ſpero) emaculatam refero. Nempe (quod probè noſti) Librum* meum *in Clientelam tuam non commendo, Amplitudini tuæ non inſcribo, conſecróve; ſed* tuum, *apud me depoſitum, reddo. Tuum (inquam) nam licèt Reverendiſſimum Hiberniæ Primatem ejus Authorem novimus, (quod ex totâ libri indole & genio, ex multiplici & reconditâ eruditione, ex ſcripturâ Codicis Originalis, manu propriâ doctiſſimi Archi-Præſulis exarati, abundè conſtat,) Te tamen (ex dono Authoris) bonæ fidei Poſſeſſorem agnoſcimus. Pientiſſimus enim ſenex, & ſacrâ Infulâ digniſſimus, (Socer tuus) Muſæi integri, (cujus pars non exigua erat hæc ſacra Chronologia) Armarii nempe ſui (Codicibus infinitis penè, & optimis, (quà excuſis, quà manuſcriptis) inſtructiſſimi, Te hæredem ſcripſit. Nec mirum, ſi Bibliothecam ſuam moriens ſupremis Tabulis tibi legavit, qui vivens filiam, quam habuit unicam, (fœminam optimam, & tanto Parente digniſſimam, virtute pariter & prole numerosâ, ac pulcherrimâ fœcundam) matrimonio copulavit. Habe igitur tibi* Tuum *peculium, & Soceri tui opus poſthumum (eâdem quâ te, tuóſque benevolentiâ perpetuò complexus eſt ſanctiſſimus ſenex) fove. Te incolumi, orbus non erit hic Tractatus, magni* Armachani *fœtus γνήσιος & genuinus, licèt (quod dolemus) poſthumus. Dum enim Chronologiæ ſacræ Arcana examine ſcrupuloſo rimatur, dum ænigmata illa ἄπορα & ἀδιάλυτα, in Annorum veteris Inſtrumenti ſupputatione, & Nodos Gordios diligentiâ pertinaci (ſed & victrici) ſolvit, dum Patriarcharum Regúmque Iudæ & Iſraëlis tempora explicat, dum libris inhæret, & chartis perdius & pernox impalleſcit, labore jugi & ſenio confectus, tandem tempori & terris valedixit, & (quam inſigni pietate, & multiplici virtute priùs meruiſſet) æternitatem induit. Sic vitam abſolvit, non ita Chronologiam; cui manum ultimam non adhibuit, (licèt ultimus eſſet doctiſſimi antiſtitis conatus, & quaſi lucernæ mox emorituræ ſupremus fulgor) cùm ipſe ad Cælum priùs, quàm Tractatus hic ad Umbilicum pervenerit. Dolendum ſanè, quòd ſacrum hoc opus, plaudente cælo inſtitutum, ſuperſtes non conſummaverit:*

gaudendum tamen, quòd in juſtas Veritatis divinæ vindicias, & non exiguum Reipub. Literariæ & Eccleſiæ Chriſtianæ commodum, eouſque perduxerit. Dubia enim illa, quæ in antiqui fœderis inſtrumento occurrunt plurima, difficillima illa quidem, quæ non ſolùm Novitiis, ſed ipſis Chronologiæ Myſtis ἄλυτα videbantur, mirâ dexteritate, & facilitate quâdam ſuâ, ſolvit: ſcopulos illos Chronologicos, ad quos Commentatores, aliique magni nominis ſcriptores illiſi, non ſolùm lapſu, ſed ruinâ proſternebantur, ipſe cautiùs evitavit, imò (ne aliis poſtmodùm impedimento eſſent, vel damno) ſuſtulit. Adeò ut jam Nautæ (licèt Palinuri non ſint) ipſum Chronologiæ ſacræ Oceanum, non ſolùm ſine naufragio, ſed & penè ſine periculo ſecuri navigent. Ingens hoc beneficium Deo debemus, & Uſſerio; de quo Maronis illud de Æneâ, verbis (ὡς ἐν παρῳδίᾳ) paululùm immutatis, apponam.

Dramen de Æneâ apud Virgilium, Æneid. 10.

O famâ ingens, ingentior arte
Armachane, quibus te cœlo laudibus æquem?
Doctrinámve tuam mirer, doctóſque labores,
An pietas laudanda priùs?

Sed de tanto Præſule ſilere præſtat, quàm pauca dicere: cùm talis ſit (quod olim de Antonino *Philoſopho dixit Hiſtoricus*) Quem mirari faciliùs quis, quàm laudare poſſit. *Pietatem ejus inſignem, perpetuam in legendo, ſcribendo, concionando induſtriam, eruditionem in re Antiquariâ, Theologiâ, & omni Humanioris literaturæ genere ſummam, cum æquali modeſtia conjunctam, fuſiùs laudare nec opus, nec mihi animus; Hiſtoriam enim non ſcribo, ſed Epiſtolam. Virtus Vſſeriana eſt ſui ipſius Panegyrica, laudis noſtræ non indiga. Vivit, æternúmque vivet in ſcriptis ſuis cedro dignis, in ore & corde doctorum, in memoriâ hominum, & monumentis temporum; illúmque (quem* Hibernia *parens ingrata, tali filio & Præſule indigna, bonis (præterquàm animi) omnibus exutum in exilium miſit) Poſteritas ſera venerabitur.*

Eutropius in Antonino Philoſopho.

Quo nihil majus, meliúſve terris
Fata donavêre, bonique divi;
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priſcum.

Vale vir Ampliſſime, & te, tuóſque omnes Deus Opt. Max. quàm diutiſſimè incolumes ſervet.

Tui, nominiſque Vſſeriani amantiſſimus,

THOMAS BARLOVIUS.

Dabam Oxonia, è Bibl. Bodl.
XII. Cal. Maj. CIↃ. IↃC. LX.

LECTORI

LECTORI.

BENEVOLE LECTOR,

EM tibi non ingratam fortaſſis & operæ pretium facturus ſum, ſi te ad Lectionem ſacræ hujus Chronologiæ properantem, quaſi *in προπύλῳ* & veſtibulo paucis morer; dum nonnulla de Opere hoc Chronologico, & ejus Authore ſuccinctè & quaſi compendio explicem. Primò igitur ſciat velim benignus Lector, opus hoc Chronologicum Reverendiſſimi Archi-Præſulis, (annis & meritis gravis, ævo pariter & judicio maturi) conatum fuiſſe Ultimum. Opus ſcilicet Viro ſancto, & ſummo Antiſtite dignum. Regendi enim gubernandique temporis munus apud omnes populos, ſoli quondam ſacerdotes & Pontifices obierunt, ut iiſdem (communi naturæ ſuffragio) & ſacrorum cultus, & (rei omnium ſanctiſſimæ) temporis procuratio conceſſa ſit: Igitur apud Babylonios Chaldæi, apud Indos Brachmanes, apud Ægyptios Hierophantæ, apud Romanos Pontifices, apud Britannos Gallóſque Druidæ, apud Judæos Sacerdotes popularibus Faſtis ordinandis, ſummo jure præfuerunt. Dum ideò Chronologiæ addiſcendæ primulùm, mox ornandæ fuſiúſque & penitiùs explicandæ operam dedit Vir ſanctiſſimus, rem ſuo Ordine, & ſacrâ Infulâ digniſſimam aggreſſus eſt. Quantos autem in Chronologiâ (præſertim ſacrâ) dubiiſque illis nodiſque penè Gordiis enodandis, explicandiſque progreſſus fecerit, ex Annalibus, aliiſque ſcriptis etiamnum editis, ex parte pateat, & ex hoc Tractatu, luce (ſi quid judico) & æternitate digno, ulterius eluceſcat. Poſtquàm utriuſque Teſtamenti Annales diligentiâ ſummâ, & judicio æquali condidiſſet, & bono publico edidiſſet Infulatus Senex, Tractatum hunc (quem priùs ſub [a] conditione promiſit) ſeriò aggreditur. Sed dum

——Veritatem
Dumos inter & aſpera.
Scrupuloſis ſequitur vadis,

dum operi inſtat, dum Authores omnis ævi optimos revolvit, dum mella ſacro hoc alveari recondenda colligit, dum inceptum opus ad Umbilicum perducere feſtinat, in morbum fatalem, & reipubl. literariæ damnoſum incidit: ex quo decubuit primùm, & tandem fatis cedens, vitæ finem impoſuit, ſed non ità Chronologiæ. Sic magnus Antiſtes *Armachanus* in cœlum receptus,

——ſub pedibus vidit nubes, & amœna pierum
Conſilia, Elyſiúmque colit.——

Uſſerio ſic in cœlum [b] recepto, Bibliothecam (quam habuit inſtructiſſimam) adeunt, Codices (quà excuſos, quà manu exaratos) luſtrant, Chronologiam hanc ſacram (opus magnum, ſed mediis incudibus ablatum) in plureo repoſitam inveniunt, cum Viris doctis communicant, de editione deliberant, & tandem à Reverendo Viro, D. D. *Bernard* aliiſque rogatus ſum, ut Tractatum hunc edendum aliquando curarem. Terruit me primò opus ipſum, utpotè ab Authore ipſo manu ultimâ non elaboratum; Terruit me ipſius Codicis manuſcripti ſcriptura, quem (ut eſſet prelo idoneus) pulchrè non deſcripſerat, nec ſecundâ curâ emaculaverat; multa video expuncta, multa paſſim interſcripta, multa (quæ notulis quibuſdam ſignaverat) interſerenda: adeò ut labore jugi, & pertinaci diligentiâ opus erat. Subdubitabam inſuper ne his *Maandris* implicatus, ſatis commodè memet non expedirem, aut doctiſſimi Authoris mentem non aſſecutus, luxatos Autographi artus in integrum reſtituendo non eſſem. Ex adverſo, ad Provinciam (duram licèt) ſuſcipiendam, nonnulla me reluctantem animant, ſcilicet quòd *Autheris* manum jam à multis annis familiariter noveram, quòd opus ipſum, (extra omnem controverſiæ aleam) *γνήσιον* eſſet, & genuinum, hoc eſt verè *Uſſerianum*, magno Authore ſuo, Prelo, & luce dignum; necnon quod à Viris doctis (quâ noſtris quâ exteris) ſeriò, & ardentiſſimis deſideriis efflagitatum vidi.

gjà facrà (ſi vitam Deus, & vires dederit) rationem ſuæ redditurus. Jac. Uſſerius in Præfat. ad Annal. part. 2.

b *Fatis cæſſit* Rigatæ *non longè à* Londino *die Veneris Mart.* 21. *horâ* 2. *pomeridianâ anno* 1655. *ſibi Vatici.*

a *Eorum quæ in Sacra Hiſtoria diſpoſitione amplierem confirmationem requirere videntur, in Chronolo-*

Exterorum deſideria (ut alias non pau-cas mittam) ex * litteris Clariſſ. *G. Hornii*, Hiſtoriarum in Academiâ *Leydenſi* Profeſſoris, ad Doctiſſ. Virum S. *Hartlibium* datis, abundè diſcas: quarum exemplar mihi communicabat Vir optimus, non minùs virtute ſuâ, & multiplici eáque reconditâ eruditione, quàm ſplendore generis nobiliſſimus.

Quod ad noſtros ſpectat, ut alios (infinitos penè) præteream (quis enim mortalium eſt, cui cordi ſunt humaniores literæ, qui Uſſerii omnia non deamat?) Vir magnus & [b] Juriſconſultiſſimus, (quem honoris, & obſervantiæ meritiſſimæ ergò gratus nomino) Legis Anglicanæ alter Tribonianus, de Chronologiâ hâc Sacrâ ſæpè multúmque rogitabat, editionem Urget, & (ut erat nominis Uſſeriani amantiſſimus) ſchedas à prelo madentes, ſummo deſiderio legendas expoſcit, nec minore gaudio tranſmiſſas legit. Hæc & conſimilia, me ad editionem ſacræ Chronologiæ, quâ fieri poterat diligentiâ accurandam animabant, ne periret opus æternitate dignum, nec ſine publico Eccleſiæ pariter & Reipub. damno periturum.

Habes igitur (benigne Lector) ἀπὸ κατελείμματα, ſacras Reverendiſſ. Archi-Præſulis reliquias, genuinas illas quidem, ſed (quod dolemus) poſthumas. In quibus ſi legenti tibi σφάλματα aliqua & παραράμματα, ſi nonnulla inconcinna, & minùs elimata occurrunt; mihi, correctori, aut Typographo imputetur, & culvis potiùs quàm Uſſerio; cui ſi vitam Deus, ille Chronologiam hanc ſacram perfectam tibi dediſſet & cumulatam. Illud tantùm addam, (quod de Platone olim dixit [c] Socrates) προσῆκον εἶναι μὴ φαίνεται, τῇ ζώντι, τῇ τεθνηκότι φιλόντας τιμᾶν. *Congruum judico, ut ſicut Vivo, ita Uſſerio mortuo honorem habeas.* Vale Lector & his gratus fruere.

a *D. Robertus Boyle, honoratiſſimi Comitis Corcagia demortui filius, & ſuperſtitis frater.*

b *D. Matthæus Hale, Servienti ad Legem (ut Juriſconſulti noſtri loquuntur) Vir de Academiâ Oxonienſi, (cujus olim Alumnus erat) de Eccleſiâ &c.*

Univerſâ Republicâ (ſi quis alius) optimè meritus.

c *Socrates Epiſt. 30. p. 70. per Leon. Allatium.*

* *Sed nunc vehementer velim, ut inquiras quid factum ſit Chronologiæ Sacræ, quam Uſſerius ſe editurum in Præfatione Annalium promiſerat. Quia enim ille Vir omnium accuratiſſimè tempora di eſſit, damnum foret irrecuperabile & conjunctum cum maximo Eccleſiæ & Reipub. detrimento, ſi Labores illi Chronologici perirent. Haud dubiè pleraque à multis annis jam perfecit: Inquire igitur apud hæredes ejus, vel qui Bibliothecam habent, ut illud opus (ſive perfectum ſive imperfectum) reperiatur, & ut repertum in Lucem edant. Da operam (quæſo) per amicos, & (ſi neceſſe eſt) implora authoritatem ſuperiorum, ut editio illius procuretur. Nullus enim labor eſt, quo Eccleſia magis indigeat, & ex quo majorem utilitatem in interpretandis Scripturis, maximè Prophetis, & quæ ad Hiſtorias ſpectant, ſperare auſim, &c. Hac* Hornius.

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ SYLLABUS.

GENESIS.

cap.	verſ.	pag.
I	28	22
IV	20	18
V	9	29
	29	26
	31	22
	32	21
		25
	40. 69	
VI	2	26
VII	4	20
	6	17
		23
	7	19
	10	20
	11	81
		19
		20
VIII	4	19
	5	19
	13	17
		19
		21
	14	19
		22
	15	19
IX	1	22
		27
	7	22
	24	24
		25
	27	24
	29	19
		19
X	1	19
		59
	5	26
	7	59
	10	18
	21	24
		24
	22	22
	23	23
	25	26
	26	26
	32	26
XI	4	26
	10	19
		21
		21
		22
		25
	12	29
	26	23
		25
		38
		40
	40. 69	
	28	39
	29	39
	30	28

GENESIS.

cap.	verſ.	pag.
XI	31	36
		39
		47
		47
		48
	32	38
XII	1	41
		47
	3	51
		53
	4	47
		48
		52
		56
	5	39
		41
		48
		49
	7	48
		68
	10	37
	12	37
XV	7	36
		47
	13	45
		46
		52
	14	53
	18	54
	19	54
	26	56
XVI	3	37
		41
		48
	11	18
	15	18
	16	18
		39
		41
XVII	1	54
	2	54
	10	54
	12	21
	17	40
		40
XVIII	11	28
	12	28
	13	28
	17	28
XXI	3	18
	5	39
		52
		56
	7	28
	9	53
	12	45
		53
		68
XXII	5	47
XXIV	4	49

GENESIS.

cap.	verſ.	pag.
XXIV	4	49
		50
	5	37
	[illegible]	37
	[illegible]	37
	10	49
		51
	38	51
XXV	1	49
	9	39
	16	49
XXVI	14	60
XXVII	15	24
		25
	41	28
	42	61
XXVIII	4	41
		46
	5	39
	6	61
	9	61
XXIX	20	56
	21	56
	27	56
	34	38
XXX	13	57
	25	46
		56
	26	56
XXXI	3	46
	41	57
XXXV	1	57
	2	59
	11	46
	12	46
	16	57
	27	37
XXXVI	2	60
	3	61
	4	60
	7	37
		41
		46
	8	46
	10	61
	11	60
	12	27
	17	61
	31	61
	33	61
	40	61
	43	46
		61
XXXVII	1	37
		46
	2	57
XXXVIII	11	49
XL	15	46
	20	18
XLI	46. 54. 56	

GENESIS.

cap.	verſ.	pag.
XLIII	2	60
XLV	6	21
		56
XLVI	2	42
	3	27
	4	44
	9	43
		43
	21	57
	26	57
		65
	27	57
		58
XLVII	9	56
		60
	27	65
XLVIII	[illegible]	39
L	22	59
	23	64

EXODUS.

I	6	63
		65
	7	65
II	8	63
	23	67
VI	4	41
		46
	16	43
		42
		62
		42
VII	7	39
		42
		56
		59
		62
		71
	8	27
XII	5	21
	16	41
	37	27
		65
	40	25
		41
		42
		52
		53
		55
	41	17
		41
XV	15	61
XVI	1	67
	35	71
XIX	1	44
		67
	16	44
XXIII	17	78
XXIX	38	21
XXXII	34	71
XXXVIII	26	27. 65

Digitized by Google

LEVITICUS.

cap.	vers.	pag.
VIII	8	73
XII	2	57
	4	57
XVI	29	85
XXII	27	21
XXV	2	18
		72
	3	72
	8	72
	16	72

NUMERI.

I	46	27
		52
		65
II	32	52
XI	21	52
XIV	33	71
	34	71
XVI	1	43
XX	14	61
XXVI	35	64
	40	58
	59	18
		43
XXVII	26	67
XXVIII	3	21
XXXII	13	71
	41	43
XXXIII	3	17
		71
	38	67
		71
	39	71
XXXVI	4	72

DEUTERON.

I	3	20
		72
II	7	71
	14	71
IV	5	67
	45	66
VIII	2	71
IX	18	71
	24	71
X	22	58
XVI	16	85
XVII	14	61
XXI	2	72
XXVI	5	42
XXIX	5	71
XXXIV	7	20
		72
	8	72

JOSHUA.

III	1	72
	2	72
	31	73
IV	19	71
V	6	72
	11	72
	12	72
	41	73
XI	4	73
	18	72
	23	69
	33	73
XIV	7	72
	15	69

JOSHUA.

XXII	31	69
XXIII	1	72
	31	72
XXIV	2	36
		47
		51
		52
	3	47
		51
	4	39
	14	61
	15	69
	29	63
	30	67
	33	69

JUDIC.

II	7	69
	14	69
		69
	17	69
	18	69
	19	69
		73
III	2	73
		73
	8	68
	11	68
	14	68
	30	68
		73
	31	69
IV	3	68
V	31	68
VI	1	68
VIII	14	74
	28	68
		73
	33	73
IX	22	69
		73
X	2	69
		73
		74
	3	69
		73
		73
	5	73
	6	73
	7	73
	8	69
		73
	11	42
	12	42
	16	73
XI	9	74
	10	74
	26	74
XII	7	69
		74
	11	69
		74
	14	69
		74
XIII	1	69
		74
XV	17	61
	20	69
XVI	21	69

JUDIC.

XVII	6	69
XVIII	1	69
XIX	1	69
XX	28	69
XXI	25	69

RUTH.

I	1	69
III	10	70
IV	21	69
	22	69

I. SAMUELIS.

III	2	39
	3	39
XII	11	42
XIII	1	68
XVII	12	70

II. SAMUELIS.

VI	1	66
		69
		70

I. REGUM.

VI	1	13
XIV	20	75
	21	75
		75
	31	75
XV	1	75
		75
	9	75
	10	75
	25	75
	33	75
XVI	6	77
	8	77
	10	75
	15	75
		76
	21	76
	23	75
		76
	26	78
	29	75
		76
	31	78
XX	16	78
XXII	41	75
		75
	42	76
	49	76
	51	76
		76

II. REGUM.

I	17	76
III	1	76
VIII	16	76
		77
	17	76
	25	76
	26	76
		78
	27	78
	28	77
	29	77
IX	14	77
	15	77
	29	77
X	36	79

II. REGUM.

XI	3	79
	4	78
		79
XII	1	79
XIII	1	79
	16	79
		81
XIV	17	81
	23	79
		80
	29	81
XV	1	79
		79
		82
	2	79
		79
	8	80
		80
	13	80
		81
	17	80
		80
	19	80
	23	80
		80
	27	80
		80
	30	80
		80
	32	80
	33	80
		80
XVI	1	80
	2	80
XVII	1	80
		80
	2	81
	5	84
XVIII	1	79
	2	80
		83
XXI	1	82
	19	82
XXII	1	82
XXIII	5	50
	31	82
	36	84
XXIV	1	86
	2	86
	3	86
	6	84
	8	84
		82
		88
	9	88
	12	84
		86
	14	86
	15	84
		88
	16	87
	17	84
	18	82
XXV	1	83
	8	87
	11	87
	21	87
	27	85

I. CHRON.

cap.	vers.	pag.
I	17	22
		23
	28	39
II	1	39
	2	39
III	16	84
VI	28	39
VII	23	64
	24	64
	25	63
VIII	1	39
	2	39
	3	39
		59
	4	59
	30	39
	39	39
XI	3	39
XXIII	19	39
	20	39

II. CHRON.

III	1	81
		66
XV	10	77
XX	36	76
XXI	20	78
XXII	2	78
	3	78
	4	78
XXIV	15	70
XXV	25	81
XXVIII	24	81
XXIX	1	83
	3	81
	17	81
XXXIII	1	82
	21	82
XXXIV	1	82
XXXVI	2	82
	5	82
		84
	8	84
	9	82
		84
		84
		88
		88

ESDRAS.

X	17	78

NEHEMIAS.

IX		36
		47
		51
	21	71
XII	22	78

JOB.

I	7	60
II	11	61
X	16	60

PSALMI.

LXVI	6	41
LXXVIII	3	63
	4	63
XC	10	60

PSALMI.

XCV	10	71
CV	8	54
	9	54
	10	54
	11	41
CXIV	3	66

PROVERB.

XIII	12	56
XXX	17	20

ESAIAS.

VII	14	18

JEREMIAS.

I	3	83
XXI	9	87
XXII	24	84
	28	84
XXV	1	82
		85
	3	82
XXVI	1	85
	2	85
XXVII	1	88
	3	88
	12	88
XXVIII	1	88
XXIX	2	84
XXXII	1	83
		85
		85
		87
		87
	2	83
		87
XXXIV	21	83
	22	83
XXXVI	1	85
XXXVII	1	84
	5	83
	7	83
	8	83
	11	83
XXXIX	2	83
		83
		87
	5	83
	8	87
	9	87
XLI	1	87
XLII	10	87
	11	87
LI	59	88
LII	1	82
	4	83
		83
	5	87
	6	87
	9	83
	12	82
		82
		87
	13	82
		87
	15	83
		87
	28	87

JEREMIAS.

LII	29	87
	30	86
	31	85
	32	85

EZEKIEL.

I	1	84
	2	84
II	15	84
	26	84
IV	4	84
	5	83
		84
	8	83
VIII	1	84
XVI	4	28
XXIV	1	83
	2	83
XXIX	1	83
	6	83
	17	86
		88
XXXIII	21	87
	24	87
	27	88
	28	88

DANIEL.

I	1	85
	4	85
	5	85
	18	85
		86
	19	85
		86
II	1	86
	31	85

HOSEAS.

I	6	26
II	3	18
X	5	50
XII	4	41

AMOS.

II	10	71
V	25	41
		71

MICHAS.

VI	2	18

SOPHONIAS.

I	4	49

MALACHIAS.

I	2	39
	3	39

SAPIENTIA.

X	5	26

JUDITH.

V	9	48
	7	52
	8	52

MATTH.

I	5	69
	6	69

MATTH.

cap.	vers.	pag.
I	8	5
	11	88
	12	37
	16	18

LUCAS.

I	13	18
	57	18

JOHANNES.

VIII	13	52

ACT. APOST.

VI	15	36
VII	2	36
		39
		47
		50
	3	47
		48
	4	36
		37
		38
		39
		47
	5	38
		68
	6	45
		52
	8	52
	36	71
	42	41
	43	37
	55	56
VIII	4	48
XIII	17	68
	18	71
	20	68
XXVII	9	85

ROM.

I	17	35
IX	7	45

I. COR.

XI	16	56

GALAT.

III	14	41
		44
	16	41
	17	41
		44
		51
		53
		53
		56
IV	4	15
	29	53

HEBR.

VII	3	31
XI	8	45
		46
		48
	9	38
	11	28
	15	36
	20	45

I. PET.

III	20	22

Digitized by Google

NOMINA AUTHORUM QUORUM IN HOC OPERE USSERIANO mentio habetur.

A

A Barbinel.
Nicolaus Abramus.
Abulenſis.
Ado.
Ambroſius.
Anaſtaſius Nicænus.
Daniel Angelocrator.
Jac. Auzoleus.
R. Azaria.

B

Franc. Bacon.
Ceſar Baronius.
Regnerus Barelius.
Beda.
Bellarminus.
Bereſchith Rabba.
Matth. Beroaldus.
Beroſus.
Biblia Antverp. Regia.
Biblia Jayenſ. Pariſienſia.
Biblia Complutenſia.
Jo. Bohemus.
Jac. Bonfrerius.
Hugo Broughtonus.
Buchananus.
Ab. Buchelcerus.
Hen. Buntingus.
Buxterfius.

C

Cabala hiſtorica R. Ab. Levitæ.
Cajetanus.
Serbus Calviſius.
Cancrarius.
Hen. Caniſius.
Melchior Canus.
Jac. Cappellus.
Caſſiodorus.
Lud. de la Cerda.
Clemens Alexandrinus.
Jo. Chryſoſtomus.
Laur. Codomanus.
Anton. Contius.
Jo. Cordeſius.
Barthol. Corronius.
Alph. Cumiranus.

D

Delrius.
Jo. Deodatus.
Jo. Deſpieres.
Lud. de Dieu.
Dioder. Tarſenſis.
Jo. Druſius.
Thaddæus Dunus.

E

Epiphanius.
Euſebius Cæſarienſis.
Euſtath. in Homer.
Eutichius.
Abr. ben Ezra.

F

Funccius.

G

Genebrardus.
R. Levi ben Gerſom.
Stanislaus Giſepſius.
Fr. Gomarus.
Gordonus.
Gratiani Decreta.
Gregorius Turonenſis.
Hugo Grotius.

H

Harvillæus.
Hermannus Contractus.
Heſychius.
Hieronymus.
Julius Hilarion.
Hippolytus Portuenſis.
Homerus.

I

Salomo Jarchi.
Idacius.
Aldina editio 70. Interpretum.
Anglo-Duacenſes Interpretes.
Sixtina editio 70. Interpret.
Catena in Jobum.
Jornandes.
Joſephus.
Liber Joſephoth.
Iſidorus.
Liber Jukaſin.
Julianus Toletanus.
Franc. Junius.

K

David Kimchy.
Leonard Krentzheimius.

L

Lactantius.
Gul. Langius.
Lansbergius.
Corn. A Lapide.
Chriſt. Laurenus.
Jo. Lorinus.
Jo. Lucidus.
Lucifer Calaritanus.
Tho. Lydiatus.
Nic. Lyranus.

M

Chriſtian. Maſſæus.
Jo. Malela.
Tho. Maluenda.
Maimonides.
Jo. Maria Braſſichellenſis.
Jo. Mariana.
Manaſſes ben Iſrael.
Martinus Martini.
Marcellinus Comes.
And. Maſius.
Maximus monachus.
Mendoza.
Menochius.
Jo. Mercerus.
Ger. Mercator.
Jo. Morinus.
R. Moſes Gerundenſis.

N

Nennius.
Niceph. Conſtantin.
Nobilius.

O

Oecumenius.
Onkelos.
Onuphrius.
Origen.
Oroſius.

P

Paludanus.
Samar. Pentateuch.
Pererius.
Dion. Petavius.
Petrus Trecenſis.
Hen. Philippi.
Philo Judæus.
Jo. Picus Mirandulanus.
Tho. Pius.
Plinius.
Plutarchus.
Conrad. Pellicanus.
Petrus Poſſinus.
Primaſius.
Procopius Gazæus.
Proſper.
Ptolemæus.

R

Rabanus.
Jo. Rainoldus.
Guls. Raleigh.
Tho. Ravennas.
Ribera.
Rupertus Tuitienſis.

S

Eman. Sa.
Jac. Salianus.
Samerius.
Joſ. Scaliger.
Seder Olam.
Sedulius.
Sixtus Senenſis.
Author Faſtorum Siculorum.
Stapleton.
Severus Sulpicius.
Suidas.
Georg. Syncellus.
G. Syrus.

T

Talmud. Babilonic.
Jo. Temporarius.
Theodoretus.
Theoph. Antiochenus.
Jac. Tirinus.
Aug. Torniellus.
Tremellius.

V

Victor Tunnunenſis.
Villorius.
Hieron. Vielmius.
Nic. Vignerus.
Virgilius.
Uſuardus.

W

Jo. Weltherus.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
CHRONOLOGIÆ SACRÆ
PARTIS PRIORIS.
DE ANNIS PATRIARCHARUM.

CAPUT PRIMUM.

DE Temporis initio. —— 13

CAP. II.

De temporis progreſſu, & diſtinctis ejus Periodis: deque varietate, quæ in duarum primarum Periodorum calculo, inter Judæorum, Samaritanorum, & Græcorum codices invenitur. ibid.

CAP. III.

De ætatis Mundi per annos Patriarcharum ſupputandæ ratione: ubi de quibusdam, utrum ad conceptionem an nativitatem liberorum ſint referenda? Et de annis quibus patres filios genuiſſe dicuntur; num ineuntes vel completi ſint accipiendi? De tempore incepti & finiti Diluvii; in quem annum Mundi & ætatis Noachi inciderit. 17

CAP. IV.

De biennio poſt diluvium quo Semo natus eſt Arphaxad: ubi etiam de ordine trium filiorum Noachi, & cui eorum primogenitura debeatur. 21

CAP. V.

De multiplicatione generis humani poſt Diluvium, & Gentium diſperſione ad argumenta ab hiſtoriâ petita, quibus Johannes Morinus Hebraicæ Chronologiæ veritatem infirmare conatus eſt. 26

CAP. VI.

De Cainano Arphaxadi filio, in Vulgata editione Græca memorato, & commentitiis illius annis in ſacram Chronologiam non admittendis. 29

CAP. VII.

De ſecundæ, & tertiæ Mundi ætatis connexione legitima: ubi Abraham ante mortem patris in Chananæam veniſſe, ex Moſe, Stephano, & aliis oſtenditur; & ante annum patris 130. in lucem fuiſſe editum defenditur. 35

CAP. VIII.

Peregrinationis Hebræorum annos 430. (qui tertiæ Ætatis Mundi ſpatium conſtituunt) à prima Abrahami ex Charane in Chananæam profectione, non à Jacobi & filiorum in terram Ægypti deſcenſu, arceſſendos eſſe oſtenditur. 41

CAP. IX.

De duplice Abrahami vocatione, ex Ure Chaldæorum & Charane, & temporis ſpatio inter utramque interpoſito. A poſteriore incipiendos eſſe annos 430. peregrinationis Hebræorum, quum, 75 fuiſſet ille annorum; non quum aut 70 aut etiam 76. 85. 99. vel 100. 46

CAP. X.

Annorum 430. peregrinationis Hebræorum, in duas æquales partes diſtributio; & 215. in Chananæa à Patriarchis peractorum declaratio; in quâ Jacobi & poſterorum ejus tempora, uſque ad deſcenſum in Ægyptum deſcribuntur; & Benjaminem cum decem filiis, Judam cum duobus nepotibus (Heſrone & Hamule) eò ſimul deſcendiſſe, oſtenditur. 55

CAP. XI.

De annis 215. peregrinationis Iſraelitarum in Ægypto. Argumenta pro diuturniore eorum morâ allata ſolvuntur: in quibus, de B. Iobi & Iobabi Idumæorum regis temporibus, ac Ioſua genealogiâ agitur. Anni exodi incerti characteres. 59

CAP. XII.

Quarta ætatis mundi ſpatium annorum 479. fuiſſe oſtenditur. Integritas numerorum 480. in lib. Regum & 450. in Actis Apoſtolorum integritas, & inter ſe conſonantia, aſſeritur. Libri Iudicum ordo & diſpoſitio proponitur; annorúmque quietis terræ ſupputandorum ratio exponitur. Davidica genealogia in fine libri Ruthæ a tribúſque aliis pariter conſentientibus ſcripturæ locis explicata, perfectio defenditur; poſteriorum hominum, etiam ad noſtra uſque tempora, non minore quàm horum patrum longævitate demonſtrata. 66

a 1. Chronic. II. 11. 18. Mat. 1. 5. Luc. III. 32.

CAP. XIII.

Annorum 479. inter Exodum & Templi Salomonici exordium intercedentium ſumma in membra ſua integrantia dividitur: tempúſque peregrinationis in deſerto, partitionis Terræ & primi anni Sabbatici, cum annis Iudicum & primorum Regum Iſraëliticorum, ſpeciatim explicatur & confirmatur. 71

PARTIS

PARTIS POSTERIORIS, DE ANNIS REGUM ISRAELIS ET JUDÆ.

THESIS I.

INitium regni Sedechiæ deducendum eſt à 10. *die* 4. *menſis; juſtis undecim annis ante captivitatem ejuſdem Sedechiæ, & unico menſe Salomonici Templi excidium; quod in* 10. *diem* 5. *menſis incidit.* 83

II.

Obſidio Hieroſolymitana cœpta anno Sedechiæ 9. *menſis* 10. *die* 10. *& interventu exercitûs Pharaonis poſteà interrupta, redintegrata eſt anno Sedechiæ* 10 *menſis* 3. *die* 15. *& per dies* 390. *uſque ad captam Urbem continuata: Ita ut ab obſidionis primo principio uſque ad captam urbem in fine anni* 11. *Sedechiæ, menſis* 4. *die* 9. *menſium* 30. *uſque ad eandem incenſam menſis* 5, *die* 10. *menſium* 31. *ſpatium interceſſerit.* ibid.

III.

Circa menſis 4. *diem* 5. *facta eſt Jechoniæ deportatio,* 5. *circiter ante regni Sedechiæ initium diebus.* 84

IV.

Finis regni Jehojachimi, & initium filii ejus Jehojachinis ſive Jechoniæ, circa menſis 12, *diem* 25. *ſunt reponenda.* ibid.

V.

Circa 6. *menſis diem* 10. *Jehojachimus regnum iniit: quod non integris undecim annis obtinuit, ſed annis decem, menſibus* 6. *& diebus* 15. *circiter. Sub finem vero anni illius tertii, circa* 5 *menſis diem* 15. *regnare cœpit Nebuchadneſar; ante Templi conflagrationem annis* 19. *quinque circiter diebus minus.* ibid.

VI.

Nebuchadneſar, à vivente patre in conſortium regni aſſumptus, annos 43. *poſt mortem illius imperavit ſolus; in univerſum verò, annos* 44. *menſes* 7. *& dies* 10. *circiter.* 85

CAPUT PRIMUM.

Difficultates nonnullæ, ad Nebuchadneſaris, & Regum Judæ qui ſub illius imperio vixerunt, tempora ſpectantes explicantur: & 70. annorum ſervitutis Babylonicæ, per Jeremiam prædictorum, initium à jugo Babylonico, anno 4. *Jehojachimi primum à Judæis ſuſcepto, non à poſteriorum deportationum aliqua deducendum eſſe oſtenditur.* 86

CHRONOLOGIÆ SACRÆ

PARS PRIOR.

DE ANNIS PATRIARCHARUM.

CAPUT. I. DEEST.

De Temporis initio. ———

LECTORI.

IN Autographo Uſſeriano Caput hoc primum (quo fato noſtroque infortunio neſcimus plane) deſiderabatur: nec poſtquam MSS. Bibliorheca ſua omnia, ſchedaque lacera ſummâ cum diligentiâ & ſeveriori ſcrutinio eſſent evoluta, uſquam comparuit: cum ideò caput hoc non habuimus, typis mandare non potuimus. Hinc eſt, quòd pars hæc prior ἀνάπαλιν, à cap. 2. auſpicatur. Vale Lector, & Sacras Jacobi Uſſerii *reliquias, poſteris tibique ſervatas, gratus accipe, & boni conſule.*

CAP. II.

De Temporis progreſſu, & diſtinctis ejus Periodis: deque varietate, quæ in duarum primarum Periodorum calculo, inter Judæorum, Samaritanorum, & Græcorum codices invenitur.

DE Temporis *Initio* dictum eſt hactenùs. *Progreſſus* ſequitur: in quo duo præcipua ſpatia conſideramus à temporis initio uſque ad temporis plenitudinem, unum: deinde à temporis plenitudine, uſque ad ſeculi conſummationem, alterum: illam temporis *plenitudinem*, quam [a] Apoſtolus appellat, in CHRISTI Servatoris noſtri Nativitate conſtituimus: quam labente anno Mundi 4000. factam eſſe colligimus. Totum verò illud ſpatium ſex ſequentibus Periodis, Mundi *Ætates* totidem comprehendentibus, ſubdiſtinguimus: quarum termini, menſis & diei notâ inſigniti imperfectorum annorum fragmenta nobis definiunt.

[a] Gal. IV. 4.

	An.	*Men.*	*d.*
I. A mundo condi cœpto menſis 1. die 1. uſque ad Diluvium finitum eodem ejuſdem menſis die; ſunt Mundi Veteris anni.	1656	0	0
II. Hinc ad initium peregrinationis Hebræorum, ab Abrahamo poſt mortem patris cœptæ, menſis 7. die 15.	426	6	14
III. Hinc ad exitum Hebræorum de Ægypto menſis *primi* (ſic enim ab hoc tempore menſis *ſeptimus* antiquorum appellatus eſt) die 15. ſunt Peregrinationis eorundem anni.	430	0	0
IV. Hinc ad jacta fundamenta Templi Salomonici, menſis 2. die. 2.	479	0	17
V. Hinc ad ejuſdem Templi conflagrationem, menſis 5. die 10.	424	3	8
VI. Hinc ad Natalem Domini & Servatoris noſtri JESU-CHRISTI (die 25. Decembris in anno Periodi Julianæ 4709, qui 5. dici menſ. 9. in anno Mundi 4000. reſponderet; ſi antiqui Kalendarii ratio ad iſta uſque tempora retenta fuiſſet.)	583	3	25

Ita à veſperâ primum Mundi diem aperiente, uſque ad mediam noctem initium præbentem 25. quidem diei Decembris, quo Chriſtum natum ſupponimus, annos (Julianos) 3999 menſes (τεσσαρεσκαιδεκαμηνους) 2. dies 4. & horas 6. Kalendis verò Januariis anni Periodi Julianæ 4714. (à quibus vulgaris æræ Chriſtianæ exordium deducimus,) annos 4003. menſes 2. dies 11. & horas 6. decurriſſe colligimus.

Hujus ſupputationis veritas ab intervallorum in ſuperioribus Periodis aſſignatorum certitudine dependet. Series temporum in duabus primis periodis per annos primorum Patrum deducitur; quorum ſucceſſio in V. & XI. Geneſeos cap. eſt expoſita. Proximè ſequentes Periodi duæ, integris numeris, Exod XII. 40. & 1. Regum VI. 1. ſunt expreſſæ. *Quinta calculum* partim ex integro annorum 390. numero, Ezechielis IV. 5. propoſito; partim ex ſingulorum Iſraëlis & Judæ Regum annis, ritè inter ſe collatis elicimus. *Sexta* annos, tam ex Sacrâ, quàm ex Exoticâ Hiſtoriâ eruimus: cujus utriuſque firmiſſimam connexionem exhibemus; ejúſque beneficio tum colligationem annorum Mundi cum annis Periodi Julianæ, tum continuationem temporum ſextæ Periodi (ex probatiſſimis quibuſque veterum monumentis & Aſtronomico eclipſium calculo (qui fallere non poteſt) inſtituimus.

Quinque igitur primarum periodorum tempora non aliunde quàm ex ſacræ Scripturæ contextu deduci poſſunt: in quo expendendo, ubi diſſentiunt Codices, Hebraïcam veritatem (non à Chaldæis tantùm, Judæorum paraphraſtis; ſed etiam à Syrâ Antiochenæ, & Latinâ Romanæ eccleſiæ editione hic agnitam) jure merito cæteris præferendam eſſe ſtatuimus. Præci-

Digitized by Google

pua autem diſcrepantia in primis duabus Periodis cernitur; ubi in Patriarcharum annis dinumerandis, Græcorum & Samaritanorum codices ab Hebraïcis noſtris exemplaribus mirum in modum diſſentiunt: quemadmodum in epiſtolâ ad Ludov. Cappellum, de variantibus Hebræi textûs lectionibus, à nobis eſt oſtenſum; & in ſequenti Tabellâ diſtinctiùs videre licet.

ANNI PATRUM.

		Ante *παιδογονίαν.* juxta.			Poſt *παιδογονίαν.* juxta.			Totius vitæ juxta.		
		Hebr	*Samar.*	*Græc.*	*Hebr.*	*Samar.*	*Græc.*	*Hebr.*	*Samar.*	*Græc.*
1	*Adam*	130.	130	230	800	800	700	930	930	930
2	*Seth*	105	105	205	807	807	707	912	912	912
3	*Enos*	90	90	190	815	815	715	905	905	905
4	*Kainan*	70	70	170	840	840	740	910	910	910
5	*Maleleel*	65	65	165	830	830	730	895	895	895
6	*Jared*	162	62	162	800	785	800	962	847	962
7	*Enoch*	65	65	165	300	300	200	365	365	365
8	*Mathuſala*	187	67	167	782	653	802	969	720	969
9	*Lamech*	182	53	188	595	600	565	777	653	753
10	*Noë*	600	600	600	Ante Diluvium.			950	950	950
	Summa	1656	1307	2242						
					Poſt Diluvium.					
1	*Sem*	2	2	2	500	500	500		600	
2	*Arphaxad*	35	135	135	403	303	330		438	
3	*Cainan*	0	0	130	0	0	330		0	
4	*Sala*	30	130	130	403	303	330		433	
5	*Eber*	34	134	134	430	270	270		404	
6	*Phaleg*	30	130	130	209	109	209		239	
7	*Ragau*	32	132	132	207	107	207		239	
8	*Saruch*	30	130	130	200	100	200		230	
9	*Nachor*	29	79	79	119	69	125		148	
	Thara	70	70	70				205	145	205
	Summa	292	942	1072						

Hanc diſcrepantiam in priore græci ſui Chronici libro propoſuit diligentiſſimus *a Euſebius*: triplice annorum dinumeratione exhibitâ; ſecundùm LXX. ſecundùm Hebræorum, & ſecundùm Samaritanorum exemplaria. His *Georgius Syncellus* & quartam adjicit, ſecundùm *Africanum*: qui à vulgata eôrum LXX. editione non in ſecundi ſolùm *Cainanis* omiſſione receſſit *Africanus*,

a Georg. Syncel. Chron. p. 10.

canus, (in quæ & [a] *Euſebius* eum eſt ſecutus;) ſed etiam in *Mathuſale* annorum numeratione. Cùm enim vulgati libri annos illi tribuerent ante natum filium Lamechum 167. & poſt eum natum 802. animadvertens *Africanus* eâ ratione ad 14. annos ultra Diluvium (contra Scripturæ authoritatem) vitam illius fuiſſe protendendam; aliam lectionem cum Hebraicâ convenientem ſequi maluit, quæ ante natum filium annos 187. poſt ejus nativitatem 782. illi aſſignans, mortem illius ſexennio ante Diluvium collocat. Indéque effectum, ut ab initio Mundi ad Diluvium, *Africanus* quidem 2262. *Euſebius* verò à communiter receptis rationibus non recedens, 2242. annos numerandos cenſuerit. Quâ de re in Syntagmatis de LXX. interpretum editione cap. 2. pluribus à nobis actum eſt.

Eam de annis Mathuſalæ quæſtionem, in libro Traditionum in Geneſin, tractans Hieronymus, ex *Hebræis & Samaritanorum libris* colligit, mortuum illum eſſe *eo anno, quo cœpit eſſe diluvium.* Et verum quidem eſt, juxta utrorumque libros, non vixiſſe Mathuſalam poſt diluvium, ſed eodem quo illud cœpit anno fuiſſe defunctum, id quod præcipuè in hac quæſtione ſpectabat *Hieronymus*: non tamen ex iiſdem præmiſſis in utrorumque libris eadem nata eſt concluſio. Neque enim in Samaritanorum, ut in Hebræorum libris, Mathuſala 187. annorum, Lamechum genuit, 782. annos poſteà fuit ſuperſtes, & Lamechus 182. annos natus Noachum genuit; (ut ab *Hieronymo*, quum Samaritanus codex ad manum non adeſſet, ſignificatum eſt:) ſed Mathuſala 67. annorum gignens Lamechum ſupervixit annis 653. uſque ad diluvium, & Lamechus 53. annorum gignens Noachum & 600. annis poſteà ſuperſtes vixit & ipſe (uti & cum his Jaredus) uſque ad diluvium. Hanc enim eorum Chronologiam non noſtra ſolùm Samaritani Pentateuchi exemplaria, ſed (ne poſt tempus Hieronymi illa fuiſſe immutata quis ſuſpicetur) ea etiam quibus [b] *Euſebius* eſt uſus, nobis exhibent. Itaque ut in aliâ re obſervatum eſt à [c] *Pererio*, ita & hîc *videtur S. Hieronymus memoriâ lapſus: id quod magnis viris, vel nimiâ memoriæ fiduciâ, vel alias in re ſtudio curâque intentis, non rarò contigit.*

Euſebium quoque ſequutus [d] *Georgius Syncellus*, Ex Samaritanorum calculo, ab Adamo uſque ad diluvium annos 1307. à Diluvio uſque ad primum annum Abraami (quem 70. anno Tharæ natum illi autumant) annos 942. omnes ſimul annos 2249. dinumerat, quod ad amuſſim congruit cum ſingularium Patriarcharum annis, quos in ſuperiore Tabellâ ex Samaritano Pentateucho jam deſcripſimus. Quatuor verò ſimul Computorum, in annis ante Diluvium, collationem idem Georgius ita inſtituit. [e] Μέχρι τούτου δὲ κατακλυσμοῦ, καθὼς προέφημεν, διαφωνοῦσι τὰ Ἑβραϊκὰ αὐτήκοα πρὸς τὰ Σαμαρειτῶν ἀρχαιότατα ἀλλήλοις· ὅ τε γὰρ ἀλλοδὶς ἅπας ὁ πρῶτον Ἑβραῖον καθομολογοῦσιν) ἔτεσι τμβ. πρὸς δὲ τοῦτο τῶν ο ἑκατόν, τὸ μὲν Ἑβραϊκὸν ἔτεσι φπς. τὸ δὲ Σαμαρειτῶν ψλα. Ἀφεστηκὸς δὲ πρὸς Ἑβραίους, ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως κατακλυσμοῦ διαφωνοῦν ἔτεσι ἔτεσι. *Uſque ad Diluvium igitur, ſicut eſt propoſitum, Hebraica exemplaria à Samaritanorum codice vetuſtiſſimo & longè diverſis characteribus exarato (quem & verum & primum eſſe Hebræi confitentur) annis 349. diſcrepant. At* LXX. *Interpretum editione, Hebraicum exemplar annis 586. Samaritanorum verò 935. Africanus demum ab Euſebio diſſonat annis 20.* cùm enim ab Adamo ad Diluvium, juxta rationes Judæorum anni ſint 1656. juxta textum Samaritanorum 1307. juxta Euſebii calculum 2242. juxta Africani autem 2262. conſequens eſt, Computum Samaritanum minorem eſſe, Judaico quidem annis 349. Euſebiano verò, ex LXX. deducto, 935. Euſebianum autem majorem eſſe, Judaico annis 586. minorem altero illo Africani, annis 20. Ut *hallucinatio*, quam hîc in *Georgio* notavit [f] *Scaliger*, in ipſius Scaligeri deprehendatur ratiociniis.

Reliquis verò omninò præferendam eam eſſe Chronologiam concludit [g] Georgius, quam Græca LXX. interpretum nobis exhibet editio. Πανταχόθεν τοιγαροῦν τῶν τῶν ὁ ἰμμωνίας ὀκ παλαιῶν ὡς ἔοικε, ἢ ἀδιαφόρου Ἑβραίων χαφὴς μεταβεβλῆσθαι σωσχεδίους, οἰόμενος ταύτῃ ἢ ἡμεῖς ἐπιχειρήσομεν ἢ νῦν παρόντων χρονογραφῶν· ὅτι μάλιστα ἢ ὁ καθ' ὅλας τῆς οἰκουμένης ἐκκλησίας ταύτῃ μόνῃ προσέχει, τῶν δ' ἐντόπιον ἡμῶν Ἀποστόλων τε ἢ μαθητῶν ἀρχῆθεν ἐντεῦθεν χρῆσθαι παραδεδόσθαι. *Antiquâ igitur* LXX. *Interpretum editione, ceu ex incorrupto, ut videtur, Hebraico fonte quondam tranſlatâ, per totam hanc Chronographiam paſſim meritò ſumus uſi: cùm maximè quæque patet univerſus terrarum orbis dilatata Chriſti Eccleſia receptam eam habeat, & Salvatoris noſtri, Apoſtolorum ac Diſcipulorum ejus authoritate uſibus noſtris à principio fuerit commendata.* Quò ſpectat & illa ſimilis Juliani Archiepiſcopi Toletani, in 3. libro contra Judæos, concluſio. *Hic jam dicat unuſquiſque quod ſentit. Nunquid brevitas iſta annorum ex codicibus Hebræis oſtenſa, contemptis annis pluribus qui in editione* LXX. *Interpretum continentur, præferenda ullo modo judicabitur? qui prophetandi potiùs munere quàm transferendi officio, divinas Scripturas (revelante ſibi Domino) tranſtulerunt; apud quos etiam hæc ſuppoſitio reperitur annorum. Ergo illa nobis & ſola pro his annis eſt obſervanda* LXX. *Interpretum, quæ meritò omnibus editionibus & tranſlationibus anteferatur; quam etiam hucuſque omnes Doctores Eccleſiaſtici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum ſupputatione ſecuti ſunt.* Et Antonii Contii Juriſconſulti, in Notis ad Nicephori Conſtantinopolitani Chronologiam, altera. *Quare ſatis mirari non poſſum hominum noſtri temporis, & eorum qui Chronologias ſcripſerunt, vanitatem ac novandi ſtudium; qui omnem* LXX. *editionis authoritatem longiſſimè rejiciunt, & nihil niſi quod in Hebræis codicibus hodie legatur rectum putant.*

Atque hinc inter Latinos recentiores, in annorum mundi ſupputatione, Hebraicis fontibus poſthabitis, τῶν LXX. numeros ſunt ſecuti, Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico, Hieronymus Vielmius de ſex diebus conditi orbis lect. 5. [*] Chriſtoph. Lauretus, & alii, ſic perſtricti à Scaligero. [h] *Neque deſunt hodie capitones, qui Helleniſtarum Alexandrinorum editionem Moſaicæ veritati præferant, & eos Novatores, qui aliter ſentiunt, vocent. Ita ſanè audivit Hieronymus etiam apud virum omni exceptione major.em Auguſtinum: qui tamen aliter poſteà ſenſit.*

Et [i] Hieronymus quidem, in annis Patriarcharum aſſignandis Græcam editionem *erravisſe*, ſine ulla circuitione, aſſerit. Modeſtiſſimè verò [k] Auguſtinus: *Illa*, inquit, *numerorum varietas*

[a] Georg. Syncell. Chr. p. 60.

[b] Georg. Syncell Chr. ut ſupr.

[c] Perer. in Geneſ. lib. 7. parag. 111.

[d] Georg. Syncell. Chr. p. 29.

[e] Id. pag. 31.

[f] Scalig. not. in Euſeb. Chronic. Gr. pag. 241.

[g] G. Syncell. Chron. p. 40.

[*] vid. Laur. & Zohar.

[h] Scalig. not. in Euſeb. Chr. Græc. pag. 252. b.

[i] Hieron. Tradit. Heb. in Geneſin.

[k] Auguſtin. de Civit. Dei, lib. 15. c. 14.

qua inter codices Hebraos invenitur & noſtros, ſi quid habet ita diverſum ut utrumque verum eſſe non poſſit; verum geſtarum fides ab eâ linguâ repetenda eſt, ex qua interpretatum eſt quod habemus. Venerabilis Beda, quum in libro de temporibus, relicto LXX. Interpretum calculo, ad Hebraicæ veritatis normam rationes ſuas conformaſſet; indéque *à laſcivientibus ruſticis inter pocula hæreticus denotaretur, quòd regnaret in ſextâ ætate ſeculi* (currente nimirùm *ſexto*, hoc enim illi volebant annorum Mundi *millenario*) *Dominum Salvatorem in carne veniſſe*: ad Plegwinum *de ſex ætatibus ſeculi* Apologeticam (adhuc ineditam) ſcripſit Epiſtolam; oſtendens *qua ipſe auctoritate aſſertionem ſua computationis aſtrueret, Hebraicâ videlicet veritate, per Origenem prediſâ, per Hieronymum editâ, per Auguſtinum laudatâ, & per Joſephum confirmatâ, quibus ego* (inquit) *in rebus talibus nullos invenio doctiores.* Idémque in majoris, de Temporum ratione, operis Præfatione, ab Euſebianâ Chronologiâ in Eccleſiâ Occidentali tunc paſſim receptâ, ipſe diſceſſerit, rationem reddens: *Ego* (inquit,) *confidenter profiteor, quia non reprehendo veteres Chronographos, qui translationem* LXX. *Interpretum modò ſecuti ſunt, modò* (*prout libuit*) *probantur habuiſſe contemptui; ſicut etiam in proceſſu hujuſce opuſculi noſtri monſtrabitur. Sed omnibus his Hebraica veritatis integram præfero puritatem; quam præeminentiſſimus Doctorum Hieronymus, in libris Hebraicarum quæſtionum, Auguſtinus in libris de Civitate Dei, Euſebius ipſe Chronographus in tertio hiſtoria Eccleſiaſtica libro, ex verbis Joſephi Hiſtorici adverſus Apionem Grammaticum ſcribentis, breviorem temporum ſeriem quam in* LXX. *editione vulgo fertur contineri comprobant.*

Atque ut hos Juliano Toletano, & Georgio Syncello, ita Latinis illis recentioribus (præter innumeram hujus & ſuperioris ſæculi Chronologorum, à paucis illis diſſentientem turbam) Johannis Pici Mirandulani, in diſputatione contra divinatricem Aſtrologiam, (edit. Baſil. p. 565.) judicium ſpeciatim opponimus: unà cum [a] Johannis Mariæ Braſichellenſis Pontificii Palatii Magiſtri, in loca illa ex Juliano Toletano, & Antonio Contio producta à Thoma Malvenda mutuata, cenſurâ. Sic enim ille, ad locum Juliani annotat. *Cautè lege; non certum eſt eccleſiam Catholicam in editione vulgata approbare eam annorum rationem, quæ eſt in codicibus Hebraicis Geneſ. V. & 11. cùm vulgata egregiè Hebraico fonti conſentiat in ætatum enumeratione, atque ſupputatione temporum.* Et ad Contii illum alterum. *Contius, dum nimio ſtudio* LXX. *Interpretum translationis Chronologiam tuetur, non videt ſe incautè Hebraici fontis & vulgatæ editionis Chronologiam labefactare, quæ cum illa* LXX. *Interpretum perſpicuè pugnat. Et patres corruptelam* LXX. *Interpretum exemplarium ingenuè profitentur.*

[a] Tom. 1. Indicis libr. expurgand. edit. Romæ anno 607.

Contexit quidem hic [b] Baronius catalogum antiquorum patrum, qui ſecundùm LXX. interpretes, annos ab origine Mundi uſque ad ortum Chriſti numerare conſueverunt: additque *profiteri & Romanam Eccleſiam in ſuo Martyrologio, ſe annos ſupputare ſecundùm eoſdem Interpretes.* Sed ad horum prius Benedictus Peretius, & Jacobus Bonfrerius, ad poſterius Thomas Malvenda & Johannes Deſpieres, reſponſum pro nobis dabunt. *Non me fugit*, inquit [c] Peretius, *pleroſque veterum tam Græcorum quàm Latinorum, Chronologiam, quæ eſt in translatione* LXX. *Interpretum ſequi maluiſſe: quòd eam translationem illi cernerent multis ſeculis eſſe in Eccleſia Dei reverenter uſurpatam, religioſéque cultam: atque ob eam cauſam aliqua in parte eam mutare, aut non ſequi, religioni haberent. Sed apud me* (quantum ad Chronologiam, de qua nunc agitur) *auctoritas Scripturæ Hebraicæ ac Latinæ verſionis vulgatæ, necnon & duorum principum Eccleſiæ Doctorum, Hieronymi atque Auguſtini judicium & ſententia præponderat.* Et [d] Bonfrerius. *Certum eſt, verſionem Septuaginta in hiſce annis paſſim eſſe mendoſam, & in hac annorum ſupputatione Latinum noſtrum, & Hebraum textum eſſe ſequendum, ut Auguſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. oſtendit; etſi ipſius tempore ſola editio Septuaginta in Eccleſia, tam Græca quàm Latina eſſet recepta.*

[b] Baron. Appar. ad Anal. nu 119. & Not. in Martyrolog Romam. Decem. 25. &c

[c] Perer. in Geneſ. lib 7. num. 130.

[d] Bonfr. Præloquium Script. cap. 6. ſect. 6.

De Romano verò Martyrologio, [e] Malvenda reſpondet. *Quod Eccleſia Romana in publicis Tabulis eam annorum rationem laudare videatur, quam* LXX. *dederunt, id quidem non facit quòd veram & incorruptam eandem exiſtimet; cùm huic è diametro adverſantem ut veram & genuinam, eam ſummam quæ in editione Vulgata eſt conſignata, omnibus recipiendam proponat: ſed id tantum ſalubri temperamento cavit, ut vetus aliquod venerandæ vetuſtatis monumentum, tametſi lacerum ac deforme & pannis annoſque obſitum exhiberet; omnibúſque palam faceret, quam rationem ſequuti fuerint antiqui Patres in enumerandis ex ſacra Scriptura annis ab orbe procreato ad Chriſtum naſcentem, cùm ſoleant vetera antiquitatis monumenta, quantumvis corroſa & attrita, gratum aſpectantibus munus præſtare. Quocirca nihil opus eſt nunc Eccleſiæ Græcæ vulgatam numerandi rationem commendare, aut Græcorum exemplarium patrocinium contra Hebraicam Veritatem ſuſcipere.* Et Johannes Deſpieres [f]: *Nec nos*, (inquit,) *movere debet quod Eccleſia ſupputationem* LXX. *interpretum ab omni tempore in communem uſum receperit. Neque enim ea mens fuit eccleſiæ, ut nemini liceret ab ea deflectere: ſed ſolum uſum probavit, non autem ſupputationis errores, quos corrigit quando commodum fuerat. Et fortè uſa eſt hac ſupputatione corrupta, eò quod religioni duceret verſionem illam contemnere, cujus* auctoritatem, *inquit, Auguſtinus*, celebriorem ſuſcepit Eccleſia, *& quam ut divinam omnes venerati ſunt; vel fortè quòd meliora tunc non ſupperterent. Sic Eccleſia & univerſus orbis Chriſtianus utitur Æra vulgari & calculo Dionyſiano: eam tamen Chronologi non ignobiles docent, eam non pauci abhinc vere & germano calculo;*

[e] Malvend. de Antichriſto, l. 1, c. 16.

[f] Deſpier. de verſione 70. interpret. diſput. 2. dub. 3. fine.

Nempe, ut Chronicon ita etiam & Martyrologium Euſebii in Latinam linguam tranſtulit Hieronymus: quod in Romano, Bedæ, Uſuardi, Adonis & aliorum Martyrologiis variis acceſſionibus auctum, in 25. die Decembris ab ipſo Euſebio poſitum annorum Mundi uſque ad Natalem Chriſti numerum retinuit: unde in univerſam Occidentalem Eccleſiam Chronologiæ Euſebianæ uſus eſt propagatus; abſque ullo tamen Hebraicæ veritatis præjudicio. Nam & ipſo in Chronico Euſebius codicum Hebraicorum calculum, ſimul cum ſuo diligenter annotaverat ac ſeriem annorum Mundi ab Hebræis per

50. annorum Jubilæos dimensam propoſuerat, initio Jubilæi X L. (ſive ann. Mundi 2000.) in anni L I. ætatis Abrahami (à 70. patris Terachi deductæ) fine collocato. Ad annum verò Imper. Tiberii Cæſaris XVIII. *Principium* LXX. *Jobelæi* (ſive ann. mund. 4000.) *ſecundum Hebræos* eſt appoſitum. Unde colligitur, inter annum L I. Abrahami & illud tempus, Hebræorum illorum ſententia, 2000. annos interceſſiſſe.

Hoc igitur poſito; ex Hebraicis codicibus veram ætatis primorum Patriarcharum ſupputationem eſſe petendam: quomodo inde recta annorum Mundi ſeries ſit eruenda, jam oſtendendum eſt.

CAP III.

De ætatis Mundi per annos Patriarcharum ſupputandæ ratione: ubi de vocabulo γενναν, utrum ad conceptionem an nativitatem liberorum ſint referenda? Et de annis, quibus patres filios genuiſſe dicuntur; num inceptos vel completos ſint accipiendi? De tempore incepti & finiti Diluvii; in quem annum Mundi & ætatis Noachi inciderit.

PRimorum novem Patriarcharum anni, priuſquàm liberos gignerent, in V. Geneſeos capite commemorati, ſummam 1056 annorum conficiunt. Annorum enim non integræ vitæ, ſed generationis Patrum rationem hic eſſe habendam, Joſephus etiam hoc in loco ſic admonuit. [a] Ἐξετάζειν μοῖρα τὰς τελευτὰς τῶν ἀνδρῶν, ἀλλὰ τὰς γενέσεις αὐτῶν μόνον ἁρμόν. *Obitus virorum illorum nemo exquirat, ſed natales eorum tantùm conſideret.* Quandoquidem verò nova deinceps erat aſſumenda epocha, à qua ſecunda mundi Periodus eſſet inchoanda; ne per Noachi decimi Patris παράδοσιν Chronologia continuanda exiſtimaretur, tempus tantùm quo liberis gignendis operam ille dare cœpit eſt notatum, non ex unius (ut anteà) ſed trium filiorum nominibus promiſcuè appoſitis: ſed 600. ipſe annorum fuiſſe dicitur, quum Diluvium terras occuparet; [Geneſ. VII. 6.] quibus ad priores Patrum illos 1056. annos additis, an. mund. exurgit 1656. in quem incidit *Diluvium*. Et quum eodem quo Mundus cœpit, arefactæ dicantur aquæ à ſuperficie terræ, anno Noæ 601. [Geneſ. VIII. 13.] inde annos 1656. ſolidos numerandos eſſe colligimus, à Mundi initio ad exitum Diluvii, finis primæ, & initii ſecundæ mundi Periodi, communem terminum.

Ad ſecundæ deinde illius Periodi ſpatium definiendum, Geneſ. cap. XI. Arphaxadi nativitas facta fuiſſe narratur, *biennio* poſt *Diluvium*. Cui additi anni, quos Arphaxadus ipſe & ſex ſequentes ante genitos filios exegiſſe ibidem memorantur, annorum 222. ſummam efficiunt. Ne verò per proximè ſubſequentis Patriarchæ Tharæ, ſive Terachi παράδοσιν, Chronologia continuanda putaretur; hic ut in priore Periodo, annus ſolummodò quo & ille liberis operam dare cœpit, eſt deſignatus, trium item filiorum nominibus confuſo ordine ſubjectis. Et quum in toto reliquo capite quot cæteri omnes Patriarchæ poſt ſuſceptos filios exegerint annos, Moſes exponat; ſed integræ ſimul vitæ annorum ſummam, cum mortis ipſorum mentione conjunctam, (quod in c. V. fecerat) ſtudioſe prætermittat in ſolo Thara, annorum numero poſt generationem filiorum prætermiſſo, integram ipſius ætatem annorum 205. ſimul cum morte commemoratam; ut ad mortis potiùs ipſius, quàm ad παράδοσιν tempus in annorum hujus periodi ſumma colligenda attendi oportere innueret. Cujus mentem minimè aſſecutus *Doſitheus* Samaritanus, quaſi imperfectus hic eſſet textus Moſaicus, ad capitis V. normam eum conformare eſt auſus, integræ vitæ cujuſque Patriarchæ annorum numero, unà cum mortis mentione, adjecto, quod conſultò à Moſe eſt omiſſum, ut Tharæ annos ſingulariter hac in parte obſervandos eſſe oſtenderetur. Additis igitur totius vitæ ipſius annis 205. ad 222. illos, qui à diluvio ad ejus nativitatem effluxerunt, emergit annus à Diluvio 427. in quem & mors ipſius, & eam ſtatim ſecuta Abrami à Charane profectio, & in terra Chanaanis *Peregrinatio* occurrit; Secundæ Periodo finem, & tertiæ præbens exordium [Geneſ. XVI. 3.] Quia verò cœpta eſt hæc peregrinatio eodem die, quo poſt annos 430. eſt finita, [Exod. XII. 41.] decimo quinto videlicet die menſis *primi*, [Numer. XXXIII. 3.] qui ante exitum ex Ægypto (ut in capite 2. eſt oſtenſum) *ſeptimus* numerabatur: à menſis 2. die 2. quo diluvium deſiit, uſque ad menſis 7. diem 15. quo Peregrinatio hæc cœpit, non annos 427. integros numerare poſſumus, ſed (terminorum ratione ita poſtulante) 426. tantùm, cum menſibus 6. & diebus 14.

His ita præmiſſis, de annis quibus *genuiſſe*, vel *generaſſe* dicuntur Patres, primo in loco, eſt inquirendum; utrum ad filiorum conceptionem, an ad nativitatem ſint referendi? Quia enim *gignendi* vocabulum, actum generationis paternum propriè denotat, atque inter generationem & nativitatem filiorum novem menſium ſpatium ordinariè Intercedit: pro XVII. generationibus hic commemoratis, anni 12. & menſes ferè 9. ad Chronologiam videri poſſent adjiciendi. Quod commentum Jacobus Auzoleus in Chronologia quadam Gallica parturire dicitur, referente [b] Henrico Harvillæo, qui ſententiam hanc tum aliis argumentis compluribus refellit, tum hoc etiam ad extremum, quod eâ admiſſâ, incerta planè hic nobis relinquatur temporis ratio. *Nam aliàs*, inquit, *quis poterit aſſignare niſi divinando, quot menſes, & dies quilibet partus fuerit in utero? cùm multi geſtentur in eo non ſolum per 9. menſes, ſed per 10. 11. 12. ac 13. præterquàm quòd nonnulli quandoque geſtantur per pauciores.*

Ad ejus verò fundamentum reſpondetur: illud ילד Hebræorum, atque illi reſpondens τὸ γεννᾶν Græcorum, & *gignere* Latinorum, patri & matri eſſe commune, & ad nativitatem, magis quàm ad conceptionem referri ſolere. Apud Latinos enim *genitus* & *natus* idem ſonat: ut ex Plinii illo loco lib. 7. hiſtor. natural. cap. 8. manifeſtum eſt. *In pedes procedere naſcentem, contra naturam eſt: quo argumento appellavere Agrippas ut ægrè partos; qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis.* Hinc *genitura & nativitatis* apud Genethliacos ſchema idem eſt; & apud Theologos *regenerati* iidem ſunt, qui & *renati*. Ita 1. Petr. II. 2. ἀρτιγέννητα

[a] Joſeph Antiquit. hiſt. 1. cap. 4.

[b] Harvill Hiſtor. Chronolog. 15. col. 165. & 171.

ἄρσεν, *modò geniti infantes*, qui lac concupiſcunt, jam *nati* immuuntur, non *concepti* tantùm: & Matth. II. 1. Ἰησοῦ γεννηθέντος mentione factâ, non *conceptum*, ſed *natum* in Bethlehem Servatorem fuiſſe quiſque intelligit. Similiter & apud Hebræos; Geneſ. XL. 20. יום־הולדת *dies natalitius eſt*. Ezech. XVI. 4. ומולדתיך ביום הולדת אותך *Nam ad geniturae tuae, in qua genita vel nata es tu, non eſt præciſus umbilicus tuus, & aquis non es lota.* Et Hoſeæ II. 3. *Ne denudem eam planè, & ſtatuam eam* ביום הולדה *ut die qua genita*, vel *nata fuit*. Commune verò (hoc ſenſu) utrique ſexui eſſe vocabulum, ex illo Matthæi I. 16. liquet: Ἰακὼβ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ, τὸν ἄνδρα Μαρίας ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Χριστός. *Jacob genuit Joſeph, virum Mariæ, ex qua genitus eſt Jeſus, qui dicitur Chriſtus.* Atque ita de muliere pariente vox gignendi uſurpatur, Luc. I. 57. Τῇ δὲ Ἐλισάβετ ἐπλήσθη ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν αὐτὴν, καὶ ἐγέννησε υἱόν. *Elizabethæ verò completum eſt tempus ad pariendum; & genuit* (id eſt, *peperit*) *filium*. Et apud Latinos: in I. Æneidos;

Tunc ille Æneas, quem Dardanio Anchiſe
Alma Venus Phrygiis genuit Simoentis ad undam?

Similitérque apud Hebræos, genitura à conceptione & geſtatione in utero diſtincta, fœminis paſſim tribuitur: ut in Geneſ. XVI. 11. & XXIX. 34. & Eſa. VII. 14. videre licet. Quâ quidem acceptione, in illis verbum hoc, *peperit* vel *enixa eſt*; in viris, *procreavit, ſuſcepit, ſuſtulit* aut *pater effectus eſt*, ſignificat. Quia enim mulier quum prolem in lucem edit, *viro* gignit; idcirco, quum illa parit, & ipſe vir generare dicitur. Vide Geneſ. IV. 20. cum V. 3. XVI. 15, 16. XXI. 3, 5. XXIX. 34. Numer. XXVI. 59. Luc. I. 13. &c.

Verùm altera etiam hîc de annis qui Patribus ante ſuſceptos filios tribuuntur, movetur quæſtio: utrum ineuntes illi intelligendi ſint, an completi? an partim ineuntes, partim completi? Reſpondet [a] Dionyſius Petavius nullo ex argumento certo poſſe colligi, utrum qui anni Patriarcharum in Scripturâ numerantur, completi ſint ac vertentes, an inchoati: ac credibile eſſe, non omnium ſaltem Patriarcharum annos integros fuiſſe cùm genuerunt. Quoniam verò ex genealogiarum ſubductione, quæ in Moſis hiſtoria continentur, annorum ſumma petitur; incertum eſt autem, utrum anni omnes iſti ſolidi completique fuerint, qui pro completis nihilominùs habentur: propterea tempus epocharum Diluvii & natalis Abrahami certò, ac ſine dubitatione, minimè poſſe conſtitui. Contrà verò, longè rectiùs monet [b] Harvillæus, omninò credibile eſſe, Scripturam ſacram voluiſſe, in aſſignandis annorum numeris, tradere Chronologiam: ſaltem quantum ad annos quos ipſa recenſet. *At niſi voluerit*, inquit ille, *tradere Chronologiam per annos completos: nihil certi tradiderit. Quis enim poterit divinare, quot dies, hebdomadas, aut menſes importent anni fracti, aut incepti?* Cùm igitur Spiritui ſancto fuerit propoſitum, numerum annorum primævi Mundi (qui aliunde ſciri non poterat) hîc colligere: à primario illius ſcopo aberraverimus, ſi non annos Patrum, quibus genuerunt filios, plus minùs completos intelligamus.

Dixi, *plus minùs*; ne quis putet nos velle, uno eodémque vel die vel menſe, omnes Patriarchas genitos: quanquàm Hebræorum Doctores nonnulli (Davide Kimchio referente) primum veteris anni menſem ex eo nomen *Ethanim* conſecutum fuiſſe exiſtimaverint, quòd in eo præſtantes illi Patres nati ſint; quos (phraſi ex Mic. 6. 2. mutuata מוסדי ארץ האתנים *fortes fundamenta terræ* appellant. Sed nihil neceſſe eſt ut eò recurramus. Nam ut poſtremus annus πατριάρχου unius Patriarchæ menſibus aliquot deficiat; alterius verò ultra unum aut alterum menſem protenſus fuerit, ad ſummam rei nihil intereſt: cùm utrobique compenſatione factâ, in annorum totius intervalli aggregatione fiat exæquatio, quæ ad Mundi ætatem & ſeriem patefaciendam abundè ſufficiat.

Operam igitur Jacobus Cappellus hîc perdidit, [c] qui, ut anni Mundi per 7. & 49. diviſi, dent hebdomadum & Jubilæorum annos, quadrennium primæ Periodo detrahit: quatuor primarum Sethi, Enoſi, Kainanis, Mahalaleelis generationum annos in numeros rotundos (denarios videlicet vel quinarios) deſinentes, pro inchoatis vel decurtatis accipiens. Atqui annorum Sabbaticorum & Jubilæorum legem tum demum obſervandam præſcripſit Deus, quum Iſraëlitæ *ingreſſi fuiſſent terram* promiſſam: (Levit. XXV. 2.) eſſe verò eos ab Orbis initio numerandos, opinio eſt quæ nullo nititur fundamento. Et ad rotundos numeros quod attinet, ſi de integris annis verteretur quæſtio, aliquem hîc locum habere fortaſſe poſſit iſtorum conſideratio; ut quum Kainan verbi gratiâ, 70. annos vixiſſe dicitur, quæri potuiſſet an 69. vel etiam 71. is vixerit: at ubi de parte tantùm anni quæritur, non magis ad rotundum, quàm ad alium quemvis numerum ſpectat dubitatio, pro abſoluto ne ſumendus ſit an inchoato. Quòd ſi numeri in quinarium deſinentes habendi ſint pro rotundis: quum Jared etiam & Mathuſala dicuntur nati Patribus annos ætatis 65, agentibus, cur non in horum æquè generatione annus decurtabitur, atque in Enoshi, quem pater Sethus annos 105. natus, genuiſſe memoratur? nam quinarii profectò ratio hîc una eſt & eadem. Mitto quærere, cur in annis Patrum qui ante diluvium genuerunt, iſta ſpectetur annorum rotundatio, in eorum qui poſt diluvium vixerunt, neglegatur. Illud dictum ſufficiat, ſi à recepto calculo diſcedamus, neque filiorum nativitate claudamus annos, quibus patres dicuntur à Moſe filios genuiſſe; incerta hîc omnia, neque in fundamento aliquo vero (ut ab Harvillæo probè eſt animadverſum) ſed in volentis arbitrio fore conſtituta.

Ad Petavium iterùm redeo; qui ad ſacri calculi certitudinem infirmandam porrò adjicit: neque illud conſtare, cùm rotundo numero uſus Moyſes, *ſexcenteſimum* (exempli cauſâ) Noë, aut *centeſimum* Sem uſurparet. Nam conſuetudinem ipſam τοῦ ἀκριβοῦς hîc excludere; neque quicquam è ſcripturis explorari poſſe, quod miror homini docto & induſtrio venire in mentem potuiſſe. Nam *Sem* quidem Gen. X. 10. fuiſſe dicitur *centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio poſt diluvium*. Verùm non à Semi *centenario* textura annorum Mundi dependet, ſed à *biennio poſt diluvium*: ut ſive centeſimo præciſè acto natus fuerit Arphaxad, ſive uno, alterove plus vel minùs, ad Mundi ætatem nulla inde accedat ſive accretio,

ſive

Vide Kimchi rad. יתר & in 1. Reg. 1. 2. & Bunoſ. locis.

[c] Jo. Cappel. hiſtor. P. 1. & 20.

[a] Petav. de Doctrina temp. lib. 3. cap. 17.

[b] Harvil. Theſaur. Chronol. parag. 14. col. 164.

ſive diminutio. Ad Noæ verò *ſexcenteſimum* quod attinet: aliquam fortaſſe ſcrupuli ſpeciem injicere potuiſſet, ſi in illo ſolo textu Geneſ. VII. 7. facta fuiſſet ejuſdem mentio. *Erat ſexcentorum annorum, quando diluvii aqua inundaverunt ſuper terram.* Verum quum verſiculo ejuſdem capitis 11. *anno ſexcenteſimo vitæ Noæ, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis*, Diluvium cœpiſſe legamus; & capite ſequente, *verſu* 13. *ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis*, ſiccatas fuiſſe aquas è ſuperficie terræ: Stuporis cujuſdam fuerit negare è Scripturis explorari poſſe, utrum præciſum tempus annus ille *ſexcenteſimus* denotet, an verò unius, aut alterius anni vel additionem, vel diminutionem admittat.

Neque ullo modo audiendus eſt Joſephus Scaliger, qui contra expreſſa hæc Scripturæ teſtimonia, in Elencho Orationis Chronologico D. Parei, (*pag.* 53.) ex Geneſ. IX. 28, 29. hanc nectet concluſionem. *Noa vixit annos* 950. *de quibus* 350. *vixit poſt diluvium. Deductis* 350. *de* 950. *remanet annus Noæ* 600. *poſt diluvium. Ergo diluvium inivit anno Noæ* 599. *non autem* 600. *ut hactenus omnes putarunt.* Atqui deductis 350. de 950. relinquitur annus Noæ 600. non poſt diluvium, ſed quo diluvium operiebat terram. Quum igitur Scaliger anno Noæ 599. diluvium iniiſſe hinc concludit, & anno ſexcenteſimo Noæ currente finem accepiſſe, id (enim argumento hoc à ſe demonſtratum eſſe, pag. 82. jactitat:) non modò contra clariſſima, quæ nos produximus, Scripturæ teſtimonia, ſed etiam contra textum quem pro cauſæ ſuæ firmamento adduxit ipſe, apertè militat. Eâ enim ratione 350. anni ab initio diluvii deducti 948. à fine verò 949. tantùm annos integræ vitæ Noæ conſtituerent: quum annos 950. eum vixiſſe, & Scriptura apertè affirmet, & ipſe Scaliger agnoſcat.

Illud igitur immotum maneat, quod à Spiritu ſancto tam luculenter habemus expreſſum: anno 600. vitæ Noæ, menſe 2. die 17. diluvium cœpiſſe; anno 601. menſe 1. die 1. ſuperficiem terræ aquis liberatam, & menſe 2. die 27. tellurem plenè areſactam eſſe: & conſequenter integrum annum (ut de excurrentibus diebus nihil dicamus) Noam in Arcâ exegiſſe. De annis tamen illis 600. & 601. ulterior adhuc, diſcutienda manet quæſtio: num ineuntes illi, an verò completi ſint hic accipiendi? Recentiorum enim Chronographorum nonnulli pro completis eos accipientes, à rerum initio ad initium Diluvii, annos 1656. abſolutos numerant: quum nos, cum fine Diluvii, annum & Noæ 600. & Mundi 1656. terminandum exiſtimemus. De quo ut rectiùs judicemus: textus ille Geneſ. IX (ubi *poſt Diluvium* CCCL. in univerſum autem DCCCCL. annos Noa viviſſe dicitur) cum altero Geneſ. XI. 10. (ubi Arphaxad natus fuiſſe memoratur, biennio *poſt Diluvium*) conferendus eſt. Johannes Funccius cum ſequacibus ſuis, unius anni interjectione ætatem mundi augens, ab initio anni 600. Noæ, uſque ad initium Diluvii, annum unum, ab initio Diluvii ad finem ejuſdem annum alium, & à fine diluvii ad nativitatem Arphaxadi, biennium numerat. Ergo cùm Arphaxad biennio *poſt diluvium* natus dicitur, de diluvio finito hoc accipit, & rectè accipit. Quum igitur Noa ſimiliter *poſt Diluvium* CCCL. annis vixiſſe dicitur: pari omnino ratione poſt finem diluvii tot annos exegiſſe putandus eſt. Jam ſi (ut Funcciana ſtatuit hypotheſis) ab ortu Noachi uſque ad diluvii exitum, 601. anni tranſacti fuerint: additis 350. qui poſt decurrerunt, fierent omnes dies Noachi 951 annorum non 950. ut habet Scriptura, Geneſ. IX. 29. Sethus Calviſius & diſcipulus ipſius Johannes Bohemus, ab initio quidem anni 600. Noæ uſque ad initium diluvii, annum unum cum Funccianis numerat: ſed biennium *poſt diluvium*, quo natus Arphaxadus, non (ut illi) à fine, ſed ab initio diluvii deducit. Admiſsâ enim hypotheſi, quæ ſub finem anni 600. diluvium cœptum eſſe ſupponit: epocham annorum poſt diluvium numerandorum, non in exitu (ut viſum illis, qui inter initium 600. anni Noachi & nativitatem Arphaxadi, quadriennii interſtitium conſtituunt) ſed in exordio diluvii eſſe collocandum; epilogiſmus ille annorum Noachi, quem ex Geneſ. IX. 28, 29. propoſuimus, evidenter oſtendit. Eâ verò ratione, in ſerie annorum Mundi conſtituendâ, nulla omnino inter nos orietur differentia. Sive enim ponamus, ſub initium anni 600. Noachi cœpiſſe Diluvium, & à diluvii fine uſque ad natum Arphaxadum effluxiſſe biennium; ſive ſub finem anni 600. cœpiſſe Diluvium, & à diluvii initio uſque ad natum Arphaxadum decurriſſe biennium: non niſi tres annos inter initium 600. anni Noachi, & nativitatem Arphaxadi interjectos deprehendemus.

Quanquàm verò ad ſummam rei nihil intereſt, utra hypotheſis admittatur: priorem tamen præferendam eſſe, his de cauſis exiſtimamus. *I.* Geneſ. X. 1. ubi Moſes ſcribit; *Hæ ſunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Japheth, natique ſunt ei filii poſt diluvium*: nemo eſt qui finem diluvii non intelligat. Quidni ergo, eodem modo intelligatur, in loco parallelo? Geneſ. XI. 10. *Hæ ſunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluvium. II.* In poſteriore iſto loco Moſes, Orbis renovati Chronologiam pertexere exorſus, ab Arphaxadi (ut vides) nativitate eam deducit, factâ *biennio poſt diluvium.* Quòd ſi à diluvio incepto epocham ſuam repetiiſſet; ſequeretur ipſum diluvii annum in novi Orbis temporibus ab eo fuiſſe comprehenſum. Atqui diluvii annus ad *a Priſcum* Mundum (ut cum B. Petrus appellat) omnino pertinebat, non ad eum qui *b nunc* eſt: cujus idcirco annos ipſe Annianus Beroſus *c à ſalute humani generis ab aquis* (tanquam mundo tum denuò reviviſcente) denumerat; ſicut & *ſecunda ætatis primam diem* appellant Beda & Marianus, 27. illam menſis ſecundi, quâ de Arca egreſſus eſt Noachus. (Geneſ. VIII. 14. 15.) *III.* in hiſtoria Diluvii poſtquam in VII. capite dixiſſet Moſes, cœpiſſe illud *anno ſexcenteſimo vitæ Noachi, menſe* 2. *die* 17. in capite ſequente ſubjicit, menſe 7. die 17. requieviſſe Arcam in montibus Ararati, [v. 4.] 10. menſe, 1°. die menſis apparuiſſe cacumina montium, [v. 5.] ac demum addit, *ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, primâ die menſis* ſiccatas fuiſſe aquas è ſuperficie terræ [v. 13.] Si menſis 2. die 17. quo Diluvium cœpit, ad finem vergeret annus vitæ Noachi 600. tum proximo menſe ſeptimo, annus 601. fuiſſet numeratus. At neque 17. die

a 1. Pet. 3. 6.

b 2 Pet. 3. 6, 7.

c Pſeudo-Bed. ſæc. lib. 2. & 3.

menſis 7.

non completum fuiſſe, intelligimus. Non enim eadem *integritas* in annis *παιδογονίας*, & integræ vitæ Patrum eſt quærenda. Ut annos *παιδογονίας* mutilemus nulla ratio nos ſuadet, & ne mutilemus perſuadet illa, quòd ita incerta redderetur integra annorum mundi ſeries. Ut poſtremum vitæ Patriarcharum *μαρτυρικὸν* decurtemus annum, evidens non cogit ratio: & ne id faciamus, nullum eſt incommodum quod deterreat, quum ab annis generationis, non integræ vitæ Patrum, Chronologia Mundi dependeat: quemadmodum in hujus capitis initio ex Joſepho eſt annotatum.

Tertiam rationem ex Geneſ. VII. 6. petit Krentzhemius. *Cùm Moſes ſcribit*, Noah erat filius *ſexcentorum* annorum, quando aquæ Diluvii inundaverunt ſuper terram: *manifeſtè*, *docet*; *Noah ante diluvium compleviſſe annos ætatis* 600. *Sequentes igitur annotationes Chronologicæ*, *de diluvio inundante anno ætatis Noah* 601. *menſis* 2. *die* 17. (Geneſ. VII.) *& de exſiccatis aquis anno ejuſdem* 601. *die primo*, *menſis primi*, (Geneſ. VIII.) *intelligendæ ſunt de completis annis.* Atqui certiſſimum eſt, ex Hebræorum idiotiſmo, per *filium ſexcentorum annorum* deſignari eum qui *ſexcenteſimum annum* quoquomodo eſt ingreſſus, utcunque eum non exegerit: fallíque omninò Johannem Funccium,[a] qui hìc *neceſſariò integros annos eſſe intelligendos* aſſerit. Nam pari ratione, Geneſ. XVII. 12. *filius octo dierum* jubetur circumcidi, qui *octavum* à partu diem attigit: Et Exod. XII. 5. בן־שנה *primi anni* agnus appellatur; qui *die octavo & deinceps* offerri poterat Domino. Nam in agno quoque Paſchali legem illam Levit. XXII. 27. ab Hebræis fuiſſe obſervatam, oſtendit[b] Maimonides. Porrò Funccianam illam ſententiam, quòd ingruente diluvio ſexcenteſimus Noachi annus non tantùm fuerit inchoatus, ſed planè completus, exactis præterea 47. diebus anni ſexcenteſimi primi; tribus novis argumentis firmare conatus eſt[c] Benedictus Pererius; ſed fundamento, ita extra modum ridiculo, ſubnixis, ut ea referre pudeat. Omnino enim aliud agebat vir doctus quum iſta ſcriberet, nec ipſum ea ſine morâ deleturum fuiſſe dubitamus, ſi quis monitor opportunus interveniſſet.

a Func. lib. 1. Comm. ad ann. 1657.

b Of offering Sacrifice ch. 1. ſect. 12. 13. vide de Phraſi eadem Pſalm. Exod. 29. 38 Num. 28. 3. Confer. Levit. 22. 27 & 9. 3. & 23. 18, 19. Num. 7. 87, 88. cum Num. 28. 3, 9, 19.

c In Gen. lib. 12. ſect. 9.

CAP. IV.

De biennio poſt Diluvium, quo Semo natus eſt Arphaxad: ubi etiam de ordine trium filiorum Noachi, & cui eorum primogenitura debeatur.

DE *biennio* Diluvium proximè inſequente locus habetur, Geneſ. XI. 10. *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluvium.* Pro quo Græca verſio habet: *δευτέρου ἔτους μετὰ τὸν κατακλυσμόν, ſecundo anno poſt diluvium.* Eum annum pro *completo* acceperunt, qui LXX. interpretum numeros ſecuti, à diluvio ad ortum Abrahami annos vel 942. (ut Euſebius, & ejus ſequaces) vel, admiſſo in Patrum numerum Cainane, 1072. (ut Auguſtinus de Civitate Dei lib. 16. cap. 10. & Julianus Toletanus libro tertio contra Judæos) ſupputaverunt. Alii verò, in quibus & Paulus Cruſius & Jacobus Cappellus, pro *inchoato* capientes, ſacrum calculum eâ ratione unius anni detractione mutilarunt. Atqui Spiritus Sanctus in textu originali non dicit בשנה השנית vel בשנת שתים quomodo loqui[d] ſolet, quum annum ſecundum currentem denotare vult: ſed ſimpliciter voce Dualis numeri שנתים utitur, ut in hoc eodem libro, Geneſ. XLV. 6. זה שנתים *Biennium eſt quòd cœpit fames eſſe in terrâ, & adhuc quinque anni reſtant* (de *ſeptem ſc.*) *quibus nec arari poterit nec meti.* Unde rectè & in Syrâ, & in Chaldaicâ (tum Onkelolii, tum ea quæ Jonathani tribuitur) Paraphraſi, Arphaxad natus ponitur בתרין שנין *duobus annis*, & in Hieronymianâ tranſlatione, *biennio* poſt diluvium: nec non in Ruffinianâ Joſephi verſione. *Sem filius Arphaxad natus eſt poſt annos duos factî diluvii*, licèt in Græca editione hodie corruptè legatur (ϐ pro β poſito:) Σὴμ δὲ υἱὸς Ἀρφαξὰδ ἐτῶν δύο μετὰ ἔτη διδύμα τῆς ἀναβάσεως γεγονότος. Ut admodùm ridiculè Stanislaus Giſeptius in futili libello De multiplici ſicło & talento Hebraico, ex corrupto hoc Joſephi loco abſurdiſſimum hoc pronunciatum deduxerit, *Sicut ſex talenta dicuntur talentum, ita & ſex anni dicuntur annus apud Hebræos.* Neque verò commentitii Beroſi autoritate moveri debebat Cruſius, ut ineunte à diluvio anno altero natum Arphaxadum concluderet: quum apud homines cordatos nullius omninò ea ſit momenti neque ratio ulla reddi poſſit, quare, cùm in reliquâ totâ per Patrum *παιδογονίας* à Moſe contextâ Chronologiâ, anni vel *completi*, vel quaſi completi accipiantur, in hoc ſolo articulo *inchoati* ſint intelligendi.

d Exod. XL. 17. 1 Reg. XV. 25 IV Reg. I 17 XIV. 1. XV 12. Eſai. XXXVII. 30. Daniel III. Hagg. I. 1. 15. II 10 Zachar. I 1. 7.

At alii non ſolùm annum ſecundum *ineuntem* hìc accipiunt, ſed ab ineunte etiam Diluvio epocham ejus deducunt; atque ita *biennium* hoc, inter exitum diluvii & ortum Arphaxadi interpoſitum, in annorum mundi ſupputatione proſſus negligunt. Hi enim, ex Geneſ. V. 32. colligentes Noachum, cùm 500. eſſet annorum, genuiſſe Semum; & ex Geneſ. XI. 10. Semum, cùm 100. eſſet annorum, genuiſſe Arphaxadum, anno poſt diluvium altero: ineunte anno Noachi 601. & deinde diluvium & natum fuiſſe Arphaxadum, inde concluſerunt: cúmque inter initium anni 600. Noachi, & Nativitatem Arphaxadi, juxta Johannis Funcii ſectatores (de quibus in 3. cap. diximus) *quadriennium*, juxta alios (ad quos & nos accedimus) *triennium*, juxta illos de quibus proximè jam egimus *biennium* ſolidum interjectum ſupponatur; ex horum rationibus *unus* tantùm annus, iſque ille idem quo terras diluvium occuparit, relinquetur.

Atque hæc fuit Theophili Antiocheni cap. 1. Chronographi illius qui ad annum XIII. Alexandri Severi tempora perduxit (tomo 2. antiquæ lectionis Henr. Canifii, pag. 581.) Julii Africani, Severi Sulpitii, Joſephi Chriſtiani Scriptoris, (in Hypomneſtico, nondum edito) Conſtantinopolitani Chronici, Authoris Faſtorum Siculorum, (ſive quod Alexandrini nomine à M. Radero eſt editum) Maximi monachi (in Compoto) Syri mei Chronographi, & aliorum aliquot ſententia: à quâ etiam non abſcedunt multùm, Nicolaus Vignerius in Bibliotheca ſua hiſtoriali, ad ann. Mundi 1657. & Joſephus Scaliger, in Elencho Orationis Chronologicæ D. Parei, ubi de primogenitura

Semi differens, quum generalem thesin statuisset, *hunc ordinem filios in Scripturâ habere quem illis natura dedit*: particularem hanc hypothesin istâ (quam vocat) *demonstratione* stabilire nititur. *Anno Noæ* 601. *ineunte, Sem genuit Arphaxad, annos natus centum; centesimo nimirum absoluto postquàm pater ejus cepit generare. Quare si Noa annorum* 500. *erat quum cepit generare, & filius ejus annorum* 100. *cepit generare, anno patris sui* 601. *ineunte, multus ergo filius Noa natus est ante Sem. Propterea errant, qui natalem Arphaxad statuunt anno Mundi* 1658. *Noæ annis* 602. Ita Scaliger.

Noe verò cum longè majore, & meliore Chronologorum parte, Scripturæ ductum secuti, quæ biennio post terras ab aquarum eluvione liberatas, Arphaxadum ortum non obscurè significat, ineunte anno Mundi 1659. & ætatis Noæ 603. natum illum fuisse defendimus: & Scaligerum, ad ineuntem annum Noæ 601. natalem ejus referentem, & à veritate, & à fundamentis propriis hîc discessisse affirmamus. Si enim ineunte anno Noachi 601. natus fuisset Arphaxadus, ut Scaliger & Veteres illi putarunt, statim post finitum diluvium in lucem cum editum fuisse oporteret: Nam *sexcentesimo primo anno*, primo mense, primâ die mensis amovisse Noachum operculum Arcæ: & mense secundo, die mensis 27. siccatâ terrâ, egressum ex eâ fuisse Scriptura sacra testatur, Genes. VIII. 13. 14. Si continuò post egressum ortus fuisset Arphaxadus; non dixisset Scriptura, Genes. XI. 10. *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium*: sed potiùs, [a] *Sem vixit post diluvium Sem centum annorum existens, genuit Arphaxad*, quemadmodum antiquissimus alterius sententiæ assertor loquitur Theophil. Antiochenus.

Quis autem credat, invalescentibus super universam terram aquis diluvii, Semum in Arcâ (quasi in sepulchro) conditum, liberis operam dedisse? Uxorémque ejus eodem carcere conclusam, fœtum animatum atque adeò partui jam maturum, in utero gestasse? quod vix, aut ne vix quidem, cum illo Apostoli pronunciato poterit consistere: *in arcâ paucæ, id est, octo animæ servatæ fuisse in aquâ.* (1. Petr. III. 20.) Adde, cum [b] Torniello, eos qui in Arcâ erant, nimio terrore correptos, pœnitentiæ potiùs operæ exercuisse, lugentes communem illam humani generis cladem; nec ad mulieres accedendum esse existimasse, usque quò intelligerent Deum humano generi esse placatum, ac de ipso reparando deliberasse: alioqui videri posse, frustrà Dominum, expleto diluvio iterùm protulisse verba illa de generatione liberorum; *Crescite, & multiplicamini, &c.* (Genes. IX. 1. 7.) redintegrato naturæ ordine, sicut erat in principio. (Genes. I. 28.)

Nec illud prætereundum, quòd Genes. X. 22. & 1. Paralip. I. 17. filii *Semi* recenseantur, *Elam*, & *Assur*, & *Arphaxad*. Quòd si, (ut hîc contendit Scaliger) *eum ordinem filii in Scripturâ habeant, quem illis natura dedit*: necesse est ut Elam & Assur ante Arphaxadum geniti fuerint, neque ineunte Noachi 601. sive primo post diluvium anno, omninò nasci potuit Arphaxadus. Et certè dignatione gratiæ Arphaxad utroque fratre prior fuerit; non alia videtur afferri posse ratio, cur tertio nominatus ille sit loco, quàm ob nativitatis ordinem. Nam quod pacissimum pro Arphaxadi primogenitura à Jacobo Cappello contra Augustinum Torniellum urgetur argumentum, à tempore priorum filiorum alimoniæ assignando petitum; quòd *tum neque nutrix ulla, nec lactis pecudis copia, suppeteret*: ab ipso Torniello ad annum Mundi 2. num. 1. prolixè est solutum. Neque illud etiam à Scaligero est animadversum, labefactari hîc ab eo illam epocham quam priùs ignoratam & à se constitutam esse jactitat, [c] *omnium aut sacra historia aut exotica certissimam, unde omnes rationes temporum Biblica historia pendeant; & ne verè possis illam vocare matrem cæterarum Epocharum.* Epocham nimirùm Exodi, quando migratum est ex finibus Ægypti: quam & alibi semper, & in hoc quoque Elencho, in annum Mundi 2453. conjicit, atque in annum tertium annalis Hebdomadis currentis. Si enim ineunte anno Noachi 601. Arphaxadum natum admiserimus; nec in annum 2453. incurret Exodus (posito etiam Natali Abrahæ in anno Thare 70.) nec anni Mundi per septenarium divisi, Hebdomadem annalem exhibebunt: indèque Johannes Bohemus, hoc observato, ab erraris Magistri (in hoc quidem in loco necessariò sibi discedendum esse putavit.

Erroris verò fundamentum in eo est positum, quòd Noachus tum præcisè 500. annorum fuisse existimatur, quando Semum genuit: idque ex textu illo colligi putatur. Genes. V. 31. *Et fuit Noah filius quingentorum annorum*, (id est, quingentesimum agebat annum,) *& genuit Noah Semum, Chamum & Japhetum.* Cùm autem uno & eodem anno, omnes illos tres nequaquàm susceperit; non aliud voluisse Moisen consentaneum est, quàm Noachum anno ætatis 500. liberis operam dare cœpisse, adeóque primogenitum procreasse: sed cui eorum primogenitura danda, res est non adeò perspicua, ac prima facie posset videri. Illam enim Scaligeri rationem, quæ *hunc ordinem filios in scriptura habere* statuit, *quem illis natura dedit*, admodùm infirmam esse ostendit Benedictus Pererius. *Quamvis enim*, (inquit,) *illud videatur arguere, Sem* [d] *fuisse primum natu filiorum Noe, quod semper in Scriptura cum nominantur filii Noe, primus omnium conferatur Sem* (ut Genes. c. V. VI. IX. X. & initio prioris libri Paralipom.) *idque pro magno argumento ad id ipsum probandum afferunt nonnulli: attamen id non magnam vim habere videtur. Namque etiam Cham inter filios Noë secundus memoratur, quem tamen minimum fuisse annum*, [f] *planum est. Similiter* [g] *Isaac nominatur ante Ishmaelem, &* [h] *Jacob ante Esau, non propter priorem ortum, sed propter prærogativam electionis & benedictionis divinæ, majoremque earum dignitatem. Quanquam non satis liquet cur semper Cham nominetur ante Japhet; cùm & ortu & dignitate posterior eo fuerit.* De quo postremo tamen illa B. Ambrosii observatio non est prætermittenda: [i] *Ubi generantur, hunc ordinem esse; ubi autem genitores, Japheth primo loco scribi, tertio Sem, non Cham*, ut habetur in impressis omnibus Ambrosii exemplaribus. Nam & in Genes. cap. X. & in 1. Paralipom. I. ubi

filiorum

[a] Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν ἔζησεν ὁ Σὴμ ἐνιαυτοὺς ἑκατόν. ἐγέννησε τὸν Ἀρφαξάδ. Theophil. ad Autolycum, lib. 3.

[b] Torniell. ann. Mundi, 1657. pag. 19.

[c] Scalig. in Animadvers. Eusebian. pag. 11. col. 2. & id. in Canon. Isagog. l. 3. p. 282.

[d] Pererr. in Gen. Lib. 8. fol. 92.

[f] Genes. 9. 24.

[g] 1. Paralip. 1. 28. Genes. 21. 3.

[h] Gen. 25. 5 Josh. 24. 4.

[i] Ambros. de Noë & Arca, cap. 2.

filiorum Noæ posteritas explicatur, Japheti progenies primo loco proponitur, Semi tertio: semper autem in medio Cham relinquitur, quasi & hîc locum haberet, quod ab eodem Ambrosio ex [a] Homero ibidem est productum: *mauis δ' ἐν μέσσοισι θέασκε*, *Malos autem in medium inserit*, quomodo etiam ab [b] aliis est notatum, semper medium poni Cham improbum inter duos probos; quòd ita sit Ecclesia comparata utrinque, ut inter improbos ut hostes versari cogatur.

[a] Iliad. 4.

[b] Mercer. in Genes. 10. 1.

Cùm autem in utroque illo Scripturæ loco, duplici modo recensentur filii Noæ; ubi *generati* commemorantur, (Sem, Cham & Japhet) ubi *generantes*, ordine retrogrado [Japhet, Cham & Sem:] posteriorem hunc, ut genituræ ordini respondentem, amplectuntur quidam, inter quos R. Levi ben Gersom, in Genes. IX. 24. Nicolaus Lyranus, & Alphonsus Tostatus Abulensis; in quorum sententiam & nos libentissimè concederemus; si persuaderi nobis posset Semo juniorem fuisse Chamum: quòd illa retrograda ordinis inversio sic responderet aptissimè ejusdem generis loco illi alteri, Genes. XI. 26. ubi Thara genuisse dicitur *Abrahamum*, *Nachorem*, & *Haranem*; cùm naturalis generationis ordo, *Haranem*, *Nachorem* & *Abrahamum* ponendos requirit. Priorem verò modum sequuntur alii, in quibus Pseudo-Clemens libro Recognitionum 1. Ambrosius (in lib. de Noe & Arca) Epiphanius (hæres. *) Jo. Chrysostomus (in Genes. serm. 29.) Augustinus (de Civitate Dei, lib. 16. c. 3.) R. David Kimchi (in 1. Paralipom. I.) & alii plurimi. Benedictus Pererius, cum Fl. Josepho (lib. 1. Antiquit. cap. 5.) Semum primo, Japhetum secundo, Chamum tertio loco; Thomas Lidyatus Chamum primo, Semum secundo, Japhetum tertio natum loco existimat: Tremellius verò, cum Hebræorum & nostrorum aliquot, Chamum ultimo, medio Semum, Japhetum primo loco collocat. Quam sententiam & nos ceteris omnibus præferendam esse judicamus; si clarè ex Scripturis ostendi possit, Chamum Semo majorem natu non fuisse.

* Lib. 1. c. IV.

Et quidem *Semo fuisse priorem natu quàm ipsum Cham*, ex Genes. IX. 24. *manifestum* esse docet Pererius [c] *appellari enim illic Cham filium Noe minorem præcise: quod apud Hebræos idem significat atque filius parvus vel minimus. Totam igitur contentionem esse inter Semo & Japhet de principatu ortùs.* Ita Josephum quoque sensisse videmus, notissimam illam historiam Genes. IX. de retecta Noachi nuditate, ita enarrantem. [d] *Τοιαῦτα δ' αὐτὸν ὁ καθεύδοντος τῶν παίδων τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιγελῶν ἐδήλωσεν· οἱ δὲ παραστάντες τὸν πατέρα· ἡ Νῶχος ἀνέῳξεν, καὶ μὴ ἄλλως παρὰν ἐνθυμούμενον ἔγνω· τῷ δὲ χαμὶ διὰ τὸν συγγενόμενον αὐτῷ μᾶλλον ἐπικατᾶτο, τοῖς δ' ἄλλοις αὐτοῦ τῶν ἄλλων διατεκνούντων τὸν ἄμεμπτον, τοὺς χαιρεφῶν παῖδας μείζονα ἐ θεός. Id conspicatus filiorum natu minimus, per ludibrium fratribus indicavit: illi verò parentem operuerunt. Sensit hoc Noachus, & precatus aliis filiis felicitatem, ne Chamum quidem diris devovit, respectu sui sanguinis, sed tantùm ejus posteros: quas cùm cæteri evasissent, Chananæi liberos ultio divina est consecuta.*

[c] Perer. in Genes. l. 15. fol. 132.

[d] Joseph. Antiquit. lib. 1. cap. 7.

Verùm quum nepotes dicantur filii avi, non minùs quàm filii ipsi, quod, ne à proximâ Semi ipsius progenie discedamus, ex 1. Chronic. I. 17. cum Genes. X. 23. collato liquet:) non desunt qui *parvum filium* in ea historia nequaquam Chamum ipsum, sed filium ipsius Chananem, intelligendum esse existiment. Ita ex Hebræis, R. Levi ben Gershom, & R. Abraham Aben Ezra in 9. cap. Genes. è nostris Theodoretus quæst. 57. in Genes. (si non Origenes potiùs; cujus expositio, ab Hebræo magistro suo accepta, ex Catena Græca à collectore fragmentorum Theodoreti hîc inserta fuerit) & Procopius Gazæus in Genes. cap. 9. Quam sententiam licèt in Elencho Orationis Chronologicæ D. Parei summopere propugnatus fuerit Josephus Scaliger; nihil ille tamen attulit, quod à simplici & receptâ historiæ intelligentiâ cogat nos abscedere.

Vide Græc. Caten.

Quid fecit Cham patri suo? inquit ille, *Nihil; Tantum fratribus de patris probro nuncius fuit. Atqui Scriptura disertè dicit nescio quid Noa à minore filio factum, propter quod Noa in maledictionem eruperit.* Respondeo; *nihil* illud Scaligeri, aliquid profectò fuisse factum filio indignissimum. *Oculum qui subsannat patrem, aut spernit obedientiam matris, hunc effodient corvi vallis, aut comedent eum juvenes aquilæ:* dicit Sapiens, Proverb. XXX. 17. & ipse Plutarchus, in libro περὶ φιλαδελφίας, sive de amore fraterno. Οὐδ' αὖ πάλιν μεῖζον ἐπίδειξιν εὐθὺς γίγνεσθαι τῆς περὶ γονεῖς ἀλογωρίας ἢ πλημμελείας. δὲ τοὺς μὲν ἄλλους κακῶς ποιῶν ἀτιμάζεται· μητρὶ δ' αὐτοῦ ἢ πατρὶ τὸ μὴ παρέχειν ἐπιτρὸς ὁρῶντας αἰὶ ἢ λέγοντας ἐφ' οἷς ὑφροντίζουσι, πῶς μὴ φροῦ τὸ λυπεῖν δίκαιον ἤγαστο ἢ ἄθεμιτον. Quomodo verò Chamus erga patrem suum se gesserit, ex Theodoreto, quem suæ *sententiæ vindicem* laudavit, intelligere hîc poterat Scaliger. [e] Ὁ χὰμ οὖν ἐπὶ τῇ παρανόμῳ καταγελάσας ἐδίκαιος, ὡς παρανόμως τὸν τῆς φύσεως νόμον. ὅτι γὰρ ἢ τὸ γεραίρειν τοὺς γεννήσαντας ἡ φύσις ἐδίδαξεν μαρτυρίοιν οἱ τῷ χὰμ ἀδελφοί, ὡς παρ' ἑαυτῶν τὸ πάντας μιμεῖσθαι τῷ πατρὸς, μετὰ πολλῆς αἰδοῦς εἰς τοὐπίσω βαδίζοντες συνεκάλυψαν τὸν πατέρα, ἐς ἂν ἄπρακτα ἴδωσι ὄδυν ἀπαφίστη ἐδιάσεως· τοιγάρτοι ἢ μᾶλλα εὐθέως ἢ τῷ πατρὸς τιμῆ εὐλογίαν ἐδέξαντο. *Cham parricidii reus habitus est, tanquam transgressus legem naturæ. Nam quòd natura ipsa doceret venerari & colere parentes apertè, testificantur fratres ipsius Cham: à quo cùm intellexissent quod patri acciderat, multo cum pudore retrò gradientes Patrem operuerunt, ut minimè viderent, unde erant prognati. Itaque merito benedictionem à patre acceperunt.* Et si illi ob tectam patris ignominiam benedictionem fuerint consecuti; ob contrarium certè factum Chamus maledictionem meruerit: quippe qui patris nuditatem non modò non texerit, sed etiam publicaverit, & lumina faciens hic noxia, & linguam quoque.

[e] Theodoret. in Genes. quæst. 57.

Atqui Scriptura disertè dicit, nescio quid Noa à Minore filio factum, propter quod Noa in maledictionem eruperit. Experrectus enim vidit quod sibi minor filius fecerat, quod quidem Scriptura non exprimit, *sed tamen constat factum esse*; ut eleganter monet doctissimus Aben Ezra. *Propter aliquod enim factum maledictio emissa est, non quòd Cham pudenda patris viderat. Id enim experrectus ipse nescire non potuit.* Ita Scaliger. Resp. Factum illud quod experrectus rescivit Noa, & maledictionem ab eo expressit, ut extra Scripturam quæramus non est opus: sufficit abundè illud, quòd Chamus [f] nuditatem & turpitu-

[f] Perer. in Genes. l. 14. fol. 128.

turpitudinem patris sciens & libens aspexit, cum contempta irrisit, divulgavit, & fratres suos ad ejus irrisionem provocavit. Tanta in uno hoc facto crimina rectè notavit Pererius: qui de ratione etiam quâ pater ista rescire potuerit, conjecturam affert admodùm probabilem. *a* Noë expergiscens, cùm vidisset pudenda sua propriâ veste nudata, & alieno pallio contecta, causam ejus rei quæsivisse ex filiis: atque ita eos ad narrandum quod acciderat esse compulsos: de quâ & Chrysostomus. *b* Πόθεν ἴχνος, ὅτως οἱ ἀδελφοὶ ἐφάνησαν, ἢ παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ διδαχθῆναι βουλόμενοι, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα εἰς ἔγνωσιν ἐλήλυθε· ἐπειδὴ γὰρ κατηλλάγη ἑαυτὸν τῷ πεπόματι τοῦ θεοῦ δοῦναι δίκην. *Unde cognovit? fortè fratres significaverunt: non accusationis quidem gratiâ, sed rem ut facta erat docentes; ut conveniens illa suo vulneri remedium acciperet.* Ne quis opus esse existimet, cum Fastorum Siculorum, & Glossæ interlinearis authore, ac R. Levi ben Gershom ad spiritum propheticum & divinam revelationem hîc confugere.

Sed pergit Scaliger. *Si Cham aliquid fecisset, in eum competebat maledictio. Sed in Chanaan destricta est illa. Chanaan igitur fecit: atque adeò ipse est qui dicitur minor frater.* Verùm in filio punitum hic fuisse ipsum patrem, si non ex *c* Chrysostomo vel *d* Augustino, certè ex ipso (quem ut sententiæ suæ vindicem hîc protulit) Theod. discere potuisset Scalig. de Chamo ita scribente. *e* Ἐπειδὴ οὐκ ἐν ἐξήμαρτεν εἰς πατέρα, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ παιδὸς αὐτοῦ ἀρὰν ἔλιπεν τοῦ τιμωρίαν. *Quia, cùm filius esset, in patrem deliquit, ob id per filii maledictionem pœnas luit.* Additque, Noachi verba non tam imprecationem in se continere, quàm futurorum prædictionem. Ἐπειδὴ γὰρ ἤμελλεν ὁ Ἰσραὴλ ἐκ τοῦ Σὴμ κατάγειν τὸ γένος τῶν παλαιστίνων παραλαμβάνειν τοῦ ἀποστεῖλαι, τοιοῦτον δὲ πάλαι φύσιν ὁ ὢν ἐκ τοῦ χαναὰν βδελυγμένους· εἰς ἀρὰν χαμιτικὴν τοῦ προφήτου προαγορεῦσαι μὲν τὰ ἐσόμενα, διδάξαι δὲ τοὺς ὑστέρους ἐσομένους μὴ πλημμελεῖν εἰς γονέας. *Nam cùm Israel ex Sem genus ducens, Palæstinam occupaturus esset, quam olim incoluerant qui ex Chanaan descenderant; in maledictionis formam prophetiam effert: prædicens quidem futura, deterrens autem posteros ne peccent in parentes.* Similia habet & Diodorus Tarsensis *f* in hujus loci explicatione: & Augustinus quæst. 17. in Genes. rem totam breviter ita expediens. *Quæritur quare cùm peccans Cham in patris offensa, non in seipso sed in filio suo Chanaan maledicitur? nisi Prophetarum est terram Chanaan ejectis Chananæis inde & debellatis, acceptura fuisse filios Israel; Qui venirent de semine Sem.*

Quum verò subjungit Scaliger, in Sermone Hebræo avos vocare nepotes suos בנים זקנים *filios minores*: prolato aliquo Scripturæ testimonio probare hoc potiùs ille debuerat, quàm id quod hic omninò non facit; à filiis familias *filios fratrum fratres vocari.* In sacris litteris certè, ejusdem parentis immediatos filios ad seniorem fratrum ætatem respectu habito *filios minores* appellari, vel ex loco illo Genes. XXVII. 15. constat: ubi Rebecca dicitur accepisse vestes Esaü בנה הגדל *filii sui majoris*, iisque induisse Jacob בנה הקטן *filium suum minorem.* Licet illi, qui ex præjudicata opinione Chamum ætate medium filiorum Noë fuisse existimaverunt, relictâ propriâ & simplici vocis intelligentiâ, quâ filius illius *minor* sive νήπιος (ut Græci interpretes reddiderunt) fuisse is significabatur, vel ob corporis *g Staturam* parvam, vel ob animi *ruditatem, quasi in quadam intellectûs infantia constitutum,* (ut loquitur *h* Ambrosius:) vel ob fortunæ etiam sui *conditionem* נבזה ומבזה *abominabilem & contemptibilem*, quemadmodum ex versu 2. prophetiæ Obadiæ R. Salomo Iarchi id explicandum censuit. Νεώτερον δὲ ὅταν φῇ ὢν, ἐπ ἀλλήλας ὄψομαι ἀναγκάζει, πεπρεσβύτερον δ' ἐμφαίνει πρέπον Διάδυμον. *Cùm juniorem filium appellat, non tempus ætatis describit, sed morum dispositionem novis rebus studentem:* inquit Philo, in libro de resipiscentiâ Noæ; & Chrysostom. serm. 19. in Genes. Chamum Japheto majorem natu fuisse existimans, cur Chamus tamen *junioris* [Genes. IX. 24.] & Japhetus senioris [Genes. X. 21.] appellationem adeptus fuerit, tropologicam hanc similiter reddit rationem. ὥσπερ ὅταν ὑπερ ἰσχὺν ἀπὸ τῆς φύσεως, προῦδωκεν τὴν μοχθηρὰν τῆς προαιρέσεως, οὕτως ὁ Ἰάφεθ, ὑπερ τὴν ἰσχὺν ἀπὸ τῆς φύσεως, τοῦτο προείληφεν ἀπὸ τῆς ὑγιοῦς γνώμης. *Sicut* Cham, *id quod naturâ habuit, nequitiâ voluntatis amisit; ita Japhet quod naturâ non habuit, sanioremob mentem accepit.*

Ut à Chamo igitur ad Japhetum jam transeamus, & hujus cum Semo de principatu ortûs contentionem expendamus: eam Semo deberi dignitatem confirmat *i* Salianus, non eâ solùm conjecturâ, quòd primo semper loco nominatur, & quòd Noë in benedicendis filiis, Semum Japheto prætulit; sed eâ potiùs ratione, quòd Scriptura Semum vocat *fratrem Japheti majorem* (Genes. X. 21.) Sed conjecturarum illarum duarum infirmitatem satis aperuit Pererius, licèt & ipse non minùs quàm ille acer primogenituræ Semi patronus: alias causas afferri posse docens, Quare Semus & primo loco nominatus & à patre ante Japhetum benedictus fuerit, præter illam unam ab ætatis ratione desumptam. De imbecillitate argumenti ab ordine recensionis fratrum ducti, verba illius suprà produximus: quam & ipsi posteà, (Deo volente) in loci consimilis Genes. XI. 26. tractatione, pluribus fumus patefacturi. Varias autem causas ob quas Noë Semo benedixisse dici posset ante Japhetum, problematicè hunc in modum proposuit *k* Pererius, *Cur priùs benedixit Sem quàm Japhet? An quia ille primogenitus erat? An quòd sanctimoniâ & prudentiâ maximque gravitate præstaret; & idcirco patri Deoque carissimus esset? An quòd ipse vehementius obsurgasset Cham, autérque fuisset Japheto id erga patrem facsendi quod factum ab illis esse legimus? An potiùs propter excellentiam posteritatis ejus in qua futuri erant Patriarchæ, Reges, Prophetæ, & quod super omnia est, Messias ipse?* Adde in benedictione Semi fundatam fuisse benedictionem Japheti; nec nisi illâ priùs propositâ, hanc omnino intelligi potuisse. *Dilatet* (vel potiùs *alliciat*) *Deus Japhet; & habitet in tabernaculis Sem.* (Genes. IX. 27.)

De textu igitur illo, Genes. X. 21. tota est controversia *Sem quoque nati sunt, patri omnium filiorum Heber, fratri Japheth majori.* Sed utrum Sem an Japheth fuerit natu major inter filios Noë, non facilè hinc posse determinari agnoscit *l* Torniellus, propter Hebraici textûs ambigui-

a Perer. in Genes. l. 24. fol. 154.

b Chrysost. in Genes. serm. 19.

c Chrysost. ut supr.
d August. de Civit. Dei lib. 16. c. 1.
e Theodoret. in Genes. quæst. 52.

f Carena Dr. in Genes. cap. 9.

g Jo. Behm. Chronol. lib. 2. tit. 2. cap. 6. *h* Ambros. lib. de Noe & Arcâ, c. 31.

i Salian. ad ann. Mundi 3259. num. 2.

k Perer. in Gen lib. 10. fol. 185.

l Torniel. ad Mundi 1656.

ambiguitatem; in quo legitur, אחי יפת הגדול. Cùm enim casibus Hebræi careant; illud הגדול vel dativi casus esse poterit & referri ad Sem, vel genitivi & referri ad Japheth. Et ut uno modo reddidit editio vulgata Latina; *fratre Japheth majore*: ita altero, editio vulgata Græca; ἀδελφῷ Ἰάφεθ τ μείζονος, *fratri Japheth majoris.* Licèt enim Augustinus, libro 16. de Civitate Dei, cap. 3. *majore* in Latino suo codice hîc vel legerit, vel legendum esse putaverit: in Græco tamen, eodem quo hodie modo, τ μείζονος, lectum fuisse, ex eo quod postremum ex Chrysostomo citavimus testimonio manifestum est.

Salomoni Gesnero, in Genes. cap. 10. quæst. 8. *textus Hebræus id potiùs innuere videtur, Semum esse fratrem Japheti grandiorem*: quia ה *prefixum voci* גדול *non Genitivum, sed Nominativum casum innuit*; quum, si ad Semum hoc loco referatur, non *Nominativi*, sed *Dativi* casus esse oporteat: & articulum ה omnium casuum nominibus promiscuè præfigi solere constet; & *Genitivi* speciatim, in loco huic simili à nobis producto ex Genes. XXVII. 15. ubi Rebecca accepisse dicitur את בגדי עשו הבגדל *vestimenta Esau filii sui majoris.* Eandem sententiam hac ratione persuadere conatur *Pererius*, [a] *Omnino, quæ hic narrat Moses de Sem, ad commendandam ejus excellentiam dignitatis pertinent: ut, quòd ipse pater fuerit omnium filiorum Heber, id est, populi Hebræi, & tot tantorúmque virorum qui in eo populo claruerunt. Ergo quod subdit, ipsum fuisse fratrem Japheth majorem, ad ejusdem spectat commendationem. Quorsum enim hoc loco Moses dignitatem Sem significans, dixisset illum fuisse fratrem Japhet majoris ipso?* Sed hanc rationem *probabilem* tantùm esse, fatetur ipse Pererius: & quidquid in ea probabilitatis est ex eo totum dependet, quod nondum nobis liquet, quæ de Semo hîc narrantur, encomiastico, & non merè historico modo à Mose fuisse proposita; aut si commendationis aliquid hîc ille spectaverit, Semi potiùs dignitatem à populi Hebræi præstantiâ, an populi sui Hebræi dignitatem à patris Semi præstantiâ æstimandam, illum voluisse, ex quorum neutro erit consequens, in altero membro, quod ætatis Semi & Japheti collationem continet, aliud fuisse spectatum, quàm simplicem historicæ veritatis enarrationem. Nam quod, velut à Pererio prætermissum, Harvillæus hîc addendum censuit; secundum hoc membrum, non minùs quàm prius illud, esse (ut ille loquitur) *declarativum seu confirmativum qualitatum Sem*: nihil omninò rem promovet. Utrumque enim membrum declarationem, non *qualitatum* quidem, sed *relationum* Semi complectitur: paternæ, ubi dicitur fuisse *pater omnium filiorum Eberi*; fraternæ deinde, quum dicitur fuisse *frater Japheti* non *major* (quod ille hoc argumento confectum frustrà putabat) sed natu *maximi*, ut Tremellius & Junius sunt interpretati: hâc etiam interpretationis suæ ratione & explicatione additâ.

Hæc, rationem accentuum, fidémque historiæ sequuti, sic exposuimus. Nam quum Noach quingentesimo demum ætatis anno genere cœperit, [*cap. V.* 32.] *sexcentesimo sit diluvium expertus;* [*cap. VII.* 6.] *sexcentesimo secundo, id est altero post diluvium anno Schem Arpaschadum agens centesimum annum genuerit* [*cap. XI.* 10.] *omnino hunc constat non fuisse natu maximum. Cham autem dicitur minimus natu fuisse* [*cap. IX.* 24.] *Necessariò itaque de Japhetho locum hunc sic oportuit accipere: ut natus* 500. *annos Japhethum, natus* 502. *annos Schemum, natus eo plures annos Chamum genuerit. Cur autem hic frater Japhethi appelletur excluso Chamo, id ex illâ Noachi historiâ cognoscendum est, quæ habetur suprà,* [*cap. IX.* 23.] *& sequ.* Hæc illi.

Huic argumento, à Nicolao Lyrano & Alphonso Tostato ad probandam Japheti primogenituram ex Hebræorum scriniis producto, Pererius probabiliter responderi posse judicat: [b] *vel Noë non cœpisse generare quingentesimo ætatis suæ anno præcisè, sed quingentesimo secundo, eoque ipso anno genuerasse Sem, ob idque biennio post diluvium eum fuisse centum annorum; vel Sem secundo anno post diluvium cùm genuerit Arphaxad, non fuisse centum annorum præcisè, sed fuisse centum & duorum annorum.* Cùm divinæ scripturæ mos sit, parvis & minutis numeris tacitis ac prætermissis, maximum & integrum numerum duntaxat commemorare. Addit Cornelius à Lapide in Genes. cap. XI. 10. *quia hic numerus minutus exprimitur, scilicèt quod biennio post diluvium, Sem fuerit centum annorum, qui non exprimitur, cap. V.* 32. *hinc Moysem hic potiùs, quàm capite V. præcisè videri consignare annos Sem.* Itaque de altero loco, Genes. V. respondet [c] Salianus, *anno quingentesimo Noë nullum ipsi filium natum esse, sed velle tantùm Moysem docere hosce tres filios natos esse post annum quingentesimum patris, & non ante. Cui locutioni,* (inquit) *quæ non paucos induxit in fraudem, Cajetanus affert aliam longè similliman ex Gen. XI. 26. ubi de Thare dicitur, eum vixisse* 70. *annis & genuisse Abram, Nachor, & Aran, qui tamen diversis valde annis geniti sunt.* ubi tamen explicationem istam negativam, quòd Thare non ante 70. annos, incepit generare, ista, ita ipse Salianus accipit, ut anno illo 70. expleto, aliquem illorum trium nasci oportuisse agnoscat. [d] *Alioqui*, inquit, *falsum esset, Tharam genuisse Abram, & Nachor, & Aran cùm vixisset* 70. *annis si neque de omnibus neque de ullo eorum id verum esset.* Qui idipsum proculdubio de altera illa *locutione longè simillima.* Genes. V. 32. fuisset pronunciaturus, si de Semi primogenitură præjudicium mentem illius non occupasset.

Sed condonaro illi hoc errore, accipiamus quod ipse ultrò dat, & ex Scripturâ Genes. XI. 10. *perspicuè confirmari* agnoscit; natum fuisse Semum anno Noæ 502. exacto, & annis 98. ante finitum diluvium. Hoc enim ad firmandam veritatem Chronologicam quam in hoc capite defendendam suscepimus, abundè sufficit; & ad eorum errorem refellendum, qui integro *biennio* annorum mundi seriem mutilârunt: quem ipsum jamdudum animadversum, & hoc eodem argumento refutatum à Quinto Julio Hilarione videmus; in libello de Mundi duratione ita hac de re dicente: *Quia anni Sem. XCVIII. in consummatione Diluvii completi sunt; duo scilicet anni ad rationem summæ, quam post Diluvium designavimus necessarii sunt. Ipse enim Sem biennio post Diluvium fuit annorum centum, & sic genuit Arfaxat: quos annos*

[a] Perer. in Gen. lib. 3. fol. 114.

[b] Pererii ut suprà fol. 118.

[c] Salian. ann. Mundi 1558. num. 3.

[d] Id. ann. Mundi 1558. num. 4.

[e] Id. ann. Mundi 1558. num. 5.

dum describerent hujus variationis in numerum annorum non potuerunt, quomodo eas minime prævideruntur.

CAP. V.

De multiplicatione generis humani post Diluvium, & Gentium dispersione ad argumenta ab historiâ petita, quibus Johannes Morinus Hebraicæ Chronologiæ veritatem infirmare conatus est.

SEd in biennio post Diluvium nimis diu hæsimus. De temporibus illud insecutis, usque ad 70. annum Tharæ, jam dispiciendum est, quotum (cum illo conjuncto) summam ex Græcis codicibus, in lib. 16. de Civitate Dei. cap. 10. ita Augustinus colligit. *Fiunt anni à diluvio usque ad Abraham.* 1072. *secundum Vulgatam editionem, hoc est Interpretum LXX.* de Hebræis deinde subjiciens. *In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inveniri: de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddunt.* In his enim à diluvii exitu ad finem anni 70. Tharæ, quo Abrahami ortum ille retulit. 292. tantùm numerantur anni, ex quibus solèm 101. à finito diluvio ad nativitatem Phalegi (quo confusionem linguarum & dispersionem gentium esse referendam idem censuit) decurrisse statuuntur; atque in his anni Cainanis quos ille in summâ suâ exposuerat, omnino prætermittuntur. Ut autem tam brevi annorum spatio, tanta ex tribus Noachi filiis oriri posset hominum multitudo, quæ coloniis quaquaversum per orbem deducendis sufficeret, atque ut ex Patriarcharum serie Cainan ille expungeretur, quem non in Vulgatâ tantùm Moysis editione sed etiam in Evangelio (Luc. III. 36.) locum obtinuerat, res Augustino expeditu difficillima videbatur.

Confusionem verò linguarum, & cum ea conjunctam migrationem gentium, in ortum Phalegi incidisse, ex verbis illis Scripturæ, Genes. 10. 25. & 1. Paralipomen. I. 19. colligunt. *Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eo quòd in diebus ejus divisa sit terra; & nomen fratris ejus Jectan*, vel Joktan: de quibus Augustinus, in libri citati capite II. *Intelligendum est ipsum Heber propterea tale nomen imposuisse filio suo, ut vocaretur Phaleeh, quod interpretatur divisio; quia tunc ei natus est, quando per linguas terra divisa est.* Quanquàm alii post nativitatem Phalegi divisionem hanc factam fuisse malunt: tum quòd Scriptura non in *ortu* sed in *diebus* ejus divisam terram fuisse dicat; tum quòd inter coloniarum duces, filii XIII. Joktanis, fratris Phalegi, recenseantur. [*Genes.* X. 26.] Cùm autem, juxta veritatem Hebraicam, 34. tantùm annorum fuerit Heberus, quum natus ei fuit Phalegus: etiamsi 17. tantùm annorum illum fuisse concederemus quum natus est ipsi Joktan, & totidem Joctanem quum susceptus ab eo fuisset filiorum illorum XIII. natu maximus: reliquos XII. tempore nativitatis patrui sui Phalegi in lucem nondum fuisse editos, necessariò consequetur. Quòd si eo tempore natus fuisset ipse Phalegus, quo conspirantes turbæ Turris Babylonicæ insanam structuram primùm moliri cœperunt *ne dispergerentur in superficiem totius terræ.* [Gen. 11, 4.] stultissimo huic conatui (nominis hujusmodi impositione) opportunè Heberus occurrere potuisset; recèns nati pueruli diebus gentium dispersionem, quam illi frustrà impedire conabantur eventuram prædicendo. Nam & à futuro eventu nomina interdum imponi fuisse solita, ex Genes. V. 29. & Hos. I. 6. apparet: & Heberum vaticinio quodam filio suo *Phaleg* nomen hoc imposuisse, Chrysostomus sermone 30. in Genesim, Hieronymus libro quæstionum Hebraicarum in Genesim, R. Jose, in Seder olam Rabba. cap. 1. R. Salomon Jarchi in Genes. X. & alii affirmant.

Verùm hæc licèt satis verisimilia, certitudinis tamen non sunt tantæ, ut à simpliciore & magis recepta Josephi atque Augustini sententia cogant nos recedere. Neque enim Mosi (quod primo hîc loco considerandum venit) in decimo hoc Geneseos capitulo fuit propositum, omnes omnium Coloniarum, quæ ante ipsius tempora fuerunt, ductores memoriæ tradere, sed earum tantùm quæ Abrahami ortum præcesserunt. Aliarum enim quæ posteà accesserunt, ut *Israelitarum*, *Midianitarum*, *Ammonitarum*, *Moabitarum*, *Idumæarum*, *Amalekitarum*, origines, suo postea loco commemoratas fuisse videmus. Et ipsarum illarum antiquiorum coloniarum deductio (quod secundo loco est perpendendum) quo tempore in lucem editus est Phalegus, cœpta tantummodò fuit, non autem ad exitum perducta. Terra enim per centum totos annos inculta indéque partim putrescentibus graminibus palustris effecta, partim etiam senticetis & dumetis obsita tam colonos quòusque vellent, citò currere non sinebat: ut proinde viciniora primùm loca occupare, procedentéque tempore & crescente populi multitudine ulteriùs progredi, atque in remotioribus regionibus longo post tempore sedes figere cogerentur. Quò fortasse respiciens Moses in *diebus* potiùs quàm in ipso *ortu* Phalegi, divisas fuisse terras dicere maluit.

Adde quòd non omnes Noachi posteri, Turris, & urbis Babylonicæ structuram sunt aggressi, sed ii quos *filios hominum* [a] Moses nominat; cujusmodi & idem paulò antè [b] *filiis Dei* oppositerat, & quorum *ἀμίκτους πατρίας consensum iniquitatis*, [c] author libri Sapientiæ hîc incusat. Isti enim à cæteris, (numero quidem paucioribus, sed quorum posteros multitudine auctos, in varias sedes urgente necessitate dispergendos, nescire non poterant,) segregati, ut potentiores & aliis magis formidabiles sese redderent, unitis viribus intra unius munitissimæ civitatis septa continere se, quamdiu poterant conabantur. Ersi verò structuræ illius per confusionem linguarum facta interruptio, Gentium dispersioni primum dederit initium: Moses tamen Coloniarum deductionem (capite X.) ante linguarum illam *σύγχυσιν* (capite XI.) enarrans, non ab iis tantùm qui turris Babylonicæ ædificationi interfuerant, sed & universum ab omnibus Noachi filiis ante ortum Abrahami deductas colonias traditas à se fuisse significare voluit: quod & in Catalogi totius generali illo epilogo declaravit apertissimè. *Hæ familiæ filiorum Noæ juxta populos & nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.* Quo minùs mirum videri cuiquam debeat, post natum Phalegum, XIII. ipsius ex fratre Joktane nepotes inter harum coloniarum duces recenseri.

[a] Gen. 10. 8.
[b] Gen. 6. 2.
[c] Sapien. 10. 5.
Gen. 10. 32.

Ut

Ut numerum posterorum Noachi, qui circa tempus nati Phalegi existere potuerit, conjecturâ aliquâ Johannes Temporarius assequeretur, in 2. Demonstrationum suarum Chronologicarum libro, tres Noachi filios, similitérque posterorum eorundem unumquemque 20 ætatis annos assecutum, singulis annis gemellos ex conjugibus suis suscepisse censet: indéque per Progressionem Arithmeticam anno post diluvium 102, mares simul & fœminas 1554420. ex illa stirpe prognatos fuisse colligit. Nos dimidiâ illius summæ parte demptâ, (quòd illa de natis unoquoque anno gemellis aliquantò dutior videatur esse hypothesis) 388605. marium, totidémque fœminarum, numerum assumimus: ex quo tantam* Babylonicæ turris extructoribus deduci posse arbitramur, quæ primarum coloniarum deductioni (de propagatione enim res est alia) pro ratione temporis esset suffectura. Nam si statim cum pubertate (quam ab exacto 14. ætatis anno ordiebantur Romani) novos illos Orbis instauratores, (viribus ad hoc peragendum à Deo suppeditatis,) liberis operam dedisse, geminósque sæpiùs & quandoque tergeminos suscepisse, liberet admittere: de numero hominum, anno post finitum diluvium 102. in colonias deducendorum non est quòd magnopere futuri essemus solliciti; præsertim si consideravetimus, Noacho & tribus filiis ejus bis à Deo prolatam fuisse benedictionem illam: [a] *Crescite & multiplicamini & replete terram*, & ad certitudinem promissæ fœcunditatis fidem faciendam (ut notat hic Pererius) & ut nullo modo dubitarent fore, ut tanta illorum paucitas in amplissimam posteritatis multitudinem brevissimo tempore multiplicanda esset.

Ex tantâ tamen in tam brevi tempore posteritatis ipsorum multiplicatione, Hebraici calculi fidem Johannes Morinus ita elevare nititur. [c] *Est admodum mirabile, quomodo tam potentes reges, adeóque multi, regnaverint vivente Abrahamo: cùm ad Abrahæ nativitatem à diluvio, quo Noa solus cum tribus filiis superstes fuit, anni trecenti juxta Judæos non effluxerint: tum ad Indos usque ex omnium calculo imperabat Ninus Assyriorum rex potentissimus: Ægyptum tenebat rex magnus, apud quem aliquandiu vixit Abraham tribus mensibus, ut scribit Seder Olam. Reges alii plurimi quorum mentio fit in sacris litteris Abrahæ coætanei erant: at novem illi de quibus* Genes. XIV. *quorum unus, scilicet Chodorlahomor, quinque regès annis duodecim servierant, annóque decimo quarto redintegratum est bellum, quo Lotb captus est, & ab Abrahamo servatus. Ecce Abrahamo juvene quàm multi Reges, quàm multa bella, quam varia & à se invicem dissita nationes. Trecentorum tamen annorum spatio (juxta Judaicum calculum) hæc omnia ex quatuor hominibus pullulârunt. Quantum inde multiplicatione Israelitarum in Ægypto ex 75. animabus ducentorum & aliquot annorum spatio facta miraculum elevatur? Imò si tantum hausissent Israelitarum incrementum, sterilitatis à Deo damnati tum temporis credi potuissent.*

Verùm non satis hîc æqua inter incrementum Israelitarum & primorum, edito in lucem Phalego, novi Orbis colonorum instituta ab eo est comparatio. Cùm enim multò diutiùs quàm Israelitæ, patres illi primi vixerint; æqualem ab his & ab illis liberorum numerum expectari, haudquaquàm rationi consentaneum est. Et verum quidem illud est, [d] *filios Israelis fœcundavisse, progenuisse, atque adauctos & corroboratos fuisse quamplurimum; adeò ut terra Ægypti implerentur ipsis*, & juxta Dei promissionem [e] efficerentur ibi *gens magna*: sed hoc pro *miraculo* nusquam in Scripturis haberur traditum. Ut enim à viris 75. vel 70. vel etiam paucioribus, intra 215. annorum spatium, ultra [f] sexcenta virorum millia (præter fœminas & parvulos) propagarentur; [g] nihil ab ordinariis naturæ viribus alienum requirebatur, quam non minùs fortassè mirandum fuerit, ab uno Amaleko, Esavi ex filio Eliphaso nepote, (Gen. XXXVI 12.) gentem adeò numerosam processisse; ut tantæ Israelitarum multitudini ipsó post egressum eorum ex Ægypto mense altero, opponere se auderet, & prælium cum ipsis conserere (Exod. VII. 8.) Ut autem minore quàm dimidio annorum illorum 215. spatiò, à tribus solummodò Noachi filiis tanta hominum exoriretur multitudo, quæ Babylonicæ Turris extructione relictâ, tempore nati Phalegi dispersa in superficiem totius terræ, divisioni illius primariæ daret exordium; peculiaris aliquis repetitæ illius benedictionis, de quâ est dictum, fructus requirebatur. Ut non sine causâ monuerit hîc D. Petavius, [h] *singulari Dei providentiâ factum, ut ad incrementum sobolis humanæ, ad orbis vastitatem instaurandam, præcipua quædam in illis fœcunditas inesset, quæ justam alioquin ætatem anteverteret; ut vel à pueris ipsis, quod nonnulli suspicantur, probabile esset generandi vim illis & usum potuisse suppetere.*

A nativitate verò Phalegi usque ad Abrahami adventum in Chanaanis, quando novem illi Reges (quorum Morinus meminit) vixerunt, juxta nostras rationes ex Scriptura Hebraica deductas, non minùs quàm 324. anni decurrerunt: quæ temporis diuturnitas tanta fuit, ut intra eam ex tot hominum myriadibus qui urbi & turri Babylonicæ extruendæ operam dederunt (ut de cæteris nihil dicam) eam procreari potuisse multitudinem quæ amplissimis regnis complendis posset sufficere, nemo qui logisticæ aliquem usum habuerit dubitare poterit. Nam ex novem illis Geneseos XIV. commemoratis regibus, quinque non regionum, sed urbium fuerunt reguli, & quatuor reliquorum tantæ non fuerunt copiæ, ut Abrahamum cum §18. servis suis eos persequentem, à prædâ ablatâ recuperandâ potuerint cohibere. Quàm magnus fuerit rex ille Ægypti, apud quem aliquandiu vixit Abraham, Scriptura non indicat, ejusdem autem Abrahami tempore vel anteà, *ad Indos usque ex omnium calculo imperavisse Ninum Assyriorum regem potentissimum* nimis audax est assertio; quum præter alios patrem historiæ Herodotum omnium quos habemus exoticorum, rerum Assyriacarum tractatorem antiquissimum, ad longè posteriora tempora Nini imperium retulisse constet. De quo videndi annales nostri ad annum Mundi 2737. Thomas Lydiatus in Defensione tua adversùs Scaligerum, lib. 1, & Nicolaus Abramus in Phari Veteris Testamenti libro. 6. qui est *de regno Assyriorum*.

Exagitatâ deinde ineptâ illâ Judæorum opinione, qui confusionem linguarum & primam

gentium

* turbam vel multitudinem.

a Gen. 9. 1. 7.
b Perer. in Genes. l. 14. num. 4.

c Morin. Exercitat. Bibl. 7. c. 2.

d Exod. 1. 7. 12.

e Gen. 46. 3.

f Exod. 12. 37. cum 38. 26 & Num. 1. 46.
g Vid. Infra cap. 13.

h Petav. doctrin. tempor. lib. 9. cap. 14.

gentium diſperſionem ad poſtremum vitæ Phalegi annum referunt, altero hoc argumento Hebraicæ Chronologiæ numeros ſuſpectos reddere conatur. *Conciliare difficile eſt quæ aiis ſacra Scriptura de partu Sara in ſeneſtute, cum illis numeris. Se pariturum diffidebat Sara propter ſeneſtutem, dicens:* a poſtquàm conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? Num verè paritura ſum anus? *rurſumque ait* b Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei jam ſeni? *Cùm hæc dicebat Sara annos natus erat Abraham 99. Sara verò aliquot junior*, toto videlicèt decennio; ut ipſius Abrahami verba illa, (ne cum Morino ad Judaicas fabulas recurrere hic ſit neceſſe) Geneſ. XVIII. 17. clarè oſtendunt. *An nato centum annos naſcetur* proles? *an etiam Sara nata nonaginta annos pariet?* Sed pergit ulteriùs quærere Morinus. *Quæ cauſa tum admirationis, qua ſtuporis, ſi nonagenaria mulier pareret? cùm ſi numeros Judaicos ſequamur, hoc eſſet omnibus mulieribus vulgare. Viderant oculis ſuis Abraham & Sara avos, proavos, abavos, atavos, tritavos, & tritavorum avos & abavos, annis ducentis, trecentis, quadringentis, filios generantes. Cùm hæc diceret, vivebant Pater, avus & proavus Abrahæ, atque etiamnum Sara abavus. Vegetus tum temporis adhuc erat Abrahæ tritavus Heber, utpote qui Iſaaco genito, 139. annis ſupervixit. Vivebat Heberi tritavi Abrahæ, pater Sala, avus Arphaxad, proavus Sem. Sala enim poſt natalem Iſaaci 74. annis vixit, Arphaxad 48. Sem 110. Quid ipſe totius orbis pater Noe? ad annum uſque quinquageſimum atavum Abrahæ vitam protraxit. Nemini dubium eſſe poteſt quin idem de mulieribus dicendum ſit. Quæ ergo in Sarâ tanti cauſa ſtuporis, cùm tot Avias, poſt ducentos vitæ annos, filios generare quotidie viderent.*

a Gen. 18. 12. 13.

b Gen. 21. 7.

Atqui ut ſtuporis illius cauſa, & Moriniani illius effati veritas, nonagenariæ partum tum temporis *omnibus mulieribus fuiſſe vulgarem*, rectâ ratione pateſieret; non cum proavis, abavis, atavis, tritavis, & tritavorum avis atque abavis, ſed cum Abrahami & Saræ æqualibus, inſtituenda fuiſſet comparatio. Quum enim poſt Phalegi ortum dimidio quàm antè breviores vitæ Patrum fuerint effectæ, mirum nemini videri debet, Abrahamum & Saram, licèt non ipſum Phalegum, neque etiam pronepotem ejus Nachorem, jam vitâ functos, (vitioſam enim Morini Chronologiam examinare hic non libet) Noachi tamen poſteros Phalego natu majores, poſt trecenteſimum ætatis annum filios generantes, oculis ſuis videre potuiſſe. Conſiderandum deinde & illud eſt; inter ipſos etiam qui eodem ſeculo nati ſunt, eam vivacitatis eſſe diſparitatem, ut alii aliis citiùs ſeneſcant, & qui plures ætatis annos numerant minùs effœto ſint corpore quàm qui multò pauciores: Et ut Sara quidem nonagenaria appareret, illius quoque ætatis hominibus rarioris res exempli videri potuiſſet; etiamſi aliud impedimentum nullum interveniſſet; (Gen. XI. 30. XVIII. 11. cum Hebr. XI. 11.) ſed miranda planè, ut ex eâ nonagenariâ, maritus centenarius prolem ſuſciperet, quam ſeptuagenarius ex eâdem ſexagenariâ ſuſcipere non poterat. Ut autem ipſe Abrahamus, qui 175. annos vivendo exegit, juxta naturæ vires eo tempore ordinarias, ex alia uxore, niſi maturior ſenectus & virium debilitas acceſſiſſet, procrearet filium; non magis mirum videri debet, quàm ut ii qui noſtro ævo moriuntur ſeptuagenarii, liberos progignant quadragenarii. Certè Abrahami nepos Jacobus, qui 147. annos vixit, quum annorum plurium quàm 97. (imò & 110. ut in capite X. poſteà videbimus) Benjamin ſuſcepit; pater autem Terachus, qui 205. vixit annos, quum 130. eſſet annorum, ipſum Abrahamum progenuit: quemadmodum ſuo loco declarabitur. Verùm ut Dei potentia in dando, & patris Credentium fides in ſuſcipiendo promiſſo ſemine magis eluceret; inter annum 86. quo Iſmaelem & 100. quo Iſaacum genuit, ut prius conjugis Saræ, ita jam ipſius quoque Abrahami *Corpus* ad generationem quaſi *mortuum* evaſiſſe, confirmat Apoſtolus, Rom. IV. 19. & Hebr. XI. 11. quâ νεκρώσει per Dei beneficium hoc demum ſublatâ ita vegetum habuit corpus, ut poſt 37. deinde annos Sarâ mortuâ, ſex filios ex Keturâ generaverit. (Geneſ. XXIII. 2. XXV. 1, 2.)

In Primaſii commentariis ad Rom. IV. 19. *quæritur quomodo Abraham poſteà de Cethura filios generaverit, qui de Sara non potuit.* & reſponderur. *Ideireo de Sarâ non genuit, quia annus erat, & ſterilis: de illa verò, quæ in ætatis juventute poſita erat, facile valuit procreare.* In Sedulii ad eundem locum Collectaneis, eadem habetur reſponſio, ſed additâ & iſtâ aliâ: *Quod de Cethurâ poſtea genuit Abraham filios; quia donum gignendi quod à Domino accepit, etiam poſt obitum Sara uxoris manſit.*

Tertium argumentum, quo calculi Hebraici fidem imminui poſſe putat Morinus, eſt hujuſmodi. *Quomodo tam multi reges, tantæ tàmque ſæva bella* geſſerunt, *Abrahamo juvene; cùm adhuc non modò viveret, ſed etiam robuſtus & vegetus eſſet Sem? vixit enim poſt Abrahæ natalem ducentis & aliquot annis. Nullámne filii, nepotes, pronepotes, venerandi ſenis rationem ducebant? Nullámne Noachi? Num regibus ceſſerant Noë, Sem, Arphaxad, cæterique majores, jus imperii Babyloniorum, Ægyptiorum, Sicyoniorum, alierúmque populorum; cùm ætate, viribus & animo, maxime vigerent? Num ſiccis oculis filios ſuos barbarè ſeſe trucidantes conſpiciebant? Nullâne patriâ poteſtate aut interceſſione ſuâ pacem conciliare ſatagebant? Eſau boni patris peſſimus filius, extrema fratri minitans, in ipſo iracundiæ fervore patrem lecto decumbentem reverebatur.* Venient c (*inquit,*) dies luctûs patris mei; & occidam Jacob fratrem meum. *Credibile non eſt Noachi tot poſteros hominem ita penitus exuiſſe, ut parentes ſuos ætate vigentes, filióſque alios generantes nullo loco habuerint.*

c Gen 27. 41.

Hæc incommoda ſanè difficillimè cum rectâ ratione in gratiam redire poſſe, Morinus ſibi perſuadet: quæ tamen leviſſimis hypotheſibus, & frigidiſſimis conjecturis nituntur omnia. A Noacho enim, Semo, Arphaxado, cos, qui contra ipſorum voluntatem ſeceſſione à piis factâ, & conjuratione contra Deum initâ, urbis & turris Babylonicæ extructioni incumbentes, à Deo in ſuperficiem totius terræ ſunt diſperſi, ceſſionis jus aliquod expectaturos quis niſi Morinus crediderit? quis aliud jus à ductoribus coloniarum & urbium conditoribus, quàm populorum quibus præfuerunt conſenſum, quæſitum fuiſſe

exiſtima-

existimaverit? Nam jure belli finibus imperii sui propagandis toto hoc tempore studuisse Nimrodum tantùm & Cedorlaomerum regem Elami invenimus: quicquid de *tantis tamque sævis bellis, Abrahamo juvene* gestis, Mocinus nobis hic occinat. Nam quæ de patrum in filios affectu & filiorum erga patres reverentiâ ille rhetoricatur, nugatoria planè sunt atque ridicula. Quasi verò bellatoribus illis patres defuisse, si Græcum magis quàm Hebraicum liberet nobis sequi calculum: & quasi Esavi (de morte fratris ob patris reverentiam,) consilium plus adversùs bella illa faceret, quàm pro illis fratricidium à *a* Caino & *b* Absolamo, (nihil obstante patribus honore debito,) reipsâ perpetratum. A proximis quoque parentibus ad remotiores illos, Noachum, Semum, Arphaxadum ascendenti, considerandum primùm illi fuerat posterorum eos bellis, per tot orbis provincias longè latéque dispersorum, præsentes non adfuisse; ut vel pro deponendis inimicitiis intercedere, vel filios suos sese trucidantes sive siccis sive madidis oculis possent conspicere: deinde & absentiam & distantiam illam, ex posterorum pectoribus, tum erga majores tum erga æquales, quantumvis cognatione propinquissimos, σφοδρὰ illam & naturalem consanguinitatis affectum plurimùm imminuisse & debilitavisse. Cujus posterioris in Josepho, *c* mercatoribus Midianitis & Ismaelitis ab invidis fratribus vendito, exemplum habemus evidentissimum. Cùm enim Abrahamus ex Hagarâ Ismaelem, ex Sarâ Isaacum, & ex Keturâ Midianem sustulerit; Josephum, ut Isaaco ex filio Jacobo nepotem ita Ismaeli & Midiani ex fratre Isaaco pronepotem esse oportuit. Et tamen necessitudinis adeò propinquæ, tam eximen necessitudinis adeò propinquæ, tam exigua (inter cognatos habitatione disitos) habita eo tempore est ratio; ut Josephum à Midianitis & Ismaelitis, perinde ac è nostris aliquem à Turcis, ut mancipium coemptum esse videamus.

a Genes. 4. 8. b 2. Sam. 13. 28. 29.

c Genes. 37. 28.

Sequitur difficultas longè gravior, & vindice dignus nodus, de insitione Cainanis inter Arphaxadum & Salam: ubi *S. Lucas*, (uti *d* Morinus objectat,) LXX. *Interpretes amplectitur, Hebraïs codicibus præferens; si modo Hebraï codices aliter tunc constanter legebant quàm Græci.* Sed quia operosiorem quæstio hæc requirit disquisitionem, proprium illi caput dicare statuimus.

d Morin. Exercit. Biblic. lib. 7. c. 1.

CAP. VI.

De Cainano Arphaxadi filio, in Vulgatâ editione Græcâ memorato, & commentitiis illius annis in sacram Chronologiam non admittendis.

PRæter Cainanem illum, *Enoshi* filium inter Veteris Mundi Patriarchas celebrem; (*Genes.* V. 9.) duo ejusdem nominis alii post Diluvium in editione Græcâ adjecti leguntur, quos Moses omninò non agnoscit: *Semi* dictus filius unus; (*Genes.* X. 22.) *Arphaxadi* verò alter, (*Genes.* XI. 12.) in Christi genealogiâ Lucæ III. 36. pariter commemoratus. Quæ apparens inter Lucam & Mosem dissonantia perplexam illam quæstionem excitavit, cui solvendæ imparem se fuisse Beda profitetur; in præfatione commentariorum suorum in Acta Apostolorum, difficultatis rationem sic exponens. *Lucas testimonio Græcis utitur potius quàm Hebræis. Ex quo accidit quod maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus nescio perscrutari, quâ ratione cum in Hebraïca veritate à diluvio usque ad Abraham decem tantùm generationes inveniantur; ipse Lucas, qui Spiritu sancto calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes, juxta* LXX. *Interpretes adjecto Cainan, in Evangelio ponere maluit:* & in erratione Evangelii secundùm Lucam. *Scito ergo beatum Lucam generationem* (Cainan) *de* LXX. *Interpretum editione sumpsisse; ubi scriptum est, quòd Arphaxad centum triginta quinque annorum genuerit Cainan, & Cainan cùm centum triginta fuerat annorum genuerit Sela. Sed quid horum sit verius, aut utrumque verum esse possit, Deus noverit.*

Quæ tanti viri modestia inconsideratam Antonii Contii temeritatem satis redarguit: qui hinc occasione arreptâ, in Notis ad 2. caput Chronologiæ Nicephori CP. contra Hebraicæ veritatis defensores ita debaccatur. *Cùm computationi LXX. Interpretum suffragetur divini Luca Evangelistæ genealogia à Christo ad Adamum replicata; nefas duxit tam Græca quam Latina Ecclesia Hebraïcum sequi numerationem, ac non potius eam amplecti quæ ex Evangelio auctoritatem accipit. Sunt nunc novi Pseudo-Christiani & Hebraïsantes molestissimi, qui Judaïcâ obstinatione & nudâ literarum atque apicum auctoritate freti, adversùs divinam* LXX. *Interpretum translationem, & cum translatione conjunctam prophetiam, & Hebraïcorum mendorum emendationem, quotidie blasphemant.*

Latinæ verò Ecclesiæ usum in Notis ad præcedens Nicephori capitulum, ita ille confirmaverat. *Ecclesiæ Occidentales Chronologiam ex vetere* LXX. *Interpretum editione mordicùs retinuerunt: ut testantur, Beda, Isidorus, auctor Fasciculi temporum, Hugo & alii passim auctores. Sed & argumentum hujus rei evidentissimum præbent tabulæ quæ quotannis in Ecclesiis cathedralibus Franciæ cum cereo Paschali publicè proponuntur.* Neque interim animadvertit, & Bedam in Martyrologio (nam extra illud, ubi de temporum ratione ex professo agit, Hebraïcam illum veritatem secutum esse constat) Isidorum & minorum illos gentium ab eo nominatos auctores, ipsásque illas ab eo productas Tabulas Ecclesiasticas, ejusmodi ex LXX. editione petitam Chronographiam retinuisse, quæ Cainanem tamen (in quo tantopere Contius sese jactitat) ejusque annos prorsùs è medio sustulerit. Talem enim, (ab Eusebio acceptam,) numerandi annos Mundi rationem, non Martyrologia solùm, Romanum, Usuardi, Rabani, Adonis & aliorum (ad diem 25. Decembris) usurpârunt; Sed Latini etiam Chronologi & Historici, Hieronymus in Chronico, Orosius, (lib. 1. cap. 1.) Idacius, Victorius in Paschali computo, Prosper, Victor Tunnunensis, Marcellinus Comes, Cassiodorus, Isidorus, Gregorius Turonensis, (lib. 1. histor. Francorum cap. 7.) author appendicis ad Aimoin. historiam adjectæ (lib. 4. cap. 54.) Nennius in histor. Britonum: quibus & ille addatur qui de

Mirabilibus ſacræ Scripturæ ſcripſit, (lib. 2. cap. 4. in 3. tomo operum Auguſtini) & quotquot alii vel à diluvio ad Abrahamum, annos 942. vel ab Adamo ad Chriſtum annos 5199. numeraverunt. Ita enim Hermannus Contractus in Chronico ſuo, Dominum noſtrum natum ſcribit, *tranſactis ab initio Mundi ſecundum Hebraicam veritatem annis* 3952. *ſecundum* LXX. *Interpretes* verò 5199. & 250. poſt eum annis, Bartholomæus Cottonius Norwicenſis monachus, in Angliæ hiſtoria. *Ab origine mundi*, inquit, *uſque ad annos gratiæ*, 5199. *quicquid alii dicant; quorum redarguitur contradictio & varietas.*

Unde, quum hi qui in aliis LXX. Interpretum ſupputationem ſunt ſecuti, in annorum Cainanis adjectione illos dereliquerint; eos ſatis mirari non poſſumus, qui in aliis textûs Hebraici calculum amplexati, in Cainanis ſolius annis ſequendos ſibi LXX. cenſuerunt. Itaque argumenta, quibus ad id faciendum ſunt inducti, jam expendenda veniunt: quorum primum, & omnibus commune, eſt ejuſmodi. Si generatio Cainanis inter Arphaxadum & Salam ſit interponenda: annorum illorum numerus, quibus ante genitum Salam vixit Cainan, ad Hebraicam Chronologiam neceſſariò eſt adjiciendus. Sed generatio Cainanis inter Arphaxadum & Salam eſt interponenda. Ergo annorum illorum numerus, quibus ante genitum Salam vixit Cainan, ad Hebraicam Chronologiam neceſſariò eſt adjiciendus.

Propoſitionem verò illam hypotheticam docti quidam negant; &, admiſsâ Cainanis interpoſitione, numerum tamen annorum Hebraicæ Chronologiæ idcirco neceſſariò eſſe augendum minimè concedunt. Ut enim in Chriſti genealogia, Matthæi capite I. 8. Joram dicitur genuiſſe Oziam: quamvis proximè Ochoziam ille genuerit, Oziæ proavum: ita & dici potuiſſe, ab Arphaxado genitum fuiſſe Salam, (*Geneſ.* XI. 12.) ut ab avo nepotem; intercedente, proximo Arphaxadi filio Cainane, (*Luc.* III. 36.) *a Quid ſi verò Arphaxad*, ait Genebrardus, *genuit Cainan, deinde Cainan Selam: genuit Cainan anno* 18. *& Cainan Selam anno* 17. *Quâ ratione Sela natus eſt ipſi Arphaxad, cum Arphaxad ageret* 35. *ann.* ſicut in textu habetur Hebraico. Ubi ſi quis cum doctiſſimo *b* Spanhemio nobis objiciat, non agi hic περὶ τῶν δυναμένων, ſed περὶ τῶν ὄντων, non de poſſibilibus, ſed de geſtis: meminiſſe illum oportebit, non opportunitum partes nunc à nobis ſuſcipi, (quibus à *poſſe* ad *eſſe* argumentari non eſt licitum) ſed reſpondentium, & quidem ad conditionatam propoſitionem reſpondentium; cujus negandæ ſufficiens redditur ratio, quum fieri poſſe oſtenditur ut illud non contingat, quod hypotheſi ſuâ admiſsâ, diſputator neceſſariò inde conſequi affirmaverat. Atque ita negatæ propoſitionis probabili (& à Fr. Gomaro, in libelli de Genealogia Chriſti cap. 2. probatâ) ratione redditâ; Aſſumptionis refutationem à Petro Poſſino hiſce verbis propoſitam, ſubjicere pergimus.

c Magnis viris aſſentior, Abulenſi, Eugubino, Cajetano, Cornelio Janſenio Epiſcopo Gandavenſi, Sixto Senenſi, Genebrardo, Benedicto Pererio, Cornelio à Lapide, Dionyſio Petavio, aliiſque antiquioribus & recentioribus multis: Nullum unquam fuiſſe inter homines Cainanum qui Arphaxad quidem filius, Sala verò pater extiterit. Id invicto argumento conficere mihi videor affirmatione diſertâ Moſis, genitum ab Arphaxado Salam narrantis. Quod teſtimonium quin prout ſonat, ac prout jacet accipiendum ſit, cauſa nulla idonea poteſt afferri. Si ergo cum idem Moſes, eodem loco, genitum aut à Semo Arphaxadum, aut à Salâ Heberem, (divinâ quâ valuit auctoritate) revelaſſe nobis creditur, propriè & ἀμέσως Heberem Sala fuiſſe patrem, Semo Arphaxadum Filium; adeò ut qui proferre auderet alios quoſdam quorum generatio media inter iſtos fuerit, convitio repellendus videretur, tanquam temerarius & luminis rebellis, divina (inquam) revelationis, per Moyſen ſancti Spiritus interpretem, nobis oblata contemptor contumax: non video quis ſupereſſe locus poſſit iſti de inſititio Cainano ſententia.

Adjiciantur his & Benedicti Pererii illa. *d Sic cum animo meo reputare ſolco. Aut hac generatio Cainan ignota fuit Moſi, aut nota. Ignotam fuiſſe Moſi, quæ perfecta fuerit & cognita* LXX. *Interpretibus, quis audeat dicere? cùm Moſes tanto propior quàm illi, fuerit illi ætati, ſoliſque illorum temporum Hiſtoriam tantâ cum diligentiâ & curâ conſcripſerit. Sin autem ea generatio nota fuit Moſi; cur igitur eam prætermiſit? præſertim autem cum ejus generationis vel adjectio vel detractio non parum varicet Chronologiam quæ inter Diluvium & Abraham à Moſe deſcribitur: quam quidem Chronologiam voluiſſe Moſem integrè, exactè ac perfectè tradere, illud eſt clariſſimum indicium, quod ſeriem generationum quæ fuerunt inter Diluvium & Abraham diſtinctè & accuratè percenſet, & ſuos cuique generationi annos fabriliter computatos propriè aſſignet. Qui fit igitur credibile Moſen, generatione Cainan prætermiſsâ, vitioſam nobis Chronologiam aut voluiſſe tradere, aut, (cum minime vellet) inſcientem tamen tradidiſſe? Equidem diu multùmque cogitans, nullam rationem (quæ mihi animum expleret) reperire potui, cur Moſes generationem Cainan, ſiquidem ea inter Arphaxad & Sale interceſſit, præterire debuerit aut potuerit. Nam quod aiunt quidem, voluiſſe Moſen generationes quæ fuerunt ante & poſt diluvium ad duas tantum decades redigere: id nec probari ab iſtis poteſt, & leve ac futile eſt, nec tale ut propter id debuerit Moſes Chronologiam (cujus exacta cognitio magni erat momenti, perturbare atque confundere. His adde, quod ſaltem in libris Paralipomenon, in quibus ſupplentur quæ alibi in ſacris literis derelicta fuerant, (unde nomen etiam illis habent) commemorata fuiſſet generatio hæc Cainan, ſi quidem in exordio prioris libri Paralipomenon, ſeries generationum quæ fuerunt ante & poſt diluvium, ſimiliter atque hic recenſentur; nec ullum tamen verbum ſit de generatione Cainan.*

Huc accedit, quòd Cainanem iſtum nec Onkeloſus Paraphraſtes Chaldæus agnoſcat, nec Flavius Joſephus in 1. libro Originum cap. 7. neque Beroſus Chaldæus, in ſequente capite ab eodem citatus. μετὰ κατακλυσμὸν δευτέραν γενεᾷ, poſt diluvium decimâ generatione, Abrahamum fuiſſe ſignificans; uti & cum eo Eupolemus ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, ab Alexandro Polyhiſtore (apud Euſebium libro 9. Præparationis Evangelicæ) productus. Quem denarium,

(ſecluſo

a Genebrard. Chron. ante mund. 1659.

b Spanhem. Dub. Evang. part. 1. dub. 23. col. 29.

c Poſſin. Dialect. Theogenealogic. cap. 2.

d Perer. in Gen. lib. 16. fol. 274. 275.

(ſecluſo Cainane,) generationum numerum, *Beroſum & Eupolemum ab Hebræis, qui à clade decem tribuum toto terrarum orbe ſparſi fuerunt, haud dubiè didiciſſe,* [a] Salianus affirmat. Quibus tamen omnibus primò authoritas LXX. Interpretum, deinde Lucæ Evangeliſtæ, ab ipſo Saliano & aliis hîc opponitur.

[a] Salian. Præfat. in 3. tom. Annal.

In vulgatâ enim editione Græcâ, quæ LXX. Interpretum nomen præfert, locus ille XI. capitis Geneſeos ita legitur. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ, ἐκατὸν τριακονταπέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησεν τὸν Καϊνάν. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ, μετὰ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Καϊνάν, ἔτη τετρακόσια, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε. Καὶ ἔζησεν Καϊνὰν ἑκατὸν καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν, μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ, ἔτη τριακόσια καὶ τριάκοντα, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας καὶ ἀπέθανε. *Et vixit Arphaxad 135. annos, & genuit Cainan. Et vixit Arphaxad, poſtquàm genuit Cainan, annos 400. & genuit filios & filias, & mortuus eſt. Et vixit Cainan 130. annos, & genuit Sala. Et vixit Cainan, poſtquàm genuit Sala, annos 330. & genuit filios & filias, & mortuus eſt.* licèt in annis Arphaxadi poſt genitum Cainanem, pro 400. quos ex Græcâ editione Romanâ poſuimus, Latina Flaminii Nobilii verſio habeat 300. Aldina & Germanicæ editiones cum omnium antiquiſſimo exemplari Cottoniano, Syro meo Chronographo & Faſtis Siculis, 330. Georgius Syncellus 355. Arabicus meus Geneſeos interpres 363. Complutenſis cum Alexandrino quem in Anglia habemus codice, 430. Tanta Græcæ lectionis hîc eſt inconſtantia. Sed & in annis qui Cainani tribuuntur poſt natum Salam, licèt in nonnullis exemplaribus 330. legi noret [b] Georgius Syncellus, ipſe tamen ea ſequitur quæ 430. legunt: quod & à Syro meo Chronographo (cui Georgio quoque nomen fuit) eſt factum. nam Arabicus meus Geneſeos interpres hîc etiam (ut in Arphaxado & Sala) 363. habet.

[b] Georg. Syncell. Chron. pag. 115.

Ad Argumentum hinc deductum jam reſpondendum eſt: quod eſt hujuſmodi. Si in LXX. Interpretum editione Cainan inter Arphaxadum & Salam reperiatur interpoſitus; repudiari ille omninò non debet. Sed verum eſt antecedens. Ergo & conſequens.

Propoſitionem iſtam connexam nos ſimpliciter negamus. Fruſtrà enim Salianus nobis hîc occinit, [c] *potuiſſe illos Septuaginta viros, qui non meros agebant interpretes, ſed prophetas, quique Spiritum illum Scripturarum authorem inhabitantem habebant ut plerique ſanctorum Patrum ſcripto prodiderunt; non ſolum ea in Græcum ſermonem convertere quæ in Moſe reperiſſent, ſed ſupplere etiam, quæ ab illo juſta quidem, parum tamen nobis exploratâ ratione fuiſſent prætermiſſa: nec magis dubitandum eſſe eos Cainan in vertendo Moſe ſupplere potuiſſe, quàm Spiritum ipſum ſanctum, qui per eorum ora loquebatur.* Qui ſi attentiùs conſideraſſet, divinâ Græcæ illius editionis authoritate ſemel admiſſâ, [d] vulgatam editionem Latinam, à Concilio Tridentino authenticam declaratam, totam eſſe corruptam cogi ſuos fateri: cum ſocio ſuo Bellarmino pronunciaturus potiùs fuiſſet, Patres illos qui ſcripſerunt LXX. Seniores dictante Spiritu ſancto feciſſe quod fecerant, *piè quæſiviſſe rationes excuſandi & defendendi eam Verſionem, quâ tunc Eccleſia utebatur,* & cum Martino Martini Hiſpano Theologo, [e] *Hieronymus in Prophetis crebrò illorum* LXX *negligentiam carpit, interdum affirmans literarum ſimilitudine fuiſſe deceptos, interdum non ſatis intellexiſſe quod transferebant. Dènique nullibi non admisit iis Spiritum ſanctum; nec immeritò profectò. Quare, ſi me judice translatio Græca cum noſtra* (vulgata Latina) *de primatu contenderet; non dubitarem primas noſtræ tranſlationi deferre, & fateri longo intervallo illam à noſtra fuiſſe ſuperatam. Nec adduci poſſum ut credam ullum tam ſtupidum, dummodo illas inter ſe & cum Hebraico contulerit, qui de hac re dubitare poſſit & nobis refragari.*

[c] Salian. ut ſupr.

[d] Bellarm. de verbo Dei, lib. 2. c. 6.

[e] Martin. Hypotepoſeon. Theologicar. lib. 1. cap. 4.

Atque in his etiam inſtitii Cainanis patronis verum eſſe illud deprehenditur, quod à [f] Beda olim eſt obſervatum: *hos qui* LXX. *magnis diviniſque laudibus ad cælos tollunt,* breviorem tamen annorum Mundi ſummam in textu Hebraico & editione vulgatâ Latinâ traditam ſequi non dubitare. quod & à Dionyſio Petavio hîc illis videmus eſſe objectum. *Illi ipſi, ſicubi commodum eſt, Septuaginta ſuos faceſſere jubent, aut eorum codices depravatos eſſe defendunt. In duplici genealogiarum ordine, quem ab Adam ad diluvium, & à diluvio ad Abrahamum Moyſes perduxit, ſcimus quàm diverſi ſint Græcorum calculi ab Hebraicis & noſtris. Neque vero recens eſt diſcrimen iſtud, ſed ab antiquiſſimis notatum Scriptoribus ut proindè mendi non niſi levis poſſit eſſe ſuſpicio. Hîc illi qui Græcos interpretes tanti faciunt & Prophetas appellant, ab eorum rationibus diſcedunt nihilominus, easque falſas & conturbatas eſſe non dubitant. Quare cur non idem & in Cainani nomine uſurpare nobis liceat, & Græcis illis codicibus Hebræorum, ac vulgatæ noſtræ editionis autoritatem præferre?* Ita Petavius, libro 9. de doctrinâ Temporum, capite 17.

[f] Bed. in Præfat lib. de ratione Temporis

Quin & in Cainanis ipſius Temporibus conſignandis, LXX. ſuos deſerere iſti deprehenduntur. Cùm enim Marianus Scotus, qui omnium primus, Hebræorum in cæteris retento calculo, Cainani in Mundi Chronologiâ contexendâ locum dedit, editionem Græcam ſimpliciter ſecutus Arphaxado ante genitum Cainanem 135. Cainani ante genitum Salam 130. annos tribuiſſet: 200. totos eo ex numero annos ſubducendos novi noſtri cenſuerunt temporum arbitri, Bellarminus, Gordonus, Torniellus, Salianus, Sametius, Harvillæus, Henr. Philippi, & alii, cum Pererio ſcilicet ſtatuentes, [g] *additionem illam centum annorum ad annos quos habent Hebræi & Latini codices mendoſam eſſe, nec à* LXX. *Interpretibus profectam, ſed vitiosè in translationem eorum aliunde infuſam.* Atqui centum annorum illa additio in omnibus conſtanter non eſt obſervata: ut in Jaredo, Mathuſala, Lamecho, & Nachore videre licet. (Complutenſis enim, & eam hîc ſecuta Romana editio, quæ Nachori ante genitum Tharam 179. annos pro 79. adſcribit, planè vitioſa eſt.) Deinde & minoris numeri in annis Cainanis inconſtans reperitur lectio. Jornandes enim in libro de regnorum ſucceſſionibus, & Georgius Syrus in Chronologicis ſuis tabulis Cainani ante natum Salam annos 135. tribuunt. Et licèt vulgatum 130. annorum numerum Georgius Syncellus præferat; in aliis

[g] Perer. lib. 16. in Geneſ. cap. 11. ſect. 183.

tamen codicibus 139. fuiſſe lectum ſimul agnoſcit, ita hac de re ſcribens. [a] Ἡ δὲ τῆς Τυβὶ τοῦ πρώτου Μωυσέως βίβλος τῷ ρλ' ἔτει αὐτοῦ φησὶ τὸν ἀνὸν Καϊνᾶν γεγεννηκέναι τὸν Σάλα ἐκ τῶν ἐκδεδομένων τῶν ἑβδομήκοντα, ἃς καὶ ἡμεῖς ἐξετυπώσαμεν. ἐν τισι γὰρ λέγεται φέρεται αὐτοῦ Καϊνᾶν. *Primus autem Geneſeos à Moſe conſcriptus liber, in accuratioribus, Cainanem etatis anno* 130. *Salam genuiſſe refert, quemadmodum & nos ſuppuravimus. In quibuſdam enim, anno* 139. *Cainanis natus ille fuiſſe fertur.* Quam poſteriorem lectionem authores Conſtantinopolitani Computi, à Græcis & Moſcovitis hodie recepti, qui ad annum Mundi 5509. Chriſti natalem retulerunt, ſecutos fuiſſe confirmat [b] Scaliger. Ut nullo certo argumento conſtare nobis poſſit, utrum ad Chronologiam Mundi conſtituendam aſſumendus hic à nobis fuerit annorum 30. 35. aut 39. vel etiam 130. 135. aut 139. numerus. Cùm enim centenariorum annorum illa additio non in noſtris ſolùm, ſed in antiquiſſimorum etiam Chriſtianorum Patrum codicibus, iiſque etiam qui ante Chriſti tempora ſunt exarati, (ut ex Demetrii Chronologiâ poſteà oſtendetur) locum obtinuerit: cur eam magis, quàm hanc de Cainane totam laciniam, *vitioſè in translationem τῶν* LXX. *aliende infuſam*, fuiſſe dicamus, nullam poſſumus rationem reddere idoneam.

[a] Georg. Syncel. Chr. pag. 186.

[b] Scalig. Canon Iſagog. lib. 3. pars 2. c. 2. epoch. 2.

At negat [c] Salianus *fuiſſe quempiam aliquando mortalium tam effuse temerarium, aut audacia tam projecta, qui non unam aliquam commutare vocem in ſacroſanctis codicibus, ſed integram hoc loco periodum inferere atque infercire auſus fuerit.* multúmque hîc ille rhetoricatur: pluribus ea urgens, quæ à ſocio ipſius [d] Henrico hiſce interrogatiunculis ſunt comprehenſa. *Quæ vel* LXX. *Interpretum, vel aliorum audacia tanta eſſe potuit, quæ non modò nomen Cainan, ſed & annos, quos ante, quos poſt genitum filium vixiſſe memoratur, in Sacrum textum introduceret; ſi Cainan nunquam extitit? Quæ malitia, quæ ſpes utilitatis aut* LXX. *Senioribus, aut eorum amanuenſibus potuit ad hoc mendacium impellere, tam diſertis verbis, toties nomine repetito, tam accuratis annorum numeris concinnandum?* Sed quid verba audiam, cùm facta videam? & tot aliarum periodorum & capitulorum aliquando pluribus periodis conſtantium, tum additiones tum detractiones in Græcâ iſtâ editione alibi occurrant, quarum cauſa nulla reddi poteſt, præter merum ipſius ſcriptoris arbitrium. Cùm prætermiſſorum tantùm eſſe numerum confirmet [e] Hieronymus, ut *ſi ea vellet cuncta digerere, non libro, ſed libris opus futurum* dicat; atque additamenta, vel in uno Eſtheræ volumine, tanta & talia ab Origene (in epiſtola ad Julium Africanum) ſint notata; ut propter ea [f] *liber hic quamvis Hebraicus & Hebraïs receptus, ferè admodùm apud Chriſtianos Canonicam authoritatem receperit.*

[c] Salian. Præfat. in 3. tom. Annal.

[d] Henr. Phyſ. quæſt. Chron. 1. in Gen. cap. 11.

[e] Hieron. lib. 3. comment. in Jerem. cap. 17.

[f] Sixt. Senen. bibl. Sanct. lib. 2. hæreſ. 2.

Ad Aſſumptionem jam veniendum eſt; & videndum, an in germanâ LXX. Interpretum editione Cainan inter Arphaxadum & Salam fuerit interpoſitus. Ubi primitiva primum Moſaicæ Pentateuchi verſio, quæ Hebraïco textui exactiſſimè reſpondebat, (ut in noſtro de LXX. Interpretum editione Syntagmate eſt oſtenſum) & conſequenter Cainanem iſtum inſitivium (neque ab Hebræis, neque ab eorum ſequaceBeroſoChaldæo, illis temporibus ignitum) habere non poterat, à liberiore illa totius Veteris inſtrumenti interpretatione eſt ſecernenda, quæ poſt 4[um]. Ptolemæi Philometoris annum (ut ex fine libri Eſtheræ liquet) concinnata, procedente tempore LXX. Seniorum locum & nomen obtinuit. De poſteriore deinde illâ ex [g] Hieronymo eſt ſciendum: *aliam eſſe editionem, quam Origenes, & Cæſarienſis Euſebius, omneſque Græci tractatores* Κοινὴν, *id eſt, Communem appellant atque Vulgatam, & pleriſque* Λουκιανὸς (vel Λουκιὰς) *dicebatur; aliam* LXX. *interpretum, quæ in* ἑξαπλοῖς *codicibus reperiebatur.* & quidem Κοινὴ *iſtam hoc eſt, Communem editionem, ipſam eſſe quæ &* LXX. *ſed hoc intereſſe inter utramque: quòd* Κοινὴ *pro locis & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum veterum corrupta editio eſt; ea autem quæ habebatur in* ἑξαπλοῖς, *ipſam eſſe quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata* LXX. *Interpretum translatio reſervari* credebatur. In communi illâ tum vetere, quæ ante Origenis tempora erat in uſu, tum novâ à Luciano martyre interpolatâ, Cainanem interjectum fuiſſe agnoſcimus; eo quo ſuprà ex vulgatis libris propoſuimus modo. In alterâ verò, quæ incorrupta & immaculata LXX. editio à doctis cenſebatur, quámque in Alexandrinâ Cleopatræ bibliothecâ repoſitam, & in Ægypto, Palæſtinâ & Syriâ tum receptam, Hexaplis ſuis Origenes inſerendam curavit, Cainanem locum habuiſſe negamus; atque ita textum Moſaïcum repræſentatum fuiſſe defendimus.

[g] Hier. epiſt. 101 ad Sun. & Fretel.

Καὶ ζῆσεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριακονταπέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά· Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ, μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ ἔτη τρία καὶ τετρακόσια (al. τριακοσια) καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε. *Et vixit Arphaxad* 135. *annos & genuit Sala. Et vixit Arphaxad, poſtquàm genuit Sala, annos* 403. (al. 303.) *& genuit filios & filias, & mortuus eſt.*

In Communi editione τῶν LXX. Origenes *Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis deſignans quæ minùs fuerant, & virgulis quæ ex ſuperfluo videbantur oppoſita:* ut in epiſtola 107. ad Chromatium habet Hieronymus: ubi & codices illos ab Origene elaboratos, Palæſtinis ſuis Euſebium & ſodalem ejus Pamphilum tradidiſſe ſignificat. Hic verò Origenes ea quæ ad Cainan ſpectant uti invenit, ita & reliquit; ſed virgulâ ſive obeliſco ptænotata: quod ex illis Procopii Gazæi in Geneſ. cap. 11. intelligimus. *Hebraica veritas habet, Selam genitum eſſe ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur obeliſco ſignata viſuntur.* Ipſe verò Euſebius, in priore Chronici ſui libro annos Patrum ex triplici textu, Hebræo, Græco & Samaritano, recenſens, in nullo eorum Cainanem poſuit; ſed in eo etiam qui eſt κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα (*juxta* LXX. *Interpretationem*) Arphaxadum, annos 135. natum, genuiſſe Salam commemorat. Quod magnopere ſe mirati Georgius Syncellus dicit: [h] *& ſolos per omnes Chriſti Eccleſias ſacros Geneſeos libros* Cainanem habere affirmans; & ob illum prætermiſſum, tum Euſebium, tum alium quendam ætate ſuâ vetuſtiorem erroris coarguens. Ignorabat enim ille quod Euſebio probè erat cognitum, diſcrimen inter Communem & ſinceriorem illam τῶν LXX. editionem, quæ in Hexaplis fuerat ex quibus in Cæſarienſi

[h] Georg. Syncell. pag. 28. & 29.

Bibliothecâ à Pamphilo ſuo repoſitis, illam annorum Mundi ſeriem ſeligendam putavit quam germanæ LXX. interpretum ſententiæ magis congruentem eſſe judicavit.

Neque alicujus eſt momenti quod ab Henrico Philippæo opponitur. Euſebium quidem *aliquando diſſimulare Cainan*: ſed quum eum *alibi exprimat, negaſſe non eſſe cenſendum.* Fefellit enim hic eum ſocius ipſius Jacobus Salianus: qui in tertii Annalis Proœmio, hoc ex Latina Euſebii Chronici verſione, in præfatione cujus eſt initium, *Incipiunt tempora*, confirmat; atque locis aliquot pro Cainane facientibus ex putido illo excerptorum Barbarolatinorum libello, à Scaligero edito, deſcriptis, ex illis videre nos poſſe concludit, *pro quâ ſententiâ Euſebium ſtare cenſendus ſit*; quaſi qui aliquid omninò videt, Excerpta illa non ex Euſebio ſolo, ſed ex aliis etiam ab Euſebii Chronographiâ ſummè diſſentientibus, deſumpta fuiſſe ignorare potuerit: & alteram illam præfationem (ut eam Saliano appellare libuit) *aut alius auctoris eſſe, aut pauca Euſebiana intermixta* habere, ipſe a Scaliger non monuerit; & illud ad præſentem cauſam attinere ſatis non evicerit, quòd in eâ *ab anno diluvii uſque ad naſcivitatem Abrahæ anni* 1072. numerentur: quum Euſebius, b tam juxta Septuaginta interpretationem (κατὰ τὸν ἑβδομήκοντα) quam juxta textum Samaritanum, a Diluvio uſque ad primum annum Abrahæ annos 942. ſupputaverit. Cúmque in omnibus ſuis epilogiſmis hunc numerandi modum Euſebius conſtanter retineat, & per eum Cainanis annos à ſua Chronologia penitùs excludat, atque ob hoc ipſum non à Georgio Syncello, ſed etiam ab illo longè antiquioribus Chronographis Alexandrinis, c Aniano & Panodoro, reprehenſum cum fuiſſe conſtet: temeritatis certè notam illi effugere non poſſunt, qui vel Euſebium Cainanem agnoviſſe affirmaverint, vel ab editione τῶν LXX. quam ille ſequendam propoſuerat Cainanis generationem abfuiſſe negaverint.

Sed & ante Euſebium Origenis æqualis Julius Africanus, cui ad Bibliothecam Alexandrinam, (in qua authenticum erat editionis illius, quæ tum germanam LXX. Seniorum interpretationem continere credebatur, exemplar) continuus patebat acceſſus, prætermiſſo Cainane, d Arphaxadum annos 135. natum genuiſſe Salam, & ab Adamo uſque ad mortem Phalec annos 3600. fluxiſſe memorat. A Mundi enim initio annos 2262. uſque ad nativitatem Arphaxad (neglecto, ut alibi eſt dictum, biennio poſt diluvium) ille numerat. Quibus additi anni 130. Salæ ante natum Eberum, & Eberi 134. ante natum Phalegum, cum integræ vitæ Phalegi annis 339. (tot enim in Græcis codicibus illi tributos invenimus) ſimul annos 3000. conficiunt. e Καὶ ὁ ἱστορήσας τὸν ἐτῶν τῶν ϛ΄ μύριμα διαμονὰς ἀριθμοὺς εἰς Ἀδὰμ ἀναγράψει. πανχάλκης γὰρ ἐπὶ τῇ γενέσει αὐτοῦ τῶν ϛ΄ μύριμα ἐπάρξασι τὸν ἐτερατώδη. *Et qui mundi durationis annorum numerus eſſe exiſtimatur, hinc in duas partes æquales eſt diviſus. Ex quo enim ille eſt natus, anni mundi conditi ter mille elapſi ſunt:* ut apud Euſtathium patriarcham Antiochenum legitur: γενέσει proculdubio pro γενεᾷ, *nativitate* pro *morte*, librarii vitio, ſubſtituta: ſicut ſequentia illa clarè oſtendunt. Τέσσαρες ἄρα ἀπὸ Ἀδὰμ. ἐπὶ τοῦ τελευτοῦ Φαλὲκ ἔτη τρισχίλια. *Ab Adam itaque uſque ad mortem Phalec anni ter mille numerantur.* Quæ etiam annorum Mundi medietas ab Heſychio in Chriſti natalem (apud Anaſtaſ. Nicæn: in Scriptur. quæſtion. 93.) Suidâ in Φαλὲκ, Johanne Malelâ Antiocheno & Georgio Cedreno in Chronicis ſuis eſt conſtituta: loco Geneſ. X. 15. & I. Chronic. I. 19. ita accepto ac ſi diebus Phalegi in duas æquales partes dividenda fuiſſent Mundi tempora. Ejuſmodi enim diviſionem Hebraico nomine *Phaleg* ſignificatam putabant; (ſicut Danielis VII. 25. in originali Chaldaico פלג עדן *dimidium temporis*; & IX. 27. in Syriaca interpretatione פלגות שבועא *dimidiatam* vel mediam *Septimanam* denotat: & 6000. annis integrum præſentis ſeculi ſpatium definiebant: quæ recepta fuerat apud Hebræos, Græcos & Latinos opinio; ut in Barnabæ tributâ epiſtolâ, dicto illo domus Eliæ apud Talmudicos celebri, Cabaliſtico authore libri שנות in primum Geneſeos verticulum, Lactantio lib. 7. cap. 14. Tichonio in Regulâ 5. & aliis videre licet.

Sed & Julio Africano author antiquior Theophilus Antiochenus, in libro 3. ad Autolycum, temporum epilogiſmum juxta LXX. inſtituens, omiſſo Cainane Arphaxadum Salæ parem facit. Imò & ipſorum Apoſtolorum temporibus Doſitheus, in textu (quem interpolatum Samaritanis ſuis dedit) Hebraico, Patrum poſt diluvium annis ante τεσσαρακοντα ex LXX. editione deſumptis, Cainanem cum ſuis annis prorſùs prætermiſit: f numeratis hoc modo à Diluvio uſque ad primum Abrahami (f vel 70. Tharæ potiùs) annis 942. ἑπτὰ καὶ ϡ΄ κατὰ τὸν ϛ΄. *quot erant & juxta* LXX. ut ex Euſebio refert Georgius Syncellus. Qui numerorum in Euſebianis & noſtris Samaritanis exemplaribus conſenſus imprimis eſt obſervandus: ne quis Grotianum illud commentum in errorem inducat; g quod *Samaritani quos nunc habemus codices facti ſunt ad Græca exemplaria, ex quo Samaritani ab Juſtiniano coacti ſunt ſuſcipere Chriſtianiſmum.*

Addi his poterant, præter Euſebii ſequaces, etiam Joſephus in Hypomneſtico ſuo adhuc inedito, & Quintus Julius Hilarion in libello de Mundi duratione, anno æræ Chriſtianæ 397. conſcripto: qui annorum calculo juxta LXX. inſtituto, Cainanis tempora præterierunt. Ab argumento enim à LXX. ad gravius illud alterum, à Lucæ Evangeliſtæ authoritate deductum, libet jam accedere; quod ita ſeſe habet. Si B. Lucas Spiritûs ſancti amanuenſis, in Chriſti genealogia Cainanem inter Salam & Arphaxadum interponendum eſſe cenſuit; eâ de re dubitandi nullus ampliùs relinquitur locus. At verum eſt prius: ut ex Luc. III. 35, 36. liquet. Ergo & poſterius. Ubi ad hypotheticam illam propoſitionem diſtinguendo primùm reſpondetur: ſi quidem ex propria ſententia, hîc locutus Evangeliſta fuerit, veram eam eſſe; ſin ex aliorum, non item. Non magis certè, quàm Melchiſedecum reipſâ *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habuiſſe*, oportere credi; quia ex vulgo receptâ ſententiâ id Apoſtolus pronunciaverit. (Heb. VII. 3.) *Conſuetudinis* enim *Scripturarum eſt*, ut *opinionem multorum ſic narret hiſtoricus, quomodo ille*

a Scalig. Animadverſion. Euſebian. pag. 10. a.

b Georg. Syncel. Chr. pag. 86. 87. & 100.

c Ibid. pag. 35, 36.

d Ibid. pag. 86.

e Euſtath. in Hexaem. p. 55.

f Georg. Syncell. Chron. pag. 88.

g H. Grot. annot. in Luc. 17. 4.

 tempore

tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Jesu; ita & Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant: inquit Hieronymus Commentar. in Matthæi cap. IV. 9. & in Jeremiæ cap. XXVIII. 10. *Septuaginta prophetam non dixere Ananiam: ne scilicet Prophetam viderentur dicere, qui prophetæ non erat. Quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat.* atque in libro secundo adversùs Helvidium: *Evangelista opinionem vulgi exprimentes, qua vera historiæ lex est, patrem dixerunt Joseph Salvatoris.*

Ita igitur Evangelista Lucas, patres Salvatoris omnes, tam vulgo ita habitos quàm veros, recensendos sibi proponens; genealogiam ipsius ita exorsus, *ων ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Μαθθὰτ, existens (ut putabatur,) filius Joseph, filius Eli,* (patris Mariæ Deiparæ) *filius Matthan,* (nominativo illo ὑἱὸς in sequentibus omnibus ὑἱοῦ τοῦ repetito:) in progressu quoque ejusdem inter Christi patres & *Cainanem* nominare poterat; non quòd talis revera ipse esset, sed quòd à Judæis Hellenistis & Christianis non aliâ (quam Græcâ testamenti veteris interpretatione usi, quorum maximus erat numerus) inter Abrahami majores numeraretur. Etsi enim in ea editione, quæ Alexandriæ in Cleopatrinâ Bibliothecâ reposita pro genuina LXX. Seniorum posteà est habita, Cainanis istius nullam extitisse mentionem ostensum fuerit: in κοινῇ tamen sive vulgatâ, quæ in communiori usu fuerat, Cainanem locum etiam ante Christi tempora obtinuisse, Demetrii in libro de his qui in Judæa regnaverunt Chronologia, apud Eusebium (in Evangelicæ Præparationis libro 9.) ab Alexandro Polyhistore proposita, demonstrat. Ea enim, usque ad Jacobi & filiorum descensum in Ægyptum, ab Adamo annos 3624. à diluvio, 1360. (vel potiùs 1362.) ab Abrahami ex Charane in Chananæam adventu 215. dinumerans, 130. annorum Cainanis interpositionem necessariò requirit. Quod si à Grotio fuisset animadversum, in eam opinionem nunquam concessisset; in Luc III. 36. primum *Cainanis* nomen errore quodam fuisse repositum: *deinde cùm latè sparsi ea lectio per Luca exemplaria cepisset, Græcos Christianos etiam in versione Geneseos secundùm Septuaginta, inter Arphaxadum & Salam interposuisse nomen Cainanis, annis etiam additis, quo magis Luca, quem sic scripsisse arbitrabantur, sua auctoritas constaret.*

Longè igitur probabilior (ut ad Assumptionis examen jam veniamus) altera est sententia, *Cainanis* nomen ex κοινῇ, sive vulgatâ Geneseos editione, ut in primum, libri prioris Paralipomenon capitulum, (ubi neque in Græco codice Vaticano, neque in Bibliorum Jayanorum versione Arabicâ, neque in Ruthenicâ sive Illyricâ translatione vetere, adhuc infertum illud reperitur) ita in Christi apud Lucam genealogiam fuisse transfusum. De eo, in 2. Chronicorum suorum libro, Christianus Massæus. *In primis dubium videri potest, utrum beatus Lucas ita scripserit. Quis enim audeat asseverare, quod probari non potest? Quis autem non videat potuisse contingere, ut non ab ipso, sed ab aliis Græcis post mortem ejus insertum sit, si viderint Evangelium à suis Bibliis discrepare,* (quod fieri non debuisse constabat:) *in eo maximè loco ubi generationum series scribebatur; ubi facillimè putari potuisset, non voluntatem, sed inadvertentiam affuisse Scripturis?* Et, in Commentariis ad 11. cap. Geneseos, Benedictus Pererius. *b Ex his rectè concluditur generationem Cainan non fuisse in omnibus libris Septuaginta interpretum. Unde probabiliter etiam conjicitur eam non fuisse traditam à Septuaginta interpretibus: atque eos libros qui eo generatione carebant, ut qui cum Hebraïs codicibus congruerent, veros & integros esse judicandos; eos autem qui generationem Cainan habebant, ut corruptos atque mendosos esse abjudicandos, ac rejiciendos. Facile autem fuit, aliquem nactum libros septuaginta Interpretum in quibus erat generatio Cainan, inde eam transtuliisse in Evangelium Luca: quod à principio non animadversum non solùm inhæsisse in uno eo libro, sed in eos posteà qui usque ad hanc diem exscripti sunt, esse derivatum. At enim verò, si quod de veritate librorum Septuaginta interpretum circa generationem Cainan satis bene probatum est, idem quoque de libro Evangelico B. Luca probaretur; equidem sententiam hanc toto assensu complecterer. Verùm neque hac ætate ullus est liber B. Luca qui in genealogiâ Salvatoris non habeat generationem Cainan; nec legi fuisse unquam aliquem, qui diceret, vel à se, vel ab aliis visum esse codicem ullum B. Luca qui tali generatione careret.* Ita ille.

b Perer. in Gen. lib. 11. fol. 174, 179.

Atqui librum B. Lucæ Græcolatinum, in antiquissimis membranis, literis majusculis, sine spiritibus & accentibus, descriptum ipsi vidimus: ubi in Græco, του Φαλεκ, του Ἑβερ, του Σαλα, του Ἀρφαξαδ, του Σημ, in Latino; *Qui fuit Phalec, qui fuit Eber, qui fuit Sala, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem,* exertè legebatur; *Cainanis* hujus mentione prorsùs prætermissâ. Codex ille, quatuor Evangeliorum & Actorum Apostolorum historias complectens, ex Græcia olim in Galliam perductus, in monasterio S. Irenæi in suburbio Lugdunensi est repositus; ibique oriente civili bello anno 1562. repertus, à Theodoro Bezâ anno demùm 1581. publicæ Cantabrigiensis academiæ Bibliothecæ est donatus. Neque hujus generis Græcus ullus MS. est alius, vel à Bezâ commemoratus, vel in Angliam è Græciâ nuper missus: quicquid in notationibus suis ad hunc Lucæ locum dicat Hugo Grotius.

Quærit hic igitur Salianus; c quæ sit *vis in manuscripto uno, sive Gallico, sive Anglicano, in quo Cainan in Evangelio Luca omissus fuerit, ut omnibus omnium Bibliothecarum id genus libris opponi possit?* Negátque omninò Gomarus, d suum illum codicem tantæ videri esse vel *antiquitatis, ut reliquis omnibus priscis patribus sit conferendus, nedum præferendus;* vel *sinceritatis, ut fidem pra cæteris mereatur.* Quasi aliam huic codici vim à causæ hujus patronis adscribi fuisset necesse, quàm quanta ad objectum universalem exemplarium Lucæ in Cainane retinendo consensum refellendum sufficeret; quæ cui lectio esset præferenda, non ex hujus codicis vel antiquitate vel sinceritate, sed ex Mosis & Ezræ authoritate, æstimandum relinquentibus.

c Salian. Præfat. in Annal. tom. 3.

d Gomar. de general. Christi cap 2.

In profundioris autem antiquitatis exempla-

ribus

tibus varietates occurrere plurimas; quæ in posteriorum temporum Manuſcripris nullibi apparent, vel hic ipſe de quo agimus codex fidem facit: qui unus in Evangeliis plures à vulgatis libris diſcrepantes lectiones nobis exhibet, quàm aliarum fortaſſe Bibliothecarum exemplaria conjuncta ſimul omnia. De cujuſmodi in libris Novi Teſtamenti ſuo tempore reperta varietate, ita & Origenes nos monuit. [a] *Multam differentiam inter exemplaria invenimus, ſive per negligentiam ſcribentium, ſive ex temeritate quorundam, ſive propter eos qui negligunt emendare ſcripturas; vel propter eos qui quod ipſis videtur in emendationibus vel abjiciunt, vel ſuldaciter.*

[a] Origen. in Matth. tract. 5.

Itaque quemadmodum in Rom. I. 17. rectè nos hodie legimus, *Juſtus ex fide vivet*; ubi libri qui Hieronymi tempore extabant (quemadmodum libro 1. Commentariorum ipſius in Habakuk cap. 2. liquet) primæ perſonæ pronomine ex LXX. addito, *Juſtus ex fide meâ vivet*, legerunt: ita vice verſâ, ubi hodie apud Lucam ex Κοινῇ, ſive vulgatâ Græcâ editione *Cainanem* videmus repoſitum; in illa quæ Origenis tempore ferebatur codicum varietate eundem pari conſenſu non fuiſſe adjectum, tum ex noſtro hoc venerandæ antiquitatis exemplari argumentum capere poſſumus, tum ex ipſius Origenis verbis illis, tractatu 20. in Johannem. Ἀρχὴν ἔσχε γενέσεως ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως Νῶε, ἐγένετο ἀπὸ Νῶε ἕως Ἀβραάμ. *Abraham à primo homine decimus natus eſt. Decem enim generationes ab Adamo ſunt ad Noe, & decem à Noe ad Abraham.* Ut Noë enim, ſeniore Cainane connumerato, ab Adamo decimus; ita Abrahamus ab eodem, niſi ſecluſo Cainane juniore, numerari nullo modo poterit viceſimus; Quibus addendum quoque quod Joſephus, vetus ſcriptor Chriſtianus, in Græco ſuo Hypomneſtico, recenſens generationes ab Adamo ad Chriſtum, poſt Arphaxad ponit Sala; inſtitutio iſto Cainane prorſus omiſſo.

Sed & ex Romanenſium caſtris Johannes Cordeſius, in Gallico de genealogia Chriſti libello, *Cainanis* nomen in primitivis Lucæ codicibus non extitiſſe confirmat. Hic enim eſt *anonymus* ille cujus contra Cainanem argumenta recenſuit in [b] Dubiis ſuis Evangelicis noſter Spanhemius: ut *homo non leviter eruditus*, cujus rationibus hâc in parte reſpondere conatus eſt, in tertii ſui Annalis præfatione, Jacobus Salianus. Cui & comites adjicere licebat, ex eâdem è quâ Salianus fuit Societate Jeſu, Theologos tres: quorum primus (ab ipſo Cordeſio productus) Cornelius à Lapide, in Commentariis ſuis ad Geneſeos, cap. XI. 12. docet Cainan in Lucam irrepſiſſe *errore librariorum, vel ſcioli alicujus, qui Hebraicè neſciens cùm in verſione* LXX. *quæ olim vulgata fuit, in Geneſi invenisset additum Cainan eundem ex* LXX. *in Lucam tranſtulit, illúmque ei inſerendum putavit.* Alter Dionyſius Petavius, in libro 9. de doctrinâ Temporum cap. 17. non debere *mirum aut incredibile videri ſi Cainanis nomen ex* LXX. *corruptis libris in Evangelium Lucæ redund. ſſe ſuſpicemur.* Tertius denique Petrus Poſſinus, in Diallactico genealogiæ Chriſti cap. 9. confidenter concludit; *ex corrupta jam editione* LXX. *longo deorum interv allo libris Lucæ inditum à ſcholis exſcriptoribus fuiſſe nomen Cainanis. Nam quis neſcit*, inquit ille, *Teſtamentum Novum librorum omnium frequentiſſime fuiſſe deſcriptum? Quod ergo aſſueti editioni* LXX. *jam mendoſæ, ſemidocti Graculi deſcriptionem Evangeliorum accederent reſtituere, ut ipſis quidem videbatur omiſſum apud Lucam nomen non dubitaverunt: quæ hallucinatio emendationis erudite authoritatem habuit: ut in omnes brevi codices vulgaretur, ſi tamen in omnes.* Et de teſtimoniis, pro retinendo Cainane, à LXX. Interpretum & Lucæ Evangeliſtæ authoritate deductis, iſta dicta ſufficiant.

[b] Part. 1. dub. 23.

Aliud enim illud argumentum ab [c] Harvillæo, (*à Nationibus, ortis ab ipſo Cainan*) petitum pondus in ſe habet omninò perexiguum. *Euſebius* (inquit ille, lib. 1.) *Chron. S. Epiphanius in Ancorato, & Chronicon Alexandrinum, dicunt ab ipſo Cainan ortos fuiſſe Gaſphenos.* At verò Epiphanius *Cainanos* (neſcio quos) hûc nominat. Chronic. Alexandrinum (vel Conſtantinopolitanum potiùs) *Sarmatas*, [d] Euſtathius Antiochenus *Sogdianos*; de Cainane hoc præterea addito. Ἀπὸ τούτου ἡ ἀστρονομία καὶ οἰωνισμοὶ ἐπενοήθησαν. *Ab iſto aſtronomia & augaria excogitata ſunt.* Ortos autem ab eo fuiſſe *Gaſphenos*, non Euſebius (quem Cainanem illum omninò non agnoviſſe oſtendimus) ſed Georgius Syncellus memorat: eâdem quâ & alterum illud narrat fide. [e] Τῷ βίῳ τῆς καρᾶς διαλύσας ὁ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ υἱὸς Χαβὶλ τῶν γηγάντων, καὶ ὑπερῴαν τὴν ἐκείνῳ. Mundi *anno* 2585. *Cainan deambulans in agro, ſcriptum Gigantum reperit, & penes ſe recondidit.* Eutychius filius Patricii Alexandrinus Patriarcha, in Arabico ſuo Chronico, anno Phaleki, 36. menſe *Ab*, Cainanem mortem obiiſſe notat. Catenæ autem in Pentateuchum Arabicæ (quæ in Bodleianâ Bibliothecâ habetur) collector, eundem 13. die menſis Elul, feriâ 6. vitâ exceſſiſſe ſcribit: filios ejus eum pollinxiſſe, ſepeliiſſe, & per 40. dies luxiſſe, adjiciens. Nempe, qui filium Arphaxadi eum revera fuiſſe exiſtimarunt, ne nudum nomen videretur, quicquid vel de eo commenti ſunt ipſi, vel ab aliis acceptum nimis ſecurè poſteritati commendandum putaverunt.

[c] Harvil Illuſtr. Chron. §. 17.

[d] Epiph. & Hexaëmer. pag. 54.

[e] Georg. Syncell Chron. pag. 46.

CAP. VII.

De ſecundæ, & tertiæ Mundi ætatis connexione legitimâ: ubi Abrahamum ante mortem patris in Chananæam veniſſe, ex Moſe, Stephano, & aliis oſtenditur; & ante annum patris 130. *in lucem non fuiſſe editum defenditur.*

IN ſecundâ annorum Mundi Periodo, de connexione mortis Tharæ cum filii ipſius Abrahami in Chananæam profectione, (quæ tertiæ periodo dat initium,) quæſtio adhuc diſcutienda reſtat. A quâ, quia tertiæ quoque Mundi ætatis exordii determinatio dependet: utramque, ſyllogiſmo ita expoſitorio comprehenſam, exhibere viſum fuit.

Tempus quo Charane profectus eſt Abramus in Chananæam, in tres eſt peregrinationis Hebræorum in terrâ non ſuâ.

Dies

Dies XV. menſis VII. (*primi poſtea dicti*) *mortem Tharæ proximè ſubſecutus, tempus illud eſt quo Charane profectus eſt Abramus in Chananæam.*

Ergo dies XV. menſis VII. mortem Tharæ proximè ſubſecutus, initium eſt peregrinationis Hebræorum in terrâ non ſuâ.

Majoris propoſitionis confirmationem, quia tertiæ Periodi explicationem magis ſpectat, ad proximum differemus: Minoris, in hoc capite aggrediemur. Et quia menſis & diei ratio in capite III. ſuprà eſt reddita; hîc de connexione mortis Tharæ cum Abrahami in Chananæam profectione tantùm agemus: quam à Moſe, in fine XI. & initio XII. Geneſeos capituli, ita habemus declaratam.

Et fuerunt dies Tharæ ducentorum quinque annorum; & mortuus eſt Thara Charane.

Et dixit Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & è domo patris tui, in terram quam oſtendam tibi.

Et faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum; & eſto benedictio.

Et benedicam benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam: & benedicentur in te omnes familiæ terræ.

Et profectus eſt quemadmodum eſt locutus ad eum Dominus, & profectus eſt cum eo Lot, & ſeptuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur Charane.

Ubi inprimis perpendendum eſt quod ſub capitis III. initium, ſuprà à nobis eſt explicatum, Patriarcharum omnium qui poſt diluvium nati ſunt, integræ vitæ annorum ſummâ conſultò prætermiſsâ, ſolius Tharæ univerſos quos vixit annos eſſe hîc commemoratos; & cum mentione mortis ejus, profectionis Abrami in Chananæam, narrationem deinde eſſe conjunctam, ut inde intelligeretur, ubinam conſtituendum eſſet ſecundæ Mundi periodi finis, & tertiæ exordium. Quod Moſis conſilium non animadvertentes hic alii, per prolepſin & anticipationem mortem Tharæ ante Abrami è Charane profectionem ab eo poſitam fuiſſe dixerunt: & Scripturam aliâs *incertum relinquere, quanto tempore poſt mortem Tharæ venerit Abraham in regionem Chanaan; utrum illo anno quo Thara mortuus eſt, an aliquot poſt annis quàm mortuus fuerat*; Ita Pererius. Cui, reponimus, (quod ab ipſo agnoſcitur:) [a] *Chronologiam voluiſſe Moſem integrè, exactè ac perfectè tradere*: addimúſque in hunc ipſum finem mortem Tharæ & profectionem Abrahæ, ut eodem anno factam, ſimul conjunxiſſe; ut annorum primæ Mundi periodi cum annis ſecundæ connexionem patefaceret. Nulla enim ratio erat cur Abram, ex Ur Chaldæorum à Deo vocatus, (Geneſ. XV. 7. Nehem. IX. 7. Act. VII. 2.) & vocationi ejus obſecundans, ſimul cum Patre Chananæam versùs iter inſtituens, & cum illo Charanæ aliquandiu ſubſiſtens, (Geneſ. XI. 31.) patre demùm mortuo, Charanæ diutiùs moraretur, & injunctum à Deo iter ampliùs protraheret etiamſi nulla iterata Dei vocatio interceſſiſſet. Poſt mortem verò patris, Abramum Charane in terram Chananæam migraviſſe, diſertis etiam verbis protomartyr Stephanus confirmat; in Act. VII. 4. ſic de eo narrans, Τότε ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων κατῴκησεν ἐν Χαρράν· κἀκεῖθεν, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ, μετῴκισεν αὐτὸν εἰς τὴν γῆν ταύτην εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε. *Tunc exiens è terra Chaldæorum, habitavit in Charran: & illinc, poſtquàm mortuus eſt pater ejus, tranſtulit eum* Deus *in terram hanc, in qua nunc vos habitatis.* Cui tam claræ luci, mirandum profectò eſt, quantas offundere conentur tenebras illi, qui anno 70. Tharæ Abramum natum fuiſſe opinantur; & in quàm varias: (ut hoc efficiant) ſe convertant formas. Hieronymus, in Quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, *indiſſolubilem quæſtionem* hanc appellat. *Joſephus Scaliger*, in Elencho poſterioris orationis Chronologicæ *D. Parei*, *Eliam expectandum* eſſe ait, *qui nodum ſolvat.* Melchior Canus, & memoriæ lapſum ex concionis æſtu in Stephano admittit. Abramus Bucholcerus, in Iſagoge ſuâ Chronologicâ, dicit eſſe *examinanda Acta ad Geneſin, non Geneſin ad Acta; lignum ad Normam exigendum, non normam ad lignum*: additque *eſſe in Stephani narratione plura, quæ cum grano ſalis* (*ut loquuntur*) *accipienda, & commodâ interpretatione lenienda ſunt.* Quaſi hîc aliqua inter Geneſin & Acta intercederet differentia; & quaſi ut primarius hiſtoriæ hujus author citatus hîc fuiſſet Stephanus, & non ut Moſis fidiſſimus interpres, qui nos doceret locationem Abrahami initio cap. XII. Geneſ. propoſitam, recto & naturali ordine, ſine recapitulatione aut ὑστέρῳ πρότερον, ullo mortis Tharæ fuiſſe ſubnectendam, cujus mentio immediatè præceſſerat: aut quaſi grano ſalis condiri illius dicta neceſſe haberent, quem Angelo magis quàm homini ſimilem orationem hanc exorſum & Sp. Sancto *plenum* eandem finiiſſe, Spiritus ipſe ſanctus confirmat. (Act. VI. 15. & VII. 55.)

Addit his Sethus Calviſius, [b] *Quod affirmatur ex Stephano Abrahamum poſt defunctum Tharam in terram Chanaan profectum eſſe, id ex verſione Septuaginta interpretum mutuatum eſſe. Sed paraphraſes Septuaginta interpretum, ſi pugnent cum fontibus & textu, cum grano ſalis accipiendas.* quum tamen in verſione Græcâ, quæ LXX. interpretibus tribuitur, nihil omninò inveniatur quod pro hâc ſententiâ magis faciat, quàm quod in ipſis fontibus & in textu legitur Hebraico.

[c] Georgius Syncellus, [d] Andreas Maſius, & [e] Nicolaus Abramus, verba Stephani non de morte Tharæ naturali, ſed de ſpirituali idololatriæ morte interpretantur: quòd apud Deos ſuos, (quorum vaniſſimo cultui erat deditus,) Charane manere ſtatuiſſet, & filium inde à Deo vocatum in Chananæam ſequi obſtinatiſſimè renuiſſet. Sed præterquàm quòd à ſenſu literali quem in hiſtoricâ ſuâ narratione B. Stephanum ſpectâſſe non eſt dubium, ad myſticum & tropologicum verba Protomartyris (præter omnem rationem) illi detorqueant: cum ipſius etiam Hiſtoriæ veritate nobis certè viderur, eam expoſitionem, omninò non poſſe exiſtere. Etſi enim Tharam Diis alienis aliquando ſerviviſſe, à [f] Joſua edoceamur: tamen cùm filium Abramum ex Ure, idololatricâ Chaldæorum urbe, miſeratione divinâ vocatum, ultrò Thara ſecutus fuerit, [g] in Chananæam quoque (ſi in itinere morbo Charanæ detentus & morte ſublatus non fuiſſet) comitaturus; in Charane ſubſiſtentem ad vomitum ſuum fuiſſe reverſum,

[a] Perer. in Gen. lib. 16. num. 195. Id. ibid. num. 174.

[b] Calviſ. Iſagog. Chron. cap. 15.

[c] Georgius Syncel. Chr. pag. 49.
[d] Maſ. in Joſu. cap. ult.
[e] Abram in Pharo Vet. Teſtam. l. 7. cap. 22. & 17.

[f] Joſ. 24. 2.

[g] Gen. 11. 31.

& Servatoris

& Servatoris progenitorem in tam fœdâ idololatriâ fuiſſe mortuum, ut credamus, animum inducere non poſſumus.

Daniel Angelocratur, in ſuæ Chronologiæ Prodromo, quæſtionis ſolutionem in voce [μετὰ] conſiſtere arbitratur quæ in loco Actorum non *poſt*, ſed *circa*, vel *ſub* ſignificet: *ut ſit ſenſus, quòd ſub mortem patris vel circa mortem, hoc eſt ingravescente ætate ejus profectus ſit.* Verùm neque exemplo ullo probatur, eam eſſe vocis μετὰ latitudinem, ut *circa*, vel *ſub* ſignificare poſſit: (illud enim μετὰ τὴν μετοικεσίαν, ex *Matth.* I. 12. productum, nihil aliud omnino denotat, quàm reverâ poſt *exilium Babylonicum* inchoatum, à Jechoniâ genitum fuiſſe Salathielem:) & ſi maximè probaretur, hîc certè ea ſignificatio locum habere non poteſt. Quis enim diceret, *circa* vel *ſub* mortem Tharæ profectum fuiſſe Abramum; ſi inter eam filii profectionem & mortem patris, 60. ipſi anni, ut Angelocratoris (in ſeptuageſimum annum Tharæ natalem Abrahami conjicientis) neceſſariò requirit hypotheſis, interceſſiſſent.

[a] Petavius, cum Abulenſi, duas Abrahami profectiones ex Charane in Chananæam diſtinguendas eſſe aſſerit. Priorem, quum 75. eſſet ille annorum, patre adhuc vivente; poſteriorem, quum eſſet annorum 135. patre jam mortuo, factam: de quarum priore Moſes, de poſteriore Stephanus meminerit. Per 60. verò poſtremos patris ſui annos, non tam habitaſſe in terrâ Chanaan eum dici poſſe putat, quàm peregrinatum eſſe; quòd, per intervalla, patrem & fratres reviſeret. Sed renuntiatâ patris morte, reverſum in Charan, ut vel patris ſuus curaret, vel ne bona quæ paternâ hæreditate ſibi obvenerant perderet, egreſſum inde poſtea eum fuiſſe ait, firmiſſimo animo certiſſimóque propoſito nunquam eò in poſterum revertendi; ut perpetuus deinceps terræ Chananææ colonus & habitator eſſet: ita enim μετῴκισεν αὐτὸν, Act. VII. 4. ille interpretatur: *colonum & habitatorem fecit, eique quaſi nunquam amplius reverſuro domicilium in terra Chanaan ſtatuit; ſiquidem vox μετοικία, non ſimplicem tranſlationem, ſed quaſi coloniam denotat.*

Verùm hoc de duplice Abrami in Chananæam translatione firmamentum abundè refutârunt Torniellus, D. Gualterus Ralegh, (*Hiſtor. Mundi, lib. 2. cap. 1. §. 3.*) Salianus, Bonfrerius, Henricus Philippi; & fuſiſſimè, Harvillæus, in Iſagog. Chronol. ſect. 33. (à Col. 323. ad 340.) Illa enim verba Apoſtoli, Hebr. XI. 15. Si Patriæ *illius memores fuiſſent ex qua exierant, habebant opportunitatem ad revertendum*; in Abrahamo præcipuè locum habuerunt qui urgente fame, ad Ægyptios, non ſine præſente vitæ periculo, proficiſci maluit, quàm ad ſuos reverti; (Gen. XII. 10, 12.) & tantopere cavit, ne filius ſuus Iſaacus in eam terram reduceretur, ex quâ ipſe eſt egreſſus. (Gen. XXIV. 5, 6, 8.) Illud autem μετοικίζειν nihil aliud denotare certum eſt, quàm facere ut quis migret, vel ſedes mutet: ſive peregrinatio ea tranſmigratio dicenda fuerit, ſive quid aliud; ſive is qui migrat, fixè & conſtanter in termino quem petit, ſive ad tempus ſit permanſurus. Unde & de μετοικεσίᾳ, ſive tranſmigratione Babylonica, hoc ipſum vocabulum in hac ipſâ Stephani concione uſurpatum fuiſſe videmus. Act. VII. 43. Μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος *Transferam vos* trans Babylonem. & *Threnor.* I. 3. Μετῳκίσθη Ἰουδαία ἀπὸ ταπεινώσεως αὐτῆς & ἀπὸ πλήθους δουλείας αὐτῆς: *Migravit Judæa pra humiliatione ſua, & pra multitudine ſervitutis ſuæ.* Atque ut Abrami migrationi, [b] è Charane anno ætatis ſuæ 75. cum familiâ, re familiari totâ & Dei juſſu ſeſe transferentis, μετοικίας appellatio maximè propriè convenit, ita & univerſam tam ipſius, quàm poſterorum ejus in Chananæa habitationem & commorationem, pro *peregrinatione* eſſe habendam, tum ex Apoſtoli verbis illis liquet Hebr. XI. 9. *Per fidem* Abraham *commoratus eſt in terra promiſſionis, tanquam in alienâ, commoratus in tabernaculis cum Iſaac & Jacob, coharedibus ejuſdem promiſſionis*, tum ex ipſo Moſe, Chananæam ut *terram peregrinationum* Abrahami, Iſaaci & Jacobi ſubinde nobis exhibente (*Geneſ.* XXXVI. 7. XXXVII. 1. *Exod.* VI. 4. Unde & Delrii, Perkinſii, aliorúmque opinio quoque concidit) qui, ſepoſito etiam illo de duplici Abrami ex Charane in Chananæam translatione commento, cum B. Auguſtino, (libro 16. de Civitate Dei, cap. 15.) difficultatem omnem per expoſitionem verbi μετῴκισεν tolli poſſe exiſtimant, quod *collocavit*, ſeu *firmiter habitare fecit* illi interpretantur: Abrahamum dicentes, 60. quidem annos in terra Chananæa (vivo adhuc patre) tranſegiſſe, ſed nihil in ea poſſediſſe; poſt patris verò mortem ex emptione poſſidere agrum & ſpeluncam, atque hâc ratione firmius domicilium ibi habere, cœpiſſe, nullâ interiùs proprietatis vel Latinæ vocis *tranſtulit* quæ motum quendam, vel Græcæ μετῴκισεν quæ tranſmigrationem denotat habitâ ratione quemadmodum rectè hîc à Bonfrerio eſt obſervatum: ut non addam, fixum hoc Abrahami juxtâ Hebronem domicilium, non minùs *peregrinationis* ipſius locum fuiſſe habitum (*Geneſ.* XXXV. 27.) quàm reliquam Chananæam, in qua liberiùs antèà obversabar.

Ludovicus de Dieu, vir doctiſſimus & mihi quum vixit amiciſſimus, in Animadverſionibus ad Act. VII. 4. hunc etiam conjecturam ſuam eruditis conſiderandam proponit. Verbis illis Stephani, de translato Abrahamo εἰς τὴν γῆν ταύτην εἰς ἣν ὑμεῖς νῦν κατοικεῖτε, (in terram hanc in qua vos nunc habitatis) *non videri innui terram Canaan univerſim, ſed ſpeciatim determinari eam partem quæ tribui Judæ ceſſerat, in qua Judæi quos Hieroſolymis alloquebatur Stephanus tunc habitabant, adeoque reſpici habitationem ejus in Mamre, & quidem poſtquàm empto ibi (prope Hebron in mediterraneo tribus Judæ) agro firmam ſedem ibi fixit.* Cùm autem Sarah, in cujus ſepulcrum ager iſte emptus fuerat, decennio marito junior, (Gen. XVIII. 17.) annos 127. nata, ex hac vita deceſſerit: (Gen. XXIII. 1.) & Abrahamum annos 137. natum tum fuiſſe oportuit, & altero jam anno vivere deſiiſſe Tharam etiamſi ab ipſo Septuagenario Abrahamum ſuſceptum fuiſſe adminiſerimus.

Sed neque iſta explicatio cum ſerie orationis Protomartyris ſatis quadrat: in quâ mentioni commorationis Abrahami in *Charane* hæc ſtatim ſubiiciuntur. *Et illinc poſtquàm mortuus eſt pater ejus, tranſtulit eum Deus in terram hanc in qua vos nunc habitatis. Et non dedit ei hæreditatem in ea ne veſtigium quidem pedis: &*

[a] Petav. in Gen. lib. 16. à num. 199. ad 204.

[b] Geneſ. 11. 4. 5.

Geneſ. XXIII. 17. 18. XXV. 9. 10. & L. 13.

promiſit, ſe illam daturum ea poſſidendam, & ſemini ejus poſt eum; quum non eſſet ei filius. Ubi ex *Charane* immediatè (id enim vox *inde illinc* indicat) in aliam terram translationem eum, (de qua Stephanus loquitur,) factam fuiſſe clarum eſt; non ex una Chananææ parte in aliam, poſt plures quam 60. à relicta Charane annos demum factam, migrationem alteram: quæ ſive cum fixa domicilii ſede conjuncta fuerit, ſive ſecus ad rationem *μετοικεσιῶν* (ut dictum eſt,) nihil omninò attinet. Deinde translationem hanc circa illud tempus contigiſſe Stephanus ſignificat, quo pollicitus eſt Deus Abrahamo, ſe daturum terram illam ſemini ipſius, quum nondum haberet filium (Act. VII. 5.) At fuum illam, quæ non à noſtro ſolum Ludovico, ſed etiam Delrio, Perkinſio, Pererio, & aliis hîc obtenditur, Abrahami habitationem longè poſt natum Abrahamo filium multoque longiùs poſt hereditariam terræ promiſſionem, contigiſſe nemo dubitat.

Neque huic objectioni planè ſatisfacit reſponſio illa *a* Petavii, non translatum eſſe Abraham ut Stephanus, antequam haberet filium: neque enim illud priùs, *Et unde poſtquam mortuus eſt pater ejus tranſtulit illum*, neque quæ deinceps dicuntur omnia neceſſò eſt, & ad idem pertinere tempus. *Repromiſit*, inquit, *dari illi enim in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, quum non haberet filium.* Sola ergo repromiſſio facta dicitur antequam haberet filium; non autem translatio, & ſecunda in Chananæam migratio: quaſi diceret; Repromiſit illi *jam tum quum non haberet filium.* Porro iſta promiſſio jampridem edita eſt, cum primum è Chaldæa proficiſceretur, ut indicat Stephanus. Ita enim ſcribit Petavius: quum promiſſioms vel illius vel ullius Abrahamo è Chaldæâ proficiſcenti factæ; ne uno quidem verbo Stephanus meminerit. At verò quam primum è Charane in Chananæam Deus illum tranſtulit, (ut in Act. VII. 4. Stephanus loquitur:) editam eſſe promiſſionem illam oſtendit Moſes; (Gen. XII. 7.) *Semini tuo dabo terram hanc*; jam tum quum non haberet filium. Indeque non unam à Moſe Abrahami migrationem anno ipſius LXXV. aliam à Stephano, anno ejuſdem CXXVII. factam; ſed unam & eamdem ab utroque intellectam fuiſſe concludimus. Nec aliud quidem voluiſſe Moſem, quam poſt patris demum exceſſum, primam Abrahami in terram Chananitidem profectionem eſſe ſuſceptam (recapitulatione vel anticipatione nulla interpoſita) ex Charane primum deceſſiſſe apud Judæos qui Stephani tempore vixerunt communiter recepta fuit ſententia; quod vel illa Philonis Judæi in libro περὶ ἀναστάσεως, verba ſatis oſtendunt. Οὐδὲν τῶν ἐπιτυχόντων τοῦτ' ἔφασκεν, οὐδὲ, ὃν πρότερον μὲν ἐν τῇ Χαλδαίων ἀναστὰς γῆς Ἀβραὰμ φασιν εἰς χαῤῥᾶν, τελευτήσαντος ἤδη τοῦ πατρὸς ἐκεῖθεν, κἀ τοῦτο μετοικίσαντα. *Neminem latere poteſt, qui legibus* (ſive libris Moſaicis) *ſtudium adhibuerit, quod Abraham primum quidem è Chaldæorum terrâ veniens habitavit in Charan; ibi verò defuncto ipſius patre ex eâ quoque profectus eſt.* Itaque Doſitheo, qui paulò poſt Samaritanis ſuis Moſaicum Pentatheucum à ſe interpolatum dedit, ita fuit perſuaſum, ut quum falſa opinione ductus, anno Tharæ ſeptuageſimo natum fuiſſe Abrahamum exiſtimaret, ſimulque Tharam 205. ætatis anno vita functum, ac deinde Abrahamum anno vitæ 75. Charane diſceſſiſſe legeret; iſta aliter inter ſe conciliare neſciens, pro 205 annis Tharæ, non in Hebræo ſolùm, ſed etiam in Græco & Caldaico textu repertis, 145. (numerum ex 70. Tharæ & 75. Abrahæ conflatum.) inaudità audaciâ ſubſtituere non dubitavit. Ex quo apparet tamen, quam alte animis illius temporis ea inſederit ſententia quæ Abrahami ex Charane in terram Chanaanis profectionem cum patris morte fuiſſe conjunctam, indeque 430. peregrinationis Hebræorum annos, Exod. XII. 40. memoratos, deducendos eſſe conſtituit, quæ Samaritanorum omnium Chronologorum ad hunc diem uſque, communis eſt opinio: quam inter Chriſtianos quoque Fatorum Siculorum authorem fuiſſe ſecutum, non difficile fuerit animadvertere.

Pro nobis quoque facit Chryſoſtomus, homilia 31. in Geneſin, de Abrahami ex Charane diſceſſu ita ſcribens. *Non autem cum Deus inde evocavit, donec mortuus Thara. Tunc enim, illo defuncto, inquit*; Et dixit Dominus Abræ: Egredere de terrâ tuâ, &c. (Geneſ. XII. 1.) & in homilia 36. *Occupata Charan, poſtquam illic tabernaculum fixerunt, & morte functus eſt Thara, iterum præceptum eſt ei à Deo, ut exiret inde*; Egredere, (*inquit,*) de terrâ tuâ, &c.

Neque aliud quid ſentirent ulli alii; niſi Doſitheano illo præjudicio, Abrahami à patre ſeptuagenario ſuſcepti, in transverſum acti, hoc uno ariete, (cum Abulenſi,) quæ à nobis dicta ſunt concuſſi, & proſterni poſſe omnia ſibi perſuaſerint. Si deceſſit Abraham Charane poſt mortem patris ſui; natus fuiſſet ille, quum Thara eſſet annorum 130. Thara enim vixit 205. annos. (Geneſ. XI. 32.) Abram verò erat 75. annorum quum egrederetur Charane. (Geneſ. XII. 22.) Atqui à Thara genitum fuiſſe Abrahamum, quum eſſet 70. annorum, verba illa Moſis, (Geneſ. XI. 26.) clare oſtendunt. *Vixitque Thara ſeptuagenta annos, & genuit Abrahamum, Nacharem, & Haranem.*

Et quidem ſi unius tantum filii hîc, uti in antecedentibus à Moſe facta fuiſſet mentio; nulla de nativitatis illius tempore ſuboriri poterat dubitatio. Verùm quum tres ſimul ille nominet, quos omnes uno & eodem anno haudquaquam genitos fuiſſe conſtat; nihil aliud quam Tharam anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, liberis operam primùm dare cœpiſſe, & tres filios, ſuo quemque ordine, deinceps ſuſcepiſſe, ſignificare voluit: ordine eorum, de data operâ, confuſo, ut non à tempore ſuſceptæ primum ab eo prolis, ſed à morte ipſius, & cum ea conjuncta Abrahami in Chananæam profectione, annorum Mundi ſeries continuanda fuiſſe intelligeretur; quemadmodum ſub *III.* capituli initium ſupra declaravimus.

Ita Procopius Gazæus, in hunc Geneſeos locum ſcribens. *Quæritur*, (inquit) *quomodo Thara annos natus 70. procreaverit Abrahamum, & deinde conceſſerit fato, natus annos 205. Fuit autem eo tempore Abrahamus non 135. annorum, ſed attigit annum 70.* [vel 75. potius,] *juxta ſcripturæ ſacræ teſtimonium. Verum enim verò mihi eluceſcere videtur, Tharam genuiſſe Abrahamum* (lego *Arran vel Haranem*) *non*

inſtante

a Petav. Rationar. tempor. lib. 2. cap. 2.

instante anno septuagesimo, sed eo perfectè completo. Nec etiam continuò, ubi ille annus finem accepit, natus est Abraham: sed demum 130. *Thare. Nec Moses recordatur Abrahami, ut inter primogenitos eum connumerari velit, sed ejus meminit ut primi, & præcipui, & filiorum celeberrimi qui vel imprimis necessarius sit ad præsentis historiæ relationem.* Et post. *Hinc quis intelligat, Arran annorum numero antecessisse Abrahamum & Nahor? licèt in narrationis serie priore loco Abraham sit positus, Non tamen id accidit, ut senior ceteris sit habendus: sed id tributum est honori Patriarchæ.*

Similia habet & Theodoretus, ex Catenâ Græcâ ab Aloysio Lipomano productus, docens Abrahamum novissimum trium filiorum in senecta patris fuisse genitum. Quin & ipse Augustinus, licèt opinioni quæ à Thara Septuagenario Abrahamum susceptum statuit sit addictior, in apparente tamen inter Mosem & Stephanum differentiâ emodandâ, explicationem hanc non esse negligendam ultrò agnoscit: Quæstione 25. in Genesin, de difficultate ista hunc in modum scribens. *Potest & sic solvi quoniam scriptura quæ dixit,* (Cùm esset Thare annorum LXX. genuit Abraham & Nachor & Aran,) *non utique hoc intelligi voluit, quia eodem anno ætatis suæ omnes tres genuit; sed ex quo anno generare cepit, eum annum commemoravit Scriptura. Fieri autem potest, ut posterior generatus sit Abraham, sed merito excellentiæ, quæ in scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus: sicut Propheta priorem nominavit minorem,* (Jacob dilexi, Esaü autem odio habui;) *& in Paralipomenon cùm sit quartus ordine nascendi Judas, prior est nominatus, à quo Judaica gens nomen est datum, propter tribum regiam. Commodiùs autem plures exitus inveniuntur, quibus quæstiones difficiles dissolvuntur,* Ita ille.

[1] Malach. I. 2, 3. [2] I. Chron. II. 3.

Josephus Scaliger in Elencho 2. Orationis Chronologicæ D. Parei, magnâ verborum pompa, sed nullo rationum pondere, solutionem hanc deprimere conatur: quam à Matthæo Beroaldo primùm fuisse excogitatam ille opinatus est; quum non ab antiquis solùm, sed etiam à recentioribus, Nicolao Lyrano, Cardinali Cajetano, Aloysio Lipomano, Jacobo Naclanto, & Johanne Calvino discere potuisset, ante Beroaldum eam fuisse traditam. Verùm si hunc audire volumus, *illud omnem pervicaciam expugnaverit; quod Deus præcipit Abrahamo discedere ex Ur Chaldæorum, ut statim in terram Chananæorum contenderet, non ut in Charran resideret.* Deinde ex S. Stephano hoc probato, sic ille infert. *Si præceptum datum est Abrahamo, non Thara; nihil antiquius Abrahamo esse debuit, quàm in illam terram concedere, quam illi Deus indicaverat, Aliter non paruisset mandato Dei. Relicto igitur patre in Charran & assumpto Lot, juxta mandatum Dei, nullâ interpositâ morâ, in Chananæorum fines abiit.* Atqui, præcepto isto nihil obstante, *Abrahamum aliquod tempus in Charran moratum esse,* non Stephanus solùm in Act. VII. 2,4. (quod & ipse agnoscit Scaliger) sed etiam Moses in Genes. XI. 31. XII. 5. Cujus utriusque narrationi, nisi priùs fides penitùs derogetur, Scaligeri argumentum hoc nemini facturum est fidem; Abrahamum, *relicto patre in Charran, nullâ interpositâ morâ, in Chananæorum fines abiisse.*

Neque multò majoris momenti est argumentatio illius altera. *Abraham primo loco genitus est, ut quâ primus fratrum nominetur, Itaque natus est* LXX. *patris sui anno.* Cui cùm opponeretur à Pareo; *nominari Abraham primo loco, non genituræ, sed dignitatis ratione:* negat ille confidenter, *vel in sacris vel in exoticis scriptis filios aliter recensèri quàm genitura ordine.* Ille ait, *Scripturam nunquam aliter filios numerare quàm ut quemque natura in lucem dedit.* Sectatores ejus [a] Johannes Bohemus propositionem illam hac restrictione additâ proferendam fuisse censuit; *Scripturam eo quo generati sunt ordine liberos, ex legitimo matrimonio natos, numerare solere,* ut præoccuparet scilicet locum illum ex I. Chronic. I. 28. objiciendum: *Filii Abraham, Isaac, & Ismaël.* ubi Isaac anno centesimo Abrahami natus, (Genes. XXI. 5.) præponitur Ismaëli, anno ejusdem 86. in lucem edito (Gen. XVI 16.) neque animadvertit ille tamen, quem ex Geneseos XLVI. cum Scaligero ad confirmandam propositionem suam producit, eandem planè evertit.

[a] Joh. Bohl. Chr. lib. 1. tit. 2. c. 6.

Omnes filii Jacob, inquit Scaliger (& eam fide implicitâ hic secutus Bohemus,) *Secundùm genituræ tempus recensentur: primò, quatuor ex Leâ, secundò, duo ex Balâ: tertiò, duo ex Zelphâ: quartò, duo ex Leâ: quintò, duo ex Rachel, prout natura ordo eos protulit.* At si quis locum ipsum Genes. XLVI. consulere voluerit, inveniet primo loco susceptos ex Leâ filios sex, & Dinam filiam; secundo ex Zelphâ duos; tertio ex Rachel duos; quarto ex Balâ duos; quinto ex nullâ nullos; neque eo ordine omnes Jacobi filios ibi esse recensitos, quo natura eos in lucem protulit. Quod manifestiùs etiam in aliâ eorundem recensione, I. Chronic. II. 1, 2. observari poterit. Addit deinde Scaliger, Scripturam alibi non solùm primogenitum primo loco ponere, ut in I. Chronic. V I. Rubenem; (licèt jus primogeniti ille amisisset) sed etiam quis sit primus, quis secundus, quis tertius, designare. (I. Sam. III. 2, 3, 15, I. Chronic. VI. 28. & VIII. 1, 2, 3, 30, 39. & XXIII. 19, 20.) quod etiam contra ipsum facere (in Comm. ad Gen. c. XI.) rectè notavit D. Pareus. quid enim alicubi disertâ designatione opus fuisset, siquidem ubique naturalis ordo servatus fuisset. Dignitatis verò ratione, non Isaacum solum Ismaëli, (Genes. XXV. 9.) sed etiam Jacobum Esavo, (Genes. XXVIII. 5. Josh. XXIV. 4.) Ephraimum Manassæ (Genes. XLVIII. 20.) atque ob principatûs prærogativam, Judam reliquis fratribus, (I. Chronic. II. 3. cum V. 2.) & Mosem Aaroni fratri seniori (Exod. VII. 7.) præpositum fuisse invenimus.

Potrò ex tribus Tharæ filiis, Haran natu fuisse maximum, non Abrahamum (licèt ob dignitatem primo loco is ponatur) non inde solùm a [b] Cardinale Bellarmino confirmatur, quia obiit ante cæteros, & quia fratrum alter Nachor, filiam ejus Melcham accepit in uxorem; sed etiam quia alteram Haranis filiam Jescam, ipse Abraham uxorem duxit. Ita enim in Genes. XI. 28, 29. legimus. *Et mortuus est Haran in conspectu Thara patris sui, in solo natali suo, Ur Chaldæorum. Et duxerunt Abram & Nachor uxores: nomen uxoris Abram Sarai; & nomen uxoris*

[b] Bellarmin. Controvers. de Sacram. Matrim. cap. 22.

Nachoris, Melcha filia Haranis patris Idalchæ, & patris Jescheæ. Quo loco, (inquit Bellarminus,) *per Jeschæam non potest intelligi uxor Sarai;* (*quæ teste Josepho in Hieronymo*) *hinc nimis erat. Neque enim ullo modo credibile, Scripturam prodere voluisse patrem Melchæ & non patrem Sarai, personæ longè dignioris: & deinde quorsum mentio fieret Jeschæ, si diversa esset à Sarai?* Et hæc certè non Josephi tantum, (*lib. 1. Antiquit. cap. 7. & 8.*) sed etiam omnium veterum Hebræorum communis est sententia: à D. Augustino quoque (*lib. 16. de Civitate Dei cap. 12. 19.*) & majore Christianorum parte receptâ. Unde argumentum hoc nectit Nicolaus Lyranus in Genes. XI. *Secundum Hebræos & communiter alios expositores, Sara uxor Abram, fuit filia Aran. De ipsa verò scribitur infrà* (Genes. XVII. 17.) *Putasne Centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Ex quo patet, quod Sara erat junior Abram decem annis tantum. Si igitur Aran fuit junior ipso Abram, sequitur, quod non habebat decem annos quando genuit Saram, imo nec octo; quia inter nativitatem Abra & Aran fuerunt plus quam decem anni.* Quod ipsum etiam concedunt Hebræi, in *Sanhedrin* cap. 8. & *Seder Olam Rabba:* capite secundo in quo ita legimus: שהיה שרה האדיל הרתי שנים ושנא אשה ויהי מאת שנה ואת ללום שבע אתת ליסבה ותי שנה אתת ללום שבע אתת ליסבה *Quum ad annorum sex ætatem Haran excrevisset, accepit uxorem: quæ peperit ei annorum octo existenti, imo anno Lotum, altero anno Jeschæam, quæ & Sarah est.* Neque ut hoc fieret, absurdum esse, inter Christianos a Genebrardus quoque somniavit. Verùm sapientior Cardinalis, nova ex positione verborum illorum Genes. XI. 26. (*Vixit Thare Septuaginta annis, & genuit Abram, Nachor & Aran*) difficultatem totam solvi posse. *Ex quo loco ille colligit ann. 70. Thare, jam natos fuisse tres illos filios. Non enim,* (ait ille) *Scriptura significat, eodem anno annos tres genitos fuisse; sed illo anno jam habere cœpisse ipsum Thare tres filios: unum videlicet illo anno genitum, & alios antea. Ille autem anno natus est Abraham. Scriptura enim in Genesi, semper indicat tempus nativitatis eorum, quorum texit genealogiam, ut sciamus ætatem totius Mundi; aliis prætermissis, qui ad istam Chronologiam non pertinent. Ita videmus Scripturam Genes. IV. prodidisse, quo anno ætatis Ada natus sit Seth, per quem texitur Chronologia; non autem quoto anno ejusdem Ada natus sit Abel vel Cain.* Et Gen. V. *dicitur Noe, cum quingentorum esset annorum, genuisse Sem, Cham & Japhet; ubi notatur præcisè annus quo natus est Sem, quia per illum deducitur Chronologia: & in reliquis idem observare licet. Cum ergo solus Abraham ex filiis Thara sit is, cujus explicatur genealogia, & per quem texitur Chronologia: necesse est dicere, illo anno ipsum natum esse, alios autem antea.*

a Genebrard Chronograp. in fin. ætat. 1.

Atqui ut concessum Bellarminus hîc sumit, quod à nobis pernegatur: per annos ætatis vel Abrahami, vel Semi, annorum totius Mundi seriem scripturam texere voluisse. Ut enim in omnibus illis locis in quibus unius cujusque Patriarchæ ortus singulatim & distinctè est memoratus, fieri hoc libenter concedimus: ita ubi tres simul mixtim & confusè nominantur, aliter longè rem se habere, dicimus; & abrumpi ibi per annos alicujus illorum Patrum, ætatis Mundi continuationem, atque à nova epocha deinceps eam deduci asserimus, à Diluvio videlicet, ubi Sem, Cham, & Japhet: (Genes. V. 32. *cum* XI. 10.) ab initio verò peregrinationis Hebræorum, sive Abrahami ex Charane in Chananæam profectione cum obitu Tharæ patris conjunctâ, ubi Abram, Nachor, & Haran simul enumerati reperiuntur. (Genes. XI. 26. *cum* XVI. 3.) Ex collatione verò prioris illius ternarii, ex Geneseos V. à Bellarmino hîc producti; nova hæc ipsius expositio commentitia esse deprehenditur. Ut enim in Genes. IX. ut ratum quid & maximè observandum nobis proponitur, quod ante annum quingentesimum Noë liberos gignere non cœpisset; cum cæteri omnes in eodem capitulo, inter annum 65. & 187. genuisse memorentur: ita & in XI. cum reliqui omnes post diluvium nati, inter annum 29. & 35. genuisse legantur; quod Thare ante septuagesimum vitæ suæ annum liberis operam dare non cœpisset, ut res notatu non indigna, similiter nobis exhiberetur, par & eadem requirebat ratio. Et quum eodem utergue locus explicandus sit modo, in priore exponendo deceptum Bellarminum esse apparet, ibi *notari præcisè annum, quo natus est Sem*, existimantem. Quum enim 502. esset annorum Noë, susceptum ab eo fuisse Semum, in fine capitis IV. supra à nobis est ostensum: ideoque verum non esse, cum quum 500. præcisè esset annorum, jam habere cœpisse tres natos, Sem, Cham, Japhet. de quo etiam iterum Nicolaum Lyranum audire liceat, in Genes. V. 32. ita scribentem. *Dicunt Hebræi quod Sem non fuit primogenitus Noë. quod probant, quia hîc dicitur quod quingentesimo anno vitæ suæ cœpit generare: & sic primogenitus ejus erat centum annorum tempore diluvii; quia tunc fuit Noë sexcentorum annorum? Sem verò non habuit centum annos usque post Diluvium per duos annos; ut dicitur infra*, XI. capite.

At si anno 70. Tharæ natum Abrahamum fuisse non admitteremus; incertum futurum summi Patriarchæ annum natalitium, objectant alii. *Quinquies* verò *exprimit Moses diversos annos ætatis Abrahæ; scilicet* 75. 86. 99. 100. & 175. *Cur igitur annum, quo natus est, reticeret? imo quorsum attinebat, majores istos ætatis Abrahæ annos nominatim exprimere; si primus Abrahæ, unde pendebat reliquorum numeratio, ignoraretur?* (inquit Abrahamus Bucholcerus.) Verum nos primum annum Abrahami ignorari nullo modo concedimus. Subducto enim ab integræ vitæ Tharæ annis 205. numero annorum 75. quos Abrahamum egisse Scriptura confirmat quum cœptæ in Chananæam profectionis, impedimento per mortem patris penitùs sublato, Charane est egressus: inter nativitatem Tharæ & filii ejus Abrahami 130. annorum spatium intercessisse intelligitur. Neque officiunt quæ contra hoc à Bucholcero postea objecta esse videmus. I. *Abraham ipsum miraculi loco duxisse, si ex se centenario, & Sara nonagenaria nascatur filius Isaac.* (Gen. XVII. 17.) *II. Ne quidem annum* 130. *Thara certe assignari posse nativitati Abrahæ: obstare eo, quod migrare permisset Abraham annis aliquot à morte Thara decursis.* Sed ad posterius hoc, in capitis hujus initio, contra Peererium; ad priùs

illud,

illud, in V. capitulo, contra Morinum, jam reſpondimus. Ut concludere tandem liceat: Abrahamum ſtatim poſt mortem patris, ex Charane in Chananæam primum eſſe profectum: à quâ profectione, & peregrinatio Hebræorum in terrâ non ſuâ, & cum eâ Mundi Ætas tertia (de qua deinceps acturi ſumus) ſuum capit exordium.

CAP. VIII.

Peregrinationis Hebræorum annos 430. *(qui tertiæ Ætatis Mundi ſpatium conſtituunt) à primâ Abrahami ex Charane in Chananæam profectione, non à Jacobi & filiorum in terram Ægypti deſcenſu, arceſcendos eſſe oſtenditur.*

Dionyſius Petavius, ſuo more, ſacri calculi certitudinem infirmaturus, de præciſo tempore, & initii, & exitus tertiæ hujus periodi, ſive Ætatis Mundi, quæſtionem moveri poſſe exiſtimat. *Nam ſi quis*, (a inquit) *pervicacius obſiſtere voluerit, urgeri poteſt, non conſtare, utrum anni illi* CCCCXXX. *poſt quos legem datam eſſe Paulus teſtatur*, (Galat. III. 17.) *præciſè ſic accipiendi ſint; ut annus Abrahami* LXXVI. *ſit illorum primus, an* LXXVII. *ita ut exeunte* LXXVI. *promiſſa ſit Abrahamo ſobole. Tum utrum ſubinde* CCCCXXX. *annis expletis, & in ipſo* CCCCXXXI. *lex in monte lata ſit, an poſt unum alterumve annum ab illis expletis: an labente* CCCCXXX. *Pro hac enim varietate patendi, unc, aut duobus, aut tribus, aut eo amplius minúſve, ſi Moſen rotundum numerum expreſſiſſe quis dicat, minuenda vel augenda erit annorum ſumma.*

a Petav Doct. Temp. l. 9. cap 14.

Atqui de utroque horum Moſes nos certos reddidit. De initio quidem: Abrahamum docens, accepta promiſſione de ſemine, in quo benedicendæ eſſent omnes tribus terræ, (ad quam reſpexit B. Paulus Gal. III. 14. 16. 17.) ex Charane egreſſum fuiſſe, quum LXXV. eſſet annorum, & in terram Chananæam pervenille (Geneſ. XII. 1. 5.) poſteaque ingreſſum eum eſſe ad Hagaram ancillam, exacto *decennio*, ex quo in terra Chananæâ ille habitaverat; quæ filium Iſmaëlem ipſi pepererit, quum eſſet ille annorum LXXXVI. (Geneſ. XVI. 3, 16.) Ex quibus inter ſe collatis, luce clarius eſt, ab ineunte anno Abrahami LXXVI. & ipſius peregrinationis, & promiſſionis benedicti ſeminis epocham, à nobis, (cum Euſebio,) eſſe deducendam. De exitu, non minus claram explicationem, per verba illa Exodi XII. 41. idem nobis exhibet. *Et factum eſt poſt* FINEM *quadringentorum triginta annorum, ut eodem ipſo die egrederentur omnes exercitus Domini de terrâ Ægypti.* Et quum menſe ab inde tertio Legem in monte Sinai datam fuiſſe, ex Exod. XII. 1. 16. conſtet: legislationem illam ad annum CCCCXXXI. labentem eſſe referendam in dubio non relinquitur; adeoque totius tertiæ hujus Periodi ſpatium CCCCXXX. præciſe annorum eſſe ſtatuendum.

Sed huc imprimis locus ille primarius, Exod. XII. 40. paulò diligentius à nobis eſt expendendus.

ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים *peregri-natio autem filiorum Iſraël, qui commorati ſunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Ad quorum verborum rectam intelligentiam notandum eſt.

Primo vocem Hebræam מושב, uti Chaldaicam hic ei reſpondentem מותב, ut generatim quamvis habitationem, ita ad externos & advenas relatam, peregrinationem non migrationem è patria denotare: quemadmodum ex ejuſdem originis in utraque lingua vocabulis apparet. Ita apud Hebræos paſſim, תושב non incolam modo, ſed etiam inquilinum & peregrinum deſignat. Unde Abraham, Geneſ. XXIII. 4. ſe in terra Chananæa גר-ותושב fuiſſe dicit: quod in Græca interpretatione παροικος καὶ παρεπιδημος, in vulgata Latina, *advena & peregrinus*, eſt redditum. Similiter apud Chaldæos; Geneſ. XXI. 34. pro ויגר *& peregrinatus eſt*, *in Chaldæa* מתותב habetur: & cap. XXVIII. 4. את-ארץ מגוריך *terram peregrinationis tuæ*, Chaldæus Paraphraſtes ית ארעא דתתבותך reddidit. In Græca denique interpretatione, hoc ipſo de quo jam agimus loco, ubi Romanus codex legit, Η' παροικησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὧν παῴκησαν, *Habitatio autem filiorum Iſrael quæ habitaverunt*; alii cum vetuſtiſſimo noſtro Alexandrino habent, Η' δὲ παρεπιδημια τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὧν παῴκησαν, *Peregrinatio autem filiorum Iſrael quæ peregrinati ſunt.*

Secundo, Chananæam *terram peregrinationis*, ut Abraham, Iſaaci & Jacobi; (Exod. VI. 4. *cum* Gen. XXVIII. 4. XXXVI. 7. XXXVII. 1.) ita & Iſraelitarum ab eis deſcendentium fuiſſe habitam; propter arctiſſimum videlicet illud quod inter majores & poſteros neceſſitudinis intercedit vinculum. Et tribus certè illis Patriarchis terram hanc peregrinationis ipſorum hæreditario poſſidendam eis ſe daturum Deus promiſerat: (Pſal. CV. 11.) quod in poſteris tamen eorum completum tantum fuiſſe novimus. Ut poſteriorum *poſſeſſio* patribus; ita & patrum *peregrinatio* hic tribuitur poſteris, eadem planè ratione, qua horum ipſorum poſterorum poſteri tranſitum maris rubri & Jordanis ſibi cum patribus communem faciunt, in Pſalmo LXVI. 6. *convertit mare in aridam; per flumen tranſiverunt pede: illic lætati ſumus in eo.* Ita, quum in Bethele cum Jacobo locutus eſt Angelus, in eo etiam cum poſteris ejus locutus fuiſſe dicitur. Hoſe XII. 4. *Bethel invenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum*, & à patribus ad filios illa traducta eſt criminatio; Amos V. 25. Act. VII. 42. *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſraël?* In ſolemni illa denique Confeſſionis formâ, quam Deus primitias ſibi in feſto Pentecoſtes offerentibus præſcripſit, poſteris ea omnia videmus attributa, quæ patribus ipſorum in Ægyptiacâ hâc peregrinatione contigerunt. *Syrus periens erat pater meus, qui deſcendit in Ægyptum hominibus paucis, ut peregrinaretur illic; evaſit autem illic in gentem magnam, robuſtam, & amplam. Quumque malo nos afficerent Ægyptii, & affligerent nos, imponerent nobis ſervitutem duram; inclamavimus Domino Deum majorum noſtrorum: exaudiénſque Dominus vocem noſtram, reſpexit afflictionem noſtram, moleſtiamque noſtram, & oppreſſionem noſtram. Nam educens Dominus nos ex Ægypto manu forti, & Brachio extento & terrore magno,*

signis etiam & prodigiis ; introduxit nos in locum hunc , deditque nobis terram hanc, affluentem lacte & melle. (Deuteron. XXVI. 5, 9.) Quibus addantur & illa ad filios Iſraëlis Dei verba. Judic. X. 11. 12. *An non ex Ægyptiis , & ex Amorais , & ex Ammonitis , & ex Philiſtais , Sidoniis quoque & Amalakitis , & Moabitis opprimentibus vos ; quum clamaretis ad me , tum ſervavi vos è manu eorum ?* & Samuelis , in I. Sam. XII. 11. *Miſit Dominus Jerubbaalem , & Bedanem , & Jephthan , & Samuelem ; eripuitque vos è manu hoſtium veſtrorum circumquaque , ita ut habitaretis ſecurè.* ubi manifeſtè & ipſi , & patres eorum ſimul comprehenduntur , ut in præſente loco, Exod. XII. 40. In quo ſi *filiorum Iſraëlis* nominatione , patres hîc excluderentur : nec ipſe quidem Iſraël in horum peregrinantium numero fuiſſet comprehenſus ; quem tamen hujus in Ægyptum profectionis principem fuiſſe nemo dubitat.

Tertio , cùm Hebræi caſibus careant pronomen ושב ambiguæ hîc eſſe relationis. Unde & in ipſa editione vulgata Latina , Biblia polyglotta Antwerpiana Regia , & Jayana Pariſienſia hîc legunt , *Habitatio autem filiorum Iſraël* , QUI *manſerunt in Ægypto , fuit* 430. *annorum :* ubi alia ejuſdem editionis exemplaria habent ; *Habitatio filiorum Iſraël*, QUA *manſerunt in Ægypto.* Quæ poſterior relativi pronominis acceptio χρονοχαρίαν determinans, manſioni Iſraëlitarum in Ægypto , ipſorum 430. annorum moram aſſignat ; quæ totâ parte dimidiâ brevior fuiſſe oſtendetur. Quod incommodum prior illa explicatio (quam ut aptiorem textus originalis interpretationem , non ut veriorem vulgatæ editionis Latinæ lectionem proponimus) ſecum non adfert ; χρονοτοπίαν tantùm nobis exhibens ſive deſcriptionem eorum quorum univerſa παροικησις , ſive peregrinatio , ab anno 76. patris Abrahami cœpta , inde ad egreſſum ex Ægypto uſque , 430. annorum ſpatio eſt continuata.

Eam autem Iſraëlitarum deſcriptionem ab Ægypti tantùm incolatu petendam , Moſes cenſuit : quòd illa patrum in Chananæa peregrinatio & paucorum hominum extiterit , & interrupta fuerit aliquoties , & minùs in oculos hominum incurrerit ; *cùm eſſent ipſi numero modici , pauciſſimi & inquilini in ea , & pertranſirent de gente in gentem , & de regno ad populum alterum* ; (Pſ. CV. 12, 13.) hæc verò filiorum , in Ægypto ingentem hominum multitudinem complexa , ſtabilis fuerit & apud omnes gentes celebratiſſima. Nam habitatio Hebræorum in Ægypto , tribus rebus fuit valde inſignita & nobilitata : ut à [a] Pererio hîc eſt annotatum. Primùm enim Joſeph eo tempore ſummo cum imperio univerſam Ægyptum per octoginta annos gubernavit , & eo tempore magna in proſperitate fuerunt Hebræi. Deinde , poſt mortem Joſephi , perinſignis & admiranda fuit multiplicatio Hebræorum , licèt laborioſiſſimâ ſervitute afflictarentur ab Ægyptiis. Denique , liberationem eorum , atque exitum ex Ægypto , tot & tanta tunc facta prodigia , valde memorabilem & admirabilem reddiderunt.

Thomas Stapletonus in Antidotis ſuis Apoſtolicis , ad Act. VII. 6. quiritatur , *omnes horum temporum hæreticos , Rabbinorum potiùs calculo, quàm aperta Scripturæ ſubſcribere , circa annorum numerum quibus filii Iſraël in Ægypto verſabantur* ; quos per totos 430. annos ibi verſatos fuiſſe , ille aſſerit.

In cujus ſententiæ rejectione , cum *omnibus horum temporum* (quos illi appellare libuit) *Hæreticis* , omnes propemodum omnium temporum ſcriptores *Catholicos* conſentire conveniſſet : ſi vel veritatis inquiſitioni ipſe ſtuduiſſet, vel Lyranum ſaltem ſuum , in præſentem Exodi locum hîc ſcribentem , conſuluiſſet. *Manifeſtum eſt , non manſiſſe in Ægypto Hebræos quadringentis triginta annis. Sed iſte numerus annorum incepit , ſecundum Doctores* CATHOLICOS, *ab eo tempore , quo Abram ex Meſopotamia primùm venit in terram Chanaan ; in qua ipſe & filii ejus habitaverunt tanquam peregrini uſque ad deſcenſum in Ægyptum.* Sed Stapletonus Genebrardum magiſtrum hîc ſequi maluit : quem abſque ullo vel magiſtro vel ſuffragatore , opinionem initio evulgare fuiſſe auſum , ipſummet hiſce verbis profitentem potuiſſet animadvertere. [b] *Cùm iſta in primis editionibus annotabam , careham quidem Latino , aut Græco ſuffragatore : at poſtea reperi Auguſtinum Eugubinum in cap. 12. Exodi, in ea verſari ſententia.* Quam tamen tum aliorum veterum , (ex Auguſtini quæſtione 47. in Exodum ; tum antiquiſſimi Theophili Antiocheni , in libro tertio ad Autolycum , & Clementis etiam Alexandrini (ut videtur) in libro 1. Stromatum fuiſſe ſententiam comperimus.

Verum ab Abrahami in Chananæam & non à Jacobi in Ægyptum migratione, 430. annorum exordium eſſe capiendum oſtendunt argumenta: quorum

Primum , (non ab Hebræis ſolùm , in Seder Olam Rabba cap. 3. & in commentariis ad Geneſ. XV. & Exod. XII. ſed etiam à noſtris , Auguſtino quæſt. 47. in Exod. Sedulio in Galat. III. Beda in libro de 6. ætatibus Mundi , & aliis productum) eſt hujuſmodi. Kohath ſive Caath , filius Levi , cum avo ſuo Jacobo deſcendit in Ægyptum. (Geneſ. XLVI. 11.) Hujus vitæ anni fuerunt , 133. filii verò ejus Amrami, anni 137. (Exod. VI. 18. 20.) Filius Amrami Moſes 80. fuit annorum , quum liberandi eſſent Iſraëlitæ à ſervitute Ægyptiacâ. (Exod. VII. 7.) Hi omnes anni ſimul juncti , 350. tantùm ſummam conficiunt , ex qua detrahendi etiam anni ſunt , tum quos Caath poſt natum Amramum, tum quos Amramus egit poſt natum Moſem ; ſimul cum iis etiam quos ante deſcenſum in Ægyptum exegit ipſe Caath : ne iidem anni bis numerentur. Ex quibus manifeſtè colligitur , commorationem Iſraëlitarum in Ægypto annorum 430. eſſe non potuiſſe. Duo quidem contra opponit Genebrardus : ſed quæ Thaddæo [c] Duno ſectatori ſuo adeò non ſatisfecerunt , ut agnoverit reſtare hîc *difficultatem longè maximam & fortè inſuperabilem.* Oppoſitiones tamen illas , quales ſunt , non tacebimus ; ſed Benedicti Pererii reſponſionibus comitatas , hîc ſubjiciemus.

Ait primò , cùm dicitur , annos vitæ Amram fuiſſe , 137. non eſſe intelligendum hoc de omnibus annis totius vitæ ejus ; ſed de annis vitæ, quam agebat [d] cùm amiſit patrem , aut cùm genuit filios. „ At quis non videt , (inquit Pere„ rius) iſtud interpretamentum violentum eſſe & „ contrarium conſuetudini loquendi Scripturæ ?

Cùm

[a] Perer. in Exod. c. 12. diſp. 2. num. 106.

[b] Genebrard. Chronogr. lib. 1.

[c] Duo. de peregrinat. filior. Iſraël in Ægypto , quæſt. 30.

[d] Perer. in Exod. c. 12. diſp. 13. num. 102.

„ Cum enim ea recenſet annos vitæ alicujus ſimpliciter & præcisè, ut facit in commemorando „ annos vitæ Caath & Amram, haud dubiè loquitur de totius vitæ annis: cujus rei tot ſunt „ exempla in ſacris libris, & ita paſſim obvia, „ ut legenti ea perſpicuum & indubitatum futurum ſit quod dixi. Sic Pererius. Duo verò [a] Torniellus hìc opponit: primo, non eſſe ſufficientem ejus reſponſionem.

[a] Torniell. ann. Mundi 2329. num. 12.

Ait ſecundo Genebrardus, inter Caath & Amram, & inter Amram & Moſem, intervenìſſe alias perſonas prætermiſſas in libro Exodi: ſicut Matthæus, in deſcribendo genealogiam Salvatoris, dicens quod Joram genuit Oziam, intermiſit tres reges intermedios, Ochoziam, & Joas, & Amaſiam. Sed id profectò gratis ab eo eſſe dictum, rectè reſpondet Pererius. „ Nulla enim (inquit) ratione oſtendi „ poteſt, fuiſſe intermedios aliquos homines „ inter Caath & Amram, vel inter Amram & „ Moſem. Ubicumque enim Scriptura iſtam „ progeniem Levi recenſet, ſemper facit ipſum Amram proximè ſuccedere ipſi Caath, „ & Moſem & Aaron ipſi Amram. Tres autem illos reges prætermiſſos fuiſſe à Matthæo, „ propterea verè dicitur, quia liquido id „ conſtat ex libris Regum, & ex libris Paralypomenon; in quibus libris regum illorum ſcripta eſt hiſtoria. Ita Pererius. Et verò (ut de Joſepho, in libro 2. Antiq. cap. 5. Moſem ab Abrahamo *ſeptimum* numerante nihil dicamus) ipſum Moſem, aut quis avus ſuus fuiſſet ignorare potuiſſe, aut ſi ſciret in Genealogia ſua præterire nomen ejus voluiſſe, quis animum ut credat poterit inducere? Quos ſcopulos Abrahamus Friſius, Jacobus Arzolæus, & Nicolaus Abramus ut devitarent, Cahathum in Ægypto fuiſſe natum, dicere maluerunt; in eorum decedendo ſententiam qui contra expreſſa Moſis verba contendunt, *non omnes qui Geneſ.* XLVI. *recenſentur, tum natos fuiſſe, cum Jacob in Ægyptum deſcenderet*; de qua in cap. X pluribus à nobis erit agendum.

Secundum argumentum à generatione Jochebedæ matris Moſis deducitur, quæ ipſius Patriarchæ Levi fuit filia. Unde in Exod. VI. 2. Amram uxorem accepiſſe dicitur Jochebedam דדתו *amitam ſuam*: R. Salomo Jarchi, Abulenſis, Cajetanus, Pagninus, Steuchius, Liponmanus, Driedo, Oleaſter, rectè ſunt interpretati. Licet enim editio vulgata Latina *patruelem*, & Græca ἀνεψιὰν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, *filiam fratris ſui*, hìc reddat: priorem tamen explicationem præferendam eſſe, ipſius Moſis verba illa oſtendunt, Num. XXVI. 59. *Nomen uxoris Amrami Jochebed filia Levi, quam ipſam Levi in Ægypto peperit* mater illius: hoc enim ſubaudiendum fœmininum illud verbum indicat, אשר ילדה אתה ללוי ſimulque evincit, fruſtra vim loci hujus eludere [b] Salianum & Bonfrerium fuiſſe conatos, dicendo eodem modo Jochebedam dictam fuiſſe filiam Levi, quo [c] Ephraim & Manaſſes dicuntur filii Jacob, Chriſtus Dominus filius David, omnes Levitæ filii Levi, & Elizabeth (Luc. I. 17.) una de filiabus Aaron. Porrò ex annis 137. quos vixit Levi, (Exod. VI. 16.) juxta noſtras rationes in Ægypto acti ſunt 87. juxta aliorum 93. circiter. Anni 93. junctis annis 80. quos tempore Exodi agebat Moſes, (Exod. VII. 7.) efficiunt 173. qui à 430. ſubductis 257. relinquunt: quot ſaltem annorum, admiſſa Genebrardi ſententia, Jochebedam eſſe oporteret, quo tempore Moſem peperit; etiamſi ipſo 137. Levi patris anno genitum fuiſſe poneremus; quum, juxta noſtram Chronologiam, Jochebedam annos centum natus gignere potuiſſet Levi, (ætate minor quam Jacobus pater, quum ſuſcepit Benjaminem;) Jochebeda 85. annorum, quum Moſem peperit.

[b] Salian. an. Mund 2452. num 3.
[c] Bonfrer. in Exod. 6. 20.

Tertium argumentum ſuppeditat ætatis Heſronis conſideratio, quem infantem cum Jacobo in Ægyptum fuiſſe deductum in capite X. oſtendemus: ille ſexagenarius duxit filiam Machiris filii Manaſſis, quæ Segubum illi peperit. (1. Chr. II. 21.) cujus filium Jairem, anno 40 poſt exodum, villas Bashanis, & regionem occupaviſſe ex Moſe conſtat (Num XXXII. 41. Deuter. III. 14.) Unde conſequitur, ex noſtra etiam hypotheſi, quæ moram Iſraëlitarum in Ægypto conſtituit, plures quam 404. eſſent illi adſcribendi.

Quartum argumentum ex genealogia ſeditioſorum, Coræ, Dathanis & Abirami eſt deſumptum: quorum avos cum Jacobo in Ægyptum deſcendiſſe, ex Geneſ. XLVI. 9. 11. liquet. Ut enim Cahath Levi filius de Amrano Moſem; ita & ex Izhare nepotem habuit contradictorem illius Coram; ſimilique modo, Rubenis filius Pallu ex Eliabo nepotes ſuſcepit Coræ ſatellites, Dathanem & Abiramum (Numer. XVI. 1. & XXVI. 8. 9.) Quæ unius tantum progeniei, inter deſcendentes in Ægyptum, & à terrâ in deſerto abſorptos, interpoſitio, manifeſtum facit moræ in Ægypto annos 430. tribui omninò non poſſe.

Quintum argumentum, à paraphraſtica verborum Moſis explicatione eſt petitum, quæ in Græcis Bibliis, Exod. XII. 40. Ita ſeſe habet. Ἡ δὲ παροικησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἃ παῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. *Peregrinatio filiorum Iſrael, quæ peregrinati ſunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan, ipſi & patres eorum, anno* CCCCXXX. ubi illud, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, *ipſi & patres eorum*, in Romano τῶν LXX. codice, (librarii vitio,) deſideratur: quod tamen in Alexandrino noſtro (non minoris antiquitatis exemplare) ut & in editione Complutenſi & Aldina, atque aliis omnibus (ex Romana non expreſſis) eodem hìc modo legitur, quo ab Euſebio in Chronico, Q. Into Julio Hilarione in libello de Mundi duratione, Auguſtino quæſt. 47. in Exodum, Sedulio in Galat. 3. & veterum aliis habetur etiam citatum. Sed & ipſis Apoſtolorum temporibus Doſitheus, alia Pentateuchi loca quamplurima, ſic & præſens hoc ex Græcâ editione ſimiliter interpolatum Samaritis ſuis tradidit, ומושב בני ישראל ואבות אשר ישבו בארץ כנען ובארץ מצרים שלשים ושנה וארבע מאות שנה *Peregrinatio autem filiorum iſrael & patrum eorum, qua commorati ſunt in terra Chanaan & in terra Ægypti, fuit quadringentorum & triginta annorum.*

Ex his liquet, quantum [d] Nicolaus Abramus operam hìc luſerit, dum ex illa unius Romani codicis ab aliis diſcrepantia *conjecturam propemodum certam duci poſſe* exiſtimat, non modo, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, (quod ſortìm, properantis librarii vitio, à Romano exemplari aberat) ſed etiam, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν,

[d] Ibid. cap. 7.

aliud esse nihil quàm glossema, quod initio marginis adscriptum, lapsu temporis in contextum irrepserit; aut certè plagulam quandam ex translationibus assutam: quod posterius, non minùs inani operâ, ex Hieronymi in librum Paralypomenon præfatione adstruere ille nititur: in qua, *Origenes* dicitur *in editione LXX. Interpretum Theodotionis editionem miscuisse, asteriscis videlicet designans quæ minus fuerant, virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita*; indeque, *in Ecclesiis legi quod* LXX. *nescierunt*: quum ea, quæ ex Theodotione sub asteriscis ab Origene fuerunt addita, in Hebræo textu reperta fuisse constet: ideóque ad illa, ἐξ ὧν γέγραπται, αὐτοὶ δὲ οἱ πατέρες αὐτῶν, ut in LXX. non in Hebræo extantia, obelum sive virgulam ab eo fuisse appositam, dubitare non liceat. Neque quicquam nos lædit, quod ab eodem Abramo adjicitur; *illos ipsos, qui* LXX. *seniorum authoritatem plenis buccis hic opponunt: antequàm ad duodecimum Exodi caput pervenirent, jam vicies à Græcorum interpretum authoritate discessisse.* Non enim, si Græci interpretes, (quicunque illi fuerint,) quum textui originali apertè contradicunt, deserendi sunt; idcirco in Exodi XII. audiendi non sunt, ubi eandem ferè Mosis sententiam paraphrasi suâ exhibent, quam cæteri Hebræi (qui eorum interpretationem à textu originali diffidentem nihili faciunt) sunt amplexi.

Sextum argumentum ab insigni illo testimonio beati Pauli, Galat. III. 17. etiam desumptum. Τοῦτο δὲ λέγω, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς χριστὸν, ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γέγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν. *Hoc autem dico Pactionem à Deo priùs sanctam.* respicientem in *Christum*, *quæ post quadringentos & triginta annos extitit, irritam non facit, ut evanidam reddat illam promissionem.* ubi à promissione facta Abrahamo, de *benedicendis* in ipso omnibus tribubus terræ, (Gen. XII. 3. *cum* Galat. III. 8, 14.) usque ad legem, datam post egressionem Israelitarum ex Ægypto mense tertio, (Exod. XIX. 1. 16.) annos 430. Apostolus dinumerat. Unde ad anni Abrahami LXXVI. exordium, annotat Eusebius in Chronico. *Primus annus repromissionis Dei ad Abraham: à quo, usque ad Moysen, & egressum gentis Hebræorum ex Ægypto, supputantur anni* CCCCXXX. *quorum meminit Paulus.* Et cum eo Augustinus lib. 19. de Civitate Dei cap. 24. *Computantur ab anno septuagesimo & quinto Abrahæ quando ad eum facta est prima promissio, usque ad exitum Israel ex Ægypto*, 430. *anni*; *quorum Apostolus meminit, & quæst.* 47. in Exod. *Ex illa vocatione qua vocatus est Abraham & credidit Deo, post* 430. *an. factam legem dicit Apostolus; non ex eo tempore, quo Jacob intravit in Ægyptum.*

Arqui, si Genebrard. hîc audire volumus, nos in Pauli verbis illud (post) *non refertur ad promissionem Abrahæ, sed ad legem quæ data est post* 430. *annos quàm Hebræi venerant in Ægyptum, quasi dicat Paulus: Lex quæ post* 430. *annos facta legitur, Exodi capite* 12. *Testamentum Dei, priùs Abrahæ factum, non potest irritum facere.* Cui bene respondet, [a] Pererius, robur argumentationis Paulinæ pendere à tempore promissionis Abrahæ, non autem à tempore habitationis Hebræorum in Ægypto, cujus nempe nec ullam ibi significationem facit Paulus; nec ea juvat consilium & propositum Pauli. Sic enim illum argumentari. *Deus Abrahæ promisit fore, ut in semine ejus, hoc est, in Christo benedicerentur omnes gentes; quæ promissio facta est* 430. *annis priusquàm daretur lex: nec lex tanto post data infirmare atque irritam facere potuit promissionem illam Dei. Ergo benedictio, & salus omnium gentium, non à lege, sed à Christo speranda & petenda est.* Vide & Torniellum, ad an. Mundi 2329. num. 15.

[a] Perer. in Gen. lib. 12. cap. 14.

At nihil prohibere hîc objectat. [b] Nicolaus Abramus, *ut Paulum dicamus argumentari ad hominem, ut loquuntur, & scribentem ad Galatas, non ex sua, sed ex eorum sententia, & ex* LXX. *Seniorum codicibus, prout usu publico viritim terebantur, hunc annorum numerum protulisse.* Sed si reverâ credidit Nicol. glossema illud, de quo dixerat, Apostolorum tempore in editione LXX. Seniorum fuisse receptum: qua rationis specie suspicari potuit, ex Theodotionis interpretatione illud ab Origene ipsorum editioni fuisse assutum, quum eorum utrumque post Apostolorum tempora vixisse nemo nesciat. Et si Paulus credidisset cum Nicolao, inter Promissionem & legem, 645. annorum spatium intercessisse; nulla secundùm hominem argumentandi ratio requirebat, ut minorem ille numerum exprimeret: quum vi argumenti ipsius nihil decederet, *si multis annis* ante legem promulgatam, Abrahamo promissionem fuisse factam, indefinitè pronunciasset.

[b] Abram. ubi supr. cap. 15.

Itaque huic refugio non satis confisus Jesuita, ad alterum hoc recurrendum sibi putavit [c] Non *aut Apostolus annis* 430. *post promissiones dictas Abrahamo, latam esse legem, sed post testamentum confirmatum à Deo. Confirmata porro dicitur non cùm primis veluti lineis informatur, promittitur, aut etiam privè conditur; sed cùm informatum & conditum antea fuerat, iteratâ testatoris voluntate renovatur.* Posteriorem verò testamenti confirmationem, quæ, priusquàm Deus Mosi loqueretur, narratur facta Patriarchis, eam promissionem fuisse affirmat, quæ Jacobo in Ægyptum profecturo, Genes. XLVI. 4. hisce verbis facta fuisse legitur. *Ego descendam tecum, & inde adducam te huc revertentem.* Quum, simul cum illa quæ immediatè præcesserat, *In gentem magnam ponam te.* Ibi Regnerus Barelius, vel quicunque fuit author Problematum Harmoniæ Chronologicæ in Genesim, Dissertatione 4. num. 21. & 25. affirmat esse *omnium Promissionum tribus Patriarchis factarum complementum: & quicquid priores omnes sigillatim, id hanc simul uno complexu conjunctim comprehendisse.* Cui aliud nihil opponere hîc fuerit opus, quàm quod ab ipso Nicolao Abramo postea habetur objectum. [d] Loquitur enim Apostolus (ut ille bene observat) non de qualibet promissione, sed de promissione quæ in omnes gentes redundavit: *ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu; ut pollicitationem Spiritus acciperemus per fidem.* (Galat. III. 14.) quum in pollicitationibus Jacobo in Ægyptum cum tota familia migranti factis, ne verbum quidem appareat, quod secundùm litteram videri possit ad

[c] Ibid. c. 16.

[d] Ibid. c. 16.

vocationem

vocationem & benedictionem omnium gentium pertinere.

Rectè igitur omninò statuit Dionysius Petavius; [a] *Paulum manifestè de primâ illâ ἐπαγγελίᾳ loqui, quæ anno Abraami LXXV. facta est: quæ & apud Patres, & Chronologos celeberrima est; uti ex Eusebii Chronico liquet, qui ab eâ sæpius titulum ducit annorum.* Cujus sententiam ita hic oppugnat [b] Nicolaus noster, ut falsâ nixus hypothesi, in ipsum Apostolum cudat hanc fabam. quem, argumenti sui vim, in longinquitate temporis inter confirmatum à Deo testamentorum legémque latam intercepti ponentem, *loqui debuisse ait, non de prima illa promissione, sed de postrema & novissima, conditione sive confirmatione testamenti. Alioquin,* (inquit) *parum solidè & sophisticè procederet, pessimè ratiocinaretur, & ne secundum hominem quidem, id est humano more loqueretur. Testamentum enim ab ea testatoris voluntate vim habet, qua postrema innotuit, unde & suprema voluntas dicitur: & quidem inter homines, ut notat Apostolus, ad Hebr. IX. 16. testamentum in mortuis confirmatum est. alioquin non valet dum vivit qui testatus est.* Quasi verò διαθήκης vocabulum, quod à vulgato Latino interprete *Testamentum* reddi solet, supremam testatoris voluntatem semper denotaret; & non frequentiori usu בְּרִית Hebraico responderet, quod LXX. (quorum loquendi genere uti solent Apostoli) διαθήκην, Aquila verò & Symmachus συνθήκην, id est, *pactum* interpretati sunt. Et in loco quidem ad Hebræos, ubi de Christo, sua morte novum fœdus nobis sanciente, agitur, restrictior illa vocis significatio locum habet: sed Generalior illa altera in præsenti ad Galatas loco, ubi de Dei Patris promissione agitur, in quo primæ & supremæ voluntatis nullum admitti potest discrimen. Per διαθήκην igitur ἐπικεκυρωμένην ὑπὸ Θεοῦ, nihil aliud intellexit Apostolus, quam pactum illud gratuitum quod cum Abrahamo Deus primum iniit, atque inconcusso sanxit, ratumque & authenticum effecit; subsequentibus ejusdem repetitionibus nihil amplioris authoritatis primævæ promissioni adjicientibus.

Sed objicit rursum Nicolaus, Apostolum *apertè testamenti confirmationem ab illa prima promissione discriminare: nam si idem est confirmatum testamentum quod promissio, ridicula erit,* (inquit ille) *inepta, & putidè redundans oratio. Quis enim nisi planè balbutiens ita loqueretur? Lex non irritum facit testamentum confirmatum à Deo, ad irritandum testamentum à Deo confirmatum; vel, Lex non evacuat promissionem, ad evacuandam promissionem.* Et istas sanè Nicolai locutiones, eadem iisdem verbis pluſquam putidè iterantes, planè nugatorias esse facilè concedimus: cum in eo quo utitur Apostolus loquendi modo, posterius membrum prioris explicationem contineat: & simplicem Dei promissionem, pro pactione satis in se Authenticâ habendam esse, nos edoceat.

Loco Exodi, cujus genuinam explicationem hactenùs tutati sumus, affinis est prædictio illa Abrahamo à Deo facta, Genes. XV. 13. Act. VII. 6. *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subjicient eos servitutè & affligent eos quadringentis annis.* Ubi per *terram non suam* Genebrardus [a] Perer. de Mosis. temp. lib. 9. cap. 24.

[b] Abram. ut supr. cap. 16.

Ægyptum intelligit, in qua Abrahami posteros peregrinatos fuisse per annos 430. existimat; rotundâ 400. annorum summâ, (fractis numeris prætermissis,) hìc expressos. Sensit idem & Stapletonus: de quo, in commentariis ad dictum Actorum locum, Johannes Lorinus. *Gravius hallucinatur quàm ceteri Stapletonus, in Antidoris ad hunc locum Actum, volens totos quadringentos annos consumptos esse in Ægyptiacâ habitatione, atque etiam afflictione. Non fuit opus valentibus antidoto, aut si quo modo hac in re malè Hæretici valerent, non laborarent morbo hæresis: cùm citra Fidei periculum hujusmodi res varìè à Catholicis discutiantur.* [c] Alphonsus Cumiranus (ab eodem Lorino ibidem producitus) adhuc ineptiùs, annos quidem 430. à promissione Abrahamo facta accepit, 400. verò ab ingressu Jacobi in Ægyptum; quem tamen 115. annis ipsa morte Abrahami posteriorem fuisse constat. Author Problematum Harmoniæ Chronologicæ, in Dissertatione illa 4. num. 3. Israëlitarum commorationi in terrâ Ægypti annos 430. cum Genebrardo & Stapletono tribuens, 400. durissimæ servitutis & afflictionis eorum annos à morte Levi, (Exod. VI. 16.) inchoat, & ad tempus quo deletis septem Gentibus plenariè terram Chananis hæreditate illi possederunt, extendit.

[c] Cumiran. tom. 1. concibat. 22.

Sed longè major & sanior Chronologorum pars, per *terram non suam* tum Chananæam tum Ægyptum hìc designari asserit: & 400. hosce annos à primis Isaaci annis incipit, in quo benedictum Abrahami *semen* vocari cœptum est. (Genes. XXI. 12. Rom. IX. 7. Hebr. XI. 20.) ita ut intra illud spatium totius etiam peregrinationis, non servitutis tantùm & afflictionis (quæ in extremis illius annis contigit) tempus complectatur. In his enim verbis, ut tum ab aliis, tum à Pererio est observatum, tria [d] continentur, quorum unum est *peregrinatio* seminis Abrahæ in terra non sua, alterum *servitus*, tertium *afflictio*. Tempus itaque illorum 400. annorum non competit in quodlibet illorum trium disjunctè ac separatim, sed in tria illa conjunctè; quòd illa tria eventura essent & complenda intra spatium 400. annorum. Ergo sensus illorum verborum Domini ad Abraham, hic est. Semen tuum, priusquam veniat ad possidendam terram Chanaam, tibi & illi promissam, transiget 400. annos: in quo temporis spatio, & peregrinabitur in terra aliena; & aliquandiu etiam durâ servitute affligetur.

[d] Perer. in Exod. cap. 1. disput. 6. num. 29.

Quod verò hìc Abrami semen peregrinaturum fuisse dicitur בארץ לא להם *in terrâ non sibi*, vel *suâ*, (ut in editione vulgatâ Latinâ rectissimè est expressum) id de *terra non ipsis debita, non promissa, non destinata*, accipi dum vult Nicolaus Abramus: ne *Chananæa* sub ea comprehendi posse putetur, quum simplicissimo ac maximè germano sensu in vulgatâ Græcâ Mosis versione, *in terrâ non propriâ*; ἐν γῇ οὐκ ἰδίᾳ, in novo Testam. Act. VII. 6. ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ *in terrâ alienâ*, illud habeatur expositum. Ubi in primis observandum rectè notavit Eustathius, ἵνα μὴ εἴπῃ ἐν Αἰγύπτῳ ἀλλ' ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ κάρφος ἔχῃ τὸ σπέρμα τοῦ Ἀβραάμ, quòd non dixerit *in Ægypto, sed in terra aliena peregrinum erit semen Abrahæ.* Ἀλλοτρία ἦν ἐκείνη ἐξ

[e] Ut supr. cap. 16.

[f] V. Corderium. in Act. 7. & in Caten. Græc. in Genes. 15.

Χαναάν γῆ, ἐν παροικίᾳ ὡς ἀλλοτρίᾳ τὸν Ἀβραάμ. *Aliena autem suis terra Chanaan, quam incolebat Isaac senem Abraha.*

At Nicolaus contrà hîc objicit: *cùm Deus posteris Abrahami terram Chanaan promisisset, jamque illi, si nondum jus in re, ut loquuntur, saltem jus ad rem suo tempore possidendam haberent; terram Chanaan magis eorum dici potuisse, quàm non eorum*, verbisque illis Dei ad Jacobum, *Genes.* XXXI. 3. *Revertere in terram patrum tuorum*, rem totam confectam putat: conclusione hâc inde deductâ chronologis insultans. *Igitur Dei judicio terra Chanaan Abrahæ & seminis ejus fuit: Chronologorum interpretatione non fuit.* Verùm mentem suam satis explicavit idem ipse Deus quum patribus illis daturum se dixit *terram Chananæi, terram peregrinationum ipsorum, in quâ peregrinabantur.* (Exod. VI. 4.) Quomodo & Isaac filio Jacobo optavit, *ut hereditario jure possideret terram peregrinationum suarum quam Deus dedit Abrahamo.* (Genes. XXVIII. 4.) Similitérque de Jacobo & Esavo legimus, quum utrumque ob armentorum multitudinem *terra peregrinationum ipsorum*, capere non posset, Esavum quidem (sive Edomum) cum totâ suâ familiâ in monte Seir habitavisse, quæ regio deinceps *terra possessionis* Edomæorum fuerit habita; Jacobum verò habitavisse *in terra peregrinationis patris sui, in terra Chanaan.* (Gen. XXXVI. 7, 8, 43. & XXXVII. 1.) quæ in Chananæorum respectu possessionis & κτήσεως, ita & Jacobi (Genes. XXX. 25.) & reliquorum *Hebræorum* terra fuit, (Genes. XL. 15.) respectu incolatus & παροικήσεως. Quamobrem & Apostolus in Hebr. XI. 8. scribens. Πίστει καλούμενος Ἀβραὰμ ὑπήκουσεν ἐξελθεῖν εἰς τόπον ὃν ἤμελλε λαμβάνειν εἰς κληρονομίαν. *Per fidem vocatus Abraham auscultavit, ut exiret ad locum illum quem acceptarus erat in hæreditatem:* cum illo tamen *jure ad rem suo tempore possidendam*, consistere potuisse præsentem *peregrinationem in terra aliena*, statim ostendit; in versu proximè sequente de eodem subjiciens. πίστει παῴκησεν εἰς γῆν τῆς ἐπαγγελίας ὡς ἀλλοτρίαν, ἐν σκηναῖς κατοικήσας μετὰ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ τῶν συγκληρονόμων τῆς ἐπαγγελίας τῆς αὐτῆς. *Per fidem peregrinatus est in terra promissionis ut aliena, in tabernaculis habitans cum Isaac & Jacob cohæredibus ejusdem promissionis.* Ut dubitare nemini jam liceat, Isaac, & ejus posteris in Chananæâ commorantibus, divini illa verba oraculi Abrahamo facti, convenire posse: ὅτι ἔσται τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ. *Quod semen illius peregrinum futurum esset in terra aliena.*

Sed & hoc præterea à Nicolao objicitur. *De illa terra loquitur duntaxat Deus, de qua post servitutem egressi sunt cum magna substantia.* Nos verò ut ex Ægypto, non è Chananæa, ita eos fuisse egressos, facilè concedimus: ita quod pro confesso hîc ab eo sumitur, de illa terra *duntaxat* loqui Deum, unde illi ita sunt egressi, planè pernegamus. Quod in Chananæam deinde illi tendebant, ex illis oraculi verbis probat. *Generatione autem quartâ revertentur* HUC: concludítque, *ut egressum ab ingressu, profectionem à reditu, sic Ægyptum* (*non eorum terram*) *à Chananæa* (*eorum terra*) *distingui.* Arqui status *peregrinationis* seminis Abrahæ hic prædictus, à statu *servitutis & afflictionis* distinguendus primùm fuerat, & prior ad Chananæam æquè ac Ægyptum, posterior ad solam Ægypti terram referendus. Licèt enim in posteriore hoc statu, *egressum ab ingressu, profectionem à reditu, Ægyptum à Chananæâ*, distinguendam esse libenter agnoscamus: nihil tamen id obstat quo minùs in priore, seminis *peregrinationi in terrâ non suâ* Chananæam & Ægyptum conjunctim assignare valeamus.

Ad Achjoris denique Ammonitæ verba, de Hebræis in Ægypto per annos 400. tantopere multiplicatis, quæ ex libri Judithæ capite V. 9. tam multis ab [a] eo urgentur, breviter respondemus: in Græco non haberi, & à Chaldaico editore, ex loco Genes. XV. minùs attentè consideratо, fuisse adjecta; eodem modo quo à Josepho, libro secundo Antiquit. cap. 5. iidem 400. annorum spatio vexati fuisse dicuntur, quos tamen in proximè insequente capitulo 215. tantùm annorum moram ibi fecisse, idem ipse comperit. Vide apud Torniellum plura, ad annum Mundi 2329. num. 17.

[a] Ibid. c. 20.

Et hactenus quidem Nicolaus pro Genebrardo suo strenuè depugnavit: sed tandem illum [b] deserens, ad Thaddæi Doni castra transit, qui 400. annorum initium non à descensu Jacobi, sed à venditione & abductione Josephi in Ægyptum, deducit: quo tempore promissionem illam Genes. XXXV. 11, 12. uterque, Jacobo factam fuisse affirmat; & consummatam fuisse promissionis confirmationem, à Paulo commemoratam existimat. *Ego sum Deus omnipotens: Cresce & multiplicare! Gens & cœtus gentium erit ex te: & reges è lumbis tuis egredientur. Et terram quam dedi Abrahamo & Isaaco, tibi dabo eam: & semini tuo post te dabo terram hanc.* Verùm hanc promissionem ante nativitatem Benjaminis dictam fuisse constat: quam ipsam aliquot annis venditione Josephi fuisse priorem, in capite X. postea videbimus. Et si eo quo illi volunt tempore dicta ei fuisset; ad locum tamen Apostoli nihil omnino facerent, quæ de promissione, non Jacobo, sed *Abrahamo* editâ, locutum fuisse constat. Tichonius Donatista, in Regula quinta, annorum illorum 430. exordium à *regno* (ut ille appellat) sive proregia dignitate Josephi arcessit: cujus annis 80. exactis, servitutem & afflictionem Israëlitarum cœpisse putat, & per 350. annos duravisse; quos Deus (Genes. XV. 13.) synecdochicè 400. dixerit. Sed quia tam hæc quàm Thaddæi Doni opinio, iisdem quibus illa Genebrardi refellitur argumentis; ulteriore utriusque examine Lectorem fatigare noluimus.

[b] Ibid. c. 24. & 3. sequent. Deinde Peregrinat. filior. Isr. in Ægypto, grad. 20.

CAP. IX.

De duplice Abrahami vocatione, ex Ure Chaldæorum & Charane, & temporis spatio inter utramque interposita. A posteriore incipiendos esse annos 430. peregrinationis Hebræorum, quum, 75. fuisset ille annorum; non quum ant 70. aut etiam 76. 85. 99. vel 100.

NON ab Israëlis & totius familiæ suæ descensione in Ægyptum, multóque minùs à Josephi vel venditione vel sublimatione, sed

à patris Abrahami & suorum peregrinatione in terra Chanaanitide, 430. Israëliticæ peregrinationis annos fuisse deducendos, in præcedente capite est ostensum. Cum iis nobis nunc agendum est, qui sub Abrahamo quidem epocham hanc constituendam esse agnoscunt; sed vel ante ejus è Charane in Chanaan profectionem, vel post eam alio quàm nobis constitutum est tempore, figendam eam esse statuerunt.

Priorem sententiam amplexus est quintus Julius Hilarion: in libello de Mundi duratione, ita hac de re scribens. *Abraham annorum* LXX. *de terra sua profectus est in Carram. A peregrinatione Abrahæ usque ad profectionem Israël ex Ægypto ad eremum, anni sunt* CCCCXXX. quos & in ipsa Ægypto annos CCX. egisse, postea adjicit. Eadem est & Hebræorum sententia, in Seder Olam Rabba, cap. 1. & 3. Mechilta Rabbah, *El Pharao*, Schemoth Rabbah, & Tanchuma, Schemoth, Chaldaicâ paraphrasi Jonathanis in Exod. XII. 40. (quemadmodum à R. Azariâ in *Meor enaïm* habetur annotatum:) ut & in Cabbala historica R. Abrahæ, & vulgari Judæorum Computo. Eandemque ex recentioribus secuti simul Cajetanus, Naclantus, Genebrardus, Arias Montanus, Bonfrerius, Bibliander, Beza, Tremellius, Vignerius, Temporarius, Cappellus, Lydiatus, Lansbergius, Pawellus & alii. In ea verò asserenda præcipuam posuerunt operam, Thomas Pius in *Clepsydrâ* suâ Anglicè conscriptâ, & Henricus Harvillæus sub finem sect. 43. tertiæ temporis Periodi; quorum prior, probationes à se productas, & *matutino Solis jubare clariores, & quam ut ab hominum vel auctoritate vel argumentis infringi possint validiores* esse opinatur: posterior, multò modestiùs, *cæteris sententiis probabiliorem* hanc esse concludit.

Ad ista discernenda, primò, cum [a] Chrysostomo, [b] Abulensi, & aliis, notandum est, Abrahami in Scripturâ vocationem haberi geminam: unam Ure Chaldæorum, patre adhuc vivente; (Genes. XV. 7. Josu. XXIV. 2. 3. Nehem. IX. 7. Act. VII. 2. 3. 4.) alteram Charane, post Tharæ patris excessum, factam. (Genes. XII. 1, 4. Act. VII. 4.) Priori vocationi obtemperavisse Abrahamum, illis verbis Act. VII. 4. docet protomartyr Stephanus: *Tunc egressus ille est ex terrâ Chaldæorum.* Posteriori, Genes. XII. 4. Moses. *Egressus est itaque Abram sicut præceperat illi Dominus, & ivit cum eo Lot: & septuaginta quinque annorum erat Abram quum egrederetur Charane.* Conrado enim Pawello neminem hic assentiturum existimo: qui in quarto suo Scopulo, (in quem, cum aliis nautis Tremellium etiam & Junium impegisse scribit; quos cum ipso tamen constat, primam Evangelii promissionem Abrahamo factam, non 75. sed 70. ejus ætatis anno attribuisse.) duo hujus versiculi membra ita à se invicem divellit, ut prius ad primam Abrahami ex Ure Chaldæorum, posterius ad secundam ejusdem ex Charane profectionem referat; quam diversam profectionem à priore esse, particulâ adversativâ *Autem* (quæ in textu tamen originali completivam, *Et*, sibi habet respondentem) designare autumat. In priore vocatione Thara, qui à Chaldæis seductus idolorum cultui sese mancipaverat, (Josu. XXIV. 2.) *intellectâ* (ex filio) Dei voluntate, [c] ab idololatriâ resipiscens, itineris ducem sese præbuit: assumptoque secum filio Abrahamo, Loto, & nuru Sarâ, Ure Chaldæorum cum iis egressus est, ad proficiscendum in terram Chanaanis. (Genes. XI. 31.) nam, *quia ipse erat pater familias, idcò migrationis negotium illi adscribitur, non filio familias:* ut rectè in Elencho Pareano scripsit Scaliger. In posteriore verò, patrefamilias Charane jam mortuo, ipse Abrahamus Saram & Lotum assumpsisse, & cum iis recta in terram Chanaanis abiisse, dicitur. (Gen. XXII. 5.)

Observandum secundò est: in utraque vocatione, indefinitè à Deo iter suscipiendum præcipi: ad terram quam ipse esset ostensurus: (Act. VII. 3. & Genes. XII. 1.) & tamen tum in prioris exsecutione à Thurâ, (Genes. XI. 31.) tum in posterioris ab Abrahamo, (Genes. XII. 5.) in *Chananæam* profectionem memorari institutam: quod varii interpretes variè cum verbis illis Apostoli conciliare nituntur, Hebr. XI. 8. *Per fidem vocatus Abraham auscultavit, ut abiret in locum quem acceperus erat in hæreditatem & exivit, nescions quò esset venturus.* Nam ut præteream quæ hac de re habet Laurentius Codomannus, in Chronologiæ suæ lib. 1. capite 3. [d] Nicolaus Abramus in verbis illis Genes. XI. 31. *Tulit itaque Thara filium suum, & Lot filium Haran filium filii sui, & Sarai nurum suam; & eduxit eos de Ur Chaldæorum,* ut irent in *terram Chanaan: venerunt que usque Charan, & habitaverunt ibi.* Particulam (*ut*) „ non causam & intentionem, sed duntaxat „ eventum rei denotare æstimat, perinde ac„ que si diceret; *Eduxit eos de Ur Chaldæorum,* „ quo factum est *ut in terram Chanaan pervenirent.* In Charane verò Abrahamum, qui jam „ antè (quamvis nesciens quò iret, sed Deo „ simpliciter obtemperans) à Chaldeâ discesserat, iterato divinæ vocis oraculo, monstra„ tâque sibi terrâ Chanaan, in eam profectum „ fuisse dicit, divinis sibi promissionibus destinatam. Ita ille: non observans, in secundâ quoque illâ vocatione indefinitè dixisse Deum, *Veni in terram quam monstrabo tibi;* (Gen. XII. 1.) neque uspiam significavisse Mosem, magis in Charane monstratam Abrahamo fuisse terram *Chanaan*, quàm in Ure Chaldæorum. Ideóque, quum de Abrahamo Charane exeunte dicitur, Genes. XII. 5. (*Tulitque Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Charan: & egressi sunt, ut irent in terram Chanaan*) in hoc quoque loco, particulâ [*ut*] non intentionem, sed rei eventum denotatum dicere potuisset: & eo quidem in hoc, quàm in altero illo rectiùs, quòd in hoc intentioni eventus planè respondent, in illo non item; quum ductor itineris Thara, Charane mortuus, in Chananæam nunquam pervenerit. Itaque multò rectior est illa [e] Tornielli explicatio, ad utramque vocationem se extendens; *bene fieri potuisse, quòd Abram quando exivit, sciret Deum velle ut ipse iret in terram Chanaan; sed nesciret num vellet ipsum ibi requiescere, an etiam ultra ad remotiorem aliquam regionem progredi, ac propterea venisse illum in Charan, non animo ibidem sistendi, sed transeundi versùs terram Chanaan, certò credentem,*

[a] Chrysost. in Gen. homil. 36.
[b] Tostat. in Gen. 11. quæst. 1, 12, &c.

[c] V. Torniel. anno Mundi 2449. num. 2.

[d] Abram. in Phar. veter. Testam. lib. 3. cap. 21.

[e] Torniel. anno Mundi 2449. num. 5.

quòd ibi Dominus monſtraturus eſſet terram, ad quam pergere, & in qua morari deberet: quemadmodum mox revera factum fuit: quum enim Sichemum in terra Chananæa veniſſet, audivit à Domino: Semini tuo dabo terram hanc. Gen. XII. 7.

Tertio deinde loco eſt obſervandum; in poſteriore iſta migratione ſpeciatim Moſem ſignificaſſe, fuiſſe *Abrahamum* LXXV. *annorum* quum proficiſceretur Charane: (Geneſ. XII. 4.) addidiſſe poſtea, traditam fuiſſe Abrahamo Hagaram ancillam, exactis *decem annis ex quo habitabat in terra Chananæis.* Geneſ. XVI. 3.) Quod non ob alium finem ab eo factum credere par eſt, quàm ut à migratione Abrahami in Chananæam, initium 430. annorum peregrinationis Iſraëlitarum, qui habitaverunt in Ægypto, arceſſendam indicaret: quam & Græci ideirco (loci illius Exod. XII. 40.) paraphraſtæ, *ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν*, *in terra Ægypti, & in terra Chanaan*, peractam fuiſſe memorant: quum migrationi ex Ure Chaldæorum nulla temporis nota habeatur appoſita. *De ætate* enim *Abrahæ tempore eſſius vocationis*, (inquit Abulenſis) *nihil ponit ſacra Scriptura, neque ex aliquo loco determinatè colligere poſſumus.*

Conſiderandum quoque *quarto* & illud eſt; quum eo animo Urem Chaldæorum reliquerit Thara, ut in terram Chananæam progrederetur, (Gen. XI. 31.) & Charane ſubſiſtens morte ſublatus fuerit, poſt quam Abrahamus iterùm à Deo monitus rectà inde in Chananæam perrexerit: an non ipſa hujus hiſtoriæ ſeries poſtulet, ut ſtatuamus ſenem 205. ætatis annum jam agentem, morbo detentum in Charane moram feciſſe, indéque vitâ illius ibidem finitâ, filium Abrahamum iter in Chananæam cœptum abſolviſſe; ita ut in unum & eundem annum Abrahami 75. & gemina ipſius vocatio, & inter utramque interjecta mors patris incideret, atque ab ineunte demùm anno illius 76. tempus peregrinationis ipſius in terra Chananæis initium ceperit. Quid enim, præter morbum & corporis infirmitatem, Tharam (quem erga Deum pietas, patrium ſolum & proprios lares relinquere coegerat) ab incepto itinere peragendo detinere poterat? aut quid præter pietatem erga moribundum parentem (qui religionis causâ, peregrinationis hujus & comitem & ducem illi ſe adjunxerat) Abrahamum, cujus tam prompta in divinâ vocatione ſequendâ tantopere laudatur obedientia, impedire poterat, quo minùs rectà in Chananæam pergeret? Nam de *Tharâ*, quòd vel loci amœnitate captus, (ut Aben Ezra,) vel in veterem idololatriam relapſus [ut alii ſentiunt] in Charane ille manſerit, neque filium ſequi voluerit, quis per inaudita ſibi paſſa fingat? Neque omnino ſatisfacit, quod de *Abrahamo* ab Harvillæo hìc obtenditur: *ſi prompta* illius *obedientia non obſtitit, quin* patri *ſuo & aliis parentibus comes eſſet, nec in Chanaan rectà prorſus iret; ita neque obſtare debuiſſe, quin jam extra Chaldæam egreſſus, cum eodem patre moribundo aliquot annis habitaret.* Quaſi eodem hic recideret, patrem habere comitem, vel morbo in itinere implicitum per unam hyemem (quæ ipſa quoque anni tempeſtas grandævo ſeni, etiamſi ſanus fuiſſet, ad iter faciendum per ſe fuiſſet incommoda] non deſerere; & per aliquot annorum ſpatium moram cum eo facere: aut quaſi perinde eſſet, utrum per aliquot menſes, an per integrum quinquennium, Tharam *moriturum* fuiſſe exiſtimaremus.

Sed monet ille hìc *advertendum primò, præceptum Dei fuiſſe magis de exeundo ex Chaldæa, quàm de rectà eundo in aliquam promiſſam terram*; atque ad id probandum, Pauli illum locum producit, Hebr. XI. 8. *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem acceptурus erat in hæreditatem; & exiit neſciens quò iret.* Deinde & illud *advertendum* eſſe ait; *ex Judith. V. 9. haberi præceptum æquè, ut habitaret in Charan, ac ut exiret de Chaldæa.* Reſp. Ad 1. Præceptum Dei non magis fuit de exeundo ex Ure Chaldæorum, quàm de eundo *in terram quam ipſe ei eſſet monſtraturus* [Act. VII. 3.] non illam utique per quam eſſet ille tranſiturus, ſed in quâ ex Dei voluntate eſſet permanſurus, & quam ſuo tempore poſteri ipſius jure hæreditario eſſent poſſeſſuri. Quam *Chananæam* fuiſſe [licèt profectionem eò dirigeret, [Geneſ. XI. 31.] dum eſſet in itinere,] planè neſcivit: quemadmodum in Obſervatione 2. ex Torniello jam eſt dictum. Ad 2. In libro Judithæ recenſentur tantùm verba Achjoris ducis Ammonitarum: qui, quid Abrahamo Deus de habitando in Charan præceperit, non magis cognovit, quàm ipſe Harvillæus, quem hìc potiſſimum verborum Apoſtoli, (Hebr. XI. 8. de Abrahamo, quum *exiret, neſciens quò iret,*) meminiſſe oportebat; eorumque cum Achjoris effatis illis, de migratione ex Chaldæâ in Charanem, atque inde in Chananæam expreſsè à Deo mandatâ, conciliationem aliquam excogitare. In cujus oratione & illud notari poteſt; Dei *præceptum* de habitatione in Charan, in editione tantùm vulgatâ Latinâ haberi, quam ex Chaldæo convertit Hieronymus; (ubi etiam aliqua poteſt eſſe ſuſpicio, ut poſtèà indicabitur, *Charan* pro *Chanaan* eſſe ſuppoſitam) in Græco verò legi, *Καὶ ἐξῆραν ἐκ Μεσοποταμίας*, *ἧλθον παροικῆσαι ἐκεῖσε πολλάς. Et fugerunt in Meſopotamiam & habitaverunt*, vel peregrinati ſunt *ibi dies multos.* Quæ ipſa etiam verba à a Petavio, Harvillæo, & Bonfierio (in Geneſ. XV. 13.) ad diuturniorem Abrahami in Charane moram confirmandam, adducuntur; quam & aliis argumentis illi fruſtrà adſtruere nituntur; quorum iſta ſunt præcipua.

a Petav. de doct. Temp. lib. 9. cap. 18.

I. Stephanus dicit Abrahamum *κατῳκηκέναι ἐν Χαρράν*, *habitaviſſe in Charran.* (Act. VII. 4.) *quod vocabulum, haud adeò breve fuiſſe intervallum, arguit:* (inquit Petavius & Harvillæus.) *Sanè improbabile eſt, per verbum* habitandi, *non denotari niſi aliquam & moditam partem anni*: probabile *potiùs denotari plures annos.* Similiter & Bonfrerius, ex Geneſ. cap. XI. verſu penultimo, Abrahamum cum patre aliquot annis manſiſſe colligit; quòd dicti illi fuerint *ibi habitaſſe, hoc eſt firmum ibi domicilium collocaſſe, quod de eo dici non poteſt, qui paulò poſt ulterius progreſſus eſt, nunquamque revenit mox abeundi.* Reſp. Ponamus, Tharam & Abrahamum Ure Chaldæorum diſceſſiſſe, ſequente hyeme Tharam infirmitate Charane detentum fuiſſe, eoque demùm ibidem vitâ functo, ſub initium veris Abrahamum Charanem reliquiſſe: ſatis Abrahamo relinquitur ſpatii,

Vide ſuprà, cap. 7.

ut

ut in Charane *habitaviſſe* dici poſſit. Qui enim ad ſex tantùm menſes domum conduxit, licèt minori tempore, *non minùs* tamen *habitaviſſe* dicitur, quàm qui per ſex annos habitationem in ea continuaverit. cujuſmodi brevior illa fuit Jacobi in Bethele habitatio ! [Geneſ. XXV. 2. 16.] (quam ſex menſium fuiſſe ſtatuunt Hebræi in Seder Olam Rabba, cap. 2.) & Thamaræ viduæ in *domo patris ſui.* (Geneſ. XXXVIII. 11.) Ipſéque demùm in *Numerorum* cap. XIV. 25. ſcribens Bonfrerius, alterò agnoſcit, *etiam apud Latinos eſſe in uſu, ut habitare dicatur quis, qui in aliquo loco eſt, & ad aliquod tempus ibi ſtatuit commorari; multò verò magis vocem Hebraam* שכן *& Chaldæam* שרא, *quæ non tantùm ſignificat habitare & commorari, ſed etiam ſedere : ut breviſſimi temporis commoratio, abſque animo etiam mora longioris, ſufficiat ut quis dicatur* שכן *habitans, vel locum aliquem inſidens.*

II. Geneſ. XII. 5. Abrahamus in digreſſu cum fortunis omnibus ſuis, etiam *animas, quas fecerat in Charan*, tranſtuliſſe dicitur in Chananæam : quibus verbis mancipia ſignificantur, & pecora vel jumenta, quibus dum Charis habitaret, aucta ipſius bona fuerant. Profundè *ibidem aliquandiu conſediſſe :* Neque potuiſſe dici, *ibi ad pauculos dies, vel etiam menſes conſtitiſſe*, concludit hinc Bonfrerius. Dicere enim animas illas, vel conceptas fuiſſe in Ur Chaldæorum, & enatas in Charan, ac tandem tranſlatas in Chanaan; vel conceptas & enatas fuiſſe in Charan, & deinde translatas in Chanaan, hæcque intra unum eundemque annum, omnino eſt improbabile : inquit Harvillæus. qui & reliquas illas facultates, אשר רכשו quas Abrahamus & Lotus, aut eorum etiam domeſtici ſibi comparârunt, ad opes ab eis in Harane congeſtas trahit. In his autem congerendis, neceſſe eſſe ait conſumptos fuiſſe multos annos. *Reſp.* At verò ut de congeſtis opibus, & animabus vel animalibus domi enatis, ut iſta commininiſceretur Harvillæus, nihil erat neceſſe. Abrahamum certè & Lotum ad domeſticam Tharæ familiam pertinuiſſe, ex *Geneſ.* XI. colligitur. Quâ per mortem patris familiâs ſolutâ, Abrahamum cum Loto, & reliquâ ſuâ familiâ in Chananæam perrecturum, priuſquàm Charane diſcederet, patrimonium ſibi relictum, Et facultates ſuas veteres, novorum aliquot mancipiorum, & jumentorum, & rerum aliarum ad vitæ uſum neceſſariarum acquiſitione, auxiſſe eum voluiſſe, maximè eſt credibile. Quæ ut perſoluto pretio comparentur omnia, quantulum (quæſo) temporis ſpatium ſufficiebat.

III. Abraham vocat Charan terram ſuam : Geneſ. XXIV. 4. *Ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias uxorem filio meo Iſaac.* Atqui, inquit Harvillæus, *Abraham non vocaſſet Charan terram ſuam, niſi aliquot annis in eâ habitaſſet : quis enim ſuam vocet terram, per quam ſolummodo tranſeat, & in eâ nullam veram habitationem annorum faciat.* Unius Harvillæi hoc argumentum eſt : minimè conſideranti, illam pro qua ille contendit quinque annorum habitationem efficere poſſe, ut Charan terra Abrahæ vocaretur. Multo enim longius ad hoc requirebatur commorationis in eâ tempus : cujuſmodi ſervatoris noſtri erat in Nazarethâ, ut ea patria ipſius haberetur. Unde & Judæi aliam ante hanc in Charanem Abrahami migrationem confinxerunt, ut in Joſephobe cap. 1. ירח ויסע & principio Cabbalæ hiſtoricæ R. Abrahæ Levitæ, videre licet : à qua rediiſſe eum volunt ætatis anno 52. exacto, qui juxta ipſorum calculum (ad 70. Tharæ annum nativitatem Abrahami referentium) ſecundum annorum Mundi millenarium complet, & ſpatium quod יתר ſive *Imare* appellant, terminat. Poſt 18. verò exinde annos Abrahamum iterùm in Charanem profectum fuiſſe perhibent (ut Scripturâ Geneſ. XII. 13. narratur) ibique per quinquennium eſſe commoratum. Quorum ſententiam non ſatis aſſecutus Gerardus Mercator, & eum ſecutus Henricus Buntingus, in Chronologiâ ſuâ, Abrahamum ex Ure Chaldæorum cum patre ſuo Thara egreſſum fuiſſe exiſtimavit, quum annos ætatis 52. complevisset : petiiſſe tum eum Charanem (& in ea conſequenter per totos 22. annos permanſiſſe) exiſtimans, quo tempore à Charane eum receſſiſſe Judæorum ferebat traditio. Sed ut Judaicas omittamus fabulas : retra ad quam Abraham ſervum ſuum proficiſci jubebat, *Meſopotamia* erat (Geneſ. XXIV. 4. 10.) in quâ & Urem Chaldæorum, & Charanem ſitam fuiſſe ad XI. caput Geneſeos docet Abarbinel. Quam ſententiam verisimilem eſſe agnoſcit Manaſſes Ben Iſrael in Conciliatore ſuo, quæſtione 401 in Geneſin ; & eſſe omnino veram, nos mox pluribus comprobabimus. Ad argumenta enim pro principali causâ adducta, jam progrediamur : quibus D. Pius, & alii evincere conantur, ab anno Abrahami 70. & vocatione ex Ure Chaldæorum, peregrinationis ipſius & poſterorum ejus initium eſſe deducendum : quorum

Primum, hoc ipſum eſto. Peregrinatio Abrahami ab eo tempore eſt inchoanda, quo ille terram & natale ſuum ſolum reliquit. At quamprimùm ex Ure Chaldæorum exceſſit, non quum ex Charane demùm eſt egreſſus, Abrahamus terram & natale ſuum ſolum reliquit. Itaque illud Geneſ. XII. 1. *Exi ex terrâ tuâ, & ex loco nativitatis tuæ*, inquit in Elencho Pareano (pag. 49.) Joſephus Scaliger, (licèt & ipſe nobiſcum a 75. Abrahami annos peregrinationis dinumeret) *non poteſt referri ad Charran. Non enim natus eſt in Charran, ſed in Ur Chaldæorum.* Et Thomas Pius ſimiliter. *Abrahamus* (inquit) *juſſus eſt egredi è nativo ſuo ſolo, ſive terrâ nativitatis ſuæ; quæ non fuit Charran, ſed Chaldæa; atque ibi Abrahamus incipit peregrinationem ſuam; ab ipsâ nimirùm* terrâ in quâ natus fuerat. (Geneſ. XXIV. 7.) & Conradus Pellicanus, in Scopulo loco 4. *Hæc deſcriptio loci, non convenit alteri loco, quàm Uri Chaldæorum, certè non Charani, ubi ipſe cum patre & familiâ ſuâ tuâ, peregrinus erat.* *Reſp.* Aliud eſt ארצך ומולדתך aliud ארצך ומולדתך cum conjunctione interpoſita. Prius terram *nativitatis* denotare poteſt ; ut in Geneſ. XI. 28. videre licet : poſterius verò *terram & cognationem* ſemper ſignificat. Unde & in hoc ipſo loco, Geneſ. XII. 1. editionem vulgatam Græcam reddidiſſe videmus, ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σου, & Latinam, *Egredere de terra tua, & de cognatione tuâ.* Quod quidem *Charani* convenire, quis melius nos docuerit quàm ipſe

Abrahamus; ſervum eò ſuum cum hoc mandato ablegans: Gen. XXIV. 4. אל-ארצי ואל-מולדתי תלך *Ad terram & cognationem meam proficiſcaris.* Nam & Nachor ſenior ipſius frater cum familiâ ibidem manſerat, & Charan æquè ac Ur in eadem Meſopotamiæ regione eſt poſitum; ut ex Abarbinele, (omnium inter Judæos acutiſſimo Scripturarum interprete) jam eſt dictum.

Et *Charanem* quidem (quæ Carræ illæ ſunt clade Craſſi nobilitatæ) in Meſopotamiâ fuiſſe ſitam, nullus dubitat. Eam Scriptura in [a] *Aram naharajim*, id eſt, *Syriâ duorum fluviorum* collocat; & in [b] *Padan Aram*, quæ in vulgatâ editione Græcâ & Latinâ *Meſopotamia*, & *Meſopotamia Syriæ* (licèt illud *Syriæ* in Græcâ ſub aſteriſco fuiſſe additum, in lib. locutionum in Geneſin Auguſtinus monuerit) eſt reddita; atque à Tremellio & Junio ea pars Meſopotamiæ fuiſſe exiſtimarut, quam Ptolemæus vocat Ancobaritida, & Chaborras fluvius in Euphratem labens diſſecat. Tota igitur quæſtio de *Vre Chaldæorum manet*: quam *Vr caſtellum*, vocat Ammianus Marcellinus, libro 23. *Vram Chaldæorum* Joſephus lib. 1. Antiquit cap. 7. (qui & Haranis fratris Abrahami ſepulchrum ad ſua uſque tempora ibi oſtenſum memorat) LXX. Interpr. χώραν τῶν χαλδαίων, *regionem Chaldæorum*, Eupolemus in libro de Judæis, *Vriam & Camarinam*: Abrahamum enim natum fuiſſe dicit, ἐκ πόλεως τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνης, ἣν τινὲς λέγουσι πόλιν Οὐρίων εἶναι ἢ μεθερμηνευομένην, χαλδαίων πόλιν, *in urbe Babyloniæ Camarinâ*; (*quam nonnulli urbem Vriam dixerint*) *quod interpretatum Chaldæorum urbem ſignificet*: ut ex eo refert Alexander Polyhiſtor, apud Euſebium, lib. 9. de Præparatione Evangelicâ cap. 17. ad quem locum Græco-latini Euſebii editor Franciſcus Vigerus (ex Joſepho Scaligero, in notis ad fragmenta Veterum operi ſuo de Emendatione temporum adjecta) *Chaldæorum urbem* nominis *Camarina* hìc potiùs, quàm *Vria* vel *Vra* continere explicationem aſſerit: ut per *Chaldæos*, Eupolemus *non tam populum, quàm ſacerdotes, ſeu philoſophos intelligat, quos Hebræi* כשדים *Chaldæi* כתורא *vocabant; quibus hæc urbs propriè attributa ſit, ideòque Camarina dicta.* Camarim enim vocabulum *Atratos* ſignificans, idololatricos Sacerdotes pullis veſtibus incedentes denotat. (4. Reg. XXIII. 5. Hoſ. X. 5. Zeph. I. 4. Et *Chal. Paraph.* Geneſ. XLVII. 22.

Sacerdotes autem apud Chaldæos, uti apud Ægyptios, Aſtrologiæ divinatrici præcipuè vacabant: quam Chaldaicam Aſtrologorum nationem, in Babyloniâ ad Meſopotamiam pertinente, fuiſſe collocatam, in notis ad Act. VII. indicavit doctiſſimus Camerarius. Eam verò hoc tempore negant Hebræi à *Caſhdim* ſive *Chaldæis* fuiſſe habitatam: quippe quos, non ab Arphaxad Semi filio, cum Joſepho, (quod minùs eſſe veriſimile, docet [c] Salianus) ſed à *Ceſed* Nachoris (fratris Abrahami) filio, (Geneſ. XXII. 22.) originem duxiſſe exiſtimant: ut ex Hieronymi traditionibus Hebraicis in Geneſin, & R. Saadiâ Gaone in cap. 2. Danielis intelligimus. Unde Aben Ezra in Geneſ. XI. 28. *Vr Caſhdim*, ſive *Vram Chaldæorum* per anticipationem à Moſe dictam fuiſſe putavit; quòd ipſius tempore ita vocaretur. Verùm quum ipſum quoque Deum ad Abrahamum dixiſſe Moſes referat; *Ego ſum Dominus, qui eduxi te de Vre Chaldæorum*: (Geneſ. XV. 7.) dicendum potiùs fuiſſet, vocabulum *Caſhdim*, non gentis hìc eſſe proprium, ſed appellativum hariolos & magos denotans, quos à כשד denominatos Hebræi volunt, quòd *dæmonum* operâ, divinationes ſuas & præſtigias illi perficiant. Nam & in ipſâ Chaldæâ, *Caſhdim* hoc nomine notos eos fuiſſe, in Annalibus noſtris (ad ann. Mund. 2083.) ex Daniele oſtendimus: & apud exteros, *Chald.* nomen obtinuiſſe eſt notiſſimum. De quo videndus Druſius, in notis ad illud Sev. Sulpicii, in libro 1. hiſtoriæ ſacræ, de Pharaone; *Facientibus ſimilia Chaldæis, magicas eſſe artes, quæcunque per Moyſen fierent, poriùs quàm Dei virtutem, pronuntiabat: donec ſuperductis ſciniphibus terra opleta eſt, Chaldæis furentibus majeſtate divinâ iſta fieri.*

Babyloniæ autem partem aliquam, imò & Babylonem ipſam, intra Meſopotamiæ terminos fuiſſe comprehenſam, docet Plinii ille locus, libro 6. cap. 26. *Babylon Chaldæicarum gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe: propter quam reliqua pars Meſopotamiæ Aſſyriæque Babylonia appellata eſt.* Et paulò pòſt. *Sunt etiamnum in Meſopotamiâ oppida, Hipparenum, Chaldæorum & hoc, ſicut Babylon, juxta flumen Narragam, qui dedit civitati nomen. Muros Hipparenorum Perſæ diruêre. Orcheni quoque tertia Chaldæorum doctrina, in eodem ſitu locantur, ad meridiem verſi.* Orchoën autem Tremellius & Junius Uren noſtram fuiſſe exiſtimant. Ipſam verò *Meſopotamiam ab Oriente Tigri, ab Occaſu Euphrate, à Septentrione Tauro, à Meridie mari Perſico incluſam*, in ejusdem libri capite 27. refert idem Plinius: ita videlicèt, ut non inter duo flumina tantùm incluſa, ſed etiam ad eorum ripas appoſita omnia, Meſopotamiæ deputanda intelligantur. quod illa ejuſdem, in præcedente capite, ſatis oſtendunt. *Eſt etiamnum oppidum Meſopotamiæ in ripa Tigris circa confluentes, quod vocant Digbam.* Item *Meſopotamiæ tota Aſſyriorum fuit vicatim diſperſa, præter Babylona & Ninum: Macedones eam in urbes congregavere.* Cùmque Euphrates *Babylonem, quondam Chaldæa caput, medium permeet*: (ut apud eundem legitur, libro 5. cap. 26.) ut Babylonem ipſam, ita quicquid ultra orientaliorem Euphratis ripam Babylonicæ ditionis erat, non minùs, (imò etiam magis, ad Meſopotamiam, quàm ad Chaldæam fuiſſe referendum, nemini poteſt eſſe dubium. ne quis Uren in terrâ Chaldæorum ſimul & in Meſopotamiâ fuiſſe poſitam, deinceps miretur: quum de ipſo Chaldææ capite Babylone, verè hoc dici potuiſſe, Plinius nos docuerit.

Et certè de Ure, ante illum, clariſſimè hoc ipſum nos docuit protomartyr Stephanus, Act. VII. 2. dicens: *Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, cùm eſſet in Meſopotamiâ, priuſquàm moraretur in Charran; & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & veni in terram quam monſtravero tibi. Tunc exiit de terrâ Chaldæorum, & habitavit in Charan.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, terram illam Chaldæorum, quæ terra ſeu patria Abrahami eſt dicta, in ipſâ Meſopotamiâ fuiſſe poſitam.

[a] Gen. 24. 10.

[b] Gen. 25. 20. cum 27. 43. & 28. 5, 6, 7.

[c] Salian. ann. Mundi 1911. num. 19.

Quò ſpectant & Joſephi, libro 1. Antiq. cap. 8. de eodem Abrahamo, iſta. Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν ἐπανεστάντων αὐτοῖς, μετοικίζει δεδιὼς καὶ βουλόμενος καὶ Χαλδαίοις ἅμα καὶ θεῷ, τῷ χαριεῖσθαι ἐκ γῆς. *Cùm Chaldæi & Meſopotamitæ cæteri contra ipſum inſurgerent, conſilium migrandi cepit, & voluntate ac favore Dei fretus, terram Chananæam tenuit.* Quæ ille non ſcripſiſſet, ſi non Chaldæos illos Meſopotamitarum portionem aliquam fuiſſe credidiſſet.

Secundum argumentum, ex protomartyris jam dictis verbis, à D. Pio ita deducitur. „ S. Stephanus, Act. VII. affirmat peremptoriè, celebre illud לֶךְ־לְךָ Geneſ. XII. 1. conſignarum, (*Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, &c.*) Abrahamo fuiſſe dictum, antequàm veniſſet in Charan: quod „ & ipſe Moſes ſufficienter inſinuat, cap. XI. 31. Affirmans Abrahamum cum Tharâ ex Ure veniſſe, ut iret in Chananæam. *Reſp.* Quum Abrahamum ex Ure in Chananæam à Deo vocatum fuiſſe, tum ex obſcuriore illa inſinuatione, Geneſ. XI. 31. tum ex clarioribus Scripturæ teſtimoniis, Geneſ. XV. 7. Joſu. XXIV. 2. 3. & Nehem. IX. 7. B. Stephanus intelligeret, & Verbis aliquibus ſignificatam illam vocationem fuiſſe non dubitaret, verba quidem & ipſe (ut ſæpiùs in Pſalmis David) ex ipſo argumento deducta, Deo attribuit; quæ ad Moſaica illa, Geneſ. XII. 1. quibus eandem vocationem iteratam exprimi viderat conformanda eſſe cenſuit. Nec idcirco tamen, vel peremptoriè, vel omnino verba illa Geneſ. XII. 1. Abrahamo dicta fuiſſe affirmat, antequàm veniſſet in Charan: neque verò affirmare potuit; quum ipſe Moſes, vocationis verbis, eo in loco citatis, immediatè ſubjecerit. *Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Dominus, & fuit cum eo Lot: & LXXV. annorum erat Abram cùm egrederetur de Charan.* Non præcepit autem illi in Chaldæa Dominus, ut exiret de Charan, in quam nondum ingreſſus fuerat: ut rectè à [a] Saliano eſt hîc notatum. Quod adeò clarum eſt, ut ipſe Salomo Jarchius à receptâ ſuorum ſententiâ recedere hîc cogatur, & verba vocationis, Gen. XII. Abrahamo dicta fuiſſe fateri, quam eſſet in Charan.

Tertium argumentum, præcedenti hypotheſi falſæ innixum, à D. Pio ita proponitur. S. Paulus *Galat.* III. 8. 14. 17. Stephano ſe adjungit, & omnia plana reddit: aſſerens, Legem „ fuiſſe datam 430. annis poſt promiſſionem. „ Illam videlicèt de benedicendis in Chriſto, „ (ab Abrahamo orituro) omnibus tribubus „ terræ; Eam verò dictam fuiſſe Abrahamo, „ quando è terrâ ſuâ egredi eſt juſſus, docet „ Moſes: (Geneſ. XII. 3.) idque fuiſſe an„ tequàm Abrahamus habitaret in Charan, „ affirmat Stephanus. Reſp. Id Stephanus minimè affirmat: qui priorem tantùm Abrahami vocationem ex Ure Chaldæorum exponit; idque verbis, nudum egreſſionis præceptum continentibus. (Act. VII. 3.) Moſes verò alteram ex Charane vocationem explicat: in quâ, præcepto Promiſſionem illam adjunctam fuiſſe docet; (Geneſ. XII. 3.) quam ante Legislationem 430. annis factam fuiſſe Paulus aſſerit. (Galat. III. 17.) Sed Pio noſtro ignoſcendum eſt, qui ſemel tantùm vocatum fuiſſe Abrahamum eſt opinatus. Huic verò quid facias? qui duplice nobiſcum, *ex Scripturâ & claris authoribus* (ut ille agnoſcit) Abrahami vocatione conſtitutâ, *omnem rationem dictare* ait, Promiſſionem illam in priore vocatione ipſi pariter fuiſſe factam; atque hoc poſito, annos 430. promiſſioni tributos, *Gal.* III. ab illâ promiſſione, ut primitùs factâ, computandos eſſe concludit. Et omnis ſanè dictat ratio, ut quæ ad præcepti de migratione ſubitantiam ſpectant omnia, utrique pariter ſint communia: ſed ut illa de benedicendis in Chriſto omnibus gentibus, Promiſſio, ad Vocationem ipſam per ſe nihil attinens, ſed ſecundo migrationis præcepto appendix addita, abſque omni Scripturæ ſacræ teſtimonio, atque ex imaginatione ſolùm propria, primo itidem præcepto appoſita non credatur ſolùm; ſed etiam pro computationis Chronologicæ fundamento ſupponatur; haud ſcio an quiſquam rationis ſatis compos perſuaderi ſibi patiatur.

Quartum argumentum, illud eſſe poterit, quo uſus eſt D. Pareus in commentario ad *Gen.* XII. 1. ut probaret oraculum illud non in Charane accepiſſe Abrahamum, ſed in Ure Chaldæorum, dum pater adhuc viveret. Jubetur enim ibi exire *è domo patris ſui.* Patrem ergo adhuc ſuperſtitem habebat: inquit Pareus. Qui tamen à Nicolao Lyrano, in eundem locum ſcribente, diſcere potuiſſet: *bene denominari domum ab aliquo, etiam poſtquàm mortuus eſſet, ut patet ex ſcriptura, in pluribus locis.* Et nominatim, in Geneſ. XXIV. 67. ubi Iſaacus ſponſam ſuam Rebeccam introduxiſſe dicitur in tentorium *Sara matris ſuæ*; quæ tamen ante triennium vitam ſuam finierat. Ita Tharâ in Charane mortuo, & patrimonio inter ejus filios Nachorem & Abrahamum diviſo; Abraham Deum vocantem ſecutus in Chananæam migravit, ſenior verò frater Nachor, veteri idololatriæ adhæreſcens, cum ſuâ & paternæ familiæ majore parte, in Charane permanſit. Indeque in capite illo XXIV. Geneſeos urbs Charan & *civitas Nachoris*, etiam tum defuncti, in commate 10. invenitur appellata; & in commate 38. (quod ad rem præſentem unicè facit) *domus Thare*, quem tum tamen fuiſſe mortuum agnoſcunt omnes. Unde & alii ex iiſdem vocationis verbis colligunt, in Ure eam non fuiſſe factam: quia tum, non *ex domo patris*, ſed cum *domo patris* ſui ille exierit; & illud לֶךְ־לְךָ *Vade tibi*, non tam, *pro utilitate tuâ vade*, ſignificet, (ut cum R. Salomone Lyranus expoſuit) quàm *vade tumet ipſe*, independenter ſcilicet à patre, qui in priore illâ ex Ure profectione, itineris dux & princeps fuerat.

Quintum argumentum, à teſtimonio Achjoris Ammonitæ, in libri Judithæ capite V. eſt petitum. „ Achjor, (inquit D. Pius) qui *mendacium de ore ſuo non exiturum* proteſtatur, „ evidentiſſimè orditur *παροικίαν* & peregrina„ tionem ab Abrahami itinere ex Chaldæa in „ Meſopotamiam: & totius peregrinationis tres „ facit partes, vel *παροικίας* diſtinctas tres; unam „ in *Charane*, alteram in *Chananeâ*, in *Ægyp*„ *pro* tertiam. *Reſp.* De Ammonitâ hoc verum eſt illud, quod de Servatore noſtro à Phariſæis falsò eſt dictum [b] *tu de teipſo teſtaris, teſtimonium tuum non eſt firmum.* Ecce enim in primo ſtatim orationis ſuæ limine ille impingit, primis

[a] Salian. ann. Mundi 3114. num. 2.

[b] Joh. 8. in.

Hebrææ

Hebrææ gentibus apoſtaſiæ quandam notam inurens, quòd noluerint *ſequi deos Patrum ſuorum qui erant in terrâ Chaldæorum.* (Judith. V. 7. 8.) quaſi *Eber*, *Phaleg*, *Ragau*, & cæteri [rectâ lineâ] Patres ad *Tharam* uſque [quem in illo alienorum deorum cultu à Patrum religione deſciviſſe, ex Joſu. XXIV. 2. novimus] ſtercoreos illos Chaldæorum deos coluiſſent. Quænam verò ipſius Achjoris verba fuerint, [cujuſcunque tandem authoritatis illa ſint] vix ſatis conſtat: quum de commoratione Abrahami in Meſopotamia, non eadem, in editione vulgatâ Latinâ ab Hieronymo ex Chaldaico, & in vetuſtiore Italâ ex Græco converſâ, reperiantur poſita; ut ex ſubjecta utriuſque collatione poteſt perſpici. Ita enim ſe habent Achjoris ad Holophernem verba, ex textu.

GRÆCO.	CHALDAICO.
5. *Audiat Dominus noſter verbum de ore pueri ſui, & referam tibi veritatem de populo qui habitat juxta montana hæc: & non exhibit mendacium de ore ſervi tui.*	5. *Si dixeris audire Domine mi, dicam veritatem in conſpectu tuo de populo iſto, qui in montanis habitat: & non egredietur verbum falſum ex ore meo.*
6. *Hæc enim progenies populi Chaldæorum eſt.*	6. *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt.*
7. *Et antea habitaverunt Meſopotamiam, quia noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui fuerunt in terrâ Chaldæorum glorioſi.*	7. *Hic primùm in Meſopotamia habitavit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in terrâ Chaldæorum.*
8. *Sed declinaverunt de viâ patrum ſuorum, & adoraverunt Deum cœli, quem cognoverunt: & projecerunt eos à facie deorum ſuorum, & fugerunt in Meſopotamiam & a habitaverunt ibi dies multos.*	8. *Deſerentes itaque cæremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, unum Deum cœli coluerunt.*
a *migrarunt.*	
9. *Dixitq; illis Deus eorum ut exirent* b *de habitatione ſuâ, & irent in terram Chanaan: & habitaverunt ibi, &c.*	9. *Qui & præcepit eis ut exirent inde, & habitarent in Charan.*
b *in vita manſionis.*	

[ubi niſi *Charan*, vel interpretis vel primorum librariorum incuriâ, pro *Chanaan* irrepſiſſe dicatur: peregrinationis Hebræorum in terrâ Chanaanis nullum hîc reperietur veſtigium.]

Translatio ex Græco extat apud Auguſtinum, libro 16. de Civitate Dei cap. 13. Qui licèt ibi inde colligat, *manifeſtum eſſe donum Thara perſecutionem paſſam fuiſſe à Chaldæis pro vera pietate, quæ unus & verus ab eis colebatur Deus:* tamen in eo quod ad rem noſtram potiſſimum ſpectat, verborum illorum authoritate nihil permotus, diuturnam Abrahamo moram in Meſopotamia non attribuit, ſed in capite 16. eodem anno Abrahami & ex Ure Chaldæorum & ex Charane profectionem factam fuiſſe exiſtimat. Cujus hâc in re ſententiam c Henricus Philippi Jeſuita amplexus, ad objectum Achjoris teſtimonium, inter alia reſpondet; *eum gentilem fuiſſe, & ſic in ſua narratione facilè errare circa quæſdam circumſtantias potuiſſe.* Et ad Auguſtini ſententiam confirmandam, Joſephi illum locum citat, lib. 1. Antiquit. capite 8. ſcribentis Abrahamum annos natum 75. reliquiſſe *Chaldæam*, quod verum eſſe non potuiſſe ait, ſi non eodem anno & Ure Chaldæorum & Charane ille deceſſiſſet. Cui addere potuit & Philonis locum in libro de Somniis, Abrahamum *μὸ πολλὸ χρόνο non multum temporis* moræ in Charane tribuiſſe confirmantis. Quid autem poſteriores Judæos moverit, ut toto quinquennio cum in Charane detinerent ſequens argumentum declarabit.

c Hear Philip. quæſt. Chronol. in Gen. cap. 12.

Sextum enim hoc affertur argumentum. Annorum 75. erat Abraham quando relictâ Charane in Chananæam eſt profectus: (Gen. XII. 4.) centum, quando natus ei eſt Iſaac. (Gen. XXI. 5.) unde liquet, à diſceſſu Abrahami ex Charane uſque ad nativitatem Iſaaci exactos eſſe annos 25. Abrahami *ſemen peregrinum futurum in terra non ſua per annos quadringentos*, à Deo eſt prædictum: (Gen. XV. 13.) qui anni à nativitate Iſaaci incipiunt (Act. VII. 6. 8.) & in exitu poſterorum ejus ex Ægypto deſinunt. Quum igitur à diſceſſu Abrahami ex Charane uſque ad diſceſſum poſterorum ipſius ex Ægypto, 425. tantùm annorum ſpatium interceſſerit; & totius peregrinationis anni fuerint 430. (Exod. XII. 40.) ut integræ ſummæ conſtet ratio, quinquennio ante profectionem Abrahami ex Charane horum annorum calculus eſt inundus; & ad illud tempus profectio Abrahami ex Ure Chaldæorum referenda. Reſp. A nativitate Iſaaci uſque ad exitum Iſraëlitarum ex Ægypto, anni fuerunt 405. quos uſitato omnibus more, Scriptura pleno & rotundo 400. annorum numero potuit exprimere. *Quadringenti ſanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamvis aliquanto amplius ſint:* inquit Auguſtinus, libro 16. de Civitate Dei cap. 24. & quæſtione 47. in Exodum: *Quia ſcriptum eſt, in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ex anno nativitatis Iſaac uſque ad annum egreſſionis ex Ægypto computantur anni 405. Cùm ergo de 430. detraxeris 25. quæ ſunt à promiſſione uſque ad natum Iſaac, non mirum eſt, ſi 405. annos, ſummâ ſolidâ 400. voluit appellare Scriptura; quæ ſolet tempora ita nuncupare, ut quod de ſumma perfectioris numeri paululum excreſcit, aut infra eſt, non computetur.* Quâ ratione & populi Iſraëlitici numerum 600000. Moſem facere videmus: (Numer. XI. 21.) neglecto minori numero excreſcentium 3550. (Num. I. 46. & II. 32.) & *Centumviros* à Romanis fuiſſe dictos, qui numero erant CV.

Quòd ſi 400. horum annorum numerum ut præciſum & exactum accipere hic libeat, & ex retrograda ſupputatione, horum exemplo, eventus alicujus, cujus annus aliàs in Scriptura non habeatur expreſſus, certum tempus eruere liceat: quid ni, ablactato Iſaaco & à fratre Iſmaele irriſo, ejectum fuiſſe ancillæ filium annos 19. & filium liberæ annos 5. jam natum, promiſſionis ſemen fuiſſe declaratum, dicamus? atque à ſolenni hac utriuſque ſeminis diſcretione 400. annos peregrinationis promiſſi ſeminis in terra non ſua, poſſe deduci exiſtimemus? Quo facit & Hieronymi ille locus, in traditionibus

Hebraicis

by Google

Hebraicis in Geneſim. *Inter Hebræos varia opinio eſt : aſſerentibus aliis quinto anno ablactationis tempus ſtatuum, aliis duodecimum annum vindicantibus. Nos igitur, ut* [a] *breviorem eligamus ætatem, poſt decem & octo annos Iſmael ſuppoſuimus ejectum, eſſe cum matre.* Ex illo Bedæ, in cap. 7. Act. Apoſt. *Poteſt & ſic intelligi : quòd à quinto Iſaac anno, quo per filium ancillæ cœperit affligi, labor quadringentorum comprobetur* (vel *computetur*) *annorum.* Et lufum quidem, ſive illuſionem & irriſionem illam, cujus in Geneſ. XXI. 9. ut ſeminis promiſſi *perſecutionem* interpretentur Apoſtolus, Galat. IV. 29. Sed cùm univerſum illud 400. annorum ſpatium, *peregrinationem* ſeminis reſpiciat, eáque illius pars quæ *ſervitutem & afflictionem* conjunctam habebat, & in terra Ægypti eventum ſortita fuerit : (ut ex illis vaticinii verbis liquet, Geneſ. XV. 14. *& gentem illam cui ſervies ego judicabo : & egredientur ipſi cum facultatibus multis :*) à determinatione ſeminis illius quod peregrinaturum fuerat in terra non ſua, potius quàm ab afflictione aliqua quæ in terra Chananæa illi obvenerit, horum annorum epocham deducere magis convenit. Atqui ante ſeparationem hanc, (inquiunt,) & ſemen Abrahæ erat Iſaac, & peregrinum in terra non ſua. *Reſp.* Iſmaël quoque ante ſeparationem hanc, & ſemen erat Abrahæ, & peregrinabatur in terrâ non ſuâ. Tum demùm verò, quum ejecto Iſmaele ſolus in Abrahæ familia maneret Iſaac, pronunciatumque illi eſſet à Deo ; *In Iſaaco vocabitur tibi ſemen :* (Geneſ. XXI. 12.) effectum eſt, ut ad ſolum Iſaacum & ejus progeniem, neutiquam verò omninò ad Iſmaelem & ejus poſteros ſpectare intelligeretur oraculi illius ſententia ; *Peregrinum futurum eſt ſemen tuum in terrâ non ſuâ, & ſubjicient ſervituti & affligent, 400. annis.* Ut illud Sanctii (in Act.) adjicere non fuerit neceſſe : quòd pueri ante quinquennium vix adverterent, an ſint peregrini nec ne ; quinquennes autem peregrinationis incommoda diſcere incipiant : *At Iſaacum ablactatum fuiſſe anno ætatis ſuæ quinto, quamvis opinetur Hieronymus & poſt eum Beda, veruntamen res non eſt valde certa ; nedum aliquod habens indicium in Scripturâ :* inquit Harvillæus. (*col.* 464.) *Quis autem probet epocham adeo celebrem aſſignari anno ſic incerto?* Reſp. Nominis, & multò etiam magis (propter rationem in conſideratione quarta redditam) eſt incertum, Abrahamum tantummodò 70. annos fuiſſe natum quum exiit de Ure Chaldæorum, & habitaviſſe 5. annis in Charan. Et huic tamen incertitudini ſic objectæ reſpondit Harvillæus ; [*col.* 483.] *incertum non debere dici, quod colligitur ex Scripturâ, quantum probabilius aliquid poteſt ex eâ colligi.* Multò verò probabilius ex Scripturâ colligi poſſe dicunt alterius ſententiæ patroni, 430. peregrinationis Hebræorum annos, ab ineunte anno 76. Abrahami quo relicta Charane in terrâ Canaanis peregrinari ille cœpit, eſſe dimetiendos ; & cum inde ad natum Iſaacum annos tantum 25. effluxiſſe conſtet, 400. annos peregrinationi *ſemenis* ipſius præfinitos, ſi ſtricte illi fuerint accipiendi, ab ineunte anno Iſaaci 6. neceſſario eſſe inchoandos ; & per conſequens (quantum probabilius aliquid ex Scriptura poterit colligi) eo tempore utriuſque Abrahami ſeminis diſcretionem, & ejecto Iſmaele electi ſeminis (ad quod oraculum illud pertinebat) in ſolo Iſaaco determinationem contigiſſe. *Vide Torniellum, anno Mundi* 2138. *num.* 16. 2144. *num.* 1. *& ann.* 2329. *num.* 16.

In hâc verò ſententiâ expendendâ diutiùs ſitmus immorati, quòd non Judæorum modò communis ea fuerit, ſed etiam in multorum Chriſtianorum animis locum habere cœperit. In ſequentibus igitur, quæ paucos habent aſſectores, breviores erimus : quarum prima eſt R. Moſis Lutiph Hieroſolymitani, in concionibus ſuis, 430. annorum calculum ab anno 76. Abrahami ſeducendis ; quòd tunc deſcendit ille ad peregrinandum in Ægyptum, poſt ipſius ex Charane exitum. (referente R. Azariâ, in *Meor enayim* cap. 35.) & inter Chriſtianos, Johannis Benedicti, in annotationibus ad Exod. XII. 40. ſcribentis, *illos* 430. *annos computandos eſſe à primo anno repromiſſionis Abrahæ in valle illuſtri, ſecundo anno poſt egreſſum de Haran, cum cœpit peregrinari in Ægypto.* At eodem quo ex Harane, ſive Charane migratum eſt anno, illa Abrahamo in valle illuſtri, ſive planitie Mamræ, à Deo facta eſt promiſſio ; *Semini tuo dabo terram hanc* [Geneſ. XII.] quam eandem cum illa ab Apoſtolo, Galat. III. 16. 17. commemoratâ, Benedictus fuiſſe ſtatuit ; & ad alterum ab illa migrationem annum retulit, quo propiùs eam cum peregrinatione Abrahami Ægyptiacâ conjungeret. Quam ipſam quoque peregrinationem [d] Laurentius Codomanus ad eundem annum, qui ætatis Abrahami 77. numerabatur, retulit : atque ab eâ etiam, ut *haud longo intervallo poſt promiſſionem,* Geneſ. XII. 3. & Galat. III. 17. cœptâ, exorditur 430. annos peregrinationis illius, *propter quam, illis ipſis* 430. *annis, tentus manſionis Iſraëlitarum in Ægypto adjiciatur.* [Exod. XII. 40.] Rectiùs verò in Chronologia ſuâ Gerardus Mercator, intra ejuſdem anni Abrahami 76. ambitum, & adventum ipſius in Chanaan contigiſſe exiſtimat, & profectionem ejuſdem Ægyptiacam ; ad quam, locum illum, Exod. XII. 40 referendum eſſe putat. *Velle enim Moſem* [ille ait] *non continuam habitationem ſignificare, ſed totum tempus quo habitata eſt Ægyptus comprehendere ; quod hinc uſque ad egreſſum exacte* 430. *annos contineat.* Iidemque Abrahamum anno ætatis 76. ex Charane egreſſum, & in Ægyptum, eſſe ingreſſum, ab Hebræis quoque in Seder Olam Rabb. cap. 1. habetur traditum.

Utcunque autem res ſe habeat, inter noſtram, & hanc Benedicti atque Codomanni ſententiam, annus tantùm anni intercedit differentia : cùm proxima, [Davidi Pareo viro clariſſimo probata,] toto decennio à noſtris rationibus recedat. Ille enim in oratione Chronologicâ anno 1605. Heidelbergæ habitâ, Chronologiæ ſacræ Synopſin proponens, ſuam hac de re ſententiam de horum 430. annorum principio hunc in modum explicat. *Chronologi uno prope conſenſu illi numerant ab egreſſu Abrahami ex Harane cum eſſet annorum 75. Hoc verò cum loco Apoſtoli Galat. III. 17. ſtare non poteſt : ubi expreſſe dicitur διαθηκην προκεκυρωμενην, pactionem cum Abrahamo factam eſſe ante legem latam annis 430. Atqui ea pactio ab egreſſu ex*

[a] Quinque annorum Vid. Sanſan. ad an. Mundi 2143.

[b] Vid. Harvillæum, Sect. 4. Col. 471. 472.

[c] Harvil. ibid. pag. 464. Henr. Philippi quæ it Chron. in Gen. c. 15.

[d] Codoman. Chronolog. lib. 2 quæſt. 11.

Haran, fuit non 430. ſed 440. annis poſt fœdus confirmatum lata fuiſſet: quia egreſſus ab Haran fœderis confirmationem decennio antecеſſit. Teſtante enim Moſe, fœdus cum Abrahamo pepigit, & fœderali ritu confirmavit Deus, non in egreſſu ex Haran, anno ætatis 75. ſed decennio poſt, anno ætatis ejus 85. Sic enim ibi expreſſe Moſes: Illo die pepigit Jehova fœdus cum Abrahamo, dicendo; Semini tuo dabo terram hanc, &c. (Geneſ. XV. 19.) *Neque ante id tempus, ulla fœderis initi aut confirmati cum Abrahamo, legitur facta mentio.* Indéque 430. hoſce annos inchoandos eſſe concludit, ab oraculo illo de ſemine per annos 400. in terrâ alterâ peregrinaturo, & pactione cum Abrahamo ſolemni ritu ſectionis hoſtiarum, (בתרי Hebræi, Διχοτομήματα Græci appellant) confirmata, Geneſeos capite XV.

Et ne ſolus hic incedere putaretur, in Chronologicæ hujus Synopſeos defenſione, ex Paulo Fagio, R. Salomonem, ſententiæ ſuæ teſtem advocat. Et quidem non ſolius R. Salomonis, (in Exod. XII.) ſed communis ferè cæterorum Hebræorum eſt opinio, ab eo tempore 430. annorum initium eſſe capiendum, quo inter diſſectas hoſtias Abrahamo Deus eſt locutus; ſic tamen, ut quinquennio antè, non decennio poſt Abrahami ex Charane profectione id factum fuiſſe ſimul exiſtiment: quemadmodum ex Chaldaica paraphraſi (quæ Jonathani tribuitur) in Exod. XII. 40. Seder Olam Rabc. 1. & initio Cabbalæ hiſtoricæ R. Abrahæ Levitæ, inter ſe collatis, intelligere licet. Erſi enim poſt relictam ab Abrahamo Uren Chaldæorum, viſionem hanc ipſi fuiſſe exhibitam, verba illa Dei ſatis indicent; *Ego ſum Dominus qui eduxi te de Vre Chaldæorum:* (Geneſ. XV. 7.) ibidem tamen colloquium hoc cum Patriarcha fuiſſe habitum, quum ſeptuagenarius inde evocaretur, Judæi ſomniant. In temporum quodam Canonio, [a] Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ Chronographiæ temerè inſerto, *ἀπὸ τῶν διχοτομημάτων ἕως τ῀ τοῦ Ἀβραὰμ ἔτη ος'. à victimis dimidiatis uſque ad finem Abrahami ann. 76.* numeratos invenio. Unde eſt conſequens ex hujus quidem Chronologi (non magnæ ſanè authoritatis) ſententiâ, ab Abrahami obitu ducendum eſſe 430. iſtorum initium; facta verò fuiſſe *διχοτομήματα*, quum annorum ille 99. fuiſſet: quo tempore fœdus cum Abrahamo fuiſſe inſtauratum, & inſtituto circumciſionis Sacramento obſignatum, ex Scripturâ conſtat. (Geneſ. XVII. 1. 2. 10.) Unde & in 99. iſto Abrahami anno, Henricus Swyetzerus, verbi divini in agro Tigurino miniſter, 430. noſtrorum annorum caput conſtituiſſe dicitur.

Sed & hunc, & Pareum pariter duo iſta in errorem induxerunt. I. Quòd ad fœdus (cum Abrahamo vel initum vel confirmatum) tantùm reſpexerint, nullâ initii peregrinationis ipſius ratione habitâ; quod utique in anno illius 85. vel 99. fruſtrà ab ipſis fuiſſet quæſitum. At non à fœdere aliquo, ſed à cœptâ Hebræorum peregrinatione, vel habitatione in terrâ non ſuâ, horum annorum epocham deducendam fuiſſe Moſes ſignificaverat: cum quâ fœdus quoque (Geneſ. XII.) conjunctum fuerat, ab illo etiam uſque ad legislationem per legitimam conſequentiam annos 430. effluxiſſe Paulus intulit. (Galat. III. 17.) II. Quòd *διαθήκην* & *ἐπαγγελίαν*, *fœdus* & *promiſſionem* à ſe invicem illi diſtinxerint: quum unam & eandem rem, utroque illo nomine fuiſſe ſignificatam, ex Pſal. CV. 8. 9. 10. 11. & aliis Scripturæ locis manifeſtum eſt. Ut minùs conſideratè à D. Pareo illud urgeatur: nullam fœderis initi & confirmati cum Abrahamo legi factam mentionem, ante illam Geneſ. XV. 18. *Illo die pepigit Jehova fœdus cum Abrahamo, dicendo; Semini tuo dabo terram hanc.* Quid enim aliud fuit *fœdus* illud quàm *promiſſio*? & quidem *promiſſio*, jam antè Geneſ. XII. 7. iiſdem verbis edita? *Semini tuo dabo terram hanc.* & quid ampliùs quærimus cùm in loco illo Galat. III. 17. cui D. Parei Argumentum eſt ſuperſtructum, *διαθήκην προκυρωθεῖσαν ἀνυφορῆ, fœdus priùs ſanctum facere irritum*, per τὸ μετὰ τετρακόσια ἔτη γεγονέναι, *vacuam reddere promiſſionem*, ab ipſo Apoſtolo explicatum videamus. De quo conſulantur, quæ ad eum locum in præcedente pluribus diſſeruimus. Ut illud præterea non urgeamus, (quo fundamentum totius argumenti ex Paulo deducti Pareellus ſubruiſſe ſe exiſtimat) Geneſeos XV. *per totum caput, inter Deum & Abrahamum tantùm tractatum fuiſſe de ſucceſſore in temporalibus, qui à ſuo ſemine illi promitteretur, cum ſpe ſucceſſionis, vel poſſeſſionis totius iſtius Regionis. De promiſſione Evangelii, & de ſemine benedicto, ne jota quidem in eo capite toto reperiri.*

Tigurini verò miniſtri ſententia, Pareanam in eo longè ſuperat, quòd certum principium in anno Abrahami 99. à Scriptura determinatum habeat, unde 430. annorum ſupputatio deduci queat: quum diſtinctus annus fœderis cum Abrahamo per diſſectas victimas ſanciti, ex ſacris literis nullâ ratione poſſit elici. In Oratione quidem ſuâ Pareus mirâ quâdam confidentiâ, *Moſem id expreſſè prodidiſſe* aſſerit, verbis illis Geneſ. XVI. 3. *In fine decem annorum, ex quo habitare ceperat Abraham in terrâ Chanaan.* Et quaſi res extra omnem controverſiæ aleam eſſet poſita, ſubdit etiam; *hoc decennium ab omnibus Chronologis (quaſi dicis causâ Scriptum eſſet) ſecurè eſſe præteritum, manifeſto errore.* Quum nihil tamen poſſit eſſe manifeſtius, quàm à Moſe, hiſtoriæ de Hagarâ ancillâ à Sara Abrahamo in Uxorem traditâ, hanc temporis notam eſſe appoſitam, non illi de fœdere cum Abrahamo à Deo inito, quæ in capitulo præcedenti explicata fuerat. Nam quod in defenſione ſuâ ait Pareus, *immediatè cohærere illa duo capita*, nimis leve eſt. Hoc enim modo (ut inquit in Elencho Scaliger) Joſeph Patriarcha fecerit annorum XXX. Geneſ. XL. quia capite XLI. 46. totidem annorum eſt. Illud verò probandum fuerat, capita iſta duo temporum ordine *ἀμέσως* cohærere: quod tantùm abeſt ut probari poſſit, ut ex eorum collatione poterat potiùs contrarium. In capite enim XV. Promiſerat Abrahamo Deus, filium eum eſſe geniturum qui ipſi futurus eſſet hæres; & multiplicandum eſſe ſemen ipſius, ſicut ſtellas cœli. Credidítque Abraham Deo; & imputatum eſt „ei ad juſtitiam. Ideò proculdubio (inquit in „Reſponſione ad D. Pareum Scthus Calviſius) „ne videretur in Deum peccare & promiſſioni

[a] Edit. Græc. Joſ. Scaligeri, pag. 109. & Græco Latinæ Goar. pag. 404.

„ diffidere

„ diffidere, expectavit annum unum vel alte-
„ rum, vel etiam plures, an fortaſſis ex con-
„ juge Sarai filium ſuſcipere poſſet. Cùm textus
„ poſt illam promiſſionem expreſſè dicat Saram,
„ quum videret ſe à Domino concluſam eſſe
„ ne pareret, tum demùm quæſiviſſe concin-
„ nam interpretationem ſive διάνοιαν promiſſio-
„ nis illius de prole futurâ, & ut ſuſciperet
„ Abraham liberos, dediſſe ipſi ancillam in
„ uxorem. Eodem ipſo certè anno, quo de fe-
minis multiplicatione promiſſionem accepit,
Abrahamum ad ancillam ſe recepiſſe, non eſt
credibile. Nec quicquam rem juvat, quod in
Defenſione profert Pareus; antè ſciviſſe Abra-
hamum, Saram fuiſſe ſterilem. Nàm (ut rectè
[a] Johannes Bohemus reponit) ex divina illa pro-
miſſione, externo ritu confirmata, & id ſcire
Abraham potuit, Deum iſtam Saræ νίκησιν τῆς
μήτρας, omnipotenti modo vividam reddere po-
tuiſſe. Et de Pareana quidem ſententia hactenùs.

[a] Joh. Bohem. Chronolog. l. 2. tit. 2. c. 7.

Ab eo tempore quo Abrahamo, 100. annorum exiſtenti, natus eſt Iſaac, annos 430. ſupputat [b] R. Chananiel: (ut refert R. Bechai, in eundem locum) & Abarbinel, in locis à R. Azaria citatis (in *Meor enajim*, cap. 55.) Et quia ab eo tempore 400. anni peregrinationi ſeminis Abrahæ à Deo leguntur attributi, (Geneſ. XV. 13.) annos 30. additos iis poſteà fuiſſe, Gerundenſis & Abarbinel (in Exod. X.) exiſtimant, ob Iſraëlitarum in Ægypto peccatum; uti etiam in deſerto detenti iidem fuerunt, propter exploratorum iniquitatem. Licèt aliter quoque minorem illum numerum ſub majore comprehendi potuiſſe, Procopius Gazæus ſignificet; ad verba illa Geneſ. XV. ita annotans. *Non pugnat hic locus cum eo quem in libro Exodi habemus; ubi dicitur poſt* 430. *annos populum Hebræum egreſſum fuiſſe ex Ægypto. Non enim hoc loco dicitur, ſtatim decurſis expletiſque* 400. *annis, Judæos ex Ægypto egreſſuros; ſed ſimpliciter tradatur, eos poſt annos* 400. *egreſſuros eſſe, quibus verbis reliqui etiam* 30. *anni comprehendi poſſint.* Quod clariùs noſtro tempore Gulielmus Langius, (libro 2. de annis Chriſti cap. 10. à nativitate Iſaaci annorum 430. exordium deducendum eſſe contendens) proponit dicendo, *annos quadringentos numeraviſſe Deum, non exactè, ſed ſicut Hiſtorici ſolent, numero rotundo uſum.* Hic enim (cum Rabbinis illis) à nativitate Iſaaci annorum 430. epocham deducens, corúmque finem, non autem initium (cum iiſdem & Grotio) in Ægypto actum fuiſſe ſtatuens; orationem Exod. XII. 40. ellipticam eſſe vult, atque ita ſupplendam. *Habitatio filiorum Iſrael, quà habitârunt in Ægypto, fuit* ץע uſque ad *annum* CCCCXXX.

[b] R. Moſes Gerundenſis in Exod. XII. 40.

Et ſi quidem in loci illius Geneſeos Codicibus aliquibus, ſicut in alterius inde traducti Act. VII. 6. rarioribus quibuſdam Latinæ editionis exemplaribus, anni 430. pro 400. ſcripti reperirentur: ellipſis iſta [quam *in ſcripturis frequentiſſimam* eſſe, juvenis ille eruditus nimis facilè ſibi perſuaderi eſt paſſus] aliquo hic modo ferri potuiſſet. Verùm quum ibi, & in textu Hebræo, atque Samaritico, & in antiquis omnibus verſionibus; Græcâ, Latinâ, Chaldaicâ, Syriacâ, Illyricâ, Perſicâ, Arabicâ, *tricenarii* illius numeri nullum compareat veſtigium: neque numeri rotundatio, neque de mutato poſteà Dei conſilio Rabinicum illud commentum efficere valet, ut 430. anni in Exod. ἀναφορικῶς interpretationem ſuam mutuari debeant ex annis illis 400. in [Geneſi. Deinde quum Iſaaci nativitas nullam divinam promiſſionem conjunctam ſecum attulerit: quomodo cum Pauli explicatione, [Galat. III. 17.] annos hos 430. à promiſſione Abrahamo de Chriſto factâ dinumerantis, interpretatio iſta conveniat? Reſpondet Langius; *fœdus à Deo confirmatum eſſe in Chriſtum*, [juxta Apoſtoli ſententiam] cùm Iſaac natus eſt, de quo ſcriptum eſt: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*: hoc eſt, [ut ille exponit] *quamvis multi alii tibi filii ſint, per quos ſemen tuum multiplicabitur; tamen nobiliſſimum illud ſemen, in quo omnes generationes terræ benedicentur, non ab alio quam Iſaaco proveniet.* Indéque concludit; *quando Iſaac diu & maximo deſiderio expectatus in lucem prodiit, pactum & promiſſionem Dei confirmata fuiſſe.* Sed, præterquam quòd ab ipſa promiſſione Abrahamo facta, non à promiſſionis confirmatione, numerationem ſuam inſtituiſſe Apoſtolum, jam antè oſtenderimus: ut Iſaaci aut Jacobi, (à quo Chriſtus oriturus erat,) ipſa nuda nativitas, pro confirmatione promiſſionis de benedicendis in Chriſto gentibus, fuerit habenda, nullam omninò veri præ ſe fert ſimilitudinem. A Judæorum verò illorum ſententia qui propter peccata filiorum ſupra annos 400. additos fuiſſe 30. ſunt opinati, tam alienum ſe fuiſſe oſtendit Chaldæus Paraphraſtes in Cantic. II. 8. ut propter merita patrum & juſtitias matrum annos 190. illis detractos fuiſſe dixerit; peregrinationi Ægyptiacæ, cum vulgo Hebræorum, annos 210. tribuens.

CAP. X.

Annorum 430. *peregrinationis Hebræorum; in duas æquales partes diſtributio; &,* 215. *in Chananæâ à Patriarchis peractorum declaratio: in qua Iacobi & poſterorum ejus tempora, uſque ad deſcenſum in Ægyptum deſcribuntur; & Benjaminem cum decem filiis, Judam cum duobus nepotibus (Heſrone & Hamule) eò ſimul deſcendiſſe, oſtenditur.*

EX tot ſententiis de initio 430. annorum peregrinationis Hebræorum, à nobis hactenùs productis, ut veriſſima, ita & communiſſima ea eſt, quæ ab exitu anni LXXV. Abrahami illud arceſſit. De quo, in Chronico ſuo Georgius Syncellus (pag. 117.) Ἡ τῶν υλ. ἐτῶν ἀπαρίθμησις τῆς ἐν γῇ Χαναὰν παροικίας τ̃ Ἰσραήλ, (ubi nota, ſub *Iſraëlis* nomine ab ipſo quoque Georgio comprehendi & Abrahamum & Iſaacum) ἀ ἐν Λιγύπτῳ. κ̃ τλῶ πρὸς Ἀβραὰμ τ̃ θεῦ πρόῤῥησιν, κ̃ τὰς πάντας ἱρμωνύσαντας ἀ ἱστορικὰς, ἀπὸ τ̃ ι. ἕως ο. ἔτους ἀριθμεῖται. *Supputatio* 430. *annorum peregrinationis Iſraelis in terra Chanaanis & in Ægypto, juxta prædictionem Dei Abrahamo factam, communi cùm Interpretum tum Hiſtoricorum ſuffragio, à* 75. *Abrahami anno ducit exordium.* Et Joſephus Scaliger, in Canonum Iſagogicorum, lib. 3. part. 2. cap. 2.

Quia à deſcenſu Kahath vix dimidium annorum CCCCXXX. *colligi poſſit, propterea veteſtiſſimi Judæi, tam ante quàm poſt Chriſtum, item Paulus Apoſtolus ad Galatas, Joſephus, interpretes Chriſtiani, omnes uno ore, ab anno promiſſionis (qui eſt ſeptuageſimus quintus Abrahami) illos* CCCCXXX. *annos ordiuntur. Advertis tot ſententias aliter pronunciare, id fueris, ut Lyricus dicebat, ὑμῖν χορῶν τῷ κόμῳ, cum rationibus temporis manum conferre: ne addam, hoc facto verbum divinum contumeliæ exponi, & libidini furioſorum, ſtultorum, impudentiſſimorum interpretum vexandum objici. Quare contenti ſimus hâc ſimpliciſſimâ interpretatione, quæ auctoritate, non demonſtratione nititur. Qui negant Paulum Apoſtolum in illo celebri ad Galatas loco, initium annorum* 430. *ab anno promiſſionis deducere, (ne, quo digni ſunt audiant) fruantur ſuo ſenſu, ἐι δὲ τις δοκεῖ φιλόνεικος εἶναι, ἡμεῖς τοιαύτην συνήθειαν οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ.* [I. Corinth. XI. 16.]

Pari quoque conſenſu, non Euſebius ſolùm & alii Chriſtiani Chronographi, ſed etiam Joſephus Judæus, & ex exteris ante Chriſti tempora Demetrius, eúmque ſecutus Alexander Polyhiſtor, (in libro de Judæis, ab Euſebio in libro 9. Præparationis Evangelicæ citato) horum 430. annorum ſpatium in duo æqualia partiuntur intervalla: prioribus 215. annis, peregrinationi Hebræorum in terrâ Chanaanis, (imul etiam comprehenſa breviore illâ Abrahami in Ægypto morâ) poſterioribus 215. peregrinationi eorum in terrâ Ægyti aſſignatis. Joſephi, de egreſſu ipſorum ex Ægypto agentis, in libro 2. Antiquit. cap. 6. verba ſunt iſta. Καλέσαντα δὴ τὸν Αἴγυπτον ὁ μὲν ξανθικῷ, τετάρτῃ δὲ δεκάτῃ καὶ στελλείῳ, μηνὶ ἔτη τριάκοντα καὶ πεντακόσια ἀπὸ τῶν πρόγονων ἡμῶν Κόρμων εἰς τὸν Χαναναίαν ἐλθόντων τὴν δὲ Ἰακώβου μετανάστασιν εἰς τὸν Αἴγυπτον ἡμιόλιος, διακόσιοι πρὸς τοῖς δεκαπέντε ἐπαντεῖς ὑστερον. *Reliquerunt Ægyptum menſe Xanthico, lunâ quintadecimâ, annis quadringentis & triginta poſtquàm ſator noſter Abrahamus in Chananæam venit: poſt migrationem verò Jacobi in Ægyptum annis ducentis & quindecim.*

Alexander verò Polyhiſtor, ex Demetrio refert, ἀφ' οὗ ἐκλογὴν ἔσχε Ἀβραὰμ ἐκ τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐλθὼν ἐκ χαλδαίων εἰς χαρραὰν, ἕως ἂν εἰς Αἴγυπτον ἔλθῃ περὶ Ἰακὼβ ἐλθὼν, ἔτη σν. *Ex quo electus eſt è gentibus Abraham, & ex Charan in Chanaanem venit, uſque ad Jacobi in Ægyptum adventum, annos fuiſſe* CCXV. Annis deinde 17. poſt Jacobi adventum in Ægyptum, Levin genuiſſe Caathum, Caathum quum eſſet 40. annorum genuiſſe Amramum, Amramum quum 78. eſſet annorum genuiſſe Moſem. Qui παιδογονίας anni, licèt pro libitu excogitati, ut legitimi admitti non debeant, additi tamen annis 80. quos tempore Exodi Moſem egiſſe Scriptura indicat, (Exod. VII. 7.) numerum 215. annorum complent; quem Hebræorum commorationi in Ægypto fuiſſe tributum, non eſt dubium. A Demetrio, inquam: non (uti * Johannes Morinus & Nicolaus Abramus putârunt,) Ptolemæo illo, qui ſub ſecundo Ptolemæo cum LXX. divinæ legis interpretibus eſt converſatus; ſed juniore altero, quem Ptolemæi quarti in ſcripto ſuo meminiſſe docuit nos, in 1. Stromatum ſuorum libro Alexandrinus Clemens.

* Joh. Morin exerc. 1 Bibl. N. Abram. [illegible] ib. 3. hiſt. V. Test.

Prioris verò 215. annorum ſummæ, à Demetrio commemoratæ, partes ſingulares diſertè in Scripturâ habentur explicatæ. Quum enim 75. annorum fuerit Abraham quum ex Charane in Chananæam eſt profectus; Gen. XII. 4.) & 100. quum natus eſt ei Iſaac. [Gen. XXI. 5.] colliguntur

A profectione Abrahami in terram Chanaanam uſq; ad nativitatem Iſaaci, anni	25.
A nativitate Iſaaci, uſque ad nativitatem Jacobi, [Geneſeos 15. 26.]	60.
A nativitate Jacobi, uſque ad deſcenſum ipſius cum tota familia in Ægyptum. [Geneſ. 47. 9.]	130
Summa	215.

Jacobi filius Joſephus, 30. erat annorum, quum Pharaonis ſomnium exponens, ſeptem primùm annos ſaturitatis, ac totidem deinde famis inſtare prædixit. [Geneſ. XLI. 46.] Incunte verò anno famis tertio, Jacob cum familiâ ſuâ deſcendit in Ægyptum: [cap. XLV. 6.] quum filius Joſephus jam eſſet annorum 39. ut ab Auguſtino etiam in libro 16. de Civitate Dei cap. 40. eſt notatum. Quibus 39. ab annis, quos tunc agebat pater 130. deductis, reliquuntur 91. quot annorum Jacobum eſſe oportebat, quando ei natus eſt Joſephus. In lucem autem editus eſt Joſephus, quum finiti eſſent anni illi 14. quibus Jacobus avunculo ſuo Labani ſervivit pro duabus ſuis uxoribus [cap. XXX. 25. 26.] Quos ipſos 14. annos ſi à 91. iterùm ſubduxeris manebunt 77. quæ Jacobi ætas erat, quum in Meſopotamiam veniens, Labani ſervire cœpit; ductus in ipſo ſervituris initio, duabus illius filiabus, Leâ & Rachelâ: quemadmodum in Annalibus noſtris, ad annum Mundi 2245. eſt oſtenſum. Neque aliud certè innuunt verba illa, Geneſ. XXIX. 20. *Ita ſervivit Jacob pro Rachela Septem annos; qui viſi ſunt in oculis ejus tanquam dies pauciſſimi, propterea quod amabat eam.* Inde enim [ut à Lydiato noſtro in Adverſariis ſuis eſt notatum] apparet, *eum potuiſſe amatâ: aliquin enim viſi eſſent plures non pauciores. Nam deſiderium facit ut quæ revera ſunt momentanea, videantur diuturna: quemadmodum apud nos quoque vulgari proverbio dicitur, iis qui alicujus rei deſiderio tenentur, unumquemque diem videri annum, donec potiantur.* Et Prov. XIII. 12. *Spes protracta ægrum efficit animum*, Ideóque Quod in commate 21. Statim ſequitur, *Et dixit Labani Jacob, Da mihi uxorem meam*; per conjunctionem cauſalem & verbum temporis pluſquàm perfecti [Quo Hebræi carent] rectiùs exprimerentur: *Dixeras enim Labani Jacob, Da mihi uxorem meam.* ut oſtenderetur quo pacto, jam inde à ſervitutis initio, Jacobus Leâ ſimul & Rachelâ potitus fuerit: quod in ſubſequente hiſtoria pleniùs explicatur.

Datam verò fuiſſe Jacobo utramque uxorem, quum reſtaret adhuc peragendum ſeptennium ſervitutis alterum, conſentiunt omnes ferè Interpretes: illud commatis 27. *Imple hebdomadem hujus*, cum Hieronymo in Traditionibus Hebraicis & Auguſtino quæſtione 89. in Geneſim, de ſeptem diebus nuptialis convivii interpretantes. Sed in prioris itidem ſeptennii exordio æquè id fieri potuiſſe, minùs advertentes, in unius ſeptennii ſpatium 12. liberorum Jacobi

natalia

natalia conjicere coacti ſunt, quum ipſa Lea continuatis partubus *Rubenem*, *Simeonem*, *Levin & Judam*, enixa fuerit: & quum parere deſiiſſet, Rachelæ ſororis exemplo incitata Zelpham ancillam marito ſubſtituerit; quæ *Gadem* primo, & ſequente anno, *Asherem* illi peperit; ipſáque iterùm Lea, *Iſſacharem* primùm deinde *Zabulonem*, ac poſtremò *Dinam* filiam peperierit. Quas novem conceptiones & partus, ſi non alio quàm 40. dierum puerperii (ex more, Levitic. XII. 2. 4.) interpoſito intervallo, ſeſe invicem ſubſecuti, & novem menſium Solarium ſpatio, unumquemque factum in utero materno geſtatum fuiſſe poſuerimus; ipſum ſeptennium, tot liberis in lucem producendis, non ſuffecturum deprehendemus. At Scriptura, præter Joſephum ultimo in loco à Rachela in lucem editum, *Danem* quoque & *Naphtalin*, ex ancilla ipſius Bala priùs ſuſceptos, commemorat. Quibus Jacobus Sallanus, (nihil neceſſe eſſe putabat ad ſeptimeſtres partus, cum Chronico Hebræorum & Genebrardo, hìc confugere) ut locum commodum invenire poſſet, jam tum, quum Lea gravida incederet, ancillam ipſius Zelpham ad Jacobi lectum denuò admiſſam, indeque Asherem ancillæ, poſt Iſſacharem Dominæ filium, natum fuiſſe ſtatuit: quemadmodum in ejus Schemate nativitatis Patriarcharum, anno Mundi 2183. ſubjecto, videre licet. Quod incommodum Dionyſius Petavius ut evitaret, & ordinem natalium Patriarcharum in Hiſtoriâ præmonſtratum, conſervaret; paulò poſt admiſſam ſecundò Zelpham, ipſam quoque Leam concepiſſe vult: indéque, [a] *anno XIII. ſervitutis natum fuiſſe ex Zelpha Asher; è Lea verò Iſſachar ineunte anno, & exeunte Zabulon.* Verùm ſacra Hiſtoria natalium non ordinem ſolùm, ſed interſtitium quoque ſimul nobis exhibet. Quis enim dubitet, Si Lea eodem fermè quo Zelpha tempore partui fuiſſet vicina, quin tuo potiùs, quàm ancillæ filio, *Asheris* nomen indidiſſet? Dicebat enim; *Beatè eſt mihi, nam beatam prædicabunt mulieres*: ideóque vocavit nomen ejus Asher: (cap. XXX. 13.) Et interpoſita inter natum Asherem & conceptum Zabulonem, de mandragoris à Rubene primogenito in agro inventis & ad Leam allatis, narratio, non modò interſtitium jam dictum confirmat, ſed etiam grandioris tum Rubenem ætatis fuiſſe evincit, quam Petavianæ rationes eum fuiſſe patiantur; quæ annorum tantùm trium cum dimidio eum conſtituunt, quum abiens in agrum, flores illos colligeret.

A nativitate Joſephi uſque ad Jacobi reditum in Chananæam, anni fuerunt VI. in quibus Labani ille ſervivit pro mercede. (Gen. XXXI. 41.) A Jacobi in Chananæam adventu uſque ad ortas inter Joſephum (annorum 17. exiſtentem cap. XXXVII. 2.) & fratres inimicitias, anni fuerunt XI. atque inde uſque ad Jacobi & ſuorum in Ægyptum deſcenſum (quando annorum 39. fuiſſe Joſephum, eſt oſtenſum) anni XXII. Quo tempore cùm Benjamin decem filiorum fuerit pater; (cap. XLVI. 21.) etiamſi eorum aliquos gemellos fuiſſe ponamus, (polygamiæ cum ſuſpicionem ætatis ejus ratio vix admiſerit) plurium tamen quàm XXII. annorum eum tum fuiſſe oportuit, & quinquennio circiter, ante medii intervalli finem in lucem editum; quum Jacobus parer 104. fuiſſet annorum, frater Joſephus 13. Ante nativitatem Benjaminis, raptus Dinæ & Sichimitarum cædes accidit: (cap. XXXIV.) eámque mox ſecuta Jacobi in Bethele habitatio; cap. XXXV. 1. 16.) quam Hebræi, in Seder Olam Rabba cap. 2. ſex tantùm menſium fuiſſe dicunt. Neque diuturnam hìc moram, hinc nativitas Benjaminis, illinc Simeonis & Levi ætas, ad perpetrandam Sichimitarum cædem idonea, facilè eſt admiſſura. In apocrypho XII. Patriarcharum Teſtamento, Levi ſe quaſi annorum viginti fuiſſe ait, quando cum fratre Simeone Sichimitas cæcidit. Alexander Polyhiſtor ex Demetrio (apud Euſebium libro 9. Præparationis Evangelicæ) eámque Petavius & Salianus ſecuti, Levin tunc annorum 20. cum dimidio, Simeonem annorum 21. menſium 4. fuiſſe volunt. Quæ ætas ad tam audax facinus aggrediendum minùs videtur fuiſſe idonea. Sed hi, integro licèt decennio poſt Jacobi in Chananæam reditum, Sichimitarum cædem peractam ſtatuant, fratrum tamen natalia in ſecundum ſervitutis ſeptennium conjiciunt: quum ex noſtrâ ſententia, horum natalia ad primum referente, Sichimitarum cædem ſexennio poſt Jacobi reditum factam ſupponente, à Levi annum ætatis 24. & Simeone annum 25. agente, cædem iſtam fuiſſe peractam conſequatur.

Porrò eorum, qui cum Jacobo deſcenderunt in Ægyptum, numerus, à Moſe in Geneſ. XLVI. 26. 27. ita habetur explicatus. *Omnes anima quæ ingreſſæ ſunt cum Jacobo in Ægyptum, egreſſi è femore ejus, præter uxores filiorum Jacobi, omnes animæ ſexaginta ſex erant. Filii autem Joſephi qui editi ſunt ei in Ægypto, ſunt animæ duæ: ſic omnes animæ domus Jacobi, quæ venit in Ægyptum, ſunt ſeptuaginta.* De quo Hieronymus, in Traditionibus Hebraicis in Genelin. *Manifeſtum eſt, omnes animas, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum de femoribus Jacob, fuiſſe ſeptuaginta: dum ſexaginta ſex poſtea ingreſſæ ſunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Joſeph ſcilicet cum duobus filiis ejus; ſeptuageſimus autem ipſe fuerit Jacob.* Sed cùm ſcripſiſſet Moſes, Joſephum *vidiſſe Ephraimi filios uſque ad tertiam generationem, & filios Machirii filii Manaſſis, in genibus ſuis ſuſcepiſſe*, cap. L. 23. editionis vulgatæ Græcæ, quæ LXX. interpretibus tribuitur, authori placuit ita hujus XLVI. capitis Geneſeos commati 20. adjicere. *Fuerunt autem filii Manaſſis, quos ei peperit concubina Syra, Machir. Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manaſſis, Suthalaam & Taam. Filii autem Suthalaam, Edom.* & quinque hiſce catalogo Moſaico additis, commate 27. concludere; *omnes animas, quæ cum Jacob ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuiſſe ſeptuaginta quinque.*

Quandoquidem verò quinque iſti ſuperadditi in rerum naturâ *nullo modo eſſe potuerunt, quando Jacob in Ægyptum venit, & filios Joſeph, nepotes ſuos ævos iſtorum, maneres quàm novem annorum pueros invenit*: Auguſtinus, libro 16. de Civitate Dei, capite 40. vera Scripturæ verba iſta fuiſſe exiſtimans, ad violentam illam expoſitionem hìc ſe recipere eſt coactus; *introitum Jacob in Ægyptum, quando eum in ſeptuaginta quinque hominibus Scriptura commemorat,*

[a] Petav. doct. temp. lib. 9. cap. 19. & l. 13. ad ann. mundi 2247.

memoras, non unum diem vel unum annum, ſed totum illud eſſe tempus quandiu vixit Joſeph per quem factum eſt ut intrarent. Quam tamen ob alias quaſdam difficultates occurrentes, ad ipſam quoque Hebraicam veritatem, eámque hîc ſecutam editionem vulgatam Latinam, accommodandam cenſuerunt, Abulenſis, Pererius, Delrius, Cornelius à Lapide, Bonfrerius, Menochius, Tirinus, in Geneſ. cap. XLVI. Salianus, ad annum Mundi 2329. num. 11. & alii: ex ipſis illis 70. à Moſe in textu originali commemoratis, eo quo in Ægyptum deſcendit Jacobus tempore, nondum natos fuiſſe defendentes. Quorum ſententiam diligenter expendit & refellit Torniellus, ad annum Mundi 2329. à num. 4. ad 8.

[a] Abram. in Pharo Veter. Teſtam. lib. 2. cap. 27.

Verùm alios hîc omnes [a] Nicolaus Abrahamus longè ſuperat. Illa enim commatis 8. verba; *Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael qui ingreſſi ſunt in Ægyptum*, non de 70. illis Jacobi poſteris, ſed de filiis propriè dictis intelligenda eſſe aſſerit. *Qui autem*, (inquit) *è filiis ejus propagati recenſentur, non ideo nominantur, quod jam nati fuerint, & cum Jacobo in Ægyptum deſcenderint (neque enim ipſiam id Scriptura dicit:) ſed occaſione filiorum commemorantur præcipui quique, qui partim cum ipſo venerunt, partim poſt ejus deſcenſum nati ſapientiæ laude rerumque geſtarum gloria, præ cæteris floruerunt.* Atque in hoc commento adeò ille ſibi placet, ut Sic demùm rem concludat. *Hic explicandi modus, ſi alium (præter me) authorem haberet, cæteris anteponendus videretur: quod nullam vim adferat Scriptura, nec aliter verba ſonat, quàm ut purè ſonant, (quod potiſſimum in hiſtoriâ ſacrâ ſpectandum eſt) & omnes difficultates exolvat*, quibus *intricantur ii, qui aliam sensus rationem.* Præclarè ſanè: quum illud ipſum, in quo primarius difficultatis nodus conſiſtit, omninò non attingat: quâ ratione *ſeptuagenarius*, animarum in Ægyptum intrantium numerus ſalvari poſſit, ſi plures vel pauciores eò ingreſſæ fuiſſe dicantur. Septuagenarius enim ille numerus in tribus divertis locis à Moſe diſertè legitur expreſſius.

Eorum primus ille eſt, quem ex Geneſeos XLVI. 27. jam produximus; *Omnes anime domus Jacobi, quæ venit in Ægyptum, ſunt Septuaginta.* Secundus habetur in ipſo libri Exodi initio. *Hæc ſunt nomina filiorum Iſraelis qui venerunt in Ægyptum: venerunt autem cum Jacobo, unuſquiſque cum domibus* (vel *familiis*) *ſuis.* tum, recenſitis Jacobi filiis propriè dictis, in commate 5. ſubjicitur. *Erant omnes anime eorum qui egreſſi ſunt de femore Jacobi Septuaginta.* Tertius ille eſt, Deuteronom. X. 22. *In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cœli.* Ex quo videre licet, eos qui certum & definitum Iſraëlitarum numerum, reipsâ in Ægyptum deſcendentium, in ſeptuagenario iſto Calculo nolunt agnoſcere, non modò vim Scripturæ verbis inferre, ſed etiam ipſum Moſis ſcopum planè evertere; qui non alius erat, quàm ut, ex quàm paucis in Ægyptum deſcendentibus, quàm multi deinceps orti fuerint, dilucidiùs intelligeretur: juxta illam confeſſionis formulam, primitias offerentibus à Deo præſcriptam, Deuter. XXVI. 5. *Syrus periens erat pater meus, qui deſcendit in Ægyptum hominibus paucis, ut peregrinaretur illic; evaſit autem illic in gentem magnam, robuſtam, & amplam.*

Ex tribus verò exemplis, quibus Nicolaus cum aliis adſtruere eſt conatus, aliquos ex 70. illis à Moſe commemoratis, nondum fuiſſe natos, quum Jacob in Ægyptum deſcenderet, (*Er* enim & *Onan* in Chananæâ pridem mortui, & Joſephi nepotes *quinque*, in Græca editione ſuperadditi, ad numerum hunc ſeptuagenarium non pertinent) primum à numero filiorum Rubenis eſt petitum quod ab illo ſic urgetur. Ruben duos tantùm liberos ante migrationem ſuſceperat, ut probat Salianus ex illis Rubeni verbis, Geneſ. XLII. 37. *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi*, qui ſi jam plures liberos ſuſtuliſſet, non dixiſſet, *duos filios meos, ſed, duos è filiis meis interfice.* Ejus tamen filii quatuor, Geneſ. XLVI. 9. in Jacobi familia numerantur. *Reſp.* Non probat hoc Salianus, [b] ſed ut *ſufficionem* proponit, paraphraſi illâ Philonis (in libro de Joſeph) ſuffultam. Εἰς ἀμφίσβητον τὸ δύο ἐμοὶ δίδωμι, οἷς ἂν μόνοις ἐθέλητε, τοῖσδε ἀντιδίδοτον. *Do tibi duos filios obſides, quos ſolos genui: hos interfice, niſi, &c.* Simul tamen monet, Abulenſem contendere quatuor illos jam tum fuiſſe genitos; & duos Rubenem dixiſſe filios, ut eos uni opponeret. *Et fortè ſatius eſt ita dici; ne difficultates hoc loco ſine neceſſitate augeamus:* inquit ipſe Salianus. Et verba hunc in modum reddidit Tremellius: *Hos duos filios meos morti tradito.* ac ſi ex quatuor filiis duos tantùm, qui tunc præſentes aderant, pater indicaſſet.

[b] Salian. ann. Mund. 2329. num. 7.

„ Secundum exemplum eſt filiorum Benja-
„ minis; de quo Nicolaus idem. Benjamin,
„ (inquit,) vix ad tertium ac vicesimum æta-
„ tis annum pervenerat; jam tamen undecim
„ (decem volebat dicere) in ejus familia re-
„ cenſentur, quorum aliquos ejus nepotes
„ fuiſſe, Septuaginta viri tradiderunt. Sed Benjaminem vix ad XXIII. ætatis annum tum pervenille, probari non poteſt; quum Scripturæ rationes (ut jam vidimus) XXVII. eo tempore illum fuiſſe annorum facilè patiantur: quâ ætate, liberorum decem potuiſſe illum eſſe patrem, nihil impedit. Ex his quidem editio vulgata Græca, (quæ Septuaginta illis verbis tribuitur,) tres tantùm immediatos Benjaminis facit filios, è reliquis, ſex nepotes, & unum proneporem conſtituens. Ita enim ea habet. Υἱοὶ Βενιαμίν, Βαλὰ, &c. *Filii autem Benjamin, Bala, & Bochor, & Aſbel. Fuerunt autem filii Bala, Gera, & Noeman, & Anchis, & Roas & Mamphim, & Ophim.* (quod nomen in Romanâ editione eſt omiſſum) *Gera autem genuit Arad.* Quæ nepotum hic diſtinctio, non minùs quàm quinque Joſephi nepotum ſuperadditio, Auguſtinum ad duriorem illam explicationem confugere compulit [c] *Quia in filiis ſuis plerumque appellatur Jacob, hoc eſt in poſteris ſuis; & per Joſeph eum conſtat in Ægyptum intraſſe: introitus ejus accipiendus eſt, quandiu vixit Joſeph, per quem factum eſt ut intraret. Toto quippe illo tempore naſci & videri potuerunt omnes qui commemorantur, ut 75. anima compleantur uſque ad nepotes Benjamin.*

[c] Auguſtin. quæſt. 173. in Geneſin.

In textu verò Hebraico; ſicut etiam in Chaldaicis paraphraſibus Onkeloſi & Jonathanis,

verſione

verſione Syrâ, editione vulgatâ Latinâ, & Joſepho libro 2. Antiquit. cap. 4. omnes iſti decem, ut immediati Benjaminis filii recenſentur. Tremellius tamen in notis ad I. Chronic. VIII. 1. & Bonfrerius ad Geneſ. XLVI. 21. etiam nepotes in filiorum numero promiſcuè hîc recenſeri exiſtimant: quòd in Numeror. XXVI. 40. Ard & Naaman, & in I. Chronic. VIII. 3. 4. Gera & Naaman, filii Belæ eſſe dicantur. Sed nihil obſtat, quominùs dici poteſt tres filios habuiſſe Belam, patruis ſuis cognomines. In loco certè Chronicorum, textus Hebræus duos ejuſdem nominis habet Geras: textus verò Syrus, duos Geras ſimul & Naamanes; alteros Benjaminis filios, alteros ejuſdem ex filio Belâ, vel Balâ nepotes.

Tertium exemplum eſt Heſron & Hamul nepotum Judæ Patriarchæ ex filio Phares: *qui cùm hoc* deſcenſus *tempore vix primum annum exegiſſet ætatis ſuæ, non poſſunt filii ejus geniti eſſe, niſi poſt viginti circiter annos, nedum ingreſſi eſſe Ægyptum cum avo & proavo.* Ita [a] Salianus: probationis ſuæ fundamentum à Geneſeos cap. XXXVIII. 1. deducens; ubi *Scripturam aperte docere aſſerit, Judam accepiſſe uxorem eodem tempore quo Joſeph abductus eſt in Ægyptum.* Et cùm Auguſtinus quæſtione 128. in Geneſim, difficultatem huic emergenti aliquatenùs occurriſſet, dixiſſet, fortaſſe Moſem hîc recapitulatione uſum, poſteriùs narraſſe, quæ ante aliquot annos facta eſſent; admittendam eſſe hanc ἀναπαλαίωσιν, [b] ille negat: tum quia Scriptura dixerit id factum בעת ההוא *in tempore ipſo* (vel *illo* potiùs) tum quia, ſi hoc conjugium venditionem antecеſſiſſet, nihil erat cauſæ, cur non etiam ante venditionem narraretur, ne præcipua Joſephi hiſtoria inutiliter interrumperetur, quod fuſiùs ab Abulenſi contra Aben Ezram diſputatum eſſe monet.

Et Aben Ezra quidem, quem multo (ſed irrito) conatu Abulenſis hîc ivit oppugnatum, recapitulationem ſive hyſterologiam hanc non obſervavit ſolùm, ſed etiam exceptionibus adverſùs eam à Saliano jam allatis ſtudiosè ſimul occurrit. Cauſam enim interſertæ hoc in loco hiſtoriæ reddit iſtam; ut magis inde elucеſceret, quàm longè aliter ſe Joſephus geſſerit in negotio heri ſui, quàm frater ipſius Judas hîc ſe geſſerit: locutionem autem iſtam, *in tempore illo*, eodem modo in Deuteronom. X. 8. uſurpari notat; quomodo & ab aliis eſt obſervatum, *in die illo*, ſine determinata aliqua temporis notatione, ſedecies in vetere & novo Teſtamento eſſe poſitum. Hocque ipſo in loco, *in tempore illo*, non ad illud, quo in Ægyptum venditus eſt Joſephus, ſed quo ipſe Judas in Chananæam cum patre advenit, referendum eſſe defendimus. Ex noſtra verò hypotheſi, primi paternæ ſervitutis ſeptennii anno quarto natus Judas, ætatis 18. egiſſet annum, quo tempore in Chananæam primùm eſt ingreſſus: ſub finem videlicèt ætatis, exeunte anno Mundi, juxta noſtras rationes 2265. Mox ibi uxore ductâ *Chananitide*, in anni 2266. ætate, *Erem*; in 2667. ſub veris exitum, Onanem; & in anno 2668. poſt veris initium *Selam*, ſuſcipere ex eâ potuiſſet.

Apparens deinde Jacobo Deus, eandem fœcunditatis benedictionem ſoboli ejus impertiit, quam anteà Noachi filiis communicaverat, (Geneſ. X. 1, 7.) dicendo; *Creſce & multiplicare, Gens & cœtus gentium eris ex te* (cap. XXXV. 11.) Unde, ut nunc apud primos Orbis renovati inſtauratores (quemadmodum in V. operis hujus capitulo à nobis eſt oſtenſum) ſic & nunc apud Jacobi poſteros, ut ſtatim ab ineunte pubertate opera liberis daretur, in uſu eſſe cœptum videatur. Ita ſub exitum veris anni 2280. *Eri*, annum ætatis decimum quintum & pubertatis primum ingreſſo, ſimilitérque ſub exitum veris, anni 2281. Onani uxorem Thamaram dare patet potuiſſet, Mox verò Onane ob ſcelus à Deo morte affecto; edixit Judas Thamaræ nurui ſuæ, ut tantiſper vidua in domo patris maneret, Donec Sela tertius filius adoleſceret. Quo paulò poſt initium veris anni 2282. pubertatem aſſecuto, Judah à morte uxoris ſeſe conſolaturus, Thimnam, ad tondendum gregem ſuum, ſub ætatis ſequentis initium abiit. Ibi Thamara; ſoceri mente de filio Selâ ipſi non dando ſatis perceptâ, ſcortum ſe ſimulans, ex ipſo Judâ duorum liberorum mater eſt effecta. Hac ratione ſub finem hyemis anni 2283. gemelli illi Phares & Zara in lucem fuerint editi: annis 15. cum quadrante, priùs quàm Jacob cum ſuâ familiâ in Ægyptum deſcenderet. Ita ſub initium anni 15. Phareſi naſci potuit Heſron, ſub finem Hamul; vel, ſi gemelli fuerunt, ſub finem ambo; & infantes ſimul cum patre in Ægyptum ingredi. Quâ in re totâ cùm nihil ſit quod vel naturæ vel rationi repugnare deprehendatur; æquo lectori relinquimus judicandum, an non hæc potiùs admittenda fuerit, quàm ſententia illa altera, quæ Heſronem & Hamulum, licèt longè poſtrà in Ægypto natos, à Moſe tamen inter eos qui cum Jacobo deſcenderunt in Ægyptum, numeratos, fuiſſe ſtatuit?

[a] Salian. ad ann. Mundi 2329. num. 10.

[b] Id. ad ann. Mund. 2106. num. 41.

CAP. XI.

De annis 215. peregrinationis Iſraëlitarum in Ægypto. Argumenta pro diuturniore eorum morâ allata ſolvuntur: in quibus, de B. Iobi & Iobabi Idumæorum regis temporibus, ac Ioſua genealogiâ agitur. Anni exodi incerti characteres.

A Profectione Abrahami ex Charane, uſque ad Jacobi deſcenſum in Ægyptum, annos 215. peregrinationis Hebræorum in terrâ Chanaanis effluxiſſe Scripturæ teſtimoniis comprobatum eſt. Quibus ex integrâ 430. annorum peregrinationis ſummâ ſubductis; æqualis 215. annorum relinquitur numerus, Ægyptiacæ ipſorum peregrinationi aſſignandus. Quo verò tempore in Ægyptum Jacobus deſcendit, filium ejus Joſephum 39. fuiſſe annorum eſt oſtenſum: quos ſi à totius vitæ 110. annis; (Geneſ. L. 22.) ſubtraxeris; ſupererunt

A deſcenſu Jacobi in Ægyptum, uſque ad mortem Joſephi, anni	71
Inde ad Moſis nativitatem uſque,	64
A nativitate Moſis uſque ad exitum Iſraëlitarum ex Ægypto. [Exod. VII. 7.]	80
Summa,	215.

Anni

Anni 71. & 80. quos ex Scripturâ habemus, simul juncti, 151. efficiunt: qui ex 215. totius peregrinationis Ægyptiacæ deducti, 64. relinquunt annos, interstitio, inter Josephi obitum & Mosis ortum, tribuendos Judæi, quinquennio ante Abrahami profectionem ex Charane 430. annorum initium collocantes, moræ Israëlitarum in terra Ægypti, 210. tantùm annos tribuunt: quos Chaldaica quæ Jonathani tribuitur paraphrasis cum Hierosolymitana in Exod. XII. 40. per חלתין שמיטין ירחין *triginta sabbata sive hebdomadas annorum* exprimit. Ejus annorum numeri signum in Pirke Eliezer cap. 48. & passim apud Rabbinos est vox ירד *Descendit*; quâ ad filios usus est Jacobus, Gen. XLIII. 2. posterorum suorum in Ægypto moram, annorum 210. (quot litteræ illæ conficiunt) futuram fuisse innuens; ut notat ad eum locum R. Salomo Jarchi, interpres Talmudicis nugis plus nimio deditus. In Seder Olam Rabbah. cap. 3. Job, patientiæ illud exemplar, natus fuisse dicitur, quum Israëlitæ descenderunt in Ægyptum, & mortuus quum inde ascenderunt. Et cùm post flagella, annos illum 140. exegisse, & quicquid ipsi fuerat duplo Deum auxilse, sic scriptum. (Job. 10. 16.) ante hæc annos 70. & in universum, annos 210. (quanta fuerit Israëlitarum mora in Ægypto) vixisse illum, inde colligitur.

Et quidem in Synopsi Athanasianâ, passim etiam fuisse Job legimus, cùm esset annorum 70. quod etiam ex ipso textu Græco, Job XLII. 16. colligitur, ut quidem Romana cum editio nobis exhibet; in quâ Job post plagas annos 170. in universum autem annos 140. vixisse dicitur. Cum quâ exactè quadrat ille calculus Hesychii, vel quicunque author fuit, inditarum in libros quos Sapientiales vocant Hypothesium; *ὢν ἑβδομήκοντα, ἐπέζησε δὲ μετὰ τὰς πληγὰς ἔτη ρ. ὡς εἶναι πάντα ζωῆς αὐτοῦ ἔτη σμ. Passus autem est* Job, *quum esset annorum* 70. *supervixit verò post plagas*, *annos* 170. *sic ut fuerint omnes vitæ ipsius anni* 240. quanquàm & hujus textus duæ aliæ reperiantur lectiones: rarior una, in B. Hieronymi ex Origenicâ editione versione. *Vixit autem Job post plagas centum quadraginta annis:* —— *& omnes anni vitæ ejus fuerunt* 248. Cum quâ consentit & Græca editio Complutensis (in Bibliis polyglottis, tum Antuerpianis tum Parisiensibus, retenta:) priore membro uti in Hebræo inveniebatur expresso; altero, (quod in eo non erat & idcirco præfixo obelo ab Origene notabatur,) penitùs prætermisso. Altera verò, communis & ab omnibus maximè recepta lectio, non in Aldinâ solùm editione, & Germanicis omnibus, sed etiam in antiquissimo Alexandrino (quem in Angliâ habemus) codice, reperitur. *Vixit verò Job post plagam annos* 170. *omnes annos vixit* 248. Anni 170. ex 248. deducti, relinquunt 78. quot Jobum, quum primùm pateretur, egisse ait author commentariorum in Job, quos Origeni perperàm adscriptos Latinè vertit Perionius. Annorum 170. (quos post passionem Job hic vixisse dicitur) pars dimidiata est 85. Cùm igitur Jobo post tentationem duplicia reddita fuisse referantur omnia, (in quibus & anni fuerint numerandi) 85. eum fuisse annorum quum certamina finiit, illsque ad 170. quos postea vixit additis, universæ vitæ annorum summam 255. extitisse, Olympiodorus (vel quis alius in Catena ad Job. XLII. 16.) colligit. Quòd autem in textu, vitæ illius anni 248. tantùm commemorantur, eo septem passionis ipsius annos mysticè innui asserit; quos in vitæ annis non recensitos arbitratur ille, *ὅτι τελεῖ ἐν τῷ παθεῖν εἶναι νεκρόν*, quòd ærumnosa vita mors esset potiùs quam vita existimanda. Neque alia fuit *septennii*, Jobi calamitatibus tum temerè assignari soliti, aut origo aut ratio. De quo vide, (si placet) Salianum in anno Mundi 2398. num. 1. & 2544. num. 751. 752. ubi in priore loco, nota obiter: non (ut ille opinatur) apud Origenem Perionii 70. pro 78. sed apud Cyrillum Anastasii, num. 78. pro 70. esse reponendum.

Ut igitur de ætate Jobi certius aliquid statuatur, primò ante exitum Israëlitarum ex Ægypto, (ex ætate Eliphazi Themanitæ sodalis ejus) ostendendum est, non eorum in Ægyptum ingressu, & consequente ipsius Ægyptiacæ peregrinationis tempore, certaminum Jobi historiam contigisse. Et primùm, ante Legem à Deo Mosi traditam, Jobum exitisse, manifestum esse docet Chrysostomus, *ἀπὸ δὲ μακροβιώτατος τούτου γεγονώς, καὶ ὑπὲρ τὰ διακόσια ἔτη βεβιωκώς· οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν νόμον τοσαῦτα ζῶντας ἱστόρηται. Ex eo quòd longævam vitam vixerit, & supra ducentesimum annum protraxerit. Post legem enim qui tandiu vixerit, de nullo memoriæ est proditum.* Ætate hominum ordinariâ, ad 70. vel 80. annos redactâ: quemadmodum in Psalmo XC. 10. ipse Moses confirmat. Addunt alii, [a] historiam hanc accidisse, antequàm insignia Dei miracula, quæ in Exodo scripta sunt, Israëlitis exhiberentur & passim celebrarentur: quia aliàs hæc intra cætera Dei opera, quæ in Jobi libro prædicentur, etiam recenserentur. Præsertim autem Deus ipse nequaquàm capite quidem XXXVIII. *maris*, XL. autem *Jordanis*, ita mentionem faceret, tanquam inauditum fuerit quòd homines superi eorum fundo ambulassent. Et quoniam Dominus cap. 39. inquit ad Jobum: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum vagientes, eo quòd non habeant cibos?* Haud dubiè interrogâsset, quis Israëlitis quadraginta annos victum præbuit in deserto: nisi historia Job vetustior esset actis Exodi. Neque ulla hîc usquam legis, nisi per manus traditæ, mentio: & quæcunque hic veterum historiarum attinguntur, antiquorum tunt temporum. Ex eo quoque hoc eliciunt [b] quòd post latam legem nemini licuit alibi, quam coram arcâ vel tabernaculo Dei sacrificare, sine mandato singulari: ideóque Job, aut non fecisset contra præscriptum Legis sacrificans, (c. 1. & XLII.) aut Scriptura non commendasset illius sacrificia, si venisset contra legem.

Porrò frater Jacobi Esau, quum esset 40. annorum, uxorem duxit Basmatham, sive Adam filiam Elonis Hittæi, atque ex eâ suscepit Eliphazum, patrem Themanis; (Genes. XXVI. 34. & XXXVI. 2. 4. 11.) à quo Eliphaz Themanites, qui cum Jobo est collocutus, duxit originem. Subductis annis 40. Esavi sive Jacobi (gemelli enim fuerant) ab 130. quot Jacobus agebat, quando cum familiâ suâ in Ægyptum est profectus; (Genes. XLVII. 9.) restant 90. inter primas Esavi nuptias & Israëlitarum descensum in Ægyptum, interpositi. Unde colligere licet, Eliphazum Themanitem, (à Themane,

[a] Codoman. Chronolog. lib. 4. cap. 35.

[b] Tremell. & Jun. in Job. 1. 1.

Esavi

Eſavi ex filio primogenito Eliphazo nepote oriundum) eodem vixiſſe tempore quo in Ægypto peregrinati ſunt Hebræi: maximéque eſſe probabile, Jobi (æqualis ipſius) hiſtoriam poſt Joſephi mortem (tempore inter Geneſin & Exodum interjecto) contigiſſe; quando ipſis Iſraëlitis ad Ægyptiacorum idolorum cultum deficientibus (Joſu. XXIV. 14. Ezechiel. XX. 8.) de universâ terrâ peragratâ & ſibi ſubditâ, Satanæ gloriandi data eſt occaſio (Job. I. 7. II. 11.) Ipſo verò ingreſſus Iſraëlitarum anno, natum fuiſſe Jobum, & egreſſûs denatum, Judaicum commentum eſt.

Hæc de ætate Jobi quæſtio, ex eo diligentiùs à nobis eſt tractata; quia ex ea [a] Nicolaus Abramus moram Iſraëlitarum in Ægypto neque 210. neque 215. ſed 430. fuiſſe annorum probare nititur: ſed hoc ſatis debili ſubſtrato fundamento; quòd *Job* idem fuerit cum *Jobab* Zaræ filio, ſecundo Idumæorum rege, cujus meminit Moſes in Geneſ. XXXVI. 33. ubi & Zaram hunc, ex Idumæorum Ducibus unum, filium facit Rehuelis, filii Eſavi & Baſemathæ, ſororis Nabajoth, & filiæ Iſmaëlis (*comm.* 3. 10. 17.) Hanc verò Nabajoth (Nabathæorum patris) ſororem Iſmaëlis filiam, Baſematham & Mahalatham dictam, Eſavum eo tempore uxorem duxiſſe idem refert, quo frater Jacobus, acceptâ patris benedictione, ex Chananæâ in Meſopotamiam eſt profectus: (cap. XXVIII. 6. 9.) à quo, uſque ad Jacobi & familiæ ipſius deſcenſum in Ægyptum, annos decurriſſe, 53. oſtendimus. Unde, & ſub id tempus, Jobabum natum fuiſſe Nicolaus colligit: quòd vix ante annum ab inito matrimonio quinquageſimum, ad pronepotes ſoleat, ac generationem tertiam perveniri. Conſiderandúmque poſteà nobis ille proponit: quomodo ſex poſt Jobabum Idumææ Reges, alios aliis morte ſublatis ſuffectos, Moſes numeraverit; eo præſertim ævo, quo mortales vitam diutiùs propagabant, & poſt hanc Regum ſeriem Duces undecim recenſuerit; quos ex I. Paralip. I. 51. ſatis conſtat non ſub Regibus, ſed poſt eos Reipublicæ gubernacula tenuiſſe.

At certè anni 215. commorationis Iſraëlitarum in Ægypto, & 40. ferè in deſerto, tempus ſuppeditabunt ſatis amplum, quod & octo illis Regibus, qui regnaverunt in Idumæa, *antequam haberent Regem filii Iſraël*, (Geneſ. XXXVI. 31.) id eſt, (ut exponit doctiſſimus Grotius) priuſquàm Iſraëlis poſteri terram Chananæam ac vicinas ſunt adepti, ante quod tempus regem ipſis facere non licuit; (Deuteron. XVII. 14.) & undecim etiam Ducibus recipiendis ſuffecerit: ſi modò duo iſta admittamus; quibus non admiſſis, ne 430. quidem anni habitationi Iſraëlitarum in Ægypto attributi, illis capiendis eſſent ſuffecturi. I. Cùm Reges iſtos ex diverſis fuiſſe civitatibus Moſes memoret: non jure hæreditario regnum eos obtinuiſſe, (ex quo contingere poterat, ut adoleſcens regnum adeptus, in longævâ illâ hominum vitâ, ad centum annos illo potiretur) ſed vel populi ſuffragiis, vel vi armorum (uti Eſavo à patre Iſaaco fuerat prædictum. Geneſ. XXVII. 42. *Gladio tuo vives*) ad Regium faſtigium fuiſſe evectos: at jam ætate ſeniores, & uſu rerum inſtructi eò pervenientes, non ita diuturnum in imperio tempus neceſſariò exegerint. II. Eos qui ſub Regibus, ſingularium provinciarum duces extiterunt, ſed ſupremo illo imperio ſubditi, ſublatis poſteà Regibus iiſdem provinciis liberam & αὐτοδυναστον poteſtatem obtinuiſſe: ità ut undecim illi à Moſe memorati Duces, non (ut in Regibus factum) alii aliis ordine ſucceſſerint, ſed ſimul omnes & eodem tempore provinciarum ſuarum adminiſtrationem obiiſſe. Atque hinc Moſes, quum in ipſo ex Ægypto exitu, *Ducum* Idumææ in Cantico ſuo meminiſſet; (Exod. XV. 15.) poſt annos tamen 39. ſub *Regio* adhuc imperio Idumæam fuiſſe indicat. (Num. XX. 14. Judic. XV. 17.) ex quo ulteriùs colligimus 1. Regem illum, qui Iſraëlitis tranſitum per terram ſuam denegavit, fuiſſe *Hadarum*, poſtremum Idumæorum regum à Moſe memoratorum. 2. Idumæorum erga fratres ſuos Iſraëlitas inhumanitatem hanc citò Deum fuiſſe ultum: eodem anno & Rege per mortem, & ipſo regno per politiæ mutationem ſublato. 3. Moſem, anno 40. poſt exitum ex Ægypto, librum Geneſeos vel ſcribentem vel ſaltem interpolantem, undecim illorum Ducum ex ſtirpe Eſavi ortorum, qui Regibus in ſummo imperio ſucceſſerunt, nomina recenſuiſſe, *Secundùm familias ſuas, & ſecundùm habitationes in terrâ poſſeſſionis ſuæ*; (Geneſ. XXXVI. 40. 43.) utpotè diverſis provinciis in eâdem Idumææ regione, eodem tempore, uti dictum eſt) præfectorum.

Sed hypotheticè hîc diſputat Nicolaus Abramus. Si Jobabus Idumæorum rex idem fuerit cum B. Jobo, quem poſt tentationes ſuas 140. annos vixiſſe Scriptura teſtatur; intra angustias 215. annorum, moræ Iſraëlitarum in Ægypto & 40. in deſerto, non poſſe contineri quatuor illorum regum tempora, quos Jobabo in regno, ut & illis alios in Ducatu, antequàm à Moſe liber Geneſeos conſcriberetur, ſucceſſiſſe apparet. Quæ conſequentia vera ſi fuerit: non diuturniorem, quam 215. annorum Iſraëlitarum in Ægypto fuiſſe moram, inde probabitur. Sed falſitas illius hypotheſeos, quæ Jobum eundem facit & Jobabum, inde convincetur, quòd duo illa argumenta, quibus hypotheſeos hujus patroni veritatem ejus oſtendere ſunt conati, alterum à nominum Jobi & Jobabi ſimilitudine, alterum ab authoritate *appendicis* (ut loquitur Abramus) *quam* LXX. *Seniores libro Job velut laciniam attexuerunt*, petitum, jamdudum à Nicolao Lyrano ſunt ſoluta; ad cap. 1. Jobi, ita Scribente. *Nec motivum aliorum valet, de ſimilitudine nominis Job & Jobab, quia frequenter contingit duos homines valde diverſos non modò ſimili, verùm etiam prorsùs eodem appellari nomine. Supponitur etiam falsum, quòd prædicta nomina ſint valde ſimilia: cùm ſecundum ſcripturam Hebraicam, ſint multùm diſſimilia. Hoc enim nomen Job, in Hebræo incipit per Aleph* (איב) *nomen verò Jobab per Jod.* (יובב) Deinde, de laciniâ illâ reſpondet, quæ in Bibliis Græcis ad finem libri eſt adjecta, & cujus pars in Latinis (ex Jobo, ab Hieronymo è Græcâ linguâ translato, deſumpta) in libri initio, *Argumenti* loco, inter Hieronymi Prologos poni ſolebat. *Similiter additio quæ allegata eſt non valet: quia, ſicut dicit Hieronymus in libro de Hebraicis Quæſtionibus, non eſt in Hebræo, & ideò non eſt ei adhærendum ſecundùm ipſum: dato quòd inveniatur ali-*

[a] Abram. Phar. Vet. Teſtam. lib. 9. cap. 22.

quando in fine libri Job. Et ex hoc patet, quòd si ponatur in fine Prologi Hieronymi, non eſt hoc de intentione ſuâ; ſed hæc additio & conſimiles, ab aliquibus minùs expertis in hiſtoriis & genealogiis Hebræorum, appoſita ſunt: propter quod de ipſis non eſt curandum.

Et certè appendiculam hanc eſſe *apocryphum*, in libro 1. de Verbo Dei cap. 10. Cardinalis Bellarminus confirmat. Cui fruſtrà authoritatem ex eo conciliare nititur Abramus; quòd LXX. *quæ ad calcem libri Job addiderunt, ſe non ſuopte finxiſſe ingenio, ſed de codicibus Syriacis (unde quidam ab ipſo Moſe librum Job in Hebraicam linguam tranſlatum putant) deprompſiſſe teſtentur.* Quaſi verba illa in calce libri, Οὗτος ἡρμηνεύτη ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, *Hic interpretatus eſt ex Syriaco libro*, ad ſequentem appendiculam referenda eſſent, & non ad librum ipſum, qui præceſſerat: & quaſi res eſſet extra omnem poſita planè controverſiam, Syriacum hîc ſermonem diſtinctum fuiſſe ab Hebraico; in Græcâ a Catena contrarium obſervandum inveniamus. Συριακὴν μὲν, τὴν Ἑβραΐδα (vel Ἑβραϊστί,) διάλεκτον καλεῖ διὰ τὸ γειτνιάζειν ταύτην τῇ τῶν Σύρων, (al. τὴν διάλεκτον τῶν Σύρων τῇ Ἑβραΐδι) ἔχειν δὲ καὶ δύο γραφὰς ἔχει, καθάπερ οἱ Ἑβραῖοι καὶ Σύριοι ἢ τὴν Ἰουδαϊκὴν, καὶ Σύρους οἱ πολλοὶ τοὺς Παλαιστίνους ὀνομάζουσι. *Hebraicam dialectum hoc loco Syriacam vocat: quia Syrorum linguæ proximè ad eam accedit, & viginti duabus litteris Hebræi & Syri pariter utuntur; Judæam etiam Syriam, & Paleſtinos plerique Syros appellant.* Hæc Olympiodorus, vel quicunque alius in Catenâ illâ: cum quo & author Commentariorum in Job conſentit, quos falſò Origenis nomine Latinè à ſe converſos edidit Perionius.

a Caten. in Job per Patricium Junium. pag. 622.

Pro nobis verò faciunt Hebræi, tum antiqui [apud Hieronymum, in Epiſt. 126. ad Evagrium, & Traditionibus Hebraicis in Geneſ. cap. 36.] tum poſteriores omnes, Iſaacide [quomodo R. Salomonem Jarchi, ab Iſaac uno è majoribus, fuiſſe cognominatum, à Judæis ſe didiciſſe refert b Scaliger] uno excepto: de quo Aben Ezra, ad Geneſ. capite 36. יובב בן זרח איש אדום אינו איוב אשר אמרו היודרי המדברי *Eſtam Jobab filius Zerach, non eſt Job, quemadmodum dixit Iſaacides, vanè* ſeu *furiosè agens.* Pro nobis quoque ex Latinis facit Hieronymus, in Quæſtionibus ſive Traditionibus in Geneſ. cap. 22. & poſt eum Philippus Presbyter, atque Beda [falsò creditus Hieronymus] libri Jobi interpretes; cum Ruperto Tuitienſi, lib. 6. Comment. in Gen. c. 34. Petro Trecenſi [Hiſtoriæ Scholaſticæ author] cap. 5. ſuper librum Geneſis, & recentioribus aliis. Neque enim audiendus hîc vel Petavius, c *ſatis exploratum* eſſe objiciens, *quæ in Traditionibus Hebraicis ab* Hieronymo *memoriæ prodita ſunt, magis ex Hebræorum mente, quàm ex ſententiâ ſuâ plerumque proferri*; vel Abramus, *alios ſolâ Hieronymi authoritate permotos*, hanc ſententiam eſſe amplexos affirmans. Ex propria enim ſententia locutum hîc fuiſſe Hieronymum, verba hæc ipſius clariſſimè oſtendunt. *Malè igitur quidam æſtimant Job de genere eſſe Eſau, Siquidem illud quod in fine libri ipſius habetur, ex quod de Syro Sermone tranſlatus eſt, & quartus ſit ab Eſau, & reliqua quæ ibi continentur, in Hebraïs voluminibus non habentur.* Alios autem ut in eandem concederent ſententiam, non tam authoritas Hieronymi, quàm ratio ab ipſo allata, permovit; quòd Appendix illa, cujus præſumptâ authoritate Veteres in errorem ſunt inducti, *in Hebraïs voluminibus non haberetur*, & Canonicam conſequenter authoritatem haudquaquàm obtineret.

b Scalig. Canon. Iſagog lib. 1. pars. 2. cap. 1.

c Petav. doctrin. temp. lib. 3. c. 20.

Quæ eadem ratio & Græcorum quoſdam permovit, ut eam Appendicem rejicerent: de quibus ita Polychronius. d Παραγράφουσι τινὲς ἐκ τοῦ τέλους ἱστορίαν; ὡς μὴ ἐμφερομένην ἐκ τῆς Ἑβραικῆς, τοῦδε τέλους ὄντος ἔχει δ', Καὶ ἐτελεύτησεν Ἰὼβ πρεσβύτερος καὶ πλήρης ἡμερῶν. ἀλλ' ἀκάκτως, φασὶ, ἱστορίαν ἐκ τῆς ὁμοιότητος τῆς ἐν Γενέσει φερομένης περὶ τοῦ κ' τὸν Ἡσαῦ γενεαλογίαν, ἔνθα μέμνηται Ἰωβὰβ, τὸ τοιοῦτόν τινα ἐπεισαγαγόντων· καὶ λοιπὸν ἕνεκα τοῦ χάριν ἐκ ἐφοῖτο πάντες βιβλίον ἐπεξέλαυνε τὰ παραγεγραμμένα. *Genealogiam quæ in fine eſt rejiciunt, quia in Hebræo non reperitur: & liber iis verbis claudituv*; Et mortuus eſt Job ſenior & plenus dierum: *nominis autem ſimilitudinem in Genealogiâ Eſau, quæ in libro Geneſeos extat, ubi Jobabi mentio ſit, anſam erroris & hujuſmodi ſcholii quibuſdam præbuiſſe; tractúque temporis poſteà, quæ margini adſcripta erant, in libri textum ab aliis aſſumpta eſſe aſſerunt.* Et Olympiodorus, in Protheoria capitis 3. & ultimi libri Job; ut quidem Græci capita diſtinguunt. Φασὶ μέν τινες μὴ εἶναι τῆς ἱερᾶς ταύτης γραφῆς, ἀλλὰ παρεγγεγράφθαι τῷ βιβλίῳ τὰ ῥήματα. Ἡμεῖς δὲ ἐν πάσαις ταῖς Ἑλληνικαῖς ἀντιγράφοις οὕτως ἡρμόσμεθα γεγραμμένοις τῷ βιβλίῳ, ταῦτα τὰ ἐγγεγραμμένα οὕτω δεχόμεθα ὡς παρὰ τῶν πατέρων παρειλήφαμεν. Quæ in fine libri ſunt, *dicunt quidem nonnulli non eſſe ſacra hujus Scripturæ, ſed libro huic aſſuta & adſcripta eſſe verba. Nos verò cùm in omnibus Græcis exemplaribus librum ſic ſcriptum invenerimus, ita omnia quæ in eo ſcripta ſunt recipimus, prout à patribus nobis tradita ſunt.*

d Procem. Caten. Græc. in Job.

Argumentum, quod à rebus geſtis Aſſyriorum deducit e Nicolaus Abramus, nos omninò non ferit. Neque enim contra nos probat, longiùs quam 215. annorum ſpatium Ægyptiacæ Iſraelitarum peregrinationi eſſe tribuendum; ſed Amraphelem tantùm, Sennaaris ſive Babylonis regem, longè ante Nini tempora, ab Abrahamo Patriarcha profligatum fuiſſe demonſtrat: quod nos libentiſſimè concedimus. In Aſſyriorum enim imperii duratione Herodoti rationes Cteſianis & Euſebianis præferentes [quas & jure præferendas, in libro 6. quem *Nearchum*, ſive de *regno Aſſyriorum* inſcripſit, ipſe agnoſcit Nicolaus] Abrahami illam victoriam 645. annis ante Nini exordium, in Annalibus noſtris collocavimus: ut ad hoc efficiendum, Iſraëlitarum in Ægypto commorationem, ad annos 430. extenderit, nihil nobis fuerit neceſſe.

e Abram. ut ſupra. cap. 19.

At poſſe [putat Nicolaus] f *ex annis Caath demonſtrari, moram filiorum Iſraël in Ægypto fuiſſe plus quàm 215. annorum.*

f Id. ibid. cap. 14.

Sed quomodo hoc ille demonſtret, videamus. Cùm fuerint *anni Caath centum triginta tres*, ut Exodi VI. 18. dicitur: *quamvis eum jam puberem facimus, cùm Ægyptum ingreſſus eſt, neceſſe tamen eſt, ut in Ægypto annos centum & viginti præterpropter exegerit. qui ſi 80. Moſis annis* [cap. VII. 7.] *accedant: ducentorum annorum ſummam colligent. Aut igitur Iſraelita pluſquàm 215. annis in Ægypto manſerunt, aut quindecim duntaxat annorum ſpatium inter*

Caathi

Caathi mortem & Moſis exortum interfuit. Hoc autem poſterius dici non poſſe, liquet ex iis quæ cum inter illius obitum & hujus ortum geſta narrentur, haudquaquam tamen, tam anguſtæ temporis intercapedine, cælandi potuerunt. Atque inter hæc, Iſraëlitarum multiplicationem & oppreſſionem, ſimul cum Amrami & Jocabedæ matrimonio reponit: & ex eo quòd Moſis infantuli ſoror מרים vocetur, (c. II. 8.) adoleſcentulam & nubilem eam fuiſſe colligit; indéque *Amrami & Jocabedæ nuptias, multis licet annis ab obitu Caathi, non paucis tamen ante Moſis exortum, fuiſſe contractas* concludit, *& audiendos non eſſe qui moram Iſraëlitarum in Ægypto 215. annorum anguſtiis circumſcribunt.*

Nos verò eam de Caathi in Ægyptum deſcendentis primâ pubertate hypotheſin, quam pro libertate ſuâ videri ille vult ultrò nobis eſſe largitus, nos minimè recipimus. Cùm enim juxta rationes noſtras, inter nativitatem Levi patris Cahati & migrationem in Egyptum, anni 50. interceſſerint, (ut in Annalibus videre licet:) quid obſtat, quominùs Cahathus in Ægyptum deſcendens non modò pubertatis, ſed etiam virilis ætatis annos attigiſſe poſſet putari? ita ut 50. annorum eò ingreſſus 103. annos ibi exegerit, & 32. ante natum Moſem annis vitam finierit. Nam potuiſſe hoc fieri, ſuis fuerit nobis obtendere, qui reſpondentium hîc partes ſuſtinemus: factum non fuiſſe, niſi certo aliquo indicio demonſtrator noſter oſtenderit, in quindecim illorum anguſtias impellere nos non poterit; quibus ſublatis, ſimul & totam argumentationis illius vim concidere neceſſe eſt.

Certè quæ in ſacrâ Hiſtoriâ, de ſervitute & afflictione Iſraëlitarum ante Moſis nativitatem, referuntur, intra 32. annorum ſpatium potuiſſe peragi, mihi non eſt dubium. Multiplicationem verò populi Iſraëlitici, vivente adhuc Cahatho, conſpicuam & maximè potuiſſe eſſe obſervabilem, res ipſa monſtrat. Nam Amrami & Jocabedæ nuptias, poſt Pharaonis de ſubmergendis Hebræorum infantibus edictum, fuiſſe initas, non aliunde habetur quàm ex duobus illis verbulis, *Poſt hæc*, Exodi II. 1. in editione vulgatâ Latinâ additis: quæ in textu Hebraico, Græco, Chaldaico, Syriaco, Perſico, & Arabico, nuſquam apparent. Quin & ipſam multiplicationem Iſraëlitarum tam obſervabilem, eámque inſecutam ſervitutem eorum & afflictionem duriſſimam, Cahathi morte fuiſſe poſteriorem, non aliunde quàm ex eadem Latina verſione loci, Exod. I. 6. colligitur. *Quo* (Joſepho) *mortuo, & univerſis fratribus ejus, omnique cognatione illâ, filii Iſraël creverunt, &c.* quum in textu originali Hebraico, pro *cognatione*, legatur דור quæ vox non ſanguinis propinquitatem, ſed generationem hîc denotat, id eſt hominum, (Ægyptiorum præſertim) univerſitatem qui Joſepho & fratribus ejus ætate æquales extiterunt. Ita *ætas* & *progenies* in Horatianis illis ſumitur:

[a] *Ætas parentum, pejor avis, tulit*
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

[a] Horat. Carm. lib. 3. Od. 6.

Et *generatio*, in *Pſal.* LXXVIII. 3. 4. *Quæ patres noſtri narraverunt nobis, non celabimus filios eorum, generationem alteram:* & commate 5. 6. *Mandavit patribus noſtris, nota ea facere filiis ſuis ut cognoſcat generatio altera, filii naſcituri; exurgentéſque enarrent filiis ſuis:* ubi, quum filii alteram conſtituant generationem; ad paternam non magis hîc referendus fuerit Cahathus, quàm ſoror ejus Jocabeda, Levi ipſius filia, (ut in capite VIII. ex Numer. XXVI. 59. eſt oſtenſum) quam perſecutione maximè ſæviente Moſem peperiſſe conſtat. Unde & Hebræi in Seder Olam cap. 3. non à Caathi obitu ſervitutis Ægyptiacæ tempus deducunt, ſed à morte patris ejus Levi: à quâ ad nativitatem Moſis annos 48. in Annalibus noſtris numeratos invenies; ſpatium iis omnibus quæ ad hanc hiſtoriæ partem pertinent capiendis ſufficientiſſimum.

A Latinæ quoque editionis authoritate potiſſimùm dependet argumentum illud alterum à Nicolao ex Joſuæ genealogiâ deductum: quæ in eâ, I. Chronicor. VII. 25. hunc in modum habetur propoſita. *Porrò filius ejus Rapha, & Reſeph, & Thale, de quo natus eſt Thaan, qui genuit Laadan. Hujus quoque filius Ammihud, qui genuit Eliſama; de quo ortus eſt Nun, qui filium habuit Joſue.* Cui nos integrum poſterorum Ephraimi catalogum ſubjiciemus, prout in textu Hebræo legitur.

Ephraim.

Shuthelah, Beriah.	*Sheerah filia.*	*Rephah* בנו
		Reeph.
Bered בנו		*Tela* בנו
Tahath בנו		*Thaan* בנו
Eladah בנו		*Laadan* בנו
Tahath בנו		*Ammihud* בנו
Zabad בנו		*Elishama* בנו
Shuthelah בנו		*Nun* בנו
Ezer.		*Joſua* בנו
Elead.		

His, qui in prima ſerie ſunt nominati, à viris Gath interfectis, Ephraimo natum fuiſſe Beriam, ex ſacrâ quam Nicolaus confirmaſſet hiſtoriâ; de cladis hujus tempore, quod in Scriptura reticetur, ſubjicit. *Quo ſanè tempore, ut res ipſa docet, annus ab ingreſſu Jacobi in Ægyptum, ſaltem ſeptuageſimus quartus effluxerat, ſupererántque ad Exodum 140. duntaxat anni; ſi 215. tantùm annis filios Iſraël in Ægypto verſatos eſſe ſtatuamus.* Deinde, ut confeſtim ſumens, tres primos in ultima ſerie nominatos, Beriæ fuiſſe filios, Joſuam octavum ab Ephraim, ſeptimum à Beria fuiſſe colligit. Tum ex Joſu. XXIV. 29. Joſuam annos 110. vixiſſe addit: quum poſt Moſis obitum rempublicam adminiſtraſſet annis 10. ut placet Melchiori Cano & Cajetano, aut 14. ut putat Pererius, aut 17. ut Beda & alii tradiderunt. Juxta quam poſtremam ſententiam, cùm ex Ægypto egreſſus eſt, Joſua annorum fuiſſet 53. *quos* 53. inquit Nicolaus, *ſi ab* 140. *deduxeris, invenies inter Beriæ & Joſuæ exortum* 87. *duntaxat annos intereſſe, qui præcoci quâdam fœcunditate ſeptem aut octo generationibus tribuantur, ut ſinguli Joſuæ majores, liberos duodecimo circiter ætatis anno, ſuſceperint; undecimo generarint. Quæ ſi meritò diſplicuerint; certè præſtabat tempus manſionis in Ægypto producere, quam tot generationum capita, tam arctis temporum limitibus cohibere.* Ita ille.

Nos verò dicimus Hebraicum בן quod toties in hac genealogia occurrit, tum *filium ejus*, tum *filium ejuſdem* denotare: & priore modo ſub finem, poſteriore in principio & medio genealogiæ accipi. In prima enim ſerie articu-

lum non ad præcedentem perſonam, ſed ad primum ſtirpis authorem, ipſum Ephraimum eſſe referendum; neque Nicolaus negat: & ſi negaret, eandem vel etiam majorem fœcunditatis præcocitatem hîc agnoſcere cogeretur, quam in noſtra ſententia tantopere improbat. Nam cùm Joſephus ex filii ſui Ephraimi progenie, tres tantùm generationes vidiſſet: (Gen. L. 23.) ipſe Ephraimus hâc ratione viſurus fuiſſet decem, & quidem novem ex iis aptas armis ferendis, quod niſi prole ante annum 22. ſuſceptâ, ægrè credere poſſimus contigiſſe. In ultimâ quoque ſerie, ubi Repha dicitur בן *filium ejusdem*, Ephraimi ſcilicèt, ſimiliter accipiendum eſſe contendimus: tum quia nomen proximè antecedens erat fœminæ, quam ſi affixum reſpexiſſet, בנה dicendum fuiſſet, non בן, tum quia *Tahan* tertius in eadem ſerie nominatus, inter immediatos Ephraimi filios à Moſe recenſetur [Numer. XXVI. 35.] Tantúmque abeſt, ut cum Nicolao filium Beriæ Rephiam conſtituamus, ut & Rephiam & Tahanem, ante ipſum Beriam in Lucem fuiſſe editos, exiſtimemus. Neque enim primos illos, à Scriptore ſacro ideirco primo in loco nominatos fuiſſe putandum eſt, quòd reliquis ſeniores extitiſſent, ſed quòd communem ab hominibus Gathi cladem pertulerint, per eam patri Ephraimo nomen *Beriæ* proximo filio imponendi occaſionem dederint: quòd in afflictione ille fuiſſet propter familiam ſuam. [I. Chronic. VII. 23.]

Quòd ſi *Tahani* non in prima, ſed in tertia poſt Ephraimum generatione (quam & Joſeph, Gen. L. 23. vidiſſe dicitur) ſedem aſſignare cuiquam magis placeat: ne ſic quidem ad Chronologicas noſtras rationes aliquod accederet detrimentum. Si enim Ephraimum, annis 22. poſt deſcenſum Jacobi in Ægyptum, Tahanis avum procreaviſſe, & Joſuam annos 53. natum, ex Ægypto exceſſiſſe, admiſerimus; & Septem [inter Ephraimum & Joſuam interpoſitarum] generationum parenti cuique annos ætatis viginti, quum filium ſuum ſuſciperet, ſimul tribuerimus: tota ſumma 215. annorum numerum non eſt exceſſura. Ut ad præcocem illam fœcunditatem reſtringi hîc nos non fuerit neceſſe, quam Nicolaus ſibi fingit. Quem interim meminiſſe oportuerat, in hac eadem Ephraimi genealogia, filiæ ipſius Sheeræ mentionem fuiſſe factam, quæ Beth-horon inferiorem & ſuperiorem ædificavit, [I. Chronic. VII. 24.] ideóque poſt 7. annum Joſuæ, quo terra Chananæa Iſraëlitis eſt diviſa, ſuperſtes fuerit. Eam, etſi 130. patris anno genitam fuiſſe dicamus, plures tamen quàm 140. ut ipſa vivendo exegerit neceſſe eſt; moræ Iſraëlitarum in Ægypto 215. tantùm annis aſſignatis: quod etſi mirum, incredibile tamen non eſt habendum. Sed ut plures illam quàm 355. vel ſaltem 333. annos vixiſſe credamus, quod Nicolai poſtulat hypotheſis; neſcio qui ſtomachus poſſit concoquere.

Supereſt adhuc argumentum, à multiplicatione filiorum Iſraël in Ægypto petitum: *quod ſine miraculo, quod ſanè fingere neceſſe non eſt, vix potuerint in tantam multitudinem excreſcere, ut cùm in ingreſſu ſeptuaginta capita cenſa fuerint, ducentis pòſt annis armatorum ſexcenta millia numerarent.* Ita [a] Nicolaus; paulò diffidentiùs: cùm ante eum [b] Stapletonus multò confidentiùs: *fieri non potuiſſe abſque ingenti miraculo, ut 210. ann. ſpatio 72. homines, qui in Ægyptum deſcenderunt, ſic multiplicarentur, ut ex illis* [c] *ſexcenta millia hominum armatorum* [*præter innumerabilem aliorum multitudinem*] *inveniretur quum Ægyptum exirent.* Quod B. Auguſtino tamen mirum non eſt viſum, quæſtione 47. in Exodum, hac de re ſcribenti. *His annis quantum multiplicari potuerint Hebræi, ſi fœcunditas hominis conſideretur, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperietur non eſſe mirum, quod & ſexcentis millibus peditum egreſſus eſt populus ex Ægypto: excepto cætero apparatu, ubi & ſervitia erant & ſexui muliebris, & imbellis ætas.* His verò additis, ad 1800000. vel 2000000. numerum excreſcere potuiſſe cenſet [d] Bonfrerius: quod ille tamen adeò non miratur: ut potiùs ſibi mirum videri dixerit, quòd non plures extiterint. Hoc verò ut oſtendat, ex deſcendentibus in Ægyptum non 70. ſed 50. tantùm ſumens, ipſorúmque & poſterorum unicuiq; tres liberos maſculos duntaxat aſſignans: maſculos 150. oriri potuiſſe colligit, ex ſecundo 450 ex tertio 1350. ex quarto, 4050. ex quinto 12150 ex ſexto 36450. ex ſeptimo 109350. ex octavo 328050. ex nono 984150 in ultimo 2952450. qui numerus, maſculorum duntaxat, ferè tertiâ parte ſuperat numerum 2000000. ſuprà aſſignatum, maſculos ſimul & fœminas comprehendentem.

[c] Exod. 12. 37.

[d] Bonfrer. in Exod. c. 12.

Sed non ſatis ille conſideravit, decem hunc vicenariorum ab eo poſitum calculum conſiſtere non poſſe, niſi intra quemque vicenarium tres ſuos filios, cum pari ſaltem filiarum [ſuo tempore maritis conjungendarum] numero fuiſſe progenitos, conceſſerimus: quod neque admitti oportet, nec ipſius Bonfrerii hypotheſi eſt conſentaneum, quâ *ætatem generationi idoneam, eam qua viginti annorum eſt, conſtituere voluiſſe*, hic ſe docet. A qua ætate ſi generandi initium deduxiſſet, ſeptem potiùs tricenariorum, quàm decem vicenariorum annorum ordines, hîc ab eo fuiſſent reponendi. Et in tot quidem tricenarios, Iſraëlitarum in Ægypto moræ annos 210. [e] Torniellus diſtribuit: verùm in unoquoque tricenario ſeptem maſculos totidémque fœminas ſuſceptas fuiſſe ſtatuens, eorum aliquos, ante annum ætatis parentum viceſimum, in lucem fuiſſe editos, admittere & ipſe cogitur.

[e] Torniell. ann. Mundi 2329. num. 10

Id autem ſi evitare libeat, Bonfrerii hypotheſi ex Johanne Temporario [quem ille ducem potiſſimùm hîc eſt ſecutus] aliquantulùm correctâ, ſupponere liceat: ex deſcendentibus in Ægyptum 50. viros, annis 20. natu majores, primi poſt deſcenſum decennii annis ſingulis, liberos ſingulos procreaviſſe; eorúmque continuo ordine poſteros maſculos, exacto ætatis viceſimo, intra proximum quodque decennium, totidem liberorum patres extitiſſe: neque 3. cum Bonfrerio, neque 7. cum Torniello, ſed medium inter utrumque 5. marium numerum cuiq; tribuente: hac ratione ex primis illis 50. procedere potuerunt, annis poſt deſcenſum in Ægyptum.

X. maſculi.	250.
XL.	1250.
LXX.	6250.
C.	31250.
CXXX.	156250.
CLX.	781250.
CXC.	3906250.

Ab anno CXC. uſque ad annum CCXV. quo

[a] Abram. ut ſupr. c. 18. [b] Stapleton. antidot. in Act. 7. 6.

ex Ægypto eſt migratum, anni interceſſerunt 25. Ex quo apparet abſque ullo miraculo, mares eo tempore ex genere Iſraëlitico, ab anno 25. & ſic deinceps, uſque ad 34. natos, numero 3906250. &, ſimul additis tribus poſtremis progreſſionis hujus ordinibus, mares 4843750. ſimul viventes exiſtere potuiſſe: quum tamen ex Ægypto egreſſi circiter 600000. (Exod. XII. 37.) vel 603550. ab anno ætatis vicenario tantùm numerentur; (Exod. XXXVIII. 26. & Numer. I. 46.) præter Levitas, quorum mares, (ab ætate uſque menſtrua recenſiti) numerum 22000. confecerunt (Numer. III. 39.)

Quod ſiquis objiciat. Geneſ. XLVI. 26. omnes animas quæ cum Jacobo deſcenderunt in Ægyptum numero fuiſſe 66. *præter filiorum Jacobi uxores*; indéque colligat, deſcenſus illius tempore, ſolos Jacobi filios uxores habuiſſe, idcóque à nepotibus ejuſdem intra proximum decennium, liberos decem (quod à nobis eſt poſitum) ſuſcipi non potuiſſe: ſcire illum oportet, uſitato ſcripturarum more, *filiorum* nomine comprehendi & *nepotes*. Cúmque hic & Phareſi filii Judæ, & Beriæ filii Asheris liberi, inter 66. illos habeantur connumerati, non omnes Jacobi nepotes cœlibes in Ægyptum deſcendiſſe, ſatis apparet. Quanquàm etiam, ſi decem tantùm ipſius Jacobi filios, (prætermiſſis Levi & Joſepho) proximo decennio, eorúmque deinceps poſteros in ſequentibus ſex annorum tricenariis, quinque maſculos totidémque femellas, juxta præcedentem hypotheſin, ſigillatim procreaviſſe admiſerimus: juxta eam quoque rationem, tempore egreſſionis marium major exurgeret numerus, quàm ille ſuperior à Moſe memoratus; ut ex præcedentis progreſſionis tábella, à radice 50. ad 10. hunc in modum reducta, licet perſpicere.

Anno.	
X.	50. naſcerentur maſculi.
XL.	250.
LXX.	1250.
C.	6250.
CXXX.	31250.
CLX.	156250.
CXC.	781250.

Hâc enim (ut vides) ratione, egredi ex Ægypto potuiſſent mares 781250. quorum minimus 25. maximus 34. ætatis annum ageret. Quibus ſi majores natu, ætatis tamen annum 94. non excedentes, adjicere etiam libeat: poſtremis tribus ſummis ſimul junctis, exurget numerus 968750.

Quòd ſi iterùm quis hîc objecèrit; nullo modo eſſe probabile, à decem illorum Patriarcharum ſingulis intra proximum à deſcenſu in Ægyptum decennium, ſimilitérque ab eorum poſteris, intra unamquamque inſequentium annorum triacontadem, quinque filios, paremque filiarum numerum fuiſſe progenitum: conſiderandum illi ſimul erit, quicquid in admiſſâ hypotheſi reperiatur improbabilitatis, id omne ex aliis in eadem omiſſis, ſatis ſuperque eſſe compenſatum. Nam & poſt primum ab intrata Ægypto decennium, patres omnes exacto ætatis anno triceſimo, à liberis procreandis ceſſaviſſe ſupponuntur; quum iſto ævo etiam ſeptuagenarii & octogenarii gignere conſueverint: & in 10. ſolummodò Jacobi filiis radix Progreſſionis eſt fixa; nullâ 55. nepotum illius ratione habitâ, quos catalogus deſcendentium in Ægyptum à Moſe propoſitus ſimul exhibet.

Neque in ullas nos Thaddæus Dunus hîc conjicit anguſtias; ex Exod. I. 6. 7. objiciens, poſt mortem demùm Joſephi & fratrum ejus, totiúſque ætatis illis coævæ, multiplicationem hanc eſſe factam. Cùm enim ex noſtra ſententia, inter Joſephi obitum & Moſis nativitatem, 64. tantùm annorum intervallum interceſſerit; in tam brevi ſpatio, tam immenſam populi multitudinem exoriri potuiſſe, concedendum eſſe non exiſtimat. Verùm in ſcriptura illa, juxta eorum qui in Ægyptum deſcenderunt proportionem, Iſraëlitas ante Joſephi exceſſum creviſſe, Moſes non negat: licèt poſt illud tempus in eum numerum auctos eos fuiſſe doceat, ut *terra impleretur ipſis*; indéque novus Rex de iis duræ ſervituti ſubjiciendis, ac de infantibus eorum è medio tollendis, conſilium ceperit. Nam ſi in primis illis annis XVII. quibus in regione Goshenis Jacobus vixit, filii & nepotes illius *fœtificaviſſe* dicantur, *& auĉti fuiſſe valde* (Gen. XLVII. 27. 28.) quis, niſi progreſſionis arithmeticæ planè ignarus, annis 54. proximis, (quibus patri Joſephus fuit ſuperſtes) dubitaverit, eâdem propagationis ratione ſervatâ, numeroſam prodire potuiſſe ſobolem, ut ſtirps tam copioſa, intra annos 64. longè pluribus producendis ſufficeret, quàm ad Moſaicæ narrationis veritatem ſtatuendam, foret neceſſarium? Ita in 12. deſcendentium in Ægyptum hypotheſi, anno poſt deſcenſum 70. (qui proximè anteceſſit Joſephi obitum) 1250. & poſt 60. annos (id eſt, quadriennio ante ortum Moſis) 31250. mares prodire potuiſſent; quibus additus intermedius 6250. numerus 38750. maſculos exhiberet: præter parem fœminarum numerum, quæ quarto ante natum Moſem anno, ſimul cum eis exiſtere potuiſſent. Juxta alteram verò 50. generantium hypotheſin, ad 193750. numerus ille maſculorum exurgeret; (ex trium numerorum 6250. & 31250. & 156250. additione confectus:) quem, totidem fœminarum adjectione auctum, Ægyptiis non immeritò ſuſpectum eſſe potuiſſe, nemo dubitaverit.

Concludamus igitur tandem, Iſraëlitarum moram in Ægypto, neque 430. annorum fuiſſe, ut Genebrardi & Scapletoni, neque 431. ut Tichonii; neque 408. ut Thaddæi Duni, & Nicolai Abrami; neque 240. ut Guliel. Langii, & Rabbinorum quorundam; neque 239. ut Henrici Suizeri; neque 225. ut D. Parei; neque 216. ut Jo. Benedicti & Laur. Codomani; neque 210. ut communior Hebræorum, ſed 215. ut Chriſtianorum Chronologorum fert ſententia. Hi 215. anni (Juxta noſtras rationes) in medio anno mundi 2513. juxta Scaligeri & Petavii, (qui non 150. ſed 70. tantùm annos inter natales Tharæ & Abrahæ conſtituunt) in 2453. quem pro certo anno Exodi eſſe habendum, Scaliger (cum ſuis aſſeclis, Setho Calviſio & Johanne Bohemo) ex characteriſmis quibuſdam demonſtrare conatur; quos tamen nullius eſſe momenti, ipſe oſtendit Petavius; libro 9. de doctrina Temporum, cap. 23. & 25. cujuſmodi & illi ſunt Characteres, quibus Philippus Lansbergius ſuadere nititur, annum Mundi 2449. pro vero Exodi anno eſſe agnoſcendum:

[a] Lansberg. Chronolog. ſacr. lib. 3. cap.

quorum incertitudinem ipsa horum utrorumque mutua inter se collatio, satis manifestaverit. Ex eo enim, quòd dies exitus ex Ægypto fuerit feria hebdomadis quinta, & quòd annus post illum quadragesimus sextus, Jubilæus pariter & Sabbaticus fuerit, Scaliger supponit: ex eo verò quòd dies ille in septimam feriam incideriit, & ipse exitus annus Sabbaticus simul & Jubilæus extiterit, Lansbergius suum Mundi annum, pro genuino & certo esse agnoscendum, confecisse se existimat, quum de neutra illa feria quidquam ex Scripturis constet: neque ante Israëlitarum in terram promissam ingressum, annorum Sabbaticorum, atque inde nascentium Jubilæorum, ullam rationem fuisse habitam, ostendi possit, quemadmodùm suprà in 3^. capite monuimus.

CAP. XII.

Quarta ætatis mundi spatium annorum 479. fuisse ostenditur. Integritas numerorum 480. in lib. Regum & 450. in Actis Apostolorum integritas, & inter se consonantia, asseritur. Libri Judicum ordo & dispositio proponitur; annorúmque quietis terra supputandorum ratio exponitur. Davidica genealogia in fine libri Ruthæ a tribúsque aliis pariter consentientibus scriptura locis explicata, perfectio defenditur; posteriorum hominum, etiam ad nostra usque tempora, non minore quàm horum patrum longevitate demonstrata.

AD *quartam* Mundi ætatem jam perventum est: cujus spatium, in prioris Regum libri (qui aliis tertius numeratur) capitis VI. initio, à Spiritu sancto ita habetur expresè definitum. *Factum est quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto (mense Zivo, ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël, ut ædificare inciperet domum Domino.* Quum enim mensis primi die 15. ex Ægypto egressi fuerunt Israëlitæ, & mensis secundi die 2^. (ut II. Chronic. III. 2. legitur) in anno 4. Salomonis, Templi jacta sint fundamenta; annos 479. & dies 17. intercessisse liquet, non integros annos 480. quemadmodùm in hujus operis cap. III. contra Joh. Funccium suprà est ostensum. Severus verò Sulpicius, in priore sacræ suæ Historiæ libro, 588. ferè annos inter utrumque hunc terminum interjectos fuisse existimans, *non dubitare* se (addit) *librariorum potiùs negligentiâ, præsertim tot jam seculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quàm ut prophetæ erraverit.* Nostris quoque temporibus, Nicolaus Serarius (in III. Reg. VI. 1.) 680. pro 480. Nicolaus Raimarus Ursus (in scripto Chronologico Germanicè ann. 1596. edito) & Ludovicus Cappellus (*in Chronol. sacr. tabul. 9.* 580. pro 480. in sacrum textum irrepsisse censuit. *Cujusmodi in desperatis Chronologiæ quæstionibus, uti in perditis civitatibus χρονοκλοπες, extremi esse solent exitus*: inquit, in lib. 9. de doctrina Temporum cap. 32. Dionysius Petavius: cui meritò *hæc nimis effrenata grassandi in Scripturam licentia coercenda, & repudianda videtur.*

Melchior Canus, lib. XI. locorum Theologic. cap. 5. quum primò significasset, se *non existimare, aut fidei aut religionis quæstionem esse, num* 480. *ille annorum numerus, qui in codicibus vulgatis reperitur, librariorum vitio scriptus sit, an potiùs idem ab auctore sacro in suo exemplari positus*, atque sentire se deinde declarasset, interregnorum annos, seorsim à temporibus Judicum, esse supputandos: posteà subjicit. *Josephus, quoniam non ea solùm tempora quibus Judices præfuere, computare voluit, sed illa etiam quæ in interregnis sine Judicibus fluxerunt, verè summam* 590. *confecit annorum. At auctor libri Regum, interregnorum annis omissis, eos tantùm redegit in numerum, quos intellexit, dum Judices administrarent, intercessisse. Anni ergo plures ab eo, quo Israël excessit ex Ægypto, ad templi initia fluxere: sed ducum, judicum, & regum, non fluxere, nisi* 480. Quam sententiam, in suis ad illum Regum locum Notulis, etiam Emmanuel Sa est amplexus. Verùm, *hoc esse Scripturæ ridiculam & insulsam assertionem imponere*, rectè in commentariis ad caput ultimum Josuæ pronunciavit Jacobus Bonfrerius. *b Etenim quadringentesimo octogesimo anno ab exitu filiorum Israël, templi fundamenta esse jacta; quid aliud apud prudentem, neque studio tuendarum partium occupatum lectorem sonat, quàm totum illud interjectum ab exitu tempus totidem annis, neque pluribus pauciribusve, contineri?* Ex quo sequeretur Josephi supputationem, sacri scriptoris calculo, longè hic fuisse præferendam: dicendúmque foret, non jam (cum Sulpicio) *librariorum negligentiâ veritatem fuisse corruptam*, sed ipsum hîc *Prophetam erravisse*. Ad aliud igitur effugium Laurentius [c] hîc se recipiens, putavit, *non ineptè pronunciari posse quòd* I. Reg. VI. *tempus exitus ex Ægypto complectatur totam peregrinationem Israëlitarum, quæ à primo Paschate sumens initium, duravit, donec singulæ tribus occupassent suam promissæ terræ sortem, cujus causâ (mandante & mirabiliter adjuvante Deo) profectionem ex Ægypto susceperant.* Et ne novum cuiquam videretur, *ex eo loco unde eximus denominari totam profectionem quantumvis longinquam & diuturnam, quæ duret donec perveniatur ad locum cujus adeundi causâ iter suscipiebamus, etiamsi obiter incidant impedimenta moram efficientia*: duo ad hoc confirmandum Scripturæ testimonia producit. Unum ex Deuteronom. IV. 45. ubi *Moses dicitur suum quintum librum prælegisse Israëlitis* בצאתם *in exeundo, vel in exitu ex Ægypto: cum tamen id fieret anno* 40. *post transitum maris rubri, quo adhuc versabantur in itinere ex Ægypto versus terram promissam suscepto.* Alterum ex Psalmo CXIV. 3. narrante, *in exitu Israëlitarum ex Ægypto, Jordanem retro versum constitisse, quod anno* 41. *post transitum maris rubri factum est.* Itaque arbitratur, in I. Reg. VI. 1. *scripturam respicere ac definire tempus illud aliàs indefinitum, quo tribus* DAN (Judic. XVIII.) *dicitur hereditatem sibi quæsivisse. Tunc enim primùm*, (inquit) *finita est peregrinatio, quam filii Israël ex Ægypto ideò ceperant, ut quæque tribus suam hereditatem in promissâ terrâ occuparet: nec tamen affirmare potest, quando id factum sit, nisi fortè* 480. *anni à templi Salomonici absolutione* (vel primâ

a I. Chronic. II. 2. 12. mat. l. 3. Luc. III. 23.

b Petav. de doctr. temp. lib. 9. c. 32.

c Columna. Chronolog. lib. 2. cap. 17.

funda-

fundatione potiùs) *vetro numerati nobis oſtendant, quando ceſſaverit filiorum Iſrael exitus ex Ægypto, id eſt, tota peregrinatio quam ſuſcipiebant; non habitura finem, donec cuilibet tribui ſua ſors in terrâ promiſſâ obtigiſſet.* Eousque autem à diſceſſu ex Ægypto annos 118. effluxiſſe ille autumat, inter diſceſſum illum & jacta Templi fundamenta, annorum 598. intervallum conſtituens. Eandem quoque interpretationem in tabulis ſuis Chronologicis ſecutus eſt Michael Mœſtlinus: à diſceſſu tamen ex Ægypto, ad Danitarum illam expeditionem, annos 122. ad Templi verò fundationem annos tantùm 592. dinumerans.

Sed quàm ridiculum illud ſit, ſacrum libri Regum ſcriptorem, non ipſius fundati Templi epocham, ſed terræ à Danitis poſtremum occupatæ tempus, deſignare voluiſſe, quis non videt? Et (ut Johannem [a] Bohemum præterea contra Codomanum hîc diſſerentem audias) *quis tempus illud quo una tribus ſibi poſſeſſionem quæſivit, quódque anni ratione nobis ignotum, nominaret Exitum filiorum Iſrael ex Ægypto? quis à termino ignoto Epocham ſigeret? Monſtrum opinionis, præſertim cùm poſt ante tribui Dan ſuam poſſeſſionem habuerit, ut ex* Joſu. XIX. 40. *videre eſt: verùm ſors anguſtum. Bona namque terræ pars ei tribui per ſortem data, per Chananæos & Amorræos ei erepta;* Judic. I. 34. *Ideò tribus hæc, ſequentibus (nobis tamen annorum ratione ignotis) temporibus, excurrit ad ampliorem ſibi ſedem quarendam.*

[a] Bohem. Chronolog. manuduct. titul. 3. c. 6.

Alii, (cum Codomano) per *exitum ex Ægypto*, non tempus illud præcisè quo extra fines Ægypti pedem Iſraëlitæ extulerunt denotare, ſed aliquamultorum intervallum annorum comprehendere hîc exiſtimant, verùm intra modeſtiores aliquanto limites, temporis illud ſpatium coercendum eſſe cenſent. [b] Dionyſius Petavius, & eum ſecutus [c] Petrus Poſſinus, *exitum ex Ægypto*, tempus illud interpretantur, quo Iſraëlitæ 40. annis in deſerto obertantes, ad itineris metas terminúmque pervenerunt, & trajecto Jordane in terram Chananitidem introierunt. Quæ interpretatio, ſi aliquo modo admitti poſſet, in diſceptantiâ numerorum inter Hebræos & Græcos codices conciliandâ, uſum fortaſſe haberet aliquem. Licèt enim tam in Complutenſi editione, quàm in Græco MS. Arundelliano, eodem quo in textu Hebræo modo, anno ab exodo 480. Templum ædificari cœptum fuiſſe legatur: in Romanâ tamen, & Aldinâ, & Germanicis editionibus, ut etiam in codice Alexandrino, & apud Luciferum Calaritanum, Sulpicium Severum, atque Oecumenium (in Act. VII. cap. 8.) 440. tantùm annorum habetur numerus: quæ diverſitas utcunque componi potuiſſet, ſi ab initio exodi 480. à fine verò 440. annum illum fuiſſe habendum, dicere nobis liceret. Verùm ex ſcripturâ nullum adhuc productum eſt teſtimonium, quod nomine Exodi vel exitus ex Ægypto, etiam annum à migratione illa quadrageſimum ſignificari nobis perſuadeat. Nam ad loca quæ ad hoc confirmandum proferuntur, reſpondere nos docuit ipſe Petavius: quum monet apud Hebræos ב literam nonnunquam eſſe idem atque *poſt*, ut in Gen. XXXV. 9. Exod. II. 23. Numer XXVII. 16. Sic igitur Deuteron. IV. 45. ubi præcepta Domini Moſes Iſraëlitis propoſuiſſe dicitur בצאתם *quum exiviſſent ipſi* ex Ægypto, & in ſequente ſimiliter verſiculo, ubi Moſes & Iſraëlitæ, Silonem Amorræorum regem percuſſiſſe referuntur בצאתם *quum exiviſſent* ex Ægypto: *poſt* egreſſionem tacta iſta fuiſſe Moſes tantùm ſignificat, nequicquam verò tempus quo iſta vel facta vel dicta ſunt (utcunque *manifeſtum* id eſſe dixerit Petavius) egreſſionem vocat ex Ægypto. Neque alia in Pſal. CXIII. vel CXIV. Prophetæ mens fuit, quàm ut *præſentiâ Dei*, quam in populo ſuo, ex Ægyptiaca ſervitute liberando, mirabiliter ille declaraverat, commotum mare, *Mare fugiſſe, & Jordanem converſum eſſe retrorſum* indicaret: neutiquam autem (quod Poſſinus addidit) ut exitus de Ægypto, *duos utrinque extremos aſſignaret terminos; & planè declararet Exodum*, (*ſive exitum*) *aut Egreſſionem de terrâ Ægypti, nomina eſſe toti peregrinationi deſerti quadragenariæ convenientia.*

[b] Petav. doctr. temp. lib. 9. cap. 32. [c] Poſſin. de ſect. genealog. Chriſt. c. 9.

[d] Petav. ut ſupr. c. 32.

[e] Nicolaus verò Abramus, Pſalmiſtam his finibus exodum circumſcripſiſſe negat: LXX. Seniores etiam ulteriùs eos extendiſſe admonens; ubi [f] cum Joſuâ ſepultos fuiſſe dicunt lapideos cultellos quibus circumcidit filios Iſraël in Galgalis, ὅτε ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου, *quando eduxit eos ex Ægypto.* Unde probabiliter poſſe dici ille exiſtimat, *egreſſionem filiorum Iſrael eo demum tempore fuiſſe terminatam, cùm Arca, quæ hactenùs per vaſtiſſimas Arabiæ ſolitudines conducta fuerat, & egreſſus hactenùs comitata, in Silo requievit; quaſi tum denique longæ peregrinationis metam attigiſſet:* Anno videlicet Joſuæ circiter ſeptimo. Johannes Woltherus denique, ut prioribus quidem illis, vocem *Exitus* de tranſitu Iſraëlitarum per Jordanem interpretatur; ſed ſimul etiam cum Nicolao Raimaro numerum illum 480. toto centenario cenſet eſſe diminutum: à relictâ Ægypto ad Templi initium, annos 620. eâ ratione conſtituens.

[e] Nic. Abrami in Pharo Vet. Teſtam. lib. 10. cap. 27. [f] Joſh. 24. 30.

Verùm temerariam iſtam ſacri textus correctionem, cùm alii, Tum Johannes Bohemus manuductione ſuâ Chronologicâ, & Jacobus Bonfrerius in ſuis ad poſtremum Joſuæ caput commentariis, & Nicolaus Abramus in Pharo Vet. Teſtam. lib. 10. cap. 18. ſatis refutârunt; & à nativâ vocis *Exitus* ſignificatione nemo abduci ſe patietur, quin prudenter conſideraverit aliud de illis Scripturæ locis eſſe ſentiendum, in quibus בצאת (cum præpoſitione caſus ablativi indice) nudè ac ſimpliciter habetur poſitum; aliud de illis, in quibus לצאת (cum præpoſitione caſum genitivum denotante) menſis aut anni deſignatione ſimul appoſitâ. In illis enim, tempus *poſt exitum* generatim tantùm & indefinitè eſſe deſignatum; in his, præciſè & determinatè ab ipſo illo primo, quo ex Ægypto diſceſſum eſt, menſe, ut à certâ & notâ epochâ, ſupputationem eſſe deductam, res ipſa indicat. Hoc certè à Moſe diligenter obſervatum fuiſſe videmus, Exodi. XVI. 1. Iſraëlitas in deſertum Sinis veniſſe ſcribente, *quinto decimo die menſis ſecundi* לצאתם, *egreſſionis ipſorum de terrâ Ægypti*; & cap. XIX. 1. *menſe tertio* לצאת *egreſſionis Iſraëlitarum de terrâ Ægypti*, veniſſe eos in deſertum Sinai. & Numer. XXXIII. 38. mortuum eſſe Aaronem *anno quadrageſimo* לצאת *egreſſionis Iſraëlitarum de terrâ Ægypti, menſe quinto, primo die*

menſis.

menſis. Neque aliam quàm Moſaicam epocham, ſacrum libri Regum ſcriptorem uſurpaſſe, quum 480. *anno* אחר *egreſſionis Iſraelitarum de terrâ Ægypti, menſe ſecundo*, templum Salomonicum extrui cœptum fuiſſe tradentem, jure ullo dubitare poſſumus.

Quæ verò ad deſperata hæc remedia viros doctos perpulerunt, ut aut Scripturæ textum ipſum immutarent, aut violentâ interpretatione diſtorquerent, duæ fuerunt rationes præcipuæ: altera ex Paulinâ oratione *Act.* XIII. 20. eſt deducta; altera à numeris annorum in libro *Judicum* expreſſis, qui longius quàm 480. annorum, inter exitum ex Ægypto & poſita Templi fundamenta, intervallum neceſſariò poſtulare videantur. Ac primo, *vel mendum eſſe in illo numero* 480. *annorum*, *qui eſt* I. Reg. VI. 1. pronunciat Ludovicus Cappellus, *vel mendum eſſe in loco* Act. XIII. 20. *ubi Deus dicitur Iſraeli dediſſe Judices per annos* 450. *uſque ad Samuelem. Neceſſe* enim eſſe aſſerit, *alterutrum horum numerorum eſſe falſum; neque poſſe ſimul conſiſtere.* Quam opinionem Cajetanus quoque, Lutherus, Funccius, Mercator, Buntingus, Temporarius, Perkinſius, Pius, Lidyatus, Lansbergius, & alii ita ſunt amplexi; ut in Actorum tamen locum mendum potiùs irrepſiſſe cenſuerint, numero 450. pro 350. poſito: quòd in Græco longè faciliùs πεντακοσίοις in τετρακοσίοις, quàm in Hebræo ארבע מאות in חמש vel שש mutari potuiſſe exiſtimarent.

Verùm non in numeri 450. mutatione, (quem in omnibus libris, Græcis, Latinis, Syriacis, Æthiopicis, Arabicis, conſtanter retentum videmus) Apoſtolici & Prophetici calculi reconciliatio ab iis fuerat inquirenda; ſed à loco potiùs ejuſdem atque ordine, qui in variis editionibus rariùs habetur & diverſus. In vetere enim vulgata Latina tranſlatione verba Apoſtoli, ita leguntur reddita. *Sorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt quadringentos, & quinquaginta annos: & poſt hæc dedit Judices*, quomodo & in quibuſdam manuſcriptis Græcis codicibus, ſe ſcriptum invenitſe Johannes Mariana teſtatur, pro editione vulgata cap. 15. κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡσὶ μὴ τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔτεσι, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κριτάς. In [a] Petri Taxardi Marchionis Veleſii, videlicet MSS. quos ad textum Latinum & hîc & alibi paſſim de induſtria fuiſſe conformatos magna eſt ſuſpicio.

His verò longè antiquius Alexandrinum, quod in Anglia habemus exemplar, majuſculis literis exaratum, ita legit. κἀπλήρωσεν, αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτάς. Quod ipſum quoque inter diverſas illas lectiones reperitur, quas Novo Teſtamento Pariſiis ann. 1568. Græcè à ſe excuſo, Robertus Stephanus ſubjiciendas curavit: conſentiente quoque codice quodam Græco alio Pariſiis item edito, & à Bezâ in annotationibus ad hunc locum producto; & Novi Collegii apud Oxonienſes exemplari manuſcripto altero, niſi quòd hoc abſit pronomen αὐτοῖς poſt γῆν, in illo addatur αὐτοῖς poſt verbum ἔδωκε. In quibus omnibus, annos illos 450. non ad Judicum durationem, ſed ad tempus partitionis Terræ referri manifeſtum eſt.

Sed & illam *temporum circumſcriptionem, ad antecedencia pertinere, doctiſſimi quidam viri* (ut refert [b] Fr. Junius) *memoriâ noſtrâ putave-*

[a] Ludov. de la Cerda, Adverſar. ſacr. cap. 21.

[b] Jun. Parallel. Sacr. lib. 1. ſect. 36.

runt: etiam vulgatâ Græcorum codicum lectione retentâ. ſic videlicet, ut commodum aliquod participium ſubintelligendum judicârunt: tanquam ſi ita legeretur. *Et poſt hæc annis quaſi quadringentis & quinquaginta, dedit Judices:* circa annum videlicet quadringentelimum. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡσὶ ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα (γενόμενα) ἔδωκε κριτάς. *Et poſt hæc annis quadringentis & quinquaginta*, (peracta) *dedit Judices.* Cujuſmodi participii ellipſim in Chriſti Genealogiâ, Matt. I. 11. ſupplendam volunt; ubi vel Joſias vel Joakim genuiſſe dicitur Jechoniam & fratres ejus, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος. non quòd tùm primùm geniti, ſed quòd eo tempore ſuperſtites illi fuerunt, quo facta eſt Babylonica deportatio: ac ſi in Græco legeretur, τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος γενομένους.

Hâc ratione, principium hujus ſupputationis à primis illis orationis Apoſtoli verbis pendebit, commate 17. *De populi hujus Iſrael elegit patres noſtros.* Quum autem Abrahamo (filium adhuc non habenti) *ſemini* ipſius terram Chananæam ſe daturum Deus promiſiſſet; (Gen. XII. 7. Act. VII. 5.) poſteà, excluſo Iſmaële primogenito, in Iſaaco Patrum ab eo facta eſt electio: juxta illud; *In Iſaaco vocabitur ſemen tuum.* (Gen. XXI. 12.) Porrò à nato Iſaaco, uſque ad egreſſionem poſterorum ejus ex Ægypto, anni defluxerunt 405. ut anteà eſt oſtenſum: quibus additi anni 46. cum dimidio, qui inde ad partitionem Terræ decurrerunt, (ut in ſequente capitulo oſtendetur,) annos 451. cum dimidio conficiunt; qui Paulo, ὡς vel *quaſi* 450. anni ſunt dicti.

Ad libri *Judicum* calculum jam accedimus: quem, in priore Hiſtoriæ parte, per *quæſtis terra* intervalla; in poſteriore, per *præfecturæ Judicum* ſpatia inſtitutum eſſe animadvertimus. Primo enim in loco, oppreſſionum & liberationum populi Iſraëlitici continuata ſeries, in Judic. cap. II. 14.—19. ſummatim expoſita, ſpecialem deinde in ſex ſequentibus capitibus, temporum notis appoſitis, hunc in modum habetur explicata.

I. Iſraëlitæ à *Cuſhane* Meſopotamiæ rege per 8. annos oppreſſi, (cap. 3. 8.) ab *Othoniele* liberati ſunt: & quievit terra annis 40. (cap. 3. 11.)

II. Ab *Eglone* Moabitarum rege per annos 18. oppreſſi; (cap. III. 14. ab *Ehude* liberati ſunt: & quievit terra annis 80. (cap. 3. 30.)

III. A *Jabino* rege Chananææ per 20. annos oppreſſi, (cap. 4. 1.) à *Deborâ & Baraco* liberati ſunt: & quievit terra annis 40. (cap. 5. 31.)

IV. A *Midianitis* per annos 7. oppreſſi; (cap. 6. 1.) à *Gideone* liberati ſunt: & quievit terra annis 40. (cap. 8. 28.)

Judæi, populum nunquam *Judice* carniſſe arbitrati, (ut ad I. Sam. XIII. 1. ab Abrabaneele eſt annotatum) annos quieti terræ hîc ſubjectos, Judici ibidem nominato attribuunt: in quibus & opprimentium alienigenarum annos, (ut ſub eorum præfecturâ & cœptos & finitos) comprehenſos eſſe exiſtimant. Eorum ſententiam in Chronico ſuo ſecutus eſt Euſebius, & poſt eum plerique omnes Chriſtianorum Chronologi. Ita enim de prima oppreſſione ſcribit Euſebius. Μετὰ τελευτὴν Ἰησοῦ κριτῶν

Egregius

Ἐζησεν ἀλλόφυλοι ἔτη. π. ἀ ἐξ ἐναντίας τοῖς τῶ Γοθονιὴλ χρ. τὰς Ἰουδαίων παραδόσεις. *Post mortem Jesu, subjectos tenuerunt Hebræos alienigena annis octo: qui junguntur Gothonielis temporibus, secundum Judæorum traditiones.* Ac si Scripturæ hic fuisset sensus: [a] Othoniele principe (qui annis 40. judicavit,) pacem fuisse & otium, tyranno Judicis auspiciis & virtute superato.

[a] Jo. Temporar. Chronologicar. demonstrat. lib. 2.

Illud verò incommodi Eusebio hùc accidisse scribit Melchior Canus, [b] *quòd cùm interregna omnia posteriorum Judicum temporibus includeret, videretque illis quædam antecedentia ineptissimè sequentibus copulari; eam rem traditionibus Hebræorum attribuit, ne ipse rei perabsurdæ primus esse auctor videretur.* Nihil enim ille absurdius esse arbitratur, *quàm ut interregnorum anni, in eos redigi* dicantur *& contrahi, quibus sub Judicibus terra à præliis dicitur quievisse:* quum in illis *interregnis, aut perpetuum Judæis bellum contra inimicos fuerit, aut servitus sine Judice misera, res afflicta, turbata omnia, nulla quies.* Cujusmodi incommodis, etiam à [c] Laurentio Codomano, [d] Dionysio Petavio, [e] Petro Possino, [f] Nicolao Abramo & aliis, premi hanc sententiam videmus. A quibus ut nos expediamus; belli quidem & servitutum tempora, à pacis & quietis temporibus secernenda esse libenter agnoscimus: sed annorum notatione, *quietis terræ* appositâ, quietis illius initium, non autem vel ipsius quietis vel præfecturæ Judicum durationem; designari statuimus. Itaque illud ותשקט *quievit*, idem esse dicimus quod *quiescere cepit*, quemadmodùm in Geneseos capite V. 32. & capite XI. 26. ויולד nobis est, *gignere cepit*; I. Reg. capite VI. 1. ויבן est *ædificare cepit*: atque ubi toties in Scripturâ Rex aliquis tot vel tot annorum fuisse dicitur במלכו *quum regnare inciperet*, illud significare nemo dubitat. Cùmque numerorum in temporum notatione ea sit ratio, ut interdùm *quando* res aliqua contigerit, indicat interdùm *quamdiu* ea duraverit: (quæ duo Græci & Latini casuum, (quibus Hebræi carent) variatione sæpiùs solent distinguere:) in annis Oppressorum posteriorem explicationem, in annis Quietis terræ, priorem hîc accipiendum censemus; ut sub Othoniele, (verbi gratiâ) 40. non *annos*, sed *annis* terra quievisse intelligatur, id est, à præcedente aliqua epocha *anno quadragesimo*. Quod, licèt cum versione vulgatâ Latinâ non conveniat, tamen *cum verbis Hebraicis satis congruere* [g] Fr. Ribera ostendit: Hebræorum consuetudinem esse docens, ut ab uno ad decem aliquando, à decem verò & ulteriùs semper *numeris Cardinalibus utantur pro Ordinalibus*. Certiorem verò nullam epocham, à quâ primæ sub Othoniele quietis terræ supputatio deducatur, invenire possumus, quàm celeberrimam illam terræ quietem, quam, (devictis Chananææ regibus, qui junctis viribus & totis copiis adversùs Israëlitas insurrexerunt) à Josua constitutam, & partitioni terræ prævium factam Spiritus sanctus memorat: Josu XI. 23. & XIV. 15. Superatis igitur Mesopotamiensibus (qui post illos alienigenarum primi universæ terræ Israëliticæ bellum intulerunt) quies (annis post prioris illius initium *quadraginta*) reddi cœpta est: victore deinceps Othoniele, usque ad mortem, Rempublicam administrante, & populum in veri Dei cultu continere sa-

[b] Can. loc. Theologic. lib. 12. cap. 5.

[c] Codoman. Chronolog. lib. 12. quæst. 26.

[d] Petav. doctrin. tempor. l. 9. cap. 32.

[e] Possin. dialectic. genealogic. cap. 19.

[f] Abram. in Pharm. Vet. Tedam. lib. 10. cap. 3.

[g] Riber. de Templo. lib. 2. cap. 6.

tagente, quod præceptum horum Judicum opus fuisse, ex cap. II. 17. 18. 19. (ubi hujus partis historiæ summam propositam fuisse diximus) intelligitur.

In sequente deinde historiâ, per ipsorum Judicum annos temporum series hunc in modum habetur dispositâ.

Abimelech, ann. 3.	cap. IX. 22.
Tola, ann. 20.	c. X. 2.
Jair, ann. 22.	c. X. 3.
* *Philistæi & Ammonitæ* oppresserunt Israëlem ann. 18.	c. X. 8.
	c. X. 8.
Jephthe, ann. 6.	c. XII. 7.
Ibsan, ann. 7.	cap. XII. 9.
Elon, ann. 10.	c. XII. 11.
Abdon, ann. 8.	c. XII. 14.
* *Philistæi* oppresserunt Israëlem ann. 40.	c. XIII. 1.
Samson, ann. 20. judicavit Israëlem, in diebus Philistæorum.	c. XV. 20. & XVI. 31.

Ubi notandum, duarum illarum oppressionum priorem in Jairi, posteriorem in Samsonis tempora incurrisse: quemadmodùm in sequente capite declarabitur. Reliqua adhuc est libri Judicum appendix duplex, altera in quinque postremis hujus libri capitibus, altera in Ruthæ libello (quem Hebræos in librum Judicum compegisse, in Galeato suo Prologo confirmat Hieronymus) comprehensa. Prior, idoli Micæ, (cap. XVII.) Danit« expeditionis & idololatriæ, (cap. XVIII.) nefarii stupri, à civibus urbis Gibeæ Levitæ cujusdam concubinæ illati, (cap. XIX.) & belli Benjaminitici, (cap. XX. XXI.) historias complectitur: quæ omnia temporibus illis contigisse referunt, quibus *non erat rex in Israële*, sed *quisque quod rectum* videbatur *in oculis suis faciebat* (cap. XVII. 6. & XVIII. 1. XIX. 1. XXI. 25.) idest, quum nullus esset magistratus summo præditus imperio, qui populum in officio suo contineret: cujusmodi ἀναρχία inter mortem Seniorum qui Josuæ superstites fuerunt & primam sub Cushane populi servitutem extitit: quo temporis intervallo Israëlitas in terra habitantes à vero Dei cultu primùm defecisse, & idololatriâ sese polluisse, Scriptura, indicat. (Jud. II. 7. 14.) Eodem itaque tempore Benjaminiticum illud bellum gestum fuisse, Josephus (lib. 5. Antiquit. cap. 2.) rectè retulit, quo & Phineæsum Eliazari filium, Aaronis nepotem, summo Sacerdotio functum fuisse ipsa Scriptura disertè exprimit; (Jud. XX. 28.) quem sub Josua & illi superstitibus senioribus claruisse constat. (Josu. XXII. 31. & XXIV. 33.)

Ruthæ historia temporibus illis accidisse legitur, quibus *judicabant Judices*. (Ruth. I. 1.) *Ehud* nimirùm, ut ab Hebræis in Seder Olam. cap. 12. habetur traditum; vel *Samgar* potiùs, qui *post hunc servavit & ipse Israëlem*; (Jud. III. 31.) licèt ejus temporis * Hebræi in loco citato in *Ehudis annis* inclusérint. Post ingressum enim Israëlitarum in terram promissam, *Salmon genuit Booz ex Rahab, Booz Obedem ex Ruthâ, Obedus Jessem, Jesse Davidem regem.* (Math. I. 5. 6. Ruth. IV. 21. 22.) E quibus

(*) marg.

Boozum seniorem fuisse cùm Ruthum duceret, ipsius ad eum verba (Ruth. III. 10.) satis innuunt: de *Jesse* verò in (I.Samuel.XVII. 12.) expressè legitur; וישׁי בימי שאול זקן בא באנשים Καὶ ὁ ἀνὴρ ἐν ταῖς ἡμέραις Σαοὺλ πρεσβύτερος ἐληλυθὼς ἐν ἀνθρώποις. quod Hebræis, qui ad comparationis gradus designandos peculiares flexiones habent nullas, aliud nihil sonat; quàm virorum omnium, qui Saulis Temporibus vixerant, maximum natu illum fuisse habitum. Et omnes sanè memoratos illos Patres admodùm senes fuisse oportet, quum filios susciperent. Cùm enim incunte anno ab exitu ex Ægypto 480. & regni Salomonis 4. jacta Templi fundamenta fuerint: (I. Reg. VI. 1.) demptis inde 40. annis in deserto actis, 70. annis vitæ Davidis, (II. Sam. V. 4.) & 3. regni Salomonis; reliqui erunt, ab ingressu in terram ad nativitatem Davidis, ann. 366. uti etiam ab Aben Ezra ad postremum Ruthæ capitulum est observatum. Eos annos ita nos commodissimè distribui posse existimamus: si Rachabam primo in loco annis post Israëlitarum ingressionem in terram XLII. Boozum peperisse ponamus; deinde ipsi Boozo CII. Obedo CXI. totidémque Jessæ annos ante *παιδογονίαν* attribuamus. Quam gignendi ætatem qui per se satis supérque longam esse consideraverit; quò majoribus accessionibus ea accreverit, eò minùs eam in se habituram probabilitatis atque verisimilitudinis, non poterit non animadvertere, cujusmodi augmentorum gradus eorum sententias consequi necesse est, qui Salomonici Templi structuram non 480. cum sacro textu, sed vel 520. cum Dionysio Petavio, & Petro Possino, vel 527. cum Nicolao Abramo, vel 580. cum Nicolao Raimaro vel Ludovico Cappello, vel 592. cum Michaele Mæstlino, vel 598. cum Laurentio Codomano, vel 620. cum Johanne Walthero, vel 680. cum Nicolao Serario, post Exodum anno cœptam fuisse volunt.

[a] Salian. Anno Mundi 3741. Num. 28.

At in nostrâ quoque hypothesi [a] Jacobo Salliano absurdum esse videtur, *quasi deditâ operâ tam tardas, in una eadémque familia, ponere generationes*, quum *ad miraculum sine necessitate recurrere, & quidem quater in eadem familiâ iteratum*, sibi *profectò non placere* profiteatur: Quod ut effugiat, ad ridiculum illud de tribus Boozis commentum mavult se recipere: quod omni sacræ Scripturæ testimonio destitutum, à Nicolao Lyrano (in capite 2. Ruth) ex apocryphis nescio quibus Doctoribus, ita habetur propositum. *Dicunt Doctores nostri*, & bene *ut videtur, quòd tres fuerunt Booz., sibi succedentes; quorum primus fuit avus, secundus filius, tertius nepos. Primus fuit filius Salmon quem genuit de Rahab; & tertius fuit iste, qui genuit Obed ex Ruth.* Verùm, ut in horum Patrum longævitate non parùm *raritatis*, atque in ejusdem (ad tres vel quatuor generationes) continuatione, divinæ fuisse *benedictionis* plurimum, fatemur libentissimè; ita hîc aliquid fuisse *miraculi*, quod naturæ ordinem & vires superaret, agnoscere omninò non possumus: quum in posteriocibus quoque seculis homines, qui his in longævitate nihil concederent, extitisse nullum sit dubium.

Rachaba certè, si vicenaria [quum in Chananæam ingrederentur Israëlitæ] extitisset, & post 42. deinde annos [quod nostra fert hypothesis] Boozum peperisset; annum ætatis 62. non excessisset: post quem anicularum nostro etiam seculo parientium non desunt exempla. Ad longævitatem verò quòd attinet: Jehojadam Pontificem longè post hæc tempora CXXX. annos vixisse Scriptura confirmat, [II.Chronic. XXIV. 15.] [b] *In Tmoli montis cacumine, quod vocant Tmolum*, C L. *annis vivere, Mutianus author est: totidémque annos censum, Claudii Cæsaris censurâ, T. Fullonium Bononiensem idque collatis censibus, quos antè detuleras, vitaque argumentis* [*etenim id cura Principi erat*] *verum apparuit.* [c] In censu verò à Vespasianis Imperatoribus acto, *centum viginti annos, Parma tres edidere, Brixellæ unus.* C X X V. *Parma duo.* CXXX. *Placentia unus.* CXXXI. *Faventia una mulier.* CXXXII. *Bononia* L. *Terentius Marci filius, Arimini verò M. Aponius*, C & L. *Tertulla*, CXXXVII. *circa Placentiam, in oppido Velleiacio* C X. *annos sex detulere, quatuor* CXX. *unus* CXL. *In regione Italiæ octavâ, centenûm annorum censi sunt homines* L I V. *centenûm denûm homines* L V I I. *centenûm vicenûm quinûm homines duo, centenûm tricenûm homines quatuor, centenûm tricenûm quinûm aut septenûm totidem, centenûm quadragenûm homines tres.*

[b] Plin. lib. 7. cap. 48.

[c] Id. Ibid. cap. 49.

Atque ut ad nostra tempora propiùs accedamus: Thomas Ravennas in quinto capite, libri *De vita hominis ultra* CXX. *annos protrahendâ*, ad Julium III. Pontificem scripti, inter alia, anno Christi 1536. Zaconum quendam ex Lacedæmone, annis ferè CXXX. & alium ex eadem urbe ultra annos C X X X. supervixisse; & in Ægæo mari viros duos CXXX. annorum visos fuisse confirmat. [d] In prælio Flodonensi Dux Anglus Jacobus Wenston, Prestonæ in Wenston-daile apud Eboracenses ortus, anno Domini 1600. annos CXXXI. natus vitam finiit. In Hibernià Desmoniæ Comitissa, Edovardo IV. in Angliâ regnante, Comiti marito nupta, meo tempore & viva fuit & vivida; circa annum demùm vitæ C X L. defuncta, Laurentium quendam Scotum anno ætatis CXL. piscatum prodiisse, [*] ex Buchanano refert, [in primæ orationis Chronologicæ D. Paræi Elencho] Josephus Scaliger: de suo insuper adjiciens. *Nos possumus producere, quos* CXX. CXXV. CXXX. *annos vita expletos scimus, vidimus, meminimus. Unus etiam senex amicis nostris miraculo fuit Lutetiæ, anno Christi* 1584. *qui miles pugna Montis Leherii interfuerat sub Ludovico X I. Is major annorum* C X L. *omnibus membrorum officiis integris Lutetiam sese contulerat litiscula cujusdam persequenda causâ.* Quibus & illa addantur Jacobi Bonfrerii Jesuitæ, in Ruth cap. 1. *Ante annos paucos in finibus Sylvæ Thuringiacæ repertus est senex unus, qui Confirmationis Sacramentum à suffraganeo Episcopi Bambergensis accepit annos natus* 150. *qui jam filios haberet centenarios, nepotes septuagenarios*, [*ut nostrorum litteris accepimus*] *aliisque ducenti, qui annum centesimum excessêrunt.* Et ut tandem concludamus. Thomas Parrus Johannis filius Winningtoniæ in agro Salopiensi quamdiu ille vixit, cum eo mansit: ipséque demùm, anno Christi 1483. natus, quum 80. esset annorum primam uxorem duxit: cum qua 32. annos vixit;

[d] Vid. Andr. Melvin.

[*] D. Gualter. Raleigh. Hist. Mundi, lib. 1. cap. 5. sect. 5. Fr. Bacon. de long. vita & L. Cork. genealog. Desmon. & Buchanan. rer. Scotic. lib. fin.

& sub

& ſub qua commiſſi cum alia adulterii convictus, 105. annorum ſenex publicam in Eccleſia Alberburienſi egit pœnitentiam. Quum annorum deinde fuiſſet 122. ſecundam accepit uxorem, quæ quamdiu ille vixit, cum eo manſit: ipſéque demùm, nobiliſſimi Thomæ Arundelliæ & Surriæ Comitis curâ & ſumptibus in Lectica Londinum perductus, ſub finem Septembris ann. 1635. & magnæ Britanniæ regi Carolo eſt exhibitus; quum ann. 152. & menſes aliquot vivendo peregiſſet; de quo præterea dicit poſſit, quòd poſt annos duos ædibus Arund. mortuus eſt; & qui ſi aëre patrio frui licerèt, aliquot plures annos eum vivere potuiſſe eſt probabile. Ex his igitur ſatis apparet, ad noſtra uſque tempora nonnullos ultra annos non modò CXX. aut CXL. ſed etiam CL. vitam produxiſſe: quos nemo miraturus eſt in tanta longævitate poſt annum CXI. prolem, ex adoleſcentibus præſertim fœminis, ſuſcipere potuiſſe.

CAP. XIII.

Annorum 479. inter Exodum & Templi Salomonici exordium intercedentium ſumma in membra ſua integrantia dividitur: tempúſque peregrinationis in Deſerto, partitionis Terræ & primi anni Sabbatici, cum annis Judicum & primorum Regum Iſraëliticorum, ſpeciatim explicatur & confirmatur.

UT intervalli, inter Exitum ex Ægypto & jacta Templi fundamenta interjecti, ſpatium diſtinctius poſſit intelligi; in quatuordecim illa membra, (ſimul integram 479. annorum ſummam conſtituentia) diſpertiri libuit.

	Anni.	menſes.
I. Ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto uſque ad tranſitum ab eis Jordanem:	40.	
II. Inde ad finita bella, & quietem terræ per Joſuam datam.	6.	4.
III. Inde ad quietem per Othonielem, (debellato Cushane Meſopotamiæ rege) terræ reſtituram.	40	
IV. Inde ad quietem per Ehudem, (occiſo Eglone Moabitarum rege) terræ reſtitutam.	80.	
V. Inde ad quietem per Deboram & Barak, (profligato Jabinis Regis Chananæorum exercitu) terræ reſtitutam.	40.	
VI. Inde ad quietem per Gideonem (Midianitis devictis) terræ reſtitutam.	40.	
VII. Inde ad initium regni Abimelechi filii Gideonis.	9.	2.
VIII. Abimelechi, Tolæ & Jairis, anni	48.	
IX. Jephthæ.	6.	
X. Ibſanis, Elonis & Abdonis	25.	
XI. Eli & Sampſonis,	40.	
XII. Samuelis,	21.	
XIII. Saulis regis,	40.	
XIV. A morte Saulis ad jacta fundamenta Templi Salomonici,	43.	
Summa ann.	479.	

Primum membrum peregrinationis Iſraëlitarum in deſerto annos illos 40. complectitur, quorum toties in Scriptura fit mentio; Exod. XVI. 35. Deuteron. II. 7. VIII. 2. XXIX. 5. Joſu. V. 6. Pſal. XCV. 10. Nehem. IX. 21. Amos. II. 10. V. 25. Act. VII. 36. XIII. 18. quanquàm in loco illo, Joſu. V. 6. Græca editio annos habeat XLII. Ita enim cum Auguſtino, quæſtione 6. in Joſuam, legit Codex noſter Alexandrinus, itémque Romana editio atque Aldina, eámque ſecutæ Germanicæ omnes: licèt in Complutenſi editione, ad textum Hebraicum hìc conformata, verba illa (καὶ ἐν) reſecta hìc fuerint, & in Origenica, (ab Andr. Maſio ex Syriaco ſuo exemplari expreſſa) ut in Græco textu ſuperaddita, obelo ſignata conſpiciuntur. Addita verò illa putantur, ex Numer. XIV. 33. 34. ubi (reverſis ex Chananæâ poſt diem quadrageſimum exploratoribus) anni ab exitu ex Ægypto ſecundi murmurantibus Iſraëlitis moræ in deſerto 40. annos hiſce verbis à Deo decretos fuiſſe legimus. *Filii veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationes veſtras; donec conſumantur cadavera veſtra in deſerto, juxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram, annus pro die reputabitur; & quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras.* Et ex decreti illius complemento, à Moſe ibidem cap. XXXII. 13. ſic expoſito. *Iratus Dominus adversùs Iſraël, circumduxit eum per deſertum quadraginta annis; donec conſumeretur univerſa generatio, qua fecerat malum in conſpectu Domini.* Inde enim in Chronologiæ ſuæ libro 1. cap. 6. colligit Henricus Wolphius, *anno ſecundo* poſt exitum Iſraëlitarum ex Ægypto, addendos eſſe hos *annos quadraginta quibus juſto Dei judicio in deſertum reducti & mortui ſunt.* Verùm quum non hujus ſolius offenſæ, ſed etiam [a] cæterarum *iniquitatum & fornicationum* ſuarum pœnam hàc quadraginta annorum morâ in deſerto luituros peccatores illos Deus dixerit; atque inter eos maxima, & quam vindicaturum ſe Deus ſignificaverat quum novi peccati occaſione populus eſſet puniendus, (Exod. XXXII. 34.) Vituli aurei adoratio fuerit, intra alterum ab egreſſu eorum ex Ægypto menſem admiſſa: ab ipſo ex Ægypto exitu 40. horum annorum ſupputationem eſſe deducendam res ipſa poſtulat. Quum certum omninò ſit à die 15. menſis primi quo patres (Moſe ducente) reliquerunt Ægyptum, (Numer. XXXIII. 3.) uſque ad ejuſdem menſis diem 10. quo eorum filii (Joſuâ duce) tranſierunt Jordanem, (Joſu. IV. 19.) ipſis annis 40. complendis quinque deſuiſſe dies.

[a] Vid. Deut. IX. 18. ... 24.

Quum enim paulò ante eductos ex Ægypto Iſraëlitas, Moſes 80. & Aaron eſſet 83. annorum (Exod. VII. 7.) anno ab Exitu 40. menſis 5. die 1. Aaron mortuus eſt, annos 123. natus, in monte Hore vitâ exceſſit. (Num. XXXIII. 38. 39.) Quem per 30. dies Iſraëlitæ in ea ſtatione luxerunt; priuſquàm caſtrametati ſunt ad torrentem Zeredi (*ibid.* cap. XX. 28. 29. *cum* XXI. 4.——12.) quem tranſierunt 38. annis poſt relictam Kadeshbarneam (unde exploratores in Chananæam miſerant;) quum confecta jam eſſet tota illa virorum ætas, quos in deſerto occubituros Dominus juraverat (Deuteron. II. 14.) Unde 40. annos pro 38. dictos ſenſit [b] Georgius Syncellus, rotundo videlicet numero

[b] Georg. Syncellus, Chronic. pag. 137. 142.

a Torniell. ad ann. Mund. 2545. num. 66.

posito pro diminuto: quomodo etiam in loco illo *Amos.* V. 25. accipiendos eos esse docet a Torniellus.

Eodem quoque anno illo ab exitu 40. mensis 11. die 1. Moses Deuteronomium populo proponere cœpit: quum (Deuter. I. 3.) & die 1. sequentis mensis (ut vult Josephus lib. 4. Antiquit. cap. ultimo) mortem obiit, 120. fuisset annorum; (Deuteron. cap. XXI. 2. & cap. XXXIV. 7.) Cui quum populus per 30. dies parentasset [Deuter. XXXIV. 7. 8.] ex ea statione [castris motis] ad Jordanis ripas pervenit: ubi triduo consistens, mensis demùm primi die 10. alveum ejus siccis pedibus transiit. [Josu. III. 1. 2. & IV. 19.] Cùm igitur ante exitum ex Ægypto Aaron 83. Moses 80. annorum fuerit; & currente anno ab exitu quadragesimo, Aaron 123. Moses 120. annos natus vitam finierit; intra annum quadragesimum commorationem filiorum Israëlis in deserto esse concludendam dubitare non licet, ac proinde, aliud nihil in illo numerorum loco Deum statuere voluisse, quàm totam Israëlitarum in deserto peregrinationem ad annos 40. esse extendendam; quemadmodùm quadraginta dierum spatio terram exploratores lustraverant.

Secundi membri spatium, ex verbis illis Calebi ad Josuam colligitur, Josu. XIV. 7. *Quadraginta annos natus eram quando misit me Moses servus Domini de Kedesh-barnea ad explorandum terram,* & comm. 10. *Quadraginta & quinq; anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Mosen, quando ambulabat Israel per solitudinem; & nunc ecce ego hodie natus sum octoginta quinque annos.* Cùm enim *quievisset terra à Bello*, partitus est eam Josua tribubus Israëlis cis Jordanem constitutis, initio à tribu Judæ facto [Josu. XI. 23. *cum* XIII. 7. XIV. 1. 2. & XV. 1.] Quo tempore ex ea tribu Calebus [oratione hac ad Josuam habitâ] Hebronem à Mose sibi promissam, possidendam obtinuisset: ut priùs cap. XI. 23. ita hic denuò cap. XIV. 15. [ne celebris hic *quietis* terræ epocha ignoraretur] à Spiritu sancto est repetitum; הארץ שקטה מלחמה *Quieta verò fuit terra à bello.* 46. anni secundo migrationis ex Ægypto mense 5°. quo Kadesho-Barneâ ad lustrandam terram exploratores fuisse missos, in Annalibus nostris est ostensum, numerati anni 45. in anno ab Exitu 47. mense 5. desinunt; & à transitu Jordanis annos 6. cum mensibus ferè 4. principatûs Josuæ relinquunt, cœptæ & quietis & partitionis terræ epocham, illis Calebi verbis præmonstratam. Hebræi in Seder Olam, cap. 11. Bellis Josuæ usque ad partitionem terræ *septem* annos attribuunt: Josephus verò (lib. 5. Antiquit. cap. 1.) non plures quàm *quinque*. Terræ enim explorationem *biennio* post exitum ex Ægypto factam ponentes, eique 45. Calebi annos addentes, ab Exitu ad hoc usque tempus annos 47. numeraverunt. Moræ verò in deserto author Seder Olam, 40. tantùm annos attribuens, iis ex 47. deductis, *septem* annos subjugationi terræ reliquit: Josephus verò, [ut videtur,] juxta aliorum rationes, [de quibus in præcedente membro est dictum] errorem in deserto, 42. annorum fuisse existimans, eo numero ex 47. subducto, annos *quinque* tantùm reliquos factos invenit.

Sexto post transmissum Jordanem die, postridie Paschatis, comedentibus Israëlitis de nonâ terræ, sequente die Manna cessavit: (Josu. V. 11. 12.) Quum igitur, ut proximo autumno agriculturæ ab iis opera daretur res exigeret: tum primùm ab eis observari cœptum est præceptum illud, Levitici XXV. 2. 3. 4. *Quum ingressi fueritis in terram quam ego do vobis, tum sabbatizabit terra Domino. Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, & colliges proventum illius. Anno verò septimo Sabbathum cessationis erit ipsi terræ, Sabbathum Domino: agrum tuum non seminabis, & vineam tuam non putabis.* Itaque ut autumnus primi ab ingressu anni agriculturæ anno primo, ita autumnus anni ab ingressu septimi, primo anno Sabbatico initium dedit; ille ipse videlicet autumnus qui cœptam quietem & partitionem terræ proximè est insecutus: atque ut ab autumno illo annorum Sabbaticorum, ita ab hoc Jubilæorum epocha est deducenda. Ut enim ab ingressu terræ, (juxta illam Levitici legem) Sabbaticorum iniretur ratio, agriculturæ communis (ante suas cuique tribui portiones assignatas) ad victum suppeditandum requirebat necessitas: & ut à terræ *possessione, ejúsque* inter singulas tribus partitione, Jubilæorum penderet calculus, peculiare illis supra alios annos Sabbaticos annexum privilegium postulabat; quod neminem, illis advenientibus, extra propriam possessionem esse permittebat, quandoquidem ad annum Jubilæum respectu habito, contractus omnes ita temperari oportebat, ut annus quinquagesimus alienatis possessionibus quemque denuò restitueret (Levit. XXV. 8.----16. Numer. XXXVI. 4.) A primo autem anno Sabbatico ad septimum, atque ita deinceps numeratione factâ, utroque (ut moris est) incluso termino, & septem annalibus hebdomadibus in medio relictis, Jubilæus exurgebat; quemadmodùm in singulari de *Sacris Hebdomadibus* tractatu, si Deus vitam & facultatem dederit, plenius declarabimus.

Tertium interim præsentis supputationis membrum ex verbis illis Judic. III. 11. desumimus; *Et quievit terra quadraginta annis:* non quòd post devictum ab Othoniele Cushanem Risathaim regem Mesopotamiæ, per tot annos pace fruerentur Israëlitæ: sed quòd quiescere cœperit terra anno quadragesimo postquam quies in ea per Josuam constituta fuerat; (uti in superiore capite est ostensum) intra illud spatium, non octo solùm annis quibus Israëlitæ Cushani servierant, sed etiam annis quibus post partitionem terræ supervixit Josua, & quibus Seniores *prolongârunt dies suos post Josuam*, (Josu. XXIII. 31.) id est, Josuæ superstites fuerunt, comprehensis. Etsi enim post quietem Israëli à Deo datam, Josuam ימים רבים *multos diebus*, sive *longo tempore* superfuisse legamus; (Josu. XXIII. 1.) simili tamen prorsùs modo & bellum quoque eumdem anteà cum Chananæis regibus ימים רבים *longo tempore* gessisse legimus: (Josu. XI. 18.) quum omnia tamen cum iis commissa prælia, intra 6. annorum & 4. mensium spatium peracta fuisse, in 2. capitis hujus membro jam demonstratum viderimus. Ut intra 32. post cœptam Terræ partitionem annos confecta ea

fuerint

fuerint omnia, & quæ ſub Joſua (in decem poſtremis libri illius capitibus) & ſub ſenioribus illi ſuperſtitibus (in primo libri Judicum capitulo, & ſub ἀναρχίᾳ inſecuta (in quinque poſtremis ejuſdem libri capitibus) contigiſſe referuntur.

Quæ verò in fine commatis 11. capit. III. libri Judicum leguntur verba, ad proximè ſequentem verſiculum referenda hunc in modum ſunt. *Et mortuus eſt Othoniel Kenazi filius: atque iterùm fecerunt filii Iſraël quod malum erat in oculis Domini.* quomodo de iiſdem ſcriptum legitur ſuprà cap. II. 19. *Poſtquàm mortuus eſſet judex, reverſebantur & multò faciebant pejora quàm fecerunt patres eorum, ſequentes Deos alienos & ſervientes eis.* Et infrà, cap. IV. 1. *Et filii Iſraël iterùm fecerunt malum in oculis Domini, quum mortuus eſt Ehud.* Neque enim novum eſt, ut quæ ad eandem pericopen pertinent, in noſtris libris à ſe invicem diſjuncta conſpiciantur. Quod ne mirum cuiquam videatur; ſciendum eſt, Biblicorum verſuum diſtinctionem à primis Maſorethis traditam, diverſam multis in locis ab eâ fuiſſe, quam à poſterioribus Maſorethis hodiernus uſus retinet; indéque factum, ut [a] ab illis medius legis verſus in והתגלח (*Levit.* XIII. 33.) ab his in וישם עליך את תרומתו (*Levit.* VIII. 8.) eſſet deſignatus. Inoſque R. David Kimchi in 2. Chronic. XXX. vocem בעד à fine verſûs 18. ad initium verſûs 19. tranſferre non veretur; בעד כל לבבו הכין *Pro omni qui cor ſuum paravit.* Atque varia Scripturæ loca clariſſimus [b] Rainoldus annotat: in quibus *accentus qui periodum & comprehenſionem terminatam indicat, ſæpè emiſſus quum addendus erat, ſæpè additus quum omittendus.* Quibus addere etiam liceat; quod Eſaiæ capite LIII. in fine commatis 9. legitur, cum ſequentis commatis principio ſic eſſe conjungendum. *Quamvis non fecerit violentiam, neque fuerit dolus in ore ejus: Deo tamen placuit conterere ipſum, &c.*

Quartum membrum in loco illo, Judic. III. 30. habetur expreſſum. *Et quievit terra octoginta annis:* non quòd per tot annos Iſraëlitis Ehud præfuerit, (quod ab omni veriſimilitudine eſt alieniſſimum) ſed quòd occiſo per Ehudem Eglone Moabitarum rege, cui per 18. annos Iſraëlitæ ſervierant, quieſcere cœperit terra anno octogeſimo poſt priorem pacem ab Othoniele illi reſtitutam.

Quintum in illo, cap. V. 41. *Et quievit terra quadraginta annis.* Quo ſimiliter ſignificatur, per Deboram & Barakum proſligato exercitu Jabinis regis Chanaanis, qui per totos 20. annos Iſraelitas oppreſſerat, quieſcere cœpiſſe terram, anno quadrageſimo poſt priorem quietem ab Ehude illi redditam: intra illud ſpatium comprehenſo etiam Samgaris tempore, qui poſt Ehudem Iſraëlem vindicavit, perculſis ſexcentis Philiſtæis ſtimulo bovis. (cap. III. 31.)

Sextum in illo, cap. VIII. 28. *Et quievit terra in diebus Gideonis annis quadraginta.* quorum verborum eadem etiam eſt ſententia: per Gideonem debellatis Midianitis, quibus per ſeptennium Iſraëlitæ ſervierant, anno quadrageſimo poſt quietem à Debora & Baraco terræ redditam, quieſcere eam denùo cœpiſſe in diebus Gideonis.

Septimi membri ſpatium in Scriptura non exprimitur; ſed reliquorum omnium numerorum ex integrâ 479. annorum ſummâ ſubductione colligitur. Ut enim qui à morte Joſuæ primos *quietis terræ* annos dinumerant, & in ſequentium Judicum exceſſu terminant, ex hujuſmodi deductione, 16. vel 17. annos Joſuæ præfecturæ tribuendos eſſe concludunt: ita & nos qui meliore (ni fallimur) ratione, à quiete ad quietem annorum ſupputationem inſtituendam eſſe cenſemus, ſex primorum & poſtremorum membrorum numeris ex numero 479. ſubductis, annos 9. cum menſibus 2. ſpatio inter victoriam à Gideone de Midianitis partam & exordium regni Abimelechi filii ejus interpoſito tribuendos, relinqui invenimus. Quod ſic tamen accipi volumus, ut reliquorum membrorum annos omnes plenos fuiſſe ponamus. Nam quantum cuique anno ad perfectionem defuerit, tantundem membri hujus ſpatio addendum eſſe intelligimus.

Octavi membri ſpatium, ex *Abimelechi* annis 3. (cap. 9. 22.) *Tolæ* 23. (X. 2. & Jairis 22. (X. 3.) conficitur: Ubi notandum, idololatriæ Iſraëlitarum, ſub Abimelecho cœptæ, ſub Jaire demùm pœnas Deum repetiviſſe, immiſſis in eos Philiſtæis & Ammonitis. Etſi enim ante horum oppreſſionem mors Jairis in Scriptura commemoratur (c. X. verſ. 5. 6. 7.) tamen per prolepſin hoc fit; ut deinceps, ordine non interrupto, de cauſis, duratione & fine ſervitutis Ammoniticæ, à Jephtâ demùm ſublatæ, timul ageretur, cujuſmodi ὕστερα πρότερα in ipſo ſequentis XI. capitis initio, in Geneſeos capite XI. & alibi paſſim occurrunt. Ideóque quum Hebræi unico ſuo præterito, aliorum etiam pluſquam perfectum comprehendant; locus præſens, Jud. X. 6. ita reddi poſſet: *Et filii Iſraël iterum fecerant quod malum erat in oculo Domini, &c.* Jam inde videlicet à morte Gideonis ad idolorum cultum reverſi. (cap. VIII. 33.) Itaque ad annum Jairis 5. referendum oppreſſionis hujus initium: ad 22. verò & ultimum, quod poſtea ſequitur, cap. X. 8. *Hi autem confregerunt & conquaſſaverunt Iſraëlitas anno hoc*, inquam decimo octavo, *omnes Iſraëlitas, qui* erant *trans Jordanem, &c.* illud verò, cap. XI. 4. ad priora principatûs Jephtæ: *Fuit autem poſt annos illos* (octodecim ſc. jam dictis, uti exponit Tremellius) *cum bellum gereret Ammonita contra Iſraëlitas, &c.* In Euſebiano quidem Chronico ita annotatum hìc legimus: *poſt Jair Hebræi in ditionem redigunt Ammonita annos* 18. *qui cum temporibus poſteriorum Judicum computantur, ſecundum Judæorum traditionem.* Verùm eas cum Verbo Dei ſcripto parùm convenire comperimus. Nam in eo, calamitatis hujus anno 18. & ultimo, Jephtà poſteriorum Judicum primo principatum nondùm adepto, Iſraëlitis reſipiſcentibus & Deos alienigenarum è medio ſui removentibus, miſertus eorum Deus fuiſſe legitur, (cap. X. 16.) Deinde, debellatis à Jephtâ Ammonitis & viginti eorum civitatibus captis, Ammonitæ plagâ magnâ admodùm perculſi, & à facie Iſraëlitarum depreſſi fuiſſe dicuntur, (cap. XI. 33.) unde manifeſtum eſt, ad conſequentium Judicum tempora Ammoniticæ oppreſſionis annos illos 18. referri non poſſe. Denique ex diſſidio illo, quod poſt depreſſos Ammonitas, inter Ephraimitas & Jephtham capite XII. ortum fuiſſe narratur, in quo Ephraimitarum

[a] Talmud. Babylonic. in Tractat. לדושין cap. 1.

[b] Elias, Præfat. 1. Maſoreth. hamaſoreth.

[c] Rainold. Prælect. 146. de libr. Apocryph.

ad Jordanem jugulata sunt 42. millia, colligitur, Israëlitas pristinâ libertate recuperatâ tum ab Ammonitarum tum à Philistæorum servitute fuisse immunes: quippe qui aliàs non contra se invicem, sed junctis viribus contra communes hostes fuissent depugnaturi. Vide *Massæum in 5. libro Chronic. Mercatorem in Demonstrat. temporum methodi cap. 1. Salianum instit. anni Mundi* 2832. *libro 9. Harvellæum in 4. temporis periodo, sect. 53. difficult. 8. Bonfrerium in judic. X. 8. & Henricum Philippi in lib. Judic. quæst. 7.* Et Jephtam, cum Ammonitis congressurum, objecisse illis Legimus; Israëlitas per *annos trecentos* in terra Galaaditica habitavisse. (cap. XI. 26.) quum ab occupatâ ab his terrâ illâ anno 40. post exitum ex Ægypto usque ad hoc tempus, non plures quam 264. anni juxta nostras rationes intercesserint. Ad quod rectè cum aliis respondent Torniellus & Bonfrerius; non curavisse Jephtam numerum assignare cui nihil deesset aut superesset, sed potiùs majorem numerum assumpsisse; sive causam suam juvaret, sive quia modus loquendi vel Scripturæ vel hominum passim id ferebat.

[a] Torniel. ann. Mund. 2591. num. 18. & 2849. num. 3.

Nonum membrum ex 6. annis Jephthæ constat. (Jud. XII. 7.) Eum trecentos dixisse perfecto & rotundo usum numero, propterea quòd magis ad trecentos quàm ad ducentos is numerus accederet. Quum autem temporis præscriptione (in possessionibus suis tuendis) contra adversarios utentibus, amplificare eam potiùs quàm diminuere in more sit positum: suam potiùs quàm nostram hîc evertunt hypothesin, qui hoc adversùs nos argumento pugnantes, indéque evincere se posse putantes, Oppressionum annos in majoribus aliis non esse includendos, ipsi suo calculo plures quàm 300. annos Jephthæ præscribendos hic relinquunt.

Decimum membrum ex *Ibsanis* annis 7. (cap. XII. 9.) *Elonis* 10. (XII. 11.) & *Abdonis* 8. (XII. 14.) constituitur. Eos Judices Galaaditis tantùm & tribubus Transjamnanis, per Jephtham ab Ammonitarum servitute liberatis præfuisse [b] Nicolaus Abramus censet: *Eli* interim Pontifice aliis tribubus, Philistæorum jugo adhuc pressis, jus dicente. Sed licèt Jephthe, devictis Ammonitis, ex pacto cum suis inito Galaaditicam solùm præfecturam consecutus fuerit; (cap. XI. 9. 10.) cæteris tamen posteà XLII. Ephraimitarum millibus, (cap. XII. 6. 7.) & *post eum* Ibsan Bethlehemita itemque Elon Zebulonita & Abdon Ephraimita, *Israëlem judicavisse* dicitur; (ibid. 8. 14.) totum utique, non illius portionem, à maximâ & potissimâ Israëliticæ terræ parte (Jordane intercurrente) seclusam. Nam & eodem loquendi genere ante Jephtham, tam Tola quàm Jair *Israëlem judicavisse* leguntur: (cap. X. 2. 3.) neque alias justa aliqua reddi poterit ratio, quare post Jephtham Galaaditæ non tribulium suorum aliquibus potiùs, quàm aliis ex tribu Judæ, Zebulonis & Ephraimi delectis, sese regendos permitterent.

[b] Abram. Phar. Vet. Test. l. 10. cap. 18.

Hîc etiam præterea est notandum, *Elonis* Judicis annos 10. ab Eusebio esse prætermissos; tanquam in LXX. Interpretum editione non repertos. Sic enim ille, in Chronico, *Post Esebon* (ita *Ibsanem* ille appellat) *in libro Hebræorum fertur Judex Elon rexisse populum ann. 10. qui non habetur apud* LXX. *Interpretes*, & eum secutus Beda, in libro de Temporibus: *Hic cum annis decem suis in* LXX. *Interpretibus non habetur.* Contrà tamen Anianus Alexandrinus monachus Eusebium hîc incusans, Ἀοδὸν μὲν κεκριλὼ ἐν ἐφυπερίσσοις, ἡρίθμηται τὸν Ἐφραὶμ ἐτη δύο· ἃ δ' ἐκβεβλήκασι ἰφιλοτιμήσαντο ἐνδέκατον κριτὴν ἀντὶν ἐτάξαν. *Præterea Aodon Judicem non recensuit, Israelem decem annis judicantem:* LXX. *verò Interpretes undecimum eum Judicem posuerunt;* ubi *Aodi* nomine *Elonem* intellectum fuisse constat: non Aodum sive Ehudem, secundum Judicem Eglonis interfectorem, ut falsò sibi hic persuasit, [c] Scaliger. Et sanè Ælonem (cum suo decennio) non nostri solùm libri Græci omnes habent, sed illi etiam quibus usus est antiquissimus scriptor Theophilus Antiochenus, in libro 1. ad Autolycum, atque ii etiam, (quod mireris) quos in libro 10. de Præparatione Evangelica, cap. 14. secutus est ipse Eusebius. E quorum idcirco, calculum eo modo augentium numero Georgius Syncellus. Nam Clementis Alexandrini corruptus ille locus est, libro 1. Stromatum. Ἀβδὼν ἔτη ζ. ἔπειτα ἐβρὼν ὁ Ζαβουλωνίτης, ἔτη ιβ'· ἔπειτα Ἐγλὼν Ἐφραιμ ἔτη ι'. Ἔνιοι δὲ τὸν τῶ Ἀβδὼν ἔτεσι ιβ', συναριθμοῦσι τὰ Ἐβρωμ πεντήκοντα ἔτη. *Abadthan* (is Ibsan est) *annis 7. Deinde Ebron* (is Elon est) *Zabulonites, annis 8. Deinde Eglon* (Abdon ille est) ex *Ephraim, annis 8. Nonnulli verò cum Abastanis* [sive Ibsanis] *annis septem conjungunt Ebronem* [sive Elonis] *annos* 40. vel 4. potiùs; ut in Latina sua versione Gentianus Hervetus emendavit. Nam vel 4. vel 1. (quot annos Egloni sive Eloni in Nicephori Constantinopolitani Chronologia tributos videmus) hîc legi oportere, illud arguit, quòd numerus ille ab aliis in alterius septenario, tanquam majore numero, inclusus fuisse, significetur: quod perinde est, ac si Elonis annos illi cum Eusebio prorsùs prætermisissent. De commentitio enim illo (quem hîc sibi [d] Scaliger finxit,) χιασμῷ sive trajectione, nihil opus est ut lectorem admoneam. Ex quibus omnibus liquet, quàm incerta olim, ut alibi, ita & hic editionis, quæ LXX. Interpretibus tribuitur lectio: aliis eum cum annis suis planè prætermittentibus; aliis 10. aliis 5. vel 4. annos illi assignantibus; nonnullis Ἀλλὼν vel Αἰλὼν (ut apud * Theophilum) eum nuncupantibus, aliis Ἐγλὼν [ut apud Nicephorum CP. aliis Ἐβρὼν ut apud Clementem, & aliis Ἀὸδὸν, [ut apud Anianum.] neque hujus generis aliud quid est quod hic adjiciam, quàm quod à * Georgio Syncello est notatum; Abdoni Judici Junum Africanum annos tribuisse 20. pro 8. errore, ex Græcorum numeralium α & ι similitudine, facillimè orto.

[c] Animad. in Euseb. num. 619.

[d] Idem ibid. num. 811.

Georg. Syncell. Chronogr. pag. 16.

Ad *undecimum* membrum referuntur *quadraginta* illi anni quibus *Philistæi* oppressisse dicuntur Israëlem; cap. XIII. 1.

CHRONOLOGIÆ SACRÆ

PARS POSTERIOR.

DE ANNIS REGUM ISRAELIS ET JUDÆ.

VT Regum Judæ & Iſraëlis annorum calculum, qui admodùm perplexus eſt, commodiùs aſſequamur: duæ Periodi diſtinctè ſunt conſiderandæ, in quarum capite utriuſque regni Principum initia concurrunt. Prior eſt, à principio *Rehoboami* Regis Judæ & *Jeroboami* Iſraëlis, uſque ad *Achazæ* Judaïci & *Jehorami* Iſraëlitici exitum: poſterior, ab initio *Athaliæ* quæ Judæ, & *Jehu* qui Iſraëlis regnum invaſit, uſque ad Regni Iſraëlitici excidium, quod in fine anni ſexti *Ezechiæ* regis Judæ contigit. Quum enim (ex II. Regum IX.) eodem tempore *Achaziam* & *Jehoramum* à *Jehu* occiſos conſtet: cum illorum exitu ipſius *Jehu* & *Athaliæ* ſimul conjunctum eſſe initium, manifeſtum eſt. Et licèt inter mortem *Salomonis*, quam ſtatim excepit regni *Rehoboami* initium & diſtractionem regni Iſraëlitici, quæ *Jeroboami* dominatui principium dedit, bimeſtre ferè temporis ſpatium intercellerit, Scriptura tamen regnum *Rehoboami*, in Juda, & *Jeroboami* in Iſraële ab eodem deducit principio. Cùm enim 17. annos Hieroſolymis regnaviſſet *Rehoboam*; ei defuncto filius *Abia* anno 18. *Jeroboami* ſucceſſiſſe memoratur (I. Reg. XIV. 21, 31. cum XV. 1. ſimiliterque, II. Chronic. XII. 13. 16. cum XIII. 1.) quod rectè dici non poſſet, ſi ab altiori termino *Rehoboami* quàm *Jeroboami* numeratum fuiſſet exordium.

In priori igitur periodo, ſequentibus Regibus hoſce annos ſacra tribuit Hiſtoria.

JUDÆ.	ISRAELIS.
I. *Rehoboam*, ann. 17.	I. *Jeroboam*, ann. 22.
II. *Abia*, 3.	II. *Nadab*, 2.
III. *Aſa*, 41.	III. *Baaſa*, 24.
IV. *Jehoſaphat*, 25.	IV. *Ela*, 2.
V. *Joram*, 8.	V. *Zimri*, 7. dies.
VI. *Achazia*, 1.	VI. *Omri*, ann. 12.
	VII. *Achab*, 22.
	VIII. *Achazia* 2.
	IX. *Joram*, 12.

Ubi, quum paria deberent eſſe ſpatia: Regum *Judæ* tamen numeri 95. tantùm annorum; *Iſraëlis*, annorum 98. & dierum 7. ſummam exhibent. Quare ut propior adhuc fiat exæquatio, utrorumque inſtituenda eſt collatio quam ex libris Regum, ita delineare poſſumus.

JUDÆ.		ISRAELIS.	
Rehoboam, ann. 17. (1. Reg. XIV. 21.)	1	1 *Jeroboam* ann. 22. (1. Reg. XIV. 20.)	1
	2		2
	3		3
	&c.		&c.
	16		16
	17		17
Abiah, ann. 3. incipiens 18. *Jeroboami* (1. Reg. XV. 1.)	1		18
	2		19
	3		20
* *Aſa*, ann. 41. incipiens 20. *Jeroboami* (cap. XV. 9. 10.) deſinente ſcilicet.	1		21
	2		22 1. *Nadab*, ann. 2. incipiens 2. *Aſa*, (c. XV. 25.)
	3		1 2. *Baaſa*, ann. 24. incipiens 3. *Aſa*, (c. XV. 33.)
	4		2
	5		3
	6		4
	&c.		&c.
	24		22.
	25		23
	26		24 1. *Ela*, ann. 2. incipiens 26°. *Aſa*, (cap. XVI. 8.)
	27		1 2. *Zimri*, 7. diebus: anno *Aſæ* 27. (cap. XVI. 10. 15.) * *Omri*, anno 31. *Aſæ* regnare cepit, & 12. annis regnavit. (c. XVI. 23.)
	28		2
	29		3
	30		4
	31		5
	32		6
	33		7
	34		8
	35		9
	36		10
	37		11 12. 1. *Achab*, ann. 22. incipiens 38. *Aſa*, (c. XVI. 29.)
	38		
	39		2
	40		3
* *Jehoſaphat* ann. 25. incipiens 4. *Achabi* (c. XXII. 41. 42.) ad finem vergente ſc.	41		4
	1		5

Digitized by Google

	2	5
	3	7
	&c.	&c.
	16	20
	17	21 1. *Ahaziah*, an. 2. incipiens 17. *Jehosaphati*, (c. XXII. 51.)
	18	22. 2.
	19	1 * *Joram*, ann. 12. incipiens 18. *Jehosaphati*, (II. Reg. III. 1.) desinente &c.
	20	2
	21	3
	22	4
Joram, ann. 8. incipiens 5. *Jorami* Israelitici (II. Reg. VIII. 16, 17.)	1.23	5
	2.24	6
	3.25	7
	4	8
	5	9
	6	10
	7	11
Abazia, ann. 1. incipiens *Jorami* Israëlitici 12. (c. VIII. 25. 26.)	1.8	12

In isto diagrammate, Regum principia (quæ præcipuè hîc spectanda) ad eundem regis *συγχρονισμὸν* annum referri vides, qui in sacrâ Scriptura habetur expressus: quatuor tantùm exceptis locis, quos apposito asteriſco prænotavimus. Eorum præcipuus ille est, qui *Omrin* regem spectat, Samariæ conditorem. Cùm enim in I. Reg. XVI. 23. anno 31. *Asæ* regnavisse dicatur, & anni 12. ei assignentur: non à 31. sed à 27. *Asæ* deducendos eos esse communis Chronologorum est sententia: quandoquidem aliàs, *Asa* (qui 41. regnavit annos) superstes fuisset *Omri*, eóque adhuc regnante principatum iniisset *Jehosaphat*, quum tamen filius & successor *Omri*, *Achabus* anno 38. *Asæ*, atque *Jehosaphatus* anno 4. *Achabi*, regnare cœpisse memorentur. (1. Reg. XVI. 29. & XXII. 41.)

Ita igitur res sese habuit. Sublato *Zimri*, anno 27. *Asæ*, in partes populus Israëliticus est divisus: *Thibnin* unâ, *Omrin* alterâ parte sequente. (1. Reg. XVI. 15. 21.) *Æmulo* deinde *Thibni* mortuo solus imperavit *Omri* anno *Asæ* 31. ita tamen ut in legitimâ annorum serie continuandâ, annorum illius 12. numerus non à monarchia hac, sed à primo ipsius dominio sit repetendus. Quod & in Latina sua versione ita exprimendum censuit Tremellius. *Anno trigesimo primo* completo *Asæ regis Jehuda*, (*regnavit enim Homri super Israëlem duodecim annis*) *Thirtza* * *regnabat sexto anno*: *quum emit montem Schomronis à Schemero duobus talentis argenti.* Quæ tamen verborum translatio nobis omninò esse videtur coactior.

* (vel regnaverat.)

Tres loci reliqui minùs habent difficultatis: ut qui supponant, tantùm, numerum annorum Regis, cum quo alterius initium comparatur propè completum fuisse: re ipsâ illud postulante. Et cùm in annorum serie rectè digerendâ, id imprimis curandum sit ut anni absoluti ab incompletis distinguantur: in hac Periodo est observatum, extremos Regum annos plerosque omnes, *Juda* quidem plenos, *Israëlis* verò inchoatos esse accipiendos. Cùm enim *Rehoboamus* una cum *Jeroboamo* annis 17. regnavisse dicatur, eidémque *Abiah* filius anno 18. *Jeroboami* in regno successisse: & 17. *Rehoboami* illos plenos fuisse, & *Jeroboami*, 18. inchoatum facilè intelligitur. Deinde cùm per triennium regnans *Abiah*, successorem habuisse *Asam* anno *Jeroboami* 20. memoretur: & *Abia* tertium, & *Jeroboami* illum vicesimum propè completum fuisse, à diligentioribus Chronographis est notatum; ita ut *Asa* primus cum vicesimo *Jeroboami* aliquot tantùm dies, cum proximo verò annum penè integrum communem habuerit. Aliter enim *Nadabus* statim post *Jeroboamum* patrem mortuus fuisset: cùm tamen post illius mortem regnum eum accepisse, & ultra integrum annum illud tenuisse, ex 1. Reg. XIV. 20. collat. cum XV. 25. appareat.

Sic & *Asa* quoque annos 41. integros tribuentes, initium filii & successoris ejus *Jehosaphat* in anno quarto *Achabi* ad finem tendente collocamus. Alioqui ipsius *Achabi* filius & successor *Achazia* patri vel non omninò, vel per paucos tantùm dies fuisset superstes, quæ eadem etiam nos movit ratio, ut *Joramum*, in regno Israelitico fratris *Achazia* successoris initium ad *Jehosaphati* annum 18. pariter desinentem referremus. Et quidem ex attentâ sacri contextûs consideratione colligi posse videtur, *Achabum* & *Jehosaphatum* eodem ferè tempore filios suos Proreges constituisse, consilio (ut à * viro prudente est observatum) ab *Achabo* profecto, qui suo fortasse exemplo affinem regem ad eundem honorem filio *Joramo* deferendum invitare voluerit: ut eo splendidior genere, & cum eo *Athalia* filiæ suæ conditio atque status eminentior obtingeret. Hinc *Ahazia*, *Achabi* filius anno *Jehosaphati* 7. cœpisse, & biennio super *Israelem* regnavisse legitur. (1. Reg. XXII. 51.) cujus biennii ut majorem partem vivente patre *Achabo* fuisse exactam, synchronismi ratio dubitare nos non sinit: ita & reliquam, quâ mortuo patre non vicariam jam, sed absolutam potestatem obtinebat, undecim dierum (ut Codomano placuit) aut ejusmodi minutulo temporis spatio non esse cohibendam, illud suadet. Quòd societatem cum *Jehosaphato* in *Ophiritana* expeditione primùm negatam ac ulteriore demùm solicitatione obtentam, inierit, & classem simul cum eo *Eziane Geberis* paraverit; [1. Reg. XXII. 49. 2. Chronic. XX. 36.] deinde membrorum contusione quam ex casu contraxerat, laborans, ab *Elia* propheta tertiâ vice accersito responsum acceperit, ex lecto non esse descensurum, sed ex ægritudine illa tandem omninò moriturum, [2. Reg. I.]

* D. Walter. Raleigh. hist. Mund. lib. 2. c. 20. parag. 4.

Illi verò mortuo, frater *Joramus* in regno Israëlitico successisse dicitur, anno secundo *Ἰωσαφάτου Jehoramus* filii *Jehosaphati* Regis Judæ: [2. Reg. I. 17.] quod commodiùs explicari non potest, quàm illâ admissâ hypothesi, quæ eodem illo anno 17. *Jehosaphati*, *Joramum* ejus filium Judæ Proregem constitutum fuisse, ejúsque vicariæ potestatis anno 2. [*Jehosaphati* patris desinente 18.] mortuo fratri *Achazia* successisse in regno Israëlitico *Joramum* alterum, ex Prorege jam Regem factum. Cujus deinde ita regnantis anno 5. *Joramum* quoque Judæ

Proregem

Proregem à vivente patre *Jehoſaphato*, jam ſeniore, regni factum fuiſſe conſortem, & quaſi ex *Cæſare* creatum Auguſtum, locus ille 2. Reg. VIII. 16. clarè indicat. *Anno quinto Jorami filii Achabi regis Iſraelis Jehoſaphato* exiſtente *tunc rege Juda, regnavit Joram filius Jehoſaphati rex Juda.*

Sic & ipſum *Jehoramum* Judaicum, inteſtinorum incurabili morbo laborantem filium *Abaziam* Proregem conſtituiſſe anno *Jehorami* Iſraelitici 11. ex 2. Reg. IX. 29. colligimus: qui, patre deinde mortuo, regnum adierit anno eiſdem *Jehorami* 12. & per anni ferè ſpatium illud adminiſtraverit. (2. Reg. VIII. 25.) Cùm enim aliquam partem 12. anni *Jorami* Iſraëlitici 8. (licèt inchoatus) annus *Jehorami* Judaici occupaverit, (poſito, cum Scriptura 2. Reg. VIII. 16. in anno 5. Iſraëlitici *Jorami* regni ipſius exordio:) initium *Abazia* nullum locum in 11. *Jehorami* Iſraëlitici habere poterat, niſi aliquod ille imperium vivente patre obtinuiſſet. Unde ſimul cum patre *Jehoſaphato* triennio *Jehoramum*, & poſt patris mortem, tum ipſum tum *Abaziam* filium quinquennio, regnaviſſe concludimus. Ita igitur anni Chronologici regum Judaicorum hujus periodi eorúmque initia ad annos Mundi accommodata repræſentari poterunt: ab Iſraëlitici regni diſtractione (quam circa 3. menſis diem 23. contigiſſe ſuprà oſtendimus) ducto principio.

A. M. 3019. (circa menſis 3. diem 23.) *Rehoboam*, ann. 17.
3046. (circa menſis 3. diem 23.) *Abiah*, ann. 2. menſ. 11. dies 17.
3049. (circa menſis 3. diem 10.) *Aſa*, ann. 41.
3090. (circa menſis 3. diem 10.) *Jehoſaphat*, ann. 25.
3115. (circa menſis 3. diem 10.) *Joram*, ann. 4. menſ. 1. circiter.
3119. (circa menſis 2. diem 10.) *Abazia*, menſ. 11.
3120. (circa menſis 3. diem 10.) Principium ſequentis Periodi.

Summa eſt annorum 90. menſ. 11. dier. 17.

Ad quam Iſraëliticorum regum anni hoc conformandi ſunt modo. Ab initio *Rehoboami* ad 18. *Jeroſaphati* prope completum quo *Joramum*, poſtremum hujus periodi regem Iſraëliticum, imperare cœpiſſe diximus; annos ferè 79. effluxiſſe vidimus. At ſex primorum Regum Iſraëliticorum anni in Scriptura expreſſi, *Jeroboami* 22. *Nadabi* 2. *Baaſa* 24. *Ela* 2. *Omri* 12. & *Achabi* 22. ſummam annorum 84. conſtituunt: præter ſeptem dies *Zimri*, & tempus illud quo *Abaziam* patri *Achabo* ſuperſtitem fuiſſe oſtendimus. Poſtremi ergo anni ſex illorum regum inchoati tantùm fuiſſe ſupponantur: ſic ut dimidiatus ferè menſis pro poſtremo cujuſque anno computetur, & octo circiter menſes *Abazia* poſt patris mortem tribuantur: eâ tamen lege, ut ſiquid ſupra ſemeſtre ſpatium ultimis Regum illorum annis foret addendum, tantumdem ab *Abazia* tempore detrahendum fuiſſe intelligatur. Quod cùm ſciri omninò non poſſit, & ut ſciatur non multum admodùm intereſſit: aſſignato πλατυσμῷ cuique Regum ſemeſtri iſto, eandem annorum 90. menſium 11. & dierum 17. ſummam exhibens. Chronologicorum annorum hujuſmodi exurget diſpoſitio, & ad annos Mundi applicatio.

A. M. 3029. (circa menſis 3. diem 23.) *Jeroboam*, ann. 21. dies 15.
3050. (circa 4. menſis diem 8.) *Nadab*, ann. 1. dies 15.
3051. (circa 4. menſis diem 23.) *Baaſa*, ann. 23. dies 15.
3074. (circa 5. menſis diem 8.) *Ela*, ann. 1. dies 15.
3075. (circa 5. menſis diem 23.) *Zimri*, dies 7.
3075. (circa 5. menſis diem 30.) *Omri*, ann. 11. dies 15.
3086. (circa menſis 6. diem 15. (*Achab*, ann. 21. dies 15.
3107. (circa 6. menſis diem 30.) *Abazias*, menſ. 8. dies 10.
3108. (circa menſis 3. diem 10.) *Joram*, ann. 12.
3120. (circa menſis 3. diem 10.) Principium ſequentis Periodi.

Cùm enim vernо tempore, *quo ſolent reges ad bella procedere* [2. Sam. XI. 1.] & *Joramus* Iſraëlis & *Abaziah* Judæ rex, ad bellum cum *Hazaële* gerendum, Ramothas Giliadis profectus fuiſſet, & vulnerato *Joramo* uterque domum rediiſſet; *Jehu*, cum reliquis copiarum principibus & toto Iſraële, ad urbem adverſus *Hazaëlem* cuſtodiendam, relictus eſt, (2. Reg. VIII. 28, 29. & IX. 14, 15.) Ubi quum in Regem Iſraëlitarum, juxta Dei mandatum, fuiſſet unctus, & *Joramum* qui eger ibi decumbebat; & *Abaziam* qui ad illum inviſendum eò venerat, è medio ſuſtulit; vere (ut hiſtoriæ ſeries patefacit) jam adulto: in quo & hujus Periodi exitum, & ſequentis initium, eam ob cauſam reponimus: circa 10. videlicet menſis 3. diem; ut infrà mox declarabimus.

Vid. hâc de re Laurent. Codoman.

Interim, quum *tres eſſe difficultates in Regum hiſtoria* [a] *Matthæus Bernaldus* affirmet, *quæ egent ſapientia cœleſtis afflatu, ut aperiri & intelligi poſſint*; earúmque prioces duæ ad hanc ſpectent Periodum: harum explicationem, in parte hujus capitis reliqua, priùs placuit abſolvere. Sic igitur ille; *Baaſa rex Iſrael dicitur muro circumdediſſe Ramæ*, anno 36. regis *Aſa*; 2. Chronic. XVI. 1. *At obiiſſe Baaſam* 26. anno *Aſa colligitur, ex* 1. Reg. XVI. 6, 8. *ubi eo anno Ela, patre Baaſa defuncto, regnum Iſraëliticum cepiſſe dicitur.* Hunc nodum [b] *Cajetanus*, [c] *Lucidus* & [d] *Canus*, cùm ſolvere non potuiſſent diſſecuerunt: exemplaria Hebræa, Græca, & Latina, tum in hoc, tum in loco eodem genuino 2. Chron. XV. 19. corrupta eſſe pronunciantes; gravi & prudenti *Abulenſis* illâ præmonitione ritè priùs non expenſâ. [e] *Iſta eſt periculoſa ſolutio, quia ſi in uno loco Scripturæ corruptionem eſſe fateamur; de omnibus aliis locis dubitabimus, an corruptio ibi ſit: ſicut dicit Auguſtinus*, (& habetur in Decretis diſtinct. 9. cap. Si ad Scripturas ſacras) *quòd ſi aliquod mendacium in ſacra Scriptura confitemur, nullam auctoritatem inde relinquemus. Ideò*, inquit, *aliam ſolutionem cogita, ſi occurrat.* Occurrit verò facilis illa ſolutio, quam dat *Tremellius*, quum regna modò à populis denominentur, modò à perſonis regnantibus; regnum *Aſa* hic appellari regnum Judæ, à diviſo populo quod tunc obtinebat *Aſa*. Cùm enim confecto bello Æthiopico, Hieroſolymam rediiſſe dicatur *Aſa*, anno regni *decimo quinto*, 2. Chronic. XV. 10. in

[a] Bernald. Chron. l. 3. cap. 10.

Aliam dat Pelodonus. pag. 242. 243

Vid Harvill. & Mendoz.

[b] Cajetan. in 2. Paralip. c. 15. 16
[c] Jo. Lucid. lib. 2 tempor. cap. 9.
[d] Melch. Can. Loc. Theologic. l. 11. c. 5.
[e] Toſtat. in 2. Paralip. 16. quæſt. 1.

postremo ejusdem capitis versiculo subjicitur: *Bellum enim non fuerat, usque ad annum trigesimum quintum regni Asæ.* Ad annum verò *Asæ* 15. additis annis *Rehoboami* 17. & *Abiæ* 3. exurgit annus 35. regni Judaici ab Israelitico sejuncti.

Posterior longè majore difficultate premitur locus; 2. Chronic. XXII. 2. *Filius quadraginta duorum annorum erat Ahaziah, quum regnare ipse, & anno uno regnavit Hierosolymis: & matri ejus nomen Athalia filia Omri.* At *Joram* patrem *Achazia* vixisse tantùm annos quadraginta colligitur ex 2. Chronic. XXI. 20. ubi dicitur *Joram* triginta duorum annorum fuisse quum regnare cœpisset, & octo annis regnasse *Hierosolymis.* Atque hîc etiam post alios, novissimè *Dionysius Petavius*, a *Necesse esse in Hebræis codicibus* (quibus & *Latinos* suos addere poterat) *numerum esse corruptum asserit &* (ex 2. Reg. VIII. 26.) *pro* 42. *legendum* 22. quæ sanè solutio ut ob lapsus facilitatem magis probabilis, ita & ob codicum quorundam consensum minùs temeraria est censenda quàm *Melchioris Cani* illa superior, quæ in ann. 35. & 36. regni *Asæ* omnia Bibliorum exemplaria quæ extant falsi insimulare est ausa. In literarum enim numeralium ב scriptione, adeò proclivis est mutatio כ in ב ut etiam absque librarii culpâ, fibra vel lineola aliqua in ipsa membrana prominente, accidere illa posset: quemadmodùm eruditissimum & amicissimum *Josephum Medum* differentem aliquando me audire memini. Nec solùm in Græcis aliquibus MSS. (nam in *Sixtiana editione* LXX. *interpretum*, quam solam produxit Petavius, 20. hic anni tantùm leguntur) sed etiam in Bibliis Syriacis, quibus a primævis temporibus Ecclesia Antiochena est usa, non ex LXX. interpretum lacunis, sed ex ipso Hebræo fonte traductis, idem hic qui in 2. Reg. VIII. 26. expressus habetur numerus. Consulto enim apographo, quod ex Antiocheni Patriarchæ exemplari magno pretio describendum curavi, & superiora illa de 35. & 36. regni *Asæ* eadem, & pro 42. *Achazia* annis 22. hoc loco positos reperi.

Quòd si minùs tamen tuta, ista existimetur responsio: de idiotismo illo cogitandum erit, in *Saule* בן שנה *filio anni.* 1. Sam. XIII. 1. à doctis ita expolito; ut eâ loquendi formulâ, non anni semper intelligantur à nativitate deducti, sed etiam ab epocha aliqua alia, quocunque modo spectante ad eum qui tot annorum filius fuisse dicitur. Quam hîc quidem extra verticulum propositum non opus fuerit quærere: in quo matri *Ahazia* nomen fuisse refertur *Athalia filia Omri.* Neque enim vel *Ahaziam* ipsum, vel universi regni Judaici statum quicquam propiùs attingebat, quàm ortus *Athaliæ*; fœminæ non mariti solùm & filii, sed etiam ad totius Reipublicæ & regii imprimis seminis perniciem natæ: quippe quæ & illos consiliis suis perdiderit, & post illorum excessum, totâ ferè extinctâ domo regiâ, dominatum in terram Judæ ipsa sibi arripuerit. Ubi quum statim post *Achaziam*, & multò quam ille diutiùs, Judaici regni solium occupaverit: ut illius natalis (more in aliis regibus servari solito) in 2. Reg. VIII. 26. apertè; ita quoque & matris ipsius, in 2. Chron. XXII. 2. involutè significatus fuisse videatur.

Et hîc quidem in Hebræo textu trajectionem esse obscutiorem *Tremellius* notavit, cujusmodi in 1. Sam. XX. 19. Ezræ X. 17. & Nehemiæ XII. 22. esse ait; atque ita locum interpretandum esse censuit. *Cujus matri nomen Hathalia nata Homri; agentis quadragesimum secundum annum quum Achazia regnaret, qui anno uno regnavit Jerushalaimis.* Quæ trajectio si à genuini textûs simplicitate cuipiam non videatur alienior: mutato tantùm casu, ut loco (*agentis*) reponatur (*agens*) & ad ipsam *Athaliam*, non avum illius *Omrin*, sequens anni 42. notatio referatur; eandem ipsam, quam nos proposuimus exhibebit sententiam. Et convenit certè magis, tam cum verborum proprietate, ut *Athalia* ætatis, quàm ut *Omri* regni sui ann. 42. egisse hîc intelligatur; quàm cum rei ipsius natura; quæ non ab *Omri*, sed ab *Achabo* ea mali semina traxisse *Athaliam* nos edocet, quæ conatu tam improbo per Judæam universam diffundere nefaria fœmina laboravit, ut patris *Achabi* & matris *Jezebelis* filiam posses agnoscere, unde neque maritum illius *Jehoramum*, neque filium *Ahaziam* eo nomine insimulatos legimus; quòd peccato *Omri*, sed quòd *Achabi* scelere & se, & regna sua polluerint. Unde post verba citata, textus sacer de *Achazia* statim subjicit. *Hic etiam ambulavit in viis domûs Achabi: nam mater ejus erat consiliaria ejus ad improbè agendum. Itaque fecit quod malum* videtur *in oculis Jehova sicut domus Achabi: ipsi enim erant ei consiliarii post mortem patris ejus, adeò ut perdiderint eum.* 2. Chronic. XXII. 3. 4. & in 2. Reg. VIII. 27. *brevius, ambulavit in via domûs Achabi, fecitque quod malum* videtur *in oculis Jehova sicut domus Achabi; quia gener domûs Achabi erat.* Hoc enim discrimen inter peccatum *Omri* & *Achabi* erat: quòd ille in via *Jeroboami* filii *Nebati* ambulaverit; hic verò insuper, acceptâ uxore *Jezebele* regis Sidoniorum filiâ, in illius gratiam, cultum *Baalis* introduxerit. (1. Reg. XVI. 26. 31.) *Athalia* verò operâ, non *Omri* avi, sed *Achabi* patris idololatria, non vitulorum *Jeroboami* (quos Juda non agnovit) sed *Baalis* Sidoniorum cultus longè terrior in regnum Judæ est invectus, & à filiis ejus studiosè propagatus. *Athaliâ enim improbissimè se gerente, filii ejus perruperunt in domum Dei; etiamque omnes res consecratas domus Jehova aptaverunt Bahalimis:* ut in 2. Chron. XXIV. 7. significanter commemoratum legimus.

In secunda Periodo, ut primam *Athaliam* in regno Judaico annos *sex Completos* simul cum *Jehu* Israelitico; ita & postremum *Ezekiam* cum postremo Israëliticorum regum *Hoseâ, totidem Completos* annos exegisse comperimus. Quum enim *Joash, Achazia* legitimi regis filius in Templo Dei latitare coactus fuisset *sex annos, quibus Athalia regnavit super terram; anno septimo mittens Jehoiada* (summus sacerdos, & amitæ *Jehosabi* maritus) *assumpsit centurriones, primores & cursores, ac ingredi jussit eos ad se in domum Domini: quibuscum pepigit fœdus*; De perdenda videlicet *Athalia*, instituendo *Joasho*, tollendâ idololatriâ & restituendo cultu Dei; quo tempore Israëlitæ mares conveniebant ex lege, (Exod. XXIII. 17.) ad colendum Deum: quemadmodùm ad locum hunc, ex 2. Reg. XI. 4. productum, rectè annotat *Tremellius.* Cúmque adulto jam vere (ut in præcedente pag. ostendimus) *Jehu & Athalia* regnare incepe-rint, idémque & primi & septimi eorum anni

initium

a Petav. Rationar. temp. part. 2. l. 2. cap. 11.

Vt Not. Nobilius & MSS. Oxon. Cantabr. & P. Junii.

Quæ non mea solius, sed etiam M. Paludani conjectura fuit; qui in Regum temporibus dirigendis præ aliis operam navavit.

initium fuiſſe oporteat: circa 10. menſis 5. diem, vel in ſeptimanæ *Pentecoſtes* dierum aliquo alio, contigiſſe iſta ſtatuimus. Ubi nec illud prætereundum; in quibuſdam editionis Græcæ exemplaribus, & nominatim Romano, ἐν ἔτει τῷ ἑβδόμῳ hic legi, (2. Reg. XI. 4. & 2. Chron. XXIII. 1.) non ἑβδόμῳ, ut in aliis cum Hebraica veritate conſentientibus, quod idcircò obiter notandum duxi, ut ratio intelligeretur, quare in *Euſebii Cæſarienſis*, & *Nicephori Conſtantinopolitani Chronico*, & Maximi Monachi computo, *ſeptem Athaliæ* tribuantur anni, in *Clementis Alexandrini* libro primo Stromatum, *octo*: & *Joaſo* puero *ab avia præreptum imperium*, *poſt octo ferè annos per Sacerdotem & populum depulsâ aviâ redditum*, in priore ſacræ ſuæ Hiſtoriæ libro ſcribat *Severus Sulpicius*.

Vid. LXX. MS. & Aldin. At. Lucif. Calar. Juvenal. Caſſiodor.

Samaritani ſive Iſraëlitici regni exitus in 2. Reg. XVIII. 9. 10. Sic habemus expoſitus; *Fuit anno quarto regis Ezekiæ, is eſt annus ſeptimus Hoſeæ filii Elæ regis Iſraëlis; ut aſcendens Salmanaſar rex Aſſyriæ contra Samariam obſideret eam. Deinde cepit eam in fine tertii anni, anno ſexto Ezekiæ; is annus erat nonus Hoſeæ regis Iſraëlis quo capta fuit Samaria.* Ex quo colligimus. I. Annos illos commemoratos *Ezekiæ* atque *Hoſeæ*, & completos fuiſſe, & æquaſſe ferè ſibi invicem reſpondiſſe: alioqui *ad finem tertii anni* producta non fuiſſet obſidio. II. Quum regnum cœpiſſe dicatur *Ezekias*, *anno tertio Hoſeæ* (2. Reg. XVIII. 1.) de anno illo deſinente id intelligendum eſſe. Aliter enim *Ezekiæ* 4. Hoſeæ 7. & illius 6. hujus 9°. nequaquàm reſpondiſſet. Unde & *Joſephus* lib. 9. Antiquit. cap. XIII. *quarto* anno regni *Oſeæ Ezekiam* Hieroſolymis regnum adeptum, & in ſequente capite, *ſeptimo Ezekiæ* Samariam captam fuiſſe ſcribit; annos illos inchoatos, pro *tertio* & *ſexto* deſinentibus, in Scriptura expreſſis, ſubſtituens.

Vid. Peludan. pag. 106. 107.

Integræ verò annorum ſummæ regibus Judæ & Iſraëlis adſcriptorum, longè majoe in hâc quàm ſuperiore Periodo apparet inæqualitas. Hoc enim modo eorum annos ſacra numerat Hiſtoria.

JUDÆ.	ISRAELIS.
VII. *Athalia*, ann. 6.	X. *Jehu*, ann. 28.
VIII. *Joath*, 40.	XI. *Jehoachaz*, 17.
IX. *Amaſias*, 29.	XII. *Joas*, 16.
X. *Vzzias*, ſive *Azarias*, 52.	XIII. *Jeroboam* II. 41.
XI. *Jotham*, 16.	XIV. *Zacharias*, menſes 6.
XII. *Achaz*, 16.	XV. *Sallum*, menſ. 1.
XIII. *Ezekias*, 6.	XVI. *Menachem*, ann. 10.
	XVII. *Pekahjah*, 2.
	XVIII. *Pekah Remaliæ F.* 20.
	XIX. *Hoſea*, 9.

Summa annorum Regum Judæ, 165. Iſraëlis, 143. annorum eſt & menſium 7. unde annorum 21. & menſium 5. inter horum Regum ſpatia, quæ æqualia eſſe debebant, exurgit differentia. Ad quam tollendam ex libro Regum Secundo, (quem quartum alii nominant) ejuſmodi utrorumque formari poterit comparatio.

JUDÆ.	ISRAELIS.
Athalia, ann. 6. 1. (2. Reg. XI. 3. 4.)	1 *Jehu*, ann. 28. (2. Reg. X. 36.)
2	2
3	3
4	4
5	5
6	6
Joath, ann. 40. incipiens 7. *Jehu*. (cap. XII. 1.) 1	7
2	8
3	9
&c.	&c.
21	27
22	28
23	1 *Jehoachaz*, ann. 17. incipiens 23. *Joathi*, (c. XIII. 1.)
24	2
25	3
&c.	&c.
35	13
36	14
37	15
38	16 1. *Joash*, ann. 18.
39	17 2. incipiens 37. 38.
Amaſias, an. 29. 1. 40 incipiens 2. *Joachin* (c. XIV. 1. 2.) regis Iſraëlis deſinente ſc. 2	3 *Joathi* regis (cap. XIII. 10.) deſinente ſc.
3	5
4	6. I. *Jeroboam* II. à patre *Joaſo* ad bellum Syriacum profecturo, in regni conſortium aſſumptus fuiſſe videtur.
5	7. II.
6	8. III.
7	9. IV.
8	10. V.
9	11. VI.
10	12. VII.
11	13. VIII.
12	14. IX.
13	15. X.
14	16. XI.
15	1. XII. *Jeroboam* II. ann. 41. incipiens 15. *Amazia* (cap. XIV. 23.)
16	2. XIII.
17	3. XIV.
&c.	&c.
28	14. XXV.
29	15. XXVI.
Vzzias, ſive *Azarias*, ann. 52. incipiens 27. *Jeroboami* (c. XV. 1. 2.) 1	16. XXVII.
2	17. XXVIII.
3	18. XXIX.
&c.	&c.
25	40. L. I.
26	41. L. II.
27	1. * Interregnum ann. 11. menſ. 6.

Digitized by Google

JUDÆ.		ISRAELIS.
	28	2
	29	3
	30	4
	31	5
	32	6
	33	7
	34	8
	35	9
	36	10
	37	11
	38	12 *Zacharias*, menſ. 6. *Azaria* 38. (c. XV. 8.)
	39	*Shallum*, menſ. 1. *Vzzia* 39. (c. XV. 13.) * *Menachem*, menſ. 11. (deinde regno à Pule Aſſyriorum rege confirmato quies ann. 10. à 39. *Azaria*, (c. XV. 17.) deſinente.
	40	1
	41	2
	42	3
	43	4
	44	5
	45	6
	46	7
	47	8
	48	9
	49	10
	50	1 *Pekahia*, ann. 2. incipiens 50. *Azaria*, (c. XV. 23.)
	51	2
	52	1 *Pekah*, ann. 20. incipiens 52. *Azaria*, (c. XV. 27.)
Jotham, ann. 16. incipiens 2. *Pekah*, (c. XV. 32. 33.)	1	2
	2	3
	3	4
	4	5
	5	6
	6	7
	7	8
	8	9
	9	10
	10	11
	11	12
	12	13
	13	14
	14	15
	15	16
	16	17
Achaz, ann. 16. incipiens 17. *Pekah*, (c. XVI. 1. 2.) deſinente.	1	18
	2	19
	3	20
	4	1 * *Hoſea*, anno 20. *Jotham*, (c. XV. 30.) id eſt, 4. *Achazi*, occiſo *Peka* regnum occupavit: ſed variis ſeditionibus obortis, res ad 9. annorum quaſi interregnum redacta eſt.
	5	2
	6	3
	7	4
	8	5
	9	6
	10	7
	11	8
	12	9
	13	1 Idem, domeſticis turbis demùm pacatis, ann. 9. à 12. *Achazi* (c. XVII. 1.) deſinente ſc.
	14	2
	15	3
Ezekias, ann. 29. 1. incipiens. 3. *Hoſea*, (c. XVIII. 1. 2.) deſinente.	16	4
	2	5
	3	6
	4	7
	5	8
	6	9

Quâ in parte ſucceſſionis regum Iſraëlis inferendi ſint anni illi, qui ad eam cum regum Judæ temporibus exæquandam neceſſariò requiruntur, ex veſtigiis in ſacro contextu relictis non difficile fuerit conjicere. Quum enim ab anno 15. *Amazia regis* Judæ *Jeroboamus* II. Iſraëliticus, annos 41. (2. Reg. XIV. 23.) & poſt eum filius ipſius *Zacharias* menſ. 6. anno 38. *Azaria* ſive *Vzzia*, deinde *Shallum* menſem 1. anno ejuſdem *Vzzia* 39. (cap. XV. 8. 13.) regnaſſe ſcribatur: ut iſta poſſint conſiſtere, interregni annorum 11. & menſium 6. interpoſitio efficiet: ſi poſt mortem *Jeroboami* variis turbis & ſeditionibus Rempublicam Iſraëliticam tanto temporis ſpatio ad ἀναρχίαν fuiſſe redactam admittamus.

Alii tamen, & inter eos, ab anno *Vzzia* 39. *Menachem* ann. 10. in Iſraële regnaviſſe dicitur; & poſt eum *Pekahja* annos 2. ab anno 50. *Azaria* ſive *Vzzia*; ſuccedente illi *Peka*, anno ejuſdem *Azaria* 52. (cap. XV. 17. 23. 27.) Quæ rectè omnia ſe habebunt: ſi *Menachemum* anno 39. *Azaria* regnum, dubiè (ut dictum eſt) per menſ. 11. tenuiſſe; ſub finem verò illius anni, à Pule Aſſyrio, regno ipſi confirmato, (c. XV. 19.) per annos deinceps 10. pacatè & quietè illud poſſediſſe, admittamus.

Poſtremus verò Iſraëlitarum rex *Hoſea*, primò quidem, cæſo *Peka Remaliæ* filio, anno 20. *Jothami* filii *Vzzia*, illius loco regnaviſſe dicitur. 2. Reg. XV. 30. id eſt, 4°. anno *Achazi* filii *Jothami*. Sed quia *Achazi* nullam adhuc mentionem Hiſtoriæ ſacræ ſcriptor fecerat; à regno cœpto *Jothami* temporis notationem deducendam eſſe cenſuit; licèt annis non ampliùs 16. eum regnaviſſe, tertio ſtatim poſt hunc verſiculo, commonefaciendum lectorem idem curaverit, (c. XV. 33.) Deinde verò, in XVII. capitis principio ſubdit ipſe idem; *anno duodecimo Achazi regis Juda regnaviſſe Hoſeam filium Ela Samaria ſuper Iſraelem novem annis.* Quod quidem dupliciter poteſt accipi: ut vel à primo ſuo exordio uſque ad illud tempus *novem annis* (vel *novo anno*, *ut Tremellius* reddidit)

ille

ille regnaverit; vel ab illo tempore, usque ad ipsius simul & regni Israëlitici exitum. Horum enim utrumque verum est. Nam & ab anno 20. ex quo regnare cœperat *Jotbamus*, usque ad finem anni 12^i. *Achazi*, anni numerantur *novem*; qui ad temporum utriusque regni coæquationem perficiendam desiderantur; & à fine 12^i. *Achazi* usque ad finem *Hoseæ*, totidem alii; quos annorum *Ezekiæ* synchronismus necessariò postulat. *Matthæus Beroaldus*, *Hoseam* primis suis annis tributarium regis Assyrii Salmanasaris nec verè Regem fuisse existimat: excusso verò jugo regis Assyrii, quod tùm sui juris esset, dici regnare cœpisse, anno 12. regis *Achazi*. Contrà, *Tremellius*, *Bruchonus*, & alii, duplex regni *Hoseæ* initium ita potiùs distinguendum censent: ut prius meri & liberi fuerit imperii; posterius tributarii à fine 12. anni *Achazi*, quo Salmanasari servus factus fuerit, deductum. At si series sacri contextûs, (2.Reg. XVII. 1. 2.3.) attentiùs consideretur, non modò post prius, sed etiam post posterius hoc principium, *Hoseam* Salmanasari factum fuisse tributarium patefaciet: nostro quoque temporum Assyriacorum calculo consentiente, qui post utrumque *Hoseæ* principium *Nino* juniori, sive *Teglath-pilesero* Salmanasarum regno successisse statuit. Ut igitur *Jeroboamo* II. defuncto, filius ejus *Zacharias* pro eo regnavisse dicitur. (2.Reg. XIV. 29.) quia regnum illi tum jure hæreditario, tum ex Dei promissione. (2.Reg.X.30.cum XV.12.) debebatur; licèt, turbis & seditionibus intervenientibus, ante annum 12. illud possidere non poterat: ita *Pekæ* interempto, *Hoseæ* pro eo regnavisse legitur, quia regnum, tunc occupare ille conatus est; licèt aliis cum eo de principatu (qui nihil ad eum attinebat) contra dicentibus, & ad anarchiam Respublica perducta, nisi post novem annos domesticis turbis sedatis regno demùm pacificè potitus ille fuerit, quæ etiam de interregno hîc admittendo, tum aliorum, tum *Petri Tarsensis*, tum *Laur. Codomani*, fuit sententia.

Vid. Codom.

Ad hoc verò posterius principium habito respectu, quum anno *Hoseæ* 3. delinente (ut ostensum est) *Ezekias* regnare cœperit, nisi simul & à *definente* 17. *Pekæ* Israëlitici, annos *Achazi*, & à 12. *Achazi* initium hoc *Hoseæ* deduceremus; sequeretur, vel 10. annis posteriorem hunc *Hoseam* duravisse principatum, vel, ex 16. qui *Achazo* tribuuntur annis, 14. tantùm pro Chronologicis esse habendos, quorum prius à nullis recipitur, (quia 9. tantùm annos *Hoseæ* huic regno scriptura 2. Reg. XVII. 1. attribuit:) posterius à *Tremellio* & aliis compluribus admittitur; vel [cum *Bromptono* & *Petavio*] primum *Achazi* annum patri, postremum filio communem facientibus, vel [cum *Beroaldo*] & duos primos *Ezekiæ* annos una cum patre *Achazo* exactos fuisse arbitrantibus.

Vid. Marvil-lium.

Duos verò simul annos cum patre non transegisse *Ezekiam*, & ne unum quidem integrum, illud argumento fuerit; quòd *anno primo regni sui, mense primo, aperuisse fores domûs Domini* ille dicatur, [2. Chronic.XXIX.3.] quas pater primus *occluserat*, [cap. XXVIII. 24.] unde liquet, impio patre jam defuncto, Dei cultum restituere cœpisse *Ezekiam*, anno primo regni sui [cujus partem primam cum patre exegerat] ad finem jam vergente. Quod non animadvertentes alii, & inter eos vulgatæ Latinæ Bibliorum interpretationis author, *primo anno & primo mense regni sui, Ezekiam* Templum aperuisse crediderunt: in eundem cum illis incidentes errorem, qui anno sexcentesimo vitæ *Noachi* mense 2. die mensis 17. Diluvium cœpisse. [Genes. VII. 11.] & secundo die 2. mensis in 4. anno regni *Salomonis* jacta Templi fuisse fundamenta. [2. Chronic. III.2.] legentes: mensem cum 2. vel vitæ *Noachi*, vel regni *Salomonis* fuisse sunt opinati: quum currentis anni, qui tunc in Communi usu fuerat, secundus ille extiterit. Ut igitur mensis ille *secundus*, in Diluvii quidem historia *Bul*, sive *Marhesuan*, in structuræ templi *Zif*, sive *Jjar*, fuit: ita & *Abib* sive *Nisan* est *primus* intelligendus tum hîc, tum in narrationis progressu, ubi, jussu *Ezekiæ* sacerdotes Templum sanctificare cœpisse dicuntur *primo* die *mensis primi*; [2. Chron. XXIX. 17.] non utique *eodem die quo rex constitutus est ille*, [ut ad eum locum *Tremellius* annotavit] sed post 9. demùm menses, patre jam vitâ functo, qui profanationis Templi præcipuus author fuerat.

Vid. Petav. (in magno op.)

Quòd si rationem quoque ad extremum quis à nobis poscat; cur *Joasi* regis Israëlis initium in fine 37. anni *Joasi* regis Judæ, itidémque *Amasiæ* regis Judæ principium in exitu secundi anni *Joasi* regis Israëlis reposuerimus: sciat is, duo nos inde simul esse consecutos: & ut justum 15. annorum inter mortem *Joasi* Israëlitici & *Amasiæ*, bis in Scriptura commemoratum. [2. Reg. XIV. 17. & 2. Chronic. XXV. 25.] reperiretur spatium; Et ut ab eodem 17. anno, ex 2. Reg.XIII.10. Israëlitici *Joasi*, biennio simul cum patre regnantis 16. anni dinumerarentur: quum anno quidem illo 17. regni paterni participem factum illum fuisse, Lidyatus noster agnoscat; sed annos tamen ipsius 16. à morte patris deducendos esse censeat. Ut tandem concludere liceat; Regibus hujus Periodi Chronologicos annos 163. esse tribuendos: eorum initia ad annos Mundi hunc in modum adapatis.

Vid. Sedet Olam Rabba.

Vid. Marvil. Petav. (in magno op.)

JUDÆ.	ISRAELIS.
A. M.	A. M.
3120. *Athalia*, ann. 6.	3120. [circa mensis 3. diem 10.] *Jehu*, ann. 28.
3126. *Joash*, 39.	3148. *Jehoachas*, 15.
3165. *Amasias*, 29.	3163. *Joash*, 16.
3194. *Uzzias*, sive *Azarias*, 52.	3179. *Jeroboam* II. 41.
3246. *Jotham*, 16.	3220. Interregnum, ann. 11. mens. 6.
3262. *Achaz*, 15.	3232. [circa mensis 9. diem 10.] *Zacharias*, mens. 6.
3277. *Ezekias*, 6.	3232. [circa mensis 3. diem 10. *Shallum*, mens. 1.
3283. Regnum Israëliticum unitum.	3232. [circa mensis 4. diem 10.] *Menachem*, ann. 10. mens. 11.
	3243. [circa mensis 3. diem 10.] *Pekahja*, ann. 2.
	3245. *Peka*, 20.
	3265. *Hoseæ*, in statu rerum turbulento,

itized by Google

instar interregni annis 9. & domesticis seditionibus demùm sublatis, annis 9. aliis.

3283. (circa mensis 3. diem 10.) Regnum Israëliticum finitum.

Primarius tamen adhuc restat scrupulus, qui interpretes & Chronologos nostros tantopere exercuit. Cùm enim juxta rationes propositas anno 16. *Jeroboami II. Uzzias* sive *Azarias* in Juda regnare cœperit: in (II.Reg.XV.1.) ad 27. *Jeroboami* annum, initium ejus referri videtur. Licèt ad tempus quo leprâ percussus ille fuit, referat *Tremellius*: intermediis illis longâ satis parenthesi sic inclusis. *Anno vicesimo septimo Jeroboami regis Israëlis, regnabat Hazaria filius Amatzia, rex Jehuda: (natus fuerat annos sexdecim quum regnare inciperet, & quinquaginta duobus annis regnavit Jerushalaimis; cujus matri nomen Jecolia è Jerushalaimis: Fecerátque quod rectum videtur in oculis Jehova, omninò prout fecerat Amatzia pater ejus: Sed excelsa non amota fuerant; adhuc populus sacrificabant & adolebant in excelsis.) Quum plagâ afficis Jehova regem, quâ fuit leprosus usque ad diem mortis sua sedéque habitabat in domo seorsa: Jotham verò filius regis præerat domui, jus dicens populo regionis.* Et quia nondùm natum fuisse *Jothamum*, ex versic. 33. sequente apparear: eum quoque distinctione interpositâ, ita explicandum censuit, *Natus viginti quinque annos, quum regnare inciperet, i.e.* Quum regni administrationem iniit propter lepram patris: *& sexdecim annis regnavit*, à morte patris.

Alii minore textui adhibitâ violentiâ, annorum *undecim* (quot inter 16. & 27. *Jeroboami* decurrerunt) inter regnum *Amasia* & *Uzzie* interpositione, ista conciliant. Et cùm eâ ratione totidem annis augeatur differentia annorum regis Judæ supra annos regum Israëlis in Scriptura notatos; ad exæquationem resarciendam, *undecim* quoque annos ad interregnum in regno Israëlitico positum coguntur adjicere: ἀναρχίαν inter *Jeroboamum* II. & filium ejus *Zachariam* 22 annorum constitutâ. Quod minùs necessârium sacræ Chronologiæ augmentum admittere nolentes alii, ubi Scriptura refert, *Uzziam* sive *Azariam* 16. annos natum regnare cœpisse, & 52. annos regnavisse; ita ut 68. annos in universum vixisse videretur (unde & *Josephus*, libro IX. Antiquit. cap.XI. *anno ætatis* 68. *regni* 52. *obiisse* illum tradidit:) 52. quidem regni annos à morte patris *Amasiæ* deducunt, sed infantem vix 4. annorum tunc relictum fuisse eum supponentes, per 12. ferè annos à Tutoribus regnum administratum fuisse volunt; donec 27. *Jeroboami* Israëlitici anno, 16. ætatis annum assecutus, per annos deinceps 56. propriâ authoritate ipse regnum gubernaverit, 56. demùm ætatis anno vitâ functus.

Reliquum jam est ætatis 5. membrum postremum, à fine regni Israëlitici ad finem regni Judaici, annorum 133. & mensium ferè 2. mensurâ definitum; quam anni regum Judæ, simul cum annis Mundi, hîc subjecti ita conficiunt.

A.M.3283. (circa mensis 3. diem 10.) *Ezekias*, post excidium regni Israëlitici, regnavit in Juda annos 23.

3306. XIV. *Manasses*, ann. 55. (2. Reg. XXI. 1. 2. Chron. XXXIII. 1.)

3361. XV. *Amon*, ann. 2. (2.Reg.XXI.19. 2. Chron. XXXIII. 21.)

3363. XVI. *Josias*, ann. 31. (2.Reg. XXII.1. 2. Chron. XXXIV. 1.)

3394. XVII. *Joachaz*, mensib. 3. (2.Reg. XXIII. 31. 2. Chron. XXXVI. 2.)

3394. XVIII. (circa 6. mensis diem 10.) *Eliakim*, qui & *Jehojakim*, ann. 11. (2.Reg. XXIII.36. 2. Chron.XXXVI. 5.) pro quibus, annos 10. menses 6. & dies 25. sumimus.

3405. XIX. (circa mensis 12. diem 25.) *Jehojachin* sive *Jechonias*, mens. 3. (2. Reg. XXIV. 8.) & dieb. 10. (2.Chron. XXXVI. 9.)

3405. XX. (mens. 4. die. 10.) *Sedekias*, ann. 11. (2.Reg.XXIV. 18. 2. Chron. XXXVI. 11. Jerem. LII. 1.)

3416. (mensis 5. die 10.) Templi *Salomonici* & urbis Hierosolymitanæ excidium; (Jerem. LII. 12. 13.) post captum *Sedekiam* mense integro.

Nonnulla, sed rariora, Græcæ Bibliorum editionis exemplaria ab Hebraica veritate alicubi hîc dissentisse deprehensa sunt. Atque hinc in Chronico suo *Eusebius*, 12. annos Amoni tribuit. LXX. interpretum testimonio ad illud confirmandum sic producto. Ἀμὼν ἐβασίλευσεν ἔτη μὲν τὰς δ' ἔτη ιβ, καὶ ὁ τὰς Ἑβραίους ἔτη β. *Amon secundùm LXX. Seniorum interpretationem XII. annos regnavit; secundùm Hebræos, annis duobus*, de quo *Georgius Syncellus*; satis immodestè. τὸν Ἀμὼν υἱὸν Μανασσῆ ἔτη ιβ Εὐσέβιος λέγει βασιλεῦσαι καὶ τὰς ὁ Ἑβδόμης δέ. *Amon filium Manassis 12. annos secundùm* LXX. *regnavisse dicit Eusebius; sed mentitur:* quum dicendum potiùs fuisset; in editione Vulgara, quæ Κοινὴ vocabatur, annos 2. in ea verò quam ex Alexandrina Bibliotheca Hexaplis suis inseruit Origenes, & ut puram τῶν ο amplexatus est *Eusebius*, annos 12. fuisse positos.

Severus Sulpitius, in priore sacræ suæ Historiæ libro communem editionem secutus, *Amonem ultra biennium* regno potitum fuisse negat: verùm, mendoso usus codice, filium ejus *Josiam* annos XXI. regnavisse affirmat; *post triennium ferè*, à Paschate *octavo & decimo imperii anno celebrato*, interemptum. In editâ, Nicephori Constantinopolitani Chronologiâ, *Amoni* ἔτη ιβ. adscribuntur; cùm in Londinensis Bibliothecæ MS. β. tantùm legatur. Quod verò ibidem deinde sequitur, post XXXI. *Josiæ* annos (pro quibus XXXII. perperàm posuit *Eusebius*) Interregnum ann. XXX. secundùm Septuaginta interpretes, vel VIII. (sive L. ut in Londinensi habetur codice) secundùm Hebraicum: planè commentitium est. Ejusmodi enim ἀναρχίαι neque in Græcis, neque in Hebraicis ullum omninò extat vestigium: & ne ullâ omninò anni alicujus interpolitione sacri hîc calculi violari possit, *Jeremiæ* Prophetæ prohibet authoritas, qui, 4. *Jehoiakimi* annum, ministerii sui 13. *Josiæ* anno cœpti 23. esse disertè asserit. (Jerem. XXV. 1. 3.) Chronographo, qui anno 13. *Alexandri Severi* scripsit, *Amoni* adscripti leguntur anni 2. & *Ezekiæ* 25. verum librarii esse mendum locus ille ejusdem authoris evincit, in quo, *post Ezekiam, Josias annos* CXIV. *Pascha celebraviisse* dicitur. Quod contulere

Vid. edit. Roderi.

Tomo 2. Antiquæ lect. H. Canisii, pag. 195.

non

non poſſet: niſi & *Amoni* 12. tribuerentur anni, juxta LXX. ab *Euſebio* citatos, & *Ezekiæ* 29. juxta eoſdem cum Hebraica veritate conſentientes 2. Reg. XVIII. 2. & 2. Chron. XXIX. 1.

Ut autem à 29. illius annis deducti 6. integri, quos ante everſum regnum Iſraëliticum exegiſſe illum oſtendimus 23. relinquunt ad hujus intervalli exordium referendos, ita ab anni tempeſtate, qua & 7. & reliquos regni ſui annos ille inchoavit, quatuor ipſum ſubſequentium Regum initia omninò dependent. Cùm enim tempora eorum in Scriptura ſimpliciter exhibeantur, non (ut in regno Judæ & Iſraëlis hactenùs factum fuerat) cum aliorum regum initiis comparata: relictum nullum eſt argumentum, cujus ductu ab annis propoſitis menſes aliquos (ſine temeritatis nota) liceat nobis ſubducere, indéque regum initia in alias atque alias anni partes ſummovere. Ut ſi à menſis primi die primo, verbi gratiâ, *Ezekiæ* annos deducamus: ſub idem quoque tempus *Joſiam* regnare cœpiſſe dicamus neceſſe eſt; niſi interpoſitos *Manaſſis* 55. & *Amonis* binos annos, propriâ authoritate, vel augere libeat, vel diminuere. *Michael Paludanus* tamen qui cum vulgato interprete Latino, [a] priorem recipit hypotheſin, ab eodem primo menſe [b] *Joſiæ* annos arceſſendos eſſe jure pernegat: Quandoquidem magnam partem anni ejus 18. in Templi inſtauratione, idololatriæ exterminatione, & legitimi Dei cultûs reſtitutione, tranſactam fuiſſe conſtet, ante Paſcha 14. primi menſis die, in eodem 18. anno, celebratum (2. Reg. XXII. 3. ad XXIII. 23. & 2. Chronic. XXXIV. 8. ad XXXV. 19.) quum noſtra ſententia, quæ annos *Joſiæ* pariter & *Ezekiæ* circa 10. menſis 3. diem inchoat, & verſùs finem anni primi *Ezekiæ* unum, & verſùs finem 18. *Joſiæ* alterum *Paſcha* promovendum eſſe poſtulet.

Cum trium verò poſtremorum regum Judæ temporibus habemus annos *Nebuchadnezaris* Babyloniï in Scriptura comparatos; quorum collatio nos docebit *Jehojakimum* non integros annos undecim, ſed ſupra annos 10. menſes circiter 6. cum dimidio in regno exegiſſe; adeóque *Jehojakimum* circa 6. menſis diem 10. & ante tres menſes *Jehoachazum* ipſius fratrem circa 3. menſis diem eundem regna ſua iniſſe. Unde veritas quoque hypotheſeos noſtræ patebit; quæ 31. annorum *Joſiæ* tam principium quàm exitum circa menſis 3. diem 10. collocandum eſſe ſtatuit. Quod ut pleniùs percipiatur, rerum ad hos tres reges ſpectantium tempora ſequentibus theſibus explicanda eſſe duximus.

[a] Pag. 177. & 179.
[b] Pag. 211. [unde repetenda hic illius verba.]

THES. I.

Initium regni Sedekiæ deducendum eſt à 10. *die* 4. *menſis; juſtis undecim annis ante captivitatem ejuſdem Sedekiæ, & unico menſe Salomonici Templi excidium; quod in* 10. *diem* 5. *menſis incidit.*

PRophetaviſſe *Jeremias* dicitur, *donec abſolverentur undecimus annus Sedekiæ filii Joſiæ regis Judæ, & donec deportaretur Hieroſolyma menſe quinto* (Jerem. I. 3.) Anno verò *undecimo Sedekiæ*, 4. menſis die 9. perruptâ civitate & à Babyloniis occupatâ, noctu rex aufugiens ab inſequentibus Chaldæorum copiis in campeſtribus *Jerichuntis* captus eſt. (Jer. XXXIX. 2. 5. & LII. 4. 9. Sequentis deinde menſis 5. die 10. Templo & Urbe deſtructis, in captivitatem Hieroſolymitani ſunt abducti. (Jerem. LII. 12. & 15.) Ex quibus inter ſe collatis, colligimus; & *undecimum Sedekiæ* annum fuiſſe completum, (non X. tantùm ſolidis annis illum regnaviſſe; ut aſſerit [c] *Scaliger*) & inter captivitatem illius & templi conflagrationem menſis ſpatium interceſſiſſe: atque quod inde eſt conſectarium, circa 4. menſis diem 10. regnare cum cœpiſſe. Ubi enim de fine conſtat, de initio dubitari non poteſt: quum in anni circulo principium & finem communi contineri termino nemo ignoret. Cúmque inter captum *Sedekiam* abſoluto anno regni ſui undecimo, & deportatum populum integer menſis (ut dictum) fuerit interpoſitus: *ἐν τῷ δωδεκάτῳ ἔτει τῆς Σεδεκίου βασιλείας, duodecimo anno regni Sedekiæ* calamitatem illam accidiſſe, in libro primo Stromatum *Clemens Alexandrinus*, retulit, rectiùs quàm *Joſephus* Templum incenſum fuiſſe ſcribens *anno regni Sedekiæ undecimo*: (libro X. Antiquit. cap. XI.) quum ante menſem is captus annum regni ſui undecimum compleverit.

[c] Scaliger. Animadverſ. Euſebian. pag. 22. & Canon. Iſagog. pag. 327.

THES. II.

Obſidio Hieroſolymitana capta anno Sedekiæ 9. *menſis* 10. *die* 10. *& interventu exercitûs Pharaonis poſteà interrupta redintegrata eſt anno Sedekiæ* 10. *menſis* 3. *die* 15. *& per dies* 390. *uſque ad captam Urbem continuata: Ita ut ab obſidionis primo principio uſque ad captam urbem in fine anni* 11. *Sedekiæ, menſis* 4. *die* 9. *menſium* 30. *uſque ad eandem incenſam menſis* 5. *die* 10. *menſium* 31. *ſpatium interceſſerit.*

ANno 9. *Sedekiæ*, menſis 10. die 10. *Nebuchadnezarem* Hieroſolymam obſidere cœpiſſe, ex 2. Reg. XXV. 1. Jerem. LII. 4. & Ezech. XXIV. 1. 2. &, Pharaonis exercitu adventante inde receſſiſſe, ex Jerem. XXXVII. 5. 11. & XXXIV. 21. 22. intelligimus. Anno 10. menſe 10. die 12. contra Pharaonem & Ægyptios propheravit *Ezekiel*; quòd fuiſſent *baculus arundineus domui Iſraëlis* (Ezech. XXIX. 1. 6.) Pharaonis enim exercitu re infectâ domum reverſo; ad Urbis oppugnationem denuò Chaldæi redierunt, prout à *Jeremia* prædictum fuerat. (Jerem. XXXVII. 7. 8.) ann. eodem *Sedekiæ* 10. qui *Nebuchad-rezaris* ſive *Nebuchadnezaris* fuit 18. (cap. XXXII. 1. 2.) Ut, quum in *fine anni* 11. *Sedekiæ* à Babyloniis Hieroſolyma occupata fuerint; (ut in priore Theſi eſt oſtenſum:) ultra annum obſidionem hanc poſteriorem continuatam fuiſſe appareat, nec ſupra dies 25. tamen: quantum ex Ezechiel. IV. 5. 8, colligere poſſumus; ubi in typo, dies 390. obſidioni Hieroſolymitanæ aſſignatos invenimus. Qui ab anno 11. *Sedekiæ*, menſe 4. die 9. quo Urbs perrupta fuit, [Jerem. XXXIX. 2.] retro numerati, ad menſis 3. diem 15. in anno *Sedekiæ* 10. nos perducunt: quod redintegratæ obſidionis ſtatuitur à nobis initium. Unde error detegitur, tum *Fl. Joſephi*, libro X. Antiquit. cap. 10. & 11. [edit. Græc.] qui non ſolam ſecundam hanc obſidionem 9. *Sedekiæ* anno & menſis 10. die 10. eodem quo nos primam, incepiſſe affirmat; ſed etiam inde uſque ad captam urbem anno *Sedekiæ* 11. menſis 4. die 9. menſes tantùm 18. [pro 30.] bis dinumerat:

tum *Severi Sulpicii*, qui in Sacræ ſuæ hiſtoriæ libro priore, *triennio*, duraviſſe obſidionem ſignificat; quanto tempore Samariam, ante regni Iſraëlitici excidium, à *Salmaneſero Aſſyrio* fuiſſe obſeſſam, ex ſacris literis. (2. Reg. XVII. 5.) didicimus. Neque audiendus hic *Johannes Druſius*; qui pro *triennio* in Sulpitio, *biennio fere* reſcribendum eſſe pronunciat: quum ſupra biennium etiam anni dimidium, uno die minùs, à cœpta primùm obſidione uſque ad civitatem ab hoſtibus occupatam, accuratior noſter calculus hic exhibet.

THES. III.

Circa menſis 4. diem 5. facta eſt Jechonia deportatio, 5. circiter ante regni Sedekiæ initium diebus.

ANno à deportatione regis *Jojachinis* ſive *Jechonia quinto*, menſis *quarti* die *quinto*, *Ezekieli* Prophetæ omnium prima exhibita eſt viſio. (cap. I. 1. 2.) Poſt quam, cùm apud populares ſuos deportatos toto *ſeptidno*, quaſi ſtupore quodam perculſus deſedifſet; (cap. III. 15. 16.) continuus 390. dierum in publico omnium conſpectu, cubatus à Deo illi imperatus eſt. (cap. IV. 4. 5.) Exacto deinde anno uno & menſibus duobus, poſt primam, ſedenti domi ſuæ cum ſenioribus Judæ, nova oſtenſa eſt viſio; anno deportati *Jechonia ſexto*, *menſis ſexti die quinto*. (cap. VIII. 1.) A 397. deductâ dierum 365. quantitate annuâ, relinquuntur dies 32. ut intervallo, inter utramque viſionem interpoſito complendo, ſpatium unico menſe minùs hic tantùm deſit. Unde concludimus, circa ipſum ann. 5. captivitatis *Jechonia* viſionem primam eſſe factam: ac proinde circa *quartum* menſis *quarti* diem captivitatem illam incepiſſe. In illo ipſo verò *quinto* die potiùs quàm in anteriorum aliquo ejus epocham ideò ſtatuendam cenſemus; quod hac ratione inter eam & regni *Sedekiæ* initium (quod ad ejuſdem 4. menſis diem 10. in prima Theſi eſt relatum) *quinque* tantùm dierum intercedat ſpatium; neque verò multò longiùs ſacræ hiſtoriæ admittat ſeries, quæ abductio in captivitatem *Jechonia*, *Nebuchadneſarem* ante diſceſſum ſuum loco ipſius patruum *Sedekiam* regem conſtituiſſe indicat. (2. Reg. XXIV. 15. 17.)

THES. IV.

Finis regni Jehojakimi, & initium filii ejus Jehojachinis ſive Jechonia, circa menſis 12. diem 25. ſunt reponenda.

IN Hebraica Bibliorum editione pater יהויקים filius יכניה in Græca prior Ἰωακὶμ poſterior Ἰωαχὶν, indéque *Joſepho* alter Ἰωάκιμος, alter Ἰωάχιμος, eſt appellatus. Sed lenis & aſpiratæ literæ diſcrimine poſteà neglecto, ut uterque communi nomine Ἰωακὶμ vel Ἰωαχὶμ nuncuparetur, uſu tandem eſt receptum. Unde in libro primo ſacræ hiſtoriæ, *Severus Sulpitius*, *Joachim exactis in regno annis undecim, filio ejuſdem nominis locum feciſſe* ſcribit: & qui in textu ſacro *Jehojakin*, (2. Reg. XXIV. 6. 8. 2. Chronic. XXXVI. 8.) *Coniah*, (Jerem. XXII. 24. 28. XXXVII. 1.) & *Jeconiah*, (1 Chron. 3. 16. Jerem. XXIX. 2.) nuncupatur, *Theophilo Antiocheno* Ἰωακὶμ ἕτερος, *Clementi Alexandrino* patri ὁμώνυμος Ἰωακὶμ appellatur. *Ambroſius* libro tertio Commentar. in Luc. cap. 3. & Faſtorum Siculorum author, utrumque & *Joachim* & *Jechoniam* dictum fuiſſe volunt. In Paſchali tractatu, quem inedituin habeo, anno *quinto Gordiani*, *Ariano & Papo Conſulibus*, id eſt, anno æræ Chriſtianæ CCXLIII. conſcripto, regnaviſſe traditur *Joachim annis* XI. *item Joachim filius ejus, qui & Jechonia dictus eſt, diebus centum*: quod ſanè rectum eſt. Politis enim menſibus ἐμβολιμαίοις (Lunares enim, alternis plenos & cavos, è Babylonia demùm reduces, unà cum Chaldaicis menſium nominibus, Judæi in terram ſuam induxerunt) *dies centum* menſes conſtituunt *tres* & dies *decem*: quot in ſacra hiſtoria, 2. Chronic. XXXVI. 9. *Jechonia* regno adſcriptos legimus. Qui à menſis *quarti* die *quinto*, (quo captivum eum abductum fuiſſe in præcedente Theſi declaravimus) ſubducti, in 12. menſis diem 25. recidunt: circa quem & cœpiſſe ipſum, & patrem *Jehojakimum* regnare deſiiſſe, in præſenti Theſi aſſeruimus.

THES. V.

Circa 6. menſis diem 10. Jehojakimus regnum iniit: quod non integris undecim annis obtinuit, ſed annis 10. menſibus 6. & diebus 15. circiter. Sub finem vero anni illius tertii, circa 5. menſis diem 15. regnare cepit Nebuchadneſar; ante templi conflagrationem annis 19. quinque circiter diebus minus.

ANno *tertio* *Jehojakimi* regis Judæ, aſcendiſſe *Nebuchadneſarem* Regem Babyloniæ, contra Hieroſolymam, in ipſo libri Danielis initio; & *primum* hujus eſſe *quartum* illius, in principio cap. XXV. *Jeremiæ* legimus. Unde, incidiſſe primum *Nebuchadneſaris* annum in deſinentem annum tertium *Jehojakimi*, & ineuntem quartum rectè concludit *Tremellius*. Regnaſſe dicitur in univerſum *Jehojakim annos undecim*. [2. Reg. XXIII. 36. 2. Chronic. 36. 5.] & poſt eum filius ipſius *Jechonias*, antequàm deportaretur Babylonem, *menſes tres & dies decem*. [2. Chronic. XXXVI. 9.] iiſque exactis à rege Babylonis captus fuiſſe *anno octavo regni ſui*. [2. Reg. XXIV. 12.] Ex quibus inter ſe collatis, duo emergunt iſta: 1°. Annum *undecimum* *Jehojakimi* non fuiſſe integrum, nedum XII. annos cum Siculorum Faſtorum authore & Nicephoro Patriarcha C P. eſſe illi aſſignandos. Quum enim ante finem anni ipſius *tertii* regnare *Nebuchadneſar* cœperit, ſi ſuperfuiſſent *Jehojakimo* anni adhuc *octo* integri; *nonum* ille ingreſſus fuiſſet annum, quo tempore *Jechoniam* patri in regno ſucceſſorem dedit. Atqui *quarto* poſteà menſe, *Jechoniâ* capto, *octavum* adhuc numeratum fuiſſe *Nebuchadneſaris* annum, ex 2. Reg. XXIV. 12. manifeſtum eſt. II°. Inter 25. diem menſis 12. quo *Jechoniam* cœpiſſe in theſi IV. & 5. menſis 4. quo eundem deſiiſſe, in theſi III. oſtendimus, *Jehojakimi* initium collocari non poteſt. Aliàs enim *Nebuchadneſar* [cujus annus 1. initium 4. *Jehojakimi* aliquanto tempore præceſſit] capto *Jechoniâ* 9. regni ſui ſimiliter egiſſet annum, in 8. tantùm adhuc verſatum eum fuiſſe, ex 2. Reg. XXIV. 12. jam audivimus. Reliquum igitur eſt, ut inter menſis 4. diem 5. & menſis 12. diem 25. regni *Jehojakimi* exordium ſit indagandum.

Ex

Ex tribus feſtis in quibus omnes mares coram Domino comparere tenebantur, (Deut. XVI. 16) Tabernaculorum ſolennitas in hujus temporis ſpatium incidit: ad quam idcircò, locum illum Jerem. XXVI. 1. 2. ſine controverſia referendum eſſe judico. *Principio regni Jehojakimi filii Joſiæ regis Juda, fuit verbum hoc à Domino dicendo. Sic ait Dominus: Sta in atrio domûs Domini, ut eloquaris ad omnes civitates Juda venientes ad incurvandum ſe in domo Domini, omnia verba quæ præcipio tibi eloqui eis.* Ante feſtum igitur Tabernaculorum, in medio 7. menſis celebratum, tempore aliquo inter menſis 4. diem 5. & illud interpoſito (& quidem ad 7. quàm ad 4. menſem propiùs accedente) principium regni *Jehojakimi* reponendum eſſe colligo: indidémque *diem jejunii*, quo verba Domini in templo ejus audientibus omnibus Judæis qui eò confluxerant ex civitatibus ſuis è ſcripto recitare juſſus eſt Baruc, *anno quarto Jehojakimi*, (Jerem. XXXVI. 1. 6.) de ſolenni illo jejunio menſis 7. die 10. Lege imperato (Levit. XVI. 29.) quod *Jejunii* nomine κατ' ἐξοχὴν [Act. XXVII. 9.] ſignificatur, intelligendum eſſe concludo; non de conceptivo illo, quod *anno quinto Jehojakimi, menſe nono*, indictum fuiſſe [eodem cap. XXXVI. 9.] poſteà legitur, uti Tremellius exiſtimat. Si enim *ſub finem anni quarti* [ut ille vult,] datum hoc fuiſſet præceptum, & *anno quinto, menſe nono*, executioni mandatum; ſequeretur, paulò ante *nonum* menſem ſtatuendum fuiſſe *Jehojakimi* exordium: quod cum iis quæ ſuperiùs ſunt diputata non poteſt conſiſtere.

Ut hinc igitur, ante menſis 7. diem 10. ita alio argumento poſt 5. menſis diem 10. initium *Nebuchadnezaris* & *Jehojakimi* eſſe quærendum; ſic oſtendo. Annus decimus *Sedekiæ*, à menſis 4. die 10. [ut 1. Theſis docuit] inchoatus, erat *Nebuchadnezaris decimus octavus*, [Jerem. XXXII. 1.] uno ſaltem menſe poſt *decimum* illum *Sedekiæ* incipiens. Si enim ipſo 10. menſis 4. die regnum ſuum *Nebuchadnezar* cœpiſſet; quando Templum fuit incenſum, menſis 5. die 10. [integro poſt *Sedekiam*, deſinente anno regni ſui undecimo, captum menſe] annum regni ſui *vicęſimum* ille fuiſſet ingreſſus: At *decimum nonum* illius adhuc cucurriſſe, ex Jerem. LII. 12. conſtat. Unde inter menſis 5. & 7. diem 10. annorum, *Nebuchadnezaris* primò, deinde & *Jehojakimi*, initium locandum eſſe, conſequitur. Quod cum ſuperiùs poſita deſcriptione rectè convenit: quæ *Jehoachazo*, trimeſtre ſuum regnum à menſis 3. die 10. inchoanti, *Jehojakimum* 6. menſis, die 10. ſucceſſiſſe ſtatuit. Inde ad initium *Jechoniæ* circa 25. diem 12. menſis collocatum, menſes numerantur 6. cum dimidio, quot tantùm, ſupra annos decem, integro *Jehojakimi* regno hypotheſis hæc attribuit; ab undecimo illius anno detractis 5. menſibus & unius dimidio. Qui quidem conficient; ſi *Nebuchadnezarem* annum ſuum *primum* diebus 25. ante finem tertii anni *Jehojakimi* inchoaſſe, & ad complementum *octavi* ſui anni, præter 100. dies *Jechoniæ*, & 5. interregni 35. quoque primos ſuccedentis *Sedekiæ* dies aſſumpſiſſe admiſerimus. Quâ ratione Natali imperii *Nebuchadnezaris* in medio 5. menſis conſtituto; & 1. illius annus reſponſurus eſt *Jehojakimi* 4. [diebus tantùm 25. illo anterior] juxta Jerem. XXV. 1. & 18. anno *Sedekiæ* 10. [diebus 40. hujus initio poſterior] juxta Jerem. XXXII. 1. erúntque ab initio ejus, ad deportationem quidem *Jechoniæ* [menſis 4. die 5.] anni 7. menſes 10. dies 20. ad Templi verò excidium [menſis 5. die 10.] & captivitatem populi illud ſubſecutam, anni 19. diebus 5. minùs.

THES. VI.

Nebuchadnezar, à vivente patre in conſortium regni aſſumptus, annos 43. poſt mortem illius imperavit ſolus; in univerſum verò, annos 44. menſes 7. & dies 20. circiter.

ANno *Jehojakimi* 3. deſinente circa 15. menſis 5. diem, regnare cœpiſſe *Nebuchadnezarem*; ante deportationem *Jechoniæ*, menſis 4. die 5. factam, annis 7. menſibus 10. & diebus circiter 20. in præcedente Theſi eſt oſtenſum. His additi anni 36. menſes 8. & dies 20. [qui à deportatione illa, ad annum quo *Evil-merodach* regnare cœpit, effluxerunt] longiſſimum regni *Nebuchadnezaris* tempus exhibebunt, annorum 44. menſium 7. & dierum 10. circiter. Filius enim & ſucceſſor ipſius proximus *Evil-merodach* ad regiam dignitatem in aula ſua *Jechoniam* evexiſſe fertur, *anno à deportatione* ipſius 37. *menſe* 12. *die menſis* 25. eodem *quo regnare cepit anno*. [Jerem LII. 31. 32.] qui quidem 25. dies Imperii videtur fuiſſe Natalis; quo de evehendo *Jechoniâ* conſilium ille iniit: quum ipſum evectionis diem 27. ejuſdem 12. menſis ex 2. Reg. XXV. 27. fuiſſe appareat.

Beroſus quidem in 3. Chaldaicæ ſuæ hiſtoriæ libro, *Joſephus* lib. X. Antiquit. cap. 11. Col. 12. & *Ptolemæus* in Regum Babylonicorum Canone, 43. tantùm annos *Nebuchadnezari* tribuunt, ſed à morte patris numeratos: quum in *Jeremiæ* & ſacra Regum hiſtoriâ, ab expeditione ejus in Syriam & Judæam vivente patre ſuſceptâ, principatûs ejus epocha deducatur. Quo tempore regni paterni factum illum fuiſſe participem, *Beroſus* (apud *Joſephum* libro X. Antiquit. cap. 11. lib. 1. contra Apionem) ſatis apertè ſignificat. A *Nabopolaſaro* enim cum exercitu adverſùs rebelles miſſus, eorum regionem (ut ille ſcribit) ὑπὸ πλοῦ ἀνιὼν vel ἀνιὼν: (ſic enim in lib. 1. contra *Apion*, & *Georgii Syncelli* Chronico citatum legitur) βασιλέα ἀναδεῖξαι, *regno ſuo ſubjecit* poſt illius demùm obitum κυρίους ἐξ ἀναλήψεως τῆς πατρικῆς ἀρχῆς, *paterno principatu in ſolidum potitus*; quem anteà ſcilicèt diviſum cum patre geſſerat. Unde & Daniel, licèt *Nebuchadnezarem* quum primam adverſos Judæos expeditionem ſuſciperet, anno 3. *Jehojakimi*; *Regem Babyloniæ*, propter regni cum patre tùm vivente ſocietatem appellet: (cap. I. 1.) annorum tamen regni numerationem more Chaldæorum apud quos agebat ab obitu patris & mero ipſius imperio deducit; anno illius *ſecundo*, ſomnium ipſius à ſe expoſitum ſignificans, (cap. II. 1. 31.) exactis jam *tribus* captivitatis ſuæ annis, quibus privatim in literis & linguâ Chaldæorum eſt inſtitutus, priuſquàm in Regis aſpectum eſt adductus, (cap. I. 4. 5. 18. 19.) quod nullo modo ad 2. regni annum quod cum patre communicavit: ſed ad finem 2. anni monarchiæ ſive ſolitarii regni commodiſſimè referri poterit.

Et rectè quidem hoc obſervavit [a] *Scaliger*, ſed vitioſâ lectione loci *Beroſi* (apud *Joſephum*,

[a] Scalig. Prolegomen. in lib de emend. Temp. pag. 13. 14. & not. in fragment. p. 10. 11.

lib. 1. contra *Apionem*) deceptus, quæ 29. regni annos pro 21. *Nabopolaſaro* tribuit ineunte anno regni ſui 30. & communicati cum filio imperii 13. mortem illum obiiſſe putavit; ac proinde annum illum, *Nebuchadneſaris ſecundum*, Daniel. II. 1. ab obitu patris numeratum 14. illius in Syria 2. in Babylonia, *Sedekia* verò 6. fuiſſe pronunciavit. *Clemens Alexandrinus* lib. 1. Stromatum, ad *Sedekiæ* captivitatem Beroſi hiſtoriam referens, anno regni illius 12. (eum enim tùm ingreſſus is fuiſſet, ſi libet permanſiſſet) hoc contigiſſe ſenſit: qua ratione 19. ſimul cum patre *Nebuchadneſar* regnaviſſet annos. *Joſephus* lib. X. Antiquit. cap. XI. eandem hiſtoriam ad 23. *Nebuchadneſaris* annum, quo poſtrema Judæorum facta eſt deportatio, (Jerem. LII. 30.) referendam eſſe cenſuit. Tunc enim cum magnis copiis Cœleſyriam eum invaſiſſe ſcribit, eâque ſubactâ bellum geſſiſſe contra Ammonitas & Moabitas; & his quoque perdomitis, Ægyptum hoſtiliter ingreſſum, repertos ibi Judæos rurſùm captivos Babylonem abduxiſſe: deinde, poſt Ægypti populationem exacto *biennio* mirandam illam viſionem, Danielis II. expoſitam, objectam illi fuiſſe ſubjicit. Cujus etiam hic inſiſtens veſtigiis *Hieronymus* (licèt pro *Joſepho*, *Beroſum* ille nominet) viſionem hanc anno *Nebuchadneſaris* 25. factam fuiſſe ait. Ita verò ſimul cum patre 23. ille regni annos exegiſſet; & anno captivitatis *Iechoniæ* 15. Ægyptus ab eo fuiſſet occupata: quod tamen ante 27. illius annum non factum, ex Ezech. XXIX. 17. rectiſſimè animadvertit *Franciſcus Junius*. Eò igitur *Beroſi* hiſtoriam ſpectare [a] ille exiſtimans, undecimo ante mortem ſuam anno *Nebuchadneſarem*, audito patris obitu & conſtitutâ Ægypto, Babyloniam repetiviſſe vult, ut regnum iniret ſolus; quod per 34. annos hoc admiſſo calculo, (qui *Nabopollaſaro* 54. pro 21 *Nebuchadneſari* 10. pro 43. aſſignat annos) ſimul cum patre jam geſſiſſet. Indeque à vero monarchiæ illius initio conſtituendo tantopere aberrans, duriorem illam *Tremellii* ſui interpretationem in *Daniele* admittere cogitur. *Anno ſecundo*, nempe *regni Nebuchadneſaris*, *ſomniavit Nebuchadneſar ſomnia*. Anno ſecundo ab eo tempore numerato, non quo *Nebuchadneſar* mortuo patri in imperio ſucceſſit, ſed quo pueri quatuor adducti ad regem ſteterunt coram eo (Daniel. I. 18. 19.)

Vid. Hieron. & Pezet. in Dan. 2. 1.

[a] Jun. in Ezech. pa. 1. & Dan. 2. 1.

CAP. I.

Difficultates nonnullæ, ad Nebuchadneſaris, & regum Judæ qui ſub illius imperio vixerunt, tempora ſpectantes explicantur: & 70. annorum ſervitutis Babylonicæ, per Jeremiam prædictorum, initium à jugo Babylonico, anno 4. Jehojachimi primum à Judæis ſuſcepto, non à poſteriorum deportationum aliqua deducendum eſſe oſtenditur.

NEbuchadneſaris & trium poſtremorum, (qui illius imperio fuerunt obnoxii,) Regum Judæ temporibus ita conſtitutis, difficultates nonnullæ, ad eadem pertinentes, explicandæ jam veniunt: quarum prima tres illas deportationes ſpectat, ſub finem LII. capitis Jeremiæ, hunc in modum commemoratas. *Iſte eſt populus quem deportavit Nebuchadneſar; anno 7. Judæi* 3023. *anno* 18. *Nebuchadneſaris; deportavit Hieroſolymis animas* 832. *anno* 23. *Nebuchadneſaris; deportavit Nebuzaradan præfectus ſatellitum è Judæis, animas* 745. *Omnes animæ* 4600. *ſunt.* Ubi *Rabanus* ter Judæos à *Nebuchadneſare* captos ſcribit; harúmque trium captivitatum numerum hìc à propheta cenſeri. Primam ponit in tranſmigratione *Joakimi* filii *Joſiæ*; de qua 2. Paralip. XXXVI. ſecundam in tranſmigratione *Jechoniæ*; de qua 2. Reg. XXIV. Tertiam in Urbis ac Templi excidio, ſub *Sedekia*; de qua 2. Reg. XXV. *Quæ ſi vera ſententia eſt; tres numeri mutandi ſunt: ut pro ſeptimo anno in prima captivitate ſcribatur, Primo; in ſecunda pro octavo decimo ſcribendum ſit, Octavo; pro viceſimo autem tertio in captivitate poſtrema legi oporteat, Undevicimo*, inquit *Melchior Canus*, lib. XI. locor. Theolog. cap. V. *At quis prudens non potiùs judicaverit falſam eſſe ſententiam Rabani; quam falſatos eſſe omnes* Bibliorum codices, Hebræos, Chaldæos, Syros, Græcos, & Latinos. Multò igitur modeſtiùs Emanuel Sa, in Notationibus ad hunc locum: *Quidam*, inquit, *putans eſſe errorem in numeris; & legendum pro* 7. 1. *pro* 18. 8. *pro* 23. 19. *ut patet ex* IV. Reg. XXIV. & XXV. & II. Paral. XXXVI. *Ego id non auſim dicere: potiùs dicerem, de aliis hic translationibus agi quam* IV. Reg. Et ſanè quidvis potiùs dicendum fuerat quàm ad hoc deſperatum remedium recurrendum.

Rectiùs igitur multò *Jacobus Cappellus* in Chronologia ſua (ad annum Mundi 3398. & 3414.) deportationum alias majores, alias minores fuiſſe aſſerit: prioris generis tres, anno *Nebuchadneſaris* 1. 8. & 19. factas; poſterioris item tres, quæ *Jeremiæ* LII. anno *Nebuchadneſaris* 7. 18. & 23. commemorantur factæ. Cùm enim *Jehojakimus*, poſt triennii ſervitutem adverſus *Nebuchadneſarem* rebellaſſet: immiſſus eſt contra eum exercitus, ex Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum & Ammonitarum turmis conſitans. Quod ex præſtituto Domini factum fuiſſe Scriptura notat; ut Judæos perderet, & amoveret a facie ſua: ſecundùm verbum quod locutus fuerat per ſervos ſuos Prophetas. (2. Reg. XXIV. 1. 2. 3.) Ab hoc igitur *Nebuchadneſaris* exercitu, anno illius quidem 7. *Jehojakimi* verò 10. deportati ſunt Judæi illi 3023. quod & à Faſtorum Siculorum authore eſt animadverſum; anno Regis hujus *decimo*, *Nebuchodonoſorem regem Babylonis*, *ſeptimo anno regni ſui ſubactâ Judæâ* 3023. *Judæos captivos abduxiſſe*, memorante.

Factum hoc, non quidem biennio, (ut erronea illius ſtatuit hypotheſis, quæ 12. annos regno *Joakimi tribuit*) ſed integro anno ante grandem illam deportationem, ſub ejus ſucceſſore *Jechonia* factam, ad quam (non ad illam ſub *Joakimo*) *Tremellius* & *Deodatus* primam in hoc Jeremiæ loco propoſitam referendam eſſe judicant. Quanquàm enim captus fuiſſe dicatur *Jechonias* anno *Nebuchadneſaris* octavo, & captivi decies mille cum eo abducti: (2. Reg. XXIV. 12. 14.) ita tamen inter ſe conciliari poſſe *Deodatus* exiſtimat, ſi in fine ſeptimi & initio octavi contigiſſe; & *Jeremiæ* 3000. Hieroſolymitani, reliqui 7000. ex diverſis Judææ partibus

milites

milites fuiſſe admittantur. Verùm, quum ab initio *Nebuchadneſaris* ad *Jechonia* captivitatem, præter annos 7. pluſquàm 10. menſium ſpatium interceſſiſſe, in V. Theſeos fine oſtenderimus: illa 7. deſinentis & 8. ineuntis conſideratio locum hîc habere non poterit; Et quum è tribus deportationibus hîc memoratis, media tantùm *Hieroſolymitanorum*, duæ reliquæ *Judæorum* fuiſſe dicatur: illa primæ ad *Hieroſolymitanos* reſtrictio minùs ad mentem ſacri ſcriptoris facere videatur. Quin & in magna illa *Jechonia* deportatione (quæ una longè plures captivos habuit, quàm tres illæ, de quibus nunc agimus, ſimul ſumptæ) ipſorum *Hieroſolymitanorum* multò majorem quàm 3000. numerum fuiſſe apparet. Sic enim locum hunc ſpectantem, 2. Reg. XXIV. 14. reddidit *Tremellius. Et deportavit rex è cunctis Jeruſchalaimis cum omnes præfectos, cum omnes valentes robore, decies mille captivos, omnéſque fabros lignarios & fabros ferrarios.* Sed, *è cunctis Jeruſchalaimis*, per Synecdochen ille explicat, *è toto regno*: & in numero *deciem mille captivorum*, è tribu Juda 3023. illos (Jerem. LII. 28.) fuiſſe cenſet; reliquos 7000. (quorum 2. Reg. XXIV. 16. fit mentio) ex urbe Hieroſolymitana deportatos fuiſſe ſubindicans. Contrà Deodatus, (illâ *Tremellii* Synecdoche ut nimis fortaſſe catachreſticâ minùs probatâ) *totam Hieroſolyma, majorem & meliorem partem populi*, interpretatur: ex Urbe 3023. (quæ certè major Hieroſolymitanorum pars eſſe non poterat) abductos fuiſſe conjiciens, cæteros verò 7000. ex tota regione reliquâ deportatos fuiſſe, intelligendum relinquens. Sed verius omninò eſt; numerum illum 3023. in *Jeremia* poſitum, ad deportationem ſub *Jechonia* factam nihil omninò attinere.

Secundam *μετοικεσίαν* captivorum 832. Hieroſolymis decedentium, non [ut *Rabanus*] de *Jechonia*, ſed de *Sedekia* transmigratione, poſt expugnata & diruta Hieroſolyma *Tremellius* & *Deodatus* accipiunt, ſub finem anni 18. & initium 19. anni *Nebuchadneſaris* factam eam fuiſſe opinati. Et licèt ex Jerem. LII. 12. 13. manifeſtum ſit incenſum fuiſſe templum anno *Nebuchadneſaris* 19. (*Joſephus* tamen tum in lib. X. Antiquit. cap. XI. tum in libro I. contra *Apionem*) ad 29. ejuſdem [ut videtur] capitis verſiculum reſpiciens, anno ejusdem 18. hoc factum fuiſſe ſcribit: numero tamen 832. deportatorum, ibidem expreſſo, ad captivitatem ſub *Jechonia* factam, relato; cum quo, præter *decem millia*: [2. Reg. XXIV. 14. commemorata] 832. etiam alios abductos fuiſſe aſſerit. [Antiq. lib. X. cap. IX.] *Laurentius* verò *Codomanus* etiam anni tempeſtatem, quâ *Nebuchadnefar* regnum iniit ex hoc ita conatus eſt eruere. Anno 10. *Sedekia*, durante obſidione Hieroſolymitanâ, ingreſſus eſt *Nebuchadnefar* annum regni 18. [Jerem. XXXII. 1. 2.] Anno 11. *Sedekia* menſe 4. die 9. Chaldæi captam urbem ingreſſi ſunt. [Jerem. XXXIX. 2. 3. LII. 5. 6. 7.] Necdum defiit annus 18. *Nebuchadneſaris*: quo 832. Judæos Hieroſolymis captivos ab illo abductos Scriptura teſtatur. [Jerem. LII. 29.] At verò annum 19. regni ſui attigit *Nebuchadneſar* menſis 5. ſequentis, die 7. quo *Nabuzaradan* Hieroſolymam ingreſſus eſt, ut eam flammis perderet, & ſolo æquaret. [2. Reg. XXV. 8.] Ergo inter 9. diem menſis 4. anni 11. *Sedekia*, & menſis 5. diem 7. initium 19. anni [& conſequenter reliquorum omnium annorum] *Nebuchadneſaris* ſtatuendum eſt. Et quia initio huic aſſignandus erat vel 7. dies menſis 5. vel aliquis 27. dierum præcedentium: ne is relinqueretur in dubio, pro eo menſis 5. Kalendas aſſumere [a] *Codomano* placuit.

[a] Codoman. Chronol. lib. 3. c. 22.

Verùm nimis debili tota hæc ſtructura nititur fundamento: non potuiſſe 832. illos Judæos Hieroſolymis abduci, priuſquàm Hieroſolymis Chaldæi eſſent potiti. Nam deportati Hieroſolymitani duorum fuerunt generum: ut liquet ex 2. Reg. XXV. 11. Jerem. XXXIX. 9. & LII. 15. Alii partim metu, partim Jeremiæ prophetæ ſuaſione [Jerem. XXI. 9. & XXXVIII. 2.] inducti, ab urbe obſeſſa defecerunt ad Babylonios: alii in Urbe remanſerunt. Quum igitur anno 10. *Sedekia*, Ægyptiaco exercitu adventante, Chaldæi obſidionem intermittere fuiſſent coacti, anno ante captam urbem altero, [ut in II. Theſi eſt oſtenſum: Hieroſolymitanos illos 832. qui ad eos defecerant, in Babyloniam abducendos curaverunt; anno *Nebuchadneſaris* 18. quem 10. *Sedekia* reſpondere ſcriptura diſertè aſſerit. [Jerem. XXXII. 1.] non ita quidem exiliter, ut 18. illius primos 9 ſuos dies communes tantùm habeat cum 10. hujus, ut [b] *Codomano* viſum fuit; ſed ut 10. hujus 35 dierum ſpatio 18. illius antevertens 350. reliquis diebus cum eodem paria faciat: quemadmodùm in V. Theſi declaravimus. Quare nec anni 18. deſinentis, & 19. ineuntis remedium quicquam hîc prodeſt: 832. verò deportatorum numerus plurimùm etiam obeſt. Eversâ enim urbe & civibus vacuatâ [Jerem. XXXIX. 8. 9.] non plures inde captivos abductos fuiſſe, nemo prudens opinabitur.

[b] Codomn. Annal. ad an. Mundi 3510. 4.

Quod in minore 745. numero multò magis locum habet in tertia deportatione commemorato: quàm ad tranſmigrationem populi ſub *Sedekia* factam, contra omnium aliorum ſententiam, *Rabanus* accommodat. Quum enim migraviſſe tùm dicatur Juda è terra ſua, vinitoribus tantùm & foſſoribus in eâ relictis: [2. Reg. XXV. 11. 21.] tantillum captivorum numerum translatum inde fuiſſe, nullus [opinor] ſanus ſomniaverit. Neque juſta aliqua ratio afferri poteſt, cur ante 23. *Nebuchadneſaris* annum, in textu expreſſum, translationem hanc factam fuiſſe arbitraremur. Etſi enim longè maxima Judæorum pars, qui poſt urbis excidium in terra remanſerant, per proditionem occiſo eorum duce Gedaliâ in Ægyptum (nequicquam reclamante Jeremiâ) migraverit: multos tamen ibi ſubſtitiſſe vel ex unico illo *Ezekielis* teſtimonio, tribus poſt cædem Gedaliæ menſibus edito, (ſiquidem menſe *ſeptimo* illum ſublatum conſtat, Jerem. XLI. 1. hoc verò prolatum eſſe decimo; Ezech. XXXIII. 21.) intelligitur. *Qui habitant vaſtitates iſtas in terra Iſraelis, loquuntur dicendo. Unus erat Abraham qui hereditario jure poſſideret hanc terram, nos autem multi; nobis tradita eſt hæc terra in hereditatem.* (Ezek. XXXIII. 24.) Neque enim tales erant illi, qui in Ægyptum conceſſerant, Jerem. XLIII. quales hîc propheta deſcribit: ut à *Chriſtiano Maſſæo* in 6. Chronicorum libro, rectè eſt animadverſum. *Illi manere noluerunt; iſti voluerunt. Illis promiſſa ſecuritas, ſi manerent*: (Jerem. XLII. 10. 11. 12.) *iſtis*

dicitur,

dicitur, quòd pestilentiâ, fame, gladio ceciderunt. (Ezech. XXXIII. 27. 28.) *Illos occidit Nebuchadnesar in Ægypto: ipsos partim cæsos in Judæa, partim translatos à Nebuzaradan confectæ anno domini sui 23. qui fuit 4. desolationis Hierusalem.* (Jerem.) LII. 30.) quod non animadvertens *Iosephus*, lib. X. Antiq. cap. XI. *quinto post excidium Hierosolymis annum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius*, (anno enim illius 18. ut dictum, non 19. Templum & Urbem excisa fuisse ille censuit) Judæos hosce ex Ægypto captivos Babylonem abductos fuisse credidit, quum ante 17. deportati *Iechonia*, qui fuit regni *Nebuchadnesaris* 25. Ægyptum ab eo occupatam non fuisse, ex Ezechiel. XXIX. 17. sub præcedentis Thesis finem jam audiverimus.

Sequitur locus longè difficilior, Jerem. XXVII. 1. *In principio regni Jehojakimi filii Iosiæ regis Judæ, fuit verbum hoc ad Jeremiam à Domino.* Vbi pro *Jehojakimo* nomine, *Sedekia* reponendum *Iosephus Scaliger* contra *Pererium*, *Iacobus Salianus* ad ann. Mundi [a] 3426. *Iohannes à Bohemus*, & alii aliqui existimant; licet *Hippolytus Portuensis*, vel quicunque author fuit [c] Chronici anno XIII. *Alexandri Severi* conscripti, & *Epiphanius* in 1. *Panarii*, (pag. 15. edit. Græc. Basil.) *Sedekiam* etiam *Joakimi* nomine appellatum fuisse, sensisse videantur. In versu verò 3. illius *Jeremiæ* capituli, *per legatos qui venerunt erant Hierosolyma ad Sedeciam regem Judæ*, Dei voluntatem finitimarum gentium Regibus significare Propheta jubetur, ut *Nebuchadnesaris* Regis Babylonicæ jugo colla sua submitterent. Deinde vers. 12. *etiam Sedekiam regem Judæ allocutum se fuisse secundùm omnia verba ista*, Jeremias subjicit: in principio capitis sequentis, hanc quoque temporis μετοχὴν postrò adjiciens. *Et factum est in anno illo in principio regni Sedekia regis Judæ; in anno quarto, in mense quinto* (Jerem. XXVIII. 1.) Vnde & nova exoritur difficultas, unde in *principio regni Sedekiæ* factum dicatur, quod quarto illius anno contigit.

Porrò propheriam illam in anteriore meditatæ, sive 11. primis versiculis capitis XXVII. comprehensam, in principio regni *Jehojakimi* à Deo primùm revelatam Jeremiæ fuisse, censent *Tremellius*, *Codomanus*, *Brochtonus*, *Drusius*, & alii: (triennio scilicet antequàm *Nebuchadnesar* in Babylonia, & 11. annis priusquàm *Sedekias* in Judæa regnare cœpisset:) quæ in posteriore verò meditatæ, & ut reliquis verbibus continentur, ipsius *Sedekiæ* demum temporibus Regi, & Sacerdotibus, & toti populo à Propheta fuisse proposita. In priore igitur parte, comparare sibi vincula & lora in tempus illud quo regnaturus esset *Sedekias*, jussum fuisse Prophetam existimant. *Sic enim auctoritatem conciliasset prophetæ, & omnem malè de Prophetæ suspicandi occasionem sublatam*, affirmat *Tremellius*. Creditque *Codomanus*, *propterea undecim annis ante regnum Sedekiæ factum esse ad Jeremiam verbum Domini, de jugo quoque regibus mittendo per legatos ad regem Sedekiam missos, ut Propheta suæ vitæ non metuendum esse ab impio rege Joakimo, quo defuncto, jugum traditurus esset legatis mittendis ad novum in ejus regno successorem, Sedekiæ nomen habiturum.*

Ad alterum autem locum, Jerem. XXVIII. 1. quod attinet: duram esse existimat illam *Maldonati* expositionem *e Paludanus*; annum 4. *Sedekiæ* dici principium regni ejus, quia fuit ante meditatem illius, quanquàm regni *Sedekiæ* undecim tantum existentibus, ut eorum 4. ad principium regni ejus, referatur, neque Anglo-Duacensibus nostris interpretibus, neque *Iacobo f Salianæ*, durum omninò esse videtur. Alii, ex profectione vel legatione *Sedekiæ* anno regni sui 4. in Babyloniam institutâ. (Jerem. LI. 59.) eum de novo in Regem à *Nebuchadnesare* fuisse confirmatum colligunt; indéque in quarto illo anno novum *principatum regni Sedekiæ* constituit, quæ *Nicolai Lyrani* in Jerem. XXVII. 3. & *Augustini Tornielli* ad annum Mundi 3419. Parag. 4. est sententia. Alii priora ista [*Et factum est in anno illo, principio regni Sedekiæ regis Judæ.*] ad superiora referre malunt, atque à posterioribus separare, (*in anno quarto in mense quinto*:) quæ cum sequentibus nectenda esse censent. Quod probabile judicat *g Dionysius Petavius*: & multò esset probabilius si *Tremellianæ* loci illius versio reciperetur. *Quum autem fuisset* (vel *accidisset*) *illud anno illo, principio regni Sedekiæ regis Judæ: anno quarto mense quinto, allocutus est me Hananias.* q. d. Quum illa quæ præcesserant, à versu 12. ad finem cap. XXVII. *anno illo*, id est, *in principio regni Sedekiæ* ejusdem: anno demùm post *quarto, mense quinto*, iis quæ diversum contradicens *Hananias*, ita me est allocutus.

Superest adhuc trium illarum difficultatum postrema, quas sapientiæ cœlestis afflatu egere *Eusebius* putavit, ut possint intelligi. *Jehoiakim*, sive *Jechonias*, quum regnare cœpisset, dicitur fuisse annorum octodecim. 2. Reg. 24. 8. at octo tantùm. 2. Chr. 36. 9. [b] Pro 8. autem annis, multum ille facere existimat locum illum Matth. 1. 11. ut in veteribus codicibus legitur. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ, Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος. *Josias autem genuit Joakim, Joakim autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transportatione Babylonicâ.* Octavus enim Jechonia ab undecimo & postremo patris *Joakimi* subtractus ad desinentem 3. & ineuntem 4. *Joakimi* annum nos perducit: quo tempore Daniel initio Historiæ suæ notat *Nebuchadnesarem*, captâ Hierosolymâ, vasa sacra, & primariæ nobilitatis florem in Babyloniam deportasse. Quam sententiam propugnat etiam [i] *Jacobus Cappellus* in Chronico suo.

Contrà verò *decimum octavum* potius ætatis annum *Jechoniam* tunc egisse, argumento est, quòd *malum fecisse* dicitur *in conspectu Domini, omnino prout fecerat pater ejus*; & quòd *uxores* ejus (*feminas* Tremellius reddidit) simul cum eo deportatæ memorentur: (2. Reg. XXIV. 9. 15.) quæ in *octo* annorum pueruli minus competunt. Unde Cajetanus ad locum illum Chronicorum, Canus (lib. XI. locor. Theolog. cap. 5.) & Jo. Mariana (pro edit. vulgata cap. 21.) 8. pro 18. errore scriptorum irrepsisse in textum asserunt. Pro quibus facit & editio Syriaca: quæ in loco illo Chronicorum etiam 18. annorum numerum nobis exhibet. *Numerum Hebraeo codice*, (ut ait Mariana) *à librariis vitiato, is error in Græcos codices & Latinos inde manavit, & scribentis peccatum interpretis vitium factum est.*

Sed ante illos. [k] Abulensis, sacri textus corruptelam nullo modo hic admittendam esse præmonuit. Primum quia *ista positio* [ut ille loquitur] *est nimis scandalosa*; quia eodem modo scripturam *posemus dicere in omnibus locis esse corruptam: vel saltem non erit nobis firmum, aliquam partem ejus esse veram.* Deinde quia *de jure humano est regula, quod in ipsis juribus vitiando est correctio; & nunquam sunt jura corrigenda quandiu possunt tolerari, sed expedit jura juribus concordare*: ut patet de elect. lib 6. c. cum expediat. *A fortiori ergo in sacra scriptura* [*in qua nihil debet concedi devians à veritate*] *debet laborari pro concordia ejus, & sic quamdiu possemus partes concordari, non est dicendum quod aliqua pars sit corrupta. Et tamen possunt concordari ista partes sacræ Scripturæ*: inquit ille, nempe, si 8. annorum dicatur fuisse Jechonias, quando cœpit regnare vivente patre; 18. vero, quando regnavit solus mortuo patre. Ejusque in regni consortium cooptationis, ex prophetia illa Jeremiæ XXVII jam expositâ, rationem etiam aliquam [l] Codomanus ita conatur reddere. *Joakimus audito Jeremiæ vaticinio, metuit ne per illud populus moveatur, ut Sedekiam aliquem* (fratet enim ipsius non *Sedekias*, sed *Mattanias* eo tempore dicebatur) *præferat suo filio Jechoniæ. Quamobrem eundem, annos tantùm octo natum, curat regem designari: ut sic prophetia Jeremiæ fiat irrita; nec filius olim experiatur fortunam paternam*, (ipsi enim Joakimo minor frater Joachazus à populo prælatus fuerat) *& ad alium transferri videat regnum jure hereditatis sibi debitum.*

Alii aliter ista inter se conciliant. Tremellius enim, & cum secutus Brochtonus, locum 3. Chronic. XXXVI. 9. sic interpretatur. *Natus esset annos, quum* ILLE *regnare incepit*: non ipse videlicet, sed pater ejus; cujus in proximè præcedentibus facta fuerat mentio. Reliquus verò [juxta locutionis illius sententiam primùm usurpatam initio regni Saulis primi Israelitarum Regis] octavum ille annum egisse dici poterit, non ætatis, sed servitutis Babylonicæ, cui ipse cum populo suo tunc erat obnoxius. Quidquid enim de loco illo Matthæi I. 11. demùm statuamus: quo tempore patri successit in regno Jechonias, à captis anno Jehojakimi 4. Hierosolymis *octavum* numeratum fuisse annum non est dubium.

[a] Parag. 18. 19. 20. 21. tom. 4. pag. 659. 662. & 718.
[b] Pag. 245. 246.
[c] Tom. 2. Antiqu. lect. H. Canisii, pag. 194.
[d] Vid. Hartwellæum, col. 922. 923. 924. item Syr. MS. LXX. & Hieron.
[e] Codoman. Annal. ad an. Mund. 3502.
Pag 236
[f] Vid. Sal. Jarchi.
[g] Tom. 2. pag. 166.
[a] An. 3419. Parag. 17. [pag. 714. & 718.]
[i] Cappel. Chr. ad an. Mund. 3370.
[k] Alph. Tostat. in 4. Reg. 24. q. 8.
[l] Codomn. Annal. ad an. Mundi. 3411.

JACOBI

JACOBI USSERII
ARMACHANI
DE
MACEDONUM ET ASIANORUM
ANNO SOLARI.
DISSERTATIO:
CUM GRÆCORUM ASTRONOMORUM
PARAPEGMATE.
AD MACEDONICI ET JULIANI ANNI RATIONES ACCOMMODATO.

JUXTA EXEMPLAR LONDINENSE.

Digitized by Google



Digitized by Google

INDEX CAPITUM DISSERTATIONIS DE MACEDONUM ET ASIANORUM ANNO SOLARI.

CAPUT PRIMUM.

De menſibus Solaribus à Macedonibus Græciæ dominatu jam potitis, Lunarium loco in uſum civilem introductis; & iiſdem Aſiæ imperium poſteà obtinentibus, à Syromacedonibus & Aſiæ propriè dictæ incolis variè uſurpatis. 93

CAP. II. *De communi menſium Macedonicorum & Aſianorum, à numeris ordinalibus ductâ, denominatione: ubi & de Epiphaniâ, quinto die Januarii celebratâ, Hieronymi; & de Paſchalis feſtivitatis tempore à Montaniſtis in Phrygiâ obſervato, Sozomeni locus illuſtratur.* 96

CAP. III. *Tempus, quo paſſus Polycarpus & comprehenſus eſt Pionius, ex Aſiani anni ratione patefactum. Diei magni & Sabbati magni differentia explicata.* 98

CAP. IV. *De Græcorum & Macedonum menſibus variè ab Epiphanio uſurpatis. De Cypriorum & Bithynorum menſibus ad anni Macedonici formam accommodatis. Variorum menſium & inter ſe & cum Julianis comparatio.* 101

CAP. V. *Menſis cujuſque dierum numerus, & in anno Romano ſedes declaratur. Ex quatuor ſibi invicem ſuccedentium annorum Dominicis Paſchalibus cum tempore paſſionis Polycarpi comparatis, locus Intercalationis, Epocha, & ratio collationis cum Periodi Julianæ & æræ Chriſtianæ annis, eruitur.* 103

CAP. VI. *Anni totius Macedonici & Aſiani diſpoſitio atque methodus exponitur. Cycli Solaris & Lunaris, & Chriſtiani Paſchatis, in eo indagandi ratio. Veterum Parapegmatum ad eundem accommodatio.* 106

I.

Dato anno Periodi Julianæ, vel æræ Chriſtianæ, annum congruentem epochæ Macedonicæ invenire. ibid.

II.

Dato Macedonici anni menſe & die, menſem & diem Julianum illi reſpondentem deprehendere. ibid.

III.

Dato anno Macedonico, Cyclum Solarem invenire. ibid.

IV.

Dato Cyclo Solari, literam diei Solis ſive Dominicam, & per eam ferias hebdomadicas totius anni Macedonici ſive Aſiani, invenire. ibid.

V.

Dato anno Macedonico ſive Aſiano, Cyclum Lunarem invenire. 107

VI.

In dato anno Macedonico vel Aſiano Paſchalem Dominicam, & Montaniſtarum & Alexandrinorum; deſignare. ibid.

CAP. VII. *Cæleſtium menſium diſparilis menſura, in Parapegmatum deſcriptionibus à Metone, Eudoxo & Chaldæis adhibita. Ortuum & occaſuum ſtellarum ipſarum, pro variâ temporum & locorum ratione, diſcrepantia: locorúmque & temporum, quibus diverſorum authorum Parapegmata ſunt adapiata, deſignatio.* 109

EPHEMERIS anni Macedonici & Aſiani, cum Iuliano collati: Addito etiam Stellarum inerrantium ortu & occaſu, ac tempeſtatum præſagiis; ex veterum Aſtronomorum, quæ Aſiam, Thraciam, Macedoniam & Græciam *ſpectabant*, Parapegmatum *reliquiis*, 113

JACOBI USSERII ARMACHANI,

De Macedonum & Aſianorum anno Solari, DISSERTATIO.

CAPUT I.

De menſibus Solaribus à Macedonibus Græciæ dominatu jam potitis, Lunarium loco in uſum civilem introductis; & iiſdem Aſiæ imperium poſteà obtinentibus, à Syromacedonibus & Aſiæ propriè dictæ incolis variè uſurpatis.

PHILIPPUS Rex Macedonum ab Amphictyonibus, ex quibus commune Græciæ conſtabat Concilium, [a] Belli ſacri contra Phocenſes Dux conſtitutus, ad Peloponneſiorum magiſtratus ſcripſit literas, à Demoſthene in oratione de Coronâ recitatas: in quibus mandatum ipſius, hiſce verbis expreſſum legitur. Ὅτε συνεστᾶτι μετὰ τῶν ὅπλων ἐς τὴν Φωκίδα, ἔχοντες ἐπιστολὰς ἡμερῶν τεσσαράκοντα, τῷ ἐπιόντι μηνὶ Λῴῳ· ἐς ἡμᾶς ἔρχεσθαι δεῖ ἢ Ἀθηναίους, Βοηδρομιῶνος· δεῖ ἢ Κορινθίους, Πανέμου. *Quare armati nobis occurrite in Phocide, allato commeatu quadraginta dierum, hoc menſe Loo, ut nos agimus: ut autem Athenienſes, Boëdromione; ut Corinthii, Panemo.* Ubi, ut *Boëdromionem* Atticum Lunarem Metonicum fuiſſe conſtat: ita ejuſdem generis & Macedonicum *Loum* & Corinthiacum *Panemum* tunc extitiſſe, ipſa prudentiæ militaris ratio, cujus callentiſſimum Philippum fuiſſe nemo dubitat, planè exigere videtur. [b] *Si enim tuba* illius *incertum dediſſet ſonum; quis præparaviſſet ſe ad prælium?* Si Atticus *Boëdromion* fuiſſet, ut erat, *Lunaris*; Macedonum verò *Lous*, aut Corinthiorum etiam *Panemus*, Solaris: incertum omninò fuiſſet, quando in Phocide armatus Philippo occurrere teneretur Peloponneſiorum exercitus.

In Alexandri autem Vitâ docet *Plutarchus*, Macedonas *Loum* menſem appellaviſſe eum, qui Athenienſibus erat *Hecatombæon*: menſeque *Daſio* ſuperatas ab eis ad Granicum fuiſſe Regis Perſarum copias; quod menſe Athenienſium *Thargelione* factum, confirmat *idem* in Camillo. Quum enim Darii duces in trajectu Granici fluvii ingentem ſuam aciem inſtruxiſſent; à quibuſdam Alexandro, ne * cum illis congrederetur, religionem menſis objectam fuiſſe narrat. Δαρείου γὰρ ἐν ὑπεροψίᾳ τοῦ βασιλέως τῶν Μακεδόνων ἐξάψαι τὰς φάλαγγας. *Menſe enim Daſio non erat moris regum Macedonum educere exercitum.* Quod correxit ille, πλείους ἀνέτρεψε Ἀρτεμισίωνα ἄγων, *edicens ut ſecundum agerent Artemiſium.* Menſis verò *Thargelionis* die *ſexto* (qui, juxta noſtrum calculum, in Julianæ Periodi anno 4380. Maii 20. fuit) pugnam illam commiſſam fuiſſe; ex illis *Æliani*, in II. Variæ hiſtoriæ libro cap. XXV. colligimus. Πέρσαι ἡττήθησαν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, *Perſæ hoc die clade affecti ſunt.* Et poſt: Ἀλέξανδρον ὃν ἡ Μακεδὼν, τὸν Φιλίππου παῖδα, τὰς φαλάγγας τὰς τῶν βαρβάρων φθεῖραι, ἐν αὐτῇ λέγουσιν ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, (ἔστι δὲ Δαρεῖον καθελεῖν Ἀλέξανδρος) ἐν ὁμολογοῦσι τῷ αὐτῷ μηνὶ πάντα. *Alexandrum verò Macedonem, Philippi filium, multas Barbarorum myriades fudiſſe dicunt die ſexto (quando & Darium proſtravit Alexander:) & de eodem menſe magnus omnium eſt conſenſus.* Ut enim ad menſem *Thargelionem*, de quo inſtitutus ab eo fuerat ſermo, ita ad primam hanc à Perſis reportatam victoriam, referenda iſta eſſe dubitare non poſſumus; ſi prælium ad *Iſſum* menſe *Mamacterione*, ad *Gaugamela* menſe *Boëdromione* fuiſſe factum, ipſumque tandem Darium menſe *Hecatombæone* cæſum à Beſſo fuiſſe, meminerimus. Sed & ad eundem *ſextum* ejuſdem *Thargelionis* menſis diem, Alexandri quoque mortem referri, *Ælianus* ſubjicit: quam ſub fine Macedonici *Daſii* contigiſſe, ex Diariis Regiis & Ariſtobulo, ſuo in loco declarabimus.

Ex quibus inter ſe collatis liquet, in Philippi quidem literis *Loum* Macedonicum *Boëdromioni* Attico reſpondiſſe; ſuccedente verò tempore, Macedonicum *Loum* in *Hecatombæonem*, ac *Daſium* in *Thargelionem* incurriſſe: &, quod inde eſt conſequens, in univerſi anni diſpoſitione hanc inter priores & poſteriores menſes interceſſiſſe differentiam.

[a] Diodor. Sicul. lib. 16. ad ann. 2. Olymp. 106.

[b] 1 Corinth. 14. 8.

* Non cum Thebanis: ut, ſallente memoriâ, ad annum Mundi 3664. Iacobus Cappellus tradidit.

Digitized by Google

MENSES.

Lunares Attici.	Lunares veteres Macedonici.	Solares novi Macedonici.	
Pyanepſion.	*Gorpiæus.*	*Dius.*	Autumnales
Maimacterion.	*Hyperberetæus.*	*Apellæus.*	
Poſideon.	*Dius.*	*Audynæus.*	
Gamelion.	*Apellæus.*	*Peritius.*	Brumales
Anthesterion.	*Audynæus.*	*Dyſtrus.*	
Elaphebolion.	*Peritius.*	*Xanthicus.*	
Munichion.	*Dyſtrus.*	*Artemiſius*	Vernales
Thargelion.	*Xanthicus.*	*Daſius.*	
Scirrhophorion.	*Artemiſius.*	*Panemus.*	
Hecatombæon.	*Daſius.*	*Lous.*	Æſtivi
Metagitnion.	*Panemus.*	*Gorpiæus.*	
Boëdromion.	*Lous.*	*Hyperberetæus.*	

Inter Olympiadis igitur CVIII. annum *ſecundum*, quo ſcriptæ à Philippo ad Peloponneſios ſunt literæ, (vel illius Olympiadis *primum*, ſi in eo finem bello Phocico Philippus fecerit, ut in libri X. initio tradidit Pauſanias) & CXI. *ſecundum*, quo ad Granicum à filio ejus cum Perſis eſt pugnatum; Macedones Lunares ſuos menſes in Solares commutárunt: quos & deinceps retinuerunt, eo quo propoſuimus modo, Lunaribus Athenienſium aliquà ſui parte reſpondentes. Neque ut ab hoc recedamus, aliquid nos movet inſcriptio illa, quæ apud Joſephum (libro XIV. Antiquit. cap. XVI.) Athenienſium Decreto, in gratiam Hyrcani Judæorum Pontificis & Etnarchæ edito, præfixa, cernitur. Ἐπὶ πρυτανείας ἧς ἱερὰς Δωσούς Ἡ Λεωληπτίδου, μηνὸς Πανέμου πλειόνων ἀντόντες, ἐπιδόθη τοῖς πρυτάνεσι ψήφισμα Ἀθηναίων, ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος, Εὐκλῆς Μενάνδρου Ἀλιμούσιος ἐγραμμάτευεν, Μουνιχιῶνος ἐνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ Διονύσῳ τῶν προέδρων. *Sub judice & Sacerdote Dionyſio filio Aſclepiadis, menſis Panemi deſinentis die quinto, traditum eſt Ducibus decretum Athenienſium, archonte Agathocle. Eucles Menandri Alimuſius ſcriba retulit, Munychionis undecimo die Prytania, habito Præſidum Concilio in theatro.* Unde nonnulli, *Panemi* Macedonici diem XXVI. ſive quintum deſinentis, cum *Munychionis* Attici die XI. concurriſſe colligunt. Verùm, quemadmodum in Codice, Conſtitutionibus Imperatoriis menſium notationes diverſas videmus appoſitas (ut alia, exempli gratiâ, dicatur. [a] *Data* XV. *Kalend. Jul. Theſſalonicæ, iterum rurſus Conſtantinop.* XIII. *Kalend. Januar.* alia, [b] *Data Id. bus Auguſt. Arelate, propoſita idib. Octob. Theſpeſſ.* alia, [c] *Data ſimul & propoſita Kalend. Jul.*) ita nihil obſtat, quo minus & Athenienſium hoc Pſephiſma ſcriptum quidem *Munichionis* XI. Ducibus verò poſteà XXVI. *Panemi* die fuiſſe traditum, exiſtimemus.

Ut verò Athenienſes, à neomeniâ Solſtitium Æſtivum proximè ſubſequente, primum menſem Lunarem, ita Macedones ab Autumnali Æquinoctio, primum menſem Solarem deduxerunt; à *Dio* annum ſuum inchoantes, & cum *Hyperberetæo* terminantes. Παρὰ γὰρ Μακεδόσι ὁ τελευταῖος μὴν ἦν ἐναυτὸς Ὑπερβερεταῖος ἀπεχώρει. *Apud Macedones enim ultimus anni menſis Hyperberetæus deſcriptus eſt:* inquit Zenobius in Proverb. Centur. VI. num. 30. ubi ὑπερβερεταῖος appellationem ἀπὸ τῶν ὑπερχειμένων, *de intempeſtivis & cunctatoribus*, proverbialiter uſurpari oſtendit. Solares autem fuiſſe novos hoſce Macedonum menſes, & ad Solis ingreſſum in ſigna cœleſtia adaptatos; partim ex veteribus Indiculis cognoſcimus, [d] in quibus Zodiaci dodecatemoriorum nomina hiſce menſibus reperiuntur impoſita: partim ex Galeni primo ad primum Epidemiorum Hippocratis librum Commentario; in quo, civilium menſium nominibus retentis, ab Autumnali æquinoctio *Dii*, à Brumali ſolſtitio *Peritii*, à Vernali æquinoctio *Artemiſii*, & ab æſtivo ſolſtitio *Lœi* principium ille repetit. Verba, quia emendatione indigent, adſcribam integra.

Ἐὰν προμάθῃ τὸ κῆ Ἡ ἀρχὴν Ἡ δίου μηνὸς ἢ φθινοπώρου γένηται ἰσημερία, ἴστω Ἡ μὲν χειμερινὴ τροπὴ ἐς μετὰ τρεῖς μηνὰς ἰσημερίαν ἐν ἀρχῇ τοῦ παθ' ἑαυτὸν πέμπτου μηνός, vel potiùs, τοῦ κατ' ἐναυτὸν Πανεμίου μηνὸς (τοῦτο γὰρ σημαίνει κῆ Μακεδόνας) Ἡ ἢ ἐαρινὴ ἰσημερία Ἀρτεμισίου, καθάπερ γε καὶ Ἡ θερινὴ [τροπὴ] τοῦ Λώου. Κατὰ γὰρ τὰς ἀρχὰς Ἡ ἰσημερίαν μηνῶν ἀεὶ τὰ ἰσημερίας καὶ αἱ τροπαὶ γίνονται, κῆ Μακεδόνας ἀεὶ μήνα τινὰ καὶ ἡμέρας ἐπαυξάνοντας τοὺς μῆνας. Ὁ τούτων τοίνυν μαθὼν, οἱ προεστιμηθῇ, Ἡ μὲν Ἀρκτοῦρον ἐπιτέλλοντα πρὸ ἡμερῶν ὀκτὼ δεῖν τῆς φθινοπωρινῆς ἰσημερίας, Πλειάδας δ' δυομένας ὀκτὼ μετὰ ταυτάκοντα, γνώσεται πάνυ τοῦ παθ' ἕκαστον ἐαυτὸν (lege, ἐναυτὸν) μῆνας ἑκάστων Ἡ ἄστρων ἐπιτέλλει. παραφυλάξει τε, βυβλίφοις ἀκολουθῶν Ἱπποκράτει, Ἡ μετεβαλεῖν τῆς περὶ Ἡ ἀέρα κράσεως, οἵαπέρ τις ἐθέλοντα. *Si quis didicerit, in principium menſis Dii autumnale incidere æquinoctium; intelliget, brumale quidem ſolſtitium poſt tres circiter menſes futurum, ineunte quotannis menſe Peritio, (nam hoc nomine denotatur apud Macedonas) vernum verò æquinoctium Artemiſii, ſicut & æſtivum ſolſtitium Lœi. Nam circa initia dictorum menſium æquinoctia & ſolſtitia contingunt iis qui, ſecundum Macedonas, menſes numeraverint & nominaverint. Hæc qui perceperit, ſi ante autumnale æquinoctium duodecim circiter diebus oriri Arcturum inſuper didicerit, vergilias verò poſt dies circiter quinquaginta occidere: ſciet, quot menſis cujuſque anni die utrumque ſidus exoriatur; obſervabitque ſi ſequi Hippocratem velit, cujuſmodi acciderit aëri temperamenti mutatio.*

Admonitionem deinde hanc Galenus ſubjicit. Χρὴ δ' ἐκλογίζεσθαι τοὺς μῆνας ἀπὸ τῶν ἐπιτελλόντων ἀστέρων, καθάπερ ἐν ταῖς πλείοσιν ἁπασῶν τῶν Ἑλλήνων πόλεων, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ Ἡλίου [ἀνατολῆς] ἐν ἀνάσσαις τισὶ τῶν ἀρχαίων (lege, Ἀσσυρίων) ἢ ἐν πολλαῖς τῶν ἰδίων ἀστρολογίαις. *Cæterum non ſunt ad Lunam menſes numerandi, quod multis jam Græciæ civitatibus eſt ſolenne: ſed ad Solem, ut & in Aſianorum omnibus, & in gentium compluribus civitatibus numerantur.* Tum, de menſibus Romanorum Solaribus & Lunaribus Palæſtinorum aliis interjectis, demùm concludit, ab his qui Lunares ſequuntur rationes præſtari hoc non poſſe, ſed ab eis qui ad Solem annum ſuum agunt: ὅπερ ἐφεξῆς ἐστὶ τοῖς Ῥωμαίοις, ἢ Μακεδόσιν, Ἀσσυρίοις τισὶ Ἡ ἀστρολόγοις, ἢ πολλοῖς ἄλλοις ἔθνεσι. *Id quod à Romanis dixi,*

[a] l. Quemadmodum rem. C. de Rejectis. [b] l. Exilio. C. de Appellationibus. [c] l. Si poſt Teſtum. C. de Teſtamentis Exped.

[d] Vid. fin. cap. 4. & init. 5.

dixi, & Macedonibus noſtratibuſque Aſiaticis, & verò etiam aliis nationibus obſervari non paucis : quemadmodùm Hermannus Cruſerius locum reddidit. Unde apparet, & veram fuiſſe emendationem noſtram, quâ *Ἀνατῶν* pro *ἀρχέων* ſubſtituimus; & , ex Galeni (qui hoc ignorare non potuit) ſententiâ, non ſolùm à *Macedonibus* Solares annos fuiſſe receptos, ſed etiam ab *Aſianorum* ſuorum civitatibus omnibus. ſivé eo nomine Aſiæ propriè dictæ (quod vero eſt ſimilius) univerſas, ſive Lydiacæ ſolùm in eâ Aſiæ urbes intelligat, intra Lydiæ Mediterraneæ & littoralis (hoc eſt, Ioniæ & Æolidis) terminos comprehenſas.

Quare autem Galenus *Macedonum* menſes exempli gratiâ, potiùs quàm *Romanorum*, penès quos eo tempore erat Imperium, proponendos cenſuerit : ea cauſa videtur fuiſſe potiſſima, quòd à *Pergamenis* ſuis, non univerſi ſolùm Macedonici anni rationem (uti à reliquis *Aſianis* omnibus) ſed eandem etiam ſingulorum menſium appellationem retentam fuiſſe animadverteret. Neque enim omnes qui in Aſiâ (ſive majore ſive minore, ſive propriè dictâ ſive Lydiacâ) novam hanc Solaris anni formam receperunt, illos à Galeno memoratos menſes ab æquinoctiis & ſolſtitiis ſimiliter deducendos cenſuerunt. Nam ut aliqui ordinem, ab Europæis Macedonibus receptum, intactum illibatúmque conſervaverunt : ita non defuerunt alii, qui commune ab autumno initium, & reliquam Macedonici anni diſpoſitionem ſic retinuerunt ; ut primum tamen ſuum menſem poſtremi Macedonum *Hiperberetæi* nomine, cæteróſque deinceps antecedentis cujuſque Macedonici menſis appellatione deſignarent. Quod in honorem primæ illius ad Granicum de Perſis partæ victoriæ, quæ viam Macedonibus in univerſam Aſiam patefecerat, obſervatum credibile eſt. Poſt hanc enim victoriam, *majorem partem Aſiæ* (propriè dictæ) *defeciſſe* ad Alexandrum, ex Trogo, libro XI. narrat Juſtinus : indidémque Darii everſionem non ſolùm Ælianus, ſed etiam Strabo acceſſit, in fine libri XVI. ita de eo ſcribens. *Τοῦτο δὴ καταλύσας ὁ Ἀλέξανδρος, ἄνδρὶ ὄντι δέκα ἢ ἕνδεκα ἔτη. Hunc autem everſens Alexander, per decem vel undecim annos imperavit ipſe.* Inter hoc enim prælium & exceſſum Alexandri, juſtum *undecim* annorum poſitum eſt interſtitium : intra quod, & quidem non totorum *decem* annorum ſpatio, (ut in Cæſaribus ſcribit Julianus) tùm Perſas tùm Indos imperio ſuo ille ſubjugavit. Sicut igitur, quum primaria illa ad Granicum cum Perſarum copiis facta eſt congreſſio, qui in Macedoniâ erat *Deſius*, Alexandri juſſu (ut audivimus) in Aſia dictus eſt *Artemiſius* : ita, ad futuram tantæ victoriæ memoriam, in compluribus novorum colonorum civitatibus uſu receptum fuiſſe videtur ut, *Hyperberetæus* poſtremi menſis nomine ad primum deſignandum traducto, circumeunte quoque anno Macedonum eâ ratione *Deſius* perpetuo *Artemiſii* gauderet nomine.

Id in propriè dictâ Aſiâ à *Smyrnæis* factum fuiſſe, ex [a] Actis Polycarpi colligo ; quæ Smyrnæ paſſum eum fuiſſe narrant, *menſis Xanthici die ſecundo, ſeptimo Kalendas Aprilis, in magno Sabbato :* id eſt, ſub Solis in Arietem ingreſſum ; neutiquam verò in Piſces, ut in Xanthico fieri ſolet Macedonico : quum in eâdem tamen Aſiâ ab *Epheſiis* & *Pergamenis* Macedonum Europæorum nomenclaturam retentam hùc fuiſſe, inde animadverterim ; quòd illorum *Peritium* in antiquis [b] ſchedis D. Henrici Savilii cum *Januario*, horum *Hyperberetæum* à Galeno cum *Septembri* Romanorum conferri viderem. Galeni in libro IV. de ſanitate tuendâ, cap. VIII. de Abiete verba hæc ſunt. *Ἐγὼ μὲν οὐρώτατον τῶν ἀυτῆς τὸ σπέρμα περὶ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ Ἀρκτούρου. ἔχει καιρὸς ἐν Ῥώμῃ μὲν ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβριος ἐστὶν, ἐν Περγάμῳ δ' ὑπερβερεταῖος, ἐν Ἀθήναις δ' ὑποβρυχιῶν, Μυστήρια. Eſt igitur ejus pulcherrimum* (vel, maximè maturum) *ſemen circa Arcturi emerſum : quo tempore, Roma quidem September vocatus menſis eſt, apud nos verò Pergami Hyperberetæus, Athenis autem Myſteria.* Duodecim verò circiter diebus ante Autumnale æquinoctium, & initium primi Macedonum menſis *Dii*, Arcturum oriri, ex eodem Galeno jam antèa audivimus. Unde conſequitur, poſtremum Macedonum ſimul & Pergamenorum menſem fuiſſe *Hyperberetæum :* cui in ſuperiori Indiculo *Boëdromienem* Atticum videmus appoſitum ; in quo magna illa Eleuſinia *Myſteria* ab Athenienſibus celebrari fuiſſe ſolita, cùm ex aliis, tùm ex Plutarcho in Alexandri, Camilli & Phocionis vitis intelligimus.

Eundem Macedonicorum & Pergamenorum menſium conſenſum Oribaſius quoque confirmat, Juliani *τοῦ παραβάτου* Medicus : *Pergamenus* & ipſe, quemadmodum in ejus Vitâ docet Eunapius ; non *Sardianus*, ut à [c] Philoſtorgio, eúmque ſecuto Suidâ, habetur traditum. Ille enim, libro IX. Collect. Medicin. cap. VIII. quum dixiſſet, quod totidem verbis ante ipſum [d] Galenus dixerat ; *Ἡ μὲν γὰρ ἰσημερία κατμεῖν τι πρᾶγμα ἐστὶ, οἱ δ' μῆνες ἐνιαχόθεν καθ' ἕκαστον ἔθνος : (Eſt enim Æquinoctium mundana quædam res, Menſes verò uniuſcujuſque gentis proprii ;)* de ſuo ſtatim ſubjicit. *Μιᾶς δὲ λείπουσι φθίνοντος μηνὸς δ' εἰς ἀνατολὰς ἥλιε, ὁ Κύων ἐπιτέλλει παρ' ἡμῖν ὁ Περγάμῳ νομιζόμενος. Ἐγὼ δ' εἴρων ἐν τοῖς μεθόδου μὴ διαλείπω ἡμέραν τῆς προθεσμίας ταύτης. Menſis Loi deſinentis quartâ* (ſive, die XXVI.) *oriente Sole, Canem exoriri apud nos Pergami creditur. Ego verò methodo quâdam poſt decimam ab hâc præſcriptione diem id fieri comperi.* Menſis Loi *μηνὸς φθίνοντος* (quod VI. *Kalendas Loi*, peſſimè hic reddidit Latinus interpres) in Ephemeride Diſſertationi huic annexâ, *Julii* Juliani dies XX. reſpondere cernitur : quò & Canis *ἐπιτέλλειν* à Diophane Bithyno, in libris de re Ruſticâ quos Dejotaro regi miſit, [e] relatam notavimus, in Geoponicorum libro I. cap. 8. referri videmus. Oribaſius verò, ex methodo à Galeno ſuperiùs præſcriptâ (unde & illum de Æquinoctio & Menſibus *ἐπιχειρίου* locum deſumpſerat) poſt decimum abhinc diem eam fieri collegit. In *Loi* enim Macedonici initium Solſtitium æſtivum incidiſſe, Galenus ibi docuerat. Poſt Solſtitium verò illud *triginta* circiter diebus Caniculæ exortum contingere, ab [f] Hipparcho Bithyno eſt traditum : in Rhodio nimirùm climate ; quemadmodum à Gemino etiam, in XV. Iſagoges ſuæ capite, eſt annotatum. Atque hinc, non ad Julii diem XX. eique reſpondentem

[a] Vid. infrà, c. 20.

[b] Infrà, cap. 4.

[c] Philoſtorg. Hiſtor. Eccleſiaſt. l. 7. fin.

[d] Galen. Comment. 1. in l. 1. Epidemior. Hippocrat.

[e] Conſtantin. Geoponic. l. 1. c. 8.

[f] Hipparchi in Arati Phænomen. pag. 26. edit. Petavian.

XXVI. *Loi* Pergameni æquè ac Macedonici, ſed ad Julii XXX. vel XXXI. Heliacus Canis ortum fuiſſe referendum Oribaſius concluſerat.

Septembris Juliani proleptici dies XXIV. omnibus qui Macedonicam formam receperant commune erat anni principium: cum quo & Syri Antiocheni, ante anni rationem à Julio Cæſare conſtitutam, eorúmque poſteà exemplo Romanorum Imperatores, *Indictionum* circulum inchoârunt. Sed primum ſuum menſem, Macedonum Europæorum more, Antiocheni, (ut Epheſii & Pergameni) *Dium* nominaverunt; quem Syromacedonum alii (cum Smyrnæis) *Hyperberetæum* appellare maluerunt. Quod de Antiochenis, ex Juliani Miſopogone colligimus, qui decimum eorum menſem *Loüm* fuiſſe indicat: de cæteris, ex Euthalio Diacono (ſive quis alius ſcriptor [a] Martyrii B. Pauli fuerit, anno Domini CCCXCVI. exarati) qui capite truncatum Paulum Apoſtolum fuiſſe tradit, πέμπτῃ ἡμέρᾳ κ᾽ Συρομακεδόνας Πανήμου μηνὸς, ὅπερ λέγεται παρ᾽ Αἰγυπτίοις Ἐπιφί, παρὰ Ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν Ἰουλίων, μηνὶ Ἰουνίῳ κθ. *Quinto die juxta Syromacedones Panemi menſis, qui apud Ægyptios dici poteſt Epiphi; apud Romanos verò tertio Kalendarum Julii, nempè viceſimo nono menſis Junii.* Initio Syromacedonici *Panemi* in XXV. die Junii poſito.

[a] Præfix. Oecumenii ſcholiis in Acta Apoſtol.

Ubi tamen & illud tenendum, tum Antiochenos, tum reliquos etiam Syros atque Palæſtinos, ſub Romanorum imperio viventes, præter menſes ſuos proprios etiam Julianos uſurpâſſe; ſed nominibus ad Syromacedonum, non ad Macedonum Europæorum, menſes proximè conformatis expreſſiſſe. Quum enim à XXV. Auguſti die, hi quidem *Hyperberetæum*, illi verò *Gorpiæum* ſuum inchoarent, Septembri Juliano *Gorpiæi* nomen eſt adaptatum, eadémque in cæteris ſervata ratio: ut in Joſephi de Bello Judaico libris poſterioribus, Anatolii Laodiceni Epiſcopi [b] Canone Paſchali, Concilii Antiocheni (anno CCCXLI. habiti) XX. Canone, & aliis videre licet. Atque ita, paulatim, obliteratâ Macedonici anni formâ, non apud Syros ſolùm reliquos, ſed apud ipſos etiam *Antiochenos*, ejuſmodi menſium Julianorum uſus eſt retentus. Indéque XXI. *Martii* diem, ad quem Nicænum refertur æquinoctium, κ᾽ Σύροις, Ἀντιοχίας, καὶ Μακεδόσιν, *Dyſtri* eſſe XXI. in Prologo Paſchalis ſui latereuli, circa annum CCCLXXXVIII. Theodoſio Auguſt. dicati, Theophilus Alexandrinus aſſerit: neque alios quàm hujuſmodi menſes cum ærâ *Antiochenâ* Johannem Malelam & Euagrium Scholaſticum conjunxiſſe animadvertimus.

[b] Apud Euſeb. lib. 7. hiſtor. Eccl. cap. 26.

CAP. II.

De communi menſium Macedonicorum & Aſianorum, à numeris ordinalibus ductâ, denominatione: ubi & de Epiphaniâ quinto die Januarii celebratâ, Hieronymi; & de Paſchalis feſtivitatis tempore à Montaniſtis in Phrygiâ obſervato, Sozomeni locus illuſtratur.

QUomodo in propriè dictâ Aſiâ, ab *Epheſiis*, *Pergamenis* & *Smyrnais*, Macedonicæ menſium appellationes retentæ fuerint, jam vidimus. *Magneſiæ* verò in eâdem ad Mæandrum incolæ, menſe *Lenæone* cum *Smyrnæis* fœdus ineuntes (inter Arundelliana marmora à Seldeno noſtro editum) Ionicis potiùs uſos ſe fuiſſe ſubindicant. *Ionum* enim proprium hoc fuiſſe vocabulum docet Proclus, ad illud Heſiodi:

Μῆνα δ᾽ Ἀλωαδῶν καὶ ἥματα, βίοθρα πάντα.

Quum in eâdem igitur anni formâ, non eadem à Macedonibus & Aſianis omnibus menſium uſurparentur nomina; ipſæque Macedonicæ menſium appellationes non modò ab *Aſianis*, ſed etiam ab *Achivis*, *Chaldæis*, *Tyriis*, & *Gazenſibus* (ut de *Julianis* menſibus ab eiſdem denominatis non dicam) ad alia atque alia tempora denotanda applicatæ fuerint: conſenſui inter Macedones & Aſianos omnes inducendo, & confuſioni (ex tantâ menſium ὁμωνυμίᾳ ortæ) devitandæ hoc excogitatum eſt remedium, ut à numeris, communem & ab omnibus (tam Aſianis quàm Macedonibus) receptum menſium ordinem exprimentibus, iidem denominarentur; à primo autumnali menſe ducto numerationis principio. Hoc enim commune fuiſſe non Macedonibus ſolùm (quod in capite præcedente eſt oſtenſum) ſed etiam τῶν περὶ τὸν τῶν κεκλιμένων λόγον, in librum quintum Phyſicorum Ariſtotelis ſcribit Simplicius; ut circa Autumnale æquinoctium annum ſuum inciperent.

Hinc in *Timothei* Actis Polycrates (cum aliis Sanctorum Vitis Lovanii anno 1485. editus) ab Epheſiis occiſum eum fuiſſe narrat, *in feſtivitate eorum quam vocabant Seitagiorum* (vel *Catagogiorum* potiùs) *quæ eſt ſecundùm Aſianos quidem* (quarti) *menſis triceſimâ, ſecundùm Romanos autem menſis Januarii* XXII. *die; regnante Nervâ.* Ubi numerum menſis, qui librarii negligentiâ exciderat, ex aliis ejuſdem Timothei Actis à Petro Halloixio (in Notationibus ad cap. VII. Vitæ Polycarpi) citatis ſupplevimus: in quibus ita ſcriptum legebatur. Ἐτελειώθη ὁ ἅγιος καὶ ἔνδοξος Ἀπόστολος, καὶ Πατριάρχης, καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Τιμόθεος, μετὰ τρεῖς ἡμέρας τῆς καλουμένης Καταγωγίου. ἥτις ἐστὶ κατὰ μὲν Ἀσιανὸς μῆνὸς τετράτης τεσσαρακάδι, κατὰ δὲ Ῥωμαίους μηνὸς Ἰανουαρίου εἰκάδι δευτέρᾳ. βασιλεύοντος μὲν τῆς Ῥωμαίων βασιλείας τοῦ προρρηθέντος, Νέρβα, ἀνθυπατεύοντος δὲ τῆς Ἀσίας Περεγρίνου. *Obiit autem ſanctus & glorioſus Apoſtolus & Patriarcha & Martyr Chriſti Timotheus, poſt tres dies feſtivitatis eorum, quæ Catagogiorum nomen obtinet; qui dies ſecundùm Aſianos menſis quarti eſt triceſimus, juxta Romanos autem viceſimus ſecundus Januarii: imperante Romanis jam dicto Nervâ, Proconſulatum verò Aſiæ gerente Peregrino.* Ex quâ collatione intelligimus, à Romani Decembris die XXIV. Aſianorum quartum menſem inciſſe.

Eâdem quoque denominandorum menſium & *Macedonas* & *Aſianos* uſos fuiſſe formulâ, ex Arriano obſervavimus: initium navigationis, ab Indi fluvii oſtiis in ſinum Perſicum, à Nearcho & ſociis inſtitutæ, hiſce temporum characteriſmis in Indicis ſuis deſignante. Ὡς δὲ τὰ ἐτήσια πνεύματα ἐκοιμᾶτο (ἃ δὴ τὸ θέρος τοῦ ὅλου πᾶσαν κατέχει, ἐκ τοῦ πελάγους ἐπιπνέοντα ἐπὶ τοῦ γῆ, καὶ ταύτῃ ἀσφορον ἢ πλοῦ φαίνοντα) τότε δὴ ὡρμῶντο, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Καφισοδώρου, εἰκάδι

τῷ

τῷ Βοηδρομιῶνος μηνὸς, καθότι Ἀθηναῖοι ἄγουσι, ἐς ὃ Μακεδόνες τὸ δεύτερον Ἀνακτι, ** τὸ ἑνδέκατον βασιλεύοντος Ἀλεξάνδρου. *Ut autem Etesii venti cessârunt (qui astatis totam tempestatem occupabant, & ex mari in terram spirantes, atque ita navigationi viam præcludentes) tum verò properè solverunt, archonte Athenis Cephisodoro, die vicesimo mensis Boëdromionis, quemadmodum Athenienses agunt tempora, ut autem Macedones & Asiani, ** undecimo ex quo Alexander regnabat anno.* Ubi tamen in archontis Athenienſis nomine errorem esse commissum, certum est. Cùm enim, Alexandro vivente, & coeptam & peractam fuisse navalem istam expeditionem constet: non ante proximum post obitum illius annum, in archontum ἀναγράφῳ Catalogo *Cephisodorus* locum aliquem obtinet.

Scribit autem *Nearchus* ipse (Strabone, in libro 15. Geographiæ suæ, referente) ὅτι τῷ βασιλέως πλοιοῦντος πλοῦν ἦν, αὐτὸν μεταπόρου ἔτι Πλειάδος ἑσπερίου ἐπιτολὴν ἐπιτείνειν ἀρξάμενος τοῦ πλοῦ, μέσου μὲν τοῦ θερους ἀπόντος οὐκέτι ὄντος: Alexandro *rege iter jam peragente, se in autumno sub Vespertinum Pleiadum exortum navigationem cœpisse, cùm nondum apti venti spirarent.* Jam, si Ephemeridem nostram consulas: ad mensis primi (Asiani æquè ac Macedonici) octavum, & *Octobris* Juliani diem primum, ex Gemini Parapegmate, videbis annotatum, *Exoriemi vespertinas apparere Pleiades*: cum quibus diebus & Attici *Boëdromionis* ἰσάζει, Olympiadis CXIII. anno 3. concurrisse invenimus. In anni enim illius Olympiadici *Boëdromione & Dio*, iniisse regni Alexandri Macedonici annum *undecimum*; ex iis quæ de Alexandri Temporibus alibi à nobis sunt disputata, intelligitur. Jam verò quum illo in loco, quem mutilum esse, asteriscis appositis indicavimus; τῷ Α μηνὸς ἱσταμένου scripsisset Arrianus: libratius primam illam alphabeti literam numeralem esse reiciens, & num *Apellæum*, an *Audynæum*, an *Artemisium* ea significaret, ignorans, totum hoc commma, ut minimè à se intellectum, negligendum putavit. Hæc certè de lacuna istâ conjectura mea fuit: quam prudentiorum Criticorum calculo, vel probandam vel improbandam, lubens relinquo.

In tomo quinto Operum Chrysostomi, nunquam satis laudatæ editionis D. Henrici Savilii, inter sermones Panegyricos dubiæ fidei, habentur in *Pascha* orationes septem: quarum postrema tamen *octava* titulum præfert, non solùm in Gabrielis Archiepiscopi Philadelphiæ, quo ille usus est, Manuscripto, sed etiam in Barocianæ Bibliothecæ (ad Bodleianam nunc translatæ) altero: quomodo & à Theodoro Balsamone citatam notavimus, in commentariis ad septimum Apostolorum canonem huc nos ita remittente. Ζήτει δὲ καὶ τὸν ὑπὲρ τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Χρυσοστόμου, ὃν συνεγράψατο εἰς τὸ Πάσχα. *Quære etiam octavam orationem sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi, quam scripsit in Pascha.* In nostris enim codicibus penultima videtur desiderari oratio; cujus, in ultimæ principio, non obscuram factam mentionem licebit animadvertere.

In postremâ verò hâc homiliâ, *Theophania* petagi refert author, ἡμέρᾳ ἑπτακαιδεκάτῃ τετάρτου μηνὸς παρ' Ἀσιανοῖς, *die certâ & definitâ; decima tertiâ* nimirùm *quarti mensis, secundùm Asianos.* A vicesimo quarto verò (ut jam audivimus) Decembris die incipiebat *quartus* Asianorum mensis, maximâ sui parte Romano Januario respondens: cujus die *quinto* Theophania apud illos celebrata fuisse, hinc colligimus: non, ut apud alios, die *sexto* Quod Hieronymi loco lucem non modicam præfert in Commentariis ad cap. 1. Ezechielis: ubi tempus visionis illius, *anno tricesimo, die quinto quarti mensis* exhibitæ, ad Christum, anno ætatis *tricesimo* in Theophaniis vel Epiphaniis baptizatum, ita per anagogen accommodat. *Illud intelligendum, quòd in tricesimo ætatis suæ anno Dominus ad baptisma venerit: in quarto mense, qui apud nos vocatur Januarius, & est in anni primis exordio; præter Nisan mensem novarum, in quo Pascha celebratur. Apud Orientales enim populos, post collectionem frugum & tercularia, quando decimæ deferebantur in Templum, October erat primus mensis, & Januarius quartus. Quintam autem diem mensis adjungit, ut significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cœli, & Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est (non, ut quidam putant, Natalis in carne: tunc enim abscondebatur est, & non apparuit) quod huic tempori congruit, quando dictum est; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

De Montanistarum quoque hæresi, in Asiæ propriè dictæ regione Phrygiâ commorantium, Paschalis nostræ homiliæ author (qui & ipse Asianus fuisse videtur) verba faciens; τετραπεντεκαιδεκάτῃ, inquit, μηνὸς τοῦ πρώτου φυλάττει, τουτέστι, μηνὸς ἰδίου κατ' Ἀσιανοὺς, ὃ τετραπεντεκαιδεκάτῃ ὁ σελήνης. *Decimam quartam primi mensis observat, hoc est, mensis secundùm Asianos septimi, non decimam quartam Lunæ.* De Paschatis celebratione loquitur: in quâ τῇ τετραπεντεκαιδεκάτῃ ἀπὸ τοῦ ἑβραϊκοῦ μηνὸς, τουτέστιν ἀπὸ τοῦ σεληνιακοῦ, *à Solari mense* (qui Asianis in usu) *non à Lunari quartam decimam* suam desumpsisse istos narrat. Quod ipsum pluribus, in Ecclesiasticæ suæ historiæ libro VII. cap. 18. Sozomenus hunc in modum explicat.

Montanistæ, οἳ Πεπουζίτας καὶ Φρύγας ἑαυτοὺς καλοῦσιν, ξένῃ τινὶ μεθόδῳ ἐπαγόμενοι, καὶ ταύτῃ τὸ Πάσχα ἄγουσι τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις ταύτην τὴν τῆς σελήνης ἡμέραν τεσσαρακαιδεκάτην καταμεμφόμενοι. φασὶ δὲ χρῆναι μόνους τοὺς ἁλιεῖς ἐπειδὴ κύκλους τοὺς ἀρθοὺς ταῦτα ποιοῦντας· καὶ μείνα μὲν ἑκάστου ἔτους ἡμερῶν τριάκοντα, ἄρχεσθαι δὲ τοῦ πρώτου ἀπὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας, ἣ ἐπιδὺς ἂν εἰς Ῥωμαίους, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων ἴσασιν, φασὶν, οἱ δὲν φωστῆρες τότε ἐχθίονται, ὡς οἱ χρόνοι καὶ οἱ ἐνιαυτοὶ συλλαμβάνειν· καὶ τοῦτο δήπουθεν, τῷ τοῦ σεληνιακοῦ δὴ ἐκλειπτικοῦ τοῦ ἡλίου συνόντος, καὶ ἀμφοῖν εἰς ταὐτὸν τεμνόντοιν συμβαίνειν. καθότι ὁ ἐκπεπτωκὼς τοῦ σεληνιακοῦ δρόμου πλησιάζει ἐνίοτε καὶ [ἐνίοτε μετὰ, ἡμέρας δὲ δηχθείσας ἑπτακαίδεκα ἔπεσεν δέ,] ὃ ἐν αἷς ὁ ἥλιος τὰς ἴσους δρόμους ἀνύει, λογιζομένων ἑκάστῳ ἔτει τριακοσίων ἑξήκοντα [πέντε] ἡμερῶν, καὶ τριῶν τετάρτων ἡμέρας μιᾶς. Ἀπὸ γὰρ πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων, ἐς ἀρχὰς ἴσως ἐτῶν, ἄλλου καὶ πρώτου μηνὸς ἀναλογίζονται τοῖς ἰσημερίαις ταῖς ἐαρινῇσι τεσσαρεσκαιδεκάταιον· καὶ ταύτῃ ὥσπερ λέγουσι τὸν πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ἀπριλλίων, καθ' ὃν καὶ τὸ Πάσχα ἄγουσι, οἱ συμβαίνειν, καὶ τοῦ ἀναστάσιμου αὐτῷ σωσθῆναι ἡμέραν· ὁ [οἱ δὲ μὴ,] ἐπὶ τῇ ἐχομένῃ Κυριακῇ ἑορτάζουσι. γίγνεσθαι γάρ, φασὶ, ἀπὸ τεσσαρεσκαιδεκάτης μέχρι εἰκοστῆς πρώτης.

Montanistæ, quos Pepuzitas & Phrygas appel-

[a] Vid. quæ Arrian. de reb. Alexandri, l. 6. p. 117. edit. Græco-Lat.

[b] Inclusa hæc, in Genevensi editione Græco-Latinâ, Typographi negligentiâ, desiderantur.

[c] Alioqui. In veteribus interpretes, Epiphanius Scholasticus; in Histor.

tripartit. l. 9. c. 30. ex quo, inclusas istas particulas interpositimus; quas & ipse sensus necessariò postulabat.

appellant, peregrinam quandam rationem commenti sunt, secundum quam Pascha celebrant: siquidem eos, qui in hoc negotio Luna cursum curiosè observant, reprehendunt: ac dicunt solos esse Solares circulos iis sequendos, qui ista rectè ordinare volunt. Et menses quidem singulos esse trigінta dierum statuunt: incipere autem diem primam ab æquinoctio verno, quæ Romanorum more dicatur nona Kalendas Aprilis: quandoquidem, inquiunt, duo ista Luminaria tum creata sunt, quibus & tempora & anni declararentur. Idque eo demonstrari, quòd Luna elapso unoquoque octennio cum Sole conjungatur; & utrisque eodem tempore, novilunium (sive novi mensis principium) contingat. Siquidem octennii spatium in cursu Lunari nonaginta novem mensibus, diebus verò bis mille nongentis viginti duabus completur: intra quæ Sol octo cursus absolvit, definitis unicuique anno diebus trecentis sexaginta (quinque,) cum quartâ insuper unius diei parte. Etenim à nonâ Kalendas Aprilis, ut ab exordio creationis Solis ac primi mensis, supputant numeratam in sacris literis decimam quartam diem: & hanc esse dicunt octavam Idus Aprilis, in quâ Pascha perpetuò celebrant; si cum hâc die dies resurrectionis fortè concurrat. Alioqui sequenti Dominicâ festum peragunt. Scriptum est enim, inquiunt, A decimaquartâ die usque ad vicesimam primam. Exod. 12. 18.

In quâ narratione duo mihi videntur ab ipso Sozomeno commissa fuisse errata: atque ut ea sibi consentanea redderentur, à librariis admissa fuisse totidem alia. Unum quidem, quòd *Phryges* sive *Pepuzita*, illi (à *Phrygia* vico *Pepuzâ* ita denominati) menses singulos triginta dierum numero definiverint: quum Asianorum mensium, utpote Solarium, alii XXX. fuerint dierum, alii XXXI. ut in sequente capite videbimus. Quandoquidem verò menses duodecim τεσσαρακοντήμερα 360 tantùm dies conficiebant, numerum τέσσαρα superadditum temerarii correctores subduxerunt: quem tamen & Nicephorus (in XII. Ecclesiasticæ suæ historiæ libro, cap. 32. ex Sozomeno suâ mutuatus) diserte expressit, & *quadrantis* diei subjecta mentio, totúsque Octaëteridis epilogismus, adjiciendum necessariò flagitat. Dies enim Octaëteridis 2922. in annos octo distributi, unius anni quantitatem, dierum $365\frac{1}{4}$. relinquunt.

Alter Sozomeni videtur fuisse error, quòd *decimum quartum* diem mensis Paschalis Montanistarum (quem *decimum quartum septimi Asianorum mensis* fuisse, ex Paschali homiliâ jam audivimus) cum *Octavo Id. Aprilis* comparaverit; *octavo* (dierum ratione negligentiùs fortasse subductâ) posito pro *septimo*. Et ut calculus iste sibi constaret, primum Paschalis illius mensis diem in *nonum Kalend. Aprilis* à correctoribus fuisse transformatum, vel inde non levis oritur suspicio, quòd *octavum Kalend. Aprilis*, in Tripartitæ historiæ libro IX. capite trigesimo nono retentum hîc videamus ab Epiphanio Scholastico, vetustissimo Sozomeni Latino interprete.

Etsi enim, quarto quoque anno (ut videbimus) propter diversum diei intercalaris in utroque anno situm, septimi sive Paschalis Asianorum mensis Kalendæ in *nonum Kalend. Aprilis* Juliani anni inciderint: cum *octavo* tamen (ut, ex Actis Polycarpi, in sequente capite, docebimus) ordinariè concurrebat; quo & æquinoctium & principium Mundi contigisse, Cæsarensis Synodi sub Theophilo habitæ Episcopi (si qua fides vulgatis illius Concilii Actis sit adhibenda) definiverunt: ad quod comprobandum importuna illa *Octaëteridis* descriptio à Sozomeno huc est inducta. Pluvx nimirùm iste, à quo is hæc acceperat, quum in VIII. vel IX. Kalend. April. novilunium fortè incurrisse animadvertisset, & nono quoque anno redeunte similem eo die ab initio Solis & Lunæ factum fuisse concursum sibi persuasisset (ratus, octo annorum periodo confectâ, exactum futuram utriusque sideris ἀποκατάστασιν) hoc ut ἰμάτιον ἀποτυπήσεως argumentum homo imperitus arripiebat. Aliàs enim Octaëteridis, in Paschate constituendo, à Montanistis, Lunarem omnem calculum hinc abdicantibus, nullam omninò rationem fuisse habitam exploratum est.

CAP. III.

Tempus, quo passus Polycarpus & comprehensus est Pionius, ex Asiani anni ratione patefactum. Diei magni & Sabbati magni differentia explicata.

EX Smyrnensis Ecclesiæ, de Martyrio Polycarpi, epistolâ encyclicâ excerpta quædam historiæ suæ Ecclesiasticæ (lib. IV. cap. ult.) inseruit Eusebius: in quibus comprehensus ille fuisse traditur, ἔτους παραδόξου μεγάλου, *cùm esset dies magni Sabbati.* Juxta rationes hodierni Computi Judaici, anno Mundi 3927. die XV. mensis Adar, hoc est, æræ Christianæ CLXVII. die XXII. mensis Februarii, festum Purim cum die Sabbati concurrebat: quem idcircò *magnum Sabbatum* fuisse dictum scripsit, in Chronologiâ nondùm editâ, vir doctissimus Edoüardus Liveleius. Atque hoc die captum fuisse Polycarpum ille existimat, sequente verò passum, die nimirùm XXIII. Februarii, qui in Græcorum Menologiis pro illius Natali commemorandus proponitur.

Verùm ut omittam, Judaïcum istum Computum Polycarpi temporibus recentiorem esse, & in ipso Sabbato passum fuisse Martyrem, non die proximo: illud maximè huic sententiæ officit, quòd non à Judæis Martyrii hujus Acta descripta habeamus, sed ab hominibus Christianis, quibus cum festo Purim nihil erat commune, quique aliud nullum *magnum* agnoscebant Sabbatum, quàm quod Pascha proximè antecedebat, nempe vel immediatè, quod illi faciebant qui, juxta Patrum Nicænorum decretum, Pascha die Dominico semper agentes *diei Paschalis vigilia* (ut eam in epistolâ 19. ad Hieronymum Augustinus appellat) *magni Sabbati* titulum constanter tribuebant: vel diebus aliquot interdùm interjectis, quod illis usu veniebat, qui eodem cum Judæis tempore Pascha celebrabant, in quamcunque hebdomadæ feriam dies ille incidisset. In quorum numero & Polycarpus ipse fuit (ut ex Irenæi ad Victorem epistolâ manifestè constat) & Smyrnensis

Ecclesia,

Eccleſia, quam ille rexit, quæque in magno Sabbato ipſum paſſum fuiſſe literis ſuis eſt teſtata.

In integræ verò epiſtolæ Smyrnæorum exemplari (quod brevi, Deo volente, ſimul cum antiquâ Latinâ ejuſdem metaphraſi, ſum editurus) martyrium ſubiiſſe Polycarpus dicitur, μηνὸς Ξανθικοῦ δυτίρᾳ ἱσαμήνου, ἀφ' ἱπτὰ καλανδῶν Μαΐων, σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρᾳ ἐνάτῃ. quod vetus noſter Interpres reddidit: *menſe Aprilio*, VII. *Kalend. Maii*, *majore Sabbato*, *horâ octavâ*. Obſervaverat nimirùm ille in ſcriptis Eccleſiaſticis, juxta Antiochenorum & Syromacedonum morem, *Aprili* Romano *Xanthicum* ſemper reſpondiſſe; ideóque ſecundum menſis illius diem, quem *ſeptimo Kalend. Maii* reſpondere non potuiſſe noverat, in verſione ſuâ prætermittendum putavit: nec conſideravit tamen, VII. illum Kalend. Maii non modò cum ſecundo Aprilis, ſed nec cum *magno Sabbato* concurrere unquam potuiſſe. Conſtantinopolitanus Chronographus, Faſtorum in Siciliâ repertorum author (quos Græcè Scaliger *Caſaubonianos*, Græcè & Latinè Raderus *Alexandrini* Chronici titulo evulgavit) correctiore Smyrnenſis epiſtolæ uſus exemplari, ἀφ' ἱπτὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων, τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, ὥρᾳ ὀ. Polycarpum paſſum retulit: verâ VII. *Kalendarum Aprilium* lectione nobis conſervatâ. Sed quia nec illum menſis Romani diem cum ſecundo Antiocheni Xanthici conciliare poterat; μηνὸς Ξανθικοῦ δυτίρου ἱσαμήνου, pariter omittendam cenſuit.

Qui Græcis author fuit in XXIII. *Februarii* Polycarpi Natalem conjiciendi, ad Europæorum Macedonum annum, in primariâ Aſiæ urbe Epheſinâ receptum, reſpexiſſe videri poſſet: in quo *ſecundus Xanthici* cum illo *Februarii* die, concurrebat. At nos *Xanthici* nomen, ab Macedonibus *ſexto* Solari ſuo menſi impoſitum, Smyrnæos ad *ſeptimum* tranſtuliſſe, cúmque à *Martii* die XXV. inchoáſſe, in ſuperiore capite declaravimus. Et quidem anno æræ noſtræ Chriſtianæ CLXIX. Cyclo Solis X. Dominicali literâ B. exiſtente, terminus Paſchalis Alexandrinus fuit Martii die XXIX. Calippicus Mart. XXX. vel XXXI. quo & juxta hodiernum Judæorum calculum Paſcha fuiſſet celebrandum. Sabbatum quod præceſſit Lunam hanc XIV. (quâ Polycarpus cum Aſianis ſuis Paſcha agere erat ſolitus) in Martii diem XXVI. incurrit, hoc eſt in VII. *Kalendas Aprilis*, quo paſſum fuiſſe Polycarpum, Conſtantinopolitanum jam nos docuit Chronicon.

Eodem etiam anno & die Tabulæ Periodi 84. annorum Judaicæ ab Ægidio Bucherio conſtructæ, Lunam Hebræorum XV. exhibent, ſive primam Azymorum: quam ob hunc concurſum [a] is *Sabbatum magnum* appellatam cenſet, ut illam tempore Paſſionis Chriſti, Johan. XIX. 31. Sed (ut de Bucherianarum Tabularum fide nihil hîc dicam) notandum eſt, aliud apud Judæos fuiſſe *diem magnum*, aliud *Sabbatum magnum*. In tribus enim [b] רגלים, quibus maſculi omnes quotannis comparere tenebantur coram Domino, quinque illi dies feſtivi, in quibus ſacri jubebantur haberi conventus (primus videlicet & ſeptimus Azymorum, dies Pentecoſtes, primus & octavus Tabernaculorum) ab Hebræis שבתים ימים ab Helleniſtis μεγάλαι ἡμέραι dicebantur; ſive in Sabbatum illi incidiſſent, ſive in ſeptimanæ diem quemvis alium. Unde מקרא קרא *convocationem cœtus*, Eſaiæ 1. 13. Græci μεγάλαν ἡμέραν reddiderunt: quò & Tertulliani illud ſpectat, in libro 5. adverſùs Marcionem: *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos; & Sabbata, ut opinor, & cœnas puras, & jejunia, & dies magnos.* Ideóque in Evangelio ſuo Johannes, non ſolùm Sabbatum, paſſionem Domini proximè inſecutum, in μεγάλαν ἡμέραν incidiſſe notat, cap. XIX. 31. ſed etiam poſtremum feſti Tabernaculorum diem, Sabbati nullâ conſideratione habitâ, ἡμέραν τὴν μεγάλην τῆς ἑορτῆς, cap. VII. 37. ſimiliter appellat. At שבת הגדול *Sabbatum magnum* unoquoque anno recurrebat unicum; idque non cum ipsâ Paſchalis agni feſtivitate conjunctum, ſed illam antecedens proximè: de quo in tractatu *Schulchan Aruck* inſcripto legimus. שבת שלפני הפסח קורים אותו שבת הגדול *Sabbatum quod proximum eſt ante Paſcha, Sabbatum magnum vocant.* de quo etiam nos commonefecit in Synagogæ ſuæ Judaicæ capite 12. Judaicorum rituum ſcientiſſimus Johannes Buxtorfius. quorum planè ignarus Acron, homo ethnicus, [c] Horatii *triceſima Sabbata* exponens, *Sabbatum magnum in renovatione Lunæ à Judæis hodie celebrari retulit.*

[c] Sermon. lib. 1. Satyr. 9.

In Aſianorum Martyrum Actis, quæ in unum codicem redacta olim circumferebantur, ſimul conjunctæ legebantur binæ Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtolæ: de Polycarpi martyrio, cujus hactenùs meminimus, una; de *Pionii*, altera, quæ, propter omiſſam fortaſſe poſterioris epiſtolæ ἐπιγραφὴν, quum pro unâ continuatâ eſſent acceptæ; erroris inde data eſt occaſio, ut eodem anno uterque martyr Smyrnæ paſſus fuiſſe exiſtimaretur: idque imperante, vel *Decio* (ſub quo Pionium vitam finiiſſe Acta illius docent, & quouſque Polycarpum vitam non protendiſſe ætas ipſius evincit) ut in Menæis ſuis Græci volunt; vel *M. Aurelio Antonino* (ſub quo Polycarpum exceſſiſſe conſtat) ut, tùm in Chronico, tùm in Eccleſiaſticâ ſuâ hiſtoriâ (lib. IV. κεφ. ιι.) ſenſit Euſebius: quem (præter Pſeudo-Dextrum, & Latinorum alios) Beda & Ado hîc ſunt ſecuti, tam in Martyrologiis (ad Kalendas Februarias) quàm in Chronicis etiam ſuis.

Altera hæc de *Pionii* certamine Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtola ab Euſebio, unà cum aliis Martyrum Actis, olim eſt edita: ex quâ, in ea quoque quæ apud Simeonem Metaphraſtam de Pionio hodie leguntur, translata eſſe aliqua, vel unicus ille locus fidem fecerit. *Cùm ignis extinctus eſſet, nos qui præſentes eramus, talem ipſum vidimus, quale vigentis ornatique pugilis corpus exiſtit.* In hiſce verò quæ habemus Actis, *pridie natalis diei S. Polycarpi prævidiſſe* dicitur Pionius *ſe poſtridie comprehenſum iri.* quod ipſum argumento eſt, alio quàm Polycarpum anno Martyrium eum ſubiiſſe; ut de diverſis Aſiæ Proconſulibus, *Statio Quadrato* ſub quo Polycarpus, & *Proclo Quintilſano* ſub quo paſſum Pionium Acta indicant, nihil hîc dicere neceſſe ſit. In Metaphraſtâ verò deinde ſequitur, Pionium, poſtquàm *Sabbato ſanctum panem & aquam cepiſſet*, captum & per urbem ductum fuiſſe. *Implerum* autem eſſe *totum*

[a] Bucher. Tractat. de Paſchali Judæor. Cyclo, cap. 1.

[b] Exod. 23. 14.

forum & superiores porticus tum viris Græcis atque Judæis, tum etiam mulieribus: quia, *cùm magnum esset Sabbatum, feriabantur.* Ex quibus colligimus, nobile illud Polycarpi Martyrium, quod in insignem Sabbati magni diem incidit, eodem die recurrente, annuâ memoriâ ab antiquis illis Christianis fuisse celebratum: ita ut Natalis illius non inter fixas, sed inter mobiles festivitates connumeraretur. quomodo & hodie *Alenæ* virginis memoriam *Foresti*, Dominicâ die ante natalem Johannis Baptistæ, celebrari notavit, in Natalibus Sanctorum Belgii, Johannes Molanus. Anno enim æræ Christianæ CLXIX. quo Polycarpus passus est; Sabbatum magnum in Martii XXVI. incurrisse ostendimus: quo die, in Decii imperio, sub quo agonem suum peregit Pionius, id est, anno ejusdem æræ CCL. vel CCLI. neque Sabbatum magnum, neque ullum omninò Sabbatum fuit.

In vitiatis quidem hisce Actis a Pionius dicitur *comprehensus* (XXIII. *mensis Februarii die*) *cùm Sabbatum magnum instaret; natali scilicèt beati martyris Polycarpi, vigente Decii Imperatoris persecutione.* Ubi, vel à Metaphrastâ, vel à sciolo aliquo alio, de die XXIII. Februarii illud, ex receptâ Græcorum Menæorum sententiâ, additum fuisse videatur: quum certissimò constet, neque in Polycarpi natali, neque in Pionii comprehensione, neque omninò unquam fieri potuisse, ut magnum Sabbatum cum XXIII. Februarii die concurreret. Ait quidem Jacobus Cappellus, in suis Epocharum thematismis, anno Dom. CCLI. captum fuisse Pionium, *nocte qua intercessit inter Februar.* XXII. *&* XXIII. *Adar* XIII. *&* XIV. *feriam* VII. *&* I. *addit que μεγα σαββατον hic dici, diem Judæis duplici nomine* ἑορτάσιμον: *vel primum Sabbatum* τῆς πεντηκοστῆς. *Pascha enim eo anno celebratum Martii* XXX. Atqui ex Actis manifestum est, non nocte quæ inter feriam septimam & primam, sed die præcedente, Judæis Smyrnæ in magno suo Sabbato clarâ luce feriantibus, captivum per urbem ductum fuisse Pionium. Deinde & illud certum, neque XIII. diem Adar, (qui, ob Nicanoris eædem, in 2. Maccab. 15. 36. observandus præscribitur) neque XIV. (quo Purim sive Sortium dies prior, Estheræ 9. 21. celebrandus statuitur) multóque minùs Christianæ Quadragesimæ Sabbatum primum (in cujus calculum, à Cappello positum, inquirere hîc non libet) *magni Sabbati titulum* unquàm obtinuisse: quem Sabbati Pascha proximè antecedentis, & apud Judæos & apud Christianos proprium fuisse jam ostendimus. Anno verò Domini CCLI. qui cyclum solarem VIII. literam Dominicalem E habebat, Paschati Smyrnæorum (& reliquorum Asianorum, qui cum Judæis *decimum quartum* Lunaris mensis diem constanter observabant) proximum Sabbatum, in Martii XXII. incidit: cujus die XXV. etiam juxta hodiernum Judæorum Computum, Pascha fuisset celebrandum.

Eo anno Consulatum gesserunt, *Messius Quintius Trajanus Decius Aug.* III. & filius ejus *Quintius Etruscus Decius Cæsar.* quum anno præcedente Consules fuissent, idem *Messius Quintius Trajanus Decius Aug.* II. & *Annius Gratus.* qui ad Actorum Pionii marginem forte tasse ab antiquario aliquo annotati (ex Fastis Consularibus, qui hoc in loco sunt perturbatissimi) in textum posteà recepti, & cum alteris illis temerè commixti, ineptam illam temporis notationem nobis reliquerunt, quæ in hodiernis libris cernitur. *Hæc acta sunt, Julio Asia Proconsule, Proclo Quintiliano magistratum gerentibus, Consule tertium Messio Quinto Trajano, & Delsio Grato secundum, Trajano Decio Augusto: ante* IV. *Idus Martias, more Romanorum; Asiæ autem more, septimi mensis undecimo, die Sabbati, horâ decimâ.* Ubi, non *Julium* solùm, sed etiam *Proclum* & *Quintilianum* pro uno & eodem Asiæ Proconsule esse accipiendum ex Constantinopolitano Chronographo intelligimus; qui in Fastis Siculis, sub Decio Imperatore passum Pionium fuisse notat, ἐν Σμύρνῃ τῆς Ἀσίας, ὑπὸ Πρόκλου Κυντιλλιανοῦ ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας· ἐπὶ δ' ἐτῶν Μαρτίων ὁ Ἅγ. Ἀπολλώνιος, μεθ' ἕτερ. ιβ' ἐκρίθη ἐπὶ ἡγεμόνος ἀφῃ ἀπέτμ. Ubi, ex Actis numerus mensis Asianorum in Fastis est restituendus, VII. pro VI. & ex Fastis rursùs, dies mensis XI. in Actis reponendus pro XII. licèt IV. *Iduum Martiarum* error utrobique sit admissus: quem mensis Romani diem, neque anno hoc neque in toto Decii imperio, cum Sabbaticâ feriâ concurrisse certo certius est.

Ad eum itaque errorem corrigendum; Jacobus Cappellus, vel (*ante IV. Idus Martias, Asia autem more, septimi mensis undecimo,*) legendum existimat, & *Sabbatum vocâsse Acta Proconsularia diem Judæis* ἑορτάσιμον, *nempè neomeniam Nisan* (Martii die XI. feriâ III. hoc anno factam;) vel (*ante* VIII. *Idus Martias, Asia autem more, septimi mensis*, id est, Phamenoth, *duodecimo.*) Atqui priùs captum, quàm passum fuisse Martyrem oportuit: ante XI. verò Kalendas Aprilis, in quem *magnum Sabbatum* eo anno incidit, comprehensum eum non fuisse declaravimus. Deinde, ut Judæi neomeniæ Nisan Sabbati appellationem tribuerint: quid hoc ad *Acta Proconsularia*, quæ *Sabbati* nomen hîc omninò non habent; aut Sanctorum passiones à Christianis descriptas, qui *neomeniarum* Judaicarum nullâ religione tenebantur, spectabat? & licèt verum sit, Phamenoth, *Alexandrinorum* mensis septimi, diem duodecimum in Sabbatum hebdomadicum incidisse: ad *Asianos* tamen quid illud attinebat? quorum menses ad Ecclesiæ *Antiochena & Constantinopolitana*, potiùs quàm *Alexandrina*, calculum, justiore ratione fuissent exigendæ.

Atque ita quidem res se habuit. Cùm in Epistolâ Ecclesiæ Smyrnensis facta hæc fuisse dicerentur, *κατ' ἀκριβῆ μᾶλλον ἱστόρησεν ἀναγράψας, more Asianorum mensis septimi die duodecimo*; & horum quæ habemus Excerptorum author non alios Asianorum menses cognovisset, quàm Constantinopolitanorum, qui à *Gorpiæi* sive *Septembris* Juliani Kalendis novi sui anni & Indictionis initium deducebant: ad IV. *Idus Martias*, id est, diem *Martii* septimi ipsorum mensis *duodecimum*, referenda ista fuisse existimavit. Ad quam normam & *Acta Proconsularia* conformanda fuisse ratus; hunc in modum correcta, vel corrupta potiùs, ea nobis exhibuit. *Ante* IV. *Idus Martii Quintilianus Proconsul, sedens pro tribunali, sic interrogavit.* quum in authentico exemplari *Nonas Aprilis*

a Tomo 7. Lipsiensi, fol. 8. edit. Venet.

fuisse

fuiſſe poſitas, & Smyrnæorum reliquorúmque Aſianorum *menſis ſeptimi dies duodecimus* exactè illis reſpondens, & *Sabbati* cum eis feria pariter concurrens; planè nobis perſuadeat. Ut concludere tandem nihil vereamur, anno Domini CCLI. cum ſociis paſſum fuiſſe Pionium, *Aſiæ Proconſule Julio Proclo Quintiliano magiſtratum gerente, Conſule tertium Meſſio Quinto Trajano Auguſto, & Decio Cæſare; Nonis April. more Romanorum, Aſiæ autem more, ſeptimi menſis duodecimo, die Sabbati, horâ decimâ.*

CAP. IV.

De Græcorum & Macedonum menſibus variè ab Epiphanio uſurpatis. De Cyprio-rum & Bithynorum menſibus ad anni Macedonici formam accommodatis. Vario-rum menſium & inter ſe & cum Julianis comparatio.

MAcedonicorum menſium appellationes quatuor modis ab Epiphanio uſurpatas animadverto: quorum unum tantùm κ᾽ Μακεδόνας, reliquos verò καθ᾽ Ἕλληνας ille nuncupat; *Græcorum* nomine non eis ſolùm qui in Græciâ, ſed etiam qui in Syriâ & Aſiâ propriè dictâ habitabant, attributo. Quum enim in hæreſi XI. de Sebuæis agens, Græcorum *Apellæum* cum Romanorum *Auguſto* & Ægyptiorum *Meſori* confert; *Achivorum* rationes ſpectâſſe videatur: quos Macedonicis hiſce menſium nominibus fuiſſe uſos, ab auctoribus illis eſt traditum, quos, in ſcholiis ad caput IX. libri Bedæ de Temporibus, Joannes Noviomagus eſt ſecutus. *Achaia* verò propriè dicta, Ptolemæo Peloponneſiaca illa eſt, *Sicyoniæ* contermina: cujus Duci Arato Sicyonios (qui, eo ſuaſore, in nomen & Rempublicam tranſierant Achaicam) *quintum menſis Daſii diem, quem Athenienſes Antheſterionem nominant*, dicaviſſe, in illius Vitâ narrat Plutarchus. Quòd ſi Athenienſium *Antheſterion* Achivorum *Daſio* reſponderit, atque ita in Romanorum *Februarium* inciderit: ut *Athenienſium* quoque *Metageitnioni* Achivorum *Apellæus* reſpondeat, & in Romanorum *Auguſtum* uterque incurrat, pariter conſequetur.

Anni æræ Seleucidarum, quæ in *Syriâ* maximè obtinuit, *Græcorum* anni in libris Maccabæorum appellantur: quemadmodum & in Ulug-beigi (Samarcandæ Principis & magni Tamurlani nepotis) Aſtronomiâ Perſicâ, non *Græcorum* ſolùm ea epocha, ſed etiam menſes, quibus cum eâ ad hunc uſque diem utuntur *Syri* Juliani quidem, ſed Syriacis deſignati nominibus, *Græcorum* menſes nuncupantur. Ita & Epiphanius, in hæreſ. 51. Macedonicis hîc, Antiochenæ & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ more, adhibitis nominibus, octavum Romani Novembris diem, καθ᾽ Ἕλληνας octavum eſſe *Dii* notat; & ſextum *Audynæi* κ᾽ Σύρους, τοῦτ᾽ Ἕλληνας (*Secundùm Syros, ſive Græcos*) Januarii itidem ſextum.

Idem Epiphanius, in libro de ponderibus & menſuris, Valentinianum juniorem Aug. *Arcadio* II. & *Rufino* Conſulib. ſepultum fuiſſe refert, ipsâ *Penteceſtes* die; quæ tùm fuerit, *ſecundùm Ægyptios Pachon* XXI. κ᾽ ὃ Ἕλλησι Ἀρτεμισίου τρίτη καὶ εἰκάδι, (*ſecundùm Græcos Artemiſii* XXIII.) *ſecundùm Romanos verò* XVII. *Kalendas Junias*. Et quidem anno æræ Chriſtianæ CCCXCII. hîc deſignato, Maii die XVI. Dominica Penteceſtes contigit: die Artemiſii XXIII. ſi *Smyrnæorum* calculum conſulamus: quos, cum reliquis Aſianis ſub Ἑλλήνων nomine comprehenſos, vel unicus ille Galeni locus oſtenderit, libro 1. de alimentorum facultatibus cap. 3. Οἱ μὲν ταγηνίτας παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνομαζόμενοι, παρ᾽ ἡμῶν δὲ τοῖς κ᾽ τὴν Ἀσίαν Ἕλλησι τηγανίτας, σκευάζονται δ᾽ ἐλαίῳ μόνῳ. Placentæ, *quas Attici quidem ταγηνίτας, nos autem Graci qui Aſiam incolimus τηγανίτας, appellamus, ex ſolo oleo parantur.*

Atque ut hoc *Smyrnæorum*, ita & illud *Macedonum* annali rationi à nobis declaratæ conſentaneum eſt; quòd in jam citatâ hæreſi XI. Romanum menſem *Auguſtum* cum *Gorpiæo* Macedonico, & in LI. *ſextum Idus*, id eſt, *octavum Novembris* diem cum *decimo ſexto Apellæi* κ᾽ Μακεδόνας confert Epiphanius. Ubi clariſſimus Scaliger, libro V. de Emendatione Temporum, in diatribâ de morte Valentiniani junioris, non alios quàm puros putos Julianos menſes ob oculos habens, miratur *decem dies ſupra formam Julianam* numeratos hîc eſſe, &, in ſuperiore de exceſſu Valentiniani loco, *ſeptem*: atque iſta ſe *non intelligere*, profitetur ingenuè. quum tamen hîc, non *decem*, ſed *octo* tantùm dierum deprehendatur differentia: (neque enim *ſextum* ſimpliciter, ſed *ſextum Iduum* Novembriarum diem Epiphanius commemorat:) & de integro menſe movenda potiùs fuiſſet quæſtio; unde factum, ut cum Novembri *Apellæus* hîc componatur, qui cum Decembri comparari debuiſſet, ſi Maius cum *Artemiſio*. Quorum utrumque Macedonici & Smyrnenſis anni rationes à nobis jam deſcriptæ expediunt: quæ tanto dierum intervallo horum menſium initia Julianis fuiſſe anteriora, Macedonúmque *Apellæum* & Smyrnæorum *Diun* per omnia ſibi reſpondiſſe, atque in Romanum Novembrem incurriſſe, declarant.

A Patribus fuiſſe conſtitutum refert in *Barnaba* encomio Alexander monachus, ut anniverſaria Apoſtoli illius celebraretur memoria *tertio Idus Junii, ut Romani numerant: ut verò Cyprii Conſtantienſes, die undecimo ejuſdem menſis, qui ab illis dicitur Meſori & decimus numeratur; ut autem Aſiani homines vel Paphiis nunerant, decimo nono menſis, qui Phthithipatus* (vel *Plethypatus* potiùs) *dicitur, & nonus numeratur.* Unde apparet, in *Cypro* inſulâ duas receptas fuiſſe annorum formas: à *Paphiis* unam, quæ eis cum *Aſianis* fuerit communis, eodem ab utriſque retento menſium ordine, licèt ſub appellationibus diverſis; à *Conſtantienſibus* alteram, quæ menſes cum *Alexandrinis* habuerit communes, ordine tamen alio diſpoſitos. Qui enim Conſtantienſibus *Meſori* menſis erat *decimus*, & à Kalendis Junii inchoabatur; idem Alexandrinis *duodecimus*, & à XXV. die Julii ducebat initium.

Plethypatus menſis *nonus* numerabatur à *Paphiis*: qui, cum *Aſianis* & *Macedonibus*, à XXIV. die *Septembris* annum ſuum exorſi, primum habebant mentem *Aphrodiſium*, à Latino interprete Euſebii, libro IV. de Præparat.

Evangelic. cap. 16. cum noſtro *Martio* perperàm comparatum. Verba, ex *Porphyrii περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων* libro II. ab Euſebio eo in loco citata, hæc ſunt. Ἐν τῷ πρὸ Σαλαμῖνι, πρότερον ὃ Κορωνίδι, (Κορωνίᾳ, apud Euſebium) ὀνομαζομένῃ, μιᾷ τῶν Κυπρίων Ἀφροδίσιῳ, ἐθύετο ἄνθρωπος τῇ Ἀγραύλῳ τῇ Κέκροπος ἐκ νύμφης Ἀγραυλίδος. *In eâ quæ nunc Salamina, priùs Coronis appellabatur, menſe juxta Cyprios Aphrodiſio, Agraulo Cecropis nymphæque Agraulidis filiæ homo mactabatur.* Ex quibus fortaſſe quis collegerit, Porphyrii ætate *Paphiorum* menſes hoſce, non reliquis ſolùm *Cypriis*, ſed ipſis etiam *Conſtantienſibus* ſive *Salaminiis* fuiſſe communes: atque in totâ illâ Inſulâ non aliam eo tempore in uſu fuiſſe anni formam, quàm Macedonicam illam, tùm à Syro-macedonibus cæteris tùm ab Antiochenis quoque ac Aſianis (licèt variatis menſium nominibus) uſurpatam.

Verùm ubi poſteà inter Antiochenum Syriæ Patriarcham & Conſtantienſem Cypri Metropolitam de πρωτοθρονίοις lis eſſet orta: ne, ut anni formam, ita & Metropolitæ dignitatem à ſede Antiochenâ Conſtantienſis accepiſſe argueretur, Alexandrinorum potiùs & menſibus πρωτοκλισμίοις & menſium nominibus uſus ille fuiſſe videri poſſet; ordine tamen immutato, ne ad αὐτοκεφαλίαν, quam ſibi vendicabat, minuendam, vel illud etiam in argumentum trahi poſſet. Sed quæcunque differentiæ hujus cauſa fuerit: illud certum eſt, Epiphanii Conſtantienſis epiſcopi tempore, alio *Conſtantienſes* anni genere fuiſſe uſos, *Paphios* alio. Novembris enim Juliani diem XVI. *Salaminiorum ſive Conſtantienſium* ſuorum *tertii* menſis *Chæac* diei *ſexto*, *Paphiorum* verò *Apogonici* diei *decimo ſexto*; paritérque VI. Januarii diem, *Cypriorum ſive Salaminiorum* menſis *quinti* diei *quinto*, *Paphiorum* verò *Juli* diei *quarto decimo* reſpondiſſe, in hæreſi 51. ille confirmat.

Ubi duo hæc obſervare fuerit operæ pretium. I. *Chæac* Salaminiorum *tertium* fuiſſe menſem, & à tertio Novembris die incepiſſe: quum idem apud Alexandrinos *quartus* ordine fuerit, & à 27. vel 28. ejuſdem Novembris die inierit. II. Licèt & Paphii & Aſiani à XXIV. Decembris quartum ſuum menſem inchoaverint; in XIII. tamen menſis illius die Aſianos, in XIV. Paphios Theophaniorum feſtivitatem collocâſſe: quia illi (ut in II. capite notatum eſt) *quinto*, hi, (receptiſſimo aliarum Eccleſiarum more) *ſexto* Januarii die, eam celebrare conſueverunt. Apud Epiphanium quidem hoc in loco (ſect. 24. edit. Græco-Latin.) πέμπτῃ τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, ſed rectiùs poſteà (ſect. 27.) ἕκτῃ Ἰανουαρίου μηνὸς, ſcribitur: quam veram eſſe lectionem, & Romanorum VIII. *Id. Januar.* ſimul connotatus evincit, & *undecimus* dies fixi Ægyptiorum ſive Alexandrinorum menſis *Tybi*; quem *quinto* Januarii nunquam reſpondere certum eſt. Neq; aliquid in eo mendo *myſterii* cum diligentiſſimo Animadverſore nos cernere, neque *Conſtantinopolitanos poſteà V. Januarii die Baptiſmum Chriſti celebraviſſe*, vel ex *Manuelis Novellâ de feriis*, vel ex *Curopalatâ*, colligere poſſumus.

Anno Domitiani XII. menſis *Metroi* ſecundùm Bithynios die VII. horâ 2. noctis incipiente, anno a Nabonaſſaro 840. Tybi die 2. Agrippa Aſtronomus Lunam auſtrali ſuo cornu cum auſtrali ſuccedente Vergiliarum conjunctam in Bithyniâ obſervavit: Ptolemæo, in magnæ ſuæ Syntaxeos libri 7. cap. 2. referente. Factum hoc, anno æræ Chriſtianæ XCII. Novembris die 29. Unde ſequitur, *Metroum* Bithyniorum, à 23. Novembris Juliani incepiſſe: & tertii menſis *Bithyniorum* idem fuiſſe initium, quod tertii menſis Macedonum & Aſianorum. In veteri enim manuſcripto [a] Henrici Stephani, Græco Johannis Criſpini lexico, & Johannis Noviomagi ſcholiis ad Bedæ de temporum ratione cap. IX. inter *Bithyniorum* menſes tertio in loco ponitur Metrous: ſicut inter *Cypriorum* (& in eis *Paphiorum*) in ſecundo recenſetur *Apogonicus*, & in quarto *Julus*; licèt apud Criſpinum & Noviomagum *Junios* per errorem nuncupetur. A XXIV. Decembris ſumebat ille initium, à vigiliâ nimirùm Natalis Dominici; quem *Jule day*, id eſt, *Juli diem*, in Borealibus Britanniæ partibus adhuc appellitant. Antiqui enim Anglorum populi (ut in XIII. nominati libri capite notavit Beda) *incipiebant annum ab octavo Kalendarum Januariarum die, ubi nunc natale Domini celebramus; & ipſam noctem, nunc nobis ſacroſanctam, tunc gentili vocabulo* Modre-necht, *id eſt, Matrum noctem* (vel potiùs, *Matrem noctium*) *appellabant*: menſibúſque *Decembris & Januarii, à converſione Solis in auctum diei* (quam *unus eorum præcedit, alius ſubſequitur*) nomen *Giuli* tribuebant.

[a] Append. Theſauri linguæ Græcæ, col. 229.

Neque prætercundum, quòd inter aliarum gentium & civitatum menſes, Cypriorum etiam Ἰούλιος, & *Bithyniorum* Διωνύσιος, cum Romanorum *Januario* in vetere fragmento Saviliano, ita compoſitus reperiatur.

Ρωμαίων,	Ἰανουάριος.
Ἀλεξανδρέων,	Τῦβι.
Ἑλλήνων,	Αὐδυναῖος.) legend. Ἀὐδυναῖος.)
Τυρίων,	Ἀπελλαῖος.
Ἀραβων,	Λὐδυδαῖος (Λὐδυναῖος.)
Σιδονίων,	Δῖος.
Ἡλειουπολιτῶν,	Θώθ.
Λυκίων,	Δῖος.
ὁ Ἀσίων,	Ποσειδεών. [a] Ἀθυναῖος, legendum.
Κρητῶν,	Μετάρσιος.
Κυπρίων,	Ἰούλιος.
Εφεσίων,	Περίτιος.
Βιθυνῶν,	Διονύσιος.
Καππαδοκῶν,	Λύτραιος.

Unde hanc tandem diverſorum menſium, in eâdem Macedonici anni formâ receptorum, inter ſe collationem (ſimul cum eorum uniuſcujuſque dierum numero & initiis, in ſequente capite deinceps explicandis) ſub unum conſpectum viſum eſt proponere.

Ordo

Ordo mensium Macedonibus & Asianis omnibus communis.	Signa cœlestia, eos apud Macedones denominantia.	Macedonũ Europæorũ, Antiochenorum, Pergamenorum, & Ephesiorũ, menses politici.	Syromacedonum, & Smyrnæorum.	Cypriorum, & præcipuè Paphiorum.	Bithyniorum.	Dierum numerus.	Mensium initia, in anno Romano.
I.	Ζυγὸς.	Δῖος.	Υπερβερεταῖος.	Ἀφροδίσιος.	Ἥρινος.	30	Sept. 24
II.	Σκορπίος.	Ἀπελλαῖος.	Δῖος.	Ἀφυσσινεὺς.	Ἑρμαῖος.	30	Oct. 24
III.	Τοξότης.	Αὐδναιναῖος.	Ἀπελλαῖος.	Αἰπεὺς.	Μητρῷος.	31	Nov. 23
IV.	Αἰγόκερως.	Περίτιος.	Αὐδναιναῖος.	Ἰυλὸς.	Διονύσιος.	30	Dec. 24
V.	Ὑδροχόος.	Δύστρος.	Περίτιος.	Καρπάσιος.	Ἡρακλαῖος.	30	Jan. 23
VI.	Ἰχθύς.	Ξανθικὸς.	Δύστρος.	Σεσαγὸς.	Δῖος.	31	Feb. 22
VII.	Κριὸς.	Αρτεμίσιος.	Ξανθικὸς.	Αἰντεμβολιὸς	Βανδελαῖος.	31	Mar. 25
VIII.	Ταῦρος.	Δαίσιος.	Αρτεμίσιος.	Δημαρχιξάσιος	Σπορτήσιος.	30	Apr. 25
IX.	Δίδυμος.	Πάνημος.	Δαίσιος.	Πλανήτατος	Ἅρειος.	31	Mai. 25
X.	Καρκῖνος.	Λῶος.	Πάνημος.	Ἀρχιερεὺς.	Περίτιος.	30	Jun. 25
XI.	Λέων.	Τορπαῖος.	Λῶος.	Ἔδνιος.	Ἀφροδίσιος.	31	Juli. 25
XII.	Παρθένος.	Υπερβερεταῖος.	Γορπαῖος.	Ρωμαῖος.	Δημήτριος	30	Aug. 25

CAP. V.

Mensis cujusque dierum numerus, & in anno Romano sedes declaratur. Ex quatuor sibi invicem succedentium annorum Dominicis Paschalibus cum tempore passionis Polycarpi comparatis, locus Intercalationis, Epocha, & ratio collationis cum Periodi Julianæ & æræ Christianæ annis, eruitur.

EXtat Græcè in publicâ Oxoniensis Academiæ Bibliothecâ Quæstionum Responsorúmque sacrorum liber, quem Latinè à se versum, sub *Anastasii Nicæni* nomine, Gentianus Hervetus jam pridem edidit. In eo, Quæstioni XCIII. subjicitur fragmentum Ἐκ τῶν Δαμασκηνοῦ, περὶ τῶν Μακεδόνων μηνῶν, ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διαδόσεως, ubi recensentur Μηνὶς κϛ Μακεδόνες, α Ταῦρος, β Δίδυμος, &c sic deinceps: neque Ecclesiastici, neque etiam civilis Macedonici, sed Georgici anni observato principio; de quo, in primo Georgicorum, Virgilius.

Candidus auratis aperit quum cornibus annum,
Taurus, & adverso cedens Canis occidit astro,

Et in 4°. Astronomicòn Manilius, similiter de *Tauro* canens:

Ille suis Phœbi portat quum cornibus orbem,
Militiam indicit terris, & segnia rura
In veteres revocat cultus.

Neque enim in civilem usum recepta unquàm à Macedonibus ista sunt nomina: sed ab iis qui rei rusticæ operam dabant præcipuè usurpata; quibus Solis per signa cœlestia transitus, atque cum eo conjunctus Stellarum inerrantium Ortus & Occasus Heliacus, agendi opportunitates indicabat &

[a] *Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.*

[a] Virgil. Eclog.

Sequuntur deinde in Damasceno Μηνὶς κϛ Ἔκλυσις (de quibus videnda quæ, in præcedente capite, ad Epiphanium diximus:) α Ξανθικὸς, β. Ἀρτεμίσιος, &c. Ecclesiasticæ *traditionis* ordine retento; quem in Pseudo-Clementinis Apostolorum Constitutionibus confirmatum ille invenerat. In iis enim [b] *primus* nominatur mensis Xanthicus, [c] *duodecimus* Dystrus; in cujus etiam die XXII. vernale statuitur Æquinoctium, sicut in [d] XXV. mensis *nostri* Natalis Domini, & in VI. *decimi* Epiphania: mensibus purè Julianis usurpatis; sed ab *Aprili* facto numerationis initio. Huic verò Damasceni per omnia similem & Hellenicorum & Macedonicorum mensium Indiculum, tùm in alio ejusdem Oxoniensis Bibliothecæ Manuscripto invenimus, tùm in illis ex quibus Cypriorum & Bithynorum mensium seriem jam descripsimus: nisi quòd in hisce omnibus, Macedonicorum mensium primus nominetur Αἰγόκερως, à Brumali solstitio, more Romano, repetito anni principio; juxta Nasonis illud.

[e] *Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis:*
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

[d] Ibid. c. 12.

[e] Ovid. Fast. 1.

Ut autem numeri dierum & initii cujusque mensis, in Tabellâ præcedente propositi, ratio nobis constet; adeóque totius anni cum Romanorum Juliano justa institui possit comparatio: à quo principio Epocha illius sit deducenda, quo in anno intercalaris diei sedes sit figenda, & quibus anni mensibus dies illi *quinque supra 12. menses* πεμπτονθήμερος *excrescentes*, adjiciendi sint, diligentiùs inquirendum est.

Quo anno Paschalis homilia, falsum Chrysostomi titulum præferens, est habita [f] XIV. Lunam *biduo ante æquinoctium* factam fuisse, author significat: ideóque pro Paschali termino proximam Lunam XIV. assumptam esse, quæ inciderit in mensis VII. diem XXVI. eámque Dominicam. Hoc autem contingere non potuit; nisi quum aureus numerus Dionysianus esset VIII. litera Dominicalis C. Numero enim aureo VIII. existente, Luna XIV. in 19. Martii incidit (quod biduum est ante Nicænum æquinoctium) & terminus Paschalis necessariò incurrit in 18. Aprilis, literâ C. insignitam. Quòd si 18. Aprilis Romani respondeat diei 26. septimi mensis Asiani: necesse est ut primus ejusdé septimi mensis diei 24 Martii eâdem ratione respondeat. Cúmque ob diei Dominicæ & termini concursum, diem Paschalem in sequentem Dominicam translatum fuisse author indicet: à die videlicèt XXVI. mensis VII. ad

[f] Tom. 5. Chrysost. edit. Savil. pag. 944.

[b] Constitut. Apostol. l. 5. cap. 14.
[c] Ibid. cap. 17.

diem

diem II. mensis VIII. hoc est, ab Aprilis 18. ad 25: consequens quoque est, primum mensis octavi Asiani diem 24 Aprilis Juliani respoccidisse.

Porrò inter annum Domini CXL. quo Montanistarum hic damnata hæresis nondùm emerserat, & DCCCCXIX. quousque durâsse eam non est verisimile, quatuor tantùm occurrunt anni, in quibus aureus numerus VIII. & litera Dominicalis C. simul concurrunt: annus nimirùm æræ Christianæ CCCLXXXVII. CCCCLXXXII. DLXXVII. & DCLXXII. in quibus omnibus, Pascha *ἀναστάσιμον* Aprilis die 25. est celebratum; quem secundum octavi mensis author nominat: ut octavum mensem à 24. Aprilis tunc incepisse, nullum sit dubium. Sed in trium sequentium Paschatum continuatione, aliqua contingit variatio. Nam post annum CCCLXXXVII. Dominica Paschalis in tribus annis consequentibus occupavit Aprilis diem 9. 1. & 21. post annum CCCCLXXXII. Aprilis 10. 1. 21. post annum DLXXVII. Aprilis 10. 2. 21. post annum DCLXXII. Aprilis 10. 2. 22. quibus omnibus, propter diversum intercalationis in anno Juliano situm, illa convenire potest authoris notatio. *Νυνὶ μὲν γάρτοι δευτέρα ἡμέρα ἐγένετο ἀναστάσιμος. εἰς ἓξ τὸ ἔτος ἐπλήρωσεν ἑβδόμῳ μηνὶ γένηται, καὶ πάλιν εἰς τὸ ἑξῆς ἐνιαυτὸν ὀγδόῳ μηνὶ. καὶ αὖθις εἰς τὸ τρίτον ἔτος, τῇ δὲ ἐνάτῃ τοῦ μηνὸς ἡ ἀναστάσιμος γενεθλιάσεται. Nunc quidem secunda octavi mensis dies exstitit Resurrectionis; sequente verò anno decima septima septimi mensis erit; atque iterùm proximo nona mensis septimi: & rursus anno tertio, vicesimâ nonâ mensis Resurrectionis dies celebrabitur.*

Dies omnes notati, cùm Paschales fuerint, in primam feriam incidere necesse est: ex quorum collatione manifestum fit, sub finem primi anni (quo ista habita est oratio) diei intercalationem esse factam, sequentes verò tres fuisse ordinarios dierum 365. Si enim eo anno, dies XXVI. mensis VII. & II. mensis VIII. & sequente anno, XVII. & consequenter XXIV. dies mensis VII. inciderit in diem Dominicam, (ut author confirmat;) necesse est ut prior annus intercalaris fuerit, sequens ordinarius: alioqui fieri non potuit, ut priore anno in diem XXVI. posteriore in XXIV. feria prima incideret. Sed, licèt in quadriennis illis quæ jam nominavimus quatuor, primus quisque annus juxta Asianorum rationes fuerit intercalaris: in Julianis tamen, eis respondentibus, subinde mutatum esse intercalationis situm, sequens Tabella demonstrat; quæ in unaquâque Terraëteride quis annus fuerit bissextilis, & cui diei Juliano primus dies mensis Asianorum *septimi*, in 16. Christianæ æræ annis propositis, respondeat, oculis spectandum exhibet.

A. C.	I.	III.
387.	Mart. 24. fer. 4. 577	Mart. 24. fer. 4.
388 *Biss.*	Mart. 24. fer. 6. 578	Mart. 25. fer. 6.
389	Mart. 24. fer. 7. 579	Mart. 25. fer. 7.
390	Mart. 24. fer. 1. 580 *Biss.*	Mart. 24. fer. 1.
	II.	IV.
482	Mart. 24. fer. 4. 672 *Biss.*	Mart. 24. fer. 4.
483	Mart. 25. fer. 6. 673	Mart. 25. fer. 6.
484 *Biss.*	Mart. 24. fer. 7. 674	Mart. 25. fer. 7.
485	Mart. 24. fer. 1. 675	Mart. 25. fer. 1.

Ex his videndum jam, an tempus elici possit quo Paschalis ista prolata fuerit Oratio; &, quod cum eo est conjunctum, quænam Tetraëteris, ex istis quatuor, pro Asiani anni Canone sit assumenda. Et quidem si verum illud esset, quod Theodorus Balsamon credidit, Johanni ipsi Chrysostomo Sermonem hunc fuisse tribuendum: non alio haberi potuisse anno certum esset, quàm 387. cujus tam diu dilati Paschatis occasione, & ante quinquennium celebris illa ab Ambrosio Mediolanensi ad episcopos per Æmiliam constitutos missa est Epistola, & proximo (nisi me fallo) post eum anno, à Theophilo Alexandrino Episcopo ad Theodosium seniorem Paschale 95. annorum scriptum est Laterculum, ac deinde ab Aniano & Panodoro magnus 532. annorum Cyclus, juxta Alexandrinorum calculum (quem & hujus Sermonis author sequitur) primùm est editus. Verùm & eorum tractandi genus à Chrysostomi consuetudine maximè est alienum, & impurior dicendi character sequioris ævi fœtum esse arguit.

Neque primam hanc Tetraëteridem Asiani anni rationibus convenire, vel illud argumento est, quòd juxta eam omnes *septimi* mensis Kalendæ à 24. die Martii essent deducendæ: quum tamen in anno æræ Christianæ 169. quo Polycarpus passus, in 25. Martii eas incidisse docuerimus. Qui annus, cùm primus à bissexto fuerit, & ejusdem tamen ordinis annus 485. in secundâ, & 577. in tertiâ Terraëteride, easdem mensis *septimi* Kalendas ab eodem 24 Martii die repetant: pro anni Asiani normâ Tetraëteris solùm quarta assumenda relinquitur. ex quâ colligimus, & anno 672. orationem hanc fuisse habitam; & quandocunque in anno Juliano ante 24. Februarii bissextus fuisset insertus, ante 24. sequentis Septembris in fine anni Macedonici & Asiani similem diei intercalationem fuisse observatam. Quod etiam annus obitûs Valentiniani confirmat: in quo Dominicam Pentecostes in Maii Romani diem 16. Græcorum verò Artemisii, sive mensis Asianorum *octavi* diem 25. incidisse, ex Epiphanio didicimus. Nam cùm annus ille intercalaris esset, utpote Christianæ æræ 392. *octavi* mensis Kalendæ in eo, non minùs quàm in anno 672. cum Aprilis 24. concurrebant. In omni enim anno intercalari, posteriorum septem anni Macedonici & Asiani mensium Kalendæ dies initiales Tabellæ mensium à nobis appositos (propter bissexti in Februario interpositionem) uno semper die antevertebant.

Atque ex hoc diei intercalaris situ insuper colligimus, in quarto Olympiadis cujusque anno, primum post intercalationem annum quemque sedem suam hic obtinuisse. Cujusmodi annus Olympiadicus cùm ante prælium ad Granicum

(cujus

(cujus tempore novum hunc annum à Macedonibus receptum fuiſſe declaravimus) in regni Alexandri initiis occurrat nullus: à poſtremo patris Philippi, & Olympiadis CX. anno 4. id eſt, ab ipſo Macedonici Imperii exordio, primam Macedonici & Aſiani noſtri anni Tetraëteridem deducendam eſſe concludimus. Tunc enim Græciæ Dominus factus *Philippus, omnium civitatum legatos, ad formandum rerum præſentium ſtatum, evocari Corinthum juſſit: ubi pacis legem univerſæ Græciæ pro meritis ſingularum civitatum ſtatuit, conciliumque omnium veluti unum Senatum ex omnibus elegit*; uti ex Trogi Pompeii lib. 9. refert Juſtinus. communibus denique Græcorum (præter Lacedæmonios) ſuffragiis, Imperator eorum contra Perſas eſt electus; quemadmodum in libro Bibliothecæ ſuæ 16. ad 4. hunc Olympiadis illius annum, narrat Diodorus Siculus. In hoc igitur termino, anno videlicèt ante æram Chriſtianam 337. Periodi Julianæ 4377. Septembris die XXIV. feriâ VI. Macedonici & Imperii & Anni novi, à Philippo conſtituti, *παράπηγμα* figendum fuiſſe cenſuimus.

Reſtat jam, ut de dierum illorum initialium & à quo illi maximè dependent, cujuſque menſis dierum numero, aliquid dicamus: & de quinque dierum, qui ex *τριακονθημέροις* 31. dierum menſes efficerent, diſtributione quod promiſimus, exſolvamus. In prioribus exemplis, ex 51. apud Epiphanium hæreſi, ab Octobris 24. ſecundum; ex Agrippæ aſtronomica obſervatione, à Novembris 23. tertium; & ex Actis Timothei, à Decembris 24. quartum menſem iniiſſe docuimus: unde ut ſecundum illum 30. ita tertium 31. fuiſſe dierum, concludimus. Qui Xanthici diem ſecundum, quo paſſum fuiſſe Polycarpum declaravimus, cum 23. Februarii contulerunt, ſextum noſtrum menſem à 22. Februarii die incepiſſe crediderunt; ut veriora ejuſdem Acta, quæ ad 26. diem Martii certamen ejus retulerunt, à Martii 25. ſeptimum deduxerunt: inter quos 31. dies intercipiuntur, menſi illi ſexto aſſignandi. Anno quidem intercalari, in 24. Martii principium menſis ſeptimi incurriſſe oſtendimus: quod eo anno contigit, quo toties citata illa Paſchalis homilia eſt habita: quando & Lunam XIV. in menſis ſeptimi diem 26. incidiſſe author indicat, &, quòd ea Dominica eſſet, in Dominicam proximam Paſcha fuiſſe tranſlatum; nempe in octavi menſis diem ſecundum, quem 25. fuiſſe Aprilis, ex Cycli Paſchalis ratione demonſtravimus. Et cùm menſem *ſeptimum* à 24. Martii, & *octavum* à 24. Aprilis inchoatum tunc fuiſſe conſtet: ut dies 31. haberet menſis ſeptimus, omninò neceſſe eſt. Neque fieri potuit, ut die 26. menſis *ſeptimi*, & ſimiliter die 2. menſis *octavi*, ageretur dies Dominica; niſi tot dierum menſis *ſeptimus* extitiſſet.

Alexander monachus Natalem Barnabæ in Julii Romani diem XI. & Aſianorum *noni* menſis diem XIX. Euthalius Diaconus exceſſum Pauli in Junii XXIX. & Syromacedonum Panemi ſive menſis Aſianorum *decimi* diem V. confert: quâ ratione *nonus* à XXIV. Maii, *decimus* à Junii XXV. die incepiſſet.

Sub Nerone martyrium ſubiiſſe Paulum, anno à Nativitate Domini LXIX. à Paſſione XXXVI. ſcribit Euthalius, annum vulgaris æræ Chriſtianæ LXVII. eâ ſupputatione indicans. Sequente enim anno LXVIII. qui intercalaris fuit, ante Junii diem 29. martyrio Pauli aſſignatum, vitam Neronem finiiſſe certum eſt. Inter 25. verò Junii, à quo *decimum* menſem hoc anno cœpiſſe notatum eſt, & Aprilis 25. à quo, in ſimili anno communi, menſis *octavus* ducebat initium, dies numerantur 61. in *octavum* & *nonum* menſem diſtribuendi. Si jam annum exceſſus Barnabæ, quo à 24. Maii *nonus* menſis inierit, communem fuiſſe ſuppoſuerimus: menſis *octavus*, ab Aprilis 25. in conſimili anno incipiens, 29. fuiſſet dierum; & conſequenter *nonus* 32. cujuſmodi numeri, uteunque à menſibus Solaribus Aſtronomicis alieni non fuerint, (ut in Parapegmate, quod Iſagogæ ſuæ in Phænomena ſubjecit Geminus, videre licet) in Solaribus tamen politicis locum non habent. Etſi enim antiqua Romanorum ſuperſtitio, à Numæ ducta temporibus, Februario dies 28. tribuens, non quinque jam ſed ſeptem dies inter menſes ſuos Solares partiendos reliquit: maluit tamen Ceſar ſeptem menſes 31. dierum conſtituere, quàm 32. dierum numerum, qui in menſibus uſu civili receptis omni carebat exemplo, alicui eorum adſcribere. Quòd ſi annum, quo à Cypriis cæſus eſt Barnabas, intercalarem fuiſſe admiſerimus (quam hypotheſin ne admittamus, nulla nos cogit ratio) & à Maii 24. *nonus*, & ab Aprilis 24. *octavus* menſis inchoabitur: atque ita, & menſi *nono* 31. dierum conſtabit numerus, & *octavo* menſi 30. quot illum reverâ habuiſſe, non 29. tantùm, Ariſtobuli (apud Plutarchum) evincit authoritas, qui *τριακάδι δυσὶν μησὶ δεῖν* Dæſii, octavi Macedonum menſis, die *trigeſimo*, Alexandrum Magnum deceſſiſſe tradidit.

Ex diebus noſtris *quinque*, unus adhuc ſupereſt diſponendus: quem & in poſtremo trimeſtri, (ne brumalis quadrans anni aliàs æſtivo fieret productior) & in medio ejuſdem menſe, id eſt, *undecimo*, collocandum judicavimus. Si enim in poſtremum anni menſem dies 31. contuliſſemus; quarto quoque anno, die intercalari ad eum accedente, diebus conſtaret 32. quod in anno civili hactenùs inauditum fuiſſe diximus. *Decimum* verò menſem 30. tantùm fuiſſe dierum, ex hiſtoriâ captæ ab Alexandro Tyri deprehendimus. Cùm enim menſis illius, quo urbem haud dubiè capiendam Ariſtander aruſpex prædixerat, extremus jam adeſſet dies; de eventu adhuc dubius Alexander (licèt eodem urbs poſteà expugnata ſit die) *ἐκέλευε μηκέτι τριακάδα τελεῖν ἡμέραν ἐκείνην, ἀλλὰ τριτεῖν φθίνοντος ἀκαθμὸν non trigeſimum, ſed vigeſimum octavum menſis illum diem numerari præcepit*: ut in Vita ejus Plutarchus narrat. Archonte autem Athenis *Aniceto* (qui *Nicetas* Dionyſio Halicarnaſſeo, *Niceratus* Diodoro Siculo eſt, Olympiadis CXII. anno 1.) menſe *Hecatombæone*, occupatam ab Alexandro fuiſſe Tyrum, in II. de geſtis illius libro confirmat Arrianus. Erat is Cycli Metonici 6. in quo cum 20. Julii die Kalendas *Hecatombæonis*, & cum quinto conſequenter Attici illius menſis die *Loi* menſis Macedonici *decimi* diem *trigeſimum*, eundémque ultimum, concurriſſe invenimus. Atque hiſce ducti rationibus, *quinque* iſtos dies per totum annum ita diſpertivimus: ut in priore ſemeſtri, binos quoſque *τριακονθημέρους* unus exciperet 31. dierum menſis; in poſteriore verò, 31. & 30. dierum menſes alternatim diſpoſiti cernerentur.

CAP. VI.

Anni totius Macedonici & Aſiani diſpoſitio atque methodus exponitur. Cycli Solaris & Lunaris, & Chriſtiani Paſchatis, in eo indagandi ratio. Veterum Parapegmatum ad eundem accommodatio.

REſtat jam, ut anni Macedonici & Aſiani methodum univerſam exponamus: quam ſequentibus hiſce Regulis licebit comprehendere.

I.

Dato anno Periodi Juliana, vel æra Chriſtiana, annum congruentem epocha Macedonica invenire.

A dato anno Periodi Julianæ ſubductis 4377. ad datum verò annum æræ Chriſtianæ additis 336. exurget annus epochæ Macedonicæ, in cujus *quarti* menſis diem *nonum* kalendæ Januariæ illius anni incurrunt; ſequente 24 Septembris ejuſdem anni die novum Macedonicum annum inchoaturo.

Exempli gratiâ. A dato anno Periodi Julianæ 4391. ſubductis 4377. relinquitur Macedonicæ epochæ annus 14. à menſis 4. die 9. kalendis illius Januariis reſpondens, cum 24. ſequentis Septembris die, 15. Epochæ Macedonicæ anno pòſt inituro. Item, ad datum annum æræ Chriſtianæ 672. additi 336. annum Macedonicæ epochæ 1008. exhibent; à menſis 4. die 9. kalendis illius Januariis reſpondentem; à 24. Septembris ſequentis anno Macedonico 1009. deinde inituro.

II.

Dato Macedonici anni menſe & die, menſem & diem Julianum illis reſpondentem deprehendere.

Macedonicæ epochæ anno dato per quaternarium diviſo (millenariis, ſi placet, centenariis & vicenariis, compendii causâ, prætermiſſis) ſi quid ultra integros numeros ſuperfuerit, ordinarium; ſi nihil, intercalarem eſſe annum indicat, & ad finem 12. menſis diem ex quadrantibus confectum eſſe adjiciendam. Inſpectâ igitur anni Macedonici & Aſiani Ephemeride: menſes & dies anni Juliani è regione poſiti ita ſunt cum eis conferendi; ut in anno intercalari ex lineâ extimâ poſtremorum 7. menſium dies aſſumantur, non ex interiore, ut aliàs fieri par eſt.

Anno Periodi Julianæ 4391. Δαρίου τρίτῳ φθίνοντι, ſive menſis Macedonici 8. die 28. Alexandrum M. vitam finiiſſe in Annalibus noſtris oſtendimus. Erat ille, (juxta præcedentem Regulam) Macedonicæ epochæ annus 14. qui per 4. diviſus, in Quoto ultra 3. integros numeros etiam $\frac{2}{4}$ exhibet. Quod cùm anni ordinarii ſit indicium; ex interiore lineâ 22 Maii diem, ut 28. diei menſis 8. Macedonici reſpondentem, aſſumendum eſſe pronuncio.

Jam ſi in anno æræ Chriſtianæ 672. quæratur, cui diei Juliano dies 2. menſis 8. Macedonici ſive Aſiani reſpondeat: eſſe eum Macedonicæ epochæ annum 1008. (ex eâdem præcedente Regulâ) intelligo. Is numerus (millenario, ſi libuerit, neglecto) per 4. diviſus, ultra numerum integrum, partem nullam in Quoto relinquit. Quæ cùm anni intercalaris certa nota ſit: ex lineâ extimâ 25. diem Aprilis quæſito diei Macedonico vel Aſiano reſpondere aſſero.

III.

Dato anno Macedonico, Cyclum Solarem, invenire.

Diviſo per 28. Macedonicæ epochæ anno dato: ſi quid ultra integros numeros in Quoto reliquum fuerit, Cycli Solaris index erit; ſin nihil ſuperfuerit, 28. pro quæſiti anni Cyclo erit aſſumendus.

Ita in exemplis præcedentibus; annus epochæ Macedonicæ 14. per ſe indicat eſſe ipſum Cycli Solaris 14. annus verò 1008. per 28. diviſus, in Quoto 36. exhibet, integrum numerum, ſine fractione ullâ adjectâ. Fuit igitur Cycli Solaris 28. & ultimus.

IV.

Dato Cyclo Solari, literam diei Solis ſive Dominicam, & per eam ferias hebdomadicas totius anni Macedonici ſive Aſiani, invenire.

Literam diei Dominicæ, ſive primæ feriæ Hebdomadicæ, in Macedonicâ Ephemeride indicem, cuivis Cycli Solaris anno congruentem, ſequens monſtrat Tabella: à literâ C. inchoata; quia, primo anno Macedonico à feriâ *ſextâ* incipiente, tertius ejuſdem dies, in Ephemeride literâ C. ſignatus, in feriam *primam*, ſive diem Solis incidit. Quartus verò quiſque Cycli annus, in Tabulâ hîc notatus, Intercalaris eſſe intelligitur.

1.	C.
2.	B.
3.	A.
4.	G.
—	—
5.	E.
6.	D.
7.	C.
8.	B.
—	—
9.	G.
10.	F.
11.	E.
12.	D.
—	—
13.	B.
14.	A.
15.	G.
16	F.
—	—
17	D.
18.	C.
19.	B.
20.	A.
—	—
21.	F.
22.	E.
23.	D.
24.	C.
—	—
25.	A.
26.	G.
27.	F.
28.	E.

In anno Macedonicæ epochæ 1008. qui (per præcedentem Regulam) Cycli Solaris 28. inventus eſt, dies 2. menſis 8. Dominica Paſchalis fuit. Anno Cycli 28. litera E. reſpondet: quæ eadem diem 2. menſis 8. in Ephemeride Macedonicâ & Aſianâ appoſita, feriam primam ſive diem Dominicum eum eſſe indicat.

Polycarpum anno æræ Chriſtianæ 169. menſis Aſianorum 7. die 2. in magno Sabbato; Pionium anno æræ ejuſdem 251. menſis Aſianorum 7. die 22. eodémque Sabbati, martyrium ſubiiſſe, in cap. III. declaravimus. Ad annum æræ Chriſtianæ 169. additis (juxta primam Regulam) 336. exurgit Macedonicæ epochæ annus 505. qui per 28. diviſus (ex tertiæ Regulæ præſcripto) in Quoto, ultra integrum numerum 18. etiam 1. exhibet; anni 1. Cycli Solaris, & cum eo literæ Dominicalis C. in Tabulâ conjunctæ, indicem. Inſpectâ deinde anni Macedonici & Aſiani Ephemeride, 7. menſis diei 2. literam B. appoſitam invenio: quæ cùm in circulo hebdomadico locum à C. ſeptimum obtineat, feriam ſeptimam ſive Sabbati diem eſſe illum ſignificat.

Similiter, ad annum æræ Chriſtianæ 251. additis 336. prodit Macedonicæ æræ annus 587. qui per 28. diviſus, præter numerum integrum

20. etiam $\frac{2}{3}$ in Quoto relinquit: quod indicio eſt, eſſe annum illum Cycli Solaris 27. cui litera Dominicalis F. reſpondeat. Inſpectâ verò Ephemeride, menſis 7. dies 12. literâ E. ſignatus reperitur: quæ cùm in ſerie hebdomadicâ ab F. feriæ 1. indice, ordine ſit 7. feriam quoque 7. ſive Sabbaticam diem eſſe illum confirmat.

V.

Dato anno Macedonico ſive Aſiano, Cyclum Lunarem invenire.

Dividatur annus datus per 19. ſi præter integros Quoti numeros relictus fuerit aliquis alius, is Cycli Lunaris quæſitus erit numerus: ſi nullus, 19. erit. Ita annus ille Macedonicæ epochæ 1008. per 19. diviſus, præter integrum numerum 53. etiam 1. in Quoto exhibet. Ut igitur Cycli Solaris erat ille poſtremus, ita Cycli Lunaris deprehenditur eſſe primus. Enneadecaëteridis, inquam, ab ære Macedonicæ exordio numeratæ, primus: Alexandrinæ verò, ab ærâ Diocletiani deductæ, *octavus.*

VI.

In dato anno Macedonico vel Aſiano Paſchalem Dominicam, & Montaniſtarum & Alexandrinorum, deſignare.

Montaniſtis, Solares rationes tantùm ſpectantibus, ſeptimi menſis (quem illi primum appellabant) vel 14. dies ſemper Paſchalis erat, ſi is eſſet Dominicus, vel primus Dominicus dies qui eum ſequebatur: quemadmodum in II. capite declaravimus. Qui verò propriè dictam Aſiam incolebant Orthodoxi, Lunari quoque calculo adhibito, cum reliquis Orientalibus Paſchales Alexandrinorum Terminos reſpiciebant: Lunas videlicèt 14. quæ vel in *Martii* diem 21. (quo vernum Æquinoctium, ex Nicænorum Patrum ſententiâ, fieri credebatur) incurrebant, vel eum proximè inſequebantur. Ejuſmodi, in annis ordinariis, menſis VI. & VII. dies illi erant, quos, ſimul cum hebdomadicis ſuis literis ex Ephemeride deſcriptis, unicuique Lunaris Cycli anno in ſubjectâ Tabulâ appoſuimus: nam in intercalaribus, dies notatum proximè ſequens eſt ſemper aſſumendus.

Aſianæ Enneadecaëteridis Paſchales Termini.

Cycl.	Menſ.	Dies.	
1.	VII.	25.	D.
2.	VII.	14.	G.
3.	VII.	3.	C.
4.	VII.	22.	A.
5.	VII.	11.	D.
6.	VI.	31.	G.
7.	VII.	19.	E.
8.	VII.	8.	A.
9.	VI.	28.	D.
10.	VII.	16.	B.
11.	VII.	5.	E.
12.	VII.	24.	C.
13.	VII.	12.	E.
14.	VII.	1.	A.
15.	VII.	20.	F.
16.	VII.	9.	B.
17.	VI.	29.	E.
18.	VII.	17.	C.
19.	VII.	6.	F.

Author Homiliæ Paſchalis, anno æræ Chriſtianæ 672. Macedonicæ 1008. habitæ, Lunam 14. in diem 26. ſeptimi menſis Aſianorum tùm incidiſſe; & quòd ea Dominica eſſet, in proximam Dominicam, ſive menſis octavi diem 2. Paſcha fuiſſe dilatum, ſignificat. Annus ille 1008. (ut ex præcedentibus patuit) Cycli *Solaris* erat poſtremus, literam Dominicalem habens E. *Lunaris* verò primus, ad quem in præſente Tabulâ, menſis ſeptimi diem 25. literâ D. ſignatum vides. Sed quia annus intercalaris hic erat, dies proximus cum ſua literâ, nempe VII. 26. E. pro Lunâ 14. ſive Termino Paſchali, ex Regulæ præſcripto eſt aſſumendus. Et quia E. anni hujus litera Dominicalis eſt, & in Lunâ 14. ſive ipſo Termino Paſcha celebrari ſanctio Nicæna verat; in proximo E. proximo diei Dominici indice, quærendum Paſcha eſt, id eſt, in menſis 8. die 2. quem literâ item E. notatum in Ephemeride videre licet.

Ut autem hoc anno, menſis 8. die 2. ita in tribus ſequentibus, menſis 7. die 17. 9. & 29. Dominicam Paſchalem celebrandam fuiſſe, author ſubjicit. Annus 1009. cùm cycli *Solaris* primus ſit, literam Dominicalem C. & cùm *Lunaris* ſecundus, Terminum Paſchalem habet VII. 14. G. ideóque in proximo C. ſive menſis VII. die 17. Dominica Paſchalis conſtituenda eſt. Annus 1010. Cycli *Solaris* 2. literam Dominicalem B. Lunaris 3. Terminum VII. 3. C. indéque in ſequente B. hoc eſt, in menſis 7. die 9. Dominicam Paſchalem habet. Annus 1011. Cycli Solaris 3. literam Dominicalem A. Lunaris 4. Terminum VII. 22. A. adſcriptum habet. Quia igitur Dominica in Terminum incidit (quod concurſus ille A. oſtendit) in ſequente A. id eſt, in menſis VII. die 29. Dominica Paſchalis eſt hîc figenda.

Atque ita quadriennii hujus Paſchata ab Orthodoxis, juxta Alexandrinum calculum ſunt celebrata. Montaniſtæ verò, diem 14. menſis VII. literâ G. ſignatum, ut unicum ſuum Canonem reſpicientes, in ſequentibus E. C. B. A. quæ quatuor horum annorum (ut vidimus) literæ erant Dominicales, hoc eſt, in 19. 17. 16. & 15. menſis die, Paſchales ſuas Dominicas obſervabant.

Quandoquidem verò in cap. I. Galenum nos docentem audivimus, quâ ratione ortus & occaſus ſiderum, & cum eis conjunctæ tempeſtatum in orbem recurrentium vices, in anno Solari Macedonum inveniri poſſent: præclaro hoc additamento Macedonicum noſtrum Hemerologium locupletare viſum eſt; collectis undique tanquam ex naufragio, quæ reperiri poterant, hujuſmodi tabularum reliquiis; de quibus, in Aratum, ita ſcribebat olim Theon Alexandrinus. Οἱ μὲν Μέτωνα ἀστρόνομοι καὶ σίναχις ἐν ταῖς πόλεσιν ἔθηκαν περὶ τῆ τοῦ ἡλίου περιφορῶν τὴν ἐπακαιδεκαετηρίδων. ὅτι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τοιόνδε ἔσται χειμών, καὶ τοιόνδε ἔαρ, καὶ τοιόνδε θέρος, καὶ τοιόνδε φθινόπωρον, καὶ τοιοῖδε ἄνεμοι, & πολλὰ ἄρτια βιωφελῆ χρείας τοῖς ἀνθρώποις. *Poſt Metonem aſtronomi etiam tabellas in urbibus poſuerunt de Solis in* XIX. *annorum periodo circuitibus: quòd per unumquemque annum ejuſmodi futura eſſet hyems, & ejuſmodi ver, & ejuſmodi æſtas, & ejuſmodi autumnus, & ejuſmodi venti, & ejus generis multa humanæ vitæ uſibus accommoda.* Et quia Tabellæ iſtæ publicis affixæ locis, omnium oculis ſpectandæ proponebantur, *Parapegmatum* inde nomen eis eſt impoſitum. Vitruvius, libro IX. cap. 7. *Siderum occaſus & ortus, tempeſtatúmque ſignificatus, Eudoxus, Eudæmon,* (Euctemon,) *Calliſtus,* (Calippus), *Melo,* (Meto,) *Philippus, Hipparchus, Aratus, cæteíque ex Aſtrologiâ Parapegmatorum diſciplinas invenerunt, & eas poſteris explicatas reliquerunt. Quorum ſcientia ſunt hominibus ſuſpicienda; quòd tantâ curâ fuerunt, ut etiam videantur divinâ mente tempeſtatum ſignificatus pòſt futuros*

antè pronunciare : quas ob res hæc rerum curis ſtudiiſque ſunt contendenda. A Laërtio quoque, ex Thraſyllo, inter *Democriti* ſcripta Παραπήγματα recenſetur : cujus, ut & aliorum illorum à Vitruvio commemoratorum (præter *Aratea*, quæ integra ſuperſunt) etiam in noſtrâ hac Tabularum congerie fragmenta licebit recognoſcere.

De eiſdem, in Iſagogæ ſuæ cap. XV. doctiſſimus Geminus. Αἱ γοῦν πρόρρησεις τῶν ἐπισημασιῶν ἐν τοῖς παραπήγμασιν, οὐκ ἀπὸ τῶν παρατηρημάτων ἀφανισθέντων γίνονται, διὰ τίχης τοῖς μοδενίοις τὴν κατάληψιν μόριον ἔχουσαι τὸ ἀπρόσκοπον, ἀλλ' αἱ ἐν τοῖς ἐπίσημοι γινομένου διὰ τῆς καθ' ἡμέραν παρατηρήσεως τὸ σύμφωνον λαμβάνουσι, εἰς τὰ παραπήγματα κατεχώρησαν. *Prædictiones autem ſignificationum quæ in Parapegmatibus ſive tabulis affixis ſunt, non ſunt ex quibuſdam certis præceptis, neque arte quâdam traduntur, ut habeant neceſſarium effectum : ſed qui ex eo quod plerumque ſit, per quotidianam obſervationem, quod erat conſe-quum eperunt, in Tabulis illud diſpoſuerunt.* Οἱ γὰρ ἀπ' ἀρχῆς παρατηρήσαντες, καὶ συνταξάμενοι τὰ παραπήγματα, ἐξετάσαντες τοὺς τόπους τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, ἐν οἷς ἐπὶ πλεῖστον αἱ μεταβολαὶ τοῦ ἀέρος γίνονται, ἐνενόησαν καὶ τοὺς χρόνους τούτους τίνα τῶν ἀστρων ἀνατέλλοντι ἢ συνεπανατέλλοντι, καὶ ταῖς τούτων ἐπιτολαῖς καὶ δύσεσιν σημείοις ἐχρήσαντο εἰς τὴν πρόγνωσιν τῶν προειρημένων. *Nam qui à principio obſervaverunt, & Parapegmata illa compoſuerunt, exploratis locis Zodiaci circulis, in quibus ut plurimum mutationes aëris fiunt ; conſideraverunt, quæ aſtra temporibus illis orirentur aut ſimul occiderent, atque horum ortibus & occaſibus pro ſignis ſunt uſi ad prædictionem prædictorum.*

In XI. ejuſdem operis capite φαινόμενα quoque ea appellat. Ἐν τοῖς φαινομένοις, inquit, αἱ φανόμεναι τῶν ἀστρων ἐπιτολαὶ προλέγονται. αἱ μὲν γὰρ ἀληθιναὶ, ἀδιάφοροί εἰσι καὶ ἀπαρατήρητοι, αἱ δὲ φανόμεναι καὶ προλέγονται καὶ παρατηροῦνται. *In judiciis, apparentes aſtrorum ortus prædicuntur. Nam veri ortus ſunt inviſibiles atque inobſervabiles : apparentes verò, & prædicuntur & obſervantur.* Ubi notandum tamen, Veteres aſtronomos in Parapegmatibus ſuis, quibus Plinius & ipſe Geminus quoque uſus eſt, Ortus quos appellant Coſmicos, utcunque ἀδιάφορα, locum conceſſiſſe ; non quidem ut notis temporum conſpicuis, ſed ut ἐπισημασιῶν occultis indicibus : quippe qui ſiderum ortus & occaſus, non cum Gemino ſimpliciter ut ſigna, ſed etiam ut cauſas tempeſtatum & variarum aëris mutationum, in meteorologicis ſuis obſervationibus conſideraverint. quanquàm in ſuo Ptolemæus, non ſolùm ſtellarum omnium ortus Coſmicos & occaſus Acronychos, ut planè ἀδιάφορα καὶ ἀπαρατήρητα, conſultò prætermiſerit ; ſed etiam ipſas *Sagittæ*, *Pleiadum*, *Hædorum*, *Vindemiatoris*, *Delphini*, ἐπιτολὰς καὶ δύσεις Heliacas, διὰ τὸ διαφθορίτους καὶ διαπαντὸς ἴσας παντάπασιν τὰς ἢ ὅτε σημεῖον ἡλίου ἰσχύσας καὶ φανεῖσας φαινομένας.

Ptolemæi autem nomen præferentia, quatuor vidimus Parapegmata. *Primum*, hoc ipſum & illius proprium, hujuſmodi prænotatum titulo. Κλαυδίου Πτολεμαίου φάσεις ἀπλανῶν ἀστέρων, καὶ συναγωγὴ ἐπισημασιῶν. Ubi ἐπισημασίας ex Veterum tabulis, φάσεις verò, ſuo tempori congruentes, ex proprio calculo exhibet ; ſecundùm diverſitatem climatum, quæ, horarum maximæ in unoquoque diei numero appoſito, deſignat. Hujus exemplar Græcum integrum communicavit nobis D. Henricus Savilius : cujus partem tantùm, eámque ipſam admodùm mutilam & depravatam, Græco-Latina Dionyſii Petavii continet editio ; licèt XXXVIII. ante illum annis, Federicus Bonaventura Urbinas totum Latinè à ſe verſum in lucem emiſerit.

Secundum, falſo Ptolemæi nomine venditatum Parapegma, vulgatus ille eſt de ſtellarum inerrantium ſignificationibus libellus, qui ex Græco per Nicolaum Leonicum in Latinum translatus fuiſſe dicitur : cùm vel ab ipſo Nicolao, vel ab alio aliquo rerum harum imperitiſſimo, Ex Ovidio & aliis Latinis authoribus, nullo judicio, fuerit congeſtus. *Tertium*, & brevius & nullius planè momenti, anno 1345. Aſtrologicæ ſuæ Summæ inſeruit Johannes Eſchenden. *Quartum* ſubjectum habebatur *Iſagogico Aſtrologiæ Ptolemæi, ex Arabico ab Abrahamo de Balmes converſo* : quod non aliud eſt quàm *Geminî* Iſagoge in Phænomena ; cujus editionem ex codice, quem Viennæ à Johanne Sambuco Savilius noſter nactus eſt, expreſſam, non ſolùm cum Arabico iſto Iſagogico, ſed etiam cum alio manuſcripto Græco & Vaticani exemplaris ἀπογραφὴν (ab eodem præſtantiſſimo viro acceptis) diligenter contulimus. quod ideò monendum duximus, ne quis erratum putaret, ſi quid à libro edito varians in noſtrâ Ephemeride deprehenderet : in quâ, ex *Geminо* deſumpta ea omnia intelligenda ſunt, quæ *Plinii* & *Ptolemæi* & *Aëtii*, non habent nomen appoſitum.

CAP. VII.

Cœleſtium menſium diſparilis menſura, in Parapegmatum deſcriptionibus à Metone, Eudoxo & Chaldæis adhibita. Ortuum & occaſuum ſtellarum ipſarum, pro variâ temporum & locorum ratione, diſcrepantia : locorúmque & temporum, quibus diverſorum authorum Parapegmata ſunt adaptata, deſignatio.

COeleſtium menſium, ad Solis in ſigna Zodiaci ingreſſum conformatorum, quum Macedonicus noſter annus à rege Philippo primùm reciperetur, apud Græcos duo præcipua fuerunt genera : à *Metone* & *Euctemone* ante annos XCV. introductum unum, ab *Eudoxo* noviter excogitatum alterum. Hoc verò an illud ipſius Solis in cœlo motui rectiùs reſponderet ; conſiderandum ſibi propoſuit Calippus Cyzicenus ; qui * cum populari ſuo atque Eudoxi familiari Polemarcho Cyzicemo primùm, deinde cum Ariſtotele communicato conſilio ; in integrâ anni Periodo conſtituendâ *Eudoxi*, anno Tropico dies 365. & quadrantem aſſignantis, (detractâ diei parte 76. quam Meton & Euctemon inſuper adjecerant) in anni verò Quadrantum partitione, *Metonis* & *Euctemonis* ſententiam præferendam fuiſſe ſtatuit. Cùm enim Eudoxus unius tantùm Sphæræ, idem cum Terrâ centrum habentis, circumvolutione Solem per totam Zodiaci longitudinem periodicum ſuum motum conficere, &, quod cum

* Vid. Simplic. in Ariſtot. l. 2. de Cœlo, fol. 120. a. & 129. init.

eo connexum eſt, borealem & auſtralem illius ſemicirculum pari temporis ſpatio percurrere, ſtatuiſſet: duas præterea alias homocentricas ſphæras neceſſariò hic adhibendas contendit Calippus, τὰ φαινόμενα εἴ τις μέλλει ἀνασώσειν, *ſi quis apparentia ſalvare velit*; ut in libro 12. Metaphyſicorum habet Ariſtoteles. vel ut in Hiſtoriâ ſuâ Aſtronomicâ, ex ipſo Calippo, refert Eudemus; εἴπερ οἱ μεταξὺ τῶν τροπῶν καὶ τῶν ἰσημερινῶν χρόνοι τοσοῦτον διαφέρουσι, ὅσον τῷ Εὐκτήμονι καὶ τῷ Μέτωνι ἐδόκει, *ſi inter æquinoctia & ſolſtitia temporum tanta ſit differentia, quanta Euctemoni & Metoni viſa fuit.*

Extat inſignis hic Eudemi locus apud Simplicium, in libro ſecundo de Cœlo: ſed hactenùs minùs animadverſus, quòd ut in Vitruvio *Eudamonis & Melonis*, in Arabum verſionibus *Octimonis & Matheonis*, ita & hîc Ἀλκμαίωνος ac Μίσεως nomen, pro *Euctemonis & Metonis*, ſcriptorum vitio irrepſerit. quorum utrumque nos, non ex nudâ conjecturâ, ſed ex clariſſimi Savilii apographo, (quod ex Jo. Vincentii Pinelli exemplari deſcriptum, ſi memoria non fallit, ille nobis indicavit) integritati ſuæ reſtituimus. Atque ut ex eo Calippum, Euctemonis obſervationibus ſimpliciter acquieviſſe, & ad earum normam Eudoxi hypotheſes emendâſſe, intelleximus: ita ex Gemino quoque in Parapegmate ſuo Calippum cœleſtes Euctemonis menſes adhibuiſſe, atque ad eos ipſum Geminum tam Eudoxi quàm aliorum Aſtronomorum differentia Parapegmata reduxiſſe, animadvertimus. Hinc ad diem 15. id eſt, medium Scorpionis ſui Geminus ex Euctemone annotat. Ὠρίων ἀρχὴν καὶ μεσοῦντι καὶ λήγοντι ἐπιχειμάζειν: per Orionem in medio & fine menſis, tam Euctemonici quàm ſui, futuras tempeſtates ſignificari innuens. Ad Zygonis 1. Εὐκτήμονι ἰσημερία μετοπωρινὴ, & Καλλίππῳ ἰσημερία μετοπωρινὴ, ab Euctemonis item & Calippi *æquinoctio autumnali* menſe inchoato. ad Ægonis item 1. Εὐκτήμονι τροπαὶ χειμεριναὶ & Καλλίππῳ τροπαὶ χειμερινοὶ, à brumali ſolſtitio tùm Euctemonis, tùm Calippi principio menſis ſimiliter deducto. Unde, cùm ad primum Crionis, Calippi ἰσημερία ἐαρινὴ, & ad primum Carcinonis, ejuſdem τροπαὶ θερειναὶ, appoſitæ ibidem cernantur: quin Euctemonis quoque & *æquinoctium vernum* & *ſolſtitium æſtivum* eodem ſint referenda, nullum eſt dubium. A *Metone* verò & *Euctemone* obſervatum fuiſſe *ſolſtitium æſtivum* Athenis archonte *Apſende*, menſis *Phamenoth* ſecundùm Ægyptios die 21. ſub finem videlicèt anni 4. Olympiadis LXXXVI. Junii noſtri proleptici die 27. ex Ptolemæi libro 3. μεγάλης συντάξεως didicimus. Unde hujuſmodi naſcitur Kalendarum menſium cœleſtium Metonis, Euctemonis & Calippi, in Gemini Parapegmate, ad Julianorum noſtrorum menſium dies accommodatio.

Carcinus, dier. 31.	Jun. 27.	
Leonis, di. 31.	Juli. 28.	} di. 91.
Parthenon, di. 30.	Aug. 28.	
Zygon, di. 30.	Sept. 27.	
Scorpius, di. 30.	Oct. 27.	} di. 89.
Toxon, di. 29.	Nov. 26.	
Ægon, di. 29.	Dec. 25.	
Hydron, di. 30.	Jan. 23.	} di. 89.
Ichthyon, di. 30.	Feb. 22.	
Crion, di. 31.	Mart. 24.	
Taurus, di. 32.	April. 24.	} di. 93.
Didymus, di. 32.	Mai. 26.	

Euctemonem occaſum matutinum Vergiliarum XLVIII. diei poſt æquinoctium autumni tribuere, in naturalis ſuæ hiſtoriæ lib. 18. cap. 25. ſcribit Plinius: Cæſareum utique æquinoctium, in 24. Septembris à Soſigene collocatum, intelligens. Eſt verò ille dies Novembris 10. Scorpionis Euctemonici & Calippici 15. ad quem, in Gemini Parapegmate, ſimiliter annotatum invenimus; Εὐκτήμονι πλειάδες δύνουσι. *Euctemoni Pleiades*, ſive Vergiliæ, *occidunt*. Ortus verò & occaſus ſiderum, quos in *Attică* fieri idem notavit Plinius, Tempus à Gemino ex *Euctemone* aſſignatum uno plerumque die antecedunt, aliquando etiam & ſequuntur. Aprilis enim 15. Hyades, & 25. Canis, *Euctemoni* apud Geminum occultantur: quæ apud Plinium die 16. & 26. *Attica* occidunt veſperi. Contrà, Septembris 5. apud Plinium *Attica Arcturus matutinò exoritur, & Sagitta occidit manè*: quum die 6. *Euctemoni*, apud Geminum, ἐπτάδες ἀμπύκος καὶ ἵππος δύνει ἑῴας. quod idem etiam in Ephemeride noſtrâ, ad Octobris diem 2. & 3. Decembris 30. & 31. Aprilis 2. & 3. Julii 23. & 24. obſervare liceat. Quin & Julii die 5. Plinio, *Attica Orion totus exoritur*; ubi die 7. Εὐκτήμονι Ὠρίων ὅλος ἐπιτέλλει: quæ *bidui* differentia eſt, vel, ſi manuſcripta Gemini exemplaria ſequi libeat (ad diem 13. Carcinonis ortum iſtum referentia) etiam *quatridui*.

Ad *Eudoxi* verò Parapegma ſpectat ille Plinii locus, lib. 2. cap. 47. *Omnium quidem (ſi libeat obſervare minimas ambitus) redire eaſdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat: non venterum modò, verùm & reliquarum tempeſtatum magnâ ex parte. Et eſt principium luſtri ejus ſemper intercalari anno Caniculæ ortus:* non vero & ἀνατολῇ, ſed apparente & Heliaco: à quo, cùm ab aliis, tùm à *Galeno* (commentario 1. in lib. 1. Epidemiorum Hippocratis, & commentario 3. in ejuſdem librum de Humoribus) *Opera* deducitur principium, de quâ (in commentariis ad lib. 1. Meteororum Ariſtotelis) *Olympiodorus*. Τὸ Σῖριος εἰς Λέοντα διαμένειν· εἰς Σῖριος, ὅταν ἥλιος ἐν τῷ Καρκίνῳ καὶ Παρθένῳ, καὶ εἰς ἑσπέραν. λοιπὸν ἐγγὺς ὁ ἥλιος ἐν Λέοντι· ὅταν ὁ Σείριος φαίνηται λαμπρὸς, ἐν ᾧ καὶ ὁ Ποιητὴς ἄστρον αὐτὸν ἑσπέριον ὠνόμασεν. *Æſtas in duo dividitur: in æſtatem* propriè dictam, *quando Sol eſt in Cancro & Virgine, & in Operam, quando Sol in Leone eſt: quando Sirius præterea apparet, quem & Poëta eam ob cauſam Operinum appellavit.* Homerum intelligit, qui in Iliad. 1. Sirium ſive Caniculam ἄστρα ἑσπέριον nominat.

A Solis igitur in *Leonem* ingreſſu, cœleſtium ſuorum menſium exordium deduxit Eudoxus: in Alexandrinorum *Meſori* die 5. ſive *Julii* noſtri 29. principium *Operæ*; & in Metonici *Ægonis* die 4. qui noſtri Decembris 28. eſt, τροπὰς

χειμεριὰς, ſive ſolſtitium brumale collocans: quorum hoc Gemînus, illud in Parapegmate ſuo nos edocuit Ptolemæus. Unde in *intercalari* illo anno, à quo luſtrum ſuum eſt exorſus, hujuſmodi orta eſt menſium diſpoſitio.

Leonton, dier. 30.	Juli. 29.	di. 92.
Parthenon, di. 31.	Aug. 28.	
Zygon, di. 30.	Sept. 28.	
Scorpion, di. 31.	Octob. 28.	di. 91.
Toxon, di. 30.	Nov. 28.	
Ægon, di. 31.	Dec. 28.	
Hydron, di. 30.	Januar. 28.	di. 92.
Ichthyon, di. 31.	Feb. 27.	
Crion, di. 30.	Mart. 29.	
Tauron, di. 31.	April. 28.	di. 91.
Didymon, di. 30.	Mai. 29.	
Carcinon, di. 31. in anno intercalari; ſed 30. tantùm in ordinario.	Jun. 28.	

Homocentrica utique Eudoxi illa hypotheſis, quæ in ſeptentrionali & auſtrali Zodiaci ſemicirculo æqualem Soli moram tribuebat, ut æſtivum etiam ſemeſtre & brumale eodem temporis ſpatio conficeretur poſtulabat: quo ad dies integros reducto, in anno illo intercalari, quem (ut luſtri ſui primarium) in Parapegmate ſuo Eudoxus propoſuerat, menſes dierum 31, & 30. alternatim poſiti, in alterutro ſemeſtri 183. dies æquabiliter exhibebant. Unde, ut ex duodecim menſibus ἐναλλαξ 30. & 29. dierum, Lunaris annus dierum 354. ita ex totidem menſibus eâdem alternatâ ratione 31. & 30. dierum conſtitutis, Solaris annus 366. dierum enatus eſt: quor etiam naturali anno dies tribuiſſe *Ennium*, Cenſorinus author eſt. Quòd ſi anno 3. Olympiadis CIII. Octaëterida ſuam in Ægypto Eudoxus conſcripſerit (quod, ut conceſſum, in libro 2. de Emendat. Temporum, aſſumit Scaliger) in intercalari ejus anno contigiſſet etiam biſſextus anni noſtri Juliani Proleptici. Et circa illam ſanè Olympiadem clariſſe Eudoxum, ex ipſius τῆς περιόδου confirmat Lærtius: ad tertium verò, vel illius vel præcedentis alicujus Olympiadis, quàm ad annum quempiam alium, principium luſtri ejus & nos referre maluimus, quòd menſe Februario 29. dierum eâ ratione hîc admiſſo, *Crionis* Kalendæ in Martii 29. incurrerent; nempè in Metonici Crionis diem 6. ad quem, in Gemîni Parapegmate, Eudoxi ἐπισημεῖα cernitur appoſita.

Ex his quæ hactenùs ſunt dicta ſatis apparet, neque Metonis & Euctemonis, neque Eudoxi menſes cœleſtes, in novo ſuo anno Solari ſecutos fuiſſe Macedones: ſed à quibus eos mutuari fuerint, non tam proclive eſt dicere. Ego certè quod huc faciat, aliud nihil afferre poſſum, quàm quod à Columellâ lib. XI. cap. 2. annotatum reperio: *Nono Kalendas Januarias Brumale ſolſtitium ſicut Chaldæi obſervant, ſignificat.* In anno autem Macedonico, ab Aſianis item recepto, menſis quarti initium à *brumali ſolſtitio* fuiſſe deductum, capite I. ex Galeno; & a *nono Kalendas Januarias*, ſive XXIV. Decembris Juliani die, fuiſſe numeratum, capite II. ex Actis Timothei declaravimus. Unde & in reliquis pariter anni partibus ordinandis Chaldæos quoque ſecuti illi fuiſſe videantur, quorum hîc operâ rex Philippus fuerat uſus, & inter eos præcipuè Ariſtoteles, quem, ut cœleſtium obſervationum, *ab Ægyptiis & Babyloniis à plurimis annis factarum*, non ignarum fuiſſe ex libro 2. de Cœlo intelligimus: ita Parapegmata eum latuiſſe non eſt credibile, quorum uſum *ab Ægyptiis & Chaldæis ad Græcos* perveniſſe, in commentariis ad Aratum Theon Alexandrinus confirmat. *Ægyptiacum* quoque illud & *Chaldaicum* (eo nomine & *a Aſſyriâ*, & *Babyloniâ* comprehensâ,) inter alia Parapegmata, conſuluiſſe ſe Plinius indicat: de eorum inter ſe diſcrepantiâ, ita præfatus. *Addidere difficultatem & auctores diverſis in locis obſervando, mox etiam in iiſdem diverſa prodendo. Tres autem fuerunt ſecta: Chaldaa, Ægyptia, Græca. His addidit quartam apud nos Cæſar Dictator, annos ad Solis curſum redigens; Soſigene perito ejus ſcientiæ adhibito.* Nos verò in ſequentem Ephemeridem, quæ ex *Chaldæâ* & *Græcâ* ſupererant, conjecimus; *Ægyptiâ* & *Cæſareâ* ſuum in locum ſepoſitâ, & ad Græcanicas præteritâ obſervationes, à Gemîno & Ptolemæo commemoratas, aliis nonnullis ex Plinio adjectis: quem longè quàm illos pluribus generis hujus ſcriptoribus fuiſſe uſum, tùm ex authorum ex quibus liber 18. conflatus eſt Indice, clarum eſt: tùm, ex capitis 31. ejuſdem libri, verbis illis. *Deinde conſentiunt, quod eſt rarum, Philippus, Calippus, Doſitheus, Parmeniſcus, Conon, Criton, Democritus, Eudoxus, Ion; IV. Kalend. Octobr. Capellam matutino exoriri, & III. Kalendas Hados.*

[a] Plin. l. 18. c. 25.

Quòd ita inter ſe auctores diſſenſerint, qui *diverſis in locis* obſervârunt, nihil eſt quod quiſquam miretur: quum in aliis atque aliis Terræ climatibus alios atque alios eorundem ſiderum ortus & occaſus neceſſariò fieri, Sphæræ ratio demonſtret. Τὸ γὰρ αὐτὸ παράπηγμα οὐ δυνατὸν συμφωνεῖν ἐν τῇ Ρώμῃ, οὐδὲ ἐν τῷ Πόντῳ, οὐδὲ ἐν Ρόδῳ, οὐδὲ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἀλλὰ ἀνάγκη διαφόρους τὰς παρατηρήσεις εἶναι ἐν διαφόροις ὁρίζοις. *Unum enim Parapegma non poteſt congruere in urbe Româ, & in Ponto, & in Rhodo, & in urbe Alexandrinâ; ſed neceſſe eſt, ut diverſæ ſint obſervationes in diverſis horizontibus:* quemadmodùm, in capite περὶ ἐπισημασιῶν, confirmat Gemînus. Nam *Canicula*, exempli gratiâ, in *Rhodo* quidem (ut ait ille) poſt æſtivum ſolſtitium diebus triginta oritur, in aliis verò locis quadraginta, & quinquaginta in aliis. Licèt enim ad 400. ferè ſtadia inſenſibilis fiat climatum varietas: in majori tamen diſtantiâ, προανατολὰς καὶ προδύσεις, *præortus & præoccaſus* notari, in præcedente capite idem præſtantiſſimus ſcriptor docuerat. Cujus mente non rectè perſpectâ, ſecundùm Mathematicos ſingulis gradibus mutari ad ſenſum Meridianos, & cuique gradui 400. reſpondere ſtadia, minùs conſideratè in Manilianis ſuis pronunciavit Scaliger.

Sed cùm Parapegmatum ſcriptores ortibus & occaſibus ſiderum inerrantium ut ἰσταμένοις πως σημείοις, *ſtatis & immotis quibuſdam ſignis*, ad tempeſtates deſignandas uſos fuiſſe, in capite illo περὶ ἐπισημασιῶν, Gemînus notaverit; *iiſdem in locis diverſa prodita* ab eis fuiſſe, magis illi mirum videri potuiſſet, quàm Ptolemæo qui, ipſis ſtellis fixis motum proprium tribuens, tantum ἐπὶ πολὺν χρόνον τὰς αὐτὰς φάσεις ταῖς ὁμωνύμοις ἡμέραις Canonem ſuum potuiſſe reddere proclivius eſt. Hic enim, Hipparchi inſiſtens veſtigiis, *centum* annis in conſequentia ſignorum

per

per unum gradum ſtellas provehi cenſuit: quem ſeptuaginta annorum ſpatio ab illis confici, R. Joſua Judæus (in tractatu Thalmudico, שבועות dicto) Alzuphi Arabs, Naſſir-eddinus Tuſinus & Ulog-beigus Perſæ, multò rectiùs tradiderunt; ita ut annuus earum motus ſit minut. 0'. 51". 25"'. 42"''. qui item ἀνωμαλίαν, ſive apogæorum, Solis, Saturni, Jovis, Martis, Veneris & Mercurii, in Tabulis Perſicis manuſcriptis (à Georgio Chryſococcâ Græcè converſis) annuus motus eſſe ſtatuitur. Quocunque verò motu Periodico ſtellarum inerrantium poſito, illud conſequitur; labentibus ſæculis, iiſdem in locis eaſdem ſiderum φάσεις, eiſque reſpondentes tempeſtatum ἐπισημασίας, certâ quâdam ratione à prioribus diebus paulatim recedere. Unde & decem illorum Græcorum, è quibus ſequens Ephemeris collecta eſt, Aſtronomorum tempora libuit hic ſubjicere: locis quoque ex Ptolemæo appoſitis, quibus illi Parapegmata ſua adaptârunt.

Auctores.	*Tempus Periodi Julianæ.*	*Circa annum Ante eram Chriſtianam.*	*Loca.*
1 Meton & 2 Euctemon Athenienſes.	4282	432	Athenæ, Cyclades, Macedonia, & Thracia: à maximi diei quantitate horarum 14. $\frac{1}{2}$ uſque ad 15.
3 Democritus Abderitanus.	4284	430	Macedonia & Thracia: ubi maximus dies eſt horarum 15.
4 Eudoxus Cnidius.	4348	366	Aſia, Sicilia & Italia: à maximi diei quantitate horarum 14. $\frac{1}{2}$ uſque ad 15.
5 Philippus Medmæus.	4374	340	Peloponneſus, Locris & Phocis: ubi maximus dies eſt horarum 14. $\frac{1}{2}$
6 Calippus Cyzicenus.	4384	330	Helleſpontus: à maximi diei quantitate horarum 14. $\frac{1}{2}$ uſque ad 15.
7 Conon Samius.	4444	270	Italia & Sicilia: à maximi diei quantitate horarum 14. $\frac{1}{2}$ uſque ad 15.
8 Doſitheus Colonienſis.	4514	200	Coloni, prope Athenas, ubi maximus dies eſt horarum 14. $\frac{1}{2}$
9 Hipparchus Bithynus.	4584	130	Bithynia: ubi maximus dies eſt horarum 15.
10 Metrodorus Scepſius.	4634	80	Italia & Sicilia: à maximi diei quantitate horarum 14. $\frac{1}{2}$ uſque ad 15.

Nobis verò, ad quos integra horum Parapegmata non pervenerunt, alia adhuc difficultas ſupereſt; quòd qui reliquias eorum nobis conſervârunt, Geminus & Ptolemæus, ad diverſos dies eorundem non locorum modò & temporum, ſed etiam hominum obſervationes retulerunt. Cujuſmodi error, in variis annorum cœleſtium formis ad unum aliquem alium anni modum transferendis, facillimè potuit obrepere. Ut enim Metonis & Calippi menſes cœleſtes Geminus; ita Alexandrinorum ſuorum menſes civiles, reliquorum omnium Parapegmatum communem menſuram, Ptolemæus conſtituit.

Et ſæpiùs quidem in eundem diem Julianum Gemini & Ptolemæi notationes coincidere animadvertimus. quod argumento eſt, ex malè à nobis conſtituto menſium cœleſtium apud Geminum exordio (de Alexandrinorum enim apud Ptolemæum ad noſtros applicatione nullum ſubeſt dubium) differentiam illam nequaquàm provenille. Ita, verbi gratiâ, apud utrumque Martii die 7. *Democrito* frigidi flant venti, Ornithiæ appellati, per dies novem. *Calippo*, Septembris 1. Eteſiæ deſinunt; & Martii 26. eſt ὑετὸς ἀπ' ἄρκτου. *Eudoxo*, April. 25. Mai. 4. & Decemb. 9. eſt ὑετὸς. *Doſitheo*, Octob. 19. & *Euctemoni*, Novemb. 10. χειμάζει. Non rarò tamen unius diei diſcrimen cernitur. Inde *Euctemoni*, Septembris die 15. apud Ptolemæum, 16. apud Geminum, eſt Autumni principium: & apud illum Januarii 6. die, apud hunc 7. Media hyems. Eidem, apud Ptolemæum Martii 4. & 8, apud Geminum 5. & 7. flat frigidus Boreas. *Democrito*, juxta Ptolemaicas rationes, Decembris die 10. Tonitrus, fulgura, aqua, ventus; Januarii 4. Auſter flat ut plurimùm; Februarii 6. Zephyrus incipit flare, & 24. Varii ſunt dies, qui Halcyonii appellantur; Junii 3. Aqua exiſtit, & 22. Significare ſolet: quæ ſingula Gemini Canon in dies ſequentes conjicit.

Aliquando hîc & bidui occurrit differentia; *Euctemoni* enim, apud Ptolemæum Martii die 13. apud Geminum 15. Ornithiæ flare incipiunt, & Milvus apparet. *Eudoxo* juxta Ptolemæum Februarii die 3. Serenitas eſt, quandoque etiam flat Zephyrus; Martii 8. Milvus apparet; Julii 25. Auſter flat; Septembris 4. Pluvia, tonitrus, ventus exiſtit: quæ in Gemini tabulâ, Februarii die 5. Martii 10. Julii 27. & Septembris 6. conſignata leguntur. Sed & ipſi nos, in Ephemeridis noſtræ tractatione, priuſquàm lineis ductis dierum numeros ab invicem diſcreviſſemus, uſu comperimus, in phaſibus & ἐπισημασίαις excerpendis, uno aliquoties & (ubi dies hiſce vacuus intercurrebat) duobus aliquando diebus errorem à nobis fuiſſe admiſſum: adeò proclivis lapſus eſt in numerorum & notarum appoſitarum rectâ accommodatione: ad primorum ſcriptorum ἀβλεψίαν poſteriorum librariorum præſertim accedente negligentiâ. Quod prudenti Lectori æſtimandum ex ipſius Ephemeridis inſpectione relinquimus: cui ne quid deeſſet, etiam ex Aëtii Tetrabiblo (ſerm. III. capite 164.) recentius Parapegma interſerere libuit; qui circa annum Chriſti CCCL. Amidæ in Meſopotamiâ claruit, in illo videlicèt climate, cujus medius parallelus diem maximum habet horarum. 14. $\frac{1}{2}$

Digitized by Google

EPHEMERIS ANNI MACEDONICI ET ASIANI, CUM JULIANO COLLATI:

Addito etiam Stellarum inerrantium ortu & occaſu, ac tempeſtatum prælagiis; ex veterum Aſtronomorum, quæ Aſiam, Thraciam, Macedoniam & Græciam *ſpectabant*, Parapegmatum *reliquiis.*

I. DIUS Macedonicus, dierum 30. *Sol in Libra.*

				Sept.
I	A	Νεμηνία.		24
2	B	δευτέρα ἱσαμένου.	*Endoxo*, ſignificat. *Ptolem.* *Aëtio* Æquinoctium autumnale: & eſt maxima aëris turbatio trib. dieb. antecà.	25
3	C	τρίτη ἱσαμένου.	*Euctemoni*, ſignificat. *Democrito*, Pluvia & ventorum turbatio. *Ptol.*	26
4	D	τετάρτη ἱσαμένου.	*Euctemone*, *Philippo*, & *Cononi*, ſignificat. *Ptol.* *Euctemoni*, Æquinoctium autumnale, & ſignificat. *Calippo*, Aries incipit occidere. Æquinoctium autumnale.	27
5	E	πέμπτη ἱσαμένου.	*Hipparcho*, ſignificat. *Ptol.* *Philippo*, *Calippo*, *Doſitheo*, *Cononi*, & *Democrito*, Capella matutinò exoritur. *Plin.*	28
6	F	ἕκτη ἱσαμένου.	*Eiſdem*, Hœdi exoriuntur. *Plin.* *Hipparcho*, Auſter vel Zephyrus. *Endoxo* & *Euctemoni*, ſignificat. *Ptol.* *Euctemoni*, Hœdi veſpertinò oriuntur. Tempeſtas eſt.	29
7	G	ἑβδόμη ἱσαμένου.	*Endoxo*, Capra veſperi oritur.	30
8	A	ὀγδόη ἱσαμένου.	*Calippo*, Tempeſtas eſt, & aëris intemperies. *Euctemoni* & *Philippo*, Pluvia. *Ptol.* *Euctemoni*, veſpertinæ apparent Pleiades. *Calippo*, Virgo ceſſat oriri.	Oct. 1
9	B	ἐνάτη ἱσαμένου.	*Attica*, Corona exoritur manè. *Plin.* *Euctemoni*, Tempeſtas eſt. *Ptol.*	2
10	C	δεκάτη.	*Aſia*, Heniochus occidit matutinò. *Plin.* *Euctemoni*, Corona oritur. Tempeſtas eſt.	3
11	D	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Endoxo*, Pluvia & ventus inconſtans. *Doſitheo*, ſignificat. *Ptol.* *Endoxo*, Pleiades oriuntur.	4
12	E	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ	*Democrito*, Tempeſtas eſt Serentis tempus. *Ptol.*	5
13	F	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Endoxo*, [Spica] manè oritur. *Aëtio*, Corona manè oritur: & vehemens aëris muratio.	6
14	G	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, Auſter. *Ptol.* *Aëtio*, Hœdi veſpere oriuntur.	7
15	A	πεμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Endoxo*, Scorpius veſperi incipit occidere: & tempeſtas inſuper oritur, & ventus flat magnus.	8
16	B	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Endoxo*, ſignificat. *Hipparcho*, Subſolanus. *Ptol.*	9
17	C	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ		10
18	D	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Doſitheo*, & *Endoxo*, ſignificat. *Ptol.*	11
19	E	ἐνάτη ἐπὶ δεκάτῃ		12
20	F	Εἰκάς.	*Doſitheo*, Ventus inconſtans. *Calippo*, ſignificat. *Ptol.* *Endoxo*, Scorpius veſperi occidit. Capra [manè] occidit. *Calippo*, Chelæ incipiunt oriri. Significat.	13
21	G	μιᾷ καὶ εἰκάδι φθίνοντος.	*Endoxo*, ſignificatio. *Ptol.*	14
22	A	δευτέρᾳ φθίνοντος.	*Endoxo*, Boreæ & auſtri ſpirant.	15
23	B	τρίτη φθίνοντος.	*Endoxo*, Ventorum mutationes. Tonitrua. *Ptol.*	16
24	C	τετάρτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auſter vel Boreas. *Ptol.* *Aëtio*, Hyades veſpere oriuntur: & magna fit aëris turbatio.	17
25	D	πέμπτη φθίνοντος.	*Endoxo*, Hyades veſperi oriuntur.	18
26	E	ἕκτη φθίνοντος.	*Doſitheo*, ſignificatio. *Ptol.*	19
27	F	ἑβδόμη φθίνοντος.		20
28	G	ὀγδόη φθίνοντος.		21
29	A	ἐνάτη φθίνοντος.	*Aëtio*, maxima aëris turbatio.	22
30	B	πρώτη φθίνοντος, ἢ τριακάς.	*Endoxo*, ſignificat. *Ptol.* *Aëtio*, oriente Sole Pleiades occidunt.	23

EPHEMERIS.

II. APELLÆUS, dierum 30. *Sol in Scorpio.*

1	C	Νυμληνία.	*Calippo*, Significat. *Euctemoni*, & *Calippo*, Varius aër. In mari, tempestas magna. *Ptol. Calippo*, Tauri cauda occidit. Significat.	24
2	D	Δυτέρα ἰσαμέρου.	*Eudoxo*, Boreas & auster spirant.	25
3	E	τρίτη ἰσαμέρου.	*Euctemoni*, Magna per mare tempestas.	26
4	F	τετάρτη ἰσαμέρου.		27
5	G	πέμπτη ἰσαμέρου.		28
6	A	ἕκτη ἰσαμέρου.	*Dositheo*, Tempestas erit. *Democrito*, Frigus vel pruina. *Hipparcho*, Auster continuus. *Ptol. Dositheo*, tempestas est.	29
7	B	Κλῖμα ἰσαμέρου.	*Euctemoni & Philippo*, Ventus magnus flat. *Ptol. Democrito*, Pleiades matutinò occidunt. Venti hyberni plerumque, & frigora & pruina. Solet audiri flatus. Folia abjicere maximè incipiunt arbores. *Calippo*, Scorpii frons oritur, cum ventis.	30
8	C	ὀγδόη ἰσαμέρου.	*Calippo & Euctemoni*, Venti vehementes. *Metrodoro*, Venti & tempestas. *Ptol Euctemoni*, Arcturus vesperi occidit; magnique spirant venti.	31
9	D	ἐννάτη ἰσαμέρου.	*Cononi & Eudoxo*, Intemperies ventorum. *Ptol.*	Nov. 1
10	E	δεκάτη.	*Calippo*, Intemperies aëris. *Hipparcho*, Auster vel Boreas frigidi. *Ptol.*	2
11	F	πρώτη ὑπὲρ δεκάτην.	*Eudoxo*, Boreas, vel auster. *Metrodoro*, Intemperies aëris. *Euctemoni, & Philippo, & Hipparcho*, Pluvia. *Ptol. Eudoxo*, Arcturus acronychus [manè] occidit; & significat, & ventus spirat.	3
12	G	δευτέρα ὑπὲρ δεκάτην.	*Calippo*, Pluvia. *Euctemoni*, significat. *Ptol.* *Calippo*, Tauri caput [manè] occidit. Pluviæ.	4
13	A	τρίτη ὑπὲρ δεκάτην	*Euctemoni*, Lyra manè oritur: & tempestas est, cum pluvia.	5
14	B	τετάρτη ὑπὲρ δεκάτην.	*Dositheo*, Tempestas. *Ptol. Aetio*, Pleiades manè occidunt, & incipit aër sedari.	6
15	C	πέμπτη ὑπὲρ δεκάτην.	*Hipparcho*, Argestes (seu Corus) frigidus. *Ptol.* *Eudoxo*, Orion vesperi incipit oriri.	7
16	D	ἕκτη ὑπὲρ δεκάτην.	*Democrito*, Lyra oritur unà cum Sole ascendente: & aër fit tempestuosus plerumque.	8
17	E	Κλῖμα ὑπὲρ δεκάτην.	*Metrodoro*, Tempestas est, & procella. *Euctemoni*, pluviæ & tempestas. *Ptol. Eudoxo*, pluvia est.	9
18	F	ὀγδόη ὑπὲρ δεκάτην.	*Philippo & Euctemoni*, Tempestas & procella. *Hipparcho*, Boreas vel auster frigidus, & pluvia. *Ptol. Euctemoni*, Pleiades occidunt, & signif. Et Orion incipit cùm medianti mensi rùm desinenti tempestatem excitare.	10
19	G	ἐννάτη ὑπὲρ δεκάτην.	*Hipparcho*, Hyemis initium. *Metrodoro*, & *Calippo*, & *Cononi*, significatio. *Ptol. Calippo*, Splendida in Scorpio stella oritur, significat: & Pleiades occidunt apparenter. *Aetio*, Lyra manè oritur.	11
20	A	Εἰκάς.	*Euctemoni*, & *Dositheo*, Tempestas erit. *Ptol.*	12
21	B	Δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Scorpius incipit oriri manè.	13
22	C	ἐννάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hyemis principium: & Significat: *Democrito*, Tempestas, tùm in terrâ tùm in mari. *Ptol. Eudoxo*, Pleiades manè occidunt; & Orion incipit occidere, & tempestas est.	14
23	D	ὀγδόη φθίνοντος.		15
24	E	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Lyra manè oritur.	16
25	F	ἕκτη φθίνοντος.		17
26	G	πέμπτη φθίνοντος.		18
27	A	τετάρτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hyberous cœli status. *Ptol.*	19
28	B	τρίτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Boreas frigidus. *Ptol.*	20
29	C	δευτέρα φθίνοντος.	*Euctemoni*, & *Dositheo*, Tempestas & pluvia. *Ptol.* *Aetio*, Hyades manè occidunt.	21
30	D	πρώτη φθίνοντος, ἢ νουμηνίας.	*Eudoxo*, Tempestas vehemens. *Ptol. Euctemoni*, Hyades occidunt, atque insuper pluit. *Aetio*, Turbatio fit circa aërem.	22

Digitized by Google

EPHEMERIS.

III. AUDYNÆUS, dierum 31. *Sol in Sagittario.*

1	E	Νεμεικὸς.	*Hipparcho*, Auster frequens. *Endoxo*, & *Cononi*, Hybernus aër. *Calippo*, pluvia. *Ptol.* *Calippo*, Tauri cornua occidunt; & pluvia.	23
2	F	Δυτικὸς ἰσημερινὸς.	*Endoxo*, Hyades occidunt; & magna est tempestas.	24
3	G	πρῶτος ἰσημερινὸς.		25
4	A	τέταρτος ἰσημερινὸς.		26
5	B	πέμπτος ἰσημερινὸς.	*Endoxo*, Intemperies aëris. *Dositheo*, significatio. *Democrito*, Cœlum turbidum & mare ut plurimùm. *Ptol.* *Aëtio*, Orion oritur; & Corona occidit.	27
6	C	ἕκτος ἰσημερινὸς.		28
7	D	ἕβδομος ἰσημερινὸς.		29
8	E	ὄγδοος ἰσημερινὸς.	*Cononi*, Tempestas est. *Ptol.*	30
9	F	ἔνατος ἰσημερινὸς.	*Euctemoni*, & *Endoxo*, & *Calippo*, Tempestas. *Ptol.* *Aëtio*, Canis manè occidit.	Dec. 1
10	G	Δεκάτος.	*Metrodoro*, Hybernus status. *Euctemoni*, & *Ptolemæi*, (f. Philippo) & *Calippo*, Ventorum intemperies. *Ptol. Euctemoni*, Canis occidit; & fit tempestas. *Calippo*, Sagittarius incipit oriri, & Orion occidere apparenter. Tempestas est.	2
11	A	πρῶτος ἀπὸ δεκάτου.	*Conono*, Tempestas est. *Ptol. Endoxo*, Orion manè occidit.	3
12	B	δυτικὸς ἀπὸ δεκάτου.	*Euctemoni*, & *Endoxo*, Tempestas. *Ptol.*	4
13	C	τρίτος ἀπὸ δεκάτου.	*Dositheo*, & *Democrito*, Tempestas. *Ptol.* *Euctemoni*, Scorpii aculeus oritur.	5
14	D	τέταρτος ἀπὸ δεκάτου.	*Endoxo*, & *Dositheo*, Hybernus aër. *Ptol.*	6
15	E	πέμπτος ἀπὸ δεκάτου.	*Hipparcho*, Boreas assiduus. *Endoxo*, Pluvia. *Ptol. Endoxo*, Canis manè occidit: tempestas est.	7
16	F	ἕκτος ἀπὸ δεκάτου	*Euctemoni*, & *Endoxo*, & *Calippo*, Hybernus aer & pluvia. *Ptol.*	8
17	G	ἕβδομος ἀπὸ δεκάτου.	*Euctemoni*, & *Endoxo*, & *Calippo*, Hybernus aër & pluvia. *Ptol.* *Endoxo*, Pluvia.	9
18	A	ὄγδοος ἀπὸ δεκάτου.	*Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Calippo*, Hybernus status. *Democrito*, Toniteus, fulgura, aqua, venti. *Ptol. Euctemoni*, Aquila oritur; flat auster. *Aëtio*, Hœdi manè occidunt.	10
19	B	ἔνατος ἀπὸ δεκάτου.	*Calippo*, Auster: & significatio. *Endoxo*, Hybernus aër. *Ptol. Democrito*, Aquila oritur simul cum Sole; & significare solet tonitru & fulgur, cum aquâ, aut vento, aut utroque ut plurimùm. *Endoxo*, Canis vesperi oritur. *Calippo*, Gemini transeunt occidentes: fit pluvia. *Aëtio*, Capra manè occidit.	11
20	C	Εἰκὰς.	*Aetio*, perturbatio aëris fit.	12
21	D	ἡ Δεκάτη φθίνουσα.	*Hipparcho*, Auster multus vel Boreas. *Ptol.*	13
22	E	Δεκάτη φθίνουσα.	*Endoxo*, Tempestas est. *Ptol. Euctemoni*, [Capra] occidit.	14
23	F	ἔνατος φθίνουσα.		15
24	G	ὄγδοος φθίνουσα.	*Endoxo*, Scorpius manè oritur; & est tempestas.	16
25	A	ἕβδομος φθίνουσα.		17
26	B	ἕκτος φθίνουσα.	*Hipparcho*, Auster. *Ptol. Endoxo*, Capra manè occidit.	18
27	G	πέμπτος φθίνουσα.	*Endoxo*, & *Dositheo*, Africus vel Auster. *Ptol.*	19
28	D	τέταρτος φθίνουσα.	*Endoxo*, Hybernus aër. *Ptol.*	20
29	E	τρίτος φθίνουσα.	*Endoxo*, Aquila manè oritur.	21
30	F	Δευτέρα φθίνουσα.		22
31	G	πρώτη φθίνουσα.	*Aëtio*. Solstitium hybernum.	23

EPHEMERIS.

IV. PERITIUS, dierum 30. *Sol in Capricorno.*

1	A	Νυμηνία.	*Hipparcho* & *Meroni*, significat. *Ptol.* *Chaldais*, Brumale solstitium est. *Columel.*	24
2	B	ἀντίφα ἰσημέρια	*Cononi*, & *Meroni*, & *Calippo*, Tempestas. *Metrodoro*, significationis intemperies. *Ptol.* *Euctemoni*, Solstitium brumale. Significat. *Calippo*, Sagittarius definit oriri. Solstitium brumale. Tempestas est.	25
3	C	τρίτη ἰσημέρια.	*Eudoxo*, & *Metrodoro*, Hyemalis aër. *Hipparcho*, Tempestas vespertina. *Ptol.* *Euctemoni*, Delphinus oritur. Tempestas est.	26
4	D	τετάρτη ἰσημέρια.	*Eudoxo*, Significat. *Democrito*, Tempestas. *Ptol.*	27
5	E	πέμπτη ἰσημέρια.	*Eudoxo*, Solstitium brumale. Tempestas est.	28
6	F	ἕκτη ἰσημέρια.	*Euctemoni*, & *Philippo*, & *Democrito*, significat. *Ptol.*	29
7	G	ἑβδόμη ἰσημέρια	*Euctemoni*, significat. *Ptol.* *Attica* & finitimis regionibus Aquila vesperi occidit. *Plin.*	30
8	A	ὀγδόη ἰσημέρια.	*Euctemoni*, Aquila vesperi occidit: sitque tempestas.	31
9	B	ἐνάτη ἰσημέρια.	Januar.	1
10	C	Δεκάτη.	*Dositheo*, significat. *Ptol.* *Eudoxo*, Corona vesperi occidit.	2
11	D	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ		3
12	E	ἀντίφα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Auster flat ut plurimùm. *Ptol.* *Aëtio*, Delphinus oritur.	4
13	F	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Auster flat ut plurimùm. *Aëtio*, Aquila vesperi occidit.	5
14	G	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Media hyems. *Ptol.*	6
1	A	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Hipparcho*, & *Eudoxo*, Tempestas est. *Ptol.* *Euctemoni*, Media hyems. Auster multus flat hybernus per mare. *Aëtio*, turbatio vehemens.	7
16	B	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Philippo*, & *Calippo*, Auster. *Ptol.* *Calippo*, Capricornus incipit oriri. Flat auster.	8
17	C	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, auster vehemens, & pluvia. *Ptol.* *Euctemoni*, Auster hybernus per mare.	9
18	D	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ		10
19	E	ἐνάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo* & *Dositheo*, Auster cum tempestate. *Hipparcho*, Ventorum intemperies. *Ptol.* (*Euctemoni*) vesperi occidit Perseus, & spirat auster.	11
20	F	Εἰκάς.		12
21	G	μιᾷ φθίνοντος.		13
22	A	ἑνὶ φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auster vel Boreas, Tempestas est. *Ptol.*	14
23	B	δευτέρᾳ φθίνοντος.		15
24	C	τρίτῃ φθίνοντος.	*Hipparcho*, Subsolanus spirat. *Ptol.*	16
25	D	τετάρτῃ φθίνοντος.		17
26	E	πέμπτῃ φθίνοντος.	*Euctemoni* & *Philippo*, Tempestas. *Metrodoro*, Inconstantia aëris. *Ptolem.*	18
27	F	ἕκτῃ φθίνοντος.	*Euctemoni*, Tempestas. *Ptol.*	19
28	G	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Calippo*, Tempestas, pluvia. *Hipparcho*, Boreas flat. *Euctemoni*, & *Democrito*, pluit. *Ptol.* *Euctemoni*, Delphinus vespertinus occidit. *Calippo*, Cancer occidit. Tempestas est.	20
29	A	ὀγδόη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Hyems media. *Ptol.*	21
30	B	πρώτη φθίνοντος, ἢ τριακάς.	*Aëtio*, Motus aër.	22

EPHEMERIS.

V. DYSTRUS, dierum 30. *Sol in Aquario.*

1	C	Νουμηνία.	*Hipparcho*, Significatio. *Ptol.*	23
2	D	Δευτέρα ἰσημερία.	*Calippo*, & *Euctemoni*, pluit. *Democrito*, Media hyems. *Ptol.* *Calippo*, Leo incipit occidere. *Democrito*, Tempestas.	24
3	E	τρίτη ἰσημερία.	*Hipparcho*, Subsolanus flat. *Ptol.* *Aëtio*, Lucida stella in Leone occidit.	25
4	F	τετάρτη ἰσημερία.	*Metrodoro*, Pluvia. *Dositheo*, Tempestas. *Ptol.* *Eudoxo*, Delphinus vesperi occidit.	26
5	G	πέμπτη ἰσημερία.		27
6	A	ἕκτη ἰσημερία.	*Aëtio*, Delphin vesperi occidit.	28
7	B	ἑβδόμη ἰσημερία.	*Hipparcho*, Auster vel Cauri. *Ptol.* *Aëtio*, Lyra vesperi occidit.	29
8	C	ὀγδόη ἰσημερία.		30
9	D	ἐνάτη ἰσημερία.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.*	31
10	E	Δεκάτη.		Febr. 1
11	F	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Lyra vesperi occidit: existit pluvia.	2
12	G	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Serenitas: quandoque verò flat & Zephyrus. *Ptol.*	3
13	A	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.		4
14	B	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Serenitas: quandoque etiam flat Zephyrus.	5
15	C	πεμπτὴ ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, Zephyrus incipit flare. *Ptol.* *Aëtio*, Zephyrus spirat.	6
16	D	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Veris principium. Zephyrus incipit flare: & interdum tempestas est. *Ptol.* *Democrito*, Zephyrus incipit flare: & manet per dies 41. à Tropis.	7
17	E	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Pluvia. *Hipparcho*, & *Calippo*, & *Metrodoro*, Zephyrus flare incipit. *Ptol.* *Euctemoni*, Zephyrus flat. *Calippo*, Aquarius medius oritur: flat Zephyrus.	8
18	F	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, Veris initium: & Zephyrus flare incipit. *Ptol.*	9
19	G	ἐνάτη ἐπὶ δεκάτῃ		10
20	A	Εἰκάς.	*Eudoxo*, Zephyri flant. *Hipparcho*, Veris principium. *Calippo*, & *Metrodoro*, Tempestas. *Ptol.*	11
21	B	Δεκάτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Boreas vel Subsolanus flat. *Ptol.*	12
22	C	ἑνάτη φθίνοντος.		13
23	D	ὀγδόη φθίνοντος.		14
24	E	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auster flat. *Euctemoni*, & *Philippo*, & *Dositheo*, Tempestas. *Ptol.*	15
25	F	ἕκτη φθίνοντος.	*Euctemoni*, [Sagitta] vesperi occidit: & magna est tempestas.	16
26	G	πέμπτη φθίνοντος.		17
27	A	τετάρτη φθίνοντος.		18
28	B	τρίτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Boreas frigidus flat. *Ptol.*	19
29	C	δευτέρα φθίνοντος.		20
30	D	πρώτη φθίνοντος, ἢ τριακάς.		21

Digitized by Google

EPHEMERIS.

VI. XANTHICUS, dierum 31. *Sol in Piſcibus.*

1	E	Νεμηνία.	*Hipparcho*, & *Euctemoni*, Ornithiæ incipiunt flare, frigidi: & tempus eſt ut Hirundo appareat. *Ptol. Aetio*, Malus navis veſperi occidit, & eſt turbatio aëris magna.	22	
2	F	Δευτέρα ἰσαμείνου.	*Philippo*, & *Calippo*, Hirundo apparet; & ventoſus aeris eſt ſtatus. *Cononi*, Boreæ incipiunt flare, frigidi. *Eudoxo*, Pluvia cum Chelidoniis: & per quatuor dies ſpirant Boreæ, Ornithiæ vocati. *Ptol.* Hirundinem apparere tempus eſt: & ſpirant Ornithiæ. *Calippo*, Leo occidit, & Hirundo apparet. Significat.	23	
3	G	τρίτη ἰσαμείνου.	*Hipparcho*, Boreæ frigidi. *Metrodoro*, Hirundo apparet, & ſignificat. *Democrito*, Varii dies, qui Halcyonii appellantur. *Ptol.*	24	
4	A	τετάρτη ἰσαμείνου.	*Doſitheo*, Tempeſtas. *Ptol. Democrito*, Varii ſunt dies, qui Halcyonii appellantur. *Eudoxo*, Arcturus veſperi oritur, & exiſtit pluvia, [& Hirundo apparet:] & per ſequentes dies 30. Boreæ ſpirant, & maximè illi, qui Proornithiæ vocantur. *Aetio*, Arcturus veſperi oritur.	25	
5	B	πέμπτη ἰσαμείνου.	*Aetio*, Hirundines volant, & apparent.	26	
6	C	ἕκτη ἰσαμείνου.		27	
7	D	ἑβδόμη ἰσαμείνου.	* *In anno intercalari.*	28	
8	E	ὀγδόη ἰσαμείνου.	*Hipparcho*, Boreas vel Auſter frigidus flat. *Ptol.* Mar. 1	* 29	
9	F	ἐνάτη ἰσαμείνου.	*Hipparcho*, Boreas frigidus flat. *Ptol.*	1 Mar. 1	
10	G	δεκάτη.		3	2
11	A	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ	*Euctemoni*, Boreas frigidus flat. *Ptol.*	4	3
12	B	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Arcturus veſperi oritur, & Vindemiator ſit apparens: flat frigidus Boreas.	5	4
13	C	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.		6	5
14	D	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Democrito*, venti frigidi: Ornithiæ per dies novem. (*Ptol.*) *Democrito*, frigidi flant venti, qui Ornithiæ vocantur, per dies maximè novem. *Euctemoni*, Equus manè occidit: & frigidus flat Boreas.	7	6
15	E	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	Aquilonius Piſcis exoritur. *Plin. Eudoxo*, Hirundo & milvus apparent: & ſignificat. *Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Philippo*. Boreas frigidus flat. *Hipparcho*, Veris initium. *Ptol.*	8	7
16	F	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.	In *Attica*, Milvus apparere obſervatur. *Plin. Metrodoro*, & *Euctemoni*, Boreas flat. *Doſitheo*, Milvus apparere incipit. *Hipparcho*, Auſter multus. *Ptol.*	9	8
17	G	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Boreas frigidus flat. *Ptol. Eudoxo*, Tempeſtas exiſtit; & Milvus apparet. *Calippo*, Auſtralis Piſcis exoritur; deſinit Boreas.	10	9
18	A	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.		11	10
19	B	ἐνάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Boreas moderatus flat. *Ptol.*	12	11
20	C	Εἰκάς.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Ornithiæ incipiunt flare, & tempus eſt ut Milvus appareat. *Ptol.*	13	12
21	D	ἐνδεκάτῃ φθίνοντος.	*Euctemoni*, Boreas ſpirat. *Doſitheo*, Ornithiæ ſpirare incipiunt. *Hipparcho*, Boreas vel Caurus. *Ptol. Eudoxo*, Corona veſperi oritur: Ornithiæ ſpirare incipiunt.	14	13
22	E	δωδεκάτῃ φθίνοντος.	*Euctemoni*, Boreas frigidus flat. *Ptol. Euctemoni*, Milvus apparet: Ornithiæ ſpirant uſque ad æquinoctium.	15	14
23	F	τρισκαιδεκάτῃ φθίνοντος.		16	15
24	G	τετράδι φθίνοντος.	*Calippo*, Boreas flat, & Milvus apparet. *Ptol.*	17	16
25	A	πέμπτῃ φθίνοντος.	*Democrito*, Tempeſtas, ventus frigidus. *Ptol.*	18	17
26	B	ἕκτῃ φθίνοντος.	*Hipparcho*, Boreas flat. *Ptol. Aetio*, Equus manè oritur.	19	18
27	C	πρὸ ἑβδόμης φθίνοντος		20	19
28	D	τετάρτῃ φθίνοντος.	*Eudoxo*, Milvus apparet; & Boreas flat. *Ptolem.*	21	20
29	E	τρίτῃ φθίνοντος.	*Euctemoni*, Scorpii primæ ſtellæ occidunt: flat frigidus Boreas.	22	21
30	F	δευτέρᾳ φθίνοντος	*Hipparcho*, Pluvia. *Ptol. Calippo*, Piſcium Borealis oriri deſinit: Milvus apparet, Boreas flat. *Aetio*, Æquinoctium vernum eſt, & maxima aëris turbatio.	23	22
31	G	πρώτῃ φθίνοντος.	*Philippo*, & *Calippo*, & *Euctemoni*, Pluvia vel lenis imber. *Hipparcho*, Significatio. *Ptol. Calippo*, Vinculum Piſcium oritur: fit Æquinoctium vernum, & pluvia minutula; magna fit tempeſtas, ſignificat.	24	23

EPHEMERIS.

VII. ARTEMISIUS, dierum 31. *Sol in Ariete.*

1	A	Νυμηνία.	*Cononi*, & *Metoni*, Æquinoctium. *Eudoxo*, Boreas flat. *Ptol.*	25	24
2	B	Δευτέρα ἰσημέρια.	*Calippo*, Pluvia vel nix. *Ptol.* *Calippo*, Aries incipit oriri: exiſtit pluvia aut nix.	26	25
3	C	τρίτη ἰσημέρια.	*Metoni*, & *Calippo*, & *Eudoxo*. Pluvia. *Euctemoni*, & *Democrito*, Significat. *Ptol.*	27	26
4	D	τετάρτη ἰσημέρια.	*Doſitheo*, & *Metoni*. Pluvia. *Ptol.*	28	27
5	E	πέμπτη ἰσημέρια.	*Eudoxo*, Æquinoctium: fit pluvia.	29	28
6	F	ἕκτη ἰσημέρια.	*Cononi*, Significat. *Eudoxo*, fit pluvia. *Ptol.*	30	29
7	G	ἑβδόμη ἰσημέρια.		31	30
8	A	ὀγδόη ἰσημέρια.	*Aëtio*, Pleiades incunte nocte apparent.	Apr. 1	31
9	B	ἐνάτη ἰσημέρια.	*Euctemoni*, Pleiades veſperi occultantur.	2	Apr. 1
10	C	Δεκάτη.	Pleiades in *Atticâ* veſperi occultantur. *Plin.*	3	2
11	D	ἑνδεκάτη ἰσημέρια.	Pleiades in *Beotiâ* veſperi occultantur. *Plin.*	4	3
12	E	δευτέρα ἰσημέρια δεκάτη.	Pleiades *Chaldæis*, veſperi occultantur. *Plin. Hipparcho*, Auſter & ventorum turbines. *Ptol. Eudoxo*, Pleiades veſperi occidunt, & Orion incipit occidere. A veſpertino occaſu Orionis pluvia exiſtit. *Democrito*, Pleiades occultantur ſimul cum ſole aſcendente, & inviſibiles fiunt per noctes 40.	5	4
13	F	τρίτη ἰσημέρια δεκάτη.	*Hipparcho*, & *Doſitheo*, Significat. *Ptol.*	6	5
14	G	τετάρτη ἰσημέρια δεκάτη.		7	6
15	A	πέμπτη ἰσημέρια δεκάτη.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.*	8	7
16	B	ἕκτη ἰσημέρια δεκάτη.		9	8
17	C	ἑβδόμη ἰσημέρια δεκάτη.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Ventorum intemperies. *Ptol.*	10	9
18	D	ὀγδόη ἰσημέρια δεκάτη.	*Eudoxo*, Zephyrus & cum leni imbre intemperies. *Ptol.*	11	10
19	E	ἐνάτη ἰσημέρια δεκάτη.		12	11
20	F	Ἑκάδες.	*Doſitheo*, Pluvia. *Ptol.* *Eudoxo*, Hyades veſperi occidunt.	13	12
21	G	ἐπιτολὴ Ἡνιόχου		14	13
22	A	δωδεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, & *Euctemoni*, Pluvia & grando. *Ptol.* *Euctemoni*, Hyades occultantur: & grando pòſt exiſtit; & flat Zephyrus. *Calippo*, Libra incipit occidere: copioſa exiſtit & grando.	15	14
23	B	ἐνάτη φθίνοντος.	Hyades *Atticæ* occidunt veſperi. *Plin. Metrodoro*, & *Calippo*, Grando. *Euctemoni*, & *Philippo*, Zephyrus. *Ptol.*	16	15
24	C	ὀγδόη φθίνοντος.	*Cononi*, Grando vel Zephyrus. *Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.*	17	16
25	D	ἑβδόμη φθίνοντος.		18	17
26	E	ἕκτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Lyra veſperi oritur. *Aëtio*, Pleiades veſperi occultantur.	19	18
27	F	πέμπτη φθίνοντος.	*Aſſyriis*, Hyades occidunt veſperi. *Plin.*	20	19
28	G	τετάρτη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Auſter & Aparctias frigidus. *Ptol.* *Aëtio*, Pleiades cum ortu Solis oriuntur: & eſt maxima circa aërem turbatio	21	20
29	A	τρίτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol.*	22	21
30	B	δευτέρα φθίνοντος		23	22
31	C	πρώτη φθίνοντος.	*Metrodoro*, & *Calippo*, quandoque grando. *Democrito*, Significat. *Ptol.* *Eudoxo*, Orion veſperi occidit: fit pluvia. *Calippo*, Aries deſinit oriri: fit pluvia, plurimùm autem & grando.	24	23

EPHEMERIS.

VIII. DÆSIUS, dierum 30. *Sol in Tauro.*

1	D	Νεμεσεύσι.	*Eudoxo*, Stillans imber. *Ptol. Euclemoni*, Canis occultatur; & grando exiſtit. Lyra oritur. *Eudoxo*, Canis veſperi occidit; & fit pluvia. *Calippo*, Tauri cauda oritur: exiſtit humiditas.	23	24
2	E	Δυτέρα ἰσαμέρου.	*Boetio*, & *Attica*, Canis veſperi occultatur: & Fidicula manè oritur. *Plin.* *Euclemoni*, & *Philippo*, Pluvia vel grando. *Ptol.*	26	25
3	F	τρίτη ἰσαμέρου.	*Metrodoro*, & *Calippo*, Humiditas. *Ptol.* *Aëtio*, Orion veſperi occultatur.	27	26
4	G	τετάρτη ἰσαμέρου.	*Eudoxo*, Pluvia. *Ptol. Aſſyriis*, Orion totus abſconditur. *Plin.*	28	27
5	A	πέμπτη ἰσαμέρου.	*Aſſyriis*, Canis abſconditur. *Plin.*	29	28
6	B	ἕκτη ἰσαμέρου.	*Euclemoni*, & *Philippo*, Ventorum tranquillitas, lenis imber. *Ptol.* *Eudoxo*, Pluvia exiſtit.	30	29
7	C	ἑβδόμη ἰσαμέρου.	*Euclemoni*, Capra manè oritur. Mai. *Aëtio*, Hyades cum Solis ortu oriuntur.	1	30
8	D	ὀγδόη ἰσαμέρου.	*Eudoxo*, Capra manè oritur.	2	Mai.
9	E	ἐνάτη ἰσαμέρου.		3	2
10	F	δεκάτη.	*Eudoxo*, Scorpius manè occidere incipit: & pluvia exiſtit. *Aëtio*, Lyra veſperi oritur, & aër multùm alteratur.	4	3
11	G	πρώτη ὑπὸ δεκάτην.	*Doſitheo*, Pluvia. *Ptol.*	5	4
12	A	δευτέρα ὑπὸ δεκάτην.	*Euclemoni*, Pleias oritur: Æſtatis eſt initium, & ſignificat. *Calippo*, Tauri caput oritur: ſignificat. *Aëtio*, Capra manè oritur, & valdè alteratur aër.	6	5
13	B	τρίτη ὑπὸ δεκάτην	*Aëtio*, Pleiades manè apparent, & aër ſedari incipit.	7	6
14	C	τετάρτη ὑπὸ δεκάτην.	*Eudoxo*, & *Doſitheo*, Pluvia. *Ptol.*	8	7
15	D	πέμπτη ὑπὸ δεκάτην.		9	8
16	E	ἕκτη ὑπὸ δεκάτην.	*Euclemoni*, & *Philippo*, Significat. *Ptol.*	10	9
17	F	ἑβδόμη ὑπὸ δεκάτην.	*Doſitheo*, Significat. *Ptol.*	11	10
18	G	ὀγδόη ὑπὸ δεκάτην.	*Metrodoro*, & *Eudoxo*, & *Hipparcho*, Significat: & Æſtatis eſt initium. *Ptol.*	12	11
19	A	ἐνάτη ὑπὸ δεκάτην		13	12
20	B	Ἔκλειψις.	*Eudoxo*, Scorpius totus manè occidit.	14	13
21	C	δεκάτη φθίνοντος.	*Eudoxo* & *Cononi*, Pluvia. *Ptol.* *Eudoxo*, Pleiades oriuntur: & ſignificant.	15	14
22	D	ἐνάτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, & *Calippo*, Significatio. *Ptol.*	16	15
23	E	ὀγδόη φθίνοντος.	*Aëtio*, hoc vel ſequenti die, aer valdè alteratur.	17	16
24	F	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Euclemoni*, Aquila veſperi occidit.	18	17
25	G	ἕκτη φθίνοντος.	*Eudoxo*, Pluvia. *Hipparcho*, Auſter vel Aparctias. *Ptol.* *Aëtio*, Hyades manè apparent.	19	18
26	A	πέμπτη φθίνοντος.		20	19
27	B	τετάρτη φθίνοντος.	Canis in *Atticâ*, veſperi occidit. *Plin. Doſitheo*, Auſter. *Ptol.*	21	20
28	C	τρίτη φθίνοντος.	*Aëtio*, aër movetur.	22	21
29	D	δευτέρα φθίνοντος.		23	22
30	E	πρώτη φθίνοντος, ἡ τριακάς.	*Euclemoni*, & *Philippo*, Significatio. *Ptol.* *Euclemoni*, Aquila veſperi oritur. *Aëtio*, Capra veſperi occultatur.	24	23

Digitized by Google

EPHEMERIS.

IX. PANEMUS, dierum 31. *Sol in Geminis.*

1	F	Νουμηνία.	*Euctemoni*, & *Philippo*, & *Hipparcho*, Significatio. *Ptol.* *Euctemoni*, Arcturus manè occidit; Hyades oriuntur: Significat. *Calippo*, Taurus desinit oriri.	25	24
2	G	δευτέρα ἰσαμέρου.	*Calippo* & *Euctemoni*, Significat. *Ptol.*	26	25
3	A	τρίτη ἰσαμέρου.	*Metrodoro*, & *Calippo*, Humiditas. *Ptol.* *Calippo*, Gemini incipiunt oriri: existit humiditas.	27	26
4	B	τετάρτη ἰσαμέρου.	*Democrito*, Pluvia. *Ptol.*	28	27
5	C	πέμπτη ἰσαμέρου.	*Hipparcho*, Auster vel Zephyrus. *Ptol.*	29	28
6	D	ἕκτη ἰσαμέρου.	*Eudoxo*, Hyades manè oriuntur.	30	29
7	E	ἑβδόμη ἰσαμέρου.		31	30
8	F	ὀγδόη ἰσαμέρου.	*Eudoxo*, & *Dositheo*, Humiditas. *Ptol.* Jun. *Eudoxo*, Aquila vesperi oritur.	1	31
9	G	ἐνάτη ἰσαμέρου.	*Aëtio*, Aquila vesperi oritur.	2	Jun. 1
10	A	δεκάτη.	*Assyriis*, Aquila vesperi oritur. *Plin.* *Democrito*, Aqua existit. *Ptol.*	3	2
11	B	πρώτη ἀπὸ δεκάτης.	*Democrito*, Aqua exiitit.	4	3
12	C	δευτέρα ἀπὸ δεκάτης.		5	4
13	D	τρίτη ἀπὸ δεκάτης	*Aëtio*, Arcturus manè occidit.	6	5
14	E	τετάρτη ἀπὸ δεκάτης.	*Eudoxo*, Arcturus manè occidit.	7	6
15	F	πέμπτη ἀπὸ δεκάτης.		8	7
16	G	ἕκτη ἀπὸ δεκάτης.	*Aëtio*, Delphinus vesperi oritur.	9	8
17	A	ἑβδόμη ἀπὸ δεκάτης.		10	9
18	B	ὀγδόη ἀπὸ δεκάτης		11	10
19	C	ἐνάτη ἀπὸ δεκάτης	*Eudoxo*, Delphinus vesperi oritur.	12	11
20	D	Εἰκάς.		13	12
21	E	ὁρᾶται φθίνοντος.		14	13
22	F	δεκάτη φθίνοντος.		15	14
23	G	ἐνάτη φθίνοντος.		16	15
24	A	ὀγδόη φθίνοντος.	*Dositheo*, Significatio. *Ptol.*	17	16
25	B	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Euctemoni*, Orionis humerus oritur. *Eudoxo*, Orion incipit oriri.	18	17
26	C	ἕκτη φθίνοντος.		19	18
27	D	πέμπτη φθίνοντος.		20	19
28	E	τετάρτη φθίνοντος.		21	20
29	F	τρίτη φθίνοντος.	*Democrito*, Significat. *Ptol.* *Aëtio*, aër valdè alteratur.	22	21
30	G	δευτέρα φθίνοντος.	*Hipparcho*, Zephyrus vel Auster flat. *Ptol.* *Democrito*, Orion incipit oriri: & significare solet.	23	22
31	A	πρώτη φθίνοντος.		24	23

X.

Digitized by Google

EPHEMERIS.

XANTHICUS, dierum 30. *Sol in Cancro.*

1	B	Νουμηνία.	*Aetio*, Orion manè oriri incipit: Solſtitium æſtivum eſt.	25	24
2	C	Δευτέρα ἱσταμένου.		26	25
3	D	τρίτη ἱσταμένου.	*Democrito*, Zephyrus flat. *Ptol. Calippo*, Cancer incipit oriri: Solſtitium æſtivum; & ſignificat.	27	26
4	E	τετάρτη ἱσταμένου.	*Calippo*, & *Doſitheo*, ſignificat. *Democrito*, Auſter, & pluvia: deinde Boreæ Prodromi per dies ſeptem. *Ptol*	28	27
5	F	πέμπτη ἱσταμένου.	*Eudoxo*, Significat. *Ptol.*	29	28
6	G	ἕκτη ἱσταμένου.		30	29
7	A	Ἑβδόμη ἱσταμένου.	Jul.	1	30
8	B	ὀγδόη ἱσταμένου.		2	Jul. 1
9	C	ἐνάτη ἱσταμένου.	*Aetio*, Orion totus oritur.	3	2
10	D	δεκάτη.	*Aſſyriis*, Zona Orionis exoritur. *Plin.*	4	3
11	E	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ	*Chaldæis*, Corona occidit maturino. *Attico*, Orion totus exoritur. *Plin. Metrodoro*, Caurus. *Calippo*, Auſter. *Hipparcho*, Auſter vel Zephyrus. *Ptol. Eudoxo*, flat Auſter.	5	4
12	F	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.		6	5
13	G	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Orion manè oritur. *Euctemoni*, Orion totus oritur.	7	6
14	A	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metonis*, Humiditas. *Ptol.*	8	7
15	B	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, & *Philippo*, Humiditas: & Prodromorum initium. *Ptolem.*	9	8
16	C	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.		10	9
17	D	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.		11	10
18	E	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Metrodoro*, Zephyrus vel Caurus. *Ptol.* *Doſitheo*, Corona manè incipit occidere.	12	11
19	F	ἐνάτη ἐπὶ δεκάτῃ	*Hipparcho*, Ventorum intemperies. *Ptol.*	13	12
20	G	ἔνατος.	*Hipparcho*, Boreas ſpirare incipit. *Ptol.* *Aetio*, Procyon manè oritur.	14	13
21	A	δεκάτη φθίνοντος.		15	14
22	B	ἐνάτη φθίνοντος.	*Democrito*, Aqua, Procellæ. *Ptol.*	16	15
23	C	ὀγδόη φθίνοντος.	*Aſſyriis*, Procyon exoritur. *Plin. Doſitheo*, Humiditas & æſtus. *Ptol.* *Aetio*, maxima aëris turbatio.	17	16
24	D	ἑβδόμη φθίνοντος.	*Hipparcho*, Eteſiæ flare incipiunt. *Ptol.*	18	17
25	E	ἕκτη φθίνοντος.	*Doſitheo*, in Ægypto Canis apparet. *Aetio*, Canis manè oritur: & contingit maxima aëris turbatio.	19	18
26	F	πέμπτη φθίνοντος		20	19
27	G	τετάρτη φθίνοντος.	*Metrodoro*, & *Euctemoni*, & *Philippo*, Eteſiæ ſpirant: & Oporæ initium. *Ptol. Metoni*, Canis oritur manè.	21	20
28	A	τρίτη φθίνοντος.	*Philippo*, Aëris intemperies: Prodromi ſpirant. *Ptol.* *Aetio*, Aër movetur.	22	21
29	B	δευτέρα φθίνοντος.	*Attico*, Aquila matutino occidit. *Plin.* *Metrodoro*, & *Calippo*, Ventoſus aëris ſtatus. *Euctemoni*, Tempeſtas in mari. *Ptol.* *Euctemoni*, Canis oritur. *Eudoxo*, Canis manè oritur: & per dies ſequentes 55. Eteſiæ ſpirant; è quibus diebus primi quinque vocantur Prodromi. *Calippo*, Cancer oriri deſinit; ſtatuoſus.	23	22
30	C	πρώτη φθίνοντος, ἡ σεληναία.	*Eudoxo*, Eteſiæ ſpirant. *Metrodoro*, & *Calippo*, Ventoſus aëris ſtatus. *Ptol.* *Euctemoni*, Aquila manè occidit: tempeſtas per mare excitatur.	24	23

XI.

Digitized by Google

EPHEMERIS.

XI. GORPIÆUS, dierum 31. *Sol in Leone.*

1	D	Νεμεωνὶς.	*Eudoxo*, Auſter. *Ptol. Aëtio*, Aquila manè occidit.	25	24
2	E	Αὐτίρα ἐπαμέτρ.	*Metrodoro*, & *Calippo*, Lucida Piſcis auſtralis ſtella manè occidit. *Cononi*, & *Democrito*, & *Hipparcho*, Auſter & æſtus. *Ptol.* *Calippo*, Leo incipit oriri: Auſter ſpirat, & Canis oriens ſit conſpicuus.	26	25
3	F	τρίτη ἐπαμέτρ.	*Euctemoni*, & *Doſitheo*, Humiditas & æſtus. *Ptol.* *Eudoxo*, Auſter ſpirat.	27	26
4	G	τετάρτη ἐπαμέτρ.	*Euctemoni*, Canis eſt conſpicuus; pòſt fit æſtus: Significat.	28	27
5	A	πέμπτη ἐπαμέτρ.	*Eudoxo*, Humiditas & Oporæ principium. *Doſitheo*, Eteſiæ incipiunt. *Ptol.*	29	28
6	B	ἕκτη ἐπαμέτρ.	*Eudoxo*, Eteſiæ ſpirant. *Ptol.*	30	29
7	C	ἑβδόμη ἐπαμέτρ.		31	30
8	D	ὀγδόη ἐπαμέτρ.	*Hipparcho*, Æſtus. *Ptol. Eudoxo*, Aquila manè occidit. Aug.	1	31
9	E	ἐνάτη ἐπαμέτρ.		2	Aug. 1
10	F	Δεκάτη.	*Eudoxo*, & *Doſitheo*, Humiditas, & lucida Aquilæ ſtella manè occidit. *Ptol.*	3	2
11	G	πρώτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Æſtus magnus. *Ptol.*	4	3
12	A	δευτέρα ἐπὶ δεκάτῃ.	*Doſitheo*, Æſtus; & poſteà Eteſiæ. *Ptol.*	5	4
13	B	τρίτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Corona occidit.	6	5
14	C	τετάρτη ἐπὶ δεκάτῃ.		7	6
15	D	πέμπτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Calippo*, Leo medius oriens æſtus maximè efficit.	8	7
16	E	ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ.		9	8
17	F	ἑβδόμη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Euctemoni*, Æſtus maximè fiunt.	10	9
18	G	ὀγδόη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Eudoxo*, Ventus maximus. *Hipparcho*, Ventorum perturbatio. *Ptol.*	11	10
19	A	ἐνάτη ἐπὶ δεκάτῃ.	*Attica*, Equus oritur veſperi. *Plin. Eudoxo*, Significat.	12	11
20	B	Εἰκάς.	*Euctemoni*, Lyra occidit, & pluit, & Eteſiæ ceſſant: & Equus oritur.	13	12
21	C	ἑνδεκάτῃ φθινοπ.	*Eudoxo*, Delphinus manè occidit. *Doſitheo*, Vindemiator veſperi oritur.	14	13
22	D	δευτέρᾳ φθίνοντ.	*Aëtio*, Lyra manè occidit.	15	14
23	E	τρίτῃ φθίνοντ.		16	15
24	F	τετάρτῃ φθίνοντ.	*Eudoxo*, Significat. *Ptol.*	17	16
25	G	πέμπτῃ φθίνοντ.	*Eudoxo*, Lyra manè occidit; Significat.	18	17
26	A	ἕκτῃ φθίνοντ.	*Democrito*, Significat aquis & ventis. *Ptol.* *Aëtio*, Delphinus manè occidit; & eſt mutatio æſtatis ad frigiditatẽ.	19	18
27	B	ἑβδόμῃ φθίνοντ.		20	19
28	C	ὀγδόῃ φθίνοντ.	*Aſſyriis*, Vindemiator exoriri manè incipit. *Plin.*	21	20
29	D	ἐνάτῃ φθίνοντ.	*Eudoxo*, Tonare ſolet. *Ptol.*	22	21
30	E	Αὐτίρᾳ φθίνοντ.		23	22
31	F	πρώτῃ φθίνοντ.	*Eudoxo*, & *Metrodoro*, Significat. *Ptol.*	24	23

Digitized by Google

EPHEMERIS.

XII. HYPERBERETÆUS, dierum 30. *Sol in Virgine.*

1	G	Νεμηλία.	*Eudoxo*, Significat. *Hipparcho*, Auster, & Etesiæ ceſſant. *Ptol.* *Eudoxo*, Significat. *Calippo*, Virgo oritur: ſignificat.	25	24
2	A	Δωτίρα ἰσημέρι.	*Hipparcho*, Ventorum convolutio. *Ptol.*	26	25
3	B	τρίτη ἰσημέρι.	*Calippo*, Significat. *Ptol.*	27	26
4	C	τετάρτη ἰσημέρι.	*Aſſyrius*, Sagitta occidit, & Etesiæ deſinunt. *Plin.* *Aetio*, Vindemiator manè oritur, & malus navis occidit; & eſt finis dierum 40. poſt exortum Canis.	28	27
5	D	πέμπτη ἰσημέρι.	*Hipparcho*, Etesiæ ceſſant. *Eudoxo*, Pluvia, tonitrua. Etesiæ ceſſant. *Ptol.*	29	28
6	E	ἕκτη ἰσημέρι.	*Hipparcho*, Significat. *Ptol.*	30	29
7	F	ἑβδόμη ἰσημέρι.	*Eudoxo*, Venti inconſtantes. *Hipparcho*, Subſolanus flat. *Ptol.*	31	30
8	G	ὀγδόη ἰσημέρι.	*Calippo*, Tempeſtas eſt; & Etesiæ ceſſant. *Ptol.* *Eudoxo*, Ventus ſpirat magnus, & tonat. *Calippo*, Humeri Virginis oriuntur & Etesiæ deſinunt.	1 Sept.	31
9	A	ἐνάτη ἰσημέρι.	*Metrodoro*, Aëris intemperies. *Cononi*, Etesiæ deſinunt. *Ptol.*	2	Sept. 1
10	B	δεκάτη.	*Eudoxo*, Ventus, tonitru, aëris intemperies. *Hipparcho*, Ventus, humiditas. *Ptol.*	3	2
11	C	πρώτη ὑπὸ δυσμάς.	*Metrodoro*, Aëris intemperies. *Calippo*, *Euctemoni*, *Philippo*, Aëris intemperies, & varia permixtio. *Eudoxo*, Pluvia, tonitru, ventus inconſtans. *Ptol.*	4	3
12	D	δευτέρα ὑπὸ δυσμάς.	*Attica*, Arcturus matutino exoritur, & Sagitta occidit mane. *Plin.*	5	4
13	E	τρίτη ὑπὸ δυσμάς.	*Euctemoni*, Vindemiator apparet; oritur & Arcturus, & Sagitta occidit manè: tempeſtas ſit per mare. *Eudoxo*, Pluvia, tonitrua, ventus magnus ſpirat.	6	5
14	F	τετάρτη ὑπὸ δυσμάς.	*Philippo*, Aëris intemperies. *Doſitheo*, tempeſtas eſt. *Ptol.* *Aetio*, Capra veſperi oritur.	7	6
15	G	πέμπτη ὑπὸ δυσμάς.		8	7
16	A	ἕκτη ὑπὸ δυσμάς.		9	8
17	B	ἑβδόμη ὑπὸ δυσμάς.	*Doſitheo*, Aëris intemperies. *Ptol.*	10	9
18	C	ὀγδόη ὑπὸ δυσμάς.		11	10
19	D	ἐνάτη ὑπὸ δυσμάς.	*Eudoxo*, Venti auſtrales. *Ptol.*	12	11
20	E	Εἴκας.	*Calippo* & *Cononi*, Significat. *Ptol.* *Calippo*, Virgo media oriens ſignificat: & Arcturus oriens eſt conſpicuus.	13	12
21	F	δεκάτη φθινοντος.	*Eudoxo*, Boreæ ceſſant. *Metrodoro*, Significat. *Democrito*, Significat: & Hirundo non apparet. *Ptol.*	14	13
22	G	ἑνδεκάτη φθινοντος.	*Doſitheo*, Humiditas. *Euctemoni*, Autumni initium. *Ptol.* *Eudoxo*, Arcturus manè oritur; & per ſequentes dies 7 ſpirant venti. Serenitas eſt plerunq; Ceſſante hoc tempore, ventus ab aurorâ exiſtit.	15	14
23	A	δωδεκάτη φθινοντος.	*Hipparcho*, Aëris intemperies, & pluvia per mare; & Autumni initium. *Ptol.* *Euctemoni*, Arcturus conſpicuus; Autumni initium, & Capra oritur, ſtella magna in Aurigâ; & deinde ſignificat. Tempeſtas per mare.	16	15
24	B	τρισκαιδεκάτη φθινοντος.	*Metrodoro*, Pluvia per mare, & aëris intemperies. *Ptol.* *Aetio*, Arcturus oritur. Aër alteratur.	17	16
25	C	τετάρτη φθινοντος.	*Eudoxo*, Autumni principium. *Ptol.*	18	17
26	D	πέμπτη φθινοντος.	*Eudoxo*, Humiditas. *Ptol.* *Aſſyrius*, [Etesiæ deſinunt:] ſignificant. *Plin.* *Aetio*, Spica manè oritur.	19	18
27	E	ἕκτη φθινοντος.	*Calippo*, & *Metrodoro*, Pluvia. *Ptol.* *Calippo*, Spica Virginis oritur. pluit.	20	19
28	F	τρίτη φθινοντος.		21	20
29	G	δευτέρα φθινοντος.	*Aetio*, Aëris maxima turbatio.	22	21
30	A	πρώτη φθινοντος, ἡ τριακάς.	*Eudoxo*, Pluvia. *Hipparcho*, Zephyrus vel auſter. *Ptol.*	23	22

[31. *In anno Intercalari: cui hic addenda*, ὑστέρα φθινοντος.]

FINIS.

JACOBI

JACOBI USSERII
ARMACHANI,
DE
ROMANÆ ECCLESIÆ
SYMBOLO APOSTOLICO VETERE,

Aliíſque FIDEI formulis, tum ab Occidentalibus tum ab Orientalibus, in primâ Catecheſi & Baptiſmo proponi ſolitis,

DIATRIBA.

Accedunt,

I. Athanaſii Symbolum, à Græcis interpolatum.
II. Symbolum aliud, eidem etiam à quibuſdam tributum.
III. Hymnus Matutinus & Veſpertinus veteris Eccleſiæ.
IV. Hildeberti Cenomanenſis de Confeſſione Trinitatis Hymnus, & Oratio ad Dominum.

JO. CASSIANUS.
SYMBOLUM Eccleſiarum omnium fidem loquitur.

JUXTA EXEMPLAR OXONIENSE.

Digitized by Google

JACOBUS USSERIUS
ARMACHANUS,

Viro Clariſſimo

GERARDO JOHANNI VOSSIO

SALUTEM.

QUOD *in poſteriore Pelagianæ Hiſtoriæ parte, idem etiam in veterum* Symbolorum *conſideratione, utrique noſtrûm accidiſſe video: ut alter alterius inſcius conſilii, de eodem cogitaret argumento. Meam de Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ Symbolis ſententiam, in diſputatione de Limbo Patrum & deſcenſu Chriſti ad inferos, quum primò leviter tetigiſſem; in Concione poſteà de Eccleſiâ & Fide Catholicâ coram Sereniſſimo Rege* Jacobo *habita, paulò plenius declaravi. Annis deinde poſt concionem illam editam quatuordecim prodiit diligentiſſima illa tua de tribus Symbolis Diſſertatio: de quâ ut ſententiam meam rectiùs poſſes percipere; non ſolùm quæ in ſcriptis illis linguâ vernaculâ priùs evulgaveram, ſed etiam quæ hâc de re cogitanti poſteà ſuccurrebant, in brevem hanc Diatribam viſum fuit conjicere, tuóque arbitrio committere.*

Ad ea verò quæ de Athanaſiano *Symbolo eruditè (ut ſoles) commentatus es; nihil quod adjiciam habeo; niſi quod in* Thecaræ *Conſtantinopolitani Monachi Græcorum Hymnorum Horologio (à Rivio noſtro ex Oriente huc advecto) Symbolum hoc, eo quo poſt finem hujus Diatribæ cernitur interpolatum modo,* Nicænæ *Synodo adſcriptum; & in Hymnorum, partim Latino partim Hibernico ſermone ſcriptorum, codice vetuſtiſſimo altero; notatum reperi, trium Epiſcoporum operâ in eadem* Nicænâ *Synodo illud fuiſſe compoſitum,* Euſebii, & Dionyſii, & nomen tertii (*ſic enim ibi legitur*) neſcimus. *Quod qui ſcripſerunt, authorem* Athanaſium *fuiſſe habitum neſciviſſe certum eſt; utrum verò* Euſebii *nomine Vercellenſem illum intellexerint, à quo conditum fuiſſe hoc Symbolum nonnulli exiſtimant, non ita perſpicuum. Sicut nec ab* Auguſtino *lectum illud fuiſſe conſimiles loquendi ab eo uſurpatæ formulæ magis evincunt; quàm authori epiſtolæ quæ Ignatio tribuitur ad Philippenſes notum fuiſſe, συνέπτωσις iſta arguit.* Οὔτε οὖν τρεῖς πατέρες, ὅτι τρεῖς υἱοὶ, ὅτι τρεῖς παράκλητοι· ἀλλ' εἷς πατὴρ, καὶ εἷς υἱὸς, καὶ εἷς παράκλητος. Non itaque tres patres, neque tres filii, neque tres paracleti: ſed unus Pater, & unus Filius & unus Paracletus.

In eâdem Hymnorum Collectione, Nicetam *Deum laudaviſſe legimus, dicentem:*

Laudate pueri dominum, laudate nomen Domini. *TE DEVM* laudamus, te Dominum confitemur,

& quæ ſequuntur in Hymno illo decantatiſſimo, qui B. Ambroſio *vulgò tribuitur: iſtâ præterea adjectâ Appendice.*

Te Patrem adoramus æternum, Te ſempiternum Filium invocamus, Teque Spiritum ſanctum in unâ divinitatis ſubſtantiâ manentem confitemur. Tibi uni Deo in Trinitate debitas laudes & gratias referimus: ut te inceſſabili voce laudare mereamur per æterna ſecula ſeculorum. Amen.

In Latino-Gallico quoque Pſalterio, circa tempora Henrici I. exarato, inſcribitur iſte Hymnus Sancti Niceti (*Hibernicæ noſtræ traditioni ſatis conſentaneè:*) *ſive Trevirenſis hic intelligendus fuerit* Nicetius *ſive Lugdunenſis, ſive quis alius. Ante S. Benedictum certè & Teridium Cæſarii Arelatenſis epiſcopi diſcipulum, qui de hoc hymno in ſuis Regulis locuti ſunt, nullum veterum illius mentionem feciſſe; in notis ſuis ad ritum in unctione Regum Francorum olim obſervatum, Hugo Menardus indicat.*

Latino-Gallicum illud Pſalterium in Bibliothecâ Cottonianâ vidimus: ſicut & alia Latina duo, longè majoris antiquitatis; in quibus, præter Hymnum hunc (ſine ullo authoris nomine, Hymni ad matutinas *titulo inſcriptum) & Athanaſianum habebatur Symbolum, & Apoſtolicum, totidem omninò quot hodiernum noſtrum continens capitula. In priore, quod Gregorii I. tempore non fuiſſe recentius tum ex antiquo picturæ genere colligitur, tum ex literarum formâ* * *grandiuſculâ, Athanaſianum* quidem *Fidei Catholicæ* (*uti etiam in Pſalterio Ludovici IX. Sancti dicti, quod in Regis noſtri Bibliothecâ extat Iacobæâ*) *alterum verò* Symboli Apoſtolorum *præfert titulum. In poſteriore, quod Regis Æthelſtani aliquando fuit, Apoſtolicum vice versâ* Symbolum *ſimpliciter, alterum autem* Fides ſancti Athanaſii Alexandrini *nuncupatur. Quod idcirco monendum eſſe duxi: ne Athanaſianum hoc Symbolum Pipini vel Caroli M. temporibus conditum; aut à Gregorii IX. apocriſariis Athanaſii nomine primum fuiſſe prolatum, facilè perſuaderi tibi patiaris. De quo etiam Iſidori Hiſpalenſis* * *epiſtolam ad Claudium Ducem conſulas licet: ubi & controverſiæ de Spiritus Sancti à Filio proceſſione, inter Latinos & Græcos tunc agitatæ, mentionem factam invenies. Nam Caroli Calvi temporibus* Athanaſio *hanc fidei formulam fuiſſe adſcriptam, tum ex ineditis, Rathramni Corbeienſis monachi contra Græcos libro 2°. & Æneæ Pariſienſis epiſcopi contra eoſdem* lib. 1. cap. 19. *manifeſtum eſt; tum ex Hincmari Remenſis archiepiſcopi Capitulis, presbyteris parochiæ ſuæ anno* DCCCLII. *datis:* * *in quorum primo præcipitur, ut* ſermonem Athanaſii de fide, cujus initium eſt, *Quicunque vult ſalvus eſſe,* memoriæ quiſque commendet, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enunciare queat.

* *v.* Angeli Rocchæ Bibliothec. Vatican. pag. 407. & Cardin. Caraffæ Præfat. in edit. Græc. LXX. Interpr. Romæ an. 1587. excuſ.

* Oper. *Iſidor.* edit. Colon. *ann.* 1617. p. 487.

* In Appendice tom. 3. Concilior. Galliæ, à Sirmondo edit.

Sed ab inſtituto longiùs digreſſum me ſentio, quàm putaram: quod tamen, ut & interpellationis hujus quantumcunque eſt, non æquo tantùm ſed & libenti animo te laturum, candor ille ſolitus & ſatis perſpecta tua humanitas dubitare me non ſinit.

Scribebam Londini, VI. Id. Februar. anno Chriſtianæ epochæ MDCXLVI. ut nos in Anglia numeramus; ut vos verò in Belgio, XII. Kalend. Mart. Ann. 1647.

DE
ROMANÆ ECCLESIÆ

SYMBOLO APOSTOLICO VETERE, aliisque tum ab Occidentalibus tum ab Orientalibus in primâ Catecheſi & Baptiſmo adhibitis Fidei SYMBOLIS.

LICET apud omnes tum *Orientis* tum *Occidentis* Eccleſias, ut unus *Dominus* & *Baptiſmus*, ita & una *Fides* fuerit: unâ tamen & eâdem verborum formulâ *Fidei Symbolum*, quo in cultûs Domini profeſſione & Baptiſmi ſuſceptione illæ ſunt uſæ, non fuiſſe conceptum, omniúmque *Romanum* fuiſſe breviſſimum in Symboli explicatione *Ruffinus* Aquileienſis presbyter jamdudum nos docuit de additamentis etiam apud Occidentales ad *Romanum* hoc appoſitis, in Proœmio ſuo ſic præfatus. *Illud non imperitiè commonendum puto, quod in diverſis Eccleſiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Eccleſia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum: quod ego propterea eſſe arbitror, quod neque hæreſis ulla illic ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus, eos qui Gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publicè, id eſt; fidelium populo audiente, ſymbolum reddere; & utique adjectionem unius ſaltem ſermonis, eorum qui præceſſerunt in fide non admiſit auditus. In cæteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novella doctrina ſenſus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem ſequimur, quem in Aquileienſi Eccleſiâ per lavacri gratiam ſuſcepimus.* Ephef. IV. 5.

In brevioris verò illius Symboli duo incidi exemplaria: quorum alterum *Græcè*, ad calcem Pſalterii Latini Regis *Æthelſtani*, (quod, obelis & aſteriſcis diſtinctum, *Cottoniana* Bibliotheca nobis conſervavit;) alterum *Latinè*, ad finem Græco-Latini Actorum Apoſtolicorum codicis non unius antiqui (qui majuſculis literis exaratus in publicâ Oxonienſis Academiæ cuſtoditur Bibliothecâ) deſcriptum reperi. Pſalterium illud anno æræ noſtræ Chriſtianæ DCCIII. longè ante Æthelſtani regnantis tempora, ex regulis Kalendario in libri initio ſubjunctis, ſcriptum fuiſſe deprehendi: cui conjunctum cernebatur & Symbolum, Græcè quidem, ſed literis Anglo-ſaxonicis incommodè latis expreſſum: quod, emendationibus Græcis ſimul appoſitis, hùc tabjiciendum curavi.

Pyſteu iy ſen patepa pantocratepion.ce iy cpuſton ihun yon autu ton mono ʒenton quyion imon. ton ʒenegenta ec pneumatuſ agiu ce maria tiy paſſenu. ton epi pontio pilatu ſtauſobenta, taſunta. te tpite imepa anaſtanta ekſhcpon, anaunta iy toſ uranoſ, catimepon in bexia tu patpoſ, oten epchete cpune zontaſ ce meptoſ. ce iy pnuma agion. agiu, afiyin amaption, ſanctoſ anaſtaſ. amin.

Πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα παντοκράτορα. καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸ μονογενῆ ἡμῶν, τὸν γενόμενον ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου· τὸν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου σταυρωθέντα, ταφέντα, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καθήμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, ὅθεν ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα ἅγιον, ἁγίαν ἐκκλησίαν. ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν. [ἀμήν.] Ἀμήν.

Græculus verò alter, non minùs Latini ſermonis imperitus, quàm Anglo-ſaxonicus Græci, Latinum idem Symbolum, ſed barbariſſimis (quos ad marginem rejecimus) aliquantulùm inquinatum, ita nobis exibuit.

Credo in Deum patrem omnipotentem: & in (a) *Chriſtum Jeſum filium ejus unicum, Dominum noſtrum; qui natus eſt de Spiritu ſancto & Mariâ virgine, qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus, tertiâ die reſurrexit à mortuis, aſcendit in* (b) *cœlos, ſedet ad* (c) *dextram Patris, unde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in ſpiritu ſancto, ſanctâ Eccleſiâ, remiſſione peccatorum, carnis* (d) *reſurrectione.*

a *vg* Chriſto Jeſu.
b *vg* cœlis
c *vg* dextera
d *vg* reſurrectionis.

Atque hoc Symbolum illud eſt, quod (ſublatis barbariſmis, & pro ablativo in poſtremis articulis accuſativo caſu ſubſtituto) tum à Maximo Taurinenſi, in Homilia de traditione Symboli explicatur; tum ab Auguſtino in libello de Fide & Symbolo (tomo Operum. 3.) Competentibus exponitur, & in fine fidelibus omnibus ita commendatur. *Hæc eſt fides quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis Chriſtianis datur. Qua pauca verba fidelibus nota ſunt: ut*

credendo ſubjugentur, Deo ſubjugati rectè vivant, rectè vivendo cor mundent, corde mundo quod credunt intelligant. Idémque ipſum Græcum à Marcello Ancyrano profeſſioni fidei ſuæ ad Julium Romanum antiſtitem inſertum, apud Epiphanium in Hæreſi LXXII. legitur: verbo Πατέρα tantùm in initio, librariorum ut videtur incuriâ, omiſſo; & *Vitæ æternæ* articulo in fine ſuperaddito. Quem & in occidentis quibuſdam partibus receptum fuiſſe, & ex (*a*) Petro Revennate, & ex authore libri de Symbolo ad Catechumenos (tomo IX. operum Auguſtini) obſervo; Symbolum, eodem modo quo à Marcello eſt propoſitum explicantibus.

(*a*) Petr. Chryſolog. ſerm. 17. cum 8. ſequentib.

Verum apud alios, omiſſâ *Vitæ æternæ* mentione, in *Carnis reſurrectione* (ut in noſtris illis ſuperioribus) terminatum fuiſſe Symbolum ex Hieronymo & Rufino intelligitur. Quorum prior, in epiſt. LXI. ad Pammachium, adversùs errores Johannis Hieroſolymitani, ita loquitur. *In Symbolo fidei & ſpei noſtræ quod ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in chartâ & atramento, ſed tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem Trinitatis & unitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum Carnis reſurrectione concluditur.* Poſterior & in Apologia adversùs eundem Hieronymum, Aquileienſes ſuos in *hujus carnis reſurrectione finem Symboli* ſtatuere confirmat; & in ipſius Symboli expoſitione porrò addit. *Ultimus iſte ſermo, qui Reſurrectionem pronunciat, ſummum totius perfectionis ſuccincta brevitate concludit.* quem & in ſua Symboli explicatione ſecutus eſt Venantius Fortunatus, Pictavienſis apud Gallos epiſcopus; eo capitulo *ſummam perfectionis concludi* ſimiliter repetens. Quod ipſum etiam Maximus Taurinenſis, illis verbis ſignificatum voluit: *Hic religionis noſtræ finis, hæc ſumma credendi eſt.* & author Sermonis CXIX. de Tempore (operum Auguſtini tomo X.) notatione illâ. *Iſte jam finis eſt: ſed finis ſine fine erit Reſurrectio carnis.*

Eccleſia verò Aquileienſis, præter pronominis *HUJUS* ad *Carnis reſurrectionem* factam adjectionem, etiam *Patri* titulos *inviſibilis & impaſſibilis* adjunxit: poſt Chriſti quoque ſepulturam, alterâ additâ appendiculâ; *Deſcendit ad inferna.* In Gallicano Fortunati Symbolo, *Deſcendit ad infernum* legitur: additamentis illis aliis prætermiſſis. Apud Hiſpanos, Erâ DCCCXXIII. Chriſti anno DCCLXXXV. Etherius Uxamenſis epiſcopus & Beatus presbyter, adversùs Elipandum Toletanum archiepiſcopum, Symbolum Apoſtolicum ita producunt. *Surgamus cum ipſis Apoſtolis, & fidei noſtræ Symbolum, quod tradiderunt nobis brevi compendio, recitemus.*

Credo in Deum patrem omnipotentem. Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Deum & Dominum noſtrum. Qui natus eſt de Spiritu ſancto, & Mariâ virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato. Crucifixus, & ſepultus. Deſcendit ad inferna. Tertiâ die reſurrexit vivus à mortuis. Aſcendit in cœlos. Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum. Sanctam Eccleſiam Catholicam. Remiſſionem omnium peccatorum. Carnis reſurrectionem, & Vitam æternam. Amen.

Ecce fidem Apoſtolicam, in quâ baptizati ſumus; quam credimus, & tenemus.

Apud aliquos etiam poſtremorum articulorum ita inverſus eſt ordo. *Remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem, & Vitam æternam per ſanctam Eccleſiam,* quemadmodum in tribus poſterioribus libris de Symbolo ad Catechumenos (qui in nonum operum Auguſtini tomum irrepſerunt) videre licet. Unde & author Orationis ad Catechumenos, contra Judæos, Paganos & Arrianos (quæ in ſexto tomo perperam eidem adſcripta legitur) primo in loco *Remiſſionis peccatorum*, ſecundo *Reſurrectionis*, tertio *Vitæ æternæ*, quarto demùm ac poſtremo *Eccleſiæ* enarrat capitulum. Ut enim vetus *Romanum* Symbolum *Carnis Reſurrectione*; ita horum, *Eccleſiæ* commemoratione eſt terminatum. Quod etiam, ſub finem libri ſecundi de Symbolo ad Catechumenos, ſic habetur annotatum, *Sancta Eccleſia, in qua omnis hujus ſacramenti terminatur auctoritas.* Et tertii: *Ideo ſacramenti hujus concluſio per Eccleſiam terminatur.* Et quarti ſimiliter: *Propterea hujus concluſio ſacramenti per ſanctam Eccleſiam terminatur.*

Romanam verò Eccleſiam omnis in ſuo Symbolo mutationis impatientem fuiſſe ex Rufino jam audivimus. Quò ſpectat & Ambroſii illud in epiſtola LXXXI. ad Siricium. *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana inviolatum ſemper cuſtodit & ſervat.* & Vigilii Tridentini, libro quarto adversùs Eutychem. *Roma, & antequam Nicæna Synodus conveniret, à temporibus Apoſtolorum uſque ad nunc, ita fidelibus Symbolum tradidit.* Quo tamen hodie Romana Eccleſia utitur Symbolum, additamentis aliquot auctius legi, res ipſa indicat. Latino Græca quoque adjuncta habetur verſio, in *Pſalterio Græco Papæ Gregorii*, ut præfert titulus (ſcriptura enim ævo Gregorii longè eſt poſterior) Pſalterio videlicèt Græco & Romano, Latinis ut utroque literis deſcripto, quod in Benedictini apud Cantabrigienſes Collegii Bibliothecâ eſt reconditum. Ex quo Symbolum hoc utrâque linguâ (novis additamentis, in Latino, characteris alio genere diſcriminatis; pro Latinis verò literis, in altero, Græcis ſubſtitutis) hic opponere libuit.

Symbolum Apoſtolorum.

Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. *Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum, noſtrum. Qui* conceptus *eſt de Spiritu ſancto, natus eſt Mariâ virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato*, crucifixus, mortuus, *& ſepultus.* Deſcendit ad inferna. *Tertiâ die reſurrexit à mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram* Dei *patris* omnipotentis. *Inde venturus judicare vivos &*

Πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. Καὶ Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν Κύριον ἡμῶν. Τὸν συλληφθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, γεννηθέντα ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου. παθόντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, σταυρωθέντα, θανόντα, καὶ ταφέντα. Κατελθόντα εἰς τὰ κατάτατα. Τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ τῶν νεκρῶν. Ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καθεζόμενον ἐν δεξιᾷ θεοῦ πατρὸς παντοκράτορος. Ἐκεῖθεν ἐρχόμενον

mortuos

mortuos. Credo in Spiritum ſanctum. Sanctam Eccleſiam Catholicam. Sanctorum communionem. *Remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem,* Vitam æternam. *Amen.*

πεῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. πιστεύω εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν. Ἁγίων κοινωνίαν. Ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Σαρκὸς ἀνάστασιν, ζωὴν αἰώνιον. Ἀμήν.

Ubi notandum, ex Aquileienſi primum Symbolo in Romanum traductum eſſe articulum Deſcenſus *ad inferna.* Ita enim tum in vetere Ordine Romano, tum in Cottonianis & antiquioribus quibuſque Symboli exemplaribus legitur: quod εἰς τὰ καταχθόνια à noſtro interprete eſt redditum. In poſterioribus enim, ex Athanaſiano Symbolo, *Deſcendit ad inferos*, hic eſt poſitum: pro quo εἰς ᾅδλυ vel ᾅδην (ſc. τόπον) in Græco eſt ſubſtitutum, quum à primitivis Symbolis totum hoc caput abfuiſſe; ita Rufinus admonuerit. *Sciendum ſanè eſt quod in Eccleſia Romanæ ſymbolo non habetur additum*; Deſcendit ad inferna: *ſed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo. Vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo quod ſepultus dicitur.*

De *Orientalium* præterea Eccleſiarum (ut eò jam veniamus) communi Symbolo, iſta refert Rufinus idem. *Orientis Eccleſia* * *penè omnes ita tradunt* [Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.] *Et rursùm in ſequenti ſermone, ubi nos dicimus*; [Et in Jeſum Chriſtum, unicum Filium ejus, Dominum noſtrum] *illi tradunt* [Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, unicum Filium ejus.] Hic verò meminiſſe oportet, apud Orientales duo extitiſſe Symbolorum genera: contractius unum, (quod cum Romano & Aquileienſi Rufinus contulit;) fuſius & explicatius alterum.

* Vocitam hanc ex editione Probesianâ, his reposuimus.

Prioris generis fuit *Hieroſolomitana*, (*a*) *Eccleſiarum omnium matris illud*, πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. καὶ τὰ ἑξῆς τοῦ Συμβόλου τῆς πίστεως. *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei. & reliqua Symboli fidei.* quemadmodum in Eccleſiæ Hieroſolomitanæ vetere Liturgiâ legitur; quæ B. Jacobo, ut primo ſedis illius habito Epiſcopo tribuitur, & in antiquitatis memoriam etiam adhuc Hieroſolymis * ſemel in anno celebrari dicitur. Et quia cætera quæ ſequebantur, (quod ſeriò dolemus) ut maximè tum nota, brevitatis causâ ſunt hic omiſſa: ut aliquo ea jactura reſarciretur modo; integram (*b*) *ſanctæ & Apoſtolicæ fidei* Confeſſionem, licet (ut ex *viſibilium omnium & inviſibilium* mentione, ſub initium factâ, apparet) aliquanto, auctiorem, ſicut Hieroſolymis à Cyrillo φωτιζομένοις fuit explicata, ex Catecheſibus ipſius undique collectum, viſum fuit illius quo caremus loco ſubſtituere.

* Leo Allat. de libris Eccleſiaſt. Græcor. diſſertat. 1. pag. 16.

(a) Τῆς μητρὸς ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν. Concil. Conſtantinop. in epiſt. Synodic. apud Theodoret. lib. 5. hiſt. cap. 9.

(b) Ἁγίας καὶ ἀποστολικῆς πίστεως. Cyrill. Hieroſolymitan. Catechet. 18. φωτιζομένοις.

Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα; ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, Θεὸν ἀληθινὸν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. Σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθίσαντα ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ παράκλητον, τὸ λελαληκὸς διὰ τῶν προφητῶν. Καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei unigenitum; ex patre genitum ante omnia ſecula: Deum verum, per quem omnia facta ſunt. Qui incarnatus & homo factus eſt, crucifixus & ſepultus, reſurrexit tertiâ die à mortuis; & aſcendit in cœlos, & ſedet ad dextram Patris, & venturus eſt in gloriâ judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in unum Spiritum ſanctum paracletum, qui locutus eſt per Prophetas. Et in unum baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, & in unam ſanctam Catholicam Eccleſiam, & in carnis reſurrectionem, & in vitam æternam.

Brevius aliquanto fuit *Alexandrina*, ut videtur, Eccleſiæ illud Symbolum: (*c*) quod Arius (illius Eccleſiæ presbyter) orthodoxum ſe ſimulans, Conſtantino Imperatori obtulit.

(c) Socrat. hiſtor. lib. 1. cap. 25. & Sozomen. lib. 2. cap. 27.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα. Καὶ εἰς Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἐξ αὐτοῦ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεγεννημένον, Θεὸν λόγον, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Τὸν * κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, καὶ παθόντα, καὶ ἀναστάντα, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρύς. Καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα. Καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ τὴν ἀπὸ περάτων ἕως περάτων.

* Sozom. ἀληθινὸν, καὶ σαρκωθέντα.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem. Et in Dominum Jeſum Chriſtum filium ejus, ex eo ante omnia ſecula genitum, Deum Verbum: per quem omnia facta ſunt, & quæ in cœlis quæ in terra. Qui venit, & incarnatus eſt, & paſſus, & reſurrexit, & aſcendit in cœlos, & iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in ſanctum Spiritum. Et in carnis reſurrectionem, & in regnum cœlorum & in unam Catholicam Dei Eccleſiam quæ à finibus uſque ad fines eſt.

Longioris verò Symboli partem maximam coram Synodi Nicænæ Patribus recitavit Euſebius, Cæſarienſis in eâdem Palæſtinâ epiſcopus; hoc prius commendatam elogio: quemadmodum in epiſtolâ ad Cæſarienſes ſuos, ex Concilio ſcriptâ, ipſe confirmat. (*d*, Καθὼς παρελάβομεν παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπων, καὶ ἐν τῇ πρώτῃ κατηχήσει, καὶ ὅτε τὸ λυτρὸν ἐλαμβάνομεν. καὶ καθὰς μεμάθηκαμεν τῶν θείων γραφῶν μεμαθήκαμεν, καὶ ὡς ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ἐπισκοπῇ ἐπιστεύσαμεν τε καὶ ἐδιδάσκομεν, οὕτω καὶ νῦν πιστεύοντες, τῷ ἡμετέρᾳ πίστει ὑμῖν παραπεμφόμεν. *Sicut ab Epiſcopis qui nos antegreſſi ſunt accepimus, & in prima catecheſi & quum baptiſmi lavacrum ſuſcepimus &*

(d) Socrat. lib. 1. cap. 8. Sozomen. lib. 2. cap. 27. Theodoret. lib. 1. cap. 12. & Gelaſ. Cyzicen. in Act. Concil. Nicen. part. 2. cap. 8.

ſicut à divinis Scripturis didicimus, & ſicut in presbyterio & in ipſo Epiſcopatu credidimus & docuimus: ſic etiam & nunc credentes noſtram fidem vobis proponimus. Fidei etiam Confeſſio illa erat hujuſmodi.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν ἅπάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, ζωὴν ἐκ ζωῆς, υἱὸν μονογενῆ, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεγεννημένον, δι' οὗ καὶ ἐγένετο τὰ πάντα. Τὸν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθέντα καὶ ἐν ἀνθρώποις πολιτευσάμενον, καὶ παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἥξοντα πάλιν ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. πιστεύομεν καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, filium unigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſecula ex Patre genitum, per quem & omnia facta ſunt. Qui propter noſtram ſalutem incarnatus & inter homines converſatus, & paſſus eſt, & tertiâ die reſurrexit & aſcendit ad Patrem, & iterum venturus eſt in gloriâ judicare vivos & mortuos. Credimus & in unum Spiritum ſanctum.

Atque hanc Confeſſionem (*a*) & Conſtantius Imperator & univerſi Patres Nicæni ſine ullâ contradictione admiſerunt: ſed ad Arianæ hæreſeos, de quâ tum quærebatur, clariorem refutationem, ita eam à ſe interpolatam Eccleſiis proponendam cenſuerunt.

a Euſeb. ibid.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς. Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ δι' οὗ τά τε πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ. Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, κατελθόντα, σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc eſt ex ſubſtantia Patris. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt, & quæ in Cælo & quæ in terrâ. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit, incarnatus & homo factus eſt, paſſus eſt, & tertia die reſurrexit, aſcendit in cælos, venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum.

Ultra Trinitatis verò confeſſionem hac vice non proceſſerunt: tum quòd Symboli pars ab Euſebio compoſita eo illos ducebat; tum quòd illo Ariana, * tunc agitabatur, controverſia nihil ampliùs requirebat. Quamobrem & Ariani Epiſcopi, qui ut Nicænam hanc fidem latenter ſubruerent, quum ad articulum illum perveniſſent πιστεύομεν καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, *Credimus etiam in ſanctum Spiritum*; Subdiderunt (*b*) Εἰ δὲ δεῖ καὶ προσθεῖναι, πιστεύομεν καὶ περὶ σαρκὸς ἀναστάσεως, καὶ ζωῆς αἰωνίου. *Si autem, ut hoc adjiciatur, opus ſit: Credimus & de carnis reſurrectione, & vitâ æternâ.*

* *deeſt vox quæ, uno excepto.*

b Athanaſ. epiſt. de Synod. Arimini & Seleuciæ. (tomo 3. edit. Commelin. pag. 627.) Socrat. lib. 2. hiſt. cap. 1.

Profeſſionem verò τοῦ ἁγιασμοῦ, ab Antiochenâ illâ Synodo ſubdolè ſuppreſſam, ipſa Eccleſia Antiochena, ut * σύνταγμα & κλεῖθρον, breviori ſuo inferendam curavit Symbolo; quod *ex ſcriptis Dei per Apoſtolos Dei conditum*, in Libro VI. de Incarnatione Domini, affirmat Johannes Caſſianus, & contra Neſtorium ſic urget. *Licèt omnium Eccleſiarum ſit, quia una omnium fides: peculiariter tamen Antiochena urbis eſt atque Eccleſiæ, id eſt, illius in quâ tu editus, in quâ inſtitutus, in quâ renatus es. Hujus te perduxit Symboli fides ad vitæ fontem, ad ſalutis regenerationem, ad Euchariſtiæ gratiam ad Domini communionem.* Priorem autem Symboli hujus partem ita Caſſianus repetit.

* *Fidei ſymbolum.* Epiphan. Anchorat.

Credo in unum ſolum verum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem omnium viſibilium & inviſibilium creaturarum. Et in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium ejus unigenitum, & primogenitum totius creaturæ; ex eo natum ante omnia ſecula, & non factum. Deum verum ex Deo vero, homouſion Patri: per quem & ſecula compaginata ſunt, & omnia facta. Qui propter nos venit, & natus eſt ex Maria virgine, & crucifixus ſub Pontio Pilato, ſepultus, & tertia die reſurrexit ſecundum Scripturas, & in cælos aſcendit, & iterum veniet judicare vivos & mortuos. & reliqua.

Longiori verò Eccleſiarum Orientalium Symbolo omnia illa Nicenorum patrum additamenta, apud Epiphanium (ſub finem Anchorati) hunc in modum interpoſita leguntur.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς [* Θεὸν ἐκ Θεοῦ,] φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ,

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, ex patre natum ante omnia ſecula, hoc eſt, ex ſubſtantiâ Patris. [*Deum de Deo,*] *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero,*

* *Inclusa reſtituimus ex priore Nicæni formulâ, & prolatione illâ quæ ſtatim ſequitur, ipſo Epiphanio.*

genitum

γεννηθέντα ἐκ παρθένου, ὁμοούσιον τῷ πατρί. δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ. τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους. καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρός, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συνπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. Ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν.

genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt, & quæ in cœlo & in terrâ. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto & Mariâ virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas, & ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram Patris; & iterùm venturus est cum gloriâ, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem; qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma, in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum; & vitam futuri sæculi. Amen.

Hanc Fidei formulam, ut ab Apostolis Ecclesiæ traditam, & à Nicænis Patribus promulgatam, laudat Epiphanius: ita ut ratione doctrinæ, in antiquo Orientalium Ecclesiarum Symbolo comprehensæ, *Apostolica*; explicationis verò à CCCXVIII. Episcopis superadditæ, *Nicæna* dici ea meritò posse videtur. Αὕτη μὲν ἡ πίστις (inquit) παραδέδοται ἀπὸ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ τῇ ἁγίᾳ πόλει ὑπὸ πάντων ἡμῶν τῶν ἁγίων Ἐπισκόπων ὑπὲρ τριακοσίους δέκα τὸν ἀριθμὸν. *Hæc fides à sanctis Apostolis tradita est, & in Ecclesiâ, civitate sanctâ, ab omnibus sanctis simul Episcopis, supra trecentos ac decem numero*, præscripta. de cujus solenni recitatione. factæ Synaxeos tempore à Timotheo Constantinopolitano archiepiscopo institutâ, in libri II. Historiæ Theodori Lectoris Eclogis ita legimus. Δεηθεὶς δὲ τῶν ἐπισκόπων αὐτῷ Τιμόθεος, τὸ τῶν πρακτικῶν εἶπε καὶ ἐντὸς πατρῶν τῆς πίστεως Σύμβολον καθ' ἑκάστην σύναξιν λέγεσθαι παρεκελεύσατο, ἐπὶ διαβολῇ δήθεν Μακεδονίου; ὃς αὐτῷ μὴ δεχομένῳ τὸ Σύμβολον, ἅπαξ τοῦ ἔτους λεγόμενον πρότερον δὲ τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ τοῦ Πάσχα πάσης, τῆς ἐκεῖσε τῶν γινομένων ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων κατηχήσεων. *Ab amicis rogatus Timotheus, Symbolum fidei* CCCXVIII. *Patrum per singulas Synaxes duci curavit; ad responsionem videlicet Macedonii, ille Symbolum hoc non receperit: quum anteà semel tantùm in anno, in Parasceue scilicet Dominicæ passionis, tempore quo Episcopus catechizabat, recitatum esset.* Ad longiorem enim hanc formulam (saltem à Constantinopolitano Concilio, ut posteà videbimus, aliquantulum imminutam) ista spectare; tum quæ de Spiritu sancto in ea habentur Macedonio adversantia & repugnantia, tum usus ad hunc usque diem in Græcorum Ecclesiis receptus, planum faciunt.

Sed & ab Occidentalibus consimiliter Ecclesiis longius istud Symbolum & *Apostolicum* habitum, & *Nicænum* etiam nominatum fuisse observare liceat. Sic enim habet Ordo Romanus, in Præfatione Symboli hujus recitationi præmissâ, ante administrationem Baptismi. *Audite suscipientes Evangelici Symboli sacramentum, à Domino inspiratum, ab Apostolis institutum: cujus pauca quidem verba sunt, sed magna mysteria.* Et in sacræ Cœnæ celebratione Latina Missa, quæ circa annum DCC. in usu fuit, de eodem adjicit. *Finito Symbolo* APOSTOLORUM, *dicat Sacerdos: Dominus vobiscum.*

[a] Miss. edit. Argentin. anni 1517. pag. 4b

Symbolum autem hoc, quod in divinorum Mysteriorum administratione recitatur, à *Nicæna* Synodi patribus fuisse editum; Isidorus Hispalensis, de divinis officiis lib. I. cap. XVI. Alcuinus, de divin. Offic. cap. LVI. Ælfricus Malmesburiensis monachus in [a] Canonibus ad Wulfinum Shirburnensem Episcopum, Magister sententiarum, libro I. distinct. XI. Alexander Halensis, in summæ parte III. quæst. LXIX. memb. V. confirmant: ut recentiores non commemorem, qui *Nicæni* nomen prolixiori huic Symbolo, cujus in officio sacro usus est, communi ferè consensu impertiunt. De quo & Bracarensis III. Concilii Episcopi, anno DCLXXV. *Hanc nostræ fidei regulam ipsis verbis atque sententiis commemoranter præeximus quibus & in conventu Nicæni Concilii declaratam esse scimus.* Unde & *à Nicæna Synodo Spiritum sanctum ex Patre solum procedere traditum* refert; in libro περὶ φύσεων, Johannes Erigena. Ita enim ex Græco rectè ille retulit: licèt Bracarenses, recepto tum apud Hispanicas ecclesias more, *Filii* etiam mentionem Symbolo hic adjecerint.

[a] Concil. Britannic. Wilkins. Spelman. p. 272.

Quibus omnibus inter se collatis, in eam nunc descendere incipio sententiam; Nicænos patres primæ Symboli parti, ab Eusebio ex vetere Formulâ primùm propositæ & ab eis plenìùs explicatæ, alteram deinde quæ supererat partem adjunxisse: vel eorum potiùs primarios aliquos, post solutum Concilium, id ipsum effecisse. De quo certius aliquid proferri potuisset, si Synodi illius Acta non penitus [a] intercidissent. Nam quæ tribus libris à Gelasio Cyziceno habemus descripta, Historiam potiùs quàm Acta Concilii continent; (quemadmodum in Bibliothecâ suâ notavit Photius:) & Gregorii Cæsareæ in Cappadociâ presbyteri de CCCXVIII. patribus Nicænis oratio (apud Metaphrastam, Julii die X.) quod huc faciat, præter hoc, nihil habet aliud. Τοὺς τῶν θείων ὄντως Συμβόλων, πάσης αἱρετικῆς κακονοίας, τοὺς παρεισάκτους ἀνοσιουργοὺς, συναφανισθῆναι ἐδόκουν, δι' ὑπαίθρου χεροῦ τε καὶ παρ' ἐκείνης αἰθερίου ἀντιλήψεως κατηχηθέντες

[a] Vid. Baron. ad ann. 325. fol. 61, 62.

φρόνημα, ὡς πᾶσιν ἰσθλὸν ἐν τοῖς ἐν τῇ παλαιᾷ τῶν πραχθέντων τῇ Συνόδῳ ἔκτεινε. *Divini omninò Symboli, hæretica omni malignitati aditum præcludentis expositionem contexens; per unumquodque dictum destruentes sensum, qui ab unaquâque hæresi opponitur: ut ex narratione alterum Synodi in Palatio manifestum est omnibus.*

Sanè in ea me aliquando fuisse opinione non diffiteor: vetera Orientalium Ecclesiarum Symbola in simplice personæ *Spiritus sancti* confessione fuisse terminata; illius verò amplificationem capituli, & quæ de Ecclesiâ & beneficiis ad eam spectantibus sequebantur omnia, à Patribus secundæ Synodi Œcumenicæ, Constantinopoli anno Christi CCCLXXXI. habitæ, primùm fuisse addita. Sed ab eâ me depulit sententiâ, temporis, quo à Cyrillo Hierosolymitano Catechetici sermones sunt habiti, & ab Epiphanio Anchoratum fuit editum, diligentior consideratio. Cyrillum enim *in adolescentia* Catecheses suas composuisse in suo Scriptorum Catalogo docet Hieronymus: annis quidem LXX. post exortam Manetis hæresin, ut in Catechesi VI. ipse Cyrillus indicat: ante annum nimirùm Domini CCCL. quo ex Catechetâ Episcopus Hierosolymitanus ille est factus. Arqui Apostolicæ fidei Symbolum, quod ille explicat, non in *Spiritus sancti*, sed in *Vitæ æternæ* articulo finem accipit: quod & ipse verbis illis Catecheseos XVIII. planè confirmat. Ταῦτ' ἐμοῦ τοῦ ἐλαχίστου περὶ τῆς αἰωνίου ζωῆς εἰρηται συμμίκτως, ἅτις ἐστὶ τῶν ἐπαγγελλομένων ἐν τῇ πίστει τὸ τελευταῖον δόγμα καὶ τέλος. *Hæc de Vitâ æternâ dicta sunt hactenus: quod est eorum, quæ profitemur in Fide, ultimum documentum atque terminus.*

Anchoratum verò à se scriptum expressè notat Epiphanius, *anno Diocletiani* XC. *Valentiniani & Valentis* X. *Gratiani* VI. *Gratiano Augusto* III. *& Equitio Consulib. Indictione* II. hoc est, Christianæ nostræ æpochæ anno CCCLXXIV. Et tamen longius illud Symbolum jam propositum (quod Constantinopolitano Concilio vulgò tribuitur) ut ab Apostolis acceptum, & à Nicænis Patribus prædicatum, ille recitat: hujusmodi ad fideles omnes adhortatione præfixâ. Μὴ διολισθήσῃ, εἰ πιστοὶ καὶ ὀρθόδοξοι, τοιοῦτον τὸν ἁγίαν πίστιν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, ἧς περίκειται ἡ ἁγία καὶ μόνη παρθένος τὰ θεῖα ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀποστόλων τοῦ Κυρίου, φυλάττουσα, καὶ ὥσπερ ἑκάστου τῶν καταχουμένων τῶν μελλόντων τῇ ἁγίᾳ λουτρῷ προσίεναι [βαπτίσεσθαι.] *Pergite, ô fideles & orthodoxi viri, sanctum hanc Ecclesiæ Catholicæ conservare fidem, quemadmodum sacrosancta ac singularis Dei virgo à sanctis Domini Apostolis accepit: ideoque catechumenis omnibus, qui ad baptismum sese comparant, inculcate.* Et quia ipsius tempore, anno videlicèt illo Diocletiani XC. novæ pullulârunt hæreses; ut illis item occurreretur, Nicænorum episcoporum exemplo, (qui ad Arianæ hæreseos, nuper exortæ, condemnationem antiquum Ecclesiæ Symbolum novo auctario locupletârunt) ἀκολούθως ut ille loquitur, τῇ τῶν ἁγίων ἑκατὸν πατέρων προτεθείσῃ πίστει, ipso Nicæno quoque Symbolo pluribus in locis interpolato, prolixiorem adhuc Fidei Typum toti Catholicæ Ecclesiæ, iisque (*a*) *maximè qui ad sacrum lavacrum essent accessuri*, commendavit.

(*a*) μέλλοντα τῷ ἁγίῳ λουτρῷ προσιέναι. Epiphan. Anchorat.

Septem post editum novum illum Typum annis, Constantinopolitana generalis Synodus (*b*) Nicænam fidei formulam, non solùm ut πρεσβυτέραν seu antiquissimam (utpote non ab ipsis ante annos LVI. primùm conscriptam, sed ex Symbolo ab ultimâ antiquitate in Ecclesiâ recepto expressam & explicatam) retinendam esse statuit: sed etiam ut ἀκόλουθον τῷ βαπτίσματι, sive Baptismatis ritui maximè consentaneam. Unde in eâ *baptizatos* se & *baptizare*, Conciliorum, Tyri, Hierosolymis & Constantinopoli anno DXVIII. habitorum, profitentur Episcopi.

(*b*) 5 Concil. CP. Epist Synodic. apud Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9. c In Act. 5. Concilii Constantinop. sub Menâ habit. p. 699. edit. Paris. ait. nec. cum Zonarâ in Canones. d Ibid. p. 691, 692.

Ita enim Nicænæ Synodi Fidem suscipere se profitentur Tyrii Patres. (*c*) Τὰ παρ' ἑνὸς ἑκατὸν τεσσαράκοντα ὀρθόδοξον σύμβολον ὁμολογοῦμεν ἐν παῤῥησίᾳ, καὶ κηρύσσομεν ἐν ἐκκλησίᾳ, ἐν αὐτῷ βαπτισθέντες καὶ βαπτίζοντες. *Symbolum orthodoxum, quod ab eâ expositum est, confitemur cum fiduciâ, & prædicamus in Ecclesiâ; in ipso baptizati & baptizantes.* & quatuor generales Synodos, Hierosolymitani. (*d*) Τοῖς τε τῶν τριακοσίων ἁγίων τῶν ἐν Νικαίᾳ συναχθέντων κατὰ Ἀρείου τοῦ δυσσεβοῦς, τὸν ἐκθεμένον τὸ ἅγιον σύμβολον, ἐν ᾧ βαπτιζόμεθα καὶ βαπτίζομεν, καὶ τοῖς τῶν ἑβδομήκοντα τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει κατὰ Εὐνομίου τοῦ Πνευματομάχου, τὸ ὁμοιον σύμβολον βεβαιώσασιν, καὶ τοῖς τῶν διακοσίων τῶν ἐν Ἐφέσῳ τῶν καθελόντων Νεστόριον τὸν ἀνθρωπολάτρην, τὸ δὲ αὐτὸ ἅγιον σύμβολον ἐκθεμένοις. καὶ τοῖς μεγάλοις, καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον τῶν χλ τῶν ἐν Χαλκηδόνι συνελθόντων, καὶ βεβαιωσάντων καὶ κρατησάντων τὸ αὐτὸ ἅγιον σύμβολον. Synodum videlicèt CCCXVIII. *sanctorum Patrum Nicææ congregatorum contra impium Arium; exponentium sanctum Symbolum, in quo baptizati sumus ac baptizamus.* & CL. *sanctorum Patrum contra Eunomium Spiritus S. impugnatorem; qui præditum Symbolum confirmaverunt.* Et CC. *Patrum Ephesi, qui Nestorium Hominis cultorem deposuerunt; qui & idem sanctum Symbolum amplexati sunt.* ac *magnam & œcumenicam Synodum* DCXXX. *Patrum Chalcedone congregatorum; qui etiam idem sanctum Symbolum confirmaverunt & comprobârunt.* & Constantinopolitani demùm, in eandem sententiam. (*e*) Τὸ ἅγιον σύμβολον, ἐν ᾧ πάντες ἐβαπτίσθημεν, ἐξεφάνσεν ἡ ἐν Νικαίᾳ τῶν ἁγίων πνεύματι σύνοδος, καὶ ἐπέφανσεν ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει τῶν ἁγίων πατέρων συνέλευσις, καὶ ἐβεβαίωσεν ἡ ἐν Ἐφέσῳ ἁγία σύνοδος, καὶ ἐτυφράγισεν ἡμᾶς ἡ ἐν Χαλκηδόνι μεγάλη ἁγία σύνοδος. *Sanctum Symbolum, in quo omnes baptizati sumus, cum sancto Spiritu Nicæna Synodus pronunciavit, & sanctorum Patrum Constantinopoli congregatio confirmavit, & sancta Synodus Ephesina corroboravit, & sancta magna Synodus Chalcedonensis similiter obsignavit.* De quo & Basilisci edicta, apud Euagrium lib. III. historiæ cap. 4. & 7. consuli poterunt.

(*c*) Epiphan. Anchorat. 5 Concil. CP. Epist Synodic. apud Theodoret. lib. 5. cap. 9. f Concil. Chalced. Act. 5. Euagr. lib. 2. hist. cap. 4. apud quem sic ea deprompta sunt, ut ad sunt attu-

Ad hujus verò tantopere laudati Symboli explicationem & ampliorem confirmationem, secundi illius œcumenici Concilii Constantinopolitani Patres proprium Tomum ediderunt; in quo & (*f*) *latiùs fidem professi sunt, & contra novitates hæreseon nuper exortas anathema ex scripto protulerunt:* quod ipsi in Synodicâ suâ Epistolâ confirmant. Quò referendum, quod in quarti etiam œcumenici Concilii Chalcedonensis Synodicâ legitur. (*g*) ἡ παρεδόθη τῶν ἁγίων μεγάλη καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, τὸ τῦ κηρύγματος ἄνωθεν ἀπάλυτον ἐκδιδάσκουσα, θεσπισθεῖσα

(*d*) Ibid. p. 691, 692.

(*e*) Ibid. p. 811. f πλατύτερον τὸν περὶ ὁμολογίαν ἐμάλωσε τῶν ἁγίων καὶ τῶν θεοφόρων πατέρων ἀναθεματισμὸν ἔγγραφον ποιησάμενον. Concil. Constantinop. apud Theodoret. lib. 5. cap. 9. g Concil. Chalced. Act. 5. Euagr. lib. 2. hist. cap. 4. apud quem sic ea deprompta sunt ut ad sunt attu-

τῶν τεσσαράκοντα καὶ ἑκατὸν ἁγίων πατέρων τὴν πίστιν μένειν ἀπαρεγχείρητον. ἣ διὰ τὸ ἐν πνεύματι τῷ ἁγίῳ μαχόμενος, τὴν χάριν ὑφεῖτο παρὰ τῶν ἐκ τῆς βασιλευούσης πόλεως ἐκείσε παραγενομένων πατέρων περὶ τῆς τοῦ πνεύματος θείας παραδόσεως διδασκαλίαν κυρῆ καὶ ἀπαρα βάτως ἐγνώκεναι, οὐχ ὡς τὶ λεῖπον τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεισάγοντες, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος αὐτῶν ἔννοιαν, ἣν τῶν τότε αὐτοῦ δυσσεβούντων ἀντιῤῥήσεσι, γραφικαῖς μαρτυρίαις ἐκράτυναν. *Præsens sancta & magna & universalis Synodus, prædicationem hanc ab initio immobilem docens, decrevit ante omnia, Fidem integram & intemeratam permanere* CCCXVIII. *sanctorum Patrum: & confirmat doctrinam, quæ de substantiâ Spiritus sancti à Patribus* CL. *posteà congregatis in regiâ civitate tradita est, propter illos qui Spiritui sancto repugnabant; quam illi notam omnibus fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus adjicientes, sed suum de sancto Spiritu intellectum, contra illos qui dominationem ejus respuere tentaverunt, Scripturarum testimoniis declarantes.*

Eum locum ob oculos habuit Justinianus Imp. in VII. lege Cod. de *Summâ Trinitate & fide Catholicâ*, ad Epiphanium Constantinopolitanum Patriarcham eundem in modum scribens. Ὅρον τῆς πίστεως, τοῦτ' ἔστι τὸ ἅγιον * μάθημα ὃν σύμβολον, κρατοῦμεν τὸ καὶ φυλάττομεν, τὸ περὶ τῆς τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου πατέρας ἐκτεθὲν, ὅπερ καὶ ἐν τῇ νῦν τῇ βασιλευούσῃ πόλει οἱ ἁγίου πατέρες συνελθόντες ἐκράτυναν. οὐχ ὡς ἐλλιπῶς ἔχοντος αὐτοῦ, ἀλλ' ἐπιθέσεως ἕνεκα τῶν ἀλλοθεν ἐχθρῶν, ἐν οἷς αὐτοῦ ἐπεχείρησαν τινὲς τῆς ἁγίας πνεύματος θεότητα, ἐν οἷς τινὲς ἐν τῇ ἁγίᾳ ἀναστασίου θεόδοτος Μακεδόνιος ἀλλοθεν εἰσῆλθον τῷ θεῷ λόγῳ ἐχθρόται· διὸ φύτο γραφικῆς μαρτυρίας τὸ αὐτὸ μάθημα ἐν ἑκάστοις οἱ ἁγίου πατέρες συνελθόντες ἐκράτυναν. *Fidei definitionem, hoc est sacrosanctum documentum sive Symbolum, retinemus atque custodimus, à sanctis Patribus* 318. *expositum: quod etiam congregati hâc in urbe imperatoriâ* 150. *sancti Patres explanatione adhibitâ declarârunt: non quòd aliquid ei deesset, sed eâ de causâ, quòd veritatis hostes partim Spiritus sancti divinitatem reprobare conati essent, partim veram Dei Verbi incarnationem ex sanctâ perpetuâ virgine Deiparâ Mariâ negâssent; idcircò Scripturæ testimoniis sacrosanctum hoc documentum indicati* CL. *sancti Patres explanatione adhibitâ declarârunt.*

* Sancti Symboli materiam nominat etiam J. Maxentius. Similiter & Photius in Epist. ad Michaelem Bulgariæ Principem, de 7. Synodo.

Atqui in *Symbolo*, tantùm abest ut Scripturæ testimoniis divinitas Spiritus sancti confirmetur, ut ne expressis quidem verbis affirmetur, sed ex appositis characteribus colligenda relinquatur. quod ab Eliâ Cretensi, in Gregorii Nazianzeni Orationem LII. sive epistolam secundam ad Cledonium, est observatum: ubi quod in Nicæno Symbolo (in quo agnoscit Elias Spiritum sanctum dictum fuisse *vivificum Dominum, ex Patre procedentem, atque cum Patre & Filio simul glorificandum*) ἀλλαχοῦ ἁπλούστερον περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐπὶ τὸ μᾶλλον κυριολογικὸν τοῦτο τὸ ζήτημα, *minùs plenè de Spiritu sancto dictum fuisse, propterea quòd hæc quæstio nondùm excitata fuerit*, Gregorius notaverat: suppleviſſe illum docet, *divinitatem* Spiritus sancti simpliciter & apertè profitendo. Verùm ubi attentiùs considero, tum *Athanasium* in fine epistolæ ad Africanos, tum *Basilium* in epistolâ 60. & 78. atque ipsum *Epiphanium*, sub finem hæreseos 54. hanc eandem omissæ in Nicæno symbolo mentionis Spiritus sancti Deitatis rationem reddentes, illud solum respexisse quod simpliciter *in Sanctum Spiritum* credere nos docet: à Gregorio aliud quàm brevius illud Symbolum fuisse intellectum, vix animum inducere possum ut existimem. Horum enim testimoniorum, & Athanasianæ de Fide ad Jovianum Imp. epistolæ authoritate præcipuæ motus eam *potiùs* sententiam mihi placere priùs significavi, quæ ampliorem illam in Anchorato propositam Fidei formulam post concilium Nicænum, licèt ante initum Constantinopolitanum, editam fuisse censuit.

Quum primùm igitur longioris Orientalium Symboli partem Nicæni patres explicationibus ex veteris Ecclesiæ sensu petitis (à cujus Doctoribus & ipsum (*a*) *Homoousii* vocabulum receptum hic fuisse agnoscit Eusebius) sic amplificarent: vel ipsorum aliqui, vel qui insignem in Ecclesiâ adepti sunt authoritatem alii, non diu post & eam Nicænorum ipsam & reliquam quæ superfuerat partem, collatis tam Romanæ quàm Orientalium Ecclesiarum Symbolis, eo videntur suppleviſſe consilio, ut uno quasi intuitu omnium simul Ecclesiarum fidem conspiciendam exhiberent. Indeque factum ut quum in Nicænâ formulâ haberetur tantùm, Καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα, & in Hierosolymitanâ illâ Cyrilli præterea, τὸ συνλαλοῦν, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν: in hâc, ex aliis, adjecta fuerint & ista. τὸ ἀφεῖναι, τὸ ζωοποιοῦν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον. quod ante Constantinopolitanorum Patrum conventum fuisse factum, ex Epiphanii Anchorato jam confirmavimus. Ut non temerè Nicephoro Callisti (quem, inter alios, & Johannes Gerardi in Loc. Commun. de Spiritu Sancto hîc est secutus) fides fuerit adhibenda; in Ecclesiasticæ suæ Historiæ libro XII. cap. XIII. hoc de illis referenti. Τῷ τε ἁγίῳ Πνεύματι δόξαν, ὡς ἰσότιμον καὶ ὁμοδόξον τοῦ Πατρὶ καὶ τοῦ Υἱοῦ, τοῦ Θεοῦ συμβόλῳ τῷ ἐν Νικαίᾳ πίστεως ἐπεσυνέθεσαν, τὰ Νύσσης Γρηγορίου τὸ λεῖπον τῷ ἱερῷ συμβόλῳ ἀναπληρώσαντος. *Sacrosancti Spiritus gloriam, ut similem atque æqualem Patri & Filio, divino Nicæno fidei Symbolo adjecerunt Gregorio Nyssæno id quod illi deesset suppleme.* sive Nyssenus is fuerit qui prolixius illud Symbolum coagmentaverit, quod Constantinopolitanum Concilium, pauculis (ut videbimus) inde detractis, tuum posteà effecerit: sive in Constantinopolitanorum *Tomo* illo (in quo, prolatis Scripturæ testimoniis, Spiritus sancti Deitatem luculenter comprobatam fuisse diximus) componendo Concilium ejus operâ usus fuerit; quem cum *Symbolo* deinde Nicephorus per errorem aliquem confuderit.

a ἐπεὶ δὲ τῶν παλαιῶν λογίων τινὲς μὲν ἐπιφανῶς, ἐπιτεύξεις δὲ συγγραφέως, ἰδίωμα τοῦ τῆς τοῦ πατρὸς μὲν υἱοῦ θεολογίας τῷ τοῦ ἐμοῦσιον ἐνυπάρχειν ὀνόματι. Euseb. in Epist. ad Cæsarienſ.

Neque primus tamen ille fuit, qui à Constantinopolitano Concilio, Nicænæ formulæ eam accessionem primùm adjunctam fuisse retulit. Sensit id ante illum (ut de posterioribus

taceam) Hugo Etherianus in libro contra Græcos III. cap. XVI. Ratramnus Corbeiensis, libro contra eosdem II. Nicetas Choniates in VI. Thesauri sui libro, Photius Patriarcha Constantinopolitanus in Nomocanone, Germanus Patriarcha in inedito de sex œcumenicis Synodis tractatu, Paulinus Aquileiensis archiepiscopus in Forojulienti Synodo contra Elipandum & Felicem habitâ, Anastasius Sinaita in Ὁδηγοῦ contra Acephalos cap. V. præcipuè verò Photius Tyriorum episcopus in Conciliorum Synopsi, quam Christiani Ravii beneficio ex Oriente adepti sumus. Is enim, quum Patres Nicænos Symbolum fidei exposuisse prius dixisset usque ad capitulum illud, Καὶ εἰς Πνεῦμα τὸ ἅγιον, de Constantinopolitanis postea suo loco addidit. Τὴν ὀρθόδοξον πίστιν ἐκράτυναν, καὶ θεὸν ἀληθῆ, καὶ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐκήρυξαν, προσθέντες τῷ προκειμένῳ τῆς Νικαίας τῆς πίστεως συμβόλῳ καὶ ταῦτα. "Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. τὸ σὺν πα-"τρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λελαληκὸς διὰ τῶν προφητῶν. εἰς μίαν ἁγίαν "καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. ὁμολογοῦμεν ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. προσδοκῶμεν ἀνά-"στασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν. Καὶ οὕτως ἐκπληρώσαντες τὸ σύμπαν τῆς ὀρθοδόξου πίστεως σύμβολον τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεδώκασιν. *Orthodoxam fidem confirmârunt, & Spiritum sanctum quoque verum Deum, & consubstantialem Patri, prædicârunt; addentes prædicto Nicæno fidei Symbolo & ista.* Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit; &c. *usque ad*, Vitam futuri seculi. Amen. *Atque ita fidei orthodoxa Symbolum complentes, Ecclesiæ tradiderunt.*

Non animadverterat utique Photius, ante habitum Concilium Constantinopolitanum ista omnia ab Epiphanio in Anchorato ἀντιλήψει fuisse repetita: nec aliud quicquam considerarat, quàm quòd in Chalcedonensis, cui interfuit, Concilii * Actione II. & V. Nicænæ & Constantinopolitanæ Synodi Symbola, eo quo ab ipso proposita sunt modo, distinctè recitata audivisset. Quod tamen à Concilio illo rectè fuisse factum nemo dubitabit, qui consideraverit Constantinopolitanos Patres ampliorem illam fidei formulam non Synodicâ solùm suâ authoritate, ut verè Catholicam, ab Ecclesiis omnibus recipiendam decrevisse: verum etiam ex eâ Nicæni Symboli parte, quæ ipsi habebatur inserta, non integram (uti ab Epiphanio recitatam legimus) retinuisse, sed, brevitatis gratiâ, tria commata resecuisse, atque eâ ratione suam quodammodo illam effecisse. Si enim hæc ipsa Constantinopolitana formula, duabus aucta particulis, ita *nova* (quemadmodum, in libro de processione Spiritus sancti, Anselmus voluit) censenda fuerit; ut jam non tam *Constantinopolitani* nomen, quàm *Symboli fidei quo Romana Ecclesia utitur*, in Tridentini Concilii Sessione III. suo quasi jure obtinuerit: quidni & alter ille Typus, tribus suis membris ita diminutus, in Constantinopolitani nomen pariter potuisset concedere?

Tria verò illa quæ, sine ullo incommodo, Constantinopolitani Patres prætermitti potuisse putaverunt, quòd ἀνάρμοστα & virtute in reliquis continerentur, hæc fuerunt. I. Θεὸν ἐκ Θεοῦ, *Deum de Deo*: quia mox sequebatur, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, *Deum verum de Deo vero.* II. Τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, *& quæ in cœlis & quæ in terrâ*: quia statim præcesserat, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, *per quem* OMNIA *facta sunt.* III. Illa generationis Filii explicatio: τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, *hoc est, ex substantiâ Patris*: quòd in ὁμοούσιος vocabulo illud sufficienter comprehendi crederent. Amplius enim quid quàm ὁμοούσιος (ut rectè in Anchorato ab Epiphanio est observatum) quod propriè *consubstantiale* est, vox ista denotat: atque unius & ejusdem individuæ substantiæ Patrem & Filium esse ita plenè significat; ut solo τὸ ὁμοούσιον (*a*) ὁμότιμον (*b*) vel ὁμοκυρίαρχον titulo ab Arianis Orthodoxi secernerentur.

Ad Constantinopolitanum autem hanc Fidei formulam Hispanicæ primùm Ecclesiæ (in Calleciensi Synodo, anno Christi CCCCXLVII. tempore Leonis I. habitâ) earúmque exemplo * Francicæ deinde, ac demùm Romana ipsa; ex Nicæno quidem Symbolo in generatione Filii, *Deum de Deo*, ex Athanasiano verò, in processione Spiritus sancti à Patre, FILIOQUE, adjecerunt: quæ ambo etiam additamenta in Anglo-saxonicâ Symboli hujus versione reperiuntur. Angli enim nostri, in Synodo sub ipso Theodoro, utcunque Græco, Hæthfeldiæ anno DCLXXX. celebratâ, (*c*) *Spiritum sanctum ex Patre & Filio inenarrabiliter procedentem* prædicaverunt. In Crescioniana tamen Canonum Collectione, quam in publicâ Oxoniensis academiæ Bibliothecâ vidimus, de Spiritu sancto capitulum in Latino Constantinopolitanorum Patrum Symbolo, vetere more, sic expressum invenimus. *Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre procedentem cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum; qui locutus est per sanctas Prophetas.* quod & postea Leo III. Romanus Pontifex est secutus: qui (Magistro Sententiarum, in loco superiùs notato, referente) Symboli hujus *transcriptum in tabulâ argenteâ, post altare B. Pauli positâ, posteris reliquit, pro amore, ut ipse ait, & cautelâ fidei orthodoxæ. in quo quidem Symbolo, in processione Spiritus sancti solus commemoratur Pater, his verbis:* "Et in Spiritum sanctum, Domi-"num & vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & filio coadorandum & glorificandum. *De quo*, in ejus Vitâ, Anastasius Bibliothecarius. *Hic, pro amore & cautelâ orthodoxæ fidei, fecit* in B. Petri basilicâ *scuta argentea duo scripta utraque Symbolo, unum quidem literis Græcis, & alium Latinis, sedentia dextrâ lævâque super ingressum Corporis; pensantem libras nonaginta quatuor & uncias sex.* Et in B. Pauli basilicâ, *fecit ingressu Corporis scutum ex argento purissimo, in quo orthodoxæ fidei Symbolum scribi fecit, quod pensat libras triginta & duas.*

Quò spectat & Photii Constantinopolitani Patriarchæ locus, in Dissertatione de Spiritus sancti processione contra Latinos: quam XII. Panopliæ suæ Dogmaticæ titulo Euthymius Zygabenus inseruit, sed à Francisco Zino in Latinâ versione consultò omissam, ex codice super è Græciâ allato communicavit mihi amicissimus Patricius Junius. Ἄλλων γὰρ βασιλέων, οἱ

μεγάλοι

a Socrat. lib. 2. histor. cap. 5.
b Philostorg. histor. lib. 3. c. 13. & lib. 8. c. 2.
* In Fide Catholicâ, quam die Dominicâ decantat ad Missam universalis Gallicanum Ecclesia, sic cantatur inter cætera. *Credo & in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas.*
Marcus Patriarchæ epist. in libro medito contra Gr.
c Bed. hist. eccles. lib. 4. cap. 17.

μεγάλαι Ρώμης ἀρχηγὸς, Ἑλλήνεσι τῷ τῶν ἱερῶν μυσταγωγίαν ἐκφωνεῖσθαι τὸ σύμβολον τῆ πίστεως, ἐν τῇ Ρώμῃ καὶ ταῖς ἄλλαις ὑπὸ τούτου ἐκκλησίαις, ἐνομοθέτησαν ἵνα μὴ τὸ σχῖσμα τῆς ἐκκλησίας, * βλάπτῃ σφαλερὰν ἀφορμὴν. Οὕτω δὲ ὁ Λέων, καὶ τὸ διπλοῦν τῆς ὑπερορίου ἐκκλησίας Ρωμαίων ἀσπίδας, ἀσπίδας δύο τοῖς ἱεροῖς κειμηλίοις ἀποθησαυρισμένας ἐξήνεγκεν, Ἑλληνικοῖς καὶ γράμμασι καὶ ῥήμασιν ἐγγράπτας τὴν ἀκριβῆ τῆς πίστεως ἔκθεσιν. καὶ ταύτας ὑπαναγνωσθείσας τῷ Ρωμαϊκῷ πλήθει ἐδίδαξεν. Καὶ μέχρι τοῦ ἐνοπλοῦς πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως Σεργίου, οἱ Ῥώμης ἀρχηγοὶ, ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερατείας, συναπτὰς τῆς ἰδιαζούσης θρησκείας ἐπίστασιν ὑπῆρχον τοῖς πάντας τοὺς πατριάρχας ὁρίοις, τὸ σύμβολον τῆς πίστεως ἀπαραλλάκτως ἐπέστελλον. *Leo & Benedictus, summi Roma Pontifices in sacrorum mysteriorum administratione Roma & in aliis Ecclesia illi subjectis fidei Symbolum Græcè enunciandum esse lege statuerunt: ne idiomatis angustia blasphemi alicujus sermonis efferendi occasionem præberet. Hic etiam Leo, apostolica Romanorum ecclesia ærario reserato, ancilia duo ex sacro thesauro reposita eduxit, Græcis & literis & verbis quam Fidei explicationem habentia inscriptam: eaque coram plebe Romanâ recitanda censuit. Et usque ad Sergii pii Constantinopolitani Patriarchæ tempora, Romani Pontifices, in Episcopatus sui exordio, fidei quam profitebantur literis Canonicis ad sedes omnes Patriarchales transmissis, fidei Symbolum absque ullâ mutatione inserebant.*

* Mss. βλασφημίας.

Similia de Leone refert idem Photius, tum in epistolâ ad Aquileiensem archiepiscopum, apud Baronium (an. 883. §. 9.) tum in Encyclicâ de Spiritus Sancti processione epistolâ, apud Nicetam Choniatem, in Orthodoxæ fidei Thesauri tomo XXI. ex quo (utpote nondum in lucem edito) sequentia placuit excerpere. Ὁ διοπτικὸς Λέων καὶ τοὺς ἐν τῷ θησαυροφυλακίῳ τῶν κειμηλίων Πέτρου καὶ Παύλου ἐν παλαιοτάτοις χρόνοις ἀποτεθησαυρισμένους τοῖς ἱεροῖς κειμηλίοις δύο ἀσπίδας, αἳ γράμμασι καὶ ῥήμασιν Ἑλληνικοῖς ἔλεγον τὸν ἱερὸν ἡμῶν πίστεως ὅρον, ταύτας ὑπαναγνωσθείσας κατηύγασεν τῷ Ρωμαϊκῷ πλήθει, καὶ εἰς ὄψιν ἁπάντων ἐλθεῖν ἐκέλευσεν. Καὶ πολλοὶ τῶν θεασαμένων τότε καὶ ἀναγνόντων ἔτι τῷ βίῳ σώζονται. *Divinus Leo, in gazophylacio primariorum Petri & Pauli ab antiquissimis temporibus inter sacros thesauros reposita, duo ancilia, quæ Græcis literis & verbis sacrosanctam fidei nostræ expositionem loquebantur; coram plebe Romanâ recitari & in omnium conspectum produci statuit. Et multi eorum qui tunc viderunt & legerant vitâ adhuc fruuntur.*

Ista prætermittere visum non fuit, ad controversiam de hoc additamento inter Græcos & Latinos agitatam pertinentia: cujus Historiam reliquam quum Pithœus, in libello de Processione Spiritus sancti, & Vossius noster, in Dissertatione de Symbolis tertiâ, diligenter enarraverint; ulteriori disquisitioni supersedendum, & præsenti Diatribæ terminum hic figendum esse censuimus.

SYMBOLUM ATHANASIANUM,
A Græcis interpolatum.

Ex apographo V. Cl. Patricii Junii.

Ex Sanctâ & Universali Synodo Nicænâ, Fidei compendium: & quomodo verum Christianum oporteat credere.

Ἐκ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου τῆς ἐν Νικαίᾳ, ὄρος πίστεως καὶ συντομίας, καὶ πῶς δεῖ φρονεῖν ὁ ἀληθῆ λατρεύοντα.

QUicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat orthodoxam fidem. Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem orthodoxa hæc est: ut unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris, & Filii & Spiritus sancti una est divinitas, *unum robur, una potestas, unum regnum,* æqualis gloria, *æqualis* majestas & coæterna. Qualis Pater, talis Filius, talis & Spiritus sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus: & non tres increati, sed unus increatus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus: & non tres immensi, sed unus immensus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus: & non tres æterni, sed unus æternus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus: & non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus

Ἐάν τις βούλοιτο σωθῆναι, πρὸ πάντων ἀνάγκη ἐστὶν αὐτῷ κρατῆσαι τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. ἣν ἐὰν μήτις ἀμόλυντον καὶ ἄθραυστον τηρήσῃ, αἰωνίου ἀπώλειαν ἀπώλεσεν. πίστις δὲν ἡ ὀρθοδόξος αὕτη ἐστὶ, ἵνα ἕνα θεὸν ἐν τριάδι καὶ τριάδα ἐν μονάδι σεβώμεθα, μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν οὐσίαν διαιροῦντες. ἄλλη γάρ ἐστὶ ὑπόστασις τοῦ πατρὸς, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος. ἀλλὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, μία ἐστὶν ἡ θεότης, ἴσον τὸ κράτος, μία ἐξουσία, μία βασιλεία, ἴση ἡ δόξα, ἴση ἡ μεγαλοπρέπεια, καὶ αἰώνιος οὗ ὁ πατὴρ, τοιοῦτος ὁ υἱὸς, τοιοῦτον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἄκτιστος ὁ πατὴρ, ἄκτιστος ὁ υἱὸς, ἄκτιστον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ ἡ τρὶς ἀκτιστος οὐκ' ἐς ἄκτιστοι. παντοκράτωρ ὁ πατὴρ, παντοκράτωρ ὁ υἱὸς, παντοκράτωρ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἡ τρὶς παντοκράτορες, ἀλλ' ἐς παντοκράτωρ. αἰώνιος ὁ πατὴρ, αἰώνιος ὁ υἱὸς, αἰώνιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ ἡ τρὶς αἰώνιοι, ἀλλ' ἐς αἰώνιος. παντοδύναμος ὁ πατὴρ, παντοδύναμος ὁ υἱὸς, παντοδύναμον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἡ τρὶς παντοδύναμοι, ἀλλ' ἐς παντοδύναμος. οὕτω θεὸς ὁ πατὴρ

Quæ à Græcis addita, alio characteri quam cætera sunt hic signata.

Filius,

Filius, Deus Spiritus ſanctus: & non tres alii, ſed unus eſt Deus. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus: & non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Et ſicut ſigillatim unamquamque perſonam Deum & Dominum confiteri, Chriſtianâ veritate defendimus: ita tres Deos aut tres Dominos dicere, non comprobamus ſed omninò prohibemus. Pater à nullo eſt factus, non creatus ſed ingenitus. Filius eſt à Patre, non factus, non creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus à Patre eſt, non factus, non creatus, non genitus, ſed procedens. Unus ergo Pater non tres patres, unus Filius non tres filii, unus Spiritus ſanctus, non tres ſpiritus ſancti. Et in hâc Trinitate, nullus primus aut poſtremus, nullus major aut minor: ſed tres ipſæ Perſonæ & æternæ ſunt & æquales per omnia, ſicut jam ſupradictum eſt. Unitatem igitur in trinitate, & Trinitatem in unitate, omnis Chriſtianus venetetur: & ita de ſanctâ & vivificâ & conſubſtantiali Trinitate ſentiat.

Neceſſarium verò eſt, incarnationem quoque *Filii Dei* & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti rectè credere. Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantiâ patris. Homo eſt ex ſubſtantiâ matris. *Quia enim peccans Adamus, mortî genus humanum ſubjecit, & naturam noſtram, [reddendo] debito fecit obnoxiam; idcircò Filius inviſibilis Patris & Dei, ex cœlis non diſcedens ad nos deſcendit; & per auditum ingreſſus-uterum ſanctæ Virginis, arcano modo ut pregnans ea eſſet operatus eſt, induens naturam noſtram per ſummam unionem. Deus ſimul & homo prodiens, eam quæ ad nos ſpectat diſpenſationem ita implevit per commiſerationem ineffabilem. Et* perfectus Deus *exiſtens, factus eſt perfectus homo; non converſâ, neque commutatâ ſupereſſentiali & inexplicabili Deitatis ſuæ ſubſtantiâ:* ex animâ rationali & humanâ carne ſubſiſtens. *Ipſe ſibi, cum cognato ſuo ſanctiſſimo Spiritu, fabricans ſanctiſſimam carnis aſſumptionem: perfectam ſubſtantiam humanam, in eo ſubſiſtentem & ab eo inſeparabilem, peccati minimè participem. Corpore ex virgineis & caſtis ſanguinibus matris Dei compacto, abſque carnali aliquâ voluntate vel cogitatione: animâ verò immaterialiter creatâ, intellectuali, rationali, voluntate & vi agendi præditâ; totâ, ſimul cum carne, divinitate repletâ, ab ipſo principio & primâ exiſtentiâ, propter ſummam & inconfuſam, ſecundùm perſonam, ad ipſum Deum Verbum factam unionem.*

Æqualis *igitur eſt* Patri ſecundùm divinitatem; minor *verò* Patre ſecundùm humanitatem. *Planéque verus* Deus eſt & homo: non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem, non converſione carnis, ſed aſſumptione in Deum. Unus omninò, non confuſione ſubſtantiarum: ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo; ita & Deus & Homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt *carne* pro ſalute noſtrâ, *impaſſibili manente divinitate*; & *ſepultus*, & reſurgens, & aſſumptus ad cœlos, ſedit ad dextram Dei & Patris. Inde *verò iterùm* venturus, judicabit vivos & mortuos. Ad cujus adventum, omnes *qui à ſeculo obdormiverunt* homines reſurgent; rationem

θεὸς ὁ υἱὸς, θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. καὶ οὐ τρεῖς θεοί, ἀλλ' εἷς ἐστι θεός. κύριος ὁ πατὴρ, κύριος ὁ υἱὸς, κύριος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ οὐ τρεῖς κύριοι, ἀλλ' εἷς ἐστι κύριος. καὶ ὥσπερ μοναδικὴν μίαν ἑκάστην ὑπόστασιν θεὸν καὶ κύριον ὁμολογεῖν χριστιανικὴ ἀληθείᾳ συναγορεύομεν, οὕτω τρεῖς θεοὺς ἢ τρεῖς κυρίους λέγειν οὐ συναγορεύομεν, ἀλλὰ πάντως ἀπαγορεύομεν. πατὴρ γὰρ παρ' οὐδενός ἐστι ποιητὸς, οὐ κτιστὸς, ἀλλ' ἀγέννητος. ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρός ἐστιν, οὐ ποιητὸς, οὐ κτιστὸς, ἀλλὰ γεννητός. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρός ἐστιν, οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν. εἷς πατὴρ ὁ ποιητὴς, οὐ τρεῖς πατέρες, εἷς υἱὸς, οὐ τρεῖς υἱοὶ, ἓν πνεῦμα ἅγιον, οὐ τρία πνεύματα ἅγια. καὶ ἐν τούτῃ τῇ τριάδι, οὐδὲν πρῶτον ἢ ἔσχατον, οὐδὲν μέγιστον ἢ μεῖρον. ἀλλὰ αἱ τρεῖς αὐταὶ ὑποστάσεις, συναΐδιοι ἑαυταῖς εἰσὶ καὶ ἴσαι εἰς πάντα, ὡς προείρηται. μονὰς ἐν τριάδι, καὶ τριὰς ἐν μονάδι, πᾶς χριστιανὸς ἐνοεῖσθαι, καὶ οὕτω περὶ τῆς ἁγίας καὶ ζωοποιοῦ καὶ ἐμπεῖρι τριάδος φρονεῖσθαι.

Ἀναγκαῖον δέ ἐστι καὶ τὴν σάρκωσιν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὀρθῶς πιστεύειν. ὀρθὴ γοῦν ἡ πίστις ἐστὶν, ἵνα πιστεύωμεν καὶ ὁμολογῶμεν, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς, θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστιν. * θεὸς ἐστὶν ἐκ τῆς οὐσίας ἄνθρωπος ἐστὶν καὶ ἐκ τῆς οὐσίας πατρός. ἄνθρωπος ἐστὶν ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς ἐπειδὴ γὰρ ἁμαρτήσας ὁ Ἀδὰμ θανάτῳ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ὑπέβαλε, καὶ τῷ φόνῳ ἡμᾶς ὑπεύθυνον τῷ χρέει πεποίηκεν, ὁ υἱὸς λοιπὸν τοῦ ἀοράτου πατρὸς καὶ θεοῦ, τῶν ὁρατῶν οἶκος ἐκστὰς, πρὸς ἡμᾶς κατῆλθε. καὶ δι' ἀκοῆς ὠσθεὶς τῷ νοῦν τῆς ἁγίας παρθένου, μυστικῶς τῷ κυοφορίαν ἐργάσατο, ὁποῖός τῷ ἡμετέραν φύσιν καὶ ὅλην ἔνυσεν. θεὸς ἡμῦ καὶ ἄνθρωπος περιλαβὼν, οὕτω τὸν παῤ ἡμᾶς οἰκονομίαν ἐπλήρωσε δι' ἄφατον ὕλεω. καὶ τέλειος βὰς ἐν γένοι τέλειος ἄνθρωπος, μὴ τραπεὶς, μὴ ἀλλοιωθεὶς τὴν ὑπερέχουσαν καὶ ἄφραστον ὑσίαν τῆς ἑαυτῦ θεότητος. ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ἐνωθεὶς· αὐτὸς ἑαυτῷ σοὶ τῷ συμφυεῖ ἑαυτῦ πανάγῳ πνεύματι, δημιργήσας τὸν παναγίαν τῆς σαρκὸς πρόληψιν. τελείαν ὑσίαν ἀνθρωπίνην, ἐνυπόστατον αὐτῷ καὶ ἀδιαίρετον ἐξ αὐτῦ, ἁμαρτίας ἀμέτοχον. ἐκ τῶν παρθενικῶν αἱμάτων τῆς θεομήτορος συμπαγέντα τῷ σώματι, χωρὶς πνὸς θελήματος ἢ ἐνεργείας σαρκικῆ. τῆς δὲ ψυχῆς αὐτὸς κτιθείσης, τελείας, λογικῆς, θελητικῆς, ἐνεργητικῆς, ὅλας τεθειμένης σοὶ τῷ σαρκὶ, ἐξ αὐτῆς ἀρχῆς, ἐν πρώτης ὑπάρξεως, ἀλλ' τὸν πρὸς αὐτὸν ἢ θεὸν λόγον ἄκραν ἕνωσιν, ἀσύγχυτον καθ' ὑπόστασιν.

Ἴσος οὖν ἐστὶ τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων δὲ τῷ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. καὶ ὅτως ἀληθὸς ὑπάρχει θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ὅμως οὐ δύο, ἀλλ' εἷς ἐστὶν ὁ Χριστός. εἷς δὲ οὐ τραπέσα ἡ σαρξ, ἀλλὰ ἀναληφθεῖσα εἰς τὸ θεὸν, εἷς ὅλως, οὐ συγχύσει ὑσίας, ἀλλ' ἑνώσει τὸ καθ' ὑπόστασιν. καὶ γὰρ ὅσπερ ψυχὴ λογικὴ καὶ σαρξ εἷς ὑπάρχει ἄνθρωπος, οὕτω καὶ θεὸς καὶ ἄνθρωπος εἷς ἐστὶν ὁ χριστός. ὃς ἔπαθε τῇ σαρκὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, ἀπαθὴς ὁ θεότης μενούσης. καὶ ταφεὶς, καὶ ἀναστὰς, καὶ ἀναληφθεὶς εἰς τοὺς οὐρανὺς, ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ καὶ πατρός. ὁπόθεν ὁ πάλιν ἐρχόμενος κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρύς. οὗ τῇ παρουσίᾳ, πάντα οἱ ἀπ' αἰῶνος κεκοιμημένοι ἄνθρωποι ἀναστήσονται, λόγον ἀποδῶναι περὶ τῶν πράξεων αὐτῶν. καὶ οἱ μὲν

τὰ ἀγαθὰ πράξαντες, παραδοθησονται τῷ παλδεματι αὐτοῦ εἰς αἰώνιον ζωήν. οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες, παραδοθησονται εἰς αἰωνίους κολάσεις. Αὕτη πάντως ἐστὶν ἡ ὀρθοδόξος πίστις, ἣν ἐὰν μὴ τηρήσας ἀμώμητον, σωθῆναι οὐ δύναται.

redditurі de factis ſuis. Et qui bona egerunt, ibunt *illius mandato* in vitam æternam; qui verò mala *egerunt*, *ibunt* ad cruciatus æternos. Hæc *utique* fides eſt orthodoxa: quam niſi quis inculpatam ſervaverit, ſalvus eſſe non poterit.

ALIA EJUSDEM FIDEI CONFESSIO,

Athanaſio ipſi quoque à quibuſdam attributa.

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unigenitum filium ejus Jeſum Chriſtum Deum & Dominum ſalvatorem noſtrum, & in Spiritum ſanctum Deum. Non tres deos, ſed Patrem & Filium & Spiritum ſanctum unum Deum eſſe confitemur. non ſic unum Deum quaſi ſolitarium, nec eundem qui ipſe ſibi pater ſit ipſe & filius: ſed Pater verus genuit Filium verum, id eſt, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vitâ, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno; non creatum ſed genitum, non ex nihilo ſed ex Patre, unius ſubſtantiæ cum Patre. Et Spiritum ſanctum verum Deum, non ingenitum neque genitum, non creatum nec factum, ſed Patris & Filii, ſemper in Patre & Filio coæternum veneramur. Unum tamen Deum: quia ex uno Patre, totum quod Patris eſt, Deus natus eſt Filius; & in Patre totum quod ineſt, totum genuit in Filium. Pater filium generans, non minuit, nec amiſit plenitudinis ſuæ Deitatem. Totum autem quod Deus Pater eſt, id eſſe & filium ab eo natum certiſſimè tenentes, cum Spiritu ſancto unum Deum piiſſimè confitemur.

Credimus in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Dei filium, per quem omnia facta ſunt quæ in cœlis & quæ in terrâ, viſibilia & inviſibilia, propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de cœlo, qui nunquam deſierat eſſe in cœlo; & natum de Spiritu ſancto, ex Mariâ virgine. Verbum caro factum, non amiſit quod fuerat, ſed cœpit eſſe quod non erat. Non Deum mutatum, ſed Deum permanentem, etiam hominem natum, non putativè ſed verè; non aëreum ſed corporeum, non phantaſticum ſed carneum, oſſa, ſanguinem, ſenſum & animam habentem. Ita verum hominem, ut verum Deum intelligamus: ita verum Deum, ut verum hominem fuiſſe nullo modo ambigamus confitendum.

Hunc eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum adimplêſſe Legem & Prophetas, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, ſecundùm Scripturas tertiâ die à mortuis reſurrexiſſe: aſſumptum in cœlos ſedere ad dexteram Patris; inde venturum judicare vivos & mortuos. Expectamus in hujus morte & ſanguine emundatos remiſſionem peccatorum conſecuturos: reſuſcitandos nos ab eo in his corporibus, & in eâdem carne quâ nunc ſumus, ſicut & ipſe in eâdem carne quâ natus & paſſus & mortuus eſt reſurrexit; & animas cum hâc carne vel corpore noſtro accepturas ab eo, aut vitam æternam præmium boni meriti, aut ſententiam pro peccatis æterni ſupplicii.

NOTA.

Inter Nazianzeni Opera Confeſſio iſta legitur, hoc prænotata titulo. D. Gregorii, cognomento Theologi, Epiſcopi Nazianzeni, de fide Nicænâ, Rufino presbytero interprete, tractatus. *Sed, quum in Gregorii ſcriptorum à Ruſino converſorum collectionibus* MSS. (*quarum unam, meæ melioris, ex bibliothecâ Regiâ doctiſſimus Junius nobis oſtendit*) *tractatus iſte minimè compareat: non autherem magis Gregorium, quàm Ruſinum illius interpretem poſſumus hîc agnoſcere.*

Rathramnus Corbeienſis monachus in libro contra Græcos III. (*quem, ut & alia aliquot variora Thuana Bibliothecæ monimenta, ſumma Puteanorum fratrum humanitati me debere lubens agnoſco*) ex Athanaſii libello Fidei, *Confeſſionis hujus verba quædam citat. Habetur enim ea integra in libri* XI. *operis de Trinitate ad Theophilum, Athanaſio per errorem adſcripti, ipſo initio. in poſtremâ nimirùm Pariſienſi Operum ipſius editione: nam in priore Commelinianâ hunc, cum tribus tractatibus præcedentibus, fruſtrà quis quæſierit. Ex eâdem quoque Confeſſione* Fidei Romanorum *illa eſt deſumpta: quam ad calcem Concilii Chalcedonenſis, ex bibliothecâ monaſterii Cruciferorum in Aquenſi civitate depromptâ, in tomo* I. *Conciliorum, Coloniæ anno* 1538. *&* 1551. *excuſorum, Petrus Crabbe legendam nobis exhibuit. Lectu enim, ut* θεὸς ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Deus de Deo, lumen de lumine, *ex Nicæni*, ita & ὅλον ἐξ ὅλου totum ex toto, & τέλειον ἐκ τελείου perfectum de perfecto, *ex Antiocheni Concilii formulâ* (*ab Athanaſio & Hilario in libb. de Synodis, & Socrate lib.* II. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* I. *recitatâ*) *tradita fuiſſe videatur: partem tamen partem ex Damaſi Romani Pontificis Symbolo* (*quod operibus Hieronymi, tomo* IV. *Eraſmiana &* IX. *Victoriana editionis, eſt inſertum*) *petitam eſſe apparet; indeque* Romanorum fidem. *appellatam. Neque in principio ſolùm, ſed etiam in Confeſſionis hujus fine, Latinus ille librorum* XI. *de Trinitate author Damaſi ſecutus eſt Symbolum; quod hiſce verbis, eundem ferè in modum, concluditur.* In hujus morte & ſanguine credimus emundatos nos, & ab eo reſuſcitandos die noviſſimo, in hac carne in qua nunc vivimus: & habemus ſpem nos conſecuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni ſupplicii. *Ubi*, bonorum meritorum *nomine*, bona opera *ſimpliciter ſunt intelligenda: more loquendi à Veteribus, etiam uſque ad Bernardi tempora, recepto.* Neque enim talia ſunt hominum merita, ut propter ea vita æterna deberetur ex jure; aut Deus

injuriam

injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam, ut taceam, quòd merita omnia dona Dei sunt, & ita homo magis propter ipsa Deo debitor est quàm Deus homini: quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? *Sic egregiè ille sermone in Annunciationem primo.*

ΤΜΝΟΣ ΕΩΘΙΝΟΣ.

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ,
καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη,
ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.
Αἰνοῦμέν σε,
εὐλογοῦμέν σε,
προσκυνοῦμέν σοι,
δοξολογοῦμέν σε,
εὐχαριστοῦμέν σοι,
διὰ τὴν μεγάλην σου δόξαν.
Κύριε βασιλεῦ ἐπουράνιε.
Θεὲ πατὴρ παντοκράτωρ,
Κύριε υἱὲ μονογενὲς
Ἰησοῦ Χριστὲ,
καὶ ἅγιον Πνεῦμα.
Κύριε ὁ Θεὸς,
ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ,
ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς,
ὁ αἴρων * τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,
ἐλέησον ἡμᾶς.
ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,
πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν.
ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς,
ἐλέησον ἡμᾶς.
Ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος,
σὺ εἶ μόνος κύριος,
Ἰησοῦς Χριστὸς,
O
εἰς δόξαν θεοῦ πατρός. Ἀμήν.

* al. τὴν ἁμαρτίαν.

HYMNUS MATUTINUS.

GLoria in excelsis Deo,
& in terrâ pax,
in hominibus bonæ voluntatis
Laudamus te,
benedicimus te,
adoramus te,
glorificamus te,
gratias agimus tibi,
propter magnam gloriam tuam.
Domine Deus rex cœlestis,
Deus pater omnipotens,
Domine Fili unigenite
Jesu Christe.
O
Domine Deus,
Agnus Dei,
Filius Patris,
Qui tollis peccata Mundi,
miserere nobis.
Qui tollis peccata Mundi,
suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris,
miserere nobis.
Quoniam tu solus sanctus,
tu solus Dominus,
Jesu Christe,
cum sancto Spiritu,
in gloriâ Dei Patris.

NOTA.

Ad finem veterum Psalteriorum Latinorum, cum Apostolico & Athanasiano Symbolo etiam Hymnus iste habetur adjectus. In antiquissimo Cottoniano, divinus est: in Æthelstaniano proximo, Hymnus in die Dominico ad Matutinas, *inscribitur. In Sarisburiensis Ecclesiæ uno, circa annum* 980. *exarato;* Orationis puræ; cum laudatione, *titulum præfert: in Benedictini apud Cantabrigienses Collegii vetustiore altero (Marini Papæ & Karlomanni regis temporibus, jussu Achadei Comitis, circa annum* 884. *in Galliâ conscripto)* Hymni Angelici, *quod initium nempè illius, ex Hymno in Domini Natalitio,* Luc. II. 13, 14. *ab exercitibus cœlestibus decantato, esset desumptum: nam* reliqua quæ ibi sequuntur, Ecclesiastici doctores compositerunt; *ut in Concilii Toletani* IV. *capitulo* XII. *est probè observatum. Videturque omninò Hymnus iste, tanto consensu tum in Orientalibus tum in Occidentalibus Ecclesiis (ut nos eum hîc edidimus) receptus, ex eorum fuisse numero, quorum vetus author qui contra Artemonis hæresim scripsit (apud Eusebium, libro* V. *Histor. Ecclesiastic. cap.* ult.) *hisce verbis meminit.* Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι, ὑμνοῦσι λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ Χριστὸν αὐτῶν θεολογοῦντες. *quorum sententiam ita Rufinus reddidit.* Sed & Psalmi vel Cantica, ab initio scripta sunt, quæ à fratribus fidelibus Verbum Dei esse Christum & Deum, totâ hymnorum suorum laude concelebrant. Προσευχὴν ἑωθινὴν *titulum in Constitut. Apostolic. lib.* VII. *cap.* XLVIII. (al. 47.) *præfixum habet:* Ὕμνος ἑωθινός, *ad finem Psalterii Græci, tum in Benedictino Cantabrigiensium Collegio [quod anno Mundi* 6663. *sive Christi,* 158. *fuit scriptum;] tum in omnium antiquissimo exemplari Alexandrino, majusculis literis exarato, quod in Regis nostri Bibliothecâ conservatur. ubi* στιχηδὸν *descriptus ille habetur: hîc etiam Odâ insuper additâ.*

HYMNUS VESPERTINUS.

Καθ' ἑκάστην ἡμέραν εὐλογήσω σε, καὶ αἰνέσω τὸ ὄνομά σου εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος.

Καταξίωσον, Κύριε, τῆς σήμερον ἡμέρας ἀναμαρτήτους φυλαχθῆναι ἡμᾶς.

Εὐλογητὸς εἶ Κύριε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ αἰνετὸν καὶ δεδοξασμένον τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

* Εὐλογητὸς εἶ Κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi.

* Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: & laudandum ac glorificandum est nomen tuum in secula. Amen.

Benedictus es, Domine: doce me justificationes tuas.

Psalm. 145. (al. 144.) 2. * *Hic versiculus etiam in Ambrosii vel Nicetæ Hymno legitur.* Tobit. 8. 15. Psalm. 119. [al. 118.] 12. *qui versus, in Alexandrino codice, ter habetur hic repetitus.*

Domine,

Pſal. 90. (al. 89.) 1.

Κύριε, καταφυγὴ ἐγενήθης ἡμῖν ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ.

Pſal. 41. (al. 40.) 4.

Ἐγὼ εἶπα, Κύριε, ἐλέησόν με, ἴασαι τὴν ψυχήν μου ὅτι ἥμαρτόν σοι.

Pſ. 142. [al. 143.] v. 10.

Κύριε, πρός σε κατέφυγον. διδάξόν με τοῦ ποιεῖν τὸ θέλημά σου, ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεός μου.

Pſal. 36. (al. 35.) 9.

Ὅτι παρά σοι πηγὴ ζωῆς, ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς.

Ibid. 10.

Παράτεινον τὸ ἔλεός σου τοῖς γινώσκουσί σε.

Domine, refugium tu factus es nobis in generatione & generatione.

Ego dixi: Domine miſerere mei, ſana animam meam; quia peccavi tibi.

Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es tu.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te.

ΥΜΝΟΣ ΕΣΠΕΡΙΝΟΣ.

Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου πατρὸς, οὐρανίου, ἁγίου, μακαρίου, Ἰησοῦ Χριστέ. ἐλθόντες ἐπὶ τὴν ἥλιου δύσιν, ἰδόντες φῶς ἑσπερινόν, (a) ὑμνοῦμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα (b) Θεοῦ. Ἄξιός εἶ ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι φωναῖς (c) ἁγίαις, υἱὲ Θεοῦ, ζωὴν ὁ διδούς. διὰ ὁ κόσμος σε δοξάζει.

a Baſil. αἰνοῦμεν.
b θεόν.
c al. αἰσίαις.

HYMNUS VESPERTINUS.

Lumen hilare ſanctæ gloriæ immortalis Patris, cœleſtis, ſancti, beati, Jeſu Chriſte: quum ad Solis occaſum pervenerimus, lumen cernentes veſpertinum, laudamus Patrem & Filium & ſanctum Spiritum Dei. Dignus es tempore quovis ſanctis vocibus celebrari, fili Dei, vitæ dator. Qua propter te Mundus glorificat.

NOTA.

Veſpertinus *hic hymnus* Matutino, *Benedictino, de quo diximus, codice ſubjunctus eſt: & in altero Pſalterio Græco, anno Mundi* 6844. *Indictione* 4. *hoc eſt, anno Chriſtiano* 1336. *deſcripto, in publicâ Oxonienſis Academiæ Bibliothecâ,* Τῷ τῦ λυχνοῦ, *inſcribitur; quod recitari ſoleret, quum lumen inferretur. De quo more Socrates, libro* V. *Hiſtor. Eccleſiaſtic.* κεφ. κβ΄ Ἐν Ἑλλάδι δὲ καὶ Ἱεροσολύμοις καὶ Θετταλίᾳ, τότε δὲ ταῖς λυχναφίοις εὐχαῖς παραπλησίως τοῖς ἐν Κωνσταντινουπόλει Ναυατιανοῖς ποιοῦσι. In Græciâ & Hieroſolymis & Theſſaliâ, cùm accenduntur lucernæ, ejuſmodi preces fiunt, quales à Novatianis Conſtantinopoli degentibus aguntur. *Et hunc ipſum Hymnum reſpiciens Baſilius, in lib. de Spiritu ſancto ad Amphilochium, cap.* XXIX. Ἐδόξε τοῖς πατράσιν ἡμῶν μὲν σιωπῇ τιμᾶν χάριν τοῦ ἱλαροῦ φωτὸς δίχα λόγου, ἀλλ' ἰδίᾳ φανέντος ἐυχαριστεῖν. Καὶ ὅτε μὲν ὁ πατὴρ τῆς ἡμετέρου ἐναίου ἢ ἐπιλύχνου λυχναρίας, ἐπιτῶν οὐκ ἔχομεν. ὁ μὲν τοῦ λαοῦ ἀρχαῖον φθέγγεται τοῦτο φάσμα, ἡ δὲ νῦν πάντα ἀσιγῆ ὑπομένουσα αἰτία λέγεται. Ἀινοῦμεν πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ. Vitium eſt patribus noſtris, veſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio arripere, ſed non ut apparuit agere gratias. Quis autem fuerit author illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus. Populus tamen antiquam profert vocem; neque cuiquam unquam vili ſunt impietatem committere, quum dicunt. Laudamus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum Dei. *Et lucè Nicephoro Calliſti, lib.* XVIII. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. LI. non facilè conceſſerim, Hymnum hunc jam inde ab Apoſtolis per manus Eccleſiæ Chriſti fuiſſe traditum: eſſe tamen* ἀπαύγασμα φαιδρὸν *illum, cujus in Conſtitut. Apoſtolic. lib.* VIII. *cap.* XXXV. (*al.* 41.) *facta eſt mentio, non multùm repugnaverim. Ut quemadmodum Græci* (apud Varronem, de lingua Latinâ libro V.) *cùm lumen adferretur, dicere ſuerunt ſoliti,* Φῶς ἀγαθόν: *ita & Chriſtiani ſuum* Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης, *in laudem illius qui eſt* ἀπαύγασμα *& δόξα Dei & Patris, canere conſueverint.*

HILDEBERTI CENOMANENSIS

De Confeſſione Sanctæ Trinitatis, Hymnus ſuavissimus.

Alpha & Ω, magne Deus; *Eli, Eli*, Deus meus.
Cujus virtus, totum poſſe; cujus ſenſus, totum nôſſe:
Cujus eſſe ſummum bonum; cujus opus, quicquid bonum.
Subter cuncta, ſuper cuncta; extra cuncta, intra cuncta.
Intra cuncta, nec incluſus; extra cuncta, nec excluſus:
Super cuncta, nec elatus; ſubter cuncta, nec ſubſtratus.
Super totus, præſidendo; ſubter totus, ſuſtinendo:
Extrà totus, complectendo; intrà totus es implendo.
Intrà, nuſquam coarctaris; extrà, nuſquam dilataris:
Subter, nullo fatigaris; ſuper, nullo ſuſtentaris.
Mundum movens, non moveris; locum tenens, non teneris:
Tempus mutans, non mutaris; vaga firmans, non vagaris.
Vis externa vel neceſſe, non alternat tuum eſſe.
Heri noſtrum, cras, & pridem, ſemper tibi nunc & idem:
Tuum (Deus) hodiernum, indiviſum ſempiternum.
In hoc totum prævidiſti, totum ſimul perfeciſti:
Ad exemplar ſummæ mentis, formam præſtans elementis.
Nate patri coæqualis, patri conſubſtantialis,
Patris ſplendor & figura; factor factus creatura,
Carnem noſtram induiſti, cauſam noſtram ſuſcepiſti.

Sempiter-

Sempiternus temporalis, moriturus immortalis:
Verus homo, verus Deus; impermixtus Homo Deus.
Non conversus hic in carnem, nec minutus propter carnem:
Hic assumptus est in Deum, nec consumptus propter Deum.
Patri compar Deitate, minor carnis veritate:
Deus pater (a) tantùm Dei; Virgo mater sed & Dei.
In tam novâ ligaturâ, sic utraque stat natura:
Ut conservet quicquid erat, facta quiddam quod non erat.
Noster iste mediator, iste noster legislator;
Circumcisus, baptizatus, crucifixus, tumulatus,
Obdormivit & descendit, resurrexit & ascendit;
Sic ad coelos elevatus, judicabit judicatus.
Paracletus increatus, neque factus neque natus,
Patri (b) compar filioque, sic procedit ab utroque;
Ne sit minor potestate, vel discretus qualitate.
Quanti illi, tantus iste; quales illi, talis iste:
Ex quo illi, tantus iste; semper illi, semper iste.
Pater alter, sed gignendo; natus alter, sed nascendo;
Flamen, ab his procedendo: tres sunt unum subsistendo.
Quisque trium, plenus Deus; non tres tamen dii, sed Deus:
In hoc Deo vero, tres & unum assevero;
Dans (c) *ipsa* unitatem, & *personis* trinitatem.
In personis nulla prior, nulla major nulla minor:
Unaquæque semper ipsa, sic est constans atque fixa;
Ut nec in se varietur, nec in ullam transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa; non hic error (d) sive noxa:
Sicut dico, sic & credo; nec in pravam partem cedo.
Inde venit, bone Deus, ne desperem quamvis reus:
Reus mortis, non despero; sed in morte vitam quæro.
Quo te placem nil prætendo, nisi fidem quam defendo.
Fidem vides, hâc imploro; leva fascem quo laboro:
Per hoc sacrum cataplasma, convalescat ægrum plasma.

(a) *Ratione hypostatica unionis utriusque in Christo naturæ, etiam Humanus pater est; non minus quidem beata Virgo mater Dei.*

(b) al. *ex Patre filioque.*

(c) *deleq. l. essentia.*

(d) 38. *sem.*

ORATIO AD DOMINUM.

Extra portam jam delatum, jam fœtentem tumulatum,
Vitta ligat, lapis urget: sed si jubes, hic resurget.
Jube, lapis revolvetur; jube, vitta disrumpetur:
Exiturus nescit moras; postquàm clamas, *Exi Foras.*
In hoc salo mea ratis, infestatur à piratis:
Hinc assultus, inde fluctus; hinc & inde mors & luctus.
Sed tu, bone nauta, veni: preme ventos, mare leni;
Fac abscedant hi piratæ, duc ad portum salvâ rate.
Infœcunda mea ficus, cujus ramus ramus siccus,
Incidetur, incendetur; si promulgas quod meretur.
Sed hoc anno dimittatur; stercoretur, fodiatur:
Quod si necdum respondebit, flens hoc loquor, tunc ardebit.
Verus hostis in me furit; aquis mersat, flammis urit:
Inde languens & afflictus, tibi soli sum relictus.
Ut hic hostis evanescat, ut infirmus convalescat;
Tu virtutem jejunandi des infirmo, des orandi:
Per hæc duo, Christo teste, liberabor ab hâc peste.
Ab hâc peste solve mentem, fac devotum pœnitentem:
Da timorem, quo projecto, de salute nil conjecto.
Da Spem, Fidem, Charitatem; da discretam pietatem:
Da contemptum terrenorum, apperitum supernorum.
Totum, Deus, in te spero; Deus ex te totum quæro:
Tu laus mea, meum bonum; mea cuncta, tuum donum.
Tu solamen in labore, medicamen in langore:
Tu in luctu mea lyra, tu lenimen es in irâ.
Tu in arcto liberator, tu in lapsu relevator:
Metum præstas in profectu, spem conservas in defectu.
Si quis lædit, tu rependis; si minatur, tu defendis:
Quod est anceps tu dissolvis; quod tegendum tu involvis.
Tu intrare me non finas infernales officinas:
Ubi mœror, ubi metus; ubi fœtor, ubi fletus;
Ubi probra deteguntur, ubi rei confunduntur;
Ubi tortor semper cædens, ubi vermis semper edens;
Ubi totum hoc perenne, quia perpes mors gehennæ.
Me recepret Sion illa, Sion David urbs tranquilla:

Digitized by Google

Cujus faber auctor lucis, cujus portæ lignum crucis;
Cujus claves lingua Petri, cujus cives ſemper læti;
Cujus muri lapis vivus, cujus cuſtos Rex feſtivus.
In hâc urbe, lux ſolemnis; ver æternum, pax perennis:
In hâc odor implens cœlos, in hâc ſemper feſtum melos.
Non eſt ibi corruptela; non defectus, non querela:
Non minuti, non deformes; omnes Chriſto ſunt conformes.
Urbs cœleſtis, urbs beata, ſupra petram collocata:
Urbs in portu ſaris tuto, de longinquo te ſaluto;
Te ſaluto, te ſuſpiro: te affecto, te requiro.
Quantum tui gratulentur, quàm feſtivè conviventur;
Quis affectus eos ſtringat, aut quæ gemma muros pingat,
Quis chalcedon, quis jacinctus: nôrunt illi qui ſunt intus.
In plateis hujus urbis, ſociatus piis turbis,
Cum Moyſe & Eliâ, pium cantem *Alleluia*.

NOTA.

Ex veteribus membranis Cottonianis (à quibus nomen authoris aberat) Rhythmos iſtos elegantiſſimos deſcripſimus; & ex altero Bibliothecæ Regiæ Codice, ab amiciſſimo Junio accepto, alicubi emendavimus: in quo tum Epiſtolæ Hildeberti continebantur, tum Carmina; & in his, de *Hermaphrodito*, *Lucretiâ*, & *Roma ruinâ* quoque, quæ Veterum Poëtarum Catalectis habentur interjecta.

FINIS.

MG2013503

Digitized by Google

Digitized

Digitized by Google